UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore Animato Lib. VII.

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

urn:nbn:de:hbz:466:1-95641

Visual Library



Th 948a

J. VIII. 9. 11.

X. 3

Facultatis Philosophicæ in Colleg. S. Jesu Padibornæ. 1617.

HIERONYMI DANDINI

CÆSENATIS

E SOCIETATE IESV

DE CORPORE ANIMATO LIB. VII.

LVCVLENTVS IN ARISTOTELIS TRES DE Anima libros, Commentarius Peripateticus



PARISIIS,
Apud Claudium Chappeletum, via Iacobæa,
sub signo Vnicornis.

M. DCXI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





HENRICO IIII.
CHRISTIANISSIMO
REGI FRANCORVM ET NAVARRÆ.

HIERONYMVS DANDINVS
FELICITATEM.

QVÆ olim in tua Parisiensi Academia à me disputata sunt de Anima & Corpore humano, ea tibi, Rex Christianissime, multò ante debita, nunc tandem restituo, dicóque Maiestati tuæ. Atque vtinam eiusmodi hæc essent, vt quàm Tu facilè virtutis bellicæ gloria Alexandrum refers, tam ego feliciter Aristotelem repræsentare possem: multò sanè dignior mihi conuenientia tecum foret, cur minimus Philosophantium interpellare Regum Maximum auderem. Sed quam ego conuenientiam sperare ab ingenij mei tenuitate non potui, eam ab excelsitate humanitatis tuæ impetraturum me esse confido. Notum iam est, nósque hac etiam nota nobilitatos plurimùm intelligimus, societatis Homines in Galliarum Regis potentissimi & optimi patrocinio esse, in eiusque complexu benignitatis felicissimè conquiescere. Hæc verò tui facilitas animi, qua in nostram familiam tam amanter ac seriò propendes, quasi in nobis dignum te aliquid reperire videaris, non dubito quin muneribus etiam in nostris nonnihil accommodatum Tibi ingeniosè reperiet, vilique pretium operi per se faciet. Quamquam vile non est, quia Aristoteles demum est: nec vile in posterum erit id, quod à me in Aristotelem additum est, quia Henrici Galliarum Regis erit. Ideóque qui Te méque ac munus inspiciet, non incommodè fortasse interpretabitur ad Alexandrum mitti debuisse Aristotelem, egregiéque selectam esse de Anima disputationem ab ijs, qui Regi ac Parenti munificentissimo hoc veluti symbolo debere se Animam testatum omnibus volunt. Vale.

Ad Lectorem.

SEriùs omnino, quàm vellem, habes, humaniſſime Lector, meas de Anima & humano Corpore commentationes: ſed neceſſitas facilem habet excuſationem. Cæperam hæc quidem in Pariſienſi olim Academia tibi præparare, expolieram poſtea in Patauina. Denique in Peruſina extremam penè admoueram manum. Sed ecce tibi dum hæc meditor, Clementis VIII. Pont. Max. imperio eundum mihi fuit in Orientem: vix inde redieram, cùm ſuperiorum meorum iuſſu in Poloniam iter adornare iubeor: iui equidem vt debui æquo animo, ſed mecum pariter iuere multi anni, quos tamẽ Chriſto, quàm Ariſtoteli, conſecrare malui. Redij in Italiam, redij ad curas, quas vitæ meæ moderatores perſcripſerunt. Inter hęc contuli me vt potui & penè furtim adii Ariſtotelem: vix ille me agnoſcere videbatur: perſuaſi ægrè illum me eſſe, qui fueram: rediuimus in gratiam, & perũci vt exiret in lucem Homo ille, quem iamdiu animo parturiebam. Dicam planius. Quidquid Ariſtoteles, aureum illud os Philoſophiæ, de Anima ſcripſit, videbis à me explicatum & copioſe diſcuſſum. Qua in re veteres Peripatheticos tritámque à priſcis ac bonis viam tuere malui, quàm (vt ferè fit) minutis quæſtiũculis Ariſtotelem in fruſta ſecare. Stylum neque horridum vt ſpero habebis, neque florentiſſimum; ſed quantum res & ingenium ferunt, nõ incultum. Vbi Ariſtoteles digreditur, ducem ſequor variiſque de rebus, vt ſe dat occaſio, diſputo, tum oblectandi tui cauſa, tum maximè ne Ariſtotelem incomitatum relinquam. Addidi quæ erãt de corpore humano neceſſaria; totum vt aperirem tibi illud Dei ſacrariũ, minorem ſed maiore pretioſiorem mundum, & quoddam veluti conclaue naturæ. Hunc animum Seneca vocat in terra hoſpitantem Deũ, hoc Corpus Philo cenſet eſſe Regiam, in qua cor Regis inſtar in pectoris ſolio eſt, circunſiſtũt illum ſpiritus & ſanguis vt Regis conſanguinei, ſatellites ſunt coſtæ circunfuſæ ad cuſtodiam, arcis præfectus iecur, miniſtri ſenſus omnes, aula conuiuii ſtomachus, viſcera penſilis laberynthus: quæ omnia oculis ſubiicere operæ pretium duxi, ſed quoniam non facio libenter, vt mea verbis amplificem, hoc qualecũmque munus induſtriæ meæ, ſi Deo placuit, ſatis placuit: at tibi quidem Lector ſi gratum erit, habeo gratiam & ſalue: tu verò, cui minùs ſapit, Vale.

Facultas præpoſitorum Generalium,

CLAVDIVS AQV.

Cum hoc opuſc.

PRÆFATIO.

Philosophiæ beneficium.

QVÆ duo verè sunt hominis, mens & voluntas, quibus antecellit belluas, Deum sequitur (vita enim & sensus neq. propria nostra bona, neque cum Deo communia sunt) sola Philosophia ex ignorationis tenebris ac perturbationum fluctibus ereptas exornat & perficit. Nam quod Deus infinita sua sapientia efficit, Philosophus rursum, rerum harum varietatem maximam perlustrans mente, cogitatione conficit, dissoluit, auget, minuit. Atque vt ille absolutas rerum & perfectas similitudines, easdem causas rerum omnium, quæ continenter oriuntur & occidũt, (cùm ipsæ nulli sint obnoxiæ mutationi) in semetipso ab omni æternitate contemplatur. Ita hic ex hac vniuersa rerum caducitate & inconstantia stabiles colligit & constantes earum imagines, imperfectas expolit & perficit, perfectas atque absolutas intuetur, & velut alter Deus mundum alterum suæ mentis arte atque industria fabricatum in seipso beatus contemplatur, sic integro manẽte corpore animus tamẽ, vt Platonicus ille dixit, in vniuersam terram excurrit, ex terra effertur in cœlum, vniuersum mare pertransit, vniuersum

Maximus Tyrius ser. 8.

» peruolutat aërem, terram ambit, cum sole, cum luna circunfertur, cæterorum astrorum iungitur » choro, minimumque abest, quin vna cum Ioue » cuncta gubernet & ordinet.

Verùm tum in voluntatis actione, tum in mentis cõtemplatione, euenire perinde animaduertas. Quemadmodum enim virtutes morum inter extrema duo vitiosa, excessum & defectum, positas esse veteres omnes sciendi atque agendi magistri docuerunt: sic eos, qui in contemplatione naturæ studioque sapientiæ versantur, duobus modis graui-

Duplex error vitandus.

uter peccare comperias. Sunt enim qui ita sentiant. Veterum Philosophorũ scripta pluribus esse erroribus plena: quòd alij inuexerint atomos, alij A perenni cuidam fluxioni cuncta subiecerint, sensuum alij iudicium negauerint, alij mundum ab omni æternitate, atque animum nostrum caducum & mortalem fecerint; alij demum agendi libertate harũmq. rerum inferiorum cura & prouidentia Deum ipsum priuauerint. Et quamuis inter tot tamque graues errores aliquæ ingenij ac veritatis appareant lumina; frustra tamen in tanta falsarum opinionum caligine veritatem quæri. Ita solum rationis lumen cuique à natura tributum tanquam optimum ac tutissimum ducem in perquisitione naturæ sequendum esse inculcant. Contra verò apud alios tantum potest Philosophi alicuius auctoritas, vt quidquid ille pronuntiauerit eumúe pronuntiasse ipsi existimauerint, id continuò illi nullam pronuntiatæ sententiæ causam quærentes, nulloque prorsus adhibito examine, veluti optimi auditores Pythagoræ, verissimum, ac certissimum veræ Philosophiæ decretum esse contendunt. 2.

Equidem vt non omnes sententias probem, pleraque tamen video passim vt falsas & pueriles damnari ac reijci, eam solam ob causam quod C obscuriores sint, quàm vt germanus & verus earum sensus à quolibet percipiatur. Consueuerant namque veteres illi Philosophi dogmata sua vt indoctam laterent plebem, enygmatum atque allegoriarum inuolucris occultare: nec alio, quàm hoc, modo scribendum esse tradidit in epistola quadam ad Dionysium Plato: vt si forte vulgo jactari scripta contingeret, minimè lectionis sententiam assequeretur. Quo factum est, vt quæ viri sapientes aperta omnibus ac peruia esse iure optimo noluerunt, improbemus nonnunquam: quæ probe percepta probaremus nimirum & tanquam diuinas voces admiraremur. Quid enim quæso tam obsurdum dicitur à Platone, cùm rectam & obliquam lineam animum nostrum esse scribit; si rectam lineam vim illam animi, qua à seipso quasi egrediens ad vitam corpori largiendam cæteraque cognoscenda progreditur, circulum autem reflexam illam operationem, qua se in seipsum colligit atque ad suam contemplandam naturam eiúsque altiora principia regreditur, cum doctissimis Platonicis interpretemur? Platonem arbitran-

Symbolica veterum doctrina.

Platonis de anima sententia.

tur plerique cum animis matorum immortalitatem communicasse, quod in Phædone & Phædro animum omnem immortalem esse affirmauerit. Verùm is vniuersam illam speciem ne animi quidem nomine dignam esse putauit. Nam cum tria sibi animorum genera proposuisset, cœleste, genitale, humanum; primo rerum omnium scientiam tribuit, alteri opinionem rectam, postremo dubiam ancipitémq. sententiam. Belluarum formas non nisi per Metaphoram & (vt loquuntur scholæ) homonymè animos appellauit: quos apertis verbis in Timæo vna cum corpore voluit interire. Reprehendunt permulti Parmenidem, quod vniuersum ens fecerit vnum, immutabile, & ingenitum. At is carminibus illis, quibus hanc sententiam exposuit, vnum Deum eúmque sempiternum & omnis mutationis expertem intellexisse videtur. Reliqua enim, quæ ante ortum infinito tempore nihil fuerint atque ab interitu nihil vnquàm futura sunt, dúmque videntur esse continenter intereunt, non magis esse aliquid iudicauit, quàm id album, quod nigri plus habet, quàm albi coloris. Nam & in Timæo Plato quæcunque dissolui & non esse possunt, nihil verè esse pronuntiauit.

Tria Platonis animorũ genera.

Parmenidis de vno ante sentẽtia.

Simplicius in 1. Phys. & Bessarió in lib. 2. cap. vlt.

Sed esto: errarint sæpiùs illi. Etenim naturæ lumine compluribus vitijs, æstuantibúsque perturbationibus debilitato magnáque ex parte obtenebrato, mentis oculus ad purissimum veritatis splẽdorem cæcutiebat. Et vt arbores quæque certum aliquod solum amant, in quo nascuntur sponte natæque adolescunt fœlicius ac suauiores fructus progignunt, quæ si asportentur alio aut exarescunt continuo, aut certè degenerant. Ita Philosophiæ cognitio apud veros Dei cultores orta primùm adoleuit, tantóque truncos ac fructus procreauit, vt nihil aut aspectu pulchrius aut gustatu suauius esse posset. Ab Hæbreis autem per Moysen ad Ægyptios atque ab his per Thaletem, Pythagoram, Platonem, ad Græcos traducta, inutiliter fructificata, suauique sapore adulterato, primam illam fœcunditatem ac pulchritudinem magna ex parte perdidit.

Philosophiæ ortus & progressio.

An veterũ scripta legẽda.

An verò propterea ab eorum nobis erit scriptis abstinendum? Non eorum peruolutanda volumina? Non legendi commentarij? Antiquissimi illi Philosophi, etsi certis se totos sententijs consecrassent, aliorum tamen vel eorum, quos non magnopere laudabant, commentarios lectitabant, vt si quid in eorum voluminibus, quod veri speciem haberet suæque doctrinæ consentiret, reperissent, in sua scripta transferrent. Pythagoras ex omnibus penè, qui ante illum Philosophati fuerant, Plato ex Locrensi Timæo naturalia, ex Parmenide diuina, Moralia ex Socrate, Aristoteles ex Platone desumpsit plurima. Stoici, quibus nulli fuere seueriores propriæ sententiæ custodes, ex Epicuri scriptis quam multa acceperunt? Cur igitur nobis non liceat ex paucis antiquorum erroribus veritatem decerpere, atque ad Ethnicorum castra non vt transfugas, sed vt exploratores sæpe transire: vt si quid in illis præstans ac nobis opportunum inuenerimus, in vsum nostrum conuertamus? Nihil est, quod Christianos prohibeat Israëlitarum more ex Ægypto in Iudæam descendentium, argentea vasa & aurea vestémque plurimam comportare: & captiuam mulierem alienam abrasa cæsarie & vnguibus circuncisis Israëlitidem factam, vxorem ducere. Eóque magis id nobis concedi debet, quòd liberius quoddam Philosophandi genus profitemur. Neque enim vllius iuramus in verba magistri: sed libero iudicio, nulla lege coacti, quod in singulis optimum est diligentes, ad scribendum accedimus: estque amicus nobis Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Vt non tam auctores, quàm rationum momenta spectantes, perfectam & omni ex parte quoad fieri potest absolutam rerum cognitionem Deo bene iuuante consequamur.

Platonem inter cæteros maxime complexa antiquitas est, priscique Ecclesiæ nostræ doctores probarũt: Aristotelem admirari maluerunt, quàm sectari. Cuius rei causam si quæras, eam esse comperies, quòd de diuinis rebus Plato plurimùm disputauit, vnde & diuini nomen adeptus est: atque in permultis Christianæ fidei nostræ consentaneè magis locutus videbatur. Immò & S. Iustinus in Paræneſi ad gentes, & S. Augustinus octauo libro de ciuit. Dei cap. 10. & Alexandrinus Cyrillus contra Iulianum, & alij plures, eum asserunt in Ægypto sacra volumina perlegisse, indéque non pauca in sua scripta transtulisse. Aristoteles naturæ potius contemplationi deditus de diuinis paucissima scripsit, nec affirmari quidquam voluit, quod certis rationibus ex sensu potiùs ductis probari non posset. Deque mundi origine, de animorum nostrorum immortalitate, de diuina prouidentia, de hominis fœlicitate bonarumque actionum præmio ita statuit, vt certissimis religionis nostræ decretis aduersari plurimùmque nascenti Ecclesiæ obesse ac nouorum fidei alumnorum animos perturbare ac retardare posse videretur. Accedebant dialogi, affectatæque translationes, & phalerata fusaque oratio, quæ delectarunt magis, quàm simplex, purum, pressum, & concisum Aristotelicum dicendi genus.

Plato cum olim magis probatus, quã Aristoteles

Platonẽ sacros perlegisse libros.

At non multo post siluit Plato ac Philosophiæ principatum Lycæum obtinuit, vniúsque Aristotelis

Aristotelis cõmendatio.

Aristotelis nomen in scholis Philosophorum auditi cœpit; vbi & sententiarum grauitatem & ratiocinandi concludendique subtilitatem intellexerunt. Vt ex hoc demum summam is consecutus sit laudem, quòd cæterorum omnium, qui ante illum Philosophati fuerant, sapientiam, aut fugauit aut correxit: ipsius sapientia à sola veritate Christiana non eiecta, sed retenta & emendata est. Hæc maiora semper incrementa cœpit; atque ita omnium animos conuertit, vt præclarissima quæque ingenia acerrimáque iudicia, quæ singulis ætatibus floruerunt, in vno Aristotele interpretando suisque commentarijs illustrando omnem operam studiúmque collocarint: vt iam interpretum eius non facilè numerum inire queas, crescáque in dies, adeò ferax est & fertilis Aristotelicus ager. Quod incredibilem quandam in vno illo homine ingenij vim ostendit, certissimúmque summæ sapientiæ argumentum est. Propterea ab eloquentiæ Romanæ parente singularis in Philosophia fuisse dicebatur, quo nihil acutius, nihil politius esse posset. Ab alijs miraculum & monstrum naturæ, qui peculiari fuerit diuino munitus auxilio ad res Philosophicas, naturales præsertim, inuestigandas: ne Christiani, quos diuinarum rerum contemplatio monebat, nimium in illis perquirendis occuparentur. Ab alijs, omnia in eo, quæ ad rerum omnium cognitionem comparandam necessaria erant aut vtilia, diuina voluntate tam cumulatè concurrisse, vt in alio perfectiùs conuenire non posse videantur. Vel ipsum corporis temperamentum ad naturæ secreta peruestiganda & aperienda aptius esse non potuisse. Ab alijs eum & moribus ornatissimum fuisse, & in Philosophiæ cognitione humanum excessisse ingenium, totamque Philosophiam numeris omnibus absoluisse: aliorúmque Philosophorum obscuritates & scriptos illustrasse. Atque illius scripta eiusmodi esse, vt facile præstantiam hominis demirari possis. Ac cæteros quidem omnes ruditer & confuse, vt blesi solent, voces quasdam de Philosophia pronuntiasse. Aristotelem verò accuratè omnia exposuisse, illiúsque opinionem longè cæteris veriorem esse. Et hæc quidem modestè magis. Auerroës autem mirè hominis ingenium extulit. Alicubi enim scientias eum omnes ita perfeciss affirmauit, vt nullus potuerit quidquam, quòd alicuius esset momenti, aut addere aut reprehendere: quod diuinum magis sit, quàm humanum. Et alibi, regulam eum fuisse & exemplar, quod inuenit natura ad ostendendam vltimam & supremam perfectionem humanam, quam nullus alius homo possit attingere. Illiúsque doctrinam esse

summam veritatem; quia eius intellectus finis fuit intellectus humani, propterea diuina conditus prouidentia, vt per eum quæcunque sciri possunt, cognosceremus. Mitto cætera: nam hæc ipsa nimis multa & magna videbuntur. Certè vel ipsum ἀειστοτέλης nomen optimum quidpiam, perfectum & finem præsefert. Sed omittendum non est luculentissimum Philippi Macedonum regis testimonium epistola ea contentum, qua natum sibi Alexandrum Aristoteli significans, gratiam se Dijs habere scribit, non tam quòd sibi natus Alexander, quàm quòd Aristotelis tempore natus sit, à quo doceri & institui posset. Extat epistola apud Gellium lib. 9. cap. 3. Nescio tamen an commodiùs accederit Alexandro Aristoteles, an Aristoteli Alexander. Fuit sanè ab Aristotele Alexander Philosophiæ disciplinis excultus atque imbutus: at Aristoteles præter summa naturæ ingenij ac iudicij bona, quibus fuit ornatus, maximam habuit vicissim ab Alexandro earum omnium rerum commoditatem & affluentem copiam, quibus naturæ vires perficeret ac firmiores redderet. Non solùm enim vndique libri fuerunt illi diligentissime conquisiti, ex quibus aliorum Philosophorum sententias ac rationes cognosceret atque examinaret: sed omnis quoque generis animalia comportata, vt omnium naturas ac proprietates contemplaretur. Nunquàm enim tam multa, tam varia & præclara de animalibus singulis scribere potuisset, nisi vt ait Plinius libro octauo capite 16. habuisset ab Alexandro aliquot hominum millia in totius Asiæ, Græciæque tractu, in conquirendis atque ad Aristotelem adducendis generis omnis animalibus occupata, nequid vsquam gentium ignoraretur ab eo. Diuina multi desiderant. Ego verò vt multos prætermittam illius libros perijsse, & S. Thomam in opusc. decimo sexto scribere vidisse se quatuordecim illius libros de separatis mentibus nondum Latinè redditos: Exiguam illam diuinorum cognitionem, quam ab illo accepimus, Platonicis omnibus voluminibus facile antepono. Nec eum plura non scripsisse miror, immò & in ijs, quæ scripsit, interdum peccasse. Tum quia non quæuis temere fingenda putauit, sed pauca maluit ex naturalibus & sensatis rebus ratione certa colligere. Tum quòd naturæ tantùm lumine ductus haud multò plura nec satis certo cognoscere licuit.

Hunc igitur nos optimum ducem sequimur, illius scripta libenter interpretamur, ingenij acumen admiramur, peracre iudicium probamus, doctrinam, vt par est, veneramur. Sed illud etiam atque etiam videndum, ne veritati auctoritas hominis præponatur.

ã tiij

A B C D E

Aristoteles nomen.

Aristoteles & Alexander Macedo.

De diuinis vt Aristoteles scripserit.

Prima & 2. Acad.

Ant. Bern. lib. 10. cuer. sect. 62.

Amm. præfatione categoriarũ. Simpl. ibid. & proœmio Phys. Them. proœm. de anima. Alex. 1. Met. cõ. 86. & proœm. & de anim. Auer. proœm. Phys. 3. de anima. 14. 1. de generat. ani. cap. 1. 3. Meteororum cap. de halo & inde & 3. disp. dub. 13.

Aristoles quatenus audiendus.

Veritas inprimis quærenda est, rationum momenta ponderanda. Etsi quando is aduersus certissima fidei à Deo nobis propositæ dogmata sensit quidpiam aut docuit; nec tueri hominem nec excusare æquum est. Quemadmodum enim veritates eæ, quæ à Deo veritate prima, quæ mentiri non potest, manifestatæ nobis fuerunt, certissimæ omnium sunt, ita quibusuis rationibus naturali virtute conclusis anteponantur. Vt si sapienter & absque errore Philosophari velis, ijs tibi vtendum sit veluti trutina, qua cæteras quascunque, quæ naturæ lumine colligantur, diligenter & attente examines. Enimuerò rationes omnes, quæ certissimis religionis nostræ decretis aduersantur, aut aliquid falsum accipiunt, aut imbecillitati certè nituntur luminis intelligentiæ nostræ, quæ assequi non potest omnia, sed confirmanda est maiori virtute diuiniorique lumine collustranda. Definiuit Aristoteles (vt pauca ex pluribus afferam) ortum esse totius in totum mutationem, illiusq. principia materiam esse, priuationem, & formam. Verissima sane ac tanto Philosopho digna sententia, si rerum inferiorum & natura constantium procreationes spectemus. At nequaquàm eam esse generationis vniuersæ notionem, sed hanc potius originem solam significare vnius ab alio, abstrahendo à materia & priuatione, docuit nos verissima illa & proprijssima generatio diuina, qua pater ab omni æternitate eandem numero naturam filio communicauit, cum sola suppositorum distinctione. Ex nihilo nihil fieri, sed si quid producendum sit, subijci oportere aliquid actioni agentis; veteres illi omnes consensere, qui de natura scripserunt. Nos diuinam postea creationem Deo ipso docente didicimus. Relationem omnem esse accidẽs quoddámque genus entis determinatum, Philosophorum omnes scholæ docuerunt: quòd aliæ non agnoscerent relationes, quàm eas, quæ inter creatas res versarẽtur. At nos dum relationes in Deo subsistentes credimus, vniuersam relationis notionem intelligimus ab accidentis & substantiæ ratione separari, solúmque ordinem ad aliud significare. Mitto vim & naturam propriam accidentis, distinctionem vsiæ & hypostasis, essentiæ & suppositi, eaque penè omnia, quæ ad Deum cæteráque mentes à materiæ concretione liberas pertinent, aliáque complura, quæ melius multò à Christianis Philosophis ex principijs à Deo reuelatis percipiũtur, quàm ab Ethnicis solo naturæ imbecilliori lumine adiutis intelligerentur. Neque enim ex solis naturæ principijs explicari satis poterant, nisi superiori ac diuiniori virtute confirmarentur.

Quomodo Philosophãdum.

Multa à Christianis melius, quæ à prisci pluribus intellecta.

Aristotelis obscuritas.

Non defuerunt, qui Aristotelem obscuritatem scribendo affectasse criminarentur, quòd esset gloriæ percupidus, atque in dubijs arduisque quæstionibus ita loqui vellet, vt ambigua oratione vsus, quæ plures interpretationes admitteret, à posteris non posset argui. At veriores aliæ fuerunt obscuritatis causæ. Prima commune iudicium receptáque consuetudo eorum, qui ante illum Philosophati fuerant. Omnes enim ænigmatibus & allegorijs sapientiam suam, vt plebem lateret, occultandam censuerant. Neque scriptas Pythagorei, sed traditas scientias conseruarant: nec nisi multis post extinctum Pythagoram annis ad scribendum animum appulerunt: eáque scripserant, quæ lucem rebus eriperent obscurámque potiùs noctem effunderent. Mercurium quoq. Trismegistũ, Thaletem, Anaxagorã, Anaximenem, Anaximandrum, Melissum, Parmenidem, & alios paucissima & obscurissima scripsisse constat. Quid verò Plato? Quàm multa per numeros & Geometricas figuras inuoluit potiùs, quã explicauit? Aristoteles ænigmatibus, fabulis, Metaphoris ac similitudinibus prætermissis, tam accommodatè de re quauis scripsit, vt ea tamen, quæ scripsit, communia omnibus esse noluerit. Altera causa fuit, quòd ad Philosophiæ dignitatem & commendationem intelligeret profuturum non parum, si quæ is de ea scripsisset, obscuriora viderentur, quasi præstans quidpiam & eximium continentia. Tertia vt ingenia exerceret nostra, ipsáque difficultate ad Philosophiæ magis studium inflammaret: firmiúsque infigerẽtur ea memoriæ, quæ magno cum labore comparauerentur. Quare obseruarunt eius interpretes obscura ferè ac difficilia libris suis eum præposuisse proœmia, quibus ignaui ac desides ab illorum lectione deterrerentur, gnaui ac studiosi magis accenderentur. Quartò breuitas vbique, sed in rebus præsertim conditione sua reconditis, obscuritatem semper adfert. Breuis esse laboro, obscurus fio, dixit quidã. Quintò cũ ipse plurimorũ primus esset excogitator atque inuentor, facilè non fuit clariùs ea verbisque apertioribus explicare. Sextò vidit perspicacissimus Philosophus ea ratione fore, vt magnopere locupleteretur Philosophia, plurimáque illi accessio multorum interpretatione longiorique explicatione fieret. Quod reipsa factum est. Nunquàm enim potuisset is solus tam multa scribere, quàm multa seculis omnibus atque ætatibus ab illius interpretibus fuere scripta. Septimò subtilissimæ accesserunt acutissimæque rationes, quas passim is ad res singulas confirmandas excogitauit. Octauò cùm esset is perspicacissima quadam & omnino præclara mente præditus, minùs illi obscura ea fortassè videbantur, perindéq. ab alijs percipi posse existimauit. Nono propterea nobis obscurior est, quod cùm magna ex parte in aliorum sententijs confutandis versetur, non extant eorum, qui confutantur, scripta; neque satis perfectas illorum sententias habemus. Neq. pluribus eas Philosophus explicauit, quod extarent tum illorum libri omnibúsque noti ac perfecti essent. Quódque aliqui calumniantur, eum curasse

Prima. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

curasse per Alexandrum regem veterum illorum libros omnes comburi, vt sua occultaret furta; eò minùs est verisimile, quòd ipse ferè totus est in eorum confutatione: tantùm abest, vt ex illorum fontibus suam ipse sapientiam hauserit. Opiniones verò ne explicet quidem, sed ex eorum scriptis, quæ in omnium versarentur manibus, notas accepit. Accedit, quòd veterum illorum opiniones & carmina ad verbum scripta habemus apud Simplicium & alios: vt credi possit nondum eorum ætate libros illos penitus perysse. Decima & vltima obscuritatis causa fuit, quod cum vellet sapiens Philosophus generales & communes adferre rationes, quæ in omnem materiam accommodari possent; ne vnius alicuius propriæ crederentur esse, non attulit ex vna aliqua materia particularia exempla, sed tanquàm communibus terminis vsus est primis litterarum elementis, quæ non parum perturbant lectorem, orationemque totam obscurant.

Duo scriptorũ Aristotelis genera.

Cæterùm hoc loco meminisse oportet, ea, quæ ab Aristotele scripta fuere, à Græcis illius interpretibus, immo ab ipsomet fuisse bipartito diuisa. Nam quædam ἐξωτερικὰ, id est externa seu exteriora, alia ἀκροαματικὰ, hoc est auscultatoria nominantur. Quæ tum rebus, quæ tractãtur, tum tractandi modo distinguuntur. Namq. exoterica ea dicuntur, quæ dicendi artem & historias ferè continent, popularitérque ac faciliore magis, explicata & fusa oratione scripta, haud maiorem diligentiam postulabant. Acromatica verò subtiliorem doctrinam habent magisque reconditam, pressius ac limatius scriptam, in quibus obscuritatem auctor iniecit. Alexander libros vocat de recondita peripateticæ sectæ disciplina editos. Ita nimirum apud ipsummet Philosophum reperies in 13. Metaph. lib. cap. primo de ideis, plurima diuulgata in exotericis sermonibus. Et in primo libro de moribus ad Nicomachum cap. 13. agere accuratiùs de anima altioris esse contemplationis, ad eámque disputationem satis illa esse, quæ in exotericis disputationibus fuerant dicta. Et in tertio Polit. lib. cap. quarto de imperij formis sepiùs se in exotericis sermonibus disseruisse. Et libro primo de moribus ad Eudemum cap. quinto ἐπισκεπτέον δὲ, inquit, πολλοῖς μὲν ὡσαύτως εἴρηται καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς φιλοσοφίαν: hoc est, est verò hic locus de idea multis modis à nobis tractatus, & in exotericis libris, & in ijs, qui de Philosophia scripti sunt. Nisi enim ἐν κυκλίοις φιλοσοφήμασι intelligat, quæ ex primo libro de cœlo mox commemorabantur: Exotericis Philosophicos opponit, vt illos populariter, hos accuratè magis & subtiliter scriptos fuisse, duoque omnino scriptorũ genera significaret. Quemadmodum & in primo ad Nicomachum lib. duplicem de anima tractationem commemorat, accuratam vnam & acromaticam, quæ tribus his, quos interpretandos suscepimus, libris continetur, alteram popularem magis & exotericam, quæ morali Philosopho satis sit, libris fortasse illis comprehensam, quos ad familiarem Eudemum (criptos Themistius memorat lib. 3. cap. 37. & Plutarchus in Dione, & oratione consolatoria ad Apollonium, atque in primo libro de Diuinitate Cicero. Verùm illustriora quædam extant testimonia, quibus vt in superioribus exoterica, sic acromatica nominentur. Ac primùm adest inscriptio librorum octo Physicorum (φυσικῆς ἀκροάσεως.) Quam inscriptionem non ascitiam esse, sed ab ipsomet auctore præfixam: testantur mutuæ illæ Alexandri & Aristotelis epistolæ, quæ apud Simplicium leguntur in extrema ad libros illos præfatione, & Plutarchum in Alexandro, & Gellium lib. 10. cap. 4. Etsi verò Plutarchus acromaticos libros, de quibus scribunt, Metaphysicos potiùs intelligat: perinde tamen constabit aliquos esse Aristotelis acromaticos libros: neque huius loci est probare Physicos potiùs intelligendos esse. Auctor quoque Diogenes Laërtius est, Politicorum libros περὶ πολιτικῆς ἀκροάσεως appellatos ab eo fuisse. Immò & libros Nicomacho dicatos exotericos non esse, argumento est, quòd in illis exoterici citentur. Neque hos, sed alios populariter explicatos indicat in tertio Polit. libro vbi se de imperij formis disseruisse ait. Eodem argumento tum Metaphysicos libros, tum de cœlo & mundo, acromaticos esse colligas, non exotericos: propter verba, quæ in 13. Metaph. habentur, quibus exoterici sermones citantur: Et in tex. 100. lib. primi de Cœlo, quibus de diuinis ait sapè se ἐν τοῖς ἐν κυκλίοις φιλοσοφήμασι dixisse, ea intelligens, quæ in circulis & Philosophiæ studiosorum cœtu ab eo publicè explicabantur, quæque exoterica dici solent. Quo loco prætermittendum non est id, quod ante nos adnotarunt viri docti, Aristotelicas scholas partim matutinas fuisse, quas ἑωθινοὺς περιπάτους, matutinas ambulationes (ambulans namque docere consueuit) partim pomeridianas, quas eam ob causam δειλινοὺς περιπάτους, appellabat. Prioribus, ad quas non quemlibet, sed eos solos, quorum ingenia habebat cognita, admittebat: obscuros & difficiles Philosophiæ locos explicabat: vnde acromatici extitere libri, qui ea, quæ matutinis horis exposita discipulis suis fuerant, continerent. Posterioribus vero quas vulgo sine delectu accedentibus quibusuis dabat, faciliora proponebat: indéque exoterici libri collecti sunt. Porro acromatica secretiora fuisse & discipulorũ propria, neque in vulgus edita, consentiunt interpretes, Simplicius loco notato, & 4. Phys. com. 97. & com. item 97. libri 1. de Cœlo, & Philoponus ac Pfellus in texeum 87. libri quarti Physic. Ammonius in præfatione ad libros categoriarum

Bipartita Aristotelica schola.

Eustratius in caput 13. libri 1. de moribus; & vt alios mittam, manifestum est ex Alexandri & Aristotelis epistolis. Scripsisti, inquit Aristoteles, mihi de acromaticis libris, quos putas reconditos esse oportere. Scias igitur velim ipsos editos & non editos esse. Nam ijs intelligibiles erunt, qui me audierunt. Quam docendi ac scribendi consuetudinem Aristotelis quoque auditorem Theophrastum retinuisse scribit Galenus in libro de naturalium facultatum substantia. Verterque, inquit, Aristoteles & Theophrastus, alia quidem multitudine scripsit, Acroases autem socijs eiusdem disciplinæ. Et quid mirum, si quædam alijs obscuriora atque intellectu difficiliora sint? B

Aristotelis epistola ad Alexandrum.

Et hæc quidem generalis fuit Aristotelis operum partitio. Quæ si minutiora in membra concedere libeat, quædam fuisse particularia dices, vt epistolas ad Amicos scriptas: alia generalia, vt libros Physicorum, de cœlo, de ortu, de anima: alia media, hoc est partim generalia, partim particularia; vt libros de animalium historia, in quibus tum in genere tum in specie de animalibus disserit. Generalium porro ad memoriam iuuandam quædam pertinebant. Dum enim aliorum perlegeret libros, sententias illorum & rationes, absque vllo adhibito ordine, in suos commentarios referebat: quod nobis quoque, vt propositionibus abundemus, faciendum suadet in primo Topic. lib. cap. 12. alia ordine & accurata constabant methodo. Quæ aut admodum dialogi scripta διαλογικὰ dicebantur: in quibus non tam auctoris, quam vulgi ferè sententia proponebatur: atque hæc ad exoterica pertinebant. Aut maiori studio & diligentia ad auctoris sententiam explicandam referebantur, αὐτανθρώσσοντα dicta, eranique acromatica partim Theoretica, quibus veritas solum quærebatur, vt Physica, Metaphysica, & Mathematica: partim actiua, vt moralia omnia: partim organica, vt Logica. C D

Aristotelis operum partitio.

Quanquam magna pars temporum iniuria perijt. Namque bibliothecam quam reliquit Philosophus Theophrasto discipulo, isque Neleo tradidit. Hic eam Scepsim transportandam curauit, suisque posteris imperitis hominibus reliquit. Qui cùm Attalicorum regum desiderium bibliothecæ, quæ Pergami erat, instauradæ audiuissent, E eam sub terram conditam tineis atque humiditate labefieri permiserunt. Ita periere permulta. Tum ea, quæ penitus corrupta non sunt, Apelliconi Teio ab illorum posteris vendita atque ab eo librarijs transcribenda tradita sunt. Vnde in illis multa emerserunt errata. Post Apelliconis autem obitum cùm Athenas cæpisset Sylla, bibliothecam eam transtulit Romam: vbi Tyrannio Grammaticus Aristotelis libros obtinuit; cùm antea peripatetici exotericos tantùm & peruulgatos haberent. A Tyrannione mox Andronicus Rhodius accepit.

Aristotelis bibliotheca.

Scio Atheneum lib. 1. cap. 1. à Neleo Ptolemæum Philadelphum scripsisse bibliothecam eam coëmptam aduexisse Alexandriam. Verum & ille ipse in lib. 5. cap. 11. idem refert, quod de Apellicone affirmaui. Et quod de Andronico; non modo testatur Plutarchus, eum inquiens primum hasce, quæ nunc feruntur, Aristotelis tabulas descripsisse: sed Porphyrius quoque in extrema Plotini vita illum ipsum Aristotelis ac Theophrasti libros in tractatus distribuisse: & Simplicius in proœmio 6. Phys. libri, eum in Phys. libris hunc, quem nunc cernimus, ordinem posuisse: & Boëtius ad initium ferè 2. editionis in librum de interpretat. diligentem illum iudicem ac repertorem librorum Aristotelis ab antiquitate tota fuisse habitum produnt. Cùm verò per tot temporum difficultates ac discrimina peruenerint ad nos Aristotelis libri, totiésque empti ac venditi aut ex vno ad alium locum translati fuerint, quid mirum, si perierint multi, aut imperfecti & mutilati vel etiam vitiati ac deprauati cernantur?

Hactenus vniuersè satis; tum de Aristotele, tum de illius libris. Iam ad eam partem, quam interpretandam atque tractandam suscepimus, accedentes propiùs, illud principio ponamus, cuius perfacilis erit probatio, posse de anima animatisque corporibus haberi scientiam. Tum quia hæc reipsa & ab Aristotele & à Philosophis traditur. Tum quia animata corpora pars quædam & species & quidem optima ac præstabilissima sunt naturalis corporis, illorumque pars & forma est anima: quæ complures habet operationes, ex quibus cognito illius quæri possit, proprietatésque non paucas quæ de illa ostendantur: & cùm eam esse manifestum sit, haud magno labore definitio illius inuestigatur, qua & explicetur natura & proprietates demonstrentur.

Dari scientiã de am.

Maiori contentione disputatur in scholis, cuiusnam propria sit cognitio hæc & scientia. Namque vniuersam quædam & generalem animæ tractationem ad naturalem Philosophum pertinere, testantur illa verba, quæ apud Aristotelem leguntur in tex. 15. libri primi huius operis de anima: Naturalis est cõsiderare de anima aut omni aut huiusmodi, hoc est quæ cum materia sit & permateriam definatur. Quam eandem sententiam repetit in tex. 2. libri 6. Metaph. & cap. 1. lib. 1. de partibus animalium. Ratioque certissima persuadet. Naturalis quippe Philosophus dum de animatis mistis, quæ naturalis corporis species sunt, disserit, disserat item oportet de illorum partibus corpore & anima. Hæque genus quoddam est formæ, quod & significat ordinem ad materiam, dum actus est naturalis corporis, & natura existit & principium motus atque operationum complurium in naturali corpore. Quam ob causam in tex. 1. lib. 2. Phys. animalia & plantæ à natura esse dicuntur,

De anima vniuerse agere Physicum.

dicuntur, quòd in seipsis motus principium habeant animam. In specie autem de singulis responderi non potest, nisi duplex antea genus earum distinguatur. Vnum proprium, quod ita corpus animat, vt & primum & secundum actum, qui ex primo deriuatur, hoc est tum esse tum operationem tribuat corpori. Huius generis sunt, in plantis vegetans, in bestijs sentiens, in homine intelligens. Alterum minus proprium, quod solum actum secundum & operationem impertit. Qualis non Platonicis modò, sed & Peripateticis est anima cœli; separata mens, quæ solum cœlesti corpori motum adfert: neque essentialis, sed mouens duntaxat existit pars.

Duplex animæ genus.

Motricis nimirum huius animæ existentiam probare debet naturalis Philosophus; & in octauo Phys. lib. Aristoteles demonstrauit. Ex cœlestium quippe orbium conuersione perenni substantiæ huiusmodi demonstrantur: quod demonstrationis medium vt est naturale, sic demonstrationem totam naturalem facit. In ea item scientia cùm accuratè agatur de motu, principium quoque motus cognoscendum est. Dumque de cœlo disseritur, vt est mobile corpus, à quonam moueatur intelligere oportet. Denique illæ ipsæ mentes per cœlestem motum causæ sunt earum omnium naturalium rerum, quæ cœli ambitu continentur, hac ipsa ratione ad naturalem spectat cognitionem, quæ sui obiecti causas complecti debet. At contemplari naturam atque essentiam intelligere animarum earum, quæ non ratione modo, sed reipsa sunt ab omni materia abiunctæ & per se cohærentes, superioris est scientiæ, non naturalis, quæ solas res cum materia coniunctas considerat. Immò dum eas contemplatur vt materiale corpus cœleste versant, eóque motu plurimorum entium in hoc sublunari mundo existunt causæ, considerandas tamen superiori scientiæ relinquit, quatenus existunt causæ illorum, vt entia sunt. Tantum abest, vt naturam à materia prorsus liberam perueltiget, quæ neque corporis forma est, neque vllam in corpore operationem habet. Ita sapiens Philosophus pluribus in locis naturalem considerationem ad materiam contraxit & motum, substantiásque à materia separatas atque immobiles primo Philosopho considerandas tradidit. Et Simplicius ceterique in suis hisce de anima commentarijs sæpè inculcant, de solis mortalium animabus disputari, non de cœlestibus illis, quarum consideratio ad primum spectat Philosophum.

Intelligentia ad Physicum spectãs.

Iam de altero animarum genere, quod propriè nominatur quòd essentialis actus sit animatique corporis pars, duo ab omnibus concedi video. Alterum, ad naturalem Philosophum pertinere de illis agere, quoad esse: siquidem earum existentia ex naturali prorsus operatione colligitur: & intelligentem quidem animam esse ex intellectione cum phantasmate, vegetantem autem & sentientem ex propriis earum materialibus & corporeis functionibus concludimus. Alterum, naturæ quoque atque essentiæ vegetantis ac sentientis animarum cognitionem totam esse naturalis Philosophi propriam. Tum quòd materiales prorsus formæ (inquit Tum quòd in 1. lib. de partibus animalium cap. 1. & tex. 15. lib. 1. de anima, & tex. 2. lib. 6. Metaph. apertis verbis ita constituit Aristoteles.

Anima vegetãs & sentiens.

Cæterum de intelligente anima, vt Alexandrum, qui materialem & mortalem formam fecit, certum est eam quoque naturali Philosopho non minùs, quàm cæteras, considerandam tradidisse: sic inter cæteros, qui immaterialem & immortalem indicarũt, dissentio plurima. Ac de Auerroë quidẽ certè dubitari posse videtur. Is enim in com. 17. lib. 3. huius operis considerationem illius naturalis scripsit esse Philosophi. Quæ verba in eam planè sententiam adduxerunt Iandunum. Sanè in com. 26. lib. 2. Phys. naturalem Philosophum docuit Auerroës formas eas omnes considerare, quæ sunt in materia, vsque ad vltimam, quæ hominis forma est, inter materiales penitus formas & eas, quæ prorsus abstractæ sunt, media. Sed cùm in com. 5. lib. 3. de anima intelligentem animam nostram posuerit esse intelligentiarum vltimam, nobis duntaxat assistentem, non formantem, visus est velle solam illius existentiam ab eo Philosopho cognosci, qui cæterarum quoque intelligentiarum existentiam demonstrat, vt in com. 26. notato docuerat: naturam verò & essentiam ad primum Philosophum pertinere, qui de reliquis intelligentijs agit. Quin ex Græcis Philosophis interpretationem faciens tex. 15. lib. 1. solum primum Philosophum dixit animæ intelligentis naturam posse cognosci. Nam etsi Aristoteles in hisce libris, dum persequeretur naturalia, visus sit essentiam illius aperire, mos tamen (inquit tum eo loco, tum in extrema ad eos libros præfatione & in expositione tex. 32. lib. 1.) illius fuit, naturalium rerum tractationem ad separatas & primas causas reducere: atque vt in 8. Physic. lib. egit de primo motore, & in posteriori lib. de ortu & interitu, de prima omnium efficiente causa: sic vegetantis ac sentientis animæ tractationem ad intelligentem abstractam animam tandem reduxit. Ex quibus necessariò consequens est, hominem quoque hac anima constitutum, etsi vt quoddam animal est & naturale corpus, cognosci à naturali debeat, qua tamen intelligit formámque habet abstractam, ad primum spectare Philosophum.

Anima intelligens.

Simplicius verò in proœmio, quod commentarijs ad octo Physicorum libros præfixit, scientiam hanc mediam esse iudicauit inter naturalem & primam Philosophiam, atque in eodem gradu, quo Mathematicæ disciplinæ continentur. Quod ita accipitur à plerisque, vt non sit quidem earum

Simplicij opinio de scientia media.

disciplinarum pars (quamquam & hoc senserit Augustinus Niphus; eo videlicet argumento, quòd hãc scientiam aggrediens Philosophus eam dicet omnium certissimam esse; certitudoque Mathematicarum disciplinarum præ cæteris commendatur) sed Mathematica abstractione quodam modo vtatur. Quemadmodum enim Mathematicæ res medium habent inter naturalem & Metaphysicam abstractionem, dum ratione quidem abstractæ sunt à materia, re ipsa tamen in materia immersæ: ita scientia de anima partim est in materia, si anima vegetans & sentiens spectetur, partim abiuncta à materia, si ea, quæ intelligit, consideretur. Sic igitur cæteros interpretatus est Marcus Antonius Zimara propositione. 89. Themistij opinionem fuisse arbitratus quod ab Hermolao Barbaro Themistij scriptis proœmium illud adiunctum viderit, quod Simplicio potiùs adscribendum fuit. Quod tum alibi argumentis pluribus demonstrauit, tum illud hoc loco satis est, quod eandem prorsus opinionem in proœmio ad libros hosce de anima Simplicius repetit & diligenter exponit. Itaque & Simplicij potiùs opinionem fuisse, & longè aliter intelligendam esse arbitror. Eam namque difficultatem ex instituto tractans, cognitionem hanc intelligentis animæ neque omnino naturalem esse constituit, neque prorsus supernaturalem, sed inter vtramque mediam: quemadmodum illius animæ (substantia inter naturales prorsus formas atque abstractas penitus mentes est media, partimque cum illis, partim cum his conuenit. Namque vt est actus corporis quasdamque in corpore facultates & operationes habet, naturalis nimirum est: vt autem intelligens, immaterialis, & à corpore non pendens, primæ Philosophiæ cum intellectibus cæteris cognoscendam se præbet. Dúmque eadem anima à duabus hisce scientijs consideratur & ad neutram omnino pertinet, inter vtramque media iudicatur. Hinc est, quod Aristotelem dicat idem Simplicius primam Philosophiam ad humanam vsque animam demisisse, naturalémque ad eandem animam erexisse. Et in commentario secundo in textum 17. libri tertij à naturali nostram animam considerari, quatenus in naturam tendit atque ad corpus progreditur, secundáque vitas vegetantem & sentientem promit: à primo autem Philosopho, quatenus pura in seipsa manet.

Sententiam eandem de hac media scientia apud Boëtium quoque reperias in proœmio commentariorum in Porphyrium à Victorino translatum. Vbi tres Philosophiæ theoreticæ partes distinxit: primam de ente omnino abstracto, quod nullum cum corpore & materia comercium habet: alteram de cœlestium & humanorum corporum animabus quæ abstractæ substantiæ cùm essent, corporum tactu ab intellectili illa puritate degenerarunt. Tertiam demum de corporibus naturalibus. Vnde triplicem quoque cognitionem posuerunt Proclus in Timæum & alij Platonici, intellectum, eorum, quæ pura intellectilia sunt, opinionem, sensilium corporum, & mediam inter has dianœam, circa animam & res Mathematicas. Et Simplicius in proœmio Physicorum sensilia & materialia cognosci intellectu illo, qui potestate dicitur, abstracta intellectu actu, Mathematica & anima nostra quodam cognitionis genere, partim scilicet intellectu potestate, partim eo, qui est actu.

Aristotelē alio quomodo ostendisse ad naturalē nō pertinere.

Quod autem ad hanc mediam Philosophiam spectat, id ita esse ex pluribus Aristotelis testimonijs ostendi potest. Nam is in textu vlt. libri primi Physicorum de solis corruptibilibus formis agendum dixit naturali Philosopho: & in textu 12. libri secundi naturalem formam re à materia separari non posse, sed sola mentis cogitatione: & in textu 19. res naturales minùs, quàm Mathematicas, esse abstractas, eosque peccasse grauiter, qui reipsa illas à materia separarunt: & textu 26. naturalem in materia duntaxat considerare formas, & ea quæ ratione separantur, quæ vero reipsa, ad primum Philosophum pertinere. Et textu 17. libri quarti formam non separari à re, cuius est forma. Et textu primo libri tertij de Cælo, naturales omnes substantias aut corporeas esse aut cum corporibus gigni. Et textu 15. libri primi de anima, naturalis esse considerare de anima, aut omni aut huiusmodi, vt eius operationes per corpus exerceantur. Et libro primo Metaphysic. textu secundo naturalis esse agere de quadam anima, quæcunque non sine materia. Denique in primo libro de partibus animalium capite primo, non solùm id apertis verbis pronuntiauit, sed triplici quoque ratione confirmauit. Primùm enim si naturalis ageret de intelligente anima, de omni quoque intellectili ageret, quoniam intellectiuum & intellectile correlata sunt, in eadémque scientia considerari debent. Immò vt in tertio de anima explicatur, intellectile actu & intellectus actu idem sunt, vnáque formali ratione conueniunt; quæ nimirum ad vnam & eandem scientiam pertinet. Itaque cùm ens omne sit intellectile, de omni ente agere naturalis deberet nulláque alia præter naturalem scientia foret. Deinde omnis forma, quæ à naturali consideratur, natura est & principium motus; anima intelligens non est principium nisi intellectionis, quæ naturalis motus non est. Postremo naturalis Philosophus de abstractis à materia non agit, quoniam naturalia omnia finem habent, abstracta non habent:

Ratione idē colligi.

bent: cum igitur intelligens anima sit abstracta, naturalis considerationis excedit terminos. Quapropter in textu 17. lib. 12. Metaphysic. cùm formas dixisset effectus suos non antecedere; subiunxit hæc verba: si autem aliquid posteriùs permanet, considerandum est. In quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima talis sit; non omnis, sed intellectus. Quæ verba si in Metaphysicis libris pronuntiata fuisse considerentur, indicabunt fortasse intelligentis animæ considerationem cum tractatione de intelligentijs, de quibus post agit, esse iungendam.

Quibus omnibus argumentum illud accedit, quòd certa & necessaria cuiusque rei cognitio ex causis eius paranda est. Iam nulla intelligentis animæ causa est naturalis, nec ipsa igitur à naturali Philosopho cognosci potest. Enimuerò efficiens causa solus est præpotens Deus creatione ex nulla præiacente materia. Finis, supernaturalis quidem clara eiusdem Dei visio, de qua is ne hiscere quidem potest, qui materiam duntaxat & motum intuetur. Naturalis autem duplex commemoratur: practicus alter, qui virtutum acquisitionem & earum operationes habet propositas: alter Theoreticus, in separatarum mentium cognitione positus. Ille ad moralem pertinet, hic ad primum Philosophum, qui substantias illas considerat. Forma verò, hoc est natura & essentia huiusce animæ immaterialis est & abstracta, non vt cæteræ ex materiæ potestate eductæ, sed singulari Dei munere forinsecùs adueniens: quod tum propria illius operatio, Metaphysica potiùs, quàm Physica, ostendit: tum vita, quam per se à corpore libera & soluta degit. Denique quod magis mireris, ne materiam quidem illius cognoscere posse videtur. Eam namque solam pertractat materiam, ex qua naturale agens educit formam quare cum intelligens anima non prodeat ex materia, etsi humanum is corpus per se spectatum cognoscat, cognoscere tamen non potest, vt animæ intelligentis materiam atque subiectum. Anima item à corpore separata quo modo ad naturalem pertineat, qui nec de separatis agit, nec statum illum & conditionem animæ intelligere valet? Primus potiùs cognoscat Philosophus, qui cæteras contemplatur separatas mentes. At si animæ separatæ ac per se subsistentis naturam non cognoscat naturalis; ne in corpore quidem eam intelliget quippe nil aliud, quam suam illam naturam, impertit corpori.

Quod si ad facultates atque operationes sese conuertat, qui familiaris est modus cognoscendi formas: eæ sunt intellectus & voluntas, quæ materiales & organicæ non sunt, sed animam comitantur vt natura subsistens est atque illi à corpore quoque separatæ conueniunt. Neque propterea naturalis operatio censeatur, quod à phantasmate vt obiecto pendeat, circáque res naturales & materiales versetur. Nam vt mittam separatarum quoque mentium cognitiones, quibus res naturales intelligunt, naturales forè, intellectioni ac volitioni accidentarium planè id est, separatáque anima sine phantasmate intelligit & vult, idq. sempiterno, dum in corpore phantasmatum vsu breuissimo tempore intelligat.

Ita fermè videtur confici animæ nostræ cognitionem, vt est intelligens ac per se subsistens natura, ad primum Philosophum pertinere, qui separatas contemplatur mentes: quod & Philoponus iudicauit, & Olympiadorus ad initium 1. lib. Meteororum, & ex Latinis interpretibus nonnulli. Neque defuerunt, qui propter verba illa ex 12. Metaph. lib. commemorata eam crediderint peculiarem scientiam ab alijs omnibus distinctam cõstituere, quæ post Metaphysicam esset exponenda: etsi ab Aristotele naturalia pertractante fuerit cũ cæterarum animatum tractatione coniuncta: tum quod de illa seorsim pauca supereſſent dicenda: tum quod melius ex cæterarum animatum cognitione cognosceretur.

Ego verò totam hanc cognitionem naturalem esse arbitror. Nam etsi immaterialis & immortalis substantia sit, imperfecta tamen est & dimidiata, formánque hominis forma, quod opportuno demõstrabitur loco. Est nimirũ inter separatas omnino mentes formásq. materiales media. Cum separatis quippe mẽtibus cõmune habet, vt immaterialis sit, impartibilis, non pendens à corpore, abstracta, per se subsistens, intelligens; atque ita intelligens, vt absque corpore quoque intelligat: neque sensilia solum, sed immaterialia item & separata. Plurimùm verò ab illarũ natura recedit, quòd imperfecta & dimidiata substantia est, non integra, sed vt alterius pars; & ideò formans forma & actus corporis semper, & intima naturæ vi apta tum eo coniungi & constituere illud vnũ per se, cuius est pars. Reliquæ mentes perfectæ sunt & integræ substantiæ quæ non nisi ad motum & operationem impertiendam coniungi cum alio possunt. Alterum vel maximum discrimen in operatione cernitur. Missis enim nunc operationibus vegetantis animæ & sentientis, quas velut superior forma virtute creditur continere; solaque intellectione considerata, quæ propria est illius actio, hæc absque phantasiæ illiusque imaginum subsidio exerceri nullo modo potest ab eâ anima, quæ re ipsa corporis actus & forma sit. Quò etiam fit vt ratiocinatione vtendum sit possitque à rebus corporis impediri. In cæterarum mentium intellectione secus omnino res habet. Hinc & illud oritur, quòd quandiu anima in corpore continetur, moueri ad intelligendum non potest, nisi abeunte sensili. Quoniam cum operandi modus cuiusque rei talis sit, qualis est essendi modus, vt immaterialis & incorporea est es-

Varior sententia.

Intelligentis animæ cũ separatarum mẽtib. comparatio.

sentia, materiæ tamen & corporis forma sic operatio abstracta est atque in sola sustentatur anima, sed per corpus quoquo modo perficitur, dum ex illius sensibus res cognoscendas accipit. Mentibus à corpore separatis liberum est quodlibet ens seipsis intelligere.

Comparatio cũ cæteris formis.

Iam si cum cæteris naturalibus formis comparetur, illud agnoscitur commune omnibus, quòd imperfectæ substantiæ sunt & actus ac perfectiones materiæ naturalium corporum constitutrices. At proprium est animæ nostræ non esse eductam ex materia esse impartibiter in corpore, non pendere ab illo quo ad esse: & ideò separari posse ac per se seorsim existere, esse immaterialem, intelligentem, immortalem. Itaque dum diuersis hisce modis consideratur, & alia atque alia illius attributa mente cogitatione que separantur, ad alias atque alias scientias confugiendum est vt ea penitus cognoscatur. Ad naturalem quidem, vt est actus corporis & materiæ forma, operationésque habet in corpore, & inter eas intellectionem corporis sensibus & phantasia utentem. Ad primam vero Philosophiam, vt à corpore separari & sine illo esse & operari potest, communi cæterarum mentium conditione. Adde & ad sacram Theologiam, tum vt supremæ beatitudinis, diuinæ gratiæ, eorumque omnium munerum, quæ ad beatitudinem illam perducunt, capax est. Tum vero ratione illorum, quæ ad animæ separatæ statum pertinent, vbinam ea sit, quo modo intelligat, an rursum & quo modo cum corpore coniungenda sit.

Animæ essentia simplex, & quæ differentia constituatur.

Cæterùm animæ essentia simplex est simplicique vnica differentia vltimo constituitur. Quemadmodum cæteræ omnes formæ. Ea est eiusmodi intelligens, quod rationem habeat, λογοειτικὸν Philosophus diceret: aut si mauis substantia talis immaterialis, quæ dimidiata sit & ideo corporis forma esse possit. Quod ex attributorum omnium serie, quæ in hac animæ genere concipiuntur, intelligi licet: ea sunt, esse ens, substantiam spirtalem, substantiam intelligentem, ac demum substantiam talem, quæ & forma sit & ratiocinando intelligat. Duobus enim postremis à cæteris distinguitur intelligentijs, quibus priora communia sunt. Vnica tamen & simplex natura, quæ vt est inter separatas mentes & cæteras formas media, sic mente & cogitatione in duos quasi gradus distrahitur, & vt intelligens, tanquàm cum intelligentijs communis concipitur, atque vt dimidiata natura & forma, velut communis cum cæteris formis accipitur: duabusque conceptionibus explicatur, quibus nihil in re nisi simplex natura & vnicus gradus inter superiora & inferiora medius respondet. Nam si vt aliquid sentiunt, duobus gradibus ex natura rei distinctis cõstaret, quorum alter sit esse intelligens, alter esse formans; ille cum intelligentijs communis & ad primum Philosophum spectans, alter cum cæteris formis conuenientes naturalisque considerationis proprius: nimirum per se primum & ad substantiam incorpoream & spiritalem ratione vnius, & ad corpoream & materialem ratione alterius pertineret. Sanè per eam homo in vnica specie per vnicam vltimam differentiam & gradum constituitur. Et quoniam duo illi gradus generici sunt, quippe intelligenti animæ cum cæteris communes, adesse speciale contrahendi essent. At quo modo contrahantur? Neque enim propriam singuli differentiam, qua contrahantur, habent: tum quia simplicitas animæ & formæ tot non patitur differentias: tum quia eadem specialis forma per differentias non solum diuersi generis, sed oppositas quoque contraheretur: siquidem altera incorporea esset, corporea altera. Neque ambo per eandem contrahi differentiam queunt: tum quia diuersæ prorsus naturæ sunt: tum quia differentiam illam vtrumque gradum eminenter continere oporteret; eodemque modo dici posset vnicum animæ gradum duos eminenter complecti. An demum eorum alter fortasse cõtrahit alterum. At cur vnus potiùs, quàm alter, alterum contrahat? Immò cùm vterque communis sit & generalis neuter alterum determinare potest. Quòd si vnicus sit gradus, & maior animæ simplicitas est, & illius natura percipitur meliùs, & facilius explicatur: cùm idem ille gradus tum immaterialis sit & intelligens, tum dimidiatus & corporis forma. Atque ita eodem illo ipso alio atque alio modo considerato & cum superioribus & cum inferioribus conuenit, & rursum ab illis discrepat anima nostra.

Anima intelligẽs ad naturalẽ spectat.

Quæ si de intelligentis animæ natura explicata verè sunt, omnino licet concludere, illius essentiam quoad vltimam differentiam ad naturalem Philosophum pertinere. Vltima namque differentia illa, quæ hanc animam constituit dimidiatam substantiam aptam actuare corpus, cùm ordinem quendam ad corpus significet, naturalis nimirum considerationis est. Neque modò quandiu moratur in corpore, sed etiam vbi ab eo fuerit separata. Semper enim eadem est dimidiata substantia, apta esse actus corporis: & quamuis actu non sit, corpus tamen & materiam respicit. Neque enim iam sunt angusti naturalis considerationis termini, vt eam solam admittant formam, quæ actu sit forma: sed quemadmodum abstrahunt ab existentia vniuersaque rerum naturas accipiunt, ita satis est si potestate sit forma & apta cum materia coniungi eámque formare ac perficere. Deinde homo vt homo, ens est naturale atque à naturali Philosopho considerandum, quia naturalis corporis species: atqui per intelligentem animam est homo necesse igitur est, eum, qui de homine disserit.

eiúsque materiam considerat, naturam quoque & vim huius animæ propriam intelligere. Contemplatur item Physicus humani corporis & singularum eius partium constitutionem & naturam: at qui materiam & subiectum considerat, illius quoque formam debet cognoscere, quoniam mutuam quandam relationem habent. Sic enim fere in textu 26. libri secundi Physic. ratiocinabatur Aristoteles. Sed & hominis procreationem peruestigat: quod ex cap. 3. libri secundi de animalium procreatione perspicuum est: quod modo verò negligat formam, quæ terminus illius est? Hanc ob causam in extremo textu primo lib. 6. Metaph. Aristotelem opinor dixisse naturalem versari ferè circa inseparabilem substantiam: nimirum præter intelligentem animam, quæ separari potest, & in libris tamen de anima accurate tractatur, Et in prima philosophia de intelligentijs cæteris in 12. lib. diligenter disseritur, at de anima nostra nusquam. Immo cùm in tex. 17. dubitari posse dixisset, num ea post corporis dissolutionem superstes sit, nihil deinceps constituit, sed ea suppositi, quæ in libris de anima fuerant disputata. Neque enim audiendi sunt illi, qui eum respondent in 12. illo libro de hac quoque disseruisse anima, non seorsim, sed simul cum cæteris intelligentijs. Etenim de illis solis intelligentijs, quæ cælestes orbes mouent, eo loco disputandum fuisse: manifestum est ex textu 42. & consequentibus, dum ex orbium motorum numero earum collegit numerum. Hanc ipsam tamen animæ intelligentis essentiam sponte fatebor quo ad attributa nonnulla à primo quoque Philosopho considerari debere. Nam cùm inter separatas mentes & coniunctas cum materia formas sit media, & attributa illa cogitatione distinguas, quibus cum utrisque conuenit, ea quidem fuerint naturalia, quæ cum materialibus formis communia sunt, illudque præcipuum & ex intima illius natura profectum, quod sit corporis actus & forma: quædam tamen alia superfunt, quæ cum separatis mentibus communia à primo philosopho cõsiderentur, dum in cæterarum mentium contemplatione versatur, Sic absoluta omnique ex parte perfecta huiusce animæ cognitio non ex aliqua una, sed ex pluribus scientijs petenda fuerit: quod in cæteris quoque rebus cognoscendis euenit.

Tex. 1. lib 9. Metap.

Attributa quid ad alterius anima ad primũ Philosophũ pertinere.

Mediam enim illam philosophiam, quam excogitauit Simplicius, apud Aristotelem nusquam reperias, qui aliam non fecit Theoreticæ philosophiæ partitionem, quam in primam & naturalem: quibus ampliori acceptione vocabuli Mathematicas disciplinas adiunxit. Vbi vero animam vniuersè corporis actum definiuit, omnem prorsus animam naturalis considerationis esse docuit. Nam & essentialem ordinem ad corpus, vt forma ad materiam significauit & modum definiendi per materiam esse naturalem, scientiásque distinguendi ac demonstrandi modo distinguit manifestum est. Neque animæ natura media ita statuitur quasi inter naturales & prorsus abstractas formas sit media: sed quod inter abstractas hasce & eas quæ omnino materiales sunt, quasi media consistat. Naturalis enim forma non solum materiales comprehendit, sed eas omnes, quæ ordinem habent ad materiam actusque illius esse possunt, siue materiales ea sint, siue immateriales quemadmodum intelligens anima.

Vbi vero naturales formæ corruptibiles esse dicuntur, quomodo id dicatur, opportunior erit explicandi locus, vbi de huius animæ immortalitate disputabitur. Nunc illud exponendum est, quod naturalis abstractio ratione sola constare affirmatur. Intelligentem quippe animam aio esse in materiare ipsa, non substentatam in ea, sed formantem illam & perficientem. Neque vi eiusmodi forma est, posse illam esse sine materia. Sin autem à materia separetur, non erit amplius forma naturalis actu, sed potestate: quia etsi actu non formet apta tamen est formare, si corpori rursum vniatur: spectátque ad naturalem Philosophum, quòd ordinem ad corpus & materiam significet, & si definienda sit, per eiusmodi ordinem definiatur: qui definiendi modus naturalis nimirum est. Itaque materiam semper accipit: sitque plerumque, vt hæ formæ, quæ cum materia considerantur & definiuntur, reipsa quoque sint in materia, neque ab ea separari possint. At si quæ separetur, non propterea à naturali consideratione excluditur, quoniam non rei, sed rationis inseparabilitas est, quæ naturalem scientiam constituit: atque à Mathematica distinguit, quæ absque omni materia sensili obiectum suum considerat & definit.

Vt abstractio Physica sit sola ratione.

Animã separatã esse formam, & naturalis considerationis

Vt naturalia sint corpora vel cum corporibus gignant.

Venio ad illam propositionem, quæ ex tertio libro de cælo proponebatur, naturalia cuncta vel corpora esse, vel cum corporibus gigni. Cui primũ obijci prima materia potest, quæ nec corpus est, nec cum corporibus nascitur, nec tamen à naturali cognitione arcetur. Deinde ita exponitur, vt naturalia cuncta vel corpora sint vel ortui & interitui corporum adsint. Sic enim & prima materia & intelligens anima comprehenduntur. Ex illis porrò locis omnibus, in quibus visus est dubitare Philosophus, num anima omnis ad naturam spectet, aut nihil prorsus colligere licet, aut non negando magis, quam affirmando. Possunt etiam pleraque de anima cæli exponi: de qua, cùm quandam habeat naturalem operationem, nempe cælestem motum, dubitari posse videbatur, quod altera ex parte separata prorsus natura sit. In primo autẽ huius operis libro cùm animæ affectus dixisset exerceri per corpus, & ideo naturales esse ac per materiam definiendos, quoniam ex operatione cognoscitur forma, adiecit in textu 15. naturalem agere de

Exponi. tur tex. 15. 1 de anima.

bere de omni anima, quæ operetur per corpus, siue anima omnis eiusmodi habeat operationes, siue aliqua solùm. Neque dubitatio simplex est & absoluta, sed ex ijs accepta, quæ dicta fuerant. Verum cùm intelligens anima operationes habeat, quas per corpus exerceat, colligi potiùs potest, eam à naturali considerandam esse.

Tex. 6. Met. In sexto autem Metaphysic. lib. naturalem quidam pronuntiauit agere debere de quadam anima, quæcunque non sine materia. Sed triplex est horum verborum expositio Prima, Philosophum eo loco propter animam nostram dubitasse, nec tamen constituisse quidquam; quod is non esset locus considerandi, num ea sit forma materiæ necne. Altera de omni anima, quæ est in materia, agendum esse naturali: & ideò de intelligente quoque, quia etsi separari possit, in materia tamen est velut illius actus & perfectio. Soláque excluditur cælestis anima, quæ nullo modo est in materia, sed mouendo duntaxat adest. Tertia, Philosophum eo loco duplex definitionum genus distinxisse, alterum sine materia; cum materia alterum, quod rerum naturalium est proprium. Inde manifestum esse colligit, cur naturalis agere debeat à quadam anima, quæcunque non sine materia. Quorum verborum sententia non est, quæcunque non est sine materia: sed hæc potius, quæcunque non sine materia definitur. Intelligens autem anima per materiam & corpus definitur.

Cap. 1. de partibus anim. Difficillimus omnium superest locus in primo libro de partibus animalium. Sunt qui eum ita interpretentur, vt cum Philosophus quæreret ande omni anima debeat naturalis agere, de quauis omnino anima vel etiam cælorum locutus sit, dúmque intelligentem animam ad eum non pertinere probauit, separatas intellexerit mentes. Verum cùm de solis animalibus disseret, de illorum quoque duntaxat animabus credendum est eum pronuntiasse sententiam: dúmque animas quasdam naturali concedit, non humanam, sed vegetantem & sentientem commemorat. Immo in ea ratiocinatione, quam secundam proposuit, cæteras animas affirmauit esse principium motus, intelligentem non item. Duobus igitur modis interpretabimur, Primùm enim dici potest, probabiliter eum locutum esse; quod is non esset locus quidquam constituendi de animalibus in quo non nisi animalium corpora & eorum partes persequeretur. Sed obiter ea dicta fuisse, quoniam cùm de corpore proposuisset agendum, quod materia & forma sint relata, quæ in eadem scientia tractari oportet, & ideò naturalis, qui de anima dici, de corpore quoque dicere debeat: quæsuit obiter, an de omni anima agere debeat. Sed cùm satis illi esset, si de aliqua ageret vt de corpore quoque agendum esse constaret: Déque animabus vegetante & sentiente certum esset, non iudicauit magnopere necessarium de intelligente quidquam constituere. Tribus tamen argumentis difficultatem indicauit: quæ non necessaria, sed probabilia esse voluit, non ignorans facile solui posse. Nam si primum probationis vim vllam haberet, probaret etiam præter primam Philosophiam aut aliam quamcunque, quæ de anima intelligente ageret, nullam aliam esse scientiam. Conficeret quoque naturalem totam scientiam libris de anima contineri. Quoniam cum in illis agatur de sensibus, agendum simul esset de omni ente sensili. Sed esto, probet sanè aliquid argumentum illud: Certe nihil aliud conficiet, quàm eum, qui de intellectu agit debere agere de intellectili formaliter & vniuersè accepto: quemadmodum primus Philosophus agere dicitur de omni ente. Alijs tamen scientijs quoque locus erit, quæ de hoc aut illo intellectili in specie disputent: non vt intellectile est; sed propriam illius naturam & affectiones perueſtigando. Non magis necessarium videtur alterum argumentum. Nam si naturam velit esse veri ac proprij naturalis motus principium, ne sentiens quidem anima est natura, cum sensio motus propriè dictus non sit. Quòd si motum dicat operationem quamlibet naturalem: sanè intellectio cum phantasmate operatio fuerit naturalis, animàque intelligens non minus natura, quam sentiens. Adde nominari naturam, non solùm quod motus principium sit: sed etiam quod entia & composita naturalia constituat essentiàque à non naturalibus distinguat: Hancque ipsam ob causam intelligentem animam esse naturam ceu hominis formam, etsi nullius motus principium foret. Sic enim de cælestis quoque corporis forma philosophandum est, si cælum materia constet & forma, nec tamen ab ea forma, sed ab assistente intelligentia vertatur in orbem. Denique ratiocinatio tertia solui potest, si animam nostram dixeris quoquo modo habere rationem finis & generatione acqueri: quoniam etsi ex materiæ potestate non educatur, vt cæteræ formæ, antecedentibus tamen dispositionibus & præparatione multa ita illi vnitur, vt hominis generatio verè dici generatio possit. Iam igitur si quæstionem hanc philosophus eo loco non definiuit, vtinam tandē eam exposuisse dicemus: Proferre possem tex. 26. lib. 2. Physic. vbi naturalium formarum considerationem esse debere dixit vsque ad eam, quæ separabilis est, in materia tamen existens: aliáque huic similia loca. Verùm id opinor planius explicatum fuisse in tex. 1. & 2. lib. 6. Metaph. quo loco scientias

cum

cùm distingueret, naturalem posuit agere de substantijs pierunque inseparabilibus, déque illis omnibus, quæ cum materia definiuntur. Tum verò etiam in hisce libris de anima, in quibus de hac quoque anima disputauit definitionemque illi cum cæteris communem exposuit.

Altera eiusdem loci expositio.

Altera illius loci potest esse interpretatio, non probabiliter disputasse, sed definitam Philosophum pronuntiasse sententiam, omninóque animam eam negasse ad naturalem pertinere. At is non alio modo de ea locutus est, quàm vt est intelligens, non quidem cum phantasmate, sed vt absolutè potest intelligere. Propterea intellectum eam perpetuò nominauit. Hocque illius argumenta persuadent: cum & intellectio illa non solum ens sensile, sed intellectile omne comprehendat: nulloque modo sit naturalis actio, quòd à phantasmate abstrahat & corpore: ac demum eo modo rationem finis non habeat anima, quia penitus à materia & mutatione abstracta est. Quod autem ad argumenta hæc attinet, primum eò referatur, vt naturalem Philosophum ostendat non agere de intellectu est, & omni modo, quo is considerari potest: quoniam si ita ageret, ageret item de omni intellectili, non materiali modo & sensili, quod cum phantasmate intelligitur, sed abstracto quoque, de separatis inquam mentibus: nec solùm vt intellectiles sunt, sed secundum etiam earum naturam: quippe eadem est ratio eademque natura mentis nostræ absolutè spectatæ cæterarumque mentium. Nulla igitur præter naturalem scientia foret; non quidem considerandi modo, siquidem præter naturalem, quæ & naturalem & transnaturalem cõsiderandi modum vsurparet, esset adhuc Mathematica cognitio quæ aliũ haberet modum: sed considerata re, quia si naturalis tum de sensili, tum de intellectili ente ageret, de omni ente ageret, nihilque alteri scientiæ secundùm suam naturam considerandum supereresset, sed alio duntaxat fortasse modo res eadem considerari posset. Iam verò dum naturalis non agit de intellectu nisi vt cum phantasmate intelligit, non nisi de sensili ente agit, primoque Philosopho ens intellectile tum secundùm suã naturam, tum vt intellectile est, considerandum relinquit. Ac rursum dum primus Philosophus intellectum præciso phantasmate contemplatur, naturali supereſt sensile ens, quod phantasmatibus continetur. Ita non solum considerandi modo, sed & re considerata plures scientiæ sunt, naturalis & prima Philosophia.

3. interpretatio.

Video & aliam non minùs fortasse accommodatam interpretationem. Negauit Philosophus naturalem considerare quiditatem intellectus vt est intellectus, non autem vt est forma & actus corporis. Neque dare consideratur quæstio quia si agit de animalibus, & de homine manifestum est eum de anima quoque & verò humana agere oportere, sed de considerandi modo, hoc est sub qua formali ratione & quatenus consideret animam: an determinatè ad animalia, an vlterius etiam progrediendo. Sic enim in secundo quoque Phys. cum naturalem dixisset debere cognoscere formã, quærit in tex. 26. quousque is in illius cognitione progrediatur, & rursum in tex. 70. cum naturalem posuisset resoluere in omnes causas, statim de modo & termino huius resolutionis dubitat, resoluendumq. constituit vsque adeas, quæ motum mouent. Id verò maximè proprium pediæ officium esse videtur, quam in primis verbis illius libri de part. proposuerat idem Philosophus. Sanè vt in quarto & sexto Metaph. primum Philosophum tradit agere de omni ente, & de ente quatenus est ens, cæteráque scientias partem entis absindere, ita de naturali quærit an de omni anima agat, an de aliqua vna. Intellectus igitur quiditatem negauit eum considerare. Quoniam si vt intellectus est considerarit, oporteret eum intellectilia omnia considerare, non quouis modo, sed eorum quiditatem pernestigando. Idem quippe modus est considerandi relata. Quòd si intellectilium omnium quiditates cognosceret, nulla esset alia scientia: quoniam cùm naturalis particularis scientia sit, in particulari entia omnia considerarei, nihilque aljs considerandum supereſſet. De prima Philosophia non licet idem dicere: quoniam scientia generalis est, eorúmque ipsorum, quæ generaliter & vniuersè ab illa considerantur, particulares & propriæ rationes considerandæ alys relinquuntur. Et hæc quidam ad primum augumentum responderi possunt.

De posterioribus autem duobus nulla ferè difficultas. Vt enim intellectus phantasmate vtens & corporis actus natura est, & quoquo modo generationis finis: sic absolutè consideratus neutrum est: atque hac notione de illo Philosophus loquebatur. Intellectio namque vt intellectio est, naturalis motus non est: quod in intellectibus separatis manifestum existit. Neque intellectus vt intellectus est, principium motus est, sed vt hominis forma & natura. Si enim vt intellectus principium esset motus, nullibi esset motus, quin intellectus adesset; ac rursum vbicumque intellectus esset, esset & motus; at intellectus separati immobiles sunt & in plantis est nutritionis & accretionis motus, & in animalibus est localis, vbi tamen intellectus non est. Neque intellectus absolutus generationis est finis, sed quoquo modo is solus, qui est corporis actus, dum illi per dispositiones materiales vnitur & per eum gignitur homo. Itaque aut intelligentem animam noluit esse naturalem, vt absolutè intelligens est, aut certè ex eorum sententia, qui assistentem dicerent, aduersus quos non erat eo loco disputandum.

Vt animæ intelligentis causas cognoscat naturalis.

Cæterum rationi quoque illi satisfaciendum A *est, quæ huiusce animæ causas obiiciebat non posse à Philosopho naturali cognosci. Ea verè concludit vniuersam & omni ex parte perfectam huiusce animæ cognitionem non ex aliqua vna, sed ex pluribus omnino scientijs pendere. Neque vt substantia quæpiam naturalis dicitur, omnes eius causas naturales esse oportet: sat sunt materia & forma, quæ partes sunt & internæ causæ. Intelligentis porrò animæ materiæ humanum est corpus, quod & naturale est totum & naturalis compositi pars.*

Vt ad animæ huius productionem concurrat materia.

Et quamuis ad animæ productionem non B *concurrat essentiali potestate illa, qua ad cæterarum formarum procreationem materia: ad vnionem tamen concurrit dispositionibus illis, quas naturali mutatione à naturali agente suscepit. Formam verò, hoc est ipsius essentiam, naturalem esse, vel etiam à corpore separatam, tam declaratum est. Efficientem & finalem causas non esse necesse naturales esse, cœlum totáque rerum vniuersitas testantur: quæ cùm entia naturalia sint, non altam tamen quam Deum, efficientem aut finalem causam habent. Externæ siquidem hæ causæ sunt, sine* C *quibus naturalis essentia constat. Quamquam finem quoque aliquem & efficientem causam naturalis cognoscit, dum animæ operationem, quæ finis est formæ, considerat; & propriam efficientem causam, hominem, qui hominem gignit. Etsi enim intelligentem animam non producat, illius tamen efficiens causa appellari potest, quatenus corporis actus est cum eóque per antecedentes dispositiones ab eo productas coniungitur.*

Homo vt anima huius efficiens causa sit.

Porro si essentiam cognoscat, consequens est D *eum facultates item & operationes, quas habet vt est forma, cognoscere. Habet enim duplicem operandi modum, vtrumque naturæ suæ accommodatum quippe inter separatas mentes & materiales formas media consistit; corporis quidem actus, sed ab eo separabilis. Propterea vnum habet operandi modum cum phantasmate, quandiu est in corpore; alterum sine phantasmate, à corpore separata: quorum vterque ex media illa natura ducitur. Ille ad naturalem, hic ad primum Philosophum spectat: quod naturalis eam consideret vt corporis actum, primus Philosophus vt absolutè* E *intelligentem. Ita illius abstratio partim naturalis est, partim transnaturalis. Atque hæc mihi est de tota hac grauissima quæstione sententia.*

Duplex huius animæ operandi modus.

Totius naturalis Philosophiæ ordo.

Consequens igitur fuerit constituere locum, quem hæc cognitio tum vniuersa de anima, tum specialis de intelligente atque humana, in naturalis Philosophia habere debeat. Certum est primum omnium locum tenere generalem illam tractationem principiorum ac proprietatum, seu potius vniuersi corporis naturalis, quam octo libris Phys. exposuit Aristoteles. Alterum, simplicis corporis, tum incorruptibilis, tũ corruptibilis, tractationem libris de Cœlo deque ortu & interitu comprehensam. Tertium cognitionem inanimorum mistorũ, tam imperfectorum, quàm perfectorum; cui quatuor ferè meteororum libri tributi sunt. Quartum, postremum, & optimum esse mistorum animatorum ac viuentium, quæ perfectissima omnium sunt, plurisimósque Philosophi libros absumunt.

De libris de plãtis.

In quibus duplex difficultas. Altera num cùm animata & viuentia in plantas diuidantur & animalia, libri de plantis antecedere libros de animalibus debeant, an hi potius illis anteponi. Namque Auerroës cõment. 1. lib. 1. Meteororum & com. vlt. lib. 4. & Auicenna ad initium 6. Naturalium & plerique Latinorum animalibus plãtas anteponunt. Tum quod communiora & simpliciora debeant esse priora. Tum quod ipsemet Philosophus in tex. 34 lib. 2. de anima de singulis animæ facultatibus actaurus à vegetante plantarum propria principium fecit, quod prima omnium sit & communissima.

At secus omnino ab eodem Philosopho constitutum ego reperio. Etenim in 1. Meteororum lib. cap. 1. dicendum proposuit de animalibus, deinde de plantis. Nam paucis complectens antecedentes omnes tractationes eo ipso ordine, quem paulo ante posui, libros Phys. de Cælo, de ortu & interitu, hisque Meteororum illos subiungens libros: Tandem his, inquit, peractis contemplabimur, si quid possimus dicere de animalibus & plantis generaliter & in specie. Ferè enim his dictis finem habebit initio proposita nobis tractatio. Et in extremo cap. 4. libri de sensu & sensili, qui ad animalium tractationem pertinet, de saporum passionibus agendum differt in tractatione de plantis. Et ad calcem libri de longitudine & breuitate vitæ habet hæc verba: Sed de hoc quidem secundum se in ijs, quæ de plantis, determinabitur: nunc autem de alys animalibus dicta est causa de longitudine & breuitate vitæ.

Cur animalium tractatio prior tractatione plantarum.

Cur autem animalium tractatio antecedere debeat, etsi plantarum natura sit prior; ea ratio est, quam Theophrastus Aristotelis auditor scholæ que successor significat in plantarum historia libro: quoniam facilior est & manifestior animalium cognitio, dum vitæ omnes operationes, Heterogeneas partes, organáque corporis vniuersa magis habẽt aperta & illustria; ex quibus analogia quadam plantæ & earum partes intelliguntur. Harum enim cognitionem obscuriorem multò & occultiorem esse fatetur Aristoteles tractationem eam aggrediens: atque ad earum naturam & cõditionem perueſtigandam magnopere ijs vsus est, quæ in animalibus conspiciuntur: quod post eum quoque Theophrastus fecit: Eandem ob causam cùm intelligeret Philosophus, vt in cæteris, ita in viuentium cõsideratione vniuersè primùm agendum

Viuentiũ consideratio vniuersa vbi.

dum esse, deinde ad singula progrediendum, eâque quæ de viuentibus dicenda erant, esse perpauca & in animalibus omnia reperiri, non item in plantis: ea maluit cum animalium tractatione coniungere, quàm aut de illis sensim aut in consideratione plantarum agere: tum quòd in animalibus magis essent aperta cognituque faciliora. Tum quòd cùm tractatio de genere vniuerso antecedere singularum specierum tractationem debeat, ea saltem fuit cum ea specie & parte coniungenda, quæ priore loco tractanda erat. Itaque tum in libris de anima disseritur vniuersè de anima & in specie: tum in libris, qui parua naturalia vocantur, agitur B de vita & morte, de longitudine & breuitate vitæ, déque alijs compluribus, quæ viuentibus omnibus insunt: quemadmodum in ipso initio libri de sensu & sensili agendum de illis proposuerat, quæ animalibus omnibus ac viuentibus communia essent: ac demum in libris de animalium partibus, ea quoque complectitur quæ ad viuens corpus generaliter pertinent.

De libris de animalibus.

Altera difficultas est de ipsismet animalibus, librisque illis, qui de animalibus extant ab Aristotele scripti. Auicenna, Magnus Albertus, S. Thomas, & Latinorum permulti, libros de anima omnibus anteponunt: tum quòd communiora oporteat esse priora, animâque animatis omnibus insit: tum quòd cùm animalium cognitio, vt & cuiusuis alterius rei, ex partium, quibus constant, cognitione petenda sit, nisi animæ, quæ illorum pars est & forma, cognitio antecedat: omnino animalium cognitio haberi non potest. Atque ita demum colligitur ex principio libri de sensu & sensili, quem manifestum est libros consequi de anima, esséque D principium reliquæ de animalibus tractationis. Magis tamen Aristoteli ac rationi consentanea est Alexandri, Auerrois & eorum sententia, qui libros de anima posponũt libris de animalium partibus. De animalibus quippe ita constituit Philosophus agendum sibi esse, vt cùm duplici constent parte, materia & forma, corpore & anima, de corpore seorsim atque de anima diceret. Prius tamen de corpore: tum quia materia, vt natura, sic cognitione, prior est & antecedit formam. Quemadmodum enim vt anima sit, subyciendum illi antea corpus est, sic illius cognitionem antecedat E corporis cognitio oportet. Tum verò corpus multò notius est, quàm anima, propterea quòd sensibus ipsis comprehenditur. Et cùm anima corporis actus definiatur suáque operationes corporeis exequatur organis, neque animæ actuatio, neque facultates & operationes eius intelligi queunt, nisi corporis vniuersi structuram & organa omnia
» partesque singulas probè cognouerís. Si ea, inquit
» Alexander in primo lib. de anima cap. 1. quæ de
» animæ substantia proferuntur, contradictionibus
» implicare non volumus, primo loco ipse possidentis
» animam corporis apparatus contemplandus est

A & internarum inuicem externarúmque partium
« cum ipso venustatis & pulchritudinis concentu
« lex & dispositio conquirenda. Simul enim hæc ipsa
« speculati fuerimus, haud quaquam vlterius ad-
« mirabile & nostra opinione maius esse videbitur,
« vt in corpore supra quàm opinari possumus, ad-
« mirabiliter atque ambitiosè disposito, anima tot in
se motionum principia possidens contineatur. Et verò hoc ipsum fatebitur quicunque Aristotelis libros attentè legerit. Pluribus enim in locis libros de partibus déq. incessu animalium antepositos libris de anima fuisse significat. In primo de partibus cap. 1. cùm eiusdem artis dixisset esse agere de materia & forma corpore & anima, corporis statim explicationem aggreditur, anima in posteriorem tractatum relicta. Alioqui nisi tunc primùm agere inciperet de animalibus, quorsum tam longum illud proëmium, quod totum primum librum absumit? Quorsum generalis illa propositio, In eadem scientia agendum esse de materia & forma? Quorsum denique naturalem Philosophum probaret debere agere de quadam anima, si aut iam de anima fuisset actum, aut illud non esset commune toti de animalibus tractationi proëmium? Sed in extremo libro de animalium incessu (quem libris de partibus subiungendum esse constat ex horum de partibus librorum epilogo) apertus omnino locus est. Scribit enim se de partibus animalium dixisse, deinceps que dicturum esse de anima. Et in fine libri de animalium motu ea omnia colligens, quæ dixerat, dixisse se ait primùm de animalium partibus; Deinde de anima, sensu, memoria, somno, & communi motu. Et librum item concludens de longitudine & breuitate vitæ, reliquum esse ait agere de iuuentute & senectute, vita & morte, quibus expositis habitura sit finem tota de animalibus tractatio. Itáque cùm ex proëmio libri de sensu & sensili certum sit libellos hosce omnes, qui parua naturalia dicuntur, subsequi libros de anima, si absolutis illis finem habet vniuersa de animalibus tractatio, omnino libri de partibus posteriores libris de anima esse non possunt, sed ante illos collocandi sunt. Postremò si principium consideres librorum de partibus, non solùm vt dixit tam amplum ac generale proëmium non potuit non esse veluti ingressio ad totam de animalibus tractationem: verum etiam cùm in primo illo cap. incidisset mẽtio animalium quarundam operationum somni, spirationis, auctionis, & diminutionis, mortis, & aliorum eius generis, de quibus in libris de anima & paruis naturalibus agitur, affirmauit Philosophus de illis nil se adhuc certi & explorati habere quod adferret. Quæ verba aperte ostendunt non iam præmissam fuisse, sed subsequi post debere propriam illarum tractationem, hoc est libros de anima, paruáque naturalia. Quod argumentum eo maiorem vim habet, quod eo ipso in loco cùm incidisset

fermo de necessitate, quæ in rebus naturalibus reperitur; alysque quibusdam rebus, de quibus in libris Phys. déque ortu & interitu actum erat, apertè pronuntiauit, se de illis alio loco dixisse: eodémque modo pronuntiasse de alys, si libros de anima & naturalia parua præmisisset.

Si igitur, vt Aristoteli libuit, omnes illius de animalibus libros ordinate, proprimq. librorum de anima locum inuenire velimus, affirmabimus profectò primos omnium illos esse debere, qui de animalium historia inscribuntur. Sunt enim veluti aditus & præparatio quædam ad reliquos atque adeò ad vniuersam de animalibus tractationem. Namque in illis Philosophus certa nihil scientia tractat, nihil demonstrat: sed cùm totã eam tractationẽ magna videret esse varietate ac difficultate plenã, ea prius omnia statuit, quasi historiam quandam & narrationem pertexens, commemorare, quæ de partibus, operationibus, procratione, ac cæteris animalium affectionibus, siue aliorum sermone & communi fama circunferrentur, siue ipsemet diligenti perueſtigatione plurimorumque inspectione obseruasset. Rudem videlicet & crassam præmittere volens omnium cognitionem, antequam diligentius de singulis & accuratius pertractaret, certam, vt in scientys fit, rationem & causam singulorum adferendo. Propterea & illis titulum fecit, De animalium historia: quod historiam quasi narrando ea proponat, quæ potest accuratè magis esset explicatus. Ex qua etiam inscriptione didicimus libros illos cæteris omnibus anteponere: quoniam æquum est ea prius narrando proponere, quæ aut sensibus deprehendimus ipsi aut ab alys accepimus, deinde singulorum rationem quærere. Ita etiam ex cap. 1. libri de partibus & cap. 1. libri de incessu licet colligere.

Libri de partibus.

Iam verò vbi certam ac scientiariam cognitionem adferre voluit, principium, vt par erat, ab internis principys atque ab essentia explicatione fecit: egitque primùm de materia, hoc est animalium corpore. Quocirca secundùm libros de historia ponendi sunt libri de partibus, inquibus accuratè magis aggreditur explicare singula quæ ad corporis pertinent, rationes & causas singulorum ostendens, præsertim verò ex fine. Quoniam cùm sint partes organicæ, propter operationem à natura fabricatæ, organi cuiusuis & instrumenti natura ex fine, operatione, atque vsu optimè dignoscitur.

Liber de incessu.

Hos sequitur statim liber de incessu, vt ipsemet confirmat Philosophus, dum & quartum de partibus & hunc ipsum de incessu libros concludit. Et quidem optimè. Nam hic item de incessu liber est de partibus nempe de illis partibus, quæ propter incessum præparatæ à natura fuerunt.

Libri de anima.

Ex postremis autẽ huius libri verbis perspicuum est post illũ libros de anima ponendos esse. Quoniã præparata materia corporéque toto disposito consequens est aduocari animam, quæ corpus formet atque in partibus singulis operetur.

Expositis porro internis principys atque essentiæ partibus, totoque animali constituto, consequens fuit dicere de accidentibus & operationibus: quod in libris paruis naturalibus præstitum est. Itaque libris de anima adiungi oportere librum de sensu & sensili, tum ex illius initio certum est, tum persuadet ratio. Quoniam ex accidentibus omnibus nullum est magis proprium, quodque animalium naturam propius attingat, quàm sensus. Sensum autem sequuntur memoria, & cætera quæ deinceps explicantur. Et quoniam sensum sequitur motus, post sensus & eorum, quæ ad sensum pertinent, considerationem agendum erat de motu, quo cibum animalia sibi quæritando conseruationem sui procurant, & post eum de procreatione, quæ ad speciei conseruationem refertur extráque ipsum animal quodammodo consideratur. Propterea Philosophus postremis eiusdem libri de sensu & sensili verbis agendum proponit de memoria & reminiscentia. Deinde sequi libros de somno & vigilia, de somnys, déque diuinatione per somnium, ex rerum, quæ tractantur, nexu, principióque libri de somno & vigilia, satis constat.

Parua naturalia.

Libri de motu & ortu animalium.

Post hos sequitur liber de animalium motu, & post eum libri de animalium procreatione; quemadmodum vltima ostendunt illius libri de motu verba, quibus tota quoque superior dispositio confirmatur. De partibus igitur, inquit, vniuscuiusque animalium, & de anima, præterea de sensu & memoria, & somno (somni autem nomine libros quoque de somnys & diuinatione per somnium comprehendit) & de communi motu diximus causas: reliquum autem est de procreatione dicere.

Libri de longitudine & breuitate &c.

Quare postremus locus relinquitur libro de longitudine & breuitate vitæ, déque iuuentute & senectute, vita & morte ac respiratione, ac demum libro de sanitate & morbo. Sic enim & ratio postulabat, vt post animalium procreationem ageretur de illorum vita & duratione, alysque, quæ in vita cernuntur, ac tandem cum morte, vltimo animalium vitæ, finem haberet tractatio de illis suscepta. Et Aristoteles ipse ita de illis dicendum proposuit in calce libri de longitudine & breuitate vitæ, vt expositis illis habitura esset finem tota de animalibus tractatio. Etsi verò eo loco facta non sit mentio sanitatis & morbi, facta tamen antea fuerat in libro de sensu & sensili: tunc que aut propterea omittuntur, quod vitam & mortem nominando intelligi quoque ea velit, quæ cum illis coniuncta sunt: aut quod ea tractatio ad medicum iam accederet. Vt hinc etiam

etiam intelligas eam esse vltimam de animalibus partem, quam naturalis Philosophus explicet, quamque vlteriùs progrediens arripiat medicus, vt in capite primo libri de sensu & sensili, & in fragmento, quod extat, libri de sanitate & morbo legimus.

Obiectio. Quod autem his omnibus obiici posset, Alexandrum ex extremo libro quarto Meteororum collegisse post illud Meteorologicum opus libros de animalium partibus debere sequi, verum est, si scientiariæ partes considerentur. Etsi enim libri de historia interponantur, ÿ tamen scientiam certam non continent, sed generalem quãdam cognitionem velut præparationem ad consequentem scientiam.

2. Maiorem habent difficultatem quædam alia Philosophi loca. Nam in calce libri quarti de partibus, ἀφεξῆς inquit, ὅτι τὰ περὶ τὰς γενέσεις αὖθις ἐροῦμεν, cumque de procreatione dicendum proponat, is locus libros potius de illa scripsit, quàm 3. libros de incessu tribuendus videtur. Rursum in principio librorum de procreatione libros eos videtur 4. coniungere cum libris de partibus. Ac denum in principio libri de sensu & sensili coniungere cum eo libro videtur librum quoque de longitudine & breuitate vitæ, & alios, quos post libros de procreatione disposuimus. Immò in cap. 1. 5. libri de longitudine & breuitate vitæ, librum eum cum eo, qui est de somno & vigilia, connectere illum dixeris.

Locus corruptus restituitur. Cæterum primus, qui obiicitur, locus corruptus est atque vbi legimus γενέσεις, legendum potiùs est κινήσεις. Error autem vel lex vocum similitudine ac librariorũ incuria profectus est: vel ex eo, quòd liber de incessu nondum esset repertus: vel demum quòd initium librorum de procreatione coniunctionem cum illis libris de partibus significaret. Quod propterea factum est, quia cum de aliis partibus egisset in libris de partibus procreationi dicatis nihil adhuc fuisse dictum, sed sæpius propositum de illis postea dicendum esse: quemadmodum in cap. 4. 10. 11. & 12. lib. 4. de partibus: de illis tandem agendum esse dixit, non vt libros illos coniungeret, sed vt se quidem ostenderet partes illas antea prætermisisse, nunc autem in tractatione de procreatione de illis esse dicturum. Hoc enim, vt est in cap. 4. citato, partium illarum conditio postulabat, quæ alioqui in communi reliquarum tractatione minùs poterat explicari, optimèque de illis simul & de procreatione agendo intelligetur. Hoc ita esse manifestum erit, si apertam atque inexplicabilem animaduertas contradictionem fore, si secus locum illum interpreteris. Nam si libros de procreatione voluit cum libris de partibus copulare, quomodo id constabit cum postremis libri de animalium motu verbis, quibus & post libros de partibus (comprehendens & librum de incessu, qui est de partibus incessui dicatis) libros de Animæ subiungit: & statim de procreatione dicendum proponens, libros illos de procreatione non cum libris de partibus, sed cum libro de motu coniungit? Quomodo cum illis locis constabit quibus antea ostensum est post librum de partibus, libros de anima & naturales paruos adiungendos esse: & rursum cum capite 1. & 7. libri 5. de procreatione, vbi tanquam antecedentes citat libros de anima, de sensu, & de somno? Nam si post libros de partibus sequuntur libri de anima & parui naturales, hique ipsi libros de procreatione antecedunt, certum est libros hosce de procreatione cum libris de partibus non potuisse coniungi: sed tum libros de anima, tum parui naturales interpositos fuisse. Quin etiam ex illo cap. 1. libri primi de procreatione, de quo nunc agitur, duo argumenta petuntur. Alterum, quod Aristoteles eo loco dixisse se ait de aliis omnibus animalium partibus, solasque superesse tractandas partes procreationi dicatas: omnes igitur aly de partibus libri liberque item de incessu anteponendi libris de procreatione sunt: neque hos voluit cum quatuor libris de partibus coniungi: sed neque etiã cum libro de incessu, quia extremis illis verbis proponit libros de anima. Alterum, quod eo in loco de tribus ait animalium causis dictum iam esse, materia, forma & fine, dicendumque de efficiente (superesse, hocque perinde esse, ac de ipsorum procreatione agere. Atqui animalium forma est anima: libri ergo de anima priores de procreatione sunt, hique illos sequuntur.

Cur partes procreationi dicatæ cum cæteris numeratæ non fuerint. Quo loco partes procreationi dicatas, adnotabis inter eas, quæ sunt animalis materia non fuisse à Philosopho numeratas: sed ad efficientem potius causam reuocatas: quod cum materia respiciat formam, solæ illæ partes materiæ locum tenere censentur, quæ ad animalis esse atque illius individui conseruationem pertinent: de quibus tum in quatuor libris de partibus, tum in libro de incessu disseritur: non item illæ quæ speciei conseruationem spectant: quoniam hæ ad efficientem magis causam tanquam procreantis instrumenta, quam ad suscipiendam vel conseruandam animam referuntur, atque de his in libris de procreatione dicitur.

Ad 4. Ad initium porrò libri de sensu & sensili agendum quidem proposuit de animalibus; at non de corpore aut partibus eius; sed de facultatibus quibusdam & communibus operationibus, quas eo loco commemorat atque in consequentibus libris persequetur. Inter cætera verò, quæ proponit, aut appetitus & desiderÿ nomine significauit motum, qui ex illis proficiscitur; aut omnino cum non nominauit. Tum quia eum constabat animalium operationem esse non committendam. Tum

quia subordinatus est sensus & illum consequitur. Commemorat & iuuentutem & senectutem & ea quæ deinceps sunt, quoniam hæc quoque sunt accidentia quædam, quæ omnibus in individuo insunt, quemadmodum & priora. Procreationem prætermisit, quod ea referatur ad speciem, aut sub motu & appetitu voluit comprehendi. A

Denique in 1. cap. libri de longitudine & breuitate vitæ non illud egit, vt eum librum cum libro de somno & vigilia, ysque, quæ cum somno cohærent, connecteret: seu magis, vt ea, de quibus agere aggrediebatur sola ostenderet ex ys omnibus, quæ initio libri de sensu & sensili proposita fuerant, explicanda superesse. B

Subiectū librorū omnium de animalib. Duæ partes tractatus de animalibus.

Quæ omnia si à me non minùs verè explicata, quam diligenter collecta sunt, libri omnes de animalium ab Aristotele promulgati vnum absoluūt opus cuius subiectum est animal, cuius principia, species & proprietates exponuntur. Sed eius duæ præcipuæ partes. Altera historicè animaliū partes, species operationes, accidentiáque diuersa proponit. Altera diligentius cuiusque rationem persequitur: agendo primum de principiis & substantia animalis, hoc est de corpore & partibus eius, quæ materia sunt & subiectum animæ, hocque in libris de partibus & incessu: atque de anima ipsa, quæ huius corporis forma est & actus, idque in tribus libris, qui eo titulo circumferunt vt postrema confirmant verba libri de animaliū incessu. Deinde verò de operationibus & accidentibus in toto reliquo opere. Has nimirum duas scientiariæ tractationis partes historica quoque tractatio, quæ antecessit, pulchrè adūbrauit. Quippè in tribus quoque prioribus historiæ libris & quarti parte quadam de animalium partibus philosophus locutus est: hisque demū verbis in cap. 7. sermonem concluſit, Partes animalium omnium interiores exteriorésque generatim, tum propriæ, tum communes, ita se habent. Et cap. 8. agendum proposuit de sensibus & libr. 5. 6. & 7. de procreatione disseruit, de cuius partibus antea dixerat initio 3. lib. tum vero in 8. & 9. de pluribus aliis operationibus singularum specierum egit. C

De decimo, historiæ libro.

De 10. lib. multa dici possent: sed ne à re proposita nimirum digrediar, hoc loco solum affirmabo historicum eum non esse neque cæteris nomen libris adnumerandum. Quod optimè intellexit Theodorus Gaza in ea, quam illi præfixit, præfatione. Fortasse autem nec Aristotelis est liber. D

Cur de anima nihil in lib. is de historia.

De anima in illis de historia libris nihil est dictum, solique de anima libri nullam in historica illa narratione partem sibi respondentem habent, in qua reliqui omnes aut propriam aut per alias sparsam agnoscunt. Cuius rei duas reperio causas. Alteram; quod cùm anima ipsa sub sensum non cadat nihil historicè de illa narrari poterat; sed de illius duntaxat operationibus & effectis. Alteram; quòd ea oportebat in historia commemorare ac proponere, quæ causam haberent aliquam in scientiaria tractatione explicandam: anima nullam in viuentibus habet, sed ipsa potius prima est omnium aliorum causa, Itaque non inepté obseruarunt aliqui scientiam de anima in tex 1. lib. 1. propterea fuisse à Philosopho apellatam historiam de anima, quòd nulla de illa præsisset: sed illa ipsa, quæ tunc tradenda erat, simul & historia esset & accurata tractatio atque scientia. E

Immensæ prorsus esset operæ omnes hosce, quos de animalibus libros promulgauit philosophus, interpretari propýsque commatarys illustrare. Optimam illorum partem, quæ libris tribus de anima, parte viuentium optima, continetur, interpretandam illustrandámque suscepi. At quoniam nec satis perfectum & absolutum esset opus, si de sola diceretur anima: nec huius natura & operatio multiplex sine corporis & partiū eius cognitione satis potest explicari: sommariam mihi antea corporis considerationem faciendam censui, quæ instar nobis fuerit plurimorum librorum, quos de corpore Aristoteles scripsit. Tum vero diligenter & enucleatim ea perpendenda, quæ ab illo de anima fuerunt tradita. Quæ duo si ex animi sententia successerint, næ perfectam animatorum cognitionem tradiderimus: illudq. fuerimus assecuti, quod Delphico præcipiebatur Oraculo, Nosce te ipsum: quod summam demum sapientiam esse prodidit in Alcibiade 1. atque in Amatoribus Plato. Quam eò facilius ac certius consequemur, quòd in infinita propemodum animalium varietate humanum præ cæteris velut perfectissimum arte summa atque sapientia elaboratū, cæterorumque omnium velut exemplar considerandum mihi proposui. Si enim & nos ipsos optimè nouerimus, & certam quoque rationem habuerimus, qua de cæterorum quoq. animaliū corporibus iudicemus. F

Sui cognitio.

Dei inuocatio.

Rem igitur aggressurus, Timæum de vniuerso dicturum diuinam opem implorantem imitabor. Omnes, inquit ille apud Platonem, qui vel tantillum mentis habent, cùm aliqui siue magnum siue paruum aggrediuntur, Deum semper inuocare solent: quanto magis nos decet de maximis obscurissimisque rebus verba facturos Deum inuocare, nisi omnino cæca dementia transuersi abducimur? Necesse est illum inuocare & precari, vt ea primum dicantur à nobis, quæ ipsi sint grata. Deinde vt huiusmodi, quæ aptis rationibus consentanea nobis etiam probari possint, atque in illis certa quædam nobis constet sententia. Rem igitur aggrediamur.

CLAVDIVS AQVAVIVA SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVM *opus hoc de Corpore animato à P. Hieronymo Dandino eiusdem Societatis Theologo compositum, quatuor nostræ Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ xxiij. Decembris* 1608.

CLAVDIVS AQ.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIO Diplomate Lutetiæ dato primo Augusti, Anno 1610. Subsignato LVDOVICO, & inferiùs per Regem in suo Consilio, POVSSEPIN, magnoque sigillo ceræ flauæ sigillato: Concessum esse Claudio Chappelet Mercatori Librario Parisijs iurato, Typis excudere, toties quoties voluerit, & tali forma & caractere quo ei videbitur, Librum cuius titulus est: *Hieronymi Dandini Commentarius in Aristotelis libros de Anima.* Et prohibitione facta quibusuis Librarijs & chalcographis & alijs quibuslibet personis cuiuscunq. fuerint Status, Typis excudere vel excudere facere supradictum librũ nisi post decenniũ, sine cõsensu & permissione dicti Chappelet, sub pœna mulctæ trium librarum millium, applicabilium scilicet, media pars nobis, altera supradicto supplicanti, & confiscatione exemplariorum impressorum, in contemptu huius nostri diplomatis, & omnibus expensis dicti Chappelet, vt latius in dicto diplomate continetur. Præterea sua vult Maiestas vt summa huius diplomatis eandem vim habeat ac si lectum & publicatum, supradictis librarijs, chalcographis & alijs quibuslibet personis esset.



HIERONYMI DANDINI
Cæsenatis, è Societate Iesu.

DE CORPORE ANIMATO.
LIBRI VII.

DE ANIMATI CORPORIS TEMPERATIONE.
LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

Pictorum conditio.

QVod pictoribus accidere solet, hoc ego magnopere cum Critia apud Platonem vereor, nemihi quoque hoc loco ad animati & verè humani corporis fabricam describendam accedenti eueniat. Illi cùm pennicillo aut res diuinas efformant, aut tertam pingunt & montes, flumina, maria, syluas, vrbes, prouincias, cœlestia corpora, stirpes, aues, bestias quascumque, satis muneri suo fecisse existimãtur, si vel tenuem earum rerum imaginem, fuerint assecuti neque à nobis eorum picturæ, aut examinantur attentius, aut seueriori iudicio reprehenduntur. At si ad nostrorum corporum similitudinem effigendã manũ posuerint, tum demũ propter plurimam nostrarum rerum cognitionẽ & familiarem earum animaduersionem acutius perspicimus, si quid vel minimum erratum fuerit, seueriorésque sumus iudices & exactores aduersus eos, qui non satis lineamenta singula coloresque expresserint.

Scriptorum cõditio, similis.

Idem enim euenit illis, qui de his ipsis rebus scribere, & verè etiam loqui aggrediuntur. De diuinis namque cæteris rebus natura cõstantibus vel mediocriter esse locutum tenuemque cognitionẽ tradidisse, satis esse putatur: quæque dicta fuerint aut scripta, non tam artificis, quàm populari ferè quadam trutina pensitantur. At ea, quæ ad nostra siue corpora siue animas pertinẽt, exactè nimirum examinare solemus: & si quid non dico peccatum, sed minùs, quàm res fortasse postulare videbatur, appositè dictum, aut accuratè & propriè fuerit explicatum liberiùs reprehendere. Accedunt eius rei, de qua agitur difficultas maxima, vtilitas & iucunditas. Nam vt diuina nunc prætermittam, pars hæc naturalis corporis, vt est omnium præstabilissima, sic plurimam quidem vtilitatem habet ac iucunditatem, quibus ad inuestigandum & cognoscendum allicimur, sed grauissimis est ac pene inextricabilibus difficultatibus plena, quas qui vel mediocriter explicauerit, eum ego non inutiliter laborasse credidero. Archimedes Siculus situm aliquem extra terram optabat, ita sperans se contra totam terram libraturum. Aiebat enim se, dum esset in ea, contra eam nõ habere virtutem. Et Aristoteles noster cognoscentem facultatem eare, quam cognitura sit, spoliatam esse voluit: nihilque sapientibus visum est difficilius, quàm seipsum cognoscere.

Cognitio sui difficilis.

Homo quid?

At quid tandem istud est, quod nobis cognoscendum proponitur? Audacis naturæ miraculum, animal adorandum, venerandum mortalẽ Deum, rerũ omnium mensuram, βέλτιστα θαυμάτων, Zoroastes Trismegistus, Pytagoras, Plato hominem appellarunt: & μικρόκοσμον, in quo quidquid in amplissimo mundo sparsum reperitur, vnitũ & collectum continetur, antiquitas vniuersa. Nos admirabile sapientissimi opificis Dei opificium: quod vt diuinissima omnium forma, sic optimo & quàm maxima fieri potuit arte atque industria præparato corpore cõstat. Non solùm enim duplicis qualitatis coniugationem habet, vt simplicia elementorum corpora, aut horũ quoque permistionem, vt lapides & metalla: sed & sane ipsam multò, quàm illa, perfectiorem, & plurium præterea partium ac membrorum distinctionem, quibus aliæ atque aliæ operationes animæ perficiantur. Hinc diuersæ primùm & interdum contrariæ temperationes existunt: deinde plurimæ homogeneæ partes ex illis tẽperationibus ortę: tum verò heterogeneæ, quæ ex homogeneis pluribus coalescũt atque ex his vniuersum tandem viuentis corpus coagmentatur. Atque in animalibus illud est pe-

Animalis corporis compositio.

culiare, vt ex elementarium qualitatum temperatione quatuor primùm existant humores, bilis duplex, flaua & atra, sanguis & pituita, ex quibus (vt communis tradit medicorum schola) homogeneæ primùm partes, tum heterogeneæ ac totum denique corpus componantur.

Duplex tractandi modus.

Itaque duobus modis animale corpus tractari potest: aut componendo, à simplicioribus facto principio atque ad composita progrediendo, quousque integrum & absolutum corpus existat. Aut composita dissoluendo in ea, quæ sunt simplicia, totumque in suas partes ac principia dissecando: siue id sola mētis actione fiat, siue manuum vsu. Illud theoreticū est, hoc practicum, priorem actionem διάλυσιν dicamus, posteriorem ἀνάπλωσιν. Vtramque amplecti optimum fuerit, compositionem inquam & resolutionem, primúmque de principijs & partibus agere, atque ex illis totum corpus quasi componere: tum si libuerit cōpositum illud in partes rursum dissoluere, mente potiùs, quàm manu. Etsi enim manū quoque admouere aut certè admouere posse præclarum est atque homine dignum philosopho: sanè tamen partem, ita eam occuparunt medici, vt consideratio potius ac theoria Philosophi propria videatur. Siue autem theoreticam, siue practicam dissolutionem spectes, sanè Galenus in 8. libr. de Hyppocratis & Platonis decretis homogeneas partes, prima & vltima definiens corpora, tum compositionem accepit, tum dissolutionem. Prima namque sunt compositione, vltima dissolutione. Nam etsi ex elementis hæ ipsæ componantur atque in ea dissoluantur, elementáque rursum ex materia constent & forma, & in eas resolui queant, quin & aliam addant medici, tum illarum partium ex humoribus compositionem, tum in eosdem dissolutionem: hæ tamen sensiles non sunt, aut compositiones aut dissolutiones, quæ & tractentur manibus & inspiciantur oculis. Sed illæ solæ, quæ homogenearū & heterogenearum partium sunt: quarum illæ compositione primæ, dissolutione vltimæ censentur. Itaque in his præcipue versabitur nostri laboris pars. Verùm ne quid intactum prætermittatur, quatuor omnino libris rem totam absoluemus, qui quatuor illis cōpositionibus respondebunt, quæ in viuentibus corporibus considerantur. Primus hic erit de animati corporis temperatione. Alter de humoribus. Tertius de homogeneis partibus. Quart' de heterogeneis, quæ organicæ nominantur, generalemque totius corporis descriptionem continent. Primus liber viuentibus omnibus cōmunis erit, secundus & tertius solis conuenient animalibus, quartus hominis maximè proprius, cæteris quoquo modo communis.

Duplex anatome.

Duplex Animati corporis compositio.

A B C D E

priè dicitur: altera substantiarum, quæ mistio verè nominatur. Illa prior ortu, hæc intentione naturæ. Propterea namque temperantur qualitates, vt hac antecedente dispositione elementorum quoque substantiæ misceantur. De hac substantiali mistione eo loco dicetur, vbi de formarum in viuentibus multitudine disputabitur. Nunc qualitatum, caloris, frigoris, humoris, & siccitatis temperatio consideratur.

De qua multiplex difficultas. Illa omnium prima, num eædem numero qualitates, quæ in elementis ante mistionem integræ fuerant, & perfectæ, in corporibus mistis fractę magnaque ex parte imminutæ contineantur. Negant S. Thomas eiusque discipuli: quibus vniuersè certum est nullum cuiusuis corporis, quod intereat, superesse accidens posse in eo, quod gignitur, aliaque eiusdem speciei noua succedente forma produci. At quod est illis in hac quæstione certum principiū, in libris de elementis perquàm falsum esse ostendi, optimumque ac certissimum ducem sensum secutus necessariis quoque argumentis confici plurimas pereuntis rei qualitates incolumes in re gignita conseruari. Hoc loco sat fuerit addidisse, iisdem substantiæ formis manentibus (quod post demonstrabitur) multò magis manere posse, & verò etiam debere qualitates easdem, sine quibus formę non subsistunt. Neque aliam illi ob causam qualitatum mutationem affirmarunt, nisi quod formarum interitum posuissent.

Num eadē elementorum mistorum qualitates.

Itaque multò minus audiendi sunt Scotus, Gregorius Ariminensis, Conciliator, Thomas de Garbo, Vgo Senensis, Iacobus Proliuiensis, & quotquot persuadere nobis conati sunt, ex quatuor elementorum qualitatibus, vbi ad temperiem quandam agendo & patiendo venerint, pereuntibus simplicem aliam qualitatem secundam ab illis omnibus diuersam produci, quæ & illis melior sit, & eas omnes virtute continent, sitque misti corporis propria, quemadmodū illę simpliciū elementorum fuerunt. Quæ Auicennæ quoque in prime fen. 1. can. doct. 3. cap. 1. & lib. 12. de animalibus cap. 2. videtur fuisse sententia. Neque tot ego productiones & interitus nouarum entitatum sine necessitate libēter audio: neque video à quonam aut producantur, aut corrumpantur: ea præsertim, quæ cæteris agēdo superior est. Aut quorsum tandiu támque studiosè temperatæ fuerint omnes & conciliatæ, si subitò debuerunt extingui? Immo dum sensum consulo totius huius controuersiæ, in qua de sensilibus qualitatibus disputatur, optimum ducem, is càm eodem modo, quo priùs, licet minùs vehementer, afficiatur, easdem prorsus, sed fractiores, & cum contrarijs permistas, qualitates esse renuntiat.

Misti temperatura quid.

Tantum abest, vt id, quod alij cogitarunt, verum esse confirmet, duas nouas qualitates produci, alteram inter calorem & frigus mediam, alteram inter humorem & siccitatem. Accedit, quod si quatuor illis qualitatibus interemptis, vna vel duplex succederet qualitas, nulla in corporibus nostris contrarietas esset, nulla qualitatum repugnantia, quæ crebræ per ætates singulas temperaturæ mutationis plurimorumque morborum ac mortis tandem est causa. Sæpè nāque harum qualitatum aliqua mutata corporis temperies mutatur, primáque ætas calida sit & humida, altera calida & sicca, postremáque frigida & sicca. Sępiſſi-

DE QVATVOR *qualitatum temperatione.*

CAPVT I.

Perimistio duplex.

Prima igitur animati corporis temperatione, quæ ex elementis est, ducto principio, duplex in mistorum, omnium corporum productione fit elementorū permistio, qualitatum vna, quæ temperatio pro-

mè etiam earum aliqua plus æquo intensa nostris corporibus morbos, & si modum prorsus excedat, vltimum adfert intentum. Quam ob causam dissolutionis & interitus principiu in nobis esse Philosophi omnes confirmarunt. Maneat igitur eadem numero qualitates elementorum remanere, mistorumque corporum temperaturam nõ vnam aliquam simplicem qualitatem significare, sed illarum quatuor temperatarum complexam: vnde & complexionis & temperiei seu temperamenti deriuatæ sunt voces.

Qualitates in mistione refrãgi.

Quod enim aduersus Auerroem aut Aristotelem potiùs Ioannes Femelius contendit in lib. de temperamentis cap. 2. quatuor illas qualitates nequaquàm frangi, sed perfectas & ad summum intensas in temperamento esse quemadmodum in elementis puris insidebant; tantopere tamen cõfusas atque permistas, vt magna virium parte amissa debilitatæ iudicentur: Cõmentitium prorsus est & vanum: veterúmque illorum Philosophorum, contra quos Aristoteles disputauit, potiùs quàm Philosophi aut etiam Galeni vel Hyppocratis, sententias sapit. Poterant enim illi quidem ita de qualitatum harum permistione loqui, qui solam elementorum in partes minimas diuisionem & earum iuxta positionem asserebant. At qui magis, quàm illi, sapit, atque intelligit permistionem totam agendo & patiendo fieri, neq; posse cõtrarias & pugnaces qualitates conuenire, quin statim agant & patiantur, hoc est corrũpant, & corrũpãtur; intelliget item nõ integras, sed fractas & dimidiatas qualitates tẽperari. Fieri enim nullo modo potest, vt duo contraria summa in eadem materia eodem tempore susciplantur & conseruentur, quin sibi vicissim interitum machinentur seseque ex illo subiecto pellant. Sed neq; formæ quę elementorũ substantiam constituunt, aliam ob causam mutilantur suásque excellentias amittunt; quàm propter contrariarum qualitatum repugnantiam acrémque earum conflictum. Multò igitur magis cõtrarias ipsas qualitates mutilari ac summitatibus truncari necesse est, si substantiarum mutilationis ipsæ sunt causæ. Ergò vt ex castigatis & permistis elementorum substantijs illud efficitur medium & commune, quod mistum appellatur; sic ex qualitatibus temperatis atque ad mediocritatem refractis qualitas illa existit, quæ temperatura seu misti complexio dicitur: optima scilicet admisti formam dispositio; quemadmodũ duarú principũ qualitatũ simplex cõiugatio ad simplicis elementi formã dispositio est. Ita elementarium formarum vnio est substantialis mistio, & qualitatum conciliatio propria voce temperatio seu complexio nominatur: tametsi interpres Philoponi in commentario ad textum 82. libri prioris de ortu & interitu temperationis nomen ampliori vsurpauerit acceptione ad substantiarum quoque mistionem significandam. Denique ordine optimo ita disponentur omnia in natura: dum prima illa informis materia cum duplici solùm summa qualitate simplicium formarum subiectum est; Horúmque simplicium corporum substantiæ quidem permistæ materiam præbent & subiectum mistorum corporum formis; quatuor autem qualitatum temperatura est accidentaria illius materiæ præparatio; ac demum hæc ipsa permista temperatáque corpora supremę omnium animatæ formæ materia euadunt. Sed quod nunc agimus, illud est, vt misti tẽperaturam intelligamus simplicem vnam qualitatem secundam ex principibus quatuor resultantem non esse, sed coniunctionem & complexum illarum temperatarum: quemadmodum & certa nobis ratio persuasit, & Philosophi testimonio confirmatur. Etenim is non solùm substantialem mistionem definiuit alteratorum elementorum vnionem, quod de accidentaria quoque qualitatum temperatione intelligi voluit: verùm etiam in tota illa tractatione, qua diligenter & accuratè mistionis vtriusque naturam tradidit, vtramque fieri docuit, corruptis duntaxat summitatibus & excellentijs elementorum reliquisque partibus permistis. Et in cap. 2. lib. 4. Meteororum hanc esse voluit mistorũ putredinis causam, quòd intimus eorum calor ab exteriori robustior factus corrumpat humidum temperationémque soluat. Et in tex. 123. 124. & 143. lib. 2. de anima eam exposuit, cur sensus patiatur nimium atque à vehementi corrumpatur obiecto; quoniam is in quadam proportione atque harum qualitatum temperie consistit, quæ à vehementiori obiecto dissoluitur: plantásque propterea non sentire affirmauit, quòd minùs, quàm par sit, qualitatibus hisce temperatæ sunt.

Temperatura quid.

Temperatura latitudo.

Magnopere tamen intelligendum est, proportionem hanc & temperaturam qualitatum nequaquàm ita in impartibili positam esse, vt si vel minimùm ab ea recesserit qualitas quæpiam, mistum protinus dissoluatur. Habet enim latitudinem quandam in vnaquaque missi corporis specie, intra quam vagari licet, & modò hanc, modò illam qualitatem paulò rubustiorem facere: totius tamen latitudinis certi sunt fines, quos vltra citráque nequit consistere mistum. Itáque in summa mediocritate ac proportione summa misti perfectio agnoscitur, optimáque animati corporis habitudo. Ab ea si deflexeris, morbos primùm, deinde mortem viuentibus corporibus adduces: quódque his sunt & morbus & mors hoc ipsum inanimis sunt imputitas & vltima dissolutio.

Morbi & mors vnde.

Eademqualitates motrices.

Iam verò si in alteratricibus qualitatibus ita res habet; affirmare quoque licet, eas, quæ motrices sunt, grauitatem, & leuitatem easdem in mistis numero remanere: factas tamen & debilitatas? tum admistione qualitatis oppositæ contrariorum elementorum? tum mutilatione formarum substantialium & qualitatum principum, ex quibus illæ originem habent. Remanent tamen, quia illarum principia & causæ remanent: & ideò ab elemento dominante mouentur omnia mista. Eadem est densitatis & raritatis ratio. Ita concludi potest, tum substantias, tum qualitates omnes elementorum temperatas in mistis remanere: atque in hoc perfectam mistionis vim consistere.

Vana materiæ ad varias formas dispositio.

Qualitates secundæ.

Quemadmodum verò præter elementorum substantias noua producitur forma misti propria: sic aliæ consequuntur qualitates secundæ, quæ ex quatuor illarum principum permistione nascuntur: colores, odores, sapores, & aliæ id genus, quæ in primis & simplicibus corporibus nequaquàm insunt. Atque hinc item herbarum lapidumque virtutes existunt, aliæque eiusmodi facultates mistorum, quas tantopere admirantur multi: neque ego dubito esse velut mistorum inanimatorum corporum proprietates, quæ ex for-

Herbarũ & lapidum virtutes.

ma, qua illorum substantia constituitur, ope tamen temperationis primarum qualitatum oriantur.

DE MVLTIPLICI TEMPERATIONVM GENERE.

CAPVT II.

QVm igitur quatuor hasce principes omnes qualitates ad mediocritatem mutuamque proportionem reduci oporteat: refert quidem Galenus in 1. de temperamentis libro cap. 2. medicorum quorundam disputationem: quorum alij duo duntaxat, calidum & siccum, humidum & frigidum, temperamenta admittebant: alij quatuor omnino esse contendebant, quemadmodum quatuor sunt qualitatum cõiugationes. Sed vniuersè primùm loquendo duplicem ferè temperaturam communis schola distinguit: vt videre est apud eundem Galenum, & Auicennam in 1. fen. p. Car. docet. 3. cap. 3. alioſque complures. In altera qualitatum gradus absolute considerantur, nulla re alia spectata: & præsertim subiecto, in quo temperatio ea insit. Hæc temperata ponderis temperatura nominatur ab illis à philosophis tẽperatio æqualis arithmetica proportione. Totidem enim continet singularum qualitatum gradus tantundemque elementorum omnium. Altera consideratur comparatione formarum diuersorum mistorum atque operationum, quæ singulorum naturæ conueniunt. Eamque intemperatam temperaturam seu temperationem ad iustitiam appellant: à philosophis æqualis dicitur geometrica proportione.

Temperatura duplex.

Iustitia duplex.

Sed quoniam, vt in 5. Moralium lib. docetur, duplex iustitia est: vna in rerum permutatione versatur, altera in præmiorum ac pœnarum distributione: ac prior quidem rerum æqualitatem seruat, posterior autem cuiusque merita aut demerita spectat: eorumque habita, vt par est, ratione, singulis præmia decernit aut supplicia: totum illud posterius temperationis genus in hac posteriori distribuentis iustitiæ parte accipitur: qua pro singulorum mistorum exigentia siue maioribus aut minoribus meritis, alio atque alio dignitatis ac nobilitatis gradu, qualitates eæ singulis tribuuntur. Quanquam dum priorem illam temperationem, quæ ponderis dicitur, in duas rursum partiuntur medici: quarum altera æqualis prorsus sit qualitatum omnium gradibus, altera inæqualitatem quandam habeat & vnius aut plurium qualitatum excessum: parum sapienter agere mihi videntur. Quoniam posterior hæc temperatio, si ad formam & operationem referatur, iustitiæ potius est, quàm ponderis: neque ibi potest ponderis & arithmeticæ proportionis æqualitas, vbi graduum & intensionis qualitatum inæqualitas admittitur. Ea igitur, quæ inæqualis est, duplex esse potest: aut simplex, si vnica crescat qualitas, reliquæ sint æquales: aut coniugata, si duæ superent qualitates.

An duplex põderis temperatura.

Temperatura inæqualis duplex.

Itaque si omnia colligantur, nouem omnino, erunt temperationis genera: quatuor simplicia quemadmodum sunt quatuor qualitates, quarum vna potest aliarum mensuram excedere: & totidem coniugata seu composita. Quatuor enim sunt qualitatum earum coniugationes, quarum aliqua vna præcellat cæteris. Et caloris quidem ac siccitatis excessus cholericam & igneam temperatione facit: humoris & caloris sanguineam & aëream: frigoris & humoris phlegmaticam & aqueam: siccitatis ac frigoris melancholicã & terreã. Et quatuor simplicia genera simplicibus quatuor qualitatibus respõdent: quatuor autẽ cõposita quatuor elementis: omniaq; intẽperata vocãtur: quoniã aut vna aut pluribus qualitatibus reliquarum modum excedunt. His additur nonum, quod ponderis est ac temperatissimum esse existimatur: propterea quod nulla in eo qualitas alteri dominetur, sed omnes planè sint æquales.

Nouem temperationum genera.

An nullæ sint tẽperaturæ simplices.

Cæterum Auerroes in comm. 7. in primum librum de Cælo, & comm. 48. in posteriorem de ortu & interitu & comment. 10. in 4. Meteorum, & cõment. 23. in 10. Metaph. & in 2. lib. colligit cap. 1. & vltimo, & in 1. Canticorum cõment. 19. duo reprehendit in hac medicorum sententia. Primum quatuor simplicium temperaturarum genera negat, solaque coniugata admittit: hoc præcipuè argumento, quod vnaquæque qualitas actiua, quę est loco formæ, passiuam alteram habere debeat sociam & æqualem, tanquam materiam. Et mihi quidem certè non parum suspecta sunt: neque, quod sciam, in vllo adhuc satis obseruata fuerunt. Ferè namque ita fit, vt patientes qualitates comitentur eas, quę agentes sunt: & caloris, frigorisue excessus, humoris item aut siccitatis excessum adducat. Non tamen propterea omnino respuo. Tum quia cùm patientes qualitates minorem agendi vim habeant, quàm eę, quæ agentes dicuntur: dum harum altera superat, fieri potest, vt æqualitatem illæ retineant. Tum quia agentium alterutra potest cum alterutra patientium consistere: vt calor cum humore in aëre, cum siccitate in igne, & frigus cum humore in aqua, cum siccitate in terra: quare cùm naturam habeãt ad alterutram quodammodo indifferentem: & si eæ, quæ patientes sunt, debilitentur: necessarium tamen non videtur eas quoque minui, aut contrà, dum eæ augentur, simul illas augeri. Itaq; & si patiẽtes fuerint æquales, inæquales tamen agẽtes esse poterunt: aut hæ æquales, vbi inæquales illæ fuerint. At quoniam maxima est inter illas coniunctio: ferè fit, vt inæqualitas omnis ex duplici qualitate sit composita.

Alterum quod non admittit Auerroes est, inter coniugatas temperationes ea, quæ ponderis esse dicitur: de qua multo maior est non inter philosophos modo, sed & inter medicos disceptatio.

NONNVLLA POSSIT ESSE temperatio prorsus æqualis.

CAPVT III.

QVam Galenus temperationem ponderis omni ex parte æqualem nominauit, non solùm non admisit Auerroes, sed nullam prorsus esse posse iudicauit Auicenna, subscripseruntque Algarel & Iurisanus in commentario 15. in 1. artis paruæ Galeni, & Conciliator

Prima opinio.

Conciliator differ.18. & Vgo Senensis in 1. fen. Auicennæ, & Magnus Albertus tract. 1. lib.1. de cœlo cap. 3. & tract. 6. lib. 1. de ortu & interitu cap. 9. alijque plures. Argumentatur enim Auerroes. Primùm; si vllum esset huiusmodi corpus, moueri planè non posset, sed in quocúnque loco poneretur, siue supero, siue infero, siue intermedio; vbique quiesceret. Omnis namque motus corporis mixti ab elemento cæteris dominante fieri debet: alioqui non est à quo in vnam potiùs partẽ, quàm in aliam moueatur. Deinde si æqualibus prorsus viribus concurrant elementa contraria, nulla fuerit actio, nulla mistio: sed vt vicissim agant, impares esse oportet vires, & dominãtem aliquam, cui productio formæ attribuatur, ne tamen vnius fiat interitus & alterius ortus, sed mistum quidpiam existat; inter eas necesse est proportio quædam sit. Postremò mista omnia firma esse debent optimèque compacta, & ideò abundare terra & aqua.

2. Nihilominùs in alteratricibus qualitatibus aliquod fieri eiusmodi mistum posse, cõtendit Thomas de Garbo quæst. 5. Medicinalis summæ: immò & in alteratricibus simul & motricibus Iacobus Foroliuiensis quæst. 6. in 1. fen. tametsi corpus
3. illud minimè naturalem & conuenientem dispositionem haberet. Denique Marsilius & Albertus
4. Saxo in quæstionibus, quas de hac re in posterioremde ortu & interitu librum scripserunt, in alterutro, non in vtróque simul, qualitatum genere.

Authoris sententia.

Ego verò de hac tota controuersia ita statuo. Principio existimo nullum fieri mistum posse, in
1. quo æqualis elementorum omnium existat quantitas; sed maiorem terræ & eorum, quæ minùs agunt, debere esse molẽ. Alioqui ea, quæ ad agendum sunt robustiora, imbecilliora cætera omnino corrumperent, atque in tuam naturam commutarent: neque vllum fieret mistum, sed simplicis vnius corporis ortus & alterius interitus. In
2. motricibus autem qualitatibus nullum quidem esse in natura puto mistum prorsus æquale: quoniam reipsa, cùm deorsum omnia moueantur & in grauibus elementis viuant, aqua, & terra, vt est in tex. 49. posteriorisibri de ortu & interitu; sanè in omnibus abundat grauitas. Fieri tamen ali-
3. quod; me quidem iudice, non est ex eorum numero, quæ ἀδύνατα nominãtur. Si enim aut maior grauitas elementorum grauium ita cum leuibus pugnet, vt ab exteriori quopiam leuium operatio iuuetur; aut quoniam leuia calorem habent, qui magis ad agendum valet, ea sit inter illa proportio, vt plures substantiarum & alterantium qualitatum gradus pereant in grauibus, quàm in leuibus elementis; motrix qualitas, quæ substantiæ formam & alteratrices qualitates consequitur, æqualis esse poterit in vtrísque cùm tantundem grauitates in maiori grauium elementorum quãtitate esse possit, quantum est in leuibus leuitatis, quæ formam habeant & alteratrices qualitates magis intensas.

Porrò hoc mistum aut nullo modo sua natura moueretur loco, nisi ab exteriori aliqua iuuaretur causa, maiori scilicet pondere aut leuitate addita, quæ grauitatem interiorem vel leuitatem ad impellendum deorsum vel sursum oppositaqualitate superata iuuaret. Quod nequaquam videre debet mirum; cùm ne reliquorum quidem mistorum inanimatorum formæ vllius motus localis principium sint, sed ab elemento dominante moueantur omnia: quasdam autem habeãt alias meliores ac præstantiores operationes, quæ ab illius quóque misti torma orirentur. Aut loco quóque moueretur. Quoniam si in ignis regione poneretur, deorsum a tribus reliquis elementis traheretur: si in aëre, traheretur a duobus, igne duntaxat resistente; siquidem nec aër nec elementum vllum in proprio loco mouetur aut mouet, sed quiescit vnum quódque; maiorque est impetus elementaris naturæ, quæ extra suum locum reperitur, quàm sit conatus naturalem locum retinendi. Eandem ob causam ex terra & aqua sursum ascenderet; naturalémque quietis locum ita in medio elementorum occuparet, vt partim in aëre esset partim in aqua. Aut demum deorsum potiùs, quàm sursum, impelleretur. Tum quia cùm maiorem grauium elementorum molem contineret, in eorum potiùs loco esse vellet. Tum quia grauitas efficacior est ad agendum, quàm leuitas, etsi æquales sint vtriúsque qualitatis gradus. Et de motricibus quædam qualitatibus hæc affirmo.

De alteratricibus autem duo planè contendo. 4.
Alterum, in mistis inanimis mistionem eam fieri posse. Homogeneam enim & sui vbique similem naturam habent; neque organorum aut dispositionum diuersitate indigent. Et quamuis inæquales initio oporteat qualitates esse, vt inter eas oriatur pugna: fieri tamen potest, vt quæ inæquales ante mistionem fuerunt, tandiu vicissim agant & patiantur, vt æquali tandem concordia componantur. Cùm elementa præsertim, quæ minorem agendi vim habent, maiorem adferant ad mistionem corporis molem, qua virium imbecillitatem compensant: & aliunde etiam interdum ab exteriori quopiam iuuari possunt. Non esset tamen hoc mistũ sua natura incorruptibile: quoniam contrarijs & repugnantibus principijs cõstaret, quæ cum graduum æqualitate inæqualem agendi vim habent, & apta sunt interitum illi adferre, reque ipsa adferrent: si præsertim eorum aliquod excitatum aliunde atque adiutum maiore impetu aduersus contrarium suum insurgeret.

Alterum; in mistis, quæ vitam quoque habent 5.
& animam, insitam quidem temperationem eiusmodi esse non posse, vt sit prorius æqualis, propter maximam nimirum organorum & partium diuersitatem, atque adeò operationum, quas exequi debeat. Hæc enim omnia diuersitatem magnam, varietatem, & inæqualitatem temperationum postulant. Aduentitiam tamen in aliqua 6.
fortasse parte æqualem fore: quoniam qualitas, quæ ex insita temperatione exilior est aut robustior, potest ab aduentitia ita augeri aut minui vt æqualis euadat. Hanc in tactus subiecto fortasse reperias, atque in interiori manus cute seu extremorum digitorum: temperatissimi hominis quæsiuit Galenus. Cæterum vniuersæ corporis partes nequaquam ad æqualitatem hanc adducuntur. Et enim per multæ sunt, quæ functiones suas non exercerent: & cor quidem abũdare oportet calore, cerebrũ autem frigore, siccitate ossa, aliæ aliqua qualitate. Quod si animal vniuersum, 8.
non vnaquæque illius pars consideretur; probabile dixerim posse hanc aduentitiæ seu actuatæ potiùs temperationis interdum æqualitatem efficì. Nam si pars vna calidior fuerit, altera frigoris

tantundem habeat, eodemque modo tributæ sint cæterę qualitates: ea fiet æqualitas, qua in toto animali caloris, frigoris, humoris, & siccitatis tantundem sit. Atque hæc temperatio si vlla fuerit, optima sanè & maximè sana fuerit: quoniam maximam habebit contrariorum omnium qualitatum proportionem: maximęque ab extremis distabit, quæ illam turbare possint aut dissoluere.

Hęc si ita sunt, nullo modo quęrendũ est mistũ, quod perfectè & omni ex parte sit æquale, tum elementorum quantitate, tum mouentibus & alterantibus qualitatibus, tum verò in animalibus insita & aduentitia temperatione: sed interdum in horum fortasse aliquo. Eaque æqualitas, quæcunque fuerit, in impartibili consistet qualitatum earum mediocritate, quarum æqualitas fuerit, vt si vel minimum ab ea discesserit, non sit amplius æqualitas ponderis, sed verè inæqualitas. Quam ob causam principio admonui parum scientes medicos duo distinxisse tęperationis ponderum genera; æquale alterum, alterum inæquale. Nam si ponderis temperatio sit, æqualem eam esse necesse est. Et quemadmodum in cap. 3. lib. antea notati argumentatus est Galenus aduersus eos, qui temperatam naturam omiserãt: tanquàm optimam substituentes eam, in qua calidum præstet frigido & humidum sicco: licet & nobis illum ipsum vrgere, dum intemperatam temperaturam nominat. Si enim temperatus status est, neutrum alterum superare debet: sin intemperatus, necesse est exuperet altera oppositionum pars.

An duplex põderis temperatura.

Hæc namque ipsa sunt Galeni verba.

Verùm hæc de temperatione vniuersè dicta sufficiant. Iam de viuentium & maximè animalium temperatione dicendum. Illudque explicandum inprimis quod duplicem aut etiam triplicem in illis temperationem, insitam, aduentitiam, & actuatam nominauimus.

DE TRIPLICI VIVENTIVM temperatione innata, aduentitia, & actuata.

CAPVT IIII.

Vna totius corporis temperatio esse non potest.

DE viuentium igitur, & animalium maximè, temperatione dicturus, principio accipiam, non posse in toto animalis corpore vnicam temperationem esse. Quoniam partes quasdam manifestum est durissimas esse, siccas, & frigidas; vt ossa: alias molles & humidas, vt carnem: alias calidas, vt cor: frigidas alias, vt cerebrum. Sanè hoc magnopere differunt ab inanimis animata: quod illorum corpora homogenea sunt & eadem vbique temperatione constantia: horum autem heterogenea esse ac diuersitatem partium habere oportuit, quibus diuersas animæ operationes obirent. Firma quidem & solida esse debuerunt: & ideò terrea, sicca & frigida. Sed vt nutrirentur, crescerent, simile sibi gignerent, sentirent, & incederent, necessarium fuit ea esse calida & humida.

Temperatio innata.

Ita factum est, vt quoniam hæc in vna & eadem tęperatione cõstare non poterant, duplex ea omnino esset. Vna innata, altera influens & aduẽtitia.

Innata tẽperatio ea est, quæ singulis partibus insita est, atque ex quatuor duntaxat elementorum qualitatibus permistis constat. Et ideò vt antecedens materiæ dispositio ad suscipiẽdam animam consideratur immediatè & ęquè per omnes corporis partes diffusa etsi non eadem in omnibus, sed alia atque alia in carne, osse, ac cæteris, abeuntéque anima multo tempore conseruatur quousque putrescat corpus. In ea tamen vbique abundat frigus: & eum frigore in quibusdam partibus coniungitur siccitas, vt in osse: in alijs humor, vt in carne. Nam vt corpus esset solidum, consistens, & densum, abundare vbique oportuit elementa densiora, quæ frigida sunt, atque vt diuersę distinguerentur partes cum frigore aut siccitas, aut humor coniungi debuerunt.

Influens verò & aduentitia temperatio, ea dicitur, quæ ex actione nascitur vnius partis in aliã. Neque enim hæc animam antecedit velut illius dispositio, sed tanquàm effectus potius consequitur: nec tam in materia, quàm in forma consideratur: alioque constat meliori multo qualitatum genere, quàm sint elementares omnes: cum calorem, habeat vitalem, non vllius elementi, sed ipsius animæ proprium. Et ideò tum est operandi principium, tum ab ea maximè pẽdet vita: nec si abierit anima, potest diutius in corpore conseruari. Calore autem & humore potissimum abundat, quoniam ad operandum, viuentisque conseruationem tota comparata est. Immò nil aliud est, quam calor ipse vitalis, quatenus in spiritu fundatur & humido primigenio sustentatur. Calore nãque & humore tota consistit vita. Quo fit, vt in omnibus quidem partibus & corporis membris tẽperatio hæc insit: in corde tamen potissimùm tanquàm in fonte & principio resideat: quoniam in eo sedes est caloris & officina spiritus: atque inde tum spiritus tum calor ad omnes reliquas partes deriuatur & funditur. Itaque magnopere omnino pręstat priori posterior hęc tẽperatio: eamque verè dixeris esse inter eas comparationem, quæ est inter materiam & formam, corpus & animam.

Temperatio influens.

Cæterùm vt ex materia & forma, corpore & anima, coniunctum quidpiam efficitur prorsus perfectum, ita ex ambabus illis copulatis tertia existit omni ex parte absoluta totius viuentis temperatio. In qua cùm semper abundet calor, iure optimo proprium is existimatur esse animæ instrumentum. Sed quamuis ea sit vna per totum corpus diffusa, partium tamen illam ac membrorum diuersitatem non tollit, quę viuẽtibus necessaria est. Nam & in ea continetur, innata illa temperatio, quæ in diuersis partibus diuersa est: & actio influxusque vnius partis in alias nõ est vbique æqualis; sed in propinquiores vehementior, debilior & fractior in eas, quæ magis distant. Hanc enim ob causam propinquiores cordi partes maiorem habent calorem, quàm eæ, quæ remotiores sunt.

Temperatio actuata.

Tertiam hanc temperationem actuatam medici appellarunt: sed eam credendum non est re à duabus prioribus distinctam esse. Sicut enim coniunctum, quod ex materia & forma, corpore & anima efficitur, rem nullam à partibus illis diuersam significat: sic tertia hæc temperatio, quæ ex innata per influentem actuata in corporibus nostris existit, quadam dũtaxat earum coniunctione

Actuatã prioribus no distingui.

constat,

constat, ex mutua membrorũ actione & reactione orta.

Illius subiectũ. Illius subiectum sunt partes omnes animatæ: non inquam spiritus, non humores, multò minùs pili & excrementa excrementiáue (quæ enim animam non habent, nec partes viuentis sunt, nec temperationis eius, quæ cõsequitur animam, subiectum esse queunt) sed homogeneæ partes & heterogeneę. Immò cùm heterogeneę nil aliud sint, quàm homogenearum copulatio; primum & proprium temperationis huius subiectum solę sunt homogeneæ partes; secundarium heterogeneæ, quatenus ex homogeneis constant.

Partes homogeneæ 1. operandi principium. Vnde & illud consequens est, vt quoniam viuentis temperatio ad operationem refertur, primum operandi principium sint partes homogeneæ, in quibus præcipuè calor est; immò & anima, quæ operatur. Caro quippe gignit carnem, & reliquæ partes alias sibi similes: motúsque est nerui tanquam primi principij, etsi non nisi musculo, manu, aliáq; heterogenea parte exerceatur: tum quòd huiusmodi operationes certam quandam postulant homogenearum plurium partium coniunctionem: tum quòd præter temperationem determinata quapiam figura indigeant.

MEMBRORVM EVAPORATIONE quartum temperationis genus non fieri.

CAPVT V.

Gentilis opinio. ATenim cùm influens temperatio, de qua hactenus dictum est, à corde potissimùm per arterias & spiritum ducatur: præter eam Gentilis interpretationem faciens illius capitis, in quo Auicenna in 1. fen. primi Can. de membrorum temperatione disserit, aliam quandam addendam esse contendit, quæ per vapores, qui nullum habent propriũ vas, quo contineantur, membris communicetur; non vt operentur, quemadmodum prior illa; sed vt benè & commodè sint, calórque in illis foueatur. Inde enim fit, vt sinistræ animalium partes calidiores, quàm dextræ, esse videantur: cùm tamen prior ille caloris influxus vigeat magis in dextris. Deinde quædam sunt membra, quæ cùm pauciorem habeant spiritum, calidiora tamẽ sunt, quàm alia, quæ spiritosa magis sunt. Musculi namque mammillis circuniecti propter cordis propinquitatem calidiores liene sunt, qui plurimas habet arterias spiritu plenas. Et ossa neruíque thoracis an non eandem ob causam magis calent, quàm caro pedis aut manus? Nec tamen vllus est, qui carnem nesciat influere temperatione esse ac neruo calidiorem esse. Alium igitur esse oportet modũ diffundendi calorem; indeque aliud temperationis genus existere. Sanè cùm influens illa temperatio ad operandum tota referatur, nerui & musculi cordi propinqui cum minori multò calore, quàm inde ducatur, operari possunt. Operantur quippe nerui & musculi magis distantes minúsque calidi. Quòd si operatio calore tanto non indiget, is, qui opportunus fuerit, non ab influente, sed ab aliqua alia temperatione ducendus est.

Cæterùm intelligere oportet hoc loco, calorem illum, qui à corde ad reliqua membra deriuatur, naturaliter & necessariò deriuari; idque cum spiritu præsertim arterijs contento, aut etiam per solum contactum. Vt minimè mirum sit, si quædam partes alijs calidiores sint. Necessariò enim fit, vt eæ, quæ cordi propinquiores sunt, pluresue habent arterias & copiosiorem suscipiunt spiritum, calidiores item euadant: Vt tamen vnaquæque magis aut minùs fuerit ad suscipiendum calorem apta; magis inquam aut minùs rara & porosa. Sed prior ille modus diffundendi calorem per arterias generalis est & omnes corporis partes complectitur: posterior per contactum, quarundam propinquarum peculiaris & proprius. Quocirca prior ille temperationis animati corporis genus à cæteris diuersum constituere existimatur; posterior hic nequaquàm.

Vt calor à corde diffundatur.

Rursum dum calor per arterias corpora nostra percurrit, aliquid semper agendo resoluit in illis partibus, quas percurrit (hoc enim caloris proprium est) multasque euaporationes ad alias partes excitat. Sed instabiles eæ sunt nulliusque penè momenti aut actionis. Quare cùm ex illis parùm aut nihil reliquæ partes de suo statu & conditione dimoueantur, haudquaquàm censentur nouam in corpore temperationem facere.

An sinistra an dextra partes calidiores. Sinistras corporis partes calidiores esse, quàm dextras, ego quidem minimè verum esse iudico: cùm dextras certum sit magis viuaces esse atque ad operationes omnes promptas & robustas. Aristoteles verò sinistras frigidiores esse significauit, cùm in cap. 4. lib. 3. de partibus, cor scripsit aliquantulum inferiori parte ad sinistras declinare, vt earum frigus moderetur, & compenset. Ita enim fit, vt inferioris illius partis contactu, in qua maximè viget calor, propinquiores partes magis calefaciat. At ad vniuersas partes dextras copiosiorem spiritum & sanguinem mittit. Atque ex his etiam intelligitur, qui fiat, vt quæpiam corporis pars calidior interdum sit, quàm alia, quæ maiorem deberet habere calorem. Facit id cordis propinquitas, quod non solùm per arterias & cõstituta vasa mittendo spiritum; sed solo etiam cõtactu calefacit. Deinde euaporatio quóque reliquarum partium propinquarum, dum eas calor in arterijs percurrit. Et quamuis tàm vehemens calor non sit fortasse ad operandum necessarius; ex cordis tamen necessariò agentis propinquitate necessariò fit: neque inutilis est, sed promptiorem ac faciliorem reddit operationem.

QVATENVS DIVERSÆ corporis partes vicissim agant & patiantur.

CAPVT VI.

TAm verò propria singularum partium, temperatio quæ sit, tum tactu & experientia cognoscimus, tum ratiocinando confirmamus. Iudicium tactus hac in re magnopere commendauit Galenus in 2. de temperamentis libro; eóque Aristoteles vsus est in 2. de partibus animalium cap. 7. vt cerebri frigus demonstraret. Et quilibet facilè ostendat sanguinem & spiritum esse calidos, ossa dura, frigida, & ficca; carnem mollem, humidam, & frigi-

Vt temperatio cognoscatur.

dam. Experientia verò adipem cerebo humidiorem esse cognoscimus, quia liquescit. Cerebrum tamen aqueum & terreum; quoniam caloris actione resoluitur, partéque aquea euaporante, subsidet ea quæ magis terrea est. Pilos ossibus ficciores esse: nam distillando humorem quempiam & succũ eduximus ex ossibus, nullum ex pilis. At si ratio accesserit, certior omnino fiet & absolutior nostra cognitio. Cum enim calor per sanguinem maximè & spiritũ diffundatur à corde: quę mẽbra cordi fuerint propinquiora plusue spiritus & sanguinis habuerint, cæteris calidiora esse certissimè concludentur. Iecur membrum est perquam calidum: tum propter cordis propinquitatem & arterias ab eo susceptas, ob quas vltra naturalem habitum incalescit, tum quod sanguineum prorsus est, atq; in eo propter caloris vim prima existit sanguinis officina. Contrà cerebum frigidissimum est: nam & plurimùm distat à fonte caloris, & ferè sanguinis expers est. Ita propemodum partium omnium ac membrorum naturam & temperationem optimè assequemur. Eritque quod diuersitatem plurimã admiremur cum magna contrarietate coniunctam in summa pace ac trãquillitate viuere atque in totius viuentis bonum & salutem conspirasse.

An partes vicissim agant.

Propterea iure optimo dubitari potest, an cum ea naturarum diuersitate, qualitatumque contrarietate, coniũcta sit pugna actioque & passio inter vnius & eiusdem corporis partes. Hostiles enim & pugnaces qualitates nequaquàm videtur posse in pace & quiete degere. Quod si inter eas perpetua sit pugna, minus benè animaliũ vitæ prouisum fuerit: illæque ipsæ partes, quæ salutis & vitæ causa esse debuissent; extremam perniciem & mortem adducent.

Gentilis opinio.

Nisi Gentilis loco antea indicato, & in tractatu, quem ipse de resistentijs propterea promulgauit, id vocasset in dubium, quod non solùm suadet ratio, sed vel ipso sensu constare videtur: perfacilis esset dubitationis huius explicatio. Sed existimauit ille corporis nostri membra nequaquàm vecillim agere positiuè, reipsa corrumpendo qualitatem alterius & aliam in eo producendo; sed priuatiuè duntaxat, prohibendo, ne qualitas alia accedat. Non inquam cerebum agere in cor, membrum illud refrigerando; sed prohibendo ne nimio æstu inflammetur: quam actionem comparatiuam is appellauit. Si namque positiua esset inter membra actio, perperam fuissent illa in ortu primo temperata. Siquidem vt deinceps viuere & conseruari possint, opus sit actione alterius membri retundente meliorique modo primigeniam illam constitutionem temperante. In eo etiam parùm sapienter egisset natura; si & eam qualitatem inseruisset membris, quam quod nimia sit & vitæ noxia retundi mox & minui oporteat: & eam agendi vim illis posuisset, quę prorsus sit superuacanea. Aut enim dum ita agunt & patiuntur, reducuntur vnquàm ad debitam & cõuenientem illis temperiem; aut nunquàm. Si reducuntur aliquando; an non consultius fuisset ea primùm ita temperata produci? Sin autem nullo vnquàm tempore ad eam perducantur, frustra nimirum ac temerè agunt, cum actionis finem non assequantur. Alias quasdam propositiones ad hanc sententiam persuadendam adfert Gentilis: sed eæ aut leuiores sunt nec difficultatem vllam continent, aut non maioris momenti, quàm eæ quas ipse proposui.

Aristotelis opinio.

Aristoteles autem pluribus in locis apertis verbis affirmauit, mutuam esse positiuam, & contrariam actionem & passionem inter hæc membra: quorum vnum, quod maiorem calorem habeat, calefaciat aliud quod frigidius sit atque ab eo vicissim refrigeretur. Sic enim cerebrum frigidum dixit aduersus cordis sedem & calorem à natura fuisse positum, vt illius calorem mitigaret ab eoque vicissim calefieret. Et ideò tum in solis sanguine præditis, hoc est calidioribus animalibus cerebrum propriè reperiri, in cæteris analogum: tum in ijs à corde ad cerebrum calefaciendum venas & arterias ascendere.

Veram vt positiuam actionem esse.

Aduersus Gentilem acriter disputauit Thomas de Garbo quæst. 33. medicinalis summæ: multisque modis ostẽdit veram & positiuam actionem. Quod mihi quidem certè tum naturali ratione, tum sensuum iudicio facilè demonstrari videtur. Corporis enim nostri membra non vnam & eandem omnia, sed aliam atque aliam temperationẽ habent, contrarijsque & pugnacibus qualitatibus instructa sunt. At naturalium agentium vis cohiberi non potest, quominus si coniuncta sint & proxima, vt sunt membra nostra, quàm vehementissimè agat omnemque suam vim in hostilem exerat qualitatem, hoc est inimicam formam quam maximè potest extinguat: & sibi similem in membri possessionem introducat. Deinde naturalis & insita temperies cerebri, carnis vniuersæ, venarum, arteriarum, cartilaginum: an non frigida est, ossisque & nerui sicca? In animali enim mortuo ita de his omnibus indicat sensus. Atidẽ ipse quandiu animal viuit, has omnes partes calidas esse cognoscit, ossaque, & neruos humida. Ab alijs igitur membris calefiunt & humectantur. Et cor non ne caloris fons & velut calidissimum membrum non ne eum per vniuersum corpus diffundit omnesque partes calefacit? Spiritus & sanguis in arterijs venisque contentus non ne illas calidiores facit? An non caro humidà humectat ossa & neruos cutimque, quibus incumbit? Et ventriculo non benè affecto suoque munere minùs perfectè fungente, oculis suffusiones accidunt, vt in 4. lib. de locis affectis cap. 1. multis ratiocinatur Galenus. Denique non ne vapores calidi ex reliquo corpore ascendentes ad caput, cerebrum calefaciunt: moxque ab eo refrigerati & in humorem pituitosum mutati, dum per inferiores partes defluunt, vniuersum corpus refrigerant?

An cerebrum calorem cordis temperet.

Aristotelis autem sententiam illam de cerebri actione in cor caloris que temperatione vehemẽter Galenus reprehendit in 8. lib. de vsu partium cap. 2. & 3. Primùm enim si calorem cordis cerebrum temperare natura voluisset, non tam procul illud à corde collocasset: sed aut cordi circundedisset, quemadmodum pulmones, aut in thorace saltem posuisset. Neque duo illa tam densa crassaque ossa velut repagula inter vtrumque membrum interiecisset; quorum alterum est cranium, alterum thorax; illud cerebrum vndique continens, hic cor. Non etiam inter illa tenuisset collum; idque in calidissimis animalibus, quæ maiori egebant refrigeratione: & in quibusdam, tum quadrupedibus, tum volatilibus, omnino

prælongum

prælongum; vt non minùs, quàm pedes, distet à corde cerebrum: quare à calcaneis citius, quam à cerebro, refrigerari posset. Nam aut non magis distant aut crassissimis illis duobus ossibus non separantur; sed diaphragmate, musculo membranoso & carnoso, non osseo corpore: neque minùs illa frigida sunt, quàm cerebrum. Deinde cor satis inspirato & exspirato aëre pulmonúmque velut flabelli motu perenni refrigeratur. Quid igitur cerebro, quod aëre semper calidius est, refrigerante indigeat? Tum verò cùm calor sursùm semper feratur, à corde potius credendum est cerebrum calefieri, córque calefaciendi cerebri gratia factum fuisse, quam contrà: aut cerebrum à corde vsque adeò calefieri, vt tantum illi frigoris non supersit, vt cor refrigerare queat. Præterea monstrum quoddam in nobis esset cerebrum; si cor quidem calidissimum & à se longè distitum refrigeraret; alias autem minùs calidas sibíque propinquiores corporis partes multò magis eadem qualitate non afficeret. Denique si propter cordis refrigerationem factum fuisset illud membrum; nimirum velut spongia & rudis atque informis massa factum fuisset: hoc enim ad refrigerandum satis erat. At cùm plures contineat sinus & corpus φαμικοειδὲς, & κοιλόεκον, & epiphisim vermiformem & alia permulta admirabili arte formata; manifestum est alium omnino finem in eo fabricando propositum naturæ fuisse.

Hæc plurimis verbis aduersus Aristotelem Galenus disputat. In qua tota disputatione id, quod maximè hoc loco quærimus, libenter admittit; tum cerebrũ à corde calefieri; tum reliqua membra verè inter se ac positiuè agere. Tametsi dum cor negat à cerebro refrigerari, mutuam vbique & retrò comeantem non credat actionem & passionem fieri.

Ego verò non negabo me huiusce viri argumentationibus, si non omnino, magna saltem ex parte perculsum ac superatum. Fatebor ingenuè, immò etiam cõtendam, non à cerebro, sed à pulmonum agitatione aëríque inspiratione cordis refrigerationẽ pendere. Nam eam ob causam factos & admotos cordi fuisse pulmones; perennémque esse nec intermitti vnquam in animalibus calidioribus respirationem, Aristoteles quoque pluribus in locis tradidit. Itaque longè alius est sanè vsus cerebri.

Nullum membrum pro se refrigerare,

Addam nullum prorsùs esse in toto animalis viuentis corpore membrum, quod per se aliud refrigeret, sitque per se ad refrigerandum duntaxat institutum. Quoniam cùm animam habeant singula; & ideò calorem illũ, qui est animæ comes; habẽt item in primo statim ortu ante vllam actionem alterius membri temperationem eam, in qua calor abundet. Etenim in calore vita consistit, eoque ipso operationes omnes perficiuntur: & coctio præsertim, quæ partibus cunctis maximè cõmunis est, permagnum calorem postulat. Sensuque ipso manifestum est membra omnia esse calida, vel ipsum cerebrum. Nam si tangantur, sentitur calor in omnibus: & si abscindantur, euaporant & refrigerantur. Neque cerebrum absolutè frigidissimum appellatur (est enim, vt verè Galenus ait, familiari hoc aëre calidius) sed aliorum membrorum ac præsertim viscerum comparatione, quę maiorẽ calorẽ habent. Hunc tamen calorẽ singulis insitum augeri plurimum, foueri, ac perfici actione & influxu vnius mẽbri in aliud; tum ostendunt ea, quæ de eo post disputabuntur; tum illud interim confirmat, quòd membra vniuersa sentimus calore & spiritu accedentibus caliefieri, abeuntibusque refrigerari. Quare cum membrorum omnium calidissimum sit cor, quodque & sanguinis & spiritus diffundendi fons sit: illud ipsum in cætera omnia calefaciendo agit. Non eadem verò, sed inæquali mensura; vt maior aut minor distantia fuerit; neque & arteriæ ampliores aut tenuiores, quæ maiorem minoremue sanguinis & spiritus copiam adducant: ac demum alia atque alia membris innata temperatio; quorum quædam frigidiora sunt, alia minùs frigida, atque alia qualitatibus alijs affecta.

Cor membra reliqua calefacere.

Ex accidenti aliqua refrigeratione.

Quædam tamen sunt, quæ ex accidenti aut propter quidpiam adiunctum refrigerent. Siue quòd nimio humore aqueo spiritus & vapores ex mẽbris & sanguine resolutos refrigerent: quomodo refrigerat cerebrum, tum spiritũ à corde, tum vapores ex subiectis omnibus partibus ascendentes. Siue quòd ab eo frigidum quidpiam defluat; vt à cerebro sæpè in subdita membra pituitosus humor, quo non parùm frigescunt. Siue demum per corporis frigidi contactum: sic enim pulmones frigidum aërem susciptentes calorem cordis mitigant.

Ergò in hoc quidem postremo refrigerandi modo illud ipsum membrum, quod agit, patitur quóque: & pulmones aëre refrigerati, dum cor refrigerant, ab eo vicissim calefiunt. At in duobus prioribus modis non ita est. Quoniam ea, quæ agunt, non immediatè, sed per aliquid aliud agũt: cor in cerebrum per spiritum & sanguinem, cerebrum in inferiora membra per defluentem humorem pituitosum. Itaque reactio eius, quod patitur, fiat in agens immediatum; non cor, sed spiritus & sanguis refrigerantur à cerebro; nec cerebrum, sed ab eo defluens humor vicissim à cæteris membris incalescit. Hoc intellectu credi potest ab Aristotele dictum fuisse, cor à cerebro refrigerari; propterea que factum fuisse, vt calorem cordis temperaret, non inquam calorem, qui in ipso corde continetur; sed eum, qui ab eo cum spiritu deriuatur. Cum enim cor intelligeret principium esse & fontem virtutum omnium, quibus animalium vita administratur: spiritumque, qui inde egreditur ad sensum & motum efficiendũ, nimis calidum esse, minusque ad eas operationes aptum: siquidem calor agitationem facit, vt in pulsu manifestum est; cognitio autem omnis quietem & stabilitatem postulat; & in ipso quoque corporis organo, quo vtitur, temperationẽ; Quod in 2. lib. de partibus animalium cap. 1. & 10. idem ipse philosophus confirmauit. Nam in altero loco; Roboris, inquit, efficacior sanguis, qui calidior & crassior est; vim autem sentiendi intelligendique obtinet pleniorem, qui tenuior atque frigidior est. Et in altero; sanguinis calidioris agitatio officium sentiendi intercipit atque refringit. Propterea tum organa sensuum in capite propè cerebrum posita esse credidit: tum yerò cerebrũ quod in eo actionis genere vicariam potestatem habet, factum fuisse dixit ad calorem cordis mitigandum: nimis calidos scilicet à corde spiritus ascendentes temperando, vt ad sentiẽdum & mouendum essent idonei. Idcircò sola sanguinea animalia, quæ calidiora sunt, cerebrum

Cerebrum calidum.

Vt cor refrigeratur.

habent: & homini inter omnia, vt calidissimus est A
& ad cognoscendũ atq; intelligendũ natus, maximum & frigidissimum datum est, quo tum copiosiorem spiritum cõtineret, tum eum optimè temperaret.

Vidit etiam oculatissimus philosopus, siquid innato frigore agere per se valeant membra; illud esse solum resistere actioni & alterius calidioris membri calori, vt temperatior fiat. Cerebrumq; frigidum sapienter pronuntiauit factum fuisse & ibi positum, vt eum calor sursum semper moueatur, maximè posset nimio cordis calori, quo in reliqua membra grassabatur, se se opponere, caloremque illum mitigando moderatam magis & B
mitem actionem reddere, totius corporis incolumitati magis opportunam.

Actio membrorum qualis.

Quæ si ita sunt, inania primùm sunt argumenta Galeni, quibus Aristotelis sententiam infirmare conatus est: totaque illa confutatio calumniosa est. Deinde duo prorsus intelliguntur. Alterum; actionem omnem membrorum inter se vicissim per qualitates principes alterantes, esse per se calefactionem duntaxat. Abundant enim calore omnia, quoad integram & actuatam temperationem: nec vicissim agunt, nisi quatenus vnum est altero calidius; etsi quandam in actione illa resistentiam habeant. Alterum; actionem hanc C
membrorum in tota vita perennem esse & continuatam; sed cum optima semper membrorum

Sanitatis latitudo.

dispositione vniuersique corporis sanitate. Magna namque omnino est sanitatis latitudo, vt in corpore toto, sic in membris singulis: neque in impartibili, sed in magna quadam extensione eorum inter se proportio consistit: in qua possunt membra alijs atque alijs qualitatibus affecta sese vicissim alterare; non solùm absque ægrotatione vlla, immò cum optima semper habitudine. Constat corpora nostra nõ in eodem semper statu versari, sed intra certos & constitutos limites diuersis modis, sine lapsu tamẽ in ægrotationem, D
mutari. Licet etiam ex morbo ea conijcere, quæ in sanitate eueniunt. Fit autem perspè, vt ob vnius membri lapsum in qualitatem quampiam inficiantur paulatim cætera. Quidni ergò eadem hæc membrorum actio in latitudine sanitatis fieri possit? Certè conseruari nequeunt membra, nec eorum vita constare, nisi iuuentur aliunde cordisque calore foueantur.

Duplex membrorum actio.

Quocirca duplex omninò inter membra distinguenda est actio. Quarum altera sine temperationis mutatione, sed continuo duntaxat caloris fomento consistit. Altera temperationis mutationem adducit. Prior ortum habet à corde & ad reliqua omnia pertinet membra, nec vnquàm in tota E
vita intermittitur: immò si vel minimùm intermitteretur, periret vita, calore debilitato atq; extincto. Posterior inter quælibet membra esse potest, sæpéque etiam ab externis proficiscitur causis. Ita Gentilis argumentationibus satisfactum opinor.

HVMANAM TEMPERATIONEM esse omnium perfectißimam.

CAPVT VII.

HOminem porrò, de quo potissimùm dicendum mihi proposui, perfectissima omnium temperatione præditum esse, consentiunt tum Galenus in 1. de temperamentis lib. cap. 6. & 9. & Auicenna in 1. fen. 1. Can. doct. 3. tum cæteri omnes. Et rationem quasi exponens idem ipse Galenus in cap. 11. lib. 13. de vsu partium; Quemadmodum, inquit, si mia, quòd animam habeat ridiculam, corpus ob id habuit ridiculum; ita homo, quòd animam haberet rationalem, ob id etiam corpus solum inter ea, quæ sunt super terram, habuit diuinum atque optimè ad animæ facultatem cõparatum. Et Alexander in 1. lib. de anima cap. de olfactu, tum hoc ipso vsus est argumento; tum altero illo, quòd homo propterea exquisitissimum inter animalia omnia tactum habet; quòd temperatissimum habeat corpus. Quibus si addatur id, quod de vinculo & similitudine animę & corporis philosophus prodidit in cap. 7. suæ physiognomiæ, planius intellegetur, summo prorsus Deum consilio præstantissimæ omniũ animæ perfectissimóque operaturæ modo corpus optimè omnium dispositũ tribuisse. Nam etsi homo in quibusdam actionibus ab alijs nonnullis fortasse animalibus superetur: si tamen omnes simul cõsiderentur, quis eum non videat tum multitudine, tum præstantia omnibus anteire? Vel vnam sumas intellectionem (quæ etsi corporea operatio non est, corporeorum tamen sensuum ac phantasiæ præsertim opera vtitur) eam omnium præstabilissimam in solo omnium animalium homine esse videbis. Si tẽperatio igitur ad operationem referatur, optimam omnium & perfectissimam esse humanam oportuit. At non ad operandum modò referenda est: sed multò magis ad formam, quæ operandi principium est & finis: vt per eam scilicet forma & conseruari possit & suæ naturæ conuenienter in corpore operari. Atque ex hoc ipso capite diuinissima hominis forma perfectissimè tẽperatum corpus à supremo opifice Deo administráque natura obtinuit.

Cur hominis corpus perfectissime temperatum.

Itaque si de vniuerso genere disputetur, tota tẽperationis perfectio ex perfectione formę pẽsanda est; eáq; iudicanda in singulis animaliũ speciebus perfectio esse, quæ perfectioris est formæ & cum qua esse & operari perfectior natura potest. Quòd si de speciebus singulis dicendum sit; statuendum erit, illam esse in ea specie perfectiorẽ, quæ illius speciei formæ magis conueniat, propiúsque ad perfectissimam, quæ in ea specie esse potest, accedat. Quod à posteriori & ex operationibus colligere oportebit: eámque perfectissimam affirmare, cum qua operationes omnes illius formæ quàm optimè perficiuntur. Et quoniam vt in genere vniuerso, sic in speciebus singulis latitudo quædam est; illius medium, si de temperatione innata sermo sit, perfectissimum ferè existimabitur, tanquàm ab extremis æquè ac maximè remotum.

Certè

Certè in animalium genere medium est homo; eiusque temperatio & in tota animalium temperatione est media & omnium perfectissima. Eandémque ob causam in vnaquaque specie optimè se habebit illud animal, quod medium temperationis totius speciei fuerit consecutum : quod *Optima temperatio q.æ.* εὔκρατον, hoc est temperatum, seu εὔσαρκον, id est, benè carnosum appellarunt Græci: quod neque crassum sit neque gracile, neque calidum neque frigidum; neque humidum neque siccum, neque alio modo excedens : sed inter hæc omnia prorsus temperatum, aut absolutè, aut per comparationem ad aliud, quod ad alterum extremorum magis declinet. Denique in vno & eodem corpore vt sunt diuersæ diuersarum partium tempe- B rationes, ita in illis omnibus latitudo quædam intelligenda est : eáque pars, quæ medium tenuerit *Humana cutis.* omnium, erit temperatissima. Humanam cutim, & eam præsertim, quæ in interiori est manus parte, solet Galenus omnium partiũ temperatissimã & ideò optimum tangendi organum appellare. *Temperationũ regula quæ.* Quare hominis quidem temperationem temperationum cæterorum animalium, cutim autem temperationum reliquarum partium dixeris esse veluti regulam & mensuram: vt apud veteres statuarios fuit illa Polycleti statua, *Polycleti statua.* omnium proportione constans; quam propterea canonem appellarunt. Inde etiam humanæ car- C nis mollitudo; quæ sine dubio propter optimam temperationem omnium delicatissima & maximo sensu prædita est. Vt dum singula quoque speciei huius indiuidua considerantur, verissimũ esse deprehendatur Aristotelicum illud in tex. 94. lib 2. de anima, homines eos ingenio magis valere atque ad omnes animæ functiones promptiores esse, qui carne molliore sunt.

HOMINEM ESSE ANIMAL omnium calidissimum.

CAPVT VIII.

HÆc quidem de innata temperatione, quæ ex elementorum permistione nascitur, dicta sunt. Quod enim ad influentem & actuatam attinet, quæ cõsequitur anima, cùm in omni actione sua magnopere anima calore vtatur; actionum multitudo & perfectio, quę visuntur in homine, satis ostendunt, calidissimam omnium illius temperationẽ esse. Non elementari illo calore, qui ad corporis constitutionem pertinet; quemque temperatum magis esse, quàm in leone ac pluribus alijs animalibus, certum est: sed vitali & animæ proprio, tãquàm singulari & optimo illius instrumento. Quod ita accipiendum est, vt humanæ magnitudinis & proportionis ad animalia cætera, ratio semper habeatur; nec vna aliqua, sed omnes simul operationes accipiantur.

Hinc est, quod Philosophus cum in probl. 7. sect. 4. quæreret, cur homo plurimum seminis emittat; eam respondit esse causam, quia is animalium omnium maximè humidus & calidus sit: quorum alterum copiosam materiam suppeditat alterum illius conficiendę & emittendæ virtutem plurimam. Et in probl. 55. sect. 10. propterea animalia cætera affirmauit sæpiùs sumere alimentum A siccum, quàm humidum; hominem autem contrà sæpiùs humidum, quàm siccum: quod homo natura calidissima cùm sit, maiori eget refrigeratione. Et rursum in cap. 7. lib. 1. de partibus ani- *Cur homo erec-tæ staturæ.* malium & cap. 6. lib. 3. prona cùm spectant animalia cætera terram, solum hominem propterea erecta constare figura, & erectos, vt inquit ille, ad sydera tollere vultus; quia maximum habet calorem, cuius proprium est ad superiora semper mouere. Tametsi in cap. 10. lib. 4. aliam quandam illius rei rationem significauit; quod hominis natura diuina prorsus sit, intelligens & sapiens; nec intelligere & contemplari facilè posset, si vasta corporis mole opprimeretur atque ad terram deijceretur. Nimium enim illud pondus tardiorem redderet mentẽ & communem sensum: & inter viros promiliones, minùs sunt ad intelligendum apti: quod superiorem corporis partem corpulentam nimis habent, nimiaque mole grauatam. Iisdem porro in locis eundem hominis calorem duobus modis confirmare videtur. Tum ex plurimo sanguine, qui humano contentus corpore indicium caloris est, cùm ipse quoque calidus sit. Tum ex cerebri magnitudine. Nam hominem inter omnia, sui corporis proportione, maximum habere cerebrum, ac præsertim mares; eo argumento ostendit, quod cum cerebrum animali fuerit datum ad calorem cordis temperandum; homo, qui calidissimum habet cor, maximè indiget cerebro; maioreque mas, quam fœmina, quod ille calidior sit, Denique in lib. de respiratione cap. 13. cur animalia quædam pulmones habeant, hanc tradidit esse causam; quod ea, quæ præstantiora sunt, vt nobiliorem habent animam, ita vehementiorem calorem assecuta sunt, & ideò necessaria illis refrigeratio fuit. Quid igitur homo, qui nobilissimum animal est, an non maximum omnium calorem habebit? Ita sanè Galenus quoque ratiocinatus est in 14. lib. de vsu partium cap. 6. vt ho- D minem ostenderet animalium omnium perfectissimum esse, & inter homines marem fœmina perfectiorem, quòd copiosiorẽ calorem habeat. Idem etiam tum sobolis procreatio testatur; ad quam mas propter maiorem calorem agendo concurrit, fœmina patiendo: tum vitæ diuturnitas; cum homo & diu viuat, & à perpaucis animalibus superetur.

Quę cùm ita sint, actuata profectò hominis tem- *An hominis temperatio maximè ad pondus accedat.* peratio, si cutim excipias, quæ minima quædam particula est, non omnium maximè ad ponderis ęqualitatem accedit: temperationem inquam accipiendo pro refractarum qualitatum permistione. Quippe calorem semper dominari necesse est. Si tamen pro quadam qualitatum omniũ coaltarnatione sumatur, quarum aliquę sese vicissim excedunt, proximè videbitur ad eam æqualitatem accedere. Quoniam quantum vnum membrum calore alterum superat, tantum ab illo superatur frigore; vt cuiuis potest in corde esse perspicuum. Id verò maximè in homine: cuius constitutio, vt maximè temperata sit, maximam necesse est proportionem habeat. Quare hæc, quæ in homine dicitur esse æqualitas, nequaquàm est graduum qualitatum, sed virtutis agendi & proportionis membrorum actionibus opportunæ. Vt quemadmodum cor calidissimum est, sic cerebrum adsit & pulmones frigida

Humanam temperationē animalium genere mediam non esse.

membra, quęcam cum corde proportionē teneāt, vttēperare quoquo modo ac mitigare illius actionem possint; quamuis caloris & frigoris totidem gradus non sint, In cæteris fortasse animalibus, in quibus tàm vehemēs calor non ineſt, faciliùs reperias æquales vtriusque qualitatis gradus. Hinc verò consequens est, humanam hanc temperationem in totius generis animalium latitudine atque inter illius extrema minimè esse mediam: siquidem calidissimi animalis temperatio ad summam potiùs intentionem, hoc est ad alterum extremorum accedit. Hócque nomine perfectissima iudicatur; quoniam eius perfectio in excessu quodam versatur, quo ad operandum anima optimè comparata est. Cùm enim vniuersæ eius operationes calorem postulent; vbi mediocris fuerit calor, infirma prorsus erit & imperfecta operatio. A B

Temperationū species.

Ergò duo ponātur extrema: alterum, quod maximè declinet ad frigus & siccitatem; alterum quod ad calorem & humorem: illud ad qualitates mortis; hoc ad eas, quæ vitæ sunt & salutis; illud melancholicum nominatur, hoc sanguineum. Ac rursum alia duo; Phlegmaticum, frigidum & humidum; & cholericum, calidum & siccum. Inter hæc autem media temperatio fieri potest, in qua nullum horum extremum abundet, siue quoad gradus, siue quoad operationes. Quòd si extremum frigidum declinauerit, faciliùs ruet ad interitum, quàm si ad calidum declinaret. Ad extremum enim deterius mortique cognatum declinabit: & maiorē tum operationis, tum vitæ latitudinē amittet. Quare faciliùs ad sanitatē & mediam temperiem reducitur id, quod ad nimis calidum; quàm id, quod ad nimis frigidum declinauerit. Quoniam minor in illo, quàm in hoc, operationis & vitæ læsio facta est. C

QVIBVS INDITIIS TEMperatio quaque cognoscatur.

CAPVT IX.

Temperamēta, elemēta, humores, & anni tempora similia

QVatuor igitur præcipua numerantur temperationum genera, cholericum, sanguineum, phlegmaticum, melancholicum. Quæ tum quatuor elementis respondent, tum humoribus quatuor, ex quibus constare creduntur corpora nostra, tum verò etiam quatuor anni temporibus; tametsi non magnopere consentiente Galeno, qui in primo de temperam. lib. cap. 4. neque ver humidum & calidum, neque autumnum siccum & frigidum esse contendit. Qua in re plurimum reprehensus est ab Auerroe argumentisque pluribus confutatus comm. 24. in prim. Cant. Inter hæc autē plurimæ immò innumerabiles prorsus fieri temperationes possunt magis aut minùs temperatę vt magis aut minus ab extremis recesserint. D E

Temperationū indicia.

Cæterùm quænam sit cuiúsque hominis temperatio, ex his potissimùm signis coniectabimur: ex tactu, carne, adipe, pilo, colore externo corporis, mēbrorum figura, eorúmque facili aut difficili passione, appetentia cibi, operationibus omnibus, affectibus animæ, somniis, ac denique excrementis. Ita tamen, vt non ex vno horum aliquo duntaxat iudicium fiat, sed aut ex omnibus aut certè ex pluribus.

tactus.

Primùm igitur consulendus est tactus, tanquàm æquissimus & optimus principum illarum tactilium qualitatum iudex, quibus temperatio quæque constat. Etenim in aëre temperato, & reliquis omnibus oportunis conditionibus, temperati hominis tactus excessum facilè iudicabit. Nam si nihil patiatur; neque à corpore, quod tangit calefiat, aut refrigeretur, neque humectetur aut siccetur; illud quoque temperatum esse manifestum fuerit. Sin autem patiatur; ea nimirum qualitas abundabit, qua potest in aliud agere. Hinc est, quod humana cutis, vt est omnium partium maximè temperata sentitque vel minimum qualitatum excessum, ita ad dignoscendas corporum temperationes aptissima est. Qui verò tàm exquisita temperatione non constet, si excessum aut defectum qualitatis à mediocritate recedentis nouerit; facilènihilominùs poterit habita illius ratione, atque excessu aut defectu computato, de aliis iudicare. Immò in qualitatibus passiuis, humore & siccitate, adhibenda ferè est ratiocinatio quoq; vt verè admonuit Galenus in altero eiusdem operis lib. cap. 3. Alioqui fiet interdum, vt tactu humidū & molle corpus illud iudicetur; quod siccū fuerit & durum: contrà verò siccum & durū illud videatur, quod humidū sit & molle. Humor nāq, potest à frigore congelari, & duritas actione calorisliquescere; illúdque videbitur durū, hoc molle. Corpus tamen, quod naturalem & conuenientem sibi dispositionem habeat; solo tactu tum in actiuis, tum in passiuis qualitatibus sine errore iudicabitur. Atque illud, quod sentitur molle, si non summum, sed moderatum calorem habeat, verè humidum; quodque videtur humidum, si non maximè, vt glacies, sed temperatè refrigeret, absque errore siccum esse statuetur. Hæc autem examinare atque pensare rationis est opus.

Cum tactu adhibenda interdum ratiocinatio.

Caro.

Deinde considerandа est caro. Nam multa & rubra caro humidam & calidam temperationem prodet, cum soliditate membrorum & virium firmitate. Cùm enim caro, humida sit corporis pars; si fuerit multa, multum humorem; si autem rubra, copiosum sanguinem & spiritum & ideò calorem continebit. At vbi cum multa carne multum quoque caloris ineſt, calore scilicet perfectè coquente; membrorum omnium firmitas magnáque virtus cōsequitur. Quòd si non ex inedia, vigilia, aliáue simili causa; sed naturali habitu corpus sit gracile, parúmque omnino carnis habeat, sed rubore aspersum: rubor quidem caloris, sed gracilitas siccitatis indicia sunt. Propterea siquidem gracile sit, quòd parum alimentarij humoris opponat carni, non aliam ob causam, nisi quia humidum ægrè & vix copulatur cum sicco, vt in lateribus siccis & calce videre est; quæ copulari nequeunt, nisi antea madescant lateres. Iam si carnem minimè rubram videas; ex multa humorem, ex pauca siccitatem perinde colliges; vtramque cum valdè moderato calore & potiùs cum frigore coniunctam: Qua in re magna prorsus, vt in cæteris, latitudo est varietásque plurima. Denique caro mollis humida iudicatur, dura sicca.

Carni proximus est adeps. Is si multus fuerit, humorem & frigus; si nullus, siccitatem & calorem, si mediocris, temperatas qualitates indicat.

Tenuio-

Tenuiores nàmque & vnctosæ sanguinis partes, dum agente calore ex venis exudant, si in calidas incidant partes, caloris alimentum sunt ab eoque resoluuntur; si frigidis occurrant, adhæresc unt, coagulantur, & fit adeps. Hanc ob causam fœminæ maribus pinguiores sunt & adiposiores; quia & corporis temperatione frigidiores, & plurimùm domi sedentes materiam illam exercitatione corporis non resoluunt. Contrà verò circa iecur nullus concrescit adeps, vt circa intestina plurimus; propter magnum illius membri calorem. Pinguibus quóque & obæsis hominibus paruæ admodum insunt venæ, sanguisque exiguus: quorum vtrumque frigoris argumentum est. Vt si corpus, quod amplas venas habeat, pingue sit; existimandum sit non esse sua natura, sed ex consuetudine victúsque ratione. Sicut enim curis, labore, ac tenui victu extenuatur id, quod angustas habet venas, pinguéque esse debuisset; ita iucundè, otiosè, ac delicatè viuendo pinguescere illud potest, quod natura gracile est. Melancholici autem iniuria quidem siccitatis aut etiam atri humoris, quo continentur afflictantur, haud magnopere pinguescunt: córque cùm inter corporis partes calidissimum sit, quoquomodo adiposum est. Verùm in illis quidem, dum siccitas multam arcet pinguedinem, aliquam carni permistam reponit frigus. Cordis autem adeps nequaquàm ex illius temperatione nascitur (est enim calidissima, quæ materiam totam resoluere ac deuorare deberet:) sed ex cura singulari & prouidentia naturæ circa præcipui membri conseruationem satagentis; vt adipe circumiecto refrigeretur, nimiáque siccatio impediatur, quæ ex perenni motu oriri posset. Sed & calor in interioribus præsertim sinibus partéque inferiori viget, vbi nullus vnquam adeps.

Quo loco explicare licet eam, quæ est inter medicos, difficultatem: vtra nam temperatio, melancholica ne an cholerica, corpus faciat magis macilentum. Etenim corpus melancholicum per se & ex parte materiæ videtur debere omnium macilentissimum: quoniam cùm frigidum sit & siccum, minimum habet sanguinis; & ideò vnctositatis illius, quæ adipi materiam suppeditat. Omninò tamen & absolutè à cholerico superatur: quia vt est calidum & siccum, sic vtroque adipis principio caret; principio inquam passiuo & materia, quæ est humor, atque actiuo & efficiente, quod est frigus, quod saltem in melancholico reperitur, etsi quid ex sanguine vnctositatis accedat, potest illud in adipem mutare. Adsunt etiam pituita permulta & humores incocti, quibus humescunt membra, fiuntque ad pinguescendum apta. Et hæc quidem erit tertia temperationis coniectura.

Quarta verò petenda erit ex pilis. Nam si pilus aut omninò non oriatur, aut tarde, aut non tàm copiosus, vt par esset, frigoris & humoris argumentum est. Frigoris, quoniam tenuis calor materiam non valet resoluere, nec eam expellere, nec aperire poros & vias quibus ea materia extrudatur. Humoris, quia abundet aqueus humor minimè aptus, qui resoluatur in pilum. Contrà si citò aduenias, siccitatem arguit & calorem. Nascitur enim siccitate materiam vel in prima ætate, quæ humidissima esse solet, suppeditante, & calore illam resoluente.

Sed multò certior erit coniectura, si pilus sit crassus & frequens, vt hirsutum faciat corpus. Nam vtrumque ex multa materia fumosa, crassa, & adusta, à vehementi calore resoluta nascitur. Idcircò pilosos homines, cùm calore & siccitate abundent, libidinosos & in venerem procliues esse affirmauit Philosophus in capite 5. libri 4. de animalium ortu, & Problem. 32. section. 4. & Problem. 26. section. 10. propterea quòd multum habeant excrementi resoluti & separati: Magnúmque calorem, quo ad expellendum prouocantur. Eos verò, qui pilum habeant perpaucum seu rarum & tenuem, frigidos esse animaduertimus, siue humidi sint, siue sicci. Nam siue materiam pili contineant, siue non contineant, perinde est, nisi calorem habeant, quo & eam resoluere & emittere possint. Qui verò inter hos medij sunt, medio quoque modo sese habent.

Iam pilus crispus, præsertim niger, calorem & siccitatem significat. Etsi namque aut halitus imbecillitate, qui rectam sibi viam parare nequit, aut ex cutis duritie, quæ halitum rectè moueri prohibet, aut ex pororum & meatuum obliquitate, quæ pilum quóque ad obliquitatem trahit, crispus interdum pilus fiat: plerumque tamen ex calore & siccitate efficitur. Nam quæ alia sit causa, cur æthyopibus omnibus crispus nascatur pilus? Eiusmodi enim quidpiam pilo accidit, quale corio aut neruo, dum ad ignem contracta contorquentur.

Nigredo eandem indicat temperationem. Quippe ex eo nascitur, quòd deustus vehementi calore halitus, in fuliginem quasi mutatur. Albedo contra frigidum & phlegmaticum habitum ostendit: siquidem pilus albus ex pituita oritur, & in senibus ex caloris inopia. Denique pilus flauus ac rufus temperatarum magis qualitatum indicia erunt: quoniam flauus fit ex habitu non magnopere adusto: rufus ex media quadam materia inter pituitosam & biliosam. Ad hãc tamen magis, quàm ad illam, accedit: & ideò flauus sanguineam, rufus cholericam potiùs constitutionem dabunt.

Verùm ex totius corporis exteriori colore quinta tibi coniectura erit non leuis, nec omnino incerta. Nam color albus frigidæ & phlegmaticæ temperationis indicium est, subniger & subrufus cholericæ: etsi subniger splendore quopiam temperatus adustam habet melancholicam. Rubeus demum sanguineæ, & citrinus seu obscurus & fuscus sine nitore melancholicæ. Sed tùm Auicenna, tùm Auerroes in primo Cant. particula 42. sapienter monuerunt habendam rationem non esse coloris eius, quem induxit regio, quam incolimus, sed illius, quem natura ipsa in corporibus nostris produxit.

Sexta coniectura erit ex membrorum figura. Quippe amplitudo & rectitudo pectoris & thoracis, manuum, pedum, & extremitatum omniũ, magnitudo musculorum, venarum, pulsus, ac cæ-

Fœminæ maribus pinguiores.

Venæ obæsis hominibus exiguæ.

Cordis adeps mde.

Quæ temperatio magis macilenta.

Pilus.

Pilosi libidinosi.

Pilus crispus vnde.

Pilorum color.

Corporis color.

Membrorum figura.

Membrorum figura.

terorum similium, optimáque iuncturarum compactio, calorem omninò ostendunt: quoniam ea est illius vis, vt rarefaciat, dilatet, extendat, & omnino augeat. Venarum autem illud proprium est, vt si amplæ sint, sanguinem multum & ideò calorem contineant. Horum contraria frigoris signa sunt. Tametsi in magno capite oculos paruos iracundi hominis signum esse Hyppocrates in 2. Epidæmiorum lib. sect. 6. dixerit. At asperitas cutisque membrorum & cartilaginum eminentia, præsertim in gutture & naso propter circumiectorum musculorum extenuationem, & omnino tenuis & aquilinus nasus, siccitatis; eorúmque oppositа humoris argumenta sunt. Voluit etiam Galenus in extremo lib. de optima corporis nostri constitutione magnitudinem significare humorem, paruitatémque siccitatem; hoc est multam aut paruam materiam, propter quam totum corpus & partes eius singulæ maiores aut minores euaserint.

Passio.

Septima quærenda erit ex facili aut difficili passione mutationéque ab externis qualitatibus. Nam singula faciliùs à simili, quàm à dissimili & contrario afficiuntur & patiuntur. Quare si corpus à qualitate quapiam citò & facilè mutetur, ea nimirum illius temperatio fuerit.

Appetentia cibi.

Huic similis est octaua, in qua ciborum appetentia considerabitur. Quoniam vnumquodque instigante natura appetit sibi simile: talisque iudicabitur esse corporis temperatio, qualis fuerit quæsitus cibus.

Operatio.

Nona in operationibus consistit. Etenim corpus, quod operationem animalis omnem perfectissimè obibit, optimè sanè temperatum iudicãdum erit. At vehemens & concitata operatio, caloris; nimiúmque festina & accelerata, nimij omnino caloris argumentum fuerit. Propterea baltos, celeri lingua præditos, atræ bilis humori obnoxios biliosósque esse scripsit Hyppocrates. Debilis autem, tarda, & segnis actio haud dubiè à frigore proficiscitur. Quanquam ex accidenti interdum fit, vt debilem calor operationem faciat, dum plus æquo consumit & resoluit: iuuet autem frigus, si calor ab eo ad interiora compulsus ad vehementiùs operandum totus colligatur. Sic enim & dormientes meliùs coquimus cibos, & hyeme alimento largiore vescimur. Quoniam, vt est in Aphorismo. 15. sect. 1. ventres eo tempore calidissimi sunt.

Affectus animi.

Decimam affectus animæ subministrabunt. Namque iracundia & omnis ardor animi ad persequendum bonum & fugiendum malum, solertia, perspicacitas ingenij, audacia, inuerecundia, morum omnium virilitas, certa caloris signa esse possunt: frigorisque ea, quæ his opponantur. Perseuerantia verò in ira, furore aut mansuetudine; laboris tolerantia & patientia, siccitatem arguant. Contrà ab omni affectu facilè permoueri, omnisque inconstantia, leuitas morum, & effœminatus penè animus, humorem. Quorum vtrũque tum in maribus & fœminis, tum in viris & pueris obseruare licet. Nam mares & viri propter siccitatem constantes magis sunt nec facilè mouentur: fœminæ ac pueri propter humorem vel leuissima ex causa.

Somnus.

Vndecima est somniorum. Cùm enim ea sæpissimè somniemus, ad quæ corporis temperatio & humorum vis nos magis inclinat; qualia ferè fuerint somnia iucunda, aut tristia, aut truculenta, aut cuiusuis alterius generis; talem colligemus esse nostri corporis habitum & naturam.

Excrementa.

Postrema excrementis continetur & superfluitatibus corporis; fœcibus, vrina, sputo, muco, & similibus. Ex quibus vt in illis choleræ, pituitæ, alteriusuè humoris excessus quispiam cernitur, familiare medicis est nostrorum corporum temperationem coniectare. Sed vniuersè hoc loco satis fuerit dixisse; ex ijs, si non medicamentorum vi educantur, sed sponte natum secernente eijciantur: sintque acuta, pungentia, adusta, benecocta, plurimùm tincta, ac demum vehementer olentia, calidam temperationem iudicari posse; frigidam, si secus.

DE IIS QVAE CVM temperatione cohærent.

CAPVT. X.

Temperationis principia.

VErùm de temperatione, tum vniuersa, tum humana, satis dictum sit: neque enim accurata magis consideratio ad hunc locum pertinet. Sed illa potiùs, quæ eorũ est cum tẽperatione cohærent; siue tanquã partes & principia illius, siue tanquã affectiones & accidentia eam consequentia. Principia ferè sunt, vitalis calor, qui totius huius viuentium temperationis præcipuus auctor est & moderator: spiritus, velut subiectum & vehiculum, quo is calor per vniuersum corpus distribuitur: innatus denique humor & primigenius, velut caloris pabulum & fomentum singulare.

Temperationem quæ consequuntur.

Quæ verò ex temperatione consequuntur, sunt hęc, sexus maris & fœminæ, qui ex diuersa corporis temperatione nascuntur: ætates, quæ tum ex temperationis mutatione certis durationibus ac periodis contenta, in tota animalium vita distinguuntur: sanitas & ægritudo, quæ nil aliud esse existimantur, quàm temperatus & intemperatus corporis habitus, qui perfectarum aut imperfectarum operationum principium est: vita, quæ in debita & conuenienti temperatione conseruatur: ac demum vitæ oppositа mors, quæ temperationis illius dissolutionem consequitur. quibus omnibus expositis perfecta prorsus habebitur animati corporis temperationis cognitio.

De

DE MVLTIPLICI VIVENtium calore.

CAPVT XI.

A Calore igitur exordiar. Triplicem omnes calorem nominant; cœlestem, elementarem, vitalem. In viuentibus duplex inest, elementaris, & vitalis. Ille singularum corporis partium ex innata earum temperatione elementorumq; permistione proprius est: hic animam comitatur; duplexque omnino existit. Alter cuiusque membri proprius, atque illi à primo eius ortu insitus. Quia cùm quælibet corporis pars animata sit, aliquis nimirum in ea calor consequitur animam: atque hic ille est, qui residere dicitur & sustentari in humido primigenio. Quem calorem Galenus interpretationem faciens 14. Aphorismi libri 1. auctor est vsurpari posse atque à Theophrasto & alijs veteribus vsurpatum fuisse, tum pro sola qualitate, tum pro substantia calida. Immò in comment. 15. eiusdem libri, & comment. 5. in 6. Epidemiorum librum, particula 5. pro animantium natura ab Hyppocrate vsurpatum fuisse testatur. Quoniam enim naturalis hic calor non est nudus calor, sed quodammodo affectus, & in quadam cõstitutus temperatione; non accidentaria solum elementarium qualitatum, sed substantiali quoque aut elementorum aut humorum; quæ ad efficiendum substantiale temperamentum, quod sit aptum animæ subiectum, permiscentur: quatenus is in hoc ipso subiecto sustentatur, dici potest substantia esse quædam calida, & humida; etsi natura sua & per se consideratus non nisi accidens quodpiam significet, quod & actu sentitur, & animam velut proprietas quædam consequitur, tum ad eam in corpore conseruandam, tum veluti immediatum principium & instrumentum operandi.

Calor insitus.

Num insitus calor ad membrorum substãtiam pertineat.

Vnde medicorum illa controuersia; num hic calor ad substantiam pertineat membri, in quo reperitur, facilè tolletur. Nam si is consideretur quatenus accidens quoddam est, nequaquàm pertinet ad substantiam, siquidem accidens non potest vllius rei substantiam cõstituere: hoc verò accidens consequitur animam, quæ corpori iam perfecto & membris omni ex parte absolutis aduenit. Sed solùm est dispositio formam illam in corpore conseruans, atque in singulis membris operandi principium. Sin autem pro calida & humida substantia accipiatur, substantiam sanè membrorum ingreditur: nec modò vt membra sunt, sed etiam vt eorum vnumquodque mistum est tali mistione, quæ vitalis sit. Ingreditur inquam cuiusque membri substantiam quatenus membrum est: quoniam idcircò est membrum, quoniam animæ famulatur vitæque ac sensus officia exequitur. Quare tunc aliquam dicimus corporis partem cuipiam perijsse, quando ad actiones vitales ea vti nõ valet: præsertim si amisso illo membro eæ fuerint naturales. Quam ipsam fortasse ob causam assimari possit hic calor, vt est accidens, ad membri substantiam pertinere. quia cùm is operationũ omnium principium & singularis administrator sit, nec sine illo possit membrum actione vlla fungi, non est ampliùs membrum, nisi homonymum, si tollatur calor. Interit quoque membrum, prout est mistum, enecto calore: non quidem vt mistum est sola elementorum mistione, quoniam eadem illa post animæ & caloris abscessum remanet: sed vt vitalem illam permistionem habet natiui caloris & humidi primigenij, quo sustentatur vita.

Calor influens.

Iam præter hunc natiuum calorem singulis membris insitum, alius est in animalibus, influens & aduentitius propterea nominatus, quod à corde calidissimo omnium membro diffundatur ad cætera, mitiorique illorum calori innato addatur. Neque enim caloris tantundem in singulis membris consequitur animam: sed plus multò in vno, quàm in cæteris, plurimum verò in corde. quò fit, vt calidius membrum agat in minùs calidum, eique sui caloris aliquid impertiat. Atque hic calor, dum in corde consideratur, innatus est & insitus: dum in cæteris membris deriuatus à corde, aduentitius & influens appellatur. Et vt ad alias atque alias operationes refertur, alio atque alio modo temperatur, & naturalis nominatur, vitalis, animalis. Naturalis crassior est, & nutritioni famulatur, cum sanguine per venas diffusus. Vitalis tenuior, & per arterias cũ spiritu distribuitur. Animalis demum is dicitur, qui temperatus in cerebro ad motum & sensum efficiendum per neruos transmittitur.

Naturalis.

Vitalis.

Animalis.

Influentem calorem ab insito non differre natura.

Itaque vniuersus hic influẽs calor nequaquam est diuersæ naturæ à priori illo, qui in singulis mẽbris insitus esse dicebatur. Siquidem nil aliud est, quàm illius pars quædam à magis calido membro ad ea, quæ minorem calorem habent, deriuata. Quocirca si calor omnibus membris insitus eiusdem rationis totus est, cùm totus ex eodem principio, hoc est ex anima, oriatur: calorque influẽs eandem cum eo qui insitus est, naturam habet, affirmandum planè fuerit, viuentium calorem vniuersum eiusdem esse naturæ. Ac rursus si duplici temperatione distincta, vna innata, altera influente, tertia actuata velut ex vtraque constans nequaquam esse à duabus illis distincta ostenditur: non minùs verè calorem eum, qui ex insito & influente efficitur, actuatum appellabimus, neque à prioribus illis diuersum esse pronuntiabimus, sed quadam vtriusque copulatione constare, qua vnius auctio fiat additione alterius.

Calor actuatus quid.

NVM VITALIS CALOR ab elementari distinguatur.

CAPVT XII.

VErùm quod plurima eget contemplatione diligentique prorsus explicatione, illud est; An cùm horum duorum calorum alter ab altero minimè distinguatur natura, eorum vterque ab illo primo elementari & igneo differat, quem ex innata elementorum temperatione in viuentium corporibus ineſſe dictum eſt. An inquam vitalis calor ſit tanquam flamma, qua primigenius humor continenter cõſumatur; an verò diuinior alia qualitas qua viuentium tota natura & humor ipſe foueatur.

Prima opinio. Inter veteres, tum Philoſophos, tum Medicos, fuiſſe permultos, qui calorem illum, quo res cunctæ ſuſtinentur, eſſe natura flammeum arbitrarentur; auctor eſt Galenus in lib. de Marcore cap. 3. Quorum ſententiam poſt confirmarunt Magnus Albertus in 2. lib. de animalibus tractat. 1. cap. 4. & Marcus Anthon. Zimara in explicatione 6. contradictionis in 12. librum Metaph. cùm vitalem calorem affirmarunt eiuſdem eſſe naturæ, & ſpeciei cum calore igneo & elementari. Quod Ariſtoteles quoque & illius interpretes ſenſiſſe cuipiam videri poſſint in tex. 41. libri 1. de anima, & cap. 7. libri 2. de partibus animalium; Dum animam quidem dixit præcipuam eſſe ac principem nutritionis & accretionis cauſam; ſed ignem tamen conceſſit eſſe cauſam & velut inſtrumentum. Et in tex. 130. ignis dicitur ſenſibus omnibus ineſſe, quia nihil ſine calore ſentire poteſt. Effectus enim omnes admirabiles, quos in viuentibus cernimus, vt alimenti coctionem, attractionem, fœtus formationem, & alios his ſimiles, fieri ab hoc calore inquiunt; non vt calor ſimpliciter eſt, ſed vt eſt animæ inſtrumentum, atque ab hac ſuperiore cauſa regitur. Ex qua ipſa vnione fieri putant, vt non adurat neque conſumat humorem, ſed foueat potius & viuificet: nec ad partes ſolùm ſuperiores, ſed ad omnia membra trahat, cunctáſque viuentium operationes exequatur.

Confutatio. Quorum hominum oratio atque ſententia mihi nunquam probata eſt. Nec adduci poſſum, vt credam, illud ipſum, quod eſt certiſſimum vitæ inſtrumentum, perniciem nobis in omni vita machinari, eandémque cauſam eſſe vitalem atque mortiferam. Præclarè namque vrget Galenus, flammam ſeu calorem igneum ex corruptione materiæ, quam depaſcit, ortum habere: voracémque eſſe ac vim habere perdendi tantùm materiam, qua alitur; nullam verò reficiendi. Secus calorem natiuum; qui materiam ſuam conſeruat & fouet atque ab omni calamitate defendit: quin etiam magnopere auget & reficit naturæque patrimonium locuplecius facit Et in 8. libro de Hypocratis & Platonis decretis capite 7. Si ab igne, inquit, ciborum coctio, digeſtio, ſanguificatio, & nutritio fieret; melius & citius etiam in febrientibus omnia hæc conſpicerentur abſolui. Addit ex Hypocrate, in prima ætate plurimum abundare natiuum calorem: ventres hyeme ac vere calidiſſimos eſſe; contra æſtate & iuuentute igneum copioſiorem ſentiri. Platonémque reprehendit, quòd innatum calorem appellaſſet ignem.

Secunda opinio. Quocirca is auctor tum his locis, tum in expoſitione 14. Aphoriſmi 1. lib. & alibi ſæpè duplicem hunc in iuuenibus calorem diſtinguit: & natiuum ait aëreæ & aqueæ eſſe ſubſtantiæ, & propterea in ſpiritu & ſanguine ac pituita conſiſtere. Eandem quoque ſententiam Auerroes in commentar. 18. in 12. librum Metaph. & cap. 2. lib. de ſubſtantia artis, & Auicẽna in 16. lib. de Animalibus c. 1. & Cõciliator differentia 59. & 111. & Gẽtilis, Ioannes, Fernelius, Valeriola, & alij complures veriſſimam eſſe confirmant. Ad quam illud ſpectat, quod habet Hypocrates in memorato Aphoriſmo; eos, qui creſcunt, plus innati caloris habere, quàm habeant alio tempore. Et illud, tum apud ipſum, tum apud Galenum in commentar. 5. in 6. librum de vulgaribus morbis particula 5. Animã, quam illi vitalem ſpiritum & calorem eſſe voluerunt, ſi igneſcat, priora munera obire non poſſe; ſed totum corpus perdere & velut ignem liquefacere. Ac demum virtus illa, quam ad cœleſtium ſimilitudinem vergentem in ſpiritu eſſe tradidit Auicenna in libr. de medicamentis cordis, tractatu primo, capite ſecundo.

At quænam medicorum, quæ Philoſophorum vox non ſit Ariſtotelis dignitate & opinione inferior? Aperta eſt illius ſententia in cap. 3. libri 2. de animalium procreatione; calorem hunc vitalem neque ignem eſſe, neque ab igne originem ducere; ſed præſtantiorem aliquam naturam habere, quæ proportione reſpondeat elemento ſtellarum. Quippe ignis nullum animal procreat, ſed deſtruit potiùs: vitalis autem calor & cœleſtis benefici omnino ſunt & ſalutares, cunctáque viuentia tum procreant, tum reſtaurant & fouent. Et in 1. cap. eiuſdem libri ficcitatem docuerat rem eſſe inimiciſſimam vitæ, humorem amiciſſimum: quare cùm nihil ſit amicius vitæ, quàm vitalis calor; hunc humidum eſſe oportet, non ſiccum & igneum. Idem in cap. 2. libri 4. Meteororum, putredinem definiuit proprij & natiui caloris interitum eſſe in quouis humore, ab alieno profectum calore, qui rei eſt continentis. Ea verò, quæ putreſcunt, ignea non ſunt: cùm ignis putreſcat nunquam, vt idem expoſuit, tum eo loco, tum in lib. de longitudine & breuitate vitæ capite 3. & probl. 20. ſection. 25. Quare in probl. 18. ſection. 26. cum quæſiuiſſet, Cur Auſter fœtidi halitus cauſa ſit; eam reſpondit eſſe cauſam quòd res hu-

res humidas & calidas efficit ; hæ autem maximè putrescunt. Si ergò naturalis calor putrescit, humidus esse debet, non siccus & igneus. Sed in lib. illo de longitudine & breuitate vitæ an non hoc tanquam certum posuit, vitam humore calido seu humore & calore contineri, siccum verò & frigidum certam interitus causam adducere ? Quòd si calor innatus adiunctam haberet siccitatem, quæ calorem acuit, quis non videt eum exitio futurum, non saluti ? Idcircò copiosum calorem addidit causam esse vitæ longinquioris, quia diutiùs resistit siccitati interitum molienti : magnámque vim caloris prorogare vitam; quoniam prohibet, ne humor frigore concrescat & pereat: calorémque hanc in quibusdam pinguem seruari ad siccitatem & refrigerationem arcendam, in alijs alio sicci genere præditum esse. Et paulò post plantas adiunxit diuturnioris esse vitæ, quam animalia ; quòd humorem habeant minùs dilutum. Quibus omnibus verbis apertè significauit naturalem calorem non esse siccum, sed humiduni ; nec vitam nostram exhaurire perpetuò, sed fouere potiùs & custodire. Addidit quoque in eodem lib. humorem calidum esse vitę & accretionis causam. At eadem est cognatio caloris & humoris, quæ est humoris & caloris : & vt humorem vitalem dicimus esse calidum, sic vitalem calorem humidum esse asseremus. Quare sicut Aristoteles ita de humore locutus est in eo lib. sic in 2. de anima, & in lib. de sensu & sensili calorem dixit augere & alimentum gignere : nusquam autem pronuntiauit habere vim, vt diminuat animal & conficiat ; quod igneus calor facit.

Calorem vitalē aëreo magisquā igneo similem esse.

Relinquitur igitur, si standum sit Aristoteli, calorem viuentis humidum esse : ac proinde calori potiùs aëreo, quàm igneo similem. Calor namque naturalis cùm sit auctor & dux vitæ, qualitatem eam comitem habere debet, quæ vitæ socia est, non mortis. Quis enim non videat eum esse illius materiæ qualitatem, quæ proximum est vitæ subiectum ? At hæc materia humida est & calida, oleo persimilis atque ad exardescendum & nutriendum facilis. Quòd si is calor esset siccus, quo esset maior eò ficcior. Et cùm eundem ipsum qualitatibus omnibus superiorem esse oporteat, sequeretur, calorem hunc, quem vitalem appellamus, celeriter interempturum esse animal : cùm ignis acerrimus sit vitæ hostis ; qui si vincat cætera elementa, actum est de illorum salute. Video tamen medicos omnes & Philosophos vna voce pronuntiare, eam corporis constitutionem, quæ plus habeat natiui caloris, longinquioris temporis esse. Quo fit, vt si calor is esset siccus, calida & sicca temperatio diuturniorem haberet vitam, quàm reliquæ omnes constitutiones : immò, quæ maximè cholerica esset, longinquissimam degeret vitā. Verùm quis ignorat siccitatem esse qualitatem mortis ; & quò siccius fuerit animalis corpus, eò esse ad omnem vitæ ruinam procliuius: contrà verò vitam in humore conseruari, calorémque totius esse vitæ optimum defensorem?

Omnino elemētarem non esse.

Ergò hunc natura humidum & aëreum potiùs, quàm siccum & igneum esse oportet. Quippe is consequitur animam tanquam eius affectio ; influentémque temperationem constituit, atque operationum vitalium proprium est & singulare instrumentum. Igneus autem & elementaris calor productionem animæ antecedit, velut materiæ & corporis dispositio, atque ad innatam temperationem pertinet, vt qualitas elementorum propria, quæ illorum ipsorum beneficio in omnibus quòque mistis reperitur. Et quidem si innatam illam elementorum elementarrúmq; qualitatum temperationem spectes, in nostris sanè & verò etiam omnium viuentium corporibus elementa frigida dominantur, præsertim terra, non ignis. Dum igitur in influente & actuata temperatione abundat calor, isque omnia vitæ munia exequitur, nequaquàm is igneus aut elementaris esse potest. Etenim si esset, quemadmodum in omnibus naturalis hic calor abundat, sic animalia omnia calidæ & siccæ, hoc est igneæ & cholericæ temperationis essent. Deinde cùm operationes vitæ ab anima immediatè proficisci nequeant, sed eam necesse sit instrumento aliquo vti : hoc igneum & elementarem calorem esse non posse duo testantur. Alterum, quòd hic calor in corporibus nostris magnopere fractus est & tenuis, aliarumque qualitatum permistione plurimum impeditur, ne tam vehementer operetur, quàm est in viuentibus necessarium, quæ vehementissimum omninò calorem postulant. Quare etsi calorem naturalem dictum sit aëreo esse persimilem, quòd humidus vterque sit, hoc tamen vel maximè argumento ostenditur aëreum planè eum non esse. Quoniam aëris calor tum propter aliarum qualitatum permistionem castigatus maximè est & exilis: tum propter cognati humoris societatem tam hebetatus in agendo, vt vel in ipso aëre, in quo purus est, sincerus, & integer, minimèque diminutus & fractus, vix tenuem actionem retineat. Igneus vehementior est ad agendum, quòd socia siccitas agendi vim non parum acuat. Sed & is in nobis magnopere fractus est : & natiuus calor humidus est, non siccus. Alterum argumentum est, quòd quamuis accidens dum coniunctum est cum substantia & quatenus illius instrumentum operatur, præstantissimos possit & sua natura superiores effectus producere : illud tamen oportet cum illa proportionem quandam habeat, suaque natura sit aptum & accommodatum functionum earum instrumentum. At quæ tandem proportio elementaris caloris cum anima ? Sua enim conditione & natura deterioris multò, immò & deterrimæ formæ, hoc est elementaris, proprium instrumentum est ; animâque meliores opes quærit. Si perfectissimus & omnibus suis gradibus absolutissimus calor ad infirmas quasdam operationes igni famulatur ; quis eum parte maxima diminutum ac propè extinctum, instrumentum esse animæ credat ad functiones omnium admirabilissimas ? Cùm enim accedens & instrumentum non accipiat ab anima aut substantia, cum qua iungitur, vim vllam agendi ; sed solam actionis determinationem ac moderationem ; si illud sua natura debile sit, atque ad agendum inefficax, eandem semper imbecillitatem, atque ineptitudinem ad effectus illos producendos habebit. Autum quædam

certè & similia complura vi & actione natiui caloris soluuntur & ad viuentis temperationem adducuntur; quod ignis calor vel intensissimus non potuisset. An non in magnete lapide ad trahendum ferrum atque in cæteris mistis inanimis ad alias atque alias, quæ visuntur in singulis, operationes perficiendas quædam qualitates ab elemẽtaribus longè diuersæ creduntur inesse? Quidni ergò in viuentibus concedantur, in quibus admirabiliores multò & præstantiores cernuntur effectus? Alioqui mistorum quóque inanimorum operationes elementari cuipiam qualitati attribuãtur, quæ cum forma cuiúsque misti propria coniuncta fuerit. Hoc cùm ab omni ratione abhorreat; concludamus operationes hasce viuentium proprias beneficio & ope fieri nobilioris cuiusdã superioris caloris animantium duntaxat proprij. Neque (quod aliqui ex recentioribus opinantur) opus esse virtutem aliam occultam fingere ad omnia hęc viuentium munera exequenda: Cùm solus hic calor minus omnium sit auctor atque perfector.

HVIC CALORI FRIGVS aduersari.

CAPVT XIII.

DE cuius natura illud quoque dubitatur, an contrarium habeat & aduersetur frigori. Principio constat, calorem hunc naturalem priuantem saltem oppositionem habere. De contrarietate autem positiua Io. Fernelius, Valeriola, & quidam alij constanter asserunt eum esse persimilem cœlesti luci, quæ omni contrarietate caret: & ideò neque frigori aduersari. Argumento est; tum mortis illa definitio ab Aristotele exposita in lib. de respiratione cap. 14. mortem non esse aliud, quam extinctionem calidi. Tum quia hic calor fouetur magnopere & conseruatur frigidi aëris inspiratione: potiùs autem extingui & interire deberet, si qualitates hæ contrarietatem haberent.

Prima opinio.

2. Quorum sententia mihi quidem videtur probabilis & honesta; non tamen necessarijs rationibus cõfirmata. Ac primùm quidem ex eo, quòd sic libuerit Philosopho definire mortem, morsq; sit extinctio caloris & priuatio vitæ; nulla duci probatio potest. Fieri enim potuit, vt calor ille interimeretur à contrario atque inde profecta sit mors. Deinde verò calorem illum frigidi aëris inspiratione foueri; prꝛterquam quod omnis calor id requirit ne suffocetur; nescio quàm verè dicatur. Cùm planum sit aëre illo frigido temperari ac minui calorem eum, qui est in corde: vt ea temperatione seu temperato calore conseruetur animalium vita, quę vehementi nimium & immoderato extincta breui fuisset. Hoc autem verè dici, illud est magno argumento; quòd nec in plantis nec in reliquis animalium partibus calor aëre hoc inspirato refrigeretur. Si igitur calor cordis, qui vehementissimus est, inspiratum aërem suscipit, propterea suscipit, vt ab eo temperatus aptior sit ad animalis vitam conseruandam. Quocirca illud ipsum, quod ij auctores maximum suæ sententiæ præsidium esse voluerunt, eam potiùs euertit ac tollit. Namque si naturalis calor remittatur à frigore, & remissio contrarij permistione fieri debeat, vt pluribus in locis auctor fuit Aristoteles, maximè verò in tex. 19. libri 5. Phys. necesse est calorem illum & frigus esse contraria. Addam, in lib. de longitudine & breuitate vitæ cap. 2. scriptum fuisse, fieri nunquam posse, vt aliquid sit in materia, quod contrarium non habeat: duobúsque modis calorem hunc interire posse; quorum alter est à contratio & hostili frigore. Neque enim obstat propositio illa, quæ est in tex. 10. lib. 1. de cœlo; Vni vnum est contrarium. Propterea quòd frigori nil aliud contrarium facimus, quàm calorem: siue ille sit elementaris, siue naturalis & viuentium proprius. Quippe diuersitas hæc comparatione frigoris accidentaria prorsus est; quamuis caloribus ipsis, qui distinguuntur, sit essentialis.

INNATVM HVMIDVM A vitali calore non dissipari, sed refici.

CAPVT XIIII.

SI igitur ea est caloris huiusce natura, conficitur necessariò, eum nullo modo innatum & primigenium humidum exhaurire, quemadmodum medicorum plerique sentiunt, sed fouere, reficere, & quàm diligentissimè potest, tueri & conseruare. Neque enim adducat vnquàm, vt credam qualitatem eam, quæ vitalis maximè est, quęque ad viuentium omnium conseruationem comparata est à natura, interitum illis & perniciem in omni vita machinari, alteram illam qualitatem dissipando ac deuorando, quæ vitæ omnis principium est & fundamentum. Eam enim, dum exhauriret, adferet interitum viuenti, non conseruationem. Immò verò si calor hic corrumpat suum subiectum, cùm hoc sit calidum & humidum, neque corrumpi humor possit, quia calor etiam ipse extinguatur, idem corrumperet seipsum: Certissimum quoque est Philosophorum omnium effatum: Actionem quamlibet effici à contrario. Quapropter si is agit in suum humidum, calorem oportet humori esse contrarium. Et quoniam hæ qualitates per se nequaquàm contrariæ sunt: calorem hunc oportet esse siccum, & humorem frigidũ (sic enim ignis in alienum humorem aget propter adiunctam sibi siccitatem aut propter frigus humori copulatum,) at neque viuentium calor est siccus, neque humor frigidus; sed calor humidus & humor calidus. Quæ igitur inter eos possit esse actio, cùm vtraque qualitas miro concordiæ vinculo adstricta teneatur? Et humor ille quandam aliam habeat contrarietatem siccitatis & calor frigoris; neque vni possint esse plura contraria. Tum demum si flammæ naturam noster hic calor imitatur in eo, vt humidum semper depascat; quantò is maior fuerit ac robustior, magis vehementiusque depascet: minùs verò consumet, quantò fuerit imbecillior. Qua igitur ratione euenit, vt quæ animantes maiorem habent calorem, diutiùs conseruentur & viuant,

& viuant; quæ minorem, breui tempore extinguantur? Qui fit, vt idem homo eodem genere & modo cibi contentus æstate & hyeme, æstate langueſcat, viribus deficiatur, & omnia membra mirandum in modum extenuentur: hyeme autē viribus valeat corporiſque omnes partes ſint pleniores? An quia, vt mox intelligetur, corporis noſtri conſumptio eſt à calore minimè naturali; refectio verò & recreatio inſiti caloris eſt, qui hoſtili & externo ſemper obſiſtit? Quorum alter æstate, alter hyeme magis riget atque ad agendum potentior eſt. Cùm igitur continenter occidat vitalis humor, cumque eo naturalis viuentiū calor; eaſdē credendum eſt eſſe cauſas interitus caloris naturalis ſimpliciter, & eius interitus, cui in omni vita obnoxium animal eſt. Eæ autem exponendæ iam ſunt.

A quonam innatum humidū conſumatur.

Auctor eſt Ariſtoteles in tex. 52. lib. 3. de cœlo duobus modis ignē interire poſſe. Aut enim perit à contrario interemptus, aut ex defectu materiæ, qua ſuſtētabatur, in ſeipſo marceſcendo: ſicut cùm paruus ignis à maiore corrumpitur. Vtrumque porrò corruptionis modum naturali quoque calori conuenire, teſtatur in probl. 22. & planiùs multò in probl. 25. ſect. 3. his verbis. Corrumpitur autem calor (ſermo eſt de naturali) aut marcore, aut extinctu. Extinctu quidem à contrarijs, hoc eſt frigido & humido. Marcore autem; vel indigentia nutrimēti, vt lucerna, cùm fomite aut oleo caret; vel ab alieno calore, vt ignis in ſole & lucerna apud ignem. Quibus verbis docemur naturalem calorem interire poſſe aut à contrario frigore & verò etiam ſiccitate. A frigore quidem per ſe; quoniam eſt illi verè & per ſe contrarium. A ſiccitate autem ex accidente; quatenus & humorem illum exhaurit, cum quo calor cōiunctus eſt. Aut ab externo & immoderato calido; dum ab eo vincitur & conſumitur internus & natiuus humor, in quo calor noſter ſuſtentatur. Verùm cùm hic calor ſit natura humidus, quomodo eum dixit interdum ab humore corrumpi, humoremque illi eſſe contrarium? Humorem nimirum affirmauit illi contrarium eſſe, nō vt humor eſt, ſed vt eſt aqueus & frigidus. Non enim à quouis humore, ſed ab aqueo duntaxat extinguitur, cū quo propter adiunctū frigus implacabiles inimicitias exercet. Itaque tribus modis à cōtrario corrūpitur; à frigore, à ſiccitate, ab humore: à frigore per ſe; à duobus reliquis ex accidenti: à ſiccitate quidem, quatenus ea contraria eſt humori, qui qualitas eſt natiui caloris ſocia: ab humore autem aqueo, quatenus adiunctum habet frigus inimicum calori. Quanquàm hoc loco Ariſtoteles ſiccitatem non memorat; ſed ſolum frigus & humorem. At in lib. de longitudine & breuitate vitæ, accuratiùs cauſas interitus perueſtigans, frigus & ſiccitatem poſuit: quoniam eæ ſunt qualitates mortis duabus illis contrariæ, in quibus conſiſtit vita; calori inquam & humori. Humidum autem non adfert interitum, niſi quatenus frigidū eſt, atque ad frigoris contrarietatem pertinet. Cùm verò caloris extinctionem comparauit minori flammæ quæ à maiori opprimitur, non id ſignificauit, perinde vt flammam vrere & abſumere calorem noſtrum, eſſeque igneum: ſed eum nonnunquam deficere, vt minor flamma perit à robuſtiore abſorpta. Vt enim maior flamma minorem exorbet, quia materiam illius deuorat; ſic externus calor, ſi quàm naturalis fuerit maior, materiam illius depaſcit; cum qua & ipſe occumbit, licet nullam vnquàm ipſe perniciem ſuæ materiæ moliatur.

Quomodo humor calori contrarius.

Exponitur locus ex lib. de longitudine & breuitate vitæ.

Extant tamen verba quędam in cap. 3. eius libri, quæ huic ſententię aduerſari videantur: Alimentum, inquit, non ſumentia & animalia & plantæ corrumpuntur. Conſumit enim ipſum ſeipſum. Quemadmodum enim multa flamma comburit & corrumpit paucam, eo quòd alimentum conſumat: ſic naturale calidum primùm coctiuum conſumit materiam, in qua eſt. Verum philoſophus loquitur in concreto de ipſo viuente, quod calorem habet. In eo autem cum duplex reperiatur calor, elementaris, & naturalis, dicitur ipſum corrumpere ſeipſum, quia calor elementaris ſiccus, qui in ipſo eſt, agit innatum humidum abſumendo. Atque omnino intelligendum eſt propriam natiui caloris operationem eſſe fouere humidum illud membris inſitum, totumque viuens quam diutiſſimè conſeruare. Propterea enim agit in humidum alterum, quod alimentum ſuppeditat, coquendo illud & in viuentis ſubſtātiam mutando: vt inde refeciatur id, quod in humido innato elementaris calor corruperat. Quod ſi alimentum deſit, actio illa caloris conuertitur in membrum, in quo eſt: tum quia calor ille nequit eſſe otioſus: tum quia in mēbro aliquem humorem reperit, qui conſumi adhuc poteſt. Hoc Philoſophi verba non obſcurè ſignificant; quibus calorem hunc docet, quandiu animal ſit in naturali ſtatu atque opportuno alimento vtatur, in coctione tantùm aduentitij & alimentarij humoris occupari, nec primegenio detrimentum vllum adferre. Denique verè etiam affirmare licet, calorem hunc vitalem, ſi vt eſt vitalis & optime temperatus ſpectetur, alieniſſimum eſſe ab omni pernicie ac maleficio. At verò ſi vitietur atque à calore extrinſeco & igneo, qui eſt naturæ inimicus, peſſimè afficiatur; ea omnia effici, quæ ille moliebatur.

Caloris actio propria & ex accidenti.

Interitus à calore igneo & ſicco.

Siccum porrò illum igneum calorem eſſe omnium ruinarum auctorem, & architectum, multa teſtantur. Primum, quod qui natura, calidi ſunt & ſicci, haud perlongo interualo vita priuantur. Deinde, quod æstate huius ſicci caloris maleficio concidunt animalium vires & corpora afflictantur; vitaliſque humor & calor minuuntur, cùm minui non poſſit humor vitæ, & integer calor manere. Vnde etiam ab hoc ipſo hoſtili calore febres, morbi, & alię his ſimiles calamitates adducuntur. Tū verò quia quod facit calor ignis offendēs res humidas, hoc ipſum molitur calor is igneus, qui in animantiū corporibus reſidet, in humorem vitalem incidens. Ad extremùm quoniā actionē ibi eſſe neceſſe eſt, vbi contraria ſunt ſimul. Quare cùm in viuentiū corporibus, quæ ex quatuor elementis concreta ſunt, calor ſit quidam ſiccus & igneus: naturam is pinguem & humidam diſſoluere ſemper debet, extenuare, & quantum eſt in ſe ad nihilum redigere: humore autem illo conſumpto conſumatur quoque neceſſe eſt cum eo coniunctus calor.

Præter hunc tamen modum conſumendi calorem naturalem, alij ſunt, quibus perpetuo &

Aliæ interitus causæ.

grauiter affligatur. Nam quæcunque animali vel acrius frigus vel maiorem inferunt siccitatem, naturam innati caloris labefactant. Hinc est, vt quoniam aër in omnes horas mutatur & externas omnes qualitates facilè admittit ; naturalis quoque calor noster modò refrigeretur, modò ad siccitatem mutetur, modò humore aqueo nimiũ humectetur, modò à circumiecto aëre dissperdatur. Cùm enim corpora nostra contingat aër; fieri non potest, quin ea perinde afficiantur, atque aër affectus est. Ignis quoque si moderatus fuerit nec duiturnus, & moderata corporis exercitatio; natiuum calorem tuentur ; ille, dum arcet frigus aqueumque humorem cõsumit, sic dum calorem excitat & acuit. Sed vtraque causa, si nimia fuerit, plurimùm oberit, citiusque siccando corpora mortem adferet.

Summaria cõclusio.

Meam igitur de toto hoc controuersiæ genere sententiam colligens pronuntio ; In viuentibus corporibus duplicem inesse caloré ; vnum igneũ & siccum ; Alterum vitalem & humidum : illum corporis, hunc animæ proprium. Tertius enim aëreus, elementaris item, qui nominari posset, nullius penè momenti & actionis est. Innatumque humorem tum ab externis frigore & siccitate, tum ab innato igneo, siccoque calore contineri extenuari & depasci. A quo cum auelli non possit natiuus calor ; sic ipse cogitur eandem ruinam perniciemque sentire. Nam cum suo humore ipse quoque consumitur atque distrahitur. Perpetuum verò naufragium hoc conatur is alimento reficere ; quo se suumque humorem tuetur ac renouat.

DE CREBRA NATIVI CALORIS mutatione.

CAPVT. XV.

AT viuentium calor perpetuò & in omnes horas mutatur ; tum ex actione contrarij frigoris ; tum ex humoris innati consumptione, cum quo is necessario vinculo coniunctus est. Mutationes tamen omnes, quæ fieri possunt, vniuersè considerãdo,

P. caloris mutatio.

tres eæ distinguentur. Vna est, qua propterea continenter mutatur; aut quòd per poros semper euaporat ; aut quòd dum in venis & arterijs cum sanguine & spiritu partes corporis omnes percurrit; dum sanguis & spiritus mutantur, alijque succedunt alijs, calor quoque cogitur eandem mutationem sentire. Altera qua corrumpitur; tũ ex accidente, cõsumpto à siccitate humido; cum quo is coniunctus est & conseruatur, tum per se à contrario frigore aut aëris circumfusi aut alimenti suscepti. Dum enim in illud momentis omnibus agit, à cõtrarijs illius qualitatibus non parùm patitur, debilitatur, & frangitur. Tertia & postrema, qua modò maior efficitur, modò minor. Non enim eundem semper modum conseruare potest (alioqui nunquàm diminuto neque enecto calore animantes nunquàm priuarẽtur vita (sed mutatur persæpè, tum ratione temporum: quippe magis hyeme viget & vere, quam æstate & autumno; vt in Aphor. 15. lib. p. Hyppocrates & Galenus confirmant. Tum locorum; nam maior est in regione temperata & frigida, quàm in ea, quæ immoderatè calida sit. Tum demum ætatum: Quis enim nesciat robustiorem multò calorem esse in puero & iuuene, quàm in sene?

An maior in puero, an in iuuene calor.

Dum tamen puer cùm iuuene comparatur, aut cum eo, qui ætate sit consistente & florida; magna est medicorum contentio. Namque Hyppocrates in Aphor. 14. & 15. lib. p. & in lib. de hominis natura, pueris, qui crescunt, plurimum inesse caloré existimauit. Copiosiorem enim cibũ sumunt & consumunt, faciliusque adolescunt, ac minus omnino inediam ferunt. Et eorum calor à primo principio minùs distat, minusque fuit à contrario conflictatus. Ac demum copiosior est in illis humor, cum quo sanè calor naturali coniunctione tenetur.

1. opinio.

Contra pro ætate florentibus pugnant Thomas de Garbo in medicinali summa quæst. 17. & ex philosophis Marsilius quæst. 15. in posteriorem de ort. & interitu librum, & alij quidam. Tum quod eorum caro calidior tactu sentitur, copiosiorque in illis est sanguis, & flaua bilis magis abundans : qui duo humores calidissimi sunt. Quin & eorum morbi acuti magis sunt & intensi, propter maiorem natiui caloris repugnantiam, & plerumque cholerici : vbi puerorum morbi sunt phlegmatici. Tũ quòd operationes omnes, quę à calore administrãtur, vehementiores in illis & perfectiores existunt ; vt in arteriarũ pulsu obseruare licet, in membrorum motu, incessu & cursu; in virtute procreandi sibi simile, quia puer nondum frui potest; in sensuum functionibus, in viribus corporis, labore, vigilia, immò in cibi quoque coctione. Non enim tàm sæpè vomitum patiuntur iuuenes, quo pueros videmus in dies ferè singulos conflictari. Denique accedunt pili, qui cùm agente calore producantur, in ætate florentibus magis abundant.

Hanc antiquissimorum quoque medicorum fuisse sententiam ex Galeno cognoscimus in 2. de temperamentis lib. cap. 2. & in comment. 14. Aphor. notati. Quibus is magnopere indignatur, quod eiusmodi argumentationibus velint quæstionem eam definire, cuius sincerus & certus iudex solus tactus esse potest. Quem demum ipse secutus, plurimis corporibus, tum puerorum, tum ætate florentium sepissimè tactis, neutram ætatem constituit absolutè alterà calidiorem esse. Quin potius æqualem in vtraque reperire calorem. Sed puerorum calorem halituosum magis esse tangentique blandiorem ; propter copiosiorem humorem socium: florentium subacrem, minùs suauem immò mordacem magis, quòd siccior euaserit. Cuius rei præclarum illud flammę extat exemplum apud eundem in lib. de marcore cap. 3. Sicut enim flamma in humida incurrens ligna principio opprimitur, & quasi suffocatur, deinde verò superata materia splendet magis & sese erigit : ita natiuus calor in prima ætate humore copioso veluti suffocatus vix sese attollit: post autem humorem illũ superat ac omni materia superior euadit ; iáque nõ nebulosus turbulentusque nec fumosus; sed purus & æthereus redditus suas operationes omnes liberè commonstrat. Hinc illud est, quod is auctor habet in 3. lib. de Symptomatum causis cap. 3. appositionem cibi faciliorem in pueris esse, quam in ijs, qui ætate florent:

ac

ac retentionem, coctionem, & attractionem imbecilliores multò. Cùm & sæpius deiiciant pueri excrementa propter humiditatem, & euomãt: & dura si quæ comederint, deteriùs multò & ægriùs cõficiant. Tametsi in 1. lib. de sanitate tuẽda cap. 5. naturales omnes functiones in pueris, voluntarias in iuuenibus; aut in lib. 6. cap. 1. corporeas in illis, in his eas quæ animi sunt, meliores esse scribat.

Portò quod de eo, quod nunc queritur, Galeno placuit affirmare, æqualem vtriusque ætatis calorem esse, Auicennæ quoque in p. fen. p. can. doct. 3. cap. 3. & lib. 12. de animalibus cap. 4. quem mox secutus est Auerroes in com. 34. in primum Canticorum, hoc argumento libuit confirmare. Quoniam calor, qui fuit in puero, neque auctus est in iuuene, neque vlla ex parte extinctus. Nihil enim additum est, quo fieri maior possit: neque si vlla ex parte minutus esset, augeret corpus, quemadmodum augebat in puero, sed potiùs minueret. Quippe in senibus propterea corporea minuuntur, quòd minor fiat & imbecillior calor. Hæc fermè à medicis disputantur.

Egó verò plurimùm probo iudicium Hyppocratis: eiusque hac de re sententia rationi maximè consentanea videtur. Omninoque aio calorem innatum secundùm suam substantiam & integritatem graduum maiorem esse in puero, quãdiu adolescit: quàm in eo, qui iam in ætatis vigore consistat. Quis enim calorem eum non videat sui ortus principio propinquiorem esse: neque tandiu oppugnatum fuisse atque consumptum, aut à contrario frigore aut à siccitate innatum humidum depascente, quandiu fuit iuuenilis calor? At consumpto & diminuto humore ipsum quoque calorem consumi & minui necesse est. Et quænam quæso sit causa, cur cùm antea plurimùm crescerẽt corpora, partésq; omnes faciliùs multò adolescerẽt, postea cesset omnis accretio, neque maiora ampliùs euadant membra, sed eandem vix grãditatem tueantur? Nisi quod copiosior antea calor copiosiorem partibus omnibus apponebat substantiam, quàm fuisset ab hostilibus causis consumpta: post debilitatus vix tantundem congregat, ac demum fractus prorsus ac penè prostratus ægrè & minimùm corpora nostra reficiat. Hãc nimirum diuersitatis illius ac vicissitudinis ætatum, quæ in animantium omnium vita cernitur, vnicam esse causam philosophi omnes voluerunt. In pueris namque si tam vehemens calor tãtopere non se prodat, vt in iuuenibus, id aut ex organorum & membrorum imperfectione euenit, aut ex abundanti nimium humore, qui perfectas caloris operationes prohibet, magnaque parte illius virtutem obruit. Nam in iuuenibus, in quibus tam copiosus humor siccatus est, vehementius agit omnemque vim caloris exerit: tum ob perfectiorem instrumentorum conditionem humorémque mitigatum: tum propter copiam flauæ bilis, quæ ad operandum non minimum habet momenti: tum demum quod illi crebra & vehementi corporis exercitatione insitam illam sibi virtutẽ excitant, atque ad agendum prouocant. Denique quicunque fuerit æquus huius controuersiæ iudex, maximum omninò pueris calorem inesse pronuntiabit. Siquidem tàm copioso primæ illius ætatis humore non penitus opprimatur, aut alia omni ope destitutus ab operando non impediatur, quominus vegetare, nutrire, amplificare corpuscula illa possit. Contra iuuenibus & ætate consistentibus minorem multò. Quippe cum sociam habeat siccitatem, flauam bilem, & alias eiusmodi adiutrices causas, vehementius multò ea omnia operari deberet, si æquè ac in pueris robustus esset. Etenim caloris actionem retundit vtique humor, acuit siccitas.

Iuuenis temperatus magis quam puer.

Iam vero his ita definitis facile erit alteram medicorum discordiam componere. Disputant enim rursum, vtranam harum temperationum, pueri inquam an iuuenis, temperata magis sit. Nam iuuenes respondendum est magis temperatos esse. Siquidem nimius ille puerilis humor mitigatus & magna ex parte consumptus est: omnésque operationes multò sunt perfectiores: ac demum dum natura humidam puerilem constitutionem ad senilem siccitatem traducit, eam necesse est in quadam mediocritate consistere, quæ non nisi in iuuenum temperatione reperitur.

QVOD SIT NATIVI CALORIS subiectum, quod principium, quæ origo.

CAPVT XVI.

Caloris subiectum.

VErum enimvero quod sit caloris huiusce subiectum, quis fons, definiendum est quoque. Eum igitur calorem, quem innatum & actuatum dicimus, in singulis inesse membris ac partibus solidis, tum homogeneis, tum heterogeneis; hæc facilè demonstrabunt. Primum singula membra sunt animata & propriam aliquam operationem habent: singula igitur calorem illum participant, qui animam comitatur, & est illi ad operandum necessarius. Deinde viuunt singula membra: vita autem in calore & humore consistit. Tum demum nutriuntur omnia: nutritioque caloris est opus. Influentẽ tamen & aduentitium calorẽ in spiritu & sanguine inesse, illud est certissimum argumentum, quod is à corde per spiritum & sanguinem arterijs venisque contentus per vniuersum corpus diffunditur.

Sed quamuis hæc verissimè dicantur, non minus tamen verè affirmare licet, illum ipsum innatum & actuatum calorem, quem singulis membris inesse diximus, in sanguine potissimum & spiritu tanquàm in propria sede ac domicilio versari. Quis enim sanguinem nesciat per venas in omnes corporis partes distributum calefacere membrisque omnibus vitam adferre: & quo aliqua sunt magis sanguinea & maiorem habent huius humoris copiam, eo viuaciora esse atque ad omnes vitæ functiones aptiora. Detracto autem sanguine, vel magnopere minui vel omnino tolli calorem, omnesque vitæ actiones cessare, aut non ita strenuè exerceri? Spiritus quoque tenuissimum corpus est, & ad operationes omnes obeundas tum aptissimum, tum vero à natura in-

ſtitutum. Vt ſicut venarum ſanguis ad alimentum & nutrimentum refertur ; ſic arteriarum ſpiritus ſeu ſpiritalis ac puriſſimus ſanguis operationes omnes vitæ , ſenſus ac motus perficiat : ac proinde maximum calorem habeat omnino neceſſe eſt. A

Caloris principium & vrgo.

Quibus expoſitis haud difficilis erit explicatio difficultatis eius, quæ plurimorum ingenia torſit : vt principium atque originem primã caloris huius conſtituerent. Si enim originem quærunt illius caloris, qui à natura ſingulis mẽbris eſt inſitus profectò dum inſitũ calorem dicunt, eum fatentur naſci cum illorum membrorum ſubſtãtia, quibus eſt inſitus . Conſequitur namque animam, vt eſt in ſingulis membris. Quod ſi de alterius caloris origine diſputent, qui influens & aduentitius cùm dicatur , in ſpiritu & ſanguine ſuſtentatur: eam tandem in illo membro reperient, quod ſpiritus & ſanguinis principium eſt. Et quoniam cor inter omnes conuenit ſpiritus officinam eſſe, & ſi ſanguis (vt plerique medicorum opinantur) ex iecore potius deriuaretur ; cor tamen iure optimo diceremus primum eſſe caloris vitalis principium. Quoniam cum ſanguis propria ſibi & innata temperatione frigidus potius ſit, quàm calidus; à ſpiritu proximis arterijs contento penè totum videtur habere influente temperatione calorem. Alioqui cur ſanguis ex vena extractus euolante ſpiritu congelatur ? Itaque veriſſimè cor dici poteſt fõs totius caloris, qui eſt in animalium corporibus . Etſi enim ſingula membra proprium aliquem innatum calorem habeant ; is tamen perexiguus eſt : & niſi augeatur à corde & confirmetur , operari perfectè nequit. Quam ob cauſam cætera membra verè dixeris habere calorem paſſiuè , cor actiuè : quòd non ſolum in ſe calorem ſed vim quoque cæteris illum communicandi habeat. Et ideo fons caloris appellatur : Et ſapienter Philoſophus non modò in lib. de ſenſu & ſenſili cap. 2. membrum hoc omnium calidiſſimum eſſe affirmauit: verùm etiam in cap. 7. libr. 3. de partibus animalium ſcripſit eſſe caloris originem, & quaſi lares & focum, quo naturæ fomites & primordia ignis natiui contineantur , & ſeruentur. Atque idcircò in cap. 1. de animalium ortu, cor dixit primum omnium in animalibus gigni, & vltimum interire. Hinc eſt , quod in animæ perturbationibus, timoris præſertim , calor contrahitur ad cor ; ad ſuum ſcilicet principiũ & fontem ſeſe recipiens. Ac demùm ex vehementiſſimo hoc illius calore tum perpetuus in eo exiſtit pulſus, qui ad arterias quoque deriuatur; tum continuata nec vnquam intermiſſa frigidi aëris inſpiratio, qua pulmonum velut flabelli motu ſemper refrigeretur. Quod autem in animalibus cordatis eſt cor , hoc ipſum in cæteris eſt id, quod cordi proportione reſpondet. Verùm de calore ſatis: nunc de ſpiritu. B C D E

Cor totius caloris fons.

INESSE IN CORPORIBVS noſtris ſpiritum, qui calorem ad omnes partes deducat.

CAPVT XVII.

CAlorem influentem dixi à corde in omnes corporis partes cum ſpiritu & ſanguine ac potiſſimum cum ſpiritu effundi. Quare vterque ſanè, ſed maximè ſpiritus cum calore coniunctus eſt ; cum hoc ſit præcipuum natiui caloris domicilium. Sanguinis ergo cõſideratione m in aliũ locũ relinquam: nũc dicam de ſpiritu à nominis notione principium faciens. Vt enim cõplures apud ſcriptores habeat acceptiones ; hoc tamen loco aëreum quoddam corpus & vapori perſimile, tenuiſſimum , minimèque conſpicuum ſignificat : arterijs ſcilicet, quæ denſa omnino & craſſa tunica conſtant, propterea incluſum à natura ; ne efflare aut elabi poſſet, corpus alioqui tùm tenuiſſimm tum calidiſſimum. Non eſt tamen ſimplex aëreum elementum. Tum quod naturalis , non elementaris, caloris opificium eſt : neque ex ſimplici & elementari materia factum , ſed ex ſanguine. Tum quod ſingulariſſimum eſt animæ ad præſtantiſſima quæque opera inſtrumentum. Quam ob cauſam verè dictum eſt ab Auicenna in 1. tract. de medicamentis cordis cap. 2. eſſe quidpiam genitum ex elementorum permiſtione , vergens ad ſimilitudinem cæleſtium corporum: quemadmodum Philoſophus ſcripſerat in cap. 3. lib. 1. de animalium ortu, in animantium corporibus elemento ſtellarum reſpondere. Accedit igitur eius natura ad ſuperiorum potius elementorum conditionem , quæ tenuia ſunt & rara : & ideò partim ignea eſt, partium aërea. Ignea quidem, quoniam calidiſſima eſt & plurimùm ad agendum efficax: vt hoc ipſum in noſtris corporibus præſtet, quòd ignis aut etiam cæleſte lumen in mundo. Aërea vero, quia cum calore coniunctum habet humorem, non ſiccitatem: neque vrit, quemadmodum ignis; ſed fouet: neq; ſiccãti halitui, ſed calefaciẽti & humectãti vapori perſimilis eſt. Itaq; proximam ſanguini, nõ choleræ naturam habet. Immò nil aliud eſt, quã tenuiſſimus, puriſſimus, & maximè ſpiritoſus ſanguis. Vehementi namque caloris actione ſanguis dextro cordis ſinu à vena caua acceptus tantopere tenuatur , vt ab eo ſpiritalis hæc ſubſtantia in ſiniſtrum ſinum euaporet: vnde mox per arterias diſtribuitur. Quocircà cùm ſpiritus hic aëreæ dicitur eſſe naturæ, propterea dicitur, quia tenuis eſt & rarus , veluti aër: & ſanguineæ prorſus naturæ, quæ in animalium corporibus aëris ſubſtantiam refert.

Spiritus quid.

Ineſſe porrò in corporibus noſtris hunc ſpiritum tũ philoſophi & medici omnes conſentiunt; tum certa ratio perſuadet. Quare in lib. de principijs Hyppocrates arteriam dixit ex corde ortam plus habere calidi , quàm venam ; ſpiritumque condere & conſeruare. Extatque liber Galeni; in quo diſputat, an cum ſpiritu ſanguis quoque in arterijs natura contineatur : atque hoc argumento

Ineſſe in nobis hunc Spiritum.

gumento omnino contineri affirmat; quoniam si perforetur arteria, effluit sanguis. Aristoteles verò non solum pluribus in locis de hoc spiritu locutus est: verùm etiam in cap. 1. 3. & 4. libr. 2. de animalium ortu, eum ita inesse affirmauit in animalium seminibus, vt penes ipsum tota sit vis formandi fœtum. Et in cap. 6. libr. de animalium motu, in corde aliaue parte, quæ cordi proportione respondeat, illius officinam esse docuit: essèque aptissimum omnis motus instrumentum: quoniam facilè in omnem partem pellitur & trahitur; estque grauis comparatione ignis, & leuis comparatione cæterorum corporum. Ratio verò multiplex est. Primum quoniam visuntur in corporibus à natura fabricata aptissima ad humorem quempiam continendum vasa: neque ea corpore alio aut humore crassiore occupantur. Quid enim aliud in sinistro cordis sinu reperies? Quid in arterijs omnibus aut cerebri sinibus? Cur sinister cordis sinus arteriæque pulsent perpetuò, dexter autem sinus & venæ nũquàm? Deinde vbi est calor humidáque substãtia, euaporationẽ aliquam fieri necesse est: agẽte scilicet calore humidámq; substantiã tenuante ac resoluente. Perenni igitur nec vnquàm intermissa caloris actione ebullire sanguinem oportet sinibus cordis contentum, tenuari, euaporare, purioréſque illius partes à crassioribus separari. At insipienter egisset natura, si tenuissimã purissimámq; substantiã perire ac dissipari permisisset: nec eam, vt plurima animaliũ vitæ cõmoda allatura erat, ita & studiosissimè cõgregasset & diligentissimè custodisset. Quò factũ est, vt duplici cordis sinu medióque septo duplex hæc sanguinis substantia separaretur; duplicíque vasorum genere, venis crassior, arterijs tenuior, ad duplex animalis bonum per vniuersum illius corpus distraheretur: crassior ad nutriẽdum; tenuior tũ ad calorem ad singula membra deportandum vitámque in illis fouendam & conseruandam; tum ad sensum & motum omnem efficiendum. Tota porrò hæc in primis necessaria naturæ cura fuit in corde. Quoniam in membro calidissimo plurima futura erat euaporatio, tenuatio maxima, seduláque prorsus separatio: tum verò ab hoc membro ad reliqua omnia deriuari calorem oportebat. Opus igitur fuit canales quasi & vasa inde ad omnes corporis partes deduci; aliquodque subesse corpus, quo velut vehiculo calor à corde transmitteretur: hócque tenue, fluidum, ad motum promptissimũ, & naturæ similitudine calori natiuo amicissimum esse oportuit: substantiam inquàm tenuem, calidam & humidam, quam spiritum appellamus.

Hoc ipsum plurimæ animalium operationes testantur; quarum causa, nisi sit hic spiritus de quo est sermo, nulla planè explicari potest. Etenim vt cordis & arteriarũ pulsum nunc prætermittam, pluribus post eundem demonstraturus à solo spiritu partibus illis contento & ebulliente proficisci: Neque enim crassum corpus facilè moueretur, neque arteria perforata cessaret motus; nisi à tenui spiritu agitaretur, isque arteria perforata euanesceret aut certè refrigeretur. Vt inquam hoc nunc prætermittam: in quonam alio subiecto admirabilis illa seminis virtus fœtuum formatrix esse possit? Quæ somni, quæ vigiliæ, atque à somno excitationis causa? Somnum constat crassioribus vaporibus conciliari; qui cùm caput petunt, arteriarum ac neruorum meatus occupant; spiritúsque diffusione ad organa sensuum prohibita, cõcidunt organa & omnis operatio cessat. Mox verò vaporibus illis calore solutis atque consumptis pateſcunt meatus, redit spiritus, aperiuntur organa, operatur sensus, vigilat animal. Ex vehementi quoque imaginatione quidpiam in aliqua corporis parte re ipsa effici non semel vidimus. Id quamnam ob causam fiat, nisi propter spiritus agitationem ad illam vsq; partem ad eum effectum susciendum dispositam? Cur quæso nerui, qui ad oculos ducuntur à cerebro, manifestè perforati & quasi terebrati visuntur; nisi vt à cerebro ad membrum illiud deducant spiritum? Cur ijdem illi nerui copulantur & commune foramen faciunt, antequàm perueniant ad oculum? Quí fit, vt altero oculorum clauso aut eruto, non minùs cernamus, quàm cùm vtroque vteremur? An non ea est causa, quòd tantundem spiritus ad vnicum oculum transmittitur, quantum ad vtrumque antea mitteretur? Hanc enim solam esse causam viri sapientes definierunt: Ad extremum post diuturnam contemplationem aliamuè mentis agitationem videmur nobis vacuum quasi habere caput membráque omnia penè exhausta & arterias exinanitas: non aliam sanè ob causam, nisi quod spiritus multus consumptus sit. Interdum etiam velut tinnitum quendam sentimus in capite, propter eiusdem spiritus siccationem: aliáque id genus plura obseruamus.

Somnium excitationis causa.

Phantasiæ vis in corpus.

Cur non minus vno quã duobus oculis cernamus.

Sed contemnendum non est medicorum decretum. Illi morbos quosdam esse statuunt ex sola spiritus læsione aut inopia profectos. Fit enim quispiam interdum cœcus, aut in eo saltem actionis genere imbecillus & mancus; nec vllà organi alteriusue corporis partis cernitur læsio: cogimúrque affirmare propter nimiam humorum siccitatem id euenire, qua liberam spiritus ad membrum illud humectandum transmissionem prohibet. Ephemeram quoque febrim in spiritu esse definiunt, absque humorum putredine m embriuè inflãmatione; vt in 2. lib. de crisibus cap. 13. Galenus loquitur. Sed iam naturam illius accuratè magis examinabo.

SPIRITVM ANIMATVM NON esse; eumque calidissimum.

CAPVT XVIII.

Spiritum animatum nõ esse.

Habet quidem spiritus hic meliorem, quàm elementa, substantiam: & tenuissimus cum sit, facile animati corporis partes omnes peruadit. Animatus tamen non est. Néque enim potest quid quam animatum esse, quod viuentis & animati corporis pars non sit. Quoniam anima est actus corporis vniuersi vt ex omnibus suis partibus coagmentatur. Iam spiritum corporis partem non esse, ex his potest intelligi. Primùm is perpetuò fluit & refluit, in omnésque horas mutatur;

nec certum vnquàm locum aut situm tenet in corpore; quemadmodum omnes eæ partes, quæ propterea inter partes censentur, quòd alicubi determinatè, sursum aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum, ante aut retro, interius aut exterius, corpori constituendo adsunt. Sed ipse vagus totum percurrit corpus, ad omnes illius partes fouendas, conseruandas, & vt quæque suæ naturæ & conditioni conuenienter operetur. Deinde nullam habet innatam sibi temperationem, sicut habent omnes partes: sed quidquid est, habet à sanguine, ex quo actione caloris immediatè resoluitur. Immò nil aliud est, quàm putissimus ac tenuissimus sanguis: cuius comparatione eodem modò se habere videtur, quo ad aquam & terram se habet halitus ille duplex, humidus & siccus; qui ex hoc inferiori globo calore solis eleuatur. Sic enim spiritus calore cordis, quod instar solis est in animali, extenuato sanguine separatur. At sanguinem anima præditum non esse copiosè alibi demonstrabitur: neque igitur spiritus anima frui potest. Si enim is haberet animam, semen quoque animatum esset, quod tum spiritu constat, tum regitur: semen autem omni caret anima.

Spiritum esse calidissimum.

Nunc illud cognoscere oportet: spiritum hunc ersi inanimatus sit, aduentitio tamen & à corde hausto calore calidum omninò esse: immò eorum omnium, quæ sunt in corpore, calidissimum. Omnium namque tenuissimus est & rarissimus: idque non suaptè & naturali conditione, sed caloris opera atque industria, cuius est mirus & singularis effectus: maximè cùm ex calido item sanguine gignatur & calidissimo membro vasisque densissimus corde & arterijs contentus optimè foueatur. Accedit, quòd totus ferè calor, qui à corde in reliqua membra transfunditur: cum hoc spiritu distribuitur. Quare cùm is vehiculum sit & subiectum totius penè influentis caloris, qui toto animalis corpore continetur; calidissimus omninò sit oportet; maioréque calore æstuans, quàm ea omnia quæ ab ipso calorem hauriunt. Est etiam vnicum & singulare instrumentum operationum, si non omnium, certè plurimarum: sensus inquam & motus; eæque primo calore indigent. Neque longiore opus est probatione; cum vel ipse tactus optimus huius rei iudex maiorem multò in arterijs, quàm in cæteris partibus calorem persentiat.

Duo duntaxat sunt, quæ rem hanc in dubium vocare possint. Alterum est flaua bilis: quam Galenus in 1. lib. de arte curatiua ad Glauconem ca. 9. humorem esse scripsit omnium, qui sunt in corpore, calidissimum. Alterum cor; quod calidissimum esse constat fontémque caloris.

An flaua bili calidor.

Sanè Galenus, dum de flaua bili ita pronuntiauit solos humores considerauit; & eos inter se comparans calidissimum omnium esse biliosum verè affirmauit. Qui si cum spiritu quoque comparetur, non est quidem intensiore qualitate calidior: sed cùm adustionem habeat & siccitatem sociam, quæ caloris veluti lima est, calidior ex operatione iudicatur. Habet enim is humor mordacitatem quandam. Spiritus autem calor, vt socium habet humorem, sic benignior est & suauior. Nam tum ex sanguine, humida materia, gignitur: tum eam conditionem postulat finis, propter quem à natura comparatus est. Siquidem & animalium vita calore & humido sustentatur & regitur: & operationes sensus ac motus calore & humore optimè perficiuntur. Video etiam medicos consentire, in corpore sano & quàm optimè temperato spiritum esse flaua bili calidiorem posse tamen nonnunquàm tam vehementer aduri choleram, vt magis, quàm spiritus, incalescat.

An calidior cordc.

In corde autem vel innatam vel influentem temperationem considerare possumus. Si sola illius caro, quoad innatam elementorum temperationem spectetur, maior sanè est calor spiritus. Ea namque terrea prorsus est, dura, grauis, & frigida. Quòd si influens quoque temperatio accipiatur; adscisca túrque natiuus calor, qui membro illi inest, quatenus animatum: quidquid alij complures dicant, equidem maiorem cordi calorem inesse concedo. Quoniam vt omnis caloris fons est, & velut focus & lares in animali, quemadmodum Aristoteles loquebatur; sic in eo spiritus ipse gignitur. Qui cum animatus non sit, nullo sibi insito calore calet; sed eo solo, quem à corde, in quo genitus est, accepit: multò igitur calidius necesse est esse cor. Et ideò calorem habet permanentem & ad modum habitus, sicut cætera membra animatæque partes. Spiritus verò transeunter duntaxat & ad modum dispositionis: cùm non solùm vt sit, sed etiam vt conseruetur calidus à corde semper pendeat.

Sic igitur se res habet. Cor calidissimum omnium est & velut fons, qui calorem suum in alia omnia effundit. Cæterę partes exiguum calorem habent; qui nec ipsis ad vitam nec ad operandum satis sit. Inter hæc medius est spiritus, qui calorem à corde acceptum ad singulas partes reliquas deriuat. Et cor quidem permanentem duntaxat & propriú calorem habet: partes autem reliquæ tum proprium aliquem & permanentem tum aduentitium alium & fluentem: spiritus proprium & permanentem nullum, sed aduentitium solum: quem non propter se accipit, sed vt ad alias partes deportet. Duplicique potissimùm qualitate, calore & humore, quarum alteram habet ab effeciente causa, alteram à materia, ex qua gignitur, tota illius temperatio continetur.

Vt calor in omnibus partibus se habeat.

Spiritus temperatio.

DE DVPLICI SPIRITV, innato & influente: eiusq; restauratione.

CAPVT XIX.

Spiritus simplex.

CÆterùm dum huiusce spiritus originem intuemur, duplicé eum distinguimus. Alterumq. innatum & membris insitum appellamus; quod non per vllam caloris actionem illi adueniat, sed simul nascatur cum singulis. Quippe singulis, quòd animata sint caloréque ad operandum egeant, inseruit natura spiritum quendam, quo tum eorum vita consisteret, tum fieret operatio: maximè verò cordi tanquàm præcipuo membro. Alterum influentem & aduentitium dicimus, quòd noua caloris actione excitatus ad illi⁹ prioris conseruationem & perfectionem à corde

cæteris

cæteris membris addatur.

Innatus duplex

Porrò is, qui innatus esse existimatur, adhuc duplex est. Vnus in semine, ex quo animal gignitur. Alter in fœtu iam formato & singulis eius membris. De quo duo præsertim video disputari. Alterum, an posterior hic spiritus sit idem numero cum eo, qui erat in semine. Alterum, an tandiu in corporibus nostris conseruetur, quandiu viuimus. Prioris disputationis explicatio ex altera illa petenda est, quæ inter Aristotelem est & Galenum cæterósque ferè medicos; num semen in fœtus formatione euanescat & agentis causæ duntaxat vim habeat, an verò materia quoque fœtus euadat. De qua quid ego sentiam, eo loco aperiam, in quo de animalium procreatione fœtusque formatione differam. Nam si semen credatur euanescere, nequaquam eius spiritus retineri potest: sed eum, qui est in fœtu formato, alium quendam ab eo diuersum esse oportet. Sin autem semen materia fœtus euadat, consequens fortasse fuerit eundem illum spiritum in omnia corpuscu-

Innatum spiritum à seminis spiritu diuersum esse.

li membra distributum à natura conseruari. Ego verò vt partem seminis crassiorem & sanguineam arbitror cum menstruo sanguine permistam fœtus materiam fieri; tenuiorem autem & spiritosam, quæ efficiendi vim habet, euanescere: sic innatum membris spiritum à seminis spiritu diuersum esse existimo, actione caloris ex seminis aut menstrui sanguine in singulis genitum. Ex quo necesse est consequi, spiritum illum, qui membris primus innascitur, nequaquam in tota vita conseruari; quidquid in differentia 59. disputet Conciliator. Etenim continenter & in singulas horas mutatur, tenuissimus est, leuissimus, atque ad euaporandum promptissimus, facilliméque dissipatur, mutationem omnem subit, & mox cum reliquo spiritu influente permistus fluit & refluit, atque operatione consumitur.

Spiritum innatum in tota vita non conseruari.

Quomodo spiritus restauretur.

Hinc est, quod spiritus omnis restauratione indiget. Duobus autem modis restaurari eum ac renouari in lib. de vtilitate respirationis Galenus tradidit: tum ex sanguine, alio atque alio spiritu in corde resoluto; tum verò maximè ex inspirato aëre. Is enim, inquit ille, per arteriam asperam ad pulmones deductus atque in illis præparatus puriorque effectus, ad sinistrum cordis sinum per venalem arteriam transmittitur; ibique perfectus euadit spiritus: vt in lib. quoque 7. de vsu partium ca. 8. persequitur. Quæ optimi medici oratio plures & grauiores difficultates continet, quàm quæ hoc loco examinari possint. Non enim est nunc de respiratione & eius vsu disputandum.

Non restaurari inspirato aere

Posteriorem tamen renouandi spiritus rationem, quam præcipuam esse Galenus voluit, intelligere potuisset optimis argumentis ab Aristotele confutatam fuisse in cap. 8. libri de respiratione: aëriséque inspirationem illam demonstratam ad solam cordis refrigerationem, non item ad spiritus renouationem pertinere. Quoniam si hic quoque esset inspiriti aëris vsus, non statim expiraretur: sed interiore illo loco diligentissimè retineretur, vt ex eo procreari spiritus subinde posset: at spiritus tantundem expiratur, quantum inspiratum fuit. Deinde cùm spiritus mistum quodpiam sit corpus (est enim tenuissimus sanguis) neque mistum vllum nutriri simplici, neque corpus simplex in mistum mutari queat: planè simplici aëre spiritus nutriri aut ille in hunc mutari non potest.

Et in primo libro de elementis ipsemet Galenus tanquam certum accepit, nutrimentum omne debere esse mistum; nec esse quidquam quod simplici corpore nutriatur. Certè si spiritus posset aëre illo refici posset & sanguis, qui eiusdem cum spiritu naturæ est; posset & totum animalis corpus, quod sanguine sustentatur. Verùm quæ tanta est tàm leuis nutrimenti necessitas? An non dexter cordis sinus à iecore sanguine hausto semper abundat, ex quo spiritui copiosissimo materia suppeditetur? quid est opus exteriorem & alienum aërem aduocare? An non cum ea parte animæ, quæ rationis est particeps, magis philosophabimur, si idem esse affirmemus commune toti corpori iisque omnibus, quæ in eo sunt, nutrimentum? Ex sanguine corpus vniuersum sustentatur, & viuit; & si quæ in eo sint, quæ vitam & animam non habeant, vt dentes, vngues, pili, cornua; cùm tamen in eo contineantur, communibus aluntur opibus: animata quidem membra parte illarum optima; reliqua verò parte residua & minùs bona. Sic enim in 2. lib. de animalium ortu cap. 4. naturam sapiens philosophus prudenti patrifamilias in eo fecit persimilé, quòd ita rem familiarem dispenset, vt optimus cibus detur liberis, deteriór seruis, vilissimus sociis animalibus. Omnia tamen alimento eodem sustententur. Quid igitur solus spiritus alienam substantiam quærat, cùm ex communibus horreis sustentari possit? Præterea vt in piscibus per branchias & fistulam susceptа aqua non gignitur spiritus; sed is ex solo sanguine procreatur: nec aqua ingreditur cor, sed exteriùs solum refrigerat: quidni de aëre quoque in animalibus cæteris idem credamus? Video etiam in hoc philosophos omnes & medicos consentire; spiritum vniuerso corpori & singulis eius partibus necessarium esse, tum ad conseruandam vitam, tum ad operationes perficiendas. At quicunque ratiocinari voluerit, facilè etiam intelliget, idem oportere esse principium quo res vnaquæque est, & conseruatur; quoque & naturam suam tuetur, & conuenienter illi operatur. Si igitur sanguis, non aër, principium est & materia, quo viuentium hoc genus in natura consistit: illum ipsum sanguinem, (siquidem spiritus sanguis quidam est) non aërem, credendum est esse principium, quo illud ipsum & conseruetur & operetur. Ergò ex crassiore sanguine in iecore genito atque in vniuersum corpus distributo partes omnes nutriuntur. Ex quadam autem illius parte, quæ semper in corde susciptur, maximo illius membri calore tenuata, gignitur & continenter renouatur spiritus; qui tum ad conseruandum, tum ad operandum, tanquàm subsidiariæ copiæ, subinde mittitur. Neque inspiratus aër sinum cordis ingreditur (quódnam enim exterius & alienum corpus, præter sanguinem, illi totiq. animali nutrimentum familiare, nobilissimum illud membrum admittat?) Sed pulmonibus duntaxat susceptus calorem illum refrigerat, idémque ipse calefactus expiratur, vt, frigidior alius inspiretur. Verùm de hoc alibi.

Alimētum idē totis corporis.

C

NATVRALEM SPIRITVM minime necessarium esse.

CAP. XX.

Auicennæ opinio de triplici spiritu.

TAm cum altero medicorum principe altera mihi futura est disputatio. Nam cùm de influente spiritu sermo est, qui ad innati perfectionem & refectionem refertur, Auicēna in primo ten. 1. Can. doct. 6. cap. 4. & in lib. de medicinis cordis, & prima parte canticorum, triplicem distinxit spiritum, naturalem, vitalem, animalem. Naturalis ortum habet in iecore, per venas spargitur, & vegetanti animæ, quam naturalem vocant, famulatur. Vitalis in corde & per arterias distribuitur ad efficiendum pulsum & omnium animalium vitam cōseruandam. Animalis demum in cerebro, pérque neruos ad sensum omnem diffunditur. Ac animalem quidem spiritum esse omnium postremum consentiunt omnes. At de duobus prioribus non item. Nam Auicenna primum visus est vitalem facere. Tum quòd cor illius fons & principium primum omnium membrum esse voluit. Tum quòd spiritus is ad vitalem pertinet facultatem, à qua reliquæ omnes magnopere pendent. Alijs verò prior est naturalis. Quoniam coctio, qua spiritus ille gignitur, prima est omnium operatio: nec solùm vitalem spiritum antecedit, sed sanguinem quoque, ex quo ille principium ducit.

Galenus.

Galenus autem de hoc naturali spiritu dubitare visus est, dum in 12. lib. de medendi methodo cap. 5. vitali & animali spiritibus cōmemoratis ita locutus est: quòd si naturalis quoquē aliquis spiritus est, is vtique quoque in iecinore & venis continebitur. Et Auerroes in comm. 81. & Can. eum omnino affirmasse credidit. Sed in introductione seu medico cap. 13. duos duntaxat priores manifestè constituit: Auerroēsque in prim. colliget 13. & peritiores quique philosophi (si Alcinoum se pares, quem in libro de doctrina Platonis cap. 17. dixisse reperies cibos in ventre degeri spiritu simul & calore attritos atque mollitos) nullum in iecore aut venis naturalem spiritum contineri ostendunt.

Naturalem spiritum necessarium non esse.

Quorum ego sententiam has potissimùm ob causas libenter amplector. Primum quoniam solertissima spiritus conseruatrix natura nullum constituit vas, in quo aut spiritus ille gignatur, aut genitus conseruetur & per corpus distribuatur. Nulla enim est in iecore, vt in corde & cerebro, cauitas, nullus locus ad eum vsum cōparatus venæque, per quas fortasse distribui posset, crasso semper sanguine plenissimæ sunt. Cùm tamen vitali spiritui & animali aptissima vasa præparata conspiciantur: Deinde vegetantis animę functiones nullo indigent spiritu. Tum quòd materiales prorsus semper sint. Tum quòd naturæ suæ conditione spiritus generationem antecedunt: cùm fieri spiritus nequeat, nisi alimenti commutatione: quæ propria est illius animę, & iecinoris actio. Tum demum quia cùm in quādam solùm assimilatione atque alimenti in viuentis substantiam mutatione versentur; alimento duntaxat & calore singulis membris insito opus habent. Naturalis enim is calor & alimentum breui tempore deuorat & in aliti substantiam mutat. Et an non in plantis & stirpibus absq. vllo spiritu totum hoc operationis genus optimè absoluitur? Cùm ne vllum quidem in illis sit iecur, in quo spiritus producatur. In animalibus adest quidem iecur, sed tamen singula quoque membra animam habent & calorem, tum ipsis insitum, tum à cordis calore actuatum; quo alimentum quoduis conficiant & mutent. quocirca parùm sapienter philosophabitur, quicunque spiritum illum propterea necessarium esse pronuntiauerit, vt per eum vis nutriēdi à iecore cæteris mēbris communicetur. Nam hæc virtus animam ipsam immediatè consequitur: & vt in singulis est anima, sic propria singulorum inest nutriēdi facultas, eiusque singulare instrumentum est calor.

Membrorū omnium enaporatio.

At magnopere vereor, ne tota hæc disputatio in ambiguo versetur; vocúmq. multiplicitas vario vsu foueatur. Aut enim spiritum propriè nominare possumus, aut ampliori quadam significatione; qua quilibet etiā vapor aut halitus actione caloris ex materia humida excitatus intelligatur. Neque eos video, qui naturalem illum spiritum nominarunt, aliud quidquam significasse, quàm vaporem ex iecinore & sanguine ascendentem: & in canticis aperta sunt, Auicennæ verba. quam euaporationem non solùm in iecore fieri negandum non est; quin potiùs fatēdum eandem membris omnibus communem esse: nec parùm antiperistasi calorem eum iuuari, qui in omni operatione necessarius est. Modò euaporationem hanc cōcedatur propriè spiritū non appellari. Ita concludetur, duplicem dūtaxat, si accuratè loqui velimus, spiritum nominari, vitalem vnū, alterum animalem: de quibus iam seorsim dicam.

DE SPIRITV VITALI & animali.

CAPVT XXI.

Vitalis spiritus.

SPiritum illum, qui gignitur in corde, atq. à sinistro ejus sinu per arterias effūditur in omnes corporis partes, vitalem appellamus. Quòd ab illo mēbro principiū habeat, quod vitæ omnis fons est & origo atque ad calorem, & vitam fouendā distribuatur, pulsúmq. efficiat ac demū facultatiui animali famu*Ani malis.*letur. Qui verò in cerebro cōtinetur, & inde per neruos ducitur, animalis propterea dicitur, quòd animaliū operationū, sensus, & motᵒ instrumentū sit: ab cóq. mēbro ducatur, quod animalis virtutis, aut principium est, aut certè administrator.

Vter prior.

Vterque autem spiritus in fœtus formatione æquè primò insitus est illi membro; ad quod pertinet. Neq. enim aut cor sine spiritu vitali gignitur, aut sine animali cerebrum: Sed vtriusque membri loca tenuissimo illo implentur corpore. An verò simul vterq. spiritus producatur, an prior sit vitalis, deinde animalis; cōstitui nequit, nisi antea intelligatur, an cor prius, quàm cerebrum, formetur: qua de re alibi disputādum erit. Sed quoniam certū est, cerebrū nequaquā formari ante cor; manifestum quoque est, spiritum animalē vitali priorem non esse. quòd si cor anteriorē habeat ortum, cōsequens omnino erit, vitalem animali antecedere. Sin autem vtrumque mēbrum simul formaretur; neuter spiritus altero prior esset, nisi naturæ ordine: quia cū cor sit primum membrorum omnium, si non ortu, certè virtute, & actione, qua influere debet in cætera, omniáque fouere, conseruare & adiuuare, vitalis item illius spiritus cerebri spiritu prior erit. Iam verò si influ-

in fluxum illum ſpiritum conſideres, qui caloris actione produ citur, quoq. inſitus ille renouatur: & conſeruatur animalis profectò ſpiritus gignitur totus, nutritur, atque reficitur vitali. Planũ namq. eſt, à corde ad caput arterias complures repere, & earum præcipuas ad cerebri ſinus iſti. quod argumento eſt, optimam parentem naturam in eum vſum canales illos paraſſe, vt per eos à corde ad cerebrum ſpiritus mitteretur, quo frigidi membri, atque ad gignendum ſpiritum inepti refici ſpiritus poſſet, & conſeruari.

Vt vitalis ſpiritus in animalẽ mutetur.

Ergò vitalis ſpiritus ductus ad cerebrum in admirabili contextu præparatur: deinde interiores cerebri ſinus peruadens in animalem mutatur. Mutatur, inquam, non ſubſtantia, vt aliqui medicorum crediderunt, ſed accidente duntaxat, & qualitate. quam ob cauſam mutatis interdum nominibus vſi ſunt veteres, peripatetici, & animalẽ ſpiritum vitalẽ appellarunt: vt Smplicius in comm. ad tex. 122. & Themiſtius in tex. 124. libri 2. de Anima. quæ enim alia vis, aut actio ſit illius mẽbris, niſi refrigerandi & humectãdi, hoc eſt vehemẽtiorem illius corporis calorem à calidiſſimo membro acceptum mitigandi? Mutatur autem, & temperatur; tum neceſſitate, quia cùm ad locum frigidum & humidum venerit, refrigeretur, & humectetur neceſſe eſt: tum verò ita exigente fine, propter quem illuc ſpiritus ille ducitur. quippe vitales operationes maximo quidem calore opus habent: at animales, ſenſus, inquam, & motus, quæ per eum ſpiritum fieri debent, delicatum magis, magiſque humidum & temperatum poſtulant. Et niſi cerebrum quoquo modo alteraret, & mutaret vitalem eum, qui à corde aſcendit, operationes omnes, quæ deinceps illius ope fierent, cor, non cerebrum, ſui principium, & auctorem agnoſceerent, cerebrumque paſſiuè duntaxat ſe haberet, tãquam via, & canalis, per quem ſpiritus à corde ad organa vſque ſenſuum mitteretur: cùm tamen cor vitalium, cerebrum animalium, eſſe principium, aut certè adminiſtratorem, ac moderatorem, communis iam medicorum & philoſophorum ſchola confirmet. Hinc efficitur neceſſariò, vt cùm cerebrum nullius operationis principium eſſe poſſit, niſi per neruos, qui ad omnes corporis partes inde ducuntur (ſiquidem nihil inde aliud ducitur, niſi neruus) iure optimo affirmare poſſimus, neruos eſſe quoquo modo principia ceu inſtrumẽta animaliũ omnium functionum: cúmque operatio nulla fiat, niſi per ſpiritum illum à cerebro deriuatum; neceſſe eſt ab eo membro nõ minùs ad omnes partes animalem ſpiritum per neruos tranſmitti, quàm à corde per arterias vitalis deriuetur.

Cur mutetur.

Neruianimaliũ functionum inſtrumenta.

Vt ſpiritus animalis à cerebro tranſmittatur.

Eodem autem prorſus modo tranſmittitur: motu ſcilicet illo, quo vtriuſque membri ſinus contrahuntur & in ſeipſos cõprimuntur. Tunc enim, vt cor in arterias, ſic cerebrum à prioribus in poſteriores ſinus, & ſpinæ medullam, atque adeò in organa ſenſuum, & neruos omnes effundit ſpiritum. Nam etſi optici ſoli nerui manifeſtè perforati ſint, is tamen ſpiritus tàm eſt tenuis, & purgatus, vt animatam neruorum ſubſtantiam facilè peruadat, & ad ſingulas corporis partes ſenſim penetret, ad omnem ſenſum, & motum ſedulò exequendum. quod eò faciliùs mihi perſuadeo; quia neruis illis ligatis, qui à poſteriori cerebri parte deſcendunt, motus omnis ceſſat in corpore: eam nimirum ſolam ob cauſam, quòd deſcenſus ſpiritus impediatur. Sic enim ligata quoque arteria, pulſat quidem ea pars, quæ cordi coniuncta eſt; at pars reliqua omni pulſu deſtituitur, quòd ſpiritum nullum ſuſcipiat. quemadmodum igitur cor effuſo per arterias ſpiritu operatur omnia, quæcunque ad vitam pertinent, ita cerebrum ſpiritu per neruos diſtributo exequitur ea, quæ ſunt ſenſus, & motus.

Vt hi ſpiritus differunt.

Poſtremò ex his omnibus intelligitur, animalem hunc ſpiritum non ſpecie, & natura, ſed accidente ſolùm, & temperatione à vitali differre: quòd is paulò tenuior ſit, humidior, & calore magis temperatus: tum loco, quo continetur; principio, à quo pendet; modo, quo per corpus ſparguntur; ac demum vſu, & fine, ad quem mittuntur. Alter enim in corde, alter in cerebro continetur; indéque originem habet. Alter per arterias ad calorem vitámque tuendam; alter per neruos ad ſenſus & motus actiones refertur. quæ omnes differentiæ accidentariæ ſunt.

INESSE IN VIVENTIBVS humorem, quo calor ſuſtentatur.

CAPVT XXII.

Humor vitæ fundamentum.

Sapienter ſcriptum eſt ab Ariſt. in lib. de longitudine & breuitate vitæ cap. 3. viuentia omnia calore, & humore abundare; vitámque omnium duplici hac qualitate conſeruari. quapropter, vt in illis calor ſuperat frigiditatem, ſic humorem par eſt vincere ſiccitatem. Vnde etiam ſemina humida ſunt: & in prima ætate membra omnia ſunt humida; atque in tota vita momentis ſingulis ſiccantur, donec in ſicciſſimam deſinant ſenectutem. Cùm igitur de calore, & ſpiritu, qui caloris vehiculum, & quaſi portitor eſt, dictum ſit; de humore quoque quo calor ſuſtentatur, dicendum eſt.

Ineſſe in viuentibus hanc humorem.

Ergò ineſſe in animantium corporibus hoc humidum, tria præcipuè teſtantur. Primùm calor ſua natura reſoluit ſemper, & aſcendit, niſi cum aliquo coniungatur, & in eo detineatur: conſeruatur autem, & detinetur in humido pingui, & aëreo, eóque conſumpto ſtatim extinguitur; vt in igne manifeſtum eſt. Viuentium porrò hic calor cum frigore ſanè coniungi non potuit, propter generalem contrariarum qualitatum repugnantiam. Siccitatem verò ſi habuiſſet ſociam, non modò non conſeruaſſet, & fouiſſet animal, ſed breui potiùs interitum ei attuliſſet membráque omnia conflagraſſent. Solus igitur humor coniungi cum eo poterat.

Deinde viuentium corpora calida ſunt, & denſa, quia ſic optimè operantur. Calori huic ſi ſiccitas adiungatur, non conſiſtet denſitas: ſed calor maximam parabit ſibi raritatẽ, adurétque ac deſtruet viuentium vitam. Eadem quoque ſiccitas cum denſitate coniuncta ineptum redderet

viuens, & stolidum: quippe sua natura qualitas est inertissima. Humor aptissimè potest adiungi: nam & caloris mordacitatem, impetum franget, & densitatis duritiem emolliet.

Operationes omnes humor iuuat.

Ad extremum aptissimus est humor ad operationes omnes animalium, siccitas ineptissima. Nam si corpus esset siccũ, attrahi cibus non posset ad nutriẽda mẽbra, neque illis attractus applicari, nisi fortasse cũ sũmo animalis dolore molestiáq. Quam ob caussam in 3. libro de symptom. caussis cap. 3. verè ratiocinabatur Galenus, appositionem cibi faciliorem multò esse in pueris, qui plurimo abundant humore; quàm in ætate grandioribus, quorum corpora iam sunt sicciora. Sensuum item functiones imperfectissimæ essent, & minimè diuturnæ: quoniam aut alicuius rei susceptione fiunt, aut spiritus certè indigent diffusione. Et ideò qui siccioris constitutionis sunt, operationibus hisce funguntur ægriùs, & ad eas citiùs redduntur inepti. Denique membrorum motus humorem requirit; propterea quòd ea eiusmodi esse oportet, vt facilè flecti possint: eóque magis, quòd naturali conditione densa sunt, & solida. Itaque iure optimò Aristot. duobus hisce qualitatibus, calore & humore, seu calido pingui, totam animantium vitam contineri affirmauit, duasque his cõtrarias, frigus, & siccitatẽ, qualitates esse maximè pernicioſas. Quia dum calorem extingunt, & humorem exhauriunt, mortem iuuenibus omnibus adferunt. Eáque quæ maiorem habent calorem, & humorem magis copiosum, vt ægrius refrigerantur, ita longinquioris vitæ sunt.

Calor & humor vitæ propria.

A B C

DE MVLTIPLICI HVMORE in animantium corporibus contento.

CAPVT XXIII.

D

HVmorem porrò in animantium corporibus duplicem agnoscimus. Innatum alterum & primigenium; quem radicalem plerique nominant; quòd singulis membris in ortu primo radicitùs quasi insitus sit. Alterum influentem, & aduentitium. Innatus & primigenius est is, quem ex humida illa menstrui sanguinis & seminis massa, ex qua formatus est fœtus singula membra primùm habuerunt. Is num ad membrorum substantiam pertineat necne; ex iis iudicandum erit, quæ antea de calore posita sunt. Eadem enim de vtraque difficultate debet esse sententia. Sed hic multiplex est. Vt animantium corpora ex quatuor elementis concreta sunt, in quibus duo sunt humida; ita duplicem humorem continent. Alter est aqueus, frigidus, tenax, viscosus: quo tanquàm visco terreæ corporis partes copulantur, & cohærent: non item pascitur calor, quin potiùs extinguitur, & opprimitur; tum pugnace & contrario frigore; tum crassitudine nimia quæ illius expirationem impedit. Et ideò neque calore consumitur, sed integer penè totus conseruatur: vt partium copulatio testatur: quæ semper eadem est, vel etiam animali mortuo. Alter aëreus, calidus, humidus, & pinguis; aptissimus ad ignem, & calorem quemuis fouendum, & sustentandum. Atque hic est,

Innatus humor & primigenius.

Aqueus.

Aërius.

E

cui adiungitur, & in quo natiuus animantium calor conseruatur. Et ideò qualitas altera vitæ existimatur esse. quia cùm in calore potissimùm consistat vita, is humoris hoc genere sustinetur: & tandiu viget in corpore, quamdiu adfuerit humor; eóque exhausto ipse quoque extinguitur. Tertius ex his efficitur humor impurus; hoc est, aëreus quidem, sed aqueo permistus; in aquatilibus præsertim, & phlegmaticis animalibus. quóque plus fuerit aqueæ humiditatis permistum, eò plus boni, & aërei humidi euanescet, minúsque syncerum erit id quod relinquetur, sed quoniam solus aëreus ad vitam conseruandam pertinet, neque hic tertius vitalis est, nisi quatenus quandam aërei humoris partem habet: is solus intelligendus est, dum aut vita in calore & humore versari pronuntiatur; aut omninò innatus, & primigenius humor nominatur.

Impurus.

Dum autem humor alter proponitur, quem influentem, & aduentitium dixi; is quoque duplex distinguitur. Sed qui ex membrorum euaporatione, aut spiritu corpus vniuersum irrigante, membris quibusque accedit, & vitalem, atque animalem virtutem iuuat; minoris omnino momenti est. Potior alter existimatur, quem alimentum adducit, tum ad natiuum calorem pascendum; tum ad primigenium illum humorem renouandum membráque omnia restauranda, atque vt vno verbo dicam, ad vniuersam vegetantis animæ vitam operatione & studio conseruandam. Hic igitur est multiplex in nostris corporibus humor. De eo, qui spiritu continetur, latis antea dictum est. Alimentarius ad nutritionis potiùs cognitionem pertinet. Hoc loco de innato, & primigenio dicendum superest.

Aduentitius humor.

QVOD SIT PRIMIGENII humoris subiectum.

CAP. XXIIII.

PRimùm autem explicandum est illud, quòd in dubium vocasse legimus Dinum grauem olim medicum. Is in vnoquoque viuente, immò & in quolibet misto, duo credidit corpora reperiri, reipsa & numero inter se distincta, alterum caloris, alterum humoris subiectum. Cùm enim calor in humorem agat, eúmque continenter depascat, nil, argumentabatur ille, agere potest in seipsum, sed omne agens in aliquid à se diuersum agit. Proprium igitur, & diuersum necesse est esse aliquid harum qualitatum subiectum.

Prim. opinio.

At facilè videre potuisset, si ita res habeat, aliúdque caloris, aliud humoris subiectum sit, aut aliarum qualitatum, quæ agere vicissim possunt, nullam ex illis vnquàm permistionem futuram. Hæc enim vnum commune omnium subiectum postulat. Deinde si vita, & anima calore & humore sustinetur, quis non videt, nullum corpus nullámue corporis partem vitæ, atque animæ participem esse posse, nisi calorem, & humorem habeat? quare si seorsim sint, & calor & humor, atque in diuersis subiectis & corporibus collocẽtur, neutrum illorum animatum erit, neutrum viuet, quippe altero vitæ principio destitutum. Sed calor omnis annon in humore sustentatur; ene-

Confutatio.

étóque humore perire simul cum eo calorem necesse est? Non ergò potest calor in vllo corpore conseruari & vigere, quin illud ipsum humidum sit. Ideò quoque non parum errauit Dinus, quòd innatum humorem credidit à vitali calore consumi: contrà quàm omnino eueniat; vt foueatur potiùs & restauretur, quàm consummatur & dissipetur, quemadmodum antea disputatum est. Verùm quicunque tandem sit calor, qui humorem eum depascat; annon necessario fit, vt contrariæ & pugnantes qualitates in vno eodémque subiecto contendant ac sese vicissim interimant? nec tamen idē in seipsum agere existimatur. Quis enim diuersarum & contrariarum qualitatum pugnam actionem esse dicat eiusdem in seipsum? Ergò vt rem vniuersam in caput referamus tantum abest, vt vnum & idem esse non possit caloris vitalis & humoris primigenij subiectum, vt id maximè necessarium sit: cùm hæ duæ qualitates tàm arcto sint societatis vinculo colligatæ, vt nec calor nisi in humido sustentari queat, nec humor conseruari, nisi à calore momentis singulis foueatur ac renouetur.

Verior sententia.

Quæ si ita sunt, profectò ea omnia, quæcunque de caloris subiecto in superiori disputatione posita sunt, de huius quoque humoris subiecto intelligere oportet. Hoc vnum addam posse animaliū corpora, aut in prima illa ætate cōsiderari, quapropter nimiam humoris vbertatem tota sunt mollia & infirma; aut in grādiori iā & perfectiori conditione, qua membra omnia solidiora sunt, & robustiora, magna illius humoris parte consūpta. Etenim in prima ætate manifestum est, primigenium humorem per corpus vniuersum in partes eius singulas dispersum esse: quæ est caussa, cur nihil durum sit, nihil solidum, nihil consistens; sed tenera omnia & caduca, vel etiam ossa. Verùm is humor nequaquàm est membris omnibus naturalis & debitus, sed originalis & ex primordiis naturæ desumptus: dum ex eadem seminis, menstruique sanguinis massa tota humida efformata fuerunt omnia, nec dum elaborata neque ad perfectum adducta statum, in quo magna illius humoris pars assumpta fuerit. Quocirca in ætate altera, in qua corpus magis siccatum est & perfectum in carne præsertim carnosisque partibus primigenius humor conseruatur. Ossa enim nerui, cartilagines, aliæque his similes partes, vt sua natura sicciores esse debuerunt, ità minùs humoris in ortu primo acceperunt; qui faciliùs & citiùs siccatur, quàm copiosior is, qui est in carne. An verò totus illarū partium primigenius exhauriatur, solúsque supersit alimentarius humor, magnopere disputari potest: mihiq. videtur rationi perquā consentaneū affirmare, si nondum ea ætate, aliquādo certè, antequàm totus carnis humor sumatur, vniuersum eū siccari, qui siccioribus hisce partibus cōtinetur. Quippe certa ratio persuadet minorem humorem faciliùs, & citiùs siccari, quàm eum, qui est copiosior: illúmq. conseruari diutiùs, qui cum debiliori siccitate coniūctus fuerit. Hoc verò exinanito, interiori quidē ex alimento hausto humore cōstabunt partes eæ, sed primigenio exterius duntaxat linientur à proxima sibi carne; vdæque potiùs, quàm humidę erunt: quod ad tuendam illarum vitam, quę calore, & humore dicitur conseruari, satis profectò est.

In prima ætate humorē esse per omnes partes dispersum.

In grādiori ætate in cārnosis partibus.

Caloris & humoris differentia.

Itaq. hoc inter calorē interest, & humorē quòd natiuus calor per ōmnes viuentis corporis partes in omni vita diffusus est: tum quòd animā in omnibus cōsequatur: tū quòd fouere omnes debeat, omniúmq. operationib. sit cūprimis necessarius. Humor autē etsi alimētarius adsit omnibus, quòd alantur omnes: is tamen, quia primigenius est, in prima quidem ætate omnibus inest, at procedēte tempore in quibusdam solùm, quæ naturali cōstitutione humidę sunt, intrinsecè continetur; in reliquis siccioribus dūtaxat extrinsecè. Verùm hoc euadet planiùs ex iis, quæ de huius humoris resolutione subiiciam.

QVOMODO IS HVMOR IN SINgulis membris consumatur.

CAPVT XXV.

INnatum singulis mēbris humorem per omnes horas cōsumi, ac penè extingui; vel à calore elemētari & sicco, qui est in viuente; vel à vehementiori calore externo, vel á frigore vel ab alia simili caussa, constat iam ex iis, quæ de calore antea disputata sunt. Iam quoniam posui, humorem hunc non esse intrinsecè in omnibus partibus, sed in carneis duntaxat, reliquas verò extrinseca potiùs humiditate perfundi: illud consequēs esse videtur, resolutionem, & cōsumptionem humoris, eiusq. reparationem, quę in ossibus, neruis, & aliis eiusdem generis partibus fiunt, dum continenter nutriuntur; esse potissimū in alimentario humore, húncq. esse illum, qui præsertim de fruitur ac reficitur. Quia tamen vita in calore consistit & humore, non quouis, sed primordiali & innato, necesse est hanc ipsam cōsumptionem ac restitutionē humoris in his partibus concēdere, sed tamen longè alia ratione, quā in iis animaduertamus, quæ carneæ sunt, & intrinsecum humorem habent. In his enim intrinseca fit consumptio & reparatio: qua substantia ipsa mēbrorum mutatur, dissipatur, & reficitur, quia corrumpitur illud humidum, quod illis erat intrinsecum, & aliud in eius locum ex alimento sufficitur. At in reliquis extrinseca tantùm mutatio fit, & siccantur solùm quoad exteriorem humiditatem, quam à proximis membris acceperant: quoad siccā verò substantiam humorē solùm alimentarium mutant.

Consumptionem & reparationē esse maximè alimentarij humoris.

Nonæqui in omnibus partibus humorem consumi.

Hoc ita esse, multa mihi persuadent. Primū partes eæ temperationem habēt omninò siccam, aut si quam humiditatem habēt, ea tenax est & aquea, miniméque ad nutriēdum calorem apta; quin potiùs ad suffocandum & opprimendum aptissima. Deinde in magna aliqua fame corrosionē quandam in nostro corpore sentimus: non ossium, neruorū, cartilaginū; sed carnis & carnearū partium: neq. ex inedia priores, sed posteriores partes conficiuntur: non ergo illæ sed hæ potiùs partes sunt illę, quę verè & intrinsecè cōsumūtur, indigéntq. restauratione. Tū verò si casu, aut vulnere, aliáue quauis ratione frangatur, aut à corpore separetur aliqua prioris generis pars, vt os; nunquàm in eo mēbro reparari potest, neq. cibi sumptione neque medicamentorum virtute. quod eam videtur habere caussam; quia cùm in illis partibus primigenius hic humor consumptus sit, neque intrinsecè contineatur; earum reparationem contemnit natura; cùm illud non habeant, quo vita

Cur ossa fracta non reparentur.

in primis sustentatur. In pueris autem, in quibus partes omnes hoc humore fruuntur; nec earum vlla tantopere adhuc siccata est, vt humorem primò sibi concessum prorsus amiserit; ossa fracta, & reliquæ omnes partes facilè reparantur: quoniam cùm principium illud & fomentum vitæ habeant, natura de illis est magnopere sollicita. Postremò ea est mihi non leuis coniectura, quòd in graui aliqua & longa infirmitate, quæ animalis natura plurimùm conflictetur, maxima caloris atque humoris innati fiat iactura, carnem, & carneas partes videmus extenuatas fuisse ac planè consumptas; ossa, neruos, & id genus alia; magnitudinem eandem & integritatem seruasse; in eóque duntaxat fuisse mutata, quòd non nihil siccata sunt: propterea quòd dum partes humidæ fuerunt consumptæ, effectum quoque est, vt tàm copiosus humor ad ossa, neruos, & sicciores partes non potuerit deriuari. Hoc ipsum in cadauere quoque animaduertas: in quo carnem absumi, ossa siccari duntaxat, sed propriam quantitatem, & substantiam semper videas retinere.

Aliquas partes non semper nutriri.

Quo loco nequaquam ego illum reprehenderem, qui ossa, neruos, & alias similes partes post consistentiæ statum aut exhaustum in illis humorem primigenium, non nutriri ampliùs affirmaret; quòd non debeant ampliùs humidum illud, quod consumptum habeat resarciri: verùm aliqua solùm extrinseca madefactione indigere: & ideò librum in duas partes diuidi; quarum altera nutriat, & reficiat reliqua membra, altera quasi ros madefaciat, & exteriori quadam humiditate perfundat eas, quæ nutritione non egent. Omnino tamen existimo eas quoque per omnem vitam nutriri: propterea quod calorem habent, quo alimentaria humiditas momẽtis singulis dissipetur; & siccitatem magnam, qua & hæc ipsa humiditas oppugnetur, & altera illa exhauriatur, quam eæ partes extrinsecùs accipiunt à membris humidis sibi vicinis. Et ideò tum hæ humiditates crebrò instaurari debent; tum illæ ipsæ partes animatæ sunt, & calore præditæ, quo perficere nutritionem possint.

A B C D

QVOMODO CONSVMPTVS *resarciatur.*

CAPVT XVI.

VErùm enimverò cùm ostensum sit primordialem hunc humorem perpetuò consumi, & confici: sæpiúsque dictum sit, actione natiui caloris eum recreari, & refici: hoc iam an ita sit examinandum est. Refert Conciliator differentia 112. non defuisse, qui crederent humorem consumptum nullo modo restaurari posse; neque alimentum in humoris primigenij naturam mutari: sed iuuare duntaxat impediendo detinendóue illius consumptionem; dum ipsum obiicitur calori, qui humorem innatum deuorabat, si enim inquiebant illi, humor ille recuperari posset, posset nimirum animantium vita reddi perpetua.

E

Prim. opinio.

Secundæ opin.

Cæterùm cùm viuentia nutriri certum sit, atque alimentum in membrorum substantiam mutari; ineptum est hac de re dubitare. Itaque fuit semper tum philosophorum, tum medicorum consensus, humidum consumptum alimento resarciri: atque hanc ob causam nutriendi facultatem fuisse viuẽtibus à natura tributam, vt eorum vita fieret diuturnior, continua dissipatæ substantiæ instauratione. Quin etiam ex iis permulti quoad naturales & animales virtutes reponi posse dixerũt æquè bonum & perfectum humidum; immò melius & perfectius eo, quod fuit consumptum. Quanquàm id in vitali virtute, quæ ad vitam pertinet prorogandam, fieri non posse contenderint; sed continenter labi & ad mortem ruere. Alij demum virtuti quoque vitali hoc ipsum videntur concedere; cùm absolutè pronuntiant, æquè bonum & melius humidũ restaurari posse.

Non semꝑ æqui bonum humidũ reponi.

Equidem duo constanter affirmabo. Alterum est, humidum hoc posse interdum melius & perfectius, quam alio tempore, renouari. Tum quia potest interdum natiuus calor ab externa quapiam caussa impediri, eiusque operatio infirmari: quo impedimento sublato melius & perfectius operabitur, sic hyeme melior est, quàm æstate, cibi coctio, & verno præsertim tempore sanguis & viuentium corpora omnia renouantur & quasi reuiriscunt: postque ægrotationem recuperata sanitate perfectius multò restauratur humidum, quàm eo tempore, quo virtus morbo afflictabatur. Tum quia humor quoque ipse interdum non purus est, sed pessimis affectus qualitatibus; vt in ectico, leproso, aliisque similibus morbis laborantibus; post verò purior est & syncerior. Tum demum quia tota hæc naturæ restauratio magnopere pendet ex bonitate & perfectione alimenti, interdúmque melioribus, quàm alio tempore, alimentis vescimur; neque dubitari potest melius ex illis & perfectius humidum corporibus nostris reponi. Quam ob caussam beatiæ verno tempore renouantur totæ & earum corpora pleniora fiunt & obæsiora; quòd optimis herbis vescantur.

Deterius semper.

Alterum est, absolutè tamen loquendo & in ordine ad vitæ durationem, nullo vnquam tẽpore posse melius humidũ restaurari, quàm esset antea, immò nec æquè bonum; sed deterius semper. Nõ modò quia si secus esset, posset animantium vita perpetuó conseruari, & senex repuerascere. Verùm etiam propterea quòd natiuus calor, qui restaurare humorem debet & alimẽtum in mẽbrorum substantiam mutare, momentis singulis debilior fit & simul cum humore ipso innato consumitur, atque ab alimento, in quod agit, aliquid semper detrimenti patitur: ac proinde semper fit ad operationem infirmior, quamuis aliunde nonnunquàm magis, quàm alio tempore, viuetur. Quocirca in animalibus præsertim tres illas vitæ partes præcipuas, tresque mutationes distinguimus. Primam qua crescunt & grandiora fiunt eorum corpora, quandiu robustior est calor, & plus reponit, quàm detractum fuerit. Alteram, qua in eodem statu consistunt. Postremam, qua minuuntur. Calore scilicet primùm nonnihil debilitato, & tantundem solùm alimenti commutante, deinde magis fracto ac penè extincto. Vt quemadmodum minuitur calor, ita quoque breuior animantium vita relinquatur, tandémque finem habere cogantur. Quod vitæ spatium, vt pluribus post ostendam, in quibusdam breuius est,

Tres vitæ partes.

est, in aliis longius; vt singula plus caloris & humoris habuerint, & vtramque qualitatē diligentiùs conseruauerint atque ab hostilibus & contrariis causſis defenderint, ac demum optimis alimentis miniméque calorem innatum obruentibus temperatè quæque vsa fuerint.

Humorem innatum ad vltimum vsque vitæ conseruari.

Non ignoro non deesse, qui humorem illum, quem in prima formatione hausserunt corpora nostra, nequaquàm credant advltimum vsque vitæ aliqua saltem ex parte conseruari: propterea quòd perexiguus sit, nec tandiu videatur posse ab interitu vindicari. At quid aliud est naturalis mors quàm humoris huius consumptio caloriſque extinctio? & vndenam naturalis vitæ periodus fieri poterit, niſi ex humoribus huius & caloris quantitate petatur? nam qui copioſiorem humorem habent abundantioremque calorem, ideò diuturniorem degere vitam existimantur; quòd in eorum corporibus diutiùs conseruetur is humor, qui caloris & vitæ fundamentum est. Quòd ſi is quantitate exiguus est, virtute certè plurimus erit: omnique ſtudio & induſtria fouebitur, augebitur atque ab alimentario humore reſtaurabitur; qui tum eo coniunctus nequaquàm illius naturam mutabit, ſed potiùs tuebitur. In plantis verò, quæ ex minimo interdum ſemine naſcuntur, primus ille humor in radicibus maximè, internodiis, & ſimilibus partibus conſeruatur. Denique ad hanc ſententiam confirmandam illud est non leue argumentum, quòd cùm in duabus illis qualitatibus omnis vita conſiſtat, abeuntibus illis ſubſiſtere vita non poſſet: & niſi eædem omni tempore permanerent, non eſſet idem numero viuens in tota vita, ſed de hoc alibi pluribus diſſerendum est.

DE SEXVS DIVERSITATE, mariſque & fœminæ temperatione.

CAPVT XXVII.

DIxi de iis, quæ velut principia ſunt viuentium temperationis; de calore inquam naturali, de ſpiritu, de que humore primigenio. Cõſequens eſt de iis dicere, quæ cum tẽperatione cohærent & ab ea proficiſcuntur, ad eámque ignoſcendam magnopere pertinent. Statim autem mihi ſeſe offert diuerſitas illa ſexus maris & fœminæ, quæ ex temperationis diuerſitate naſcitur. Non ita tamen, vt mas & fœmina, ſiue animalis, ſiue viuentis, eſſentiales differentiæ ſint. Nam vt Androgynos mittam, in quibus vterque ſexus reperitur, nec tamen in vno & eodem plures eſſentiales differentiæ eſſe poſſunt: neque in omnibus viuentibus reperiuntur, vt in plantis, neque in animalibus pluribus, vt in 4. de animalium hiſtoria lib. cap. 11. & in 2. de eorumdem procreatione cap. 4. Philoſophus confirmauit. Et in iis, in quibus viſuntur eiuſdem ſpeciei ſunt mas & fœmina; vt eſt in tex. 25. lib. decimi metaph. cùm tamen eſſentiales differentiæ ſpeciei differentiam vbique fallant, ſumuntur enim eſſentiales differentiæ ex forma, maris autem & fœminæ forma eadem eſt, materia diuerſa; aut potiùs materiæ conditio; quatenus habent corpora alio atque alio modo diſpoſita. Etſi enim

Vt differat mas & fœmina.

A partibus quoque quibuſdam corporis differre videantur, eæ tamen aut propriæ & eſſentiales partes non ſunt, ſed impropriæ & quæ poſtgenitæ nuncupantur; vt barba, criſta, calcaria, exerti dentes, cornua.

Diuerſa genitalium forma.

Aut genitales partes, quibus maximè diſtinguntur, optima ratione oſtendit Galenus in libro 14. de vſu partium cap. 6. & libro 2. de ſemine cap. 5. & in libris de anatomicis adminiſtrationibus eaſdem in vtroque ſexu prorſus eſſe, ſolóque differe ſitu: quòd maribus extra abdomen pendeant, fœminis intra coloratæ ſint, vteríque ceruix inuerſa pudendum virile referat, ac inuerſum item fundum ſeroti ſimilitudinem habeat. Ita vt ſi aut hæ producentur extra, aut illæ ad interiora contraherentur, tantundem ferè in vtroque ſexu conſpiceretur eſſe.

Vnde eſt genitalium diuerſitas.

Quod in fœminæ quidem imperfectionem libuit Galeno referre: vt quemadmodum talpæ, & animalibus nuper natis nondúmue perfectè formatis, oculi ſub membrana latent, ſic genitalia membra intus contineantur in fœmina. Sed longè aliam eſſe huius rei rationem mox docebo. Et alio quodam modo apud Ariſt. in libro 4. de animálium ortu cap. 1. ſcriptum eſt. marem & fœminam virtute quadam & imbecillitate definiri. Quod mas animal illud ſit, quod coquendi & ſecernendi ſeminis vim habeat; & ideò in procreatione vim obtinet efficientis cauſſæ, formámque largitur proli: fœmina verò illud, quod cùm tantam vim non habeat, vt ſemen poſſit ſecernere, maris ſemen ſuſcipit: & cùm aliud negant procreare, procreantis alterius actionem ſuſtinet: ne ſi non ſit id, quod gignat; illud certè ſit, in quo gignatur id quod gignitur. quocircà cum in cap. 3. eiuſdem libri, tum in cap. 1. libri 2. diuerſitatem hanc ſexus docet idem auctor non eſſe aliam ob cauſſam in natura, quàm propter procreationem ſpecieique conſeruationem. Alioqui ſi mas & fœmina per ſe conſiderentur, ſolus mas per ſe quæritur & procuratur à natura; fœmina velut monſtrum & oblæſum animal & imperfectum exiſtit; dum propter ſeminis defectum & imbecillitatem produci mas non potuit.

Cur non in omnibus viuentibus ſexus.

Propterea non in omnibus viuentibus ineſt ſexus: quòd permulta ſint, quæ exputreſcente materia procreentur facilè, & aſſequátur id, quod in ea ſpecie perfectum eſt. Plantæ verò vt immobiles hærent terræ; neque congredi ad gignendum poſſunt; & earum ſemen in terram iactum plantam procreat. quare cùm tàm facilis & expedita procreatio eſſet, fruſtrà nimirum laboraſſet natura in alia per ſexus diuerſitatem procuranda. In perfectioribus præſertim animantibus, quæ alio ferè modo nequaquàm poterãt gigni, ſummopere id agendum fuit.

Mas calidior fœmina.

Vniuersè autem credendum eſt marem fœmina calidiorem eſſe. quod tum ex tactu, colore, adipe, pilis, membrorum amplitudine, & rectitudine, ſoliditate, ac robore, operatione omni, cæteriſque omnibus huius rei argumentis; tum ex corporis quantitate oſtenditur. Maiora enim euadunt propter calorem marium quàm fœminarum, corpora. Tum ex principiis generationis, ex loco, in quo gignuntur; ex motu in vtero; ex partus tempore, & conſequente purgatione cognoſcitur. Nam & ex calidiori ſemine, locóque calidiori gignitur mas & paucioribus diebus, &

paucioribus diebus, & citius mouetur in vtero, citiùs excluditur, breuiorque purgatio est: quæ omnia caloris existunt opera. Tum verò confirmat Galenus ex partium genitalium situ excrementique plurimi sanguinis inquam menstrui, abundantia.

Cur diuersus genitalium situs.

Nã vt caloris ac spiritus est ampliare, extendere & producere, sic in maris formatione, inquit ille, partibus omnibus intus delineatis vniuersus spiritus foras erumpens genitales partes intus formatas foras protrudit: quod in frigidiore fœmina non item euenit. Eandem etiam ob caussam fit, vt cùm minùs coquere possit, multò abundet in cocto, & excrementoso sanguine, quem statim temporibus natura purgat.

Prior hæc Galeni ratiocinatio magnopere mihi suspecta est. Neque enim in extrema operatione credendum est tàm vehementem esse spiritum, vt peritonæum & abdomen totum rumpere possit & partes illas protrudere: vmbilico potius aliáue parte cum minore labore expiraret: & solus facilius euaderet, quàm solida membra inuertendo pérque angustum locum trudendo. Neque illa sola membra, sed intestina quoque non minùs protruderet: præsertim cùm hæc ad motum promptiora sint. Denique adsunt Androgyni vtrumque partium genus ostentantes. Sic igitur habeto. Genitales illæ partes propterea ita dispositæ sunt & formatæ, mari extra pendentes, fœminæ intus conditæ; quoniam ita ad sobolem procreandam oportunum erat & necessarium: vt alter agere posset, & semen conferre; altera illud suscipere, fouere, & conseruare, conceptúmque fœtum alere & gestare.

Altera Galeni ratiocinatio proculdubio vera est, & multò ante ab Arist. explicata in cap. 1. lib. 4. de animalium ortu. Etsi enim contrarium aliqui inde confecerint; quòd sanguis calidus sit, atque vbi plus est sanguinis, plus caloris esse oporteat. Hi tamen docendi sunt, non quamlibet sanguinis copiam calidæ constitutionis indicium esse; sed solius boni, vtilis, accuratéque cocti sanguinis. Mẽstruus autem ille sanguis inutilis prorsus est, incoctus, excrementosus, superfluus; & ideò purgatur & eiicitur à natura. Hocque caloris inopiam testatur. quippe propterea fit, quòd sanguis imbecilliori fœminæ calore coqui satis non potuit: & ideò penè corruptus expellitur.

Menstrua fœminæ purgatio.

Sed pluribus aliis in locis idem ipse philosophus eandem sententiam confirmauit. Nam in 29. problem. sect. 4. cùm quæreret, cur hyeme viri, æstate fœminæ sint ad venerem propensiores, eam respondit esse caussam, quoniam viri calidiores sunt, sicciorésque natura, fœminæ humidiores & frigidiores. quare viri æstiuo calore franguntur & debilitantur, hyeme robustiores sunt. Contra fœminæ propter caloris inopiam humorem hyeme habent concretum, æstate autem copiosiori calore irritatur Venus. Rursum in problem. 10. sect. 10. cùm quæsiuisset, cur mares fœminis corpore grandiores sint; respondit, quia illi sunt calidiores, calórque augendi vim habet. Et in libro de longitudine, & breuitate vitæ cap. 3. eandem exposuit esse caussam, cur mares longinquioris vitæ sint. quorum vtrumque intelligendum est plerumque ita esse, & vbi cætera omnia fuerint paria. Alioqui in cap. vltimo libri 4. de animalium historia, ab vtraque hac generali propositione mulos excipi voluit; in quibus fœminæ & corpore grandiores, & viuaciores maribus sunt. quin etiam canes Laconicos in cap. 20. libri 6. eiusdem operis, minùs minuere affirmauit; quòd magis, quàm fœminæ, laborent. Et in cap. 11. in equorũ genere propter coitum mares breuiorem vitam habere. quæ etiam fuit caussa, vel in cap. 16. libri 1. de animalium ortu in insectorum genere, ea quæ coëunt, habere fœminas tradidit maxima ex parte maiores maribus: atque in piscibus, ouiparisque quadrupedibus hoc ipsum ferè obseruari: quoniam ouorum copiam ea gestare oportet. Iam verò in 4. libro de animalium procreatione cap. 1. mares esse fœminis calidiores hic idem Philosophus ex eo deduxit, quòd coquere possunt & secernere semen; fœminæ non possunt. Et in 3. de partibus cap. 1. propter caloris abundantiam robustiores esse & animosiores. Et cap. 4. physiognomi libelli, eos esse in omni virtute meliores. quam ob caussam in 1. lib. Polit. cap. 3. & 8. fœminis eos præfecit; tanquàm à natura ita conformatos, vt illis dominarentur. Denique ex hac ipsa caussa proficiscitur, vt membrorum omnium cõstitutio, totiusque corporis conformatio multò sit perfectior, & ad omnes operationes aptior in maribus, quàm in fœminis. Tum quia calor est is, qui formationem totam moderatur, membráque omnia fingit & temperat. Tum quia vbi plus est caloris plus item necesse est aërei humoris esse, in quo is calor sustentetur & vigeat: minus autem aqueæ, & frigidæ humiditatis, quæ calori inimica est. Vnde corpus existit tum ad diuturniorem vitam, tum ad operandum magis accommodatum: quod & nimio humore aqueo, qui abundat in fœminis, consumpto magis est temperatum; & plus humoris aërei & caloris habet: éstque rarius, & ad perspirandum aptius: magisque porosum; & pluribus ac amplioribus patens meatibus, tum ad suscipiendum alimentum, tum ad expellenda excrementa. Et ideò copiosiorem emittit sudorem, quòd & calidius sit, & porosius: eámque fortasse ob caussam purgationem menstruã fœminis prouidit natura. Venæ quoque maribus insunt, ampliores, copiosiore sanguine bono & vtili plenæ. Tum corpus robustius viréscque firmiores propter meliorem scilicet corporis constitutionem, & partium omnium ac membrorum comparationem. Vnde Hippocratis illud in Aphor. 43. libri 7. Mulier ambidextra non fit, propter caloris imbecillitatem, inquit Galenus; Adde carnis soliditatem, quæ ex perfecta fit nutritione, atque alimenti optimè resoluti assimilatione. Cùm in fœminis partes omnes imbecilliores sint, caróque nimium mollis & fluxa, propter nimium humorem aqueum, & caloris inopiam, Vt iam ex his omnibus minimè mirum videri debeat, si Aristoteles fœminam appellauit monstrum in natura, læsúmque animal, mancum, & imperfectum.

Pulsus maris & fœminæ quales.

Quòd si Galenus in libro de pulsibus ad Tyrones cap. 9. & libro 3. de caussis pulsus. cap. 2. & Auerroes in 4. colliget cap. 19. mares dixerunt rariorem ac tardiorem, quàm fœminas, habere pulsum: Id tamen caloris maioris argumentum non est: sed illud potiùs, quòd maribus maior est, & vehementior. Fœminis enim frequentior est propter organorum angustiam, crudo-

crudorúmque ac frigidorum humorum oppressionem; quæ prohibet, ne tantum extendi & dilatari arteriæ possint.

Aliq. fœmina mare aliquo calidior.

Quanquàm negandum non sit, fieri interdum posse, vt fœmina quæpiam sit aliquo mare calidior. Etenim hoc Arist. loca testantur: réque ipsa & certa ratione confirmatur. Quippe cholerica aut sanguinea fœmina phlegmatico aut melancholico mare calidior erit. Atque ex ratione victus certum est magnopere mutari posse naturalem corporis habitum, fœminámque calidiorem fieri, frigidiorem marem. Neque de sexibus plura hic locus postulat.

DE ÆTATIBVS, QVÆ TEMperationis mutationem ac durationem significant.

CAPVT XXVIII.

Certa est ac determinata totius animantium vitæ periodus. At non eundem semper statum retinent; sed mutantur sæpiùs; tum corporis granditate; tum temperatione ac operationibus vniuersis. Diuersa hæc mutationum tempora, partialesque periodi, in quibus alium atque alium statum habet animal, appellantur ætates: de quibus tanquàm ad temperationem pertinentibus hoc loco dicẽdum mihi proposui. Est igitur ætas nil aliud, quàm vitæ durationis spatium, quod ex notabili aliqua mutatione ac varietate magnitudinis, temperationis, & actionis animantium petitur. Quæ mutatio non in temperatione innata, sed in influente intelligitur: & ideò in viuentibus duntaxat ætates nominamus. In rebus enim inanimis principium quidem est, & finis; sed cùm nullus reperiatur certus & fixus terminus, nulla stata periodus mutationum illarum, quas in animantibus obseruamus; ætates in illis nequaquàm distinguimus.

Ætatis quid.

Ætates quot.

Iam quot fiant in viuentibus mutationes, quórque insint ætates, magnam esse video inter Philosophos, Medicos, Astrologos, & verò etiam iurisperitos dissentionem. Arist. enim tex. 56. posterioris libri de ortu, & interitu, duplicem solam visus est ætatem facere: ortus alteram, qua viuentia ad suam perfectionem progrediantur: alteram interitus, qua paulatim & sensim aquisita perfectio minuatur, donec penitus tandem aboleatur. 1.

Sed in libro de respiratione cap. 14. triplicem distinxit: iuuentutem primùm, quæ totum accretionis tempus continet: deinde statum, consistentiamque; dum accretione cessante conditio eadem quantitatis conseruatur: postremò senectutem, quæ decretionis tempus complectitur vsque ad mortem. 2.

Hippocrates autem in Aphor. 13. lib. 1. & Aphor. 18. lib. 3. & libro 1. de Dieta, & Galenus libro 6. de sanitate tuenda cap. 2. & in comm. ad Aphor. 18. citatum, aliisque in locis, quatuor ætates distinxerunt: pueritiam, adolescẽtiam seu pubertatem, iuuentutem, & senectutẽ: primã calidã & magnopere humidam; alterã tẽperatam; tertiam calidam & siccam: quartã frigidã & siccã. Et quamuis Galenus in illo de sanitate tuenda libro eas dixerit, haud satis posse annorũ numero definiri: Eodem tamen in loco, & in expositione septimi & 9. Aphor. lib. 5. pueritiam 14. aut 15. aut 18. anno terminat; adolescentiam seu pubertatem 25. & iuuentutem 35. ita vt reliquum esse senium intelligatur. Quanquàm ego in hac partitione minùs constantem Galenus video. Nam in comm. 13. Aphor. lib. 1. præter has ætatem consistentiæ inter iuuentutem & senectutem addendam esse ostendit. Et rursum in libro, cui titulus est, Adscriptæ definitiones medicæ, iuuenum, vigentium, mediorum, & senum ætates solas distinguit; iuuenes dicens tum pueros tum adolescentes: Ac demum in 8. lib. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 6. pueritiam nominat, iuuentutem, senectutem, & decrepitam: primam veri persimilem, alteram æstati, tertiam autumno, quartam hyemi. 4.

Auicenna verò in prima fen. primi canonis doctr. 3. cap. 3. & libro 12. de Animalibus cap. 4. adolescentiam vsque ad trigesimum ferè annum introducit, iuuentutem seu consistentiam vsque ad 40. decretionem, licet non manifestam, vsque ad sexagesimum, ac denique senium & declinationem manifestam vsque ad obitum, sed adolescentiam in quinque partes tribuit, prima est infantia nondum ad motum & ingredièdum apta: altera pueritia, antequàm mutentur dentes: tertia consequens vsque ad seminis effusionem: quarta, qua barbescit: postrema, qua virium firmitatem sibi comparat accretionémque totam absoluit. 5.

Verùm recentiores complures quinque omnino partibus vitam nostram concludi asserunt: quarum prima est adolescentia, calidissima & humidissima, ad 25. vsque annum attingens, quæ infantia constat, tribus quatuórue annis; pueritia, ad 10. annum prouecta; pubertate, ad 18. & ad 25. adolescentia totius appellatione nominata. Altera iuuentus florida ad 35. vel 40. annum producta; cuius propria venustas, agilitas, & ferocia; ab Auicenna pulchritudinis ætas appellata. Hæc calida est & parcè humida. Tertia constans, matura, & virilis, omnino temperata, ad 50. ferè excurrens annum. Quarta senectus, quæ ingraueſcens declinat ad mortem frigida & sicca, ad 65. vsque annum. Postrema decrepita & senium vltimum, frigidissima & siccissima, & ad occasum tandem perducens. 6.

Quinarium item ætatum numerum fecit olim Varro: sed ita partitus est, vt singulis præter vltimam 15. tribuerit annos. Vnde credi potest ortum habuisse scitum illud à Cic. quoque vsurpatum in libro de Senect. quo vitæ nostræ ætates fabularum actibus comparantur. Quoniam vt in fabulis sunt quinque actus, nec persona quinquies egressa exire vltrà permittitur; sic in hominum vita ætates quinque seperantur, vltrà quas nullus est, qui viuat. 7.

Sex videntur illi distinguere, qui ciuilem conuictum considerant: infantiam, qua, vt bestiolæ viuimus: pueritiam qua disciplinis imbuendi tradimur: iuuentutem, qua ad arma & bella accedimur: virilem ætatem, qua patres familias sumus: senectutem, qua prudentia viget: decrepitam, qua infantia redit. 8.

Poëtas quosdam septenario numero dimensos fuisse scribit Arist. in 7. polit. cap. 16. Et post sapienter Astrologi, tametsi patronum habeant Probum in libro de anim. & Dæmone, earum 9.

numerum ex planetarum numero depromunt; Lunæ primam tribuentes, ad quintum vel sextum vsque annum; quòd infantia valde humida sit: Mercurio alteram, vsque ad 14. quòd pueritia benè sentire, & loqui incipiat 3. Veneri, vsque ad 22. quoniam tunc emittatur semen & apti ad procreandum simus: quartam Soli, vsque ad 29. vel 30. quia honoribus & dignitatibus incipiat iuuentus splendescere: 5. Marti, vsque ad 40. quòd virilis hæc ætas ad arma & bella sit aptissima. 6. Ioui, quoniam consilij ætas similis est, rebusque diuinis & humanis peropportuna: 7. Saturno, quia decrepita ætas frigida tota est & sicca, tristis, & ad illius planetæ conditionem conformata. Hæc fermè de ætatibus affirmantur.

Quæ omnia ego quidem pronuntio de vitæ nostræ partitione sùma cum veritate exponi: tametsi dum astrorum dominatũ spectant Astrologi, minimè audiendi sunt. Namque in eo duntaxat hæ omnes partitiones differunt, quòd vna magis aut minus exacta est, atque in minutiora membra ex magis, minúsue sensilibus mutationibus dissecata, quàm altera. Omnium tamẽ maximè probãda est Aristotelica partitio in tria præcipua membra, accretionem, statum, & decretionem. Propterea quòd insigniores spectat & magis notabiles mutationes, quæ in tota vita fiunt. Quique plura membra faciunt, nil amplius dicunt: sed præcipuas illas partes in minutiores concidunt. Adde, quòd trimembris illa diuisio viuentibus omnibus communis est; quippe quæ ex intima eorum natura; totiusque mutationis principio petitur: quæ verò illi adduntur, in homine potiùs, quàm in cæteris, considerantur. Quòd si cuiusque ætatis tempus curiosè quæras; vix potest quidquam certò & accuratè responderi. Ferè tamen in hominum specie accretionem obseruamus 15. & 20. terminari anno, statum & consistentiam 40. decretionem nullum omnino habere certum annorum numerum; sed nostris hisce temporibus vigesimum supra centesimũ annum vix vnquam excedere. In reliquo animantium genere singulæ quoque species proprios ac sibi speciales terminos habent. In omnibus autem manifestum est, vitæ initium esse calidum & humidum, vltimum frigidum & siccum; temperatum magis id, quod medium est. Et ideò in calore, & humore viuentium omnium durationem positam esse, ac eorum consumptionem senium & mortem adducere.

A B C D E

DE SANITATE ET MORBO quæ in quadam temperatione & intemperatione, & consistunt.

CAP. XXIX.

Sanitas & morbus quid.

ANimalis temperatio aut ea esse potest, vt functiones omnes secundùm naturam optimè fiant, tuncque animal sanum esse existimatur: aut tàm manifestè lædi & impediri, vt in operationibus quoque vitium appareat, atque hæc dicitur ægrotatio. Quorum vtrumque aut in toto corpore esse potest, aut in aliqua eius parte, vt vel totius, vel cuiuspiam partis operationes integræ fuerint, aut debilitatæ & læsæ. Idcireò cùm in libro de flatibus dixit Hippocrates quidquid homini molestiam ac tristitiam infert, hoc morbum esse; amplam nimis acceptionem secutus est, nimísque generalem definitionem posuit. Propriam autem ac specialem Galenus in artis medicæ constitutione cap. 10. & in libro de optima nostri corporis constitutione cap. 2. & in libro primo de sanitate tuenda cap. 4. & 5. cùm ex functionibus secundùm naturam obeundis sanitatem discernendam esse statuit. Et ideò eam suscipere magis & minùs ex functionibus demonstrauit; quæ perfectiùs ab vno fiunt, quæ ab alio; quorum tamen vterque, sanus esse videatur. Et in libro de Symptomatum differentiis cap. primo, sanitatem definiuit esse affectum quendam secundùm naturam, functionis auctorem, morbum verò affectum præter naturam, læsæ ac vitiatæ actionis causam. Tunc enim, inquit, ad initium libri de morborum differentiis, omnes se sanos existimantes esse, cùm partiũ corporis ministerio ad eas, quæ in vita necessariæ sunt, actiones sine aliquo vitio perfungi potuerint. Quòd si cuiuspiam partis operatio offensa sit, illam ægrotari arbitrantur.

Non in actione, sed in habitu consistere.

Itaque non in actu & operatione, sed, vt in arte ad Thrasybulum cap. 7. & 12. interpretatur, in habitu & affectu corporis permanente, qui sit velut potestas, & principium operandi, sanitas aut morbus consistunt; potiúsque habitu & potestate, quàm operatione definiri debent. Quare dum in prim. libro methodi medendi multis disputat aduersus methodicos, an in affectu corporis, an in actione sanitas & morbi propria notio cognoscenda sit; intelligere oportet, quatuor esse in hoc disputationis genere magnopere distinguenda, in quibus duplex affectus continetur; quorum alter sanitas est aut morbus, alter sanitatem aut morbum consequitur. Primùm enim est, quòd secundùm naturam aut præter naturam afficit corpora nostra. Alterum, affectus ipse ex hac causa profectus. Tertium, operatio, quæ à corpore ita affecto proficiscitur. Postremum, affectus huiusmodi operationem comitans. Primum sanitatis aut morbi causa est, alterum sanitas ipsa aut morbus, tertium sani aut morbosi corporis operatio, quartum accidens sanitati, aut symptoma morbo adiunctum: vt atrophia, quæ affectum significat, in quo corpus non nutritur, seu vitiosus siccus, succiuè defectus aut redundantia. Ergò affectus quidam & habitus corporis sunt sanitas aut morbus; sed qui actionis principium est, eíque aut commodat aut incommodat.

Sanitas & morbus quid.

Ex quibus duo intelliguntur. Alterum, sanitatis aut morbi proprium finem esse viuentis formæ conseruationem aut euersionem, perfectámque aut mancam & imperfectam eius operationem. Alterum, sanitatem formaliter significare temperationem quandam ad iustitiam (vt cum medicis loquar) seu permistionem & proportionem qualitatum viuentibus singulis secundùm suam speciem & naturam conuenientem; quæ sit aptum operandi principium ea præsertim, quæ vegetantis animæ sunt & ad vitam pertinent. Contra verò harum ipsarum intemperiem & alicuius supra reliquas excessum, vnde operatio lædatur, esse morbum. Sic enim tum Aristot. in

problem. prim. sect. morbum dixit excessu aut defectu consistere. Et problem, tertio sanitatem esse mediocritatem quandam: & in text. 17. libri 7. Phy. esse calidorum & humidorum cõmensurationem. Tum Hippocrates in libro de hominis natura, esse elementorum & humorum mediocritatem. Et Galenus locis ante notatis, & libro de atra bile cap. 5. & libro 5. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 2. & 3. & alibi sæpiùs, sanitatem definiuit moderationem quandam esse & symetriam qualitatum, morbúmque earum immoderationem & assymetriam. Quæ qualitatum proportio, tum comparatione subiecti, in quo sunt; tum verò operationis, quæ fieri debet, pensanda est: vt tot sint qualitatum singularum gradus, quot perfecta postulat operatio viuentisque natura, seu partes eius, quæ operari debent.

Subiecti quid?

Cæterùm quoniam operationes per partes item organicas fiunt; non in solis homogeneis, sed in heterogeneis quoque sanitatem & morbum considerare oportet, sanè in homogeneis qualitatum temperatio & proportio erit: in heterogeneis autem optima primùm ex homogeneis compositio, quoad numerum, & qualitatem earum: deinde oportuna quantitas & magnitudo; debitus in corpore situs, conueniens figura, raritas, densitas, lenitas, asperitas, meatus, aliæque hoc genus conditiones, quæ ad optimi instrumenti fabricationem pertinent. Tũc enim corpus optimè sanum fuerit optimèque operabitur si & optimè fuerit qualitatibus temperatum, & organica omnia membra ad operandum habuerit opportuna, & eorum vnumquodque optimè affectum fuerit. Contrà morbosum; si aut homogenearum partium intemperatio, aut horum quispiam in heterogeneis defectus operationem læsam & vitiatam reddiderit. Quare materia quidem, ex qua constant sanitas aut morbus, qualitates eæ sunt & accidentia, quæ in vtroque partium genere proportionem habẽt aut non habent: subiectum autem, in quo sustentatur, sunt ambo illa partium genera atque adeò totum viuentis corpus; præsertim verò partes homogeneæ, tum quòd ex illis constent & heterogeneæ totáque planè pendeat harum sanitas aut morbus: tum quòd ratione ipsarum maximè prodeunt hæ operationes; tametsi non nisi ab heterogeneis permultæ perficiantur.

Duplex medicina pars.

Hinc nimirum scita illa & vulgaris medicinæ artis duas in partes diuisio; quarum altera in tuenda sanitate versatur, altera in profligando morbo occupatur: dum ille optimis alimentis accuratáque victus ratione incommoda omnia & noxia auertens, qualitatum proportionem ac membrorum omnium commodam dispositionem tueri conatur: hæcque in illud sedulò incumbit, vt opportunis & salutaribus medicamentis intemperiem, siquæ contingat, corrigat, perturbatámque dispositionem abigat, & pristino statui atque incolumitati vniuersum corpus restituat.

Tria morborum genera.

Hinc trimẽbris illa membrorum partitio. Quidam enim sunt, qui temperationis morbi dicuntur; alij, qui compositionis; alij demum, qui vnitatis. Temperationis morbi ad homogeneas partes pertinẽt, atque in qualitatum principum coniunctione cũ alicuius excessu aut defectu considerantur. Quare vt medici ferè quatuor simplicium temperationum, & totidem compositarum genera faciunt; sic totidem simplicium & compositorum morborum capita sibi proponunt; illud ex vnius, hoc ex duplicis qualitatis excessu aut defectu orta. Quod an ita sit, poterit ex iis iudicari, quæ de temperationibus antea fuerunt disputata, quotcunque autem constituantur; aut oriti possunt ex causa externa, cibo, aëre, & similibus, quibus remotis cessabit morbus: aut internum habent principium, sanguinem, spiritum, aliúmue humorem; quem ad proportionem adducere oportebit. Priores illi morbi sine materia vocantur; quòd internam materiam, qua sustententur, non habeant: posteriores cum materia.

Alterum morborum genus, quod cõpositionis appellatur heterogenearúmque potiùs partium proprium est, quadruplex esse existimatur. Primum figuræ seu creaturæ: quod in membri conformatione versatur, si aut curua, aut alia minùs accommodata figura affectum sit membrum, si meatus habeat plus æquo angustos aut amplos, obstructósue aut debilitatos, si receptacula & vasa nimiùm aut laxata, vt in fellis vesica interdum fit; aut angustata & obstructa, vt in opilatione; aut denique nimium vacuẽtur, vt si præ nimia lætitia spiritum & sanguinem cor immoderatè effundat; quomodo hominem perite posse & interdũ periisse scimus. Alterum est quantitatis; si maiora fuerint, aut minora, quàm par sit. Tertium numeri, si plures aut pauciores habeat digitos, quod vnum ad cæterorum exemplum adhibitum sit. Postremum situs; si membra quæque congruentem & sibi debitum locum & situm in corpore non teneãt. Tertium morborũ genus vnitatis esse dicitur totumq. in solutione continuitatis consideratur; vt in excoriatione cutis, incisione vene, nerui, carnis, infractione ossis, in cuiusuis membri amputatione, aut quacunque diuisione vnius partis ab alia.

DE NEVTRA DISPOSITIONE.

CAP. XXX.

ET enim inter sanitatem & morbum mediam quandam dispositionem quam neutram appellarunt, aperta oratione posuerunt Galenus in arte medica cap. 3. & 6. & libro de Symptomatum differentiis cap. 1. Herophilum scilicet secutus, vt intelligi potest ex lib. 1. de Simplicium medicamentorum facultatibus cap. 21. & lib. 6. de sanitate tuenda c. 2. & post eum Auicenna in 2. fen. 1. canonis doctrina 1. cap. 2. Hanc porrò dispositionẽ neutram quadruplicem esse voluerunt. Vnam inter perfectam sanitatem morbúmq. grauissimum mediam, tanquam vtriusque negationem: quam in senum, conualescentium, & puerorum corporibus reperiri dixit Auicenna. In senibus enim propter nimiam siccitatem & frigus, in pueris propter abũdantem humorem, in conualescentibus propter sanguinis inopiam, quòd eorum venæ non sint plenæ; ab ea perfectione & mediocritate recedũt corpora, in qua operatio perfecta cõsistit: nec tamen pessima est eorum conditio. Sanè Hippocrates aut quisquis fuit auctor libri de veteri medicina, corpus sanum nominauit, & ex morbo conualescens, & ægrotum. Alteram, qua corpus vno

Neutra dispositio quadruplex.

membro sanum est, altero ægrotum: ratione namque totius neutrũ appellatur. Tertiam, tùm vnum & idem membrũ sanũ dicitur & ægrotũ in diuersis generibus, aut remotis, vt si in temperatione sit sanum & in compositione ægrotum; aut proximis, quemadmodum si sanum sit in quantitate & ægrotum in figura, numero, aut situ. Postremam, si vicissitudine quadam idem corpus interdum sanum sit, interdum ægrotum: nam cùm nec sanum simpliciter nec ægrotum dici possit, neutrum appellatur.

Sed de vniuerso hoc tertio dispositionis neutræ genere nõ immeritò quispiam dubitauerit, quippe in 2. Alcibiade Plato & Aristoteles dum in Categoriarum libro de oppositis disserunt, omnino pronuntiarunt, inter ægrotationem & sanitatem nihil esse medium. Quæ dubitatio tollitur: quoniam si ægrotatio ita sumatur, vt quamcunque temperationis inæqualitatem significet, aut perturbationem, quæ solam æqualitatis negationem corporibus nostris adferat; nihil profectò medium est, vt verissimè Aristoteles affirmauit. At si pro certa quadam insigni inæqualitate vsurpetur, ex qua magna & sensilis valdè operationum læsio consequatur; verè etiam peritissimi medicorum principes inter sanitatem & morbum dispositionem mediã agnouerunt. Idcircò autem diuersum hac in re fuit Aristotelis & Medicorum iudicium, quòd ille solam qualitatum naturam & sanitatis atque ægrotationis oppositionem considerauit, dùm verba illa proferret. Quæ etsi minimè sensilis sit inæqualitas, ex qua vix vlla possit in operatione læsio notari; non minùs tamen oppositionẽ & repugnantiam continet; neque magis aut minùs mutat speciem & naturam rerum. Hi verò diuersas potiùs corporũ affectiones spectarunt, quę alia atque alia opus habeant moderatione victus: & ideò tres diuersas affectiones distinctásque dispositiones esse voluerunt, quæ alias atque alias vitæ & alimenti formas postulent.

Cæterum tota hæc consideratio hîc finẽ habeat. Sapienter nãmq. monuit Arist. in lib. de sensu & sensili cap. 1. & in fragmento, quod extat ex lib. de sanitate & morbo naturalẽ quidem philosophum debere aliquid de sanitate & morbo dicere; sed ita, vt principia solùm & causas vtriusq. exponat, quatenus in qualitatũ naturaliũ tẽperatione mẽbrorum proportione consistunt & dispositiones ad operandũ sunt. Reliqua quæ ad vtrumq. caput referri possint, medico relinquantur, ne scientiæ nostræ terminos egrediamur.

NVM AD SANITATEM sit motus.

CAPVT XXXI.

ITaque vnica mihi supereſt hoc loco difficultas explicanda, quæ naturalem contemplationem habet. Ea est de sanitatis acquisitione seu ad sanitatem motu. Etenim auctor est Aristot. in 7. physicorũ lib. tex. 17. ad sanitatem non esse motum. At si ad eam non sit motus, quo tandem modo comparabitur? Contrà verò cùm omnis motus cum tempore & successione fiat; si per motum sanitas pararetur, an non sanitatis tãtumdem acquireretur, quantum morbi pelleretur? Quod si ita sit, erunt simul in eodem subiecto sanitas & morbus.

Mihi quidem certè necessarium videtur sanitatem comparari per motum, perque earum qualitatum alterationem, quas temperari atque ad proportionem adduci oportet. Sed quoniam sanitas non vnam aliquam ex primis qualitatibus significat, quæ propriam & specialem actionem habeat, sicut calor calefactionem & frigus refrigerationem: verùm ea, vt est illarum omnium qualitatum tẽperatio, ità per earum motũ & mutuam actionem acquiritur. Propterea ad eam dicitur non esse motus, quòd non per se & primùm, sed secundariò & consequenter ad motum, qui in illis qualitatibus efficitur, sanitas producatur. Quam ob causam nusquàm ea videatur adesse, nisi in vltimo momento, quo qualitatum illarum motus absoluitur. Quippe nil aliud est, quàm temperatio & proportio qualitatum per eum motum productæ. Ergò motus ad sanitatem magnopere distinguendus erit ab eo motu, qui fit ad singulas illas qualitates. Quoniam in toto calefactionis aut refrigerationis motu & singulis eius partibus calor semper aut frigus acquiritur: siquidem calefactio & refrigeratio nil aliud sunt, quàm calor & frigus, quæ producuntur aut ad suam perfectionem progrediũtur. At in tota sanatione nil sanitatis acquiritur, sed corpus ad sanitatem disponitur; cùm sanatio non sanitatem ipsam productam significet, sed qualitatum temperationem necessariam ad sanitatem. Totusque is antecedens sanitatem motus sanatio appellatur, quòd ad sanitatem tendat & ad eam tandem terminetur. Sicut & alteratio, quæ substantiæ formam antecedit, substantialis dicitur ortus, quòd via sit & productio tandem substantiæ: ortúsque ipse, vt est in text. 14. lib. 1. physic. nominatur natura, quia est ad naturam via. Quod si quando Aristoteles ad sanitatem negauit esse motum, de termino motus primo & per se locutus est: voluítque ostendere alterationem propriè, quæ idem re est cum termino, qui producitur, non esse nisi in tertia qualitatis specie, cuius productionem reliquæ omnes facilè consequuntur. Et ideò non dicuntur acquiri per motum per se & sibi proprium, sed per motum in illis tertij generis qualitatibus factum.

MVLTIPLICI ACCEPTIONE vitam nominari.

CAP. XXXII.

POstremò cum viuentium corporũ temperatione maximè coniunctam esse vitam, & mortem illi oppositam, imò ex illa prorsus pẽdere; nemo est, qui ignoret. Quoniam vel idiotæ homines norunt tandiu vitam nostram incolumem conseruari, quàmdiù opportuna fuerit nostrorum corporum temperatio. Ea verò perturbata & contrariis qualitatibus inter se pugnantibus à mediocritate auocata; morbos primùm excitari, tùm verò ea planè corrupta & profligata conse-

consequi mortem. Quò aptiùs vitæ hæc mortisq. cõsideratio cum antecedenti sanitatis & morbi tractatione coniungitur. Siquidem sanitas conseruat vitam, morbus adducit mortem.

Ergo ne nominis ambiguitate laboret nostra
1. nutétq. oratio, principio illud distinguẽdum est. Amplissima namq. acceptione nominatur vita, vt quoduis esse & quãlibet operationem significet, quæ quoquomodo suprà naturã naturaleq. operationẽ eleuatur. Quemadmodũ in tex. 100. lib. 1. de cœlo, & tex. 39. lib. 12. Metaph. & c. 8. lib. 10. de moribus ad Nicomachũ, Deus, & separatę mẽtes optimam dicũtur & beatissimã degere vitã. Et rursum in eod. lib. 10. & tex. 16. lib. 9. Metaph. scriptũ est, fœlicitatem esse vitam quandam, quod sit præstãtissimum esse & nobilissima hominis operatio.
2. Nonnũquã verò id significat, quod aut verè & re ipsa, aut apparenter & sensuũ iudicio à se ipso & in se ipsum operatur. Quo intellectu nõ solũ legimus tex. 29. lib. 6. Phisic: moueri à se ipso vitale esse atq. animatorũ proprium: sed etiam communi vsu loquendi argentum viuum & aquam
3. viuam appellamus. Interdum etiam pro ratione agendi quidpiam vsurpatur. Sic enim in 1. Metaph. lib. cap. 1. homo arte dicitur & ratione viuere: & tex. 32. lib. 2. de an. quædam animalia phantasia sola viuere affirmauit. Interdum pro
4. essentia & operatione animãtium rerum propria: cáq. omnia complectitur, quæ in anima non sunt. Sic in tex. 13. eiusdem lib. multi vitę gradus distinguuntur: & in tex. 37. viuere dicitur viuentiũ omnium essentia esse. Interdum pro illa essentia &
5. operatione, quæ solius vegetantis animæ propria est. Quomodo in tex. 3. eiusd. lib. vitam definiuit esse, quæ per ipsum fit, alitionem, accretionẽ & decretionem: & in tex. 14. vegetantia omnia viuere: & in tex. 16. viuentia omnia habere à vegetante anima, vt viuant; à sentiente, vt animalia
6. sint. Sępissimè tamen durationem significat; vt in tex. 100. ante citato, finis cõtinet vitæ vnius cuiusque tẽpus: & rursum, à cœlo pẽdet inferiorũ horum esse & viuere: & in lib. de vita & morte, vita deffinitur permansio esse nutriẽtis animæ cum calido. Atq. huc spectat Hyppocratis quoq. illud in ipso Aphorismorum initio; vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum iudicium difficile: Hoc igitur nunc intellectu sermo est de vita & morte; quatenus earum altera durationem & permãsionem animæ in corpore signi-
Vita permanẽtio anima in corpore. ficat; beneficio scilicet opportunæ temperationis qualitatum omnium, ac præsertim caloris & humoris; & verò etiã in animalium plurimorum genere ope facultatis vitalis, quæ in corde residens, dum spiritum & calorem in vniuersum effundit corpus, animã & vitam in eo magnopere tuetur ac fouet. Altera verò finis est & vltimũ vitæ: Dum deficiẽtib⁹ hisce dispositionibus anima statim aut perit aut certè corpus deserit. Sed cum vitam dicimus esse animæ permansionem in corpore; Nolo quemquam intelligere durationem formaliter, quæ tempus significat, sed materialiter animam ipsam permanentem & durantem in corpore, & illi dantem esse: formaliter autem existentiam seu potiùs formalem animæ in corpore existentis effectũ. Vt enim calor facit calidum, & vna quæq. forma in subiecto existẽs, quamdiu est in illo, dat illi suum effectum formalem: sic anima cum corpore coniuncta animatum illud & viuẽs facit, & tamdiu facit, quãdiu in illo ẽxistit. Hicq. effectus formalis est formaliter vita; existentiæq. mora est duratio, quæ quatenus est cum successione, mutatione, varietate, & prioris ac posterioris partibilitate, tempus est, quo viuentis cuiusque vita mensuratur.

QVID VITA: QVAE QVE illius principia.

CAPVT XXXIII.

IVre igitur proprio potest & verò etiã debet Philosophus naturalis agere de vita, quemadmodum egit Aristoteles: Quia est naturalium rerũ, hoc est viuentium, affectio, animéq. vegetãtis effectus, & naturalium qualitatum tẽperatione cõseruatur, atq. in calore præsertim & humore cõsistit. quòd si medicus quoq. atq. adeo Astrologus agat; nihil mirũ: cum fiat sæpè, vt plures artifices eandẽ materiã aliis atq. aliis modis tractẽt. Medicus enim de humana solũ vita sollicitus est; quatenꝰ suæ artis præceptis iuuari & conseruari potest. Astrologus ex caussis dũtaxat remotis, generalibus, ac plerũque inanibus & fictis, ex astrorũ inquã aspectu, de ea loquitur. At naturalis Philosophus tũ de viuentiũ omniũ vita agit, idq. solius cognitionis caussa; tũ proprias illius, vt est naturalis corporis affectio, & proximas caussas persequitur; quę sũt qualitatum omnium temperatio & proportio, natiui caloris coniunctio cum humido primigenio, ac demum in animalibus vitalis facultas. *De vita quã agant.*

Principio autẽ pluribus explicare opottet, quid sit vita, de qua nũc sermo est. Ea sanè nihil significat re diuersum ab anima. Quã fortasse ob caussã in tex. 16. lib. 9. Metaph. scriptũ est, vitã esse in ipsamet anima. Nihil enim aliud est quã eadẽ ipsa anima, quatenus corpori se cõmunicat, & in eo existit. Existimatur autẽ effectus esse vegetãtis animę; quoniã in corpore omniũ prima hæc suscipitur: Quia tamẽ nec effectus formalis à forma, nec existẽtia ab essentia, nec duratio ab existẽtia reuè durãte, distinguũtur reipsa, sed ratione sola; neq. vita, animæ existẽtia, permãsio & duratio in corpore, vllã rẽ ab anima distinctã, sed quidpiã sola ratione diuersũ, significãt. Quocirca ab omni prorsus abstrahit operatione; atq. in actu primo & essentiali cõsistit, quẽ anima tribuit corpori. Tũ verò vitalis operatio inde consequitur; quod vnumquódq. esse essentiale operationis cuiuspiã principiũ sit. Et ideò etsi anima plurimarũ sit operationum fœcũda, nec omnes vnquam intermittat, sed quidpiam semper agat, si tamen nihil ageret, viueret adhuc illud corpus, in quo ipsa esset. *Quid vitæ.*

Qua in re magnopere errasse nõnullos video, inter quos Turisanus*: Quj vitã putarũt formaliter in actu secũdo, & operatione cõsistere, ac præsertim in nutritione, quę nũquam nisi morte cesset. Sanè antiqui illi Philosophi, quorũ mẽtio fit in tex. 16. lib. 8. Metaph. nõ ita Philosophati sũt, neq. in operatione, sed in coniunctione animæ cũ corpore vitæ rationẽ agnouerũt: & apertis verbis Aristot. docuit esse actũ primũ & essentialẽ, cũ viuere pronũtiauit esse viuentiũ essentiã: quod si in tex. 3. & 14. lib. 2. de anima vitã visus est vt actũ secundum & operationem nominare: Vtroque tamen in loco actum quoque primum substantialis vitæ significauit, ex quo vitalis operatio proficiscitur. In altero namque statim subiunxit, quidquid habet vitam, substantiam esse compositam. In *Vitam in actu 1. nõm 2. consistere.* **In cõ. 12. ad 2. lib. artis parũ Galeni.* *In tex. 37. lib. 2. de anima.*

altero, nutritionis & accretionis principiũ inesse in viuentibus affirmauit, vnde vitales eę operationes omnes oriantur. quod enim in morte accidit opposita vitæ, hoc ipsum in vita fieri intelligendũ est. Mortẽ autem nõ solam esse operationis priuationẽ, solaue ab operatione cessationẽ, sed morte potiùs operationem omnem interimi, quasi mors quidpiã sit priuatione, ac cessatione prius, aduersarij quoq. consentiunt. Neq. igitur vita in sola operatione versatur; sed aliud quidpiam est prius, quod aduersatur morti; velut habitus operandi principiũ. Huius absentia & interit⁹ mors est: animæ inquã aut interitus aut certè à corpore seperatio. Illiusq. ipsius præsentia, permãsio, & cõseruatio in corpore, vita est. Et vt corpus tunc est mortuũ, cùm anima priuatũ est; hocq. ipso mortuũ esse creditur, quod anima destitutũ est: Ita viuũ tũc esse affirmatur, quãdo habet animã, hocq. ipso viuere existimatur, quòd in ipso anima perseueret.

Obiectio. Objciũt nobis aduersarij, vitam nõ animam sed illius effectũ esse: Quare cùm anima sit actus primus, effectũ eius oportere actum secundũ esse. Et rursum, cùm anima sit actus corporis potestate vitam habentis; si corpus habens animam habet actum primum, atq. ad actum secundũ est potestate, vitam cõficiunt esse actum secundũ, nõ primũ.

Solutio. At leuis est argumẽtatio. Nam vt esse albũ, quod alboris effectus formalis est, nil aliud est, quã ipse albor cũ subiecto corpore coniũctus: Ita esse animatũ aut viuẽs nil aliud fuerit, quã ipsa anima ceu vita in corpore existẽs. Eadem anima, quæ si per se cõsideretur, anima est & formalis caussa; Quatenꝰ est vnita cũ corpore & tribuit illi esse largiẽdo seipsam, effectus formalis vim habet & appellatur vita. Neq. ad vitalẽ solam operationẽ, sed ad hanc quoq. essentialẽ vitam corpus est potestate; tũ antequam eam suscipiat; quæ cũ priuatione potestas est: tum postquã habet; atque hæc cũ actu coniũcta est, diciturq. esse potestate, quoniam ex se eam nõ habet. Ita interpretes Græci potestatẽ illam de vita essentiali & prima, nõ de accidẽtaria & secũda, quæ in operatione cognoscitur, interpretati sunt. Neq. enim in essentiali definitione æquum erat accidẽtariam potestatẽ & operationẽ nominare: sed vt anima est actus primus essentialis, ita essentialis in corpore ad illũ actũ potestas nominãda fuit. Et ideo in tex. 7. ex ea definitione colligitur, ex anima & corpore fieri vnũ. Quoniã anima est actus essentialis, & corpus potestas ad illum eiusdem generis.

Potestas duplex.

Alia quoque Aristotelis loca colligunt, in quibus vitam pro actu secundo & operatione vsurpauit. Sed multiplicem illius vocis significationẽ propterea principio distinximus.

Deniq. vita, inquiũt, est ortus quidã, sicut opposita mors est interitus. At nequit esse substãtiæ ortus, ergo operationis. Cæterũ Aristot. in c. 14. lib. de vita & morte, duobus modis visus est cõsiderare mortẽ: tũ vt mutatio quędã est, quã calidi in humido extinctionẽ definiuit; huicq. opposuit, vitã quatenus est ortus, quẽ tradit esse primã nutrientis animæ cũ calido participationẽ. Tum vt priuatio, cui velut habitus opponitur vita; Atq. hoc intellectu alterã vitę definitionẽ posuit: Vita est permãsio illius, cuius prima participatio fuerat ortus: Hoc est animę nutriẽtis cũ calido: Siquidẽ caloris omninò est ad vitã necessarius tanquã dispositio, qua in corpore anima cõseruetur. Et ideo in ca. 2. eiusd. lib. velut cõsequentis tractationis principiũ posuerat: Viuẽtia omnia esse calida, cáq. quæ vita priuata sunt, esse frigida, & calidũ conferuãdi vitã vim habere, illiúsq. extinctionẽ esse mortẽ. Quod ipse in c. 10. & in lib. de longitudine & breuitate vitæ pluribus verbis persequitur.

Mors duobus modis considerat.

Vita & sanitas in differunt.

Duo autem ex his planè intelligi possunt. Alterũ est, quid inter vitã & sanitatẽ interlit. Duplex verò discrimen est. Nã etsi vtraq. tẽperationem qualitatũ magnopere requirat, sanitas tamen ad operandũ refertur, tanquã optima dispositio ad naturales omnes fũctiones quã optimè exequẽdas: vita ad durationis diuturnitatẽ, vel breuitatem. Deinde sanitas formaliter nil aliud est, quàm conueniens qualitatum proportio: Vita permansionem significat, moram, & durationem animæ in corpore, quæ tum temperatione illa qualitatum conseruatur, tum maximè natiui caloris cum humido primigenio coniunctione.

Vitæ principia quæ.

Alterũ est, quænam sint viuẽdi principia. Nam si vita est effectus formalis animæ vegetãtis manifestũ est hãc animam viuendi principiũ esse. Quocirca in tex. 16. lib. 2. de anima, viuẽtia omnia propter hoc principium dicũtur viuere, sed quoniam ad vitã & principiũ hoc retinendũ necessaria dispositio est qualitatũ omniũ tẽperatio, natiuiq. caloris & humoris primigenij copulatio, hæc ipsa vitæ principia velut disponẽtia existimãtur. Itaq. cũ inter omnes corporis animaliũ sanguineorum partes, cor sit quasi caloris & vegetantis animæ principiũ & fõs, ipsumq. primum omniũ viuat & vltimũ moriatur, iurę optimo principiũ & sedes præcipua vitę iudicatur, vt in c. 2. & 10. lib. de vita & morte, & c. 1 lib. 2. & c. 3. & 4. lib. 3. de partibus animaliũ Aristot. cõfirmauit. Propterea & in medio positũ est inter omnia reliqua mẽbra, vt omnibus cõmodè posset virtutẽ largiri suã, atq. in vniuerso corpore tueri vitã & cõseruare: & natura huius præcipuè partis sollicita in munitissimo eã loco, hoc est in thorace, velut in arce collocauit: Vt nimirũ vitæ principiũ, quã tutissimũ esset. Sane quotidiana experiẽtia testatur, cæteris partibus refrigeratis vitam nihilominus cõseruari: Atq. in moribũdis extremæ primũ partes omni calore & vita destituũtur, subindéq. cæteræ: At statim atq. refrigeratur cor & ab eo calor omnis & vita discedit, actũ est de tota animalis vita. Pulsus deniq. cũ primis est ad tuendã vitã & calorẽ diffundendum necessarius: illius verò principiũ & sedem præcipuã esse in corde nemo ignorat. Iã quod est cor in ijs animalibus, quæ sanguine prędita sũt, hoc ipsũ in cæteris est aliquid cordi analogũ, & in plantis humor quispiã intus per longitudinẽ totam exotensus maximéq. in trunco residens. Nã vt radices & rami duabus illis respondẽt animaliũ partibus, quibus alimentũ suscipiũt & excremẽta cijciunt, sic truncus inter illas medius instar pectoris est, in quo potissimum vitæ principium conseruatur.

Præcipua sedes vitæ.

In plantis quæ primaria sedes vitæ.

Totũ igitur hoc caput concludã, ex ijs, quæ dicta sunt, omnes vitæ causſas colligẽs. Causſa formalis præcipua est anima, instrumentaria motus cordis & tẽperatio, maximè naturalis calor. Causſa materialis remota est corpus, proxima innatum humidum, in quo sustentatur calor: Finis est operatio: Efficiens demum est generans, & conseruãs est alimentum, locus, aër & alia huius generis extrinseca. Ex quibus omnibus causſis duę sunt, quę

Vitæ causſæ.

longiorem

lógiorē explicationē desiderant; motus cordis & temperatio. Sed hoc loco, vbi de tēperatione solum agitur, de posteriori dicam; de cordis motu alio loco disputaturus.

QVÆ SINT CAVSÆ LONGÆ aut breuis vitæ.

CAPVT XXXIV.

SI in debita corporis temperatione vita conseruatur, tota ratio durationis vitæ ex eadem causa petenda est. Nam quo aptior fuerit minusuè apta corporis constitutio, eò diuturniori breuioriuè tempore poterit in eo anima permanere. Ergo illud cōstat; cuiusq. viuentis vitam habere determinatam durationis periodum. Quod tum in tex. 57. posterioris lib. de ortu & interitu Philosophus docuit: Tum in lib. de Marcore cap. 2. & lib. 1. de sanitate tuenda cap. 12. & lib. 6. cap. 12. & libro 6. cap. 3. confirmauit Galenus: nimiam irridens cuiusdam hominis audaciam, qui vitam nobis immortalem pollicetur: necessariaq; datione demōstrauit omnia tandem viuentia ad senium mortémque venire oportere, quòd eorum corpora cōtinenter siccentur, humor & calor, quibus nititur vita, horis omnibus exhauriantur, vniuersaq; corporis constitutio ab hostilibus caussis pluribus oppugnetur à quibus eam magnoperè labefactari ac penitùs tandem expugnari necesse est.

Vita periodus determinata.

Huius porrò periodi terminus, vt tanto aut tanto tempore subsistant singula, non ponitur ab anima: siquidem ea eiusdem naturæ & perfectionis est in tota specie, nec tamen eadem visitur singulorum animaliū vita. Quin potius eorum hominum, qui mente & ingenio valent, quorumque animæ cæteris præstare videtur, breuiori plerunq. tempore vita concluditur. Neq. etiā à corpore absolutè & simpliciter considerato: cùm viuentia quædam maiore sint corpore, minusq; viuacia, vt de equo & homine scriptum est in cap. 3. lib. de longitudine & breuitate vitæ. Sed caussa est corporis dispositio & temperatio. Quoniā vt anima, formarum omnium conditione generali, susceipi in materia & corpore non potest, nisi necessarijs dispositionibus, opportunaq. temperatione antecedentibus: sic dispositione ac temperatione abolita subsistere in eo diutiùs nequit. Præsertim si natiui caloris cum humido primigenio copulatio tollatur. Etenim in his præcipuè conseruatur vita, eorumque extinctio mors est.

Corporis temperatio.

In humido autem tùm quantitas consideratur, tum qualitas. Nam si multum humidi, fuerit in corpore, multi caloris materia erit; plurimúmque siccitati resistet, quę mortem & interitum machinatur. Propterea & immoderatus Veneris vsus, & nimius corporis labor, vitam reddunt breuissimā. Semen namque sanguine constat & spiritu; quibus nutriri ac refici membra omnia cōsumptumque humidum resarciri debuerant. Quare etsi humidis & calidis corporibus moderata Venus non obijt; siccis tamen & frigidis temperamentis, vt in 6. lib. de sanitate tuenda cap. 3. & 4. Galenus loquitur, inimicissima est: Et Aristoteles, dum de longitudine & breuitate vitæ differeret, salacia omnia animalia, & ea quæ multi seminis sunt citò senescere affirmauit; quod ita siccentur plurimum & refrigerentur eorum corpora, secreto scilicet & emisso humido & calido: Senectus autem siccitas quædam est & frigus. Hanc ob caussam mulā tradidit diutius viuere, quam equum & asinum: & masculos passeres, quod salaciores sint, breuiorem, quàm fœminas, habere vitam. Et vniuersè in cap. 18. lib. 1. de animalium ortu, vel minimam seminis emissionem totius corporis dissolutionem atque imbecillitatem manifestam consequi. Tametsi ex accidēte interdum leuari videatur, quod aut nimium esset semen, aut cum eo alia, quæ naturam grauabant, secernantur excrementa, vt in 2. quoque lib. cap. 4. confirmatur. Neque Auicennæ hac de re iudicium prætermittendum est. Is deteriorem multò magisque noxiam seminis esse, quàm sanguinis, missionem in 3. lib. de animalibus cap. 3. testatus est; cùm seminis missione totum corpus colore mutari scripsit; magisque debilitari, quàm si quadragies tantundem sanguinis mitteretur. Quod Albertus quoque confirmat in tertio lib. de animalibus tract. 2. cap. 8.

Humidi quantitas.

Iam moderatus quidam labor, vt verè in Amatoribus habet Plato, efficit vt benè sint corpora constituta. At si nimius fuerit, citius adducet senectutem & mortem. Quoniam etsi moderata quædam & opportuno tempore susceipta exercitatio ad vitam & incolumitatem conseruandam multum conferat: Dum & natiuum calorem excitat; & excrementa secernit & purgat; & meatus corporis & vias aperit, quibus & corpus perspiret, & noxios humores & excrementa pellat, atque alimentum per partes facilius distribuatur & ad membra singula traducatur. Immoderatus tamen & nimius labor siccat corpora: Tum nimia humectantis spiritus consumptione: tum calore illo, qui ossium, musculorum, & membrorum omnium motu & confricatione excitatur. Quo fit, vt post labores humorem consumptum sentiamus membraque omnia penè exhausta.

Corporis exercitatio.

Quæ verò animalia corpore grādiore sunt, plerumque sunt longioris vitæ: quòd plus humidi ferè contineant. Equum tamen homini grandiorem Aristoteles dixit breuioris esse vitæ, quod siccioris temperationis sit. Insulani dicuntur esse lōgeui, propter humidum aërem circumfusum, quo eorum corpora humectata à siccatione defendūtur. Denique plantæ quædam, vt palma, cupressus, & oliua, diutissimè viuunt; quòd multum habeant humorem, eúmque probè tectum & custoditum, ne siccetur facilè aut congeletur. Huc omninò spectat præceptum illud Galeni & medicorum; prorsus curandum esse, vt tum alimentis, tum balneis, tum alia quauis ratione humectentur corpora: vt ita dum arcetur siccitas & calor insitus conseruatur, diuturniorem vitam nostram faciamus.

Animalia longioris vitæ quæ.

Verùm præter quantitatem spectare quoque oportet humidi qualitatē. Humidum enim, quod vitam tueri debet, aëreum esse oportet, tenue, pingue, vnctosum. Aëreum, ne congeletur: Tenue, ne calorem opprimat & suffocet: Pingue & vnctosum, vt suaue sit, atque ad fouendum calorem aptum. Quæ fortasse est causa, cur exanguia quædam sanguineis quibusdam viuaciores sint; vt de apibus legimur in capite 3. libri de longitudine & breuitate vitæ: quoniam dulci prorsus & aëreo constant humido. Quod confirmare videtur illud, quod est in capite 8. libri 4.

Humidi qualitas.

& cap.11.lib.8. de animalium historia, nullis eas putidis insidere, nec alio vti cibo, quàm dulci, eámque libentissimè aquam bibere, quam sinceri & clarissimi fontes scaturiunt. A

Caloris nativi quantitas.

Ex naturali quoque calore plurimum pendet vita. Et ideo mares fœminis viuaciores sunt, quia calidiores. Neque nutritio modò, qua sustentatur vita, pẽdet à calore, sed etiã perfectio omnis operationum, quibus perfecta redditur vita. Atque si multus fuerit calor, non facilè extinguitur, vitamque diutiùs tuetur. Ita fit, vt animalia terrestria aquatilibus ferè sint magis lõgæua: Quoniam calidiora sunt. Quamquam puriorem quoq. & magis sincerum humorem cõtinent. Nec s'um propter eam, quam paulò ante tradidit caus. m, nimia B feminis profusio & immoderatus labor breuiorem faciunt vitã. Sed etiam quia cum semine multum caloris emittitur, corporisq. labore plurimus consumitur spiritus, in quo calor maximè seruabatur.

Longioris vitæ quæ.

Alborum membrorũ cum corde proportio.

Præter hãc humoris & caloris coniunctionem, primam & præcipuã durationis vitæ causam: Altera est reliquorum membrorum proportio cum corde, quod vitæ principiũ est. Inter omnia verò membra iecur & cerebrum præcipua sunt. Quæ si eum, quem par est, cum corde modum teneant (multo autem magis, si reliqua quoque omnia) longam prorsus vitam pollicentur. C

Causæ extrinsecæ.

His addendæ sunt cæteræ causæ extrinsecæ. Cœlum in vita cõseruanda & prorogãda valere plurimũ, testis est Philosophus in c.vlt.l.4. de animaliũ ortu. Deinde alimẽta & omnis ratio victus moderata sapienterq. administrata: modica & oportuna corporis exercitatio: abstinentia à Venere: vacuũ esse à curis & solicitudinibus, à perturbationibus animi; dolore præsertim ac tristitia. Cõseruat enim maximè sanitatem, inquit Porphyrius in lib. de animalium abstinẽtia, imperturbatus animi status. Multum namq. vigoris ad corpus inde redũdat. Certè familiares suos cõmemorat ab acerrimis iuncturarum pedum aomanuum doloribus liberatos, cùm pecuniarum rerumq. externarum curam deposuerũt. Ac demum hac ipsa in re aëris virtutem & efficacitatem nemo est, qui momẽtis singulis nõ experiatur: tum propter corporum nostrorum cõtactum: tum propter respirationẽ. Eum enim purũ & sincerum esse oportet, & qualitatibus nostrorũ corporum temperatione persimilem. Qui nisi omnino tẽperatus fuerit, minùs malus iudicatur, si calore abundauerit & humore. Qua de re Hypocrates lib. de aëre, aquis, & locis, & lib. de flatibus. Certè Aristot. in probl. 9. & 10. sect. 14. lib. de longitudine, & breuitate vitæ ca. 3. propterea homines eos affirmauit diutius viuere, E qui calidiora habitant loca, quòd diutius calorem & humorem conseruent; quorum refrigeratio & siccatio mors est.

Exponit locus ex lib. probl.

quamquàm nõ parua existit difficultas. quippe septẽtrionales homines cõstat lõginquiores esse vitæ, quàm meridionales, qui trigesimo anno dicuntur senescere. Sunt qui Aristotelis verba de frigidis & humidis solùm temperationibus interpretentur. Aut in calidissimis inquiunt locis non longiorem, sed magis sanam agi vitam. Neutrum accommodatè dicitur. Sed potiùs meridionales quidem minùs viuere, quàm aquilonales; Propter quod, vt est in Probl.8. & 16. eiusd. sect. corporum & locorum cõditio cõtrario modo se habet. Et illi quidem interioribus partibus frigidi sunt, hi verò calidi multóq. sanguine abundantes. quare illi propter caloris inopiam senescunt citissimè & priuantur vita, hi multo tẽpore sustentantur. Immò Vitruuius lib.1.ca.4. septẽtrionales regiones salubritate & vita tuenda cæteris omnibus ante posuit. At quoniã eorum hominum sanguis est crassior, atque ab exteriori frigore magnopere calor affligitur; salubriores omninò iudicare debent mediæ ac temperatæ regiones. Quiq. eas incolunt, diuturniores euadunt; quòd tenuiorem habent sanguinem & spiritum; Nec eorum calor à circumfuso frigore tam citò superatur. Philosophi tamen sententia illa, qua diutiùs eos viuere pronunciauit, qui calida incolunt loca; non est de calidissimis locis intelligenda: neq. credendum, meridionales eum cum aquilonaribus cõparasse; sed aut duas regiones temperatas, quarum vna sit calidior altera, aut tẽperatam regionem cum frigida. Huius enim cõparatione calida altera nominatur. Alioqui nimius calidissimæ regionis calor non solùm nõ tuetur natiuum calorem aut vitam longioré facit, quin potiùs calorem absumit, tum depascendo humidum, in quo is sustentatur, tum ipsummet deuorando, vt in probl.22. & 25. sect.3. paruam flammam dixerat à maiore consumi, atque ita breuissimo tempore tota vita concluditur. D

Sanum esse & longæ vitæ, non idem.

Quæ omnia si verè explicata sunt, duo planè colligi possunt. Alterũ est, non esse idem esse sanũ & longæ vitę, neque idem valetudinarium esse & breuis vitæ. Nõ solùm enim sæpè accidit, vt cùm ex duobus hominibus alter sit sanus atque robustus, alter valetudinarius, imbecillis, & debilis, ille multò citiùs moriatur: Quemadmodum Galenus quodam in loco quẽpiam memorat, qui cùm ad omnes horas exhalare animam videretur, ad octo tamẽ & octoginta annos vixit. Verumetiam fieri potest, vt quispiam calorem habeat & humorem benè tẽperatos, sed quantitate parua, & ideò sana quidẽ, sed breuis erit vita. Cum contrà possit alius multo abundare calido & humido, qui tamẽ aut à primo ortu aut ex cõsequenti victus immoderatione malos humores contraxerit. Nam is lõgam, sed crebris conflictatã morbis ac prorsus valetudinariam vitã traducet. Etenim sanitas indebita proportione, lõgitudo aut breuitas in caloris & humoris quantitate cõsistunt. Et ferè cõfirmatur reipsa peruulgatum illud: valetudinarios diutius, quàm sanos & robustos, viuere. Quod aut ex maiori calore & humore, quamuis minus benè tẽperatis, euenit: aut ex accurata magis victus ratione, maioréque sui cõseruandi cura. Quoniam qui sani sunt & robusti, nihil timent, audent omnia, pericula nulla reformidant, nec vlla propemodum sui cura sollicitantur. Et vt virium robore morborum caussis diutius resistunt, ita grauissimè tandem succumbunt. At valetudinarij verentur omnia, multóque melius seipsos custodiunt: Et propter virium imbecillitatem leuissima quæque morborum initia persentiunt, à quibus diligenti cura liberantur facilius, atque ita longius vitam protrahunt.

Vita breuior, & longior fieri potest.

Alterum est, naturalis vitæ periodũ posse quidẽ ob extetiorem aliquam causam prꝫeuenire reddiq. breuioré: Nẽpè aut violẽta mors potest ingruere, aut

aut aëris intemperies, aut labor nimiùs, aut intemperatus victus, aut aliud quidpiam eiusmodi citiùs, quàm oportuisset, vitæ finẽ adferre. Nihilominùs posse etiam aliquantulum protrahi, & lõgiorem fieri; siue humidi siccationem caloris{que} cõsumptionem impediendo, tum siccantibus refrigerantibús{que} causis remotis; tum exteriori aliquo fométo adhibito, siue optima viuẽdi forma, siue medicamentorũ demum virtute, quæ humidum & calorem quoquo modo recreẽt & vitam ad breue tempus lõgiorem faciant. Quod perfacilè fuerit, si mors imminens non ex humidi & caloris consumptione oriatur, sed ex nimij cibi oppressione, aut ex aëris noxij intẽperie, aut ex alia simili extrinseca causa. Quoniã cùm naturalis periodus absoluta nõdum sit; si exterior inimica causa, quæ mortem adfert moueatur aut impediatur, incolumis viuenti vita persistet.

CVR BREVIOR NVNC, QVAM priscis temporibus, vita.

CAPVT XXXV.

Æterùm si tàm sacras, quàm prophanas historias repetamus; vitæ nostræ periodũ inueniemus magnopere fuisse mutatam; multóq. magis longæuos fuisse homines priscis temporibus, deinde semper vsque ad nostram hanc ætatem vitam factam esse breuiorem. Principiò vixisse homines ad octingentos & nongentos annos & amplius, sacer Geneseos liber cap. 5. testatur. Quos annos fuisse solares, nõ lunares aut paulò maiores, vt aliqui crediderunt; ex cap. 7. & 8. manifestum est: Vbi in vnico illo anno, quo Noëticũ diluuium durauit, plures numerantur menses, vel etiam septimus & decimus, & plures in singulos dies, vsque ad vigesimum septimum. Tum ex eo colligitur, quòd eorum hominũ quipiam genuisse filios narratur, cùm sexagintaquinque annorum esset, hoc est quinque annorum aut paulò amplius, si de lunaribus annis id intelligatur. Alius post diluuiũ, quo tempore facta est breuior vita, dicitur in cap. 25. fuisse mortuus in senectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum: Cùm tamen quintum & septuagesimum annum supra centesimũ non excederet: qui si ad lunares referantur, non erunt plures, quàm quindecim. Deniq. passim in sacris libris anni & menses nominantur, & in mensibus hebdomadæ ac dies distinguuntur non minùs, quàm nunc apud nos fiat.

Priscorũ annos fuisse solares.

Quosdam tamen, licet paucissimos, multo post ea tempora vidisse quingentesimum & sexcentesimum annum & amplius, cap. 3. lib. 1. Iudaicarum antiquitatum Iosephus, & lib. 7. naturalis historiæ cap. 48. Plinius memorant: Quamquam annos hosce aut trimestres aut omninò lunares idem Plinius dicat. Verùm mox in cap. 49. subiũgit plurimos, qui in Italia censu Imperatorum Cæsarum centesimum solarem annum excessisse, & alios, qui centesimum quinquagesimum attigisse raperti sunt. Nũc autem vix vllus videt centesimum, & diutissimè vixisse creditur, qui octogenarius moritur. Tantæ mutationis caussa multiplex adferri potest.

Prima causa.

Primùm enim vitam tẽporibus singulis breuiorem reddi oportet: quoniam magis semper recedit à primo principio primáq. naturæ cuiusq. origine; & ideo magis in dies consenescit vna quæq. & ad occasum accedit. Nam quod in hominibus atq. adeo viuẽtibus singulis accidit; vt quò magis à suo principio distãt, eò magis eorum vita & duratio minuatur: Hoc ipsum in vniuersa specie ac natura, quæ in singulis conseruatur, intelligẽdum est euenire. Primũ ergo maximè diuturna fuit vita, quòd recẽs natura robustissima esset, optiméq. temperata & constituta. Post verò paulatim consumpto robore, morboque plurimo fractis viribus ac temperatione vitiata; nihil mirum, si caduca magis & moribunda viuit.

Deinde accesserunt crebra diluuia inũdationes aquarum, & incendia plurima: De quibus in Timeo & lib. 3. de legibus Plato, & Aristot. c. vlt. li. 1. meteororum. Ita namq. corrupta magnopere & permista elementa fuerunt: in quibus aër præsertim vaporibus plurimis repletus est, humidiorq. quàm par esset, factus, & quasi infectus plurimorum cadauerum putredine alijsq. sordibus, quæ in terra cõgestæ sunt. Inundationibus etiã illis aquarum factum est, vt cibi, quibus animantiũ vita sustentari debuerat, propter nimium humorem aqueum detrimentum maximũ paterentur. Quare cùm minus fœliciter corpora restaurarẽtur, nihil mirum si minus viuere potuerũt. Hoc ita esse, magno illud erit argumento, quòd cum vsq. ad Noëticum diluuium fœlicissima esset & lõgissima hominũ vita; statim post diluuiũ repente trũcata est. 2.

Sed etsi nullæ essent huiusmodi aquarum inundationes, minus tamẽ bona & succosa minorisq. virtutis essent alimenta omnia: quòd terræ virtus ac feracitas singulis temporibus exhauriatur magisque minuatur: & ideo animalium quoque carnes corpora nostra minus reficiunt. 3.

Scientia quoq. illa & cognitio herbarum, lapidum, & naturalium virtutum cæterarum rerum, quæ Adamo fuerat à Deo tributa, quæq. ad vitam sustentandam plurimũ proderat, paulatim perijt. 4.

Accedit hominũ intẽperantia, & immoderatus vsus sex illarum rerũ; quæ à medicis nõ naturales appellãtur: ac potissimum nimius cibus & potus, ciborúmque varietas & condimentum: tum verò immoderata Venus. Nam prior quidem causa adducit plurima morborum genera, natiuumq. calorem debilitat & opprimit: posterior autem corpora siccat, refrigerat, & immaturam senectutem adducit. quocirca cum dixisset Hyppocrates in Aphoris. 28. lib. 6. Eunuchos podagra non laborare, Galenus illorum verborum interpretationẽ faciens, sæculi sui miseriam & calamitatem seriò deplorat. Hyppocratis, inquit, temporibus id verum erat, nunc verò propter nimium tum otium, tum vitæ intemperantiam, non item habetur verum. Et omninò ex toto hominum genere non multò post addit propter vitæ temperantiam & moderationem summam pauciss{i}mos fuisse Hyppocratis temporibus, qui podagra laborarent: At sua ætate auctis delitijs, luxu, & voluptatibus, infinitam esse podagra laborantium multitudinem. Ergo, vt verbis vtar Plinij in proëmio lib. 14. voluptas viuere cœpit, vita ipsa desijt. 5.

Huc nimirũ spectat etiã præmatura generatio & propagatio naturæ. Antiquiores ad procreandũ non copulabãtur nisi ætate iam perfecta & robustis viribus: Quare & ipsi min⁹ detrimẽti pati- 6.

bantur, & perfectiorem magísque longæuum gignebant fœtum. Posteri autem immatura adhuc necdũ satis confirmata ætate coniungi cœperunt. Ex quo duo incõmoda secuta sunt. Primùm enim ipsorum corpora minùs perfici potuerunt: bona scilicet alimenti parte consumpta, qua illorũ corpora crescere & ad perfectum statum adduci debuissent: quin potius inter ipsa ætatis principia debilitata sunt & fracta. Deinde imperfectum & minus viuacem fœtum ediderunt. Quam ob causam sapienter Philosophus in 7. Politicorum lib. cap. 16. in Republica voluit adolescentiũ congressum prohiberi; quod in omnibus animalibus imperfecti, & fœminæ potiùs, quàm mares, paruaq. omninò corporis forma sint inueniles partus: Eosque breui tempore interire, oraculi responso confirmauit. Quare fœminis ante decimum octauum & maribus ante trigesimum quintum ætatis annum non permisit nubere: ætate scilicet magis confirmata & robusta; qua diuturnior proles fieri potest.

7. Denique huius rei causã mihi videtur fuisse peccatum. Nam ante primi parentis facinus humana natura à Deo condita fuerat nunquam moritura. Post peccatum verò primis illis sęculis, quibus maior erat hominum innocentia, aut minor certè malitia diuturnior vita concedebatur: præsertim cùm ad propagandum genus humanũ necessaria videretur. 8. At multiplicata tandem natura, acutisque sceleribus, breuius factum est viuendi tempus. Ita colligi potest ex capite sexto lib. 1. Geneseos. Vbi postquam homines multiplicati essent super terram, propter eorum scelera constituit Deus illorum vitam minuere & ad centum viginti annos contrahere. His enim verbis significatur, tùm propter vitæ integritatem & cultum Dei; tùm propter naturæ multiplicationem, longiorem antea concessam fuisse vitam; deinceps verò propter scelera & satis auctam naturam fuisse breuiorem.

QVAE VIVENTIA LONGIOrem habeant vitam.

CAPVT XXXVI.

IAm verò si quæratur, quænam viuentia longiorem degant vitã, vix quidquam videtur certi pronuntiari posse. Quoniam vt in cap. 3. lib. de longitudine & breuitate vitæ Philosophus tradidit; nec ea, quæ sunt corpore grandiora, affirmare licet esse magis diuturna; siquidem equus homine maior minùs viuit. Neque minora; quoniam insecta pleraque vix vnum annum viuunt. Neque plantæ & stirpes; quarum plurimæ ne vnum quidem annum absoluunt. Neque sanguine prædita animalia; quoniam apis quibusdam sanguineis magis est viuax. Neque exanguia; quippè plurima sunt annua. Neque terrestria; quia multa vnicum annum durant: neque aquatilia; quoniã ostracea & mollia ferè sunt annua.

Quid ergo? in plantarum genere quædam sunt, quæ omnium diutissimè viuunt; vt palma & cupressus; quæ ad quingentos annos & ampliùs dicuntur vitam producere. Cur verò plantæ aliquæ tamdiu viuant, aut ea est causa, quòd reflorescant sæpè & quasi renouentur: aut ea potiùs, quòd aëreo pinguiq. humore abũdant. Quod ex eo colligi potest, quòd aquæ innatant: & si quæ duro ac ipisso cortice tectæ sint, diutissimè humorẽ ab externis iniurijs tuentur, ne aut siccetur aut congeletur, & ideò viuũt. Verè autem affirmatum fuisse videtur à Theophrasto in 4. de illarũ hist. lib. cap. 14. & lib. 2. de earumdem causis cap. 15. diuturnas magis esse terrenas, quã aquatiles. Duriore enim & magis syncero humore constant; minúsque refrigerantur. Deinde syluestres magis, quàm vrbanas & domesticas: quippè robustiores sunt, spissiores, fructúque infœcúdiores. Ac demum inter vrbanas ac domesticas citiùs eas interire, quæ fœcundæ sunt quàm eas quę infœcundæ, citius multiferas, quàm pauciferas, citius eas, quæ dulces, quàm eas quæ acidos fructus pariunt: Magnam enim & potissimã substantiæ partem detrahit fructificatis; præsertim si dulces fructus sint: Nam optimam substantiam exhauriunt. De animalibus porrò extat illa Virgilij Poëtę sententia,

Ter binos decręsque nouem superexit in annos
Iusta senescentum quos implet vita virorum:
Hoc nonies superat viuendo garrula cornix.

Cornicem mortuo marito nouem hominum ętatibus viduam perseuerare scripsit Plutarchus in opusculo, quòd bruta animalia ratione vtantur, *Cornix vidua.*

Et quatuor egreditur cornicis sæcula cornus:
Alipedem cernum ter vincit corvus: at illum
Multiplicat nonies phœnix reparatilis ales.
Quem vos perpetuo decies præuertitis æuo
Nymphæ Amadriades, quarum longissima vita est.
Hi cohibent fines viuacia fata animantum:
Cætera secreti nouit Deus arbiter æui.

Sed quidquid fabulentur Poëtæ, prudenter iudicauit Philosophus sanguinea vniuersè exanguibus longioris esse vitæ. Quia cũ sanguis calidus sit & humidus, aptissimus est ad conseruandã vitam. Quòd si in quibusdã secus accidat id aut propter exaguũ magnitudinẽ & sanguineorũ quorũdam paruitatem euenit: aut propter bonum humidum dulcémque cibum, quo vescũtur, vt in apibus: aut propter duram pellem, qua illorũ humor & calor optimè defenditur.

Terrestria quoq. aquatilibus viuaciora esse tradidit: propterea quod humidũ habent magis aëreum, purum, & pingue quodque difficilius congeletur: aquatilia verò humore magis aqueo, diluto, & impuro abundent; nisi fortasse corporis magnitudo compenset.

De auibus multa narrantur, quæ mihi non parũ suspecta sunt. Namq. vitam earum breuiorẽ esse, quam terrenorũ animaliũ, probabilis certè ratio suadet. Quoniam eæ corpore ferè sunt perexiguę, parumque humoris cõtinent, quod facilè siccari queat. Sed ratione locorũ, in quibus degunt, aut victus, aliarũue extrinsecarũ causarũ, fieri potest, vt quędam diutiùs viuant, quàm terrestria multa.

In vniuerso autem terrestriũ genere affirmauit Philosophus, tum eo loco, tum in ca. vlt. lib. 4. de animalium ortu, hominem & elephãtem diutissimè omniũ viuere, diutiúsq. elephantẽ, quàm hominem. Fortasse propter magnã corporis vastitatem, quæ humidi plurimum continet. Si tamen saeras euoluas historias, hominẽ planè reperies naturã sua & cõditione vitã habere omniũ longissimam: siquidẽ ad nongẽtos annos & amplius eum vixisse legimus. Quod rationi per quàm consentaneũ est. Nõ solũ enim is reliquis omnibus prœesse debebat & omnibus vti: verũ etiã cum in naturali

Cur quædam plãtæ diutissimè viuant.

calore

calore omnis vita sustentetur, genus hoc animalis calidissimum omnium est. Addo etiam sui corporis proportione humidissimum, & quidem optimo & ad prorogandam vitam aptissimo humore. Cur autem iam fiat, vt minùs, quàm animalia multa, viuat; colligere licet est superioribus.

Denique illud prætermittendum non est, quod Theophrastus admonuit; animalia, quæ magis fœcunda sunt, minùs viuere; quæque plurima pariunt, citissimè consenescere & parere. Eadem autem est ratio, quæ in plantis significata est, & Aristoteles mulum sterilem magis longæuum esse dixit, quàm sint equus aut asinus fœcundi.

QVAE CORPORIS TEMperatio longæuior.

CAPVT XXXVII.

AD hunc locum illa quoque medicorum disputatio pertinet; Quænam corporis temperatio maximè sit ad prorogandam vitam opportuna. Ac inter omnes quidem video ferè conuenire frigoris ac siccitatis excessum perbreuis esse vitæ: quod hę duæ qualitates sociæ sint mortis, suáque natura adducant interitum: Sed ego minimè verebor affirmare, breuioris esse vitæ temperationẽ illam, quæ frigore magis abundet, quàm siccitate. Nam, etsi calore & humore sustentetur vita; calor tamen præcipuus est vitæ parens & dux; humor autem velut id in quo sustentetur calor. Quare cùm ea, quæ frigore magis abundant, minorem habeant calorem; frigúsque perpetuas cum calore inimicitias exerceat atque illius operationes impediat, consequens omninò est, vt eorum vita sit breuior. Ex eo quoque sumere licet argumentum; Quòd si quæ temperationes calore & humore excedant, & si ambæ sint qualitates vitæ; diuturniores tamen, & viuaciores illæ sunt, quæ ad calorem propensiùs inclinant: quoniam hæc potior est vitæ qualitas. Contrà igitur caduca magis & mortalis ętat illa, quæ frigore magis, quam siccitate, excedit; quoniam qualitas magis noxia vitæque magis inimica dominabitur.

Itaque cholerica temperatio potior est ad vitam, quàm pituitosa & phlegmatica. Quoniam cùm vtráque alteram duntaxat habeat illarum qualitatem, quæ vitæ comites sunt, cholerica calorem habet, phlegmatica humorem, eumque impurum satis, dilutum, ac penè aquosum. Omnium igitur minimè viuax est melancholica, quæ vtraque mortis qualitate regitur. Deinde phlegmatica, quæ frigus mortiferum habet & humorem vitæ. Tum cholerica, quę calore abundat, siccitate licet adiuncta. Omnium optima est sanguinea, quæ vtroque vitæ principio nititur, calore & humore.

Obiectio. Quod enim aliqui probare conantur, calidam & siccam temperationem esse omnium maximè diuturnam: tum quia pauciſſima gignit excremẽta, ex quibus morbi plurimi eruuntur: tum quia dum procedente ætate trigus & humiditas accedunt, optima fit in senectute ad prorogandam vitam temperatio minus necessarijs argumentis concluditur. Nam vt mittam, in eorum altero inter sanitatem ac vitæ diuturnitatem non satis distingui; multò maior in illis inest necessitas, quę pro sanguinea temperatione vtrumque principium vitale copulatum proponunt. Siquidem vtrumque est ad vitam sustinendam necessarium: Neque hæc temperatio magis est excrementosa, quæ humore constat, non pituitoso & aqueo, vt phlegmatica; sed aëreo pingui, totoq. vtili & ad vitam reficiendam calorémque tuendum optimo. Procedente autem ætate tantum ab est, vt calida & sicca temperatio ad producendam vitam melior euadat; vt calore fracto ac debilitato, siccatóque magis corpore, senectus & mors, quæ siccitates quædam sunt, breui cõsequantur. Nam quæ humiditas accedit, tota pituitosa est, frigida, & prorsus noxia: quæ calorem potius extinguat, quam foueat; nec vitam proroget, sed mortem adducat. *Solutio.*

Probabili ratione disputari potest, si hæc ipsa temperatio sanguinea cum ea comparetur, quæ omni ex parte temperata sit. Nam Dinus & Conciliator propterea longiorem vitam temperatæ dederunt, quod longiùs distet ab extremis, quæ interitum adferre possunt: quòd medici ęgrotorum corpora conentur semper ad eam temperationem adducere; quasi ea optimè conseruetur vita. Ac demum, quòd operationes videatur habere perfectiores. Contrà. Haly & Tutisanus & Thomas de Garbo alijque cõplures sanguineam potiùs calidam & humidam anteponunt. Fuitque sententia, tum Galeni, vt illa verba testantur, quæ leguntur in 6. lib. de sanitate tuenda cap. 8. quod ad temperamenti rationem attinet; qui maximè, sunt humidi, ij maximè sunt longæui. Tum Aristotelis, qui calorem & humorem totius vitæ principia posuit. Nam si in harum qualitatũ dominatu, vita consistit, maior sanè aut minor illius duratio in ori aut minori dominatu consistet. *Sanguinea temperatio longior.*

Ergò qui secùs senserunt, haud satis longitudinem vitę à sanitate distinxisse videntur. Etenim eam quidem constitutionem, quæ planè fuerit temperata, fatebor ego libenter magis esse sanam, & confirmabit Galenus in lib. de optima nostri corpois constitutione cap. 2. & 3. Quod sanitatis natura in huiusmodi qualitatum omnium temperatione consideratur. quæ etiam minùs facilè à quauis causa perturbatur. Et ideò medici ægrotum corpus ad sanitatem trahentes, omni arte conantur ad hanc temperationem adducere. Et cùm sanitas temperationem eam significet, quatenus est perfectarum operationum principium, quid mirum si temperatum corpus perfectè operetur? At dum vitæ durationem video à perfecta vel imperfecta operatione abstrahere, à temperie vel intemperie atque ab alijs omnibus, solamque nutrientis animæ cum calido permansionem significare, vt à Philosopho definitum fuit: quocunque tandem modo temperatum sit corpus atque in illo anima operetur: planè constituo, eo diutiùs permansuram esse animam, vitaque longiorem fore, quò plus caloris & humoris fuerit. Fit enim persæpè, vt longam vitam quis habeat & ad magnam senectutem perueniat, qui valetudinarius sit & plurimis morbis obnoxius. *Sanum & longæuum vt differant.*

LONGAE *vitæ signa.*

CAPVT XXXVIII.

DEnique tota hæc vitæ consideratio finem habebit, vbi præcipua quædam vitæ longeuæ signa subiecero. Exprobatissimis autoribus hæc fermè colliguntur. Corpus magnum, sed membrorum omnium proportione constans: corpus quadratum optima præcipuarum partiũ constitutio & affectio, cordis inquam, iecoris, cerebri; mutuáque inter eos proportio: ceruix crassa, pectus amplũ & latũ: incurui humeri: partes superiores maiores: caro solida & minimè spongiosa: vox magna, lenis, & suauis: color nec nimiũ albus nec omnino niger, sed inter vtrumq. medius; non tamen plũbeus, verùm cum quodam quasi nitore, qui optimæ coctionis & purioris substantiæ testis est: aures magnæ & omnes extremæ partes, atque inter eas summi digiti crassi: dentes crebri, solidi, magni, candidi, & multi, hoc est minimum duo & triginta, aut etiam plures. Quibus enim plures, inquit Philosophus cap. 3. lib. 2. de animalium historia, hæc viuaciora magna ex parte sunt, quibus pauciores & rariores, hæc magna ex parte vitæ sunt breuioris. Cuius causam cùm quæreret in problemate 47. sectionis 10. eam esse respondit: quia dentium raritas os mandibulæ totiúsque capitis densum indicat. Quare cùm non satis expirare possit, infirmùm efficitur breuique tempore putrescet. Contrà si plures sint & crebri. In eadem autem historia lib. 1. cap. 15. lineas seu scissuras; quæ in interiore manus parte visuntur, idem ipse philosophus vitæ indices appellauit: binásq; illas, quę per mediam ducuntur volam, si longiores fuerint & per totam manum productæ, longam vitam significare voluit. Adde etiam si profundæ, latæ, rubicũdæ, & omninò benè formatæ, minimèque interruptæ. Breuem autem, si breues & secus omninò affectæ. Tum quia vt est in 48. problemate sectionis 10. & problemate 10. sectionis 34. vniuersè articulata omnia animalia longioris vitæ sunt, quàm de articulata & minùs distincta. Tum quia accurata linearum formatio & distinctio efficacem & robustam formatricem virtutem testatur, bonumque humidum & calorem: immò & singulare naturæ studium atque industriã; quæ si de rebus leuissimis ac minùs necessarijs tuit solicita, multò magis credenda est cordis, iecoris, cerebri, & aliarum principum, prorsúsque necessariarum partium maiorem veram habuisse. In problemate quoq. 63. sectionis eiusdem. 10. traditum est breuiorem illis esse vitam, qui partem vmbilico subiectam vsque ad ilia maiorem habent, quam superiorem quæ ad pectus pertinet. Quoniam hi cùm paruum habeant, angustum, & frigidum ventrem; minùs coquunt, plurimisque excrementis abundant eorum corpora: & ideò minùs viuere possunt. Denique longæ vitæ signum existimatur esse mediocris statura corporis, & eadem non festina & præmatura, sed tarda accretio. Post hoc est parum & tardè crescere. Tum multum & citò. Postremò parum & citò. Hoc enim breuemplanè vitam significat.

Manus lineæ.

Hæc omnia Plinius fortasse contemneret: quèadmodum quædam contempsit in cap. 52. lib. 11. suæ naturalis Historiæ. Sed profectò immeritò & parùm prudenter. Siquidem diligenti obseruatione collecta omnia, diuturnáque experiẽtia confirmata fuerunt: & naturali ratione nituntur; multò scilicet calore & humido, eóque bono & optimè cocto.

QVID MORS. DE QVE DVPLIci mortis genere, per Marcorem & caloris extinctionem.

CAPVT. XXXIX.

ROst vitam differere de morte oportet, Ergò vt in conuenienti & apta qualitatum omnium temperatione, ac potissimùm in calore & humore conseruatur vita: Sic efficitur necessariò, vt qualitatum intemperies, caloríque potissimùm, & innati humoris consumptio, mortem adducat. Idcircò Aristoteles, qui vitam definiuit nutrientis animæ permansionem cum calido, mortem caloris extinctionem esse affirmauit in libro de vita & morte cap. 14. non quòd formaliter sit extinctio, sed quòd hæc adducat mortem. Quoniam enim sine calore non potest anima in corpore permanere; Enecto calore animam tolli necesse est. Vt sicut vita est habitus quidam & permansio animæ in corpore cum calore; ita mors illius habitus priuatio sit, & absentia seu discessus animæ à corpore propter extinctum calorem. *Mors quid.*

Mortem vitæ oppositam esse velut illius priuationem, nemo est qui ignoret. Verùm absentiam eam & priuationem intelligere non oportet, quę consideratur in corpore antequàm cum illo anima copuletur. Quoniam tunc etsi corpus non viuat, seu ad vitã sit potestate; neq. adsit anima, sed adesse possit; mortuũ tamen non dicitur. Verùm eam potius quàm antecessit vnio & præsentia animæ quæque vnionis dissolutionem & animæ separationem atque discessum significat. Dequa peruulgatum est illud Philosophorum axioma: Apriuatione ad habitum non est regressus. Neque animal, quod semel obijt, potest rursum naturæ viribus redire ad vitam. *Mors qualis priuatio vitæ sit*

Priuationem hanc & absentiam indicare nobis voluit Aristoteles, cùm illius causam proponẽs, mortem pronuntiauit caloris extinctionem esse; hoc est caloris in humido extinctione prouenire: caloris inquã tanquàm principij, quo potissimũ anima & vita conseruabatur: humidi autem, tanquàm eius, in quo sustinebatur calor. Et ideò solius fortasse caloris meminit: quia cum illius extinctione adiuncti quoque humidi extinctio intelligitur. *Mortis causa.*

Nisi etiam vtrumque distinxit, cùm duplicem fecit interitum; vnum per marconem, alterum extinctione à contraria & hostili qualitate procuratum. Marcor namque ad humidum, extinctio contrarij, ad calorem pertinere videtur. Marcore tunc viuens creditur interire, cùm propter humorem consumptum moritur, quo sustẽtabatur. *Duplex mortis genus.*

tabatur vita. Cùm enim calor in humido semper esse velit; Si deficiat humidum, ita cum eo deficit calor, vt marcessere dicatur. Sed duobus modis potest alimentum calori deficere. Aut quod verè totum consumptum sit, neque vllum additum; sicut consumptis lignis perit ignis, oleóque deficiente lucerna extinguitur. Aut quòd calor tam debilis sit & fractus, vt appositum alimentum mutare ampliùs nequeat. Sic enim paruus ignis viridioribus lignis appositis extinguitur, quod in suam naturam commutare illa non possit. Nam hoc ipsum accidit naturali calori: quitum ex inopia alimenti marcessit, vt in longa inedia; tum ex nimia imbecillitate opportunum & necessarium alimentum appositum non commutat, vt in senibus euenit. Quamquam ex hoc duplici marcescendi modo posterior dumtaxat est naturalis; alter penitùs violentus. Quoniam cùm calor adhuc esset robustus, atque ad commutandum alimentum vitámque prorogandam satis efficax; externa vi factum est, vt alimentum famescenti subtraheretur & ideò periret.

Calori duobus modis deficit alimentum.

Mors naturalis & violenta.

Hinc duplex mortis genus existit: alterum naturale, quòd ex defectu caloris accidit, qui amplius ali non potest, atq. ob humidi siccationem marcessit: hæcque in animalibus appellatur senectus & mors, in plantis ac stirpibus ariditas. Alterum violentum & præter naturam. Dum enim calori adhuc robusto ac voraci necessarium alimentum negatur, cogitur ipse in se ipsum se se conuertere, ac membra, in quibus sustentatur, resoluere & dissipare. Potest autem hoc ipsum mortis genus ex suffocatione quoque contingere. Nam respiratione prohibita, necessariáque cordis refrigeratione impedita, nimius euadit focus; qui cùm spiratione priuetur, opprimitur in se ipso. Id verò euenit, si aut nimio calore siccentur pulmones, immoderatione frigoris reddátur immobiles, nec aërem ampliùs trahere possint, aut magna pituitæ alteriusuè noxiæ materiæ copia per arteriam asperam ad pulmones defluat, eósque corrodat & inficiat: aut demum ab externa prorsus caussa; siue strangulatione violenta, siue cibo in memoratam arteriam ingrediente. His etenim omnibus modis respiratio & caloris refrigeratio impeditur, suffocatúrque & in se ipso marcessit calor.

Mors ex suffocatione.

Respiratio duobus modis prohibita.

Sanè in omni morte quæpiam eiusmodi suffocatio respirationisque defectus adest. Sed duobus modis potest animal respiratione priuari. Aut enim ex caussa propria priuatur & illius effectus adæquata, quem deinde mors consequitur: propterea quòd illorum animalium vita, quæ pulmones habent, sine respiratione conseruari nequit, quæ nisi prohiberetur, alia nulla subesset interitus caussa. Aut etiam ex alijs caussis id euenit; quæ propria & insita sibi virtute mortem vicenti adferunt, & ex accidenti seu naturali ac necessaria consecutione respirationem tollunt: quoniam corpus mortuum respirare non potest. Et ideò quælibet hostilis caussa occidens animal, ex accidẽti quoq. respirationẽ tollit, quãuis nulla subsit propria & adequata caussa, quæ illius vsum prohibeat. Cum quouis porrò mortis genere cõiũctam esse oportere respirationis prohibitionẽ: perspicuum est propterea fieri, quòd respiratio facultatis vitalis effectus est. Quare vbicunque fuerit respiratio, necesse est esse vitam; omnisque caussa tollens vitam tollit etiam respirationem. Itaque si ex caussa propria & adæquata deficiat respiratio; ita vt nisi illa adesset caussa, planè non moreretur animal; mortis illud genus à cæteris distinctum constituitur; diciturque suffocatione constare; quoniam nulla adest alia mortis caussa, quàm suffocatio. At si ex accidenti & necessaria consecutione respirandi vsus prohibeatur, aliáq. aliqua sit necis & interitus caussa; illam potiùs, quàm prohibitam respirationem, dicimus esse mortis caussam.

Alterum genus mortis initio nominatum per extinctionem caloris erat. Quæ mors aut inferri potest à contrario & hostili frigore, aut à nimio calore externo internũ & vitalẽ caloré obruente ac dissipante. Quemadmodũ Aristoteles in problemate 5. & 25. sectionis 3. vini calore docuit naturalẽ eorum calorem extingui, qui intemperantius bibunt; eamque ob caussam illorum corpora tremere & rigere. Quò etiam referri potest extinctio illa, quæ aut ex humorum putrefactione nascitur, aut ex continui diuisione, siue vulnere, siue alia eiusmodi caussa, quæ nimiam adferat refrigerationem aut sanguinis effusionem. Perinde enim euaporat & exit calor.

Caloris extinctio.

DE MORTE, TVM NATVRALI, tum violenta.

CAPVT XL.

QVæ omnia cùm ita se habeant, optimè Aristoteles duplicem distinxit mortem; vnam naturalem, alteram violentam. Quamuis enim omnis mors naturalis dici possit ratione materiæ, quæ propter inexplebilem eam, quam habet potestatem, formas omnes insatiabiliter concupiscit. Vidit tamen summus Philosophus id quoque naturale dici posse, quod à naturalibus & in ipsa re existentibus caussis temporéque à natura constituto fit: illud autem præternaturam & violentum, quod siue ab externis & ingruentibus caussis, siue immaturè & ante præscriptum tempus efficitur. Atque hoc modo ea sola mors naturalis appellatur, quæ ob senium & temporis longitudinem marcescendo adducitur: Tantoperè scilicet debilitato atque eneruato calore, vt necessarium ampliùs alimentum commutare nequeat. Ea verò violenta, quæ & caloris extinctione & marcore fit reliquis omnibus modis, quos paulò antè commemoraui.

Mors naturalis quæ?

Violenta quæ?

Quocirca plurimùm omino differunt hæc duo mortis genera. Tum quia eorum alterum vno tãtùm modo euenit: alterum multis planè modis fieri potest. Tùm quia prius illud genus ab interno & in ipso viuente insito principio quodam modo est; nempe à naturali calore nimium debilitato & fracto: tametsi is ex accidenti mortis caussa ducatur: propterea quod perfectè, vt antea, operari non valeat. At posterius ab extrinseco prorsus principio est. Accedit, quod primum non nisi in vltima ætate potest contingere: Alterum quouis tempore. quare nulla arte nulliſque

medicamẽtis mors primi generis arceri potest aut vlteriùs vita protendi ; nisi breuissimo fortasse tempore, non nihil recreata confortataq. natura. At mors posterior vel ad longissimum tempus facilimè impeditur. Denique auctor est Aristoteles primum mortis genus esse sine tristitia doloriue sensu. Siquidem caloris illa resolutio & consumptio insensilis est & sine læsione. Quam ob causſam decrepitos homines sæpè vidimus interloquendum aut agendum quidpiam efflasse animam ; perindéque esse mortuos, ac si essent dormituri. At genus alterum sine læsione aliqua, dolore, angustia, & vi, nunquàm euenit. Non enim absoluta naturali periodo interioribusque vitæ principijs debilitatis & eneruatis sensim accidit, sed exteriori ac robustiori causſa extremam vim toti naturæ inferente, omneq. illius robur extinguente.

An mors sine tristitia.

Quamquàm si naturale rationis iudicium insitamque hominibus imaginationem spectes, nullam iudicabis esse mortem sine tristitia, licet interdum absque doloris sensu eueniat. Quoniam cùm vnaquæque res appetat esse, omnis mors naturalem quandam tristitiam adfert : quam vel in bestijs ipsis animaduertimus. Immo cùm ita sit natura comparatum, vt quò perfectior est quæque res, eò magis insito quodã omnibus desiderio esse percupiat : homo viuentium omnium perfectissimus maximam sentit de sua morte tristitiam. Quod illud Philosophi confirmabit, quod est in cap. 9. lib. 13. de moribus ad Nicomachum; eò magis ob suam mortem dolere hominem affirmantis, quò magis est virtute ornatus & felix : quoniam maximè dignus est qui viuat, maximisque priuari se bonis intelligit. Atque tum augetur magnopere ex cognitione, quã homo præ cæteris animalibus habet. Tum ex eo, quò illius anima immortalis est, apráque perpetuò dare esse corpori : Nec fatigatur vnquam aut debilitatur; vt cæteræ mortales formæ. Denique immoderatus accedit ad res terrenas affectus. Facinata namque, vt verè Synesius loquitur in lib. de somnijs, materiæ donis anima perinde afficitur, atque illi, qui cũ liberi sint, ad certum tempus mercede conducuntur ad opus: Vbi ancillæ cuiuspiam pulchritudine capti moras trahere volunt, ipsius amatæ domino seruire constituentes. Rationis tamen ac supernaturalis iudicij ope persæpè fit, vt mors per multis non solum sine tristitia, verùm cum summa quoque iucunditate sit. Vt de sanctis viris legimus, ac præsertim Christi martyribus: qui cum maximis quidem sensus corporisque doloribus, at cum summa animi alacritate & lætitia mortem obierunt.

A B C D E

PROXIMAE MORTIS indicia.

CAPVT XLI.

VErùm cùm antea quæ essent vitæ signa ostenderit, operæ pretium fuerit postremo hoc loco mortis quoque argumenta quædam præcipua paucis colligere : Atque ita totum hunc librum tandem concludere; in quo tum de animati corporis temperatione, tum de ijs, quę cum illa considerantur, actum est. Ac de signis atque indicijs violentæ mortis, quæ causſam prorsus extrinsecam habet, nihil certi affirmare licet; Sed de illius duntaxat; quæ ex consumptione aut marcore caloris, morbo quopiam corpora nostra vexante, accidit.

Cuius indicia ex tota primùm, facie sumi possunt : quam magnoperè immutatam videamus atque à naturali statu & conditione recessisse, quæ sanitatis tempore esse consueuerat; & viridi nigroue calore occupatam : præsertim verò inter initia morbi, nec exteriori vlla vrgente causſa, accidit.

Deinde ex faciei partibus hæc habentur. Nares acutæ, collapsa tempora, aures frigidæ & contractæ, fibræque earum versæ, cutis circa frontem dura, tensa, & arida ; oculi concaui. Hæc enim omnia aut ex aliqua causſa proficiscuntur, quæ carnosas partes consumat ac deuoret; aut ob natiui caloris imbecillitatem eueniunt, qui ad extremas partes extendi amplius non potest, sed solis visceribus cõtinetur ; vt in primo prognosticõ com. 7. pluribus exposuit Galenus. In oculis quoque spectandum est, an refugiant lumen & lachrimentur. Vtrumque enim ex aspectricis facultatis aut retentricis imbecillitate nascitur. An alter altero fiat minor, debilitata scilicet virtute eum regente. Num in ijs liuidæ aut nigræ appareant venulæ : qui color ex sanguine ob caloris defectum extinctamque virtutem refrigerato prouenit. An instabiles sint & tremuli, an vehementer subsidiant, an in somno palpebrę coniungantur, an verò inter illas albi quidpiam conspiciantur. An obtutus squallidus sit & sine splendore. An palpebræ, labia, nares, vngues, digiti, liuida sint an nigra. Hæc enim calorem innatũ, qui ex corde proficiscitur, extingui significant.

Tum in decubitu animaduerti potest, an supinus cubet, ceu resolutus & ita debilitatus musculis, vt in latus cubare nequeat. An nimiùm extendat aut contrahat genua ; an ad pedes corporis pondere dilabatur an brachia & crura nudet, & inæqualiter huc atque illuc dispergat. An ita ante pectus coniungat: vt vnum imponat alteri caputque in dextrã & sinistram partẽ virtute. sc. debilitata, flectat: An hiante ore dormiat, aut vigilet: An in lecto residere aut omninò surgere velit.

Denique in toto corpore attendendum est, an vniuersa illius virtus ita dissoluatur, vt retinere amplius excrementa non possit. An propter imbecillitatem & organorum dissolutionem aspiciat, audiat, & cęteris fungatur sensibus. An aures, nares, pedes, manus, & omninò partes extremæ refrigerentur caloréque prorsus destituantur. An dentibus præter consuetudinem strideat: neruorum enim origo affecta est. Et si vltus sit in corpore, euadat siccum : nutriente virtute debilitata: & aut pallidum, si biliosus abundet humor : aut liuidum, si later. Videndum etiam est, an manus circa vultum moueat, quasi venetur muscas : aut de veste pilos, aut de pariete festucas carpat. Etenim ob suffusionem à capite in oculos factam id euenit, quasi extra videat id, quod est in oculis: An crebrò & frigidum respiret : An frigidum sudet; an circa caput dumtaxat, vultum, & ceruicẽ. An magni, duri, & cum dolore tumores insint in hypocondrio vniuerso. Quæ omnia & id genus alia di-

alia diligentissimè solent medici in moribundis corporibus obseruare.

Mihi verò propositum est trium effectuum, quos in illis animaduertimus causssam exponere. Primùm enim cur eorum partes extremæ frigent? an quia totus calor, dum oppugnatur, recipit sese ad cor velut ad fontem & principium? an quia partes illæ iam sunt mortuæ atq. ab anima destitutæ, non solùm enim eæ sua natura minùs viuaces sunt; sed etiam à corde caloris vitæque principio maximè distant. Et vt primum omnium viuit cor, sic vltimùm moritur.

Cur extremæ refrigerantur.

Deindè cur eo potissimum tempore præsagiũt homines & futura prædicũt? sic enim communis fert existimatio. An, vt inquiunt Platonici, quoniam anima incipit à corpore separare, ita namq. fit, vt complura videat, quæ antea corporis mole oppressa non cernebat. Quemadmodum in somnijs item plurima nos futura intelligere, ijdem illi philosophi opinantur. An verius multò pronuntiabimus, sanctis quidem viris multa sæpè à Deo fuisse eo tempore indicata, quæ euentura

Cur præsagiãt.

A

B

essent; siue ad ipsos illa, siue ad alios pertinerent: at ex naturæ principijs nihil tunc futurum cognoscit: immò animam minimè ad intelligendum esse aptam; cum vniuersa corporis organa sint penè destructa.

Postremò cur homines cum ad mortem propè accedunt, meliùs habere videntur? An id fit ab intelligentia, vt inquiunt aliqui, an absurdum est? Et cùm in morte sola violenta id accidat, quæ cum naturæ repugnantia & lucta euenit, in extremum potius naturæ conatũ referendũ est. Sed vnde tanta vis in extrema lucta naturæ propemodũ profligatæ? An ex eo, quòd natiuus calor, cùm antea robustus esset & per totum corpus dispersus, paulatim corrumpebatur; & ideò paulatim quoque resistebat. Ac cùm ruina maior facta est, magnoperéque mors dominari cœpit, ac de tota rerum summa agitur; recipit se se totus ad cor, velut ad principium & arcem; in qua non nihil confirmatus fortiùs dimicat; sed statim à robustiori hoste prosternitur. Atque hic fit huius primi libri finis.

Cur melius videam.

FINIS.



HIERONYMI DANDINI
Cæsenatis, è Societate Iesu.

DE HVMORIBVS.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

Compositio corporis ex humoribus.

ALter hic de humoribus aget liber, antequàm in animati corporis consideratione progrediar vlteriùs. Quoniam post primam illam ex elementis corúmque qualitatibus permistionẽ, quæ huic corporum generi cum alijs plerisq. communis est; alteram quandam ex humoribus compositionem illius propriam, tum Hyppocrates, tum alij veteres medici tradiderunt: ex qua proximè animalis corporis partes existant. Sanè Aristoteles in 2. lib. de partibus animalium cap. 1. cõpositionem hanc neglexisse videtur, dum ex elementis solum homogeneas nostrorum corporum partes constare prodidit. Vt virtute duntaxat ex humoribus consistere credi possit; quatenus hi elementis persimiles sunt & proportione quadam respondent.

De humoribus qui agant.

Cæterum ad animalium vitam sustentandam necessarij prorsus esse existimantur; Et vniuersa eorum cognitio per se iucunda est sapientiq. medico ac philosopho cum primis opportuna. Hũc enim principia omnia corporis animati & quæcunque in eo insunt nosse oportet. Illum verò, vt idem ipse affirmauit Hyppocrates, vel quisquis fuit autor lib. de veteri medicina, humorũ vires ac facultates oportet habere perspectas: optimèq. intelligere, quid in humano corpore singuli possint, quas habeant qualitates, an vnus in alium mutari queat, quæ sit cuiusque præcipua sedes, qua ratione corrigi & emendari possit, si intemperantior; aut omninò purgari, si nimius euaserit. Nisi enim hæc omnia nouerit medicus, humani corporis incolumitati, quæ in eorum omnium temperatione ac proportione consistit, minimè poterit prouidere.

Itaq. iure optimo Galenus in libro de atra bili, & cap. 8. & 9. lib. 2. de naturalibus facultatibus, succensèt Erasistrato, quod non solum de illis nihil scripsisset, sed illorum cognitionem medico prorsus inutilem esse pronuntiasset: Nec ego eos, qui de natura scripserunt, parùm miror: qui etsi hanc partem non omninò prætermiserunt, minùs tamẽ accuratè ac pro dignitate pertractarũt; & propriũ ipsorũ patrimoniũ diripiendũ alijs ac dissipandũ reliquerũt. Nã quis eorũ numerus sit, quęuis & natura, quę qualitates, quę origo, quod in corpore domicilium, quæ inter eos cognatio; quę mutatio, ac demũ quo modo ex illis animaliũ corpora reficiantur & sustententur; philosophicam nimirum contemplationem naturæque perueſtigationem habent omnia. Turpéque est Philosophum hæc in medicorum voluminibus quærere, quæ à philosopho illi perdiscere debuissent; atque illud vnum addere, quod suæ artis proprium est; qua ratione illorum temperies in corpore conseruetur, perturbatavè emendetur & corrigatur. Age igitur ea quæ philosophi sunt, complectatur hic liber exponatque breuissimè, nec alienam messem iniquè inuadat.

A

B

C

INESSE IN ANIMALIVM corporibus humorem quempiam.

CAPVT I.

Humor quid, & quosuplex.

HVmorem hoc loco non qualitatem eam appellamus, quæ inter principes quatuor aduersatur siccitati, & ὑγρότητι à Græcis dicitur: sed corpus humidum, quod ὑγρὸν appellatur. Non aërem autaquam: sed mistum quidpiam quod in animalis corpore tum humidum sit, tum liquidum & profluens.

profluens. Neque rursum quidquid eiusmodi est. Quędā enim sunt omninò inutilia & reiectanea, vt vrina, sudores, mucus, sputum. Sed illud solū, ex quo nutriuntur quoquo modo sustentantur, consistunt corpora nostra.

Quod genus corporis cùm duplex sit, alterum ex prima cibi coctione in ventre genitum, alterum ex altera in iecinore: priorem non humorem, sed chylum, velut cremorem quendam nominam⁹. Posterius à medicis ferè χυμὸν dicitur, ab Hyppocrate in 4. lib. de morbis ὑγρὸν & ἰκμάς: nos succum, & humorem appellabimus.

Ineſſe in nobis humores.

Aliquem enim, immò plurimùm in corporibus nostris inesse humorem, multa testantur. Nam ea tota esse perfusa sanguine, nemo est qui non videat. Et quamuis illorum partem secueris, emittit tibi statim sanguinem; isque ex alimento in horas omnes renouatur. Deinde humida excrementa plurima purgantur, sputum, mucus, sudor, semen. Etsi artem quoque adhibueris, medicamentorum vim in humoris cuiuspiā purgatione agnosces. In superiori quoque libro vitam ostensum est humore sustentari: necesse igitur est humida esse corpora. Et vt ex humido, hoc est semine & menstruo sanguine, formata primùm fuerunt, sic deinceps nutriri humido, refici, & conseruari debent. Neque enim alio cibo, quàm humido, delectatur calor aut pascitur. Accedunt operationes omnes. Quippe vt corporis partes cunctæ nutriantur, alimentum oportet in omnes distribui, vniuersasque percurrere. Id, nisi humidum esset & fluidū, nec facilè, nec sine magno dolore fieri vnquam posset. Pulsus verò & caloris à corde deriuatio opus habet spiritu. Qui cùm continenter consumatur, humida eget materia, ex qua haud magno labore gignatur & renouetur. Ipsumque humidum & fluidum esse necesse est, vt citissimè moueatur atque vniuersa membra præterfluat. Denique sensus omnes & motus non nisi cum multo humido fiunt. Sensus nāmque organum humidum esse oportet: & quodcunque siccatum fuerit, ineptum est ad sentiendum: oculumque, vt aspicere valeat, oportet esse perspicuum, hoc est aqueum. Auditus autem est aëris, hoc est humidi. Sapor nō gustatur nisi in humido. Tactus demùm in qualitatum omnium temperatione consistit, vigétque maximè in corpore molli, quod ab humido nimirum efficitur. Iam membrorum motus etsi soliditatem & consistentiam postulet, nō perficitur tamen, nisi ea momētis singulis humectentur, atq. ad inflexionem & motum in partem omnem prompta reddātur. Egentq. tum sensus, tum motus, spiritu, quo humectentur, & calescant harum operationum organa. Verùm ad hāc primam nostrā positionem lōgiori probatione opus non est: Cùm corpora dissecantes conspiciamus vasa plurima, cauitates, & loca, quib⁹ eiusmodi quodpiam humidum corpus aut contineatur, aut fluat: vt cordis cerebriq. sinus, vesicam iecoris, lienem, venas, arterias: quæ ita sunt cuiuis manifesta, vt id, quod nunc quæritur, apertissimè ostendant & oculis ipsis subijciant.

QVADRVPLICEM INESSE HVmorem, sanguinem, pituitam, bilemq. duplicem. CAPVT II.

IAm verò illud etiā cōstabit, non vnum ac simplicem, sed quadruplicem planè humorem in nostris atq. adeò sanguine præditorum animalium corporibus contineri: sanguinem, pituitā, quā Græci φλέγμα nominant, & duplicem bilē, flauā & atrā; quarum alterā cholerā, alteram melancholiā appellamus. Quāquam bilem flauam absolutè etiā bilem nominamus; atrā nō absolutè, sed cum additione atram bilē dicimus. Verè enim in libro de hominis natura argumētabatur Hyppocrates. Si vnū duntaxat aut duplex ineſſet in nobis humor, vno duntaxat aut duplici morborum genere afflictarentur corpora nostra: vno scilicet aut duorū altero humore adundante nimiùm aut deficiente. At morborum genera quatuor sunt, quorum alij ex flauæ bilis redundantia aut defectu nascuntur; alij excedente potiùs sanguine aut deficiente; alij pituita atrauè bili vel dominātе vel penè cōsumpta: quatuor igitur hī humores in nobis continentur.

Quatuor elemētis respōdere.

Qui in paruo mundo quatuor illis elemētis respondent, quæ in magno reperiuntur: Flaua bilis igni, sanguis aëri, pituita aquæ, atra bilis terræ. Et enim nō solùm qualitatū similitudine conueniūt: verùm etiā in eo consentiunt, quòd vt in hac rerū vniuersitate quatuor eleméta partim solitaria sūt seorsimq. in proprijs queq. locis posita, partim simul permista reliquorū omniū corporū euadunt materia: sic in nostris corporibus humores hi quatuor, tū seorsim vasis quibusdā quasi proprijs locis cōtinentur, flaua bilis vesica iecoris, atra liene, sanguis corde, venis, & arterijs; pituita corpore quidē vniuerso, sed potissimū cerebro vētriculoque. Tùm verò simul permisti per vniuersum percurrūt corp⁹, & vt sapiētissimis medicorū placuit, illius materia sunt: nec ex elementis modò, sed ex humoribus quoq. cōstare totū existimatur. Quod in 2. lib. de elemētis c. 2. & 4. in 8. lib. de Hyppocratis & Plāt. decr. c. 4. & in cō. 18. 27. & 89. in lib. de hominis natura, propterea dici Galen⁹ voluit, quòd tū primę omniū procreationis, tū cōsequētis totius nutritionis materia est sanguis, qui cùm cęteris vbiq. permistus est. Verū illud quoq. persimile est, quod in alijs atq. alijs mistis corporib⁹ alia atq. alia dominari elementa cognoūimus. Et in animalibus alia atq. alia membra alijs atque alijs abūdant humoribus; vesica iecoris flaua bili; lien atra, cor & iecur sanguine, cerebrum pituita.

Humorū singulorum vsus.

Quatuor morborum genera.

Et vt elementorū omniū proportio ac tēperatio sanitas est animantiū corporibus, cuiuspiāq. illorū immoderatio & excessus adducit morbū: atq. inde quatuor existūt prima morborum genera, vt verè idē ipse Galenus cōstituit in lib. de differētijs morborū ca. 4. Ita sanè corporū eorūdem sanitas cōseruabitur, quādiu humorū quatuor conueniēs proportio & tēperatio adfuerit; haecq. perturbata & eorum aliquo nimiū redundante aut deficiēte orietur morb⁹. Quare vt ex morborū, qui in corporibus obseruātur, quadruplici genere quatuor in illis esse humores velut morborū causas sapiēter demōstrauit Hyppocrates; ita nō minūs nobis licet concludere quatuor esse morborum genera quoniam quatuor sunt humores morborū causæ.

Quatuor temperationum genera.

Inde etiam est, vt non eadem sit corporum omnium temperatio & natura: sed quatuor planè existãt illorũ genera, quæ horũ humorũ quopiam in corpore cæteris dominante, aut cholerica, aut sanguinea, aut phlegmatica, melãcholiauè nominãtur. Quòd si vnus solùm aut alter esset humor; vnum aut alterum esset temperationis genus.

Quatuor excrementorum genera.

Inde quatuor excrementorum genera. Quorum quædã sunt prorsus terrea, vt fæces, quæ per anum mittuntur: alia humida & aqueą, vt vrina, sudor, sputus: alia aërea, vt vapores, qui ex sanguine ac membris exhalant: quędam demum flaua, bilioſa & cholerica, vt mucus, qui purgatur naribus.

Id verò in sanguine, qui aperta vena mittitur, planiùs animaduertas. Nam vbi quieuerit, frigidiórque fuerit factus, hos omnes in eo separatos humores apertè perspicies. Etsi ad medicamentorum vires atq. operationes cogitationem conuerteris, quædam videbis esse, quæ, quouis tempore sumantur, pituitam purgent; alia, quæ flauam bilem, alia, quæ atrã, etsi vuln° inflixeris, effluet tibi sanguis. Deniq. de tota animalium vita & conseruatione ita possumus ratiocinari. Animalium vita, nutritio, & conseruatio opus habet sanguine; quoniam is calidus est & humidus, optimumque vitæ subiectum & alimẽtum. Sed quoniam à permultis caussis perpetuò siccantur eorum corpora; & interdum fit, vt externo deficiente alimẽto, ex longiorique inedia non adsit ea sanguinis copia, quam adesse oporteret: quo melius animalium vitæ prospiceretur, debuit aliquid aliud prouidere natura, quo & eorum membra sæpè humectarentur, & vbi opus esset, sanguinis deffectus tantisper supleretur. Hócq. est pituita, eam ob caussam dispersa per omnia membra. Opus quoq. fuit acri quopiam & acido humore, qualis est atra bilis; vt eo quasi stimulo excitaretur appetitio cibi. Hæc enim acidorum & acrium vis & facultas est. Postremò opus fuit cholera, quæ tum alimẽti per omnes partes distributionem, tum excrementorum inutilium, immò noxiorum expulsionem iuuaret. Sic quatuor hisce humoribus, sanguine, pituita, & duplici bili, constituta sunt optimè corpora nostra.

Quatuor humorum necessitas.

bilis fontem & sedem esse. Ac demum post hæc omnia humorem hunc grauissimum omnium esse affirmat alijsque omnibus subsidere. Quod item certum est melancholiæ proprium esse.

At quid causſæ fuit, cur humorem hunc sapientissimus medicus aquam appellaret? Neque enim si humores cum elementis compares, aquæ respõdet melancholia, sed terræ; aquæ autem pituita. Quòd tum ipse intellexit, tùm post eum in Timęo confirmauit Plato.

Ingenuè fateor me nil habere, quod planè satisfaciat. Hyppocratem tamen video, dum horũ humorum genetationẽ persequitur, reliquos existimasse, tum ex cibo, tum ex potu gigni atq. ad proprias cuiusq. sedes trahi: melancholiã autem ex solo potu. Sic enim habet; Assero autem, vbi homo bibit ampliùs, & corpus & splenem aquam in seipsa trahere ex ventriculo; & quę sequuntur. Propterea melancholicum humorem aquam appellauit. Tùm quod potus generalis prędsertim & animalibus omnibus cõmunis, est aquæ. Tùm quod ex multæ aquæ potu splenicos obseruauit infestari magnoperè; quasi ipsa melãcholia sit aqua; aut certè hac materia & substantia plurimùm augeatur. Humorem hunc quoque affirmauit nequaquam per supernas regiones purgari; sed per infernas, ventrem & vesicam: perinde ac si aqua quædam sit. Splenici namque omnes & melancholici plurimo abũdant sero: Et quartánarij copiosissimè sudant & meiũt. Frigidus enim est humor melancholia; lienisque, iecoris, ventriculi & vicinarum partium calorem exoluit. Quare in libro de internis affectibus, & libro de externis, lienosos præcipit idem ipse Hyppocrates per vesicam purgari. Cæterùm Aristoteles an non & ipse serosum humorem aquam nominauit in 7. lib. de animalium historia ca. 9. cùm in fœminarum partu aquam dixit subter vitem fusam ruptis membranis effluere? Et in problemate 5. sect. 9. lienosis scripsit sanguinem morbosum & aquosum fieri: lienis scilicet vitio, qui melãcholicum humorem cum sanguine permiscet; cúmque impunior sit, minùs benè coquitur: Vnde aquosus fit, serosus, & fluens.

CVR ATRAM BILEM HYPPOcrates aquam interdum appellauit.

CAPVT III.

AT quidpiam est apud Hyppocratem, quod difficultatem parit. Is enim in libro quidem de hominis natura hos ipsos humores cõmemorauit. Sed in lib. de genitura, & in 4. de morbis non itẽ: verũ sanguinem, bilem, aquam, & pituitam. Aquę nomine atram bilem & humorem melancholicum significatum fuisse; nõ solùm ex eo manifestũ est, quod aqua elementum est, nõ humor, nec corpus mistũ, neque atra bilis alibi nominata potuit illis in locis prætermitti. Verùm etiam ex eo, quòd in illo ipso lib. 4. de morbis proprios illorũ humorũ fõtes indicans; Sanguini, inquit, fons est cor, pituitæ caput, aquæ splen, bili locus folliculi in iecore: Et rursùm post exponens quomodo hic ipse humor gignatur & purgetur; eum ad splenem trahi & inde purgari tradit. Splenem autem certum est atræ

QVO MODO IN IECORE humores quatuor gignantur.

CAPVT IIII.

IAm vt quatuor hosce humores certum sit quatuor illis præcipuis; quas dixi, sedibus contineri: de prima tamen eorum origine, & vt ita dicam, scaturigine, non item fortasse conuenit.

Quosdam in 2. lib. de naturalibus facultatibus cap. 8. memorat Galenus existimasse eos omnes nõ in corporibus nostris primùm nasci, sed aspersos in cibis præextitisse. Non enim cogitarunt, mel senibus ac frigidioribus naturis in sanguinem mutari, iuuenibus ac calidioribus in flauam bilem. Neque in eodem cibi genere ita euenire posse, nisi intra copora nostra humores illi progignantur. Nam si cibus in seipso humores contineret, eosdem semper, & in omnibus corporibus, & eodem modo procrearet.

Prima opinio.

Confutatio.

Si igitur ex cibo intra corpus alterato gignũtur omnes,

Secũda opinio.

omnes, Hypocrates in eodē paulò ante memorato lib. 4. de morbis apertis verbis in vētriculo eos produci tradidit, indēq. ad propria domicilia deriuari, ad cor, ad caput, ad lienē, iecoriſq. veſicam. Quæ ſentētia primum quidē & remotum humorum omniū principiū nobis proponit: at nō item proximum, in quo ſinguli vltimò ſecernantur, vt ad propria loca mittantur. Etſi namque Galenus quoque in com. 39. in ſecundum prognoſticon porraceam quoq. bilem ſcripſerit eo in loco perſæpè gigni, propter quorumdam eſculentorum cruditatem. Id tamen accidentarium eſt & præter naturam, non naturale & conſuetum. In ventre enim ex cibo & potu gignitur chylus, rudis adhuc & communis maſſa, quæ tota ad iecur trāſmittitur: & humores quidem omnes continet, ſed permiſtos & confuſos, necdum ſeparatos & diſtinctos, poteſtate inquam magis, quàm actu. Nec aliam ob cauſſam hi dici poſſunt habere ortum ex ventre, niſi quòd ea pars omnibus illis gignendis materiam ſuppeditet. At non hoc quærimus nunc, ſed eam partem, in qua ipſi ſecernantur, vt per totum corpus ſcaturiant.

Confutatio.

Non defuerunt, qui hanc eſſe cor affirmarent. Ariſtotelis ſcilicet verbis illis permoti, quibus hoc membrum ſanguinis principium eſſe decreuit. Eandem enim, inquiebant illi, reliquorum quoque originem eſſe oportet. Nam ſi ſanguis gignatur in corde, tunc gignitur cùm à cæteris ſeparatur: at dum is ſeparatur à cæteris, illi quoque à ſanguine ſecernuntur. Et in omni prorſùs coctione excrementa quæpiam extare neceſſe eſt: ſuntque veluti ſanguinis excrementa humores reliqui eo ipſo in loco à meliori ſubſtantia ſeparati.

3. opinio.

Cæterùm neque Ariſtoteles ita ſenſit; neque verè quiſquam pronuntiauerit. Sed iecur humorum omnium fontē eſſe, atq. in hoc potiſſimùm viſcere illos ſeparari affirmare omninò oportet. Siquidem manifeſtum eſt vniuerſam chyli ſubſtantiam per meſenterij venas ex vētre attractam à iecore, in eo membro rurſum confici, antequam perueniat ad cor. Et veſica, quæ propterea illi adligata eſt, flauam bilem ſuſcipi, perque venas ad lienem ſpectantes alteram bilem, quæ atra eſt & fæculenta magis, eò tranſmitti, ac ſanguinem vena caua excipi & ad cor partēſque omnes corporis mitti. In corde autem præter venas & arterias, quæ ſanguinem continent, nulli ſunt meatus, quibus humores cæteri ſuſcipiantur & ad ſedes proprias deducantur. Neque tanta eſt illius membri capacitas, vt vniuerſam alimenti maſſam capere poſſit & coquere: Etſi ita fieri oporteret, nihil eſſet opus eam primùm ad iecur deduci. Huc enim deducta nonne à calido viſcere, quod in nutrimenti adminiſtratione plurimùm ſanè poteſt, alterabitur, mutabitur, & magis quam antea perficietur? Sanè cùm tenuiſſimæ ſint & anguſtiſſimæ omnes eæ venæ, quæ per illud viſcus copioſiſſimè diſperſę ſunt, vt alimentum hauriant & ad cauam deducant; non facilè nec ſtatim poteſt craſſior ſuccus eas peruadere. Dúmque diù & multum moratur; nec in vlla cauitate totus ſimul collectus (difficilior namque coctio eſſet) ſed vbique per totam iecoris ſubſtantiam in venis vbique ſparſis, quæ cauitatis & ſinus loco ſunt, diſtributus; melius multò ab ea coquitur atque in ſanguinis ſpeciem illius membri perſimilem mutatur, qui maiores alias mox ſubeat venas. Quippè hoc agit circa alimentum vna quæque particula, vt illud quàm maximè poteſt ſibi ſimile faciat: hócque eſt coctio, imperfecta & inchoata quædam aſſimilatio.

Confutatio, veraque opinio.

Cur in iecore non vna cauitas.

Idcirco venarum, quæ per iecoris ſubſtantiam diſtribuuntur, longè tenuior eſt tunica; quàm earum, quæ per reliquum corpus extenduntur: ne virtus ſubſtantiæ iecoris, qua contentus in venis ſuccus elaboratur, earum craſſitudine retunderetur: præſertim cùm nulli patiendi periculo eſſent expoſitæ. Venæque illæ anguſtiſſimæ ſunt: vt cùm difficilis eſſet tranſitus, diutiùs in iecore moraretur ſanguis, accuratiúſque coqueretur.

Cur iecoris venæ tenuiores, & anguſtiores.

Vnde intelligas, non in venis, vt apud Galenum in 6. lib. de Hyppocratis & Platonis decretis c. 8. dixerunt aliqui; ſed in ipſa iecinoris ſubſtantia, vt in 4. de vſu partium libro cap. 12. & 15. ille ipſe ratiocinatur, vim gignendi ſanguinis eſſe; venáſque genitū potiùs ſuſcipere ac diſtribuere. Sanè chylus cernitur albus, ventriculo ſimilis; ſemen albū, quia teſtium ſubſtantia alba; lac album, quippe in mammis genitum. Nihil enim aliud coctio, quàm eius, quod coquitur, in coquentis naturam mutatio. At ſanguinis & venarum natura & color diſſimilis. Venæ namque exangues ſunt & albæ. At iecoris & ſanguinis planè perſimilis. Etſi arteriæ diſtribuendi ſolùm, non gignēdi ſpiritus vim habent; quid ſecùs ſentiamus de venis. Præcedit igitur præparatio quædam in venis: nam & in cæteris coctionibus ita fit, & in ſpermaticis vaſis præparatur ſemen: ſed in propria partis ſubſtantia perficitur actio. Ariſtoteles autem in cap. 2. lib. 4. de partibus, cùm de bili flaua loqueretur, eam apertè dixit eſſe iecinoris excrementum: neque cordi humorem huiuſmodi vllum appropinquare poſſe, quoniam membrum illud affectum nullum patitur violentum, ſed purum dumtaxat & ſyncerum ſanguinem, ex quo ſpiritus & viſceris illius motus fieri debent. Quem ſanè motum humores reliqui impedirent magnoperè, & acerbitate ſua atque impuritate innatum illius membri calorem nimium omnino confunderent. Quam ob cauſam præter primam ventriculi coctionem, qua craſſior materia ſeparatur, alteram fieri oportet in iecore, vt ad cor ſubſtantia purior perueniat. Itaque idem ipſe Philoſophus in ca. 7. lib. 3. eiuſdem operis cor & iecur, inquit, animalibus omnibus neceſſaria ſunt: alterum propter caloris originem (locum enim adeſſe aliquem quaſi lares focúmque oportet, quo naturæ fomites & primordia ignis natiui contineantur & ſeruentur) alterum, iecur inquam, cibi coquendi gratia. At vbi eſt coctio, ibi neceſſe eſt aliqua excrementa ſecerni atque inutilem ab vtiliori materia ſeparari. Quare vt in prima ventriculi coctione fæces velut craſſiora & noxia prorſus excrementa ſecernuntur, inteſtiniſque craſſioribus exceptę purgantur: ſic in iecoris altera à meliori ſanguinis ſubſtantia ſeparatur ea, quæ minùs bona & vtilis eſt: ſanguinéque retento pituita & bilis vtraque ad alia amandantur loca. Quo autem intellecti pluribus alijs in locis affirmauerit idem ipſe Philoſophus, cor ſanguinis principium eſſe, alter ab hoc liber exponet.

Venis gignendi ſanguinis vbi.

Excrementorum ſecretio.

Nunc vtriuſq. huius propoſitæ ſeparationis per aptum exemplum fuerit vini ex vuis expreſſio. Quemadmodum enim ex vuis primùm exprimitur muſtū, racemis, corticibus & acinis, craſſiori

Aptum ſeparationis humorum exemplum.

materia, reparatis: tùm verò dum recens mustum expressum abinnato calore coquitur & purgatur, quæ priùs erant confusæ, substantiæ quatuor secernuntur. Quarum vna verè vinum purum est & defœcatum: altera velut illius flos: tertia spuma: quarta sedimentum & fœx. Ita prorsus in animalium sanguineorum corporibus euenit. Cibo namque ac potu deuorato, quorum vterque vt est ex elementis compositus, sic plurima partium ac substantiarum diuersitate constat; ex tota hac primùm massa chylos ceu mustum actione caloris in ventre coquentis exprimitur, crassissimis reiectis fœcibus. Tùm in iecore separantur ex chylo humores quatuor: sanguis, velut optimùm animali vinum: Flaua bilis, vt flos vini: pituita, quasi spuma: atra demum bilis, tanquam sedimentum & fœx.

Omnes simul separari.

Totam verò separationem hanc ne quis existimet ordine quodam certo & constituto fieri, quo pituita primùm gignatur, quæ minùs est cocta; deinde sanguis, maioris caloris opera; tum bilis vtraque; calefactione scilicet procedente. Non enim ideo pituita dicitur esse velut incoctus sanguis, quòd ex eadem impensius cocta fieri sanguis debeat, alijsque subinde humores (nam vnus esset in nobis humor diuersis vocibus formisue mutatis, totúsque chylus in pituitam primùm, deinde in sanguinem verteretur) sed simul & eodem tempore separatio hæc vniuersa perficitur, partim actione virtutéque caloris coquentis, partim attractione membrorum. Caloris enim proprium est ea congregare, quæ naturæ eiusdé sunt, illáque separare, quæ diuersam habent substantiam. Quare in vniuersum chylum æqualiter is incumbens quatuor illius diuersas partes separat: frigidam vnam, humidam & crudam; alteram calidam, siccam & tenuem; tertiam temperatam magis; quartam frigidam, siccam & terream. Dumque ex intestinis mesenterij venæ vtilem materiam trahunt ad iecur, noxiam & fœculentam relinquunt. Et cùm ex iecore sanguinem velut chyli temperatam portionem vena caua, vesica flauam bilem, calidam & tenuem partem; lienatram, frigidam & terream; ac demùm pituitam, frigidam & crudam caput velut cucurbita incumbens corpori, vt Hyppocrates loquebatur;

Caput vt cucurbita.

nimirum has omnes substantias separant. Quare cùm & actio caloris coquentis cibum vnica sit & simplex, & illarum omnium partium attractio simul & eodem tempore fiat, simul item & eodem tempore horum omnium humorum generatio & separatio perficitur. Sed optima substantiæ pars dum iecore continetur, propria illius membri virtute rubescit & mutatur in sanguinem. Est enim iecinoris substantia velut concretus sanguis.

Ex omni cibo humores omnes separari.

Vnde illud quoque intelligitur, nunquam omninò fieri posse, vt quodcumque cibi genus sumatur & quæcumque sit iecoris temperatio totiusué corporis habitus, vnus aliquis duntaxat humor gignatur, sed semper & vbique quatuor existunt. Quoniam nullum est alimenti aut chyli genus, quod non sit ex quatuor elementis tanquam diuersis substantijs concretum. Sed tum cibi qualitas, tum iecinoris aut corporis totius constitutio efficient, vt eorum humorum quispiam copiosior gignatur, quàm cæteri. Sic enim ex materiæ diuersitate efficientisq. causæ efficacitate in alijs quoque rebus alijs scimus atque alios effectus prouenire.

Ita intelligas id, quod sæpè apud Medicos legis, sanguinem fieri ex mediocri temperatóq. calore, bilem ex immodico, pituitam planè ex tenui. Nõ enim credendam est, singulos hosce humores ab eiusmodi caloribus proficisci. Sed eum maximè humorem in illis corporibus abundare, in quibus is calor fuerit. Alioqui cùm in animantibus singulis non nisi vnus calor contineatur, non nisi vnus inesset humor. Eodémque modo accipias illud; quosdam esse cibos pituitosos, alios biliosos, alios alterius succi fœcundos. Vt non de solitario, sed de excedenti copiosiorique humore dicatur.

DE PITVITOSI HVMORIS, qualitatibus & sede.

CAPVT V.

HIc est in corporibus nostris humorum ortus. Quæ autem distinctio sit, ex accidentibus & qualitatibus, atque ex operationibus & effectis, vt in cæteris ferè, inuestigandum est.

Influentes qualitates.

Si qualitates, tùm innatas & insitas, tùm influentes & aduentitias spectes; nec tam singulos per se consideres, quàm vt in animantium corporibus continentur: omnes sanè calidi sunt; quemadmodum & partes corporis omnes; vel eæ, quæ maximè terreæ & frigidæ censentur, vt ossa; nerui, cerebrum. Quod tum ex tactu constat; tùm ex eo, quod omnes actione caloris perfecti sunt; & sanguis præsertim caloris eiusdem subiectum est & fomentum. Hoc intellectu dictum fuisse arbitror in 4. lib. de Morbis, ab Hyppocrate, bilem, pituitam, & sanguinem calidissimos esse humores, atq. ex illis oriri febres: nimirum calidos quidem appellauit influente, calore, & vt in animato & calido corpore cõtinentur; aut ab exteriori causa magis calescunt: calidissimos autem, atræ bilis comparatur quæ minorẽ calorem habet. Potissimùm verò pituitam salsam intellexit; à qua febres ardẽtes nasci docuit in lib. de acutis morbis. Caloris enim præter naturam particeps est, ea scilicet; quę naturalis est, putrescente.

Insitæ.

Alioqui proprijs duntaxat & insitis, qualitatibus, etsi eam non esse valde frigidam, sed sanguinis flauæque bilis comparatione frigidam appellari, tradidit Auicẽna in prima fen. primi canonis doctrinã quarta cap. 1. & ante illum Prodigus in opere de hominis natura, vt in 2. de naturalibus facultatibus libro scribit Galenus, id, quod vstum & veluti supra modum in succis coctum est, φλέγμα nominari prodidit, à verbo φλέγω, quod vstum esse significat. Frigidissimam tamen sua natura, humidam & viscosam eam esse manifestum est: neque Galeno iudice secùs dicet quisquam, qui mentis compos sit; & in libro de hominis natura confirmat Hyppocrates. Quoniam aquea prorsus est, & hyeme præsertim, frigido & humido tempore, in corporibus nostris abundat. Tunc enim pituitosissima & spuimus & emungimus. Et tum calore alba est saporéque insipida, ob frigus & humorem nimium minúsque

Phlegma vnde dictum.

coctum

coctum, tametsi & dulcem appellauerit Auicenna; & in Timæo Plato albam propterea esse scripserit, & Galenus consenserit in 8. lib. de Hyppocratis & Platonis decretis ca. 6. quòd ex ampullis, licet paruis minimèq. conspicuis, spiritum continentibus cõstet, tùm verò deficiẽte sanguine nõnullum mẽbris nutrimẽtum præbet; quòd & humida sit, & meliùs coquatur, & ideo sanguis ex dimidio coctus interdum vocatur. Neq. enim vt sanguinis naturam interdũ assequatur, necesse est in iecur recurrat: Sed venæ ipsæ calorq. spiritus subiectis arterijs contenti proximorum que membrorum, ad id operis perficiendum satis sunt.

Sedes vbi.

Denique etsi hanc ob caussam nullum illi peculiare domicilium fabricatũ fuerit à natura, quòd non sit humor malignus, immò aptus in sanguinẽ & oportunum alimentum cedere: præcipua tamen illius sedes existimatur esse cerebrum, frigidissimum & humidissimum mẽbrum, immò vt in lib. de principijs Hyppocrates loquitur, metropolis frigidi & glutinosi. Nã & ex seipso plurimã semper pituitam gignit: Et propter situ, quem habet in corpore, vapores & fumos excrementitios ex vniuerso corpore ascẽdentes excipit natiuóq. frigore & humore in pituitam cõmutat. Ventriculus quoq. non paucum suppeditat pituitosum sputum: nimirum ob crebras indigestiones, siue ob frigidiorem ventriculum, siue ob nimium ingestum cibum, aut frigidam & aqueam illius conditionem & naturam. Quamquàm neq. id quod ex cerebro defluit; neque id, quod ex ventriculo spuitur, verè pituita est hæc, quæ quartus humor numeratur. Hæc namq. in iecinore duntaxat gignitur; neq. inutilis prorsus est humor, sed in sanguinem mutari potest? Quod duo illa nequaquã possunt: quorum alterum cerebri excrementum prorsus est, alterũ primæ coctionis cruditas, quæ superari non potuit, siue propter caloris & ventriculi imbecillitatem; siue propter tenacem & repugnantem cibi naturam: Quare vtrumque potiùs pituitosum excrementum appellaueris.

Cerebrum metropolis frigidi.

A B C D

DE FLAVA BILI.

CAPVT VI.

Qualitates.

Rituitę flaua bilis aduersatur. Calida nãq. est & sicca: immò humorum omnium calidissima: minùs tamen in frigidioribus, quàm in calidioribus animalibus. Est etiam omnium tenuissima & leuissima, aptáq. sanguini & alijs omnibus supernatare. Quam ob caussam sanguinis spuma vocitatur.

Sapor.

Saporem habet amarum; propter nimiam scilicet coctionem. Quę enim immodicè coquuntur, primùm quidem salsiora fiunt, postea verò amariora: vel mel ipsum, quod omnium dulcissimum est, si plurimùm coquatur, amarissimum redditur. Quare cum senibus frigidioribúsque corporibus optimum præbeat nutrimentum, calidioribus iuuenibus in flauam bilem totum vertitur.

Color.

Colore porrò est rubeo; sed splendido magis, quàm sanguis; & quodam modo flauescente: ex quo nomen accepit. Sed interdum serosa multa humiditate admista, lutea euadit & pallida. Flaua verò tantò est calidior pallida, quantò & crassior. Serosa enim humiditas calorem pallidæ mitigat; Et flauam paulò magis calefactã consistentia reddit crassam. Propterea in calidioribus animalibus flaua, in frigidioribus pallida cernitur. Gignitur quoq. interdum bilis vitellina, hoc est vitello cui crudi colore persimilis. Eam Auicenna ex pituitę aut atræ bilis permistione nasci credidit. Sed meritò ab Auerroe reprehensus est. Potiùs enim ex flaua caloris non naturalis acrimonia nimiũ torta nascitur. Nam ita flauus color in igneum ferè mutatur, tenuiori substantia dissipata. Quin etiam interdũ cęruleam; flaua scilicet superaddita. Miluóq. & Aquilæ ærugineo & nunnunquam atro colore inesse se vidisse scribit Galenus in 10. de simpliciũ medicamẽtorum facultatibus libro. Sed & in cæteris interdum animalibus visitur; sicut & porracea. Tametsi hæ minùs naturales censentur, & ex quorundam potiùs ciborum conditione in ventriculo ortæ; qui dum non satis superari possunt & in chylum mutari, colorem suũ magna ex parte retinent; ventrisque calore nonnihil afficiuntur, si diutiùs hæreant: aut etiam interdum in iecore ac venis; si in ardentibus quibusdam morbis vitellina bilis vehementer exuratur. Primùm enim in porraceam vertitur, deinde in ærugineam, post in cæruleam, tandem in atram bilem pernitiosissimã, quasi cineres, qui ex incendio toto supersint.

Sedes.

Propria illius sedes est cauæ iecoris parti, vel vt habet Aristoteles in 4. lib. de partibus animalium cap. 2. intestinis alligatæ vesica: iecori quidem in animalibus plurimis, intestinis autem in piscibus ferè ac serpentibus. Eò enim loco sæuior & maior huius humoris pars includitur; mitior reliqua ad vsum multiplicem per corpus distribuitur, vt post exponam.

Fellis carentia.

Equum, mulum, asinum, ceruum, damam, & alia quædam felle carere, Philosophus idem prodidit. Quibus cùm negandum non sit humorem hũc penitus inesse; existimari potest aut exiguum eum esse & mitem magis, & ideò proprio vase nõ indiguisse, sed per totum corpus fuisse distributum, Aut non totum simul colligi, verùm à iecore per meatum quempiam ad intestina transmitti.

E

DE SANGVINE ET melancholia.

CAPVT VII.

Sanguinis qualitates.

Sanguis benignus planè est & naturæ amicus humor. Eo enim animantium vita sustentatur & regitur. Sunt qui eum suaptè natura calidum & humidum dicant. Quibus Hyppocrates fauet in libro de hominis natura, & Auicẽna loco ante notato, & illud Galeni in lib. 10. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 2. frigidus sanguis nullus est. Alij frigidum potiùs terreis quibusdam & aqueis partibus, calidũ autem cæteris, quæ tenues sunt & aëreæ: & ideò in corporibus calidum esse inquiũt, quòd plurimas huiusmodi partes habeat, frigere autem extractum ex corpore,

quoniam tenuiores illæ partes exhalãt. Equidem A
cùm de humiditate consentiant omnes, siquidem
alimentum est, nec alitur natura nisi humido: De
altera qualitate non dubito, calorem illum, quem
habet in corpore, aduentitium esse & influentẽ:
suáque natura & conditione frigidum potiùs aut
certè temperatum humorem esse. Ita traditum est
ab Aristot. in 2. de partibus animalium lib. c. 2. & 3.
cùm eum affirmauit non alio modo calidum esse,
quá sit calidũ ferrum, aut aqua feruẽs, homoiè al-
bus: aduẽtitia scilicet accedẽte qualitate, sua verò
natura nequaquam. Nec Hyppocratem aut Aui-
cennam secùs sensisse arbitror: sed cùm calidum
esse pronuntiarunt, aut de illo quatenus in cor-
pore continetur locutos eos fuisse: aut non absо- B
lutè id affirmasse, sed comparatione pituitæ, quæ
frigidissima est. Neque item Galenum: sed nul-
lum esse absolutè & extremè frigidum voluisse
nobis significare, si sanguis purus sit & animalis
secundùm naturam habentis. Sic enim non mul-
tò post vespertilionis sanguinem frigidæ facultа-
tis esse fatetur, possẽque vehementi refrigeratio-
ne pilorum exortum in ea parte, cui sit illitus,
prohibere, etsi nullus sanguis in totum & omni-
no frigidus sit. Alioqui non ignorarunt pruden-
tissimi medici eum esse corpus mistũ, quod mul-
tum terræ contineat, vt ex fibris manifestum est:
atque ex corpore extractum calorem illicò om- C
nem amittere: & tum tactu frigidum sentiri, tùm
breuissimo tempore congelari, & quidem faci-
lius multò, quàm aquam: propter terreas partes
admistas, quæ simul cum humido à frigore con-
cretæ facilimè congelantur, vt in cap. 4. eiusdem
lib. exponit Aristoteles.

De calore nullum dubitandi locum relinquit
sensus, qui tam manifestum tâmque conspicuum
ruboré cernit. Is tùm ex perfecta caloris coctione
nascitur, & vt in Timæo loquitur Plato, ex ignis
absterſione: tùm maximè ex terrea opacitate cum
reliquorum elementorum luce & perspicuitate D
permista. Propter quam efficitur, vt obscurio-
rem, quàm flaua bilis, colorem habeat. Quod de
sanguine venis contento & ad nutritionem com-
parato intelligatur. Quippè is, qui in arterijs ver-
satur & ad pulsum refertur, vt tenuior & purior,
sic multò clarior est & planè pellucidus.

Odorem nullum habet malum nec ingratum:
Saporem dulcem, ob temperatam humidi & sicci
permistionem.

Iecore demum, corde, & venis continetur: Ad-
de etiam arterijs, si non nutrientem modò com-
præhendas, sed alterum quoque illum tenuio-
rem, in quo consistit pulsus.

Denique melancholia frigida est & sicca, crassa,
densa, grauis, & terrea: & ideò apta subsidere san-
guini velut illius fex. Propter colorem nigrum a-
tra bilis nominatur. Sapore est acri, acerbo, & aci-
do, ceu inter dulcem & amarum medio, non omni-
nò ingrato. Quare ad excitandam famem ap-
tissima est, dum acrimonia sua pungit ventricu-
lum. Præcipuam in liene sedem obtinet. Nam
illud à iecore potissima & maximè terrea illius
pars confluit. E

Vespertilionis sanguis.

Color.

Odoris & saporis sedes.

De Melancholia.

HVMORES HOSCE ELEMENTIS, anni temporibus, aëtatibus, & regionibus respondere.

CAPVT VIII.

SI igitur hæc est singulorum humorum conditio & natura; veriùs omninò tùm à cęteris penè omnibus scriptoribus, tũ à me quoque in superiori disputatione fuerit affirmatum, optimè eos elementorum qua-
tuor naturam referre; esseq. hoc ipsum in anima- *Elementis.*
lium perfectorum corporibus, quod sunt elemẽta
in mundo. Cholera refert ignem; sanguis aërem,
pituita aquam, melancholia terram. Et vt in ele-
mentis duo sunt symbola, & totidem assymbola;
illa communi altera qualitate affecta, hæc vtraque
pugnantia: sic & in humoribus hisce proportio-
ne quadam idem propemodum euenit. Cholera
calida est & sicca, sanguis frigidus quidem sua na-
tura propter copiosiorem terrę mistionem, & hu-
midus: Sed maximo prorsus aduentitio calore ita
afficitur, vt calidus existimetur; propriumq. illud
frigus calore perquam tẽperatum est. Pituita fri-
gida est & humida, melancholia sicca & frigi-
da.

Respondent etiam quàm accommodatissimè *Anni temporibus.*
propter hasce qualitates quatuor anni tempori-
bus; & in eorum singulis abundant plurimum in
nostris corporibus singuli; vt Hyppocrates quo-
que adnotauit: cholera æstati, sanguis veri, pitui-
ta hyemi, melancholia autumno. Per similes enim
vtrobique qualitates vigent.

Et quoniam sapienter Galenus admonuit in 8. *Ætatibus & regionibus.*
de decretis lib. cap. 6. cum anni temporibus æta-
tes atque regiones coniungendas esse; déque his
intelligendum esse id, quod de anni temporibus
fuerit pronuntiatum, siquidem quod est in anno
ver, hoc ipsum est in ætatibus pueritia & in regio-
nibus temperata: quódque æstas, iuuentus & re-
gio calida: quod autumnus, senectus regióque
siccior & frigidior: quod hyems, decrepita & fri-
gida humidáque plaga, tum verno tempore, tum
in puero & regione temperata sanguis abundat:
æstate cholera & in iuuene calidáque regione: me-
lancholia autumno, sene, & siccíori ac frigidiori
mũdi parte: deniq. pituita hyeme, decrepito, frigi-
dáq. & humida cœli plaga. Vnde cõsequens est, vt
ea morborum genera, quæ humoris cuiusq. in no-
stris corporibus redundantia adducit, singulis
hisce, tùm anni temporibus, tùm ætatibus & re-
gionibus, grassentur potissimùm alijque atq. alij
effectus in corporibus consequantur, quos non
est mihi propositum hoc loco persequi, sed liben-
ter medicis considerandos relinquam; si vnum
illud adnotauero; sapienter omninò hãc ob caus-
sam Hyppocratem eiúsq. interpretem Galenum
in Aphorismo 2. lib. 1. admouisse, In purgandis
humoribus regionem quoque tempus, ætatem,
& morbum, etiam atque etiam consideranda
esse.

Hoc naturalem magis cognitionem habet: *Qualem faciant humores singuli.*
sanguinem, si purior fuerit & syncerior, hõ-
minem facere benè carnosum, hilarem, iu-
cundum,

cundum, facetum, promptum ad risum, ingeniosum, venustum, benè coloratum. Pituitam autem pigrum, lentum, somnolentum, frigidum, ingenio tardũ, malè coloratum, minùs promptum, quin potiùs ad opera omnia, tùm naturę, tumvoluntatis, ineptum. Contrà flaua bilis promptum facit & celerem, agilem corpore & ingenio valentem, flauescentem colore aut etiam rubeum: sed macilentum, impatientem, iracundum, mente leuem. Denique bilis atra hominẽ habet pigrum, tardum, somnolentum, morosum, ingenio hebetem, timidum plumbeique coloris. At si permista sit cum cholera, prudentem efficit, ingenio memoriáque optimè ornatum, & ad artes omnes atque scientias aptissimum: vt in primo problemate sectonis 30. pluribus Aristoteles est persecutus.

HVMORES HOS OMNES. substantia & natura differre.

CAPVT IX.

VErùm maior quædam existit difficultas. Nam vniuersa quidem, tùm philosophorum, tùm medicorum, schola quatuor hosce in animantium corporibus humores nominat: at non item conuenit inter omnes, an essentia & natura distinguantur. Turisanus enim in com. 41. 44. in 2. artis paruæ librũ pituitam bilémque duplicem tres esse substantias planè diuersas confirmauit: sanguinem verò contendit non esse quartam ab illis distinctam naturam, sed congeriem quandam & permistionem illarum: atque vt eartum quæpiam magis abundat, quàm cæteræ, sanguinem cholericum appellari, pituitosum, aut melancholicum.

F. Opinio.

Ego verò magnoperè hominẽ miror omnibus alijs in re tam manifesta & certa repugnasse; atque in natura sanguinis vsque adeò vitæ nostræ necessaria peccasse tã grauiter. Verè namq. Hippocrates quatuor hasce substantias distinctas esse ratiocinatur. Tum quòd & nomina ipsa distincta sint; & colores diuersi; & qualitates cæteræ vel ipsius tactus iudicio dissimiles planè & pugnantes: nec minùs in sanguine, qua in reliquis. Tum quòd vt diuersa corporib⁹ ad hibentur medicamẽta, sic diuersi purgantur humores. quòddã enim est, quod pituitã ducat; aliud, quòd flauam bilem; aliud, quod atrã: quòd si partem quampiã sauciaueris, effluet ipsi sanguis. Persimile illud est, quòd vt antea positum est, humores hi quatuor elementis prorsus respondent; quæ natura & specie omninò differunt. Atque experientia compertum est diuersis anni temporibus diuersisque ætatibus & regionibus in corporibus eos abundare: modóque vnũ, modò alterũ altero diminuto augeri. Quòd si sanguis propriã substantiam non habeat, sed compositum quidpiam esset ex cæteris; nequaquàm augeretur ipse cæteris diminutis: nec proprium sibi tempus aut locum haberet, in quibus solus præ cæteris abundaret. Testantur hoc ipsum propria vasa illi dicata, iecur, cor, venæ, & arteriæ; à reliquorum vasis separata, à liene, iecorisque vesica. Nutrimentum vero, vt plerisque medicorum placet, diuersis membris ex prædominio præbent: Vesicæ, lieníque, biles; iecinori, cordi, ac reliquis omnibus, sanguis. Vt autem Aristoteli visum est, solus sanguis nutrimentũ optimũ est; reliqui humores velut excremẽta, quæ ab eo secerni oportet antequã sanguine nutriamur. Accedit, quòd pituita, si magis calore coquatur, in sanguinẽ cedit; duo reliqui humores non item: immò si id esset sanguis, quòd Turisanus affirmat, nec pituita posset in sanguinẽ mutata nutrire. Quỉ enim in tres illos humores mutetur; quorum permistio sit sanguis? pars illius quædam in se ipsam nimirum mutari deberet: vel si non mutaretur, ipsa immediatè & non in sanguinem mutata nutriret; cum tamen ipsa minùs sit cocta, quàm vt aptum esse nutrimentum queat. Iam si primum eorum omnium ortum consideres, planè videbis, nequaquam ex reliquorum trium permistione sanguinem gigni, sed illorum potiùs tanquàm peioris substantiæ à meliori separatione, tum diuersis membris diuersas ad se substãtias trahentibus, tùm caloris virtute heterogenea separante atque optimam à deterioribus substantiam repurgante. Quòd si id esset sanguis, quod aduersarius contendit, oppositò prorsus modò gigneretur: neque omnes simul existerẽt, sed tres reliquos priùs oporteret in iecore nasci, tùm ex illis sanguinem permisceri. At quænam esset illorum trium humorum opifex caussa? quomodo possent in iecinore contineri? Certũ enim est, viscus illud vim solam habere sanguinis procreatricem, huicq. soli humori amicam, reliquos alio amandari. Et vt ventriculus cibum mutat in chylum fæcibus separatis, ita chylum iecur magis coquendo in sanguinem cõmutare reliquis inde dissectis: fieriq. primũ vel in ipsis mesenterij venis rubram quandam massam velut sanguinem inchoatum, deinde hunc ad perfectionem adduci tribus cæteris separatis.

Humoribus quatuor separatis.

Nam in eo grauiùs peccat Turisanus, quod sanguinem ait ex vena extractus in tres humores dissolui, quasi ex illis esset cõpositus. Non enim is in humores illos dissoluitur, sed ij potiùs ex illo per repurgationem quandam secernuntur: neq. tres modò, sed quatuor omninò substantię separatur, sanguinisque natura à cæteris purgata, copiosior cõspicitur. Neque semper eadem sit in omni sanguine aliorum humorum separatio: sed abundantior vno, quàm alio tempore: & in vnius hominis sanguine magis, quàm alterius, & in aliquo etiam vix vlla. Vt non temerè fortasse dixeris, in impuro duntaxat & ægrotantis corporis sanguine separationem eam esse, possęque tàm purum & syncerum quempiam reperiri, vt vix sensilis secretio fiat.

Verùm quidquid sit, an non sanguis spiritui gignendo materiam suppeditat, caloremq. natiuum fouet, quorum neutrum cæteri humores præstare possunt? An nõ ipse aduersarij decreto ens quodpiam esset ex accidenti aggregatum? nec veram, sed solum sensus iudicio, & apparentem mistionẽ ac compositionem haberet? an non necessario consequens esset, in venis frigidum potiùs, quàm calidum sanguinem esse: amarum potiùs quàm dulcem, atque ideò naturę ingratum, minimęque ad reficienda & sustentanda corpora opportunum? Etenim duabus frigidis constaret

partibus, pituita & melancholia, solumque haberet flauæ bilis calorem. Atq. vna illius pars pituitosa esset insipida; altera, quę cholerica esset; prorsus amara. Quis autem nescit, per exiguũ humorẽ amarum, vel maximam dulcis humoris quantitatem posse in amaritudinem trahere? Atqui certum est sapientum omnium decretum, solo dulci cuncta nutriri, sanguinémq. dulcem esse & ideò amicissimum naturæ propriumque animalis nutrimentum. Denique toti huic probationi tanquàm clausulam accomodare placet argumentationem illam, qua Galenus in 2. de naturalibus facultatibus lib. cap. 9. præter tres alios humores atram bilem nostris inesse coporibus demonstrauit. Numquid enim humor aliquis frigidus & siccus est, aliquis frigidus & humidus, alius calidus & siccus; nullus autem est, qui calidus sit & humidus: sed quarta temperamentorum coniugatio cùm in reliquis omnibus habeatur, in solis humoribus deest? Atqui sanguis eiusmodi humor est; quem sapientes medici ac philosophi ex anni quidem temporibus, in vere potissimum, ex ætatibus in pueritia, ex regionibus in temperata, ex morbis in ijs, qui calidi sunt, & humidi, abundare censuerunt. Neq. enim in hac vna coniugatione claudicare naturam putauerunt. Hæc fermè Galenus.

QVO MODO RESPONDENDUM *sit argumentis.*

CAPVT X.

AT quibus tandem argumentis sententiam suam persuadere nobis conatus sit Turisanus, videamus. Multis sanè modis id confecisse se existmauit. Primùm enim si sanguis, inquit, esset quarta simplex substantia: puram eam venis inclusisset natura; miniméq. permiscuisset cæteris, quæ amarã, acidam, & insipidã reddunt, naturæque ingratã, quę sanguine nutriri, & sustẽtari debet. Iam verò semper cum illis permistus est sanguis, etsi putissimus quæratur: Et propterea quilibet sanguis in illas 2. dissoluitur. Alterum, quoniam ex vena extractus 3. non nisi in tres illas substantias dissoluitur. Tertium, quòd lac, quòd nil aliud est, quàm magis coctus sanguis, in tres duntaxat substantias tribus illis persimiles separatur, in butyrum, serum, & caseum: butyrum est velut cholera, serum vt pituita, 4. caseus tamquàm melancholia. Quartum, quòd tres solum superfluitates ab eo secernuntur, Hypostatiua, aquea, & spiritalis seu cholerica. quòd si quarta esset substantia, quartam item superfluitatem adesse oporteret. Quintum, quòd nullum hactenus inuentum est medicamentum, quo solus purgetur sanguis, atque à cæteris humoribus separetur: cum tamen, vnde purgentur cæteri, abundè suppetat. Nimirum quoniam hi sunt inter se distincti, sanguis nõ itẽ ab illis diuersam habet substantiã. Sextum, quòd vt Galenus, quoq. confirmat in 2. de febrium differentijs lib. c. 1. ex alijs quidem humoribus putrescentibus oriuntur in nostris corporibus febres, tertiana ex cholera, quotidiana ex pituita; quartana ex melancholia, nulla verò ex sanguine: Qui si substantiam à reliquis diuersam haberet, aliquam ipse quoque putrescens differentiam febris adferret.

Verum nihil omninò permouere nos debẽt isthæc huius hominis argumenta: Etenim vt primum illud, in quo de humorum permistione disserit, in proximum caput differam, in quo seorsim disputabo, an in venis cum sanguine humores cæteri permisceantur. Certe id, quòd in altero accipit, secus omninò habet. Non enim tres, sed quatuor substantiæ separantur: aut tres quidem à sanguine secernuntur, sed is velut quarta ab illis diuersa existit. 1. 2.

Lac porrò sanguis quidem est magis coctus, triplicique substantia constat, caseosa, serosa, pinqui, ex qua butyrum efficitur. Sed pinguis & oleosa buytiri substãtia sanguinis naturam refert. Nullus enim aliorum humorum pinguis & veluti oleosus, præter sanguinem, qui totam alimenti pinguedinem ad nutriendum aptam continet. Quare ex hoc ipso sanguinis natura à cęteris planè diuersa cognoscitur. Sed si ex lacte de humoribus ratiocinandum sit (quod tamen negabit quispiã:) siquidem non eandam necesse est esse rationem materiæ, ex qua fit quidpiam; & eius, quod ex illa efficitur, flauę bilis potius, quàm sanguinis substantia desiderabitur: magisque consentaneè frigidæ & humidæ lactis naturæ. Serum verò etsi pituitosum videatur, extergendi tamen ventrisque subducendi facultatem propter acrimoniam habet. quare duas planè substantias continet. Caseus crassam & terream substantiam retinet. 3. *Lactis substantia quot.* *Serum lactis quale.*

Tres item solæ superfluitates à sanguine separantur. Sed is est quarta substantia illis melior, totáque benigna & vtilis naturæ: quæ propterea nihil habet superflui, quod secerni oporteat, præter tres illos humores, qui velut superfluitates & excrementa illius sunt. 4.

Hæc est caussa, cur nullum vnquàm inuentum sit nec inueniri medicamentum possit, quo is solus purgetur, etsi non desint, qui extare autument, sed minimè nobis notum. Neque enim is excrementum est: sed substantia sua totus naturæ vtilis & necessarius, vitæque alimentum & caloris domicilium. Duobus autem modis noxius effici potest. Aut quòd nimium abundet: aut quòd plus æquo humoribus cęteris permistus, inquinatus, & infectus sit. Si copiosior abundet, incisione venæ minuitur. Sin infectus sit & minus syncerus, adhibitis ijs medicamentis syncerior & purior efficitur, quibus humores noxij cum eo permisti secernunt atque ex corpore euocantur. Eademque medicamenta, quæ cæteros humores purgant, sanguinem quoque purgare existimantur: illos, quòd è corpore tanquàm noxios euocent: hunc, quod in corpore tanquàm vtilem & necessarium cæteris euocatis puriorem reddant. 5. *Nullum medicamentum purgãdo sanguini.*

Denique nec quarto huic humori propria deest febris. Nam vt ephæmeram mittam, quæ eo duntaxat calefacto creditur excitari: In eodem ipso secundo de febrium differentijs libro cap. 9. an non autor est idem ille Galenus interpolutas alias quasdam eo putrescente fieri? Sed has simpliciores esse, quàm illæ sint, quas cæteri humores commouent: accessionum verò proportionem tertiano præcipuè circuitu constare. Ita sanè. Nam eum quidem ab externo calore putrescere posse, minimè dubitatur. Sed cum melioris & benignioris minusque pertinacis naturæ, sit *Febris qua ex sanguine.*

turæ sit, leuiorem adfert ægrotationem, faciliusque corrigi & emendari potest. Quamquam & de hoc febris genere multa disputantur à medicis; & eandem aduersarius difficultatem patitur. Nam etsi nil aliud sanguinem esse dicat, quam ex humoribus cæteris permistum quidpiam: Huius tamen permisti putrefactio aliam quandam corporibus nostris febrem adferret, ab ea distinctam, quæ singulorum esset putridorum humorũ propria.

QVATENVS IN VENIS CVM sanguine humores cæteri permisceantur.

CAPVT XI.

PRima illa fortasse hominis argumentatio magis vrgeat, qua si sanguinis substantia ab alijs esset distincta, eam in venis puram & synceram atque à cæteris omnibus separatam debuisse contineri ratiocinatur: non item humoribus naturæ prorsus ingratis inquinari & infici. At hæc ipsa argumentatio sententiam eius euertit. Nam si sanguis nõ est suauis illa, dulcis, & benigna substantia, quam nos asserimus; sed sola insipidi, amari & acris permistio: quo modo tàm ingrato noxióque alimẽto vescantur animantia eorumque vita sustententur? Cum in eo nil planè sit, quod non solùm non delectet, sed quod non horreat maximè fugiatq. illorum natura.

1. Opinio. An verò vt ipse obijcit, ita sit, non omnes consentiunt. Neque defuerunt qui solum sanguinẽ venis dicerent contineri. Quorum pronuntiata sententia tres ob causas probabilis videri possit. Primùm quoniam solus hic humor benignus & dulcis est, qui alimentum corporibus præbere queat. Quare is solus per venas ad membra corporum reficienda distribuendus fuit; neque ingratis & noxijs humoribus inquinandus. Deinde quia in sanis corporibus totus sanguis gustatur dulcis. Qui si amara aut acida bile perfunderetur, ingratissimum sanè saporem haberet. Denique quoniam humores omnes in iecinore separantur, atque ad propria singuli domicilia concedũt: qui si in venis permisti suscipi debuissent, nequaquàm fuerant separandi. Sanguis tamen ipse cum mistum quidpiam sit, diuersitate quadam partium constat. Quædam magis est terrea, quæ melancholiam refert; aquosior alia & humidior, pituitæ persimilis; quędã tenuior propemodumque adusta, velut cholera; alia demum temperata magis, quæ propriam ipsius naturam refert. Vt enim dum formatur animalis corpus, partium quandam diuersitatem in menstruo sanguine inesse oportuit; vt ex frigidioribus, siccioribus, crassioribus, fierent ossa, nerui, cartilagines, & humidioribus caro: ita deinceps vt partes natura & qualitatibus tantoperè diuersæ sanguine sustententur, partibus item diuersis constare illum necesse est. Etsi fiat interdum, vt humores quoque cæteri ex proprijs erumpentes vasis, tùm per corpus dispergantur, tum sanguinis venas subeant.

2. Ego tamen assentior potiùs medicorum principibus, Hyppocrati, Galeno, & Auicennæ. Qui de humorum omnium permistione ita iudicarũt, vt quod in cęteris modum excedit, & fæculentum magis est & sordidum, animalique obesset si per corpus dispergeretur; id separetur à sanguine, & ad lienem iecoriſque vesicam transmittatur: quod verò minùs malum est aut noxium, cum sanguine permistum relinquatur, atque per venas cum eò in totum reliquum corpus distribuatur. Neque Aristotelem arbitror dissentire, tametsi solum sanguinem alimentum membris præbere credidit.

Duplex humorum vsus. Etenim propter duplicem maximè finem humores à natura instituti fuisse videntur. Quorum alter esse creditur, vt essent tamquam elementa & materia, qua & primum consisterent & deinceps nutrirentur animalium corpora. Quam ob caussam perpetuò conseruari, eos in corpore velut magnopere necessarios medici illi definierunt. Si enim nulli amplius essent vsui, cur parata essent propria & opportuna vasa, quibus conseruarentur? Cur non eos statim natura pelleret: quemadmodum vrinam & excrementa illa, quæ in prima cibi coctione separantur ex cibo? Nimirum retinentur propterea quòd vtiles ad huc sint & membris sustentandis necessarij. Maior tamen sanguinis, quàm cæterorum, copia requiritur. Quoniam is opportunior est & suauior, magisque cum natura membrorum conueniens, & accommodatum potius alimentum cum dulcis sit, calidus & humidus, atque ad conseruandam vitam aptissimus. Alter autem, in quo Aristoteles consentiet, ad propria quædam munera singulorum refertur.

Sanguinis vsus duplex. In quibus ipsis idem ille sanguis plurimum adhuc cæteris præstat. Duplicem enim habet præstantissimum vsum. Primum, natiuum calorem fouet. Neque enim hanc solum ob caussam animalia sanguine prædita exanguibus calidiora sunt; & inter sanguinea maximè calescunt illa, quæ multi sanguinis sunt. Verum etiam si in his ipsis exhauriatur sanguis, aut inedia, aut vulnere, venęue incisione; frigescunt vniuersa membra vitáque priuantur. Calorem porrò tuetur & sustinet; tum à corde illum ad omnes partes deriuando & instar vehiculi per venas ceu canalis deportando: tum vaporibus calidis, qui ex ipso caloris actione per omnes horas eleuantur: Tum maximè spiritu ex eo in corde genito & per arterias distributo: ac demum quia caloris, qui membris omnibus continetur, alimentum existit & pabulum singulare, quo deficiente nullo modo posset animalis vita subsistere. Deinde verò hic ipse sanguis sola est & singularis materia vitalis illius spiritus, ex quo tum vita tum animalium omnis operatio mirificè pendet.

Flauedilli vsus. Itaque si cum sanguine humores cæteri comparentur; abuti quodam modo illis natura videatur. Altera namque bili, quæ flaua est, vtitur, non quidem vt Platonicis placuit, quos in cap. 2. lib. 4. de partibus animalium Aristoteles reprehendit; quod eam sensus gratia datam fuisse contenderant, vt animæ partem in iecinore sitam mordicando excitaret, laxando exhilararet. Sed tamquam stimulo ad impellendum, & alimentum, & excrementum, cum mordax sit & leuis: maxime-

que expultricem virtutem iuuare creditur. Deinde ad tenuandum in venis sanguinem, vt angustos quoque meatus penetret: congelationémq. arcendam, quippè calidissimus humor est. Tum verò ad colorandas fæces intestináque abluenda à stercore viscosáq. pituita. Quam ob caussam in secundo prognosticon comm. 17. subrufæ fæces probantur, velut naturalis deiectio, bonæque habitudinis argumentum: quòd bilem ostendant à iecore ad intestina moderatè deductam. Nam si albæ sint, nulla planè, si omnino rufæ, nimia prorsus bilis in ea venit.

Melancholia vsus.

Alteram autem, quę est atra & ad retentricem facultatem frigore & siccitate confortandam confert, atque ad appetentiam cibi excitandam, B dùm insita sibi acrimonia pungit ventriculum: tùm ad ventriculi os constringendum, totumque ventriculum contrahendum, vt exactè cibum complectatur; si aut paucus ingestus sit, aut certè consumptus is, qui fuerat copiosior. Quorsum enim à liene ad os ventriculi reptent venæ atrum illum humorem comportantes? Tum demùm ad cogendum & quasi coagulandum sanguinem, quo nutrienda sunt corpora nostra; & omninò solidioribus membris adiungendum, vt facilior sit in illorum naturam mutatio.

Pituita vsus.

Denique pituita sanguinis vicę, si fuerit opus, suplebit. Quoniam non solum humectat membra atque à præmatura siccitate tuetur verùm C etiam si ob diuturniorem inediam aliamuè caussam desit sanguis, sanguinis & alimenti locum tantisper tenebit, caloríque voracitati se se opponet. Idcircò hic præsertim humor, tanquàm minùs noxius & ad nutriendum magis aptus, per totum corpus membráque omnia spargitur.

Etsi verò in iecore humores cæteri separentur à sanguine, maximáque illorum pars, quæ noxia fuisset ad propria quędam domicilia sese recipiat vt inde mox paulatim & sensim ad aliquos memoratos vsus euocetur aut omninò purgetur: aliquid tamen eorum omnium retinetur, quod per venas simul cum sanguine distribuatur: si non vt ex illis quoque membra nutriantur, certè vt eo, quem dixi, modo sanguinis nutritionem adiuuent. Sed dum sanguis ex vena extrahitur, humoreque omnes separantur, antecedentem illam permistionem apertè testantur. Non enim diuersas sanguinis partes, sed diuersos planè humores esse vel ipse sensus cognoscit. Neque aliud vas conspicitur, per quod facilè diffundantur per corpus; nisi venæ, quæ sanguinem quoque continent. Id verò percommodè etiam naturæ accidit. Nam si seorsim singuli mitterentur parua E licet admodum quantitate essent; obessent plurimùm. Permisti autem cum sanguine, tum illius calore; dulcedine, & benignitate temperâtur; tùm muneribus suis funguntur perfectius.

Animalia felle carētia.

Sed quid Aristoteles loco ante notato? Etenim animalia quædam asserit felle omninò carere, vt equum, mulũ, asinũ, ceruum, damam: alia non habere seorsim vesica inclusũ, sed venulis quibusdã confusum; vt camelum, vitulũ marinum, delphinum, mures, atque adeò interdùm hominem, ouem, & capram. Sanè hic locus confirmat; in ijs quidem animalibus, in quibus fellis est plurimum, proprium item esse vas constitutum, ad A quod maxima illius pars se se recipiat. At in quibus perparùm est, illud cùm obesse minimè posset, quin ad munera quædam prodesse non parum; simul cum sanguine per vniuersum corpus distribui. Neque enim credendum est tàm perfecta animalia, præsertim hominem, humore hoc penitus esse priuata.

Hinc verò nimirum est, quòd tota illa massa, in qua sint humores omnes, sanguis potissimum nominetur; quòd hic multo magis abundet, quàm cæteri, isque maximè conspicuus sit. Nam etsi vino quidpiam aquæ miscueris, nihilominùs vinum appellaueris. Dicitur autem sanguis cholericus, pituitosus, aut melancholicus, provt simul cum sanguine horum humorum, quispiam paulo copiosior fuerit. Hique comparatione sanguinis *Vt humores aliqua superfluitates.* iure optimo superfluitates & excrementa vocantur. Quod etsi eiusmodi non sint, dum cum toto corpore comparantur, nisi fortasse nimium abundent: si tamen inuicem conferantur, & cum sanguinea substantia, quę tota suauis est, optima, & animalis vitæ per se necessaria, excrementa verè sunt, quæ à sanguine in iecoris coctione secernuntur. Tùm vero si spectentur singula corporis membra, vt debent esse operationum principia. quippè nutritione perfecta tantùm abest, vt prosint illi amplius humores ij, vt potius obsint. C Sanguis post nutritionem quoque vtilis est & animali maximè naturalis ac necessarius, tum ad calorem fouendum, tum ad gignendum spiritum. Atque hanc ob caussam neque medicamentis euocari è corpore aut minui potest: neque per se purgari, vt humores cæteri. Sed si nimium abundet, aperitur vena: si humoribus cæteris plus æquo infectus sit, euocantur illi medicamentis & ab ijs repurgatur sanguis.

ANIMANTIVM CORPORA solo sanguine nutriri.

CAPVT XII.

QVr humores cęteri simul cum sanguine misceantur in venis, cum eoque distribuantur per corpus, ferè dictum est. Iam considerandum est, Num eam etiã ob caussam id fiat, vt illis quoque simul cum sanguine nutriamur. Hoc enim magnoperè video à medicis & inter se & cũ Aristotele disputari. Hyppocrates, Galenus, & Auicenna humoribus omnibus permistis animantium corpora nutriri voluerunt: Aristoteles solo sanguine; vt intelligi potest ex tertio de animalium historia libro cap. 19. & 2. de partibus cap. 3. & lib. 4. cap. 2. & 4. & libro de somno & vigilia cap. 4. dęque iuuentute & senectute cap. 2. & alijs plurib⁹ locis. quod ex medicis quoque iure optimo confirmarunt Conciliator differentia 30. & Iacobus Fotoliuiensis quæst. 30. in artem paruam, & Thomas de Garbo quæst. 24. medicinalis summæ, alijque non pauci. Immo aperta confessio Galeni: qui in 2. de elementis lib. cap. vlt. non potuit non pronuntiare, sententiam hanc laudandam esse rationique cõsentaneam. Eandem namque oportet *1. Opinio.*

nutritionis

nutritionis esse materiam, quæ generationis fuit & compositionis: & ex qua primùm formata fuerunt corpora nostra, ex eadem post augeri & sustentari debent. At primæ formationis materiam solum fuisse sanguinem menstruum, illi ipsi medicinæ principes Hyppocrates & Galenus tradiderunt. Atque ex eo ratiocinatur Auerroës in 2. lib. colliget cap. 2. quod in vulua nec melancholia reperitur, nec cholera, quæ cum sanguine misceantur. Deinde alimentum omne necesse est esse dulce; quoniam hoc duntaxat humore pascitur & nutritur natura; omnisque vita calore & humore sustinetur. Ex humoribus autem omnibus solus sanguis eiusmodi est. Quippè bilis altera tum amara est, qualia excrementa esse solent; tum calida & sicca altera acris & acida, frigida & sicca, quæ ambæ qualitates mortis sunt, non vitæ pituita demum insipida, frigida, & humida, nec satis cocta. Quæ si interdum nutrire videatur, non tamen nutrit quamdiu adest sanguis: neque eo consumpto & exhausto potest ipsa nutrimentum vllum præbere, nisi magis cocta mutetur in sanguinem, quo velut benigno & dulci humore corpora reficiantur; nam suapte conditione vitæ potius noxia est. Sanè cerebrum, quod plurimum à sanguinis natura distare, maximéque pituitosum esse videtur, immò præcipua pituitæ sedes, nõ pituita, sed tenuissimo sanguine sustentatur: vt venulæ testãtur, quæ in eo plurimæ cõspiciuntur. Hanc ob causam in lib. de victus ratione scripsit Hyppocrates pituitosos homines non assuetam cibi abstinentiam faciliùs omninò ferre. Quoniam vt interpretatur Galenus, hic solus humor tempore procedẽte magis coctus in sanguinem mutari potest & nutrire; quod neutra bilis potest. Nam flaua nimis adusta est & sicca: atque ex sanguine plus calefacto gignitur: in ipsisque inedijs amarior redditur: atra verò terrea nimis est & sicca; & ex assato aut etiam atro sanguine nascitur. Et quamuis vtraque fortasse refrigerari possit & ad qualitatum mediocritatem adduci, substantiæ tamen benignitatem nunquam acquirit. Pituita frigida cum sit minusque cocta, & ideò tum in pituitosis edulijs, tum in alijs pluribus generationem sanguinis anteeedat, neque tamen malæ substantiæ sit; facilè potest, si magis calefiat & coquatur, in sanguinem commutari. Vt verè omninò illud quoque pronuntiatum fuerit ab Auicenna, pituitam posse tum ab interno & natiuo calore coqui & in sanguinem cedere, tum ab externo putrescere & corrumpi: sed non ab altero corrigi & ad sanguinis naturam perduci.

Libro secundo de victus ratione com. 30.

Neque negari potest humores cæteros, duplicem præsertim bilem, esse velut sanguinis excrementa; & ideò inficere potius, quàm reficere, ac refarcire posse: quoniam hæc est excrementi cuiusuis conditio. Sanguinis autem naturam totam optimam, & verò etiam ita temperatam, vt crassioribus partibus crassiora membra, tenuioribusque tenuiora sustentare queat. Calorémque eum, qui totam nutritionem perficit & alimentum commutat, nequaquàm vrentem esse aut assantem, qualis est igneus, sed elixantem, qui alimentum facit calidum & humidum: quæ temperatio solius sanguinis est, non aliorum humorum.

Idq. eò magis verũ existimari debet, quod vt non multò ante dicebatur, probabilis sanè est eorum sententia, qui solum sanguinem contineri venis voluerunt. Nullum enim aliud est membrorum nutrimentum, nisi quod per venas à iecore ad illa reficienda & sustentanda trãsmittitur. Sed quamuis simul cum sanguine humores cæteros contineri dicamur, ex ijs tamen omnibus corpora nostra nutriri non dicemus. Quoniam & maxima pars ab vtili ad nutriendum massa secernitur, & alibi, quàm in venis, quæ alimenti vasa sunt, præcipua est illorum humorum sedes. quòd ij minimé sint ad nutriendum apti, sed ad alios potius vsus pertineant: & quilibet sua sponte credo fatebitur illud esse proprium vniuersi corporis alimentum, quod per se venis continetur atq. in illis per omnes corporis partes destribuitur. Hoc autem manifestum est esse solum sanguinẽ: tum quod aliorum humorũ alia sunt vasa: tum quòd is solus in iecinore & corde gignatur & contineatur, vnde venæ omnes proficiscuntur. Et vt arterijs tenuior solus includitur, sic venas crassioris solius & alimentarij vasa esse credendum est. quo in membrorum substantiam mutato, humores cæteri, qui cum eo permisti fuerant, aut per sudores, aut alio modo purgentur.

Video etiam medicos omnes in eo consentire, vt pituitam definiãt sanguine deficiente nutrire, sed mutatam in sanguinem. quod si ita habeat, ipsa igitur quamdiu humor eiusmodi est à sanguine diuersus, nutrire minimè potest. At hæc minus maligna est, naturæque aduersa, quàm duo humores reliqui. Multò igitur minus illi nutrire poterunt. Deindè si pituita nutrit, quia mutatur in sanguinem, hæcque sola sanguinis defectum supplet, non duplex bilis, quod ea sola, non hæ, in sanguinem mutari queat: profectò non humores cæteri nutriunt, sed solus sanguis. Atque hæc quidem argumenta hanc mihi sententiam persuaserunt.

EXPLICANTVR EA, QVAE contra hæc obyciunt medici & quo modo partes omnes sanguine sustententur.

CAPVT XIII.

GAlenus autem etsi coactus fuerit sententiam hanc nostram, quam Aristoteles explicauit, tum apertis verbis laudare, tum rationi consentaneam esse pronuntiare: plus tamen opinor apud illum potuit sola Hyppocratis authoritas, quàm certa ac necessaria ratio. quare si is, vt est in libro, quem de proprijs edidit libris, cap. 1. eos consuevit appellare seruos; qui se aut Hyppocratem aut alium quemcumque profiterentur sequi, videat ne eidem ipse obnoxius, crimini sit. Accessit familiare studium contradicendi Aristoteli: quod quantoperè rationis iudicium perturbet atque impediat, nemo ignorat. Sed quibus tandem modis sententiam ille Hyppocrãtis confirmare conetur, videamus.

Duo potissimum argumenta proponit, vtrumque ex partium, quibus corpora nostra constant, diuersitate desumptum. Nam in corporibus nostris magna est partiũ inter se distinctarum varietas: non ergò possunt omnes ex vna substantia constare. Deinde quædam earum sanguineæ sũt, aliæ prorsus exangues: terreæ quædã & siccæ, pituitosę alię & humidę. Neque formari omnes primùm potuerunt ex solo sanguine, aut nunc eo solo nutriri & sustentari.

Mẽbrorũ diuersitas vnde.

At meminisse poterat, veteres illos philosophos, qui necessitatem in rebus naturalibus in materia olim considerarunt, fuisse grauiter ab Aristotele in 2. phisic. lib. repræhensos; eámque ostensum ex fine potiùs quærendam esse. Non enim ideò propriè membra nostra diuersa sunt, quod ex alia atq. alia materia formata fuerint, an nõ enim ex eadem possunt vel etiam arte; diuersa instrumenta parari? Sed quod ad diuersos vsus aliásque & alias animæ functiones exequendas præpararentur. Et in 2. de naturalibus facultatibus lib. cap. 3. idem ipse Galenus confirmat, membra omnia vel etiam ea, quæ exanguia prorsus sunt, ex eadem sanguinis materia formari, propter multiplicem formatricem virtutem, quæ in semine inest; velut artifice, qui ex vna & eadem materia complura diuersaq. effingit opera. Atqui eadẽ est vis nutrientis facultatis; quæ per omnes corporis partes distributa ita operatur in singulis, vt idem alimentum plurimis cõmutet modis, partibusq. singulis assimilet; non iecori modò & carni, quæ ambæ partes nutriri sanguine concedũtur; & tamen forma naturáque differunt: sed venæ quoque, arteriæ neruo, ac cæteris omnibus. Quod eò faciliùs efficitur, quòd vt sanguis, velut ex quatuor elementis compositus, quasdam habet crassiores & terreas magis partes, alias tenuiores & aëreas, alias velut aquæ & igni respondentes: quæ omnes vel in purissimo sanguine conspiciuntur: sic membra quoque ex ijs maximè partibus formantur: semine item præsertim permisto: & eas potissimum ad nutriendum trahunt, quæ suæ naturæ plurimùm conueniunt. Venæ quidem certè atque arteriæ sanguinem continent, neque eas, quę cęteris omnibus abundè suppeditant, æquum est nutrimentum alrundè mendicare. Neruos autem, etsi exangues sint, ex venis tamen attrahere sanguinem eóque sustentari, concedet nobis aduersarius: & in cap. 6. libri paulò ante citati contra Erasistratum disputat. Idemque de Cartilagineis, vinculis, membranis, in extremo 3. lib. confirmat.

Omnia ex eadem sanguinis materia formari.

De bilis vesica.

Cæterùm etsi consentiat Auerroës in 2. lib. colliget cap. 9. minimè tamen credendum est, aut bilis vesicam nutriri cholera, aut melancholia lienem, sanguinis vè sero renes, pessimis scilicet, ingratissimis, naturæq. inimicissimis humoribus. Horret enim animus id cogitare, quod Galenus ipse loquitur in 3. de naturalibus facultatibus cap. 9. Vt hominum stercus est canibus suauissimum, sic iecinoris excrementorum aliud lieni, aliud bilis vesicæ, aliud renibus iucũdum esse. Sed vesica quidem præter meatum, qui bilem defert, duas accipit à Porta venulas, quibus abũdè sustentatur sanguine. Lien verò tetrum & melancholicum, ac renes demum serosum sanguinem trahunt: singulæque hæ partes substantia illa sanguinis attracti reficiuntur, humoris autem noxij sedes sunt & vas: vndè aut ad alios quosdam vsus transmittatur, aut prorsus, purgetur. Minùs ingrata est pituita, minusque noxia & inimica naturę: nec tamen hac cerebrum sustentatur, sed sanguine, quem venulis plurimis suscipit: pituita reiecta, qua nullum vnquàm membrorum vescitur, nisi planè absumptus sit sanguis. Vesicam item, quę vrinam continet, certum est nequaquam ea nutriri, sed sanguine, qui per venas ad illius cerui cem conspicuas adducitur: eodémq. modo fœminarũ vter.

Dẽ lieni.

Cerebro.

Vesica.

De ventriculo & ossibus dubitatũ sępè fuit. Sed de ventriculo quidem minimè crediderim verũ esse id, quod significauit Auerroës, eum sola cibi susceptí humectatione reficí. Hoc videlicet argumento, quod statim atque ingestus est cibus aut potus, cessat fames, & sitis extinguitur. Et enim nõ sola qualitate externaue humectatione, sed substantię duntaxt mutatione atque assimilatione nutritio perficitur. Cur autem ingesto cibo & potu sedentur fames & sitis, eo loco intelligetur, vbi de famis sitisque causis agetur. Alterum, quod idem auctor proposuit, maiorem habet probabilitatem, ventriculum totum chylo reficí, antequàm eum ad iecur dimittat. Sic enim Galenus quoque tradidit in 6. lib. de Hyppocratis & Platonis decretis cap. 8. & 3. de naturalibus facultatibus cap. 7. 12. & 13. & 4. de sanitate tuenda ca. vlt. & com. ad 18. aphorismũ lib. 2. cùm ventriculum scripsit sui ipsius gratia trahere alimentum, atque illo primum omnium ad satietatem vsque frui, tum reliquam partem ad transitum dimittere, nec vnquàm per venas trahere alimentum: nisi quando omninò fuerit vacuus. Sed dum ita nutritur, meliori quadam & benigna magis illius parte vescitur, quę mox in sanguinem mutata fuisset. Cum enim cuique maximè naturale sit suam primùm salutem & incolumitatem procurare, quam à liene prospicere, eã sibi in sanguineis animalibus chyli partem ventriculus retinet, quę sibi necessaria est, antequàm ad reliquum corpus transmittat. Intestina quoque dum eadem illa substantia per ea defluit, necessariam sibi partem accipiunt: quę etsi sanguinis formam nondum habeat, substantiam tamen habet & sanguis potestate est. Nam & exangúia omnia animalia non sanguine nutriuntur, sed humore quopiam, qui sanguini proportione respondet. Sanè in toto ventriculo, amplum licet & vastum sit membrũ, perpaucę & perexiguę in extetiori duntaxat parte visuntur venę, quę toti illi corpori substentando nequaquàm sufficiunt. Quam ob caussam exteriorem tunicam sanguine, interiorem chylo sustentari credidit Auicenna. Sed venis illis omnibus, quę tũ ad ventriculum, tum ad intestina perueniunt, nõ adducit ad hęc membra sanguinem, sed ab illis ad iecur trãsmitti chylum, egregiè docet Galenus in quarto libro de vsu partium cap. 1. 2. 3. & 8. Neque fingi potest (quidquid nonnulli dicant) vt per angustissimas venas & ascendat chylus ad iecur & simul à iecore ad ventrem & intestina sanguis descendat. Ergo non trahit alimentum ventriculus à iecore, nisi in longiori inedia, qua tum ipse inanis, sit, tum messaraicę nihil ab eo ad iecur deportent, iecur vero abundet sanguine. Nam vt viscus illud indigum alimenti trahit à ventriculo, in quo illius copia sit: sic contrà inanis ventriculus à iecore pleno & abundante trahit id, quod sibi necessarium est.

Ventriculo.

De ossibus

De ossibus. De ossibus autem, etsi sciam non deesse qui secùs sentiant, verè tamen definitum mihi videtur fuisse à Galeno in 2. lib. de vsu partium cap. 16. lib. 11. cap. 18. & 3. de naturalibus facultatibus cap. vlt. & ante illum ab Hyppocrate in extremo lib. de alimento, familiare illis nutrimentum esse medullam, quæ in grandiorum quidem ossium interiore sinu & cauitate manifestè conspicitur, in minoribus autem quæ sinus & cauitatis expertia sunt, cauernulis continetur, quas in illis vbiq. sparsas velut penũ natura præparauit. Non enim corporis pars est medulla, neq. ossiũ excrementũ: tũ quia nõ expellitur, immò optimè inclusa cõtinetur: tũ quia non est salsa & ingrata, vt excrementa; sed dulcis prorsus ac suauis cibus; quo credendũ est non extrinsecè solùm humectari ossa; sed ita quoque refici ac sustentari, vt quod est carnibus sanguis, hoc ossibus sit medulla. Verè enim dulcem & sanguinis planè substantiam habet: & vt scribit Aristoteles in 3. de historia cap. 20. & lib. 2. de partibus cap. 6. in nuper natis animalibus cruenta tota & sanguinea visitur; mox magis cocta colorem mutat: quòd cæteris quoque membris accidit. Itaque medullæ natura media quasi est inter sanguinem & ossa. Quia cùm sanguis nimium distet ab ossium conditione, non potest in ea statim mutari; sed pluribus opus est mutationibus; vt priùs transeat in medullam, mox in ossium substantiam: dúmque hæc nutriuntur medulla, sanguine planè, hoc est sanguinis substantia, nutriuntur.

Medulla quid.

Vniuersum igitur hoc disputationis caput si colligatur; perspicuum fuerit omnes nostrorum corporum partes solo sanguine sustineri; hoc est optima & dulcissima cibi parte, quæ substantiam habet sanguineam siue actu formá & speciem sanguinis habeat; siue nondum habeat, sed mox, si meliùs coquatur, habitura sit; siue habuerit quidem, sed in aliam naturam post mutata fuerit. Sic enim dum sanguis in humores, quos secundos vocant, mutatur antequàm in mẽbra cedat, membra nihilominùs ex sanguine nutriri existimantur. Atque hoc demum sensu comprobatur. Siquidem quamcunque corporis partem manducaueris, nunquam bilis amatorem alteriusue humoris ingratum saporem, sed vbique solius sanguinis suauitatem & dulcedinem senties: etsi maiorem in iis, quæ meliori & puriori illius parte vescũtur.

Neque obiiciant amplius ii, qui contrà sentiũt, non sanguinem solum, sed alios humores cum eo per venas fundi, quæ nutritionis instrumẽta sunt.

Obiectio 1. Quoniam permistionis huius atque distributionis causam iam satis superque explicatũ fuit eam non esse, vt ipsi nutriant, sed vt sanguinis nutritionem multis modis promoueant.

Solutio. In famelicis, inquiunt, fæces aridiores esse & sicciores, quàm in cæteris: propterea quòd deficiente alimento humores omnes suxit natura. Et

Obiectio 2. animalia quædam sunt, quæ plurimo tempore sine cibo viuant, vt glires, vrsi, limaces, & alia, vt Aristoteles confirmat in 8. lib. de animalium historia cap. 14. 15. 16. & 17. in quibus plurima est pituita, qua interim sustentantur: nec tamen in sanguinem priùs mutata, siquidem ex illis permulta non sunt sanguinea.

Cæterùm si quòd famelicorum fæces aridiores sint, colligãt illi naturam tunc humoribus omnibus nutriri; reliquo tempore, quo naturali cibo animalia fruuntur colligam ego solo ea sanguine vesci; quòd fæces egerãt humidiores. Ergò famem siccare corpora, verè Hippoctates tradidit in Aphor. 59. sectionis 7. & certa ratio cõcludit. Quoniam cùm nostrorum corporum humor singulis momentis exhauriatur; nisi alimẽtis humectetur, siccari ea necesse est. Propterea tum eo loco humidioribus corporibus magnoperè famem conuenire, idem auctor affirmauit: túmque in Aphor. 16. sect. 2. vbi fames est, præcepit laborãdum non esse. Non solùm, vt interpretatur Galenus, quoniam vires nimium dissoluũtur: verùm etiã quia cùm labore quoque siccentur corpora, duplici simul cõiuncta siccante causa nimiùm omninò siccarentur, morsque citissima adduceretur. Si igitur famescentium corpora tota siccẽtur, quid mirum si magis arescãt fęces? Vbi enim copiosius alimentum ingestum fuerit, natura inde copiosè recreata humidas egerit fęces, ex quibus aliquid ampliùs humoris sugere potuisset: & totus interdũ cibus in vẽtre corruptus eiicitur. Vel certè cùm duplex sit pituitæ vsus, humectare membra, sanguinisque defectum supplere; quamdiù abundat alimẽtum, ea minùs est necessaria, pituitosáque materia minùs in corpore retẽta & largiùs purgata humidas magis facit fæces. At famescente corpore humorẽ omnem cibi natura sugit, tùm sanguineum, tùm pituitosum; qui duo humores humidi sunt & ad nutriendum apti: Et ideò aridiores fæces. Reliqui duo humores etsi in fæcibus remanerent, minùs tamen humectarẽt, cũ ipsi natura sicci sint. Cæterùm cùm non in ventre aut intestinis, vbi secernuntur fæces, sed in iecinore separẽtur humores, nullum prorsus ex aridioribus famescẽtium fæcibus peti argumentum potest, quo eorum corpora humoribus omnibus nutriri probentur.

Solutio.

Famelicorum fæces curãda.

Quæ verò animalia multo tẽpore sine cibo dicuntur viuere, aut frigida sunt, & minimum coquunt; aut multam in corpore humiditatem continent, antecedentiumve ciborum cruditatem; quam eo tempore conficiunt & in alimentum necessarium commutant. Eámque, siue pituitosam, siue boni alimenti, quæcunque sanguinea sunt, in sanguinem; quæ verò exanguia, in humorẽ illum, qui in eo animalium genere sanguini proportione respondet, priùs mutant, tùm inde nutriũtur. Quod enim in sanguineis est sanguis, hoc est eiusmodi humor in exanguibus. Atque de tota hac difficultate satis disputatum est.

Animalia quædam viuẽre multo tempore sine cibo.

SANGVINEM ANIMATVM NON esse, neque corporis partem: Multò minùs humores cæteros.

CAPVT XIIII.

IOta superior de humoribus disputatio inter philosophos fuit & medicos, quę autem postremo hoc loco proponitur, inter Theologos quoque propter præcipuas quatuor difficultates celebris est. Quarum prima est illa, quomodo filius Dei hominis naturam induerit; an inquan non animam solùm & corpus, quatenus ex cæteris suis partibus, cõstat; sed sanguinem item assumpserit, atque in diuini verbi Persona sibi vniuerit. Altera, num Christus resurgens ex mortuis totum sanguinem, quẽ dum

F

pro nobis pateretur effuderat, rursum acceperit & in corpore suo collegerit. Tertia, quomodo in admirabili Eucharistiæ Sacramẽto totus Christus sub vtraque panis & vini specie contineatur. Postrema, an in vltima illa, quæ à nobis speratur & futura creditur, corporum resurrectione partes omnes atque adeò humores singuli debeant nobis reponi. Harum enim omnium difficultatum explicatio ex eo magnopere pendet, vt intelligatur, num sanguis nostrorum corporum pars sit, quæ simul cum cæteris animetur.

Sanguinis necessitas.

Sanè id negari non potest, in quo omnes non Theologi modò, sed philosophi ac medici cõsentiunt, eum ad vitæ conseruationẽ prorsus necessarium esse; & ideò ad humanæ naturę veritatem atque integritatem pertinere. Namque necessarius est ad vniuersum corpus sustentandum membráque omnia nutrienda, ad fouẽdum & conseruandum calorem, ad gignẽdum spiritum: sine quibus omnibus nullo modo vita cõsistit. Atque hanc ob causã in sacris literis, anima dicitur esse in sanguine, hoc est vitá sanguine conseruari, eóq. exhausto interiore animal & vita priuari. Hoc argumento S. Thomas in 3. Theologicæ summæ parte quæst. 54 art. 2. in Christi resurgẽtis corpore sanguinem, quem in passione effuderat, fuisse demonstrauit. Et in 4. lib. sententiarum dist. 44. quæst. 1. art. 1. tùm sanguinem, tùm humores omnes in omnium resurgentium corporibus futuros: quoniam is ad humanæ naturæ veritatem pertinet.

Partem corporis nõ esse.

Partem tamen corporis dici non posse, verè fuit ab omnibus penè definitum. Nam etsi Aristoteli in 2. de partibus cap. 2. & Auerroi in 1. lib. colliget cap. 2. & lib. 2. cap. 2. & 8. partem libuerit appellare; eos tamen constat amplissima quadam acceptione quidquid in nostris inest corporibus partẽ nominasse. Aristoteles enim nõ modò saniem, adipem, seuum, medullam, geniturам, lac, & Auerroës humores, item cætera, vngues, pilos, & huiusmodi alia cõmemorarunt; quæ proprias & veras partes esse nullus diceret. Verùm etiam tria partiũ genera idem ipse distinxit Philosophus. Vnũ earũ quæ verè & propriè partes existũt; ex quibus organica mẽbra coagmentantur; vt caro, os, neruus: quæ tùm ad essentiam tũ ad actionem conducunt. Alterum, quod illis est nutrimẽto, vt sanguis. Tertium, quod vtriusque excrementum est; vt sanies & humores cæteri prẽter sanguinem. Itaque si accuratè loqui velimus, eas duntaxat appellabimus partes, quæ aut corporis essentiam cõstituant, aut actiones in eo animę exequuntur: vnde Homogenearum & Heterogenearũ partium distinctio extitit; quarum priores ad essentiam maximè; posteriores ad actionem pertinent. Idem Philosophus plurimis aliis in locis sanguinem dixit esse corporibus alimentum. Alimentum autem pars aliti nequaquàm est; sed aliud quidpiam, quod in partes reficiendas facescere debeat: & fiat quidem pars, dum mutatur; sed alimentum esse desinat propriâmq. naturam amittat. Propterea in 3. de animalium historia lib. cap. 19. quòd is solus alimentum est, sanguinem solum ex humoribus omnibus sparsum esse dixit per totum corpus. Et quoniam in aliti substantiam alimẽtum cedit, eum solum adiecit, tametsi in Græcis codicibus ea verba non legantur, quamdiù viuit animal, animari semper, hoc est in animati corporis substantiam mutari. In cap. autem 3. eiusdẽ libri de partibus proximè citati hoc argumento probauit sanguinem sensu prædituм non esse, quia nulla pars est animalium. Huius rei causa exponitur in cap. 5. lib. 3. Nàm cum venæ per omnes partes ducantur, eam tradidit esse; quoniam sanguis, qui venis continetur, materia est & alimẽtum, ex quo eæ nutriri debent. Vt, inquit, in hortis rigandis de vna origine fontéq. vna aqua riuis permultis deducitur: aliiq. ab aliis ductus subinde excipiuntur, quousq. humor in omnes partes deueniat: atque etiam vt in fabricis per totã fundamentorum descriptionem lapides apponuntur. Videlicet ea ratione, quòd hortorum sata humoris beneficio nascantur, fundamenta ex lapidibus condantur. Sic natura sanguinem per totum corpus censuit deriuandum, cùm is omnium materia sit. At vna pars non est materia neque alimentum alterius, neque totius, nec vna in aliam mutatur. Rursum paucis interpositis, sanguinem scripsit esse potestate corpus & carnem, non actu. Quia & materia nõ est actu compositum, neque alimentum est actu id quòd alitur, sed potestate: Ita sanguis, qui materia & alimentum est vniuerso corpori partibúsq. singulis, non potest esse actu vlla illius pars, sed potestate omnes: siquidem adiungi singulis & in omnes mutari potest. Nequaquam etiam est cum carne aut partibus cæteris copulatus, quin separatus ab omnibus, corde & venis tanquàm vasis per quæ huc illúcq. discurrit, continetur. Et tamen partes omnes tam inter se copulatæ sunt & coniunctæ, tum vnaquæque certum habet & sibi cõstitutum in corpore situm, in quo simul cum reliquis corpus absoluat. Certè inciſa vena sanguis ille, qui extra venam fluit, coniunctus cum eo est, qui continetur vena, cúmque partem corporis nõ esse minimè dubitatur. Neque solùm à corpore separatur absque dolore, verùm etiam sine mutilatione: quorum neutrum de ea, quæ verè & propriè pars sit, affirmare licet. Nam si carnẽ, aut os, neruum, aliámue partem præcideris, dolet maximè, mancúmque & mutilatum ab omnibus iudicatur corpus. At si sanguinem extraxeris, nec dolor vllus sentitur, nec minùs integrum partibusq, omnibus absolutum corpus relinquitur. Non enim adest corpori, vt illud constituat, sed vt constitutum foueat, atq. à consumptione tueatur: Et ideò ex accedente extrinsecus alimẽto totus adsciscitur, nec dùm cum corpore coniunctus est, & vbi coniunctus fuerit & in partes mutatus, non ampliùs sanguis est, sed caro, neruus, aut aliarum partium aliqua.

Tria partium genera.

Partiũ propria duo genera.

Sanguinis per corpus distributionis publicum exemplum.

Neque animatum esse.

Quòd si pars corporis non sit, neque animatus fuerit, si anima solius organici corporis & partiũ eius est actus. Quapropter idem ille sapiẽtissimus Theologus, qui eum affirmauit ad humanæ naturæ veritatem pertinere, in 1. parte quæst. 119. art. 1. dum tertium diluit argumentum, dixit nondum peruenisse ad perfectam speciei naturam, sed esse in via ad illam. Et tertia parte quæst. 31. art. 5. in solutione primi argumenti, eam ob causam docuit corpus Christi nequaquam ex carne & ossibus B. Virginis fuisse formatum, quia cùm hæc sint corporis partes, absque diminutione, aut mutilatione matris id fieri non poterat: sed formatum fuisse ex sanguine, quoniam hic non est actu corporis pars, sed potestate. Deniq. ex certissimis religionis nostrę decretis firmissimum illud fuerit argumẽtum, quòd si sanguis esset corporis nostri pars, consequens

quens necessariò esset, eum quoque ex vi consecrationis esse sub specie panis in Eucharistiæ Sacramento; quemadmodum cæteræ partes continentur. Etenim illud totum ex vi consecrationis adest, quod nomine corporis significatur; hoc est totum integrum & omnibus suis partibus absolutum corpus. At non ex vi consecrationis, sed per concomitantiam ibi esse sanguinem, propterea quòd corpus illud non sit mortuum & exâgue, sed viuum & sanguine prædictum, & ideò non fuisse futurum, si tribus illis diebus quis consecrasset, quibus post sanguinis effusionem is fuit à corpore separatus (quo tamen tempore partibus omnibus integrum corpus extitisset) docent omnes Theologorum scholæ.

Neq. humores cæteros.

Et quoniam manifestum est, sanguinem multò magis ad nostrorum corporum naturam pertinere, quàm humores cæteros, si is non est vlla illorum pars, neque communi anima & vita fruitur: multò minùs de reliquis id affirmari poterit, qui sanguinis excremẽta sunt, atque à corpore & partibus omnibus purgantur, non solùm sine læsione, immò cum emolumento maximo. Tantumque abest, vt corpori cõstituendo necessarij sint, vt maximè euadant noxij, nisi diligenter momentis singulis repellantur.

IN ALIOS QVATVOR SECVNdarios humores mutari sanguinem, antequam corporis nostri pars euadat.

CAPVT XV.

QVm de quatuor primis illis humoribus, qui in corporibus nostris considerantur, ac præsertim de sanguine, qui vt est naturæ amicissimus, sic omnium potissimus existimatur, plurimumque ac maximè salutarem & necessarium vsum habet, tum ad fouendum calorem, tum ad reficienda & nutrienda membra neque in genere neque in specie maiores sint difficultates, quæ naturalem habeant contemplationem, quàm quæ à me fuerint explicatæ: finis erit de illis disserendi, vbi hoc vnum addidero, sanguinem, qui per venas vt alimentum membris omnibus resarciẽdis distribuitur, in ea statim & immediatè non mutari. Quoniam cùm nihil subitò operetur natura, nec ab vno ad alterum extremum trãseat nisi per medium; in membrorum quoque restauratione paulatim & sensim progreditur. Atque alimentum illud, quod omninò liquidum est & à membrorum conditione nimis alienum; multis primùm modis versat & afficit, vt ad mẽbrorum solidam, duram, cõsistentem, & interdum siccam planè naturã adducat. Nam quòd in prima corpusculi intra fœminæ vuluã ex menstruo sanguine formatione euenit, hoc ipsum multò magis in eiusdem iam grandioris, & robustioris ex alimentario sanguine nutritione ac conseruatione fieri credendum est. Nobis verò corpora dissecantibus in extremis interdùm venis, ossibus, vinculis, partibusque cæteris humidiores quædam apparent absentes substantiæ, quæ ad perfectam membrorum naturam nondum peruenerunt. Has humores secundarios appellamus, tanquam prioribus illis quatuor posteriores, aut tanquam ex illis genitos, si ex omnibus animantium corpora nutriri credantur; aut certè ex sanguine, qui & humor primus est, & inter primos præcipuus & optimus.

Quoniam verò in quatuor distinctis locis humiditates hæ deprehenduntur, totidémque omninò mutationes fieri obseruantur; quatuor item secundarij humores distinguntur. Principio enim *Prima.* mutatio quædam fit alimenti in extremitatibus minimarum illarum venarum, quę propterea capillares nominantur seséque ad membrorum poros & meatus sistunt. Ibi sanguinis venis illis contenti substãtia, quæ rubea erat, euadit alba. Neque hic humor proprium aliud nomen vnquàm habuit, tametsi Cõciliator differ. 33. sanguineam humiditatem appellauerit, propterea quòd ex sanguine immediatè existat. Duo autem hoc loco intelligenda sunt. Alterum est; venarum extremitates non solùm in longitudine considerandas esse; sed omnes eas partes significari, quę ad extremam illarum venarum superficiem pertinẽt; in quibus adsint pori, per quos alimentum diffundatur. Alterum; etsi sanguinis in hanc primã humiditatem mutatio in ipsarũ venarum, præsertim maiorum, nutritione minimè necessaria videatur: quod in illis ipsis contineatur sanguis nec propinquas habeãt hasce paruarum venarum extremitates: eandemque ob causam neque in ossibus aliisque quibusdam partibus, cum quarum poris venarum illarum extremitates non coniunguntur: in omnibus tamen humiditas ea reperitur, quamuis non in omnibus venarum earum extremitatibus contineatur, sed alio modo accedat ipsisque membris paulatim accrescat.

Altera deinde mutatio perficitur, dum alimen- *Secunda.* tum extremitatibus illis superatis in membrorum superficie susc̃ipitur. Eo namque tempore in albam & perspicuam substantiam rori persimilem planè mutatur. Vnde ros seu roridus humor nominatur: quòd tùm roris speciem prę se ferat; tùm re ipsa, veluti ros herbas, vniuersam membrorum superficiem madefaciat & arceat siccitatem. Non ignoro Auicennam & post eum Foroliuiensem Iacobum quæst. 40. in 1. Canonem, & quæst. 32. in artem paruã, & alios quosdam, in ea fuisse sententia, vt crederent minimè necessariam esse semper mutationem hãc primę humiditatis in rorem, sed eo duntaxat tempore, quo corpus, siue motu quopiam vehementi, siue aliam quamuis ob causam, nimium siccatum fuerit & opus habeat humectatione. At illi parum videntur cognitum habuisse certum & cõstantem naturæ modum operandi, in re præsertim tantopere ad sustentandam vitam necessaria. Neque enim credendum est, in aliis functionibus vniuersis eandem semper esse naturam, in hac verò, quæ aliorum omnium fundamentum est, à se ipsa sæpè diuersam. Præsertim cùm meliùs multò & salubriùs appositione cibi & in substantiam nostram mutatione, quàm aut externa roris humorisue perfusione, aut alio quouis modo corpora humectentur. Neque saluberrima hæc operatio retardaretur vnquàm aut interrumperetur illa roris perfusione, nisi prorsus esset in omni nutritione necessaria.

Post hanc verò tertia succedit mutatio: in qua *Tertia.* per eos, qui in corporibus nostris insunt, meatus & poros alimẽtum attrahunt membra; & ita illud

sibi apponunt, vt illis adhæreat, paulóque magis concrescat, densetur, accidentiáq. omnia & qualitates membrorum suscipiat. Cambium hic tertius humor vocatur; quòd in consumptæ atque exhaustæ substátiæ locum reparatur in poris, fiátque in illis cábium quasi quoddá & permutatio.

Quarta. Quarta & vltima mutatio ea est, qua eadem hęc alimenti substantia mẽbro magis adiungitur; fitq. viscosa, tenax, & ad formá naturáq. mẽbri imbuẽdam proximè dispósita. Propterea glutẽ appellatur: tám quòd ipsa omnino tenax sit & glutinosa, tùm quòd firmiùs hæreat, mẽbrisque aglutinetur.

QVATENVS HVMORES HI secundarij tùm à primis, tum inter se differant. CAPVT XVI.

IN singulis hisce permagna quidem certè fit & insignis mutatio; tùm locorum, tum accidentium. Nàm in paruarum venarũ extremitatibus sanguis cõspicitur colore & accidentibus cæteris, quę à iecinore acceperat, mutatus magnoperè. In mẽbrorũ superficie in tenuẽ planè ac pellucidá substátiam trásit. In poris substátia eatlẽ à mẽbris attracta coagulatur membroq. nutriẽdo similis cõcrescit. Ac demũ in mẽbris ipsis aglutinatur prorsus, omniq. ex parte euadit similis. Cæterũ an hę sint mutationes substantiæ, an accidẽtium solũ; quóue modo humores hi tũ à sanguine & primis differant, tùm alter ab altero; id verò non parum disputatur.

1. opinio. Video autẽ cõsentire quidẽ penè omnes, eorũ vnũ ab alterono natura, sed accidentibus differre. Quippe hoc solũ distinguũtur, quòd vnus magis aut minùs est albus aut tenax, quá alius: aliqui eędem sunt accidentiũ formæ, in quibus magis aut minùs certũ est essentiá & speciẽ non mutare. Verũ cõtendũt permulti essentiá illorũ & substátiam à natura & substátia ságuinis primorũve humorũ esse prorsus alienã. Primũ enì mẽbrorũ natura nimiũ est à primorũ illorũ humorũ substátia diuersa neq. potest ab extremo ad extremũ fieri trásitus sine medio: sed intercedat oportet alia quæpiã substátia, quę secundorũ humorũ esse creditur. Deinde secũdarij hi humores qualitatibus omnibus & accidẽtibus, quę substátiæ indicia sunt, planè discrepãt. Ad extremũ ni diuersa esset substátia, posset esse ságuis quispiã crassior, frigidior, & siccior neruo. Humor nãq. ille, quo nutriri os debet, immediatè antequá in ossis substantiá mutetur, illi persimilis est: Itaq. cũ os crassius multò sit, frigidi⁹ & siccius neruo, eadẽ quoq. tũc fuerit sanguinis forma, si ea in humoribus secundis permaneat. Quod absurdum iis videbitur: qui sanguinis & nerui naturam non ignorauerint.

2. Ego verò ne à primis quidem humoribus secũdarios hosce magis, quam accidentibus, separo; quatenus diuersum quempiam colorẽ habẽt, aut maiorẽ minorẽue tenuitatẽ & crassitudinem, aut alia eiusmodi accidẽtia: quæ dum ij ad interitum tendunt, & alimentũ in mẽbra mutatur, non solũ absurdũ est produci, quin potiùs maximè necessariũ. Sic enim non ſtatim, sed per multas dispositiones pluresq. accidentarias mutationes interiectas ab extremo ad extremũ natura commigrat. Et quænam quæso magis videatur tibi esse ab extremo ad extremũ, quàm ignis in aquã, alteriusue assymboli elementi in suũ contrariũ, cũ quo nullius habet qualitatis cõmunionem, mutatio? Ea tamẽ; vt à me alio loco demonstratur, absque vlla interiecta substátiæ mutatione perficitur, solis pugnantibus qualitatibus permutatis. Neq. accidentibus ipsis & qualitatibus tantoperè dixeris humores hosce dissentire, quantũ assymbola elementa pugnãt. Nam eadẽ propemodũ accidẽtia paulò magis alterata omni tẽpore perseuerant. Sanguinem porrò quẽpiam, dum in mutatione vertatur atq. ad interitũ properat, vt os ex eo gignatur, siccioré fieri & frigidioré neruo, me sanè iudice minimè debet incõmodum appellari, & in prima mẽbrorum formatione ita fieri necesse est. Aut respõderi potest, sanguinẽ illũ, vbi ad vltimũ suarũ dispositionũ deductus fuerit, quibus neruo adhuc calidior est & humidior, iis corruptis in os statim mutari, nõ quidẽ frigidissimũ & siccissimũ, sed calidũ adhuc & humidũ, qualia ferè sunt corpusculi recẽs formati ossa, illudq. paulatim tempore procedẽte refrigerari & siccari atque ad perfectam ossis naturã adduci.

Hanc nimirũ Aristotelis & verò etiam Galeni sentẽtiam fuisse nõ dubito. Non enim ij secundarios hosce humores ignorarũt, optiméq. sanguinẽ mutari sensim ac multis modis versari intellexerunt, antequam ad ossis, nerui, aliarũue partiũ substantiã perueniat. Et tamen eorum alter vbiq. sanguinẽ affirmauit vltimũ esse nostrorũ corporum alimentũ: quòd eas omnes mutationes accidentarias esse existimaret. Et cũ non substátia & natura, sed accidẽtibus & qualitatib⁹ humores hosce differre à ságuine iudicaret, cõstanter dixit substantiã ságuinis vltimũ alimentũ prębere, quòd ea partes omnes reficiantur. Alioqui si non sanguinea, sed alia quæpiã substantia immediatè restaurarẽt alimentũ quidẽ cõparatione cæterorũ humorum, at nõ vltimũ, hoc est proximũ, alimentũ sanguis dici posset. Alter verò cũ tã sæpè de humorib⁹ déque tota nutritione scripserit, nihil vnquã de secũdariis hisce humorib⁹ locutus est. Immò ne eos quidẽ fortasse nominauit, quòd illos à primis nequaquam substantia separaret. Nam in iis locis quæ Conciliator commemorat, nihil reperio, quod ad rem prẽsentẽ faciat. Nisi illud sit, quod in 7. Methodi medẽdi c. 6. rorẽ quendã nominat per oẽs corporis partes diffusũ: exilesq. venas subiũgit, in quib. si sanguinis penuria sit, facilè corp⁹ siccatur. Sed nõ est sermo de his humorib⁹ tũ quia cábium & glutẽ nõ prætermisisset, si humores hosce percẽsendos suscepisset. Tũ quia non humorẽ roridũ appellat, sed humiditatẽ aliméti ceu rorẽ per mẽbra sparsum, & sanguinem venis contentum.

Quatuor siccandi modi. Quatuor in modis corpora nostra siccari tradidit. Primũ accidente, hoc est humore qui qualitas est, ab hostili siccitate fugato. Deinde substantia, liquato scilicet adipe, aut cõsũpta carne, partibus humidis, quæ humectãt corpora: Tũ absũpto alimẽto, quo subinde humidiora fiunt, dũ exhaustæ, & siccatæ partes reficiũtur. Vt-n. fames siccat, ita alimentũ & nutritio humectãt. Postremò sãguinis & spiritus inopia. Quippe vterq. dũ per venas & arterias percurrũt, vniuersa mẽbra quasi vniuersũ, hortũ nostrũ irrigãdo humectat. Quòd si ij desint, facilè⁹ multò partes oẽs sicciores euadũt. Quę sanè omnia ad secũdarios hosce humores nihil pertinere quiuis intelligit. Vt omninò tum Arist. tum Galeni sentẽtia credi possit, eos aut à sanguine aut à prioribus quatuor substátia & natura nequaquã esse distinctos. Verùm si hoc modo partes omnes corporis consistunt & sustentantur; de illis iam deque corpore vniuerso dicendum supereſt.



HIERONYMI DANDINI
Cæsenatis, è Societate Iesu.

DE PARTIBVS HOMOGENEIS.

LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO.

QVæcunque ad partium animati corporis cognitionem pertinent, consequentes libri absoluent. Nam cùm generalia illius principia cum cæteris corporibus cõmunia in primo de temperatione libro, quo prima ferè illius ex elementis compositio continetur, tradita sint: Deinde in proximè superiori de humoribus actum sit, qui illius quoque principia quoquo modo, si non primæ constitutionis, totius certè subsequentis conseruationis, iure optimo existimantur: Singulæ partes considerandæ supersunt, quibus ex primis & simplicissimis elementis compositis totum denique corpus coagmentatur. Tum verò eas, quæ ex his componuntur, commemorare oportebit, ac totius corporis descriptionem facere.

Humores vt principia corporis animati

Quæ dum præstitero, simul etiam duplicem illius compositionem explicauero: alteram ex primis illis partibus; quæ ex elementis existuut, quæque cum totæ sint sibi similes, homogeneæ & simplices appellantur: alteram ex illis, quæ ex harum pluribus constant & ideò heterogeneæ nuncupantur.

Duplex corporis compositio.

Quo loco nollem mihi quemquam, siue philosophum, siue medicum indignari; quòd illi fortasse videar medicæ artis partem illam inuadere, quæ nostrorum corporum dissectionem facit, partiúmque singularũ vsum exponit. Non enim probo sententiam illam Galeni, quam in sexto libro de Hippocratis & Platonis decretis cap. 9. pronuntiauit, medicum oportere de corporis instrumentis, philosophum de animæ facultatibus doctrinam suam instituere. Præsertim cùm idem ipse in 2. de anatomicis administratoribus cap. 1. & 2. Corporum consectionem philosopho quoque magnopere vtilem esse affirmauerit. Et in libro de præcognitione ad Posthumum cap. 2. & 5. Boëthum Philosophum prodiderit voluisse ipsum videre partes eas dissecantem, quibus vox & respiratio fiunt; quòd alioquin quomodo fiant intelligi nequeat. Adfuit & dissecanti Galeno Paulus Sergius, & Aristoteli Magnus Alexander: Etenim vt ea, quæ sunt propter operationem & vsum, ex operatione & vsu maximè cognoscuntur: vsusque & operatio ad facultatem, & animam vtentem atque operantem pertinent: & ideò Philosophus, qui de facultatibus & anima disserit, plurimùm etiam potest & debet instrumentorum & corporis totius constructionem explicare. Sic contrà operatio, quæ non nisi per corporis partes & instrumenta fieri potest, intelligi satis & doceri nequit, nisi instrumentorum ratio probè cognita fuerit. Neque igitur de corporis instrumentis accommodatè dicet Medicus animæ facultatibus ignoratis, propter quas fabricata sunt instrumenta; neque de facultatibus philosophus, nisi probè cognita habeat instrumenta, quibus eæ in omni operatione vtuntur. Accedit quòd naturali philosopho non modò de anima eiusque facultatibus; sed de animalibus item agendum est, quę naturalis corporis potissima species sunt. Imò si non agit de anima, nisi quatenus animalium pars est & forma; corpus quoque eandem ob causam explicare eum oportet. Et Galenus ipsemet in decimoseptimo de vsu partium libro an non opus illud à se conscriptum prædicat philosopho, qui totius naturæ scientiam sibi studeat comparare, magis, quàm Medico, vtile esse, eúmque sacris iis initiari oportere. Num fortasse ab eo velit nos cognitionem hãc mendicare, & non medicum potiùs à nobis?

Corporis dissectio.

Aristotelem scimus in libris de animalibus totam hanc partem cumulatè tradidisse; plurimo-

rúmque animalium vel ipsius Galeni in 8. libro de vsu partium & aliis in locis testimonio, dissecuisse corpora, partésque singulorum curiosissimè inspexisse: Immò eum hac de re primum omnium, & docuisse, & scripsisse, auctor est idem Medicus in introductione seu medico cap. 10. & in libro, quem de libris propriis promulgauit ca. 2. tractatum commemorat ab Aristotele multò antè conscriptum. Ac demum Herophilum, etsi Medicum vt naturam tamen scrutaretur, septingentos homines executisse affirmauit Tertullianus in libro de anima cap. 4. Sexcentos fortasse legendum est, hoc est plurimos. Credi enim vix potest septingentos omnino ab eo dissectos.

Duplex dissectionis finis

Itaque hæc mea quidem certè sententia est: corporum dissectionem ad duplicem finem referri posse. Primùm vt singularum partium vsum, situm, corporisque totius compositionem cognoscamus: & quomodo anima in corpore instrumentis eiusmodi vtens operetur, intelligamus. Deinde vt post hanc cognitionem adeptam, singulis, si forte malè habuerint, medicamentis adhibitis subueniamus, easque in integrum statum restituamus. Posterior enim hæc cognitio medici sanè propria est: sed prior illa antecedat oportet, eáque tota Philosophi est, atque hoc loco quàm breuissimè fieri poterit cõprehendenda: homine præsertim animalium omnium perfectissimo, sicut & antea factum est, nobis ad inspiciendũ proposito. Si enim vt in amatoribus iudicauit Plato, cùm de ægrotis aliquid Medicus dixerit, turpe Philosopho est assequi non posse ea, quæ dicuntur à Medico, neque de illis constituere; quantò id veriùs de organici corporis animæque instrumentorum distinctione dici potest.

huic tractationi, in qua de solis animalium corporum partibus disserendum est, minùs accommodata videtur. Posterior autem, quæ Auicennæ fuit, præterquàm quòd veriùs in ea & magis propriè diceretur, humores ex altera ciborum coctione, quàm ex prima eorum permistione gigni; angusta omnino est, nec omnes animalium partes comprehendit. Quippe non solùm Aristoteles primis statim verbis primi libri de animalium historia, & cap. 1. lib. 2. de eorumdem partibus, sed & Medici omnes, & ipsemet Auicenna duo partium genera distinxerunt, solisque simplicibus & homogeneis conuenit Auicennæ illa definitio. Quoniam eæ duntaxat ex prima humorum, vt is cum cæteris medecis definiuit, vel vt Aristoteles, ex prima elementorum permistione nascuntur. Quæ verò compositæ sunt atque heterogeneæ appellantur, non ex humoribus aut elementis gignuntur, sed ex illis ipsis immediatè coagmentantur; figura quapiam accedente, numero; & accidentaria dispositione. Nisi fortasse eam ob causam ita libuerit Auicennæ definire, quod heterogenearum quoque partium natura cùm nil aliud sit, quàm homogenearum plurium simul coniunctarum substantia, tota est ex humoribus aut elementis hausta. Eam tamen æquum erat definitionem adferre, quæ duo hæc partium genera, quatenus diuersa sunt & inter se distincta, comprehenderet.

Eodémque vitio dixeris laborare huic persimilem illam definiendi formam Conciliatoris differentia 38. partem esse corpus solidum, & spissum, ex humoribus genitum, naturæ viribus insignitum: tametsi mirificè probata fuerit Valeriolæ in libro locorum communium medicinæ cap. 12. *Conciliatoris.*

Melius omnino est partem definire esse corpus toti cohærens, communique vitæ coniunctum, atque ad illius functionem & vsum comparatum. Cùm enim partem oporteat componere totum, necesse est tùm corporis partem esse corpus, tùm cohærere cum illo & quantitate coniunctam esse, communique totius forma, hoc est anima formari, vitáque frui & sustentari. Ac demum quoniam anima complurium operationum principium est, nec nisi organici atque ad operandum optimè comparati corporis actus existit: quælibet illius pars ad operationem quoque aliquam referatur oportet; siuè ea per se operetur, siuè alterius partis operationem famuletur. Ita nimirum tum homogeneas, tum heterogeneas partes comprehendimus. Nam illud ipsum, quòd heterogeneis solis, quæ officiales proptrea & organicæ seu instrumentariæ appellantur, conuenire fortasse quispiam existimauerit, vt ad vitæ & ad sensus functiones comparatæ sint: homogeneis item quoquomodo commune esse, testantur illa Aristotelis verba in 2. libro de partibus cap. 2. quibus eas dixit partim ad essentiam, partim ad actionem conducere. Ad essentiam quidem conducunt, quatenus ex illis officiales partes componuntur & vniuersum corpus coalescit. Ad actionem autem; quoniam nec manus, nec pes, nec vlla prorsus heterogenea pars sine ossibus, neruis, carnibus, & huiusmodi partibus cæteris sentit, mouetur, aut operatur quidquam. *Auctoris.*

QVID SIT PARS.

CAPVT. I.

Galeni definitio.

PRimùm autem ponere oportet quid nomen partis significet. Nam minùs benè à medicorum principibus Galeno & Auicenna definitum fuisse videtur. Alter in ipso initio præclari sanè illius operis, quod de vsu partium edidit, partem corporis eam esse posuit, quæ nec vndequaque est cum aliis coniuncta, nec omnino ab illis separata, seorsim & per se ita cohærens, vt propriam habeat circunscriptionem: sed aliqua ex parte cum aliis & cum toto copulata est, ex alia proprio finita termino. Quod idem verbis aliis expressit in primo libro de Methodo medendi cap. 5. quidquid inquiens totum complet atque integrat, id totius videlicet corporis, quod complet particula siue pars nominatur.

Auicenna.

Alter autem in prima fen. primi Can. doctr. 5. cap. prim. partem definiuit esse corpus, quod ex prima humorum permistione gignitur, quemadmodum humores corpora sunt ex prima ciborum permistione procreata, & cibi ex prima elementorum temperatione existunt.

Sed prior Galeni definitio, etsi generalem & vniuersam cuiuscunque partis notionem optimè sanè ostendat; nimis tamen latè patet, nostræque

Pars, instrumenta, & membrum quid differant.

Tria igitur hæc nomina magnoperè distinguenda sunt, pars, instrumentum, & membrum. Pars per ordinem ad totum nominatur, túmque homogeneas omnes, tum heterogeneas, comprehendit; quòd ambæ corpus totum constituant & componant, communíque fruantur vita: sed & ambæ ad agendum conferunt. Instrumentum ad actionem refertur, eámque partem significat, quæ perfectam aliquam & integram operationem edit. Quod & omnes heterogeneæ faciunt; vt oculus visionem, manus prehensionem, crus progressionem: & ex homogeneis aliquæ, arteria pulsum, vena sanguinis distributionem. Vt enim corpus vniuersum animæ instrumentum est, ita singulæ partes, quæ propriam aliquam actionem habent, instrumenta illius appellantur. Aliæ, partes sanè, at non instrumenta dicuntur: quòd nullam per se actionem propriam habeant; vt oculi, tunicæ atque humores. Itaque peccant non leuiter illi, qui homogeneæ & similari parti instrumentariam opponunt: quasi nulla pars homogenea & similaris instrumentaria foret. Verùm vt simplici compositam dicimus aduersari, sic homogeneæ heterogeneam, similari dissimilarem, instrumentariæ non instrumentariam sapienter opponemus.

Heterogeneæ partes instrumẽtarie.

Nec tamen heterogeneas negabimus κατ' ἐξοχὴν instrumentarias iure optimo appellari: tum quod propriam omnes operationem habeant: tum quod figuræ concinnitas, magnitudo, numerus, & situs (quæ quátuor instrumẽti naturam perficiunt) in illis, quàm in homogeneis, magis eluceant: quod & Aristoteles adnotauit in 4. Meteororum lib. cap. 12. In omni tamen heterogenea parte pars est quæpiam homogenea, vt pluribus in locis confirmauit Galenus, quæ princeps sit actionis causa, velut in oculo cristallinus humor, in musculo neruus; reliquæ illi potiùs vsum præstant. Et tres quidem partium diuisiones tantundem valent solíque vocibus differunt: sed postrema à prioribus omnibus diuersa est. Siquidem instrumentariæ sunt, tùm compositæ omnes, heterogeneæ & dissimilares; tum simplices quædam, homogeneæ & similares.

Quadruplex instrumentorum ordo.

Denique membrum quoque operationem maximè respicit. Sed non nisi de heterogeneis partibus propriè dicitur: quòd eæ præcipua sint & maximè nota operandi instrumenta. Quorum quadruplex ordo est: primus ex solis similaribus constat, vt musculus: alter ex primis coalescit, vt digitus: tertius ex secundis, vt manus: quartus ex tertiis, vt brachium.

DE MVLTIPLICI VSV, MVtuoque partium consensu.

CAP. II.

HAc posita generali partis notione antéque ad specialem & singularum propriam considerationem accedam, vniuersè quædam de omnibus dicere constitui ex quibus vniuscuiusque vis & natura propria planior post euadat.

Nulla pars otiosa.

Primum autem illud esto. Nihil temerè aut frustrà, non dicam in nostris corporibus, sed ne in iis quidem, quæ vilissimorum sunt animalium, factum fuisse: nullam vel minimam particulam superuacaneam esse aut otiosam: sed omnes aut summoperè necessarias, aut plurimùm certè vtiles & fructuosas. Summóque omninò consilio & incredibili arte ac prouidentia vniuersam hanc fabricam & illius partem vnamquamque constare. Quod cùm optimè intellexisset Galenus; non semel, sed sæpissimè ex tàm admirabili opere summam ostendit opificis Dei sapientiam ad excogitandum, potestatémque ad perficiendum cognosci planè ac demonstrari. Vt reliqua nunc taceam; admirabile prorsus est illud, quod in libro de fœtuum formatione cap. 6. hic idem auctor colligit. Cùm musculus vnusquisque aut os decem vsus & fines habeat, sintque musculi in hominis corpore plures multò, quàm sexcenti; & ossa plura, quàm quadringenta; vel solos musculos vltrà sex mille, & ossa multò plures, quàm quater mille, vsus ac fines habere. Quibus si reliquarum particularum proprios vsus adiungas, non in myriadas, sed in chiliadas facilè deduces numerum.

Multiplex vsus.

Hoc autem loco vniuersè solùm dici potest, harum partium vsum aut ad agendum esse, aut ad patiendum & recipiendum. Corde namque aut iecinore tanquam principio nutritionis agente vtitur natura; eámq. ab hoc principio reliquę omnes partes suscipiunt. Cor caloris principium est & pulsus, qui ad reliqua omnia membra deriuantur. Ac rursum quasdam esse partes in functione quapiam præcipuas, alias veluti administras & melioribus famulantes. Præcipuæ sunt ad pulsandum, nutriendum, sentiendum, & procreandum; cor, iecur, cerebrum, testes. Famulantur arteriæ, venæ, & nerui, quibus sanguis, spiritus, & semen comportantur. Tum verò quarumdam vsum generalem esse aliisque omnibus vtilem ac necessarium, vt earum, quas modò commemoraui, arteriarum, venarũ, neruorum: aliarum specialem & proprium; vt oculi, auris, narium. Nonnullas item factas fuisse & fabricatas, vt potiores alias tuerentur & conseruarent, vt thoracem propter cor, cranium propter cerebrum, peritonæum & omentum propter ventriculum & intestina, palpebras propter oculos, cutẽ propter corpus vniuersum. Alias demum aut ad replẽdas inanitates, vt carnem permultã, aut ad recipiendos humores, vt vesicam vtramque, lienem, renes, & glandulas: aut ad ornatum corporis superfluitatúmque consumptionem; vt pilos, supercilia, & id genus alia; quæ tamen propriæ partes non sunt.

Partium cõsensus.

Alterum autem; inter hasce omnes partes maximum prorsus & vbique consensum esse: tum ad constituendum & conseruãdum totum, illiusque bonum, & incolumitatem procurandam: tum vt sibi vicissim præstent operas & mutuis quasi auxiliis stent. Omnes namque sibi vicissim compatiuntur, & vna alterius affectionem sentit: aut quòd propinquæ sint; aut quòd per conceptacula & neruos inter se colligatæ. Oculorum musculi affectiones cerebri per sentiũt, cerebrũ septo transuerso atque ori ventriculi cæterisque omnibus neruosis membris consentit. In vnam etiam & eandem operationem omnes conspirant: maiores quidem, vt manus, pes, oculus, in operationem totius animalis: minores verò, ex quibus eæ constant, in actiones illarum proprias; vt caro, os, neruus, in apprehensionem manus, & incessum pedis, partesque oculi in visionem totius organi. Quare cùm in libro de medici seu chirurgi officina dixisset Hippocrates bonam digitorum habitudinem esse, si magnus indici opponatur & magnum inter eos sit interuallum; causam Galenus exposuit in 1. de vsu partium lib. cap. 9. quoniam partes omnes consentire sibi oportet, suasque functiones vicissim iuuare; ita verò consentiunt optimè ad apprehensionem, quæ manus & digitorum est functio. Ac tandem quantitate quoque & qualitate sibi respondent. Quippe ventris corpulentia aut gracilitas, eadem ferè est, quæ faciei; crura brachiis similia sunt, quibusque cubiti breues, iis femora item parua esse solent; & quibus pes breuis, manus exigua. Ex quibus omnibus præclara constat animalis corporis fabrica, opificisque sapientia admirabilis.

A

B

C

D

E

SEMEN, ET LAC PARTES corporis animatas non esse.

CAP. III.

QVi verò certa ratione ac methodo de singulis partibus dicturus est, naturam in illarum procreatione sequi debet. Vt quemadmodum ea, siue ex elementis, siue ex humoribus, duo partium genera, homogeneas primùm; deinde heterogeneas producit: ita is tractationem vniuersam ad hæc duo summa capita reuocet; primúmq. de similaribus, tum de dissimilaribus dicat. Vniuersè autem de similaribus nil aliud occurrit, præter generalem illius notionem, qua illarum partem quamlibet intelligimus eandem cum toto naturam, & appellationem habere. Noster igitur labor in singularum explicatione futurus est. Ac primùm earum numerum colligere oportet atque ob oculos nobis ponere; vt de quibus dicendum sit intelligatur.

Partium triplex genus.

Aristoteles sanè in 2. de partibus animalium lib. cap. 2. tria commemorauit earum genera. Vnum illarum ex quibus proximè coalescunt dissimilaria membra, vt caro, os, neruus. Alterum earum, quæ illis nutrimentum præbent, vt sanguis. Tertium excrementorum. Sed manifestum est, eum partis vocem ampliori acceptione vsurpasse, vt ea omnia comprehenderet, quæ in nostris corporibus continentur. Alioqui si pars, vt antea definitum est, ea sola propriè nominatur, quæ communi fruitur vita; duo posteriora genera excludẽda sunt. Sanguinẽ enim, spiritum, & humores cæteros, nec animatos esse, nec corporis partes; is qui hunc antecessit liber, planè demonstrauit. Multò minùs sunt excrementa prorsus inutilia, fæces, vrina, sudor, sanies. De vtilibus, semine & lacte, ac de quibusdam, quæ ex materia excrementosa fiunt, vt pili, vngues, dentes, cornua; ac demum de medulla & adipe magis posset dubitari.

Semen animatum non esse nec corporis partem.

Semen enim non defuerunt qui animatum dicerent. Sed ij videre potuissent quid ab Aristotele fuerit definitum in primo libro de animalium ortu cap. 18. & 19. & in 2. libro cap. 1. & 3. Quoniam in altero non partem, sed excrementum: in altero, vt in 2. quoque libro de anima text. 10. non animatum actu, sed potestate esse dixit: quatenus ex illo animatus fœtus fieri potest. Verissimum enim illud est, quod in 1. Physicorum lib. positum est, mutationem omnem à priuatione ad habitum progredi: & in text. 76. si procreandum animal sit, ex non animali procreandum esse. quare si ex semine animatum quidpiam gigni debet, necesse est illud anima priuatum sit. Anima item organici corporis actus est, vt in 2. lib. de anima demonstratur, non homogenei, nisi quatenus ex ipso heterogeneum & organicum corpus componitur. At semen homogeneum totum est, vt non solùm idem philosophus tradidit, sed in 2. quoque lib. de semine confirmauit Galenus. Tantúmque abest, vt ex illo corpus organicum componatur, vt ab eo proiiciatur potiùs & secernatur. Neque vllum certum habet situm in corpore, sed propriis cõtinetur vasis à toto corpore separatum, quemadmodum sanguis & spiritus, ex quibus non animatis nec partibus corporis tota seminis substantia constat. Secernitur autem & separatur ab animali absque vlla illius læsione: nec idcircò mancum est aut vlla parte mutilatum, quòd semen emiserit. Immò meliùs perfæpè habet, & magnoperè leuatur, vt Aristoteles in primo de animaliũ ortu cap. 18. & libro 2. cap. 4. affirmauit. Neque pueri, spadones, decrepiti & fœminæ, quibus deesse semen idem ipse philosophus prodidit in eodem cap. 18. & problemat. 16. & 34. sect. 11. vlla corporis parte carere existimantur.

Neque lac.

De lacte eadem prorsus argumenta proponi possunt. Quoniam nil aliud est, quàm sanguinis quædam pars magis cocta, & vt est in 4. libro de animalium ortu cap. 16. excrementum quoddam eiusdem prorsus naturæ cum semine menstruóque sanguine: siquidem eandem oportet esse materiam, ex qua gignitur, móxque genitus alitur & educatur fœtus. Deinde non omnibus adest animalibus, sed solis fœminis; iisque duntaxat, quæ fœtum intra se gignunt. Nec omni ætate & tẽpore. Neque eum reliquo corpore coniunctum est: & facilè atque sine læsione aut mutilatione separatur. Nimirùm non tanquam corporis pars, sed velut infantium alimentum à natura prouisum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

NEQVE ITEM PILOS, VNgues, dentes, cornua.

CAPVT IIII.

Prima opinio. DE pilis tàm magnificè senserunt aliqui, vt animatos eos esse corporisque partes dicere non dubitarent. Eam potissimùm ob causam, quòd nõ minùs, quàm cæteræ partes, in corporibus nostris augeantur. Idémque de vnguibus, dentibus, & cornibus pronuntiarunt. Augentur enim hæc omnia non longitudine modò, sed latitudine & altitudine; & procedente ætate maiora, & crassiora euadunt. Non in immensum tamen; sed vt reliquæ partes, ad definitam magnitudinem. Sanè de vnguibus visus est ita sentire Galenus in primo de vsupart. lib. cap. 7. & 11. cùm eos inter partes digitum componentes ob proprium & necessarium vsum commemorauit: & in 2. de Anatom. administrationibus cap. vltim. eos inquiés vitam & sensum, vt cæteras partes habere.

Ego verò quomodo hæc inter partes numerari possint non video. Nascuntur enim sine pilis animalia multa, eosque vbi adepta fuerint, deponunt interdum, aut abscindunt persæpè, sine vllo doloris sensu: nec imperfecta aut læsa animalia censentur propterea. Alia contra magis abundant illis, quàm alia; neque idcircò perfectiora iudicantur. Déque vnguibus, dentibus, & cornibus idem licet affirmare.

De pilorum & vnguium accretione. Nam quòd ex eorum accretione petitur argumentum, contrà, quàm aduersarij putent, prorsus conficiet. Non enim augentur naturaliter vt partes cæteræ, quæ ex vtili & optimo alimento attracto atque intus adacto, tùm nutriũtur abundè, tum in maiorem quantitatem excrescunt. Sed ex inutili planè, & reiectanea materia ad radices appositæ extenduntur in longum. Aut si crassiores interdum fiant, id tum ex maiori pororum & meatuum, quibus foras erumpunt, amplitudine: tum ex copiosiori, sicciori, adustiori, & crassiori accedente materia euenit. Certè vbi tota virtus augendi adeò debilitata est & fracta, vt nullę ampliùs partes augeantur; & in extrema quoque senectute decrepitáque ætate, cùm vniuersum corpus decrescit singulæque partes minuuntur; nihilominùs crescunt pili; & vngues fœliciùs multò, quàm antea. In ægrotis quoque, ethicis, tabidis, dum partes omnes extenuantur, nequaquam extenuantur illi, sed magis, quàm in sanis, augentur. Quoniam vt in 2. de animalium ortu lib. cap. 4. Aristoteles explicauit, inutilis & superflua materia sit plurima, cùm minùs propter senium aut morbum in partes præcipuas consumatur. Deniq. in mortuis, in quibus nulla est vita, nulla anima, quæ singulare est augescendi principium & causa, visuntur adhuc augeri; vt idem ille Philosophus scriptum reliquit in 3. de historia cap. 11. Nam vt antea à colore animæ, ità tunc ab eo, qui est ambientis, dum corpus putrescit, excremẽtitia materia præparata foras pellitur.

Galenũ autẽ (si modò id sensit, quod prima facie sensisse videtur) propriis ipsius armis licet cõfundere. Nam de vnguibus differens in 1. lib. de vsu partium cap. 11. duo affirmauit. Alterum, eos non augeri, vt alias partes, in longum, latum, & profundum: sed pilorum modo, in longum solum, subnascentibus semper vnguibus nouis antiquosque propellentibus. Alterum, propterea instituisse naturam, vt hæc corporis pars per omnem vitam augeretur, etsi reliquũ corpus augeri desiisset: quòd eius extremitates scalpendo vel aliud quid agendo exteri nobis debeant. Quorum alterum omninò offendit nec vngues nec pilos vera & propria accretione augeri. Tum quòd nõ ad omnem dimensionem, tum quòd non intus susceptо aliméto, sed externa additione materiæ augeãtur. Alterum autem si verum sit, ex eo ipso concluditur, nec vngues, nec dentes, nec cornua, animatas partes esse. Quippe nulla animata pars vsu consumitur. Neque alia est causa, cur pedum cutis infima nunquàm exteratur & cõsumatur iis, qui nudis pedibus incedũt: calceorum autem soleæ non multo durét tempore. Nisi quòd illa est animata, vitámque cùm habeat, fouetur semper & conseruatur, & si quid detrimenti patiatur, statim resarcitur: hæ vero anima omni & vita destitutæ nequeunt renouari. Si vngues igitur, dentes, & cornua exteruntur vsu, animatæ partes non sunt.

Pedum cutis cur nunquam consumatur.

Propria quædam est in dentibus difficultas. Propterea quòd magnoperè interdum dolent, doloríque sensum nihil habere potest, quod animatum non sit. At is dolor (etsi secùs Galenus sensit in lib. de ossibus cap. 5. & lib. 16. de vsu partiũ cap. 2. & 3. & lib. 4. de Anatom. admin. cap. 3. aliique post eum) non est dentium, sed neruorum, qui in gingiuis dispersi sunt, dum in eos è superioribus partibus defluit pituita. Propterea euulso dente mitigatur dolor, quòd defluens & inimicus humor euaporet aperto aditu, quo exhalare & consumi possit.

Dentiũ dolor.

NEQVE MEDVLLAM, aut adipem.

CAPVT V.

DE medulla porrò exstat aperta Philosophi sententia in 2. de partib. lib. cap. 6. cùm eam definiuit esse alimenti sanguinei, quod in ossa distribuatur, coctum excremẽtum. Siuè enim alimentum ossium appelles, siuè excremẽtum, & residuum illius sanguinis, quo corpus vescitur vniuersum, nec anima communique vita frui potest, nec pars corporis nominari. Atque ex iis, quæ iam dicta sunt, vtrumque manifestum est: & Aristoteles naturam sanguinis eam habere tradidit.

De medulla.

Sed alterum illud medullæ genus, quod spina dorsi continetur, naturam habere ab hac prorsus diuersam: ipsemet eodem in loco subiunxit. Atq. accuratè magis hũc locũ posteriores medici pertractarunt. Etenim secus omnino de ea, quàm de illa, quæ in plerisque aliis ossibus inest, iudicari debet. Nam priorem illam impropriè, & vt in 2. I. colliget cap. 3. & 8. inquit Auerroes, homonimè medullam appellamus: non quòd medullæ substantiam habeat, sed quod ossibus, quemadmodum medulla, contineatur. Sic enim cerebrum quoq. ipsum à quibusdam appellatum fuisse medullam apud Aristotelem legimus in cap. 7. eiusdem lib. & Galenum in 3. de alimentorum facul-

De spina medulla.

Medulla quid.

tatibus cap. 10. inter quos Platonem memorat in 8. de vsu part. cap. 4. substantia autem cerebri est, quæ cerebri. Nam & cum eo coniuncta est, velut quædam illius propago; & duplici illius membrana continetur; & plurimorum subinde, velut alterum cerebrum; per singulas spinæ vertebras neruorum origo est: quod nullo modo fieret, nisi & animata esset, & corporis pars, & eiusdem substantiæ cum cerebro. Solo igitur accidente differt; quòd durior sit, in inferioribus præsertim partibus. Vt enim posterior cerebri pars anteriore durior est, ità quò longiùs ab eo recedit, durescit magis. Cùm contrà ea, quæ in cæteris ossibus propriè existit, medulla, mollior multò sit, humidior, & pinguior cerebro, velut sanguineæ potiùs substantiæ, cuius expers est cerebrum. Ità fit, vt dum altera ossibus, quibus inest, alimentum præbet; altera nequaquàm spinæ ossa sustentet; sed eandem potiùs ipsa cum cerebro alitionis formam retineat, hoc est sanguine tenuissimis venis per vertebras spinę singulorumque spondylorum commissuras adducto per omnem vitam nutriatur: altera corporis pars sit animata; altera non pars, sed alimentum ossium inanime vitáque omni priuatum.

De adipe. Postremò de adipe nullus, quod sciam, dubitauit. Tum quia nulla ex parte proprium habet terminum & circumscriptionem, vt cæteræ omnes partes. Tum quia in prima partium delineatione fœtusque formatione adeps non apparet, sed post accedit: nilque aliud est, quàm pinguior & tenuior sanguis ex venis exudans, paulóque magis coctus atque à frigore densatus; vt in 2. lib. de temperamentis diligenter Galenus exposuit. Maior enim carnosarum partium calor densationem prohibet: & ideò circa eas nunquam adnascitur adeps. *Adeps nuda.* Membranosæ verò frigidiores, hoc est minùs calidæ, oleosam illam sanguinis substantiam faciliùs in adipem cogunt: vt in vasorum operculis adhuc calentibus vapor gutescit; & partium omnium euaporationes in cerebro concrescunt. Quam ob causam frigidæ temperationis indicium esse adeps existimatur: nec solùm quòd concrescat frigore, sed etiam quòd cùm sit sanguis concretus, vbi adipis multum sit, parum erit sanguinis reliqui; ideóque caloris parum. Et vterque quidem ren pinguescit plurimùm, minùs tamen dexter, quòd propinqui iecoris calor sanguinis coagulationem impediat. Túmque eos citò senescere animaduertimus, qui multum pinguerint: quoniam cùm parum habeant sanguinis, magna eius parte consumpta, ad interitum sunt oportuniora; quòd facilè refrigerentur aut à calore penitùs absumantur. Tum verò obæsa omnia sterilia esse obseruantur: quippe sanguis ille, qui seminis materia futurus erat, mutatur in adipem, parúmque aut nihil semini supereſt. Denique sensu cum carere hoc argumento probauit Philosophus in cap. 5. libri mox citati; quoniam sanguis omni sensu priuatus est. Si enim sanguis in venis præ calidus animam non habet, neque pars est; cur sit idem ipse extrà venas concretus frigore? Accedit, quòd si quando sanguis, & necessarium alimentum corpori desit, eo libenter vniuersæ partes reficiuntur: & ideò macrescunt & extenuantur corpora. Nec tamen vlla pars potest alteri alimentum esse, in aliámue mutari. Quod si Galenus in commentario ad lib. Hippocratis de natura hominis, inter partes nominauit; ampliore vsus est partis acceptione; qua interdum significat quidquid totum complet: non præstiore illa, qua partem dicimus eam solam, quæ communi fruitur vita, propriamque in corpore circumscriptionem habet.

Idem verò de pinguedine & seuo intelligat, Pinguedinem enim etsi aliqui ab adipe ità distinxerint, vt extremitatibus musculorum membraneisque partibus ac neruosis adeps adhæreat, pinguedóque cute & carne intercludatur: Philosophus tamen tum loco notato, tum in cap. 17. libri 3. de historia, non distinxit, sæpéque pro eodem nominauit; & adipem quoque inter cutem & carnem considerauit. *Pinguedo & seuum.* Seuum magis diuersum est; quòd & magis crassum ac terreum, aptumque magis concrescere, & in animalibus altera tantùm parte dentatis & cornigeris sit.

DE CVTE.

CAPVT VI.

HAbis ex partium albo expunctis, illæ omnino supererunt Homogeneæ partes; cutis, membrana, caro, os, cartilago, vinculum, tendo, vena, arteria, neruus. Et his Heterogenearum omnium tum substantia constat, tum perficitur operatio. Déque illis dicendum est, vt totius corporis substantia & operandi ratio intelligatur.

Cutis & cuticula vt differant. Cutis extrema omnium pars est, veluti quoddam velamentum & naturalis atque insitus animalis amictus A Græcis δέρμα, hoc est corium dicitur. Alia enim est supra illam à Græcis ἐπιδερμὶς, à nobis summa cutis seu cuticula nominata, cæparum pelliculis persimilis. Sed hæc omni sensu & vita caret: neque corporis pars per se in primo ortu ex semine potissimum genita, vt vera & germana cutis: sed velut illius efflorescentia, ex siccatis illius sordibus circa eam post concrescens, tùm vt tegumentum, tum nequa omnino corporis pars nuda sit & iniuriis prorsus exposita, tum vt ornamentum cutis alioqui asperæ & inæqualis. Hanc sæpè mutari cernimus à subiecta cute absque dolore diuulsam siuè attritu, siuè in scabie, siuè in vulneribus, aut igne admoto, aut feruentis aquæ infusione, aut ex intinere longo nimiouè calore, aliisque modis non paucis. Cutis autem vera eadem semper est, vt partes cæteræ. Totaque continua vniuersum corpus complectitur; nisi vbi aut propter sensus, aut ad sumendum cibum excrementauè secernenda perforatam eam esse oportuit: vt in ore oculis, naribus, auribus, genitali, & podice. Vbique etiam porosa est; vt & perspiret calor, & sudores fuligineæque superfluitates excludantur.

Cutis vsus. Nullam operationem exercet, sed vsus tantùm gratia facta est. Non enim cibi coctionem facit, nec sanguinis generationem, pulsumue, aut respirationem, nec voluntarium motum.

Sed

Sed operantibus omnibus partibus appoſita eſt extrema; tùm adornatum: quippe in cuti delineatio conſiſtit, figura, & color. Horrendum enim eſſet ſpectaculum excoriatum & detectum corpus intueri. Tùm vt eſſet terminus totius corporis; quod nequaquam poterat in immenſum progredi. Tùm vt corpus plurimarum partium ſtructura cõſtans quoquo modo vnum vno complexu efficeret. Cutis enim, inquit Hippocrates in li. de oſſium natura, omniũ exhibet colligationem. Tùm verò potiſſimùm vt velut reliquarũ partium tegumentum foret: vt & omnes foueret & conſeruaret, atque ab externis omnibus inuiciis tueretur; quibus affici lædique maximè plurimis modis animal potuiſſet, ſi cutim non haberet.

Humana cutis temperatiſſima & tenuiſſima.

Quam ob cauſam in homine præſertim optimè fuit qualitatibus omnibus temperata & quantum fieri potuit ad mediocritatem redacta: vt ſtatim noxium quemuis exceſſum, perſentiret. Ac præſertim in interiori manu extremiſque digitis, quibus maximè ad tangendum vtimur. In animalibus cæteris, in quibus minùs eſt temperata, durior facta eſt, craſſior, ſiccior, & omninò ad reſiſtendum aptior. In teſtaceis, duriſſima, immò veluti os. In ſanguine præditis mollior; ſed in homine maximè, tum mollis, tum tenuis, leuis, rara, & perſpicua; vt in 3. de animalium hiſtoria lib. cap. 2. & 5. de eorumdem ortu cap. 2. adnotauit philoſophus. Et in cap. 5. propterea à ſole aut à flatu homini potiùs, quàm animalibus cæteris, cutem propter ſuam imbecillitatem mutari dixit, nigriorémque fieri. Et rurſum in 5. Probl. ſect. 10. cùm quæreret, cur homo ſolus vitiligini obnoxius ſit; eam reſpondit eſſe cauſam; quòd tenuiſſimam is ex omnibus animalibus cutem habeat. Perſarum Regem quendam legimus vt ex Oribaſio refert Conciliator differ. 43. ex humana cute feneſtras ſibi paraſſe; propter miram ſcilicet tenuitatem ac perſpicuitatem. Quámque non eſt vbique eadem. Sed in ſummo capite, & imò pede durior multò & craſſior. Quoniam cùm extrema periculis plurimùm ſint obnoxia, illis præſertim natura prouidit. Hanc ob cauſam capitis pilos craſſiſſimos eſſe voluit philoſophus in cap. 3. lib. 5. de animalium procreatione. Siquidem pili oriuntur ex cute, illiúſque naturam imitantur. In reliquo corpore mollior & tenuior; In pudendo; ſcroto & facie tenuiſſima & delicatiſſima, vixque ſeparatur à carne. Etſi cur ægrè ſeparetur in facie, alia quoque eſt ratio cum ea communis, quę in internis manibus, pedibuſque infernis & aliis quibuſdam partibus continetur: nimirum propter tendones & muſculos illi inſertos.

Ex humana cute feneſtra parata.

Cutis à partibus cæteris diuerſa.

Quoniam tamen in reliquis partibus facillimè auellitur; (& ideò vt in 2. de vſu partium lib. cap. 6. auctor Galenus eſt, ἀφῦαι dicitur; quia ἀφιᾶσι, hoc eſt excoriari poteſt) quorumdam error conuincitur, qui eam putarunt non eſſe partem à carne & neruo diuerſam, ſed velut carnis & neruorum coalternationem quandam in extremo corpore conſiſtere. Si enim ità eſſet, ſeparari nequaquam poſſet. Nec inter eam & carnem intercederet quidquam, ſicut panniculus carnoſus intercedit, qui & à cuti & à carne nullo negotio ſeparatur in homine, ſue, & aliis quibuſdam animalibus. Et quoniam ea eſt medicorum, quorumdam opinio videant illi Galenum in 2. de Anatom. admin. cap. vltim. vbi de vnguibus aduerſus Eraſiſtratum diſputat, eos nequaquam ex oſſis, nerui, & cutis; aut etiam carnis concretione procreari; hocque argumento demonſtrat; quoniam ſingulæ partes ſimilares ex materia, quæ animanti ſubiecta eſt, tales finguntur à natura, quales ſunt; neque vna fit ex alia, aut ex aliis: ſed hoc diſſimilarium partium proprium eſt. Quare ſi cutis pars ſimilaris exiſtit, nequaquam ex carnis & neruorum coalternatione exiſtit; verùm ex eadem materia primum formatur, ex qua cæteræ omnes partes ortum trahunt. Eſt igitur pars, quæ propriam & peculiarem ſibi naturam habeat: tametſi venarum, arteriarum, & neruorum fibris, quas ob nutritionem, calorem, & ſenſum accipit; leuiter cum toto reliquo corpore cohæreat.

Mediam quodammodo eſſe inter carnem & neruum verè Galenus in extremo prim. de temperamentis lib. pronuntiauit. Neque enim ſicca eſt vt neruus, neque humida vt caro: non planè exanguis vt ille, neque vt hæc omninò abundans ſanguine. Non ignoro tamen in 29. Problem. eiuſdem ſect. paulò antè commemoratæ ſcriptum fuiſſe, hominis cutem velut affectum carnis exultare; immò nil aliud eſſe, quàm carnem. Sed ex eo loco nil aliud concludes, quàm tenuiorem eſſe humanam quàm aliorum animalium cutem. Nam cùm quæſiuiſſet philoſophus, cur equis, & aſinis è cicatricibus quoque naſcantur pili qui homini naſci non poſſunt: cauſam eſſe reſpondit diuerſam in homine & animalibus cæteris cutis naturam. Quippe in cæteris cùm ſit craſſior, eſt velut pars carnis, quæ facilè per ſe conſiderari poteſt: at in homine adeò exiſtit tenuis, vt affectus potiùs quidam, & paſſio, & quaſi terminus illius eſſe videatur, qui extremitate refrigerata ſolidior paulò conſtiterit; velut in pulte cruſtula. Quarè vix cuti vulnus infligitur, quin carni quoque infligatur. Sed vt vt ſit, poſt vulnus inflictum vt caro, aut coaleſcens aut certè excoriata denſatur magis & dureſcit, quàm antea, ità & cutis: poriſque & meatibus obſtructis prodire nequeunt pili. At in equis, aſinis & ſimilibus beſtiis, quibus craſſior eſt cutis, non denſatur tantopere, ſed coaleſcens priſtinam prorſus conditionem retinet; piliſque non minùs quàm antea patet aditus. Sed ij naſcuntur albi, quod pars illa cutis imbecillior exiſtat. Eſt enim albedo velut pili morbus & ægritudo. Fortaſſe etiam Ariſtoteles non vbique carnem propriè nominauit: ſed ex communi interdum & peruulgato loquendi modo, tum cutem, tum carnem propriè & ſpeciatim dictam: quemadmodum de illa quoque diſputatione credi poteſt, qua in 2. lib. de Anima carnem oſtendit non eſſe organum, ſed medium tactus. Non enim temerè dixeris cutem, quæ tactilibus obiectis prima occurrit, nomine carnis ſignificatam fuiſſe. Multò verò id faciliùs ſuſpicaberis de hoc problematum loco, in quibus multa minùs accuratè & ad vulgarem ac communem ſenſum accommodatè dicuntur. Atque de his quidem hactenus.

Cur ex cicatricibus non naſcatur pilus.

Iam vt huic cutis cõſiderationi finẽ imponã: illius rei cauſã ſubiiciam, quam permulti mirãtur.

Cutis frontis cur mobilis.

Qui fiat, vt cutis, quæ per se in toto corpore nostro immobilis est, in fronte potissimùm moueatur, possitque tum contrahi, tum extendi, tum sursum ac deorsum adduci. Existimo namque verissimum esse id, quod initio posui; cutem nullam omninò operationem exercere, neque arbitrarij motus per se vllibi participem esse. Sed si mouetur, mouetur ex accidenti, huc illúcque à subiacentibus musculis adducta. In fronte autem potissimùm videtur mobilis: quoniam in reliquo corpore motus ferè omnis artuum est, & musculi ità ossibus inseruntur, vt vbique cuiuspiam ossis inflexio aut extensio aut alius motus conspiciatur. At in fronte cùm cranium persistat immobile, musculi circumiecti dum suo funguntur munere, cutem quoque secum trahunt. Sicut etiam in ventre, dum abdominis musculi mouent, cutis ipsa mouetur. Sed in fronte eo magis, quò magis est cum subiectis musculis implicita.

A

B

DE MEMBRANA.

CAPVT VII.

Membranæ natura & vsus.

RErtenui cuti & spissæ persimilis membrana est, & eundem propemodum habet vsum. Non solùm enim cuti per vniuersum corpus subdita est, licet in quibusdam partibus, carnosis oppleta fibris, & propterea carnosa vocatur, & in collo quoque & fronte musculosa. Sed etiam quod est cutis corpori vniuerso, hoc est partibus singulis membrana. Illa velut amictus totius corporis, hæc singularum partium, tum viscerum, tum ossium, tum musculorum, venarum, arteriarum, neruorum, intestinorum. Nec minùs in minoribus animalibus, sanguine tamen præditis, quàm in maioribus. Propterea tunicam etiam interdum, panniculum, & telam appellant. Tantáque est eius necessitas ad omnes partes conuestiendas, fouendas, & conseruandas, vt ossa, quæ omnium robustissima sunt, suis spoliata membranis iudicio Aristotelis in 3. de animalium historia lib. cap. 13. siderentur.

C

D

Idcircò densa est ac robusta, vt arcere iniurias possit membrorúmque salutem tueri, & continere illa, ne dissipentur, aut quatiantur immodicè. Lenis est, vt mitis & suauis sit contactus, molliorum præsertim membrorum. Est tenuis, vt leuis sit nec nimium ponderis adferat; vt est in 3. de partibus ca. 11. aut singulis membris, præsertim mollioribus; aut omnes simul toti corpori, cùm tantus sit earum numerus. Eandem ob causam carne vacat & syncera planè est; vel sicubi pinguedinem habeat; vt in amento, tenuior multò est. Sic enim compensauit natura; prouiditque ne grauaret. Tametsi membrana illa non vni alicui particulæ, sed intestinis omnibus incumbens paulò gnauior esse poterat. Nam & peritonæum paulò crassius cæteris esse videtur.

E

Ventriculi & intestinorum &c. Substantiam membranam non esse.

Ventriculi autem, intestinorum, vteri, vesicæ vtriusque venarum & arteriarum substantiam etsi tunicas aliqui appellent interdum; impropriè tamen & minùs verè appellant. Nam diuersam planè harum partium substantiam esse, tria ostendunt. Primum, quòd membranas omnes & tunicas ad partem aliquam aut membrum conuestiendum & continendum, aut certè distinguendum natura instituit: quæ autem commemorata sunt, non hunc, sed alium longè diuersum habent vsum. Alterum, quòd illa ipsa omnia membranis conteguntur; propriáque constant substantia à membranis illis diuersa. Tertium, quòd illa villis intexta sunt longis, latis, obliquis; quibus trahunt, retinent, expellunt. Membranæ vt has non habent operationes, sed alium omnino vsum, sic nullis cotexuntur, sed sui vbique simili substantia constant.

Præcipuæ membranæ quæ.

Duas Aristoteles præcipuas & maximas commemorauit: tùm duas illas, quæ cerebrum continent; tum eam, quæ cor: quòd duobus hisce membris præcipuis tutella maximè adhibenda fuit. Sed miror prætermissum fuisse peritonæum, quod & amplissimum est, & plurimarum aliarum membranarum principium; atque intestina & ventrem continet in ea corporis parte, quæ cùm ossea non sit, vt caput & thorax; sed tota carnea, lædi faciliùs poterat. Sunt etiam in thorace insignes & peramplæ illæ, succingens costas, & dissepientes duæ; de quibus seorsim suo loco dicetur. In capite autem pericraneum; etsi caluariam extrinsecus ambiat. Hæ omnes, vt sunt præcipuæ & in primis magnæ & conspicuæ; ita propium obtinent nomen. Sicut & illæ, quæ in oculo continentur: quòd etsi magnæ non sint, insignem tamen & manifestum vsum habent. Reliquæ propria carent voce, generalique appellatione membranæ dicuntur; aut ἀραιόστια, ex potissimum, quæ ambiunt ossa.

Membranarũ substantia & ortus.

Putarunt verò permulti membranarum omnem substantiam ex neruis deduci: alij ex partium, quas inuoluunt substantia crassiore & pinguiore foras emergente sensimque circa illas siccata. Ego ex tota fœtus materia simul cum reliquis partibus, sed præsertim ex semine, formari arbitror. Neque enim in iis membranis, quæ aut totæ sunt à partibus separatæ ac dissitæ, vt peritonæum; & eæ, quæ dissepientes dicuntur; aut duplicatæ sunt, vt cerebri meninges, & omentum; intelligi potest quomodo ex contentis partibus emergant & circa eas siccentur; aut ex neruis deducantur. Etsi omnes illæ, quæ intestina singula & particulas ventre contentas ambiunt, ex peritonæo creduntur habere ortum; quomodo quæso ex contentis partibus aut neruis nascuntur? Video autem Hippocratem in libro de genitura, déque natura pueri, & Galenum de fœtuum formatione; & de semine, & de vsu partium 14. cap. 11. & sapientissimos quosque medicos, dum naturæ in fœtu formando progressionem exponunt, aut de semine disserunt; membranas illas, intrà quarum sinum formari debet fœtus, ex semine primùm existere tradidisse (nulli enim nerui, nulla pars formata) eundémque reliquarum ortum esse; tametsi tenuissimæ inserantur ad sensum & firmitatem tribuendam neruorum fibræ.

De carne.

DE CARNE.

CAPVT VIII.

DIxi tum de omnium communi, tum de singularum proprio partium reliquarum amictu. Iam de ijs dicendum est, quæ tum cuti generaliter, tum seorsim membranis continentur.

Harum quædam molliores sunt, aliæ sicciores, solidiores, & duriores. Molliores carnis ferè nomine comprehenduntur. Hæc enim humidior est & mollior, plurimùmque in corpore abundat.

Carnis natura.

Eam Philosophus in 3. de historia lib. cap. 16. inter cutem & ossa contineri pronuntiauit: idque tum in animalibus ijs, in quibus carnem & ossa propriè nominamus, tum in ijs, in quibus analogum quidpiam reperitur. Quod non solùm quoad situm & locum, quem habet in corpore, sed etiam quoad temperationem intelligi potest. Quippè inter cutem maximè temperatam ossaque frigida & sicca caro intercedit calida & humida; etsi conditione sua frigida esse deberet.

Verùm id de ea, quæ propriè magis appellatur caro, Philosophus affirmauit. Quam etiam hoc nomine in cap. 13. lib. 3. de partibus à visceribus distingui voluit; quòd caro corpulentior sit & solidior, forisque posita; viscera intus contineantur. Hanc lacertosam & musculosam appellamus; quòd ex ea musculi & lacerti omnes constent. Estque inter cutem & ossa sanguine vbique plurimo perfusa: immò ex sanguine circa musculorum villos concrescente & eos quasi infarciente orta. Præter eam verò tria carnis adhuc adduntur genera, dum ampliori acceptione vocem sumimus. Vnum, quod à priore noluit Ioannes Fernelius lib. 1. Physiologiæ cap. 14. separare, purius est & syncerius: quod vt villis omnino non careat, paucissimos tamen habet; vt in gingiuis, circa narium ossa, in maioribus oculorum angulis, & in pudendi glande. Alterum glandosum planè, durius & densius, ex crassiori scilicet materia consistens: atque aut ad perfectiorem substantiæ cuiuspiam coctionem comparatur, vt mamillarum caro ad conficiendum lac: aut ad humores aliquos gignendos, spongiæuè instar excipiendos, vt eæ, quæ ad linguæ radicem vel propè laryngem positæ glandes, os & partes ori propinquas momentis singulis humectant. Aut si solidiores sint & densiores glandes, velut firmamentum & basis aliarum partium existunt. Cuius generis eæ sunt, quæ in venarum & arteriarum partitionibus quibusdam visuntur: & κορυδαλὸν in cerebro, & in ventre παγκρεας, alijsque in partibus aliæ complures. Tertium παρέγχυμα nominatur, velut transfusio seu mauis affusio: quòd non ex puro & syncero sanguine, vt musculorum caro, sed ex affuso quasi spartóq. humore aut semine primùm compactum sit. Carnem confusam appellant nonnulli, quòd certam nullam ac deffinitam temperationem habeat, sed illius in quo est, mébri temperationem sequatur. Viscerum omnium substantiam comprehendit, cordis, pulmonum, iecoris, lienis, renum, cerebri, spinalisque medullæ, adde & testium. Nam etsi tum renes tum testes glandium substantiam habere videantur: illi, dum vrinam excipiunt: hi, dum semen conficiunt: inter viscera tamen verius numerantur. Inter omnia verò ad carnis musculosæ speciem maximè accedit cor. Sed cùm nec musculus quispiam sit, nec plurium musculorum congeries, sed membrum seorsim & per se cohærens, nec foris, sed intùs positum, & verò etiam substantia cõstet sicciore durioréq. multò & densiore, quàm sit musculorum caro, inter παρέγχυμαλα potiùs numeramus. Præter hæc quartum carnis genus apud Galenum reperio in 10. lib. de medendi methodo cap. vlt. alijsque in locis, quo intestinorum, ventriculi, stomachi, & vteri substantia continetur, atque innominatum est.

Quatuor carnis genera.

Renum & testium substantia.

Cordis substantia.

Carnis vsus.

Hæc igitur est totius carnis, quæ in corporibus nostris reperitur, partitio. Vsus porrò multiplex est. Sed alius eius, quæ musculosa est & propriè caro dicitur, alius cæterarum. Harum proprius partim significatus est, partim explicabitur sigillatim, vbi dicetur de singulis. Iam musculosa carne vtitur natura, tum velut tangendi sensus instrumento, vt in 2. lib. de partibus cap. 8. Aristoteles confirmauit: tum vt musculorum villos infarciés ita eos contineat, vt motu nequaquam periclitentur. Nisi enim ita esset, ne temporis quidem momentum seruari potuissent, quin contunderentur ac rumperentur, dum tenuissima quasi fila sine vllo firmamento aut propugnaculo in omne corpus distributa, prægrandia ossa mouerent. Tum vt inanitates repleat, ornatumque addat & perfectionem corpori vniuerso. Tum deniq. vt partes cæteras, maximè musculorum villos, à frigore, percussionibus, & iniurijs quibusuis externis tueatur; calorémq. & quod caloris pabulum est optimè foueat. Caro, inquit ex Platone Galenus in 1. de vsu partium cap. 13. propugnaculum est ac tegmen aduersus æstus, aduersum frigora & lapsus; instar rerum pilo lanaue coagmentatarum. Quippè quæ corporibus molliter lenitérque cedat. Et lib. 12. cap. 3. cadenti animali aut procubanti substernaculum fit molle: cùm autem cæditur, operimentum: cùm vulneratur, propugnaculum: dum frigus vrget, calefacit: dum æstus, præbet vmbraculum: denique antè principes omnes partes iniurijs omnibus carnosum genus est oppositum.

Partes omnes carnem.

Sed prętermittendum non est Philosophi graue iudicium; quo carni tantum tribuit, vt reliquas omnes partes ad eam vnam conseruandam institutas fuisse crediderit: ossa & neruos, vt sua duritie tuerentur, nimiumq. humorem siccitate temperarent: cutem & vngues, vt continerent, firmarent, ac defenderent: venas, vt irrigarent & nutrirent: & omninò cæterarũ pro sua virili vnamquamque. Quod si ita est, summa fuit opificis ars, & sapientia in toto hoc opere ita fabricando partésque eius colligando, vt mutuis omnes auxilijs starent, seséque vicissim omni tempore iuuarent, quò diuturnior esset & magis concors animalium vita.

DE OSSE.

CAPVT IX.

OS verò frigidum est & siccum: & ideò sensus omnis expers, cùm & minùs, quam oportet, temperatum sit, atque à frigidis ac siccis sensus abesse soleat. Terreæ prorsus naturæ est, vt in 3. de partibus cap. 2. & 3. de anima, tex. 66. dixit Aristoteles: Atque ex duritate, soliditate, densitate, pondere, manifestum est. Est enim pars omnium durissima, solidissima densissima, maximéque ponderosa: quæ omnia terræ accidentia sunt. Nimirum ex terrea magis & crassa feminis parte gignitur; quadam veluti adustione, atque humoris, qui mollitudinem adferebat, consumptione. *Ossis natura*

Eo vtitur natura velut basi, & fundamento ad mollem & labantem carnem fulciendam & sustentandam. Vt enim (inquit Philosophus in cap. 9. lib. 2. de partibus) qui ex limo aut alia humida massa effingunt animal, firmo aliquo subdito corpore obducunt, atque afformant: sic natura ex carnibus animal condidit, eique subiecit ossa; aut flectendi gratia, si mouentur, aut conseruandi, si immobilia sunt; vt costæ, quæ pectus salutis viscerum gratia claudunt. Quo loco tres complexus est præcipuos ossium vsus. *Ossium vsus.*

1. Primus est ad erigendam & fulciendam carnem & cæteras partes minùs duras & constantes. Stabilimentum enim & rectitudo ac species, vt Hyppocrates loquitur in libro de ossium natura, corpori ab ossibus exhibetur. Quia si non essent ossa, velut vermiculus homo quoque humi serperet. Nam vt verè in primo de anatom. admin. cap. 2. inquit Galenus, hoc sunt in animalibus ossa, quod in tentorijs pali & in ædibus parietes. Quare ad ossium imitationem totum formatur corpus; dum caro, venæ, arteriæ, partésque cæteræ ossibus obducuntur. Quæ creditur esse causa, cur in animalibus omnibus simia musculis, arterijs, neruis, & partibus omnibus simillima homini sit: quoniam nimirum & ossium forma. *Simia cur hominis simillima.*

2. Alter vsus est ad motum. Tum vt esset certus, definitus, & sine periclitatione membrorum. Tum quòd in omni motu necesse est quidpiam esse, quod moueatur; & aliquid aliud stabile & immotum, circa quod fiat motus. Itaque hanc ob causam debuerunt esse terrea. Siquidem & immobilitas propria terræ est inter omnes mundi partes, cùm in suo loco semper consistat & circa eam immobilem cuncta moueantur: Et verò in vniuerso perfectorum mistorum genere ipsa est, quæ soliditatem & consistentiam tribuit.

3. Tertius est ad continendum & conseruandum præcipuas quasdam partes, quibus velut propugnacula & durissimi muri à natura ponuntur: vt thoracis & capitis ossa; illa ad cordis, hæc ad cerebri custodiam.

Alia etiam sunt, quæ peculiaribus quibusdam actionibus aut vsibus famulantur, vt auditui aurium ossa; & apprænsioni ea, quæ digitorum sunt. Alia inanitates solùm & commissuras aliorum replere dixeris, quæ tamen facilem & promptum illorum motum faciunt, vt tali & alia quædam.

Solus venter ex omnibus corporis partibus nullum habet os. Sed duplex est causa. Altera generi vniuerso communis; ne ingesto cibo impediatur tumor. Si enim osseus esset venter, nunquam ad saturitatem comederemus: quare vt respiratione continua, sic esu assiduo indigeremus: neque contemplationi & alijs rebus vacare possemus. Altera fœminarum propria; ne fœtus incremento obstet. Quare quod in Magia refert Apuleius, piscem, in cuius ventre duodecim ossicula sint, nescio quàm verum sit. Certè aut vera ossa non sunt, sicut nec in piscibus esse solent; aut ita copulata, vt dilatari queant & contrahi: aut exteriora non sunt ventrem totum continentia, vt thoracem, costæ; sed interiora: aut demum piscem eum tantundem semper cibi sumere, nec fœminam intra se parere oportet. *Cur venter sine osse.*

Illud quoque præclarè factum animaduertimus, vt maiora ossa sint caua medullámque contineant; minora non item, sed prorsus solida. Nam maiora, si tota fuissent solida, grauia nimis, onerosa, gestatúque difficilia extitissent. Interim verò cauitate illa quasi penu medullam condunt familiare sibi nutrimentum: firmioráque ac robustiora euadunt: tum ob circularis figuræ conditionem: tum quòd per eam humiditas facilè dilabitur, siccioráque & densiora redduntur. Quæ verò minora sunt, si cauitatem haberent, infirma nimis essent omnique carerent robore. Vbique tamen cauernulas habent, quibus alimentum condant. Quemadmodum & ἐπιφύσεις, seu appendices, quæ illis ferè additæ sunt. Leonis ossa, vel etiam grandiora, carere medulla creduntur: quòd vt est in 3. de historia lib. cap. 7. per exiguam & tenuem, atque in pauciſſimis ossibus, hoc est femoribus & brachijs contineat. Nam vt est fortissimum ac robustissimum animal, sic solidissima habet & durissima ossa: adeo vt ex illis concussis velut ex silice ignis excutiatur. *Ossa caua & non caua.*

Et omninò quæ animalia calidiora sunt & valentiora, durioribus ossibus constant. Nec ingressilibus modò; sed & in volucribus, vt in 11. de vsu partium cap. 18. confirmat Galenus. In ijs præsertim, quæ rapaces sunt, & carnutosæ, ac dimicando viuunt. Siquidem aquilis densissima prorsus ac durissima insunt: deinde accipitribus & ferocibus quibusque: & in vniuerso animaliũ genere maribus magis, quàm fœminis: præterquàm fortasse in auibus rapacibus & alijs quibusdam, in quibus fœminæ durioribus creduntur constare ossibus. *Durioraquibus ossa.*

In piscibus non ossa, sed spinas in ouiparis, velut analogum quidpiam nominamus. In Delphino & cætaceo genere non spinas, sed ossa; quòd sanguinea animalia sint & viuipara. Denique quę nec ossa nec spinas habent, cartilagines instar ossium aut spinarũ cõtinent, vt ea ferè, quæ exãguia sunt, & cartilaginea vocantur, vt pisces viuipari, vermes, & reptilia quędã, quòd molliorem habẽt motum. *Ossibus quæ analoga.*

motum. Propterea in serpentum genere, qui minores sunt, spina constant; qui prægrandes, osse. Validiores enim sunt, viuipari, & carniuori; & ideò firmiori eguerunt fulcimento. In testaceis autem & crustaceis instar ossis testa est aut crusta; eáque exterior, quòd mollia sint & frigida, exterioriſque indiga propugnaculi.

CVR IN CORPORIBVS nostru ossa tam multa?

CAPVT X.

VErùm enim verò locus postulat, vt rationem exponam, cur non vnicum os, sed tàm multa tantoperéque inter se diuersa in corporibus nostris reperiantur. Nam etsi Hyppocrates in lib. de ossium natura multò pauciora commemorauerit; verè tamen diligentior singulorum dissector & inspector Galenus in lib. de fœtuum formatione cap. 6. vtrinque, tum in dextris, tum in sinistris partibus, ducenta & ampliùs esse tradidit. Et in 9. libro de Hyppocratis & Platonis Decretis cap. 8. plura, quàm trecenta. Auerroës in primo lib. colliget cap. 4. minutioribus quibusdam prætermissis ad ducenta quadraginta octo collegit.

Ossa quot in corpore nostro.

Cur tam multa.

Quicúmque autem fuerit numerus, is certè maximus est maximéque necessarius. Nam etsi ad erigendam & sustentandam carnem vnicum fortasse satis esse posset; ad motum tamen, firmitatem, & robur partium plura esse debuerunt. Motus enim nullus fuisset, sed immobilitas summa, si vnicum os continuum & integrum in toto corpore extitisset. Et animal, quod per sensum & motum deffinitur, velut lapideum aut luteum opus esset: neque curuare se posset, aut incedere, membraue in partes diuersas flectere. Aut certè vna pars sinè cæteris omnibus non moueretur. Nunc autem & in omnem partem curuatur corpus, cùm pluribus vertebris, quarum singulæ flecti possunt, constet spina: & progreditur, & currit, & saltat, quòd artus singuli moueantur seorsim atque ad inflexionem promptissimi sint. Id in cruribus & brachijs manifestissimum cuiuis est in animalibus cunctis. Appræhensio, quæ manuum propria est functio, an non cum primis est homini necessaria, cibique sumptio & confectio viuentibus omnibus? At quomodo manus firmiter appræhenderet, nisi constaret ossibus digitisque pluribus, & in singulis digitis plures essent articuli? Quomodo maiora complecteretur corpora, nisi & manus ad vlnam & radium, & hæc ad humerum, isque demum ad scapulam antrorsum flecterentur? Quomodo incederet, nisi pes tibiæ, tibia femori, atque hoc ischio committeretur? Durioris autem cibi sumptio atque confectio qui fieret, nisi ossearum plurium mandibularum ope? Iam sine respiratione optimorum animalium vita non consistit. In ea perficienda quæ thoracis esset dilatatio aut compressio, si vnico totus osse contineretur? Ac demum ne singula persequar, caput ipsum, quod propter cerebri custodiam osseum maximè esse oportuit, si vnico concluderetur osse, quanam cerebri vapores & exhalationes expirarent? Propter transpirationem enim & corporis cuiuspiam transitum futuras pluriumque ossium commissuras adesse oportuit.

Eandem ossium multitudinem ac diuersitatem firmitas partium omnium postulabat. Aut enim totum corpus osseum esse debebat, aut plures partes necessario robore priuarentur; nisi singulis singula ossa inserentur. Videbitur sanè eatenus passiuè futurum fuisse fortius, si osse vnico substitisset; quatenus difficiliùs & ægriùs ab alio moueretur. Actiuè tamen, vt seipsum proprijs viribus sistere valeat & sustentare ne corruat; fortius multò fuit in ossa plurima distributum. Sic enim vna pars aliam firmat & roborat. Tum verò ad hæc omnia accessit figura & diuersa membrorum quantitas: quorum quædam maiora, alia minora, quædam rotunda, alia caua, alia recta, quædam curua ossa postulabat.

Ossium structura.

Verùm illud accidit longè omnium admirabilissimum; vt quamuis plurima sint maximeque diuersa; ea tamen sit omnium structura, compositio, & nexus, ac si vnicum esset. Fit autem structura & connexio, aut per σωφυσιν, absque diuerso coëuntium ossium motu; per inde ac si vnicum esset os. Aut per ἀνθρωσιν, in qua diuersus est eorum motus: Atque in σωφυσι, cùm ossa sese vicissim subeunt, ceu duarum serrarum dentes sibi mutuò occursantes, aut alio simili modo, vt ossa cranij, ἐραφὴ seu sutura dicitur; ῥαφὴ verò, si absque ingressu mutuo per simplicem lineam copulentur; vt quædam superioris maxillæ & nasi ossa: ac demum γόμφωσις, vbi instar claui os ossi infigitur, vt maxillæ dentes. At ἀρθρωσις, si manifestum & conspicuum habeat motum, vt in brachijs, manibus, cruribus, & pedibus, vocatur διαρθρωσις, ceu laxa esset dearticulatio. Si obscuriorem & minùs apertum, vt in metacarpio, spina, & costis, dicitur σαρκώδρωσις, quasi coarticulatio. Siue excipientis ossis sinus altus sit, & ingredientis caput magnopere prominens, & vtrumque vnicum, vt in femoris, & coxendicis, humerique & scapulæ coarticulationibus, siue contra neutrum sit magnoperè aut cauum aut extuberans, sed vtrumque parùm & leniter, ac si planæ quodammodo superficies essent, vt interiora tarsi & quædam brachialis ossa. Siue manifestis quidem, non tamen simplicibus, sed pluribus aut sinibus, aut capitibus, vt in 2. ac 3. quatuor digitorum & femoris ad tibiam articulo. Quarum trium articulationis formarum prima vocatur ἐνδρωσις, altera ἀρθρωδία, tertia γίγλυμος. Denique dum harum, quæcumque ea sit, articulatio quopiam alio corpore ossa colligante vtitur, aut σωδέρωσις, dicitur, si vinculo constet, aut σωσάρκωσις, si carneo musculo, aut συγχόνδρωσις, si cartilagine. Atque his modis ossa connecti & colligati Aristoteles etiam in 2. de partibus cap. 9. prodidit.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

Sed non ignoro hæc paulò aliter à Galeno ad initium libri de ossibus explicata fuisse: præsertim vbi futuram ἁρμονίαν & γόμφωσιν σωματοειδοῦς speciem esse voluit. Verùm cùm eæ nullum habeant proprium motum, ad σωμάτωσιν potiùs libuit reuocare. Quod si medicus quispiam reprehendat; rationes ostendat, quibus ad id agendum inducatur. Interim plurima ossa constabit admirabili prorsus arte plurimis modis coniungi.

Omnium origo spina.

Omnium autem præcipuum & quasi origo, vt in 3. & de animalium historia lib. cap. 7. & lib. 2. de partibus cap. 9. adnotauit Aristoteles, & post eum medici omnes confirmarunt, est spina; sic nominata, quòd posterior eius pars acuta sit & velut spinosa. Etenim os illud durissimum est & maximum, iuxtáque animalis rectitudinem positum, velut in arbore truncus, siue vt Galenus loquitur in 12. de vsupartium lib. cap. 10. & 11. & lib. 13. cap. 3. carina in naui, cui latera puppis & prora innituntur. Sic enim ad spinam reliqua omnia corporis ossa reduci & cum ea colligari videntur.

Spinæ partes.

Quippè quatuor in partes illa diuiditur. Collum seu ceruicem, dorsum, lumbos, & os sacrum, velut totius basim & vltimum. Ceruix septem, dorsum duodecim, lumbi quinque, sacrum os sex, illique additum coccygis os quatuor, totáque spina quatuor & triginta ossibus constat: vt pluribus motibus, quibus hominem moueri oportuit, obsequeretur: & plurima interim neruorum paria per totum corpus effunderet. Inde vertebræ

Vertebræ cur dictæ.

nominantur, quòd earum vsu in omnem partem vertatur corpus. Capitis ossa adiunguntur collo, crurum ac tibiarum ossi sacro, thoracis & brachiorum partibus intermedijs.

ossium appendices.

Optimè autem & arctissimè copulantur omnia, dum ab opifice sapientissimo addita illis est ἐπίφυσις seu appendix; vt eorum extremitates molliores essent, commodiorémque articulationem haberent. Eam etsi grandioribus solùm ossibus Galenus apposuit, post brachialis tamen, prædij digitorúmque ossa & alia plura manifestam nobis ostentãt. Neque putet quisquam ἐπίφυσιν me hoc loco cum ἀπόφυσι, appendicem cum processu, confundere.

Ossium processus.

Nam sunt in ossibus processus quoque velut pars ossis, tuberculi aut gibbi instar ex reliquo osse procedens; vt in spinæ vertebris, in femoris rotatoribus, alijsque non paucis. Et processus interdum appendicem habent; vt ij, quos nunc nominaui: interdum appendices processum; vt in vlna, tibia inferiori, femoréque infimo. Tametsi hæc à plerisque non ita distinguantur.

Ossium articulatio.

Itaque appendicum hac & processuum efformatione factum est, vt commodissima fieret articulatio & commissura; dum vnius ossis eminentia, quæ caput vocatur, cauitati alterius, quæ sinus & acetabulum & pyxis & bucella dicitur, non solùm immitteretur; sed illi etiam planè æqualis ad amussim & exactè quadraret; vt & firmus esset & expeditus motus; qui laxus & infirmus fuisset, si amplior cauitas extitisset: aut difficilis & periculosus, si angustior. Profundissimæ omnium cauitates in coxendicis osse sunt, qua femoris caput admittitur, & in osse cymbam referente, quam tale caput ingreditur.

Ossium vincula & cartilaginis.

Ac postremò ad maiorem tum omnium cõnexionem, tùm singulorum articulorum promptiorem motum & tutelam, tum vinculis interiectis ex vtroque osse productis ambo colligauit natura, tùm cartilagine vtrinque obliniuit, & cauitatibus quasi eminentias quasdam velut labia & supercilia, quæ in coxendicis cauitate visuntur altissima, obduxit in orbem: nequando fortasse ossa exciderent. Hoc fermè est admirabile prorsus artificium.

Quorum omnium ossium compactio σκελετός, hoc est aridum, & osseum à veteribus medicis appellata est. Quique de ossibus scripserunt, eos hoc nomen libris suis præfixisse testatur Galenus ad initium libri de ossibus, & in cap. 2. lib. 1. de anatom. administrationibus. Verùm vniuersè hæc satis. De singulis autem post dicetur, vbi totius corporis descriptio fiet.

σκελετός.

DE CARTILAGINE.

CAP. XI.

Ossiu & cartilaginis comparatio.

Similimam ossi substantiam cartilaginis esse verbis hisce Philosophus tradidit in libro 3. de animalium historia cap. 8. & libro 2. de partibus cap. 9. Cartilago differt ab osse pluris minorisuè ratione, cum alioqui natura eadem, qua ossa, constet. Vt iam mirum esse non debeat, si ossium extremitatibus obducta cernatur, atque in cartilaginem ossa ferè desinant. Et eorum etiam aliqua insigniter desinere conspiciantur, vt nasi ossa, costæ, & pectoris os. Ex eadem enim materia magis aut minùs siccata ambo concreta sunt: sed diuersa illi forma substantiæ accedit. Verùm vt partes cæteræ, ac præsertim ossa, in prima quidem ætate molliores sunt, procedente verò tempore siccantur & fermè vt ossa durantur: eandem ob causam vt os præcisum nunquàm renascitur nec ampliùs reparatur, nisi fortasse in pueris, in quibus & magis viget natura & abundat humor: ita nec cartilago. Sanè quod est os in cæteris animalibus sanguineis & viuiparis, atque in ouiparis piscibus spina, hoc ipsum est in ijs cartilago, quæ nec ossa nec spinas habent. Estque in ijs velut spina dorsi: neque minùs medullam continet. Vt omnino quod de ossibus & spinis dicitur, quædam esse, quæ medullam habeant, alia, quæ nullam: hoc idem liceat de cartilagine affirmare. Sed quæ in terrestribus animalibus medullam non continet, humore tota perfusa est, quo mollis & mucosa efficitur. Media igitur est inter os & carnem substantia, osse mollior, durior carne. Quam ob causam partes quædam, quæ nec ossea nec carneæ esse poterant, vt auriculæ & nares, cartilagineæ factæ sunt. Nam si essent ossea, incurrentes in dura facilè frangerentur. Si carneæ, non essent duræ: cúmque promineant, facile læderentur. Cartilagineæ autem cùm sint, nec læduntur, quia sunt solidæ & duriusculæ; nec franguntur, quia cedunt.

Cartilago medullam continet.

Auricula & nares cur cartilagineæ.

Itaque

Cartilaginis vsus.

Itaque si huiusce particulæ vsum colligas, multiplex planè apparebit. Tum coniungere & copulare partes: Tum facilitatem ac promptitudinem motus iuuare; cùm sit leuis planè substantia humoréque lubrico delinita. Tum verò ob molliorem minúsque, quàm ossium, contumacem naturam, motum eum absoluere, quo dilatantur & contrahuntur membra; vt in thorace, & arteria aspera. Tueri quoque ac defendere ossa, ne aut nimio motu conterantur aut frangantur. Quam ob causam inter illorum coniunctiones interponitur; neque vllus articulus non leuitate hac oblinitur: Aut etiam prohibere, ne caro ab ossis duritate lædatur dum mouetur. Confert etiam ad respirationem in aspera arteria efficiendam, atque in gutture ad formandam vocem. In quibusdam verò partibus est velut proprium aliarum propugnaculum; vt in xiphoide, palpebris oculorum, cordis basi, larynge, & alijs quibusdam. In alijs ossium vicem supplet; vt in auriculis, naribus, & omninò in illo animalium genere, quod ossibus & spinis caret: cartilagineum propterea nominatur. Est enim velut tulcrum, cui molliores & imbecilliores partes adnascuntur adnatæque stabiliuntur & sustinentur.

DE VINCVLO.

CAPVT XII.

Vinculum quid.

VInculum, quod à plerisque ligamentum, ab alijs copula, à Grecis συνδεσμος nuncupatur; nil aliud significat in animalis corpore, quàm exanguem illam similarem partem albam, quæ solida est & dura; minus tamen, quàm cartilago; ab osse aut cartilagine membranauè prædura orta. Cuius is maximè necessarius apparet vsus, qui est in colligando, vinciendo & copulando; tum ossa & cartilagines, vt costarum cartilagines & pectoris ossa; tũ ossibus ossa, vt in cubito, genu, & digitis; tum cartilaginibus cartilagines, vt in larynge & alis nasi. Inde nomen impositum. Qua sanè in re ad totius corporis vnitatem non parùm confert; dum ossa tàm multa ita copulat, vt quasi vnum os continuum esse videatur. Siquidem præter capitis ossa, reliqua penè omnia vinculis colligantur.

Vinculi vsus.

1.

Alter vsus in motu cernitur; quem vt magis promptum & facilem, sic firmiorem certioremque facit dum ossa suaptè natura grauia & ad motum inepta vinculi beneficio & ope expeditè ac sine læsione certò atque constanter trahentes sequuntur musculos. Propterea colligantes neruos veterum medicorum complures appellarunt: quòd motus neruorum proprius videretur. Causámque, cur à quibusdam creditum sit neruos oriri à corde, eam fuisse scripsit Galenus in 3. lib. de locis affectis cap. 6. (Aristotelem nimirum carpens) quòd inter vinculum & neruum distinguere nequiuerunt; neruósque credideruntin cordis sinibus contineri: cùm non nerui, sed vincula sint. Certè si ossium & cartilaginum

Neruorum origo cur creditũ sit cor.

A articuli vinculis hisce ex coëuntium partium extremitatibus ortis colligati non tenerentur, non dicam vehementi & valido motu, quales plerique existunt, sed quouis ferè leuissimo luxarentur éque naturali sede pellerentur. Interim verò tam mollia sunt, vt dum facilè flectuntur, tenduntur, & laxantur, tantum absit, vt motum vlla ex parte impediant aut retardent, vt sequantur promptissimè, adiuuent, exequantur.

Porrò in musculorum tendonibus triplicem 3.
item vsum reperies. Primum, dum eorum sub-
stantiam constituit: siquidem tendo aut nil aliud
est, quàm vinculum quoddã, aut certè fibras vin- 4.
culorum habet. Alterum, dum continet ac pla-
nè prohibet, ne cùm musculus mouet, illius ten-
do nimium eleuetur atque à constituta sibi sede
recedat. Quod in brachiali potissimùm & singu-
lis digitorum articulis manifestum est: vt tibiam,
pedem, aliáque plura corporis loca prætermit-
tam, in quibus huiusmodi vinculis ceu funiculis
transuersim aut veriùs in orbem obductis tendo-
nes plures colligari continerique visuntur. Ter- 5.
tium addunt nonnulli, dum substernitur illi ve-
lut stragulum. Sicut enim musculo membrana
substernitur, quæ tutatur illum, ne ab osse læda-
tur: sic inter os & tendonem musculi substan-
tiam intercedere inquiunt, vt ossi absque mole-
stia inferatur tendo. Qua de re quid ego sentiam,
proximum caput indicabit. Neque ignoro alios
quosdam ab alijs vsus adiungi: sed non sunt vin-
culorum proprij. Vereorque magnopere, ne vin-
cula, cartilagines, & membranas non satis scri-
ptores illi distinxerint.

DE TENDONE ET musculo.

CAPVT XIII.

Tendo quid.

DE tendone post vinculum libenter dicam, quòd eum non solùm credam ex vinculo magnam partem constare, vt Galeno & veteribus ferè visum est, sed nil planè aliud esse, quàm vinculum. At neque de eo dici potest, quia simul dicatur de musculo, qui ad eum constituendum, & iuuandum comparatus est: tametsi inter carnis genera fuerit antea numeratus. Galenus autem & quotquot eum in tendonis substantia definienda imitati sunt, laborarunt plurimùm vt exponant, quomodo is inter partes primas simplices & homogeneas commemorari queat, si ex neruo & vinculo componantur. Sic enim illi philosophati sunt; vt ex duodecimo præsertim de vsu partium lib. cap. 3. cognosces. Tendo velut præcipuum arbitrarij motus instrumentum quærebatur à natura: Neruo igitur constare debuit; quia is ad mouendum factus est atque ad membra deductus. At neruus mollior cùm esset, tàm magna artuum ac membrorum pondera transferre non potuisset, nisi duriore adiutus & roboratus vin-

Galeni sententia.

culo. Solum tamen vinculum sine neruo mouendi vim non haberet: quia ex osse aut cartilagine, non ex cerebro motus omnis principio, nascitur. Ergo neruum & vinculum iungere ac permiscere oportuit; vt alter motum, alter firmitatem & robur adferret. Quare medium quidpiam inter neruum & vinculum factum est: quod durius neruo existit, & vinculo mollius: nerui scilicet mollitudine vinculique duritia vicissim temperatis ac permistis. Hocque minùs quidem, quàm neruus; sed magis, quàm vinculum, sensus particeps est. Ita factum est, vt vbi solo sensu opus erat, solus ibi insereretur neruus; vbi verò ligamine solo, vinculum; vbi voluntario motu, vtrum simul permistum. Denique quoniam nihil potest cum alio permisceri per totum, nisi eorum vtrumque in partes minimas conscindatur; tum neruum, tum vinculum in tenues fibras partiri fuit necesse, vt illis demum omniquaque permistis idoneum mouendi instrumentum pararetur. Verùm quæ tenuia sunt, facile pati possunt, contundi, & rumpi: propterea interposita fuit & quasi infarcinata caro, quæ tenues fibrarum villos firmaret, fulciret, atque tum propugnaculi ac tegminis, tum substerniculi & amiculi instar tueretur, ne læderentur in motu, contunderentur, aut etiam rumperentur.

Confutatio.

Hæc fuit Galeni ac medicorum ferè de tendone sententia: subtiliter quidem excogitata, & verò eleganter atque artificiosè proposita. Sed mihi semper suspecta. Nam illud me in primis mouet, quòd tàm multi tàmque crassi tendones in nostris corporibus continentur in infinita propemodum musculorum multitudine, vt si omnes simul colligerentur nerui, multis partibus essent illis constituendis impares. Plurimi simul, & insignes maximè in brachio & manu, tibiáque & pede cernuntur; ad quas partes non nisi exigui tenuésque nerui perueniunt. Vel eorum vnus crassior ferè est, quàm plerique simul nerui ad eas partes deducti. Deinde nerui, qui musculum ingrediuntur, non semper capiti inseruntur, vbi cum vinculo permisceri existimantur: sed alteri interdum parti, & interdum penitus non inseruntur, sed attenduntur dumtaxat: interdum etiam tenues solum rami disseminantur. Atque vt venas & arterias, sic neruos ita dissecamus, vt vsque ad vltimos villos hæc omnia vasa à reliquo musculo & tendone separemus; nec vsquàm nerui & vinculi permistionem deprehendimus. Tum verò si ea, quam asserunt aduersarij, tendonis esset natura; nequaquam is pars esset simplex & homogenea, sed ex simplicibus & homogeneis pluribus coagmenta. Hoc enim inter homogeneas & heterogeneas partes interesse cognoscimus. Præterea certum est, in primo musculi exortu purum & simplex vinculum esse, miniméque cum neruo permistum: & qui in extremo visitur tendo, tum colore ac sapore, tum qualitatibus cæteris vinculo simillimus est, non neruo.

Vim mouendi non esse neruo proprium.

Falso autem Galenus principio in sua illa firmanda sententia nititur; dum virtutem mouendi nulli parti opinatur inesse támque illius propriam, sed à cerebro ad singulas per neruum transmitti. Hanc enim ob caussam tendonem contendit mouere non posse, nisi permistum haberet neruum, at nequaquàm ita est. Nam quomodo virtus illa per neruum transmittatur? & cùm sit eadem neruorum omnium substantia, soláque duritie aut mollitudine differant; quî fit, vt vnus sensum, alius motum adducat? Vnus ad oculum aspiciendi vim, alter ad aures facultatem audiendi, alij ad alias partes alias atque alias virtutes? Verùm & mouendi vis & cæteræ omnes facultates, non ex corpore vllaue corporis parte; sed ex animæ substantia sola oriuntur: eámque si in organo fuerit ad operandum idoneo, consequuntur: próque organorum diuersitate diuersæ sentiendi aut mouendi facultates existunt, in oculo videndi, audiendi in aure, in tendone mouendi; quòd hic aptissimus ad mouendum sit; nec minùs, quàm ad videndum oculus & ad audiendum auris.

Quæ sit tendonis substantia.

Itaque non aliam, quàm vinculi, arbitror ego tendonis esse substantiam. Neque alio modo à vinculo differre tendonem, quàm vsu affusáque carnis permistione. Vinculum enim absolutè consideratum id dicitur, quod vinciendi duntaxat, colligandi, & continendi vim habet. Tendo autem vinculum eiusmodi est, quod ita vincit & colligat, vt vinctas & colligatas partes non solùm continere, ne à sua sede motæ recedant, sed eas quoque flectere & mouere possit.

Quod ex tribus maximè confirmatur. Primum est, quòd ex osse aut cartilagine, ex quibus musculi principium est, non nascitur neruus, sed solum vinculum. Alterum, ipsa aduersariorum confessio; qui tendonem ex vinculo maxima parte constare, neque neruum sine illo mouere posse affirmant. Tertium, quòd vinculi, non nerui, proprium est ossa & articulos nectere eorúmque flexionibus ac motibus famulari. Vtrumque autem duobus modis cumulatè præstat. Primùm ex vnius ossis capite exoriens & in alterius extremitatem in ipso articulo insertum. Ita enim flectitur in articuli motu, vt dum illi planè obsequitur, os tamen contineat, ne de sua sede dimoueatur. Ita commune vinculi nomen habet. Deinde ex vnius ossis aut cartilaginis initio aut potiùs supra initium nascens, & in alterius ossis aut cartilaginis caput vel superiorem veriùs capitis regionem infixum. Quo loco dum in eandem partem, ex qua prodierunt, retrahantur illius fibræ (motus enim omnis fit ad principium, vnde mouendi vis deriuatur) in eandem quoque trahitur os alterum cum partibus circumiectis, cui vinculum infixum est: aliusque atque alius motus efficitur, vt diuersus fuerit fibratum situs. Propterea non in eiusdem, ex quo initium sumpsit, extremitatem, neque in ipsum duorum ossium articulum; sed in alterius ossis caput inseritur. Quoniam si aut in eiusdem extremum, aut in articulum poneretur; frustra & absque vllo vsu poneretur: quippè nulla posset esse flexio nulla tensio aut directio, nullus motus. At dum in alterius caput infigitur facilè tum flectendo, tum tendendo, aut dirigendo mouetur. Hoc sanè modo vinculum dici posset; quia verè duo ossa vincit & colligat. Propria tamen & speciali voce appellatur tendo, siuè quòd ossibus obtendatur, siuè quòd tensus flectat & extendat membra.

Et quamuis non omnis musculus aut tendo ab osse

Musculi ortus non ab osse.

osse nascatur, sed complures à cartilagine, vt in larynge; alij à membrana, vt fortasse in oculo; alij ab alio quopiam: nec omnis item inseratur in os: sed in cartilaginem, membranam, cutem, & si quid aliud eiusmodi est: & alij rursum nascantur ex vno & pluribus inserantur; alij contrà nascantur à pluribus vnique cõmittantur: omnes tamen ab vno in aliud quidpiam progrediuntur. Itaque etsi tendo à plerisque velut pars musculi commemoretur; dum ex muris lacertæve similitudine musculum in tres partes diuidunt; in principium, quasi caput, vbi exortus est musculi primaque in fibras discissio; medium, vbi abundat caro in fibras ingesta, venterque appellatur, in quo minus vinctæ sunt, imò propter ingestam carnem non parum distitæ fibræ: ac demum finem & cordam seu caudam; vbi rursum fibræ colliguntur & vnitæ conspiciuntur sine carne, in ijs præsertim musculis, qui longiorem habent tractum (alij enim sunt vbique carnosi, nec eandem, sed longe aliam atque aliam figuram habent) ideóque hęc potissimum postrema pars nominatur tendo: Reipsa tamen in toto musculo continetur, estque proprium & primum inter omnes corporis partes mouendi organum.

Musculi nomen & partes.

Musculi vsus.

Musculus autem tum propter tendonis custodiam factus est, adiecta carne, quæ aut cadenti substerneretur, aut cæso vulneratóue operimentum esset, & propugnaculum: tum vt commodiùs tẽdo functionem suam obiret. Siquidem crassior factus sese faciliùs contrahit & colligit: rursumque laxat & extendit. Proindè nec in principio, nec in fine, sed in medio tendonis inseritur ferè caro. Tum quia principium & extremum sub articulis occultantur, nec motu attolluntur, magnopere aut concidunt. Media verò illa pars plurimùm pati poterat, aut exteris iniurijs & percussionibus expositа, aut in motu eleuata, & supra nuda procidens ossa. Tum quòd si extemitates illæ, quæ committũtur articulis, replerentur carne, impediretur motus, neque articulus ea occupatus liberè flecti posset. Tùm demum quia contractio & laxatio mediarum, non extremarum, partium, futura erat. Idcircò in extremis partibus aut nulla est aut perpauca caro, in medijs plurima. Quamquàm vbi non sunt articuli, habetur interdum caro, aut in prinicipio musculi, vt in ijs, qui ab ilium osse in femoris os inseruntur; aut in fine, vt in transuerso septo, aut vbique, vt in intercostalibus alijsque permultis.

Cur in medio musculo caro.

Voluntarij motus similitudo.

In omnibus vero, si neruos in vincula tendonesue mutaueris, præclara illa vti licebit ad hanc rem totam illustrandam Galeni similitudine, quę in libro de causis respirationis extat: Voluntatemque seu appetitum animalis, qui toti præest motui, persimilem inquies equiti esse, qui habenarum motu huc illucque equum impellit: velut habenas autem esse tendones seu vinculorum fibras: ac demum equum, cui eques insidet, totum musculum esse. Cæterùm si fuerit equus ex animis aut prægelibus famẽue confectus & omnino viribus ac robore destitutus, etsi adsint habenæ, moueri non poterit. Ita sanè tendoni quoque & musculo accidit. Nam vt oculus non videt, nec audit auris, nec vllum sentiendi organum, etsi aptissime comparatum, operari potest aut sentire, nisi animalem spiritum velut primum & generale animæ instrumentum neruus adduxerit: sic profecto neque tendo aut musculus mouebit, nisi neruus accesserit; non tatiquàm instrumenti pars motricem tribuens facultatem, sed qui spiritum illum addat, quo anima & facultas motrix, quæ in instrumento sunt, ad illud contrahendum & laxandum vti debent. Eodem enim modo venis opus est & arterijs, illis ad alimentum, his ad natiui caloris custodiam: persimilemque trium horum vasorum distributionem fieri animaduertimus, etsi alium vsum & finem respiciant. Quj vero musculi proprio sibi neruo carent, propriáque vena aut arteria, vtuntur proximis. Denique omnibus ita constitutis membrana tenuis tãdem circumponitur, quæ musculum totum tum cõtineat tueaturque, tum ab alijs distinguat & separet.

Musculorum numerus.

Porro tanta est in corpore musculorum copia, vt vniuersa caro, quæ propriè caro nominatur, illis solis contineatur. Auicenna in 1. fen. 1. canonis doctrina 5. summa 2. cap. 30. & ex Galeni sent. Auerroes in 1. lib. colliget cap. 15. ad quingentos viginti nouem musculos colligerunt. Alij alium numerum. Sed verè omnino pronuntiatum fuit ab eodem ipso Galeno ad initium lib. primi de musculorum motu, nullum facilè colligi posse. Causa autem est, quoniam eorum aliqui sunt, qui vnum exortum habeant vnumque corpus, sed in plures mox tendones desinant. Alij contrà à capitibus pluribus ventréq. multiplici in vnum vltimum colligantur. In quibus iure optimo dubitabis, num vnus an plures illi musculi sint. Accedunt diuersus in eodem musculo fibrarum ductus, multiplex & nonnunquàm contrarius motus, ac demùm plurium musculorum concursus, & eiusmodi connexio, vt à quibusdam vnus, ab alijs plures esse iudicẽtur. Satis nunc fuerit eorum substantiam & vsum tradidisse, aptumque motus instrumentum animæ præparasse. Quot enim illi sint, diligenti & accurata sectione colligendum erit.

DE VENA ET *Arteria.*

CAPVT XIIII.

QVæ hactenus explicatæ sunt partes, eæ sunt, quæ per se ad membrorum & corporis totius compositionem pertinere videntur. Venæ enim, arteriæ & nerui, de quibus dicendum supereſt, partes quidem sunt corporis animæ præditæ, potiùs tamen instrumentæ, velut vasa, quibus tota animalis vita constituitúmque corpus conseruetur atque operationibus suis omnibus ritè ac pro dignitate fungatur. Propterea de his postremo loco dicendum mihi proposui.

Venæ & arteria vsus.

Venam & arteriam sanguinis & spiritus esse vasa, nemo est qui ignoret. Nam ideò peruiæ sunt & per totum corpus ducuntur; vt alimentum illa hæc spiritum in omnes partes distribuant. Sanguis, inquit Aristoteles in 3. de partibus anima-

lium lib. cap. 4. cùm humidus sit, conceptaculum habet necesse est; ideoq. venas emolita natura videtur. Quædam tamen peculiarem alium vsum obtinent: aut succi cuiuspiam attractionem, vt Porta & messaraicæ: aut purgationem excrementi, vt emulgentes, vreteres, spermaticæ, & aliæ quædam.

Quæ sententia?

Vtriusque, tum venæ, tum arteriæ, eandem propemodum dixeris substantiam esse. Quippe non alio modo differre videntur, quàm quod altera, vt tenuiorem & magis calidum continet sanguinem, & spiritum, qui elabi facilè & expirare posset, sic maiori eguit apparatu, meliusque instructa fuit à Natura; quàm altera. Nam vena præter communem illam & generalem tunicam exteriorem, qua singulæ partes inuoluuntur, in superiori regione à succingente costas, in inferiore à peritonæo otta; vnicam habet sibi propriam triplici contextam villorum genere: rectis plurimis ad trahendum sanguinem, obliquis nonnullis ad retinendum, & transuersis ad expellendum ac dispensandum comparatis. Qua maximè re distinguitur vena à membrana; colore alioqui, crassitudine, & forma persimilis. Quòd membrana vt non est ad attrahendum, vel retinendum, expellendumue instituta; sic nullis eiusmodi contexta est villis, sed vbique tota sibi & semper similis. At vena vt villis constat, ita non in similarium modò, sed in instrumentariarum etiam partium numero censetur; cum propriam functionem habeat. Verùm quòd de exteriori & ascititia tunica dictum est, ità se habet. Non enim ea adest vbique; sed ibi duntaxat; vbi vena aut ossi durioriuè corpori incumbit, aut suspensa & ab omni corpore libera ex vno in aliud membrum producitur. Tunc enim vt tutior sit contactus aut productio à proximis membranis tenui tunica obuestitur. At vbi visceribus inseritur, aut intrà carnem & musculos extenditur; ea tunica opus non est: cùm & benignus suauisque sit contactus; & firma satis extensio. Immò si adesset, circumiectorum musculorum nutritionem non parùm retardaret.

Venæ & arteriæ discrimen.

Idem de arteria intelligendum est. Sed ea duabus hisce tunicis tertiam addit intimam; tum duriorem ac ferè membraneam & cartilagineam, comprimi & dilatari aptam: tum quintuplo ferè crassiorem altera illa proxima, vt in 7. lib. de anatom. admin. cap. 5. obseruauit Galenus. Eâque velut cutem quandam interna superficie continet aranearum telæ persimilem: quam nonnulli tertiam arteriæ tunicam statuerunt. Neque hæc villis constat rectis, neque obliquis, vt vena; sed transuersis: quòd non ad attrahendum vel retinendum facta sit, sed ad spiritum propellendum ac dissipandum, pulsumque efficiendum, qui patentem semper & apertam viam postulabat. Exterior autem altera tunica rectis constat, & obliquis quibusdam, transuersis nullis, vt ex vtraq. vnum quasi tunicam triplici filorum genere natura videatur texere voluisse. Totámq. arteriam si cum vena conferas, sextuplo ferè crassiorem reperies. Vt minimè mirum sit, si aut ab Aristotele in 3. de historia lib. cap. 3. & 5. aut ab alijs veteribus neruosa, cartilaginea, aut etiam pulsatilis neruus fuerit appellata. Præsertim in homine, in quo, vt est in extremo cap. 17. lib. 1. eiusdem historiæ, proportione corporis crassiores sunt, quàm in cæteris animalibus, venæ. Aut ab iisdem illis priscis auctoribus minus accuratè distinctæ fuerunt ab arterijs venæ, omnesque communi nomine venæ noncupatæ. Quod & Hyppocratis & Platonis sententia ostendit Galenus in cap. 9. lib. 6. de illorum decretis, atque ex pluribus tum eorum tum Aristotelis locis manifestum est. Propterea enim id factum est, quod persimilis earum substãtia sit, nec alio modo, quàm vnius tunicæ additione, maiorique, quadam duritie & crassitudine differre viderentur. Quare τραχεῖαν solam qua respiramus, arteriam illi appellarunt: postea verò hæc, aspera, quæ vero spiritum & pulsum continent, læues arteriæ dictæ sunt.

Vsum tamen habent in corporibus venæ ab arterijs planè diuersum. Nam vena alimentarium sanguinẽ per totũ corpus destribuit, ceu alimẽti vehiculum: & ideò attrahere illud debet coquere, & siquæ sint excrementa pellere. Arteria verò tenuissimum sanguinem & spiritum continet & vehit; pulsum efficit, & calorem partibus omnibus subministrat. Illa nutritioni seruit, hæc calorem & vitam immediatè fouet, vitalique facultati famulatur, & vena immobili quiescente pulsat. Ambæ ad vegetantem animam pertinent.

Venæ & arteriæ vsus diuersus.

Admirabile illud videtur, quod in venis minimè concrescat sanguis, etsi mortuum animal sit refrigeratusque sanguis, qui extra venas concrescit statim, quamuis in intestina & ventrem colligatur. Nimirum propria quædam rei tam necessariæ conseruandæ facultas venis inesse credi potest quæ abeunte quoque anima superst. Vt si cui concreuisse interdum sanguis repertus sit, id post diuturnum morbum acciderit, quo facultas ea vel penitus extincta vel certè nimis debilitata fuerit.

In venis non cõcrescit sanguis.

DE VENARVM SANGVINISque principio Hyppocratis & Galeni sententia.

CAPVT XV.

NVm verò vt in cæteris, sic in principio atque origine conueniant hæ duæ partes, longè maxima disputatio est. Arterias namque ex sinistro cordis sinu erumpere indèque ad reliquas omnes partes duci, planè omnes consentiunt. Quod & eæ pulsare conspiciantur vt cor, & spiritum in corde genitum indèque deriuatum continere, & calorem illius membri ad reliqua omnia deducere, vitalique facultati, quæ in corde dominatur, famulari, ac demùm ex solo illo membro appensæ pendere, nec vlli alteri inseri, sed liberè planè ab alijs omnibus solutæ per totam animalis longitudinem sursum ac deorsum progredi.

Arteriarũ ortus.

Contrà de venis propterea contentio maxima, quod duobus omninò membris inserantur, dextro cordis sinui & iecori. Et quamuis ex corde pendeant, iecori tamen quoque alligatæ sunt. Neque plulsant vt cor, nec spiritum habent, sed sanguinem, cuius officina est iecur. Quin etiam Hyppocrates in lib. de hominis natura, atque in libro de ossibus, ex cerebro visus est eas deducere, vbi

De venarum ortu. 1. Op.

vbi crassissima quatuor venarum paria ex Capite descendentia commemorauit. Sed prioris libri partem eam, in qua ita scriptum legimus, subditiciam esse, non Hyppocratis genuinam, ostendit in cõmentario Galenus, & in libro sexto de illius decretis cap. 3. deque altero de ossium natura libro non pauci dubitant. Sanè ita omnino de venis sensisse Polybium medicum, cuius etiam in extremo libro 31. meminit Plinius, scimus ex Aristotele in 3. historię libro cap. 3. Qui nisi diuersus sit à Polybio Hyppocratis discipulo, quod mihi verisimile videtur, errauerit certè Galenus eam negans hanc de venis tractationem edidisse. Sensisse etiam Pelopem Galeni præceptorem, ipsemet eius discipulus testatum reliquit in cap. 3. & 5. lib. 6. notati; & Omeliorum memorat Auicenna ad initium tertij de animalibus libri. Verùm quicumque fuerit auctor, sensu ipso & dissectione conuincitur. Dum non ex cerebro quatuor, vt inquiunt illi, venarum paria, sed vnicam per thoracem medium ex inferioribus partibus cernimus ad cerebrum repere, eamque mox in plurimas scindi. Aut si à capite feceris dissecãdi principium, ad hanc vnam facilè omnes reuocabis.

Quod autem ad Hyppocratem spectat, minùs omninò constanter is locutus fuisse videbitur. Quippè in libro de principijs venarum omnium principium cor esse voluit; Cor, inquit, situm est in capite venæ cauissimæ. Duę enim cauæ venæ à corde: alteri nomen arteria est, alteri vena caua; iuxta quam cor situm habet. Cauissima autem vena, ad quam cor situm est, per ventrem omnem transit & perseptum transuersum, & in vtrumque renem & in lumbis finditur & exilit in crus vtrũque. Sed & supra cor ad ceruicem, partim ad dextram, partim ad sinistram, & in caput ascendit, & in temporibus finditur vtrinquè. Ita venas omnes à corde deduxit, tum ad iecur & caput, tum ad partes omnes Hyppocrates. Et rursum in lib. 4. de morbis, tum sanguinis, tum venarum, idem principium posuit. Sic enim ad initium ferè libri loquitur. Et sanè sanguini fons est cor, pituitæ caput, aquæ, hoc est melancholię: splen, bili locus folliculi in iecore. Hi sunt quatuor humoribus hisce fontes. Et rursum post multa. Postquàm bibit & comedit homo, quòd sanguineum est, trahit cor ad se ipsum; & ex ipso procedunt venæ, ad quas statim si copiosius accedat, sanguineũ illud distribuitur; & illæ impletæ breui ad caput & corpus delegant, & quæ sequuntur.

At contrà in 2. libro de popularibus morbis sect. 4. à iecinore per transuersum septum ad cor subleuari eas ait. Et in lib. de alimento, Radicatio, inquit, venarum iecur: radicatio arteriarum cor. Ex his aberrant in omnia sanguis & spiritus, & calor per hæc meat.

Priorem partem acceperunt Aristoteles & Peripatetici, proque cordis principatu dimicarunt semper. Posteriorem Galenus & Medicorum permulti. Is enim plurimis quidem in locis, sed maximè in sexto lib. de Hyppocratis & Platonis Decretis, iecori conatus est sanguinis & venarum ortum deferre. Triáque in corporibus nostris præcipua membra posuit, à quibus tota administretur vitą, iecur, cor, cerebrum. In iecore nutrientem virtutem, in corde vitalem, in cerebro animalem collocauit. Sanguinis & nutrimenti officinam esse iecur voluit, vitalis spiritus cor, animalis cerebrum. Venas nutrimenti & sanguinis vasa iecori alligauit, arterias cordi vitalem spiritum continentes, neruos demum cerebro, quibus sensus omnis & motus perficiatur. His addidit testes in 2. lib. artis paruæ alijsque in locis, in quibus genitrix resideret facultas, vasaq. adessent spermatica, & seminis conficiendi vis.

Et si vero fateatur ingenuè, non posse tàm euidenter demonstrari venarum iecur esse principium, quàm certò concluditur cor arteriarum & neruorum cerebrum esse fontes ac scaturigines. Horum enim vtrumque manifestum illud est argumentum, quòd si arteria neruusque ligetur, pars arteriæ cordi propinqua pulsat, reliqua omni statim pulsu destituitur. Parsque nerui cerebro copulata pristinas suas functiones ritè obit, reliqua motum illico prorsus ac sensum amittit. At vena quæcunque propè iecur ligata, etsi sensim & multò intercedente tempore lædatur animal, macrescat, & colore mutetur, nulla tamen subita fit & repentina mutatio, ex qua id, quòd queritur, euidenter ostendatur. Nihilominùs id ita esse, multis modis conatur ostendere. Primùm, quòd in plantis cernimus, in quibus solitaria inest hæc alimenti facultas, in animalibus idem euenire credendum est. Iam ex plantarũ semine in terrã iacto duo erumpũt germina, vnum sursum in aërem, alterum deorsum in terram, trũcus scilicet & radix: ex quibus alia plura post propagantur, ex trunco rami, plurimi minutiores, & radice tenuiores fibræ, quibus alimentum ex terra trahitur. Et in animalibus quoque ita est in arterijs, quæ erumpunt ex corde, vna sursum, altera deorsum. Amplissimæ namque illæ sunt, quæ prope cor existunt: quarum altera velut radix in pulmones mittitur ad trahendum aërem, quo spiritus nutriatur: altera ceu truncus in duos ramos sursum & deorsum scinditur. Ex quibus minutiores reliquæ deducuntur, velut ex maiore quopiam fonte riuuli multi, qui minores subindè euadunt. Et omnino maiora minorum principia sunt, nõ minora maiorum. Nam etsi interdum crescant flumina quædam quo longius processerint, quòd alios excipiant aquarum decursus: ea tamen, quibus aliæ non accedunt aquæ, planè minuuntur, præsertim si in alios riuos deducantur. At venæ, quæ sunt circa cor, non sunt omnium maximæ, sed quæ circa iecur. Immò ea, quæ cor & iecur coniungit, angustior est ea parte, qua cordi applicatur; quàm altera, qua tangit iecur. Cor igitur arteriarum, iecur venarum principium & origo existit. Eáque, quæ Porta dicitur, ex ima iecoris parte in mesenterium & intestina velut radix descendit. Caua vt truncus duos emittens ramos sursum ac deorsum per totum corpus progreditur. Deindè membro illi defferẽdus est venarum principatus, qui sanguinis fons existit: venę enim propter sanguinem formatæ sunt. At sanguinis procreatio fit in iecore, vbi humores omnes quatuor separantur ex alimento illuc per mesenterij venas ad Portam adducto. Ideò vt reliqua humoribus cæteris excipiendis vasa, vesicam fellis, lienem, & renes propè iecur, non iuxta cor, natura disposuit, ita etiam venas sanguinis vasa: Immò & cor ipsum, tanquam aptissimum vas sanguini in altero membro genito excipiendo, vt ex eo spiritum gigneret. Tum verò si cor sanguinis & venarum principium esset, totum alimentum in

Galeni op.

iecore quoquo modo præparatum & sordidiori substantia repurgatum, adduceretur ad cor, atque indè in omnes alias partes primùm distribueretur. At inferiores omnes sub septo transuerso partes manifestum est non à corde, sed à iecore accipere sanguinem. Immò & ipsum cor & propinquiores illis partes totúmque thoracem ab eodem illo membro nutriri & sustentari. Neque sanguis, qui dextro cordis sinu continetur, aliam habet speciem magisque perfectus est; quàm ille sit, qui est in iecore ac toto reliquo corpore. Illud etiam magnum est huiusce rei argumentum; quòd inter cor & iecur non nisi vna vena reperitur. Neque fieri potest, vt per eandem & alimentum semicoctum à iecore ad cor ascendat, atque ab eodem ad iecur partesque subiectas descendat. Nam præterquàm quòd angusta satis est via, permiscerentur nimirum: duóque in ea horis omnibus contrarij motus sursum ac deorsum fierent. Sed si à corde nutriri animalium corpora debuissent; venam vnam prouidisset natura, qua alimentum adduceretur ad cor; alteram, qua inde ad cæteras partes reduceretur. Quòd in iecore factum est. Nam vena Porta alimentum suscipit, Caua largè distribuit: & dum sursum, reptat, attingit cor eique ramum quendam applicat, vt ad illud membrum nutriendum spiritumque gignẽdum sanguinem subministret. Sed ad superiores regiones alendas rectà statim eadem ipsa minimeque interrupta pergit. Quòd si ex corde primùm erumperet, vt arteria sinistrum egrediens sinum in duas euidenter diuiditur, ita in dextro discindi venam oporteret. Addit Galenus, animalia complura dextro hoc sinu cordis carere. In quibus cùm nihilominùs vena Caua cernatur, manifestum est non ex eo sinu, sed ex iecore venam illam prodire. Venam Portam & eas omnes, quæ ex illa pendent, nulla ex parte cum corde, sed cum iecore coniungi. Quam ob causam qui de venarum dissentione scripserunt, non aliud, quàm iecur, doctrinæ principium fecerunt. Quoniam scilicet reipsa est illarum origo; omneique cum illo vno continuantur venę, atque ad illud velut principium & fontem reducuntur. Fore quoque, vt quemadmodum arteriæ ex corde profectæ perpetuo pulsant, sic etiam pulsarent venæ, si earum idem esset principium. Non enim solus sinister, sed dexter item cordis sinus pulsat, vndè illæ oriri dicuntur. Denique ipsam iecoris substantiam esse planè sanguineam & quasi concretum sanguinem qua nihil ad procreandum sanguinem accõmodatum magis reperias.

Hæc sunt omnia Galeni argumenta, quibus hãc suam sententiam persuaderi nobis voluit. Quibus Hyppocratis quoque & Platonis addidit testimonia. Sed minùs sincerè atque ingenuè egit. Nam etsi de Platone ità credi possit, qui concupiscentem animæ partem in iecinore collocauit: Hyppocratis tamen sola illa loca proposuit, quæ aut fauebant iecori; aut si de cerebro loquerentur, respõderi poterat subdititia ea esse, non illius auctoris propria & genuina. Sed illa omnino dissimulauit, in quibus cor apertè affirmauit sanguinis & venarum principiũ esse. Quæ cùm dici non possint subdititia esse, quemadmodum exponi à Galeno queant, ego quidem non video. Aristotelem igitur ac Peripateticos patrocinium cordis suscipientes audiamus.

QVID ARISTOTELES ET Peripatetici senserint.

CAPVT XVI.

ARistoteles in 3. lib. de partibus animalium cap. 4. & 5. & lib. 2. de eorumdem procreatione c. 4. & in libro de somno & vigilia c. 4. & de iuuẽtute & senitute c. 2. 10. & 15. alijsq. plurib⁹ in locis, vt virtutum omnium, nutrientis, vitalis, & animalis; ita sanguinis & spiritus omnis, venarum, arteriarum, & neruorum vnicum principium voluit esse cor. Eum post Peripatetici omnes secuti sunt: Alexander præsertim in 1. lib. de anima cap. vlt. & Themistius in librum de somno & vigilia cap. 13. & 23. & Auerroës in cap. 4. lib. 3. de partibus, & 2. lib. colliget cap. 9. & ex medicis quoque non pauci nec ignobiles. Nam vt duo illa Hyppocratis Aristotele antiquioris antea memorata loca prætermittam, Erasistratum eandem habuisse de venarum ortu sententiam, locupletissimus testis est Galenus in cap. 6. lib. 6. de Decretis, & auctor libri de vtilitate respirationis Galeno adscripti: & Turisanus commentario 12. & 44. in 2. artis paruæ, tum virtutum omnium, tum sanguinis & venarum primam sedem in corde posuit; & post eum Conciliator differ. 47. & diligentissimus corporum dissector Andreas Vesalius lib. 3. de corporis humani fabrica cap. 6. miris modis Galeni sententiam & argumenta exagitauit. Auicenna autem etsi multa visus sit in vtramque partem disputare in 3. de animalibus lib. 1. & 3. & in sexto naturalium cap. vlt. quam ob causam eum Auerroes credidit nec Aristotelis nec Galeni sententiam asseruisse. Verè tamen stat pro Aristotele; cuius in 1. fen. 1. can. doct. 5. cap. 1. veriorem subiunxit esse sermonem & doctr. sexta cap. 1. Medici, inquit, cùm considerant sicut debent & certificant, inueniunt rem sicut videtur Aristoteli, & non quemadmodum ipsis videtur. Et inueniunt sermones suos extractos ex præmissis probabilibus, nõ necessarijs; in quibus non assequũtur nisi quod ex rebus apparet. Quæ verba libuit hoc loco adscribere, vt de hac inter Aristotelem & Galenum controuersia intelligat vnusquisque quænam fuerit Arabum medicorum principis pronuntiata sententia. Omninò enim constituit, tùm in his locis, tùm in 1. lib. de medicamentis cordis, & confirmarunt eius interpretes, Vgo Senensis, Gentilis, Iacobus Foroliuiensis, & Dinus in commentario in librum Hyppocratis de natura fœtus, dum disputat, an testes sint præcipua membra in actu generationis: & rursum, an semen ex toto corpore decidatur: cor quidem virtutum omnium principium & fontem esse; sed solum pulsum immediatè exequi; reliquarum facultatum operationes non nisi per aliud membrum, quod velut secundarium principium sit, nutritionem per iecur, procreationem testium vsu, sensum & motum cerebro adiutore. Itaque si res tota diligentiùs consideretur; errauit in eo Galenus, quod operationes videns à membris hisce immediatè & proximè fieri; ea credidit esse prima illarum principia.

Aristotelis opinio.

Medicos quoque ita sensisse.

Aristoteles,

Aristotelis argumenta.

Aristoteles, vt in cæteris, ita in hoc primum principium persecutus est. Vidit enim oculatissimus Philosophus animam esse vnicam formam, in plures quidem facultates, at non in plures substantiæ partes diuisam. Atque vt facultates plures ad vnam essentiam pertinent, sic omnia corporis membra, quę facultatum earum instrumẽta sunt, ad vnum primùm membrum reuocari oportere: quod primum formetur & velut præcipuum prima sit animę sedes, vndè tùm essentiam tùm facultates suas reliquis membris impertiat. Namque ità animal, tum ex parte animæ, tum corporis, est maximè vnum. Cumque natura id semper faciat, quod est melius, satius multò est vnum esse, quàm plura in animali facultatum principia. Ad vnitatem enim omnis multitudo reuocatur: & in vnoquoq. genere veniendũ est ad vnum à quo cætera omnia pendeant, tum in magno, tum etiam in paruo hoc mundo; cùm pluralitas principatuum minùs sit bona; neque (vt est in extremo 12. libro. Metaph.) entia velint malè gubernari. Hoc autem primùm, quod totius vitæ facultatúmque omnium parens est & moderator, nimirum est cor. Quod primum viuit, tanquam primum animæ domicilium, & vltimum moritur: & vt vitæ principium, ita nutritionis & aliorum omnium existit. Quia cùm vim habeat agendi in reliqua omnia membra, omnibus, præstat: quippè, vt est in tex: 19. lib. 3. de anima, agens nobilius semper est patiente. Tum verò in medio animali, tutissimo scilicet & aptissimo loco, tanquam Rex in regno aut arcepositũ est: vt & ipsum tutissimum sit, & cęteris omnibus sanguine & spiritu subuenire cunctáq. optimè administrare ac regere possit. Est etiam caloris fons, quem in totum corpus abundè distribuit. At calore tùm sustentatur, vita, tum facultates omnes operationes suas exequuntur. Est officina spiritus qui singulare est ac generale ad actiones animæ vniuersas instrumentum. Denique cùm vegetãs anima & facultas veluti materia sentientis sit, vt est in tex. 31. lib. 2. de Anima; eandem necesse est vtriusque sedem esse, sentiensque sedem esse in corde gaudium, tristitia, tactus, & id genus alia testantur, quæ in eo potissimùm membro vigere cernuntur.

Vicaria cordis membra.

Verùm vt in totius mundi administratione prima causa non omnia immediatè exequitur; neque Rex in regno singula quęque operatur: sed illa secundis vtitur causis, hic præcipua quædam agit, alijs proreges & magistratus præficit, qui etsi principes appellentur; ob id tamen solùm appellantur, quòd à summo Principe delecti vicariam gubernandi potestatem acceperunt, & tanquàm à Rege delegati prouincijs singulis ac ciuitatibus præsunt, commissaque sibi munera exequuntur: cùm nec æquũ sit nec fieri possit, vt summus Princeps minuta quæque persequatur & obeat singula. Ita cor, etsi penes ipsum omnis esset & summa vitæ sensus, & motus potestas; non debuit tamen nec potuit immediatè obire singula: sed alijs quibusdam membris, quasi vicarijs munia quædam cõmisit: iecoriq. gignendi sanguinis ac nutriendi potestatem fecit, testibus procreãdi, cerebro sensum & arbitrarium motum administrandi. Ipsum verò in nulla huiusmodi particulari actione immediatè occupatur: sed in generali sola illa atque omnibus necessaria, quasi potestate à Rege ministris omnibus communicanda: in generatione inquam vitalis spiritus, quo & vbique vitam conseruet, & corpus totum foueat ac tueatur, illisque ipsi à se constitutis membris calorem & spiritum, quibus delegatam sibi prouinciam ritè gubernent, cõtinenter submini strẽt. Hanc enim solam facultatem sibi retenuit, ac penes se totam esse voluit. Vndè rursum cognoscitur, hoc esse primum omnium & nobilissimum membrum: à quo reliqua omnia ita pendent, vt sine illius calore & spiritu, veluti supremi principis auctoritate, non solum nihil operati, sed nec omnino esse possint. Quod vel etiam aduersarius, cùm maximè nolles, fateri coactus est; cum in cap. 3. illius eiusdem libri sexti ità scripsit. Cor solum ex omnibus animalis visceribus exemptum etiam aliquandiù naturalem suam functionem seruire conspicitur: quippè quod & sibimet ipsi & alijs omnibus, quæ ab ipso emanant, agitationis origo sit. Etsi enim de proprio ipsius motu loquatur, dum, tamen membrum illud fatetur sibi ipsi ad operandum sufficiens esse; miniméque pendere à cæteris, vbi reliqua omnia ab illo maximè pendent neque sinè eo functiones suas exequũtur; omninò illius primatum confitetur.

Quomodo principium tum cor, tum iecur.

Et quoniam hoc loco de sanguinis generatione & vasorum eius conformatione potissimùm suscepta est disputatio; ipsemet Aristot. in lib. 3. de partibus cap. 7. dum cor & iecur animalibus omnibus necessaria esse scripsit, alterum propter caloris originem, alterum cibi coquendi gratia: apertis affirmauit verbis, in iecore quoque alimenti facultatem inesse. Eam tamen in corde residere tanquam in primo principio animæque sede præcipua; & in iecore tanquã delegata & vicario famulóq. membro commissa; idem auctor interpretatus est in c. 2. lib. 1. de iuuentute & senectute. Cor autem, inquit, esse venarum principium in ijs, quæ de partibus animalium, dictum est priùs: & quòd sanguis in sanguine præditis est vltimum alimentum, ex quo particulæ fiunt. Manifestum igitur, vnamquamque operationem oris virtutem ministrare: alterã autem, eam quæ ventris circà alimentum (ventris porro nomine iecur quoque intelligitur) cor verò principium & finem imponit. Quarè necessarium est nutrientis animæ in cordis principiũ esse sanguine prędi tis. Nam aliarum particularum opera circa alimentum huius operis gratia sunt. Cùm enim alimentum ab alendorum membrorum natura plurimũ distet, multáque superfluitates cõtineat, quas secerni oporteat; pluribus antea fuit opus mutationibus; neque incocta & excrementosa substantia potuit statim ad cor deduci, quod nullum penitus excrementũ tolerat: sed tum in ventre, tum in iecore purgari primùm debuit à deteriori materia. Quarè vt venter iecori materiam prępar at, crassiori substantia reiecta; sic iecur cordi, peioribus secretis humoribus; sanguinis materiam colligit, quę à corde mox vltimam perfectionem accipiat. Et ideò in cap. 2. lib. 4. de partibus fellem legimus esse iecoris excrementum; neque cordi vllum huiusmodi humorem appropinquare posse. Sed quoniam, vt ait Alexander, sanguis is, qui primùm in iecore gignitur, non satis coctus est, propriè sanguis dici non debet, antequam magis à corde coquatur. Sanguis, inquit ille, in primo libro de anima cap. vlt. qui redũdat in iecore, indigestus atque non coctus est, neque propria san-

guinis appellatione nuncupari debet. Itaque non idcircò solùm sanguinis principatum tribuit Aristoteles cordi, quòd in iecore quidem, sed cordis virtute progignatur, quemadmodum credidit Auicenna, & alij post eum; contra quos tum disputat Marcus Antonius Zimata in tabula; tum illud est magnum argumentum, quòd cùm venter quoq. calorem habeat à corde, non minùs diceretur chylus ex corde oriri. Deinde si ità is opinatus fuisset, venas item ex iecore deduxisset. At contrà potiùs ratiocinatus est: Membrum illud non est principium sanguinis, non solum quia opportunum situm non habet in medio animali, vndè ad omnes partes mitterre sanguinem possit: neque cauitate vlla & sinu tanquam loco proprio, vt cor, quod & cauum est & sanguine semper plenũ, velut illius fons, sed vena duntaxat ceu canali continet sanguinem. Verùm etiã quia venarũ principiũ non est. Quod, & ex dissectionibus cognoscitur, quibus eas ex corde erũpere, neque illud, sed cætera membra permeare, per totam autem iecoris substantiam ad inferiores partes transire videmus. Et ex eo confirmatur, quòd iecoris substantia sanguinea & mollis aliena prorsus est ab exangui & solida venarum nãtura: persimilis autẽ venosa & arteriosa cordis substantia. Vt iecur potiùs ex venis, quæ egrediuntur à corde, quàm venæ ex ipso habere principium videantur. Siquidem nil aliud ipsum sit, quam infinita prope modum venarum soboles, cui concretus sanguis obnatus sit. Contrà verò venæ Cauæ os & substantia, tum arteriæ magnę & venalis, tum arterialis venæ, quas ex corde oriri certum est, orificijs & substantijs persimilia cõspiciantur.

Duplex sanguinis, duplexque alimentum.

Ergò, vt quid tandem Aristoteles de tota hac difficultate senserit, intelligatur planius, duplicem oportet sanguinem duplexque alimentum distinguere, vt ex cap. 7. paulo antè notato & cap. 18. lib. 1. de animalium ortu, aliisque locis colligi potest. Vnum primum & inchoatum, qui ex iecinore fluit, eiusque coquendi gratia est illud membrum. Alterum perfectum & vltimum, comparatione prioris (vt Auerroes loquitur) velut formam: huiusque opifex, & principium cum sit cor, verè sanguinis & alimenti vltimi ac nutritionis auctor appellatur & princeps. Quod non ideò dicitur, quod sanguis in iecore genitus ad cor anteà deducatur & in eius sinibus perficiatur ac mutetur, moxque per venas rursum distribuatur ad membra. Sed quod dum in arterijs, quæ venas comitantur, cordis calor continetur, proximũ is sanguinem calidiorem faciat, tenuiorem, puriorem, & omninò perfectiorem magisque ad nutriendum idoneum. Potius enim agenti, quòd vltimam dat formam, quàm ei, quod ad illam disponit, effectus quilibet tribuendus est. Atque ad huius rei confirmationem spectat illud, quod in quarto libro de vsu partium cap. 15. ipsemet aduersarius tradidit, lienẽ crasso sanguine ex iecore adducto non antea nutriri, quàm ab arterijs, quę illic sunt, elaboratus fuerit & tenuior factus.

Iecoris sanguis vt à corde perficitur.

Alio etiam modo hanc ego sententiam intelligo. Nam cum vnus sit venis, alter arterijs contentus sanguis, ille in iecinore, hic in corde genitus: prior est vt materia, posterior tanquàm agens. Ideò corde potius, quàm iecori sanguinis principatus defertur. Quippe illius sanguinis opifex est, qui vt agentis vim habet, ità præcipuus est, potissimus, & alteri, tanquàm materiæ dominatur: eoque ad nutrienda corpora abutitur, dum per arterias distributus in omnes partes venarum sanguinem suo calore coquit & in viuentiũ substantiam cõmutat. Quã enim aliam ob causam venas vbique comitentur arteriæ, nisi vt cum materia coniungatur agens, maiorque per illas à corde calor adductus ex venarum sanguine nutritionem totam perficiat. Itaque tum sanguinis & alimenti vltimi, hoc est perfectissimi illius & proximè ad nutriendum præparati: tum verò nutritionis ipsius auctor & princeps est cor, penes quod tota vis est agentis. Quia si nutritio in alimenti commutatione in substantiam viuentis consistit; commutatio hæc viuentisque renouatio tota fit à calore cuius fons & origo est cor. Aquo, vt singulare functionis illius & primum principis instrumentum, per omnes partes is cum spiritu distribuitur.

Iecur quodin nutritione Præstet.

Iecur nil aliud ad nutriendum confert, nisi quòd cordi velut agenti & vtenti materiam præparat: dũ eam, quæ dulcis est & benigna, & ad gignendum spiritum ac nutriendum apta, secernit ab ea, quæ minùs bona est minusque vtilis. Non secus atque inferiores artes superioribus & quasi principibus materiam dolãt, poliunt, & omninò præparant & exhibent; quia vtuntur illæ præclariora opera perficiendo. quod sanè ministri & famuli officium est, non Principis, cordéq. prorsus indignum. Vt si quis iecori propterea deferat principatum, deferat etiam ventri, qui iecori materiam prępparat: arteſq. sordidissimas, quæ architectonicis famulantur, appellet principes, & (vt Auerroës loquitur) bubulcus quoque, qui cibum alijs bubulcis prępparat, princeps vocetur.

His omnibus accedit, quod illam iecoris operationem non pãrùm promouet cor eo calore, quẽ tùm ob loci propinquitatem, tum maximè per arterias & spiritum ad illud membrum transmittit. Cur enim quæso plurimas à corde suscipiat arterias. Sanè magna ex parte illa ipsa sanguinis generatio tribuenda est cordi, quæ calore spiritus à corde missi magna ex parte perficitur, nec sine illo perficeretur. Neque dubitauit Auerroes in 4. lib. colliget cap. 2. asserere totum illum calorem, quo iecur operatur, esse à corde, velut formam comparatione proprij & insiti membro illi caloris. Quod tamen omnino verum non est. Sed vt iecori & ventri membrisque omnibus iniunctum fuit alicuius operationis perficiendæ munus, ita credendum est eum illis calorem aliqua saltem ex parte cum cęterisqualitatibus insitum esse à natura, qui operationi illi necessarius est. Vt enim cerebrum factum est frigidum, quod spiritum à corde transmissum temperare deberet; sic iecur calidum, vt alimentum coqueret primámq. illam sanguinis speciem produceret. Tametsi & cerebro ob spiritum ascendentem, & iecori propter vtramque significatam causam maior calor accedat.

Hinc est, quod tum corde læso, tum iecore, generatio sanguinis & nutritio lædantur. Iecore quidem læso, quoniam in eo sanguinea illa massa, qua nutriendum est animal, cogitur primùm & ab humoribus cæteris separatur: ideo medici huic potissimùm parti medentur. Corde autem, quoniam eo læso non solum prima sanguinis coctio impeditur

impeditur, quæ non parum à calore cordis iuuabatur: verùm maior quoque illa perfectio & absoluta nuttitio, quæ à corde & eius spiritu proficiscitur. Atque hîc sit finis pro vtraque parte disputandi: déque tota tandem controuersia iudicium feratur.

AVCTORIS IVDICIVM.

CAPVT XVII.

TOtius disputationis hæc est summa. Vnam & eandem corporis partem, tum sanguinis principium esse, tum venarum, quæ sanguinis vasa sunt in eum finem conformata, vt sanguinem in ea parte genitum excipiant & distribuant, & Aristoteles & Galenus consentiunt. Sed hanc partem alter cor, alter iecur esse contendit. Vterque suam sententiam ac commodatè satis & ad persuadendum appositè demonstrasse videtur. Melioribus tamen ac certioribus principijs Aristotelem adductum fuisse pronuntio ad hunc principatum cordi deferendum (de neruis autem post seorsim dicam.) Immò vt is est vbique & in omnibus mirificè sibi consentiens; & propositiones alijs in locis positas semper sectatur: ita in hoc controuersiæ genere certissimis illis principijs nititur; Omnis multitudo ad vnitatem reuocanda est; In nullo genere progredi licet in infinitum, sed vnum quidpiam est omnium primum; Vnius principis administratio est omnium optima; Natura facit semper id, quod est melius: quæ & per se manifesta sunt, & alibi demonstrata. Galenus autem nullis eiusmodi argumentis vtitur: sed ea sola proponit, quæ Aristotelis sententiæ difficultatem pariant eámque labefactare atque infirmare videantur. Voluitque sensu potissimùm & dissectorum corporum inspectione rem totam iudicari.

Aristotelis opinio probatur.

At quamuis sapientis viri non est iudicium rationis contemnere; ad sensum tamen Aristoteles prouocatus libenter sequitur. Cuius iudicio duo planè decernuntur. Alterum; Venarum substantiam exanguem esse; solidam atque à iecoris natura, quæ tota mollis est & velut concretus sanguis, prorsus alienam. Cordis verò simillimam; quæ vt arteriarum consentiente Galeno principium est, sic venarum quoque esse credenda est. Quid enim tandem inter venæ atque arteriæ substantiam intersit, nisi quòd vna paulò, quàm altera, crassior est meliúsque ad tenuiorem sanguinem continendum instructa: alioqui planè persimiles?

Argumentum ex sensu.

Alterum, venas peruadere ac permeare totas reliquas corporis partes, ad quas adducuntur aliunde, & velut canales irrigare atque ad proxima membra vlteriùs extendi. Eodémque modo venam illam Cauam, quæ à corde descendit, ita sese iecoris gibbo insinuare, vt per illius corpus penetrans ad inferiores partes integra progrediatur. Et quamuis ego sæpè in gratiam Galeni radicis atque originis vestigium aliquod diligentissimè in eo membro quærerem, nullum tamen vnquàm agnoui, nec vllam partem vidi, quæ tanquam initium assignari posset. Sed continuatam semper miniméque interruptam, velut canalem quendam, venam illam inspexi: & plurimos duntaxat ex ea ramulos in omnem iecoris partem hinc inde spargi, quibus, vt mesaraicis ad Portam chylus à fœcibus separatus, ad magnam illam Cauam sanguinis substantia ab humoribus cæteris secreta adducatur, vt per corpus deinceps distribuatur. Contra dum cor inspexi & vtrumque illius sinum aperui, non solùm nec arteriam vidi nec venam membrum illud peruadere, vt ad alia traducerentur: sed ad sinistrum alteram, alterâ ad dextrum sinũ sistere sese apertissimè deprehendi. Verùm etiam manifestas vtroque obseruaui radices, conspicuámque arteriosæ ac venosæ substantiæ circà sinuum orificia, quasi coronam: vnde tum arteria, tum vena velut illius radicis ac trunci propagines vtrinquè erumpant. Cur enim arteriæ alteram, non item alteram venæ radicem dixeris? Cùm nil aliud inter eas intersit, nisi quòd ea, quæ arteriæ radix existit, crassior est & densior, quàm altera sit, quæ venæ. Quoniam vt hoc ipsum inter arteriam & venam interest, sic æquum fuit inter earum radices & primordia interesse. Aut si arteriam objicias manifestè ex corde prodire, quia nulli alteri membro inseritur, quemadmodum iecori vena: Num ergò arteriam quoquè ex corde negares nasci, si vt vena, per aliud membrum ipsa quoque transiret? Iam verò non transit, quia spiritum à corde immediatè suscipit, ac per minores ramulos ad singula membra deriuat. Transit autem vena per iecur, vt ab eo membro sanguinis substantiam hauriat, & ad cor adducat.

Alterum argumentum.

Neque prætermittam arterialem venam ità conspici ex dextro sinu prodire, vt minimè coniuncta sit cum Caua (quidquid Galenus dicat) immò nec vllo modo tangat: sed non pauca cordis substantiæ portio inter distincta & integra vtriusque orificia intercedat. Sed & illud accedit; quòd arterialis illa sextuplo crassior est, quàm Caua. Vt argumento vtroque concludere liceat, vnam ab altera non oriri, neque ad iecur reduci posse; sed ex corde ambas immediatè proficisci.

Neque aduersarius negabit venalem arteriam, etsi arteriæ fungatur munere, venæ tamen substantiam habere. At ea sinistrum cordis sinum ortus sui principium agnoscit: idem igitur ipsum membrum cæterarum venarum fontem esse credendum est.

Ad extremùm priùs formantur venæ, quàm iecoris caro, quam velut sanguinis circa venas affusionem aut concretionem esse Galenus ipse fatebitur. Venas enim velut spermaticas partes ex semine priùs formari, vt & arterias & neruos; tum affluente sanguine parenchymata procreari; priúsquã spermaticas partes, quàm carnosas formari, passim in horum medicorum libris legimus.

Quæ omnia cùm diligenter & attentè mecum ipse perpenderem: viderémque id, quod Aristoteli certa ratio persuasit, sensuum quoque iudicio ac partium dissectione confirmari, aquieui planè atque ita rem habere constitui. In spem vocatus fore, vt argumentationes Galeni faciliùs diluerem. Præsertim cùm ipsemet præmonuerit non vsque adeò firmam ac necessariam confirmationem suam esse futuram.

GALENI ADVERSVS ARISTOtelem argumenta diluuntur.

CAP. XVIII.

1. SAnè vt primum illud argumentum admittatur, quod ex plantarum seminibus desumptum est: de corde illud totum verissimè affirmari potest. Tum quia illud est primum membrum, quod antè omnia formatur, tamquã principium & fundamentũ, & vt ita loquar, semen vitæ cæterorũq. mẽbrorum. Tũ quia si de arterijs ipsemet aduersarius cõcedit eas veluti radices & truncũ plantarũ ex semine, nasci ex corde, atque in minutiores mox ramos cõcidi: cur non idem de venis dicatur? Sed in eo errauit magnoperè, quòd arteriæ radices eam tradidit esse partem, quæ ad pulmones mittitur, aërem ad nutriendum spiritum attractura. Nam non ex aëre, sed ex sanguine dextro cordis sinu suscepto nutriri ac refici spiritum, in libro primo demonstraui. Quare aut radix est illa ipsa pars, vnde nascuntur cæteræ; quæque inseritur cordi & spiritum inde deducit. Aut si ex plantarum analogia philosophandum sit, radix erit ea pars, quæ inferiùs descendit, iecoríque præsertim ac mesenterio inseritur, vndè alimentum animali suppeditatur. Quòd de vena multò veriùs dici poterit, quæ per se ad alimentum pertinet.

Cor vt semen vita ac cæterorum membrorum. Arteriæ & venæ vt radices plantarũ.

2. Magis illud vrgere videtur, quod de venarum amplitudine in iecoris cauitate obiecit; quasi maiora minorum, non minora maiorum principia existant. At irrisit hoc argumentum Andræas Vessalius & aduersus auctorem cõtorsit. Venæq. cauę orificium, quod ad dextrum cordis sinũ pertinet, multò amplius esse, quàm in alia quæcunq. parte, ostendit. Partémque venæ, quæ supra iecur cordi propinqua est, maiorẽ esse contendit; quàm ea sit, quæ subest iecori. Quod sanguine ad superiorem partem cõpulso ostendit. Et ratio quoque ipsa fortasse suadeat. Siquidem contrà, quàm Galenus obiectet, plus sanguinis ad superiores, quã ad inferiores partes mitti oportere videtur. Tùm quia inferiores nutriendæ solùm sunt; in superioribus autem præter alimentum replendus semper est cordis sinus; materiáq. suppeditanda spiritui, quo arteriæ omnes totius corporis, cerebri sinus, ac nerui, omni tempore abundent. Tum quia inferiores ipsæ partes nutriendæ pauciores sunt; renes, testes, vesica, altera, crura, & inferior abdominis pars: superiores multò plures, septum trãsuersum, vniuersus thorax, superior ab vmbilico abdominis pars, pulmones, brachia, & caput totum. Deinde ipsemet Galenus neruorum initia agnouit in cerebro, vbi tamen non sunt omnium maximi, sed pluribus alijs in locis maiores multò visuntur. Imò in ijs ipsis, qui continentur in capite, crassior est ea neruorum opticorum pars, quæ in humorem cristallinum definit, quam illa sit, quæ prodit ex cerebro. Quod in libro de neruorum dissectione cap. 2. ipsemet aduersarius fatetur. Tum verò in Physicorum lib. 8 tex. 87. demonstratum est ab Aristotele, ex fine maximè debere nos rem quamque naturalem metiri. Neque semper id quod est infimum, crassius existit: sed solùm si ita melius sit & vtilius. Arborum radices tenuissimæ sunt, vt ex terra commodiùs hauriant alimentum: truncus autem crassior, quo diutiùs in illo vita conseruetur. Et omnino formatrix virtus, inquit Auicenna in 3. lib. de animalibus ca. 1. quando necessarium est aliquam membri partem esse crassam, eam auget & crassiorem facit. Quocirca vt neruus opticus in eum finem conformatus, vt spiritum ad oculum duceret, crassior in oculo factus est, vbi copiosior spiritus erat ad videndum necessarius. Sic amplior in iecoris gibba parte, quàm in corde, facta est vena, vt commodiùs à iecore susciperet sanguinem atque ad cor transmitteret. Quod fortasse ars imitata eadem forma effingit instrumenta illa, quæ in fundibula vocitantur, quòd vina & liquores quosuis in vasa infundant. Ac rursum amplior multò in caua, quàm in gibba parte: quòd copiosior ad inferiores partes sustentandas, quàm ad superiores sanguis mittendus esset: tum propter crurum maximè granditatem: tum vt multum procreationi semen subministrantur. Hæc enim pars duplici functioni, nutritioni & procreationi, destinabatur. Accedunt renes, qui dum sanguinem illum purgant, minorem multò reddunt: siquidem non paruam partem emungunt. Qui verò supera petit loca, totus purgatus est & vtilis. Tanta tamen in gibba est, quanta posset superioribus partibus necessarium sanguinem capere.

An vena propè cor ampliſſima.

An plus sanguinis ad superiores an ad inferiores partes mittatur.

Auerroës autem addit hac ipsa de re cum Galeno disputans in expositione cap. 4. lib. 3. de partibus, non solùm propter finem quempiam, sed etiam ex necessitate & defectu materiæ interdum fieri, vt origo rei tenuior sit. Quòd pauca in eo loco, vnde oritur, adsit materia: quæ post alibi copiosior facta maiorem illi rei quantitatem & crassitudinem addat. Nimirum in plantarum & arborum genere quædam sunt, quæ superiores trũci partes, quàm inferiores radicibus propinquas, grandiores ostendunt. Quare cùm in corde, ex quo arteriam per corpus vniuersum oportebat diffundi, non suppeteret tanta materia, ex qua statim ampliſſima quoque formaretur vena; ampliſſima quidem facta est arteria, quæ per nullum aliud mẽbrum, ex quo augeri posset, ducenda erat: minor autem vena, quæ per iecur transiens, addita noua materia, crescere poterat atque adeò aperire Portam meſſaraicásque extendere ad alimentum illud attrahendum.

3. In altera argumentatione Galenus verè accipit, membrum illud venarum esse principium, quod sanguinis fons est & architectus. Sed dum hoc iecur esse affirmat, magnopere errat. Nam vt Aristotelis illud prætermittam, sanguinem in eo membro esse solùm in venis præterfluendo, vt in canali & cæteris feré partibus; in corde autem non in venis, sed in sinibus tanquam in loco proprio: atque adeo vbi primùm formatum est cor, antequàm formetur iecur, continere in seipso sanguinem. Maiorem is imperfecti, inchoati, & incocti sanguinis rationem habet; quàm eius, qui agentis vim habet. Deinde concedet nobis idem ipse aduersarius, sanguinis principatum membro illi defferendum esse, quod nutritionis est princeps. Sed dum hunc quoque principatum dedit iecori, considerare debuisset nutritionis vim in alimenti commutatione in substantiam viuentis consistere; qua id, quod fuit consumptum,

consumptum, resarciatur. Hęc enim commutatio viuentisq. renouatio tota fit à calore; cuius fōs est cor. Neq. permouere nos debet humorū illa, quæ fit in iecore, separatio; eorūq. vasa prope illud mēbrum disposita. Horum namq. alterum ex altero cōsequens est. Etsi ibi separantur, ibi quoq. adesse vasa oportet, quibus separati excipiātur. At separatio illa, vt anteà ostēsum est, indignum principe opus est; propriūq. ministri & famuli obsequentis ac materiam principi præparantis. Sicut & vētriculus anteà iecori præparauit atq. inutilem materiam secreuit; & vasa, quæ illam excipiunt, cum ventriculo coniuncta sunt. Venæ quoq. iecori alligantur; vt suscipiant sanguinem: nec tamen inde ortæ; sed vt ad aliud principem membrum, propter quod sanguinem illum separauit, susceptum adducerent.

4. *Num totus sanguis ad cor ascendat.*

In tertia argumentatione vult aduersarius sanguinem vniuersum in iecore genitū ad cor ascendere, antequam per corpus distribuatur. Non defuerunt, qui ita existimarent; admirabiliq. naturæ artificio fieri dicerent, vt per eādem venam incoctus sanguis ad cor ascendat & ab eodem tenuior ac perfectior ad inferiores partes descendat. Is enim, inquiunt, qui ascēdit, dum alteri descēdenti occurrit, tantisper subsistit, donec ille transeat: vel contrà is, qui descendit, transitum ascendenti cedit. Atq. hoc modo non simul nec eodem tēpore, sed momētis diuersis fieri posse & verò persæpè fieri in eadem vena contrarios motus; ipsemet Galenus affirmat in lib. de Atra bili ca. 7. & lib. 4. de vsu partium c. 19. & lib. 3. de Natur. facul. c. 13. alijsque pluribus in locis.

Egregium sanè cōmentum. Sed quod absq. cognitione & intelligentia constare minimè queat. Deinde humores illi duo planè permiscerentur. Tum verò motus sanguinis in venis continuus est semper, nec vnquam interruptus. Siquidem momentis omnibus fugunt mēbra & sanguinem trahunt. Accedit, quòd dexter cordis sinus angustior est, quàm vt aut totū iecoris sanguinem; aut præter eum, ex quo gignendus est spiritus, totius corporis alimentum capiat. Pars illa venæ, quæ inter cor est & iecur, tantò minor est ea, quæ infrà iecur ad partes sanguinē mittit; vt quamuis nullus per alteram illam cum corde coniunctam ascenderet, sed tota sanguine descendēte turgida esset, eo tamē inferior illa nō impleretur. Ad eam igitur implēdam necesse est sanguinem aliquem ex iecore immediatè defluere. Quòd si aliquis concedatur, potest & tota cōcedi eo repleri sanguine. Vbi verò concessum fuerit inferiores partes illo nutriri sanguine, qui in finibus cordis coctus non fuerit; quidni de superioribus illud ipsum concedatur? Non solùm enim æquum est idem esse omniū nutrimentum: verùm etiam intelligi non potest quo modo aut tàm copiosus sanguis tàm angusto cordis loco suscipiatur, aut per angustum illius orificium ingrediatur simul, & egrediatur.

Sic igitur res habet. Sanguinis substantia ab humoribus cæteris in iecore separata & ad Cauam adducta venam, per eam in omnes partes tum superiores tum inferiores distribuitur. Quiq. ad superiores ascēdit sanguis, vbi ad cor peruenit, duas in partes diuiditur. Altera dextrum cordis ingreditur sinum, quę spiritui gignendo materia sit. Altera in omnia membra superiora nutrienda distribuitur. Et cordis primùm & intercostalium musculorum alimentō in coronalem venam & eam, quæ coniugis expers est, distributo, reliquum totum per Cauam sursum pergit. Mox verò spiritus genitus, dum per arterias venis propinquas in omnes partes mittitur, pulsum facit & membris calorem addit vitamque in eis conseruat: sed suo interim calore id ipsum agit, quod egisset cor, si totum illum sanguinem suo accepisset sinu. Tenuat eum inquam & perficit, ac demum in membrorum substantiam mutat. Atque ad cerebrum vsque attingens & à membri frigore temperatus, per neruos rursum egreditur ad sensum omnem & motum exequendum. Ita optimè tota nostra vita ab vno administratur principio: iecúrque tanquam minister & famulus materiam exhibet, ex qua tum nutritionem perficiat, tum spiritum gignat, quo calorem tanquàm principis virtutem & instrumentum ad agendum mittat.

Vnde illud etiam intelligetur, cur in corde non fuerint positæ duæ venæ, quarum altera adduceret, altera reduceret sanguinem, sicut in iecore, Porta & Caua. Nam ad iecur opus erat chylum perducere, vt cordi præpararetur: ad cor autem necessarium non fuit adduci sanguinem, antequam per corpus distribueretur; siquidem arterias, & spiritum habet, quibus totum opus absolueret. Et certè (vt hoc etiam postremò addam) totum illud argumēti genus in eius auctorem ac fabricatorem conuerti potest. Ipso etenim consentiente ventriculus nutritur chylo; neque alimentum, quod per messaraicas ab intestinis ascendit ad iecoris Portam, descendit ampliùs ad intestina nutrienda. Igitur, vt argumentari nos Galenus docuit, non iecur, sed intestina illius venæ Portæ initium sunt.

5. *An cor sine dextro sinu.*

Iam verò quod idem Medicus obiecit animalia quædam cordis dextro sinu carere, à quo Aristoteles venas dixit proficisci; nec tamē ea minùs, quam cætera, venas habere: negabit curiosissimus animalium penè omniū inspector in 3. de illorum histor. lib. c. 3. & lib. 3. de partibus c. 4. neq. credēdum mihi esse videtur. Quoniā si dexter illē sinus desit, quomodo gignetur spiritus? Cùm nullum sit vas in quo suscipiatur sanguis, vt in spiritus naturam & conditionem mutetur? Sed verè etiam respondit Auerroës, venis quidem essentiale esse ac necessarium, vt oriantur ex corde; at accidentarium & contingens, vt ex dextro sinu proficiscantur. Itaque animalia, quæ plures sinus continent, venas ex dextro emittunt, arterias ex sinistro. Quòd si quæ sint, quę sinuum distinctionem non habeant; satis est, si in illis ex corde, vndecumque tandem, nascantur.

Cur venæ non pulsent.

At enim, inquit Aduersarius, pulsarent venæ vt pulsant arteriæ, si ex corde nascerentur. Id verò leue mihi semper ac nullius momenti visum est argumentum. Siuè enim inde ortum habeant, siuè non habeant; cùm perinde atque arteriæ cum membro illo sint copulatæ, pulsare illas oporteret. At quamuis inde oriantur, non tamen pulsant. Primùm quoniam molliores sunt, quàm vt eum motum sustinere possint. Deinde motus ille calorem maximum summamque sanguinis tenuitatem postulat: quæ duo non nisi in sinistro sinu insunt. Propterea totum quidem cor & arteriæ, quæ ex sinistro sinu profectæ tenuissimum & calidissimum sanguinem habent, perpetuò pulsant. At venæ nunquàm: quòd crassiorem sanguinem

& minùs calidum continent, partiq. minus calidę inseruntur. Potuisset quoq. Galenus animaduertere, ad efficiendũ pulsum opus esse, vt id, quod pulsat, latũ magis sit & capax ea parte, qua ex corde egreditur, vt spiritum & calorem omninóq. illius mẽbri irradiationem vberiùs suscipiat & ideò simul cum eo pulset. At vena illa angustior est vbi cum corde coniungitur, quàm vbi iecori applicatur. Deniq. ingenuè magis, vt liberum ac veritatis amatorem hominẽ decet, agere debuisset. quippe non ignorauit id, quod tum venę illi, tùm reliquis omnibus cõmune est; non eandem esse venæ atq. arteriæ cõditionem. Arteriæ namq. spiritũ à corde suscipiũt, venæ nihil prorsus à mẽbro illo pulsante hauriunt; sed ad illud potiùs ac reliqua omnia sanguinem à iecore haustum comportãt. Neque pulsus ideò fit, quòd aliquid ad cor transmittatur; sed propterea potiùs, quod ab eo quidpiam in arteriam immitatur. Sic enim illius quoq. pulsus in eam deriuatur.

7. Venio ad illud, quod postremo tandẽ loco proponebatur de sanguinea planè iecoris substantia. Id verò venarũ, quæ exangues prorsus sunt & arterijs substãtia persimiles, ortui omninò aduersatur: solúmq. ostẽdit primam ibi esse sanguinis generationem, qua is ab humoribus cæteris separatur. Ob id tamen deferendũ illi non esse sanguinis principatum, satis superque demonstratum est.

8. Sed fortassè dicet Galenus, nos argumentum illud, quo ipse plurimũ nititur, callidè dissimulasse. Illud autem ex dissectionibus petebatur; quibus venæ omnes ad iecur reuocantur. Hoc ego propterea in vltimũ hunc distuli locũ, vt de eo seorsim dissererẽ; venásq. vniuersas decoré à corde tãquã principio ad reliquas omnes partes deriuari.

VENAE CAVAE A CORDE PER superiores corporis partes distributio.

CAPVT XIX.

IAm ergò venarum & arteriarum radice in corde posita, operæ prætium fuerit præcipuos, primos, & maximè insignes ramos, qui exurgunt vtrinq. cõmemorare. Vt quiuis intelligat, non arterias modò, sed etiam venas omnes à corde deduci, atque ad illud ipsum dissecando reduci, Præsertim cùm in 1. lib. de Hyppoc. & Platonis decr. cap. 7. in arterijs id Galenus præstiterit, vt ex sinistro sinu oriri omnes ostenderet.

Vena microcosmi flumen. Vena Caua statim ex corde erũpens ceu microsmi flumen amplissimum duos in ramos extenditur; quorũ alter sursum, alter deorsum per medium thoracẽ tendit. Qui sursum properat, vbi sese paulò altiùs erexit, inuolucrũ cordis prętergressus venã quandam emittit, quæ solitaria cũ sit & cõiugis expers *Vena ἄζυγος* ἄζυγος à Græcis appellatur. Scio de huius venæ exortu secùs omninò, sed & parũ cõstanter, à Galeno fuisse traditũ in comm. 10. in 2. Hyppoc. lib. de victus ratione, & in lib. 16. de vsu partium, & 6. lib. de Deer. & lib. de venarum sect. & 7. de anatom. admin. & lib. de fœtuum formatione, & alijs in locis. Nam interdũ ex vena Caua oriri prodidit antequã ad cor perueniat; interdũ autem ad dextrã cordis auriculam. Sed neutrum verè. Nam & in animalibus omnibus supra cor prodire cõspicitur: & infrà cor nullo modo emitti debuit. Quoniã cùm ibi vena Caua magno interuallo distet à vertebris, periculosè nimis suspẽsa fuisset. Sic enim de arterijs ipsemet Galenus ratiocinatur in lib. 16. de vsu partium c. 10. Eam, quæ à corde ascendit, integrã totam & nusquàm diuisam vsq. ad primam costam duci; quia nõ erat tutum sublimem eam diuidere. In superiori autẽ regione incũbit planè & fultẽtatur vertebris dorsi. Iam ex dextera auricula si pronasceretur; à vasis, quæ ad pulmones tendũt, vena inquã arteriali & arteria vtraque, venali & aspera, productio illius deorsum impediretur magnoperè. Quare aut penitus produci nõ posset, aut sursum antea, aut deorsum extendi, postq. ad opportunũ locum reduci deberet. Deinde vt ex pericardio educeretur, propriũ aliquod in eo foramen haberet, quo erũperet. Ex superiori igitur Caua producitur, qua parte ex pericardio euasit. Inde ad partẽ dextram (sinistra scilicet ab arteria magna occupata) contorquetur ad quartam ferè dorsi vertebram. Atq. dum per spinam incedit, in plures alias discissa, nouem inferiorum costarum interualla, tùm dextra tùm sinistra, pascit: & ad thoraci incumbentes musculos, ad abdomen, spinalem medullam, mẽbranásq. interscpientes, & succingẽtes pertingit.

Reliqua sursum progrediens vbi propè peruenit ad iugulum, cum interscpientes mẽbrana coniungitur, & in eam tenuissimas cõplures emittens venulas, ad glandem mox in duos peráplos trũcos tota diuiditur. Qui statim inter claues & primam thoracis costam satis magnum ad axillas ramum vtrinq. detorquerit. Ille exilibus multis venulis in glandem, in os pectoris, in tria suprema costarum interuala, in scapulas ceruicéq. & eius vertebras: ac rursùm postquàm ex thorace prodijt, in superiores musculos, qui ex humero ad mediũ pectus ducũtur, in axillarum glãdes, in musculos scapulis subiectos, ac in externas demum thoracis partes distributis, in totum excurrit brachium. Hanc ferè Basilicam vocant.

Basilicas. Interim reliquus Cauæ trũcus paulò altiùs procedens, & à media iuguli sede nonnihil declinãs; postquam clauiculam & os pectoris superauit, in duos ramos in vtroquè latere dirimitur: quorum vterq. sursum ad caput recta tẽdit iuxta iugulum, *Iugulares.* & ideò iugulares nuncupantur. Alter, qui tenuior est, interior dicitur gulæq. incumbit. Alter paulò maior & exterior sub cute visitur. Ab hoc humerariam nasci Galenus credidit, quàm vulgus Cephalicam quasi ex capitis regione descendentem *Cephalica.* appellat. Sed verisimilius est aut ambas, hoc est *Humeraria.* tum iugalarem, tum humerariam, ex eodem Cauę loco simul proficisci: Ita vt cùm paulò inferiùs ad axillam & interiorem brachij regionem vna prodijsset, paulò superius tres simul procedant. Vna ad humerum; quæ inde ad exteriorem totam brachij partem deducatur: vnde illa interior, hæc exterior cubiti vocitatur. Duæ reliquæ per iugulum ad caput. Aut eam ex eodem loco habere originem, vnde ad axillam inferior altera deflexit. Sed cùm hæc suprà humerum ascensura esset, paulò superiùs quasi rectà simul cum iugularibus producenda fuit. Cùm tamen eo loco natura venæ Cauæ partitionem factura duas statim brachijs & totidem capiti destinasset. Sed vtrouis modo dixeris, æqualis, & optimæ parentis

parentis partitio fuit; vt iusta esset miniméq. inuidiosa alimenti distributio: atq. omnes partes tùm interiùs tùm exteriùs irrigarentur quam optimè; dum totus sanguis ad iugulum deriuatus in duos magnos riuos, dextrum ac sinistrũ, diuideretur; & vterq. mox in quatuor riuulos scinderetur, quorũ duo ad brachia deflecterent, totidem ad caput ascenderent. Hoc enim rationi maximè consentaneum erat. Porrò de his omnibus vniuersè dici potest, æquum omnino fuisse, vt eæ, quæ ampliores erant & maiores, in plures scinderentur ramos; axillaris in brachio, iugularis exterior in partibus superioribus. Plus enim & venalis substantiæ & sanguinis habebant, quod in plures riuulos deduci posset.

Iugularis interior. Iugularis interior post tenuiores hinc inde surculos, cùm ad caluariam venit, bifariam scinditur, & caluariam subit. Ibi admirabilem plexum *Plexus mirabilis.* velut contextum rete considerauit Galenus. Deinde plurimis ac miris modis per menynges, cerebrum, omnésque interiores partes dispergitur. *Iugularis exterior.* Exterior verò non eodem semper modo se habet. Plerumque ad fauces vsque progreditur integra, exiguis ramulis in musculos cutemque proximam distributis. Nonnumquã in medio longitudinis colli duos fundit ramos, in priora vnum, alterum in posteriora, sursum sensim reptantes. Interdum in ipso initio propè clauiculam diuiditur; eiusque rami ad fauces quandoque rursum coëunt & post iterum separantur: in alijs numquã ampliùs sese contingunt. Vtcumque habeat, cùm ad fauces ventum est, sub aurium sede ad oris interiora & duram cerebri menyngem dirigit sobolem: reliquum in faciei, temporum, aurium, & capitis totius cutem ac musculos dispersatur.

Humeraria. Interim humeraria ex superiori humeri parte descendens, pluribus ramulis ad cruricis cutem externósque musculos, ad gibbam scapulæ sedem, ad summi humeri cutem ex porrectis, in exteriorem brachij regionem excurrit: neque ad articulum vsque cubiti nisi tenues ramos in cutem musculósque disseminat. In cubito autem trifariam diuiditur. Primus ramus tenuissimus est nec semper cernitur. Is quibusdam illius regionis musculis offertur. Alter obliquè ad medium cubiti descendit, & cum axillaris ramo coniungitur. Tertius omnium præcipuus ad superiorem conscendit sedem. Vnde ad exteriorem partem sensim declinans in circumiectam cutem infigit surculos. Móxque ad brachialis radicem alteri axillaris ramo copulatus ad externam partem sese proripit; & in aliquot demum discussus ramulos in paruo & anulari digitis absoluitur.

Axillaris. Quæ autem axillaris sæpè nominata est, inferiorem brachij regionem ingressa nonnullas primùm ad proximos musculos edit soboles. Primam ex superiori sede, statim atque brachium ingreditur; respondentem illi, quæ ex inferiori regione ad glandulas mittit locis illis contentas. Alteram post ex posteriori parte. Tertiam nobiliorem ex superiori latere ad externum vsque brachij tuber obliq. descendentem. Deinde in duos grandes trũcos tota scinditur. Quoniam alter per medium brachium fertur inter duos cubitum flectentes musculos; ad quos aliquot spargit surculos. Sed post ad eos perueniens, qui digitos flectunt, in duas diuiditur partes, quæ non magnoperè distantes internam adeunt manum: túmque in ea tùm in digitis absumuntur, duplici singulis digitis inserta prole. Alter verò ad inferiorem brachij regionem progreditur. Cúmque ad inferius ferè tuber accesserit, insignem & prægrandem ramum obliquè mittit ad medium cubiti descendentem; & cum humeratiæ ramo, de quo paulò antè dictum est, ita coit, vt vna quædam fiat vena, quæ propterea Communis appellatur, quòd ex illa duplici coalescat. Media etiam & vulgò Mediana dicitur, quòd ex media brachij regione prodeat. Hæc mox ad superiorem cubiti partem ita dirigitur, vt radium tandem transcendat; aliquot tamen antea relictis ramulis. Sed antequàm attingat brachiale, venulam flectit ad internam illius sedem: reliquum interpollicem & indicem assurgens totum in manu & digitis dispensatur. *Communis, & Mediana.*

At axillaris illa, à qua ad hanc communem defleximus, accedens ad tuber ramos aliquot abunde promit; quorum aliqui ad manum vsq. excurrunt. Sed & ramus ille, quem ab axillari hac deflectentem dixi Communem hanc cum humeralis ramo constituere, alium plerumq. in medio progressu ramulum mittit per brachij longitudinem hinc inde surculis auctum; & ad brachiale vsque ac manum ipsam descẽdentem: vbi demum cum axillari reliqua post multas minutiores diuisiones terminatur. *Axillaris.*

EIVSDEM IN INFERIORIBUS partibus diuisio.

CAP. XX.

ALter verò truncus, qui deorsum flectitur, vbi primùm ex corde prodit, à posteriori parte insignem ramum ad cordis posteriora & sinistrum latus antrorsum contorquet. Qui quoniam coronæ modo basim eius vniuersam vngit, στεφανίαια, hoc est coronalis vena nominatur. Hæc in plurimos conum vsq. diducta surculos totum cordis corpus abũde irrigat: quippè naturale cuiq. est sibi primùm, deinde cæteris prouidere. Ab ea enim contento sanguine nutritur: non ab eo, qui dextro sinu ad spiritum duntaxat gignendum suscipitur. Optiméq. factum est, vt hæc vena non ex ascendente, sed ex descendente trunco deduceretur. Quoniam ita æquum fuit totius corporis sustentationẽ in duos illos truncos distribuere, vt superiores alter, alter inferiores omnes corporis partes nutriret: cordis autem tota substãtia comparatione superioris illius orificij, vnde duo producuntur trunci, ad inferiores partes pertinet. *Coronalis.*

Postquàm igitur cordi satis prouisum fuit, ad septum vsq. integra descẽdit vena inter sepientibus membranis & pulmonum fibra suffulta. In septo duas relinquit propagines; quę non solùm in ipso multifariã sparguntur, sed ad intersepientes quoque & cordis inuoluerũ sese dilatant. Tum perforato septo iecur subit. In quo plurimos edit in omnem partem ramulos; quibus sanguinem in eo membro genitum ad magnum adducat truncum, vt per vniuersum corpus mox eũ distribuat. Postquam minimè interrupta per medium iecoris corpus ad inferiora descendens, tenuẽm primùm ad sinistrum latus mittit ramum adiposum dictum; *Adiposa.*

qui in renis tunicam adipe plurimo circumfusam extenditur. Deinde paulò post duas illas prægnãdes venas ad renes deriuat, suam cuique distribuens, quas vulgò Emulgentes dicunt, quòd serosum emungant sanguinem & ad renes deferant. Interim ex emulgentis dexteræ superiori parte ramulus ad illius renis tunicam producitur, quo ipsa quoque nutrimentum capiat. Ita ferè res habet; quia ferè rem dexter sinistro elatior est. Quod si quando elatior sinister sit, contra etiam sese habebunt venulæ, quæ illorum tunicas nutriunt: dextra inquam ex trunco Cauæ ducetur, sinistra ex emulgente. Ratò autem ex Caua ambæ promuntur. Rursum ex inferiori sinistræ emulgentis parte seminalis ad sinistrum venula, cui interdum etiam à Caua paulò post propago adiungitur; & altera ex anteriori Cauæ trunco non multò sub emulgente ad dextrum testem (quam ob causam dextrum semen calidius & fœcundius, sinistrum serosius & frigidius esse creditur) vtrinque serpunt in maribus. In fœminis secùs, vt suo loco aperiam.

Emulgentes.

Seminales.

Sub renibus verò idem ipse, qui ad descensum recta pergit, magnus Cauæ truncus plures ex inferiori parte, qua vertebris insidet, venulas fundit lumbares per vertebras ad medullam spinæ, musculósque vertebris circumiectos: vnde ad abdomen vsque aliæ ascendunt. Denique vbi ad sacri ossis extremum peruenit, in duos magnos scinditur ramos iliacos dictos, qui in duo crura prolabuntur. Hi statim in ipsa scissione ab exteriori latere ad lumborum carnes venam emittunt, quæ post in peritoneum & abdominis musculos distribuitur. Et soboles quasdam ad superiora sacri ossis foramina instratósque illi musculos. Post in duos scinditur ramos. Quorum minor & interior propagines habet, tùm ad inferiora eiusdem ossis foramina, ad musculos & cutem, ad vesicæ fundum & ceruicem, pudendumuè, & in fœminarum vteri fundum & collum. Tum ad exteriores ilium ossis musculos, ad os pubis, ad clunium cutem, aliásque partes.

Lumbares.

Iliacæ.

Maior verò & exterior ad crus accedens, ex superiori parte, qua peritonæum perforat, sobolem ad ipsum & abdominis musculos ac cutem extendit: atque ab hac non procul aliam ex inferiori regione ad pudendi inuolucrum, & scrotum. Deinde insignem valde propaginem per interiorem femoris tibiæque sedem sub cute ad interiorem vsque malleolum & pedis superiora digitosque deducit; non paucis in progressu relictis ramis, qui tamen non ijdem semper in omnibus conspiciuntur. Huic è regione in exteriori parte minor alia respondet ad anteriorem coxendicis articuli sedem, musculos, & cutem. Tum verò tibiam mouentibus musculis cõspicuum offert ramum, qui ad cutem quoque penetrat: aliumque maiorem cuidam femur mouenti, qui ad alium tibiæ motorem deriuatur: minoréisque alios nonnullos, alios paulò maiores; omnes verò in circumiectas femoris, tibiæ, suræque partes. Vbi verò in duos magnos, sed impares ramos dirimitur; minor est exterior; & obliquè descendẽs non multò post, ramulo anterioris genu regionis cuti ex porrecto, deinde illicò in partes finditur. Interiorem ad pedis mouentes musculos, vsque ad exteriorem ferè malleolũ: & exteriorem ad cutem tibiæ, malleoli, & superioris pedis partes: vbi cũ aliarum quoq. venarum surculis vario modo implicatur. Maior autem & interior dum rectà deorsum tendit, grandem mittit sobolem, quæ internam tibiam, non nihil tamen versus posteriora, & in aliquot dissecta surculos, ad internum calcis & pollicis locũ descẽdit. Deinde post hanc ad idem latus alteram ad pedis motorem musculum, nec longiùs multò. Tùm ad anterius latus aliam, quæ inter tibiæ os & fibulam musculósq. anteriorem illam regionem occupantes descendit; & nõnullis ad illos in descensu proiectis surculis, in superiori demum pedis sede ad eos se sistit musculos, qui in externum latus digitos trahunt. Quod verò totius trunci supereſt, inter musculos ad pedem properat eumq. inter calcem & interiorem malleolum subit; & post in digitos absumitur, bonis ferè ramulis in singulos distributis. Hæc est totius venæ Cauæ series ex diligenti & accurata dissectione collecta.

VENAE PORTAE CVM CAVA ET Corde coniunctio: multiplexque distributio.

CAPVT XXI.

HActenus ostensum est, quo modo venæ omnes illæ, quæ per totum corpus deriuantur ex Caua, reducantur ad cor tanquam ad fontem & originem primam. Etsi enim eæ, quæ inferioribus partibus continentur, reuocentur primùm ad iecur, cùm tamen illę, quæ sunt in capite, brachijs & thorace, veniant ad cor; facilius multò est & rationi magis consentaneum à iecore ad cor, quàm à corde ad iecur progredi. Tum quia cor diuinius est membrũ, quod iecori quoq. dominatur. Tum quia in hoc arteriarum exemplum sequimur, quæ illuc vniuersæ reducũtur. Tum verò etiam quia nulla est in iecore interruptio venæ, nullum finis vestigiũ, ad quod fistamus: cùm in corde cuiuis sit manifestissimum, qui veritatem quærere, non omninò proteruire ac pertinaciter agere velit.

Vena Porta.

De sola igitur Porta dicendum supereſt, quam potissimùm Galenus sententiæ suæ præsidiũ esse voluit; eam iactitans ad iecoris cauum ita pertinere, vt nullo modo possit ad cor reduci. Ego verò primùm illi arterialem venã & venalem arteriam obijcio: quarum altera vsum, altera corpus & substantiam venæ habet. Vtramq. enim vehementer ab ipso peto ad iecur deduci. Sanè alteram, quæ maximè substantiam habet venæ vel eo consentiẽte certum est ex sinistro cordis sinu oriri. Altera verò, vt non est cum Caua coniuncta, sed ita ex sinu dextro procedit, vt inter vtramque nõ exigua cordis portio intercedat; sic minimè potest ad Cauam & inde ad iecur reduci; sed ad cor tota consistit. Deinde Portam quoq. cum corde optimè copulari atque ad idem principium pertinere affirmo: non peritissimos solùm dissectores, sed Aristotelem quoque secutus in cap. 18. lib. 1. de animalium historia, & cap. 4. lib. 4. de partibus. In altero enim loco; Vena, inquit, quæ à maiore proficiscitur, iecur transigit, qua Portæ appellatæ iecoris habentur. In altero, Mesenterium membrana & ipsum est pertendens continua ab intestinis ad venam vsque maiorem & aortam, plena venarum multarum atque frequentium,

quæ

quæ ab inteſtinis ad maiorem venam aortamque permeant. Quibus locis maiorem venam appellari eam, quam Cauam dicimus; certum eſt ex 3. hiſtoriæ lib. cap. præſertim 4. Itaque Porta Cauæ propago. Porta velut Cauæ propago quædam eſt, in iecore ad inteſtina per meſenterium ſummo naturæ conſilio emiſſa, vt alimentum indè ad iecur adduceret; magnámque illam venam, qua per corpus vniuerſum diſtribueretur: atque ad veſicam bilis & lienem, vt minùs bonam materiam à meliori ſecernerent. Porta enim hæc etſi in caua iecoris ſede per ampla cernatur, in illius tamen viſceris ſubſtantia in plurimas ſcinditur exiguas venulas, quæ tùm ſanguinem per totum viſcus diſtribuunt; tum verò earum non paucæ cum Cauæ propaginibus ità connectuntur, vt continuæ prorſus ſint, Portáque velut Cauę propago cordi communicet. Ad inferiora vero iecoris dum tendunt, coëunt ſenſim donec omnes ex viſcere crumpentes magnum illum efficiant truncum.

Cyſticæ & Gaſtrica maior. Is poſteà duos illico ex anteriori parte ad bilis veſicæ ceruicem ramulos mittit, qui per eam totam diſperguntur. Aliumque aliquantò poſt paulò maiorem ad dextri lateris inferiorem ventriculi ſedem. Prior cyſticus, poſterior gaſtricus maior appellatur. Tum in duos omnium longè maximos truncos diuiditur. Quorum dexter, qui Meſinteriaca. meſenteriacus vocitatur maiorque eſt, poſtque ad dextrum latus duos non exiguos detorſit ramos; vnum in ipſa in duos truncos diſtributione, qui Gaſtropiploica. ad vẽtriculum deſcendit, & dextram ſuperiorem omenti membranam; Gaſtropiploicum Siluius Inteſtinalis. nominauit: alterum non multo poſt, inteſtinalem dictum, ad duodenum inteſtinum ieiuniq. principium, in tres primùm, deindè in innumerabiles diſſectus ramos in meſenterium & inſteſtina reliqua diſtribuitur.

De qua tota diſtributione hoc vniuersè dixiſſe ſit ſatis, plures & maiores venas in gracilia, quàm in craſſiora inteſtina diſtribui. Quò enim propinquiora iecori & ventriculo ſunt inteſtina, eò pluribus illa venis abundare æquum eſt.

Hæmorrhoidalis. Tandem verò per coli extrema & recti inteſtini longitudinem ad anum vſque Hæmorrhoidalis excurrit ramus; cuius hic eſt vſus, vt dum ob lienis obſtructionem melancholicus humor expurgari non poteſt, rami huius beneficio purgetur.

Splenica. Siniſter autem ſplenicus dictus ſtatim ferè ramum promit ſurſum ad ventriculi gibbum, quam dextram dorſi partem ſpectat. Et deorſum alterum ad dextram inferioris omenti membranæ ſedem, columque inteſtinum. Ille gaſtricus eſt minor Gaſtrica minor. hic epiploicus dexter. Tum exiguos quoſdam Epiploica dextra. ad glandem, qua ſuſtinetur. Poſt hos duo nobiles occurrũt, gaſtricus coronarius, & epiploicus poſterior. Alter ex altiori regione ad ventriculũ, qui Gaſtrica coronaria. penè totum irrigat & ſuperius præſertim orificium pulchrè velut corona cingit, & indè ad inferius quoq. deſcendit. Alter in inferioris regione, Epiploica poſterior. qui in ipſo propemodum principio in duos ſcinditur, & hi rurſum in alios plures, qui in homine præſertim ad colum inteſtinum & inferiorem omenti membranam deijciuntur. Reliquum ſiniſtri illius rami mox in duas diſciſſus partes, & illæ in alias, in liene conſumitur, infinitis tenuibus venulis in illum totum diſperſis. Sed ab is interdum, tum ex ſuperiori, tum ex inferiori parte antequã lienem ingrediantur, ramuli quidam ad ſuperiorem omenti membranam & ventriculum digeri conſpiciuntur.

Verùm huic venarum diſſectioni præſtat finem imponere. Siquidem præcipuis quibuſque illarum, diductionibus factis duo aſſecuti ſumus. Alterum, eas omnes à corde velut omnium principio atq. origine deduci & ad illud ipſum reduci. Alterum, quomodo illarum beneficio & ope ſanguis per vniuerſas corporis partes diſtribuatur, pluribuſque deductis riuulis ab eodem omnes fonte irrigentur. Quarè cùm omnia Galeni argumenta ità diluta ſint, vt veriſſima ſtet Ariſtotelis illa de admirabili cordis principatu déque ſanguinis ac venarũ origine ſentẽtia: hic demùm ſit hac de re diſputandi finis, hęcq. poſtrema diſputationis clauſula. Duas eſſe primas in noſtris Duæ primæ vena. corporibus venas, vndè cæteræ deducantur; eaſque ex dextro cordis ſinu prodire. Vnam, quam arterialem vocamus, ad pulmones extenſam. Alteram Cauam, per totum reliquum corpus diſpenſatam. Cui famulatur Porta, velut illius propago ad hauriendum alimentum ad inteſtina partesque circumiectas tranſmiſſa. Ad quam ea quoque pertinet, quæ ad fœtum in vtero ſuſtentandum extenditur ad vmbilicum, vt alimentum à matre hauſtum ad iecur comportet.

QVEMADMODVM ARTERIAE pars à corde aſcendens multifariam diſcindatur.

CAPVT XXII.

ETſi ad ſuſceptam diſputationem minùs neceſſe ſit arteriarum quoque diſtributionem proponere; cùm eas omnes iam videam & philoſophos & medicos vniuerſos conſentire ex corde deduci. Opportunum tamen id fuerit. Tum vt ſpiritus non minùs, quàm ſanguinis, neceſſaria per totum corpus diductio ac deriuatio intelligatur. Tum vero vt id confirmetur, quod de venarum principio deſſinitum eſt: eũdem inquam venarum & arteriarum originem eſſe; cum eadem penè ambarum diuiſio ac diſtributio conſpiciatur. Quamq. minor aliquantò eſt arteriarum quàm venarum, numerus. Quòd craſſus ſanguis non niſi per venas ad corporis partes penetrare poſſit; tenuior, autem ſpiritus à maioribus ac remotioribus arterijs fundatur longiùs & ad remotiora ſeſe inſinuet: aut certè calorem ſiccum longè latéq. tranſmittat. Pauciores arteriæ quam venæ.

Ergò ex ſiniſtro cordis ſinu duæ primum promuntur arteriæ. Vna venalis; quæ ſimplici venæ Duæ primum arteriæ. tunica conſtans ad plumones dirigitur. Aut magna illa Aorta ab Ariſtotele nominata, quæ per totum reliquum corpus extenditur. Hæ duæ arteriæ duabus venis, arteriali & Cauæ, quas velut cæterarũ parentes ex dextro ſinu primas prodire dixi, in ſiniſtro proportione reſpondent. Prior in plurimas diſciſſa partes totos pulmones permeat atque in illis ſtatim abſumitur. Poſterior in ipſo Coronalis. ortu cordiſque orificio duos amittit ſurculos; vnum ad dextram, alterum ad ſiniſtram baſis cordis ſedem. quæ velut coronam ei facientes coronalem venam comitantur, & ad mucronem vſque

extendunt ramulos. Deindè sub arteriali vena sursum progrediens & cordis in volucrum superans, in duos inæquales truncos diuiditur. Maior ad quintam dorsi vertebram deorsum flectitur; minor ad superiora conscendit. Hic statim ad sinistrum latus insignem ramum ablegat; qui obliquè ad primam directus costam quatuor ferè simul edit soboles; deorsum duas, totidem sursum. Vnam ex inferiori parte ad tria superiorum costarum interualla, spinæ medullam & adiunctos musculos. Alteram ex anteriori ad os pectoris, intersepientem membranam, & inferiores vsque ad vmbilicum partes. Tertiam ampliorem ex superiori ad septimam ceruicis vertebram, quę vertebrarum subiens foramina tùm medullæ tùm proximis musculis ramos mittit, & ad duram tandem cerebri menyngem penetrat. Quartam non contemnendam paulò post ex altiori sede ad posteriores ceruicis musculos vsque ad occipitium.

Mox quatuor hisce propaginibus editis, ad axillam declinat axillari vena in totum brachiũ extẽditur: pluribus passim emissis, surculis ad scapulã, ad axillæ glandes, ad thoracis & brachij musculos. Atq. post cubiti flexum in duplicem scissa ramũ, partim radiũ partim vlnam sequitur. Prior antebrachiale, vt minus carne occultatur, ita pulsum nobis manifestat: & inde in manum totam & digitos vterque distribuitur. Sic totus primus ascendentis arteriæ ramus dispensatur.

Alter, qui amplior est & maior, super arteriam asperam sursum serpẽs ad iuguli glandem in duos inæquales ramos dilatatur. Minor ad sinistram declinans cum interiori vena iugulari caput petit: sinistráque soporalis græcè καρωτὶς nuncupatur. *Soporalis sinistra.* Maior ad dexteram defflexus, primam paulò post attingens thoracis costam bipartitò diuiditur; vt dextera pars sinistræ prorsùs respondeat. Alter enim illius ramus ad axillam & brachium deriuatur: alter per iugulum serpit ad caput & soporalis dextera seù καρωτὶς dicitur. Axillaris ramus dum *Axillaris.* in brachium excurrit totidem planè propaginibus augetur, in quot illius par in sinistro latere dis- *Soporalis dextra.* sectus est. At iugularis hæc dextra, tum magnitudine & situ, tùm distributionis modo respondet illi, quæ est sinistra. Vtráque enim iuxtà arteriam asperam vtrinque cum interiori vena iugulari ascendens integra ad fauces peruenit: vbi in duos ramos dirimitur. Quorum maior est interior, minor exterior. Qui interior est, post surculũ ad laryngẽ & linguã missum, ad caluariã: recta tẽdit nec tamẽ eam nisi bifariã sectus subit. Minor scissionis pars cum coniuge vena obliquè in posteriorem caluariæ regionem fertur: ramulóque ad ceruicis musculos deiecto caluariam per sextipa- E ris neruorum foramen ad menyngem duram ingreditur. Quæ verò potior est, rectà properat, & absque vllius venæ coniugio cunei os per proprium foramen penetrat; statimq. ad narium cauitatem per foramẽ peculiare propaginem vnam dirigit, quæ ad nasi quoque extremum extenditur. Alteram in dura menynge consumit. Mox caluariæ subiens cauitatem in duas partes diuiditur: quæ non multò post rursum copulantur (interdum etiam tota hucusque arteria indiuisa progreditur) & per secundi neruos paris foramen ad oculum & interiorem temporalem musculum transmisso ramo, in tenuem menyngem & cerebri sinum sese prorsipit, plexumque facit choroidem. Denique exterior & minor primæ illius ad fauces factæ diuisionis ramus ad genas & buccas, ad tempus & posteriorem auris sedem distributus tandem absoluitur. *Plexus chorioides.*

EIVSDEM DESCENDENTIS, *diuisio multiplex.*

CAPVT XXIII.

ARteriæ pars ea, quæ sursum dirigitur, ità ferè distribuitur. Quæ verò deorsum flectitur, maior sanè est, quòd ad plures B partes deriuanda esset, inferioraque membra maiori fortasse calore indigerent. Tùm quòd a corde magis distarent. Tum quòd calor sua natura sursum mouetur; & per euaporationes eas & resolutiones, quæ per omnes horas fiunt, superioribus partibus calor semper adderetur. Accessit operationum dispar conditio. Nam cibi coctio & mutatio multiplex, seminisque præparatio & omnino nutritio ac procreatio, quæ ambæ maximum calorem postulant, in inferiori illa regione perficiendæ erant. In superiori sede positum est sensuum domicilium: quorum operatio vt maiori calore perturbatur, sic temperato magis quam optimè viget. *Cur inferior arteria maior.*

Magnus igitur illæ arteriæ truncus ad spinam accedens, & ad sinistram tamen partem non nihil declinans, vt stomacho & venæ Cauæ det locum, per medium thoracem descendit vsque ad os sacrum. Eaque primùm parte, qua vertebris illis incumbit, ramulos statim ad quatuor inferiora thoracis interualla vtrinque ablegat. Vndè per neruorum foramina ad spinalem item medullam, & ad vertebrarum thoracisque musculos serpunt ramuli. Tum ad septum transuersum properans vnum in eo reliquit sobolem, quæ multis mox modis distribuitur, & cordis tandem in volucrum attingit. Mox insignem ex anteriori sede promit ramum cœliacum dictum; qui in dex- *Cœliaca.* trum, & sinistrum discissus, ventriculo, iecori, & illius vesiæ, lieni, omento, intestino duodeno & colo plurimos admirabili planè modo subministrat surculo. Paulò post ex anteriori item loco *Mesenterica superior.* aliam educit in mesenterij regionem superiorem: & indè diuisa ad ieiunum ilium, & colum descendit: propterea mesentericus superior appellatur. Tùm nobiles illæ duæ renales succedunt, quæ *Renales.* vtrinque producuntur ad renes & in ijs absumuntur; tenuitatibus tantùm quibusdam in earum tunicas desinentibus. Post has duæ seminales ad vtrumque testem deriuantur. Eodem hæ *Seminales.* interdum modo, quo venæ comites, prodeunt: sinistra ab ea, quæ ad renem rendit: dextra à magno trunco quarum alteri à maiori trunco, alteri ab ea, quæ ad renem, aliquid nonnunquã accedit. Plerumque autem ex arteria magna ducuntur ambæ. Ambæque simul cum venis procurrunt ad testes; & experitonæi tunica emergentes illis inseruntur. Seminarijs hisce arterijs paulò post ex anteriori parte succedit alia mesenterica inferior ad inferius mesenterium, colúmque & *Mesenterica inferior.* rectum intestinum. Atque ex posteriori lumbaris ad singulas lumborum vertebras; indè ad *Lumbares.* medullam & adnatos musculos progrediens.

Tandem

Tandem verò, etsi tàm multis detractis ramis minor factus sit arteriæ truncus, quidquid superest, vbi sacrum os attigit supra venam Cauam, cui hactenus substrata fuit, ateria conscendit. Cuius rei causam aliam non exposuit Galenus in decimo sexto libro de vsu partium cap. 10. nisi quòd vtramque oporteret eam, quam initio adepta fuerat, positionem retinere, cùm aliud nihil cogit ipsam mutari; vasque tenuius crassiore inuehi. Sed hãc potiùs arbitror ego esse: ne ab ossis principio, in dorsi præsertim motibus pulsus eius impediretur. Illudq. potest esse argumento, quòd vt Galenus quoque fatetur, rursum non multò post occultatur sub vena & supra arteriam deinceps vena progreditur.

Cur arteria supra venam conscendat.

Eo igitur in loco suprà venam conscendens arteria in duos prægrandes iliacos ramos tota diuiditur: Qui post exiguos quosdam surculos posteriori parte in ipso statim initio per ossis sacri foramina missos ad posteriorem illius sedem spinæq. medullam cruribus excipiuntur. Nec indè procul duplicem vtérque in partem scinditur. Qui minor est & interior, licet plures habeat propagines, ad musculos ilium ossis coxendicisq. articulũ ad ceruicẽ & fundum vesicæ, ad pudẽdum & podicem, in femore tandẽ desinit. Quæ verò maior & exterior, rectà per crus ad extremos vsque pedes descendit; vbique diuersos spargens ramulos. Vnum antequàm ex peritoneo euadat; quem sursum ad abdomen (rectum præsertim musculum) & vmbilicum destinat. Alterum post peritonæum superatum ad os pubis. Tertiũ exteriorem ad anteriores femoris musculos. Quartũ interiorem ad quemdam femoris eiusdem motorem & interiores alios vsque ad genu. Quintum ad posteriores eiusdem regionis musculos: Sextum & septimum vtriusque promanantes ad genu articulum & trium primorum pedem mouentium musculorum capita. Octauum exteriorem, vbi primùm attigit tibiam, ad fibulam & interiores partes musculorum pedem mouentium. Nonum posteriorem ad alium pedis motorem. Decimùm, vbi tibia plurimùm à fibula separatur, per membraneam illorum ossium copulam ad tibiæ anteriora pedisque superiora. Vndecimum; vbi inter calcem & interiorem malcolum pedem subit, ad internam pedis sedem & indè ad supernam. Denique quidquid reliquum est in pedis digitos dispensatur. Atque hæc arteriæ quoque totius est distributio.

Iliaca.

DE NERVO.

CAPVT XXIIII.

ROst venas & arterias optimum est de neruis dicere, qui tertium illud instrumentorum genus absoluunt, quo ad animalis facultatis actiones obeundas natura vtitur, postquã vitales arterijs, & naturales seù vegetantes venis absoluit.

Neruus quidẽ

Est autem neruus pars corporis oblonga velut arteria & vena, alba, rotunda, teres; innata temperatione frigida & sicca. Terreus enim est neruus, vt in tex. 79. lib. 1. de anima testatum reliquit Philosophus. Et quoniam eos omnes, quicumque in toto corpore continentur, certum est cum cerebro copulari atque ex illo quoquo modo deriuari (cerebrum porrò dico, tum id quod capite continetur, tum, spinæ medullam minùs propriè appellatam, veriùs autem propaginem cerebri per totam spinam deductam) tria hinc consequentia sunt. Primùm est; vt pulsus per arterias, nutritioque per venas administrantur; & ideò spiritus & sanguis per hæc vasa distribuuntur: sic sensum omnem & motum in toto corpore per neruos perfici; per eosquè animalem spiritum fũctionibus hisce necessarium à cerebro per omnes partes trasmitti.

Antequàm sint nerui.

Propterea num cauitatem vllam ipsi quoque contineant, an verò solidi toti sint & pleni; sæpè dubitatum fuit. Et Galenus etiam in primo lib. de symptomatum causis cap. 5. quasi ea de re minùs certus loquutus est. Eũdem tamen video in 8. de vsu partium libro, cap. 6. & lib. 16. cap. 3. & lib. 7. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 4. & 5. illud ipsum tradidisse, quod omnium dissecandi magistrorum sensúsque iudicio confirmatum est, solis opticis (quidquid Magnus Albertus dicat in expositione textus 147. lib. 2. de anima) manifestum & sensile foramen inesse. Quam ob causam eos potissimùm πορώδεις, id est, meatus appellarunt veteres: déque vniuerso genere extat illud Hippocratis in lib. de locis in homine; Nerui ventriculos siuè cauitates non habent.

Duplex neruorũ genus.

Alterum, duo separanda esse neruorum genera: quosdam ad sensum, alios ad arbitrarium motum exequendum destinatos. Illi molliores sunt & breuiores. Molliores, tum quòd ex anteriori & molliori cerebro nascuntur: tum quòd sensus, qui patiendo quidpiam & suscipiendo operatur, multique spiritus diffusione indiget, molles omnino postulabat. Breuiores autem, quòd ad propria duntaxat sensuum organa & quidem rectà ferè ducantur, vt molliores perueniant: solóque capite continentur, in quo vigent organa, oculi, aures, nares, lingua. Si námque longiùs ducerentur, tùm rumperentur facilè ac contunderentur, cùm sint molles: nec solùm ab extrinsecùs incidentibus causis; sed multò magis ab alijs quæ corpori insunt, particulis quoquo modo occursantibus. Tum verò durescerent, minúsque molles & ad sentiendum apti ad sensuum organa peruenirent. Hi verò, qui ad motum referuntur, duriores existunt: tum vt ad mouendum, & ingentia membrorum pondera leuanda robustiores sint. Tum quòd durior, quàm cerebrum, sit spinalis medulla, ex qua prodeunt: eóque durior, quò longiùs à cerebro discesserit. Et ideo durissimi omnium nerui propè os sacrum erumpunt. Producuntur autem longissimè per totum corpus dispersi, ac musculis, qui motus instrumenta sunt, infixi. Solus est tactus, qui vt est sensus apprimè materialis, organóque vtitur magis corpulento; nec in solo capite; sed in corpore toto reperitur; sic neruos habet non solùm prioris generis in facie & capite toto, sed posterioris quoque in reliquo corpore: in quo ijdem illi nerui, qui nascuntur ex spina, & sensum faciunt & motum. Nullus enim est in toto corpore neruus, qui sensu tactus non potiatur. In cæteris sensibus alij sunt, qui sentiendi vim adducant; vt in oculo illi, qui propterea ὀπτικοὶ nominantur: alij, qui motum tribuant; vt illi, qui musculis eidem membro circumiectis inseruntur. Atq. hi ex exterioribus & superficiarijs

In tactu ijdẽ nerui mouẽtis sentiunt.

duntaxat cerebri partibus assumuntur: quæ vt menyngibus & cranio propinquiores ità duriores sunt, quàm interiores, profundiores, & mediæ reliquæ, quæ sub illis continentur mollibúsque neruis materiam præbent; & longiùs in orbem ducti regionis vè sicciore natura, duriores, ac robustiores euadunt, mouendique vim & robur accipiunt. Sed quoniam nusquàm exquisitè duri sunt, molliorum cerebrum, duriorum spinalis medulla fons esse statuitur.

Neruì vnde dicti.

A mouendi porrò potiùs, quã sentiendi, munere libuit veteribus Græcis νεῦρον ἀπὸ τοῦ νεύειν, & πονὸν ἀπὸ τοῦ πάσχειν neruum appellare: à duplici scilicet, quæ est in motu, operatione, quòd ille musculis B insertus eos tendat, nutare faciat & flectat: hanc- que mouendi operationem manifestius sit, quàm alteram, quæ est sensus, per neruum fieri.

Duplex neruì pars.

Tertium ac postremum; Quemadmodum duplici membrana continetur, duriore vna, altera molliore; quæ in totam item spinam descendunt. Ita neruum ex cerebro spinaue deriuatum triplici prorsus parte constare. Prima exteriore & planè dura, ex dura cerebri tunica profecta. Altera media, tenuiori & molliori, ex mitiore membrana deducta. Tertia intima velut in arboribus medulla, substantiæ cerebri simillima, & ex ipsa producta: vt nil aliud neruus, quam veluti duriusculum factum cerebrum, esse videatur. Atque vt cerebri C virtus non in membranis, sed in ipsius substantia continetur; sic totam siuè sensus siuè motus virtutem, quæ neruo communicatur à cerebro, in intima ac tertia parte conseruari atque ab ea membris quibusque tribui Galenus prodidit. Qua de re post dicendum erit.

Vt sensus & motus per neruos.

Interim minùs illud probo, quod idem auctor scriptum reliquit in lib. 12. de vsu partium cap. 4. corpus vniuersum per neruos primùm & maximè sumere motum, post eum autem & sensum. Nam aut æque primùm & simul vtrumque accipit, sensum per molliores, motum per duriores neruos; D aut motum antecedit sensum. Tum quia potior est & nobilior motu. Tum quia per sensum primò animal constituitur: sensúmque habeat necesse est id, quod moueri debet. Hæc vniuersè de neruis; velut rudi quadam illorum cognitione tradita.

A 3. lib. cap. 4. & lib. de somno & vigilia cap. 3. & de iuuentute & senectute cap. 1. & 2. sensus omnis & motus principium cor esse statuit. Et ideò in 3. historiæ lib. cap. 5. neruos, qui vtriusque operationis instrumenta sunt, ex eodem membro oriri voluit. Cæteros Peripateticos non magnoperè videdeo de neruorũ principio fuisse sollicitos: sed illud solùm cogitasse, vt sensus & motus principatum cordi tuerentur: quemadmodum videre est apud Alexandrum in 1. lib. de anima cap. vlt. & Themistium in librum de somno & vigilia cap. 11. & Auerroëm in 2. lib. colliget cap. 11. & 18. Quod si Philoponus interpretationem faciens textus 19. lib. 2. de anima, sensus omnes dixit à cerebro proficiscì: id nequaquàm ex propria sententia loquutus est; sed velut cuiusplam responsionem ad propositam argumentationem commemorauit. Neque ex medicis defuerunt, qui vtramque Aristotelis sententiæ partem probarent. Nec solùm Conciliator differentia 38. & 41. sed etiam Auicenna in 2. parte sexti naturalium cap. 3. & lib. 3. de animalibus cap. 1. & ante illum Praxagoras apud Galenum in 1. de Decretis lib. cap. 6. tametsi alio prorsus, quàm Aristoteles, modo. At contrà Galenus fæpissimè in totis illis duobus operibus, quorum alteri titulum fecit de vsu partium, alteri de Hyppocratis & Platonis decretis: maximè in 7. 8. 9. & 16. Prioris operis libris, & 1. ac 7. Posterioris; & in lib. de neruorum dissectione, & in lib. 1. de motu musculorum c. 1. & pluribus alijs in locis viribus omnibus contendit sensus omnis & motus principium esse cerebrum (cerebri nomine spinæ quoque medulla comprehensa) indéque ad vniuersas corporis partes neruos deduci, vt cum illis sensus item & motus deriuentur. Sed & ante illum Hyppocrates tum ab occipitio ad initium libri de natura ossiũ, tum à capite in 2. de popularibus morbis, sectione 4. & à dura membrana multo tempore Erasistratus, tandem vero etiam à cerebro; vt in 7. de decretis lib. cap. 3. idem Galenus testatur, neruos exoriri tradiderant. Et post Auicennam in 1. fen. 1. can. doct. 5. communes ferè medicorum scholæ comprobarunt. Quamquam Auicennam parùm constantem video: & in 3. de animalibus lib. aliud tandem affirmantem, quod post Thomas de Garbo in quæst. 39. medicinalis summæ pluribus explicauit; Neque à cerebro, neque à corde, neque ab vlla omninò parte principium ducere neruos; sed se primùm formari; non minùs; quàm cerebrum, cor, & partes cæteras. Quod ego quidem arbitror verè dici; nec ab vllo sapiente philosopho negari posse. Sed tamen vt arterias dicimus à corde nasci, non quòd ex cordis substantia quasi pullulent; sed quòd ex cõmuni fœtus & partium omnium materia formentur cum corde primùm coniunctæ, indéque formationis principium ducatur. Atque venas etiam ex corde potiùs, quàm ex iecore; hoc est indè potius huc, quàm illuc formando proficiscì naturam. Sic dum nerui cum duplici ex ijs membro, quæ in principio formari creduntur, corde & cerebro, copulati conspiciuntur: deffiniri oportet, ab eorum vtro initium formandi factum sit & ab vtro ad alterum illi deducti fuerint. Hoc enim intellectu pro corde Aristoteles, & pro cerebro Galenus dimicant. Et quoniam bipartita est disputatio, de vtraque illius parte seorsim dicam.

Galeni opinio.

3. opinio.

QVAM VARIE DE PRIMA *Neruorum origine Philosophi ac Medici senserint.*

CAP. XXV.

Aristotelis opinio.

IAm ad maiores multò difficultates ingrediendum est: illudque planè examinandum, quod anteà, cùm de venis diceretur, significatum est inter Aristotelem potissimùm & Galenum de prima neruorum origine disputari. Quæ disputatio alteram quoque illam adducit, quæ de sentiendi mouendique facultatis principio existit. Siquidem harum instrumẽta sunt nerui; eademque & facultatis & instrumenti videtur esse origo.

Aristoteles in 2. de partibus animalium lib. ca. 10. grauiter eos reprehendit, qui vim sentiendi ponebant in cerebro. Atque tum eo loco, tum in

De

DE PRIMO SENSVS ET MOTVS domicilio Aristotelis Galenique disputatio.

CAPVT XXVI.

RRimum disputationis caput est de sensus & motus principio, déque prima & præcipua vtriusque facultatis sede. De quo nisi anteà dicatur, nihil dici potest de altero, quod ad neruorum originem spectat.

Aristotelis opinio.

Aristoteles sensum omnem & motum à corde pendere, multis modis demonstrat. Primùm
1. quoniam hoc membrum vt ante omnia alia formatur (saltem prius quã cerebrũ, aduersario ipso consentiente in cap. 3. lib. de fœtuum formatione) ità primùm sit oportet subiectum animæ primáque facultatum illius sedes; vndè ad alia potiùs deriuentur, quàm illuc ducantur à cęteris. Deindè in eo vigent lætitia, tristitia, perturbationesque vniuersæ tamquàm in proprio domicilio.
2. Ea igitur sedes est appetitus omnis. At appetitus sequitur cognitionem sensus, moxque appetitum motus: neque appetitus potest esse sinè sensu, neque motus sinè appetitu. Sensus igitur quoque
3. & motus illic principium est. Tum verò vt in entium genere, sic in animalis administratione ad vnum principium reuocare cuncta oportet: quippè ità optimè gubernantur omnia & constant. Illudque in medio loco, veluti tutissimo & ex quo attingere omnia possit, hoc est in thorace, æquum
4. est consistere. Præterea detracto sanguine & calore priuãtur animalia sensu & motu: eæque partes, quæ sunt exangues & frigidæ, nec sentiunt nec motum habent. Eæ verò acutiùs sentiunt atque ad motum promptiores existunt, quæ puriore & syncero magis sanguine præditæ sunt: non igitur cerebrum exangue suáque natura frigidissimum ineptúmque ad sensum & ad motum, nec vlla omninò pars sanguine destituta facultatum illarum atque operationum principium existimari debet. Neque verò sanguis ipse, qui pars animalis non est: sed cor, quod sanguinis & ca-
5. loris fons & origo existit. Quintum Argumentum fuit; quòd hoc membrum vbi primùm, vel etiam antè cerebrum, formatum est, sentit, palpitat, mouetur, ceù animal quodpiam sit, quod sentiendi & mouendi per se facultatem habeat alijsque subindè tribuat. Argumentationis hoc genus confirmabit illud Auerroïs in 7. physicor. Commentario 4. vidisse se arietem asserentis post abscissum caput huc & illuc multoties ambulare; quod non temerè credi posse multò anteà scripserat Aristoteles in 3. de partibus libro cap. 10.
6. Sextum ex neruorum copia desumptum est, quæ conspicitur in corde; velut instrumentorum, quibus motus is fiat, cuius in seipso cor facultatem habet. Septimum, quòd res ipsa testetur animalia
7. illa quę durum & densum habent cor, hebeti planè sensu esse; valere autem sensu, quæcumque mollius: pauida, quæ grandius; audentia, quæ minus. Quasi illud si tùm sensus, tum affectuum
8. omnium principium & sedes. Octauum; quòd nutriendi vis in eo potissimùm ineat membro; vt anteà demonstratum est, cùm de venis ageretur. Eòq. verius quòd cũ illud primũ viuat & moriatur vltimũ immò in quibusdã animalibus, partibus superioribus & inferioribus amputatis, viuit adhuc media illa, in qua est cor. Ibique sit caloris fons, in quo vita consistit; vitæ nimirum principium est. quòd autem est vitæ, nutritionis quoque oportet esse: quoniam sinè alimento non conseruatur vita. Credendumque est, vbi est vita, ibi conseruatricem illius facultatem inesse. Porrò in eadem parte sensuum & nutritionis ac vitæ principium ponere necesse est. Tùm quia nutriens quidem & viuens separari à sentiente potest; at hoc sinè illo esse nequit. Tum quia cum animalis vita sine sensu nuspiam constet; siquidem animal per sensum primò constituitur atque hoc à non animali distinguitur: si seorsim essent sensus & vita nutritionisque principium; super viueret animal sentiendi vi amissa, & omninò non viueret. Viueret; quia vegetantem facultatem haberet, à qua necessarium vitæ alimentum acciperet. Non viueret autem; quòd sensu priuatum esset, sinè quo nullum animal viuit. Tum demum quia si facultas sentiens separata esset à vegetante, animalia non vnam, sed plures haberent animas loco situmque distinctas. Vt enim in plantis vegetans seorsim existens animam illis impertit; sic animalibus item adferret: nec minus sentiens, quæ seorsim in alio inesset membro. Vndè consequens esset, vnum membrum nutriri solum vitáque frui, non sensu, alterum sentire duntaxat, non nutriri nec viuere. quòd cum dici nullo modò possit, affirmandum planè fuerit vitam & sensum vbique reperiri; illique ipsi membro, cui primum inest vita, sensum quoque primum inesse atque indè ad reliqua vniuersum hoc facultatum genus deriuari.

Galenus contrà pro cerebri dimicat principatu. Atque Aristotelem hoc primum argumento
1. aggreditur: quod sensuum omnium organa, oculi, aures, nares, lingua, propè cerebrum locata sint; non propè cor. Neque à corde, sed à cerebro ducantur ad singula; tum nerui molles & verò etiam duriores ad oculi linguæ, totiúsque faciei musculos: tum animalis spiritus, quo sensus omnis, & motus absoluitur. Deindè & altero:
2. quod nullam aliam ob causam factum fuerit cerebrũ eáq. in corporis parte positum atq. indè per spinam deriuatum; nisi vt sensum & motum corpori toti largiretur atque vtrumque facultati genus administraret. Nam quod Aristoteles factum dixit, & in capite collocatum, vt calorem cordis temperaret; non solum multis modis confutatur, vt alibi dictum est, verum etiam si de cerebro fortasse dicatur, de spinali certe medulla responderi non potest. Tum vero illo, quod cerebri sinu vulnerato, immo etiam solum compresso, sensu
3. illico omni & motu priuatum animal collabitur, quod nequaquam euenit, si cor vel etiam denudatum comprimas. quin fabri forcipe compræhensum cuipiam fuisse commemorat in 1. de decretis lib. cap. 6. qui neque in sensu, neque in motu læsionem vllam sensit. Sed & magna voce clamabat, & vehementer membris omnibus mouebatur. Ac postremo; quod nerui, qui sensus &
4. motus instrumenta sunt, manifestum habent & conspicuum omnibus ex eo membro exortum. At vbi est instrumenti principium, Ibi facultatis

quoque instrumento vtentis credendum est præcipuam esse sedem.

EORVMDEM DE PRIMA neruorum origine altercatio.

CAPVT XXVII.

IN altero quoque capite, quod de prima est neruorum origine, ijdem illi, philosophię vnus, alter medicinę principes, non minus serio altercantur.

Aristotelis opinio.

Qui enim ab vno principe membro corde totam animalium vitam administrari voluit; ab eodem non arterias modo & venas, sed neruus item credidit proficisci. 1. Primum quoniam complures in eius finibus neruuli conspiciuntur, qui velut aliorũ radices esse videntur. Quod si aduersarius respondeat minimè efficax esse argumentum, vt respondet in 1. de decretis lib. cap. 8. propterea quod eodem ostenderetur manum aut pedem, aut aliam quampiam partem, quæ magnopere neruosa sit, principium esse neruorum: cogitare debet has omnes partes posteriores esse; Cor autem primum omnium formari; vel etiam ipsomet consentiente priusquàm formetur cerebrum. Et ideo si in corde sint nerui, non potuisse illos aliundè adduci, sed ab hoc potius primo 2. membro ad cætera omnia deriuari. Alterum argumentum fuit; quod arteria, quam ex corde oriri certum est, neruosa est atq. illius postrema neruo prorsus constant: quippè quæ nullo intus cauo distinguantur; sed solida planè sint & corpulenta; atque ad neruorum modum tendantur. 3. Tertium ac postremum illud fuisse videtur, quod antea quoque propositum fuit. Vnum enim omnium principium esse oportet, in medio animalis constitutum; vt facultatum, sic instrumentorum, quibus eæ ad suum opus exequendum vtuntur. Quarè vt cum vitali facultate arteria, cum altrice vena, ita cum sentiente & mouente neruus ex eodem illo membro prodire debet.

Galeni opinio.

Qui vero tribus principibus vitæ nostræ totius administrationem commisit, ex corde arterias, ex iecore venas, & ex cerebro neruos progigni contendit. 1. Primùm namque dum nerui dissectionem facimuscum ex triplici substantia cõstare animaduertimus: media quadam & intima cerebri substantiæ prorsus simili; exterioribusque duabus, quarum alteram ex tenui, alteram ex dura cerebrum continentibus membranis exoriri conspi- 2. cimus. Deindè magna prorsus neruorum copia erumpit ex cerebro: dumque omnes, quotquot in vniuerso corpore continentur, diligenter perquirimus; cernimus omnes aut ex cerebro proficisci; aut ex spinali medulla, quæ cerebri propago quæpiam est. Neque vllus omninò est musculus, cui ab horum altero principio non inseratur neruus. A corde autem nullus deducitur. Immò ipsum à cerebro accipit neruum. Siquidem à sexto eorum pari, qui ex cerebro statim producuntur, complures progerminationes fiunt, quę tũ ad iecur, ventriculi os, & intestina cætera; tùm ad cor descendunt. Quamuis eæ, quæ ad intestina procurrunt, cum alijs quibusdam permisceantur, quæ à spina procedunt. Cæterùm neque vllus est in corde neruus. Nam & si neruosæ nonnullæ discriminationes; & membranarum, quæ cordis orificijs adiacent, fines reperiantur; eas tamen nondum esse neruos intelligitur ex vsu; quo maximè instrumenta dignoscũtur. Nõ enim sensum aut motum voluntarium tribuunt, quemadmodum cæteris partibus nerui; sed velut copulæ membranas illas cum corde coniungunt. Accedunt nerui illi, qui laryngis musculis inseruntur: quos à corde deduci non posse cuiuis manifestum erit, qui in corporum dissectionibus fuerit vel mediocriter exercitatus. Tùm verò 3. complura sunt animalia, quæ etsi cor non habeant, cùm tamen sensu motúque potiantur, neruos ea habere necesse est. Denique inciso aut ligato neruo, 4. pars ea, quæ superior est & cum cerebro copulata, nil patitur detrimenti; sed optimè sentit & mouetur; propterea quòd cum suo principio coniuncta sit. Quæ autem inferior est tanquam ab eo separata, sensu omni & motu priuatur. Omnes igitur tum sentientes tum mouentes nerui principium habent à cerebro si enim à corde, nihil indè profectò eorum operatio læderetur.

DE VTROQVE DISPVTAtionis genere propria auctoris sententia.

CAPVT XXVIII.

ITá propemodum duo præcipua philosophiæ ac medicinæ lumina disputarunt. Quorum pugnam spectasse non solùm iucundum fuerit, sed & fructuosum: cùm optimis vtrinque armis & fortissimis ducibus pugnatum sit.

Prima sententia pars.

Sed ego in priori conflictu Aristoteli victoriæ palmam adiudico. Quod melioribus omninò & firmioribus rationibus in ea causa principatum cordis tueatur. Iisdemque argumentis, quibus anteà demonstratum est membrum illud nutritionis principem esse, atque illi iecur in ea operatione famulari; conficitur etiam nunc primùm esse sensus & motus principium; cuius veluti famulus & minister sit cerebrum. Nam vt mittam omnium maximos ac prorsus incredibiles esse dolores cordis; membrumque illud perpetuo ac vehementi motu per omnem vitam agitari. Si vnum oportet esse in animali supremum principem, is sanè fuerit membrum omnium calidissimum, vbi calore geruntur omnia. Neque potest esse iecur, neque cerebrum; adde etiam neque testes, quibus gignendi principatum inesse Galenus existimauit. Quoniam vnam quidem aliquam actionem habent horum singula membra; iecur nutritionem, cerebrum sensum & motum, testes procreationem: at ad cæteras nec ipsa quidpiam conferant, nec exequentibus alijs aut imperare aut opitulantur. Solũ cor eiusmodi est, quod etsi nullũ eorũ operũ particulariũ immediatè exequatur, propterea quòd nec principis deceat dignitatẽ, nec verò omnibus immediatè adesse queat. In spiritus tamen generatione, velut generalis ad omnia instrumenti, versatur omni tempore: eóq. ad iecur, ad cerebrum, ad testes, & omninò ad corporis

corporis partes vniuersas distributo adest omnib⁹ & dū omnibus vim addit, qua singulæ opus suū absoluāt, per vicaria & substituta membra verè ipsū omnia administrare dicitur. Cùm enim tàm apertè aliorū à corde pendentia & huius in illa omnia dominatus appareat; negare non possum hoc vnum esse mēbrum principem, primum ac præcipuum animæ cūctarúmque eius virtutum domicilium. Illi vt famulatur iecur, dū calore ab eo deriuato sāguinem illi præparat vt materiam, ex qua tum vitale spiritū tū nutritionem totam absoluat. Et testes, dum spiritū & calorē ab eodē principio accipiunt, vnde semen ad gignendū perficiūt. Ita sanè cerebrū cidi ministrare iudicatur, dū eodem calore & spiritu, velut principis potestatè, susceptio sensum & motū exequitur. Cerebrū tamen concedā esse inter omnes cordis famulos & quasi proreges præcipuū ac præstantissimū: cui optima & nobilissima administratio cōmissa sit, sensus inquam cognitio, & qui eam comitatur motus.

Ex aduersario argumēta.

Duo autem apud aduersariū reperio, quę etiam atque etiam considerari postulo; vt quantū veritas ex vna parte; & ex altera obstinat⁹ ac pertinax animus possint, intelligatur. Alterum est in 8. lib. li. de vsu partiū cap. 2. & 4. Alterum in 7. de Hippocratis & Platonis decretis ca. 3. In priore namq. loco animalia permulta, vt cancros & alia molli crusta intecta, fatetur carere capite: quibus particula illa, quæ sensus & motus dux est, in thorace locata sit. At cuius nam particulæ locus & thorax, nisi cordis aut ei⁹, quæ cordi analoga existat? Cor igitur aut analogū, sensus & motus principiū est. Quòd si non cerebro aut cordi potiùs, analogum appellari velit id, quod ibi continetur; propterea quòd hac voce vti Aristoteles consueuerit: indignabundè nimis & fastidiosè agit, neque vt veritatis amatorē decet. Dum verò parte eam affirmat eandē ipsam esse cerebri substantiā & naturā, quæ nobis est in capite: sed in illis ἐκφαλον, hoc est cerebrum dici nō posse, quòd non cōtineatur in capite: obstinatū planè ac pertinacem animū ostendit, qui risum potiùs lectori mouere, quàm cordis principatū fateri voluerit. Quis enim cerebrū legens in thorace situm esse, teneat risum? Quis caput nesciat propter cerebrū fabricatum esse thoracē propter cor aut id quod in exanguibus cordi respōdet? Si cerebrū in thorace locat sitū, vbi exuli cordi aut analogo domicilium?

1.

2.

In posteriori autem loco apertis verbis affirmat spiritum esse primū ac prēcipuum animæ instrumētum. Et ideò etsi osse mēbranaque extractis videtur cerebrū aut etiā scindatur frustratimue auferatur totū; minimè tamen animal sensu motuſq. priuari, nisi ad sinum aliquem vulnus penetrauerit. Tunc enim exinanito spiritu; pereunt statim motus & sensus; quoad rursum collectus restituatur, Ex quibus verbis duo intelliguntur.

Vitalis & animalis spiritus eiusdem naturæ.

Alterum, si spiritus est primā animæ sedē membrorumq. principem sensus omnis ac motus originem esse cor, quod spiritus opifex est & distributor. Neque enim responderi potest vitalē quidem spiritū in corde gigni, sed animalis, qui sensū & motū exequitur, architectū esse cerebrū. quoniam nec ratio vlla suadet, nec Galenus ipse apertè vspiam asseruit spiritū hūc natura & substantia à priore distingui: tametsi nescio quam coctionem sæpi⁹ prędicet, quæ veriùs refrigeratio diceretur. Quòd si accidēte solùm differat, vt à me antea demonstratū est; illud ipsum mēbrum, quod vitalis spiritus parens est, animalis quoq. quoad substantiam eius auctor fuerit & procreator. Non enim diuerso nomine ideò appellatur, quia diuersam substantiā habeat: sed animalis propterea dicitur, quòd animalibus fūctionibus famuletur. Alioqui spiritus idem à corde ad iecur & testes descēdit & ascēdit ad caput; & omninò dū singulas corporis percurrit partes, aliquam in singulis alterationem ac mutationem subit; vndè plurimas spiritus species nominare oporteret. Sed in iecore ac testibus aut nomen nō mutat, quòd illorum actiones generis eiusdem sint: aut si naturalis appelletur non à substātiæ mutatione, sed à naturalibus planè functionibus, quas exequitur, nomen accipiet. In cerebro autem aliam omninò appellationem habet; quoniam diuersi generis actionibus adhiberur.

Alterum, si non concisa & detracta cerebri substantia, sed sinibus eius contento spiritu exinanito pereunt sensus & motus, non igitur in cerebri substantia, sed in spiritu sentiendi vis inest & mouendi: neque sensus & motus princeps & auctor est cerebrum, quod vtriusque operationis facultatem spititui tribuat: sed contrà potiùs vtraque à spiritu tribuitur cerebro earumque principium aut spiritus ipse est, aut illud potiùs membrum, à quo is tanquam illius virtus transmissus est.

Quomodo autem illud, quod idem auctor vt principatum cerebro tueretur, statim subiunxit: In ipso cerebri corpore habitaculum animæ esse, constare cum eo possit, quod dixerat, cerebri corpus non esse sensus, & motus principium, neque detractum animali damnum vllum adferre nec sensu motúve priuare, ego quidem non video; sed magnoperè cupio considerare lectorem. Atque illud solùm addo, secùs omninò rem habere in corde. Nam si vel minimum scindatur aut vulneretur, non solùm sensus & motus cessant, sed vita omnis extinguitur. Quod manifestè ostendit hoc demum principem membrum esse, primamque animæ sedem ac facultatum omnium perennem fontem: quo læso contabescunt statim & pereunt omnia. Hoc verò illud aduersarij testimonium confirmabit, quod extat in cap. 3. lib. 6. de Decretis. Solum enim cor ex viscēribus omnibus exemptum naturalem suam functionem & motum seruare fatetur: quippe quod & sibimet ipsi & aliis omnibus agitationis origo sit. Nam si ita est, cor igitur à nullo alio membro pendet, sed sibi sufficiens est ad viuendum & operandum. Reliqua verò omnia ab illo pendent; vimque accipiunt, qua & viuant & operentur. quod nihil aliud est, quàm esse principem membrum, vitæ, sensus, & motus principium ac fontem.

Altera similitudinis pars.

In posteriori autem congressu, in quo de neruorum origine certatum est, has causas superiorem fuisse Galenum; eosque ex cerebro nasci, pronuntio. Primùm quoniam hæc res non tàm rationibus & argumentis, quàm sensuum indicio decernenda est. Dum autem neruos inspicio, verum esse deprehendo id, quod proponebat Galenus, illorum substantiam cerebro prorsus similem esse; atque vt cerebrum, ex triplici parte constare, vna interna ex ipso producta, & exterioribus duabus à meninge duplici. Deindè quod manifestè videant

neruos omnes ab eodem illo mẽbro ſpinæq. medulla primùm naſci ac per totum corpus diſpergi, vel etiam ad cor ſobolem quandam deduci illius nerui, qui à ſexto pari in viſcera plura diſtribuitur. Ac principio quidem molliores eſſe, velut ſuę origini propinquiores: poſt autem longiùs progreſſos duriores & ſicciores euadere: neruoſque omnes, qui continentur in corpore, coniungi & continuari cum cerebro ibique tandem deſinere: Nó enim quod invenis cernitur, hoc idem in neruis euenit. In venis vbi ventum eſt ad iecur, vnuſquiſque magnum illum Cauæ truncum animaduertit non ibi abſolui, ſed integrum peruadere totum iecur & ad cor víq. progredi. At vbi ad cerebrum neruos reduxeris non eſt quo progrediaris vlteriùs. Neque illi ſubſtãtiam ſubeunt cerebri, vt ad cor attingant: neq. is, qui à corde dicitur ad cerebrum mitti, per cerebrum trãſit, vt ad alia membra multiplicatus diſſeminetur: ad cerebri ſuperficiem terminatur. Et in corde quidem arteriarum & venarum conſpicuum ac manifeſtum vtrinque exortum & quaſi radicem ac truncum intuemur: at neruus vndè prodeat omninò non apparet.

Hæc ſunt, quæ me in hac cauſa ad cerebri Galenique partes trahunt, coguntque ab Ariſtotele deficere. Quẽ præſertim tantopere veritatis amatorem reperio, vt in primo de moribus ad Nicomachum cap. 6. non ſolùm nos velit eam amicis anteponere; ſed ea cognita noſtra etiam confutare. Neque verò quidquam hoc principatui cordis obeſſe: duaſque haſce noſtræ ſententię partes optimè cõſtare; quarum altera ſenſus & motus principium cordi adiudicatũ eſt, altera neruorum origo in cerebro collocata; proximũ caput oſtendet.

QVEMADMODVM ARGVMENTA diluantur.

CAPVT XXIX.

Galeni argumenta.

ERgò ne prior ſententiæ pars nutare cogatur, immò firmior multò & certior euadat; Galeni argumenta diluenda ſunt, quibus ſenſus & motus principatum à corde ad cerebrum ſe traducturum ſperauit.

Omnium, inquit, ſenſuum organa propè cerebrum, non propè cor diſpoſita ſunt. Ita ſanè. Sed muſculi, qui motum exequuntur, circà cor potiùs, quàm circà cerebrum collocati reperiuntur. In capite enim & facie inſunt perpauci, ſi cum reliquo corpore comparentur. Deinde vt Ariſtotelem prætermittam propoſitionem illam negatum, qui in libro de ſenſu & ſenſili cap. 2. & lib. 2. de partibus animalium cap. 10. tactũ & guſtatum iuxta cor eſſe affirmauit, tres reliquos ſenſus cerebro propinquiores propter cenſoriorũ naturam.

Cur ſenſuũ organa propè cerebrũ.

Meminiſſe nos oportet regię illius ac ſupremę dignitatis, quàm anteà ſępiùs dixi; nec poſſe nec debere omnibus regni adeſſe partibus & munera cuncta immediatè obire regẽ. Sed proreges & vicarios ſibi miniſtros ſubſtituere, ſinguliſque operibus ſingulos præficere. Quare vt ad gignendum ſanguinẽ iecur & ad procreandũ teſtes, ità ad tribuẽdum ſenſum & motũ cerebrum ſibi mẽbrum illud princeps delegit. Atq. ad illa omnia miſit, tum venas ad nutriendum, tũ arterias ad calorem & ſpiritũ defferendũ tanquam principis poteſtatem, qua cõmiſſam ſibi prouinciã gubernẽt. Ideò ſenſuum organa propè cerebrum velut immediatum & proximũ adminiſtrum eſſe debuerũt. Illud acceſſit præterea, quod ſpiritus, per quem omnis fit operatio, dũ egreditur ex corde, immodicè calidus eſt; nec ad ſenſum & motum accõmodatus? Sed à frigidiore mẽbro anteà tẽperandus atq. tum demũ ad operationũ organa diſtribuẽdus. Membrum hoc cerebrum eſt: propterea circà illud potiſſimùm organa diſpenſata. Eoque magis, quòd neruos illos, per quos is ſpiritus tranſmitti & ſenſus fieri debuit, molles eſſe oportuit, & ideò extendi longiùs non potuerunt.

Cur nerui ex cerebro producti.

Hæ ipſæ fuerunt cauſæ, cur non à corde, ſed à cerebro nerui ad organa tum ſentiendi, tum mouendi, producerẽtur. Quoniam vt neruus harum duntaxat animalium operationum, quæ temperato vtuntur ſpiritu, inſtrumentũ eſt: ita non niſi ab eo mẽbro produci debuit, in quo tẽperatus eiuſmodi ſpiritus continetur. Quod Ariſtotelem vrget magnopere; qui neruos ex corde oriri voluit. quorſum enim orirentur, aut quæ neceſſitas tot vaſis mẽbrum illud onerandi. Cùm ſatis animali toti prouiſum eſſet, ſi per arterias abundè ſpiritus ad cerebrum mitteretur, indéq. extẽderentur nerui, quibus tẽperatior mox ſuſceptus diſpẽſaretur. Quoniã tamen hic ſpiritus cordis eſt & à cerebro vix accidente mutatus; tota vis operandi tribuenda eſt cordi, tanquam agenti principi: non cerebro, quod ſecundarium eſt & veluti principis famulis. Sed cùm anteà dictum ſit, cerebrum inter omnes cordis famulos præcipuum eſſe ac nobiliſſimum optiméq. præfectum prouinciæ: minimè mirum eſt, ſi hoc præ cæteris habet, vt non modò cõmiſſum ſibi munus obeat, quemadmodum iecur quoque & teſtes; ſed inſtrumẽti quoque genus quoddã producat, quo virtutem acceptam tranſmittat. Iecur & teſtes tùm arterias ceu vaſa, quibus ſpiritus continetur, à corde ſuſcipiũt. Cerebrum accipit ſpiritum, ſed illius fundẽdi vaſa ſuppeditat. Neque tamen quidquam propterea principatus cordis minuitur. Quia primũ ac præcipuum inſtrumentum, penes quod agẽdi virtus, Galeno ipſo conſentiente, ſpiritus eſt: neruus autem ſecundarium & vt vas virtutem continens ac diſtribuẽs. quamuis enim ſpiritus is à cerebro fuerit frigoris gradibus aliquot admiſtis temperatus: cùm tamen non per gradus frigoris, ſed per eos, qui caloris ſunt, operetur; cordi, non cerebro, tota tribuitur operatio. His tertium poſtremò accedit inſtrumenti genus, quod partis cuiuſque propriũ eſt, per quod anima ſenſus & motus actionẽ pmit: vt oculi pupilla, auris mẽbrana, & eiuſmodi alia, quæ idcirco cẽſoria vocãtur, atq. in motu volũtario muſculus. Etenim hæc ſentiũt aut mouẽt; ſpiritus vim vtriuſque operationis tribuit, neruus eam continet, & ad membra quæque comportat.

Cur cerebrũ factũ ex ijs poſtremo.

Quæ omnia ſi probè fuerint percepta, explicatione quoq. dabũt eius, quod in altero argumẽto quęritur, quã ob cauſã factũ fuerit cerebrũ in eaq. corporis parte collocatum. Ea namque fuit cauſa, vt cordi in ſenſu & motu adminiſtrandis famulatetur, tum calorem ſpiritus temperando, & ideò frigidũ factum fuit & cauernoſum pluribus ſinibus diſtinctum, quibus ſpiritum frigore mox temperandum contineret, & ſolis ſanguine præditis animalibus, quæ calidiora ſunt, appoſitum.

Tum

Tum neruos suppeditando, quibus susceptus ac temperatus spiritus transmitteretur. Atque eandem ob causam cerebri quædã portio per totam descẽdit spinam; vt commodiùs, hoc est cum minore periculo per breuiorem viam in omnes partes nerui distribuerentur.

3. Quòd autem cerebri sinu vulnerato aut cõpresso sensus & motus prohibeãtur; quid mirum? Altero enim modo exinanitur, altero comprimitur spiritus, & impeditur ne percurrat neruos; aut certè turbatur & agitatur, vbi ad opus suum exequendum pacatus & quietus maximè esse debet. Quin etiam truncato neruo aut ligato id ipsum accidit; eandémq. ob causam: quòd accessus spiritus prohibeatur, nec possit primum agens quidquam sine instrumẽtis aut ministris à natura constitutis agere. Id si ita non eueniat compresso corde; propterea non euenit, quòd operationes eæ ab hoc membro immediatè non fiant; neq. à spiritu, qui in eo resident. Perturbatur verò maximè aut etiam impeditur pulsus qui est immediata illius functio; Quare si diuturna compressio foret, non solùm sensus & motus tolleretur, sed planè periret animal: prohibita scilicet operatione omnibus aliis tantoperè necessaria.

Quanquàm tota hæc argumentatio in illius auctorem potest retorqueri. Nam ipsemet tradidit vulnerato cerebro, & verò etiam tota illius detracta substantia nihil lædi sensum nec motum, nisi vulnus ad sinus penetrauerit. At vulnerato vel leuiter corde, pereunt omnia. Cor igitur, non cerebrum, vitæ, sensus, & motus proprium domicilium est.

4. Denique dum ex cerebro accepit neruos oriri, vere accepit. Sed dum idem subiunxit instrumenti & facultatis principium esse, animaduertere poterat, id non de quouis, sed de primo ac præcipuo instrumento intelligendum esse. At qui spiritum ipsemet voluit primùm esse ac potissimum animæ instrumentum: isque principium habet à corde. Quare hæc ipsa argumentatio non cerebri; sed cordis principatum confirmat & stabilit.

Aristotelis argumenta.

Venio ad Aristotelem indè neruos quoq. proficisci contendentem. Primùm complures, ait, in eius membri sinibus apparere neruos. Sanè etsi ex

1. *In corde non neruos, sed membranarũ fines esse.*

vsu potissimùm iudicanda sunt instrumenta; si tamen eorum substantia consideretur, nequaquam habent ij neruosæ substantiæ compositionem ex illa triplici parte, ex qua vniuersos corporis neruos cõstare dictum est. Vsum verò nerui minimè retinent; cùm nec sensum nec motum tribuant. Sensus enim alius non viget in corde, quã tactus: qui vt est omnium maximè materialis, ità minùs temperato indiget organo. Isque non in illis neruulis, sed in vniuerso illius membri corpore continetur. Vel si opus sit neruo, is accedit illi à cerebro. Neque vllus ibi est arbitrarius motus, cuius instrumentũ neruus: sed solus pulsus, qui à vehemẽticalore naturaliter excitatur, neq. opus habet neruis Itaq. sapientissimi quiq. atque in dissecãdis corporibus exercitatissimi iudicarunt potiùs esse membranarũ cordi proximarum fines; & fibras, quæ tum eas cum corde cõpulent, tum ipsius cordis sinus contineant, ne perenni motu nimiũ quatiantur, vllaue ex parte princeps illud membrum lædatur.

Etsi verò priùs conformetur, quàm cerebrum, potest tamen absque vitæ detrimento neruum à posteriori mẽbro susc ipere. Præsertim cùm iecur quoq. antecedat, nec tamen dũ illi neruus inseritur, quidquã lædatur. Namq. in prima illa formatione molliora sunt omnia membra; neq. difficile est cũ illis, si quid aliũdè accessit, coalescere. Maximè cũ neruus is intimã cordis substantiã nõ penetret, sed exterioribus partibus applicetur.

Vt cor neruũ à cerebro suscipiat.

In altera argumẽtatione arteriam, quæ nascitur ex corde neruosam esse dicit. Non opinor cũ voluisse arteriæ neruiq. eandem esse substãtiam, aut cũ arteria neruos plurimos contineri. Sed optimè intellexit sũmus Philosophus hasce duas esse corporis partes diuersas, vtramq. simplicẽ & Homogeneam, non ex aliis compositã. Verùm cùm magnã coloris & soliditatis similitudinem cerneret, ab ea ratiocinari voluit. Arteriæ & nerui substantia persimilis est, ergò idem vtriusq. principium. Arteria ex corde nascitur, illud igitur ipsum nerui principium existit. At vnusquisq. videt genus hoc argumenti nequaquã esse certũ ac necessariũ, sed probabile, dialecticum & apparens. Deinde etsi accidentia quædã similia sint, ipsa tamen substantia maximè diuersa est, & ad alium planè atque alium vsum ac finem comparata.

2. *Exponit ur locus ex 3. de anim. hist. c. 5.*

Maiorem multò vim habet argumentatio postrema. Sed ad concludendum duntaxat primum ac præcipuum operationis instrumentum ab eodem pendere principio, à quo facultas operandi pendet: illiusq. spiritus est, non neruus. Ac demũ si ea percepta fuerint, quæ non multò antè explicata sunt, intelligetur planè arteriam quidem & venam oriri à corde debuisse; neruum autem à cerebro, ad spiritum temperatum suscipiendum ac distribuendum.

3.

Quocirca disputationem hanc vniuersam concludens admirabor summoperè ac laudabo summi opificis in animalis corpore fabricando eiusq. actiones omnes administrando sapientiam. Quæ cùm optimè, hoc est ab vno principe vitam nostrã gubernari vellet, præcipuũ animæ domicilium in corde posuit, tutissimo illi & optimo loco in thorace medio velut arce extructo. Deinde cæteras omnes partes circumposuit, vt omnes ab eo cõmodiùs iuuarentur. Tum vt anima duo præstat corpori, primũ dat esse, deinde operandi quoq. virtutem subministrat. Sic vtrumque posuit primũ in illo primo ac prĩcipe mẽbro, indèq. tũ essẽtiam tũ facultates ad reliqua deriuauit. Parũ enim sapienter philosophari mihi videtur ij, qui aut per neruos, aut per spiritum, aut per aliud quidpiam eiusmodi principem inquiunt membrum facultates hasce cæteris corporis partibus impertiri. Etenim facultates essentiam animæ comitantur, ex eáque sola oriuntur. Nec per neruos quidquam transmittitur, nisi spiritus, nec per spiritum aliud, quàm calor, primum & generale animæ instrumentum, quo non facultates tribuit, sed facultatum operationes exequitur. Cordi igitur vtrinque alligata sunt duo vasorum genera venæ & arteriæ: quibus ad omnes partes deriuatis, altero essentiam oportuno alimento submini strato tuetur, altero operationem omnem perficit, spiritu & calore tanquàm operandi virtute suppeditato, sed quoniam spiritus is calidior est, quàm genus quoddam operationis, hoc est sensus & motus postulet; ad eum temperandum appositum est cerebrum frigidum,

Opificis sapientia in corpore fabricando.

indéque nerui ad eum mox deducendum producti: Quare triplici hoc vasorum genere, venis, arteriis, neruis, tanquàm canalibus & aquæ ductibus vtitur cor ad vniuersum corpus irrigandum, conseruandum, & regendum. Quorum duo ab ipso prodeunt immediatè, tertium à vicario & adiutore membro: spiritum tamen ab eo emissum continens.

DE PRIMO NERVORVM pariex cerebro prodeunte.

CAPVT XXX.

ADhunc sanè modum tùm de sensus & motus principio, tum de neruorum origine philosophandum censeo; si & naturalem rationem sequi & sensuum iudicio stare velimus. Hoc iam à me expectari video, vt quemadmodum anteà venarum & arteriarum non originem solùm & fontem indicaui; sed propagationem quoque & riuulos sectatus sum: ità & in neruis faciam. Sic enim demum vasis omnibus per totum corpus deductis, facilè fuerit intelligere quomodo vita nostra consistat operatióque omnis administretur.

Cor cerebro fœcundius.

Magna omninò est ac penè incredibilis fœcunditas cerebri: quamque cùm multò maius sit corpus, minoris cordis fœcunditati ac virtuti par non est. Cor enim quatuor, immò sex amplissima vasa statim effundit, vtrinque terna; duos arteriæ ramos, vnum sursum, alterum deorsum; & ad pulmones venalem arteriam ex sinistro sinu: venasque totidem ex dextro. Cerebrum autem etsi plures promat neruos; ij tamen adeò tenues sunt & exigui, vt licet omnes simul sumantur, vasorum cordis magnitudinem non assequantur.

Septem neruorum paria.

In primo igitur ortu septem ex vtraque parte funduntur nerui: vndè à Græcis ζεύγη, quòd vnusquisque alterum habeat in altero latere velut cõiugem; à Latinis coniugia seu coniugationes & paria vocitãtur. Omissis interim duabus illis productionibus, quę ex anteriori cerebri basis medio ad narium ossa ducuntur. Quoniam hæ in neruorum numero habitæ à veteribus non fuerunt; quòd neruorum more caluariam non egrediantur, etsi colore & forma neruis penè respõdeant: molliores tamen & latiores paulò, quàm profundiores.

Nerui optici.

Primum par ex eodem harum productionum loco, vbi sub cerebri basi anteriores eius sinus desinunt, enascitur; & ad oculos superata caluaria ducitur. Ibi neruus in latam expansus tunicam dilatatæ cerebri substantiæ similem (à quadam retis forma ἀμφιβληστροειδὴς dicitur) vitreum totum humorem ambiens cristallino inseritur atque ad eum defert spiritum ad videndum. Quare ὀπτικοὶ, hoc est visorij nerui vocantur. Inter omnes totius corporis neruos mollissimi hi sunt; interiori præsertim parte, & crassissimi; nisi vbi plurium permistio fit; vt in crure & brachio.

De eorum intersectione.

At non rectà pergunt ad oculum: sed dum dexter sinistrorsum flectitur; & dextrorsum is, qui sinister est, coniunguntur ambo & coëunt, antequam egrediantur cranium: móxque egressi dilatantur rursum ad oculos. Cõiunguntur ergò non procul à cerebro; sũtque longiores multò partes eæ, quæ respiciũt oculos; quàm eæ, quæ propè cerebrum continentur. Itaque figuram eiusmodi, χ efficiũt, duorũ quasi (inuersorũ sese in superiori parte tangentium. Non enim mihi, vt Andreæ Vesalio lib. 4. de Humani corporis fabrica ca. 4. vana videtur quæstio, num dexter neruus in hoc congressu dextram sedem retineat móxq. ad dextrum oculum retorqueatur, an verò ad sinistrum rectà feratur, & sinister neruus ad dextrum producatur. Quoniam etsi ambo coalescant, violenta tamen esset illa productio & quasi vnius per alterum terebratio. Neq. solet natura ità permiscere ac confundere partes, vt dextræ fiant sinistrę, & sinistræ, euadant dextræ. Sed si quando opus sit eas coniungere, semper tamen eundem in corpore situm tenent atque in eodem latere ad singulas ducuntur vasa. Deinde inter dissecandum satis ego apertè in hac neruorum coniunctione ostendere soleo hoc, quod dico. Neq. enim vlla potest subesse causa, cur in hac sola parte perpetuum atque in aliis omnibus constantem modum natura mutaret.

Cur coniungant.

Nam cur neruos illos coniungeret & communem vtrique vellet esse meatum, duæ fuerunt à Galeno expositæ causæ in septimo lib. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 4. & lib. 1. de symptomatum causis cap. 2, quamq. mihi non parum suspectæ. Altera, ne vnum & simplex obiectum geminum appareret. Altera, ne altero oculo clauso aut amisso minùs perfecta foret visio: toto scilicet spiritu ad oculum alterum cõcurrente. Nam & vno oculo clauso alterius pupillam dilatari conspicimus; copiosiore scilicet ad eum spiritu concurrente. Verùs fortasse, vt tutior esset ac robustior neruorum illorum productio, qui omnium maximè molles erant & ad lesionem quamuis prõptissimi. Multò namque ità tutiores sunt, quã si rectà ducerentur. Aut cur illos permutaret, nulla cogitari potest: neque tamen quidquam sinè causa operatur natura. Denique accedunt illa duo, quæ ipsemet Vesalius obseruasse se scribit. Primùm enim in muliere & adolescente, quibus dexter oculus perierat, totum neruũ dextrum tum extra, tum intrà cranium, tenuiorem vidit, duriorem, & rubicundiorem sinistro factum: quòd irrigãte & humectãte spiritu destitut⁹ fuisset. Deinde in alio quodam neruos illos prorsus nõ coniungi animaduertit. Quorum vtrumq. apertissimè testatur vanam eam quęstionem non esse; sed omninò dextrum neruum ad dextrum oculũ & sinistrum pertinere.

Cur perforati.

Porrò quod ij soli nerui sensiles meatus contineant, ea credenda est fuisse causa: quoniam hic sensus plurimo indiget spiritu; tum ad oculi tunicas humectãdas, vel etiã ipsum neruum crassum, frigidósque humores calefaciendos: tum ad operationẽ ipsam exercendã; quæ & exactissima est & plurima cõprehendit nec vnquã ferè intermittitur; & vt est momẽtanea sic breuissimo tempore percurrit plurima obiecta spiritúmq. absumit plurimum. Neruus verò ipse vt est crassus nec longiùs protrahitur; ita facto meatu atque foramine nequaquàm debilitatur. Ac de primo quidem neruorum pari satis.

DE RELIQVIS SEX NERVORUM paribus.

CAPVT XXXI.

2. par. ALterum par priori ferè substernitur. Paulò enim posteriùs, quàm priùs, ex cerebri basis lateribus, vbi paulò durius est cerebrum, erumpit. Atque ex cranio egressum in septem surculos vtrinque diuiditur: qui omnes ad septem musculos oculum B mouentes dirigunturque singulique singulis inseruntur. Hoc multò est priore gracilius, sed aliquantò durius: quippe & ex duriore cerebri parte nascitur, & ad mouendum ducitur.

3. par. Tertium ex ima cerebri basi prodit. Quoniam ad linguam & proximas partes dirigitur à natura: quæ id in omnibus obseruare consueuit, vt quàm breuissima & tutissima vtatur via; eámque regionem occupet, quæ membrum illud respicit, quod susceepturum est neruum. Propterea ex inferiori parte; aut inquam ex lateribus, aut ex basi neruos omnes produxit.

Miror autem à veteribus omnibus par hoc vt C vnicum commemoratum fuisse, quod duplex sanè ab ipso principio esse videtur, dum duo vtrinque prodeunt nerui. Sed cùm vnus multò sit altero crassior; eum qui gracilior est, crediderunt illi quampiam esse crassioris alterius propaginem, totúmque ad gustatum pertinere dixerunt. Etsi tenuior ille, qui & ex posteriori sede propè spinæ medullæ initium exoritur, & durior est, antrorsum ad oculum procurrens, in quatuor mox ibi partes scindatur. Quarum prima ad musculosam frontis cutem ascendit; altera ad anteriorem maxillam superiorem, ad gingiuam, labrúmque D tertia ad narium tunicam; quarta ad temporalem musculum, accedunt. Crassior autem alter neruus paulò anteriori exortu rectà deorsum prolabitur: statimque ramulum mittit, capreoli vitis instar conuolutum: qui cùm duplici quinti paris sobole iungitur. Deindè ad inferiora magis descendens alterum antrorsum ad superiorum molarium dentium gingiuas ramum extendit. Tum tertium ex posteriori sede ad inferiorem maxillam; vbi seriatim in singulorum ferè dentium radices singulos partitur surculos. Inde inferiori quoque labro multiplici sobole suus adest neruus. At quoniam potissima maximéque insignis totius huius nerui pars ad E linguę tandem tunicam pertinet & in eam diffunditur, totum hoc par gustatorium appellatum est.

4. par. Quartum paulò posteriùs, quàm tertium, exoritur à spinalis medullæ principio: & per cerebri sedem ad palati tunicam ori subtensam descendit, in plures diuisum partes. Gracilius paulò est priore, sed durius: & ideò hebetior palati sensus, quàm linguæ. Sed & tunica ipsa est durior.

5. par. Quintum paulò crassius ex media ferè illa spinalis medullæ parte egreditur, quæ capite contiA netur, antequàm in spinam delabatur. Huic idem propemodum accidit, quod de tertio dictum est. Nam etsi auditui dicatum esse creditur, binis tamen vtrinque continetur neruis: quorum alter altero gracilior multò est & non nihil durior neque hic ad auditum pertinet: sed ad temporalem musculum serpit; & eum, qui ore contentus inferiorem maxillam sursum mouet; atque ad linguam & laryngem excurrit. Alter verò crassior auditui se sistit. Ad cauitatem enim huius sensus organo extructam pergens, Vbi duos ibi posuit neruos, vnum ex anteriori parte, qui non multò post cum illo tertij paris neruo coniungitur, quem paulò ante vitis capreolo similem nominaui: alterum ex posteriori, qui per cæcum foramen serpens eidem inseritur capreolo, atque cum eo ad temporalem & mansorium buccásque mouentes musculos & genarum cutem progreditur. Tandem ad modum membranæ totus in ea cauitate expanditur, ac præcipuum audiendi organum constituit.

Quo loco duo aliter adnotare libet. Alterum, verè ad initium huiusce de neruis disputationis significatum fuisse, non solùm molliores neruos ad organa sensuum, duriores ad musculos moturos destinasse naturam: verùm etiam rectà illos & per breuissimam viam, hos per longiorem C circuitum adduxisse. Vt illi molliores & ad sentiendum aptiores essent, hi duriores & ad mouendum robustiores. Atque hæc est causa, cur tertij paris ille surculus capreolo similis, qui breuiorem ductum habiturus erat, tàm sedulò inuolutus sit, scilicet quasi longiore ductu durior euaderet. Alterum, non temerè, immò ob summam necessitatem tàm multos atque ex tot locis ad temporalem musculum adductos fuisse neruos. Is enim plurimùm pro sua magnitudine validum habiturus erat motum: at nerui, qui primùm illi infiguntur, tenues sunt nec valde duri; D quòd & propè cerebrum sint, & ex eo nondum satis durato procedant. Plures igitur adiunxit natura; vt imbecillitas numero & multitudine compensaretur.

Sextum par omnium maximè fœcundum est. 6. par. Hoc inferiùs paulò, quàm quintum pluribus apertis surculis nascitur: qui post in vnum coalescunt & per collum iuxta soporariam arteriam ad inferiores descendens partes, ad cerui cis primùm, deinde ad laryngis musculos soboles mittit. Tum longiùs progressum in duos insignes ramos diuiditur. Quorum alter intrò per costarum radices pergit: durioribusque à spinæ medulla neruulis assumptis roboratus, ad os vs- E que sacrum dilabitur. Plurimis interim in iecur eiúsque vesiculam, in ventris fundum, lienem, renes, mesenterium, intestina, omentum, peritonæum, vesicam, & omnia planè nutritionis organa sub septo posita; tum vero etiam in fœminarum vteri fundum, tenuibus propaginibus distributis. Alter tenuitatibus nonnullis propè superiorem thoracis regionem in circumiectis musculis relictis, & postquàm thoracem ingressus aliquantulum in eo processit, ramulis aliis ad laryngis musculos retortis, qui propterea recurrentes seu reuersiui dicuntur, de quibus multa Galenus in 7. de vsu

partium li. ca. 14. aliisque mox ad pulmonum tunicam & cordis inuolucrum & basim, attensus tandem stomacho simul cum eo permeat septum, atque in vētris os superiorémque eius regionem ferè absumitur. Tantùm ex latere dextro ad inferius quoq. orificium, & iecoris cauum ramus quidam descendit. Vt non dubitauerit Galenus in ca. 11. lib. 9. operis citati par hoc totum asserere propter ventrem factum fuisse, quòd exquisitus alimenti sensus animali maximè necessarius foret.

Septimum ac postremum per aliquot disiūctis item surculis, qui mox in vnum coëunt, vt ex vltimo cerebri erumpit, vbi iam medulla spinam ingreditur, ità cæteris durius est. E cranio egressum cohæret cum sexto ob maius vtriusque robur ac firmitatē. Eandémque ob causam validis ea membranis natura circundedit. Ab illo proximi laryngis, & ossis yoidis, & qui scapulas sursùm mouēt, quique tonsillis & faucibus adhærent musculi accipiunt surculos sed præcipua pars ad interiores linguæ musculos dirigitur. Atque hi sunt nerui, qui ex cerebro egrediuntur.

Cerebrum fūs spina sumus.

Cerebrum radix, spina caudex & truncus.

DE NERVIS EX SPINAE medulla productis.

CAPVT XXXII.

Spinæ medulla alterum cerebrum.

QVod est capiti & superioribus partibus cerebrum, hoc inferioribus artubus existit spinę medulla velut propago cerebri (eam quibusdam libuit longum cerebrum appellare) ad subiectas regiones transmissa, quòd ex cerebro non possent ad eas tutò immediatè nerui deduci. Fuissent enim in tam longo itinere circuitúsque multiplici, molles ac tenues cùm sint, periculis multis obnoxij. Deinde vt artus fortes & prævalidos omnino habent motus, sic præduris indigebant neruis: quos mollius cerebrum suppeditare nō poterat. Nec enim inter eos omnes, qui ex illo prodeunt, vllus est absolutè durius; etsi aliqui cum mollioribus comparati, maximè ij, qui septimi paris sunt, duriores appellentur. Vt ergò ad viscera omnia, etsi spinæ propinquiora, quàm cerebro, ex cerebro tamen potiùs, quàm ex spina, producti sunt nerui: quòd eorum mollior est substantia: neque duris ad motum, sed mollibus ad sentiendum opus habebant. Ita sanè ad solidiorem artuum substantiam motusque vehementes, non ex cerebro (quamuis ad humeros & brachia commodè possent) verùm ex spina duriores eos & ad impetus sustinendos aptiores deriuari oportuit. quemadmodum enim posteriores cerebri partes minùs, quàm anteriores, molles sunt, sic durior est spina cerebro. Neque cerebrum duriorum, neque molliorum spina neruorum principium esse possunt: sed molliorum illud, hæc duriorum. Ea tamen conditione & lege; vt quò magis illud ad posteriores partes recedit, eò minùs molles fundat neruos: magis autē duros hæc, quò à cerebro longiùs discesserit.

Propterea priores cerebri nerui tum sensuum omnium functiones exequuntur, videdi, audiendi, odorandi, gustandi, tangendi: tum eorum aliqui motum quoque faciunt, in oculo, lingua, laryngę, faciei musculis. Posteriores autem, qui spinæ sunt, motum duntaxat habent, & ex sensibus tactum, quo nullius planè priuatur neruus. Itaque non ineptè cerebrum velut fontem, spinam velut fluuium ex fonte deductum cogitauimus. Qui dum per totam corporis, hoc est spinæ longitudinem fluit, neruos hinc inde plurimos mittit ad vniuersum corporis nostri agrum irrigandum, & spiritus, velut pinguedinis cuiusdam aspersione fœcundandum, quo animales actiones plurimas germinare queat. Aut cerebrum intelligimus vt arboris radicem, ex qua propagines multæ progerminent: & spinam velut caudicen & truncum, qui mox in plurimos discissus ramos abundè fructus adferat.

Quot nerui ex spina.

Ex singulis namque vertebris ad latus vtrumque dum emittit neruum, interdum quinquaginta octo, interdum sexaginta nerui in homine numerantur. Ex quibus viginti nouem aut triginta paria existunt: quorum septem ex ceruicis, duodecim ex dorsi, quinque ex lumborum vertebris, ac demum quinque aut sex ex osse sacro prodeunt. In aliis animalibus plura etiam pro vertebrarum numero visuntur.

Horum primùm par exile est: & ideo ad solos 1.
primæ vertebræ incubantes musculos dicitur. Al- 2.
terum insignius, parte maxima circa aures & capitis posteriora per eius cutem ad verticem vsque fertur; reliqua in proximos musculos cum priore distribuitur. Tertium musculis illis offertur, qui 3.
maxillas mouent, & ceruicem ac caput retrò flectunt.

Quartum tùm tertio commiscetur, tum ad ceruicem item tendit, ad musculum buccarum motorem præcipuum, & ad alios vertebris adnatos. Tum demum tenuem deorsum flectit propaginem; quæ mox cum quinti & sexti parium ramulis copulata septum transuersum ingreditur. 4.

Quintum igitur altero ramo spinæ vertebris 5.
applicatur: altero surculis in ceruicis & scapulam brachiumque attollentibus musculis, & cute vel vsque ad medium & ampliùs longitudinis brachiis relictis, deorsum ducta & quarti item & sexti, & quarto interdum prætermisso, septimi ramo assumpto; septi neruum constituit, qui medio illi inseritur, vbi caput est musculi. In descensu autem, vt interspientibus thoracem membranis fulcitur, sic non nihil illis largitur.

Sextum ad scapulas potissimùm, ceruicem, par- 6.
tésque proximas pertinet. Nam pluribus omninò neruis opus fuit illis musculis, qui & vehementibus motibus & magnam molem attollentibus erant perfuncturi. Sed & septi neruum, vt dictum est, adauget: móxque cum duobus deinceps exorientibus paribus coit, vt validum omnes simul neruum submininistrent brachio. Hæc enim ambo, septimum & octauum, ità ferè dispensantur: atq. tùm ab illis, tum à quinto, sexto, & nono, sex planè paribus, omnes brachiis nerui deriuantur.

Etsi septimum ad spinam quoque & ceruicis 7.
buccásq. mouētes musculos & ad septi interdum neruum fundat ramos. Atque octauum, quod 8.
dorsi aut thoracis est primum gracilliorē ramum inter vertebrarum & alios illius regionis musculos demittit. Tum crassiorem, à septimo & interdum nono pari accepto surculo, in brachium dirigit, multiplici hinc inde propagine.

Nonum eodem totum præter exiles quasdam 9.
partes in costis, thorace, & incumbentibus illi musculis relictas sese proripit. Sed hæc omnia pa-

rijs

ria ità in vnum coëunt & post diuiduntur rursúmque permiscentur & separantur; vt dici non possit, quis neruus à quónam eorum pari pẽdeat. Propterea verò ita permiscentur, vt in tàm longo progressu tutior sit ductus. Duriores enim euadunt, viribusque iunctis ad iniurias sustinendas robustiores. Deinde sex præcipuos extendunt ramos, qui plurimas passim musculis & cuti brachiis propagines offerunt, alias alijs insigniores. Atque ita per totum brachium, cubitum, & manum dispergũtur.

10. Decimum verò, vndecimum, & consequentia reliqua ex dorsi vertebris emergentia vsque ad vigesimum, quod lumborum est primum, eandem propemodum omnes distributionem habent. Nam singula duos in ramos diuisa minorem ad spinæ vertebras flectunt adnatis musculis inserendum: maiorem post furculos sexti cerebri paris neruo oblatos inter costarum interualla ità dirigunt ad anteriora; vt qui ex veris costis assurgũt, pectoris os, humeros, scapulas, musculos, thoraci instratos, & omnes pectoris partes attingant: qui verò ex spuriis, in abdominis anteriorem progrediantur partem; & ab vtrisque ad cutem quoque perueniant furculi.

Iam vigesimum & quatuor alia huic proxima paria, quæ ad lumbos pertinent, subsequuntur. Hæc omnia ramum vt superiora in vertebris adnatis musculis ponunt. Deinde ad abdomen contendũt, & alios quosdam, qui brachium, dorsum, & femur mouent, musculos. Nec non furculos offerunt sexti cerebri paris ramo, quem per costarum radices reptare dixi atque in intestina visceráque distribui. Cæterùm vt ad testes cum seminaria arteria descendit à vigesimo pari ramus (nisi, vt interdum fit, à memorato sexto cerebri descenderit:) sic à tribus postremis nonnulli in femur prolabuntur nerui.

25. Vigesimumquintum ex ossis sacri cum vltima lumborum vertebra coniunctione erumpit; in eoque priora omnia imitatur, vt alterum in vertebris relinquat ramum, alteróque in ilium musculis posito, ad crus totũ declinat. Sed antequàm cum aliis consequentibus, quæ eodem dirigũtur, coëat; aliumusculis ilium & abdominis non contemnendum dat neruum. Tum permiscetur cum reliquis.

Nàm quæ commemoranda supersunt quinque paria (de homine loquor: siquidem in cane, simia, & aliis bestiis paulò secus habet) dum ex ipso sacro osse promanant, ramum ad ilium ossisque illius posteriores musculos mittit. Deinde tria illorum superiora, vigesimumseptimum, & vigesimum octauum, declinantia in crus ita cum vigesimoquinto permiscentur, quemadmodum de illis dictum est, quæ brachium adeunt. Nam præter tres non exiguos neruos à vigesimosecundo, vigesimotertio, & vigesimoquarto, quæ lumborum sunt, paribus in crus detrusos & supra genu consumptos in femore; præter sobolem quandam à vigesimi tertij neruo deriuatam & ad pedis vsque pollicem extensam: quartus efficitur ex vigesimi quinti, & subsequentium trium permistione. Qui non solùm tribus prioribus multo crassior est, sed omnium totius corporis neruorum crassissimus: Et verò etiam durissimus. Quippe ex vltima spinę parte omnium durissima maximéque à molli cerebro distante exoritur. Hic per totum crus ducitur modisque plurimis spargitur. Sed in femore minùs multò, quàm in tibia. Quoniam in illo tres priores nerui multifariam distributi consistunt: ad hanc autem is solus peruenit, præter tenuem vigesimi tertij paris ramulum, qui paulò antè significatus est. 26.27.28.

Tandem postrema duo, vigesimum nonum, & trigesimum, perbreuia sunt atque in ani musculis, pudendo, vesicæ, vteriuè ceruice digeruntur. 29.30.

Quod verò ex sexto ossis sacri osse velut dorsalis medullæ vltimum prodit, neruum coniugis expertem Auicennæ & quibusdam aliis appellare libuit. Alij, inter vincula numerarant. Certè nec more nec vsu nerui dispensatur. Et vt ossium extremitas cartilago esse solet; sic illud ad cartilagines spectare potest. Atque hic erit mihi de neruis dicendi finis. Nec de neruis modò, sed de omnibus quoque partibus, quibus corpus conficitur idoneum animæ futurum, tum diuersorium, tùm ad insitas vires exprimendas organum. Déque triplici vasorum genere, quibus illud continenter irrigatur, vt & conseruetur & operati possit.

FINIS.

HIERONYMI DANDINI
Cæsenatis, è Societate Iesu.

DE PARTIBVS HETEROGENEIS.

LIBER QVARTVS.

PRAEFATIO.

Simplicium & homogenearum partium omnem iam videor compositionem, vim, naturam, & vsum superiori libro comprehendisse; omniumque illarum descriptio facta est. Nunc ad compositarum atque heterogenearum, quæ ex illis coagmentantur, inspectionem progrediendum est: corpusque vniuersum perlustrandum, animæ domicilium & instrumentum futurum. Ad quod spectandum eos tantùm accerso aut etiam admitto, qui in superioribus libris fuerint non mediocriter exercitati.

Humani corporis substantia.

Humani corporis, inquam, descriptio generalis facienda est: quod velut Polycleti statua illa partium omnium summa proportione constans aliorum omnium canon vt in prim. etiam libro diximus existimari debet. Vt enim homo animal est mente & ratione, hoc est diuinissima & principe forma præditum, quæ vniuersas cæterorum animantium vires continet: ità & optimum atque instructissimum corpus præclaraque conditione quadam genitum à supremo obtinuit Deo membrorumque omnium conformatione pulcherrimum. Inter cætera præ animalium cunctorum corporibus habet quatuor. Primùm cel-
1. sum est & erectum, quasi in cœlum sese attollens: Prona cùm spectent animalia cætera terram. Ortus enim est homo, vt omnibus dominaretur, atque ad mundum contemplandum & mirandum: vtque Dei cognitionem cœlum intuens capere posset, & suum conditorem agnoscens hymnos
2. illi diuinos decantaret. Deinde optimam habet totius corporis temperationem & calorem plurimum. Vnde & optimus corporis habitus & perfectissimæ operationes consequuntur. Tum
3. verò amplissimum, capacissimisque finibus ac partibus omnibus accuratissimè distinctum cerebrum: quod etsi propria animæ sedes non sit, inter præcipua tamen continetur membra, indèque sensus omnis ac motus propter neruos & animalem spiritum pendent plurimùm: ex sensu autem mens & ratio. Postremò artus omnes maiori multò artificio distinctos & conformatos. Ac
4. manus præsertim & digitos ad ea omnia exequenda, quæcunque mens iusserit. Cætera ferè cum bestiis communia aut non magnoperè diuersa. quare qui de humano corpore dicit, de omnibus quodam modo dicit omniàque ob oculos ponit.

Plura corpora dissecanda.

Sed illud primùm intelligere oportet; non posse cuncta in cadauere vnico satis spectari. Quoniam plurimis in locis ità sunt partes inter se implicitæ & permistæ, vt nisi aliis amputatis aut disruptis ea, quæ quæritur, videri non possit. Plura igitur sunt inspicienda cadauera. Et in vnoquidem interiora primùm viscera: deinde musculi ac tendones: tum illis etiam subdita ossa consideranda: in altero venæ: in tertio arteriæ: in quarto nerui. Cutis autem, membranæ, cartilagines, vincula, in omnibus dispicientur.

Ego, vnica descriptione ostensurus hæc omnia, totius primùm corporis partitionem faciam: deinde de partibus singulis eo dicam ordine, quo ferè corpora dissecare oportebit. Vt ita explicatio tota certa ratione ac methodo progrediatur.

TOTIVS CORPORIS *partitio.*

CAPVT I.

VNiuersum igitur hominis corpus quatuor in partes tribuitur; in caput, thoracem, ventrem, & artus, quibus brachia & manus, crura & pedes continentur. Caput, thoracem, & ventrem plerique triplicem ventrem appellant; superiorem, medium, & inferiorem. Etsi Hippocrates & Galenus in Aphor. 38. lib. 7. superiorem ventrem thoracem dixerint. Ex quo eos intelligas caput non appellasse ventrem, quòd cauitatem non habeat, qua solidum corpus aut pars aliqua alia contineatur. Quòd si appella-

appellare libeat, supremum appelles. Tota porrò partitio ex facultatum animæ, quibus parabatur corpus, partitione ortum habuit; vt pulchrè in Timæo Plato comprehēdit. Inferiore namque ventre partes eæ continentur, quæ ad vegetantem facultatem naturalesque functiones referuntur. Ad thoracem autem pertinent illæ, quæ ad vitalem. Ad caput eæ, quæ ad animalem ac præcipuè ad sensum. Quam ob causam superior regio animalis, media vitalis seu spiritalis, infima naturalis dicitur. Ad artus demum illæ, quæ ad arbitrarium motum comparatæ sunt. Sic enim totum corpus velut animæ organum fabricatum est.

DE ABDOMINE ET eius musculis.

CAP. II.

Cur inde inchoandum. AB inferiore ventre, vt Galenus quoque in 5. de Anatom. administr. lib. cap. 6. se factitasse testatur, æquum est principium facere. Quoniam hæc maximè pars, ni statim absoluatur, ita putrescit, vt nec dissecari, nec omnino quidquam in ea inspici queat. Reliquæ vnum vel alterum aut etiam plures dies (hyeme præsertim frigida) expectabunt. Accedit, quòd primæ ibi vegetantis animæ facultates atque operationes vigent.

Ventris descriptio. Venter porrò à xiphoide cartilagine, diaphragmate & costarum extremitatibus vsque ad ilia & inguina osque pubis extenditur; totum illud, quod carnosum est nec vllo duratum aut fultum osse, Causam in superiori libro significaui. In eo magnopere inuolura & implicata continentur ea omnia; quæ naturales functiones rectè obeunt. Hæc vt distinctè & explicatè ad intuendum oculis proponantur; à superioribus & iis, quæ dissecantibus primùm occurrunt, inchoandum erit.

Abdomē vnde dictum. Tota igitur hæc pars Latinis venter, Græcis γαστὴρ appellatur. Proinde anteriorem & extimam illius regionem, quæ extrinsecùs ambit & ea, quæ interiora sunt, abdit, nos abdomen, veteres Græci κοιλίαν, Galenus ὑπογάστριον quasi superiorem ac superficiarium ventrem, seu mauis locum suprà ventrem, Arabes mirach dixerunt. Abdomen verò (vt nostris vtar vocibus) tum secundùm longitudinem, tum secundùm altitudinem consideratur. Longitudinis tres sunt partes. Superior vna epigastrica, costis proxima (ὑποχόνδρια Græci vocant, nos præcordia, etsi in Aphor. 37. lib. 4. pro toto abdomine visus sit Hippocrates hypocondria nominasse) vbi hypocondrium dextrum & sinistrum, mediámque partem, quàm κόνδυλον & pomum granatum dicunt, secundùm latitudinem distinguimus. Altera media circà vmbilicum; quæ totius nomine retento ὑπογάστριον dicitur. Tertia ima ad os pubis; quam hypogastricam seu ventrem imum atque ilia & inguina nominamus; iliúmque dextrum & sinistrum ostendimus: inter quæ pecten est & os pubis, quòd ibi pubertatis signa pilo crescente appareant. Altitudine autem cute, adipe, carnosa membrana, musculis quibusdam, & peritonæo constat.

Dissectio. Quocircà à pectoris osse per medium ventrem (vmbilico tamen intacto) vsque ad os pubis, & rursum per transuersum à sinistris ad dextros lumbos per vmbilicum intactum scindenda primum est cutis ac diligenter ab adipe separanda. Deindè cutis natura & vsus inspiciendus. Cui si ardentem candelam admoueris, cuticula quoque ἐπιδερμὶς dicta attolletur tibi atque à cute separabitur. Tum adipe multo detracto (quamquàm non in omnibus animalibus, vt leone, cane, subsit) membrana occurrit toti obducta corpori, carnosis, etsi non æquè in omnibus partibus, intexta fibris, quæ propterea carnosa vocatur; ab aliis panniculus carnosus. Ea faciliùs multò à subiectis partibus, quàm cutis ab adipe aut ab ea membrana adeps, separatur: & ferè in agnis & hedis silo flatu cum cute nullo negotio auellitur, cùm cutis ab illa aut ab adipe propter neruulos plurimos, vernulas, & arteriolas cutem adeuntes non nisi magna industria separetur. Eiusque præcipuus censetur vsus, vt vasorum horum, quæ ad cutem feruntur, propagines roborentur ac fulciantur. *Membrana carnosa.*

Iam his omnibus octo subsunt musculi, vtrinque quatuor; quibus abdomen præcipuè constat, atque à fibrarum ductu situque in corpore nomen habent: quatuor obliqui, duo recti, totidem transuersi. Supremi & omnium maximi sunt obliqui duo à sexta, septima, octaua, & nona, atque etiam tribus inferioribus costis priusquam in cartilaginem desinant, atque ex suprema cartilagine earum, quæ tres ex lumborum vertebris prodeunt, exorti ad ventris anteriora deorsum obliquis fibris triquetra figura progredientes, móxque ad ossis ilij summitatem eiusdem lateris descendentes. (Qua in re anatomicis omnibus, vt is solus sapere videretur, nullo licet probabili argumento persuasus, ausus est Andræas Laurentius aduersari; ascendentes, non descendentes hos musculos faciens.) Verùm hic exortus minùs est continuatus. Sed cùm in ea costarum loca alij quidam ex thorace musculi velut manus apertos extendens digitos inserantur; ex interuallis illis nascuntur hi, velut vnius manus digitis in alterius digitorum interualla immissis. *Musculi obliqui descendentes.*

His detractis duo alij obliqui item occurrunt. Sed qui ex superiori ossis ilium sede, sacríque ossis ac secunda vertebrarum lumborum cartilagine ad quatuor infimarum costarum, quæ spuriæ dicuntur, extremitates conscendant, duoque priores decussatim intersecent aut illis potiùs substernantur. In media verò abdominis regione in membranosam hi omnes extremitatem desinunt: quæ vtrinque ascendens ità copulatur atque inseritur in alba linea, vt mucronatæ cartilagini sursum atque ossi pubis deorsum inserta totum illum locum egregiè integat. Sed priores duo vtrinque suprarectos ascendunt musculos: posteriores in bipartitam cartilaginem terminati eosdem musculos velut in marsupio amplectuntur: quod ad rectorum robur & firmamentum pertinet. Quare ab hoc loco auspicanda fuerit musculorum dissectio. Vbi tamen copulationis vestigium nullum extat, sed extremitates eæ crassiores factæ inter rectos subeuntes musculos cum transuersorum quoque extremitatibus & verò etiam peritonæo coniunguntur. *Obliqui ascendentes.*

Alba linea. Vndè alba illa exiſtit linea, quæ in medio ventre conſpicitur, à mucronata cartilagine per vmbilicum medium ad pubis oſſium commiſſuram ducta, atque hos omnes muſculos ita ſeparans, vt quatuor planè ſint dextri totidémque ſiniſtri, quatuor omnino muſculorum paria.

Musculi recti. Nam præter obliqua duo hactenus demonſtrata, tertium rectorum eſt, qui ex vtraque oſſis pectoris parte paululùm ſupra cartilaginem mucronatam per mediam ventris regionem deſcendunt ad pubem. (Hos quoque à pube ad ſternum aſcendentes faciunt alij: & Laurentius ſex omninò muſculos aſcendentes, obliquos quatuor & duos rectos, nullùm prorſus deſcédentem: quod neque rationi, neque naturæ operibus conſentire videtur) atque à primo quidem ortu non nihil diſcreti alter ab altero, præſertim in homine, mox ſeſe contingunt planéque in pubis oſſe coniunguntur. Horum fibræ rectæ ſunt, non tamen integræ à ſummo ad imum duci, ſe tum ob maiorem ſimitatem in tanta ſcilicet longitudine, tum vt muſculis collectis atque in ſe ipſos contractis inteſtina faciliùs comprimerent; interdum ter, ſæpè quater interrumpti & quaſi incuruati, ſeu aliæ ex alijs, membranoſis admiſtis fibris, produci videntur.

Musculi transuersi. Quantum autem & vltimum tranſuerſorum cum peritonæo terè cohæreſcit, nec ſine magno labore plurimiſque ſectionibus ab eo liberatur. Ex lateralibus lumborum vertebrarum proceſſibus tertiáque illorum cartilagine naſcuntur illi. Deinde ad ſuperiorem ilium oſſis partem & ſpurias vſque coſtas aucti ad ventris medium per corporis latitudinem aſcendunt: atque in membraneam exilitatem velut tendonem deſinentes ad angulum rectum muſculos rectos petunt; in quorum medio, vt de obliquis dictum eſt, vtrinque coëunt ac totum tegentes ventrem in albam tandem lineam cum cæteris committuntur.

Horum musculorum situs. Cur autem internum tranſuerſi, medium recti, externum planè obliqui ſitum occupent muſculi, ea exponi poteſt ratio, quòd internæ tranſuerſæ faſciæ magis præmant, minùs rectæ, obliquæ minimùm. Quod in puſionum aut etiam noſtris corporibus animaduertas.

Vſus. Cæterùm horum omnium quadruplex eſt præcipuus vſus. Primus cum cæteris omnibus muſculis communis, eſt iuxta cuiuſq. diſpoſitionem ac fibrarum ſitum mouere. Vnuſquiſq. enim partem eā, cui inſeritur, præmit ad ſuum principium trahens. Et dum tenduntur aut laxantur, non parùm creduntur thoracis motui famulari, eúmq. dilatare, & cōſtringere. Alter magis proprius, calorem ventris fouere; partibuſque ſubiectis, quæ nullo protegebātur oſſe, velut propugnaculum adeſſe. Tertius durorum excrementorum expulſionem iuuare. Si enim retento ſpiritu ſimul omnes collecti contrahantur, comprimunt inteſtina, fœcéſque protrudunt. Ideoq. parientibus quoque fœminis non parùm conferunt, vt faciliùs expellatur fœtus. Quartus, prodeſſe voci aut cohibendæ, & retinendæ, dum loquimur; aut magnæ cuipiam edendę. Quarè præ nimia contentione laxatis diſruptiſuè in infima ad pubem ſede obliquis muſculis hernia ſcimus laboraſſe non paucos.

Musculi triangulares. Præter hos octo muſculos duos alios paruos in homine præſertim reperias in infima abdominis ſede, ex media oſſis pubis parte aſcendentes vtrinque ſuprà muſculos rectos, atque vaito tendone, ad duorum vel trium digitorum altitudinem inter duos illos muſculos trianguli figura inſertos. Non in omnibus ij hominibus viſuntur: & quidquid de illis Fallopius dicat, vt ex accidenti quibuſdam inſunt, ſic accidentarium eos habere vſum non dubito: vt partem eam firmiorem in quibuſdam faciant, quæ imbecillior alioqui erat. Propterèà vel triangulares à figura, vel ab vſu ſuccenturiatos, quaſi prioribus ſubſtitutos appelles.

DE PERITONÆO ET vmbilici vaſis.

CAP. III.

Peritonei ortus & deſcriptio. Vſculis hiſce omnibus ſeparatis apparet tenuiſſima, ſed firmiſſima & robuſtiſſima membrana: inter præcipuas iure optimo commemoranda. Certè omnium maxima eſt & ampliſſima, ſi carnoſam ſolam exceperis, quæ tamen ſimplex membrana non eſt. Ex vinculis, quæ inter lumborum vertebras ſacrúmque & ilium oſſa intercedūt, ortum habet. Inde extenſa ita conſcendit vtrinque, vt vniuerſam illam regionem & capaciſſimam cauitatem ſuccingat, & in medio ventre cum obliquorum muſculorū extremitatibus in alba linea committatur. Surſum verò inferiori ſepti tranſuerſi ſedi obtendatur, & deorſum attingat pubem. Quocirca velut vter oblongi oui figura viſcera omnia & quæcunque ſunt in ventre continet: & ideò *Peritoneum cur dictum.* περιτόναιον περιτόνεον appellant Græci: & Hippocrates in ſept. m[illegible]. de popularibus morbis plurium numero περιτονιαίας dixit. Arabes ſiphac vocant. Non vnicam & ſimplicem, ſed duplicem membranam eſſe ſcripſerunt aliqui; Galeni fortaſſe in ſexto de methodo medendi li. cap. 4. verbis decepti. Sed ſi eam ex duobus corporibus compoſitam eſſe dixit, alterum horum ſubiunxit eſſe tranſuerſorum muſculorum extremitatem, quæ ægrè & vix ſeparari poteſt; alterum autem verè peritoneum. Certè omni ex parte ſuperiore & inferiore, anteriore & poſteriore, dextra & ſiniſtra, duplex ſe millies obſeruaſſe Andræas Laurentius ſcribit.

Vſus. Quidquid ſit, multiplicem ſanè vſum habet in corpore. Primus ac præcipuus is eſt, quem paulò antè ſignificaui; continere ſcilicet viſcera & inteſtina omnia. Hoc quanti momenti ſit, ij demum magno ſuo damno atque incommodo, maioriq. periculo experiuntur; quibus ſiuè ictu, ſiuè ſaltu, ſiuè immoderato clamore aliáue ſimili cauſa eo cum obliquis incumbētibus muſculis ab pubem laxato aut rupto in ſcrotum decidunt inteſtina. Ideò membranoſum ac præualidum à natura fabricatum eſt. Alter, vt inteſtina diſtinguat ab abdominis muſculis, atque ità ſeparet, vt dum mouentur muſculi; nec illi in inteſtinorum, nec hæc in illorum ſpatia incidant. Tertius, viſcera omnia & inteſtina tueri atq. à flatibus, vento aëre circūfuſo, externiſque iniuriis, quibuſuis protegere. Quartus membranas plurimas velut proprios & peculiares amictus partibus omnibus, quę illo cōtinentur, ſuppeditare. Non modo enim omnes peritoneum complectitur; verùm etiam ſingulæ deriuatā ab eo membranulā creduntur accipere; qua & inuicem colligentur, vt firmiùs omnes in eodē ſimul cōtineantur loco, & ſeorſim cōueſtiatur vnaquæq. atq. in ſede ſibi conſtituta hæreat.

An excremẽtorum expulsio sanet.

Quo verò consilio Galenus eddiderit in capite nono lib. 4. de vsu partium, iuuare quoque siccorum excrementorum expulsionem, dum ad transuersum septum comprimit intestina; equidem planè non video. Illud tamen intelligo, nullum peritoneo inesse motum, quo comprimere possit: sed id, quod à Galeno tributum est peritoneo, ad abdominis musculos pertinere. Tantúmq. abest, vt illud comprimat vnquã intestina, vt ipse à musculis illis comprimatur eorumq. motum sequatur: neque agat quidquam aut moueat, sed patiatur duntaxat & moueatur. Non enim mouendi instrumentum membrana est, sed musculis & tendo.

Substantia.

Verùm ad illius substantiam considerandam reuertamur. Exterior eius superficies quasi asperior est, vt incumbẽtibus adhæreat musculis: interior magis læuis & terssa, propter beniniorem viscerum contactum. Interdum etiam adipe in suibus præsertim, aut certè aqueo humore oblita. Sed in posteriore, qua sui ortus principium sumit, maior multò, quàm in anteriori, crassitudo. Etenim tenuatur sensim, dũ ad anteriora progreditur. Hæc ipsa tamen anterior pars crassior in viris à xiphoide ad vmbilicũ, quàm ab vmbilico ad pubem. In mulieribus contrà: fœtus enim gestandus maiori eguit robore.

Foramina.

Superiori parte, qua trãsuerso subtẽditur septo, tribus patet foraminibus: quibus venę Cauę, œsophago cum adiũctis neruis, & arteriæ asperæ cum vena coniugis experte & aliquot neruis aditum præbet. Inferiori autem in viris duplici: vt & seminaria vasa ad testes & vesicæ ceruix ad pudẽdum procurrant. In fœminis vnico, quo vteri ceruicis finis erumpat. In vtrisque aliis pluribus, quibus venæ & arteriæ ad crura descẽdant, & ad abdominis musculos rectos & alios quosdam ascẽdant. Anteriori demùm parte vno, quo vmbilici vasa continentur.

Vmbilici vasa.

Ea sunt, vena ex pluribus vteri fundum petentibus collecta: arteria, quæ ex illius item loci arteriis oritur: ac demum vrinarius meatus, quẽ vrachium vocant. Quę simul iuncta per fœtus vmbilicum subeũt ac mox separatur. Nã vena interiori peritonei regioni attensa seorsũ ascendit ad iecoris cauum, vndè Porta egreditur: eiq. inserta perindè ad nutriendum fœtum, quandiù viuit in vtero, sanguinẽ ducit, ac si proprio vesceretur cibo. Gibbum eam ingredi maluit Auicenna in capite de Generatione embrionis; ne si cauum intraret, bilis folliculum comprimens purgationem illius impediret. At si nunc turgida semper sanguine Parta non impedit; multò minùs tunc impediret.

Cur autem cauum iecoris potiùs, quàm gibbum subeat; minùs probo rationem à Galeno expositam in cap. 4. lib. 15. de vsu partium; vt ibi cùm sit bilis vesicula, purgetur à bili sãguis, antequàm per corpus distribuatur. Sed hãc potiùs: quoniam ibi est consuetus alimenti locus, quo à ventriculo duci debet ad Portam: ipsisque initiis eam ingreditur natura viam, quam semper tenere debet. Idcircò etiam vena est vna: quia æquum non erat ad eum vsum partiri venam ad quem plurimas deinceps in vnam collectura est natura.

Atteria verò bipartito diuiditur; vt tum dextræ tùm sinistræ parti calorem addat. Itaque ex ea & vrinario meatu tria existunt vasa, velut funiculi tres, qui peritoneo similiter attensi figura quadam triangulari deorsum feruntur ad pubem. Atteria hinc inde secundum vesicæ latera in amplas illas arterias iliacas infiguntur, quæ prolabuntur in crura: iisque naturalis corpusculi calor recreatur. Déque horum vasorum ortu perinde fuerit, siuè illorum sequendo vsum; quo ab vteri venis atque arteriis ad fœtum sanguinem spiritúmque deducunt; indè vt dictum est deriuentur: siuè per se consideratæ, vena ab fœtus epate, arteriæque ab iliacis aortæ ramis ad vterum producantur, vt necessarium alimentum & calorem hauriant. Medius verò inter duas arterias incedit vrinarius meatus ex vesicæ corpusculi fundo ad vmbilicum protensus. Hoc enim, dum vtero gestatur, in allantoidem panniculum vrinam excernit.

At cùm hæc omnia vasa educto in lucem fœtui minimè necessaria sint, quidquid ipsorum in corpore remanet, solidioris instar funiculi aresci: neque inter grandioris corporis partes aut vasa numeratur; & in canibus ferè penitus aboletur. Ac de peritoneo quidem & vmbilico satis. Iam quæ interiori cauitate continentur, spectanda sunt.

VASORVM OMNIVM, QVAE ventre continentur, partitio ac summaria consideratio.

CAP. IIII.

SI vasa omnia, quæcunque continentur in corpore; circà alimentum quoquo modo versari videantur: quæ sunt in ventre, vt ex eo fiat sanguis; cor, vt in vitalem spiritum; cerebrum, vt in animalem mutetur: propriè tamen versari creduntur ea, quæ circa illud, quatenus alimentum est, occupantur. Ea sunt, quæ peritoneo detracto conspiciuntur in ventre.

Duplex alimenti vsus.

Porrò vt alimenti duplex est vsus: alter nutrire consumptámque substantiam reponendo viuens idem conseruare: alter ex quadam illius residua parte alterum sibi simile procreare, speciéque conseruationi atque incolumitati prouidere. Ita duo vasorum genera hoc loco continentur: quædam ad nutriendum referuntur: alia procreationi dicata sunt. De vtroque genere illo ipso dicam ordine, quo in eorũ vsu natura progreditur.

Duorum ventre vasorum genera.

Circa alimentum naturæ opera.

Ergò vt alimentum nutriendo corpori opportunum præparetur, tria omninò præstanda sunt Primùm sumendum est alimentum: deinde retinendum, coquendum, atque à deteriori substantia repurgandum: tum noxia hæc & excrementosa materia expellenda, stomacho sumitur: ventriculo & iecore retinetur & coquitur: felis vesicula, liene, renibus, vesica altera, ac demùm intestinis deterior materia secernitur & purgatur. Cibus enim & potus ore sumptus per stomachum in ventrem deiicitur: inde mox in chylum confectus per intestina descendit, atque per mesenterij venas vtiliori parte extracta crassiores fæces per anum pelluntur. Pars vtilior per Portam subit iecur. Ibi mutatur in sanguinem, flaua bili, vt excremento tenuiori ad eius vesiculam; & atra, quæ crassior est, ad lienem separatis: ambę post ad ventrẽ & intestina transmissæ cũ fæcibus eiiciun-

tur. Sanguis cauam ingressus venam simul cum aquoso adhuc excremento, cuius ope arctissimas vias à Porta ad Cauam faciliùs penetrauit; renum vsu ab hoc, quod supererat, excremento aqueo repurgatur. Quod mox per vrinarios meatus mittitur in vesicam, atq. indè laxato ceruicis musculo pudẽdo mingitur. Ita sanguis totus optimè mundus ac purgatus per totum corpus distribuitur. Sed quædam tandem illius sicut & arteriarũ spiritus pars per seminaria vasa ad testes ingreditur; quæ seminis naturam & vim adepta pérque maris pudendum in fœminæ vterum iecta procreationem totam absoluit, naturæque perpetuitatem facit. Hæc est breuis eorum omnium, quæ ad ventrem spectant commemoratio.

Vasa hæc optimè eo loco continerí.

Quæ si commodiùs quispiam credat propè os, quo cibus sumitur, collocari statim potuisse: is magnoperè erret. Ea namq. pars à principe membro corde (de cordatis enim est sermo: alioqui cætera, quæ pulmonibus & corde carent, collo item carent & gula quæque opus non habent respiratione, ventrem ori coniunctum habere possunt; vt in tertio de partibus animalium lib. ca. 3. Aristoteles tradidit) occupata erat, quòd inter nutritionem & sensus, qui vigent in capite, medium esse oportebat. Neque erat equum ciborum, coquinam atque excrementorum officinam & sedem, quæ in infimo, & abiectissimo loco recondi solent, tam altè atque in media & optima ædificij parte ponere. Neque animali opportunum, excrementa capiti & sensibus esse propinqua: neq. commodum ea indè subducere atque egerere. Infimus locus ad vtrumque fuit eligendus.

Verùm nec alimenti hæc & sobolis vasa in osseo, duro minimèque cedente ac sese dilatãte loco poterant condi. Nec superior illa regio tota carnea, inferior autẽ ossea esse debebat. Vtrũque enim plurimas ac præcipuas animalis functiones impediuisset. Denique respiratio, quæ tantoperè necessaria est operatio, vt ne minimo quidẽ tempore intermitti queat, & verò etiam vocis formatio; cum aëre ore ac naribus hausto vsuræ essent, superiorem illum ac propinquum locum postulabant; quo adduceretur faciliùs & reduceretur aër, crebriorque illius fieret permutatio.

Hoc certè effectum est, vt quàm minima esset distantia. Nam statim sub septo, quo cordis hic & respirationis locus terminatur, cum iecore ventriculus positus est; ad quem patens est & peruius stomachus cibum ac potum adducẽs. Deinde sub ventriculo intestina iacent, quæ cõfectum cibum deducunt, ac per infimum locum egerunt excrementa. Reliqua his circumiecta fuerunt, opportuno & optimo quæq. loco. Sed iam seorsum singula consideremus à sumptione cibi facto principio.

DE STOMACHO.

CAPVT V.

A Bore ad podicem vsq. vna est & continuata via: quę tribus præcipuis partibus cõstat. Prima cibus sumitur: altera cõficitur: tertia transmittitur, illiusque fæces secernũtur. Prima est stomachus, altera vẽtriculus, tertia intestina omnia.

Stomachus quid.

Longum enim canalem illum, qui à linguæ radice protenditur ad ventriculum, στόμαχον, & διὰ-

A φάγον Græci nominarunt; aut etiam communi nomine ἰσθμὸν, quòd angustus sit locus, per quem plurima interim vasa ducuntur. Ab angustia & longitudine appellatum fuisse dixit Aristoteles in 1. de animalium historia libro cap. 16. Latini stomachum potiùs seu gulam vocarunt.

Tonsillæ.

In ipso initio tonsillas vtrinque habet (Græcis παραδύμια) hoc est glãdulas, quæ contento humore tum linguam humectant, vt cibos gustet & mandat; tum interiorem totam stomachi cauitatem irrorant, vt præmansus in ventriculũ faciliùs prolabatur: & interdum in medio quoque ductu duæ aliæ eandem ob causam adiungũtur. Glutitur autem cib⁹ agitatione primùm & motu linguæ: tum

Vt glutiatur.

B inferioribus stomachi partibus dilatatis superioribusque contractis. Quippe aptissimam huic vsui substantiam habet. Et quoniam ipsius principio larynx incumbit cartilaginea planè ac minimè cedens; deorsum tantisper, dum transit cibus, trahitur stomachus & larynx sursum recurrit. Sic enim in tertio de naturalibus facultatibus ca. 8. & in 7. de vsu partium ca. 18. obseruauit Galenus.

Stomachi substantia.

Duplici porrò constat tunica præter eam, quam à peritoneo accipit, ex dorsi vertebrarum, quas percurrit, vinculis ortam; vt si fortis in gesto duriore cibo laceraretur, ea quæ est interior aut alio modo corroderetur, altera supereesset integra.

C Has in tertio de partibus cap. 3. considerans Aristoteles stomachum dixit ex neruo & cartilagine constare. Nam interna tenuior quidem paulò est, sed membranosior multò, durior, atq. ad patiendum contumacior: quoniam non benè tritus persæpè ingeritur cibus. Ea linguæ, palati, totiusque oris, ac ventriculi tunicæ continua est sed eam ob causam, quam significaui, contumaciissima circà initia; iliumque ad vẽtriculum descendit, mollior sensim & rarior efficitur. Vbique tamen præualida, vt ex pecorum ventribus solitos fuisse veteres Lybiæ incolas parare sibi crumenas, in quarto de Morbis Hippocrates scripserit. Rectis hęc intexta

D est fibris. Externa vero crassior, sed carnosior & mollior, transuersis duntaxat referta fibris. Cuius fibrarum diuersitatis ea fuit ratio, vt interiores rectæ cibi potúsque attractioni famularentur; exteriores transuersæ expulsionem eam, quo vomendo fit, perficerent. Attractio semper est necessaria, expultio interdum & propter occasiones quasdam. Quãquam hæ ipsæ transuersæ, dum in inferioribus stomachi partibus laxantur atque in superioribus cõtrahuntur glutitionẽ adiuuant. Propterea glutire faciliùs est, quã vomere: non solùm quia deorsum faciliùs, quàm sursum pellitur corpus graue: sed etiam quia ambabus tunicis operãtibus glutimus, trahente vna, altera contrahente,

Fibrarum ratio.

Cur glutire facilius quàm vomere.

E & trudente: vomimus autem externa tantùm agente & trudente, nulla autem trahente. Denique fibras obliquas tunicis hisce adesse nõ oportuit. Quoniam cùm hæ ad retinendum comparatæ sint, minùs fuisset promptus cibi transitus, maximámque diutiùs hærens molestiam attulisset.

Stomachi situs.

Per collum igitur in media vertebrarum sede sub aspera descendit arteria, antetiorem locum necessarię magis functionis instrumento, quod in superiori, hoc est thoracis loco, consistit, libenter cedens. Cùm præsertim cartilagineo illo corpore non parũ protegeretur. Verũ ad quintã thoracis vertebrã tantisper ad dextrũ deerrat latus, dum arterię magnę ad inferiora descẽdẽti, quę ex sinistro

cordis

cordis sinu orta sedem iam occupauerat, dat locũ. Tum à nona vertebra eleuatus transuersum septũ in sinistro, quà neruosum est, latere permeat: atq. nè ad vẽtriculum accedens lædat iectur vniuersam illã sub septo regionẽ possidẽs, aut illud perforare cogatur; ad sinistrã planè cõcedit, vbi minor iecoris pars, ibiq. superno ventriculi orificio inseritur.

DE VENTRICVLO. CAP. VI.

Situs. HIS in medio latitudinis animalis residet velut communis coquina partiúmq. omnium prõptuarium siue præsæpe, vt in 2. de part. animal. lib. ca. 3. Arist. loquitur & antè illũ in Timæo Plato. Sed sinistra parte elatior. Tangit enim septum, à quo dextra nõ parum distat; iecore interposito atq. intrà ipsius cauum cõtento vẽtriculo. Tunicis constat stomacho persimilibus: *Substantia.* quippè illi cõtinuatur. Sed interior, vt dixi, paulò mollior est, pluréſq. habet obliquas fibras, quibus contineat cibum: rectas verò plurimas, quibus attrahat: & trãsuersas non paucas, quibus expellat. Rectæ dum trahũt, stomachũ quoq. breuiant; atq. id exequũtur, quod dicebat Galenus, in cibi descẽsu stomachum deorsum trahi, sursúmq. laryngem recurrere. Exterior existit carnosior & obliquas propter eundem vsum, ac transuersas ad expellẽdum, tum confectum cibum ad intestina, tum interdum per vomitum, fibras ostentat.

Quo loco duo sunt magnoperè consideranda. Alterum; vt attractio prior est retẽtione, hæcque expulsionem antecedit, sic in ptiore tunica fibras rectas, quę trahũt, in interna ipsius sede, obliquas, *Fibrarum ratio.* quæ retinẽt, in externa: & rursum in posteriore obliquas in interiore, trãsuersas in exteriore collocatas fuisse: quod summũ omninò & admirabile artificiũ habet. His demùm velut superior vestis additur tertia à peritoneo tunica, ex ea parte deducta, quæ septum stomacho aditũ præbet, atq. in vẽtriculum totũ extẽsa. Alterum, vniuersum hanc vẽtriculi substãtiam aptissimam esse, vt & ingesto dilatetur cibo & contrahatur extracto. Propterea tum magnã ùm paucã ciborũ & potus vim capit, eãq. exhausta cõtrahit sese ac subsidet: perindéq. siue multum siue parum cibi & potus exactè, & adamussim complectitur, nec vsquã inane quidquam relinquit.

Figura. Capacissimã quoq. figurã habet, vt in paruo loco multum cibi caperet, quo partes omnes sustẽtarentur, nè singulis horis edere cogeremur. Etenim rotũdus est, in sinistro præsertim latere, vbi amplitudo maior: tũ quia capacior locus, dextera parte iecore occupata, tum vt sinistrũ latus dextro esset æquabile, iecorisq. pondus cõpensaretur: etsi in dextro ad modicã lõgitudinem, quam duo eius orificia postulabant, cõtractus extẽdatur. Interior superficies rugosa est & colore subfusca: exterior tota læuis, plana, & albicãs. Anterior æquabilis tota vno cõtenta gibbo: posterior autem, quia spinę iucũbit vertebris, venæq. Cauę & arteriæ magnæ, in duos distinguitur gibbos, inter quos est sinus, *Ostia.* qua parte vertebris ac proximis vasis insidet.

Duobus porrò patet ostijs, quæ orificia vocamus altero suscipitur cibus aut potus, altero redditur. Pri⁹ illud in suprema est sinistri lateris sede, ad medium tamẽ propiùs, & ad spinã potius, quàm ad xiphoidẽ, accedẽs. Posterius hoc in dextri lateris extrema regione. Illud peramplũ & latum esse oportuit, quòd cibos nõnũquã duros nec satis attritos cogatur admittere. Hoc angusti⁹ multò, quòd nõ nisi cõfectus & liquidus inde chylus egrediatur. Cùm tamẽ cæratorum persæpè & grãdiorum fructuũ integra ossa, & anulos interdũ aut nũmos, quos vocauimus neq. cõfici ac mutari potuerunt, reddamus, vt in tertio de natur. lib. ca. 4. Galenus confirmat: manifestum est, illud quoque ostium aut non angustissimum esse, aut præter naturam tunc laxari.

Quod in sinistra parte est, veteres καρδίαν, i. cor *Ostiũ superius.* appellarunt, quòd exquisitissimo polleat sensu, & symptomata inducat cardiaca. Veriùs à nobis stomachus appellabitur: cõsentiétq. Galen⁹ in quinto de locis affectis c. 6. quòd & ibi ventriculo stomachus infigatur, & στόμα idem sit, quod os. Plurimas habet orbiculares fibras cõtrahẽtes, ne in œsophagũ resiliat cib⁹. Præcipua hęc cõsetur appetẽtię & famis sedes esse. Extremũ enim est illi⁹ suæ⁹, quo exinanitę partes alimẽtũ à vicinis trahũt.

Alterũ, quod in dextra cõtinetur, Græcis πυλωρὸς, *Pylorus, seu ianitor.* Latinis ianitor nominatur: quòd ingesto in vẽtriculum cibo claudatur illicò, nec aperiatur anteà, quã is in chylũ (si quidẽ id potuit) mutatus fuerit. Tũc enim dilatatus ad intestina trãsitum illi permittit. Inferius hoc à pleriſq. orificiũ appellatur; inter quos Gal. in 4. de vsu part. c. 7. Quod si ad sitũ referatur, est planè falsum; cũ ipsum quoq. in superiori cõsistat ventriculi sede, vt facilior sit & tutior cibi retẽtio; minórq. vis & conatus solicitudoué naturæ in ostio illo custodiendo, nè suo põdere aut liquore cib⁹ vel potus in intestina prę maturè illabatur. Sin autẽ ad illius vsum respiciat, inferiúsq. propterea dicatur, quòd cùm alterũ superiori stomacho coniunctum sit atq. ex alto cibũ admittat; hoc cũ inferioribus intestinis copuletur & ad partes inferas cõtorqueatur statim ac transmittat chylũ; verissimè sanè id pronũtiatur. Est verò in vtroq. orificio, sed in hoc posteriore maximè, ventriculi substantia crassior, spissior, ac velut mẽbranea & neruosa. In altero propter ciborum sensum, quẽ acutissimũ esse oportuit. In altero, ne ciborũ præsertim interdũ duriorũ per angustũ locũ trãsitu læderetur: atq. validiùs post sumptũ cibum cõtraheretur, & immaturũ egressum prohiberet. Cõtrahitur enim & clauditur seipso per insitas sibi fibras; nõ appositio aliquo musculo, vt vesicæ ceruix & podicis locus: multò minùs glãdosa substãtia, vt in 4. de vsu part. c. 7. & lib. 8. c. 14. traditum legimus. Præsertim cũ nec ille sit glandium vsus, nec earum ibi vlla visatur: sed quæpiam non procul inde, cuius post vsum indicabo.

Postremò ita constitutus ventriculus venulas *Vasa.* accipit à Porta, arterias ex magno illarum trunco: venas, inquam, maiorem gastricam & gastrepiploin, minorem gastricam, & coronariam, vt in Portæ distributione diximus: arterias verò totidem ferè comitantes: ac demum neruos à sexto cerebri pari. Venis autem alimenti quidpiam adducitur; aut aliquid inde chyli, vt cæterorum intestinorum venis, ad iecur trahitur: & quædam est, quæ à liene melancholicũ humorem cõferat quo cibi appetẽtia excitetur. Arteriæ calidũ spiritũ tribuunt, quo cibus expeditiùs coquatur & meliùs. Nerui demũ nõ noxiorũ modò, vt in cæteris partibus, sed qui est hui⁹ mẽbri proprius, indigẽtię cibi *Famis sensus in ventriculo.*

sensum efficiunt, vt ad sumendũ vniuerso corpori necessariũ alimentũ prouocetur. quare plurimi ac præcipui in superiori orificio versantur. Reliquis enim partibus sensum eorũ, quę desunt, natura nõ indidit: sed eas voluit plãtarum more alimẽto ex venis hausto nutriri. Soli vẽtriculo tãquam communi omniũ prõptuario, ex quo hausturæ oẽs ac suctureę erãt (partes enim singulę ex venis sibi proprijs trahũt, hæ ex Caua, Caua ex Porta, Porta ex intestinis, hæc deniq. ex ventriculo) sensum hunc inesse voluit, vt & sibi & cæteris omnibus prouideret, alimento extrinsecùs accedente.

Cibi coctio. Hoc verò vt citiùs & accuratiùs coqueretur, velut cõmuni lebeti plures omninò focos atq. ingẽtes apposuit. Primũ insito ipsi calore ac facultate ad id agendum opportuna. Deinde calore cordis nõ procul distãtis, spirituq. ab eo per arterias trãsmisso. Tùm calefaciẽtibus alijs mẽbris vndequaq. circũiectis: in tota quidẽ superiori regione & parte dextra præcalido iecore, quod illũ accuratè cõplectitur & studiosè fouet: liene autẽ in inferiori & sinistra: quidquid supereſt, septo transuerso & abdomine tegitur nec parũ iuuatur: & verò etiam posteriori sedi subsunt præcalidæ vena Caua & arteria magna, quæ dãq. omẽti portio. Sola anterior sedes facta est libera, vt attolli, & turgere sumpto cibo cõmodiùs posset, nullo alio impedita membro. Ibi tamen quoque adsunt abdomen adepsque multus, quibus impensè calescit.

Ex quibus omnib⁹ satis supérq. intelligitur, quis sit quãtoperéq. necessarius ventriculi vtus in corpore: vereq. pluribus in locis dictũ à Galeno fuisse & antè eum ab Hyppocrate in libro περὶ χυμῶν, quod est plantis terra, hoc ipsum animalibus esse ventriculum.

DE OMENTO. Cap. VII.

ROst stomachum & ventriculum de intestinis libẽter dicerem, quæ tertiam atq. vltimam illius viæ partem absoluũt, qua cibum, & crassiora illius excrementa ab ore ad anum progredi dicebamus. At quoniã superstratũ illis omẽtum inspectionẽ eorum & tractationẽ prohibet, de eo dicẽdum anteà est, vt illo post detracto liber sit ad intestina accessus. Præsertim cùm ipsum quoq. nõ minus quã intestina, vẽtriculo quoquo modo cõtinuetur. Nõ, inquã, cũ intima ipsius substãtia quemadmodum intestina: sed solùm cum exteriori tunica à peritonæo orta.

Substantia, & situs. Cùm enim duplici tenuissima, sed omninò firma mẽbrana marsupij, peræ, aut sacculi figura cõstet, quarũ altera incũbit alteri; quę quidẽ inferior est, ex ea nascitur peritonei parte, quæ statim sub trãsuerso septo ad vndecimã thoracis vertebrã arteriã magnã & Cauam venã cõuestit ac dorso adnectit. At dextrorsum per iecoris caua duodeno intestino & infimæ vẽtriculi parti subnascitur, indéque per intestina conscendit. Quæ verò superior huic incũbit, ex infima vẽtriculi sede ortũ habet à tertia illa exteriori vẽtriculi tunica, quasi sutura facta; vt in tertio de animaliũ hist. lib. c. 14. & 4. de part. c. 3. Philosophus loquitur. Inde supra alterã producta simul cũ ea lienis cauo linea recta cõmittitur, supráq. intestina velut mappa extẽditur. Quare à Græcis ἐπίπλοον & ἔπιπλον dicitur; quòd ita illis incumbat, vt innatare videatur.

Epiploum eius dictum.

In quibusdã animalibus haud multũ infrà vmbilicũ cõsistit, in alijs vsq. ad os pubis protrahitur, & in homine, cane, sue, & simia, maximũ visitur. Vt nõ immeritò dubitatũ fuerit, num herniarum morbus ex huius in scrotũ prolapsu interdũ accidat. Quibus id præcisum fuerit, vẽter ijs frigidior est, imperfectior ciborũ coctio, & plurimis opus habẽt operimẽtis. Nam, vt Aristoteles tradidit, ad meliorẽ coctionẽ eò natura abutitur, quò facilior sit & celerior: tùm in vẽtriculo, qua parte inferiori eius sedi subnascitur: tũ in intestinis omnibus, dum illis quasi fouens incumbit. Et quoniam coctio caloris opus est, plurimam illi adiunxit vbique pinguedinem; in obæsis præsertim animalibus pinguè enim calidum est. *Vsus.*

Multasq. à Porta venas & quæ eas comitentur, arterias, quibus euadat calidius, suscipit: necnõ ad sentiẽdum à sexto cerebri pari neruos. Dùm autẽ nõ recto, sed errabũdo ductu ac transuersim & obliq. feruntur venæ & arterię, atq. illis circumfusa pinguedo est, sanguine ex vasis exudãte ac membranarũ frigore in pinguedinẽ cõcreto; quasi retium funiculi fiũt inter quos nuda & simplex mẽbrana cõspicitur; eáq. pertenuis; ne nimio põdere intestina grauet; totũq. omentũ retis cuiuspiã similitudinẽ ac formam refert: quã ob causam reticulum & rete vulgus appellat. Sed & alia est caloris ratio: Prohibet enim caloris effluxũ, calórque ingeminatus actionẽ ingeminat. Neq. hoc modò: verùm etiam frigori meatus occludit, eáq. ratione nos calefacit, qua & vestes. Marsupij itẽ & sacculi, quòd rotũdo sit fũdo, figurã habet. Quod verò in inferiori eius mẽbrana glãdosum cernitur corpus, præcipuas venarum, arteriarũ, ac neruorum factas ibi diuisiones sustentat. Canem ipse interdum vidi, qui penitus omento careret. *Rete eo dictum.*

DE INTESTINIS. Cap. VIII.

AM ergò ad intestina, Græcis ἔντερα & ἔντερα, quę omento detracto liberè conspiciuntur, reuertatur oratio. Est vnicum reipsa intestinũ à vẽtriculo ad podicẽ vsq. quatuordecim ferè ac dimidiæ vlnarum in homine, vel vt sæpè obseruatum est, septies corporis totius lõgitudine productũ, peruium totũ, formáq. rotunda & tereti, quò capacius esset atq. iniurijs externis minùs expositum. Sed plurium numero intestina vocãtur, quasi plures illius vnius partes, quæ tum vsu ac situ, tum figura, magnitudine & quoquo modo substantia distinguntur. *Longitudo.*

Primũ enim in duas totũ diuiditur, graciliorem vnã, alterã crassiorẽ. Nam cùm duo præstare debeat intestinũ: tùm chylum à vẽtriculo susceptum coquere magis ac nõnihil elaborare, pérq. mesenterij venas ad iecur transmittere: tum excrementa sicciora, quę ex meliori substantia super sunt, repurgare, quę priorem muneris partem exequitur, gracilior appellatur, crassior, quę posteriorem absoluit. Nam & crassiorem chyli partem continet, & crassiori substantia constat. *Gracilia & crassa. Vsus.*

Deinde harum vtriusque tres partes facimus, sex omninò intestina commemorantes, tria gracilia, totidémque crassiora. Primùm omnium, quod ex inferiori dextroue orificio ventriculi principium habet, ἔκφυσις, hoc est exortus seu processus & principium intestinorum à quibusdam vocatur; communiter δωδεκαδάκτυλον & duodenum. Quòd in posteriora statim retrorsum *Duodenum.*

sub

sub ventriculo ad duodecim digitorum in viro longitudinem rectà ferè descendat, antequàm in anfractus & orbes conuoluatur. Nullus enim ibi cauus erat locus, in quo cõuolui & ingyros flecti posset. Sed & venæ Portæ relinquẽdus erat locus.

Ieiunum. Alterum paulò longius ibi visitur, vbi conuolutio incipit: νῆστις seu ieiunum dicitur, quòd inanè perpetuò & nihil cibi continens videatur. Nam aut eum propter iecoris propinquitatẽ, ad quod vacuum statim trahitur alimentum; bilisque influentis ac stimulantis propulsionémq. roborantis copiam protinùs extrudit: aut propter vasorũ, quibus scatet, multitudinem citissimè vacuatur. Citiùs enim multæ venæ, quàm paucæ assumunt; præsertim vbi breuior est via. Quamquã vniuersum hoc gracile intestinum inane ferè cõspicitur.

Ilium. Tertium tenue totius ferè nomine significatur; quòd longissimum sit & maximum. εἶλεος appellãt Græci, quod pluribus fortassè ac frequentibus gyris voluatur. Vnde morbus εἶλεος & voluulus dictus; ex intestini huius inflãmatione, obstructione aut implexu ortus. Hoc persimile secundo est; si tot abundaret vasis & paulò magis ruberet: albicat enim potiùs. Primum eius initium non satis distinctè ac certò cognoscitur: eminentiorem tamen ventris regionem occupat, & in crassi principium manifectè desinit. Eius frequens est in serotum prolapsus.

Cæcum. Quartum velut principium est intestini crassi; in quo alui fœces, quæ vtiliori materia ex alemẽto separata remanserunt, speciem primùm ac nomen accipiunt. Appendix potiùs quædam, quàm intestinum, videtur esse. Figura paruum quempiam, sed oblongum extuberantem ventrem aut globum refert, dextróque ferè insidet reni. Duo continet orificia: vnum ileo intestino continuũ: alterum humilius, cui in homine coniunctum est & quasi additum breue quoddam & angustissimum omnium intestinum, velut vermis in orbes conuolutus. Et quoniam quartũ hoc intestinum à veteribus τυφλὸν seu cæcum, & monoculum fuit appellatum; sunt qui hoc de ampliore illo ventre interpretentur, alij de angusto hoc velut vermiculo. Ego ab hominis intestino desumptum fuisse nomen ad vtrumque significandum reor: non solùm quòd in vnicum desinãt orificiũ; sed etiam quòd vnius oculi ex cranio eruti, cui opticus neruus adiunctus sit, speciem quãdam & formam habeat, nec tamẽ quidquam cernat. Galenus autem in quarto de vsu partium lib. cap. 18. esse voluit vt ventrem alterum. Nam & eiusmodi quandam figuram habet. Vt si quid tenuioris chyli anadosin fefellerit, id totum in cœco, quasi sacco, colligatur diuturnáq. mora planè exugatur. Propterea enim auibus ferè omnibus actiones ventriculi atq. intestinorum robustas habentibus excremẽtorum receptacula bina extiterũt; ne quid cùm alimentum celeriter feratur, non exhaustum prętermittatur.

Cocum alter Vemer. Est & velut venter alter crassis excremẽtis repiẽdis appositus. Prior enim vẽter est chyli & melioris materiæ; alter hic excremẽtosæ. Interioréq. continet venulã, quæ fœcum in superiorẽ locum impediat refluxũ. Nam in resiccatis intestinis obseruatũ est liquorem iniectũ per duodenum facilè per rectũ exisse; at iniectũ per rectũ in appendice cœci substitisse. In Bestijs maiꝰ multò est, quã ī homine: fortassè ne fœces in maioribus ad anteriora motibꝰ ad tenuia recurrãt intestina: quod in homine, qui rectus incedit, nõ tantopere cauendũ fuit.

A Quintũ ex hoc deducitur crassum satis & carnosum intestinũ, quod κῶλον appellãt, à verbo κωλύειν, hoc est torquẽdo, propter duros cruciatus in eo excitatos, quos propterea colicos dolores dicimus. Aut à verbo κωλύω, vt alijs placet, quòd in eo mouẽtur fœces. Plurimis enim discretũ est cellulis, in quibus eæ figurãtur. A rene dextro ad iecoris caua primũ rectà cõscendit, bilisq. folliculũ attingit: vnde luteũ quẽdam colorẽ accipit. Mox secũdum ventriculi fundũ ad lienẽ in sinistro latere positũ sese proripit, ac leuibus demũ cõuolutionibus per sinistrũ lenem versus pubis os fertur, rursumque sinistrorsum ad vmbilici penè locum conscendens ad sacri ossis initium reflectitur. *Colum.*

B Ex quo loco in maribus sub vesica & in fœminis sub vtero in podicem recta prolabitur. Hocque sextum & vltimum intestinum: quod propterea, Rectum nuncupatur, ossis sacro prorsus incumbens, & proprium fœcum receptaculum. Hic est totus intestinorum ductus à ventriculo ad anum. *Rectum.*

Multiplicis anfractus causa. 1. Per similis vbiq. ventriculo est intestinorũ substãtia: quæ persimilẽ quoq. aliquam coquẽdi cibi vim habet. Etsi enim nõ coquẽdi, sed coctũ potiꝰ in mesenterij venas trãsmittendi gratia factum sit intestinũ, præsertim gracile: dum tamẽ tot spinis & conuolutationibus constat, diutiùs detentus meliùs aliquantò coquitur, vt per angustas venas traducatur faciliùs.

C Altera etiã fuit multiplicis anfractus causa: vt lõgius esset intestinum, in quo plures & quasi innumerabiles à iecore susciperẽtur venulæ atq. in lõgũ magis extẽderetur alimentũ; vt cõmodiùs totũ attrahi posset. Si nãq. rectũ ac breue intestinũ extitisset, paucas suscepisset venas: & cũ multò magis amplũ & capax esse deberet, quò faciliùs totũ cibũ confectum caperet, perquã difficilis & tarda trãsmissio fuisset, plurimáq. illius pars, quę in profundo fuisset, venarũ apprehẽsiones effugiẽs cum fœcibus fuisset egesta. Iam verò lõgum cùm sit & angustũ magis, plurimis refertũ est fugentibus venis: & cibꝰ magis expãsus accuratissimè totus trãsmittitur, cũ vix vlla pars ad nutriendũ vtilis elabi queat, quę nõ ab aliqua venarũ rapiatur atq. ad iecur trahatur. Etsi quid circumuolutionem vnam fuerit prætergressum, secundam aut tertiam aut subsequentium aliquam non effugit. 2.

D Vnde planè cognoscas, aliud coctionis, aliud distributionis instrumentũ esse debuisse: neque sine causa in animali nullo factũ fuisse ventriculũ partibus illis contiguũ, quibus egerũtur excrementa. Minùs enim bene ac diligenter ex amplo & vasto vase distribui potuisset: & cùm ventriculus coctione perfecta laxetur & demittat cibũ, maxima illius pars per anũ egesta cum excremẽtis fuisset. *Ventriculus cur non propè anum.*

E Tertiã rationem eam tradidit in Timæo Plato, Ne subito alimẽta nobis assumpta defluerent, ac rursum noui alimẽti cõfestim necessitas immineret. Ob illã enim inexplebilẽ perpetuãq. voraginẽ genus nostrũ à Philosophia musisq. alienũ relictũ fuisset, illi parti, quę in nobis diuinissima est, minimè obsecuturũ. Etenim res ipsa testatur animalia ea, quæ simplex habent ac minimè in spiras & gyros cõuolutum intestinũ, insatiabilia esse, gulosa, momentisq. omnibus esitantia. Cùm enim (inquit Arist. in 3. de part. lib. cap. 14.) cibus celeriter egeratur, proindeque breuis vsus fruendi sit, breui repetant cibum auida necesse est. Quare quæ continentiora esse ad cibi desiderium conuenit, hæc sua in aluo laxiores sinus non habent, 3.

sed anfractus orbésque plures cõtinent, nec recto vtuntur intestino, laxitas namque intestini auiditatem auget cibi; rectitudo accelerat auiditatem.

Colum cur anfractus habeat.

Portò etsi hæc omnia ad intestina gracilia pertinere videantur: Colũ tamen quoque, quod crassum est & ad inutilia excrementa secernenda pertinet, suas habet spiras suósq. anfractus. Ratio est, quoniam excrementorum secretio in animalibus omnibus alimenti distributioni respondet. Neq. subita & repentina esse debuit. Et vt non semper comedimus, ita nec semper egerimus. Deinde id factum est; vt si quid alimenti boni gracilia intestina præterfugerit, dum hîc diutiùs moratur, horum intestinorum vasis exugeretur.

Sphincter musculus.

Itáque intestino recto ad anum circũiectus est musculus, qui σφιγκτὴρ hanc ob causam appellatur, quòd locum illum constringat, ne cotinenter aut præmaturè fœces excernantur. Cùm verò fuerit opus, laxatur ac permittit transitum. Etenim crassiora hæc intestina velut alter, vt diximus, excrementorum siccorum venter subijciuntur: & vt ventriculi pylorus ingesto cibo clauditur, nec nisi opportuno tempore laxatur; sic intestini recti extremitati musculus is adest, qui eam in orbem amplectitur, fœcúq. excretioni transuersis fibris præest; non admodũ carneus, sed quasi mucore quodam oblitus. Coccygis ossi adnascitur, & vrinæ quoq. meatui in viris vteriq. ceruicis principio in fœminis cohæret.

Duo parui musculi sedi adnati.

Adsunt & alij duo recti, lati, & tenues, nè ipsi quidem valde carnosi; à vinculis, quę ex pubis coxendicis, & sacro ossibus enascũtur, infimáq. peritonei parte exorti. Hi deorsum protẽsi intestinũ illud idẽ amplexãtur, cuiusq. finibus inserti statim post excretionem trahunt sursùm sedẽ, quæ ab abdominis musculis & septo trãsuerso deorsum fuerat pulsa. Verùm cùm lati admodũ sint, pudendi quoque radicem & vteri collum quędam illorum portio attingit.

Porrò crassiora hęc intestina gracilioribus capaciora sunt, multáq. simul excrementa colligũt, nè frequentior ac molesta magis egestio sit. Canibus tamen angustius esse infimum hoc, quàm supremum, intestinum; & ideò cum vehementi nixu nec sinè cruciatu excrementum emittere, adnotauit eodem in loco Aristoteles.

Intestinorum substantia.

Verùm vt ad intestinorũ substantiam exponẽdam reuertar, eam verè dixi ventriculo esse persimilem. Quoniam duplici tunica, nõ secùs atq. vẽtriculus, cõstant omnia: sed interna magis carnea est, externa magis mẽbranea: illa mollior est, quã in vẽtriculo; quòd cibũ ab illo iam cõfectum susceptura esset. Vtraq. transuersis solũ fibris cõposita est: quoniam nõ ad attrahendum aut retinendum, sed ad protrudendũ & dispensandum factæ sunt. Quippè coctione facta reseratur pylorus, cõtractúsq. ventriculus eijcit chylũ, qui naturali suo põdere per intestina prolabitur atq. per orbiculares & transuersas fibras protruditur. Binæ tamen sunt tunicæ, etsi eodem fibrarum genere intextæ: tum vt validior esset propulsio ac distributio, quò citiùs ad iecur cibus totus peruenirет: tum vt instrumẽta tantoperè necessaria tutiora essent ac firmiora, in tàm lõgo præsertim ductu. Alicubi tamẽ fibræ aliquæ rectę ad trãsuersarum tutelam admiscẽtur: vt in intestino potissimùm colo & recto, quæ siccas & duras fœces receptura erant, à quibus lædi plurimùm poterãt. Ideò etiam crassiores & robustiores tunicas habent. Sed & fibræ rectæ crassam, durã & renitentẽ fœcũ substantiã trahũt.

Tertia à peritonæo accedit tunica; tùm ad tutelam; tùm ad horũ omnium copulationem & ligamen. Ea nascitur à mẽbranis venas & arterias ad intestina deferentibus, eáq. dorso colligantibus: illis scilicet ibi dilatatis, vbi ad ea peruenerint. Duodenũ, inquam, à quadam omenti parte, quæ illi subnascitur: reliqua à mesenterio.

Vasa.

Venę & arterię à Porta magnáq. arteria per mesenterium deriuãtur: sed pauciores ad colũ & rectum, plurimæ ad ieiunũ & ilium: quòd intestina vẽtriculo propinquiora plᵉ optimi succi optiméq. cocti cõtinerent. Quædã etiam peculiares, antequã mesenteriũ ingrediãtur, per duodeni lõgitudinẽ & ieiuni initiũ ducũtur: necnõ ad duodeni principiũ flauam bilem ab eius vesicula deferens meatus, qua intestina tum ad propellẽdum succũ stimulẽtur magnoperéque iuuẽtur, tum detergãtur & à petuitoso adhærescẽte humore purgentur. Deniq. nerui quoque à sexto cerebri pari adsunt, quibus noxios humores persentiant, quibus infestari aut prorsus corrodi possent. Atque intestina quidem ità se habent. Quæ verò ad mesenterium pertinent, iam prosequar.

DE MESENTERIO.

CAP. IX.

QVod Græci μεσεντέριον & μεσάραιον nominãt, quo cõsilio Theodorus Gaza Aristot. de hist. déq. partibus animalium librorũ interpres appellauerit lactes, nõ satis intelligo. Nam Plautũ in Curcul: & in Pseudulo, & Plin. lib. 11. ca. 37. & Persium Sat. 2. aliósq. veteres scriptores reperio intestina potiùs gracilia lactes nominasse: & Hermodaᵒ atq. alij merito Gazam reprehenderũt. Neq. Budæi defensio in 1. lib. de asse crimẽ diluit, sed aggrauat: si nõ intestina, sed illis circũiectam pinguedinem lactes ab eo appellatam fuisse dicat. Nam de mesenterio, non de pinguedine, Aristoteli erat sermo: Græcéque apud ipsum est μεσεντέριον, quod pinguedinem significare nullus dixerit. Non desunt tamen, qui mesenteriũ vt totum accipiãt, cuius duæ sint partes, μεσάραιον & μεσόκωλον: illa ad intestina tenuia pertineat, hæc ad crassa: μεσόκωλονq. dicatur, quòd maxima crassorũ pars est intestinum colũ. Verùm de nominibus contendendum non est, modò res ipsa intelligatur. Eam certè vox Græca demonstrat optimè. Mesenterium enim membraneum illud corpus est, quod inter intestina mediũ existit (inde ductum nomen, quia μέσον τῶν ἐντέρων, id est, intestina medium) eáque omnia tum interse, tum cum lũborum vertebris firmissimè colligat.

Lactes quid.

Mesenterium quid.

Vsus.

Quamquã hic non est præcipuus illius vsus: sed propter eum potissimùm factum est totum, vt ingentem illam venarum multitudinem, quæ à iecore ad sugendum alimenti succum ad intestina trãsmittitur, tutò deduceret, atque cum illis complures arterias ab aorta magna, neruósque non paucos à cerebri sexto pari.

Ortus.

Quare partim ex lumborum vertebris, quibus adnectenda erant intestina, partim ex venę Cauę atq. arterię magnę, quarũ ramos deducere debuit, tunicis originem trahit, peritoneo fibras suppeditante.

ditante. Non enim tutum erat tenuissimas venulas atque arteriolas absq. præsidio tam procul solitarias & nudas mittere : faciléque implicari & conuolui poterát, non sinè maximo animalis dolore ac nutritionis impedimento : adde etiam ipsarum periculo, nè tenuissimæ cùm sint, facilè rúperentur. Itaque fuerunt omnes stabiliendæ atq. in solidissimo membraneo corpore veluti tela inserendæ ac ordinandæ ; vt tutò & sinè permistione aut confusione ad sua quæque loca deducerentur.

Substantia. Sunt autem geminæ, attensæ & incumbentes membranæ; interquas arctissimè cõtinentur consertæ venæ & cum illis arteriæ ac nerui. Hæ faciliùs multò in homine, quàm in cane, separari possunt. Macilentius enim habet canis mesenterium; vt vnica videatur esse membrana. Interiecta verò contentorum vasorum spatia plurimus occupat adeps. Sed vt intestinorum omnium non eadem forma nec idem spiratum & cõuolutionum modus ; ità nec eadem mesenterij est vbique effigies: verum aliqua parte implicatum magis & inuolutum, alia minùs : magis, quâ ieiuno & ilio inseritur; minùs, quâ cæteris.

Venæ mesaraicæ. Totum porrò ceù iecoris ex porrecta manus est ad intestina : & venæ per illud sparsæ, quæ mesaraicæ aut mesaraicæ, mesentariacæue à mesareo mesenterioue, in quo continentur, dictæ sunt, velut digiti manus existunt, quibus attrahitur chylus ex intestinis. Nec minùs accõmodata est Aristotelis illa comparatio, qua in 2. de partibus cap. 3. & in 4. ca. 4. ventrem & intestina animalibus esse dixit velut stirpibus terram ; venásque mesenterij hoc ipsum in illis esse, quod in his radices sunt. Nam vt ex terra radicibus stirpes, sic ex ventre & intestinis per mesenterij venas alimentum animalia trahunt. Atque in illis virtute iecoris, à quo transmissæ sunt, rubescit paulatim & ad sanguinis speciem præparatur.

παγκρέας. Cæterùm alio etiam modo tantam vasorum multitudinem ac tenuitatem imbecillitatémque sustentari ac roborari natura voluit. Quippè sub ventriculi fundo in ipso mesenterij centro, vbi prima est distributio, grande subiecit glandosum corpus, quod vasa omnia & eorum diuisiones sustineret : nec vsquàm læderet, cùm molle sit & mediocriter cedens. Et inter ventriculum & aortam positum instar puluinaris est vtrique corpori; nè ventriculus cibis repletus à lumborum ossibus lædatur, aut arteriam nimium comprimat spirituſque prohibeat transitum. παγκρέας & καλλικρέας hoc appellatur, quasi totus caro, vt in 3. historiæ lib. significauit Philosophus. Simplicis enim carnis speciem refert. Deinde minoribus alijs diuisionibus minores alias subiecit glandes, quæ & vasa & mesenterium totum deducerent. Atque huc reuocare illam placet (tametsi secùs de ea visus sit sentire Galenus in 4. de vsupartium cap. 7. & lib. 8. cap. 4.) quæ duodeno obtenditur intestino. Venam enim & arteriam, quæ ad intestinum illud extenduntur, sustentat & fulcit: deinde verò intestini cauitatem humore lento aspergit; quò facilior sit alimenti descensus.

DE IECORE. CAP. X.

QVoniam in hisce nutritionis organis explicandis naturam illis vtentem sequendã mihi proposui, ab intestinis per mesenterium simul cum alimento trahi me ad iecur sentio, A Græcis ἧπαρ dictum. Hoc à Galeno creditum est nutritionis totius ac sanguinis principatum tenere. Qua de re in tertio libro disputatũ est. Certè inter omnia ea organa, quę cordi tanquam supremo principi famulatur, quæuè in ventre cõtinentur, præcipuũ est & prima sanguinis officina. Nam etsi propter vẽtriculum cuipiã fortasse videri possit fuisse tactũ; quòd ita incumbat illi, vt pulmones cordi; illud vt calefaciat, hoc vt refrigeret. Non ità tamẽ est. Superiorem enim, meliorẽ, & cordi propinquiorem locũ habet ; & verò etiam tutiorem, cùm vndiq. costis terè cõtegatur. Deinde nobiliori actione fungitur, alimentum in sanguinem cõmutans, optimãq. cordi ac mẽbris omnibus substãtiam parans. Cui operationi famulatur vẽtriculus, dum ad eam priori adhibita coctione disponit, crassioréſq. ac fœculentas planè sordes abluit ac secernit. Immò vt in sanguinis procreatione magnopere iecur iuuatur à corde, dũ calorem illi per arterias addit; hócq. nomine cor censetur iecori dominari: sic dum iecur vẽtriculo incubãs calore suo coctionẽ eius iuuat, dominari potiùs, quàm famulari, credendum est. *Vsus.*

Situs. Supremã igitur vẽtris occupat sedẽ inter transuersum septum & vẽtriculum : atq. ad ipsum tùm hic tùm intestina omnia per venas inde acceptas confluunt : & quidquid alimenti vel propria ipsorum virtute vel adiutore superioris membri calore confectum fuerit, largè comportant.

Figura. Nullam propriam & peculiarẽ formam postulat, sed à circũiectis ac proximis partibus accipit. Superiori regione gibbosum est ac protsus læue & vbiq. æquabile: tũ quòd septo subsit & à continẽte loco ita planè cõformetur; tum quòd ad vẽtriculi cõplexum declinet vndiq. Inferiori autem cauum; & læue quidẽ, sed alicubi sinuosum, quia ventriculo quidẽ rotundo insidet; & vt faueat coctionẽq. promoueat, ex parte omni cõplectitur. Sed tubera etiã quędã & eminẽtias excipit; biliſq. itẽ vesiculã. Magis tamẽ ad dextrã partẽ deflectit, totã eam ferè septi partẽ occupans : vt in siniſtra, posteriori præsertim sede, lieni locũ relinqueret, corpúſq. vtrinq. esset æquilibre. Argumento est, quòd auibus & canibus ac omnino quibus exiguus nec magni põderis aut nullus lien, æqualiter in vtrũq. latus ineſt iecur, aut certè vix declinat. In anteriori parte interdũ infrà mucronatã cartilaginem nõnihil descẽdit. Itaq. intrà costas ita conditur totũ, vt maximã non cordis modò & cerebri, sed omniũ planè præcipuorũ memborũ ac iecoris quoq. naturæ curã in illis omnibus tutissimo & osseo ĩ loco quoad fieri potuit collocãdis magnoperè admirari ac laudare possis. Atq. intelligere, nõ aliã ob causam carneũ abdomẽ ac minimè osseum fabricatũ fuisse; nisi propter ea vasa, quæ extẽdi, dilatari & in maiorẽ molem assurgere crebrò & subsidere debebant. Quæ verò nec assurgere nec subsidere oportuit, si non osseo loco, sub alijs certè collocauit : vt lienem, renes, venas, & arterias : vt omnia essent quàm fieri posset tutissima.

Vsus alius. Non est tamen is proprius iecoris vsus, neque ideò factum est à natura, vt ventris operationem iuuare: sed propter propriam ipsi functionẽ, quæ

altera est cibi coctio atque in sanguinem mutatio. Hoc verò magnum, crassum & amplum organum postulauit. In quo totum alimẽtum susciperetur illúdque præcalidum, vt magis coqueret. Quod cùm ventri propinquum esse oporteret; consequens fuit, vt maiori calore addito illius quoque operationem vehementiorem faceret.

Vena Porta. Debuit etiam cauæ quidem illius parti adesse Porta, quæ alimentum adduceret mutandum in sanguinem. (Græci πύλας, appellarunt: lacteam venam Arabes, non quòd candida sit, sed quòd cremorem lacti persimilem alliciat & ad iecur velut mãam trahat.) In toto autem viscere plurimas vbique abundare venulas, quæ genitũ sanguinem susciperent & redderẽt. Ac demum per illud medium magnam produci Cauam, quæ susceptum à minoribus sanguinem per totũ corpus distribueret. Quæ omnia primam ipsum esse crassioris sanguinis officinam testantur. Nec non adsunt arterię cauam regionem ad Portam subeuntes ab aorta diffusæ.

Cauæ.

Quantitas. In homine perquàm magnum est, quòd calidissimum animal sit plurimóque indigeat sanguine. Maximum in gulosis & helluonibus. Causam fortasse dixeris esse, quòd ad fouẽdum ventriculum maiori egeant calore. At ideò potiùs voraces esse videntur, quòd multo visceris magni calore multum cibi & citò absumant. Magnum item in timidis; fortasse vt maiori calore minueretur timor.

Lobi. In quibusdam animalibus vnicum est & continuum totùm; vt ferè in homine & boue. In alijs, vt in Cane & sue, in plures partes, quas λοβοὺς, vocant, discissum, vt cõmodiùs ambiat vẽtriculum: & in plerisq. quatuor & quinq. numerantur, interdum etiam sex. Quare si in libro de ossiũ natura plures lobos cõmemorauit Hyppocrates, de bestijs potiùs, in quibus illi magis distincti cernũtur, quàm de homine credi potest eum fuisse loquutum. Prętereà quòd multa in eodem libro dissectioni minùs cõsentanea cõtinentur: verenturque viri docti, nè subditicius sit neq. Hyppocratis proprius liber. Cur autem non omnibus sit idem lobornm numerus; ea extat apud Galenum ratio in 4. de vsu partium lib. cap. 8. quòd neque figura neq. magnitudo ventriculi eadem omnibus est.

Substantia. Substantiam habet planè spõgiosam, mediocriter mollẽ, rubram & sanguineam. Immò nil aliud, quàm crassior sanguis cõtentis affusus vasis & cõcretus ac nimio quasi ardore tostus, videtur esse. Propterea παρέγχυμα, & affusio nominatur. Paulò tamen durior in gibbo est.

Tunica. Tenuissima tegitur totũ tunica à superiori peritonei parte illa deducta, qua id tranuerso septo subiectum est.

Nerui. In quam à sexto cerebri pari porrigũtur neruuli, quorum aliqui in iecoris quoq. substantiam penetrant nè viscus omninò sit sensus expers. Ita vniuersum iecur se habet.

Quomodo autem in eo gignatur sanguis atq. ab illo minùs boni humores secernantur; in libro de humoribus declaratum est. In quo etiam reperies causam, cur nullus in iecore, vt in corde & cerebro, cõtineatur sinus: cúrq. angustissimæ quidem, sed tenuissima cõstantes tunica, sint eæ venæ, quæ per iecoris corpus dispergũtur. Hæc enim omnia propter facta sunt; vt melius & accuratiùs coqueretur sanguis. Cuius coctionis excrementa purgantur vesicula, liene, renibus. Ideò de bilis vesicula, quæ eidem huic membro adiuncta est, deque illius meatu primùm dicam.

DE BILIS VESICVLA.

CAPVT XI.

NVtritionis instrumẽta, quæ ad coquendum in vẽtre cibum posita sunt, persequutus hactenùs sum. Nunc de ijs, quæ secernendis excrementis parata fuere, dicere oportet. Quoniã enim in omni coctione excrementum aliquod à meliori substãtia separatur; tum crassioribus fœcibus, quæ in prima vẽtriculi coctione secernuntur, excipiendis intestina crassiora præparauit natura: tùm verò triplici excipiendo succo; bilioso vno, leui & tenui; alteri melancholico, crasso & limoso; tertio aqueo ferosuè: qui ex altera iecoris perfectiori mutatione separantur, tria adiunxit vasa, vesiculam quandam affabrè factam, lienem, & renes cum subiecta ipsis vesica.

Coctionis excrementa.

Vesicula fell. Vesicula, quam κύστιν Galenus ac veteres nominarũt, in dextra cauáq. iecoris parte ac ferè in maiori lobo in animalibus illis, qui scissum in lobos iecur habent, ità condita est, vt superius illius orificium iecori non procul à vena Porta innascatur, reliquum extrà visceris corpus pendeat; rotunda tota, sed oblonga forma.

Substantia. Exteriorem hãc partem, quæ maiori propugnaculo indigebat, peritonæi tunica ex iecoris tunica deducta integit. Sed prẽter eam alia cõstat tota sibi propria omni fibrarũ genere intexta; rectis bilẽ trahentibus, obliquis retinentibus, transuersis expellẽtibus. Trahit ex eo loco, vbi vena Porta subit iecur, hoc interim noxiũ pellente humorem: retinet in seipsa: expellit per alium quendam meatũ, qui ad duodenum intestinum nõ procul à ieiuni principio ducitur, vt noxius humor cũ excremẽtis cæteris egeratur, & interim chyli coctio iuuetur, & quasi adhibito stimulo irritẽtur intestina, tum ad coctum succum pellendũ, tùm ad egerendas fœces, & ipsa quoq. ab aquoso humore detergantur, fœcésque subflauo colore tingantur.

Vena.

Nam meatus ille, in quẽ vesiculæ ceruix desinit, eo deductus, vnde Porta prodit, in duos ramos diuiditur: Alter sursum in iecur erigitur, multisque modis dispergitur: atq. hic bilim ad vesiculã trahit. Quem Galenus in 4. de vsu partiũ c. 13. optimè obseruauit, propterea inter venas Portæ alimentũ ad iecur adducentes; & eas, quæ sanguinem cõfectum ad Cauam cõportant, fuisse positum, vt purgatum sanguinẽ vena Caua susciperet. Alter deorsum ductus expulsionis instrumentũ existit. Ac nè quid in meatũ vnquàm regurgitet, tùm tortuosus in intestinũ ingressus prohibet, tum duæ cauent mẽbranulæ, quę ad orificij latera pẽdent atq. illud optimè claudũt. Per multi hunc bilis expulsorem meatũ ad fundum item vẽtriculi scripsere duci: & illius meminit Galenus in 2. lib. de tẽperamentis, & in arte parua, eúmque semel obseruauit Vesalius. Sed nec ego ita esse reperio, aut si in quopiam reperiatur eiusmodi meatus quipiam, vitiosa est constitutio. Bilem enim is euomet. Minúsque sapienter institutum videretur, vt excrementum ad ventriculum mitteretur, qui ciborum duntaxat & alimentorum est locus. Atque vt illi mẽbro, quod anxiè custodire ac retinere alimenta suscepta debet, quousque optimè cocta sint,

Purgatio.

stimulus

stimulus bilis adderetur, qui retentricem virtutem eneruaret atque ad immaturam deiectionem acriter stimularet & verò etiam compelleret. Itaque iure optimo Galenus cùm vtilem ventri cerneret fortasse bilem videri posse ad pituitosos humores lateribus eius adhærescentes detergendos; strenuè laborauit in cap. 4. libri. 5. de vsu partium; vt ostenderet eò tamen bilim adducendam non fuisse; quòd maiora multò sequutura essent incommoda, dolor vehemens & mordicatio ventris, nausea, vomitus; si in superiorē: aut immatura incocti cibi transmissio, si in inferiorem ventris regionem incidisset. Vtrouis autem modo propria ventris actio, quæ coctio est, impediretur.

Aptissimè autem ad intestina deducitur, quæ non ad retinendum, sed ad transmittendum coctum iam cibum posita sunt. Vt nimirum citius transmitteretur id, quo exinanitis partibus ac toti animalis vitæ subueniendum est. Ideò ad duodeni terminum, qui intestinorum ferè principium & vt in primo de sanitate tuenda cap. 12. Galenus loquitur, prima tenuis intestini pars est, dicitur: vt & citiùs optatū illius vsum consequatur natura; præsertim cùm in anfractus statim & orbes, qui minùs expeditam transmissionem faciunt, conuoluantur intestina. Et longiùs discedat à ventriculo, ne proximæ fortasse bilis tenuitate & incidendi facultate laxaretur pylorus aut ad retinendum certè imbecillior fieret.

Denique præter hos meatus habet hæc vesicula duas à Porta venulas, quibus nutritur: nec non arteriolā, quia natiuus fouetur calor: & neruum, quo sensu participat. Quæ verò animalia & interdum homines scripsit Aristoteles in 4. de partibus cap. 2. & confirmauit Plinius in 11. libro. ca. 37. vesicula hac carere, credendum est habere meatum rectà à iecore ad intestina protensum, quo bilem statim egerant: neque in vnùm locum colligere, sicut animalia cætera, quæ humore hoc cùm magis abundent, si totum simul effudissent, intestinis nimium totique naturæ incommodassent, velociori, quàm par esset, facta cibi transmissione, acrioréque intestinorum incisione ac detersione.

Animalia felle carentia.

DE LIENE.

CAPVT XII.

Vsus.

Lienem frustrà in animalibus extitisse; non puduit Erasistratum affirmare, à Galeno hanc ob causam iure optimo reprehensum in cap. 15. lib. 4. de vsu partium, & cap. 7. lib. de atra bile. Quis enim à natura temerè nihil agente, immò partes omnes vel minimas ad plurimos atque admirabilissimos vsus optimè disponente, tantum viscus frustrà factum, & ad sinistrum ventriculi sedem, secundum inferiora tamen magis & posteriora, locatum, costis spurijs optimè septum, ventri & omento connexum, atque inutili pondere corpora nostra grauata fuisse credat? Aut quæ sit ratio, cur liene minùs benè & secundum naturam affecto vitioséque suo munere fungente, non cicatricum modò, vt in problemate 5. sect. 9. disputat Aristoteles; sed vniuersi corporis color vitietur euadátque nigrior? Cur ipsemet, in calidę præsertim & siccę temperationis animalibus, vel iecore nigrior semper est? Cur acerbū quidpiā & à iecore prorsus alienū sapit, si gustetur? Vt in quibusdam animalibus, etsi eorum carnes non insuauiter edantur, vorari tamen non possit. Sanè his argumentis adducti veteres philosophi ac medici à liene iecur purgari pronuntiarunt; dum quidquid in sanguine melancholicum est, crassum, limosum, & fœculentum, ad se trahit; pellente item iecore; vt etiam de vesicula dictum est.

Substantia.

Idcircò enim rarum admodum & laxum corpus est, spongiæ cuiusdam instar; vt crassum succum facilè trahat & suscipiat. Idcircò non arterias modo permultas calido abundantes spiritu, ac sima parte, qua ventriculo incumbit, susceptas moxque per totum disseminatas habet. Tum vt succi crassitudinem alterare, conficere, & ità mutare queat, vt ex meliore illius magisque benigna parte nutriatur. Tum verò vt rara semper & ad crassum humorem excipiendum idonea visceris substantia conseruetur: vt & pulmonum ad aërem suscipiendum. Est tamen lien pulmonibus crassior. Quoniam hi tenuiori, flauo, & spiritoso sanguine substentantur; & celerem ac perennem motum habere copiosúmque aërem suscipere ac reddere debuerunt. Rarior autem iecore: quià tum crassiorem, & nigriorem sanguinem ac succum admittit: tum eo ab arterijs, quæ illic sunt, elaborato pascitur: cùm iecur benigno quidem, sed crassiore vescatur sanguine rubro.

Vasa.

Verùm habet etiam compliures venas cum iecore copulatas: quas, si ad comportandum solum nutrimentum illi visceri necessarium, non item ad superfluum & noxium succum secernendum pertinere debuissent, minimè opus erat esse tàm multas támque amplas. Tùm verò peculiaris apparet venalis meatus ad superius ventriculi orificium: quem non aliam ob causam adiunctum dixeris, quàm propter illius succi secretionem.

Purgatio.

Per eum enim in ventriculū eructat lien melancholicum succū, qui ex ipsius nutritione, meliore attracta humoris parte, super est. Isque ventriculo primùm ad ciborum appetentiam & susceptorum amplexum ac retentionem confert: deindè per intestina cum cæteris excrementis egeritur. Hic est primus & præcipuus lienis vsus. Propterquem fortasse ab hoc membro pendere risum credidit vulgus. Scitum enim est illud;

Splen ridere facit, cogit amare iecur.

quia dum fœculentum ac tetrum secernit sanguinem, reliquum purum, agilem, & quodammodo hilariorem facit. Et propterea iecori propinquum lienem natura fecit, vt humoris tetri purgatione purum & quasi nitidum speculum redderet ad imagines exprimendas atque ad amandum accommodatum.

Vsus alter.

Alter vsus est ad fouendam sinistram & inferiorem ventriculi sedem, eiusque coctionem calore iuuandam, sicut dextra & superior tota iuuatur iecore. Quòd in 3. de partibus cap. 7. fatetur Philosophus, tametsi tum viscera omnia, tùm lienem venarum præcipuè gratia fuisse facta voluerit: vt eas, inquam, sustinerent & velut anchora & clauus stabilirent ad corpus partesque per quas ducuntur.

Tertius.

Tertius, quem eodemquoque loco significauit

Aristoteles, ad compensandum in sinistra parte iecoris pondus, quod ad sinistram ferè magis declinat. Vt in primo historiæ libro cap. 18. & 4. lib. de animalium ortu cap. 4. tanquam prodigium narretur, visum aliquando fuisse viscerum horum permutatum situm, & lienem interdum duplicem. Hyppocrates autem in 4. de morbis libro lienem scripsit potum in ventrem missum attrahere & per venas distribuere. Quòd de immoderato potu; neque immediatè, sed mediante iecore intelligas. Alioqui tam cibum, quàm potum constat à ventre per intestina ad iecur mitti atque ab eo dispensari.

Nerui.

Cæterùm præter arterias & venas nerui quoquè à sexto cerebri pari inseruntur lieni aut illius potiùs tunicæ à peritonæo acceptæ. Hæc ab omẽti membranis oritur, qua parte lienis rectæ innascuntur lineæ, quæ arterias & venas ad illud viscus ductas excipit. Venæ atrum adducũt sanguinem; arteriæ pulsu attenuant & expurgant, natiuúmque calorem tetro ac frigido inquinatum ac penè obrutum humore tuentur ac fouent.

Linea media.

Lineam eam si spectes, verè dixeris bipartitum esse lienem; si non in dextram & sinistram partem, vt in cap. 7. notato Aristoteles indicauit; propterea quòd quasi iecur adulteratum esse videtur: certè in anteriorem & posteriorem, quæ linea illa separantur in ipsius medio cauo secundùm longitudinem sese attolente.

Figura.

Ventri enim incumbens modicè cauus interiori parte & exteriori gibbosus euadit. In homine breuior est, sed crassior & latior, quàm in cane, sue, & boue, in quibus longior & tenuior visitur. In illo ipso tamen lõgitudo crassitudinem ac latitudinem superat; parsq. superior inferiore latior aliquãtò cernitur: vt linguæ nõnullam nec obscuram formam præseferat: & pedis plantæ assimilauit Hyppocrates in lib. de corporum resectione. Rotundum quibusdam esse legimus apud Philosophum in 3. de partibus cap. 12. Superficies sanè tota læuis est; sed minùs, quàm iecoris, cordis, pulmonum & aliorum viscerum læuibus enim & minimis cauernulis aspersa vbique conspicitur.

Color.

Denique color non idem semper apparet: nec solùm in vniuerso animalium genere, verùm nec in speciebus singulis. Ferè autem in fortioribus calidioribus & icciorib⁹ nigrior est; vt in homine leone, & cane: in humidioribus & frigidioribus, vt in sue, albicat magis. Qua in re non leue momentum habent anni tempus, regio, cibi, curæ, vigiliæ, studia, morbi, & id genus alia.

Quantitas.

Atque in hoc viscere magnitudo deterior est paruitate. Nam si corpus floreat, lien minuitur: si lien crescat, mꝰnuitur corpus. Quam ob causam fiscum Traianus Imperator lienem appellabat. Fisco namque diteſcente populus exhauritur & contrà. Quòd verò in cap. 7. ante memorato & 2. historiæ lib. cap. 15. proditum est, animalibus quibusdam aut nullum aut perexiguum, & vix sensilem inesse lienem; minùs mirum videbitur, si quædam meminerimus bilis etiam carere vesicula. Ea fere feruentiorem habere ventrem, vt columbum, accipitrem, miluum, noctuam, dixit Aristoteles: neq. indigere liene ad coctionem cibi iuuandam. Excrementorum autem succum, aut in vapores per laxam carnem resoluere, aut in pennas & squammas consumere. At neque negandum, haud copiosum his melancholicum & tetrum succum inesse, eumque per meatum ad ventrem absque liene ductum transmitti. Sic enim de flauæ bilis purgatione in iis, quæ vesicula carent, dicebatur, & in 4. de vsu partium lib. cap. 12. confirmat Galenus.

Animalia lienis expertia.

DE RENIBVS.

CAPVT XIII.

TErtium instrumenti genus, quod ad alterius illius coctionis, quæ in iecore facta est, excrementa secernenda præparauit natura, sunt renes, νεφροὶ ἀπὸ τῆ *Vsus; & Vrinæ purgatio.* νείφειν, quod est mingere, & pluere aut ἀπὸ τῆ ῥέειν. i. humoris defluxu. Eos namq. hunc planè in corporibus nostris habere vsum, cauitas illa testatur, quæ in ipsorum medio conspicitur humori cuipiam excipiendo extructa, Hunc verò aquosum esse illum, quem velut sanguinis in iecore geniti serũ esse dicimus, & οὖρον vrinamuè ac lotium appellamus; ostendit subiecta renibus vesica, vt humorem illum suscipiat ac meiendo reddat, meatúsque illi, qui à renibus ad vesicam descendunt. οὐρητῆρες & vrinarios propterea dixerunt, quòd vrinam à renibus ad vesicam deducant. Verùm priora duo excrementa ex iecore statim, dum sanguis gigneretur, secreta sunt à bilis vesicula lieneque: at hoc tertium à renibus trahitur ex vena Caua, quæ genitum iam suscepit sanguinem. Venæ, etenim illæ, quæ emulgentes nuncupantur, quòd seroſum hunc & aqueum humorem emungant ex sanguine ad venã cauam pertinent. Quod ideò factum est, quoniam aqueus ille humor vtilis futurus erat & necessarius crasso adhuc sanguini per angustas iecoris venulas ad magnum Cauæ truncum introducendo: sicut antea non parùm chyli ex intestinis ad iecur promotionem iuuerat. Vbi verò ad amplam peruenit, cuius ramos permeare facilè potest, cùm arteriarum præsertim tenuãtem calorem vbique proximum habeat, secernẽdum id fuit, quod inutile ac noxium deinceps futurum erat.

Itaque cùm id multò magis, quàm bilis aut melancholicus succus, abundet in sanguine, tum binos renes, vtrinquè alterum, appositi natura, tum emulgentem duplicem, peramplam & latam vtramque, ac binos demum vreteres. Non solùm vt citior secretio fieret (quam etiam ob causam propè iecur & venam Cauam renes ambo positi sunt) atque vt operationi tantoperè ad vitam tuendam necessariæ quàm optimè prouideret: vt si quando alterum obturari contingeret aut quouis modo impediri nè proprium haberet vsum, adesset alter, qui functionem maximè necessariam exequeretur. Verùm etiam plurimùm omnino est hoc excrementi genus: quod si per vnicum renem purgari oportuisset, diuturnam prorsus ac tardam purgationem habuisset. Quatuor semel obseruauit Laurentius. Rarissimum est. *Cur bini renes.*

Inæqualis autem existit situs. Nam elatior paulò est dexter, iecurque contingit, depressior sinister, qui lieni vix quadam ex parte substernitur. *Situs.*

Etsi

Etsi propè vertebras, immò septo ac tribus infirmis costis, quò tutior esset locus, insideant ambo. Ea exstat apud Aristotelem ratio in 3. lib. de partibus cap. 9. quia cùm renes ad hunc trahendum humorem facti sint, principium cuiusuis motus est in parte dextra; eáque validior, quàm sinistra, est. Altera fuit Galeni in 5. de vsu partium cap. 6. Nam si aduersam, inquit, positionem haberent, alter tractu suo in contrarium alterius tractui moram faceret: nunc autem vterque agit liberè, solúsque attrahit; cum nihil sibi è regione habeat oppositum. Dexter autem superior est, quia viscus ipsum; quòd purgatur, in dextris locatum erat; & plurima venæ Cauæ germina in dextram partem orificijs desinunt, sanguinem ex iecore in ipsam venam ducētia. Nec abs re crediderit quispiam voluisse ita naturam iecoris pondus in dextra parte positum quoquo modo compensare, depressiori facto sinistro rene, qui maiore vi deorsũ trahens grauitatem illi parti maiorem adderet. Ea etiam fortasse fuerit causa, vt si quæ seri portio renẽ vnum præterflueret, incideret in alterum. Sed Ego id propter loci potissimùm conditionem factũ fuisse dixerim. Nam cùm sinistra inferior vẽtris sedes liene occupata esset, Ilq. inferius descendat, quã ex dextra parte iecur; elatior dextro reni, quàm sinistro, relinquebatur locus. Alioqui in ijs, quæ minorem lienem grandiúsque iecur haberent, non semel sinister ren elatior dextro visus est. Non rarò etiam nec à paucis vnicus ren obseruatus: & in 4. de animalium ortu cap. 4. Aristoteles quoque prodidit. Sed ne minus tarda excremẽti secretio fiat, mira is magnitudine compensat numerum.

Substantia. Porrò siuè vnus sit siue duplex, substantia constat densa, & perquàm solida; nullis tamen intexta fibris. Ad trahendum enim, retinendum, & expellendum, vasorum, quę continet, fibris vtitur: vt & iecoris pulmonúmq. viscera. Inter glandes numerauit Hyppocrates; inter viscera potius & parenchymata Galenus. Superficies exterior læuis est & prorsus lubrica.

Figura. Color splendens, sed ruber & quasi adustę substantiæ. Forma oblonga, sed propemdum rotunda, fasceoli vulgò dicti ferè figura. Quippè exteriori parte semicirculum ferè describit, interior in sinum quendam contrahitur: vbique crassior, anteriùs tamen & posteriùs non nihil compressa.

Vasa. Interiori sinu excipiũtur vasa, emulgentes venæ à Caua, quæ cũ alimentario sanguine & bilis aliqua parte serosum adducũt humorẽ; ac sub illis arteria ab aorta magna. Sed ità, vt cùm propè ad renẽ accesserint, in duos scindantur ramos, quorum alter superiori, alter inferiori sinus angulo inseruntur sanguine per venas illas aducto atque arteriarum calore percocto nutriũtur renes: quodque serosum & inutile excrementum, supereſt, ad sinum in ipsis contentum excolatur perfistulas, quarum extremis apparent caruncułæ velut extuberantes papillæ eiusdem substantiæ fistulas singulas obturantes. Septem, octo, & nouem interdum visuntur. Per has in amplum sinum ab vretere efformatum confluit serum, quod mox bile coloratum per vreterem meatum, qui ad vesicam velut subiectam lagenam aut cisternam indè descendit, mittitur totum: natura scilicet humorem noxium, quo grauatur & verò etiam stimulatur, expellente, ipsoque non inuito fluente.

Caruncułæ.

Cęterùm quod Galenus contendit in 5. de vsu partium cap. 5. non ex venis modò, sed ex arterijs item renes vrinam segregare; nullo modo probandum est. Neque constat cum altero illo eiusdem medici pronuntiato, Serosum illum humorem ex iecoris gibbis trahi, vbi primùm sanguis venam Cauam subijt. Isque qui arterijs continetur, purissimus est ac diù multúmque in corde percoctus & elaboratus; ad quod, vt inquiebat Aristoteles, eiusmodi nullus superfluus humor appropinquare potest. Quòd enim maiores, quàm Galenus vellet, arteriæ illæ, sint quæ ad renes pertingunt; causa est, quòd ad deteriorem illum coquendum sanguinem & humorem noxium secernendum multo calore opus fuit.

Vrinæ secretio.

Præter venas & arterias habet & à sexto cerebri pari tenuem neruum, ne sensu planè destituatur. Duæque totum hoc viscus ambiunt tunicæ. Interior vna illius substantiæ connata, exanguis planè, ab exteriori venæ, & arteriæ renem subeuntium tunica dilatata existens. Altera exterior, qua dorso viscus alligatur, à peritoneo ducta, quà inferiorem septi partem succingit. Hęc pinguedine multa, qua totus ren fouetur & actio eius iuuatur, obductas habet, velut omẽtum, venas: in dextro quidem rene ex superiori emulgentis sede; in sinistro autem ex ipso Cauæ trunco, antequàm sinistram emulgentem extendat ad renem: aut interdum secus, vt in lib. 3. adnotaui. Neque hîc mihi longior de renibus futurus est sermo. Sed reliqua persequenda; quæ ad aquei & serosi huius excrementi secretionem pertinent.

Tunicæ.

DE VRINARIIS MEAtibus & Vesica.

CAPVT XIIII.

ERgo cùm renes propè iecur habitarent; vesica autem, quæ excrementum illud exceptura erat, in imo ventre, vndè sicca quoque egeruntur excrementa, esse deberet: longis opus fuit meatibus, qui à renibus advesicam humorem illum deducerent. Consistit enim hæc propè anum, aptissimo egerendis excrementis loco; intestino recto innixa: alioqui si sub illo fuisset posita, distendi vrina susceptа non potuisset. Hos οὐρητῆρας, seu οὐρητικοὺς πόρους seu vreteres vrinariosue meatus nominari iam dixi. Subſtantia constant venali prorsus simili; hoc est vnica tunica, sed paulo duriore, quod mordacem ac rodentem humorem contenturi & maioribus interdum periculis obnoxij, futuri essent.

Vasa situs.

Vreteres.

Fit enim non raro, vt in interiore renum sinu, in quo percolatur vrina, crassus quispiam & glutinosus succus, viscers, eius calore afflętur, adurátur, & in calculum cõcrescat per angustum meatũ cum incredibili mox dolore descensurum. Vnde imperita vrinæ secretione, in maximum vitæ discrimen crebrámque mortem incidimus. Sed & propterea calculosorum ferè crus stupore torpet; quod musculis cruri flectendo dicatis incumbant calculosi renes, neruúsque prematur, qui in cruris musculos omnes extenditur.

Calculi.

Eandem ob causam rectà super lumborum musculos progrediuntur, nec vsquà, vt intestina, conuoluuntur in orbes : pauciorésque quàm vena, obliquas habent fibras : tùm nè retentrice illarum virtute transitus vrinæ retardetur: tum vt laxentur faciliùs magisque extendantur. Hinc tunicæ propriæ altera commuis accedit à peritoneo, cui ad vesicam descendentes firmitatis gratia incumbunt. Et ideò qua parte peritoneum spectat, vesiæ inter fundum & ceruicem infiguntur obliquo ductu & in anfractus conuoluto, dum primam peritonei tunicam penetrant, membranulis ad toramẽ, siuè roboris, siuè custodię potiùs causa, appensis; nè vesica distenta regurgitet in meatum vrina. Locúsque ipse insertionis ad hoc aptissimus est. Quia dùm suprà totum vesicæ corpus vrina subit, absque regurgitationis periculo impletur tota & distenditur.

Vesicæ figura.

Est autem vesica rotandæ quidem & capacissimæ seu oblongæ figuræ; vt commodius eo loco contineatur, & extendi ac turgere possit. Ideò & suprà intestinum rectum in maribus & suprà vterum in fœminis locata est. Nimium tamen attolleretur, si prorsus rotunda esset,

Substantia.

Duplici constat tunica. Interior propria membraneam habet & nerueam substantiam, distendi & contrahi aptissimam : vt vrinæ multum susciperet, quòd simul totum emitteretur, nè crebrior hæc purgatio molesta nimium fieret; eáque mox emissa subsideret. Tùm verò duram & validam: ne ab acri, mordaci, & rodente humore atque interdum calculis lęderetur. Triplici fibrarũ genere cõstat, attrahentiũ, retinentiũ, expellentiũ. Altera illi à peritoneo accedit, non parum robusta; indè orta, vbi eius consistit fundus. Indè post erigitur ceruix seu collum, in maribus quibus pudendũ, quo reddenda vrina est, extrorsum prominet, longius & angustius, quàm in fœminis. Namque in his vteri ceruici statim inseritur, illucque vrinam conijcit. In illis autem cùm semen quoque eadem emittatur parte; adest primùm glandosum corpus, quod tum seminalium vasorum insertionem susciput, tùm vrinæ meatum humectat & irrigat. Deindè vesicę ceruix vlteriùs producitur, atque os pubis egrediens intrà musculos pudendi absconditur ibique desinit.

Musculus, σφιγκτηρ.

Vtrisque autem, & mari & fœminæ communis est musculus σφιγκτὴρ, qui in orbem vesiæ ceruicem cingit, fibrisque transuersis egressui vrinæ præest; ne nolentibus nobis effluat, ac volentibus vltrò & cum celeritate erumpat : non secùs ac de recti intestini musculo antea dictum est. Hoc in calculi extractione secato, fit vt multi post importuno vrinæ motu laborent : quòd pluspiàm oporteat sectus lacerátúsque musculus sit. In fœminis ceruicem totam ambit; in maribus id, quod post glandosum corpus reliquum est, antequàm pudendi musculos subiens reflectatur.

Vrachus meatus.

Cæterùm hic altetius quoque vrinarij meatus, ὁ οὐραχὸς & οὐρητὸς, dicti, facienda mihi est mentio: quo ex fundo vesicę ad vmbilicum ducto, cùm de vmbilici vasis dicerem, fœtum ostendi, dùm in vtero viuit nec dùm pudendo mingit, vrinam in alantoidem vmbilico secernere. Cur autem tunc non pudendo, sed vmbilico secernat; hanc arbitror esse causam; ne aut tenellum pudendum aut totius corpusculi mollis nimium caro vrinæ fiuè præter labentis siuè circumfusæ acrimonia & corrodente qualitate læderetur.

Hoc vnum de vesicæ substantia addam, quòd ferè prætermiseram : nequaquam huic membro suas deesse venam, qua à Caua nutriatur; & arteriam, qua ab Aorta calorem; ac demum neruos, quibus à sexto cerebri & postremis spinæ paribus acris & rodentis humoris, calculiuè, aut alterius cuiusuis iniuriæ sensum accipiat. Tanta est naturę vel in abiectissimis & sordidissimis partibus cura atque industria. *Vasa.*

DE PARTIBVS PROCREATIONI fumulantibus.

CAPVT XV.

VNiuersi illius vasorum generis, quòd ad nutriendum & animal vnumquodque conseruandum refertur; facilis est hæc & aperta descriptio. Iam alterum, quòd ad procreandum tuendámq. speciem comparatum est, intactum si prætermisero, iure optimo mancum, partéque non minima, neque inutili, mutilatum opus fecisse me dixeris, si vel leuiter pertractauero, pudorem desiderabis meum; nec immeritò succensebis. Quid igitur? Possem scitum illud vsurpare; Omnia munda mundis. Possem & Theologos proferre scriptores de his non ratò contendere, atque in permultis ad Christiani viri officium pertinentibus perneccssariam horum cognitionem esse. Quidni ergò mihi nunc philosopho liceat quædam attingere? At pudicos malo pictores statuariosue imitari; Qui si picturam quampiam aut statuam partibus omnibus accuratè delineatam fecerint; ijs, quæ intuentium fortasse oculos ac pudore possent offendere, prudenter obducunt velum, equidem harũ quoq. pudendarũ, tum maris tum fœminæ partium non incuriosam feceram descriptionem. Sed obduco velum; malóque mancum opus meum, quàm minus pudicum, videri. Hoc vnum dixero, eadem in maribus atque in fœminis haberi vasa, sed in illis secus, quàm in is, à natura dispósita, quòd alio atque alio modo, illos agendo, has suscipiendo ac patiendo, absoluere hoc opus oportebat. In maribus, partibus constant quatuor meatibus, qui materiam futuri seminis comportant ad testes, & præparant: testibus, qui seminis perficiendi vim obtinent: meatibus perfectum iam semen continentibus : ac demum pudendo, quo id in fœminæ vuluam conijcitur. At hæc ipsa, quæ maribus extra prominent, fœminis intro cõdita sunt. Alioqui in illis item testes sunt, & seminarij meatus : quodque in maribus est pudendum ad emittendum semen, hoc in illis est vterus ad suscipiendum, fouendum, & continendum. Idcirco enim cauam magis, minúsque solidam hanc partem, quàm pudendum maris, esse oportuit.

DE

DE TESTIVM VSV.

CAPVT XVI.

SEd operæ pretium erit paulò attentiùs considerare quisnam proprius sit ac præcipuus testium vsus.

Nam cùm in superiori descriptione acceptum fuerit, ad conficiendum semen illis naturam vti, hósque proprium esse illorum opus; secùs Aristoteles visus est sentire in 1. lib. de animalium ortu cap. 4. Quo loco eos ostendit nequaquàm esse ad conficiendum semen atque adeò ad procreandum necessarios. Quoniam serpentes & pisces, & verò etiam, vt est in 3. de historia cap. 1. & lib. 5. cap. 5. animalia ea omnia, quæ pedibus carent, testibus planè carent. Meatus tamen habent genitalis seminis plenos, coëuntque ac sibi simile gignunt & taurus quispiam amputatis testibus coiuit ac genuit. Ità confecit, totam huius operis vim & potestatem in meatibus semen continentibus inesse, nullam in testibus. Quos duas ob causas animalibus quibusdam fuisse additos affirmauit.

Aristotelis sentire.

Primùm vt circà illos seminarij meatus conuoluerentur, quò tardior esset emissio seminis minúsque ad coitum, quo nimium franguntur vires atque immatura adducitur mors, sollicitarentur animalia illa, quæ cúm vnicum edant fœtum, viuaciora & ideò castiora esse oportuit; quam ea, quæ plures simul & citò pariunt. Quod enim in cibo, hoc in semine quoque euenit. Nam vt ea, quibus intestinum est rectum neque in spiras & anfractus conuolutum, voraciora sunt & cibi semper appetentia; quòd sumptum minùs retineant, sed statim egerant: sic quæ testibus carent & solos meatus seminarios vbique rectos habent, salacia magis sunt atque in venerem prona.

Diuersus animalium coitus.

Quarè cùm tria sint animalim genera; quæ testibus prorsùs carent, vt serpentes & pisces, citissimè omnium coëunt, cùm primùm coniunguntur: tardiùs ea, quibus intro illis sunt conditi, vt aues; siuè ad lumbos, siuè in aluo, quoniam meatus conuoluuntur: tardissimè verò illa, quæ testes extrà habent, siuè ab imo ventre pendulos vt homo & equus; siuè retrò annexos natibus, vt sus & canis; quia productiores in his meatus sunt, atq. abexterno frigore refrigerati cõstrictiq. longiore omninò indigent motu & attritione, qua calescant & dilatentur.

Altera causa, cur vtrique huic animalium generi, quibus conuoluti meatus insunt, adiectos crediderit Philosophus esse testes; ea fuit, vt quemadmodum textricum pondera telis annexa telam extendunt & aperiunt vias, quibus recta nauiculum moueatur: sic pendentes illi apertos tenerent meatus, per quos emitti semen oportet; quique detractis illis contraherẽtur nimium, nec posset illud effundi.

Tertiam causam addidit in explicatione 24. problem: sect: 4. illorum animalium propriam, quibus extra pendent. Eos enim asseruit esse velut pondera, quæ pudendi tensionem & erectionem efficerent.

Ex quibus omnibus manifestum est, non meatus propter testes, sed testes potiùs propter meatus eum credidisse fuisse factos; meatúsq. primos in generatione tenere. Quartam causam addiderunt alij, vt serosum humorem & seminis excrementum exsugant. Alij etiam quintam, puluinaris instar & mollioris substerniculi fulciret meatus.

Galeni confutatio.

Porrò aduersus illam Aristotelis sententiam multa disputauit Galenus, in 1. lib. de semine cap. 15. Et certè priorem illius partem, quę testes contendit non esse ad conficiendum semen aut animal procreandum necessarios; si de semine ac procreatione vniuersè, loquatur verissima esse ostendunt ipsius argumenta. Posterior autem de testium vsu in animalibus ijs, in quibus insunt, suspecta magis esse potest. Nam vt mittam: testibus amputatis animalia non procreare, meatus licet supersint: illorum substantiam semini persimilem esse colore: frigidis appositis, oppio, mandragora, & similibus, sterilia effici animalia: quãuis pendentes testes aperiant meatus. Idem ipse Philosophus postremis eiusdem quarti capitis verbis fatetur animalia hæc non priùs effundere semen, quàm testes retrahant. Quòd si in ipsa effusione retrahantur & attollantur (quam ob causam in 26. Problem: eiusdem sect. 4. hyeme magis, quàm æstate, concumbere nos affirmat; quòd retracti eo tempore magis minúsque penduli testes sint) non igitur adsunt idcircò, vt suo pondere meatus aperiant erigantuè pudendum: quod partim naturaliter erigitur flatu ac spiritu copioso cauos neruos impellente; partim ab appetitu musculos muneri illi dicatos mouente. Deindè in cap. 1. lib. 3. de historia duos esse asserit castrandi modos. Aut enim, inquit, nouellos adhuc testes frangunt, aut adultos iam firmosque excidunt. At quibus franguntur duntaxat, non auferuntur pondera: non igitur elauduntur meatus. Quin si in meatibus seminaria vis esset, possent nõ minùs, quàm antea, animalia illa procreare. Tùm vero animalibus ijs, quibus intro testes alligantur nequè penduli sunt; quomodo ponderis vim habeant; cum altiore prorsus, quàm ipsi meatus, consistant loco?

Nequè etiam adsunt idcirco, vt circà illos conuoluantur meatus: Nam si intestina per se absque vllo subiecto corpore inuoluuntur, quidni meatus quoque illi inuoluerentur? Sanè ità sunt intorti meatus illi, vt si distenderentur, ad extremũ ferè pedem descenderent. Membranis vero ac vicinis partibus adhærent tàm firmiter, vt extendi ponderisque instar esse non possint. Neque maiori viarum amplitudine opus habet semen, quod epidimida & testes obscurissimásque & minimè conspicuas vias penetrat. Non enim copiosa est effusio, quæ amplas ac patentes vias postulet.

Qui vero excrementi secretionem cogitarunt, intelligere potuissent semen ipsum excrementum esse, vtile tamen atque exaccuratè cocta materia constare, serosumque humorem in renibus separatum fuisse: nec vllam rationem esse, cur excrementum potius, quàm semen ipsum ingrediatur testes: præsertim cum spiritosum totum & magis calidum sit semen.

Denique, qui pulunar aut substerniculum supposuerunt, suspensum corpus appositum, quod cum stabili & firmo non consistat loco, vsum illum præstare nequaquàm potest.

Eunuchi quales.

Iam verò veriſſimum illud eſt & experientia quotidiana confirmatum, quòd in cap. 2. lib. 1. de animalium ortu & cap. 3. & 7. lib. 5. legimus, exectis teſtibus corpus maris in fœminæ naturam commutari: nimirum calor robúrque ac vires debilitantur plurimùm, coitus appetitio ceſſat, mutatur vox, depile fit & obœſum totum corpus, gracileſcunt venæ, ac demùm ſapor ipſe carnis mutatur & fit ſuauior. Præſentis namque ſeminis calore totum caleſcit corpus & turget. Hæcque omnia eueniunt, etſi ità eximantur teſtes, vt integri atque intacti meatus conſeruentur (quam ob cauſam Ægyptij, vt Regem ſibi ademptum fractáſque illius vires ſignificarent, typhonem caſtratum pingebant) Sed & mores mutantur. Vndè illud Auenzoar, In Eunuchis malos agnoſcimus mores, rationis ſunt peſſimæ, nec ferè inuentus aliquis exectus bonæ legis, aut intellectus non diminuti. Hæc ille. Fateri ergò oportet, in marium teſtibus virtutem principiúmque procreationis ineſſe, quo mas potiſſimùm à fœmina ſeparatur. Quæ ratio Auerroëm quoque coëgit, vt in commentario 3. in primum citatũ lib. eos diceret in hoc gignendi opere in maribus eſſe primos.

Accedit illud præterea quòd meatus illi, qui ad teſtes materiam ſeminis comportant, non ſolùm ſuper epidimida ducuntur; ſed ea plurimis in locis perforata ſubſtantiam teſtium penetrant, materiam illis gignendi ſeminis ſubminiſtrantes. Quòd Ariſtoteles ipſe tradere viſus eſt, dùm auibus tempore coitus intumeſcere teſtes multóque grandiores fieri obſeruauit: quòd excrementum, inquit, genitale recipiant. Meatúſque reliqui ſemen à teſtibus defferentes, qua parte illis connati ſunt, ſi cultello ſeparentur, plurimos viſuntur habere meatulos, quibus à teſtibus hauriant ſemen. Ac demùm teſtes per medium diſſecti humore albo, hoc eſt ſemine, pleni eſſe conſpiciuntur

Quo circà imperfectius quidem ac minùs coctum animalium quorumdam ſemen, vt ſerpentum & piſcium, qui in aquis degunt, ſinè illis eſſe poteſt: at eorum, quæ perfectiora ſunt non item. Atque in illis quidem tat eſt, ſi in meatibus coquatur: in his verò etſi in meatibus quoque non nulla ſit ſeminaria vis, qua ſenſim mutetur ſanguis & albeſcat; vt perfectum tamen & fœcundum ſit ſemen, teſtium item opus eſt opera. Quæ verſatur in eo, vt optimè ſanguis & ſpiritus miſceantur, caloréque membri paulò magis æquantur. Vt quod de alimento dicitur, de ſemine quoque liceat pronuntiare. Quemadmodum enim animalia quædam perfecto ſanguine nutriuntur; alia non ſanguine, ſed dulci humore, qui ſanguini porportione reſpõdeat: ſic ex perfecto quædam, alia ex minùs perfecto naſcuntur ſemine. In ſanguine præditis gignitur is in iecore ab ea, quæ huius membri ſubſtantiæ ingenita eſt, facultate. Et in ijs, quæ teſtes, habent, ab inſita illis virtute perfectum ſemen exiſtit. Chylus in meſenterij venis nonnihil præparatus per tenues Portæ venulas totum ſubit iecur, moxq; ſanguinis formam adeptus Cauam per eius ramulos ingrediens ad nutriendum totum corpus dimittitur. Sanguis & ſpiritus in præparantibus vaſis nonnihil mutati per graciles illorum ſurculos vniuerſum teſtium corpus ingredientes permeant; perfectáque ſeminis natura accepta, per tenuiſſimos poros ad deferentes meatus tranſeunt; atque ad aliud quidpiam procreandum conijciuntur in vterum.

Seminis & alimenti ſimilitudo.

Vndè conſequens eſt, meatus & pudendum propter teſtes à natura fuiſſe fabricata: neque teſtes meatibus, ſed meatus teſtibus appoſitos: vt partim gignendi ſeminis materiam ad membrum illud adducerent, in quo gignẽdi vis ineſt: partim ſuſciperent genitum atque ad pudendum & vuluam deducerent. Itaq. communiſſimum quidem procreationis inſtrumentum meatus ſunt; quòd in animalibus omnibus inſint tùm verò teſtes; ſiquidem eos habent ſinè pudendo animalia complura, vt aues. Sed tamen vbi adſunt hæc omnia, præcipui ſunt teſtes: quòd vim ſeminis potiſſimum habeant.

Meatus propter teſtes facti fuiſſe.

Teſtibus exectis tanta generam.

Quod autem exectis teſtibus procreaſſe taurum Philoſophus ſcribit; aut omnino mirum eſt. Vulneris namq. retentis intenſiſſimus dolor non veneris modo; ſed cibi quoque & potus appetentiam omnem tolleret. Quippe vel ſola teſtium compreſſio aut percuſſio tantum dolorem adfert, vt nec pedibus ſtare animal poſſit. Aut ſi verum fuit & non ex aliorum ſolum relatione id Ariſtoteles ſcripſit; ideo factum eſt, quod meatus ſeminæ pleni ſtatim in vuluam illud conieceruntur.

Cor procreationis virtutis principium.

Verum ex hac tota diſputatione nequaquàm Galenus colligat, teſtes eſſe procreatricis virtutis princeps membrum. Quoniam vt verè adnotatum fuit ad Auerroë in 2. lib. colliget cap. 10. tota vis procreandi, quæ in ſemine ineſt, in ſpiritu, qui in eo continetur, reſidet. Spiritus autem principium & fons eſt cor. quarè vt reliquarum facultatum, ſic huius quoque principarum tenet hoc membrum, cuius vicarij & adminiſtri ſunt teſtes.

DE THORACE agendum eſſe.

CAPVT XVII.

Cur nunc de thorace.

NIhil eſt, quod in inferiori ventre conſideretur amplius, ſiue ad ſe ipſum nutriendum, ſiue ad aliud procreandum ab optima & ſolertiſſima natura fabricatum. Nam quod de membranis conceptum in vtero fœtum inuoluentibus dici poſſet; cum non in omnibus, ſed in prægnantibus duntaxat conſpiciantur eæ, minimè ad hunc locum pertinet: ſed ad eum potius, in quo de procreatione fœtuſque formatione dicetur.

Itaque ad alteram illam corpus partem accedam, quam principio thoracem ventremvè mediũ nominari dixi. Quamuis enim caput anteà diſſecandum videretur, quod cerebrum putreſcat citius minuſque conſeruetur, longioris impatiens moræ. Commodius tamen eſt de thorace dicere. Primum quia corpus hoc loco velut animæ inſtrumentum conſideratur, hácque parte facultatis vitalis organa continentur, quæ ad vegetantem quoque animam, cuius ſuperiora fuerunt, pertinent: neque eſt æquum ad ſentientem tranſire, niſi fuerit illi omni ex parte ſatisfactum. Deindè quoniam, dùm thoracem agredimur, inchoatum opus abſoluimus, ad quod poſt captitis longam & eorum, quæ in eo ſunt, conſiderationem importunum

portunum omnino fuerit redire. Dictum est de organis procreationi dicatis, quibus tùm in vtero concipiatur fœtus, tùm intrà vterum conceptus nutriatur. Consequens est & de illis dicere, quibus in lucem editus tandiù sustentetur, quousque mandere ac cibum sumere ipsemet possit. Quamdiu vtero quasi sepultus viuit, sanguine vescitur, quem vmbilici venis & vtero matris trahit. Inde in lucem prodiens nutritur lacte, quod ex mamillis fugit. Ideò viuiparis omnibus insunt, ouiparis non item: quoniam, vt est in cap. 11. libri quarti de partibus, lacteus ille cibus continetur in ouo. Vt quamuis mamillæ inter organa generationi dicata minimè numerandæ sint, cùm ad fœtum gignendum nil conferant: ad ea tamen quoquo modo referantur, aut cum illis certè magnoperè coniungantur; quippè fœtui genito statim sunt cum primis necessariæ. Et verò in homine quidem eæ in thorace conspiciuntur; at in bestijs ferè in imo ventre, & quidè propè generationis loca consistunt. Quare si cætera hæc intueatis aut disseces animalia, de mamillis fuerit tibi in imo ventre dicendum. Quòd si de illis in homine quoque dixeris, qui hoc loco præsertim considerabatur, thoracis considerationē ingredieris. Θώραξ autem dicitur ἀπὸ τῆ θορεῖν, quod est salire: quòd cor in eo contentum perenni agitetur motu & quasi saliat.

Mamillæ cur non ouiparis.

Thoracis cur dictus.

DE MAMILLIS.

CAPVT XVIII.

Situs.

Mamillæ igitur seu mammæ & vbera in homine pars thoracis non sunt, sed exteriùs ad ossis pectoris latera thoraci & inferiori parti musculi brachium pectori admouentis ferè incumbunt. Quibusdam verò mulieribus ad medium pectus accedunt. Semiglobi figuram habent, nisi magnoperè lacte redundent. Tunc enim eas propè dixeris integrum globum absoluere. Papilla velut breuis quidam processus, quo susceptо lac infans sugat, medio loco infixa est. Hæc in virginibus rubet, liuet in lactantibus, in senibus nigricat. Glandosa & fungosa in fœminis præsertim substantia constant, ad conficiendum & continendum lac perquàm idonea.

Figura.

Substantia.

Inter glandes numerauit Hyppocrates in libro de glandulis, eundémque vsum præstare voluit & vniuersi corporis absorbere sordes. Quare, inquit, si morbus aut calamitas alia mulieribus mammas adimat, vox ipsarum asperior redditur, & humores in gulam feruntur, & multò vexantur sputo, & caput dolent, & ab his ægrotant. Sed non tam glandes sunt, quàm glandosa corpora: sicut & renes & testes. Duo hæc namque glandium genera distinxit quoque Galenus in 16. de vsu partium libro cap. 2. quædam excipiendis excrementis, rigandis partibus, fulciendis vasis dicatæ sunt: aliæ succis quoque vtilibus gignendis comparatæ: illæ glandes propriè sunt, hæ glandosa potiùs corpora.

Duoglandium genera.

Vsus.

Itaque si superfluum & noxium excipiant humorem mammæ, secundarius is est vsus; propria verò actio lac bonum gignere. Multò vbique refertæ sunt adipe, venis plurimis, arterijs perpaucis ac neruis intexta. Venæ ab axillan partim accedunt; partim ab ea, quæ per summum ducitur humerum: aut etiam ex illis, quæ per iugulum descendunt ad pectus. Hæ namque omnes pectoris musculis & cuti insertæ ad mamillas perueniunt: longo nimirum ductu, quemadmodum in cap. 10. & indicati libri obseruauit Galenus; vt diuturniore mora & consuetudine conferente vasa perfecta fieret sanguinis coctio, quàm lactis natura postulabat. In bestijs verò, quibus hæ in inferiori ventre sunt, ex duobus illis ducuntur truncis, qui descendunt in crura. Quà enim peritonæum perforant, sursùm vtrinque ramum ad abdominis musculos mittunt, qui mamillas quoque ingrediuntur. Venas nonnullæ, sed obscuræ ac repertu difficiles comitatur arteriæ. Nerui à subiectis musculis porriguntur. At papillæ potissimùm ex 4. ferè costarū interuallo insigniori offertur: vt vehementiore ibi sensu posito prōptiores essent matres ad lac prębendū infantibus. Delectatione scilicet allectæ, quam tenellorū infantis labiorum & linguæ contactu essent persensuræ. Cutis quoque hanc ob causam ibi tenuior.

Vasa.

Papillæ.

Sanguis ad mamillas ductus mutatur in lac, tùm à propria glandosæ illius substantiæ virtute; sicut de testibus semen, iecoréque sanguinem elaborantibus anteà dictum est: tùm verò à perenni thoracis motu, quo magnopere concutitur & calescit: ac demùm à vehementi proximi cordis calore. quæ fortasse est causa, cur perpaucæ & obscuræ illuc ducantur arteriæ. Vix enim corde tàm propinquo opus eis erat. Atque hic est præcipuus mamillarum vsus, lactis generatio infantiúmque nutritio. quam ob causam non magnopere maribus, sed magis fœminis; nec paruulis ad gestandum fœtum ineptis, sed grandioribus ad procreandum aptis turgescunt & attolluntur; quorsum factæ sint ostendentes. Et in maribus item, cùm primùm pubescunt & semen emittunt, non nihil exurgunt & grandiores fiunt.

Lactis generatio.

Cur autem in pectore homini, bestijs non item, præterquam simiæ hominis fortasse æmulæ (Aristoteles in 2. historiæ libro cap. 1. soli homini dixit) conditę fuerint; duę in quarto libro de partibus cap. 10. extant rationes. Altera; quod homo latum & amplum habeat pectus; bestię angustum & acutum inter crura, quibus incedunt. Altera; vt cordi operimentum essent & propugnaculum. Prior sanè optima est: maximum enim incessui impedimentum bestijs attulissent. Posterior idcircò non parùm suspecta, quòd si cor tegere & propugnare voluisset natura, non lateribus, sed medio apposuisset pectori: cúmque tegmen adesset & propugnaculum ossium, durum, & robustum; quid opus erat carneo, infirmo & imbecillo? Alias ego rationes subijcerem. Primam, quòd copiosissimus cò per thoracis vasa influit sanguis ad lactis generationem. Alteram; quòd cùm erectæ homo sit staturæ, in infimo ventre fuissent illi nimis molestæ, tùm gestatu, tum vsu. quo enim modo lacterentur infantes? Nec ferret humanus pudor nudata pudenda: nec incōmodus lactatus tolleraretur. At dum ex pectore pēdent, gestantur sine molestia, & abest pudor. Neque sessili animali

Situs.

manibúsque vsuro locus opportunior aut commodior vllus erat. Tertiam ; quòd si in imo fuissent ventre, tùm concubitus, tùm incessus, difficiliores extitissent : in pectore nec amplexum nec vllum brachiorum vsum impediunt; nec verò ad venerem parùm alliciunt ; &, vt habet Plutarchus in libello de amore prolis, potest mater simul & filium alere, & amplecti & osculari, adde & gestare. Accedebat & illud non leue emolumentum, quòd thoracis motu cordisque propinqui calore generatio lactis non parùm promouebatur. Denique eo loco positæ non paruo futuræ erant humano corpori ornamento : quòd tùm in maribus, tùm in fœminis manifestum est.

Numerus. Iam cur homini & animalibus permultis binæ sint, alijs multò plures; ratio est partus alendi paucitas aut multitudo. Illarum autem vna est dextra altera siniſtra; harum vnus ordo in dextro, alter in siniſtro latere, vt in canibus & suibus. Aut quoniam, vt Aristoteles tradidit, binæ sunt corporis partes, dextra & siniſtra; organáque omnia bipartitò diuisa. Aut quoniam, vt significauit Galenus in 14. libro de vsu partium cap. 4. alendi atque educandi fœtus instrumenta æquum est ijs respondere, quæ procreationis fuerunt : duobus inquam testibus duplicique vteri sinui duas aut certè duplici serie dispositas mamillas.

Tumor. Quare cum vtero hæ quoque crescunt : & puellis perexiguæ sunt & vix vllæ : grandioribus ad pariendum aptis, quemadmodum ad libidinem vterus incitatur, sic attolluntur mamillæ ; verùm compactæ & ferè absque lacte duriusculæ : hincque ætatem ad coitum accommodatam voluit Aristoteles in quinto & septimo de historia & quarto de procreatione in fœminis cognosci; vt in maribus ex testibus, mutatione vocis, & pubescentia. At susceptо semine si conceperint, qua ratione sensim magis ac magis exurgit vterus crescente fœtu ; eadem turgescunt illæ ac lacte magis implentur : maximéque cernuntur & mamillæ & vterus, vbi perfecto fœtu pariendi tempus aduenerit. Quod sanè ex admirabili partium harum consensu prouenit : instinctúque naturæ, quæ ad eundem finem, hoc est propter fœtum ac sobolem extruxit vtramque : non autem, vt in cap. 8. eiusdem libri conatus est explicare Galenus, propter easdem venas, quæ tum ad vterum, tum ad mamillas deducantur. Neque enim rem ità habere dissectio manifestat. Sicut & necessaria persuadet ratio minimè fieri posse id, quod in septimo de historia cap. 11. affirmatum est ab Aristotele; vt pilum in poculo fortasse haustum mamillis reddat mulier. Etenim non solùm per tot tamque angustos meatus nequit is duci : verùm etiam tàm accuratas coctiones, quæ in ventriculo & iecore fiunt extrementáque secernunt omnia, noxia hæc & excrementosa substantia non euaderet; neque cum vtili alimento traduceretur atque à venis alliceretur.

DE LACTE.

CAPVT XIX.

Lac quid. LAc verò mamillis contentum in earum consideratione prætermittendum non est. Excrementi vtilis genus est hoc, vt & semen & sanguis menstruus. Quæ excrementa vocantur, quòd animali, in quo sunt, superflua sint, atque ex redundante materia constent. Vtilia tamen alteri sunt conseruandæque ac propagandæ speciei necessaria. Semen inquam & menstruus sanguis gignendæ, lac educandæ soboli. Lactis, inquit, Philosophus in 4. libro de animalium procreatione cap. 8. naturam eandem esse quàm excrementi, ex quo vnumquodque gignatur, apertum est. Eadem enim materia est, quæ alit & ex qua procreationem natura constituit : eáque sanguineus humor in sanguinem habentibus est. Lac enim sanguis coctus est, non corruptus. Propterea paulò post subiungit. Nec lactantibus fiunt purgationes menstruæ, neque lactantes concipiunt; etsi conceperint, lac extinguitur: quoniam eadem lactis & menstruorum natura est. Natura autem non tàm largè profundere potest, vt anceps sit: sed si alterutram in partem secernitur, in alteram desit necesse est, nisi quid violentum acciderit.

Lac quibus. Ex his tamen non licet statim colligere, in ijs omnibus reperiri lac, in quibus est semen aut menstruus sanguis. Quoniam tum in eodem loco, tum pluribus multò in cap. 20. lib. 3. de historia in hanc sententiam loquitur idem ipse Philosophus. Quæ lac habent omnia, mammis id continent. Mammæ autem ijs datæ sunt, quæ animal & intrà se concipiunt, & in lucem edunt. At ea, quæ oua pariunt, aut ouo intus concepto animal post in lucem excludunt; hæc & mammis carent & lacte; vt pisces & aues. Deinde in maribus abundat semen, lac ferè non gignitur.

Animalia. Quamquam tum eodem in loco Philosophus, tum in cap. 12. libri primi in ijs quoque affirmet gigni interdum posse. Quippè tum in Lemno insula capro ex mammis tantum lactis emunctum fuisse scribit, vt colostra inde conficerentur. Tum etiam viris post pubem nonnullis exiguum expressum fuisse, perquè suctum frequentiorem aliquibus vel multum prodijsse commemorat : nec semel se comperisse Andræas Vesalius testatur in lib. 5. cap. 8. & Hyeronymus Cardanus in 12. libro de subtilitate, Antonium quendam Benzum narrat trigesimum quartum agentem annum, ex cuius mamillis tantum profluxerit lactis, vt infantem ferè lactare posset : nec efluxisse modò, sed impulsa prorupisse. Neque multò antè ex viris fide dignis accepimus viros in Brasilia tantum habere lactis, vt ipsimet suas alant proles. Quod videri mirum non debet. Siquidem eodem modo mas, quo fœmina, mamillas habet glandosa constantes substantia ad continendum coquendúmque lac aptissima, & Ameticus quintus rex Hierusalem non minores, quam fœminas dicitur, habuisse mamma. Sed fœmina, vt Hyppocrates habet in li. de Natura pueri, & in lib. de glandibus, & Arist. in 1. de hist. cap. 12. rariorem habet,

habet, fungosam magis & foraminolentam mammarum substantiam; mas spissam magis ac densam: quare copiosiorem materiam fœmina, quàm mas, susc ipere & continere potest.

Quo tempore gignatur. Quod verò ab eodem Hyppocrate proditum legimus in eodem libro de natura pueri, lac in mamillis gigni quo tempore fœtus in vtero moueri incipit: quoniam grandiore facto fœtu magisque vtero turgescente comprimitur venter & ad mamillas sanguis repellitur: ità fuerit accipiendum, vt non tunc primùm gigni, sed copiosiorem gigni intelligamus. Hoc enim & proposita in superiori capite persuadet ratio, & naturæ finis testatur. Nam & tempus accedit partus, quo extrà vterum nutriendum erit fœtus: & is humor, qui potuisset in lac conuerti, in fœtus formatione anteà absumebatur. Alioqui sagax & prouida natura fœtu statim concepto tùm materiam ad mamillas submittere, tùm lac coquere agreditur: vt sensim & cum minori parturientis mutatione fœtus necessitati prospiciat. Quin virginibus quoque, si modò ætas ad viri complexum opportuna aduenerit, attolli mamillæ, ac sensim turgere conspiciuntur: etsi minùs adhuc perfectum lac esse credendum est. Sed & in maribus item lac dictum est gigni posse: & omnino ætate ad speciem propagandam idonea tùm mari semen gignitur, tùm fœminæ menstruum & lac: illis turgescunt testes, his mamillæ, pruritque vterus.

Optimũ infantibus nutrimẽtum. Optimum verò & maximè opportunum infantibus recens natis lac præbet nutrimentum. Quippè cùm in vtero versarentur, sanguine semper substentabantur; ex sanguine autem nonnihil in mamillis mutato existit lac. Ità sensim natura progreditur. Ex sanguine formatus fœtus sanguine primùm nutritur & crescit: deinde sanguine non nihil mutato ad aliud magis diuersum ac solidum nutrimentum traducitur. Quòd si quis obijciat humidissimæ illi constitutioni tàm humidum alimentum non conuenire: quippè humidiores naturæ siccandæ potiùs videntur; sicut & sicciores humectari, & frigidiores calefieri, calidioresque refrigerari oportet; & omnino contrariorum contraria solent esse remedia: Prudenter respondet Galenus in primo libro de sanitate tuenda capite septimo, adfertque Hyppocratis sententiam in 7. Aphorismo libri primi. Victus humidi febrientibus omnibus conferunt: maximè verò pueris & alijs ità ali adsuetis. Tria namque complexus est, morbum, ætatem, assuetudinem. Morbus contrario curandus est, ætas & assuetudo simili fouenda & sustentanda: contraria namque obessent plurimùm nimiáque mutatione pertubarent. Neque in pueris siccandus humor est, quo sustentatur natura totiúsque vitæ fomentum est. Cum præsertim tenella ætas & imbecilla molli & humido assueta cibo durum & siccum nec toleraret nec conficeret. Itaque in his tùm ætas tùm assuetudo conueniunt. Et omnino quæ corpora benè & secundùm naturam se habent, ijsdem conseruari oportet.

Matrũ lac optimum. Propterea omnium optimum infanti lac matris fuerit, modò morbo vllo vitiatum non sit. Indè namque & ortus primordia accepit & huic alimento iam multo tempore assueuit in vtero: estque illi maternum lac tùm proprium, tùm assuetum alimentum.

A Denique tres in lacte continentur substantiæ: pinguior vna, tenuior & aërea, omnium optima: altera crassior & magis terrea: tertia potiùs aquea. Prima butyrum est, altera caseus, tertia serum, quòd dilutam saniem appellauit Philosophus. *Tres lactis substantiæ.*

DE THORACIS ossibus.

CAPVT XX.

B IAm verò de thorace ipso mamillis subiecto dicendum est. Is inter caput & inferiorem ventrem medius est: non solùm situ inter superiora & os pubis, inter caput & abdomen: quam ob causam tutissimo loco positus est propter cordis conseruationem, cui totus dicatur; quippè nil aliud, quàm cor cum pulmonibus, continet. Verùm compositione quoque ac natura. Neque enim osseus totus est, quemadmodum caput, neque prorsùs carneus, vt inferior venter: sed osseus partim, partim carneus. Optiméque videtur natura tum a durissima & planè ossea parte ad mollissimam & carneam totam non subitò, sed sensim descendisse, aut ab hac contrà ad illam ascendisse. Tum verò etiam cordi optimè prospexisse, cui minus fuisset prospectum, si aut olleo toto aut toto carneo loco fuisset positum. Osseus extendi non potuisset & comprimi respirando, vt illius membri refrigeratio postulabat. Et carneus minus fuisset tutus: neque cauitatem illam effecisset, in qua liberè pulmones attolli oportebat. Sed & aliquid firmum esse oportuit, cui scapulæ & brachia musculique tùm ad brachia tùm ad abdomen pertinentes alligarentur. *Thorax inter medius in corpore.* *Thorax cùm partim osseus, partim carneus.*

D Locus igitur primùm describendus est: tùm ea, quæ loco continentur, inspicienda. Locus tum superiore tum inferiore & media parte distinguitur. Superior est furcula, cui collum insidet: duásque in claues diuiditur, quibus totidem subiacent iuguli, dexter & sinister. Media tum sternum habet & costas, tum plurimos adiunctos musculos. Infima demùm initar fundi musculus ille est magnus, latus & rotundus, quem διαφράγμα seu trãsuersum septum nominamus. Cùm igitur totus thorax partim ossibus constet partim musculis; accuratè satis & optima methodo fuerit de illo dictum, si ossa primùm seorsim, quibus applicantur musculi; deinde musculos singulos describserimus. *Thoracis descriptio.*

E Ossibus thorax constat triplicis generis. Primum enim velut basis atque totius ædificij fundamentum duodecim ferè dorsi spinæuè substernuntur vertebræ. Deinde ex harum singulis producuntur singulisque inseruntur costæ; quæ non rectæ, sed curuæ & arcus forma, vt capacitatem cordi ac pulmonibus necessariam describãt, vtrinque ascendunt. Quare ex duodecim vertebris duodecim item ferè vtrinque existunt costæ: interdum etiam tredecim aut perrarò vndecim: quotque numerantur costæ, totidem quibus insistant, vertebras esse necesse est. Superiores septem perfectæ sunt & absolutæ (octo numerauit Philosophus in primo historiæ libro cap. 15. *Thoracis ossa.* *Costæ perfectæ.*

in ijs fortasse, qui tredecim haberent, maximumque posuit numerum, qui esse posset) quæ singulis sterni pectorisue ossibus insertæ integrum absoluunt ambitum: ideóque perfectè, germanæ, veræ, ac legitimæ nominantur. *Sternum.* *στέρνον* autem, id est, quod pectus appellare consueuimus, septémque ferè ossibus constat, in bestijs plerisque Isoscelis trianguli à furgula descendentis, in homine manubrij ensis figura; extremitatésque costarum cartilagine interposita ex vtroque excipiunt latere. Neque temerè cartilaginea hæc insertio adhibita est: sed vt ossium duritate interrupta faciliùs, & promptiùs thoracis motui obsequerentur costæ.

Infimæ porrò sterni parti productior adhæret cartilago, quæ cùm velut gladius & mucro exaguatur, *ξιφοειδὴς*, id est, ensiformis & mucronata, vulgò malum granatum, à Galeno in libro de ossibus cap. 13. triangula, nominatur: estque diaphragmati & stomacho scutum & propugnaculum. *Xiphoides cartilago.*

At quinque reliquę inferiores costę propterea, *νόθαι*, adulterinę, spurię, & illegitimę dicúntur, quòd imperfectę sint, neque absoluant ambitum, neque articulentur pectori: sed in thoracis desinant latera extremáque cartilagine inuicem coniungantur; vltima solùm excepta, quam verè notham appelles, quòd nulli prorsùs adhæreat. *Costæ spuriæ.*

Singulas verò costas velim obserues non vbique sibi similes esse. Nam cùm primùm ex vertebris prodeunt, angustiores & subrotundę visuntur, nisi quod sinum quendam seu canalem continent, quo venam ab *ἄορτος* ducta & arteriam ab aorta neruúmque à spinali medulla susceptum: deinde latescunt sensim, postremò angustantur rursum. Atque propè vertebras solidiores sunt ac duriores; crassò nimirum & solido ossi velut aliorum basi propinquæ: & cartilago item spuriarum minùs dura & crassa, quàm legitimarum est: & quarundam productior, quàm aliarum. Ac demùm non vbique æquè apparent læues: sed parte illa, cui inter costales inseruntur musculi, asperiores; vt facilior ac tenacior insertio fiat. Immò & in extima, minùs quàm in intima parte sentiuntur læues. Neque plura in thorace ossa considerantur.

DE THORACIS *Musculis.*

CAPVT XXI.

RAm verò his ossibus plurimi inseruntur musculi: & vt eos mittam, qui brachijs & scapulis mouendis dicati sunt; quia etsi inserantur thoraci, cùm tamen non ad eum, sed ad alias partes mouendas referantur; proprij non sunt thoracis: quin extrà ipsum considerantur atque ad artus pertinent. Et eos item, qui ad abdomen descendunt, thoracique inserti eum quoque non nihil detrahunt: quoniam de his in abdominis descriptione dictum est. Qui propriè ad thoracem pertinent, partim distendendo, partim contrahendo dicati sunt. Scio nec horum anatomicos omnes eundem inire numerum. Sed primus ille sit, qui ab anteriore iugulo sub claues ortus obliquè ad supremam attollendam costã descendit. Secũdus ex interiore scapulæ basi ad sex aut septem vel etiã nouem superiores costas serratim progrediens. Tertius ex tribus ceruicis & prima thoracis spinis prodiens tribus superiorum quatuor costarum interuallis insertus. Quartus ab inferioribus dorsi lumborúmque superioribus spinis ad tres quatuorue inferiores ductus costas. Ita distendendo thoraci studiosè natura partibus illius costisque singulis, tùm superioribus, tùm inferioribus, exteriores musculos applicauit; quibus tùm sursum, tùm deorsum tractus prompte ac plurimùm distenderetur. *Musculi distendentes.*

1. 2. 3. 4.

Pauciores adnibuit contrahendo; quòd inter ipsas costas & infrà eas vis alia contrahens, vt mox ostendam, continebatur. Contrahit autem tùm triangularis vnus in anteriori pectoris regione ab inferiore interna sterni parte longis duobus lateribus sursum progrediens; costarúmque cartilaginibus adnatus costas ad pectoris os contrahit. Tùm alter, qui ab osse sacro ac lumborum vertebris ortum accipiens, etsi dorsi musculis permisceatur, tandem tamen in costas penè omnes duplici desinit tendone costásque deorsum trahit & comprimit. *Musculi contrahentes.*

1. 2.

Diceres toti huic operi satis fuisse prouisum. At diuturno nunquámque per omnem vitam intermittendo operi plures fuerunt admouendę machinæ. Inter duodecim costas vndecim continentur spatia: hæc ita impleuit sapiens natura, támque admirabili arte superiores & inferiores colligauit costas, vt duplicem distinxerit ordinem musculorum; qui ex loco, quem occuparunt, *μεσοπλεύροι* & intercostales dicti sunt. Singulis namque costis bini per totam earum longitudinem alligantur; vnus exterior, alter interior. Exterior ex inferiori superioris costæ parte ad inferioris superiorem obliquè antrorsum producitur: contrà interior ex superiori costæ inferioris regione ad superioris inferiorem obliquè item ad priora fertur, exteriorémque vbique decussatim & ad modum litteræ χ intersecat. Ita vndecim illis vtrinque costarum interuallis musculis duplicatis, duo & viginti in latere vnoquoque, quatuor & quadraginta omnino inter costales existũt musculi: omnes extendendo & contrahendo thoraci, hoc est inspirationi & expirationi famulari creduntur. *Musculi intercostales.*

Qua in re haud satis constantem Galenum reperias. Quippe in 2. libro de musculorum motu cap. 9. externos inspirationi, internos expirationi: & mox in libro de causis respirationis, externos expirationi, internos inspirationi dixit famulari; dum aut thoracem stringunt aut laxant. Vtrumque mihi quidem certè suspectum est; & cuius potierit esse, qui certum illud effatum suscipiat: Musculum vnumquemque mouere trahendo ad suum principium. Intelliget namque tum externos tum internos illos iunctis viribus contrahere costas, stringendóq. thoracem expirationi seruire, inspirationi autem non trahendo, sed laxãdo. Neque enim fieri potest, vt musculus, siue interior siue exterior, trahendo deducat ab inuicem costas, quibus infixus est. Eas potiùs coniungit: & exterior quidem inferiorem costam ad superiorem *Galenus inconstans.* *Horum musculorum vsus.*

superiorem adducit, & interior item superiorem ad inferiorem. Ideò bini fuerunt appositi. Et quænam tandem sit causa, cur decussatim sese intersecent? Si ad oppositum contractionis & distensionis efficiendum motum parentur, communis nimirum illa intersectio plurimùm oberit, operationémque tantoperè necessariam retardabit. At instrumentorum copulatio & coitio communis est operationis argumentum quam certam maximè, constantem, ac diuturnam esse oportebat.

Alterum eiusdem rei argumentum est, quòd plures multò musculi exteriùs thoraci attollendo ac distendendo, quàm contrahendo, conspiciantur dicati singulos non multò anteà commemorauimus. Huic igitur imbecillitati contrahendi duobus modis subuenit natura. Primùm intercostales illos, plurimos quidem, sed exiles ac tenues, inserendo. Deinde infimæ thoracis parti & quasi fundo amplum illum & rotundum musculum subijciendo, quem Diaphragma nominamus. Diaphragma. φρένας vocarunt Hyppocrates alijque veteres, hoc est mentem: non quòd sapientiæ particeps sit aut ad sapientiam quidquam conferat: hoc enim idem ipse itrisit Hyppocrates in libro de morbo sacro: neque enim ego, inquit, noui quam vim habeat φρένας, vt sapiant & intelligant. Sed potiùs quòd propter admirabilem membri huius cum cerebro consensum eo læso læditur mens; vt in 5. libro de locis affectis cap. 4. interpretatur Galenus. Inflammatum quippè delirium mentis adfert, & interdum perpetuum quódque non procul à phrænitide absit. In cordis vicinitatem maluit Aristoteles referre in 3. de fact. cap. 10. cor enim sensus principiũ est, sensuq. turbato turbatur mens. Nos transuersum septum, quòd velut interiectus paries superiorem hanc partem, qua continetur cor, ab inferiori ventre; & omnino facultatem vitalem à naturali separet; & vt Galenus ex Platone loquitur, irascentem, quæ est in corde, ab appetente, quæ in iecore residet. Habent hoc (inquit Aristoteles) omnia, quæ sanguinem habent, æquè vt cor & iecur, cuius rei causa est, vt sedem ventris à corde dirimat, & animæ sentientis origo inoffensa seruetur: nec facilè occupatur exhalatione cibi & caloris aduentitij copia. Hac enim causa natura intercepit, præcordiorum quasi parietis sepisque interuentu: distinxitque partem nobiliorem ab ignobiliori. Quod in medio musculi visitur membraneum & neruеum (habet autem à quinta & sexta colli vertebra neruos) velut illius caput est & principium mouendi vi præditum: quod illius peculiare est. Inde in orbem carne intermista extenditur velut ad corpus & ventrem musculi: finis verò est tùm in xiphoide cartilagine, tùm in spurijs costis primáque lumborum vertebra. Ita obliquum & decliuem habet situm, dum spurias costas insequitur, atque à pectore ad lumbos descendit. Xiphoidis tamen costarumue extremitatibus non inseritur, sed interiori earum parti; vt facto quasi propugnaculo tutiorem haberet locum.

Triplex prorsùs est illius vsus. Tum cor vitalémque partem puriorem à naturali & sordida se- *Diaphragmatis vsus.* parare. Hoc enim & cordis dignitas & purissimi spiritus generatio postulabat: nè crassis ciborum exhalationibus inquinaretur spiritus, cordisque infestaretur quies. Tùm communi musculorum vsu partes, quibus inseritur, mouere; contractionéque ac laxatione thoracis, respirationis motum iuuare. Quamob causam, si plus æquo replearis cibo, difficilior est respiratio thoracisque motus. Turgescente namque ventre minùs potest contrahi thorax, musculúsque inter ventrem seu iecur & pulmones compressus minùs mouet. Tùm verò excrementorum alui eiectionem iuuare: non solùm contractione sui, sed & illa ipsa obliquitate ventrem & intestina comprimendo. Itaque in respirationis quoque motu expirationem per se *Respiratio.* ac primario vsu facit, secundario inspirationem quoque. Propria enim & primaria illius actio est contractio, qua ad caput musculi trahuntur adiunctæ costæ thoracéque ad fundum contracto pellitur sursum inspiratus aër, fumidáque eijcitur exhalatio. Secundaria verò laxatio, vt rursum contrahatur. Qua in re simul agunt diaphragma & intercostales musculi: iunctis inquam viribus thoracem contrahunt & expirationem faciunt, hisque mox laxatis attollitur thorace ab ijs musculis, quos distendendo dicatos esse dicebamus; & nouus inspiratur aër. Sanè in animali mortuo diaphragma sursum contractum cernitur: quod, cùm vita expiratione cesset, argumento est contractionem expirationem facere, háncque primariam thoracis actionem esse.

Ita respirationi vnus & quinquaginta præter eos, qui abdominis sunt, musculi famulantur. Inspirationi quatuor antea significati, & expirationi septem & quadraginta, triangularis & alter antea indicatus, quatuor & quadraginta inter costales, ac demùm diaphragma. Neque mireris plures multò expirationi, quàm inspirationi, famulantes: siquidem & illi ipsi secundario famulatu inspirationi quoque seruiunt. Et difficilior multò thoracis cõtractio est, quàm dilatatio. Contractus namque præter naturam comprimitur, laxatus ad suum ferè statum redit.

Scio tùm veteres tùm recentiores anatomicos plures commemorare musculos, secúsque eorum officia partiri. Sed nec ego plures in homine reperio; illos præsertim inter cartilagineos viginti-quatuor, quos nominant: nec officia partiri secùs ratio permittit.

In diaphragmate duo præterea obseruabis. Al- *Diaphragmatis foramina.* terum tribus hunc musculum foraminibus patere: quibus triplici vasorum generi transitum præbere debuit; œsophaco, magnæ arteriæ, & venæ Cauæ. Quamquam duo priora hinc inde spinæ vertebris adiacentia vnum dixeris amplum trianguli figura foramen facere, cuius basis in spina. Alterum, *Membranæ.* duabus illum membranis obtegi: altera inferiori, quæ ad peritoneum pertinet qua parte ventrem & iecur spectat: altera, quæ ad succingentem costas, superiori; qua cor & pulmones respicit.

DE MEMBRANIS SVCCINgente & interſepiente coſtas.

CAPVT XXII.

Natura vbiq. ſibi ſimilis.

VBique ſibi ſimilis, vel in maxima rerum varietate ac diſſimilitudine, natura eſt. Inferiorem ventrem peritoneo totum obduxit, quo & naturalia organa omnia ibi poſita continerentur, & ſingulis ſingula conueſtirentur membranis. Idem præſtitit in thorace. Totum enim ampla item obduxit membrana B coſtis omnibus pectori, ſuperiorique diaphragmatis regioni ſubtenſa; quam propterea ſuccingentem coſtas vocamus, partéſque omnes thorace contentas amplectitur. Græcis ὑπεζωκὼς & πλεύρα dicitur: indéque morbus pleuritis nominatus, cũ inter eam & coſtas quiſpiam intercipitur humor. Eadem illius, quæ thoracis cauitatis figura eſt ſubſtantia tenuis, ſed omnino firma, qualis & peritonei: quam ægrè omnino à partibus ſepares, quibus adhæret.

Succingẽs mẽbrana.

Triplex illius eſt vſus: tùm omnibus thorace contentis commune inuolucrum eſſe: tum proprias tunicas partibus omnibus ibi contentis ſubC miniſtrare, eáque firmare & colligare; non ſolùm cor & pulmones, ſed œſophagum, magnam arteriam & aſperam, venámque azygos. Tum eſſe pulmonibus inſtar ſubſterniculi; atque cauere, ne cũ perrara & molli ſubſtantia conſtent, ab oſſium duritate lædantur, dum in inſpiratione diſtenti in coſtas incurrunt. Tùm verò prohibere, nè dum mouentur pulmones coſtarum ſpatijs inſinuent ſeſe.

Propterea læuis prorſus eſt interior illius ſuperficies, vt benignus pulmonum contactus ſit: & aqueo quaſi humore perfuſa, propter plurimam contentorum membrorum euaporationem. Exteriorem autem aſperior; vt ijs, quibus obducitur, partibus firmiùs adhæreſcat. Venas habet ab azygo, arterias à magno trunco, neruos à ſexto pari & ſpinæ vertebris: ex quarum vinculis præcipuam habet originem: & ideò circà illam dorſi regionem craſſior & durior, quàm circà pectus, eſt.

Interſepientes duæ.

Paulò autem tenuiores duæ illæ mẽbranæ ſunt, quæ in medio thorace cõſpiciuntur appenſæ, vertebriſque ſpinę retrorſum, oſſi pectoris medio antrorſum, clauibus ſurſùm, & xiphoidi cartilagini ac diaphragmati deorſum inſertę. Quas ſiue ex ſuccingẽte exortas omnibus ijs in locis, in quibus ipſi iunguntur, ſiue illius partes ex ſpina ad pectus exporrectas eſſe dixeris, nõ morabor. Sanè corde ſoE lo inter eas intercluſo mediõq. in thorace appenſo, duas in partes, dextram & ſiniſtram, thorax vniuerſus diuiditur. Quam ob cauſam διαφράγματα Græci dixerunt, nos interſepientes, interiuidentesue membranas aut mediaſtinum nominamus.

Duplex eſt illarum vſus. Alter firmare cor, nè huc, illucue impellatur atque in latera collabatur: ſed certam in medio animalis teneat ſedem. Alter thoracem totum bipartitò diuidere, vt ſi latus vnum vulneretur aut alio quouis modo aperiatur ac refrigeretur, non ceſſet illicò reſpiratio & pulmonum motus, pereatque animal: ſed alterum latus illeſum & clauſum atque ad reſpirandum ido-A neum ſit. Quòd tum in vulneratis hominibus, tùm in viuis aliorum animalium ſectionibus apparet.

DE PERICARDIO, CORDIS QVE ſitu & ſubſtantia.

CAPVT XXIII.

Cor tutiſſimo loco poſitum.

THoracem vniuerſum, qualem hactenus deſcripſimus, cordi principi ac regio mẽbro, tanquã tutiſſimam optimeque omni ex parte munitam in medio animalis arcem, Natura poſuit. Verùm & in ipſo thorace tutiſſimum atque ab omnibus, quæ noxam extrinſecùs inferre poſſent, remotiſſimum locum occupauit cor. Illius quippè baſis (eſt enim pyramidalis turbinatæue figuræ, quæ ad illius membri motum maximè fuit oportuna: ferè tamen ſphyricæ, præſertim cùm attollitur, quo ſpiritus capaciorem eſſet & firmiorem) medium thoracis occupat, tantumdémque a pectore & ſpina, à iugulo & diaphragmate, à dextris & ſiniſtris coſtis diſtat. Mucrone tamen in anteriora & ſiniſtra declinat, vt manus lateri ſiniſtro intrà papillam ad motu teſtatur. In anteriora quidem, & propter partis illius nobilitatem, ad quam, vt in 3. de partibus lib. cap. 4. ratiocinatur Philoſophus, æquum eſt nobiliſſimum membrum accedere: & quoniam pectus ferè ex carne frigidius, quàm dorſum, fuiſſet: & vt ea pars, in quam fit animalis motus, calidior euaderet. In ſiniſtra verò; tùm quia deſcendens Caua infixa iecori propter membri huius põdus baſim cordis non nihil ad dextra detrahen mucronem eleuat ad ſiniſtra. Acciditque perbellè: tum vt baſi ad dextra quoquo modo declinata ſanguinem gignendo ſpiritui neceſſarium ex iecore commodiùs ſuſciperet: tùm etiam vt iecoris ad dextra magis accedentis ſitus vtcumque in ſiniſtris compenſaretur frigidiorique parti calor apponeretur.

Cordis figura & ſitus.

Thoracis pretium.

Omninò membrum hoc caloris & ſpiritus officina eſt; vitaliſque virtutis, propter quam extructus eſt thorax; ſedes ac domicilium. Eam in medio collocare oportuit, vt partes omnes foueret, omnes æquè irrigaret, ſubueniretque omnibus. Quidquid præter hoc membrum in thorace reperias, aſcititium eſt & adiunctum: atque ad cordis conſeruationem aut actionem exequendam pertinet. Ad conſeruationem pulmones pertinent aſperáque arteria: hæc adducit aërem, quo refrigeretur cor; illi ſuo motu velut flabellum æſtuantem calorem ventilant. Ad muneris autem exequutionem vena Caua comportans ſanguinem, ex quo gignatur ſpiritus; & arteria aorta genitum illum diſtribuens per totum corpus.

Pericardi.

Illud omni admiratione dignum, quòd huic membro, ex quo animalis vita tota pendebat, tàm ſedulò natura prouidit: vt nec in tàm munito loco nudum & omni alio præſidio deſtitutum condendum duxerit: ſed membrana quoque inuoluit firmiſſima, quam περικάρδιον propterea nominant, quòd velut captula & inuolucrum cordi, quod Græcis καρδία dicitur, obducta

ducta sit. Hyppocrates κλειδὸν, id est, vaginam dixit: Oritur ex vasorum quatuor venæ Cauæ; arteriæ magnæ, venæ arterialis, & arteriæ venalis membranis. Etsi ex ima potius membranæ dissepientis parte quibusdam placuit. Indè sensim descendens ità cor totum amplectitur, vt illius figuram imitata tandem in mucronem desinat. Cordi tamen proximè non incumbês: verùm aliquantò amplior tantóque distans interuallo, quantùm cordis postulat dilatatio.

Io. Fernelius. l. 1. c. 13.

Humor pericardio inclusus.

Et ne frustrà quidquam videretur egisse natura, serosum & aquæ, aut vrinę persimilem inclusit humorem, quo perpetuò maderet cor illiúsque calor temperaretur: & velut innatans cor minùs graue animali foret. Hic est vnus pericardij vsus. Alter, ne quid perenni pulmonum appulsu atque incursu pateretur cor. Est enim velut aduersus pulmonum incursum optimum propugnaculum; tantò pulmonibus durius, quantò mollius osse. Porrò is humor si copiosior, quàm par est, cuadat, palpitationem cordis facit; vt Galenus docet in 5. libro de locis affectis ca. 2. Quam græci πάλμον vocant. Impedit enim, nè cor liberè attollatur. Quo argumento illi conuinci possunt, qui in viuentibus animalibus humorem hunc contineri negant, in mortuis autem exoluto cordis calore vapores in aquam densari aiunt. Cùm præsertim tàm breui tempore mutatio tanta fieri nequeat. Etsi viuentia libeat dissecare, in omnibus humor conspicitur. Et Hyppocrates in libro de corde cor in vesica serpsit diuersari; siuè is humor vt serum ex quatuor vasorum exudet tunicis: siuè ex cordis vaporibus frigore membranæ densatis gignatur. Frigida siquidem est omnis membrana: hæcque vix vllis calescit arterijs aut venis nisi tenuissimis, ex illis, quę ad interscpientes pertinent, deriuatis. Neruos verò à recurrentibus exiles prorsus mutuatur.

Cordis palpitatio.

Vnde in humor.

Verùm ipsius iam cordis considerationem agrediamur. Sanè in homine aliquantò breuius visitur & latius, quàm in plerisque animalibus cæteris. Quoniam thorax quoque corporis proportione breuior homini & latior, bestijs angustior & longior. Extima superficies lævis planè tota; nisi aliquam inæqualitatem venæ inducerent & arteriæ, adepsque non paucus. Carne constat densa & solida (quam ob causam non dubitauit Alexander in primo libro de anima cap. vlt. affirmare inter carnem & neruum medium quidpiam esse) tùm ne facilè ab exterioribus causis pateretur illud membrum, quod vitæ fons est: tùm ne perenni motu atque agitatione dissolueretur: neuè efflaret tenuissimus in eo contentus spiritus. Tùm verò vt meliùs conseruaret insitum illum calorem, quem omnibus alijs membris impertiri debebat. Sed mucro densior ac solidior, quàm basis: tùm propter fibrarum omnium concursum: tùm nè in violento motu in pectoris os inturrens læderetur. Propterea crassiore cor vtitur alimento. Nõ enim tenui sanguine sinibus eius contento nutritur; sed crassiore illo, qui à iecore per venam cauam ascendit, & antequàm ingrediatur sinum, suscipitur ea vena, quæ quòd ad modum impositæ coronæ cordis basim ambit, στεφανίτις, id est, coronaria appellatur. Hæc siquidem plurimis deductis riuulis membrum totum ad cuspidem vsque irrigat & sustentat. Habet & coronariam arteriam in plurimos item discissam ramos. Habet & à sexto pari neruos, non tàm ad motum, quàm ad sensum: quippe motus animalis non est, neque perficitur neruis, sed calore, vt alio exponam loco. Habet & circumfusum non paruum adipem, quem in calissidimmo membro magnopere miteris: sed omnino cauit natura, ne perèni cõflagraret motu. Ità cordis substantia carne, venis, arterijs, & neruis composita est; quibus obnascitur adeps. Meritoque Hyppocrates fortissimum musculum appellauit, licet minùs propriè loquutus. Non enim verè musculus est; quòd non voluntario, vt musculus; sed naturali motu mouetur: nec neruo constat & tendone. Et musculi quidem simplices habent fibras, quibus vnicum faciunt motum; cor & multiplices fibras, & plures motus. Etsi enim ex illo genere sit illius caro, quod περίχυμα dicitur, triplici tamen fibrarum genere intexta est, rectis, obliquis, transuersis: verùm tàm studiosè permistis & complicatis, vt cum reliquæ carnis fibræ diuellantur facilè ac separentur, & vel ipsis oculis diuulsæ ac separatæ conspiciantur plerúmque; hîc arte nulla diuelli ac separari queant.

Vasa.

Adeps.

Cor an musculus.

His tamen tum duplex cordis motus perfici creditur, tum intercepta constat quies; rectis inquam sese contrahentibus cæterisque laxatis dilatari, mucrone scilicet ad basis centrum retracto lateribusque distensis: rectis autem laxatis & contractis transuersis deprimi & subsidere ac demum in intercepta quiete vigent obliquæ. Qui enim ex superiori regione offertur neruus, ad sensum, non ad motum pertinet; eóq. intercepto nihilominus mouetur cor. Cum his triplex ille communis fibratum omnium coniunctus est vsus, attractio, retentio, expulsio. Rectæ siquidem attrahunt sanguinem spiritui gignendo necessarium, attractum retinent obliquæ facta quiete; expellunt transuersæ compresso corde emissóque in arterias spiritu.

Cordis motus & fibra.

quamquàm huius quoque densitatis ac soliditatis aliquis debet esse modus, qui ex comparatione cæterarum partium constituitur. Alioqui si absolutè loquaris, exstant illa Philosophi verba; Quæ sensu hebeti sunt, cor habent durum & densum: quę autem sensu valent, mollius. Quippè in tex. 94. lib. 2. de anima, de vniuerso corpore dicitur; Duri carne inepti mente; molles autem carne benè apti. Qua de re in illius loci commentario dicemus.

Densitas.

Sed & in illo ipso priori loco minus cor grandiori anteponitur. Pauida, inquit, sunt, quibus cor grandius; audentiora, fidentióraque, quibus minus, aut mediocre. Affectus enim, qui accidit ex metu, iam in ijs prę est: quoniam calorem proportione cordis non habeant; sed parum caloris in magno conceptaculo exolescat; itáque sanguis frigidior sit.

Magnitudo.

Substantia.

Alimentum.

DE SINIBVS, VASIS, Auriculis, & membranulis cordis.

CAPVT XXIV.

Sinus duo.

ROrrò duas cor cauitates habet, duos ſpecus, ſinus, thalamoſue; ſuperficie interna inæquali & plurimis quaſi punctulis inſculpta; dextrum & ſiniſtrum; illum ampliorem, hunc anguſtiorem. Dextro namque à vena Caua ſuſcipitur ſanguis, quo tum nutriantur pulmones (tenuis enim illorum ſubſtantia tenui ſanguine ſubſtentatur) tum vitalis ſpiritus generetur. Itaque maiorem illum, quàm ſiniſtrum, quo genitus ſuſcipitur ſpiritus, eſſe oportuit. Quippè pulmonibus, quoque alimentum debuit ſuppeditare. Sed tenuiore dexter, triplò craſſiore ſiniſter pariete cingitur: tùm quòd vt ſpiritus tenuior eſt & calidior, quàm ſanguis; ità maiori cuſtodia craſſiorique propugnaculo fuit continendus: tùm vt ſiuè dextri amplitudo ſiniſtri craſſitudine, ſiue ſanguinis dextro ſinu cõtenti craſſitudo & põdus alterius lateris mole cõpenſarentur; ſicq. cor in æquilibrio eſſet. Siniſter dextro præſtare creditur: quòd & calidior ſit & præcipua caloris ſedes, & ſpiritum contineat meliorem ſanguine & principium ſit pulſus & vitæ in toto corpore.

Septum medium.

Sinus autem hoſce duos interiectus ſeparat paries, quem ſeptum medium vulgus appellat. Craſſum illud quidem & reliquæ cordis ſubſtantiæ perſimile: ſed tamen quod haud magno labore tenuiſſimus & calidiſſimus peruadat ſpiritus; qui mox in cerebro temperatus magnoperéque refrigeratus denſiorem ac ſolidiorem neruorum ſubſtantiam per corpus vniuerſum percurrat. Eſt etiam ſeptum plurimis vbique poris foraminuliſvè peruium. Pulchrè hanc rem explicauit Galenus in 3. libro de naturalibus facultatibus c. 15. ex dextro, inquit, eius ſinu in ſiniſtrum trahitur, quod tenuiſſimum eſt: habente ſcilicet in ſe eorũ interpoſito ſepto foramina quædã, in quæ præaltè deſcendere obitu licet, velut in profunditates quaſdam: quę ex latiſſimo ore magis magiſque ſemper in anguſtum procedant. Ipſos tamen earum fines vltimos propter paruitatem: tùm quòd in animali iam mortuo omnia ſint perfrigerata ac denſata, contueri non licet.

De tertio ſinu.

Porrò inter hos duos ſinus medium tertium adiecit Ariſtoteles in cap. 17. lib. 1. de hiſtoria, & cap. 3. lib. 3. Quam ſententiam de magnis animalibus interpretari viſus eſt in 3. libro de partibus cap. 4. Aut quòd fortaſſe difficilem nimis tranſitum ſpiritus per tàm craſſum corpus iudicaret. Aut omninò ſpiritum volens in medio illo ſinu tenuari magis ac perfici antequàm ad ſiniſtrum veniat. Ariſtotelem ſecutus eſt Plinius in lib. 11. cap. 37. Acutè ſcilicet excogitata ſententia probabilique ratione concluſa. Sed quæ ex diſſectionibus comprobanda ſit in quibus diligentiſſimum & curioſiſſimum fuiſſe Philoſophum conſtat. Nec leuiter tamen fuit à Galeno reprehenſus in libro de venarum arteriarúmque diſſectione cap. 9. & libro 7. de anatom. admin. cap. 10. & lib. 6. de vſu partium cap. 9. dextri ſinus particulam eſſe aſſerente id; quod tertium Philoſophus appellauit ſinum.

Cartilagineum os.

In eo verò conſentiunt, vt in grandiorum animalium corde cartilagineum os quoddam in ſuperiori agnoſcant ſede. Non ſolùm enim ita Galenus tradidit in 7. commemorato libro & lib. 6. de vſu partium cap. 19. Verum & Ariſtoteles in 2. de hiſtoria cap. 15. & 3. de partib. cap. 4. & 5. de ortu cap. 7. Quod tùm ad cordis firmitatem & ſtabilimentum pertineat: tùm vt illi adnitantur vaſa, quæ indè oriuntur, membranæque vaſorum orificijs adnatæ. Quodque in magnis animalibus eſt hoc os, id ipſum in paucis corpus fuerit ex cartilagine neruóque conflatum.

Vaſa quatuor.

Quatuor autem ex corde prodeunt vaſa, vtrinque bina; ex ſuperiori ſcilicet cordis parte, quam baſim diximus. Ex dextro latere vena Caua deorſum & ſurſum protenſa, ex iecore adducens ſanguinem & ad ſuperiora tranſmittens omnia: venaque arterialis ad pulmones progrediens, ſanguinemque ex eo cordis ſinu nutriendis pulmonibus defferens. Vena dicitur, quòd vſum habet venæ, deffere ſanguinem: arterialis autem, quòd ſubſtantia & ſtructura conſtat arteriæ; denſa inquam & craſſa tunica, quòd tenuiorem & calidiorem contentura eſſet ſanguinem. Ex ſiniſtro autem arteria, magna aorta ſpiritum in vniuerſum effundens corpus: & arteria venalis tùm fumidos vapores, tùm aliquid ſpiritus in pulmones tranſmittens Arteriáque vocatur, quòd arterię fungatur officio, venalis verò, quòd venæ ſubſtantiam ac texturam habeat. Singula hæc vaſa ſingulos obtinent aditus ad ſui lateris ſinum: ſed oppoſito ferè ordine. Nã ex dextro regione altiſſima prope ſeptũ arterialis erumpit vena, ex inferiori Caua: contrà ex ſiniſtri elatiſſima magna arteria, ex inferiori arteria venalis. Quod non ſinè cauſa factum eſt: ſed vt idem eſſet craſſiorũ idémq. tenuiorũ vaſorũ principiũ: craſſiorũ ſuprema cordis regio, tenuiorũ inferior. Neque verum eſt illud, quod in 6. de vſu partium libro affirmauit Galenus, magnæ arteriæ orificiũ cæterorum omnium vaſorum orificijs amplius eſſe. Diſſecantes namque manifeſtè cernimus multò maius & verò etiam duplo venæ Cauæ orificiũ exiſtere.

Cordis auriculæ.

Verùm circà hæc vaſorũ oſtia duo ſumma cum admiratione conſpicimus; exteriùs vnum, alterum interiùs. Exterius duæ ſunt appendices carneæ ac membranææ neruæuè, nigriores paulo, quàm cordis caro ſit: quæ non ab vſu, ſed à ſitu & figura vocantur auriculæ, vtrinque vna; altera venæ Cauæ, altera venæ arteriali incumbit. Hæc minor, illa maior: quippè venarum, quibus incumbunt, oſtia ità diuerſa ſunt. In cordis compreſſione turgent, ſanguine ſpiritúque repletæ: in dilatatione concidunt quaſi rugoſæ. Quod autem non craſſioribus arterijs, magnę & venali; ſed tenuioribus venis, Cauæ & arteriali appoſitæ fuerint; certum eſt illarum vſus argumentum. Appoſitas nimirum fuiſſe ad tenuiorum atque imbecilliorum vaſorum robur; ne perenni cordis motu periclitarentur aut diſrumperentur orificia: craſſioribus ac firmioribus arteriarum orificijs nullum imminebat periculum. Alios ſcio ab alijs vſus doceri: ſed parum omnino probabiles.

Interiùs porro ſingulis vaſorum quatuor orificijs neruææ membranæ aliquot adnaſcuntur. Hę vndecim prorſus numerantur. Tres ad orificium venæ Cauæ, foris intro pertinentes, foris apertæ intus clauſæ; quas τειχλώχινας, id eſt, triſulcas aut tricuſpides

tricuſpides appellant, quòd triangulari cuſpidi ſimiles ſint. Totidem ad arterialem venam, intùs foras ſpectantes, intus apertæ foris clauſæ; at non communi affixæ circulo, ſed ſeparatim, ac propter ſemicirculi aut literæ græcæ Σ figuram σιγμοειδεῖς dictæ. Tres item ad arteriam magnam & modo & nomine ſimiles. Ac demùm duæ ad venalem arteriam foris intrò ſpectantes; quarum figura nunquàm fuit ſatis cognita. Membranulas haſce medici & anatomici propterea portas, valuulas, oſtiolavè appellant; quòd earum vſum eſſe arbitrentur vaſorum orificia claudere, nè quòd intromiſſum fuerit in cor, per eadem refluat vaſa; aut quod è corde effuſum, in illud ipſum redeat. Itaque dilatato corde omnes illas aiunt extendi, triſulcáſque multas rimas facere, & ſigmoidas vaſorum ſuorum orificia claudere. Contrà compreſſo contrahi omnes, atque triſulcarum rimas claudi, ſigmoidáſque corrugatas efficere fiſſuras, per quas egreditur ſanguis. Hæc illi ratiocinantur.

At mihi quidem certè nunquàm perſuadebunt: nec adducar, vt credam tàm inſipiéter operari naturam, vt tibi adhibeat inſtrumenta, vbi nulla ſit eorum neceſſitas. Egreſſus ſanguinis ex dextro ſinu timendus non eſt: tùm quòd alius ſemper atque alius ex Caua accedit vena, qui egreſſum illius prohibeat: tùm quòd non mouetur ſanguis, niſi attractus à membris, quæ alimento indigent: attrahitur autem, non is qui corde, ſed qui vena Caua, quæ alimenti & ſanguinis diſtribuendi, inſtrumentum eſt continetur. Hæc enim tota ſemper eſt ſanguine plena; qui & attrahatur à membris & attractum aut egreſſum eius, qui eſt in corde, impediat. Neque magis verendum fuerit, nè ſpiritus ex ſiniſtro ſinu egreſſus ad illum remeet. Quid enim eſt, quòd illum ad cor repellat cogatque redire? Neque ſpiritus aliam ob cauſam prodit ex corde atque per venas funditur: niſi quia, compreſſo corde pellitur. Cùm igitur pellatur ſemper, nec repellatur ab vllo, quid reditum vereamur? Immò verò ſi vera eſſet Medicorum ſententia: non parùm ab illis valuulis oſtium claudentibus retardaretur illius diffuſio ſpiritus, qui corpori vniuerſo in primis eſt neceſſarius. Præterea vt ſpiritus ille tenuiſſimus eſt iámque ſeptimedij craſſitudinem ac duritiem ſuperauit; ſic faciliùs multò tenues illas valuulas pluribuſque rimis diſtinctas ſuperaret, ſi ad ſuum principium remeare tentaret. Et ſanguis, quem arterialis vena ad pulmonum nutritionem tranſmittit, ſanè ad cor, etiam ſi maximè vellet, remeare non poſſet: ſugunt enim trahuntque pulmones: & tamen adſunt ad illius venæ orificium valuulæ. Denique vt cordis compreſſio aperit orificia contentúmque humorem effundit; ità dilatatio aperta orificia claudit, reditúmque ſi opus eſſet, meliùs multó, quàm illæ valuulæ prohiberet. Nó igitur valuulas, portas, oſtiávè dixero membranas illas eſſe; Verùm tùm ad iuuandum cordis motum ſimul cum carneis fibris (neruæ namq. ſunt: tum ad firmitatem appoſitas: tùm orificiorũ, quam) ob cauſam imbecillioribus vaſis non ſimplices hę additæ ſunt membranę, ſed membraneus integer appoſitus eſt circulus, qui velut corona pulchrè incumbens orificium roboret; atque ex eo ceù coronæ radijs, pendent membranulæ. Tùm totus cordis; ne perenni motu pateretur nimium ac diſſolueretur. Perpetuò ſiquidem dilatatum ſuſcipit ſanguinem à vena Caua & per arteriam venalem admittit inſpiratum aërem, quo refrigeretur. Compreſſum autem effundit ſpiritum per arteriam magnam, aërémq. ac fumidos halitus per arteriam venalem repellit.

Itaque partim Ariſtotelis, partim Medicorum ſententiam probamus. Ariſtoteli aſſentimur; dum eas membranas propter motum appoſitas fuiſſe voluit: non item, dum eas neruorum principia eſſe credidit. Neque enim is motus indiget neruis, quem idem ipſe Philoſophus naturalem, non animalem ac voluntarium eſſe cognouit. Medicis autem dùm non neruos, ſed membranas eſſe volunt: non autem, dum orificiorum valuulas aut portas eſſe adijciunt.

DE ASPERA ARTERIA.

CAPVT XXV.

Cordi pulmones incumbunt omnique ex parte amplectuntur: nec aliud, quàm illius refrigerationem ſpectant. Propterea namque piſces qui branchijs refrigerantur, pulmones non habent: neque hi niſi calidioribus animalibus inſunt; quæ nimirum aëre ſuſcepto atque ad pulmones cordi circumfuſos deducto ac reducto, inſpirato & reſpirato refrigerantur, vt interior ille focus conſeruetur. Itaque duo ſunt huic actioni inſtrumenta dicata. Alterum deducit aërem ac reducit. Alterum ſuſcipit ac reddit. Deducit ac reducit aſpera arteria, ſuſcipiunt & reddunt pulmones. Aſpera igitur arteria inſtar eſt fiſtulæ & canalis, quo aër ore naribúſque ſuſceptus ad pulmones tranſmittatur indéque reducatur. *Aretæus* abſolutè in 7. epidem. appellauit Hyppocrates: ſed Galenus & poſteri τραχεῖαν, id eſt, aſperam addiderunt. Arteria dicitur, non ſubſtantia, ſed vſu; vt & venalis arteria. Non enim arteriarum ſubſtantia conſtat: ſed cartilaginea tota eſt, tum vt aëri ſemper pateat; tum vt eſt in 3. libro de partibus cap. 3. quia non ſolum eſt ſpirandi cauſa, ſed etiam vocis: quod autem ſonat, læue ac ſolidum eſſe oportet. Non eſt tamen vna & ſimplex cartilago, ſed pluribus orbibus ſeu anulis cartilagineis admirabili arte induſtriáque naturę copulatis conſtat: quo tum robuſtior ac patentior eſſet, tum aptiſſimum formandæ vocis inſtrumentum, quippe inter durum & molle mediam quaſi naturam habet cartilago. At nec integri orbes ſunt, ſed ſemiorbibus paulo maiores; poſterioriq. parte, qua oeſophago incumbit arteria, intermiſſa cartilaginis duritie, mollior ac cedens membranea ſubſtantia accedit: vt & benignus oeſophagi contactus ſit, iſque dum ingeritur durior cibus cedente arteria turgere atq. attolli poſſit: præſertim, cum ex illa parte nullum arteriæ periculum maius immineret. Membraneis item vinculis orbes anulivè viciſſim iunguntur. Quare, tùm ob inæqualitatem, tum ob cartilaginiſque aſperitatem dicta eſt aſpera; cum læues planè ſint arteriæ cæteræ.

Arteriæ vſus.

Cur aſpera arteria dicatur.

Subſtantia.

Et in mutis quidem, quæ ad reſpirationem ſolam, non ad loquutionem hoc vſura erant inſtrumento, ſatis fuerunt membranæ ſimplices: at in vocali homine tenuiſſimi quoque facti ſunt muſculi ſimiles ferè intercoſtalibus ſeſéque interſecãtes, quibus tum cõtraheretur tum dilataretur, tum

Arteriæ muſculi.

breuior, tum longior arteria fieret: vt formandę vocis necessitas postulabat.

Tunica. Duplici demum conuestitur tunica: exteriori vna, quæ tenuior est à succingente suppeditata altera interior paulò crassior, ab ore, lingua, palatóque deducta; nè facilè à cerebri defluctionibus pateretur; moderatéque sicca, vt vox magis esset sonora. Nimio namque humore hebetatur & obrauescit; & siccitate maiori acuta nimis & clangosa efficitur.

Larynx. Cæterum arteriæ huius caput linguę radici proximum λάρυγξ vocatur per quam primùm ingreditur aër, præcipuũque formandæ vocis instrumentum existit. Tribus constat cartilaginibus. Quæ exterior apparet, omnium maxima est; quàm à scuti à fabre facti & in medio quidem prominentis, lateribus verò ad posteriora extrorsum deducti figura θυρεοειδὴς seu θυροειδὴς, hoc est, scutiformem vocant. Altera interior innominata creditur sed ab anuli orbis vè forma anularis aut si mauis orbicularis dici potest. Hæc minor est: tũmque apertam arteriam tenet, tùm cæterarum cartilaginum ac totius laryngis basis existit. Posteriori tamen sede, qua etiam cartilaginem tertiam suscipit ἀρυτταινοειδῆ & ἀρυτταινοειδῆ dictam, quòd vasculi figuram referat, quo manibus aquam infundimus, latior est. Duabus cartilaginibus coagmentatur: quam ob causam quatuor aliqui cartilagines memorant.

Laryngis musculi. His ad formandam vocem eleuandis ac deprimendis, dilatandis & contrahendis musculi plures fuere appositi. Bini enim à superiore & interiore sterni regione orti scutiformis partem inferiorem petunt, eámque deorsum trahunt. Totidem ab extremitatibus ossis, quòd ad linguæ radicem residet, & ob formam litteræ ὑοειδὲς & ὑοειδὲς dicitur profecti sursum, eleuant. Præter hos intra ipsas cartilagines perexigui decem aut duodecim numerantur, qui laryngis proprij vocantur, cartilaginésque tum vicissim connectunt, tum dilatant & contrahunt. Omnes à recurrente accipiunt neruulos: & ideò recurrente intercepto aut secto sinè voce illicò redditur animal; quòd laryngis musculi priuentur motu. Adsunt & duo musculi ab extremis lateribus scutiformis ad œsophagi posteriora pertinentes: quos qui inter laryngis musculos numerarunt, vt eam ad posteriora trahant; non animaduerterunt illos ad œsophagum potiùs, quàm ad laryngem pertinere. Primùm siquidem mouens firmius esse oportet & validius eo, quòd mouetur: propterea musculi mouentes ossibus ferè inseruntur: larynxque cartilaginea firmior multò est, quàm membraneus œsophagus: quare larynx potiùs ad se trahet œsophagum, quã cõtrà laryngem œsophagus. Trahit autem larynx & ad se comprimit œsophagum, vt ciborum deglutionem viuet promoueatque.

Cibi glutitio.

Laryngis cauitates. Porrò in interiori laryngis regione suprema vtrimque membrana cauitates quasdam & quasi cauernulas facit, quę susceptum aërem collidentes frangentésque præcipuum vocis simul cum epiglottide illiusque rimis instrumentum esse existimantur.

Epiglottis. Superiorem namque laryngis partem atque introitum corpus aliud cartilagineum custodit, præclarum illius operculum: quod si quartam laryngis cartilaginem nominaueris, nihil morabor. A superiori & interiori scuti formis regione attollit sese gibbum, quà palatum respicit; cauúmque, quà laryngem; & suprema parte acutum. Hęderæ folio simile dixit in 4. libro de morbis Hyppocrates. ὀπιγλωττὶς passim ob linguæ similitudinem appellatur. Eminet semper starque erectum, dùm respiramus; vt aëri semper pateat aditus. At dùm cibum aut potum deglutimus, tum ipso deglutitionis ad posteriora motu, tùm maximè alimenti pondere ità deprimitur, vt laryngis ostium claudatur; factóque ponte ad œsophagum, qui post arteriam asperam latet, deuoluantur cibus & potus descendantque ad ventr. Itaque interiori parte minus, quàm exteriori, durum est; multóque minùs superiori, quàm inferiori; vt benignior ac suauior œsophagi contactus sit. An potus per arteriam descendat ca. 27. Quàm accuratè claudatur laryngis ostiũ, inter veteres video disputatũ. Plato siquidem in Timęo cibo tantùm solido & sicco, non humido & fluido potui occludi; atq. illum quidem per œsophagum ad ventrem, hũnc verò per arteriam ad pulmones descendere voluit. Quod pluribus quoq. alijs placuisse in quæst. 1. lib. 7. conuiualium Plutarchus & Macrobius lib. 7. satur. cap. 15. & Cælius Rodiginius cap. 52. lib. 14. antiquarum lectionum significant. Sed & Hyppocratis inter alios fuisse sententiam scripsit in contradictionibus Stoicis idem Plutarchus. Deceptus opinor libello de corde, qui nũm sit germanus Hyppocratis, dubitatur.

Dicerem risu hanc excipiendam esse sententiam, nisi prohibuisset Galenus in 8. libro de Hyppocratis & Platonis decretis, & tanti fecisset Hyppocrates vt multis argumentis confutandam duxerit in 4. de morbis libro. Si enim pulmones caui non essent, sed corpore aliquo pleni, non respiraret homo, nec vocem ederet. Cibus siccus in ventre absque potus liquore non coqueretur. Medicamenta quoque potata ad pulmones descenderent; quæ tamen aluum tum infernè tum supernè purgant. Etsi in pulmones defluerent, tenerum nimium corpus exulcerarent, aut certè turbulento motu vehementer læderent: quippè vel sola ex capite defluens pituita breui tempore exulcerat. Qui vino replentur nigro, excrementa ijs existunt nigra: & si allium aut olidum quidpiam comedunt, vrinam eo odore reddunt. Si vel modicum quidpiam pituitæ in arteriam defluxerit, multa & fortis oboritur tussis; quid si copiosus descenderet potus? Etsi pueris lac ad pulmones tenderet, quo modo eos nutriret? Denique arterię ostium claudit epiglottis, superquam potius æquè ac cibus ad posteriorem meatum transeunt. Hæc Hyppocratis argumenta fuere. Pauciora, sed non minus necessaria, Philosophus habet in cap. 3. lib. 9. de partibus animalium. Si quid, inquit, cibi aut potus in arteriam dilabitur, strangulationes, tormina, & tussis grauissimæ incitantur. Neque meatus vllus de pulmone ad ventrem pertinet, sicut ex ore ad gulam tendere cernimus. Quinetiam per vomitũ vndè nam humor remeet incertũ non est. Ad hæc humorem non continuò in vesicam, sed prius in ventrem, certum est. Excrementa enim alui tingi videntur fœce vini atri. Vulnere etiam ventris sæpè hoc idem patefactum est.

Hæc tamen non videntur obstare, quo minus per epiglottidis rimas aliqua potius portiuncula in arteriam humectandam illabi queat. Nam & glandulæ ad laryngis latera positæ propterea sunt, vt subditas illas partes humore suo irrigent.

Consentit

Consentis Hyppocrates aut quisquis fuit auctor libelli de corde. Homo, inquit, multò maximam partem in ventrem bibit. Bibit autem & in guttur: minùs verò & quantum latere possit per rimam illapsum. Hócque vtitur argumento: quòd si aquam colore cæruleo aut rubrica temperatam sitienti valdè bibendam dederis; deindè dùm bibit, ipsius guttur reseces hoc colore tinctum reperies. Consentit & Galenus, ità Platonis sententiam interpretens. Si enim potio affatim & multa in arteriam illabatur, liberamque respirationem impediat, tussim nimirum excitat; Si verò tàm pauca per interiorem defluat tunicam, vt nullum faciat sensum irrorat, & humectat arteriam, nihil lædit.

DE COLLO.

CAPVT. XXVII.

Colli vsus.

VM arteria libet etiam de collo dicere, quòd propter arterię conseruationem, non vt caput sustentet ac portet, vt quispiam fortasse crediderit, extructum est; & ideò in arteriæ potiùs ac thoracis, quàm in capitis dissectionem considerandum est. Etsi enim in 3. lib. de partibus cap. 3. propter guttur & vocatum œsophagum scripserit Aristoteles fuisse conditum: primarium tamen naturæ scopum fuisse guttur atque arteriam, secundarium œsophagum: duplici ostendit argumento. Altero, quòd quæ animalia pulmonibus carent, vt pisces, ea collo item carent: & quoniam collum non habent, sed thoraci atq. alimenti loco statim caput coniungitur; fit vt manifestum quoque oesophagum illum non habeant, quiviśitur in illis, quę pulmonibus & collo prædita sunt. Altero, quòd venter alimenti locus potest ori esse continuus, pulmones non possunt: sed aliquem quasi tractum ad esse oportet, quo spiritus tum ab ore ad pulmones trahatur, tum à pulmonibus rursum ad os effletur. Quoniam verò respirationis hoc instrumentum longitudinem habet, in hoc respirantium animalium genere œsophagum quoque inter os & ventrem apponi oportuit: quemadmodum & cætera omnia, quæ aut supernè deorsum, aut infernè sursum feruntur. Sic animalia, quæ alimentum sibi ex terra conquirere debent, longius collum & cruribus æquale habent. Homo tantum, quantum asperæ arteriæ vsus postulabat.

Pulmones oris continuos esse non posse.

Colli partes.

Constat autem collum tum anterioribus tum posterioribus partibus. Anteriores sunt larynx & arteria, laryngis musculi os hyoides eiusq. musculi, vigulares venæ, carotides arteriæ, illique coniunctus neruus sexti paris cum recurrente, glandulæ, oesophagus, & capitis collique musculi aliquot. Posteriores verò, quæ communi cervicis nomine continentur, vertebræ septem cum spinali medulæ, musculique caput & cellum extendentes, & alij scapularum quidam; in quibus immorandum non est.

DE PVLMONIBVS.

CAPVT XXVIII.

ASperam arteriam verè scripsit. Philosophus: in tex. 89. lib. 2. de anima, propter pulmones fuisse factum. Hęc námque ad pulmones integra ducitur, vt totum in eos susceptum infundat aërem. Ibi vero in plurimos ramos discissa omnes eorum permeat partes, atque ad omnes deducit aërem. Itaque arteriæ alligati ac suspensi pendent in thorace pulmones. Alligantur & spinæ: quod in homine præsertim erectæ figuræ animali, cæterisque item cum eriguntur, dilaberentur simul cum corde in diaphragma, aut in pectus dum in terram procumbunt; prohiberetúrque respiratio; nisi ex superioribus ac posterioribus partibus penderent firmiter. Anterior vero atque inferior pars libera est, vt liberè attolli omnique ex parte amplecti frigidóque aëre susceptо refrigerare cor possent. Adderet Auicenna, spinæ alligatos fuisse, vt cor tuerentur, nè in illius vertebras incurrens læderetur. Propterea enim culcitram cordis appellat. Verùm hoc in anteriori parte non minùs erat necessarium: cum præsertim ad pectus inclinet cordis mucro, atque ad illud compressum moueatur.

Plurimos sinus.

Diuisio.

Interseptente membrana solum cor intercipiente bifariam quasi diuiduntur, thoracisque cauitatem, vtrámque occupant, dum susceptо aëre attolluntur. Figura iecori planè respondet: bouis vngulam diceres. Vt enim ventri iecur, sic pulmones incumbunt cordi: sed alio atque alio, imo & oppositо fine: illud, vt caleficiat, hi, vt refrigerent. Vtrumque membrum superiori parte gibbosum est: siuè quod à continente loco ita formentur: siuè quod vndequaque ad contenti membri complexum declinent. Ità inferiori parte cauum vtrúmque existit.

Figura.

Lobi.

Huc etiam spectant lobi, in quos discissos pulmones cernimus: tum vt facilior & expeditior esset motus: tum vt omni ex parte cor amplexarentur. Sunt qui lobos hosce alas appellent, Quod alarum imitatione dilatentur, explicentur, & colligantur. Eadem metaphora pinnæ quoque dicuntur. Plures in bestijs, quàm in homine, numerantur lobi: quod erectam homo figuram habeat, bestiæ terram spectent: & in plures item bestiarum iecur diuiditur. Quippè in omnibus, quantum fieri potest, similis sibi semper natura est.

Natura vbiq. sibi similis.

Tunica.

Nam pertenui quoque vtrúmque viscus tunica tegitur: quod pulmonibus sanè perbellè accidit; tum ne grauiores reddant atque ad motum difficiliores; tum quia tota quoque illorum substantia tenuis est, leuis, rara, spongiæque similis; vt & aëri tota sit peruia, & aërem multum susciпiat, & attollatur facilè ac deprimatur. Quod si nulla obducta fuisset tunica, peruijs pulmones aërem non continentes eleuati nunquàm fuissent. Iecur crassum, pulmones spumosum sanguinem concretum dixeris. Ea pulmonum tunica aut ab interseptente, nascitur, aut à vasis illos subeuntibus: superior pars ab aspera arteria, inferior ab arteriali vena arteriáquevenali, quib⁹ & cordi cõnectuntur pulmones.

Nerui autem ad tunicam quidem á sexto pari deriuantur: in pulmonum autem substantia nulli deprehenduntur sensu. Sed tria duntaxat iamiam commemorata vasa: quæ innumerabili ramorum sobole per omnes illorum partes aërem, sanguinẽ, & spiritum deducunt. Ideóque membrum hoc eterogeneum dicitur, quòd substantia seu parenchymate, tunica, & triplici vasorũ genere constet.

Vasa.

Vsus.

Plures illius vsus apud medicos reperias: Ego duos agnosco. Alterum cordis refrigerationem, ne perenni æstuet motu, sed hoc quasi flabello ventiletur: vndè cordis flabellum & ventilabrum vocatur. Ad necessariam, inquit Alexander in 1. lib. de anima cap. vltimo, caloris redundantiam habet attrahentis & reddentis spiritum officinæ suppecias, quibus intercedentibus ad æquabilem caliditatis mensuram admota refrigeratione deducitur. Alterum, ad edendam vocem & ad loquendum. Nam quæ pulmonibus carent animalia, carent & voce. Et Aristoteles in tex. 88. libri 2. de anima naturam dixit respirato aëre ad duo vti; tùm ad interiorem calorem refrigerandum, tum ad edendam vocem. Vterque vsus magnam pulmonum quantitatem postulauit, vt plurimus aër susciperetur, quo & magnus calor refrigerari posset, & diutiùs produci vox & locutio: præsertim cùm cohibere interdum cogamur anhelitum.

Quantitas.

De vitali facultate cordisque ac pulmonum motu hoc loco agendum mihi fortasse quispiam censeat. Sed ego corporis organici nunc solùm descriptionem facere instituí, membráque animæ præparare: de facultatibus & operationibus post in animæ contemplatione differam.

DE CAPITIS NECESsitate & vsu.

CAPVT XIX.

Nihil superest ampliùs, quòd in thorace consideretur; nec quidquam in eo continetur aliud, quàm cor eum pulmonibus. Ita ea omnia, quæ ad vegetantis animæ organa, ad nutritionem inquam, procreationem vitalemque actionem pertinent accuratè satis pro instituti nostri ratione explicata sunt. Consequens est de ijs dicere, quæ ad sentientem spectant. Hęc duplicis generis sunt: quædam sentiendo, quædam mouendo dicata: sensibus caput, motui artus destinantur. Ità hæ duæ animæ, vegetans & sentiens, æquè sibi corporis membra partiuntur. Nam cùm quatuor in partes totum initio diuiserimus, altera ventrem occupat & thoracem, altera caput & artus: mediam illa regionem, quæ corpus totum fouere & conseruare necessariáque partibus omnibus subsidia prouidere debet; hæc partes extremas. Tertia, quæ superest, intelligens anima nullo corporis vtitur organo. Atqui cognitio motum antecedit: priùs igitur de capite, in quo sensuum omnium organa cõtinentur: posteriùs de artubus, quibus ad res cognitas persequendas mouemur.

Corporis no animã vegetãtẽ & sentientem partito.

Caput quid.

Caput hoc loco non ea acceptione nominamus, qua partem illam interdum significat, qua sumitur alimentum. Plantarum namque radices caput diceremus. Sed eam animalium partem cõsiderandam proponimus, quæ ossibus vndequaq. constans substantiam quandam medullæ persimilem continet, quam cerebrum appellamus, supremúmque in toto corpore obtinet situm; vt in c. 15. lib. 1. de hist. Philosophus loquitur.

Sanè hanc partem non esse ad vitam omninò necessariam, testatea indicant animalia & eiusmodi alia, quæ carent capite & analogum duntaxat quidpiam habent. Imò in ijs quoque quæ caput gestant, posse aliquandiù saltem absque illo conseruari vitam, aut illud etiam prorsus necessarium non esse affirmauit in libro de Iuuentute & Senectute cap. 1. Philosophus, & visus est indicare in 3. libro de partibus cap. 10. vbi credendum quidem non esse scripsit caput abscissum aliquandò fuisse loquutum: quippè aspera arteria præcisa & sinè pulmonum motu vox nulla esse potest: corpus tamen detracto capite progredi quoquam non temerè credi; cùm ea, quæ sanguine carent, diutiùs etiam viuere capite truncato queant. Est & luculentissimũ Alexãdri testimonium in extremo lib. 1. de anima, argumento sumpto ex corde. Sicut, inquit, animalia nonnulla exsecto atque ablato corde viuentia longiore persistunt tempore, velut testudo & chamæleon; sic in quibusdam exsecto capite reliquum corpus diutiùs viuere & vtramque partem proprijs actionibus fungi, quàm sæpissimè cernimus. Quædam etiam truncato capite palpitasse Themistius memorat in 1. lib. de anima cap. 35. & Auerroes in com. 4. lib. 7. physic: arietem vidit abscisso capite ambulare.

Capite vitæ nõ necessarium.

Cur igitur tàm multis ijsque præstantissimis animalibus fuit appositum? Credidit Galenus in 8. libro de vsu partium cap. præsertim. 5. caput vniuersum & cerebrum propter oculos fuisse condita. Editum namque locum actionem illorum postulasse, ostendunt illi, qui vt prædonum aut hostium incursus speculentur, muros, altas turres, montesuè conscendunt, & nautæ ex nauium malis atque antennis terram prospectant. Ex edito enim & excelso loco plura omnino & longiùs prospicimus. Iam cancris, scarabæis, & alijs quibusdam animalibus, quæ capite carẽt, difficile nõ fuit oculos ceruicibus altis imponere; quod hæc duros haberent oculos. At homini & ijs omnino, quæ molles habituta essent collocari tuto prominẽtes ac nudi non poterant. Propterea ceruicibus impositum est caput, intrà quod ij conderentur, omniq. ex parte propugnaculis extructis defenderentur suprà quidem supercilijs ac frontis osse; infrà vero malis; vtrinque naso iugalisque ossis processu. Rursum oculi cæterorúmque sensuum organa molli indigebant neruo: neruorum principium atque origo cerebrum est: prope oculos igitur aliorumq. sensuum organa poni oportuit cerebrum; ne si longiùs producendi essent nerui, duriores euaderent aut certè molles distruperentur aut contunderentur.

De vtilitate, lens sententia.

Cæterùm multis contrà disputauit Conciliator diff. 40. & mea quidem certè sententia optimi hęc medici ratiocinatio non id confecit, quod ipse quærebar, quodq. is tandem colligit; cerebrum in capite locatum esse propter oculos, reliquáq. sensoria omnia propter cerebrũ. Nam quę in priori ratiocinationis parte accipit, propter oculorum defensionem facta fuisse, fatetur ipsemet non esse caput, sed capitis partẽ quampiam. Cerebrũ autẽ quòd

Cõfutatio.

quod in posteriori ratiocinatione adiungit, cui caput fuerit extruendum, non minùs ad cæterorum sensuum organa, quàm ad oculos, ipsomet consentiente pertinet: quarè nõ minùs propter illa, quàm propter has in capite locatum est. Neque sensoria cætera propter cerebrum, sed hoc potiùs propter illa in capite positum esse, concludendum fuerat; vt ad singula, sicut ad oculos, ducerentur nerui cerebrum quoq. videre debuisset non sentiendi modò, sed & mouendi principium esse, ipsius præsertim sententia: neque ad sensuum solùm organa, verùm ad omnes corporis partes neruos mouentes disseminare. Ex hoc enim manifestũ est, non propter solos oculos, sed & propter aliorum sensuum organa; immò nec omnino propter sensum, sed & propter motum totiusque corporis & omnium illius partium vsum factum fuisse cerebrum.

Caput sanctum propter cerebrum.

Verissimum igitur fuerit Aristotelis illud in 4. libro de partibus cap. 10. caput cerebri gratia potissimùm est: Hoc etenim solum continetur & cõseruaretur capite, quemadmodum thorace cor, & ventre viscera cætera: propterea quæ capacitate hac crassum & durum os extructum est: & ex Hippocrate in libro de vulneribus capitis domicilium & propugnaculũ cerebri appellauit Celsus. Quãuis enim facultatum omnium fons & origo sit cor, earum tamen actiones non potest ipsum immediatè omnes exequi, sed suas vices aliis debet membris delegare, nutrientem iecori, procreantem testibus, sentientem & mouentem cerebro: vitalem, tanquàm in primis & omni tempore necessariam aliisque omnibus generale subsidium, sibi reseruat. quare vt cordi thoracem, iecori ac ventri abdomen, testibus scrotum, sic cerebro caput natura parauit. Hoc enim optimum illi domicilium. Tum quia frigidum & humidum membrum distare debuit à corde caloris fonte. Tum quia cùm propter hanc temperationem plurima habiturum esset excrementa optimum erat editum occupare locum, apertum, & liberum; vt facilis & expedita purgatio esset: atque huc spectant problematum 2. & 3. sect. 36. explicationes. Denique sensuum omnium organa propè cerebrum esse oportuit, vt & spiritum & molles neruos acciperent. Sẽsibus autem edita illa regia erat optima. Nam oculis & plurima & procul cognoscimus, imminentiáque incommoda opportunè prospicimus: & sonus sursum præsertim cum aëre natura fertur & vndequaque exauditur. Odor item cum vaporoso habitu in sublime ascendit. Sapores cum cibo & potu, qui ore suscipiũtur; omnes gustantur. Tactus per vniuersum corpus diffusus est.

Cur sensuum organa propè cerebrũ.

DE CAPITIS FIGVRA & motu.

CAPVT XXX.

Caput cur dictum.

Κεφαλὴ Græci membrum hoc nominant. Siuè quòd ibi κέφαται τὰ φαινόμενα, hoc est sedeant lumina; vt fortasse Galenus diceret, qui propter oculos factum putat. Siuè ἀπὸ τῆς κάρφεσθαι, quod est inarescere, vt aliis placuit; quòd arido prorsus esse constet. Siue ἀπὸ τῆς καλύπτειν, quod est operio ac tego; quoniam cerebri operimentum ac tegumentum sit. Nos appellamus caput, aut quòd sensus & nerui ab eo initium capiant: aut quòd ipsum capiat & contineat cerebrum.

Cur os sit. Cur sphæricum.

Osseum esse oportuit: tum quia mollem substantiam contenturum erat: tum quia in extremo & editissimo loco positum iniuriis omnibus ac damnis exponebatur.

Optima capitis figura qua.

Sphæricum item: tum vt plus cerebri contineret; hæc quippe figurarum omnium capacissima: tùm etiam vt in se robustius esset atque externos ictus minus exciperet exceptósue firmiùs sustineret. Cùm præsertim in omnibus præstantissimam hanc figuram quàm maximè potest procuret natura. Optima tamen & maximè naturalis figura capitis non est perfectè sphærica, sed oblonga & vtrinque in anteriora nonnihil compressa: anteriorique parte, quàm posteriori angustior. Sanè cerebrum peculiarem nullam figuram postulat: sed dum anteriori parte mammillares processus ad odoratum emittuntur, & posteriori cerebellum à cerebro separatur velut medullæ spinalis principium & caput alterum; atque in media regione cauitates & sinus contnendo spiritui præparantur; longitudinem quandam consequi necesse est, vbi omnia benè habere se debeant. Comprimuntur autem anteriora magis, quàm posteriora: quoniam vertebræ dorsi & spinalis medulla paulò maiorem faciunt latitudinem. Ab hac porrò naturali & optima constitutionem multis modis sæpè natura recedit, quos longum esset persequi. Quod tamẽ acuminato sit vertice, quale apud Homerum Thersitis caput, deprauatum iudicatur à Galeno in libro nono de vsu partium, & libro de ossibus, & in arte medica. Sed si valida sit ceruix, robustos eos esse, qui illo præditi fuerint, affirmauit in 6. epidem. Hippocrates: quod non tam capitis, quàm ceruicis beneficium est. Magnum item corporis proportione seruata laudatur caput, paruum damnatur. Illud enim multum continet cerebrum & copiosum ac benè temperatum spiritum; hoc contrà, ideóque præcipitis ac temerarij ingenij inditium est.

Capitis motus quotuplex.

Caput mouentur musculi.

Mouetur autem caput omnem in partem: tùm vt ipsum noxam omnem vitaret & commodum prosequeretur: tùm vt sensuum organa ac præsertim lumina duo vsquequaque sensilibus obiectis cognoscendis admoueret. Motum igitur habet rectum, flexionem & extensionem; obliquum ad latus dextrum & sinistrum; ac demùm semicircularem in vtramque partem. Non enim omnino in orbem vertitur, nec verti decuit, nec potuit. Flectitur extenditur super primùm ceruicis vertebrã: vir cum ducitur supra secundam, ceruice licet immota rigidáque quiescente: at ad latera non nisi inclinata ceruice inclinatur. Flectitur igitur antrorsum, annuendo duobus musculis (grauia namque facilè deprimuntur) qui ex suprema sterni & clauiculæ parte ad temporalis ossis processum ducuntur. Quòd si horum alter trahat cessante altero, ad illud nimirum latus inclinatur caput. Extẽdunt autẽ in posteriora versus dorsum complures omninò, maiores alij, alij minores. Maiores tum duo ex superioribus thoracis & inferioribus ceruicis spinis vtrinque nascuntur, & in vtrunque occipitis latus ab inuicem mox recedentes inseruntur. Tùm alij duo ex superiorum item thoracis vertebrarum transuersis processibus ad medium occiput simul ascendunt. Minores item quatuor: duo ex spina secundæ ceruicis vertebræ, totidémque sub his ex posteriori primæ vertebræ parte ad me-

dium ferè occiput pertinent. Semicircularem porrò motum quatuor alij exigui perficiunt: duo ex occipite medio obliquè ad transuersum sui lateris primæ ceruicis vertebræ processum: aliique duo ex secundæ vertebræ spina obliquè item ad transuersum primę processum progredientes. Dum autem ad latera inclinatur ad humerum dextrum aut sinistrum, non peculiari vllo agitur musculo, sed illis ipsis, quos cõmemorauimus, si qui sunt vnius lateris trahant laxatis oppositis. Ita quatuordecim omninò sunt, vtrinque septem, caput mouentes musculi.

Ceruicem mouentes musculi.

Cæterùm secundarios etiam habet motus, quibus ceruicem sequitur. Hæc autem & flectitur, & extenditur, & in vtrumque latus inclinatur; octo prorsus musculis. Flectitur tum longis duobus ex quintæ & superiorum thoracis vertebrarum lateribus vtrinque ab œsophago ad primam ceruicis vertebram aut etiam interdum occipitis os deductis. Tum scalenis totidem ex prima vtriusque lateris costa ad omnes ceruicis vertebrarum processus pertinentibus. Extenditur verò totidem: quorum bini ex superiorum dorsi vertebrarum processibus ceruicis processus petunt: totidémque ex septimæ & superiorum thoracis spinis, quo loco articulantur vertebræ, in ceruicis spinas inserũtur. Qui vero supereſt motus ad latera, eodem, quo de capite diximus, modo fit: illius scilicet lateris trahentibus musculis oppositisque cessantibus.

Spinam mouentes musculi.

Iam quoniam similis motus in tota quoque cernitur spina, illius quoque motores subiiciam musculos. Octo illi numerantur. Quorum duo ab ilium ossis posteriori parte ad duodecimam thoracis costam ascendunt, omnium interim lumborum processibus affixi. Duo ab infimo osse sacro ad primam vsque thoracis vertebram progrediuntur. Duo sub his ab eodem osse altiori ex ortu ad vndecimam thoracis eiusdem vertebram terminantur. Ac demum duo ab hac eadem vndecima vertebra ad primam vsque thoracis eiusdem ducuntur. Primi duo flectunt antrorsum spinam: nec parùm iuuant recti abdominis musculi thoracem deorsum trahentes. Reliqui omnes extendũt, eam præsertim spinæ partẽ, cui affixi sunt maioris quippe est operæ corpus graue sursum retrorsumuè extendere, quàm deorsum flectere. Denique ad latera quoque flectitur spina & erigitur; alterius scilicet lateris trahentibus musculis, oppositisque laxatis. Sed iam singulas capitis partes consideremus.

CAPITIS PARTIVM CONSIderatio. Ac primùm de capillis.

CAPVT XXXI.

Capitis partes quæ.

ARistoteles in 1. libro de animalium hist. cap. 7 eam duntaxat partem, quæ capillis tecta caluaria in nobis dicitur, tripartitò diuisit, in priorem partem, posteriorem, & mediam; hoc est in sinciput, occiput, & verticem. At ampliori significatione totum etiam illud nominamus caput, quod sustentatur collo primæque illius innititur vertebræ; & in bestiis totum capillis intectum est. Cuius partes sunt caluaria & facies. Ambæ rursum aut continentes sunt, aut contentæ. Caluariæ continentes sunt capilli, cuticula, cutis, membrana carnosa, pericranium, perioſtiũ, cranium & meninges duę, contentę cerebrum & cerebellum cum neruis, qui ex illis prodeunt. Faciei cõtinentes partes hæ commemorantur; frons, tempora, genæ, labia, mentum; contentæ autem, ferè sensuum organa, oculi, aures, nares, lingua; ambæque maxillæ.

Capillorũ materia & ortus.

Pilorum tota congeries coma vocatur. Eorum materia excrementosa est, ex coctione, quæ fit in membris, terreus halitus, crassus, fuliginosus & adustus, ad cutem per poros exhalans. Hic enim viscoso admistus humido adhæresćit atque vt fumus quispiam consistit; indéque pili existunt. Et quoniam exhalat ad cutim pilorum subiectum euadit cutis: quare hac absćissa non nascitur pilus; cutisque varietatem pilorum quoque varietas sequitur. Viuiparis ac terrestribus propriè insunt: neque his omnibus, sed homini, equo, cani, boui & similibus: reliquis analogum potiùs quidpiam, vt leoni iuba; oui vellus, capræ villi, herinaceo aculei: volucribus item pennæ, piscibus squammæ, crustatis crusta, arboribus & plantis folia.

Efficiens causa finis.

Efficiens autem causa calor est euaporans excrementosámque materiam pellens. Finis communis est, vt superflua secernatur meteria, quæ corpori obesset plurimùm, morbosque adduceret. Bestiis verò instar vestium sunt atque à frigore cæterisque iniuriis tuentur. Homini, qui mente ac ratione valet, atque vsu manuum omnia sibi necessaria & commoda parare potest, in capite velut cerebri propugnaculum sunt & à frigore caloreuè externo defendunt; neque solùm quod plurima ibi sit per cranij futuras euaporatio, sed etiam propter illius membri necessitatem abundant maximè in capite pili: In superciliis sudores frontis arcent, ne ad oculos defluant eosque lædant: vix tamen crescunt; quia in parte prorsus ossea & absque futura deest materia. In palpebris item tum oculos ab externis incursibus custodiunt; tum obumbrando quoquo modo & dirigendo aciem aspectum iuuant. Ibi quoque parùm crescunt, quòd in membranea sit nec magnopere excrementosa palpebrarum materia. Sed & impedirent aspectum, si nimium producerentur: In mento & barba ad reuerentiam dixeris pertinere: ideò maribus potiùs nascuntur, quàm fœminis. Nam & calidior sexus. Denique circà genitalia honestatem faciunt ac turpitudinem tegunt. In partibus cæteris nec abundant magnopere, nec vllum habent vsum sed materiæ solam necessitatem: aut generalem illum, vt excrementosa secernatur materia. Cúmque in quinque præcipuè locis nascantur homini pili, in capite, superciliis, ciliis, mento, & genitalibus; soli capitis pili vocãtur capilli; quasi capitis pili.

Supercilia & cilia.

Barba.

Circa genitalia.

Capilli cur deciduntur.

Canities pilorũm.

Canities porrò pilorum ægritudo est, quæ defficiente calore oritur, cum humorem pilique materiam coquere satis non valet. Ideò enim putrescit. Et ex morbo interdum aliqui canuerunt; deprauata scilicet cuti, vt confirmat Philosophus in 3. de hist. cap. 11. & 5. de ortu cap. 4. qui post sanitate calorisque integritate recuperata pristinum quoque pilorum colorem recuperarũt. Qui etiam veneri nimium indulgent aut grauioribus negotiis occupantur, canescunt citiùs, quòd magnopere debilitetur calor. Quibus item crassior capillus est: quoniam plus humoris habent, quod ægriùs dissoluatur. Quibus autem tenuis & mollis, quòd mi-

nùs

nùs habẽt humidi idq. tenuius, quòd faciliùs cõsumatur; ij aut nunquam aut tardè canescunt: Iuuare plurimùm si oleo aquæ permisto inungaris sæpè auctor est in 5. de ortu cap. 5. Aristoteles. Refrigerans enim aqua calorem externum arcet, qui putredinem adfert; oleumque ne facilè siccetur, prohibet.

Quanquam non ex putredine semper ægritudinéque pilorum canities nascitur: sed ex aliis etiam causis. Tum ex sola caloris imbecillitate, qui materiam non potest perfectè resoluere. Ità iuuenes aliqui sani ac robusti visuntur prorsus cani. Tum ex ingenti quopiam timore, quo ad interiora calor confugiat: quemadmodum quibusdam accidisse scimus, vt vnica nocte repente canuerint. Tum demum ex nimia siccatione: sicut segetes à sole adustæ albescunt. Constat verò sulphuris fumo aliisque artibus capillorum colores à mulierculis immutari, de quibus Albertus & alij.

Canities hominis propria.

Solius autem hominis proprium esse canescere dixit in sua introductione Porphirius; & confirmauit Philosophus in cap. 1. & 3. commemorati iam libri 5. Etii equum quoque addiderit in eodem cap. 3. & 5. quoquomodo videri canescere; quòd os, quo cerebrum cõtinetur, tenuius habeat. Cur verò hominis proprium sit, causam reperies in problem. 62. sect. 10. Cætera namque animalia pilos quotannis mutant: aut si non mutant, haud longam habent vitam; pilusque non senescens nequit canescere. Homini neque deciduus pilus, & vita longa. Sed potior extat ratio in cap. 4. & 5. sæpiùs iam indicati libri. Homo namque præ cæteris maximum proportione corporis & humidissimũ ac frigidissimum habet cerebrum. quare cùm humor non nisi ab innato calore dissoluatur, putrescat ab externo; senectute aduenient innatus calor debilitatus humorem nequit consumere: atque vt cibus non coctus ægritudinem adducit corpori; sic humor is non coctus putrescẽs canitiem adfert velut pilorum ægritudinem seu cruditatem humidi siti in cerebro, vt loquitur Aristoteles in cap. 1. eiusdem libri.

Decalui-tie.

Caluescit etiam homo. Et in 3. quidem hist. lib. caluities definitur capitis esse læuitas: at in quinto de ortu libro, amissio, defluxus, & casus pilorum ex capite; qui ex calidi & pinguis humoris inopia nascitur: quemadmodum in plantis huiusce humoris defectu cadunt folia. Sed & potest cadere pilus aut quòd illius substantia fuerit in radice cõsumpta quod in quibusdam morbis euenit. Aut quòd cutis quapiã ex causa obduruerit plus æquo. Cessare namque in ea pilum oportet: propterea q. cicatricibus non adnascitur. Hominem maximè animalium omnium decaluari cõstat; nec nisi post pubertatem seminisque emissionem: præsertim si veneri nimium indulgeat. Plurimum enim caloris & humoris amittit, citiusque refrigeratur & siccatur. Sola tamen anteriori, non posteriori capitis parte caluescimus: quoniam anteriori cerebrum frigidissimum continetur. Fœminæ, spadones, & pueri non caluescunt, quòd semen non emittant. Eandem ob causam castratos boues legimus in problem. 56. sect. 10. habere maiora cornua: quòd superflua materia, quæ semine fuisset iecta, conuertitur in cornua. Sed fœminis & pueris ea quoque occurrit causa, quòd perquàm humida corporis constitutione sunt. Quocirca in problem. 5. sect. 31. cùm quæsitum esset, cur qui nati sunt cœci, caluescant nunquam, responsum fuisse reperies; quoniam abundat nimium in illis humor in capite, qui tum cæcitatis fuit causa, coagulando & obruendo oculos, tum capillis materiam suppeditat.

DE PERICRANIO *perioestio, & cranio.*

CAPVT XXXI.

POst capillos de cuticula, cuti, membrãnaque carnosa dicendum esset; nisi de illis anteà fuisset dictum. Vt enim toti corpori communes sunt, ita specialem nunc considerationem non postulat.

Proximum his est περικράνιον, dura & præualida membrana: quæ ex dura menynge pericranij futuras, quibus illa adhæret, erumpens circà cranium extenditur: indè nomen accepit. Hæc tùm totum integit ac tuetur cranium: tùm duram suspendit menyngem cranioque adfirmat, ne in cerebrum prolabatur. *Pericranium.*

Non tamen immediatè incumbit cranio, sed tenuioris alterius membranæ interuentu, quæ vt cæteris ossibus, ita cranio quoque obducitur: generalique vocabulo περιόστιον, hoc est circa os appellatur. Ægrè sanè diuellitur ab osse: at si diuulseris, nudam habebis caluam seu caluariam: quam κρανίον dicimus, quòd quasi κράνος, id est galea, incumbat cerebro illudque obuallet ac defendat. Hac quippe cauitate vt proprio domicilio cerebrum continetur. Crassum vbique est os cranij, vt firmum esset cerebro propugnaculum: crassiorque posterior pars, quam occiput occupat. Tum quòd crassis iungitur vertebris, & quasi spinę principium existit. Tum quòd maius ibi admouẽdum fuit propugnaculum, vbi maius erat periculum. Anteriori namque parte adsunt exploratores oculi, qui damna imminentia præuideant. Sed etiam posteriori parte cerebellum siccius continetur; anteriori mollius cerebrum. Rarum tamen & plurimis peruium foraminibus: tum ne pondere nimio grauaret: tum vt succum aliquem pro alimento contineret; locusque simul esset perspirabilis. Eandem ob causam non vnicum os integrum factum est, sed plurium congeries: quorum contextu futuræ fiunt, quibus tum ab externis iniuriis minùs patitur, dum cùm ipsis ossibus terminantur fracturæ neque per totum progrediuntur cranium: tum alligatur dura menynx tum pericranium emergit: tum exhalant fuliginosi vapores. Siquidem corpori vniuerso velut tectum calidæ domui; & vt Hippocrates loquitur in 4. libro de morbis & in epist. ad Demetrium Regem, tanquam cucurbita, quæ vndique ad se trahat, impositum fuisse videtur. Propterea cùm homo plus, quàm animalia cætera caloris habeat, cum Aristoteles in 2. de partibus ca. 5. plures in capite futuras. & plures marẽ, quàm fœminam, habere scripsit; vt spirantior esset locus, qui vaporibus pluribus atque exhalationibus abũdat. Quare non fuerit mirum, si fœminas grauiora, quam viros, capite gestare pondera videamus; si pauciores futuras habeant. Tres verò præcipuæ obseruantur. Prima anterior transuersa in sincipite, quæ coronalis nominatur, siuè ex figura litterę, *Cranij futuræ.*

(, siuè quòd illi potissimùm parti imponantur coronæ, aut ipsa tanquam corona sincipiti imposita frontem cingat: nam Græci στεφανᾶιαν vocant. Altera posterior in occipite, quæ a summis ad ima dilata formam Græcæ litteræ Λ referens λαμβοειδὴς appellatur. Tertia in vertice à coronali media ad summum lambdoidis apicem producta σαγιττοειδὴς & ὀϕρυϊκὴ, hoc est sagittalis & virgata dicitur, quòd vt sagitta seu virga procedat rectà. Hippocrates verò ad initium libri de vulneribus capitis tres omninò harum futurarum differentias fecit. Qui enim caput habent benè formatum atque tùm anteriori tùm posteriori prominens parte, figuram, inquit præ se ferunt velut litteræ Ζ si verò altera tantùm promineat pars, litteræ Γ, ac demum neutra parte prominentiam habeat, quale fuerit acutum caput, velut litteræ Χ, sagittali nimium obolita. Cæterùm etsi perrarò & vix vnquàm in fœminis, interdum tamen ad nasum vsque licet obscurior progreditur sagittalis: in bestiis ad medium vsque supercilliorum. Quanquam in 3. historiæ lib. cap. 7. canis cranium continuo constare osse, & viri quoque caput sine vlla futura fuisse visum scripserit Aristoteles; pluráque in Persia reperiri Herodotus, Celsus, & alij confirmant. Quod eò minùs mireris, quòd in valde senibus concrescunt atque ità coalescunt futura, vt vix vllæ cernantur.

Duæ aliæ præter has vtrinque circà tempora æquè à sagittali distantes, semicirculi ferè ac litteræ (, à lambdoide ad coronalem protensæ, obseruantur futuræ: quæ mendosæ, nothæ, & squammosæ dicuntur; quòd veræ plurium ossium commissuræ non sint, sed velut duo ossa sibi mutuò incumbentia; dum sincipitis aut verticis os sensim instar petrosæ-squammæ attenuatum descendit, atque sub illud os, quod ab auribus ceu altera itē squamma tenuatum ascendit, subintrat.

Cranij ossa. His quinque futuris, coronali, lambdoide, sagittali, & duabus squammosis, septem in cranio distinguuntur ossa. Duo in sincipite omnium infirmissima, quòd sub illis humidissimum cerebrum contineatur hæc tum quadrilatera vocantur propter figuram, quam extetius ostendunt, tum sincipitis ossa propter regionem, quam occupant. Tertium est os lambdoide futura in occipitio contentum, indéque appellatum: crassissimum omnium & durissimum. Quartum os frontis inter hæc crassitudine & duritie medium: quod & coronale dicitur. Quintum & sextum ossa tēporum quæ petrosa quoq. & squammona vocantur, quod superior eorum pars squammæ, inferior præ ruptæ rupis formam referat. Septimū ac postremum os palati, os basilare dictum; quòd cranij & cerebri basis existat: & σφηνοειδὲς, id est cuneiforme; non à figura, sed ab insertionis modo. Sunt qui colatorium appellent, quòd in fundo sinum & foramina habeat, quibus cerebri pituitosa excrementa glande excepta in palatum defluunt. Sinus κλινοειδῆς dicitur, ob lecti mensæue similitudinem: quatuorque illius eminentibus partibus dura committitur cerebri menyx. Sed & inferiori & externa parte quatuor emittit processus, vtrinque binos, inter quos musculus inferiorem maxillam mouens nascitur. Vespertilionum alas hi processus referunt, ideóque πτερυγοειδῆ nuncupantur. Glandem autem pituitariam sub dura menynge in osse cunei positam, superiorique parte concauam, inferiore gibbosam, ac ferè quadratam reperies; multò, quàm cæteras glandes, duriorem.

Os cunei & sinus eius.

Glans pituitaria.

Et hæ quidem sunt futuræ, hæc ossa cranium constituentia. Verùm in his duæ iam adhuc futuræ continentur. Altera in osse frontis, altera in sphenoide. Interiora namque medio frontis ossi ad summam nasi radicem inseritur illud, quod odoratus excipit organum; & nominatur κόσκινοειδὲς, hoc est cribrosum, quòd instar cribri aut coli, quo & purgetur mucus & abditis odoribus pateat, sit perforatum. Hîc tum galli cristam obseruant, quæ interiùs in acutum extuberans, dextrum ac sinistrum mammillarem processum distinguit: tùm os σπαγγοειδὲς id est spongiosum, quod in narium cauitatibus mollius ac tenuius apparet.

Sutura alia duæ.

Os ethmoides, seu cribrosum.

Galli crista.

Os spongiosum.

Quæ autem ad sphenoidem pertinet, ea est quæ hoc os cum superiori maxilla, occipitis osse, coronali, & ossibus temporum iungitur. At ex hac duplici futura vno duntaxat cranij ossium numerus crescit: illo scilicet quod ethnoides appellauimus: quo superioribus addito octo prorsus existunt cranij ossa. Nàm quod præter hæc à Græcis, ζύγωμα, à Latinis iugale os vtrinque commemoratur, quòd boum iugis simile videatur; peculiare os non est, sed processuum duorum coitus, quorum alter ex temporali osse procedit, alter ex osse externum oculi angulum constituente. Optimum est hoc os temporali musculo propugnaculum; cuius læsio maxima homini adfert incommoda.

Os iugale.

DE DVPLICI Menynge.

CAPVT XXXIII.

CRanio cerebrum continetur: at non nudum. Tristis enim ac molestus nec sine damno mollis cerebri & duri ossis contactus fuisset. Neque in abdomine iecur cum visceribus cęteris, nec in thorace cor cum pulmonibus nuda continentur: sed peritoneo illa conuoluuntur, his thorax succingente membrana obducitur. Molli cerebro fluxæque substantiæ duplicem natura membranam adhibuit, quas μηνίγγας Græci, matres arabes appellarunt: alteram duram, crassam, & omninò firmam, ideóque exteriorem & cranio proximam: tenuiorem multò alteram, molliorem, benignoque magis amplexu adhærescentem cerebro. Illam quasi mediam inter durissimum & crassissimum cranium, molliorémque ac tenuiorem membranam alteram: hāc inter mēbranam priorem & cerebrum mediam. Ambæ magnitudine & figura æquales sunt continenti corpori & contento: eo fine positæ, tum vt contineant cerebrum, altera fortiter ac robustè, potiusque ab externis iniuriis, præsertim in cranij fracturis, deffendat: altera suauiter magis ac benignè. Tum vt intra eas cerebrum moueatur, vt mox exponam. Tum vt venas nutriendo cerebro aut etiam cranio necessarias excipiant, sustentent, distribuant. Tum demum vt separent atque vt animalium bono opportunum erat, interdistinguant cerebrum. Idque duobus modis, in anteriorem & posteriorem partem: in cerebrum, inquam, & cerebel-

cerebellum: & rursum cerebrum in dextrum & sinistrum: vtrobique non penitus, sed aliqua ex parte sese insinuando; quod dura potissimùm præstat menynx, atque vbi ad dextram & sinistram cerebri partem separandam descendit, arcuatam quasi messoriam falcem describit; Falxque dici solet. Cranij basi firmiter vbique, præterquàm pituitariæ glandi, adhæret hæc menynx; superiorique parte futuris alligatur villis illis, qui mox pericranij principium existunt. Alligatur autem & suspenditur, ne cerebrum grauet & prohibeat motum: tantúmque à cerebro distat, quantum illius dilatatio postulabat. Superiori parte tota continua est; inferiori pluribus, quemadmodum & cranium, foraminibus peruia, quibus prodeunt nerui, spinalis medulla, pituita, & subeunt venæ, arteriæ, odores. Altera, quæ adhæret cerebro, vixq. propter nimiam tenuitatè vel tenuissimo stilo acutissimove cultello diuelli potest, propterea tantopere tenuata fuit, ne graui molestaque cerebro foret. Cùm præsertim in omnes quoque illius anfractus sese insinuaret. Cúmque plurimis vbiq. venulis conspiciatur aspersa, χοροειδὴς, quoque, vt & fœtum continens membrana, nominari solet.

CEREBRI PARTIVM consideratio.

CAPVT XXXIIII.

Cerebrum vnde appellatur.

MEnyngibus inuoluitur cerebrum; quod apud Græcos proprium nomen non habuit. Quippe ἐγκέφαλον dixerunt, hoc est, quod in capite continetur. Plato μυελὸν, id est medullam. Sophocles λευκὸν μυελὸν, albam medullam. Alij ἐγκεφαλίτιδα μυελὸν, capitalem medullam seu quæ capite continetur: ad differentiam spinalis. Nihil enim aliud, quàm cerebrum, menynges continent.

Inter præcipuas corporis partes habetur; eadem penè in homine ac animalibus cæteris conditione. Sed multò maior in homine quantitas, corporis maximè proportione: ob animalium functionum varietatem perfectionemque maiorem. Figuram habet à continente cranio. Substantiam penè medullarem: at minimum habet pinguedinis, glutinosique multum; vt in libro de principiis habet Hippocrates. Quadruplex Galenus in 1. de musculorum motu cap. 1. discrimen agnouit:

Cerebri & medullæ discrimẽ.

Primùm; medulla fluxilis est, nec ex ea oritur neruus. Alterum, medulla membranis non inuoluitur. Tertium; nec arteriis nec venis intexta est. Quartum; necvlla illi cõmunicatio intercedit cùm musculis. quæ omnia in cerebro cõspiciuntur. Sed nec cerebrum cranio continetur propterea, vt illi præbeat alimentum, quemadmodum ossibus medulla præbet: sed ideò potiùs nutritur cranium, vt cõtineat cerebrum. Neque inedia vel alia ex causa minuit; vt medulla reliqua.

Cerebri anfractus

Continuatum totum est, sed pluribus modis interdistinctum. Primùm anfractibus plurimis & circumuolutionibus (vt & intestina in ventre) quæ bonam illius molis partem penetrant vt subeuntibus venis nutriatur commodiùs. Nec parùm ad motum mollémque substantiam fulciendam conferunt. Nam quòd ad intelligendum conferre dixerit Erasistratus, meritò irrisit Galenus in 8. de vsu partium lib. ca. 13. quippe intelligerent quoque asini, qui cerebrum non minùs, quàm homo, anfractibus illis distinctum habent. Albicant anfractuum partes mediæ, pallescunt extremæ & cinerum colorem habent.

Cerebrũ & cerebellum.

Deindè anteriori & posteriori parte: Facit hanc diuisionem dura menynx in occipite, non nihil arctata cerebrumque subiens. Anterior totum occupat sinciput & verticem sagittalémve futuram, decuplo vel vndecuplo maior posteriore, quæ in occipitij regione sub lambdoide iacet. quare illa totius nomine vocatur cerebrum, hæc cerebellum, quasi paruum cerebrum, Græci ἐγκεφαλίδα dicũt. Minùs hæc albicat pars; immò subflaua prorsusque cinericia visitur.

Dextra & sinistra.

Denique pars antetior quæ cerebri nomen retinet, in dextram & sinistram messoria menyngis falce diuiditur. Tum ob maiorem cerebri firmitatem: quia dum subintrat menynx, firmiùs omninò vtrinque continet, quàm si vnica esset massa. Tùm vt dextra pars & sinistra distinguerentur, quas cerebri sinus, sensuum organa, netuorum distributio & omninò corpus vniuersum deinceps retinet. Tùm verò etiam vt facilior esset illius membri motus, commodiorque nutritio, quàm si vnica rudis esset moles. Cerebellum cùm sit exiguum, solidiorque substantia, & satis possit per circumfusos anfractus nutriri, diuisione hac non indiguit. Totum tamen cerebrum diuisio non penetrat, sed ad duos circiter digitos, quibus ferè eminet cerebello.

Media regio.

Hos si cultello secueris, continuum totum reperies cerebrum; illudque membrana obductum nulla & cãdidius multò ac durius. Frigidior enim locus: tum quia medius: tum quia receptaculum vitalis spiritus, quem eo loco refrigerari natura voluit. Eandem ob causam interiores anfractuum & circumuolutionum partes magis, quàm exteriores, dixeris albicare, quia frigidiores sunt. Exteriores quippe venulis & arteriolis calescunt plurimis. Sensim etiam inferiora durantur, quòd durioris medullæ spinalis principium esse debeant.

Corpus callosum.

Ergo in hac media regione cerebri, media inquam inter dextrum & sinistrum, inter supremum & infimum, iam candidissimum corpus ob longum & angustum à prioribus ad posteriora productum apparet, Græcis τολοειδὲς, nobis callosum corpus propter duritiem nuncupatum. Hoc cùm cerebri partes anteà diuisæ continuantur: tùm sinus duo & ciuitates distinguntur.

Sinus.

Sinus hi longiores sunt in priora & posteriora obliquo cauati ductu, perquam ampli, vt plurimum caperent spiritum animalibus functionibus necessariũ: candidissimo q. vbiq. & aqueo humore oblito corpore obducti, tum ne obscurus & tenebricosus, sed clarus, purus, & quàm maximè fieri poterat limpidus euaderet spiritus: tùm vt frigidiore loco meliùs temperari posset. Faciunt etiam hi duo sinus inspirationem & expirationem cerebri: ideóque ex anteriori & inferiori parte mamillares duo processus velut canales mittuntur ad nares, partim respirationis, partim excrementorum purgandorum gratia.

Separantur autem septo eiusdem cum cerebro substantiæ: quod superiùs calloso & inferius camario adhæret corpori. In medio tenuissimum

est, & quòd pelluceat, septum lucidum speculariſvè lapis appellatur.

Cur duo sinus. Cæterùm cur duo sint sinus, vnus dexter, alter siniſter, non omnino à Galeno excogitatam rationem probo in 8. de vſu partium cap. 10. vt altero læſo ſubſeruiret alter: quippe Smyrnæus iuuenis in altero vulneratus euaſit, quòd alter illæſus eſſet. Sed illam magis, vt & locus eſſet capacior, & ſimul firmior (Si enim vnicus fuiſſet, tã amplus infirmior ſanè fuiſſet, nec tantam cerebri incumbentem molem ſuſtentaſſet) & geminatis vtrinque ſenſuum organis reſponderent, quibus illos ſubminiſtrare ſpiritum oportebat. Hi namque duo priores sinus ſenſibus planè dicati ſunt, illiſque ſtudioſè famulantur.

Tertius sinus. Tandem hi duo sinus ad cauitatem quandam deorſum in cerebri medio terminantur, quæ tertius cenſetur sinus: Galeno medius, ſiuè quòd inter priores duos & quartum alium poſteriorem ſit medius, ſiuè quòd in cerebri medio verſetur. Huic veluti tectum triangulare corpus quoddam incumbit, quod propterea καμάρειον dicitur, quòd fornicis & cameræ formam referat: eandémque ob cauſam à Galeno φαλοειδὴς & φαλλοειδὴς appellatum eſt. Oblongum exiſtit, tribuſque columnis, vna in anteriori parte, ac duabus cæteris in poſteriori ſuſtentatum, tres arcus efficit; eiuſdem cum *Corpus camarii.* corpore calloſo ſubſtantiæ. Eius vſus eſt, vt quaſi teſtudo & fulcrum ſuperiorem cerebri molem ſuſtentet, ne tertium eum opprimat sinum.

Ab hoc rurſum patet ductus ad quartum sinum. Quo in ductu ſtatim offert ſe ſe glandoſum corpuſculum κωνάριον dictum, cono pineæ vè nuci ſimile; communem glandibus vſum habet, vt venas & arterias in cerebri sinus fuſas ſuffulciat, vt liber pateat ſpiritui ad poſteriora trãſitus. Poſt conariũ enim meatus eſt, per quem tranſire debet. Is inter *Duo glutia & teſtes.* duo rotunda corpuſcula iacet, quæ γλουτὰ nominantur, quòd paruæ quædam nates eſſe videantur. Sub quibus & teſtes ὄρχεις dicti apparent: quorum alius non agnoſcitur vſus, niſi vt meatum illum efforment ac tuto deducant, tueanturque ne à ſuperioribus partibus comprimatur. Meatui autem ſub natibus progredienti aliud quidpiam incumbit, *Epiphyſis vermiformis.* quod epiphyſis vermiformis nuncupatur. Oblongum enim eſt & vermiſimile. Tranſitui ſpiritus ad poſtremum ſinum præeſſe videtur; vt cùm opus fuerit, claudat & aperiat meatum.

Quartus sinus. Etenim in poſtrema quoque parte, quę cerebelli eſt, quartus & poſtremus continetur sinus, ad principium item dorſalis medullæ pertinens. Anguſtiſſimus omnium ille quidem & oblõgiori forma; calami, quam atramento intingimus, partem referens: ſed qui vltimò excipiat ſpiritum mouendo iam præparatum, atque per cerebelli ac medullæ neruos in totum corpus diſtribuat. Itaque priores duos sinus ſentiendo ſpiritum temperant, tertius mouendo, quartus ſuſceptum ſpiritum diſtribuit.

Sed neque hi, neque duo reliqui sinus vlla (quidquid Galenus ſcripſerit) obducuntur membrana: tum quia interior ille locus vt à nullo poterat lædi, ſic nullo eguit propugnaculo: tùm vt vehementior cerebri eſſet ad ſpiritum temperandum actio.

Plexus choroides. In duobus præſertim prioribus, qui & inſigniores ſunt, & in hoc munere plus ponunt operæ, plexus apparent choroides, venularum & arteriolarum pertenuis membranæ portiuncula labyrinthea prorſus textura tenuando ac præparando ſpiritui comparata.

Peluis. Ex tertij autem fundo meatus patet ad cerebri baſim, qui membranula excipitur, quæ ad modum infundibuli aut cyathi ſenſim anguſtatur; peluiſq. infundibulum, impluuium, & lacuna dicitur. Huic meatui alius interdum adiungitur ex eo loco; quo meatus tertij huius sinus ad quartum progrediens inter nates teſteſve verſatur, Itaque fuliginoſa & tenuiora cerebri excrementa ſurſum per ſuturas, *Cerebri excrementa purgata.* pituitoſa & craſſiora partim antrorſum naribus ſi magnopere affluant, partim deorſum meatibus hiſce & maximè ſecundùm naturã purgantur. (Nam & auribus quoque & oculis nonnihil ſecernitur) glandeque ſubſtrata excipiuntur & per cunei foramen emittuntur.

Rete mirabile. Toto demùm detracto cerebro plexus retiformis retevè mirabile conſpicies cunei oſſi inſtratum. Neque hoc rete ſimplex eſt; ſed quaſi plura, alia aliis ſuperpoſita: ità tamen, vt vnum alteri permiſtum & implicatum ſit. Ex plurimis intexitur venis & arteriolis, quæ aſcenderunt ad caput; in quibus coquitur plurimùm & elaboratur ſpiritus, antequàm cerebri ſubeat sinus. Ità credidit ſanè Galenus. Sed contra obiecit quædam Veſalius lib. 7. cap. 12. quæ non facilem habeant explicationem. Nec ſpiritus à corde tranſmiſſus coctionem aliam aut perfectionem quærit, quàm frigoris temperationem, quam in ſinibus cerebri abundè conſequitur. Itaque vt in ſinibus ipſis plexus cernuntur eiuſmodi, ità & in loco. Neque ex vaſis putat confici antequam petant sinus, ſed ex ramis hinc indè collectis, quibus ea cerebri pars calore alio deſtituta foueatur totique cerebro frigidiſſimo membro igniculus quaſi ſubiiciatur, qui & membro toti proſit, & deſluentem pituitam à frigoris congelatione tueatur; & apertos meatus conſeruet vt ſecernatur faciliùs.

Nullum aërem in cerebro ſpiritũ gigni. Minùs etiam mihi probatur eiuſdem Galeni & & medicorum illud; ad cerebrum & priores sinus inſpirari per nares aërem, ex quo in ſinibus gignatur ſpiritus. Etſi enim conſentaneè illi loquantur, qui in corde quoque ex inſpirato aëre magna ex parte generari ſpiritum voluerunt. Vniuerſum tamen ſpiritum in corde gigni ex ſanguine alio loco demonſtraui, neque nunc immorandum eſt: ſed conſentaneè item atque conſtanter affirmandum, nullum in cerebro generari ſpiritum; Hoc enim magnum omnino calorem poſtulat: ſed illum ipſum, qui abundè ſubminiſtratur à corde, temperari optimè atque ad animales functiones affici. Aëremque cerebro inimiciſſimum eſſe obeſſéque plurimùm, ſi vel exteriores illius partes ſubeat, Ga- *Narium reſpiratio.* lenus ipſe conſentit. Et inſpiratus per nares meatum habet, quo ad os & palatum declinat cordique refrigerando famulatur: nullum autem in mamillaribus proceſſibus ad cerebri sinus. Hæcque narium reſpiratio duas ob cauſas inſtituta fuit: tùm vt refrigeretur cor, dùm ore non reſpiramus: tùm vt cerebri excrementa purgentur; dilatentúrque foramina, quibus pateat odoribus aditus.

DE CEREBRI TEMPERIE & vsu.

CAPVT XXXV.

QVæ de neruis cerebro tùm anteriori tum posteriori alligatis disputatio esse solet, nùm ex hoc membro primùm erũpant, quamquã multiplex sit illorum soboles; in 3. lib. satis abundè fuit explicata. Itaque quatuor duntaxat, quæ de cerebro sunt, difficultates examinandæ superſunt. Prima est, quænam illius natura sit, quæ temperatio. Altera, quem vsum in corpore habeat. Tertia, an dilatatione & compressione moueatur, vt cor. Quarta, an sentiat.

Innata cõperatione frigidũ esse et humidum.

Atque inter omnes quidem video conuenire, innata temperatione frigidum illud & maximè humidum esse. Frigidum enim esse oportuit: tum vt spiritus, qui sensioni & motui famulaturus erat, temperaret calorem: tùm ne calore nimio spiritus ascendentis ex corde inflammaretur: quippe substantia est vt cumque pinguis magnoperéque glutinosa; vt indè profecti nerui testãtur, quos viscosos & tenaces esse oportuit. Tum verò quia in calido cerebro temerarij furibundiq. fuissent motus, ac deliræ sensiones, quales ferè phræneticorũ sunt. Debuit autem esse molle & humidum: tùm propter sensiones, quæ in capite specierum aut spirituum impressione & susceptione vigent: nam & sensuum omnium organa humida sunt. Tum propter neruorum propagationem, quæ ex dura & consistenti materia non fieret: nam & flexibiles neruos esse & spiritum ex cerebro transmissum promptè suscipere necesse fuit: Et cùm cerebrum in supremo loco esse deberet; si duram accepisset substantiam, nimium omnino grauasset caput. Estque manifestum mollitudinis argumentum tot membranis tamque duro osse inclusum ac munitum à natura fuisse.

Actuata cõperatione calidũ esse.

At si temperies tota per influentem & aduentitiam actuata spectetur; permulti sunt, qui cùm Aristotelem audiant in 2. libro de partibus cap. 7. probantem esse frigidum; tùm ex tactu; tùm argumento illo, quòd terrea & aquea sit eius substantia; & sanguine ferè careat: affirmantémque conditum in animalibus hoc membrum à natura fuisse, vt calorem cordis temperaret; actuata quoque temperatione abundare illud frigore credãt. Præsertim cùm in libro de principiis Hippocrates quoque sedem atque metropolim frigidi & glutinosi cerebrum appellarit. Verùm hi affirmare solùm voluerunt innatam temperiem frigidam esse; aut etiam influentem, antequàm spiritus accedat à corde atque hoc Philosophi argumenta testantur. At vbi callidissimus accessit spiritus, plus sanè caloris habet, quàm frigoris. Nec pessimè Galenus pronuntiauerit in 8. de vsu partium lib. cap. 2. cerebrũ tùm calidum esse, tum aëre calidiorẽ: hoc scilicet impuro aëre; quem plurimis vaporibus frigidis permistum respiramus. Cùm enim in eo membro plurimus contineatur spiritus immò amplissima vasa calido spiritu plena; fieri non potest, quin calescat tantopere, vt calor frigiditatẽ superet. Maximè quod mẽbrum est, si non primũ sentientis ac mouentis virtutis principiũ, ad eas certè tanquàm cordis vicarium exercẽdas institutũ: illę verò calore suum opus absoluunt. Tum ex thorace totoque corpore plurimus semper ad caput exhalat vapor, qui calorem augeat: adsuntque propugnacula frigida, mẽbranæ & cranium, quibus contrario circumiecto crescat calor. Adsunt exiguę quidem, sed plurimæ venæ, quæ cõtento sanguine calefaciant. Reque ipsa constat nimiam aëris alteriusue rei frigiditatẽ capiti obesse plurimùm: animalibus, quibus friget caput, imbecillam operationẽ omnium hebesq. ac tardum ingenium esse: ac demum tangẽti caput exteriùs calidum esse; vndè interiorem quoque calorem colligas.

Obiectionis solutio.

Defluxiones enim illæ cõtinuæ ac frigidæ pituitæ, quæ distallant ex capite; somnus item & id genus alia, quę ex cerebri frigore proficiscí dicuntur; magnæ quidem humiditatis argumenta sunt: at de altera qualitate solùm ostendunt minùs ibi caloris esse, quàm in corde ac cæteris membris, quæ tantam non habent frigiditatem innatam. Propterea namque vapores, qui ex calidioribus attolluntur mẽbris in parte minùs calida ex maximè humida, propter caloris inopiam humorisq. copiam densantur, grauescunt, & ad subiectas partes descendunt.

Quod autem Aristoteles cerebrum ad calorem cordis refrigerandũ positum fuisse dixit. Galenusque ad principatum neruorũ, motus, ac sensus; in superioribus fuit disputatum; nuncq. satis hæc fuerit repetita sententia: cerebrum animalibus propterea fuisse insitum à natura, vt natiuo suo frigore spiritum à corde ascendentem præcalidum atq. ad sensum & motum minùs opportunum temperaret atque ad sentiendum ac mouendum aptum efficeret: simúlque neruos effunderet, quibus temperatus spiritus transmitteretur: esseturque hoc mẽbrũ quasi cordis vicarium & in hoc duplici actionis genere exequendo sedulus ac fidelis adiutor.

DE MEMBRI EIVSDEM motu ac sensu.

CAPVT XXXVI.

AN verò systole ac diastole, compressionis & dilatationis motu moueatur; quemadmodum cor, paucis respondendum censeo, moueri sanè. Namque detracto cranio conspicitur motus in animali viuo; atque in recens natis mollissima quoque ossa palpitant. At anteriorem solam partem, non posteriorem. Habet enim prior amplissimos sinus, qui plurimum continent spiritum, eumque præcalidum ascendentem ex corde. Posterior & angustissimos continet sinus, & exiguum spiritum, eumq. à prioribus sinibus refrigeratum. Itaque cùm is motus à calido inflante atque humidum attollente proficiscatur (præsertim cùm vitalem in cerebro virtutem motus principium & causam cogitare non liceat: nec vlli in eo sint villi, quibus à seipso dilatari & comprimi queat) in duobus prioribus sinibus erit motus; mitior & tardior, quàm in corde: quia minor calor: in tertio vix vllus, in quarto omninò nullus. Ex effectu etiã duci argumẽtũ potest. Quippe interdũ ità sese dilatat & attollit cerebrũ, vt mẽbranã durã attingat: interdũ autẽ ab ea nõ parũ, distãt, quẽadmodũ & in pericardio cor. Et quænam tandem fuerit alia causa, cur ampliorem illam atq. à cerebro remotam cranioque affixam natura fecerit, nisi vt attolli contentum cerebrum posset?

Cerebri respiratio. Denique non minùs nec necessitate minori respirat cerebrum, quàm cor: tùmque ore, tùm naribus suscipimus aërem & reddimus: tùm vt nonnihil spiritû cõtinens locus refrigeretur: tũ vt odorum meatus dilatentur excremẽtaque cerebri purgentur, & spiritus à prioribus contractis sinibus ad posteriores trudatur. Atqui vt dilatari thorax non potest, quin simul extendantur pulmones; ita & in capite euenit. Accedunt & ea, quæ ad sternutationem pertinent; de quibus Philosophus in 33. sect. problematum. Colligit enim sese tunc cerebrum *Sternutatio.* & contrahit ad noxiæ rei exclusionem: quodque est in thorace tussis, & in ventre singultus, hoc in cerebro sternutamentum est. Naturalisque planè hic motus existit, non animalis. Neq. enim in nostra est potestate: neque vt nobis libuerit, intenditur aut remittitur, sed sponte sua semper mouetur cerebrum.

Cerebrũ sensus expers. At sensum ego quidem certè in hoc mẽbro nullum agnosco: nec agnouit Philosophus in 2. lib. de partibus cap. 7. & 10. & lib. 3. historiæ cap. 19. Immò nec Galenus; qui in primo de symptomatum causis cap. vlt. cerebrum dixit, non vt esset sentiens organum, sed vt sentiendi organis vim præberet, fuisse conditum. Et libro rursum 3. organum non sentiens appellauit. Diximus hac de re pluribus in 3. lib. cùm de neruorum origine disputaretur. Atque in promptu est experientia; qua vulneratũ cerebrũ duróue & acuto cõpressum ferro aut etiam diuisum, nihil sentire deprehenditur. Illaque ipsa ratio locum habet in cerebro, qua ossa, neruos, & pilos in tex. 79. lib. 1. de Anima, & text. 124. lib. 2. non sentire probauit Philosophus: quòd eam non habeãt qualitatum mediocritatẽ ac tẽperationem, quam tactus præsertim postulat. Frigore namq. & humore nimium abundat cerebrum. Et cùm inferiorũ ac subiectarum partium exhalationes continenter excipiat, perpetuò nimium doleret, præter naturam ab illis affectum. Itaq. dolores, qui sæpè sentiuntur in capite, membranarum sunt, non substantiæ cerebri.

DE FACIEI PARTIBVS.

CAPVT XXXVII.

FAciei continentes partes anteà cõmemorasse satis. Iam si rationem quæras, cur solius frontis cutis, non item reliqui corporis, sponte nostra moueatur: *Frons.* ego eam in superioribus respõdi; quoniam membrana carnosa illi subiecta carneis fibris neruorũq. ramulis adiectis vsque ad capillos musculosa est tota in reliquo corpore prorsus mẽbranea. Cùm præsertim tã firmiter adhæreat cuti, vt vnum videatur esse corpus ægreq. admodũ separetur. Sed & frõtis duo musculi sunt frontẽ ac supercilia attollentes.

Oculorum palpebræ mẽbraneæ existunt ad ocu- *Palpebræ.* lorum custodiam à pericranio ductæ, adiecta cuti mẽbranaque carnosa. Inferior immobilis est; superiorem duo musculi mouent, vnus in maiori situs oculi angulo, alter in minori; ille attollit, hic deprimit palpebram: altero scilicet laxato & quiescente, dum contrahitur alter & operatur.

A fronte ad labia inter duos oculos ducitur na- *Nasus.* sus; quo animalia persentiunt odores. Medium prorsus faciei locum tenet, oblonga & prominẽti figura. Tertia hæc est faciei pars à summa frõte ad imum mentum, si faciei partes proportione constent. Substantiam partim osseam ad medium ferè habet propter firmitatem, efformãdoq. cauitatem partim cartilagineam reliquam; vt in odoratione, respiratione, ac purgatione cerebri dilatari & cõprimi atq. omnino moueri posset, faciliusq. emungi. Hi enim tres sunt præcipui vsus nasi. Frontis ossi ethmoidi & cribriformi quod in spõgiosum mollius desinit, adnascuntur cartilagines: indéque ad nasi longitudinem bipartitam distinguntur; duabus formatis fistulis, quę vocãtur nares: tùm quod, vt est in 2. de partibus cap. 10. geminis sensuum organis natura gaudet: tùm ne altera parte læsa aut causa quauis obstructa, perneccssariæ animali operationes cessarent. Quod nares diuidit ac separat, cartilagineũ septũ est: externæ partes alę seu pinnę vocantur; siuè propter figuram & situm, siue quòd mobiles sint, atq. vt alæ pinnævè dilatẽtur & contrahãtur. Ad has dilatãdas à fronte perexigui duo extenduntur musculi: atque ad contrahendas duo alij à musculis labiorum accedunt.

Labium vtrumque sursum trahitur binis musculis à malo ortis deorsum totidem à mento profectis. Adestq. præter hos musculus alius, quem buccinatorem vocãt, quòd buccas circundans contrahat contractus, laxatusque laxet. *Labia.*

Mentum maxillæ partẽ fecit Philosophus, cùm in 1. de hist. cap. 11. duas maxillæ partes posuit, anteriorẽ mentum, posteriorem mandibulam. Quod de inferiori maxilla verum est, quæ per se spectatur & sola moueatur, dũ superior infixa cranio immobilis manet: solo fluuiatili crocodillo excepto, qui, vt eodem in loco ca. 7. li. 3. Philosophus idem confirmat superiorem, non inferiorem mouet. *Mentum & maxilla.*

Tempora demum iugali osse temporaliq. musculo; Genæ hoc ipso & massere; mentum deniq. insertis ipsi musculis constant. *Tempora.*

DE OCVLI SITV, FIGVRA, & tunicis.

CAPVT XXXVIII.

IAm sensuum organa consideranda supersunt, oculi, aures, lingua: de naso quippe odoratus instrumento dictum iam est, tactus autem organum vbique dispersum reperitur.

Oculi aspectus organum sunt, velut præclara duo microcosmi lumina: ab oculendo dicti, quòd in re condita & alta cranij cauitate & sub palpebris lateant. Per has quasi fenestras anima & prospicit omnia & sese prodit: omnium namque affectuum indices sunt. Immò & vniuersi corporis habitũ ex solis oculis cõiectare nos Hippocrates voluit. Sic enim habet in 6. Epidem. l. sect. 4. oculi vt valẽt, ità & totum corpus editissimo loco & anteriori capitis parte positi sunt, vt prospiciãt omnia antrorsum præsertim, quorsum moueatur animal, nam & nerui molles, quibus egebant illi, anteriori cerebri parte prodeũt. At profunda cauitate cõduntur tùm vt spiritus visq. visoria magis vnita: tùm vt ipsi tutiores sint. Adsunt nimirũ obtegentes, palpebrę, quę si quid immineat dãni, claudũtur illico. Ad sũt & palpebris infixa velut sepes cilia, quæ tum externos præsentiant incursus, vt & in limacibus exporrecta cornua: tùm non minimum conferant ad videndum. Adsunt & supercilia, quæ in 2. de *Oculi cui dicti.* *Oculi indices animi & corporis.* *Oculorum situs.* *Palpebræ cilia.*

partibus

partibus lib. cap. 15. à Philosopho velut imbricamentæ dicuntur esse aut grundæ humoribus; quæ ex capite defluunt, præparatæ, ne oculos lædant. Adsunt denique omni ex parte firmissima osseaque propugnacula, vtrinque nasus & os iugale: & ad nasum quidem angulus maior efficitur, ad os autem iugale oppositus minor: supernè verò frontis os, atque infernè pomum seu malum. Bini sunt oculi; quòd organa ferè omnia geminauit natura vt vno læso alterum esset vsui.

Ossaq. vndique.

Figura oculi.

Figura eorum rotunda est, perfectissima scilicet perfectissimi organi, robustissima instrumenti perneccssarij; ac demum maximè mobilis mobilissimi plurimâque lustraturi mẽbri. Tum verò vt vndequaque in orbem exquisitè perspiceremus; perpendiculari linea vndequaque ab obiectis ducta. non est tamen exquisitè tornata sphæra; sed posteriori sede oblõgior paulò, qua & visorium suscipit neruum, & infigitur cranio ac cerebro.

Oculi tunica.

Constat porrò totus oculus tunicis aliquot atque humoribus. Tunicas complures audio nominari. Nam & adnatam cõmemorant seu coniunctiuã, & corneam seu duram, & vueam, & choroidẽ seu secundinam, & retinam, & araneam. Ego non nisi tres agnosco integras & perfectas; quæ ex triplici nerui optici substantia dilatata existunt; diiudicatas plures. Namq. adnatã & corneam vnicam esse comperio, quæ mutata substantia mutet quoq. nomen: atq. in posteriori quidem oculi sede appellatur ὑπερφυκὼς, adnata seu coniunctiua; in anteriori cornea seu dura. Hęc omnium crassissima est, quòd extrema & aliarum totiusque oculi quasi propugnaculum. Partem eam totam, quam albam cernimus, adnatã dicimus, quòd reliquis adnascatur extrinsecùs: & coniunctiuam, quòd oculum totum adiunctarum membranarum interuẽtu cum capite ac proximis partibus coniungat & colliget. Plurimùm tuetur oculum, nè circũiectorum ossium durities lædatur: ideò crassa est & densa, musculisq. substernitur oculi: & vt est pinguis, sic illius rigorẽ prohibet. Huius quippe tunicæ beneficio numquam riget oculus. Pars verò anterior κερατοειδὴς & σκληροειδὴς cornea & dura dicitur, quòd laminæ illi corneæ, quæ laternis apponitur, similis sit, duritieque & pelluciditate cornu pertenuè & accuratè politum referat. Densa est & dura, vt pupillæ atq. humoribus omnibus totique oculo firmum sit propugnaculum: pellucida & perspicua luminiq. peruia ne perpetuis tenebris visionem impediat. Quam ob causam tum anterior hæc pars multò est posteriore tenuior: tùm venis ac vasis cæteris caret, quæ oculum obumbrarẽt, visionique impedimento essent, sed ab altera illi subiecta tunica nutrimẽtum haurit. Plerique adnatam ex pericranio & corneam ex crassa cerebri membrana deducunt. Verùm si vnica est tunica, vnicus & cõmunis erit exortus. Neque adnatam video cum pericranio coniũctam: sed optico neruo & circumiectis oculi musculis, qui membranulis pluribus additis adhęrent cranio. Propterea vniuersam hanc ego tunicam ex dura mẽbrana ad oculi quasi amplexum dilatata deduci non dubito.

Adnata & cornea.

Vuea & secũdina.

Alteram ex 2. mẽbrana, tertiam ex propria nerui substantia. Ad eũdem igitur modũ, quo prior, vnica est integra tunica, quæ & ἀραχνοειδὴς, & χοροειδὴς, & vuea & secundina nominatur. Anteriori quidem parte vuea, quòd nigræ vuę acinum, à quo auulsus pedunculus sit, & colore & forma præ se ferat. Indeq. cornea propter vueã nigrã illi subiectã appareret nigra, cũ vllo ex se colore sit prædita, sed lumini dũtaxat peruia. Posteriori autẽ choroides aut secũdina: siuè quòd veriùs vbiq. insperſa χοριῳ, secũdæ fœtũ inuoluẽti mẽbranæ persimilis sit, siuè quòd à secũda cerebri mẽbrana, quã etiã choroidẽ vocãt, ortum habeat: Tria præ cæteris habet hæc tunica. Primũ; cæterarũ omniũ vasa continet, quòd à secunda cerebri deducatur mẽbrana, quæ tota venis aspersa est. Alterum; anteriori sede perforata est: quod foramen κορὴ, pupillã & quasi fenestrã oculi vocamus. Per ea namq. cristallinus humor colores prospicit & lumẽ suscipit, alioqui perpetuis in tenebris obscurus delitesceret. Immò angusto foramine tum luminis radij, tum visoria virtus vnitur & acutiùs videt. Est & illud cõmodi, quòd per illud exterior tunica cornea nutrimẽtum accipit ex vasis, quæ interiorẽ choroidis sedẽ irrigãt. Tertiũ, sola hæc inter omnes tunicas est colorata, nisi adnatã dixeris albã esse: sed hæc post cristallinum humorem iacet, neq. visionem poterat impedire. Anteriores perspicuas ac lumini peruias esse oportuit. At nimiũ obesset, si vndequaq. accederet. Itaque peruio facto foramine reliquũ opacauit natura. Non est tamen vnus vbique color. Sed interior pars, qua cristallinum respicit, nigra ferè conspicitur: nigri siquidẽ est congregare: qua verò corneã, alio atq. alio colore prædita, in quibusdã cæruleo, in aliis cæsio aut nigro, vt varia est cerebri & oculorum tẽperies: indeq. variį oculorũ colores in homine præsertim apparent. Nam in cæteris animalibus, vt Aristoteles obseruauit in cap. 1. li. 5. de animalium ortu & post eũ Plinius lib. 11. cap. 37. idem semper in sua specie est color, boui niger, oui aquinus, aliis alius: soli equo interdum glaucus. Etti & aliæ sunt colorum illorum causę, quantitas, situs, puritas aut impuritas humorum, spiritus copia vel inopia. Posterior verò pars foris nigrorem ferè, intùs coloresvarios habet, subalbũ, viridẽ, cęruleum, qui omnes ad confortandũ cristallinũ non parum, & verò etiã ad refrangendum lumen faciunt.

Pupilla.

Vuea colores.

Tertia tunica est ἀμφιβληστροειδὴς, retina seu reticularis, & retiformis; quòd veluti filis ab optico neruo productis retis habeat similitudinem: mollis est & alba, visoriumque diffundit spiritum. At non totum ambit oculum, sed posteriori solùm sede vitreum humorem amplectitur cristallinoq. inseritur jbi, vbi amplissimus est. Huius enim posterior pars infigitur vitreo: anteriorique obducitur illa tunica, quæ ἀραχνοειδὴς, aranea idcirco nominatur, quod tenuissimæ aranearum aut ceparum telæ simillima videatur. Hanc si quartam tunicam nominaueris, nõ morabor: monebo tamen integrã non esse tunicam, sed integram ex hac & retina potiùs absolui, qua tum vitreus, tùm infixus illi cristallinus continentur. Tenuissima prorsus est aranea & pellucida, ne visioni moram vllã aut impedimentũ adferret. Ità sensim natura progreditur, à cornea & adnata maximè crassa & dura, per vueam & choroidem tenuiorem ac molliorem, ad hanc tenuissimam araneam, in qua cristallinum videndi præcipuum organum medio oculi loco condidit: circaq. illum ex retinę atque araneæ coitu corona quasi describitur, quæ cilia oculis exteriùs apposita pulchrè repręsentat.

Retina.

Aranea

DE OCVLI HVMORIBVS & musculis.

CAPVT XXXIX.

Humor aqueus.

TRes omnino humores hisce tunicis cõtinẽtur. Primus est is quem, ὑδατοειδὲς & ὑαλοειδὲς, aqueũ & albugineũ ob aquæ oui albuminis similitudinem dicunt. Anteriorem hic oculi regionem occupat, partimque inter corneam & vueam, partim etiam vueæ foramen subiens inter vueam & araneam continetur. Nam & humectat, & distendit, & separat tunicas hasce; prohibetque corneæ & vueæ lapsum suprà crystallinũ, ne illarũ duritie pondereuè lædatur: & lumen forinsecus accedens excipit & transmittit: ac demum cauet, ne subitò dissipet spiritum.

Crystallinus.

Alter est κρυσταλλοειδὴς, crystallinus & glacialis, aranea obductus tunica. Velut concretam aquam aut glaciem ad crystalli modum densatam & consistentem, non pari tamen duritie, illum esse dixeris. Omni caret colore, vt omnes diiudicet. Figuram habet rotundam, sed non omnino sphæricam, supino ferè aut lenti similem: anteriori parte magis planam, vt meliùs suscipiat lumen; posteriore magis acutam, vt humori vitreo infigatur firmiùs, nec facilè ex proprio exturbetur loco. Itaque inter aqueum humorem anteriorem & vitreum posteriorem sedet in medio prorsus ac centro oculi, velut princeps vidẽdi organum, propter quòd oculum totum verè extructũ dixeris. Quippe illi tùm humores duo reliqui; tum tunicæ omnes adstant, illiusque conseruationem & bonum spectant.

Vitreus.

Tertius igitur humor ὑαλοειδὴς & vitreus, fuso vitro planè persimilis, retina tunica continetur, semiglobi ferè figura; crystallino mollior, sed aqueo magis consistens. Hic si antè crystallinum fuisset positus, densitate nimia impedimentum attulisset visioni; posteriori sede locatus firmat eum & sustinet, alimentúmque illi præparat: ne colore rubro & venulis infricatur is, quem omnis coloris expertem oportebat esse, vt idoneum videndo colores omnes esset. Auicennam & Auerroëm non ignoro existimasse aut certè visos fuisse existimare humorem aqueum cæterorum quasi excrementum esse. Verùm omnes planè sunt animatæ partes animati oculi constitutrices, propter quas tunicæ ipsæ paratæ fuerunt: nutriuntur omnes: etsi semel pereât non recuperâtur & visio cessat. Sanè aperta sunt Philosophi verba in tex: 82. lib. 2. de anima, aërem insitum auri animatum esse asserentis, sicut pupillæ humidum.

Musculi motores oculi.

Totus igitur oculus tunicis tribus totidemq. humoribus absoluitur. Absolutum verò septem ambiũt motores musculi, quibus mira volubilitate in sua cauitate ad videndum atque explorandum mouetur: siquidem perpẽdiculari linea hæc actio constat, pupillámque ad videnda obiecta conuerti necesse est. Vnus igitur musculus ad nasum conuertit, alter ad oppositum angulum, tertius sursum, quartus deorsum. Qui omnes vt rectum & similem faciunt motum, sic rectis constant fibris sibique similes sunt & similem habent exortum ex interiori ossis cranij cauitate ceu firmo ac stabili fundamento: & similẽ item terminũ in suprema ferè adnatæ regione. Post hos minores alij duo accedunt obliqui oculum circumuertẽtes: prioribus similem hi quoq. obtinent ortũ, sed mox obliquo ductu alter ad maiorem, alter ad minorem oculi ascendũt angulum. Septimus denique grandior multóq. refertus adipe opticũ neruum in orbẽ ambit, adnateq. tunicę in orbẽ item inseritur turbinata figura. Eius actio est firmare oculum fixumque tenere in motu tonico quo alicui obiecto attẽte diutiusq. inspiciẽdo applicatur oculus. Bestiariũ, quæ terrã spectãt, proprius hic esse à Faloppio & aliis creditur.

Nerui oculi.

Ex cerebro porrò tum ad oculum optici ducũtur nerui visorium spiritũ defferentes, tũ alij ex secundo pari ad musculos hosce mouendos. Adstant verò vtrinq. ad oculi angulos exiguę glãdulæ humori excipiendo paratæ, nè obsit oculo; indéq. erumpunt lacrymæ. Deniq. Galenus in 10. de vsu partiũ lib cap. 2. in ea oculi parte, in qua corneæ & adnatæ insertio visitur iidem quandam ceu coronã fieri obseruauit in septem omninò sibi insidentes circulos partitã: in quibus nunc immorari non placet: curioso lectori indicasse satis.

Glandulæ

Curseus lusorius simul mouentes.

Illud obiter considerandũ; quo fiat, vt cùm singuli oculi suos habeãt motores musculos, ambo tamen simul & eodẽ moueantur motu; neq. vnus altero immoto moueri, aut vnus in vnã partẽ, alter in alteram trahi possit. Duplicẽ reperio causam, vnam efficientẽ, alteram finalẽ. Efficientem significauit Philosophus in explicatione problem. 7. sectionis 31. quoniã vnicũ est principium motus eademq. vtriusq. origo, anterior cerebri pars; neruiq. optici, etsi mouentes hi non sint, cerebro tamen proximè colligant oculos; dumq. coeunt ambo, faciunt vt vnus in vnã partẽ mouens alterũ secum ad eandem trahat: minusq. omninò est per hunc neruorũ coitum oculorum consensus. Finalis autem causa fuit, vt tale prorsus, quale est, obiectum quodque appareat, exquisitáq. prorsus & certa sit hæc actio animalium bono tantopere necessaria: quæ ex diuerso oculorũ motu imperfecta foret geminaretq. obiecta. Multa in hanc sententiam Galenus disserit in 10. lib. de vsu partium cap. 12. & 13.

OCVLVM AQVEÆ, NON igneæ naturæ esse.

CAPVT XLI.

Platonis sententia.

HAc oculi descriptione facta, facile fuerit disputationem illam terminare, quæ inter Aristotelem & Platonem de huius organi natura aliquãdo fuit. Plato igneę aqueæ Aristoteles naturæ esse contendit. Platonis sententiam Pythagoreorum quoque fuisse testatur Priscianus Lydus in Theophrasti librũ de anima cap. 44. Quoniam oculus est luminis susceptaculum, tum propter tenues & nitidissimas tunicas tum propter humores ad summum perspicuos. Lumen namque ignea species est. Deinde oculus est agilis, rotundæ figuræ, maximeque spiritalis; quæ ignis conditio est. Tum quorumdam animalium oculi, vt fælis, lucidi sunt & micant quemadmodum ignis. Et oculus quilibet compressus lucem quandã & splendorẽ emittit. In quam sententiam Galenus in 7. li. de Hippocratis & Platonis decretis ca. 4. fuisse quendã memorat, qui cũ in oculorũ morbũ incidisset, affirmauit se antequam id ei accideret apertis in somno repẽtè palpebris magnã antè oculos lucem videre fuisse solitum: quod tũ sibi tùm aliis multis euenisse testatur. Etsi 8. lib. de rerum varietate Hieronymus Cardanus cap. 43.

eam testatur iuuenem se oculorũ conditionem habuisse; vt in obscurissima nocte à somno excitatus lustraret omnia. Quod & Tiberio Cæsari accidisse refert Plinius lib. 11. cap. 37. Et Marsilius Ficinus in Platonis conuiuium, oratione 7. cap. 4. S. Augustinum addit tàm claros & nitidos habuisse oculos, vt si acriùs quemquam intueretur, eum quasi ad solis splendorem cogeret vultum dimittere. Tum verò nunquàm riget oculus: nec alia videtur esse causa, quàm ignis. Postea nobilissimo organo nobilissimi sensus nobilissimum elementum debetur. Et Aristoteles ipse in problem. vltimo sect. 31. apertè scripsit aspectum ex igne esse auditum ex aëre. Extátque in 5. lib. de animalium ortu cap. 1. Empedoclis illud, cæsios oculos igneos esse, nigros aquæ.

At longè aliter in libro de sensu & sensili cap. 2. & lib. 5. de animalium ortu cap. 1. & problem. 23. sect. eiusdem. Vbi quærens, cur oculus membrorum omnium solus non rigeat; eam adfert causam, quia est opimus, nec carnis quidquam continet: eosque irridet qui propterea non rigere inquiebant, quòd in eo sit ignis. Vbique autem aduersus Platonem contendit aqueæ potiùs esse naturæ. Quare in tex. 82. lib. 1. de anima pupillam dixit esse humidam: & in text. 130. eam esse aquæ, auditum aëris, odoratum alterius horum; ignem aut nullius esse sensus aut communem omnibus. Certè si vlli tribui debeat ignis, odoratui potiùs tribuendus videtur, qui in fumoso habitu caloris vi resoluto consistit. Vt sic liceat de sensibus omnibus ratiocinari. Tactus & gustatus terræ sunt, odoratus ignis, auditus aëris; aspectus igitur aquæ. Cùm enim oculus tunicis constet & humoribus, illæ natura frigidæ sunt & siccæ, hi verò, propter quos fabricatæ sunt tunicæ, aqueam planè tẽperationem habent. Et pupilla ipsa præstantissima pars, cuius gratia totus est oculus, nõ aliam, quàm aquæ, naturam habet. Itaque læso aut fracto oculo magna ex eo fluit aquæ copia. Et ita humores separantur à tunicis, vt non nisi aqua vel aqueum prorsus quidpiam secernatur. Ad videndũ autem opus fuit oculum esse perspicuum, vt susciperet lumen posset: terreus igitur esse non potuit, quia fuisset opacus: neque aëreus aut igneus; tum quia hæc elementa aliis potiùs sensibus debebanturritũ quia non diù retinuisset lumen: tùm quia si interiorem haberet ignem, lux interior exterioris aspectũ prohiberet. Aqua ad suscipiendum & retinendum aptissima est. Denique oculus est propè cerebrum, proximéq. cum eo per opticũ neruum coniungitur, & indè accipit tunicas: quarè credendum nõ est eum naturã habere illi prorsus contrariã, sed similẽ potiùs. Propterea mobilis est & agilis: quoniã humiditas multa lubricum facit, & musculorum multitudo promptissimè mouet. Quòd sit lucidus; externa lux facit: ex se autem perspicuus est, quia aqueus. Rotunda figura aquæ potiùs attestatur, quàm ignt. Aqua enim eam semper figurã quærit; ignis pyramydalem magis. Dicitur spiritalis; non natura, quòd tam materiale corpus est, quàm reliqua; sed operandi modo, quia & momento agit & species intentionales suscipit (aut etiam ijs omnino non eget) seu lumen, quod immaterialis penè qualitas est.

Quod verò alicubi dixit Philosophus esse ex igne, loquutus ex aliorũ sententia est: quod in problematico illo opere ac præsertim in ea sectione sæpè facit. Quare in problem. 23. sententiam illam grauiter reprehendit. Neque mirum est postremæ illius quæstionis propriam eum tunc solutionem non exposuisse: quoniam in problem. 12. 13. & 19. iam aperuerat quid ipse sentiret. Quæstio erat, cur manus dextra & pes dexter differant à sinistris & perfectiùs operentur; oculus & auditus non differant. Duplicem iam solutionem exposuerat. Alteram ex assuetudine; quòd ab initio statim sensus vterque tam sinister quàm dexter æquè exerceatur. Alteram ex ipsa sensionis ratione: nam sentire est pati & affici ab obiecto; perindéque sensus vterque patitur & afficitur. Facultates cæteræ sunt actiuæ atque in dextra parte robustiores, quòd in ea maior animæ virtus & efficacitas. Vt magnoperè verendum sit, ne vltimum illud problema inconsultò ac temerè à quopiam additum sit aut certè non eo, quo debuisset, insertum loco: nimirum tanquam aliqua præcedentium pars.

Cur æquè sinistro & dextro oculo videamus.

Iam verò quoniam experientiæ permultæ oculum esse naturæ igneæ internúmque habere lumen persuadere videntur; hoc rursum explicandum est. Sunt qui omnino velint internum illi inesse lumen. Sed negat Auerroes in 3. libro colliget cap. 38. tum quia non posset videre lucidum; tum quia in tenebris quoque cerneret; tum quia lumen ex parte potiùs obiecti, quàm facultatis, stat. Quod eò mihi verisimilius videtur, quòd si necessarium visioni est lumen, satis est externum, quod tum in medio suscipitur, tum in oculo. Et cùm oculus aqueæ sit naturæ, intelligi non potest, quo modo insitum illi sit & connaturale lumen. Quippe nec aqua nec aqueum vllum mistum lucidum est, sed perspicuum & aptum ad susciendum lumen. Neque Tyberij Cæsaris Cardaniue oculos in tenebris clarè videntes mireris. Tum quia & de Tyberio Plinius & de se ipso Cardanus referunt, vidisse quidem omnia clarè nuperrimè experrectos, sed breui tempore virtutem illam ita fuisse subtractam, vt paulò post nihil omnino cernerent. Quòd si exinanito lumine profectum illud fuisset, subtractum nunquam fuisset: neque euigilantes modò, sed tota item nocte præsentia omnia æquè vidissent. Tum quia huius rei causam in spiritum refert Galenus, & idem ipse Cardanus in calorem cerebri, tenuitatem spiritus, & substantiam oculi, atque in præualidam imaginationis vim. Idem de oculis fælium dici posset.

Num oculo innatum insit lumen.

Thomas de Garbo q. 34.

Oculi in tenebris videntes.

In eo quoque difficultas non leuis, quòd compressus aut fricatus oculus lucem quandam & fulgorem emittit. Aristoteles in cap. 2. lib. de sensu & sensili responsionem eorum minimè probat, qui fieri propterea id inquiebant, quod cùm igneus oculus sit, dum mouetur, videtur ignis lucere. Hancque ipse sententiam subiicit. Causa autem huius, & putandi ignem visum esse hinc sumenda. Læuia enim in tenebris fulgere nata sunt, non tamen lucem facere: oculi autem vocatum nigrum & medium læuè apparet. Apparet autem hoc cùm mouetur oculus; quia accidit quasi duo fieri vnum: hoc autem celeritas facit motus; ita vt aliud videatur esse videns, & visum. Quæ verba nonnullis visa sunt perobscura, aliis etiam omninò falsa. Ab Auerroe autem & Auicenna ità exposita vt vi illius motus oculum dixerint ex suo naturali loco discedere, rursúmque ad eum redire: sed quia celerrimus est

Oculus pressus aut fricatus vt fulgorẽ emittat.

Aristotel. sententia.

Vt alicubi dicat esse ex igne.

motus, relinquit oculus speciem sui in proximo aëre, eámque ibi cernit. At tribus modis peccant. Primùm, quòd speciem accipiunt per se ipsam videri: quod illius auctoris non admittunt. Deinde quòd oculus non videt seipsum nec sui speciem, sed lumen. Postremò quia cùm oculus ad suum locum & situm rediit, non videtur ampliùs fulgor, sed dum comprimitur. Alexander igitur & Sanctus Thomas oculum inquiunt esse læuem ac tersum, & ideò semper in se reflectere aliquâ lucem, licet exiguam; qua nunquam destituitur aër. Deinde cùm idem oculus sit mollis, compressus potest quodammodo diuidi, vt vna illius pars emineat magis, quàm alia; & ideò pars inferior cernat lucem, quæ in altera eminentiori est parte. Sed quæri potest, cur is fulgor quasi extrà oculum cernatur? Cur rotundus videatur? Quomodo sensile positum suprà sensum sentiatur? Albertus oculum dixit necessariò debere habere lumen, vt videat: quòd si frigetur, lumen illud splendere. Fuerit id fortasse verum, si oculus innatum lumen habeat. At si aliud, quàm externum, non habet; non video quomodo remoto corpore lucido remanere in oculo possit. Videtur potiùs is effectus referendus in spiritum; qui tenuissimus cùm sit, dum fricatur oculus, facillimè inflammatur; Præsertim cùm oculus læuis sit & tersus: & ideò inflammato spiritu facillimè fulgeat. Breui tamen tempore cessat fulgor; quia tenuissimus spiritus citissimè extinguitur. Sanè Philosophi verba significant inferiorem oculi partem pressam cernere superiorem tanquam lucidam: quia læuis est & tersa. Apparet autē quasi extra oculum; quia superior est extra partem eam, quam videt. Apparet rotunda, quia oculus & visa eius pars eam verè figuram habent. Denique quomodo sensile positum supra sensum possit aut non possit sentiri, alium habebit magis proprium explicationis locum.

DE AVRE.

CAPVT XLI.

Auris cur ducta.

QVemadmodū in oculo aspect°, sic in aure audit° organū cōtineri nemo ignorat: iuréque optimo Alcmęonem irrisit Philosophus in primo historiæ libro cap. 11. capras auribus spirare credentem. Appellatio quidem certè indè videtur ducta; aut quòd sonos hauriant, aut ab audiendo, aut demum à Græca voce *ἀούω*, quæ vocem significat. Atque in edito loco & vtrinque positæ aures fuerunt, vt incurrentes ex omni parte sonos haurirent. Qua verò potissimùm oculorum auriúmue parte colores aut soni sentiantur, eo loco docebo, vbi de facultatibus disseram: nunc organorum descriptionem facio.

Auris partes.

Auris igitur duæ sunt partes: exterior vna ex cranio capitéque prominens, foramini auditus in orbem infixa: proprio nomine auricula dicitur. Altera interior cranioque recondita. Exteriorem nec osseam esse oportuit, nec prorsus carneam.

Aures cur cartilagineæ.

Ossea namque & facilè frangeretur, & inutili grauaret pōdere, & duritate atque inflexibilitate plurimùm esset molesta. Carnea verò tùm facilè contenderetur, tùm multitudine nimia minùs esset ad excipiendum & traducendum sonum idonea. Neque erecta staret, sed concidens aditum soni præcluderet: atque ab externis demum plurimùm pateretur iniuriis. Ergò cartilaginea est, mediæ inter os & carnem substantiæ: obducta tamen pelle, communi partium omnium tegumento. Sic enim erecta stat, nec vllum animali adfert incōmodum. Propterea pars inferior carnea propemodum est & prorsus mollis; quòd iam infra foramen auris pendeat ad ornatum potiùsquàm ad vsum. Inferior hæc pars fibra dicitur, superior pinna.

Auris figura.

Tota caua & sinuosa atque in nobis semicirculari figura; sempérque patula excipiendis parata sonis, & intrò coniiciendis oportuna. Nam & vt meliùs audiamus, manum cauam obtendimus auri: & in 5. lib. de animalium ortu cap. 2. audire acutiùs dicuntur animalia illa, quæ longas ampliusque imbricatas auriculas habent, quòd sonos excipiant meliùs & intrò trudant: quibus auriculæ præcisæ sunt, ægriùs illi audiunt. In animalibus cęteris mouentur, homini stant immobiles: tum ob mouentium musculorum defectum, nimiámque tenuitatem & imbecillitatem neruorum: tum quia vt in 2. lib. de partibus cap. 11. legimus, cùm erectæ figuræ sit homo, duobusque nitatur pedibus, facilè potest in omnem se partem conuertere ad sonum omnem percipiendum. Denique multa, quæ aurium motu animalia cætera faciunt, vt abigere muscas & si quid sit eiusmodi aliud, manibus homo præstare potest. Quibusdam tamen interdum hominibus mouentur, & quendam ipse mouentem vidi: quòd nimirum pars aliqua circumiectorum ceruicis musculorum ad eam vsquæ regionem progrediatur interdum. At quem tandem vsum habeat auris tàm parua, etsi in hominibus cunctis mouerentur?

Hominis cur immobiles.

Auibus & piscibus cur nō aures.

Auibus & piscibus pars hæc non prominet: nimio enim esset volantibus aut natantibus impedimento: nimiúmque aues aëre & pisces aqua per auriculam susceptam læderentur. De marino vitulo loquens Philosophus in 5. lib. de animalium ortu cap. 2. hanc ipsam & aliam quandam causam exposuit. Auribus, inquit, caret, meatusque tātùm habet, quibus audiat. Causa est, quòd vitam hic in humore traducit: pars autem aurium addita meatibus est, vt motus à longè delatus aëris seruaretur. Itaque nihil vtiles ei auriculæ forent. Immò verò offenderent, cùm intrà se copiam humoris reciperent. Et exterior quidem auricula sic se habet.

Auris meatus.

Interior autem locus obscurior multò est maioríque opera & arte insculptus. Est enim anfractui cochleę similis, vt Aristoteles scripsit in 1. de historia cap. 11. tam est tortuosa fluxuosaque pars hæc. Ampla principio est, sed mox in foramem desinit, quod propterea nominatur cœcū: ob flexuosam, inquam, meatus tribus maximè gyris contentam obliquitatem. Aut etiam quòd tàm sit angustā vt vix vllum esse videatur. Quod propterea factum est, ne vehementi motu aëríque ac soni appulsu interius organū læderetur, contunderetur, aut etiā penitus rumperetur. Nam & obliquitate meatus frangitur, & foraminis angustia retardatur; & verò etiam arcentur bestiolæ, quæ & cruciatum maximum & damnum attulissent.

Aurium sordes.

Sordes in eo colliguntur, cerebri excrementa bilioſa. Inde illud accedit commodi, quòd bestiolis ingressus vlterior prohibetur, dum fæcibus illis quasi visco detinentur. Cur autem eæ sint amaræ, eam Philosophus in problem. 4. sect. 32. voluit esse causam, quòd ex putri & excrementosa

oriantur

oriantur materia, quæ salsa nimirum est. Sed & nimia siccitas & adustio salsedinem faciunt, tum in omni excremento, absumpto scilicet humido dulci; tum in aqua maris, quæ adustione salsescit. Hæ verò sordes biliosa excrementa sunt, adusta, calida, & sicca. Et ideo etiam flauescunt: bilis enim flauus est humor: Viscidæ sunt & tenaces: tùm propter bilis naturam: tùm quòd cerebri, cuius excrementa sunt, substantia tenax, siccatæque in aure tenaciores euadunt; cùm præsertim locus ipse sit tenax.

Meatus sursum potiùs, quàm deorsum, progreditur: quò & cerebri sordes commodiùs defluant, & si quid extraneum ingrediatur, difficiliùs penetret elabatúrque faciliùs. Cæterùm foramen cœcum in cranij cauitatem temporis ossi insculptam pertinet: Ad eámque neruulum à quinto pari admittit. Cauitatis huius partes quædam læues sunt, aliæ pumicis instar asperæ. In eáque & tympanum & incudem, & malleum, & stapetem mirabili artificio extructa cernimus. Nō procul enim ab aurium foramine osseus orbiculus est veluti linea descriptus, tenuique membranula à menynge dura obductus. Inter hunc circulum areamvè contentam & aurem officulum est, quod paruæ incudis formam referat. Hîc aër ille continetur, quem in tex. 83. lib. 2. de anima auribus insitum & in ædificatum Philosophus dixit: tympanumque veluti facit membranula illa foramini cœco obliquè obducta ac tympani modo tensa, aërémque illum includente: qui tamen elementaris aër non est, sed vapor aëri similis. Obliquè autem membrana tenditur, vt ab externi aëris soniuè impulsu minùs patiatur. Tympanum hoc meringa vocarunt aliqui: & illud eiúsque vsum paucis descripsit in libro de principijs Hyppocrates. Aurium, inquit, foramina ad os durum & siccum lapidi simile pertingũt. Iam verò ad ipsum os cauitas est antrosa. Pellicula verò in aure iuxtà os durum tenuis est veluti araneitela, omnium pellicularũ siccissima. Quod autem siccissimum est, maximè resonat. Nimirũ tympani vsus communis est, vt percussum resonet; hæcque membrana externi aëris impulsu percussa resonat, sonúmque interiori renuntiat organo. Si humoris defluxu madeat, grauior sonorum auditus est: humida námque minùs resonant. Si crassior sit & densior, surditatem omnino adfert.

Porrò hæc resonantia trium fit officulorum vsu, quæ cauitate hac continentur. Vnum incudis molarisuè dentis, alterum mallei, tertium antiqui stapetis aut Græcæ litteræ Δ (triangulare enim est) figuram referunt. Solidissima omnia sunt & siccissima, vt magis resonent. Malleolus membranæ appensus in incudem desinit; incus alligatur stapeti: membrana impulsu aëris mota malleolum mouet; is incudem percutit, & interior fit resonantia, sonúsque quasi cuditur: quòque faciliùs transmittatur, fenestellæ duæ, superior & inferior, adsunt. Adest & canaliculus ad palatum asperæque arteriæ orificium cartilagineus: tùm quia inter ossa opus fuit materia solida: tùm vt patens semper esset: eiusmodique omninò solet esse aëri transitus. Hoc quippè insitus ille purgatur aër & subinde mutatur, nè diutiùs inclusus putrescat: aut etiam, vt alijs placet, ad tympanum quoque & contentum aërem recreandum inspiratus penetrat aër.

Hinc mirus inter aures & palatum ac guttur consensus existit. Vt propterea quidpiam attentius auditurі non respiremus: & vt Aristoteles habet in 5. libro de animalium ortu cap. 2. & problem. 13. sect. 32. oscitantes non benè audimus sonos; quoniam aëre subeunte inflatur nimium ac distenditur auris tympanum, nec pulsare malleolus valet. Nec oscitantes audemus aurem inscalpere: quoniam cum infletur membrana, si autiscalpio tangatur, læditur plurimum; aut certè oscitatio cessat. Nonnulli etiam, cum suas inscalpunt aures, tussiunt: quòd ex aurium cõfrictione quidpiam ad guttur per meatum defluat, quod tussim mouere possit: aut si prorsus sicca sit tussis, ex sola vasorum communicatione mouet: Surdastri per os audiunt melius: subit enim per meatum sonus. Ac demum tangentes aures saliuam excitamus in ore: magna siquidem est aurium cum radice linguæ coniunctio.

Verum interior alia cauitas in aure est, quam labyrinthum vocant, quòd multis quasi circulis cõstet; in quibus susceptus tandem sonus sentitur. Adest enim auditorius neruus ex anteriori conclaui protensus ibique in membranulam dilatatus, quæ sensum sonorum habet.

Aurium cauitas.

Aër insitus auri, & tympanum.

Incus, malleus, stapes.

Fenestellæ, & canaliculus.

Aurium & palati consensus.

Labyrinthus.

DE ORE ET PARTIBVS eius.

CAPVT XLII.

DEnique restat gustandi organum considerandum. Illud est lingua: quam inspicere si libeat, aperias os, vastúmque illud antrum & amplam cauitatem, in qua delitescit lingua, simul intuearis. Et ego dicturus de lingua, simul etiam oris partes omnes percurram.

Oris vniuersi duplex est generalis vsus, tertius specialis. Generalis & animalibus omnibus communis est, tum ad respirãdum, tum ad sumendum alimentum: hac enim parte & aërem ad pulmones & alimentum ad ventrem transmittimus. Adde etiam si placet, excrementa multa secernimus. Homini autem proprius, loquutio est. Aëre quippè inspirato & respirato ad loquendum vtimur. In multis hic quoque vsus quoquo modo inest, siuè ad gemitus & in conditos edendos sonos; siuè in auibus ad cantum.

Oris vsus.

Quæ in ore aperto considerantur, hæc sunt; palatum, gurgulio, fauces, παρειαὶ, lingua, maxillæ, gingiuæ, dentes. Palatum quasi tectum testudovè incumbit: Græci ὑπερῶον dicunt, quasi oris Cœlum. Ad huius finem faucibus imminet gurgulio, græcis παρεγκρεμὸν, carnea & fungosa particula, superius latior, inferius angustior: quam ob causam infundibulum appellant aliqui. Vocis modulationi plurimum confert: quibus enim is aut præsectus aut derosus est, ijs loquutio deterior. Propterea q. plectrum à quibusdam vocatur; solúsque homo & aues quædam eo vtuntur. Omnibus verò communis vsus est, vt frigidiorem aërem mitiget; qui pulmonibus obesset & plurimum in ijs obest, quibus gargareon præcisus sit; quos tabe consumi auctor est. Alexander in 3. problem. lib. 2. quòd crassescat sanguis pulmonésque densentur & ad motum tardiores euadant: quarè magno ad motũ conatu rumpuntur vasa, vt tabẽ oriri necesse sit.

Palatum

Gurgulio.

Columella & vua.

Quid verò à gargareone differant columella, & vua, seu riuula; explicare meliùs nō possum, quàm fuerit ab eodem Alexandro expositum. Columella, inquit, vitium gargaris est (gargar enim etiam dicitur) cùm in longum per fluxionem efficitur. Et vuam gargar idem per morbum appellare solemus, quoties per inflammationem speciem accipit vuæ acini.

Fauces.

Iam Fauces Græcis φάρυγγα totam hiantis oris capacitatem nominamus, ab inferiori maxilla ad ceruicis vsque vertebras circumscriptam. Angustam hanc regionem plurimis refertam organis ἰδμόν quoque veteres dixere Græci. Vnde

Paristhmia.

μελίδωμα glandulæ iuxta isthmum vtrinque positæ quibus lingua, fauces, & os irrigantur saliua, fuere dictæ.

Lingua.

Lingua verò siue à lingendo fuerit nominata, siuè quòd alligata faucibus sit; tùm sapores gustat & discernit, vtiléque alimentum ab inutili dignoscit: tum suo motu cibum ore susceptum dentibus terendum subijcit: tùm eundem tritum in gulam trudit: tùm sonos ac voces format loquutionemque totam moderatur; ἄγγελον λογὸν, sermonum Angelum ac nuncium appellauit Euripides. Sunt & alij quorundam animalium vsus proprij: vt canis ad bibendum, lambendósque morbos & curandos; vrsi ad expoliendum & perficiendum fœtum, atque aliorum alij. Communissimus & amplissimus omnium is est, qui circà sapores & alimentum versatur. Et quoniam sapor non nisi in humido gustatur, saliuæ humor à proximis suppeditatur glandulis, qui loquutioni non minùs prosit: nam nec voces cudere arida lingua potest.

Saliua.

Figuram, magnitudinem, situm, & substantiam vsui maximè habet opportuna. Figura est longa nec magnopere lata, sed basi, quàm mucrone, latiore. Ori magnitudine planè congruit, vt cōmodè in omnem eius pertingat partem. Basis alligata, mucro solutus ac liber, vt expeditè moueri & cunctis oris partibus applicari queat. Omnino inter dentes continetur, atque ad gulam & arteriam asperam desinit. Dentes namque cibum comminuunt, gula comminutum suscipit, arteria aërem trahit & reddit: omnibus adest lingua, gustando inquam & comminuendo alimento, eóque deglutiendo, ac voci ex aëre respirato formandæ. Inferiori medio ipsius corpori validissimum subijcitur ligamentum, quo suffulta faciliùs in omnem partem mouetur. Extremæ huius parti funiculus adnascitur, quem linguæ frenulum vocant. Radici adstat os, quod à similitudine litteræ υ hyoides nominatur. Nullum os substantiæ linguæ insertum aut cartilaginem admirabilis illius agilitas patiebatur. Hyoide vtcumque fulcitur, & super illud mouetur. Ligamentum pro osse datum est: quod non solùm firmat linguam, sed etiam facit vt non nimium in se colligatur retrorsum, quò difficilior esset ad anteriora extensio.

Linguæ frenulū.

Os hyoides.

Linguæ substantia.

Substantia igitur carnea tota est, mollis, rara, laxa, ac penè spongiosa fungosaue: tùm ob motus agilitatem, tùm vt sapidos humores faciliùs susciperet. Itaque tenuissima obducitur membrana & palato communi. Bipartita cernitur ac diuisa in quibusdam animalibus, vt in serpentibus, sicut bina sunt cæterorum sensuum organa. In homine ac reliquis vnica continua tota, in dextram tamen & sinistram partem linea media per longitudinem eius ducta distinguitur. Lingua, inquit Philosophus in 2. lib. de partibus cap. 10. etsi obscuriùs, quam oculi; certiùs tamen, quàm tactus, geminum gustandi vestigium ostendit: fissura enim linguam distingui perspicuum est.

Venas à iugulari externa accipit, arterias à soporaria, neruos tùm sentientes à tertio & quinto pari per tunicam sparsos, tùm mouentes à septimo musculis eius insertos. Accuratè hos distinguere per quam arduum, tantopere ipsorum permiscentur fibræ. Hi tamen esse videntur, qui omnem in partem moueant: sursum duo ex temporalium ossium processibus egressi: deorsum item duo ab inferiori maxilla, qua molares continentur dentes, pronati: vterque autem hic motus aut rectus est, si musculus vterque trahit; aut ad alterum declinat latus, si alter trahit laxato altero: retrorsum duo alij ex ossis hyoidis basi protensi: antrorsum totidem ab interiore prodeuntes mento: dextrorsum vnus, sinistrorsum alter à cornibus hyoidis ossis aut paulò inferiùs interdùm (si cornua illa ossea planè non sint, vt in mulieribus ferè) ad latera linguæ producti. Omnes verò medio ferè longitudinis inseruntur, qua ligamenti finis est.

Vasa.

Musculi linguæ.

PROBLEMATVM ALIQVOT explicatio.

CAPVT XLIII.

Vocirca auribus non cum palato modo & gutture, vt in superiori capite dictum est; sed cum lingua quoque magnus omninò consensus existit. Quò fit, vt quemadmodum confirmat Philosophus in cap. 9. lib. 4. de historia, surdi omnes à natiuitate sint item muti. Qui verò penitus surdi non sunt, aut non ab ortu; etli non omni voce priuentur, ægrius tamen, & vt idem Aristoteles loquitur in problem. 2. & 4. sect. 11. & problem. 14. sect. 33. per nares loquuntur. Quod enim Iandunus prodidit in quæstione 7. in librum de sensu & sensili, & post eum Iacobus Carpentarius in commentarijs ad caput primum Alcinoi, surdos propterea mutos esse, quòd nullum potuerint audiendo addiscere idioma: veram rei causam non continere, manifestum ex eo est, quòd ij quoque, qui penitus surdi non sunt idiomatáque perdiscunt, ægrè tamen eloqui ea possunt ac propemodum muti sunt: quoniam difficilis est illis respiratio; cúmque vix possint guttur attollere, vox per nares truditur. Eos verò, qui à natiuitate sunt surdi, sæpè compertum est tantopere priuari voce, vt ne naturalem quidem sonum, gemitus & suspiria, quæ addiscere non oportuit, edere possent. Et primi nominum inuentores, qui ab alio nullo idiomata didicerunt, quo modo loquuti sunt? Quo enim modo illi voces excogitarunt, quibus animi proderent sensa, póssent & excogitare surdi, si nil aliud esset impedimenti: quemadmodum alijs atque alijs corporis vtuntur gestibus.

Surdi à natiuitate muti.

Huius igitur rei causa petenda est ex eo, quòd, vt Alexander quoque confirmat in explicatione problem. 138. prioris libri, par idem neruorum sit, cuius pars altera ad aures, altera ad linguā vsq. porrigatur: atq. ita cōmunem accidere affectionē necesse sit. Quintū enim par, vnde auditorius descendit neruus,

dit neruus, ramum quoque ad linguam & laryngem mittit: læsáque prima quinti huius paris origine læditur quoque ab ea pendens ramus; & siquis nascatur surdus, nascitur item mutus. At si non ex vitiato nerui principio, sed quòd aut auris foramẽ ætate procedente oppletum sit, aut tympanum factum crassum aut molle non resonet; minimè necesse est cessare simul aut saltem vitiari vocẽ. Nam neque muti omnes continuò surdi sunt: quoniam vitium in linguæ ramulo esse potest & nõ in quinti paris radice, quod ad aurem præcipuè ducitur.

Puer ante ætatem loquutus.

Huc verò spectat & illud Philosophi problema 27. sect. 11. qui fiat, vt puer quispiam antè ætatem incipiat loqui; & vbi semel fuerit loquutus iterum obmutescat. Nimirùm fit interdum, vt necessaria loquendo dispositio citiùs aduenial linguæ; atque ex sola phantasiæ & apprehensionis vi ad loquendum absque voluntatis impulsu lingua soluatur. Quemadmodum persepè nomen aliquod vel non cogitantibus nobis aut volentibus, propter vehementem antea factam apprehẽsionem in linguam incurrit. Euenit quoque, vt quæ dispositio est vno tempore, desideretur alio: sicut notissimæ rei nonnunquàm remiscisci non possumus cùm maximè volumus; quæ post cùm minimè cogitamus occurrit. Denique fieri potest, vt non simul facultas audiendi & intelligendi, facultásque mouendi linguam & loquendi perficiantur; sed illa potest esse perfecta antequàm hæc absoluatur. Interim verò dum perficitur, vehementi impressione aut imaginatione quapiam euenire potest, vt ad loquendum lingua soluatur, postque locutio cesset.

Num muti aliquando loquãtur.

At possunt ne muti aliquando loqui; etsi loquantur, quænam est causa? Crœsi namque filius, cùm nunquàm antea loquutus esset, prompsisse dicitur verba, quibus caueret, ne patrem in bello captum occiderent. Consuecuit sanè natura ad discendi & loquendi facultatem simul absoluere; vt alijs ea, quæ didicerimus ipsi, communicare possimus. At fit interdum, vt loquendi, quàm intelligendi, facultas breuiori tempore absoluatur; possitque perfectè quispiam intelligere atque addiscere idioma, nec tamẽ quidquam loqui: tùm verò lingua quoque virtutéque loquendi perfecta loquatur illicò, neque noua institutione sit opus. Quod Crœsi fortasse filio accidit; vt antea non loqueretur, quod loquendi vis nondum esset perfecta, post vehementi capti patris imaginatione spirituque commotione verba quędam protulerit.

DE MAXILLIS, GINGIVIS, & Dentibus.

CAPVT XLIV.

Maxilla.

MAxillam duplicem in hianti ore spectamus, superiorem & inferiorem, immobilem illam, hanc mobilem, vt in superioribus traditum est. Superior ex pluribus omninò constat ossibus: ad vndecim vel duodecim numerantur, quæ nunc commemorare supervacuum. Inferior duobus, quæ ad medium mentum cartilagine vniuntur, quæ in prouectioribus in ossis naturam degenerat homini. Breuissimam hoc animal sui corporis proportione maxillam habet: quòd facie ferè rotunda, non oblonga, vt animalia cætera, præditum sit. Atque vt minùs grauaret faciliúsque moueretur, sinus & cauitates medulla plenas continet.

Maxillam mouentes musculi.

Mouetur autem inferiori maxilla, & sursum, & deorsum, & ad latera. Sursum trahunt vtrinq. musculi terni. Primus tẽporalis propterea dictus, quòd suprà temporum cauitatem natus; per eámque sub iugali osse in maxillam inferiorem exteriùs inseritur. Alter, quem massaterem vocant. Triangularis est ferè totúmque genarum occupat locum; atque ab osse partim iugali, partim à malo profectus, ad mentum maxillæque extremum angulum tendit. Tertius exiguus in ore latitans à sphrænoidis ossis processibus ad eiusdem maxillæ interiora descendit. Hi omnes sursum trahunt, cùm ora claudimus. Deorsum autem, dum aperimus, digastrici duo dũtaxat; vtrinque vnus. Facilius enim est deorsum, quàm sursum, graue corpus mouere. Et deorsum quidem trahenda solùm maxilla est; sursum autem non trahendo modò, sed & fortiter ac vehementer cum superiori comprimenda, dum manducamus cibumq. dentibus aut diuidimus aut terimus. Gracilis est hic tertius musculus & oblongus, ex temporalis ossis processu sub aure prodiẽs, carnosus primùm, deinde in medio neruosus, tum rursum carnosus interiori summo infigitur mento. Hi duo contracti atque in se collecti aperiunt os maxillámque deorsum trahunt. Cur autem præter vsitatam musculorum conditionem in medio euadãt neruei (quidquid Galenus & alij dixerint) duas opinor fuisse causas. Alteram, quia cùm graciles essent & oblongi, periclitati fuissent in motu, nisi hic arte fuissent in medio roborati. Alteram ne recta versus aurem, vnde oriuntur; sed deorsum traherent. Vtriusque argumentum sumas ex rectis epigastrij musculis, quos ob longitudinis & intestinorum compressionem sæpiùs membraneis admistis fibris interrumpi diximus. Deniq. ad latera mouetur maxilla, dum manducamus cibúmque terimus; non peculiari aliquo alio musculo, sed his ipsis, quos commemoraui: massatere potissimùm, qui propterea mansorius & molitor apellatur. Duplici namque principio duplicique fibrarum sese intersecantium serie constat: dumque laxatis alijs contrahuntur aliæ, motum eiusmodi faciunt. Nec parum temporalis iuuat, dum lato natus principio atque in acutum desinens, has aut illas fibras laxatis alijs colligit. Denique omnes omninò commemorati musculi, tùm masseter, tùm tẽporalis, & in ore delitescens digastricus, motum eum faciunt, dum in vno laxari latere contrahuntur in altero.

Dentium alueoli.

In vtraque porrò maxilla tum cauitates sunt dẽtibus excipiendis paratæ, quas alueolos, locellos, fossulas, præsepiola, & mortariola vocamus: tùm obductæ gingiuæ carneæ immobiles, vt in alueolis dentes firment stabiliántque. Scio non læuiter disputari, an dentes inter ossa commemorandi sint. Sed ego duo constanter aio. Primùm enim ab ossibus cæteris specie illos ac natura differre non dubito. Non eandem, inquit Philosophus in cap. 4. lib. 2. de animalium ortu, naturam, quam cætera ossa, dentes habent. Et antè illum Hyppocrates in Aphorismo 18. lib. 5. Frigidum, inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ. Quæ omnia tanquam partes natura diuersas commemorat: alioqui commemoratio vitiosa,

Dentes ab ossibus natura differre.

si ossium nomine dentes quoque continerentur. Sanè vt in 3. libro positum est, ossa partes corporis animatæ sunt, dentes non sunt: ossa in prima fœtus conformatione simul formantur omnia, dentes post aduenium: & illa quidem ex communi formandi fœtus materia, hi ex excrementosa prorsus & reiectanea: ossa certum ac statum habent accretionis terminum, dentes vt continuo vsu mutuóque attritu consumuntur, ita crescunt semper: illa contenta medulla nutriuntur, hi ex terreo halitu constant: ossa per omnem vitam cum cæteris partibus conseruantur corporisque integritatem tuentur, dentes decidui sunt & pro illis renascuntur alij.

Dentium generatio triplex.

Et Hyppocrates in libro de principijs triplicem illorum generationem fecit: primam in vtero, etsi nondum ex gingiuis emerserint: alteram post ortum lactenti puero, dum è gingiuis prodeunt: tertiam procedente ætate, dum puer solido iam vtitur cibo. Illis enim cadentibus renascuntur alij.

Dentes ossibus naturæ similes.

Alterum tamen fateor, per similem eos ossibus naturam habere. Sicissimi namque sunt & frigidissimi, durissimi, læues, & candidi; & quidem magis, quàm ossa omnia. Etenim quod ad soliditatem & duritatem attinet, maiorem omnino, quàm ossibus, inesse illis oportuit. Quoniam ossa suffulciunt solùm carnem & molliores partes: at primarius dentium vsus in diuidendis ac terendis cibis, qui duriores persæpè sunt, apparet. Quam ob causam tripartitò diuiduntur: quidam acuti prorsus sunt ad frangendum; qui canini dicuntur: alij acuti & lati ad scindendum, incisoréque appellantur: alij demùm penè quadrati & molares ad terendum & molendum. Singuli locum suo muneri quam conuenientissimum occuparunt. Anteriores enim & primores sunt incisores, in vtraque maxilla ferè quaterni: his vtrinque adstant canini duo: reliqui sunt molares. Omnes infiguntur maxillis radice sua, quæ incisorijs & caninis vnica est, molaribus duplex, triplex, & quadruplex: sed plures in superiori maxilla, quàm in inferiori radices habent: tùm quòd illa rarior sit ac mollior: tum quòd in ea penduli insistant dentes: inferior densior est & durior, atque in ea dentes vel proprio pondere sustentantur. Incisores priùs, quàm molares, nascuntur, quòd & minores sint illi, & secandi vsus prior, quàm molendi. Priùs etiam decidunt; tùm quia priùs nati; tùm quia acuti cùm sint, hebetantur citiùs, acutioréque alios & ad vsum idoneos par est succedere: tùm verò maximè quòd vnica illi radice atque in tenui maxilla, molares radice multiplici in maxilla lata nituntur. Diutiùs quoque molares oriuntur: & in 5. libro de animalium ortu cap. 8. habet Philosophus, vigesimo anno & nonnullis etiam senescentibus prodeunt illi, qui vltimi omnium sunt: quos propterea in libro de principijs Hyppocrates σωφρονιστῆρας, id est, sapientiæ dentes appellauit, quòd in quarto septenario erumpant, quo incipimus sapere. Auicenna dentes sensus & intellectus nominauit.

Dentium partitio & vsus.

Situs.

Radix.

Ortus & casus.

Sapientiæ dentes.

Numerus

Triginta vel triginta duo in plerisque hominibus dentes numerantur: in quibusdam plures vel pauciores. Nec defuerunt, qui duplicem eorum haberent ordinem: vt Timarchus Nestoris Cyprij filius, Direplináque Mithridatis filia: immò & triplicem Phœbus Columbi periti Anatomici filius. Sed rarissima sunt hæc & præter naturæ consuetum. Extat autem illud Hyppocratis in 2. epidem. sect. 6. Qui longæ vitæ sunt, plures dentes habent. Et omnino paucitas & raritas dentium damnatur. Et mares propterea longiorem, quàm fœminas, degere vitam scripsit Aristoteles in problem. primo sect. 34. Cuius rei multiplex ratio esse potest. Philosopho illa probata est in problem. 47. sect. 10. quòd qui raros & paucos habent dentes, ijs crassius est capitis os: cúmque cerebrum minùs perspiret, citiùs putrescit. Nam & ideò vir magis, quàm fœmina, vitax est; quòd plures in capite futuras habet, liberiúsque perspirat cerebrum. Sed & aliæ adferri possunt. Prima, quòd multitudo dentium ex caloris & solidæ substantiæ copia prouenit; à qua prorogatur vita. Altera, quòd qui plures & coniunctos magis obtinent dentes, ij meliùs cibum mandunt accuratiúsque conficiunt, vnde melior coctio diuturniórq. vitæ conseruatio sequitur.

Dentium vsus.

Hic igitur primarius est ac præcipuus dentium vsus. Alij sunt minùs præcipui. Nam & articulandæ voci famulantur: & ad oris ornatum faciunt: turpe siquidem edentulum esse. Et animalibus quibusdam armorum instar sunt. Nec desunt, qui homini ad garrulitatem compescendam datos fuisse moneant.

Finem toti huic imponam tractationi, si duo paucis exposuero. Alterum, cur dentem totum natura renouet, partem illius fractam non possit reponere. Alterum, cur dentes in senectute decidant. Prioris ea fuerit causa, quòd dentis truncus, qui in maxilla remanet, renouationem prohibet: eo extracto libera est natura, vt ex noua accedente materia, si robustus adhuc fuerit calor & virtus integra, dentem alium reponat. Posterioris autem, vel eadem est, quæ pilorum casus: nempè humoris & caloris inopia: vel ea etiam, quòd dentium incipit cessare vsus, aut ad occasum iam præcipitata natura, aut copiosioris cibi non ampliùs indiga.

Dens fractus cur non reponatur.

Cur dentes senibus decidant.

DE CORNIBVS.

CAPVT XLV.

IAm verò cum dentibus cornuum quoque consideratio coniuncta est. Hæc namque animalibus ijs insunt, in quibus maxilla superior dentibus caret: quòd ea materia, quæ dentium esse debuerat, abeat tota in cornua, superflua, inquam, & excrementosa materia. Ea sunt quadrupedia animalia: non omnia, sed viuipara & grandiora. In alijs quibusdam per similitudinem nominantur, vt est in 3. de partibus libro cap. 2. Illis verò sunt velut arma, siue ad inferendam vim, siue ad repellendam. Duplex ferè est cornu, ita geminis delectatur natura, æquumque est, vt dexteræ & sinistræ maxillæ dentes dextro & sinistro compensentur cornu. In quibusdam tamen vnicum est in medio capite positum, vt vtraque pars illo participet. Quæ duplex habent, vngulam quoque diuidunt: quæ vnicum, non item.

Cornua quibus insint.

Quoniam

Cornu & vngula. Quoniam cum similis vtriusque natura sit, æquum est & vngulam similiter findi & cornu. At non ita semper est, sed vnicum interdum cornu cum vngula diuisa cernitur.

Cornua cum in capite. In capite gestantur cornua animalibus cornutis omnibus: tum quòd in ea parte materia illorum plurima suppeditatur: tùm quòd ea maximè pars incommodis & damnis omnibus exposita præsidijs hisce fuit munienda. Et in alijs quidem partibus officia multa impedirent, in capite omnino nullum: immò in hac parte commodisse illis animalia vtuntur. Sed pars ea cornuum, quæ infigitur capiti, latior est ferè, vt firmiùs stet, & caua, vt minus sit in capite pondus. Desinit autem in fortissimum & acutum mucronem, qui sine sui detrimento ferire possit. Solis ceruis solida prorsùs sunt: at & in illis solis decidua, fortasse propter nimium pondus ita natura prouidit. Ceruę tamen cornua non habent, quia ne maribus quidem sunt necessaria: sed tamen minùs illis offenditur, quàm imbecillioribus fœminę.

Ceruorũ cornua.

Cuti infixa cornua. Cuti potiùs, quàm capitis ossi, adhærent. Quare & cutis colorem imitantur, & simul cum cute detrahuntur, & vt in 3. lib. de Historia Philosophus prodidit, in Phrygia & alijs in locis visuntur Boues, qui cornua perinde, vt auriculas, moueant. Ex materia namque ascendente cutique circa os adhærescente formantur.

Cornua mobilia.

DE SCAPVLA & Brachio.

CAPVT XLVI.

Animalis & arboris similitudo. QVod in arboribus truncus est, hoc in animalis corpore id totum, quod ventre & thorace continetur à collo ad podicem. Quod radix radiusuè exortus, hoc caput. Quòd denique rami, hoc manus & pedes, quæ communi artuum nomine nominamus, brachiaque & crura comprehendimus, quòd illa propter manus, hæc propter pedes adiuncta sunt. Vt enim arborum truncо adnascuntur rami, sic reliquo corpori artus. Hominis manus & brachia anterioribus quadrupedum pedibus cruribúsque respondent: vt vel homo sit erectus cœlúmque spectans quadrupes, vel quadrupes in terram spectans & incuruatus homo.

Artuum cõpositio. Horum omnium compositio ex ossibus est, musculis, & externa cute: Has verò, vt & cæteras corporis partes, percurrunt arterię, venę, ac nerui. De his satis antea dictum. De ossibus & musculis dicendum. Musculi mouendo necessarij fuerunt, ossa robur & stabilitatem præstant: nec sine illis extendi potuisset membrum, nec firmiter apprehenderet aut cõtineret quidquam, & omnino tremulum semper penderet.

Manus totius partitio. Ab extrema porrò scapula ad summos vsque digitos manus extenditur: cuius quatuor sunt primarię partes; scapula, brachium, cubitus, & extrema manus. Scapula insistit dorso, velut basis & fundamentum brachij. Brachium à scapula humeróque ad cubiti vsque coniunctionem protenditur. Cubitus seu vlna lacertusuè à brachio ad extremam manum oculis ipsis notam.

Scapula Scapula humerusuè, Græcis ὠμοπλάτη, vnico cõstat osse lato & tenui, trianguli ferè figura; cuius apici excauato inseritur cubitus. Pars eius, quę modicè curuata incumbit dorso, plana tota est & polita: altera verò exterior in duas quasi cauitates media spina diuiditur. Itaq. tum costas tuetur, tum brachij & musculorum plurium insertionem spina & extremitatibus cæteris excipit. Inseruntur enim illi; tum ij, qui ipsam mouent; tum aliqui ex ijs, qui brachium agitãt. Antrorsum namque triangularis musculus trahit à superioribus quinque costis ortus, antequàm in cartilagines designant. Sursum, tùm trapezius ille, qui ex occipitio ita per totum descendit dorsum, vt vtrinque coniunctus Monachi cucullam referens cucullaris quoque dicatur. Tùm alius à prima & sequẽtibus ceruicis vertebris pronatus. Deorsum item & retrorsum trapezij, pars inferior. Vt enim supernè descendentibus fibris trahit sursum; ita & deorsum infernè ascendẽtibus: & retrorsum illis, quæ ex recto immittuntur loco. Sed & is, qui à figura nominatur rhãboides, partim à ceruicis, partim à thoracis vertebris ductus, retrorsum, ad superiora tamen, trahit. Omnes enim hi musculi ex dictis producti locis inseruntur in scapulam, eámque ad suum quisque principium trahit.

Scapulam mouentes musculi.

Brachium vnico item, sed rotundo, magno, & robusto constat osse; quod cartilagine multa scapulæ inseritur cauitati, vt firmior insertio sit; cùm in omnem partem & vehementer moueri brachium oporteat. Ad pectus namque adducit pectoralis musculus ex media pectoris longitudine natus supráque mediam ferè brachij partem infixus. Abducunt rétrò simul tres ex scapulæ basi vnus per superiorem ipsius externam cauitatem, alter per inferiorem, tertius perimam & internam partem ad paulò elatiorem, quàm superior, brachij partem progredientes. Sursum eleuat is, qui valde carnosus ex clauiculæ longitudine per scapulam ad eundem ferè pergit locum. Deorsum recta duo detrahunt: latissimus vnus ab ossis sacri & lumborum spinis; & alter ferè rotundus ab inferiori scapulæ basi sub brachij caput inserti. Denique in orbem circumagitur brachium non peculiari alio musculo, sed his omnibus successiuè agentibus.

Brachij os.

Brachium mouentes musculi.

DE CVBITO ET RADIO.

CAPVT XLVII.

Cubiti & Radij ossa. QVam cubitus à brachio ad manum extensus duobus constat ossibus; quorum vnum altero longius paulò est. Id, quod est lõgius, exterius est, & cubitus vlnaue vocatur. Huic breuius alterum incumbit interius, radiusque appellatur. Hoc nimirũ interius os breuius esse oportuit, vt exteriori illo in brachij sinum articulato flecti cubitus ad anteriora posset: eandémq. ob causam excauatur idem cubitus grandiq. facto sinu semicirculo profundiori brachium vicissim excipit; vt & fortis cartilaginum ac vinculorum interuentu articulatio sit, & commoda cubiti flexio. Hic enim ipse radius brachio articulatur rotundo sinu, qui brachij caput excipit: articulatur etiã cubito, tum supernè, tũ infernè. In medio longitudo tota protuberat atque dehiscit à cubito: tum vt musculis, qui circa cubitum ducendi erant, locum cedat: tùm vt in pronum & supinum promptè

duplicis articulationis vsu ageretur; qua supernè quidem cubitus excipit radium, at infernè à radio excipitur. Ideóque pars cubiti superior crassior, inferior tenuior: contrà superior radij tenuior, inferior crassior. Et magis in homine, quàm in animalibus cæteris dehiscit radius: quòd promptiores homo manuũ motus habet; minùs ea, quibus pes in digitos discissus est; minimè in illis, quibus solida aut bisulca vngula. Sanè proprius cubiti motus flexio est & extensio; radij verò pronam & supinam manum facere.

Cubitum mouẽtes musculi.

Cubitum flectunt musculi duo. Alter biceps est, tùm ex eminentiori scapulæ ceruice, tum ab eiusdem processu, qui anchorę similis esse dicitur, exortus per summum descendens brachium in vnicum mox coit ventrem validóque tendone in interiorem radij partem sub brachij articulatione inseritur. Alter planè carneus ex ea brachij parte ductus, in quam musculos brachium mouentes infigi diximus, anteriori cubiti & radij parti propè illorum articulationem infigitur. Extendunt autem totidem. Primus ab inferiore scapulę costa, quà ad ceruicem accedit: alter à posteriori brachij ceruice, & cum priori coniunctus musculo tendone vnico in extremum cubiti processum vterque desinit. Quare si vnicum hunc bicipitem musculum commemoraueris, consentaneè flectioni dixeris, quę bicipitem item alium obtinet. Fibrarum tamen diuersitas cernitur & insertionis loci. Prior quippe interiori, posterior exteriori processus parti viderur inseri: atque ità simul ambo totum processum ambiunt.

Radium mouentes musculi.

Radium item quiescente ad brachium cubito, quatuor in pronum & supinum agunt musculi: duo internam, totidem externam cubiti sedem occupant: illi in pronum, hi in supinum mouent. Primus est quadratus ab imò cubito in imum radium: qui radium introrsum trahens adducit in pronum. Alter longissimus ab altiori externa brachij parte prodiens radióque instratus in ipsius ferè extremum desinit atque contrarium priori motum facit. Tertius longior vnus interior ex interna inferiori brachij parte obliquè ductus suprà medium radij sistitur; contractúsque radium ad pronum trahit. Et exterior alter interiori planè respondens ab externa cubiti articulatione ad mediam item superiorem radij sedem fertur; dúmque contrahitur, radium supinum facit. Atque hæc quidem ita se habent in homine. In bestijs namque, quæ anterioribus quoque pedibus, hoc est brachijs, incedunt, nonnulla diuersitas.

DE CARPO ET *Metacarpio.*

CAPVT XLVIII.

MAnus verò extrema supremáque, Hyppocrati & Græcis ἀκρόχειρ, propter quam hæc omnia fuerũt tracta, admirabili prorsus arte constat. Et verè Aristoteles pronuntiauit in cap. 10. lib. 4. de partibus, eam non vnum, sed multa instrumenta esse: tum quia digitis multis velut instrumentis pluribus constat: tum quia plurimis ipsa, imò omnibus instrumentis vtitur omniáque sibi præparat. Et omninò instrumentum est ante instrumenta. Quo dùm pręditi sumus, non est quòd nudos nos atque inermes conditos esse doleamus. Non enim vno, sed omnibus omnino præsidijs instructi sumus, dùm manum habemus: & vt verbis vtar Philosophi, Manus & vnguis est, & vngula, & cornu, & hasta, & ensis, & quod vis aliud armorum aut instrumentorum genus: quippè quæ omnia hæc sumere ac tenere potest. Itaque & hominem prudentissimum animalium omnium esse penè dixerim cum Anaxagora; quoniam manus habet: & item cum Aristotele, manus eum habere; quoniam prudentissimus est. Vt enim animi prudentia atque intelligentia, qua vti manibus posset, causa fuit, vt manus corpus acciperet, quibus obsequeretur animo: sic prudentiæ atque intelligentiæ animi argumentum atque indicium sunt corporis manus. Ita nudum atque inermem hominem duobus maximè ornauit armauitque natura; ratione & manu. Illa instrumentum animi est, hæc corporis; vt est in problem. 3. sect. 30. Nec satis vna manus fuit: duplicare oportuit, quòd vna non posset sola amplecti omnia & operari; & verò organa omnia duplicauit natura.

Manus multa instrumẽta.

Manus partes, Carpi ossa.

Manus igitur partibus tribus coagmentatur, carpo, metacarpio, & digitis. Quam partem καρπὸν Græci nominant, nos brachiale dicimus: articulum scilicet illum, quo manus cubito iungitur. Octo constat magnitudine & figura inæqualibus coniunctis ossibus, ordine duplici in quaternos & quaternos distinctis, intúsque nonnihil fungosis. Hæc cartilaginibus & vinculis cubito metacarpióque alligantur. Sed multitudinis duplicisque ordinis ossium eam ego causam agnosco, vt promptior sit & expeditior multiplici articulatione manus flexio, directio, & ad latera motus flexio duorum est musculorum ab interno brachij processu prodeuntium; quorum alter in quartum carpi os, alter in metacarpij primum terminatur. Extensio autem duorum item ab externo brachij processu deductorum; quorum alter in primum & secundum, alter in quartum metacarpij os desinit. Lateralis denique & obliquus motus eisdem musculis aut seorsim singulis aut binis flexore & extensore, simul trahentibus.

Carpimusculi.

Metacarpij.

Iam quod μετὰ καρπὸν Græci, post brachiale nos appellamus; latam illam & amplam partem, quæ carpo brachialiuè iungitur. Interior illius pars θέναρ, ἀπὸ τῦ θένειν, quod est percutere: nobis vola & palma. Exterior huic auersa ὑποθέναρ propriam nos vocem non habemus. Nec satis scio, quomodo in mentem Hieronymo Cardano venerit in 15. libro de rerum varietate cap. 79. Thenar spatium illud appellare, quod inter pollicem digitum est & indicem; & hypothenar id, quod illi opponitur sub imo digito, quo solemus etiam percutere; nam si à communi libuit vsu vocum recedere, contrà potiùs loqui debuisset: siquidem thenar à percutiendo dicitur. Sanè & palma & hac ima metarcarpij parte percutimus.

Thenar & hypothenar.

Chiromãtia.

In palma mira nugãtur chiromantici, mõticulis, qui digitis subsunt, in planetas distributis, lineisq. per totam palmã descriptis diligenter cõsideratis. Philosophus tamen longioris in illis vitæ agnouit signa, si figulæ aut binæ per totam manum produ-

ctæ sint;

ctæ sint; breuioris si secus, in primo lib. de historia cap. 15. & problem: 48. sect. 10. & problem: sect: 34. præsertim si latæ sint, profundę, & omnino benè formatæ, miniméque interruptæ. Cuius rei rationem in superioribus, cùm de vitæ duratione diceremus, in primo libro docuimus.

Metacarpij ossa.

Quatuor porro oblongis ossibus totum metacarpium constat; quæ pectinis figuram quandam referunt; ideóque pecten à quibusdam vocatur. Superiori parte carpo inferiori digitis articulantur: pollex siquidem ab illis separatur. Longissimum omnium est; cui insistit index, quoniam carpo alterius inseritur. Et quoniam in omnibus, quantum conditio rerum paritur, similis sibi semper natura est; respondet in eo metacarpium cubito; vt quemadmodum radij, & vlnæ coniunguntur extremitates mediáque dehiscunt; ità & in horum quatuor metacarpij ossibus factum est. Coëunt enim vinculis interiectis superiora inferioráq. extrema, vt quàm optimè ac firmissimè sit colligata manus: & vacuantur distantque media, vt minus grauis & ad motum atque operationem omnem expeditior existat; pluribusque musculis pateat locus ad digitos. At omnibus obducitur is,

Musculus palmaris.

quem palmarem vocabimus; quod ex interno brachij processu egressus angusto mox, sed prælongo tendone ad manus palmam peruenies, per eam totam ad extremos ferè vsque digitos expáditur, firmiter cuti adhærens; manúsque appræhensioni plurimum famulatur.

DE DIGITIS MANVS.

CAPVT XLIX.

QVatuor demum Metacarpij ossibus totidem adiunguntur digiti; index, medius, anularis, seù medicus, & auricularis seù minimus: Quibus à carpo quintus accedit, qui quòd viribus ac robore præ cæteris polleat, pollex dicitur. Veteres quoque αὐτόχειρα, quasi manum alteram nominarunt; vt auctor est inter cæteros Macrobius lib. 7. satur. cap. 13. Tres opinor fuisse causas. Primam; propter virtutem & robur, quo cæteris omnibus æqualis est. Sic enim apud Homerum ἀντίθεος æqualem Deo significat; & Amazonas ἀντιάνειρας, id est, viris virtute pares, & Alexander in præfatione ad lib. 5. topicorum & Philoponus in com. ad tex. 1. lib. 1. physic: & Sextus Philosophus in libro aduersus Mathematicos id, quod Aristoteles in 1. de arte dicendi Rethoricam scripsit ἀντίστροφον esse dialecticæ, interpretantur esse ἰσόστροφον, æqualem & similem. Alteram, quòd non metacarpio inseratur, vt cæteri digiti, sed ex carpo velut manus altera nullius interuentu prodeat. Tertiam, quòd aliorum digitorum appræhensioni pollex post velut altera manus accedat.

Pollex digitus cur pollex dicitur.

αὐτόχειρ.

Manus apprahensio.

Est autem præhensio propria manus operatio: propter quam & ipsa in digitos & digiti in articulos diuidûtur, vt in flexione multiplici apprehendere vel minutissima posset, fortitérq. apprædentibus cæteris vltimus admouetur pollex, vt illorum omnium apprænensionem firmet. Hunc si remoueris, infirmi sunt cęteri, faciléque reuel-

A les omnes. Nec temerè putes digitos cæteros inæquales factos. Confert id plurimùm apprehensioni, dum omni ex parte res inæqualitate hac attingitur & tenetur. Verùm totum hunc locum præclarè tractauit Philosophus in cap. 15. lib. 4. de partibus: flexus, inquit digitorum ad capiendum premendúmque commodissimè habent. Vnus à latere adiunctus digitus est, isque breuis & crassus. Vt enim si manus omninò deesset, potestas capiendi non fieret: sic nisi digitus hic à latere adesset, non eadem illa facultas probè daretur. Hic enim à parte inferiori sursum premit, vt cęteri à superiori deorsum: quod fieri ità oportet, si validè quasi copula forti colligandum sit. Pollet hic plurimùm, vt vnus multos equiparet. Breuis etiam est, vt robustus sit, & quoniam nullam præstaret commoditatem, si longus esset. Rectè etiam nouissimus digitus paruus est, & medius longus, tanquam remus nauigij medius. Quod enim officio capitur circùm, per medium digitium complecti potissimùm necesse est. Sed enim pollex & magnus, qui à latere iunctus est, ideò appellatur, quamuis paruus sit; quoniam cæteri sine illo inutiles ferè sunt.

Digitorum plures, & inæquales, & in articulos diuisi.

Digitorum phalanx.

Vniuersam porrò digitorum seriem φαλάγγας Græci, id est, aciem & agmina vocarunt. Stare C enim quodam modo in acie videntur.

Digitorum ossa & articuli.

Singuli tribus ossibus constant. Quorum articuli & nodi κόνδυλοι vocantur. In primo de historia libro cap. 15. δακτύλῳ δὴ τὸ μὲν καμπτικὸν, κόνδυλος· τὸ δὲ ἄκαμπτον φάλαγξ. 1. id est, digiti quidem pars, quæ flectitur, nodus, quæ verò non flectitur, phalanx. Suprema digitorum pars interior acinus seù vertex. Inferiores articuli πρωτόκονδυλοι medij κονδυλοι. supremi μεσοκόνδυλοι. Singulis quædam adstant ossicula setami semen referentia: bina in 2. pollicis & 1. reliquorum; & vnicum in tertio pollicis secundóque ac tertio cæterorum articulo: quæ ad articulationis robur ac tendonum eò pertinentium propugnaculum spectant. D

Ossa sesamoides.

Singulis enim articulis infiguntur plures illorum motores. Flectunt hi & contrahunt: primus ab interno brachij, processu prodiens, antequàm ad carpum perueniat, in quatuor tẽdones diuiditur, qui forti vinculo, veluti anulo, quem pericarpium dixeris (hinc deductum puto armillarum seù dextralium apud delicatas mulierculas effœminatosue ac molles viros vsum) colliguntur in carpo ac tandem in secundum digitorum quatuor articulum desinunt eumque flectunt. Cur colligentur in carpo, duplex est causa. Prima, ne distrahantur & vacillet motus, in tàm longo præsertim ductu. Secunda, vt digiti magis conuertantur & flectantur ad carpum. Sed dum primum hi perreptant articulum, membranis ac villis illi quoque alligantur, eúmque simul mouent. Alter simili quidem, sed humiliori principio, parique diuisione ad tertiam eorumdem digitorum flectendum articulum, prioris musculi tendonibus ad secundum articulum sistentibus perforatis, progreditur. Quod tùm ex necessitate factum est, cùm progredi alio modo non posset: tùm ex intentione naturæ, vt remotissimi articuli certior esset ac stabilior motus. Ad primum verò articulum flectendum interiores sunt perexigui

Musculi digitos mouentes.

Pericarpium.

musculi, singulis digitis inserti bini ità proximi metacarpij ossibus producti. Deniq. pollex tribus flectitur musculis: primò supremus articulus à superiori parteradij deriuato; duobus alijs à pericarpio & pollici subiecto carpo deductis, tùm articulus alter, tùm infimus. Sed musculi quidem digitorum quatuor flexores rectis constant fibris, quòd recta ad carpum flectant, qui verò pollicem flectunt, obliquis aut transuersis; quoniam ad priores illos digitos mouent, vt valida sit & firma manus apprehensio.

Extendunt autem priores quatuor digitos eorúmque articulos musculi alij externi: qui tùm ab exteriori brachij processu bini exorti pericarpiocolligati, simili prorsus, quo per internam flexores, modo per externam progredientes manum in secundum & tertium interuntur articulum: tum à metacarpij ossibus alij, qui interioribus similes ad articulum primùm exteriùs pertinent. Pollicem verò alij à cubito ad illius item articulos deducti.

Est & tertius digitorum motus, quo aut adducuntur aut abducuntur. Is est exiguorum illorum musculorum, quos primis quatuor digitorum articulis infigi diximus. Bini enim simul contracti flectunt aut extendunt: at si alter contrahatur laxato altero, aut vnus flexor & alter extensor illi proximus contrahantur, laxatis duobus cæteris, adducitur digitus vel abducitur. Et pollici adsunt adductores musculi à metacarpij ossibus producti, alij q. ex aduersa parte abductores. Hæc est obscura satis & multitudine musculorum implicata totius manus descriptio quàm breuissimè fieri potuit comprehensa. Iam de pede dicendum est.

DE SACRO ET AD iuncta ossibus.

CAPVT L.

MAnum in quatuor partes diuisimus, scapulam, brachium, cubitum, & extremam manum. Nam etsi scapula manus proprie pars non videatur esse, ad manum tamen pertinet: tùm quòd illius principium sit: tum quòd cùm non ad thoracem, sed ad artus pertineat, non nisi ad manum pertinere potest: quippè artus omnes manu pedéque comprehenduntur. At pedem manui respondere parémque esse oportet, & in quadrupedibus bestijs eumdem prorsus habent vsum. Pedem igitur quadripartitò item diuidamus; in ischium, femur, tibiam, & extremum summumuè pedem. Hic extremæ respondet manui, tibia cubito, femur brachio, ischium scapulæ: siquidem vt brachium scapulę, sic ischio femur articulatur. O ἰσχίον sacro ossi validissimè implantatum est; nec intelligi potest quomodo habeat, quin totius sacri ossis intelligatur structura.

Pedis partitio manus respondes.

Os sacrũ cur dictũ.

Sacrum os appellatum est; vel quòd maximum sit & ab amplitudine πλατὺ dictum, id est, latum & amplum os: vel quòd veluti basis & fundamentum existat aliorum omnium. Huic namque tum spina tota, tũ femora & crura innituntur. Pluribus sanè ossibus constat, sed quę procedente ętate coalescant in vnum, coalitus tenui vix vestigio relicto. Quinque aut sex in puerulis separantur; quæ vertebrarum spinæ similitudinem quandam referunt: & quò magis descendunt, eò angustantur magis, sùm ipsa, tum eorum processus, qui in superioribus ossibus magnopere producuntur.

Continet & sacrum os spindem medullam, indéque quinque aut sex neruorum patia prodeunt, Sed infimæ illius parti succedit os nullæ iam medullæ peruium; quod à Coccygis seu Cuculi auis rostri similitudine nomen habuit tribúsque aut interdum quatuor officulis constat, quę minora sensim fiunt & in acutum tandem desinũt; rostri figura, quæ introrsum incuruatur. ὀρθοκύρτιον etiam vocant, quòd auium caudæ & mobilitibus eius officulis simile sit. Nam in fœminarum partu & in magna ani apertione conniuet, & cedens amplioremfacit locum. Neque enim credendum est pubis ossa seiungi aperirique parientibus: sed tantùm coccygis os cedit; & amplior omnino fœminis, quàm maribus, locus: quod tum breuiore linea pubis ossa iungantur & tenuata magis & quasi sinuata distent magis: tùm coxendicum infimæ partes magis distent. Ita fœminarum partui sagax & prouida natura prospexit.

Os coccygis.

Fœminarũ partus.

Superiori igitur sacri ossis regioni, illius inquam processibus, os illud vtrinque infigitur implantaturque firmissimè (in pueris triplici distinctum linea) quod superiori ac posteriori parte ilium os vocatur; cui appendix summa adnascitur, spina vocata: inferiori & anteriori, qua circà pubem ex vtroque coëunt latere, pubis os appellatur: ad demùm media ischium, coxendicis os, quod ibi coxa coxindixuè articuletur. Porro hoc os ità vtrinque infigitur, vt simul cũ osse sacro veluti peluim efformet, qua intestina, vesica, & fœminæ vterus egregiè continentur. Propterea fœminis ampliora sunt altiúsque educta hæc ossa, vt & fœtus tutiori loco gestaretur, & facilior fœminæ gestatio fieret. Externa aut huius ossis regione amplus, rotundus, & profundus continetur sinus excipiendo femoris capiti paratus. Is cartilagine obductus læuis omnino est & lubricus, vt facilis sit tibiæ motus, neque assiduo motu atteratur: atque ex media ipsius sede fortissimum producitur vinculum, quod summo femoris capiti infixum firmissimè alligat femur.

Ossis sacri partes.

Femoris ad sacrum os articulatio.

Vniuersum hoc os aut ossium potiùs compago sanè ad truncum pertinet, non ad artus. Non enim mouetur, sed immota femoris ac pedis totius motum sustinet: hócque à mobili scapula non parùm differt, fuit tamen hoc commemorandum loco, tùm quod pedi hoc ipsum sit, quod manui scapula: tum quod sinè illa femoris articulatio & motus nec intelligitur nec constat.

Os sacrũ scapulæ respondens.

DE FEMORE.

CAPVT LI.

FEmur brachio prorsus respondet & est simile: vnicum os longissimum omnium in homine, in auibus contrà & ferè quadrupedibus tibia longior femore. Caput superius, quod ischij, profundo sinu excipitur, vinculóque alligatur, læui obductum cartilagine apophysis quædam est & appendix, quæ in teneriori præ-

Os femoris.

riori præsertim ætate haud magno labore separatur. Adsunt & aliæ apophyses seù appendices duę minores velut ex ceruice eductæ: vna externa, quæ magnus τροχαντὴρ magnus rotator dicitur: altera interna, minor trochanter seù rotator: ἀπὸ τῦ τροχάζειν, quod est rotare, voluere, & currere. His musculorum plurium ortui & insertioni parati sunt. Femoris autem longitudo reliqua rotunda est; at minùs exquisitè, ob musculorum exortum & insertionem. Est autem minùs exquisitè recta, sed anteriori parte nonnihil curua & posteriori caua, tùm propter eandem causam, tùm ob sessionis commoditatem. Est enim homo sessile animal. Denique inferiori parte paulò crassior, quàm superiori: tùm quòd minùs esset carnosa periculisque magis exposita: tùm propter diuersam articulationem. Cum ischio quippè vnico capite, cum tibia duplici articulatur: crassiorémque oportuit eam partem esse, quæ duo efformatura esset capita & vnum sinum. Propterea superius caput in omnem partem mouetur, flectitur, extenditur, in latera & orbem ducitur: quoniam vnico sinu vinculo ceruici infixo suspensum continetur: inferius flectitur solùm & extenditur: duplex namque caput motum ad latus aut in orbem non permittit. Sinus verò, qui inter hæc duo capita continetur, inæqualis est. Anteriori parte minùs profundus, sed magis patulus est, excipiendo scutiformi ossi præparatus: posteriori autem multò magis profunda medium tibiæ processum excipit; prætualidóque duplici vinculo duo hæc colligantur ossa. In posteriora enim fit homini tibiæ flexio, quòd sessile animal sit: contrà in bestijs, quæ toto in terram procumbunt corpore. Diuersitas hæc in inferiori femoris & tibiæ articulatione spectatur. Altera in superiori cum ischio. Nam quoniam erecta homo futurus erat corporis figura, quæ cœlum intueretur; inferiori prorsus ischij, parti femora illi infiguntur; bestijs terram spectaturis apponuntur ad latera. Ita hominis aliæ, alia bestiarum rationem corpora sustentantur.

Femoris ad ischiũ & ad tibiam articulatio.

Hominis & bestiarũ differẽtia.

Sed iam quemadmodum femur mouetur significandum est. Flectitur, extenditur, adducitur ad alterum femur, abducitur ab eo & circum agitur. Flectunt tres musculi: primus ex supremis lumborum vertebris ad paruum trochantera rectà descendit: cui cùm incumbant renes, fit vt calculosis in femore sentiatur stupor. Alter ex interiori ossis ilium sede ad eundem processum ducitur. Tertius ex pubis osse medio ferè interiori femoris infixus lateri modicè flectit potiúsque introrsum trahit atque ad alterum femur adducit.

Femur mouentes musculi.

Extendunt autem hi. Primus maximus ex tota posteriori ossis ilium costa, osse sacro & coccyge prodiens, sub magno trochantere desinit. Alter ab anteriori superiorique ilium costa ortus ad altiorem processus eiusdem partem progreditur. Tertius ex eodem ilium osse demissius paulò natus principium eiusdem trochanteris apici hęret. Tres hi musculi carnosi maximè sunt, natémque totam efformant. Primus omnium maximus, alter medius, tertius tanto minor secundo, quanto secundus primo.

Adducunt introrsum, siuè tres dixeris, siue tricipitem vnum; non morabor. Tres enim exortus sunt, qui si vnum facient musculum, omnium is est totius corporis crassissimus. Oritur ab ossium pubis commissura extrémoque coxendice atque sub trochantere paruo medióque ferè femore, ac tandem in extremum ipsius caput inseritur. Tum vero ille ipse, quem inter flexores tertium cõmemorauimus.

Abducunt vero foras transuersi minores tres; quorum vnus ex inferioribus ossis sacri ossibus, alter ex exteriori, tertius ab inferiori parte foraminis ossis pubis ad trochantera magnum extenduntur. At postremum hunc aut tripartitum quasi fuisse dicendum est, aut supernè & infernè duobus alijs adiunctum musculis, qui & illum tuto deducant & mouendi robur augeant.

DE TIBIA.

CAPVT LII.

TIbiam cubito respondere iam diximus. Respondet autem tum compositione, tùm operatione & vsu. Etenim tibia quoque duplici constat osse, interiori & exteriori; quæ in extremis articulantur, in medio dehiscunt; vt & cubitus & radius. Sed interius maius est, & nomen totius retinent, exterius minus & tenuius, fibulàq. vocatur. Pars anterior excarnis crea, posterior tota carnea nominatur sura: γαστροκνημίαν quasi tibiæ (tibia enim κνημὴν) ventrem Græci nuncupant. Cæterùm & tibia & fibula minùs exquisitè rotundæ sunt, triangulares potiùs: lineáque quæ in anteriori parte tactu, sentitur, spina dicitur. Intus cauæ sunt: tùm vt minùs grauent gestatúque & motu faciliores sint: tum vt medullam nutritioni contineant. Vtraque vero extremitas apophysi seu appendice terminatur, quemadmodum, & de femore dictum est.

Tibia ossa.

Sed superior, quæ cum femore articulatur, perquam magna est & lata; vt crassiorem femoris extremitatem duplexque illius caput excipiat. Propterea duplici cauatur peramplo sinu, interiecto capite processuuè distincto: & vtroque, vt & femoris capita, obducto cartilagine, quæ facilem & expeditum articuli motum faciat. Itaque crassior euadit superior, quàm inferior tibiæ pars; femoris contrà inferior crassior, quàm superior. Duplexque femoris caput duplici hoc tibiæ sinu excipitur, & interiectus tibiæ processus femoris sinum inter duo cauatum capita pulchrè subit, vinculoque ex summo hoc processu in femoris sinum immisso firmissimè duo hæc colligantur ossa. Adsunt & cartilagines in articuli præsertim ambitu, quæ non contemnendam præstant operam.

Tibiæ ad femur articulatio.

Hæc est tibiæ ac femoris articulatio: quæ quoniam laxior esse debuit, vt & facilis esset & perfecta tibiæ flexio tantoperè incessui & cursui necessaria, munita exterius est (interius enim non permittebat flexio) rotundo osse veluti scuto, quod articulationi adhæret. Molam aliqui, patellam alij & rotulam nominant, vulgus genu. Firmat namque laxiorem articulum, vt ad rectum angulum tibia flectatur, neque antrorsum procumbat femur.

Mola seu patella.

Firmior etiam fuit articulus, dum fibula non vsque ad summum ascendit femur, vt duo femori articulentur ossa: sed prægrandi vnicò & robusto

tibiæ articulato capite inferius consistit fibula, læuitérque cauato sinu tibiæ caput excipit. Contrà
Tibiæ ad pedem articulatio. inferiori ad pedem parte longiori tibiæ sinu excipitur fibula; quæ tantumdem infrà tibiam producitur, quantùm superiori parte supra ipsam producta est tibia. Inferiores porrò tum tibiæ, tum fibulæ apophyses seù appendices peramplo terminantur geminato sinu, qui pedis talum excipit, ab eóque vicissim excipitur processus inter duos interceptus sinus: quemadmodum de superiori articulo dicebamus. Sed huius loci proprium est,
Malleolus duplex. quòd & interiùs tibia & exteriùs fibula processum emittunt deorsum: internum & externum malleolum nominamus: vterque cùm nulla obtegatur carne; facilè vel tactu sentitur. Atque ex infima B vtriusque maleoli parte vinculum ducitur, quo tibia & fibula colligantur talo. Quibus aliud ex anteriori tibiæ appendicis sede vinculum accedit aliud tali ceruicem adnectens tibiæ. Hæc est ossium tibiæ totius descriptio.

Tibiæ motus. Mouetur autem flexa, extensa; adducta, & abducta: tametsi flexio sola & extensio proprij ipsius motus sunt. Neque enim adduci aut abduci potest immoto femore, idque propter articulationis conditionem, quæ silam quiescẽte femore flexionem & extensionem facit.

Tibiæ motores musculi. Flectitur igitur musculis tribus ab ischio in posteriorem tibiæ regionem deductis. Extenditur C quatuor: quorum vnus ab ilio, alter à magni trochanteris radice, tertius à trochantere paruo, quartus ab ipsa femoris osse, tendone vnico in anterius ferè tibię principium desinunt. Adducitur intrò, tùm breui quodam & quadrato, illi persimili, quem anteà diximus radium in pronum agere. Is sub poplite latitat, ex femoris ferè cum tibia articulo, inferioreuè & exteriore ipsius tuberculo natus, & obliquis fibris in interiorem insertus tibiã. Tùm duobus alijs, qui non solùm intrò agunt, sed attollunt quoque tibiam: nec modò flexionem iuuant, sed & motum eum faciunt, quo vnam tibiam illiusuè poplitem alteri tibiæ imponimus. D Horum alter longissimus ab anteriori ilio, alter tùm à pubis commissura, tùm ab exteriori femoris sede in internam & posteriorem tibiæ regionem proficiscuntur. Abducitur demùm foras vnico musculo, qui ab ilio in externam tibiam obliquo ductu latissimóque tendone deriuatur, & ad extremum item pedem progreditur.

DE EXTREMO PEDE.

CAPVT LIII.

Pedis incessus. E TIschium scapulæ, femur brachio, tibia cubito, ita & pes extremus summæ respondet manui. Nam vt manus cubito ad apprehensionem additur, ità & pes apponitur tibiæ ad incedendum, Manus enim apprehensionis, pes progressionis instrumentum est: indéque fuisse ductum nomen auctor est Aristoteles in cap. 13. lib. 4. de partibus, quod ad motum,
Pes vnde dictus. qui ἐπὶ τῷ πεδίῳ, hoc est in solo & campo fit, vsui sit. Nam etsi in pedum quoque digitis aliqua possit esse apprehensio; & mulierculæ visæ interdum fuerint, quæ perinde pedum ac manuum digitis apprehenderent ac dirigerent acum; præcipuus A tamen illorum vsus est, vt siuè in planis siue in decliuibus ac præruptis locis figeremus pedem. Itaque pedibus & cruribus ambulando, currendo, stando, sedendo vtimur. Ambulamus & currimus altero pede & crure in terram fixo, altero agitato: & firmari quidem pedis potissimum agitari verò totius cruris est actio. Stamus porrò vtroque pede in terram fixo: solúsque homo stat, propter eam, quàm iam significauimus, femoris ad ischium articulationem. Denique sedentes cruribus ac præpcipuè femoribus vtimur, pedibúsque innitimur. Cætera animalia non æquè ac nos sedent: quoniam antrorsum, non retrorsum tibiam flectunt.

Pedis partes. At extremi iam pedis compositionem spectemus. Ea quoque manus compositioni persimilis est. Vt enim manus carpo, metacarpio, & digitis; sic pes tarso, metatarso, & digitis item constat.

Tarsus. Sed tarsus septem ossibus constat. Primum est 1. græcis ἀστράγαλος & ἄρκυς, nobis talus seu baliſtæ os. Est enim inuersæ nuci baliſtæ simile, & inferiori sede quadratum: vndè & πύξωρος quatrio dicitur. Superior pars caua est, excipitque os tibiæ & fibulam, quæ innituntur illi & articulantur: atque processum seu malleolum contentus talus vinculisque alligatus tum propter quadratam figuram, tum propter vtrinque adiectum prognaculum, toti corporis moli substentandæ aptissimus est: dúmque antrorsum & retrorsum flectitur, nusquam in lateta mouetur aut luxatur. Alterum os 2. σκαφοειδὲς, nauiculare vocatur à cymbæ similitudine, quam posteriore sui parte refert oblongo & profundo sinu, quo ceruicem oblongam & caput tali excipit, vt in latera pes nonnihil agatur. Tertium omnium maximum πέρνα, os calcis, calx, 3. calcaneum vocatur. Quod propterea maximè additũ fuit; vt ad perpendiculum tibia in pedem descenderet, omninóque firmius staret homo; hoc scilicet osse sustentatus, nè in posteriora corruat. Quartum, quòd anteriori & exteriori pedis parti, 4. calci, & ossibus alijs adiungitur, à cubi tesseræuè figura κυβοειδὲς dicitur. Tria reliqua nominata sunt & minora, nauiculari ossi coarticulata: à quibusdam χαλκοειδῆ appellantur, quòd cuneum ferè referant. Reliquis terram tangimus, illisque maxime sustentamur: tria vero hęc simul cum nauiculari attolluntur nonnihil, vt pedem cauum faciant, quo terrę firmius figatur; posteriore scilicet calce & arterioribus digitis.

Metatarsi esse. Iam metatarsus, quem πέδην quoque & plantam, interdum etiam pecten dicimus, quinque ossibus constat, quę tarsi ossibus, partim innominatis tribus, tum cubico articulantur. Hoc differt à metacarpio metatarsus, quod illud quatuor, hic quinq. ossibus cõstat. Manus etenim apprehensio pollicem à cęteris separatum quasi alteram manum cęteris oppositam digitis postulabat; contrà pedis incessus coniunctos omnes & colligatos. Et hoc rursum à digitis manus pedis digiti; quod *Pedis & manus differẽtia.* in manu pollex tria continet ossa, in pede duo; quo robustior esset & anterior pedis pars terrę firmius inniteretur. Ita manus pedẽ osse vno superat quippe in carpo octo, in metacarpo quatuor, i digitis quindecim, omniũ in tota manu viginti septem: in tarso autem septem in metatarso quinq.,

in digitis

in digitis quatuordecim, in toto pede sex & viginti numerantur. Præter sesamina ossicula, quæ non minùs in pedis, quàm in manus articulis reperiuntur.

A

Totus porrò pes tum flectitur & extenditur, tùm ad latera trahitur. Rectorsum flectunt hi musculi. Primùm duo, qui vtrinque ex extremo femoris osse genuvè articulo enati suo ventre præcipuam suræ prominentem apponunt carnem, & vno communi prælongo tendone, cui certius accedit perquàm item carnosus ex posteriori parte articulationis fibulę ad tibiam; in posteriorem calcis sedem inseruntur. Adest & quartus ab externa femoris extremitate prodiens, moxque gracilis factus ad posteriorem calcem deductus. Et quintus, qui ab ea tibiæ, & fibulæ parte, qua sub communi articulatione dilatantur, in inferiorem tarsi sedem desinit: paulò scilicet altiùs pedem flectens, quàm superiores quatuor; vt summis etiam digitis possimus erigi.

B

Extendunt autem antrorsum hi. Primus ab anteriori tibiæ fibulæque articulatione ad illud os metatarsi descendit, cui pollex articulatur. Altera suprema fibula externa ad idem metatarsi os; aut ad illud interdum, cui medius innititur digitus, progreditur. Tertius ex eodem ferè principio sub hoc secundo metatarsi os illud petit, cui minimus adiungitur digitus. Quò etiam portio quædam pertinet illius musculi, quem ad mouendos digitos mox pertinere dicam.

C

Denique ad latera introrsum aut extrorsum trahitur pes, mox peculiari aliquo musculo, sed aliquo ex his ipsis trahente laxatis cæteris aduersi lateris.

Digitos pedis mouentes musculi.

Ad extremùm pedis digiti persimili mouentur modo, quo digiti manus. Flectuntur enim & contrahuntur, tùm musculo à calcis osse ad secundum quatuor digitorum articulum ducto: tum duobus alijs à superiori tibiæ fibulæque regione sub planta altero ad tertium eorumdem articulum prioribus perforatis protenso; altero ad secundum pollicis os deriuato. Ad primos verò articulos, vt in manu à metacarpij, sic in pede à metatarsi ossibus pertinent musculi seù musculosa potiùs congeries & moles, quam minùs exquisitè distinguere ac separare liceat. Nec parum vniuersam hanc pedis contractionem iuuat gracilis ille per totam plantam extensus cutique obnatus (quem plantarem propterea dicemus) palmari manus respondens. Extendunt autem quatuor quidem digiti musculo vnico ab externa summa tibia ad ipsos quadruplici tendone pertinente. Pollex autem alio sibi proprio à media ferè fibula enato. Adducunt etiam introrsum quatuor digitos exigui quatuor musculi ex calcis osse deriuati & per plantam ad illos ducti: pollicémque alius externo attensus lateri. At postremò abducuntur extrà alijs in superiori pedis parte ex tarsi ossibus in pollicem trésque proximos digitos distributi (qui flexioni quoque famulantur non parum) & peculiari quodam ab externo calcis latere per externum pedis latus in minimum inserto digitum.

D

Plantaris musculus.

E

DE VNGVIBVS.

CAPVT LIIII.

Cæterùm tùm manus tùm pedis supremis digitis adiecti vngues sunt; substãtiæ mediæ inter cartilagines & ossa, cartilagine durioris at mollioris osse. Cùm enim tùm ad firmandas & communiendas digitorum extremitates velut carnis propugnaculum pertineant, vt in 4. lib. de part. cap. 10. Aristoteles scripsit: tum ad manuum appræhensionẽ iuuandam: mollis quippè caro cedit, reflectitur, & subuertitur duorum incursu corporũ: eos quidem non prædura ossiũ substantia constare oportuit, quoniam & ad appræhendendũ & cõtinendum non flecterentur; & facilè rumperentur, nihil omninò cedentes; duráque à duris labuntur: ea tamen durior, quàm cartilago, esse debuit, quo firmior appræhensio esset læsióque minor. Propterea neque superiores neque inferiores digitorum summitatibus vngues esse oportuit. Qui enim superant, minutas res, vt pilum, non appræhendunt. Si verò ad extremos non perueniant digitos infirmior est ad appræhendendum caro.

Vnguium substantia & vsus.

Vnguiũ longitudo.

Nugatur autem Galenus, cùm in primo libro de partium vsu cap. 8. Aristotelem repræhendit, qui vngues affirmans instar propugnaculi factos fuisse, haud satis exposuerit quale propugnaculum hoc esse natura voluit; an aduersus frigora, vel calorem, vel vulnerantia, vel quassantia. Magis ipse repræhendendus est, qui solum appræhensionis vsum agnouit. Quippè manus propria est apprehensio, non pedis; cuius tamen digitis præfixi sunt vngues: neque animalibus omnibus communis, quæ vngues aut vngulas habent; sed solius hominis, aut perpaucorum certè animalium. Itaque non generalis, sed specialis is vsus est: quemadmodum & scalpere, & mundare, aut excoriare, & vellicare, & diuellere, & siquid est aliud eiusmodi; & in bestijs quibusdam rapere, deffendere sese, aut lædere. Generale omnibus propugnaculum est, non aduersus frigora aut calorem, sed aduersus duriorum ac lædentium corporum incursus, à quibus extremæ illæ partes lædi potuissent, si molles prorsus fuissent. Argumento illud est, quòd equorum vngulis etsi præduris ferreæ quoque adduntur soleæ quarum sanè alius, quàm propugnaculi aduersus hasce iniurias, non est vsus. Eiusmodi quidpiam prouida quoque animalibus plerisque natura parauit.

Vsus.

Eamdem ob causam curuantur gibbáque constant superficie: non solùm quòd rotundam sequuntur digitorum formam; sed etiam quòd hæc figura ad resistendum iniurijs sit firmior.

Cur curuentur.

Empedocles ex neruis eos per congelationem credidit nasci. Et Hyppocrates in libro de principijs, & libro de natura pueri, ex ossibus & neruis deducere vsus est Aristoteli ex cute potius; vt & pilos, & cornua, libuit deriuare in secundo libro de animalium procreatione cap. 4. Colorem namque cutis imitantur, & alba & magna & vario modo diuersa pro colore cutis redduntur. Nam & quotidiè crescunt & vsu teruntur & excremento ab ossiũ & neruorũ nutrimẽto diuerso renouãtur.

Vnde oriãtur.

Vitæ & sensus expertes tres.

Progrediuntur quidem venæ, arteriæ, & nerui, A nõ ad vnguium modo radicem, sed etiam sub vnguibus ad digitorum quoque extremitates: verùm hæ ad nutritionem, vitam, & sensum digitorum pertinent: vngues nutritionis omnis veræ vitæ ac sensus expertes sunt: eodemque, quo de pilis, dentibus, & cornibus anteà dictum est, se habent modo.

Natura in hoc corpore patri familias similis.

Itaque vniuersam hanc humani & vero animati corporis considerationem philosophi verbis illis B concludam, quibus naturam in hoc moliendo & conseruando corpore sapientissimo Patri familias in suæ domus administratione similem fecit. Partium, inquit, vnaquæque ex alimento gignitur: nobilissima quæque & potissimi principij particeps ex cocto syncerissimo primóque alimento; reliquæ necessariæ ac illarum gratia institutæ ex deteriore ac reliquijs excrementisque. Perinde enim natura ac Paterfamilias prudens nihil admittere solet, ex quo facere aliquid commodi possit. Dispensatur autem in cura rei familiaris; itavt cibus optimus detur liberis, deterior seruis, vilissimus socijs animalibus. Vt enim incremento iam addito mens aduena facit hæc; sic in ortu ipsa natura ex syncerissima materia carnem cæterorúmque sensoriorum corpora conficit; ex recrementis vero ossa, neruos, pilos, vngues, vngulas & reliqua generis eiusdem constituit. Quamobrem hæc vltima efficiuntur, cùm iam suppetit excremẽtum naturæ. Triplicem namque cibum prudens pater familias facit: ex puriſsimo tritico sibi filijsque suis, ex minùs puro seruis, ac demùm reliquum furfur gallinis ac porcis tradit. Sic natura sapiens præcipuas partes ex puriſsima efformat & sustentat materia; reliquas ex minùs pura; excrementia & reiectanea pilos, vngues, vngulas, cornua, dentes, rostra. Ita vniuersa animalium corpora constant & conseruantur. In quorum descriptione non ignoro quędam esse, quę ab anatomicis accuratiùs ac pluribus pertractentur. Verum neq. nobis fuit propositum minutissima quæque persequi, sed idoneum animæ corpus organicum præparare: neque à Philosopho plura desiderari debent.

HIERONYMI

FINIS.

HIERONYMI DANDINI
Cæsenatis, è Societate Iesu.

IN TRES ARISTOTELIS LIBROS de Anima Commentarij.

PRÆFATIO.

QVICVNQVE Philosophiæ sacris initiandus sit, eum in 7. de Repub. libro voluit omnino Plato ad laboris alacritatem atque constantiam non esse claudum, dimidiaque parte laboris amantem, & laborem dimidia fugientem. Diximus pro ratione instituti nostri in superioribus libris accuratè satis de organici corporis constitutione: dicendum & de anima, cui tàm præclarum subiectum ac domicilium támque admirabile organum præparatur, vt diuinius nihil aut admirabilius inter corpora reperiatur. Prior laboris nostri pars ea ferè quàm breuissimè comprehendit, quæ in libris de partibus deque incessu animalium Philosophus tradidit. Posterior hæc diligentem faciet interpretationem eorum, quæ tribus de animalibus idem ipse Aristoteles, nescio an breuitate an sapientia maiori, complexus est. Nam, vt verè Themistius loquitur, cùm pleraque omnia illius scripta eiusmodi sint, vt dominari præstantiam hominis facilè possis, nulla tamen est cõmentatio, in qua ille perinde ingenij sui vim atque sublimitatem ostenderit, atque in ea, quæ animæ rationem continet. Siue namque multitudinem quæstionum queras, siue rerum pulcherrimarũ copiam, siue doctrinæ subtilitatem & vbertatem, eiusmodi sunt eius libri de anima, vt vni illi homini omnia, quæ ad hoc genus pertinent, innumerata fuisse constitisseque videantur. Quod ante Themistium Alexander quoque paucioribus licet verbis confirmauit.

Philosophiæ studiosum qualis.

Librorum de anima cõmendatio.

Duas porro interpretis officij partes Simplicius fecit. Prima ad Aristotelis dictionum ac verborum expositionem pertinet. Altera ad res ipsas, quæ dicuntur, examinandas. Themistius autem tria complecti priorem partem voluit. Nam & inuoluta atque obscura aperire debet interpres atque illustrare dicendo: & illustria simpliciter ad verbum transcribere, quid enim opus inanibus verbis augere volumina, detinereque ac fatigare lectorem? Ac demum ea, quæ breuiter & concisè nimis adstricta sunt, planiùs ac fusiùs explicare, atque (vt Galenus loquitur ad initium 3. Aphorismorum libri) singulis demonstrationem apponere. Dum autem posteriorem exequimur, atque ambigua & controuersa dissoluimus, cauendum est magnopere, ne non tàm suscepti muneris ac veritatis, quam inanis ostentationis studio ducamur ad ea, quæ non tam graui Philosopho, quàm vano ac leui sophistæ conueniant, dúmq. tenebras rebus addunt, non ad sapientiam deducant, sed ab ea retardent atque abducant. Venitque mihi in mentem cum Galeno in libro de præcognitione ad Posthumum cap. 1. non iam medicorum, sed quorundam nostri temporis Philosophorum conditionem deplorare, qui vederi malint, quàm esse, eaq; in pretio habeant, quibus partim alliciant, partim in stuporem adducant homines, qui verum de rebus ferre iudicium nesciunt. Ita subtilibus iam quæstionibus acutéque excogitatis argumentationibus perstrepunt scholæ commentarij redundant.

Interpretis officium.

Mihi veteres peripateticos & sentiendo sectari, & imitari scribendo, quantum fieri poterit, propositum est. Atque in eorum, quæ ad animæ cognitionem spectant, explicatione Aristotelis præsertim sententiam fideliter primum Latinum idioma conuertere, verbum verbo reddendo: deinde planis eam ac dilucidis commentarijs cõplecti & illustrare: tum verò de aliquibus, non tàm contentiosè disputando, quàm (quod desiderabant Simplicius ac Themistius) ea examinando paulo copiosiùs interdum digrediendo disserere.

Autoris consilium.

Sunt verò qui tractationis huius subiectum velint esse animatum corpus vniuersum, aut certè animal. Verum Græci omnes interpretes solam agnoscunt animam. Aristotelis mens, inquit Simplicius, apertè patet, quod de anima agere ac loqui velit. Non solum enim hunc libris præfixit titulum, sed statim etiam agendum de illa proposuit. Librumque exordiens de sensu & sensili, egisse se ait de anima: & in priore de interpretatione libro cap. 1. libros citat de anima. Neque aliud omnino agit in tractatione tota. Namque in 1. lib. veterum Philosophorum de anima opiniones examinat, in altero statuit suam, tum de animæ vniuersa natura, tum in specie de vegetante & sentiente illarumque facultatibus: atque in tertio demùm ea cõprehendit, quæ ad intelligentem pertinent. Itaque perfectam nullam & absolutam naturalis Philosophiæ partem faciunt hi libri: sed vt anima dimidiatum ens est & alterius pars; ita hæc illius cognitio pars est illius, quæ de toto est animato corpore. Quam ob causam Philosophus in extremo quarto meteororum libro proponens ea, quæ deinceps explicanda superessent, neq; aquam cõmemorauit animam, sed animalia duntaxat & plantas, entia perfecta. Animalium autem cognitio tribus partibus continetur. Cognitione inquam corporis, vt materiæ ac subiecti; animæ, vt formæ, & proprietatum atque operationum illius. Prima libris de partibus & incessu animalium continetur; altera libris hisce de anima; tertia reliquis omnibus, qui ad animalia spectant. In his igitur de anima agitur vt animalium pars est & forma.

Librorum horum subiectum.

HIERONYMI DANDINI
Cæsenatis, è Societate Iesu.

IN I. ARISTOTELIS DE ANIMA Librum Commentarij.

TOTIVS OPERIS PROEMIVM.

CAPVT PRIMVS.

Τῶν καλῶν δὲ καὶ τιμίων τὸ διὰ πολλῶν ὑπολαμβάνοντες, μᾶλλον δ' ἐπιστήμας, ἢ καὶ ἀκριβείαν ἢ τὰ βελτίω τε καὶ θαυμασιώτερα ἔχοντας, διὰ ἀμφότερα τοῦτα τὸν περὶ ψυχῆς ἰσμεν λόγους ἀξιολογωτάτους ἐν τοῖς πρώτοις τιθέμεν.

Text. 1. *Præclarorum atque honorabilium cognitionem existimantes, aliam autem alia magis, aut propter accurationem, aut quòd meliorum & magis admirabilium sit: propter hæc vtraque historiam de anima rationi sanè consentaneè inter primas posuerimus.*

COMMENTARIVS I.

Proœmij huius artificium.

GEnerale hoc est totius operis proëmiũ. Quod adeò præclarum est atque tanta constans, vt omnia in eo rethoris munera pulchrè obijsse Philosophum dixeris. Proposita namque rei, de qua dicturus est, nobilitate ac præstantia, beneuolum Lectorem facit; addita vtilitate methodóque seruanda, docilem; ac demùm subiecta difficultate, attentum. At si verum est illud Themistij, de cæteris quidem rebus optimè illum atque admirabiliter, sed de anima multò magis scripsisse: æquum nimirum fuerit præclarissimæ tractationis politum maximè atque artificiosum esse proëmium. Cùm præsertim aliæ non deessent causæ. Nam & optimum omnium formarum genus est anima, ab alijs seorsim & accuratè tractandum. Et plurima fuerat maximéque incerta inter veteres de anima disputatio. Neque ante ea tempora permissum Philosophis fuerat liberè de rebus diuinis atque adeò de anima loqui: nouamque is quasi scientiam traditurus præmittere proëmium debuit; quo non solùm ea, quæ tractationi huic necessaria videbantur, sed illius quoque difficultatem, præstantiam, ac necessitatem exponeret; quibus ad nouam quasi scientiam amplectendam allicerentur lectorum animi. Dum enim cognitionis hoc genus cõmendat & laudat, exhortationem simul ad illud capessendum facit. Atmox difficultatem subiungens, desides atq. ignauos deterret & abigit, studiosos ac generosos excitat atq. ad inquirendum inflammat. Nam etsi non omni ex parte assequaris quod quæris, in præclaris tamen & arduis rebus tentasse satis; & quantuncunq. inueneris, multum est plurimúmq. delectat. Res etenim superiores, vt est in 1. lib. de part. anim. cap. 5. etsi leuiter attingere possumus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam ampliùs oblectamur, quàm cum nobis iuncta omnia tenemus: amatæq. puellæ adiungit Philosophus exemplum. Simul etiam facilem sibi veniam à lectoribus impetrandam præparat, si minùs fortasse pro dignitate de anima dixisse videbitur. Quicunque enim ita iudicauerit, animam cognitu perdifficilem esse meminerit: de qua si pauca, modò rectè & accommodatè dicantur, omnino multum sit.

Superiorũ cognitio.

Principio igitur à laudibus & commendatione præfatur: quod familiare illi fuisse obseruat Philoponus. Nam librorũ quoq. Metaph. eiusmodi exordium est; Omnes homines natura scire desiderant; signum autem est sensuum dilectio. Porrò ex duabus propositionibus totam hanc cõmendationem instruit. Altera est, cognitionem omnem præclaram rem esse & honore dignam. Altera cognitionem vnam alteri duplici præstare nomine: aut quòd accuratè magis & exactè tractetur certiorvè sit: aut quòd melius admirabiliúmq. obiectum cõplectatur. Prior hypothesis potiùs quędam est. Posterior argumẽtationis propositio. Cui hanc subijcias assumptionem; at animæ cognitio optimi est admirabilissimiq. obiecti: qua Philosophus consueto vnus cõpendio prętermissa, eam colligit inter primas collocandam esse. Poteris & duas facere argumentationes; si priori quoq. hypothesi assumptionem hãc addideris; At de anima cognitio quędam parari potest; hancq. prędclaram & honore dignam esse cõfeceris. Tum verò cognitionem eam magis cõmendans, argumentatione altera inter primas quoque habendam esse ostenderis.

Aristotelis proœmij.

An verò propositionem eam (In eorũ numero, quę prędclara sunt & honore digna, cognitionẽ habendam esse) acceperit à Platone, an ex seipso pronunciauerit Philosophus, non facilè dixerim. Quippe in Amatoribus Philosophiam Plato καλὸν καὶ ἀγαθὸν quidpiam esse affirmauerat: & in Prothagora scientiam & sapientiam καλὸν & κράτιστον rerum omnium humanarum; nilque scientia melius esse; & in Philebo summum bonum esse sapere, intelligere,

Cognitionẽ & scientiã prędclaram esse.

gere, meminisse, scientiámq. maius bonum, quàm voluptatem, esse: & inter cætera; Nemo, inquit, neq. re vera neq. per somnium, mentem aut sapiẽtiam turpem aut vidit aut cogitauit vnquam, aut fuisse, aut esse, aut futuram esse. Itaq. quod Philosophus dixit καλῶν, præclarorum potiùs, quàm bonorum interpreteris: tum quia id magis propriè significat: tum quia καλὸν, & ἀγαθὸν seu κράτιστον Plato distinxit, atque καλῷ αἰσχρὸν opposuit, non κακὸν; turpe inquam, non malum.

Sanè cognitio nostra, si ad obiectum referatur, cuius cognitio est, vera. Dicitur aut falsa; vt illi cõformis fuerit aut nõ conformis. Atsi ad subiectum, bona semper est, nũquàm mala; præclara semper & pulchra, turpis nũquàm. Nam etsi mali obiecti fuerit, bona tamen est, præclara & pulchra; vt confirmat Philoponus: quoniam conueniens intellectui perfectio. Hoc etenim voluntati præstat intellectus; quòd voluntas ab obiectõ volito trahitur similisque illi euadit, & obiecti boni volitio bona est, malique mala. At intellectus cognoscendo ad se potiùs obiectum trahit, resque cognitas in se transformat: quare siue eæ bonæ sint siue malæ, cognitio in intellectu semper est bona; neque malitiam, sed entitatem solam accipit ab obiecto. Et Mathematicæ quoque disciplinę, quæ ratione obiecti intentio Metaph. lib. text. 3. abstrahere dicuntur à bono, quoniam abstrahunt ab ente; per ordinem tamen ad subiectum bonæ sunt, quia entitatem & perfectionẽ intellectui addunt. Aliam quoque moralem ex Platome rationem Philoponus adfert, cur cognitio mali sit bona; quippe nos à malo fugere facit: sicut ignoratio boni causa est vt illud non procuremus; quin potiùs incidamus in malum etsi bona quinque interdũ ignorationem esse, in Alcibiade 2. ratiocinetur Socrates.

Mali quoque cognitionem esse bonam.

Cæterum, εἶδος, solam veram & propriè dictam scientiam Significare Simplicius credidit. Et cùm duplex sit bonum; vnum propter se séque ipso expetendum; bonum inquam honestum, cuius est amicitiæ amor: alterum, quod ad alterius acquisitionem cõfert, concupiscentiæque amore tanquã alteri vtile medium quæritur: sunt qui primũ bonorum genus honorabile dicant, alterum laudabile: & ideò cognitionẽ, quam Philosophus & bonã dixit & honorabilem, solam esse theoreticam, quæ tanquam finis & honorabilis propter se expetitur. Honor quippe nil aliud est quàm testimonium, quod aut voce, aut signo, aut opere, de re quapiam honesta exhibetur.

εἶδος ἐστὶ Aristotelis quid.

Honor quid.

At statim quasi cognitiones omnes complectẽs, eas adiungit præclaras magis esse & honorabiles, quæ aut accuratè magis tradũtur, aut meliorum & admirabiliorum obiectorum sunt. Atque nõ idem esse εἰδέναι & ὑπάρχειν, ex proëmio librorum physicorum (quoniam inquit cognoscere & scire) ostẽdit Philoponus; & in illius loci commentario fatetur cum Alexãdro Simplicius cognitionẽ latiùs patere velut scientiæ genus, quod sensuũ quoque cognitionem comprehẽdere ostendit ex proëmio Metaph. Deinde moralis quoque & practica quęuis cognitio est intellectus perfectio, bona & honorabilis: nec philosophos modò, sed & medicos & Iureperitos, quorũ cognitio siue ad sanitatem, siue ad humanam gubernationem refertur; immò & artifices in arte quauis præstantes ac præsertim architectonicos, plurimũ honoramus. Et omnino cognitio quæuis intellectui bona est & honore digna; quòd qui eam habet, cæteris antecellat: & verò in eo, quod omnium præstantissimum est; nempe in intellectu: ideóque ab omnibus tanquam superior habeatur, quod nil aliud est quàm honorare aut certè honore dignum esse agnoscere.

Cognitionem omnem honore dignã esse.

Bonum & honorabile vt differãt.

Itaq. bonum & honorabile subiecto idem sunt, ratione solùm differũt. Quod & adnotauit Simplicius. Sed bonũ is ad voluntatis amorem retulit, vbi de intellectus cognitione vtrũq. à Philosopho affirmatur. Vt enim cognitio est intellectꝰ perfectio, bonam eam dicimus, vt autem excellens perfectio præstansq. bonum, honorabilem. Vnde exordium illud lib. Metaph. Omnis homo natura scire desiderat, nimirum vt eximiũ illud & præstans bonum cõsequatur, quo cæteris hominibus antecellat. Sanè Plato tum pulchrã & bonã, tum honorabilem & amabilẽ Philosophiã omnem ac scientiam dixit. Sed Philosophus noster pulchrã maluit & honorabilem dicere, quòd bonum & amabile ad voluntatem potiùs referãtur, pulchrũ & honorabile ad intellectũ. Bonum namq. cõuenientiam significat, pulchrum proportionem, ordinem, ac dispositionem partiũ aut proportionũ. Quippe μετρότης & ξυμμετρία, moderatio inquã & proportio, inquit in Philebo Plato, pulchritudo est: in corpore quidem moderatio & proportio partiũ, quæ cõuenientem quantitatem, & figurã, proportionem; ac dispositionem habeant, cum quadam etiam coloris suauitate: in animo autem spiritualibusq. substãtijs, proportio & ordo perfectionũ, tum essentialium, tum accidentalium. Bonum ad appetitũ & voluntatem spectat, cuius propriũ est id quærere, quod naturæ cõueniat. Pulchrum ad intellectũ, qui proportionem & ordinem cognoscit. Ita bonum appetunt cuncta, pulchrũ ea sola, quæ cognoscẽdi vi prędita sunt. Latiúsq. patet bonum quàm pulchrum, quod in mẽte duntaxat cognitricẽq. facultate bonũ est, dum eam intellectili bono cõplet. Propterea boni vim in pulchri naturã se trãsferre, pulchritudinẽq. blãdam boni faciem esse, idem inquiebat Plato. Et rursum in Cratylo, Pulchrum boni splendorẽ esse fulgentem in his, quæ sensibus aut mente percipiuntur: neque rebus cunctis, sed cognoscentibus duntaxat sese insinuare.

Bonum & pulchrum vt differãt.

Quamquam ego καλὸν hoc loco nõ tàm pulchrũ propriè nominatũ, quã præclarũ significare dixerim, Philosophiq. sententiã esse, cognitionem esse præclaram quandã rem & honorabilem. Quemadmodum & in tex. 51. lib. 12. Metaph. cùm de intellectus primi intellectione ageret, vtramq. hãc rursum cõiunxit vocẽ, & καλὸν acceptione hac nominauit. Primùm enim inquit, ἆρ' τὸ νοεῖν τὸ τίμιον αὐτῷ ὑπάρχει, hoc est, & eo quòd intelligit, honorabile ipsi ineit. Deinde quærit, num ad intellectus dignitatẽ cõferat quidquã intelligere τὸ καλὸν, præclarũ quidpiam & præstans obiectũ, aut quodcũq. obiectum & sordidũ. Tum verò apertiùs declarans quid hęc vox significet, primũ intellectum respõdet τὸ θειότατον ἢ πρεσβύτατον, id, quod diuinissimũ atq. honorabilissimũ est, intelligere. Itaq. prędarũ, eximium & diuinum significabit καλὸν. Quòd si eo mox loco quędam dixit satius esse nõ videre, de primi intellectus cognitione loquebatur, non vt cognitio est (sic enim omnis cognitio præstans est & bona) sed vt ad obiectum terminatur: diuinúmque intellectum voluit quęcumq. intelligit, seipsum intuẽdo intelligere; nõ ex rebus ipsis extra se positis cognitionem suam accipere. Hoc enim vile & abiectum

Exponitur locus ex 12. Metaph.

supremáq. mente indignũ iure optimo videbatur. Verùm alteram quoq. Philosophi propositionem consideremus.

TEXTVS.

Aliam autem alia magis, aut propter accurationem, aut quòd meliorum & magis admirabilium sit.

COMMENTARIVS II.

CVm meliorum & magis admirabilium legit Philoponus, alterum dixit ex rei natura peti, alterũ ex iudicio nostro. Non ineptè prorsus. Veriùs tamen per ordinem & comparationem ad iudicium, quam ex iudicio dixisset. quippe obiectũ ipsum per se naturáq. sua admirabilitatem habet & eiusmodi est, vt admirationem valeat excitare.

Vocem autem illam (ἀκείβειαν) penè omnes certitudinem interpretari video, duplicemq. rationem, qua cognitionẽ vnã prestare alteri ait Philosoph⁹, aut certitudinem demonstrationũ, & obiecti præstantiam exponere; vt Themestium, Auerroëm, ac ferè Latinos: aut cognitæ rei tum nobilitatem tum certitudinem; vt Simplicium ac Philoponum. Mathematicarum disciplinarum exemplo vtũtur omnes. Geometrica namq. certitudine præstat Astronomeæ: at hæc meliorũ est, dum cœleste corpus cõsiderat. Philoponus tamen Astronomeæ ac Medicinæ cõparatione vsus, tum obiecti dignitate, tum certitudine huic illam anteponit. Quod an verè sit omni ex parte pronuntiatum, non est huius loci examinare. Sed vt cœleste corpus incorruptibilitate atq. agendi virtute præstet humano; substantia tamen & natura non dixerim ego inanimatum corpus melius esse viuente, aut simplex & inorganicum misto atq. organico tàm admirabili arte ad tàm multas tamq. admirabiles operationes exequendas formato præstare. Accõmodatè magis Geometriam Mechanicæ, & Arithmeticam, Musicæ, vtroque nomine antepositit: addè & Geometriam opticæ. Nam inferiores hæ cognitiones propterea sunt, quòd & obiectũ & principia demonstrandi à superioribus accipiãt atq. ad peculiarem quandam ac sibi propriam rationem contrahant.

Geometriam. Astronomia præstare.

Astronomia an Medicina præstet.

Sanè scientiarum dignitatem ac præstantiam ex obiecto iudicare oportet; certitudinem autem ex medijs ac demõstrationibus, quibus singulæ comparantur. Scientia namq. & vt cognitio quædã est consideratur, & vt demonstrationis effectus, & vt habitus & qualitas in intellectu. Philosophus verò scientiarum cõparationem hoc loco facies earum subiectum commemorandũ cẽsuit: tum quòd cõmune illud omnibus est, vt habitus sint intellectus: tum quòd subiectũ ad scientiam se habet vt potestas ad actum; neq. actus nobilitas ex potestate, sed contrà potestatis potiùs dignitas ex actus præstantia deriuatur. Obiectũ & demonstrationes accepit; quoniã vt facultates ex actionibus, sic actiones ex obiectis naturam & distinctionem habent: cognitionisq. cuiusq. vis aut imbecillitas ex medio, quo ea paratur, planè proficiscitur. Pluribus hæc tractare alterius loci est, nec patitur commentarij ratio.

Dignitas, & certitudo scientiarum vnde.

Illud prætermittendum non est, ἀκείβειαν, si propriè & accuratè loqui velis, non certitudinem, sed accurationem, accuratam inquam & exactam cognitionem significare: quod ex pluribus alijs locis manifestum est. quemadmodũ in c. 1. lib. 1. Analyticorum priorum; quid propositio & quomodo differat, δι' ἀκειβείας in sequentibus dicetur. Et in secundo lib. Metaph. tex. 15. quidam, inquit, ἀκειβῶς πάντα, τῆς δ' λυπῆ τὸ ἀκριβές: illi accuratè omnia, hos accurationis tædet. Non esse autem idem certitudinem & accurationem certum est. Tum quia certitudo firmitas assensus est; & accuratio, diligens, perfecta & minuta eorum omnium, quæ ad rem eam pertinent inuestigatio. Tum quia sensus cognitio certissima est, at accurata minùs & exacta; siquidem imperfecta; cùm nullius rei naturam & causam assequatur. Cognitio quoq. fidei Christianæ nostræ, quæ diuina nititur authoritate, certissima nimirum est; at accurata & exacta non item, quoniam obscuritatem habet.

ἀκείβεια, quid.

Denique ex ca. 5. lib. 1. de part. anim. peti potest totius huius propositionis interpretatio. Duplici namque substantiarum distincto genere, quarum quædam immateriales sunt & immortales à sensibus nostris remotæ, aliæ materiales, caducæ & sensiles: συμβέβηκε, inquit, περὶ τὰς πρώτας οὐσίας καὶ θείας, ἐλάττους ἡμῖν ὑπάρχειν γνωρίμας; hoc est priorum cognitio præstantior quidem est ratione obiecti, quod diuinum est & honorabile; at minùs accurata & exacta, quòd eorum, quæ ad illas pertinent, sensibus, quibus ad intelligendum ducimur, per pauca comprehendantur. At quamuis illas κατὰ μικρὸν attingamus, propter rerum tamen præstantiam hæc quantulacumque cognitio ampliùs nos oblectat, quàm si posteriores cunctas noscamus: quemadmodum vel minimam amatæ puellæ partem vidisse, iucundius est, quàm alia multa & magna δι' ἀκειβείας, hoc est exactè & per omnes partes ἰδίως. Posteriores substantias, quæ cum sensibus coniunctæ sunt, nosse vberiùs possumus; atque hoc nomine, διὸ τὸ μᾶλλον καὶ πλεῖον γνωρίζειν αὐτῶν, excellere illarum cognitio videtur. Nimirum hoc loco Philosophus apertiùs ac pluribus explicauit, quid illud sit (scietiam vnam præstare alteri aut καθ' ἀκείβειαν, aut quòd meliorum sit & magis admirabilium) quod etiam habet in 8. Topicorum libro cap. 2. exemplo scilicet cognitionis immaterialiũ & materialium substantiarum. Simúlque quid ἀκείβεια significet, interpretatus est: plenam enim significat, perfectam, & per omnes partes integram cognitionem omnium, quæ ad rem eam pertinent. Hocq. ipsum est vberiùs nosse & διὰ τὸ μᾶλλον καὶ πλεῖον γνωρίζειν, ἐλάττους γνωρίας, & κατὰ μικρὸν attingere Philosophus opposuit: dumque minimæ partis visioni aduersatur alia multa & magna δι' ἀκειβείας ἰδεῖν, manifestum est ἀκείβειαν non certitudinem, sed accurationem & perfectionem cognitionis significare.

Scientia quæ prior & exactior.

Ergò vna cognitio alteri præstare dicitur, aut quòd obiectum melius atque admirabilius; aut quòd exactiùs & perfectiùs per omnes partes cõprehendat. Hanc in tex. 42. prioris libri de Posteriori Analysi ἀκειβεστέραν, exactiorem idem Philosophus appellauit: etsi καὶ σαφεστέραν addens, cum exacta cognitione certitudinem quoque coniunxit. Scientiã enim, quę & rem esse & cur sit cognoscit, rémque à sensili abiunctam materia; & simpliciorem atque ex paucioribus constante naturam consideratq; exactiorem ac priorem esse ait ea; quæ aut rem duntaxat esse intelligat, aut sensibilem materiam admittat (hæc namq. cognitionem impedit, perturbat, & abscurat) aut rẽ demũ ex pluribus pendentẽ pluráq. supponentẽ contẽpletur. Multiplicis enim cognitio dubia est & aneeps, quòd difficile sit assequi multa, & in eorũ aliquo labi facilimũ.

Sanè

Sanè Arithmetica & Geometria & omnino subalternantes scientiæ, Musicæ & Perspectiuæ subalternatisq. omnibus anteponuntur; quòd & causam habeãt, & abstractam magis ac simplicem naturam cõsiderent. Immò & Atithmetica hoc nomine, quã Geometria, exactior existimatur; quòd vnitas & numerus simpliciores puncto & magnitudine sunt. Quippe vnitas est sine pũcto & numerus sine magnitudine: at punctum non est sine vnitate nec magnitudo sine numero. Et punctum quidem cõplicatum est cum cõtinuo, in quo positionem significat; vnitas autem non itẽ. Eandẽ ob causã Metaphisica potior est naturali sciẽtia, quod illa abstractũ magis atq. à materia remotum obiectum cõtempletur, hęc circa materiã tota versetur.

Vnitas & numerus simpliciores puncto & magnitudine

Porrò hęc tria Philopono libuit ad duo reuocare; vt scientia vna exactior dicatur altera, vel quod alterius principia demõstret, vel quòd immateriale magis subiectum habeat. Illud namq. est, esse & causam cognoscere; hoc, abstracta & simplicia cõtemplari. Verũ & illa ipsa tua cognitionis præstantiæ ac dignitatis argumenta facilè agnosces in illis quoq. duobus, quæ hoc loco paucioribus verbis cõmemorantur. Melius nãq. & admirabilius obiectum, tum naturam cõprehendit à materia sensili abiectã, tum simpliciorem atq. ex paucioribus cõstantem. ἀκριβεστερα verò, tum existẽtiæ, tum causæ cognitionem: tum verò etiam singularum vel minimarum obiecti partium & proprietatũ, aliorumque omnium, quæ ad illud pertinent. Vt & circa obiectum & circa cognitionis modum & formam ἀκριβεστερα versetur.

TEXTVS.

Propter hæc vtraque historiam de Anima rationi sanè consentaneè in primis posuerimus.

COMMENTARIVS III.

Conclusio hæc est; quam ex superiori propositione Philosophus colligit: vtroque scilicet significato argumento animæ cognitionẽ ac scientiam inter primas habendã esse; hoc est præclaram maximè & honorabilem esse.

Porrò hũc locum minùs benè interpretatus est Alexãder, dum verba hæc (propter hæc vtraq.) ad superiora illa retulit (præclarorũ & honorabiliũ) vt sensus esset, quoniam præclarorũ & honorabilium est scientia de anima, propterea inter primas habenda est. Nam vt verè Philoponus pronũtiauit sentẽtiam, locum sanũ corripit. Tum quia si cognitio quæuis præclara est & honorabilis, nequaquã ex eo, quod omnibus cõmune est, cõsequens erat scientiam hanc inter primas esse. Tũ quia verba illa cum proximis iũgere oportet cæteriq. omnes iunxere, quibus duplex continebatur causa, qua cognitio vna potest alteri anteponi, aut propter ἀκριβειαν, aut quòd meliorũ sit magisq. admirabilium. Propter vtramq. enim inter primas habendam esse animæ cognitionem constituit.

Quod non paruam videtur habere difficultatẽ. Quippe si accurationem &, vt ferè loquuntur interpretes, certitudinem spectes; tum Metaphysicã potiorem multò dixeris, tũ Mathematicas disciplinas, quibus primus tribui solet certitudinis locus; vt tribuitur ab Auerroë in cõ. vlt. lib. 2. Metaph. & Ptolæmeo in proœmio Almagesti, & Aristoteles eo loco significat. Et idẽ ipse Philosophus hãc animæ cognitionem historiam, hoc est narrationem quãdam, minùs verò exactam & accuratam scientiam nominat. Sin autẽ obiecti ponderes dignitatẽ, lanè potior multò est separatarum mentium cognitio.

Cur historia nominauerit plures fuerunt causæ. Primùm enim historiã pro scientia vsurpatũ fuisse dicẽt Simplicius atq. Philoponus; ἀπὸ τῆ ἱστορεῖν, quod est perspicere & cognoscere. Ea nãq. scire nos asserimus, inquit Simplicius, quæ certiori quodã modo nouimus: & historicos, ait Philoponus, scientes dicimus; estq. historia narratio perquã vera. Ea enim quæ scimus, tàm euidẽtes, ac certò nouimus, quasi ea viderimus; eáq. ferè cõtinentur historia, quæ vidit quisq. & obseruauit sensibusq. percepit. Deinde historia nõ narrationem modò, sed & inquisitionem & cõsiderationem atq. omnino expositionem quamcũq. interdũ significat. Tũ verò in 3. lib. de Arte dicẽdi c. 12. historicã dictionem ἀκριβεστατην esse scripsit. Itaq. non quamcũq. animæ cognitionem, sed eam, quę quàm maximè accurata fuerit & exacta, inter primas habẽdã esse significare voluit, dum historiã nominauit. Non inquã illam, quã veteres ante ipsum tradiderant, rudem prorsus ac fabulosam, sed quã exquisitã ipse & verã excogitasset. Sic enim Pythagoricas fabulas dicet in tex. 53. quarũ atq. aliarũ eiusmodi cõparatione cognitionem suam nũc appellat historiã. Fabula quippe fictionẽ, historia veritatẽ continet. Quod autem S. Thomas & Egidius dixerũt alter historiã nominari, quòd summariè tractet neq. omnia cõprehendat, quę ad animã spectant: alter quòd nõ ex causis more scientiarum, sed ex effectis potiùs historico modo procedat: parùm omnino accõmodatè dictum est. Namq. accuratam prorsus & exquisitam tractationẽ pollicetur & præstat, qua tum vniuersè, tum per partes de essentia, facultatibus, atq. operationibus cunctis disserit. Etsi propterea dicatur historia, quòd ex effectis procedat, non hæc solùm pars, sed tota planè naturalis scientia deberet historia nominari.

Cur scientia de anima dicat historia.

Cæterum nec scientiam hanc Philosophus omnium primam cunctisq. anteponendã esse profitetur, siue certitudinem spectes, siue obiecti dignitatem: sed inter primas habẽdam: Et pleriq. de solis Philosophiæ naturalis partibus sermonẽ esse inter eásq. cõparationem fieri putãt: & solam cœlestis ac perpetui corporis cognitionem nobiliorẽ, licet minùs certam, Simplicius iudicat. At Auerroës comparationem latius extendens Metaphysicam solam anteponit: quẽ sequũtur plurimi. Eam enim certum est primam omniũ esse & quasi sciẽtiarum reginam, quæ separatas mẽtes anima omni meliores considerat. Cæteris omnibus nobilitate præstat cognitio animæ. Nam quatenus theorica est & substantiã animæ peruestigat, potior est morali, quæ tum practica est, tum de solis illius actionibus agit. quatenus verò substantiam tractat, melior est Mathematica quauis disciplina, quæ circa accidentia versatur.

Num sciẽtia de anima sit omnium nobilissima.

Maiorem difficultatem habet certitudo. Atque hoc quoque nomine Metaphysica Auerroës anteponit. Sed duplex in scientijs certitudo continetur. Altera est obiecti seu rei: quæ idem est, quod obiecti necessitas, cui opponitur contingentia. Ea namque dicimus certa, quæ necessaria sunt & eodem semper modo se habent; cáque in-

Num omniũ rectissima.

certa, quæ cõtingentia & mutationibus obnoxia. Certitudo hæc ex duobus maximè pendet: tum ex perfectione & actu: tum ex simplicitate rei. Quam ob causam naturalium rerum inconstantiam Plato cõsiderans, earum cognitionem nõ scientiam, sed opinionẽ voluit appellari. Altera intellectus, quæ infirma illius adhæsione consistit: adhæret autem per assensum.

Certè cognitio Cœli, incorruptibilis & perpetui corporis, certior videtur ex parte obiecti, ea saltem animasticæ scientiæ parte in qua de vegetante ánima & sentiente agitur: atque ex parte intellectûs & demonstrationum mathematicæ disciplinæ. Ac rursum cùm duplex sit certitudo intellectꝰ, vel simpliciter, vel per cõparationem ad nos: prior non solùm in Methaphysicis, sed & in Mathematicis multò est maior; quia sunt magis abstracta: posteriore autem tum hæ ipsæ Mathematicæ præstant, tum partes multæ naturalis scientiæ, quæ sensu & experientia vberiùs cõfirmantur. Itaq. Philoponus ex immateriali & immortali anima rationali certitudinem quærit. Magnúsque Albertus non formalem, sed virtualem certitudinem interpretatur: quòd in hac scientia de agẽtis intellectus lumine agatur, quod in scientijs cæteris regula est certitudinis omnis. Quippe Themistius quoq. certitudinem eam agnouit, quòd ab hac scientiæ cæteræ certitudinem reponant suã. Quorũ primus videre potuisse ne intelligẽtem quidem animã à naturali Philosopho cõsiderari, nisi vt est forma respicitq. materiam. Cætero autem animaduertere, illam nõ esse propriã huius, sed aliarum scientiarũ certitudinem: Quam si ex hac detiuare debeant, aliquam aliam huic propriam & formalem inesse oporteat. S. autem Thomas cùm certam propterea scientiam dicit, quòd quilibet experiatur in seipso se habere animã, quæ ipsum viuificet; parùm omnino dixit. Hæc enim existẽtiæ certitudo est, qua animam esse cognoscimus; non ea, qua scientiæ & earum demonstrationes constant.

Melius omnino id significauit Simplicius, certitudinem totã in vicinitatem atq. animæ erga seipsam correspondentiam referẽs; quia nimirum cognoscẽdum obiectum cognoscenti vicinum est & propinquũ: faciliúsq. animaduertimus ac firmiùs assentimur ijs, quæ in nobis ipsis experimur; quàm ijs, quæ in alijs, quæ aut supra nos sunt, vt entia prorsus abstracta, ad quæ attingere non valemus; aut infra nos, vt sensilia, quæ sensu errabundo percipimus. Inde enim & animã cognoscimus in nobis esse tanquam actum & formam nostri, nósq. ex anima constare & corpore; & animã plurimarum operationũ principium esse, quarũ aliquæ corporis, vtãtur organo, aliæ solius animæ propriæ sint; & ideò quandam animæ partem materialem esse, corpoream, & mortalem, aliam spiritalem, incorpoream, immortalem, atq. à corpore separabilem. Quæ omnia & in nobis ipsis animaduertimus, & ex ijs quæ in nobis sunt, partim ex effectu, partim ex causa demonstramus. Quocirca Metaphysica quidẽ & verò Mathematica cognitio maiorẽ habuerint obiecti certitudinẽ, quoniam abstractum magis obiectum cõsiderant: & ex medio quoque certiores habet Metaphysica causas. At hoc nomine scientia de anima multò certior est Mathematica: quòd per veras demonstret causas, quæ in Mathematicis nullæ sunt: vt & hoc loco habet Simplicius, & pluribus in 3. lib. demonstrabitur. Sed & cõparatione nostri certior est hæc cognitio, quàm Metaphysica: quia de re magis sensata & per magis sensatas causas. Immò & quàm Mathematica: quia etsi quãtitas magis sensatũ sit accidẽs, quã animæ substãtia, demõstrationumq. principia sint notissima: quãtitatem tamẽ eam abstrahit Mathematicus ab omni sensu, naturalisq. cõsiderat animã vt corporis est ac sensilis materiæ forma, sensilésq. operationes edit: & omnino cũcta, quæ ad eam spectant, plurimã in nobis ipsis experiẽtiam habent, propterquã facilem ac firmũ demõstrationibus assensum damus. De morali scientia quid attinet dicere? Quippe quæ ad mores pertinent, multò indigent ac longo rerum vsu obseruationéq. plurima: & animæ quoq. cognitionem desiderant, vt est in cap. 13. lib. 1. ad Nichomachum.

Hæc cùm intelligeret Philosophus, nõ absolutè omniũ primam, sed inter primas, tum nobilitate, tum certitudine, siue simpliciter, siue cõparatione nostri, hãc animę scientiam esse pronũtiauit. Et cùm in superioribus verbis vniuersè de omni non dico scientia, sed cognitione locutũ illum fuisse videam, adduci non possum vt credã cum cæteris tantũ naturalis scientię partibus postremis hisce verbis comparationem eum fecisse: sed sub eadẽ vniuersitate hãc quoq. clausulam adiũxisse affirmo: simúlq. naturam animæ mediã indicare inter substãtias à materia prorsus alienas, & formas penitus materiales. Cùm enim tanta sit scientiæ dignitas, quãta est rei cognitæ; vt anima nõ est primũ & supremum ens, neq. item infimũ, sed proximè accedens ad primũ, sic illius scientiam non primam, sed inter primas esse constituit.

Si tamen aut ad naturalia aut ad reliquam de viuentibus tractationem sermonem cõtahas; obiecti primũ nobilitate partem hanc omnibus antepono. Animatũ quippe corpus optima est naturalis corporis pars; in qua corpore melior est anima. Verè namq. dixit Philoponus animam optimum esse eorum omniũ, quæ hîc sunt; hoc est inter naturales res omnes præstantissimam, vt confirmauit quoque Themistius.

Duo sunt, quæ maiorem præseferant dignitatem, cognitio primi motoris, cœlestisq. contẽplatio. At primi motoris essentia ad Metaphysicũ pertinet, animaq. cognitio quiditatiua potior est cognitione illa operationis & existentiæ primi motoris vt est motor, quã Philosophus naturalis consequitur. Cœli quoq. consideratio, si motricis intelligentiæ essentiam accipiat sibi Metaphysicus, inferior erit. Neq. enim omne perpetuum immortali quolibet nobilius esse, argumento sit prima materia. Et rationalis atque intelligens anima immortalis est & sempiterna: animatúmque omnem ac viuens inanimato præstat & non viuenti.

Certissimam quoq. omniũ esse ait: tum ex parte obiecti, quod simplicissimũ est & quadã ex parte sempiternum: tum nobis, quòd effectus & operationes animæ notissimæ nobis sint, & continuata quasi in nobis ipsis experientia confirmatæ. Inter cæteras verò viuentium considerationes, hęc quæ de anima est, & prima est, & suprema causa eorum omnium, quæ in viuentibus insunt. Eáque certissima omnium cognitio indicatur, quæ primam ac supremam causam assequitur. Neque enim exactè satis nos arbitramur scire, nisi quando effectus omnes & proprietates ad primam, per quam omnes demonstrentur, causam reduxerimus.

Quocirca

Quocirca hæc sit conclusio. Siue cognitiones omnes ac scientias accipias, siue naturales solas; omnino scientia de anima inter primas habenda est; siue nobilitatem spectes, siue certitudinem, est enim scientia de forma quæ supra materiã maximè eleuatur. Immò si eas duntaxat consideres, quę ad animata & viuentia spectant, hęc omniũ prima est, tum dignitate, tũ certitudine. Nã quod S. Thomas interpretatus est ordine primam dici, non probo. Non enim de ordine, sed de dignitate & certitudine Philosophus loquitur. Ordine autem corporis tractationem & libros, qui eã continent, priores esse; ostẽsum in superioribus est, in generali inquã totius huius nostri laboris præfatione.

TEXTVS.

Tex. 2. Δοκεῖ δ' ἡ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασα ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι· μάλιστα δὲ πρὸς τὴν φύσιν· ὥσπερ γὰρ οἷον ἀρχὴ τῶν ζώων.

Videtur autem & ad veritatem omnem cognitio ipsius multam conferre: præcipuè vero ad naturam. Et enim velut principium animalium.

COMMENTARIVS IIII.

QVæ hîc de animasticæ scientiæ vtilitate dicuntur, ita refert Simplicius ad superiora vt eam non solùm per se honestam & præclaram esse velit, quòd & certissimam & admirabilium rerum cognitionẽ contineat: verùm etiam quòd notitia eius ad omnes alias scientias pertineat. Quasi hoc aliud sit dignitatis eiusdem argumentum. Cæteri omnes per se atq. à superiori seorsim hanc orationem accipiunt. Ac Themistius tertium commendationis caput constituit: vt primũ fuerit demonstrationum certitudo, alterũ cognitæ rei præstantia, tertium sit vtilitas. Verius fortasse dixeris secundum caput, non tàm commendationis, quàm totius proœmij, quo scientiæ huius vtilitatẽ commemoret; etsi hoc ipsum commendationẽ habeat.

Cùm enim vtilem dicit, non solùm ad naturalem, sed & ad veritatem omnem, facilè intelligas in superiori quoq. contextu; cùm eam inter primas posuit, non de solis scientiæ naturalis aut animaliũ cognitionis partibus, sed vniuersè de scientijs & cognitionibus omnibus fuisse sermonem.

Veritatem autem omnem Simplicius cognitionem veram interpretatur; quæ & certam scientiã pariat, & circa substantias versetur; hoc est Metaphysicam & naturalem. Mathematicam namq. cognitionẽ, vt substantiã nõ attingit, sic sciẽtię nomine indignã Simplicius putat. Tot enim sunt Philosophiæ proprie dictæ partes, vt est in 4. Met. li. tex. 4. quot substãtiæ. Alij cũ Auertoë ampliori vsu vocabuli Mathematicas quoq. disciplinas admittũt, vniuersamq. theoreticam philosophiam, cuius finis est sola veritas, & in 2. Metap. lib. tex. 3. scientia veritatis contemplatrix appellatur, intelligi volũt Themistiº ac Philoponus philosophiam omnem, tum theoreticam: tum practicam.

At quid opus est vniuersalem maximè & generalem propositionem ad paucam materiã contrahere? vtilis namq. omnibus est, quia cognitionem illius facultatis continet, quæ cognitionis omnis principium est. Intellectus nquam; & verò etiam sensus, qui satelles quasi & prænuntius intellectus existit. Trésque illius intellectus actiones exponit, appræhensionem, compositionẽ, ratiocinationẽ, quibus scientiæ omnes & cognitiones constãt. Tũ vero sciẽtiarum omnium obiecta abstratione nitũtur acq. vnius ex alio deductione cunctæ vtuntur; abstractioq. animę operatio est, & deducendi vis intellectus lumine sustentatur, quo tũ prima principia intelligit, tum effectus & causæ connexionẽ animaduertit, tum demum assensum præbet. Quæ omnia ex animæ cognitione petenda sunt, scientiarũ etiam omniũ principia vera esse ostendũt resolutione facta ad cognitionẽ sensuũ, vt est in fine 2. libri de Posteriori Resolutione, & in principio Metaph. Scientia verò de anima sensum docebit circa proprium obiectũ locare nõ posse. Plurimũ etiam cõfert cognoscere, quomodo à sensu ad intellectũ cognitio nostra progrediatur, quãtáq. sensus & intellectus cõiunctio sit, vt intelligas, cognitionẽ intellectº acceptã ex sẽsibº veram esse ac certã.

Seorsim autem plurimum confert Metaphysicę. Tum quia de intellectu & intellectione agit, quæ propria est intelligentiarum natura & operatio. Tum quia intellectº & intellectile relationẽ significãt, neq. intellectile potest sine intellectº cognitione intelligi; quod in primo libro de partibus animaliũ cap. 1. pronuntiauit quoq. Philosophus. Tum etiã propter animæ cum separatis mentibus similitudinem, cumq. inter illas & inferiores formas naturales media sit anima, facilior est ex medijs ad maiora superioraq. ascensus. Quo ferè fit, vt cõsideratione intellectus nostri minimè à materia pendentis mentium illarum considerationi sensim assuescamus. Mathematicæ autem, quoniã agit de abstratione deq. phantasia seu intellectu vt à phantasia pendet: quibus principijs totum illud cognitionis genus continetur. Agit de sensilibus communibus, circa quæ disciplinæ illæ totæ versantur. Agit & in 3. lib. de modo, cognoscendi entia mathematica.

Logicæ, dũ de intellectus operationibus disserit, circa quas formandas ac dirigendas cognitio illa vniuersa versatur. Morali, tum quia de practico intellectu agit: tum quia neq. de vltimo fine, neq. de medijs ad finẽ, de moribus inquã & virtutibus dici potest, quin animę facultates antea & partes cognoueris, vt ex capite vlt. lib. 1. ad Nicomachum & cap. 6. & 32. lib. 1. Magnorum moralium perspicuum est. Morales namq. virtutes facultatum earũ moderationes sunt & ornamenta, vt Philoponus ac Themistius loquuntur, sed & ad mores informandos non parum confert nosse rationẽ à natura factã esse appetitionũ ac perturbationũ dominã: neq. politicus benè homines, gubernabit, nisi hominum naturam perspectam habeat. Medicinę, tũ propter animæ vegetantis notitiam summopere medico necessariam: tum propter diuersas animæ perturbationes & affectus, ex quibus plurimi sæpè nascuntur morbi. Atq. tum Medicinæ tum Morali conuenit illud Platonis in Alcibiade primo: Nescimus quo pacto quidpiã curandũ sit, nisi noueri mus quid illud sit, quod nobis curãdũ proponitur.

Scientiæ de anima vtilitas.

Sed præcipua vtilitas est in naturali scientia. Tũ quòd eiusmodi tota cognitio circa sensilia versatur, operáq. sensuũ vtitur: tùm quod hæc illius pars est, & quidẽ præcipua. Namq. inter naturalia corpora præstãt omnibus viuentia, eorũ q. principiũ est anima, & quidem triplicis generis, vt in 2. libro pluribus explicabitur, formalis, efficientis, & finalis. Quippe anima & est animatorum essentialis

forma & pars, & operationum principium: & finis, propter quem totum organicũ corpus præparatum est & extructum; vt & animę domicilium sit & operandi instrumentum. Cuius rei argumentũ est, quod pro animarum diuersitate diuersa sunt corpora, próque diuersitate operationum diuersæ partes organicę. At ex causis perfecta scientia constat; cúmq. naturalium omnium formarum prima & optima sit anima, maximum habet illius cognitio ad cæterarum omnium cognitionem momentum: siquidem primum in vtroquoq. genere mensura est cæterorũ, rectóq. tũ ipsum tum obliquũ cognoscim⁹: quo argumẽto mox in tex. 85. affirmabit Philosophus potiorem contrarietatis partem satis esse tum ad seipsam tum ad oppositã dijudicãdam.

Anima cur velut principiũ.

Verùm cur non absolutè principium, sed velut principium animam esse dixit? Eam fuisse causam putat Simplicius, quoniam principium simplex & impartibile quidpiam significat: compositum autẽ & partibile nõ principij, sed eius quod ex principijs constat, rationem habet. Nam in quantitate quoq. linea & superficies, quatenus partibiles sunt, principium non sunt nec terminus, sed quatenus impartibiles: Corpus, quod vsquequaq. partibile est, principatum solùm & terminatum non principiũ nec terminus: punctũ impartibile prorsus propriè principium & terminus. Anima vt ab impartibili verè essentia decidit ad partibile corpus, velut media inter impartibilem & partibilem naturã, partimq. impartibilis est & partim partibilis, tum essentia, tum actione; sic à syncera quoq. & propria principij natura recessit, neq. absolutè principiũ, sed velut principium est. Philoponus autem eam potiùs prætendit causam, quòd principium continuum horum immediatum, animalium, natura, sit non anima. Ego verè S. Thomam dixisse arbitror vocem illam (velut) vim aliam, quàm exprimendi, non habere; tanrũdémq. significare, ac instar principij. Voluit autem exprimere quã vim habeat in viuentibus anima; cúmq. ipsa sint principiata & compositã, animam quoddam esse illorum principium, & quidem optimum, alterum autẽ corpus. Cùm præsertim nollet nunc immorari exponendo quale principium sit. Dicerem etiã significare voluisse eã esse, velut totale & integrum animalium principium: quoniam etsi corpus quoq. organicũ adsit; corpus tamẽ hoc non est organicũ nisi propter animam: quare tota ratio cõstituendi animal ex anima pendere videtur, est igitur anima velut principiũ, hoc est tãquã id quo animal cõstituitur. Fortasse etiam respexit id quod dixerat, illius cognitionem ad veritatem omnẽ & maximè ad naturalem conferre; voluitq. indicare quemadmodũ conferat; nimirum velut principium, ex quo animatorum omnium deducenda cognitio sit. Nam vel ipsa organici corporis cognitio ex animæ cognitione ducenda est; siquidẽ corpus illud est propter animã fabricatum. Quanquam animalium dicere Philosophomagis placuit; vt partem potissimam, in qua resmagis esset conspicua, nominaret.

A *Quorum hæc quidem proprijs affectus animæ videntur esse, alia verò propter illam animalibus quoq. inesse.*

COMMENTARIVS V.

TErtium hoc est caput, quod tum summa futurę explicationis capita, tum ordinem methodúmque in ijs explicandis seruandam proponit. Capita duo sunt. Alterũ de natura & essentia animæ. Alterum de affectib⁹, tum illius proprijs, tum cum corpore communibus. Ordo autẽ & methodus; vt primùm de natura & essentia, tum de affectibus dicatur. Sanè his duobus perfecta cuiusq. rei cognitio cõstat, essentiæ inquam & proprietatum seu accidentium cognitione. Duóq. sunt scientiæ instrumenta, Deffinitio & Demonstratio, Deffinitione essentiam, Demostratione proprietates cognoscimus. Vtrumq. amplectitur Philosophus, vt perfectam animæ scientiam polliceatur. Ità tamen, vt prius de essentia dicatur, quàm de proprietatibus: Quoniam illa proprietatum fons est & origo, atque adeò cognitionis ac demonstrationis illarum principium. Porrò in his nõ solum res considerãda, sed & modus considerãdi cõtinetur. Res considerandа est anima: de modo autem cõsiderandi, cum animam dixisset esse velut principiũ animalium, dubitari poterat, an anima consideretur vt principiũ, an vero absolutè & secundũ suã naturã: propterea q. accipit, nõ per cõparationẽ & ordinẽ ad corpus, sed absolutè naturã ipsius quę sendam esse: & initio libri de sensu & sensili dictũ esse ait de anima secundum se, quæ verba propositioni huius textus respondent: consideratur igitur anima, quia est principium, & ideò in 2. libro definitur esse principium primum quo viuimus? Sed non consideratur quatenus principium est, sed secundum suam naturam & substantiã. At rei obscuritatẽ ac difficultatẽ intelligens, memorque philosophiam nõ tam sapientiam ipsam, quam sapientiæ studium significare; non hæc se exactè traditurũ audacter respondet; sed diligenter inuestigaturũ, modestè proponit. Cui tãdem propositioni, confutatis aliorum de animę essentia opinionibus, eadem verborum forma pariq. modestia respõdebit illud sententiæ suę exordiũ in tex. 1. lib. 2. in quo primũ huius propositionis caput aggressurus, totidem penè ac similibus vtitur verbis. Nunc enim, quærimus inquit cognoscere naturam ipsius & essentiam. Postea verò, tentantes inquiet definire quid est anima & quæ communissima sit ipsius ratio. Inquisitioni nãq. respondet tentare; cognitioni deffinitio; naturæ quid est anima, essentiæ ratio ipsius.

Inuestigatio, & cognitio quid.

Dum autẽ contemplari ait & cognoscere, Philoponus cõtemplationẽ interpretatur generalẽ magis ac rudem notitiã, cognitionem autem diligentiorem & accuratam magis inquisitionẽ. Simplicis contemplationem ex manifestis sensuiq. apparentibus rebus ad veritatem processum, cognitionem verò scientiariam certamque compræhensionem. Eadem vtriusq. sententia, cõtemplationem inquisitionem, & quasi motum ac progressionẽ ad veritatem significare, cognitionem autẽ velut ipsius terminũ, in quo veritate inuenta intellectus quiescit. Vt Philosophi sententia sit, Quærimus inuestigare & assequi naturam & proprietates animæ. Inuestigatio ex rebus sensu perceptis principium habet. Quippe ex admiratione eorum, quæ incurrebant

TEXTVS.

Ἐπιζητοῦμεν δὴ θεωρῆσαι καὶ γνῶναι τίνα τε φύσιν ἐστὶ καὶ τίνα τὰ συμβεβηκότα τῇ ψυχῇ κατ' αὐτήν· ὧν τὰ μὲν οἴεται πάθη τῆς ψυχῆς εἶναι δοκεῖν, τὰ δὲ καὶ τοῖς ζῴοις ὑπάρχειν.

Tex. 3. *Quærimus autem contemplari & cognoscere naturam ipsius & essentiam. Deinde quæcunq. accidunt circa ipsã,*

incurrebant in sensus, cæpisse homines philosophari & inuestigare causas, hûcq. philosophiæ omnis fuisse ortû, scribit idē ipse Philosoph⁹ ad initiû Metaph. Assecutio autē & cognitio inuestigantis rationis atq. inueniētis opus est & terminus. Etquidem velut contemplationē dixeris totā illā esse veterû de anima opinionû cōmemorationē atq. examen, quod toto hoc primo libro continetur & velut veritatis inuestigatio est; cognitionē autem propriam Philosophi sententiam, quam alienis cōsuratis inuentā reliquis duobus libris exponit.

Natura & essētia vt differant.

Rursum cùm naturā & essentiam nominat, duplex est apud Philoponû interpretatio. Altera tātumdē valere vtrāq. vocē, posteriorēq. prioris expositionē esse. Altera, naturā significare genus, essentiā definitionē: vt intelligatur sub quonā entis genere cōtineatur anima; nû ad qualitatē pertineat aut quantitatē, vt illi voluerāt, qui temperamentû aut proportionē eam esse putauerant, an potiùs ad οὐσίαν hoc est substantiā. Cognito namq. genere facile fuerit differentiā ac definitionē totā inuenire. Neutram Simplicius probat: sed naturam contendit eā animę partē dici, quæ ad naturalia entia magis declinat: eam verò essentiā, qua cū intellectilibus conuenit atq. à corpore seiungitur. Etenim hæc verè essentia est & substantia; cùm eadē semper sit & immortalis, ac perse subsistat neq. in corpore sustentetur. Quod etsi Academicum potius, quā Peripateticū cuipiā fortasse videatur; Peripateticū tamen sensū habere potest; si aut animā omnē intelligas naturā esse, quatenus naturalis corporis forma est & ens naturale constituit atq. à non naturali destinguit; intelligentē autem subsistentē quoq. substantiā: aut naturā meminerit in tex. 14. lib. 2. Phisycorû, nascentiā quoq. & germinationē significare; quandámq. animā esse, quæ ex materia nascatur & quasi germinet; aliámq. forinsecus accedentē & vt loquitur in tex. 65. nōbis innatā, substantiā quandā existentem. Et fortasse animæ vniuersæ naturā indicare voluit mediam esse, túmque cū naturalibus formis tū cū separatis conuenire: cum illis, quòd sit natura; cum his, quod quadam saltē ex parte subsistēs substantia. Propterea vtrāq. vocē vsurpauit. Quamquam si vtramq. idem significare dixeris, haud profectò rem nouā & nusquā philosopho vsitatā dixeris: confirmabuntq. verba paulò ante proposita ex initio libri secundi, vbi ad hunc locū respiciens explicandum ait quid anima sit, & quæ sit ipsius ratio: quæ duo sanè rem eamdē vtrobiq. significant, nec magis quā, definitum & definitio differunt. Et nunc statim subiunget in tex. 4. difficillimam esse quæstionem de essentia & quid est. Natura enim prætermissa essentiā solam nominat, & quasi vtriusq. tū naturę tū essentię explicationē addit quid est, hoc est diffinitionē eius.

Anima natura media.

Inuestigato, & cognitus quid.

TEXTVS.

Deinde quæcunque accidunt circa ipsam, quorum hæc quidem propriy affectus animæ videntur esse, alia vero propter illam animalibus quoque inesse.

COMMENTARIVS VI.

HOc alterum est, quod explicandû proponit. Cùm verò proprios statim affectus subiûgit, etsi proprios dicat vt opponuntur ijs, qui cū corpore cōmunes sūt; illud tamen etiā exponit, quod dixerat (quæcunque accidunt circa ipsam) non significare accidētia, quæ communia pluribus sūt aut omnibus; vt esse albū vel nigrū, calidū aut frigidū, sed cuiusq. naturæ proprietates. Illa enim ex accidēte insunt, nec scientia certa cōprehenduntur hęc autē per se. Itaq. hoc accidentiū genus, quod perse; accidit animæ, intelligendum est, vt verè adnotauit Simplicius, quodq. substantiā necessariò cōsequitur, vt habet Philoponus. Quēadmodū in 1. quoq. lib. de priori Analysi ca. 1. ratiocinatio definitur esse oratio, ī qua quibusdā positis aliud quid à positis necesse est accidere. Est enim idē verbum συμβαίνειν; quod tamen cū necessitate coniungitur. Itaq. accidentia quædā sunt necessaria: quæ enim sūt per se, semper & necessariò sūt, de quibus instruitur demonstratio, qua per essentiā tāquā principiū & causā ostenduntur inesse. Alia contingentia, quæ vt Porphyrius dixit, adesse possunt & abesse: neq. de his demonstratio vlla est aut scientia.

Accidere & accidens necessitatē mdiunctā habere.

Quāquā nūc philosophus non proprietates, sed affectus nominat, hoc & operationes animæ, ex quibus sanè totā illius naturā inuestigabit, vt & in cæteris formis fieri solet. Hinc enim regulā statuet, nū ea naturā habeat incorporeā atq. à corpore separabilē, an corporeā prorsus & inseparabilem, si operationē aliquā habeat sibi propriā aut cōmunē omnē cū corpore. Etenim quædā solius animæ videntur propriæ, vt intellectio, aliæ cū corpore cōmunes, vt sentire, imaginari, cōcupiscere, irasci, & alię plures, quę determinata corporis parte cerroque vtuntur organo.

Has verò operationes πάθη dicit, aut quod permultæ verè affectus & cū perturbatione sint, aut quòd passionē adiūctā habeāt. Intelligere quippè pati quoddā est, & sentire & aliæ huiusmodi operationes cū passione sunt animā quidē perficiente, at corpus interdū debilitante ac perdēte, si immoderatū obiectū fuerit. Simplicius tamē stabiles intellectus actiones hac voce negat cōtineri: sed eas duntaxat, quæ per decursū & applicationē ad corpus cōueniunt animæ; dū à se quasi recedens aliquid & ipsa patitur: alioqui stabilis & permanens illius actio accidens nō est, sed idē cū ipsius substātia. Hęc Simplicio est intellectio intellect⁹ in actu, tota simul & essentiæ vnica: rationalis autē cōtemplatio Dyanęę & intellectus actiui progredientis ad corpus, vt est cū discursu & rēpore, sensuq. vtitur & phātasia, sic etiā cū passione perficitur. Verū hęc in 3. lib. erūt examinanda. Interim intellectum priorem esse & antiquiorē corpore nō vere accipit: neq. itē benè intellectū in actu nominat, intellectionémq. esse eidem cum substantia, solius primi intellectus diuini propriū est: creatarū omniū rerū actio diuersa est & quidpiā substantiæ additū: vniuersęq. pronuntiabit Philosophus, intelligere pati quoddam esse.

Operationes animæ cur πάθη

Sanè huic propositioni, in qua affectiones dicimus, consequens tractatio tota respōdebit. Nā nō solū in tex. 12. 13. 14. 15. ipsemet affectū operationē interpretabitur, verū etiā in 2. lib. post animę naturā explicatā in facultatum & operationum consideratione totus deinceps erit. Tum verò succedent libri, qui parui naturales dicuntur, in quibus de operationibus item agitur.

TEXTVS.

Ταύτῃ δὲ πάντως δοκεῖ τὸ χαλεπώτατον καθόλου περὶ ψυχῆς πᾶσι παρεῖναι· τί ποτ' ἐστὶν ἀληθὲς λαβεῖν καὶ τῶν ζητημάτων καὶ πολλοῖς εἰρῆσθαι λέγω δὴ τὸ περὶ τοῦ οὐσίαν, ἐξ ὧν δεῖ) πάντα δοξειεν μία τις ἂν μέθοδος περὶ πάντων περὶ ὧν βουλόμεθα γνῶναί τι τοῦ οὐσίαν· ὥσπερ γὰρ καὶ νῦν κατὰ συμβεβηκὸς ἰδίων ἐπεδήμησεν. ὥστε ζητητέον αὐτὴν

πῶ μέθοδον ἕκαστον· εἰ δὲ μὴ ῥᾴδια ἢ κοινή τις μέθοδος περὶ τὰ τοιαῦτα, ἐπὶ χαλεπώτερα γίνεται τὰ πραγματεύεσθαι· δηλόν γὰρ ἑαυτῷ περὶ ἑκάστου, τίς ὁ τρόπος.

Tex. 4. *Vndequaq. autem & omnino difficillimorum est accipere aliquam fidem de ipsa. Cum enim sit cum aliis pluribus communis quæstio (ea inquam, quæ de essentia & quid est) cuipiam fortasse videbitur vna aliqua methodus esse de omnibus, quorum volumus essentiam nosse perinde ac propriorũ accidentiũ demõstratio. Quærenda igitur*

Tex. 5. *hæc methodus fuerit. Si autem non est vna & communis aliqua methodus circa quid est, difficile adhuc sit negotiari. Oportebit enim accipere circa vnũquodq. quis modus.*

COMMENTARIVS VII.

QVartum hoc est proœmij caput, inquo pluribus cognitionis huius difficultatem proponit. Quod ad solertes ac studiosos naturæ contemplatores excitandos attentósq. faciendos, segniores autẽ repellendos pertinere Philoponus ac Simplicius iudicarũt. Eò etiam spectat, vt si minùs benè rẽ fuerit assequut⁹, veniã impetret à lectore: si pro dignitate dixerit, summã cõsequatur laudẽ & gloriã. Ita demũ Philosophi modestia postulabat, quę ab illius arrogãtia longissimè abesse debet, qui omnia se scire profitebatur. Difficultas autẽ est in vtraq. superioris propositionis parte: quarũ altera ad essentiã, altera ad actiones spectabat. Hoc enim est illud (vndequaq. & omnino) hoc est ex vtraq. parte, tũ essentiæ, tũ actionũ, & omnino in hac tota inuestigatione. Illudq. (χαλεπωτέρων) superioribus illis respondet, quę initio dixit (καλλίων ἢ ἁμείνων) Scitum enim est illud, χαλεπὰ τὰ καλὰ, difficilia quæ pulchra. Et rursũ illis (βελτίονος ἢ θαυμασιωτέρων) diuinissima quippe & optima quæq. entia cognitu nobis difficiliora esse propter intelligentiæ nostrę imbecillitatẽ, Philosophus idẽ prodidit in tex. 1. lib. 2. Metaph. & cap. 5. lib. 1. de part. anim. Quare si anima res quædã præclara est & admirabilis, difficilẽ consequens est cognitionem eam habere.

Essentia cognitio quã difficilis.

Est autẽ in essentiæ cognitione multiplex difficultas. Primũ enim vt cognitionẽ omnẽ nostrã ex sensu & phantasia pendere taceã, sensumq. & phãtasiã intellectilis naturæ cognitionẽ impedire, purúmq. ac syncerũ intellectus actũ turbare, quod in Phædone persequitur Plato: sanè media est anima inter materialia & immaterialia, corporea & incorporea, velut ancipitis dubiæq. naturæ & quasi oppositorũ particeps: omnéq. multiplex ac variũ cognitionẽ habet difficilem. Adderent Platonici,

Animam corporis comercio inquinari.

animã in corpore nõ esse id quod est; illiúsq. cõtactio plurimũ inquinari atq. à sua puritate & integritate recedere; propterea q. vix à nobis cognosci posse. Siquis, inquit Plato in 10. de Rep. qualis reuera ipsa sit inspicere velit, haud quaquã intueri eã debet communitate corporis malisq. alijs contaminatã, qualẽ nos modo intuemur: sed qualẽ, cum puta integrã q. erit à corporis communitate segregãta, cõtẽplari debet rationis ductu.

Ita profectò & pulchriorẽ multò & luculẽtiorẽ videbit. Nũc autẽ nõ aliter eã spectam⁹, quã multi marinũ inspiciãt Glaucũ: cuius antiquã naturam perspicere haud facilè possint; quòd antiquæ corporis partes partim fractæ, partim contritæ sint ac dissipatę fluctuũ impetu: aliãq. rursus illi inhæreãt, conchylia, alga, lapides: ex quarũ rerũ multiplici conformatione ferè potius speciẽ, quã suæ naturæ vultũ prę se ferat. Ita & nos animã inspicim⁹ innumerabilib⁹ malis inquinatã. Hãc inquã essentię animę cognoscendæ difficultatẽ Plato prætenderet. Cùm enim (vt verbis vtar Plotini in lib. de pulchritudine cap. 5.) materiæ plurimũ se dediderit, materiamque naturã in se contraxerit; nimirum ob eiusmodi cõmistionẽ in deterius prolabentẽ, iã fermè speciẽ suam in speciẽ alterã cõmutauit: perinde ac siquis limo canóq. prouolut⁹ haud vlteriùs priorẽ prę se ferat pulchitudinem. Vt propterea Proclus quoq. in lib. de anima & dæmone persimilem eam fecerit ijs, qui pestilentẽ incolentes regionem laniguẽt totóq. corpore pallidi ac mærẽtes afflictãtur.

Aristoteles verò quasdã alias difficultates adfert. Prima est; quia cũ quęstio hæc de essentia & deffinitione cũ alijs pluribus, immò omnibus, cõmunis sit (siquidẽ de qualibet re quæri potest quęnã illius essentia sit, quæ deffinitio) incertũ est, num vna & eadẽ sit methodus ac forma deffiniẽdi res omnes, an verò pro rerũ diuersitate multiplex. Cuipiã enim fortasse vnã esse persuadebitur argumẽto demonstrationis proprietatũ. Quoniã vt idẽ est mod⁹ proprietates omnes de essentia demonstrandi; nempe essentia, ex qua oriuntur, tãquã causa & principio demonstrationis accepta: vnusq. & idẽ modus inuestigandi causã, ex qua demõstrentur, nempe per resolutionẽ: quantũvis diuersæ sint, tũ proprietates, tũ essentiæ: ita quidni essentias omnes deffiniẽdi vna sit forma? Quòd si vna nõ sit, sed tã multiplex, quã multę sunt res deffiniendæ; maior adhuc fuerit difficultas. Oportebit enim antea cõstituere quis sit proprius singularũ deffiniendarũ mod⁹: quoniã ablurdũ est scientiã simul & modũ sciendi quærere, neutrúmq. facile est accipere; vt est in tex. 15. lib. 2. Metaph. Sanè cuiusq. rei essentiã definitione cognoscimus & explicamus, quã ὅρον & terminũ proptera dicimus, quòd vt hic agros, sic rei cuiusq. essentiã illa deffinit, terminat circũscribit: ac distinguit: & vt agri cuiusque spatiũ metimur ex termino, sic naturæ perfectionẽ & amplitudinẽ ex definitione perpendimus. Itaq. non est hic sermo de nominis deffinitione, quæ solã vocis notationẽ continet. Neq. etiã de rei descriptione, quæ græcis καταγραφὴ dicitur. Nõ enim essentiã indicat, sed accidentarijs indicijs, qualis potius quam quid res sit significat: perraruſq. Philosophis est illius vsus, oratoribus crebrior & Poëtis. Sed de ea, quę cuiusq. rei essentiã exponat. Hæc genere maximè cõstat & differentia, aut in cõpositis materia & forma, aut etiã genere & vna aliqua pluribúsq. causis, quibus id quod deffinitur, à cæteris, vt pars est distinguatur. Quam deffinitionem propterea causalem nominamus: sed si materiam & formam contineat, essentialis simul est & causalis.

Demonstrandi vnus modus.

Definitio cur ὅρος & terminus dicatur.

Multiplex definiendi modus.

De his diuersis deffiniẽdi modis philosoph⁹ nũc nõ loquitur: sed de methodis potius inuestigãdi & inueniendi eã cuiusq. rei deffinitionẽ, quæ essentiã exponat. μέθοδος enim græcis breuẽ nobis viã significat, quæ citò ac tutò ad id, quò volumus, hoc est ad scientiarũ cognitionẽ deducamur. Quod tunc cõsequimur, cũ ordinẽ seruam⁹, eáq. priùs tractamus, quę priora, & posterius ea, quę posteriora esse oportet. Et Galenus in 1. lib. de medendi methodo, vti nil aliud esse deffiniuit, quam via quadam & ordine quidpiã inuestigare, vel vt Simplicius in tex. 1. lib. 1. Phyſic. cũ quadã via rectè ritéq. ordinata ad rẽ cognoscendã progredi. Et Philoponus in 1. lib. de Posteriori Analysi, viam esse ac rationem, qua mens humana inquisitione appræhendit.

Methodus quid.

Quæritq. hoc loco Philosophus, an sit vna method⁹ vnáq. via inuestigandæ deffinitionis omniũ rerum,

rerũ,an pro rerũ varietate multiplex, vt quædã inueſtigetur demonſtratione,alia diuiſione,alia methodo alia quapiam. De mõſtratione quidem certè (quod Hyppocratẽ ſenſiſſe ſcribit Auerroës (inueſtigãda nõ eſt. Tũ quia eſſentia causã nõ habẽt;ſed ipſa potiùs prima eſt cauſa eorũ omniũ, quæ insũt rebus,quæq. de illis demonſtrantur. Et in 2. libro de poſteriori Analyſi à tex. 3. multis oſtẽditur definitionẽ nullã poſſe definito probari. Tum quia deffinitio ipſa demonſtrationis eſt mediũ ; eſſetq. petitio principij;aut in infinitũ progrederemur,ſi deffinitionis quoq. illius demonſtratio foret. Accedit quòd Demonſtratione id conficitur, vt ineſſe aliquid alicui & cur inſit intelligatur;non autẽ orationẽ quãpiã eſſe deffinitionẽ. Quòd ſi vna deffinitio interdũ per aliã probetur, vt materialis per formalẽ;ea nõ eſt perfecta demonſtratio,ſed ratiocinatio dialectica;vt ex tex. 8. ſignificati libri conſtat. Vnius quippe rei vna eſt perfecta deffinitio;at Dialecticæ plures eſſe poſſunt;quarũ vna ignotior per notiorẽ aliã monſtretur illius rei deffinitæ deffinitio eſſe. Accidẽtiũ quoq. propriorũ deffinitiones etſi nõ demonſtrentur,demonſtratione tamen cognoſcuntur;quippe mediũ demonſtrandi deffinitio eſt. Deq. his loquebatur Philoſophus in tex. 10. eiuſdẽ libri, & tex. 22. libri prioris, vbi deffinitionẽ dixit demonſtrationis concluſionẽ eſſe. Nã ſi terræ interpoſitionẽ cũ Ecclypſis genere cõiungas, deffinitionẽ facies; Ecclypſis eſt defectus luminis propter interpoſitionẽ terræ:quæ tamen nõ cõcluditur dumonſtratione vt deffinitio eſt,ſed vt quædã proprietas lunę, quæ ineſſe illi demonſtratur. Perfecta autẽ deffinitio ſubſtantiæ eſt.

Definitionẽ Demonſtrationẽ non inueſtigari.

Quatenus definitio demõſtretur.

Plato diuiſione potiſſimũ deffinitionẽ inueſtigabat;vt videre eſt in Sophiſta, dũ hominis deffinitionem quærit. Ariſtoteles duplici ratione vti nos voluit,vt intelligi poteſt ex eodẽ 2. lib. à tex. 17. Altera per diuiſionẽ & cõpoſitionẽ, deſcensũq. à ſuperioribus ad inferiora,vel à toto ad partes,ac rurſũ à partibus ad totũ. Altera per ſimilitudinẽ, reſolutionem & aſſensũ ab inferioribus ad ſuperiora. Prior inueſtigatio fuerit ex effectis ac ſignis exterioribus deffiniendę rei, ſupremum categoriæ genus accipiendo, illudque per genera & ſpecies ac differentias medias vſq. ad vltimas diuidendo. Ea nãmq. obſeruando, quæ deffiniendæ rei conueniant, propriũ illius genus & eſſentialia omnia attributa inuenimus,ex quibus,perfecta deffinitio ex proprio genere propriãq. differẽtia cõſtat. quòd dũ agis,tria prorſus obſerues. Primũ eſsẽtialia quęras attributa. Deinde in diuiſione ordinẽ ſerues & categoriæ ſeriẽ, à generalibus ad minùs generalia progrediẽdo;nec omittas quidquã. Deniq. ſi vltimã nõ inueneris differẽtiã,grad⁹ illos omnes accipies,qui ſimul sũpti cũ re deffiniẽda reciprocẽtur.

Definitionis inueſtigãdæ modus duplex.

Poſterior autẽ inueſtigatio tũ rei naturæ conuenit, tũ noſtro intelligendi modo. Deffinitio enim & ſciẽtia nõ res perſequitur ſingulas, ſed vniuerſas quærit. Et noſtra tamen cognitio à notioribus nobis & ſenſatis,quę ſingula ſunt & compoſita,principiũ habet : ab his ad vniuerſa & ſimplicia eſt aſcendendũ: cũ præſertim in vniuerſis naturis cõfuſè multa & poteſtate contineantur:eſſetq. facile in homonymiã labi,ſi ab illis principiũ fieret. Videas igitur primũ inquonã illius nomen ſortiãtur:quod ſenſu & inductione cognoſces. Deinde in quonã alterius quoque ſpeciei inferiora conueniant. Tum quod vtriſque commune ſit. Ex communis ſiquidem genere & propria differentia deffinitio tibi conſtabit. Idemq. deffiniendo generi agendũ erit in illius aliorúmq. generum ſpeciebus. Quod ſi pluribus cõſideratis,quæ vno communi vocentur nomine, nihil illis inueniatur commune,homonymum fuerit nomen, quod deffinitione vna compræhendi non poſſit. Prior inueſtigandæ deffinitionis modus exactior eſt & certior, Poſterior facilior & expeditior.

Et Philoponus hoc loco Philioſophum dixiſſe putat quæſtionem hanc de eſſentia cum alijs pluribus, non item cum omnibus eſſe communem: quoniam omnia deffinire non licet. Neque enim ſuprema genera, neque indiuidua deffinitionem habent, ſed deſcriptionem. Cæteri tamen pluribus pro omnibus, vt alibi ſæpè dictum interpretantur. Sed Themiſtius quęſtionem hanc non Philoſophis modò, verùm omnibus item alijs, qui ſermocinales ſcientias vt cumque attingunt,communem dicit. At veriùs non homines deffinientes, ſed res deffiniendas interpretaberis. Quod & antecedentia & ſubſequentia oſtendunt verba. Antea enim difficile dixit eſſe inuenire quid anima ſit : poſtea verò difficultatis cauſam ſubiungit,quia incertum eſt an vna ſit communis methodus de omnibus,quorum volumus eſſentiam noſſe: quemadmodum vna eſt accidẽtia propria omnia demonſtrandi. Et illud (oportebit accipere circa vnum quodque quis modus. Ac demum illud) alia namque aliorum principia. In his enim omnibus manifeſtum eſt de rebus deffiniendis eſſe ſermonem.

TEXTVS.

Εἰ δὲ φανερόν ἐστι πότερον ἀπόδειξις ἔστιν, ἢ οὐχί, καὶ πῶς ἔστιν ἑκάστου, ἐν πολλὰς ἂν ἀπορίας ἔχοι καὶ πλανᾶς. ὧν πάντων δεῖ ζητῆσαι· ἄλλαι γὰρ ἄλλων ἀρχαί, καθάπερ ἀριθμῶν καὶ σχημάτων.

Si autẽ manifeſtũ ſit, vtrũ Demonſtratio ſit an diuiſio, an etiã alia quædã methodus multas adhuc dubitationes habet & errores,ex quibus oportet quærere. Alia namque aliorum principia, vt numerorum & ſuperficierum.

COMMENTARIVS VIII.

ALtera hæc eſt eſſentiæ animæ cognoſcendæ difficultas. Quæ non iam ad deffiniendi modum inueſtigandę ve deffinitionis methodum, ſed ad rem ipſam parteſue deffinitionis pertinet. Siue enim ex genere & differentia, ſiue ex materia & forma eſſentialem, ſiue ex cauſis cauſalem definitionem adferre libeat, omnino fuerit difficultas. Quoniam alia ſunt aliorum principia, neque facile eſt quænam animæ propria ſint conſtituere. Atqui vt cuiuſq. rei natura, ſic accurata & certa illius cognitio ex proprijs eius principijs cõſtat, ſiue per Demonſtrationem proprietatum cognitio quæratur, ſiue per Definitionem inueſtigetur eſſentia. Propterea etſi conſtiterit, an Definitio per Demonſtrationem quærenda ſit, an per diuiſionem & compoſitionem, an alio aliquo modo, multis adhuc modis errare poſſumus in ijs accipiendis,ex quibus definitio conſtet.

Numerorum porrò & ſuperficierum principia memorat,quæ,vt Themiſtius loquitur,propinqua & confinia eſſe videntur, vt oſtendat non eorum modò,quæ genere differunt,ſed illorum item,quę ſub eodem continetur, vt numerus & ſuperficies ſub Quantitate,diuerſa eſſe principia proxima,neque in definitione principia remota, ſed proxima

& illius rei proprtia commemoranda esse. Itaque audiendus non est Philoponus, dum principia genera tantùm decem suprema interpretatur. quippè numerus & superficies idem habent supremum genus, quorum tamen diuersa principia esse dicuntur, siue numeri quantitatem deiunctam, & superficiei coniunctam dixerit, siue numeri vnitatem, & superficiei lineam aut punctũ. Namq. ductu ex vnitatibus colligitur numerus, & ex puncti linea, ductuque lineæ superficies efficitur. Ergò duplex principij genus distinguit, de quorum vtroq. locutus Philosophus sit. Alterum coordinatum dicitur & elementare, vt vnitas in numero & punctus in linea, lineáque in superficie, & quidquid interna est rei causa. Alterum absolutum & separatum, vt Genus & Differẽtia. Sanè vtrumq. definiendũ adhibetur, déq. vtique philosophũ interpretarilicet (etsi absoluta quoq. ex elemẽtaribus sumantur, nẽpe Genus & Differentia ex rebus ipsis accipiuntur. Nam statim de Genere & Differentia sermonem instituet: nunquã numerum & superficiem nominauit in quibus primum illud principij Genus consideramus.

Nisi hæc ad Platonis sententiam alludens nominauerit, qui essentiam animę ex eiusmodi principijs constare dixerat in Timęo, vt post oportuno loco pluribus explicabimus. Ac de cõmunissimis quidem & generalissimis principijs legimus in t. 22. lib. 12. Metaph. eadem per analogiam esse omnium principia: sed idem ipse philosophus particularia & propria subinngit esse diuersa & aliorum alia. Quorsum autem nunc principiorum mẽtionem fecerit, consequentia ostendent verba. Sic enim habet.

TEXTVS.

Πρῶτον δ' ἴσως ἀναγκαῖον διελεῖν, οὐ λέγει τὸ ἡμῶν, ἢ τί τὸ λέγω ἢ ποτερον ὡρισμένη τὶ δεῖ εἶναι, ἢ ποιόν, ἢ ποσόν, ἢ ἢ ἄλλων τῶν διῃρημένων κατηγοριῶν.

Tex. 6. *Primum autem fortasse necessarium distinguere, in quo sit genere, & quid sit. Num inquã hoc aliquid & substantia, an quale, an quantum, an vero aliqua aliadine sarum Categoriarum.*

COMMENTARIVS IX.

Cognitionem ex principijs & causis ducendam esse.

SCientiæ amatores scripsit in Timęo Plato præcipuas oportere naturæ causas quærere. Et Aristoteles plurimis sanè in locis affirmauit cognitionem omnem nostram ex principiorum cognitione ducendam esse; tuncque accuratè nos vnamquamque rem cognoscere existimari, cùm illius principia omnia, tum proxima tum remota, cognoscimus. Sed & prima naturalis totius tractationis ingressio ea fuit, A principijs inchoandum esse; quia tunc scimus cum principia cognoscimus. Idem in singulis quoq. partibus obseruandum fuit. Proprietatum quippe demonstratio ex earum causa & principio ducitur, quod est essentia deffinitione compræhensa: essentiæ autem definitio ex illius principijs Genere & Differẽtia colligitur. Propterea cum alia aliorum principia esse dixisset, ad animæ statim eiusque definitionis principia inuestiganda sese conuertit. Atque à generalissimis exorditur; quippe differentiæ quæri non possunt, nisi de genere priùs constiterit. Quod & methodo conuenit inuestigandę difinitionis Philosopho familiari per diuisionem & cõpositionẽ. Nihil tamen nunc constituit, sed dubitando proponit, vt aduerbium illud (fortasse) indicat.

Quoniam verò animam constabat Ens quodpiã esse (quippe si non esset ens, non quęreretur quidnam esset) vniuersum Ens diuidit in decem illa suprema genera, quibus omnia, quæ sunt, contineri creduntur; vt ad quodnam eorum pertinet anima mox accipiens, genus illius habeat; quod rursum diuidendo proximum genus & propriam differentiã inueniat. Nominat autem substantiam solã, Qualitatem, & Quantitatem; non item cætera genera: siue quòd, vt Simplicius habet, ad illa maximè pertinere videretur; & ad aliquod solùm ex illis tribus fuisset à veteribus philosophis reuocata, à Pythagoricis ad substantiam, à Xenocrate ad quantitatem, ab ijs, qui Harmoniam temperationemue esse dixerunt, ad Qualitatem: Siue quòd ab his tribus generibus reliqua omnia nullam rem distinctam cum illius sint soláque ratione differant.

Categoriarum diuisio.

Ait autem (diuisorum) aut diuisionem alibi ab ipso factam atque in proprio de illis libello explicatam accipiens: aut quòd ante ipsum Architæ Tarentini & Pytagoræorum diuisio fuerat, vt in commentarijs ad librum Categoriarum Simplicius testatur: & Categorias ab Aristotele primùm nominatas fuisse (quam vocem hoc quoque loco retinet) Porphyrius, Dexippus, cæterique interpretes tradunt. Ex accusatione nimirum, quæ in iudicijs fit; similitudine ducta. Nam vt in illis, cùm accusatur quispiam aliquod ei crimen obijcitur, sic in propositionibus cum superius de inferiori dicitur, attributum velut crimen quoddam subiecto imponitur: hæq. decem Categoriæ quasi decem summa accusationum capita sunt, sub quorum aliquo cõtinetur quidquid de aliquo dici potest. Et iudicationem quoque, quam in morbis nominant medici, à foro ac iudicijs deductam fuisse scribit Galenus in 5. Prognosticon com. 1.

Categoria ab Aristotele primùm dicta.

Vnũ hoc nomen ductum.

Ac Prophyrius quidem Categoriam credidit denuncupationes ipsarum vocum significare, vt cum dico, hęc res est lapis, dictionémque omnem significantem rem Categoriam esse. Sed merito repræhensus fuit à Simplicio: quoniam Socrates & alia quæuis simplex & singularis dictio Categoria esset. Veriùs Dexippus generum ac specierum prędicationem de inferioribus significare scripsit. Immò Alexander, Simplicius, & Ammonius, solum supremum Genus. Cùm enim quædam subijciãtur duntaxat, alia solùm prędicentur, alia subijciantur & prædicentur, supremũ genus, quia prædicatur tantũ, κατ' ἐξοχὴν Categoria nominatur, & hoc loco nominasse videtur Philosophus. Interdum tamen pro serie tota & coordinatione eorum omnium, quæ de aliquo dici possunt, quæque à supremo genere vsque ad indiuidua numerantur, eundem ipsum Philosophum legimus nominasse. In libro namque Categoriarum secundas substantias, animal & hominem, Categoriæ figura videri hoc aliquid significare dixit. Et in 5. lib, Metaph. t. 12. & lib. 10. t. 24. Ea eadẽ genere esse, quorũ eadẽ est Categoriæ figura. Et t. itẽ 12. eiusdẽ lib. 10. ea differre, quorũ diuersa est Categoriæ figura. Et tex. 13. quædã genere diuersa esse quædã in eadem Categoriæ coordinatione differre. quã ob causam Porphyrius quoq. in sua Isagoge in singulis Categorijs suprema genera & media, speciesq. ĩfimas & indiuidua esse scripsit; totã scilicet illã attributorum multitudinẽ velut instructã aciẽ vsq. ad indiuidua Categoriam appellans.

Quorum sint categoriæ.

Porrò dum hîc primum entis genus hoc aliquid & κατ' ἐξοχὴν nominat, perspicuum est alio significatu, quàm

Quodã quasi genus.

ficatu, quàm antea, οὐσίαν dici. Siquidē antea significabat essentiā, quę in quolibet entis genere reperitur. Quomodo autem substantiam dicat hoc aliquid, petendum ex ijs erit, quæ in lib. Categoriarū habentur: vbi inter substantiæ proprietates ea est, quòd omnis substantia videtur hoc aliquid significare: omnis inquam substātia perfecta & integra, in recta serie contenta. Prima quidem & singularis substantia; quoniā hæc perfectissima est maximèq. subsistit & accidētibus substat, sensibus ipsis subiecta & demōstrabilis. Secūda verò, quæ species cōprædicabilis & genera; dū absoluto nomine pronūtiatur, quod aliquid per se existēs significare videtur, vt Homo & Animal; & primā interdum substantiam secundæ nomine appellamus. Potiùs tamen hæc quale aliquid significat, dū non vnū numero determinatū, sed commune quidpiam multa cōstituens & in illis subsistēs velut ipsorum formā significat. Itaq. vt quantū & quale quantitatem & qualitatem, sic aliquid substantiā indicat. Accidentia namq. absolutè entia non sunt, sed entis entia. quòd si demōstratiuum signū (hoc) addideris, vniversam significationem ad id contrahes, quod demōstratur, singulare, materiale, & sensile: etsi ampliori significatu ad quodcūq. per se existēs singulare perfectū extendi possit. Species & Genera etsi verius quale aliquid significent, hoc aliquid tamen significare videtur, velut quidpiā inter substantias primas & accidētia mediū: quia nō per modū accidentis, sed per modum substātiæ absoluto nomine significāt. Differētiæ demū, quæ denominatiua voce pronūtiantur, nec significant nec significare videtur hoc aliquid, sed quale aliquid. Et ideò species & Genera enūtiantur in Quid, differentiæ in quale quid. Propterea q. vniuersum nūc substantiæ Genus appellat hoc aliquid, quia vniuersum hoc aliquid significare videtur.

Vt substantia dicat hoc aliquid.

Et Simplicius non sine causa Philosophum putat dixisse quærendum esse in quo genere anima sit & quid sit, sed posteriora hæc addidisse verba, vt genus ostenderet significare quid, differētiam autem quale quid & generis determinationem.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ πότερον περὶ τὸ δυνάμει ὄντων, ἢ μᾶλλον ἐντελεχείᾳ πῶς διαφέρει τοῦτο ἢ οὐ πολύ.

Atq. adeò vtrum eorum quæ in potestate sunt, an potius actus quispiam differt enim non parum.

COMMENTARIVS X.

VBi de supremo constiterit genere, subdiuidendum illud erit, propriāq. differentia quærenda. Hoc nunc Philosophus agit. Sic enim diuidentes eāq. reijcientes membra, quæ diffiniendæ rei non conueniant, accipiētēlq. illa quæ cōueniant, proximo tandem genere propriāque differentia inuentis definitionem totam habebimus.

At Philosophus Aristotelem iam non dubitando loqui, sed certa & definita sententia ad animæ definitionem inueniendam progredi arbitratur, propterea q. acceptum substātiæ genus in potestatē & actum diuidere, vt animā inueniat in substātiæ genere actum esse. Sed diuisionem substantiæ in potestatem & actū interpretatur esse in corpus & incorporeum. Cùm enim non dicat Aristoteles δυνάμεις, sed ἐν δυνάμει, intelligi non vult materiam, quæ potestas ipsa est, non in potestate, sed corpus, quod in potestate est, siue in genere substātiæ, siue quātitatis, aut qualitatis. Corpori autē opponitur incorporeum: quod propterea actū dixit, non in actu, quoniam incorporea simplices actus sunt, essēq. in actu corporū est & compositorum propriū, quæ in potestate erāt & susceptā formā, quæ per se incorporea actus est, siūt actu. Itaq. Philoponi sentētia quærere an anima sit in potestate an actus, est quærere an sit corpus an incorporea. Differt enim non parùm immò plurimùm natura distant corpus & incorporeum.

Verùm neutra huius interpretationis pars consentanea Philosopho est. Affirmare namq. Philosophum nūc diuidēdo animę definitionem colligere, nil aliud est, quā dubitationem indefinitam sentētiam cōmutare, Philosophiq. cōsilium anteuertere. Manifestum enim est nil aliud eum in præsenti agere, quā dubitationes & difficultates proponere, quæ in animæ cognitione cōtinentur. Neque in toto hoc lib. quidquā ipse statuit, sed difficultates primū & quæstiones proponit; deinde aliorū sententias examinat; tum demū in 2. lib. quid ipse sentiat explicare aggreditur. Ibiq. primùm ex Entis diuisione in decē genera, quā hoc loco proposuit, accipit in tex. 2. animam ad substātiæ genus pertinere, illūdq. subdiuidit in materiam, quæ potestas est; & formā, quæ actus; & cōpositum, quod actu. Cùm præsertim maximè mirū videretur, si inter antecedētia, quæ eodē ipso cōsentiente Philopono fuerūt dubia & ad omniū sentētias pertinētia, In quonā entis genere anima sit; & cōsequētia. An sit partibilis, an impartibilis totāq. reliquā oratione, qua plures quęstiones ac difficultates proponūtur; pauciſſima hæc interponerentur verba, quę certam ac definitam sententiam continerent.

Sic igitur res habet. In altero illo difficultatū capite, quod ad partes definitionis pertinebat; prima dubitatio seu quæstio fuit de genere, quonā entis genere cōtineatur Anima. Altera hæc est de differentia, seu mauis de genere proximo; an supremo genere subdiuiso (quodcūque illud fuerit animæ propriū) in potestatē & actum, anima velut potestas sit, an vt actus. Dum verò corpus & incorporeum interpretatur Philoponus, animaducertere potuisset hęc ad sequentē potiùs quæstionem pertinere, num anima partibilis sit an impartibilis. Quod enim partibile est, corpus est, quod autem impartibile, incorporeū. Deide intelligere debuisset, potestatē & actum nō in substātia dūtaxat nominari, sed accipi tāquam differētias & partes cuiusuis entiū generis. Siquidē diuisione facta in decem genera nec eorum vllo accepto, vniuersè dubitatur, vtrum eorū sit quæ in potestate sunt, an actus quispiā. Quoniam, inquit Auerroës, potestas & actus differētiæ sunt, quæ Categorijs omnibus cōtingunt, quod ex 5. lib. Metaph. tex. 15. & lib. 12. tex. 3. & 26. alijsq. pluribus locis colligitur. Corpus autem & incorporeum in substantia sola considerat Philophonus, qui solum substantię genus subdiuidi putat.

Potestatem & actum in similem, quibus esse.

Porrò potestas & actus ideirco in omnibus Categorijs reperiri, omniūq. principia esse dicuntur, aut quòd ea, quę in illis cōtinentur, aliquādo potestate sunt, aliquādo actu: aut potiùs quod in singulis quidpiam est quod potestatis, aliud quod actus vim habet. Genus inquam vt potestas, differentia vt actus. Quam ob causam in 7. Metaph.

Quomodo sint.

lib.tex.43.& li.8.tex.9.& 15.& li.10.tex.24. Genus persimile dicitur esse materiæ, differentia formæ; & ideò vt in substãtia ex materia & forma efficitur vna per se integra naturalis substantia cõposita; sic ex genere & differẽtia coalescit vna species vnáq. illius definitio. Quia vt materia, sic genus potestates quædam sunt, illa ad formam, hæc ad differentiam; formáque materiæ, differentia generis, actus existunt.

ἐντελέχεια quid.

Philosophum tamen arbitror, cùm ἐντελέχειαν dixit, aliud etiam quidpiam significasse. Entelechia enim perfectionem significat, quã potestati velut imperfectioni ac ruditati opposuit. Vtq. materia & genus quidpiam sunt imperfectũ, rude, & impolitum; forma verò ac differẽtia perfectio & ornatus: ita quærendum indicauit, an anima in quocũq. entium genere cõtineatur, in eo sit velut imperfectũ quidpiam, quod ab alio perfici oporteat, an potiùs vt summa & vltima animatarum rerum perfectio. Neq. enim parùm hęc, immo plurimùm differunt; materia & forma, genus & differẽtia, imperfectum & perfectio, & omnino potestas & actus. Hanc interpretationem quoquo modo Themistius insinuat; & magnopere cõfirmabunt ea, quæ in 2. lib. tradentur: vbi in substantiæ genere materiam accipiẽs potestatem esse & formam entelechiã, animã definiet entelechiã esse & perfectionem corporis velut potestatis. Ita quæstionis de essentia animæ explicatio propositioni optimè respõdebit. Quod si obseruasset Philoponus, nũquàm profectò potestatem & actum corpus & incorporeum interpretatus fuisset.

Simplicius autẽ primùm diuisionis huius membrum non materiam modò cõplecti ait, sed & id quod ex materia & forma cõpositum est; propter cognationem scilicet cum materia: alterũ verò puram & separatam formã, quæ ita est actus, vt potestatis nullius permistionem habeat. Animáq. inter puram huiusmodi formam & formatũ mediã esse, ideóq. extremi vtriusq. participem esse. Potestatis quidem, quatenus nõ solùm rationalis anima, sed intellectus quoq. ab ea participatus purus actus nõ est, sed cum potestate permistus: & ideò aliquãdo intelligit & aliquãdo non intelligit; potestate tum ad operationem, rũ ad sui actus puritatem recuperandam, si à corpore separetur. Actus autem, immò actus magis, quàm potestatis; quia ex se viuit & excitatur, estque mouendi corporis principium. Actum tamen quendam dici, quia non est purus, syncerus, & simplex actus.

Sanè hac interpretatione Simplicij quæstio illa constabit, quæ optimè respõdeat explicationi tex. 2. lib. 2. an anima, si substantiæ genere contineatur, potestate sit, hoc est materia vel cõpositum; an actus quidã, hoc est forma. Verũ iam diximus contrahẽdum ad substantiam sermonem hũc non esse, qui de generibus omnib⁹ proponitur. Deinde cõpositum ex materia & forma nõ esse sub potestatis mẽbro collocandũ, ostẽdet ille idem tex. 2. in quo triplici illo cõmemorato membro, materia, forma, & cõposito; materiã solam addit potestatem esse, formãq. actum: cõpositum diceret esse id, quod est actu. quemadmodũ in 2. quoq. Phys. lib. cùm naturam definiuisset, duplicem eam fecit, materiã & formam; cõpositumq. non naturam, sed habẽs naturam, vel à natura esse dixit in tex. 4. & 12. Tum verò puros, simplices, & separatos intellectus Aristoteles actus quidem diceret, sed nõ qui ad Categoriam vllam pertineant, potestatiuè in illius diuisione opponãtur; & ideò simul cum materia velut potestate cõpositam substãtiam faciãt. Deniq. vbi Aristoteles de anima vniuersè loquitur, minùs ad rem videtur de intellectu interpretari; cáq. in medium proferre, quæ illius propria; neq. Peripatetica, sed Academica potiùs sint. quæ minimè necessariũ erat hoc loco cõmemorare, vbi aperta est & facilis Philosophi nostri sententia, Incertum esse & diligenter inuestigandum, an anima ad quodcũq. genus pertineat, cõtineatur in eo vt quidpiam potestate, an vt actus & perfectio.

TEXTVS.

Σκεπτέον δὲ καὶ εἰ μεριστὴ, ἢ ἀμερὴς. Text.

Considerandum quoq. an partibilis sit an impartibilis.

COMMENTARIVS XI.

DE principijs & partibus definitionis dubitationes duas proposuit; alteram de genere, alteram de differentia. Tertia hæc est de tota essentia & natura animæ. Duobus autem modis partibilis aut impartibilis anima dici potest. Aut essentia, aut facultatibus. Nam etsi essentia esset vna & impartibilis, quærendum tamen superesset, an vna item simplici an verò multiplici virtute agẽdi prædita foret. Atq. hoc modo intellexit Philoponus, eiúsq. testimonio Alexãder. quippe Democritus facultate quoq. impartibilem asseruerat, intellectũ & sensum eãdem arbitratus virtutem esse. At cùm de essentia & natura sermo nunc sit, déq. ea futura item sit quarta dubitatio, num eiusdem speciei sit omnis anima an non; minimè credendũ est de facultatibus importunè interpositam hic fuisse quæstionem. Essentia verò duobus modis partibilis potest intelligi, aut per se, aut ex accidenti.

Anima vt partibilis vel impartibilis. 1.

Altera igitur potior eiusdẽ Philoponi interpretatio fuit, quæri an anima partibilis sit an impartibilis, hoc est an in vnoquoq. homine plures animę cõtineantur, vegetans, sentiens, intelligens, an vnica, quæ ex illarum trium cõiunctione resultet. quinamq. animam temperamentũ diceret, vnã quoq. & eandem in omnibus inesse diceret, quoquo modo solũ pro tẽperamenti varietate diuersam: sicut idem est aër, quem animalia cũcta inspirãt. Verùm hoc tantũdem est ac quærere an hæ animæ specie ac natura differant, an verò vnius & eiusdem animæ partes existãt, quæ altera post hanc de partibili & impartibili proponetur quæstio. Atq. ad illud argumentũ ex temperamentis ductũ facile esset respondere, diuersa temperamenta specie differre illorúmq. differentias essentiales esse.

2.

Sanè hanc quæstionem respõderi posset ab Aristotele proponi, quòd veteres penè omnes partibilem fecissent animã, qui aut ex pluribus partibus essentiam illius cõstare dixerunt, siue harmoniam, siue numerum, siue qualitatũ temperationem, aut materialem rem & corpoream fecerunt, vt sanguinem, spiritum aliudvè eiusmodi quidpiam. Verùs tamen fortasse ad Platonem dixeris respexisse Philosophum, cuius ea fuit in Timæo sententia, diuersas animæ partes in diuersis corporis partibus residere, intelligentem in capite, irascentem in corde, concupiscentem in iecore. quod seipsis quoque placuisse auctor Themistius est. Propterea considerandum Philosophus dixit, an ea par-

ea partibilis sit, hoc est in plures corporis partes ita tributa; an impartibilis & tota simul in toto corpore aut in vna illius principe parte, ex qua totum corpus regat partésq. reliquas foueat & cõseruet.

3. Voluit quoque animam Plato ex diuidua & indiuidua substantia constare, partibiléq. & impartibile, seu diuersum & idem, vt omnium rerum,

4. sic animæ principia esse. Et in anima quidē Procl⁹ Cõm. 3. in Timæum indiuiduũ esse intellectum ab anima participatũ; partibile autem corpoream vitam ab ea profectã, velut à sole lumen. Suprema & pura intelligẽs natura indiuidua prorsus est & impartibilis; corporea infima, diuidua & partibilis. Media natura est quidquid inter intellectum est & corpus, vniuersámq. animarũ latitudinem cõtinet: B

propterea q. anima extremi vtriusq. particeps tum

5. indiuidua est & impartibilis, tũ partibilis & diuidua. Partibilem nãq. ait Simplicius, eam esse operatio illius ostẽdit & compræhensio rei; tum ab essentia diuersa, tum tẽporaria. Nam & per recessum à seipsa & protensionẽ ad ea, quæ sunt extra se, cognoscit; & per trãsitum ab vno ad aliud, qui ratiocinãdo fit à propositionibus ad conclusionem aut ab vna parte rei ad aliã. Ac rursum impartibilis naturæ argumẽta sunt; primũ cognitionis status circa rem cognitã. Quippe facultas cognoscẽs etsi extra se progrediatur, in se tamen trãsfert rem cognitam C & ex vtraq. vnũ fit & idẽ. Deinde dum ab vno trã-sit ad aliud, per impartibilem, subitã, & momentaneam simpliciũ terminorum appræhẽsionem procedit. Tum verò cõtractio quoq. in vnum post singulariũ enumerationem. Ex pluribus nãq. illis aut omnibus vniuersam naturã colligit; & ex propositionibus pluribus cõclusionem vnã deducit, in qua maior & minor extremitas, quæ in propositionibus dissitæ fuerãt & separatæ, prorsus vniũtur. Hæc igitur Philosopho causa fuit quærẽdi, an partibilis anima sit: siue in plures corporis partes distributam interpreteris partibilem, siue ex partibili & impartibili natura constantem dixeris. Vtrumque D enim arbitror eum ego respexisse.

TEXTVS.

Καὶ πότερον ὁμοειδῆς ἁπάσαι ψυχαὶ, ἢ οὐ· εἰ δὲ μὴ ὁμοειδὲς, πότερον εἶδει διαφέρουσιν, ἢ γένει. νῦν δὴ περὶ οἱ λέγοντες καὶ ζητοῦντες περὶ ψυχῆς, περὶ ἀνθρωπικῆς μόνης ἐοίκασιν ὑποσκοπεῖν.

Et vtrum eiusdem speciei omnis anima; an non. Si autem non eiusdem speciei, vtrum specie differant, an genere. Nunc etenim qui dicunt & quærunt de anima, de humana sola scrutari videntur.

COMMENTARIVS XII.

MInimè obscura est horũ verborum sententia; E neq. lõga opus est cõmentatione. Quærtam continẽt quæstionem, an omnis anima, siue partibilis ea sit siue impartibilis, eiusdẽ speciei sit in viuẽtibus omnibus, in plãtis, in animalibus, & in homine; an diuersæ prorsus. Et rursum si specie differant, an sub eodem omnes genere cõtineantur, an generis etiam diuersi sint.

Philoponus autem nescio quo argumẽto dixerit quæstionem hãc ex eo fuisse deductam, quòd datũ fuerat multas esse animas, non vnam, animatorum omniũ. Nam neq. hoc antea quæsitũ est, neq. datũ aut acceptũ: sed propositũ dũtaxat cõsiderãdũ, an partibilis anima sit an impartibilis. Atq. hui⁹ ipsius propositionis alia fuit sententia, quàm is interpres A credidit. Ex animatorum potiùs varietate sensibus ipsis manifesta deductam dixeris. Plãtas enim, animalia, & homines animata esse, ex operationibus cognoscimus, quas in illis obseruamus, plurimáq. plãtarũ atq. animaliũ varietatem animaduertimus de quorũ animalib⁹ quæritur, nũ specie aut genere differãt, an sola corporis mole cõformationeq. diuersa. Nõ enim defuisse, qui cõpositorũ diuersitatẽ dicerẽt ex parte poti⁹ materię, quã formę, prouenire; testatur Simplicius, argumẽto sonorũ, quos in tibijs audimus graues aut acutos; non quòd diuersus sit inflans spiritus, sed quòd propinquiora sint aut minùs propinqua tibiæ foramina: quod sanè ad materialem differẽtiam spectat. Quibus ille respõdet, minimè specie differre grauem & acutũ sonum, vt nec homo lõgus & breuis. At verius dixisset differre quidem specie, sicut albũ & nigrum in colore, dulce & amarũ in sapore, & in cæteris simili modo sic enim in tex. 86. lib. 2. significabit Philosophus: differẽtiam tamẽ à forma lumi, nõ à materia: siquidẽ sonus motũsq. aëris velut materia est; talis autẽ & talis sonus aut motus, velut forma. Tibiæ instrumẽtum ad efficientem causam pertinet, quæ hoc & illo modo aërẽ mouet ac format: nam vbiq. instrumẽta ad efficientẽ causam, cuius instrumenta sunt, reuocãtur. Matéria verò cõmunis est, neq. distinctionis sed similitudinis & cõuenientiæ causa. Distinctio est à forma, quæ materiæ aduenit vt actus & perfectio; aliáq. & alia forma cõmunitatem illã in alias atq. alias rerũ distinguit species. *Compositorum diuersitas ex materia ne an ex forma petatur.*

Itaq. formas quidẽ & animas, si propriè & accuratè loquamur, specie differre non dicimus, vt nec differẽtias: sed potiùs diuersa esse: specie autẽ differũt ea, quę cõposita sunt integreq. naturę ac species: formæ animæ, ac differentiæ, principia sunt & causę cur differãt. Eiusdẽ namq. speciei ea dicimus esse, quæ per eãdem specialissimam formã aut differẽtiam cõstituuntur, vt Socrates & Plato: ea verò differre specie & vnius generis esse, quæ diuersam habẽt formam aut differẽtiam propriã & alia quapiam cõmuniori cõueniunt, vt Homo & Equus. Quare cùm quæritur, an animæ specie aut genere differant necne; nimirum quæritur an animata faciant specie aut genere differentia necne. *Animæ an specie differant.*

Quod verò Simplicius voluit, si animæ sint eiusdẽ speciei, facultates quoq. speciei eiusdẽ fore, ex eo profectũ est, quòd facultates putauit re ab anima nõ distingui. Sed minùs omnino cautè pronũtiauit. Quippe speciei distinctio non rei sed formę distinctionem significat. Et Philosophus, qui triduntaxat animarum distinxit genera, quinque prorsus facultatum in lib. 2. commemorabit. Nam etsi ex anima principium omnes & originem trahant in eãq. sustententur, distinctionem tamen ex actionibus & obiectis, nõ ex anima accipiũt. Quid verò absurdius dici potest, quàm sensum & intellectum eiusdẽ esse speciei; siue absolutè, si sentiens & intelligẽs animæ specie nõ differãt; siue certè in homine, in quo sola intelligens anima continetur. Cùm præsertim Philosophus lõga oratione ostensurus sit in 3. lib. intellectũ à sensu differre plurimũ. *Facultatũ animæ distinctio.*

Sanè hos scrupulos, inquit Themistius, diluere non est, nisi vniuersa totius animæ contemplatio adeatur. Qua mob causam antiquiores Philosophos reprehẽdit Aristoteles, quòd de humana sola locuti essent: siue is Timæus fuerit aut Plato, vt Alexãder & Simplicius inquirẽt, siue Democritus & alij, vt mauult Philoponus. Pro quibus etsi tes- *Veterum error de sola humana locutis anima.*

pondeant Philoponus & Simplicius, eos de humana agẽtes quodammodo de omni egisse anima; quoniã in humana omnis anima, vegetans quoq. & sentiens, cõtinetur, illáq. harũ quasi exẽplar est. In eo tamen excusari nõ possunt, quòd in parte fecerũt id, quod vniuersum esse debuerat: in eumq. inciderũt errorẽ, qui in primo de Posteriori Analysi libro dãnatur, quo vniuersum attributum non de subiecto primò, sed de quapiam illius parte mõstratur: neq. vniuersam animæ deffinitionẽ ac naturam, sed humanæ fortasse exposuerunt. Accedit quòd exacta cuiusq. rei cognitio per propriam essentiam & rationem, non per superiorem habetur. Et cùm hominis anima immaterialis sit & immortalis, reliquæ materiales & mortales; nequaquã ea est naturæ similitudo, vt illa cognita hæ quoq. dici possint cognosci. Præsertim cũ animæ illę habeant aliqua in homine, quæ in viuẽtibus cæteris nõ habent. Nam vegetans in quibusdam non generat, non vtitur iecore ad nutriẽdum, non facit sanguinem, neque cordis & arteriarum pulsum; & alia plura diuersa sunt.

A

B

TEXTVS.

Ἐυλαβητὸν δὲ ὅπως μὴ λανθάνῃ πότερον εἷς ὁ λόγος αὐτῆς ἐστι, καθάπερ ζῳοῦ, ἢ καθ' ἕκαστον ἕτερος, οἷον ἵππου, κυνός, ἀνθρώπου, ἢ θεοῦ.

C

Cauendum porrò ne lateat, vtrum vna sit ipsius ratio, quemadmodum animalis, an iuxta vnumquodque diuersa, vt Equi, Canis, Hominis, Dei.

COMMENTARIVS XIII.

QVintam hæc quæstionẽ continent: quæ cum superiori propterea iũgitur, quòd ex illa ortũ habeat. Si enim omnis anima speciei eiusdẽ est, sanè vna ipsius fuerit definitio; sin autẽ plures sunt species, plures quoq. definitiones erũt. Siquidem species vnaquæq. vt essentiã propriã ac diuersam ab alijs naturam, sic propriam quoque ac diuersam definitionem habet. Vel potiùs si specie differunt animæ generéq. conueniũt, vt considerari duobus his modis possunt, ita quæritur an definitione vna definiendæ omnes sint iuxta communem generis naturam, an pluribus iuxta singularum propriã & specialẽ. Huc enim animalis quasi generis, & equi, Canis, ac cæterarum specierũ exempla pertinent: an inquam vna sit definitio, quemadmodum animalis, an iuxta vnum quoq. diuersa: illa generalis notionis, hæ specialis & propriæ. Hancq. explicationẽ cõsequentia quoq. verba cõfirmabunt, quibus si vna sit anima, quæ plures habeat species, quæstionem subiunget, an totam priùs illam animam, an partes eius oporteat quærere. Quod enim nunc de genere & speciebus quærit, posit de toto quoque ac partibus disputabit.

D

E

Deum vt Aristoteles indiuiduum nominet.

Quod autem Deum nominat, aut cum Symplicio intelligas cœleste animal: quippe veteres, vt apud Platonem est in Cratylo, solem, lunam, stellas, Cœlum, quòd in perpetuo cursu versentur, ἀπὸ τοῦ θεῖν appellarũt θεούς. Aut Dæmonas vel Heroas, quos Platonici nominabãt haud magnopere ab humana diuersæ naturæ: & omnino illud ipsum, quod in tex. 29. lib. 2. dicet; vbi cùm hominẽ nominabit, adiũget, etsi quid aliud eiusmodi est, aut etiam honorabilius.

Si vniuersum genus definire volueris, animal sentientem substantiam definies: si species, hominem substãtiam sentiẽtem rationalem, seu animal rationale dices; cæteráq. simili modo si enim definitionem genere ac differẽtia cõstare oporteat, quęcũq. sub genere supremo continentur, siue genera sint siue species poterũt definiri. Supremũ genus & indiuidua propriã definitionem nõ habẽt: quoniam illius nec genus est nec differentia; hæcq. non alia, quã speciei, natura constant. Maiorem continent difficultatem consequentia verba. Sic enim Philosophus loquitur.

Definitio quorum sit.

TEXTVS.

Τὸ δὲ ζῳοῦ πᾶ καθόλου, ἢ τινι ἀδύ ἐδεν ἢ ὕστερον.

Animal autẽ, quod vniuersale, aut nihil est, aut posteri⁹.

COMMENTARIVS XIV.

QVæ si de Platonicis ideis, tanquã vniuersalibus ante multa rebusq. singulis priora, interpretetur Auerroës & S. Thomas, reclamabit Philoponus; secúsq. omninò Græci omnes intellexerunt. Et quidem Alexãder in 1. lib. natur. quæst. c. 11. duplicem interpretationem fecit. Primum enim cùm Philosophus quærendũ dixisset, an specie solùm an etiam genere differãt animę, quippe hinc intelligitur an sit vna cõmunis animę ratio, an verò cuiusq. propria: vbi propriarũ rationũ exẽplum attulit, Equum, Canem, Hominem, Deũ, hãc dixit fuisse sententiã, vt si hæc eiusdẽ generis non sint, nõ generalis omniũ, sed propria cuiusq. illorũ ratio quærẽda sit. Animal autem, quod de illis cõmuniter dicitur, aut nihil erit, hoc est propriã nullam naturã significabit, sed nomen erit homonymum. Aut posterius erit, hoc est quidpiam, quod multipliciter & per prius ac posteri⁹ dicatur. quæ enim eiusmodi sunt, naturã quidem aliquã significãt, sed quæ non eodẽ modo se habent in omnib⁹: hócq. à generibus differũt, quòd Genus est prius, & sublatũ auffert secũ omnia, quæ sub eo sunt, neq. ipsum cum eorũ vllo auffertur. At quod per pri⁹ & posterius dicitur, ijs, de quib⁹ dicitur, posterius est: quoniã sublato primo tollitur ipsũ & quidquid ab illo primo dicitur.

Prima Alexãdri interpretatio.

In quibus Alexãder cõstanter quidẽ ijs, quæ alibi à Philosopho tradũtur, triplicẽ cõmunitatem distinguit, primã solius nominis, quæ purè homonymorum est: alteram rationis & attributionis ad vnum, eorũ propriam, quæ per prius & posterius dicũtur: tertiam eiusdẽ naturæ, quæ generũ est & synonymorũ. At mirum omnino est nec vsitatũ vsquam, animal tanquã homonymũ per prius & posterius dici: visq. omnino verbis illis (an iuxta vnũquodq. diuersa) ab Alexãdro infertur. Accedit, quòd paucissimis verbis Philosophi orationẽ homonymia laborantem facit, si bis animali nominato, primũ significet genus synonymũ, deinde statim homonymũ & quod per prius & posterius dicitur: cùm præsertim contrario hæc modo affecta sint; genus prius, & homonymum posterius ijs, de quibus dicuntur.

Communis ratio.

Altera igitur interpretatio fuit; gen⁹ duo prorsus cõtinere duabusq. quasi cõstare partibus. Primùm enim naturã & rem quãpiam significat. Nã si nihil esset, nec vniuersale foret, nec gen⁹, nec synonymè diceretur. Deinde esse vniuersale, quod illi naturæ accidit & velut illi⁹ accidẽs esse intelligitur. quippe animal substãtiam animatam sentientẽ significat, quæ

Secũda interpretatio.

quæ sua natura vniuersale nõ est (nihilò enim minùs fuerit, si vnũ numero animal sit) sed quatenus est in pluribus specie differentibus. Quæ verò hic dicuntur de animali, non de illo ait dici vt animal est & natura quæpiã; sed vt vniuersale. Nã propterea non absolutè dixit animal, sed adiunxit quod vniuersale. Hócq. ait aut nihil esse, quia propriè nõ est; cùm esse vniuersale rem & naturã aliquam nõ significet. Aut posterius esse; quoniam est accidens rei atque ad naturam genericã accedens. Rẽ siquidem & naturã priorẽ esse oportet, quàm id, quòd illi accidit. Quare si est genus, animal esse necesse est: at nõ contra, si est animal, genus erit; quia vnicum indiuiduũ animal esse potest. Et sublata quidẽ sentiente substantia tollitur genus, quia quod non est, non potest esse in pluribus: at sublato genere nõ est necesse substantiam sentientem tolli, sed in vno potest subsistere. Itaque posterius interpretatur Alexander posterius re & natura, cui accidit esse genus & vniuersale. Alioqui ipsum animal est prius, si cum ijs, quæ in parte & sub ipso sunt, conferatur. Vno enim horum sublato nõ tollitur illud quod pluribus cõmune est: at si tollatur illud nullum eorum erit, quæ sub ipso sunt.

Ceterùm neque altera hæc interpretatio conuenire videtur ijs, quæ ab Aristotele tractabantur. Quorsum enim dũ agit nũ vna sit animæ definitio velut vnius generis, an plures vt specierũ plurium; loqui de accidente illo rationis, quod naturæ accidit, dum à nobis cognoscitur; animalq. vniuersale dicere aut nihil aut posterius esse. Definitio quippe non illius est accidentis, sed naturæ, cui accidit illud idẽq. accidens Equo quoq. Cani, Homini, ac speciebus singulis nõ minùs, quàm animali ac generi, accidit: nec minùs species, quàm genus, aut nihil fuerit aut posterius; si ita libeat Alexandro verba illa interpretari.

Tertia interpretatio verior.

Ergo verè Themistius, Philoponus, & Simplicius, hęc eò spectare dixerunt, vt generis ac speciei differentiam Philosophus doceat; vt intelligas non parùm differre an animam vt genus an vt speciem definiẽdam suscipias, estq. sermo de specie infima, quæ non ampliùs in inferiores diuiditur species, sed de solis numero differẽtibus dicitur. Est autem differentia, quòd species perfectam omnino & absolutam naturam significat, cui essentialis accessio ampliùs nulla fiat vt in rerum natura subsistat; sed per seipsa in rebus cohæret. Nam etsi in diuiduis addatur materia accedãtq. accidentia quàm plura; species tamen & forma eadẽ est perse vltimò terminata & impartibilis essentia. At genus nusquam per se subsistit; quòd terminata & impartibilis natura non sit: sed vt per specierum differentias determinatur, sic in speciebus duntaxat subsistit. Propterea aut nihil est, hoc est nusquàm sine speciebus subsistit: aut posterius est, quàm singularia, inquit Themistius; quia perse & sine specie spectatum notio est ex similitudine singularium collecta. Vel vt mauult Simplicius, posterius quã species; quoniam per speciei differentiam determinatur & specie consistit.

Vniuersalia an rebus.

Quo loco ne Themistij sententiam fuisse putes vniuersalia nihil esse in rebus soláq. mentis cognitione constare, nec aliud quidquam, quàm mentis notionẽ ac conceptionẽ, significare. Statim enim de specie, quæ inter vniuersalia item numeratur, » idem ipse subiũgit: At species natura quædam esse » amat & forma: nam ratio hominis, simul atq. iugata materia est, homo fit. Nihil enim amplius addunt singularia, nisi existentiam & accidẽtia quàm plura. Móxq. generali quæstione introducta, num genera & species & omnino vniuersalia naturæ sint in singularibus extra intellectum contentæ, an meræ illius notiones ac cõceptiones, respondet ea videri quidẽ nudis notionibus proxima, at notiones nudas non esse. Quoniã cùm ex singulariũ collatione ac similitudine reponãtur, in singularia & naturas euidẽtes ac solidas recidũt. Nam neq. animalis notio substantia est animata sentiẽs, multóq, minùs hominis notio potest auimal esse rationale (notio enim omnis actionem intellectus & cõceptionẽ significat) sed singulares homines propriè animalia rationalia & dicũtur & sunt. Si quis enim hominẽ vnum toto terrarum orbe cõstituat, nimirum tũc hominis definitio in vnius hominis rationem inclusa cõpræhensáq. fuerit: quæ nimirũ nunc in tota hominũ multitudine cõtinetur. Hoc ipsum est, quod in scholis nũc eorum, qui sapiẽter Philophãtur, resonat, vniuersale formaliter & vt vniuersale est, quod de multis dicitur aut dici potest, in mẽte dũtaxat esse, in rebus tamen extra intellectũ habere fundamẽtum, ciusdẽ naturæ cõmunitatem. Nam & Alexãder genus vniuersale tum natura cõstare dixit, tum vniuersalitate, quæ naturæ accidit, naturáq. vniuersalitate priorem esse, & Philoponus Animal vt genus vniuersale propterea posterius dici, quia in sola est mente, dum intelligitur: vt autem natura quædam est & substantia, quæ definiri potest, in rebus ipsis esse. Quin & Philosophus ipse plurimis in locis vniuersale in rebus agnouit. Nam in lib. de Interpretatione cap. 5. rerum hanc partitionem fecit, vt quasdam esse vniuersales diceret, vt hominem; quasdã singulares, vt Calliam. Et in 1. de posteriori Analysi tex. 5. vniuersalia priora esse & notiora natura, singularia sensu. Et tex. 43. vniuersale semper & vbiq. esse. Et tex. 25. nullum quidem esse vniuersale præter multa & à singularibus separatum; necessarium tamen esse, si constare sciẽtiæ debeant, esse aliquid vnũ & idem in pluribus; & nõ homonymè solaq. voce cõmune. Non enim, inquit, erit vniuersale, si hoc non sit. Et in tex. 68. lib. 2. de Anima nónne dicturus est eandem esse in aëre, aqua, & cœlesti corpore perspicuitatis naturam? Et in tex. 51. li. 7. Metaph. eandem animalis naturam esse dixit in omnibus speciebus. Quare in tex. 57. & in lib. 10. tex. 6. aduersus Platonẽ genera conficit & species & omnino vniuersalia à singularibus separata non esse, sed in illis ipsis existere: quippe quod cõmune est, in pluribus esse oportet. Et in tex. 45 lib. ciusd. 7. vniuersale definitur esse id, quod pluribus natura est aptum inesse. Et tex. 35. homo, inquit, & equus, & quæ ita se habẽt, in singularibus sunt: & vniuersale quidem ex forma & materia vniuersali cõstat, singulare autẽ ex vltima materia. Et tex. 39. Homo aut animal quod fit ex anima & corpore, dicitur vniuersale; quod autem ex hac anima & hoc corpore, singulare. Et li. 1. de Cœlo, tex. 92. aliud est sphæra, aliud ænea sphęra; aliud Cœlum, aliud hoc Cœlum singulare. Et lib. 1. Physic. tex. 76. aliud est fieri animal ex animali, aliud fieri hoc animal ex hoc animali. Et in proœmio Metaph. Medicus nõ sanat hominem nisi ex accidenti; sed per se Calliam aut Socratẽ: & 2. Physic. tex. 33. dum Polycletus est ex accidenti causa statuç, homo quoq. & animal, quæ in eo sunt, ex accidenti causę existunt. Nimius sim,

si omnia persequat: sat illud fuerit addidisse, Philosophum vbiq. scientias docuisse non res singulas, sed vniuersas tractare. Harũ enim cognitione delectatur & persicitur intellectus noster: dumq. sensus singulis occupatur, vniuersales quoq. is & immateriales quærit. Et definitiones omnes, diuisiones, propositiones, ac demõstrationes rerum sanè sunt, non vocum aut notionum; etsi vocibus vtamur ad promendas notiones, quas de rebus mente formauimus: atque vt est in 1. Elench. li. c. 1. vocibus pro rebus vtimur.

Vniuersalia nõ esse à rebus singulis separata.

Ijdem tamen hi Peripatetici decreuerũt, nusquã hæc vniuersalia à rebus singulis separata subsistere. Quicquid enim in rerum vniuersitate subsistit, singulare est, & vt verè Boëtius scripsit in lib. de vnitate & vno, ideò est quia vnum numero est. Nam propterea est, quia productum est: productiones autem omnes & actiones singularium sunt. Vnde illud; Primis interemptis substantijs vnà cum illis secundæ quoq. pereunt. Deinde vniuersalia essentialiter & in quid de singularibus non dicerentur, si non in ipsis, sed ab illis seorsim essent.

Natura rerũ tribus modis consideratur.

Ergò tribus modis natura quælibet, siue generis siue speciei, cõsideratur. Primùm in rebus singulis. Deinde in mente à rebus singulis separata. Postremò per seipsa, quatenus essentialem attributorum coniunctionem ac definitionẽ significat: Sanè si 1. accipiatur modo, singularis est; si altero, vniuersalis; si tertio, neq. singularis neq. vniuersalis, sed ad vtrumq. indifferens. Quippe & singularis fit, dum conditiones singulæ ad res singulas cõtrahunt; & vniuersalis, dum ab intellectu cognoscitur vt pluribus communis & apta de illis dici. Quòd si per se singularis esset, nũquam fieri vniuersalis posset; sin autem vniuersalis, nunquàm euaderet singularis. Quia quod per se conuenit, semper & vbiq. cõuenit, illiúsq. oppositum nec per se nec ex accidenti conuenire vnquàm potest. Sola itaq. essentialia attributa significat, entisq. vnitatem habet transcendentẽ, qua est indiuisa in se, hoc est non plures naturæ; & diuisa à quacunq. alia natura. Et entitas vnaquęq. seipsa est vna, quia non est alia entitas, quã sua. Nullam verò vnitatem formalem, qua vel singularis vel vniuersalis dicatur. Vt autẽ existit in rebus singulis, sic sanè singularis est & numero multiplex: neq. speciei aut generis vnitatem nisi negatiuam habet; qua Socratem & Platonem dicimus vnam habere specie naturam; hominémq. & equũ vnam genere; hoc est nõ differentem ac diuersam. Atque hæc vnitas negatiua fundamentum est veræ vnitatis formalis, specificæ aut genericæ, quæ mẽtis cognitione ac cõparatione accedente efficitur. Quod & Alexandrum & Philoponum tradidisse cognosces, & pulchrè Themistij verba illa significarunt; Sanè videntur genera & species nudis notionibus proxima: quæ tamen cùm ex singularium collatione ac similitudine reponãtur, in singularia & naturas cuidentes ac solidas recidunt. Et Auerrois illa; Genera & species sunt res particulares extra intellectũ, sed intellectus est qui facit in eis vniuersalitatem. Dum enim similitudinem eam & nõ diuersitatem animaduertit, vnam esse in omnibus naturam pronuntiat. Ex qua demum rationis vnitate cõsequitur illã rẽlatio rationis ad illius naturæ inferiora, quam intentionem secũdum logicã speciei aut generis & omnino vniuersalis appellamus. Neq. vniuersali huic, quod est in mente, respõdet in rebus natura vlla vna cõmunis multis; sed solũ inferiora illa cõfusè & indifferenter simul sumpta quoad essentialia & vt naturam habẽt vnam negatiuè cõmunem, hoc est nullius eorũ propriã. Hoc enim distinguitur vniuersale ab indiuiduo vago, cui singularia respõdent vt singularia sunt, accidẽtibus & cõditionibus proprijs singulorum affecta. Ita vniuersalia materialiter sunt sanè in rebus antemẽtis actionẽ: at nõ actu à singulis rebus distincta: sed solùm potestate, qua mẽte possunt ab illis abstrahi ac per se seorsim intelligi. Atq. in reb⁹ omnia sũt singularia, neq. vlla est vnitas actu re alis & positiua, nisi numerica; vnitatis verò speciei aut generis fundamentum dũtaxat est. Ideoq. pronũtiauit Philosophus, Animal quod vniuersale aut nihil à rebus singulis distinctum esse, aut posterius esse. Neq. ad huius loci expositionem opus est plura de vniuers alibus diceres. Sed quod additur.

Vniuersale non magis de vno quam de singulis.

TEXTVS.

ὁμοίως δ' καὶ εἴ τι κοινὸν ἄλλο κατηγορεῖται.

Eodémque modo & si quid commune aliud prædicetur.

COMMENTARIVS XV.

DVob⁹ modis licet exponere. Aut generaliter de quocũq. vniuersali; siue illud prædicetur vt genus, siue vt species: vt quod de genere dictũ est, vniuersè de vniuersali quouis affirmetur; Illud, vt est vniuersale, aut nihil esse, aut post mẽtis cognitionem & abstractionem esse. Aut de solo Genere: vt quod de animali fuerat affirmatum, de alio quocunq. dicatur, quod eodẽ modoquo animal & vt eõmune genus, prædictus. Si priorem sententiam accipias, eò spectabũt hæc verba, vt omnino difficile esse ostendant animæ definitionem inuenire, siue vna tanquàm venius generis, siue multiplex tanquam specierum plurium adferenda sit definitio. Quippe vniuersale quodlibet, siue genus sit siue species, aut nihil est aut posterius est.

Posterior tamen accommodata magis fuerit eùm præsertim iam positum sit priora illa verba (animal autẽ quod vniuersale) eò pertinere, vt generis ac speciei differentia significata, intelligeretur non parùm differe an vt genus an vt speciem definire animam velis. Genera namque tenuiores particularium similitudines sunt, species clariores & expressæ magis. Species absolutæ naturę sunt, quæ per se subsistunt totámque singularum essentiam continent: genera non nisi in speciebus consistunt, ad quas essentiali addita differentia contrahuntur. Et quamutis omne vniuersale aut nihil sit aut posterius sit; multò tamen magis genus, quàm species: quoniam & communem & obscuriorem naturam significat, atque à singularibus speciei prius, posterius generis notio abstrahitur. Propterea haud parùm interierit, an vt genus an vt species definienda sit anima.

Genera & species naturæ qualis.

Atque hanc interpretationem multò magis confirmabit Simplicius, qui hęc verba de ijs intellexit, quæ per prius & posterius ducuntur; quodq. de synonymo genere fuerat dictum, de homonymo quoque voluit affirmari. Etsi obscurior est synonymi generis, quàm speciei definitio; multò magis ea fuerit, quę homonymi futura sit.

TEXTVS.

TEXTVS.

Εἴτε δὲ εἰ μὴ πολλαὶ ψυχαί, ἀναμφίλεκτα πότερον δεῖ ζητεῖν πρότερον περὶ ψυχῆς, ἢ περὶ μορίων, χαλεπὸν ὂν καὶ τοῦτον διορίσαι, περὶ ποίαν ἔστι πραγματείαν. Text. 9.

Rursum autem si non multæ animæ, sed partes; vtrùm oporteat prius quærere totam an mam an partes. Difficile verò & harum definire quænã inter se diuersa sint.

COMMENTARIVS. XVI.

SExtam hîc quæstionem proponi dixeris; quæ alteram partem accipit illius, quã in tex. 7. proposuit, an omnes animæ sint eiusdem speciei, an verò specie differentes genere solùm conueniant. Huius enim propositionis posteriori accepta parte in tex. 8. quæsiuit, an si genus solùm commune habeant, definiendæ omnes sint iuxta communem generis naturam definitione vnica, an pluribus iuxta propriam singularum speciem. Nunc autem priorem partem examinat: queritque an si plures non sint animarum species, sed omnium vnica, quę plures duntaxat habeat partes; agendum priùs sit de tota illa anima, an de partibus eius.

Cuius quæstionis dum rationem eam exposuerunt Themistius ac Philoponus, quòd ex vna parte à toto inchoandum videat, quia totum notius est & manifestius, quàm partes: ex altera verò simpliciores partes sunt, neque cognosci compositum potest, quin ea, ex quibus compositum est, cognoscantur: abusi videntur nomine partis aliàque prorsus acceptione vsurpasse, quam hoc loco libuerit philosopho vsurpare. Partes namque facultates dici & ipse consentit Philoponus, & manifestum est ex consequenti sermone; quo rursum proponet, vtrum partes priùs, quàm operationes, & has, quàm obiecta, quærere debeamus. Facultates autem partes sunt, non compositionis, sed virtutis operandi: Et notiores ac manifestiores; tum quia posteriores & animam consequentes; tum quia per operationes sese produnt ac manifestant nobis. Itaque hæc potiùs fuerit quæstionis ratio, quod ex vna parte anima prior est velut principiũ & causa facultatum; nec sine ea cognosci satis facultates possunt: ex altera vero facultates notiores sunt ac manifestiores; ex quibus animæ cognitionem colligere nos oporteat. *Facultates partes animæ diei.*

Dum autem ijdem Themistius ac Philoponus quæri dicunt, an plures sint in nobis aut vniuersè in animatis animæ; verbis prorsus philosophi aduersantur, atque id in quæstionem vocant, quod ipse tanquam datum accipit. Ait enim (si non multæ animæ, sed partes) quæritque, an priùs de anima vniuersa, an de facultatibus eius agendum sit.

Iam posteriorem quoque huius cõtextus partem ad propositam quæstionem pertinere Themistius putauit; quasi reddatur ratio, cur si vna sit anima, quærendum sit, an multæ sint facultates: eáque sit ratio, quoniam difficile sit eas distinguere. Ego verò potiùs (quod & Simplicius subobscurè significasse) septimam quæstionem arbitror continere, quænam partes aut facultates animę distinguantur ab alijs. Quare quod de animarum distinctione, si plures sint, antea proposuit, an numero solùm distinguantur, an etiam specie; in facultatibus quoq. difficultatem habere subiungit, vt quęnam illarum distinctio sit, constituatur. Quamquam non tàm quemadmodum, quàm quænam eorum ab alijs distinguantur, quærendum ait: an nutrix ab auctrice & procreatrice, an sensus à phantasia, hęcque ab intellectu: & rursum an ratione sola, an etiam re & subiecto differant.

Simplicius autem generalem sententiam pronuntiauit, difficultatisque causam exposuit. Sententia est; In vno & eodem animali, siue Homo sit siue aliud quod vis, vnicam esse animã, & ideò facultates omnes, quę aut in vno aut in pluribus eiusdem speciei animalibus insunt, eiusdẽ speciei esse solâq. ratione differre, eas verò, quæ in animalibus specie diuersis specie quoq. differre, atq. inde speciei differentiam in animalibus peti. Quam sententiam pluribus examinare huius loci non est. In secundo tamen libro demonstrabitur verissimè dictum fuisse vnicam in viuentibus singulis inesse animam: facultatum tamen distinctionem non ex animabus, sed ex actionibus & obiectis ducendã esse, quod in commentario quoq. duodecimo admonui. Et quamuis in his acceperit Simplicius facultates re ab anima non distingui, sapientis tamen Philosophi non est differentiam ex illis petere, quæ ex forma vbiq. petenda est, & ideò ex anima vt anima est, vt nõ facultas. Quãquam nec satis intelligo quid illud sit, facultates eiusdem speciei esse, at ratione differre. Quid enim est ratione differre, nisi definitione ac forma differre? Quæ verò definitione ac forma differunt, specie sanè differunt. Quòd si eiusdem speciei esse propterea dixit, quòd idem re sit, impropriè locutus est specieiq. voce abusus. *Vna in vno viuẽte anima. Facultatũ distinctio.*

Difficultatis porrò causam eam proposuit, quòd animæ natura sit media, tum vna & multiplex, tũ impartibilis & partibilis: quod verò medium est, extremi vtriusq. videtur esse particeps & ancipitis quodammodo naturæ. Verùm hæc Platoni magis consentirent, qui ex partibili & impartibili compositum animam, quàm Aristoteli, qui simplicem Entelechiam esse voluit. Potior difficultatis causa fuerit, tũ animæ occulta essentia, tũ obscura actionũ & obiectorũ cõditio, ex quib⁹ facultates distinguere oportebit. Cęterũ cũ de his nihil nũc Philosoph⁹ affirmet, neq. nobis quidquã est affirmãdũ. *Cur difficilius animæ cog.*

TEXTVS.

Καὶ πότερον τὰ μόρια δεῖ ζητεῖν πρῶτον, ἢ τὰ ἔργα αὐτῆς οἷον τὸ νοεῖν ἢ τὸ τοιοῦτον, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ τὸ αἰσθητικόν, ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τῶν ἄλλων· εἰ δὲ τὰ ἔργα πρότερον, πάλιν ἂν τις ἐπορήσειεν, εἴτε τὰ ἀντικείμενα πρότερον τῶν ἐχόντων, οἷον τὸ αἰσθητὸν τοῦ αἰσθητικοῦ καὶ τὸ νοητὸν τοῦ νοητικοῦ Text. 10.

Et num partes prius oporteat quærere an actiones earum: velut intelligere, an intellectum; & sentire, an sensitiuum. Eodem autem modo & in alijs. Si verò actiones prius. rursum quispiam dubitabit, vtrum ne ante hæ oppositæ quærendæ sint: vt sensile ante sensitiuum, & intellectile ante intellectiuum.

COMMENTARIVS. XVII.

OCtaua hęc est quęstio, quę duas omninò partes cõplectitur. Si enim de facultatibus priꝰ,

quàm de essentia animæ agendum susciamus; quòd etsi anima facultatibus prior existat & velut earum principiũ sit & causa; scientiáq. ex prioribus & causis procedat; facultates tamẽ notiores nobis sunt; estque intellectus nostri imbecillitati aliquid condonandum. In ipsarum tamen facultatum peruestigatione non absimilis oritur dubitatio, num de facultatibus priùs (partes enim, vt iam diximus facultates dicit) an de illarum actionibus dicendum sit. Facultates quippe priores sunt & actionum principia; sed actiones facultatibus manifestiores nobis. Sentire namq. & intelligere notiora existunt, quàm sensus aut intellectus, quoniam operationem vnusquisque in seipso animaduertit; quid autem sit facultas illius principium, non facile assequitur. Sensitiuum autem pro sensu fuisse positum, intellectus nominatus declarat. Idem de vegetante, appetente, mouentéq. facultatibus atq. illarum actionibus intelligas. Sed intellectum & sensum tanquam præcipuas & optimas facultates cognoscentes, & ideò intellectum primo loco, deinde, sensum nominauit.

De facultatibus priùs an de actionibus.

Rursum si de actionibus priùs, quàm de facultatibus agendum constituatur; quæstio item fuerit, an de obiectis, de sensili inquam & intellectili, priùs agendum sit; an de actionibus sensione & intellectione. Iam enim sensitiuum & intellectiuũ sensus atq. intellectus actionem dicit, facultatem pro actione & principium pro effectu nominans. Quòd si quis homonymiam criminetur, dum antea sensum, deinde sensionẽ Philosoph⁹ sensitiuũ appellauit, crimen ab eo ipso satis superq. dilutum fuisse intelligat, dum quo sensu vocem vsurparet, vtrobiq. apertè exposuit. Primum enim de facultatibus & actionibus quærens facultatis exemplum posuit sensitiuũ, actionis sentire. Deinde de actionibus & obiectis proponens, sensile obiecti, sensitiuum actionis exemplo commemorauit. Ac rursum antea quidem sensitiuo intellectum opposuit, qui manifestè facultatem significat, post autẽ sensitiuo atque intellectiuo sentile & intellectile, obiecta circa quæ sensionis nimirũ & intellectionis actiones versantur. Propterea{que} obiecta appellauit opposita, quòd ad actiones, quæ circa illa sunt, referantur, relatorúmque more opponantur illis. Atque in hac posteriori quæstione sanè de obiectis priùs videretur agendũ: ferè enim, inquit Themistius, notiora sunt ea, quę percutiunt sensum, quàm ipsa percussio, vt visilia, quàm visio, & audibilia, quàm auditio, quoniam ita sensibus subijciuntur, addit Simplicius. Quare quod Themistius dubitando subiungit (fortasse autem intellectilia, quàm intellectio) omnino affirmauit Philoponus secus in intellectu habere, ignotiúsq. intellectile esse, quoniam est supra nos: oportetque eũ, qui intellectilia cogniturus sit, prius scire quid sit intellectus. Nos quoniá nũc Philosophus nihil definitè loquitur, sed dubitationes proponit, de hac tota re cũ illo ipso in expositione tex. 33. lib. 2. sententiã dicemus. Interim appositè magis Simplicius intellectile duplex distinxit: vnum in sensilibus contentum alterum, abstractum & separatum. Quorum hoc ignotius sit intellectione, quoniam intellectu nostro superius est neq. ad illud facile attollit se intellectus noster: illud verò notius, dum intellectus corpori iunctus ad sensilia propensus est, nec facile in seipsum actionémq. suam nisi ex aliorum intellectione redit. Ita intellectus nostri natura inter sensilia & intellectilia separata quasi medio loco constituta, ex sensilibus intellectis in seipsum atque ex seipso ad separata intelligenda progreditur.

Num de obiectis prius an de actionibus.

An intellectile ignotius quã intellectio.

TEXTVS.

Ἔοικε δὲ καὶ μόνον τὸ τί ἐστι γνῶναι χρήσιμον εἶναι πρὸς τὸ διαιρῆσαι τὰς αἰτίας τῶν συμβεβηκότων τοῖς οὖσιν, ὥσπερ ἐν τοῖς μαθήμασιν, οἷον τί τὸ εὐθύ, καὶ τί τὸ καμπύλον, ἢ τί γραμμὴ ἢ ἐπίπεδον, πρὸς τί καιρὸν πόσαις ὀρθαῖς αἱ τῶν τριγώνων γωνίαι ἴσαι· ἀλλὰ καὶ ἀναπαλιν τὰ συμβεβηκότα συμβάλλεται μέγα μέρος πρὸς τὸ εἰδέναι τὸ τί ἐστι· ἐπειδὰν δὲ ἐχωμὲν ὑποδιδόναι καθ' ἕκαστον ὅτι ἐν τῇ οὐσίᾳ συμβεβηκότων, ἢ ὅλῃ ἀπάντων, ἢ ὅλῃ πλείστων ὑπαρχόντων καθ' ἑκάστην τῶν οὐσιῶν ἔξοιδεν πλέιαν ὑπάρχουσα.

Videtur autem non modò quid est cognoscere vtile esse ad causas eorum, quæ substantijs accidunt, cognoscendas, velut in Mathematicis quid rectum & quid curuum, aut quid linea & superficies, ad cognoscendum quot rectis triangulí anguli æquales: verum etiam contra conferunt accidentia magnam partem ad cognoscendum quid est. Cum enim habuerimus respondere per phantasiam de accidentibus aut omnibus aut plurimis; tunc de substantia quoque habebimus aliquid dicere quam optimè. Tex. 11.

COMMENTARIVS XVIII.

SAnè hunc sermonẽ Auerroës non semel dixit esse per se apertũ ac manifestũ. Ego vero magnam interpretum videò in illius expositione discordiam. Namq. Albertus & S. Thomas aliam adhuc difficultatem intellexerunt proponi: quam ex eo deducit Albertus, quod præter facultates accidentia item propria cognoscere oporteat, quoniã ea quoq. ad cognoscendã essentiam nõ parùm cõferunt. Atq. S. Thomas ex eo, quòd definitio non essentialiũ modò, sed & accidentaliũ principiorũ cognitionem requirit. Quippe essentiales differẽtiæ ignotæ sunt, earúmq. loco accidentarias in definitionibus vsurpamus, ex quibus essentiales cõijcimus. Ita ferè Latini.

Sed Græci non ita. Verùm Themistius quidẽ superiorib⁹ hæc videtur subiũgere, quasi admoneat nos Philosophus, non solùm definitionem bonã accidentium item propriorum cognitionẽ facere, sed & contrà, horum cognitionem cõferre plurimùm, tum ad notitiã substantiæ, tũ ad definitionẽ colligendam. Philoponus autem methodum ait inueniendæ definitionis exponi, admonendo nõ solũ definitionẽ ad substantialia cognoscenda, sed proprietatum item cognitionem ad intelligendũ quæ rei definitio sit, cõferre. Ac demũ Simplicius copię & abundantię cõparandę rationes dari, qua propositę difficultates explicentur. Definitio nãque ad cognoscendas proprietates nos prępparat, dum earum proponit causam, quę essentia est: & rursum proprietates notiores nobis ad occultam essentiam cognoscendam prępparant.

Ceterum optimè Arabs mihi videtur hunc locũ intellexisse. Dubitauerat enim Philosophus in superioribus quęstionibus, an à prioribus an à posteriorib⁹ incohandũ esset, dũ quęsiuit an priùs de facultatibus an de actionibus, & versũ, an priùs de obiectis an actionibus agendũ esset. Propterea nũc

quasi

Et à prioribus & à posterioribus scientias progredi.

quasi rationem dubitãdi exponés adiungit, vtrũq. procedendi modum scientijs vtilem atq. vsitatum esse. Si enim à prioribus atq. ab essentiæ cognitione ac definitione ducatur principium; dum accidentium propriorũ, quæ demonstrari debent, exponitur causa; methodus hæc tum optima est ad accidentia illa cognoscenda & demonstranda; tũ mathematicis familiaris, qui vt ostendant triangulũ habere tres angulos duobus rectis æquales, definitionẽm recti & curui, lineæ & superficiei præmittunt; ex quibus trianguli proprietates & accidentia cognoscunt atq. demonstrant. Quamquam lineę ac superficiei definitiones exempli causa cõmemoratæ fuisse videntur: siquidem in illius proprietatis demonstratione nullus est illorum vsus, nulla mentio; vt apud Euclidẽ videas in trigesima secunda libri primi propositione. At vicissim accidentia quoq. conferunt plurimùm ad cognoscendam essentiã & causam: Atq. ita ferè progredimur in naturalibus in quibus ex accidẽtibus sensui manifestis occultam essentiã & causam inuestigamus; analysi nimirũ vtentes, atq. accidẽtia seu proprietates in eas omnes causas resoluẽtes, à quibus proficiscí posse videatur. Dũ enim singulas examinamus atq. cũ ea, cui⁹ causam quærimus, proprietate cõparamus; propriam tandem illius causam inuenimus. Cúmq. accidentia omnia propria aut certè pleraq. quæ sub sensum & phantasiã cadunt, perfectè cognouerimus; tunc de substantia quoq. licebit nobis aliquid cum veritate dicere. Etsi verò absoluta demonstratio ab essentiæ definitione ad accidentia, à causa ad effectum, à prioribus ad posteriora progrediatur: ferè tamen fit, vt quoniam accidentia, effectus, & posteriora notiora nobis sunt, cogamur intellectus imbecilliati aliquid dare, atq. à notioribus ad ignotiora & progredi, & ex accidentibus & effectu essentiam & causam inuestigare, quibus inuentis certiore scientia ad accidentia & effectum regredimur.

Quæ dum Philosophus loquitur, etsi nihil hoc loco constituere velit, significat tamen posteriorẽ hanc methodum in animæ sibi explicatione tenẽdã esse: tum quòd naturalibus ferè omnibus rebus tractandis cõmunis est: tum quòd obscurã prorsus animę naturã ita cogimur ex notioribꝰ quærere.

Mathematicæ demõstrationes quales.

Porrò causa diuersitatis huius procedendi in naturalibus & mathematicis, ea est apud Simpliciũ; quoniam Mathematicæ disciplinæ accidentia sola considerant, quãta & qualia, quæ sensui & phãtasiæ nota sunt, neq. de vera & propria essentia agũt, vt est in tẽx. 44. li. 12. Metaph. (ea enim solius substantię est) immò ab ente quoque dicuntur abstrahere. Naturalis autẽ scientia substantiã item ac veram essentiã scrutatur; quę sola mente ac ratione comprẽhenditur, estque ex sensatis inuestiganda. Itaq. à definitione & causa Mathematicus incipit, & vt est in tex. 68. lib. 2. Physic. ad ipsum quid reducit propter quid. Sed nec verã definitionẽ aut essentiã vel causam habet, sed similitudine ac propositione quadã: neq. vbiq. sed primæ demonstrationes ex definitione & essentia ea sũt, ceteræ aut sẽsu notissimas propositiones accipiũt, aut ex vno

Naturales quales.

accidẽte aliud ostendũt. Naturalis etsi ab accidẽtibus ordiatur, post tamen veras adfert definitiones, veras essentias, veras causas. Omninò vt ens in substãtia & accidente nominatur, sic definitionẽ essentiã, causam, & demõstrationẽ in naturalibus & mathematicis dixeris. Ideóq. Simpliciusessentiã hoc loco non propriè, sed cõmuniter formã omnem, in quacũq. sit entis cathegoria, interpretatus est. Contrà Themistius & Philoponus accidentia non quęuis, sed propria duntaxat intelligenda esse monuerunt. Nam & hæc cum essentia coniuncta sunt, & ostendũtur demõstratione. Quoniã tamẽ in tex. 2. lib. primi Physic. & tex. 10. libri septimi Metaph. vniuersè affirmauit Philosophus innatã nobis viam esse ex notioribus nobis ad notiora natura, disciplinásque omnes per minùs nota naturæ ad magis nota fieri, propterea mathematicos intelligendum est ex definitionibus illis ac generalibꝰ propositionibꝰ docẽdi principiũ facere, quòd eæ nobis quoq. notissimæ sint ac manifestissimæ.

Accidentia vt conferãt ad cognoscendum essentiã.

Porrò non immeritò Philosophus accidentia dixit magnã cõferre partẽ ad cognoscendũ quid est. Quoniam non solùm ex proprietatibus existentiã essentiæ colligimus, quod illæ sine hac esse nõ possint: verũ etiã quid ipsa sit quęque illius definitio. Quippe inter effectum & causam tum existentiæ nexus est, tum similitudo naturę, qualésq. proprietates fuerint, talé colligimus essentiã esse, quæ illarum sit causa. Quo fit persæpè, vt essentialẽ rei differentiã ignorãtes accipiamus in definitione proprietatẽ quampiã, & quidẽ si liceat omniũ primã, quæ absq. alterius interuentu ex essentia oriatur. Aut si proprietatem quoq. ignoremus, tot cõiungimus accidentia communia, vt cùm omnia simul alteri nulli conueniãt, proprietatis locum habeant aut etiam esse essentialis differentiæ.

Cur ex accidẽtibus quarenda substantia.

At quî fit, vt nulliꝰ rei essentiã nisi ex accidẽtibus colligẽdo assequamur. Nimirũ intellectꝰ nostri cõditio id facit, qui cũ corpore sensibúsq. cõiunctus liberè opẽtari non potest; sed sensuũ actionẽ sequi atq. ex illis cognitionẽ suã cogitur mẽdicare: sensꝰ autẽ accidentia compræhendũt. Vnde illud erit in 3. lib. Nunquã sine phantasmate intelligit anima, sed cũ cõtemplatur, necesse est simul phãtasma aliquod intueri. Neq. prima notio mentis potest esse notio substantiæ solius absq. accidentis permistione. Sensus quippe offerũt accidentia: primáq. notio confusa est atq. ex accidenti & substantia permista, qua substantiã quidẽ sed accidentibus inuolutã nostra mens compræhendit: vt albũ concretũ ens, quod obijcitur sensibus. At in albo sensus primũ & per se percipit accidens, connotãdo substãtiã, cui accidens inhæret, mens verò primũ & per se cõpræhendit substantiã, secundo verò loco accidens, quo affecta & cõuestita substantia est. Quare vt ab notione cõfusa, qua substantiæ atq. accidentis cõgeries quędã concipitur, substantiã & essentiã rei nudã separet, ratiocinatione opꝰ est, qua vbi albedinẽ, & id quod albedine albescit, separauerit, alterũ alteri aduenire & recedere, alterũ sẽper manere, alerũ alteri inhærere, alterum per se cohærere, & ideò alterũ esse accidens, alterũ substantiã, animaduertat. In qua sanè notionũ separatione prior est accidentis notio: tum quòd à sensatis velut notioribus perpetuò mens nostra incipit: tum quod separatio illa fieri per remotionẽ videtur, qua remotis ijs, quæ sunt extranea essentiã rei tandem assequimur. Cúmq. ex sensibus principiũ fuerit inuestigãdi substantiam, æquum item est, vt accidentibus remotis propriã illius notionẽ vltimò consequatur. Ita & cognitio substantię definitioq. essentiæ colligenda ex proprietatibus est, & accidentia propria verè pronuntiauit Philosophus magnam conferre partẽ ad cognoscendũ quid est,

Primæ mẽtis notio qualis.

Vt substãtiæ notio à notione accidentis separetur.

Non circulum, sed regressum in hn esse.

Verùm enim verò cùm affirmauerit quoq. quid est ad accidẽtia cognoscenda vtile esse, ob ambulationẽ quandã & circulũ fatetur esse Themistius. At duobus modis respondet Philoponus. Primùm quidẽ non eadem esse accidentia, ex quibus definitio colligitur, quæque rursum ex definitione ostenduntur. Definitio namque ex perspicuis & manifestis colligitur accidentibus; quæ autem manifesta non sunt, ex definitione ostenduntur. Deinde verò eadẽ quidẽ esse accidentia; nõ ad idẽ tamen regressum fieri. Quoniã ex accidentib⁹ hãc esse collegimus huius rei definitionẽ, at ex definitione nõ ostendimus accidentia esse (hoc enim est notũ) sed cur sint. Sanè Philosophũ de eisdẽ accidentibus loqui manifestũ est. Posterior autẽ respõsio tũ Aristoteli consentanea est, qui propterea ne circulũ faceret, quẽ in analyticis ostẽderat in sciẽtijs locum nõ habere; nõ absolutè dixit definitionẽ vtilẽ esse ad accidentiũ cognitionẽ, sed ad cognoscendã causam cur ea substantijs insint: vt nimirum definitione inuenta confici demonstratio possit, qua cur insint ostẽdatur, quod sensu antea nõ cognoscebatur. Tũ omnẽ tollit difficultatẽ, quoniam non est regressus ad idẽ, sed ad aliquid aliud quod ignotũ antea erat: & vtraq. ratiocinatio ex notioribus ad ignotiora procedit. Nã in 1. quoq. Phys. li. tex. 1. scientiã cognitionẽ ex causis ducendã esse asseruit idẽ Philosophus; & mox in tex. 2. & 3. eas ex notioribus nobis inuestigandas esse: eodémq. modo ex accidentibus notis inuestigatur definitio, rursumq. ex ea inuenta tanquã ex causa accidentiũ scientia instituitur.

A

B

C

TEXTVS.

Ἔστιν γὰρ ἀπόδειξις ἡ ἀρχὴ, τὸ τί ἐστιν.

Omnis namque demonstrationis principium quid est.

COMMENTARIVS XIX.

CAusam quidem exponit cur definitio conferat plurimùm ad accidentia propria cognoscenda: sed simul causam quoq. cõplectitur, cur ex proprijs accidentibus manifestis essentiæ definitio sit perquirenda. Demonstrationis enim principiũ definitio est, demonstrationéq. proprietates sciẽtiaria ratione cognoscimus atq. essẽtiæ inesse ostẽdimus. Itaq. tũ ex definitione porprietates cognoscuntur, tum ex proprietatibus definitio antea inuestiganda est, vt mox eæ ex inuenta definitione demonstrentur, Digressio prima. De medio Demonstrationis.

D

Essentiã & definitionem duobus modis cõsiderari.

Sed etiã atq. etiã cõsiderandũ est quod ait, Demõstrationis omnis principiũ esse quid est. Hoc nimirũ est medius termin⁹, qui tãquã ratio cõiungẽdorũ extremorũ quæritur. Ideóq. aliquid esse debet, quod sit causa cur mai⁹ extremũ insit minori. Essentia rei principiũ est & causa suarũ proprietatum: duobusq. modis consideratur: tũ in se, vt suos grad⁹ essentiales dicit, tũ per ordinẽ ad proprietates; quarũ principiũ est & causa. Et definitio quoq. quæ essentiã explicat, tum consideratur vt definitio est & essentiã perse spectatã indicat, facitq. cognoscere quid res sit; tũ vt continet causam, cur illi proprietates insint.

E

Demõstrationis medium definitio.

Ergo definitio, non vt est definitio, sed vt proprietatis maiorisve extremi causa, demonstrationis mediũ fuerit. Demonstratio nãq. mediũ quærit, quod sit causa, quia quod demonstratur, oportet scire per causam; & scire est rẽ per causam cognoscere: per causã inquã non modò cognitionis, sed etiã rei, quia debet esse causa, ob quã res sit; hoc est causa prior natura, & quæ producat rẽ: & causa propria & adæquata, quia hæc sola est, per quã res est & cognoscitur necessariò esse; & sola potest facere propositiones vniuersales essẽq. definitio; cũ definitio ex proprijs cõstet & cũ re definita reciprocetur, Hócq. Philosophus voluit, cũ in 2. lib. de Posteriori Analysi tex. 1. 8. & 11. idem dixit esse quid & propter quid; & in omni quæstione quæri mediũ, atq. ex omni causarũ genere confici demõstrationẽ posse. Hęc enim omnia demonstrationis mediũ ostẽdunt esse causam vt est causa. Deinde si in demonstratione soluitur quæstio cur res sit, sane qui quærit cur res sit, causã quærit. Quare cũ in demõstratione accipitur definitio, non accipitur vt explicat quid & est definitio (illud enim alia est quæstio, quàm cur sit, hęcque diuersum à Demonstratione instrumentum, quod in prima mentis functione versatur) sed vt indicat causam cur sit. Demonstrationisq. obiectũ proprietas est, quę per aliquã causã subiecto inest, per eamq. demõstrari debet: causa verò essentia est. Quò fit, vt sæpè in demõstratione definitio tota nõ accipiatur, sed ea sola pars, quę proprietatis est causa: quoniam nõ accipitur vt definitio, sed vt causa. Si enim acciperetur vt definitio, acciperetur tota: & aut acciperetur definitio proprietatis aut definitio subiecti: vtraque verò explicaret quidem quid proprietas sit, quidve subiectũ, at neutra proprietatẽ inesse curve insit ostẽderet. Dũq. in 2. norato lib. eorũ exemplũ adfertur, in quibus idẽ est, quid & propter quid, & in quibus dũ cognoscitur, quid, cognoscitur etiam propter quid, exemplũ semper adfertur, quod rei causam cõtinet: quia nimirũ definitio si demõstrationem ingrediatur, eatenus tantũ ingreditur, quatenus est causa. Non inquã causa subiecti, sed proprietatis: quippe proprietatis nõ subiecti quęritur causa: quæsitumq. proprietas est subiecto inhęrẽs, & mediũ est quęsiti mediũ: & in tex. 8. & 25. eiusdẽ libri mediũ dicitur esse ratio, id est, causa maioris extremi: atq. in hoc ipso tex. 11. cuius nũc interpretationẽ facimus, illud ipsum quid asseritur demõstrationis esse principium, quod vtile esse dixerat ad cognoscendas eorũ causas, quæ substantijs accidunt. Essentia enim vt est causa, cur proprietas insit subiecto, demonstrationis mediũ est: vt autẽ proprietas, accidens est & velut illud aliquid, sic essentię cognitio ad cognitionẽ quoq. naturę proprietatis non parũ habet momenti. Vtrumq. definitio præstat, alterum vt causa, alterũ vt definitio.

Definitionis medium quia causa.

Itaq. perfectæ demonstrationis mediũ fuerit efficiens causa aut etiã finalis: siquidẽ ad ostendendã proprietatẽ adhibetur definitio essentię vt causa illud efficiens est, aut finalis. Potius tamen efficiens. Nã etsi substãtia dicatur esse accidentiũ finis, & essentiã proprietatum, quatenus tamen in demonstratione accipitur vt mediũ efficiẽs potius est: quòd ea sit, propter quã proprietates insint. Eiusmodi tamẽ efficiẽs causa est, quę formalis quoq. sit comparatione subiecti, & quoquo etiam modo proprietatis, dũ & plurimũ cõfert ad cognoscẽdũ quid proprietatis, & per illã proprietas definitur.

Definitio substãtiæ accidentis qua.

Etenim quã diuersa est naturarum cõditio, tam diuersæ definitiones existũt. Naturarum prima est substantia, quæ vt est per se & propter se, nec vllã habet essentiæ suæ aut existentiæ causam, sic absq. vllo extrinseco definitur ex proprijs. At accidẽs cui eiusmodi naturã habeat, quæ alterius quidpiã sit & in altero

in altero hæreat & propter aliud, ex cuius principijs oritur; etsi propriũ genus habere possit, differentiã tamen accipit à subiecto; ideóq. est accidẽs tale; distinctum ab alio, quia hoc aut illo modo est quid alterius. Vndè diuersæ accidentiũ relationes ad substantiã prodeunt; quæ cũ nullius determinati generis sint, transcẽdentes vocantur. Quodq; causa est, vt accidens subiecto insit, illius quoq; naturæ & essentiæ est causa: atque illius maximè naturã explicabit. Nam si res vnaquæq. ita cognosci debet vt est; ex sola illa causa cognoscetur, cur & quomodo sit quid alterius. Nec solũ id, quod est causa, cur accidens subiecto insit, efficiens causa erit, quæ inesse faciat; sed quoquo etiã modò formalis, quia est existentię & essentię accidentis causa, qua posita vel ablata ponitur vel auffertur accidẽs: quemadmodũ in substantijs forma est ex qua suũ esse speciei & perfectũ, & ideò cognitionẽ habet. Sic ab eadẽ illa causa accidens & habet quid, quatenus est quasi formalis causa naturã illius explicans, & propter quid, quatenus est efficiens vt subiecto insit.

De substantia duæ solũ quæstiones.

Quæ cũ ita sint; duæ tantũ in substantia quæstiones locũ habẽt, an sit & quid sit. Cũ enim alteri nõ insit, quæri de illa non potest, qualis sit & cur sit: quoniã hæc inhærentiã supponũt, quę in substãtia non est. Quare si quæras, an homo sit risibilis, quæ qualitatis est quæstio, & curriſibilis sit, non quęris de substantia vt substãtia est, sed vt illi accidentia insunt: nimirum quæris an insit homini risibilitas, & cur insit, quod est quærere de accidente, non de substantia. Immò nec duarũ priorum quæstionũ habet propriè substantia causam. Quia nec habet causam cur sit, à se distinctam: existentiæ siquidẽ causa est quiditas, quę est ipsamet substantia, neque ipsius quiditatis vlla est causa. quocirca substantiæ nulla est propriè demonstratio, quia demonstratio eius est, quod ineſt alteri & habet causam, cũ sit cognitio per causam. Sed illius propriè definitio est, quæ simplex quidpiã requirit, quod absq. causa per solam mentis intuitionẽ cõpræhendatur. Est q. instrumentorũ sciendiæ qua partitio, dũ definitio subſtãtiarũ est propria, & accidentiũ demõstratio: quòd illę simplices sunt naturæ & absq. causa, hęc cũ illis per causã coniũcta.

De accidente omnes quatuor.

At verò in accidente omnes quatuor quæstiones esse possunt. Si enim accidens cõsideretur per se, quæri potest an sit & quid sit, vt autem subiecto ineſt, quod sit seu quale sit, & cur sit. Etsi coincidãt an sit & quòd sit, quoniã accidentis esse est ineſſe. Et quid itẽ sit & cur sit, quia eadem causa, quæ vt efficiens ostendit cur sit, est quasi formalis & indicat quid sit. Vnde illud in tex. 1. lib. 2. Posteriorũ resolutionis, In omnibus quæstionibus quęri mediũ seu causam. Adfertur enim inhærentiæ causa, quę causa est & mediũ quęstionis an sit & quòd sit, cúmq. illa ipsa sit causa cur sit & explicet quid sit, duabus quoq. reliquis satisfacit quæstionibus, cur sit & quid sit. Itaq. in omnibus quæritur medium: quia cũ quęritur an accidens sit, nimirum quęritur an sit causa cur insit: quippe accidens nõ ineſt nisi per causam, & ideò quęritur etiã an sit causa quod sit. Quibus cognitis cũ quęritur cur sit & quid sit, quęritur quęnam sit illa causa, eâq. cognita & habetur quid & cur. Duæ tamen præsertim in accidentibus spectantur, quęstiones, quòd & cur. Etenim an sit & quid sit, magis eorũ videntur proprię, quę nec insũt alteri, nec essentię suę aut exi-

Quomodo in omnibus mediũ quæratur.

A stentię causam habent. Accidentiũmq. nõ est propriè definitio, quia non possunt ex se ipsis cognosci: sed demonstratio, quia cognoscũtur per causã. Contrà substantiarũ demonstratio non est, quia causã nõ habent: sed definitio, quia ex se sunt, cognosciq. ex se ipsis possunt.

Substãtiæ definitio, accidentis demõstratio.

Cæterũ causæ, exquibus accidẽtia probãtur, pro accidentiũ diuersitate diuersæ sunt. Quædã enim accidentia sunt veræ proprietates, quæ à natura subiecti, vel tota vel parte, siue formali, siue materiali pendent. Alia non item, semper tamen vel plerúnque insunt quæ licet aliquam habeant extrinsecam causam, à natura tamen subiecti quoque pendent. Vt Eclypsis lunæ, quæ extrinsecè B quidem ex terræ interpositione oritur, à lunæ tamen natura pendet, quæ lumen ex se non habet sed à sole accipit, est q. minor. quã terra, & adeò illi propinqua, vt terræ vmbram ingrediatur. Potissima quidẽ certè demonstratio iudicatur ea, quæ tũ verã proprietatẽ, tum eã quæ ex forma oritur, demonstrat: & ideò mediũ accipit subiecti formã, quæ proprietatis est causa. Secundum hanc ea est, quæ materialem proprietatem ostendit, vel ex necessitate materiæ, vel ex fine & ex fine magis, quoniã potissima necessitatis materialis causa est finis, vt in 2. Physic. lib. traditur. Postremum locum demonstrationibus illis damus, quæ proprietatem colligunt, quæ ex causa extrinseca pendet. C

Varij demonstrationũ modi.

Demõstrationis potissimæ mediũ definitio subiecti.

Itaq. cum demonstrationis medium dicitur esse forma seu definitio subiectivt est proprietatis causa, de potissima intelligas demonstratione. quoniã cum demonstrationis huiusce mediũ oporteat esse indemonstrabile, sola subiecti definitio eiusmodi est. Proprietatis autẽ definitio vt causã habet in subiecto, sic mediatã propositionẽ facit, quæ per priorẽ demonstretur, & in primo Posteriorũ Resolutionis libro tex. 22. & lib. 2. tex. 10. dicitur esse demonstrationis conclusio. Immò si proprietatis definitio accipiatur, petetur sæpè principiũ: quòd D ea definitio æquè ac proprietas ipsa ignota sit. Et cũ quæstio quid sit supponat quæstionẽ an sit, dũ demonstrandũ suscipitur proprietatẽ ineſſe subiecto, nõ potest vt notũ accipi quid seu definitio ipsius. Si ergo prima proprietas demonstretur, sola subiecti definitio erit mediũ. Quòd si probentur aliæ, quæ illius interuẽtu ex subiecti essentia otiũtur, subiecti definitio per priorẽ proprietatẽ determinabitur, aut certè per ordinẽ ad illã accipietur. Vt enim proprietates ceteræ illius interuẽtu ex essentia oriuntur, ita per illam cognosci debẽt: semperq. proprietatis ostendendæ ptopria & adæquata causa proponetur. Atq. in demonstratione cognoscetur quid sit & cur sit, etsi quid sit nõ demõstretur, sed ex demonstratione colligatur. quid inquã sit & cur sit, nõ subiectũ, sed proprietas: quia hęc cognoscuntur ex medio, quod est definitio subiecti: & vtrúmq. de eodẽ cognoscitur, cũ idẽ sit cognoscere quid sit & cur sit: cognoscitur autẽ cur sit proprietas, de eadẽ igitur cognoscetur etiã quid sit. quod plurib⁹ in Analyticis explicatur. Etsi enim mediũ sit definitio subiecti, mediũ tamẽ nõ est neque ĩ demõstratione accipitur vt definitio est, sed vt proprietatis causa: neq. substãtia definitur formaliter per suarũ proprietatũ causã, quod secũdariũ est & accidẽtariũ, sed per suos grad⁹ essentiales. At quoniã proprietas cognoscitur formaliter per suã causã, definitio illa vt causã proprietatis cõtinet aptissima est ad illius quid explicandũ. Mediũ

igitur materialiter quidem explicat quid subiecti, quia est eius definitio; at formaliter vt est in demõstratione, indicat quid proprietatis. Cũ præsertim quid subiecti supponatur cognitũ ante demonstrationẽ atq. vt demonstrationis mediũ accipiatur ad proprietatẽ cognoscendã. Deniq. in omni demonstratione mediũ est proprietatis causa; nec tamen in omni, sed in potissima, est definitio subiecti: & in ea, quæ causa constat extrinseca, vt si Ecclypsim per interpositionẽ terræ demonstres, sanè mediũ nihil pertinet ad quid subiecti: plurimũ verò ad quid proprietatis; vt ex interpositione colligas Ecclypsim esse luminis defectũ in Luna ob interpositã terram. Ita constituit Philosophus indemonstrabilẽ esse definitionẽ eorum, quæ nõ habẽt causã, nempè substantiarũ, eorũ autẽ, quæ habẽt, hoc est accidentium, posse si non demonstrari, ex demonstratione saltẽ colligi. Aliũmq. inueniendæ definitionis substantiarum modum expositum per diuisionem & Analysim.

Tex. 6. libri 2. Post. A B

Tex. 17.

Verùm de his fortassè plura, quàm hic locus postularet. Explicandũ tamen fuit illud, quod Philosophus dixit, demonstrationis omnis principiũ esse quid est. Vnũ addã, vt intelligas quomodo sit accipiendũ, idquod inter explicandũ dictũ est, accidentiũ definitionẽ ex demonstratione colligi posse. Duplex namq. proprietatis adferri definitio potest. Altera velut essentialis, quæ genere constet & differentia ex proprio illorũ subiecto ducta; vt Risibilitas est ad ridendũ aptitudo in homine. Altera, quæ illius quoq. causã cõtineat; vt Risibilitas est aptitudo ad ridendũ in homine ex rationalitate proueniens. Prima duabus cõstat partibus, quarũ vna ineſt alteri; at quoniã ineſt per causã, hęc in posteriori additur: priórq. fit demonstrationis cõclusio, qua per causam vna pars ostenditur ineſſe alteri. Posterior verò ex tota demonstratione colligitur: in qua maius extremũ est proprietatis genus; minus extremũ subiectum, vnde petitur differentia, mediúmq. proprietatis causa. Ex quibus perfecta colligitur definitio, quæ sola dispositione dicitur à demonstratione differre; quia omnes quidẽ tres illos terminos, at secus, quã in demonstratione, dispositos cõtinet. Immò oppositò modo: dũ definitio ab aptitudine tanquã à genere incipit, & demonstratio in eã tanquã in maius extremũ, quod subiecto ineſſe probatur, definit: ac rursum definitio in rationalitatẽ terminatur, quæ est causa, à qua demonstratio principiũ ducit. Ac demũ, quoniã demonstrationis saltẽ potissimæ medium est definitio subiecti, quę indemonstrabilis est, tria omninò existũt definitionis genera: prima est definitio immediata subiecti, quæ demonstrationis principiũ est & mediũ: altera definitio accidentis imperfecta, quæ est demonstrationis conclusio: postrema, definitio eiusdẽ perfecta, sola dispositione à demonstratione differens. Substantiarũ definitiones omnino secus habent. Quoniã enim substantia non ineſt alteri neq. per aliud definitur; definitione non explicatur, cuius vna pars insit alteri; nec habet causã cur ineſſe possit. Quare nec per causam probari potest, quemadmodum in accidentib⁹ fit. Quia tamen accidentiũ illa causa nõ est causa vt hoc sit accidentis quiditas, sed solum vt insit alteri; nulla definitio propriè demonstratur. Oporteret enim concludere, hoc esse huius definitionẽ: quod ne in accidentibus quidẽ fieri potest. Nam etsi habeãt suæ quiditatis causam, nõ habẽt tamen causam cur aliquid sit eorũ quiditas, sed hoc vbiq. immediatũ est & indemonstrabile. At quoniã causam habent, ob quã vna definitionis pars insit alteri, sicut reipsa inſunt in subiecto per causam, atq. in hoc eorũ natura cõsistit; propterea per illã causã vna pars ostenditur ineſse alteri hacq. sententia dicitur accidentiũ quiditas demonstrari.

Vt ex demõstratione colligatur accidẽtiũ definitio. C

Vt definitio dispositione sola differat à demõstratione. D

Tria definitionis genera. E

Definitionem nõ demõstrari.

TEXTVS.

ὥστε καὶ ὅσους τῶν ὁρισμῶν μὴ συμβαίνει τὰ συμβεβηκότα γνωρίζειν· δῆλα μηδὲ ἐκείνους ἀποδεικτὸν εἶναι τὸν ὁρισμόν, οἷον τί ἐστι διάμετρος καὶ κύκλος εὐθύγραμμος καὶ κύκλος ἅπαντες.

Quare per quascũque definitiones non fit vt accidentia cognoscantur, sed neq. cõiectare de ipsis facile, manifestũ. Dialecticè dictas esse atq. inaniter omnes.

COMMENTARIVS XX.

EX dictis colligit quasi argumentum, quo vere & accuratæ definitiones dignoscantur atq. ab imperfectis & minus veris distinguantur. Vt enim in 4. Physic. libro, definitionẽ loci aggressurus, permisit in tex. 31. tres omnino exactæ definitionis conditiones. Primã, vt ea cognita dubitationes soluantur. Alterã, vt ex ea cognoscantur proprietates. Tertiam, vt ex ea item intelligatur dubitationũ causa. Sic enim, inquit, pulcherrimè demonstrabitur: vnumquodq. Ita nunc definitiones eas omnes, quæ aut apertã proprietatũ cognitionẽ nõ adferant, aut ita rei essentiam proponant, vt facile non sit nobis coniectura saltẽ proprietates quoq. assequi; dialectica ratione traditas esse ait, hoc est probabili ratione, populari, extrinseca, & dubitationis duntaxat atq. (vt Philoponus loquitur) gloriæ causa, & inaniter, hoc est solo verborũ sono, nulla rerũ soliditate: cũ nihil cõtineãt, quod rei naturã attingat atq. in proprietatũ cognitionẽ ducat: velut delineationes potiùs ac descriptiones, quàm essentiariæ verèq. definitiones: Immò, vt ait Auerroës nec definitiones nisi homonymè.

Definitio ea quæ Platonis, quod ait Simplic.

In quibus Simpliciùs definitiones à Priscis traditas subnotari dixit, consueuisseq. Philosophum naturali dialecticum opponere: quippe naturalis rei naturã & essentiã sectatur, dialecticus apparẽtia quædã & opinabilia, neq. verã rei cognitionẽ, sed apparentẽ solùm & fucatam. Digressio II.

Quocirca secus omnino voce hac Aristoteles, quã Plato, vsus est. Plato namq. in Philebo Dialecticã artibus omnibus & scientijs anteponit; quippe quæ circa id quod est, & verè est, eodẽ semper modo se habet, versetur. Et Gorgiæ quidẽ cõcedit Socrates dicendi artẽ vtilitatis laude cæteris antecellere, dialecticam tamen veritatis commendatione omnibus anteponit. Neq. in Sophista Dialecticũ opus alteri vult, quam purè ac legitimè philosophanti dandum esse. Et in 6. libro de Repub. Dialecticã dixit vias omnes aperire, quæ nos ad veri intelligentiã ducunt. Et lib. 7. principẽ esse & supremã scientiã, velut culmen, apicẽ & fastigiũ scientiarũ, quæ in rebus omnibus propriã cuiusq. naturam inueniat, reliquarũ scientiarũ quasi famulatus vtès: cæteráſq. circa rerum essentias somniare, nec syneerè quidquam cernere posse, hanc vnà vnumquodq. quid ipsũ sit inuenire. Et ideò in Phædro, Magnas quaslibet artes ac scientias nõ nisi Dialecticæ beneficio comparari: vt propterea Pericles orator summus extiterit, quòd ad ingenij acumen Dialecticam

Dialecticā adiũxerit. Quam à Diis fuisse nobis vnà cũ igne cœlitus per Prometheum datam scripsit in Philebo: quòd vt in Protagorā ait Ficinus, ea velut ignis illuminat mentē & eleuat ad sublimia. Quibus Metaphisicā videtur Dialecticę nomine significasse Plato; confirmantq. Plotinus in li. de triplici animorũ reductione, & Alcinous de doctrina Platonis ca. 6. Sebastianus Foxius in 7. de Rep. & Simplicius in comment. tex. 8. lib. 1. Phy sic. aliiq. complures.

At Aristoteles Dialecticā dixit facultatem eam, quæ probabilibus argumētis de quacunq. re disserit. Cuius finis non tam veritas est, quàm in disserendo victoria. διαλέγεσθαι namq. & disserere in interrogatione & responsione positũ est; quiq. interrogat, paratus sit oportet ad vtramq. partē probandam; quod non nisi probabilibus argumentis fieri potest. Ita in 1. lib. de arte dicendi ca. 1. Dialecticam scripsit ἀντίστροφον esse, & ca. 2. propaginem Dialecticæ: solāq. has duas inter omnes artes de contrariis ratiocinari, nec determinati vllius generis esse. Quare in 1. li. de Priori Analysi ca. 1. & li. item 1. de Posteriori tex. 5. & 27. demōstratiuam propositionem hoc distinxit à Dialectica, quòd demōstrator alterā cōtradictionis eligit partē, Dialecticus vtrāque interrogat. Et tex. 34. secūdùm opinionem inquit ratiocinātibus & solũ dialecticè, &c. vt idem sit Dialecticè & ad opinionem tantùm gignēdam. In extremo namq. ca. 21. li. 2. Priorũ, In demonstrationibus dixit principiũ peti secūdum veritatem, in Dialecticis secundũ opinionē. Et 1. Topic. ca. 1. demōstratio ex veris & primis est Dialectica ratiocinatio ex probabilibus. Et cap. 2. de singulis ex probabilibus dicere Dialecticæ est. Et cap. 8, Dialectica propositio est interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plurimis, aut sapientibus. Et 1. Elench. ca. 2. Dialecticę orationes sunt, quę ex probabilibus cōtradicentia colligunt. Itē in c. 10. & 11. & 3. li. Metaph. tex. 2. & plurimis aliis in locis. Vnde illud in 4. l. tex. 5. Dialectica est tētatiua, de quibus Philosophia est cognitiua: circaq. idē Philosophia, Dialectica & Sophistica versantur; sed Philosophia ratione certa Dialectica probabili, Sophistica apparenti. quò factũ est, vt Dialectica non eā vniuersam artē, quā Logicā dicimus, sed Topicā tantùm partem consueuerit appellare. Vnus est locus, qui aduersari videatur. De qualibet enim ratiocinatione ait in 1. de arte dicendi ca. 1. aut dialecticā vniuersam aut partē eius quandā considerare. Dederunt manus Petrus Victorius & Marcus Antonius Maioragius locum illũ interpretantes. Sed intelligere potuisset duas esse ratiocinationis partes, materiam & formā; alteram ingenij & inuētionis, alteram iudicij. Materia & inuentio diuersa est, vt sunt diuersæ ratiocinationis species: déq. necessariæ materiæ inuentione agitur in li. Post. Analyticorũ, de probabili in libris Topic. de apparenti in libris Elēch. At forma cōmunis est omnibus, idem in quauis materia disponenda iudiciũ, eademq. ratiocinandi præcepta; quæ priorum Analyticorum libris continentur: Qui propterea cōmunes reliquis omnibus sunt; cumq. Posteriorum aut Topic. vel Elench. lib. coniuncti perfectam, & absolutam necessariæ aut probabilis vel apparentis ratiocinationis tractationem materia & forma, inuentione ac iudicio, constantem faciunt. Etsi eos Posteriorum potiùs libris Philosopho libuerit adiũgere, quòd demōstratio sit potissima ratiocinationis species, quam in principio illius operis præcipuè sibi proposuerat explicandam. Itaq. si dequalibet ratiocinationis specie aut considerare dixit Dialecticam vniuersam aut partem eius quandam; Dialecticam vniuersam appellauit Topicam vtraque parte perfectam, materia & forma, inuentione ac iudicio, libris Topicorum & Priorũ, in quibus de omni ratiocinatione præcipitur. Partem autē Dialecticæ, eosdem illos Priorum libros vt cum Topicorum libris coniungi possent. Quamuis enim iudicare de ratiocinationis forma non solùm sit Dialectici, sed & demonstrātis & Sophistæ: eo tamen loco Rethoricam cum Dialectica cōparabat; neq. demonstratiuæ, sed Dialecticæ affinis & cognata Rethorica est: propterea Dialecticæ potiùs, quàm alterius solius, id esse pronuntiauit.

Exponit locus ex 1. Rethor.

Alius ex eodem lib. locus exponit.

Hinc & illud intelligas, quod est in c. 4. eiusdem lib. Rethoricam ex parte Analytica & Ciuili constare; quam eandem in cap. 2. Dialecticæ & Ciuilis dixerat esse propaginem. Analyticam quippe nominat propter Priorũ libros, qui Dialecticæ pars quædam sunt formámque probabilis quoque & Topicæ rationis docent.

TEXTVS.

Ἀπορίαν δ' ἔχει καὶ περὶ παθητικῶν ψυχῆς, πότερον ὅτι παντα κοινὰ ἢ τῶν ἐχόντων, ἢ ὅτι ἢ ἔστι τῶν ψυχῆς ἴδιον αὐτῆς· ἔστι γὰρ λαβεῖν ἐφ' ἑκάστου ἀναγκαῖον, ἢ μάλιστα δ' φαίνεται ἐπὶ τῶν πλείστων ἐν δεῖν ἄνευ σώματος παθεῖν, ἢ δὲ πάσχειν· οἷον ὀργίζεσθαι, θαρρεῖν, ἐπιθυμεῖν, ὅλως αἰσθάνεσθαι.

Dubitationem verò habent & effectus animæ, num sint omnes habentis quoque communes, an sit aliquid eiusdem animæ ipsius proprium. Hoc enim accipere quidem necessarium, non tamen facile. Videtur autem ex plurimis nihil sine corpore pati neque agere: velut irasci, audere, cupere, omnino sentire. *Text. 12.*

COMMENTARIVS. XXI.

NOna hæc est quæstio: quam duobus modis subiungere licet superioribus, aut enim cùm de animæ essentia definitionéq. dubitasset hactenus multa, consequens fuit vt de proprietatibus ac facultatibus dubitaret. Aut in essentia persistens adhuc, tum alia quæstione omnium difficillima obscuritatem illius ostendit; tum verò cùm methodum ex propriis accidentibus eam inuestigādi proximè quasi aliud agens iudicasset; hanc de illis quæstionem adiungit, ex qua immortalitatis aut mortalitatis cognitio tota pendet; An omnes animæ operationes & affectus communes sint totius habentis, hoc est an insint in toto coniũcto ex anima & corpore, atq. in animali toto, quod animam habet; an verò aliquæ sint, quæ in anima sola sustētentur, velut illius proprię neq. cum corpore communes; aliæ in coniuncto totō. Namq. si ex operationibus & affectibus seu facultatibus ad essentiam progredi nos oportet, hoc omnino accipere ac priùs determinare fuerit necessarium; vt ex operationum & affectuum conditione essentiæ quoque conditionem conjicere mox liceat. Si enim eæ sint omnes corpori quoq. communes, manifestum erit naturam animæ corpoream prorsus & in materia immersam esse atq. à corpore inseparabilem. Sin autem aliqua fuerit solius animæ propria, neque communis corpori; incorporea, immaterialis, & separabilis anima illa fuerit, cuius ea operatio vel affectus est. Ita cùm animā constet esse substantiam quoniam omnis vita substantia est, differentiam in-

uestigabimus; vt qualis substantia sit intelligamus. Operatio namq. similis vbiq. substantiæ est: & vt viuentium vitales, sentientium sentientes, & rationaliũ rationales operationes sũt; ita & separabiliũ separabiles. Propterea hoc accipere necessariũ.

At non facile. Quoniam pleræque videntur esse communes; atq. in omnibus animam vti corpore, nihilq. sine illo pati aut agere. Pati quidem, inquit Philoponus, quoniam pleræq. harũ operationum cum corpore fiunt, hoc est simul patiente motoq. corpore. In ira namque calescit sanguis circa cor, & in aliis huiusmodi affectibus simili modo. Agere autem; quoniam aliæ fiunt circa corpora; vt sentiones: & ideò næ communes sunt. At intellectiones quoque pleræque sunt circa corpora: communes igitur forẽt. Modo credere pati eũ dixisse propter cognoscentes operationes sensuum, quæ patiendo & suscipiendo fiunt: cùm præsertim in organis quoque manifesta sit passio, dum in oculo lumen, in aure sonus, in alijs alia quæpiam qualitas suscipitur. Agere autem propter cæteras. Nutritio siquidem, Accretio, Procreatio, Incessus, & omnino, quas ipse commemorat, appetitiones Irę, Audaciæ, Cupiditatis; sine corporis vsũ & opera non fiunt. Aut pati dixit, quòd cum aliqua corporis passione & commotione fiunt: & agere, quòd corpus quoque ad illas perficiẽdas præbeat organum.

Itaque id, quod Simplicius animæ affectus non omnem eius actionem interpretatur; sed animæ tantùm, quæ afficitur & extra se progreditur, quæ inquam cum corpore vt instrumento operatur: nullo modo potest admitti. Inanis enim quæstio foret, vbi manifestum est nullam harum affectionum esse animæ propriam. Est autem maximę difficultatis plena, si ampliore significatu de omni actione quæratur.

Neque etiam, illud Philoponi, cur hoc accipiendum antea sit, eam esse rationem; quoniã si anima corpore vt instrumento vtatur, proprias habens operationes, in ea definienda corpus accipiẽdum non est, sicut nec ascia in fabri definitione ponitur. Sin autem ipsa substantiam habet in corpore, vt communes vtriusque sint operationes, necesse est in definitione corpus commemorare. Namque ita Philosophi quęstionem de operationibus & facultatibus ad essentiam traducit, an anima sit actus assistens solùm corpori eoq. vt instrumento vtens, an formans & dans esse corpori. Deinde si anima detur in corpore substantiam habere, continuò cõsequẽs est operationes omnes esse cõmunes. Immò hæc est Philosophi quæstio: quia cùm anima habeat esse in corpore sitq. illius actus & ideò pleræq. operationes communes existant quærendum est an aliqua omnino sit illius propria. Quæ sanè quæstio locum non haberet, si ea non haberet esse in corpore, sed eo solùm vt instrumento vteretur. Quippe ex hoc consequens esse vidit quoq. Philoponus operationes omnes fore animæ proprias, cum corpore communes nullas: sicut nec hominis fabri operationes cum ascia communes sunt. Neq. etiam illud consequẽs est; si proprias habeat actiones, corpore illam vti vt instrumẽto. quin hæc potiùs pugnare dixerim. Nã si proprię actiones sunt, cum illis commune nihil habet corpus, sed anima per se operatur sola; vt videre est in intellectione. Si vero corpus instrumentum præbet, sanè cõmunes sunt, tum animæ vt operandi principio; tum corpori vt instrumẽto. Id in sensibus atque operationibus cæteris perspicias, quibus corpus instrumenti famulatum & obsequium confert. Et omnino apertam Philosophus mox pronuntiabit sententiam; si intelligere est phantasia vel non sine phãtasia, non potest vtique sine corpore esse. Qua propriam operationem eam esse definiet, quæ sine corporis instrumento aut affectu immutationeve, ab anima sola & in ea sola perfici potest & in qua vt loquitur in 2. de animi ortu cap. 3. non communicat actio corporis: communem verò illam, in qua instrumentũ corporis accersit anima, corpusve simul alteratur, cõmouetur, ac mutatur. Cùmq. maximam operationum partem communem esse videamus, propterea difficultas est maxima, vt dispiciamus, an aliqua sit propria, quæ secus habent, quàm cæteræ, diuinioremq. nobis naturam indicare possit.

Hinc vniuersas penè animæ actiones percurrẽs Simplicius, quatenus vnaquęque inseparabilis aut separabilis sit definit. In fimæ namq. inseparabiles prorsus sunt, quòd instrumenti formatrices sint, quibus potest vitaliter moueri: quæ verò instrumẽti motrices existunt, nautæ persimiles, etsi inseparabiles sint, quòd agendo ad corpus se porrigãt; eatenus tamen separabiles appellari possunt, quatenus res motas superant ijsque meliores sunt: tertio loco intellectus actiuus inseparabilis, quòd in minori propositione sensu & phantasia vtatur, separabilis, dum in maiori nulla inferiorum illarum actionum indiget opera denique theoreticus intellectus, quatenus circa sensilia & naturalia versatur, actiuo intellectui similis est, quoniam ex singularibus vniuersalia colligit; qua in re sensu & phantasia eget: dum verò intellectilia considerat, si ea cũ protẽsione ad externa intelligit, etsi phantasia nõ egeat, quòd ciusmodi entia nec sensu nec phantasia compræhendantur; nõ intelligit tamen sine phantasia, & ideò nec saparabilis; quia etsi hęc non cooperetur, consequitur tamen velut vmbra corpus, dum ratio phantasiam mouet: neq. ad intelligendũ facit, sed obest potiùs, turbat, & quasi obtenebrat intellectionem; ea, quæ sine quantitate sunt & figura & sine corpore, perinde repræsentans ac si his affecta essent. Quòd si intellectilia sine ad externa protensione sed in seipso manens & in sui substantiam actionẽ contrahens contemplatur, tum demum nullum cum corpore comercium habet, estq. prorsus separabilis.

Hos sex gradus inseparabilium separabiliumvè operationum Simplicius cõmemorat. Quos ego Aristotelem hoc loco arbitror non cogitasse: nec distinctionem illam facultatũ fecisse; vt quędã formatrices, aliæ motrices instrumenti sint. Omnes quippe formatrices illi fuerunt, qui animã omnem actum & formã instrumentarij corporis definiuit. Motum autem si localem Simplicius dicat, vnica est huiusmodi facultas motrix: sin operationem quãuis & vsum instrumenti, sanè materialis omnis & corporea facultas instrumenti motrix fuerit; solus intellectus non item. Denique de tam multiplici separatione non loquitur Philosophus, sed de sola ea, qua solius animæ propria & non cum corpore communis operatio sit, quaque operante anima, nihil patiatur neque agat corpus.

De hac nimirum quomodo res habeat, tum est difficile accipere, quòd plerasque communes esse manifestum sit: tum necessarium, quòd hinc maximè

ximè cognitio animæ pendeat atq. ex operatione inuestiganda sit. Addam & cùm primis vtile: quòd vbi animam incorpoream, spiritalem, atque immortalem esse constiterit, tãquam diuinum quiddam admirabimur eam; atque à corpore & caducis rebus abducemus, & ad spiritalia & æterna, vtilli cognata, facilè conuertemus.

TEXTVS.

Μάλιστα δ' ἴδιον τὸ νοεῖν· εἰ δέ ἐστι καὶ φαντασία πρᾶγμα, ἢ μετ' αὐτῆς φαντασίας, ἢ οὐκ ἄνευ φαντασίας ἐστὶν ἃ ἀδύνατον αὐτῆ σώματος εἶναι.

Maximè vero proprium videtur intelligere. At si hoc quoque phantasia quædam est, aut sine phantasia, haud contigerit vtique hoc sine corpore esse. B

COMMENTARIVS XXII.

ETsi plurimas antea dixerit, omnes tamen alias præter intellectionem se nunc indicat intellexisse. Verè namque cæteræ omnes operationes communes sunt, quòd & corpore quoque aliquid patiente fiant, & singularum organum in corpore conspiciatur. Sola intellectio solius animæ propria operatio esse videtur. Nam nec intelligendo patitur corpus, sed anima sola, quæ intellectæ rei formam suscipit: nec fingi potest quòn corporis organo vtatur intellectus actionem suam ponens. Quin etiã immaterialia & spiritalia extra ab omni aliena corpore vniuersãsque naturas à rebus singulis separatas comprehendit: & in seipsum redit, suámque actionem contrahit, quod nullũ corpus facere potest. Ac demũ vna hæc diuinissima operatio separatis inest mentibus; in quibus nulla corporis materiæve societas reperitur.

Intellectionem solius animæ operationẽ esse.

Intellectio vt passio.

Cùm autem inter passiones & affectus animæ intellectionem memorat; meminisse oportet duplex esse passionis genus, quod in sensu quoque distinguendũ esse monebit in tex. 57. lib. 2. corrũpens vnum & disperdens, alterum perficiens & exornans. Vtrumque in sensu repetitur; alterum in corporis organo, si obiectũ immoderatum fuerit; alterum in animæ facultate. At in intellectu alterũ illud solum, quod ita perficit & exornat, vt anima intelligendo fiat omnia, intellectarúmque rerum omnium formis supra quàm credi possit ornetur. Quamobcausam tum hoc loco, tum in superioribus, dum text. 3. vbi etiã passiones animæ philosophus nominatus interpretaretur Philoponus, iure optimo Andronicum Rhodium reprehendit, qui librum de interpretatione immeritò Aristoteli adscriptum fuisse causabatur. Quòd in libris de anima ibi citatis nusquàm intellectiones animæ passiones appellentur profértque duo hæc loca Philoponus. At maiorem Simplicius difficultatẽ mouet. Philosophum namque ait in proximè superioribus verbis sentire tanquàm communem affectum ita nominasse, vt appetitiones item Iræ, Audaciæ, & Cupiditatis comprehenderet; quòd aut sensus aut non absque sensu sint. Nũc verò ita opponere illi intelligere, vt phantasiam quoque & actionem omnem, quæ sensus superior est, comprehendat. Idcircò enim omnis huiusmodi actio animæ propria esse videtur, quòd intus principium sumat & ex seipsa excitetur in nobis. Fateor Aristotelem τὸ νοεῖν & τὸ νοῦν ita nominasse interdum: quemadmodum in text. 115. lib. 2. & text. 20. & 48. lib. 8. manifestum erit. Hoc tamen loco non arbitror. Tum quia statim exponit se intelligere propriè nominasse, vt est à phantasia distinctum; cùm ait; Si autem hoc intelligere est phantasia aut non sine phantasia, haud poterit hoc sine corpore esse. Quibus etiam verbis phantasiam potius significat sub priori facultatum communium & inseparabilium genere comprehensam, hoc est sub sensu, quippe ipsa quoque motus est factus à sensu actu, vt definitur in text. ibi. lib. 2. Tum verò quia phantasia nõ magis videtur esse solius animæ propria, quàm cæteræ antea memoratæ actiones. Corporeæ siquidem prorsus & materialis facultatis operatio est, quæ determinato vtitur corporis organo.

Regulã de animæ separabilitate

De solo igitur intellectu soláq. intellectione loquitur. De quibus sanè nihil nunc constitui poterat; neq. opportunũ videbatur, vbi dubitãdo solũ & quæstiones congerendo, difficultatémq. huius de anima disputationis exagerando loquebatur. Regulam igitur hanc duntaxat ponit; quæ duabus constat partibus. Altera est, si intelligere phantasia quæpiam est, hoc est aut nil aliud quàm phantasia, aut phantasiæ similis quæpiam operatio, sine corpore esse non poterit: hoc est propria solius animę operatio non fuerit, quę sine corpore fiat, sed cum illo quoque cõmunis, sicut & irasci, & audere, & cupere, & omnino sentire. Phantasiam quippe cõmunem eiusmodi operationem esse constat: tum quia sensus operatio est: tum quia in bestiis quoq. viget, in quibus materialia omnia, corporea, & cõmunia, nihil propriũ. Tum quia in nobis ipsis determinatio vtitur corporis organo, nec quidquam nisi corporeum, sensile, & singulare comprehendit, nec aliud quidquam est, quàm motus à sensu actu factus.

Phantasiã esse cõmunẽ operationẽ.

Simplicius tamen propositionem illam (si hoc phantasia quædam est) oppositio potiùs accepit modo. Nõ inquam, si intellectus est phãtasia quædam, sed si phãtasia quædam est intellectus, ideóq. additum dixit (quædã) quia non quæuis phantasia est intellectus, nempe non bestiarum phãtasia: neque humana phantasia est intellectus quiuis, sed intellectus passiuus, vt in tex. 20. lib. 3. dicetur. At si ita loquaris, non cohærebũt consequentia verba (Aut non sine phantasia) neque ex eo quod phantasia passiuus intellectus nominetur, sapienter deducetur intellectũ absolutè nominatũ haud posse sine corpore esse, sed solum illum intellectum passiuum, qui est phantasia. Denique vt intelligere absolutè dixerat maximè proprium videri, ita quod sequitur, de intellectu absolutè, non de passiuo solo, qui est phantasia; intelligendũ est. Vt de illo dubitetur, num phantasia sit, an quidpiam à phantasia diuersum.

Phantasiæ, intellectus passiuus.

Altera pars obscurior est. Si intelligere, inquit, non est sine phãtasia, sine corpore esse non potest, siquidem phãtasia operatio corporea est, quæ sine corpore non consistit &, vt Themistius loquitur, nisi via & procuratione sensuum visa & imagines animis insculpãtur. Obscuritatẽ autem adfert vox illa (nõ sine) quã non cõstat quo intellectu Philosophus pronũtiauerit. Et Philoponus triplicem illius significatũ proponit. Primò neque impedimẽtum neq. vtilitatem indicat: vt si corpus dicas non sine vmbra esse in lumine. Altero instrumẽti necessitatem: vt si Achillẽ dixeris strenuè se in bello gessisse, at non sine lancea. Tertio impedimentũ potiùs: vt cùm eos, qui hyeme nauigant, nõ sine tẽpestatibus & periculo dicimus nauigare. Itaq. Philosophũ in-

(Non sine) quo modo dicatur.

Liber de interpretatione an Aristot.

terpretatur dixisse, si intelligere non est sine phantasia; vt instrumenti necessitatem significaret: sententiámque fuisse, si intellectus phantasia vt instrumento indiget ad operationem suam obeundam, omnino sine corpore esse non potest. Quocirca distinctio illa, qua tum S. Thomas tum alij plurimi vsi sunt; intellectionem à phantasia & corpore velut ab instrumento pendere, velut obiecto, communémque & inseparabilem operationem fore; si vt ab instrumento pẽdeat; propriam autem & separabilem, si solùm vt ab obiecto, sanè Græcis quoque interpretibus consentanea est: nec solùm ex Auerroë accepta, qui de instrumento verba hæc Philosophi exponit, duplicémque facit quæstionem; alteram, an aliqua sit actio propria non vtens corporis instrumento; alteram, an si instrumento non vtatur, circa corpora tamen versetur obiecta. Sed etiam ex Philopono; qui hoc quidem loco interpretatur quæri an intellectio sine phantasia sit velut instrumento, quo ad operandum intellectus non egeat: mox verò in 3. libro, vbi sine phantasia nihil intelligere animam affirmabitur, vocem, illam (non sine) impedimentum intelligendi significare dicet, dum puro intellectus actui seriè ingeret phantasia, eúmque perturbat: necessarium tamen, vt per phantasiam ex sensilibus ad intellectibilia prima euehatur intellectus noster. Verùm de his in 3. libro pluribus nunc vt nihil definit Philosophus, ita sat sifuerit quid dubitando proponat interpretari.

Pendere à corpore vt ab obiecto vt à subiecto.

Atque obiter adnotare, quid Aristotelis phantasma sit. Cùm enim hoc loco de operatione loquatur; quemadmodum intelligere, ita & phantasia operationem significat; dum ait, si intelligere phãtasia est aut non sine phantasia, hoc est vel actus ipse phantasiæ, vel non sine hoc actu imaginandi, consequens est, de eadem hac operatione & actu intelligendum esse illud, quod subiungitur in 3. lib. Nunquam sine phantasmate animam intelligere, necesséque cùm phantasmate contemplari; hoc est cum operatione & actu phantasiæ. Phantasma igitur non speciem in phantasia loquentem, sed operationem & actum ipsius quatenus rei sensilis forma est, & simulacrum, Aristoteli significauit, quod nunc adnotasse satis.

Phantasma quid.

TEXTVS.

Εἰ μὴν ἔστι τοῦτο τῆς ψυχῆς ἔργον, ἢ πᾶν ἢ τῶν ἴδιον, οὐδὲ χωρὶς αὐτοῦ χωρισθήσεται· εἰ δὲ μηδέν ἐστιν ἴδιον αὐτῆς, ὡς οὐδ' ἂν οὗτος χωρισθείη.

Si quæ igitur est animæ actio aut affectio propria fieri sanè poterit, vt ipsa separetur. Si autem nulla sit ipsius propria, neque quam fuerit separabilis.

Tex. 13.

COMMENTARIVS XXIII.

EX hypothetica propositione proximè posita, si quæ sit animæ actio propria, continget eam sine corpore esse: si verò nulla sit, non erit; argumẽtationem quandam instruere Philosophum crediderunt Themistius atque Auerroës, qua ex antecedentis oppositio ita consequentis oppositum colligatur, At propria nulla est, igitur à corpore separari non potest. Velut deducit Auerroës, qui duplicem in hypothesi quæstionem posuit, vnam de instrumento, alteram de obiecto, intellectio etsi ab organo corporis non pendeat, à corporea tamen phantasia velut ab obiecto pendet quare vt intellectus à corpore sit abstractus essentia, actione tamen non est: atque ab hoc quidem & illo corpore separatur, at non ab omni corpore. Vnicum enim is in tota humana specie intellectũ esse putat. quibus si obijcias, ex oppositio potius consequentis demoliendum antecedens fuisse, illamq. ipsam argumentantem formam in 1. Phys. lib. reprehendisse Philosophum, dum ita Melissus colligebat, quod est factũ, habet principiũ, ergo quod non est factum, non habet principium. Respondet ex oppositio quidem consequentis ad antecedẽtis oppositum progrediẽdum esse, vbi sequela sit necessaria: ab oppositio tamen quoque antecedentis argumentari licere ad consequentis oppositum, si sit contingens: proptereáque Philosophum tum in superiori propositione, tum in hac altera verbo illo (ἐνδέχεται, contigerit) vsũ fuisse. In hoc quippe deductionis genere abolitio antecedentis abolet cõsequẽs: quoniã id quod cõtingẽter sequitur, velut pars antecedẽtis fit; quia interdum accidit & interdũ nõ accidit. Quẽadmodũ si dicas: si nauigauero, contingere potest vt prosperé nauigem; si igitur non nauigauero, contingere non potest prospera nauigatio. Item si animal est id, quod procul cerno, fieri potest vt sit equus; igitur si animal non est, fieri potest vt nec sit equ⁹. At nõ licet deducere me ne absolutè quidẽ naugare posse, aut si nõ est equ⁹ animal omnino esse. Alius etiã fortasse dixerit argumentationis illã formam in reciprocis terminis vim habere, vt operatio propria separabilitásque reciprocantur. Aut posteriorem hanc argumentationis partem ex priore deduci, non propter antecedentis negationem; sed propter principium illud; si affirmatio est affirmationis causa, erit & negatio causa negationis. Vt enim si habere pulmones est respirandi causa, non habere causa fuerit non respirandi; sic etiam quia operatio propria est cognoscendæ separabilitatis causa, illius negatio erit separabilitatis negatio.

Argumẽtis ab oppositio consequẽtis vtitur.

Ego nullam in his argumentationem agnosco; vt nec agnouerunt Philoponus & Simplicius, communémque. Atticorum omnium interpretationem fuisse testatur Philoponus. Sed alteram potiùs propositionem ceu regulam ad animæ separabilitatem atque immortalitatem cognoscẽdam in primis necessariam. Nam ex operatione, iuxta methodum antea propositam, ad essentiam, quæ operationis principium est, progrediens, quemadmodum in tex. 12. si intelligere dixerat phãtasia est aut non sine phantasia, non potest esse sine corpore; si verò nec phantasia sit nec à phantasia pendeat, potest esse (neque enim ἐνδέχεται contingentiam significat, sed tantundem valet ac fieri posse; neq. est cur in hoc laboret Philoponus) ita nunc si anima, inquit, operationẽ habet aliquam sibi propriam non cum corpore communem, poterit à corpore separari; quòd si nullam habeat, non separabitur, sed simul cũ corpore interibit, quocirca posteriore hac propositione Philosophum etiam dixeris priorem illam difficultatem plurimùm commẽdare illiusq. vtilitatem ostendere; quòd ex eius explicatione pendeat & omnino dissoluatur celebris illa tãdiuque quæsita & desiderata de animæ nostrę immortalitate quæstio.

Alteram regulam de animæ separabilitate.

Sanè vtrobiq. sub conditione loquitur: sed vbi de operatione sermo est, nõ ait eam separari posse, sed sine corpore esse; de anima verò, contigerit, inquit ipsam separari. Etenim operatio accidẽs est, neq. accidenti conuenit à subsstãtia separari ac per se seorsim cohærere: quòd si in sola cohæreat anima ne-

Secus de operatione quã de anima loquitur philosophus.

ma neque deriuetur ad corpus, verè affirmabitur sine corpore esse, dum anima sola nullo vtens corporis instrumento operatur. Itaque cùm de anima dixit separari eo scilicet modo, quo in tex. 21. lib. 2. dicetur, velut perpetuum à mortali nimirum substãtiam eam esse accepit. Esse autẽ hîc sermonẽ de anima atq. ex operatione ad substantiã fieri trãsitũ inde manifestũ est, quòd cũ ψυχὴ, ἔργα, & πάθήματα nominasset; statim ἀνάγκαιον δὲ inquit αὐτῶν χωρίζεσθαι. Neque enim illud (ipsum) aut ad operationes aut ad affectiones referre licet, quòd hæc & numero plurium & genere neutro proferantur, sed omnino ad animam est referendum. Quod cùm non intelligeret Auerroës, nihil mirum si toto errauit cœlo, Philosophum opinatus ex eo, quòd operatio instrumento non indiget corporis, eam confecisse abstractam penitus esse, adhucque in operatione immorari, vbi animam quoq. nominat. Vt mittam consueuisse Aristotelem animam vt substãtiam dicere separari operationes autem & accidẽtia vbiq. affirmare inseparabilia esse.

Argumẽta ab oppositis confirmata vt iuuat.

Quibus principijs quæstio hæc de separabilitate animæ nitatur

Nimirum vniuersa hæc quæstio duplici principio nititur. Alterum est, qualis actio est, talẽ oportet substantiam quoq. esse, & contrà qualis est substantia, talem & actionem, quæ à substãtia promanat. Quare vt vitæ vitalis est, & sensus sentiens, & rationis rationalis, ita & separabilis essentiæ propriam quoque & eam essentia separabilem actionem esse necesse est. Et rursum quemadmodum ex vitali, sentiente, ac rationali actione verè colligimus vitam, sensum, & rationale principium, sic ex propria & non cum corpore communi actione separabilem item atque à corpore non pendentem essentiam concludimus. Alterum verò, Nihil est in natura otiosum, nihil feriatur; sed forma omnis ac natura operationis cuiuspiam principium existit. Quod tum in omnibus perspicias, tum certa ratio suadeat. quippe sapienter & ad finem aliquem facit natura quidquid facit; formeq. finis est operatio: Itaque si animam à corpore dicas separabilem esse aliquam eam necesse est propriam operationem habere, quàm à corpore quoque separata promere possit & quasi debitum naturæ pensum persoluere. Aut si nullam habeat plane conuinceris inscienter te separabilem esse dixisse, quæ contra generale naturæ institutum etiam ac feriari cogatur. Quocirca optimè Aristoteles si qua, inquit, est animæ operatio propria, quasi diceret, hoc solum est argumentum, hoc indicium vnde cognosci possit num seperabilis anima sit an inseperabilis. At si forma & essentia sine operatione esse non potest, multò minùs operatio sine forma atque essentia fuerit. quare si operatio eiusmodi sit vt sine corpore esse possit poterit quoq. forma & essentia, quæ operationis fons est & origo.

Alterum goia de anima supposita.

Anima vt nauta.

Rursũ, si qua, inquit, est animæ operatio propria, &c. Non enim actionem omnem propriam & separabilem esse necesse est, sed aliquam satis est esse, vt anima quoq. separetur: Perindeq. euenit animæ ac nautæ. Nam neq. omnis operatio nautæ à naui separabilis est; non inquam motus & gubernatio nauis: sed intelligere, loqui, ambulare, edere, bibere, & aliæ his similes, quæ conueniunt illi homini, non vt nautæ. Quare vt nauta separatur à naui, non cum priori, sed cum posteriori solùm operationis genere: sic anima, quæ tum corpus vegetat, mouet, & omnino gubernat ac regit, quatenus anima est; tum in eo intelligit, quatenus spiritalis & diuinior natura existit; separare sanè non potest anima ratione priorum operationum, quæ cum corpore communes corporis indigent instrumento; sed vt spiritalis & melior subsistẽs natura, quæ altera propria operatione vtitur, quæ nullum cum corpore commercium habet. Porrò exeo, quòd separabilis sit, verè Philoponus immortalẽ colligit esse; tantumdémq, Philosopho est separabilem esse & immortalem esse. Quidquid enim interit, aut per se interit, quòd in sua principia & elementa dissoluatur; quod de simplici forma dici non potest: aut ex accidenti, dum illius subiectum interit; vt cæteræ omnes formæ, tum substantiæ, tum accidentis. Si anima igitur separetur à corpore, neq. dissoluto eo simul extinguatur & ipsa, immortalis nimirum & sempiterna subsistet.

Separabile & immortale sunt eadem.

Quod verò de oculo, aure, manu, & similibus organicis partib⁹ obiicitur, quę operationẽ habent cũ reliquo nõ cõmunem, videre, audire, apprehẽdere, nec tamen separabiles sunt, facilé habet explicationem. Non enim ita operationem illam habent sibi propriam, vt solæ absque reliquarum partium subsidio illam perficiant: verùm & eam habẽt ab anima, quę corporis vniuersi est actus, nec absque partibus cæteris illa funguntur, sed spiritus à corde ac cerebro transmisso indigent. Animæ verò operatio propria dicitur, ad quam nihil confert corpus, sed sola sibi sufficiens est anima.

Vt partes quædam corporis propriam operationem habeant.

Maius negotium facessant mentes cœlestium orbium motrices: quæ cùm præter motum operationem aliam habeant propriam cum cœlo non communem, Aristoteli tamen separabiles ab eo non fuerunt. Nam & cessaret is motus, sine quo sublunaris hic mundus constare nequit, & imperfectæ forent illæ mentes, quarum finis est motus. Ita sanè Philosophus in 12. Metaph. lib. ratiocinabatur. At si veritatem quæras, possunt nimirum eæ à motu cessare atq. ab illis orbibus separari, & verò etiã separabuntur aliquando adsuntq. plurimæ, immò innumerabiles, eiusdem cum illis naturæ, quæ separatæ subsistunt nullumque corpus vertũt. Quòd si de Philosophi sententia disputetur, magis laborabunt ij, qui mentes illas formãtes cœlorum formas ponunt, aut intelligentem animã formam homini assistentem duntaxat, non formantem. Nobis verò, qui illas assistere & hanc formare dicimus, in promptu est respõdere, animam quidem nostram separari à corpore posse & per se subsistere, verè ex propria operatione cognosci: mentes autem cæteras, cùm non sint essentialiter vnitæ cœlis, sed per se separatæ subsistant atque extrinsecè solùm ad mouendum accedant, abstractè prorsus & absque cœlo operationem exercere suam, neque ex ea colligi posse separabiles eas esse, quoniam omni quaque sunt separatæ neque magis separari possunt. Cumque nulla sit illius operationis à motu dependentia, nihil inde licet de motu colligere: de sola essentia colligeretur, si ea daret esse cœlo, quemadmodum corporibus nostris dat anima nostra. Deinde cùm cœlum sit corpus incorruptibile, illarúmq. mentium cum eo Aristotelis calculo naturalis & necessaria vnio, dissolui ea nunquam põtest, propterea q. motum illum mẽtium finem esse putauit. At anima nostra naturaliter quidem corpori vnitur nostro, quandiúq. conseruatur corpus, ab illo nõ recedit: mortale tamen & caducum est corpus: quare si propriam ipsa operationẽ habeat subsistentemque naturam, post corporis interitum

De intelligentijs cælorum motricibus.

ipsa per se separata subsistet. Quippe mens quoque sine cœlo subsisteret, si corpus illud quoque caducum esset.

Cæterùm in eo audiendi hoc loco interpretes quidam Græci non sunt, præsertim Themistius & Philoponus, quòd animam dicant separabilem quidem esse ab hoc crasso & aspectabili corpore, at separari nunquam ab æthereo alio & fulgido. Vniuersè namque Aristoteles de omni corpore loquitur: atque si operatio eiusmodi est, vt absque vllius corporis vsu fiat ab anima, vt & à separatis omnino mentibus; consequens est substantiam quoque ab omni prorsus corpore separabilem esse.

Non temerè verò credideris non sine causa Philosophum secus in priori, quàm in posteriori, propositionis huius parte locutum esse. Si qua, inquit, est operatio animæ propria, fieri poterit vt separetur; at si nulla est, nequaquàm erit separabilis. Posterior pars absoluta est & certam sententiam continet: tum quia nullum aliud est separabilitatis argumentum: tum quia otiosum nihil natura patitur; otiosáque foret separata forma, quæ nullam habere operationem posset. At prior pars non ita est definita, sed magis dubia. Non enim absolutè ait separatum iri, sed fieri posse vt separetur: quoniam si propria operatio adsit, sufficiens est hæc separabilitatis argumentum, neque separata feriabitur. Sed modum non prouidens, quo tunc operetur, vitæve illius conditionem intelligens, affirmare omnino non est ausus. Quam tamen nobis proposuit, regula, vt Philoponus in proœmio loquebatur, communiter omnibus Philosophis placuit; & ijs, qui immortalem, & ijs, qui mortalem animam crediderunt. Omnino enim ex operationibus substantias iudicare oportet.

Aristotelis hac regula omnibus probata.

quàm rectum tangere puncto sphæram dicatur. Nam vt recto quatenus rectum est proprietas hæc attribuitur, etsi reipsa non tangat nisi in materia quapiam: sic operatio aut affectio tribuetur quidem animæ, sed eam nusquàm nisi in corpore habebit.

Hinc etiam planiùs intelligas quæ sit operatio propria, quæ communis. Propria namque operatio est, velut si rectum abstractum absque vlla materia tangeret; communis autem, cùm vbique cum materia concretum & implicatum tangit. Itaque oculi actionem Aristoteles propriam non diceret, qui operationem propriam appellat eam, quæ sine materia est.

Propria & communis operatio quæ.

Porrò planum rectum non nisi puncto tangere orbem, accuratè demonstrat Mathematicus in secũda propositione tertij elementi Euclidis. Si nãque pluribus punctis aut quantitate quapiam tangeret, posset ab vno puncto ad aliud linea duci; at hęc non extra, sed intra orbem caderet: nulla siquidem orbis pars coextenditur plano. Quod Geometricè, non naturaliter, verum esse ait Auerroës in com. 32. lib. 1. de cœlo, & Com. 8. lib. 3. Metaph. quippe si quantitates hæ per se & secundùm suam naturam considerentur, ea est illarum conditio: at si in corporibus naturalibus accipiantur, nullum est fortasse corpus tam exactè sphæricum, quod solo tangat puncto. quare de Mathematico, qui in separatis quantitatibus cogitatur, non de naturali contactu accipienda illa est propositio: est que Aristoteli familiare Mathematicis ad explicanda naturalia vti. Non ignoro quid Guillelmus Ocham in quod li. 1. quæst. 9. & Gregorius Ariminensis in 2. sent. lib. quæst. 2. contra peruulgatam illam & demonstratam propositionem scripserit: sed nihil est, quod sapientem Philosophum mouere debeat.

Planum rectum ponitur sphæram tangere.

TEXTVS.

Ἀλλὰ καθάπερ τῇ ὀρθῇ ἡ ὀξυ, πολλὰ συμβαίνει, οἷον ἅπτεσθαι τῆς χαλκῆς σφαίρας κατὰ στιγμὴν· ὑπὸ τοῦ δ' ἁπλῶς οὐθὲν πάσχειν χωριστὸν ἀνάγκη εἶναι· οὐθὲν γὰρ εἶδος ἄνευ ὕλης ὑπάρχει τοιοῦτον.

Sed vt recto quatenus rectum accidunt multa, velut puncto aneam sphæram tagere. Nec tamen hoc separatum tanget rectum. Inseparabile namque, siquidem semper cum corpore quopiam est.

COMMENTARIVS XXIV.

NVllam hæc aliam sententiam cõrinent, quàm explicationem quandam posterioris partis superioris propositionis; qua si nulla sit propria operatio, animam inquiebat separabilem non fore. Si enim ita habuerit, anima erit sicut rectum. Atque vt recto accidunt multa multæque proprietates conueniunt; quemadmodum puncto duntaxat tangere sphæram: hæc tamen non nisi in materia quapiam conueniunt illi, neque tangit separatam vllam sphæram, sed æneam aut ligneam, materiáve alia contentam: quippe sphæra ab omni materia separata nulla datur; nec vllum est rectum, planéve superficies vlla, nisi quæ corporis cuiusquam terminus est. Ita prorsus intelligendum erit habere animam, cuius nulla sit operatio propria: etsi inquam plures habeat operationes, pluresque affectiones; nusquàm tamen illi nisi in corpore conuenient. Neque secus animæ attribuentur,

TEXTVS.

Ἔοικε δὲ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πάντα εἶναι μετὰ σώματος, θυμός, πραότης, φόβος, ἔλεος, θάρσος ἔτι χαρὰ, καὶ τὸ φιλεῖν τε καὶ μισεῖν· ἅμα γὰρ τούτοις πάσχει τι τὸ σῶμα. μαρτύριον δὲ τούτου ἐνίοτε μὲν ὑπομενόντων οὐδὲν παροξύνεται καὶ φοβεῖται, ἐνίοτε δὲ καὶ μικρῶν καὶ ἀμυδρῶν κινούντων, ὅταν ὀργὰ τὸ σῶμα. καὶ ὅπως ἔχοντος ὡσαύτως ὅταν ὀργίζηταί τι τῶν μᾶλλον φανερόν· μηδενὸς γὰρ φοβεροῦ συμβαίνοντος, ὡς πὼς παρόντα γίγνονται πρὸς τὸ φοβερόν.

Videntur autem & animæ affectus omnes esse cum corpore, Ira, Mansuetudo, Timor, Misericordia, Audacia, adhuc Gaudium, & amare, & odisse. Etenim simul cum his patitur aliquid corpus. Argumento autem est, aliquando quidem à vehementibus ac manifestis affectibus accidentibus nihil irritari aut terreri. Interdum autem & à paruis & obscuris moueri, cùm turget corpus atque ita se habet vt cum irascitur. Præterea magis hoc perspicuum: quoniam nullo occurente terribili, in affectibus fiunt qui perterriti.

Textus.

COMMENTARIVS XXV.

IAm verò quoniam non constabat, num aliqua sit animæ propria operatio; ex manifestis progreditur: operationibúsq. omissis, in quibus dubitatio versabatur, affectus accipit irascentis & concupiscentis partis; in quibus corpus item perspicuum est cõmoueri. Quod tum ad quæstionem antea propositam pertinet, num omnes animi affectus cõmunes sint; tum ad id, quod mox subiunget

de modo animam definiēdi, Num inquam in eius definitione accipiendum sit corpus & materia. Si enim plerique omnes illius affectus materiales & corporei sunt, ipsam quoque animam maxima saltem ex parte necesse est eiusmodi esse; ideóq. cum materia & corpore definiendam.

Omnes igitur animæ affectus corpori quoque communes esse videntur, propterea quòd non solùm agit anima, sicque, Mansuetudinis, Timoris, Miserationis, Audaciæ, Gaudij, Amoris, & Odij, actum promit, sed & quidpiā patitur corpus, dum aut calescit & accenditur sanguis, aut refrigeratur, aut turgescit aut subsidet, aut ad exteriora effunditur, aut ad interiora contrahitur. Et per corpus, inquit Themistius, secretæ plerumque animæ cogitationes & affectus produntur. Nam & ruborem effundimus cùm efficimur verecundia, & pallescimus, dum timemus. Vitalis tamen passio est, non qualis inanimatorum: quoniam internum principium habet à cognitione & appetitu, & omnino ab affectu animę. Sanè actio vbique est formę, passio materiæ: quare si affectus animæ corporique communis sit, aget in eo anima, corpus patietur. *In affectibus agit anima, patitur corpus.* Nam etsi instrumenta plerisq. actionibus subministret, si tamen ferietur anima aut à corpore tollatur stolida sunt & mortua instrumēta omnia; nec agūt quidquam, nisi ab anima moueantur; illorumque omnium actio est moueri & agitari. Id in sensibus, incessu, nutritione, ac procreatione facilè animaduertas. Nam etsi in sensuum organis alia quædam sit passio, quæ forinsecùs ab obiectis sensilibus infertur: ea tamen aut non semper adest, aut nisi ab organo vt animatum est, interioríque animæ concursu suscipiatur, animata & vitalis passio non est, sed qualis ab eisdem obiectis in corpora quoque inanimata deriuatur. *In sensu qualis passio.* Quippe aër quoque illuminatur, & sonat, & repletur odoribus: & calescunt ac refrigerantur, humectantúrque & siccantur inanimata corpora. In irascentis porrò & concupiscentis partis affectibus maior est & magis multò manifesta hæc vitalis passio. Quippe & perspicuum est alterari corpus, & ab interiori animæ apprehensione atque appetitu immutari. Immò in cæteris actionem magis vigere dixeris, quàm passionem; at in affectibus hisce illustriorem passionem & corporis immutationem esse.

Propterea ex his potissimùm hoc loco ratiocinatur Philosophus: duplicíque vtitur argumento. Alterum est, quod aut de diuersis hominibus, aut de eodem temporibus diuersis considerato accipi potest. Quosdam enim homines videas vehementibus licet occurrentibus rebus, quæ affectum aut amoris & concupiscentiæ, aut iræ, aut terroris commouere possent, nullo tamen modo affici neque permoueri: alios autem vel re leuissima incitari. Et eundem item hominē nec à magnis interdū obiectis, interdū vel à minimis perturbari. Causa nimirum est alia atq. alia corporis temperatio; aut phlegmatica & frigida, aut cholerica & calida; & aut accensus sanguis & circa cor bulliens, aut gelidus & torpens, aut corpus multo semine turgidum, aut inanitis & exhaustis vasis; & cibi aliqui libidinem magis mouent, alij extinguant.

Alterum verò; quòd etsi nullum occurrat obiectum, quo anima cognito permoueatur, ob solam tamen corporis dispositionem & motum excitat affectus; corpore scilicet animam imitāte; perinde que dispositio atque cùm irascitur. Iratus namque, ait Auerroës, valdè facilè mouebitur ex re modica prouocante iram. Melancholici ob atræ bilis motum perterrentur persępè, perindéque afficiuntur ac si valdè terribile quidpiam ac formidandum occurrisset, cùm tamen occurrerit nihil. Et cùm fame, siti, morbóve vexamur, proniores ad iracundiā sumus, faciléque excandescimus. Nimirum quod ex corporis temperatione atque habitu pendet, solius animæ proprium nō est, sed commune cum corpore: in omnibus autem huiusmodi affectibus plurimùm potest corporis temperatio. Immò plus Themistij iudicio, quàm sensuum organa in sentiendo. Hæc enim minùs benè affecta sensuum functionem impediunt: at mala corporis temperatio affectum non impedit, sed permouet potiùs & acuit. Inde animi mores corporis temperaturā sequi Galenus scripsit. Quamquam non negauero, tum materiæ, tum instrumenti vim in affectibus hisce habere corpus. Certam enim sedem certamque temperationem poscunt. Materiæ inquam, vt immutatur, Instrumenti, vt eo vtitur anima in agendo. Sed verè contra argumentatur Philoponus *Separabilitatis animæ argumentum.* si propterea quod eiusmodi affectus ex corporis temperamēto pendent illudque sequuntur, corpoream atque inseparabilem animam esse concludas, igitur si temperamētum non sequatur, licebit quoquæ concludere incorpoream & seperabilem eam esse. At permulti sunt, qui corpore prauè affecti affectum illius nō sequūtur, sed repugnāt rationes frænant & cohibent, immò & fastidiunt corpus & affligunt. Quod omnino non facerent, nisi incorporea & seperabilis esset anima nostra. Nihil enim despicere illud potest aut affligere ac demoliri, ex quo ipsius conseruatio pendet: quippe sibi ipsi interitum procuraret: quin salutem illius & cōseruationem vbique vult. Ergo rudes, idiotæ, & imprudentes homines, qui non ratione sed sensu pecudū more viuunt, corporis temperationem & affectus sequuntur: at illi non item qui philosophię præceptis imbuti ratione ac prudentia ducuntur vt homines. In illis affectuū tum ortus tum exitus à corpore est: at in his aut à ratione corpus licet torpēs, vbi pro honestate opus est, excitante oriuntur, aut certè si corporis motus præueniat rationem, in eā definunt ratione scilicet motum cohibente. *Affectus prudentis viri & imprudentis vt habeāt.*

Hæc vero Aristoteles hoc loco prætermisit, quoniam id solùm agebat, vt affectus hosce cum corpore communes esse ostenderet: quæ si addidisset, credidisset fortasse quispiam ab animo potiùs illos quàm à corpore, pendere. Qui tamen hoc Philosophi loco ad mortalitatem concludendam abutuntur, duobus modis peccāt. Primùm, quòd dùm de affectibus duntaxat, non de omni operatione Philosophus loquitur (de vniuerso quippe operationum genere iam dixit, aliquam fortasse propriam esse posse; & intelligere videri esse proprium) generale ipsi argumentum proponunt, nullam omnino sine corpore esse. Deinde quòd non vident illud ipsum, quod de affectibus dicitur, posse immortalitatis argumentum fieri, si prudentem hominem animaduertant affectibus dominari eosque ratione temperare ac vincere.

TEXTVS.

Εἰ δ' οὕτως ἔχει. φλογὸς μὲν οὖν καὶ τοῦ πάθη λόγοι ὕλαι εἰσὶν, ὥστε εἴ τι ὅροι τούτων τινὶ. οἷον τοῦ ὀργίζεσθαι· κίνησίς τις τοῦ τοιοῦδὶ σώματος, ἢ μέρους, ἢ δυνάμεως ὑπὸ τοῦδε ἕνεκα τοῦδε· καὶ δεῖ· ταύτῃ ἤδη φυσικοῦ τὸ θεωρῆσαι περὶ ψυχῆς, ἢ πάσης, ἢ τῆς τοιαύτης.

Text. 15. *Si verò ita habet, perspicuum quòd & affectus rationes materiales sunt: quare definitiones tales. Velut Irascibilis motus quidam talis corporis aut partis aut facultatis, ab hoc, huius gratia. Et propter hæc iam naturalis contemplari de anima, aut omni, aut tali.*

COMMENTARIVS XXVI.

PErpaucis verbis tria ex superiori probatione colligit. Si enim verè probatum est affectus animæ proprios non esse, sed cum corpore cõmunes; primùm consequens est eos rationes materiales esse: quippe corpus materiale est, quodque corporeum est, materiale nimirum est. Siue autem rationem cum Philopono interpreteris formam, siue cum Simplicio vitalem actionem; perinde fuerit. Eadem namq. sententia constabit; siue affectus dixeris materiales esse accidentarias formas, siue materiales actiones, λόγος tamen, si acutè loqui volueris, formam potiùs, notionem, essentiam, & naturam, quę definitione comprehenditur, significabit tibi. Nam Philosophus essentiæ definitionem adiungit, dum alterum illud deducit (quare definitiones tales) hoc est cum materia. Si enim definitio vbiq. talis esse debet, qualis est res, quæ definitur; si affectus materiales sunt & corporei, cum materia & corpore definire illos oportebit. Iræ adfert exemplum, quam omnibus causis commemoratis definit. Motus quidam est tanquàm generalis forma & affectibus omnibus communis. Siquidē materiales & corporeæ immutationes sunt omnes; motusq. omnis materialis est & in corpore quopiam consideratur. Addidit autem (quidam) vt vitalem motũ indicaret: alioqui motus absolutè pronuntiatus nimis iã latè ad inanimata quoque patebat. Aut motum absolutè posuit tanquam genus: motum tamen non quẽuis, sed vitalem intelligens, quoniã de huiusmodi solùm, qui affectibus inest, loquebatur. Et (quidam) velut differẽtiam adiunxit, vt feruorem & ebullitionem sanguinis irę prõpriam indicaret. Deinde adiunxit (talis corporis aut partis) velut materiam materialemve causam. Quam vel ita accipias; quia non quoduis corpus permouetur Ira, sed quod organicum est & viuẽs, atque adeò sensus & appetitionis particeps. Neq. totum huiusmodi corpus, quemadmodum in aliis quibusdam totum fortasse accipiendum erit, vt si tactum definias aut aliquid aliud, quod totius affectio sit. Sed pars illius quædam, nẽpe cor, quod in hoc affectu præcipuè permouetur. Vel potiùs tale corpus sanguinem dixit, qui accenditur & feruet: & partem cor, in quo maximè feruor is excitatur. Sic enim ipsemet paulò post interpretabitur, cùm iram definiet feruorem sanguinis aut calidi circa cor. Vbi verò addit (aut facultatis) efficiẽtem ostendit causam: siue illam interpreteris animæ appetitum irascentémq. virtutem; siue caloré cordę contentum & accẽdentem sanguinem. Ab hoc, mouentem & excitantem causam velut obiectum iræ significat; Iniuriã scilicet, qua quis affectus est, vel iniuriosum obiectũ. Propterea enim irascitur & commouetur appetitus sanguisque accenditur, quoniam iniuria affectus est. Denique (huius gratia) finalem causam indicat, vt vltiatam sibi vlciscatur iniuriam. Quare si ex his omnibus absolutam irę definitionem colligas, iram dices esse in viuente ac sentiente corpore intrinsecùs excitatum motum sanguinis in corde feruẽtis, ob appetitum vindictæ iniuriæ illatæ. quam definitionem cum materia esse constat.

Tandem quoniam qualis est operatio, talem oportet substantiam esse, ex affectibus tãquam operationibus ad animam velut principium & causam progrederis; ad naturalem Philosophum colligit pertinere agere de anima aut omni aut tali. Propterea verò ita locutus est, quoniam incertam ac dubiam in superioribus quæstionem illam reliquit, num aliqua sit animæ operatio propria. Si enim nulla sit propria, sed omnes cum corpore materiaque communes agendum illi erit de omni anima; quia omnis erit materialis & corporea, quique materiam & corpus considerat, animam quoque materialem & corpoream formam considerabit. Sin autem aliqua sit operatio solius animæ propria, anima nimirum illa nullam habebit cum materia corpore vè comercium: quare nec ad naturalem pertinebit, cuius omnis consideratio est cum materia. Et omnino in text. 2. lib. 6. Metaph. & cap. 1. lib. 1. de part. anim. illius esse dixit agere de omni anima quæcunque non sine materia. Et vniuersè magis in text. 12. 19. & 26. lib. 2. Physic. naturalem formarum cõsiderationem omnem ad materiam contraxit: & tex. 83. lib. 1. eiusdem operis mortales tantùm & caducas formas complecti. Egimus hac de re satis in generali totius operis præfatione, intelligentémque animam quoque vt est essentialis forma materiæ, sic naturali consideratione contineri ostendimus. Vt iam non sit opus in his diutiùs immorari.

Philoponum tantùm admonebimus de essentia hîc sermonem esse; dum ex materiali operatione colligitur essentiam quoque animæ, quæ cum materia sit, considerandam esse. Ideóque minùs benè illum interpretari naturalem tum de tali tum etiam de omni anima agere, dum immateriales quoque & cœlestes quatenus naturalium causæ sun, tcõsiderat. Nam vt Philosophum mittam non coniungendo, sed diuidendo membrúmq. membro opponendo loqui, neque dicere (de tali & de omni) sed contrà potiùs (de omni aut tali) cœlestium animarum naturam & essentiam non considerat naturalis, sed solùm quòd sint, & illorum corporum motrices sint: neque de illis, sed de mortalium duntaxat animabus tractationem in hisce libris instituit: deque harum operationibus & affectibus loquebatur, dum hanc propositionem deduxit, Naturali aut de omni aut de tali anima agendum esse.

Διαφερόντως δὲ αὖ εἴσεται ὁ φυσικὸς πῶς ἑκάστου αὐτῶν· οἷον ὀργὴ τί ἐστι· ὁ μὲν γὰρ ἐρεῖ ἀπόπτησιν ἢ τοιοῦτόν, ὁ δὲ, ζέσιν τοῦ περικαρδίου αἵματος, ἢ ἄλλο· τούτων δὲ ὁ μὲν τὴν ὕλην ἀποδίδωσιν, ὁ δὲ τὸ εἶδος καὶ τὸν λόγον.

Diuerso autem modo definiet naturalis & Dialecticus horum vnumquodque velut Ira quid est. Hic enim appetitum vindictæ aut eiusmodi quidpiam: ille verò feruorem sanguinis aut calidi circa cor. Horum autem hic quidem materiam reddit, ille verò formam & rationem. Text. 15.

COM-

COMMENTARIVS XXVII.

QVæ duo postremò dixit; animæ affectus cum materia definiendos esse; naturalémque Philosophum aut de omni anima, aut de ea, quæ cum materia sit, debere agere; occasionem tantisper digrediendi dederunt (hæc quippe per digressionem fuisse dicta, fatebitur ipsemet in tex. 18.) dum plures ac differentes definiendi modos proponeret; quisq. naturalis philosophi proprius sit ac naturalibus rebus & verò animæ accommodatus exigeret. Quod eo maximè consilio factum est, vt cũ posuisset quemadmodum animæ substantiam naturalis consideraret, nempe vt est in materia atq. à corpore inseparabilis; conuenientem quoque definiendi modum adiungeret. Vnum quodq. enim vt est, ita intelligi ac definiri debet. Quare si cum materia quoque definire naturalem oportet. Sanè ita definiendos affectus esse iam dixerat: neq. nũc aliud agit, quàm vt id magis explanet, differẽtiam naturalis ac Dialecticæ definitionis ostendens.

Dialectica definitio qualis.

Dialecticus namque dum nõ scientiariam & exactã rerũ cognitionẽ quærit; neque rerũ essentiam sibi docendã proponit rerũve naturã imitatur; sed ad ostentationem & iactantiam probabili de omnibus disputatione studium omne suum conferens, superficiaria quauis contentus; etsi rem cum materia coniunctam definiendam accipiat cum definitionis problema tractat, per solam tamen formam definit: quæ definitio superficiariam cognitionem adfert, non totius rei vt est. Non enim est sola & pura forma, sed forma in materia, & cum materia permista. Neque quod est inseparabile, definiendum est vt separabile. Cur autem ita definiat Dialecticus, causa est; quia formam accipit, non vt constituit definitæ rei naturam, sed vt quidpiam est, quod declarandi vim habet. Quemadmodum si iram (in eodem siquidem proposito iam exemplo persistit Philosophus) dixeris vlciscẽdi appetitionem esse aut eiusmodi quidpiam, quod per se absque materia vlla vel subiecto consideretur. Hoc enim aliquid sanè est, quod ad iram pertineat, sed integra iræ natura nõ est: quàm motum item quendam talis corporis aut partis aut facultatis significare in superiori oratione posuit. Quis autem motus ille sit nunc apertè dicit; feruorem esse inquiens sanguinis aut calidi circa cor. Est inquam motus feruoris; talis corporis, hoc est sanguinis, talis partis, hoc est cordis, talis facultatis, hoc est caloris. Calor quippe sanguinẽ in corde feruere facit. Itaq. vbi Dialecticus formam proposuit, materiã naturalis adiungit. Cùm enim naturalis per materiam dicitur definire, intelligendũ non est (vt sapienter adnotauit Simplicius statimq. adiunget Philosophus) solam cum materiam definiendo commemorare, sed materiam potiùs formæ à Dialectico commemoratæ adiungere: vt ita exactam illius rei cognitionẽ adferat, quæ formam habet in materia atque inseparabilem formam vt inseparabilem definiat. Quare per materiã potissimùm definire illum Philosophus dixit, vt quare à Dialectio differat ostenderet; quod alter solam formam sine materia, alter materiam quoq. adsciscit. Qui si solam materiam diceret, nihil proprium, sed cõmune duntaxat & incertum diceret.

Naturalis definitio qualis.

Vt Dialectica per formam definiat.

Quamquam Dialecticum inquiens definire per formam, non dixit μορφὴν sed εἶδος καὶ λόγον: non formam propriè dictam, quæ alteram rei partem significat, actum & perfectionem materiæ; quoniam hæc ad aliquid est neque accipi posset vt est forma, quin materia simul acciperetur, vt ex tex. 26. lib. 2. Physic. intelliges. quare nec Dialecticus iram dicens vltionis appetitionem esse, appetitionem hanc accipit vt est causa accensionis sanguinis circa cor. Siquidem causa quoq. est ad effectũ, eáq. definitio materiam item inuolueret, esseturque naturalis non dialectica. Verùm εἶδος καὶ λόγον, hoc est speciem potiùs & rationem; velut vniuersale quoddam attributum per se est absolutè acceptum vt res quædam est, ordine ad materiam vel effectum. Quo magis vana est & superficiaria cognitio ac definitio: quia cùm abstrahat à causa, communis nimis est, neque demonstrationis, quæ rei per causam cognitionem pariat, medium esse potest. Naturalis nec per solam formam, nec per solam materiam definit: quoniam vtramque hanc, vt forma & materia vicissimque causæ sunt & ideò cum relatione, considerat, eiusque definitio perfecta est, scientiaria, & aptum demonstrationis medium.

Mathematica definitio qualis.

Quid verò Mathematicus? sanè is dum abstrahit à materia abstrahit item ab ea, quæ forma propriè forma nominetur: quippe hæ ad aliquid sunt, neq. vbi materia non est, forma esse potest. Quare nec per materiam nec per formam eum dixeris definire; nisi similitudine quadam, dum similitudinariam quandam tum materiam tum formam considerat: materiam inquam intellectilem, & conuenientem illi formam, magnitudinem & numerum, figuraſque & proportiones illorum.

Cæterùm quod Philosophus feruorem sanguinis circa cor velut materiam esse ait, appetitionem autem vltionis velut formam, duobus modis interpretari licet. Primùm quidem quoniam sanguis in corde feruens materiale quidpiam est; quod ab vltionis appetitione accenditur: illud consideratur in corpore, quod est vt materia; hoc in anima, quæ est forma. Deinde verò quia cum feruoris sanguinis in corde plures possint esse causæ; cibus & potus, febris, vehementior æstus, immoderata corporis exercitatio, vltionisque cupiditas; illud velut commune quidpiam est & genus, quod materiam refert; hoc peculiare & proprium, quod formæ communitatem illam contrahentis ac determinantis vim habet & vt differentia in definitione accipitur: Eadémque vltionis cupiditas tum feruoris causa est, tum ipsius iræ velut forma.

TEXTVS.

ὁ μὲν γὰρ λόγος, ὁ δὲ τοῦ πρᾶγματος· ἀνάγκη δὴ τοῦτον ἐν ὕλῃ τοιᾳδί, εἰ ἔσται.

Hæc enim ratio, quæ rei. Necesse autem esse hanc in materia tali, si erit.

COMMENTARIVS XXVIII.

MAgnopere vereor, ne prima huius cõtextus verba secus legenda sint quàm Philoponus & apud Simplicium Plutarchus legerit. Illi enim sub distinguẽdam orationem & membrum membro opponendum esse voluerunt, atque ita legendum (Hæc enim ratio, illa verò rei) hac sententia; hæc quidẽ definitio, quæ Dialectici est, rationẽ & formam continet; illa verò, quæ naturalis, rem, hoc est substantiam & materiam. At non erat opus id ipsum repetere, quod iam dixerat (horum autem hic quidem materiam reddit, ille verò formã & rationem. Satius est absque membrorum distin-

ctione oppositionéve interpretati, exponi id, quod Dialecticũ dixerat formã & rationem reddere. Etenim hæc est ratio, quæ rei; hoc est vltionis appetitio, quàm is iram esse definit, ratio est & forma parsve formalis iræ & velut differẽtia. At quoniam rationem hanc & formam nusquã separatam reperias; sed necesse est si futura vspiam sit, esse in materia tali; hoc est feruente sanguine; superficiaria omnino, imperfecta, & inanis ea est definitio; exacta verò & perfecta illa, in qua naturalis materiã quoq. accipit. Quoniã talis est, qualis res ea, quæ definitur. Mathematicæ definitiones nõ ita inanes iudicãtur, vt Dialecticæ; etsi Mathematicus quoq. sine materia naturali definiat, in qua res ab eo definitæ existunt. Quoniam sensilia non pèrsequitur & ab ea is materia abstrahit, neq. cum ea cõsiderat, sed solùm cũ intellectili materia. Quocirca sine naturali & sensili materia cum intellectili sola definiens, optimè & cõuenienter rebus ab eo consideratis definit: ideóq. Mathematica magis abstracta esse dicũtur, quàm naturalia. At Dialecticus res naturales, quæ cũ materia sunt, definiẽdas accipiẽs & absq. materia definiẽs, inaniter agit; quia naturæ illarũ & conditioni non conuenienter definit, neque in rebus quidpiam eiusmodi reperitur, quale ab eo proponitur.

A

B

TEXTVS.

C

ὡσαύτως δὴ οἰκίας ὁ μὲν λογὸς πεῖπε αἰ ἔη, ὅτι σκέπασμα κωλυτικὸν φθορᾶς, οἱ δ' αὐτέμιον, ἢ ὀμβρίων, ἢ καυμάτων· ὁ δὲ φύσει λίθος ἢ πλίνθος ἢ ξύλα· ἕτερος οἱ ἐν τυτοις τὸ εἶδος, ἕνεκα τωνδέ τίς ἢν ὁ φυσικὸς τῶτων, πότερον ὁ περὶ τὰ ὕλα, μόνον ἢ καὶ τὸν λόγον ἀγνοῶν, ἢ ὁ περὶ τὸν λόγον μόνον, ἢ μᾶλλον ὁ ἀμφοῖν.

Velut domus hac quidem ratio talis fuerit, quod tegumentum interitum arcens, à ventis, & imbribus, & calor. bus. Altera autem dicet lapides, & lateres, & ligna. Alia verò in his formam propter hæc. Quænam igitur harum naturalis? Num ea, quæ circa materiam, rationem autem ingnorans? an quæ circa rationem solam? an potiùs quæ ex vtrisque?

Triplex vnius rei definitio.

D

COMMENTARIVS XXIX.

IAm verò quoniam familiare vbique ferè Philosopho fuit ex arte velut pedissęca & æmula illustriorem ac planiorem naturã facere, præter naturale exẽplum Iræ alterũ subiũgit ex artibus. Estq. exẽplum domus; quam tribus modis definias. Primùm per formam; domum inquiens tegumẽtum esse ad arcendas ventorũ, imbrium, & calorum iniurias, quæ deferre nobis interitum possent. Deinde per materiam; domũ esse lapides, lateres, ligna, & cæmẽta. Deniq. per formam simul & materiam, adiuncta etiam finali causa, quam vbiq. tũ ars tum natura spectant; Domus est tegumentum ex lapidibus, lateribus, lignis, & cæmentis cõfectum ad externas arcendas iniurias. Sic enim pulchrè triplex definitionis genus distinguens, apertiùs exponit in arte, quòd Iræ naturali exẽplo dicere aggress⁹ erat.

E

Verba autem illa (alia autem in his formam propter hoc) tertium genus indicant; quod in his, hoc est in lapidibus, lateribus, & lignis, velut materia, tegumentum addit velut formam. In artificiatis namq. figura externa est vt in naturalibus forma; & in domo compositio illa & structura ad tegẽdum comparata: atque ad arcendas iniurias, tanquam finem. Quocirca cùm in prima definitione formam & finem cõfudisse videtur; dum in definitione per formam data tum tegumentum tum iniuriarũ propulsationem coniunxit; manifestè hîc voluit separare, tum formam dicens, tum propter hæc; quod finalem causam significat. Præter quas addendam omnino esse materiam vt perfecta sit definitio, hoc argumento deducit Philoponus; quoniam alioqui spelunca quoque & tentorium, quæ & tegũt & iniurias propulsant, domus appellari possent.

Hoc verò triplici definitionis genere proposito, Philosophus dubitat, quódnam eorum sit naturalis maximè proprium. Respondétque illud esse, quod materia simul & forma constat. Hanc enim vim habent illa verba (an potiùs quæ ex vtrisque?) quæ & simul tertium dubitationis membrum, & addito (potiùs) responsionem continẽt. Hæcque perfectissima est definitio, quæ rei naturæ vt est in se respõdet optimè. At cùm tria in definitione naturali posuisset, materiam, formam, & finalem causam, cur duo nunc tãtùm commemorat, materiam & formam, aitque (quæ ex vtrisque. An quia finis & forma in vnam plerumq. rem cõueniunt? Vt est in 2. Physic. lib. tex. 70. & hoc loco respondet Philoponus. Siquidem & Iræ forma finis est irati hominis, & forma domus finis generationis domus. An verò vt antea etiam fecit, Dialecticum inquiẽs per formam, & naturalem per materiam definire; solam commemorauit materiam, tanquam id, quo naturalis definitio à Dialectica separatur? Finalem quippe causam Dialectico quoque communem fecit, cùm domum per formam definiens tegumentum esse dixit ad arcendas iniurias interitúmque propulsandum.

TEXTVS.

Ἐκείνων δὲ δὴ τίς ἑκάτερος, ἢ οὐκ ἔστι τίς ὁ περὶ τὰ παθητὰς ὕλης τὰ μὴ χωριστὰ, μόνῃ ἢ χωριστὰ δὴ ὁ φυσικὸς περὶ ἁπάντ', ὅσα τοιαῦτ' σώματος, ἢ τῆς τοιαύτης ὕλης ἔργα ἢ παθη. ὁπόσα δὲ μὴ τοιαῦτα, ὁμῶς, ἢ περὶ τινα μόνην πραίτης ἐκείνου τὴν χωριστὴν οἷον τίκτων, ἢ ἰατρός, τὴ δὲ μὴ τοιὰ τῶ σώματος παθητὴ ἢ ἐξ ἀφαιρέσεως, ὁ μαθηματικὸς, ἢ δὲ κεχωρισμένα, ὁ πρῶτος φιλόσοφος.

Illarum autem quæ vtraque? An non est aliquis, qui circa affectus materiæ non separabiles, neque vt separabiles? Sed naturalis circa omnes, quotquot talis corporis & talis materiæ actiones & affectus? Quotquot autem non quatenus tales, alius? Et circa aliquas quidem Artifex, si fuerit, vt faber aut Medicus. Non separabilium verò quidem, quatenus autem non talis corporis affectus & ex abstractione, Mathematicus? Quatenus autem separatæ, primus Philosophus?

Tertij

COMMENTARIVS XXX.

TRiplici definitionum distincto genere, vno per solam formam altero per solam materiam; tertio tum per formam tum per materiam; tertium hoc naturalis Philosophi proprium esse dixit, qui formas cum materia considerat. Iam de reliquis quærit, cuiusnam ea sint Ac primùm quidem illo genere, quod solam accipit formam earum rerũ, quę in materia sunt neq. vt separabiles considerantur; nulla, inquit, scientia vtitur. Solus est Dialecticus disputator; quem leuiter res attingere, neque ad scientiam, sed ad ostentationem per solam formam definire iam diximus. Illud autem (neq. vt separabiles) additum est propter Mathematicum, qui formas quidẽ re ipsa inseparabiles, aut vt ratione separabiles sunt, in phantasia, nõ in materia, contẽplatur. Is enim de inseparabilibus formis vt inseparables sunt & natura-

les disputans, eas definit vt separabiles; hoc est sine materiæ cõmemoratione. Quod scientiarum non est: quippe scientiæ omnes vt res considerant, ita definiunt: quia rerum naturas imitantur earumque exactam cognitionem quærunt.

De altero genere, quod sola constat materia, nihil sanè apertè respondet: Sed naturalis illud esse iam dixerat, dum naturalem definitionem hoc nomine à Dialectica separauit; quòd hæc formã reddat, illa materiam. Verùm si solã reddat materiam neque meminerit formæ, imperfecta nimirum est & manca: quippe forma semper in definitione, vt Themistius loquitur, principem locũ tenet. Ideóque deterior hæc definitio fuerit, quàm si sola proponeretur forma: & minus omnino quid sit domus exponitur, si domum dicas lapides esse, lateres, & ligna; quàm si ad arcẽdas iniurias tegumentum esse dicas. Forma namque præcipuè cuiusque rei naturam constituit & significat.

Scientiarũ distinctio, ex abstractionibus.

Hinc tamen Philosophus occasionem arripit ex abstractionibus scientias distinguendi. Minima omnium abstractio scientijsque planè omnibus necessaria, à rebus est singulis duntaxat materiáve singulari. quoniam res singulæ, vt caducæ sunt & fluxæ, neque firmitatem vllam & constantiam habent, sic nulla scientia comprehendi possunt, sed contemnuntur ab omnibus. Hæc naturalis Philosophi abstractio est: qui ab hac quidem & illa singulari materia, hacque & illa operatione aut affectione considerationem auocat suam; vniuersam tamen materiam retinet, & quidquid siue de naturis, siue de actionibus, proprietatibus & affectibus rerum contemplatur, cum materia & per ordinem ad materiam contemplatur. Itaque quod ait (talis corporis & talis materiæ) non quasi de singulis intelligendum est; sed de genere vniuerso illius materiæ naturalis & sensilis, qua res in natura vel arte constant, & sine qua definire Dialecticus dicebatur. Vt si de ira sit sermo, tale corpus fuerit sanguis vniuersè nominatus; si de domo talis materia erit vniuersum lapidum, laterum, & lignorum genus: Eodemque in cæteris modo naturalis Philosophi semper est considerare materiam & cum materia; tum re, tum ratione.

Altera paulo maior abstractio est ab vniuersa etiam materia naturali & sensili, at ratione duntaxat, non re. Hæc Mathematici est: qui ea quidem considerat, quę in materia sunt neque ab ea separari re ipsa possunt: rationis tamen vtitur separatione, mentéq. (vt cum Philosopho dicam) deprædatus ea, quæ sunt materiæ; omnibusque circunciss, vt est in 11. Metaph. lib. cap. 3. quantum solum & continuum relinquit; eáque contemplatur per se, non quatenus talis corporis affectiones & accidẽtia sunt. Quantitatem enim accipit, quæ nusquàm sanè nisi in naturali ac materiali corpore sensili reperitur; neq. per se ab eo separata cohærere vspiam potest: at non considerat eam velut illius corporis affectionem (hoc enim naturalis Philosophi est) sed per se, vt aliarum quarũdam proprietatum existit ipsa subiectum. Ita abstrahere dicitur à sensili, non ab intellectili materia; dum quãtitatem à sensili corpore separatam mentéq. comprehẽsam velut plurimarum proprietatum subiectum accipit. Propterea in tex. 6. lib. 3. de Cœlo, Mathematicam scripsit Aristoteles ex ablatione, naturalia ex adiectione dici: quoniam illa separata à materia; hæc cum materia complicata intelliguntur.

Tertia & suprema abstractio est rationis & rei; ab omni materia tum sensili tum intellectili. Hæc primus Philosophus vtitur; qui non iam separabiles, sed re ipsa separatas ab omni materia formas persequitur.

Naturali tamen considerationi tum materia; quampiam aliam illi similem & cognatam interponit Philosophus. Cùm igitur naturalem Philosophũ dixisset circa materiales affectiones vt eiusmodi corporis & materiæ affectiones sunt versari; quotquot, inquit, non quatenus tales, alius. Alium autem, qui circa res materiales, non quatenus cum materia sunt, versetur, duobus modis interpretari licet: aut ad antecedentia respiciendo, aut ad subsequentia. Si ad antecedẽtia cum Simplicio respicias, Dialecticum intelligas, quem iam per solam formã sine materia dixerat definire. Sed satius fuerit subsequentia respicere. Et Philoponus quidem artificem intellexit. Sed mihi videtur tres alios subiungere, qui de materialibus secus tractent, quàm naturalis. Quorum primus est artifex; qui non omnia, sed quædam suæ artis & operi efficiendo accommodata tractat (meliùs enim ita exponimus illud circa aliquas) quàm Simplicius circa accidẽtia formalve accidẽtarias solũ. Nãq. naturalis quoq. accidẽtia cõsiderat; immò & Mathematicꝰ nõ quatenus naturalia sunt & materiam ac formam interna motus principia habent, sed quatenus ab extrinseco principio moueri queunt. Duplexque artium genus significat, vt subobscurè Themistius admoner. Quarum aliæ materiam exornant, formam inducendo quampiam: vt faber, qui in lapidum, laterum, & lignorum materiam domus formam inducit. Aliæ defectum & inualentiam corriguntvt medicus, qui humani corporis sanitatem & incolumitatem procurat, neq. illud vt naturale est considerat, sed vt artis suæ præceptis ac remedijs iuuari & conseruari potest. Alter est Mathematicus, qui materialium corporum affectiones cõsiderat, non vt eorum affectiones sunt, sed mentis abstractione vtens easque seorsim accipiens. Tertius primus Philosophus, qui non immaterialia modo entia separatâsq. penitus formas; verùm etiam in materialibus ipsis & corporis, de quibus naturalis agit, abstractam entis rationem perpendit: eáq. cognoscit non vt naturalia sunt, neque vt materiam & formam velut naturas habent; sed vt species quædam entis sunt materiâque & forma tanquam principiis & partibus entis materialis constant. Quippe vt est in text. 2. lib. 4. Metaph. scientia, quæ agit de ente, de speciebus quoq. entis & specierum speciebus agere debet: vniuersè nimirum & quoad communes entis, substantiæ, quiditatis & similium notiones, quæ in rebus omnibus ita continentur, vt peculiaris tamen & propria illarum notio, qua tales sunt, ad scientias alias pertineat.

Tres alios præter naturalẽ de materialibus agere.

Duplex artiũ genus.

Digressio III. *scientiæ plures ex natura rei distingui.*

Quod si Antonius Bernardus intellexisset, non affirmasset in lib. 13. illius operis, quod de singularis certaminis euersionis promulgauit, vnicam esse, si rerũ naturam spectes, omniũ entium scientiam; etsi ob doctrinæ commoditatem tres distinguãtur. Scientiã enim vnã eam esse definiuit Philosophus in tex. 25. & 43. lib. 1. de posteriori Analysi, quæ vnius est obiecti sub vna formali ratione cõsiderati, quod neq. species sit, neq. principiũ, aut proprietas obiecti alterius scientiæ: sed suas per se

ſpecies, partes, principia, & proprietates habeat, quæ ſub eadem formali ratione tractentur. Ideóq. in text. 20. cauet, ne de genere in genus déque vna in aliam ſciétiam trãſeamus. Et in tex. 23. 24. & 28. quædam ponit eſſe propria ſingularum ſciétiarum principia, quædam omnium communia: neque interrogationem omnem, reſponſionem aut diſputationem cuiuſuis eſſe ſcientiæ, ſed ſingulas ſingularum proprias. Et omnino vbique ſciétiarum vnitatem ac diſtinctionem ex obiectis, principiis, & demonſtrationibus petens, nimirum ex natura rei, non ex commoditate petit. Hinc in 6. Metaph. lib. cap. 1. & lib. 11, ſumma 3. cap. 1. Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicam, ex obiectorum diuerſitate, alióq. & alio definiendi & conſiderandi modo diſtinguit: & illud; Si non fuerit aliqua alia ſubſtantia præter eas, quæ natura conſtant, ne prima ſcientia erit naturalis. Et ſi quæ fuerit ſubſtantia immobilis, illa erit prior, & illius ſcientia erit prima Philoſophia. Et in 3. lib. de Anima tex. 38. ſcientiæ diuiduntur vt res. Rerum autem quædam ita eſſentiam habent in materia, vt ſine illa nec eſſe nec definiri nec cognoſci poſſint: aliæ in materia quidem exiſtunt, abſque materia tamen & cognoſcũtur & definiũtur: aliæ demum nec materiã habent nec ordinem ad illam eſſentialẽ ſignificãt. Triaq. ſũt ex natura rei obiecta diuerſa, totidemq. abſtrahendi, definiendi, ac demõſtrandi formæ. Primum rerum genus comprehendit mẽs noſtra cum ſenſu, alterum cum phantaſia. Tertium vt eſt immaterialis prorſus natura.

Hoc quidẽ certè loco tum ex triplici abſtractione diuerſa, tum ex obiecto triplici, triplicique definiendi modo, diſtinctionẽ facit. Sed abſtractio extrinſeca eſt, nec ſignificat quidquam, quod in obiecto cõſideretur: verùm ratio quædam eſt & conditio, ſub qua conſiderẽtur & cognoſcãtur omnia; potiuſq. ad intellectum, quam ad obiectũ pertinet. Et Mathematicæ omnes diſciplinæ abſtractione vtũtur eadẽ: Et moralis item ſciẽtia eandẽ, quã naturalis, abſtractionẽ habet: quæ tamen diuerſæ ſcientiæ ſunt; magiſque à naturali moralis differt, quàm mathematicę; cũ illa practica ſit, hęc theoretica. Intrinſeca verò, formalis ratio, quę in quoq. obiecto conſideratur. Inde vt eſſentiam, ſic vnitatem accipit ſcientia: & verò definiendi ac demonſtrandi modum; definitioq. quæ demõſtrandi principium eſt, ex cuiuſq. rei eſſentia petitur. Ita in 4. Metaph. lib. text. 1. quædam eſſe dicitur generalis ſcientia à particularibus diuerſa, quæ conſiderat ens vt ens eſt (hæc nimirũ eſt formalis ratio, quæ in obiecto cõſideratur) reliquæ autem ſcientiæ illius aliquam ſibi partem abſcindunt, velut materiale obiectum; cui aliam quandam rationem formalem addentes à generali illa cõſideratione diſtinguãtur. At quoniam ens ſynonymũ non eſt; ne quis crederet nullam de eo ſcientiã eſſe poſſe; oſtẽdit in text. 2. neq. omnino homonymũ eſſe, ſed ex eorũ genere, quæ ad vnum dicuntur; de quibus ſcientia eſſe poteſt. Indeq. conficit, generalis illius ſciẽtiæ eſſe de omnibus entibus agere vt entia ſunt: maximè tamen de ſubſtantia, quæ maximè & primùm ens eſt. Agit igitur tum de ente vniuerſo, dum entis proprietates ac generales diuiſiones perſequitur tum de ſpeciebus entis, de ente materiali & immateriali, déq. ſubſtantia & accidente: tũ de ſpeciebus ſpecierum entis, vbi entis immaterialis ſpecies, ſeparatas mẽtes; entiſque materialis, categorias decem contemplatur. Quæ tota conſideratio etſi ratione & re à materia non ſit abſtracta; propterea tamen hæc ſciẽtia ciuſmodi abſtractione dicitur vti; vel quod vniuerſa hæc entis ratio, quam perſequitur, etſi in quibuſdam ſeparata non ſit, in aliis tamen cernitur ſeparata; eſtque ad vtrumque indifferens: vel quòd præcipua & optima illius pars ſubſtantiæ ſunt re ipſa materiæ omnis expertes, ſeparatæ inquã mentes. Nã ſi hanc ob cauſam Theologia vocatur, prima Philoſophia, ſapientia, diuinaq. ſcientia; quid ni etiam propter eandem re & ratione & materia dicatur abſtraheres.

Exponit verba 4. Met. 1. 2.

COMMENTARIVS.

QVod enim ait Simplicius, ea Philoſophi verba (primum Philoſophum agere de ſeparatis formis) non eſſe ad ſuperiores illas & altiores ſubſtãtias referenda, ſed rationalẽ illam animæ noſtræ partem, quam ſolet mentem appellare: Neque tum iis conſtat, quę ab eodem interprete in operis proœmio poſita ſunt, ſcientiam de hac anima neq. primi Philoſophi neque naturalis eſſe, ſed inter vtramq. mediam: Neque cum ipſa rationali anima: quippe numero pluriũ Philoſophus loquitur: Neque demum cum iis, quæ aliis in locis tradũtur. Etenim vbiq. dum primum Philoſophum Ariſtoteles ait ſeparata contẽplari, ſeparatas illas mentes ſignificat. Naturalemq. inſeparabiles formas vt inſeparabiles ſunt; Mathematicum inſeparabiles vt mente ac cogitatione ſeparabiles; primũ Philoſophum vt re ipſa ſeparatas contemplari aſſerit.

Itaque aut materialis tantùm formæ aut formæ vniuerſæ diuiſionem hic factam fuiſſe dixeris. Si materialem duntaxat acceperis; ea vt eſt in materia, vniuersè conſideratur à naturali; vt intali, vel tali materia, ab artifice; vt autem ratione ſolùm ſeparabilis, à Mathematico; vt demũ etiam re ipſa, à primo philoſopho, dum in ea rationem entis, quæ per indifferentiam ſaltem abſtracta eſt, contemplatur. Sin autem formam vniuerſam diuiſam fuiſſe volueris, poſtremum hoc mẽbrum perſpicuum magis fuerit, dum materiali & inſeparabili forma in cæteros diſtributa, primo Philoſopho relinquitur ea, quæ in diuinis mentibus re ipſa eſt ſeparata. Quod enim hic de Ideis tanquam ſepartis formis Philoponus loquitur, neque Ariſtoteli videtur conſentaneum, qui vbiq. Platonicas illas formas eſt inſectatus: neq. neceſſarium, vbi aliæ ſuppetunt ſeparatæ Philoſopho noſtro formæ. Quamquam modus ille loquẽdi (quatenus ſeparatæ, primus Philoſophus) interpretationi priori fauere videtur; ſignificareq. materialis formę diuiſionem fuiſſe; & eandem illam, quę à naturali vt inſeparabilis, & à Mathematico vt ratione ſeparabilis, à primo quoque Philoſopho vt re ipſa ſeparatam conſiderari. At familiare Ariſtoteli eſt, vt verè ait Philoponus, incipere à materialibus atque ad immaterialia & abſtracta progredi & in iis terminare ſermonem.

Denique quod inter naturalem & artificem Philoſophus diſcrimen agnouit, idem inter dialecticum & Mathematicum agnoſci poteſt. Naturalis materiam vniuerſam, artifex peculiarem quandã & ſibi propriã intuetur: & mathematicus certã ſibi præſcribit formã, quantitatẽ, Dialecticus nullam determinatam, ſed vniuersè formam omnem accipit. Immò quod in naturali & ſentili materia

teria tractanda inter naturalem & artificem ait intereſſe; idipſum inter Arithmeticum & Muſicum, Geometramue & Aſtrologum ſeu Opticum intereſſe dixit in tex. 20. lib. 2. Phyſic. dum intellectilem materiam conſiderant: Arithmeticus namque & Geometra quantitatē vniuerſam conſiderandam accipiunt; Muſicus Aſtrologus, & Opticus nō vniuerſam, ſed certam quampiā & determinatam. Hoc enim eſt, quod eo loco ait, Geometram conſiderare naturalem lineā; at non vt eſt naturalis; Opticum autem mathematicam quidem lineam, at non vt non mathemacam, ſed vt naturalem. Quoniam Geometra lineam quidem conſiderat, quæ in corpore naturali cohæret; quippe nulla ſeparata ſubſiſtit: at non vt eſt in eo corpore, ſed cogitatione ſeparatam. Opticus autem mathematicam ſahè lineam, hoc eſt non vt naturalis corporis affectionem, ſed mente abſtractam intuetur. Non tamen vt Mathematica eſt, hoc eſt vniuersè abſtractam, quēadmodum Geometra, ſed ad corpus quodpiam contractam, nempè lineam ſolam viſilem; etſi eam non conſideret vt exiſtit in tali corpore, ſed cogitatione abſtractam vt communis fert Mathematica cōditio. De Muſica & Aſtrologia idem intelligas. Quam ob cauſam hæ omnes inter Mathematicas diſciplinas magis naturales eſſe dicuntur: non quòd naturales magis ſint, quàm Mathematicæ, ſed ex toto Mathematicarum genere ad naturalē magis accedānt, quàm illæ, quæ vniuerſam quantitatem, non ad corpus aliquod naturale contractam contemplantur. Et ideò in tex. 2. lib. 6. Metaph. Mathematicæ diſciplinæ nonnullæ circa immobilia verſari dicuntur, non tamen ſeparabilia. Quoniam quædam ſunt à materia penitus abſolutæ, aliæ inter has & naturalem quaſi mediæ: quæ circa immobilia quidē verſantur, dum quantitatem à materia ſenſili & mobili abſtractam intuentur, quantitatiſque per ſe affectiones inquirunt. Non tamen ſeparabilia: quòd non ab omni abſtrahant materia, ſed in certa quapiam conſiderent: Optica lineas in viſu, Muſica proportiones in auditu, Aſtronomia figuras, dimenſiones & proportiones in Cœlo. Verùm de his nunc pluribus agendum non eſſe Philoſophum admonentem audiamus.

Mathematica pura & media. Exponitur locus ex 2. Phyſ. tex. 20.

TEXTVS.

Ἀλλ' ὑπιστέον ὅθεν ὁ λόγος. Ἐλέχομεν δὲ ὅτι τὰ πάθη τῆς ψυχῆς ἀχώριστα τῆς φυσικῆς ὕλης τῶν ζώων, ἢ γε τοιαῦθ' ὑπάρχει θυμὸς, καὶ φόβος, καὶ οὐχ ὥσπερ γραμμὴ καὶ ἐπίπεδον.

Tex. 18. *Sed redeundum vnde ſermo. Dicebamus autem affectus animæ inſeparabiles eſſe à naturali materia animalium, quatenus tales ſunt, ira & timor: & non quemadmodum linea & ſuperficies.*

COMMENTARIVS XXXI.

IN his fatetur Philoſophus ab inſtituto ſe diuertiſſe nonnihil, quædamque per digreſſionem dixiſſe. Sed quænam ea fuerint, duobus modis reſponderi poteſt. Aut enim ea duntaxat fuiſſe dicemus, quæ poſtremò de triplici abſtractione, naturalis, mathematici, & primi Philoſophi, commemorauit: aut ea quoque quæ in tex. 16. de diuerſis naturalis & Dialectici definiendi modis adiunxit. Quippe ad rem præſentem ſatis alioqui eſſe poterat id, quod in tex. 15. fuerat dictum, affectus animæ rationes in materia eſſe, definiendaſque cum materia, & naturali philoſopho de huiuſmodi anima agendum eſſe. Quare duobus illis adiunctis, quæ ad vberiorem doctrinam planioremque explicationem faciebāt eius, quod agebatur; ad illud ipſum planè ſermonem reuocat. Atque affectus animæ repetit ab animalium materia, hoc eſt aut à ſanguine ante commemorato, aut omnino ab organico corpore, quod animæ ſubiectum eſt & vt materia, inſeparabiles eſſe. Inſeparabiles inquam non modò re, ſed & cogitatione ac definitione: & non quēadmodum linea & ſuperficies cæteraque huiuſmodi mathematica, quæ cogitatione ſaltem ſeparantur & abſque ſenſili vlla materia definiuntur, etſi nuſquàm ſeparata exiſtant, linea eſt longitudo latitudinis expers, & ſuperficies, quæ longitudinem & latitudinem tantùm habet. Non enim & definiet naturalis iram aut timorem; ſed vt antea dictū eſt, cū ſanguinis, cordis, & omnino animalis corporis ceu materiæ cōmemoratione.

Nec ſatis philoſopho fuit naturalem nominare materiam, ſed animalium quoque materiam, dixit. Quoniam duplicem antea materiam nominauerat, tum ſanguinē & cor, in definitione iræ; tū lapides, lateres, & ligna, in definitione domus: neque naturalē ſolùm ſed artificē circa naturalē materiam verſari dixerat: debuitque ſermonem contrahere ad eam materiam, à qua inſeparabiles eſſe animæ affectus affirmentur. Fortaſſe etiam illud ſpectauit, vt hac oratione ſignificaret, animæ affectus hoſce, non ſolius animæ proprios, ſed cū corpore itē cōmunes & omnino totius animalis eſſe: propterea voluit animalia quoq; nominare.

Opinio de diuplicitate materiæ corporis.

At quid illud eſt, quod dicit (quatenus tales ſunt;) Sanè de affectibus dicit, ſed Philoponus animam opinatus duplex habere corpus, vt & in totius operis præfatione poſuit, & alibi ſæpè repetit, vnum ſpiritale atque inſeparabile; alterum craſſum hoc & ſenſile, quod oculis cernimus & palpamus manibus, à quo ſeparari poſſit: iram ex affectibus vnam accipiens, eam dixit & in ratione eſſe, & in ſpiritu, & in hoc craſſo & palpabili corpore. Nam ratio ſpiritui vltionem imperat, & ſpiritus circa cor ſanguinem mouet. Non ſecùs, quàm Rex imperet duci, duxque militibus, & additum voluit (quatenus tales ſunt) vt intelligeres quamnam is iram inſeparabilem diceret. Quæ namque eſt in ratione, ab omni corpore ſeparabilis eſt: quæque in ſpiritu, ſi non ab omni, ab hoc certè craſſo & terreo corpore ſeparatur. Propterea dixit (quatenus tales) hoc eſt quatenus craſſi huius corporis affectus ſunt. Eſt enim ſanguinis feruor in corde.

Opinio dextra in ratione & ſeparabili. Confutatio.

In quibus Philoponus multa peccat. Primùm quòd de ſola anima noſtra interpretetur illud, quod animalibus vniuersè conuenit. Non enim ſolus homo cōmouetur ira, nec ratione participāt animalia cætera, ſpiritalive corpore ſeparabili. Deinde quòd æthereum illud & ſpiritale corpus adiungat animæ, quam ſolius organici corporis actum eſſe Philoſophus voluit. Tum quòd iram in ratione ponat, quam ſentientis & irrationalis partis affectum & ideò beſtiis quoque communem eſſe conſtat. Præterea quòd iram, quæ in ratione dicitur, ſeparabilem eſſe affirmet: cùm iram

non propriam, sed communem operationem, & ideo inseparabilem, Aristoteles fecerit: deque sola intellectione dubitauerit, num sit propria solius animæ operatio, quæ sola separatæ animæ vix concedatur. Tantum abest, vt iram cum spiritali quoque corpore separabilem esse putauerit. Sanè in tex. 15. affectus omnes vniuersè pronuntiauit inseparabiles à materia esse, & cũ materia definiri: Iramque in specie motum esse definiuit talis corporis aut partis: crassi nimirum & terrei huius corporis. At si hæc est eius natura, hæc definitio: absque hoc omnino crasso & terreo corpore intelligi & esse nequit. Hocque tandem sibi volunt illa verba (quatenus tales sunt) hoc est quatenus materiales & corporei planè affectus existunt. Continẽtque hæc verba quasi rationem eius, quod dicebat, inseparabiles eos esse: quoniam inquam tales sunt, hoc est materiales & corporei affectus.

Affectus animæ velut lumen.

Satis accommodato vtitur Simplicius exemplo luminis: quod tum solis est vt efficientis causæ, tum aëris vt patientis. Sic enim affectus excitatus ab anima deriuatur in corpus, quod affectu illo commouetur. Verbaque illa (quatenus tales sunt) addita fuisse putat ad differentiam rerum mathematicarum, quæ quatenus tales sunt intelliguntur absque materia: ira enim & huiusmodi affectus materiam semper secum trahunt.

Vnde planiùs iã illud euadet, quod antea dicebatur, dialecticas definitiones inanes esse, quæ formam sine materia accipiunt. Naturalia siquidem materiam postulant, non modò vt sint sed etiã vt intelligantur: formaque sine materia soliditatem nullam habet. Et dialecticus definitionem omnem, si modò probabilitatis speciem habeat, statim accipit disputando.

Veterum opiniones de Anima. Cap. 2.

TEXTVS.

Tex. 19. Ἐπισκοπῶντας δὲ περὶ ψυχῆς, ἀναγκαῖον ἅμα διαπορῆσαι περὶ ὧν ὑπειρήκειν δεῖ, προελθόντας τὰς ὑπ' ἐνίων δόξας συμπαραλαμβάνειν ὅσοι τι περὶ αὐτῆς ἀπεφήναντο. ὥστε τὰ μὲν εἰρημένα καλῶς λαβωμεν, εἰ δέ τι μὴ καλῶς, πᾶν ἐυλαβηθῶμεν.

Considerantes autem de anima necessarium simul dubitantes de quibus abundare oportet: recensentes priorum opiniones complecti, quotquot aliquid de ea enuntiarunt. Vt rectè quidem dicta accipiamus: si quid verò non rectè, hoc caueamus.

COMMENTARIVS XXXII.

TOtius futuræ de anima disputationis velut proëmium hactenus præmisit Philosophus. Iam rẽ ipsam aggrediens, eorum qui ante ipsum de anima Philosophati fuerant, commemorandas sibi opiniones proponit, quò accurata magis & omni ex parte absoluta tractatio sit. Nihil enim est in vniuersa natura melius anima, nihil scitu dignius, & verò etiam iucundius.

Qui ante Aristotelem de anima Philosophati fuerant, tũ in eo peccauerant, quòd non vniuersè de omni anima, sed de aliqua illius parte loquuti essent: tum in eo, quòd aut nihil dixissent, quod non dicam verum, sed ne vero quidem simile esset: aut quidquid illud fuit, tàm obscurè, inuolutè, & impropriè significarunt: vt minimè quid anima esset intelligi satis posset. Aristoteles in reliquis omnibus naturæ partibus perquisitigandis admirabilis, in animæ natura & vniuersè & speciatim euoluenda, apertaque & propria oratione explicanda fuit planè diuinus.

Veterum opiniones antea commemorat.

Veterum autem philosophorum opiniones antea commemorat, vt ex illarum consideratione atque examine quid sit aut non sit anima cognoscatur. Nam ita intelligetur eam nõ esse corpus, sed in corpore sensus & cognitionis omnis ac notionis principium: neque harmoniam etiam corpoream compositionemve aut permistarum qualitatum proportionem, in quadam tamẽ proportione ac mediocritate consistere, nec nisi in corpore certo tẽperationis genere prędito cõseruari: neque demum elementum esse aut ex elementis, sed vt rationem & formam ex elementis permisti corporis: quæ vna cùm sit, plurium omnino ac diuersarum facultatum principium existit: atque ita partim vnam esse, partim multiplicem; vnam substantia, multiplicem facultate atque operatione.

Dubitationis firmissimi principium.

Quod autem ait considerantibus de anima dubitandum esse de iis, quibus abundare oportet, superiora nimirum respicit, summoq; cõpendio rationem indicat cur polixiori hactenus proëmio vsus tot de anima dubitationes proposuerit: quoniam eorum, quæ proposita fuerunt, cognitione abundare oportet eum, qui animæ scientiam quærit. Itaque dubitatio inuestigationis & scientiæ principium est; atque ex admiratione & ignoratione (vt est in proëmio Metaph.) ortum habuit omnis philosophia. Hoc sibi vult Philoponus, cùm indigentiã abundãtiæ ait principium esse. Quippe in 5. Moralium ad Nicomachum lib. cap. 5. indigentiam scripsit philosophus omnia continere; rerumque permutationem, quæ *Indigentia omnia continet.* indigentiæ subueniret, in homines inuexisse. Et *gubernatrix.* in 7. Polit. cap. 10. indigentiam, quæ ad vsum vitæ necessaria sunt, primùm docuisse; tum illis repertis additionem ad commodiorem & politiorem viuendi formam fuisse factam. Idem & in scientiis ex ignoratione ac dubitatione velut intellectus inopia & egestate accidit; sensimque ad incrementum & perfectionem ventum est.

Examinatio opinionum suarum vtilis.

Possunt & illa verba respicere consequentia, quæ de veterum opinionibus subiiciuntur. Varietas namque opinionum dubitationem affert ancipitemque ac suspensam sententiam facit, dum cui potissimùm adhæreat animus non facilè videt. Ad veritatem tamen cognoscendam plurimùm habet emolumenti; dum examinantur singulæ, quámque firmis argumentis vnaquæque nitatur attenta cõsideratione ponderatur. Quod facturum se pollicetur philosophus, dum quæ rectè dicta fuerint, sibi sumenda, quæ verò non rectè, cauenda & reijcienda proponit. Cum enim philosophus nil aliud quàm veritatem propositum habeat, tum cauere ab illis debet, quæ à veritate sunt aliena; neq; amicorũ modò sententias, sed sua etiam dicta refellere, si quid melius inuenerit: tum veras sententias admittere, à quocumque fuerint pronuntiatæ; neque affectu erga sectam vllam aut auctorem duci.

Maxima scientiæ nostræ pars est, vt quid alij dixerint non ignoremus; doctrinaque magis, quàm inuentione, constat. Non enim tanta est mentis

mentis nostræ fœcunditas, vt sola sibi sufficiat, omniaque sibi excogitare possit. Plurima siquidem ac densissima occupatur caligine, quæ nisi externi quoque luminis ope discutiatur, vix aliquem veritatis radium intuetur. Inde vespertilionis noctuæue scita satis analogia. Et Simplicius duas ex aliorum opinionibus vtilitates commemorat. Alteram ad dubitationem, alteram ad inuentionem: quarum dubitatio præcedit, inuentio sequitur. Non enim statim nobis occurrit veritas: sed vt is, qui rem quampiam amissam sollicitè quærit, modò in hāc, modò in illam partem oculos conijcit, tandemque inuenit: ita mens nostra ad oppositā primùm mouetur, dubitatque quæstione proposita, vtra pars sit vera, & singulis tandem ponderatis veritatem certa ratione tenet.

Ordo verborum. Denique Philoponus obscuriorem orationem ita mutato verborum ordine iuuandam & planiorem faciendam putat: Considerantes de anima necesse est priorum opiniones recensentes & simul dubitantes, ac de quibus abundare oportet complecti quotquot aliquid de ea enuntiarunt. Quod si fiat, planè id quod dubitando dicitur, ad sequentia fuerit referendum, quemadmodum interpretes quoque cæteros video retulisse. At non propterea priorem nostram interpretationem defero, quin ad antecedentia quoque referri posse contendo.

TEXTVS.

Tex. 19 Ἀρχὴ δὲ τῆς ζητήσεως, τεθεῖσθαι τὰ μάλιστα δοκοῦντ' ὑπάρχειν αὐτῇ κατὰ φύσιν. τὸ γὰρ ψυχὴν δὲ τῷ ἀψύχῳ δυοῖν μάλιστα διαφέρειν δοκεῖ, κινήσει τε καὶ τῷ αἰσθάνεσθαι. παρειλήφαμεν δὴ καὶ παρὰ τῶν ἐξωτερικῶν σχεδὸν πάντα περὶ ψυχῆς.

Principium verò inquisitionis, proponere quæ maximè videntur inesse ipsi secundum naturam. Animatum igitur ab inanimato duobus maximè modis differre videtur, motu, & sensu. Accepimus autem & à maioribus ferè hæc de anima.

COMMENTARIVS XXXIII.

Aristoteles ex notioribus vbique progreditur. MIrū omnino quātopere sibi cōsentiens atq; vbiq; similis philosophus sit, siue aliena tractet, siue sua proponat, à notioribus semper ad ignotiora progreditur. Sic enim & doctrinæ ratio postulat, & demōstrationis principia per se nota atq; indemōstrabilia esse oportet. Sēsus verò scientiis omnibus principia dedit, dum & ex sensu & experientia fuere collecta. Intellectus siquidem, qui sensilis corporis est actus, cognitio omnis ex sēsu principium habet; nec ad illum peruenit quidquam, quod per sensuum portas non ingrediatur. Vnde illud in tex. 11. accidentia magnam partem conferre ad cognoscendum quid est.

Propterea nunc quid anima sit inuestigans, principium ab iis facit, quæ illi videntur inesse secundùm naturam: à proprietatibus inquam & accidentibus, quæ per se insunt animæ. Nam quod ait (secundùm naturam) tantundem valet ac per se, vt verè Simplicius admonet. Communiora quippe omnibus accidentia propriam cuiusque naturam non indicant; sed ea quæ propria sunt quæque per se naturam quamque comitantur. Neque animam, sed animatum accipit: quoniam vt est in tex. 5. lib. 1. Physic. compositum notius nobis est, quàm sint principia, ex quibus illud componitur. Quodque dicere potuisset animam à cæteris formis differre, quòd motū & sensum iis adferat, in quibus inest; animatum inquit ab inanimato duobus hisce præsertim differre.

Animatum vt differat ab inanimato. Maximè autem & plurimùm dicit aut præcipuè ac præsertim. Quoniam & aliis modis differt; tum corpore, tum anima. Corpus organicum est atque in plurimas diuersæ tēperationis ac naturæ partes distinctum, vbi inanimorum corpora vbique sibi similia sunt. Anima verò præter motum & sensum plures alias operationes adfert, quarum nulla in rebus inanimis est; nutritionem, accretionem, procreationem, imaginationem, appetitionem, atque in homine intellectionem & volitionem.

At cur motum & sensum potissimùm nominauit? Sanè corporum differentiam prætermisit quòd de anima nunc, non de corpore loquebatur; atque ex operatione quid anima sit inquirebat. Dum autēm motum & sensum audit Philoponus, localem solum motum intelligens, differentiam vtramque animalium asserit esse, non plantarum; neque has, sed illa motu & sensu ab inanimatis hoc loco distingui. Plantæ namq; nec mouētur loco nec vllius rei sēsum habēt. Animā lib. vtrūque ineſt, sed ab anima: siquidē hæc quoque si priuētur anima, nec mouentur, nec sentiūt. Quare cùm philosophus vniuersè tanquā animæ propriū accipiat id, quod non conuenit omni animæ; non ex propria, sed ex veterum sententia id Philoponus acceptum fuisse putat. Argumento tum verbi (videtur) quod asserentis non est, sed aliorum placita referentis: tum veterum commemorationis.

Verbum videtur. Verùm quod spectat ad verbum (videtur) non nouus, immò vsitatissimus philosopho est illius vsus, dum sua quoque proponit. Quod quilibet facilè obseruabit. Dum verò veteres nominat, Accepimus, inquit, & à maioribus ferè hæc de anima. Quod post explicatam sententiam velut illius veterum quoque consensu ac testimonio confirmationem quandam subiungi; significarique id se tanquam sibi ac veteribus philosophis commune posuisse, tum orationis series ostendit; tum vox illa (&) quæ tantumdem valet ac etiam: tum confirmant illa verba (ferè hæc) quæ nimirum à nobis ex sensu, inductione, & obseruatione collecta sunt.

Sanè hanc animati & inanimati differentiam posuit velut inquisitionis totius principium. Inquisitionis inquam, quid anima sit, non quid veteres de illa senserint. Denique huius loci explicatio peti potest ex aliis, in quibus eandem aut certè similem vsurpauit sententiam. Nam cùm in tex. 150. lib. 2. duabus inquit maximè differentiis animam definiunt, tum motu, qui est secundùm locum; tum intellectione, iudicio, & sensu: non tanquàm priscorum duntaxat, sed velut manifestam atque ab omnibus receptam partitionem adferri, ex eo intelligas, quòd non iam ibi de priscis illis philosophis agitur; sed vt nūc quid anima, sic eo loco qualis facultas phantasia sit quæritur. Quodque ibi dicet (definiunt) tanquàm rem omnibus manifestam; id ipsum nunc ait, cùm differre videtur, tum à maioribus

quoque ita accepimus. Et nónne propria philosophi sententia est illa in tex. 40. lib. 3. (animalium anima duabus definita ex virtutibus, tum discretius, quod Dianeæ opus est & sensus, tũ motu secundùm locùm) vt post absolutũ sermonem de sensu & intellectu, de motu agere aggrediatur?

Itaque si hæc tria loca consulas, in eorum quolibet alterius interpretationem habebis. Ac primùm quidẽ anima, quę in duobus prioribus absolutè nominatur; in tertio ad animaliũ animã contrahitur. Nec mirum, cùm in ea omnes animæ differentiæ ac proprietates contineantur; déque plantis dubitaretur à non paucis, num earum formam appellare oporteret animam, an meram naturã: & quod nunc animata differre motu ab inanimatis dicit, non multò post cõtracturus ad animalia sit, animamque dicturus esse id, quod animalibus præbet motum.

Deinde motus, qui nunc simpliciter memoratur, etsi à Simplicio ita accipiatur vt vegetantes quoque operationes comprehendat animatáque omnia ab inanimatis distinguat, in aliis tamẽ duobus locis de solo motu locali exponitur. Hic enim primus est & maximè manifestus atque à veteribus præsertim accipiebatur vbi motu animam definiebant. Et nunc quidem cum motu solum sensum commemorat, in aliis verò locis intellectum quoque, quòd à veteribus non satis distinguebatur intellectus à sensu. Satisque erat sensum dicere, vt duo statuerentur summa capita, ad quæ veterum de anima opinions omnes pertinerent.

Motus & sensus vt animatorum proprij sint.

Quòd si hæ differentiæ proprietatesve localis motus & sensus, ad vnam animã transferantur, ex eo erunt genere, quæ soli quidem, at non omni conueniunt. Sin autem non localem solùm, sed quemuis ab interno principio excitatum motum intelligas (siquidem à seipso quocunque modo moueri vitale est & animatorum proprium, vt legimus in tex. 29. lib. 8. Physic. & apud Platonem in Phædro & 10. lib. de legibus) nutritionémque, accretionem, & decretionem quoque comprehendas, ne omni & soli communis fuerit: his enim ipsis plãtæ & omnino viuentia cuncta à non viuentibus plurimùm differunt. Quoquo etiam modo localis motus communis omnibus dici potest; quatenus quæ alimento intus susceptо nutriuntur & augentur, ad maiorem locum extenduntur. Quocirca quod in 2. lib. tex. 3. & 13. dicturus est, animata ab inanimatis differre vita, pluréque vitæ operationes esse, nutriri, augeri, minui, sentire, moueri, & intelligere; aut accurata magis fuerit animatorũ omniũ ab inanimatis separatio, aut explicatio maior eius, quod nunc accõmodatè ad veterũ sententias commemorandas ac distinguendas, dicitur differre motu ac sensu. Et fortasse motum, qui alioqui sensu posterior est si sit localis, ante sensum propterea nominauit, vt vegetatio sui quoque motum quoquo modo comprehenderet.

Inanimatis aquèna turalem esse motum & quietẽ.

Cæterùm si ex eo quòd localis motus animatis inesse dicitur secundùm naturam, Philoponus colligat inanimatis non secũdùm naturam inesse, eorumque motus non naturales esse: quoniam tunc mouentur cùm in loco naturali non sunt sed extra integritatem elementi reperiũtur: quietémque potius inesse illis secundùm naturam, quoniam vnumquodque in sua integritate secundùm naturam manet. Sanè parùm prudenter aget.

A Quippe natura tum motus tum quietis principium est: motus, si extra naturalem locum sint: quietis, si in loco naturali contineãtur: & vtrumque per se naturalibus atque inanimatis rebus conuenit. Nam etsi locus, à quo recedunt, præter naturam sit; is tamen, ad quem mouentur, naturalis nimirum est atque ab eo tanquam fine ac termino naturalis ille motus iudicatur. Neque de hoc nunc pluribus disputabitur: obiter hominem monuisse satis.

Motus ignis & aëris in prõm qualis.

Quemadmodum & illud minus verè dictũ fuit ab eodem interprete, motum in orbem ignis aut aëris, qui fit à Cœlo violentũ esse. Neque enim naturalis est, quia nõ est à principio interno: neq; B violentus, quia non contra illã naturæ propensionẽ. Violentus siquidẽ illis est motus deorsum. Sed supra naturam: quoniam est à superiori corpore & præter eorũ corporum propensionẽ aut repugnantiam. Et si violẽtus esset, perpetuus minimè esset. Cætera nunc prætermittãtur. Adnotabo tamen, Aristotelẽ eodem modo aggressum esse hãc tractationem, qua quid anima sit quæritur quo in 2. Phys. inuestigauit naturam. vt. n. ibi naturam id esse accepit, quo naturalia differunt à non naturalibus: ita nunc id animam esse affirmat, quo animata differunt ab inanimatis.

C

TEXTVS.

Φασὶ γάρτινες ἢ μάλιστα ἢ πρώτως ψυχὴν εἶναι τὸ κινοῦν τὰ

Inquiunt enim quidam, & maximè & primùm animam esse quod mouet.

COMMENTARIVS XXXIV.

DIcæarchum Messenium legimus negasse prorsus quidquam esse animam, nisi opinionem solam. Ita scripsit Tullius in primo Tusculanarum quæstionum: sextusque confirmauit Philosophus in 2. libro Pyrrhoniarum Hypotypóseon cap. 5. eamdem sequutus sententiam in commentariis de Anima, vt ipsemet fatetur in libro aduersus Mathematicos, vbi de sono disserit. Verùm sensus & motus aliæque id genus operationes, quibus animata cernimus ab inanimatis differre, manifestè ostendunt aliquod in illis inesse principium, hocque animam appellamus. *Animã esse.*

D

Philosophus igitur cùm illud fecisset inquisitionis principium, motu præsertim & sensu, vel veteribus cõsentientibus, ab inanimatis animata differre: illorum de Anima commemoraturus E sententias, ad duo hæc capita reuocat, ad motum inquam & sensum. Vnde intelligas eum non solùm illud Principium tanquam manifestum ac sensu notissimum accepisse: sed etiam tanquam duo summa capita statuentem, ex quibus opinionum varietas tota duceretur. Ac primum statuit motum, quoniam pleræque ad eum opiniones pertinebant; pluresque multo in motu, quàm in sensu, naturam animæ agnoscebant.

Digressio IV. *Quatenus anima & natura differant.*

CÆterũ grauis hoc loco nobis est cũ Simplicio altercatio. Cũ enim animã Philosophus dicat esse id, quod maximè & primùm mouet, difficile

ficile videtur esse animam distinguere à natura, quã in tex. 3. lib. 2. Physic. definiuit quoque primũ motus principium esse in eo, in quo est. Propterea Simplicius illud inter animã & naturam discrimen statuit, quòd natura principium est τοῦ κινεῖσθαι, anima τοῦ κινεῖν. Natura inquam principium est vt passiuè quidpiam, anima vt actiue moueatur: & ideò non solùm absolutè moueatur, sed vitaliter etiam & intriusecus à se ipso moueatur id, quod anima præditum sit. Nam in commentariis quoque 2. lib. Physic. naturæ vim in solo principio passiuo posuit: quod illa Philosophi definitio, Naturam esse principium τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν, hoc est vt res moueatur & quiescat, passiuam aptitudinem ad suscipiẽdum motum significare videtur, accersentem causas mouẽtes ipsam & exornantem; velut extremam vitam, quæ non in mouendo, sed in aptitudine ad motum versetur.

Naturã Simplicio esse solum passiuũ principiũ motus.

Certè materiam ceu passiuum principium esse naturam constat, tum ex Aristotele & antiquioribus omnibus in tex. 7. illius libri: tum quia cùm omni principio actiuo respondere passiuum oporteat in eadẽ re: si natura principium actiuum fuerit, passiuum quoque esse necesse est. Neque minùs naturalis est motus, vt res est apta moueri, quàm vt est apta mouere. Atque vt paucis cõcludam, naturam omnes intelligimus esse principium, quo naturalia à non naturalibus secernuntur: ab immaterialibus inquam, quæ naturalib. meliora sunt: & ab artificiosis, quæ deteriora. Materia verò differunt ab vtrisque, tum essentia, tum operatione. Immaterialia enim nec materiam habent, nec sunt apta moueri, sed penitus immobilia existũt. Et artificiosa, non vt eiusmodi sunt, sed vt naturali quopiam corpore constãt, & materiam habent & sunt apta moueri.

materiã esse naturam.

At formam quoque & principium actiuum naturam esse ostenditur in tex. 3. naturæ atque artis oppositione: non quòd ars efficiat & natura patiatur; sed quòd medicus non per se efficiat sanitatem in seipso, quemadmodum naturalia per se faciunt motum: nec ea, quæ arte fiunt, in seipsis habent effectionis suæ principium; habeant verò suæ motionis naturalia. Et in tex. 12. natura, quæ est actu, magis dicitur esse natura, quàm ea sit, quæ est potestate. Et tex. 13. quia homo hominem gignit, forma ostenditur esse natura. Et tex. 14. vsque adeò forma statuitur esse natura, vt ortus quoque natura dicatur, quòd ad naturam, hoc est ad formam, sit via. Quippe in primo eius operis libro formam posuerat terminum ad quem ortus. Quare concluditur in tex. 15. forma itaque natura est: & in tex. 28. lib. 3. de Cœlo; natura & virtus agendi hoc nomine separantur, quòd virtus agendi sit principium in alio vt est aliud, natura verò principium in ipso. Neque argumentum illud, quo in materia vsi sumus, minorem vim habet in forma. Etenim hac quoque naturalia à non naturalibus dignoscuntur. Immaterialia siquidem formæ sunt spirituales, integræ, non formantes materiam: & artificiosa non substantiæ, sed accidentis forma constant: quæ intimas materiæ partes non peruadit, sed forinsecùs duntaxat ornat. Naturales autem formæ substantiæ sunt, corporeæ, formantes totamque peruadentes ac perficientes materiam. Atque quod ad operationem attinet, efficaces sunt & quasi viuæ in operationem prorumpunt: vt non solùm moueri sed & operari naturalia possint: Dũ artificiosa inertia sunt & quasi mortua nulliusque actionis principium. Et quoniam naturalium operatio corporea est, plurimùm quoque ab immaterialium operatione differt, quæ in se ipsis non nisi spiritalem operationem habent.

Formã esse naturam actiuã.

Ita si operationem consideres, tum materia tum forma principium est, quo naturalia & moueantur & quiescant. Miniméque sapienter Simplicius animæ ac naturæ differentiam explicauit, vbi naturam dixit esse principium passiuum, animamque principium actiuum: & quoniam pro ratione præsentis instituti satis ostendi naturam actiuum quoque Aristoteli principium fuisse, non prætermittam alterum illius differentiæ peccatum indicare; quòd animam neget esse naturam.

Etsi enim animæ interdum opponamus naturam, cùm tria dicimus esse principia, naturam, animam & intellectum: animáque naturam supponere videatur, vbi anima definitur esse naturalis corporis actus. Et omnino animata ab inanimatis, quæ tamen naturalia sunt, distinxerit Aristoteles, neque anima in omnibus naturalibus corporibus reperiatur. Si tamen naturæ definitionem illam accipias, quam peccasse videtur Simplicius, natura est primum principium motus in eo, in quo est, irrationalem saltem animam esse naturam Aristotelis loca permulta testantur. Namque in tex. primo lib. 2. Phys. inter naturalia plantas commemorat & animalia, & inter motus qui sunt à natura, numerat accretionem, quæ fit ab anima. Atque hæc eo spectant, vt naturalia separet à non naturalibus, naturæque definitionem inueniat. Deinde in tex. 4. formam, quæ est natura, in subiecto esse ait. Et tex. 12. & 26. esse re inseparabilem à materia, naturalemque considerare formas quæ sunt in materia: quid ita? Quia sunt naturæ. Quippe à tex. 21. ex eo, quòd duplex est natura, materia & forma, naturalem probat agere de materia & forma. Atqui irrationales animæ sunt in subiecto, sola ratione separabiles, ideóque naturalis considerationis, vt non multò ante cum philosopho dicebamus in tex. 15. huius operis. Sed & dum in tex. 71. eiusdem 2. lib. Physic. à naturali consideratione excluduntur ea sola, quæ non mota mouent, quòd in seipsis principium motus non contineant; perspicuum fuerit animata propterea ad naturalem pertinere, quod principium hoc habeant, quod sit natura. Quare cũ in tex. 80. non arte, nec intellectu, sed natura dicitur hirundo facere nidum, & Araneus telam, plantaque folia; quamcunque irrationalem animam fatetur idem ipse Simplicius in commen. suo 63. esse naturam: quod etiam dixerat in commen. 50. ad tex. 64. Est enim in eo, in quo est, principium motus accretionis & incessus. Et quidem principium primum: Quoniam inter eam & corporis iustrumenta, quibus vtitur, aliud non est principium, vt nec in rerum inanimatarum motu inter formam & qualitatem quidquam intercedit. Itaque post propositionem illam initio libri tertij agendum esse de motu, quia natura est principium motus: adfert in tex. 6. definitionem motus, quam de animæ

Animã quoque esse naturam.

accretione quoque explicat, deinceps que inter species motus eam semper commemorat. Verùm in primo lib. de Part. Anim. cap. 1. ex instituto probat naturalem non agere de omni anima, quoniam non eis anima est natura, sed de illis dùtaxat, quæ sint naturæ. Denique in tex. 27. libri 8. Physic. animalia scribit moueri natura & à seipsis; quia principium motus in seipsis habent, etsi eorum corpora & natura & præter naturam moueri queant. Deorsum enim naturalis est motus, sursum præter naturam & violentus, si corpus spectetur vt mistum est abundans terra elemento graui. Qui tamen naturalis illi fuerit, vt animæ instrumentum est in eum finem comparatum, vt obsequatur & famuletur animæ; habétque à natura musculos, neruos, spiritum, pedes & cætera omnia ad eum motum perficiendum necessaria & opportuna.

Motus sursum vt est corpori naturalis.

Anima intelligens an natura.

De intelligente anima peculiaris posset esse difficultas: quòd ea spiritalis substantia sit, miniméque à materia pendens: verùm in totius operis præfatione pluribus hac de re dictum est. Nunc satis fuerit eam quoque veram esse materiæ formatricem formam partémque hominis, & in eo operationum omnium principium, siquidem ea sola est in nobis anima vt quiuis intelligat eam quoque verissimè naturam dici posse. Nam propterea in tex. 13. iam indicato vt formam probet esse naturam, illud adfert, homo hominem gignit. Et in tex. 26. vt naturalem ostendat agere de forma vt est in materia, sol, inquit, & homo, quæ sunt formæ in materia, procreant hominem, qui formam habet in materia: & certè intellectus & voluntas non solùm dirigunt, & imperant inferioribus animæ facultatibus externisque corporis membris, vt in text. 48. & 49. lib. 3. de anima, & cap. 3. & 4. lib. de animalium motu principia mouentia esse dicantur: sed & ipsæmet, dum à phantasmate pendent, naturales operationes sunt.

Anima & natura vt differãt.

Commune igitur tum animæ tum naturæ est, esse principium motus; aliundéque illarum differentia petenda est. Natura namque latiùs multò patet atque in omnibus corporibus reperitur, anima certi cuiuspiam generis est. Natura homogeneo & vbique sibi simili subiecto contenta est: anima eterogeneum & in diuersas partes distinctum quærit. Natura vnius & simplicis operationis, anima plurium omnino principium existit. Natura antecedit atque animæ subiectum præparat, anima post accedit præparatóque subiecto vtitur. Anima demum omnino maiore vtitur libertate magis que multò, quàm natura, eleuata est à materia, vt in 2. lib. pluribus explicabitur. Quare in eo quoque ipso, quòd vtrique commune est, non parua agnoscitur differentia, ob quam philosophus moueri à se ipsis vitale & animatorum proprium esse scripsit in tex. 29. lib. 8. Physic. Nam vnico cætera mouentur motu; nec eum inchoare possunt & absoluere prout ipsis libuerit: Anima & omnem in partem & cum aliqua libertate mouet: & illa quidem in proprio loco quiescunt, neque mouentur nisi extra locum posita, nec à motu cessant, nisi vbi ad terminum, quem natura quærit, tandem peruenerint. Animata verò vel in proprio mouentur loco, & vbi libuerit, cessare à motu possunt, partémque mouentem habent manifestè distinctam à parte mota, cor princeps membrum, vnde anima corpus vniuersum regit atque impellit.

Exponitur locus ex 8. Phys. 29.

Itaque vt ad philosophi interpretationem reuertamur; aut perinde est dicere animam esse τὸ κινοῦν, & natura principium primum τῷ κινουμένῳ, aut animam potissimùm dixit esse τὸ κινοῦν, propter maiorem illam in mouendo libertatem & imperium; quo non simpliciter mouet, sed viuaciter mouet & κατ' ἐξοχὴν dicitur τὸ κινοῦν. Neque illud Simplicij admittendum est, duplicem esse animæ facultatem; alteram, qua corpus vitaliter moueatur; alteram, quæ moueat. Peruinde namque se habet ad animam organicum corpus, atque ad inanimatam formam illius materia: Atque vt hæc est apta passiuè moueri à forma, sic organicum corpus ab anima. Hocque organicum significat; nempe corpus ad obsequium animæ optimè comparatum, ipsaque organizatio passiua est aptitudo animatorum propria generali materiæ aptitudini addita, qua ad peculiarem animæ motum suscipiendum redditur apta. Quocirca illud (maximè & primùm) quod is interpres refert ad effectricem illam motus facultatem ab altera illa distinguendam quæ instrumenti character est, nec propriè anima dicitur, veriùs interpretaberis respondere ferè illi, quod in definitione quoque naturæ dictum est, eam esse principium primum & per se; animámque separare à secundariis atque instrumentariis motus causis. Quippe & cor mouet, & spiritus, & calor, & neruus, ac musculus: sed anima primùm & maximè, quæ his omnibus velut instrumentis mouendo vtitur. Denique ne longiùs, quàm par sit, excurrat oratio (quidam) dixit Philosophus; non vt Simplicius credidit, propter Anaxagoram & Empedoclem; quorum alter intellectum, alter amicitiam & litem, non animam, mouentem causam posuerat. Sed potiùs quòd tum motu, tum sensu, animata dixerat ab inanimatis differre. Veterúmque sententias commemoraturus ita eas partitur, vt quidam ex motu, alij ex sensu, alij etiam ex vtroque animam definirent. Sic igitur aggreditur.

TEXTVS.

Οἰηθέντες δὲ τὸ μὴ κινούμενον αὐτὸ, μὴ ἐνδέχεσθαι κινεῖν ἕτερον τῶν κινουμένων τῷ ψυχὴν εἶναι πως ὑπειλῆφεν εἶναι.

Existimantes autem, quod non mouetur ipsum, non posse mouere aliud, eorum, quæ mouentur, aliquid animam ita acceperunt esse.

COMMENTARIVS XXXV.

EX sensibus naturam animæ inuestigans philosophus, motum & sensum accepit proprias maximè animæ operationes esse. Deinde hinc veterum opiniones partitus, aggrediens eas, quæ

quæ motu animam definiebant, duas quasi illarũ hypotheses posuit. Prima superioribus cõtinebatur verbis; animam esse id, quod maxime & primùm animata mouet. Altera nunc subiungitur: quidquid mouet aliud, necesse esse & ipsum moueri; nec posse quidquã moue re aliud quin moueatur ipsum. Quæ propositio veterum illorum ac rudiorum philosophorum fuit, qui materialia tantùm & corporea entia nouerant, in quibus ita sanè res habet. At non Aristotelis, qui immateriales & incorporeas cognouit substantias, eásque in 8. Physic. libro immotas mouere demonstrauit. Itaque ex his duabus propositionibus hæc illorum erat ratiocinatio. Animata ab inanimatis differunt motu; at differunt anima: anima igitur quidpiam est, quod moueatur.

Duæ veterum hypotheses.

Vt quod mouet, moueri debeat.

Cæterùm posterior hæc hypothesis duobus modis accipi potest. Aut enim sermo est de consequente aut de antecedente motu. Aut inquam sententia illius est, quidquid mouet aliud, motum illius sequitur, simúlque cum eo ex accidenti mouetur: quemadmodum motis nobis moueri dicuntur ea omnia, quæ sunt in nobis, vt est in 2. lib. Top. cap. 3. Aut potiùs, quidquid mouet aliud, moueatur antea ipsum necesse est, ideóque mouet aliud, quia ipsum mouetur. Priorẽ sententiam Aristoteles quoque admitteret, animamque, dum mouet corpus, cum eo simul ex accidenti moueri fatetur in 8. lib. Physic. tex. 51. & confirmabit in tex. 61. huius, quem interpretamur. At non hæc fecit veterum propositio, quos moueri antea voluisse id, quod moturum est aliud, manifestum est ex iis, quæ statim subiicientur. Nam propterea Democritus & Leucippus animam dixerunt esse atomos, quod hæ in perpetuo versentur motu atque agitatione, ideóque quòd ipsæ moueantur, mouere quoque corpora queant. Et rursum quoniam quod per se mouetur, corpus est, alterum hoc fuit sententiæ huius argumentum, quæ animam impartibilia corpuscula esse credidit, tum quia corpora sunt, tum quia per se mouentur.

TEXTVS.

Ὅθεν Δημόκριτος μὲν πῦρ τι καὶ θερμὸν φύσιν αὐτῶν εἶναι ἀπείρων τὸ ἔντων σχημάτων καὶ ἀτόμων, τὰ σφαιροειδῆ πῦρ καὶ ψυχὴν λέγειν οἷον ἐν τῷ ἀέρι τὰ καλούμενα ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ τῶν θυρίδων ἀκτῖσιν ὧν τὴν παντοσπερμίαν στοιχεῖα λέγει τῆς ὅλης φύσεως. ὁμοίως δὲ καὶ Λεύκιππος.

Quare Democritus quidem ignem quendam & calidum ait ipsam esse. Infinitæ namque cùm sint figuræ & atomi, orbiculares ignem & animam dicit. Velut in Aëre quæ vocantur ramenta, quæ per senestras in radiis apparent. Quorum panspermiam elementa totius naturæ ait. Similiter autem & Leucippus.

COMMENTARIVS XXXVI.

Democriti de rerum principijs sententia.

EX duab. expositis hypothesibus sententiã Abderitis Democriti primo loco deducit; animã esse ignem quendã & calidum: ignis quippe inter elementa, & calor inter qualitates ad agendum & motum vim habent maximam. Verùm quoniam non satis hoc potest intelligi, quin hominis vniuersa de rerum omnium natura constantium principiis cognoscatur opinio, paucis eam in mẽtem reuocat. Quæ Eleatis quoque seu Milesij, Leucippi, & Epicuri fuit, Diodorique Croni apud Sextum philosophum.

Infinitam hi corpusculorum multitudinem posuerunt, quæ quòd impartibilia essent, atomos appellarunt. Impartibilia inquam, aut quòd essent minima: cùm enim corpus quantum non diuidatur in puncta, cessat diuisio ad minima quædam corpuscula, quæ diuidi ampliùs non possunt. Aut quòd omnino frangi neque unt. Sic enim interpretati sunt Plutarchus in 1. lib. de Placitis philosophorum, & Cesarienfis Eusebius in vltimo libro de Euangelica præparatione cap. 5. Porrò hæc, vt est in tex. 6. lib. 1. Physic. genere quidem seu ratione & natura conuenire inquiebant; differre autem figura, ordine, & situ, vt est in 1. Metaph. lib. c. 4. Plutarch. tamẽ nec vncinatã nec tridẽtis, nec annularẽ figuram admittit, quòd hæ frangantur facilè. At quod in 1. de natura Deorum libro ea scribit Tullius habuisse omnia figurarum genera; confirmat etiam hoc loco philosophus, & in priore libro de ortu & interitu tex. primo & quinto, & in tertio de Cœlo tex. 37. infinitas asserens figuras fuisse: non magnitudine & extensione, si minima erant corpuscula: neque solùm numero, quoniam infinita quidem essent corpuscula, at non infinitæ figuræ: neque ea differrent figura nisi propriam singula specie diuersam figuram haberent. Quæ verò in tam paruis corporibus fragilis esset figura, Annularis quidem certè robustissima iudicatur: quòd singulæ partes singulis innitantur: & eam agnoscit Aristoteles, dum orbicularem hoc loco, & in tex. 41. lib. primi Physic. τὸ περιφερὲς, rotundum memorat.

Tum verò acuti philosophi corpuscula hæc infinita volebant in infinito item inani continenter moueri: quam ob causam Epicurus, vt Plutarchus & Eusebius testantur, adiecit illis pondus & grauitatem, qua deorsum mouerentur, etsi ex Laërtio lib. 2. & Tullio loco notato non planè rectà deorsum ferri, sed inclinare nonnihil diceret.

Ita duo rerum illis erant initia, plenum & inane, ens & non ens, vt Philosophus loquitur in indicato tex. 41. lib. primi Physic. & cap. 4. lib. primi Metaph. plenum & ens, corpuscula: inane & non ens, immensum spatium, in quo ea mouebantur. Denique corpusculorum horũ conuersu res omnes fieri separationéque perire asserebant: próque vario ac multiplici conuersu, diuersaque concurrentium corpusculorum figura, ordine, ac situ, multitudinem rerum ac diuersitatem existere, atque adeò innumerabiles mundos ex alio atque alio concursu & separatione horis omnibus progigni & interire. Hæc est illa

Transermia Democriti quid.

panspermia; hoc est seminum omnium missella, quam nunc philosophus elementa & initia totius naturę dicit: corpusculorum inquam velut seminum conuersus & permistio.

Atomi vt ramēntis similes.

Ramentorum autem, quod adfertur exemplum quatuor prorsus declarat. Primùm corpusculorum paruitatem atque impartibilem magnitudinem. Deinde inuisibilitatem. Vt.n. ramenta hæc sole absente non cernuntur, nec tamen propterea nihil esse creduntur, quia adueniente sole apparent interdum: ita etsi corpuscula propter nimiam paruitatem conspicua non sint, non tamen propterea vsquam esse negandum est. Tum motum. Nam vt ramenta in aëre, sic in inani corpuscula vagum & incertum quasique concurrentem motum habere intelligas. Ad extremùm inane, in quo mouentur. Aër siquidem incorporeus & velut inane videtur esse, vt legimus in tex. 40. & 52. lib. 4. Physic. & tex. 81. libri 2. de Anima.

Democriti de anima sententia.

Et hæc quidem vniuersè dicenda fuerunt, vt id intelligeretur, quod speciatim ad animam pertinet. Illud autem est, animam ignem quendam & calidum esse. Quid ita? Quoniam tum ignem vniuersum tum in specie animam ex orbicularibus corpusculis constare inquiebant, quorumque communia sunt & similia principia, communem quoque ac similem æquum est esse naturam. Integraque horum philosophorum ratiocinatio hæc fuisse videtur. Anima primùm & maximè mouet, primùm ergò & maximè mouetur: orbicularibus igitur atomis constat, ergò ignis quidam est. Quod enim calidum addit, nihil ab igne diuersum significat, dum de sola Democriti opinione loquitur: tantundémque fuit dicere ignem quendam & calidum, ac si calidum quendam ignem dixisset.

Ita paucis concludebant, quæ orbicularia existunt, maximè sunt ad motum accommodata, anima igitur ex orbicularibus constat: at quidquid ex orbicularibus constat, ignis est, anima igitur est ignis: orbicularem porrò figuram esse maximè motui opportunam, ex eo ratiocinabantur; tum quòd angulis careat, qui motum impediant, tum quòd superficiem in puncto tangit, ideoque facillimè voluitur. Nam etsi acuto pyramis angulo citiùs penetret, amplior tamen basis retardat motum. *Orbicularis figura maximè mobilis.*

Sanè Zeno quoque, Cleans, Chrysippus, & Stoici, spiritum calidum & igneum animam esse prodiderunt; & Heraclitus Ephesius humidorum euaporationem. Etenim à natiuo calore in viuentibus opera omnia administrari, frigusque actionem omnem impedire cernebant. Tandiu etiam nos viuere, quandiu durat in nobis calor, eóque extincto cessare vitam. Ac demum ea meliorem habere animam & vitam, quæ amplioremhabent calorem. Ita calorem non animæ instrumentum, sed animam esse putarunt. Calor autem ignis qualitas est. Quòd si de cæteris quoque liceat diuinare, atomos hasce igneas perpetuò moueri dixerunt quòd perpetua sit nec vnquàm intermissa vitæ & caloris actio. Impartibilitate demum atque orbiculari atomorum figura intellectus fortasse adumbrarunt naturam, quæ tum impartibilis est, tum in seipsam redit, subindéque reuoluitur. *Stoici putarunt animam esse ignem.*

Cæterùm quòd latinè figuras reddidimus, græcè est ῥυσμὸς: mirarique quispiam possit, cur philosophus cùm paulò ante dixisset σχήματα, ῥυσμὸς nunc mutata voce dixerit. Verè hanc Abderiticam vocem esse Philoponus scripsit: pulchréque hunc locum interpretabitur nobis ipsemet Aristoteles; qui in capite quarto lib. 1. Metaphys. commemorans illam Leucippi & Democriti de rerum principiis in superiori commentario positam opinionem; de triplici entium differentia, ex corpusculorum figura, ordine, ac situ, ita loquitur. τούτων μέντοι τριῶν εἶναι λέγουσι, σχήματι, καὶ τάξιν, καὶ θέσιν. διαφέρειν γὰρ φασι τὸ ὂν ῥυσμῷ καὶ διαθιγῇ καὶ τροπῇ μόνον. ——— ——— Quid autem Abderiticæ hæ voces significent, statim exponit; τούτων δ', inquiens, ὁ μὲν ῥυσμὸς σχῆμά ἐστιν, ἡ δὲ διαθιγὴ τάξις, ἡ δὲ τροπὴ θέσις. Itaque quod ad rem præsentem attinet, ῥυσμὸς idem est quod σχῆμα, idem quod figura. Et antea quidem σχῆμα dixit, tanquam communem & vsitatam vocem: nunc autem ῥυσμὸν, tanquam illorum, quorum sententiam tractabat, auctorum propriam. *ῥυσμὸς quid.*

TEXTVS.

Τούτων δὲ τὰ σφαιροειδῆ, ψυχὴν, διὰ τὸ μάλιστα διὰ παντὸς διήκεσθαι διαδύνειν τὸν τοιοῦτον ῥυσμὸν, καὶ κινεῖν τὰ λοιπὰ, κινούμενα καὶ αὐτά, ὑπολαμβάνοντες τοῦτ' εἶναι τὸ παρέχον τοῖς ζώοις τὴν κίνησιν.

Horum autem orbicularia, animam; quòd maximè per totum penetrare possunt huiusmodi figuræ & reliqua mouere, cùm mouentur & ipsa: animam accipientes id esse, quod præbet animalibus motum.

COMMENTARIVS XXXVII.

RAtionem exponit, qua persuasi Democritus & Leucippus orbicularia corpuscula esse animam aut ex illis potissimùm constare hanc affirmarent. Nimirum tribus positis. Primò, indiuidua corpuscula rerum omnium principia esse. Altero, animam id esse, quod maximè & primùm animalia mouet (quibus verbis generalem de animatis omnibus pronunciatam propositionem de animalibus nunc & locali motu interpretatur): & tertiò, quod mouet aliud, debere ipsum moueri, immò ideò mouere, quia mouetur.

TEXTVS.

Διὸ καὶ τοῦ ζῆν ὅρον εἶναι τὴν ἀναπνοὴν· συνάγοντος γὰρ τοῦ περιέχοντος τὰ σώματα, καὶ ἐκθλίβοντος τὰ σχήματα τὰ ἐγκείμενα τοῖς ζώοις τὴν κίνησιν, διὰ τὸ μηδὲν αὐτὰ ἠρεμεῖν μηδέποτε, βοήθειαν γίγνεσθαι θύραθεν, ἐπεισιόντων ἄλλων τοιούτων ἐν τῷ ἀναπνεῖν· κωλύειν γὰρ αὐτὰ ἐν τοῖς ζώοις ἐκκρινόμενα, συναπειργοντα τὸ σωμάτιον καὶ παγνύον, καὶ ζῆν ὅ, ἕως δύναται τοῦτο ποιεῖν.

Vnde

Vnde & viuendi terminum esse respirationem. Circumfuso namque aëre corpora comprimente & elidente figuras eas, quæ præbent animalibus motum, quòd ipsæ quiescant nunquam: subsidium forinsecùs fieri, subeuntibus ciusmodi aliis inter respirandum. Prohibere enim has, ne quæ in animalibus insunt excludantur: simul cõpellentes id, quod cogit & glutinat: & viuere autem, quousque possint id facere.

Tex. 21

COMMENTARIVS XXXVIII.

ὅρος quid.

DVplicem huius loci interpretationem adferre videtur duplex illius vocis (ὅρος) significatio. Quippe interdum definitionem significat: vt in primo Top. lib. cap. 4. ἔστι δ' ὅρος μὲν ὁ λόγος, ὁ τὸ τί ἐστιν σημαίνων: est inquam oratio quid erat esse significans. Interdum autem terminum, metam, & finem: vt alibi sæpe. Sanè nonnullos video definitionem hoc loco interpretari: quasi Democritus & Leucippus orbicularibus atomis constare animam opinati, vitæ definitionem esse vellent atomorum harum respirationem. Mihi tamen magis placet vitæ terminum ac metam respirationem exponere: vt conceptam illam de animæ natura opinionem quasi ex effectu confirmarent illius auctores, ipsque consentaneam demonstrarent, quæ in animalibus eueniunt. Quippe & tunc benè fuisse credimus cuiusque rei naturam expositam, cùm & dubitationes soluuntur, & proprietates facilè cognoscuntur, vt in tex. 11. lib. 4. Physic. de loco philosophabatur Aristoteles.

De respiratione quid Democritus.

Animam cernimus & vitam respiratione conseruari, respirationeque cessante cessare, eundēque & viuendi & respirandi terminum esse. Quid ita? Nimirum quia frigidus aër circunfusus cogit & constringit corpora nostra, extrudũturque atomi, quibus ea tanquam vita & anima sunt plena: quæque propterea motum corporibus adferebãt, quòd semper ipsæ mouerẽtur. At ne extrusis hisce animalia priuentur illicò vita, forinsecùs aliæ subeunt, quibus & extrusarum compensetur iactura & reliquarum impediatur extrusio, nimiaque frigidi aëris compressio arceatur: calida enim & ignea sunt huiusmodi corpuscula. Tandiu vero prorogatur animalium vita, quandiu hoc facere possunt: suscipere inquam & reddere atomos, hoc est respirare. Respirationem enim hoc loco tum inspirationem tum expirationem dicit.

Quòd autem Philopono libuit interpretari verba illa (Quod ipsæ quiescant nunquàm) significare causam, cur atomi intra corpora nostra contentæ excludantur. Cùm enim sint motu facili, nullo quoq; excludẽte, ipsæ per se non quiescentes ducuntur) minùs omnino probandum est, & philosophi verbis aduertatur. Quia cùm duplicis effectus quæreretur causa, alterius, quidnam esset, quod animalibus adferret motum; alterius, quid tandem ex animalium corporibus contentas excluderet atomos, extrusionis causam esse prodidit ambientẽ, & constringẽtem aërem frigidum; motum verò propterea animalibus adferre atomos, quod ipsæ moueantur semper & quiescant nunquam. Quod si ad exclusionis causam illa ipsa verba referre omnino libeat, exclusionis quidem causa prima fuerit ambiẽs aër cogens: at cur hæ atomi faciliùs ac promptius excludantur, causa erit, quòd ipsæ sint in motu, faciliusque moueãtur ea, quæ iam sunt in motu, quàm quæ quiescunt, vt est in quæst. 12. Mechanicarum.

Confutatio Democrit.

Verùm neutrum videtur à veteribus illis sapienter excogitatum. Primùm quoniam si atomi idcircò mouent, quia mouentur ipsæ, quemadmodum ipsæ quiescunt nunquàm, nunquàm item animalia quiescerent: at quiescunt sæpissimè multóque tempore. Neque verisimile est tantam minimorum corpusculorum vim esse tãque efficacem motum, vt tam magnæ & crassa animalium corpora mouere queant. Denique eo demum motu mouerent, quo mouerentur ipsa: nõ incessu, saltu, cursu, & eiusmodi cæteris motibus quos in animalibus obseruamus.

Minùs verò certa videntur ea esse, quæ de respiratione dicuntur. Primùm quoniam non omnia animalia respirant: omnibus tamen anima inest & vita. Deinde si is esset respirationis modus, cessaret nunquam respiratio nec priuarentur vnquã animalia vita. Quippe egredientibus aliis atomis ingrederentur aliæ. Tum verò aër non semper est frigidus ad constringendum; sed calidus persæpè ad rarefaciendum & dilatandum. Vbique tamẽ & semper, siue aëre frigido siue calido, respiramus. Sed & subeuntes à quónã intus truduntur atomi, & cur atomi calidæ potiùs quã aliæ? Cúmque respiratio duplici constet motu, compressione ac dilatatione thoracis, vt compressionis causam frigidum aërem esse dixerunt, sic dilatationis causam explicare debuissent. Ad extremùm vt respirationem in calidioribus & sanguineis animalibus duntaxat obseruamus, ita illius vsum & finem intelligimus esse interioris caloris refrigerationem. Quid igitur calidas & igneas atomos inquiunt inspiratione suscipi?

Asclepiadis & Praxagoræ de anima sententia.

Asclepiadem quidem medicum respirationem dixisse animæ ipsius generationem esse, & Praxagoram corroborationem quandam, scribit Galenus ad initium libri de vtilitate respirationis: at non calidi corporis, sed frigidi aëris susceptionem ac redditionem illam esse intellixerunt.

Digressio v. *Quanta fide cum veteribus philosophis egerit Aristoteles.*

Vt Aristoteles veteres Philosophos reprehẽderit.

NON esse prorsus asserendum ait Simplicius putasse Democritum ex corporibus constare intelligentem animam; quam orbicularis atomorum figura idcircò creditur significare, quòd hæc anima in seipsam velut orbis quidam redeat. Neque Aristotelis narrationi standum, qui quòd obscura esset veterum philosophia, ea illis plerumque apponit, quæ præ se ferre verba videntur. Quod cum Pythagoricis quoque illum in sequentibus feciſse putat.

Parmenidis & Melissi sententia de vno primo principio.

Cuius rei duplex argumentum hoc loco adferre satis erit. Alterum, quòd idem ipse Simplicius in commentariis 1. lib. Physic. Melissi ac Parmenidis opinionem illam de vno primo principio immobili, quam Aristoteles tãtopere exagitauit, de prima causa secus omnino, quàm Aristoteles, interpretatur. Ea enim est vna, quia vnitas est multitudine prior. Est immobilis, quia omnis mutationis expers. Est infinita Melisso, non quantitate, sed durationẽ; hoc est ingenita & æterna. Est Parmenidi finita, quia perfecta: & cùm sit aliorum finis, fine meliùs, quàm infinitate, explicatur; finitum quippe imperfectionem & materiam significat.

Nec Simplicius modò, sed ex posterioribus quoque Augustinus Eugubinus in 3. lib. de perenni philosophia cap. 6. & Io. Franciscus Mirandulanus in 6. lib. examinis doctrinæ gentium cap. primo, & Nicolaus Cusa in lib. de filiatione Dei, & Cardinalis Bessarion lib. 2. aduersus calumniatorem Platonis cap. vlt. ita illorum sententiam exponunt; immeritoque illos ab Aristotele dolent reprehensos. Déque Parmenide idem confirmat Plotinus in libro de tribus præcipuis substantijs cap. 8. primumque hoc principium sphæræ globo comparatum ab eo fuisse addit: tum quia cuncta in se inuoluta complectitur: tum quia illius intellectio nõ petitur ab extrinseco, sed in seipso perficitur. Quod etiam in cõmentarijs 1. Physic. habet Philoponus & Agatho apud Platonem in conuiuio nónne Parmenidem dixit de priscis Deorum gestis scripsisse? Quin & Aristoteles ipse in tex. 6. & 32. Parmenidem illum ac Melissum ab ijs, qui de natura loquuti essent, separauit, & in tex. 2. lib. 3. de Cœlo eos scripsit alioqui beatè, at non naturaliter fuisse loquutos, quoniam de ingenerabili & incorruptibili ente loqui non est naturalis philosophi.

Platonis opinio de Ideis.

Alterum eiusdem rei simile argumentum est, quod idem ipse Aristoteles aduersus ideas à Platone positas vbique inuehitur, quæ tamen si meliore sententia intelligantur, maximè probandæ sunt & cõmendandæ. Et Simplicius exponẽs tex. 19. lib. 2. Physic. Peripateticos putat & Academicos in eo conuenisse, vt eorum quæ hic sunt præexistere dicerent æternas quasdam & immutabiles causas, Deum & separatas mentes; easque non efficientes modò, sed & exemplares causas esse. Quod multis modis ostendit, quos non est huius loci commemorare. Sed & Ammonius in proœmium Porphyrij idipsum ostendit, & Philoponus in commentarijs hisce de anima interpretationem faciens tex. 8. & 17. duo significat Aristotelis loca: tum in 7. Metaph. tex. 23. & 30. vbi duplicem sanitatem ponit, vnam in medico, sanitatis effectricem; alteram in sano corpore, ab illa prima effectam: tum in tex. 52. lib. 12. vbi duplicem item ordinem esse ait, vnum in Imperatore, alterum in exercitu, alterum alterius effectorem ac moderatorem.

Ideas vbi poneret Plato.

Sanè Platonem quamuis non defuerint qui ideas illas crederẽt in certo quodam loco separatas cogitãsse, siue in aëre, siue in concauo lunæ, siue in stellato Cœlo, aut etiam extra mundum, & Ammonius notato loco & in Categoriam substantiæ, aliique nonnulli, eas omnino illum extra diuinam mentem per se seorsim existentes posuisse scripserint, acritérque hoc pro Aristotele pugnauerit Iulius Cæsar Scaliger, in exercitatione sexta aduersus Cardanum, num. 4. Plurimi tamen viri doctissimi vel etiam Platonici, de ideis diuina mente contentis eum loquutum fuisse dixerunt: quemadmodum S. Dionysius Areopagita cap. 5. libri de Diui. nom. & S. Augustinus in lib. 83. quæst. 46. & lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 26. & Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, & Cæsariensis Eusebius lib. 11. de præparatione cap. 12. & Seneca lib. 8. Epistolarum Epist. 66. & Plutarchus lib. 1. de plac. philosophorum cap. 10. & Galenus aut quisquis fuit auctor libri de historia philosophica, & Plotinus, Alcinous, Iamblicus, Proclus, Psellus, & antiquiores alij, atque ex posterioribus plurimi, quos longum esset commemorare.

Namque in Timæo mundi opificem Deum ad suum exemplar æternum intuentem ait fecisse mundum: Ideámque intellectile primum appellat, quod deum esse constat. Atque hoc vtitur argumento. Sicut artifex præclarum vllum opus moliri non potest, nisi animo gestet illius formam quam operando intueatur, sic sapientissimus opifex Deus tam præclara facere opera non potuisset, nisi eorum ideas habuisset in mente: neque tam sapienter nunc administraret, nisi illorum ideas possideret. Omne siquidem agẽs per intellectum ideam inspicit mente conceptam. Deum verò credi non potest ideam extra se positam in mundi molitione inspexisse. Non enim ab vllo extrinseco pendet: neque plura sunt 1. principia: inspectioq; ideæ illa accidẽtaria Deo foret, quare in telligens, intellectio & intellectũ, non essent idẽ. Deum quoque voluit esse primum ens, totiúsque opificem mundi: si igitur ideæ extra Deum essent, fuissent illæ quoq; à Deo productæ: & cùm Deus agat per intellectũ, ideæ esset idea, quod negauit Plato. Immo ideas simul cũ Deo æternas esse ante mundum conditum atque ad earum imitationem factum eum fuisse voluit. Ac demum duplicem is ideam posuit: generalem vnam totius mundi. Quia enim vnus est opifex & idea vna, mundum conficit esse vnum. Vnam verò esse ideam ex eo ratiocinatur, quia si plures essent, aut similes essent aut dissimiles: si similes, superuacaneæ esses; si dissimiles, vna haberet aliquid quod alteri deesset, nullâque foret perfecta, quare nec mundus perfectus. Alteram particularem & multiplicem: quia vt multæ sunt huiusce mundi partes, ita & in illo intellectili Dei mundo generalive idea plures oportet esse rerum singularum ideas. Et vtis, qui totum quodpiam componit, partes eius cognoscat antea oportet, vt sapienter opus absoluat, sic Deus sapientissimus mundi huius sensilis architectus singularum partium ideas habuit.

Qui de ideis Mercurius.

Ex quibus omnibus confici planè videtur, nullam alibi, quàm in diuina mente, ideas illas cogitasse Platonem. Sed & ante illum ita Mercurius prodiderat Trismegistus, ex cuius illum fontibus opinionẽ eam deriuasse credi potest. Namque in Pimandro non solùm per conuersam Dei patris ideam ait se in mente lucem sensisse viribus innumeris præditam: & rursum naturam Dei appellat imaginẽ. Sed etiã Deus pater, inquit, plenus ideis qualitates inferens in sphæram, ideſt materiam, velut in gyrum qualitate omni circumscripsit. Et mox Deum addit consimilia sibi omnia fecisse, rerumque omnium in Deo ideam esse, ac præter sensilem hunc mundum intellectilem alium & exemplarem esse, in quo sensilis huius idea cõsistat. Et in Asclepio Dei tanquam exemplaris & ideæ duplicem facit imaginem, vnam in mundo, alteram in homine: mentémque, hoc est Deum, capacem vocat & seruatricem omnium rerum, lucem exemplarem, exemplar, & similia plura.

Earum sententiarum Aristoteles.

Quid igitur Aristoteles reprehendit? Quid hominem calumniatur? vere videtur respondisse Simplicius in commentarijs secundi lib. Physic. non has eum ideas confutare, sed vulgarem & plebeiam illam opinionem, quæ per se, illas existentes ac separatas existimabat. Quod verba illa signi-

significant tex. 19. latent autem qui hoc faciunt & qui ideas dicunt: Atque huc sanè argumenta philosophi omnia spectant. Et vniuersè plerumque veteres philosophos reprehendit, quòd ea cuiusque iudicetur esse sententia, quam illius verba iudicare videntur: eáque meritò reprehenduntur, quæ ex verbis illis, quibus proponuntur, iudicantur absurda.

Itaque hac increpatione duo spectauit. Alterũ ne quis fortasse illorum sentẽtiam vt verba præ se ferre videbantur accipiens, præiudicata antiquitatis auctoritate in errorem abduceretur. Ita nimirum Philoponus quoque respondit in comment. tex. 45. vbi de Platonis sententia de anima disputabitur. Alterum; vt nos moneret non impropriis & metaphoris, sed apertis ac propriis philosophum hominem vti verbis oportere; neque res naturales per diuinas esse explicandas, vt veteres illi fortasse fecerunt, & in Timæo Plato vt adnotat Philoponus in comment. ad tex. primum lib. primi Physic. sed diuinas potiùs ex naturalibus inuestigandas, quemadmodum in 8. Physic: & in 12. Metaph. noster Aristoteles fecit. Denique sapienter illud est à Themistio scriptum in cap. 20. dum in tex. 45. Platonis de anima sententiam tractabit philosophus: æquum non est, inquit, in altissimis philosophiæ quæstionibus aliud sentire, aliud dicere. Cùm enim semper digna res homine est ne à mente verba dissentiant; tum id maximè in rebus obscuris & arduis obseruandum: quòd ea, quæ suopte ingenio remota & condita videantur, verbis illustribus & quàm maximè potest declarantibus vendicentur à tenebris.

TEXTVS.

Tex. 22. Ἔοικε δὲ καὶ τὸ περὶ τῶν Πυθαγορείων λεγόμενον, πλὴν ἀνθρωπίνως ἐνδιάνοιαν. ἔφασαν γάρ τινες αὐτῶν ψυχὰς εἶναι τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα. οἱ δὲ τὸ παῦτα κινοῦν. σημεῖον δὲ τούτων λέγονται διότι συνεχῶς φαίνεται κινούμενα, κἂν ᾖ κωλυμα παντελὲς.

Videtur autem & quod à Pythagoricis dictum est, eamdem habere sententiam. Dixerunt enim eorum aliqui, animam esse, quæ in aëre ramenta: alij verò quod hæc mouet. De his autem dictum est, quòd continuè moueri videntur, etsi omnimoda tranquillitas sit.

COMMENTARIVS XXXIX.

HIc quoque de Aristotelis fide rursum fortasse dubites. Themistius enim quinam hi fuerint Pythagorici, qui ita senserint nusquàm se comperisse ait: Simplicius nunquàm eos hæc opinatos fuisse affirmat, vt in Democriti ac Leucippi sententiam irent, animamque assererent aut in aëre volitantia ramenta esse; aut id certè, quod hæc corpuscula mouet agitatque: Moueri namque à seipsis animatorum proprium est: mouentur autem à seipsis ramenta. Quod duplici argumento concluditur. 1. Quòd continenter & perpetuo mouentur. Altero, quòd vel tranquillissimo pacatoque maximè aëre nec vllo externo ventorum impulsu agitato, nihilominùs mouentur. Quòd si moueretur ab alio, aëréque à ventis agitato agitarentur & ipsa, non semper mouerentur, sed sæpè quiescerent. Quoniam ventis non semper commouetur aër, sed in summa persæpè tranquillitate quiescit.

Pythagoreorũ sententia, Animã esse ramenta in aëre volitãtia.

Omnino hæc videtur illorum ratiocinatio fuisse. Aut à seipsis aut ab alio ramenta mouentur: si ab alio mouerentur, maximè mouerentur à vento aërem commouente; at non semper adest ventus, nec ab eo semper commouetur aër, sed sæpè quiescit, nec tamen quiescunt illa: mouentur igitur à seipsis, ergò ab anima. Siue quòd ipsamet sint anima, quæ propterea moueat animata corpora, quòd moueantur ipsa, vt in tex. 20. dictum est: siue quòd vis mouens insita ipsis sit tanquam ipsorum anima; quæ dum simul cum ipsis in corporibus animatis suscipitur, ipsa quoque moueat.

Veterũ philosophiæ symbolica.

Pythagoricorum hanc fuisse sententiam plane Philoponus asserit: quæ si verborum sonum spectes, ridicula sanè sit. At vniuersam eorum philosophiam constat fuisse mysticam, symbolis & ænigmatis occultatam; ne vulgarem & vt alicubi loquitur Plato, coriariis quoque communem sapientiam suam facerent: quæ veterum quoque poëtarum fuit industria. Quare vt qui animam harmoniam esse dixerunt: non eam, quæ in chordis est, harmoniam dixerunt: sed vt harmonia est artificiosa quædam permistio & vnitas plurium sonorum, sic animam appellarunt harmoniam, quòd plura vniat & in se ipsa colligat, superiora & inferiora, intellectum, sensum, appetitum, motum, nutritionem. Et cùm superior quædam substantia ipsa sit, inferioribus se communicat cúmque illis quodammodo sese commiscet. Sic etiam eam in aëre ramenta esse dixerũt; quòd vt hæc in Solis duntaxat apparent radiis, sic anima vbi à corpore sensibúsque corporeis soluta est, in sui ipsius apparet luce, suamque substantiam demonstrat, incorpoream, impartibilem, diuinã. Dũ verò est in corpore, velut in tenebris, & corporis affectionibus obruta, ceu marinus Glaucus apud Platonem cæno & alga obsitus, nõ ipsa, sed corporis affectiones apparent. Ita Pythagoricorum sententiam interpretatur Philoponus.

Animæ vt harmoniæ.

Animæ vt ramẽta.

Animæ nostræ immortalis Pythagoræ.

Et certè si Pythagoræ, quæ extant, scripta consulas, eũ reperies immortalem fecisse animã nostrã atque à corpore separabilem: vnde illud, Diuinum genus est mortalibus: & illud, Si corpus reliqueris, & purificatus ad æthera veneris, eris immortalis Deus, incorruptibilis, non ampliùs mortalis. Quî igitur credi possit, aut ipsum aut vllum scholæ illius alumnum animam. credidisse nil aliud esse, quàm in aëre volitantia ramenta, vimque illis insitam?

Cur ab Aristotele confutetur hæc sententia.

Aristotelem verò iam diximus in veterum illorum sententiis tractandis verba potiùs spectasse, quàm sensum: idque ratione optima sapientique consilio. Atque hæc quidem secunda opinio numerari potest. Tertiam deinceps subiungit.

TEXTVS.

Ἐπὶ ταυτὸ δὲ φέρεσθαι καὶ ὅσοι λέγουσι πλὴν ψυχὴν τὸ αὐτὸ κινῶν. εἰκάσαι γὰρ ἔστιν ὑπειληφέναι πλὴν κίνησιν οἰκεῖον πάντων εἶναι τῇ ψυχῇ, καὶ τὰ μὲν ἄλλα πάντα κινεῖσθαι διὰ πλὴν ψυχῆς, ταύτην δ' ὑφ' ἑαυτῆς, διὰ τὸ μηδὲν ἐφ' ἑαυτὸν κινεῖν, ὃ μὴ καὶ αὐτὸ κινεῖται.

In idem autem feruntur & quicunque animam inquiunt quod seipsum mouet. Videntur namque hi omnes motum existimasse familiarissimum animæ esse. Et alia quidem omnia moueri per animam, hanc autem à seipsa: quòd nihil viderent mouere, quod non & ipsum moueatur.

COMMENTARIVS XL.

Tertia sentent. animã esse quod seipsum mouet.

TErtia hæc opinio Platonis fuisse dicitur à Simplicio, Philopono, & Auerroë: Xenocratémque & Alcmæonem addit Philoponus & Thaletem Plutarchus in 4. lib. de philosophorum placitis. Hi omnes eòdem tendebant, in eandemque ibant sententiam: dum animam inquiebant esse aut numerum seipsum mouentem, aut omnino id, quod seipsum moueat. Et Thales τὸ ἀεικίνητον, id est quod semper mouetur: vt in aëre ramenta, etsi aër maximè tranquillus & sedatus sit. Sed & Aristoteles ipse non multò post affirmabit in tex. 32. motiuum aliquid animam esse opinatum illum fuisse. Itaque licet interdum Platonis sententiam tacito hominis nomine consueuerit indicare: hoc tamẽ loco generali magis vtitur oratione: & eos omnes complectitur, quicunque animam dixerunt id esse, quod seipsum moueat: quidquid illud esset & quocumque modo moueret. Omnesque communibus illis duabus hypothesibus nitebantur, quæ in tex. 20. positæ sunt. Altera, motum animæ familiarissimum esse, hoc est maximè proprium, & qui penes ipsam habitet atque in illius domo reperiatur. Quippe ipsa (vt antea loquebatur) id est, quod maximè & primùm mouet. Altera, non posse quidquam mouere aliud, quod ipsum non moueatur: & ideò cùm ab anima moueantur cætera omnia: propterea moueri, quòd ipsa moueatur à se ipsa. Sic animam conficiebant quidpiam esse, quod seipsum mouet. Nam si ab alio moueretur, non esset ipsa principium motus.

Duæ veterum hypotheses.

Subobscurè tamen & obiter philosophos hosce carpit: quasi verò nullum esset mouens immobile, quale in 8. Physic. lib. demonstratum ab ipso fuit. Sed veterum fortasse sententia non fuit, animam illo ipso corporeo & locali motu moueri, quo ipsa mouet corpus (quanquam hoc ramentorum in aëre volitantium videatur exemplum significare) sed alio quopiam, cognitionis, intelligentiæ, & appetitus.

Platonis ratiocinatio.

Sanè in 10. lib. de leg. Plato cùm quatuor rerum genera distinxisset; quarum quædam mouentur duntaxat; aliæ mouent alias & ab aliis mouentur, aliæ mouent & propria virtute mouentur; aliæ demum sunt penitus immobiles; ita tandem ratiocinatur: Id quod à se mouetur, viuit; viuit autem quodlibet per animam; anima igitur est substantia seipsam mouens. Quare se ipsum mouere definitionẽ dixisset esse illius substantiæ, quam communi nomine omnes animam appellamus. Ita non multò post sententiã hanc interpretatur. Omnia igitur, quæ in cælo & in terra, & in mari, ducit suis motibus anima: quorũ nomina sunt, velle, considerare, curare, deliberare, rectè & falsò opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere. Itaque cum decem omnino motuum sibi differentias proposuisset, circularem, localem transitum, densationem, rarefactionẽ, accretionem, decretionem, ortum, interitum, mutationem ab alio in alio factam, ac demum mutationem ex se, tum in se, tum in alio excitatam, priores octo corporum proprias dixit, nonã naturæ, decimam animæ. Natura enim ab impartibili atque immobili ideali essentia recedens ad materiam & corpus, ab externo mouente mouetur in corpore. Anima verò ex se ipsa, tum in se, tum in alio, hoc est in corpore, motum promit. In se cognitionem, volitionem, & huiusmodi cæteros: in alio corporum motum ex motu in se profectum. Propterea anima est id, quod primùm & maximè mouet; Quia se ipsam mouens, corpus quoque mouet atque impellit.

Anima natura media.

Quo loco Simplicius cùm animã audit id appellari, quod se ipsum mouet: nomen ait ex extremis cõpositum medietati animæ dari: quippe mediũ particeps extremorũ est. Animamq; Platoni moueri, quòd à primo motore degeneret, qui mouet immotus: non tamen simpliciter mobilem, sed per se mobilem esse: quòd ab impartibili essentia, & actione, quæ motus & variationis expers est, non omnino recedat, sed quâsi media consistat inter ea, quæ penitus immobilia sunt, & ea quæ ab alio mouentur: quoquomodo partibilis, quatenus mouetur; & rursum impartibilis, quatenus à se ipsa mouetur.

Vt in ea re nodus sit.

Verùm de Platonis sententia de animæ natura pluribus pòst rursum dicendum erit. Nunc intelligatur, id quidem, quod mouet vt finis, posse esse immobile, at quod mouet vt efficiens quemadmodum intelligentiæ cœlestium orbium motrices, moueri quoque oportere; si non eodem motu quo mouet, alio certè genere motus. Quippe primus motor corporeo quidem cælestis orbis motu immobilis mouet: at intelligendo & volendo mouet, intellectióque & volitio motus quidam in ipso sunt.

TEXTVS.

Ὁμοίως δὲ καὶ Ἀναξαγόρας ψυχὴν εἶναί λέγει τὸν κινοῦντα, καὶ εἴ τις ἄλλος εἴρηκεν, ὡς τὸ πᾶν ἐκίνησεν νοῦς· ὁ μὲν παντελῶς γε, ὥσπερ Δημόκριτος. ἐκεῖνος μὲν γὰρ ἁπλῶς ταὐτὸ τὸν ψυχὴν καὶ τὸν νοῦν. τὸ γὰρ ἀληθῶς εἶναι, τοῦτο φαινόμενον. διὸ καλῶς ποιῆσαι τὸν Ὅμηρον, ὡς Ἕκτορ κεῖτ' ἀλλοφρονέων. ὁ δὴ χρῆται τῷ νῷ, ὡς διωλέμεθ' ἡμεῖς πεῖ τὸν ἀλήθειαν, ἀλλὰ ταὐτὸ λέγει ψυχὴν καὶ νοῦν.

Similiter autem & Anaxagoras animam esse ait mouentem; & si quis alius dixit, quòd vniuersum mouet mens. Non omnino tamen vt Democritus. Ille namque simpliciter, idem animam & mentem. Id enim verè esse, quod apparet. Quare pulchrè Homerum scripsisse, quod Hector iacet abalienatus mente. Atqui non vitur mente vt facultate quapiam circa veritatem; sed idem dicit animam & mentem.

Textus.

COMMENTARIVS XLI.

Anaxagoræ vera de mente sententia.

QVartam adiungit Anaxagoræ Clazomenij sententiam; qui motu quoque animam definiebat, eam accipiens velut mouentem causam: & siquis alius cum eo sensit, Archelaum Philoponus memorat. Anaxagoras igitur, vt ex primo Physic. lib. & aliis pluribus locis cognoscitur,

Auctoris mentem explicat.

Anaxagoræ principia.

innumera-

innumerabiles posuit similares partes, qualitatibus contrarias, in chao permistas omnes. Quam permistionem appellauit παντσπερμίαν, hoc est omnifariam seminum mistionem seu semina rerum omnium continentem; aut ὁμοιομερείαν, id est particularum similaritatem, velut rerū omnium producendarum materiam; principiumque materiale, ex quo mens totam hanc rerū vniuersitatem procreauit. Mentē enim adiunxit, quæ permistas illas partes mouens ac segregans velut efficiens causa produxerit singula. Vt cuiusque rei ortus nil aliud sit, quàm similarium partium ex chao separatarum congregatio, interitusque earundem dissolutio ac reditus ad chaos. Quin etiam in re quauis partes inesse voluit rerum omniū similes; & ideò ex quolibet fieri quodlibet. Nam ex quolibet fieri cernebat quodlibet; nec tamen ex nihilo fieri quidquam posse intelligebat. Hoc igitur est, quod nunc philosophus ait τὸ πᾶν mouit mens. Non enim τὸ πᾶν totam hanc aspectabilem rerum vniuersitatem significat, sed illius potiùs materiam & quasi seminale vniuersum: tantumdémq; valet ac παντσπερμία seu ὁμοιομερεία. Hæc rerum productarum vniuersitas non est id, quod mouet mens; sed id, quod motu productum fuit: quod autem mouetur, est chaos illud & similarium partium permistio.

Panspermia & homiomeria Anaxagoræ.

4. Anaxagoræ sententia, Animā esse mentem mouentem.

Quocirca persimilis in eo fuit Anaxagoræ opinio opinioni Democriti ac Pythagoreorū, quòd is quoq; motum animæ familiarissimum esse putauit, eoque maximè animam definiuit. At triplex fuit discrimen. Primum; quòd Democritus quidem & Pythagorei animam corporeum quidpiam & permistum fecerunt cum eo, quod ab ipsa mouetur. Anaxagoras verò incorpoream penitus & impermistam mentem. Alterum; quod illi quidquid mouet aliud, moueri & ipsum, ideóque animam seipsam mouere voluerunt: Anaxagoras mentē immobilē cætera mouere omnia. Hæc ex superioribꝰ ferè colligi philosophus voluit. Tertium nunc adiungit. Namque Democritus simpliciter & absolutè idem esse animam & intellectum tradidit. Nulla scilicet alia admittens entia præter sensilia, intellectilia nulla: & ideò nullam animæ cognoscentem virtutem præter sensum, intelligentem nullam. Neque veritatem in intellectu, sed in sensu quærendam esse. Et quoniam sensilia entia sunt in continuo motu & fluxu, nullam esse in rebus determinatam veritatem; sed omnino id verum esse, quod sensibus apparet. Quod Prothagoram quoque sensisse scribit Philoponus. Quos sanè consequens erat affirmare contradicentia de eadem re simul esse vera, eandemque rem simul esse veram & falsam, vt alio atque alio modo huic & illi homini apparet. Certè si ex obiectis facultates distinguuntur, intellectum à sensu non potuit is separare, qui sola sensilia entia, non item intellectilia cognoscenda sib proposuisset. Itaque pulchrè Homerum scripsisse affirmauit Hectorem in prælio vulneratum iacere mente atque intellectu priuatum; cùm sensu priuatus esset. Non enim mentem atque intellectum à sensu disiunxit. Sed poëtam hominem poëtica licentia vsum ac vocibus abusum fuisse, mirandum non esse monet Simplicius.

Verum esse quod apparet, Democriti scientia.

Cæterùm non hac sola Homeri authoritate sententiam suam confirmabat Democritus. Sed altero quoque argumento, quòd particula (enim) significat. Mens circa verum, anima circa apparens versatur: sed idem est verum atque apparēs; igitur idem est mens & anima. Vt enim se habet mens ad verum, sic anima ad apparens: atque proportione commutata vt se habet verum ad apparens, ita mens ad animam: quòcirca si verum & apparens sunt idem, consequens est mentem quoque & animam esse idem. Idem autem esse verum & apparens propterea is accipiebat, quòd sola crederet apparentia entia esse, nulla spiritalia nec sensibus non apparentia. Ita ex obiectis quidem de facultatibus ratiocinabatur: sed & falsum accepit, & falsum deduxit. Nam & aliud est verum, & aliud apparēs; & aliud mens, aliud anima & sensus; aliud intellectile, aliud sensile.

Anima & mens idem Democrito.

TEXTVS.

Ἀναξαγόρας μᾶλλον διαστρέφει περὶ αὐτῶν. πολλαχῶ μὲν γὰρ τὸ αἴτιον τοῦ καλῶς καὶ ὀρθῶς τὸν νοῦν λέγει. ἑτερῶθι δὲ τὸν νοῦν εἶναι τὸν αὐτὸν τῇ ψυχῇ. ἐν ἅπασι γὰρ ὑπάρχειν αὐτὸν τοῖς ζώοις καὶ μεγάλοις καὶ μικροῖς, καὶ τιμίοις καὶ ἀπιμωτέροις. οὐ φαίνεται δ' ὅμοιος κατὰ φρόνησιν λεγόμενος νοῦς, πᾶσι ὁμοίως ὑπάρχειν τοῖς ζώοις, ἀλλ' οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις πᾶσιν.

Anaxagoras autem minùs hæc declarat. Pluribus namque in locis causam eius, quod pulchrè & rectè habet, mentem ait: alibi verò mentem eandem esse cum anima. In omnibus enim eam animantibus inesse, & magnis & paruis, & honoratis & inhonoratioribus. Non videtur autem quæ secundùm prudentiam dicitur mens, omnibus æquè animalibus inesse; sed nec hominibus cunctis.

Text. 24.

COMMENTARIVS XLII.

QVid his verbis agat philosophus quæque illorum sententia sit, facile intelligas. Institutam enim Democriti & Anaxagoræ comparationem absoluit. Democritum dixit mentem ab anima non separasse. At Anaxagoram addit minùs quidem apertè atque explicatè hac de re fuisse loquutum: interdùm tamen visum esse mentem anima superiorem naturam ponere; cùm totius pulchri & recti, quod in rebus omnibus & verò in anima & animatis cunctis reperitur, causam esse mentem partes permistas separantem, rerumque omnium effectricem causam posuit. Sensus animave pulchri & recti causa dici non potest; & velut mentis effectus quispiam agnoscitur. Interdum verò mentem affirmasse eandem esse cum anima, dum inquam in omnibus vel abiectissimis & infimæ sortis animantibus mentem esse pronuntiauit: quæ tamen solo sensu, non mente constare & viuere constat.

Videtur autem philosophus quidem Demo-

critum absque reprehensione dimisisse : re vera tamen summo vtrumque compendio reprehendit. Ac primùm quidem Anaxagoram obscuritatis arguit & inconstantiæ, qua pugnantia quoque loquutus sit. Deinde verò vtrumque; quòd mentem in animantibus omnibus inesse cogitauerint, dum eam ab anima non separarũt. Quippe mens, in qua prudentia viget (hæc enim præcipua est mentis virtus atque illius actionum omnium moderatrix & regula) ne in hominibus quidem omnibus apparet, cùm plerique insipientissimi sint & contra omnem prudentiæ rationem agant & viuant. Tantum abest, vt in animalibus cunctis insit: quæ vbi optimè & suæ naturæ congruenter maximè operantur, phantasia sola, non mente, ratione, & prudentia ducuntur. Et quoniam phantasia quoque νοῦς quædam est, vt mentem à phantasia distingueret, propterea dixit, Mens, quæ secundùm prudentiam dicitur.

Phantasia est νοῦς.

A

B

TEXTVS.

Ὅσοι μὲν οὖν ἐπὶ τὸ κινεῖσθαι τὸ ἔμψυχον ἀπέβλεψαν, ἢ ὅτι τὸ κινητικώτατον ὑπέλαβεν τῶν ψυχῶν. ὅσοι δ' ἐπὶ τὸ γινώσκειν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι τῶν ὄντων, ἢ ὅτι ἐν λέγουσι τῶν ψυχῶν τὰς ἀρχάς, οἱ μὲν πολείας ποιοῦντες τὰς ἀρχάς, οἱ δὲ μίαν ταύτην, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς μὲν ἐκ τῶν στοιχείων πάντων. εἶναι δὲ ἕκαστον ψυχὴν τούτων, ἢ ὅτο λέγων· Γαῖαν μὲν γὰρ γαίαν ὁπόπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ, αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀίδηλον, στοργῇ δὲ στοργὴν, νεῖκος δὲ τε νείκει λυγρῷ.

C

Tex 25. Quotquot igitur animati motum aspexerunt, hi maximè motiuum acceperunt animam. Quicumque verò cognitionem & sensum eorum, quæ sunt; hi sanè animum inquiunt principia: illi quidem plura facientes principia, hi verò vnum hoc. Quemadmodum Empedocles quidẽ ex elementis omnibus: esse autem & vnum quodq; eorum animã, ita inquiens: Terra namq; terrã vidimus & aqua aquã, æthere æthera diuum, at igne exitiosum ignem, amore autem amorem, & discordiam discordia tristi.

D

COMMENTARIVS XLIII.

QVatuor commemoratis opinionibus, quæ ducuntur ex motu, primò huic capiti finem imponit hac clausula; philosophos eos omnes, qui animata ab inanimatis motu distingui considerarunt, animam posuisse id esse, quod maximè motiuum præcipuamque mouendi vim habere quisque iudicaret. Deinde alterum caput aggreditur, quod ex cognitione petitur & sensu. Duobus enim præsertim, motu & sensu, animata ab inanimatis differre hæcque maximè propria esse animæ, in text. 19. acceptum est.

E

Quicumque igitur sensum & cognitionem in animæ natura inuestiganda spectarunt, consenserunt omnes in eo, vt eam vellent ex rerum omnium principiis constare; siue plura principia ponerent, siue vnum. Cur ita sentirent causa fuit; quoniam cognitionem omnem similitudine rei cognitæ & cognoscentis constare, similesque simili cognosci arbitrabantur. Quod verum sanè est, si vt par est intelligatur. Quippe anima cognoscendo fit omnia, rerumq; omnium similitudinem suscipit & omnes cognoscendo in se transfert; vt pluribus alio loco docebimus. At similitudinem illi non effici cognitione, sed cognitionem omnem antecedere velut cognoscendi principium; neque cognitæ formæ sed naturæ similitudinem esse voluerunt. Vnde consequens erat animã ex rebus omnibus constare oportere, vt omnes posset cognoscere. At quoniam id fieri non posse omnino videbant (res enim, quæ cognoscuntur, innumerabiles sunt) ex omnium saltem principiis constare illam posuerunt. Principia siquidem sunt quodammodo ea omnia, quæ ex principiis constant; quodque ex principiis rerum omnium constat, ex omnibus rebus quomodo constat, & vt Simplicius loquitur principiatarũ rerũ cognitio ex principiis pendet.

Vt cognitio similitudine constet.

Hoc illis omnibus cõmune fuit: sed vt alia atq; alia quisq; principia posuit, siue plura siue vnum; sic aliam atque aliam de animæ natura sententiam habuit. Empedoclis primùm opinionem commemorat. Is sex omnino principia posuit, quatuor velut materiam, & duo vt efficientem causam. Materiam dixit elementa omnia: & ignem quidem Iouem, aërem autem Iunonem, aquam Hestin, terram Plutonem vocauit, vt ex illius carminibus constat apud Plutarchum. Quamquam velut duo principia eum hæc quatuor corpora posuisse, ignem ex vna parte, & reliqua tria ex altera ceu naturam vnam; cognosces ex Aristotele in posteriori libro de ortu & interitu, tex. 19. & primo Metaph. cap. 4. Horum verò congregatione & segregatione fieri singula & corrumpi cogitabat; congregationisque & segregationis efficientes causas amicitiam esse & litem concordiamve & discordiam.

Empedoclis de principiis opinio.

Nec satis constat quid sibi voluerit, vbi amicitiam dixit elementa congregando facere mundum sphærum, litemque disgregando, mundum sensilem. Quidam enim mundum sphærum Deum intelligunt: tum quòd in eo vnita sint omnia: tum quòd principio caret & fine. Philoponus & alij in commentariis 1. Physic. intellectilem mundum, alij cœlum, alij corpora mista. Verum Aristoteles in tex. 9. lib. 12. Metaph. mistionem elementorum omnium visus est interpretari: Empedoclisque confirmant verba, quibus ex sphæro litem dixit elementa segregare resque cunctas producere: perinde ac si sphærum nil aliud sit, quàm velut chaos & elementorum permistio.

Sphæri quid Empedocli.

Ita paucis perstricta sit Empedoclis de principiis opinio, vt propositis principiis, ex quibus res omnes oriri putabat, illius intelligeretur de animæ natura sententia, quam ex illis omnibus ita compositam esse arbitrabatur, vt omnia simul essent anima eorumque vnumquodque animæ pars: quò fieret, vt anima cognosceret omnia, & vnaquæque illius pars res sibi similes comprehenderet.

Empedoclis de animæ natura sententia.

Quam opinionem non ita vt verba sonant accipiendã esse contendit Philoponus; neq; credendum Empedoclẽ sapientẽ philosophũ ex elemẽtis ipsis constare animam credidisse: neque vidisse, si vt par cognitio similitudine cõstet, nullam esse rationẽ, cur terra potius, qua constet anima, exteriorem terrã cognoscat, quàm exterior hæc interiorẽ illã. Sed ita prorsus, vt elementorũ rationes habeãtur in anima; quarum subsidio cognoscat omnia. Sicut

Empedoclis de cognitione principiorum.

cut & Aristoteles non lapidem, sed lapidis formam in tertio libro dicet esse in anima. Rursumque in ea litem & amicitiam interpretatur allegoricè duplicem significare virtutem; deducentem vnam ad inferiora & sensilia, alteram reducentem ac reuocantem ad superiora: illa vocatur amicitia & concordia, quæ mundum facit sphærum; quoniam ad intellectilia erigit, in quibus vno omnium primo principio propinquioribus pax summa, tranquillitas, vnio, & identitas animique nostri cum separatis mentibus cognatio reperitur. Hæc, lis & discordia, sensilis mundi procreatrix; quippe ad res sensiles, in quibus dissidium, multiplicitas & diuersitas, conuertit nos redditque illis persimiles.

Certè si de anima sola loquutus ita fuisset Empedocles; audiri fortasse Philoponus posset. At de omnibus prorsus rebus loquebatur, nec in anima sola litem agnoscebat & amicitiam; sed inanimatarum quoq; rerum, in quibus duæ illæ virtutes nullæ sunt, effectrices causas litem & amicitiam proponebat. Cognoscendarum verò rerum rationes eum in anima posuisse quemadmodum Aristoteles posuit, dici nullo modo potest. Quippe eæ non nisi in cognoscente natura locum habent, solaque anima formarum locus appellatur; & priùs oportet naturam cognitricem esse, & ideò rationum illarum susceptricem. Quòd de Empedocle dici non potest, qui nunc primùm animæ naturam proposuit; quam ex rationibus illis constare dici non potest: præsertim cùm is non ex rationibus, sed ex ipsis elementorum substantiis à lite discordiaue segregatis cætera omnia constare vellet.

TEXTVS.

Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἐν τῷ Τιμαίῳ Πλάτων τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ. γινώσκειν γὰρ ὅμοιον ὁμοίῳ· τὰ δὲ πράγματα ἐκ τῶν ἀρχῶν εἶναι.

Ad eundem autem modum in Timæo Plato animam ex elementis facit. Cognosci namque simili simile; res verò ex principijs esse.

Tex. 26

COMMENTARIVS XLIIII.

6. Platonis sententia.

ALteram de anima sententiam commemorat, quæ Platonis in Timæo fuit; etsi de anima mundi maximè loqueretur: priori sanè duobus modis similis. Primùm quòd ipse quoque, vt Empedocles, animam dixit ex elementis constare, hoc est ex principiis. στοιχεῖα enim nunc non quatuor illa omnibus nota corpora dicit, Ignem, Aërem, Aquam, Terram: sed rerum omnium principia prima, quæcunque tandem sint. Quod satis illa verba declarant (τὰ δὲ πράγματα ἐκ τῶν ἀρχῶν εἶναι) quibus στοιχεῖα quidem se dicere significat, vt Platonis opinionem diceret Empedoclis opinioni fuisse persimilem; re vera tamen ἀρχὰς significasse. Deinde quòd eadem ratione ad id asserendum duceretur & ipse; quòd simile simili cognosci arbitraretur.

At in eo magnopere diuersa, quòd secus omnino, quàm Empedocles, de rerum principiis opinaretur Plato. Ita verò de animæ essentia loquutus est, vt maximè semper eius interpretes laborauerint & adhuc laborēt in verborum assequenda sententia. Ego tribus eum modis animæ naturam proposuisse dixerim. Principio quinque omnino fecit principiorum genera. Primum fuit efficiens causa, Deus, summum ens, immò (vt est in Parmenide) supra ens natura intelligens ideārum omnium & formarum quasi armarium. Vt quemadmodum humanus intellectus, qui Dei quædam imago est, rerum omnium species & formas habet, vt cognoscat; sic omnia ille in seipso contineat, vt efficiat. Alterum formale, à quo singulæ res suam essentiam habeant: hoc est idea, cuius participatione constituuntur singulæ. Tertiū terminus & infinitū. Infinitū significat rē antequàm sit; terminus, postquàm est. Quartū illo quinq; alia principia subiecit, Essentiam, Idē Diuersum, Motum, & Statum. Primùm enim oportet aliquid esse absoluti, ex quo res sit ens; hæcq; est essentia. Deinde habet vnaquæque vt sit vna nec à se ipsa differat; atq; hoc est Idem. Tum distinguetur à cæteris; & hoc est Diuersum. Post habet operationes, quæ Motus nomine indicantur. Denique constantiam aliquam & firmitatem, permanentiam, & durationem, qua conseruatur; & hæc est Satus. Omnium prima est essentia: deinde quamuis Proclus adnumerauerit motum & statum, reliqui tamen idem & diuersum maluerunt; tum motum, postremò statum in propria essentia. Porrò ex his principiis ita res singulæ producuntur, vt dum fit transitus ex infinito ad terminum, in eo fiat contrariorum permistio, eiusdem præsertim & diuersi; tum verò motus & status; contrariaque vnita & contemperata coniungantur cum essentia resque tota existat.

Platonis de rerū principijs sententia.

Dixeris Platonem & Aristotelem in rerum principiis constituendis eatenus cōsensisse, quòd contraria vterque fecit, illisque aliud quidpiam subiecit velut subiectum, Plato essentiam, Aristoteles materiam. Sed Aristoteles duobus contrariis fuit contentus, Priuatione & forma: Plato quatuor numerauit, Idem & Diuersum, Motum, & Statum. Quòd si motum & Statum prætermittas, solumque cum essentia idem accipias & Diuersum, vt Philoponus infra in comment. ad text. 45. & plerique faciunt, numero quoque conuenient.

Porrò hæc in omnium quidem rerum productione reperiuntur omnia; quædam tamen sunt quarumdam magis propria. Essentia, intellectilium entium; Idem & Diuersum, entium mediorum, nēpe Dæmonum; Status, intelligentis animæ nostræ: non quòd ea non sit principium motus agitetque corpus; sed quòd stabiliorem habeat operationem: motus denique inferiorum corporum, quæ propriè mouentur & modò sunt, modò non sunt. In quo postremo entium genere præter hactenus commemorata omnia quoddam aliud est principij genus, materia, velut subiectum cui communicetur idea: ea tamen est non ens, solaque idea ens.

Cæterùm quoniam ea est contrariorum natura, vt vnius intensio alterius remissio sit; neque

ab altero ad alterum natum transeat absque medio: ita in entium compositione permisceri contraria oportet, vt vel vnum superet alterum, identitas diuersitatem, status motum, terminus infinitum; aut contrà: vel omnia sint æqualia; etsi identitas, status, & terminus longè sint suapte natura perfectiora, quam diuersitas, motus, & infinitum. Itaque cùm tria sint entium genera, superiora prorsus spiritalia, inferiora planè corporea, & inter vtraque media; in eorum, quæ prorsus spiritalia sunt compositione abundant identitas, status, & terminus, & ideò impartibilia sunt: in rebus omni ex parte corporeis diuersitas, motus, & infinitum superant, quare partibiles eæ sunt & mutabiles. At quoniam ab extremo ad extremum non fit transitus sine medio, oportet in hac compositione medium quidpiam sit inter hæc duo entium genera; atque hæc est natura animæ. Quæ ratione identitatis, status, & termini, est impartibilis, impartibiliaque & immaterialia entia cognoscit, atque in rebus genera & similia colligit: ratione diuersitatis, motus, & infiniti, partibilis, partibiliaque ac materialia comprehendit, rerumque differentias quærit. In qua permistione etsi contraria omnia sint inter se æqualia; maiorque contrariorum æqualium existat pugna, quàm si alterum superet alterum; & ideo in mistione animæ violentum quidpiam esse videatur: hoc tamen ad ipsam animam referendum non est. Sed propterea, inquit Proclus, à Platone fuit dictum, vt maximam supremi entis indicaret virtutem, quæ diuersitatem efficere potuit indiuiduam atque identitatem diuiduam.

Anima natura media.

Hæc prima fuit Platoni animæ compositio; in qua motus & status continentur; quoniam animam Plato, vt antea dictum est, & per se mobilem esse voluit & semper mobilem: semper namque moueri status quidam est. Inde etiã intelligas quid is sibi voluerit, vbi eam dixit substantiam esse ex diuidua indiuiduáque natura constantem. Est enim diuidua, quatenus cum rebus corporeis commune quidpiam habet estque apta coniungi cum corpore, & pluribus facultatibus prædita, quæ vt extensio lineæ ex ipsa prodeunt. Indiuidua verò, vt cum superioribus conuenit, immortalis, per se subsistens, diuinæ naturæ persimilis. Diuidua rursum, vt actu extra se protenso atque à se recedendo materialia & ea, quæ sunt extra se cognoscit. Diuidua vt cognoscendo transit ab vno ad aliud, atque à propositionibus ad conclusionem. Indiuidua, vt facultas cognoscens fit idem cum recognita, resque omnes sibi vnit & in seipsam transfert. Indiuidua demum; vt intelligit: Diuidua, vt sentit, & vegetat. Nam vt idem se habet ad diuersum, sic ratio ad sensum: & vt diuersum ad idem, sic sensus ad rationem.

Veterũ philosophia symbolica.

Hæc igitur prima Platoni fuit animæ compositio. Præter hanc metaphoricè multa & symbolicè per mathematicas figuras, numeros, & harmonias, vt post in tex. 45. dicetur; de anima pronuntiauit: siue quòd mathematica quoque & numeros principia rerum poneret. siue ex docendi ratione antiquis philosophis vsitata symbolis vtens ad animæ naturam indicandam; quæ vt mathematica illa & numeri, inter sensilia & intellectilia est media.

Triangulo autem & circulo maximè vsus est Triangulo; tum quia hæc figura sit rectilinearum prima, ex qua cæteræ componuntur; angulorum tamen multitudinem habet: & anima prima est, non substantiarum vniuersè, sed earum, quæ in facultates diuiduntur. Tum quia vt hæc figura ab vno angulo ad duos, sic anima à Deo ad partibile corpus progreditur. Circulo autem persimilis in eo est anima, quòd hæc figura simplicissima est & in seipsam conuertitur & redit: sicut anima seipsam intelligit.

Anima triãgulo similis.

Deus igitur, inquit Plato, miscuit in longum principia omnia, essentiam, identitatem, diuersitatem, statum, & motum; rectamque lineam fecit, quam in duas inæquales diuisit partes sese ita secantes, vt figuram χ, efficerent. Hæc in orbem ducta duos descripsit circulos, alterum altero maiorem, duobus sese punctis intersecantes. Maiorem à dextris disposuit, à sinistris minorem: primum reliquit integrum, alterum in septem diuisit; prioréque addito fuerunt octo circuli.

Anima circulo similis.

Quæ omnia à permultis sanè accipi video quasi dicta solùm de anima mundi cœlestisve corporis; quoniam cœlestibus illis, quæ is animata esse voluit, conueniunt maximè. Duæ siquidem lineæ duos indicant axes, alterum ad polos æquinoctialis, alterum ad polos Zodiaci; super quibus vertuntur cœlestes globi. Circulus maior primum mobile, minor in septem diuisus reliquam molem in septem planetarum orbes tributam. Duorum circulorum in duobus punctis intersectio Zodiaci & æquinoctialis in Ariete & libra coniunctionem. Dextrum denique & sinistrum differentias situs, quæ insunt in cœlo; duosque motus, ab ortu ad occasum, & ab occasu ad ortum. A plerisque tamen hæc animæ quoque nostræ accomodantur. Quippe ductus in longum à Deo in corpus progressionem significat. Duæ lineæ superiorem & inferiorem animæ partes & facultates: quibus tum ad superiora & diuina euehitur, tum ad inferiora corporeaque descendit. Has meliorem & peiorem equum consueuisse Platonem appellare dicet Philoponus in commentar. textus 45. Linearum intersectio partium illarum seu animæ corporisque vnionem: aut etiam vnitatem animæ ac dualitatem. Duplex circulus duplicem animæ virtutem, qua & se in corpore intelligit & extra corpus, seu & seipsam & cætera omnia: aut si mauis, intellectum & sensum; quarum virtutum altera simplex est, altera nequaquam.

Anima virtutum auctor.

Denique numeris quoque in animæ natura exponenda vsus est Plato. Quinariumque numerum illi maximè credidit conuenire. Tum quia quinque illa principia continet, quibus antea dictum est & animam & reliqua omnia contineri; essentiam, idem, diuersum, statum, & motum. Tum quia duobus primis & simplicissimis numeris constat, binario primo pari, & primo impari ternario. Quod & animæ simplicitatem ostendit, & duplicem eius conditionem, diuiduam & indiuiduam. Numerus enim par diuiduus est, impar indiuiduus, cùm in partes æquales diuidi nequeat. Accedit quòd vt anima inter substantias omnes est media, sic quinarius inter omnes

Anima rerum medium.

omnes numeros medius existit. Nam cùm omnes contineantur denario, denarij medium quinarius est: nec solùm æquè diuidendo in duos quinarios, sed & in partes inæquales, in nouem & vnum, in octo & duo, in septem & tria, in sex & quatuor. In his enim omnibus diuisionibus quinarius diuisionum duarum est medium: quantumque vnum membrum excedit quinarium, tantum quinarius superat alterum. Quare cùm quinque possint esse diuisiones denarij, quinque modis quinarius est denarij medium. Ita quinarius mediam animæ naturam indicat.

Interdum tamen animam visus est ex quaternario componere, ex puncto, longitudine, latitudine, profunditate. Etenim numeros ponebat rerum formas, denariusque numerus omnium perfectissimus & omnes in se continens, ex quatuor constat, vnitate, binario, ternario, quaternario. Quare hæc velut formarũ omniũ principia erant. Vnitati respõdet punctus, binario lõgitudo, ternario latitudo, quaternario profundũ corpus.

Anima operationes quatuor.

Et operationes itẽ animæ quatuor sunt. Intellectus, qui est vnius, dum simplici appræhensione cognoscit: Dianœa & scientia, quæ duorum, dum à certis principiis ad certam progreditur conclusionem: opinio, quæ trium, dum vaga & inconstans oppositi quoque formidinem retinet: & sensus qui quatuor, corporum scilicet quaternario constantium. Et quadruplex mundus: Archetypus seu intellectilis & idealis in opificis mente, ob

Mũdus quadruplex.

summam simplicitatem & constantiam vnitas est: Rationalis in anima, est velut dualitas: Seminarius in natura, velut ternitas: Corporeus demùm & sensilis, velut quaternitas ob inconstantiam & multiplicitatem nimiam. Omnia tamen in omnibus.

Anima ex numeris harmonicũ.

Harmonicos tandem adhibuit numeros; vnitatem, binarium, ternarium, quaternarium, octonarium, nouenarium, vigesimumseptenarium. In quibus multa planè considerantur. Primùm præter vnitatem, quæ non numerus, sed numeri principium est, continentur in illis numeri lineares, superficiales, & solidi. Lineares sunt binarius & ternarius, superficiales quaternarius & nouenarius, solidi octonarius & vigesimusseptenarius. Deinde aspectus quidam est rectus, dum priorem posterior superat. Hunc enim excessum Platonicis libuit aspectum rectum appellare. Tertiò duplex est numerorum coordinatio sub vnitate: altera parium, binarij, quaternarij, octonarij: Imparium altera, ternarij, nouenarij, vigesimiseptenarij. Pares namque numeros Plato eos dixit, qui sunt dupli; impares eos, qui tripli. Itaque describatur triangulus, in cuius apice ponatur vnitas, atque in vno latere numeri pares, in altero impares. In vno binarius est vnitati duplus, quaternarius duplus binarij, & octonarius quaternarij duplus: parésque omnes proportione dupla consequuntur sese. In altero impares omnes proportione constant tripla: ternarius enim vnitatis triplus, & nouenarius ternarij, nouenarijque vigesimusseptenarius tripli item sunt. Ita ex parium & imparium numerorum connexione constitui animam inquiebat Plato. Quartò identitas est & diuersitas. Identitas propter impares numeros, qui nec in partes



æquales diuiduntur: nec si ordinatè sumantur alterique addantur numero, speciem numeri mutant. Nam si cum vnitate primum imparem ternarium accipias, quaternarium habebis, qui binarij quadratus est. Si quaternario addas secundum imparem quinarium, habebis nouenarium quadratum item ternarij. Huic tertium imparem addas septenarium, habebis sextumdecimum quadratum quaternarij. Huic quartum adiicias imparem nouenarium, habebis quintum & vigesimum quinarij quadratum: & ita deinceps quadratum semper efficies numerum. Diuersitas autem oritur ex paribus numeris, qui & diuidui sunt, & si eodem componantur modo, diuersas pariunt numerorum species. Vnitati primum addas parem, reddet tibi ternarium, numerum linearum. Huic secundum apponas parem, habebis quidem septenarium, & huic rursum addito tertio pari efficies tertiumdecimum, lineares item numeros. At si huic quartum adiunxeris parem, colliges primum & vigesimum, solidum numerum ex ternario in quaternarium ducto; deinceps sæpiùs numeri species mutabitur. Quintò est reflexio quædam in orbem; qua à paribus ad impares & rursum ab his ad pares progredi licet, quasi reflectendo. Nam si binario, quaternario, octonario, vnitas apponatur, fit numerus impar: sin autem rursum addatur ternario, nouenario, vigesimoseptenario, omnes erunt numeri pares. Sextò in his omnibus numeris harmonia inest & consonantia musica, quæ in vnius numeri ad alium proportione cernitur. Binarij namque proportio ad vnitatem est dupla, ternarij ad binarium sesquialtera, quaternarij ad binarium dupla & ad ternarium sesquitertia, octonarij ad quaternarium dupla & ad ternarium dupla superbipartiens, nouenarij ad octonarium sesquioctaua, vigesimiseptenarij ad nouenarium tripla. Ex quibus proportionibus harmonicæ constant & consonantiæ musicæ: quæ sex vniuersè numerantur. Diapason, omnium simplicissima, dupla est duorum ad vnum: Diapente proportione constat sesquialtera, trium ad duo: Diatesseron sesquitertia, quatuor ad tria: Quarta est composita ex Diapason & Diatessaron, dupla superbipartiens octo ad tria: quinta Tonus, inter nouem & octo cernitur, sesquioctaua proportione: postrema composita ex Diapasson & Diapente, proportione tripla viginti septem ad nouem. Quæ tamẽ omnia accommodatè ad animam dicta intelligantur. Quippè multò plures cõsonantias agnoscunt musici, dum sex aut septem faciunt simplices, totidémque compositas: neque Tonum consonantiam sed interuallum esse affirmant. Verùm hæc examinare neque huius loci est neque instituti: sed ea ita transferre ad animam, vt numerorum multitudo diuersam illius ac multiplicem ostendat naturam.

Musicæ consonantiæ.

Numeri omnes ab vnitate oriuntur; & animæ omnes cunctæque res ab vno næscentes atque ab eo degenerantes in multitudinẽ abierunt. Rursum vnitas linearésque numeri simplicitatem significant: Superficiales duplicem gradum ac naturam mediam: solidi compositionem cum corpore: Aspectus rectus aut progressionem à primo principio Deo ad corpus, in quo magis semper multiplicatur; aut modũ, quo alia à se

distincta cognoscit (cognoscit enim directè atque in iis quodammodo multiplicatur) reflexio in orbem cognitionem illam ostendit, qua non directè, sed in seipsam conuersa seipsam intelligit. Duplex numerorum ordinatio aut duplicem cognoscendi modum, alterum per sensum, alterum per intellectum: aut duplicem illius cõditionem, vnam in corpore, alteram secundùm se, quatenus subsistens est & abstracta substantia. Impares & pares numeri compositionem ex actu & potestate. Vt enim numeri alij vnitatis, alij dualitatis, impares vnitatis, pares dualitatis magis participes sunt, ita res actu quidem & potestate omnes, sed aliæ actu magis, aliæ potestate participant. Ergo dualitas ceu potestas est, vnitas dualitati adueniens & imparem numerum faciens, velut actus & forma. Identitas & diuersitas simplicem essentiam & multiplicem operationem: aut naturam intelligentis facultatis & cæterarum; quarum illa impartibilis est & indiuidua; hæ partibiles, diuiduæ cum corpore extensæ & quasi in multas dispersæ. Postremò proportiones illæ & consonantiæ nil aliud indicare videntur, quàm alias quidem atque alias facultates esse & operationes, omnes tamen mediocritatem quærere temperationéque summopere delectari, cùm ab extremis & nimis vehementibus lædantur obiectis, & mediis plurimùm recreentur.

TEXTVS.

Ὁμοίως δὲ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίαν λεγομένοις διωρίσθη αὐτὸ μὲν τὸ ζῷον ἐκ τῆς τοῦ ἑνὸς ἰδέας, καὶ τοῦ κεφαλὴ μόνας, καὶ πλάτος, καὶ βάθος. τὰ δ' ἄλλα ὁμοίως ἔχειν πως.

Similiter autem & in iis, quæ de philosophia dicuntur, definitum est. ipsum quidem animal ex vnius idea, & prima longitudine, & latitudine, & altitudine. Alia verò simili modo.

COMMENTARIVS XLV.

QVæ de animæ compositione tradidit Plato, superior ferè commentarius continet. Philosophus tamen prioribus illis verbis primariam illam visus est cõpositionem significare ex quinque illis principiis, Essentia, Eodẽ, Diuerso, Motu, & Statu. Iam verò ex numeris alterã subiungi dixeris; quippe numeri quoque entium principia dicebantur. Eatenus enim hæc priori similis appellatur.

Libri de philosophia qui citẽtur.

Quinam tamen sint ij, quos de philosophia sermones aut libros memorat, incertum est. Philoponus namque ac Simplicius librum de Bono ex Platonis colloquiis ac disputationibus ab Aristotele promulgatum esse opinantur; in quo Platonis ac Pythagoricorum de entibus & principiis opiniones complectebatur, posterisque tradebat. Legitimum philosophi librum fuisse testatur Philoponus: & in primo libro de moribus ad Eudemum cap. 5. ipsemet Aristoteles de philosophia libros à se conscriptos memorat. Sed Laërtius tres nominat libros, & tertiũ citat Tullius in primo de natura Deorum, & septimum quoque Cæsariẽsis Eusebius in 11. de Præparatione cap. 1. Sed Auerroes priuatas potiùs Platonis scholas & disputationes nõ scriptas, sed voce habitas intelligit: quæ Themistij quoq; videtur interpretatio fuisse idem, inquit interpres, Probat in iis quæ de philosophia disseruit. Pluribusque potest argumentis cõfirmari. Primùm quòd vox illa (λεγομένοις) non scriptam, sed voce pronuntiatam sententiam significat. Deinde quòd Platonis Timæo alterum hoc testimonium ex ipso eodem Platone adferendum erat, cuius sententiam tractabat. Suspectum enim omnino fuisset Aristotelis testimonium. Accedit & illud (definitum est) quòd illius ipsius, de quo est sermo, positam ac stabilitam sententiam indicat: Præsertim cùm alibi etiam philosophus noster præceptorẽ suum testetur voce disputasse permulta, quæ scriptis non mandauit: vt videre est in tex. 15. lib 4. Physic. qui locus planam nobis interpretationem faciet. Vt enim Platonis Timæo ibi non scripta subiungit dogmata, ita hoc loco ea, quæ de philosophia dicuntur: tantundémque est, siue quæ de philosophia dicuntur dixeris, siue non scripta dogmata.

Videtur autem opinionem eam insinuare, qua in superiori commentario Platonem diximus animam ex quaternario composuisse, ex puncto, longitudine, latitudine, & profunditate. Ipsum namque animal hoc est animal ideale seu intellectilem mundum, constare inquit ex vnius idea, & prima longitudine, latitudine, & altitudine: ex ideis inquam primæ longitudinis, primæ latitudinis, primæque altitudinis: primam longitudinẽ binariũ dicẽs, quoniam linea à puncto ad punctum progreditur, estque longitudo punctis duobus contenta. Primam verò latitudinem ternarium, quia planarum figurarum prima triangulus est; triáque puncta non in rectum posita continuantur superficie: & vt ternarius est secundus ab vnitate numerus, ita superficies secunda est à puncto magnitudo. Denique primam altitudinem quaternarij; quòd prima solidarum figura sit pyramis quatuor superficiebus angulisve constans: & quemadmodum quaternarius est tertius numerus, sic magnitudo tertia est altitudo profunda, trifariamque dimensum corpus.

Plura de his Xenocratem in commentariis de natura scripsisse Themistius narrat: eãdem quippe & ipse sententiam habuit. Sanè in intellectili mundo ea continentur, quæ ἀντεισὶν, hoc est, ipsas species & ideas Plato vocauit; ideæ inquam primæque rerum formæ ac principia. Quare si rerum formæ ac principia sunt numeri, ex primis numerorum ideis mũdus ille coalescit totus. Et quoniam cæteros quoque mundos, rationalem, seminarium, & sensilem, primario illi archetypo similes esse oportet, quippe ad illius similitudinem conformatos; propterea ex iisdem numeris constabunt & illi; eaque quæ in illis continentur: non tamen ex primis, sed ex consequentibus aliis velut secundariis ad primorum similitudinem conformatis. Atque hoc est illud, quod philosophus ait (alia verò simili modo). Sic anima quoque ex vnitate, binario, ternario, & quaternario constabit. Cúmque hæc eadem sint rerum omnium principia, anima cognoscet omnia, si simile cognoscitur simili.

Aliæ genesis.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ ἡ ἄλλως, τὸν μὲν τὸ, ἓν ἐπιστήμῃ δὲ τὰ δύο· μοναχῶς μὲν γὰρ ἐφ' ἑνὸς τὸν δ' ἐπ' ἀμφοῖν ἀριθμὸν, δόξαν, ἀίσθησιν δὲ τὸν τῶν στερεῶν· οἱ μὲν γὰρ ἀριθμοὶ τὰ εἴδη αὐτῶν καὶ ἀρχαί τ' ὄντων ἐλέγοντο· ἔστι γὰρ ἓν τ' στιγεῖον. κεῖνται δὲ τὰ παράγματα τὰ μὲν νῷ, τὰ δὲ ἐπιστήμῃ, τὰ δὲ δόξῃ, τὰ δ' αἰσθήσει· εἴδη δ' οἱ ἀριθμοὶ οὗτοι τ' πραγμάτων.

Tex. 27 *Adhuc autem & aliter, intellectum quidem vnum, scientiam verò duo. Vno enim modo circa vnum. Superficiei autem numerum, opinionem; sensum verò solidi. Numeri namque formæ ipsæ & principia entium dicebantur. Sunt autem ex elementis. At iudicantur res, hæ quidem intellectu, illæ verò scientia, aliæ autem opinione, aliæ sensu. Formæ autem rerum hi numeri.*

COMMENTARIVS XLVI.

TErtium hoc est, quod de Anima pronuntiauit Plato. In quo ab essentia & substantia ad facultates & cognitiones progrediebatur. Cùm essentiam ac substantiam ex ideis vnitatis, binarij, ternarij, & quaternarij composuisset: dę cognoscentibus quoque facultatibus eòdē prorsus modo philosophabatur. Cognoscentes autem duntaxat facultates commemorātur; quoniam ex cognitione præsertim tota vis & natura animæ deducebatur, hocque principio inuestigatio tota nitebatur: simile simili cognoscitur. Ita cùm ex quadruplici idea essentiam animæ composuisset, quadruplicem item cognoscendi vim & cognitionem fecit: intellectum, scientiam, opinionem, sensum: quæ omnes similitudine sustentantur. Intellectus est vnius, hoc est ab vnitatis idea præbetur, dum simplicia & intellectilia impartibili ac simplici appræhensione compræhendit. Scientia duorum, hoc est ab idea binarii proficiscitur, cùm à propositionibus ad certam ac necessariam conclusionem tanquam ab vno ad vnum progreditur: hoc enim est illud, quod ait (vno enim modo circa vnum. Opinio superficiei, hoc est ternarij (superficiem enim seu latitudinem ternarium nominari iam diximus) dūque à probabilibus propositionibus ad conclusionem minùs certam, quæ potest esse vera & falsa, & ideò cum formidine oppositæ, quasi ab vno ad duo procedit, ab idea ternarij ministratur. Denique sensus est solidi & quaternarij: quòd ab huius idea vim accipit sensilia corpora cognoscendi.

Anima operationes quatuor

Principia rerū numeri.

Cuius opinionis vniuersæ illud fuisse fundamētum scribit Philosophus, quòd numeros arbitrarētur Plato & quicunque de anima ita senserunt, formas ipsas & ideas atque adeò entium principia esse: non inquam numeros, qui sunt apud nos, sed illas numerorum ideas. Numerorum autem omnium elementa & quasi principia sunt illa, vnitas, binarius, ternarius, quaternarius: quippe ex his consistit decus, cuius repetitione reliqui constant numeri. Sed & vnitas & binarius peculiari quodam modo numerorum omnium elementa sunt & principia, vnitas imparium, binarius parium numerorum. Binarius namque repetitus pares omnes efficiet, paribusque addita vnitas impares procreabit. Itaque cùm ex illis numeris componitur anima, ex entium omnium formis ac principiis constat, omnibusque quoquomodo similis potest omnes cognoscere ac iudicare, has quidem intellectu, alias verò scientia, has opinione, illas sensu.

Cur ex numeris potius, quàm ex magnitudinibus animæ.

Quo loco non est quòd pluribus immoremur. Vnum illud addam, quod adnotauit Themistius dum superioris textus interpretationem faceret, ex numeris potiùs, quàm ex magnitudinibus, animam veteres constare voluisse; quoniam incorpoream naturam à coniuncta quantitate remotissimam esse putabant, quippe quæ molem nullam aut diffusionem haberet: posse verò sub deiuncta commodè collocari, vnitatibusque constare, non corporeis, quæ exactam & perfectam vnitatem non habent; sed infinitam potiùs multitudinem, dum in infinitum diuiduæ sunt: verùm incorporeis & immaterialibus, quæ immateriali & incorporeæ naturæ optimè conuenirent. Quare cùm in intellectili mundo, cuius imitatione corporeus hic est conditus, aspectabilis huius nostri & materialis principia inesse oporteret; hic quidem longitudine, latitudine, & altitudine constat; at ille non ex his, sed ex binarij, ternarij, & quaternarij ideis componi, ille ex coniunctis, hic ex deiunctis quantitatibus asserebant. Atque de incorporea animæ natura simili prorsus modò ratiocinabantur.

Hinc vero licebit à posterioribus ad priora regredi. Nam si animæ cognoscentes virtutes hæ quatuor sunt, intellectus, scientia, opinio, & sensus; hæque vnitate constant, binario, ternario, quaternarióque; sanè anima quoque ipsa quatuor illis principijs, vno, Duobus, tribus, Quatuórque constabit. Atque hanc ratiocinationem postrema philosophi verba continere videntur. Rerum quædam intellectu, aliæ scientia, aliæ opinione, aut sensu iudicantur: at formæ rerum sunt hi numeri; quibus hæ cognitiones constant: anima igitur ipsa, cuius eæ cognitiones sunt, numeris hisce constat.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ἡ κινητικὸν δόκει ψυχὴν εἶναι, ἡ γνωριστικὸν, πῶς ἔνιοι συνέπλεξαν ἐξ ἀμφοῖν, ἀπορητέον πρὸς ψυχῶν, ἀριθμὸν κινοῦν' ἑαυτόν.

Quoniam verò & motiuum videbatur anima esse & cognitiuum, sic aliqui ex vtrisque connexuerunt, enuntiantes animam numerum mouentem se ipsum. Tex. 28

COMMENTARIVS XLVII.

TErtium est opinionum caput, quo illi continentur, qui nec motum solum, nec solum sensum aut cognitionem in animæ natura definienda spectarunt, sed coniungentes vtrumque quòd vtrumque illi per se inesse animaduerterent, animam dixerunt numerum esse sese mouentem. Xenocrates, inquit Simplicius, hanc tulit de anima definitionem. Fuit autem is Platonis auditor & in Academia successor: quo argumento putat Philoponus ex Platone illum hæc didicisse. Quippe is in Phædro ex eo, quòd anima mouetur à seipsa, eam confecit immortalem esse, quo-

7. Xenocratis sententia.

niam quod à se ipso mouetur, semper mouetur, quia nunquam se ipsum deserit. At rursum in Timæo cognitionẽ potius spectãs, ex rerum principiis ac numeris cõstare illam prodidit, vt cognoscere omnia posset. Quæ duo cõiungẽs Xenocrates eam dixit numerum esse se mouentẽ. Numerũ quia numeri sunt rerũ omniũ principia, ex quibus animam constare opus sit vt cuncta cognoscat: seipsum verò mouentem; quia vitam habet in seipsa insitam, qua seipsa mouere debet vt corpus moueat: quippe principium & fons omnis motus est quod se ipsum mouet.

Anima natura media.

In quibus Xenocratẽ putat Symplicius animæ naturam mediam inter puras & simplices formas intellectiles, formatáque & composita ostendere voluisse. Numerus quippe forma est indiuidua, mobilę autem formatum & compositum diuiduum: numerus seipsum mouens neque forma est indiuidua, neque formatum diuiduum, sed quidpiam inter hæc medium ex indiuidua & diuidua natura constans dum ab indiuidua numeri forma recedens diuiduo mobili permiscetur, fitq; numerus mobilis. Mobilis inquam à se ipso, quia natura media est: extremorum namque alterum pœnitus immobile est, alterum mouetur ab alio. Anima & intellectilibus formis inferior est, & formatis atque compositis superior. Vt autem intelligas, quomodo anima dicatur media, quadruplicem statuit is naturam mediam; naturalem scilicet rationem, mathematicam substantiam, intellectum animæ proprium, & vitalem proprietatem. Naturalis ratio mathematicaque substantia mediæ sunt, vt dimensionum effectrices: quoniam illa materiam, hæc tum materiam tum phantasiam dimensionibus & figuris exornant. Intellectus autem animæ proprius; quia vt lumen à sole, ita is ab intellectu ab anima absoluto deriuatur & pẽdet velut absoluti illius intellectus imago atque inter ideas & corpora medius: qui partim manet vt intellectiles formæ; quatenus vim suam intelligendi retinet; partim progreditur, dum animæ communicatur; vt formæ corporeæ, quæ non se ipsas sed alia mouent. Anima demum proprietate vitali; quòd vita intelligens impartibilis sit vt in se manet: sentiens autem & vegetans partibilis, dum & circa corpora versatur, & ab alio ad aliud transit. Omninóque animalis vitæ proprietas est alia mouere seipsam mouentem; essęque naturam mediam; partim progredientis, quia mouet alia; partim manentis, quia mouet non ab alio mota, sed se ipsam mouẽs. Ita Xenocrates animam definiuit numerum se ipsum mouentem. Qua de re Proclus quoque commentario 3. in Platonis Timæum.

A B C D E

Differunt autem circa principia, quæ & quot. Maximè verò qui corporea faciunt, ab iis qui incorporea: ab his autem, qui permiscent & ex vtrisque principia pronuntiant. Differunt etiam circa multitudinem. Alij namque vnum, alij verò plura dicunt.

COMMENTARIVS XLVIII.

POstquàm veterum philosophorum de animæ natura sententias commemorauit: easque ad tria capita reuocauit, ad motum, ad cognitionem, & ad vtrumque simul coniunctum; causam nunc tantæ diuersitatis adiungit. Quem dum affert diuersitatem principiorum, quæ quisque sibi proposuit: credat fortasse quispiam ad alterum eam duxtaxat illud caput pertinere, quod ex cognitione petebatur. Quoniam qui eo continentur philosophi, animam propterea ex rerum omnium principiis constare voluerunt, vt cognosceret omnia: vtque diuersam quisque habuit de principiis sententiam, ita & diuersam de anima pronuntiauit. At generalem magis diuersitatem ac differentiam exponi, vel ex eo manifestum est, quòd & Democritus & Anaxagoras & alij commemorantur, qui non cognitionem, sed motum potius spectarunt. Et omnino quidquid spectaueris, si anima principium non est, ex principiis eam esse oportet: vtque alia atque alia principia posueris, sic aliam atque aliam de animæ natura pronuntiabis sententiam.

In principiis autem duplex discordia fuit, altera quoad substantiam, altera quoad numerum. At rursum in substantia triplex. Nam aliqui corporea principia fecerant, vt naturales, Milesius Thales, Democritus, Leucippus, Diodorus, Anaximenes, Anaximander, Diogenes Apolloniates, Heraclitus, Hippasius, Hippo, Critias. Alij verò incorporea, vt Pythagorici & quotquot numeros putarunt esse principia. Alij demum permiscentes partim corporea, partim incorporea: vt Empedocles & Anaxagoras: quorum alter elementis corporeis amicitiam & litem incorporeas, alter corporeis partibus similaribus incorporeum intellectum adiunxerunt: Et Democritum addit Philoponus, quòd indiuiduis corpusculis incorporeum inane addiderit.

De Platone fortasse cum Philopono dubites: sed verè Simplicius incorporea eum fecisse dixit: siue vt ipse significat dũ Pythagoricis adnumerat, quòd ipse quoque numeros principia faceret: siue potiùs quòd animam incorpoream esse opinatus non posset eam ex principiis corporeis componere.

Iam verò in numero altera dissensio fuit: quòd alij vnum, alij plura posuerunt. Plura verò cùm dicit, infinita quoque intelligas. Vt altera quoque hæc discordia fuerit tripartita. Alij enim vnum dixerunt; alij plura, sed finita; alij demum plura & infinita. Quæ omnia in primo physicorum libro pluribus explicantur.

TEXTVS.

Διαφέρονται δὲ περὶ τῆ ἀρχῶν, πηνές τε ποσοί. μᾶλιστα μὲν οἱ σωματικὰς ποιοῦντες τῆς ἀσωμάτους, τούτοις δ' οἱ μίξαντες, καὶ ἀπ' ἀμφοῖν τας ἀρχὰς ἀποφαίνόμενοι. διαφέρονται δ' καὶ περὶ τὸ πλῆθος. οἱ μὲν γὰρ μίαν, οἱ δ' πλείους λέγουσιν.

TEXTVS.

TEXTVS.

Επιφέρουσι δὲ τούτοις ἐκ τῆς ψυχῆς ἀποδίδοσι. τὸ γὰρ κινητικὸν, τῆς φύσεως τῶν στοιχείων ὑπολήψεσιν, ἐκ ἀλόγως, εἴπερ ἔδοξέ τισι πῦρ εἶναι, καὶ γὰρ τοῦτο λεπτομερέστατόν τε καὶ μάλιστα τῶν στοιχείων ἀσώματον. ἔτι κινεῖται τε καὶ κινεῖ τὰ ἄλλα πεφυκότος.

Tex. 29 *Consequenter autem ad hæc & animam reddiderunt. Nam & motiuum naturam primorum arbitrati sunt; non absque ratione. Quare visum est nonnullis ignem esse. Hic enim & tenuissimarum est partium, & maximè inter elementa incorporeus. Præterea & mouetur & mouet alia primùm.*

COMMENTARIVS XLIX.

PErspicuum ex his verbis est id, quod in superiori commentario diximus, diuersitatis opinionum causam, quam exponit philosophus, non ad eas tantùm, quæ cognitionem; sed ad eas item, quæ motũ spectassent, pertinere. Cùm enim consequenter quoque ac consentaneè dixisset vt de principiis rerum sensissent, ita & de anima illos fuisse loquutos; quòd ex iis vt cætera, sic animam quoque componerent: eos statim aggreditur, qui motum præcipuè considerarunt.

Principiũ esse quod mouet

Sanè hi non pessimè ratiocinabantur; dum id quod mouendi vim habeat, inter prima consistere principijque naturam & vim habere opinabantur. Rationi quippe consentaneum est, vt id, quod mouet, prius eo sit, quod mouetur: hócque argumento Plato quoque animas corporibus priores & antiquiores esse probauit; quòd moturæ essent & recturæ corpora, illisque imperaturæ; æquiusque sit, vt iunius obtemperet antiquiori, quàm contrà. Et si id, quod mouetur, causatum esse videtur, vt ait Simplicius; id, quod mouet, causa nimirum fuerit; & omnino principium primum, si ità moueat, vt ipsum à nullo moueatur. Propterea visum est nonnullis ignem esse. Quod tribus modis licet exponere. Aut inquam ignem esse primum rerum omnium principium: aut animã esse ignem: aut demum vtrumque simul; tum ignem esse rerum omnium principium; tum consequenter animam igne constare. Secundam interpretationem fecerunt Themistius & Philoponus; tertiam Simplicius. Quas si probaueris, non credes Philopono de Democrito nunc sermonem esse philosopho: Quippe quo argumento is Heraclitum significari negat, quòd illius paulò pòst futura sit mentio; eodem nec Democritum indicari cõcluditur: hunc enim mox nominari audies. Quoniam igitur plures erant qui animam ignem esse opinarentur, vniuersè nunc de omnibus dicit; déque Democrito quasi meliùs loquente, sequentibus verbis.

Ignis, verum principium.

Verùm primam quoque interpretationem, ignem esse primum rerum principium; neque Democritum, sed Hippasium & Heraclitum significari, ex lib. primo Metaph. colliges. Etenim hos duos ignem fecisse rerum principium in cap. 3. philosophus memorat: & mox in textu 13. eiusdem libri eodem argumento, quo hoc loco, totidémque verbis sententiam eam confirmat. Ignem namque maximè videri principium esse, vtrobiq; ostendit, quoniam tenuissimarum is partium, est; ideóque comparatus optimè, vt & eius densatione Aër, Aqua, Terra, & cætera gignantur omnia; & facilè figuretur; & cùm elementorum omnium incorporeus maximè sit, maximè penetrat & peruadit cuncta, intimisque illorum partibus sese insinuat: quò & illorum substantiam constituat; & (quod ad præsentem locum, in quo de anima dicitur, magis facit; estque alterum confirmationis argumentum) moueat & moueatur. Priùs tamen moueri dixit philosophus, quàm mouere: quoniam antea dictum est veteres illos existimasse nihil mouere aliud, quin moueatur ipsum. Facile autem mouetur ignis, quia tenuissimarum partium: faciléque mouet, dum intima quæque subit & omnibus insinuat sese. Cæterùm in primo Metaph. lib. vtroque hoc argumento non vtitur, sed priore duntaxat: quoniam de materiali principio loquebatur, posteriusque ad efficientem ac mouentem causam pertinet: Eratque huic loco maximè opportunum, in quo ex motu præsertim à veteribus illis animæ natura quærebatur.

Tertium addi posset argumentum; igne & calido gigni cuncta, foueri, nutriri, & conseruari. Nam Empedoclem quoque & alios in textu 38. & 40. lib. 2. nutritionis & accretionis causam fecisse audiemus.

Animã esse igné

Quòd si ad animam referas philosophi verba; sane animam esse ignem probabant veteres: tum quia tenuissimum corpus est ignis, animáque videtur esse incorporea, dum permeat corpus: tum quia cùm anima sit in viuentibus principium motus, hic ignis potissimùm videtur proprius.

Quamquam si totam hanc probationem ex primis illis verbis deductam consideres, quibus motiuum veteres inter prima numerarunt; tribus verbis dixeris argumenta tria philosophum breuitate summa comprehendisse; primumque principum aut animam ignem esse ostẽdisse; tum quia ignis tenuissimum corpus est, quale motus principium esse oportet; vt ea permeet, quæ mouenda sunt: tum quia inter elementa, quæ prima omnium corpora & aliorum initia existunt maximè is incorporeus est; atque vt corporum est moueri & pati, sic incorporeæ naturæ videtur esse mouere & agere: tum demum quia mouetur & mouet alia primùm.

De quo igne sit sermo.

Quod verò veteres illos philosophos ait Philoponus non de eo igne fuisse loquutos, qui est flamma: hæc enim non tam ignis quàm ignis excessus est: verùm de sicco halitu, qui in meteoris vẽtos ac terræ motus efficere affirmatur, maximamque omnino vim ad mouendum habet, credendum non est. Tum quia halitus is terreus est, non igneus; non tenuissimarum partium, nec inter elementa incorporeus maximè; tum quia de illo igne sermo illis erat, qui elementum esset & primum corpus: halitus is nec elementum est, nec primum corpus; sed quasi secundarium & ex elementis excitatum & productum. Neque item loquutos eos de flamma dixerim. Hæc enim est fumus ardens, fumusque ex aëre & terra constat; vt est in tex. 28. posterioris libri de ortu & interitu: sed de puro & syncero elementari igne,

TEXTVS.

Δημόκριτος δὲ καὶ γλαφυρώτερόν πως εἴρηκεν, ἀποφαινόμενος διὰ τί τέτων ἑκάτερον. ψυχὴν μὲν γὰρ εἶναι πάντα καὶ νοῦν. τέτο δ' εἶναι ἐκ τῶν ἀρχόντων καὶ ἀδιαιρέτων σωμάτων, κινητικὸν δὲ διὰ μικρομέρειαν καὶ τὸ σχῆμα. τῶν δὲ σχημάτων εὐκινητότατον τὸ σφαιροειδὲς λέγει. τοιοῦτον δ' εἶναι τοῦτο νοῦν καὶ τὸ πῦρ.

Tex. 30. *Democritus verò etiam elegantius dixit; declarans propter quid horum vtrumque. Animam enim & intellectum idem esse. Hoc autem esse ex primis & indiuiduis corporibus; motiuum verò ob partium paruitatem & figuram. Figurarum autem facillimè mobilem orbicularem ait. Huiusmodi verò esse & intellectum & ignem.*

COMMENTARIVS L.

CVr Democritum præ cæteris laudet Philosophus tanquam elegantius & lautius sententiam dicentem; eam Simplicius adfert rationem quòd ipse causas adferret eorum, quæ dicebat. At nónne cæteri quoque in superioribus verbis adferebant causas, quòd ignis tenuissimarum sit partum; quòd incorporeus maximè; quòd & moueatur & moueat alia primùm.

Rationem ipsemet Aristoteles apertis verbis exponit; quòd declararet propter quid horum vtrumque. At quorum? Motus & cognitionis, inquit S. Thomas: Anima quippe ex rotundis constans atomis cognoscendi vim habet, quòd atomi rerum principia sint; mouendi autem, quòd rotundæ. Cæterùm illud adhuc tractat opinionum caput, quod propter motum siue primum principium siue animam asserebat esse ignem. Quocirca ad postrema id verba referendum est, quibus ignem dixerat & moueri & mouere alia primùm. Cur horum vtrumque eueniat, elegantiùs, quàm cæteri, declarabat Democritus. Quamquam & anima & intellectus, & ignis, tantundem illi fuerunt: perindeque fuerit, siue animam, siue intellectum, siue ignem nominare: Hæc namque omnia ex primis & indiuiduis corporibus sphæricis ipsi constant: quare & mouent & mouentur, tum ob partium tenuitatem, tum ob corpusculorum figuram. Ob tenuitatem facilè subeũt & peruadunt mouenda corpora, sicque mota mouent: ob figuram verò faciliè mouentur; quoniam orbicularis figura & angulis caret & planum in puncto tãgit, facillimóque negotio voluitur atq; ad motum omnino procliuis est toto reliquo delabens corpore.

Orbicularis figura maximè mobilis.

Cur autem corpuscula sphærica minorũ, quàm cætera, partium esse Democritus diceret, Philopono placuit quærere: respondítque rectilinearum & æqualis ambitus figurarum spatium maius continere illas, quæ plurium sunt angulorum; æqualésque, quæ æqualium; omnium verò capacissimum esse circulum atque eodem modo in solidis sphæram. Quod si ita est, quemadmodum in rectilineis, quæ spatium æquale contineant, plurium angulorum figura minorem habet ambitum, ita sphæra minimum omnium. Facilius igitur permeabit ac peruadet mouenda corpora. Itaque elegantius omnino is totum hoc exposuit caput. Nam cæteri causam tantùm indicabãt, cur ignis aut anima moueat; quia tenuissimus & incorporeus maximè. Moueri autem quoque accipiebant; quia quòd mouet aliud, debet & ipsum moueri: At cur & quomodo moueatur non docebant. Docuit Democritus vim & naturam orbicularis figuræ proferens.

Simplicius verò communes & proprias illum rationes complexum fuisse ait. Communes quidem; dum animam & intellectum dixit esse idem; quippe intellectus principium est & mouẽs. Proprias autem, quoniam anima orbicularibus corpusculis constat.

TEXTVS.

Ἀναξαγόρας δ' ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν νοῦν τινὰ τῶν, ὥσπερ ἐπεμνήσθημεν ἐν τοῖς πρότερον. χρῆται δ' ἀμφοῖν ὡς μιᾷ φύσει, σχεδὸν ἀρχὴν γε τὸν νοῦν τιθεται μάλιστα πάντων. μόνην γὰρ φησιν αὐτὸ τῶν ὄντων ἁπλῶν εἶναι, καὶ ἀμιγῆ τε καὶ καθαρόν. ἀποδίδωσι δ' ἀμφω τῇ αὐτῇ ἀρχῇ. τό τε γινώσκειν καὶ τὸ κινεῖν, λέγων νοῦν κινῆσαι τὸ πᾶν.

Anaxagoras autem videtur quidem aliud dicere animam & intellectum, quemadmodum & prius diximus. Vtitur verò vtraque vt vna natura. Nisi quòd intellectum principium maximè omnium constituit. Solum quippe ait ipsum entium simplicem esse, & impermistum, & purum. Attribuit autem ambo eidem principio, tum cognoscere, tum mouere; intellectum inquiens mouere vniuersum.

COMMENTARIVS LI.

CVm Democritum dixisset intellectum & animam idem esse putasse; Anaxagoræ de intellectu quoque loquentis opinionem subiungit; eamque tum exponit, tum cum Democriti comparat opinione. Is enim etsi minus apertè loqueretur, vt in tex. 24. dictum est; intellectũ tamen visus est ab anima separare, dum intellectum pulchri & recti, honestiúe ac boni causam esse pronuntiauit: quod de anima dici vniuersè non potest. Hocque primum est à Democrito discrimen. Tametsi parùm constans visus est interdum Anaxagoras; dum intellectum dixit in animantibus omnibus inesse: perinde ac si nihil inter intellectum & animam interesset. Hæc ex superiori loco citato repetuntur.

Alterum discrimen, tum inter Anaxagoram & Democritum, tum inter intellectum & animam, illud fuit; quòd Anaxagoras intellectum fecit principium efficiens cæterorum omnium, dum similares partes separauit; Animam non item, sed intellectus potiùs effectum, dum is separans animatas quoque res produxit. At Democritus etsi intellectum nominet, cùm tamen idem eum esse dicat cum anima, non principium, sed ex principiis illum esse accipit; nempe ex orbicularibus atomis, ex quibus animam constare asserit. Tertium discrimen; quòd rationem quoque continet, cur intellectum principium omnium poneret Anaxagoras, est; quòd intellectus solus inter omnia quæcumque sunt, simplex est, impermistus, & purus.

Quæ

Quæ tria etsi quoquomodo conetur S. Thomas distinguere, tantumdem tamen valere dixerim. Verùm hac de re pluribus in tertio libro dicetur. Interim duo tantùm admonebo. Alterum est; rationem, cur eiusmodi intellectum Anaxagoras esse vellet, vt primum esse principium posset; planius exponi in tertio libro, ἵνα κρατῇ, vt dominetur: partibus scilicet similaribus, easque mouere ac separare posset; quod non posset si cum illis permistus foret. Alterum, intellectus dominium duplex explicari: vnum hoc loco, vt primum principium sit & moueat subiectamque sibi materiam segreget: alterum in tertio libro, ἵνα γνωρίζῃ, vt cognoscat & intelligat ea, quæ mouenda sunt, segreganda, & omnino producenda.

Intellectum Anaxagoræ duobus modis dominari.

Quapropter optimè nunc adiungit philosophus quartam inter Anaxagoram & Democritum discrepantiam: quòd cùm hic de motu solùm loquutus fuisset, ille tum motum tum cognitionem complexus est, eidémque principio vtrumque attribuit & propter vtrumque simplicem, impermistum, & purum intellectum fecit, vt & mouere cuncta posset & cognoscere. Et sanè si intellectus est, cognoscendi vim habet. Quodque pulchrè monet Philoponus, eadem de intellectu philosophum quoque sentire, atque id planè præstare, quod in tex. 19 pollicitus est, se ita sententias aliorum commemoraturum, vt si quid ab illis benè ac sapienter dictum fuisset, probaret ipse ac retineret: non est omni ex parte intelligendum; sed ea tantùm, qua intellectum simplicem, impermistum, ac purum posuit. Hoc enim in tertio libro planè ita esse confirmabitur. Cætera non eo, quo proponuntur, sed alio quodam modo admitteret. Nam & ipse primum ac supremum intellectum aut efficientem mundi causam, aut primi orbis motorem; & inferiores item inferiorum orbium; humanumque humani corporis motores agnouit. Sed hæc alterius loci sunt.

Vt de intellectu Aristotelis & Anaxagoræ sentiat.

TEXTVS.

Ἔοικε δ' ὁ Θαλῆς, ἐξ ὧν ἀπεμνημονεύουσι, κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνειν, εἴπερ τὸν λίθον ἔφη ψυχὴν ἔχειν, ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ.

Tex. 32. *Visus est autem & Thales ex iis, quorum extat memoria, motiuum quidpiam animam opinari; siquidem lapidem dixit habere animam, quoniam ferrum mouet.*

COMMENTARIVS LII.

SI verba spectes, vere dixeris cum Auerroe sermonem Philosophi esse manifestum. At in Milesij Thaletis commemoranda sententia mirari poteris, Philosophum non aperte sententiam eius ponere, sed solùm dicere vim eũ præsertim mouẽdi considerasse, animamque dixisse motiuũ quidpiam esse. Duplici scilicet argumento. Altero Herculei lapidis, quem propterea is attrahere ferrum asseruit, quòd habeat animam. Altero peruulgatæ opinionis, quæ de illo inter homines adhuc vigebat. Propterea inquit (quorum extat memoria) non enim extabant scripta. Sanè is creditur rerum omnium principium aquam esse voluisse, terramque vniuersam innatare aquæ; vt noster testatur Philosophus in primo Metaph. lib. cap. 3. tum quòd cunctarum rerum nutrimentum est humidum; ex eoque nutriuntur omnia, ex quibus constant. Tum quòd calidum sit ex humido per euaporationem; & calidum nutritur humido; vt in viuentibus patet, in lucerna, & aliis pluribus. Rerum etiam omnium semina humida sunt: & omnia priùs, quàm intereant, siccantur & arescunt; perinde quasi humidum sit omnium vita & conseruatio. At aqua est corporum omnium humidissima.

De veru principij Thaletis sententia.

Et sunt qui eum velint ita primæ materiæ naturam adumbrasse. Nam vt aqua figuras omnes, sic materia cunctas formas promptè suscipit. Idem sensisse traditur antiquissimos illos poëtas, quos in memorato loco primos theologos philosophi nominat. Ex Oceano namque & Thetide oriri omnia cecinerunt: Deorumque iusiurandum palùdem esse Stygiam: cùm verò iusiurandũ quidpiam sit antiquissimum, consequens fuerit aquam quoque rem antiquissimam & aliorum principium esse.

Sed & Plato in Thæocteto, Homerum scribit & Epicarmum ex Oceano cuncta & Thetide gigni dixisse; vt ex motu & fluxu constare omnia indicarent. Sunt qui ab Egyptiis Thaletem putent opinionem eam accepisse: quòd ij ex Nili inundatione suos agros fœcundari viderent, ex illiusque inundatione auspicabantur annum. At secus narrat Seneca lib. 3. naturalium quæst. cap. 14. Ægyptios inquam initia rerum quatuor elementa, singuláque bina, marem & fœminam posuisse.

Io. Picus lib 12. contra Astrologos cap. 2. & Io. Francisc. lib. 1. exam. cap. 10. 8. Thaletis sententia.

At cur in Thaletis nunc de anima sentẽtia commemoranda immoratur? Nam eum dixit ex aqua rerum omnium principio constare animam voluisse; sicut & Democritum dixit ex atomis & alios item philosophos, vt vnusquisque aliam atque aliam de principiis, ita & de anima opinionem habuisse? Duas causas adfert Philoponus. Alteram quidem, quòd illius scripta non extabant, quædamque solùm commentationes circumferebantur, nec satis fortasse de hominis constabat sententia. Nam in primo quoque Metaph. cùm quidis de primo principio sensisset commemorat, non penitus asserit, sed ita, inquit, Thales de prima causa dicitur asseruisse: & nunc, quorum ait extat memoria. Alteram verò Simplicio quoque communem, propter hominis obseruantiam ac reuerentiam. Tum quòd vnus is fuit ex septem Græciæ sapientibus. Tum quòd primus fuisse dicitur, qui cùm cæteri moralia persequerentur, inuestigationem naturæ aggressus est; multáque benè ac sapienter excogitauit ac posteris tradidit: quemadmodũ illud, prouidentiam ad minima vsque pertinere, nihilque vel minimum eam latere. Accedit quòd Hipponis eam fuisse sententiam non multò post audiemus; quem certè in primo Metaph. propter nimiam simplicitatem non esse cum Thalete ac sapientioribus numerandum scripsit. Quare ne hoc quidem loco communem sententiam esse voluit. Tertia apud eundem Smplicium extat causa, quòd corporum quidem principium & elementum aquam poneret Thales, animam autem incorpoream esse vellet. Itaque verisimile est ani-

De Prouidẽtia, Thalete testimonium.

mam eum & mentem principium fecisse rerum efficiens, prouidens, & gubernans; aquam autem velut materiam. Namque animam, quæ calore cuncta peragit atque in calore conseruatur & viuit, estque velut natiuus viuentium ignis & focus, absurdum nimis erat sapientéque philosopho indignum credere ex frigidissimo & contrario prorsus elemento constare.

Digressio VI. *de Magnete lapide ferrum trahente.*

CEterùm cur Magnes trahat ferrum verior causa quærenda est. Hic inter insigniores lapides, qui nec marmora sunt nec gemmæ, præcipuus est & admirabilis maximè. Ab inuentore appellatum fuisse Nicander poëta tradidit. Alij à Magnesia regione, in qua inuentus fuerit. Sic enim Lucretius cecinit in 6. lib.

Magnes cur dictus.

Quem Magneta vocant patrio de nomine Graij,
Magnetum quia sit patriis in finibus ortus.

Sed & in Æthiopia, & Cantabria, & pluribus aliis in locis inuenitur. Siderites quoque eam ob causam appellatur, quòd ferrum trahat: & Heracleon, quòd circa Heracleam vrbem repertus sit: & Herculeus lapis, & Indicus; quòd in Indico mari visatur: fortasse etiam quod pixidis ferro attritus Septentriones indicet. Hippocrates in lib. de sterilibus nec Magnetem, nec Sideritem, nec alio nomine appellauit, sed lapidem qui ferrum ad se rapit.

Cuius coloris sit.

Colore ferrugineus est & interdum penè candidus, sed ferrugineis distinctus venalis. Niger etiã interdum velut rubiginosum ferrum cum pice vstum.

Quot genera.

Quinque illius genera posuit Sotachus apud Plinium: Aethiopicum vnum, alterum Magnesiacũ ex Magnesia Macedoniæ; tertium Echium Bæoticum, quartum Troicum Alexandrinum, quintum Magnesium à Magnesia Asiæ.

Magnetis vis trahẽdi.

Mira vi non solùm trahit ferrum, sed quod magis est admirabile, ferrum quoque Magnete illitum aliud ferrum rapit, ni pondus nimium prohibeat. Vt quemadmodum in acubus sæpè experti sumus, quinque aut etiam plures anulos & velut catenam faciant, quemadmodum verè in Ione scripsit Plato: & pulchrè Lucretius,

Hunc homines lapidem mirantur. Quippe catenam
Sæpè ex anellis reddit pendentibus ex se,
Quinque etenim licet interdum plureſque videre
Ordine demisso leuibus iactarier hamis;
Vnus vbi ex vno dependet subter adhærens,
Ex alioque alius lapidis vim vinclaque noscit,
Vsque adeò permanenter vis perualet eius:

Tanta dicitur esse illius quantitas & vis in Indico mari, vt nauium, quæ ferreos habeant clauos, periculosa sit nauigatio. Vnde poëta Hetruscus.

Vna pietra è si ardita
Là per l'Indico mar; che da natura
Tragge à se il ferro; e'l fura
Dal legno in guisa, che naugli affonde.

A Quod nostrates nautæ testatur; ligneisque propterea clauis naues compingunt. Hac arte ferreum Mahumetis sepulchrum in Arabia pendere in aëre dicitur: & in Ægypto ferreum simulacrum in medio Tholo ex magnetibus constructo. Quod fieri posse confirmant Isidorus & Albertus. cap. vltim. libri 2. mineralium, & Franciscus Mauroly cus in problematibus quæ de Magnete adiunxit ad librum de horariis lineis. Quin & Dinocratem architectum Alexandriæ templum ex eodem lapide concamerare inchoasse vt in eo simulachrum eius è ferro penderet in aëre, narrat Plinius libro 34. cap. 14. Tanta
B verò est illius vis, vt ligno quoque aut alio solido corpore inter magnetem & ferrum interiecto, ferrum nihilominus à magnete ita rapiatur, vt motum eius sequatur: sæpè non sine admiratione vidimus & apud alios legimus. Inunctus tamen allio non trahit, neque adamante appositio: immò attractum dimittit.

Nec solùm trahit ferrum, sed chabybem, argentum, aurum, cuprum, stamnum plumbum, ossa, pilos atque adeò aquas & pisces, si Alberto credimus. Immò vnum magnetem trahere alterum obseruarunt Hieronymus Fracastorius & Maurolycus. Estque, qui vna facie magnetem trahat, alia ferrum, alia vtrũque.
C Alius, qui non trahat sed trahatur à ferro. Alius, qui vno angulo trahat ferrum, alio fuget: & Plinius lapidem memorat repellẽtem ferrum: sed Theamedem nominat, non magnetem, sed magneti adnatum ait Cardanus. Secus Andreas Cæsalpinus libro 3. Peripateticarum quæst. cap. 5. diuersas eiusdem Magnetis facies asserens. Denique Albertus ex Aristotele magnetem profert, qui carnes humanas trahat; & ita trahat, vt tractus rideat: sique magnus sit lapis, tandiu illi adhæreat, vt tandem moriatur.

Videnda.

Iam verò omnibus nota est eiusdem lapidis
D virtus altera & familiaris vsus, tum in solaribus horologiis, tum in nautica pyxide, ad dirigendum ferrum ad Boream, cuius cuspis magnete fuerit affricata. Atque hac arte cognoscunt nautæ & ventos & vniuersas mundi partes; quàque nauigandum sit intelligunt. Sed si fides habeatur Alberto, alius est, qui conuertat ad Austrum: nec ferrum modò, sed (si in libello de venenis cap. 2. vera narret Conciliator) humanas quoque carnes. Quibus alium addunt alij, qui ad Orientem, & qui ad Occidentem impellat: quod tamen apertè negat Maurolycus. Num verò nauticæ pyxidis vsus fuerit Aristoteli
E ac veteribus cognitus, aduersus Albertum disputat Cardanus: sed nullam sanè præclaram aut subtilem continet cognitionem; neque illius argumenta necessitatem vllam.

Ad Austrum.

Aliter alij.

Contra Cardanum.

Mirum quendam addit ille magnetem partu faba minorem, candidum seu potiùs buxeum, ferrugineis distinctum venis, lenem admodum & leuem. Cui affricata acus absque doloris sensu aut sanguinis eruptione cuiuis corporis parti infigeretur. At ex Dioscoride & Plinio docet Scaliger lapidem hunc non magnetis speciem esse; sed alium quendam, qui memphites nominatur.

Acus sine dolore infixa carni.

Cæterùm admirabilissimę illius Magnetis virtutis, tũ in trahẽdo ferro, tũ ad Boreã dirigẽdo, causa quærenda

Cardo quo vertitur hæc quæstio.

quæreada est. Non ignoro quid in principio suorum problematum scriptum reliquerit Alexander. Eos enim temerè agere affirmauit, qui eiusmodi quæstionum, quæ soli Deo notæ sunt, solutiones adferre conãtur, neque probabile quidquam dicere de illis possunt. Et apud Platonẽ in Ioue Socrates diuinam planè dixit magnetis esse virtutem instinctui perfimilem illi, quo à Deo concitantur poëtæ. Video tamen tum Platonem & Alexandrum, tum alios plerosque in re tantopere scitu digna sibi haudquaquam temperasse.

2. Sanè etsi à Proclo in lib. de sacrificiis & magia fuerit affirmatum sublunares omnes effectus ad cœlestes causas reuocandos esse: sapientibus tamen nugari videntur Astrologi; dum eam effutiunt causam, quòd & magnes & ferrum Martialia sint; Iouialia succinum & palea.

3. Sed nec Platoni assentiri possumus, dum in Timæo non aliam voluit in his attractionem esse, quàm corporum motum ex solo aëris pulsu & repulsu profectum. Qua de re Plutarchus in libro Platonicarum quæst. cap. 6. Nam si ita esset, non in solo ferro, sed in magnete, immò & in quibusuis corporibus idem eueniret. At si ferrum à magnete trahatur, quænam erit attractio?

Auctor est Auicenna in lib. de medicinis cordis cap. 10. non deffuisse, qui à magnete dicerent
4. emitti corpora curua ad modum hami aut vncini. Verùm rudissimorum hominum hæc fuit existimatio.

Inter subtiliores visus est ineptire Cardanus
5. dum Milesium Thaletem, opinor, & antiquiores quosdam sequutus magnetem viuere iactitauit, ferrumque ad se velut pabulum trahere: & meritò contrà disputauit Scaliger. Neque enim viuit obscurus lapis: neque ferrum à magnete voratur aut consumitur, neque attractio animæ eorum est, quæ sunt extra corpus, sed alimenti intus suscepti: neque solus magnes trahit, sed & ferrum magnete tactum: neque solum ferrum trahitur, sed alia plura: nec demum magnes modò ferrum, sed ipsiusmet confessione Cardani ferrum quoque interdũ magnetẽ trahit.

6. Itaque quod in 4. lib. de abstinentia ab animalium esu visus est existimare Porphyrius magnetẽ propinquãti sibi ferro quandam veluti animam impartiri; ita fuerit accipiendum; vt occulta & latenti virtute mouendo animatum quasi efficere videatur: Quia dum nulla trahens causa conspicitur, moueri à seipso ferrum videtur; perinde ac si animatum esset. Alioquin nec lapis est animatus; neque vt esset, animã ferro dare posset: non enim ea est animæ procreatio.

7. Quid de Platonicis dicã, quos in 4. Theologiæ Platonicæ lib. cap. 1. Marsilius Ficinus sequutus est? Illi à mũdi anima, quæ per hæc omnia corpora fusa sit, eiusmodi omnes motus fieri voluerũt.

8. Igitur Alexander cùm hac de re plutibus disputasset in 2. natur. quæst. lib. cap. 23. non aliã tandẽ quàm finis & boni, attractionẽ posuit. Sic enim
« disputationẽ concluſit. Trahit animal nutrimen-
« tũ & omne cõcupiſcibile & appetibile. Sic & fer-
« rũ ad lapidẽ fertur, non trahentem ipsum vi ad se;
« sed huius desiderio, quo ipse quidẽ indiget, habet
« autẽ ipsum lapis. Videtur enim & lapis esse terra,
« ex qua foditur ferrũ, &c. Vnde & illud Scaligeri
« exercitatione 102. c. 6. ferrũ spõte moueri velut ad
« matricẽ, cuius intimis principiis perficiatur; vt ad
A centrũ terra, ad mãmillã catulus, ad beatitudinẽ « « anima. At quænã sit in his probabilitas? Primũ nõ « videō quodnã sit illud tã eximiũ tamq; præstans bonũ, quo indigeat ferrũ, quod ab obscuro potiùs lapide, quàm à præstantissimis, qui terrei itẽ sunt, mendicare cũ tãto labore cogatur. Non intelligo quomodo ferri locus aut matrix sit magnes. Sed apud Galenũ potiùs in 3. lib. de simplic. medic. facul. cap. 25. & Georgiũ Agricolã alioſq; scriptores magnetẽ lego in ferrariis inueniri plerumque fodinis; inq; ferri scobe eũ optimè conseruari, res ipsa testatur. Deinde verissimũ est Peripateticum illud decretũ, genus hoc mistorũ inanimorũ non
B nisi ab elemento dominante sponte moueri loco. Ex quo cõcludas, non ad magnetẽ, sed ad terram dũtaxat suapte natura deorsũ moueri ferrũ. Hæc enim illius matrix, hoc natiuũ solũ. Tũ verò cur non nisi ex certa distãtia mouetur? Si namque vt ad bonũ & finẽ desideratũ moueretur, vndecũq; sanè moueretur. Cur vnum ferrum magnete illitũ aliud statim ferrũ trahit? An solo tactu bonitatẽ & perfectionẽ magnetis ita adeptum est, vt finis, bonũ, & matrix euaserit alterius ferri? Sed si vera sunt ea, quæ ex probatis auctorib. certisque experimentis antea narrata sunt: si non ferrũ modò, sed calybẽ, argentũ, aurum, cuprum, stãnum,
C plumbum, & alia plura ab eo trahuntur lapide; immò vnus lapis ab alio trahitur, & idẽ lapidem trahit & ferrum, alius à ferro trahitur, ab alio ferrũ abigitur, ac demùm ferrum à ferro trahitur (sic enim Conciliator testatur differ. 51. ferreũ se habuisse cultrũ, qui vehemẽtiùs, quàm magnes, traheret) ea omnino vera esse non possunt.

Præterea sunt alia, quæ trahunt; adamas, succinum, & alia quædã trahunt paleas, pilos, furculos: & os Ieracis seu Milui piscis trahere aurum Simplicius memorat in comm. tex. 82. lib. 8. Physic. Nec tamen hæc eò modo dicentur trahere. *Os Ieracis seu Milui piscis.*

Denique si non externa magnetis vi, sed intimo
D instinctu tanquam ad optatum bonum properat ferrum; quî fit, vt magneti adamante appositò aut allio illito moueri desinat? Impedientes nimirum hæ ac motum cohibẽtes causæ. Ferro potiùs, quàm magneti adhibendæ essent; si non traheret magnes, sed ad magnetẽ ferrũ accurreret. Neque enim propter adamantis allijue accessum desineret magnes ferri esse bonum, aut finis, aut matrix. Hoc vel vnicũ argumentum cuius manifestè potest ostendere aliquam esse magnetis virtutẽ, qua in ferrum agat; eamque ab adamantis allijue cõtraria & repugnante qualitate impediri. *Adamas cæteris alium magnetem cohibent.*

9. Neq; hoc modo, sed reliqua etiã omnia satis demonstrãt minùs verè à permultis, solãm in hisce
E corporib. naturæ similitudinẽ motus causã prædicari: sed quoniã peruetus opinio fuit, multorũque sæculorũ quasi cõsensu cõfirmata, operæpretiũ fuerit quid in ea tandẽ probabilitatis insit diligẽtiùs examinare & attentiùs singula pensitare. Nõ enim eodẽ omnes modo suã sententiã exposuerũt. Verùm Empedocles & Democritus similitudinẽ dixerunt, tũ atomorũ, tametsi magnesiæ atomi tenuiores & rariores sint, quàm ferreæ; tũ meatuũ vtriusq; corporis: sunt enim, inquiebant, in vtroq; cõmensurati. Moueri autẽ ferrũ potiùs ad magnetẽ, quã cõtrà: quoniã magnetis atomi vt sunt tenuiores, ita facilius in meatus ferri selè insinuant, aëremque in illis contentũ propellunt & ferri atomos ad motum prouocant. Quare

propulso aëre ac separato, atomisque à ferro ad magnetem, quæ plura habet inania, libenter tendentibus, ferrum quoque sequitur & ad magnetem mouetur.

Epicurus eandem atomorum similitudinem
10. alia quadam ratione prætendit: atomos videlicet vtrinque sibi occursantes amplecti sese vicissim propter similitudinem, ferrumque propterea quasi viribus iunctis trahere.

Cæterùm nihil probabile ab Empedocle & Democrito fuisse dictum demonstrauit Alexander; nihil ab Epicuro, Galenus in primo lib. de nat. facul. cap. 14. Nam si atomorum aut meatuum similitudo adducit motum, cur non item magnes ad ferrum mouetur? Si ferrum atomos & aërem egredientes comitatur, cur non etiam comitatur magnes? Cur cùm ab aliis corporibus in ferri meatus emittantur atomi, ad solum magnetem ferrum mouetur? Sane complura sunt alia corpora, quæ similibus constent, tum meatibus, tum atomis; vt aqua & vinum: cur igitur vnum non mouetur ad alterum? Denique adamas & succinum paleas trahunt, festucas, pilos, furculos; & magnes ipse alia plura præter ferrum: cur igitur cùm hæc omnia similibus ex illorum sententia constare oporteat, non item sese ipsa vicissim trahunt?

Itaque mirari satis non possum Simplicium
11. & Hieronymum Fracastorium. Quorum alter in comment. 10. lib. 7. Physic. Alexandrum scripsit ita quæstionem hanc explicasse, vt magnetem affirmauerit aut ferrum trahere; quia etsi distet, insita tamen sibi trahendi virtute illud tangit: aut id atomorum effluxione fieri. Alter
12. ita sententiam suam proposuit in cap. 5. & 7. lib. de Sympathia & Antipathia, vt huius effectus causam asserens esse effluxum vtrin que aut insensilium atomorum aut certè intentionalium specierum, quæ dùm coëunt in medio propter naturæ similitudinem vnum quidpiam efficiant, tum inter se, tum cum corporibus, à quibus egressæ sunt: in quo cùm partes debitum sibi modum & situm non habeant, nisi ita constringantur, vt illa ipsa corpora coëant, motus consequitur vnius ad alterum: hanc planè Galeni sententiam fuisse asseruit.

Etenim Alexander quidem nequaquam ab externa magnetis vi trahi ferrum, sed sponte ad suum bonum moueri dixit; & Empedoclis Democritique atomos multis modis cõfutauit. Galenus verò, quemadmodum & post eum alij plures, communem quidem naturæ legem, qua simile ferè ad simile suum mouetur; hac quoque in re sequutus est in 3. lib. de Simpl. medic. facultatibus cap. 25. & 3. de natur. facul. cap. 15. Sed aduersus Epicuri atomorum effluxum in primo de nat. facul. cap. 14. oratione lõga disputauit. Vt Empedocli potiùs, Democrito & Epicuro, quàm Galeno cõsentanea fuerit Fracastorij sentẽtia. Minimè autem veritati. Nã & hoc ostendunt eadem illa omnia argumenta, quæ aduersus alios atomorum assertores proposita sunt: & effectus certi causam adfert incertam maximè ac dubiam, atque tum à Galeno tum ab aliis pluribus nõ concessam. Quàm multi enim sunt, qui non dicam atomos, sed ne intentionales quidem species admittant? tum verò vt eam sententiam ponat, aut qualitates accipit elementorum esse substantias, aut substantiam quoque speciem intentionalem mittere: quorum vtrumque secus habere alio loco demonstratur.

Ergo nunc illud verè affirmabitur, solam qualitatis aut naturæ similitudinem nõ trahere. Traheret enim ex quacumque distantia: quoniam eadem vbique similitudo, eadem qualitas & natura. At certum est non nisi ex determinata, imò minima, & ad magnetem ferrum & ad adamantem aut succinum paleas, pilos, & furculos moueri. Deinde non minùs vnum simile ad alterum, quàm alterum ad alterum moueretur: non minùs ad magnetem ferrum, quàm ad ferrum magnes: nec minùs magnum ferrum, quàm parvum; si sola similitudine, non vi externa traheretur. Illud autem verè ratiocinabimur, motum sursum corpori graui contra naturam esse & violentum; neque ab interiori principio, sed exteriori prorsùs vi fieri. Atque ferrum esse corpus graue naturáque deorsum impelli, quis nesciat? Quomodo igitur sursum nisi externa vi moueatur? Non enim ad occupandum inane aut alio modo naturæ communi subueniendum mouetur; sicut interdum & grauia sursum & deorsum leuia sponte feruntur; suæ quasi conditionis oblita, vt communi succurrant bono. Præterea quàm multa sunt similia & verò etiam magis, quàm ferrum & lapis; nec tamen vnum ad aliud mouetur. Cos coti similis est, silex silici, & marmori marmor; nec vnum trahit alterum. Nil terræ similius terra, nil ferro cognatum magis, quàm ferrum; magis sanè, quàm lapis magnes. Cur igitur terra sursum terram non trahit? Cur ferrum ad ferrum potiùs, quàm ad magnetem, non accurrit? Certè verissima semper iudicata fuit Aristotelis illa propositio; Idem quod eodem modo se habeat, aptum semper est idem efficere: si igitur ferrum ab accedente magnete nihil accipiat neque mutetur, cur cùm anteà quoque magneti simile, non ad magnetem sed ad terram; non sursum, sed deorsum, moueretur; pòst non ad terram, sed ad magnetem; non deorsum, sed sursum rapitur? Nimirum certa & determinata distantia aut etiam contactus, conditio quidem est ad agendum necessaria, agendi tamen principium non est.

Propterea vetus fuit Diogenis Apolloniatis opinio metalla quidem omnia & ductilia humiditatem aliquam ex sese emittere, sed ferrum plurimam: quam dum magnes, qui rarioris & ficcioris substantiæ est, auidè suscipit, ad se trahat ferrum. In qua verissimè Alexander nullam inesse probabilitatem iudicauit. Nam cur quæso non æquè trahitur æs, plumbum & alia plurima, quæ & humorem emittunt, & maiorem permulta, quam ferrum? An non complura sunt alia ficciora & rariora, quàm sit magnes ferrugineæ propemodùm naturæ? Cur non trahit ficcissimus & rarissimus pumex? Ab acu autem, aut minimo stylo quænam emittatur humiditas, quam tam auidè appetat magnes? Maior multò emittitur à maiori ferro; nec tamen illud trahitur. Adamas quoque & succinum simili planè trahunt motu quo magnes: at densissimus adamas est: & tam ipse, quàm succinum, res ficcissimas trahunt; & ficciores multò, quàm ipsa sint: pilos inquam

inquam, paleas, surculos, à quibus humiditas nulla. Denique ratione magis consentaneum videretur, vt humiditatis cupidus magnes tanquàm ad fontem moueretur ad ferrum: præsertim cùm ferrum pugnacius sit minusque promptum ad motum.

Ita nimirum de succini attractione in quinto de subtilitate libro philosophatur Cardanus. Habet enim, inquit, humidum pingue & glutinosum, quo emisso res sicca combibere cupiens versus fontem, id est succinum ipsum, mouetur. Verùm & illud est corpus solidum, & consistentem habet atque à siccitate terminatam humiditatem, eamque suæ conseruationi necessariam. Deinde non potest sola emitti qualitas sine aliqua substantiæ parte; igitur breui consumeretur. Adamas quoque eadem illa corpuscula trahit: à corpore autem densissimo & frigidissimo quæ fluere possit humiditas? Alia sunt multò magis pinguia & quæ veram humiditatem emittant: nec tamen ad illa currunt paleæ & reliqua sicca, sicut ad succinum: certoque experimento comperit Scaliger exercit. 104. cap. 12. non sola sicca, sed & lactucæ viridia & humida folia trahi. Neque debuisset statim Cardanus succini attractioem ignis & calidorum attractioni persimilem esse dicere. Nam non propter emissam pinguedinem trahunt calida: neque sicca trahit ignis, sed humida magis: neque ad conseruandum & perficiendum, sed ad depascendum & deuorandum. Itaque oppositus potiùs motus: alter sicci ad humidum, propter salutem & conseruationem: alter humidi ad siccum, propter interitum & absumptionem.

Auctoris sententia.

Quid ergo? Nihil hac de re probabile dici potest? Illud vnum mihi videtur tum probabile tum verum: vnamquamque naturalem formam præter absolutum & essentialem perfectionem, quam materiæ adfert, alicuius item operationis principium esse. Est enim efficax natura atque ad agendum prompta: non stolida & iners, quemadmodum ars. Itaque aut in eo ipso, in quo est, operatur: & appellatur natura: aut in aliud quidpiam, & dicitur efficiens. Atque ad vtrumque operationis genus exequendum præparatas habet qualitates, optima nimirum instrumenta vterque operandi modus in elementis est & in viuentibus. Elementi namque forma per motricem qualitatem elementum impellit ad suum locum, atque per alteratrices externam afficit materiam sibique simile gignit. Et anima tum in viuentibus ipsis per suas facultates operatur, tum in exteriorem materiam. In mistis inanimis vt primum operationis genus necessarium non erat, sic alterum maximè abundauit. Etenim in seipsis operationem aliam, quàm motum ad locum, habere non poterant: eamque fieri oportebat ab elemento dominante, ad quod tanquàm pars ad totum mouetur. Quapropter eorum formæ eam solùm ob causam appellantur naturæ, quòd Ens quodpiam naturale constituunt. Operando autem in aliud, non naturæ, sed efficientes causæ nominantur: eorumque virtutes & ad agendum instrumenta principes illæ & simplices non sunt qualitates, calor, frigus, humor, siccitas: quoniam eæ formarum elementarium virtutes propriæ sunt, sed aliæ quædam secundæ ex illarum temperatione ortæ. Sicut enim ex elementarium substantiarum permistione substantiæ forma producitur cuiusque horum corporum propria, sic ex qualitatum temperatione secundæ qualitates oriuntur, tum colores, odores, sapores, quibus ea corpora sentiuntur: tum aliæ quædam, quibus operantur, ne otiosæ penitus in natura subsistant. Hanc namque solam ob causam facultates animam comitari existimamus. Vnde illud consequens est, nullum omninò esse corpus mistum, quod non eiusmodi aliquam sibi propriam virtutem habeat & operationem, quæ admirabilis videri possit: tametsi in permultis nulla fortasse obseruetur. Qualitates hæ à plerisque nominantur occultæ non quòd nec mente concipi nec verbis explicari queant, vt Ioannes Fernelius existimauit in 2. libro de abditis rerum causis cap. 2. sed quod nullo percipiantur sensu. Ex operatione tamen & effectu satis cognoscuntur. Alioqui animæ quoque facultates, quæ sensu nullo sed operatione manifestantur, occultas qualitates appellabimus. Quomodo autem hæ qualitates & virtutes operentur, perspicuum est in quibusdam, ex quibus de cæteris faciendum iudicium. Herbarum vires, metalla, & metallica, alterando operari, medicamenta ostendunt omnia, quæ ex illis confecta nostris corporibus adhibentur: & medici consentiunt, & in nobis ipsi experimur: illisque alterationibus illæ ipsæ ministrant alteratrices quatuor principes qualitates, ex quibus hæc omnia corpora permista sunt. Itaque eodem modo & adamantem, & succinum, & magnetem trahere credendum est. Tametsi hæ alterationes minùs nobis manifestæ sint, quòd non in nostris quemadmodum priores, sed in alienis corporibus suscipiantur.

Qualitates secundæ mistorũ.

Hæc veterum fuit & grauissimorum auctorum sententia. Etenim vt de magnete potissimum dicam, quem præsertim omnes admirantur; Galenus in secundo lib. de elemẽtis cap. vlt. & libro 1. de Natur. facul. cap. 14. & libro de Theriaca ad Pisonem, eodem planè modo eum scripsit trahere ferrum, quo trahunt medicamenta omnia, quæ serpentum venena aut humores noxios & corporibus nostris educunt. Quam medicamentorum tractionem etsi in libro de Natura humana Hippocrates ratione similitudinis fieri significauit, constat tamen qualitatum alteratione perfici. Et idem ipse Galenus affirmauit in 2. lib. de Natur. facul. cap. 3. eiusmodi vim inesse magneti ad trahendum ferrum, qualis inest semini ad trahendum sanguinem menstruum. Et cap. 7. eiusdem libri, & cap. vlt. lib. 3. qualis singulis membris ad trahendum alimentum. Et libro primo de locis affectis cap. vlt. eam esse illi persimilem, quam habent naturalia instrumenta & corporis nostri membra ad perficiendas actiones suas. Atque in lib. 6. eiusdem operis cap. 5. huiusce virtutis efficacitate alterari à magnete ferrum, quẽadmodum à torpedine alteratur piscatoris manus.

At pluribus verbis totam hanc quæstionem

pertractans Auicenna in loco anteà significato, eam operationē ostendit propterea admirabiliorem videri, quòd sit rarior : fieri autem à virtute, quæ primarum qualitatum temperationem consequitur : sicut calefactio ignis fit à calore : & colores cæteræque similes qualitates secundæ ex corporum complexione nascuntur. Themistius autem textum enarrans 82. libri 8. Physicorum, & Simplicius tum eo loco, tum in com. 10. superiùs citato, magnetem affirmarunt agere in ferrum atque illi vim impertiri, qua ad ipsum moueatur. Et Auerroes (quidquid dicat Ioannes Franciscus Picus in 6. libro illius operis, in quo gentium doctrinam examinat cap. 18.) in com. 10. libri septimi Physic. ea ex parte visus est Alexandrum sequi, qua motum eum dixit alimenti motui similem esse, ferrumque ad magnetem moueri vt perficiatur : sed eam ita interpretari, vt is motus magnopere differat à motu corporis grauis aut leuis ad suum locum; quòd hoc ex quacumque distantia perinde mouetur, alimentum autem & ferrum non item : quia non nisi alterata & aliqua qualitate affecta mouentur: illud à viuente, hoc à magnete. Quam eandem sententiam in com. 35. lib. 8. ostendit argumento, tum succini, quod paleas non trahit nisi calefiat : tum ipsius magnetis, qui affricatus allio non trahit, quòd illius temperatio non moueatur atque ab agendo prohibeatur. Idem iudicium fuit Alberti in tex. 10. lib. 7. Physic. & in 2. Mineralium lib. tract. primo cap. primo & tract. 2. cap. 11. & sancti Thomæ, Burlæi & aliorum complurium. Sunt autem huius rei argumenta permulta : primum, quòd magnes non ex quauis distantia trahit, sed tam propinquum duntaxat corpus vt alterari possit. Alterum, quòd si affricetur allio, trahere non potest, quòd alterans vis impediatur, nec afficiat ferrum vimque mouendi sē tribuat. Nam & succinum appositum igni non trahere dicitur, quòd calore nimio non solùm excitatur virtus, sed etiam absumitur. Tertium, quòd vt is attractus fiat, magnete priùs necesse est linire ferrum, vt ita mouendi virtus impertiatur. Succinum quoque teritur & fricatur, vt calore partes exteriores rarefiant virtusque prouocetur. Quartum, quòd si secùs esset, non solum paruum, sed & magnum ferrum moueretur : imò quò maius, eò velociùs : vt fit in ijs omnibus, quæ ab interiori principio mouentur. At non mouetur nisi perexiguum ferrum : quia qualitas à magnete deriuata paruum corpus mouere potest, magnum non potest.

Motum hūc attractionē non esse.

Ex his omnibus facilè intelligas, motum hunc minimè attractionem appellandum esse, si accuratè loqui velimus. (Nam in hoc motus genere docuit Aristoteles in septimo physic. libro oportere id quod trahit ita simul esse cum eo quod trahitur, vt nullum interea sit corpus medium, atque id quod trahit, simul esse cum eo quod trahitur.) Sed magnetem quidem esse prorsus immobilem, mouere autem ferrum alterationis motu, ferrumque tum à magnete alterari, suscipiendo qualitatem ab ea productam, tum ad magnetem moueri loco. Sicut sol immobilis cùm sit inferiorem hanc materiā alterat, eaq; & alteratur & sursum alterata mouetur. Atque hoc est, quod inter corpora grauia, & leuia, quæ mouentur ad locum, & ferrum quod ad magnetem, interesse docebat Auerroes. Etenim illa spōtè absq; antecedēte alteratione, & ideò ex quocūq; loco, mouentur. Hoc non nisi accedente magnetis alteratione : & propterea non nisi ex ea distantia, vnde alterari possit. Prior motus est planè naturalis, & ab interiori insitoque principio : posterior tum ab exteriori, tum ab interiori : partimque naturalis, partim non naturalis. Ab exteriori quidem principio & non naturalis est : quatenus non ab insita, sed ab aduentitia forma efficitur. Ab interiore autem & naturalis : quatenus fit per qualitatem & formam inhærentem sibi. Sic enim de motu quoque halitus sursum loquimur : qui cùm cæteris conditionibus, tum ipso nomine persimilis huic est, dum vaporem à sole sursum attrahi dicimus : licet impropriè & minùs verè. Illud tamen discrimen est : quòd ideò ascendit halitus, quòd calefactus à sole leuis factus est : ferrum propterea ad magnetem mouetur, vt alteratio & magnoperè suæ naturæ conueniens qualitas perficiatur magis. Et ideò per se mouetur alterationis motu ad qualitatem eam & perfectionem : ex accidente autem locali motu, quoniam qualitatem eam & perfectionem absque hoc motu assequi perfectè non potest. Quæ causa est, non solùm cur ferrum non nisi præsente magnete moueatur, eoque remoto moueri desinat. Verum etiam cur halitus quidem vno duntaxat modo moueatur sursum; ferrum autem & sursum & deorsum & omnem in partem versus magnetem, à quo naturæ suæ conuenientem suscipit qualitatem. Quod mirum videri non debet; quia non mouetur tamquam ad loca diuersa & opposita : sed tamquam ad qualitatem & perfectionem, quæ eadem semper vbique est: siue sursum sit, siue deorsum. Hoc enim ex accidenti est: quia corpus, à quo eā accipit qualitatem, sursum est aut deorsum alioue in loco positum. Quare idem per se motus est alterationis ad eandem qualitatem : ex accidenti diuersus aut oppositus, quatenus eum localis motus consequitur. Adétque contactus mouentis & mobilis imediatus virtute, mediatus supposito.

Motus halitus sursum.

Iam verò quæ de motu ferri ad magnetem dicta sunt, de palearum quoque, pilorum, furculorum, & id genus corpusculorum mota ad succinum adamantemve intelligenda sunt : & omninò de similibus aliis operationibus, quæ à lapidibus inanimisque corporibus fiunt. In quibus plurimas item virtutes inesse non dubito, quæ nobis nondum notæ sunt nec hactenus obseruatæ : omnium tamen eadem est causa, idem principium. Aliæ scilicet atque aliæ qualitates secundæ ex diuersa primarum temperatione ortæ velut virtutes & facultates ad agendum singulorum mistorum propriæ : quemadmodum qualitates primæ in simplicibus, & animæ facultates in viuentibus corporibus.

Quocirca si magnes quispiam non ferrum sed alia corpora trahat, diuersa id facit temperatio & qualitas. Si quispiam non trahat

hat ferrum sed fugèt : vt de Theamede narrat Plinius : contraria & hostilis qualitas adest, quam alterantem persentiens ferrum refugit.

Altera digressionis Pars. Cur magnes ad polum conuertat stylum.

DIfficiliorem habere videtur explicationem altera illa magnetis operatio, qua ferrum ipso affricatum ad polum sese conuertit.

De qua sanè nihil video dici probabile. Non solùm si ferrum negetur eò sese conuertere, sed à cœli motu agitatum quiescere tandem vbi meliùs potest, hoc est secundùm polarem lineam. Id enim manifestam habet falsitatem. Tum quia cœlestis motus nequaquam vsque ad hæc inferiora agitanda pertingit; tum quia effectus is communis esse deberet aliis omnibus rebus : quarum tamen plurimas videmus quiescere; nullam autem ita moueri, vt polum semper quærat atque ad illius aspectum quiescat.

Verùm etiam, siue causa dicatur esse sympathia inter magnetem & stellam Vrsæ minoris; aut aliam, quæ in illa cœlesti plaga versetur : siue ferre montes aut magnesij, qui sub ea sint cœli parte & magnetem ferrum ve trahant. Nam quæ tandem sit istæc inter magnetem & stellam sympathia ? Num substantiæ, an qualitatis ? At quid commune corruptibili & incorruptibili substantiæ? Quæ qualitas communis cœlesti luci aut perspicuitati, & obscuritati aut opacitati magnetis? Ferreos autem illos aut magnesios montes quibus auctoribus aut testibus ostendunt, nisi chartas nescio quas à se aliquandò visas proferant ? Quomodo illorum virtus tam procul operetur, tamque diffitum à se corpus trahat aut omninò in illud agat; vel etiam propter globi rotunditatem terra vel aqua interposita ? Siquidem nihilominùs per totam terram mareque vniuersum conuerti ad polum ferrum, libri omnes nauigationum confirmant. Aut si agere potest & trahere, cur non maiora sed minora duntaxat ferra trahunt ? ob magnitudinem enim cùm sint vastissimi montes, omne ferrum attraherent : sicut in Indico mari periculosam propterea esse propinquam nauigationem antea dictum est. In Ilua Tyrrheni maris insula non exiguus idemque optimus magnes foditur : nec tamen illic nauigantium aut appellontium pyxides relicto polo stylum eò dirigunt, nec nisi proximè admoueris, id efficiunt: quin potiùs ferrà eo ipso magnete illita non illuc, sed ad polum, vt cætera, sese conuertunt. Quod si magnes ille minùs efficax esse dicatur, quòd sit in minera; efficaciorem autem fore ex minera extractum : idem nos de illis montibus, qui sub Boreali polo esse dicuntur poterimus affirmare. Et Iluanus magnes extractus cur non ad suum magis principium & matricem, quàm ad polum, dirigit ? Denique si vera sunt quæ narrantur, magnetem quemdam ad antarcticum, alium ad arcticum, alium ad orientem, alium ad occidentem dirigere : omninò dici non possunt in hisce omnibus partibus montes illi esse.

Magnopere quidem laudanda mihi videtur ingenua & libero homine digna S caligeri in exercit. 131. confessio : nos in luce rerum tenui caligare; in mediocri cœcutire, in maiori cæcos esse, in maxima insanire; se verò huius rei, de qua agimus, causam planè nescire. Aliqua tamen hac quoque de re dici posse existimo, quæ ab æquo rerum æstimatore, qui non eamdem in omnibus certitudinem ac demonstrationem quærat, non negligantur.

Principio certum est res hasce omnes sublunares à cœlorum aspectu pendere magnoperè; siquidem vt est in primo Meteor. lib. cap. 2. omnis earum virtus inde gubernatur. Plurimùm verò pendet corporum hoc inanimorum genus, quod efficientem aliam & parentem causam non agnoscit. Idcirco non vbique nascitur, quemadmodum ferè viuentia : sed huius hæc terræ pars, illius alia ferax est. Imò & in viuentium genere quæ imperfectiora sunt & prima, non in omni loco, non dicam viuunt aut crescunt, sed ne nascuntur quidem. In plantis res est manifesta. Et eas plerique agricolæ norunt, dum transferuntur, fœliciùs adolescere multò, si cœlorum idem situs & aspectus seruetur, quem primùm habuerunt : eademque pars orientem spectet : eadem occidentem ac reliquas cœli partes. Si incuruentur assurgunt rursum, eriguntque sese ad cœlorum aspectum : si alterius plantæ aut corporis vmbra liberum aspectum impediat, ad alteram partem declinant. Et quædam sunt, quæ ad solem sponte sese conuertant, eumque semper intueri velint : vt Heliotropium, Tragopogum & ornithogalium. Memorat & Selinotropium, quæ ad lunam semper sese conuertat, Proclus in libello de Sacrificio & magia. Nempè cuncta præcantur, inquit ille, hymnosque concinunt ad ordinis sui duces. Denique quod magis mirari possumus, de perfectioribus quoque animalibus ita philosophatus est aliquando Aristoteles. Nam in cap. 28. libri 8. de Animalium historia alijsque pluribus in locis, non aliam, quàm terræ, situm cœlique aspectum, docuit esse causam, cur in quibusdam prouinciis animalia quædam non sint. Cùm enim tanta sit tamque efficax superiorum illorum corporum virtus in inferioribus hisce tum gignendis tum conseruandis & administrandis : neque sit eadem superiorum omnium astrorum virtus, neque eadem inferiorum corporum temperatura, sed singulorum prorsus diuersa : fit vt singulis hisce inferioribus singulæ cœlorum virtutes accommodatæ sint eorumque naturis conuenientes. Et ideò singula singulis delectantur & ad eas sese conuertunt & quoquo modo possunt accurrunt. Homo maximè inter omnia viuere vbique potest, tum propter temperatam maximè naturam, tum propter adiumenta plurima, quibus arte comparatis ab externis iniuriis sese tuetur. Itaque quæ est causa, cur, & heliotropium ad solem, selinotropium ad lunam sese conuertant, eadem est, cur non immobilem polum vt aliqui crediderunt (quæ enim inde virtus ? aut cur non rectà ferrum spectat polum, sed lineam facit, quæ non parum à polari decli-

Caloris ita virtus in inferiora.

Plantæ ad solem se conuertentes.

Homo ; vbique viuit.

net?) Sed ſtellam polo propinquã ſemper quærat magnes. Etenim illius ſtellæ virtus temperaturæ huius & naturæ conſeruandæ cõueniens maximè eſt, ab eaque plurimũ iuuatur & perficitur. Atque vt paucis concludam, eodem modo philoſophãdum reor de magnetis ad polum conuerſione, quo de ferri ad magnetem motu proditum eſt. Vt enim ad magnetem accurrit ferrum, quod qualitatem ſuæ naturæ magnopere conuenientem ſuſcipiat: ita & magnes ad polum ſe ſe conuertit, qualitatis & virtutis inde deriuatæ ſitiens.

Ex quo tandem principio explicare facilè licet diuerſitatis illius cauſam, cur vnus magnes trahat ferrum, chalybem alius, alius argentum aut aliud corpus. Cur item vnus magnes trahat alium, aut vnus trahat ferrum, alius abigat. Cur demum vnus ad vnum polum ſeſe conuertat, alius ad alium, aut etiam ad aliam quamcumque partem: tametſi vix ad aliam credo. Totius enim huius diuerſitatis cauſa eſt, tum naturæ ac temperationis magnetis aut ferri aut alterius corporis, tum qualitatis productæ & ſuſceptæ diuerſitas. Neque aliud habeo quidquam, quod in obſcuro ſanè problemate probabilius nunc adferre poſſim.

Tertia Digreſſionis Pars. In lapidibus né an in viuentibus maiores virtutes.

Lapidũ virtutes.

CÆterùm quæ hactenus commemorata ſunt, ſatis oſtendunt manifeſtè falſam fuiſſe illorum opinationem, quos in ipſo initio ſecundi libri de mineralibus ſcribit Albertus nullam in lapidibus ineſſe virtutẽ exiſtimaſſe. Contrà Hieronymus Cardanus non aliquam modò, ſed maiorem multò, quàm in animalibus & plantis, eſſe affirmauit. Cuius rei cùm cauſam quæreret, triplicem omninò pronuntiauit. Primam, quòd cùm animalia & plantas ad functiones multas parare aptas oporteret, non licuit miſtionem adeo temperare, vt vires illas lapidum admirabiles aſſequerentur. Ideo & inter animalia, viliſſima quæque clarioribus virtutibus prædita ſunt: vt ſalamandra, bombyx, cicendula, chamæleon. Et inter lapides, non gemmæ trahunt ferrum, ſed obſcurus magnes. Alteram, quod mollior animalium & plantarum materia non poterat vim tantam ſuſcipere. Tertiam, quod lapidum procreatio longo fit tempore: plantæ & animalia citò abſoluuntur. Quamquam plures addat in animalibus ineſſe vires, aut nobis ignotas, aut à voluntatis arbitrio proficiſci exiſtimatas.

Mitto quod in animalibus & beſtiis voluntatis arbitrium nominet, quod ſoluit hominis proprium eſt: ſiue à voluntatis arbitrio, ſiue à ſentiente appetitu, ſiue ab inſtinctu naturæ proficiſcantur; an non animalium propriæ ſunt operationes? Et quidem admirabiliores multò, quàm eæ omnes ſint, quæ in lapidibus viſuntur? Senſuum, tum exteriorũ, tum interiorũ, tã multiplices ac variæ cognitiones & vero etiam humanæ mentis intellectio; inceſſus in omnem partem cum tanto membrorum apparatu tamque admirabili partium corporis inflexione: ac demum cum ea poteſtate agrediendi atque intermittendi motum quando libuerit: nutritio ex tanta ciborum varietate tantam partium

Animaliũ virtutes.

A diuerſitatẽ tot factis mutationibus reſtaurans, tot conſtans attractionibus, iecoris & venarũ accretio, procreatio corporiſque organici cõformatio: quæ tres poſtremæ virtutes atque operationes plantis quoque communes ſunt: an non meliores ſunt & maiorem habent apud ſapientes admirationem, quam lapidum virtutes omnes & actiones? Vtrum magis admiratus Galenus eſt: humaniné corporis fabricationem & ſingularum partium functionem, an magnetis lapidis attractionem? Poſteriorem hanc ſanè operationem eam vel maximè ob cauſam ſcripſit Auicenna in libro de Medicinis cordis cap. 10. nos

B plurimum admirari, quòd rara ſit: reliquas non item, quòd familiares & antè oculos poſitæ.

Herbarũ vtilitas.

De herbarum porrò viribus quàm multa dicuntur ab omnibus? An non illis medicorum pene ars vniuerſa nititur, atque ad innumerabilia morborum genera mirabiliter vtitur? Animalium quoque corporum & ſingularum particularum virtutes plurimas, & maximas perii norunt Medici. Vt verè dici poſſit, ſi in lapide vna quæpiam ſit virtus à propria illius forma adminiſtrata, plures multò eſſe atque admirabiliores in plantis & animalibus: tum ex parte animæ, quæ vt melior eſt forma, ita plures ac meliores habet facultates: tum verò etiam ex

C parte corporis, quod miſtum eſt, quemadmodum lapides ſunt: & eterogeneum, hoc eſt multiplici miſtione miſtioniſque forma conſtans; quod lapides non ſunt. Quarum formarum vna quæque virtutem aliquam & actionem habet: & quidem meliorem, vt ſuæ miſtionis conditio poſtulat.

Argutè ſatis hac de re diſputauit Scaliger: multaque ex animalium partibus admirabilia commemorauit. Hoc vnum ego ſubijciam argumentum ex Peripateticorũ decretis ſumptum. Fuit illis certiſſimum ſemper principium natũ

D ram propter finem aliquem operari quæcumque molitur: finemque qui quæritur, ijs omnibus, quæ fiunt, modum ponere. At lapidum corpora homogenea ſunt & vnius naturæ: plantarum & animalium eterogenea, & in plurima ac diuerſa organa diſtincta: magiſque ea, quæ animalium ſunt, quàm quæ plantarum: & rurſum ea, quæ animalium perfectiorum, quàm quæ imperfectiorum. Plures igitur atque admirabiliores virtutes in plantis, quàm in lapidibus: plures in animalibus, quàm in plantis: plures denique in animalibus perfectioribus, quàm in imperfectioribus. Illud etiam fuit illis certiſ-

E ſimum: formam quamque operandi principium eſſe, atque pro diuerſa formarum conditione materiæque diſpoſitione diuerſas operationes eſſe.

At forma plantæ melior eſt, quàm forma lapidis (nihil enim anima melius) melior item materia: multò melior animalium, tum anima, tum materia: optima verò vtraque in ijs, quæ perfectiſſima ſunt. Sanè reprehendendus maximè Cardanus eſſet, ſi maiores eſſe contenderet lapidum vires: admirabilioreſque ſalamandræ, bombycis & viliſſimorum animaculorum: quàm hominis, quem tota mirat ur natura.

Soluuntur argumenta.

Nulla igitur eſt prima hominis argumentatio. Quoniam lapidum efficiens cauſa eſt Cœlum duntaxat

duntaxat à materiæ qualitatibus determinatum, plantarum & animalium, tum cœlum, tum planta & animal, per virtutem tributam semini maior scilicet virtus & multiplex ad multiplicem mistionem optimè temperandam. At nunquid bombycis vilissimi vermis & abiectissimorum animalculorum, quorum is tantam virtutem prædicat, meliùs, quàm hominis & perfectissimorum, corpora temperata sint? Numquid melior magnetis obscuri lapidis, quàm pulcherrimi smaragdi, splendidissimi opali aut carbunculi temperatio?

Minùs sapiens altera est argumentatio. Non enim materiæ mollitudinem aut duritatem, sed naturam sequitur operatio. Et magnes, quem ille præ cæteris admiratur, mollior multò est adamante & gemmis penè omnibus: atque odiosus illi tofus alijque lapides nonnulli molliores magnete sunt.

Quod tertio adiungit loco, lapidum procreationem longinquioris temporis esse, probandum illi fuisset. Nam quispiam verum esse negabit. Siquidem & plantarum quarũdam & arborum semina multo tempore macerantur sub terra & tardissimè adolescunt, & animalium fœtus nouem interdũ mensibus gestantur multísq; annis perficiuntur & crescunt. Sed quidquid sit; non ex temporis aut operæ diuturnitate, sed ex formæ atque operis perfectione naturæq; genitæ conditione ac gignentis causæ virtute, virtutis atque operationis perfectio ponderanda est. Neque credendũ perfectiores & admirabilioreslapides tempore diuturniore crescere; sed ex maiore aut minore causarum efficientium virtute, atque ex materiæ dispositione mensuratur tempus.

TEXTVS.

Διογένης δ' ὅστις ϗ ἕτεροί τινες ἀέρα τοῦτον ἀπειθεῖς πάντων λεπτομερέστατον εἶναι, ϗ ἀρχὴν, ϗ διὰ τοῦτο γινώσκειν τε ϗ κινεῖν τὴν ψυχήν. ἢ ᾧ πρῶτον ἐστι ϗ ἐκ τούτου τὰ λοιπὰ, γινώσκειν. ἢ δ' λεπτομερέστατον, κινητικὸν εἶναι.

Diogenes verò, vt alij quidam, aërem nunc arbitratus tenuissimum omnium esse & principium; & propterea & cognoscere & mouere animam: quia quidem primum est & ex hoc reliqua, cognoscere: quia verò tenuissimum, motiuum esse.

COMMENTARIVS LIII.

9. Diogenis sententia.

SOlam mouẽdi vim considerauit Thales in anima: at Diogenes Apolloniates partem vtramque complexus est, tùm motum, tùm cognitionem: animámque aërem esse putauit, quòd aërem & corpus omnium tenuissimum & cunctarum rerum principium esse arbitraretur. Et propter similitudinem quidem cognoscere, dum ex aëre cognoscenda omnia constant, & propter tenuitatem mouere posse. Vtráque ratio explicata satis in superioribus fuit. eandem Anaximeni Milesio fuisse sententiam Philoponus memorat. Is enim quoque aërem principium rerum posuit. Certè Aristoteles præter Diogenem alios quosdam ita sensisse ait: & in primo Metaph. libro vtrumque coniunxit, cùm & Anaximenem & Diogenem aërem aqua priorem & simplex maximè corpus principium scripsit statuisse. Quare consentaneè principio posito credi potest eos in animæ quoque natura ponenda conuenisse. Et aperta extat illius oratio apud Plutarchum in 1. lib. de placitis philosophorũ cap. 3. Velut anima, inquit, nostra aër cùm sit nos continet & tuetur, & mundum vniuersum spiritus & aër cõplectitur & continet. Infinitum. n. aërem cogitasse illũ, cuius dẽsatione solùm & rarefactione fierent omnia; rarefactione ignis, dẽsatione ventus primũ, deindè nubes, aqua, & terra: testimonio scimus Simplicij in Cõmentariis 1. libri Phisic. Cumque aër calidus sit & humidus, nimirum ad procreandũ aptissimus videbatur. Et Aristoteles quoque semen suapte conditione calidum & humidum esse, tum alibi scripsit, tum in Probl. 31. sect. 5. seminaque spiritu & aëre fœcunda reddi in ca. 3. li. 2. de Animalium ortu. Accedit, quòd promptè susci pit actionem omnem, quatuisque figura facilè terminatur: quod primæ materiæ naturam indicare videbatur.

Atqui Philosophus non vnum aliquem, sed alios quosdam cum Diogene sensisse ait. Itaque quod Archelaum quoque Athenien sem Plutarchus memorat, & sanctus Iustinus in oratione paræ netica ad gentes in aëre asserendo cum Diogene & Anaximene conuenisse, tum probabilius videbitur, quàm quod S. Augustinus in 8. lib. de Ciuitate Dei ca. 2. Anaxagoræ illi tribuit opinionem: tum ita licebit accipere, vt animam item aërem quemdam esse crediderit. Alios etiam ab aliis recenseri reperies.

TEXTVS.

Καὶ Ἡράκλειτος ϗ τὸν ἀέρχὼ εἶναι φησι τὴν ψυχὴν, ἐπεὶρ τὴν ἀναθυμίασιν, ἐξ ἧς τ' ἄλλα συνίστησι. ϗ γὰρ ἀσωμαλώτατον δὴ ϗ ῥέον ἀεί· τὸ δ' κινέμενον κινημένῳ γινώσκεσθαι. ἐγκινήσει δ' εἶναι τὰ ὄντα, καθάπερ ὠήθη ϗ οἱ πολλοί.

At verò Heraclitus principium esse inquit animam: siquidem halitum, ex quo alia constituit. Etenim incorporeus maximè fluensque semper. Quod autem mouetur, ea, quod mouetur, cognoscere: in motu verò entia esse, & ille putabat & multi.

COMMENTARIVS LIIII.

10. Heraclitì sententia. De rerũ principiis & animæ.

MInùs omninò hũc locũ Heraclitici; Ephesij sententiam assequutus est S. Thomas, cùm eum interpretatus est vaporem inter aërem & aquam medium, tùm principium rerũ, tùm animam esse voluisse. Quippe apertum extat ipsiusmet Aristotelis testimonium in 1. Metaph. lib. Hippasium Metapontinum & Heraclitum Ephesium ignem feciisse principium primum. Quod ita interpretatus Plutarchus est, vt ex crassissimo igne coacto fieret terra, hácque ab igne relaxata fieret aqua, atque id, quod inde exhalaret, fieret aër. At densatione potiùs eos fũisse vsos, qua aër primùm, deindè aqua, terra, ac cætera existerent omnia; auctor Aristoteles est. Neque crassissimum ignem, sed incorporeum maximè sempérque fluentem halitum Heraclitum posuisse, hoc loco scribit. Et in textu 15. lib. 1. Metaph.

propterea ignem narrat cæterorum principium fuisse factum, vt minutissimarum partium; tenuissimúmque corpus cùm sit, congregatione possent omnia ex eo fieri. A

Itaque ignem Philoponus ne flammam quidem permittit intelligi: quoniam hæc ignis exuperantia est ardensque fumus, vt in tex. 28. posterioris libri de ortu & interitu legimus: sed siccum halitum, velut calorem spirabilem, vt Themistius loquitur: sanè, ignis calórque fomes animæ præcipiuus est, singularéque ad opera omnia instrumentum. Et si calor is igneus non est, calor tamen est. Ita occultam animæ naturam voluit fortasse Heraclitus ex notioribus ac sensatis indicare, id accipiens, quod illi maximè cognatum B est. Namque vbi rerum differentiæ sunt ignotæ, propria licet adferre accidentia.

Cæterùm in his Philosophum ratiocinanti similem videri ait Simplicius. Non enim clarè dixit animam esse ignem siccumve halitum: sed duobus quasi principijs acceptis, ignem tenuissimarum esse partium & facilè mobilem, dúmque ipse mouetur, mouere cætera; igneam concluſit naturam animæ conuenire, quæ tum totum viuens corpus permeat, tùm illud mouet. Hæc vna est ratiocinatio, quæ & animæ naturam concludit & motus causam exponit. Altera ad cognitionem pertinet; quæ non ex similitudine, vt in superioribus; sed ex motu deducitur. Heraclitus entia omnia continenter moueri nec in eodem vnquam statu esse, cum Protagora & alijs pluribus affirmabat; rursúmque cognitionem in contactu cognoscentis & cogniti versari. Animam igitur vt cognoscat, in continuo necesse est esse motu, vt res cognoscendas quasi persequens attingat. Ita & motum & cognitionem, quæ maximè propria sunt animæ, in halitus naturam referens, animam esse halitum ostendebat. Quà enim tenuissimus est & permeat, mouendi vim habet: quà verò mobilis maximè attingit res, cognoscere eas potest. Motum namque moto cognoscimus. C D

Quàm absurdũ sit id, quod dicitur, omnia semper moueri nec quidquã vnquã quiescere, non est huius loci ostendere. Consulatur sensus; qui statum quoque & quietem inesse rebus ostendet, tanquàm terminum & finem motus; naturámque tùm motus tum quietis principium existere; imò & motum omnem super immobile aliquod & fixum fieri. Nisi propositionis illius (motum moto cognoscitur) alia fuerit sententia, quam apud Platonem quoque reperies: corporea & sensilia, quæ ortui & interitui ac omninò mutationi subiacent, opinione cognosci, quæ inconstans item & variabilis cognitio est. Virtutem siquidem cognoscentem rei cognitæ similem atque affinem esse oportet. E

TEXTVS.

Παραπλησίως ὁ τύποις ᾧ Ἀλκμαίων ἔοικεν ὑπολαβεῖν περὶ ψυχῆς. φησὶ γὰρ αὐτὰῶ ἀθάνατόν εἶναι, διὰ τὸ ἐοικέναι, τῆς ἀθανάτοις. τοῦτο δ' ὑπάρχειν αὐτῇ, ὡς ἀεὶ κινουμένῃ. κινεῖσθαι δ' ᾧ τὰ θεῖα ἅπαντα σωμάτως ἀεί, σελήνῃ, ἡλίῳ, ἀστράσι ᾧ τῷ ὐρανῷ ὅλῳ.

Proximè autem his, & Alcmæon videtur opinari de anima. Ait enim immortalem ipsam esse, quòd immortalibus similis sit. Hoc verò inesse illi velut semper mota. Moueri autem & diuina omnia continuè semper, lunam, solem, stellas, & Cœlum totum.

COMMENTARIVS LV.

ALcmæonem Crotoniatem Pythagoricum fuisse Philoponus asserit. At Simplicius dubitat. Nam etsi in primo Metaph. sib. cap. 5. Philosophus cùm Pythagoricorum de rerum principijs opinionem persequitur, eum Pythagoræ iam senioris ætate vixisse commemoret, illius tamen discipulum ac sectatorem fuisse non scribit: & similem quidem illis opinionem habuisse, at non eãdem: atque aut hunc ab illis, aut ab hoc illos mutuatos eam fuisse.

Proximam hic & similem superioribus de Anima opinionem habuisse dicitur: non quòd ex igne aut halitu is quoque constare eam crederet: sed quòd ex eodem, ratiocinabatur principio: quod, anima continenter moueatur. Ex hoc enim perpetuo motu igneum halitum Heraclitus, & immortalibus, hoc est cœlestibus corporibus Alcmæon similem eiusdémque cum illis substantiæ eam esse deduxerunt. Nimirum ex operatione non ineptè ratiocinari vterque fortasse videbitur: at si neque igneo neque cœlesti motui similis est animæ motus: ex eo tantùm, quòd semper moueatur, similis nequaquam natura concluditur. Et. ab. mata. sento. ma b. anim.

Verius illud videbitur, animam immortalem esse. Sed neque hoc vniuersè verũ est de omni anima, vt ab ipso pronuntiabatur, si modò de omni anima & non de intelligente sola loquebatur. Neque sapienter concluſum. Duplicem namque adferebat causam. Alteram, quia ex cœlesti & immortali corpore constat. Alteram, quia semper mouetur. Illa est per quàm falsa: tantúmque abest, vt ex cœlesti sit corpore, vt omnino corpus non sit. Hæc verò probaretur quidem Platoni, qui eo ipso argumento immortalem esse probauit, quia per se & semper mouetur: cúmque tria hæc tribuerit animæ, per se mobile, semper mobile, & immortale; primum omnium est per se mobile, hinc semper mobile, atque ex hoc immortale consequuntur. At parùm videtur firma. Nam etsi anima per se multiplicis motus atque operationis principium sit, intermittit tamen persæpè & cessat. Etsi indè immortalitas deducatur, omnis quoque forma fuerit immortalis, quippè omnis est per se alicuius motus atque operationis principium.

Quanquã credendum non videatur Alcmæonem animam ex cœlesti substantia constare voluisse, siquidem corpus per se & ex se moueri non potest, & si cœlum ab anima moueatur prior cœlesti est animæ substantia. Sed cælestibus similem dixit continenti & perpetuo motu, non substantia. Non inquam quòd aut cœlesti aut simili corpore constet, sed quòd semper mobilis sit vt cœlum.

Videtur tamen Philosophus in horum sententijs commemorandis sensim & quasi per gradus ascendisse, atque ab inferioribus ad superiora nos eleuasse, ab aqua ad aërẽ, ab aëre ad ignẽ igneum-

vẽ

ve halitum, atque ab hoc demum & omnino ab elementari inferioríque regione ad cœlestem & superiorem. Porrò solum motum non cognitionem, in anima considerauit Alcmæon: & Aristoteles antea ita partitus est, vt ex motu aliqui, alij ex cognitione, alij demum ex vtroque ad naturam animæ ducerentur.

TEXTVS.

τῶν δ' φορτικωτέρων ἐξ ὕδωρ τινὲς ἀποφήναντο, καθάπερ Ἵππων. πειθῆναι δ' ἐοίκασιν ἐκ τῆς γονῆς, ὅτι πάντων ὑγρὰ. ἐξ ὧν δ' ἐλέγχει τοὺς αἷμα φάσκοντας τὴν ψυχὴν, ὅτι ἡ γονὴ ἄψυχον αἷμα. παύτην δ' εἶναι τὴν πρώτην ψυχὴν.

Ex rudioribus verò eā aquam enuntiarunt nonnulli; quemadmodum Hippon. Persuaderi autem visi sunt ex genitura; quòd omnium humida. Etenim refellit sanguinem dicentes animam, quòd genitura non sanguis. Hanc verò esse primam animam.

COMMENTARIVS LVI.

12. Hipponis sententia.

VOcem illam (φορτικωτέρων) cùm interpres Themistij, tùm alij ita accipiunt, vt grauem & importunam magis Hipponis opinionem significet; quòd aquam inferius & grauius elementum animam esse censeret. Ego rudiorem interpretatus sum (deridendam magis legit Auerroes) quòd Aristotelem videam in 1. Metaph. libro Philosophum hūc scripsisse nequaquam esse propter intellectus simplicitatem cum Thalete & grauioribus adnumerandum.

Atheus Hippon.

Quòd si causam quæras, curnam simplicior ac rudior fuerit appellatus; multiplicem respondebit Philoponus. Primam, quæ maximè fuit Simplicio quoque probata; quòd Atheus is fuit & impius homo: nec rerum omnium causam vlli rei præterquàm aquæ tribuebat. Nimia siquidem simplicitas ac ruditas est primam illam ac supremam causam non agnoscere, quā vniuersa natura tā apertis ac sonoris vocibus prædicat. Siue igitur Deos negaret esse, siuè rerum humanarum curam illos habere, siuè demum placari facile sacrificijsque ac precibus conciliari diceret; si non Atheus, impius certè fuit: hos enim tres impietatis gradus posuit in 10. de legibus Plato. Alterum; quia nihil planè diceret, quod animæ conueniret, sed solam auditoribus perturbationem adferret. Tertium; quòd materialem nimis de anima pronuntiaret sententiam, quæ non solùm cognitionis, sed ne motus quidem causam exponeret. Neque enim facilè mobilis est aqua, vt de aëre & igne inquiebant alij: neque item motiua, imò ad patiendum magis, quàm ad agendum, comparata: cùm animæ contra agere potiùs, quàm pati competat.

Tres impietatis gradus Platoni.

At illa fortasse verisimilior fuerit: quòd is cùm Thaletis esset discipulus & sectator, ruditer nimis opinionem illius accepit. Thales namquè principium quidem rerum posuit aquam, at corporum duntaxat non animæ: neque animam voluit esse corpus, sed vim mouentem corpora. Hippō & corpus & aquam esse illam credidit, vniuersēque aquam rerum omnium principium existere.

A At cùm animæ operationes omnes calore perficiantur, quid ineptum magis ac rude dici potest, quàm elementum primò frigidum animam esse? Tantum abest, vt ita sit, vt aqueo potiùs frigido obruatur & extinguatur anima.

Nec magis, quàm opinio, acutum argumentum fuit. Genitura, inquiebat ille, ex qua formantur & gignuntur animalia, humida nimirum est, quemadmodum & aqua; anima igitur est aqua; Quasi verò humidum aliud elementum præter aquam non sit: quippe aër humidus est & primò humidus. Et ex genitura non corpus potiùs formaretur, quàm anima.

B Semen quid.

Denique rudis quoque est illa confutatio, qua animam non esse sanguinem ostendebat: genitura non est sanguis; sed genitura est prima anima; anima igitur nō est sanguis. Nā vtraq; propositio est falsa. Imò animalium genitura nil aliud est, quàm sanguis non nihil mutatus, dum ex sanguine tota & spiritu, qui pars sanguinis tenuissima est, cogitur. Neque genitura est anima, sed formandi corporis materia: in qua virtus item contineturaut animæ procreandæ, aut disponendæ certè materiæ. Quam ob causam alibi Aristoteles potestate solùm, non actu animatam prodidit genituram esse: ex qua si exhalet contentus in ea

C spiritus, qui vitæ principium est, humidā quidem remanet genitura, sed nullum vitæ principium subest.

TEXTVS.

Ἕτεροι δ' αἷμα, καθάπερ Κριτίας, τὸ αἰσθάνεσθαι τῆς ψυχῆς οἰκειότατον ὑπολαμβάνοντες. τοῦτο δ' ὑπάρχειν δι' ὃ τὸ αἷματος φύσιν.

Alij autem sanguinem, vt Critias, sentire animæ familiarissimum opinantes. Hoc verò inesse propter sanguinis naturam.

D

COMMENTARIVS LVII.

13. Critiæ sententia.

QVod confutauit Hippon, animam non esse sanguinē, probatum Critiæ plurimùm fuit; tanta est ingeniorum ac iudiciorum diuersitas. Ex sensu autem argumentum duxit, quem animæ maximè proprium esse iudicauit. Quippè sensum animalibus beneficio sanguinis inesse inquiebat; & si quæ corporis partes sanguine carent, sensus

E item omnis expertes sunt: vt ossa, dentes, vngues, pili, cartilagines; adde & cerebrum Aristotelis calculo.

Neruos sentire.

At verè obijciunt Themistius ac Philoponus neruos sentire plurimum nec tamen sanguine præditos esse. Animalia item exanguia sentiunt tactaque contrahunt sese ac refugiunt. Habent igitur animam: dumque sanguine carent, manifestè ostendunt animam non esse sanguinem. Quod autem Philoponus non omnes neruos, sed aliquos, sentire ait, verum non est. Omnes quippè sentiunt; & si aliqui mouendo potiùs, alij sentiendo sint destinati.

Porrò quis hic Critias fuerit, nū vnus è triginta tyrannorum numero, Socratis auditor, qui forasse Platonis dialogo de Prisci mundi historia

nomen dedit, an alter quispiam sophista, Simplicius ac Philoponus dubitant. Nos nihil moramur. Certè Tyrannus nihil scripsisse dicitur, nisi carmina de Republica: Sophista verò lata volumina. Testis est Alexander: quæque commemorantur verba, Αἷμα γὰ πεπιμμένον ἀνθρώπου ἐστὶ νόημα, græcum est carmen, quod Tyranni scriptionem redolet.

TEXTVS.

Πάντα γὰ τὰ στοιχεῖα κεκτῆν εἴληφε, πλὴν τῆς γῆς. ταύτην δ' ἐφεῖς ἀποπεφάνται, πλὴν εἴ τις αὐτὴν εἴρηκεν ἐκ πάντων εἶναι τῶν στοιχείων, ἢ πάντα.

Omnia namque elementa iudicem nacta sunt, præter terram. Hanc enim nullus pronuntiauit, nisi quis eam dixerit ex omnibus elementis esse aut omnia.

COMMENTARIVS LVIII.

HActenus veterum Philosophorum de animæ natura sententias commemorauit. Quarum confutationem non prius aggreditur, quàm duo circa illas obseruet. Alterum est, reliqua sanè elementa iudicem aliquem nacta esse, hoc est aliquem habuisse, qui ea rerum principium aut animatorum animam esse iudicaret iudicem, inquit Philoponus, pro præside iudicante & vnumquodque ipsorum ponente principium esse fuisse positum. Nam aquam aliqui, alij, aërem, ignem alij nominarunt. At nullus terram proposuit. Quod si de rerum principio accipias, de posterioribus solùm philosophis naturalibus dictum fuisse intelliges ex tex. 14. lib. 1. Metaph. "Nemo, inquit, posteriorum, qui vnum ponebant, "terram elementum existimauerat, propter par- "tium magnitudinem. Cùm enim densatione ac rarefactione progigni cuncta opinarentur, crassissimum illud & densissimum corpus ineptum ad hoc esse animaduerterunt. Ex antiquioribus tamen Theologis Hesiodus primum omnium corpus velut cæterorum principium esse dixit, & vulgus credidit. Sed & de Pherecyde Syro Galenus, sextus Empyricus, Sanctus Epiphanius & alij, hoc ipsum memorant, déque Archelao idem Epiphanius, ac demum de Xenophane Colophonio Theodoretus in 2. lib. contra gentes & in lib. de Materia & mundo, vt Ioannes quoque Franciscus Picus in opere, quo gentium doctrinam examinat, obseruauit.

Terra an vlli rerum principium.

Sin autem interpreteris de anima, vniuerse de omnibus dictum intelliges. Nullum enim solam terram legimus dixisse animam esse. Quid ita? Duplicem Simplicius rationem breui oratione complectitur: quod crassissimum, inquit, sit corpus atque omninò quasi immobile. Nam si vniuersum spectes, immobile prorsus in ima sede manet: si in partes diuidas, ægrè illæ ipsæ & cum difficultate remouentur. Tertiam ego ex philosopho colligam. Hoc enim inter omnes conuenisse statim subijciet, vt tribus animam definirent, motu, sensu, incorporeo: horum nullum in terra reperias. Quin ea & immobilis semper hæret in medio mundi, & crassissima est maximéque

Animã cur nullã terrã dixerit.

A corporea, ac demum quæcunque multum habẽt terræ, omni destituuntur sensu. Propte rea siquidem ossa, neruos, pilos, in animalium corporibus nihil sentire dicentur in tex. 79. adde & cartilagines: & omnino in tex. 94. lib. 2. duri carne inepti mẽte, quòque durior, eò hebetior sensus: & plantæ in tex. 124. negabuntur sentire, quoniam propter excessum terræ mediocritatem non habent. Tertia ratio cur carent

Propterea nulli prorsus venit in mentem animam cogitare puram esse ac synceram terram. Si quis tamen putauit esse ex elementis omnibus compositam aut elementa omnia simul sumpta, B vt Empedocles, is nimirum terram quoque in animæ substantia posuit. Neque fuisse illi difficile inter animam & corpus distinguere, licet ambo ex elementis eisdemque principijs constent facilè quiuis intelligat, etsi minimè obseruasset Philoponus. Vt enim nos ipsi ex alia atque alia eorumdem elementorũ temperatione alia atque alia plurimumque inter se diuersa corpora fieri dicimus, ita & ille diuersam elementorum proportionem ac permistionem corporis atque animæ diuersitatem, vel vt ille loquebatur, concretionem & discretionẽ adferre opinabatur. Hanc enim ob causam Philosophus noster cùm animã C dixisset ex omnibus elementis esse, quasi orationem corrigens adiunxit, aut omnia. Quoniam ex omnibus elementis significare videtur fieri formam ac naturam ab elementis diuersam, quæ post illorũ refractionẽ ac permistionem accedat. Quod illi nequaquam sentiebant, qui concretione sola & discretione elementorũ cõstare singula, nec aliud quidquam esse, quàm elementa ipsa integra simul sumpta & coalita, hocque aut alio modo affecta putabant: quemadmodum in 1. de ortu & interitu libro declaratur.

TEXTVS.

Ὁρίζονται δὲ πάντες τὴν ψυχὴν τριῶν, κινήσει, αἰσθήσει, τῷ ἀσωμάτῳ. τούτων δ' ἕκαστον ἀνάγεσθαι πρὸς τὰς ἀρχάς. Textus 33.

Definiunt autem omnes animam tribus, propè dixerim, motu, sensu, incorporeo. Horum porrò vnumquodque reduci ad principia.

COMMENTARIVS LIX.

ALterum, quod circa hasce veterum opiniones obseruat Philosophus, quamdam velut illarum summã continet. Summa verò est, quòd animam omnes tribus definiunt, hoc est in illius natura definienda tria præsertim considerãt, motum, sensum, incorporeum.

Sanè in tex. 19. opiniones eas commemoraturus duo solùm nominauit, motũ & sensum: deinceps que ex motu quosdam, alios ex sensu, alios demum ex vtroque simul naturam animæ quæsiuisse dixit. At nec sine causa eo loco accipere se professus est ea duntaxat, quæ maximè inesse ipsi videntur secundum naturam. Hæc enim duo illa sunt. Incorporeum non item, sed ex illis potiùs procedenti sermone deductum est, & vt Philo-

ponus

ponus loquitur, quasi ex enumeratis opinionibus emersum atque inuentum; in illudque eos vel inuitos incurrisse ait Themistius vt & facilè mobilis anima esset, & corpus totum facillimè permearet; etsi & motus & sensus corpoream potiùs naturam indicarent.

Incorporeum tamen haud propriè nunc nominatur, quod omni prorsus caret corpore; sed quod tenuissimum est, quomodo aërem quoque veteres illi incorporeum appellabant, vt in tex. 40. lib. 4. Physic. legimus. Aut etiam incorporeum nunc adiecit, vt ad veram animæ nostræ incorporeitatem præpararet, veteresque etiam illos ostenderet tanquã in somnio, vt cum Themistio dicam, vidisse animam incorpoream esse oportere.

Incorporeum veteribus quid.

Horum porrò vnumquodque reducitur ad principia. Magis enim consona oratio fuerit magisque constabit sententia, si emẽdetur hic locus neq; ἀνάγεσθαι, sed ἀνάγεται legatur. Quamquã etsi ἀνάγεσθαι legeris, sententia fuerit, duo veteres deniuisse, tùm tria inesse animę, tum tria illa ad principia reduci, quæ illorum vnusquisque constituisset.

Quæ verba siuè cum Simplicio interpreteris, quodlibet eorum inesse animæ quatenus cum principijs cognationem habet: siuè cum Philopono, talem esse animam, quoniam è talibus principijs est: siuè cum sancto Thoma, hæc tria principijs conuenire: siuè cum Themistio, propter hæc tria animam in principia fuisse relatam: siuè demùm cum Auerroe, vnumquodque horum triũ induxisse illos vt animam ex principijs esse opinarentur: non multum morabor. Eodem enim collimant omnia, vt hæc tria ex principijs, quibus anima constat, pendere velint; principiáque causam esse cur anima moueat, cur sentiat, cur incorporea sit. Etsi Themistius & Auerroes appertioribus vtantur verbis: poteritque hæc instrui ratiocinatio. Animæ tria omnino inesse videntur, motus, sensus, incorporeum: atque hæc principiorum conditiones sunt: nam quia principia sunt, vim habent cognoscendi omnia; & quia simplicia, tùm incorporea sunt, hoc est tenuissima, tùm maximè motiua. Anima igitur ex principijs constat, indéque motum, sensum, & incorporeum habet.

Verum vt hæc cum superioribus constent, ne ita accipias, quasi omnes omnia illa tria in anima cõsiderasse dixerit: sed ex illis interpreteris, quosdam omnia, quosdam aliqua spectasse. Quosdam inquam solùm motum, alios motum & incorporeum, alios vnicum sensum, alios sensum & motum, quosdam denique sensum, motum, & incorporeum. Neque tamen propterea dicat Philoponus additum fuisse illud (propè dixerim) vt diuisim id, quod dicebat, accipiendum esse significaret. Alia namque potior fuit causa: vel quòd illa essent summa quasi capita, particulares autem animæ rationes plures: vel quòd verè non omnes tria illa spectassent; vt Anaxagoras, qui intellectum impermistum & ab his omnibus alienum fecit; & Plato, cùm Harmonicis proportionibus composuit animam; sed plerique, tantundemque verba illa valent, ac plerique, seu ferè.

A

TEXTVS.

Διὸ καὶ οἱ τῷ γινώσκειν ὁρίζόμενοι αὐτὴν, ἢ στοιχεῖον, ἢ ἐκ τῶν στοιχείων ποιοῦσι, λέγοντες παραπλησίως ἁπλῶς, πλὴν ἐνίοις. φασὶ γὰρ γινώσκεσθαι καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ. ἐπεὶδὴ καὶ ἅπτεται πάντα γινώσκει συνιστᾶσιν αὐτὴν ἐκ πασῶν τῶν ἀρχῶν.

Quare qui cognitione definiunt ipsam, aut elementum aut ex elementis faciunt; dicentes similiter inter se, excepto vno. Inquiunt enim cognosci simile simili. Quoniam namque anima cognoscit omnia constituunt ipsam ex omnibus principijs.

B

COMMENTARIVS LX.

EXemplo ostendit id, quod dixerat, tria illa reduci ad principia; motum inquam, sensum, & incorporeum. Exemplum autem est ex sensu. Nam qui sensus præsertim rationem habuerunt, vt quisque vnum vel plura principia posuit (principia enim nunc elementa vocat) sic aut principium illud aut ex principijs animam esse dixit, vt cognoscere omnia possit. Simile namque simili cognosci voluerũt: quare cùm cognoscat omnia, necesse est omnium illam similitudines cõtinere: cõtinet autem cùm ex omniũ principijs constat. De motu idem dixeris. Quippè ignem aut aërem aut halitum aquamve animam esse cogitarunt; quòd elementa hæc ad motum prompta & expedita esse viderent, faciléque & moueri & mouere. Ac demum quia quod facilè mouetur ipsum & cætera facilè mouet, tenue & quasi incorporeum esse oportet, in tenui & incorporeo elemento naturam animæ posuerunt.

C

D Vnum solum à communi hac existimatione excipit, quem statim Anaxagorã nominabit. Quoniam is intellectum, quo vt anima vtebatur, quẽadmodum in superioribus dictum est, non ex elementis compositum, sed impermistum, purum, & ab elementis ac principijs omnibus partibusque similaribus liberum & absolutum posuit, tanquam efficientem causam & mouentem subiectam sibi elementarem materiam, similares partes: & has quidem inter se permisceri dixit, illum verò impermistum manere. Verùm de his & antea satis dictum est, & consequenti oratione adhuc dicetur.

E

TEXTVS.

Ὅσοι μὲν οὖν μίαν τινὰ λέγουσιν ἀρχὴν, ἢ στοιχεῖον ἕν, ἢ τὴν ψυχὴν ἓν τιθέασιν, οἷον πῦρ, ἢ ἀέρα. οἱ δὲ πλείω λέγοντες τὰς ἀρχὰς, καὶ τὴν ψυχὴν πλείω λέγουσιν. Ἀναξαγόρας δὲ μόνος ἁπλῶς φήσιν εἶναι τὸν νοῦν, καὶ κοινὸν οὐδενὶ οὐδὲν τῶν ἄλλων ἔχειν. ποιοῦτος δ' ὢν πῶς νοήσει, καὶ διὰ τίνα αἰτίαν, ὅτι ἐκεῖνος εἴρηκεν, οὔτ' ἐκ τῶν εἰρημένων ἔμφανὲς ἐστι.

Tex.34. *Quicunque igitur vnam quampiam dicunt causam & elementum vnum, & animam vnum ponunt; velut ignem aut aërem. Plura verò dicentes principia, & animam plura dicũt. Anaxagoras autem solus impatibilem inquit esse mentem & commune nihil cum vllo aliorum habere. Talis autem cùm sit, quomodo cognoscat & quam ob causam; nequa ille dixit, neque ex dictis perspicuum est.*

COMMENTARIVS LXI.

APerta satis hæc oratio est, nec multo labore indiget. Planius eloquitur id, quod antea item in tex. 29. horum Philosophorum vnum quemque dixerat consequenter & de principijs & de anima fuisse loquutum. Sed ibi tum de qualitate, tum de numero principiorum dixerat, hîc solùm de numero. De numero inquam principiorum, ex quibus constaret anima: non de numero animarum, vt Auerroes credidit. Quorsum id enim? Omninoque explicat illud, quod proximè dixit, omnes vno excepto aut elementum aut ex elementis fecisse animam. Nam quod ad cæteros attinet, vt vnum vel plura principia quisque posuerat; sic vnum illud vel plura dicebat esse animam. Nec minor de anima, quàm de principijs, inter illos quæstio.

Quod autem ad illum vnum; exponit primùm quis ille fuerit, deindè quid à cæteris discreparit, tum qua in re sit reprehendendus. Anaxagoras is fuit, qui cùm cæteri ex elementis & communibus aliarum omnium rerum principijs constare animam quoque vellent; mentem, qua vtebatur vt anima, meliori natura esse intellexit; impartibilemque; quod ex communibus principijs non constaret, nilque cum cæteris commune haberet. Quare cùm animam cæteri minus propriè imò sola voce incorpoream facerent; propriè is & reipsa incorpoream affirmauit, ceu à corporibus omnibus abiunctam nilque cum illis commune habentem. Quod tantum abest vt Aristoteles reprehendat; vt alijs in locis maximè probet: quemadmodum in tex. 37. lib. 8. Physic. Anaxagoras, « inquit, rectè dicit mentem impatibilem & imper- « mistam esse. Et tex. 4. lib. 3. huius operis, Necesse « est, cùm omnia intelligat, non mistam esse, vt « Anaxagoras inquit, vt dominetur. Quod reprehendit, illud est; quòd cùm cæteri cognitionis rationem exponerent naturæ similitudinem, ipse nullam commemorauit, neque commemorare potuit; si cognitio propter similitudinẽ fit: quippe diuersæ prorsus naturæ & nihil cum cæteris commune habentem mentem & animam posuit.

Porrò dum animam is intellectum nominauit, intelligentem nimirum & cognoscentem fecit. Cumque similares partes moueret, eas omnino cognoscere debuit. Sed cognitionis modum non explicauit. Explicare alij conati sunt, sed minùs fœlici successu. Nam cognitio quidem similitudinem habet cognoscentis & cogniti: at ea non est similitudo naturæ, quæ cognitionem antecedat, quemadmodum veteres illi crediderunt: verum quæ consequatur cognoscendoque acquiratur, dum anima cognoscendarum omnium rerũ formis spoliata, eas omnes cognoscendo suscipit, locusque formarum euadit, & fit omnia, vt opportuniore loco pluribus cum Aristotele persequemur. Et Anaxagoras quidem, qui antecedentem naturæ similitudinem non admisit, ita fortasse sensit, cum alius cognitionis modus non appareat: sed nec exposuit ipse, nec ex eius dictis & rationibus colligi potest.

Vt cognitio similitudine constet.

Quod autem eum inquit Auerroes non docuisse quomodo intellectus intelligat omnia an quatenus est actu, an quatenus potestate; parum omnino prudenter dictum est. Siquidem is apertè loquebatur, intellectum nihil habere cum cæteris rebus commune, hoc est nullam habere insitam sibi rerum intelligẽdarum formam; nihilque esse actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat, vti tex. 5. lib. 3. loquetur Aristoteles.

TEXTVS.

Ὅσοι δ' ἐναντιώσεις ποιοῦσιν ἐν ταῖς ἀρχαῖς, ἢ τὴν ψυχὴν ἐκ τ' ἐναντίων συνίστασιν. οἱ μὲν θάτερον τ' ἐναντίου, οἷον θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἢ τι τοιοῦτον ἄλλο, καὶ τὴν ψυχὴν ὁμοίως τούτων εἶναί φάσκει. διὸ καὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκολουθοῦσιν, οἱ μὲν τὸ θερμὸν λέγοντες, ὅτι ζῇ διὰ τοῦτο καὶ τὸ ζῆν αἰτιῶνται. οἱ δ' τὸ ψυχρὸν, διὰ τὴν ἀναπνοὴν καὶ τὴν κατακρίσιν, καλεῖσθαι ψυχὴν. τὰ μὲν οὖν περὶ ἑκάστην τῶν ψυχῶν, καὶ δι' ἃς αἰτίας λέγουσιν ὕστερον, ταῦτα ἐστιν.

Tex. *Quotquot verò contrarietates faciunt in principijs, & animam ex contrarijs constituunt. At qui alterum contrariorum, vt calidum aut frigidum aut quidpiam eiusmodi aliud; & animam similiter horum esse ponunt. Quare & nomina sequuntur: alij quidem calidum inquientes, quòd propterea viuere nominatum est. Alij verò frigidum ob respirationem & refrigerationem vocari animam. Quæ igitur tradita sunt de anima, & quas ob causas ita dicunt, hæc sunt.*

COMMENTARIVS LXII.

QVod agressus erat, persequitur atque absoluit. Id autem erat, ostendere quomodo vnusquisque consequenter & de principijs & de anima loquutus fuisset. Cumque de numero dixerit principiorũ, nunc de qualitate quoque subiungit. Omnino enim talem faciebant animam, qualia principia possuissent. Nam Empedocles & quicunque contraria fecere principia, calidum & frigidum, humidum & siccum consentaneè animam ex contrarijs constare dixerunt: Qui verò alterum solùm contrariorum, velut calidum aut frigidum, Heraclitus ignem, Hippon aquam; itidem & senserunt de Anima, omnesque principiorum vel principijs qualitatem animæ tribuerunt. Et illi quidem, qui priorem habuere sententiam quomodo anima cognoscat omnia, facilè exponebant, igne ignem, aqua aquam, & vnoquoque simili simile cognosci. At posteriores hi fortasse explicare non poterant, si cognitionem similitudine fieri consensserunt. Si namque solo calido elemento anima constat, quomodo cognoscat frigida? Et si solo frigido, quomodo calida? Et omnino si vnico contrario, quomodo suũ contrariũ compre-

comprehendat? Nam quod ait Simplicius contrariorum eandem esse scientiam; hoc ipsum est quod quæritur, quomodo fieri posset vt contrarium vtrumque comprehendat, si cognoscentis & cogniti necessaria similitudo sit. Quare aut cognitionis modum exponere illi non potuerunt, aut vnum contrarium ex altero cognosci voluerunt. Quod nil aliud est, quàm cognosci ex accidenti & ratiocinationis vsu, quæ nullum in bestijs & in irrationali anima locum habet.

Quod autem addit (quare & nomina sequuntur) ad posteriores solos pertinet, qui alterum duntaxat contrarium principium dixerunt aut animam esse: duobusque modis licet exponere. Aut eos ex sua quemque sententia rationem nominis reddidisse; aut ex nomine argumentum quæsisse ad suam sententiam comprobandam. Etenim qui calidum posuerunt, ζῆν, id est viuere, quod est feruere, dictum fuisse inquiebant à calido; quasi anima calidum quidpiam sit & feruor. Qui verò frigidum, ψυχὸν, animam ἀπὸ τοῦ ψύχειν, id est à frigido nominatam, ideoque frigidum quidpiam & aquam esse quòd respiratione perenni, euentatione, ac refrigeratione sustentetur, dum prohibetur ne immoderatus cordis calor frigidam & aqueam animę naturam absumat. Socrates quoque apud Platonem in Cratylo animam dictam fuisse ψυχὸν affirmauit, quòd in corpore quidpiam sit ἀναψύχον, id est refrigerans ipsum, quo refrigerante cessante pereat corpus & moriatur. Vniuersam tandem hanc veterum sententiarum commemorationem concludit.

Anima cur dicta.

GENERALIS DISPVTATIO aduersus eos, qui motu animam definierant.

CAPVT III.

VEterum sententias hactenus commemoratas expendit deinceps Philosophus & confutat: quam verè tertiam huius libri partem esse ait Auerroes. Tria verò præsertim fuisse dictum est, quæ illi agnouerunt in anima; eam inquam principium esse motus, principium esse cognitionis, & esse incorpoream tenuissimamque substantiam. Motus tamen & cognitio potissimum tribuebantur illi: nam tertium propterea consequi videbatur, quòd eiusmodi natura tenuis promptior ad motum sit faciliusque subeat & peruadat corpora: quam ob causam ignem aut aërem animam esse eorum aliqui affirmarunt. Quod si absolutè diceretur de anima; non solùm de rationali, quæ incorporea prorsus est & spiritalis, sed & de cæteris verum esset: quippè conditione sua neque corpora sunt neque propriam sibi quantitatem habent, vt nec reliquæ formæ; sed & magis, quàm illæ, eleuatæ sunt à materia: sentiens præsertim, quæ cognoscendi vi materialia omnia & corporea ad immaterialitatem quandam & incorporeitatem traducit, dum absque vlla mole in cognoscente cognitæ formæ suscipiuntur. At peccarunt in eo, quòd non absolutè incorpoream esse animam pronuntiarunt, sed tenuissimum quodpiam corpus.

Aristoteles autem hoc tertio capite prætermisso, quod in disputatione non erat præcipuum; priora duo, motum & cognitionem, persequitur. Primumque vniuersè aduersus eos disputat, qui ex motu animam definierant. Deinde Platonem seorsim ac Democritum aggreditur, qui animam primò mouere seipsam, deindè impellere corpus inquiebant. Tum contra eos agit, qui harmoniam qualitatum esse voluerant. Post dubitationem exponit quamdam, qua per se moueri animam probari videbatur. Mox ad Xenocratem sese conuertit, qui numerum esse mouentem seipsum dixerat. Indè transit ad eos, qui cognitionem spectantes ex elementis eam composuerant. Ac demum de animæ partibilitate ac diffusione per corporum partes disserit.

Digressio VII. *An & quatenus Anima moueatur.*

IN quibus illud statim intelligas, haud propterea philosophos hosce reprehendi, quòd mouendi & cognoscendi vim agnouissent in anima: sed quòd non satis sapienter philosophati de illis essent: motam eam inquientes mouere, maximeque mobili constare corpore, vt facile moueat: aut ex rerum omnium componi principijs, vt cognoscat omnes. Atque quod ad rationes attinet, quibus eos aggreditur; sanè illas fatentur interpretes non omnino firmas esse ac necessarias, si per se considerentur accuratæque demonstrationis trutina pensitentur: satis tamen eos vrgere, qui ita opinarentur, atque ad homines adferri ab Aristotele ex ijs, quæ concedebantur ab illis.

Ergo cùm animam omnino non moueri probare incipit, aduersus Platonem institui disputationem Philoponus & Simplicius & Themistius arbitrantur: longaque Philoponus oratione digreditur, vt eos ostendat non tam re, quam vocibus dissentire. Namque in 3. Physic. lib. Aristoteles quoque motū definiuit esse actum eius, quod est potestate, quatenus potestate; hoc est progressionem & viam à potestate ad actum. Idemque ipse in 3. huius operis libro animam affirmabit potestate esse ad res omnes intelligendas, actuque fieri intelligendo: & esse tabellæ persimilem, in qua scriptum sit nihil, sed quid vis scribi possit. Nimirum dum ab huiusmodi potestate progredietur ad actum anima, mouebitur. Eademque anima ex vitio ad virtutem mutatur & rursum ex virtute ad vitium, quæ velut priuatio & habitus sunt. Tum verò motus imperfectum actum significat, qui ad perfectionem tendit: & anima dum ab ignoratione ad scientiam, & à propositionibus ad Conclusionem progreditur, ab imperfecto ad perfectum tendit; mouetur ergo. Ad extremum vbi priùs est & posterius, necesse est esse tempus; & vbi est tempus, oportet esse motum, vt in 4. Physic. demonstratur: at in anima prius est & posterius, dum non omnia simul, sed vnum post alterum, & principia priùs, post conclusionē intelligit; priusquam vitiū habet aut ignorationem, posteriùs virtutem vel scientiam; igitur in ea quoq; tēpus est & motus: etsi hæc non synonimè, sed omonymè in anima dixeris nominari.

Aristotelem quoque moueri animā concessisse.

Vt non nisi vocibus Platonem atque Aristotelem dissensisse conficiant Philoponus atque Simplicius; Et Aristotelem quidem probare voluisse animam non moueri vllo illorum motuum, qui veri sunt, naturales, corporei, & omnibus noti: quibus plerique Platonis audientes aut legentes verba cogitare potuissent illam moueri.

Vt Plato moueri animã dixerit.

Platonem autem cùm incorpoream fecisset animam, optimè vidisse non posse illam motibus hisce moueri, qualitate, quantitate, loco; sed intelligentibus quibusdam alijs maximéque vitalibus, quibus ab ignoratione progreditur ad scientiam cognitionibusque cæteris exornatur; aut semper, vel etiam per quietem & somnum, viuificat corpus; & ideò semper mouetur.

Quamobrem in his, quæ de motu Aristoteles disputat, non tam contra Platonem agere credi posset, quàm contra cæteros, qui & corpoream animam & corporeo motu mouentem fecerant.

Aristotelem solùm corporeũ motum illi negasse.

Nam de corporeis solis & naturalibus motibus eum fuisse loquutum, ex pluribus locis licet colligere. Quippè in tex. 36. ea citat, quæ de motu in libris Physic. tradita fuerant: in quibus certum est de his duntaxat motibus fuisse dictum. Et in tex. 37. horum exempla proponit & in tex. 38. eorumdem species commemorat, lationem, alterationem, accretionem, decretionem. Et in eodem & consequenti textu accipit, quidquid mouetur esse in loco; animamque si moueatur in loco esse: locus autem corporearum rerum est proprius. Accedit motus diuisio in naturalem & violentum in tex. 40. quam constat esse motus eiusdem generis entium. Addit & loca, ad quæ mouentur corpora, & in quibus quiescunt. Argumentatur etiam ex motu sursum & deorsum in eodem textu: & ex motu, quo mouetur corpus in tex. 41. & ex motu ab altero & pulsu in tex. 42. alijsque compluribus, quæ corporeorum planè sunt motuum. Atque his animam ostendit moueri per se non posse; sed si moueatur, ex accidenti moueri corpore moto.

Animã ex accidẽti moueri.

Quod & is admittit, & propositio illa confirmat in 2. Topic. libro cap. 3. motis nobis necesse est & quæ in nobis sunt, omnia simul moueri; & illud in tex. 51. lib. 8. Physic. quia corpus mutat locum, & id quod existit in corpore: & ideò id, quod primum animalia mouet ad totius motum ex accidenti mouetur. Fieri namque non potest, quin dum totum mutat locum, partes quoque illius, tum quæ integritatis sunt, tum quæ essentiæ, & accidentia, ac demum quidquid continetur in illo, simul cum illo mutet. Anima igitur vt per se non est in loco, sed ratione corporis; ita licet per se non moueatur, moto tamen corpore, quo continetur, moueatur necesse est. Consentiuntque interpretes omnes, tum hoc loco, tum in commentarijs 8. libri Physic. & Alexander in 1. lib. de Anima cap. 6. & 2. lib. Natur. quæst. cap. 2. & 10. Namque si vegetãtem & sentientem animas materiales spectes; vt elementi mistive inanimati forma ex accidenti mouetur totius motu, quoniam alligata est illi materiæ ab eaque pendet: ita & animas hasce moueri necesse est, siue loco, siue qualitate aut quantitate; cum materiaque tum nouarum partium productione augeri, quarumdamque subtractione minui. De ortu autem & interitu certum est omnibus oriri eas & interire cum corpore.

Maior est de intelligente difficultas; quòd ab ortu atque interitu immunis ea sit: cumque non extendatur cum corpore neque pendeat à materia, immobilis prorsus, tum per se, tum ex accidenti, esse videtur; quemadmodum de motricibus cœlestium orbium mentibus in 8. Physic. lib. Aristoteles demõstrauit. Sanè ita iudicauit Antonius Bernardus in 21. li. Euersionis singularis certaminis: eam inquam nec per se nec ex accidenti moueri cum corpore, in quo est; semper tamen esse vbi corpus est. Eo enim modo illi adest in omni loco, quo spiritalia entia alicui existenti in loco præsentia sunt, etsi nec per se nec ex accidenti moueantur: quoniam cùm non sint permista cum corpore, non perindè ac materialia entia trahuntur. Quare vt cœlestis mens motrix modò est in oriente, modò in occidente aliaue cœli parte, in qua fuerit stella quæ ab immota illa mouetur; sic homo modò est hinc, modò ibi; nec tamen vllo modo mouetur illius anima. Quocirca propositionem illam, Motis nobis mouentur omnia quæ sunt in nobis, ita interpretatur in 31. lib. sect. 6. vt de illis intelligatur, quorum essentia pendet à nobis: cuius generis non est anima nostra independens & abstracta. Nam & cœlestes mentes etsi in corporibus illis sint, cum illis tamen non mouentur, quòd ab illis earum essentia non pendeat.

Verùm dum ita hic Auctor loquitur, tum cæteris omnibus aduersatur; tùm Aristoteli; qui animam omnem ac præsertim intelligentem de qua maximè Plato & cæteri loquebantur, ex accidenti moueri concedunt. Esto nãque, à materia non pendeat, formans tamen illius forma est humanæque essentiæ pars; non igitur potest totus homo moueri, quin omnes illius partes moueantur. Et si anima, vt essentialis forma, coniuncta cum corpore est; nequaquam mouebitur corpus, quin secum trahat animam, propter essentialem & mutuum nexũ. Neque cœlestes obiectet nobis mentes. Non enim sunt motorum orbium essentiales & formantes formæ; sed mouẽdo solùm assistunt, abstractæ prorsus, per se subsistentes penitusque immobiles. Orbes quoque illos in eodem semper loco manere circaque idem centrum volui, Magnus Albertus monet. At quid Albertum memoro? Audi quid Alexander & Philoponus loquantur. Eorum alter in commentario 2. li. 5. Metaph. qui à Latinis sextus numeratur, exponens in cælo non solùm motum, sed & quietem esse; circa idẽ, inquit, cõuerti neq; locũ mutare, id ipsum quiescere est. Itaque immobiliter mouetur; & cùm mirabiliter moueatur, quiescit. Hæc Alexander. Philoponus autẽ in Cõmentario ad tex. 19. li. 1. huius operis, Motus quoq; circularis statio est, quia propriũ semper locum tenet. Imò Aristotelis quoq; sunt illa verba in tex. 76. li. 8. Physic. Mouetur & quiescit quodãmodo sphæra: eumdem. n. occupat locũ. Atqui animaliũ corpora transferuntur tota ex vno in alium locum. Itaque motrix cœlorum mens potiori iure dici potest immobilis, quòd in eodem semper maneat loco; quàm anima nostra, quæ licet ex accidẽti, vere tamen mutat locũ. Imò ex iam allegato Topic. loco argumentum sumas. Sermo enim Philosopho est cum illis, qui ponebant in nobis ideas velut nostri species & formas: quibus eas obijcit simul & immobiles futuras,

Intellectus ortu & interitu immunis.
Mens an moueatur ex accidẽti.
Mens motrix cœlorum immobilis.

futuras, ipsorum scilicet positione, & motum in nostrorum corporum motu; quia motis nobis, quæcunque in nobis sunt, mouentur. Atqui non maior cum nostris corporibus asserebatur esse illarum idcarum nexus, quam sit intelligentis animæ; imò minor cogitari debet: quippè eæ integræ ac perfectæ substantiæ asserebantur esse. Confirmabitque argumentum alter ille 8. Physic. locus, in quo de animalibus vniuersè & ideò etiam de homine loquens, ad inuestigandam substantiam diuinarum mentium penitus abstractam, propositionem eam posuit; si corpus locum mutet mutare quoque id, quod est in corpore, quodque primum animalia mouet.

Iam si de alterationis & accretionis motu instituatur disputatio; næ immobilis prorsus fuerit anima nostra. Neque enim per se neque ex accidenti calescit aut refrigeratur, aliaue afficitur qualitate. Quoniam huiusmodi omnes qualitates ex materia educuntur, totamque ab ea vim suam habent; neque ad rem vllam quæ materialis non sit aut à materia pendeat, deriuari queunt. Eamdem ob causam neque in quantitate mutatur, neque maior aut minor efficitur. Quoniam tota vis quantitatis in extensione versatur; ipsa impartibilis est & inexstensa, quia immaterialis & incorporea.

Tria in anima nostra consideranda.

Ergo vt paucis concludam, tria in hoc genere animæ spectabis: primùm, impartibilem & spiritalem eam esse: alterum, esse formam corporis essentialiter illi vnitam: Tertium, essentia tamen minimè ab illo pendentem. Quia impartibilis est & spiritalis, per se nullo motu moueri potest. Quod enim per se mouetur, partibile corpus esse, demonstratur in tex. 32. lib. 6. Physic. & cæteræ item animæ, quoniam ex accidenti ratione materiæ, non per se, partibiles sunt; non per se, sed ex accidenti, corporis motu mouentur. Cùm tamen impartibile quoque ex accidenti moueatur; vt puncta & huiusmodi cætera motu corporis quanti, in quo insunt: intelligens item anima ex accidenti loco mouetur, velut forma essentialiter cum corpore quanto mobilique iugata. At quoniam impermistam habet essentiam minimèque ab eo pendentem; qualitatibus & quantitate, quæ in eo suscipiuntur, nullo afficitur modo, neque alteratione accretioneve mouetur. Sed iam Aristotelis aduersus veteres illos argumentationes audiamus.

TEXTVS.

Ἐπισκεπτέον δ' πρῶτον μὲν περὶ κινήσεως. ἴσως γὰρ οὐ μόνον ψευδὲς ἐστι, τὸ τὴν οὐσίαν αὐτῆς παρὰ τὴν εἶναι, οἷαν φασίν οἱ λέγοντες εἶναι τὴν ψυχὴν τὸ κινοῦν αὐτό, ἢ δυνάμενον κινεῖν, ἀλλ' ἔστι τι τῶν ἀδυνάτων τὸ ὑπάρχειν αὐτῇ κίνησιν. ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἀναγκαῖον τὸ κινοῦν καὶ κινούμενον εἶναι, πρότερον εἴρηται.

Tex. 36. *Considerandum autem primùm quidem de motu. Fortasse namque non solùm falsum est substantiam ipsius talem esse, qualem inquiunt, qui animam dicunt esse quod seipsum mouet aut quod mouere potest: sed vnum quidpiam ex impossibilibus, inesse ipsi motum. Quòd igitur non necessarium, quod mouet & ipsum moueri, prius dictum est.*

COMMENTARIVS LXIII.

CVm in tres quasi classes veterum sententias partitus esset; vnam eorum, qui ex motu; alteram, qui ex sensu; postremam eorum, qui ex vtroque philosophati fuerant: quemadmodum primò loco eam proposuit quæ nitebatur motu; sic æquum erat, vt ab hac examinis & confutationis principium esset. Propterea primum de motu considerandum proponit; hoc est eorum sententias examinandas, qui motum sequuti de animæ natura pronuntiauerant. Plurimusque contra hos est illius labor: paucioribus cognitionis caput tractat: ac tertium, quo motus & cognitio coniungebantur, penitùs prætermittit; quòd si ex horum neutro definienda sit anima, multò minùs fuerit ex vtroque.

Animæ motu definiendam nõ fuisse.

Ergo tantum abesse inquit, vt anima sit id, quod seipsum mouet; vt non solùm id sit falsum, sed (fortasse inquit, quia id nondum probauerat) prorsus impossibile sit inesse ipsi motum. Quibus verbis mouere illam non negat esseque principium motus: à quanã enim alia virtute mouentur animalia? Et in 2. libro eam definiet id, quo primum viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Sed moueri per se esseque motus subiectum: hoc enim est, inesse ipsi motum. Neque etiam negat eam ex accidenti moueri moto corpore: sed moueri per se ac primùm; vt inquiebant illi, qui eam affirmabant debere mouere seipsum vt moueat corpus, propterea quæ mouere corpus, quia seipsam mouet. Hoc enim est, quod additur (aut quod mouere potest) quia scilicet est quod seipsum mouet; alioqui non moturà corpus. Aut adiungitur illud, vt omnes compræhendat eos, qui de anima ita senserant, peculiaremque respiciat Platonis locum. Nam vt vniuersè in tex. 20. quosdam dixerat animam pronuntiasse esse τὸ κινοῦν, ita nunc vniuersè respiciens omnes eandem primùm repetit vocem; deindè Platonem fortasse indicans adiungit (ἢ τὸ δυνάμενον κινεῖν) sic enim in 10. lib. de legibus loquutus fuerat Plato. Aliamne, inquit, habemus animæ definitionem, quam hanc? πλὴν ἀλλὰ μέντοι αὐτήν γε ἑαυτὴν κινεῖν κινήσει. Denique cùm hæc sententia Platoni cum cæteris esset communis, dici potest Philosophum cæteris illum adiungere voluisse; duoque illius indicasse loca & diuersum de anima loquendi modum. Quippè in Phædro vocauerat illam τὸ αὐτὸ κινοῦν, & in altero loco τὸ δυνάμενον κινεῖν.

Iam quot argumentis aduersus hanc sententiam vtatur, non satis fortasse conuenit. Nam S. Thomas alijque nonnulli sex duntaxat numerarunt: neque id quod statim adiungit, necessarium non esse quidquid aliud mouet & ipsum moueri, argumentationem vllam continere, sed hypothesim quamdam ex ijs acceptã, quæ in 8. physic. lib. fuerant antea demonstrata. Videtur tamen optima esse argumẽtatio aduersus eos, qui animã propterea dicerent mouere seipsam, quòd nihil possit mouere aliud, nisi moueatur ipsum: neque immaterialia admitterent entia præter corporea.

1. Argumẽtum.

Quæ omnia summo compendio confutari videntur tota illa disputatione allegata, qua Philosophus demonstrauit aliquod esse mouens immobile, illudque immateriale & incorporeum. Ac rursum in ijs, quæ mouentur, nihil posse mouere seipsum primò; sed quidquid mouetur, ab alio moueri: partemque habere mouentem distinctam à parte mota: atque in animalibus quoque, quæ maximè videntur à seipsis moueri, partem huiusmodi esse; siue cor sit, siue anima; à corpore moto distinctam. Demonstrationes inde petantur, ne nimis in longum commentarius excrescat. His verò demonstratis conficitur necessariò, non posse animam seipsam primò mouere: cumque distinctis non constet partibus, minimè in ea posse partem mouentem, & partem motam reperi. Itaque eam totam esse partem mouentem; quæ ex accidenti, vt iam dictum est, moueatur.

Posset quispiam fortasse respondere, animam ab illis positam fuisse ignem eiusmodive aliud compositum, in quo pars mouens & pars mota, forma & materia, separari possunt; vt Aristoteles quoque fatebitur. At non ita loquuti essent ij, qui materiam nondum cognouerant, vt ex 1. Physic. lib. perspicuum est: ignemque & simile aliud corpus principium omnium esse volebant, velut simplex quidpiam substantia: & ideò ortum & compositionem substantialem negabant. Sed & animam asserebant primò & per totum mouere seipsam. Denique prima hac argumentatione visus est præsertim Philosophus impugnare rationem, qua ducebantur illi, vt animã crederent mouere seipsam; quòd alioqui non posset mouere corpus. Hoc autem impugnatur, quia demonstratum alibi est quodpiam esse mouens immobile: quòd omne quod mouetur, moueatur ab alio; neque in hoc progredi liceat in infinitum, si motus omninò futurus sit: sed aliquod erit mouens, quod ab alio non moueatur. Quòd si à seipso moueri dicatur, aut totum mouet & mouetur, aut vna parte mouet, & alia mouetur: totum mouere & totum moueri non potest, quoniam mouet quod est actu, moueturque quod potestate resque eadem simul & eiusdem comparatione actu & potestate nequit esse: quod si vna parte mouere, altera moueri dicatur; aliquid igitur est, quod mouet & non mouetur. Hæc omnia breuitate summa Philosophus argumentatione prima comprehendit.

Porrò si Platonem dicat Simplicius per se mobilem animam appellasse, vt eius naturam ostenderet ex partibili & impartibili constantem atque inter extrema mediam: & mobilem quidem inferiorem eius partem, per se verò immobilem superiorem, hoc est intelligentem; illudque irrationalem, hoc rationalem significasse: quidpiam dicet peculiare Platonis; cùm tamen non is solus, sed alij plures ita loquuti essent. Sed & Platonis argumentum suadere secus videtur. Quippe in Phædro animam per se mobilem esse concludit, quoniam à seipsa mouetur, habetque insitam sibi vitam. Quod.n. à seipso mouetur; semper mouetur, quia nunquã seipsum deserit. Quæ tamen probatio tota hoc solùm ostendit, quod Aristoteles fatebitur; animam per se & in se mouendi vim habere; qua nimirum corpus per se, seipsam verò ex accidenti moueat. Quamquàm & de alio quopiam genere motus loquutum fuisse Platonem, antea significaui.

A

B

C

D

E

TEXTVS.

Διχῶς δὲ κινεῖται πάντως ἢ γὰρ καθ' ἕτερον, ἢ καθ' αὐτό. καθ' ἕτερον δὲ λέγομεν, ὅσα κινεῖται τῷ ἐν κινουμένῳ εἶναι, οἷον πλωτῆρες. ἃ γὰρ ὁμοίως κινεῖται τῷ πλοίῳ. τὰ μὲν γὰρ καθ' αὐτὸ κινεῖται, ὁ δὲ τῷ ἐν κινουμένῳ εἶναι. δῆλον δὲ ἐπὶ τῶν μορίων. οἰκεία γὰρ ἡ ἔστι κίνησις, ποδῶν βάσις. αὐτὴ δὲ καὶ ἀνθρώπων. ἐκ ὑπάρχει δὲ τοῖς πλωτῆρσι τόπε.

Duobus autem modis cùm moueantur omnia, aut enim per aliud, aut per se. Per aliud verò dicimus, quæcunque mouentur eò quòd in re mota sint; vt nautæ. Etenim non similiter mouentur ac nauis. Quoniam hæc mouetur per se, illi verò, quòd in illa mota sint. Manifestum autem in partibus. Proprius namque est motus pedum ingressus: huic verò & hominum. Non inest autem tunc nautis.

Τὰ μὲν γὰρ καθ' αὐτὸ κινεῖται

COMMENTARIVS LXIV.

HYpothesis quædam in his continetur ad argumentationem alteram instruendam necessaria. Ex qua perspicuum erit quomodo moueri animam neget, & rursum quomodo fateatur: idque præstet, quod in tex. 19. pollicitus est accepturum se, si quid benè à veteribus fuisset dictum; repudiaturum autem, quæ non benè. Accipit enim moueri animam; at non per se, verum ex accidenti; vt concludet in tex. 39. Duplicem igitur motus acceptionẽ distinguit. Nam quidquid mouetur, aut per se mouetur, aut per aliud; hocque ex accidenti moueri dicimus. Per se mouentur illa, quæ proprium sibi habent motum: ex accidenti verò seu per aliud, quæ alterius motum sequuntur. Sane dum mouetur nauis, mouetur & nauta; non tamen eodem modo: sed nauis per se, quia proprius illius est is motus; nauta verò & quicunque continentur naui, ex accidenti: quoniam etsi proprium nullum & peculiarem habeant motum, sed partibus quiescant omnibus aut etiam dormiant; naui tamen mota mouentur, & cum ea progredientes in aqua iter suum conficiunt. Hoc nimirum est argumentum ex partibus, quod Philosophus adducit, vt nautam ostendat ex accidenti, non per se moueri. Cùm enim per se mouetur, partibus suis & membris mouetur, pedibus incedendo, vt homines cæteri: atque hic est proprius ipsius motus vt Homo est. At is motus tunc cessat: non igitur per se mouetur.

Quo loco adnotarunt Simplicius & Philoponus concessisse Philosophum animam ex accidenti moueri; eo scilicet motu, quo corpus, in quo est, mouetur; at non per seipsam. Porrò Themistius, Philoponus, & post eos Auerroes, ea quæ per aliud seu ex accidenti mouentur, duplicis facium generis. Quædam eiusmodi sunt, vt proprium alium habeant motum, aut certè habere possint; vt nauta nutritionem, accretionem, alterationem, incessum: alia nec habeant nec habere possint; vt albedo, nigredo, & accidentia cætera, quæ in corpore quolibet continẽtur. Animam ad posterius hoc genus pertinet; non quòd accidens sit (est .n. substãtiæ forma) sed quòd nullius per se motus capax existat, & vt Aristoteles paulò antè loque-

quæ anim. ni mouentur, debilius genere ens.

loquebatur, vnum quidpiam ex impossibilibus sit ineſſe ipſi motum. Itaque hoc quidem perſimilis nautæ eſt anima, quòd vt nauta, ſic anima eatenus mouentur, quatenus impellunt & mouent id, in quo ſunt: neque enim ille nauim, neque hæc corpus deſerunt dum mouent; quin potiùs operántur in illis. At hoc differt, quòd nauta præter nauis motum habet alium ſibi proprium, quo per ſe vel extrà nauim moueri poteſt; anima non habet. Accidentibus ſimilis hac ex parte eſt; at ab illis ideo diuerſa, quòd principium eſt & cauſa motus in corpore, quo ipſa quoque mouetur; accidentia nullo modo ſui motus exiſtunt cauſa.

Iam præter eum motum, qui dicitur eſſe per aliud, quia in eo eſt, quod mouetur, alius item eſt, quo per aliud moueri dicitur id, quòd per partem ſui mouetur. Hunc alibi ſignificatum prætermiſit nunc Ariſtoteles, quòd animæ conuenire minimè videbatur, neque argumentationi ſuæ futurus erat vſui. Quòd ſi motum pedum obijcias, quem *Motus partium duplex.* is proprium & per ſe dixit eſſe: reſpondendum eſt, duobus modis pedes moueri poſſe, aut progrediendo, aut alio quouis modo: vt ſi quemadmodum ſedens aut cubans manum vel caput moues, ita & pedem moueas. Si poſteriore moueantur modo, non per ſe; ſed ex accidenti moueri totus homo dicitur, quia per vnam tantùm partem mouetur. Priore autem per ſe; quoniã dum incedunt pedes, totum corpus portant, totúſque homo mouetur, & pars ea homini toti mouendo dicata eſt. Ita id accipio, quod Philoponus dixit, pedes ſine conſpiratione & concordia totius corporis non moueri: hoc eſt non ſolos ipſos, ſed ſimul per illos quaſi inſtrumenta totum corpus per ſe moueri.

TEXTVS.

Διχῶς δὲ λεγομένου τοῦ κινεῖσθαι, γνῶναι ἐπισκοπῶμεν πρῶτον εἰ τῆς ψυχῆς, εἰ καθ' αὑτὴν κινεῖται, ἢ μετέχει κινήσεως. πεντάχως δὲ κινήσεως ὄντος, φορᾶς, ἀλλοιώσεως, φθίσεως, αὐξήσεως.

Tex. 38. Duobus igitur modis cùm dicatur moueri, nunc de animâ conſideramus, num per ſe moueatur partiue ſque ſit motus. Quatuor verò exiſtentibus motibus, latione, alteratione, decretione, accretione.

COMMENTARIVS LXV.

GEneralem Hypotheſin ad rem præſentem primùm contrahit. Si enim quidquid mouetur, aut per ſe mouetur aut per aliud (quòd iam ex accidenti moueri nominat) animam quoque neceſſe eſt altero horum modo moueri. Deinde Hypotheſin aliam accipit, antequàm de priori conſtituat. Quatuor autem ponit eſſe ſpecies motus.

Sanè apud Ariſtotelem tum reperias κίνησιν, tum μεταβολὴν; tum inquã motum, tum mutationem: vnde illud lib. 3. Phyſic. exordium. Quoniam natura principium quidem eſt motus & mutatio- *Motus & mutatio vt differant.* nis. Quæ voces tantundem interdum valent, proque eodem vſurpantur; & abſque diſcrimine viſus eſt idem ipſe Philoſophus in opere illo vſque ad quintum librum vſurpaſſe: quare in tex.

A 97. lib. 4. apertè dixit; Nihil autem referat in « præſentia dicere motum aut mutationem. In « quinto autem lib. ita diſtinxit, vt mutatio aut in ſubſtantia verſetur, aut in accidentium genere momentanea ſit, vt ex tex. quoque 23. lib. 1. conijcias. Motus verò vel in quantitate, qualitate, & vbi conſideretur; vel cum tempore fiat & ſucceſſione. Illa inter contradicentia vel priuantia verſetur, hic inter contraria. Nam ſi vim ipſam vocum perpendas, facilè videbis, quoquo modo diſtingui, vel etiam cum abſque diſtinctione vſurpantur. Quippè motus id videtur eſſe, quod quieti opponitur & ſtatui, velut progreſſio B & habitus priuationi oppoſitus: mouerique illud dicitur, quod non ſiſtit, ſed progreditur vlteriùs. At mutatio variationem quandam & tranſitum ex vno in aliud ſignificat. Etſi motus adiunctam ſemper mutationem habet: quia ſi mouetur & non ſiſtit, profectò mutatur & ex vno ad aliud tranſit. At non contrà; quoniam ſubitò mutari quidpiam poteſt. Ita latiùs mutatio patet, quàm motus.

Mutatio igitur, vt variationem ſolam ſignifi- *Mutationis notio & ſpecies.* cat, duo duntaxat videtur inuoluere: quorum alterum ſunt duo termini, à quorum vno mutetur ad alterum: deinde aliquid tanquàm ſubiectum, C quod ab vno termino ad alterum tranſeat, mutarique dicatur. Quare ſi de mutatione vniuersè quæras, ſiue ea per ſe ſiue ex accidenti, ſiue ſubitò ſiue cum tempore & ſucceſſione fiat; tot illius ſpecies ſunt, quot entis. In quolibet enim entis genere quoquo modo fieri variatio poteſt. Quod etiam Theophraſtus ſenſit apud Simplicium in commentario 20. lib. 5. & idem ipſe Simplicius Eudemum, Alexandrum, & Theophraſtum ſequutus in commentario 5. lib. 3. ad omnes cathegorias ſcripſit eſſe motum. Quin Ariſtoteles quoque in tex. 5. lib. 3. motus, inquit, & mutationis ſpecies tot ſunt, quot entis: & tex. 6. lib. 5. quæ « D ex accidenti eſt mutatio, in omnibus eſt, & ſemper, & omnium: & rurſum tex. 10. & 12. ad relationem, actionem, & paſſionem fatetur eſſe motum ex accidenti. Iam mutatio per ſe vniuerſa tum ſubita, tum temporanea, non niſi quadruplicis generis eſſe definitur in tex. 6. libri 3. ſubſtantiæ ortus & interitus, qualitatis alteratio, quantitatis accretio & decretio, vbi demum latio. *Motus ſpecies.* Denique motus proprie dicti qui à mutatione diſtinguitur, tres tantùm ſpecies eſſe concluditur in tex. 18. lib. 5. in qualitate, quantitate, & vbi. Quorum ſi rationem quæras, ea perlegas, quæ in quinto libro copioſè ſatis diſputantur.

Ego verò duos quaſi diſtinguam gradus. Pri- *Motus duo gradus.* E mus erit illius motus, qui & per ſe intenditur à natura, & ab alio nullo antecedente motu aut mutatione pendet. Hic tum in qualitate reperitur, tum in vbi. Nec tamen in vniuerſo qualitatum genere, ſed in principibus illis, quæ per ſe agendi vim habent. Calefactione ſiquidem & per ſe quæritur calor, & propria caloris actione trãſitus fit à frigore ad calorem; neque alia opus eſt mutatione, ex qua ſequatur calor. In cæteris qualitatibus, quæ ſecundæ vocantur, mutatio eſt, quam per ſe natura procurat; at ea ſupponit aliam principum illarum mutationem. Mutatio etiam loci ita fit virtute propria ad motum talem determinata; vt ab alio motu

vel mutatione non pendeat: & in 8. Physic. lib. localem motum ostenditur esse omnium primum, quoniam ab alio nullo pendet atque ab eo pendent cæteri. Nam alteratio quoque, quæ intrinsecè à nullo pendet, extrinsecè aut à cœlesti pendet motu, aut agentis & patientis coniunctione indiget. Hancque mutationem per se natura procurat, vt naturalis loci acquisitione optimè habeant singula diutissimèque conseruentur. Dicitur tamen esse motus ad vbi potiùs, quàm ad locum, quoniam locus forinsecus est neque mobili inhærens acquiritur: vbi intrinsecum est & in ipso consideratur, eadémque mutatione tum acquiritur forinsecùs locus, tùm intrinsecum vbi; quod nil aliud, quàm corpus esse in loco, significat. Et alteratio quidem intrinsecum solùm habet terminum, formam in alterato corpore inhærentem: quoniam actione fit formæ, quæ similem sibi producendi vim habet. At localis motus primùm acquirit extrinsecum terminum, ambientem locum; quia motrix virtus similem sibi formam procreare non valet; sed actum solùm secundùm promere, quo mouet & transfert corpus. Quo fit, vt si moueat in pleno, ex vno in alium locum transferat, nouusque ambiens acquiratur locus, ex quo in contento & locato corpore consequatur vbi velut secundus terminus eiusdem motus.

Cur ad vbi potius quã ad locũ dicatur esse motus.

Iam verò alter gradus est illius motus, qui etsi per se à natura quæratur, alium tamen antecedentem consequitur motum. Sanè duos iam propositos, alterum in qualitate, alterum in vbi, cæteri omnes consequuntur: Alterationem enim in qualitate comitantur, tum substantiæ mutatio, ortus atque interitus; tum quantitatis, accretio & decretio. Quippè cum nec substantia nec quantitas insitam sibi agendi vim habeant, necesse est qualitatum actionem sequantur, & si de motibus quoque qui ex accidenti fiunt, dicendum sit; indè etiam mutatio fit in relatione, mutato scilicet fundamẽto, quod aut quãtitas est aut qualitas aut actio & passio; mutationéque qualitatum mutatur. Motum autem in vbi mutatio sequitur Situs & Habitus; quoniam hæc locali acquiruntur motu. Interdum etiam Relationis, vt dextri & sinistri, distantiæ, & similium, quæ relationem significant. In actione & passione si quæ mutatio sit, ea modò alterationem, modò lationem consequitur. Denique mutatio in Quando, cùm ex eo fiat, quòd successiuè & diuersis motibus moueatur quidpiam, omnes illos motus aut mutationes comitatur, cuiuscunque generis sint; modò cum successione fiant.

Hæc per digressionem fortasse dicta cuipiam videantur. Mihi quidem certè non item: sed vt summopere necessaria ad intelligendum id, quod dicebatur, quatuor esse motus, lationem, alterationem, decretionem, & accretionem. Substantiæ namque mutationem prætermisit; tum quod ea propriè motus non sit; quod tanquam alibi demonstratum accepit: tum quòd non in individuo consideretur, sed ad speciem pertineat. Illud enim viuens, quod loco mouetur, alteratur, augetur, & minuitur, non gignit seipsum, sed alterum quale ipsum, quo species conseruetur.

Porrò lationem & alterationem primùm, deindè accretionẽ & decretionem memorauit, quòd priores duo motus primi gradus sint, hoc est non solùm per se quæsiti à natura, sed etiam ab antecedente alio motu per se non pendentes: posteriores verò secundi gradus, hoc est per se quidem intenti, at alterationem consequentes. Lationem verò primam nominauit: tum quia genus illud motus omnium primũ est, vt iam in 8. Physic. dictum est: tum vt alterationem cum accretione & decretione coniungeret oratione; quemadmodum re ipsa in viuentibus coniuncta est, dum natiui caloris actione augentur viuentia & minuuntur.

Ad extremùm quatuor hîc fecit species motus, quas alibi tres tantum numerare solet, accretionemque & decretionem tanquam duas posuit, quas vbique vt vnam in vno Entis genere, quantitate inquam versantem posuit. Propterea quòd vt est in 3. Physic. libro tex. 6. & lib. 5. tex. 18. vno communi nomine appellari non poterat, duásque species pro vno communi genere dixit. In cæteris commune adest nomen; quia omnis motus in qualitate alteratio est, & omnis de loco ad locum latio.

TEXTVS.

Ἢ μίαν τινῶν κινεῖτ' ἀεί, ἢ πλείους, ἢ πάσας. Εἰ δ' ἑνὶ μὲν κατὰ συμβεβηκός, φύσει ἂν ὑπάρχοι κινήσις αὐτῇ. εἰ δ' ἁπλῶς, ἢ τόπος. πᾶσαι δὲ αἱ λεχθεῖσαι κινήσεις ἐν τόπῳ. ἃ δ' ἐστὶν ἡ οὐσία τῆς ψυχῆς τὸ κινεῖν ἑαυτόν, οὐ κατὰ συμβεβηκός, τὸ κινεῖσθαι αὐτῇ ὑπάρξει, ὥσπερ τῷ λευκῷ, ἢ τῷ πεντήχει. κινεῖται δὲ καὶ τόπου, ἀλλὰ κἀκεῖ συμβεβηκός. ᾧ δὲ ὑπάρχουσιν, ἐκεῖνο κινεῖται τὸ σῶμα. διὸ καὶ ἓν ἕστι τοῖς ἀνύτοις. τῆς δὲ ψυχῆς ἕστιν, ἥπερ φύσει κινήσεως μετέχει.

Aut vno ex his moueretur vtique, aut pluribus, aut omnibus. Si verò mouetur non ex accidenti; natura sanè insit ipsi motus. Si autem hoc, & locus. Omnes enim commemorati motus in loco sunt.

Quòd si est animæ substantia mouere seipsam, non tamen ex accidenti moueri inerit ipsi, vt albo aut tricubito: mouentur enim & hæc, sed ex accidenti. Cui namque insunt, illud mouetur corpus. Quare nec est locus ipsorum; Animæ verò fuerit, si quidem natura motus particeps sit.

COMMENTARIVS LXVI.

EX duobus acceptis Hypothesibus; altera, quidquid mouetur, aut per se moueri aut per aliud: altera, quatuor esse species motus proximè commemoratas: argumentationem iam instruit suam. Si mouetur anima, aut vno illorum mouetur motuum, aut inquam loco, aut alteratione, aut accretione, aut decretione; aut pluribus, aut omnibus. Atqui nullo moueri potest. Nam quidquid eorum aliquo mouetur, nisi ex accidenti moueatur alterius motu, natura sua & ab insito sibi principio moueri necesse est. Natura enim in vno quoque principium motus existit. Ita planioribus verbis declarat id, quod antea dixit, moueri per aliud & moueri per se;

se: vt moueri per aliud tantundem sit ac ex accidenti moueri: mouerique per se sit vi & natura suaptè moueri: quem motum anteà propriù quoque dicebat. Iam quidquid ita mouetur, in loco est. At anima non est in loco, non igitur per se vllo illorum mouetur motuum.

Solos autem commemoratos excludit motus: quoniam & oritur sanè & interit anima; quodque oritur & interit, non est opus in loco esse. Et quemadmodum ait Philoponus, ex vitio sæpè ad virtutem mutatur, & ex ignoratione ad scientiam. Verùm hæ mutationes quidem sunt, at non veri & propriè dicti motus. Maximè enim alterationes essent: atqui alteratio corporeus censetur motus, & inter principes illas qualitates, quæ agendi vim habent, versatur. Virtus autem & vitium, scientia & ignoratio, habitus quidam & priuationes sunt: in quibus generatio potiùs consideratur, dum perfectio acquiritur; aut corruptio, dum amittitur. Quippè essentia non essentialium modò partium perfectione absoluitur, verum etiam proprij habitus propriæque virtutis. Nam vt corpus ægrotans, etsi nulla parte mutilatum, perfectum tamen non est, neque propriè humanum corpus appellatur; quòd secundùm naturam non habeat, nec rectè operari valeat, velut penè emortuum: sic anima virtutis expers perfectione sua orbata præter naturam habet, nec operari pro dignitate valens, rationali vita velut demortua est, & omonymè rationalis anima; cùm ex rationis præscripto non operetur. Sed & virtus & scientia secundùm naturam sunt, vitium & ignoratio præter naturã: alteratio autè qualitatum est, quæ ex accidenti adsint & absint absque subiecti interitu. Ita nimirũ Alexandrum cæterosque Peripateticos sensisse scribit Philoponus. Immò & Aristotelem ipsum reperies in 7. Physic. libro tractasse hunc locum. Vbi etiam, vt Simplicius adnotat, mutationes huiusmodi ostẽsum est post passiones & alterationes fieri; quæ nõ animæ, sed animalis sunt.

Corpus ægrotũ & anima virtutis expers; præter naturam habent.

Potuissent Aduersarij respondere moueri multa, quæ locum non habent, vt album in genere qualitatis, & alterationis motu; & in quantitate tricubitum, addita vel subtracta quantitate quapiam: & cætera similiter accidentia. At Philosophus vrget, hæc sanè moueri, sed ex accidenti; motu corporis, in quo sunt: quæque ita mouentur, vt proprio carent motu, sic proprio non indigent loco; sed & locum & motum ex accidenti habent. At si anima suaptè natura & per se mouetur (quippè motum in illius definitione ponebant, cùm animam dicerent esse id, quod seipsum mouet) omnino proprium eam locum habere oportet, quia & proprium habet motum.

Hæc est tota Philosophi argumentatio. In qua cùm accipit, quidquid mouetur in loco esse, tantundem Philoponus interpretatur, ac esse corpus: putatque acceptum ex tex. 32. lib. 6. Physic. vbi demonstrauit, omne quod mouetur, esse corpus quantum. Quare si anima moueatur, corpus vtique fuerit. Quod aduersus Platonem disputari affirmat, qui incorpoream animam asserebat. Cui Aristoteles illam quidem concederet non esse corpus: tum quia potiùs est actus & forma corporis: tum quia cum adsit corpori illudque totum permeet, si ipsa quoque foret corpus, duo corpora simul & in eodem loco essent seseque vicissim penetrarent. At incorpoream substantiam esse fortasse nõ itẽ: siquidem corporis forma sit: etsi non omnis, pleraque certè ex corporis prodeat potestate, simulque cum illo & oriatur & occidat.

At neque nunc aduersus Platonem seorsim disputatur; sed vniuersè aduersus omnes, qui animam per se moueri dixerant; quorum plerique corpus quodpiam eam esse voluerant. Itaque quod mouetur esse in loco, propositio est pluribus aliis in locis inter argumentandum vsurpata: vt in tex. 8. lib. 5. Physic. dum substantiæ ortum probaret non esse motum; & in primo lib. de Cœlo tex. 74. cum nullum ostenderet esse corpus infinitum. Neque esse in loco significat esse corpus; sed id, quod consequitur corpus, seu corpori conuenit: siquidem omne corpus, quod finitum est & terminatum, occupat locum. Quare quod per se mouetur, oportet esse corpus; & quia corpus est, esse in loco. Quia verò anima non est corpus, sed quidpiam in corpore, consequens est eam non esse per se in loco, & ideò nec per se moueri. Nam etsi in corpore insit, non est tamen vt in loco, sed vt forma in materia mouensque in mobili. Quæ si esset vt in proprio loco, posset nimirum, dum per se moueretur loco, proprium mutare locum, corpusque illud, in quo esset, deserere atque ad aliud transire.

Quod mouetur esse in loco.

Dum verò Simplicius animam probat non esse in loco, quoniam impartibilis tota vbique est in animalis corpore, impartibile verò locum non occupat: de intelligente anima verè diceretur. Cæteræ partibiles sunt atque in corpore extensæ, vt alibi ostendetur: sed vt ex accidenti sunt quantæ & extensæ, quantitate & extensione corporis; sic non per se, sed ex accidenti & ratione corporis sunt in loco.

Digressio VIII. *Quomodo quidquid mouetur sit in loco.*

CÆterùm Philosophi propositio, Quidquid mouetur est in loco, magnam in supremo orbe difficultatem habet. Is enim perpetuo voluitur motu, nec tamen, quia supremus est, in loco est: siquidem locus in 4. Physicorum lib. superficies continens definitur esse.

Si non tam Aristotelem, quàm rem ipsam consideres, facilis responsio erit, suprà orbes omnes, qui mouentur, alium quendam esse immobilem à sacris nostris Theologis affirmatum, velut supremi orbis locum; intrà quem is mouetur. Philosopho tamen incognitum, quòd cum careat motu, nullum cognitioni argumentum dedit. Sed Philosophi iam interpretem agimus. Quid igitur? Aliquódne corpus loco mouetur sine loco? Video terram quoque ad mundi centrum moueri, non tanquam ad continentem superficiem, sed velut ad medium; vt mundi partem eam occupet, quæ leuibus elementis circa superiorem partem cœlestibus corporibus proximam occupantibus relinquebatur inanis: & tamen locus dicitur esse terminus localis motus, & propter eum quæritur in tex. 32. indicati libri.

Ergo localis motus, siue rectus sit, siue in orbẽ, hoc differt à cæteris speciebus motus, quòd natu-

Localem motum in loco

abstrahere. rali sua conditione ab acquisitione nouæ formæ & ideò à loco abstrahit, solumque significat actū secundum & agitationem corporis, quod mouetur. At quoniam eo plerumque, si rectà fiat, natura vtitur ad acquirēdum locum, nomen obtinuit localis motus; naturalique posita dispositione corporum, quæ ita se tangunt vt nil supersit inane, ferè aut in loco est aut ad locum. Nam is, qui in orbem dicitur (siue quòd in eodem spatio circa medium aliquod velut centrum, vel reale vel imaginarium, agitetur id, quod mouetur: siue quòd corporis partes vicissim sibi succedant in orbem) si corpus sit quod ab alio corpore continetur, in loco est: si verò corporis, suprà quod non sit aliud corpus, neque ad locum est, neque in loco; sed solùm circa centrum, quod per se in hoc genere motus requiritur. Qui verò rectus proprio nomine vocatur latio, semper quidem fit ad locum & cum noui acquisitione loci; quoniam dum fit per medium plenum, ambientem superficiem continenter mutat: si tamen esset inane atque in eo fieret motus, absque loci acquisitione fieret sola corporis agitatio.

Locus vt terminus locati mouentis. Cùm igitur non sua vi, sed institutione ac dispositione naturæ locum habeat latio velut terminum; locus is, qui lationis est terminus, locus fuerit, non simpliciter vt superficiem significat, sed vt naturalis est, hoc est terminus eiusmodi corporis continentis: & debetur mobili, non vt trifariam dimensum est, sed vt naturale: siquidem natura non mouet ad superficiem, vt superficies est, sed vt est in tali corpore, situ, & distātia à cœlo, vbi corpus illud, quod mouetur, conseruari & quiescere optimè possit; illaque præsertim motum habent ad locum, quæ conseruatione indigent. Ea sunt corruptibilia corpora. Quæ enim interitui obnoxia non sunt, vt conseruatione non egent nec loco, ità nec ad locum mouentur; sed vt inferiora cætera conseruentur, circa illa voluuntur in orbem.

Quamquam ne in corporibus quidem caducis ex naturæ institutione motus is primùm & per se est ad locum. Elementa namque tota velut partes *Elementa vt mouēdā- tur ad locum.* mundi primùm & per se ad medium & à medio mouentur; vt duo illa occupent spatia, quæ remansissent, inania; eamque ob causam qualitates motrices, grauitatem & leuitatem, acceperunt. Etsi re ipsa ignis & aër ad locum quoque mouēātur; ille ad superficiem lunæ hic ad superficiem ignis. Terra & Aqua velut consequenter; dum ob naturalem corporum dispositionem vndequaque superficie aëris continentur. Elemento- *Elemē- torum partes & mista. Animalia.* rum item partes mistaque corpora, quæ ab elemento dominante mouentur, primùm & per se ad totum, consequenter ad totius locum tendunt. Denique animalium incessus re ipsa quidem semper est ad locum, dum ea per medium plenum progrediuntur: non ideò tamen tributus animalibus est. Quoniam hæc vt nullum habent determinatum locum sibi proprium; sed elementi, in quo naturaliter commorantur, communem: sic ad nullum determinatum, sed per communem illum moueri debuerunt; vt ea consequerentur, quæ cognita appetiissent.

Et hæc quidem de latione, quam φορὰν vocant, & præsertim velut animæ atque animatorum propriam hoc loco Philosophus nominat. Deque hac potissimum intelligi propositio pos-

A set, Quidquid mouetur est in loco: quemadmodū Alexander quoque intellexit testimonio Simplicij in Commentario 45. ad tex. 39. & ipsemet Simplicius in Commentario 50. & 51. ad tex. 43. & 45. lib. 4. Physic. & Themistius ac Philoponus in tex. 39. Cùm enim in locum definiuisset Philosophus terminum esse corporis continentis, corpusque contentum adiecisset esse, quod est latione mobile; additum id fuisse dicunt, vt Cœlum excluderet, vel quòd non sit mobile, sed actu semper motum; vel quòd non latione sed circulatione, quæ περιφορὰ dicitur, moueatur.

B Quam ob causam cùm intelligi interpretes & Psellus, tum Ammonius in lib. Categoriarū de eius definitionem exponit, quod est in subiecto; nec supremum Cœlum, nec vniuersum totum esse aiunt in loco, quòd aliud extra se continens copus non habeat. Et Aspasius apud Simplicium dum eundem illum exponeret locum, affirmabat quidem, quidquid continetur loco, mobile esse latione; at non contrà: Cœlum quippè mouetur, quod in loco non est, vt apertissimis verbis loquitur Aristoteles in tex. 43. 45. & 46. illius libri. Atque ex duobus maximè capitibus confirmatur.

C Alterum est, quòd ab iis, qui locum assignare conati sunt, nihil est dictum quod probabilitatis speciem vllam haberet. Nam vt Philoponum mittam, qui in natura loci definienda Aristoteli non consensit, trifariamque dimensum spatium esse voluit. Gilbertum Porretanum scribit Albertus extremam illius corporis superficiem conuexam assignasse. At hæc neque continentis terminus est, neque separabilis à re locata, neque ad explicandum cœlestem motum quidquam confert. Conuexam inferioris sphæræ superficiem alij responderunt, quòd circa eam superior voluatur orbis: quam sententiam Auempace tribuit

D S. Thomas, & videtur fuisse Themistij in expositione tex. 45. lib. 4. Physic. Sed & de Auempace secùs testantur Auerroës & Albertus, & idem ipse S. Thomas in opusculo de Natura loci, si modò legitimum illius opus sit. Et Themistij aperta sententia est in tex. 39. & 43. corpus cœleste non est in loco, quia extrà cœlum nihil est amplius. Atque in textu 45. nec esse affirmat in loco actu; quia nullo forinsecùs corpore continetur: nec potestate, quia nec vnquam continebitur: nec per se, quia delatu moueri & ex vno in alium locum transferri non potest. Sed ex accidenti; vt Aristoteles expositoréque voluerunt: atque

E (ex accidenti) interpretatur significare (per aliud seu per partes) quatenus cœli, hoc est vniuersi pars vna continet aliam, vsque ad supremum orbem, qui simpliciter in loco non est, sed quodammodo penes interna, quæ ambit: tangit enim inferiorem orbem & quodammodo à conuexa illius superficie continetur. Ambæ namque hæ superficies simul sunt & æquales, alterutráque alteri locus dici potest. Penes externa verò, inquit, omnino expers est loci. At ne hoc quidem probabilitatem habet. Cùm enim inferior orbis locetur & contineatur à superiore, eumdem locare & continere non potest. Sequeturque idem esse in seipso; contra quàm à textu. 24. ad 28. ostendatur: nam si superior est in inferiore atque hic in illo, ille nimirum fuerit in se ipso.

Propterea

4. Propterea S. Thomas aliam conatus est Themistio sententiam imponere, ita rem arbitratus habere. Exponens namque tex. 43. orbem illum esse in loco dixit ratione suarum partiũ, vt earum vna continetur ab aliis eiusdem corporis partibus. Etsi enim quod cuipiam conuenit potestate & conuenire actu potest', conuenire simpliciter non dicatur dum potestate conuenit: si quid tamen ita potestate conueniat, vt actu nequeat conuenire, simpliciter creditur conuenire. Quare licet illius orbis partes, vt potestate sunt, non actu, ita non sint actu in loco, sed potestate, dicuntur tamen & simpliciter partes & simpliciter in loco; quia nec aliter partes nec aliter in loco esse possunt, quàm potestate. Actu namque diuisæ & in loco, partes totius amplius non sunt. Ita totus orbis ratione suarum partium, quæ in loco potestate sunt, dicitur simpliciter esse in loco.

Verùm eiusmodi partium locus imaginatione sola constat: sola siquidem imaginatione diuidi cœlum potest, cumque actu moueatur, potestateque solùm partes sint; cœlesti motui satis non est adferre locum, qui potestate sit: Immò si propterea in loco cœlum existat, quòd vna illius pars continetur ab aliis; cùm numquam partes hunc locum mutent, totum cœlum nunquàm mutaret locum nec locali moueretur motu. Denique illud quoque argumentum vrget, quòd locum oportet esse à re locata diuisum, aliudque est esse in loco, quàm esse in toto, vt est in tex. 34. nec partes, quia diuisæ non sunt, dicuntur esse in loco, nisi ratione totius; sed in toto; cumque totum cœlum non sit in loco, nec etiam dici possunt esse partes.

5. Fucum fortasse cuipiam faciant qui orbis illius locum dixerunt esse centrum, terramue, vt mundi medium tenet, circa quod voluitur cœlum. Nam & Auempace & Alpharabius apud Auerroem atque Albertum cœlum inquiunt non esse in loco, quem Aristoteles definiuit: quoniam is eorum duntaxat corporum quæsiuit locum, quæ recto mouentur motu: quæ verò aguntur in orbem, alio genere loci opus habent; loco inquam non continente, sed motum terminante ac stabiliente: hicque centrum est & medium, circà quod mouentur. Circulatio namque localis motus est; non ad continentem locum, sed quasi circa locum. Ita motus rectus dicitur esse à medio & ad medium, circulatio circà medium. Aristoteles autem, dum de continente disputaret loco, Cœlum dixit in tex. 45. ex accidenti esse in loco; quia continentem locum non habet, nisi ratione centri terræve, quæ aqua & aëre continetur. Alterum tamen genus loci, qui circulari debetur motui, per se corpus quoque illud habere.

Cæterùm vt ea præter mittam, quæ oratione longa contra hæc Auerroes disputat; cùm centrum non contineat, communis illi notio loci non conuenit. Neque enim satis est, si id sit, ratione cuius in orbem fiat motus. Nam locus, vt locus est, locare debet. Quoniam verò motum rectum sequitur semper mutatio locantis loci; fit vt locus secundaria ratione sit terminus localis motus. Quocirca quod vim locantis non habet, etsi vt terminans sit, locus verè appellari non potest. Quippè prius est esse, locum, quàm esse id, ratione cuius fiat localis motus. Deinde non minùs vere, quàm centrum, distantia, situs, imaginariumve spatium, appellares locum cœli: siquidem horum quoque ope motum illum fieri dicerem. Immò hæc potiori iure viderentur esse locus; quia ne intelligitur quidem sine his circulatio, intelligitur autem cœlestis motus absque terra; mouerique in orbem corpus, etsi nullum sit separatum centrum: vt videre est in sphæra solida; in qua si centrum imaginarium dixeris contineri, fuerit quoque in reali motu imaginarius locus. Et quamuis re ipsa centrum adsit separatum, vt adest in cœli motu; non tamen illius vi efficitur motus: Quoniam priùs est sphæram ita in suo agitari voluique spatio, vt si ambientem haberet locum, non violaret illius ambitum; vt in inferioribus orbibus animaduertimus; Tum verò consequens est, vt circa centrum moueatur. Illud intrinsecum est illi motus generi, hoc prorsùs extraneum; sine quo & solida voluitur sphæra, & definitur is motus; si motum esse dixeris, quo sphæricum corpus non mutando locum seu spatium in seipso mouetur.

Verùm quidnã illi centrũ appellant? Non sanè impartibile punctũ. Tũ quia terrã ipsimet vt centrũ nominant. Tum quia nec secundùm totum, nec secundùm partes cœlum hoc motu mutaret locum, sed eodem semper modo & totum & pars quælibet ad impartibile se haberet centrum. Quòd si partibile & quantum corpus dicant, iam cœlestis locus non erit centrum, sed sphæra quæpiam, circa centrum cuius comparatione alio atque alio modo cœli partes, dum mouentur, habeant sese: Nec minùs vere supremi orbis illius locum appellares inferiorem illi proximum orbem: contra quàm antea conclusum fuerit. Nullo igitur modo centrum dixeris locum cœli, si propriè & accuratè volueris loqui: si terminum dixeris, non morabor; nam circa terram voluitur. Atque solus motus rectus proprie appellatur localis, hoc est de loco ad locum: sic de illo propriè dicitur, localis motus terminum esse locum.

6. Qui verò Auerroem sequuti Aristotelis illud, Cœlum esse in loco ex accidenti, interpretati sunt intelligendum esse ratione centri seu terræ, quæ per se in loco est in aqua & aëre. Cœlum enim, inquiunt, quoad totum fixum est & quiescit, quia eius centrum terra in eodem semper loco manet: si hæc mutaret locum, cœlum item quoad totum non quiesceret. Quia ergo immobilitatem habet à centro, quod propterea immobile est, quia locum suum non deserit; quiescere dicitur & esse in loco ratione centri, & ideò ex accidenti. Animaduertere primùm debuissent non posse quidquam ex accidenti cuiquã tribui, quod illi quoquo modo non conueniat: terræque locum, aquam & aërem, vim nullam cœlestis loci habere; quòd neque per se, neque ex accidenti, aut cœlum, aut partem aliquam cœli, contineat. Deinde in sphæra solida perspicuum esse corpus aliquod posse, dum mouetur, fixum manere quoad totum, etsi nullum habeat centrum, quod sit in loco. Atque vt centrum haberet in loco, prius tamen esse ipsum substantia sua consistere immobilẽ, quòd in eodem loco aut spatio maneat; deinde sequi

centrum illius in eodē loco manere; quòd totum corpus locum aut ſpatium non mutet. Tum verò polos quoque, ſi ita philoſophari liceat, poſſe dici locum: quòd ab illis non minùs, quàm à centro, immobilitatē habeat. Aut etiam inferiorem ſphæram, quæ locū ſuperficiemúe continentem non mutat. Cùm igitur probabile nihil excogitetur, quo ſupremum cœlum dicatur eſſe in loco; concludere licet, illud omninò in loco non eſſe. Atque hoc fuit primum confirmationis caput.

Alterum erit; quòd nulla prorſus ſuppetit cauſa neceſſitaſué loci. Neque enim ob ſui conſeruationem indiget corpus illud loco: quoniam ab interitu omni liberum eſt. Neque vt ab externo corpore figuram accipiat: quippè ex ſe figuratum eſt. Neque propterea quòd corpus ſit: hinc namque illud ſolùm habet, quòd cùm ſit quantum & terminatum, aptum eſt eſſe in loco, ſi aliud illi circumponatur corpus. Neque quòd ſit perfectiſſimum corpus: quoniam eſſe in loco ex corporis perfectione non oritur, quin ex imperfectione magis; quod aut conſeruante indigeat, aut minus & deterius alio corpore ſit, debeatque ſub majore alió & nobiliore locari.

Cœlum vltimū vt alicubi.

At enim alicubi dicitur eſſe. Verùm nō vt in loco, quæ aperta fuit Philoſophi ſententia in tex. 45. ſed vt in quodam ſitu & vniuerſi parte; quòd ita diſpoſitas habet ſuas partes, vt vna ſit intra aliam, omniumque ſuprema & vltima cæteras
» omnes contineat. Quare in tex. 46. terra dici-
» tur eſſe in aqua, & aqua in aëre, aër in æthere, &
» æther in cœlo, cœlum autem non ampliùs in
» alio. Quod de vltimo cœlo intelligas. Reliqui namque orbes, & corpora omnia alicubi ſunt, & vt in loco, & vt in toto; vltimum autem cœlum, non vt in loco, ſed ſolum vt pars in vniuerſo toto.

Motus circulatiu quid.

Neque tandem opus eſt loco præter motum: quoniam latio multoque magis circulatio abſtrahunt ad ambiente loco. Circulationique ſatis eſt orbiculare corpus extenſum, quod in ſe habeat reale ſpatium, quantitatem ſuam; cui vel reſpondeat æquale ſpatium imaginarium, in quo reale illud ſpatium eſſe intelligimus: vel mente & cogitatione abſtrahimus reale illud corporis ſpatium concipimuſque velut immobile. Sic enim realis fit agitatio illius corporis in ſpatio, ſiue imaginario, ſiue reali abſtracto: qua corporis partes ſibi ſuccedunt & ſpatium mutant; & vbi erat vna pars, mox ſuccedat alia. Quidquid verò forinſecùs ambiens reperiatur, orbiculari motui extraneum eſt, ſiue ſit continens corpus, ſiue contentum. Neque confert quidquam; niſi vt nos corpus illud moueri cognoſcamus, vt aliqua eius pars, quæ vni parti alterius corporis reſpondebat, alteri mox parti reſpondeat. Si tamen continens aut contentum amoueris nihilominus moueri corpus intelliges: modò adſint immobilia duo pūcta velut poli, ſuper quibus; aut fortaſſe imaginariū centrum, circa quod moueatur: inde circulatio dicta, quaſi circa aliquid latio. Vel ſi hoc ipſum dixeris neceſſarium non eſſe, fuerit circulatio dicta, quòd corporis moti partes in orbem ſibi mutuò ſuccedant.

Circulatio cur dicta.

Ita localis motus propriè is appellabitur, qui eſt rectus: quippè hic nunquàm naturaliter ſit abſque mutatione loci. Qui verò eſt in orbem, minùs propriè; quoniam quod ita mouetur, locum non mutat; neque hoc motu natura vtitur ad acquirendum locum. Vulgari potiùs notione loci appellatur localis: vel quia locali ſimilis; vel quia locum concipimus velut imaginarium ſpatium, in quo partes corporis circumuoluantur & mutent ſpatia. Nec defuerunt qui propterea cœleſtem motum vbicalem potiùs vel ſitualem, quàm localem dixerint; quòd vbi quidem, & ſitus varientur, at non locus. Ariſtoteles quidem certè de loco diſſerens in 4. ſæpiùs indicato libro minimè de ſphæricorum corporum loco viſus eſt agere. Nam in tex. 3. ex corporum tranſlatione, & tex. 4. ex elementorum motu ſurſum & deorſum, inueſtigauit locum; quem in tex. 30. à locato corpore ſeparabilem eſſe voluit. Et in tex. 32. & 45. illa ſcripſit eſſe in loco, quæ latione mouētur aut accretione & decretione: & tex. 39. illa, quæ latione mouētur: Vbi ex interpretum ſententia dictum eſt lationem rectum motum ſignificare, cœleſteque corpus excludi. In tex. 42. immobilitatem loci confirmauit ex differentiis ſurſum & deorſum, quas in tex. quoque 30. inter loci proprietates commemorauerat. Eodem in loco & tex. 48. & 49. vnumquodque ſcripſit naturaliter ad ſuum locum moueri & in eo quieſcere. Ac demum in tex. 46. vniuerſum totum diſponens, cœlum affirmauit omnia continere, ipſum tamen non eſſe in alio. Quare cæteræ quidem omnes vniuerſi partes in loco ſunt, at ſuprema & vltima ſphæra non item: locuſque non debetur corpori vt corpus eſt, quia non adeſt omni corpori: neque vt corruptibile eſt, quia cœleſti quoque corpori: neque cœlo vt cœlum eſt, quia non omni cœlo: ſed corporibus quidem ſolis conuenit, at quatenus aliud habent extra ſe contiguum & continens corpus.

Circulatio magis propriè motus.

Loca naturalia ut quæ.

Naturalis autem locus, ad quem propter conſeruatricem vim & moueantur corpora, & in quo naturaliter quieſcant; ſublunarium duntaxat proprius eſt; grauium quidem & leuium deorſum & ſurſum in parte mundi conſtituta: elementorum præſertim ac primùm; miſtorumque vt aliquod in illis elementum dominatur; animalium verò per totum elementum, in quo degunt, piſcium per aquam, cæterorum per aërem. Et inanimata ſane, vt proprium magis ac determinatum habent locum, ita & rectum motum ad illum; at animata non tam ad locum, quàm per locum communem & amplum vago progreſſionis & inceſſus motu mouentur. Plantæ radicibus terræ infiguntur immobiles, vt alimento inde attracto ſuſtententur. Hæc libri 4. Phyſic. Interpretes pluribus tractare ſolent: ſed neque hoc loco prætermitti penitus debuerunt, vt intelligeretur Philoſophi propoſitio; Quidquid mouetur eſt in loco.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ἔτι δ' εἰ φύσει κινεῖται, καὶ βίᾳ κινηθήσ. καὶ εἰ βίᾳ, καὶ φύσει. τὸν αὐτὸν ὃ τρόπον ἔχει καὶ περὶ ἠρεμίας. εἰς ὃ γὰρ κινεῖται φύσει, καὶ ἠρεμεῖ ἐν τούτῳ φύσει. ὁμοίως δὲ καὶ εἰς ὃ κινεῖται βίᾳ, καὶ ἠρεμεῖ ἐν τούτῳ βίᾳ. πῖαι δ' εἰσὶν αἱ τῆς ψυχῆς κινήσεις ἔστωσαι καὶ ἠρεμίαι, οὐδὲ παλάττειν ἐγχωμίοις ῥᾴδιον ἀποδοῦναι.

Tex. 40. *Præterea si natura mouetur, vi quoque moueretur: & si vi, & natura. Eodem autem modo habet & circa quietem. Ad quod enim mouetur natura, quiescit in hoc natura. Similiter verò & ad quod mouetur vi, & quiescit in hoc vi. Quinam verò violenti animæ motus erunt & quietes, ne fingere quidem volentibus, facile respondere.*

COMMENTARIVS LXVII.

3. Argumentum. TErtiam in his verbis argumentationē agnoscere non videtur Philoponus: sed potiùs veluti consequens quidpiam superiori argumentationi adiunctum. Ex eo enim, quod animam deduxerat, si per se moueatur, proprium habituram locum; argumentari nunc Philosophum putat de motu & quiete tum naturalibus, tum violentis. Verùm & orationis principium illud (ἔτι δ') argumentationem nouam atque ab antecedente diuersam significat. In qua non ex eo, quòd anima locum habeat, quemadmodum anteà deducebatur; sed ex eo potiùs, quòd per se & natura suapte moueri diceretur, velut primario impugnationis capite, ratiocinatur. Si anima, inquit, per se & natura mouetur, vi quoque moueretur. Sunt enim oppositi motus, quorum si alter insit, alter quoque inesse possit. Quippè circa idem versantur opposita. Et rursum si vi mouetur, poterit quoque natura moueri: tum propter eamdem causam, quia circa idem versantur opposita: tū quia violētus motus naturalē supponit & illius cōparatione intelligitur. Ac natura quidem mouetur id, quod spontè atque ab interno principio mouetur: quòd si aliunde & externa vi impellatur, vi nimirum mouebitur. Violentum enim id est, vt definitur in 3. de moribus ad Nicomachum cap. 1. cuius principium foris est, nil conferente aut agente eo, quod patitur. Et quoniam motus quietem quærit; quod de motu dictum est, de quiete quoque dicere licet. Quò enim res vnaquæque mouetur, ibi naturæ suæ congruenter quiescit; & quò vi ac natura repugnante mouetur, ibi quiescit vi. Igitur si natura mouetur anima, vi quoque mouebitur; & si naturalem alicubi quietem requirit, violentam habebit alibi. Et omnino quoniam motus ad quietem tendit, si anima & natura & vi mouetur, & naturalem item & violentam habebit quietem: alteram naturalis, alteram violenti motus terminum. Duplexque absurdum deducit Philosophus; tum quòd vi moueatur; tum quòd quietem violentam & præter naturam habeat. Quinam enim violenti motus sint, quæue quietes, etsi fingere permittaris, non ostendes.

Ex qua ratiocinatione colligitur, animam non esse semper mobilem, neque illius naturam esse αὐτόκινητον, id est per se mobile, seu quod seipsum mouet; vt inquiebant veteres: tum quia quietem post motum reperit: tum quia vi quoque moueri debet, si moueatur natura. Auerroes autem hypotheticam ratiocinationem duplicem in hac argumentatione distinguit; quarum vtraque à consequentis destructione oppositum antecedentis concludat. Altera est; si natura mouetur anima, vi quoque mouetur; at vi non mouetur; igitur nec natura mouetur. Altera; si natura mouetur, natura quiescit: & rursum si natura quiescit, vi quoque quiescit: at vi nō quiescit, ergo nec natura quiescit: quòd si natura non quiescit, ergo nec natura mouetur.

Digressio IX. *Num cœli motus sit à natura. Deumque Aristoteli primum fuisse primi orbis motorem.*

CÆterùm illud, quod primùm accipitur, velut ratiocinationis totius fundamētū; Quod natura mouetur, vi quoque & præter naturam moueri, magnam habet difficultatem. Nam vt detur, quod vi & præter naturam mouetur, natura etiam moueri; quoniam naturalis motus prior est violento; quodque præter naturam est, ab eo recedit, quod natura conuenit: dandum tamen non videtur, quidquid natura mouetur, vi & præter naturam moueri. Quoniam id, quod prius est, absque eo, quod est posterius, esse potest. Et cœlestia corpora mouentur natura, neque aliter vi externa moueri possunt.

Scribit Philoponus Peripateticos expositores & inter eos Alexandrum non à natura moueri voluisse cœlestia corpora, sed à meliori virtute, nempè à separata mente Deum primam mentem imitante. In cuius hominis oratione verum illud esse arbitror, quod corpora illa moueri ait à separata mente: cætera non parum suspecta sunt. Ac primùm ipsa Alexandri responsio si admittatur, nulla erit Philosophi argumentatio. Si quidem eodem modo veteres respondissent animam à natura diuersam esse; animaliaque ab anima, non à natura, moueri.

Deinde suspectum illud est, cœli motum non esse à natura Alexandri & Peripateticorum sententia. Secus enim & naturalem esse & secundùm naturam, apud Alexandrum reperio in primo lib. Natur. quæst. cap. 10. & lib. 2. cap. 18. & 25. & apud Simplicium Comment. 36. in primum librum de cœlo, & Comment. 3. & 4. in 2. librum, & omnes planè, vbi naturæ definitionē in 2. Physic. lib. traditam ita exponunt, vt huic quoque conueniat corpori. Namque Aristoteles ipse in 1. lib. de cœlo tex. 5. 6. & 7. Naturalia omnia corpora accipit esse mobilia, quia natura est principium motus: atqui ex illo illius motu in orbem cœlum ostendit diuersam ab elementis habere naturam. Immò in tex. 8. ex diuisione motus naturalis necessarium esse colligit corpus aliquod simplex, quod sua natura sit aptum in orbem moueri; hocque non vi, sed natura moueri oportere, manifestis deinceps argumentis conficit. Tum quia nullum est aliud corpus, cui motus ille naturalis esse possit. Tum quia si is esset præter naturam, alius deberet esse secūdùm naturam; isque prior; quoniam id, quod est secundùm naturam, prius est eo, quod est præter naturam. Tum verò quia sempiternus non esset: quippe nihil, quod præter naturā sit & violentum, diuturnum, ne dum sempiternū, esse potest. Tum demum quia propterea neque

graue factum est illud corpus neque leue, orbicularique & sphærica figura insignitum à natura, vt naturaliter eo motu moueretur. Quam ob causam in tex. 12. lib. 8. Metaph. & tex. 10. lib. 12. posuit is in cœlo materiam, non generabilem, sed mobilem ad vbi: vt motus principio saltem passiuo, naturalis esset: etsi motrix virtus melioris conditionis esset, quàm natura; cuius comparatione voluntarius potiùs, quàm naturalis, posset appellari.

Naturalem tamen item quoquo modo dixerim; quatenus mens motrix, dum & se aptâ mouere & cœlum aptum moueri cognoscit, atque è re vniuersi totius intelligit esse, vt motus sit stabilis, necessarius, & naturalis, primæque mentis voluntatem esse, vt moueat; immò (vt Aristoteli placuit) suam quoque perfectionem id postulare, seque imperfectâ fore & otiosam, si non moueat; ita cœlum arripit mouendum, seseque illi adiungit ac intimè totum penetrat & permeat; atque determinatè, vniformiter, ac constanter mouet; ac si natura naturalisue illius foret forma. Sanè hæc vnio actu nititur & potestate eiusdem generis: quia vt cœlum est aptum moueri, sic mẽs apta mouere. Quæ licèt in accidentis genere considerentur; in ratione operationis, mouentisque & moti; vnum tamen quidpiam per se videtur effici posse si hæc adsint, quæ subiungam. Primùm vt & agens aptum sua natura sit ad operationem illam tribuendam, & patiens ad illam & non ad eius oppositam inclinetur. Deinde vt agens possit intimè vniri cum patiente totumque peruadere ac complecti. Tum verò vtrumque ita sit ad alterũ determinatũ, vt eorum vnũ in illud solum naturaliter agat, & illud ab hoc solo naturaliter patiatur. Prætereà vtrumque sit species integra perfectaque natura. Postremò sit vnio ad operationẽ quampiam, quæ forma dante esse non indigeat. Quæ omnia cùm motrici menti cœloque maximè conueniant, possent hæc dici per se ac naturaliter vniri; non quidem essentialiter & in genere substantiæ, sed in operatione tamquàm mouens & mobile. Cùm præsertim hæc operatio plurimùm ad hæc inferiora pertineat, tamque mens, quam cœlum, generales sint eorum causæ: neque incorporea & separata natura immediatè posset absque vllo interiecto corpore, aut actione alia, quàm motu, agere in hæc inferiora corpora. Et alioqui perfectioni, ordini, & conseruationi vniuersi oportunum videbatur, vt quoquo modo vnum ex superioribus & inferioribus, ex immaterialibus & materialibus fieret summusque ac pulcherrimus omnium nexus existeret.

Vt ex mouẽte & mobili vnũ fiat per se.

Est hic modus veluti medius, tum inter vnionem essentialem, quæ in rebus inferioribus reperitur, abstractarumque substãtiarum ac primæ causæ simplicitatem: tum inter vnionem formantis formæ & forinsecùs solùm assistentis: tum demum inter vnionem naturalis formæ & arte productæ: quarũ altera toti materiæ dat esse & operationem; altera sine operatione vlla exteriorem dumtaxat materiæ superficiem ornat. Eritque cuique facile obseruare quid cum singulis conueniat, quid discrepet. Et quoniam impartibiliter mens vnitur cœlesti corpori, vt & tota sit in toto & tota in qualibet parte; in ratione operationis magis vnum efficit ipsa cum cœlo, quàm quælibet materialis forma cum materia. Et

Qualis vnio sit intelligẽtiæ & cœli.

rursum quoniam indiuisibiliter vnitur, facit etiam magis vnũ, quàm cũ corporibus nostris rationalis anima; magisque naturaliter mouet. Quippè nõ eã habet in cœlo, quam in corporibus nostris anima, resistentiam; quin summam potiùs propensionem, nec vllis prorsus indiget instrumentis.

At enim in 8. Metaph. lib. tex. 9. quædam sunt verba, quæ obijcere nobis Philoponus posset. Naturã, inquit, solam profectò quis ponet eã, quæ in corruptibilibus est, substantiã. Verùm eo loco naturales formæ cum artificiosis ideisque separatis comparantur; quarum illæ solæ dicuntur esse substantiæ, hæ nequaquam. Naturam igitur naturalem formam appellat; neque solam corruptibilem formã ait esse naturam: sed solam esse substantiam; solam inquam artificiorum & idearum comparatione; non incorruptibilium cœlorum, qui non formæ, sed materiæ potiùs sunt.

Tertium, quod idem ait interpres, mentes illas mouere cœlestes orbes primæ mẽtis Dei imitatione; hactenùs Aristotelicũ sanè ac Peripateticũ est. At dũ imitationẽ in eo agnoscit; tum quòd vt Deus in seipsum conuersus omnia contemplatur, sic ille motus in orbem ab eodem in idem redit: tum quòd vt Deus est vbique, ita cœlum vbique sit dum omnem situm per partes permutat: nescio quàm Aristoteli consentaneè loquatur. Malóque in eo agnoscere, quòd vt mentem primam primum ac supremum orbem vertentem vident cæteræ mentes, sic illam hæ imitantes vertendos arripiant inferiores orbes, simulque cum ea sublunaris mũdi conseruationem atque administrationem procurent.

Primã verò mentẽ quã Deũ dicimus, Aristoteli fuisse primũ primi orbis motorẽ, tũ excepto Alexãdro, qui eã vt finem duntaxat & vt amatã ac desideratam mouere dixit in 1. Natur. Quæst. cap. 1. Cæterorum Græcorum interpretum fuit sententia; quemadmodum apud Simplicium videas ad initium 8. lib. Physic. & Commentario item 107. & 109. & 1. lib. de cœlo Comment. 88. & Themistiũ 8. Physic. tex. 3. & vtrumque in tex. 73. lib. 2. eiusdem operis, suumque præceptorem Ammonium citat Simplicius. Tum verò ipsiusmet Aristotelis. Nãque is in memorato tex. 73. lib. 2. Physic. duplex distinxit naturale mouẽs; quorum tamẽn alterum naturale non sit, propterea quòd ita moueat vt non item moueatur. Quo genere contineri ait illud, quod est omnium primum, nempè Deum, primam omnium causam, & primum ens; vt in 12. Metaph. lib. appellari solet. Et in tex. 3. lib. 8. Physic. cognitionem æternitatis motus vtilem fore dixit ad cognitionem primi principij; hoc est Dei, omnium interpretatione. Vtilis autem est, quia ex motus æternitate vnum conficitur esse primũ motorem æternum, quidlud ipsum est primum principium: deque efficiẽter motore in toto libro loquitur. Principio enim inquit manente & vniuersum manere necesse est, continuum existens ad principium; nempè Deum, primum entium omnium principiũ. Nam si primum motorem diceret mentem aliquam intrà Deum, non esset omninò immobilis is motor, sed amoris saltem ac desiderij motù moueretur à Deo.

Iam cætera percurramus. Quod in expositione tex. 78. & 79. tam acriter ab omnibus disputatur, num inde colligere liceat Deum esse vigoris infiniti:

finiti,quódq. in tex.84. primus motor dicitur esse in circumferentia potiùs,quàm in cẽtro, atque ab omnibus de Deo accipitur; an non primum motorem ostẽdunt Deum esse? Quod in tex.90.lib.1. de Cœlo plures probat mundos esse non posse, quòd non nisi vnus primus motus æternus & vnus primus motor esse queat, quis de mouẽte finaliter interpreteretur? Quis non videat vnum esse posse multorum finem, non item vnum efficiens diuersorum in diuersis mobilibus & diuersis mũdis motuum? Quis plures infrà Deum mẽtes illorum motuum effectrices negaret? Plures igitur primi motores esse nequeunt, quia non possunt plures esse Dij. Nolunt enim entia malè gubernari, neq. bona est pluralitas principatuum; quemadmodũ in extremo 12. Metaph. lib. Philosophus idem ratiocinatur: vt ille ipse vnicus princeps administrationis mundi princeps item sit motus, à quo tantopere totus hic inferior pendet mundus. Cum ijs, quæ de primo motore traduntur in 8. Physic. conferas illa quoq. quæ de Deo scribuntur in tex. 100. lib.1. de Cœlo. In priori loco primum motorem in tex.84. posuit in circumferentia: & in altero entia, quæ ibi degunt, optimam dixit habere vitam ac fœlicissimam, mutationis omnis expertem, neq. senescere vnquàm (in 8. Physic. primùm motorum dixerat æternum esse pœnitúsq. immobilem) hæc verò ad Deum pertinere ostendũt illa verba, quibus addit, primum eorum & maximè summũ, à quo habent omnia esse & viuere, omnino intrãsmutabile esse, necessarióque mouere æterno motu; quod nihil sit illo melius, quod moueat; & siquid esset, illud esset diuinius eo. Rursum quod in posteriori libro de ortu & interitu tex. 59. Deum ait esse perpetui ortus atq. interitus causam, dùm perpetuũ facit motum in orbem; nonnè apertum est testimoniũ? At idipsum in tex. 53. lib. 8. Physic. attribuerat primo motori. In 12. autem Metaph. tex. 30. Platonis ideas irridet, quòd nullius motus principium sunt: deinceps q. à tex. 42. cum omninò colligit mentium separatarum numerum, qui est cœlestium motuum. Nec Deum igitur, nec separatã vllam substantiam agnouit, quæ motum nullũ efficiat. Hinc illud est in tex. 38. substantiã illam, quæ primæ lationis principium est, primum esse principiũ, ex quo Cœlum & natura pendent: quod in tex. 39. Deum esse prædicat, beatissimam degentem vitam. Quemadmodum & in tex. 100. lib.1. de Cœlo dixerat. Rursùm à tex. 41. de eodem illo primo principio eadem illa repetit, quæ de primi motoris, immobilitate, æternitate, immaterialitate, & impartibilitate docuerat. Et inter cætera in tex. 43. principium inquit & primum entium tùm per se tùm ex accidenti immobilem esse; mouens tamen primo, sempiterno, & vno motu: statimq. appellat primum mouens; præter quod aliæ sint æternæ substantiæ & immobiles errantium motrices orbium. quare in tex. 44. primam omnium separatarum substãtiarum illam esse ponit, quæ primum efficit motũ. Et in tex. 48. prætereas, quæ mouent, nullam penitus aliam cõficit separatam reperiri substantiam, quoniam illarum finis est motus.

Exponitur tex. 36. lib. 12. Metaph.

At enim in tex. 36. objiciet nobis Alexãder dixisse Philosophum, primũ illud principium primãq. causam mouere vt desideratum & amatũ. Sed verborum sensus duplex esse potest. Alter, Deum efficienter quidem mouere, sed mouere non motum prorsúsque immobilem, quemadmodum id, quod amatur & desideratur, absque vlla sui mutatione amantem ac desiderantem mouet & ad se trahit. Verba Philosophi sunt, Mouet autem hoc modo, concupiscibile & intellectile mouet non motum. Alter, voluisse Aristotelem distinguere primũ mouens à mouentibus cæteris inferioribus, quæ cõuenire in eo videantur, quòd omnia sunt immaterialia, immobilia, impartibilia, æterna. Distinctio autem est, quòd inferiores mentes mouent amantes primam eámq. imitari cupientes, suprema verò velut ab illis amata, non autem amans superiorem aliam eamvè imitans, cùm ipsa sit prima omniúmq. suprema ac perfectissima. Itaq. suum quidẽ orbem Physicè & efficienter mouet, at mẽtes cæteras Metaphoricè amoris ac desiderij motu. quibus verbis primam mẽtem significatur, tum primum esse efficiens, tum primũ finem. Vnde scitum illud in Peripateticorum Scholis crebro vsurpatum, Deũ esse primam formam, primum efficiens, & primũ finẽ, trésque in eo primas causas conuenire. Verùm de his nunc satis.

COMMENTARIVS.

AD illam Philosophi propositionem reuertamur, qua quod natura mouetur, vi quoq. accipiebat moueri. Huic enim cœlestis objiciebatur motus, qui pati vim nullã potest. Altera igitur Alexandri responsio fuit, Cœlum non esse in loco, neq. vi aut præter naturã moueri posse Aristotelis propriam opinionem fuisse; veterum Philosophorum non item. Ideóq. ad homines argumentatum esse Philosophum, propositionemq. ab illis concessam accepisse. Ita placuit quoq. S. Thomæ indéq. licet colligere, quòd Cœlũ ex elementis cõpositum esse antiquitas credidit: quòd si in elementis est motus naturalis & violentus, fuerit quoque in Cœlo. Primus Aristoteles quintam esse ab elementis distinctam essentiam demonstrauit.

An quod natura moueatur, vi quoq. moueatur posit.

Duobus item modis respõdit Philoponus. Primo quidem propositionem illã de recto motu accipiẽdam esse. In hoc enim cõtrarietas est locorũ, sursum & deorsum, ante & retrò, dextrum & sinistrum: propter quæ naturalis & violentus existũt motus, naturalis ad vnum locum, & violentus ad illius oppositum. Circularis contrarium non habet: propterea diuisio illa motus naturalis & violenti ad illum non pertinet. Animæ autem motus est rectus, vt videre est in animalibus cunctis, siue incedant, siue volent, siue natent, siue reptent: ita optimum esse argumentũ, si natura mouentur, ea vi quoque motum iri.

Altero modo, propositionem eam tanquam cõtingentem adferri: quòd si non omnia, aliqua certè eorum, quæ natura mouentur, vi quoque moueantur; quæcumque nimirum contrarios habent motus. Cuius generis est & anima. Hæc namque mouendo seipsam mouere corpus dicitur: quare cum corpus contrarijs moueatur motibus, eos necesse est in anima quoque inesse.

Eadem Simplicij videtur fuisse responsio, cum eam dixit vniuersè veram non esse, vt in Cœlestibus apparet: sed eo posito, quòd veteres dictitabant, animam ideò mouere corpus, quòd ipsa moueatur. Si enim ea motibus hisce moueatur, qui sint in toto animali; quemadmodum hi externam vim admittunt, admittent quoque animæ motus.

Ego dum Philosophum video quietem cũ motu coniungere, eodémque modo velle rem in motu & quiete habere, manifestũ esse arbitror de motu recto duntaxat sermonem esse. Eiusmodi enim est animalium motus, de quo erat disputatio. Neq. in his de cœlesti motu difficultatem esse proponẽdam. Ad quod, inquit, mouetur natura, quiescit in hoc natura. Quis non videat de recto motu, qui ad locum & quietem suscipitur, sermonem esse, non de circulari, qui nec est ad locum, nec ad quietem refertur. Itaq. hæc fuerit ratiocinatio. Motus omnis rectus & natura fieri potest & vi, ad locum inquam tum naturalem, in quo libenter quiescit corpus motum, tum præter naturam, in quo repugnãte natura detineatur: atqui motus animæ atque ab anima in animalibus profectus, rectus est, igitur & natura & vi fieri potest. Quod si memoria repetas quidnam de essentia animæ veteres dixerunt in superioribus, maiorem argumentationis vim perspicies. Igneam enim aut omninò elementarem naturam esse voluerunt: quare vt ignis & elementa omnia, & natura & vi mouentur, ita & anima moueretur: motu inquam corporeo, quo & elementa & animalium corpora mouentur.

Violentiũ & violẽtus motus quid & in quibus.

Iam verò nullum animæ animalisvè motum esse violentũ posse, violenti definitio ostendit. Etenim id omnes violentum esse intelligimus, cuius principium foris est, nil cõferente aut agente eo, quod patitur. Omnis autem animæ motus ab ipsa est: etsi animal quatenus animal est moueatur, intrinsecus & ab interno principio mouetur. Violẽtus ac præter naturam motus in ijs tantum est, quæ aliundè & ab externa vi mouentur: vt si graue corpus proijcias sursum, aut leue deorsum. Aristoteles quidem certè tàm manifestum iudicauit nullũ animæ motum esse violentum, vt probationem omnem contempserit. Inductione autem ostenditur. Omninò enim, vt paucis complectar, animæ operationes sunt nutritio accretio, procreatio, sensio, appetitio, intellectio, volitio, motúsque de loco ad locũ: quæ omnes ab interno nimirum principio proficiscuntur, bonúmque & conseruationem animalis respiciunt.

Nullum animæ motũ esse violentũ.

Pluribus hunc locum tractat Philoponus. Cui si obijcias animal in præceps actum aut inuitum sublatũ sursum, negabit is violentos esse motus, quoniam ijdem ab anima fieri possunt, quæ ad omnẽ situs distantiam mouendi vim habet. Sed veriùs nõ sunt animæ motus, sed animati corporis; & magis quatenus est graue, quàm quatenus animatũ. Proprius animæ motus est assensus; túncque violentus esset, si ea huic motui cogeretur assentiri.

Simplicius verò, dũ ex causa probationem quærit, eam adfert, quæ solius rationalis animæ & humanæ voluntatis propria est: cuius verba quoniam luculentum libertati nostræ testimonium præbent, non pigebit huic loco adscribere. Quoniam, inquit ille, sua ex natura libera est rationalis anima, libertati autem violentum contrarium est.

Animæ nostræ liberæ.

Quare in tyrannicis necessitatibus atque violentis
» imperijs apparet, siue ipsa resistat, siue non; atque
» quanam ratione voluntariè ipsi imperio cedat.
» Hæc ille.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ εἰ ἐφ' ἃ φέρεται πῦρ ἔσται· εἰ δὲ κάτω, γῆ πᾶσα καὶ τῶν σωμάτων αἱ κινήσεις αὗται· ὁ δὲ αὐτὸς λόγος ἔχει καὶ ἐπὶ μικρῶν.

Adhuc autem si sursum mouebitur, ignis erit. Si verò deorsum, terra. Horum itaque corporum motus hi. Eadem autem ratio & de medijs.

COMMENTARIVS LXVIII.

Quarta hæc est argumẽtatio. Cuius clariorem interpretationem facere superuacaneum iudicauit Simplicius, quòd ipsa per se satis esset aperta. Solùm adnotauit, hinc manifestum esse corporeos solos motus Philosophum ab anima remouere, dum ex motu sursum & deorsum argumentatur. Addere potuisset & de motu recto illum agere; neque his argumentationibus Cœli motum obiectandum à quoquam esse.

Quoniam igitur animalia constabat non in orbẽ moueri, animam accipit, si moueatur, motu recto moueri: is enim in animalib⁹ cernitur. Rursum accipit motũ rectũ aut sursum fieri aut deorsum: nam hoc & sẽsu & inductione perspicuũ est & alibi declaratũ. Tertiò accipit eiusmodi motũ simplicem elementorum velut simplicium corporum proprium esse; mistis autem propter simplicium cuiusp iam excessum conuenire. Cúmque animam veteres affirmarent eodem motu, quo mouet, ipsam quoque moueri; ad hũc modum argumentatur. Si anima mouetur sursum, ignis fuerit aut aër; si deorsum, terra vel aqua; aut simpliciter, aut excessu. Siquidem hi motus horum corporum proprij sunt atque in mistis ab illis proueniunt. Atqui hæc corpora vnicũ habent determinatum motum ad vnicum constitutum locum, ignis sursum, terra deorsum, aër & aqua ad interiecta loca, neque ad vllam prorsus aliam situs differẽtiam: anima verò in omnem partem & ad omnes differentias mouet: non est igitur anima ignis, nec elementum vllum. Itaq. quod animam deducit fore ignem aut elementum aliud, non est absolutè & absque vllius alterius additione accipiendum: nam hoc veteres fatebãtur, immò & vltrò asserebant. Sed absoluenda ratiocinatio est; eóque progrediendũ vlterius, vt elementum eam non esse ostẽdatur familiari & vsitato argumento ex operatione ducto; quòd elemẽta omnia vnicum habeant simplicem naturalem motũ, anima plures omnino, vel etiam oppositos & cõtrarios.

Cui argumẽto respõdere non possunt, horũ motuum vnũ esse naturalẽ, alterũ præter naturã; quẽadmodum & in elemẽtis. Tum quia perspicuũ est omnes ęq. naturales esse. Tũ quia, vt propterea fortasse præmisit, ne fingi quidẽ potest in anima præter naturã motus. Atque perinde fuerit, siue anima elemẽtum ab illis diceretur esse, siue ex elementis: quoniam ea quoq. quæ ex elemẽtis sunt, excedẽtis elementi motum habent, eúmq. certum & constitutum ad vnum locum. Quamquam Philoponus vbi deduci audit, si anima sursum mouetur, ignem eam fore, ita deduci putat, vt omnis ignis sit futurus anima: quoniam quæ eundem motũ eandemque proprietatem habent, natura quoque illorum eadem est. Hæc tamen deductio non fuisset necessaria. Sed dixisset Democritus, non omnẽ ignẽ esse animam

animam; sed eum solum, qui orbicularibus constaret atomis, aut alius quiuis ignem solum hoc aut illo modo affectum aut cum elemẽtis cæteris temperatum animam esse.

Elementa esse actu in mistis.

Fortasse autem ex hoc loco non inepte colligas elementa in corporibus mistis inesse actu. Namq. vt Aristoteles deducit; anima mouetur sursum aut deorsum, igitur est ignis vel terra; ita & licebit deducere; corpus mistum deorsum mouetur, igitur in eo est terra.

TEXTVS.

Εἰ δὲ ὑπὸ φαίνεται κινοῦσα τὸ σῶμα ζῷον ἄλογον κινεῖν πως κινήσεις ἃς καὶ αὐτὴ κινεῖται· εἰ δὲ τοῦτο, καὶ ἀπορήσαιεν εἰκὸς ἄν τινες· ὅτι κατὰ γένος καὶ κατὰ εἶδος, ὧν τὸ σῶμα κινεῖται, ζῷον καὶ αὐτὴ τὸ ζῷον σῶμα κινεῖται φορᾷ· ὥστε καὶ ἡ ψυχὴ μεταβάλλοι ἂν κατὰ τὸ σῶμα ζωτικὸν καὶ αὐτὴ, ἢ ὅλη, ἢ κατὰ μόρια μεθισταμένη. εἰ δὲ τοῦτο ἀδύνατον, καὶ ἐξελθοῦσαι εἰσιέναι πάλιν ἀδύνατον τ' αὖ τοῦτο ἢ ἐπιτ' αὖ τὰ αἰσθανόμενα τὰ πεθνεῶτα τῶν ζώων.

Text. 41.

Rursum verò cùm videatur mouere corpus, his ratione consentaneũ mouere motibus, quibus & ipsa mouetur. Si autẽ hoc, & conuertẽdo dicere verũ, quòd & secundũ genus & secundũ speciẽ, quo mouetur corpus, eodẽ & ipsa. Corpus autem mouetur latione, quare & anima eodẽ, quo corpus, mutabitur & ipsa, aut tota aut per partes transmigrãs. Si verò hoc contingit, & egressam ingredi rursum contingat. Huic autem consequens fuerit, vt resurgant animalia mortua.

COMMENTARIVS LXIX.

5. Argumentum.

QVintam hanc argumẽtationem subiungit ex eo ductam, quòd animam illi propterea dicerent mouere corpus, quod moueatur ipsa. Si anima ideò moueat corpus, quia mouetur ipsa; ijs igitur motibus mouetur corpus, quibus ipsa mouetur: sic enim ratio suadere videtur. Ergo poterimus reciprocando colligere, eodem motu, siue genere, siue specie, quo mouetur corpus, ipsam quoque moueri. At corpus de loco ad locum mutatur; ergo & anima vel tota vel per partes ex vno in aliũ locum migrare posset. Atqui animæ locus non est alius, quàm corpus, in quo habitat: ab vno igitur corpore ad aliud mouebitur: eodémque modo ab hoc rursum moueri posset & redire ad illud, ex quo egressa fuerat. Ex quo consequens esset animalia mortua redire ad vitam posse: quippè vt egressus animæ ex corpore mors fuit, sic vicissim reditus ad corpus vita fuerit & resurrectio.

An quod mouet, eodem motu mouetur.

Et quoniã tota hæc ratiocinatio nititur ea propositione; Quidquid mouet, eodẽ, quo mouet, motu mouetur, hæc non leues habet difficultates. Theophrastus namq. vt Themistius cõmemorat, animã obiecit nõ eodẽ, quo corpus, moueri motu: quippè corporis motus est localis vt Philosophus ait; iudicia verò, cõpræhensiones, & assensiones, motus sunt animæ. Deinde trahit homo lignum, nec tamen homo trahitur à ligno. Vaporésque vi solis in sublime rapiuntur; Sol ipse vicissim non trahitur: illi recto motu, hic in orbem mouentur.

Primæ obiectioni respondet verè Themistius, iudicia, apprehensiones, & assensiones, motus non esse, si motus definitio, natura, & conditiones considerentur. Operationes potius, quàm motus, sunt. Sed & respondere potuisset, veteres illos, contra quos nunc Philosophus disputat, corpoream, immò corpus quodpiam, fecisse animam, suóq. motu voluisse mouere corpus; ideóque de corporeo & qui corporis quoque esset, motu fuisse loquutos: iudicia, appræhẽsiones, & assensiones animæ sunt, non corporis; quiescentésque corpore perfici ab anima possunt.

Reliquarum item obiectionum ea est apud eundem solutio; hominem lignum trahẽtem, Solemque vapores eleuantem, eodem, quo mouent, moueri motu: eodem inquam genere, nempè locali; si nõ specie. Si enim propterea mouetur anima, quia corpus moueat, satis Aristoteli fuit, si locali motu moueatur, quemadmodum eo motu mouetur corpus. Colludentium puerorum exemplum reperies apud Philoponũ, qui muscas aut cantharidas paruis ex cera cartavè confectis includũt pilis, vt dum illæ mouentur, pila quoque moueatur. Alter siquidem motus est rectus, alter in orbem, localis vterque genere idem, specie diuersus. Fera quoque viuario inclusa secum viuarium impellẽs mouet; sed illa incessu & natura mouetur, hoc impulsu & vi. Simili prorsus modo rebantur veteres animã mouere corpus. Sed & hic ipse interpres cùm rotę dubitationem proposuisset, quæ non eodem, quo trahens mula, sed mula recto, rota in orbem, motu mouetur. Et axis, quæ non similiter, ac ænea sphæra circa ipsum vertitur. Ac demùm cœlestium corporum, quæ inferiora quidem calefaciunt, refrigerant, congregant, & dissipant, at ipsa solo in orbem motu agitantur. Omninò respõdendum putat, de solo motu locali, neque de eodem specie, sed genere duntaxat, Philosophum pronuntiasse sententiam: propterea quæ lationem velut genus nominasse.

Cæterùm interpretes hi aut non legerũt illa verba (κατὰ γένος ἢ κατ' εἶδος) aut non cum coniunctione, sed cum diuunctione legerunt. Idcircò mauult Auerroës non absolutè, sed aduersus veteres Aristotelem fuisse loquutum. Dúmq. illi eatenus animam mouere corpus dicerent, quatenus ipsa mouetur, omninò necesse est eundem & genere & specie corporis atque animæ motum esse. Verùm absolutè quoque id verum est in impulsũ, de quõ erat disputatio, animam inquientibus illis velut vecte quodam mouere corpus: omniáque impellendo mouentia eodem & genere & specie motu mouentur. Quodpiam tamen esse mouens immobile in 8. Physic. lib. demonstratur. Ex quo loco intelligas propositionem hìc positam tum de mouente solùm corporeo pronuntiatam, tum ex veteribus potius dèque impulsu, quàm absolutè & vniuersè, acceptam fuisse.

Iam verò illud quoque, quod post deducebatur, si anima locali motu moueatur, fieri poterit, vt semel egressa ex corpore ad illud rursum regrediatur: Theophrastus objecit. Nam ij, qui animam spiritum esse aut halitum quendam arbitrabantur, regredi eum posse negassent vbi semel exisset. Verum si potest, inquit Themistius, exire corpus ex corpore, cur non & denuò poterit ingredi? Cum hoc in cæteris omnibus locis vasisque fieri visitetur. Sanè qui animam aërem, quem respiramus, esse voluerunt, negare non possunt eum nos & respirare subinde &

inſpirare. Et Democritus ex calidis eam faciēs corpuſculis hæc perpetuò ingredi corpus voluit & egredi; quemadmodum in tex. 21. dictum eſt. Hi igitur maximè hoc argumento vrgentur, quo fore conficitur vt animalia ſæpè moriantur & reuiuiſcant. A

Idem propemodum illis dicitur, qui aquam, ſanguinem, aut aliud eiuſmodi fluidū corpus animam eſſe putauerunt; quæ vt in vaſe contineatur in corpore, & vt cum Philopono dicam, velut in viuario fera, egredique ſæpè poſſit & ingredi. Cùm præſertim animam vellent non cōpagem & conſtitutionem, ſed ſolum motum adferre corpori. Vt enim nauta egredi ſæpè & redire ad nauem poteſt, eámque mouere; ità & anima poſſet. B

Quod verò de columna ponit Philoponus, quæ domum ſuſtentat, nec tamen indè ſubmota redibit rurſùm ac ſuſtētabit domum; etſi plurimum illi faceſſat negotij, nec prorſus diſſoluatur, leue tamen eſt, neq. conſentit cum anima: Nam non mouetur columna ex ſe, neq. mouendo ſuſtentat domū: animam per ſe moueri & mouere corpus inquiebant veteres. Deinde ſubmota columna concidit illicò domus; animalis corpus aliquandiu perſiſtit poſt egreſſum animæ: idcircò redire columna non poteſt, anima poteſt.

Denique quod tanquàm abſurdum & ἀδύνατον deducit hoc loco Philoſophus, fore vt animalia mortua reuiuiſcant; cùm eo conſentit, quod in poſteriori quoq. de ortu & interitu lib. tex. 70. tradidit; ea, quæ ſemel interierunt, redire ampliùs non poſſe eadem numero, ſed ſpecie duntaxat. Qua de re opportunum fuerit aliquid ducere, vt quatenus verum ſit intelligatur. C

Digreſſio X. Num quod interijt, redire idem numero poſſit.

Annus magnus.

Celebris eſt Platonicorum Aſtrologorúmq. cōpluriū ſententia de magno anno, qui mundanus etiam interdum nominatur: cuius mentionem quoq. faciet non multò poſt Philoponus in Com. t. 45. Et Egyptius item Sacerdos apud Platonem in Timæo de hoc viſus eſt Phaëtontis fabulam interpretari: Magnus autem annus totum illud tempus dicitur, quod in ſuo motu cœleſtia conſumunt aſtra, quouſq. ad eundem locum & punctum, vnde primùm diſceſſerunt, omnia reuertantur; eundēq. ſitum & cōparationem mutuā repetant, quam habuerunt cùm primùm moueri ceperunt. Hoc etenim vertente anno, eadem numero inquiunt & eodem prorſus ordine reſtitui cuncta debere, quæ à principio fuerunt. Totum autem hoc tēpus Heraclito 18000. Diogeni 18355. Alijs apud Plutarchū in 2. lib. de placitis Philoſophorum c. vlt. 7377. Solino & Seruio in 3. Æneid. Virg. 12654. Corn. Tac. 12854. Macrobio ex cōmuni Philoſophorū calculo 1500. Ptolemæo ac ferè Aſtrologis & verò Platonicis 36. vel 39. Alijs etiam 40. vel 49. millium ſolarium fuit annorum. D

Ariſtotelis opinio, & alterius. 2.

Contrà Ariſtoteles omnino fieri poſſe negauit, vt quod ſemel corruptū eſt, idem vnquàm numero reſtituatur. Quod Marſilio tantopere perſuaſit, vt ne à præpotenti quidem Deo id fieri poſſe dixerit. Initióque naſcentis Eccleſiæ irriſerunt Chriſtianos Philoſophi, quòd noſtrorū corporum reſurrectionem aliquando futuram crederent & ſperarent: ſæpéque iactabant, A priuatione ad Habitum non eſſe regreſſum. Negarūt quoque Saducæi, vt ſacra narrat Hiſtoria, animam noſtram putantes eſſe mortalem atque cum corpore interire. Sed & Simon Magus, Valentinus, Marcion, Appelles, & Manichæus immortalitatem concedentes reſurrectionem futuram dixerunt animorum, non corporum. Ac demùm inter eos, qui corpora quoque ad vitam aliquando reditura eſſe conceſſerūt, Origenes teſtimonio S. Hieronymi in epiſtola ad Pammachium, & Epiphanius hæreſi 64. & Euthychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, vt Auctor eſt S. Greg. lib. 14. Mor. c. 29. non eadem corpora, ſed alterius rationis futura eſſe dixerunt. Et inter noſtros Theologos Durandus in 4. ſent. lib. omnino non futurum idem numero corpus diſputauit. E

Quibus tàm acriter cæteri omnes reſtiterunt, vt inter eos Scotus, Aureolus, & Ricardus conati ſint perſuadere naturali etiam virtute, ſi nō omnia, aliqua certè corrupta eadem numero poſſe redire. Quin & Euſebius Cæſariēſis in 6. lib. ſuæ hiſt. c. 30. nonnullos commemorat extitiſſe in Arabia (Arabicos proptera dictos à S. Auguſt. in lib. de hæreſ. c. 83.) qui animum interire cum corpore affirmantes, tùm corporis, tùm animi reſurrectionem futuram prædicarent. Eſt inter Philoſophos non ignobilis interpres Ariſtotelis Paulus Venetus. Is in Cōmentarijs ad libros de ortu & interitu magnopere contendit poſſe naturali ratione atq. Ariſtotelicis principijs reſurrectionem demōſtrari. Animum quippe noſtrum vidit is immortalem eſſe, formāmque & veram hominis partem, & ideò imperfectum atque in ſtatu præter naturam & violento eum eſſe à corpore ſeparatum, nullum verò violentum & quod præter naturam ſit, eſſe perpetuum poſſe. Ex quibus principijs neceſſariò cōſequitur eum aliquando reuerſurum eſſe ad corpus. Cùm præſertim non modò permaneat incolumis animus, ſed & materia, quæ facile diſponatur rurſum ad eiuſdem animi ſuſceptionē. Accedit quòd Homo non conſequitur nunc ſummum bonū & vltimum ſuum finem. Nullum enim eſt in hac vita bonum, cuius conſequutio hominis expleat appetitum. Neceſſe igitur eſt eum in alia vita conſequi. At ſi abſque corpore ſolus conſequeretur animus, non eſſet ſummum bonum totiúſq. finis, ſed partis. Oportet igitur animum rurſus coniungi cum corpore, vt homini toti ſatisfiat. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Conſueuere tamen Philoſophi, tum illud obijcere, A priuatione ad habitum non eſt regreſſus: quam ob cauſam velut magnum abſurdū ac prorſus ἀδύνατον, argumentabatur hoc loco Ariſtoteles, ſi anima per ſe moueatur, fore vt corpus egreſſa iterum ingrediatur mortuáque animalia reſurgāt. Tùm vero ita futurum, vt idem eſſet duo & vnum: duo, quia bis producitur & exiſtit: vnum, quia idem, quod antea fuit, redire ponitur. Quærunt præterea, num per eandem mutationem, qua res primùm producta fuit, iterum reuertatur, an per diuerſam. Diuerſa enim eſſe non poſſe videtur, quoniam cùm mutatio ſit idem re cum termino, diuerſarū mutationū diuerſos oporteret terminos eſſe. Multò minus eadē mutatio fuerit: quia mutatio, motus, & tēpus, nullo modo redire poſſunt & præſentia eſſe, ſi ſemel fuere præterita: contradictionem quippè continet, præteritum eſſe præſens. 10.

sens. Denique Anthropophagi homines obijciuntur. Dùm enim humanis vescuntur carnibus, neque in illorum substantiam mutantur, sanè aut ij, quorum sunt carnes, aut ij, quorum euadunt cibus, ad vitam simul nequeunt reuocari. Idem de quouis animalium ratiocineris cibo, si Deus ambo in rerum natura restituere posse dicatur.

Authoris sententia. Ita fermè diuina potestas nostrorúmque corporum resurrectio impugnatur. Ergò ens successiuũ

1. libẽter demus ne diuina quidem virtute idem numero redire posse. Cùm enim de ratione formali vnitatis rei successiuæ sit fluxus & durationis continuitas, quæ tollitur interruptione, pugnantia loqueretur, qui eundem numerò motum idémque numero tempus, quę semel abieruut, affirmaret redire. Quoniam & vna essent & interrupta, prę̃sentia & præterita.

2. Immò nec in permanentibus idem numero & eadem ratione, hoc est cum ijsdem numero motibus & actionibus, sub eodémque numero tempore, redire potest: quoniã hæc ipsa redire nequeũt. Quò fit, vt nullum agẽs naturale corruptum quidquam valeat idem numero reparare. Quod & aduersus Platonicos probat S. Augustinus in 12. lib. de Ciuitate Dei cap. 13. & in quadripartito Ptolomeus & Orontius in tractatu de proportionibus, alijque per multi, fieri non posse ostendũt, vt cœlestia sydera omnia reuertãtur vnquam ad eadem loca & proportionem eandem: propter inæqualitatem secundum motuum singulorum. Neq. vllum agens naturale potest absque motu & tempore quidquam producere: quare si motus idem & tempus redire nequeant, nec poterit agens, quod à motu pendet & tempore, eundem numero effectum reponere, sed productiones huiusmodi, quæ motum habẽt & tempus, multiplicatis hisce multiplicantur: cúmque motus sit idem re cum termino, & tempus idem cùm motu, vbi plures fuerint motus pluráque tempora, plures quoque necesse est terminos ac res productas esse. Eãdem ob causam idẽ numero effectus produci nequit à diuersis agẽtibus totis & omni ex parte distinctis. Si namque eodem id fieret tempore, idem sæpiùs nasceretur: si alio atqu alio, eundem oporteret motum idémque tempt stitui.

3. Cęterùm hac non constringitur Diuina virtus. Sed illi p im est Ens permanens corruptum aut etiam tum ad nihilũ, numero idem reponere. quoniam vt ea nec à motu pendet nec tempore nec alia re vlla ita nec naturalis forma aut quæuis res producenda, dum actio diuina consideratur: sed sæpiùs eadem exstingui & reuocari potest, sola Dei voluntate, quæ vna semper est & eadem, ita constituente. Vtque per eam creari primùm potuit ex nihilo, ita creata & ad nihilum redacta recreari potest. Actio namque Dei volitio ipsius est, eadem semper perseueràs, atque à motu & à tempore independens: eadémque existente volitione actio eadem est, idem illius terminus. Et omnino inquit S. Gregorius lib. 6. moralium ca. 7. multò maius est creari quod non erat, quàm reparari quod erat. Sed & ex perenni conseruatione sumas argumentũ. Vt enim Deus idem numero esse conseruat quamdiu res vnaquæq. durat, sic & singulis durationis illius momẽtis posset illum ipsum esse largiri de nouo, si ad nihilum redigeretur.

4. Quòd si Aristoteles & Peripatetici dicant, A priuatione ad habitum non esse regressum, naturale axioma est, naturæque virtutem respicit: neque infinitam atque à motu liberã Dei virtutem agnouit Aristoteles, sed finitam planè & alligatam motui. Nos infinitis partibus meliorem virtutem aliamq. illius actionem nouimus. Cui dùm animorum nostrorum immortalitatem adiungimus, eósque nostrorum corporum formatrices formas esse, idcóq. dimidiatas substantias, quę à corpore separatæ minùs benè habeant, peroptẽtque cum suis corporibus iungi & perfectiorem consequi conditionem, ac demùm materiam etiam; cui debet vniri, natura sua incorruptibilem: næ possibilẽ esse naturali ratione cognoscimus nostrorum corporum resurrectionem, quam christiana fide credimus & speramus. Quæ omnia potuissent quidẽ Philosophi illi videre, qui animum nostrum immortalem & formatricem corporum formam esse intellexerũt: indéque fortasse ortum habuit opinio illa de animorum redita atq. in diuersa corpora migratione, vt obseruauit aliquandò S. Gregorius Nyssenus in disp. de Anima & Resurrectione. Quamuis alio atque alio modo Pytagoras, Plato, atq. Empedocles migrationem eam facerẽt, aut in sola humana, aut etiam in bestiarum & fruticum corpora. Quoniam tamen plerisque & sanè sapiẽtioribus non probabatur; neque assequi modum poterant, quo redita ad propria corpora, quorum antea fuerant formæ, perficerentur; quòd diuinam virtutem haud satis cognoscerent; hæserunt dubij, neq. resurrectionis corporum veritatem admiserũt, immò impossibilem iudicarunt.

Resurrectio possibilis.

Animarũ transmigratio.

Nos certa fide ac religione credimus: litteris ni- 5.
mirum sacris à Deo edocti. quibus tùm significata iam ratio accedit; tùm naturalis appetitus beatitudinis, ac fœlicitatis, cui nõ satis fit in hac vita, neq. sine corpore potest esse perfecta, quia non vnius partis, sed totius hominis esse debet. quo argumẽto visus est vti S. Paulus in posteriore ad Corint. epist. c. 5. In hoc, inquit, ingemíssimus, habitationẽ nostram superindui cupiẽtes: quod nolumus spoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita. Pluribus id demonstrare ex Christi resurrectione; quod alterum fuit eiusdẽ Pauli argumẽtum in Epist. ad Rom. c. 6. & priore ad Corint. c. 15. & ad Philip. c. 3. & priore ad Thess. c. 4. Atq. ex resurrectione plurium iam facta, ex aduersis rebus, tribulationibus, & ipsa morte, quas propter Deum libenter nunc & gaudenti animo tolleramus: quibus etiam vtitur Paulus in priore ad Corint. c. 15. & posteriori ca. 1. Ex morte iam per Christum debellata, ex Dei iustitia, quæ non animam modo, sed corpus quoque, quod & itineris comes & laborũ socius & particeps fuit, afficere præmijs debet; alijsque similibus argumentis; Theologi potiùs fuerit, quàm Philosophi.

Verùm quæ indicata sunt, tùm resurrectionẽ fu- 6.
turam satis ostendunt; tùm eiusdem numero corporis, quod interijt. Hoc enim vox ipsa resurrectionis testatur. Quippè restitutionem significat eius, quod perijt, excitationẽ eius, quod dormiuit; plenissimámque integritatem eius, quod cecidit; vt pluribus persequuntur S. Ioannes Damascenus lib. 4. de Ortodoxa fide ca. 28. & S. Gregorius Nyssenus orat. 1. de Christi resurrectione. Sacræ nãque litteræ excitandos illos esse affirmãt, qui in monumentis sunt, quiuè in terræ puluere dormierunt; eósque, qui sunt in monumẽtis, audituros vocem filij Dei; Deum cõgregaturum pulueres & ossa ex

vniuersa terra, & Ezechiel eadem ossa, quæ in Cãpo erant, coniungi vidit & reuocari ad vitam. Tùm verò luculentissimum est illud Iobi testimonium cap. 19. Rursum circumdabor pelle mea; & in carne mea videbo Deum; quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Alioqui nõ esset idẽ Homo, si corpus idẽ non haberet, neq. idem corpus, quod animæ fuit laborum socius, præmio afficeretur aut supplicio. Animæ verò propẽsio, qua peroptat iterum vniri corpori, non est ad quodcumque corpus; sed ad illud, cuius antea fuit & est forma. Et Christus, Lazarus, cæterique omnes, qui iam resurrexerunt, idem numero corpus acceperunt. Atque vt Christus resurgentium Princeps illud ipsum glorificauit corpus, in quo fuerat passus; ita & in nobis futurũ est. Angelorúmque ministerium illud & studium in congregãdis pulueribus & ossibus mortuorum, quod resurrectionem antecedet, inane prorsus ac supervacaneum foret, ni eadem futura essent corpora.

Quocirca vt Philosophorum lex illa, ex nihilo nihil fit, agentia obligat naturalia, non Deum; sic etiam de altera illa lege existimandum est, qua, A priuatione ad habitum decernunt non esse regressum. Neque obijciãt, idem fore vnum & duo. Erit namque vnum & idem, sed bis productum, alióq. & alio modo se habens: ac productum quidem primùm creatione vel generatione, deinde verò resurrectione. Neq. diuersarum mutationum opus est diuersos numero esse terminos. Quippe idem vbi plurium localium motuum terminus esse potest, idémque color medius diuersarum alterationum. Nàm vt motus & termini sint idem re, formalis distinctio satis est.

De Anthropophagis difficultas videtur esse illi persimilis, quam de muliere, quæ septẽ fratres viros habuisset, proponebant Saducæi. At explicatio dissimilis. Sunt qui humanas carnes respondeant cibum non esse homini accõmodatum, nec in eius substantiam mutari; & ideò separatas restitui posse illi, ex quo fuerunt acceptæ. Sed optimè S. Augustinus in 22. lib. de Ciuit. Dei cap. 20. experientia constare inquit & sensu percipi, eos, qui illas vorant ijs nutriri, sustentari, atq. pinguescere. Deinde cùm à feris ac piscibus deuoratur homo, an nõ aptum alicui est alimentum? Eadem autem fuerit difficultas, sit vt hominem, sic bestiam aut piscem Deus ad vitam reuocet. Magis placuit alijs præcipuum ac singularem quandam Dei curam agnoscere, qua ex humanis huiusmodi carnibus partes eas separet, quæ ad illius, cuius erant, substantiam pertineant; vt illi tandem resurgenti restituantur. Simile quidpiam habet S. Iustinus in explicatione quæstionum Christianis propositarum: vt in cæteris cibis, ità in hoc vsu venire (non enim omnes cibi partes in illius substantiam, quod illis vescitur, conuertuntur) eâsque carnium partes, quæ nõ mutantur, restituendas in resurrectione illi, cuius fuerant. Præclarè verò S. Augustinus carnes illas dixit esse quasi mutuo acceptas à vorante, neque ad eius integritatem pertinere, nec illi debere restitui; sed alteri, cuius propriæ sunt & ad cuius integritatem spectant. quemadmodum partes quoque absumptæ fame restituentur, quæ ad illius integritatem faciunt. Etsi partes ex penitùs perijssent, næ illas posset. Præpotens Deus vndecumque vellet reparare. Verùm ad Aristotelem reuertamur.

TEXTVS.

Τὰ δὲ κατὰ συμβεβηκὸς κίνησιν κἂν ἐφ' ἑτέρου κινῆται. οὐθὲν γὰρ αὐτῶν βιαίου τοῦ ζῴου. οὐ δεῖ δὲ τῷ ἐφ' ἑαυτῷ κινεῖσθαι ἢ τὴν κίνησιν τοῦτο ἐκεῖνα ἄλλα κινεῖσθαι, πλὴν εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκός. ὥσπερ οὐδὲ τὸ καθ' αὑτὸ ἀγαθὸν, ἢ δι' αὐτὸ, τὸ μὲν δι' ὃ ἕτερον ἕνεκα. τὴν δὲ ψυχὴν μάλιστα φαμὲν κινεῖσθαι ἐκ τοῦ αἰσθητοῦ κινεῖσθαι, εἴπερ κινεῖται.

Motu autem ex accidenti vel ab altero mouetur. Pelleretur namque vi animal. Non oportet autem, cui à seipso moueri in essentia, hoc ab alio moueri, nisi ex accidenti. Sicut neque quod per se bonum, aut propter se Tex. 43. ipsum, hoc quidem propter aliud esse, illud autem alterius causa.

Animam verò maximè dicat, quidpiam à sensilibus moueri, si modo mouetur. Tex. 43.

COMMENTARIVS LXX.

NOn satis videntur Simplicius & Auerroës loci huius sententiam assequuti; cùm Philosophum hactenus probasse putarunt animam per se non moueri; nunc verò ostendere moueri ex accidenti. Quin potius illud ipsum agit, quod agebat antea: sextúmque est argumentum, quo ex motu ex accidenti & ab alio iam concludit non moueri per se. Anima ex accidenti & ab alio mouetur, moto scilicet corpore, viq. externa impulso animali; non igitur per se à seipso mouetur. Etenim quod per se ineſt alicui, non oportet ineſſe illi per aliud: quare quod per se & ſubſtantia ſua mobile eſt, id eodem illo motu ab alio moueri non debet; niſi fortaſsè ex accidenti: quòd ſi anima per ſe & natura ſua motum habet, neceſſe non eſt moueatur per aliud atque ab alio. Exemplum adfert boni. Quod enim per ſe bonum eſt, aut propter ſeipſum; ianè bonum non dicitur propter aliud aut alterius cauſa: quorum alterum formalem cauſam ſignificat, alterum finalem; ex quibus de efficiente motus cauſa ratiocinatur. Atqui anima tum ex accidenti mouetur, tum ab alio, ex accidenti dum corpus mouetur, ſiue ab anima moueatur, ſiue ab alio pellatur animal. Et rurſum ab alio, cùm à ſenſilibus ad ſentiendum atque adeò ab appetibilibus ad appetendum excitatur. Vtrúmque enim hoc membrum Ariſtotelem complecti animaduerto. Vt propterea prima huius orationis verba (parua enim mutatio eſt) ita fortaſſe legenda ſuſpicer (πλὴν δὲ κατὰ συμβεβηκὸς κίνησιν ἢ ὑφ' ἑτέρου κινεῖσθαι; motu autem ex accidenti atq. ab alio mouetur) vt membrum contineat & proponat vtrumque, cui ſubſequens probatio reſpondet.

Iam huic argumento ne quis reſiſtat, rem eandem obijciẽs & à ſe & ab alio, & proprio & alieno motu moueri, indéque & naturalem eſſe motum & violentum, & per ſe & ex accidenti. Intelligat namque duo oportet. Primùm quidem de motu eodem ſermonem eſſe, neque fieri omninò poſſe, vt eodem motu & natura ſua & ab alio, & per ſe & ex accidenti moueatur quidpiã. Elementum & natura & vi mouetur: at ſurſum vel deorſum natura, vi in oppoſitã partem: homo ex ſe graditur, vehitur autem & ex accidenti mouetur curru aut nauivectus.

vectus. Et omninò eo motu, qui est per se, nunquàm moueri potest aliquid ab alio: quoniam esse per se & esse per aliud opponuntur, vnumque alterum tollit. Etsi motus qui est per se & à natura rei, alio indigeret, imperfectum esset & inutile, id quod à natura sit.

Alterum autem; per se moueri hoc loco id dici, non quod sibi ipsi sit motus causa, sed quod in essentia motum habet: quod verò eiusmodi sit, si illo ipso motu ab alio moueretur planè periret: quia motum ex se iam haberet, in quo illius essentia ponebatur. Ita quod ex se mouetur atque in essentia sua motum habet, eodem nunquàm motu ab alio moueri potest. At anima & ex accidenti & ab alio mouetur; non igitur perse & essentia sua mouetur.

Anima vt à sensilibus moueatur.

Cæterùm quod ait Philosophus animam à sensilibus moueri, minus accommodatè interpretatur Philoponus; dùm animam exponit ex huius mundi sensilis cognitione in Dei cognitionem venire; atque ex rebus singulis, quæ sub sensum cadunt, vniuersalis cognitionem colligere. Etenim verum quidem est, id quod dicitur; sed non hoc nunc agebat Aristoteles, qui ad illud respiciens, quod in 2. & 3. explicabit libro, sentire esse quoddam pati & moueri ab obiecto sensili; nostramque intellectionem ex sensilium motione proficisci; animam siuè sentiendo siuè intelligendo à sensilibus moueri asserit: moueri inquam ad sentiendum aut intelligendum & omninò ad cognoscendum, atque adeò ad appetendum dèque loco ad locum mouendum; vt omnem animæ operationem comprehendas. Hoc enim agebatur, an anima moueatur ex se ipsa, an ab alio incitata operetur; aitque à sensilibus eam permoueri.

Si modò inquit mouetur, quod aut propterea additur, vt putat Simplicius quod motus à sensilibus obiectis afficiat organum corporis, non animam, atque in illo duntaxat suscipiatur, non in anima, Organum enim est, quod dissipatur aut congregatur omninóque alteratur; anima de pulsantibus ac mouentibus organum qualitatibus iudicat. Aut quòd (vt suo loco docebit) animę operatio circà sensilia quæ passio quædam est & alteratio, non est verè ac proprie motus, sed aliud quoddam alterationis perficientis, non perimentis, genus. Sic enim ipsemet in tex. 57. & 58. lib. 2. interpretabitur.

Etenim potuisset, inquit S. Tomas, respondere Plato, ab hisce obiectis non moueri animam, sed ea potius motui animę per ea discurrētis occurrere. Verùm si anima sufficiens sibi non est, vt suis dumtaxat viribus omni externa obiectorum ope destituta operetur; vrget nimirum adhuc Aristotelica argumentatio, qua eam conficit per se mobilem non esse, sed ab obiectis, à quibus ad cognitionis & appetitionis actum reducitur.

Anima vt à sensilibus moueat.

Quòd verò habet Philoponus, à sensilibus moueri animam eodem prorsus modo, quo Geometra dormiens ab eo mouetur, qui à somno illum excitat; aufferendo scilicet contemplationis impedimentum; non item inijciendo intrudendoue Geometrica Theoremata. Sic enim animam, cùm in se rationes contineat rerum, ob generationis tamen corporeæq. naturæ commercium graui quasi sopore oppressa; ad eas cognoscendas ab obiectis excitatur: Academicum potiùs est, quàm Peripateticum. Non enim admittit Aristoteles cognoscendarum rerum rationes insitas esse animæ, quā velut tabellam esse vult, in qua nihil sit scriptum, sed inscribi omnia possint. Qua de re pluribus suo loco. Interim de motu sensus à sensilibus Themistiū audi. Non videtur, inquit, sensus à sensilibus moueri: sed sensilia id agere, & habere rationem talem, vt sine ijs sentiri nō possit. Sensus Araneis persimilis est, quæ muscas, culices, & asilos in pedicas telarum incidentes irretitasque aggrediantur. Id non bestiarum facit infelix accessus, quamquàm sine accessu illo non grassantur aranei: sed vis eius generis insita & cibi cupedia. Eodem modo sensilia si in sentiendi machinamenta sensoriásque partes incurrerint, ad comprehensionem sui prouocant admonentque animum. Nam quemadmodum culex phalangiū excitat, & venatorem captura, omnéque concupiscendum id, à quo concupiscitur; ità & animam moueri ab illis dicendum; quæ extrinsecus accidunt, velut irritamenta incitamentáque sensuum. Quod latiùs patet in concupitis appetitisque. Quæ grauissimi interpretis verba placuit adiungere, vt de motu à sensilibus in sensu facto, quem in 2. libro sæpè nominari audies, intelligas quam habuerint Peripatetici sententiam. Non inquam moueri animam à sensilibus, sed ad eorum præsentiam immutato corporis organo agere animam ex se ipsa, seséque ad illorum comprehensionem atque appetitionem mouere; nihil ab illis recipiendo, sed actum suum promendo. Vt propterea pauimento quoque sensilia, ingredienti animam, comparare Themistius item non dubitauerit. Namvt pauimentum non mouet ingredientem, sed in eo ingredientis motus fit, sic à sensilibus anima verè & propriè non mouetur, sed suos motus & actus circà illa promit. Quod enim habet Auerroës sentiendo animam & à sensilibus moueri & sensilia mouere, tum ab Aristotelis sententia alienum est atque ex deprauato textu profectum, vt alia pleraque: tum à veritate. Namque operatio sensus immanens quo tandem modo sensilia moueat.

TEXTVS.

Ἀπλᾶ μὲν οὖ εἰ κατὰ γε αὐτὴ ἑαυτὴν, οὐ αὐτὴ κινοῖτ' ἄν. ὅστε εἰ πᾶσα κίνησις ἔκστασίς ἐστι τοῦ κινουμένου ἢ κατὰτην, οὐ ἡ ψυχὴ ἐξίσταιτο ἄν ὅτι τῆς οὐσίας, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς αὐτὴν κινοῖ· ἀλλ' ἔστιν ἡ κίνησις τῆς οὐσίας αὐτῆς καθ' αὑτήν.

Cæterum si mouet quoque ipsa seipsam, & ipsa moueretur vtique. Quare si omnis motus recessus est rei motæ quatenus mouetur, anima quoque recedere sanè à substantia, nisi ex accidenti se ipsam moueat. At est motus substantiæ ipsius secundum se ipsam.

COMMENTARIVS LXXI.

7. Argumentum.

HOc est septimum Philosophi argumentum, quo animam ostēdit non esse id, quod per se mouetur. Si anima seipsā perse mouet, nimiū illa ipsa & mouet & mouetur. At motus recessū quāpiam significat alicuius ab aliquo, omnéque quod mouetur, quatenus mouetur, recedit ab vno termino & eo priuatur, vndè mouetur, transitque ad alium, ad quem mouetur. Siuè in qualitate sit motus, siuè in quantitate, siuè in loco, à calore ad frigus, à quantitate imperfecta ad perfecta, ab vno

Motus & mutatio quid.

loco; à calore ad frigus, à quantitate imperfecta ad perfectam, ab vno loco alium recedit id, quod moueri dicitur. Omnis quippe motus mutationem adiunctam habet: mutatio verò omnis non est motus; quoniam mutatio subitanea esse potest, motusque omnis cum tempore fit, velut imperfectus actus ad suam sensim perfectionem progrediens; vt in 3. Physic. lib. pluribus disputatur. Etsi in substantia quoq. mutatio fiat, recessus est & trāsitus à non esse ad esse atque ab vna substantia ad aliam: vnius interitu & alterius ortu. Anima igitur si mouetur, in eiusmodi versatur transitu: & quoniam motus dicitur esse illius substātia, eamq. moueri vt anima est; à sua substantia & à seipsa recedet. Quod & per se ridiculum est: & vt prætermittam id quod Simplicius adfert in substantia non esse motum nisi ex accidenti, vt in 5. Physic. lib. ostenditur: illud adfert incommodi quod anima continenter interiret motuque consumeretur ac dissiparetur, qui solet in cæteris omnibus perfectionem & conseruationem procurare. Etsi animę essentia mutaretur semper, non esset idem viuens, sed aliud subinde & aliud; nullāque foret rerum memoria, nulla scientiarum firmitas. Quæ cogebantur illi admittere, qui essentiam animæ ponebant in motu. Vt enim flammæ (inquit Themistius) flabra, flumina, quorum in essentia motus est, ne puncto quidem temporis in eadem soliditate confirmatione que permanent (flumen nisi fluat, non erit amplius flumen, sed aqua & colluuies. Flabra nisi flentur, non erunt flabra, sed aër aut vapor: nihil enim aliud ventus est, quàm fluctus aëris) ità necesse est vt animæ motus, qui essentia eius est, in continuo lapsu fluoreque habeatur. Quòd si animam ex accidenti solùm moueri dicimus, moto scilicet corpore, in quo ipsa est; anguſtijs hilce non premimur. Quoniam siuè motus in loco sit, siuè in quantitate, siuè in qualitate; substantia non mutabitur, sed eadem semper persistet.

Illorum autem verborum (nisi ex accidenti se ipsam moueat) aliam quandam præter eam, quam diximus, expositionem adfert Philoponus: motu eam à substantia recedere, nisi secundum aliquid ei accidens moueatur. Et tertiam Auerroës; nisi motus aliquid sit posterius anima illique accidentarium, quod in animæ definitione non ponatur. Sed neutra probanda videtur. Quoniam anima non esset per se mobilis, neq. anima vt anima moueretur: Consequentiaq. verba (at est motus substantiæ ipsius secundum seipsam) aduersantur. Dū enim motum substantię secundum seipsam opponit motui ex accidenti, manifestè ostendit motum ex accidenti nominatum fuisse; non eum qui secundùm aliquod ei accidens, aut qui sit posterior anima; sed eum, qui non sit per se & ex se, sed propter alterius motum, in quo ipsa anima sit. Dùm verò Aristoteles accipit vt à veteribus affirmatum, animam moueri secundum substantiam; non temerè accipit. Namque tùm hoc erat illud, quod eam perse mobilem & αὐτοκίνητον asserebant illi; & in Phædro Plato apertè pronuntiauit, per se moueri substantiam & rationem illius esse; & si motum is operationem quamuis consueuerit nominare. Tùm verò ex eo confirmari poterit; quòniam cùm quantitatis, qualitatis, & loci motus corporum duntaxat proprij sint (quantitas enim, alteratrix qualitas, & locus, corporum sunt) solus substantiæ motus supereſt animæ.

Porrò hanc argumentationem S. Thomas vim aduersus eos duntaxat habere ait, quid inter motum & operationem non distinguebant. Quod Themistius etiam significat. Namque operatio non facit rem operantem à seipsa recedere, quemadmodum motus: quin eam potius perficit & conseruat perseuerantémque facit. Deindè operatio momento potest ablolui, motus cum successione & tempore semper est, velut inchoatio & rudimentum actus, qui absolutionem & perfectionem quærit. Ac motus est imperfecti actus, operatio perfecti: operatio velut genus, motus vt species. Omnis quippe motus actio quædam est & operatio; at non omnis actio & operatio motus.

His omninò septē argumentationibus hactenus explicatis vsus Philosophus est aduersus veteres illos. Octauā Themistius videtur adiūgere. Si idcircò, inquit, mouetur anima, quia causa motus est corpori, sequitur etiam vt quiescere debeat, quia causa status, & quietis est corpori. Non ergò plus potest ad animam pertinere motus, quam quies.

Democriti & Platonis Confutatio.

CAPVT IIII.

TEXTVS.

Εἰσὶ δὲ οἳ καὶ κινεῖν φασι τὸ ψυχὸν τὸ σῶμα ἐν ᾧ ἔστι, ὡς αὐτὴ κινεῖται. ὅθ Δημόκριτος, καθάπλησίως λέγων Φιλόπονῳ τῷ κωμῳδιοποιῷ φησὶ γὰρ τὸν Δαίδαλον κινῆσαι τὸν ξύλινον Ἀφροδίτην, ἐγχαίτα ἀργυρον χυτόν. ὁμοίως δὲ ὁ Δημόκριτος λέγει. κινεῖσθαι γὰρ φησι τὰς ἀδιαιρέτους σφαίρας, διὰ τὸ πεφυκέναι μηδέποτε μένειν, σωρεύειν δὲ κινοῦν τὸ σῶμα πᾶν.

Aliqui verò & mouere inquiunt animam corpus, in quo est, velut ipsa mouetur. Quemadmodum Democritus, perinde loquens ac Philippus Comicus. Aiunt enim Dædalum motam fecisse ligneam Venerem, infuso argento fusili. Similiter autem & Democritus dicit. Motas namque impartibiles sphæras, quod aptæ natæ sint nunquam quiescere, secum trahere ac mouere corpus omne.

COMMENTARIVS LXXII.

HActenus vniuersè ostendit non posse animam mouere seipsam. Iam seorsim aduersus Democritum & Platonem aggreditur disputare. Siuè speciali hac disputatione ostendens se in superiori, quæ generalis fuit, bona fide egisse, neque maioribus suis imposuisse quidquam quod affirmatum ab illis non fuisset. Democritum enim & Platonem nominat, qui animam dixerant primùm mouere seipsam, deindè impellere ac promouere corpus illo ipso motu, quo ipsa mouetur. Siue horum ipsorum spontanea confessione superiores confirmans argumentationes, in quibus in text. præsertim 41. accepit; si anima mouet corpus, oportere motibus illis mouere, quibus ipsa mouetur. Hoc enim ipsum est, inquit, quod inter ipsos dixerunt aliqui. Ac primùm Democritus, qui perindè loquebatur de corporis motu, ac Philippus Comicus de lignea Veneris statua à Dædalo facta. quemadmodum enim hæc fusili argento per cuni-

culos

culos in ſtatuam iniecto mouebatur geſtuſque quoſdam faciebat, eodem illo motu, quo iniectum argentum mouebatur: ità Democritus animalium corpora moueri pronuntiauit, quod orbiculares Atomi ſemper mobiles in illis contentæ (has enim animam eſſe voluit) mouerentur, ſecúmque traherent, ac mouerent corpus. In quibus manifeſtum eſt de corporeo & locali motu ſermonem eſſe.

Hermaphroditi Statuam legit Auerroës: quod ex græcæ linguæ ignoratione profectum eſt. Græca enim vox ἀφρόδιτη Venerem ſignificat, ἀπὸ τῆς ἀφρῶν id eſt à ſpuma dictam: ſiue quod ex maris ſpuma ſit nata, vt Heſiodus & Plato voluerunt, ſiue vt Ariſtoteli placuit in 2. lib. de animalium ortu cap. 2. quod ſpumoſa ſit ſpermatis natura, quod rei venereæ materia & inſtrumentum eſt.

Venus à ſpuma dicta, & cur.

TEXTVS.

Ἡμεῖς ἐρωτήσομεν, εἰ ἡρεμοῦντα ποιεῖ τοῦτ' αὐτὸ πῶς δὲ ποιήσει τοῦτο, χαλεπὸν, ἢ καὶ ἀδύνατον εἰπεῖν· ὅλως δὲ οὐ φαίνεται κινεῖν ἡ ψυχὴ τὸ ζῷον, ὀρεκτικὴν ὁρμὴν προαιρετικὴν τινὰ ἐνοῦσαν.

Nos autem quæremus, ſi & quietem facit hoc ipſum. Quomodo autem hoc facier, difficile aut etiam impoſſibile dicere. Prorſus vero non ità videtur anima mouere animal, ſed per electionem quandam & intellectionem.

COMMENTARIVS LXXIII.

DVo Ariſtoteles Democrito obijcit, quæ magna attentione digna eſſe Philoponus inquit. Nam & paucis proponuntur verbis, & validiſſima continent argumenta. Alterum eſt, animam non ſolùm corpori adferre motum, ſed & quietem. Non enim ſemper animalia mouentur, ſed perſæpè quieſcunt, & in medio etiam motu ſeipſa ſiſtunt neque progrediuntur vlteriùs. At quamnã aliam, quàm animã, proferas cauſam? Atomi verò illæ vt mouentur ſemper, ſic motum ſemper, quietem nũquam adferrent: vitæq. potius priuationem exitu ſuo facerent. Si igitur Atomi ſunt anima, quæ tandem fuerit quietis & conſiſtentiæ cauſa? Itaque hoc vnico argumento duo planè conficiuntur. Primùm, animam igneas illas atomos non eſſe. Deindè, non poſſe Democritum de anima ità ſentientem quietis vllam adferre cauſam. Demonſtratióq. tùm ex ſenſu petitur, quo animalia cernimus & moueri & quieſcere quando volunt: tùm ex animę natura, quę internum animatis principium eſt motus & quietis.

1. Argumentum.

Alterum argumentum eſt, omninò Democriti poſitionem ijs aduerſari, quæ tum in animalibus omnibus, tum in nobis ipſis cernimus: neque animam ita, vt ille inquiebat, animalia mouere, velut argentum viuum mouet ſtatuam cui infuſum eſt: ſed cognitione planè & appetitione, hoc eſt ſponteneo & voluntario motu mouentur & vbi libuerit quieſcunt. Dum enim intellectionem & electionem hoc loco legis, cognitionem quoq. ſenſus, & quæ eam ſequitur, appetitionem intelligas, vt omnis animalium omnium motus comprehendatur. Tum quià vniuerſè Philoſophus loquitur de animali eiuſq. motu: tũ quia non abſolutè intellectionem & electionem, ſed intellectionem & electionem quandam dicit. Neq. νοήσω adhuc in phantaſiam diſtinxit & propriam intellectionem: quarum illa mouet animalia omnia, hęc hominem duntaxat. Cognitione ſiquidem, ſiuè ſenſus ſiuè intellectus, excitatur appetitus aut irrationalis aut rationalis, appetitúmq. ſequitur motus ad appetita proſequenda vel ea reijcienda, quę fuerint auerſata. Prorſus igitur non ità mouet animal anima, vt inquiebat Democritus, aut lignea ſtatua atomorum ſeu fuſilis argenti motu: quoniam eſſet violentus animalium motus; ſed ſponte atque ex electione. Nam etſi ſpiritus à cerebo ad partes cæteras corporiſq. organa diffuſione & quaſi impulſu moueatur animal, ſpiritus tamen non eſt primaria motus cauſa, ſed animæ velut primariæ cauſæ inſtrumentum; quo non impulſu mouentur membra, ſed comportatur calor, ſinè quo moueri non poſſunt. Frigida namq. torpent & velut immobilia ſunt; calefacta euadunt ad omnem animæ nutum atque imperium prompta.

Spiritus & calor mouendo neceſſarij.

Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ὁ τίμαιος φυσιολογεῖ πλὴν ψυχὴν κινεῖν τὸ σῶμα· πῇ γὰρ κινεῖσθαι αὐτὸ καὶ τὸ σῶμα κινεῖν, οὐχ ὁμοίως τὸ συμπλέχθαι πρὸς αὐτὸ συνεπιγνῶναι μὲν γὰρ ἐκ τῶν στοιχείων, ἓ μεμαθεσμένων κατὰ τὰς ἁρμονικὰς ἀριθμούς, ὅπως αἰσθήσεώς τε ἓ σύμφυτον ἁρμονίαν ἔχῃ, καὶ τὸ πᾶν φερόμενον συμφώνως φορᾷ πλὴν διὰ συωρείας εἰς κύκλον κατακαμπὴ καὶ διελὼν ὅλον τὸν ἑνὸς κύκλου δύο κύκλους διαπλέχῃ σεσημασμένους· πάλιν τὸν ἔξω διελκύσειν εἰς ἑπτὰ κύκλους, ὡς ἔστιν ἐκ τοῦ ἑξῆς φανερὸν, πῶς τῆς ψυχῆς κινήσεις.

Ad eundẽ autem modũ & Timæus naturali ratione cõficit animam mouere corpus. Quod enim mouetur ipſa, & corpus etiam mouere, propterea quod cum eo coniuncta ſit. Conſtantem namque ex elementis & harmonicis diſtinctam numeris, (vt & ſenſum & inſitam harmoniam habeat, & vniuerſum conſonantibus feratur lationibus) rectitudinem in orbem flexit: cúmq. ex vno circulo duos circulos diſtinxiſſet duobus connexos punctis, rurſus vnum diuiſit in ſeptem circules, quaſi cœleſtes lationes ſint animæ motus.

Text. 49.

COMMENTARIVS LXXIIII.

SEcundo loco ſub Timæi perſona Platonis ſententiam adfert. Timæus enim & Platonis Dialogo nomen dedit, & Platonis ſententiam explicauit. Quæ partim ſimilis Democriticæ fuit, partim diſſimilis. Similis; quòd animam ille ipſe mouere corpus voluit generali illa ratione, quod ipſa ſeipſam moueat. Diſſimilis autem duplici nomine: Primùm ſpeciali cauſa, propterquàm ipſa mota moueat corpus. Deindè diuerſa prorſus eſſentia & compoſitione animæ. Cur anima mota moueat corpus, illa Democrito fuit cauſa, quòd in corpore ſit ceù in vaſe, & fuſile argentum in lignea ſtatua; ideóq. moto contento moueri quoq. id, quod continet; At Platoni hęc; quod cum corpore coniuncta ſit quaſiq. contexta & complicata. Quod verè Simplicius nil alſud, quàm continuam quandam preſentiam in toto ipſo exiſtentem ſignificare dixit. Dúmq. vniuerſum velut illius actus permeat ac peruadit corpus, facilè agitat illud & quocumq. libuerit ſecum mouet. Et irrationalis anima magis, quàm rationalis, ea ex parte cum corpore contexta & complicata, quod non ſolùm eſt illius actus & perfectio, eóque vtitur, vt inſtrumento, ſed ex

Vnio animæ cum corpore.

Phantaſia & appetitio, intellectione & electiones quadam.

2. Argumentum.

eius etiam potestate educta est, atque cum eo extensa. Supra has omnes vnio est diuinarum ac cælestium animarum ad operationem duntaxat, pura magis & absque compassione vlla.

Platonis de animæ cõpositione sententia.

Quàm verò diuersam à Democrito de essentia animę opinionem habuerit Plato, manifestum erit ex ijs, quæ anteà diximus in Commentario 44. qui huius totius loci interpretationem adferet. Animam quippe mundi, quam inferiores omnes imitantur, voluit ex rerum omnium elementis constare: non inquam ex quatuor hisce notissimis corporibus, igne, aëre, aqua, terra, quę passim elemente vocantur: sed tùm ex illis quinq. ab ipso subtiliùs excogitatis, essentia, eodem, diuerso motu, & statu: tum verò ex numeris, ijsque harmonicis. Cur ex quinque illis principijs atque adeò ex numeris componeret animam, causa nulla subiungitur. Sed duplex intelligenda est. Altera, quoniam hæc illi fuerunt generalia & communia rerum omnium principia. Altera, vt cognoscere omnia posset anima propter naturæ similitudinem & cognationẽ. Media namque inter intelligibilia & sensilia existens, cum illis identitate & statu conuenit, cum his diuersitate & motu. Cur verò ex harmonicis

Cur anima ex harmonicis numeris.

numeris, triplex adfertur. Prima vt sensum habeat, hoc est vt percipere possit & cognoscere cælestiũ motuum harmoniam: siquidem cognitio similitudine nititur, similique cognoscitur simile. Altera, vt insitam habeat harmoniam, & proportionibus hisce partes illius in vnam connectantur naturam. Omninò enim & intellectiles naturas & animam nostram, & quæ infra animam sunt, concentibus quibusdam quasi vinculis connecti voluerunt Academici; harmoniámque colligatricem atque identitatis effectricem virtutem appellarunt. quod in sonis apparet; qui si proportione non constent, pugnant inter se & in diuersa velut dissidentes abeunt; si constent, concentus velut plurium vnio efficitur ex omnibus. Pluribus hæc inter cæteros Proclus in Timæum Platonis persequitur. Tertia, vt vniuersum consonantibus feratur lationibus: hoc est vt harmonicè moucre cœlos, harmoniamque illam, quam in supremis illis ac cæterorum omnium rectoribus moderatoribúsq. corporibus inesse oportebat, efficere posset. Si enim ideò mouet cœlum anima, quia mouetur ipsa; nisi harmonicè ipsa constet & moueatur, nec harmonicę mouebitur Cœlum. Ita in mundi præsertim anima potestas est, tum cognitrix, tùm effectrix harmoniæ. In anima quoque nostra, vt in imagine & secundaria ratione. Nam & cognitrix horum concentuum est, & in eius facultatibus atque operibus artis ab ea profectis proportio existit. Vt minùs probandum sit, quod aliqui verba illa (vt & sensum & insitam harmoniam habeat) ad animam nostram referant, quæ harmoniæ cognitrix est, non effectrix: illa verò (& vniuersum consonantibus feratur lationibus) ad animam mundi, quę cœlestium motuum conuentus effectrix sit. Potiusq. vtrumque de vtraque intelligendum est.

Aristotelis narrationem à Platone diuersam esse.

Quinam essent hi harmonici numeri, quasque proportiones & harmonias continerent, abundè satis dictum est in indicato Commentario, neque hic rursum dicere oportet. Aristotelis narrationẽ obseruabis ab ea discrepare nonnihil, quæ apud Platonem legitur. Namq. lineam rectam Plato ex elementis, & principijs commemoratis ab opifice Deo primùm productam in duas diuisit, atque

A

B

C

D

E

ità coniunctas, vt sese decussatim secarent; circumduxit; duósq. primùm descripsit circulos, alterum maiorem altero: deindè minorem in alios septem diuisit, quibus maiore illo circumiecto octo prorsus essent circuli, octo cœlestes orbes, primum mobile & septem planetarum orbes maiore illo contenti. At Aristoteles non ita. Namq. lineam rectam ex elementis factam in orbem statim duxit, & vnum fecit circulum, quem in duos mox diuisit. Deindè coniunctionem ac sectionem mutuam, quam Plato duarum linearum esse voluit, Aristoteles in duobus circulis posuit. Non enim tantam fidem in hac commemoranda sententia necessariam esse iudicauit: quod, vt ait Philoponus, perindè ad præsentem disputationem foret vtrouis modo diceretur.

Dubitat autem in his idem Interpres, num animalia, quæ ratione carent, harmoniam percipiant; hoc est an harmonia & concentus intellectu solo an etiam sensu comprehendatur. Nam & ouium greges fistularum sonitu congregantur, & equi tubarum sono incitantur ad bellum; & id genus alia obseruantur. Veréque respondet, sonorum quidem ac vocum ea sensum habere, concentum tamen ac harmoniam non comprehendere. Harmonia namq. proportione cõstat plurium vocum ac sonorum; quæ non nisi comparatione ac ratiocinatione cognoscitur, dùm proportionem illam concinnitatem & gratiam habere iudicatur. Temperatis ac proportionatis oblectantur sonis; & quilibet sensus moderato & conuenienti obiecto; alijq. & alij in illis excitantur affectus; at illorum; proportionem non animaduertunt: quarè materialiter fortasse concentus & harmoniæ sensus est, formaliter intellectus solus. Eadem est infantium conditio: dum antè rationis vsum, si plorent, cantu placantur. Nam in tex. 131. lib. 4. Physic. Aristoteles quoq. numerum formaliter intellectu solo dixit comprehendi; Concentusq. & harmonia numerus quidam est.

Vbi verò Philosophus addit (quasi cœli lationes sint animæ motus) obiter obseruabis, aut λογικὴν, lationẽ, pro κίνησιν φορᾶς, circulatione dictam fuisse aut vocem eam tũ pro specie motus circulationi opposita, vt alibi sæpè; tum pro genere vniuerso locali motus, vt fortasse hoc loco, vsurpari posse. Quidpiam verò addendum putat Philoponus, vt manifesta magis sententia sit: legendúmq. (quasi Cœli lationes sint secundum animæ motus.) Non enim affirmare voluit ex Platone Philosophus, eosdem animæ ac cœlorum esse motus: sed cùm cœli motus ab illius anima deriuetur, tales eos esse deducit quales sunt animæ motus. Verùm nihil est opus addere. Est enim conclusio causalis, quæ superiori respondet, animam mouere corpus quòd moueatur ipsa. Explicata namq. Platonis de animę opinione, Cœli lationes concludit esse prorsus tales, quales sunt animæ motus; quoniam hi sunt illarum principia & causæ. Cuius rei dum Philoponus exemplum proponit animal in cera clausum, quod dum mouetur ceram quoq. moueat; Democriti potius, quàm Platoni, accommodatum exemplum ad fert. Is enim animam in corpore vt in vase posuit. Plato non ita, sed cum eo coniunctam. Ille vt impellentem, hic trahentem potius ac rapientem, vt Themistius loquitur.

Duplicémque dixeris rationem esse, qua Philosophus ex animæ natura colligat eiusmodi esse: cæleste

cœlestes motus, hoc est & circulares & harmonicos. Moueri namq. atq. in orbem torqueri Cœlum oportuit, quòd anima circulus sit. Harmoniam quoq. & concentum suis motibus reddere, quoniam motrix ipsa anima numerorũ cõcentu & harmonia constat. Hæcq. vna erat ex illis rationibus, propter quas anima harmonicis numeris constare videbatur; vt harmonicum Cœlo adferret motum. Addit Simplicius cœlestes quoq. lationes esse animæ motus, hoc est illis similes: nempè vt animę motus circulares sunt, ità & cœlorum motus in orbem illos imitantur & quoquomodo repræsentant. Deniq. quoniam hæc pluribus persequi Academicum potiùs aut si mauis Pythagoricum, quã Peripateticum est; vnum illud subijciam velut cõmentarij totius clausulam: Platoni familiare fuisse mathematicis rebus vti ad explicandam naturã, propterea quæ Timæum Pythagoricum hominem aduocat, vt suam de anima sentẽtiam lineis ae numeris inuoluat potiùs, quam explicet, posteritatique velut mysterium proponat.

Cœlorum motus cur sin orbem, eurque harmonicus.

Cœlorum motus harmonicus cur.

Cœlestia porrò corpora suis motibus harmoniam & concentum facere ideò Pythagoras affirmauit, quòd & plura sint corpora, & magna, & velociter mota. Nam quæ hîc nobiscum sunt, sonum edere animaduertimus: quę si cum illis comparentur, & perexigua sunt & tardè mouentur. Ac rursum quæ est proportio magnitudinis & interualli velocitatisq. motuum, ea est & soni quoque quem dum mouentur edunt. Namq. maius cœleste corpus mouetur velociùs; quodque velocius mouetur, acutum magis edit sonum. Ità in magnitudinibus Geometrica, in sonis harmonica, musicaque proportio fuerit. Etsi assuetudine longa vsũq. continuo factum est, vt minimè exaudiatur à nobis. Et nisi sileas, non audis sonum; quoniam sonus sonum impedit, vnúmq. contrarium apposito contrario altero maximè cognoscitur.

Cur à nobis harmonia illa non sentiatur.

Subtiliter sanè excogitata sententia, sed minimè credenda. Tùm quia sonus omnis, vt in 2. libro docebitur aëris inter solida corpora mota interceptì attritione fit; inter cœlestia verò nullus aër, nullum intercipitur aut atteritur corpus; nullus igitur sonus. Tùm quia soni, qui in inferioribus hisce excitantur, & exaudiuntur semper, neque vlla obest assuetudo, nullo occultãtur vsu. Nulla igitur ibi harmonia alia, nullus concentus, quàm corporum illorum & motuũ proportio; intellectilis potiùs, quàm sensilis. Quodque Pythagoræ dictitabant discipuli, sonũ illum eum audisse; propterea fuerit dictum, quòd is intelligentia proportionem illam compræhenderet ac primus excogitauerit. Pluribus hac de re Simplicius & alij disputant in 2. lib. de Cœlo; vbi Aristoteles à tex. 52. & deinceps tum Pythagoræ opinionem commemorat, tum confutat.

Cur Pythagorã sensisse dictum fuerit.

TEXTVS.

Πρῶτον μὲν οὖν οὐ καλῶς, τὸ λέγειν πλῶ ψυχλοῦ μέγεθος εἶ πλῶ τοῦ τὸ παντὸς δ᾽ ἴσως ὅπ ποιοῦτόν ἐστι βλέπει, οἷόν ποτ᾽ ἔστιν ὁ καλούμενος νοῦς· οὐ γὰρ δὴ οἷόν τε αἰσθητικὴν, οὐδὲ οἷον ἡ ὀπτικὴ τῶν ὄντων ἐστὶν ἡ κίνησις, ἡ κυκλοφορία.

Tex. 46. *Primum quidem igitur non rectè dicere animam magnitudinem esse. Animam namque vniuersi manifestum, quod talem vult esse, qualis est qui dicitur intellectus. Non enim vtique qualis sensitiua, nec qualis appetitiua. Harum etenim motus non circulatio.*

COMMENTARIVS LXXV.

PAucis omninò à Democrito aut etiam ab alijs expediuit se Aristoteles. Supinas enim illas opiniones, vt verbis vtar Themistij; quæ animam aut ignem, aut aquã faciunt, aut sanguinem, aut atomos rotundas aut leues, incessere aut impellere nulla erat laus: quia in id quiuis ingenio vtrumque pingui & tardo, ne dum Aristoteles vir tantus diligentia & doctrina, suffecerit. Sententiã vetustissimam & grauissimam proximéque accedentem ad verum diligenter & accuratè persequitur. Propterea fortasse non sub Platonis, sed antiquioris Timæi persona illã proposuit, quod antiquitas auctoritatem & maiorem fidem conciliare videbatur. Nisi & erga præceptorem suũ accesserit reuerentia.

Cur Timæi nomine sententia Platonis sæpe proponatur.

Duas omnino partes opinio continebat. Altera, lineam aut circulum; altera harmoniam quandam & concentum animam esse affirmabat. Vtramque exagitat ita Philosophus, vt primum ostendat magnitudinem non esse, hoc est neque lineam neque circulum. Deindè quoniam alijs etiam placuerat harmoniam esse, si non numerorum, certè qualitatum; illos quoq. complectens harmoniam non esse demonstrat. Primùm igitur minùs verè atque accommodatè dictum fuisse animam magnitudinẽ esse; ita concludit. Anima mundi velut intellectus est, non vt anima sentiens aut appetens. Siquidem harum motus est rectus, dum in se ipsas nunquàm conuertuntur, sed ex vno progrediuntur in aliud; velut linea ex vno puncto in aliud: & vbique circà propositum obiectum versantur circáque illud operantur, aut cognoscendo & ad se traducendo, aut appetendo & ad illud progrediendo. Animæ verò mundi motus est circularis, dum in orbem cœlestia corpora vertit. At intellectus magnitudo esse nõ potest, nec quidquam in magnitudine: nõ igitur ea potest magnitudo esse.

Animam magnitudinẽ non esse, primũ argumentum.

Sanè intellectum Plato magnitudinem esse non credidit, vt Philoponus multis persequitur, incorpoream eum animam fecisse ostendens. Sed linea recta operationem illam significare voluit, qua & ad corpus progreditur, & alia extra se cognoscit: circulo autem operationem alteram, qua cognitione conuersa seipsum intelligit. Hominis tamen verba iurè optimo Philosophus repræhendit: tum nè qui dialogos eius essent lecturi, inciderent iam in errorem. Quippè vt antea diximus, id quemque sentire iudicamus, quod verbis significat: tum quia probi hominis verba dissentire à mẽte non debent: neque grauis Philosophi est aliud sentire & aliud dicere. Non enim audiendus Philoponus est, dum Aristotelẽ ait non tàm cõfutare, quàm interpretari Platonis sententiã. Quoniam si interpretem ageret, non tam quid ille non senserit quã quid senserit explicaret. Verba tamen potiùs eum, quã sensum, cõfutare, ex illo sermonis initio colligas, quo eum inquit non rectè dicere animam magnitudinẽ esse. Non enim ait opinari vel sentire, sed dicere: quasi non tam sententiam præhendat, quam verba. Et si verò nulla anima sit magni-

Vt veteres interdum reprahendat Aristoteles.

ternariusvè equorũ. Ita intellectionem voluit appellari vnam, & ratiocinationem vnam; non partium copulatione, sed ordinatione atque in vnum collectione; dum contemptis cæteris termini tres & propositiones duæ ita disponuntur & colligũtur in vnum, vt rationationem vnam efficiant.

Intellectio vna quæ.

Fauebit huic interpretationi nostræ tex. 10. lib. 8. Metaph. vbi de Definitione rursum cùm Platone disputans definitionem ait Philosophus velut numerum quemdam esse: tum quia non in infinitum diuiditur, vt magnitudo; sed vt numerus in indiuiduas vnitates, sic definitio in suas simplices partes, genus & differentiam: tùm quia vt numerus quilibet certa cõstat vnitatum collectione, cui si vel vnam addas aut detrahas vnitatem, numeri species mutatur; ita & in definitionibus qualibet vel minima mutatione facta alia est alius rei definitio. Tùm etiam quia vt numerus vnus est, non aliquo addito, sed plurium collectione in vnam formam; ita & definitio seipsa est vna, quia vnam substantiã significat. Ac demùm quia vt numerus non suscipit magis nec min°, ita nec definitio. Vt enim hoc loco intellectionem vnam, sic ibi definitionẽ, non vt magnitudinem, sed vt numerum esse vult. Atq. vt ibi non numeros omnes, sed numerũ vnũquẽq. ex vnitatibus suis collectũ & in eas partibilẽ accipit, ita & hîc intelligendum est eum accipere.

Definitio vt numerus.

Intellectio vt numerus non vt magnitudo.

Quocirca si de facultate ex operatione, deq. operatione ex obiecto iudicare oportet; cum intellectionis obiectũ non sit velut cõtinua magnitudo, sed vt discretus numerus; eiusmodi quoq. intellectionis atq. adeò intellectus natura & cõditio fuerit. Erirq. intellectus aut ἀμερὴς, hoc est partium & ideò quãtitatis omnis expers; qualis est intellectio simplex primorum terminorum, & omninò intellectio separatarum mentiũ: aut si partes & speciem vllam quantitatis habeat, vt propositio & ratiocinatio nostra, quæ plura colligit & quasi partes cõplectitur, atq. in tempore discreto diuersivè momentis percurrit: certè non erit vt magnitudo cõtinuus, linea, vel circulus; sed discretus potiùs, vt numerus.

Et hæc quidẽ de vna intellectione, quòd si plures accipiantur, illæ fuerint vt plures numeri: quippè vt vnus alteri succedit numerus, sic vnum post aliud intelligitur, pluribus distinctis ac discretis actibus.

Dum autem ait Philoponus numeros, qui seriatim nullo interiecto medio dispositi sunt, vt binarium, ternariũ, quaternarium, cõtinuos dici posse, & omnino discretam quantitatem continuam appellari, pugnantia prorsùs cõtinet. Quis enim deiunctam quãtitatem coniunctam dicat. Quis discretum appellet continuum? Partes namq. cõmuni termino copulari & non copulari contradictio est, cuius vtraque pars de re eadem affirmari non potest. Etsi quælibet numeri species seorsim accepta continua non est, quòd vnitatibus deiunctis constet; quomodo cum alia specie fuerit cõtinua? Nimia vocum abusio est continua dicere ea, quæ deinceps sunt.

Neque dum Philosophus intellectum cõcludit non esse vt magnitudinem quampiam cõtinuum; colligas esse cõtinuum vt numerum. Sed vel continui voce quãtum intelligas; vel nullo modo continuum esse vt magnitudinẽ, sed discretum vt numerũ, aut deinceps. Iam enim & notiones & numerum non cõtinua, sed deinceps, neq. vna vt cõtinua, sed vt deinceps, dixerat esse. Fortasse Platonis tantam & Aristotelis in intellectus natura constituẽda diuersitatem ex eo profectam fuisse dixeris; quòd intellectionis terminos, principium & finem, cõsiderauit alter, alter inter terminos potiùs interceptum progressum. Propterea ille lineam & circulum pronũtiauit esse intellectum, quòd dum cætera extra se intelligit, velut linea à pũcto ad pũctum progreditur; dum verò seipsum, instar circuli ab eodem ad idem flectitur. Aristoteles verò numero indiuiduis vnitatibus constanti similem esse maluit, vt intellectionis ac ratiocinationis progressionem non continuo tempore, sed discreto momentisque mensurari ostenderet.

Quibus satis apertè immaterialem & incorpoream intellectus naturam partibus prorsus carentem significat: quam lineæ ac circuli appellatione materialem atque corpoream facere Plato videbatur, cùm quantitas materiæ proprium accidens sit. Quare nec numerum esse intellectum Aristoteli placet; sed eatenùs numero similem, quatenus indiuiduas actiones velut vnitates habet.

TEXTVS.

Πῶς γὰρ δὴ ἡ νοῆσις μέγεθος ὤν, πότερον καθόλου, καὶ ὅπως τὸ μορίων ἅπτεται, μορίων δ' ὑπὶ κτὶ μέγεθος. ἢ κτὶ στιγμὴ, καὶ δι' ἧς τοῦτο μόριον εἰπεῖν· εἰ μὲν οὖν κτὶ στιγμὴ, αὐτὰς σὶ ἄπειρα, δῆλον ὡς οὐδέποτε διεξεισιν· εἰ δὲ καπὰ μέγεθος, πολλάκις. ἢ ἐπεὶ ἐσ́κις νοῆσει τὸ αὐτό· φαίη δ' ἂν ἀπαξ ἐνδεχόμενον· ἐὰ δ' ὅλως, διγὰν ὅταν τὸ μορίων, τὶ δεῖ κύκλῳ κινεῖσθαι, ἢ ἂν ὅλος μέγεθος ἔχῃ.

Quomodo namq. etiam intelliget magnitudo existens? Vtrum toto, an qualibet parte ipsius? Parte autem, vel secundum magnitudinem, vel secundum punctum, sic hoc oportet partem dicere. Si ergo secundum punctum, hæc verò infinita, constat, quòd nunquam transiget. Si verò secundum magnitudinem, sæpè & infinities idem intelliget. Videtur autem & semel contingere. Quod si satis tangere quauis parte, quid opus est circulo moueri, aut etiam omnino magnitudinem habere?

COMMENTARIVS LXXVII.

ALterum est hoc argumentum. In quo intellectionem accipit & omninò cognitionem cum tactu fieri cognoscentis & cogniti. Quod siue à Timæo datum accipiat, siue ex eo quòd intellectus diceretur esse magnitudo, omnéque quãtum & corporeum tangendo agat; perinde fuerit. Nam & Timæum obseruat Philoponus animam propterea in orbem moueri voluisse, vt ita circũducta tangeret intellectilia, eáq. fuscipiens intelligeret. Ita verò Philosophus noster argumentatur. Si intellectus est magnitudo, nimirũ partes habet; quoniam hæc magnitudinis natura est, vt extensio sit partibus constans & in eas diuidua: quare & secundùm totum & per partes cõsideratur. Aut igitur intellectus se toto intelliget, aut per partem, vt subinde hac vel illa parte intellectilia tãgit. Et rursùm si per partẽ, aut per diuiduam aliquã partem, quæ extensionẽ & magnitudinẽ & ipsa habeat; aut per impartibile pũctũ, si modo impartibile pũctũ partibilis magnitudinis pars dici queat, & nõ veri terminus

terminus ac partium copula. quod fortasse propter Platonem fuit additum, qui corpus ex superficiebus, superficiem ex lineis, lineam ex punctis constare voluerat. quam sententiam in 6. Physic. lib. necessarijs rationibus profligauit. Iam si punctorum attactu intelligere dicatur, sanè infinita sunt atque innumerabilia in magnitudine pũcta; quare cùm infinitum percurratur nunquàm, neque innumerabile numerari possit; nihil vnquàm intelligeretur, si per singula puncta intelligendum esset. quòd si vnius puncti attactum dixerint esse satis; iam cætera omnia puncta totámque magnitudinem inutilem fateri cogentur, intellectúsque impartibilis erit & solus ille punctus. Si verò non vnius modò, sed punctorum plurium necessarium esse attactum prætendant; cur hæc potiùs adhibeantur, quàm illa? Cur tot, & non plura vel pauciora? Et cætera omnia nonne superuacanea erũt & otiosa? Sin autem per veras & diuiduas partes intelligat; aut per singulas intellectilia omnia cõprehendit; atque ita cum plures, immò infinitæ partes, tum in toto, tum in singulis partibus, diuidi queant; sæpè & verò infinities eandem rem intelligeret. Sæpè quidem, inquiunt Philoponus & Simplicius, si finitas in partes diuidatur; infinities autem, si in infinitas. quod præterquam quòd frustra & absque necessitate factum naturæ operibus non consentiret; ijs quoque aduersaretur, quæ in seipso quisque experitur. Animaduertimus enim semel quoque rem nos vnamquamque intelligere posse, si semel intellexerimus neq. ampliùs de illa cogitemus aut prorsùs obliuiscamur. Aut per vnicam partem rem quamque intelligit. quod si fiat, quid opus est moueri eum in orbem aut omnino magnitudinem vllam habere? Hæc namque propterea videntur de intellectu dici, vt alijs atque alijs partibus intellectilia tangat.

Cæterùm primum illud membrum, quo quærebatur, an se toto intelligat, statim confutabitur. Iam intelligas occulta & latenti argumentatione Philosophum in his ostendere intellectum suapte conditione ac natura impartibilem esse magnitudinisque omnis expertem. Et quamuis nil asseratur, sed solùm magnitudinem non esse ostendatur: via tamen & aditus præparatur ad animæ nostræ immortalitatem, cognoscendam; quæ ex immaterialitate atque impartibilitate deducitur. Eámque sententiam, quæ secùs pronuntiauit, indignam planè suo auctore fuisse, nõ immeritò scripsit Themistius. Simplicius verò ex operatione ad essentiam progrediens dialectico vtitur loco. Nam si operatio impartibilis est, multò magis essentiam, quæ illius principium est, impartibilem esse oportet. Operationem impartibilem esse demonstrat: tum quia neque ad corpus protenditur, neque illo vt instrumento vtitur. Tum quia illius obiectum, nempè intellectile, impartibile est; quódque est impartibile, impartibili itẽ intellectione cognoscitur. Nam etsi circa sensilia cum sensu & phantasia versetur, puram tamen & synceram aliam circa immaterialia & intellectilia actionem habet. Neque corpus vsui esse potest, nisi ad corporea & partibilia sibi similia cognoscẽda. Namque in his, dum in hoc corpore versatur intellectus, suam quoque corporei sensus & phãtasia præstant operam. Intellectum autem rationalem animæ vitam appellari, quam etiam cum sensitiua & appetitua contra distinxit.

Intellectus impartibilis.

TEXTVS.

Εἰ δὲ ἀναγκαῖον τοῦ ἁπτομένου κύκλῳ θίγοντα τινὰ εἶναι τῶν μορίων λέγω.

Si vero necesse intelligere toto tangentem circulo, quis est partium tactus? Tex. 48.

COMMENTARIVS LXXVIII.

SAnè primum illud partitionis membrum, quo quærebatur an circulus is intelligat se toto, ijsdem ferè argumentis confutari potuisset, quæ de partibili ac diuidua parte fuere proposita. Verùm hæc repetere piguit compedio vtentem, acutóque ac solerti Lectori aliquid relinquentem. Proprio alio vsus argumento aduersarium interrogat, si intellectio totius sit, toto inquam circulo partibus omnibus tangere circulationeq. perfecta; quamnam singulæ partes præstabunt operam? Nam si intellectio attactu perficitur; dum circulus voluitur & singulæ tangunt partes, qualis est is attactus? Cur non sit intellectio? Nunquàm enim circulus totus secundũ omnes partes simul tangit. Et in fine conuersionis tangit quidem pars vna, sed alię non item. Cùm igitur eiusdem rationis sint omnes partes, cur non æquè priorum ac postremæ partis attactus ad intelligendum efficax fuit? Et quid opus illarum attactu fuit? Quid circuli conuersione ac circumuolutione? Nam si hæc sola postrema pars intellectionem adfert, si hæc sola absque aliarum conuersione & attactu tetigisset, intellectio nimirum fuisset.

Certè se toto tangere illud dicimus, quod suis omnibus partibus tangit, omnes igitur vim adferunt intelligendi: at quod voluitur, partibus simul omnibus non potest tangere, nec igitur se toto intelligere. Rursùm hæc etiam in illis verbis argumẽtatio latet. Circulus homogeneum quidpiam est, eadémque vis & natura totius & partiũ. Nam etsi quælibet pars nõ sit circulus, quantitas tamẽ quæpiam est vt circulus; tactúsq. quantitatis est, & circulo ac partibus conuenit quatenus quantitates sunt. Si igitur totius circuli attactus intelligendi vim habet, cur non etiam attactus partium? Hæc enim, inquit Simplicius, intelligẽtis, quatenus intelligentis, particulę calefactiuæ erunt; sed & ipsas etiam intellectiuas fatendum est esse. "

TEXTVS.

Ἔτι δὲ πῶς νοήσει τὸ μεριστὸν ἀμερεῖ, καὶ τὸ ἀμερὲς μεριστῷ.

Præterea quomodo intelliget partibile impartibili, & impartibile partibili?

COMMENTARIVS LXXIX.

TErtia hæc mihi videtur argumẽtatio esse, quę superioris diuisionis membra omnia complectatur. Aut enim, inquiebat, toto intelligit, aut partibili ac diuidua parte, aut impartibili atque indiuiduo puncto. Trimembrem hanc diuisionem iam ad bimẽbrem reuocat; aut partibili intelligit, aut impartibili. Totum partibile est, punctum im- 3. Argumentum.

Digressio XII. *Quot sint instrumenta cognoscendi. Et an circulo vti liceat.*

Cæterùm vniuersa Philosophi hac probatione, tres omninò graues difficultates inuoluuntur. Prima, quid cognitio practica & theoretica differant. Altera, num duo hęc tantùm, quæ cõmemorantur, cognoscendi instrumẽta sint, definitio & demonstratio, an etiam plura. Tertia, an in demonstrando redire ad principium circulóq. vti liceat. Primam in 3. lib. opportuniore loco examinabimus.

Instrumẽta scienãi quæ.

In altera diuisiõnem & analysim addunt Simplicius hoc loco, & Ammonius in Proëmiũ Prophirij & Eustratius ad initium 2. Poster. & Proclus in primum Euclidis lib. c. 14. Alij cõpositionem quoque, & omnino methodum. Alij propositionem, alij ratiocinationem topicam & inductionẽ. Nam Aristoteles quoq. in 2. de Priori Analysi, cùm ageret de inductione, & in 1. de Posteriori tex. 1. & 33. & 1. topic. ca. 7. & 10. & 6. de Moribus ca. 3. & 1. de arte dicendi c. 2. duos fecit modos, quibus habetur scientia, rationationem, & inductionem: & 1. Metaph. tex. 48. præter definitionem ac demõstrationem adiunxit inductionẽ. Alij etiam enthymema & exemplum. Sophisticam & captiosam ratiocinationem nullus cõmemorat, quòd nullam gignat cognitionem, sed errorem ac deceptionem gignat. Neque primorum principiorum habitũ: quoniam is prorsus est naturalis, ex solo intellectus lumine profectus: inueniendorúmque potiùs instrumentorum ac scientiæ principium, quàm scientia instrumentumvè scientiæ.

Iam verò si ea omnia cõplecti libeat, dum instrumentum nominas, quæ quoquo modo intellectus cognitionem iuuant ac promouent, sanè cætera omnia poteris numerare. Definitio namq. cognitionem essentię habet, ex qua proprietatum quoq. cognitionem cõsequimur. Propositio plurium rerum cõpositionem docet atq. ad ratiocinandũ præparat. Ratiocinatio tum necessaria tum probabilis, aut accidẽtia de substantijs ostendit, aut certè vnũ ex alio colligit, déq. omni re proposita probabili ratione differit. Et cùm demõstratio deest, aut cum ijs agitur, qui vim illius non assequuntur; & verò ad exercenda ingenia, atq. in vtramq. partem agitandam quæstionem, vt facilius veritas cognoscatur; ac demum ad scientiarum principia cõfirmanda, perfæpè in scięt ijs adhibetur. Enthymema quoque, Inductio, & Exẽplum, argumentationes quędam sunt. Methodus demũ ordinem explicat; quo plurimùm cognitionem nostram iuuari certũ est. Nam diuisio confusionem tollit, inueniendæ definitioni famulatur, atq. ad multiplicandas scitéque instruendas propositiones copiosam materiã suppeditat; dum vel totum in partes, vel genus in species, aut alio quouis modo vnum in plura tribuit: pluribúsque in locis Platoni magnoperè fuit commendata. Cõpositio, dum singularium partium cognitionem præbet, ad totius scientiã sensim ducit. Analysis, demum inuenire docet principia rerum & causas, ex quibus tota pendet demonstratio.

Methodi vtilitas.

Definitio & demõstratio, duo sola instrumẽta scendi.

Sapienter tamen hoc loco Philosophus definitionem solã ac demõstrationem nominauit. quippe enthymema & exẽplum argumentationes Rethoricæ sunt, quibus non vtuntur scientiæ: & alterum mutilata truncatáq. ratiocinatio est; alterũ in singulis versatur rebus, quas cõtemnunt scientiæ. Inductio verò etsi principia scięt iarum colligat & stabiliat; accuratam tamen scientiam non gignit, sensúq. & rerum singularũ experientia nititur. Ratiocinatio topica & propositio, tum scientiam certam non habent; tum satis fuit demonstrationem cõmemorare. Demõstratione si quidẽ propositio cõtinetur. Et quę ratio demõstrationem probauit, eadem topicam quoq. & aliam quamuis ratiocinationem infinitam non esse demonstrat. Quoniam omnis ratiocinatio à principijs ducta terminatur ad cõclusionem. Solam tamẽ demõstrationem accepit: tum quòd ea sola scientiaria sit: tum quia prima & potissima ratiocinatio, ex qua de cæteris fieri iudicium debeat. Ad extremum methodus, siue diuisionis sit, siue cõpositionis, siue resolutionis, scięntiam per se non parit, nec nisi quatenus ad demõstrationem definitionémq. confert. Diuisio per se diuidit solũ, cõpositio cõponit, resolutio resoluit; & nisi ratiocinatio accedat, nihil prorsus indicãt. Neq. omninò cognoscendi, sed rectè potiùs ordinandi & disponendi appellari debet instrumentũ; ceu via, modus, & ratio certa, qua vel res cognitas disponamus, vel ad aliarum cognitionem definiẽdo ac demõstrando progrediamur. Et verè omnino de diuisione ac resolutione loquẽs pronũtiauit Eustratius, eas non esse per se instrumenta, sed instrumẽtis, definitioni ac demõstrationi, materiam præbere. Quarum vtraq. veram & absolutam scięntiam parit, essentiæ altera, altera proprietatum; illa substantiæ, hæc accidentium. Quod iam pluribus persequi non est huius loci, in quo solùm fuit docendum, cur de sola definitione ac demonstratione loquutus Aristoteles fuerit.

An verò in demõstrando redire ad principiũ circulóq. vti liceat, dubitatum sanè à veteribus fuit; & à quibusdam affirmatum, immò & ab Aristotele, quemadmodum fiat, expositum in cap. 5. lib. 2. de Priori Analysi: ex ratiocinationis inquam conclusione & altera propositionum, probando alteram propositionem, in qua medius terminus enuntiabatur. quare tum termini debent esse reciproci, tũ in secunda ratiocinatione maior extremitas euadit medius terminus. Verum intelligere oportet reciprocatam hanc cognitionem duobus modis constare posse. Aut enim vtraq. demõstratio erit perfecta, ex prioribus naturáq. notioribus & cautis; aut altera quidẽ perfecta erit demõstratio, altera verò ex effectu nobisq. notioribus. Prior modus veram & absolutam refert naturam circuli. Nam vt circulus ab eodem ad idem punctũ reducitur, sic ab eodem ad omninò idem in eodem genere causæ & quæstionis modus ille demonstrandi redit, propterea q. circulus vniformis vocatur. At posterior non circulus, sed regressus potius, aut difformis & imperfectus circulus appellatur: quod non omnino ad idẽ, nec in eodem sed diuerso causæ & quæstionis genere reuertatur. Prior siquidem ratiocinatio ab effectu ad existentiam causæ cognoscendam progreditur: posterior à causa cognita ad effectus existentiam & causam illius ostendendam reuertitur. Ille à posterioribus & notioribus nobis ad priora naturáq. notiora; hic à prioribus & natura notioribus ad posteriora nobisq. notiora; aut à finali causa ad materialem, & cõtra. Quæ ratiocinandi forma perfectus circulus non est; quia non est ab eodem ad idem: quemadmodũ si ex existẽtia effectus existentia causæ probaretur, & rursum ex causa

ex causæ existentia effectus eiusdem existentia A concluderetur. Idem enim vtrobiq. medium esset, existentia; eademque existentia ostenderetur. At cùm in posteriori ratiocinatione non existentia demonstretur, sed cur effectus existat; idque non ex existentia, sed ex illius causa, nequaquam est ad idem neque ab eodem regressio. Quippè non accipitur causa eodem modo, quo fuit in priori ratiocinatione cognita. Sed antequàm regrediamur, circà id, cuius existentiam cognouimus, ratiocinamur aliquamdiù, illudque assequimur effectus illius causam esse; tandémque ex illo tamquàm causa, cur effectus sit, demonstramus.

Circulo vti non licere.

Ità priorem ac perfectum circulum ab eodem B ad idem argumento triplici manifesto cõfutatum ac penitus profligatum ab Aristotele reperies in tex. 6. lib. 1. de Posteriori Analysi. Præsertim verò, quòd idem comparatione eiusdem prius esset & posterius, notius & ignotius, idémque probaretur per idem; vt eo loco pluribus explicatur. Itaque planè intelligas circularem eam probationem cũ probationis natura pugnare. Cùm enim probatio inter plura versari debeat, deducendo vnum ex alio, ignotumque ex noto colligendo; apta nulla probatio esse potest, quę ab eodem ad idem progrediatur. Et rursum si scientia omnis per causam paranda sit, idem sui ipsius nequit esse causa. Propterea demonstrationes cunctas & probationes in C rectum, hoc est ab vno ad aliud progredi semper dixit Philosophus.

In topicis fortasse ratiocinationibus Sanctus Thomas, Egidius, & Alij quidam admittant circulum; quòd ex probabilibus & nobis notis procedant; quidpiámque possit alijs atque alijs hominibus esse magis ac minus notum. At demonstratio causis & natura notis vtitur. Quocircà cùm in 2. Prior. lib. circularis argumentationis formam Aristoteles docuit, aut de ratiocinatione vniuersà id docuit, quod tamen non nisi topicæ conuenit: aut non de perfecto circulo, sed de re- D

Regressio sæpe vsus est Aristoteles.

gressu disseruit, quo ipse quoque pluribus in locis vsus est. Et vt nunc cætera prætermittam; nonnè in superioribus & ex accidentibus cognosci substantiam affirmauit, rursúmque substantiam ad accidentia cognoscenda conferre plurimùm? Et in 2. Poster. tex. 15. In quibusdam, inquit, in quibus est mutua generatio, mutua item est demonstratio & circulus; vt in vapore & pluuia. Vapores namque pluuiæ materia sunt, pluuiáque vicissim materiam vaporibus præbet: & licet alterũ ex altero in eodem genere causæ demonstrare. Ac rursum in diuerso genere: siquidem causæ, vt est in 2. Physic. lib. tex. 30. & 5. Metaph. tex. 2. vicissim sibi sunt causæ; & ambulatio efficiens est sanitatis causa, & E sanitas ambulationis causa finalis.

Cæterùm quod in priore loco dicitur, non perfectum circulum, sed regressum confirmabit; si ex pluuia intelligantur demonstrati vapores, qui excitantur ex illa; rursúmque ex vaporibus pluuia, non per quam ipsi sunt demonstrati, sed quæ post ex illis procreabitur. Quamquam nec vapore pluuiæ, nec pluuia vaporum existit causa, nisi remota, ex qua perfecta demonstratio non fit. Pluribus namq. alijs est opus. Nempè vt vapores gignantur, madefactione terræ opus est, calefactione solis, siccatione, rarefactione, attractione; atque vt cadat pluuia, refrigeratio, requiritur, vaporumq. densatio, nubes, & alia, de quibus in Meteorologicis. Prætereà non ex vaporibus absolutè, sed vt possunt in aëris secunda regione densari, demonstratur pluuia. Neque rursum vapores ex pluuia simpliciter ostenduntur, sed vt commemoratas omnes mutationes subit. Quarè cum non accipiatur idem eodem modo, quo fuerat demonstratum, perfectus omninò circulus non est. Denique sunt, qui addant, non pluuiam, sed generationem eius ex vaporibus concludi: moxque non ex pluuiæ generatione, sed ex ipsa pluuia generationem vaporum ostendi; neque ab eodem ad idem fieri reditum.

Cùm autem in reciprocis causis altera demõstratur per alteram, altera semper illarum prior est altera: quare altera quoque demonstratio perfectior est altera. Et Magnus Albertus in 1. Poster. lib. tract. 2. cap. 15. posteriorem voluit esse demonstrationem quia Deindè vna probatur ex altera tamquàm illius effectus: ex ambulatione inquàm sanitas; nõ vt finis, sed vt effectus. Potest ambulare, ergò est sanus. Cumque ex sanitate rursum ambulatio probatur, accipitur sanitas vt finis, ambulatióque vt effectus illius; vult sanitatem, ergo ambulat. Nõ est igitur ab eodem ad idẽ; cum in reditu accipiatur vt causa id, quod probatum fuerat vt effectus: quodque anteà fuerat causa, rationem mox effectus subit. Neque est absolutè prioribus; quia si sibi sunt vicissim causæ, vna non est absolutè prior altera, sed quatenus est alterius causa: quatenus verò effectus, sanè posterior est. Vndè causas intelligas non esse sibi vicissim propriè causas, sed secundum aliquid. Propriè namque sunt omnes effectus causæ: ne vtrâq. illarum demõstrationũ prefecta satis videbitur, cùm nõ sit ex causis propriè & vt causæ sunt. Verum de his satis. Aristotelis argumentationes persequamur.

TEXTVS.

Ἔτι εἰ ἡ αὐτὴ φέροιτο πολλάκις, δῆλον ὅτι πολλάκις νοεῖν τὸ αὐτὸ ἐπ ̓ ἄπειρον ἔσται· ἡρεμοῦντι γὰρ ὕστερον μᾶλλον, ἢ κινουμένῳ· ὥστε καὶ ἡ ἀνάπαυσις τῆς ὁπτοῦ καὶ ὁ συλλογισμός.

Præterea si eadem circulatio sæpius, oportebit idem sæpius intelligere. Adhuc autem & intellectio similis est quieti cuipiam & statui potius, quàm motui. Ad eundem autem modum & ratiocinatio.

COMMENTARIVS LXXXII.

DVæ paucis his verbis argumentationes continentur; quibus aduersarij propositio illa, Intellectionem esse circulationem, adhuc exagitatur. Altera est; Inter circularem motum & rectum hoc interest, quod rectus rectà progreditur ad alium semper atque alium terminum acquirendũ; circularis in se ipsum redit ac super eandem magnitudine sæpiùs repetitur. Immò & in infinitum protrahi potest, quemadmodum in cœlorum conuersione fieri animaduertimus. Quippe in circulo nulli sunt actu termini nullum principium, nullus finis. Si igitur intellectio est circulatio, sæpiùs potest atque adeò in infinitum super vnum & idem semper intellectile obiectum reperi. Cùm præsertim intellectio, vt anteà dicebatur, attactu fiat.

Intellectus namque qui circulus esse ab aduersario dicitur, sese circumuoluendo sæpiùs atque in infinitum tangens, sæpius nimirum atque in infinitum intelliget. Simúlque identitatem & alteritatem habebit. Circulatio enim ab eodem ad idem redit, & simul ex vno ad aliud transit. Quarè si intellectio sit circulatio, ab eodem intellectili ad idem redibit intellectus, & simul ex alio ad aliud transibit. Intellectus Diuinus semper quidem intelligit, æternitatis mensura: Angelicus totum simul, æuóque aut æui momento: intellectus noster aliud & aliud & per diuersa media, alijs atque alijs momentis téporis. Circulatio ab eodem ad idē & semper ad mediū redit cōtinuo tempore: nulla igitur intellectio est circulatio, circulationíve similis.

Intellectionis mensura.

Altera verò, qua hæc ipsa confutari simul videtur: Intellectio quieti potiùs, quàm motui, similis est; quieti inquam & statui in intellecta re potiùs quàm super eam motui. Tantúmque abest, vt sit circulatio, perpetuus scilicet motus, principio, medio, ac fine carens; vt omninò motus nullus; sed motui opposita quies esse videatur.

Videtur autem ea respicere, quę ostendit in tex. 20. lib. 7. Physic. Quo loco in intelligente animæ parte alterationem non esse neque per motum vllum scientiam in nobis comparari demonstrauit: quin potiùs tunc maximè sit anima sciens ac prudens, cùm in quiete versatur nec vllis perturbationibus agitatur. Motum enim & agitationem, siuè corporis, siuè animæ, auocare plurimùm à contēplatione & actiones mētis turbare, cōstat & experimur in dies. Hac de causa abstemij, ait Themisti[9], » purgatius & vibratiùs, quā temulenti, cognoscūt. » Item silentio noctis, quam interdum, corpore in- » offenso, quàm conturbato, senecta ætate, quàm iu- » uenta: quia iuuenum corpora, vt & temulentorum » plurifario motu interæstuant. Vbi verò corporis incrementum sistitur, anima, quæ alimenti antea accessu & recessu agitabatur, quiescit tandem, optiméque intelligere & contemplari potest.

Quis contēplationis.

At enim ratiocinationem inquies motum quendam significare; qui tùm in trium terminorum dispositione, tùm in progressione à principijs ac propositionibus ad conclusionem cernitur. Propterea subiungit Philosophus, eodem quoque modo & ratiocinationē habere, hoc est quieti potiùs, quàm motui, similem esse. Videturq. argumentum continere à maiori ad minus. Si enim ratiocinatio, cui maximè videtur inesse motus, non est motus, sed magis quies; multò minùs alia quæuis intellectio fuerit. Sanè, inquit Philoponus, motui quæstio videtur similis: qui enim quærit & dubitat, in multa perturbatione & motu est, húcque & illuc fluctuat inquirendo. At vbi inuenerit & intellexerit, inuentæ & cognitæ veritati immobiliter adhęret, atque in quiete & tranquillitate versatur. Et scientia græcis dicitur ἐπιστήμη: quia ἐπὶ τὸν αὐτὸν, hoc est in statu & quiete animam ponit. Ratiocinatio igitur motum quendam inquisitionis habet in antecedēti terminorū ac propositionum dispositione: non tamen circularem, sed rectum; neque ab eodem ad idem, sed ab vno ad aliud & per diuersa media, velut ad intellectionem viam. At in Conclusione, quæ velut veritatis inuentio & intellectio existit, quies est, non motus. Quamquam antecedens illa ipsa inquisitio tùm quiete delectatur sedatáque corporis turba & animæ perturbatione perficitur optimè, tum ad quietem & statum tendit, dum ad conclusionis quietem refertur: & ideò quies potius, quàm motus, appellari debet. Cum præsertim, vt Simplicius loquitur, non in transitu aut transcursu intellectio fiat, sed in quadam vnoquoque in termino mora facta consistat.

Ratiocinatio vt motus sit.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ μανθάνειν γε τὸν μὴ ἑστῶτα, ἀλλὰ βαίνοντα καὶ ἐν ἔσῃ ἡ κίνησις· αὕτη μὲν οὖσα, καθὸ φύσιν κινεῖται αὐτὴν.

Cæterùm neque beatum sanè, quod non facile, sed vix. Tam lentum. Si vero est motus ipsius non substantia, præter naturam tam moueretur.

COMMENTARIVS LXXXIII.

DVobus modis hæc interpretatur Philopon⁹. Vel ità, vt cum superiori argumentatione coniungantur: Vel vt proprium & separatum argumentum contineant. Etenim cum intellectionem dixisset quieti, quam motui, similem magis; & ideò illam intellectui potiùs secundum naturam, hunc quasi præter naturam esse; si intellectus moueatur; consequens videbatur esse beatum eum non fore, immò violenter motum iri; quia quod præter naturam est, violentum est. At vniuersi animam, de quo præsertim Timæus Platóque loquebantur, beatam esse oportet. Motum porrò intellectui præter naturam & violentum fore; ex illo ipso docet, quoniam non est in ipsius substantia, si quidem quieti magis, quam motui, similis intellectio est. Ità possunt hæc cum superioribus coniungi, velut quidpiam ex illis consequens.

Possunt & propriam ac separatam argumentationem continere: qua vt ab itea intellectum docuit non moueri natura, ita nunc non moueri præter naturam ostēdat. Si enim præter naturam moueretur, vi moueretur: beata igitur non esset anima mundi: quippe quod vim patitur, beatum non est. Ac rursum quod est præter naturam, sempiternum non est, sed quod præter naturam mouetur, moueri quoque secundum naturam oportet; at secundum naturam non moueri demonstratum est, neque igitur præter naturam mouebitur.

Sed duo statim Philopono licet objicere. Primum, intellectui neque motum neque quietem aut secundum naturam esse aut præter naturam. Neque hoc Philosophum aut accepisse aut probasse: sed quieti solum magis, quā motui, similem intellectionem esse. Alterum, in superiori disputatione nequaquam fuisse acceptum, aut secundum naturam aut præter naturam intellectum non moueri, sed probatum penitus non moueri. Illud fatebor, siuè cum superioribus hæc coniungas; siuè nouam instruas argumentationem, perinde esse. Quoniam argumentatio hæc ipsa noua ex eo deducitur, quod intellectionem posuit quieti magis, quàm motui, similem esse.

Statim autem duas accipit propositiones, quarum vtramque perse manifestam esse ait Simplicius. Alteram, facile esse id, quod est secundum naturam: quippè natura ipsa incitante ac stimulante fit. Alterā, beatitudinē in eo cōsistere, quod facile sit: & ideò

& ideò in eo, quod secundum naturam sit, non in re vlla præter naturam & violenta. Beatitudo namque perfectio naturæ est & finis quem ea viribus cunctis & omni conatu & studio, quærit procurátque. Simplicij verò illa probatio fuit; quoniam beatitudo incorruptio quędam est & perpetuitas naturæ sempiternumuè illius bonum; incorruptionem autem & perpetuitatem vel ipsa corruptibilia non solùm expetunt & quatenus possunt procurant, sed etiam in se ipsis habent quandiù secundùm naturam habent. Beatitudo igitur status est secundum naturam: & siquid præter naturam autviolenter habeat, beatum id esse non potest. Iam si animæ motus non est substantia, hoc est secundum naturam, erit vtiquè præter naturam; nunquàm igitur erit beata. Motum autem non esse secundum naturam aut in animæ substantia, tum anteà probatum est, tum proximè superioribus verbis, quibus intelligere dixit quieti magis, quàm motui, similem esse.

Vndè Simplicij obiectionem facilè soluas. Qualis enim, inquit, istęc deductio est. Si motus non est in substantia, pręter naturam erit. Cœlo namque non est in substantia, nec tamen præter naturam corpus illud mouetur. Occurrit autem ille, Philosophum 3. libro dicturum, intellectum substantia sua actionem esse: nec eum intellectum modò, qui anima melior est; sed animam quoque nostram, cùm ad externa non ampliùs progreditur, sed omnem suam in se actionem colligit, separatéque ac naturæ suæ conuenienter viuit. Id verò multò melius & semper animæ mundi inesse. Itaque hanc esse Philosophi argumentationē; Mundi anima substantia sua est actio; aut igitur circularis motus erit eius actio & substantia, aut omninò non mouebitur, aut præter naturam mouebitur. Quod tum ex eo vim habebit, quod manifestū sit propriam intelligentis naturæ actionem intellectionem esse, hancq. corporeū motū non esse, atque cœlestes animas præter cœlorum conuersionē habere aliam sibi propriam operationem, non cum corporibus illis communem: tum ex superioribus, quibus intellectionem probatum est circulationem non esse.

Verùm qua sententia dicatur intellectum substantia sua actionem esse in 3. libro examinabitur. Nunc si actionem velit Simplicius illi essentialem esse, non aduentitiam & accidentariam; planè audiendus non est. Quoniam quod primi & diuini solius intellectus proprium est, intellectui omni tribuit; vbi non solum intellectus noster, sed & cœlestis, & verò angelicus, accidentariam atque à substantia diuersam intellectionem habet: ideoq. substantia eadem semper est, intellectio subinde alia atque alia, & intellectu nostro perfæpè nulla.

Neque etiam huius loci sententiam satis assequutus est, vbi ait Philosophus (si verò est motus ipsius non substantia) ὑπάρξει enim legēdum est, non οὐσίᾳ: substantia, inquam, aufferendi, non nominandi casu: vt sententia sit; si motus non est ipsi secundum substantiam, hoc est secundum naturam; præter naturam iam moueretur. Secundum naturam autem non esse, accipit ex eo, quod intellectionem dixerat quieti magis, quàm motui, similē esse. Quarè obiectio illa de cœlorum motu ità fuerit diluenda: motū illū cœlesti corpori nō esse quidē in substantia, hoc est essentialē, sed accidentariū aduentitiū. Esse tamen substantia, hoc est, secundū substātiam & naturam illius corporis; non præter naturam. Optimáque fuerit deductio Philosophi: quoniam cum esse secundum naturam & præter naturam oppositionem contineant; si alterum non insit animæ, inesse alterum necesse est communi oppositorum lege ac conditione.

TEXTVS.

Ἐπίπονον δὲ καὶ τὸ μεμίχθαι τῷ σώματι μὴ δυνάμενον ἀπολυθῆναι, καὶ παρεσκευῆ φθείρειν, εἰ καὶ βέλτιον τῷ μὴ μετὰ σώματος εἶναι, καθάπερ εἰρῆκέ τε λέγεσθαι, καὶ πολλοῖς συνδοκεῖ.

Laboriosum quoque permistum esse corpori, nec posse absolui. Ac insuper fugiendum. Siquidem intellectui melius non cum corpore esse, quemadmodum & conuenit dici & multi consentiunt.

COMMENTARIVS LXXXVI.

MInus ad rem dixisse videtur Simplicius, Philosophum in superioribus intelligentem animę partem nec corpus nec magnitudinem esse demonstrasse: nunc verò ex his eum colligere separabilem eam esse à corpore: quod melius illi sit absque corpore esse. Melius quidem Philoponus hæc ad illud explicandum refert, quod motum difficilem animæ ac præter naturam esse dixerat. Verum nisi aduersarium ponas respondisse, motum accidere animæ vt est in corpore haud facile intelliges quorsum objeciat laboriosum illi esse ac præter naturam permistum esse cum corpore, nec ab eo absolui, sed trahere secum aut impellere corpus, vt est in fabulis de Ixione. Vbi verò labor est & difficultas, beatitudo esse non potest: siuè de cœlestibus animabus globos illos circumducentibus, siuè de nostris caduca hæc corpora impellentibus sit sermo. Immò magnoperè hoc fugiendum fuerit, tanquam molestum & graue, beatitudinique contrarium, ac minimè naturæ animæ accommodatum. Siquidem intellectui melius potiórque illius conditio est non esse cum corpore, sed ab eo libetum ac solutum viuere: ideoque seperatio fuerit peroptanda, vt & labor cesset, & liberior atque & expeditior operatio sequatur. Et tamen mors atque à corpore seperatio, per vim omnibus & contrà naturam accidit: animaliáque cuncta quàm maximè possunt arcent illam & fugiunt. Quin etiam animalium animæ, inquiunt Philoponus ac Themistius (etsi hunc locum minus fideliter Hermolaus interpres reddiderit) prestantiores essent ac melioris conditionis, quàm cœlestes: cum hę quidem liberari à corpore possint, illæ nequaquam.

An cœlestis motus cum labore.

Quod argumentum Platonem magis, quam Aristotelem, vrgeat. Plato namque cœlum ex elementis composuit, ac sempiternum fecit, quare non sine repugnantia & labore mouetur. Aristoteli, qui simplicem essentiam quintam ab elementis diuersam cogitauit, motus est sine labore, vbi corpus, quod mouetur, ab omni mortali difficultate ac repugnantia est alienum. Vt mittam cœlestes illas animas corporibus illis non permisceri, sed adesse duntaxat: non esse formantes formas, sed assistentes, & vt loqui Simplicius solet, eas non

fieri corporum, sed cœlestia potius corpora ipsarum in se manentium fieri.

Denique dum addit (quemadmodum & dici consuevit & multi consentiunt) tum Platonis, contra quē disputat; tum aliorum testimonio confirmat, melius esse intellectui nō cū corpore esse. Sic enim Plato quoque consueuerat loqui, & veterum complures tradiderant. Intellectus tamen, non animæ vniuersæ, conditionem eam esse, rectè Simplicius admonet. Vitæ namque à corpore inseparabili melius est esse cum corpore quoniam in corpore conseruatur, separatióque illius extinctio est. Intellectus à corpore non pendet, potiusque grauatur corpore, obruitur, atque in operando retardatur; meliusque omnino habebit absque corpore. Nam Philosophiæ quoq. pars theoretica melior est ea, quæ ad actionem refertur: & inter theoreticas nobilior est illa, quę circà separatas mentes versatur, quàm quæ circà naturalia & materialia: quæque nullo vtitur corpore, præstat illi, quæ vtitur: & quæ in se ipsam redit melior est, quā quæ ad exteriora progreditur. Quare si operatio melior cēsetur, quæ recedit à corpore, quam quæ inuoluit corpus; ex ea licet de natura quoque colligere melius omnino intellectui esse sinè corpore esse quā cum corpore. Deniq. corpus intellectui immateriali & incorporeo naturam oppositam habet, ideòque vires eius vniuersas labefactat & minuit: vt qui homines valido prorsus ac robusto sunt corpore, minùs ingenio valeant; & qui corpori plusculum indulgent, hebetentur mente; senescentéque ac fracto penè copore vigeat magis animus & acrior intellectus euadat. quare si cuiq. melius est à suo contrario absolui & liberari, meliùs profectò fuerit intellectui à corpore liberari, quàm cum eo permistum viuere.

Intellectui melius esse nō cū corpore esse.

A

B

C

TEXTVS.

D

Ἄδηλος δὲ καὶ τῷ κύκλῳ φέρεσθαι τὸν οὐρανὸν ἡ αἰτία· οὔτε γὰρ τῆς ψυχῆς ἡ οὐσία αἰτία τῷ κύκλῳ φέρεσθαι, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκὸς ἔν τῳ κινεῖσθαι. οὔτε τὸ σῶμα αἴτιον, ἀλλ' ἡ ψυχὴ μᾶλλον ὁπείνῳ.

Tex. 50. *Porrò nec manifesta, cur circulo moueatur cœlum, causa. Neq. enim animæ essentia causa, cur circulo moueatur, verùm ex accidenti ita mouetur, Neque corpus causa, sed anima potius illi.*

COMMENTARIVS LXXXV.

E

ANimam non esse magnitudinem aut circulum; neque per se, verùm ex accidenti solū moueri hactenus ferè demonstratum est satis supérque. Iam hoc quoque Timæo Platonivè obijcit, ex eorum sententia cognosci non posse, neque causam exponi, cur moueatur cœlum. Hoc verò propterea quærit Philosophus, quoniā de cœli ac mundi anima potissimùm illi loquebantur ea, quæ tamen cæteris quoq. animaliū animabus secūdaria ratione conuenirent. Sanè cœlorum illa cōuersio vt naturalis est & perpetua miniméque violenta, sic principium & causam in ipso cœlo habere debet: aut igitur causa motus est anima, aut ipsum cœleste corpus. Anima esse non potest, quoniam eam oporteret priùs per se moueri, tùm suo motu cœlum impellere: atqui ostensum iam est nequaquam eam per se moueri, quin potius ex accidenti moueri moto Cœlo. Neque vero cœleste est corpus: quoniam ipsum est, quod mouetur, est mobile, non mouens: quare neque sibi ipsi neque animæ potest esse motus causa. Magisque rationi consentaneum est, vt corpus moueatur ab anima, quàm à corpore anima. Argumentum sumas ex animalium corporibus, quæ si priuentur anima, omni protinus destituuntur motu, immobiliáque iacent.

Sed & Plato cœlum negat ex seipso moueri, prorsusque ab anima moueri contendit, non à natura, hoc est forma corporea, quæ inferior sit anima. quod Aristoteli quoque eatenus fuit commune, quatenus passiuam quidem naturam, hoc est materiam ad eum motum aptam & comparatam agnouit, actiuum tamen motus principium non naturalem formam, quæ sit in materia, sed separatam mentem esse demonstrauit. Quo circa quod Philoponus dixit, cœlestem motum Aristoteli tum naturalem fuisse tum animalem, aut ideò verum fuerit, quòd naturalem intelligas materiæ & passiuo principio, animalémque propter principium actiuum & mouentem mentem, quę quoquomodo Cœli anima dici potest: aut quod vt in superioribus declaratum est, mens motrix tum anima tum natura queat appellari. Alioqui si naturam intelligat formam corpoream, naturalis nullo modo fuerit mouenti principio. Ab eiusmodi enim corporea & inanimata forma neque perpetuus neque in orbem fieret motus.

Cùm autem dicitur (sed anima potiùs illi) nè propterea dictum existimes, quasi corpus quoque motus principium sit, sed is magis animæ tribuendū sit tanquam potiori ac validiori mouenti. Verum quod nullius illud, hæc omnis motus principium & causa existat. Aut quod Corpus principium quidem passiuum sit, anima verò actiuum, hocque sit potius magisque præcipuum: quemadmodum in tex. 12. lib. 2. physic. forma dicitur potiùs esse natura, quàm materia, quod illa agendi, hæc patiendi principium sit. Quo loco dum duplex principium motus distinguit Simplicius, vnum à quo, alterum per quod seu secundum quod fit motus, illud animam esse, hoc naturam, illudque potius, quàm hoc: quia nobilius est id quod mouet, quàm id quod mouetur: si de cœlo solùm loquatur, verissima loquitur, quoniam in eo actiua natura non est. Atsi vniuersè magis, vt naturam velit solum principium passiuum esse, veterem quæstionem excitat, cui satisfactum antè est in comment. 34.

Minus etiam audiendus, dum alias duas eiusdem illius vocis (potius) adiungit causas. Alteram, quia vt Iamblico placuit; cœleste corpus præter motricem animam, non acquisititiam & separabilem vt nostra corpora, sed in sua substantia insitam habeat vitam, qua excitetur ex se ipso ad motum, etsi principaliter moueatur ab anima. Alteram, quia principaliores adhuc aliæ adsint motus causæ. Anima enim magis est principium motus corpori, quàm ipsum sibi ipsi. At præter animam prior est intellectus, tum ab anima participatus, tum non participatus. Etenim hęc peripatetica non sunt, nec ab Aristotele vnquam cogitata; qui nec aliam in Cœlis vitam nec aliud

efficienter

efficienter mouens quàm destinatam huic operi & assistentem mentem posuit.

Accommodatè magis boni viri partes exequitur, dum in hac de Cœlestis motus causa tum Platonem tuetur tùm Aristotelem. Pro Platone namque Aristoteli respondet, animam quidem circulo non moueri, corporeo & naturali motu; moueri autem animato illo, quo in seipsam se retorquet ac reflectit, quem mathematicis assuetus Plato circularem vocauit. Pro Aristotele autem, Platonis eum verba iuxta communem & vsitatum vsum interpretatum fuisse. Verùm vt eum admittamus de illo in se ipsam reditu esse locutum; quomodo is cœlorum conuersionis & motus sit causa? Eo anima in seipsam redit, non ad corpus progreditur; immò tum ab eo tum ab exterioribus omnibus recedit & ad seipsam retrahitur; atque seipsam quidem intuetur & cognoscit; at cœleste corpus non mouet. Neque motionum harum similitudinem prætendas; qua conuersio animæ in seipsam velut exemplar est conuersionis cœlorum, hæcque vicissim illius quasi imago. Quoniam hæc similitudo efficientem virtutem non habet.

Cæterùm Themistius accuratè magis Platonis opinionem Philosophique obiectionem examinans, idcircò ait ex opinione illa cœlestis motus non apparere causam, quod prima origine anima non fuit Platoni circulus, sed recta linea ex principiorum permistione facta; tum verò hæc ad incudem reuocata cōtorta fuit in circulū. Nam si prior ac potior animæ natura dirrectio est, quæ quasi ex accidenti atque extrinsecùs circulata est; non vt esset aut ageret, sed vt consonantes motus ageret; næ motus illius naturalis est rectus: vndè igitur circulatio.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ὅτι βέλτιον λέγεται. καίτοι τὸ ἀρχὴν τὸν θεὸν ποιῆσαι τοῦτο κύκλῳ ποιεῖν φερέσθαι τὸν ψυχὴν, ὅτι βέλτιον αὐτῇ τὸ περιφέρεσθαι τοῦτο μᾶλλον, κινεῖσθαι δὲ οὕτως, ἢ ἄλλως.

At verò nec quod melius dicitur. Et tamen oportebat Deum propter hoc circulo facere moueri animam; quod melius ipsi moueri, quàm stare. Moueri autem sic quam aliter.

COMMENTARIVS LXXXVI.

ALterum quoque Platoni obijcit; quòd non solum efficientem cœlestis motus causam non docuit, sed finalem. Quod enim ait (melius) hoc genus causæ significare Aristoteli solet, vt intelligi potest ex textu 76. lib. 2. Physic. alijsque locis quàm plurimis. Atque in omnibus finem aliquem natura spectat, & id quærit quod optimum est inter ea omnia, quæ propter illud fiunt. Duo autem omninò explicanda fuerunt. Alterum, cur opifex mundi Deus (sic enim in Timæo appellat Plato) cœlestia corpora moueri potius voluerit, quàm immobilia stare. Alterum, cur ità potius, quàm alio modo, instituerit motum, cur in orbem potiùs, quàm alium esse decreuerit.

(Melius) Aristoteli finalem causam significare.

In Timæo quidem certè figuræ sphæricæ causam finalem reperias. Sic enim habet. Figuram autem & sibi maximè decoram & cognatam dedit. Animal enim cætera contenturum animalia consentaneum erat ea formari figura, qua reliquę omnes continerentur figuræ. Quarè σφαιροειδὲς factum est, cuius extremitas æqualibus à medio radijs attingitur: atq. ita tornauit, vt nihil effici rotundius posset: figura omniū perfectissima sibiq. ipsi similima; simile dissimili pulchrius esse arbitratus. Extrinsecus etiam omni vndique læuitate circumpoliuit multas ob causas. Nec enim egebat oculis, quod nihil esset extrà; quod cerneretur: nec auribus, quià nec quidquam, quod audiretur: nec opus erat respiratione: nec instrumenta, quibus aut alimenta susciperet aut emitteret excrementa: nec manus necessariæ, quià nec capiendum quidquam erat nec rapiendum, nec pedes nec alia membra, quibus ingressus ministerium obiret. Cœlum cur sphæricum.

Verùm hæc causam quidem figuræ continent, at non motus: neque nunc Philosopho est de figura sermo, sed de motu. Is verò tum figuræ causam exposuit, tum motus. Figuræ quidem in 2. lib. de Cœlo à tex. 22. tum quià primo ac nobilissimo corpori prima nobilissimáque debetur figura: quæ circularis est, velut simplicissima & vnica contenta linea, nulliúsque additionis capax. Tum quià cœlum moueri oportebat in orbem, qui motus quacumque alia figura & difficilior esset & vacuum extrà cœlum relinqueret, dum humiliores elatioribus partes succederent. Quin & sensilis his mundus imitatione ac similitudine intellectilis illius atque archetypi factus est, qui in opificis Dei residet mente: at Deus est infinitus, principio carens & fine, mundúsque hic alio modo, quàm figura, infinitus esse non poterat, nec alia, quàm circularis figura, quæ principij ac finis expers est, infinita censetur. Quibus adde, tum capacitatem illam, quam considerabat Plato, tum firmitatem ac robur. Cùm enim cœleste corpus tueri debeat, conseruare, ac defendere cætera omnia, figuram habuit robustissimam miniméque ad patiendum aptam. Hæc est circularis, quæ & partibus constat sibi vicissim innixis & quasi firmatis ac sustētatis, & vndequaque ab externis incursionibus refugit. quam ob causam in omnibus, quantum potest, hanc figuram natura procurat: & in 8. de vsu partium libro philosophatur Galenus membra corporum animalium omnia ferè rotunda esse. Tum postremò generalem in hęc inferiora omnia actionem. Debuit enim ita illa complecti, vt ęque omni ex parte distaret, ęqualibusque lineis vndequaque omnis illius virtus & actio ad terram tanquam ad centrum confluaret.

Motus autem circularis causa, tum perpetuitas fuit: hic enim solus potest esse perpetuus, vt in 8. Physic. lib. ostenditur. Tum eadem illa generalis actio & virtus luminis, quam in orbem circà inferiora omnia circumferri oportuit, vt omnibus esset salutaris, omniáque foueret & conseruaret. Latio, inquit Philosophus in tex. 55. lib. 2. de ortu & interitu, incessanter facit generationem, quoniam adducit & abducit id, quod gignendi vim habet. Tum verò etiam quoniam, vt est in primo lib. de Cœlo, quemadmodum cœlum est corpus simplex ab elementis diuersum, ità simplici diuerso ab illorum motu, & vt est primum ac diuinissimum corpus, sic primo omnium atq. optimo motu, moueri debuit. Cœlū cur in orbem moueatur.

Cur ex hac parte potius, quàm ex altera moueat.

Denique nec prætermisit accuratissimus philosophus, cur sic potius, quàm aliter, moueatur Cœlum. Quorum verborum interpretationem præbebit tex. 33. lib. 2. de Cœlo. Eadem enim vtrobique proponitur quæstio. Eo autem loco cum in sempiternis intelligeret nihil euenire casu, sed optima ratione summóque consilio constare omnia; causam quærit, cur cœlum ex hac potius, quam ex altera parte, moueatur. Respondétque in tex. 34. causam esse; quoniam in omnibus natura id semper facit, quod est optimum, si fieri possit: quemadmodum autem in motu recto melius est motus sursum quàm deorsum, quoniam est ad nobiliorem locum; ità in circulari, melius fuit cœlum moueri ad anteriorem & superiorem partem, quàm ad posteriorem & inferiorem; ad superius hemisphærium, quàm ad inferius; quoniam ea pars nobilior est & præstantior altera.

Cæterùm vbi Simplicius ait, eum, qui entia, contemplatur, bonum quoque enti cuique proportionatum contemplari debere, quoniam enti cuicumque bonum semper adest: Videat ne de alio, quàm Aristoteles, bono loquatur. De bono inquam transcédente, quod entis proprietas est: non de bono, quod est finis & id cuius gratia. Quarè nec ad rem videtur pro Platone respondere, eum non debuisse in anima bonum illud considerare, quod motui proportionatum est: quoniam eiusmodi corporeum motum in anima is non ponebat. Etsi enim animam ipsam animato alio conuersionis inse ipsam motu moueri diceret, ab eodem tamen moueri corporeo motu volebat. Quarè de hoc quoque bono, cuius causa moueret, dicere debuisset.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ὅδ' ἡ πραγματεία σκέψις ἐστὶν περὶ λόγων οἰκειοτέρα, ταύτῃ μᾶλλον ἀφετέον πρὸς ἑκάτερον δὲ ἅπαν συμβαίνει ἢ τοῦτῳ τῷ λόγῳ, ἢ τοῖς πλείοσι τῶν πρὸ ἡμῶν· σωματικὸν γὰρ ἢ πάθεσιν εἰς σῶμα τιθὼ ψυχῶν, οὐδὲν προσδιοριστικὸς ἀλλ' οὐ αἰτίας ἢ πῶς ἔχοντος τοῦ σώματος. Καίτοι δόξειεν ἂν τὸ ἀναγκαῖον εἶναι· δίχα γὰρ τιθὼ κοινωνίαν, τὸ μὲν ποιεῖν, τὸ δὲ πάσχειν· ἢ τὸ μὲν κινεῖσθαι, τὸ δὲ κινεῖν· τούτων δ' οὐδεὶ ὑπάρχει προὸς ἄλληλα τοῖς τυχοῦσιν. εἰ δὲ μόνον ὅπως χαίρουσι λέγειν ποιόν τι ἡ ψυχή· ὥσπερ δὲ τὸ δεξιοῦσθαι σώματος οὐδεὶ ἂν προσδιορίζειεν, ὥσαυτως οὐδὲ τὸ χωρίζεσθαι καὶ τῶν πυθαγορείκων μύθους τιθὼ τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα· δοκεῖ γὰρ ἕκαστον ἴδιον ἔχειν εἶδος ἢ μορφὴν· ὡσαύτως δ' λέγουσιν, ὥσπερ εἰ τις φαίη τιθὼ πεπονικιθεὶς ἀναυλους ἐνδύεσθαι· δεῖ δὲ τιθὼ μὲν πτερὼν χρῆσθαι τοῖς ὀργάνοις, τιθὼ δ' ψυχὴν τῷ σώματι.

Tex. 51. *Quoniam vero est huiusmodi commentatio aliorum sermonum magis propria, eam quidem nunc omittamus. Illud autem absurdum accidit, & huic sermoni, & plurimis de anima: copulant enim & ponunt in corpore animam, nihil definientes, propter quam causam & quomodo habente corpore.*

Tex. 52. *Cum tamen videatur hoc necessarium esse. Propter communionem namquè, hoc quidem agit, illud autem patitur, & hoc quidem mouetur, illud autem mouet. Horum vero nihil inest inuicem quibusuis.*

Tex. 53. *Hi autem solum nituntur dicere quale quid anima. At de suscipiente corpore nihil vltra definiùt. Quasi cõtingat iuxta Pythagoricas fabulas quãuis animã in quod uis ingredi corpus. Videtur enim vnumquodq. propriam habere speciem & formam. Perinde autem inquiunt, ac si quis dicat fabrilem in tibias ingredi. Oportet enim artem instrumentis vti, animam vero corpore.*

COMMENTARIVS LXXXVII.

NVlla propemodum opera nostra indigere videntur hæc verba: tam sunt aperta & lectori peruia. Nequid tamen intactum prætermittamus, ità paucis enarremus.

Priora verba transitionem continent à proposita quæstione ad aliam huius loci magis propriam. Explicare namque id, quod prætermisit Plato, cur moueatur Cœlũ; & cur sic potiùs, quàm aliter; ad alium magis, quàm ad præsentem, locum pertinet: in quo nimium de cœlo agitur, ibique à Philosopho explicatur, vt in superiori commentario significatum est: quidquid Auerroës de primo Philosopho dicat, quatenus (vt in contradictionibus interpretatur M. Antonius Zimara) vniuersa & generalis quæstio de fine & bono ad illum pertinet: quod ex Simplicio sumptum videtur. Nunc sat fuit, quid à Platone prætermissum sit, indicasse, atque susceptam animæ considerationem prosequamur.

Ergò Simplicius Philosophum arbitratur animam hactenus demonstrasse non esse corpus: quià non mouetur corporeo motu: corporis siquidem operatio corporeus motus est. Nunc verò considerare quomodo sit in corpore; & quale corpus esse oporteat, quod animæ subiectum sit. Quod qua ratione constare possit ego quidem certè non video. Tùm quia de corpore hoc loco nihil planè aliud dicitur, nisi quodlibet corpus accommodatum non esse ac conueniens animæ subiectũ. Tum quia hîc non sua promit Philosophus, sed aliena confutat. Et hactenus quidem contrà Platonem argumentatus est; deinceps verò contrà illos aget statim, qui anima harmoniam esse prodiderant. Tùm demum quia non probauit animam non esse illud corpus de genere substantiæ, quod illius subiectum est; sed circulum aut magnitudinem, aut si mauis corpus de genere quantitatis.

Quod autem habet Philoponus, post quàm contrà singulas de anima opiniones seorsim est disputatum, communem iam omnium accusationem subiungi, quòd nil omnes illi Philosophi de corpore animam suscepturo dixerint: libenter ac spẽte probarem, nisi Platonem post ab accusatione liberaret; ideóque dictum fuisse (plurimis) affirmaret, hoc est non omnibus; vt excideretur Plato, qui multis de anima declaratis, de corpore quoque in Timæo & Phædone loquutus est. Etenim cum aduersus Platonem potissimùm proximè superior fuerit disputatio, qui credi possit à communi eum aliorum peccato liberatũ, nulla liberationis significatione facta? Quin contrarium potius animaduertas. Quid enim illud est (& huic sermoni? Quid Copulatio illa (& huic sermoni & plurimis? nisi (vt intellexit quoque Themistius) & Platonis propriam, aduersus quem speciatim agebatur, & complurium aliorum accusationem significent. In hoc inquam Platonis sermone de anima, qui hactenus confutatus est, hoc etiam peccauit is & alij pleriq. cum eo, dùm de anima dixerunt; quod animam quidem cum corpore copularunt, at quale corpus esse oporteat non definierunt. Nam etsi Plato, vt commemorat Philoponus, caput suprema corporis partem tenere sphæricúmque esse dixerit,

dixerit; quòd rationis, quæ corpori præest ac dominatur, illud sit domicilium; cœlúmq. suprema & optima mundi pars sphærica sit: cor verò Pyramidis seu coni figuram imitari, quòd sedes existat ire, quæ imitatur ignem eam semper quærentem figuram, & alia id genus complura: de corporis tamẽ vniuersi temperatione ac præparatione nihil docuit, immò eiusdem animæ in alia atq. alia corpora, nec humana modò, sed & bestiarum, migrationem posuit: quasi nihil interesset quonã modo affectum & comparatum esset corpus. Quasi cõtingat iuxta Pythagoricas fabulas quamuis animã in quoduis ingredi corpus. Ex quibus verbis priora interpreteris illa (& huic sermoni & plurimis de anima) partim ad Platonẽ, cum quo præsens erat disputatio; partim ad Pythagoricos, quos ille in hac animarum migratione sequutus fuerat pertinere. Empedoclis etiam, qui & ipse Pytagoricus fuisse dicitur, extant carmina: Olim namq. fui, cespésque puérq. puellâq. & voluens cœli, atque alti
" maris incola piscis.
Verùm fabulas Pytagoricas inquiens, si sermone valde incurioso vsus videatur Philopono, qui Philosophicam minùs modestiam deceat: occurrat Simplicius, fabulosam appellari sententiam, non tanquàm inanem temeréq. cõfictam; sed quasi fabuloso tectam & inuolutam velamine, vt animæ vitam pertubationibus expositam atq. irrationalem significarent. Confirmabitque Themistius ad ciuilem vsum confictas eas fuisse inquiens. Veteri scilicet illorum consuetudine, qua fabulis & enygmatibus sapientiam vbique suam occultabant.

Quidquid sit, duplici vtitur Aristoteles Argumẽto. Petuntur autem ex eo, quòd duplicem anima corpori perfectionem adfert, duplicémq. cum illo habitudinem & coniunctionem habet: alteram formæ cum materia: alteram agentis & mouentis cum instrumẽto. Etenim anima est forma & actus, corpus materia & potestas; anima agens & mouens, corpus instrumentum ab illa motum. Ex posteriori tamen primùm capite tamq. notiori argumentatur ex notioribus & posterioribus ad ignotiora & priora progrediẽs. Anima vim habet agẽdi, & corpus patiendi; illa mouet atq. impellit, hoc mouetur atq. impellitur. Quod tum vt per se verũ ac manifestum accipit, tùm vt à veteribus illis datum, qui animam per se moueri asseruerant; ideóq. mouere corpus, quòd mouetetur ipsa. At quodlibet non potest mouere quodlibet, neque in quodlibet agere; sed quampiàm inter illa communionem ac proportionem mouentis ac mobilis, agentis & patiẽtis, esse oportet. Non potest igitur quælibet anima ad mouendum & agendum cuilibet adiungi corpori; sed certo cuipiam ac determinato suæq. mouendi & agendi virtuti accõmodato. Argumentum sumas ex artibus; in quibus nõ quolibet, sed certo & determinato modo comparato, vtitur artifex instrumento; faber malleo & serra, non tibijs; musicus tibijs, non malleo & serra: perindéq. in anima euenire concludas.

Iam nec forma quæuis cum materia quauis coniungi potest, neq. materia quælibet quamlibet formam susciperе; sed huius formæ hæc est materia, alterius altera; alia æris, alia lapidis, alia simplicis elementi, alia misti, alia plantæ, alia singulorum animalium: quippè pro formarum atq. animarum diuersitate diuersam quoq. materiæ qualitatem & corporum temperationem esse animaduertimus.

A Vt igitur propria est singulorum forma & anima; aliáq. æris forma, alia lapidis, alia elementi, alia misti, alia plantæ anima, alia equi aut canis, alia hominis, sic diuersam quoq. materię dispositionem corporisq. conformationem esse oportet: neq. quodlibet corpus animæ subiectum aut instrumentum esse, sed id tantũ, quod ad ipsam vitam aptum idoneumvè sit, diuersúmq. diuersarum quoq. vitarum comparatione. Atqui naturalis Philosophus non formam modò, sed materiam quoque considerare debet: non igitur solùm de anima, sed & de corpore dicendum illis fuerat. Quod Aristoteles absolutissimè prestitit, tùm in libris de animalibus, tum in his ipsis de singulis sensuum agens instrumentis.

B Denique cùm posuisset Simplicius duplicem in corpore vitam, alteram formantem instrumentũ, facientémq. aptum vt vitaliter moueatur, alteram instrumento formato vtentem, veteres propterea putauit ab Aristotele reprehensos fuisse, quod de propria illa instrumenti forma & vita nihil dixissent. Qua in re duobus modis peccauit. Primùm, quòd duplicem illam vitam, formantémq. ab vtẽte diuersam cogitauit: quod Aristoteli nequaquã consentit, qui eandem animam & formam corporis & eo vt instrumento vtentem esse voluit. Quoniam tamen mouẽs & motum distincta esse oportet, præter animam mouentem, aliam in corpore C moto substantiæ formam posuit, qua fieret corpus organicum moueri aptum. Ea est forma misti partium corporis singularum propria, cui dùm accedit certa & conueniẽs temperatio, idoneum prorsus est animæ instrumentum. Deinde quoniam nõ id in veteribus reprehendit, sed quòd nihil de antecedenti corporis dispositione ac præparatione propria ad vnamquamque animam suscipiendam necessaria dixissent: quæ peculiaris dispositio ac forma corporis priorem quoquè illam vitam, si vlla distinguenda esset, antecederet: quamlibétq. animam potuissent cum quolibet corpore quocumque modo affecto coniungi, neque ad mouendum duntaxat, sed & ad formandum.

Formantẽ vitam ab vtente distinctam non esse.

Forma partiales.

D

Animam harmoniam non esse.

CAP. V.

TEXTVS.

Καὶ ἄλλη δέ τις δόξα παραδέδοται περὶ ψυχῆς, πίστιν εἰδὼς πολλοῖς, ἣ οὐδαμοῦ ἧττον ἅψ' λεγομένων λόγους δὲ ὥσπερ θύραθεν δεδεγμένη καὶ τῶν ἐν καιρῷ λεγομένων λόγοις. ἁρμονίαν γὰρ φασὶ αὐτὴν τινες λέγειν καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν. κρᾶσιν καὶ σύνθεσιν πάντα ναυπηγοῦσι, καὶ τὸ σῶμα συγκεῖσθαι ἐξ ἐναντίων.

Verùm alia quædam opinio tradita est de anima, probabilis quidem multis & nulli dictarum inferior. Quæ tamen rationis tanquàm pœnas retulit, & in communi dictis sermonibus. Harmoniam enim quandam ipsam quidem dicunt. Namque harmoniam mistionem & compositionem esse, corpúsque ex contrarijs constare. Text. 54.

E

COMMENTARIVS LXXXVIII.

PRimis huius orationis verbis videtur sanè Aristoteles Platonis iam sententiam hactenus exagitatam dimittere atque ad alia transire. Verùm

Z

si ita dicamus, imperfectã & mancam superiorem cõfutationem faciemus. Duo namq. Platonis sententia continebat: primũ, animam magnitudinem quampiam esse: alterum, harmoniam quãdam habere, vt in tex. 45. dicebatur: hactenúsq. de harmonia nihil, sed disputatio tota prioris partis confutatio fuit. Quod interpretes ferè video non obseruasse. Quare verisimile mihi fit aliam quidem nũc opinionem examinandam arripi, nec tamen priorem omnino dimitti: sed cùm vtriq. cõmune esset animam harmoniam facere; alteri numerorum, alteri contrariarum qualitatum; breuitatis studiosissimum Philosophum ab altera transire ad alteram; & simul vtramq. ita tractare, vt qui harmoniã qualitatum non esse intelligit, intelligat quoq. nec numerorum esse.

Illa fuit occasio ad cõtrariarum qualitatum harmoniam transeundi; dèq. hac potiùs, quam de sonorum cõcentu, dicendi; quam proximè superior dedit oratio. Cùm enim non quamlibet animam dixisset cum quolibet cõiungi corpore, sed animæ cuiusque propriam ac determinatam esse corporis constitutionem ac temperationem; quærendum illicò videbatur, nùm anima sit illa ipsa corporis temperatio, an aliud quidpiam ab ea diuersum. Fuerunt enim qui temperationem illam ipsam & harmoniam animam esse prædicarent.

Animã esse Harmoniã qualitatiũ, at probabilis dicitur opinio.

Hanc opinionem tùm probabilem multis nullâq. aliarum inferiorem Philosophus dicit, tum alibi à se rationibus validis cõfutatam. Probabilem inquam, aut suorum auctorũ iudicio: nam in Phędone Simmias quoque, vt adnotauit Philoponus, nullã aliam probabiliorẽ sibi videri dixit. Aut per se, quòd probabilibus argumentis probari posset. Improbabilem tamen sibi; quòd secùs firmior ratio concluderet. Probabile ad eam suadendam argumentum illud erat, quo assertores illius plurimũ nitebantur: Harmonia permistio est & cõpositio contrariorum (his enim ad proportionem quandã adductis harmonia existit, velut plurium dissidentium vnio) at animatum corpus ex contrarijs temperatis atq. ad proportionem adductis cõpositum est; ex calido inquam & frigido, humido & sicco; anima igitur est harmonia.

Sed statim obijcit Philoponus Cœlum, quod animatum esse dicitur, simplex tamen corpus, nõ ex contrarijs cõpositum. Deinde ratiocinationẽ esse ex purè affirmantibus in secunda figura. Tùm verò si ea quidquam concludat, non animã, sed corpus concludere harmoniam esse, hoc est temperatum & ad proportionem reductum, qua idoneum animæ subiectum & organum esse queat.

Et Simplicius quoq. omne quidem viuens corpus temperatum esse respõdit, at non statim sequi, temperiem harmoniámq. ipsius esse animã. Quare propterea voluit probabilem opinionẽ eam fuisse dictam, quoniam materiæ perfectam habenti aptitudinem dum aduenit anima, eadem cum aptitudine illa, hoc est temperatione, videtur esse. Sed & dissoluta tẽperatione definit corpus viuere; dumque temperatione posita poni animam, eáq. dissipata hanc simul aut extingui aut certè abire animaduertimus, temperationem & animam idem esse liceat suspicari. Præsertim quòd si operationes respicias, temperatione corporis læsa vel mutata lædi protinùs ac mutari operationem conspicies: quasi temperatio illa operationis principium sit. At propterea id euenit, quòd forma sine necessarijs sibi dispositionibus aut aduenire nequit materię aut in ea consistere & operari; etsi ab illis ipsa diuersa sit. Neque enim quæ simul fiunt, eadem esse necesse est: neque si quid ad operandum requiritur, operationis illicò principium fuerit. Ad extremum probabilem fortasse opinionem appellatam fuisse dixerim, si de stirpium ac mutorum animabus sit sermo; intelligénsq. hominis propria, quæ diuiniorem ac tota materia superiorem naturam habet, excipiatur: eáque temperies non in solis elementorum qualitatibus agnoscatur, sed multò magis in natiuo atque insita calore: vt non tam anima sit qualitatum earum, quàm natiui caloris tẽperatio cum reliquis omnibus qualitatibus, & maximè cum primigenio humore in singulis partibus corporis: seu calor is ita cõiunctione aliorum omnium accidentiũ affectus, & vt in subiecto atque organo ita dispositio reperitur. Quod hoc loco satis fuerit indicasse, pluribúsque in secundo libro tractabitur.

Alibi tamen hanc opinionem confutatam à se fuisse subiungit Philosophus illis verbis (rationes tanquàm pœnas retulit & in communi dictis sermonibus) similitudine ducta ab ijs, qui magistratu administratione vè quapiam perfuncti administrationis rationem coguntur reddere, pœnámque & animaduersionem ob fraudes rémque malè administratam referunt. Hoc enim Græcis Εὔθυνα significat. Perinde ac si dixisset, hæc sententia ad rationes, examen & iudicium vocata, damnata fuit à nobis & velut falsa reprobata: tum alibi in cõmuni dictis sermonibus; hoc est vel in publicis congressionibus cum alijs, quæ tamen non mandabantur scriptis, vel in exotericis scriptis, quæ communiter omnibus publicabantur, vt in generali diximus præfatione. Ac præsertim in quodam de anima dialogo, cui titulus est Eudemus, cuius tum Simplicius tum Philoponus meminerunt.

TEXTVS.

Καὶ πῶς ἡ μὲν ἁρμονία λόγος τῆς κράσεως τῶν στοιχείων, ἡ δὲ ψυχὴ οὐδέτερον τούτων ἐστί; Ἔτι δὲ τὴν μὲν ἁρμονίαν ἔστιν ἀρχὴν ποιῆσαι πάντες μᾶλλον ἢ τὴν ψυχήν.

Atqui harmonia quidem ratio quædam est mistorum aut compositio: anima verò neutrum horum esse potest. Deinde autem mouere non est harmoniæ, at animæ hoc attribuunt omnes (ita dixerim) maximè.

COMMENTARIVS LXXXIX.

OPinionem hanc, quæ animam harmoniam ac temperationem qualitatum esse asseruit, multis argumentis non ab Aristotele modò sed & à Platone proscissam fuisse, verè Themistius dixit ac Philoponus. Hæc enim in Phædone obiecit Plato. Anima prior est corpore: quippe quæ imperatura illi esset: æquúmque est seniorem imperare iuniori: harmonia instrumento suo posterior est. Anima imperium habet in corpus, pugnat, dominatur, illiq. aduersatur perfæpè: harmonia non pugnat cum instrumẽto fidibúsq. consonantibus. Harmonia modò intenditur, modo remittitur, & omnino suscipit magis & min⁹: aliæ nãq. fides alijs magis

magis sunt consonantes: anima non item. Cõstante harmonia offensio cõsonantię non potest accidere, neq; harmonia dissonantiam suscipit: anima non virtutis modò, sed & vitij velut dissonantiæ capax est.

Aristoteles consratio.

Aristoteles autem in Eudemo duobus alijs vsus fuisse dicitur argumentis. Primo quidem, harmoniæ ἡ ἀναρμοστία, dissonantia & inconcinitas aduersatur; animæ nihil contrarium est. Altero autem; corporis harmonia aut in elementis consideratur, & sanitas est; aut in homogeneis partibus, & robur ac valētia dicitur; aut in eterogeneis, pulchritudóq. appellatur: quorum contraria morbus, imbecillitas, & deformitas nominātur. Atqui anima nihil horũ est; nec inquam sanitas, nec robur, nec pulchritudo; harmonia igitur omninò non est.

Sanitas & pulchritudo vnde.

Iam verò quatuor modis rem eandem confutat. Ac primum quidem accipit harmoniam duobus modis nominari posse, etsi maximè propriè nominetur in sonis indeq. traducatur ad alia. Cum enim rationem quampiam & proportionem significet, aut ea in qualitatibus elementaribus permistis cõsiderari potest; aut in partibus, ex quibus componitur & coagmentatur corpus: atqui neutrum horum est anima: nullo igitur modo est harmonia. Neutrum autem horum esse animam, probare cõtempsit; quòd superuacaneum ac minimè necessarium iudicaret. Accipit autem tanquàm manifestum: tum quia anima est substantia, illorum verò vtrumq. accidens: tum quia & qualitatum permistio & partium compositio velut partis ad partem appositio considerantur in corpore atque ad illud spectant, & animā antecedunt, quæ non nisi optimè permisto congruentiq. ratione ex cunctis partibus suis ac membris composito corpori aduenit.

Animam esse substantiā.

Porrò animam esse substantiam, propterea inquit Simplicius accipi, quoniam omnis vita substantia est: siquidem & omne animal est substantia, & vita ipsa susceptrix contrariorum est.

Possunt & alio modo accipi illa verba (ratio quædam aut cõpositio) quemadmodum & Themistium, & Philoponum, & Auerroëm, & S. Thomam intellexisse video: vt earundem rerum & cõpositio sit & ratio; harmoniáq. dicatur aut esse plurium cõpositio, aut eorum cõpositorum proportio & velut relatio. Sed cùm & cõpositionem Philosophus posteriorem nominet, & rationem mistorum dicat; magis placet tum qualitatum mistionem tum partiũ cõpositionem accipere. Illa prior est in elementis, hæc posterior in partibus tum homogeneis tum eterogeneis. Ita triplicē illam animati corporis compositionem cõplexus fuerit, de qua in 2. lib. de partibus c. 1. ex elementis & duplici partium genere; etsi nunc ad duplicem reuocatam, quòd prima proprio nomine mistio, reliquæ cõmuni compositiones dicantur. Videbitúrq. hæc argumentatio ex illis desumpta, quæ fuerũt ex Eudemo commemoratæ: vndè nostra hæc interpretatio plurimùm confirmabitur, quasi alter locus alterius expositio sit.

Triplex animati corporis cõpositio.

Prima verò hac argumentatione confici putat Simplicius organi formatricem animam harmoniam non esse; alteram verò, quæ statim subiungitur, ad vtentem spectare. Veriùs dixisset, ex duplici animæ consideratione, & vt est corporis forma, & vt eo ad operandum vtitur, duplex item argumentum peti. Primum ex eo, quòd est corporis forma; hæcq. nec elementorum mistio, nec partium corporis compositio est: sed quidpiam corpori iam misto & composito aduenies; quod ipse post entelechiam organici corporis appellabit. Alterum ex eo, quòd vtitur corpore illúdque mouet (quod omnes maximè proprium illius esse voluerunt, vt in superioribus dictum est) neque harmonia mouendi principium esse potest; neque ea mouet, ex quibus cõstat. Non enim chordas ipsa mouet, sed musicus; ipsa verò ex earum motu potiùs & pulsatione gignitur. Et proportio item elementorum aut partium corporis nec mistionem facit aut cõpositionem aliumvè motum; sed ex alterationis, mistionis, compositionis, & omnino formationis motu existit.

Anima profectio duplex in corpore.

1. Argumentum.

2. Argumentum.

TEXTVS.

Ἁρμόζει δὲ μᾶλλον καὶ ὑγιείας λέγειν ἁρμονίαν, καὶ ὅλως τῶν σωματικῶν ὁρισθῆ, ἢ κατὰ ψυχῆς· ἀνερώτητον δ' εἴ τις ὅπως δύναται πιεσθεὶς τὰ παθη καὶ τὰς ἐρρωμένης ψυχῆς ἁρμονία πνίγεται· τὸν γὰρ ἐφαρμόζειν.

Quadrat autem magis de sanitate harmoniam dicere, & omnino de corporis virtutibus, quàm de anima. Manifestius verò, si quis attribuerit tentauerit affectus & operationes animæ harmoniæ cuipiam. Difficile namque accommodare. Tex. 56.

COMMENTARIVS XC.

TErtium hoc argumentum à posterioribus ad priora progreditur, atq. ex operationibus & affectibus, qui cernuntur in animalibus, de animæ natura ratiocinatur. Placuit autem S. Thomę ex eo deducere, quòd in 4. Physic. lib. tex. 31. immò & in tex. 11. huius ipsius, quem interpretamur, libri, ex cognitione substantiæ, quam definitio adfert, si sapienter adferatur, proprietates quoq. illius cognoscere oportet. Atsi animam dicas harmoniam esse, & quid harmonia sit, optimè noueris, animæ tamen affectus & operationes non continuò intelliges, anima igitur harmonia non est.

3. Argumentum.

Verùm satius est consuetum & familiarem Aristoteli argumentandi modum vsurpare. Ex operationibus forma quæq. & natura cognoscitur. Promit enim sese illa & manifestat operando. At affectus & operationes animæ non conueniunt harmoniæ neq. ab ea proficisci possunt: anima igitur harmonia non est. Quomodo namque harmonia principium sit nutritionis, accretionis, & procreationis? Quomodo sentiendi, appetendi, incedendi? Quomodo amandi, odiendi, audendi, ac cæterorum affectuum? Quo demùm modo intelligēdi, quæ operatio ab omni est mortali cõditione ac qualitate prorsùs aliena? Si quidpiam sit harmonię attribuendum, attribuantur illa, quæ considerātur in corpore, at non ea, quæ in anima. Quoniam vt qualitatum illa permistio ac proportione constans temperatio in materia est, partiúmq. tum homogenearum tum eterogenearum conueniens & cõcinna compositio corpus efficit, sic ex vtraq. quidpiam resultat, ex illa sanitas, ex hac pulchritudo & exterior species: at hæc ad corpus pertinent, nõ ad animam. Cur caro mollis sit & humida, os durum & siccum, aliáq. & alia cæterarum corporis partiũ conditio, verè dixeris causam esse harmoniam & qualitatum temperationem, cur hoc corpus formosum sit, illud deforme, harmoniam & cõpositionem partium. At quanam tēperatione aut compositione differāt operationes sensuũ ab actionibꝰ mētis motricisvè virtutis, nunquā omnino dixeris.

Sanitas & pulchritudo vnde.

Pulchrè etiam Simplicius in illis verbis (quadrat autem magis) quibus comparatio quædam contineri videtur, latere putat argumentum à maiori ad minus. Si enim corporis affectiones, ſanitas, robur, & pulchritudo, quæ magis harmoniæ videtur eſſe, quia in qualitatum temperatione partiúmque corporis cõpoſitione cõſiſtunt, harmoniæ tamen non ſunt, ſed harmoniam cõmitantur, in eáq. conſiſtũt, ſanitas in qualitatibus, robur in homogeneis partibus, pulchritudo in eterogeneis proportione conſtantibus; multò certè minùs fuerit anima.

Vbi verò dicitur (affectus & operationes) affectus putat eas operationes appellari, quę cõmunes toti coniuncta ſunt; operationes autem, illas, quæ ſolius animæ ſunt neq. in illis quidquã patitur corpus, qualis eſt contẽplatio & ſeparatorum intellectio. Potiùs credo affectus nominari perturbationes appetitus, quas vbiq. παθη appellare conſueuit: operationes autem, reliquas omnes actiones, nutrientes, ſentientes, mouentes, intelligentes.

Rurſùm in illis verbis (harmoniæ cuipiam) hoc etiam argumẽtum latere videtur. Si anima eſt harmonia, affectus quoq. illius, operationes, & verò facultates operationum principia, harmoniæ quæpiam erunt: at quænam harmonia ſit iraſcendi facultas, aut appetendi, aut ſentiendi, & omninò reliquæ partes & facultates animæ? Nùm fortaſsè dupla vel ſeſquialtera? Quòd ſi partes illius & facultates reſponderi non poteſt quænam harmonię ſint, prorſùs nec ipſa vniuerſa fuerit harmonia.

Deniq. tota hęc argumentatio, quæ, vt ait Philoponus, illa ipſa eſt, quæ in Eudemo fuit ſecũda, inde vim habet, quòd anima diuerſum quidpiam à corpore ſignificat; ideóq. affectus & operationes animæ in corpoream harmoniam nequeunt reuocari; ſicut ſanitas, robur, & pulchritudo, quæ in corporis temperationem & cõpoſitionem reuocantur: ſed in vitale principium velut ſubſtantiam à corpore diſtinctam.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ εἰ λέγομεν πῶς ἁρμονίαν εἰς δύο ἀποβλέποντες, κινεῖσθαι αὐτὴν φαμὲν καὶ μεγέθει. ἀλλὰ πῶς ἔχει κίνησιν ἡ θέσιν, πῶς σωθήσεται αὐτή, ἐπιδὴ οὕτω σωαρμόζουσι, ὥστε μηδὲν συγχεῖσθαι; ἀντίδυσις δὲ ἡ τῶν μεμιγμένων λόγων.

Præterea verò ſi harmoniam dicimus ad duos ſpectantes, proprijſſimè quidem magnitudinum, in habentibus motum & ſitum, compoſitionem ipſarum, quando ea ratione coaptantur, vt eiuſdem generis nihil admittant. Inde verò & permiſtorum rationem. Tex. 57.

COMMENTARIVS XCI.

4 *Argumentum.* QVartum eſt argumentum, quod Philoponus velut illius primi cõfirmationem eſſe voluit, in quo harmoniam accepit Ariſtoteles rationem quandam miſtorum aut compoſitionem eſſe. Hoc enim abſq. probatione acceperat; nũc verò ita eſſe demonſtrat. Ad hunc igitur modum ratiocinatur.

Harmonia quid. Harmoniæ vocem duobus ferè modis vſurpamus. Primùm & maximè propriè magnitudinum compoſitionem ſignificat: magnitudinũ inquam, non Mathematicarum mentéq. à corporibus abſtractarum; ſed quæ in corporibus hæreant motúmq. ac ſitum habeant: Motum, quo vna admoueatur alteri atq. inuicem cõponantur: & ſitum, quo ita diſponantur, vt eiuſdem generis nihil inter eas intercedat, indeq. proportio quæpiam exiſtat. Hoc ſiquidem cõpoſitio eſt; plurium ſcilicet permanentium, quæ ſitum inuicem ac poſitionem habeant, coordinatio. Quemadmodũ in oſſe, carne, neruo, atq. homogeneis cæteris partibus in animalis corpore: lateribuſvè, qui calce in eodem pariete copulantur: aut lignis pluribus in eodem abaco glutine iũctis. Propterea nãq. illa excluſit ſola, quę generis eiuſdẽ ſunt; quoniã nihil prohibet, quin diuerſi aliquid generis interponatur; immò perſæpè neceſſe eſt, vt ex pluribus vnũ quidpiã proportione conſtans efficiatur. Altero modo, qui ex hoc priori, à cõpoſitione videlicet ad permiſtionẽ deriuatus videtur, proportionẽ eam ſignificat, quę in qualitatibus permiſtis reperitur: & verò in permiſtione ſonorũ acuti & grauis in muſica, in quibus proportio ſeſquialtera, & ſeſquitertia, & aliæ plures conſiderantur. In quibus harmoniam per tranſlationem à magnitudinum compoſitione nominamus. Quippè miſtio quoq. quædam eſt contrariorum cõpoſitio, qua vnum ab altero non corrumpitur penitus & aboletur; ſed ita immutatur, vt ad cõmenſurationem reducatur. Alioqui nõ fuerit miſtio, ſed vt in 1. de ortu & interitu dicitur, vnius ortus & alterius interitus.

Porro in Iris Philoſophum quoq. dixeris ſuperiorem ſermonem quaſi corrigere aut certè explicare. Cùm enim antea rationem miſtorum primò nominaſſet, deinde compoſitionem; quòd in animali duntaxat corpore conſideraret vtramque vbi elementorum permiſtio antecedit, partiumquè ſimilarium & diſſimilarium ſequitur cõpoſitio: ſuſpicatus fortaſsè fuiſſes miſtionẽ maximè propriè harmoniã dici, minùs propriè cõpoſitionem. Secùs omninò rem habere declarat, potiúſq. à cõpoſitione admiſtionem traductam fuiſſe vocem.

At cur magis propriè cõpoſitio appelletur harmonia. An vt reſpondet Philoponus, quoniam ea ſignificatio frequentior eſt & notior? Nam eandem ob cauſam in categoriarum libro primâ ſubſtantiam primùm & maximè ſubſtantiã affirmauit dici. An potiùs quòd in magnitudinibus & quantitatibus maximè verſetur & agnoſcatur proportio, in qualitatibus potiùs quantitatum ſimilitudine atq. imitatione. Nam nec primæ ſubſtãtiæ ideò maximè ſubſtantiæ dicuntur, quod notiſſima ſint maximéq. frequens ea ſignificatio: ſed quod ſiue ſubſtantiã dicamus quod per ſe ſubſiſtat, ſiue quod accidentibus ſubſtet, vtrumq. illis maximè conuenit; immo ſecũdis ſubſtantijs nõ niſi beneficio primarum: & in propoſitionibus quoq. dum ſecundæ de primis dicuntur, hæ illarum ſubiectum ſunt. Homonyma igitur vox eſt harmonia; ideóq. multiplex eius diſtinguenda ſignificatio fuit, vt neutram animæ conuenire oſtenderetur. Si enim harmonia ſit, aut corporum compoſitio erit, aut qualitatum permiſtio: at neutrum eſſe poteſt; harmonia igitur non eſt.

TEXTVS.

ὑγιεστέρως μὲν οὖν ὁ λόγος· ἡ δὲ σωθήσεται τῶν σώματος μορίων λιαν' ὀιξέπαιος· πολλαὶ γὰρ σωθήσεις τῶν μερῶν ἀλλήλοις· οἷος ὅτ', ἢ πῶς ἐπαλαβεῖν χρὴ τοῦτ' σωθήσει ἔχει; ἡ δὲ τοῦ αἰσθητικόν, ἢ ὀρεκτικὸν, ὁμοίως δὲ ἄπορον ἐστὶν λόγον τῆς μίξεως ἔχει πλὴ ψυχῆς· αὐτὸν γὰρ τὸν αὐτὸν ἔχει λόγον ἡ μίξις τῶν στοιχείων καὶ ἑκάστου στερεῖ, ἐν καὶ ἑκάστου ὀστοῦ· σωθήσεται ἄρα πάντα ψυχὴν ἔχειν, ἐν χρὴ πᾶν τὸ σῶμα, εἰ ὅτε πάντα μὲν ὁμοίως μεμιγμένων, οὐ τῆς μίξεως λόγος, ἁρμονία δ' ψυχή.

Neutro

Text. 58. *Neutro igitur modo rationi consentaneum. Compositio autem corporis partium facile inuestigabilis. Multæ namque compositiones partium & multis modis. Cuiusnam igitur & quomodo accipere oportet mentem compositionem esse, aut & sensitiuum, aut appetitiuum.*

Similiter verò absurdum & permistionis ratione esse animam. Non enim eandem habet rationem elementorum permistio, per quam caro, & per quam os. Eueniet igitur, & plures habere animas, & per totum corpus: siquidem omnia quidem ex elementis permistis, permistionis verò ratio harmonia & anima.

COMMENTARIVS XCII.

ASsumptum propositæ ratiocinationis, quo animam accepit neq. compositionis harmoniam esse, neq. permistionis, ostendit: & quidem vtramq. illius partem duplici argumẽto. Etsi compositionem non esse, cõfici fortasse faciliùs possit, quàm nõ esse permistionem. Sic enim Simplicius & Philoponus vocem illam (ἀνεξέτασις) acceperũt, vt facillimam confutationem significet. Etsi enim ἐξετάζειν inquisitionem & examen habeat; inquisitionem tamen & examen confutatio sequitur & condemnatio, si probatum fuerit crimen.

Ergò illa verba (cõpositio autem corporis partium facilè inuestigabilis) duobus modis interpreteris. Primo, animam cõpositionem corporis partium esse facilè confutari posse. Secundo, cõpositionẽ in corporis partibus facilè animaduerti; animámq. compositionem non esse ita ferè confici. Compositio cõpositioniſq. harmonia in partibus corporis, tum ad inuestigandum, tum ad explicandum, facilis est: ipsa per se manifesta sensibúsque conspicua existit. Nam si homogeneas spectes, facilè apparet ordo & proportio ossium ad ossa, neruorum ad neruos, aliarúmq. omniũ, cùm inter se, tum cum alijs similibus partibus: & in eterogeneis quoq. videas proportionem digitorũ ad reliquam manum, manus ad brachium, capitis ad humeros & thoracem, frontis ad nasum, nasi ad mentum; ac reliquarum non minùs. At in anima partibúsq. illius, cùm ipsa sensum effugiat omnem, nõ apparet neq. iudicari potest ac doceri, quænam proportio, quis ordo, quæ compositio sit. Si mentem, sensum, appetitũ, cæteráſq. animæ partes consideres (quippè ex pluribus partibus compositio constat) haud poteris dicere quænam sit, vel singularum vel omnium simul compositio & ordo. Et hæc quidem vna mihi videtur esse probatio.

Altera verò. Multæ sunt partium cõpositiones, & pluribus ac diuersis modis: alia inquam ex homogeneis partibus, alia ex eterogeneis: alia rursum in eterogeneis cõpositio manus, alia brachij, alia thoracis, alia capitis, alia ventris: alia item cordis, alia pulmonum, alia iecoris. Singulorum namque membrorum & cuiusq. eterogeneæ partis propria est & specialis ex alijs atq. alijs, aut certè alio atq. alio modo, magnitudine, figura, situ, & numero affectis homogeneis compositio. Quare quàm multæ cõpositiones sunt, tam multæ erunt in vno viuente animæ; si anima compositio sit: atqui vna est in singulis anima; anima igitur partium compositio non est.

Deinde alteram assumpti partem duplici item ratione concludit. Prior hoc ipsum de permistione adfert, quod de compositione dictum est. Non est vna elementorum in omnibus partibus permistio, nec eadem permistorũ ratio; ideſt proportio: sed tã multiplex ac diuersa, quã multæ sunt atq. inter se diuersæ partes; alia carnis alia ossis, alia nerui; alia venæ aut arteriæ. Si igitur anima permistio sit, totfuerint animæ, quot permistiones; nec modò in corpore toto, sed & in singulis membris atq. eterogeneis partibus, quæ ex pluribus homogeneis constant. Atqui vt ex omnibus illis partibus vnum coalescit corpus & viuẽs vnum subsistit; sic vnam totius formam esse oportet; anima igitur permistio non est. Quem locum illi cõsiderent, qui plures in eodem viuente animas ponunt. *Vna in vno viuente anima.*

Posterior autem ex eo ducitur, quòd elementorũ permistio latiùs patet pluráque multò complectitur, quàm anima: siquidem corpora omnia præter elementa simplicia ex elementis permistis constãt, lapides, metalla, & mineralia omnia. Atsi anima elementorum permistio foret, cuncta hæc haberẽt animam. Quàm igitur certum est plurima eorum, quæ permista sunt, animata non esse; tam esse debet animam permistionem non esse.

Itaq. verba illa (siquidem omnia quidem ex elementis permistis) duobus modis licet accipere: aut de osse, carne, & cæteris animalis corporis partibus, quarum non eandem dixerat esse elementorum permistionem: aut de omnibus corporibus præter elementa. Si priorem interpretationem acceperis, altera hac probatione Aristotelicam confirmationem priuabis: sin posteriorem, ditiorem illam omninò & locupletiorem facies.

TEXTVS.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις τοῦτο καὶ παρ' Ἐμπεδοκλέους. ἕκαστον γὰρ αὐτῶν ὁ λόγῳ τινὶ οὐσίαν ἔχει. πότερον οὖν λόγος ἐστὶν ἡ ψυχὴ, ἢ μᾶλλον ἕτερόν τι οὖσα ἀγίνεται τοῖς μέλεσιν, ὅ τι ὂ πότερον ἡ φιλία τῶν ψυχῶν αἰτία μίξεώς, ἢ τοῦ κατὰ τὸν λόγον, ἢ αὕτη ποτέρα ὁ λόγος ἐστὶν, ἢ παρὰ τὸν λόγον ἕτερόν τι.

Quærat autem quispiã hoc & ex Empedocle. Vnamquamque enim ipsarum in ratione quadã aut esse. Num igitur ratio est anima, an potiùs aliud quidpiam existẽs ingeneratur membris? Rursum verò num amicitia cuiusuis mistionis causa, an eius, quæ secundum rationem? Et hæc an ratio est, an præter rationem aliud quidpiam? Text. 59.

COMMENTARIVS CXIII.

INter cæteros, qui animam harmoniam esse inquiebant, duo fuerũt Empedoclis propria pronuntiata. Alterum, rerum omnium principia elementa esse quatuor, ignem, aërem, aquam, terram. Alterum, amicitiam congregando & litem secernendo ac dissipando efficientes rerum omnium causas esse. Ergo cùm is animam quoque ex elementis permistis cõstare credidisset; ideóq. distinctè magis, quàm cæteri fortasse, elementorum permistionem eam esse confirmasset; post generalem totius opinionis, quę harmoniã esse docuerat, confutationem, peculiarem hanc ab Aristotele accipit confutationem. In qua priori membro relicto, animam esse harmoniam illam, quæ in cõpositione partium consideratur, tanquam nulli probato; insistit alteri, quod distinctis maximè atque apertis verbis ab Empedocle prædicabatur. *Contra Empedoclem.*

1. Argumentum.

Tribus autem argumentis hominem vrget. Primò enim quoniam is vnamquãq. corporis partem aut etiam corpus vnumquodq. (vtroq. siquidem modo interpretari licet vocem illam, ἕκαστον; aut inquam ἕκαστον σῶμα, aut ἕκαστον μέρος) in proportione quadam permistorum elementorum inquiebat consistere: aut anima est formaliter hæc ipsa permistionis proportio, aut potiꝰ aliquid aliud, quod permistionem proportionémque consequatur. Si primum voluit Empedocles, priora repetêtur absurda; tot tamq. diuersas in eodem viuente animas esse, quot & quàm diuersæ atq. interdum contrariæ sunt permistiones proportionésq. Atque adeò corpora omnia mista habere animam. Quòd si alterum maluit. Iam anima harmonia non erit (harmonia namque proportio est) sed aliquid harmonicè permisto adueniens corpori.

2. Secundò, quoniam Empedocli congregationis ac permistionis causa fuit amicitia, lisq. disgregationis ac separationis; quæri potest, num amicitia permistionis cuiuslibet causa sit, an illius duntaxat; quæ proportione cõstet. Si cuiuslibet, sanè aliquid aliud esse oportebit proportionis, & harmoniæ causam in ijs, quæ proportione & harmonia constant. Et contra si solius proportionatæ, alia fuerit non proportionatæ causa: cùm ipse tamen solam vbique nominet amicitiam.

3. Tertiò de amicitia quoq. ipsa, quæ proportionatæ permistionis causa esse dicitur, quærendum est, num illa idem sit ac proportio, an aliquid aliud à proportione diuersum. Idem enim esse non potest; quoniam nihil sui ipsius est causa. Et cùm nihil absq. efficiente fiat, quænam fuerit mistionis efficiens causa? Neq. diuersum: quia proportio conuenientiam significat; nec aliud est amicitia, quàm conuenientia quædam.

Quamquam Aristoteles non tam his argumẽtis vrgere videtur hominẽ, quàm sisci tari multa, quæ non satis ab eo fuerant explicata: vt ostendat minùs accuratè illum de viuentium ortu ac natura dixisse, compluráque omisisse, quæ necessarium sit cognoscere. Quod sequentia quoq. verba fortasse significabunt: quibus se non tam argumentatum fuisse, quàm dubitationes mouisse significat.

A harmoniam esse. Nam quæ de Empedocle dicta sunt, aut per digressionem quæsi (vt Philoponus inquit) dicta sunt; aut velut totius illius opinionis appendix quæpiam.

Iam verò quoniam in tex. 54. opinionem eam dixit probabilem videri compluribus, nec aliarum vlla inferiorem: duo probabilitatis huius argumẽta subiungit; Alterum, quòd dum in animaliũ corporibus corrũpitur caro, eiúsq. permistio ac temperatura dissoluitur, cæterarum quoq. partium natura & omninò anima perit: nihil igitur aliud, quã permistio illa & tẽperies, videtur anima esse. Carnem autem potiùs, quàm cæteras partes, nominat; aut quòd ea in corpore plurima est, omnibúsque conspicua & nota: aut quòd faciliùs & citiùs putrescit, quàm ossa, nerui, arteriæ ac solidiores cæteræ partes.

B Tribus autem modis illa verba (aliarũ item animalis partium) Græcè legi possunt. Aut sine articulo (καὶ πῆς ἄλλοις μορίοις) aut cum articulo τῷ (καὶ τῷ πῆς ἄλλοις μορίοις) aut demùm cùm articulo τὸ (καὶ τὸ πῆς ἄλλοις μορίοις.) Si absq. articulo aut cum articulo τῷ legeris, sententia erit, carni simul ac cæteris partibus pereuntibus perire simul animã. Si verò cum articulo τὸ, pereunte carne cæteras quoque simul partes & animam interires. Magis autem postrema hæc lectio probanda est. Quoniam certum est

C non simul carnem ac partes cæteras interire, sed carnem priùs ac citiùs, quàm cæteras. Partes porrò homogeneas potius, quam eterogeneas, nominat, quoniam vt hæ cõponuntur ex illis & constant, sic ex illarum salute atq. incolumitate harum salus & incolumitas pendet. Estq. Philosophi argumentum de integris & totis partibus accipiendum. Quapiam siquidem homogenea tota parte corrupta totum animal perit, quoniam omnes illi necessariæ sunt. Aliquæ tamen eterogeneæ, externæ præsertim, vt manus aut pes, perire animali possunt, nec tamen peribit ipsum.

D Possunt & illa verba hoc modo accipi, vt caro partes homogeneas, aliæ verò partes, eterogeneas & instrumentarias partes significent, hęcq. sit sententia, pereuntibus homogeneis partibus perire eterogeneas, corporéq. organico dissoluto animã interire. Quamquàm nõ absolutè carnem & partes cęteras perire dixit, sed esse carnis & aliarũ partium, & ideó nec animal, sed esse animalis: quia nõ perit materia, sed sola forma, tum partium, tum totius.

Alterum argumentum prioris quasi conuersum videtur esse. Priori enim ex eo, quòd pereũte corporis temperatione perit anima, animam corporis temperationem esse conficiebat. Hoc autem posteriori contra ex eo, quòd anima recedente corporis tẽperatio atq. harmonia dissoluitur, animam item concludit corporis tẽperationem & harmoniam esse. Si partes singulæ non habent animam, hoc est, vt ipsemet interpretatur, si anima non est harmonia & permistionis ratio ac proportio (ex hoc enim in superiori confutatione deducebatur singulas partes habituras animã, quia permistionẽ & harmoniam habent) quid est, quod corrumpitur abeunte anima? Sanè aliquid corrumpi necesse est, dum interit animal: ideò verò dicitur interire, quòd anima destituatur, quę adferebat vitam: at nihil aliud, quàm corporis temperationem atque harmoniam, dissolui apparet, anima igitur hoc ipsum est.

Digressio

TEXTVS.

Ταῦτα μὲν οὖν ἔχει πίστιν λογικήν. εἰ δ' ἔστιν ἕτερον ἡ ψυχὴ τῆς μίξεως, ἢ ὃ μὴ πότ' ἄμα τῷ σπορχεῖ αἰωρεῖται, ἢ τι τῆς ἄλλοις μορίοις τῶν ζώων, ὥσπερ ὁ τοῦρις, ἕτερον μὲν ἕκαστον τῶν μορίων ψυχὴν ἔχει, εἰ μὴ ἔστιν ἡ ψυχὴ ὁ λόγος τῆς μίξεως, τί ἔστι ὃ φθείρεται τῆς ψυχῆς ἀπολιπούσης.

Tex. 60. *Hæc igitur eiusmodi habẽt dubitationes. Si verò aliud est anima, quã permistio, cur simul atq. carni esse tollitur, aliarum item animalis partium tollitur? Ad hæc autem siquidem non habent singulæ partes animam, si non est anima permistionis ratio, quid est quod corrumpitur anima deserente?*

COMMENTARIVS XCIV.

PRima huius sermonis verba, quibus propositas dubitationes concludit, aut ea respicere possunt, quæ proximè aduersus Empedoclem speciatim dicta sunt, aut superiorem potiùs totam cõfutationem illius opinionis, quæ animam inquiebat

Digressio XIII. *Quanta sit Aristotelicæ huius disputationis necessitas.*

Hæc argumenta tanquàm leuia & quæ à quolibet facilè explicari possent, contempsit Aristoteles & absque solutione dimisit. Propterea namq. illa eueniunt omnia, quoniam non potest forma in materia absq. necessaria dispositione consistere. *Propositarum obiectionũ explicatio.* Quare vt anima dispositione producta corporéq. organico absoluto producitur; sic ea ipsa dissoluta qualitatum organicique corporis temperatione recedit ac deserit corpus, aut etiam penitus interit. Itaque propositio illa (quæ simul producuntur simul vè intereunt, idem sunt) fallax est: sitque persæpè, vt vnum alterius causa sit, aut quidpiam sine quo aliud consistere nequeat. Cúmque anima sit actus corporis naturalis organici, temperationem corporis postulat, qua dissipata, nequit ipsa consistere. Et anima rursum deserente corpus temperatio dissoluitur. Tùm quia propter ipsam ita fuerat temperatum corpus, velut subiectum & organum futurum animæ; cessantéque illius vsu & fine frustra esset in natura. Tũ quia ab ipsamet fouebatur anima & conseruabatur, continentérque reponebatur id, quod ab hostilibus & contrarijs causis consumebatur.

At enim quàm necessaria sunt argumenta illa, quibus veterum illam opinionem Aristoteles confutauit? Sanè dùm ipsemet probabilem esse opinionem anteà dixit, confessus est necessaria argumenta non esse. *Aristotelis rationes necessarias nõ esse.* Primùm quidem certè in tex. 55. propositum petere videtur principium, dum animam accipit esse substantiam. Negabit enim is, qui harmoniam esse contendet, dicétque nec substantiam esse, nec vnum aliquod & simplex accidens, sed permistionem plurium ac temperationem. Et fortassè vt in Commentario 88. significauimus, affirmabit esse quid vnum primarium ac pręcipuũ, nempè calorem, quem vitalem nominamus; pluribus tamen alijs permistum ac temperatum, taliq. modo affectum. Philosophus verò substantiam esse accepit, quoniam communi omnium hominum existimatione ac notitia animata corpora substantiæ species iudicantur, quæ per substantiæ formam constituatur atq. à cæteris distinguatur. Cui respõderi posset, substantias esse propter materiam; distinctas verò propter temperationem huiusmodi, quam appellamus animam.

Alterum argumentum in eodem tex. 55. ex motu desumptum est; verum temperatio illa ex alterationis quidem oritur motu, quo contrariæ qualitates pugnarunt atq. ad mediocritatem & proportionem redactæ fuerunt: aut etiam locali, quo ad mistionem elementa cõuenerunt. At illa ipsa principium est aliorum motuum, qui in viuentibus insunt: neq. nutritionis modò, sed & aliorum, vel etiam incessus; quatenus temperatio illa & maximè calor, in membro fuerit atq. organo ad quempiam illorum motuum efficiendum idoneo. Et nonnè illi ipsi, qui animam aiunt esse substantiã, fatentur eam non immediatè & seipsa, sed per accidentarias facultates & calorem generale ipsius instrumentum, cuncta operari?

Ad tertium argumentum in tex. 56. explicatum in promptu esset respondere, ostendendum fuisse, affectus & operationes animæ harmonię non conuenire, neque proficisci aba posse. Secùs enim ille contendet, qui patronus eius esse voluerit: & quę cumq. proponentur, oriri ducit ex hac caloris atq aliarum qualitatum proportione. Neq. impossibile, sed difficile dixit esse Aristoteles in hanc referre causam, modò intelligendi vim diuinioris esse naturæ concedatur semper: sed hæc in solo homine ex vniuerso animalium genere reperitur.

In quarto argumento, quod tex. 57. & 58. continetur, animam fatebimur partium corporis compositionem non esse. Contedemus tamen temperationem esse, non primarum modò elementariũ qualitatum, quam Aristoteles appositè satis confutauit; sed natiui caloris cum qualitatibus cæteris. Si enim is vnam animam ponit actum totius corporis & diuersarum illius partium diuersis planè modis dispositarũ: quidni ponatur etiam vnus calor in diuersis partibus alio atq. alio modo temperatis (quod ille ipse fatebitur) velut vna anima in singulis alio atque alio modo affecta, & pro diuersitate partium diuersas promens operationes?

Denique quæ in tex. 59. Empedocli fuere proposita, propriæ sunt illius difficultates, qui animã putauerat ex elementorum permistione constare. At nullæ sunt illi, qui natiuum calorem inquiat ità affectum. Respondebit enim, neque formaliter proportionem esse; neque aliud quidpiam ex proportione ortum: sed calorem ità cum omnibus alijs temperatum ac proportionatum.

Non absimilis erit responsio ad argumenta illa, quæ ex Platonis Phædone atque Aristotelis Eudemo complexi sumus in Commentario 89. Namq. dum animã corpore antiquioré esse accepit Plato, id sanè pernegabit, vel ab Aristotele ipso & Peripateticis, qui eam fatentur esse substantiam: dicentque in tex. 16. lib. 12. Metaph. efficientem quidem causam ac mouentem antecedere posse; at formam non item, sed simul esse cum eo, cuius est forma: materia potiùs antecedit formam, quæ ex illius potestate educi aut in ea certè susci pi deber. *Anima aũ corpore prior.* Quoniam tamen prius multis modis dicitur, animam dabitur corpore priorem esse intentione naturæ, quæ corpus format ac præparat propter animam: aut etiam quoquo modo perfectione, quòd forma præstet materiæ; & illa sit actus, hæc potestas. Et entitate melius sit corpus, velut substantia; quàm calor, qui est accidens. Verùm illi ipsi, qui animam contendunt esse substantiam, corpus fatebuntur eatenus præstare animæ, quatenùs completa & perfecta substantia est, animaque incompleta & imperfecta.

Dum verò animam idem ipse Plato, imperium habere ait corpus, illique aduersari; proprium id est intelligentis animæ, quam diuinorem naturã esse fatebimur. Animam item non susci pere magis & minùs, ab eo supponitur, qui eam existimet esse substantiam: ab alio negaretur, qui præsertim dispositiones omnes atque operationes, & quęcumq. penitus subsunt sensibus, modò perfectiora cerneret, modò imperfectiora.

Postremo dùm anima virtutis dicitur vitijsque capax esse; intelligatur id rationalis animæ propriũ esse, neque ad vniuersam animæ naturã pertinere.

Sed si harmonica in alteto argumento accipiatur susci pere magis & minùs, sanè harmonia constante offensio aliqua cõsonantiæ accidet, atq. dissonãtiã susci piet nonullã. Quare vt certã fatebitur.

Peripateticus latitudinem aliquam esse, intrà quã variari ceterarum formarum dispositiones absq. illarũ interitu possint; sic aliqua poterit anima persistente variatio temperationis caloris cùm qualitatibus cæteris fieri.

Iam verò in Eudemo quoq. dum acceptum est animę nihil esse contrarium, ex eo deriuatum est, quod eam esse substantiam ponebatur. Dum autem elementorum temperationẽ sanitatem esse obijcitur; verum id sanè est, si in ordine ad rectam & conuenientem animali operationem consideretur. At eadem illa in ordine ad subiectum, quod actuat & perficit, vita illius erit & anima. Et elementarium quidem qualitatum temperatio est sanitas: at animam non has solas, sed calorem magis natiuum esse respondebimus ab elementaribus & alijs omnibus qualitatibus certo quodam modo in tali corpore affectum ac temperatum. Et Alexander quoq. alijq. complures Peripatetici nonnè calorem & alias similes elementares qualitates, vt cũ altera sibi socia qualitatte iunguntur, simplicium illorum corporum formas esse voluerunt? Quid igitur reclamabunt, si quis cæterorum quoq. corporum meliorem aliquam qualitatem cum alijs pluribus iunctam ac temperatam formam esse dicat? Etquidẽ in animatis ac viuentibus caloré illũ, quẽ ipsemet eorũ Dux Aristoteles in c.3. libri 2. de animaliũ ortu elemento stellarũ dixit respondere.

Et hæc quidem hactenus probabiliter sint disputata, vt intelligatur, sapienter omninò ab Aristotele dictum illud fuisse, opinionem eam, quæ animam asseruit harmoniam quampiam esse, probabilitate sua non carere, cęterisq. veterum opinionibus anteponendam esse. Alioqui cum Peripaticis standum est, omnem animam esse substantiã. quod id & illius naturæ ac dignitati, viuentiúmq. operationibus; atq. ijs demùm omnibus, quæ de materia & forma, déq. entium principijs & eorum distinctione, in tota philosophia iam sunt ab omnibus recepta, consentaneum sit.

TEXTVS.

ὃ μὲν οὖν δὴ ἁρμονίαν οἷόντε εἶ πὼ ψυχὼ, οὔτε κύκλω ἀνειφέρεσθαι, δῆλον ὁτι ἔξ ἐπιμιξίων· κ᾽ συμβεβηκός ἢ κινεῖσθαι, καθάπερ εἴπαμεν, ἔστι δ᾽ κινεῖν ἑαυτὸν. οὐ κινεῖσθαι μὲν, ἐφ᾽ ὅτ᾽ πότ᾽ ἢ κινεῖσθαι λέγω τῆς ψυχῆς, ἄλλος δὲ οὐχ οἷόντε κινεῖσθαι κατὰ τόπον αὐτὸν.

Text. 61. *Quod igitur non possibile harmoniam esse animam, neq. circulo conuerti, manifestum ex dictis. Ex accidenti autem moueri (vt diximus) est & mouere seipsam. Quemadmodũ moueri quidẽ id, in quo est, hoc vero moueri ab anima. Aliter autẽ nõ possibile ipsã moueri loco.*

COMMENTARIVS XCV.

HÆc neq. obscura sunt, neq. quidquam continent singulare. Longiore igitur commentario non indigent. Superioris totius disputationis conclusio est, qua demonstratum esse conficit animam nec harmoniã esse nec in orbẽ moueri. Vndè intelligas consentaneum Aristoteli esse id, quod in superioribus diximus, harmoniæ confutationẽ ad Platonem quoquomodo pertinere. Etsi enim is nusquàm dixerit animam harmoniam esse, harmonicis tamen eam numeris constare dixit. Propterea nunc Philosophus quasi vnicam disputationẽ concludit; & nõ moueri animam in orbem, quod Platonis proprium fuerat, & harmoniam nõ esse, quod illi cum alijs quoquomodo commune. Moueri tamen abdit ex accidenti, quod anteà etiam dixerat in tex. 41. 42. 43. & 45. quoniã dũ mouetur corp", in quo ipsa est & mouetur ab ipsa, illã simul moueri eo moto necesse est. Alio autẽ modo, hoc est perse, vt veteres illi voluerant, omnino moueri loco non potest: siuè recto motu, vt Democrito placuit: siuè in orbem, vt Platoni Timæóque.

Quod autẽ locali solo motu moueri eam ex accidẽti ait Philoponus: neq. enim augeri neq. minui, quoniam incorporea est: de sola intelligente anima verum est: cæteræ corporeæ cum sint & materiales, ex materiæq. potestate eductæ, & augentur aucto corpore, & minuto minuuntur, & verò alterato alterantur. Philosophum tamen nunc fateor de solo locali motu loqui, dum cum veteribus illis agit, qui de hoc solo fuerant loquuti, cùm animam dixerant seipsam mouere.

Quarè dum Simplicius in huius disputationis conclusione subiungit, vbi ostẽsum fuit, immobilẽ esse animã, ostensum simul fuisse incorporeã & impartibilẽ esse: vbi verò harmoniã nõ esse; confectũ eam nõ ità incorpoream esse, vt accidẽs sed vt substantiam principémq. ac primariam substantiam. In alterò minùs cautè loquutus videtur: quippè nõ omnis anima, sed sola intelligens incorporea est & impartibilis cæterę corporeæ atq. ex accidẽti partibiles; quià ex corporis potestate eductæ, cum eóq. extensæ. In alterò fortasse verius: nisi quòd propositum in his philosopho non fuit de anima quidquam statuere; sed confutare aliena: magisq. quid non sit, quàm quid sit ostendere.

De Animæ motu iterata Disputatio. CAP. XI.

TEXTVS.

Εὐλογώτερον ἢ ἀπορήσειεν ἄν τις ὧδε αὐτῆς, ὡς κινήσεις, εἰ τῶ παύσα ἀποθλεψας φάμεν᾽ ὸ πὼ ψυχὼ λυπεῖσθαι, χαίρειν, θαρρεῖν φοβεῖσθαι, ἔτι δὲ ὀργίζεσθαι· καὶ αἰθάνεσθαι, ἢ ἄλλω τινὶ τῶν παθῶν· ὅσα ἢ δοκεῖ σὺν. ὅθεν ἀνήκοι τις ἂν αὐτὼ κινεῖσθαι.

Magis autem rationi consentaneè dubitauerit quis? Text. 62. *Piã de ea velut motas si ad hæc respexerit. Dicimus namq. mouere animam, gaudere, timere, & verò etiam irasci, & sentire, & ratiocinari. Hæc autem omnia motus esse videntur. Quare existimauerit quispiã vtiq. ipsã moueri.*

COMMENTARIVS XCVI.

SVperioris disputationis conclusio iterandę disputationis occasio fuit: diligentiúsq. rursum examinandi, an omninò anima per se moueatur. Itaque orationem, quæ comparationem continet (magis inquit rationi consentaneè) tribus modis in mentem venit interpretari. Primùm respiciendo illud paulò superiùs dictum (circulo conuerti) Deindè proximà illa (aliter non possibile ipsam moueri loco) quæ de motu per se interpretati sumus. Eritq. sententia hæc; Magis rationi consentaneè crediderit quispiã moueri animã, cùm mœret, gaudet, alijsq. huiusmodi affectibus agitatur, aut cũ sentit, vel ratiocinatur: quàm fuerit ab illis creditum, qui motum in orbem aut alium quemuis localem perse illi tribuerunt. Aut tertiò respicere possumus subsequentia; & quod nunc dicitur (εὐλογώτερον) referre ad illud (ἀλογώτατον) quod in tex. 67. subiungetur. Eritq. bipartita hæc iterata disputatio; partim cum ijs, qui probabili ratione contrà

superius

superiùs definita dubitarunt: partim cum illis, qui contrà eandem rationem animam dixerunt esse numerum se ipsum mouẽtem; non iam in orbem, sed animali prorsus motu recto. Ac prioribus quidem satisfiet dubitationem illam explicando; posteriorum verò positio falsa esse adductis argumentis conuincetur.

A καρδίαν ἀδὲ κινεῖσθαι. τὸ δὲ ἡδύνοεῖσθαι, ἢ τοιοῦτον, ἴσως δὲ ἕτερον τ. τούτων δὲ συβαίνει τὰ μὲν κατ' φαντασίαν τινὰ κινεῖσθαι, τὰ δὲ κατ' ἀλλοίωσιν. πᾶσα δὲ ἡ πᾶσα, ἕτερός ἐστι λόγος.

Hoc autem non est necessarium. Si enim vel quod maximè mœrere, aut gaudere, aut ratiocinari motus sunt, & horum quoduis moueri, moueri verò est ab anima, vt irasci aut timere, eo quod cor ità moueatur. Ratiocinari autem vel tale, fortasse autem aliud quidpiam. Horum verò accidunt, quædam quidem quibusdã latione motis, alia vero alteratione. Quænam autem & quomodo, alia est ratio. Text. 63.

COMMENTARIVS XCVII.

B PRoposita dubitationem explicare agreditur. Sed hæc omnia, quæ hoc orationis contextu continentur, suspensam habere sententiam putat Philoponus, quousq. verba illa reddantur (Dicere autem animam irasci &c.) Tunc autem Philosophi responsionem fore; minimè necessarium argumẽtum ex actionibus illius duci. Nam etsi mœrere, aut lætari, aut ratiocinari, maximè demus esse motus, sicut tamen animam non dicimus texere vel ædificare, sed hominem totum, ità nec ipsam dicemus mœrere aut lætari irascivè, sed hominem totum: neque ij sunt animæ motus, sed hominis totius per animam.

C Quæ interpretatio multò magis accommodata est, quam Simplicij illa, duplicem vbi que animam seu vitam cogitantis, absolutam sententiam esse, cuius prior pars ad formatricem instrumenti pertineat animam, posterior ad motricem seù formato instrumento vtentem. Ac primùm quidem probari formatricem animam moueri, quoniam mœrere ac lætari motus sunt, vel etiá ratiocinari, quià si homo est animal rationale, erit eius formatrix anima rationalis, cuius rationatio erit motus seù moueri: quorum alterum putat purum ac simplicem actum significare, alterum actum participatum. Deindè verò vbi dicitur (Moueri verò est ab Anima) à formatrice ad vtentem seù motricem fieri transitum. Hancq. ipsam moueri ostendi, secus tamen, quàm formatricem. Quoniam hæc est quasi principium, à quo proficiscitur motus, illa velut principium, secundum quod mouetur animal. Quippè non mouetur vt corpus, sed vt vitale corpus atque ab anima formatum, factumq. idoneũ vtentis ac mouentis instrumentum. Altera est vt efficiens, altera vt subiectum subiectiuè dispositio. Illius motus non permiscetur ei, quod est moueri, quià nec corpus est, nec formatrix corporis: huius verò permiscetur, quoniam eius functio corporeis motibus implicatur, dum ipso corporis formatrix est.

Anima formatrix, & motrix instrumẽti.

Viuentiũ actiones bipartitæ.

Sanè verò sapienter Simplicius viuentium actiones bipartitò diuidit; vt quędam corpoream magis referant naturam vt augmentum & incessus, aliæ magis vitalem, vt sensiones & voluptates, cæteriq. affectus. Nam incrementum in quantitate versatur, & incessus ad locum est; quorum vtrumq. corporeum est & corporum proprium. Sensiones autem & affectus versantur in anima. Quippè sensiones sensiliũ compræhensiones sunt, quorum locus & sedes anima: affectúsque animæ cõmotiones existunt, quæ sensuum compræhensiones comitantur. Et augmentum quidem & incessus ab anima transeunt ad corpus; sensiones & affectus immanentes in ipsa sunt, nec foras prodeunt. Quare magis rationi cõsentaneum est hos, quàm illos, attribuere animæ.

D At parum omninò accommodatè interpretatus est idem Simplicius illa verba (dubitauerit quispiã de ea velut mota) de illa animæ parte, quæ est mota, hoc est passiuũ mouendi principium, per quod viuit corpus viuaciterq. mouetur; probabiliùs dubitari an moueatur. Hæc enim vt corporis viuaciter moti actus existens, videbitur fortasse & corporis à se determinati passiones susciperе. Veram namq. verborum illorum sententiam iam diximus esse, probabiliùs dubitari posse, num anima moueatur, si actiones eæ spectentur, quæ illius esse creduntur. Nam quod de duplici anima tum instrumenti formatrice, tum illius motrice, dicitur; proprium est Simplicij commentum ab Aristotele nunquàm cogitatum, vt in superioribus quoq. ad notauimus.

E At hęc minùs omninò Aristoteli consentanea sunt. Nec solùm quod, vt sępé dictum est, nunquàm is duplicem illam animam, seu vitam cogitauit: neq. sua nunc statuit, sed aliena confutat: verùm etiam quòd hoc non esset propositam dubitationem soluere, vt illa pollicentur verba (Hoc autem non est necessarium) sed magis confirmare ac stabilire: si animam ità moueri fateretur, & quidẽ tum formatricem tum motricem.

Vniuersa igitur hęc sententia suspensa est. Facilè, inquit, proposita dubitatio solui potest. Nam etsi vel maximè demus mœrere, lętari, & ratiocinari, motum quendam significare, & horum quoduis esse motum: ac rursum omnem motum, qui in

TEXTVS.

Τὸ δὴ δεῖν αὐτὸ κάμπτον εἰ τὸν ᾧ ὅπερ μάλιστα τὸ λυπεῖσθαι ἢ χαίρειν, ἢ ἔστι τοιαῦτα κινήσεις εἶναι, καὶ ἕκαστον κινεῖσθαι τούτων, τὸ δὲ κινεῖσθαι δεῖν ἴσως τῆς ψυχῆς. οἷον τὸ ὀργίζεσθαι, ἢ φοβεῖσθαι, ἢ πρὸ

viuentibus cernitur, ab anima proficiſci; conſequens tamen nō eſt, vt ſtatim dicetur, moueri animam. Interim exponit quomodo hæc ſint motus: quoniam, inquit, cor ità mouetur, neq. ſine aliqua cordis motione perficiūtur in nobis illa. Mouetur autem cor, aut latione, aut alteratione aut interdū vtraq. Namq. aut caleſcit ſanguis & feruet, aut refrigeratur & ſubſidet, aut ad exteriora effunditur, autad interiora reuocatur; corq. hoc aut illo modo palpitat. Quæ pluribus perſequi alterius eſt loci. Nunc generalis hæc & qualiſcumq. cognitio ſatis: neq. immotandum aut digrediendum, vt quæ partes & quomodo, an latione, an alteratione, an vtraq. in affectibus ſingulis cōmoueantur, accuratè magis & enucleatim explicetur.

Vt cor in affectibus anima moueat.

Quamquàm & in his non ſuſpenſam, ſed abſolutam dixerim contineri ſententiam. Videtur enim Philoſophus indicare rationem, cur hi motus attribui animæ tanquàm illius proprij non poſſint; ſed corpori potius ab anima. Quoniā certa quadā & conſtituta corporis parte perficiantur. Ira & affectus cæteri corde, quod membrum Platoni quoque placuit cupiditatis ſedem eſſe ac domicilium: ſenſióq. omnis determinato vtitur organo. Anima ſentiendi principium duntaxat eſt, iudicátq. quidpiam ira, timore, lętitiavè dignū eſſe. Neq. iudiciū, inquit Themiſtius, motus eſt, ſed quies & trāquillitas potius, vt in t. 48. dicebatur. Sed operatio per corporis organū exercetur: in quo demùm lationis aut alterationis motus apparet; vt in ira palpitatio cordis & ſanguinis feruor atq. ad exteriora effuſio. De ſola ratiocinatione ſpecialis difficultas; de qua nunc definire nō placet, quià nihil ex proprtia ſententia ſtatuitur. Sed aut hęc quoq. eiuſmodi quidpiā eſt, quale viſus eſt cogitaſſe Plato, dū intelligētem animā collocauit in capite; & Philoponus nō ſinè cerebri motu ratiocinationē fieri dixit; ideóq. illorū, qui ratiocinātur & cōmentātur, immutari vultus. Aut fortaſſe aliud quidpiā diuinius ac melius, quod abſq. vllo corporis organo fiat, atque in ſola reſideat anima, nec motus appellari queat, quod poſt examinandū fuerit. Sic enim meli⁹ multò interpretaberis, quū Philoponus; vel tale eſſe, hoc eſt lationē, qua cor palpitans mouetur in ira; vel aliud quidpiā, hoc eſt alterationem. Nam non ſolùm de intellectu & intellectione pluribus alijs in locis eodē modo loquutus Philoſophus eſt, in quibus verba illa (aliud quidpiam) meliorem ac diuiniorem conditionem ſignificant. Verùm etiam in ira & affectibus pluribus ipſomet conſeniente Philopono, tum latio, tùm alteratio adſunt. Et vt interdum demus ob multam phantaſiæ operam atque agitationem cerebrum ratiocinantis & faciem alterari, plurima tamen eſt abſq. alteratione ratiocinatio: vt in eo, qui ex habitu promptam atq. expeditam habeat ratiocinandi poteſtatem: aut ſi quę intellectio non interuentu phantaſiæ fiat. Aut ſi localis motus ſpiritus accurrentis adſit, is ad phantaſiam, non ad ratiocinationem, pertinet.

Ratiocinatio an fiat cum motu corp. cor.

TEXTVS.

Τὸ δὲ λέγειν ὀργίζεσθαι τὴν ψυχὴν, ὅμοιον καὶ εἴ τις λέγοι πλεῖν ψυχὴν ὑφαίνειν, ἢ οἰκοδομεῖν. βέλτιον τάχ' ἴσως. μᾶλλον λέγειν τὸν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ μανθάνειν, ἢ διανοεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον τῇ ψυχῇ.

Text. 64. *Dicere autem animam irasci, ſimile ac ſi quis dicat animam texere, aut ædificare. Melius namq. fortaſſe non dicere animam miſereri, aut addiſcere, aut ratiocinari, ſed hominem anima.*

COMMENTARIVS XCVIII.

SI ſuperior oratio fuit ſuſpenſa, his verbis tandem abſoluitur atq. concluditur; etſi mœrere, lætari, & ſimilia, motus eſſe daremus, eos tamen attribuendos animæ non eſſe, ſed toti homini. Vt enim animam non dicimus texere aut ædificare, etſi anima texendi atq. ædificandi principium ſit & architectrix; ſed hominem totum per animam: ità & de mœrore, lætitia, ira, cæteriſq. affectibus ac ſenſionibus, & verò ratiocinatione dicendum eſt.

Quòd ſi antecedens oratio fuerit abſoluta, motus illos attribuendos animæ non eſſe, quòd non in ſola verſentur anima, ſed corporis item habeant motum: altera iam hæc reſponſio fuerit, quę aliundè petit cauſam, cur animæ tribuendi motus illi non ſint, etſi ſolius eſſent animæ. Quoniam inquā anima ens integrum, quod per ſe in natura coharet ac perſe operetur, nō eſt, ſed pars viuentis exiſtit atq. illius forma: quarè cùm alterius quidpiam ſit, & in eo velut principiū cooperatur, nō animæ, ſed viuēti toti operatio animæ omnis tribuēda eſt.

Vtrouis autem modo interpreteris, tū à notioribus & manifeſtioribus, velut exemplis, adignotiora & occultiora, tum ab arte ad naturam progreditur Philoſophus. Ab operationibus inquàm corporeis maximè atq. arte conſtantibus, texendi & ædificandi, ad eas, quæ naturales animæ ſunt, miſereri, addiſcere, & ratiocinari, quæ ſuperioribus omnibus memoratis reſpondent. Miſereri enim affectus omnes complectitur, & addiſcere cum ratiocinatione iungitur. Aut quoniam ſentire quoq. nominauerat, addiſcere ſenſionibus reſpondet, quoniā ex ſenſibus diſciplinæ hauriuntur. Vt igitur abſurdū eſt dicere animā texere aut ædificare, nec vllus ſapiēs ità loquatur, quia manifeſtā corporis & externorū inſtrumētorū vſum hę operationes habent: nec anima ſola texere poteſt aut ædificare, ſed ipſa texendi atq. ædificandi arte inſtructa principium eſt in texente ædificantéq. homine: ità nec actuum ſenſuúmq. aut etiam dianeę operationes (ſi modò ſimilis cęteris dianęſis) ſoli animæ tribuendę ſunt: quippè non ſolū aliqui corporis includunt vsū, ſed nec animā id eſt quod, ſed id, quo homo aut viuens quodlibet operatur.

Vnde rationalem colligas animam hominis veram & formantem formam Ariſtoteli fuiſſe ſiquidem non tam animam, ait, quam hominē per animam tanquàm per formam ratiocinari. Quod nequaquā denautæ aſſiſtentis formæ ratiocinatione diceretur. Nō enim coniunctum illud ex nauta & naui, ſed ſolum nautam ratiocinari & intelligere dicimus. Quò etiam ſpectabit illud, quod in t. 24. lib. 2. dicetur, animam eſſe id, quo viuimus, ſentimus, & intelligimus primùm.

TEXTVS.

Τὸ δὲ, μὴ ὡς ἐν ὀλείᾳ τῆς κινήσεως οὔσης, ἀλλ' ὅτι μᾶλλον ἔχρις ὀλείης, ὅτι ὃ ἀπ' ὀλείης· ὅτι, ἢ μᾶλλον αἰδήσεις, ἀπὸ μᾶλλον πονεῖ, ἢ αἰάμησις, ἀπ' ὀλείης; ὅτι πᾶς ἐν τοῖς αὐτοῖς κινήσεις κινοῦσι ἢ μοιάς.

Hoc verò non quaſi in illa ſit motus, ſed aliquando quidem ad illam uſq., aliquando autem ab illa. Quemadmodū ſenſus quidē ab hiſce, reminiſcentia vero ab illa ad ſenſiteriorum motus vel manſiones.

COMMEN-

COMMENTARIVS XCIX.

EXplicat id, quod meliùs dici pronuntiauit hominem anima miſereri, addiſcere, & ratiocinari, quàm animam ipſam hæc agere. Non enim id dicimus, quaſi in anima ſit motus, ipſáque perſe moueatur; ſiuè, vt pars, vt cùm hominem manu moueri dicimus; ſiuè vt vehiculum, quemadmodum ſi curru, equo, nauiuè vehi, mouerique loquimur; ſiuè alio quocumq. modo ſubiectum motus exiſtat. Sed quòd illa interdum terminus, interdum principium motus ſit; interdum motus aliundè perueniat ad animam, interdum ab illa met prodeat. Etenim in ſenſionibus principium motus à ſenſilibus obiectis eſt, quæ ſpeciem ſui in ſenſus organum ingerunt, dum & qualitates tactiles, & ſaporos, & odores, & ſoni, & lux reipſa afficiũt organum; aut certè colores, qui reipſa agendi vim non habent, ſola ſui repreſentatione ſenſum prouocant ad ſentiendum, deindè anima de illis iudicat, noſq. anima ſentire dicimur, quòd motus forinſecus excitatus & in corporis organo primùm factus, indè referatur ad animã atq. ad illius compræhenſionem ac iudicium terminetur. Quod ſi anima non eſſet, nec ſpecierum illa ſuſceptio, nec omninò ſenſio vlla foret, vt in corpore mortuo apparet. Namq. anima tũ ipſa ſenſionis principiũ exiſtit, tùm corporis inſtrumentum viuificat, aptumq. ad operandum facit: qua abeunte immutatur totum atq. ineptum redditur.

Actionum anima duo genera.

Reminiſcentia vt fiat.

Interdum autem contrà euenit, vt motus principium ſit ab anima. Reminiſcentia quippè non ad illam fit, ſed ab illa; vbi ſcilicet ceſſauit ſenſus atq. ab externis obiectis motus. Etenim tunc anima promit ex ſe phãtaſmata eáq. tractans recordatur. Nec verò in corpus quoque deſinit motus. Nam ſi rei turpis aut honeſtæ, terribilis aut blandæ recordetur, ſuffunditur rubore corpus aut pallore, caleſcit aut refrigeratur; alio atq. alio excitato affectu, pudoris, timoris, ſpei, lętitię, iracundię, aut alio quouis, quo alio atq. alio modo immutetur corp⁹. Hoc nimirũ eſt, quod dicitur (ſenſus quidẽ eſſe ab hiſce) hoc eſt ab externis obiectis, aut potiùs à ſenſiterijs (ſic enim antitheſis & oppoſitio reſpõdebit optimè) & ad animæ iudiciũ atq. actionẽ terminari. Reminiſcẽtiam verò ab illa; nempè ab anima ex ſe ipſa promente phantaſmata, quibus ab memorandum vtitur: atq. ab anima ad ſenſiteriorum motus vel manſiones detiuari. Quoniã perſæpè quidem ex memorata re immutatur quoque corpus; interdum tamen id cum quiete accidit & abſque vlla pertubatione aut immutatione corporis. Itaque reminiſcentia fuerit aliquando motus, aliquando quies: motus, cùm eorum eſt, quæ affectum aliquem in nobis excitent; quies, ſi nullus commoueatur affectus.

Reminiſcentia interdum motus, interdum quies.

Vbi verò philoſophus ait reminiſcendi principium eſſe ab anima; quoniam Themiſtij interpretatione promptis illa (hæc enim ſunt ipſius verba) ex ſe ipſa phantaſmatibus, ijſque repetitis, ac retractatis in reminiſcentiam venit: Mihi quidem certè perſuadet audiendos non eſſe illos, qui ſenſilium ſpecies ab obiectis in animam immitti prædicant, eáſque in memoriæ theſauro conſeruatas memorandi principium eſſe. Nam ſi ità res haberet, reminiſcendi principium non eſſet ab anima, ſed à ſenſilibus obiectis, quorum ſpecies conſeruari dicuntur; non minùs quàm principium ſentiendi. Siuè enim nunc primum producãtur ſpecies, ſiuè productæ anteà ſint, nihil intereſt. Eſt autẽm principium ab anima, quandò ipſamet rerum anteà cognitarum fingit ſibi renouátque phantaſmata, quibus abſque obiecti ope ad memorandum ducitur. Quod enim (inquit Themiſtius) ab ea ortum habeat phantaſmatum productio, dicitur reminiſcentia ab ea initium habere. Rurſúmque intelligas phantaſmata ſpecies illas in phantaſiam ingeſtas non eſſe; ſed idola, quæ ſibimet ipſa phantaſia efformat ac fingit. Verùm de his alibi pluribus.

Contra ſpecies ſenſiles.

Phantaſma quid.

Nunc autem Philoſophum videas priùs quidem dixiſſe, etſi detur operationes animæ motus eſſe, non tamen dicendum moueri animam. Deindè verò ſubiunxiſſe, motum aliquando eſſe vſque ad illam, aliquando ab illa: at omnino non conſtituiſſe; nùm eæ ſint motus necnè. Propterea antequàm progrediamur vlteriùs, opportunum fuerit ità pronuntiare. Operationes animæ aut vegetãtes ſunt, aut ſentientes, aut intelligentes. Quæ vegetãtes dicuntur, nutritio, accretio, procreatio, & verò cordis & arteriarum pulſus in ſanguine prædictis animalibus, ſanè veri ſunt & corporei motus: nutritio & procreatio ad ſubſtantiam, cum adiunctis pluribus alterationibus: accretióq. ad quãtitatem. Pulſus verò localis quidem motus eſt, quo cor & arteriæ eleuantur & ſubſidunt, dilatantur & comprimuntur: cum quadam tamen calefactione ceu alteratione coniuncta. Quę autem in ſentiente parte vigent, ſenſiones ſunt, appetitiones, atque inceſſus. Inceſſus manifeſtum habet localem motum: ſenſiones & appetitiones, quæque inde oriũtur perturbationes & affectibus, verè quidem motus non ſunt, dum perſe ſpectantur; ſed actiones quæpiam & actus ſecundi: at ſinè motu non ſunt; aut locali ſpiritus ad eam partẽ accurrentis, in qua futura eſt actio; vel ſanguinis ad exteriora effuſi, vel ad interiora reuocati; Senſiliſque obiecti pulſantis organum, dum aures ſoni; & nares odores ſubeunt. Aut alteratione aliqua, quemadmodum in tactu & guſtatu, atq. in appetitionibus, in quibus ſanguis aut caleſcit aut refrigeratur, & corpus rubore aut pallore ſuffunditur. Quare cum vidiſſet Philoſophus operationes has omnes aut eſſe motus aut motum in corpore adiunctum habere, neque huius loci eſſe diligentius hæc perſequi déque ſingulis dicere, maluit rem præſentem agere propoſitæque dubitationi reſpondere, oſtendendo etſi motus ſint vel non ſine corporis motu fiant inde tamen confici non poſſe animam perſe moueri, ſed corpus potius, quod in eo totus verſetur motus, aut viuens totum, in quo ab anima vel ad animam ſit motus in corpore.

Animæ operationes an ſint mẽtes.

De operationibus intelligentibus in conſequenti ſermone dicetur. Verùm vt eas quoque nunc ſimul cum cæteris compræhendamus, ſane illarum conditio ab omni motu aliena eſt, neque perſe & ſua natura coniunctum requirit motum: & in ſeparatis mentibus abſque vllo ſunt motu. Nunc tamen quando anima eſt huius corporis actus, ſupponunt motum; dum ſenſibus egent, qui ſane motu non operantur. Et quamuis ſolius animæ operationes ſint atque in ea ſola ſuſcipiantur, neque vllus corporei organi vſu interueniat, melius tamen homini toti, quàm ſoli animæ

attribuuntur: tum quià corporis quoque motum A
supponunt aliquem; & si non vt à subiecto, certè
vt ab obiecto pendent à corpore: tum quià actio-
nes sunt animæ, quæ pars essentialis est hominis.

TEXTVS.

ὁδὲ νοῦς οἱόν τε ἐγγίνεσθαι, οὐσία τις οὖσα, καὶ μὴ φθείρεσθαι.

Tex. 65. *Intellectus autem videtur innasci, substantia quædam existens, & non corrumpi.*

COMMENTARIVS C.

B

VEtissimè pronuntiauit Themistius, ea, quæ de intellectu à Philosopho dicuntur, impensam & diligentiam & attentionem requirere; etsi obscura vsque adeò non sint, vt intellegi & comprehendi non possint. Sed magis omninò distinctè proponere potuisset. Tria namque breuitate summa Philosophus complexus est. Primùm, intellectum corporibus nostris innasci, ingenerari, atque in illis fieri. Alterum, substantiam quandam existentem illum esse. Tertium, nequaquam illum aboleri aut interire cum corpore. Quæ tria ita se habent, vt ex primo secundum, & ex secundo tertium consequatur. Si enim in nobis innascitur atque ingeneratur, hoc est vt cæteræ animę ac formę ex corporis & materiæ potestate educitur, sed forinsecùs accedens in corpore fit & producitur (hanc quippè vim habet verbum illud compositum ex γίνεσθαι quod est fieri, produci & generari; atque ἐν, quod est in aliquo fieri, produci, & generari) perse existentem substantiam, non in corpore sustentatam illum esse oportet: & ideò neque corrumpi cum corpore.

De intellectu tria philosophus.

C

ἐγγίνεσθαι quid.

Hanc autem esse vim illius verbi (ἐγγίνεσθαι) audi quâ apertè inter cęteros interpretatus Philoponus fit. Nam dicendo, inquit (innasci videtur) maximè D
quidem significabat eum nõ ex corporis complexione, germinare, sed extrinsecùs accedere. Reliquæ animæ & formæ non innascuntur, sed enascuntur ex materia: non adueniunt materiæ, nec in illa fiunt; sed ex illa germinant. Solus intellectus innascitur & fit in corpore, illique aduenit; & ideò nec ab eo pendet nec cum eo corrumpitur.

Alexandri responsio.

Verùm in his magnam Alexander dubitationem mouit. Cùm enim rationalem hominis animam persuasissem sibi esse mortalem atque cum corpore interire; Philosopho dixit non de humano nunc, sed de diuino intellectu sermonem esse: non de patiente intellectu quique potestate dicitur, sed de agente, quem is Deum esse credidit, & ideò incorruptibilem & immortalem eum esse dici. At quorsum nunc de Deo agentevè intellectu miscere sermonem, vbi vniuersè de animæ substantia quæritur, disputatúrque num eã dicere liceat perse moueri? Itaque reliqui omnes humanum intellectum rationalémque animam nostram interprætantur. Et propterea Themistius dubitat, cur de huius animæ immortalitate interponatur fermo, cum nec de animalibus cęteris quęsitum esset, num eæ mortales sint; sed solum an moueantur. Neque multò post exponens quid inter intelligere intersit & cognoscere, multa de simplicium apphræhensione ac cõpositione, ceù duabus intellectus nostri, de quo Aristoteles loqueretur, operationibus adiũgit.

Confutatio.

E

Sed & Simplicius hominis animam intellectum ait nuncupari, eámque in corpore quidem innasci adesséque. At separari ab eo posse: & appellari substantiam, non quod aliæ animæ non sint substantię, sed quod materia obducta non sit ac per se subsistat. Substantia quippe tum à substando accidentibus, tum maximè à per se subsistendo nominatur. Additque in sequenti commentario multa, quibus discrimen inter sensum & intellectum nostrum ostendit; & quomodo intelligere desinat, non corrupto ipso, sed alio quopiam in corpore.

Philoponus verò pluribus argumentis Alexandro demonstrat de diuino intellectu nequaquam esse sermonem. Primùm quia non multò post intellectus dicetur diuinius fortasse quidpiam esse & impatibile. Non enim adderetur (fortasse) si de Diuino diceretur: neque in dubium vocaretur id, quod omnes concederent. De Humano plurima erat dubitatio; eaquè in tex. 12. & 13. significata. Vt mittam ineptum esse dicere diuinum intellectum esse. Diuinum quidpiam & impatibile. Deindè quoniam intellectum ait innasci nobis, substantiam quandam existentem, & non corrumpi. Quis verò Diuinum intellectum innasci nobis, & per suam substantiam inesse velut nostrorum corporum formam dicat, aut corruptibilem suspicetur? Tum verò quia statim addit (maximè enim corrumperetur ab ea, quæ in senectute est, debilitate. Quis autem in Deo senectutem aut debilitatem nominet; & vtramque nobis potius non videat conuenire? Nam & intellectum illicò appellat animam: senectus, inquit, non est, quod anima quidpiam passa sit; sed id, in quo. Et hæc quidem ferè Philoponus,

Iam verò intellectum quoque perinde vult in senectute ab operatione sua impediri, ac in ebrietatibus & morbis: quis vnquã sanæ mentis ebrietates aut morbos in Deo cogitauit? Familiaria sunt hæc nobis, à diuina mente prorsus aliena. Et omninò quid tandem intellectus diuini operationem impedire, aut in eo destruit & corrumpi possit? Intelligere namque & contemplari, ait tabescere alio quopiam intus corrupto. Præterea ex videndi facultate de facultate intelligendi ratiocinatur: si vla igitur deductio sit, ambas oportet suppositi eiusdem facultates esse: videndi facultas, vt nec sensus vllus nec corporea virtus, in Deo non est, vtraque simul in homine solo reponitur.

Simile argumentum fuerit, quod eiusdem esse velit intelligere, contemplari, ratiocinari; amare, odisse, meminisse: pereuntéque corpore cessare amorem, odium, recordationem, solámque intellectionem, supersesse; quòd intellectus diuinius quidpiam sit & impatibile. Quare si operationes hæ omnes eiusdem principij sint, & quidem quod sit in corpore; omninò quę de intellectu dicuntur, de humano, non de Diuino, intellectu dicuntur. Ad extremúm quęcumque hoc loco de intellectu affirmantur, alibi etiam de intellectu nostro pronuntiantur. Quippe in tex. 11. & 21. lib. 2. intellectum nostrum & theoreticam facultatem separari dicet à corpore & non corrumpi. Et tex. 4. lib. 3. intellectum cum corpore permistum non esse. Et cap. 4. lib. 2. de animalium ortu, dum de hominis procreatione dissereret, vegetantem animam & sentientem virtute seminis ex materia educi, solum intellectum forinsecùs aduenire solumque esse diuinum

Et quid

Et quid tandem erat, cur nunc de diuino intellectu ageretur.

At quorsum (vicissim inquies) de humano? Respõdebit Auerroës, vt quoniam animam concesserat ex accidenti moueri; omnéque, quod ex accidenti mouetur, vt est in tex. 52. lib. 8. Physic. est corruptibile; intellectum nostrum doceret nec mobilem esse nec corruptibilem. Respondebit Philoponus, nè cùm operationes animæ audisses esse cum corporis quoque commotione coniunctas; neque animæ, sed toti coniuncto tribuendas; ex regula generali in tex. 13. posita animam omnem conficeres mortalem atq. à corpore inseparabilem esse: propterea intellectum adiungit immortalem ac separabilem esse, propriamque operationem habere intellectionem. Respondebimus & nos, de reliquis animæ operationibus dictum esse, quatenus toti coniuncto communes sint, dicendúmque & de intellectu fuisse. Præsertim cùm in text. 63. ratiocinationem affirmasset aut simile cæteris actionem esse, aut fortasse aliud quidpiam. Cùm enim cæteras omnes actiones ostendisset toti coniuncto communes esse atque cùm corporis motu perfici, de hac quoque intellectus operatione dicendum fuit; atque docendum alterius generis facultatem intellectum esse, quæ propria fruatur actione, in qua vt est in 2. lib. de animaliũ ortu, nihil habeat commune corporis actio. Hoc nimirum est illud, intellectum innasci nobis, substantiam per se subsistentem, neque interire cum corpore, diuinius quidpiam & impatibile.

Animæ immortalitas.

Quibus verbis Themistius, Philoponus, & Simplicius, Philosophum obseruant animæ nostræ immortalitatem apertissimè pronuntiasse: Alexãdrúmque etsi maximè nollet coactum fuisse fateri immortalem intellectum esse, testatur Philoponus. Quòd si Themistius quærat quorsum hic de immortalitate dicatur: respondebitur, aut agi propterea quòd ex eo quod in text. 64. dictum fuerat, operationes animæ communes esse cùm corpore, colligi poterat mortalem eam esse: aut quoniam dùm cæterarum animarum operationes dictum est esse communes, consequenter & tacitè dictum est mortales eas esse atque cùm corpore interire: fuitque addendum quomodo res in anima intelligente habeat. Præsertim cùm & huius rei cognitio tantopere desideretur à nobis, & obscuritatem tantam contineat, vt nulla sit permittenda occasio aliquid de illa dicendi, Neque obstrepat Alexander, sermonem esse de intellectu agente; quem in suo primo libro de anima Deum & primam causam esse contendit. Quoniam hunc nihil in nobis intelligere; sed quia est primùm ens intellectile, reliqua omnia facere intellectilia, producendo in intellectu nostro patiente intellectiles species, húncque susceptis speciebus intelligere; idem ipse fatetur. Aristoteles verò de intellectione loquitur, quæ animę in nobis operatio est; déque intellectu, qui & operationis illius principiũ & animæ facultas existit, atque hunc & forinsecùs aduenire nobis, & subsistentem & impatibilem & immortalem & diuinius quidpiam cæteris animæ partibus esse affirmat.

Aristotelẽ animæ nostræ creationẽ nõ cognouisse.

Quanquàm ex hoc, quod intellectum ait nobis ἐγγίνεσθαι atque forinsecùs aduenire, nolim colligas Aristotelem cognouisse animas nostras à Deo creari atque in corpora formata immitti, quemadmodum nos certissima fide ac regula in tex. 13. posita ad essentiam animæ inuestigandam progrediens, ex immateriali quidem & propria operatione incorpoream & spiritalem naturam conclusit, quæ ex materia non oriretur, sed illi forinsecùs aduenire: & rursum fortasse formam sibi persuasit tempore priorem composito esse nõ posse, quemadmodum aliquando affirmauit in text. ib. lib. 12. Metaph. at quomodo anima nostra produceretur. quæ vè illius esset origo, assequi non potuit, infinitam Dei virtutem cœlorum motui non alligatam ignorans. Itaque verbum illud (ἐγγίνεσθαι) significare quidem dixeris eam non ex materia, sed in materia fieri: verùm duobus modis illius vim interpretaberis: Aut non significare simpliciter fieri & produci de nouo, sed in corpore fieri; etiamsi, vt Plato cogitauit, anteà ipsa præfuisset, propositióque illa lib. 12. Metaph. plerumque, non semper & vbique fuerit vera: Aut simpliciter etiam & de nouo fieri; sed productionis modum non constare. Vtrouis autem modo interpreteris, idem fuerit, quod nunc dicitur ἐγγίνεσθαι, & alibi forinsecùs aduenire, hoc est ex materiæ & corporis potestate non produci, communi cæterarum animarum ac formarum conditione. ἐγγίνεσθαι quod.

Rursum cùm dicitur (substantia quædam) additum putat Simplicius, vt intellectus noster ostenderetur inferior intellectibus illis esse qui semper in se manent neque progrediuntur ad corpus. At id non videtur verum: solúmq. significare voluit Philosophus speciem quandam esse immaterialis substantiæ, sicut si hominẽ dicas esse animal quoddam, hoc est quandam animalis speciem. Potiusq. conuenientiam, quam differentiam, dixerim significare: nempè intellectum nostrum immaterialem esse substantiam cęteris separatis persimilem, quòd similẽ habeat operationem. Sed audiamus cętera.

TEXTVS.

μάλιστα γὰρ ἐφικνεῖται αὖ τοῦτο τῆς οὐ πρὸς γῆρα ἁμαυρώσεως· νῦν δὲ ὥσπερ ὄψις αἰσθητηρίων συμβαίνει· οἱ γὰρ λάβοι ὁ πρεσβύτης ὄμμα νεανικὸν, βλέποι ἂν ὥσπερ καὶ ὁ νέος, ὥστε τὸ γῆρας οὐ πρὸς ψυχὴν πεπόνηται πως, ἀλλ' οὐ φαίνεται, οὐ μέθαις καὶ νόσοις.

Maximè namq. corrumperetur sanè ab ea, quæ in senio est, hebetatione: Nunc autem vt in sensiteriis euenit. Si enim acceperit senex oculum talem videbit vtique vt & iuuenis. Quocirca senectus, non quòd aliquid perpessa sit anima, sed in quo, quemadmodum in ebrietatibus & morbis.

COMMENTARIVS CI.

QVæ hîc subiungit Philosophus, videntur sanè ad illud probandum pertinere quod postremò dixerat, intellectum non interire cum corpore. Et Philoponus solui obiectionem putat, quæ ex senum, ebriosorum, ac melancholicorum deliriis peti poterat, ad ostendendum eum cum corpore pati & interire. At verè demonstrationẽ continet superioris totius sententiæ, intellectum non produci ex corpore neq. ab eo pendere, sed per se subsistentem substantiam esse, ideóq. cum corpore nõ corrumpi, quoniam nec ex eo productus est, nec sustẽtatur in eo. Et Simplicius alteram instruit rationalis animæ immortalitatis demõstrationem. Vt antea quidẽ ex eo fuerit demonstrata, quòd forinsecus adueniat & per se subsistens substantia sit: nunc autem argumentum ex eo ducatur, quòd floreat ipsa vigeatque maximè, vbi desipit ac deflorescit ac de-

Anima immortalitas.

bilitatur corpus. Et prior quidem demonstratio ex prioribus & ex causa petitur; quippe non eductã ex materia esse, sed immaterialem & subsistẽtem substantiam, separabilitatis atq. immortalitatis est causa: posterior verò ex posterioribus & effectis; nempe ex viuaci & acuta operatione, imperfecto licet ac minùs apto subiecto corporisve instrumento ex qua subsistantiam, quæ operationis principium est, colligitur à corpore non pendere. A corpore inquam non solum vt corpus est ex elementis permixtum, sed etiam vt viuens & sentiens. Nam etsi vitales ac sentientes virtutes hebetentur & imbecilliùs agant; viget tamen & firmior est intellectus actio, quæ, cùm anteà vigeret corpus, minùs ipsa vigebat. Quare vt quod simul crescit & minuitur, simul necesse est interire, ita quod nõ simul crescit nec minuitur, simul etiam non interibit. Cæterarum animarum operationes, quòd corporis instrumento vtantur, simul cùm corpore crescunt & minuuntur; mortales igitur cùm corpore sunt: intellectus operatio non item, nec vlla corporis mutatione vitiatur, quin potiùs decrescẽte corpore ipsa crescit, non igitur cum corpore interibit. Ita namque ratiocinatur Philosophus. Senescente corpore manifestum est vegetantes ac sentientes virtutes hebetari & imbecilliùs agere, minùs enim feliciter nutriuntur ac reficiuntur partes omnes; nec modò non augentur, sed magnopere minuuntur & extenuantur: visq. sibi simile procreãdi prorsus friget nec vllis ad agendũ stimulis incitatur. Sẽsus quoq. minuũtur omnes: nec solũ ad incedẽdũ, currendũ, aut saltãdũ, sed etiã ad stãdum imbecilliora euadũt animalia cuncta. Si igitur intellectus corrũperetur cùm corpore, nimirum patiente, debilitato, & fracto corpore, ille quoque simul pateretur debiliórque & fractior eius operatio foret. Itaque in senectute debilitato corpore omniq. alia illius hebetata virtute, imbecillior esset atq. hebetior intellectus actio. At tantum abest, vt ita res habeat, vt contrarium potiùs eueniat, maximéque vigere tunc conspiciatur. Aut si extrema senectute præcipitataque prorsus ætate hebetudo quædam appareat & imbecillitas, qua deliri quoque euadant senes; ea corporei organi est & phantasiæ, non intellectus.

In senio cur debilior aspectus.

Quod argumẽto ex sensibus sumpto demõstrat. Namque in senio hebetior est & imbecillior aspectus; non quòd quidpiam perpessa sit anima & debilitata, sed oculi vitiũ id est. Quẽadmodum enim in suffusionibus, & in senectute accidit. Si quidem senescẽte ętate vt totũ reliquum corpus, ità & oculorum membranæ siccantur, corrugantur, solidiorésq. magis terreę, ac minùs perspicuę, & verò turbidiores & crassiores humores euadunt. Quo fit, vt & visorius spiritus minùs promptè suscipiatur instrumẽtumq. percurrat, & luminis ac oculorũ motus tardior sit & imbecillior. Neq. crassus abest humor, qui ex capite defluẽs tenebris quasi suffundat oculũ. Quocirca si sola instrumenti mutatio fieret, senexq. perspicuũ & optimè ad vsum animæ comparatũ acciperet iuuenis oculũ, acutè nimirũ videret vt iuuenis. Nã & qui humorũ suffusionibus laborãt, si humorẽ dejiciant, optimè vident, cũ antea nõ viderent. Ità prorsus de intellectu existimãdum est. Immò à maiori ad minus argumentari licet. Si sensus materialis planè corporisq. organo implicata facultas corpore debilitato non debilitatur, sed solius organi passio est & hebetudo; meliori m ac præcellentiorem facultatẽ intellectũ multò minùs credendũ est patiente ac debilitato corpore pati ac debilitari. Intellectũ porrò minùs esse cũ corporis organo implicatũ, ideóq. minùs pati quã sensum, argumento est, tũ illud in text. 7. lib. 3. quòd sensus à vehemẽtioribus & immoderatis obiectis dissoluitur, neq. post illorũ sensionem percipere minora potest: intellectus non ità, sed, quò præclariora & magis intellectilia cõprehenderit, eò faciliùs intelligit remissiora. Tũ alia plura, quæ adferri solẽt, vbi spiritalem eum naturã esse demõstratur, & quædã hoc loco Philoponus memorat.

Quæ qui dissoluere atque ostendere necessariam probandi vim non habere conati sunt, inanem ac pernicioſam Christianóq. Philosopho indignum laborem susceperunt: qui ex generalis Lateranensis Concilij præcepto in sess. 8. illa potiùs argumenta diluere atq. infirmare debuissent, quæ materialem ac mortalẽ esse suadere videntur. Dũmq. Philoponum ac cæteros Græcos interpretes legũt Aristotelẽ in his affirmãtes rationalis animæ nostræ immortalitatẽ manifestissimè demõstrare, idq. Alexandrum quoque mortalitatis assertorem acerrimum coactum fuisse fateri, pudeat scribere problema hoc indemonstrabile esse, déque illo Aristotelem suspensam & velut disputantis nec quidquã asserentis habere sententiam. Nam etsi verbo (videtur) vatur familiaris tamen est vsus vel dum maximè sua proponit. Immò verò vt res esset manifestior, neq. intellectus agentis vel alterius cuiuspiam, non animę nostræ, immortalitatẽ diceres demõstrari, sapienter obseruauit Philoponus intellectus nomẽ in animæ nomẽ fuisse mutatũ. Et not, inquit, quòd quẽ intellectũ dixit incorruptibilem esse & foris aduenire corpori, hunc ipsum statim animam vocauit (nõ quòd aliquid perpessa sit anima) vt intelligeres quòd nõ aliquẽ dixit intellectũ præter animã rationalẽ extrinsecùs nobis aduenientem, sed animam ipsam rationalem intellectũ vocauit: manifestissimè per hæc animam nostram esse immortalem demonstrans. Hæc Philoponus.

Quem etiam distinguentẽ reperias duplicẽ senectutẽ, vnam moderatã, quæ primum sequitur consistentiæ statum, alteram excedentem & vltimam mortiq. proximam, quam decrepitam appellamus. De prima namq. videntur esse priora illa Philosophi verba (maximè namq. corrũperetur ab ea, quæ in senio est, hebetatione. De altera verò posteriora hæc. quocirca senectus, non quòd aliquid perpessa sit anima. Sanè in posteriori debilior omnino fit & veluti hebetior operatio, non ipsius culpa, sed famulantis corporis. Deficiunt enim spiritus, & phantasia, & exteriores sensus sunt hebetiores; sine quibus dum in hoc corpore commoratur, operari nequit. Atque hoc est, quod statim adiunget (intelligere & contẽplari tabescit alio quopiam intus corrupto) At in priori tantùm abest vt debilitatus fuerit, vt vegetior sit, tunc quę maximè vigeat & acriter operetur. Nã etsi sensus non nihil imbecilliores sint, satis tamen adhuc valent; etsi quid in illis desit, suppeditatur abũdè tum experientia lõga multoq. rerũ vsu, prudẽtia, & plurimarũ rerũ cognitione, tũ affectuũ moderatione totiusq. corporis quiete, quæ, vt anteà dictum est, multò magis, quàm motus & agitatio, intellectioni cõmodat. Vndè Platonis illud in conuiuio, Tũ Dianæ incipit visio acutè cernere, cùm oculorum acies vim suã desinit exercere. Nam etsi intellect spiritalis natura sit, neq. corporis instrumento vta-

tur,

tur, corporis tamen est actus, & propter animarum ac facultatum ordinem sensum & phantasiam famulantes præcurrentémq. supponit: sensus autem & phantasia corporeæ virtutes sunt, atq. in determinato corporis instrumento residentes & operantur. Itaq. dum in iuuenibus perturbationes fœuũt, atque in multiplici motu versatur corpus; intellectus impeditur actio, quę sedatis perturbationibus ac motu cessante sunt liberiores. Ac rursum debilitato penitúsq. dissoluto instrumẽto sensum quoq. ac phantasiam debilitari aut prorsus extingui necesse est: atq. adeò intellectus etiam operationem, quę à sensu & phantasia pẽdet; hoc est intellectus, qui sit corporis actus in eóq. debeat operari: at nõ intellectus absolutè cõsiderati. Et omnino mediocritas illa & cõmensuratio, quæ obeundis actionibus est necessaria, tum in iuuentute turbatur vehementioribus affectibus & caloris excessu, tùm in senectute siccato corpore nimiúmque refrigerato ac penè mortuo materiæque propinquo.

Triplex huius rei exẽplum.

Triplex huius rei exemplum reperias. Primùm Nautæ apud Simplicium; qui tempestate cõmota impeditur quidem à ventis & fluctibus, nõ solùm in ijs, quæ ad nauem spectãt, sed in alijs item actionibus, quas ipse sinè naui exercere posset; cũ propter nimiam perturbationem ne illis quidẽ vti valeat. At quòd hæ à naui non pendeant, tempestate cessante liberè illis vtitur. Ad eundem quippe modum intellectus, qui in nobis est vt in naui Nauta, hoc est subsistens substantia atq. à corpore non pẽdens, impeditur magnopere in intelligendo, si aut corpus varijs motibus agitetur, aut quæ ad ipsum spectant, minùs benè habeant: verùm aut sedato corpore aut extincto, tũc demum liberior ad operandum erit.

Alterum apud Philoponum, cuius crebram in nobis ipsis experiẽtiam habemus. Etenim dum lectioni, scriptioni, contẽplationi, aut debilitationi vacamus, si vicinus quispiã nugator risũ, cantu, clamoribus, altercationibus, obstrepat, plurimũ sanè impedimur; cùm tamẽ maior inter nos, quàm loci propinquitatis, nõ sit habitudo. At nugatore cessãte ac quiescẽte libera nobis est prõpta operatio nostra. Ita prorsus adiuncti corporis tumultu atq. agitatione auocatur atq. impeditur is, qui in eo habitat illiusq. actus est, intellectus; cùm hęc præsertim maior, quàm loci coniunctio sit. Verùm hoc impedimentum illius duntaxat tẽporis est, quo aut corpus in motu & agitatione versatur, aut intellectus commoratur in eo. Post impedimẽto sublato liberior est intellectio.

Tertium exẽplum est Aristotelis (quẽadmodum inquit, in ebrietatibus & morbis) Nam vt propter corporis turbatam temperationem impeditur intellectus operatio, qui alioqui nihil perpessus est, atq. optimè operari posset, rursumq. conuenienti tẽperationi corpore restituto operabitur: ità nimirum si in extrema senectute deliret minusve benè suo fungatur munere, corporis id fatiscẽtis vitium est, à quo vbi liber fuerit intellectus, tùm demùm perfectam sortietur operationem. Quocirca exemplo hoc ostendere duo Philosophus voluit. Primũ quidem, intellectũ in senectute nihil fuisse passum, sed passionem omnem solius fuisse corporis: sicut in ebrietate & morbo patitur corpus, non intellectus. Deinde verò intellectum nõ interire cũ corpore, sed ab eo separari, corporéq. interempto velut subsistentem substantiam operari. Sicut is, qui ebrietate vel morbo laborat, liberatur ab illis & mentis factus cõpos sanitatiq. restitutus operatur perfectè. Et senectus ipsa quidẽ certè naturalis quidam, & qui curationem non admittit, morbus est: quo tum corpus præter naturam habet, tùm animę functiones impediuntur aut certè imperfectiones sunt. Quòd si curari posset hic morbus & corpus ad naturalem ac temperatũ habitum reuocari, non minùs benè senex operaretur, quàm iuuenis: quoniam non animæ, sed instrumenti morbus atque impedimentum erat.

DIGRESSIO XIV. DE SENSV PERINde ac de intellectu concludi non posse.

Cæterùm aduersus argumentum, quo ex sensibus demonstrauit Philosophus intellectum cùm corpore non corrumpi, Themistius dubitat; quoniam illo ipso sensum quoque non corrumpi & immortalem esse probaretur. Quippè non minùs sensum, quàm intellectũ, ait debilitatum in senectute nõ fuisse, sed corporis solius hebetatum ac læsum instrumẽtum: quo solo mutato & accepto iuuenis oculo, ęquè acutè videret senex ac iuuenis. Auerroës argumentũ dixit esse probabile, non necessarium: consueuisseq. Philosophũ huiusmodi argumẽtis vti aut post necessaria aut vbi necessaria non suppetunt. Et Themistius quoq. tandem eum conclusit disputandi magis diligentia, quã cũ sententia aut fiducia decernendi disseruisse. Sanctus autem Thomas dat manus: dùm enim Aristotelẽ ex veterum putat sententia loqui, qui animã omnẽ incorruptibilem esse putauerant; consequens est vt idem de intellectu & sensu iudiciũ sit, & quamuis vterque videatur in senectute debilitari, solius tamen organi vitium existat. Incredibilis prorsus interpretatio, nec vlli Grẽcorũ consentanea: quod nec vlla opinionis illius antecesserit mentio, nec obscurum sit Aristotelem sua proferre, vt dubitationem in tex. 62. propositam diluat.

Non defuerunt alij, qui de sola hominis anima sermonem esse dicerent, quæ vna cum sit, tùm intellectus, tum sensuum principium existit: incorruptibilis nimirum sua natura: quare vt intellectus, sic hominis etiam sensus non hebetatur, sed solum corporis instrumentum: vbi in bestiis, quæ eaducã habent animam, tum instrumentũ, tum facultas debilitatur. Quorum interpretatio suspecta est. Primùm quia de anima vniuersè agitur, quæritúrq. solutio dubitationis propositæ de operationibus animæ, quæ in animantibus omnibus reperiuntur: atq. in tex. 66. ostẽsum esse cõcluditur vniuersè animam nec per se nec à se moueri. Deindè nondũ ostensum est vnicam esse in homine rationalem animam. Tùm verò quæ de amore, odio, ac cæteris huiusmodi dicuntur in tex. 66. eodem modo accipere oportet, quo de illis antea fuit sermo in tex. 62. 63. & 64. in quibus eas cõstat velut operationes animæ vniuersæ nominatas fuisse. Sed & vniuersè pronuntiatur, perinde intellectui accidere ac sensui: illãq. propositio, si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis, aut vniuersè accipienda est de cunctis animalibus; aut ponendũ anteà fuit secus in homine, quàm in cæteris, habere sensus: cũ præsertim in cæteris quoque ex instrumenti vitio habeatur sensus. Deniq. quod sentientes facultates accipiunt separari simul cum anima rationali, non minùs quàm separetur intellectus, peripateticum non est, atq. ab Aristotele ne-

negaretur; qui in text. 12. & 13. solam eam facultatem voluit esse separabilem, quæ propriam & non cum corporis instrumento communem habeat operationem. Immò de intellectu, quem constat minùs corpore indigere, dubitationem eam proposuit, an propriam habeat operationem separarique possit. Sensum verò separatum inutilem planè diceret, superuacaneum, & otiosum fore. Nã is absque corpore operari nequit: neque futuram corporis resurrectionem cognouit Philosophus, aut esse posse iudicauit. Quam ob causam & ne intellectum quidem separari voluit, nisi propriam actionem haberet, qua solus absque corpore frui posset.

Esto igitur, quod de aspectu dicitur, non in solo intelligatur homine, sed & in animalibus cæteris. At intellectum non corrumpi eo argumento probatur, quod in senectute non est debilitatus, immò acutior factus. Hoc enim corporis organo eum non vti neq. in corpore sustentari ostendit; sed per se subsistentē esse substantiã, proptiãq. operationē habere. quoniã tamen objici extrema senectus poterat, in qua vix operari, immò delirare cõspicitur; nullum indè argumẽtũ duci posse demõstrat: quoniam imbecillitas illa non ipsius, sed organi phantasiæ, vndè illi obiectum intelligendum suppeditatur. Quocirca nec quidquam perpessa est rationalis anima, sed corpus, in quo ipsa est: nec intellectus, sed organum phantasiæ, à qua is obiectũ accipit. Id verò tum exemplo sensus ostendit, tum ebriosorum morbóque laborantium. Sensus namque operatio etsi hebetior sit in senibus; non tamen propterea est, quòd animæ quidpiam perierit, quæ vt est substantiæ forma perfecta, sit & indiuidua & in impartibili consistens nec magis nec minùs suscipit; sed quòd organum vitiatum sit & prauis imbutum qualitatibus. Quare organi mutatione perfectè, vt anteà, operaretur, nec minùs acutè sentiret. In ebrietatem & morbis delirat interdùm intellectus nec benè operari potest, propter corporis vitium, quo recedẽte sapiens & perfecta redit operatio.

Neque tamẽ ex hoc deducere licet sensum quoque incorruptibilem esse. Etenim certa quæpiam est cuiusque formæ dispositionum latitudo; intrà quàm si mutatio fiat, conseruetur quidem forma in materia; at si præter modum qualitas quæpiam intendatur vel remittatur, abire formam necesse sit. Ità intemperato atque intrà latitudinem vitiato corpore hebetatur intellectus & sensus operatio, vtroque tamen incolumi; at si modus excedatur, interit sensus, materialis & corporea virtus, atq. intellectus immaterialis & incorporeus desinit esse actus & forma illius corporis, ac per se separatus subsistit.

Intellectus & sensus cõparatio.

Quarè intellectui & sensui quidpiam est commune, & quidpiam rursum proprium singulorum. Cõmune est, tum vitiato corpore minùs perfectè operari, eoq. integritati restituto restitui: tùm non qualibet corporis corruptione corrũpi, quia si intrà conuenientẽ latitudinem fiat, ne sensus quidem corrumpitur. Atq. hactenus Philosophi similitudinem similitudo vim habet. Proprium autem sensus, tum senescere corpore senescẽte minusq. subindè acutam operationem promere; tum corrumpi ac penitus aboleri, si corporis vitium latitudinis modum excedat. Intellectus verò, tùm senescente corpore operari perfectiùs, tùm nõ corrumpi, sed corpore corrupto separatum subsistere. Quod ex operationis præsertim natura & conditione cognoscitur, quæ in sensu communis est cum instrumento corporeo, in intellectu non item: etsi vtraque debilior in extrema senectute euadat, quia siue vt à subiecto siue vt ab obiecto pendeat dum est in corpore; dumq. idpræter modum debilitatur, sine quo perfici operatio nequit, debiliorẽ quoq. operationem fieri necesse est. Ex qua debilitate verè ratiocinatus est Aristoteles non colligi mortalem intellectum esse: non tamen ex eo concludi voluit esse immortalẽ, quòd ratione solùm corporis debilitetur: quoniã hoc cùm sensu commune illi est: sed ex propria prorsus operatione, vt in text. 12. & 13. iam anteà posuit. Quanquam ex senectute quoque nonnullũ petitur argumentũ; dũ ingraueſcẽte ætate non ingraueſcit intellectus, quin vegetior euadit sensui, qui non solùm in vltima, sed in prima quoque senectute minutò ac deficiente corpore minuitur semper ac deficit, quod materialis planè & corporea virtus sit.

TEXTVS.

Καὶ τὸ νοεῖν δὴ καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται, ἄλλο τι ἔσω φθειρομένου, αὐτὸ δ' ἀπαθὲς ἐόν.

Et intelligere igitur & contemplari marcescit, alio quodam intus corrupto; ipsum verò impartibile est.

COMMENTARIVS CII.

SI probè fuerint percepta ea, quæ in superiori textu tradita sunt; difficilè haud fuerit assequi quid in hoc Philosophus agat. Est enim superiorum cõclusio. Verùm etiam atque etiam cauẽdum est, ne substantiam & operationẽ confundas, quas accuratè prorsus Aristoteles separauit. Nam principio quidem intellectum nominauit, quem rationalis atque intelligentis animæ substantiam significare duobus & verò tribus modis explicauit. Primùm, intellectus, inquiens, substantia quędam existens. Deinde probans eum non corrũpi corrupto corpore: quod de accidẽte non diceretur. Postremò intellectus nomen in animæ nomen mutans (nõ quòd aliquid perpessa sit anima. Ex quo haud scio argumento colligas, nequaquã eum re ab anima facultates distinxisse. Nunc verò intelligere aut & contemplari; intellectus scilicet illius operationem. Ac demùm intellectum rursum velut operationis principium subiungit.

Sed intellectum quidẽ intelligentemve animam impatibilẽ esse & mortali omni natura meliorem substantiam, & anteà dixit, & nũc inculcat; vt manifestior sit immaterialitatis arq. immortalitatis assertio. Intelligere autem & contemplari & omnino operationem caducam & mortalem esse. Substantiæ immortalitas tũ ex eo colligitur, quòd non producitur ex materia, sed forinsecus aduenit: tum ex operatione propria, non communi cum corpore. Operationis verò mortalitas ex eo quòd à sensibus corporeis & phantasia pendet, vt intelligendi habeat obiectum. Quod quia verum est de intellectu, non simpliciter, sed qui caduci huius corporis forma est, probauerit etiam non intellectionẽ vniuersam, sed quæ eiusmodi intellectus est, caducam & non sempiternam esse: alioqui est operatio illius propria, quę seiunctus quoq. à corpore fruitur. Atque hoc est illud (intelligere & contemplari marcescit

cescit alio quopiam intus corrupto) intelligere scilicet & contemplari huius intellectus, qui caduci & corruptibilis corporis est actus, (ipsum verò impatibile est) quia patiente & corrupto corpore nihil perpessa est anima, quæ perennis illius fons & principiū existit. Vt enim intellectus animave substantia non patitur, sed corpus in quo est anima: sic intellectio marcescit, non per se, sed ex accidenti, alio quopiam in corpore pereunte.

Nisi fortasse illud (ipsum verò) de intelligente principio intellectuque cum Simplicio malis intelligi. Sed duo sunt, quæ me ab hac interpretatione reuocent. Alterum, quòd nihil aliud antecedit, cui vox illa reddi possit, nisi illud (intelligere & contemplari, Alterum, quòd ineptè atq. insultè & præter consuetam breuitatem sæpiùs idem repeteret: nam statim intellectū subiunget rursum impatibilem esse. Quod si ipsum intelligere & contéplari interpreteris, præclarè ad immortalitatem adstruendam progredi Philosophum nostrum videbis. Et quidem ex posterioribus & notioribus; dùm ex impatibili & separabili operatione adimpatibilem ac separabilem naturam transit: atq. ex eo, quòd operationem habet ex accidenti marcescentem, per se tamen impatibilem; intellectum conficit ex accidenti patibilem esse, perceuntéque corpore desinere esse illius actum & formam, per se tamen impatibilem & separatum viuere.

Atquid est illud (alio quodam intus corrupto) Parum sanè accommodatè corporeum intellectus organum interpretatur Sanctus Thomas, Philosophum opinatus loqui ex eorum sententia, qui intellectum quoque determinato vti organo voluerunt. Etenim sua, non aliena, promere illū constat. Meliùs Philoponus spiritum intelligit, sine quo nec phantasia, nec animalis vlla virtus operatur: sicque aut prorsus deficiat aut minùs sit temperatus, nulla vel certè turbulenta fit temperatio. Simplicius autem vel spiritum, vel temperaturam. Sed quid est opus aliunde interpretationem quærere? Ipsemet Aristoteles in tex. 20. lib. 3. intellectum à corpore separatum dicet non recordari: quoniam corruptus est passiuus intellectus, sinè quo is nihil intelligit: passiuum autem intellectum phantasiam appellari, tùm idem ipse fatetur Philoponus, tum eo loco argumentis pluribus ostendemus. Simulq. intelligemus causam eius; quod nūc intelligere ait marcescere illo intus corrupto. Quoniam, inquit, sinè hoc nihil intelligit intellectus, hoc est sine phantasia, vt apertè loquetur in text. 30. & 39. eiusdem lib.

TEXTVS.

Τὸ δὲ διανοεῖσθαι, καὶ φιλεῖν, ἢ μισεῖν οὐκ ἔστιν ἐκείνου πάθη, ἀλλὰ τοῦ ἔχοντος ἐκείνο, ᾗ ἐκεῖνο ἔχει· διὸ καὶ τούτου φθειρομένου, οὔτε μνημονεύει, οὔτε φιλεῖ· οὐ γὰρ ἐκεῖνου ἦν, ἀλλὰ τοῦ κοινοῦ, ὁ ἀπόλλυται· ὁ δὲ νῦς ἴσως θειότερόν τι καὶ ἀπαθὲς ἐστί

Ratiocinari autem, & amare, vel odisse, non sunt illius affectus, sed huius habentis illud, quatenus illud habet. Quare, & hoc corrupto non recordatur neque amat: Non enim illius erant, sed communis, quod abolitum est. Intellectus verò fortasse diuinius quid piā & impatibile est.

COMMENTARIVS CIII.

THemistius cùm in superioribus verbis audiuerit (νοεῖν, intelligere) & nunc audiat (διανοεῖσθαι, ratiocinari) opportunè quærit, quid inter vtrūque interssit, & vtrum præstantius existimari debeat. Addere quoque tertium poterat (θεωρεῖν contemplari. Atque intellectionem, inquit, simplicem terminorum simplicium comprehensionem esse, ratiocinationem autem terminos complexos iungere aut diuidere. Priorémque posteriori præstare: tum quia in complexu modò veritas est, modò falsitas; in simplici intellectione falsitas locum nō habet: quoniam vel tota res comprehenditur vt est, vel omninò non comprehenditur: tùm quia intelligere est quasi comprehendere atque attingere rem; ratiocinari velut circuire & lustrare, neque accedere; quod imbecillitatis indiciū est. Quæ sanè verè dicuntur, sed minùs fortasse huic loco accommodatè. Intelligere namq. non arbitror Aristoteli simplicē apprehensionē significasse. (Nam quorsum nunc intellectus hasce actiones distinguere?) sed vniuersam potiùs intellectus actionem; sicut sentire sensus actionē significat. Et ideò eam marcescere quidem dixit alio intus corrupto, quod de intellectione omni verum est; ipsam verò impatibilem esse per se, quoniam actio est spiritalis naturæ propria, non communis cum corpore.

Intelligere & ratiocinari vt differant.

Sed apud sactum Thomam duo reperio, quę minùs probo. Alterū, quòd duo illa priora (νοῦν καὶ θεωρεῖν) intelligere vertit & considerare, intelligereq. simplicem apprehensionem significare, & considerare alteram illius operationem, quæ in componendo & diuidendo versatur. Quibus si ratiocinatio accedat, tres omnino omnes intellectus operationes fuerint hoc loco commemoratæ. Namque θεωρεῖν Græcis nequaquam compositionem & diuisionem, sed cōtemplationem indicat; quæ actio est intellectus in se manentis, non ad opus vllum progredientis. Alterum, quòd διανοεῖσθαι interpretatur intelligere; cùm non intellectionem quamuis, sed ratiocinationem & ex vno ad aliud progressionem significet.

Contemplari quid.

Propterea satius fuerit tria hæc, intelligere, contemplari, & ratiocinari, ita prorsus accipere, vt intelligere sit quasi genus, quod vniuersam intellectus actionem proponat, duo reliqua velut illius species & partes, quarum altera in sui ipsius ac separatorum, quæ suprà se sunt, cognitione in seipso manens intellectus versetur, altera simul cùm sensu & phantasia circà inferiora occupetur & corporea, déque illis ratiocinetur. Quod ferè practico intellectui Simplicius tribuit, Intellectum inquiés appellari rationalem ipsam animam, vel vt organo vtitur composito ipso, quemadmodum practicus intellectus (quod est διανοητικὸν) vel vt ea per se ipsam agit, veluti contemplatiua pars) quod est θεωρεῖν, & Aristoteles ratiocinari dixit, perinde atque amare & odisse, non esse solius intellectus affectus seu operationes proprias, sed habentis illud, hoc est coniuncti seu animati quatenus animatum est. Siquidem animæ quidem operationes sunt, sed per corpus fiunt: & vt animam sine corpore non dicimus texere aut ædificare, ita neque circà corporea ratiocinari, amare, aut odisse. quoniam illud sensu & phantasia indiget, hæc aliquam corporis quoque cōmotionem adiunctam habēt.

Hinc dissoluto cōiuncto corporéq. interempto superstitem intellectum colligit neq. recordari, neque amare, aut odisse, aliasue id genus operationes habere: causamque subiungit esse, quoniam hæ non sunt illius operationes prōpriæ, sed communes cùm corpore, totiusque coniuncti: quocirca

pereunte corpore dissolutôq. coniũcto nullæ ampliùs esse possunt. Vbi rursum apertam immortalitatis intellectus nostri assertionẽ obseruabis. Non enim diceretur nõ recordari, si superstes non esset.

Animæ immortalitas.

At cur non recordetur, alienam prorsus ab Aristotele causam Philoponus posuit. Quoniã, inquit, nunc quidẽ illius cognitio præterfluẽs est, tẽporaria, & cũ priori ac posteriori: at à corpore absolutus cognitionem habet firmã, constantẽ, momenta neã, ac totã simul: memoria vero præteritorum est, in quibus prius & posterius obseruantur. Nẽpe memoria rei antea cognitæ repetitio cũ sit, obliuionẽ aut certè cessationem videtur supponere; quæ præsentis cõditionis præterfluentis est; vbi verò firma erit & cõstans cognitio, obliuio aberit memoriæque necessitas. Cõmunem Philosophus causam exponit, cur non recordetur, neq. amet anima separata, quoniã hæ non erant illius propriæ operationes, sed totius cõiuncti. Memoriã quippe, vt est in libro de memoria & reminiscentia, idẽ reipsa cùm phantasia esse voluit, idemq. & phantasma & memorabile, neq. intellectilium esse memoriam sine phantasmate, quia nec intellectio. Quare vt phantasia, sic memoria non solius animæ, sed coniuncti actio est, pereũteq. phantasmate & phantasia perit simul memorabile & memoria. Verùm de his pluribus in 3. libro.

Solum intellectum inculcat diuinius quidpiam esse & impatibile, hoc est spiritalem & per se subsistentem substantiã, quæ cum corpore non patitur: quare intellectio quoq. diuinior fuerit operatio & illius propria, qua separatus quoque fruatur. Addit autem (fortasse) vt & antea in tex. 64. (videtur) non quòd nõ sit illi certũ; sed aut propter Philosophicã modestiam; aut quòd nondũ id satis demõstrasset, nec verò præsentis esset instituti pluribus cõfirmare, aut demũ quòd in pluribus aliis difficultatibus, præsertim obscurioribus, ita loqui cõsueuerit. Paucis tamẽ Simplicius quatuor argumẽta perstringit, quibus diuinior intellectus natura colligatur. Nã & corpori dominatur & imperat: & in seipsum cõuertitur séq. ipsum intelligit: & ad nullã partẽ aliquãdo declinat: & cùm præstantioribus sese coniungit vnitque. De quibus alibi opportunior erit dicendi locus.

Anima immortalitas.

A

B

C

D

E

TEXTVS.

ὅτι μὲν οὖν οὐχ οἷόν τε κινεῖσθαι πῶς ψυχὴν, φανερὸν ὃν πάντως· εἰ δὲ λῶιον μὴ κινεῖται, δῆλον ὡς οὐδ' ὑφ' ἑαυτῆς.

Quòd ergo non possibile moueri animam, manifestum ex his. Si verò omnino non mouetur, perspicuum quod neque à seipsa.

COMMENTARIVS CIIII.

QVoniam hæc omnia propterea dicta sunt, vt dubitationi satisfieret in tex. 62. propositæ, quæ suadere videbatur animam per se moueri, cõcludit manifestis argumentis ostensum fuisse animã non posse moueri. Nam etsi ea, quæ objiciebantur, sint motus, solius tamen animæ non sunt, sed animati corporis, in eoq. ab anima deriuantur. Sola intellectio solius est animæ propria: sed ea diuinior est operatio generisq. alterius à cæteris & hęc tamen ipsa quoquo modo indiget corpore, quatenus in hac vita sine phãtasia nõ intelligimus. Quòd si omnino non mouetur anima, multò minùs dicendum fuerit eã moueri per se aut à se ipsa, quemadmodum, veteres illi, cõtrà quos hactenus disputatum est, pronuntiauerant.

Ex qua postrema clausula tandem intelligas superiorem disputationem nequaquam fuisse hominis, qui suspensam haberet sententiam probabiliterque dissereret. Non enim manifestum ex illis esse concluderet animam non moueri; nisi certam, definitam, demonstratámq. sententiam posuisse se existimare: Quocirca ea, quæ de intellectus immaterialitate atq. immortalitate dicta sunt, magnopere illis consideranda erunt, qui de Philosophi sententia dubitant. Neque leuis fuerit coniectura, si indè quoq. colligas intelligentem animam esse formam nostrorum corporum formatricem; solámq. in nobis animam. Tùm quia cùm intellectũ nobis ait ὑπεκθαι, videtur ea vox non extrinsecam, sed intimam & essentialem cum corpore vnionẽ indicare, qua nostrę pars euadat naturæ. Tũ quia si solùm ad operandum assisteret, laborandum magnopere non fuisset, vt non eãdem ostenderet illius esse ac reliquarum animarum rationem, eámq. propriam habere operationem, neq. cùm corpore interire. Satis enim erat dicere animas cæteras esse formãtes, hãc assistentem. Namq. vt Nauta propriam sibi habet operationem potestq. à naui separari, ita de intellectu statim intelligeretur, vbi assistens esse audiretur. Maiorẽ vidit Aristoteles difficultatem subesse, quòd non minùs, quàm cæteræ animæ formans esset. Accedit quòd eundẽ hunc intellectum appellat animã, amorisque odij, memoriæ, ac reliquarũ operationũ, quę sentientis animę sunt, principium fæcit, cæq. nõ nisi ab interno & vitali principio oriuntur. Et enim vt nec intelligentia Cælo assistens principiũ in eo intelligendi est, neq. in naui nauta, recordationis, amoris, odij, sensionis, aut intellectionis, sed solius motus, ità & intellectui eueniret in nobis. Cur enim quęso operationes hasce impertiat nautæ potiùs, quàm naui vel coniuncto totĩ ex nauta & naui, nisi quòd nautam formet, ac assistat naui? Verùm quid ex hoc loco intelligi possit, indicasse satis.

TEXTVS.

Πολὺ δὲ μᾶλλον εἰρημένων ἀλογώτερον, τὸ λέγειν ἀεικίνητον εἶναι τὴν ψυχὴν κινοῦσαν ἑαυτήν· ὑπάρχει γὰρ αὐτῇς ἀδιάλειπτα. πρῶτα μὲν τὰ ὄντα τῇ κινεῖσθαι συμβαίνοντα· ἰδιαὶ δὲ ὅν τῇ λέγειν αὐτὰ ἀριθμόν.

Multò autem magis iis, quæ dicta sunt, à ratione alienum dicere numerum esse animam mouentem seipsam: Adsuntenim ipsis impossibilia: Prima quidẽ ea, quæ ex moueri consequuntur: Propria verò ex eo, quod ipsam inquiant numerum.

COMMENTARIVS CV.

SIuè illud, ἀλογώτερον, ad illud referas, ἀλογώτερον, quod in tex. 62. positum anteà fuit, siue absolutè & vniuersè ad alias omnes de anima opiniones, vt ferè interpretes referunt; non magnopere laborabo. Quid enim tandẽ interfit, siue hãc, quã nunc aggreditur, opinionem omnium absurdissimam animæq. naturæ maximè repugnantem, siuè minùs, quàm superiorẽ dubitationem, rationi cõsentaneam dicas? quippe ad vtramq. partem trahi possunt adiuncta verba (ijs, quæ dicta sunt) tum inquam ad sententias anteà confutatas, tum ad dubitationem proximè explicatam.

Xenocrates ergò Platonis auditor atque in Academia

demia successor animâ pronũtiauit numerum esse seipsum mouentẽ. Quod, si verborũ spectes sonũ, absurdissimũ prorsus & ab omni ratione alienũ videtur. Sed aliâ eũ animo concepisse sententiam, Philoponus & Simplicius aiunt. Et alter quidẽ numerũ appellasse, quia numerus persimiles formæ sunt & species rerũ; quoniâ vt vnitate numeri, sic differentia quauis addita vel detracta mutantur: quod Aristoteles quoq. paulò post & in text. 10. lib. 8. Metaph. prodidit: animáq. rerũ omnium rationes cõtinet, & in tex. 6. lib. 3. formarũ ac specierũ locus esse dicitur. Seipsum verò mouentẽ; quoniam ipsa per se viuit, non alterius participatione, vt corpus. Alter autem voluisse illũ mediâ animę naturâ indicare: quæ dũ numerus dicitur, impartibilis naturæ particeps esse intelligatur; dumq. mobilis, partibilis ac diuiduæ: siquidem forma omnis impartibilis est, omnéq. mobile partibile. Quasi animâ forma sit nõ penitus simplex & absoluta, sed quæ ad materiæ & corporis partibilitatẽ declinet. Quo etiam spectat, quod nõ absolutè mobilẽ sed à seipso mobilem dixit: mobilitas enim partibilitatẽ, sed mouẽtis ac mobilis idẽtitas impartibilitatem indicant.

Anima natura media.

Quid igitur tantopere absurdũ Philosophus dicit? Sanè ijdem illi interpretes eũ, vt in aliis pluribus factitauit, non tã sententiam, quã verba, spectasse dixerũt: propterea q. Andronicus & Porphyrius non tã de re ipsa, quã de verbo disputari putarunt. Themistius tamen libros profert à Xenocrate de rerũ natura scriptos, in quibus se prodidit animam omnino numerũ esse credidisse, qui ex vnitatibus cõstat. quod & Aristotelis argumenta significant, quibus hominem statim ex vnitatis impartibili vrget natura. quasi non iam de nominibus, sed de re ipsa sit quæstio. Quod nobis, qui hominis scripta non legimus, facile non fuerit definire. Tam est tamen absurda & incredibilis opinio, vt vix vlli videatur in mentẽ venire potuisse.

Aristoteles duobus modis confutat. Primũ quidem ex ijs (quæ ex moueri consequntur) quę verba ita intellexerũt Themistius ac Simplicius, vt motũ dicerent numero ex vnitatibus cõstante quadrare nõ posse. Sed cũ duabus partibus opinio constet; altera cũ pluribus aliis Philosophis cõmuni, Animam per se moueri, altera Xenocratis propria; superuacaneũ fuisset aduersus priorẽ disputare, quæ satis supérq. in superioribus fuit cõfutata. Hoc igitur est, quod ait (prima quidem ea, quæ ex moueri cõsequuntur) hoc est primo loco proferri possent argumẽta ea omnia, quibus hactenus ostensum est animã non moueri. Atque ita interpretatus Philoponus est; confirmátq. alterũ, quod subiũgitur, argumentorũ caput, quod cũ propriorũ appelletur, manifestũ est primũ caput fuisse cõmunium Xenocrati cũ aliis pluribus, quibus cõmunis quoq. positio fuerat. Alterũ enim propriorũ erit, quia illud spectant, quod Xenocratis proprium fuit ac peculiare, animam numerum esse.

Quod verò Simplicius addit, in his intentionem Philosophi esse animam ostẽdere impartibilẽ esse omnisq. diuisionis expertẽ; probari non debet accurato & fideli interprete, qui Philosophũ videat nõ id agere, sed Xenocratis de anima sententiam cõfutare, ostendereq. numerum eam non esse.

A

TEXTVS.

Πῶς γὰρ δεῖ νοῆσαι μονάδα κινοῦμένου ἀπό τινος, καὶ πῶς, ἀμερῆ καὶ ἀδιάφορον οὖσαν, εἰ μὴ ὁτιοῦν ἀτομικὴ καὶ κινητὴ, διαφέρειν ἕξει.

Quî enim intelligere oportet vnitatẽ motã, & à quo, & quomodo, impartibilẽ atq. differentẽ existentẽ? Si namq. motrix est & mobilis, differre necesse est.

COMMENTARIVS CVI.

ARgumenta communia ex superioribus peti possunt, rursum nunc repetere superuacaneum. Propria magis persequi oportet, quæ petũtur ex eo, quòd anima numerus esse dicatur. Ac primùm cõstet numerum omnem ex vnitatibus constare; nec aliud, quàm certâ quãpiam illarum collectionẽ, esse. Ergò si anima numerus est, ex vnitatibus constat: quare si numerus sit seipsum mouẽs, certè vnitates eas moueri necesse est. At quomodo eæ intelligantur moueri? Aut enim mouent omnes & mouentur, aut aliquæ mouent & mouẽtur aliæ. Dici non potest quasdã esse mouentes & alias motas: tum quia cũ eandẽ omnes naturam habeãt: nec vlla inter eas sit differentia; non est ratio, cur vna potiùs, quã alia, moueat vel moueatur: tũ quia quæ mouent, eæ anima essent, non quæ mouerentur; siquidẽ mouere est animæ, moueri corporis. Quòd si omnes & mouere & moueri asserantur, id planè asseretur, quod fieri non potest. quoniam vt in 8. Phys. lib. demõstratur, quidquid mouetur, ab alio mouetur, mouensq. & mobile oportet esse distincta, neq. potest quidquam per se primũ & mouere & moueri: quia cũ mouens debeat esse actu & mobile potestate, idem simul & actu foret & potestate. At qui vnitas omnis est indiuidua, nec vllas habet partes, quarum vna mouere & altera moueri queat. Ergo quã est necessariũ in omni motu partem mouentẽ esse distinctã à parte mota, quãquam impossibile id, quod est indiuiduũ & impartibile, in partes diuidi, tam est absurdum animam dicere numerum esse seipsum mouentem.

B

C

D

Itaque duo illa (& à quo, & quomodo) tantũdem valere videntur; nec aliud quęrere, quàm an vnitates omnes seipsas moueant, an verò aliæ moueantur ab alijs. Nam quod Philoponus putat illud (quomodo) quærere an recta an in orbem aut alio mutationis genere moueantur, mínùs est ad rem. quippe hoc nõ vrget Philosophus; neq. demõstrat, nec rectâ, nec in orbẽ, nec accretione, aut decretione, nec ortu aut interitu, nec alteratione moueri; sed vtrũque illud (& à quo, & quomodo) cõmuni argumẽto impugnat; quo nec omnes à se ipsis, nec vnam ab alia moueri posse conficitur; quoniã nullam eæ differentiam habẽt, mouensque & mobile differre necesse est. Nam etsi (à quo) mouẽtem causam, & (quomodo) modũ quærere videantur; hæc tamen in præsenti causa in idem recidunt, dum de vnitatibus hisce mouentibus seipsas quæritur.

E

Sed in 6. Physic. lib. siquidem est, inquit Simplicius, quod partibiliter agit, motusque operatio partibilis est & continua, vt est in tex. 1. lib. 3. Phys. Quam ob causam illud (quomodo) eam vim habere putat, vt nec animatè, hoc est à seipsa, nec aliundè moueri possit: quoniam scilicet impartibile moueri omnino nequit. Quapropter paucis ita colligas. Numerus moueri non potest vnitatibus immotis; at vnitates moueri nequeunt: tùm quòd in partem mouentem & partem motam nõn

1. argum.

diuidantur: tùm quòd impartibile prorsus nõ moueatur: nec numerus igitur moueri potest, nec anima numerus fuerit, aut se ipsum mouens, aut omnino motus.

Sanè si solam huius loci argumentationem accipias, ea non probat animam, si sit numerus, moueri prorsus non posse; sed à se ipsa intrinsecus non moueri; quia vnitates in partem mouẽtem & partem motam non diuiduntur. Posset autem fortasse cogitari forinsecus & aliundè moueri. At hoc ipsũ conficietur, si alteram illam demonstrationem accersas, qua impartibile nullo modo moueri posse demonstratur.

TEXTVS.

Εἶτα δὲ ἐπεί φασι κινεῖσθαι γραμμὴν, ἐὰν πυκνώσωσι γραμμὴν, καὶ στιγμὴν, ἂν γραμμὴν· ἡ δὲ στιγμὴ μονὰς ἔθεσιν ἔχουσα· ὁμοίως δὲ καὶ ἡ μονὰς τῆς ψυχῆς, ἅμα πως δεῖ καὶ θέσιν ἔχειν.

num. 68. *Deinde verò quoniam inquiunt lineam motam superficiem facere, punctum autem lineam, & vnitatum motus lineæ erunt. Etenim punctus vnitas est positum habẽs, numerus verò animæ alicubi vtique est & positũ habet.*

COMMENTARIVS CVII.

2. argu. IN altera hac argumentatione verè Aristotelem dixit Philoponus deridere Xenocratem atque cum homine vocari. Eodem namque, quo anteà, principio posito, numerum ex vnitatibus constare; etsi vnitas & punctus hoc differre videantur, quòd punctus in linea consideratur velut illius terminus; vt & linea in superficie, & superficies in profunditate, ideóq. positum in his habere dicuntur: vnitas verò per se & absolutè absque positione in vlla re intelligitur, necesse fuerit vnitatibus hisce, quibus anima constare creditur, positionem quoq. concedere: tum quia alicubi nimirum est, atq. in corpore, cui vitam & motum impertit, positionem habet: tùm quia mouere & moueri existimantur, mouere autem & moueri non potest, quod in aliquo positionem non habeat. At vnitas, quæ positionem habet, punctus est; sicut punctus positione carens est vnitas: ex punctis igitur, non ex vnitatibus, constabit anima: neq. dicenda erit numerus esse, sed potiùs linea, si modò ex punctis linea coagmentatur. Rursum quoniam commune est Mathematicorum effatum à Platonicis quoq. receptũ, vt Sãctus Thomas confirmat, punctum motum describere lineam, motumq. lineæ superficiem, & superficiei profunditatem, vnitatum igitur motus lineas facient, non actiones animę, aut sensiones, appetitiones, intellectiones, progressiones, & omnino actiones animæ fateri oportebit nil aliud esse, quàm lineas: quod absurdissimum est nec sine audientium cachinnis pronuntiari potest.

Vnitas & punctus vt differant.

Itaque bipartita videtur hæc argumẽtatio; profusum ex vtraque parte risum prouocans. Primùm enim corrigere & emendare videtur, ostendendo non numerum, sed puncta dicendum esse Xenocrati animam esse. Deinde absurdum illud deducere, actiones animæ lineas fore aut linearum productiones. Quibus vtrinq. sententiam illam exagitat; tùm quoad essentiã animæ quam numerum dixit, tùm quoad operationẽ, qua mouere seipsam affirmauit. Atq. essentiam non vnitates aut numerum, sed pũcta & motũ non animales operationes, sed linearum productiones fore demonstrat.

TEXTVS.

Εἶτα ἀριθμὸς μὲν, ἐὰν ἀφέλῃ τις ἀεὶ μονάδα, λείπεται ἄλλος ἀεὶ ἀριθμός· τὸ δὲ φυτὸν ἢ τῶν ζώων πολλὰ διαιρούμενα, ζῇ, καὶ δοκεῖ τὸ αὐτὸ ψυχὴν ἔχειν τῷ εἴδει.

Præterea si à numero demat quis numerũ aut vnitatẽ, relinquitur alius numerus. Plantæ verò & animaliũ plura diuisa viuũt, & videtur eã dẽ specie habere animã.

COMMENTARIVS CVIII.

3. argu. TErtia est argumẽtatio, qua, vt verè Simplicius admonet, non ostẽditur vt duabus prioribus, animam non esse numerum se mouentem, sed omnino numerum non esse. Est autem hæc argumentatio. Eam conspicimus esse naturam & conditionem numeri, vt si vel partem eius aliquam, quæ numerum item faciat, vel vnitatem solam abstuleris diuersa prorsus restet numeri species, idem duntaxat genus; nã à quaternario dempta vnitate ternarius supereſt, alia numeri species: & prior quidem pars posterior verò impar; prior binarij, quadratus, posterior linearis. Et rursum si à nouenario ternarij, quadrato & impari dempseris quaternarium parem aut ternarium imparem, supererit tibi quinarius, impar quidem, sed linearis, aut ternarius, par & superficialis. Atq. ità subinde aliæ semper atque aliæ sunt numerorum species. At in vniuerso plãtarum genere, & verò in animalibus permultis si pars quæpiam abscindatur, viuunt eatamen & eandem retinẽt animam: anima igitur numerus non est. Ratiocinationis huius propositio manifesta est, atque alibi etiam à Philosopho vsurpata; vt in tex. 10. lib. 8. Metaph. Assumptio item quotidiana confirmatur experientia: quippe plantarum & arbustorum abscinduntur rami, eadémq. in plantis & arbustis remanet anima: immò & in abscissis ramis, si vel plantentur vel arboribus aliis inserantur. Nam & eadem folia & eosdem producunt fructus. Neq. solo abscissionis motu, quilocalis est nec per se vim habet formam vllam producendi aut motam rem immutãdi, noua potuit produci anima, siuè in reliqua arbore, siuè in abscisso ramo. Quinetiam in animaliũ genere si pars quæpiam exterior amputetur (modò non sit ex primariis) vt auricula, nasus, digitus, aut etiam manus, eadem est in reliquo corpore anima; idémq. animal viuit, sentit, ratiocinatur. Et quædam sunt, quę propterea insectavocãtur, quòd in plures partes ita diuidãtur, vt eandẽ diuisæ quoq. partes ad aliquod saltẽ tẽpus & animæ operationẽ & animã retineãt. Eandem inquam animã specie, non numero: quoniam in diuersis ac separatis materiæ partibus vna numero forma esse non potest, multiplicataq. materia multiplicatur forma. Quam ob causam in 2. lib. tex. 20. dicturus est Philosophus: in plantis atq. insectorum animalium genere vnam esse actu animam, potestate plures: quoniam actu est vna planta partibilis in plures.

Incredibile namq. est illud Simplicij, in abscissum ramum nouam extrinsecùs aduenire animam, siue quæ tũc fiat, siue etiam quæ præstiterit, & cùm primũ præcisus fuit ramus innata illi fuerit ráquam perfectè ad eam accipiendã apto. Et quis Peripateticum hominẽ ferat dicentẽ plantalem animam aut omnino aliã, quàm intelligentẽ, intrinsecùs aduenire? Platonicum fortasse dogma sapit, mundanam asserens animam animationis omnis generale prin-

le principium esse. Quamuis animalia perfectiora particularem quoque sibi similem causam poscãt, iuxta illud Aristotelicum in 2. lib. Physic. text. 26. Sol & homo hominem gignunt. Intelligat ergò animam, quæ erat vna, plures numero fieri diuisiones, quæ specie tamen conueniunt. Hæc est materialium omnium formarũ conditio, vt cùm materia diuidantur pluresque euadant. Quemadmodum vno corpore albo diuiso plura fiunt alba. Et hoc est, quod Aristoteles dixit vnam actu esse animam, potestate plures: sicut vnum est actu album, potestate plura. Minùs hoc in animalibus perfectionibus euenit; quoniam magis sunt vna & ab vno primo principe membro pẽdent, cum quo venis, arteriis, ac neruis colligantur; indéq. calorem, spiritũ, & vitam accipiunt. Atq. omninò vt perfectiora sunt, sic maiore illis opus est apparatu, vt eorũ anima aut suscipiatur aut retineatur in materia.

Animalia perfectiora cur oõ pauca.

Sed nec illud Philoponi probo; siue id, quod Philosophus ait, in animalibus omnibus verum sit, siue in quibusdam, nihil interesse. Immò verò interest plurimùm. Quia vt generalis & vniuersa cõclusio sit, non solùm in omni numero verum esse oportet mutari speciem; sed etiam in animali omni eandem animam remanere; vt nullam animã concludat esse numero.

TEXTVS.

Δοξειε δ' ἂν οὐδὲν διαφέρειν, μονάδας λέγειν, ἢ σωμάτια, σμικρά· ἐγὼ δὲ φημὶ Δημοκρίτου σφαιρίων ἑκάστην ἐπιπολῆς κίνησιν, μόνον δ' ἐφ' ἧς τὸ ποσόν, εἶναι· ἢ ἐν ἅπασι, τὸ μὲν κινοῦν, τὸ δὲ κινούμενον, ὥσπερ ἐν τῷ μεγέθει· ἐν ᾧ δὲ τὸ μεγέθει διαφέρειν, ἢ σμικρότητι, τοῦτο συμβαίνει τὸ λεχθέν, ἀλλ' ὃ τὸ ποσόν· διὸ ἀναγκαῖον εἶ) τὸ κινοῦν τὰς μονάδας, εἰ δὲ ὧν τῷ ζώῳ τὸ κινοῦν, ἡ ψυχή, ἐν ᾧ τῷ ἀριθμῷ ὥστε ἓν τὸ κινοῦν καὶ τὸ κινούμενον ἡ ψυχή, ἅμα τὸ κινοῦν μόνον.

Videbitur autẽ vtiq. nihil differre, vnitates dicere vel corpuscula parua. Etenim ex Democriti orbiculis si fiant Text. 69. *punctа, solũ verò maneat quantum, erit aliquid in ipso, hoc quidem mouẽs, illud autẽ motum, quẽadmodum in magnitudine. Non enim quod magnitudine differant vel paruitate, hoc euenit, quod dictũ est, sed quod quãtum. Quare necesse est quidpiam esse, quod vnitates moueat. Si verò in animali mouens est anima, in numero quoque. Quare non mouens & motum anima, sed mouens solum.*

COMMENTARIVS CIX.

DEmocritum nominari audiẽs credideris fortasse cum illius opinione sententiam Xenocratis comparari. At non est ità. Quarta potiùs instruitur argumentatio: qua perinde accipit Philosophus esse, siue vnitates, ex quibus numeris constet, qui anima est, impartibiles prorsus accipiãtur velut puncta: siuè vt corpuscula parua, qualia Democritus posuit. quò fit, vt eodẽ Democritus quoque argumento conueniatur, qui insectilia corpuscula sese mouentia dixerat esse animam. A quibus si magnitudinem tollas, habebis punctа, hoc est impartibiles vnitates in corpore positas; ex quibus constare animam Xenocrates voluit. Videtur autem mihi pro vnitatibus corpuscula ponere, quòd superiores argumentationes ex vnitatis præsertim conditione petebantur: voluitq. omninò numerum non esse ostendere, siue vnitatum, siue corpusculorum numerus esse dicatur. Hocque sibi volũt illa verba (solùm autem maneat quantum) hoc est numerus, qui de genere quãtitatis est: nempè modò sit numerus siue vnitatum, siue corpusculorum

4. argu.

A fit, perindeest; quia corpuscula instar vnitatũ erunt & numerũ facient. Propterea q. quantitatem dixit, non magnitudinem: quia numerus deiũcta quantitas est, magnitudo cõiuncta, quantitas vniuersum genus significat, quod in numerum & magnitudinem diuiditur.

Hoc & antecedentia & consequẽtia item ostendunt. Namq. si ex orbiculis fiant punctа, quomodo manere possit magnitudo, si punctа, magnitudinis omnis expertia sunt prorsusq. indiuidua. Sic enim anteà dixit, & vnitatem impartibilem prorsus esse nec differentiam vllam habere; & puncti motu fieri lineam. Manet autem quantitas, dum ex illis fit numerus, qui quantitas est. Rursum modo, inquit, B maneat quantum, erit aliquid in ipso, hoc quidem mouens, illud autẽ motum, quẽadmodum in magnitudine, hoc est non minùs in numero, quàm in coniuncta magnitudine. Siuè igitur vnitates acceperis, siue corpuscula & orbiculares atomos, ex quibus animam componebat Democritus; easque posueris vt vnitates, quæ punctorum instar positum habeant in animali; planè aliquid oportebit esse in illis, quod moueat, & aliquid, quod moueatur, quemadmodum in grandioribus & magnitudinem coniunctam habentibus corporibus. Non enim quod dictum est, quidquid mouetur debere habere partem mouentem & partem motam, easque distinctas; ideò euenit, quod magnum sit aut paruum, aut (potest enim illud διαφέρειν vtroque modo accipi, vel quod differat, vel quod differãt) quoniã partes illius magnitudine aut paruitate differãt & ideò fortasse hoc moueat, quod magnũ est; moueatúrque illud, quod paruum: sed quia quanta sunt, & ideò in partem mouentem & partem motam distingui possunt. Itaque cùm non minùs numerus, quàm magnitudo, quantitatem habeat, non minùs in illo, quàm in hac, separare has partes oportebit. Aliquid igitur erit, quod numeri vnitates seù corpuscula moueat idq. ab illis distinctum. D Atqui in animalibus, quæ moueri à se ipsis dicuntur, quod mouet est anima, quodq. mouetur, corpus: atq. vt corpus mouetur & nõ mouet, sic anima mouet nec per se mouetur. Ergò & in numero quoque id, quod vnitates mouet, anima fuerit: neq. anima id erit, quod mouet & per se mouetur; sicut Xenocrates numerũ inquit seipsũ mouentẽ, aut corpuscula Democritus se ipsa mouentia; verùm id, quod duntaxat mouet, neq. mouetur nisi ex accidenti; moto scilicet eo, in quo ipsa est.

Iam verò etsi hæc argumentatio tùm Xenocratis tum Democriti sententiam exagitet; & ipsemet Philosophus nihil interesse dicat aut vnitates dicere aut parua corpuscula: hinc tamen ne colligas, E nihil hasce opiniones differre. Nã & vnitates seu punctа, & corpuscula quantumuis parua, differre manifestum est: & Democritum non ex quibusuis, sed ex orbicularibus solis corpusculis cõstare animam asserebat. Quarè nihil differre dixit Aristoteles, non ipsas opiniones absolutè spectatas, sed quantum ad præsentem aduersus numerũ seipsum mouentẽ susceptam disputationem, atque incommoda, quæ inde sequuntur. quia etsi diuersarum rerum, numerum tamen seipsum mouentem asserebat vterque alter impartibilium vnitatum, alter minimorum corpusculorum, molem tamẽ quampiam habẽtium. Perindè enim sequitur, alia debere mouentia esse, alia mota; animámque ea sola esse, quæ mouent.

Simplicium tamen videas alio quodammodo probantē alias esse vnitates mouentes & alias motas: quoniam si eadē posset mouere seipsam, quid opus esset pluribus, quę facerent numerum? Quòd si rursum plures sint, aliæ mouebunt & aliæ mouebuntur: atqui mouens & motum natura & specie differūt: vnitas igitur ab vnitate & pūctum à puncto natura & specie differunt. Sed tum meminisse poterat Simplicius hanc propemodum fuisse argumentationem primā in text. 67. propositam. Tum verò Philosophum nunc videre aliud omnino colligere. Non inquam fore vt vnitates differant speciēs; sed eas solas vnitates, quęmouēt fore animam. Ac demùm animaduertere cōmunem esse aduersus Xenocratem atq. Democritum argumentationem: neq. fore, vt corpusculū à corpusculo specie ac natura differat, deduci potuisse aduersus Democritum, qui vt est in cap. 4. lib. 1. Metaph. & tex. 6. lib. 1. Physic. ea inquiebat genere quidem conuenire, sed figura, ordine, ac situ, natura & specie differre. At magnopere vereor, ne duo Philosophi argumēta cōiunxerit hic interpres. Hoc enim, quod nunc deduxit, ad illud, quod sequitur, pertinere videtur.

TEXTVS.

Ἐνδέχεται δὲ πῶς μοναδικὰς τοιαύτας εἶναι, διὰ τί ποτ' οὐ παρχὴν αὐτῆς διαφορὰν πρὸς τὰς ἄλλας. σημεῖον δὲ μοναδικῆς τὸ αὐ εἶναι διαφορὰν, πλὴν θέσις, εἰ μὴ οὖν ἔστιν ἕτεραι αἱ ἐν τῷ σώματι μοναδες, ἢ σημαὶ, ἐν τῷ αὐτῷ ἐόντα αἱ μοναδες· καθάπερ γὰρ χὼρ ἔχει σημεῖα· κἀπὶ τί κωλύει ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι, εἰδυὸ, ἢ ἀπείρους, ὧν γὰρ ὁ τόπος ἀδιαίρετος, ἢ αὐτὰ. εἰ δὲ αἱ ἐν τῷ σώματι σημαὶ εἰσιν ὁ ἀριθμὸς ὁ τῆς ψυχῆς, ἢ εἰ ὁ ὁν τῷ τῷ σώματι σημεῖων ἀριθμὸς ἡ ψυχὴ, διέρηται δ' πάντα ψυχὴν ἔχοντα τὰ σώματα, διγμαὶ γὰρ ὄν ἅπασι δοκοῦσιν εἶναι, καὶ ἄπειροι.

Verùm quî fiet, vt vnitas hæc sit? Oportet enim esse ipsius differētiam ad alias. Puncti verò solitarij, quænam fuerit differentia, præter quàm positus? Si igitur diuersa sunt quæ in corpore vnitates vel puncta, in eodem erunt vnitates. Nam locum obtinebit puncti. At quid obstabit in eodem esse, si duo, & infinita? Etenim quorum locus impartibilis, & ipsa.

Tex. 70.

Si verò quæ in corpore puncta sunt numerus qui animæ, vel si qui ex corporis punctis numerus anima, cur non omnia corpora habent animam? Puncta namque in omnibus videntur esse; & infinita.

Tex. 71.

COMMENTARIVS CX.

5. Argu.

Dvplex mihi videtur loci huius interpretatio esse posse. Prima fuerit, si quintam argumentationem verbis hisce dixeris contineri. Quomodo enim fieri potest, vt anima vnitas sit, aut ex vnitatibus constans numerus? Namq. vt à cæteris formis diuersa est anima, animatáque ab inanimis per animam differunt; sic vnitates illas, quæ animæ naturam absoluunt, differre oportet ab vnitatibus alijs, quæ sunt res cæteræ. Atqui solitarij & absolutè ac per se spectati pūcti absque materia & subiecto, in quo sit, quænam fuerit differentia, præter positum. Positu autem differt quidem punctus ab vnitate, quæ positum non dicit: at non punctus à pūcto: quoniam æquè omnia puncta positum significant: Neq. sinè causa adiecit illud (μοναδικῆς, solitarij) sed vel punctum accipiens, quod pro monade ac vnitate statuatur; vel punctum monadicè, hoc est ad modum vnitatis abstractè ab omni materia considerans. Quarè vt hominum denarius & denarius equorum materia quidem differūt; quòd illi sint homines, hi equi, at non denarij forma: sic vnitates animam constituentes vnitatis ratione ab vnitatibus cæteris res alias constituentibus nō differrent, sed solùm vt positum habent in tali materia, vimque punctorum subeunt. Iam igitur quoniā anima est in corpore, quæratur an animæ vnitates & puncta à corpore vnitatibus & punctis diuersa sint, an eadē. Diuersa nimirum videntur esse debere, siquidem anima differt à corpore. Atsi ita sit, cùm animæ vnitates & puncta positum habeāt in corpore, sicut anima est in corpore; simul & in eodem loco tùm animæ tùm corporis vnitates erunt & puncta, locúmque puncti corporis occupabit vnitas animæ.

Locum autem non propriè dixit, siquidem impartibile per se locum non occupat: sed impropriè pro situ & vbi, vt Simplicius loquitur velut eorum punctorum seu vnitatū susceptiuum. Quippe non solùm duo, sed multò plura, & verò innumerabilia impartibilia simul possunt & in eodem loco esse: quoniam nullum occupant locum, cúmq. vnum additur alteri, quodcunq. fuerint addita, nihil faciunt maius, quod ampliori egeat loco, immò vnū & idem euadunt punctum.

Plura verò puncta posse vnico coaptari puncto ex circuli centro ostendit Philoponus, cui omnes, hoc est innumerabiles, à peripheria ductæ applicantur lineæ. At si plura pūcta, quibus anima constat, vnico corporis coaptantur pūcto; erit corpus puncto sui animatum: aut certè secundùm sui magnitudinem & continuitatem totum corpus animatum non erit; sed illa sola corporis puncta, quibus animæ aptantur puncta: cùm tamen & totū & omnes eius partes anima frui constet. Aut demùm si vbiq. futura sit anima, vt sunt in corpore infinita puncta, sic infinitas oportebit esse animas aut certè vnam ex infinitis constantem punctis: quæ tamen infinita multitudo numerus dici non potest; quoniam numerus omnis finita & certa vnitatum collectio est.

Quòd si eadem esse dixeris animæ corporisque puncta; eáve, quæ sunt in corpore, puncta numerum illum efficere, qui est anima, dandum quoque tibi fuerit corpora omnia habere animam sicut habent puncta. Immò cùm in singulis non solū puncta, sed & innumerabilia esse videantur, quia plura semper & plura indicari possunt; consequens fuerit, nō vnam, sed innumerabiles in illis esse animas, vt ex aliis atque aliis punctis indicatis alij subinde atq. alij colligentur numeri. Dixit autem (videntur esse) quoniam pūcta in corpore non sunt actu, sed aut potestate, aut designatione nostra. Vndè etiam consequens fuerit, animam non esse actu, sed potestate: quippè in corpore puncta potestate sunt, non actu.

Hæc est vna horum verborum interpretatio. Altera non minùs accommodata fuerit; in hisce non contineri nouam argumētationem, sed prioris absolutionē, qua id vrgeat, quod postremò deduxerat, solas vnitates mouentes, non item motas, fore animam. Verum duobus adhuc modis instare possumus. Primùm quidem quærendo, an illud mouens sit vnica vnitas an plures. Non enim videtur vna esse posse, quia cùm vnitas ab vnitate non differat, præsertim cùm omnes positum habeant in corpore, non est cur hæc potiù dicatur

dicatur esse, quàm alia eritque comparatio non cum vnitatibus, quibus cæteræ constituuntur res, sed cùm illis ipsis, quibus ab aduersario dicebatur cõstare anima. Quòd si plures esse dicãtur, cùm anima sit in corpore, vnitates nimirum illæ omnes positũ habebunt in corpore; eadémq. quæ in priori interpretatione, argumentatio deducetur.

Altero autem, sciscitando, quomodo anima vnitas aut ex vnitatibus esse possit. Nam si solas vnitates mouentes & non motas dicatur esse, aliquod inter has necesse est discrimen ponere; vt intelligatur, cur anima vnitates hæ potiùs, quàm illæ, dicatur esse; cúrq. moueant hæ & moueantur illę. At qui differat vnitas ab vnitate? An quòd aliquæ positum habeant & dicantur puncta, aliæ non habeant? At qui omnes in corpore positæ sunt. Rursum si mouẽtes vnitates inquias esse animam, motas autem corpus; de harum differentia quæratur; eodémque modo, quo priùs, disputatio procedet.

Quoniá verò nihil differre dixit paulo antè Philosophus, aut vnitates dicere, aut parua corpuscula; non abs re Simplicius, quod nunc additur, nullam esse vnitatum differentiam, præterquàm positus, in Democriticis quoq. corpusculis habet locum interpretatur. quamque obijci posset illud, quod in superiori cõmentario protulimus ex Aristotele, triplicem in illis Democritum differẽtiam agnouisse, figuram, positum, & ordinem. Neque positus differẽtiam, quam Aristoteles quærit, eam esse, vt diuersum habeant positum: hæc enim accidentaria videtur esse: sed vt aliquæ vnitates positum habeãt, aliæ non habeant; vt melius interpretatur Philoponus: hæcque essentialis esset.

TEXTVS.

Ἐπὶ δὲ πῶς οἴονται χωρίζεσθαι τὰς ψυχὰς, καὶ διαλύεσθαι τὰ σώματα, εἰ μεμὶ διαιροῦνται αἱ γραμμαὶ εἰς τὰ στιγμάς.

Adhuc autem quomodo fieri potest, vt separentur animæ atque à corporibus solnantur, siquidem lineæ non diuiduntur in puncta.

COMMENTARIVS CXI.

APerta sententia est. Ex eo namque ratiocinatur, quòd animæ, vel Xenocrate homine Platonico consentiente, separabiles à corporibus §. argum. sunt: at puncta separari à lineis nequeunt, in quibus sunt: animæ igitur ex punctis non cõstãt. Puncta verò nominat, non vnitates; quoniam vnitates, quæ in corpore positum habeant, puncta esse iam posuit. Porrò ratiocinationis propositionem tanquàm ab aduersario datam accepit, probareq. contempsit: præsertim quòd non erat id huius loci, & aliquid etiam de intellectus separabilitate nõ multò anteà dixerat. Assumptionem autem demonstrat; quoniam vt lineæ non constant ex punctis, quòd impartibile additum imparatibili quãtitatem non faciat; aliáq. complura, quæ in 6. Physic. li. continentur; verùm ex lineis: ità nec in puncta diuiduntur, sed in lineas.

Puncta verò, inquit Simplicius, non partes linearum sunt, sed vt termini. Adde & copulæ, linearum partes iungentes. Sed quæ termini sunt, Impartibilia vt in continuo. actu existunt in lineis: quæ verò copulæ, potestate duntaxat. Quòd si lineæ non diuiduntur in puncta, nec omninò poterunt puncta à lineis separari. Sed & nullam rem significant, quæ separari ac per se cohærere valeat: nempe nil aliud sunt, quàm linea terminata, hoc est huc vsque & non vlteriùs protensa. Neque omnino terminus pars est eius, cuius est terminus. Eodémque modo nec superficies ex lineis, nec ex superficiebus corpus componitur, aut in eas diuiditur.

Itaque illa verba (separentur animæ & soluantur à corporibus) non abs re interpretabimur diuersum quidpiam significare. Nempè alterum, animam non fore quidpiam re diuersum à corpore, quod manifestum est esse falsum: alterum, eam non separatum iri à corpore. Quorum neutrum punctis conuenit, quæ nec re distinguũtur à lineis, nec separari ab illis queunt. Vnde Auetroës colligit impossibile fore, vt moriatur animal, nisi corporis dissolutione & interitu, non item separatione animæ à corpore. Siquidem nec punctum à linea, nec à corpore anima separari posset. quod minùs probabitur illi, qui cõposita cætera corrumpi intelliget, non separatione, sed abolitione formæ: atque in artificijs etsi forma arte producta nõ distinguatur re à quãtitate, cuius est modus quispiã; eã tamẽ mutari, & arte confectũ opus dissolui, nec absimili modo dici posse animal interire: & præter hominem intereunt cætera, quamuis eorum animæ à corporibus non separant-r.

Porrò integrum tibi sit siue hanc ratiocinationem sextam numerare, siue instantiam alteram aduersus illud; eadem illa puncta, quæ corporis sunt, animam esse, vel numerum, qui est anima. Vt prior instãtia fuerit, corpora omnia fore animata: posterior verò, animam à corpore separari non posse.

TEXTVS.

Συμβαίνει δὲ καθάπερ εἴπομεν, τῇ μὲν ταυτὸ λέγειν τοῖς σώμασι λεπτομερὲς αὐτῶν τιθεῖσιν, τῇ δ' ὥσπερ Δημόκριτος κινεῖσθαι φησὶν ἀπὸ τῆς ψυχῆς, ἴδιον τὸ ἄπτον εἶναι πρὸ τοῦτο ἡ ψυχὴ ἐν παντὶ τῷ ἀδιαιρέτῳ, ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἁπτῇ δύο εἶναι σώματα, ἢ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν· πῶς δ' ἀριθμὸν λέγουσιν, ἐν τῇ μιᾷ στιγμῇ πολλὰς στιγμάς, ἢ πῶς σῶμα ψυχῶν ἔχειν, εἰ μὴ ἀδιαφόρως τις ἀξιοῖ λέγειν, ἢ ἄλλος τις τρόπος ὑπάρχειν ἐν τῷ σώματι στιγμάς.

Euenit autem, sicut diximus, partim quidem idem dicere quod illos, qui corpus tenuium partium ipsum ponunt: partim verò quemadmodum Democritus moueri ait ab anima, proprium absurdum. Nam si anima est in toto sentiente, necesse est in eodem duo inesse corpora, si corpus quodpiam anima. Numerum autem dicentibus, in vno puncto multa puncta, aut omne corpus animam habere nisi differens quispiam numerus innascatur, & alius aliquis ab ijs, quæ insunt in corpore, punctis. Text. 72.

COMMENTARIVS LXXIX.

POtiùs in his Philosophum dixerim disputationem concludere, quàm argumentationem nouam instruere. Conclusio autem comparatione constat opinionis huius Xenocratis cùm aliorum sententiis. Nam qui animam inquiat numerum esse mouentem seipsum, partim vniuersè omnibus illis persimilem sententiam habet, qui eam esse ignem aut aëtem aliudve tenuissimum corpus voluerunt. Idémque omnes dicunt; non quòd eadem sententia sit, sed quòd ijsdem vrgeantur argumentis, eademque sequantur absurda. Partim verò in specie cum Democtiro conuenientem, qui orbicularia corpuscula posuit, à quibus velut animam moueantur animalia. Quicunque enim tenuissimum corpus esse affirmarunt animam, propterea affirmarunt, vt permeare corpus vniuersum posset atque ita mouere. quare duo corpora fateri coguntur simul & in eodem loco esse. At eodem modo impartibiles vnitates aut puncta vni-

uersum permeabunt corpus, erũntque multa puncta simul: animæ inquam & corporis, nisi eadẽ sint & animæ & corporis puncta, quod omniũ absurdissimum est, præsertim si omnia animæ puncta in vnum corporis punctum dicamus colligi.

Ait autem (in toto sentiente) vt simul argumentum inuolat, quo anima cognoscatur esse in toto corpore: quoniam totum sentit, saltem tactus sensu, quo partes omnes tactæ refugiunt & cõtrahuntur. Quòd si vbiq. sit sensus, sanè vbique animã adesse necesse est. Et quoniam vt se habet pars ad partem, ita quoq. se habet totum ad totũ; si duo puncta, vnum animæ, alterum corporis, simul & in eodem loco sunt, tota itẽ anima ex omnibus punctis constans simul & in eodem loco erit cum toto corpore. Aut certè, vt hoc absurdum fugias, negãdum tibi erit animæ puncta à corporis punctis diuersa esse incidésque in alterum illud, vt omnia corpora fatearis habere animam. Nisi differẽs quispiam numerus innascatur diuersus à punctis, quæ sunt in corpore, hoc est si anima ex diuersis punctis à corporis punctis constans non superueniat corpori.

Quibus patet superiorum conclusionẽ hanc esse, ex quibus ità Xenocratem vrget, vt si animæ pũcta non sint à corporis pũctis diuersa, corpora omnia fateatur habere animam, quoniam in omnibus sũt puncta: si verò tanquam diuersa corporis punctis adueniant, ea simul & in eodem loco futura esse agnoscat.

Quibus si respondeatur diuersam esse à corpore animam; siue pũcta dicatur esse, siue tenuissimùm corpus; nec tamen corpus peruadere corpus, aut duo corpora esse simul, quoniã anima inania corporis occupet spatia, neq. peruadat solida: videndum erit, inquit Philoponus, totum corpus non fore animatum, non inquam solidas partes, si in illis anima nõ susc ipitur, sed forinsecùs adiacet: perindéque esse, siue toti corpori forinsecùs apponatur, siue intus partibus singulis adiaceat. Sanè his angustijs Democritus quoque præmitur. Quippè nihil differre dictum est, siue vnitates, siue corpuscula parua dixeris animam esse, illáque ipsa quantumuis parua corpuscula permeare corpus necesse est, si animatum futurum sit.

Atque huc spectat illud Philoponi ex Xenocrate sciscitantis, vtrum vnitates, ex quibus componit animam, corporeæ sint & numerabiles, an incorporeæ & numerantes. Nã si corporeæ sint, corpus permeabit corpus, duóq. corpora simul erũt, sin incorporeæ, pũcta saltẽ erũt simul, atq. infinita pũcta in vno puncto. Cæterùm cùm duo affirmaret Xenocrates, animam esse numerũ & esse numerũ mouentem seipsum, ex eo, quòd numerũ diceret, communia hæc illi cum aliis omnibus sequebantur absurda. Iam ex eo, quòd mouentem seipsum, aliud accidit peculiare illi cum Democrito, qui corpuscula item seipsa mouere pronunciabit.

TEXTVS.

Συμβαίνει τε τὸ σῶμα κινεῖσθαι τὸ ζῷον, ὡσαύτως τῷ ἀριθμῷ, καθάπερ καὶ Δημόκριτος φασιν ἀεὶ κινεῖν· ἢ γὰρ διαφέρει σφαίρας λέγειν μικρὰς, ἢ μονάδας μεγάλας, ἢ ὅλως μονάδας φερομένας; ἀμφοτέρως γὰρ ἀναγκαῖον κινεῖν τὸ ζῷον, τῷ κινεῖσθαι αὐτάς.

Et euenit corpus moueri animal à numero, perinde ac Text. 73. *Democritum diximus ipsum mouere. Quid enim interest orbes dicere paruos, aut vnitates magnas, aut omninò vnitates motas? Nam q. vtroque modo necessarium mouere animal, quo moueantur ipsæ.*

A

B

C

D

E

COMMENTARIVS CXIII.

PEculiaris Xenocratis atq. Democriti sententiæ similitudo fuit in animaliũ motus efficiẽte causa proponenda. Nam vt Democritus corpuscula posuit à seipsis moueri, suóque impulsu mouere animalis corpus; ità Xenocrates numerum vnitatum seipsis mouere voluit, suáque agitatione & motu agitare ac mouere corpus. Omninóq. vterq. moueri animã dixit à seipsa, tùm animæ motu moueri corpus. Nec magnopere diuersum est, quod alter minima corpuscula proposuit; alter vnitates, siuè grandiores, siuè quantumuis paruas. Quippe Democritus quoq. licèt corpuscula dixerit, impatibilia tamen dixit, perindè ac si vnitates essent. Et Xenocrates moueri animal inquiens à numero, moueri ait ab vnitatibus: quoniam numerus propterea mouetur, quòd moueantur vnitates. Quare anteà nihil differre dixit, aut vnitates dicere, aut parua corpuscula: quoniam hæc non dicebantur mouere & esse anima, quòd parua essent aut magna, sed quòd numerum facerent. Etsi à corpusculis quantitatem tollas, vnitates habebis aut puncta: & rursum si vnitates vel pũcta quantitatem assumant corpusculorum instar erunt. Vterq. igitur tũ moueri animal ait, quòd moueatur anima; tùm moueri affirmat ab impatibilibus, siue corpusculis, siue vnitatibus & punctis. Quocirca quæcunque aduersus Democritũ antea disputata sunt, possent nunc aduersus Xenocratem quoque proponi, nisi superuacaneum esset repetere. Sicut & illud, quod paulò antè quærebatur, an moueantur à seipsis, an ab aliis; quæque differentia sit inter mouentia & mota.

TEXTVS.

Τοῖς δὴ συμπλέξασιν εἰς τὸ αὐτὸ κίνησιν καὶ ἀριθμὸν, ὅσα τε συβαίνει, καὶ πάλιν ἕτερα πιθανὰ· ἐκ γὰρ μονάδων ἀριθμὸν ἀδύνατον τιθέναι μὴ ἔχοντα μέγεθος. Ἀνάγκη δὲ συμβαίνειν ἄτοπα διὰ τὸ ἐκ τοῦ λόγου τούτου πάσῃ καὶ παντὶ ἔργῳ τῆς ψυχῆς ἀποδιδόναι ὄλον λογισμὸν, οἷον ἀδικήσεις ἡδονὰς λύπας, ὁμοίως ἄλλα πάσα τοιαῦτα· ἀνάγκη γὰρ ἐπιμιγνύεσθαι ἕκαστον ἑκάστῳ αὐτῶν.

Iis sanè, qui coniunxerunt in idem motum & numerum, & hæc accidunt, & plura eiusmodi alia. Non solum enim definitionem animæ impossibile talem esse, sed & accidens. Manifestum autem, si quis attentauerit ex hac definitione affectus & actiones animæ reddere: velut cogitationes, sensus, voluptates, mœrores, quotquot huiusmodi alia. Nam vt prius diximus, neque diuinare ex ipsis facile.

COMMENTARIVS CXIV.

PHilosophum facilè obseruabis multum omninò fuisse in confutanda Xenocratis sententia, animam esse numerum seipsum mouentẽ, & acrius aduersus eam, quã aduersus alias, disputasse. Si causam quæras, plures inuenias. Nam & in tex. 67. maximè omnium eam dixerat à ratione fuisse alie. Cr. nam: & recens erat ac celebris opinio, viuentémq. adhuc habebat auctorem, qui cùm Platonis fuisset auditor, tum inde non paruam sibi opinioni suæ fidem conciliabat; tùm Aristotelis, qui ex eadem & ipse schola prodierat, æmulatione fortasse non carebat.

Hãc postremò subiungit clausulam; opinionem illam, quæ numerum & motum coniungit, animámque ait numerum esse seipsum mouentem, tùm

tum difficultatibus illis premi, quæ hactenus propositæ sunt, tum aliis pluribus. Quibus planè conficitur, non solum eam esse non posse definitionem atque essentiam animæ; sed neque accidens aut proprietatem vllam. Etenim ea definitione posita, si affectus animæ atque operationes explicare volueris, planè non poteris, etiam si vel maximè diuinandi potestas permittatur: quod & antea iis, qui harmoniam dicebant, obiectum fuit in tex. 56. Quomodo enim cogitationes, sensiones, atque appetitiones, quæ actionem significant cognoscentem; & voluptates item, delectationes, mœrores, & affectus ac perturbationes cæteræ, quæ essentiam animæ comitantur, aut numerus sint seipsum mouens, aut huiusmodi numerum consequantur? Nam qualis numerus sit rationalis facultas? Qualis phantasia, sensus, aut appetitus?

Cæterum illorum verborum (sed & accidens) altera potest esse interpretatio. Namque definitio bona eiusmodi esse debet, vt non solùm essentiæ, sed & propriorum accidentium cognitionem pariat. At definitio animæ à Xenocrate posita neutrum habet: non est igitur benè anima ab illo definita; Numerus seipsum mouens. Quomodo enim ex numero affectus & actiones animæ cognoscantur? Prior interpretatio Philoponi fuit atque Simplicij; posterior Themistij, Auerrois, & sancti Thomæ. Quæ eò magis probanda videtur, quòd circa libri initia positum fuit eam esse bonæ definitionis conditionem, vt ex ea definitæ rei proprietates intelligantur: indéque nunc videtur argumentum aduersus Xenocratis definitionem duci. Quid verò aduersus vniuersam hanc Aristotelis disputationem Andronicus dixerit, narrabit tibi Themistius, atque pro Aristotele respondebit.

ANIMAM EX ELEMENTIS rerumque initiis non constare.

Cap. VII.

TEXTVS.

Τεῶν δ' τείττων πεφεδομένων, καθ' ὃς ἐείζοντις πῶν ψυχῶν, οἱ μὲν κινητικώτατον ἀπεφήναντο, τῷ κινεῖν ἑαυτό, οἱ δ' σῶμα τὸ λεπτομερέςατον, ἢ τὸ ἀσωματότατον τ' ἄλλων. ταῦτα δ' τίνας ἀπορίας τε καὶ ὑπεναντιώσεις ἔχει, διειλήφαμεν πρόσθεν. λείπεται δ' ὁπόσοι λέγεται τὸ ἐν τ' στοιχείων ἀυτῶν εἶναι. λέγουσι μὲν γὰρ, ἵν' ἴδωσιν τε τ' ὄντων, καὶ ἕκαστον γνωρίζῃ.

Tex. 75 *Tribus autem traditis modis, quibus definiunt animam; hi quidem maximè motiuum asseruerunt, eò quòd seipsum moueat; illi verò corpus tenuissimarum partium, aut inter cætera maximè incorporeum. Hæc autē quas dubitationes & obiectiones habeant, ferè percurrimus. Restat verò considerare quomodo dicant ex elementis eam esse. Inquiunt enim, vt & sentiat entia, & singula cognoscat.*

COMMENTARIVS CXV.

PLacuit Philopono superiorum hanc conclusionem esse. Mihi non placet; sed magis transitionem esse ad ea, quæ supersunt consideranda. Repetit autem partitionem initio disputationis factam. Nam etsi veterum de Anima sententias bipartitò diuiserit in tex. 19. quosdam que dixerit spectasse motum, alios cognitionem; adiuncto tamen incorporeo in tex. 33. trimembrem partitionem fecit. Quem locum nunc eum respexisse, tum ex reipsa constat, quam repetit; tum ex illis ipsis, quibus vtitur verbis. Dixerat enim antea (Definiunt autem omnes animam tribus) nunc autem (tribus autem traditis modis, quibus definiunt animam. Eadem enim sunt verba, eademque sententia. At quorsum hæc repetitio? Tum vt consequentia cum antecedentibus nectat: tum vt quid actum sit quidque agendum supersit intelligatur. Confutatis namque duobus membris, quorum alterum animam inquiebat esse id, quod maximè motiuum est; alterum, esse incorporeum quidpiam aut certè tenuissimarum partium corpus: tertium superest considerandum, quo eam ex elementis rerumque initiis constare aiunt: quoniam cognoscit omnia, cognitioque propter naturæ similitudinem fit; quare cum ex rebus omnibus constare rerumque omnium cognoscendarum cumulus & congeries esse non possit, reliquum est, vt ex illarum saltem initiis & quasi summitatibus constet, vt quoquo saltem modo similis omnibus sit. Eritque potissimùm cum Empedocle disputatio; tum propter hominis celebritatem ac famam; tum quòd in ea ipse sententia tuenda præcipuus & magis pertinax videretur.

Sed pulchrè Simplicius admonet, non esse idem considerare substantiam, aut actionem proprietatemve aliquam; & considerare modum, quo illa sit. Quippe in re ipsa quoquo modo videtur Philosopho cum illis omnibus conuenire (quod obseruauit quoque Philoponus) sed discrepantiam esse in modo: & in principio is ita professus est se allorum commemoraturum sententias, vt si quid sapienter fuisset dictum, libenter acciperet; quæ verò perperam & insipienter, repudiaret. Sanè animam mouere animalium corpora fatetur Aristoteles, qui alibi dixit moueri à seipsis proprium animatorum esse: & in 2. libro animā definiet esse id, quo primùm viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. At modum non probat, propterea inquam mouere, quòd ipsa moueatur. Et ideò illa adiunxit verba (motiuum asserunt eò, quòd seipsum moueat. Fatebitur incorpoream esse, qui probaturus est omnino non esse corpus, sed entelechiam & perfectionem corporis: modum illum non probat, incorpoream esse, hoc est minimè corpoream partiumque tenuissimarum corpus; quoniam duo corpora simul & in eodem essent loco. Ac demum quæ animalium est, animam cognitione præditam esse concedet, cognitionemq; omnē ratione similitudinis fieri; at similitudinē nō esse naturæ. Quomodo.n. immaterialia cognoscat anima, si ex materialibus & corporeis elementis est illius natura? Sed formę cognitæ: neq; similitudinē antecedere cognitionē cognoscēdiq; vim adferre; sed subsequi ac perfici cognitione, dū rei cognitæ forma abscq; materia in cognoscentē animā

Aristotelem re cum veteribus conuenisse, modo discrepasse.

Vt cognitio fiat similitudine.

cognitione traducitur, vt in 2. libro pluribus explicabitur. Quæ enim nunc Simplicius de cognitionis vi & natura adiungit, minùs omnino ad hunc locum pertinent; vbi satis erat indicasse, Aristotelem in re ipsa cum veteribus consentire; sed modum non probare. Vnde veteres intelligas veritatem quoquo modo adumbrasse atque aliquid balbutisse de anima, dum tria illa proposuerunt capita, motum, cognitionem, & incorporeum: sed Aristotelem planè illustrasse, clarisque & apertis verbis eloquutum omnia fuisse.

TEXTVS.

Ἀναγκαῖον δ' συμβαίνειν πολλὰ καὶ ἀδύνατα τῷ λόγῳ. τιθέντι γὰρ γινώσκειν τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, ὥσπερ ἂν εἰ τὼ ψυχὼ τὰ πράγματα τιθέντες. ὧν ἐστὶ μόνα ταῦτα, πολλὰ δ' καὶ ἕτερα. μᾶλλον δ' ἴσως ἄπειρα ἢ ἀριθμόν, τὰ ἐκ τούτων. ἐξ ὧν μὼ δ' ἐστὶν ἕκαστον τούτων, ἔστω γινώσκειν τῷ ψυχῷ καὶ ἀληθεύειν. ἀλλὰ τὸ σύνολον πῶς γνωσεῖται, ἢ ἀληθεύσεται. οἷον τὶ θεός, ἢ ἄνθρωπος, ἢ σάρξ, ἢ ὀστοῦν. ὁμοίως δ' καὶ ὁποιονοῦν ἄλλο τῶν συνθέτων. ὁ γὰρ ὁπωσοῦν ἔχοντα τὰ στοιχεῖα τούτων ἕκαστον, ἀλλὰ λόγῳ τινὶ καὶ συνθέσει. καθάπερ φησὶ καὶ Ἐμπεδοκλῆς τὸ ὀστοῦν.

Necessarium verò multa & impossibilia rationem consequi. Ponunt etenim cognoscere simile simili; perinde ac si
Tex. 76. *animam res esse ponerent. Non sunt autem sola hæc, sed & alia plura, quin potiùs fortasse numero infinita, quæ ex his.*

Ex quibus igitur est horum vnumquodque, esto co-
Tex. 77. *gnoscat anima & sentiat, at quo cognoscet totum aut sentiet? Vt quid Deus, aut Homo, aut caro, aut os, & quodcunque aliud compositum. Non enim vtcumque habentia elementa horum vnumquodque, sed certa ratione & compositione. Quemadmodum & Empedocles os inquit.*

COMMENTARIVS CXVI.

OPinionem, quæ animam ex elemẽtis & principiis entium componit, demoliri Philosophus volens, fundamentum præsertim aggreditur, illudque multis argumentis conatur diruere. Fundamentum & ratio, qua nitebantur illi, hæc erat; quoniam simile cognoscitur simili. Atqui rationem hanc multa, & quæ nullo modo constare possint, consequuntur. Primum illud est, quòd eorum opinione animam oportet res ipsas esse, quas cognoscit: nam propterea illi ex elementis eam constare aiunt, vt terra cognoscat terram, aqua aquã, aëre aërem, igne ignem, vt ipsemet Princeps opinionis huius assertor Empedocles loquebatur in tex. 25. At si ita sit, aut animã necesse fuerit non solùm ex elementis, sed ex omnibus planè rebus, quæcunque in natura sunt aut esse possunt, compositam esse, si omnes cognitura sit; aut certè non omnia, sed elementa sola, cognoscere, ex quibus constet. Alterum horum fieri prorsus non potest; alterum absurdum est, reque ipsa cõuincitur, dum animam cognoscere omnia deprehendimus. Neque enim sola sunt elementa in rerum natura, quæ cognosci queant & debeant, sed alia complura: ea scilicet omnia, quæ ex elementis concreta sunt, lapides, metalla, plantæ, animalia; & eorũ partes, os, caro, neruus, vena, & alia plurima, quæ etsi specie finita sint, & certo numero comprehensa, numero tamen fortasse sunt infinita, quoniam in omnes horas alia gignuntur & alia: aut etiam in nobis, qui phantasmata rerum infinita propemodum fingere possumus. Esto igitur, propter similitudinem cognoscantur elementa, quòd ex illis ipsa constet, eaque in se possideat anima: at mista reliqua corpora quomodo cognoscentur? Vt enim non hæc, sed horum elementa & principia sunt in anima; ita nõ hæc, sed illa sola cognosci poterunt, si cognoscendi ratio similitudo sit. At manifestum est hæc quoque ipsa cognosci.

1. Argumentũ cõtra Empedoclem.

Neque verò dicat Empedocles mista hæc omnia nullam prorsus ab elementis naturam diuersam habere; sed solùm elementorum complexum & congeriem quampiam, & ideo alia, quàm elementorum, similitudine opus non esse. Quoniam ipsemet fatetur satis non esse elementa quocumque modo coniungi & copulari, sed certam in singulis mistis proportionem illorum, temperationem, ac compositionem necessariam esse, quæ diuersam ab elementis naturam constituat. Quem locum obseruent illi, qui mistorum corporum naturam nulla dixerunt constare substantiæ forma sibi propria & ab elementis diuersa; sed sola illorũ temperatione ac permistione. Nam si ita cogitasset Philosophus, nequàquam diuersum ab elementis in anima principium quæsiuisset, quo mista cognosci possent velut ab elementis diuersa, neque vlla hæc argumentatio fuisset. Quam ob causam addit Philoponus: mista hæc tum inter se, tum ab elementis differre, vt Aristotelicæ argumentationis vim indicaret. In promptu namque fuisset respondere, nullam ab elementis mista naturam significare, & ideo sola elementorũ similitudine cognosci: ex alia verò atque alia tẽperatione ac proportione aliam atque aliam naturam, & ideò diuersum ab elementis in anima cognitionis principium conficit.

Sed & alia esse videtur vis argumenti. Non solùm enim cognoscuntur mista ex elementis composita, sed mistionis quoque & compositionis modus intelligitur: quod fatetur Empedocles, dum in osse proponit quantum elementorum singulorum contineatur. Non sola igitur elementa, sed & elementorum rationes ac proportiones mistorum singulorum proprias inesse in anima oporteret, vt singula mista cognosci à nobis possent. Quamobrem in Timæo Platoni ait Philoponus satis non fuisse animam ex elementis facere, sed eius etiam compositionem per harmonicos numeros fecit. Quòd si & elementa & elementorum compositiones in anima insunt; iam non sola elementa, sed quæcunque ex elementis composita sunt, & omnino res omnes anima fuerit: quod absurdissimum omnium est.

At quid est illud, quòd Deum tanquam ex elementis compositum nominauit? Aut Deum ipsum dixit, quem Simplicio teste ita compositum esse crediderit aut sphærum, in quo eius sententia elementa omnia continebantur; aut cœleste corpus, vt pluribus aliis in locis; quod Empedoclem constat ex elementis composuisse, aut exempli duntaxat causa nominauit.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ἡ δ' χθὼν ἐπήκεος ἐν εὐστέγνοις χοάνοισι.
Τὰ δύο δ' ὀκτὼ μοιρέων λάχε νήστιδος αἴγλης.
Τέσσερα δ' ἠφάιστα, τὰ δ' ἐστὶ λευκὰ γέγοντο.
Οὐθὲν κ' ὄφελος εἴη τὰ στοιχεῖα ἐν τῇ ψυχῇ, εἰ μὴ ἐκ λόγοι ἐνέσοντ', καὶ ἡ σωθεσις. γνωσις δ' ἑκάστου τῶ ὁμοίου. τὸ δ' ὅσα ἢ τὰ ἀνθρώπου ἐλθεῖν, εἰ μὴ ταῦτ' ἐνεσιν. ὥστο δ' ὅτι ἀδύνατον, ἐθὲν δεῖ λέγειν. τὸ δ' αὖ ἀπορέσειεν ἐν ἔνεστιν ἐν τῇ ψυχῇ λίθος, ἢ ἄνθρωπος, ὁμοίως δ' κ' τὸ ἀγαθὸν κ' τὸ μὴ ἀγαθὸν, καὶ τὸν αὐτὸν δ' τρόπον κ' ἐπὶ τ' ἄλλων.

Terra autem concinna in prectorariis infundibulis
Duas ex octo partibus sortita est fluidi luminis.
Quatuor autem Vulcani: ossa verò alba facta sunt.
Nulla igitur vtilitas elementa esse in anima, nisi & rationes inerunt & compositio. Cognoscet enim vnumquodque simile. Os verò vel hominem nihil, nisi hæc insint. Hoc autem fieri non posse; nihil opus est dicere. Quis enim dubitet, an insit in anima lapis aut Homo, similiter autem & bonum & non bonum? Ad eundem verò modum & de cæteris.

COMMENTARIVS CXVII.

EMpedoclis testimonium, quo confirmat Philosophus vel aduersario consentiente elementorum proportione certa constare singula mista, triplici contentum carmine, totidem verbis malui fideliter reddere, quàm Græcis Latina subijcere carmina. Inquiebat autem Empedocles ossa ex octo elementorum partibus constare; duabus terræ; vna fluidi, hoc est aquæ; & vna item luminis, id est aëris; quatuorque Vulcani, hoc est ignis; & ideò esse alba & sicca: alba propter multum ignem, siccaque propter terram: hæc enim duo abundant elementa. Terram porrò concinnam dixit seu decoram beneque compositam; propter figuram cubicam, qua Pythagorici constare illam voluerunt, vt Philoponus ac Simplicius scribunt. Aquam verò fluidam, propter humorem; & aërem lumen, propter perspicuitatem, qua lumini peruius est: ignem denum Vulcanum, vt Poëtis est familiare. Sed ex octo maximè partibus cõposuit, quòd Pythagoricis receptum esset harmonicis præsertim numeris in entium generatione vti; & octonarius primus est numerus cubus ex tribus æqualibus numeris in se multiplicatis factus, ex bis duo bis; sicut & ter tria ter faciunt vigintiseptem: qui vt terræ, sic ossibus propter immobilitatem ac firmitatem conuenit plurimùm. Vt enim terra immobilis manet in mundo, ideoque figura illi tribuitur cubica; sic in animalium corporibus ossa immobiles quasi & consistentes partes considerantur, circa quàs flectuntur ac mouentur cæteræ. Et in Timæo quoque Plato igni figuram dedit pyramidalem, aëri octoædram; aquæ icosædram, terræ cubicam seu exacædram. Mitto harmonicas plures proportiones in octonario numero ab interprætibus pulchrè consideratas.

Certè si ad harmonicos numeros oporteat omnia reuocare, meliùs multò videbitur Empedocles ita elementa fuisse partitus, vt quatuor partes essent ignis, duæ terræ, vna aquæ, & vna item aëris; quàm si alia quæuis partitio fieret: Aut enim ita partieris, vt binę adsint singulorũ partes; vel vt vna, duæ, duæ; tres, tres, vel vt tres, vna, vna; vel demũ quemadmodũ illi partiri placuit. Si totidẽ sint elementorum omnium partes, harmonica nulla proportio. Duobus reliquis modis aliqua quidem, sed minor. Nam in vna duabus, tribus, duabus, vix vlla cernitur præter duplam & sesquialteram. Atque in tribus, tribus, vna, vna, nulla prorsus inter ternitates duas est, vel vnitates duas; sola adest tripla inter ternitates & vnitates. At in Empedoclea partitione tũm dupla proportio est quatuor ad duo; tum quadrupla quatuor earumdem ad vnam; tum verò dupla duarum ad vnam. Quamquàm quòd in his non reperiatur nisi diapason, proportio simplicissima; meliùs fortasse partiri potuisset in vnam, duas, tres, vnam. Quoniam in his proportio est diapason dupla, & diapente sesquialtera, & composita ex diapason & diapente, quæ tripla est trium ad vnam.

Iam verò totam hanc elementarium partium permistionem factam fuisse inquiebat ἐν εὐστέγνοις χοάνοισι, hoc est in pectorariis infundibulis seu fusoriis. χοάνα enim vasa illa dicuntur Simplicio interprete, in quibus eorum, quæ miscentur, temperatio fit. Appellat autem εὐστέγνα, id est pectoraria, inquit Philoponus, quasi lata & ampla: quippe στέγον & pectus pars est in animalium corporibus latissima & capacissima, in qua cor cum pulmonibus conditur: & per arteriam aër, dum respiramus, velut in infundibulum infunditur. Porrò etsi duas terræ partes non nominauerit Empedocles hisce carminibus; dum tamen octo partes commemorantur, quarum quatuor igni dantur, & duæ aquæ & aëri, omnino terræ supersunt duæ. Denique quod ossa dixit alba propter ignem, aut propter ignis adustionem dixit, aut propter multam ignis copiosioris lucem minori opacitati permistam quæ colorem adducit album.

Ergò ex his argumentatur Aristoteles. Si Empedocles ipsemet in entium mistionibus non solum elementa, sed certam quoque illorum proportionem & compositionem posuit; animam satis non fuerit ex elementis constare, vt omnia cognoscat; ni mistionum item proportiones & compositiones multiplices in se contineat. At quàm absurdum sit id affirmare? Quis enim lapidem, aut hominem, aut equum, & alia entia dixerit esse in anima? Et tamen ex Empedoclis opinione consequens est, si cognitio similitudine fit.

Vbi verò Philosophus bonum & non bonum nominat, priuationes nominari Simplicius putat, quæ in anima dicantur esse non posse. At exempli causa simul cum lapide & homine proponuntur hæc quoque: nec necessaria erat priuationum mentio; quas certum est non per se & ideo nec propria similitudine cognosci; sed ex habitu colligi, cuius priuationes existunt.

De ossibusquid Empedocles.

Octonarius numerus.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ πολλαχῶς λεγομένου τοῦ ὄντος (συμβαίνει γὰρ τὸ μὲν τὸ δεῖπα, τὸ δὲ ποσόν, ἢ ποιόν, ἢ ἄλλο τι τῶν διαιρεθέντων κατηγοριῶν) πότερον ἐξ ἁπάντων ἔσται ἡ ψυχή, ἢ οὔ; Ἀλλ' ἃ δοκεῖ κοινὰ πάντων εἶναι στοιχεῖα, ἐξ οὗν ὅτι τῶν ἰδίων, οὐ τούτων μόνων; πῶς οὖν γνώσεται, ὅτι καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον; ἢ φύσιν ἑκάστου γένους εἶναι στοιχεῖα καὶ ἀρχὰς ἰδίας, ἐξ ὧν πῶς ψυχὴ συνεστάναι; ἔστι ἄρα καὶ ποσόν, καὶ ποιόν, καὶ οὐσία. ἀλλ' ἀδύνατον οὐ τὸ ποσοῦ στοιχεῖον οὐσίαν εἶναι καὶ μὴ ποσόν. τοῖς δὲ λέγουσιν ἐκ πάντων, πάντα τε καὶ τοιαῦθ' ἕπεται συμβαίνει.

Tex. 78. *Præterea cùm ens multis modis dicatur (significat enim aliud quidem hoc aliquid, aliud autem quantum, vel quale; vel aliquam aliam diuisarum categoriarum) num ex omnibus erit anima, an non? At non videtur communia esse omnium elementa. An igitur quotquot substantiarum, ex his solis? Quomodo ergò cognoscit quod & aliarum vnumquodque? An dicent cuiusque generis esse elementa & principia propria, ex quibus anima constet? Erit igitur & quantum, & quale, & substantia. At impossibile ex quanti elementis substantiam esse, & non quantum. Quare ijs, qui ex omnibus inquiunt, & hæc & huiusmodi alia cueniunt.*

COMMENTARIVS CXVIII.

2. Argumentum. HÆc est altera aduersus Empedoclem argumentatio. Sed duplicem Themistius agnoscit. Hanc enim primùm proponit. Genera & vniuersalia, quæ categorijs decem continentur, substantia, quantitas, qualitas, & cætera omnia; neque elementa sunt, neque ex elementis conflata: immò eorum pleraque longissimè ab elementorum absunt natura; vt relatio, actio, passio, motus, habitus, vbi, quando; Et omnino genera omnia notiones animi nostri sunt, non elementa rerum. Si igitur anima ex elementis constat, vt naturæ similitudine in rerum cognitionẽ ducatur; quomodo hæc genera & vniuersalia cognoscentur, quæ nullam cum elementis similitudinem habent & cognationem?

Sanè primam hanc optimi interprætis argumentationem non respuo nec contemno. Aio tamen ex propositis Philosophi verbis ab alio vllo non colligi, neque colligi posse. Vnica enim hæc est ratiocinatio ex entis omonymia ducta. Ens natura vna non est, quæ communis sit omnibus ijs, quæ ab anima cognoscuntur; sed multis dicitur modis, velut omonymum quidpiam, quod decem omnino naturarum genera immediatè significat; Quas diuisas categorias appellat. Categorias quidem, velut plurium series atributorum, superiorum & inferiorum, quæ de rebus singulis enuntientur. Diuisas verò, hoc est distinctas primóque diuersas, nec vlla re, sed solo entis nomine aut rationis similitudine conuenientes. Si igitur animam ex ijs, quæ cognoscit, vel ex eorum certè principijs & elementis constare oportet; aut ex illis omnibus decem naturis constabit, vel ex earum omnium principijs; aut ex solius substantiæ, velut omnium principis & aliarum causæ. Ex illis omnibus constare non potest; quoniam cum substantia esset, tum quantitas, tum qualitas, & aliæ omnes illæ naturæ: neque vnam quampiam naturam haberet, sed plurimarum atque adeò omnium congeries esset; cùm tamen substantia sola videatur esse. Et non ne absurdum tibi videbitur animam in pluribus & verò omnibus generibus poni, aut ipla à seipsa genere diuersa esse? Id verò consequens est, si ex pluribus aut omnibus generibus componatur. Sed nec fingi quidem potest, quænam illius pars aut facultas cui generi adscribenda sit. Neque verò ex omnium principijs. Quoniam nulla sunt omnium communia principia; sed alia substantiæ, materia & forma; alia quantitatis, punctum magnitudinis & vnitas numeri; alia aliorum generum. Ex quibus omnibus singulorum generum proprijs principijs si constare animam dixeris; perinde feceris, ac si ex ipsismet generibus omnibus constare dixisses. Nec enim vnam habebit naturam anima, sed multiplicem; neque substantia erit, sed quantitas, qualitas, omnesque cæteræ. Nam vt ex principijs substantiæ substantia fit, non accidens; ita ex principijs quantitatis aut qualitatis fieri nequit substantia, sed accidens, quantitas aut qualitas. Denique si ex solius substantiæ principijs constare dicatur; næ substantias solas cognoscet, non accidentia; si constare debet principium illud, cognitionem omnem similitudine fieri, similéque cognoscimili. Non enim respondere licet, principia substantiæ accidentium quoque principia esse & ex illis cognosci: quippè in substantia cohærent & sustentantur omnia. Quoniam ex proximis, non ex remotis principijs, cognitio rei cuiusque pendet; substantiæque principia non nisi remota accidentium principia sunt.

In quibus illi primùm, qui entis synonimiam vnamque naturam substantiæ & accidenti decemque generibus communem adstruunt, Aristoteli se penitùs aduersari vel hoc loco tandem agnoscant, meliusque in posterum sentiant. Qui non esse quidem puram & sinceram solius vocis omonymiam in tex. 2. lib. 4. Metaph. & tex. 15. lib. 7. pluribusque aliis in locis exposuit: neque tamen significare vnum, sed ad vnum; hoc est plura, quæ ad vnum aliquid primum referantur. Quid Peripateticis fuit semper mirè probatum, quos longum esset commemorare.

Deindè illi quoque, qui Alexandrum sequuti principes illas quatuor qualitates, calorem, frigus, humorem, & siccitatem, substantiales elementorum formas esse contendunt; audiant quid hìc Philosophus ratiocinetur. Substantia, inquit, ex accidentis principiis constare non potest; qualitates igitur hæ principia substantiæ elementorum non sunt. Quòd si alibi principia interdum & differentias illorum appellauit; accidentaria principia & velut materię dispositiones aut etiam efficientia principia & accidentarias item differentias appellauit.

Postremò de categoriarum omnium principiis in 12. Metaph. lib. à tex. 19. & deinceps pluribus disputatur, an eadem omnium sint. Atq; vt non vna est, sed multiplex entis natura; ita non eadem simpliciter omnium principia, sed solùm analogia constituit. Quamquam hoc loco de physicis potissimùm & componentibus principiis, ex quibus res fiunt, sit sermo.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ἄτοπον δ' ἢ τὸ φάναι μὲν ἀπαθὲς εἶναι τὸ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ὁμοίου, διαπαθεῖσθαι δ' τὸ ὅμοιον τοῦ ὁμοίου, καὶ γινώσκειν τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον. τὸ δὲ διαπαθεῖσθαι ποιεῖν τι καὶ πάσχειν πάθειαν, ὁμοίως δὲ καὶ τὸ νοεῖν τε καὶ γινώσκειν.

Absurdum autem dicere quidem impatibile esse simile à simili, simile autem sentire simile, & simili cognoscere simile. Sentire autem pati quidpiam & moueri ponunt: similiter verò & intelligere & cognoscere.

Tex. 79.

COMMENTARIVS CXIX.

PVtat Auerroes Philosophum hactenus in opinione ipsa Empedoclis confutanda versatum fuisse, nunc verò ad fundamentum eius diruendum sese conuertere; simile non nisi à simili cognosci. At facile quiuis animaduertat, tum hæc, tum ea, quæ hæc consequuntur, ad eandem confutationem pertinere. Tertia igitur hæc argumentatio contradictionis arguit, & cum seipsa opinionem eam pugnare ostendit, dum simile ait cognosci à simili. Siquidem ijdem illi Auctores palàm affirmant, tum simile non pati à simili, sed passionem omnem à dissimili & contrario inferri: tum cognitionem omnem passionem quandam esse.

3. Argumentũ.

Itaque ex triplici ipsorummet aduersariorum propositione hæc instrui argumentatio potest: sentire & intelligere omninoque cognoscere (hoc enim velut genus est, illa illius species, etsi secus Simplicius: quippè cognitio omnis aut sensus est aut intellectus) pati quidpiam est & moueri: at simile non patitur à simili, sed omnis passio à dissimili est & contrario; cognitio igitur non fit propter similitudinem, neque simile à simili cognoscitur. Propositio in 2. & 3. lib. examinabitur pluribus. Interim sat sit, à sensilibus obiectis magnoperè affici & alterari, cogi & dissipari; & interdum, si fuerint vehementiora, dissolui prorsus organa sensuum; & omnino ab incurrentibus nos ad sentiendum prouocari ac moueri. Assumptio autem tum ab aduersarijs accipitur, tum in priore libro de ortu & interitu demonstratur. Actio namque à contrario proficiscitur, quod in suam naturam commutare alterum contrarium nititur sibique facere simile: & ideo agit, quia actu dissimile est, potestate simile: quarè materia quidem conueniunt, at differunt & pugnant forma. Propterea non à calido patitur calidum, neque ab humido humidum, sed illud à frigido, hoc à sicco: aut certè minus calidum à magis calido minusque humidum à magis humido; in quibus dissimilitudo quædam est & contrarietas, quòd minus calidum aut humidum contrariæ qualitatis permistionem habeant.

Quò etiam illud spectat, quod Philoponus adfert, lucernam paruam à lampade magna & paruum ignem à maiore consumi, vt Aristoteles quoque loquitur in 3. libro de cœlo tex. 52. & lib. de longit. & bre. vitæ cap. 3. & problem. 22. & 25. sect. 1. Non enim à simili patitur, sed à dissimili; minor à maiore, imbecillior à robustiore. Ergo tantum abest, vt antecedentem similitudinem cognitio postulet, vt contrarium potius eueniat: Fiatque à dissimili actu, potestate simili; & cognitionem ipsam similitudo consequatur. Et Simplicius dissimilitudinem ex eo deducit, quòd etsi cognoscẽs cognoscibile itẽ sit, & cognoscibile quoq; interdũ cognoscẽs, cognoscẽs tamen nõ cognoscit vt cognoscibile est, sed vt cognoscẽdi vi preditũ est; & rursum cognoscibile nõ cognoscitur vt cognoscendi vim habet, sed vt cognoscibile est: esse autem cognoscens & cognoscibile, diuersa nimirum sunt & dissimilia.

Cognitionem dissimilitudine niti.

TEXTVS.

Πολλὰς δ' ἀπορείας καὶ δυσχερείας ἔχοντες τοῦ λέγειν, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς, ὡς τοῖς σωματικοῖς στοιχείοις ἕκαστα γνωρίζεται, καὶ πρὸς τὸ ὅμοιον, μαρτυρεῖ τὸ γὰρ λεχθὲν ὅτι γῇ γῆν ὁρῶμεν καὶ τοῖς τοῦ ζῴου σώματος ἁπλοῦς γῆς, οἷον ὀστᾶ, νεῦρα, τρίχας, ἐλαφρὸς αἰσθάνεσθαι δοκεῖ. ὥστε δεῖ τοῦ ὁμοίου, καὶ τοι πρόσοικεν.

Cùm autem dubitationes multas ac difficultates habeat dicere, sicut Empedocles, quòd corporeis elementis singula cognoscuntur & per simile; testatur id, quod nunc dictum est. Quæcumque enim in animalium corporibus insunt simpliciter terræ, vt ossa, nerui, pili, nihil sentire videntur: quare nec simulia. Atqui decebat.

COMMENTARIVS CXX.

QVoniam post illa verba (quod nunc dictum est) vtitur statim Philosophus causali particula (enim) putant Philoponus & Simplicius posita illà fuisse prò eo, quod est, quod nunc dicendum est. Vt hæc sit sententia. Multas quidem dubitationes & difficultates Empedoclis opinionem habere probatum est; sed maximè apparebit ex ijs, quæ dicenda sunt. At quid tandem nos cogat vim hanc Philosophi verbis inferre, eumque impropriæ aut corruptæ loquutionis arguere? Referantur illa ad antecedentia: constabit optimè sententia. Cùm dubitationes multæ & difficultates oriantur ex Empedoclis opinione corporeis elementis & simili cognosci singula asserentis; satis fortasse id testantur eâ, quæ hactenus dicta sunt.

Vt hæc sit quasi superiorum argumentationum conclusio. Quibus tamen plures alias adiungit. Quartaque hæc ex partibus petitur nostrorum corporum. Si simile cognoscitur simili; igne igitur cognosceret anima ignẽ, aëre aërem, aqua aquã, terraque terram; vt in tex. 25. ipsemet loquebatur Empedocles: at in corporibus nostris non paucæ sunt partes terreæ, quæ non solùm non sentiunt terram, quam propter similitudinem sentire deberent, sed omnino nihil; non igitur simile cognoscitur simili; neque propterea ex elementis oportet constare animam, vt cognoscat omnia. Partes porrò non sentientes numerat ossa, neruos, pilos: potuisset & vngues,

4. Argumentũ.

Partes non sentientes.

& dentes addere, atque in cornutis animalibus cornua. Ac de pilis quidem, vnguibus, dentibus, & verò cornibus, haud magna est difficultas; quòd animatæ partes non sunt; neque vbi deest anima, sensus adesse potest. Ossa etsi animam habeant, terrea tamen nimium sunt; nec ea, quam sensus postulat, mediocritate constant. Quare si sentire interdum videntur, dum in morbis quibusdam dolent; doloris & sensus non est ossium, sed vicinarum partium.

Ossa nõ sentire.

De Neruis maior difficultas, quam ab interpretibus ferè dissimulatam video. Solus Simplicius neruos dixit inter partes non sentientes numeratos fuisse, quòd non illos, sed spiritum vellet tactus sensorium esse. Id verò à ratione alienum est. Quippe spiritus anima præditus non est; nec aliud quidquam, quàm tenuissimus & purissimus sanguis: sanguis autem animata corporis pars non est, sed partium omnium materia & alimentum: omnique sensu caret, vt est in 3. lib. de animal. hist. cap. 19. & lib. 2. de part. cap. 5. & 10. Nisi fortasse Simplicius de neruis per se & absque spiritu acceptis loquutus fuerit. Terrei namque nimium sunt, minusque aptè temperati. At dum accedente spiritu temperantur magis, sentiunt optimè, imò Themistij & Philoponi sententia in Commentario tex. 32. huius ipsius libri vim sentiendi præcipuam obtinet. Itaque quod hîc de neruis dicitur, persimile fuerit illi, quod in tex. 104. lib. 2. affirmabitur de lingua, linguam siccam non sentire sapores; quam tamen saliua humectatam meliusque temperatam certum est vnicum esse & & optimum gustandi instrumentum. Spiritum hunc necessariamque sentiendo temperationem suscipere ossa non possunt. Sed de his alibi pluribus.

Nerui an sentiant.

TEXTVS.

Ἔτι δ' ἐκάστη τῶν ἀρχῶν ἄγνοια πλέον ἢ σύνεσις ὑπάρξει. γνώσεται μὲν γὰρ ἕν ἕκαστον, πολλὰ δ' ἀγνοήσει. πάντα γὰρ τὰ ἄλλα. συμβαίνει δ' Ἐμπεδοκλεῖ γε καὶ ἀφρονέστατον εἶναι τὸν θεόν. μόνος γὰρ στοιχεῖον οὐκ ἂν γνοείη τὸ νεῖκος, τὰ δ' θνητὰ πάντα. ἐκ πάντων γὰρ ἕκαστον.

Tex. 80. *Iam verò vnicuique principio insciitia copiosius, quàm scientia, inerit. Vnumquodque enim cognoscet vnum, multa autem ignorabit. Omnia namque alia. Accidit verò Empedocli & insipientissimum esse Deum. Etenim solus elementum vnum non cognoscet, discordiam; mortalia autem omnia. Quoniam ex omnibus singula.*

COMMENTARIVS CXXI.

DVplicem argumentationem verbis hisce contentam coniungere placuit, quod persimilis altera alteri sit solaque materia differat. Argumentatur enim ex eo, quòd Empedoclis hæc opinio ignorationem potiùs, quàm cognitionẽ, inducat: idque in simplicibus primùm elementis ostendit; tùm in ijs quoque, quæ cõposita ex elementis sunt. Aduersarij verba hæc erant in tex. 25. adscripta; Terra terram vidimus, Aqua aquam, " æthere æthera diuum, at igne exitiosum ignem: " amore autem amorem, & discordiam discordia " tristi. Ex his duobus modis vrget Philosophus. " Primùm si elementum vnumquodque id solum cognoscit, quod sibi simile est, terra terram, aqua aquam, & eodem modo cætera; sanè cognoscet vnum duntaxat aliaque omnia ignorabit: plus igitur ignorationis & insciti æ, quàm cognitionis, ex elementis singulis habebit anima; similitudoque ignorationis magis, quã cognitionis, causa fuerit.

5. Argumentũ.

Deinde inter ea, quæ ex elementis composita sunt, deterioris conditionis, quàm mortalia & caduca animalia, omniúmque inscientissimus esset Deus. Etenim sex illis principijs positis, quatuor scilicet elemẽtis concordiáque & discordia; cætera omnia ex omnibus concreta esse voluit Empedocles. Deum immortalem futurum discordiæ omnis expertem esse, atque ex reliquis duntaxat quinque principijs constare; ex quatuor inquam elementis amicitiæ opera conuocatis atque vnitis. Ita fiet Deum discordiæ omnis nescium esse, solamque amicitiam & quatuor elementa cognoscere, discordiam non item: cùm tamen animalia cætera ex omnibus composita cognoscant omnia.

Deus quid.

Quid verò Deum Empedocles nominaret, incertum; quòd eius scripta non extent. Auerroes celestes orbes interpretatur, quos & Deos esse & Empedocles ex elementis concretos arbitrabatur. Auerroem sequutus est sanctus Thomas. Alios interpretatos fuisse concordiam, quæ discordiæ velut contrariæ particeps non sit; testatur Philoponus. Sed tum ille, tum cæteri interpretes græci, sphærum potiùs intelligunt, velut elementorum omnium permistionem conciliante amicitia factam.

Auerroes.

Cæterùm Alexander Deum ipsum intelligens posteriorem hãc ratiocinationẽ dixit esse probabilem, non necessariã. Non n. insipientior esset Deus, quòd deteriorũ cognitione careret. Quippè Aristoteles ipsemet in tex. 51. lib. 12. Met. melius esse dixit meliora sola comprehendere & deteriora ignorare satiusque esse affirmauit quæd non videre. Quod Philoponus pulchrè dictum iudicauit. Ego verò non item. Omnis namque cognitio perfectionem quandam cognoscentis significat: atque vt cognitio id efficit, vt cognoscens non cognoscenti præstet; ita plurium rerum cognitio maiorem adducit perfectionem: siue autem meliorum siue deteriorum rerum cognitio sit, perinde fuerit. Quoniam tum omnis cognitio perfectio est intelligenti naturæ conueniens, tum non trahit cognoscentem ad rem cognitam, sicut appetitus ad appetitam rem appetentem impellit: sed rem potiùs cognitam in cognoscentem transfert, illique similem facit. Quocirca quidquid intelligatur, siue bonum, siue malum; siue præstans, siue abiectum; perindè est. Neque Deus cognitionem à rebus extra se positis accipit, sed in seipso videt & contemplatur omnia. Siue quòd omnia in se contineat; siue vt Aristoteli placuit, quia est omnium causa. Qui tamẽ eum negauit cætera in seipsis cognoscere, quòd indignum iudicaret diuinam mentem aliundè cognitionem quærere.

Cognitio cur perfectio.

Quod verò scribit Proclus Cõment. 3. in Platonis Timæum duplicẽ sphærũ fecisse Empedoclẽ; vnũ sensilem, alterum intellectilẽ; Platonicũ magis videtur, quã Empedocleum. Neq; illud constat; Alterum alterius imaginem esse, atque in sensili regnare discordiam, in intellectili verò concordiam. Nam si alter alterius imago est, alterum alteri similem esse oportet.

Error Auerroi fictus.

Prior

Prior potiùs argumentatio probabilis videri posset. Siquidem vt aspectus, auditus, odoratus, gustatus, & tactus, vnius tantum obiecti cognitionem; aspectus aspectabilium, auditus audibilium, ac reliqui reliquorum, vnusquisque sui determinati obiecti; omnibus verò simul sensilium omnium cognitionem habet animal: ita responderi posset vno quidem elemento vnum cognosci, omnibus verò simul omnia comprehendi. At neque Philosophus vbique se demonstrationes adferre profitetur.

TEXTVS.

Ὅλως δὲ διὰ τίν' αἰτίαν οὐχ ἅπαντα ψυχὴν ἔχει τὰ ὄντα; ἐπειδὴ πᾶν ἢ στοιχεῖον, ἢ ἐκ στοιχείων ἐστὶν, ἢ ἐκ πλειόνων, ἢ πάντων. ἀναγκαῖον γάρ ἐστιν ἓν τι γινώσκειν, ἢ πινὰ, ἢ πάντα.

Tex. 81. *Omninò autem propter quam causam non omnia entia habent animam; Siquidem omnia aut elementum, aut ex elemento vno, aut ex pluribus, aut omnibus. Necesse enim est, vnum aliquod cognoscere, aut aliqua, aut omnia.*

COMMENTARIVS CXXII.

7. Argumentū. SAnè hæc est septima confutatio. Quam non satis assequuti sunt illi, qui reduci putarunt entia omnia fore animata. Qualis enim esset deductio? Anima est ex elementis composita; ergo omnia, quæcumque sunt, animata sunt; Quoniam quidquid est, aut elementum est, aut ex elementis constat. Etenim in promptu esset respondere, elementa primùm animata non fore, quòd anima non simplex elemẽtum sit, sed quidpiam ex elementis omnibus compositum: neque rursum mista omnia corpora; quoniam vt os inquiebat Empedocles non quauis, sed certa quapiam elementorum permistione constare; ita & de anima multò magis responderet. Vt enim deductio nulla est, os ex elementis concretum est, ergo omnia ex elementis concreta sunt os: ita nec vlla esset hæc; anima ex elementis constat, ergo omnia, quæ ex elementis constant, animam habent.

Qualis autem argumentatio Philosophi sit, po-
» stremo ostendent verba. Ex eodem namque prin-
» cipio illo ducitur; Terra terram vidimus, aqua aquam, & omninò simili cognoscitur simile. Etenim si ita esset, omnia haberent animam, hoc est cognitione prædita essent. Quare ad hũc modum ratiocinatur. Omnia quæcumque sunt (nec enim alia entia Empedoclesnouerat) aut sunt elementa, aut ex elementis composita; vel omnibus, vt mista perfecta; vel aliquibus, vt imperfecta; vel etiam vno cum alicuius alterius qualitatibus, vt in meteorologicis non pauca. Si igitur simile cognoscit simile, tum elementum vnumquodque cognoscet sibi simile, tum mista omnia comprehendent ea, quæ illis similia sunt, ex quibus constant; siue plura fuerint, siue pauciora. At plurima sunt, quæ nihil prorsus cognoscunt: falsum igitur est naturæ similitudinem principium & causam cognitionis esse, elementaque cognitricem facultatem obtinere. Quoniam si verum esset, vbicumque hæc essent, cognitionem quoque oporteret adesse: reciprocarenturque propositiones, inquit Simplicius; elementum vim continet cognitricem, & similitudo est cognitionis causa; & contrà, vbicumque similitudo est & elementum aut quid ex elementis constans, cognitio adest.

TEXTVS.

Ἀποροῦσειε δ' ἄν τις καὶ τί ποτέ ἐστι τὸ ἐναντιοῦν αὐτά. ὕλη γὰρ ἔοικε τὰ γε στοιχεῖα εἶναι. κυριώτατον γὰρ ἐκεῖνο. τὸ συνέχον δ τί ποτέ ἐστι. τῆς δὲ ψυχῆς εἶναί τι κρεῖττον καὶ ἄρχον, ἀδύνατον. ἀδυνατώτερον δ' ἴσως, τῷ τὸ εὐλογώτατον εἶναι τοῦτο πρεσβευόμενον καὶ κύριον κατὰ φύσιν. τὰ δὲ στοιχεῖα φασι πρῶτα τῶν ὄντων εἶναι.

Tex. 82.

Dubitaverit verò quispiam, & quidnam sit quod ipsa vnit. Materia namque videntur elementa esse. Maximè enim dominans illud, quod continet; quidquid id est. Anima autem esse quidquam melius & dominans, impossibile. Multò verò magis adhuc impossibile intellectu. Rationi etenim maximè consentaneum esse hoc antiquissimum & dominum natura. Elementa autem inquiunt prima entium esse.

COMMENTARIVS CXXIII.

8. Argumentum. IN octaua hac confutatione partim ex generali materiæ & formæ conditione progreditur Philosophus, partim ex propria & peculiari elementorum natura. Forma enim vbique præstat materiæ meliorisque conditionis est, velut materiæ perfectio & finis. At anima nihil est melius in natura; anima igitur est forma: at elementa sunt mistorum, quæ ex illis fiunt, materia; anima igitur neque elementũ est, neque elementa. Rursum elementa plura sunt & inter se contraria; neque ea dissipata dicuntur esse anima, sed vnita; quẽadmodum & anima est vna: aliquid igitur esse oportet, quod illa vniat atque in pace & concordia contineat: alioqui nunquàm conuenirent in vnum nec in pace degerent: hoc verò necesse est quidpiam esse illis omnibus melius, quodque illis dominetur vt vnire valeat & continere. At nil in viuentibus melius, nil ad continendum & dominandum aptius, quàm anima esse potest: quæ non solùm est forma generali conditione melior, quàm materia illique dominans; sed formarum omnium optima. Multò verò minùs intellectu; qui vt est ab elementari tota & materiali natura separatus atque abiunctus, tum diuinioris est conditionis atque ad inferiorem naturam continendam illique dominandum aptissimus. Anima igitur in viuentibus omnibus & intellectus in homine id erit, quod vnit & continet elementa. Quò fit, vt abeunte anima dissoluantur elementa, atque in varia distrahatur id, quod vnitum fouebatur ab anima. At si ea est, quæ vnit & continet elementa; sanè nec fuerit elementa, nec ex elementis. Immò ea prior fuerit, quàm elementa: prior inquam causalitate & nobilitate, vt interpretatur Auerroes; etsi elementa tempore antecedant: cùm tamen elementa vniuer-

sè inquiant aduersarij prima entia esse, ex quibus tum cætera constent, tum anima. Quippe & forma prior est, quam materia; & id, quod continet, eo, quod continetur, prius existit. Quocirca contrà prorsùs, quàm illi vellent, animam euenit priorem esse, quàm elementa & velut illorum principium; non elementa priora & animæ principia.

Misti forma ab elementis diuersa.

Quam philosophi argumentationem tum eos considerare iubeo, qui mistorum corpora per substantiæ formam ab elementis distinctam constitui negant (nulla enim argumentatio foret, si absque superiore forma vniente & continente consistere vnità elementa possent) tum verò illos, qui intellectum rationalemue animam (intellectum enim animam rationis participem vocare philosophum, animamque reliquas; verè Philoponus adnotat & Simplicius cõsentit) non esse formam nostrorum corporum formatricem volunt. Siquidem animam quidem omnem aptam esse ait ad vnienda continendaque elementa, at intellectum aptissimum: vnire autem & continere subiectam sibi materiam næ formantis est formæ, non assistentis.

Anima immobilis forme formans.

Porrò in his manifestè intellectus separabilitatem atque immortalitatem doceri, Philoponus idem ait: siquidem anima antiquior est: hincque dubitationem eam solui, an animæ motus temperamentum corporis sequantur. Sequuntur enim, vbi non dominatur intellectus & homo præter naturam se habet, neque viuit vt homo, sed vt animali vtens anima. At si dominetur intellectus, homoque secundùm naturam habeat, & vt homo agat; secùs omninò euenit, corpusque potiùs sequitur animam. Quòd si intellectum rationalem & intelligentem animam dixit; ineptum est quærere, an de agente intellectu an de patiente loquatur; estque hominis verba philosophi in peiorem sententiam trahere molientis.

Anima immortalitas.

Quod autem ad illud attinet, quo elementa inquit vim habere materiæ; siue materiæ vocem legas (ὕλη) nominandi casu, siue (ὕλῃ) casu dandi; siue inquam elementa dicas materiam esse, siue materiæ similem esse; perinde fuerit. Nam & vere sunt mistorum materia, & primæ ac generali omnium materiæ persimilis est. Extantque plurima alia Philosophi loca, in quibus elementa mistorum materiam appellat.

Elemẽta mistorum materia.

TEXTVS.

Πάντες δ' ἢ οἱ διὰ τὸ γνωρίζειν ἢ αἰσθάνεσθαι τῶν ψυχῶν τὰ ὄντα, ὅτι ἐξ στοιχείων λέγοντες αὐτῶν, ἢ οἱ τὸ κινητικώτατον, ἢ πρὸς ἅπασιν λέγουσι ψυχῆς. ὥστε δὲ τὰ διαπνεόμενα πάντα κινητικά. φαίνεται δὲ εἶναί τινα μίγματα ἐξ ζώων καὶ τοῦτον. καίτοι δοκεῖ γε πάντῶν μόνων ἐξ κινήσεων κινεῖν ἡ ψυχὴ τὸ ζῶον. ὁμοίως δ' ἢ ὅσοι τὸν νοῦν ἢ τὸ αἰσθητικόν, ὅτι ἐξ στοιχείων ποιῶσι. φαίνεται γὰρ τά τε φυτὰ ζῆν, ἃ μετέχοντα φορᾶς ἢ διὰ αἰσθήσεως. καὶ ἐξ ζώων πολλὰ διάνοιαν ἂν ἔχειν.

Omnes autem, & qui quòd cognoscat anima & sentiat entia, ex elementis eam inquiunt; & qui maximè motiuum; non de omni loquuntur anima. Neque enim sentientia omnia motiua. Videntur namque nonnulla esse stabilia secundùm locum. Atqui videtur anima hoc solo motu mouere animal. Similiter verò & quotquot intellectum sensitiuumque ex elementis factum. Visuntur enim Plantæ viuere, neque lationis, neque sensus participes. Et animalia complura ratiocinationem non habent.

COMMENTARIVS CXXIV.

NOna hæc confutatio non solùm iam Empedoclem eosue, qui ex elementis animam esse dixerunt; sed veteres planè omnes complectitur. Omnibus enim commune illud fuisse peccatum inquit, vt generalem & omni animæ communem doctrinam non tradiderint; dumq; vniuersam animæ naturam quærere & explicare deberent, in parte illius quadam hæserunt: quare aut partem alteram penitus ignorarunt, aut quod partis propriũ est de vniuerso genere affirmarunt. Quod ex priori libro de posteriori analysi maximum in demonstrationibus ac scientiis vitium esse constat.

Quod tamen Simplicius addit, intẽtionem horum verborum esse ostendere aliquid esse omni animæ commune, non sinonymum, sed vt ab vno & ad vnum; minimè videtur ad rem; quamdiu non sua promit Philosophus, sed aliena confutat. At cùm tres in classes distribuisset anteà veteres quorum aliqui motu, alij cognitione, alij demum incorporeo definiuissent animam; tertio nunc distributionis membro prætermisso priora duntaxat duo recenset. Quid ita? An, vt inquit Philoponus, incorporeum sub motiuo continetur? Quòd incorporeum illi assererent, vt corpus vniuersum permeando commodius mouere posset. An vt propositioni responderet conclusio? Principio siquidem duo membra fecit in tex. 19. atque hoc totius inquisitionis fundamentum posuit. Animatum inquit ab inanimato duobus maximè differre videtur, motu & sensu. Quo patet non benè Simplicium cognitionem hoc loco rationalem notitiam exposuisse; vbi vniuersè accipitur pro cognitione tũ sensus, tum intellectus, quas ipsemet Philosophus statim nominabit.

Verùm vtraque differentia in parte est, nõ vniuersa & generalis. Primùm enim plantæ adsunt viuentes sanè & animatæ; quòd nutriantur, augeantur, & semine à se deciso procreent sibi simile: nec tamen sentiunt aut cognoscunt quidquam, nec mouentur loco; sed fixis radicibus hærent immobiles. Quare aut vegetantem illi omnes animam ignorarunt, aut certè neglexerunt; quodque sentientis & intelligentis proprium est, animæ vt anima est conditionem & naturam esse putauerunt.

Deinde adsunt Zoophyta, quæ vocantur, hoc est plantanimalia; quòd inter plantas & animalia mediam naturam habent. Sentiunt enim, vt animalia; sed motu priuantur & affixa manent, vt plantæ. Cuius generis spongiæ sunt, ostreæ, conchiliaque. Nam etsi extendantur nonnihil ad capiendum cibum & contrahantur; de loco tamen

ad

ad locũ tota nõ transeunt. Itaque plantarum anima nec sensu potest nec motu definiri : plantanimalium sensu quidem, at non motu. Et illi quidem, qui motum acceperunt, angustissimam omnino fecerunt animam. Qui verò sensum, plura sanè comprehenderunt, nempè plantanimalia, quæ à prioribus fuerant exclusa : neutri tamen de omni dixerunt anima.

Motum autem lationem dixit, ne nutritione & accretione tum plantas tum plantanimalia moueri quis responderet. Namque motum de loco ad locum intelligebãt illi, qui motu animam definiebant. Quocirca verba illa (atqui videtur anima hoc solo motu mouere animal) tanquàm veterum propositionem accipio; quòd illi solo motu secundùm locum animam definierant. Nam si ab ipsomet Aristotele subiuncta intelligantur, non parua erit difficultas. Quippè vt verum sit animalium incessum & progressionem de loco ad locum ab anima sola proficisci; mouerique à seipsis, vt alibi dicitur, animatorum proprium esse : verum tamen non est animam hoc solo motu animalia mouere. Nam & nutritio, & accretio, & procreatio, & sensio, & appetitio, motus quidam sunt. Quibus si respondeat Philoponus, lapides quoque & inanimata augeri; & omninò (quod Themistius ac Simplicius respondẽt) omnes alios motus proficisci quidem ab anima, verum alio extrinsecùs accedente; alimento inquã aut sensili obiecto mouente; localem verò motum ab anima sola intrinsecùs per appetitionem excitata. Primùm negabitur inanimata augeri, quæ appositione dumtaxat grandiora fiunt, vt pluribus in secundo lib. dicetur. Deinde ab extrinseco quoque obiecto, quod motu prosequũtur aut fugiunt, moueri animalia ad appetendum & prosequendum vel fugiendum affirmabitur.

Lapidũ & inanimatorum accretio.

Quòd si alteram adiungat Simplicius causam, propterea solo motu locali animam dici mouere, quoniam plantalis anima non est manifestum principium à quo, sed magis secundùm quod; hoc est non actiuum, sed potiùs passiuum; quasi inter animam & naturam media consistat : opinionem illam suam inculcabit nobis, naturam non actiuum, sed passiuum principium esse : qua de re in commẽtario 34. satis diximus. Dabimusque nunc in plantali anima minùs quidem vim animæ elucere, quoniam hic sit primus & materialis maximè naturæque proximus animæ gradus : contendemus tamen in ea ipsa principium inesse actiuum; & meliùs multò, quàm in natura. Nec minùs in 2. lib. definietur anima principium, quo primùm viuimus; quàm quo sentimus, mouemur, & intelligimus : vniuersèque animam omnem probabitur viuentis corporis causam esse, tum formalem & finalem, tum efficientem.

Plantæ animatæ.

Anomnia quæ sensum habent, habeant & motum.

Cæterùm ponderanda item sunt illa verba (neque enim sententia omnia motiua. Nam si perfectus & absolutus motus intelligatur, quo animal de loco ad locum transferatur persequendo aut fugiẽdo cognitum quidpiam, verissima prorsus sunt; atque hoc sensu nunc vsurpantur, vbi cum veteribus est sermo, qui de huiusmodi loquebantur motu. At si motus qualiscumque accipiatur; planè quidquid sensu præditũ est, quomodo mouetur : & plantanimalia, quæ locum non mutant, extendunt sese & contrahunt.

A Quorsum enim sensum vtilis ac noxij inseruisset natura, si alterum amplecti & alterum vitare non possent?

Denique dianæam Aristoteli obseruabis intellectus actionem significare. Cùm enim sensum & intellectum nominasset, complura subiungit animalia sentire, quæ dianæa, hoc est intellectus ratiocinatione, carent.

Dianæa quid Aristoteli.

TEXTVS.

Εἰ δ' τις ἢ ταῦτα παραχωρήσειε, ἢ θείη τὴν νῦν μέρος τι τῆς ψυχῆς, ὁμοίως δ' ἢ τὸ διανοητικὸν, εἰ δ' ἄν ὅτω λέγειν καθόλου περὶ πάσης ψυχῆς, εἰ δὲ ὅλης, εἰ περὶ μιᾶς.

Quòd si quis & hæc concesserit & intellectum posuerit partem animæ quandam; similiter autem & sensitiuum; ne sic quidem vniuersè dixerit de omni anima, neque de tota, neque de vna.

Text. 84.

COMMENTARIVS CXXV.

HÆc quoque ad illud ostendendum pertinent, quod veteres obiecit non de omni anima loquutos esse. Nam etsi concederetur intellectum & sensum aut vnam & eamdem esse animæ facultatem; aut certè ita connexas, vt vbi est vna, sit item altera; nondum tamen de omni dixissent anima, qui cognitione illam definierunt. Adsunt enim plantæ, quæ neque sentiunt, neque intelligunt; & animatæ tamen sunt. Quare necdum de tota dixissent anima, neque de vna. Non de tota; quoniam præter cognitionem sensus & intellectus, sunt in viuentibus nutritio, accretio, procreatio, appetitio, motus. Neque de vna; quippè nulla prorsus est anima, quæ solo sensu & intellectu vigeat; sed vbicũque hæc adsunt, adsunt & aliæ omnes commemoratæ virtutes; neque sine nutritione vlla consistit vita, neque vllus sensus absque spiritu, qui continenter fluit ac resoluitur, debetque horis omnibus ex alimento renouari.

Anaxagorã in his subnotari putat Themistius; qui intellectum in animante tota natura voluisset inesse. Certè in tex. 24. dictum est eum affirmasse intellectum ipsum esse animam, atque in animalibus cunctis vel abiectissimis contineri : & tex. 31. eum intellectu & anima ceu natura vna fuisse vsum. Pythagoricos potiùs Philoponus atque Simplicius; quòd animarum illi nostrarum in omnia corpora vel belluarum ac stripium migrationem posuissent. Atque ideò Empedoclem addit Simplicius, quasi eandem in plantas migrationem asserentem. Quod magnoperè dubito an sit credendum, si eam is de anima sententiam habuit, quam Philosophus dixit, animam esse permistionem elementorum quandam. Verùm quicumque fuerit sententiæ assertor, is sanè neque dẽ omni anima dixit, quia non in omnibus sensus & intellectus, aut organa, aut certè operationes cernuntur : neque de vlla tota, quoniam pluribus vnaquæque facultatibus atque operationibus prædita est.

TEXTVS.

Τοῦτο δ' ἐπέπονθε καὶ ὁ ἐν τοῖς ὀρφικοῖς ἔπεσι λόγοις. φησὶ γὰρ τὸν ψυχὸν ἐκ τοῦ ὅλου εἰσιέναι, ἀναπνεόντων φερομένου ὑπὸ τῶν ἀνέμων. ἐκ οἴόντε δὴ τοῖς φυτοῖς τοῦτο συμβαίνειν, οὐδὲ τῶν ζώων ἐνίοις, εἴπερ μὴ πάντα ἀναπνέυσι.

Hoc autem passus est & qui in Orphicis vocatis sermo. Ait enim animam ex vniuerso ingredi, respirantibus deuectam à ventis. Non possibile sanè plantis hoc accidere, neque animalibus quibusdam; siquidem non omnia respirant.

COMMENTARIVS CXXVI.

PEccatum hoc, in quod antea commemorati Philosophi lapsi sunt, vt non de omni anima dicerent, commune quoque adsit fuisse Orpheo antiquissimo Poëtæ ac Theologo. Quæ enim orphica memorat, siuè ab ipsomet Orpheo scripta fuerint, vt Simplicius & S. Thomas opinantur; siue ab alio quopiam, qui illius dogmata posteritati tradiderit; quod Themistio ac Philopono magis placet; perinde fuerit. Cuius fortasse coniectura erit, quòd non Orpheum citat Philosophus, sed orphica vocata, hoc est quæ Orphei dogmata continere videbantur. In his enim anima dicebatur à ventis cum aëre in animalis corpus deuehi atque immitti dum respiramus: siuè quòd nil aliud anima sit, quàm inspiratus aër: siue quòd simul cum eo suscipiatur & credatur.

Quibus verbis Orphei sanè opinio de animæ natura continetur. Sed illius confutatione prætermissa id solùm agit Philosophus, quod agit; vt eodem illa vitio laborare ostendatur, neque animam omnem complecti. Etenim nec plantæ respirãt nec animalia complura; vt pisces & quæcumque sanguine carent. Nam hæc vt minorem calorem continent, sic minore viuunt refrigeratione. Accipit autem opinio illa, sola ea, quæ respirant, habere animam.

Cæterùm Orphei verba Philoponus ac Simplicius ad meliorem sententiam trahunt: vt respiratio aptitudinem corporis animam suscipientis symbolice significarit: siquidem respiratio natiuum calorem refrigerans, temperatum & ad obsequium animæ oportunum facit. Venti autem aërem & animam deuehentes, vniuersales virtutes fuerint, per quas ab vniuersali operatione in generationem deducitur anima, & sine quibus particulares causæ apta corpora nequaquam potuissent animata facere.

Quæ optimorum interpretum expositio tum academicè accipi potest, tum intellectu meliore. Academici namque cœlestes animas vniuersi curam habere voluerunt, nec absque illarum imperio inferiores animas apta licet corpora subire animareue posse; quin ab illis in hæc mortalia deduci corpora & ad cœlestia interdum reuocari. Descendere autem, tum diuina prouidentia ob vniuersi bonum compellente; tum alarum casu, aut audacia, aut fuga, inquit in Timæum Proclus. Alarum inquam casu, hoc est propensione intellectus ad verum & voluntatis ad bonum relaxata; vegetalisq; seu genitalis naturæ procliuitate; ne genitrix vis corporumque administratrix frustra in illis sit.

Animarum generatio Platonica.

Verùm si antiquior multò Platone & academia Orpheus fuit, quis Platonica hæc & academica credat illum cogitasse, dum ita de anima loquutus est? Probabiliùs dicetur, si meliore modo, quàm verba sonent, sententiam hominis accipere libeat; præter corporis præparationem aptamque conformationem opus esse tum cœlorum aliarumúe causarum vniuersalium & particularium concursu atque efficientia, vt anima producatur in corpore; præsertim verò intelligens, quæ forinsecùs à solo Deo creata accedit.

Aristoteli tamen in veterum sententiis examinandis familiare vbique est illorum insectari verba; non reconditum magis ac symbolicum intellectum quærere.

TEXTVS.

Τοῦτο δ' λέλληθε τοὺς οὕτω ὑπειληφότας, εἰπερ δεῖ τὸν ψυχὸν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖν, εὐθὺς δεῖ ἐξ ἁπάντων. ἰσχὺς γὰρ θάτερον μέρος τῆς ἐναντιώσεως ἑαυτοῦ κεῖναι καὶ τὸ ἐναντιούμενον. καὶ γὰρ τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν. κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών. τὸ δὲ καμπύλον, οὔτε ἑαυτοῦ, οὔτε τοῦ εὐθέος.

Hoc verò latuit ita opinantes; siquidem animam oportet ex elementis facere, nihil oportet ex omnibus. Sufficiens enim altera contrarietatis pars & seipsam iudicare & oppositam. Etenim recto & ipsum & obliquum cognoscimus. Iudex namque amborum regula. Obliquum autem nec sui ipsius nec recti.

COMMENTARIVS CXXVII.

DEcima & vltima confutatio est; qua dimissis cæteris ad Empedoclem redit, aut siqui sint alij, qui animam ex quatuor elementis constare dixerint. Hæcque argumentatio superiori prorsus opponitur. Illa deffectum criminabatur; hæc redundantiam atque excessum. Illa non de omni anima loquutos fuisse veteres ostendebat; hæc plura, quàm opus esset, elementa ad naturam animæ constituendam aduocasse demonstrat.

Esto igitur, ex elementis animam constare oporteat: animaduertere certè illi potuissent elementa omnia necessaria non esse, vt cognoscat omnia. Quoniam per vnum contrariorum cognosci alterum potest, quod illius quasi priuatio est. Priuatio namque ex habitu cognoscitur atque in contrariis illud, quod perfectius est, velut habitus existit; & deterius alterum velut priuatio: calidum velut habitus & forma; frigusque velut priuatio, vt in tex. 18. lib. 2. de Cœlo, & libri 1. de ortu & interitu, & tex. 22. lib. 12. Metaph. legimus. Calido igitur non solùm calida, sed & frigida; humidoque tum humida tum ficca cognosci possent. Quocirca in duas ratiocinationes argumentatio tota resoluitur. Altera est. Superuacaneum nihil ponere oportet in naturâ; quæ vt in necessariis non deficit, ita nec inutiliter abundat, summoque in omnibus compendio delectatur: at elementa duo satis sunt ad cognoscenda

scenda omnia; non igitur ponenda quatuor in anima sunt. Quo argumentationis genere alibi sæpiùs reperies vsum eum fuisse: præsertim verò in simili ferè causa in 1. physic. lib. tex. 50. & 56. vt numerum principiorum colligeret; tum finitũ, quia finitis omnium ratio assignatur; tum ternarium, quoniam vnum subiectum vnaque cõtrarietas satis sunt, & plura essent otiosa.

Altera ratiocinatio prioris huius assumptionem demonstrat. Rectum tum sui tum obliqui regula est & mensura; rectoque tum rectum cognoscitur tum obliquum: at altera contrarietatis pars, quæ melior existit, est velut rectum; altera deterior velut obliquum: alteram igitur inesse in anima satis est; calidum inquam, quo frigidum etiam cognoscetur; & humidum, quo innotescet siccum.

Porrò etsi in vnoquoque elemento binæ sint qualitates, hoc est vtriusque contrarietatis altera pars; non tamen propterea dixit Philosophus vnicum elementum fore satis animæ, vt cognoscat omnia. Quoniam frigus & siccitas deteriorem tenent contrarietatis locum & velut priuationes atque obliquitates sunt, si cum melioribus comparentur: priuatio autem vt propria forma actuque non constat, sed per se est non ens & absentia formæ; sic nec per se cognoscibilis est, nec principium cognoscendi habitum. Et obliquum nec sui nec obliqui regula est. Quò magis sanctum Thomam mireris duo elementa pro animæ compositione, ignem & terram, elegisse; in quibus terra qualitatem vtramque habet velut priuationem atque obliquitatem. In aëre verò meliores ambæ qualitates conueniunt, calor & humor: propterea fortasse nec affirmauit Philosophus elementis pluribus esse opus, sed solùm omnia necessaria esse negauit.

Qualitates omnes quatuor positiuas esse.

Ne quis tamen hinc colligat in his quatuor qualitatibus duas significare formas, calorem & humorem; at duas reliquas, frigus & siccitatem, duarum priorum priuationes esse. Namque tum omnes agendi & pugnandi alteramque sibi oppositam interimendi ac sibi similem procreandi vim habent; atque hac virtute mistiones omnes perficiũtur: tum elementorum omnes principia constituuntur in posteriori de ortu & interitu libro. Nec ignis modò dicitur esse primò calidi, & aër primò humidi; sed aqua item primò frigidi, terraque primò sicci: neque vt habitus & priuatio, sed vt pugnãtes formæ opponi existimãtur ab omnibus. In quibus si priuatio nominetur interdum; eo intellectu nominatur, quo nigrum quoque priuatio albi dicitur in tex. 7. lib. 10. Metaph. & naturalis in loco consistentia priuatio motus, & grauitas leuitatis priuatio in tex. 18. lib. 2. de cœlo: & omnino imperfectior forma comparatione perfectioris in tex. 18. lib. 1. de Ortu, & vnum contrarium alterius contrarij in tex. 32. lib. 2. priuatio esse scribitur.

Vt vnius contrarium ex altero cognosci.

Propterea non leuis est difficultas, quomodo vnum contrarium ex altero cognosci dicat Philosophus. Nam vt id in priuationibus euenire possit, reales tamen & positiuæ formæ, quæ proprio constant actu, per illum ipsum cognosci debent. Laborat hic non parum Philoponus, nec adfert quidquam, quod satisfaciat. Minùs etiam alij, qui de solo habitu & priuatione, non de vera contrarietate, loquutum eum esse dixere; inter quos Simplicius eam rationem habet, quoniam frigidum Philosophus calidi priuationem esse dicere consuenit. Verùm quæ in elementis est contrarietas, priuationis non est, sed pugnantis formæ & actus: & omninò in natura constat formarum contrarietatẽ esse, quam ab anima cognosci oportet. Deinde vt priuatio ex habitu cognoscatur, opus est ratiocinatione, vt alio loco docebitur; soliusque hominis, non belluarum, est.

Bipartita igitur mihi videtur Philosophi argumentatio fuisse. Primùm etsi animam ex elementis constare velis, ex omnibus tamen non est necesse, sed satis est ex duobus, igne & aqua, aut aëre & terra: quoniam cùm vel in duobus solis qualitates omnes quatuor contineantur; haberet anima rerum omnium similitudines, quibus cuncta cognosceret. Deinde si priuationes ex eorum habitibus & obliquum ex recto cognoscuntur; posset & altera elementaris cõtrarietatis pars imperfectior, quæ alterius comparatione velut priuatio est & obliquitas, ex perfectiore velut habitu & rectitudine cõgnosci.

Quanquam priori argumentationi maiorem dixerim necessitatem inesse; posteriorem probabilem potiùs, quàm necessariam, videri. Aut potiùs respondere licet, priori ostensò necessaria non esse elementa omnia, posteriori opinionis illius fundamentum euerti quod omnia cognoscit, omnia cõtinet. Id verò falsum esse demonstrari, quoniã priuationes cognoscuntur, nec tamen in anima continentur; potestque habitus tum sui tum priuationis cognitionem facere.

Corpora omnia animata non esse. CAP. VIII.

TEXTVS.

Καὶ ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν μεμίχθαι φασίν. ὅθεν ἴσως ἡ Θαλοῦς ὑπέλαβε πάντα πλήρη θεῶν εἶναι.

Et in vniuerso autem ipsam nonnulli permistam esse inquiunt. Quare fortasse & Thales omnia ratus est plena Diis esse. Tex. 86

COMMENTARIVS CXXVIII.

SIngularem prorsùs hoc loco interpretationem Simplicius facit; dum Philosophum ait etsi de mortalium præsertim animabus proposuisset sibi dicendum, quemadmodum tamen antea de Cœlesti quoque anima dixit, ita & nunc de elementari agere. Quibus verbis non solùm cæteris omnibus interpretibus aduersatur, verùm etiã duobus modis peccat. Primùm quòd de Cœlesti anima in superioribus dictum fuisse credat: quod antecedenti tota tum nostra tum aliorum expositione apparet esse falsum. Deinde quòd Cœlum & elemẽta corporaque omnia putet Philosophum animata esse iudicasse: cùm hoc & apertè confutet, & anteà non semel tamquàm absurdum deduxerit, fore, vt corpora omnia sint animata: & quidem si nõ omnibus mistis corporibus genus hoc formæ concessit, sed plantis solis & animalibus; multò minùs agnouit in simplicibus. Et nonne animã vniuersè definiet in 2. lib. Entelechiam organici & eterogenei duntaxat corporis. Sed & qualis est illa loci huius pro-

positio? Et in vniuerso, inquit, ipsam nonnulli permistam esse inquiunt. Nonne hoc tanquam aliorum atque à veritate alienam sententiam profert? Nam etsi vim in verbo Simplicius faciat, quòd Cœlestis & elementaris anima adsit quidem, at nō permisceatur corpori; quemadmodum animæ cæteræ: nihil tamen conficiet. tum quia intellectus quoque, quem ipsemet rationalem animam nostram exposuit, impermistus esse antea dicebatur. Tum quia quomodo permistam animam dicat, Thaletis illud declarat, Diis omnia plena: quod sanè præsentiam, non permistionem veram, significat.

Quid igitur in his agit Philosophus? Ex confutatione superiori, quæ animam ex elementis permistam non esse demonstrauit, occasionem accepit aliam quandam opinionem quoquo modo priori oppositam inducendi; animam non ex elementis, sed in elementis esse: aut non ex elementis velut materia permistam, sed cum elementis velut formam & actum cum subiecto complicatam: immò non cum elementis modò, verùm & cum corporibus cunctis atque adeò per vniuersum totum fusam ac sparsam. Quam opinionem si non habuit Thales, habere certè visus est: hoc enim sibi vult illud (fortasse) cùm omnia Diis plena esse dixit. Cui simile fuit illud, quod Themistius adfert, & Arati fuisse scribit Philoponus; Iouis omnia plena compita, & omne forum: pleni omnes hominum conuentus, & mare plenum, portusque. Et Aristoteles in 1. lib. de partibus animalium cap. 5. Heracliti verba cōmemorat ad eos, qui cùm alloqui eum vellent, quòd fortasse in furnaria quadam casa caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt. Ingredi enim & fidenter iussit, quoniam, inquit, ne huic quidem loco Dij desunt immortales; Qua de re præclarè pronūtiauit Simplicius, omnia Deo plena esse vt Creatore, Benefactore, & omnia continente, nullum profectò dubitare posse. Cuius Peripatetici sententia illi fuerit ponderanda, qui Deum Peripateticis neget aut efficientem mundi fuisse causam, aut sublunarium rerum curam & administrationem habere.

Elemēta esse animata.

Dei præsentia vbique.

Sanè hāc Dei in omnibus rebus præsentiam veteres sacri Doctores ex Diuinæ essentiæ immensitate atque infinitate collegerunt: & aliquando ita argumentati sunt. Si aliquid esset extra ipsum, cui non adesset ipse, infinitus non esset, sed terminum ac finem haberet. Verùm & necessaria ostendit ratio; tum Deum in omnibus agere, non solùm creādo, sed & conseruando, atque operando cum illis; nihilque agere & operari posse, vbi non est; tum esse, quod in rebus omnibus reperitur, immediatū Dei effectum esse: quippè illius est producere esse; non solùm quia virtute indiget infinita, qua producatur ex nihilo; verùm etiam quia esse participatum non nisi illius, quod essentia sua sit ens, effectus esse potest, immediatamque causam oportet effectui adesse suo.

S. Iren. lib. 2. cap. 1. & Tertullianus lib. 1. contra Marc. cap. 11.

Quocirca si hoc intellectu Thales ac veteres alij Philosophi diuino numine plena omnia esse dixissent, verissimè prorsus pronuntiassent. At Aristoteles perinde proponit dictum, ac si Deum voluissent cum omnibus rebus permistum esse: siuè Deū cogitassent rerum omnium formam esse velut animam; siuè omnibus insitam Dei partem quandam esse opinati fuissent. Quorum vtrumque tam est absurdum atq; à natura Diuina alienum, vt cū stomacho potiùs respuendum sit, quam rationibus confutādum. Neque enim diuina natura parte aliqua mutilari potest, neque vllius rei forma & pars euadere, quod imperfecti & dimidiati entis proprium hoc sit. Quoniam igitur meliore fortasse sententia loquutus fuerat Thales; Propterea non omninò asseruit Aristoteles, sed dubitando atque interprætationi meliori locum relinquendo adiuxit (fortasse. Certè cuipiam illius verba sonare poterunt Deum vniuersi totius velut formam & animam esse. Quare cùm aperta hominis sententia nō esset, sapienter Philosophus confutationem eam prætermisit, quæ ex diuinæ naturæ conditione peti potuisset: vniuersę tantūm ostendens elementis & omninò corporibus cunctis animam non inesse.

Deum rerū omniū formā aut animā non esse.

Zenonem quoque ac Stoicos Deum fecisse corpus substantiam omnem permeans; atque in intellectuali quidem esse intellectum, in animali verò animam, in naturali naturam, in affecta affectionem & habitum; commemorāt Themistius atque Philoponus. Platonemque Themistius adfert, cuius illa sunt in Timæo verba; cùm animam Deus collocasset in medio, per vniuersum infudit atque per omnem globum porrigi iussit & corpus ei exterius induit. Verùm Platoni videas non de Deo, sed de Mundi anima sermonem esse: eumque per omnia quidem corpora fusam esse animam affirmasse (quam ob causam quod hic ait Philosophus, nonnullos ipsam in vniuerso permistam esse dicere, ad Platonem arbitror pertinere huncque respicere Timæi locum) at non Deum; immò Dei iussu & opera mundanam animam. Sed nec Deus potest esse corpus; nec si esset permeare sese vicissim & simul esse corpora queunt.

Zeno de Deo. Deus.

Iam verò quod scripsit S. Thomas ex Thaletis opinione illa, Deum in qualibet esse mundi parte, ortum Idololatriam habuisse; mirandum magis est, quàm credendum. Quippe multò ante Thaletis tempora & orta est & propagata. Veramque illius originem fuisse reperias, quòd homo peccando recedēs à Deo creatisque rebus & corporis deditus, ad eas sensim & quasi per gradus diuinitatem traduxit. Primùm enim coluit Cœlum, Solē, Lunam, & Astra cætera; deinde æthera, aërem, & alia elementa, tum homines, partim viuentes, partim mortuos. Postea lapides, ligna, plantas, reptilia, aquatilia, & bestias terræ: ac demum ea ipsa, quæ non erant, sed sola ipsius fictione consistebant; quales apud Ægyptios Cynocephali, Ophiocephali, Onocephali fuere. Hos enim gradus fecit S. Athanasius in oratione contra Idola. Alij à stellis descenderunt ad fruges, à frugibus ad homines, ab his ad abstracta quædam; vnde furiæ, parcæ, & similia: tum ad Dæmonas, maximè in statuis atque oraculis. Hominum porrò in Deorum numerum referendorum hoc fuit principium: vel quòd principes suos ac Reges quosuis ob benè de illis meritos, reique cuiuspiam vtilis ac necessariæ inuentores honorare vellent: vel quòd vt est in lib. sapien. cap. 14. nimio erga parentes, fratres, aut amicos vita functos affectu compulsi eos pinxerint in tabulis pictisque hostias immolarunt, tū posteri propter operis elegantiā & artificis petitiā tamquā Deos coluerunt. Accessit, vt est apud S. Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theologia, partim rei difficultas, partim hominis desiderium cognoscendi Deum. Nimio namque desiderio langues

Idololatriæ origo.

Etymologia Deum.

hominis

hominis animus ægréque damnum sustinens, ad ea sese conuertit, quæ sub sensum cadunt quæque cognosci possunt. Neque dubium Poëtarum figmenta iuuisse plurimùm; Principes honoris illius percupidos, ac Dæmonas demum diuinitatem affectantes. Quod autem spectat ad tempus; tres in partes tribuit sanctus Epiphanius initio panarij & in Anacephaleosi; in Barbarismum ab Adamo per malos homines vsque ad Noë; scythismum à Noë vsque ad Turrem Babel & aliquot ampliùs annos; græcismum post ea tempora: in quo Idola cæperunt & simulacra, statuæ, ac picturæ. Hæc obiter dicta sint, vt sancto Thomæ curiosoque lectori satisfieret.

TEXTVS.

Τῦτο ϑ ἔχει τινὰς ἀπορίας. διὰ τίνα μὲν γὰρ αἰτίαν ἐν τῷ ἀέρι, ἢ ἐν τῷ πυρὶ οὖσα ἡ ψυχὴ, οὐ ποιεῖ ζῷον· ἐν ϑ τοῖς μικτοῖς, καὶ ταῦτα βελτίων ἐν τούτοις εἶναι δοκοῦσα; ὀπζητήσειε γὰρ ἄν τις, ϰ διὰ τίνα αἰτίαν ἡ ἐν τῷ ἀέρι ψυχὴ, τῆς ἐν τοῖς ζώοις βελτίων ἐστὶ ϰ ἀθανατωτέρα.

Hoc verò quasdam habet dubitationes. Etenim propter quam causam in aere vel igne existens anima non facit animal, In mistis autem: & hæc melior in his esse videtur? Quærat autem quispiam, & quam ob causam quæ in aere anima, ea, quæ in animalib. melior est, & immortalior.

COMMENTARIVS CXXIX.

COmmemoratæ opinionis confutationem aggreditur. Primùm autem quærit causam, cur si anima per omnia vniuersitatis huius corpora diffusa est & sparsa, non omnia efficiat animalia sed mista duntaxat. Nullus enim ignem, aut aërem, vel aquam, aut terram, appellat animal; quemadmodum hominem appellat, Leonem Equum, Canem. Cùm præsertim in elementis (si animata esse dicantur) melior, quàm in mistis, anima esse videatur. Nam si pro corporũ cõditione fieri æquum est animarum item distributionem; ideoque in mistis hæc differentia cernatur, vt meliora corpora meliorem habeant animam; meliorem habebunt animalia, quàm plantæ ac stirpes; atque in animalibus melliorem homo, quàm equus; & meliorem equus, quàm spongia. Sanè elementa vt puriora sunt ac simplicia, sempiterna, in tota sua vniuersitate incorruptibilia, atque grandiora; adde & tenuiora (aërem quippe & ignem vt tenuiora, superiora, & nobiliora, idcircò nominat) & velut totum, cuius partes sunt mista; ita meliora, quòd mista, videntur esse corpora, propterèaque meliorem animam & immortalitatis participem magis sortita: nempè illa subsisteret semper ac viueret, dum cæteræ mistis corporibus dissolutis pereunt aut certè moritur animal.

Vnde altera existit quæstio; num elementorum anima melior sit & præstantior; an ea, quæ mistorum est. Etenim ex vna parte quæ elementorum est, diuturnior existit & immortalior; ex altera quæ mistorum, facit animal, quod elementorum non facit anima. Atque hæc quæstio de animarum harum comparatione tum per se proponi aduersariis poterat; tum verò necessaria videbatur ad priorem quæstionem stabiliendam. Facile namque fuisset respondere, nõ omnia animata esse animalia, sed plantas quoque habere animam nec animalia esse.

Quod præsentiens Philosophus (etsi non minùs absurdum foret elementa plantas, quàm animalia dicere) tum quæstionem confirmat, tum responsionem enerùat; elementorum animas meliores videri ostendens, & quàsi à minori ad maius argumento vtens: si deteriores mistorum animæ faciũt animal, multò magis facerent eæ, quæ præstantiores esse videntur. At quæ plantarum sunt non faciunt animal, quòd inferioris notæ sint.

Quamquàm quod elementorum animas meliores esse ait, non ex veritate, sed ex aduersariorum positione dici Themistius & Philoponus putant; atque ita ratiocinationem deducunt: cùm sit in omnibus corporibus anima, quî fit vt alia quædam sint animalia, alia verò non sint? Quæ argumentatio eandem accipit animam in corporibus omnibus reperiri. Quod Platoni consentit maximè, qui animam in medio collocatam inde per omnia corpora diffusam à Deo fuisse illisque indutam dixit. Nos generalem mágis argumentationem faciamus. Siue eadem sit, siue alia atque alia in elementis & mistis anima, cur elementa non euadunt animalia, vt mista? Nam si eadem sit, perinde afficere deberet corpora; immò meliùs ea, quæ meliora sunt. Si alia atque alia, melior fuerit elementorum anima; tum quia meliorum est corporum; tum quia est immortalior.

Quarum rationum altera est ex materiali causa, altera ex durationis effectu. Neq; enim probamus id, quod habet Philoponus, Aristotelem tãquã aduersariorum positionem vrgere, elemẽtorum animam meliorẽ atque immortaliorẽ non esse, quòd elementa non minùs alterentur & per partes mutẽtur & corrumpantur, quàm mista. Quoniam nihil huiusmodi verba Philosophi sonant, omniaque ab ipso videntur aduersariis obijci. Non ita tamen, quòd ita sint, sed quòd quadam ratione ita esse videantur. Alioqui elementa mistis absolutè meliora esse ac perfectiora falsum est; cùm illa horum materia sint & propter hæc instituta, primumque corporum gradum in natura contineant.

Simplicius tamen argumentationem diluere conatus est. Respondit enim; Immò propterea elementaris anima non constituit animal, quòd melior sit, quàm animalis anima: neque protenditur ad corpus aut fit corporis, sed in se manet corpusque fit eius in se manentis. Deinde vehiculum illius non est apparens hic ignis, sed corpus aliud igne melius, velut secundaria ratione cœleste. Verùm operæprætium non est in his immorari. Vno verbo dicam, priore responsione animam elementarem fore abstractam & subsistentem; quod ridiculum est. Posteriorem autem academicorũ figmẽta de animarum vehiculo continere; quæ nulla comprobentur ratione: & Aristotelem in animalium animabus agnouisse quidpiam, quod stellarum elemento dixit respondere. *Elementa animata.*

A

TEXTVS.

Συμβαίνει ἢ ἀμφοτέρως ἄτοπον καὶ παράλογον. λέγω δὲ τὸ λέγειν ζῷον τὸ πῦρ, ἢ τὸν ἀέρα, ἢ παραλογώτερον ἴσως. καὶ μὴ λέγειν ζῷα ψυχῆς ἐνούσης, ἄτοπον.

Tex. 87. *Accidit autem vtroque modo absurdum & à ratione alienum. Etenim animal ignem aut aerem dicere, eorum est, quæ magis præter rationem sunt. Et non dicere animalia, cùm insit anima, absurdum.*

B

COMMENTARIVS CXXX.

ALtera hac aggressione ad eas angustias adigit aduersarios, vt nihil nisi absurdum & à ratione alienum respondere queant. Si enim in igne aut aëre insit anima, quæritnum ignem aut aërem liceat animal appellare. Vtrumuis respondeatur, absurda & à ratione aliena responsio fuerit. Præter rationem siquidem est affirmare quidquam, quod ratione nulla nitatur, nec vllo argumento concludas; immò quod vel reclamante sensu facilè cõuinci possit. Quippe animalis operatio nulla, nec vllum illius instrumentum depræhenditur in elemẽtis; non sensus, quo primum animal est: non appetitus aut incessus, qui comitantur sensum. C

Stolidum ac temerarium esse id dicere ait Philoponus, & sermoni stultorum simile Auerroës. At nec minùs absurdum videtur esse corpora hæc dicere anima esse prædita, nec tamen animalia esse. Fortasse autem Philosophus animal tanquam magis notum & quod aduersariorum opinione elementarem mundanamúe magis deceret animam. Sed perinde fuerit, siue animal dicas, siue plantam aut stipitem: quoniam non magis plantarum, quàm animalium, operationes apparent: neque certius, quàm ex operatione, ad cognoscendas formas argumentum est. D

elemẽta animata, sed non animalia.

Quo loco Simplicius magnopere repræhendẽdus videtur, dum elementa inquit animata esse, at non animalia; quoniam animal ex corpore & anima inexistente permistaque cum materia fit; elementorum autem animæ non insunt nec permiscẽtur, sed separabiliter adsunt. Nam etsi sapienter duplex agnoscat animarum genus; vnum hærens corpori, alterum non hærens; eadem tamen sapientia non dicitur posteriore animæ genere non hærente nequaquam fieri animal. Intelligens namque seu rationalis anima hominis corpori non est hærens neque permista, & tamen homo animal est & animaliũ species optima. Si enim anima sic adsit corpori, vt vniri cum eo possit, vnum nimirum & animal efficiet, siue corpori hæreat siue per seipsa cohæreat. Quòd si non vniatur, nec efficiet vnum, nec animal: vt nec nauta cum naui, nec intelligentia motrix cum cœlesti orbe; etsi maximè adsint.

TEXTVS.

Τὸ πλαζειν ἢ ἐοικασι πῶς ψυχὴν εἶναι ἐν τούτοις, ὅτι τὸ ὅλον τοῖς μορίοις ὁμοιόν.

Tex. 88 *Existimare porrò videntur animam in his esse, quoniam totum cum partibus eiusdem speciei.*

COMMENTARIVS CXXXI.

ABsurdum nimis & ab omni ratione alienum esse dixit elementa facere animata. Itaque ne miretur quispiam graues alioqui Philosophos ita opinatos fuisse, & fortasse nulli credat in mẽtem id venire potuisse, Aristotelisq; calumniam esse: ratione nẽ nũc subiũgit, qua illi persuasi sunt, vt præter rationẽ opinarentur. Ita verò ratiocinabantur. Elementa sunt homogenea corpora, in quibus eadem totius & partiũ natura est: atqui elementorum partes animatæ sunt; integra igitur elementa quoque sunt animata. Propositio manifesta est ac certa; Assumptionem incertam probabãt: sed probatio duplicem habet iuterpretationem. Græcorum alteram, Themistij, Simplicij, Philoponi. Alteram Auerrois & S. Thomæ. Illi ex ea elementorum parte quæ nostrorum & omninò mistorum corporũ, quæ omnium confessione sunt animata, compositionem ingreditur, argumentum ducunt ad elementorum vniuersitates. Hi ex aëris illa parte, quã animalia inspirant. Elementorum namque partes, quæ in animalium corporibus mistis continentur, animatæ nimirum sunt: at eiusdem hæ naturæ sunt ac speciei cùm illorum vniuersitatibus; vniuersitates igitur quoque sunt animatæ. Rursum pars aëris illa, quæ in animalium corporibus inspiratione suscipitur, quoniam animam & vitam corporibus illis adfert, tamdiuque animantur & viuunt, quandiu respirando suscipiunt aërẽ; animata sit oportet: atqui eadem est partis & totius natura; totus igitur aër animatus est: cumque similis sit elementorum omnium conditio, omnia prorsus fuerint animata. *Elemẽta animata.*

Ita verba illa, quæ statim subiungũtur (quòd aliquid à continẽte accipiatur in animalibus) duobus modis exponuntur: aut inquam ad internã corporum permistionem & compositionẽ, aut ad externum anhelitum & respirationem, qua internus calor temperatur. Omninoque prior interpretatio videtur esse potior. Porrò Simplicius in sua illa, quã antea diximus, opinione persistens, Philosophum demonstrare animata quidem, at non animalia elementa esse; erroris nunc ait doceri causam, cur illi animalia item esse crederent; quòd eorum partes in animalium corporibus tum animentur tum animalia euadant. Verùm in his immorandum non est; cum iam ostensum sit minùs hæc Aristoteli consentanea esse. E

TEXTVS.

Ὡς δ' ἀναγκαῖον αὐτοῖς λέγειν τὴν πῶς ψυχὴν ὁμοειδῆ τοῖς μορίοις εἶναι, εἰ τῷ ὑποκεῖσθαί τι περὶ τὸ περιέχοντος ὑπὸ τῆς ζώσης, ἔμψυχα ζῶα γίγνεται. εἰ δ' ὁ μὲν ἀὴρ διαπνεόμενος, ὁμοειδὴς. ἡ δὲ ψυχὴ ἀνομοιομερὴς, τὸ μὲν τι αὐτῆς ὑπάρξει ὅλον ὅπερ, τοῦτ' οὐκ ὑπάρξει. ἀναγκαῖον οὖν αὐτὴν ἢ ὁμοιομερῆ εἶναι, ἢ μὴ ἐνυπάρχειν ἐν ὁτῳοῦν μορίῳ τῶν πεπε.

Quare necessarium ipsis dicere & animam eiusdem cum partibus speciei esse; si ex eo, quòd aliquid à continente accipiatur in animalibus, animata sunt animalia. Quod si aer quidem diuulsus eiusdem speciei; anima verò dissimilium partium; manifestum, quòd hoc quidem aliquid ipsius inerit, illud verò non inerit. Necessarium igitur ipsam aut similium esse partium, aut non inesse in qualibet totius parte.

COM-

COMMENTARIVS CXXXII.

ARgumentum, quo aduersarij nitebantur, in ipsosmet pulchrè retorquet Philosophus. Ex illis autem verbis (si ex eo, quòd aliquid à continẽte accipiatur in animalibus, animata fiunt animalia) satis cognoscitur aduersariorum argumẽti vim in eo fuisse, quòd elementorum partes in animalium corporibus susceptæ non ab illis acciperent animam; sed contrà potiùs illis adferrent, animaliaque ab elementis animarentur. Quòd si ita esset, aliqua fortasse vis argumento inesset. At illud accipitur, quod probandum fuerat: quique elemẽta neget animata esse, negabit quoque corporibus ea mistis animam impertiri: quomodo enim impertiantur id, quod ipsa non habent?

Hoc tamen prætermisit Philosophus; infirmareque maluit argumentum, atque eo aduersus ipsosmet vti. Nam si ex eo, quòd in animalibus contentæ elementorum partes sunt animatæ, conficere velint animatas item vniuersitates esse, quòd eadẽ sit totius & partiũ natura, eodem nos iure cõficiemus illis, eiusdẽ speciei animã in toto & in partibus reperiri; & eãdem, quæ in animalibus est, in toto elemẽto esse: præsertim si ab illa elementi totius parte, quæ in singulis susciputur, hauriunt animam animalia. Hoc si dederint, cur quæso elementorũ vniuersitates animalia non appellamus, quemadmodum corpora mista; cùm eadem sit in vtrisque anima? vnde tam multæ tamque diuersæ atque inter se discrepantes animalium ac viuentium species? Nãque vt animal genere differt à plãta, & homo, Leo, equus, canis, diuersæ sunt animalium species; plurimæque item arborum & herbarum existũt species; ita diuersas necesse est & plurimas animarum species existere; quarum aliquæ non modò specie, sed & genere distinguãtur. At numquid eas omnes inquient à continente accipi, totumque elementum & partes eius in mistis contentas eiusdem esse speciei, eandemque animam possidere? Qui possunt tã multæ tamque discrepantes animæ, quæ in partibus reperiuntur, in elemento toto contineri?

Desinant igitur iactare eandem totius elementi & partium naturam ac speciem esse. Nam si aër diuulsus atque in partes dissectus eiusdem speciei dicatur esse cum elemento toto; anima verò dissimilium sit partium; tot inquam animarum diuersæ species ac naturæ: sanè nõ omnes simul inesse possunt in elemento toto; sed inerit fortasse illarum aliqua, cæteræ non inerunt. Neque etiam omnes simul in elementi partibus erunt; sed vna in vna parte, alia in alia; non igitur erunt, vt inquiunt illi, partes omnes eiusdem speciei ac naturæ. Quocircà vel animam quoque coguntur asserere similium esse partium, vt sunt elementa; hoc est animam omnem eiusdem esse speciei; neque animalia & viuentia differre specie, ne dicam genere; quod omnium absurdissimum est atque ab omni ratione sensuque alienum: aut animam fateri non esse per omnes aut elemẽti aut potiùs vniuersi totius partes diffusam.

Ex quibus manifestum est, sermonem hic non esse de facultatum animæ diuersitate: neque illud, quod deducitur, animam eiusdem speciei & similarem fore in toto & partibus, velut ab aduersariis dictum deduci; quorum vtrumque Philoponus asserere visus est. Verùm & de essentiæ diuersitate dici, & ex corporum elementarium similitudine animarum quoque similitudinẽ colligi. Themistius quoque illud (anima verò dissimilium partium) ad illud refert paulò antè ab aduersariis acceptum, elementorum animas meliores & immortaliores esse, quàm mistorum animas. Quod nobis minùs probari facta interpretatio testatur.

Potuisset quoque Philosophus argumentum ita retorquere. Vos elemẽtorum vniuersitates animatas esse asseritis, quoniam vniuersitatis & partium eadem est natura, partes verò in mistis animatæ sunt: At contrà nobis licet ita concludere: partes elementorum, quæ in mistis continentur, eiusdem rationis cum toto elemento sunt; at partes eas inanimatas esse tum lapides ostendunt, ligna, & huiusmodi cætera inanimata, & animalium item demortua vitaque priuata corpora, in quibus non minùs, quàm in animatis, elementorum sunt partes permistæ inanimatæ; integræ igitur vniuersitates quoque inanimatæ sunt.

TEXTVS.

Φανερὸν οὖν ἐκ τ εἰρημένων, ὡς οὔτε τὸ γινώσκειν ὑπάρχει ψυχῇ διὰ τὸ ἐκ τ στοιχείων εἶναι, οὔτε τὸ κινεῖσθ αὐτὴν κυρίως, οὐδ' ἁπλῶς λέγεται.

Manifestum igitur ex dictis, quòd neque cognoscere inest animæ ex eo, quòd ex elementis sit; neque moueri ipsam, recte ac verè dicitur.

COMMENTARIVS CXXXIII.

DVo ex hac conclusione intelligas. Alterum; haud magnopere ex instituto tractãdam opinionem eam suscepisse Philosophum, quę animam dixerat non in mistis mòdò corporibus, sed & in simplicibus elementis contineri: verùm obiter, illius potiùs occasione, quæ ex elementis illam constare voluerat. Nam & propterea confutationem paucis absoluit, & conclusionem subiungit, quæ nulla facta postremæ huius disputationis mentione, superiora magis respicit.

Alterum; verè antea fuisse adnotatum de modo potiùs, quàm de re cum veteribus contendisse Philosophum. Nam & cognitione & motu præditam esse animam libenter admittit: neque concludit demonstratum fuisse animam non cognoscere neque moueri; sed non eam esse cognoscendi causam, quam proposuerant illi; quòd ipsa ex elementis & initiis rerum constaret neque ipsam per se moueri, ideoque mouere corpus, quòd moueatur ipsa. Sed ipsam mouere quidem, at non nisi ex accidẽti moueri cum corpore ab ipsa moto.

De anima conuenisse Aristotelem re cum veteribus, modo discrepasse.

Quod verò sanctus Thomas tum motum tum cognitionem ad elementa refert; quasi veteres ex elementis eam constare voluissent, vt & cognitionem haberet & motum; superioribus non consentit: in quibus cognitio quidem tribuebatur elementis, vt similitudo cognoscentis adesset & cogniti: at motus illa erat causa, quòd ipsa seipsam primùm moueret.

Et Themistius rectè quidem alium cognitionis modum quærendum esse ait; & alium item, quo anima moueatur: sed dum motum hunc nec eum esse dicit, quo corpus mouetur ab anima; nec eum, qui sit imperfectæ rei actus, vt in 3. Physic. lib. definitur: verùm absolutæ potiùs & perfectæ: videat ne duo illa membra, quæ separauit Philosophus, ipse coniungat; cognitionem inquam & motum: siquidem motus, qui non imperfectum, sed perfectum actum significat, cognitio est; qua anima non mouet corpus, sed ipsa potiùs aut ab obiectis mouetur, aut seipsam alio quodam motus genere mouet. Cæterùm & superior tota de motu disputatio de illo fuit motu, quo anima mouet corpus; huiusque ipsius alius, quàm à veteribus proponeretur, quærendus fuerit modus.

A

B

IN DIVERSAS CORPORIS partes diuisam non esse animam.

CAP. IX.

TEXTVS.

Επειδὴ δ' τὸ γινώσκειν ψυχῆς ἔστι, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαί τε καὶ δοξάζειν, ἔτι δὲ τὸ ἐπιθυμεῖν καὶ βουλεύεσθαι, καὶ ὅλως ὀρέξεις. γίνεται δὲ καὶ ἡ κατὰ τόπον κίνησις τοῖς ζώοις ὑπὸ ψυχῆς, ἔτι δὲ καὶ αὔξησίς τε καὶ ἀκμὴ καὶ φθίσις, πότερον ὅλη τῇ ψυχῇ τούτων ἕκαστον ὑπάρχει, καὶ πάσῃ νοοῦμέν τε καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ κινούμεθα κατὰ τὴν ἄλλων ἕκαστοποιεῦμέν τε καὶ πάσχομεν, ἢ μορίοις ἑτέροις, ἕτερα; καὶ τὸ ζῆν δὲ πότερον ἓν τινὶ τούτων ἐστὶν ἐνὶ, ἢ καὶ ἐν πλείοσιν, ἢ καὶ ἐν πᾶσιν, ἢ καὶ ἄλλό τι αἴτιον?

C

Text. 89. *Quoniam verò cognoscere animæ est, & sentire item, & opinari, atque adeò concupiscere, & velle, atque in vniuersum appetitiones; sit autem & in loco motus animalibus ab anima, atque etiam accretio & vigor, & decretio: numquid toti animæ horum vnumquodque ineſt, totaque & intelligimus, & sentimus, & aliorum vnumquodque & facimus & patimur; an partibus aliis alia? Et nonquid viuere in horum aliquo est, an & in pluribus, vel etiam in omnibus; an aliqua alia causa?*

D

COMMENTARIVS CXXXIV.

QVorsum hæc pertineant, non videtur cōstare inter interprætes. Nāque Auerroes post veterum sententias confutatas Philosophum putat explicationem suam aggredi; atque inde principium facere, vt quod primùm intelligendum est, duo constituat. Alterum, quot sint genera actionum animæ. Alterum; an eæ omnes ab vna & eadem anima, an à pluribus & diuersis proueniant. Quinque autem ponit esse actionum genera, intelligere, sentire, appetere, moueri loco, & vegetare; quod nutritionem, accretionem, & deccretionem compræhendit. Quas omnes perficit anima per virtutes diuersas vnicumque princeps mēbrum, & plura subdelegata principiſque vicaria. At mendosum habuit textum Auerroës. Meminisse tamen poterat tractationis initio fuisse propositam priùs cognoscendam animæ substantiam, postea quæcumque accidunt circa illam. Videreque principium explicationis suæ in 2. lib. esse, in quo ea omnia explicantur totumque hunc primum librum veterum duntaxat examen continere. Sed nec Platonis de Principe membro sententiam est assequutus. Conuenit enim Aristoteli cum Platone animalium vitam ab vno principe gubernari: sed cerebrum Plato, Aristoteles cor principem fecit.

E

Ad rem magis loquitur S. Thomas, Philosophum inquiens de anima tota ex veterum sententia egisse hactenus; nunc de partibus eius partiumque operationibus dicere. Et Themistius ac Philoponus aduersus Timæum Platonemque instituti disputationē putant, quianimæ partes & actiones separabāt loco. Cuius disputationis occasionē iudicio Philoponi præbuit id, quod proximè animā dixerat dissimilium esse partium; quod multiplex illius & varia operatio ostendit. Quapropter quæstione visum est dignum, an vt diuersa est & multiplex operatio; sic varia sit & dissimilis anima: atque vt aliæ & aliæ operationes aliis & aliis corporis instrumentis & partibus perficiuntur; ita in diuersa corporis membra diuersæ ac dissimiles animæ partes distributæ sint. An potiùs vna impartibilis & vbique sibi similis anima repetiatur vbique & exequatur omnia.

Quam ob causam quæstionem ait Simplicius esse, an in quouis animali vna sit anima an plures; & si vna, an simplex an ex plurib. substantiis cōposita vt plures apparent operationes. Cui alia etiam succedit quæstio, an cùm omnes corporis partes vita fruantur, ab vna & eadem anima tota vitam habeant vniuersæ, an ab vna quapiam animæ parte singulæ, an à pluribus, an etiam ab omnibus simul in corporis partes distributis; an verò à nulla, sed alia quæpiam sit viuendi causa.

Sanè quò dissimilitudo maior appareat, maiorque dubitādi ratio; cunctas animæ operationes colligit, quæ quinque ill is ab Auerroe memoratis generibus continentur: ordoque dignitatis seruatur, dum primùm cognitiones ponit, cognoscere, sentire, opinari; in quibus cognoscere ad intellectum spectare intellectionemque significare ipsemet statim interpretatur, vbi repetit (totaque & intelligimus & sentimus) cognitionemque tum intellectus tum sensus cōplectitur. Deinde appetitiones; in quibus concupiscere ad sentientem, velle ad rationalem appetitum spectant; quod Simplicius quoque fatetur; duplicique cognitioni sensus & intellectus respondent, quibus animalia mouentur ad obiecta partim sensu partim intellectu cognita: cognitionem quippe omnem cognitæ rei appetitio comitatur. Tum motum de loco ad locum, quem incessum dicimus; quo volatum quoque, natatum, & reptatum complectimur. Mouentur siquidem animalia perfectiora ad ea, quæ appetunt, persequenda, vel quæ auersantur, fugienda. Postremò vegetationem, quæ tripartitam habet actionem: primùm accretionem, qua robustior anima plus, quàm perierit, substantiæ reponit: deinde vigorem & statum, quo debilior facta tantumdem recuperat: denique decretionem, qua corpori iam minùs accedit, quàm defluxerit.

F

Porrò Aristotelis fuisse sententiam, animam multiplicem esse substantiam atque in plures species & verò genera diuiduam; multis modis

Anima multiplex genere.

modis ostendit Philoponus. Nam & quandam animæ partem pluribus in locis separabilem ait à corpore & immortalem esse, alias verò inseparabiles & mortales; neque idem potest & separabile & inseparabile esse, immortale & mortale. Et in tex. 11. lib. 2. quasdam animæ partes dicet esse actus corporis, alias verò nullius corporis actus; sed velut nauta nauis. Et in tex. 21. intellectum esse aliud animæ genus, quod separari queat velut sempiternum à mortali. Neque de intellectu diuino sermo est; sed de humano, qui pars est animæ. Verùm & illud mihi videtur manifestũ, quòd & non semel veteres reprehendit non de omni anima loquutos: & communissimam ipse omni animæ definitionem adferre se profitetur: quòd si omni animæ communem, plures igitur animæ sunt specie saltem, si non genere diuersæ. Neque is Platonis illud ignorauit, rationem & sensum persæpè pugnare; neque vnum, & idem sibi ipsi aduersari secumque posse contendere. Etsi enim hoc fortasse non tam diuersas animas, quàm facultates ostendat; eas tamen ostendit ad diuersas animas pertinere.

Quid igitur aduersus Platonem dictum est disputationem instituit, si eadem vtriusque sententia fuit? Eadē sanè in pluribus animæ speciebus seu generibus quasi diuersis partib. distinguendis: & Aristoteles ceu animæ partes, vegetantem, sentiẽtem, atq; intelligentem statuit, quarũ singulæ pluribus operandi facultatibus sint instructæ. At in eo præsens disputatio versatur, quod eam, quæ singulorũ viuentium est, animam per vniuersum corpus etsi in plurima distinctum membra) diffusam esse totiusque organici corporis actum & perfectionem esse contendit Aristoteles; non autem per diuersas corporis distributam partes; vt cogitauerat Plato, quasi tribus constantem partibus, intelligente ac sentiente in capite, irascente in corde, concupiscente in iecore. Hoc intellectu animam Peripateticus noster impartibilem esse contendit, hoc est nõ in plures corporis discerptam partes, non quòd vnica & simplici viuẽtibus omnibus communi essentia constet. Omninò autem Philoponus in cõmẽt. tex. 40. lib. 3. vbi quæreret Philosophus, an vis motrix pars animæ sit ab aliis diuersa, Platonem dicturus est quadruplici nomine fuisse ab Aristotele reprehensum. Primùm quòd animam vt totum in partes diuiserit: cùm ipse nõ aliam, quàm vnius substantiæ in facultates plures, diuisionem fecerit. Deinde quòd duas animas, rationalem & irrationalem, vt vnam fecerit, moxque in tria diuiserit, rationem, iram, cupiditatem. Is verò tres animas voluerit, vegetantẽ, sentientẽ, intelligentem. Tum quòd multas partes prætermiserit. Postremò quòd partes eas locis ac partibus corporis separauerit.

Quòd si contendat nunc idem Philoponus, verè non sensisse Platonem animam ita in corporis membra distractam esse; sed alias atque alias corporis partes voluisse magis existere aptas vt aliis atque aliis, animæ facultatibus illustrentur: videbitur sanè id confirmare illud, quod alicubi Plato pronuntianit, putandum non esse plures in animalibus animas contineri, velut in equo Troiano milites. At eas corporis partes certum est actiones illas animæ illustriores non habere. Cerebrum namque voluntario motu immobile est; & sensu aut omni caret aut vix obscurum habet: quod membrum is motus & sensus principium esse voluit. Ex superioribus verò scimus ratione optima ductum Aristotelem consuesse non tam aliorum sensa, quàm verba, spectare, idque, quod præ se ferunt verba, reprehendere.

Sanè hanc quæstionem conferre inquit Simplicius ad cognoscendum quomodo animentur corpora; num à tota anima, an ab aliqua ipsius parte: & si à tota, an secundùm aliquam partem vni adsit corporis parti, & secundùm aliam alij, an tota toti corpori & partibus cunctis.

Viuere cuius anima effectus sit.

Iam verò in altera quæstione, vtrum viuere ab vnica animæ parte an à pluribus vel omnibus proficiscatur; Philoponus ac Simplicius dissentiunt. Alter namque vltimæ atque humillimæ, plantalis inquam, animæ beneficium esse singulare contendit: tum quia plantæ hac sola animæ parte viuunt: tum quia nihil, quod huius sit expers, viuere potest. Alter verò omnibus planè animæ partibus commune: quod magnopere consentit cum eo, quod in tex. 13. lib. 2. dicetur, viuere multis modis nominari; & siuè intellectus adsit, siue sensus, aut motus, siue nutritio, adesse vitam. A vegetante siquidem parte est viuere simpliciter, à cæteris certa quæpiam vita; ab intellectu vita hominis, à sensu animalis, à nutritione plantæ, & omninò motus omnis interior vitaliset. Verùm de hoc pluribus in 2. libro.

Vt in animæ partibus Aristoteles & Plato dissentiant.

TEXTVS.

Λέγουσι δ' τινες μεριστὸν αὐτὸν εἶναι, ᾗ ἄλλο μὲν νοεῖν, ἄλλῳ δ' ἐπιθυμεῖν. τί οὖν δή ποτε σωίσχει τὸν ψυχὸν, εἰ μεριστὴ πέφυκεν; ἃ δ' δὴ μέ γε τὸ σῶμα. δοκεῖ γὰρ τοιαύτην μᾶλλον, ἢ ψυχὴ τὸ σῶμα σωίσχειν. ἐξελθόσης γὰρ, διασκεδαννύσθαι σήπεται. εἰ οὖν ἕτερόν τι μέσον αὐτὸν ποιεῖ, ἐκεῖνο μᾶλλον ἂν εἴη ὁ ψυχή. δόσει δ' πάλιν κἀκεῖνο ζητεῖν, πότερον ἓν, ἢ πολυμερὲς; εἰ μὲν γὰρ ἓν, διά τι οὐκ εὐθὺς καὶ τὸν ψυχὸν ἓν εἶναι; εἰ δ' μεριστὸν, πάλιν ὁ λόγος ζητῆσει, τί τὸ σωίσχον ἐκεῖνο; καὶ ἅπω δὴ φερόμενοι ἐπὶ τὸ ἄπειρον.

Inquiunt verò quidam partibilem ipsam esse: & alio quidem intelligere, alio autem concupiscere. Quidnam igitur animam continet si partibilis est? Non enim sanè corpus: quoniam contrarium potiùs videtur anima continere corpus. Egressa quippè, diffluatur & putrescit. Tex. 90.

Si igitur aliud quidpiam vnam eam facit, illud maximè fuerit anima. Oportebit autem rursum & illud quærere, vtrum vnum an multarum partium? Si enim vnum, cur non continuò & vnum anima sit? Si verò partibile, rursus ratio quæret, quid continens illud? Atque ita procedet in infinitum. Tex. 91.

OMMENTARIVS CXXXV.

QVæstiones duas propositas seorsim tractat. Ac primum de priori quorundam sententiam commemorat, qui plures in partes animam secantes, vna parte intelligere eam inquiebant, alia concupiscere, alia nutrire: Timæum Platonemúe potiùs in Timæo subnotari putant interpretes: quod intellectionis & concupiscentiæ

indicat specialis mentio. Is enim, vt iam diximus, animam in tres partes tribuens corporisque distribuens partibus, intelligentem in capite tanquàm in arce posuit; irascentem in corde vt affectuum ac perturbationum omnium officina, concupiscentem in iecore velut præsepio belluam alligauit. Concupiscentiam enim cibi & potus ac venereorum appetentiam dixit, quibus vita & species sustentetur.

Anima partes vt in corporis partes Plato tribuerit.

Aristotelis confutatio.

Contrà verò vrget Philosophus eodem prorsus argumento, quo antea quoque vsus est in tex. 82. aduersus eos, qui animam ex elementis componebant: quippe perinde videtur esse, siue ex pluribus elementis, siue ex pluribus partibus constare illam dixeris. Si anima plures in partes locis dissitas ita diuisa est, adesse aliquid oportet, quod partes eas contineat atque in vnum colligat, vt vna ex illis fiat anima, vnum viuens. Quippe vnumquodque ideò vnum esse existimatur, quòd vnum actum & formam vnam habeat: neque si partes illæ dissitæ relinquantur, vnum erit viuens. At id, quod eas vniat, non potest esse corpus: tum quia id, quod vnire debet, necesse est sit vnum; corpus autem plurimis cùm constet partibus, tum homogeneis, tum eterogeneis, natura & qualitatibus plurimùm diuersis atque adeò pugnantibus; si per se consideretur, vnum quidpiam non est, sed plurimorum congeries, quæ vniente alio & colligante indigeat. Tum quia cùm corpus abeunte anima dissolui ac putrescere conspiciatur, singulis ad sua remeantibus elementis; manifestum est quamdiu vnitum & colligatum viuit, à præsente anima velut potiori natura contineri atque in vnum colligi. Et omninò corpus comparatione animæ est vt materia; magisque rationi consentaneum est materiam contineri atque vniri à forma, quæ illius finis est & perfectio, quàm contrà. Siquidem quod alteri vnionis est causa, melius eo sit oportet. Si igitur anima est, quæ corpus continet, hostiles ac pugnaces elementorum vires cohibet & partes tantopere diuersas in vnum colligit; de hac renouatur quæstio, num ea sit vna an in plures discissa partes. Si vnam fateantur & indiuiduam, hoc ipsum antea dicere potuissent. Cur enim hæc potiùs, quàm prior illa, sit indiuidua? Sin verò hanc plures habere contendant partes, aliquid aliud quærendum rursus fuerit, quod partes eas vniat & copulet: atque ita in infinitum quæstio progredietur, quousque vnam & indiuiduam concedat animam. Neque enim si multæ sint animæ partes, eas responderi licet sibi ipsis esse vnionis causam: Quoniam eæ multæ sunt & diuisæ, & verò etiam dissidentes ac repugnantes; cùm & perturbationes rationi & ratio perturbationibus aduersentur sibique vicissim resistant: vnumque omninò sit oportet id, quod alia vnit atque adeò ab illis, quæ vnit, diuersum.

Quæritur autem in his vnionis causa, non materialis, quemadmodum gluten; neque efficiens vt artifex plura coniungens ligna plureue lateres; sed formalis, quę vt entitatis perfectionē, sic vnitatē adfert: ipsaq; corporis aptitudo, vt habet Philoponus, ad animam susciendam sufficiens materialis causa vnionis est, tum animæ cum corpore, vt dicetur in tex. 7. lib. 2. tum ipsarum animæ partium, dum omnes natiua materia potestate vnitas in se suscipit & quasi colligit.

Meliore tamen sententia dici posset anima alio intelligere, alio sentire, aut concupiscere, & nutriri: nempè aut anima facultate alia atque alia vtente, aut diuersis animæ partibus in impartibilem vnam collectis; eademque operante anima, sed alia atque alia ratione, quatenus aut formaliter intelligens est, aut virtute sentiens vel vegetans. Nam etsi vna sit animæ substantia, multiplex tamen facultas est: & si superior sit anima, virtute continet inferiores.

Denique ex hac tota ratione discant illi, qui seçùs sentiunt, in mistis quoque corporibus inanimis adesse oportere formam ab elementis diuersam, quæ diuersa & inter se pugnantia elementa contineat; non minùs, quàm in viuentibus animam: quod in superioribus non semel admonuimus.

Mistorum formas ab elementis diuersas.

TEXTVS.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις ἐκ τῶν μορίων αὐτῆς, πῶς ἕκαστον ἔχει ἕκαστον ἐν τῷ σώματι. εἰ γὰρ ὅλη ἡ ψυχὴ παντὶ τῷ σώματι συνέχει, προσήκει καὶ τῶν μορίων ἕκαστον συνέχειν τι τῶν τοῦ σώματος. τοῦτο δ' ἔοικεν ἀδύνατῳ. ποῖον γὰρ μόριον, ἢ πῶς ἕκαστον συνέχει, χαλεπὸν καὶ πλάσαι.

Dubitat autem quispiam & de ipsius partibus, quam vim virtutem habeat vnaquæque in corpore. Nam si tota anima totum corpus continet, æquum est & vnãquamque partem aliquid corporis continere. Hoc verò impossibili simile est. Qualem enim partem aut quomodo intellectus contineat, difficile est & fingere.

COMMENTARIVS CXXXVI.

DVbitatio hæc, quæ alteram videtur argumẽtationẽ adducere, ex antecedenti nascitur ratiocinatione. Cùm enim animã potiùs dixisset cõtinere corpus, quàm corpus animã; si huic opinio addatur illa, partibilem animã esse; consequens est, vt quemadmodũ anima tota totũ cõtinet corpus, ita singulæ illius partes aliquã contineant corporis partem. Quod lanè Platoni placuisse videtur, cùm vnã partẽ in capite, alteram in corde, tertiã in iecore collocauit. At hoc fieri nulla ratione potest. Intellectus enim quã corporis partẽ & quomodo cõtineat, nec verbis exponi rationeque ostẽdi potest, nec mẽte cõprehẽdi aut fingi. Quòd si Plato cõtinere caput fortasse dixerit; at modò certè, quo cõtineat, docere nõ potest. Nam de cæteris partibus facilius est & intelligere & dicere. Quoniã eæ materiales sunt, corporeæ, atque cum corpore cõplicatæ cõstituto corporis instrumẽto vtũtur, illudque agẽdo mouẽt. At intellectus immaterialis est, incorporeus, neque corpore vtitur dum operatur.

Anaxagoræ sententia.

Quibus verbis Philoponus Aristotelem ait manifeste intellectũ à corpore separabilẽ atq; immortalẽ dixisse: Alexandrumq; cùm non haberet quod respõderet, silentio locum hunc præterijsse. Quod enim, inquit Simplicius, proximè ac immediate aliquid cõtinet, à re cõtenta inseparabile est; separabilis autẽ est intellectus. Atq; illud quidem eius est, quod cõtinet; neq; in seipsum, neq; ad præstantiora cõuertitur: hic autem sui ipsius est seq; ipsum intelligit & in seipsum cõuersionẽ facit & præstantiora intelligit. Hæc Philoponus & Simplicius. A quibus auocare te nõ debet dubitationis vox, qua vsus Philosophus est. Quoniã dubitationẽ quidẽ mouit,

mouit, sed argumentū ex ea duxit; quo aduersariū vrgeret, vrgendoque id proposuit, quod certū sibi ac manifestum esse putauit. Quare aut id ita esse fatearis, aut nullum dicas esse argumentum nec quidquam conficere, si à corpore aliena non est nec à cæteris animæ partibus diuersa intellectus natura. Quod non erat huius loci demonstrare; neque vbique sunt propositionum omnium, quæ vsurpantur, demonstrationes afferendæ: proprius est singulis destinatus locus; inde demonstrationes petantur; alibi sine demonstratione adferantur; nec minùs propterea veram ac legitimam auctoris sententiam continent.

TEXTVS.

Φαίνεται δ' ἐν τοῖς φυτοῖς διαιρεθέντα ζῆν, καὶ τὰ ζῴων ἔνια τῶν ἐντόμων, ὡς πᾶν ἀνατμηθὲν ἔχοντα ψυχὴν τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ ἀριθμῷ. ἐκ πάσης γοῦν τῆς μοίρας αἴσθησιν, καὶ κίνησιν καὶ τόπον ὁπόταν χρόνον. εἰ δὲ μὴ διατελοῦσιν, ἐδὲν ἄτοπον. ὑγιαίνει γὰρ οὐκ ἐνίοις, ὥστε σῴζειν πᾶν φύσιν. ἀλλ' ἐδὲν ἧττον ὑπάρχει ἑκατέρῳ τῶν μορίων ἅπαντα ἐνυπάρχει τὰ μόρια τῆς ψυχῆς. καὶ ἔστιν ἀλλήλοις καὶ τῇ ὅλῃ. ἀλλάλων μέν, ὡς ἐν χωρισθέντα, τῆς δ' ὅλης ψυχῆς, ὡς διαιρετῆς ὔσης.

Tex. 93. *Apparent verò & plantæ diuisæ viuere, & inter animalia insectorum quædam; velut eandem specie animam habentia; etsi non numero. Vtraque siquidem pars sensum, & mouetur per locum ad aliquod tempus.*

Tex. 94. *Si autem non perdurant, absurdum nullum. Instrumenta enim non habent, vnde naturam tueantur. Sed nihil minus in vtraque partium omnes insunt animæ partes: & sibi vicissim specie similes sunt & toti; vicissim quidem, quatenus separatæ non sunt; toti autem animæ, quatenus partibilis est.*

COMMENTARIVS CXXXVII.

3. Argumentum.

TErtia hac argumentatione ad sensum quotidianamque experientiam prouocat aduersarium. Nam in plantis manifestè conspicimus abscissas earum partes viuere, eandemque animam retinere, qua cum tota potiebantur planta. Quippè abscissi arborum rami, si plantentur in terra vel in arborem alteram inserantur, fœliciter crescunt eosdemque, quos antea, vberes progignunt fructus. Simile quidpiam & in imperfectioribus quibusdam cernimus animalibus, quæ propterea nominantur insecta, quòd secentur in partes, quarum vnā quamque vitam & animam aliquamdiu retinere testantur sensus & motus. Tactæ namque sentiunt diuisæ partes, & refugiunt, & saltitant, vel proreptant. Videas id in vermiculis, lacertis, & piscibus, quorum experientiam multam Themistius profert; sed vel ipso tacente proferre quisque potest. Quòd si haud multo tempore perseueret in illis anima, neque seorsim viuere possint singulæ partes vt plantarum viuunt & adolescunt ramusculi; id argumentationi nostræ nil obest nec eam infirmat. Nam & satis esse possunt arborum rami non minùs viuentes, imò diutiùs, quàm vixissent in arbore; renouatis scilicet viribus in nouamque arborem crescente ramusculo. Et sat est, si diuisione non concidant illico & priuentur vita. Quod euenire necessarium esset, si ex pluribus loco dissitis partibus constaret anima. Parte siquidem corporis abscissa pars animæ separaretur à cæteris nec posset sola subsistere. Perindeque fieret, atque in elementorum ex mistis corporibus separatione: Vt enim separatis elementis pereunt illico mista, quæ illorum temperatione constabant; sic abscissa viuentis parte periret anima, quæ plurium partium coniunctione viuebat.

Animalium & arborum differentia.

Cur autem vitam, quam aliquandiu retinent, perindè ac arborum rami diutius nequeant animalium partes conseruare; causa est, quòd instrumenta ad eam fouendam & conseruandam non habeāt. Nam & à principe membro separantur, vndè caloris fomentum deriuatur, vitaque omnis administratur; siue illud sit cor, siue aliud quidpiam proportione cordi respondens: & ore, ventre, intestinis, ac demum cæteris nutritionis instrumentis carent, neque sine nutritione conseruati vita potest. Arborum rami vbique os potestate habent, humoque defossi alimentum accipiunt, quo tum viuant tum adolescant: nec minùs, si cum arbore alia inserti copulentur. Verùm siue longo siue breui tempore viuant, modò viuant, ideò viuunt, quòd animam habeant; nec minus quæ breue, quam quę longum tempus viuunt. Animam inquam eiusdem speciei tum inter se partes omnes abscissæ, tum cum anima totius, quod diuisum fuit. Inter se quidem, quatenus separatæ non sunt; hoc est quoniam easdem habent operationes, quæ formā specie eandem ostendunt: etsi non eadem numero sit vt antea; quòd diuisa iam & separata in plures partes sit. Aut quoniam dissunctas & separatas facultates non habent, sed in eadem omnes parte continentur; vt operationes testantur, quæ post diuisionem apparent vbique. Cū totius autem anima, quatenus partibilis; hoc est eadem in plures partes secabilis, quæ totam eius naturam contineant.

Ergo duas hæc argumentatio partes habet, duoque conficit: tum abscissas partes habere animam, quia edunt operationes vitæ, nutritionem & accretionem arborum rami, sensum & motum animalium partes: tum habere animam eiusdem speciei & inter se & cum totius anima; quoniam easdem prorsus operationes retinent. Non igitur in toto viuente animæ partes iuxta corporis partes dispensantur; sed vbique in omnibus corporis partibus tota essentia continetur animæ, licet alias interdum atque alias in diuersis partibus operationes edat. Nam si pars animæ nutrix in vna esset parte, & auctrix in alia, sentiensque item in vna & mouens in alia; non nutrirentur simul & crescerent abscissi rami, neque simul sentirent & mouerentur eædem diuisæ omnes partes, sed vnus nutriretur ramus, alter creseeret, parsque vna sentiret, & moueretur alia quod & per se absurdissimum est & impossibile; quoniam id crescit, quod nutrimentum copiosius sumit; idque mouetur, quod sentit & omnino sensibus & experientiæ aduersatur.

Illud verò obseruandum est; philosophum vt essentiam animæ probaret totam vbique esse iuxta corporis partes impartibilem; non sine causa, imò summo consilio plantas accèpisse & inferiora animalia, vt quasi à maiori argumentaremur ad minus. Si enim in infimo & imperfectissimo gradu in quo materialis maximè & partibilis anima est, iuxta corporis partes non est anima distributa,

multò sanè minùs in iis fuerit, quæ superiora sunt, perfectiora, & maximè vna. Quanquam neque ex his poterat argumentum duci; quorum vita tantopere pendet ab vno principe membro, totque membrorum apparatum ac tam copiosam instrumentorum suppellectilem postulat, vt quæcunque diuidantur ac separentur partes, eæ pereant illico; aut etiam si paulò fuerint insigniores, extremam toti animali pernitiem adferant. Quò enim perfectiores sunt formæ, eò magis à partibili materiæ natura recedunt, magisque actus perfectionem atque impartibilitatem assequuntur, qua ad vnitatem supremi ac diuini actus accedant.

Animalium insectorum & perfectorũ differentia.

Cæterùm quod Auerroes duo visus est facere animalium genera, perfectioraque habere corpora organica plurimis instrumentis diuersis instructa; imperfectiora verò & insecta non item, sed vbique sibi similia esse: cautè omnino legendum est. Nam si absolutè pronuntietur, perquàm falsum est & Aristoteli aduersatur, qui animam omnem vel etiam plantalem, nedum animalem, organici corporis actum esse definiuit. Sed opinor affirmare voluit insecta non eam habere partium diuersitatem ac membrorum tam accuratam conformationem, quam in perfectioribus admiramur cum omnium ab vno dependentia: & ferè in singulis partibus organizationem totam contineri; ideoque singulas posse diuisas aliquandiu viuere.

Partiũ diuisarum an eadem numero anima.

Denique Simplicius Philosophi verba illa perpendat, quibus plantarum & insectorum animalium partes diuisas ait eandem specie habere animam, non numero. Intelliget enim Philosopho se aduersari, cùm & hoc loco & alibi non semel affirmat eandem numero animam in vtrisque diuisis inesse partibus. Argumento scilicet radicum plantarum, quæ numero diuersæ sunt & vnam numero habent animam. Et verè ratiocinatur Philoponus, fieri haud posse, vt quæ in diuisis subiectis sunt, eæ sint eædem numero. Radices autem plantarum cùm proferuntur, possent & manus & pedis proferri digiti. Sed hæc nequaquam numero differunt, verùm vt eiusdem membri atque organi partes: numeri quippe distinctio eorum est, quæ diuisa sunt ac seorsim per se separata subsistunt.

TEXTVS.

Ἔοικε δ' ἤ τε τοῦ φυτοῦ ἀρχὴ ψυχή τις εἶναι. μόνης γὰρ ταύτης κοινωνεῖ καὶ ζῶσα καὶ φυτά. καὶ αὕτη μὲν χωρίζεται τῆς αἰσθητικῆς ἀρχῆς, ἀλόγων δ' οὐδὲν ἄνευ ταύτης ἔχει.

Videtur autem & quod in plantis principium, anima quædam esse. Sola namque hac participant & animalia & plantæ. Atque hæc quidem separatur à sensitiuo principio; sensum verò nihil sine hac habet.

COMMENTARIVS CXXXVIII.

MAnifestum est plantas ostendi animatas esse. At quorsum? Non vna potest adferri ratio. Primùm quòd Plato in commemorata illa partium animæ distributione in intelligentem, irascentem, concupiscentem; & verò veteres cæteri vim animæ in motu aut cognitione ponentes, plantas visi sunt opinari animatas non esse: perinde quasi vegetantem animam ignorantes. Deinde quòd proximis verbis absque probatione accepit vel diuisas plantarum partes viuere fruique specie eiusdem anima. Tum verò quia veteres reprehendens quòd loquuti non essent de omni anima, plantas obiecit animatas in tex. 83. & 84. Præterea vt mox aggressurus ipse in 2. libro suã de anima explicationem, qua communissimam omni animæ definitionem proponet, constitutum haberet & fixum quàm latè ea patere deberet quasque complecti animas: de animalibus autem constabat atque cum aduersariis conueniebat; de plantis non item. Hoc igitur constituendum ac probandum antea fuit. Ad extremùm respondendum supererat quæstioni alteri ex duabus illis, quas proposuit in tex. 89. quàm latè pateret vita, numque intellectu solo, sensu, appetitu, motu, & animalium nutritione atque accretione contineretur, an etiam sese protenderet latius.

Non solùm igitur animalia viuere animataque esse; sed plantas quoque ostendit hoc ipso frui operationis principio. Animam enim intelligimus velut principium eiusmodi in corporibus animatis, quale in naturalibus & inanimatis naturam: velut principium inquam tum eorum naturam constituens atque à cæteris distinguens; tum operationum genus quoddã animatorum proprium edens, nutritionẽ, accretionem, procreationẽ, sensionẽ, appetitionem, incessum, intellectionẽ; quæ si non adsint omnes in plantis, neque in animalibus cunctis adsunt, sed in homine solo; nec tamen propterea cæteris negamus inesse animam. Cœlestèque corpus naturale esse fatemur, etsi solius motus, non quietis, principium habeat. Nam nutritionẽ saltem, accretionem & procreationem, in illis cernimus; quæ animæ operationes sunt, nec aliunde, quàm ab hoc possunt principio proficisci.

Hoc fuit Philosophi argumentum; quo vt in aliis solet, à posterioribus ad priora progrediens atque ex operationibus & effectis priora & causas inuestigans, hanc solam inquit nutrientem, augentem, & procreantem animam, hoc singulare operationum harum principium tum plantis tum animalibus esse commune. Quoniam non minus hæ, quàm illa, nutriuntur, augentur, & ex quadam sui parte velut semine aliud sibi simile procreant. Cæteras animæ partes animalium proprias esse, quòd illarum operationes in solis animalibus conspiciantur, in plantis earum nulla. Qui verò fieri « potest, inquit Themistius, vt ea vis vegetalis alumnaque in animali anima sit, in plantis non sit? «

Porrò consequentia verba (Atque hæc quidem separatur à sensitiuo principio) duobus modis licet exponere. Altero, vt in plantarum hac & animalium communitate diuersitatem ac discrepantiam ostendant. Nam vegetans hæc animæ pars in plantis est solitaria, in animalibus cum sentiente coniuncta. Cùm enim ipsa sit infirmus & primus animæ gradus, potest solitarius consistere; ceteri superiores & perfectiores absque illo esse nusquam possunt. Et Themistius in his putat obiectionem tolli, qua quis fortasse eam diceret non esse animam, dum à ceteris reparatur. Nam sentiens quoque in animalibus pluribus separatur à motu, & tamen anima appellatur.

Altero; vt alterum quoq; habeant argumentum, quo

quo vegetans illud principium animam esse probetur, quod & Simplicio placuit & Philopono. Si enim absque vegetante sentiens esse nequit; manifestum est, & ipsam vegetantem esse animam: nec modo vbi cũ superioribus & melioribus iungitur vitis, sed etiam vbi solitaria consistit; in quibus absolutam se animam esse probat.

Neque putes hæc superioribus aduersari, in quibus animæ partes ostendit separatas non esse. Quoniam ibi de vno & eodem viuente fuit sermo, nunc in aliis atque aliis viuentibus dicitur separari. Sed vbi sensus asseritur sine vegetante parte non esse, minimè necessarium erat Simplicium monere id non de omni, sed de passiuo sensu affirmari, qui à sensilibus permoucatur atque ad sentiendum prouocetur. Quis enim alius apud Aristotelem sensus reperiatur? Omnem is sensum eiusmodi esse vniuersè docebit in 2. libro. Quòd si cœlestem fortasse sensum Simplicius proferat, academicum, non peripateticum, dogma sectabitur.

Primi Libri finis.

HIERONYMI DANDINI

CÆSENATIS E' SOCIETATE IESV,

In Aristotelis de Anima Libros Commentariorum

TOMVS II.

Qui secundi Libri interpretationem facit.

PRAEFATIO.

MAXIMA vitæ nostræ pars, laborisque & industriæ plurimum, quod ad scientias comparandas totum minimè satis esset, in aliorum scriptis peruolutandis, examinandisq; sententiis consumitur. Vt vix satis temporis aut animi virium supersit, quo de singularum rerum natura & affectionibus maturo tãdem iudicio decernamus. Sed qui aliorum volumina, quæque ab illis pronunciata fuerunt, non populari, sed artificis trutina pensitauerit; & si quid minus verè ac sapienter pronunciatum sit, certa & necessaria ratione confutauerit: is verò non solùm non inutiliter laborauerit, sed totum penè confecerit. Nam etsi quid quęque res sit minimè scire is existimetur, qui nil aliud, quàm quid ea non sit assequutus est: errorum tamen discussis tenebris facile illi fuerit veritatis lumen intueri. Dum igitur hactenus Aristoteles aliorum sententias, qui ante ipsum de anima philosophati fuerant, confutauit, hoc nobis præstitit, vt quid ea non sit intelligeremus; errorumque monstrauit capita, quæ in animæ natura peruestiganda vitare magnopere debeamus. Iam vero meliorem illius explicationem aggrediens quid tandem ipsa sit, quidque de ea sentire nos oporteat indicabit. Et quoniam antiquiores reprehendit, quòd de omni anima loquuti non essent, neque vniuersam & generalẽ eius notionem aut assequuti ipsi fuissent, aut aliis explicassent: eã ipse & curiosè peruestigat, & duobus reliquis libris diligenter exponit. Et ita exponit vt definitionẽ primùm, & naram omni animæ communem quærat & interpretetur. Deinde de illius facultatibus, quibus ad agendum vtitur vniuersè itẽ disserat. Post ad singulas animæ species descendens, de vegetante primùm facultate loquatur, deinde de sentiente sensibusque, tũ exterioribus, tum interioribus, ac demum de intelligente. Qua verò arte ac methodo in singulis, tum quærendis & assequendis, tum explicandis vtatur; suis locis appositè magis dicetur.

ANIMAM ESSE ACTVM primum corporis naturalis organici potestate vitam habentis.

CAP. I.

TEXTVS.

Τὰ μὲν δὴ ὑπὸ τ πρότερον παραδεδομένα περὶ ψυχῆς εἰρήκαμεν. πάλιν δὲ ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς ἐπιτέον, πειρώμενοι διορίσαι τί ἐστι ψυχὴ, καὶ τίς ἂν εἴη καθόλου λόγος αὐτῆς.

Quæ igitur à prioribus tradita sunt de anima, dictum Text. 1. *est: iterum autem tanquam à principio redeamus, tentantes definire, quid est anima, & quæ vtique sit communissima ratio ipsius.*

COMMENTARIVS I.

ESsentiam & naturam animę definitione duplici nobis proponit. Altera vsq; ad tex. 12. altera ab eo loco vsque ad 27. His autem fermè verbis præfatur. Expositis & confutatis in primo libro iis, quę de anima ab aliis Philosophis ante nos dicta fuerunt: iam quasi redeuntes ad principium, & nũc primùm animę considerationẽ aggredientes, aliundq; contẽplationis & orationis initiũ faciẽtes: siquidem nihil illi aptè & ad naturam eius accommodatè dixerunt. Aut ad principium redeuntes, hoc est ad entis diuisionem in decem genera, quam in animę definitionis inuestigatione primo loco posuerat in tex. 6. libri 1. & ab illa rursùm facit principium in proximè sequentibus verbis. Nisi fortasse malis principium intelligere essentiam & definitionem animę explicandam, quę affectionum omnium & demonstrationis cuiusuis ac scientię principium est. Ad principium inquam redeuntes adferre conabimur communissimam & generalem maximè definitionem, quę animę omni conueniat. Ita enim & id præstabimus, quod cæteri

cæteri assequuti non sunt: & crimen illud vitabimus, quod à nobis fuit illis obiectum, dum non de omni anima; sed de aliqua tantùm loquuti sunt. Ac demum intelligitur dubitatio in tex. 8. lib. primi proposita; Num anima definiri in genere debeat communi vnica definitione.

Itaque duo præstat hoc loco. Primùm connectit hunc librum cum superiori. Deinde quid sit in reliquo opere sibi propositum exponit: nempe inuestigandam sibi esse essentiam animæ & communissimam eius definitionem adferendam. His item verbis tacitè significans, nihil ab antiquis appositè ac sufficienter fuisse de illa explicatum.

Dum autem constituendum proponit, quid sit anima quæque illius definitio; diligentem omnino considerationem & quoad fieri poterit exactissimam tractatione pollicetur. Sed dum se tentaturum aut conaturum ait, quid ipse assequi possit; & modestè loquitur, vt Philosophus; reiectis præsertim aliorum omnium conatibus; & magnam rei difficultatem significat, & consentaneè loquitur iis, quæ in tex. 3. lib. 1. proposuerat: Quærimus, inquit, contemplari, & cognoscere naturam ipsius & essentiam. Denique dum communissimam definitionem quærendam proponit, optimè quidem Græci interpretes id propterea dictum putarunt, quòd alios damnàsset de humana sola loquentes.

Methodus seruanda. At non ineptè dixeris significatam quoque fuisse methodum in hac tractatione seruandam. Vt cùm intelligeret agi posse, agendumque sibi esse, tum de anima vniuersa, tum de singulis eius speciebus ac partibus; considerandam priùs proposuerit animæ vniuersæ naturam; tum ad singulas species & partes descendendum. Sic enim doctrinæ, ac scientiæ ratio postulabat.

TEXTVS.

Ἐξειλῆφθω δὴ ἓν τι γένος τῶν ὄντων, τὴν οὐσίαν. ταύτης δὲ τὸ μὲν ὡς ὕλην, ὃ καθ' αὑτὸ μὴ τόδε τι ἔστιν ὄν, μορφὴν δὲ εἶδος, καθ' ὃ δὴ λέγεται, τόδε τι ἂν ἤδη τὸ ἐκ τούτων. ἔστι δὲ ἡ μὲν ὕλη, δυνάμει· τὸ δὲ εἶδος, ἐντελέχεια, ἣν τρόπον, δηλῶσ. τὸ μὲν ὡς ὀπτὸν, τὸ δὲ ὡς τὸ θεωρεῖν.

Tex. 1. *Dicimus itaque vnum quoddam genus eorum quæ sunt, substantiam. Huius autem aliud quidem sicut materiam: quod secundum se quidem non est hoc aliquid. Aliud autem formam & speciem, secundùm quam dicitur hoc aliquid. Et tertium quod ex his. Est autè materia quidem potestas, forma autem actus. Et hoc dupliciter: hoc quidem vt scientia, illud autem vt contemplari.*

COMMENTARIVS II.

Definitionis inuestigandæ modus. INuestigaturus generalem animæ definitionem memor suæ doctrinæ in secundo lib. de posteriori Analysi, diuisionem & compositionem opportunas maximè esse ad inuestigendas rerum definitiones; diuisiones quasdam præmittit, ex quibus, vt in aliis plerisque fecit, eam colliget definitionem. Nam inutilibus diuisionum membris relictis, illisque retentis, quæ vtilia, & ad rem propositam accommodata videntur; totam ex illis definitionem concludet.

Tres autem diuisiones accipit. Primùm quoniam certum erat animam esse ens (si enim nihil esset, de ea non susciperetur tractatio, nec quidnam esset quæreretur, aut quæ communissima esset ipsius ratio, vt in tex. 1. proposuit) diuidit ens in substantiam & accidens, seu in decem categorias. Quam diuisionem ex iis ferè repetit, quæ in 1. lib. dubitanda posuerat. Nam in tex. 6. animam in aliquo entium genere acceperat esse debere; eamque diuisionem entis fecerat. Etenim illi certum quoque erat, eam non esse Deum, intelligentiamve aliam à corporeis rebus prorsus abstractam, aut demum cœleste corpus, quæ ille à decẽ entiũ classibus libera esse existimauit: sed aliquid planè in corporibus animatis, quæ categoriis illis continentur. Quem locum non dissimulabo esse aduersus eos, qui animam nostram volunt intelligentiã esse quampiam separatam. Philosophus. n. de illis solis animabus agere se significat, quæ substantiæ genere continentur. Quocirca repetit sæpe Simplicius, eum de solis mortalium & sublunariũ animabus agere: siquidem cœlestia quoque animata esse dicuntur, intelligentiæque motrices eorum animæ vocitantur. At sapientes soli sunt & periti Philosophi, qui ita loquuntur. Communi autem sermone animata vocantur plantæ & animalia, in quibus nutritio, accretio, procreatio, sensio, & aliæ huiusmodi operationes animæ propriæ apparent.

Animã esse ens. *Humanã animam intelligentiam abstractam nõ esse.*

Deinde accidentibus reiectis substantiam accipit. Quo loco non probauit, sed accepit animam esse substantiam. Hoc enim manifestum erat (inquit Philoponus in tex. 1.) ex iis, quæ in 1. libro fuerant disputata. Eam namque non esse quantitatem demonstrauit, aduersus Platonem ostendendo non esse circulum, aut magnitudinem: & aduersus Xenocratem non esse numerum. Non esse qualitatem, probando eam non esse harmonicam: quippe eædem rationes ostendunt non esse omnino qualitatem. Quòd si nec quantitas sit, nec qualitas, neque vllum aliorum accidentium fuerit: quoniam ex illis duobus reliqua omnia constant. Fortasse etiam ex eo, quòd impartibilem eam esse disputauit, habuit eam esse substantiam. Nam quod naturæ nobilitate, ac præstantia impartibile est, nimirum substantia est. Quocirca etiam Simplicius in præfatione eum obseruauit, ex primo libro, in quo antiquorum opiniones fuerat persequutus, iam habuisse animam esse substantiam. Tametsi in expositione tex. 2. & 4. id probet. Tum quia anima est vita; quæ enim viuunt per animam viuunt: atqui vita est substantia, quoniam viuentia sunt magis substantiæ, quàm non viuentia. Tum quia animalia sunt substantiæ, suntque animalia per animam. Tum demum quia animalia, vt habent animam, suscipere possunt contraria, quod est substantiæ maximè proprium, vt in libro Categoriarum docetur. Auerroës autem id affirmat fuisse acceptum tanquam per se notum. Sic enim prima naturalis cognitio indicat, qua omnes animam concipiunt tanquam optimum quidpiam: atque ex illis operibus, quæ sensu, ex quo prima nostra cognitio ducitur, percipiuntur; vt intelligere, sentire, & similia; eam esse substantiam planè cognoscitur. Probat tamen; quia substantia melior est accidente tex. 4. lib. 7. metaph. anima verò optimum est & nobilissimum omnium, quæ sunt sub luna.

Animã esse substantiã.

Addi potest; ex non substantiis substantiam non fieri, vt in tex. 52. lib. 1. physic. ratiocinabatur philosophus: viuentia autem & animata constare anima & corpore; quare si illa sint substantiæ, eorum quoque partes substantias esse oportere. Denique ea omnia, quibus in primo lib. physic. confirmauit duo principia substantialia rerum omnium natura constantium, materiam & formam; multò magis nunc possunt ostendere, animam in viuentibus formam esse substantiæ, quæ illa simul cum corpore compositas substantias constituat.

Non ergo temerè & insipienter egit, cùm animam esse substantiam probare prætermisit, sed aut tanquam manifestum accepit, aut tanquam id, quod facilè demonstrari posset ex iis, quæ aliis in locis fuerant demonstrata. Fortasse etiam id tantisper distulit, ne rem eandem sæpiùs repeteret. Nam dum non multò post in tex. 8. & 9. ostendit eam esse formam vt quod quid est esse, hoc est essentialem talis corporis; perinde esse videtur, ac si substantiæ formam esse demonstrasset: Quare etiam in tex. 7. deducit, ex anima & corpore fieri vnum perse. Quod nequaquam esset verum, si diuersi generis forent, corpus potestas in genere substātiæ, & anima actus in genere accidētis. Quoniam igitur vidit idem propemodum esse, animā esse formā substantiæ, & esse formam essentialē, illud interim accepit, vt postea simul vtrumque probaret. Postremò vidit haud satis posse probari eam esse substantiam, nisi antea constitueretur qualisnam substantia esset. Propterea maluit diuisa priùs substantia animam ostendere esse vt formam, deinde probare esse formam essentialem, atque ad animatarum rerum substantiam pertinentem.

Quoniam igitur anima est substantia, quærendum erat qualisnam substantia sit. Propterea diuisionem alteram subiungit; qua substantiam partitur in materiam, formam, & compositum. Siue quòd animam constaret aliquid esse in viuentibus & animatis substantiis, quas manifestum est esse compositas: & ideo animam oportuit aut substantiam esse compositam, aut compositæ substantiæ partem. Siue potiùs, quod vniuersam substantiæ categoriam crederet ipse solis constare substantiis cōpositis. Ita. n. diuiso ente in decem genera, vniuersum subdiuidit substantię genus. Quòd si scīētiarum diuisionem dicas bimembrē esse oportere; aut diuisionem nō esse respondebit, sed enumerationem potiùs diuersarum substantiarum; aut ad bimembrē facilè reuocari in substantiam simplicē & compositam; simplicemve aut potestatem esse aut actum. In qua diuisione materiam affirmat, si per se sola consideretur (si enim vt est formata spectetur, iam est hoc aliquid) non esse hoc aliquid, sed ad omnia potestatem quandam.

Materia duobus modis cognoscitur.

Quid sit Hoc aliquid.

Etenim materia duobus modis cognoscitur. Altero modo negatione, vt dicitur in tex. 24. lib. 10. metaph. & definitur in tex. 8. lib. 7. quia est ens imperfectissimum: atque hoc modo nunc dicitur non esse hoc aliquid. Formam interpretatur Philoponus. Sed meliùs Alexander in 2. lib. naturalium quæst. cap. 24. & Simplicius & Auer. substantiam formatam, determinatam, & perfectam, quæ seipsa subsistere ac sub sensum cadere possit. Sic enim significare videtur Philosophus in tex. 69. li. 1. physi. rursum inquiens materiam non esse hoc aliquid, sed ita se habere ad hoc aliquid, vt se habet æs ad statuam, & ad lectum lignum. Quo loco ipsemet Philoponus substantiam compositam interpretatur. Tametsi formam quoque addat posse intelligi, quia per formam fit substantia determinata & perfecta.

Altero modo cognoscitur materia affirmatione aut per analogiam quandam ad res artificiatas, Quemadmodum in eodem tex. 69. legimus: aut per ordinem ad compositum, cuius ea est pars; Quomodo in textu 82. definita est Primum subiectum, ex quo fit aliquid, ita vt insit, & in quod vltimò dissoluitur: & in tex. 28. lib. 2. Id, ex quo fit aliquid, ita vt insit. Aut prostremò per ordinem ad formam, quam suscipit & cum qua coniungitur. Quomodo & in tex. 26. eiusdem 2. lib. affirmatur esse ad aliquid, nempe ad formam; & hoc loco dicitur esse potestas, nimirum ad actum, qui est forma.

Denique in hoc primo diuisionis membro adnotare libet, Aristotelem dixisse (aliud quidem esse sicut materiam) non similitudinem significando, aut exemplum proponendo, sed membrum potiùs diuisionis explicando. Iam verò alterum pronuncians membrum, vt materiam dixerat non esse hoc aliquid, sed potestatem: Ita formam addit esse id, per quod iam dicitur hoc aliquid: eamque esse actum, speciem, & perfectionem rei. Quare in tex. 81. lib. 1. physic. diuinum quid, bonum, & expetendum eam esse scripsit, quod materia velut turpe quidpiam concupiscat. Et Themistius materiam prodidit esse velut habilitatem quandam & apparatum procreandis rebus opportunum, formam verò apparatus huius absolutionem. Nam si consideretur per ordinem ad compositum, verè est id, per quod dicitur hoc aliquid; quia compositum est hoc aliquid, quod per formam actuantem, determinantem, & perficientem materiam constituitur. Ex quo intelliges minùs aptè Philoponum hoc aliquid interpretatum fuisse formam. Si enim forma est id, per quod fit & dicitur hoc aliquid; manifestum est, hoc aliquid non significare formam, sed compositum & perfectam substantiam. Neque vllo modo Aristoteli consentanea est illorum opinio, qui materiam principium esse dicunt, quo indiuiduum fiat indiuiduum. Is enim apertè dixit fieri per formam. Sin autem consideretur forma per seipsam, aut per ordinem ad materiam; appellatur actus, quoniam actuat & perficit potestatem materiæ.

Tertium & vltimum diuisionis membrum est compositum, quod iam est & dicitur hoc aliquid: substantia scilicet perfecta & integra, constans ex materia & forma velut essentiæ partibus. Ita vt materia quidem sit potestas, & forma actus, compositum autem in actu per formæ actum potestatem materiæ actuantem.

Et hæ quidem sunt duæ diuisiones à Philosopho propositæ. Prior quæ est entis in decem categorias, est superioris analogi in sua inferiora; aut eius, quod ab vno dicitur, in ea, quæ ita dicuntur. Posteriorem quoque eiusmodi esse dixerim. Quoniā aut considerari potest sola substantia perfecta, quæ in recta categoriæ serie disponitur, genera cōtinens, species, & singulas res: hāc in categoriis diuisit

uisit in primam & secundam substantiam. Aut generalior spectari potest substantiæ ratio, quæ incompletas quoque & dimidiatas substantiæ partes comprehendat. Hæ enim ipse quædam sunt substantiæ. Atque hæc sustantiæ ratio analoga est & ad vnum, quatenus de perfecta & imperfecta, integra & dimidiata dicitur. Nam ea, quæ imperfecta est & dimidiata, propter perfectam est & integram, cuius est pars. Hanc nimirum diuisit hoc loco in substantiam perfectam & integram, quæ est composita; atque in imperfectam & dimidiatam, quæ est materia aut forma. Quare etsi substantiam eam diuiserit, quæ genus quoddam est entis, eam tamen diuisit quatenus per se primùm substantiæ perfectæ conuenit, quæ per se in recta serie sub eo genere ponitur; & secundariò, seu per ordinem ad illam, substantiæ imperfectæ, quæ eodem reducitur.

Sola forma formans hic intelligitur.

Verùm vt substantiam perfectam & compositam intellexit eam, quæ per se ponitur in categoria: ita dum formam nominauit, solam formam formantẽ & dantẽ esse materiæ, constituentẽq, substantiam illam cõpositam intelligi voluit. Hanc enim ob causam materiã dixit potestatem, & formã actum, nempe essentialem potestati illi respondentem. Et ideò formam appellauit speciem, qua fiat hoc aliquid. Sola enim forma formans facit vnum ens per se cum materia, quod in substantiæ categoria ponatur. At nauta cum naui, aut quælibet assistens forma cum eo, cui assistit, neque facit vnum ens pe se, neque hoc aliquid: neque id, quod fit ex illis, per se ponitur in categoria; quia est ens ex accidenti: sed solùm ratione suarum partium seorsim sumptarum. Quod ideo libuit adnotare, vt post intelligeretur, omnem animam, cuius diuisio ex hac definitione colligetur, formam esse formantem illius corporis, cuius est anima. Cæterùm dum dixit esse actum, ἐντελέχειαν nominauit. Quæ vox magnam sanè habet apud multos difficultatem. Sed quid tandem valeat, quamve vim habeat, pluribus paulo post explicabitur.

Actus primus quid.

Tertiam igitur diuisionem adiungit veluti antecedentis subdiuisionem quandam. Accipiens namq; alterum diuisionis illius membrum, actum diuidit in actum primum, & actum secundum. Actus primus formam absolutè, & per se consideratam significat, velut habitum. Exemplum adfert scientiam ex accidentium genere tanquam notiore & immediato principio actus secundi, qui in operatione consideratur: Omnis enim operatio immediatè ab accidentibus velut substantiæ formæ instrumentis promitur. Ex quo intelligas, non solùm substantiæ formam, vt Philopono placuit, sed & accidentis posse primam entelechiam appellari. Nam & Arist. ex accidentium genere exemplum protulit: & illa quoque potestatem materiæ quoquo modo actuat & perficit: ac demum operationis & actus secundi principium existit. Actus igitur primus est veluti scientia. Quia vt hæc habitum quendam significat residentem in mente, qui vel dormientibus nobis, vel aliàs sæpè, est absque vlla contemplatione: sic actus primus formam absolutè & absque operatione, sed solùm in materia residentem, eamque actuantem & dantem illi esse significat.

Actus primus quid.

Actus secundus quid.

Actus verò secundus est vt contemplatio: hoc est operationem indicat, aut formam potiùs operantem. Quod propterea dixi, quia si solam significaret operationem, significaret accidens, essetque hæc diuisio in substantiam & accidens. Verùm & accidentia omnia fuerunt à principio ab his diuisionibus repudiata, tanquam ad animæ definitionem inuestigandam inutilia. Atque hæc tertia diuisio, quædam est secundæ illius subdiuisio, in qua solus substantiæ actus fuerat nominatus. Hunc enim rursum partitur in primum & secundum: hoc est in actum non operantem, sed solùm dantem esse; & actum operantem quoque, qui sit velut scientia actu contemplans quidpiam. Atque hoc etiam cognoscitur ex text. 5. vbi cùm substantiam diceret esse actum, statim adiecit (hic autẽ dupliciter dicitur) & rursum diuidit eum actum, qui est organici corporis; quem constat esse substantiam. Vterque igitur substantia est: totaque hæc diuisio eò spectat, vt intelligatur, qualis actus sit anima. Quare cùm iam acceptum fuisset, eam esse substantiam, inutilis diuisio fuisset in actum substantiæ & accidentis. At cùm actus substantiæ & sine operatione, & cum operatione considerari possit; diuidendus erat hic actus, vt intelligeretur, qualis actus sit anima.

Cur actus primus & secundus dicantur.

Porrò alter horum actuum appellatur primus: tum quia actuat & explet primam materiæ potestatem, quæ est ad esse: tum quia prior est generationẽ, & alterius actus principium. Hic autem dicitur secundus: tum quia quædam est prioris actus perfectio, siquidem operatio operantis formæ perfectio est: tum quia est generatione posterior, atque à priore deriuatur. Actus primus vocitari solet habitus; propterea quòd habeat esse firmum & persistens in subiecto, hocque absolutum. Alter verò dicitur actus, quòd in quadam duntaxat operatione consistat; statimque cum ea transeat.

Actus primus est forma actuspri mus.

DIGRESSIO PRIMA.

De Naturâ formæ & Materiæ; déque voce, ἐντελέχεια.

ET hæc quidem est huius contextus explicatio. Breuior omnino, quàm ea postulabant, quæ paucis verbis Philosophus complexus est. At commentarij ratio longiorem sermonem non patiebatur. Seorsim nunc pluribus explicentur. Ea tria sunt præcipua. Primum, diuisio substantiæ in materiam, formam, & cõpositum. Alterum,

natura materiæ ab ipso proposita. Tertium vox, entelechia, qua formam appellauit.

Materiã esse substantiã. Materiam esse substantiam, non perfectam & integram, sed imperfectam & velut partem; manifestum est. Siue substantia dicatur, quòd per se existat, siue quòd accidentibus omnibus subiiciatur & subsit. Nam ea per se existit, immò & subsistit tanquam primum substantialis totius subsistentiæ, atque accidentium omnium inhærentiæ fundamentum. Quod à nullo pendere potest intrinsecè, sed extrinsecè solùm à Deo, tanquam ab efficiente & conseruante causa. Et ideo formis omnibus, tum substantiæ, tum accidentis, subiicitur primum hoc subiectum, quod cætera omnia sustentat: ijsque separatis supereſt solùm. Vt meritò dictum fuerit in textu 8. lib. 7. metaph. si materia non sit substantia, nullam aliam omnino fore.

De forma maior difficultas. Nam etsi aliquam in rebus formam reperiri nullus negauerit; quòd vel ipsis sensibus plurimæ percipiantur, atque ex mutatione comprobentur, in qua acquiri aliquid & abiici certum est. Et in rebus genitis quantitates, figuræ, colores, & qualitates aliæ conspiciantur à subiecto diuersæ; dum eodem subiecto manente aduenium illæ & recedunt. Resque & inter se differunt, & in aliquo conueniunt, atque agunt vicissim & patiuntur. Quare formam aliquam habeant & materiam necesse est. An tamen sit aliqua, quæ velut actus substantiæ aduenial subiecto, quod nullam habeat speciem & cum ea *Formã esse substantiã.* compositam substantiam faciat; diu, multumque disputatum fuit. Negantibus antiquis illis Philosophis, qui generationi corpus in specie constitutum, suaque natura incorruptibile subiecerũt; quòd accidentibus alio atque alio modo formatum diuersitatem pareret rerum. Ita totam cuiusque rei essentiam inquirebãt esse materiam; distinctionem, ortum & interitum sola qualitatum mutatione constare. Nec verò post eos defuerunt, qui formarum illud genus demonstrari haud posse contenderint.

Verùm non eandem in omnibus demonstrationum vim requirendam esse, sapienter monemur in tex. 16. lib. 1. Metaph. Atque in hac rationibus illis acquiescere illos oportuit, quæ robur illud habent concludendi, quod in naturalibus satis sit. Ergò in re qualibet naturali possunt hæc omnia considerari; generatio seu mutatio, essentia, accidentia, operationes. Mutatio duplex omnino cernitur. *Mutatio duplex.* Altera, qua mutatis accidentibus res efficitur talis aut talis, calida aut frigida; eodẽ retento nomine, eademque essentiæ definitione. Altera, qua & nomen & definitionem amittens dicitur absolutè fieri, vt dum ex ligno fit ignis: mutata nimirũ natura & substantia rei. Non tota; quoniam naturale agens nec vnam totam potest corrumpere nec aliam totam producere: sed altera ex parte. Non ea, quæ subiicitur: quoniam hæc & in tota mutatione, & post eam perseuerat. Verùm altera, quæ format: Cùm ex illa præsertim rei cuiusque nomen & definitio petantur. Et vt substantia res mutatur; ita non accidentibus solis, sed forma item quæ sit substantia, naturam eius constare necesse est. Propterea interdum agens dicitur facere calidum, interdum sibi simile. Quòd interdum producat accidens, interdum substantiam. Non materiam; quoniam hæc actioni subiicitur, neque ab eo produci potest; & ratione materiæ cuncta sunt illi similia: sed alteram substantiæ partem, quæ est forma.

Deinde si essentias rerum contempleris, in iis aliud est esse talem accidente quopiam, vt calidam, aut frigidam: aliud esse talem absolutè, vt ignem aut aquam. Hoc accidentibus tribui non potest. Tum quòd res est talis absolutè, non ex accidenti. Tum quòd ignis, vt ignis, est substantia, & ideo talis per aliquam substantiam. Non materiam, quia est omnibus communis; sed per *Definitio.* formam illius propriam. Duplex item est eiusdem *Diuisio.* rei definitionum genus; Accidentarium, & essentiale: quælibetque res ab alia distinguitur, tum ratione accidentium, vt ignis calidus ab aqua frigida, tum quatenus est absolutè talis, & substantia: nam etsi aqua sit calida, non est tamen ignis. Non differunt autem materia, ergo forma, quæ *Diuersi-* sit substantia. Duo etiam sunt entium genera: *tas.* quædam per se, quæ partibus constant eiusdem *Idem.* generis, materia & forma substantiæ; vt ignis, aut homo: alia ex accidenti, quæ partes habent generum diuersorum, ignis calidus, aut homo albus. Quòd si nulla sit substantiæ forma, nullum fuerit ens per se, sed ex accidenti omnia. Absurdum quoque decem illa entium genera confundere, quæ tam sapienter Philosophi distinxerunt. Nam si ignis, vt ignis est, sub genere substantiæ ponatur, nimirum secundùm propriam illius formam ponitur. Nam si ea esset accidens, aut aliquo accidentis genere contineretur, aut ignis quoque calidus & entia quæuis ex accidenti ad substantiæ genus pertinerent. Quòd si ignis beneficio materiæ, quæ est substantia, sub eodem genere poni dicatur: mitto quòd nõ poneretur vt est ignis: omnia sanè entia ex accidenti deberent poni: nec vlla essent in substantia genera, nullæ species, nulla superiorum & inferiorum ordinatio. Denique ita libet de rerum essentiis ratiocinari. Aut certæ sunt & constitutæ rerum essentiæ, aut sola materia fortuitò, ac temerè accidentia diuersa suscipiens alio, atque alio modo formatur. At quis Deum credat sapientissimum opificẽ nihil certi cõstituisse, sed casui omnia subiecisse? Rediret nimirũ ridicula opinio Leucippi & Democriti, si fortuito accidentiũ, veluti atomorũ, concursu constarent singula. Quoniam verò vniuersi perfectio ex hisce rerum speciebus constat, certam eas & constitutam oportet habere naturam; vt eædem semper cernuntur species, quæ & eadem habent accidentia & operationes easdem. Hinc verò eas cõsequens est cõstare formis, quæ sint substantiæ. Nam si fortuito constarent accidentium concursu, continenter mutarentur, aliæq; & aliæ procrearentur, accidentibus aliis atque aliis concurrentibus: quemadmodum de atomis prisci illi Philosophi loquebantur. Deinde (vt species omnes rerum taceam accidentarias fore, non substantiales: accidentiáque intendi & remitti, rerum autem essentias in impartibili versari, quibus si vel vnicam vnitatem addidisti, vt Philosophus loquebatur, speciem mutasti) aut essentia cuiusque rei vnico accidente constaret, aut pluribus copulatis. Vnicũ (siue illud separari possit, siue non possit) cùm sit cõmune multis,

essentiam

essentiam ab aliis distinctam non constituet: aut si sit accidens proprium, naturam constitutam consequetur. Immò cùm accidens sua natura semper sit idem & materia item in omnibus eadem & ad accidentia omnia suscipienda indifferens; nisi adsit substantiæ forma, quæ tanquam sibi proprium accidens postulet; Cur quæso idem accidens, quod ab vno separatur, ab altero separari non potest? Neque enim causa est accidens aliud adiunctum; vt siccitas, aut raritas in igne causa sint, cur calor ignis non separetur. Quoniam cùm ipsæmet non separentur, ad substantiæ formam tandem veniendum est, quæ omnes illas qualitates sibi adsciscat. Et dum ab aëre quoque, qui humorem habet, non siccitatem; nec raritatem tantam, quantam ignis; calorem cernimus non diuelli; atque in igne siccitatem cum raritate sūma, in terra cum summa dēsitate; aliā cogimur inseparabilitatis causam quærere. Præsertim quòd plura nonnunquam accidentia videmus ab eadem re non separari. Ita conficitur, accidente vnico essentiam rei constare non posse. Iam si plura coniungantur, cùm eorum natura non mutetur, quî possunt essentiam dare, quam non dabant singula? Cur hæc potiùs, quàm illa accidentia conueniunt? Materia certè ad omnia & quamlibet eorum coniunctionem est æquè parata: habentq; ipsa diuersam naturam singula, diuersisque in rebus singula cum singulis copulantur. Quæ verò alia sit coniunctionis causa, quam substantiæ formæ? Ita in corporibus mistis pugnantes iungūntur elementorum qualitates, iunctæque conseruantur diutiùs. Indiuidua porrò eiusdem speciei an non diuersum habent singula accidentium complexum? Essentia igitur & specie differrent, ni alia esset essentia rerum & species, quàm plurium accidentium concursus. Denique & Aristoteles certa ratione conclusit, & nos post illum certissima fide ac religione cognouimus essentiam hominis nec accidente vnico, nec plurium copulatione constare: sed ea, quam quærimus, formæ substantiæ. Idemque de cæteris debet esse iudicium.

Venio ad tertium probationis caput, quod ex accidentibus petitur. Quælibet res accidentia quædam, vt sibi propria, naturæque suæ accommodata postulat. Quo fit, vt quæ separantur ab vna, ab alia nequeant separari. In vnaquaque item tot & non plura, tamque intensa aut remissa cernuntur. Et eorum aliqua si amittantur interdum, recuperantur statim; vt in aqua calefacta videas. Hæc & his similia causam aliam non habēt, quàm substantiæ formam. Materia enim ad accidentia quæuis indifferens est, aliæque adiunctæ qualitates non minùs cum aliis, atque alio modo affectis consisterent.

Persimilis argumentatio ex postremo illo deducitur capite, quod ex operationibus initio proponebatur. Res vnaquæque propriam habet aliquam & suæ naturæ congruentem operationem; vt ignis naturaliter calefacit; non aqua, etsi sit calida. Id ex calore non oritur; quoniam vtrobique est idem. Nec ex materia; propter eam rationem, quam sæpe significaui: & quoniam ea patiendi, non agendi principiū est. Neque ex adiuncta alia qualitate; quia calor, qui in igne naturaliter cum siccitate, & in aqua non naturaliter cum humore, in aëre naturaliter cum humore item calefacit.

A Oritur igitur ex substantiæ forma, quæ eam sibi qualitatem vt actionis instrumentum destinat.

Pluribus eò libentiùs abstineo, quòd aduersarios videam nullis ad id impugnandum, quod hactenus demonstraui; vti posse rationibus. Sed solùm quoquomodo conari ostendere, accidentibus solis saluari omnia: nusquam autem demonstrare, ea sola in natura cohærere. Itaque maneat, & materiam esse substantiam, & formam. Ex quibus sanè copulatis tertium quidpiam existit, quod item sit substantia. Atque ita optimè Philosophus partitus est substantiæ genus in Materiā, Formam, B & id, quod ex illis compositum est.

Altera pars Digressionis. De Materia.

IAm verò in hac altera digressionis parte, considerāda superest natura materiæ, quam paucissimis verbis posuit. Materia inquit, nō est hoc aliquid, sed potestas quædam. Ea fuit semper cognitu difficillima; quia cùm nihil cognoscatur nisi vt est actu, materia nullum videtur habere actum, ex quo eius natura colligatur. Accidentia verò, quæ incurrunt in sensus, vt sunt actus quidam determinati, quibus res fit talis; ità formam potiùs substantiæ indicant, quæ actus itē est determinatus; quàm materiā, quæ potestas est & indeterminatū quidpiam. Arist. in primo phys. lib. ex mutatione, tum accidentaria, tum artificiosa, inuestigauit. Et per analogiam ad materiam artificiosæ potiùs, quàm accidentariæ, cognoscendā proposuit in textu 69. Quoniam ex textu 63. vt in substantiæ mutatione, sic in illa res dicuntur absolutè fieri; in hac autem solùm secūdùm quid fierī. Inde verò cognoscitur, eam esse ens imperfectū, informe, & maximè potestate. Quod non solū alterius susceptione perficiatur, sed omni actui & perfectioni subiiciatur sitque primum subiectum, ex quo inexistēte fiant omnia; & in quod tandem dissoluantur, dum pereunt; vt est in tex. 82. Propterea Ægyptios fœcem primæ vitæ, quam symbolicè aquam appellabant, materiam esse dixisse, testatur Simplicius in digressione ad tex. 69. eiusdem libri.

Natura materiæ cognitu difficillis

Cur ex mutatione artificiosa quæsierit materiā Aristoteles.

Materiæ Ægyptiorum fœx primæ vitæ.

Sed quoniam ratio, cur alteri quidpiam subiiciatur, potestas est & imperfectio: dum materia cernitur omnibus subiici, concluditur esse prima in genere potestatis & imperfecti. Et quamuis ex mutatione potissimùm cognoscatur esse subiectum, ex quo res fit. Quia tamen non fit nisi actione agentis, susceptione formæ subiectiq; mutatione: intelligitur etiam esse subiectum, circa quod agens agit, in quo suscipitur forma, & in quo fit mutatio. Et rursum licet dicatur esse principium generationis rei, quæ fit, hoc est compositi, quod gignitur: & esse subiectum, quod illi insit: quia est pars constituens compositum. Quoniam tamen ideò gignitur & constituitur compositum; quia producitur forma in materia; ordinem quoque significat ad formam, quæ & gignitur, & in ea suscipitur.

Quid porrò sit hoc ens imperfectum & primum subiectum informe, non videtur apertè satis dici posse, sed negatione indicari. Si enim omni actu & determinatione careat, non potest quid sit affirmādo explicari. Quoniā cognoscere quid res sit, nil est aliud, quā cognoscere quē habeat actum. Potiùs igitur actuū & determinationū negatione

Materiam negatione cognosci

quàm affirmatione explicabitur. Quam ob causam à veteribus quibusdam dicta est Tenebræ: quoniam vt hæ tunc dicuntur cerni, cùm lumen nullum conspicitur; sic materia conspici tunc existimatur, cùm in ente ad formas suscipiendas apto nullus intelligitur actus aut forma: & Porphyrius in lib. de occasionibus eam dixit esse quasi ludum in non ens ausugientem: fugamq; eius non fieri loco, sed dum ab ente deficit. Hoc cognitionis genus adulterinum & spurium appellauit Plato & Timæus Locrus in lib. de Natura: Quia non quid res sit, sed quid non sit ostendit. Et ideo materiam dixit Plato sine sensu tactus percipi. Et Simplicius exponẽs tex. 69. antea citatum cognitionem hanc esse illius potiùs ignorationem. Vt nõ immeritò Marsilius Ficinus in Socratis Apologiam id, quod Socrates dictitabat, Hoc vnum scio me nihil scire, ita interpretatus sit, vt nihil affirmatione, sed solũ negatione sciret: Quòd affirmatione cognoscere, proprium sit Dei, qui rerum naturas effecit, & eas earumque causas verè comprehendit. Eodem modo accepit & illud, quod Socratis Dæmon eum perpetuò reuocabat prouocabat numquam; nempe ad negandum potiùs, quàm ad affirmandum illuminabat.

Materia Tenebræ, & ludus in non ens.

Socratis sententia negatione constans.

Deum negatione cognosci.

Deum quoque affirmamus negatione cognosci. At alia prorsus ratione. Nam de Deo propterea negantur omnia, quòd aliquid sit maius & perfectius ijs omnibus, quæ concipi possunt & nominari. De materia autem, quod deterior sit & imperfectior eo, quod affirmatur. Hinc Proclus in Platonis Alcibiadem primũ, Deo materiam dixit similem esse per dissimilem quandam similitudinem. Sicut enim materia est informis, sic & Deus; & vtrumque infinitum penitus & ignotum. Sed hæc omnia Deo secundùm melius conuenire, materiæ secundũ deterius. Vt enim lignũ dicimus nõ esse lectũ, nec ianuã, nec abacum, nec eorum quidquã, quæ arte fiunt; sed quidpiam ad hæc omnia potestate. Ita prorsus de materia affirmamus comparatione formarum omnium naturalium. Et affirmauit Plato eam nec esse ignem, nec aërem, nec aquam, nec terram, nec aliud ex his constitutum. Et Aristoteles tex. 8. libri 7. Metaph. Nec esse quid, nec quantum, nec aliud quidquã eorum, quibus ens determinatur. Non esse inquam substantiam perfectam (quod enim ibi dixit (quid) hoc loco quasi interpretando dixit (hoc aliquid) quod perfectam substantiã significat.) Nec vllum habere omnino actum determinatæ speciei, siue substantiæ, siue accidentis: sed esse id, de quo vterque actus affirmetur. Quod ex mutatione colligitur; qua omnis actus ab ea cernitur remoueri, & in ea susci pi.

Negatio vt de essentia materiæ

At quoniam ne actuum quidem negationes de illa voluit affirmari posse, disputarunt interpretes, Num negatio seu priuatio ad illius essentiam pertineat. Verum duplex est negatio. Altera negat coniunctionem, & existentiam formæ in materia. Et quoniam materia semper est apta susci pere formam; hæc negatio in subiecto apto est priuatio, formæque aduentu perit, nec ad essentiam materiæ pertinet. Altera materiam negat esse sui formam, illamve in sua essentia vt sui partem continere. Quia verò materia non est apta fieri forma; aut cum illa ita copulari, vt forma fiat materiæ pars: sed solùm eam susci pere velut alteram substãtiæ compositæ partem à se distinctam: posterior hæc negatio non est priuatio, quia non in tali subiecto apto. Est tamen intima materiæ, nec separatur vnquam. Quoniam cum accedente forma coniungitur quidem materia, sed non euadit forma. Dum igitur materiam pronũtiauit Philosophus nec esse formas, nec earum negationem; posset id sanè de priori negatione intelligi. At verius de posteriori. Nam etsi ea intima sit materiæ, illius tamen naturam non constituit. Quippe negatio naturam entis realis positiui constituere nequit, sed solùm eam consequi. Quemadmodum quia homo est homo, animal rationis particeps; consequens est, eum non esse equum, nec canem. Cæterum quoniam ens maximè videtur significare actum; potestas autem accedere ad non ens (cùm enim opponatur actui, videtur esse non ens; quodque est potestate, absolutè non est: & quod est actu, id demum dicitur absolutè esse) si materia est potestas, nec vllum habet proprium actum; videbitur planè esse non ens. Quam ob causam fortasse Platoni (quod est in tex. 79. libri primi Phys.) esse est esse non ens, neque propriam habere idæam. Nosque hactenus naturam eius inuestigantes ab ente & actu ad potestatem & fermè ad non ens descendimus, omnes actus, omneque ens actu de illa negantes & consistentes tandem ad potestatem, qua possit esse omnia illa quæ actu non est.

Materia per se affirmatione cognita.

Iam iterum incipiendo à potestate & non ente traducere illam oportebit ad actũ & ens eam ostendẽdo, etsi nullũ habeat certæ speciei actum, habere tamẽ actũ entis & substãtiæ: quod erit affirmatione cognoscere: atq; ex hoc duplici progressu contrario, negationis & affirmationis, tota illius natura quoquomodo cognoscetur. Non defuerunt inter latinos interpretes, qui cùm Philosophũ audirent, actus omnes de materia negantem, eamque affirmantem esse potestatem quandam; puram & sinceram potestatem esse crederent, quæ & entis & existentiæ actu careat. Hos oportuisset ea, quæ breuissimè subiiciam, considerasse.

Materia non est pura potestas.

Potestas, vt potestas est, negationem actus significat, cuius potestas est. Neq; solùm negat actum sibi esse coniunctum, sed etiam se actum illum esse. Immò etsi coniungatur cum actu, posteriorem hanc retinet negationem, vt paulò ante dicebatur. Quia nunquam potestas fit actus, neque materia euadit forma. Et quoniam negatio formaliter est non ens, ratione illius potestas non potest dici ens. Et Aristoteles in tex. 79. citato materiam concessit ratione priuationis adiunctæ esse non ens. Sed si quæ potestas sit ens, ratione alicuius erit quod negationem non significet. Quare cũ potestas formaliter sit negatio eius, ad quod est potestas; si sit ens, ratione alicuius erit, ad quod nõ est potestas. Et si quæ detur pura potestas, quia negationem solam actus omnis & entitatis significabit, erit omnino nihil. Si enim sit aliquod ens actu, non erit pura potestas, quia non erit ad omnem actum. Et si potestate solùm sit ens, illud ipsum, quod est, negabit; cùm potestas neget id, cuius est potestas: atque ita erit prorsus non ens.

Potestas duplex.

Propterea duplex potestas distinguitur. Quarum vna solam significat negationem actus, estque vere pura potestas, & sua natura non ens. Nam si præter negationem significet, actum posse esse; hoc nihil est in ipsa, sed aut est, non implicare actum illum esse, aut agens posse illum

produ-

producere. Potestas hæc in scholis obiectiua nominatur. Altera præter internam negationem, qua ipsa non est actus, significat aliquid in seipsa, quo est apta susciperе actū: & ideo subiectiua vocatur. Hæc ratione negationis est nō ens: at ratione illius, quod præter negationem significat, est ens. Eóq; magis, quò imperfectior est actus, cuius est potestas. Quoniam dum imperfectioris actus negatio est, plus sibi retinet entitatis. Eò verò minùs quò perfectionis actus est potestas. Quia quò maius ens negat, eò minùs illi supereſt entitatis. Quod est potestas ad accidentis formam, perfectius est ens, quàm id, quod est ad eam, quæ substantiæ. Illud potest esse ens perfectum, & integrum, hoc nequaquam. Vt enim est maius in genere potestatis, quia perfectiorem actum negat: ita minus est & inperfectius in genere entis.

Actus duplex. Quoniam igitur præter hanc diuisionē in actum substantiæ & accidentis, alia est generalior in actū vniuersalissimum & absolutè, qui est actus entis, quo res vnaquæq; absolutè dicitur esse; & actum determinatæ speciei, quo res dicitur esse talis aut talis; siue sit actus substantiæ, siue accidētis. Actui posterioris generis respondere potest subiectiua potestas. Quia potestas ad huiusmodi actum non negat omne ens, sed tale ens; potestque esse aliquod aliud ens, quod illius subiectū sit. At priori sola respondet obiectiua: nempe potestas Dei, qui solus potest actum entis absolutè creare. Non item subiectiua; quia si sit potestas ad actum absolutè, nullum habet actum, sed actus omnis negationē: est q; pura potestas, hoc est, omnino nihil. Et quoniam potestas omnis subiectiua præter negationem actus, cuius est potestas, aliquod ens significat, quod illi subiiciatur: nulla potestas subiectiua potest esse pura potestas: nec rursum pura potestas potest esse subiectiua.

Quare si materia potestas sit subiectiua, non erit pura potestas; sed actu ens & substātia. Certè præter negationem, qua ipsa non est forma, aptitudinem habet ad eam susciptendam. Hæc si sit actu, iam materia quidpiam est actu. Si potestate dumtaxat, illius quoq; negationem habet, estque non ens. Et si ad actum item entis sit potestas, dum accedēte forma sit actu, tollitur negatio actus entis. Et quoniā ea dicitur intima esse materiæ, peribit materia, quæ perfici potiùs debuerat. Deinde si vim & naturam actus perpendas; actum omnem, qui det esse, videbis requirere aliquid, cui det esse, & cum quo perfectū quidpiam componat. Indéq; intelliges, nullum formantem actum posse dare actum entis absolutè, sed solùm actum determinatū talis aut talis entis. Nam si actum entis absolutè daret, sicut extra ens nihil supereſt, ita extra se nihil relinqueret, quod actum illum susciperet.

Pura potestas in accidentium genere, nō in substantia. Propterea in accidentium genere datur pura potestas. Quia cùm accidēs sit posterius substantia; id, quod est potestas ad accidentia, est aliquid actu in genere substantiæ. At in substantia non datur. Quia cùm nihil sit illa prius, sed ipsa sit primum ens; si quid sit in eo genere pura potestas, fuerit omnino nihil, cùm in alio genere aliquid esse non possit. Forma etiam ex materiæ potestate educitur, hoc est, accipit esse concurrente materia, atq; ab ea pendet vt causa. At nisi sit ens actu, quomodo sit causa formæ? Dum hæc in illa susciputur, si daret illi esse actu absolutè, daret, vt illā susciperet. Hoc apertam inuoluit contradictionem. Si enim subiectum accipit esse à forma, ipsum per se spectatum non est: & tamen dum dicitur esse subiectum, accipere, & sustentare formam, iam ponitur esse & actu existere. Esset igitur actu, quia actu subiicitur formæ. Et non esset, quia non ex se, sed à forma habet vt sit: quòd si ad materiam ipsam te conuertas; ea sanè producta est, & extra suas causas. Et quamuis producta sit cum forma, non tamē formaliter per illius productionem, sed partiali productione distincta. Est actu materia & subiectum generationis & formæ, actu pars substantiæ compositæ, generationis & corruptionis expers: habetque actu quosdā veluti actus secundos, subiici, sustentare, causare, appetere; ex quibus satis intelligitur actus primus, quem secūdus omnis supponit. In rerum verò mutatione non perit quidquid est actu in illis; sed aliquid semper manet, quod alios atque alios determinatæ speciei actus suscipiat. Illudque non solùm potestate est idē: Quia ex mutatione cognoscitur materia, non vt aliquid, quod in ea fiat actu: sed vt id, quod cùm iam esset, subiiciatur & sustentet ea omnia, quæ in mutatione fiunt: agentisque actionem & formam suscipiēs hoc aut illo modo formetur. Quare vt inde cognoscitur carere omni forma speciei, quoniam omnes suscipit; ita intelligitur esse aliquid actu, quia subiicitur omnibus, sustentat omnes, perfectamque substantiam actu componit. Et vt opus est subiecto, in quo agentis actio suscipiatur: sic illud oportet esse actu, quòd non secundum id quod est; sed secundum id, quod non est, fieri debeat. Si enim agens deberet illud facere esse, actio illius alio indigeret subiecto: ita in infinitum progrediēdo, quousque inueniatur vnum, quod sua natura sit actu. Porrò si agentis virtus consideretur, quæ rem totam nequit producere, sed partem eius duntaxat: materiam, quę est altera pars, oportet sanè esse actu. Alioquī cum potestas formaliter negationem significet; produceretur tota res ex non ente absolutè. Atque in corruptione item cùm pars solùm rei pereat, alteram necesse est actu remanere. Denique dum eadem accidentia, quæ mutationi antecesserunt, post eam quoque sensuum iudicio agnoscimus; vt primas qualitates & triplicem illam præsertim dimensionem, quæ eadem semper manet, mutata duntaxat figura, exteriorique termino, quem singulæ præscribunt formæ: quemadmodum videmus non omnem accidentis actum perire; sed eum, qui est aptus determinare & dare speciem; manere autem illum, qui determinari potest, ac magis perfici: ita concludimus, aliquod manere eorum subiectum actu, quod sit substantia; quia est accidentium subiectum: deque substantiæ actibus, qui ex accidentariis colliguntur, idem esse iudicium; Eos inquam perire, qui determinant & dant speciem: At manere illum, qui est aptus determinari & accipere speciem. Huncque esse materiam, in qua omnes alij actus suscipiuntur & sustentantur.

Duo actuum genera. Ita, tum in accidente, tum in substantia, duo actuum genera distinguentur. Quidam etsi ex se sint determinati, quia sunt actus, possunt tamen per alios magis determinari; non in eo genere, sed in alio. Quare vt in se sint quasi specifici, comparatione tamen aliorū, quo suscipiunt, videntur esse generici & velut potestas. Præsertim quòd actu nunquā existūt ea sola ratione, qua sūt in se;

sed per alios magis determinati & perfecti. In accidentium genere superficies est actus determinatæ speciei, sed qui magis determinetur per alboris actum, nigroris, aut diuersarum figurarum. In substantia actus materiæ quidpiam est certum, sed potestate ad omnes formarum actus, quibus magis determinetur. Quare comparatione illorum est quasi genericus, quia est principiũ corporis. Illique dicuntur specifici, quia tale aut tale corpus efficiunt. Atque hi ad alterum pertinent actuum genus, qui non solum determinati sunt, sed videntur semper esse specifici; faciuntque aliquid, quod per se tale actu reperitur. Et dicuntur actus formales, dantes speciem, & facientes esse actu. Quia semper determinant aliud, nempe actum materiæ, constituuntque in specie, vt absque alterius actus aduentu possit in natura cohærere. Quã ob causam etsi omnis actus determinet & certum aliquid faciat, actui tamen formali id maximè tribuitur.

Materia vt potestas dicitur.

Ex quo tandem apparet, quomodo materia, cùm ex se quidpiam sit actu, potestas dicatur ad formarum actus: & quomodo detur actus quidam primus, qui nec det speciem, nec determinet aliud: & ideo nec sit formans, nec requirat subiectum; sed seipso sit id quod est. Atque hic est actus materiæ. Quem propterea accipiens Aristoteles esse ens & substantiam, definiuit non esse hoc aliquid, sed potestatem quandam: quòd nullum habeat certæ speciei actũ; sed sit informis substantia, potestas ad actus omnes, quibus formari potest & perfici. Et ideo primùm ad actus substantiæ, quibus tanquam actibus eiusdem generis essentialiter perficitur. Deinde accidẽtium quoque quibus quoquomodo ornatur, & velut dispositionibus ad substantiæ actus præparatur.

Quantitas materiæ similis, qualitas formæ.

Cæterùm materiæ persimilis in accidẽtium generibus quantitas est. Vt enim materia commune quidpiam rebus omnibus est, indeterminatum ad omnes formas, potestas, subiectum, & aptum pati solùm, non agere. Sic quantitas, tum in genere, tum in specie triplex dimensio, rebus omnibus, quæ materiam habent, communis est, indeterminata ad omnes terminos & figuras; & ideo potestas ad illos, & qualitatum omnium quoquomodo subiectum: denique actionem nullam habet, sed passionem solam. Cum natura verò formæ nullo modo consentit. Quoniam forma in singulis rebus propria est, determinata, actus, non potestas; vimque habet determinantis & dantis esse, non suscipientis subiecti: ac demum agendi principium est, non patiendi. Cum ea conueniũt potiùs qualitates, figura, & quantitatis terminus. Et ideo hæc tribuuntur formæ, quantitas per se considerata veriùs dicitur esse materiæ propria.

Interminata materia quantitas.

Quocirca qui materiam dixerunt, omni quidem actu determinatæ speciei, siue substantiæ, siue accidentis carere; actum tamen interminatum quantitatis trifariam dimensæ ita coniunctum habere, vt nunquam ab ea separetur: & sensui & rationi consentaneè loquuti sunt. Etenim qualitates omnes & quantitatis termini mutantur: at remanet semper aliquid trifariã dimẽsum, Quod diuersos duntaxat terminos mutat, vt alias atque alias materia formas suscipit. Nunquam verò videmus aut materiam quantitate omni spoliari, aut eam de nouo suscipere, fierique quantum ex non quanto, aut corrumpi quantum in non quantum. Generationis namque subiectum oportet esse quantum. Tum quòd plures in partes diuidendum est, vt generationibus pluribus & formis simul subiiciatur. Tum quòd naturale agens nunquam agit nisi in aliquid quantum. Quòd & agat per contactum, qui eorum est, quæ quantitatem habent: & illius actio materialis & corporea subiectum quantum perturbet, in quo suscipiatur. Nec modò formæ substantiæ, sed illæ ipsæ qualitates, quæ eas antecedunt, nec producuntur, nec conseruantur nisi in subiecto quanto. Denique vt argumentatur Simplicius in digressione ad tex. 69. lib. 1. Physic. Id quo materialia differũt ab immaterialibus, per se & propria ratione tribuendũ est materiæ: differunt autem mole, dimensione, quantitate, & partitione corporea. Hanc Pythagoreorum primùm, deinde Platonis, & Aristotelis fuisse sententiam, idem est Auctor. Nam vt cæteros mittam in tex. 14. lib. 4. physicorum ita loquitur Aristoteles. Quare videbitur « species & forma cuiusque locus esse, quo termi- « natur magnitudo, & materia magnitudinis. Hæc « enim est vniuscuiusque terminus. Et tex. 15. Quà « videtur autem locus esse interuallum magnitudi- « nis, eatenus materia esse videtur. Nam hoc aliud « est à magnitudine. Hoc autem est id, quod conti- « netur sub forma, & definitur. Est autem tale ma- « teria, & indefinitum. Vtrobique enim Philosophus magnitudinem tribuit materiæ, magnitudinis terminum formæ. In 3. autem eiusdem operis libro tex. 60. Cum quantitatem ait in infinitum diuidi, non item augeri posse: aut de quantitate loquitur per se cõsiderata, aut quatenus formam habet adiunctam, aut comparatione solius materiæ. Si sola quantitatis natura per se consideretur, non minùs augeri potest in infinitum, quàm diuidi, vt ex tex. 31. 32. & 71. eiusdẽ libri manifestum est: Propter adiunctam verò formam neque additio, neque diuisio potest esse infinita. Superest igitur infinita diuisio, dum quantitas in sola materia spectatur, quæ nullum sibi constituit terminum: non item additio, quòd infinita non suppetat materia, quæ semper addatur. In priore libro de ortu, & interitu tex. 31. Accipit vt impossibile, materiam esse sine quantitate, & tamen in ea fieri generationem. Et in tex. 32. Impossibile est, inquit, à magnitudine materiam esse separatam. Et « in tex. 6. posterioris libri. In elementorum productione primum principium ponit materiam, quam corpus nominat potestate sensile; & alterum contrarias qualitates, tum ex his elementa existere. Quo loco cùm & materiam appellet corpus, cui statim qualitates adueniunt; omnino significat triplicem illam in ea dimensionem corporis nomine significatã. Omnia enim alia accidentia quantitatem supponunt. In tex. etiam 14. primi libri eiusdem operis, & tex. 27. & 29. libri secundi, qualitates communes elementi corrupti vult in genito remanere, & ideo in tex. 25. & 34. faciliorem esse inter symbola, quàm inter assymbola, mutationem. Potiori igitur iure quantitas rebus omnibus communis eadem semper incorrupta manebit; immediati nimirum in prima materia sustentata. Quò spectare videtur id, quod est in tex. 67. libri 3. de Cœlo, elementa vicissim mutari propriis ipsorum corruptis differentiis. Si enim hæ solæ interire debent, interibit nunquam quantitas communis omnibus, atque in primis necessaria.

necessaria. Denique in tex. 8. lib. 7. Metaph. cùm quæreret, Num materia sit substantia; triplicem respondet dimensionem non esse substantiam, sed quantitatem; illud verò, cui ea primò inest, esse substantiam, quoniam si ea tollatur, nihil remanet nisi materia. Triplex igitur hæc dimensio primò & immediate in materia inest.

Propterea Ammonius in Cōmētariis libri Categoriarum, vbi diuisionem entis exponit in decem genera; & rursum in caput de Quanto, eam docuit fuisse causam, cur Philosophus statim post substantiam egerit de quantitate, antequam de qualitate diceret; Quoniam, inquit, quantum secundum sibi locum in rerum natura vendicat. Prima enim materia cùm incorporea, informis, infiguratáque sit, prius in molem elata quantitatem consequitur, ac tres dimensiones capit, fitq; triplici præditum distantia, quod secundum subiectum Aristoteles nominat. Tum sic qualitates suscipit & fit compositum, facitque elementa. Et Philoponus in cōment. ad tex. 78. lib. 1. de Anima. Ignis, ait, vt corpus est, consubstantiale, hoc est substantiæ suæ vnitam & formantem habet trinā dimensionē; vt verò ignis, calorem & siccitatē: & cōment. ad tex. 21. libri 3. Informi, inquit, materiæ prima forma ante omnes alias formas hæc accedit magnitudo. Primùm enim quantitatem, deinde sic qualitatem suscipit; & quæ sequuntur. Hæc fuit Peripateticorum sententia.

Ergò vt materia in genere substantię ita est potestas ad specierum actus, vt ipsa in se non sit pura potestas, sed quidpiam actu indeterminato: sic in sua essentia omni quidem caret accidentis actu, quia est substantia; non est tamen omnino nihil in accidentium genere. Sed veluti propriam affectionem habet actum illum indeterminatum actui substantiæ indeterminato respondentem: estque potestas ad actus omnes determinatos qualitatū & figurarum, qui talem efficiunt rem, qualis existit. Si enim actus singularum specierum affectiones quędam consequūtur, quidni actus quoque ille entis & substātiæ, quem materia significat, adæquatam aliquam & conuenientem sibi proprietatem habeat?

Materia duobus modis considerari.

Nimirum potest actus ille duobus mōdis considerari. Primùm vt est actus in se, qui est essentia materiæ. Atque ita respicit alium quempiā actum in genere accidentis, qui tanquam proprietas inseparabilis ipsum consequatur. Et ideo debet illi esse adæquatus & proportione respondens; nempe indeterminatus, quemadmodum est actus ipse materialis substantiæ. Deinde vt est indeterminatus & imperfectus. Quomodo respicit actus formales, non vt proprietates sibi debitas, sed vt perfectiones determinantes & perficientes. Ita ut, vt prior ille actus, quem tanquam proprietatem respicit, non sit specificans; vnus tamen & adæquatus. Posteriores autem hi debeant esse specifici, plures, & inadæquati. Priorem respicit materia tanquam actus & perfectio quædam; Posteriores velut potestas & imperfectum quidpiam ad hanc & illam perfectionem suscipiendam indifferens. Et ideo posteriores hi actus separabiles sunt, prior inseparabilis. Nec tamen per eum materia intimè constituitur, vt nec natura quæuis per suam proprietatem: sed est velut materiæ dispositio, vt sit subiectum ad alios actus suscipiendos idoneum; & ideò omnes illos antecedit.

A Quæ est ratio, cur accidentis potiùs, quàm substantiæ, forma concedatur materiæ.

Primus substantiæ actus non potest esse formās, accidētis potest.

Quanquam nec potest primus substantiæ actus esse formans; quòd priorē nullū habeat, quem formet. Sed primus substātiæ actus est actus subiecti, quod ab aliis formetur. At in accidentium genere primus actus potest formare; quia supponit actū illum substantiæ, in quo suscipiatur. Quare cùm ad rationē subiecti pertineat, vt sit primus actus, quoniam omnibus aliis subūcitur; subiectum oportet esse primum substantiæ actum, neque habere potest actum substantię formantem sibi adæquatum. Quia omnis huiusmodi actus substantiæ
B est secundus, & ideo determinatus & constituens speciem. Potest tamen habere in accidēte. Quòd primus accidentis actus potest esse formans. Et cùm sit primùs, non est omnino determinatus, aut ita specificans subiectum, vt cum eo solo possit actu existere.

Materia informitas.

Hæc igitur fuerit materiæ informitas: vt nihil sit actu eorum, quæ in aliqua specie perfecta existunt; sed potestas ad omnia. Neque intimè per formam vllam siue substantiæ, siue accidentis, constituatur. Immò nec vllam habeat substantiæ sibi propriam & inseparabilem; sed ad omnes sit indifferens. In substantia tamen quidpiā actu
C indeterminatum, & imperfectum. Quod in accidentium genere interminatam sibi vendicet quantitatem, tanquam proprietatem & actum adæquatum atque inseparabilem. Ad extremum ex hac informi potestate, dum inquā formas non habet, quas habere posset, existit illa priuatio, de qua in primo Physic. Aristoteles, neque hoc loco plura de illa dicenda sunt.

Tertia Digressionis Pars. De voce, ἐντελέχεια.

VEnio ad tertium & postremum, quod proposueram. Nam Aristoteles dum formā di-
D xit esse actum, nouam & ante ipsum inauditam vocem pronuntiauit. ἐντελέχειαν enim nominauit. Quam Philoponus, propterea quòd perfectionem significat, oppositam putat potestati, quæ imperfecta est, & materiam indicat, cui forma perfectionem adfert.

Vocum impositio, & vsus.

Eam porrò vocem fuisse nouam, & tunc primùm excogitatam, fatentur hoc loco Græci omnes interpretes, Porphyriusque, & Dexippus in Categoriarum librum. Immò Themistius Hermolao interprete horrentem quoque dixit. Monent verò Porphyrius, & Dexippus, voces quidem significandis rebus fuisse impositas: at non
E nisi rebus notis ac patentibus potuisse iampridem imponi, easque in communi omnium ore, & vsu versari. Voces autem earum rerum, quæ ad scientias pertinent, non nisi à scientibus quærendas esse: & Philosophos, qui abdita & plerisque ignota exponūt, nouis ad ea explicanda vocibus indigere. Propterea aut nouas finxit Aristoteles, vt entelechia; aut iam positas ad alium significatum traduxit, vt κατηγορία, quæ accusationem in iudiciis antea significabat, detorta est ad superioris de inferiori attributionem significandam. In libro quoque Categoriarum, cùm nouas videret sibi voces esse fingendas, alatum, capitatum, temonatum, vt relata ostenderet reciprocè dici; prudenter admonuit, interdum esse necessarium fingere nouum nomen, si proprium illi rei, de qua

Categorin.

agitur, non sit impositum. Quod Galenus quoque in lib. de simptomatũ differentiis capite primo confirmauit. Satius enim est nouas cogitare voces quàm minùs aptè & accommodatè rem exponere.

Entelechia quid.

1. Iam quod spectat ad hanc vocem (entelechia) celebris est illius interpretatio, quam in prima Tusculana attulit Cicero. Interpretatus autem est perennem, & continuatam motionem. Quam interpretationem conatus est aduersus Argyropilum defendere vir omni politiore litteratura perpolitus Angelus Politianus in Miscellaneis. Duobus autem modis visus est defendere. Aut quòd non ἐντελέχειαν sed ἐνδελεχῆ legerit Cicero: endelechia autem eam vim habet, prerennis & continuatæ motionis. Aut quòd entelechiam tanquam nouam & inusitatam vocem maluerit ita exponere, vt Aristotelem cum Platone in animæ natura conciliaret. Verùm hanc Tullij defensionem ad sui magis ostentationem à Politiano susceptam fuisse iudicauit Budæus in primo libro de Asse, quàm quod criminis diluendi fiduciam haberet.

2. In eodem tamen errore fuerunt illi, de quibus Iulius Cæsar Scaliger exercitatione aduersus Cardanũ 307. cap. 39. qui endelechiã græcè legentes, actum, quem vertit latinus interpres, ita exposuerunt, vt agitationem significaret. Quæ interpretatio destruit planè ea omnia, quæ à Philosopho dicta sunt: tantũ abest, vt germana sit & accommodata. Primum enim substantiam diuidens in materiam, formam, & compositum, partem eam substantiæ, quæ est materia, ὕλωμον appellat; & eam, quæ est forma, entelechiam nominat. Ex quo loco tria intelliguntur. Primum, entelechiã dici actum, qui potestati & materiæ opponitur; quod Philoponus adnotauit. Alterum, entelechiam appellari formam omnem substantiæ, tanquam partem substantiæ compositæ: quemadmodum ὑλώμιν dicitur omnis materia, quæ illius est pars. Tertium, nomine entelechiæ & actus intellegi nequaquam posse perennem motionem aut agitationem, quæ operationem duntaxat significant. Accedunt hęc argumẽta. Primùm hanc entelechiã ponit Aristoteles substãtiæ partẽ, quæ simul cum materia compositam substãtiam constituat, & velut substantiæ actus respondeat materiæ tanquam potestati eiusdem generis. Id de motione & agitatione non dixerint earum patroni. Deinde eam partitur in entelechiam primam & secundam, in scientiam in quam seu habitum non operantem, atque in contemplationem & operationem, seu habitum operantem. Motionem & agitationem quomodo ita partientur? Tum verò cùm dixisset in tex. 4. Animam esse corporis formam; subiugit in tex. 5. eam illius esse entelechiam: non vt contemplationem & vigiliam, hoc est vt operationem; sed vt scientiam, & somnum. Non poterat apertioribus verbis dicere, non esse motionem, aut agitationem, sed velut habitum omni operatione priorem. Sic enim colligit in tex. 6. animam esse entelechiã primam. Et in tex. 7. ex anima & corpore fieri vnum, quoniam anima est entelechia & actus, maximeque ens est vnum. Motionem aut agitationem certum est nec facere vnum per se cum eo, quod mouetur, aut agitatur: nec esse maximè ens, neque habere rationem vnitatis, quam possit suo subiecto tribuere: sed ab eo potiùs mendicare, generali accidentium omnium conditione. Verùm ea omnia ad actum primũ pertinere, qui motionũ atq; agitationũ principiũ est. Propterea cùm in tex. 6. & 7. animam dixisset esse entelechiã primam; addit in tex. 18. & 24. eam esse principium, quo primum viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; quibus verbis apertissimè ostendit, entelechiam, quam animam nominauit, prius aliquid significasse, ex quo motiones omnes & agitationes in viuentibus existant. In tex. 8. & 9. An non animam, quam corporis entelechiam esse docuerat, ostendit esse formam ipsius essentialem; qua sublata nõ ampliùs dicatur esse tale, nisi omonymè; sicut oculus pictus, aut lapideus? Nũquid motionem, aut agitationem dicent esse formam corporis animati essentialem? An non corpus oportet habere animam antequam moueatur, aut agitetur? Philosopus quidem certè in tex. 10. apertè scripsit, animam non esse vt incisionem, aut visionem; sed vt incidendi facultatem, aut videndi. Si igitur anima sit entelechia, entelechiam hanc interpretari non licet motionem aut agitationẽ. Non enim esset anima motionis omnis & agitationis principium. Propterea quòd hæc duo in vnum non conueniunt, principium & effectus, aut facultas operãdi & operatio. Alioqui pereunte effectu & operatione facultas item operandi & anima perirent. Quæ ratio adduxit nimirum Philosophum, vt animam diceret esse entelechiam primam, non secũdam. Voluit etiam esse substantiam. Motio omnis & agitatio viuentium sunt accidentia: & quidem fluxa & inconstantia; quæ eo duntaxat tempore sunt, quo fiunt. Vidit postremò animam non modò principium esse motus, sed & quietis. Non potest igitur eius vis & natura in motione & agitatione versari.

Hoc ipsum intelligetur ea motus definitione proposita, quam in tex. 6. lib. 3. physicorum legimus. Eo loco ὑλώμιν quoque opponens Philosophus entelechiam, quemadmodum hoc loco motum definit esse entelechiam eius, quod est potestate, quatenus est potestate. Et tex. 16. esse entelechiam mobilis, vt est mobils. Si entelechiã motionem & agitationem interpretẽtur, ineptissimus fuerit Aristoteles, qui motum definiuerit motionem esse aut agitationem. Et ineptior multò, si perennem & continuam motionem addat Cicero. Nam si perpetuam velit, vt cum Platone visus est velle: soli cœlesti motui, qui solus perpetuus est, definitio conueniet; animæque definitio soli intelligenti animæ: Siquidem breui tempore intereunt, atque à motione cessant reliquæ. Sin autem successiuam velint; & in anima sunt operationes complures momentaneæ, & anima sentiens atque intelligens operationem sæpissimè intermittunt; atque inter species motus numerantur ortus & interitus, qui entelechiæ item sunt eius, quod mouetur: & tamen momẽto temporis absoluuntur.

Motus quomodo sit entelechia.

Peripatetici ergò (tametsi Simplicius ἐνέργειαν eo loco malit legi (secus in commentariis ad Categoriarum librum in sua tractatione sex principiorum) motum dicunt entelechiam fuisse dictum. Aut quòd idem sit re cum forma, quæ est entelechia. Aut quòd ad entelechiam, hoc est formam perfectam, perducat. Sic etiam Alexander commentario 6. lib. 9. Metaph. Aut etiam (& fortasse melius)

meliùs) quod duplex sit entelechia: vna prima, altera secunda. Et vt anima & quælibet forma perfecta per se considerata, vt solùm dat esse, & perfectionem materiæ, appellatur entelechia prima; sic motus seu forma, vt est in motu & operatione, dicitur entelechia secunda. Poniturque hæc vox aptissimè in ea definitione. Tum quòd motum ostendat esse idem cum forma, seu mobili, quæ mouentur. Tum quòd motum significat esse viam quandam ad perfectionem, actumque quempiam secundum: sicut entelechia secũda actus secundus est entelechiæ primæ. Tum verò quòd esse eiusmodi actum secundum & operationem est quid commune, & veluti genus specierum omnium motus, & aliarum omnium operationum.

Quòd igitur isti perennem & cõtinuatam motionem atque agitationem interpretantes Aristotelem velint cum Platone conciliare, omnino mirandum est. Nam is in primo libro maximè laborauit, vt tum Platonis, tum eorum omnium sententias confutaret, qui in motione, atque agitatione vim animæ positam esse affirmauerãt. Prorsusq; confecit, eam esse per se immobilem. Quo modo igitur animam nunc diceret motionem esse atque agitationem? An non plantarum animas, & verò etiam animalium complurium immobiles esse, Terræ & scopulis adhærescentes, & vidit ipse, & Platoni atque aliis obiecit? Præterea si entelechiam nunc perennem dicas motionem seu agitationem; quid tandem de forma terræ, grauiumq; omniũ corporum affirmabis, quæ perpetuò quiescunt in centro? Et tamen entelechia Aristoteli formas omnes significauit.

Quod verò addidit M. Tullius, Aristotelẽ animam fecisse ex quinta quadã essentia, merum fuit hominis somniũ. Nusquã enim apud eum aliam reperies quintam essentiam, quàm cœlestem substantiam, quam in primo lib. de Cœlo, quintum esse corpus simplex ab elementis diuersum firmis rationibus demonstrauit. Quanquam propterea videtur Cicero entelechiam interpretari perẽnem motionem, quòd quinta illa cœlestis essentia perẽni agitetur motu: & ex ea fortasse Philosophum credidit animam efformasse. At is etsi intelligentem animam forinsecùs dixerit aduenire, non tamen propterea credidit partem aliquam esse Cœli ad nos aduentantem. Quin potiùs & illud corpus ab omni ortu, interitu, atque alteratione immune esse docuit; & hunc animum immaterialem prorsus & impartibilem; adde, & intelligentem: reliquas autem animas ex sublunaris huiusce materiæ potestate totas educi.

Mitto, quòd idem Auctor scripserit, putasse Aristotelẽ, cogitare, amare, odisse, meminisse, timere, lætari, & his similia solius esse animæ, non corporis. Cuius contrarium aperta oratione docet in tex. 63. & 64. primi libri. Sed in illius vocis propositæ euoluenda notione persistendum est. Permulta enim de hac ipsa Tullij interpretatione, Politianique & aliorum defensione scripsit Franciscus Vicomercatus in eã, quam edidit de Anima rationali peripatetica (vt ipse nominat) disceptatione. Ex iis autem, quæ hactenus disputata sunt, non solùm cognoscitur Tullij lapsus, & eorum, qui illius patroni esse voluerunt: vt non alio modo iudicauerit Cælius Rodiginius capite 22. libri 2. antiquarum lectionum, interpretationem eam posse defendi, quàm dicendo, subditiam fuisse, neque ex Tullij officina profectam. Verùm etiam Efichij quẽ Simon Portius in lib. de humana mente testatur existimasse, entelechiam hoc loco vsurpatã fuisse pro energia, quæ operationẽ significat. 3.

Communis nimirum Græcorũ omniũ expositio, tum propter Græcæ linguæ cognitionẽ, & Aristotelis doctrinæ scientiã; tum quòd & rationi & Aristoteli maximè cõsentanea sit, est omnib⁹ anteponenda. Perfectionem quandam ea voce significari omnes illi voluerunt. Themistius perfectũ habitũ, seu mauis habitũ perfectionis; perfecti habiã vertit Hermolaus. Sic etiam Porphyrius, & Dexippus loco ante notato. Reliqui, vt Alexander, Philoponus, Simplicius, & verò etiam Plutarchus in primo libro de Philosophorum placitis cap. 2. perfectionem interpretantur; formamque dictam esse entelechiam, quòd species sit & perfectio, tum materiæ, tum compositi, quod eam habet. Itaque Sextus philosophus (licet quibusdam fortasse iniuriosior videatur) non sine causa in opere aduersus Mathematicos cap. 17. Grammaticos scripsit, & eos, qui politiores duntaxat litteras profitentur, scire penitus non posse quarundã dictionum vim, quæ scientiarum propriæ sint. Inter quas entelechiam nominat. Quemadmodum enim dictiones hæ à scientibus & philosophis inueniuntur ad ea explicanda, quæ sunt scientiarum propria; sic earum vis non nisi ex scientibus & philosophis quærenda est. 4. *Quid verè entelechia.*

At quoniam hæc vox ex tribus partibus coagmentata videtur, ex ἐν τέλος & ἔχειν, inde variæ fuerunt illius deductiones ad formæ perfectionem significãdam. Philoponus deriuauit ἀπὸ τῦ ἕν, quod est vnum; & τέλειον, perfectum; & συνέχειν, continere: quòd forma sit causa vnionis & perfectionis materiæ, eamq; contineat. Tribusq; illis partibus vocis tria illa explicentur, quæ materiæ præstat forma, vnire, perficere, continere. Quare forma illa, quæ motum terminat & finit, appellari solet ἕξις, hoc est habitus; quo præsente cessat motus: propterea quòd finem suum obtinuerit; materiáque possideatur à forma, quam quærebat. Simplicius verò hoc solum dissentit à Philopono, quòd ἐν voluit significare, in. Eandemque sententiam indicauit in tertio libro physicorum; vbi Aristotelem dixit interdum fortasse entelechiam pro energia posuisse. Verùm pro sola energia perfecta: quia tunc vnumquodque in suã perfectione continetur, quando actiones secundùm naturam reddit. At Iulius Cæsar Scaliger inter Latinos, exercitatione ante notata c. 12. deduci voluit ἀπὸ τῦ ἐν, quod est, in; quia forma totã peruadit materiam; & τέλος, id est finis & perfectio; quòd anima quæ entelechia dicitur, vltima sit sublunarium forma, & inter eas princeps: Ac demum ἔχειν, id est posse; quoniam ab illa facultates omnes & operationes oriantur. Quapropter quia est ἐν, colligit in cap. 39. entelechiam esse substantiam; & compositi formam, quia est στοιχεῖον, ex quo fit aliquid, ita vt insit. Sed vult idem omnino esse, quod εἶδος, μορφὴν, λόγον, τὸ τὶ ἦν εἶναι. Hæc pugnare videntur. Nam entelechiã esse idem, quòd hæc omnia, quæ postremo loco commemorata sunt, verè quidem dictum videtur. Formam enim vniuersè Philosophus entelechiam appellauit: forma autem & εἶδος, & μορφὴ, & λόγος, & τὸ τὶ ἦν εἶναι, sæpissimè dicitur. At non video, quomodo id constet cum eo, quod *Varia vocis deriuatio.*

eodem loco scribit, maiorem esse περιόδικλος ambitum, quàm vt ad speciei & formæ definitionem adstringi debeat. Præsertim cùm Aristoteles ipse formã vniuersè appellarit entelechiam, id est perfectionem. Deinde entelechiam verè asserit dici ἀπὸ τοῦ τέλους, sed ratio, quam adfert, quòd anima sit vltima forma inferiorũ princeps, nescio quàm verè addatur. Siquidem entelechiæ nomen non solùm animæ conuenit, sed omni formæ. Et si soli animæ conueniret, intelligentem solam significaret, quæ omnium vltima est & suprema. Tum verò quod dicit entelechiam ἔχειν, quoniam ab ea facultates omnes oriuntur; animæ videtur propriũ, non cæterarum formarum, quæ tamẽ entelechiæ sunt. Immò Aristoteles entelechiam diuisit in primam & secundam, quæ operationem comprehendit: non eam sanè ob causam, quod facultatũ principium sit, cùm sit potiùs effectus. Postremò dum entelechiam ait esse substãtiam, congruenter Philosopho loquitur, qui substãtiæ formã entelechiã appellauit. At dum scientiam quoque & contemplationem, somnum & vigiliam entelechias quasdam, tum primas, tum secundas, significare subiunxit: & interpretes Græci ea voce contineri voluerunt accidentium quoque & artium formas; quia materiæ, in qua sunt, peefectiones existunt; & fines operationum, quibus productæ fuerunt: manifeste ostẽditur eam latiùs multò patere. Et verò in 3. libro physicorum motus appellatur entelechia. Et vt motus localis dici possit re ipsa substantia, quia est idem re cum copore, quod mouetur: & substãtiæ item ortus; quia est idem re cum forma, quæ oritur: alteratio tamen & accretio, quę sunt idem cum forma quapiam, quæ à substantia re distinguitur, omnino non possunt. Præterquàm quòd eo loco definitus fuit motus formaliter, vt à mobili aut forma distinguitur; eaque ipsa ratione entelechia nominatus.

Ergò hæc vox Aristoteli perfectionem quamlibet significauit, siue substãtiæ ea sit, siue accidẽtis; siue naturæ, siue artis: neque animam solùm, aut substantiæ quamlibet formam, sed multò plura comprehendit. Quare illud quoque verè affirmabitur, tam non significare partẽ compositi. Quoniam nec accidentis formæ, nec artis, sunt compositi substantialis partes, neque entelechia secunda, neque motus. Ratio autem illa, quia est στοιχεῖον, ex quo fit aliquid, ita vt insit; viderint Peripatetici quàm sit accommodata. στοιχεῖον enim seu elementum, & esse id, ex quo fit aliquid, ita vt insit, materiam solet Aristoteli significare; cui hoc loco formam & entelechiam opposuit.

Multò aptiùs entelechiã deduxit Budæus, quasi τὸ ἐντελῶς σωματικὸν, id est perfecti corporis comprehensionem. Est enim anima comprehensio corporis organici, quod omnium est perfectissimè dispositum. Sed vocẽ, quam Philosophus formæ omni communem esse voluit; Nec formæ modò, sed actui quoque secundo & operationi; nimium Budæus ad solam contraxit animam, quæ sola est eiusmodi corporis comprehensio. Apta nihilominꝰ erit deductio, si cuiusuis corporis perfectionem significet. Nec tam dicatur comprehẽsio perfecti corporis, quòd ipsa perfecte corpus supponat; quàm quòd perfectionem illi, tum actus primi, tum secundi, adferat. Quod vero addit, entelechiam Aristoteli esse mortalem, nullo modo probandum esse, post ostendam.

A Interim maneat, hanc vocem perfectionem & finem significare: & ideo aptissimè nominare formam, quæ perfectio est & finis totius naturæ. Propterea duplex proponitur entelechia, prima, & secunda, quia duplicem forma perfectionem adfert, Alterã tribuendo seipsam, quæ perfectio essentialis est, absoluta, & permanens. Hęcq; non substantiæ modò formam, sed accidentis quoque & artis comprehendit. Nam & albedo entelechia quædã est corporis albi, & figura statuæ: cùm & illis perfectionẽ addant; & finis sint illius motus, quo producuntur. Quanquã hoc loco Philosophus Categoriam substãtiæ diuidens solã substãtiæ formam visus est entelechiã appellare; quòd ea sit omnium B perfectissima, vltimaq; motuum omnium, atque adeo aliarum formarum finis. Sed dum scientiam addidit, somnum, figurã ceræ, securis formam, & similia; eadem voce accidẽtis item & artis formas indicauit contineri. Alteram perfectionem adfert forma quatenus operatiua est, efficax, & actionis principium. Quæ tota perfectio accidentaria est, solique naturali formæ, siue substantiæ, siue accidentis, conuenit. Illi tanquam præcipuo operationis principio, huic velut instrumentario & proximo. Artis forma nullã habet operationem; sed est entelechia prima sine secunda. Est enim iners, stolida, & ad operãdum inefficax. Operatio autẽ formæ naturalis est & ipsa entelechia; quia & est operantis perfectio, & finis rationem habet. Siquidem C vnaquęq; res censetur perfecta cùm operationem habet suæ naturæ conuenientem. Itaque non quælibet operatio appellatur hoc loco entelechia; sed ea sola, quę à forma perfecta proficiscitur. Quoniã hęc illius perfectio est & finis; velut perfecta contemplatio, quæ ex habitu & scientia oritur. Hoc ex tex. 2. & 5. manifestũ est. In quibus sciẽtia dicitur entelechia prima, & contemplatio ab ea profecta entelechia secunda. Et ex tex. 6. entelechia prima est prior secunda; vt scientia prior contem- D platione. Quanquã dum addit, priorẽ esse in eodẽ, non obscurè significat posse operationem quoque significare, quę perfectam formam antecedit. Sed responderi posset, eam significare operationem, quatenus à forma perfecta nascitur, quę est in altero; atque vt vim habet actionis potiùs, quàm passionis. Cęterùm vt actio agentis, ita passio patientis est perfectio. Est enim acquisitio formę & perfectionis. Et ideo non solùm actio vt est actio, sed etiã vt est passio dici poterit entelechia secũda. Potiùs tamẽ actio: quoniã ea non solùm est agentis perfectio, sed à perfectione quoque oritur, atq; ab entelechia perfecta in agente seipsum alteri cõ- E municãte. Passio enim etsi patienti perfectionem adferat, in illo tamen ex inopia & imperfectione nascitur: habetquẽ semper imperfectionem aliquã adiunctam. Iam verò motus ipse vt formaliter ab actione & passione distinguitur, entelechia secũda dicitur in tex. 6. lib. 3. phys. quatenus via quædã est & tendentia ad perfectionẽ; adfertque mobili, aut etiã formæ, quæ paulatim acquiritur, perfectionẽ. Ita entelechia secũda operationem omnem significare poterit, quamuis perfectissimã potissimùm. Videbiturque non immeritò posse motus, licet imperfectus sit, entelechia appellari. Quã ob causam Philosophus vt hãc motus entelechiã ab aliis, quæ sunt perfectiores, distingueret; ostenderetque aliquã habere imperfectionẽ admistã: in motꝰ definitione potestatẽ adiunxit, quæ imperfecta est;

& hoc quoq; loco perfectioni formæ opponitur.

Entelechia interdum idem, quod energia.

Itaque dici poterit, eum interdum pro eodem vsurpasse entelechiã, & energiam: & cum motum entelechiam dixisset, energiam mox sæpiùs vocauit. Et in tex. 18. illius 3. phys. eandem vocem pro eadem re omnino vsurpauit. Et quod in tex. 15. & post in hoc lib. 2. de Anima. tex. 54. & in 3. lib. tex. 28. motũ dixit esse energiã imperfectã; in tex. 40. lib. 8. phys. entelechiã dixit imperfectam. Ex quo ipso loco apertum est, operationem quamlibet, vel imperfectam, dici posse entelechiam secũdam: ac proinde tãtundem valere entelechiã secundam & energiã. Nisi in eo differant, quòd energia æquè operationem quamlibet significet, entelechia potius perfectam.

Assistẽs forma ut entelechia

Sed quamuis entelechia prima propriè solam significet formantẽ formã, dantemq; materiæ illud esse primũ, vnde in naturalibus oriri entelechia secunda possit, vt perspicuũ est ex tex. 2. colligi tamẽ videtur ex tex. 11. assistentẽ quoq; formam significare. Quippe eo loco proponit Philosophus, num anima sit corporis entelechia, sicut nauta nauis. Verùm ex Græcorũ interpretum sententia verba hæc non de assistẽte forma, sed de per se subsistente, formãte tamen pronuntiata fuerunt. Itaq; entelechia prima solam formantẽ formã significabit; quod ex tex. 2. cognoscitur. Ea enim sola materiæ adfert perfectionẽ actus primi, velut habitũ. Forma verò assistens nullam, nisi actus secũdi & operationis. Vt si quam habeat entelechiæ rationem, ea sit secundæ potiùs, quàm primę. Hactenus satis, superque de huius vocis significatione: quam non immeritò dixit Philoponus esse omonymam.

TEXTVS.

Οὐσίαι δ' μάλιστα εἶναι δοκοῦσι τὰ σώματα· καὶ τούτων τὰ φυσικά· ταῦτα γὰρ τῶν ἄλλων ἀρχαί. τῶν δὲ φυσικῶν, τὰ μὲν ἔχει ζωὴν, τὰ δ' οὐκ ἔχει· ζωὴν δὲ λέγομεν τὴν δι' αὑτοῦ τροφήν τε, καὶ αὔξησιν, καὶ φθίσιν· ὥστε πᾶν σῶμα φυσικὸν μετέχον ζωῆς, οὐσία ἂν εἴη. οὐσία δ' οὕτως ὃν σωτέον.

Tex. 3.

Substantiæ autem maximè videntur esse corpora, & horum naturalia. Hæc enim aliorum principia. Naturalium autem alia quidem habent vitam, alia autem non habent. Vitam autem dicimus, quæ per ipsum fit, alitionem, & accretionem, & decretionem. Quare omne corpus naturale particeps vitæ substantia vtique fuerit. Substantia autem sic vt composita.

COMMENTARIVS III.

PLerique Latinorum ita hunc textum interpretati sunt, vt tres alias voluerint diuisiones subiici. Primã substantiæ in corpoream & incorpoream. Alteram corporis in naturale & artificiosum. Tertiam corporis naturalis in viuens & non viuens. Vt ex his omnibus tandem colligatur, cuiusnam actus sit anima; nempe corporis naturalis potestate vitã habentis. Quod accommodatè quidem videtur dici: sed id, quod dicitur, minimè erat necessarium. Quoniam excluſa substantia incorporea, iam eam solam diuiserat, quæ est corporea, in materiam, formam, & compositum.

Itaque meliùs Græci & Auerroës ad antecedentem illam diuisionem interpretantur addi comparationem quandam trium illorũ mẽbrorum: nempe compositum esse maximè subſtantiam comparatione materiæ & formæ. Tum quia vtriusq; partis substantiã cõtinet. Tum quia maximè propriũ substantiæ est per se existere: Compositum autem

A perfectissimè per se existit, hoc est subsistit. Quod enim ait (corpora) non significat corpora mathematica, aut artificiosa; sed composita ex materia & forma. Quidquid enim materia constat & forma, corpus est. Hæc inquam corpora intelligit. Tum quia hæc erant tertium diuisionis antea propositæ membrũ. Tum quia corpus mathematicũ non est substantia, sed quantitas, triplex dimensio. Artificiosum autem præter compositũ naturale ex materia & forma substantiæ, nil addit, nisi figuram quãpiam, quæ est accidens. Et ideo quatenus arte constat, ad substãtiæ genus non pertinet: sed solùm quatenus est lignum, aurum, aut eiusmodi aliquid

B materia & forma naturali constans. Quoniam tamen hæc ipsa artificiosa corpora sunt substantiæ, quatenus naturali corpore constant; & mathematica in corporibus naturalibus existunt: addit Philosophus, hæc naturalia corpora maximè omnium esse substantias; quatenus scilicet naturalia sunt. Quia hoc modo materia & forma constant, quæ sunt substãtiæ. Quatenus autẽ Mathematica sunt, aut arte constantia, quantitatem significant, aut figuram.

Porrò naturalia corpora maximè omnium esse substantias, hoc argumento ostendit. Quia sunt aliorum principia, nimirum totalia. Alioqui eodẽ

C argumento probari posset, materiam & formam esse magis substantias, quàm compositum; quia sunt illius principia. Naturalia verò aliorũ principia esse dicuntur. Mathematicorũ quidem, non solùm propter mentis nostræ cõceptionem, vt ait Philoponus. Quia vt habet Simplicius, mathematica à naturalibus abstrahuntur. Quam sanè ob causam maximè videntur illorũ dici principia. Verum etiam in genere subiecti & finis. Quoniam & in naturalibus substentantur, & sunt propter illa; quẽadmodum accidentia omnia propter substantiam. Artificiosorum verò in genere materiæ, ex qua fiunt: & subiecti, in quo sustentantur: & exem-

Naturalia corpora vt aliorum principia.

D plaris, quod imitãtur; siquidem Ars imitatur naturam: aut etiam efficiẽtis, cuius virtute perficiuntur. Quocirca hoc, quod dicitur ab Aristotele, corpus naturale maximè esse substantiam; aut ad materiam referri potest & formam; quæ & substãtiæ sunt, sed velut partes & inexistẽtes potiùs ipsi corpori, quàm per se cohærẽtes (si solam intelligentem excipias animã) & aliquo modo dici possunt corpora, saltem imperfecta & inchoata; quia sunt substantiæ corporeæ, parteſque corporum. Aut ad corpora Mathematica, quæ, vt est apud Simpliciũ, à Pythagoricis dicebantur esse substantiæ: & ad artificiosa, quæ ignarũ vulgꝰ iudicat esse substãtias.

E Cùm igitur naturalia corpora sint maximè substantiæ, quartam addit diuisionem. Ea est naturalis corporis in corpus animatũ, quod habet vitam; & inanimatum, quod vita ẽaret. Quid autem sit habere vitam, aut non habere, ostẽdet vitæ definitio. In qua tamẽ Auerroës solam visus est nominis explicatioem agnoscere. Vita est ea, qua aliquid se ipsum nutrit & auget. Quare omnia illa corpora creduntur viuere, quæ eiusmodi habent in seipsis nutritionis suæ & auctionis principium. Quæ verò non habent, omni carere vita existimãtur. Si enim exteriori sola additione materiæ augeatur quidpiam, vt si aqua addatur aquæ, aut terra terræ, non propterea dicitur habere vitam, quòd maior euẽdat moles. Neque idcirco creditur ignis viuere & nutriri; quòd in suam naturam appositã ligna

In anima non nutriri nec augeri.

commutet. Quoniam dum ita agit, non seipsum nutrit, sed ex proxima materia aliud sibi simile gignit. Ea nutriunt seipsa & augent, quæ instrumenta habent à natura fabricata, quibus & alimẽtum suscipiant intus, & in seipsis coquãt; vt ita ex illo nutriantur & per omnes partes augeantur; eademque persistant semper, non in alia atque alia continenter mutentur.

Inde colligit Philosophus, omne corpus naturale & viuens esse substantiam: non quamcũque, sed cõpositã ex corpore & anima, velut ex materia & forma. Quo loco probasse videtur animã esse substantiã. Nam si corpus viuẽs sit substantia cõposita ex corpore & anima, vt ex materia & forma; consequens est & corpus & animã esse substãtias. Non solùm enim corpus viuens compositionem habet corporis ex materia & forma carnis, ossis, & aliarũ partium, quibus corpus absoluitur; sed etiam quatenus est viuẽs. Quare animã, quæ substantiã eam cõpositam facit, necesse est esse substãtiam. Quippe omnis cõposita substantia, vt in text. 2. positum est, ex materia & forma constat, quæ sunt substantiæ.

Animã esse substantiã.

Vita quid.

Porrò cùm vitam definiuit Philosophus, quæ per ipsum fit alitionẽ, accretionẽ, & decretionem; iudicauit S. Thomas non esse generalẽ omnis vitæ definitionẽ; sed illius specialem, quæ sublunarium viuentium propria est; omnibus tamen illis communem: nempe vegetãtis animæ, quæ operationũ illarum principium est. Vniuersè autem vitã esse illã, qua aliquid perfectè operatur in seipso. Quẽadmodum non solũ planta vitam habet, quia nutritur & augetur, sed animal quoque, quia sentit; homo, quia ratiocinatur; separatæ mentes, & Deus, quia intelligunt & volunt. Simplicius solam mortalium vitam definitã dicit: quod hæc sola nutriantur, augeantur, minuãtur, vt in textu 21. & 22. lib. 1. de Cœlo cõfirmauit Aristoteles. Non autem cœlestiũ vitam, quę cũ hisce operationibus careãt, viuere tamen interpres ille Platonicè opinabatur. Immo nec vniuersam mortalium vitam: siquidem appetitus quoque, sensus, & intellectus, sunt vitæ. Auerroës tamen cõmunem & adæquatã iudicauit esse vitæ notionẽ, quæ solius vegetãtis animæ propria est. Cuius beneficio ea quoq; quæ sentiunt & intelligunt, dicãtur viuere: non vt sentiunt, aut intelligũt; sed vt eas vegetãtis animæ functiones habent quemadmodũ habent plantæ. Non enim inquit, animal dicitur mortuum, quatenus principio motus & sensus caret: sed quatenus nutritionis & consequenter aliarum omnium functionum principio destitutum est.

Duobus modis dicitur vita.

Cæterùm vniuersa hæc alioqui grauis inter viros grauissimos controuersia facile dirimi potest. Nam duobus modis vitæ nomen vsurpare licet. Primo modo magis propriè & presè: atq; ita animæ vegetãtis propria est; habẽtq; viuentia gradũ in natura à sentientibus diuersum, qui plantarum propri⁹ est. Hoc modo definiuit nũc Philosophus vitã: & in text. 4. vegetantia omnia dixit viuere: & in text. 16. viuere omnib⁹ inesse propter hoc principium, animal autẽ per sensum constitui: ac demum in text. 83. & 93. lib. 1. aliisq; plurimis in locis plãtas omnino viuere affirmauit. Altero modo sumitur viuere ampliori quadã significatione: illaq; omnia cõprehẽdit, quæ in anima non sunt, & quãlibet habẽt operationẽ, quæ quoquo modo supra naturã, hoc est merè naturalẽ operationẽ eleuetur.

A Quod Aristoteles in textu 13. docuit, cùm viuere multis modis dici affirmauit; eaq; omnia significare, quib⁹ ineſt, aut intellectus, aut sensus, aut motus de loco ad locũ, aut deniq; accretio & nutritio: & omnino animata distingui vita ab inanimatis. Quocirca in text. 29. 8. phys. moueri à seipsis dicitur esse vitale, atque animatorum proprium: & in text. 100. lib. 1. Intelligentias omnes optimam habere vitam: & in text. 39. lib. 12. Metaph. & cap. 8. lib. 10. Moral. ad Nicomachum Deum & optimam agere vitam, & optimum esse viuens.

B At si ita res habet, quid causæ est, cur animæ vegetãti potissimũ tribuatur? An quia ab illa pendent reliquæ; & illa potest absq; aliis esse, aliæ sine ipsa non possunt? Quasi ipsa sit fons & principium omnis vitæ, dum & ipsa per se viuit solitaria, & aliis vitæ principium est. An quia in mortalibus & caducis hisce rebus absque continenti restauratione substantiæ nulla prorsus vita consistit? Restauratio autem fit nutritione, quæ propria huius animæ functio est.

Cur vita vegetanti tantũ anima tribuatur.

C Ex eadem hac vitæ definitione oritur altera difficultas, quã de embrione proposuit Philoponus. Nam is in matris vulua constitutus minimè videtur à seipso nutriri. Propterea quòd non accipiat ore nutrimentũ, quod conficiat: sed à matre confectum & præparatum vmbilico hauriat. Quam ab causam fuerũt, qui eum crederent omnino non viuere. Sed aperta extat Philosophi hac de re sententia in c. 3. lib. 2. de animal. ortu. Augetur enim nec augeri quidquam vera & propria accretione potest, quod non nutriatur. Quoniam hæ sunt facultates & actiones inter se ordinatæ, vt in textu 37. confirmabit. Vbi etiam nihil nutriri posse docebit, quod vitam non participet. Embrionem autem propria accretione augeri, facilè ostendi potest. Neque enim exteriori apposita materia fit grandior: neque in vna aliqua parte & non in cæteris: sed intus alimento susceptо, eoque commutato, ac per omnes partes distrubuto augentur omnes. Quod verò ita augetur quemadmodum viuentia, necesse est viuentium vitæ sit particeps. Et rursum si verè & propriè augetur, verè & propriè nutriatur oportet. Etenim non vsq; adeò necessariũ est, vt cibus suscipiatur ore. (Quanquam hoc in Embrione inesse sensit Galen⁹ in eo libro, in quo id, quod est in vtero, ostendit non solùm viuere, sed animal quoque, ac ratione prædituм esse) vt si aliunde possit in ventrem immitti, ea iudicari non debeat vera & viuentium propria nutritio. Ita nimirum à matre præmansus & paulò magis præparatus cibus ad teneram adhuc viuentis illius conditionem subleuandam suscipitur vmbilico & ad ventrem transmittitur. At post ab illius anima, atque calore magis elaboratus funditur per corpus vniuersum, partesque singulas reficit & auget. Præter nutritionem & accretionem accedit motus in vulua. Vnde vuluam dictam fuisse tradunt, quòd in ea voluatur fœtus. Quo tamen tempore alimentum suscipit. Atqui à seipso nequaquam moueretur nisi viueret. Hoc enim vitale & animatorũ proprium est: nec viuẽtium solùm & animatorum, immò & animalium. Cuius argumẽtationis vim miror non vidisse Philoponũ, neq; Alexandrũ in priori lib. de anima c. 20. Non enim negassent embrionẽ quãdiu cõtinetur vtero animal esse, propterea quòd non sentiat. Nisi fortasse (quod de Philopono credi potest, & ipsemet inter-

An fœtus in utero viuat.

Quam ob rem fœtus.

Vulua vnde dicta.

interpretatur ad cap. 3. lib. 2. de animal. ortu) intelligi voluerint animal in actu 2. quo sensus & incessus operationes animalis proprias habeat. Ac præsertim sensus, quo anima primò constituitur, vt in textu 16. docebitur. Alexander enim actum secundum motus animaduertens, moueri dixit nō perse, sed velut alterius animati, hoc est matris portionem. Habere autem animalis formam, atq. adeò in humana specie intelligentem; manifestum est, tum ex eo motu, tum quia si quandiu est in vtero animas illas non susçipit, ac sentientem præsertim, quæ seminis actione producitur, nunquam profectò acciperet. Adde, materiam sufficienter esse dispositam ad formam eam susçipiendam: fierique nō posse, vt non accedat forma. At inquies, cur diutiùs retinetur vtero, si viuit & animal est? Cur non statim prodit in lucem? Plura omnino requiruntur, vt res quæpiam conseruare seipsam possit, ac suam tueri naturam, quàm vt primùm eam accipiat. Pluribus opus habet animal, vt extra vterum viuat. Pluribus, vt operetur & actum secundum promat. An non animal in lucem quoq. editum principio imperfectum est, neque propter corpusculi imbecillitatem, organorúmque imperfectionem operationes complures potest perficere? quibus ætate procedente perfectis, magisque elaboratis exequitur omnia. Ita igitur ab imperfecto ad perfectum sensim progrediente natura cōcrescit primùm inanimatus fœtus. Deinde paulò magis elaboratis organis accedit vita plantæ, sensus adhuc expers. Tum sensum quoque accipit & motum: vtero tamen adhærescens velut plantanimalia terræ, ac lapidibus: & tandem in homine mentem quoq. rationis compotem. Adhuc tamen vtero retinetur, vt magis ac magis perfectus, partibúsq. omnibus expolitis & confirmatis in lucem post prodiens & vitam suam tueatur commodiùs, & quā optimè operetur. Verū de his alibi pluribus.

Intellectū in vtero habere sē. tentem animam, & intelligitem.

Digressio II. ex operatione cognosci animam esse, velut genus formæ ab alijs diuersum.

Quomodo Aristotelis animæ naturā investigauerit.

Cæterùm illud hoc loco etiam atq. etiam considerandum est, Aristotelem in animę natura perue-stiganda eandem planè rationem, quam in cæteris omnibus naturæ partibus, tenuisse. Ex sensibus enim & operatione vbiq. philosophatus est. Nunc verò maximè, vbi animā animatorum corporum formam proponebat. Nam forma latens, nostrósq. sensus effugiēs ex manifesta & cōspicua operatione cognoscitur. Accepit autem nutritionem & accretionem, velut operationes tum primas, tum notissimas & animatis omnibus communissimas. Complures autem operationes obseruamus, quarum principium sit forma. Nam in eo operationum genere, quod in aliud subiectum transit; ea principium est agendi in aliud à se distinctum, efficientisque rationem subit. In ijs verò, quæ immanentes dicuntur, principium est agendi, vel in se ipsa; vel in eo, in quo ipsa est. Atque in his aut idem quidem est principium & subiectum actionis, sed diuersum obiectum, vt in visione, & alijs eiusdem generis. Aut idem quoque obiectum, vt in intellectione perspæpe, dum seipsum considerat intellectus, suamque contemplatur naturam. Quamquam hæc ipsa operationis forma in materialibus item & corporeis rebus, si non per se primo, vt in immaterialibus & spiritalibus, quæ conuertere se in seipsas possunt; certè ratione diuersarum partium obseruatur; dum earum vna mouet, altera mouetur, vt in elementorum motu de loco ad locum; aut forma, quæ est in toto corpore, dat illi actiuè motum ratione vnius partis, & ratione alterius tribuit virtutem passiuè se mouēdi. Quod solius animæ ita videtur proprium, vt iam nomine animę formam eiusmodi quampiam intelligamus, quæ operationum harum possit esse principium.

Vt motu differant animata ab inanimis.

Itaq. cùm manifestum sit quædam esse entia, quę eadem parte & moueant & moueantur; vt videre est in animalibus: aliquam constat oportere in ijs esse formam illius operationis principium. Atque hanc animam appellamus. Ita motu verè dixit Philosophus in tex. 19. lib. 1. Animatum differre plurimū ab inanimato. Etenim inanimæ omnes formæ necessariò, & quàm maximè possunt mouent, nec intermittunt vnquam. Et verò etiam suis omnibus viribus operantur, nec vna operari possunt altera quiescente. Sed & ignis dum calefacit siccat quoq. & alia eodem modo. Vnicam etiam habent operandi formam: etsi loco mouentur, ad eundē semper terminum, eandémq. situs differentiā tendunt. Ac demum licet veram habeant operandi facultatem: per eam tamen nullum aliud præter operationem influxum habent. Anima vt est perfectior, & magis habet rationem actus, ita dominiū suarum operationum retinet, atq. in eas influxū. Propterea & pluribus modis mouet, & ad omnes situs differentias, atq. in proprio quoq. & naturali loco. Hoc nimirum intellectu moueri à seipsis proprium esse dicitur animatorū in tex. 29. lib. 8. Phys. & tex. 72. lib. 1. de Cœlo: soláq. animata differentias situs habere in tex. 9. lib. 2. de Cœlo. Quoniam ea sola à seipsis omnem in partem mouentur.

Animæ vegetantis operationis modus.

Cæterùm hæc operandi libertas non eodē modo animabus omnibus inest. Ea, quæ vegetat, omniū maximè materialis & naturalibus cæteris formis proxima vix vllam videtur habere libertatem. Sed ijs omnibus positis, quæ forinsecùs requiruntur ad operandum, operari necessariò. Non agit tamen quam maximè potest. Sed dum nutrit, in cibum agit iuxta debitam ipsius proportionem: certúmque habet & constitutum terminum, ad quem promouet. Et vt plurimum habeat alimenti, nihilò tamen magis alit. Reliquæ facultates, quarum altera auget, altera sibi simile procreat, non semper, sed statis temporibus operantur. Denique non vtitur simul hæc anima omnibus suis viribus. Sed quasi libertatis cuiusdam particeps agit primùm radices, deinde producit truncum, tum emittit ramos. Primùm nutrit, deinde auget, tum aliud sibi simile procreat. Et dum auget maiorem aliquando adfert quantitatem, aliquando in minorem contrahit, aliàs in eodem consistit statu. Quod in plātis facilè animaduertas: quæ cùm non amplius augentur, si pręcidantur, vsque ad certam molem restaurantur. Neque hęc omnia simul & continuatè fiunt; sed primùm attrahitur alimentum, deinde alteratur & coquitur, tum omnes in partes distribuitur, post in earum substantiam mutatur, denique augentur omnes non vna aliqua, sed omni prorsus dimensione.

Animæ sentientis.

Id in sentiente anima magis est manifestum. Ea duabus in rebus vegetantem superat. Quòd & in motu de loco ad locum summa potiatur libertate (quam ob causam incessus & progressio peculiari vocabulo nuncupatur) &

in sensu atque adeo motu, etsi adsint externa omnia, non operatur tamen nisi adsit quoq. attentio & applicatio sentientis facultatis, aut appetitus inuitantis ad motum. Quapropter plerumque fit, vt quamuis attentio hæc & applicatio ex parte agẽtis principij cõsideretur: quia tamen ordinem ad obiectum significat, & principiũ illud est adhuc materiali, quoq. magnopere ab obiecto afficitur; non potest anima non attendere, si præsens fuerit obiectum. Vcrùm si sit alteri rei valde attẽta, quoniam ab occurrente obiecto non facilè mouetur, haud quaquam attendit, neque illud persentiscit. Ita fit persæpe, vt obiecta nobis præsentia nec videamus nec audiamus.

Anima intelligentis.

Porrò tota hæc libertas maximè inest in intelligente anima, quæ positis omnibus ad operandum requisitis semper est libera, suámque potest operationem cohibere. Quapropter cùm iam animã appellemus eam formam, quæ harum operationum principium est: quàm est certum inesse in viuentibus eiusmodi operationes multò præstabiliores, quàm eæ sint, quæ à cęteris formis prodeunt: Iàm etiam est manifestũ reperiri in eis formam ab alijs omnibus diuersam. Idq. tum propter diuersas operationes multò nobiliores; Tum propter diuersum, eúmq. longè præstantiorem operandi modũ, quo sentiens præsertim & intelligẽs animæ res cognitas in se ipsis cognoscendo suscipiũt. Atq. hoc demũ est, quòd nõ solùm motu, sed & sensu scripsit Philosophus animata ab inanimatis distingui.

Animam esse per se notum.

Itaq. duo planè concludi possunt. Alterum, de anima verè affirmari posse id, quod de natura legimus in tex. 6. lib. 2. Phys. Ridiculum esse velle demonstrare animam esse. Nam si ridiculum est velle probare naturam esse; quòd id manifestum sit ex operationibus, quas in rebus natura constantibus, non item in alijs cernimus: fuerit quóq. ridiculum probare velle animam esse. Quia cùm constet cõplura corpora reperiri, in quibus operationes eæ cernuntur operationibus naturæ superiores: si solùm animæ nomen exponatur, intelligatúrq. significare principium earum operationum; manifestũ statim fuerit ac per se notum animam esse. Quam ob causam nusquã Philosophus eam esse probauit: sed accepta existentia perueſtigauit essentiam. Solum Dycæarchũ Messenium reperio negasse quidquam esse animam præter opinionem solam; vt Authores sunt Cicero in 1. Tusc. alijq. non pauci: & confirmat Sextus in 2. Pyrroniarum Hypotipoſeon cap. 5. eandem sequutus sentẽtiam in Cõmẽtarijs de anima, vt ipsemet fatetur in lib. aduersus Mathematicos cap. 22. vbi de sono disserit.

Animam esse genus formæ ab alijs diuersum.

Alterum, ex illis ipsis operationibus satis intelligi animã genus esse formæ ab alijs diuersum. Etenim reliquæ omnes formæ suas ferè omnes operationes habent in aliud. Et si quæ internam, hoc est, in eo, in quo sunt, habeant; ea est solus localis motus. At animata si solam procreationem excipias, quæ ad speciei conseruationem refertur, suas omnes actiones in seipsis exercent. Nec solùm mouent loco; sed nutriunt, augent, minuunt, sentiunt, intelligunt. Immò dum nutriũt, quadam etiam ex parte gignũt seipsa. Quare cùm harum operationum principiũ in rebus inanimis (si quæ in illis reperiãtur) non sit natura, hoc est, non sit in seipsis, sit autem in animatis: sanè ex illis licet diuersum formę genus concludere. Eodem planè argumento, quo naturam Aristoteles tanquam operationis principium ab efficiẽte causa distinctũ constituit. Hanc ipsam animæ diuersitatem ab illis formis, quæ vno tantum modo & necessariò operantur; testatur multitudo illa facultatum & operationum, atq. in illis exercendis libertas, quæ in animatis obseruantur. Posse namq. seipsum omnẽ in partem vel etiã in proprio loco mouere; posse nutrire, augere, minuere seipsum; posse procreare, seipsum quidẽ ex parte in nutritione, aliud autem totũ in vera procreatione; suppeditando etiam materiam procreãdæ soboli necessariam (vt cognitionem mittam & appetitionem) An non superius quoddam indicãt formę genus? Ex his enim omnibus operationibus nulla in cæteris formis cernitur præter localẽ motum & procreationem. Sed & motus est ad vnum terminum determinatus, nec nisi ex accidẽti inest, quòd corpora sint extra proprium locum. Et procreatio nullo modo est sui ipsius, sed alterius. Neque præbendo materiam; sed in eam agendo, quæ ipsis proponitur.

Deniq. ex hac tota operandi ratione animatam formam cognoscimus magis eleuatã esse, minúsq. à materia pendentẽ, quàm sint reliquæ omnes naturales formæ. Quæ etsi alias atq. alias operationes habeãt, perfectiores minusvè perfectas; modo tamen operandi conueniunt, quòd penitus sint in materia immersæ. Immò cùm in animarum quoque genere aliæ sint alijs à materia magis eleuatę; ex triplici eleuationis modo tria concludimus animarum genera, vt suo loco dicetur.

Animam esse magis eleuatã formam, à materia eiusque.

Placuit nunc hanc distinctionis formam ex operationibus explicare pluribus. Tum quòd ea sit omnium potissima. Tum quòd ea visus sit hoc loco Philosophus vti, cùm vitam definiuit, quæ per ipsum fit alitionem, accretionem, & decretionem. Quasi ita probaret viuentia à non viuentibus differre, quòd illa intimum hoc in seipsis operationis principium habeant, inanima ab externa appositione aut substractione materiæ pendeant.

Anima cæteras formas dominatrix totaq. diuina.

Aliam paucis indicabo ex materiæ dispositionibus sumptam, quas requirit anima. Quam etiam non multò pòst idem Philosophus significabit. Postulat enim anima corpus omnino perfectum & integrum, in plurimas distinctum partes, ceu organa, quæ diuersis qualitatum temperationibus ac substantiæ formis cõstant. Postulat determinatam quantitatem & figuram, tum in toto corpore, tum in partibus singulis ac membris. Postulat certum situm atque harum partium ac membrorum dispositionem. Vt propterea in solis animatis dicantur esse situs differentiæ, sursum & deorsum, ante & retro, dextrum & sinistrum. Cùm enim reliquæ formæ nulla indigeant materiæ organi ratione, nulla partium distinctione, nulla membrorum cõformatione ac dispositione, nulla certa figura: anima planè colligitur diuersum esse genus formæ: Idque cæteris nobilius; quemadmodum materia & dispositiones potiores sunt. Cæterum animam esse formam alijs item argumentis in sequenti textu confirmatur. Sic enim habet.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δὲ θεώρημα πότερόν ἐστιν ἡ ψυχὴ τόδε τι ἢ ποσὸν ἢ ποιόν, καὶ εἰ τὸ σῶμα ψυχή· ἢ τοῦτο μὲν οὐκέτι, τὸ δὲ σῶμα μᾶλλον ἡ ψυχή· ἀλλ' ἐπεὶ φανερὸν ὅτι οὐσία μάλιστα, ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος.

Quoniam

Quoniam autem est corpus huiusmodi (vitam enim habens) non fuerit vtique corpus anima. Non enim est eorum, quæ in subiecto, corpus: magis autē vt subiectum & materia. Necesse igitur animam substantiam esse vt formam corporis naturalis potestate vitam habentis.

Text. 4.

COMMENTARIVS IIII.

PRopiùs iam ad animæ rationem accedens, ex omnibus illis diuisionibus, quas hactenus proposuit, quidnam ea sit colligit. Et accipiēs tāquam notum animam esse substantiā; Nec tamē esse cōpositum. Quia compositum est id, quod operatur, quod subsistit, quod habet animā verò id potiùs, quo hæc omnia cōstant. Ostendit solùm eam non esse corpus, hoc est materiam seu partem cōpositi materialem à forma diuersam, quæ formam ipsam suscipit. Nam in corporibus animatis & viuētibus, de quibus in superiori textu loquutus est, corpus vim habet materiæ. Itaq. alia prorsus est hoc loco acceptio corporis, quàm antea fuerit. Nam antea significabat cōpositum, nūc alteram significat cōpositi partem: quam tamen appellat corpus, quoniam & ipsa cōposita est. Id verò satis licet colligere, tum ex Græca voce. Nam vt antea significaret cōpositum, dicit τὰ σώματα: at nūc vt partē indicet compositi, σῶμα nominat absque articulo, τό, qui vt optimè adnotauit Philoponus, vim habet significandi determinatum aliquid, & actu iam constitutum. Tum etiam ex ratione, quæ probat animam non esse corpus.

Corpus duobus modis dicitur.

Anima esse mag. quantitatis forma, & materia etiam.

Ea duplex est. Altera; corpus viuēs & est corpus, & est tale corpus, quod corpore cōstet & vita, tanquā subiecto & forma seu perfectione. At anima nō est corpus; est igitur perfectio potiùs quædam velut forma corporis. Præsertim quòd viuentia à non viuentibus differāt, nō quòd sint corpora, sed quòd sint talia, quæ vitam habeant. At per animā talia sunt; anima igitur est aliquid aliud à corpore diuersum. Corpus item anima dempta non minùs dicitur esse corpus; viuum & animatum non dicitur; anima igitur non est corpus, sed vita tanquam forma & actus corporis.

Animam esse formā

Altera ratio est. Corpus non est in subiecto, quin subiectum potiùs & materia, quæ perficitur & suscipit aliud. Subiectū quidem cōparatione accidētium, materia autem cōparatione formæ substātię. Aut non subiectum modò dixit, ne animā putares formam esse corporis accidentariam. Sed & materiam addidit, vt essentialem formam intelligeres. Aut demum subiectum quatenus suscipit formā, & materiam quatenus simul cum ea tanquam potestas cum actu componit compositum. Anima verò est in subiecto: non inhærendo, vt accidētis; sed tanquam perficiens & constituens subiectum. Siquidem corpus, quod suapte natura & cōditione inanimatū erat & carens vita, animatum sit & viuens aduentu animæ. Anima igitur non est corpus, sed forma naturalis corporis potestate vitam habentis. Etenim formæ propriū est actuare, perficere, determinare, & constituere hoc aliquid. Et hæc anima, quæ hæc adfert corpori, illius forma censeri debet. Et rursum, quia non aduenit omni corpori, sed naturali dūtaxat: & illi, quod animari potest, & eam suscipere: sicut quælibet forma non nisi materiæ aduenit, quæ sit ad eam admittendam apta: verissimè dicitur esse forma corporis naturalis potestate vitam habentis.

Subiectū & materia.

Anima est in subiecto.

Tertiam rationem addit Themistius. Anima & corpus faciūt vnum; non vt partes quātæ & integrātes. Quoniam si ita esset, Anima esset extra corpus. Et ideo corpus non esset animatum, neq. nutriretur, neq. augeretur. Neq. quemadmodum elementa faciunt corpus mixtū; quia elementa nō remanent integra in mixtione, sed aliquā sui partem amittunt: Anima autem & corpus integra prorsus conseruātur vnita. Verùm sicut materia & forma. Hoc enim tertiū supereſt cōpositionis genus. Alterum igitur horum oportet esset materiam; alterū formam. Corpus non dixeris esse formam animæ. Relinquitur igitur animam esse formam corporis: & ideò ex illis fieri vnū, vt ex materia & forma substantiæ: animāmq. esse substantiam velut formam corporis naturalis potestate vitam habentis.

Quartam Philoponus in prœmio totius huius operis, corpus omne sua natura est dissolubile ac partibile: sustentatione igitur opus habet: anima autem est, quæ illud sustentat. At si ipsa sit corpus, alia indigebit sustentante: atq. ita in infinitū progrediamur, quousque animam inueniamus, quam corpus non sit.

Quinta eiusdē interpretis fuit. Nullum corpus simul & eodem tempore contraria suscipit, anima verò suscipit, dum simul album & nigrum vidit, & alia cōtraria simul cognoscit & iudicat. Atq. in semine simul omnes omnium corporis partium rationes sunt.

Sexta ratio fuerit. Si anima esset corpus, cùm totum viuens sit animatum, viuat, & nutriatur; fieret nimium corporū penetratio, vnúmque corpus alterum totum permearet. Posset anima liberè ingredi, & egredi corpus, ac per se seorsim velut substantia perfecta subsistere.

Septima, Non faceret vnum per se cum materia & corpore; nec esse posset essentialis pars alterius.

Octaua. Non posset esse principium earum operationum, quæ in viuentibus conspiciuntur: nisi fortasse ipsa esset corpus animatum. Nulla enim eiusmodi operatio in reliquis corporibus inanimis cernitur. Id verò si esset, abiremus in infinitum: quippe omne corpus animatum anima oportet esse animatum.

Hactenus duo habemus de anima in hoc textu à Philosopho constituta. Alterū, animam non esse corpus. Alterū, eam esse formam & speciem corporis substantialem. Quod ad primum attinet, erit obiter obseruandum, eum etsi subsstantiam diuisisset in materiam, formam, & compositum; non tamen probasse animam non esse materiam illam, quam dixerat non esse hoc aliquid, sed potestatem quandam: verū potiùs eam non esse corpus. Siue vt materiam, nō remotam, sed proximam, acciperet: Siue vt hoc ipsum corpus accipiens tanquam materiam, illud significaret etsi in se sit aliquid actu, comparatione tamen animæ tanquam superioris & melioris actus potestatem quandam esse. Siquidem vniuersè materiam posuerat esse potestatem. Et nūc non solùm dixit, corpus esse subiectum, sed materiā quoq. hoc est, potestatem quandam comparatione animæ. Quare hoc apertius significās inde statim colligit, animam esse formam corporis naturalis potestate vitam habentis. Corporis inquam actu per naturalem formam constituti, sed potestate adhuc ad animam. Siue demum quòd Antiquorum plurimi senserant esse corpus & substantiam compositam; mate-

Cur nō probauerit Animam nō esse materiam.

riam nullus dixerat esse. Hæc enim est ens potestate, quod ab alio perfici oporteat, commune omnibus, nec operationis vllius principium. Anima verò ab omnibus intelligitur vt actus perficiens, qui det esse & speciem, animatáque ab inanimis separet, & plurimas illis operationes adferat. Quam ob causam à nō paucis dicebatur semper moueri.

Digressio III. De Natura Animæ.

Quod verò ad secundum spectat. Vt Aristoteles animam vniuersè posuit esse substantiæ formam: sic post illum Galenus in libro, quem scripsit de animæ morum & corporei temperamenti mutua cōsequutione, alijsq. pluribus in locis, de humana potissimū loquutus anima, κρᾶσιν duntaxat & quatuor qualitatum temperiem esse affirmauit. Quam sententiam tāquam medicorum communem Philoponus quoq. commemorat in Com. tex. 6. lib. 1. & ab antiquioribus hausisse illi videntur. Nam & Aristoxenus Musicus intentionem ipsius corporis quandam velut in cantu & fidibus, quę harmonia dicitur: & Epicurus misturam quatuor qualitatum, igneæ, aëreæ, spiritalis, & alterius, quam nescisse nominare: & Dynarchus apud Nemesium in secundo Philosophiæ libro, seu Dicæarchus, vt mauult Plutarchus in 1. lib. de Philosophorū Placitis, seu Clearchus apud Theodoretum in 5. lib. de curandis Græcorum affectionibus, harmoniam & conuenientiam quatuor qualitatum, animam esse iam pridem pronunciauerant. Arbitror, inquit Simias apud Platonem in Phædone, esse in corpore nostro intentionem & cōplexionem quandam ex calido, frigido, humido, sicco, cæterisque talibus: horúmq. temperantiam consonantiámq. nostram animam esse: resultantem videlicet in corpore nostro postquam hæc ipsa benè moderatéq. inter se temperata fuerint.

Animam esse qualitatum temperiam.

Multis contra disputauit Nemesius, sed minùs necessarijs argumentis. Quædam magis efficacia atque ad conuincendum accommodata protulit Alexander in priori lib. de anima cap. 7. Verùm illud in primis intelligatur; Galenum in ea, quam paulò ante pronuntiauit, sententia parùm omninò fuisse constantē. Namq. animā interdum dixit esse temperiem potiùs substantiarum elementorum. Et Comment. 5. in 6. Hypocratis librum de vulgaribus morbis particula 5. & in expositio. 15. Aphorismi libri primi, alijsque in locis ita visus est suam sententiam exponere, vt non tam primarum qualitatum, aut elementorum temperiem, quàm calorem illum, quem innatum & singulis viuentibus insitum nominamus, voluerit esse illorum animā. Ac demum in eodem illo Commentario 5. & in libro de vtilitate respirationis cap. 5. & lib. 7. de vsu partium cap. 8. & sub finem libri de fœtuum formatione apertis tandem verbis confessus est, se animæ substantiam ignorare, neque eam cognitionem Medico esse magnopere necessariam.

Quamquam id, quod pronunciauit, nihil aliud esse animam, quàm natiuum calorem, si anima intelligens se ponatur, quam esse substantiam omni mortali natura meliorem, & certa fide ac religione persuasum habemus, & necessaria ratione concludimus. Cùm & à solo Deo creetur, & per se subsistat, & spiritalis naturæ sit; atque ita separetur à corpore, vt per se sola cohæreat. Cuipiam fortasse naturam duarum reliquarum vegetātis & sentientis animarum contemplanti probabili sal-

Animas stirpiū & mutorum solum esse calorem innatum.

tem argumento disputari posse videatur. Animas enim stirpium & brutorum esse à calore naturali diuersas, nec ex causa videtur satis cognosci, nec ex effectu. Efficiens namque causa proxima eadem est substantiarum & accidentium. Idémque seminis calor producit dispositiones proximas, quæ sunt accidentia; & viuentium horum formam, quæ est anima. Quin potiùs si hæc causa spectetur, oppositum concludemus: cùm immediatum principium educens animalis formam sit calor seminis. (Quæ enim alia vis reperiatur in vulua?) Quare si idem est, quod disponit materiam & dat formam, atque principium proximum educens formam & ipsa forma educta eiusdem debent esse naturæ, anima non erit diuersa à calore seminis. Neque verò finis aliquis reperitur, à quo diuersitas hæc ducatur. Cùm enim is adfertur à multis, vt accidentia tam multa, & partes, quæ sunt in viuente, ab vna anima & forma contineantur: contra quàm ipsi dicant, res ipsa euenire videtur; vt non accidentia à substantijs, sed hæ ab illis contineantur. Eædem enim sunt causæ conseruantes rei & continentes, quæ generantes fuerunt. Quare cùm proximæ generantes causæ fuerint accidentia, hęc eadem conseruantia erunt & continentia. Deinde non perit substantia, nisi quia pereunt accidentia, quæ conseruabant. Prius igitur est accidentia contineri & conseruari in materia, quàm substantię formam. Quare si verum sit illud axioma; si affirmatio est causa vt sit, negatio erit causa vt non sit, & contra: cùm accidentia non contineri nec permanere sit causa, vt nec substantię forma contineatur, nec permaneat; si hęc retineatur & permaneat, causa illa ipsa erunt. Iam ex materia & forma aut nullum peti potest argumentum, aut certè omnino contrarium. Ex forma quidem nullum. Quia cùm viuentium forma sit ipsa anima, erit semper petitio principij, idémque probabitur per se ipsum. Ex materia autem concluditur quod minimè quæritur. Quoniam ex eadem materia producuntur formæ, tàm accidentium, quàm substantiæ si quæ dentur.

Sed alteram propositę argumētationis partē explicabo, nēpe ex effectu discrepantiā animæ & natiui caloris nō cognosci. Concedunt Peripatetici nullū esse viuētis opus, quod à calore nō administretur, sed caloré, inquiunt, regi & gubernari à superiori quadā virtute, quę sit anima: At si verum sit alterum illud eorūdem principium, sic actione cognosci formā, sicut passione materiā; minimè dubitandū erit, ex diuersitate actionum diuersitatem cōcludi formarū. Nulla autem est Animę actio ab actione natiui caloris diuersa: Nec ergò intelligi potest aliā esse animā; aliam natiui caloris essentiā. Vt enim diuersitas actionū diuersitatē ostēdit causarū agētium, sic vnitas actionis vnitatē indicat agētis principij. Et sanè quæ obsecro notari operatio potest, cuius solus & per se auctor nequeat esse naturalis calor. In omni operatione plantarum id ita esse videtur: cū nutritio omnis, auctio, & procreatio apertè satis opera sint caloris. In animalibus, quæ cognitionem habēt, appetitionē, & progressionē, res est paulò difficilior. Verū hę omnes operationes nō sunt effectę caloris, sed habētis calorē. Et quāuis calor vt calor nequeat illas producere; poterit tamē vt est hoc modo cū alijs qualitatibus tēperatus, & cum certa organi dispositione coniunctus. Neq. enim anima si sit substātia potest

sola

sola operationes eas producere; sed solùm vt est in tali materia & organo. Totum igitur principium efficiens illarum operationum non est solus naturalis calor, sed totum coniunctum ex calore & organi temperatione atq. habilitate. Neq. maior aut minor perfectio viuentis spectanda est ex maiori aut minori calore, sed ex perfectiori aut imperfectiori eius tẽperatione cũ alijs qualitatibus: vnde & perfectior aut imperfectior operatio nascitur. Sed quamuis calor per se diceretur esse principiũ producendi illas operationes, minimè mirandum esset. Quja cùm forma substantiæ, si quæ est, à natiuo calore immediatè producatur; vel saltem permulti & graues viri accidens sentiant virtute propria substantiã posse producere: cur non possit calor operationes illas, quæ sunt accidentia? Maximè cùm hic calor multò præstãtior sit & diuinior elementari illo calore, qui producit ignem. Est enim calor quidam cœlesti persimilis, maximéq. vitalis, & in tali temperatione, mensura, & proportione constitutus à calore stellarum & solis, à quo etiam perpetuò conseruatur, atq. in operatione iuuatur: vt verè dictus fuerit ab Aristotele in 2. libro de animalium procreatione, cap. 3. proportione respondere elemento stellarum.

Vnum tamen est argumentum aduersus hanc rationem animę ad diluendum atq. infirmandũ omnium difficillimum. Nam cùm in semine insitus sit hic ipse calor, si is sit anima, semen nimirũ animatum esset: quare nutriretur & sentiret, si de animalium loquamur semine. Posset tamen responderi, non calorem quamlibet naturalem esse animam; sed eum solum, qui ex certa materia & in determinato loco gignitur. Ita vt duplex sit natiuus calor: vnus generans, alter genitus: Huicq. posteriori nomen animæ tribuatur. Quòd sit perfectior & in subiecto organico atq. ita temperato, vt ad illius functiones exequẽdas sit aptum. Nec mirum esse debet, si quod est magis perfectum, ab eo gignitur, quod est magis imperfectũ. Quoniam accidẽs fatentur plurimi substantiam producere. Et illi ipsi, qui substantiæ formas admittunt, eas fateantur oportet ab accidẽtibus ex materiæ potestate educi: cùm ea sola sint, quæ in materiam agant. Accedit, quòd dici potest calorem, quo viuentia producũtur, posse duobus modis considerari; vno modo vt calor est in materia sua tali modo tẽperatus. Altero modo vt cõiungitur tum calore cœlesti, qui est intelligentię instrumentum & virtus primę illius generalis causæ, quæ perpetuum efficit in his inferioribus ortum atq. interitum. Prioréque modo calorem seminis non posse fortasse viuentem substantiam procreare: posteriore non viuentem modò, sed sentientem quoque & tam vitæ, quàm sensus auctorem esse, propagatorem & custodem.

Ex his igitur videtur ostẽdi, animas stirpium & animalium nil esse aliud, quàm calorem talẽ, hoc aut illo modo temperatum. Quibus addi possent communia argumenta omnia, quibus disputatur, nullam præter intelligentem animam demonstrari posse substantiæ formam.

Animam omnẽ esse substantiã.

Verum & grauior auctoritas & firmior ratio in contrariam potiùs partem inclinat. Auctoritas est Aristotelis, cuius ingenium perspicax & maturum, grauéq. iudicium, cùm in alijs rebus aliorum omnium ratiunculis semper anteponam. Tum verò in ijs præcipuè, quæ ad animam spectant. Cùm de illa cõstet testimonio Alexandri & Themistij in proëmio ad hosce libros, nullum vnquam præclariùs ac diuiniùs loquutũ esse. Is igitur non solùm in superiori tractatione, quã hactenus interpretati sumus, animam omnem accepit esse substantiam, & quænam substãtia sit quæsiuit. Et post in tex. 39. & 41. animam confirmabit præter elementa in rebus animatis inesse, quæ elementa contineat, ne ad propria loca recedant. Atq. calorem esse quidẽ instrumentariam accretionis causam; at primariam esse animam, tanquam superiorem formam à calore & elementis distinctam, quæ accretioni modũ præscribat & terminum, quam in infinitum calor posset extendere. Verùm etiam in posteriori lib. de ortu atq. interitu tex. 54. & 55. dum de causis procreationis loqueretur, eos accusauit magnopere, qui sublata substantiæ forma gignẽdi vim omnem calori, alijsq. qualitatibus tribuebant; eos affirmans, qui ita Philosophentur, perinde facere, ac si artificiata opera ferræ potiùs ac reliquis artium instrumentis, quàm artificibus ipsis tribuerent. Et in 2. lib. de partibus animalium ca. 7. scripsit hæc verba. Quòd enim nõnulli statuunt importunè animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim; meliùs fortasse dixeris animam in quodã eiusmodi corpore constare. Cuius rei causa est, quòd ad exequenda animæ officia calor omnium maximè administrãdi vim obtinet. Cum enim officium animæ sit alere & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimùm efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari simile est, ac si ferram aut assiam fabrũ aut artem fabrilem esse ideo arbitreris; quia opus non nisi iunctis his efficiatur. quibus verbis eam planè irrisit sentẽtiam, quæ postea fuit Galeni, voluit que sine calore quidem animam opera sua non efficere; eum tamẽ non esse principem causam, sed supra illum aliam esse formam, quæ præcipua sit opifex causa, & calore tanquam instrumento vtatur.

Ratio porrò est multiplex. Primùm enim omnes illæ proponi possunt, quibus antea substantiæ formam demõstraui. Nam eædem in anima & animatis rebus maiorem vim habent. Præter ea verò, quæ omni formæ cõmunia sunt, alia quędam accidũt animæ magis propria. Etenim ea nobilissimum est & diuinissimum omniũ entium naturalium, vt in Cõ. 5. huius libri verè obseruauit Auerroës; & ideo manifestum esse dixit & ex prima naturali cognitione perceptum, eam esse substantiã, non accidẽs: quoniam substantia omni accidẽti præstat: videretúrq. indignũ dicere, primam materiam imperfectissimum ens anima præstantiorem esse. Deinde quamuis dictũ sit, quomodo operationes omnes ad solum possint calorem tanquam ad efficientem causam reuocari: in permultis tamen, præsertim in cognitionibus & appetitionibus, quis id credat? quódq. obijciebatur huic sentẽtię, solũ accidẽs virtute propria substãtiam procreare, id verò audẽter negatur, & falsum esse alio loco demõstratur. Præterea cũ in his ipsis operationib⁹ cognitionũ exercẽdis manifestũ sit, hominẽ à cõpluribus bestijs superari, eúmq. habere substãtię formam tãquam illarum principiũ & causam; non minus certè credendum est in cęteris quoq. animalibus principiũ eas habere & causam substãtialem. Inde verò plãtarum quoq. animã coniectabimur. Nam cũ eodẽ modo nutriatur plãta & crescat, quo animali, si in animali principiũ sit substãtiale, erit quoq. in planta. Tum verò accedit tota corporis configuratio, distinctio, & organizatio tot ac tantopere inter se

distinctorum membrorum. Quam figuram atque membrorum conformationem cõstat esse animatorum propriam; atq. ex ea concludi potest substãtiæ forma multò præstantior, quàm sit in alijs: propter quam omnia fuerint à natura tam artificiosè fabricata. Calor enim naturalis, vt nec accidentia reliqua, non hanc potiùs, quàm aliam quamcunq. figuram postulat: nec minùs in subiecto inorganico, quàm organico sustentabitur. Est enim semine quoq. quod nec certam habet figuram, nec organorum conformationem. Postremo loco adsunt singulorum animalium proprietates; quemadmodum hinnitus equi, rugitus leonis, latratus canis. Quas inane videtur esse cogitare à calore naturali, aliovè accidente quouis oriri. Præsertim cùm risum in homine fateamur ex illius substantiali forma proficisci.

Possent alia per multa his similia cogitari, quæ hanc Aristotelis sententiam multò veriorem, immò planè necessariam esse ostenderent. Quæque contra fuerãt disputata, leuiores sunt coniecturæ; quæ fucum potiùs veritati facere, quàm assensum valeant extorquere.

TEXTVS.

Ἡ δ' οὐσία ἐντελέχεια· τοιοῦτον ἄρα σώματος ἐντελέχεια· αὕτη δ' ἐλέχθη διχῶς· ἡ μὲν ὡς ἡ τοῦ εἰδέναι, ἡ δ' ὡς τὸ θεωρεῖν· φανερὸν δ' ὅτι ὡς ἡ ψυχὴ λέγεται· ἐν γὰρ τῷ ὑπάρχειν δεῖ ψυχὴν εἶναι ὕπνος δὲ ἐγρήγορσις ἔστιν. ἀναλογον δὲ ἡ μὲν ἐγρήγορσις τῇ θεωρεῖν, ὁ δὲ ὕπνος, τῷ ἔχειν ἢ μὴ ἐπιστήμην· ἐπιγίνεται δὲ τὴν γενέσει ἡ αὐτὴ ὁδὸς καὶ αὐτὴ, ἡ ὁπτέον.

Substantia autem actus: huiusmodi igitur corporis actus. Hic autem dicitur duobus modis. Alius quidem vt scientia, alius autem vt contemplari. Manifestum igitur, quòd vt scientia. Ex eo enim, quòd inest anima, somnus inest & vigilia. Proportionale autem vigilia quidem contemplationi, somnus autem habenti & non operanti. Prior autem generatione in eodem scientia.

Text. 5.

COMMENTARIVS V.

IN superiori textu animam cõclusit esse substantiam quandam in rebus animatis. Non corpus aut materiam, sed velut formam corporis, quod ad eam susc ipiendam sit aptum. Iam quoniam in tex. 2. substãtiam illam, quæ est forma, dixit esse actum & entelechiam; addit, animam ita esse substantiam & formam eiusmodi corporis, vt illius sit actus & entelechia. Et rursum, quia duplicem actum & entelechiam distinxerat, primam scilicet & secundã: exponẽs quoq. qualis actus, qualisq. entelechia sit anima; eam ait esse actum & entelechiam primam, scientiæ & habitui persimilem; non secũdam, velut contemplationem & operationes, quæ ab illa proficiscuntur. Quæ omnia eò spectãt, vt animam intelligamus non esse suam operationem; neq. in ea idem esse substantiam & operationem: sed substantiã habere priorem & omnis operationis principium. Si animam per formam, nõ per actum definiuisset; non fuisset opus addere (prima) quoniam forma non diuiditur in primam & secundam, cùm vna sit vnius rei forma & essentia. Itaque entelechiæ nomen excogitauit, vt perfectionem duplicem explicaret, quam corpori adfert anima: vnam essentialem, alteram operationis. Quorum vtrumque etsi alijs item naturalis formis commune est: cùm tamen peculiari hac voce, quæ perfectionem significat, animam appellauerit, nõ fuerit leue perfectionis animæ supra omnes alias formas argumentum.

Anima actus primus.

Porrò cùm animam esse actum primũ definiuit, multò meliùs essentiam illius est assequutus, quàm Plato, qui in actu secundo visus est vim eius totam agnoscere, dum in 10. lib. de legibus animam definiuit esse substantiam, quæ seipsam mouet; seu primam generationem, primúmque rerum motum. Et fortasse ad hanc Platonis definitionem confutandam spectant hæc, quæ tam accuratè hoc loco disputat Philosophus in actu potiùs primo naturam eius esse ostendens.

Cur omitt. cõtrarium cognitum.

Animam esse actum primum.

Animam igitur esse actum primum duplici ratione conficit. Prima, quoniam ex eo, quòd viuentibus inest anima, inest & actus primus & secundus. Igitur cum ipsa sit principium & causa omnium, actus primus dicenda est esse. Adfert ex sentiente anima exemplum somni & vigiliæ. Vigilia enim est velut actus secũdus, propterea quòd dum vigilamus operamur. Somnus est quasi actus primus, seu habitus nullum exercens secundum operationis actum. Nam etsi dum dormimus vitales & naturales operationes vegetantis animæ propriæ fiant; cessant tamen sensiones omnes & motiones, quæ sunt animæ illius sentientis actiones, cuius affectio est somnus. Ergò anima potiùs est actus primus & entelechia prima, quasi somnus. Quia vt Geometra dormiens, habet nihilominus Geometriæ scientiam & habitum, etsi Geometricum nihil contempletur: sic in somno inest in viuentibus anima, eorúmque corpora sunt animata, nec tamẽ operantur. Neque substantia animæ considerandа est in operatione; sed in eo, quod est operationis omnis principium; quemadmodum scientia contemplationis omnis. Quare vt scientia potest esse absque vlla contemplatione, contemplatio non nisi à scientiæ habitu proficisci: sic animæ natura ante operationem omnem intelligitur; nec tamen vlla est in viuentibus operatio, quæ non proficiscatur ab anima. Quapropter vt scientiam intelligimus significare actum primum & habitũ, etiam si quis scientiam habens actu contempletur. Ita quamuis anima nunquam soluta sit ab operationibus vegetantibus; quòd eæ nullo vnquam tempore nein somno quidem intermittantur: Vetè tamen dicitur esse actus primus & veluti habitus; quoniam in animabus reliquis & facultatibus est actus primus sine secundo, & habitus sine operatione. Ex quo satis manifestè cognoscitur, quamuis in anima vegetante sit actus primus cum secũdo coniunctus & habitus cum operatione; illius tamen animæ quoque essentiam non in actu secundo & operatione, sed in actu primo & habitu agnoscendam esse. Atque ita accipi vólo id, quod ait Themistius, hanc ipsam difficultatem pertractans, animam esse corporis partim primam, partim secundam perfectionem. Vt scilicet eiusquidem essentia semper in solo actu primo consideranda sit; sed tamen ea vtramque corpori perfectionem adferat, tum primam essentialem, tum alteram operationis; & ea partim sit libera ab actu secundo, quemadmodum anima sentiens & intelligens dum dormimus, partim cum eo item coniuncta, vt vegetans.

Altera

2. ratio. Actus primus secundo prior.

Altera ratio postremis verbis continetur. Actus primus generatione prior est, quàm sit secundus: siquidem posterior hic à priore illo deriuatur, quemadmodum scientia prior est complatione: sed anima prior est operationibus omnibus tanquam illarum principium & causa. Nam quia viuentibus inest anima, inest omnibus operatio, eáque abeunte cessant ab operando. Anima igitur in actu primo magis, quàm in secundo, consistit. Itaq. cum scientiam dixit Philosophus contẽplatione priorẽ esse; ea intelligenda est contemplatio, quæ ex illa scientia proficiscitur tãquam illius actus secundus. Contemplatio inquam perfecta. Alioqui imperfecta antecedit; quoniam ab imperfecto ad perfectum semper & vbique natura progreditur. Quam ob causam addidit (in eodem) In diuersis enim prior est Doctoris contemplatio, quàm discentis scientia. Sed illa non est huius scientiæ actus secundus, verùm illius, quæ in Doctoris mente residet illa ipsa cõtemplatione prior. Quod ex sola terminorum explicatione manifestum est. Nam si est actus primus, antecedat secundum necesse est: etsi habitus principium est operationis, operatione prior esse debet.

Anima esse actus primum. 1. ratio.

Quod Simplicius & Philoponus in solis mortalibus & caducis volunt intelligi. In ceteris enim quia aut nulla est potestas, sed solus actus, aut ea certè semper est coniuncta cum actu, vt habetur in tex. 32. lib. 3. Phys. habitus & operatio, actus primus & secundus, simul sunt. Addit Themistius in vegetante quoq. anima simul esse; quia nunquam opus suum & actum secundum intermittit. Verùm in his quoq. naturæ saltem, si non temporis prioritas quædam cernitur, quoniam semper causa aliquo modo suum effectum antecedit. Et vegetans anima non natura modo, sed tempore quoq. videtur operationes suas præire. Quod de procreatione quidem manifestum est. Non enim statim sibi simile gignit. Accretionem autem antecedit alitio, haneque dispositio multa & alteratio alimenti, quæ longo perficitur tempore. In quo cùm non sit prima pars, inter animam quoque & quamlibet illius alterationis partem est tempus. Sed hæc alterius disputationis sunt.

Quomodo id in vegetante anima sit.

3. ratio.

Nunc aliam eius rei, de qua agitur, rationem habet Simplicius. Imperfectum enim prius est perfecto: est autem actus primus solus imperfectior, quàm quando secundus accesserit. Siquidem operatio operantis perfectio est.

Digressio IV. Quatenus Anima sit essentialiter actus corporis.

Si igitur colligantur ea, quæ à Philosopho nobis hoc loco exposita sunt, ea duo sunt præcipua. Alterum, animam esse actum & enteleehiam corporis.

Alterum, eam esse actum primum & entelechiã primam. Porrò ex eo, quod in superiori contextu 4. positum fuerat, eam esse substantiæ formam, quinque omninò manifesta erant. Primum, eam esse substantiam simplicem, velut formam; quod etiam cognoscitur ex partitione illa substantiæ in materiam & formam, tanquam partes simplices, & id, quod ex illis tandem componitur. Vnde tamen nequaquam consequens est, vt aliqui opinantur, eam esse immortalem. Quoniam quod in reliquis formis cernitur, eas etsi substantiæ simplices sint, si tamen ex materiæ potestate educantur, interitui obnoxias esse: idem de anima vniuersè considerata existimandum est. Alterum, eam per se & sua natura impartibilem esse. Hæc enim est cuiusuis formæ, simplicisque substantiæ conditio: quòd nullam ex se compositionem, nec extensionis partes habeat. An autem dum cõiungitur cum corpore, simul cum eo extendatur, fiatq. partibilis, post examinandum erit. Tertium, non suscipere magis & minùs. Siquidem substantia est, & quidem in genere formæ perfecta. Quartum, esse per se immobilem. Quod Alexander in 1. lib. de anima. cap. 6. & 2. lib. naturalium quæst. cap. 10. hoc argumento confirmauit: quia cùm anima nequeat perse esse nec potest per se moueri. At falso nititur fundamento. Tum quod nullam crediderit animã posse à corpore separari. Tum quòd ratio, cur aliquid moueri non possit, nequaquam ea est, quòd per se non existat. Verùm hæc potiùs, quam in 6. Physicorum lib. habemus, quòd non sit corpus quantũ & partibile. Id in separatis mentibus planè intelligitur: quæ per se quidem subsistunt, omnino tamen immobiles, quintum ac postremum, animam esse actum corporis. Omnis enim forma est actus materiæ.

Priora quatuor tanquam manifesta, alijsq. in locis explicata prætermisit Philosophus. Solum hoc postremum adiecit: quia cùm formam antea dixisset esse actum, vbi probatum fuerat animam esse formam, consequens statim erat eam esse quoquo actum. Actum inquam primum, incompletum & dimidiatum, aptum formare, & coniungi cum altero tanquam illius perfectionem & substantiæ compositæ partem. Et quoniam omnis huiusmodi actus ordinem quempiam inuoluit, non certi generis, sed transcendentem, ad id, cuius est actus, & cum quo coniungi potest: in anima quoque intelligere oportebit eiusdem generis ordinem ad corpus, cuius anima esse potest. Hæc igitur omnia sunt in anima cogitanda. Primùm inchoata illius & dimidiata substantia. Deindè aptitudo ad actuãdum & formandum aliud. Tum ordo ad illud, cui vniti, quodq. formare potest. Præterea actu formare & dare illi esse. Ad extremum esse principium operandi, & actu operari. Actu operari certum est longissimè abesse à natura & essentia animæ. Nec quemquam adhuc legi, qui apertis verbis affirmaret; quamuis Plato quoquomodo significauerit. Manifestum enim est, formæ & actus primi essentiam actu secũdo priorem esse; atq. omnino liberam ab omni operatione, quæ ab illa proficisci possit. Et ideò animam demonstrauit Philosophus esse actum primum, non secundum.

Animam semper significare ordinem ad corpus.

Cæterùm coniunctionem cum corpore, actualémq. formationem visus est Alexander existimare esse de illius essentia, dum in priore lib. de anima capite 3. & 4. animam ita esse formam probare conatus est, vt nunquam possit à corpore separari. Et in 1. lib. naturalium Quæst. cap. vlt. cum disputaret, quomodo forma sit in materia. Affirmauit enim esse per se, si non primo, certè secũdo modo eorum, quę per se dicuntur. At quid mirum? in eo fuit errore Alexander, vt formas omnes vel etiam humanam animã, crederet esse mortales. Quãquã nec illud est verum, quod affirmat, aut certe affirmare videtur. Tũ quia vel in illis formis, quę sunt

Esse actid formam non esse de essentia animæ.

mortales, prius est esse in se, quam illud suum esse communicare subiecto. Quoniam prior semper est causa suo effectu, natura saltem, mentisq. cogitatione, qua essentiam causæ absq. vllo affectu perfectam esse intelligimus. Tum quia si materiæ accidentarium sit, non essentiale, suscipere actu formam, cùm potestas esse solùm definiatur; cur de formæ natura secus sentiamus?

Animam separatã non esse actu formam.

Alios magis miror, qui cùm animam nostram immortalem & à corpore separabilem esse fateantur; eam tamen separatam asserunt esse actu formã. Hoc nimirum est ab inferis excitare Platonicas illas Ideas à rebus singulis separatas, & tamen illarũ formas: quod & in tex. 19. lib. 2. phys. & alijs in locis Arist. confutauit. Mihi verò horum hominum opinio apertam videtur contradictionem inuoluere, manifestámq. implicationẽ cõtinere. Nam si anima à corpore separata sit actu forma, eam necesse est esse cum corpore copulatam. Tum quia, vt est in tex. 37. eiusdem libri, causa actu, & effectus actu sunt simul: cúmq. effectus formæ sit formare & actuare materiam, compositamq. substantiam constituere: si sit foma actu, necesse est aliquam ab ea materiam actuari, atq. compositam substantiam constitui. Tum quia esse formam actu, nil aliud est, quàm esse coniunctam cum materia, eámq. reipsa formare. Eæ namq. intrinsecæ causæ iudicantur, quæ vim suam non exercent, nisi seipsas exhibendo, seseq. vicissim complectendo. Anima igitur illa & erit separata & non separata, cum materia complicata atq. à materię vinculis soluta & libera. Deindè quoniam formare & dare esse actu, est velut actus quidam secundus; quia est causalitas & quasi operatio formalis causæ: negari omnino non potest, totam vim & essentiam animæ, quæ actum primũ significat, ab actuali formatione liberã esse.

Animam separatã potestate formam esse.

Quid ergò? Ita ne animæ nostræ naturam à materiæ sordibus vindicabimus, vt nihil sit illis commune? Nõ est immaterialis illa & incorporea substantia vsq. adeò perfecta & integra, vt ab omni materiæ, corporisuè ratione separari queat. Sed cùm dimidiata sit & quasi inchoata natura, materiam semper respicit atq. ad corpus, cum quo apta est coniungi, intima quadamvi refertur. Itaq. non solùm quandiu est in corpore, sed ab eo quoq. soluta illud respicit, habetq. semper aptitudinem ad formandum. Quapropter potestate, non actu, forma dicitur. Quemadmodum enim si ab omni forma separaretur materia; potestatem tamen retineret ad formam: Et quamuis actu non esset materia & subiectũ eius, neq. actu subiecti & materię causalitatem exerceret; quia non esset actu id, ex quo, & in quo: actu tamen suam haberet essentiam, qua esse posset. Ita sanè anima à corpore separata essentiam retinet suam, qua est actu anima in seipsa; at non actu forma (hoc enim causam quandam significat) sed potestate duntaxat. Non est inquam forma actu secundo, quia actu non forma: sed solũ actu primo, quia est natura apta formare. Eodẽ igitur prorsus modo se habebit in anima hæc ad formandum aptitudo, quo in materia se habet potestas subiecti. Non enim est qualitas, sed ipsa essentia animę imperfecta & apta ita coniungi cum altero, vt det illi esse. Et ideò nunquam potest ab anima seiungi. Quemadmodum etiam de illius essentia est esse operationis principium, sicut de essentia materię esse principium passionis. quippe hęc nihil aliud significant, quàm ipsam animę aut

Aptitudo ad formandũ essentiã animæ.

A materię naturam; illàm aptam àgere, hanc pati.

Hoc tamen magnopere distinguntur materia & forma ab efficiente, & fine; quòd cùm illæ sint causę intrinsecę, ita sunt causę, vt sint etiam partes essentiales rei. quod ex eo nascitur, quòd ipsę per se sunt imperfectę, atq. per illum actum secundum, quo coniunguntur & perfectissimum quidpiam tertium costituunt, plurimùm perficiuntur. Quare etsi actus ille secundus, nempe actu subijci formę, aut actu formare materiam, formę, aut materię essentiam non attingat; ad earum tamen integritatẽ & perfectionem spectat. quoniam nequaquam integrę sunt & perfectę, nisi quando vniuntur & actũ illum secundum habent. At efficiens causa, vt est extrinseca, sic integrum & perfectum esse habet, etsi causalitatem suam non exerceat. Sed hęc est merè actus quidam secundus, quo alteri potiùs tribuitur efficientis perfectio. Eodémque modo de fine cogitandum est.

Formam actu esse essentiã animæ.

Verùm vt ad animam reuertamur, eam hactenus habemus essentaliter esse actum corporis; nõ actu, sed potestate: actualem aut formationem non ad essentiam, sed ad integritatem & perfectionem illius pertinere. Ex quo illud etiam conficitur, posse quidem essentiam animæ non cogitatione modo, sed re ipsa interdum ab omni actuali formatione auelli: nullam tamen esse separationem, quæ illam prorsus liberet à corpore; hoc est ab omni illo ordine ad corpus, qui ex potestate & aptitudine formatrice oritur, fieri inquam potest, vt anima quapiã re ipsa separetur à corpore ac per se cohæreat; at nunquam ita separabitur, vt nullum ordine ad corpus significet, neq. amplius sit apta illum rursus formare. Quoniam cum hic formandi potestas sit eius essentia imperfecta & potens, nisi à suamet essentia separetur, nunquã ab eiusmodi potestate liberabitur. Etenim neque materiam abstrahes vnquam à potestate ad formas. Quoniam hæc est ipsa eius essentia. Quamuis à singulis formis reipsa separetur.

TEXTVS.

Διὸ ψυχὴ ὅση ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἐχοντος δυνάμει· τοιοῦτον δὲ, ὃ αὐτὴ ὀργανικόν· ὄργανα δὴ καὶ τὰ φυτῶν μέρη, ἀλλὰ παντελῶς ἁπλᾶ· οἷον τὸ φύλλον σκεπάσματι τὸ ὑμενώδεστον, καρπὸς δὲ αἰζήσει τὴν σπερμᾶ σκέπασμα τὸ ὀστώδες ἢ τὸ περίκαρπον· ἀμφω γὰρ ἔοικεν πως προφυλᾶ.

Quare anima est actus primus corporis naturalis potestate vitam habentis. Tale autem, quod vtique est instrumentale. Instrumenta autem & plantarum partes, sed penitus simplicia: vt folium eius, quod circa fructum tegmen. Id autem, quod circa fructum, fructus. Radices vero ori proportione respondent. Ambo enim alimentum trahunt.

COMMENTARIVS VI.

QVæ hactenus de anima fuerunt exposita ad quinque ferè Conclusiones pertinent. Prima est, Anima est substantia. Altera, Anima non est corpus, seu materia. Tertia, Anima est forma corporis, ceu materiæ. quarta, Anima est actus, seu entelechia corporis. quinta, Anima est actus primus, seu entelechia prima corporis. Corpus autem perpetuò intelligendum est naturale, vt in tex. 3. expositum

expositum est. Hæc omnia paucis nunc verbis concludit ex superiùs dictis colligens, animã esse actum primum, seu mauis entelechiam primã naturalis corporis. Totámq. definitionem absoluens vltimã addit particulam (potestate vitã habentis).

Idem organicum & potestate viuens.

Deinde putat Simplicius addi (organici) tanquã distinctam particulam, atq. in definitione necessariam ad eam vim animę ostendendam; quæ vtitur corpore & illud mouet. Vt potestate vitam habẽs respiciat vitam essentialem & actus primi; organicum, vitam accidentariam & secundum operationis actum. Cæterùm neq. operatio & actus secundus pertinet ad essentiam animę, quam in actu primo iam posuit Philosophus. Neq. in tex. 7. vbi totam definitionem colliget, vtrámq. adhibebit particulam; sed alteram solam. Et quidem (organici) inquiet, vt ostendat perinde esse dicere organicum & potestate viuens, quod in hoc textu nominauerat. Voluit igitur explicare, qualenam sit illud corpus, quod dixit potestate viuens. Propterea namq. subiungit esse corpus organicum, hoc est in plures partes diuersæ rationis distinctum, quibus anima velut organis & instrumentis vti possit ad alias atque alias operationes exequendas, quarum ipsa in corpore principium esse potest.

Plantarũ corpora organica.

Quòd argumento à minori probauit: corpus inquam illud, cuius actus sit anima, organicum atq. ætherogeneum esse oportere. Seu (quod idem esse opinor) in plantis quoq. quæ non vsq. adeò conspicuas habẽt distinctas partes, vt animalia minusque vti videntur instrumento; quòd penitus immersa sit in materia earum anima; quodq. instrumento vtitur, videatur ab eo debere esse separatũ; ostendit diuersa instrumenta reperiri. Nec eas viuere solùm, sed & illarum partes animæ instrumenta esse ad complura vitæ munera obeunda. Etenim plantæ, quæ inter viuentia omnia simplicissimæ esse videntur, minúsque distinctas habere partes; quia tamen animatæ sunt, huiusmodi habent corpus in plures partes ceu organa diuersa distinctum.

Simplicia autem instrumenta vocauit, siue quòd vnam tantùm operationem habeant, siue comparatione animaliũ, in quibus multò maior cernitur apparatus, maior naturæ industria, maior ex omogeneis & ex ætherogeneis partibus cõpositio. Quòd plures ac diuiniores actiones exercere debeant; dũ in plãtis solæ vigẽt naturales. Quocirca nõ immeritò simplicia instrumenta dixit, non simplices partes. Sunt enim ætherogeneæ partes ex homogeneis compositæ. At instrumenta simplicia.

Egò in illis visuntur folia in eum finem fabricata, vt fructus tegant, atq. ab iniurijs tueantur; velut tectum ab optima parente natura præparatum. Seu potiùs id, quod est circa fructus; quod περικάρπιον Philosophus dixit; carnem seu pulpam possumus nominare. Fructus enim propriè solum semen significat; quod tamen aliquo modo inclusum continetur, vt melius conseruetur, nec facilè ab alio lædatur. quamquam Galenus in 2. lib. de alimentorum facultatibus cap. 1. aliquid voluit inter fructum & semẽ interesse. Nec Aristoteles in 1. lib. de animalium ortu cap. 18. secus differre, quàm prioris, posterioris suè ratione: quòd fructꝰ id dicat quòd ex alio est; semen autem, ex quo aliud: alioqui ambo idem esse.

Fructus & semen quid.

Habent & corticem, lignum, aut aliquid aliud ciusmodi. Habent radicem, truncum, & ramos, partesq. cæteras, quas accũratè magis persequuntur Themistius hoc loco; & in libris de Plantis Theophrastus. Et quidem radices sunt veluti os, quo ex terra trahant alimentum, quo sustententur. Et ideò infixæ sunt terræ, vt inde alimentum sugant. Et quod in viuentibus perfectioribus, hoc est in animalibus, est os, hoc sunt radices in plantis hoc enim est, quod ait, radices esse ἀνάλογον, hoc est proportione respondens ori.

Si igitur plantæ viuentium omnium simplicissimæ, minúsq. distinctæ, habent partes diuersæ inter se naturæ, eárumq. anima est actus corporis organici & ęterogenei: multò magis de animalibus, quę compositam magis & perfectam habent naturam, id poterit affirmari; eritque omnis anima actus corporis naturalis organici.

Vbi cùm corpus organicum audit Auerroës, addit (primum). quod aliqui additum putant propter corpus artificiosum; quod organicum item est, sed veluti secundum. Alij interpretantur cor, in quo tanquam in principe membro primam Philosophus animę & vitę sedem posuit. Alijs totum corpus organum placet dictum fuisse primũ animę subiectum; propterea quòd in eo toto primum & perse suscipitur anima deinde singulis quoque ęterogeneis partibus dat vitam. Sed nulla fuit necessitas vocis illius addendę. Namq. corpus artificiosum iam erat exclusum naturali corpore nominato. Et cùm quęratur hoc loco, non pręcipuum membrum, quod viuat; sed adęquatum animę subiectum; nõ erat nominandum cor. Ac demum quærendo subiectum primum & adęquatum, statim atq. positum est corpus organicum, excluse sunt satis homogeneę partes; nec erat opus addere (primum). quoniam corpus organicum necesse est eterogeneum esse.

Anima solius corporis organici actus.

Porrò quòd Arist. corpus potestate viuens interpretatus est organicum, sapienter omnino factum est. Animam namq. non esse actum cuiusuis corporis, sed certi cuiuspiam & determinati perspicuum est, quia non omnia, sed certa quępiam & determinata corpora sunt animata; omniq. actus determinatam aliquam potestatem actuat, & omnis forma certam quampiam materiam format. Quale autem sit hoc corpus, adhuc ferè modum inuestigamus. quælibet substantiæ forma non solum vt det esse actuetq. materiam, tanquàm actus potestatem, comparata est: verùm etiam ad operandum refertur, tanquam actus primus ad secundum, & ad proprium finem: siquidem operatio est vltima rerum perfectio. Itáq. formam necesse est duo dispositionum genera antecedant. Vnum, quo materia ad omnem formã indifferens determinetur ad hanc, fiátq. ad eam suscipiendam & conseruandam accommodata. Alterum quo eadem illa forma operationes possit naturæ suę conuenientes exercere, quæ duo dispositionum genera vt plerumq. reipsa conueniunt in vnum; semper tamen ratione saltem distinguuntur; vt primũ antecedere oporteat, alterum subsequi. Id verò multò magis in anima necessarium est, ac nobiliori modo animaduertimus. Primùm enim hæc nobilissima est omnium forma, quæ plures multò ac præstantiores dispositiones postulat, quibus aut educi ex materia possit, aut certè cum ea copulari. Deinde si operationes consideres, ea tum multitudine ac varietate operationum, Tum operandi modo, vt paulò post exponam, formas alias omnes

Duplex dispositionum genus in materia.

magnopere superat. Eam igitur necesse est habere corpus accuratius multò dispositum, quàm reliquę habeant formæ; illudq. aptum ad plurimas atque interse plurimùm discrepantes functiones obeundas. Cum primis autem oportuit corpus hoc non esse ità integrum & coniunctum, quemadmodum est cæterarum formarum subiectum: sed solutum magis & quasi vinculis colligatum; vt facilè flecti posset atq. pro partium diuersitate ad aliàs atq. aliàs operationes perficiendas inclinari. Hinc partium ac membrorum diuersitas, veluti organorum, quæ alijs atq. alijs operationibus ministrarent; & ideò diuersis, item qualitatibus & figuris affecta esse debuerunt.

Anima comparatione corporis tum formæ, tum agit.

Ita factum est, vt anima comparatione sui corporis, tum rationem habere formæ comparatione suæ materiæ, tum rationem agentis principij comparatione instrumenti. Principium namq. & opifex operationum omnium anima est, quę corpori, diuersisq. eius partibus, ceu instrumentis, ad eas exequendas, perficiendasq. vtitur. Vnde confici posset inesse in singulis partibus corporis præter animam proprias earum formas, quibus diuersæ partes aptæ euadant diuersarum operationum instrumenta: animæ tamen tanquam principi atque omniũ moderatrici subordinatas. Verùm de hoc postea. Nunc sat sit ostendisse causam eius, quod ex effectu duntaxat affirmauit Philosophus: cur anima ad solum organicũ corpus referatur, quod plures habeat diuersæ rationis partes.

Formæ partiales.

Duplex animæ corpus.

Quæ cùm ita sint, Quid in proëmio ad hoscę libros scripsit Philoponus, & in expositione sæpiùs repetit? viuentium animam duplex habere corpus, cuius sit actus. Vnum crassum hoc & palpabile, quod cernimus oculis & manibus contrectamus. Alterum tenue ac spiritale, quod nec cerni potest, nec tangi. Quare de intelligente anima loquens eam affirmat, posse quidem ab hoc crasso & sensili corpore separari; tenue tamen illud alterum ac spiritale nunquam relinquere. Et ideò apparere interdum spectra circa mortuorum sepulchra, animasq. cum hoc corpore apud Inferos torqueri. Cæterùm hæc omnia corpora sunt homogenea, & sibi vbiq. similia, in quibus instrumentorum diuersitas nulla. Vidit hoc & conatus est vitare Philoponus in Commentario ad tex. 19. sed in alium errorem incidit; spiritum inquiens (hic enim videtur esse tenue illud corpus) esse organicum. Cùm tamen totus sit vbiq. sibi similis. Neque corpus simplex & inorganicum potest esse tale, integrum, per se, & adęquatum animæ subiectum.

Vt anima sit actus partium homogenearum.

Nam si de partiali & adæquato sit sermo, quod non per se cohæreat, sed in eo toto & integro, in quod suscipitur anima: potest sanè inorganici quoque misti tamen, non simplicis corporis actus esse anima. quod in carne, osse, neruo, cæterisque eiusmodi partibus manifestum est. Nutriuntur enim & augentur. Iis tamen non inest anima, nisi quatenus in toto inest organico corpore, quod ex illis omnibus coagmentatum est. Quam ob causam iure optimo solius organici corporis dicitur esse actus. Quoniam si partes eæ à reliquo corpore auellantur, nullam in seipsis retinent animam, nullam vitam.

Primum igitur & adæquatum animę subiectum proposuit Philosophus totum corpus, vt ex illis omnibus partibus constat, quę ad illius integritatẽ atque absolutionem pertinent. Atque hæc ad præsentis loci interpretationem, quantum Commentarijs ratio patitur, satis. Nam quomodo sit actus corporis & singularum eius partium, diligentiùs post examinabitur.

Digressio V. De diuersis formarum gradibus.

Dum hoc loco plantas Philosophus inter viuentia numerauit, non iam vniuersè animam, sed illius species cœpit nominare. Quæ res eo longiorem postulat & accuratam magis operam, quo certius aliquid de omnibus animæ partibus constituere oportet. Non enim defuerunt, qui vegetantem formam vere animam, plantásque animatas esse negarent. Quod Stoicos sensisse, stirpium formam naturam potius, quàm animam, appellantes; legimus apud Galenum in 6. Hipocratis librum de vulgaribus morbis com. 5. particula. 5. & lib. 6. de Hipocratis & Platonis decretis cap. 3. Et Theodoretum de Græcorum affectionibus lib. 5. Alij contra, sentientem quoque animam illis dederunt, eas dolere inquientes, lacrymari, & id genus alias operationes edere. Quod ab Anaxagora fortasse & Empedocle didicerunt; de quibus hæc ipsa in priore libro de plantis cap. 1. Philosophus prodidit. Parciùs Proclus com. 3. in Platonis Timęũ ex Platonis sententia postremum atq. obscurissimum plantas habere sensum voluit; non sensilium qualitatum, sed suauis & molesti. Alijs verò duplex animæ genus placuit, vegetans & cognoscens: hócque posterius in sentiens rursus & intelligens subdiuiserunt. Alij vegetanti, sentienti, intelligenti addiderunt mouens de loco ad locum. Alij etiam appetens. Ac demum alij cogitãs.

Verùm sapientissimè omnino Peripatetici tria animarum genera prosuerunt, vegetans, sentiẽs, & intelligens: vt videre est in 2. libro de animalium procreatione cap. 3. & in toto hoc opere de anima. Quibus item in locis plantæ inter viuentia & animata corpora numerantur. Et in tex. præsertim 83. 93. & 95. lib. 1. & tex. 14. 2. huius lib. & in priore lib. de plantis, eas vita frui, hoc argumẽto demonstrauit, Quoniam nutritionis & accretionis principium habent in se ipsis. Cùm vita, inquit Alexander in priore lib. de anima. cap. 8. omnibus viuentibus insit ex animæ præsentia; stirpes autem viuant, habebunt igitur animam stirpes, & erit stirpium anima virtus, qua intercedente viuunt. Viuunt autem quatenus & nutriuntur & incrementum sumunt. Igitur vis altrix & auctrix anima & species stirpium est. Hæc Alexander. quin etiam procreationes, cóq. ipso modo quo animalia semen tanquam aliquid ex sua substantia suppeditando. Has enim operationes cùm in animalibus certum sit oriri ab anima, iniquum est Themistij iudicio in extremo primo lib. de anima in plantis existimare non ab anima proficisci. Ad hunc igitur modum ratiocinemur.

Propria vis formę, vt est forma & actus, in eo cernitur, vt sit actus determinatæ speciei, quã tanquã vltima perfectio consequatur operatio. Ita rerum naturalium formas ab illis distinguimus, quę arte producuntur, quòd hæc stolidè sunt & quasi mortuę, illæ efficaces atq. alicuius operationis principium. Porro in hoc plures sunt gradus. Primus est illius formę, quæ operationem quidem edit, at non

in eo, in quo ipsa est, sed in aliud quidpiam. Quo modo ignis ait in lignum. Etsi enim omnis forma naturalis alicui operationis in eo in quo est, principiū existat: quædam tamen alias habet in aliud, cum quibus dum comparatur, gradum quendam formæ omnium postremum constituit. Etenim quò perfectior est forma, eò magis eleuata est & abstracta à materia. Quoniam ita magis à potestate & imperfectione materiæ recedit, atq. ad actus perfectionem accedit. Hæc autem eleuatio consideratur potissimùm in quadam certè inchoata reflexione ipsius supra suam operationem, vt & conuertere se possit & in seipsam operari. Hoc enim solutum omnino & liberum actum significat. Atque in Deo & Intelligentijs, in quibus absolutissimus est, perfectissimè reperitur; in cæteris quoquomodo. Si quæ igitur esset forma, quæ in aliud duntaxat operandi principium foret; ea sanè infimum esse formæ genus. Quoniam nulla esset reflexio, nulla à materia eleuatio. Ac quia nulla eiusmodi existit forma, primus hic operandi modus nullum formæ genus ab alijs diuersum constituit. Sed quidpiam potiùs est formis omnibus commune: distinctióque graduum formarum ex singularum proprijs operandi modis quærenda est.

Secundus gradus. Alter igitur gradus est formæ, quæ principium est primò & per se operationis in eo, in quo est. Hæc nimirum est natura in 2. physicorū libro definita. Atq. in hoc conueniunt omnes formæ inanimatarum rerum, tum simplicium, tum mistarum: si modo hæ quoad operandi principium, & non potiùs quoad entis naturalis constitutionem sint natura. Vtroque enim modo naturalia à non naturalibus distinguuntur; essentia inquam & operatione. quòd & essentia ex materia & forma constet, & forma non sit iners & stolida, sed efficax atque in operationem prorumpens. Iam verò in hac operatione vestigium aliquod reflexionis cernitur. quia etsi eadē forma nondum ita seipsam moueat, vt per se primo sit principium & subiectum motus: dum tamen ab ea profectus motus in altera sibi coniuncta parte, hoc est in materia suscipitur; compositum, in quo ipsa inest, verè affirmatur mouere seipsum, haberéq. in se principiū & subiectum motus. Atque in hoc aliquod reflexionis vestigium apparet. Nihilominus adhuc est hæc forma imperfecta, tum propter imperfectam reflexionem, tum propter operationis determinationem. Nam quia est forma prorsus materialis, non potest perfectè in seipsam agere, nec nisi vnam promere operationem.

Tertius gradus. Post hunc alius est tertius perfectior gradus illius formæ, quæ ita est operationis principium, vt sit item subiectum, & verò etiam quomodo obiectum: dum per eam compositum & à se & in se operatur ratione diuersarum partium. Propterea hæc formæ corpus postulant eterogeneum, quod naturæ diuersæ partibus constet: Sic enim vna potest in aliam agere. Atque hæc forma, qua primus viuentium & Animatorum gradus absoluitur, plantarum & vegetantium proprius est. Viuere enim & animatum esse, si per se & solitariè consideretur, proque actu secundo & operatione sumatur, nihil aliud significat, quàm ratione aliarum atque aliarum partium à seipso moueri. Nam etsi in anima quoque moueantur à seipsis: non mouentur tamen nisi ratione totius, atque vno tantum modo: animata pluribus modis & ratione diuersarum partium: Hoc in plantis primum apparet: & ideò illarum forma primus ponitur viuentium atque animatorum gradus. Verùm cum quelibet forma duplicem vim habeat, absolutam vnam, alteram operatricem: plātarum forma quoad esse absolutū nequaquā videtur ab inanimatis formis distingui. Etenim forma est prorsus materialis & quanta: quę vt det quodpiā esse perfectius, non magis tamen videtur efficere genus formę diuersum, quàm forma efficiat mistū, nobilior multò, quàm elementi forma. quoniam quod esse essentiale & absolutum nihilò magis eleuatur à materia. At si vis operatrix consideretur, eadémque illa forma spectetur quatenus esse quoddam adfert, quod eiusmodi operationum principium sit; sanè plantarum formam genus formę diuersum dixeris: quia in hoc supra omnes alias formas magnopere eleuatur. quod ex operationibus, atque operandi modo cognoscitur. Nutrit enim planta seipsam, auget ad omnes situs differentias, generat tribuendo aliquid ex sua substantia vna parte agit in aliam; vt radicibus vim cęteris communicando. Ac demum certis, statisq. temporibus & ad quendam vsque terminum operatur. quare si ex operatione, atque operandi modo licet colligere esse operatiuum, & formam, quę operandi principium est; negari non potest, vegetantem formam à cęteris omnibus diuersam esse. quod alia plura confirmant, quę in plantis visuntur ab alijs prorsus formis discrepantia. Habent enim locum à corporibus merè naturalibus distinctum. Dum hęc domicilium habent in natura determinatum, sursum aut deorsum: plantę plura videntur occupare loca, dum partem vnam terrę infixam habent, & reliquas in superioribus elementis erectas expansasque. Deinde aërem postulant non quouis modo, sed quàm optimè dispositum ad cœlestem actionem suscipiendam. Nam nisi solis calore foueantur sæpe, arescunt aut putrescunt. Non quòd eæ calore hoc solis nutriantur; sed quòd cùm imbecillior sit natiuus earum calor, solis calore fouendus est & excitandus, quemadmodum animalia cordis & arteriarum pulsu insitum calorem excitant & fouent. Neque tantopere calore solis indigent: sed cùm in se ipsis principium hoc habeant, ferè satis est illis generalis ille calor, quo tota hæc inferior natura fouetur & conseruatur. Postremò corporis accedit organizatio, partiúmque diuersarum ceu animæ organorum distinctio ad operationes plures obeundas: cuius hoc loco Philosophus meminit. Cùm in omnibus merè naturalibus corpus sit homogeneum, totúmque sibi simile. Quoniam natura est ad vnum determinata, nec nisi ad vnum operationis genus corpore illo vti debet. Denique ex animalibus, quę constat viuere & anima, frui, habentque corpus organicum & animam illius actum; plantas quoque ratiocinari licet & vita & anima prędītas esse: eámque cum tot támque diuersarum operationum principium existat, atque in omnibus tantopere à merè naturalibus formis discrepet; efficere genus formę ab illis omnibus diuersum, magisque à materia eleuatum.

Plantarū anima.

Iam verò ex hac conditione formę, qua viuentia à non viuentibus distinguntur, perfectiones com-

plures oriuntur, tum ex parte ipsius formæ, tum ex parte materiæ, quę ab huiusmodi forma actuatur. Ex parte formæ magna facultatum atque operationum varietas. Quarum aliquæ ad conseruationem indiuiduę naturæ spectant; vt nutriens, quæ consumpta substantia renouatur. Aliæ ad perfectionem, tum ipsius naturæ quoad partes integritatis, tum operationes: vt facultas altera, quæ membra omnia ad perfectionem perducit. Aliæ demum ad perpetuitatem & conseruationem speciei, vt facultas sibi simile procreandi. Quæ virtus in rebus quidem inanimis item reperitur, quoniam hæ quoque propter vniuersitatis huius perfectionem conseruari debuerunt. In viuentibus tamen est multò perfectior. Tum quòd non quouis, sed certo & determinato tempore quasi cum quadam libertate procreant. Tum quòd aliud generant dando illi aliquid ex sua substantia. Quam ob causam perfectiùs in illis cõseruatur identitas, dum aliquid gignentis in genito remanet. Tum demum quòd vim etiam habent attractricem alimẽti, ex cuius quadam parte sibi simile gignantur. Et parte verò corporis hoc inanimis animata præstant, quòd illorum corpora non sunt homogenea, natureq. ac constitutionis simplicis, sed eterogenea: cum magna scilicet, tum partiũ, tũ quantitatum & figurarum, tum qualitatũ & cõplexionum varietate. Atque vt in toto, sic in partibus singulis quantitatem requirunt summè determinatam, figuram certam, cõstitutam dispositionem ac situm earum, cum admirabili quodam ordine superioris & inferioris, anterioris & posterioris, dextri & sinistri. Quæ omnia ad diuersas ordinantur operationes. Tametsi partium hæc dispositio, nisi fortasse in ratione superioris & inferioris, non tàm sit in plantis, quàm in animalibus conspicua. Hic igitur est tertius formarum gradus, isque viuentium primus, plantarum ac stirpium proprius.

Plantæ vt mori dicuntur.

At enim vitam & mortem inquies ita connexas esse, vt ea, quæ dicuntur viuere, verè etiam affirmentur mori: plantas autem nequaquam dici mori, sed aresc ere potiùs, vt in cap. 14. lib. de vita & morte scripsit Philosophus. Non negauit is plantas mori, vt mortem definierat extinctionem esse nutriẽtis animæ cum calido. quoniam cùm in illis quoque insit hæc anima, eius extinctio mors appellari potest. Sed quatenus alterum mortis genus, quod est per marcorem, in plantis ariditatem potiùs voluit nominari. Tum quòd dum moriuntur arescant. Tum quòd cùm vita sit formaliter permãsio seu conseruatio animæ in corpore, ea ex duobus pendet, aut ex solis qualitatibus materialibus & dispositionibus corporis, maximéque ex innato humido: aut etiam ex animæ quadam facultate, quæ vitalis appellatur, quòd hoc sit proprium illius munus, vt vitam tueatur & conseruet. In plantis autem priori tantùm modo conseruatur: posteriori animalium perfectiorum, quæ cor habent & arterias, proprius est. Itaque cùm eà propriè dicantur viuere & mori, quæ vitali hac facultate vtuntur; meritò hanc negauit propriam vitæ, mortisque notionem inesse plantis, quæ deficiente solùm humido ita pereunt, vt planè siccentur & arescant.

Quartus gradus.

Quartus formarum gradus ille videtur esse, quo forma ita eleuatur à materia, vt præter hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt, adferat etiam materiæ præclarius quoddam & perfectius esse, quam sit aut esse formę merè naturalis, aut etiam vegetantis animę. Hócque non solùm sit operatiuum, sed etiam absolutum: nimirum esse cognoscens. quod quidem videtur esse quodammodo immateriale; quo cognoscens recipit in se ipso omnia, non eo modo sensili & materiali, quo sunt in seipsis; sed altiori quodam, nempe in esse cognito, siue per speciem aut imaginem sui, siue potius per ipsam cognitionis actum; de hoc enim post agendum erit. Vtrouis autem modo tota res cognita in cognoscentem transfertur; nec tamen in eo efficit molem; veréque anima, dum omnia in se suscipit, cognoscendo fit omnia. Hoc animalium, quę sensum habent, proprium est. Et ideò sentiens anima, cuius est hoc bonum, quartus formarum gradus constituitur, qui commemoratos omnes alios, tum esse operatiuo, tum esse absoluto superat. Nam si obiectorum susceptio, veluti antecedens operationem cognoscentem passio sit speciei susceptio; etsi hęc non sit susceptio nisi rerum singularium & materialium; eleuatur tamen magnopere à materia, quia modo quodam immateriali suscipiuntur, neque ex illis fit aliqua moles in cognoscente. Sin autem non speciei susceptio sit, sed ipsiusmet actus cognitionis, quę operatio est, quę in eodem suscipitur, à quo producitur: ea est idem re cum operatione cognoscente; & vtratione distinguitur, eam consequitur. Estque obiecti susceptio in cognoscente nobilior multò, magisque eleuata à materia, qua præstantiori, minusque materiali modo anima cognoscendo fit omnia, dum inesse cognito omnia in se commutat, atque in suam conditionem transfert. quo ad esse autem operatiuum, multò plures adsunt & facultates & operationes. Nam præter eas omnes, quę in plantis insunt, habent animalia cognoscendi, appetendi actu elicito, seséque loco mouendi facultates. Immò in vegetantibus quoque operationibus animalia plantis meliora sunt. In nutritione quidem & accretione, propter plures ac diuersas coctiones, quibus plura item in corpore vasa dicata sunt. In procreatione autem, quia non exponunt semen, suámque virtutem externo agenti, quemadmodum plantę: sed illam ipsam materiam, quam genito largiuntur, in alio diuersi sexus animali fouendam & perficiendam collocant. Atque hinc necessitas diuersitatis sexuum in animalibus; quę in plantis non reperitur: vt vnum agentis vim habeat, alterum suscipientis. Iam in cognitione præter speciei susceptionem, obiectiuè præsentiam, opus est animę attentione & quasi conatu, actúque elicito: alioqui nulla cognitio. Hicque actus remanet in ipsa anima; quo immateriali quodam modo commutat in se omnia, fitque cognitione omnia. Post cognitionem autem appetitione in bonum cognitum sibi conueniens inclinatur, actúque elicito mouetur. Quæ facultas modum habet operandi prorsus diuersum, immò & antecedenti oppositum. Facultas namque cognoscens trahendo ad se obiectum & illud sibi assimilando operatur: appetitus impellendo potiùs animal ad obiectum, illudq; illi simile efficiendo. Appetitus inclinationem significat & applicationem animalis ad bonũ illi conueniẽs: ideoq. animalibus datus est, vt vtile à noxio seperent. Vnde quies & expletio post adeptum bonum,

bonum, aut tristitia & dolor si prohibeatur. Itaque vt duplex est gradus appetentis formæ; sic duplex distinguitur appetitus. Vnus naturalis; qui non facultatem vllam significat, nec principium ab ipsa forma distinctum, nec actum vllum secundum; sed solam formæ, aut naturæ propensionem in suum bonum. Hic in formis etiam merè naturalibus, vel etiam in plantis agnoscitur. Immò in tex. 81. lib. 1. Phys. materia quoque dicitur appetere formam, & turpe pulchrum. Alter animalis; qui cognitionem consequitur, & facultatem significat à cæteris distinctam, quæ vim habet actum secundum edendi; atque in solis cognoscentibus reperitur. Porrò vt cognitionem cogniti boni appetitio sequitur, sic appetitionem consequi oportuit progressionem ad appetitum bonum. Alioqui frustra appeteret anima, si ad consequendum moueri non posset. Magnam omnino habet is motus libertatem, & summam in omni vita commoditatem, nam cùm non attrahant ex terra cibum, vt plantæ; opus habuerunt incessu, quo cibum vndique quæritarent.

Appetitus duplex.

Animalium incessus.

Quocirca iam non erit mirum, si in corporibus quoque tanta sit plantarum atque animalium discrepantia. Etenim in animalium corporibus maior multò varietas, distinctio, & organizatio partium, præsertim verò earum accedit disiunctio, ex qua reflexio maior & libertas; vt vnum membrum possit seipsum, & aliud sibi propinquum sistere, vna pars moueri & alia quiescere. Deinde maior est quarundam partium multitudo, vt carnis; & aliarum duities, vt ossium. Tum verò qualitatum & temperationum diuersitas; quòd & plures sint in eodem corpore partium temperaturæ, & maior calor non quicunque, sed vitalis. Postremò perfectior est partium in corpore dispositio, tum inter se, tum in ordine ad locum. Et ideo perfectissimè in his reperiuntur omnes situs differentiæ.

Corporis animalis & plantarij dignitas.

Quintus & supremus gradus eius est formæ, quæ dat esse penitus immateriale, nempe esse intelligens: quo res cognitæ non solùm à modo existendi sensili separantur, sed ab omni etiã singulari conditione; soláque earum essentia percipit vniuersa. Neq. materialia solùm immateriali modo; sed & ea, quæ reipsa sunt immateralia & abstracta, cognoscuntur. Hic est gradus intelligentis animæ; qua homo intelligens aut susceptione specierum & imaginum planè immaterialium, quæ intellectui res omnes repræsentant, aut actu ipso intellectionis tanquam intellectæ rei forma sit verissimè omnia ineſse quodam intellectili eleuatissimo & penitus immateriali. Quemadmodum enim sentire, ita & intelligere est quoddam pati. Siue quòd operationem intelligendi susceptio antecedat intellectilium specierum, qua nobilissimo modo ponantur omnia in anima, tum sequatur intellectionis operatio. Siue potiùs quòd intellectio ipsa, dum in intellectu susciputur, passio quædam sit. Itaque hæc animæ eleuatissimum quoddam esse dat, tum absolutum, tum operatiuum. Absolutum; tum quia adfert illud esse, quo homo aut susciendo, aut magis intelligendo fit omnia perfectissimo atq. immateriali modo. Tum quia ipsa est immaterialis & abstracta forinsecùs aduenies, eiusdem propemodum cum separatis mentibus naturæ, atque impartibiliter existens in corpore: vt & ab alio non

Quintus gradus.

pendeat, & verè dici possit forma inter separatas & alias omnes media; & vt dixit Proclus Commentario 3. in Timæum ἀμφιπρόσωπος καὶ ἀμφίσοφος, hoc est bifrons & anceps. Non solùm enim adfert operationem, vt cœlestium orbium motrices; sed esse quoque vt cæteræ. Nec tamen quemadmodum hæc extenditur, aut pendet à corpore: sed vt illæ abstracta & inextensa permanet. Adfert etiam eleuatissimum, ac mentibus separatis persimilem operandi modum. Quoniam præter illas omnes facultates, quas in plantis dictum est & in animalibus cæteris inesse; duas addit planè admirabiles, omnique natura mortali superiores, intellectum & voluntatem. Intellectus à rebus singulis & materialibus abstrahit, vniuersásque naturas, & immateriales cognouit. Voluntas potest bonum abstractum vniuersè, & absque materia appetere. Vt quemadmodum appetitus sentiens res singulas & materiales sensu perceptas; sic voluntas, appetitus intelligens, vniuersas quoque res & immateriales intellectu cognitas desideret. Verùm cùm hæc anima sit natura abstracta, miniméque à corpore pendeat, perfectissimam in sua operatione reflexionem habet; vt actiones hæ intellectus & voluntatis à sola proficiscatur anima, atq. in ea sola susciputur: quippe à principio sua natura separato profectæ. Quare distinguuntur plurim ùm ab operationibus sentientis animæ; quæ cùm à forma, quæ est in materia proficiscantur, in toto coniuncto susciputuntur; neque seipsas, suumque principium possunt cognoscere. Sola intelligens anima non modo principium est & subiectum, sed obiectum quoque suarum operationum. Potest seipsam intelligere & amare, suámque intellectionem & volitionem, hócque in infinitum progrediendo. Et ideò perfectissimum habet dominium, summámque in suis actionibus libertatem, & in reliquas etiam inferiores facultates imperium.

Anima intelligès bifrons & anceps.

Denique præter hæc omnia formæ huius perfectio ex perfectione materiæ, cuius ea est actus, cognoscitur. Humanum enim corpus perfectissimam habet dispositionem, organizationem, distinctionem, figuram, & membrorum omnium summè determinatam quantitatem, vitalis caloris maximam copiam, conformationem totius corporis erectam, quæ ex magna vi caloris oritur, carnem & cutim delicatissimam, differentias situs manifestissimas, totam demum corporis figuram accuratissimè elaboratam. Ex quo tandem intelligas, quàm merito Philosophus in superiori contextu, vt animatum corpus ostenderet organicum esse oportere, argumentum deduxerit à minori ad maius; à vegetante plantarum anima, quæ minore, ac simpliciore organiratione contenta est, ad sentientem cæterorum animalium, atque intelligentem hominis propriam, quibus maior multò naturæ opera, accuratiorque industria est necessaria.

Corporis humani perfectio.

Posset his omnibus addi formarum sextus gradus à materia penitus abstractus & per se subsistẽs, nempe separatarum mentium & Dei. At quoniam de illis dũtaxat formis, quæ dant esse materiæ, nunc agimus; de illis nihil hoc loco dicendum est.

Sextus gradus.

Ergo vt ex hac prolixa satis ratiocinatione aliquem veluti fructum colligamus; si primus ommittatur gradus, quem distinctum ab alijs formæ genus diximus non constituere; tota formarum latitudo inter materiam & Deum mentésque sepa-

Formarũ quatuor gradus.

ratas contenta, tanquam inter duo extrema, quatuor omnino est graduum, inanimæ formæ, vegetantis, sentientis, intelligentis. Hinque ex minori aut maiori eleuatione à materia, hoc est ex alio atq. alio formandi ac dandi esse modo deducti sunt. Atquæ in illis cernitur is ordo à natura sapientissimè potiùs, vt superior inferiorem supponat, maioremque illi perfectionem quampiam addat. Vt scilicet hoc modo inferiora cum superioribus coniungerentur, atque ad illa gradum quendam præstarent.

Tria animarum genera.

Quòd si primum inanimæ formæ gradum separes; tres omnino gradus, triáve animarum genera habebis. Triplex enim duntaxat à materia eleuatio esse potest. Vna formæ penitus immaterialis. Altera formæ omnino materialis quoad esse; quoquo tamen modo quoad operationem eleuatæ. Tertia inter has media; materialis quidem, quatenus à materia pendet & organo, siue spectes esse, siue operationem: aliqua autem ex parte immaterialis, quatenus est cognoscens. Cæterum intelligentem animam, quæ suprema existimatur, non ideo dicimus facere genus animæ à cæteris diuersum, quòd ipsa sit genus (nullas enim habet sub se species, vt plurimas habent vegetans & sentiens: cùm sit species infima, & atoma, quæ numero solùm diuersas animas continet) sed quòd speciale illud esse, quod ipsa dat materiæ, ordinis alterius sit, quàm esse cæterarum materialium ac mortalium animarum, pertineátque ad aliud abstractarum atque immortalium naturarum genus. Reliquæ autem omnes mutorum animæ vnicum genus faciunt; itémque plantarum formæ. Quoniam omnes habent esse & operationes eiusdem ordinis, in quo vna non est magis, quàm altera eleuata. Eandem ob causam neque appetens, neque loco mouens genera sunt animarum à tribus illis diuersa: sed ad sentiens, aut rationalis appetitus ad intelligens reuocantur. Tum: quòd diuersam à materia eleuationem non significant. Tum quòd formam, actumvè aliquem distinctum, & sibi proprium non habent. Sed cognoscentem potiùs, sentientem inquam aut intelligentem, comitantur: addúntque appetens inclinationem in bonum cognitum vt sibi conueniens, & mouens progressionem ad illud bonum appetitum. Et ideò appetitio ex cognitione nascitur, progressio ex appetitione. Quare cùm sentientem actum aut intelligentem supponant, sintque illius facultates quędam & operationes; ad illum meritò reuocantur.

Anima intelligẽs vt genus anima diuersum.

Quatuor animatorum, & quinque facultatũ genera.

Postremò ex his omnibus intelligitur, quam ob causam cùm tria tantùm sint animarum, quatuor tamen animatorum genera proponantur, vegetans, sentiens, mouens, intelligens. Namque si principia spectes, quibus & animata & facultates constituuntur; ea non nisi tria reperies. Tres inquam animas, quæ & animata omnia sustentant, & facultates quascumque producunt. At si operationes & externa obiecta consideres, quinque prorsus distingues facultatum genera. Si demum intuearis subiecta, in quibus anima cũ alijs atq. alijs facultatibus sit; tum demum quatuor fatebere animatarum genera. In quibusdam enim solitaria est vegetans, vt in plantis; in alijs vegetans & sentiens sine motu, vt in Troophitis, & Conchilijs. In alijs adest item motus, vt in perfectioribus animalibus. In homine tandem intellectus quoque viget. Appetens quintum animatorum genus non fuit, quod nusquam ab alijs separatum visatur; sed vbicumque est sensus aut motus. Nam semper cum sensu appetitus quispiam est, vt post docebit Philosophus; manifestè autem apparet, vbi est quoque motus.

TEXTVS.

Εἰ δέ τι κοινὸν δεῖ πάσης ψυχῆς ἀπολαβεῖν, εἴη ἂν ἡ πρώτη ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ.

Si autem aliquid commune omni animæ oportet dicere, fuerit vbique primus actus corporis naturalis organici. Text.

COMMENTARIVS VII.

EXpositis satis ijs omnibus, quæ ad animæ definitionem colligendam necessaria, immò & opportuna videbantur; memor Philosophus se initio proposuisse quærendam communissimam & maximè generalem eius rationem; concludit hoc loco, si quid dici possit omni animæ commune, illud esse id, quod ex hactenus dictis colligitur: Anima est primus actus corporis naturalis organici. Quòd autem quasi sub conditione loquutus sit (si quid commune omni animæ dici potest) propter intelligentem animam factum interpretatur Auerroës; quia non erat manifestum, an ea sub hac definitione comprehendatur, veréque sit actus corporis. Simplicius & Philoponus, quia cùm actus non dicatur sinonymè, sed per prius & posterius de animæ speciebus, vna perfecta communis definitio esse non poterat: quemadmodum neque in alijs, quæ sunt huiusmodi, sine particularis cuiusque propria definitione. Anim. definit.

Quàm hæc verè dicantur, post videbimus. Interim non eam arbitror fuisse causam, cur ita loqueretur. Sed vt hæc Conclusio propositioni initio factæ planè responderet. Tentandum enim sibi proposuit id, quod assequi non posuerant alij, qui ante ipsum de anima philosophari fuerant; tentandum inquam exponere quænam sit communissima illius ratio: Cùm igitur propter rei difficultatem atque obscuritatem tentandum dixisset, si quid assequi posset; æquum erat, vt colligens id, quod tentando assequutus erat, consentaneè ita loqueretur: si quid commune omni animæ dici potest, aut si quid commune assequi possumus, erit profectò hoc, quod à nobis inuentum est. Rursùm cùm reprehendisset antiquos, quòd non vniuersè de omni anima loquuti essent, sed de quapiam solùm illius parte: propterea nunc concludit; si agendum est de anima vniuersa, & aliquid de ea dicendum, quod ab antiquis fuerit ignoratum, erit profectò hoc, quod nos dicimus. Alioqui si hoc non sit, nihil omnino erit, sed nobis quoque de animæ partibus in specie agendum erit.

Postea

Cur per corpus definitur anima.

Porrò nullus mirari debet animam per corpus definitam. Quoniam vt formæ sunt imperfectæ naturæ atque alterius pars, sic alicuius alterius additione, quod extra ipsarum essentiam sit, explicare illas oportet: quemadmodum in 7. Metaph. libro de accidentibus idem Philosophus loquebatur. Solæ integræ substantiæ, quæ perfecta sunt entia, absque alterius adiectione definiuntur. Deinde anima est actus & perfectio quæpiam, & ideò alicuius actus & perfectio. Omnisque forma natura sua materiam respicit, quam est apta formare, atque ex illius cognitione in primis cognoscitur. Postremo prior definitionis pars est veluti genus commune animæ cum alijs plurimis. Nam etsi actus primus in actum substantiæ & accidentis diuidatur, huncque iam in tex. 2. contraxerat ad actum substantiæ, dum diuiso ente in 10. genera solam reiectis accidentibus substantiam retinuit. Et rursum diuidendo actum in primum & secundum contraxerat in tex. 5. ad actum primum. Nihilominus hoc totum est adhuc animæ cum alijs omnibus substantiæ formis commune. Differentia autem maximè quærenda est ex materia, cuius sunt actus. Cùm enim inter materiam & formam sit mutua & essentialis proportio, vt ad vnum quidpiam constituendum conueniant: nimirum ex diuersa conditione materiæ alio atque alio modo dispositæ licet optimè colligere ac distinguere diuersam formæ naturam; idque ex notioribus nobis. Quoniam materia ita disposita plures continet qualitates & accidentia sensata, quibus ad essentiam animæ, aliusve formæ cognoscendam perducamur.

Quocirca id, quòd S. Thomas, Ægydius, & multi Latinorum dicunt, Philosophum in tex. 2. priorem & in tex. 3. posteriorem definitionis partem inuestigasse. Me quidem certè iudice probandum non est. Quoniam in illis duobus textibus nihil omnino de anima dictum est; sed præmissa fuerunt quædam, ex quibus post in tex. 4. ad animam descenderet, eáque omnia ad intimam animæ naturam inuestigandam referuntur. Huc solum spectare quidquid de corpore dicitur; ex ijs perspicuum est, quæ tandem colligit. Sic enim concludit, animam esse actum primum, seu entelechiam primam corporis naturalis potestate vitam habentis.

Anima entelechia.

Quid sit entelechia, dictum est. Sed eam vocem Plotinus in ipso initio libri secundi Æneadis 4. & Nemesius in lib. de anima cap. 4. non probarunt, tanquam animæ minùs accommodatam. At mirificè probarunt reliqui omnes; optiméque explicare iudicarunt vim & naturam cuiusque formæ: ac præsertim animæ, quæ omnium perfectissima est, iuréque optimo perfectionis nomine appellatur; cùm sit maxima, tum materiæ, tum corporis perfectio. Quod verò ait Plotinus, vtentem potiùs corpore, quàm corporis perfectionem appellandam fuisse; minimè verè dicitur. Hoc enim eam significat assistentem solùm formam esse, non formantem. Neque etiam id, quod habet Nemesius, definiendum magis esse animam, substantiam perfectam incorpoream, probari potest. Tum quia hoc illi commune est cum separatis mentibus; immò earum proprium. Siquidem anima non est substantia perfecta & integra, sed inchoata & diuidiata. Tum quia in ea definitione non explicatur vis formæ, quæ illi est essentialis. Tum etiam quia si Philosophum dolet is non addidisse substantiam, seu entelechiam substantialem, meminerit id iam ab eo fuisse suppositum, aut etiam paulò post subijci. Denique dum incorpoream addit, non nisi intelligentem animam definire videtur. Nec minùs reprehendendus est, quàm antiqui fuerint ab Aristotele reprehensi, quòd non de anima vniuersè, sed de aliqua illius parte loquuti essent.

Est igitur anima entelechia prima comparatione operationum, quæ ab ea velut entelechiæ secundæ proficiscuntur. Atque ita hac ipsa voce significauit Philosophus animam esse operationum principium, daréque corpori, tum esse absolutum essentialémque perfectionem; tum esse operatiuum plurimarúmque actionum velut accidentariarum perfectionum principium. Quod alterum quoque illud significat, quod additur (corporis organici) hoc est apti ad operandum instrumenti.

Anima actus primus.

Est autem entelechia prima, aut tempore, vt anima sentiens & intelligens; aut saltem natura, quemadmodum vegetans, quæ statim atque est incipit operari. Semper enim operandi principium, natura saltem, prius est operatione illa, quæ ab eo tanquam effectus proficiscitur. Hæc est cuiusuis causæ conditio, vt natura saltem effectum suum antecedat. Porrò animam esse entelechiam primam, certum est. Tum quia est substantia; tum quia natura saltem suis operationibus prior. Philosophus visus est vti argumento, quòd ab actu secundo separatur. Quam ob causam somno potiùs, quàm vigiliæ similem dixit: quia somnus ab operatione separatur, eiúsque priuationem significat: & scientia magis, quàm cótemplatione; quoniam absque contemplatione persæpè scientia est.

Anima ab operatione separatur.

Difficultatem adfert anima vegetans, quam ab operatione dixit nunquam separari. Semper enim nutrit quandiu est in corpore, vt in tex. 41. prioris lib. de ortu & interitu confirmatur. Et in animalibus perfectioribus pulsum habet & respirationem, quæ nullo vnquam tempore cessant. Auerroës quædam protulit animalia, quæ hyberno tempore dormiunt, nec quidquam comedunt: & ideò si non in omnibus, in illis certè hæc quoque anima operationem intermisit. Sed duobus modis peccauit. Primùm, quòd in somno maximè operari hanc animam legimus in extremo capite primo libri de somno & vigilia, & cap. vltimo libri de moribus ad Nicomachum. Deinde quòd quandiu natiuus calor in viuentibus inest, non potest non agere in alimentum. Immò defficiente alimento depascit ipsa membra. Quoniam naturaliter & necessario, non ex consilio, operatur in id, quod conuenienter cum eo coniunctum est, siue dormiamus, siue vigilemus. Et vt in cæteris operatur etiam dum dormiunt; quid tandem in illis solis actionem eius impediat?

Magnus Albertus actum primum interpretatus est forma separari à secundo; quia non est formaliter sua operatio: reipsa non separari, nisi in anima sentienti, & intelligente. Thomas Caietanus vegetantem quoq. dixit separari per non repugnantiam, quatenus anima est: etsi repugnet illi quatenus vegetàs est, viuentisq. conseruationē spectat. Reliquas autē animas positiuè & reipsa. Et ideò animę vniuersè cōuenire intrinsecè, posse ab operatione separari,

saltem per non repugnantiam. Melius dixisset, per indifferentiã. Quoniam si alicui speciei id repugnet, planè dici nõ potest vniuerso generi nõ repugnare. Sed potiùs si generi nõ repugnet, neq. speciebus dixeris repugnare. Quia quidquid cõuenit generi, de speciebus item affirmare licet. At quoniam quędam est species, quæ separari nequit; aliæ, quæ separantur; veriùs dicetur vniuersum animæ genus ad vtrumque indifferens esse.

Quamquam meliùs multò dicemus cum Themistio, duo inesse in somno. Alterum est forma, quæ principium proximum est operãdi. Alterum priuatio & operationis cessatio. Animámque dici actum primum, & cum somno cõparari quoad primũ, non quoad secũdum. Habet enim principiũ proximum operationum; parúmq. refert, an illis aliquando priuetur, necne. Quemadmodum etiam scientiæ per similis esse affirmatur: non quòd vt scientiæ habitus absq. vlla operatione potest consistere, ita possit & anima. Sed quòd vt illa & habitus quilibet, sic anima operationum principium, & aliquid illis omnibus natura saltem prius est. Atq. vt natura scientiæ & habitus, sic & animæ vis non in operatione consistat, siue operetur, siue non operetur: sed in eo, vt sit forma ad operandum comparata.

Dici etiam potest, Philosopho, vt animam ostenderet esse actum primum, non secũdum, satis fuisse aliquam animam ab actu secundo separari. Nam satis inde cognoscebatur, naturam animæ non in operatione positam esse (alioqui nulla anima sine operatione vnquam esset) sed in actu primo; etsi aliqua illius species penitus nõ separetur. Sed quoniam & actus primus & secundus ibi reperiuntur; ex alijs animabus cognoscitur illam ipsam in actu secundo operante non cõsistere: verùm in primo materiam essentialiter perficiente, omniáque corporis membra ad operandum impellente. Sed vide vegetantem quoq. animam ab operatione separari: à procreatione saltem & accretione. Non enim perpetuò procreat, nec semper auget. Quando autem alicui naturæ plures insunt operationes, sat est, si ab vna aliqua separetur; vt eam esse quidpiam ab operatione diuersum ostendamus. Quinetiam à nutritione & pulsu quoquomodo separatur. Non enim est vna continuata nutritio totius vitæ, sed plures omnino, à quarum singulis separatur. Neque eodem semper modo nutrit, sed interdum alterat cibum & præparat, interdum in viuentem commutat substantiam: & interdum commutat plus, interdum æquale, interdum minus. Quare dum à singulis hisce operationibus separatur, satis apparet naturam eius ab hac ipsa operatione diuersam esse. In pulsu quoque velociùs aliquando agit, aliquando tardiùs: nonnunquam vehementiùs, aliàs remissius: estque integrum nobis respirationem aliquandiu cohibere. Eadem tamen semper est anima tanquam actus primus secundo prior. Itaque omnis anima est actus primus.

Anima quomodo actus primus.

Dicitur autem actus primus, non solùm quia secundi principium est (non enim essentialiter eam definiuisset, sed per accidentarium ordinem ad operationem:) Verùm quia est substantia & forma, quæ absolutam habet entitatem, actum essentialem ante omnem operationem. Et quamuis actum primum dixisset per ordinem ad secundum; actum tamen primum nominasset tanquam illius ordinis fundamentum; aut per eum ordinem occultam animæ substantiam, & actum formalem, quem primò dat corpori, indicasset.

At enim si actus secundus sit nobilior primo, quippe qui sit vltima rei perfectio, actúsque primus sit propter secundum & forma propter operationem: dubitant nonnulli, cur animam nobilissimam formam actum potiùs secundum non dixerit. Nimirum ipsemet indicauit rationem. Est enim anima principium actuum omnium secundorum, atque ab omnibus separabilis. Et vt actus secundus sit quoquomodo & secundum quòd nobilior primo; hic tamen absolutè perfectior est. Tum quia substantia est; secundus verò formaliter accidens. Tum quia est principium & fons secundi.

Iam quod addidit, animam esse actum corporis naturalis; propriam, in qua susceptibilis debeat anima, materiam significat. Quid autem ea sit, & quid corporis nomen significet, non item constat. Aliqui Latini totum animatum interpretati sunt; coniunctum inquam ex materia & anima tanquam forma. Quæ interpretatio est quidem illi persimilis, quam habent Græci verborum illorum superioris contextus (potestate vitam habentis) dum corpus potestate viuens illud affirmant appellari, quod actu quidem habet vitam, non tamẽ ex se, sed ab anima. Ita enim corpus dici posset illud, quod animatum quidem est, sed aliunde, non ex se. Nihilominùs probanda non est. Tum quia dicitur actus corporis velut antecedentis materiæ & alterius partis à se diuersæ, quam actuare debeat, & cum ea vnam substantiam coniunctam efficere, vt statim colliget. Tum quia in tex. 4. satis has duas partes distinxit; animam inquiens non esse corpus, sed corpus esse subiectum animæ & materiam. Tum quia in tex. 10. ex anima & hoc corpore animal totum constituit affirmabit, sicut oculus ex pupilla constat & facultate videndi. Oportet igitur corpus illud ita se habere ad animam, vt ad videndi facultatem se habet pupilla. Alioqui nec illud corpus ab animali toto distingueretur, quemadmodum distinxit Philosophus, velut partem essentialem à toto coniuncto. Denique animam per illud corpus definire oportuit, cuius ipsa est actus & perfectio. Est autem actus & perfectio materiæ, vt in tex. 2. Forma dicta est entelechia materiæ. Et vt anima definitur vt animati totius pars, ita per alteram partem definiri debuit, ad quam ordinem essentialem significat, vt simul cum ea totum animatum constituat.

Reliqui ergò corpus intelligunt, quod est subiectum & materia animæ. Sic enim in tex. 4. Aristoteles loquebatur. Sed sanctus Thomas, & qui eum sequuntur, corpus hoc inquiunt antequam accedat anima, esse primam materiam mistionum formis singularum partium proprijs ornatam formis inquam carnis, ossis, nerui, & similibus: omnibúsque qualitatibus, quibus ea ad susciendam animam aptè disponitur. At quoniam tam multæ formæ simul cum anima esse nequeunt, abeunt illæ dum accedit anima; soláque remanet prima materia, in qua immediatè suscipitur anima. Quoniam verò superior forma inferiores omnes virtute continet, earúmque perfectiones omnes adferre potest: anima priùs dat materiæ esse corporis, tum esse animæ. Ita animam esse actum corporis interpretantur, hoc est primæ materiæ, quæ corporis naturam ab eadem ipsa anima iam acceperit.

Mirũ

Forma partiales.

Mihi nunquam placuit ita Philosophari; sed cum Græcis omnibus & Auerroë, corpus interpretari materiam cum eisdem illis diuersarum partium formis, quas tanquam dispositiones ad animam natura præmiserat. Nam si eæ fuerunt necessariæ, vt anima produceretur; multò magis eas tunc adesse oportet, quando accedere debet anima, & cum materia coniungi, atque cum ea consistere. Argumento esse potest, quòd non solùm earum destructione recedit à corpore anima, & in bestijs plantisque prorsus extinguitur: sed etiam quòd in cæteris omnibus aliarum formarum dispositionibus ita fieri obseruamus. Nunquam enim aduentu formæ dispositiones antecedentes pelluntur, quin diligentissimè potiùs conseruantur; dúmque destruuntur illæ, simul quoque interit forma. Deinde hoc corpus ita affectum materia est seu subiectum animæ. Materia & subiectum non pereunt aduẽtu formæ, quæ actuare & perficere debet; sed tunc maximè necessaria sunt, vt suscipiatur forma, eoque maximè tempore perficiuntur.

Neque interpretatio illa est huic Philosophi loco accommodata. Etenim hoc corpus, cuius actus est anima, ex illa deducitur diuisione substantiæ in materiam, formam, & compositum, quæ in tex. 2. fuit posita. Nam compositum in tex. 3. appellauit corpus, dixitque esse maximè substantiam: præsertim corpus naturale, quod ex materia & forma certum est coagmentari: cuique interdum præter naturam corporis inest vita, interdum sola corporis moles absq. vita. Quare vt hæc omnia corpora præter primam materiam significant aliam formã; ita significare oportet illud corpus, quod est subiectum animæ, quæ præter corporis naturam adfert quoque vitam. Voluit etiam Philosophus hoc corpus esse naturale. At omne corpus naturale ex materia & forma concretũ est, ex tex. 4. lib. 4. Phys. Et quoniam materia distinguitur re à forma, separariq. possunt; necesse est corpus illud per formam re ab anima diuersam cõstituatur. Alioqui, si vt Latini illi loquuntur, res habeat; non corpus, sed prima materia erit reipsa subiectum animæ. Est item corpus organicum, hoc est plures in partes distinctum, quibus ad operandum vtatur anima. Præter animam igitur aliæ sunt cõplures formæ, quibus & partes illæ distinguuntur, & apta organa præparãtur. Est enim absurdum animam dicere esse corporis & organi sui partem, formámq. materiæ & agés instrumenti partem. Quod necessariò consequens est, si anima sit actus corporis per ipsam, non per alias formas, constituti. Quid verò dubitatio illa; Cur ex anima, & corpore fiat vnũ? quam de reliquis cõpositis non proposuit. Quòd peculiaris videretur esse de anima difficultas, quæ corporis seu materiæ per alias formas actu constitutæ aduenit. Deniq. accedunt illa, quæ in tex. 11. subijcientur, animam non posse à corpore separari; nisi aliqua sit, quæ nullius corporis sit actus. Et rursum, num anima sit actus corporis, vt nauta nauis. Nam si anima ipsa efficeret corpus, manifestum esset, nullam animam absque interitu corporis separari posse; sed aliqua fortasse à prima materia separaretur. Perspicuum item foret, nullam esse animam, quæ nullius corporis sit actus; aut sit actus sicut nauta nauis, hoc est assistens, vt Latini illi interpretantur. Hæc & alia huiusmodi plura ostendũt planè, corpus illud quidem dici, quod animæ subiectum est: sed hoc significare materiam plurimis instructam partium formis, quibus ad animam suscipiendam, eiúsque functiones exequendas aptissima sit.

Corpus naturale quid.

Quod verò addit (naturalis) eam ob causam addit, vt illud à mathematico & artificioso corpore distinguat. Corpus autem naturale est, quod materia constat & forma substantiæ, habétq. in seipso principium motus, tum patiendi, tum agendi, materiam & formam. Itaq. ex hoc loco per quàm aptè colligunt Peripatetici distinctionẽ animæ & naturæ. Nam etsi anima dici possit natura, si natura pro interiori cuiusuis naturalis operationis principio sumatur: si tamẽ eam propriè vsurpemus pro principio ad vnicam operandi formam determinato, ab eo iure optimo separant animam, vt superiorem formam, quæ naturam supponat, hoc est materiam & formam determinatam ad vnicam operationem; & post accedat ipsa cum pluribus operandi modis: sitque actus corporis naturalis, hoc est materiæ habentis iam formam merè naturalem & potestate adhuc ad maiorem animæ perfectionem suscipiendam.

Anima an natura.

Verùm si anima distinguenda sit etiam à forma arte producta, quæ corpus item naturale supponit, lignum, aurum, marmor: addendum est, eam non modò naturale corpus supponere, sed etiam suo aduentu non mutare illud ex suo esse naturali; verùm maximè conseruare & perficere. Artis forma naturali adiuncta corpori artificiosum illud, non naturale; anima naturale adhuc nominat. Sunt enim animata naturalis corporis species. Ita anima est actus corporis naturalis; hoc est corporis, quod & sua cõditione naturale erat antequam susciperet animam, & post animæ item formationem naturale perseuerat, maximéque in naturalium genere perficitur.

Corpus organicum quid.

Oportet etiam hoc corpus esse organicum, propter eam rationem, quam antea significaui. Quoniam cùm materia sit propter formam, sese illi attemperare debet. Vt quemadmodum forma est apta dare materiæ, tum esse, tum operationem; sic materia, tum ad susciendum esse, tum ad obeundas & sustentandas operationes omnes formæ sit apta. Quare cùm anima aliarum atque aliarum operationum sit fons & origo, corpus necesse est in alias atque alias partes diuersæ naturæ velut illarum operationum organa esse distinctum. Neque diuersa hæc partium conditio qualitatibus solis constare potest. Tum quòd anima non sit actus materiæ qualitatibus solis affectæ; sed naturalis corporis materia, formáque substantiæ constantis. Tum quòd ex diuersis qualitatum dispositionibus in diuersis partibus diuersas necesse est substantiæ formas progigni. Atque vt ex diuersis principum qualitatum coniugationibus diuersæ existunt simplices elementorum formæ; sic ex diuersis earundem temperationibus diuersæ nascũtur mistorum formæ, ex quibus manus, pes, caput, cæteræque organicæ partes coalescunt, quibus anima suas omnes perficiat operationes.

At enim S. Thomas & qui eum sequuntur corpus, inquiunt, ante aduentum animæ fieri quidem organicum ex diuersis hisce formis re ab anima distinctis: verùm ea mox accedẽte omnes illas fugari, solámq. animam organa sibi fabricare, dum materiæ dat omnia illa esse partiũ, quibus organicum corpus fiat. Atq. in hac definitione corpus organicum significare compositum ex materia & for-

ma, quatenus dat esse omnium illarum partium, & adhuc est potestate ad esse animatum, totale, specificum & perfectum, atque ad animæ operationes. Quæ interpretatio dùplici videtur argumento niti. Altero, quòd plures simul formæ esse nequeant. Altero, quòd corpus absque anima consideratum homonymè organicũ dicitur, neq. in animæ definitione ciusmodi corpus nominandũ fuit. Et Aristoteles in tex. 6. vt corpus animatum ostenderet organicum esse debere, frondes protulit, corticem, radices, partes plantarum, quas corpore & anima constare certum est.

Verùm si ea fuerunt probè percepta, quæ aduersus eam corporis formam proposui, quam illi ipsi Authores proferebãt; planè intelligetur neq. hanc organici rationẽ esse probãdam. Sed eam potiùs, quæ oritur ex ratione corporis explicata; quamq. antiquiores Peripatetici tradiderunt ex proprijs partium formis existere. Neque enim debet anima sibi fabricare, sed supponere corpus organicum, cóq. ad operandum vti. Sicut quælibet forma non facit sibi materiam, sed præparatam supponit, eiq. aduenit, atq. antecedentibus qualitatibus, ceu instrumentis vtitur ad agendum. Fateor corpus per ordinem ad operationes cõsideratum homonymè organicum nominari, nisi fuerit animatum, atque operãdi vim ac principium habuerit. Si tamen vt subiectum & materia spectetur, quæ potestate sit ad animam, quemadmodum in hac definitione accipitur; proprijssimè appellatur. Quoniam verò tantopere formarum multitudinem verétur, cõcedam illis plures formas totius, quæ speciem cõstituant, simul esse non posse. At vicissim cõtendam plures eas esse, quæ sunt partium, velut dispositiones ad præstantiorem aliam speciei formam. Idq. in ea præsertim materia, cui debeat anima aduenire. Multóq. plures in animalibus, quàm in plantis; & in animalibus perfectioribus plures, quã in imperfectioribus. Quia quò perfectior est forma, perfectiorem materiæ dispositionẽ quærit. Sic in plãtis quoq. sunt frondes, cortex, radices; non vt iam habent animam, sed vt materia sit ad vegetantem animã & ad illius functiones quam optimè comparata.

Quomodo plures similes formæ.

Verum sciendum est, hoc corpus organicũ præter exteriorem confirmationem ac definitionem partium debere item habere interiorem tẽperationem, tum qualitatum omnium, tum maximè caloris & humoris. Hanc enim ob causam etsi cadauer exteriorem omnem dispositionem, partiúmq. cõformationem habeat; quia tamen interiorem temperaturam amisit; & embrio, licet internam aliquam habeat, quoniam exterior nondum est perfecta, nequaquam huiusmodi sunt organica corpora, quorum actus sit anima.

Organi vario quid.

Hoc nimirum organicũ corpus illud ipsum est, quod potestate viuẽs appellatur; & in tex. 6. interpretatus est Philosophus. Quam ob causam totam nunc definitionem colligẽs particulam illam prætermisit, solúmq. organicum corpus tanquam notius nominauit. Eo siquidem fuerat vsus, vt declararet quidnã esset (potestate viuẽs.) Quoniam hæc organi ratio, diuersitas & distinctio membrorum vel ipsis sensibus est cõspicua: potestas verò ad vitam sola mente concipitur. Propterea ignotiore prætermisso retinuit id, quod erat notius: Vt occulta & recondita animæ natura quàm maximè aperta & dilucida definitione explicaretur. Erat, inquit Themistius in tex. 8. nomen hoc (organicum) expositio atq. interpretatio eius, quod est potestate vitam habere, atq. eadem vtriusq. vis & significatio habẽda. Et rursũ paulò ante hęc verba: Anima est ratio corporis naturalis potestate vitã habẽtis, atq. hoc est illud quod organicum vocabamus. Et Philoponus ex hoc colligit, duo hęc idẽ significare: quòd cum Aristoteles antea dixisset (potestate vitam habentis) nũc dicat (organici) altero vtẽs pro altero. quod ex Alexãdro in 2. lib. naturalium quæstionũ cap. 8. acceptum est. quinetiam inquit Simplicius omissum fuisse (potestate vitam habentis) quòd in organico comprehenderetur. Viuere enim necesse est illud, quod animę organũ ad operandum futurum sit: atq. duo in idem coincidere affirmauit, dum tex. 5. exponeret. quia quod potestate vitã habet, necesse est esse organicũ: quódque organicum, esse item potestate viuẽs. Hoc modo accipiẽdum est id, quid interpres idem dicebat, vtramq. illam particulam in definitione ponẽdam esse: Non, inquam, quoad sonum vocum, sed quoad significationem, rémq. duplici illa particula significatam. Et quoniam vtriusque significatio in alterutra cõtinetur, satis est alteram in definitione commemorare.

Idem organicum & potestate viuens.

Ex quo facilè soluitur id, quod obijciũt aliqui, animam fore actũ seminis & oui, si actus sit corporis potestate viuẽtis. Nam si potestate viuẽs idem sit, quòd organicum; manifestum est, neutrum illorum esse organicum; & ideo nec potestate viuens, nisi potestate remota. At anima non est actus nisi corporis proxima potestate viuentis; hócq. semper est organicum.

Duplex vita.

Verùm cùm duplex sit vita, vna prima & essentialis, quam in actu primo cõsistentem anima, dum format, dat corpori. Altera secũda & accidẽtaria, quæ actum secũdum & vitalem operationem ab anima proficiscentẽ significat. Interpretes ferè Græci essentialem vitam intelligi voluerunt. Alteram Alexãder loco notato, Auerroës, & alij: Satius est verba illa per se primò ad essẽtialem vitam referre, secũdò ad accidẽtariam, quæ ex illa nascitur. Vt anima dicatur actus corporis potestate vitam habẽtis; hoc est apti, proximéque dispositi ad animam suscipiendam, cuius formatione viuum efficiatur. Tum verò ad operationes quoq. quas in eo perficiet anima. Proxima porrò illa dispositio nil est aliud, quã necessaria corporis organici ratio & partium omnium distinctio, aptáq. membrorum conformatio. Tũc enim corpus est aptum, vt & actuetur ab anima, & operetur. Sed quoniam anima nõ recipit vitam secũdam nisi interuẽtu primę; neque dat corpori operationẽ, nisi antea dederit esse essẽtiale: propterea corpus dici debet potestate primũ ad vitam essentiale, tum ad operationẽ inde promanantem. Dicitúrq. potestate viuens, vel vt inquiũt ferè Græci, quia etsi actu habeat vitam; non ex se tamen, sed ab anima eam habet: potestatẽ interpretãtes cum actu, non cum priuatione, coniũctam. Vel potiùs si sit potestas cum priuatione, sit certè potestas proxima corporis optimè ad animam & omnem eius operationem comparati.

Deniq. dum animam definiuit Philosophus per vitam, quæ animæ effectus est; siue formalis, si vita prima intelligatur; siue efficientis principij, si secunda: haud quaquam ignotum per æque ignotum definiuit. Quoniam effectus semper est nobis notior, quàm causa. Neque tam definiuit

per

per vitam, quàm per corpus potestate viuens: quod multò notius est. Et adhuc exposuit, quodnam esset huiusmodi corpus addendo organicum in tex. 6. Præterquam quòd iam exposuerat in tex. 3. quidnam significare vita secunda, ex qua facilè intelligi poterat vita prima. Hæc est igitur tota animæ definitio: Anima est entelechia prima corporis naturalis organici potestate vitam habentis.

TEXTVS.

Διὸ καὶ οὐ δεῖ ζητεῖν, εἰ ὁ αὐτὸς ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα, ὥσπερ οὐδὲ τὸν κηρὸν καὶ τὸ σχῆμα, οὐδὲ ὅλως πᾶν ἑκάστου ὕλου καὶ τὸ οὗ ὕλη· τὸ γὰρ ὂν καὶ τὸ ἓν ἐπὶ πλειόνων λέγεται, ἐπὶ τοῦ κυρίως ἐντελέχειά ἐστι.

Quare non oportet quærere, si vnum anima & corpus. Sicut neque ceram & figuram, neque omnino vniuscuiusque materiam & id cuius materia. Vnum enim & esse cum multis modis dicatur, quod propriè actus est.

COMMENTARIVS VIII.

QVoniam perfecta cuiusque rei definitio, vt est in tex. 31. lib. 4. Phys. eiusmodi esse debet, vt ex ea solui dubitationes omnes & difficultates possint, quæ de ea re excitãtur. Vt ostẽdat Philosophus se omnino bonam animæ definitionem exposuisse: statim adiungit, ex ea facilè intelligi dubitationem illam, cur & quomodo ex anima & corpore fiat vnum.

Vnio formæ cum materia quid.

Primùm autem oportet ponere, quid sit vnio formæ cum materia. Non enim significat ipsam essentiam & naturam formæ. Quoniam intelligens anima separatur à materia & per se cohæret minimè vnita cum corpore. Neque essentiam materiæ. Quia hæc à qualibet forma liberatur, omnésque antecedit. Significabit igitur aliquid, quod inter vtramque sit medium. Quod ipsum vnionis nomen indicare videtur. Hoc autem nil aliud est, quàm formæ & materiæ causalitas; vel, vt verius dicam, causalitatis earum modus. Hoc etenim internæ causæ, materia & forma, ab externis, efficiente & fine distinguuntur: quòd illæ mutuum complexum requirunt; quoniam earum essentia imperfecta est, nec suã possunt causalitatẽ exercere, nisi vicissim ita sese complectantur, vt non solũ causæ, sed & partes sint eius rei, cuius dicuntur esse causæ. At verò externæ causæ, vt sunt in se perfectę, ita seipsis possunt causalitatem suam exercere; nec opus habent complexu. Etsi enim agens naturale materia indigeat, in quam agat, & cum qua per actionem, quæ in illa suscipitur, verè vniatur: vniuersè tamen loquendo non ita est. Quippe Deus absque vlla materia agit & in agente quoque naturali etsi necessaria sit ea vnio, quæ contactu constat; hæc tamen ipsa ad formalem operationis rationem nequaquam pertinet, sed conditio quædam est ad agendum necessaria. quam ob causam & vnum intelligitur sine altero, & contactus est natura prior actione: cum possint duo quępiam sese tangere, nec tamen inter se agere. Causalitas autem seu actus secundus materiæ & formæ sine illarum mutuo complexu atque vnione planè non intelligitur. Neque enim mente concipies materiam esse id, ex quo educatur, & in quo suscipiatur forma, & ex quo subsistantia

Causarũ inuicem.

Vnionis relatio.

Cur ex anima & corpore fiat vnum.

composita constituatur: nisi eam intelligas complecti formam. Nec rursum forma intelligetur dare esse materiæ aut compositam substantiam constituere tanquam actus, nisi cum materia coniungatur. Nec potest concipi forma dans esse & actuans, materiáque actuata, neque actus secundus formæ aut materiæ: quin & forma dans & materia suscipiens esse continuò intelligantur. Spectat igitur vnio ad rationem formalem actus secundi, tum materiæ, tum formæ: atque hoc solo secundus actus harum causarum ab actu secundo externarum, efficientis & finis, distinguitur. Etenim cùm omnes actus secundi omnium causarum per se primo respiciãt totum coniunctum: actus materię & formæ ita referuntur ad illud, vt intimè & seipsis perfectam illam substãtiam constituant. Constituunt autẽ; per vnionẽ qua necessario fit, vt alter eorum actuum includat alterum; & ideò mutuum materię & formę complexum.

Ergò vnio materię & formę solùm quendam actum secundum significat, quo forma materiam actuat communicando seipsam, eáque sua entitate firmando. Neque forma vnita cum materia aliud quidpiam est, quàm ipsa forma actuans & dans esse materię. Quamquam hęc vnio non totum significat actum secundum, neque integram aut materię aut formę causalitatem: sed quendam illius modum essentialem, qui in mutuo illo complexu agnoscitur. Vt scilicet actus ille secundus seu causalitas sit cum eiusmodi earum rerum complexu. Itáque vnio non solùm erit essentialis modus illius causalitatis, quæ inter materiã & formam versatur, quatenus sibi vicissim sũt causæ: sed illius quoque qua ambæ sunt causæ substantiæ compositę. Neque enim solum forma est materię causa complectendo illam, & materia item formę: verùm etiam per eundem complexum ambæ sunt causæ substantiæ compositæ. Quia hæc non componitur nisi quatenus altera illius pars alteram complectitur. Mutuus igitur hic complexus tanquam essentialis modus causalitatis & actus secundi materiæ & formæ est formaliter illarum vnio.

Inde vero mutua cõsequitur relatio inter partes vnitas ac sese mutuò cõplectentes, quæ in ratione causę & effectus fundatur, atq. ex causalitate vnius partis in alteram cum tali modo essentiali oritur. Et ideò cùm materia & forma separantur, cessat vnio, vnionisque relatio. Quia cessat causalitas & influxus vnius in alteram, soluitúrque complexus & complicatio vtriúsque.

Hæc, quæ de materia & forma vniuersè dicta sunt, de corpore item & anima intelligere oportet. Vt animæ vnio cum corpore modum quendam essentialem significet illius actus secundi & causalitatis, quo anima tanquam forma dat esse corpori per mutuum harum partium complexum. Verùm cùm anima & corpus sint duo inter se tantopere distincta; maximè dubitari posset, quod hoc loco dixit Philosophus, Num inter ea intercedat aliquid, quod partes illas copulet & vniat; quemadmodum aliquos existimasse S. Thomas testatur. Aut si nihil, quomodo in vnum coëant. Id quod in ijs, quæ ab antiquis dicta fuerant de anima, perobscurum est: propterea quod de corporis potestate ad animam suscipiendam ne verbum quidem apud illos; vt in tex. 51. 52. & 53. lib. 1. dictum est. At ex definitione ab Aristotele tradita statim intelligitur. Eodem enim modo ex

anima & corpore fit vnum, quo ex figura aut qua- A
libet alia forma, & ex cera aliaue quauis materia. Nam quemadmodum ens, ita & vnum, quod entis affectio est, multis modis dicitur. Ens autem non solùm de decem Categorijs dicitur, sed in earum quoque singulis de actu & potestate. Præsertim verò in substantia de materia & forma. Sed actus & forma maximè videtur esse; quia est perfectio & facit hoc aliquid, vt in tex. 2. positum est. Et ideò erit quoque maximè vnum, coniunctáque cum materia compositam substantiam faciet vnã. Itaque cùm animam dictum sit esse actum & formam, corpus potestatem & materiam, manifestum item est, quomodo ex illis absque vllo alio B
nexu efficiatur vnum. Quoniam cùm vnitas oriatur ab actu, si vnicus actus speciei sit in composito; ab illo item vnitatem habet, sicut & entitatem.

Similibus planè verbis eandem sententiam expressit in tex. 15. lib. 8. Metaph. quo loco cùm quæreret, quid sit quod hominem faciat vnum. Quòd si, inquit, hoc quidem materia, hoc verò forma est; & hoc quidem potestate, hoc verò actu: profectò non videtur ampliùs dubitatio esse quod quæritur. Nam quod quæritur est, quænam causa sit, vt rotundum & æs sint vnum. Ampliùs verò non apparet dubitatio; quoniam hoc quidem materia, illud verò forma est. quibus verbis totam huius contextus sententiam pulchrè comprehendit. C

Rationem autem, cur in substantijs compositis ex materia & forma fiat vnum; duplicem visus est indicare. Alteram, quia sunt potestas & actus in eodem genere. Alteram, quia forma est, quę constituit & determinat. Et ideò quemadmodum dat esse, ita dat vnitatem. quo circa materia generationis est causa, forma vt res sit & sit vna. Et cùm duplex sit forma, substantiæ & accidentis; illa dat esse absolutè, hæc secundùm quid.

Cur ex materia & forma fiat vnũ.

Ex artificiatis porrò tanquam notioribus explicare libuit naturalia, figuram adferendo & ceram, rotundum & æs; sicut & in primo lib. physi. à tex. 43. ex artificiatis probauit cõtraria esse principia, & tex. 69. naturam materiæ per analogiam ad operum artificiatorum materiam. Et in tex. 2. & 3. lib. 2. naturã collegit; atq. alijs pluribus in locis ex rebus, quæ in artibus visuntur, de ijs, quę natura constant, philosophatus est, vel etiam in proximè sequenti contextu. Artificiosa enim sunt notiora, atq. imitantur naturam; & ideò quod in illis cernitur, de naturalibus quoque licet colligere. D

Ex artificiatis expellant animalia.

E

TEXTVS.

Καθόλου μὲν οὖν εἴρηται τί ἐστιν ἡ ψυχή· οὐσία γὰρ ἡ κατὰ τὸν λόγον· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ τοιῳδὶ σώματι· καὶ τάδε· εἰ τὸ ὄργανον φυσικὸν ἦν σῶμα, οἷον πέλεκυς· ἦν γὰρ ἂν τὸ πελέκει εἶναι ἡ οὐσία αὐτοῦ, καὶ ἡ ψυχὴ τοῦτο. χωριστὸν γὰρ ἴσως, ὅτι μὴ ἓν πέλεκυς ἦν, ἀλλ' ἢ ὁμωνύμως.

Text. 8. *Vniuersè igitur dictum est, quid est anima, substantia enim quæ secundùm rationem. Hoc autem quod quid erat esse huiusmodi corpori, sicut si aliquod instrumentorum naturale esset corpus, vt securis. Esset enim vtique securi esse substantia ipsius, & anima hoc. Separata autem hac non ampliùs securis esset, nisi homonymè.*

COMMENTARIVS IX.

PHilosophum credidit Auerroës voluisse magis confirmare quod dixerat, animã esse formam & actum; vniuersè ostendendo naturales formas esse substantias. Meliùs multò reliqui, tum Græci, tum Latini, magis explicari voluerunt & confirmari superiorem totam definitionem. Cùm enim res esset perobscura, & in qua dixisset, si quid commune omni animæ dici posset, illud esse, quod ab ipso definiebatur; æquum omninò erat id ita esse pluribus explicare atque ostendere. Propterea inquit Simplicius, eum primùm colligere quasi Conclusionem eorum omnium, quę hactenus dicta sunt. Colligit enim expositam esse generalem animę rationem. Deinde addit, animam esse substantiam quę secundum rationem, hoc est substantialem formam. Nam etsi λόγος multas habeat acceptiones, vt exponit Philoponus; hoc tamen loco formã significat. Hoc autem est quod quid erat esse huiusmodi corporis. Nẽpe essẽtialis forma corporis naturalis organici. Nam quod quid erat esse formam essentialem significare, quæ rei essentia est, ex tex. 28. lib. 2. Physi. cognoscitur. Quando igitur animam dixit esse formam vt quod quid erat esse huiusmodi corporis, docere voluit eam esse formam essentialem, ex qua corpus naturale organicum & habeat esse & definitionem. Quoniam ex forma essentiali cuiusque rei, tum esse petitur, tum definitio.

Animæ forma substãtialis.

Hoc autem ita esse, atque adeo totam definitionem propositam, optimè dixit Philoponus & exponi per partes, & exemplis illustrari. Sed quod, tum ipse, tum Simplicius addiderunt, simul etiam ostendi animam esse inseparabilem, quatenus est corporis perfectio, quod omni animę commune est (quomodo autem intelligẽs anima sit separabilis, seorsim post exponendum esse, quia proprium huius animę & peculiare est) probare omnino non possum; nec video quorsum doceri queat. Immò in tex. 11. tunc primùm colligit, aliquas saltem animas inseparabiles esse, fortasse autem aliquas separari posse.

Nunc autem propositam definitionem, animámque esse formam essentialem animatarum rerum; duplici exemplo illustrat. Alterum est ex rebus artę constantibus, quę & ipsę sunt animę instrumenta, inquit Simplicius. quoniam & illis vtimur per eam mouendi virtutem, quę est ab anima. Verùm non hanc ob causam credendum est hęc artificia adferri. Sed quod notiora sint nobis, & ex quibus Philosophus naturalia cõsueuerit explicare. Si igitur securis, quę instrumentum quoddam est aptum ad scindendum, esset animal seu naturale corpus animatum; procul dubio esse securis esset substantia, hoc est forma, & quod quid erat esse & anima ipsius. Nã & per eã definiretur, & operaretur eáq. sublata nõ diceretur ampliùs securis nisi homonymè. Ita enim anima est quod quid est esse animalium; hácq. ablata homonymè animalia dicuntur, & eorum partes homonymè organa appellantur.

Hinc intelligendum est, apud Aristotelem duobus modis homonymiam nominari. Interdũ *Homon. duplex.* propriæ; vt solum vocis communionem, non item

item rei, quæ voce indicatur, significaret. Sic in 7. libro Metaph. tex. 15. inter omonymum & synonymum ponit medium id, quod ad vnum dicitur. Et tex. 2. lib. 4. ens neque synonymè dici, neque omonymè, sed ad vnum & cap. 3. lib. 11. si ens esset omonymum & commune nihil significaret, nulla de eo esset scientia, & cap. 6. lib. 1. de Moribus ad Nicomachum, bonum non esse omonymum à fortuna, sed aut ab vno & ad vnum, aut potiùs analogum. Et in tex. item 25. lib. 2. de posteriore analysi omonyma ab analogis distinxit. Interdum verò ampliori significatione omonymum synonymo ita oppositum, vt analoga quoque & quæ ad vnum dicuntur comprehenderet. Ita ens omonymè dici affirmauit in 1. lib. Elenchorum. c. 6. & lib. 5. Metaph. tex. 17. & alijs in locis, & in tex. 31. lib. 7. Physic. varios omonymiæ modos ita cõmemorat, vt alij sint valde remoti, nec aliud, quam vocis communionem habeant, vt exponunt Themistius, & Theodorus Metochita, atque ex simplicio significat omonyma à fortuna. Alij similitudinẽ aliquam habeant, quę omonyma sunt à similitudine; alij demum propinqui sint, aut genere, & hæc sunt ab vno & ad vnum; aut analogia, & hæc sunt analoga. Quare in libro Categoriarum omonyma sola & synonyma definiuit; omonymorum nomine analoga quoque comprehendens & quæ ad vnum reuocantur; vt ex Græcis omnibus illius loci Interpretibus cognosces. Et ex Philopono Comment. 104. ad tex. 44. lib. prioris de Ortu & Interitu. Et exemplum, quod eo loco ad fert Philosophus, ab Ammonio creditur esse eorum, quæ sunt ab vno. Itaque si priori modo sumatur omonymum, inter omonymum & synonymum est medium analogum & quod ad vnum: Sin posteriori modo, nihil est medium. Quælibet enim vox aut vnum pluribus commune significat, & est synonyma; aut immediatè plura, & est omonyma. Hęc autem plura, aut proportione aliqua, seu ad vnum habitudine conueniunt, & analoga vel ad vnum dicuntur: aut nulla prorsus præter vocem; & sunt merè omonyma. Si igitur animam ab animalibus separes eorum partes & corpora merè omonymè, hoc est solo nomine organa appellabis. Nullam vero edere poterunt actionem, & vsu esse ad operandum: quod vera & animata, aut quæ mox animata erunt, organa habent.

4. *Digressio VI. De vocum synonymia & omonymia.*

Hæc ad huius loci interpretationem satis esse quispiam indicabit; Ego nõ abs re facturum me existimo, si de synonymia, & omonymia addidero aliquid, quod & hunc locum magnopere illustret, & vero alijs pluribus exponendis necessarium sit.

Ergò quæ de pluribus dicuntur, aut voce & natura significata æquè omnibus communi dicuntur; aut voce & ratione quapiam, qua alio atque alio modo illa participent; aut voce & alijs atque alijs rationibus ad vnum aliquid terminatis; aut demum sola voce. Ita quædam vocantur Synonyma, alia analoga, quædam ad vnum, alia denique merè omonyma. Cur Philosophus in Categoriarum libro prius diceret de omonymis, suas habuit rationes illius loci proprias, quas nunc non est necesse commemorare. Quoniam tamen eiusdem fuit sententia in tex. 85. lib. 1. de anima recto nos & ipsum & obliquũ cognoscere; quòd illud & sui & obliqui regula sit; obliquum nec sui nec recti: placet à synonymis, quæ omonymorum comparatione sunt veluti rectum, principium facere.

De Synonymis.

Synonyma vocamus, quæ vocis & naturæ communionem habent. Quæ inquam non solùm eadem voce appellantur, sed eandem etiam habent essentiæ definitionem. Quæ non ad rem modò voce significandam refertur (hoc enim denominatiua quoque habent), verùm absolutè & ad ea, de quibus vox illa dicitur. Vt omnia & communem habeant vocem, & secundùm illam, eandem definitionem substantiam eorum significantem. Hoc denominatiuis non conuenit. Quippe alibi definitio substantiam & essentiam aliorum corporum non attingit. At cùm hominem aut equum animal appellamus, tum animalis vox tum definitio æquè vtique communis est & essentialis. Significat igitur Synonyma vox naturam vnam à pluribus illis mente saltem distinctam, & omnibus æquè communem ac essentialem. Hoc genera maximè & species habent; magisque species infimæ, quæ sunt naturæ omni ex parte perfectæ eodem modo in rebus singulis existentes. Genera, vt sint minùs perfecta, differentias plures & species potestate continent. Et in tex. 31. lib. 7. phys. multa in illis velut omonymiam quãdam latitare legimus. Quòd alijs atque alijs differentijs, perfectioribus aut imperfectioribus, ad plures contrahi species possunt, Quarum aliæ sint alijs meliores. Quare Auerroës Comment. 2. lib. 12. Metaph. eum generis vnitate dixit prioritatem & posteritatem specierum posse consistere. Hæc enim non in generis communi natura, sed differentiarum & specierũ propria vi consideratur. Nam omnis diuisio, vel etiam generis in species, vt est in cap. 2. lib. 6. Topicorum, & tex. 14. 15. & 24. lib. 10. Metap. duobus membris constat, quorum vno alterum perfectius est, & veluti habitus comparatione priuationis.

Specierũ diuersa perfectio synonymiam nõ tollit generis.

Hinc intelliges, quid sibi velit Philosophus cum cap. de simul, species dixit, quæ genus aliquo d diuidunt, simul esse in illius participatione debere. Non enim negat posse vnam alteri præstare, sed vnam propter alteram generis esse participem; quemadmodum accidens ens est propter substantiam. Quod non in genere exemplaris aut finis accipias, sed formalis causæ, vt vna non sit formaliter talis propter aliam: Quòd habeat vnaquæque propriam, qua constituatur, differentiam. Quid item in tex. 11. lib. 3. Metaph. cùm in quibus, inquit, est prius & posterius, non potest quod de his dicitur, aliquid præter hæc significare. Quare in numerorum & figurarum speciebus reperiri posse negat vnum superiùs genus. Quoniam in illis vna species est prior altera. Etenim nisi disputando loquatur vt in toto illo libro, & ex particula conditionali colligitur: intelligendus est de tota natura specierum & generis in illis iam per differentias perfecti. Quo modo & in animalium speciebus inæqualitatem reperias. Quid demum in 7. phys. loco notato. Non enim genus dixit esse omonymũ; sed in eo multa latere. Quod Simplicius & alij interpretantur, genus, seu ea quæ genere conueniunt & specie differunt, non esse vnam naturam,

vt est species infima. Quare nec faciendam inter ea comparationem, quæ ita inter se differunt. Quia non habent vnam naturam totam, sed partim vnam; partim diuersam. Vnam ratione generis, diuersam ratione differentiarum. Et ita latent multa, quæ comparari posse videntur, & non possunt. Inde ostendit quomodo in omonymis erremus. Quoniam aliquam habent similitudinem, propter quam videntur comparari posse. Propterea vero in genere latent multa; Quia etsi naturam vnam significet; plures tamen comprehendit species, & per diuersas contrahi potest differentias, quas potestate solùm continet. Atque in eo videtur esse omonymia, propter species diuersæ & inequalis perfectionis & definitionis: Species verò essentialem nullam inæqualitatem patiuntur, quòd essentialiter perfici magis nequeant: neq. per differentias vt genus, sed seipsis descendant ad singula, quorum totam essentiam absoluunt. Aliquam solùm accidẽtariam operationum & accidentium admittunt, quæ non inter species modo, sed etiam inter eiusdem speciei indiuidua animaduertitur.

ὁμώνυμα Analogus.

Synonymis affinia sunt analoga. Nam etsi hæc non significent vnam naturam eodem modo multis communem, similem tamen aliquam & proportione eandem in omnibus rationem habent. Analogia enim nil aliud est, quàm proportio, pluriumue proportionum similitudo. λόγος græcè, latinè est ratio, habitudo, comparatio, & proportio. Quæ cùm inter plures quantitates maximè cernatur, mathematicis est familiarissima & inter quatuor terminos consistit. Vt videre est in numeris; in quibus vt binarius se habet ad quaternarium, ita ternarius ad senarium. Quorum proportio & ratio communis est dupla. Iam tamen multò latiùs patet huius nominis vsus, quàm primi eius auctores voluerint. Nam à quantitatibus ad quarumcumque rerum similitudinem traductum fuit. Ac primum in Grammaticis analogia quædam cernitur; & Diomedes antiquus Grammaticus testatur bonam eius partem analogia niti; quam dixit Varro declinationem esse similis nominis secundùm similem rationem; vt à bonus bonitas, à pius pietas. In Poëticis quoque quædam est figuratæ orationis forma, quæ analogia dictitatur; qua scribunt Poëtæ, quod est vesper dici, hoc esse senectutem vitæ: & permutando dicunt vesperum vitæ, & senectutem dici. Quin & Rhetores locum habent à proportione, quem Ar. in 2. Rhet. lib. cap. 24. illustrat Ipsicratis dicto ad Censores, qui puerum adhuc filium, quòd procerioris esset staturæ, Ciuitatis onera ferre cogerent: si, inquit, longi ex pueris viri putantur, breues ex viris pueri iudicabuntur. Porrò in Logicis extat in 2. lib. de posteriori Analysi tex. 23. & 25. subiecti analogi proprietates causas, & medium debere esse analoga. In moralibus in 1. ad Nicomachum lib. cap. 6. analoga memorantur. Et licet ad aliam scientiam reijciatur analogiæ consideratio; bonum tamen dicitur esse analogum: & illud adfertur, quod est aspectus corporis, hoc est mens animo. Quòd etiam habetur in Logicis 1. lib. Top. cap. 14. Denique in Physicis & Metaph. plurima est analogiæ mentio.

Analoga quæ dicantur.

Vbique autem analoga ea vocantur, quæ proportione quadam sunt interse affecta: vt quemadmodum se habet vnum ad alterum, ita se habeat alterum ad alterum. Hoc intellectu vsum fuisse hac voce Philosophum, fatebitur is, qui fuerit in eius scriptis mediocriter exercitatus; Nam in 1. lib. de post. analysi tex. 24. Demonstrationum principia alia scribit esse propria, alia secundùm analogiam communia. Et in tex. 23. posteriorum lib. docet proposito analogo inuenire medium; vt quod est in alijs animalibus os, hoc sit in piscibus spina. Et tex. 25. Quæ sunt eadem secũdùm analogiam, habent etiam vnum medium analogum; quo demonstrentur. Et in tex. 6. huius 21. lib. de anima, Radices plantarum sunt analogæ animalium ori. In tex. 12. lib. 5. Metaph. ea sunt vnum analogia, quæ ita se habent, vt videantur esse ad aliud; hoc est proportione quadam & similitudine inter se affecta; Vt Alexander, Auerroës, & alij interpretantur. In tex. 22. 23. & 26. lib. 12. omnium rerum eadem sunt principia analogicè; quia sunt in alijs alia. In 3. lib. de animalium ortu cap. 11. animalia, quæ duram habent testam in mari, naturam habent analogam stirpibus in terra. In 4. lib. politicorum. cap. 4. populus absque lege gubernans est Tyranno analogus. Et 1. lib. ad Nicomachum cap. 6. Bonum aut est ab vno & ad vnum, aut potius analogum: Quo loco cùm apertis verbis distinguat analoga ab ijs, quæ sunt ab vno & ad vnum; manifestum est, latinos eos errare, qui ea quoque quæ sunt ab vno & ad vnum, vocant analoga; duplicémque analogiam distinguunt; proportionis vnam, alteram attributionis. Cùm & analogia non nisi proportionem significet: & quæ per attributionem dicuntur, non analoga, sed ad vnum ab Aristotele, & à Græcis vocentur.

Analogia quid.

Cùm igitur analoga & vocem habeant communem & rationem vere significatam, absolutè quidem diuersam, at proportione quadam eandem: inter quatuor omnino versantur terminos; Quorum duo sunt illa, quæ analogicè conueniunt; & totidem ex duabus sumuntur rationibus, quæ proportione similes sunt. Vt quemadmodum eorum vnum se habet ad vnius rationis terminum; sic ad alterius terminum se habeat alterum. Ita principium cordis & fonti analogum est. Quoniam etsi alio atque alio modo principium sint; illud spiritus & vitæ; hic aquæ & fluuij: Hoc tamen conueniunt, vt sicut illud spiritus & vitæ principium existit; ita hic aquæ sit & fluuij. Quod igitur analoga voce significatur, omnibus illis formaliter conuenit, de quibus ea vox dicitur: voxque absolutè pronuntiata omnibus competit.

Immò quia id, quod ea voce indicatur; non est omnino idem in omnibus, vt in synonymis; abstrahi ab illis non potest aliquid ab eis distinctum; sed omnia simul concipiunt vt simili ratione conueniunt. Neque in mente vnum habent conceptum nisi confusum: præter quem alijs opus est conceptibus, vt propriæ singulorum rationes intelligantur. Nam etsi principium suas esse id, ex quo aliud oritur: nondum tamen propriam cordis aut fontis rationem habes. Conceptus synonymi distinctus est, & sufficiens ad indicandam participationem quoque illius in inferioribus. Et si animal scias sentientem substantiam esse; scis etiam, quid animal sit, quod est in homine & equo; quia nil aliud est, quàm substantia sentiens. Neque analoga vox naturam vnam perfectam significat, vt colligitur ex tex. 70. lib. 7. phys.

Phys. sed diminutam quandam rationem; eo tantùm modo priorem, quo communior est, nec ab ea valet subsistendi consequutio. Itaque dum analogum nominatur, communis ratio confusa nominatur, quæ immedatè significat multa ratione simili conuenientia, eáque proprijs singulorum nominibus distinctè explicabitur. At quoniam omnia similia sunt, conceptus distinctus vniusaliud quoquomodo repræsentat, atque ad illius cognitionem ducit. Deest interdum communis vox. Spina in pilcibus atque in animalibus cæteris os analoga sunt. At communem illis rationem quomodo nominabis? Aut fingendum est nomen, aut pluribus vtendum, vt id describas, quod vno nominare non vales.

Primum analogũ quid

Iam si ea, quæ analoga voce appellantur, inter se comparentur; primum ac præcipuum illud iudicari debet; non quod est natura præstantius; sed cui magis propriè analoga ratio conuenit. Sola

Analoga comparari posse.

pure omonyma verè affirmantur in tex. 24. lib. 7. Phys. comparari non posse, quia nulla re conueniunt, in qua comparentur; vt scylus, vinum, & vltima in acuto at vltima & illi proxima optimè comparantur. Quare quod est in primo lib. Top. cap. 13. Synonymum esse comparabile, non ita accipias, vt synonymorum duntaxat sit comparatio; sed ita vt synonyma omnia comparari queant.

De analogo esse scientiã.

Non defuerunt etiam, qui de analogis negarent esse scientiam. Fuit sententia Scoti in 1. sentent. lib. Verùm audiendus non est. Quoniam Aristoteles in 1. lib. de posteriori analysi. tex. 24. Et lib. 2. tex. 23. & 25. ad demonstrationem admittit; exemplo vsus ossis & spinæ. Et in Metap. sæpè scientiam ait esse de ente, quod non synonymum, sed omonymum, hoc est analogum & ad vnum esse voluit. Habent enim hæc quoque rationem vnam communem pluribus; conceptum vnum, saltem confusum, de quo proprietates ostendantur, quæ singulis proportione conueniant. Quod in ente perspicuum est. Hac ratione vsus est Philosophus, cùm in tex. 2. lib. 4. ens ostendit Metaph. obiectum esse posse; quia etsi synonymiam naturam vnam non significet; significat tamen vnam rationem in omnibus entibus. Immò si vnitas illa ad vnum, quam maximè agnouit in ente, satis est, vt possit esse scientiæ obiectum; multò magis satis erit maior analogiæ vnitas. Quamquam dum proprietatis de analogo demonstrantur, non tàm de illo, quàm de inferioribus proportione ostenduntur; totáque de his potiùs scientia est. Quippe analogum nullam ab illis distinctam naturam, sed illa ipsa simul sumpta significat.

Analogũ cognitio ad definitio.

Licet & horum vnumquodque iuxta propriam rationem, qua communem analogam participat, non solùm cognosci, sed definiri. Facile enim est cognoscere cor vitæ principium esse, etsi fontem fluuij principium ignores: Quod tum de propria analogia intelligas; Nam si per Metaphoram dicas pratum ridere, neq. intelliges, neque definies prati risum, nisi humanum cognoueris, vnde metaphora ducitur. Tum verò de pura & sincera. Si enim cum attributione ad alterum permista fuerit, vt est analogia entis, cùm de Deo & creatis rebus, aut de substantia & accidente dicitur; nequeunt ea, quæ eiusmodi sunt, perfectè cognosci, nisi accipiatur illud, ad quod dicuntur. Tum demum de analogis materialiter consideratis, vt res quædam sunt; quæ communem vnam rationem habent. Si enim formaliter accipiantur, vt analogata sunt & multum similitudinis rationem dicunt, communis est relatorum conditio, vt vnum sine altero nec cognosci possit nec definiri. Communis autem analoga ratio, vt est confusa, ita descriptionem aliquam & explicationem habet; perfectam & distinctam definitionem non habet. Nam si principium dicas esse id, ex quo aliud quocunque modo oritur, non nisi confuse quid sit expones: nec satis vnquam plane dixeris, nisi proprias singulorum rationes acceperis. Ita vniuersum analogum definitionem solam habet & cognitionem confusam; analogata singula claram & distinctam.

De ijs, quæ ab vno & ad vnum.

Quæ verò ab vno & ad vnum dicuntur, etsi neque in natura vna, neque in rationum similitudine conueniant; conueniunt tamen; in termino diuersarum habitudinum. Aristoteles in 4. 7. & 11. Metaph. exempla proposuit sani & medicinalis. Nam ab animalis sanitate per diuersas ad illam habitudines multa dicuntur sana. Animal, quia est sanitatis subiectum; medicina, quia sanitatem efficit; vrina, quia illius signum; exercitatio, aër, cibus, & similia; quòd eam in animali conseruent. Ab arte item medica & per ordinem ad illam, homo, liber, instrumentum, & alia plura vocantur medica; Quare in eo conueniunt omnia, vt ab vno & ad vnum per diuersas ad illud habitudines nominentur. Ac proinde in solo diuersarum habitudinum termino conueniunt, à quo nomen idem accipiunt.

Itaque id, ad quod illa omnia terminantur, necesse est formaliter sit in vno illorum aliquo; in cæteris non item: & illud intrinsecè, reliqua extrinsecè nominentur. Propterea inter hæc reperitur prius & posterius. Quoniam vnum primò nominatur, reliqua secundariò & per ordinem ad illud. Idque quod primo nominatur, est maximè tale, alia solùm per habitudinem quandam. Illud solum absolute tale appellatur, & vox absolutè pronuntiata pro illo accipitur: sicut ab Aristotele sæpe dicitur, substantiam solam esse ens, accidentia entis entia.

Accidens quomodo entis ens.

Quanquam sciendum est, accidentia per ordinem ad substantiam dici entia; non plane extrinseca denominatione, vt de sanis dictum est; sed partim extrinseca, partim intrinseca. Sunt enim formaliter entia; nec de illis ità dicitur ens ad vnum, quin per analogiam quoque dicatur. Extrinsecè tamen nominantur entia ex ordine ad substantiam velut ad primum & præcipuum ens, ad quod tanquam subiectum & finem referuntur.

Eorũquæ ad vnũ definitio, & cognitio.

Immò in cæteris definiendis primum illud semper adfertur. Quia cùm talia sint per habitudinem ad illud, sine illo habitudines eæ explicari nequeunt. Primum autem sine alijs definitur. Quoniam absque ordine ad cætera est se ipso formaliter tale. In conceptibus eodem modo res habet. Quin etiam cùm concipitur vniuersa

ratio omnibus illis communis ; quia non significat aliquam vnam naturam, plura quidem concipiuntur; plures inquam habitudines, vt ad vnum terminum referuntur : Primùm tamen ac præcipuè concipitur habitudo eius, quod formam illam habet; tum habitudines aliorum, quæ ad illam referuntur. Quæ omnia possunt quidem in intellectu vnum habere conceptum ; at confusum, non distinctum. Vt sanum sit quidquid ordinem dicit ad sanitatem. Distinguitur autem confusus hic conceptus, cùm vno conceptu intelligitur animal sanum, quia sanitatis subiectum, alio vrina sana, quia illius signum ; & ita in cæteris. Hæc enim ipsa non magis, quàm analoga, naturam vnam significant, aut obiectiuum conceptum communem multis : sed immediatè multa illa, quæ nomine & habitudinibus ad vnum conueniunt. Quare nec intelliguntur priùs, quàm sua inferiora. Quia etsi communem in intellectu conceptum habeant; is tamen confusus est, & inferiora omnia continet : seu alius non est conceptus, quam inferiorum simul indistinctè sumptorum.

Eorumdè cõceptus.

Scientia obiectum esse possunt.

Qua propter etsi possint obiectum esse scientiæ ; ita tamen hæc instituetur, vtsi fieri possit, vniuersa eorum ratio & siquæ sint, quæ illam sequantur, primum proponantur : deinde de primo illo ac præcipuo dicatur : tum diuersæ ad illud habitudines explicentur. Maxima verò scientiæ pars, aut etiam plerumque scientia tota, in illius primi explicatione consumetur : aliorum atque adeò rationis vniuersæ raro & obiter fiet mentio. Quod in Metaphysicis ab Arist. in entis tractatione seruatum est. Fere enim totus in explicatione fuit substantiæ, de accidente & ente vniuersè paucissima tradidit.

De purè omonymis.

Dictum est de synonymis, analogis, & ijs quæ ad vnum. Superest de purè Omonymis dicere, quæ in sola voce consistunt, non item in re per vocem significata. Voces enim ex nostra impositione signa sunt, quibus & res indicamus, & notiones mentis expromimus. Duabus autem rebus, duabúsque notionibus significandis idem signum, eandemque vocem imponere facile est. Quare qui voces esse à natura volunt, Omonymiam omnem negarunt. Qua de re Platonis Protagoras, & Simplicius auctor est in Comment. lib. Categoriarum, Architam, quòd esset Pythagoricus, & voces crederet esse à natura, nullam in Categoriarum explicatione Omonymorum fecisse mentionem. Et Psellus in expositione tex. 13. lib. 1. Phys. vsque ad Aristotelis ætatem habitam scribit non fuisse Omonymorum notitiam. Platonem aut potiùs Socratem cœpisse primum de illis plura differere. Peripatetici autem cùm voces intelligerent ex libera omnibus impositione pendere, plurimam viderũt in vocibus omonymiam esse posse; dum vna voce ad res plures significãdas vtimur. Est autem omonymia tota in vocibus. Quoniam cùm & mentis notiones & res significentur vocibus hæque tum voce, tum definitione explicari queant : in rebũs per se consideratis nulla esse potest, quoniam singulæ propriam & cum nulla alia communem naturam habent. Neque in notionibus ; quia vt res aliam atque aliam habent naturam, ita & in mente notionem propriam. Siquidem obiectiuus quilibet conceptus proprium sibi formalem habere potest. Quod si tàm multæ sint conceptiones, quàm multæ res, nulla fuerit in conceptionibus omonyma. Et si tàm multæ essent voces ; nec in vocibus foret vlla. Neque demum in definitione aut descriptione. Tum quod cum eæ conceptionem aliquam explicent, si in rebus & conceptionibus non est, neque in illis fuerit. Tum quod multis eæ semper vocibus constant ; in quibus si vel vna fuerit synonymia, alsarum omnium significationem contrahit. Nam si Canem definiens aliqua vtaris voce, quæ latrabili solùm Cani conueniat, tota definitio canisque significatio ad hunc & non alium Canem contrahitur. Quare quod ex Aristotelis sententia scribit in 7. lib. Phys. cap. 7. Theodorus Metochita, non solùm in vocibus, sed in vocum quoque rationibus, omonymiam esse ; de analogis accipias ; aut illis, quæ ab vno & ad vnum dicuntur ; vt exemplo salubris ipsemet exponit. Illis enim vt in re ipsa est omonymia, ita & in mente vnus est confusus conceptus omonymè communis pluribus. Et descriptio etiam respondens communi illi rationi, quæ est in rebus ; & conceptui, qui est in mente.

Omonyma ante Aristotelẽ ignota.

In rebus & notionibus omonyma nulla.

Neque in definitione.

Tamia naturam accipias.

Tota igitur omonymiæ puræ vis in solis versatur simplicibus vocibus. Atque ex eo nascitur, quòd vna vox pluribus rebus natura ac definitione dissentantibus fuit imposita : cui plures immediatè respondent res in nullo prorsus conuenientes, quod ea voce significetur. Et ideò ea audita non potest Intellectus vnum aliquem formare conceptum, neque distinctum, neque confusum ; sed plures rerum planè diuersarum débet effingere. Ac demum neque communis definitio, neque cognitio aut scientia vlla de huiusmodi omonymis haberi potest : sed ab omni prorsus scientia reiciuntur. Verum de his fortasse nimis multa.

Omonyma nec definiri.

TEXTVS.

Νῦν δ' ὅτι μὲν πλεκτέος. οὐ γὰρ τοιοῦτον σώματος τὸ τί ἦν εἶναι, ἀλλ' ὁ λόγος ἢ ψυχὴ· ἀλλὰ φυσικοῦ τοιοῦδε ἔχοντος ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως ἐν αὑτῷ.

Nunc autem est fecuris. Non enim huiusmodi corporis quod quid erat esse & ratio anima : sed naturalis huiusmodi, habentis in seipso principium motus & status.

COMMENTARIVS X.

SEcuris compositum quoddam arte confectum significat, vt Græci interpretantur, & ideò forma illius essentialis non est alia, quàm figura illa fecuris, qua ad in cidendum est apta. Non autem anima. Quoniam anima non est actus huiusmodi corporis ; sed eius, quod sit naturale, potestate vitam habens & organicum ; quodque in se ipso principium habeat motus & quietis. Vel enim naturalibus omnibus corporibus principium hoc in est, vel illi maximè, quod est subiectum animæ. Siquidem animata manifestum est à se ipsis moueri & quiescere ; & quidem pluribus ac diuersis modis. Hæc est horum verborum sententia.

Digressio

Digressio VII. de Natura.

Verùm enimuerò non est hic locus leuiter tractandus. Quæ enim in definitionibus accipiuntur, maximam omnino vim habent & consequentium omnium principia sunt. Naturalis corporis animá esse actũ, accepit antea in definitione. Philosophus. Nũc quid illud sit, explicauit, corpus inquiẽs naturale esse, quod in seipso motus & quietis principium habet. Principium hoc esse naturã, manifestũ est ex 2. lib. Phys. Igitur naturale corpus est, quod naturam habet. Sed quoniã quæri adhuc potuisset, quid sit natura, definitionem ipsam maluit, quàm rem definitam ponere.

Plurimis namque modis nominamus naturam, qui tamen ad duos potissimũ reuocantur. Quorum altero quidpiam significat, quod rem cõstituat, altero operationis principium. Vsurpare enim hanc vocem cõsueuimus pro cuiusuis rei, vel etiam non entis, notione: quo modo Chymeræ, non entis, & negationis naturam dicimus, siue solius entis, aut etiam substantiæ, vt cùm substãtiam loquimur esse naturam rerũ, cætera affectiones & accidentia, & in tex. 2. li. 4. Metaph. omnia dicũtur esse entia attributione ad vnam naturam. Interdum etiam pro toto vniuerso; vt cùm in natura nihil esse otiosum pronuntiamus. Et illud fortasse in c. 5. lib. 1. de partibus animalium, nullam rem esse in natura, in qua non admirabile aliquid habeatur. Interdũ pro rebus tantùm sublunaribus; vt illud in tex. 38. lib. 12. Metaph. A primo principio, tum cœlum, tum natura pendet. Interdum pro principijs & partibus, quibus corpora omnia constant; indéq. naturalia vocantur: vt in 2. Phys. lib. Interdum demum pro nascentia & generatione, quę via est ad naturã: aut etiam pro illius priuatione, vt in tex. 14. & 15. eiusdem lib. & intellectũ, voluntatẽ, facultatesq. exteras dicimus esse naturales, scientias, virtutes & omnino habitus non item: quòd illa in primo habeantur ortu, hęc post acquirantur industria. Quod si spectetur natura vt principium operãdi significat, sæpissimè sumitur pro primo & supremo principio, à quo omnia pendent; vt cùm naturã dicimus rebus omnibus prouidere, & similia; maximéq. videtur primã causam Deum significare. Ita visus est scripsisse Philosophus in tex. 20. lib. 1. de cœlo, rectè fecisse naturã, quæ cœleste corpus ortus atque interitus futurũ expers exemit à cõtrarijs, & in posteriori lib. de ortu & interitu tex. 59. naturam semper id omnibus velle quod est melius. Plerumque etiam pro omnibus aliis causis præter primam; vt cũ Deum & naturam legimus nihil frustra facere. Interdum tandem pro sublunaribus causis; quemadmodũ fortasse in 12. Met. Cœlum & natura dicuntur à primo principio pẽdere. Nec desunt, qui naturã Platonicis testẽtur sublunare numen significasse? Nec rarò pro qualibet particulari causa, vel etiam efficiente & extrinseca; vt si ignem dicas naturaliter calefacere, aquam refrigerare. Aut pro eo, quod necessariò, non ex cognitione & electione aut libertate, operatur. Pro eo item, quod cum inclinatione & propensione: proque eo, quod ex intentione agentis euenit. Ita naturam sæpissimè audis advnum definitam esse, nec posse non agere, effeq. advnam operationem, & vnam operãdi formam determinatã, terrã naturaliter moueri deorsum, contra naturã sursum; monstrãq. non esse naturalia, quòd rarò & præter intentionẽ eueniant. Aut deniq. pro principio intrinseco operationis & motus in ea ipsa re, quæ operatur & mouetur. Quomodo & natura definita fuit in 2. Physic. & naturalia vocantur ea, quæ hoc in seipsis principium habent.

Itaque cùm tam variam ac multiplicem esse naturæ notionem intelligeret Philosophus, vt exponeret quomodo naturale corpus in animæ definitione nominasset, non naturam accepit, sed eius definitionẽ; Naturale est, quòd habet in se principiũ motus & quietis. Operantur enim naturalia tũ in se ipsis, tum in aliud. Dũ in aliud vim habẽt efficiẽtis causæ, dum in seipsis, naturæ. Esse autẽ tale aliquid in rebus, ita manifestum est; vt ridiculum sit eius probationem quærere. Cùm enim ita moueri permulta constet, vt non ab externa vi impellãtur, si modò cognoscatur, quid naturæ nomen significet, sensu ipso statim concluditur dari naturã, hoc est internum illarum motionum principium.

Fuerunt non pauci, qui non esse aliquid particulare & proprium cuiusque rei, sed generale, omnibus & commune senserũt. Nimirum naturam esse Deum ipsum; diuinamque rationem toti mundo & partibus eius insertam, omnesque gubernãtem, scripsit Seneca in lib. 4. de beneficiis cap. 7. & senserunt Plinius lib. 2. cap. 7. & lib. 27. cap. 3. Sextus Empiricus & ex Recentioribus Iulius Cæsar Scaliger Exercit. aduersus Cardanum 1. 7. 20. 157. 278. 323. & 359. Si enim, inquit ille, natura est principiũ primum motus, non debet ipsa aliud habere principium: id verò soli Deo conuenit. Et Exercit. 188. ex Hippocratis sentẽtia ordinariam dixit esse Dei potestatem: quod in lib. 9. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 8. confirmauit Galenus. Immò ex nostris Lactantius Firmianus lib. 3. diuinarum institut. cap. 28. Natura, inquit, remota prouidentia & potestate diuina prorsus nihil est. quia cùm natura nascentiam quandam dicere videatur, necesse est mentem esse diuinam, quæ sua prouidentia nascendi principium rebus omnibus præbeat. Deniq. Mercurium illum te maximum, Pythagoricos, ac Platonem scimus naturam fecisse principium vniuersale vimq. à prima causa per cœli motum in alia omnia corpora diffusam: quæ etsi vna sit in alijs tamen atq. alijs corporibus susceptа pro corporum varietate fiat diuersa.

Quibus omnibus ego quidem libẽter assentior, præter singularum rerum naturas quandam supremam naturam esse, quam Deum nominamus, velut generale principiũ quod cuncta gubernat, non Stoicorum modo, Platonicorũ, Peripateticorum & (solis exceptis siue nomine siue reipsa Epicureis) sapientiorum omnium Philosophorũ consensione adductus: verùm necessaria quoq. ratione persuasus. Quis enim hanc mundi prospectãs machinam tanta entium multitudine, varietate, ac inæqualitate, tum quantitatis, tum perfectionis distinctam: tantãq. omnium consensione & constanti ordine conseruatã (modo ordinem, ornatum, & pulchritudinem eius intelligat) non statim supremam illam causam cogitet, quæ res tam diuersas & inter se contrarias admirabili cõcordia copulauerit, copulatasq. conseruet & regat? quis Citharæ audiẽs sonum (argumentabantur veteres Ecclesiæ Patres) & pulsantem citharedum nõ agnoscit? Musica peritum aliquem Musicum omnibus insonat. Nauis, quæ recto ac prospero feratur cursu, Regnum, & Exercitus, si benè administrentur, gubernatorem quempiam Regem & Gubernatorem ostendunt.

Administratio tam sapiẽs & certa rerũ omnium fateri nos cogit consilio mundum & ratione gubernari. Illi verò, quẽadmodum nec vlli corpori, naturalis esse non potest ratio; sed suprem um illi presidẽs numen esse oportet. Cũ statuam, inquit Trismegistus in Pœmandro cap. 5. & imaginem absq. fabro & pictore fieri nullus asserere audeat, mirã mundi huius constitutionem sine conditore constitisse putabimus? O cæcum homuncionem! ô nimis impium! ô profundis obrutum ignorantiæ tenebris! est & speciale argumentum ex admirabili, humani corporis fabrica; quòd & idem auctor & pluribus in locis Galenus diligẽter persequuntur. Stoicorum verò apud Sextũ Empiricũ, Platonis in 10. li. de legibus, & Aristotelis in 8. Phys. necessaria est ratio. Quidquid mouetur, ab alio mouetur; quia idem non potest simul esse actu & potestate, esse & nõ esse: oportétq. esse vnum primum mouens immobile, Propterea quòd cùm in causis ordinatis inferior agere nequeat, nisi agat superior: si in infinitum progrediamur, nec vlla sit prima, nihil vnquam fiet. Manifestum etiam est, res omnes natura constantes propter finem operari. Quem pleræque quòd intelligentia careant, non cognoscunt. Quare cùm finis non moueat agens ad operandum, nisi ab eo cognoscatur & desideretur, aliquem necesse est esse naturæ totius auctorem, qui finem cognoscens in eum res singulas dirigat, naturalémq. in illum inseruerit impetum. quo argumento eximios scimus Philosophos coactos fuisse dicere, opus naturæ opus esse intelligentiæ: neque posse res naturales agere ea, quæ agunt, nisi ab aliqua suprema intelligentia regerentur. Propterea posuerunt naturam quandam naturantem, hoc est effectricem & directricem alterius naturæ, quam naturatam, hoc est effectam & directã appellarũt. Etenim vbi cernuntur multa in vnum finem ordinata, & in eum per suas operationes absq. cogitatione & cognitione tendentia, aliquam necesse est aliam cogitare intelligẽtiam, quæ & finem cognoscat, & ordinet omnia. Siquidem ordinare intelligentis est & sapiẽtis proprium. Quapropter vt intelligentia creata non potest quidquam in rebus producere, sed materiam solùm productam quoquo modo disponere aut versare. Et ideò humanus intellectus per habitum artis & prudentiæ, instrumentúmq. manuum, quibus ea procurat, quæ ad vitę necessitatem & commoditatem pertinent, dicitur esse principium artificiorum. Et intellectus angelicus suam & vniuersi perfectionem quærẽs, principium cœlestis motus, sic diuina mens infinitæ cùm sit virtutis, exteriori non eget materia; sed de nouo cuncta producit. Et quia dum operatur, earum rerum, quas efficit, perfectionẽ spectat (omnia tandem ad seipsum referens) non solùm dedit illis, vt sint; sed singulis quoque finem constituit, easq. ad illum dirigit. Ita hic intellectus dici solet auctor naturæ, natura naturans, & natura vniuersalis. Si enim cõsideretur vt supra essentias & finis rerum naturales multa in illis operatur, agens supernaturale & auctor gratiæ appellatur. Sed prior ille naturalium ordo est veluti fundamentum, cui supernaturalium & artificiorum ordo nititur, soluséq. à Physico cõsideratur. In eo autem duo continentur, intelligentia producens res, easque ordinans; & ipsæ res productæ & ordinatæ. Res ipsæ cùm pleræq. careant cognitione finis, omnésq. simul ordinatæ perfectionem Vniuersi absoluant, quæ ex earum omnium aggregatione cõsurgit: a necesse est ab aliqua superiori & generali causa ordinari ac disponi, quæ & eas producat & singulis præscribat finem, & eas in eum dirigat, ordinemq. vniuersi conseruet ac tueatur, & ad operationes proprijq. finis assequutionem cum singulis concurrat.

Natura naturãs & naturata.

Verùm generalis hæc causa externa est rebus iisce, quæ mouentur; nec tanquam pars intimam earum essentiam constituit: tametsi alio quodam intellectu dicatur Deus per suam essentiam esse in singulis, quatenus immensitate sua replet omnia, conseruat, dátq. vt operentur. Propterea hæc causa non est ea natura, quę nunc quæritur, sed auctor potiùs & principium naturæ. Ea enim quæritur quę internum principium sit in iis rebus, quę mouentur quoque naturalia à non naturalibus distinguantur. Et ideo etsi Deus & reliquæ mentes à materia separatæ principia sint interna suarum actionum intellectus & voluntatis; naturæ tamen non dicuntur, quoniam eæ non sunt operationes Physicę, neq. per eas substãtiæ illæ vocantur naturales.

Ipsas igitur res naturales considerando quærere oportet, num in illis aliqua communis natura, quæ sit in omnibus principium internum: siue ea sit essentia singularum, vel vt subiectum, vel vt forma cõstituens subiectum, siue qualitas aliqua per omnes diffusa: an verò sit propria singularum. Sed vt res singulæ sunt interse distinctæ, ita proprium habent subiectum numero solùm distinctum à subiectis aliarum. In omnibus autem ijs, quæ gignuntur & occidunt, est vnum specie, quia vna est species omnium materia: in cœlestibus fortasse diuersa. Et quoniam materia non est agẽdi principium, sed patiendi; hoc principium est patiens operationum omnium & motionum.

Forma autem, quæ est agẽdi principium, aut cogitari potest materialis, aut immaterialis. Materiales tot necesse est esse, quot sunt res interse distinctæ. Quia cum educantur ex materia, quemadmodum cum ea extenduntur, ita & diuiduntur: totq. fiunt numero distinctæ, quot sunt diuisæ materiæ partes. Immo nec specie potest esse vna. Nam vel ea inseparabilis à materia singularum rerum formas proprias antecederet; quo modo in 1. Sufficiẽtiæ libro corporeitatis formam posuit Auicenna: vel post alias specierum formas accederet. Inseparabilem materiæ informitas nullã patitur; neque ex mutatione, aut operatione vlla vel accidentibus colligimus: quin contrarium potiùs concludimus. Sin verò post formas singularũ rerum proprias aduenireț; quoniam vltima forma reliquas omnes determinans esset vna specie, res omnes iisdem forent speciei. At nec quidquã est, ex quo forma illa colligatur. Operationes enim omnes, accidentia, & quidquid in rebus cernitur, per proprias earum formas satis saluatur.

Propterea porrò vna conceditur specie materia, quia cùm subiectũ suscipiat & determinetur, potest idem subiectum à pluribus formis determinari & perfici. Quam ob causam ad patiendum inquiebat Philosophus in tex. 56. lib. 1. Phys. satis esse vnum. Forma autẽ cum determinet & constituat, tam diuersa sit necesse est, quàm diuersæ sunt determinationes, constitutiones, & formationes subiecti. Idcirco nec potest esse vna immaterialis, quemadmodum vnam mundi animã visus est Plato ponere. Tametsi hoc maiorem habeat probabilitatis

litatis speciem. Quia si non extenderetur, neque cum subiecto diuideretur, plures res contiguæ, si non continuæ, possent ab ea formari, sicut anima plurium corporis partium Homogenearum est actus. Ita si principium essentiale quæritur, solùm principium materiale & patiens est idem, non numero, sed specie, rerum omnium, quæ oriuntur & accidunt. Principium autem formale & agens, nec numero, nec specie.

Quòd si de principio accidentario sit sermo, neque illud est vnum numero, cùm qualitas in materia non minùs, quàm forma substantiæ, cum ea diuidatur. Et quia firmam cõsequitur, nisi vna specie sit in omnibus forma, nec vna erit qualitas. Vnicum est accidẽs rebus omnibus commune, quantitas materiam consequens. At eam, quòd nullius operationis principium sit, sed materiæ conditio ad patiendum, nullus naturam dixerit.

Quotuplex natura.

Vetus fuit opinio, solam materiam esse naturam rerum, formam verò quoddam illius accidẽs. Aliis solam formam libet admittere. Vtramque complexi sunt Peripatetici. Nam ex differentia præsertim naturalium rerum à non naturalibus natura colligitur. Est enim id, quo naturalia à cæteris distinguuntur, vt ex Aristotele, Tum in sex. 1. lib. 2. Physic. tum hoc ipso in loco cognoscimus. Iam ea, quę naturalia non sunt, aut supra naturam sunt, aut infra naturam. Supra naturam sunt immateriales & spiritales substantiæ: Infra naturam ea, quæ arte constant. Illæ naturalibus meliores sunt, hæ deteriores multò. Naturalia inter vtraque veluti media ab vtroque extremo, tum essentia differunt, tum operatione. Cùm enim materialia sint & corporea, materia differunt ab ijs, quæ materiam non habent. Ab artificiis autem non videtur quidem differre, quòd ea quoque materialia sint & naturali quopiam corpore constent. At differunt forma, propterea quòd per externam quandam dispositionem accidentariam & figuram arte factam constituuntur; dum naturalia intimam habẽt substantiæ formam, quæ materiã totam peruadens eam in genere substantiæ format. At sicut naturalia ab iis differunt forma, & conueniunt materia, ita quamuis materia ab immaterialibus differãt, forma tamẽ conueniunt, quod ea quoque per actus substantiæ constituantur, quemadmodum naturalia. Quanquam dum hæc omnia attentiùs considero, materia item differre naturalia ab artificiosis & forma ab immaterialibus animaduerto. Etsi enim immaterialium actus substantiales non sunt formæ formantes & constituentes aliquid à se diuersum; sed (vt loqui consueuit Simplicius) animæ in se manentes, non progredientes ad corpus: neque substãtiæ corporeæ, sed simplices actus incorporei. Naturales autem formæ & formant materiam & (si animam nostram excipias) substantiæ sunt corporeæ. Artificia substantiam postulãt quæ sit aliquid actu cõpositum; naturalia possunt interdum sola constare materia. Deinde compositum illud, quod artis materia est, sua natura non dicit esse partẽ aut subiectum operis arte perfecti; sed aliquid naturale significat naturali forma sua constitutum. Subiectum verò rei naturalis, etsi vt est subiectum consideretur, est quid naturale, suaque natura pars naturalis compositi. Quò fit, vt artificia non sint eiusmodi nisi per formam (subiecto enim sunt naturalia) naturalia verò ratione vtriusq. partis sunt naturalia.

Vt naturalia ab immaterialibus & artificiis differant.

Sed quoniam essentiam sequitur operatio, operatione item differunt. Ab immaterialibus, quia gignuntur, mutantur, & intereunt, aut saltem motus subiectum sunt. Id verò ex materia oritur, qua potissimum dixi ab immaterialibus naturalia differre. Nam quia materiam habent, ideò gignuntur, mutantur, accidunt, & motibus omnibus subjiciuntur. Neque in rerum generatione, aut elementorùm potissimùm alteratione vllum est aliud internum motus principium, nisi patiens. Quoniam nec idem seipsum gignit, nec elementa possunt alterare seipsa: cùm tamen & generatio & alteratio naturales motus sint. Qua in re etsi non videantur distingui ab artificiis, quæ gignuntur quoque pereunt, ac sæpè mutantur. Plurimum tamen distinguuntur; quòd hæc vt talia sunt nullum habent ad operandum impulsum; habent naturalia quatenus naturalia sunt. Etenim artis forma est quasi omnino stolida & mortua, naturalis efficax, & viua, suapte sponte in operationem prorumpens. Nimirum propter maiorem perfectionem, qua superat artem natura: vt propterea tanquam præstabiliorem dicatur ars imitari naturam.

Vt differant operatione.

Hoc nomine naturalia ab immaterialibus non separantur: quoniam hæc quoque sunt quasi viua & ad operandum efficacia. Ipso tamen operationis genere, tum ab illis differunt, tum ab artificijs. Quemadmodum enim essentiam, sic operationem habent corpoream & partibilem. Ea est motus. Siquidem naturalia mouent seipsa; dum & immaterialia & artificia sunt ex se penitus immobilia. Sed immaterialia immobilitate meliori, quàm sit motus; artificia immobilitate deteriori, quæ ex eorum ineptitudine proficiscitur: quòd quatenus talia sunt, omnino sunt velut mortua. Et ideo ex operationibus omnibus solus motus est prima & communissima naturalium rerum operatio. Quæ duobus omnino principijs absoluitur. Nam quia res naturales mouentur, habere eas oportet principium aliquod, quo pati possint & suscipere motum. Quia verò non solùm patiũtur & suscipiunt, Sed sponte in motum prorumpunt, aliud necesse est principium habeãt, quo seipsas moueant. Prius illud principij genus in immaterialibus non reperitur; neque hoc posterius in artificiis vt talia sunt.

Sed quoniam pati ac suscipere proprium est materiæ, principiumque agendi est forma; statim concluditur, materiam & formã alia atque alia ratione principia esse motus interna. Quæ diuersitas in operatione ad essentiam tandẽ reuocatur. Ad eam enim constituendam diuerso modo concurrunt: materia vt subiectum suscipiens formam, formant actus rem in specie constituens. Quare cùm operatio sequatur essentiam, ad motum quoque concurrit materia tanquam subiectum & principium patiẽs, quo & suscipitur motus & res est apta moueri, & quasi passiuè in motum prorumpere: vt si ab agente principio moueatur, iuxta aptitudinem & inclinationem moueatur. Ad quod etiam nonnihil cõfert quantitas proprium materiæ accidẽs. Nam cùm quidquid mouetur debeat esse partibile, vt in tex. 32. lib. 6. Physic. demonstratur; dum quantitas rem facit in partes extensam, facit eam accidentariè aptam moueri. Mouere autem tanquam principium agens spectat ad formam, quæ actus est determinatus, rem in propria specie constituens. Idcirco quoque res naturales, vt diuersas formas, ita diuersos habent motus. Quod si mate-

ria posset esse principium agens, vt eadem est omnium materia, sic idem in omnibus cerneretur motus.

Vt qualitates mouent substantiæ formæ.

Quanquam substantiæ forma immediatè non mouet, sed instrumentis vtitur qualitatibus. Namque substantia quidem, vt est primum ens, ita est principium primum ac præcipuum operandi. At dum adiuncta habet accidentia, quæ entis sunt entia; illis vtitur vt instrumentis, quibus operationem exequitur. Et quantitas quidem materiæ dispositio est ad patiendum & suscipiendum, qualitates autem instrumenta formæ ad agendum. Nam etsi qualitates, vt actus quidam determinati sunt, operationem aliquam habeant: quia tamen non sunt entia per se, sed alterius entis, eam non habent vt aliquid sui, sed vt aliquid eius, cuius sunt entia, nempe substantiæ. Non ratione materiæ: quoniam ea nullam qualitatem, aut actum determinatum sibi vendicat. Sed formæ, quæ tanquam præcipuus actus determinatus qualitates omnes velut actus secundarios & sibi famulantes determinat. Etlicet vt sunt accidentia subiecto indigeant, atque ita maximè pendeant à materia: quatenus tamen talia sunt, substantiæ debentur, quæ sit per formam constituta: Dicunturque pendere & oriri ex forma, quòd talia sunt propter talem formam, Tametsi ea quoque ipsa ratione, qua sunt accidentia, pendeant quoquo modo à forma. Quia non sunt in materia nisi ratione formæ. Ita non parùm à qualitatibus omnibus differt quantitas, quæ vel etiam vt est quantitas, immediatè est in materia; neque pendet à forma, nisi ratione termini & figuræ quæ qualitas quædam est. Cùm igitur qualitas agat, non vt est accidens; alioqui omne accidens ageret; sed vt est tale accidens, taliſque actus: dum vt est actiua consideratur, pendere dicitur à forma, esseque illius virtus & instrumentum. Et quamuis forma nihil immediatè operetur; optimo tamen iure dicitur esse operationis principium, quia est principium primum, hoc est primarium, à quo pendet qualitas. Atque ita non qualitas, sed substantiæ forma dicitur esse natura. Neque verò vt motus quispiam naturalis esse dicatur ex parte agentis principij satis est, si adsit qualitas, vt calor in habitu sursum ascendente: sed qualitatem eam oportet esse illi rei naturalem propter eius formam, à qua pendeat. Quemadmodum enim eget substantia, vt operari omnino possit, ita vt naturaliter operetur, eam postulat substantiam, cui sit naturalis virtus atque instrumentum operandi.

Natura duplex, materia & forma

Quæ omnia manifestè ostendunt duplicem in rebus naturalibus naturam, materiam & formam, vtramque substantiam: sed vnam principium patiens, alteram agens. Siue naturam consideres vt res naturales constituit & facit essentia differre à non naturalibus; siue sumas pro principio motus, quod operatione quoque à cæteris eas distinguit. Id verò, quod ex materia & forma coalescit, non est natura; sed naturam habens, seu natura constans. Quoniam non est principium constituens aut distinguens; sed id, quod constitutum distinguitur. Neque illud item tertium operationis principium, quo res naturales operantur in aliud, vel etiam operatione corporea, quæ est motus. Quia non distinguit eas à non naturalibus, cùm intelligentiæ quoque orbes cœlestes moueant; atque sit in artifice principium efficiendi quidpiam ex materia proposita. Sed operationes eæ dicuntur quidem naturales; quòd rebus illis conueniant vt tales sunt, & ab earum natura proficiscantur: non tamen quòd rebus illis insint vt sunt naturales. Et ideo principium illarum non dicitur natura, sed efficiens; quòd in immaterialibus quoque & artificiis reperitur.

Verùm de materia, quæ est principium patiens etiam atque etiam intelligendum est, duo in ea eósiderare posse. Alterũ, eã esse primum subiectum materialis actum. Alterum, esse substantiam indeterminatam, imperfectam, & rudem. Quia enim est primus substantiæ actus, est etiam subiectum per se existens, & potens omnes alios actus sustentare, siue sint actus primi formarum, siue secundi operationum, quæ à formis proficiscantur; & omnino quidquid indiget sustentatione. Quia verò est substantia rudis & inchoata, quæ perfectionem suam desiderat, velut turpe, pulchrum; principium est & causa, vt cum inclinatione & naturæ propensione suscipiatur id à quo perfici & expoliri possit. Ex eo tantum, quòd subsistat, oriri non potest hæc propensio: quoniam hoc perfectionem potiùs significat, qua cætera valeat sustentare, vel etiam ea, quæ præter eius naturam, immò & per vim aduenium. Cùm autem ex ruditate & imperfectione oriatur, qua velut potestas ad perfectionem suæ naturæ conuenientem inclinatur; hæcque nimirum sit sola forma, primùm & maximè substantiæ, quæ actus est & perfectio essentialis eiusdem generis, deinde & accidentis, vt actus & perfectio secundùm quid, ex alio genere: sic vt ratione formæ duntaxat dicatur non solùm suscipere, sed & cum inclinatione suscipere: aurũ ad aliquid aliud inclinet, id erit propter aliquam formam, cui illud debeatur. Itaque vt in ratione essentiæ vim habet naturæ maximè per ordinem ad formam, quæ est quasi illius finis: ita in operatione quoque per ordinem ad eandem, naturæ rationem habet, quatenus aut formam, aut aliquid aliud ratione formæ naturaliter suscipit.

Ergò illa tantùm operatio erit naturalis ratione materiæ, quæ aut est susceptio formæ, quam materia quærit, vt generatio: quemadmodum enim ad formam, ita & ad motum, quo illa suscipiatur, inclinari materiam oportet. Aut certè dispositio ad susciendam formam, vt alteratio, quæ tamen accidentariæ formæ susceptio est. Aut demum naturaliter conuenit formæ, quæ est in materia; vt motus ignis sursum & terræ deorsum. Ad hos enim inclinat materia, non quòd sint susceptiones aut dispositiones formæ, sed solùm quòd sint operationes naturales illarum formarum, quas habet. Itaque non eadem est & æqualis propensio materiæ ad omnes motus. Ad generationem enim per se sola & maximè propriè propendet, quia est susceptio essentialis eius perfectionis. Ad alterationem autem per se quidem sola, tum quia cuiuspiam perfectionis susceptio est, tum quia dispositio ad eam, quam in primis quærit. At non æque ac ad generationem, quia non est susceptio formæ tam perfectæ ac sibi proportionatæ immò ad eam ordinatur, quæ primò quæritur. Denique ad locale motum non inclinat se sola, vt est in formam: quod is motus non sit vllius formæ susceptio, nec per se ad substantiæ formam dispositio, neque vllam materiæ adferat perfectionem. Sed solùm inclinat ad eum ratione alicuius formæ, quam habet

habet, cui motus ille debetur. Per se verò eam solam habet ad illum potestatem, qua cùm sit subsistens quidpiam, sustentare illum & quamlibet operationem potest. Quò fit, vt ad generationem & alterationem, etiam contrariam & pugnantem cum ea forma, quam habet, verè dicatur inclinare: ad localem autem motum contrarium formæ, quam possidet, nullo modo inclinet, sed eum suscipiat solùm & sustentet. Accretionis motum non commemoraui. Quoniam is cum à sola oriatur anima, nunquam habet solum principium patiens, sed simul & patiens & agens.

Principium patiens sine agente posse esse naturale, nō tamen.

Ex his omnibus facilè intelligas, principium patiens etsi in ea re, in qua est, non habeat agens, vim tamen habere naturæ: agens non item, nisi patiens quoque adsit. Etenim si agat in aliud, non est principium in eo, in quo est; neque naturalia distinguit à cæteris. Ideò efficiens appellatur, non natura. Patiens etsi ab alio forinsecùs patiatur, est tamen principium in eo, in quo est: naturaliáque à non naturalibus separat: dum illa motum cum inclinatione suscipiunt hæc aut penitus immobilia sunt, vi immaterialia; aut absque inclinatione & solum vt naturali constant corpore mouentur, vt artificia. Quare non est satis si principium patiens suscipiat motum: nam & suscipiunt artificia non minùs, quam naturalia: & cùm violentus quoque motus suscipiatur in materia, nullus esset violentus motus. Sed necesse est, vt cum inclinatione suscipiat. Propterea in 3. lib. de moribus ad Nicomachum cap. prim. & prim. lib. magnorum moralium cap. 15. Violentum id esse definitur, ad quod nullam vim confert id, quod patitur. Cùm enim ad localem motum non habeat materia vim & inclinationem, nisi ratione formæ; si motus aduersetur formæ, solam illi materia sustentationem præbebit, vt est quid subsistens; motusque erit prorsus violentus, quia nec ex parte formæ, nec ex parte materiæ vim illam confert id quod patitur.

Motus violentus solus localis.

quocirca motus prorsus violentus in solo motu locali reperitur. Cæterum enim vt aduersentur formæ, materiæ tamen sunt naturales; cùm sint susceptiones, aut dispositiones cuiuspiam formæ. Localis autem, si formæ sit contrarius, nulla superest in materia ad illum inclinatio; quin illa quoque repugnat, etsi suscipit, in vita suscipit. Magis igitur naturales sunt materiæ generatio & alteratio, quàm localis motus: & generatio magis, quàm alteratio. Quoniam maior est ad illam inclinatio, quæ est perfectissimæ & accommodatissimæ sibi formæ susceptio. Hæcque maximè videtur esse enascentia quædam & germinatio, dum productis in materia dispositionibus consurgit & quasi germinat forma: In viuentiū generatione id præsertim apparet. Cùm enim in semine tota sit vis disponens & materiam formans, alteratio tota & dispositio, formæque productio maximè videntur esse ab interno principio, tum patiente, tum agente. Quod fortasse voluit Philosophus in text. 5. li. 5. Metaph. Cùm generationes dixit & ipsum nasci dici naturas, quia sunt motus à forma, hancque in naturalibus esse principium motus, cum inexistat, aut potestate, aut actu. Hæc enim ad viuētium generationem est semine, in quo potestate inest anima, maximè videntur pertinere, interpretatione quoque Alexandri.

Cæterùm naturalia corpora, inquit Philosophus, non motus modò, sed & quietis habere in seipsis principium. Quo loco quietis voce no significatur priuatio motus, sed cōsistētia in naturali loco pro motum acquisitio; quæ non solum significat rem non moueri & cessare à motu, sed & actum secundū, quo sistat se, firmet, ac detineat in loco, expellentique resistat. Vt enim de grauitate, & leuitate loquimur, quæ naturæ instrumenta sunt, ita & de natura, quæ primum motus principium est. Grauitate & leuitate corpora, tum deorsum ac sursum mouentur, tum in inferiora superiori loco detinent sese, & vt ita loquar, cum oblectatione permanent, expellentique resistunt. At dum ita agunt, quid aliud agunt, quàm naturæ obsequi? Hæc est primaria causa, hæc quies, quæ Philosophus tanquam secundum naturæ actum in naturalibus agnoscit corporibus.

Natura vt principium motus & quietis.

Quod si cœlum semper moueri, nec vnquam quiescere videatur; respondent Alexander, Philoponus, & Simplicius in com. 2. Phys. quiescere secūdum polos, axem, & centrum, aut etiam quodam modo secundum totum, quia totum ex vno in alium locum non mutatur. An cœlum quoque (inquit Alexander com. lib. 6. Metap. principium habet quiescēdi? Nam circa idem conuerti, neque locum mutare idipsum quiescere est. Itaque immobiliter mouetur, & cum mirabiliter moueatur, quiescit. Aut ex text. 24. huius lib. intepreteris. Etenim animæ quoque definiet esse id, quo viuimus sensimus, mouemur, & intelligimus. Non quòd vbicunque est anima, hæ omnes adsint operationes, sed quòd earum vna quæque non est nisi ab anima. Sic enim naturalia quoque motum habent & quietem: non quòd omnia & moueantur interdum & interdum quiescant, sed quòd omnis motus & quies sit à natura, & quæcunque ab interno principio moueantur aut quiescunt, sint naturalia. Quāquam de cœlesti motu non parua est difficultas, num is naturalis, & intelligentia motrix natura dici possint.

Vt in cælo motus & quies.

Cùm igitur animam naturalis corporis, quod in seipso principium motus habeat & quietis, Philosophus tradidit esse actum, naturale corpus intelligas, quod ex vtraq. natura materiæ & formæ constet, operationisque principium, tum agens, tum patiēs habeat. Huic corpori accedit anima, melior forma, meliorum operationū principium. At non ne anima quoq. est natura? Constituit enim animata speciem quādam naturalis corporis, & quidem omnium præstātissimum, eamque à cæteris distinguit, atque in ea principium est operationis. Propterea in tex. 3. naturalia corpora partitus est Phil. in viuentia & nō viuētia. Vitamq. definiuit principiū in illis nutritionis, & accretionis. Et in tex. 1. li. Phys. plantas & animalia inter naturalia commemorauit. Ergò natura duobus modis nominatur, tum pressiori, tū ampliori acceptione. Dū pressius vsurpatur, opponi solet animæ, tria, quæ dicimus esse, principia, naturam, animā, & intellectum. Sic anima non est natura: sed eā supponit, eavtitur, dicturq. esse actus naturalis corporis, tāquā subiecti & organi. Solemus enim naturalia ab animatis distinguere, quòd ad vnam operationem, vnumque operandi modum determinata sit natura, anima ad plures indeterminata. Illa simplici qualitate vtatur dum comparatur, hæc plurima habeat instrumenta natiuum calorem, spiritum, neruos,

Anima an natura.

musculos,&omnia omnino organici corporis mẽbra. Illa necessariò agat; hæc in plerisque sit sui iuris; & aggredi possit operationem, ab eáque cessare, vbi libuerit.

At si ampliori acceptione de natura loquamur, vt naturalia omnia à non naturalibus distinguamus; anima quoque est sanè materia, naturalisque forma, & inter naturalia corpora plantæ & animalia nominantur; & accretio animæ operatio, inter motus, qui fiunt à natura. Et in tex. 80. lib. 2. Phys. Natura, inquit Philosophus, hirundo facit nidum, araneus telam, & plantæ folia. Et tex. 27. li. 8. animalia tradit moueri natura, quia mouẽtur à seipsis, quamuis eorum corpora, & natura & præter naturam moueri queant. Nam si per se spectentur, grauia sunt, & suo pondere deorsum traduntur, progrediendiq. saltandi motus est illis præter naturam. Qui tamen naturalis censetur, dum vt animæ instrumenta considerantur in eum finem à natura fabricata, vt animæ obsequantur; & ideo neruis, musculis, & alijs ad eum motum perficiẽdum necessariis & opportunis instructa. Sẽsiones quoque naturales operationes sunt; quòd & materiales, ab organóq. corporeo pendentes & ab interno principio profectæ. Ita non vegetantem modò & sentientem animas cõficies esse naturas: verum & intelligentem. Nam cùm ea sit in nobis sola anima, illarum omnium operationum principium existit, quæ à vegetante & sentiente in animantibus cæteris deriuãtur. Quod de incessu apertè habes in tex. 48. & 49. lib. 3. huius operis, & ca. 3. & 4. li. de animalium motu: Quibus in locis appetitus & intellectus mouentia principia constituuntur. Intellectio autem sua quidem conditione immaterialis est, nec vllo corporis vtitur organo, mentibus quoque separatis communis, neq. naturalis censetur operatio, neq. illius principium natura dicitur. Verùm vt in nobis perficitur, à corpore materialique phantasmate subministrato obiecto, animaque intelligens est verè forma materiam formãs, & humani compositi pars: ita certè & hæc quoque anima est natura & illius operatio naturalis iudicari debet. Propterea in 1. lib. de partibus animalium cap. 1. eum, qui de natura agit, eò ampliùs de anima docere, quàm de materia, debere dixit Philosophus; quo materia natura potiùs per animam, quam è contrario est. Quòd si statim dubitet, vnde omni anima debeat agere naturalis scientia; dum tamen respõdet, non de omni agendum, quia non omnis est natura; siquidem intellectus à materia abstractus est, neque finis & terminus vllius motus: manifestum est, de intellectu per se considerato, non vt in nobis est corporis forma, sermoné esse. Aut etiam de separatis omnino mentibus, quæ cœlorum animæ vocari solent; & ideo cœlum animatum. Argumento est, quòd de cœlo statim sermonem instituit. Sed alibi de his dictum est pluribus.

TEXTVS.

Θεωρεῖν δὲ δεῖ καὶ περὶ μερῶν διεῖ τὸ λεχθέν· εἰ γὰρ ἦν ὁ ὀφθαλμὸς ζῷον, ψυχὴ ἂν αὐτοῦ ἦν ἡ οὐσία ὀφθαλμοῦ ἡ κατὰ λόγον· ὁ δὴ ὀφθαλμός, ὕλη ἦν ψεως· ἧς ἀποληφθείσης οὐκ ἔστιν ὀφθαλμός, πλὴν ὁμωνύμως. καθάπερ ὁ λίθινος ἢ γεγραμμένος· δεῖ δὴ λαβεῖν πρῶτον ὅτι μέρος ἐφ' ὅλου τοῦ ζῶντος σώματος· ἀναλογον δ' ἔχει ὡς τὸ μέρος πρὸς τὸ μέρος, ἡ ὅλη αἴσθησις πρὸς τὸ ὅλον σῶμα τὸ αἰσθητικόν, ἢ τοιοῦτον.

Contemplari autem & in partibus oportet, quod dictum est. Si enim esset oculus animal, anima vtique ipsi esset. Hic enim substantia oculi, quæ secũdum rationem: oculus autem materia visus. Quo deficiente non est oculus, nisi omonymè, sicut lapideus, aut descriptus. Oportet igitur accipere, quod in parte in toto viuẽte corpore. Proportione namque se habet, vt pars ad partem, totus sensus ad totum corpus sentiens, quatenus huiusmodi.

COMMENTARIVS XI.

ALterum exemplum, quod superiori textu attulit, fuit ex rebus arte constãtibus. Alterum nunc adfert naturale. In vtroque illud etiam atq. etiam considerandum censeo, quòd cùm animam definiuisset esse actum corporis organici, vtrumq. optimo cõsilio ex organis desũpsit. Securis enim in priore exẽplo proposita organum est artis: oculus, quem in hoc posteriore accipit, naturale atque à natura fabricatum. Vt ita nimirum & ex artificiis ostendat, quomodo in naturalibus philosophari nos deceat; quanquam ipse sapienter philosophatus sit. Et ex ipsorum met animalium partibus doceat, quid de ipsis totis, atque adeo de viuentibus omnibus colligi possit.

Ergò ex ipsorum quoq. viuentium partibus cognosci optimè potest, quàm verè definitum fuerit, animam esse actum corporis naturalis organici, Etenim hæ quoq. partes, vt animæ functiones exequuntur notiores nobis sunt, atq. ex illis ad totum deduci argumentum potest. Nam si oculus esset animal facultas videndi esset illius anima. At hæc est illius quiditas & essentia, qua & constituitur & definitur. Oculus enim per se solus consideratus nil est aliud, quàm materia & subiectum facultatis eius, quæ ipso tanquam organo vtiad operandum & videndum debet: actusque illius est hæc facultas, qua membrum efficitur ad operandum aptum: & ideò per eam definitur, dum membrum dicitur esse aptum ad vidẽdum. Ea verò sublata ab oculo, remanet oculus omonymè, quemadmodũ is, qui lapideus est, aut descriptus coloribus. Quippe animalis oculus sublata vidẽdi facultate perinde ad videndum ineptus est, ac si lapideus esset, aut depictus. Quòd si ita res habet in parte, eodem modo putãdum est habere in toto animalium corpore; animamq. esse quiditatem & essentialem illius totius formã. Nam vt se habet pars ad partem, hoc est videndi facultas ad oculum, vt est oculus & pars talis organica: ita se habet totus sensus ad totum corpus sentiens, hoc est tota anima sentiens ad totũ corpus potestate viuẽs & sentiens. Et ideò ea sublata à corpore non nisi omonymè remanet animal. Sanè Aristoteles hoc loco aut facultatem accepit esse idem re cum anima; & propterea vidẽdi facultatem esse substantialem oculi formam. Aut certè de oculo loquutus est, si is poneretur esse animal. Aut eum considerauit formaliter, vt organum est essentialiter à natura fabricatum & institutum propter hanc vidẽdi operationem. Aut denique nomine visus non vidẽdi facultatem nominauit, sed illius potiùs principium, animam. Quod ex postremis verbis licet colligere, quibus ait, Vt ille habet pars ad partem, ita se habere totum sensum ad totum corpus sentiẽs, quatenus tale est. Sensum enim videtur dicere, non sentiendi facultatem, sed illius principium. Atque ita à parte ad totum argumẽtari: nempe à parte animæ, quæ est in oculo, ad eam totã, quæ est in toto corpore: seu à parte corporis,

poris, cuius actus essentialis est anima, ad totum reliquum corpus animatum.

Scitè autem obseruat Philoponus, Aristotelem interdum oculum dicere totum coniunctum ex organo & facultate seu anima. Quemadmodum vbi ponit, oculũ esse animal & cum in tex. sequenti oculum ait esse pupillam & visum. Interdum autem solum organũ; vt cùm addit, oculum esse materiam visus. Eodémq. modo hæc verba interpretati sunt Themistius & Alexander apud Simplicium. Tametsi paulò aliter Simplicius, oculum vt formatum exponens esse materiam visui vt vtenti.

Anima actus primus.

Cæterùm ex duobus hisce exemplis, securis & oculi, non solùm habemus animam esse actum essentialem verum etiam esse actum primùm. quemadmodum enim figura ad scindendum apta securis forma est etiamsi actu non incidat: & facultas videndi est in oculo, quamuis claudatur oculus, nec reipsa aspiciat: sic anima quoque se habet in toto corpore, etsi animal dormiat, suámq. naturam habet in actu primo. Nec enim tunc animal minùs est animal. Tum verò quod est in securi incisio, & in oculo visio; hoc est in animali vigilia & operatio.

TEXTVS.

Ἔτι δ' ἡ τοῦ ὅλου σκληρὸς πῶς ψυχὴ τὸ δυνάμει ὂν ὥστε ζῆν, ἀλλὰ πρότερον τὸ δὲ σπέρμα καὶ ὁ καρπὸς τὸ δυνάμει τοιοῦδε σῶμα. ἐντελέχεια ἄρ' ἡ ψυχὴ καὶ ὁ ὕπνος καὶ ἡ ἔγερσις ἐκ τούτων καὶ ἡ ἐργαλόρσις ἐντελέχεια ἀόρατος ἡ ὄψις καὶ ἡ δυνάμει τὸ ὁρᾶν, ἡ ψυχὴ τὸ δὲ σῶμα, τὸ δυνάμει ἀλλ' ὥσπερ ἡ ἀφθαλμὸς ἡ κόρη καὶ ἡ ὄψις, κακεῖ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τὸ ζῷον.

Est autem, non quod abiecit animam, id quod potestate est, vt viuat, sed quod habet. Semen autem & fructus, potestate huiusmodi corpus. Sicut igitur incisio, & visio sic & vigilia actus. Vt autem visus & potestas instrumenti, anima. Corpus autem, quod potestate est. Sed vt oculus pupilla & visus, & ibi anima, & corpus animal.

Text. 10.

COMMENTARIVS XII.

INterpretatur Auerroës, Philosophum nũc velle absoluere declarationẽ distinctionis actus primi & actus secũdi. Themistius, cũ ex dictis colligere, animã neq. cadaueris esse actum, neq. seminis. Malo cum Philopono & Simplicio existimare expositam hactenus fuisse primam definitionis partem, quæ ad animam ipsam pertinebat: nempe animam esse actum primũ & essentialẽ. Nunc verò exponi alteram, quæ spectat ad corpus, cuius ea est actus: nẽpe hoc corpus debere esse potestate viuens; sui organicũ. Hæc enim duo rem eandem significare, antea dictum est.

Exponit igitur corpus potestate viuens non appellari corpus animalis demortui; quod antea quidem habuerit anima, sed nũc actu non habeat. Hoc enim cũ nec actu habeat, nec naturaliter habere possit potestate viuens dici non debet. Neq. semen aut fructus, quæ aut pro eodẽ nũc ponũtur: propterea quòd plantarũ semẽ & arborũ, quidam est illorũ fructus. Aut etiam fructus ipsi continent semen, vt in pyris & aliis permultis. Aut semen dicit animaliũ (Græcè enim est σπέρμα) & fructus plãtarum. Quoniã nondũ habet organa, quibus indigetanima. Et ideò potestate solùm remota habent animã, diciq. potiùs debent esse potestate ad eam formam organici corporis quod potestate est ad animã, & cuius ea est actus; quã ad ipsam animam.

Illud igitur corpus dicitur potestate viuẽs, & illius actus est anima; quod ita est elaboratũ & partibus suis, organisque omnibus distinctũ, vt vel actu animam habeat, dicaturq. potestate viuẽs, non quòd priuationẽ habeat; sed aut potestate illa, quæ cum actu perspè eõiuncta est, sicut cũ Socratẽ dicimus posse ambulare, quia iam ambulat. Aut quòd vitã non habeat ex se, suáq. propria natura & conditione, sed aliũde, nẽpe ab anima. Vel certè si actu animam non habeat, sit ad illam proximè dispositum & præparatum; ita vt eam absque antecedente alia mutatione actu suscipere possit. Græci Interpretes priorem rationem magis probarũt: & ideò corpus animalis demortui negarũt esse potestate viuens, quia desijt iam viuere. Neq. item semen, quia nondum in vitam promotum est.

Sed certè vtraque expositio ex Aristotele colligitur. Nam in text. 6. corpus potestate viuens interpretatus est esse illud, quod est organicum. Quare etsi actu vitam non habeat, modò sit organicum, proximè ad suscipiendum vitam dispositum, erit potestate viuens. Semina non dicuntur potestate viuere; quia nondum sunt organica. Neque mortuorum corpora; quoniam eorum organizatio tota dissoluitur; atque hanc ob causam vita illa, quam antea habebant, priuata sunt. Quòd si nunc Aristoteles potestate viuens dicat esse id, quod habeat vitam, facilè potest exponi, aut habere actu aut proxima potestate. Hoc enim perinde esse dixeris, quia vt est in text. 56. li. 2. Physic. quòd parùm, tanquam nihil distare videtur.

Post hæc deducit, actum secundum, qui est vigilia, sese habere vt incisionem in securi, & visionem in oculo. Actum autem primum, qui est anima veluti somnus potiùs, quàm vt vigilia, quemadmodum dictum est in text. 5. habere sese, vt facultatem videndi in oculo, & facultatem scindendi in securi. Corpus autem esse id, quod est potestate adhuc actum, qui est anima. Et quemadmodum oculus ex pupilla constituitur seu organo corpore, & ex videndi facultate, nihilque aliud est, quàm illa duo simul sumpta: sic animal ex corpore coalescit & anima, nihilque aliud est, quàm hæc duo simul considerata. Hoc autem totum & optimè deduxit ex superioribus, exposita vtraque definitionis parte: quomodo scilicet anima sit actus, & quale corpus illius subiectum. Et pulchrè explicauit eorumdem exemplorum vsu, quibus antea vsus fuerat: somni & vigiliæ, oculi & securis, facultatis videndi & facultatis sentiendi.

TEXTVS.

Ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ χωριστὴ τοῦ σώματος, ἢ μέρη τινὰ αὐτῆς, εἰ μερικὴ πέφυκεν, οὐκ ἄδηλον, ἐνίων γὰρ ἐντελέχειά ἐστι μερῶν οὐδὲν αὐτῶν· εἰ μὴ ἀλλ' ὁπόταγε οὐδὲν κωλύει, ὅσῳ τὸ μηδενὸς ἦ σώματος ἐντελέχεια· ἔτι δ' ἄδηλον, εἰ οὕτως ἐντελέχεια τοῦ σώματος ἡ ψυχή, ὥσθ' ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου τυπὴ μέν τοιοῦτον εἶδος καὶ ὑποστάσεως τοιαύτης ψυχῆς.

Quòd igitur non sit anima separabilis à corpore, aut partes quædam ipsius, si partibilis nata est, non immanifestum. Quarumdam enim actus partium est ipsarum. At verò quasdam nihil prohibet, propterea quòd nullius corporis sunt actus. Amplius autem immanifestum, si ita corporis actus anima, vt nauta nauis. Figura igitur hæc definita & descripta sint de anima.

Text. 11.

COMMENTARIVS XIII.

IN loco planè difficili ac per obscuro versamur: Non tam propter Philosophi verba, quàm propter subiectam verbis sententiam. Duas enim omnino grauissimas difficultates tangit, & ita tangit, vt in re maximè periculosa plurimis fuerit errandi oratio. Nam ex tota definitione expolita duo colligit. Alterum est, animam non esse à corpore separabilem, propterea quod illius sit actus & perfectio. Actus enim & perfectio separari ab eo non possunt, cuius sunt actus & perfectio. Siquidem relationem quandam inuoluunt, & alicuius necesse est sint actus & perfectio. At si separarentur, cuiusnam essent? Si anima species est, inquit Alexander in priore libro de anima cap. 4. Necessarium est illam à corpore inseparabilem esse. Hæc enim in omni specie conditio: namque species & forma alterius est. Talis enim est entelechia & perfectio, quæ absque eo, cuius est, esse non potest. Quemadmodum neque terminus absque eo, cuius est terminus. Eodem argumento vsus est Philoponus, quòd ea, quæ sunt ad aliquid, aut simul sint, aut non sint.

Id tamen Aristot. ait debere intelligi, aut de anima vniuersa, si vniuersa corpori sit immersa; aut saltem de quibusdam eius partibus, si partibilis anima sit, partesque illius aliquæ sint actus & perfectio corporis. Hoc verò duobus modis accipi potest: aut ita, vt inseparabilis dicatur anima, non solùm si vnica sit vnius rationis in vno corpore; verùm etiam si plures. Aut certè vna, quæ plures habeat partes loco distinctas, vt voluit Plato, quemadmodum in text. 19. lib. 1. dictum est. Aut multò meliùs, quemadmodum Interpretes penè omnes, ac præsertim Græci interpretati sunt: ita vt hæc non ad Platonem referantur, sed ex ipsius Authoris sententia de animæ partitione in multas facultates quasi ipsius partes intelligantur. Ex namque, si non omnes, saltem pleræque sunt actus quarundam corporis partium. Quia sunt facultates organicæ, totique coniuncto communes, sicut in text. 9. videndi facultatem dixit esse actum oculi: & similiter facultates omnes vegetantis animæ & sentientis, quæ materiales sunt & organicæ: atque vt sine corpore nequeunt operari, ita nec ab eo separatæ existere. Siquidem nulla forma separatur à corpore, quæ sine illo operari non possit, vt in text. 12. & 13. lib. 1. positum est.

Quòd autem quasi dubitando nunc loquutus sit (si partibilis nata est) mistis ijs, quæ à Simplicio, parùm certè ad rem, afferuntur; propterea factum est, non quòd ipse de ea re dubitaret, sed quòd nihil adhuc constituisset; nec verò erat contuendi locus, aut loquendi de partibus animæ, cùm de ea vniuersè ac generalissimè ageret. Addit tamen, quasdam separari posse, quòd nullius corporis sunt actus. Intellectum scilicet; quem in text. 65. lib. 1. Innasci nobis iam dixerat vt diuiniorem quandam substãtiam per se cohærẽtem, neque cum corpore interire. Et in tex. 93. Ne fingi quidẽ posse quanam corporis parte contineatur. Quare etsi anima definita fuerit actꝰ corporis; Hoc tamen non prohibet, quominùs separari possit intellectus; Quoniam is nullius corporis est actus.

Intellectum à corpore separari.

Propterea Interpretes Græci duo facultatum atque operationum genera in hac anima separarant. Quasdam, quas habeat per ordinem & comparationem ad corpus, vt viuificare, nutrire, & alias his similes: ratione quarum sit prorsus inseparabilis, sicut & animæ cæteræ. Eas namque sine corpore exercere non potest. Alias, quas habeat sibi propria, solàque exequi possit, vt intelligere: atque ratione separari potest. Itaque eam conficiunt partim separabilem esse, partim inseparabilem. Inseparabilem ratione facultatum & operationum, quas cum animabus reliquis habet communes: separabilem ratione earum, quæ illius propriæ sunt. Nunc verò Philosophum ex communi & generali animæ definitione omnem animam collegisse ratione facultatum & operationum communium esse inseparabilem: aliquam tamen separari posse ex propria quadam ipsius vi & natura, de qua seorsim in tertio libro agendum erit.

Verum hæc omnia non solùm de facultatibus, sed & de ipsis animabus dici possunt. Vt omnis anima, quatenus est anima & actus corporis, ita sanè inseparabilis. Non enim potest actuare & dare esse, nisi cum corpore copulata. Hoc verò omnino conuenit quibusdam partibus, hoc est, speciebus animæ, quæ actus materiales penitus & organici sunt, natura sua pendentes à corpore. Etenim vegetans anima & sentiens nullo modo separari possunt; siue vt animæ sunt, siue vt tales animæ considerentur. Quædam tamen est anima, quæ propterea quòd vt est talis anima, nõ est actus materialis & organicus, essentialiter pendens à corpore, sed aliunde accedens, potest à corpore separari. Atque hoc est, quod dixit, Quædam nihil prohibet separari, quòd nullius corporis sunt actus, nempe ab eo pendens. Sed hoc animæ illi non conuenit ex communi & generali animæ ratione, quæ hactenus fuit expolita: verum ex propria quadam & peculiari ipsius, quæ posterit perueſtiganda.

Hinc in commentario 3. in 2. lib. de cœlo quamuis, inquit Simplicius, entelechiam dicat animam Aristoteles, duplicem tamen nouit entelechiam: hanc quidem inseparabilem, hanc autem separabilem: & quòd animam maximè rationalem tanquam separabilem entelechiam dicat, in iis, quæ de anima, à multis & præclaris viris oblatum est.

Idcirco alterum subiungit nunc plus ex definitione illa communi proposita nondum esse manifestum, num anima sit actus corporis vt nauta nauis. Quæ verba, dum Albertus Magnus, Sanctus Thomas, alijque Latini interpretantur de assistente forma, qualis est nauta in naui; non meminerunt, quid de anima vniuersè dictum sit in tex. 8. & 9. eam scilicet esse formam essentialem & vt quod quid est esse corporis. Itaque cùm Alexander omnem animam mortalem esse colligeret, quia omnis anima est actus & forma corporis, respondit Philoponus in commentario text. 63. libri prim. duplicem esse entelechiam, inseparabilem vnam, alteram separabilem, eandémque partitionem repetijt in comment. text. 89. & hunc locum, quem nunc interpretamur, obiecit Ioli Auerroes in digressione ad textum 5. lib. terti quoniam, inquit, etsi omnis anima sit forma & actus

& actus primus corporis, quædam tamen est abstracta, sicut nauta in naui: & ideo separabilis.

Quomodo anima actus corporis vt nauta nauis.

Abstractum autem eo loco significare subsistens, manifestum est. Quoniam ibi agitur de intellectu, quem Aristoteles immistum & abstractum à materia esse probauerat. Eodémque modo intelligendum est, quod hoc ipso in loco formam abstractam idem ipse Auerroes interpretatur. Immo nullus Græcorum assistentem formam exposuit, sed per se subsistentem omnes, quam nullius corporis dixerat esse actum, & ideo à corpore separabilem.

Etenim vt ex Platonis Alcibiad. colligitur ex Aristot. in 8. Physic. tex 28. cuius verba non multò post adferam, actus assistens duas habet conditiones, alteram vt diuisus sit & distinctus ab eo, cuius est actus: alteram vt vtatur eo, cuius dicitur esse actus, sicut nauta tum distinctus à naui est & subsistés, tum ea ad propriam nautæ operationem vtitur. Hinc duas item colligo ego verborum horum interpretationes, quarum vtramque non dubito Aristotelem dum hæc scriberet cogitasse. Altera est, cum anima definita fuerit actus corporis, ex eo quidem habebatur omnem animam esse formam formantem, at nondum intelligi poterat, an aliqua sit, quæ per se subsistat, atque forinsecùs accedens facultates habeat & operationes non pendentes à corpore tanquam subiecto, & ideo abiuncta esse possit & ab eo separata. Quemadmodum nauta, etsi actus quispiam sit nauis, quia tamen per se subsistit, forinsecùs accedit, minimèque pendet à naui, immo aliquas habet actiones, vt intellectionē, quæ cum naui cōmunes nō sunt, facilè ab ea separatur. Siquę enim anima sit eiusmodi, id ea non habet ex generali ratione animæ qui omnis anima esset eiusmodi) sed ex propria sua natura, de qua nihil hactenus dictum est. Propterea immanifestum est, si est corporis actus anima, sicut nauta nauis. Sic enim inter cæteros pulchrè interpretatus est Philoponus in comm. text. 13. & 65. lib. 1.

Plotinus etiam lib. 3. Enneadis 4. c. 21. & 22. cùm quæreret, quomodo anima sit in corpore, respondet, rectè quidem dici esse velut gubernator est in naui, quantum spectat ad eam facultatem, qua valeat à corpore separari. At non explicari modum potissimum exoptatum. Quoniam gubernator non est in tota naui, sicut anima est in toto corpore: sed ille forinsecùs solùm adest, hæc partes omnes permeat. Aptissimum autem esse exemplum luminis, quod totum aërem permeat tanquam illius perfectio: nec tamen cum eo miscetur, sed manet quidem ipsum, aër verò transfluit: hoc interest, quòd lumen aëri externa est & accidentaria perfectio, anima corpori essentialis & intima. Hæc Plotinus. Cùm igitur duobus modis considerari possit nauta, & quatenus naui assistit, & quatenus per se subsistit: comparatio animæ cum nauta non est ratione prioris considerationis, quia iam definitum fuerat omnem animam esse formantem: sed ratione posterioris, de qua nihil adhuc intelligebatur. Sic planè intelliges ex Themistio, Simplicio, & Philopono: qui rationalem quoque animam ait viuificare corpus, & naturales omnes motus atque operationes ei tribuere, (quasi hæc sola in nobis insit anima) atque hac ex parte inseparabilem esse: quoniam in his vtitur corporeis organis. Separabilem autem, quatenus intelligendi principium existit, quoniam hac ex parte nullo vtitur corporeo organo. Alioqui quomodo assistens forma viuificet corpus & alias omnes operationes faciat.

Eadem rursum apertissima Simplicio sententia in commentario 53. 63. & 66. lib. 1. quo etiam postremo loco ita loquitur: Quæ vita separabiles habet actiones, quam appellare intellectum Aristoteles consueuit, quemadmodum nauis nauta, non quatenus nauta, sed quatenus homo à naui separatur: sic & ipsa ab organo separata subsistet. En quomodo verba hæc non de assistente, sed de subsistente & quæ propriam habeat operationem, forma interpretatus est.

Altera, nec minùs fortasse accommodata illorum verborum interpretatio esse potest: quæ etiam fuisse videtur Simplicij, tum hoc loco, tum antea in text. 4. & 10. & lib. 3. in text. 6. Nautam duobus rursum modis in naui considerari posse. Primùm quatenus est à naui separatus & non tanquam pars illius. Deinde quatenus eam mouet & gubernat. Anima non comparatur cum nauta ratione prioris: immo in eo est dissimilitudo, quoniam anima format corp^{m}: Sed ratione posterioris quoniā anima regit corpus, sicut nauta nauim. Verū quia ex allata definitione solū erat manifestum animā formare, non item eam regere corpus, sicut nauta regit nauim: hoc est, quod non Philosophus addit relinqui dubium. Præsertim cùm Plato corpus vellet esse animæ instrumentum, quod ab ea ad omnem ipsius vsum moueretur. Dubium, inquam, an anima sit actus formans, an etiam gubernans. An solùm det corpori esse essentiale, an etiam esse operationum: an solùm formet instrumentum, an & eo vtatur. Hoc enim post intelligetur, vbi de facultatibus distinctio fuerit, quas instrumentis vtitur operando.

Quæ interpretatio colligi potest, tum ex eo, quòd non de sola intelligente anima, de qua aduersarij dubitari aiunt, num sit forma assistens, sed vniuersę de omni anima quæritur, an sit corporis actus, vt nauta nauis, cùm tamen cæteras constet esse formantes actus. Tum ex textu 28. lib. 8. Physic. quo loco Aristot. animalia rursum cum nauibus comparans, Vt in nauibus, inquit, dum mouentur distincta est pars mouens & pars mota, nauta & nauis, sic & in animalibus anima & corpus, corpusque mouetur ab anima, sicut nauis à nauta. Quam comparationem perspicuum est non esse in formatione, sed in operatione & gubernatione.

Denique vt in naui passiuum principium motus certa nauis structura & cōpositio est; figura, quantitas, & lignorum materia, quæ supernatet aquis; sic incertum adhuc & ex proposita definitione immanifestum erat, num animalis corpus, vt ab anima moueatur, certa materia, determinataque structura & organizatione constare oporteat. Hoc enim consequētem tractationem desiderat: ex qua pro multitudine ac diuersitate operationum animæ constabit, corpus quoque pluribus ac diuersis organis instructum esse debere. Sanè vt nauis ante aduentum nautæ propriam sibi sint essentialem formam, quæ est figura illius ad nauigandum apta; quæ tamen in actum exire non potest sine nauta:

ita in corporibus nostris propria est forma, qua instrumentum sit animæ; at non vna est forma, sed plures; quia non vnius, sed plurium operationum instrumentum esse debet: eæ sunt partiales formæ, quibus membra fiunt ad operandum apta, sed sine anima operari nequeunt. Accedit nauta ad nauim & anima ad corpus, nauis mouetur, corpus plurimas exequitur operationes. Sed nauta solũ dat motum, anima tum meliorem essentiam tum operationem. Sed ex definitione proposita habet solum essentia, de operatione nihil inde colligit: deinceps que explicandum erit.

Tandem concludit, figura quadam, hoc est vniuersè, definitam fuisse, seu descriptam animam. Hæc enim vniuersa & generalis cognitio, est quodammodo confusa, si cum propria illa comparetur singularum animarum & facultatum, quæ post explicabitur. Ideò descriptionẽ appellat, quia etsi essentialis sit, quia tamen generalis, propriam singularum animarũ substantiam non exponit, quemadmodum exponeret definitio perfecta, quæ res singulas distinguit & separat, atque, vt ait Simplicius, ex propria singularium substantia petitur. Accedit, quòd ea est vis accuratæ definitionis, quemadmodum est in tex. 31. lib. 4. Phys. vt ex ea dubitationes omnes soluantur. At ex definitione hactenus proposita nondum est manifestum, num ea sit actus corporis sicut nauta nauis. Propterea, cùm ex generali hac cognitione nondum intelligantur omnia, quæ ad animam pertinent, placuit descriptionem, minusq. perfectam cognitionem dicere. Denique eo etiam ex capite imperfecta videtur, quòd nondum sit satis probata atque ex notioribus illustrata. quod deinceps fiet. quare verba hæc continent etiam rationem, cur id, quod dixit, immanifestum sit: quia nimirum figura duntaxat, & non omnino accuratè dictum est quid sit anima.

Digressio VIII.

Cæterùm ab hac definitione, quam Arist. tanta inuestigauit industria, discedẽdum antea nobis non est, quàm grauissimæ difficultates explicentur, quę vt inuoluuntur in ea, sic ad illius vim & naturam intelligendam sunt in primis opportunæ ac necessariæ. Primùm, num ita hæc definitio animas omnes comprehendat, vt is omnes se vniuersè definiuisse gloriatus est. Deinde, an anima ita sit corporis actus, vt per omnes illius partes sit fusa. Tum verò, an vt est actus corporis quanti & extensi, sic ipsa quoque extendatur cum illo, & euadat partibus, an potiùs impartibilis perseuerans, tota sit in toto corpore, & tota item in quauis vel minima illius parte. Post, num vna anima pluriũ corporum actus esse queat: & contra plures animæ vnius eiusdemq. corporis. Ad extremum, cùm anima sit actus corporis organici, quod pluribus diuersæ, discrepantisque naturę partibus constat, num prętet animam, quæ vniuersum perficit corpus insint in singulis partibus propriæ singularum formæ, ex quibus totum illud corpus dignum animæ subiectum coagmentetur. Primam igitur aggrediamur, quæ ad reliquarum explicationem aperiet viam.

I. Digressionis pars. Num hæc definitio animas omnes comprehendat.

Triplex in sublunaribus animæ genus antea demonstratum est, vegetãs, sentiens, intelligens: Vegetans plantarum proprium, sentiens mutorum, intelligens hominis. De duobus prioribus certum est omnium calculo, de tertia nonnulli dubitant. Sed & de cœlestibus corporibus dubitari potest, hæc quoque in 1. libro dictum est Platoni & Aristoteli animata fuisse.

Quod si ita sit, quæcunque sit illius anima, cùm Aristoteles cõmunissimam & maximè generalem definitionem se tradidisse profiteatur: consequis profecto fuerit, eam quoque hac definitione fuisse comprehensam. Alioqui rectè argumẽtabitur Proclus com. 5. in Timæum, minùs probandam esse, quæ animam omnem non comprehendat: præsertim cùm cœlestes animæ organici corporis actus non sint.

Sed non ita pridem Alexander Achillinus in 3. lib. de Orbibus, & Hieronymus Balduinus in quæst. An intelligentia det esse cœlo, & Petrus Pomponatius in lib. de Animæ immortalitate, & Antonius Bernardus Mirandulanus lib. 11. 16. & 21. de Euersione singularis certaminis, aliiq. nonnulli, cùm non aliam ponerẽt animam prętermetricem intelligentiam, hanc ipsam voluerunt esse formantem formam, & tanquam veram illorum corporum animam generali hac definitione comprehẽsam. Est enim actus organici corporis, quippe cœlum illius est organum, quo in hæc omnia inferiora agit. Itaque, vt hoc loco simul cum reliquorum viuentium animabus definitam esse cœli animam voluerunt, ita cœlum quoque contendebant in libris de Animalibus oportere tractari, ut reliquorum animalium corpora considerantur.

Cœlestia corpora animata non esse, in 1. libro demonstratum est. An verò motrices intelligentę formantes illorum formæ sint non est nunc opus pluribus disputare æquo rerum ęstimatori satis esse possunt ea, quæ eodem in loco fuere proposita. Hoc vnum addam, quod & in text. 7. huius libri, & text. 15. 8. Metaph. traditum est, ex duobus in actu non fit vnum per se, cœlum autem est ens actu, vt Auer. Achillinus & aduersatiorum plerimi senserunt, & intelligentia est actus, & ens omnino perfectum, speciesque integra, quæ autem forma & pars esse non potest: Necesse igitur est illam ab animæ definitione excludere. Nonenim est entelechia prima. Tum quia entelechiam significare substantiam imperfectam & dimidiatam, quæ cum corpore faciat vnum per se, manifestum est ex tex. 2. & 7. Tum quia ex tex. 8. omnis anima est actus essentialis & quod quid est esse corporis: Intelligentia est substantia integra, & perfecta, quæ ciere quidem potest ac vertere cœlestes orbes, at essentialis & formãs actus, aut omnino perfectio in actu primo esse non potest. Corpus item cœleste est quidem naturale, quòd intelligentiæ organum dicatur, quatenus per illud in hæc inferiora operatur: at organicum non est. Sola namque densitate, & raritate, luce, perspicuitate & opacitate, differunt eius partes: non tempertione, & natura, quemadmodum organici & heterogenei corporis partes differre oportet, quæ alias atque alias habent substantiæ formas, & plenè diuersum in corpore vsum. Satisfuerit cœlo perfectionem omnem concedere, quæ corpori conuenit: nempe esse incorruptibile, inalterabile, immutabile. His enim cætera omnia corpora superat. Adde etiam actione. Tum quòd in reliquis

reliqua omnia agit, neque ab illis patitur. Tum quòd est generale agens, dum cætera particularia sunt & determinata. Si tamen perfectio ex entium gradibus perpendatur, qui quatuor numerantur, esse, viuere, sentire, intelligere: sanè perfectissimũ omnium non est cœlum, immò imperfectissimum, & ad primum gradum pertinet.

Cœlum quomodo animatum.

Omonymè autem & per quandam analogiam animatum ab Aristotele dicitur: quòd perinde ab assistente intelligẽtia moueatur, ac animalia à formãte anima. Nec moueatur modò, sed & ita vniatur illi ad mouendum intelligẽtia, vt organico corpori anima naturaliter inquam necessariò, partes omnes peruadendo, ac demum inseparabiliter. Vt non immeritò illius anima vocitetur; & assistens forma, quia propter operationem vnitur; & natura, quia naturaliter mouet; intrinsecus motor, quoniam intimè vnitur ratione virtutis agentis & patientis, estque in eodem loco & situ, in quo est. cœlum. Vndè totum illud coniunctum ex cœlo & Intelligentia dicitur animatum, differentias habere situs, atque à seipso moueri. Est tamen tenuis & perexigua analogia, vt propterea simul tractari debeant. Vel si analoga in eadem scientia omnino explicare oporteat, & intelligentiæ quatenus motrices cœlorum animæ sunt, ad Physicum spectent; de hac animæ forma in 8. Physicorum lib. actum est. Neque enim dum analoga tractantur, necesse est de eorum ratione vniuersè differere: sat est, si in diuersis scientiæ partibus de singulis dicatur. Ita cùm in 8. Physic. lib. de assistẽtibus illis animabus actum esset; de reliquis nunc, quæ formantes sunt, ac magis propriè animæ appellãtur, agendum fuit. Hoc nimirùm intellectu quærẽdam proposuit cõmunissimam omni animæ definitionem. Propterea in t.3. corp' naturale diuidit in id, quod viuit, & id quod vitam non habet, vitamq. definit mutationem, accretionem & decretionem; quę sanè cœlo non insunt. Et in text.15. de mortalium solùm corporum animabus agere, se significat. quod interpretes eo loco confirmant, & Alexander in priori lib. de an. cap.8. est enim cœlum corpus simplex, nullumq. simplex corpus animatũ esse posse, demonstrabit idẽ ipse Philosophus in 3. libro. & in text.66. lib.3. Simplicius, ob id, inquit, cœlestia hoc loco mittẽda, quod vel sensus non habeant, vel si habuerint, non est de illis sermo in præsenti opere, vbi de animalis mortalis vita agitur. Ac demum Themistius cap. 73. diuina & cœlestia hoc loco præfata laude mittimus.

Dubitatur. Cœlum animatum. Cœlum animatum.

Missa igitur cœlesti anima, Auerroës Aristotelem inquit voluisse corruptibilem solam, & mortalem animam definire: Vegetantem inquam & sentientem; non item intelligẽtem, nisi per quẽdam analogiam. Tum quòd ea non sit actus formans, sed assistens (sic enim illi sensit) Tum quòd illa incorruptibilis sit & immortalis. Quare in tex.2. sola substantia actu corruptibili & mortali constans diuisa est; quippe corruptibile & incorruptibile differunt genere, vt est in text.26. lib.10. Metaph. animamque intelligentem esse aliud genus animæ, & differre à cæteris, sicut incorruptibile à corruptibili; non multò post docebitur in text.21. Accedit, quòd anima definita est esse actus corporis; & intelligẽs in tex.11. dicta est nullius corporis esse actus. Immò eodem in loco ex ea definitione deduxit Aristoteles, non posse animam à corpore separari, quia est illius actus: & intelligens separatur.

A Denique apertis verbis loquetur in tex. 21. de intellectu nihil adhuc manifestum esse; & in tex. 32. de eo longè alium esse sermonem. Alexander tamen & intellectũ alio modo interpretatus, & animam quoque nostram mortalem ratus, eam item definitam fuisse credidit.

Mihi verò non est hoc loco propositum Alexandro demonstrare, animam nostram immortalem esse: aut Auerroi esse actum formantem. Sed vtroque supposito, quemadmodum opportuniore loco demonstrabitur, eam quoq. ostendam fuisse ab Aristotele definitam. quod propterea contendo, quòd cum videam apertè prædicantem, communissimam eam esse definitionem omni animæ, quæ B in corporibus animatis insit. Hocque eam potissimùm ob causam, quam in tex.1. significat, ne in errorem incidat antiquorum, quos idcò reprehenderat in tex. 7. lib. 1. quòd non de omni anima, sed de sola humana disseruissent. Deinde quia nisi eam quoque definiuisset, non erat, cur in text. 11. dubitaret, num aliqua anima sit à corpore separabilis, quemadmodum à naui nauta. Quo loco certum est, non nisi de iis animabus, quas definierat, dubitari: neque de vegetante, & sentiente, quas inseparabiles esse constabat. In tex. etiam 13. ea diuiditur anima, quæ fuerat definita, vt anima omnis ostendatur esse principium vitæ: & eodem modo C in tex. 24. vt demonstretur omnem animam esse actum corporis: in vtraque autem diuisione intelligens anima commemoratur. Tum verò de ea tractatur in libro 3. quæque initio huius 2. de anima vniuersè docentur; sunt veluti generalia fundamenta, quę specialem singularum animarum in toro reliquo opere tractationem antecedunt. Denique nihil est in tota definitione, quod illi quoque non optimè ac proprijssimè conueniat.

Quomodo omnis forma corruptibilis.

Quapropter dum in tex.2. substantiæ genus partitur, solam quidem corruptibilem substãtiam partitur, quòd eam solam crederet ad illud genus pertinere: non eam tamen ex solo actu corruptibili D constantem. Nisi aut id pletumque ita esse intelligatur, vt ipsemet in tex. 1. lib.6. Metaph. interpretatus est. Aut ad actum secũdum formationis, non ad substantiam referatur. Sic enim anima quoque intelligens corruptibilis actus esse dicetur, homóque substantia mortalis. Aut verò etiam postremò id accipiatur esse verum de generali actus ratione, alio quocunque præciso. Omnis namque forma, quatenus actus, corruptibilis est: nisi aliunde incorruptibilitatem accipiat. Etenim est actus materiæ, quæ priuationem habet adiunctam corruptionis principium.

Anima nostra vt separabilis.

At intelligens anima præter hoc, vt sit corporis actus, propriam suam & peculiarẽ habet naturam, E immaterialem, & subsistentem; cuius beneficio incorruptibilis est. Hoc nimirùm intellectu in text. 11. deducebatur, animam esse à corpore inseparabilem, quoniã corporis est actus. Ratione inquam actus & formationis: & nisi aliud haberet, quàm esse actum & formam; omnino non posset separari. At quoniam vidit summus Philosophus, eam actum quidem esse, sed immaterialem, & subsistentem, propterea statim subiunxit, generalem illam actus conditionem minimè prohibere, quominùs aliqua anima separaretur, quòd nullius corporis sit actus, corporeus scilicet inhærens, atque à corpore pendens. Ex quo duo planè intelligentur.

Alterum, inseparabilitatem illam, quam Ar. ex ea definitione collegit, negatiuam esse: hoc est ex eo, quod sit actus corporis, non habere animam, vt à corpore separari queat: non autem positiuam, vt prorsus separari possit. Nam si id ex generali animę cõditione colligeretur, non statim adderetur, posse aliquam ex sua propria & speciali natura separari, quoniam id, quod positiue & essentialiter conuenit generi vniuerso, per propriam speciei cõditionem non tollitur: tantum abest, vt illius oppositum alicui speciei conueniat. A

anima duobus modis actus corporis.

Alterum est, formâ duobus modis appellari actũ materię, seu animam corporis: aut formando perficiendo, & dãdo esse: aut inhęrẽdo quoq. & pendẽdo à materia, seu corpore. Atq. in ea definitione animam omnem dictã fuisse actum corporis priori modo, qui ad vniuersam & generalem formæ & actus rationem pertinet: posteriorem autem non esse de ratione animæ in genere, quemadmodum nec formæ & actus vniuersi; sed ex propria quarũdam formarum, atque animarum conditione oriri, quatenus ex materiæ potestate eductæ sunt. Idcirco enim in ea quoque sustentantur, neque sine illa cohærere possunt. Atque hanc demum ob causam de ratione animæ vniuersæ, vt est anima, illud solùm esse, vt sit actus corporis formãs. Inhærere autem & sustentari in corpore, aut per se subsistere, neque ab eo pendere; omnino deriuari ex propria & speciali singularum animarum conditione, quæ aut ex materia eductæ sunt, aut singulari Dei munere forinsecùs aduenerunt. B C

Exponũtur text. 21. & 32.

Quæ porro in tex. 21. & 32. leguntur, maiorem multò habẽt difficultatem, quàm prima specie præ se ferant; vt post eorũ interpretatione manifestum erit. Interim satis fuerit dicere, in tex. 32. intellectũ contemplatiuum appellari intellectum intelligentiarum separatarũ, de quo alius sermo est, quoniam ad Metaphysicum spectat. Aut si de intellectu nostro intelligi debeat; quomodo id sit, eo loco docebitur. In tex. autem 21. affirmasse quidem Philosophum, de anima intelligente nihil adhuc manifestum esse: Id tamen non vniuersè & generaliter accipiendum esse: sed quatenus ad quæstionẽ paulò ante propositam in tex. 19. pertinebat; num animæ partes loco & situ in corpore distinctæ, an ratione solùm sint. Ad hanc enim respondit, in viuentibus quibusdam rem satis esse apertam, vt in plantis & insectis animalibus: de intellectu autem nihil adhuc manifestum esse, an inquam sit ab alijs distinctus, atque in distincta corporis parte. Hoc enim in tertio libro explicabitur, vbi dicetur, eum esse inorganicum & incorporeum. Nũc verò hoc solùm constat, eum altioris cuiusdam ordinis esse supra cęteras animas; quoniam est incorruptibilis. D

Quomodo anima intelligens alterius generis.

Quocirca cùm hęc anima alterius esse generis affirmatur, non propterea id dicitur, quòd sub definitione proposita non comprehendatur: sed id ad specialem & propriam eius differentiam pertinet, quatenus immaterialis est & intelligẽs: non ad generalem illam, quatenus anima est & actus corporis. Quẽadmodum enim generali hac ratione cum cæteris conuenit animabus, communique definitione explicata est; ita speciali illa & ipsius propria genus aliud est animæ, quod solum separari potest, vt perpetuum à corruptibili: quoniam inde habet, vt incorruptibilis sit & perpetua. Hoc modo de intellectu, vt intellectus est & theoretica facultas, nihil adhuc manifestum est: Quatenus autem anima est, non solùm est manifestum esse formam, & organici corporis actum: sed etiam esse principium vitæ, vt in tex. 13. iam dixerat. E

Est autem anima intelligens organici corporis actus, non solùm vt vegetãtem, & sentientem vitute continet: verùm etiam quia quatenus intelligens est & dat esse corpori, requirit in eo organa, & dispositiones complures: & quo ad cæterarum animarum operationes, ita illas tẽperat, vt certum quendam illis modum adferat. quare vt eæ operationes sunt organicæ: ita hæc quoque anima, dum illis modum ponit, opus habet organis. In ea verò diuinissima operatione, quæ illius est propria, a phantasmate pendet vt obiecto: estque phantasia facultas organica. Sanè tanta est diuersitas conformationis partium, saltem plurimarum, in homine, tantoque perfectior, quàm in cæteris animalibus, temperatura; vt negari non possit, eam totam ad intelligentem animam pertinere. Et quid causæ sit, cur in embrione postquam vegetãs anima producta est, nequaquã à tãto labore conformandi illius corpusculi natura quiescat? quin maiori potiùs industria partes omnes distinguat, perficiat organa, qualitates temperet. Nisi quia perfectior expectatur anima sentiens; quæ vt est actus organici corporis, sic accuratam magis in illo efformãdo requirit operam. At vbi hæc quoq, accesserit forma, nec dum finis industriæ: quin multò maiori arte in illo ipso perficiendo opere natura vtitur, vt ad suprẽmam intelligentem formam tandem perueniat. Quid ita? nisi hæc quoque anima secundùm suam propriam & specialem naturam organici corporis esset actus, maiori industria opus non erat: sed tũtim cum sentiente anima intelligens quoque accederet: neque diuersa esset hominis & bestiarum conformatio membrorum & qualitatum temperatio.

Cæterùm quoniam Interpretes Græci, Themistius, Simplicius, & Philoponus, atque adeo Auer. qui nobis in hac quæstione maximè aduersari videbatur; eam definitionem fatentur intelligentiæ quoque animæ communem esse: atque hoc solum à nobis contendunt, vt non synonymè, sed omonymè duntaxat: hoc est analogicè, seu per prius & posterius cõmunem esse concedamus: hoc vnum iam constituendum superest.

A me verò id nunquam illi extorquebunt: propterea quòd falso Auerroem præsertim video principio niti. Hanc enim fortasse ob causam id illi affirmauit, quoniam intelligentem animam putant assistentem esse actum, non formãtem. Ego & eam quoq. aio esse formãtem quod Græcos quosdam interpretes sensisse arbitror, & synonymè cũ cæteris definitam. Intelligentem animam esse actum nostrum corporum formantem, non est hoc loco pluribus demonstrandum: sed solùm ostẽdendum, ex animæ definitione proposita manifestè deduci. Sanè in tex. 2. substantiam diuidens Philosophus in materiam, formam, & compositum, vt ex ea diuisione definitionem colligeret: & in text. 4. animam omnem asserẽs esse formam, de sola formante forma loquutus est. Tum quia eam voluit esse actum materiæ potestati oppositũ, qui simul cum ea faciat hoc aliquid, perfectãmque substantiam. Tum quia eandem diuisionem habet in tex. 7. & 34. lib. 7. Metaph. & in text. 3. 6. & 15. lib. 8. & in tex. 14. lib. 12. quibus in locis certum est de formante forma esse sermonem. Tum etiam quia materia

cum

cum qua assistens forma coniungitur, semper est hoc aliquid; vt perspici potest in nauta & naui; in Cœlo & intelligentia, & aliis omnibus; Materia verò, quæ illius diuisionis membrum est, non est hoc aliquid; sed sola potestas, & vt est in tex. 69. lib. 1. phys. substantia informis: eamque formam, quæ subiectum substantia imperfectum perfectura est, necesse est esse formantem. In textu etiam 4. animam legimus illius corporis esse actum, quod non est actus existens in subiecto: neque hoc potest esse, nisi materia, quæ substantia est imperfecta: nam compositum includit actum formantem materiam illi subiectam. Neque igitur forma potest alia intelligi, quàm formans: siquidem ea, quæ assistit, vnitur toti composito; neque facit hoc aliquid, sed supponit. Præterea in tex. 7. post communissimam omni animæ definitionem non esse ampliùs quærendum dixit, cur ex anima & corpore fiat vnum; quoniam actus proprium est simul cum potestate facere vnum. Quod de formante forma verum est: de assistente non item, quæ enti in actu aduenit, solamque operationem præbet. Quocirca & exemplum posuit formantis formæ; figuræ scilicet & ceræ. & in textu 15. lib. 8. metaph. dum de sola formante forma loqueretur, dubitationem eandem totidem penè verbis exposuit. Rursum in textu 8. ex generali ea definitione animam omnem deduxit formam esse substantiæ, & quidquid est esse animati corporis. Quæ verba certum est formantem formam vbique Aristoteli significare: & confirmant exempla securis & oculi, quæ in eodem textu, & duobus sequentibus proponuntur. Et verò in vniuersa illa definitione animam prodidit esse entelechiam, hoc est perfectionem primam corporis potestate vitam habentis; primamque perfectionem interpretatus est substantialem & essentialem. Assistens anima nequaquam est perfectio prima substantialis & essentialis illius corporis, cui assistit; sed accidentaria prorsus & extrinseca, quæ solam operationem largitur. Immò si anima intelligens forma esset homini assistens, nullam illi adduceret perfectionem: siquidem intellectio est operatio, quæ in ea sola remanet. Quin aliquid potiùs à corpore acciperet, obiectum scilicet intelligendum. Voluit etiam Aristoteles animam omnem esse veluti somnum, hoc est formam absolutè in subiecto consideratam abstrahendo ab omni operatione: assistens forma neque est perfectio corporis, neque cum eo coniungitur, nisi ad operandum; neque sine operatione intelligitur. Denique si intelligens anima assistens esset, atque hoc modo generali hac definitione comprehenderetur; non considerasset eam nec definiuisset Philosophus secundùm suam substantiam, sed quatenus est principium vtēs organo ad operandum: quemadmodum quando intelligentias reliquas considerauit quatenus cœlestes vertunt globos. At illius quoque animæ substantia veluti pars hominis, qui ens quoddā est naturale, à naturali Philosopho cognosci ac definiri debet.

Extant apud Arist. alia complura loca, ex quibus planè intelligas eam, quam dixi, fuisse illius de anima intelligente sententiam. Sed hoc loco vbi sola animæ definitio examinatur, ea proferre supersedeo: atque ex eo, quod illam quoque ostensum est formantem esse actum, omnino conficio, synonyme cum cæteris definitam fuisse. Nam cum in formationis vi omnes planè conueniant animæ; hoc solum discrepāt, quod ea, quæ intelligit, per se subsistit, immaterialis est, forinsecus aduenit, & ideo à corpore separari potest: reliquæ, vt ex materiæ potestate eruūtur, sic sustentantur in ea, nec vnquā separari possunt. Verùm hæc omnia ad vniuersam, & generalem animæ notionem non pertinent; sed ad specialem & propriā singularū. Generalis illa, quæ Aristotelis definitione continetur, solùm significat formantem organici corporis actum: atque ex propria actuum cōditione & natura diuersitas illa tota proficiscitur; quę generis vniuersi synonymiam nō tollit. Quippe & in quolibet genere ex propria singularum specierum conditione omonymiam plurimam latitare admonemur in tex. 31. lib. 7. phys: & vniuersum animalis genus non propterea negamus de homine ac mutis synonymè dici, quòd illē ratiocinatione vtatur, hæc solo sensu viuant; ille formam habeat immaterialem & immortalem, hæc materialē & mortalē. Huc illud spectat quod est in tex. 7. siquid, inquit, commune omni animæ oportet dicere. Non solet. n. commune dicere, nisi vbi est synonymia, quod ostēdet tex. 4. libri 3. phys. vbi cū motū dixisset esse in quatuor generibus, adiungit; commune vero his nihil est accipere: cum tamen commune omnibus sit ens: sed quia non est synonymum, non vult appellari commune.

Quid anima intelligens à cæteris differat.

Maiorem cuipiam difficultatem adferent verba illa lib. 10. metaph. corruptibile & incorruptibile differunt genere. At ea de integris & perfectis entibus, quæ propriè & per se sunt sub genere, debent intelligi. Alioqui materia, quæ incorruptibilis est, & formā corruptibilis, ad idem substantiæ genus non pertinerent. Deinde quemadmodum materia suapte natura incorruptibilis eatenus corruptibilis esse dicitur, quatenus corruptionis subiectum est: sic anima nostra, quæ immortalē habet substantiā quatenus immaterialis est & intelligens, corruptibilis dici potest quatenus forma est & anima, quoniam post aliquod tempus formare desinit & animare. Et quoniam quatenus forma est & anima, non quatenus immaterialis & intelligens, sub generali hac definitione animæ continetur; Aristotelis illa verba huic nostræ sententiæ nil obērūt. Sed illud vnum testabantur, quod in textu itē 21. huius libri legimus, animā nostrā, quatenus immaterialis est & intelligēs, aliud esse genus animę: quæ tamē, quatenus forma est & anima, cū vniuerso reliquarum animarum genere definita est.

Anima intelligens vt corruptibilis dici possit.

Iam verò ex hac tota difficultate explicata facilis erit alterius intelligentia. Græci. n. illi, qui definitionē eam per quandam solùm analogiam, perque prius & posterius intelligenti animæ conuenire voluerunt: quòd specialem potius & propriam huius animæ, quam generalē & communem omnium rationem considerarent: consentaneè quoque dixerunt, non fuisse definitionem essentialem, sed descriptionem quāndam: propterea quod describuntur analoga, non definiuntur. Sed cùm ostēsum sit vniuersam animæ rationem esse synonymam eamque philosophum definiendo spectasse; verius affirmabimus essentialem fuisse definitionem. Quod summa illa diligentia testatur, qua is in ea inuestiganda vsus est: & quidem per di-

Hanc definitionem essentialem esse.

uisiones : quomodo in secundo libro de posteriori analysi quærendam esse docuerat propriam cuiusque rei definitionem. Et altera item diligentia confirmat, qua in tex. 24. definitionem illam per notiorem alteram demonstrabit. Deinde alicubi oportuit animam à naturali Philosopho secundùm propriam ipsius quiditatem definiri : atque hoc planè loco definita fuit per ea, quæ sunt illi essentialia ; dum dicta est esse forma, actus, & perfectio corporis, talisque corporis. Non inquam definita fuit per corpus, sed per ordinem ad corpus : qui ordo essentialis est illi, non minùs, quàm cuilibet formæ ordo ad materiam ; vt in tex. 26. lib. 2. Phys. significatum est. In eaque definitione nominatum fuit corpus, tanquam terminus illius ordinis. Sic enim vnum relatum in sui correlati definitione, & substantia in definitione accidentis poni consueuit. Cur autem in tex. 11. descriptionem maluerit appellare, dictum est in illorum verborum interpretatione.

Denique ex his potest intelligi, quid ex tota hac definitione de animæ nostræ immortalitate colligatur. Cùm enim generalem duntaxat animæ rationem contineat, id solùm colligitur, quod collegit Aristoteles in tex. 11. ex generali illa ratione animæ nullam animam separari posse ; hoc est animam, quæ nil aliud habeat, quàm esse actum corporis, omnino inseparabilem esse; quoniam actus, vt actus est, vult esse in corpore, nec sine illo esse potest. At si quæ anima præter vim actus aliquam aliam habeat perfectionem, qua sine corpore esse possit; ea nimirum separabitur. Atque hoc, est quod dixit, quasdam nihil prohibet separari, quòd nullius corporis sint actus; hoc est non solùm sint actus, sed etiam immateriales actus, intelligentes, & subsistentes.

Quid de immortalitate colligatur.

Altera Digressionis Pars. Quo modo anima sit actus corporis.

Anima an sit actus omnia partia corporis.

SEd quoniam & corpus organicum multis partibus constat, & anima item pluribus facultatibus ; tribus modis eam dicere possumus organici corporis esse actum. Aut ita, vt tota eius substantia in vna aliqua corporis parte resideat, ex qua diuersis facultatibus vtens totum corpus regat. Aut ita, vt in diuersis corporis partibus diuersæ item sint animæ partes. Aut demum ita, vt tota cum omnibus partibus & facultatibus sit in singulis corporis partibus.

1. Sententia.

Prima plurium veterum fuit sententia. Hippocratem enim legimus intellectum existimasse in sinistro cordis sinu residere ; Herophylum in ventriculo cerebri totam animam collocasse; Democritum in toto capite; Erasistratum circa cerebri membranam, quæ μηνιγγίον dicitur; Stratonem in intermedio superciliorum ; Parmenidem, & Epicurum in toto pectore ; Stoicos in corde aut cordis spiritu ; Empedoclem in sanguine ; Diogenem in arteriis ; alios in cordis collo aut pericardio ; alios in septo transuerso. Post hos autem omnes Magnus Albertus in tract. 1. c. 7. essentiam animæ in solo corde voluit residere, atque in cæteris corporis partibus quasdam illius duntaxat facultates esse. Non secus ac rex in vna aliqua residens ciuitate vi & potestate sua vniuersum administrat regnum. Idem nostris temporibus senserunt Simon Portius in libro de Humana mente c. 7. & Hieronymus Cardanus in libris de animorum immortalitate, & apud Scaligerum, exercit. 307. c. 29. Videtur autem colligi ex Aristotele iis in locis, in quibus vitæ ac sensus principatum tribuit cordi. Tum verò maximè in lib. de animalium motu c. 7. vbi in hanc sententiam loquitur. Existimandum autem constare animal quemadmodum ciuitatem benè legibus institutam. In ciuitate enim cùm semel constiterit ordo, nihil est opus sparato principe, quem oporteat adesse singulis, quæ fiunt : sed ciuis vnusquisque facit quæ sua sunt, vt ordinatum est : fitque hoc post hoc per consuetudinem. In animalibus autem hoc idem propter naturam fit, & quia natum est vnumquodque sic constitutorum facere suum opus. Quare non oportet in vnoquoque esse animam: sed in quodam principio corporis existente, alia quidem viuere, quia ordinata sunt; facere autem opus proprium propter naturam.

Alteram propositæ quæstionis partem complexi sunt Pythagoras & Plato. Pythagoras enim vitalem animæ partem circa cor posuit, rationalem & intelligentem circa caput. Testantur Plutarchus in lib. 4. de Philosophorum placitis c. 5. & auctor historiæ philosophicæ, quæ Galeno tribuitur. Plato autem intelligentem partem in capite, concupiscentem in iecore, irascentem in corde collocauit. Hanc fuisse Platonis sententiam, multis persequitur Galenus in lib. 5. & 6. de Hippocratis & Platonis decretis. Tres namque animæ partes esse diuersas, hocis argumento ostendit in 4. de rep. libro quòd pugnant inter se ; aliudque ratio, aliud iracundia libidoue suadeat. & lib. 9. tres hasce animæ partes cum tribus comparat ciuitatis partibus, consulari, militari, & quæstuosæ : tribusque hominum generibus, philosopho, contentioso, & auaro.

Porrò Hippocratem quoque ante Platonem intelligentem partem in capite potissimùm collocasse, illi omnes confirmant, qui eum propterea scribunt consueuisse velato aut pileato capite incedere, quòd principem illius animæ sedem probè munitam & contectam diceret esse oportere. Concupiscentem autem Plato vegetantem, & irascentem sentientem partem appellasse, manifestum est ex Timæo. Nam priorem inquit, quæ esculenta & poculenta, atque ea demum, quæ corporis naturæ necessaria sunt, concupiscit, esse velut præsepe corporis alimenti, inter præcordia & vmbilicum collocatam: posteriorem in satellitis & apparitoris sede ac domicilio constitutam, vt cùm iræ vis imperio rationis aduersus iniustum quidpiam ferueſcere, continuò quidquid in corpore sensitiuum est obediret rationi, eamque sineret dominari. Interdum etiam, quemadmodum in Phædro, duas illas partes, velut equos aurigæ, subiecit rationi in suprema parte sedenti ; & in 4. & 9. de republica primam variæ ac multorum capitum belluæ similem esse dixit ; alteram leoni ; postremam homini.

Tertiam partem Aristoteles verâ esse indicauit.

Nam

Nam ex iis, quæ antea deducta sunt, perspicuum est animam esse in toto corpore. Eandem inquam animam (siue in quolibet viuente vna sit, siue multiplex) totum planè corpus occupare. Si enim tanquam assistens forma ad motum duntaxat tribuendum accederet, cum vna sola fortasse parte coniungi posset, ex qua totum corpus impelleret. At cùm vniatur, vt det item esse; necesse est cum toto corpore & partibus omnibus vniatur: quoniam hoc formantis formæ conditio postulat. Si namque per totum corpus diffusa non esset, sed ad vnicam præcipuam partem contracta; sola hæc pars, quæ haberet animam, non totum corpus, animata esset. Neque enim solæ facultates à præcipua parte ad reliquas deriuatæ animam illis & vitam tribuerent; cùm ipsæ non animæ sint nec substantiæ, sed animæ facultates & accidentia. Immò nec eæ possent in illas partes diffundi, quòd animam comitentur; nec ibi esse possint, vbi non adsit anima; quemadmodum nec vllius rei proprietas esse potest, vbi non sit ea natura, cuius proprietas est. Deinde anima duo præstat in corpore. Alterum est formare & animare: alterum eo vti veluti instrumento ad operandum. Quæ duo ita sunt connexa, vt vbi primum illud non fuerit, neque hoc posterius esse possit. Facultates autem, etsi non respiciant corpus nisi vt organum, quia principium duntaxat operationis significant: sicut tamen animam necessariò supponunt, ita organum animatum requirunt, nec eo nisi animato vtuntur. Quod re ipsa comprobatur. Nam si membrum aliquod pereat & amittat vitam, etsi cum reliquo corpore coniunctum sit, nullam tamen habet operationem; vt in arborum arescentibus ramis sæpè conspicimus. Illud etiam certum est, quod Aristoteles explicauit; vegetantem quidem animam posse sine cæteris reperiri, at cæteras sine illa esse non posse. Quare licet plures in eodem viuente essent animæ, vegetans tamen vniuersum corpus occupare deberet. Grauiterque peccauit Plato, dum seorsim eas in diuersis partibus collocauit. Facilè enim videre potuisset, nec intelligentem in cerebro, nec sentientem in corde sine vegetante posse subsistere. Sed & operationes eius obseruare debuisset. Etenim cùm in qualibet corporis parte aliqua vegetantis præsertim animæ appareat operatio, in omnibus necesse est huius saltem animæ facultatem & essentiam inesse. Nutritio & accretio vbique manifestè cernuntur. Vbique igitur ea inest anima. Ex animalium autem genere ea, quæ insecta nominantur, proponet Ar. in tex. 20. quæ in plures partes diuisa, singulis non viuunt modò; sed & sentiunt si tangantur, refugiunt, & mouentur: habent igitur sentientem quoque animam per totum corpus diffusam. Denique si necessaria argumentatione antea fuit conclusum, animatum corpus oportere esse organicum, vt animæ operationes omnes obire queat; haudquaquam poterit esse dubium, non vnam aliquam aut alteram partem, sed omnes planè animatas esse: cùm omnes sint actioni cuipiam necessariæ, atque ex omnibus simul iunctis organicum corpus coalescat.

Neque dubitandum est Aristotelem secus vsquam sensisse. Nam cùm animam definiuit actum primum organici corporis, eum certum est organicum illud dixisse, quod pluribus & diuersis membris vt instrumentis constaret. Quam ob causam in tex. 6. ad id probandum desumpsit argumentum ex plantis, quarum corpora etsi simpliciora videantur, organica tamen sunt, dum radicibus, trunco, cortice, foliis constant: & in tex. 9. ex oculo organici corporis parte ad totum corpus ratiocinatus est; animam ostendens illius totius esse actum. Tum verò in tex. 7. cùm exposuit causam, cur ex anima & corpore fiat vnum, an non ostendit eam cum omnibus partibus coniungi? Etenim de toto corpore loquebatur, omnesque illius partes sunt naturalia corpora organica potestate vitam habentia. Denique idem cognosci potest ex tex. 37. prioris libri de ortu & interitu, & ex tex. 35. lib. 7. metaph. quibus in locis manum, digitum, & alias huiusmodi corporis partes affirmauit omonymè appellari, si fuerit ab illis anima separata: tuncque propriè nominari, dum viuunt & habent animam. Certè adducar nunquam, vt eum credam existimasse, solum cor animatum esse, immò animal quoad essentiam, reliquas partes nec animatas nec animalis partes. Propriam eas oporteret habere substantiæ formam, à qua species: siquidem corpora sunt actu constituta. At quonam modo animal ex illis fieret vnum ens per se? Sic enim in tex. 90. & 91. lib. primi argumentabatur Philosophus. Etenim viuentis, vt cuiusuis rei, vnitas vnam postulat totius corporis formam: quæ nisi adsit, nequaquam vnum dicetur, nisi per aggregationem & plurium contactum. Et rursum cùm corpus tam diuersis & pugnantibus partibus constet; nisi vna sit communis forma, quæ copulet omnes, foueat, & contineat, breuissimo nimirum tempore dissolueretur; quemadmodum abeunte anima dissoluitur totum & putrescit.

De cordis principatu.

Quæ verò tam sæpè tamque honorificè de corde prædicantur; duas ob causas prædicantur. Altera est, quòd etsi in omnibus partibus anima sit, est tamen ordine quodam. Cor primum omnium formatur, primum viuit, vltimum moritur, vt est in cap. 4. lib. 2. de animalium ortu. Itaque est quasi prima radix, & præcipuum animæ subiectum; vnde ea ad reliquum corpus deriuetur, & foueri semper oporteat & conseruari. Reliquæ partes vitam habent à corde pendentem in animalibus sanguine præditis, aut ab eo, quod in cæteris est cordi analogum. Illud autem per se & independenter. Quocirca adæquatum & totale subiectum animæ est totum corpus; præcipuum cor. Altera causa, quæ ex hac priori deducitur, ad animam spectat quatenus operandi principium est; atque ad principatum, quem in hoc munere membrum illud obtinuit. Etsi enim in omnibus partibus anima sit; quatenus tamen per suas facultates vim habet agentis, quoniam in agentibus necessaria est subordinatio, in hoc vno membro primùm residere iure optimo affirmatur. Ab eo enim in reliqua distribuitur, atque inde conseruantur, & ad operandum iuuantur singula, subsidio vitalis facultatis, caloriſque, & spiritus inde effusi.

Cur non omnes facultates in omnibus partibus.

Cur autem animam in omnibus partibus facultates item omnes & operationes non comitentur; difficilem sanè videtur habere explicationem. Sunt qui vegetantem quidem animam dicant esse vbiq;, at sentientẽ nec in ossibus, nec in partibus illis cognatis. Quoniã cùm forma ex operatione cognoscatur, nutriuntur ossa, nõ sentiunt. Verùm superest difficultas, tum de sentientis animæ facultatibus, quæ non exercentur in qualibet parte, in qua est hæc anima: tum de intelligente anima, quam in omnibus iis partibus esse affirmant, in quibus est sentiens tanquam illius subiectum; cur non in qualibet parte facultates suas omnes ostendat?

Sed cum fuerit communis Peripateticorum sententia, animæ substantiam in qualibet esse corporis parte; vegetantem certum est vbique adesse, cùm omnes partes nutriantur & augeantur. De sentiente & intelligente facilè potest idem concludi, si partes animalium omnes consideremus, vegetationem quandam certæ speciei habere; quam necesse sit principium habere à vegetante anima per sentientem aut intelligentem limitata & determinata. Ossa quoque non minùs, quàm reliquas partes, esse partes animalis materiales, vt animal est; & ideo communi animalis vita participare debere. Nam si ratio illa, quòd in osse non visantur sentientis animæ operationes, vim vllam probationis haberet: liceret quoque concludere, intelligentem animam aut in nulla esse corporis parte, aut in solo capite reperiri.

Vt ex operatione cognoscatur forma.

Argumentum igitur illud (quod sanè ad cognoscendas formas certissimum est) non nisi affirmando deduci debet ad existentiam formæ concludendam. Ex cuiusuis enim effectus existentia scitè colligitur existentia causæ. At nequaquam licet negando argumentari à negatione effectus ad negationem causæ; neque à negatione operationis ad negationem formæ. Vt enim causa non semper & vbique suum effectum producit, sed tempore determinato, atque in subiecto disposito; potestque multis modis impediri: sic anima non nisi in certo & accommodato organo operatur: & quamuis ipsa adsit, potest propter organi ineptitudinem ab operatione tẽperare.

An verò in singulis membris apta sit sua natura operari, habeatque facultates, quibus operari possit, etsi non operetur; potest meritò dubitari; & multi ita esse contendunt. Verùm ne facultates eæ frustra & absque vllo vsu insint in plurimis partibus; & Aristoteli consentaneè magis loquamur, qui ex eo, quòd non adesset organum operandi, non semel argumentatus est nec facultatem adesse. Nam in tex. 50. lib. 2. de Cœlo astris non fuisse à natura datam progrediendi facultatem: & in tex. 44. lib. 3. huius operis de anima, plantis non inesse facultatem mouendi se loco, hoc argumento persuasit, quòd nec astra nec plantæ propria huius motus habeant instrumenta. Et verò etiam Peripatetici; inter quos Simplicius, & Philoponus tex. 19. & 20. exponentes quasdam quidem facultates ostendunt per vniuersum corpus simul esse diffusas, quasdam tamen addunt in determinata parte atque à cæteris seorsim residere: vt facultatem videndi in oculo, & audiendi in aure. Probabilius erit affirmare, facultates non oriri ex anima nisi quatenus ea est in eiusmodi organo, per quod operari queat: in reliquis partibus solam esse sine facultatibus & operatione substantiam. Anima enim non dat esse corpori, nisi iuxta illius dispositionem; & cùm possit dare duplex esse, tum essentiale, tum operatiuum; maiorique opus sit apparatu ad esse operatiuum: corpori quidem vniuerso dat esse essentiale, sed illis duntaxat partibus esse operatiuum, quæ satis fuerint ad operandum præparatæ. Vt enim variæ sunt facultates, ita variam postulant temperationem, variam dispositionem & organizationem corporis. Itaque cùm det esse essentiale tribuendo seipsam, esse autem operatiuum adducendo facultates: substantia, quæ origo est & fons facultatum, partibus quidem omnibus tribuitur, at facultates quibusdam solùm ad operandum comparatis. Hoc ipsum ostendit operationum multitudo, quæ in animalibus futura erat. Neque enim fieri poterat; vt eodem omnes membro exercerentur. Quare vt membrorum multitudo necessaria fuit; ita æquum videbatur, vt diuersitas facultatum in plura membra distribueretur, nec eæ nisi membris optimè ad operandum comparatis tribuerentur.

Quamobrem etsi cor fuerit à natura fabricatum velut facultatum omnium principium, illique vni concessæ fuerint facultates omnes, propter illum scilicet ordinem ad vnum, qui tum in hisce omnibus actionibus, tum in quouis bene instituto regimine erat necessarius: ab hoc tamen membro non nisi vna vitalis facultas maximè omnium necessaria, & quæ alias plurimùm iuuare poterat, immediatè exercetur: reliquæ per alia quasi vicaria membra. Cæterùm de facultatibus animæ post disputabitur. Iam modum explicando, quo ea sit actus corporis hæc eam ob causam dixi, vt intelligeretur esse actum essentialem totius corporis, & singularum partium. Verissimè tamen in corde potissimùm agnosci, tum ratione esse essentialis, quia primum formatur; tum ratione esse operatiui, & principatus, quem in omni actione debuit obtinere. Ad alias grauiores difficultates progrediendum est.

Quàm est omnibus certum, omnem animam simplicem esse naturam, quæ in partes essentiæ non diuidatur; sed tanquam totum potestate in plures tribuatur facultates: tam est incertum ac dubium, an in extensionis & quantitatis partes diuidi omnino possit. Etsi enim omnis forma, dum per se consideretur, impartibilis est; quoniam quantitas & extensio materiæ propria est: disputatur tamen in scholis, an vt reliquæ naturales formæ, dum ponuntur in materia, cum illa extenduntur, vnamque sui partem habent in vna materiæ parte, alteram in altera; vt in plures quoque partes diuidantur, & verò etiam in illis conseruentur: sic anima dum est actus corporis quanti, eandem quantitatis & partium rationem induat; an impartibiliter potiùs & absque extensione totum corpus & singulas partes tota perficiat.

Tribus autem modis possumus hac de re philosophari. Aut enim animam omnem impartibilem esse affirmabimus; aut omnem constituemus esse partibilem; aut aliquam demum partibilem esse,

esse, aliàm impartibilem existimabimus. Omnem animam impartibilem esse, affirmauit planè Mar- *Prima sententia.* silius Ficinus in 6. lib. de Theologia Platonis, Platone, Plotinum, & Porphyrium aduocans suæ sententiæ patronos. Sic tamen inter cæteros visus est sentire Plotinus in libro, cui titulus est, Quid animal, quid homo; & in libro de essentia animæ. Immò fauere auctoritas Aristotelis in tex. 35. & 36. prioris lib. de ortu & interitu, in accretione asserentis manere idem viuens ratione formæ, materiam cum quantitate mutari. Si enim continenter fluat materia, eademque persistat anima, impartibilem eam esse oportet. Nam si cum materia esset extensa, dum materiæ partes mutantur, formæ quoque mutatio consequeretur.

Contra pugnarunt Alexander, Petrus Pomponatius, & alij. qui animam omnem cum materia extendi & partibilem esse iudicarunt, si naturalis ratio & Aristotelis auctoritas considerentur, in cuius schola est certissima propositio; omnis forma materiam formans est extensa extensione materiæ. Quique Alexandro posteriores fuerunt, sola fide ac religione tenere se dixerunt, animam nostram impartibilem esse & inextensam. Nam si Aristotelem consulas, respondebit is in tex. 78. lib. 8. phys. intelligentias propterea impartibiles esse, quòd non sint in materia: & in priore libro de ortu & interitu, accretionem fieri ratione formæ. Ex quibus planè deduci potest propositio illa, quam dixi, formam omnem, quæ est in materia, partibilem esse: & animam, ratione cuius fit accretio, extensam esse oportere; vt per diuersas partes acquiratur in accretione, atque in accedente materia producatur. Quòd si ratiocinari volueris; Omne, quod recipitur, ad recipientis modum recipitur: quare cùm anima quælibet in materia quanta & extensa suscipiatur, eam quoq; necesse est quantã & extensam fieri. Deinde viuentium omnium partes abscissæ viuunt aliquandiu. Quod in plantis & bestiis manifestum est. In homine autem ex eo cognosci potest, quod de S. Pauli capite traditum est, quod à reliquo corpore separatum iterum ac tertiò saltauit & loquutum est: deque Areopagita Dionysio, qui caput suum abscissum ad duo miliaria manibus gestauit: neque negari potest abscissam manum atque à reliquo corpore separatam moueri pauliſper. Accedit, quòd si impartibilis esset vlla anima, totaque in singulis partibus reperiretur; singulæ partes essent animal, aut etiam homo. Totam enim haberent formam, à qua & animal & homo nominari possent. Denique si in singulis partibus esset tota, eadem numero forma in diuersis esset subiectis. Ex quo illud consequeretur, vt anima moueretur simul & quiesceret: aut etiam contrariis eodem tempore motibus agitaretur. Quippe fieri posset & fit persæpè, vt vnum corporis membrum altero quiescente moueatur; aut vnum moueatur sursum, alterum deorsum.

Cæterùm S. Thomas, & qui eum sequuntur, plantarum & imperfectorum animalium animas partibiles & extensas esse constituerunt; impartibiles autem & inextensas perfectorum animalium, tum hominis, tum mutorum formas. Quæ Alberti quoque ad calcem primi libri de anima videtur fuisse sententia. Nam vt animæ substantiam non in toto corpore, sed in solo præcipuo membro posuit: ita non aliam, quàm facultatum, diuisionem agnouit; substantiamque in illo membro impartibilem esse voluit. Etenim in cap. 1. lib. de iuuentute & senectute, & in cap. 5. lib. de incessu, imperfectorum animalium animæ ita extensæ & partibiles esse dicuntur, vt multa quodammodo animalia in vnum coaluisse videantur: perfecta verò animam habere quàm maximè fieri potest vnam. Neque enim illorum partes diuisæ vitam ac sensum retinent. Atque de extensa qualibet forma verè pronuntiatum est in tex. 80. lib. 8. phys. quò fuerit in maiori corpore, eò maiorem illius esse virtutem. Quocircà cùm exploratum habeamus, animalia grandiora non semper maiorem habere virtutem, sed minorem interdum; vel etiam in eadem specie robustiora maioribus esse illa, quæ minora sunt: concluditur tandem, eorum animas cum corporibus nequaquam extendi. Quòd si quis doleat, non maiorem intelligenti animæ, quàm mutorum formis perfectionem concedi; intelligat is eandem quidem impartibilitatis conditionem esse, sed in eo planè diuersam, quòd intelligens anima non pendet à materia, cæteræ omnes necessariò pendent.

Itaque quatuor formarum genera distinguenda erunt: duo minimè extensa cum materia, totidem prorsus extensa. Primum & præstantissimum omnium est intelligens anima, per se subsistens, minimèque à materia pendens. Alterum continet reliquorum animalium perfectorum animas: quarũ natura pendet quidẽ à materia, sed ita significat ordinẽ ad vniuersũ corpus, vt nullo modo singulas partes seorsim sumptas respiciat: & ideò nec in illis diuisis cõseruatur. In tertio genere sunt animaliũ imperfectorum atque adeò plantarum formæ; quæ per se primùm respiciunt totum corpus, deinde singulas partes, & in illis item separatis consistunt. At quoniam non eas primùm respiciunt, absolutè eas non nominant, sed velut alterius partes. Nec enim plantæ pars abscissa vocatur planta, sed plantæ pars. Quartum denique & vltimum formarum genus formas habet purè naturales elementorum & mistorum inanimorum: quæ tam totam aliquam materiam, quàm singulas eius partes primùm respiciunt & nominant. Æque enim partem aquæ aut ligni dicimus aquam aut lignum, ac tota aqua totumque lignum dicatur. Hæc fermè viri docti excogitarunt.

Ego verò in tertio quidem Philosophandi modo consistendum puto. Sed tamen alia prorsus ratione. Vt enim intelligentem hominis animam inextensè atque impartibiliter in corpore esse non dubito, totam in toto, & totam in qualibet parte: sic reliquas omnes animas & formas extensas & partibiles esse aio, totas in toto corpore, at non in partibus singulis; quin singulas potiùs earum partes singulis esse materiæ & corporis partibus distributas. Hoc plerique senserunt, non latini modo, sed & Græci Aristotelis interpretes, atque Auerroës. Tametsi Auerroës intelligentem animam noluerit esse formam homini dantem esse: quod mihi nunc ab illo esse partibilem; aut aliquam demum partibilem

Plantarum & mutorũ animae extensae & partibiles esse.

concedi postulo, certam præter ea, quæ superiùs A
proposui, opportuniore loco demonstrationem
allaturo.

Sanè non omnem animam inextensam esse &
impartibilem, aperta oratione docuit Arist. in
tex. 68. & 93. lib. 1. & tex. 20. huius 2. vbi plan-
tas & animalia plura viuere confirmauit, etsi
plures in partes diuidantur. Quod tum in ab-
scissis plantarum ramusculis plantatisque aut in-
sertis perspicere licet, dum in magnas arbores
adolescunt. Tum in vermibus, lacertis, & an-
nulosis cæteris. Tum vt habet Themistius in cap.
35. libri primi, in piscibus, qui in partes diui-
si tam strenuè adhuc mouentur, vt manibus re- B
tineri nequeant. Sed plantas inquit Philosophus
posse abscissas multo tempore viuere, quòd vbi-
que habeant os potestate, quo accipere possint
alimentum. Et ideò si plantentur, radices mit-
tunt: si inferantur, facilè cum alia arbore co-
pulantur & adolescunt. Animalia nequaquam.
Quæ tamen ipsa tandiu mouentur, vt illorum
partes necesse sit habere animam: siquidem tam
diuturnus motus in solum vitalem spiritum re-
ferri non potest, qui recedente anima mox eua-
nescit. Sentiunt quoque illæ partes tactæque do-
lent & refugiunt: quod sine anima esse non potest.

Cæterùm non plantarum modò atque im- C
perfectorum animalium, sed perfectorum quo-
que mutorum conditionem eandem esse, om-
nemque omnino animam ex materiæ potestate
eductam extensam & partibilem esse cum mate-
ria; non modò visus est idem Philosophus signi-
ficare. Tum in tex. 49. lib. 6. phys. cùm for-
mam omnem, quæ est in materia (ita scilicet,
vt materialis sit & educta ex materia) partibilem
esse partitione materiæ asseruit. Tum in tex. 78.
l. 8. dum in ea, quam attulit demonstratione,
hoc idem accepit. Neque enim dici potest, eum
de solis imperfectorum formis fuisse loquutum; D
quoniam intelligentiam perfectissimam naturam
haudquadquam in materia non esse probasset.
Tum verò in cap. 5. lib. de animalium incessu
animalia insecta scripsit posse in partes diuisa
multo tempore viuere, & moueri sicut anteà
mouebantur; sanguine prædita non posse. Quo
loco animaduertendum est, eum quidem fa-
teri vel horum ipsorum animas diuisas viuere;
at breuissimo tempore. Immò diuersitatis hu-
ius rationem exponens, quòd insecta multas
quasi animas iunctas habeant, sanguinea sint ma-
ximè vna; hoc est partes habeant maximè conne-
xas atque ab vno principio pendentes: satis aper- E
tè in his item animabus multitudinem partium
indicauit. Nam si impartibiles essent & inexten-
sæ, an non meliùs respondisset, nullo tempore
viuere hæc animalia, quòd impartibilis sit eorum
anima, neque in abscissis partibus vlla remaneat?

Verùm Galenus in cap. 3. lib. 6. de Hippocratis
& Platonis decretis cor à reliquo corpore exem-
ptum moueri & naturalem suam functionem
seruare posse scribit. Et Aristoteles in libro de Iu-
uent. & Senect. cap. 1. testudines auulso corde mo-
ueri. Et Themistius pisces proponit, non imper-
fectissima animalia; & alia quædam, quæ capite
truncata palpitent: & Auerroës in commenta-
rio 4. lib. 7. physic. arietem se vidisse testatur
amputato capite multoties ambulasse; atque ex
Galeno refert, posse animal auulso corde duos
passus incedere. Quod Aristoteles in cap. 10. lib.
3. de partibus animalium fatetur; & velut à ma-
iori probans, Nam ea, inquit, quæ sanguine ca-
rent, vel viuere diutiùs possunt truncata capite.
Quo loco non solùm planis verbis affirmat, ani-
malia quædam, quæ capite absciso diutiùs vi-
uunt, animam habere partibilem: sed etiam si
animalium perfectorum animæ impartibiles es-
sent, non eam explicasset rationem, cur ampu-
tatum caput non loquatur; quoniam præcisa est
arteria; sed illam potiùs, quia non remanet in
illo anima.

Iam verò cur hæ omnes animæ cum corpo-
re extendantur, hæc est necessaria prorsus ratio:
quoniam educuntur & accipiunt esse, & ideò
perpetuò pendent, ex quanta & extensa mate-
ria. Cum enim omnes materiæ partes dispositæ
sint & potestate ad eam formam, cunctæque à na-
turali agente alterentur & mutentur; ex singulis
pars quæpiam formæ educitur. Agentis quo-
que actio, qua hæ animæ producuntur, extensa
est & partibilis. Quare ipsas item animas, quæ
per eam ex materia eruuntur, eiusdem conditio-
nis esse oportet. Et vt ratione diuersarum par-
tium educuntur & accipiunt esse ex diuersis ma-
teriæ partibus, ita in illis sint & conseruentur
necesse est: quippe eandem materiam actuat vna
quæque forma, ex cuius potestate educitur. Ne-
que alia est ratio, cur ignis forma aut naturales
cæteræ extendantur & cum materia diuidantur; nisi
quòd ex materia extẽsa & ratione diuersarum par-
tium ex diuersis eius partibus eductæ fuerũt. Quòd
si quę horum animalium anima inextensa esset &
impartibilis; nõ magis in vna corporis parte, quàm
in alia, haberet esse: posset igitur ab hac & ab illa
atque adeò à toto corpore separari atque immor-
talis per se cohærere: quamadmodum de anima
nostra Philosophamur.

In eo verò discrimen quodpiam cernitur, quòd
plantarum anima diutissimè potest in diuisis parti- Anima
bus conseruari; bestiarum formæ non possunt. plantarũ
Etenim nutriendi vis per omnes partes in plantis diuisa
diffusa est; nec eæ exquisita indigent corporis orga-
ni ratione, aut magna partium diuersitate. Quod
Aristotelis illud significauit, cùm plantas abscissas
dixit viuere, propterea quòd vbique habeant os,
quo alimẽtum sumere ac nutriri possint. At in ani-
malibus sentiens anima conseruari diutiùs nequit,
quòd dispositiones plures, oganizationemque per-
fectiorem postulet: præsertim verò membrorum
omnium pendentiam ab vno primo, in quo vitæ
principiũ residet. In anulosis tamen & exanguibus
aliquantisper conseruatur. Quoniã cùm imperfe- Animã
ctiores sint dispositiones, minorque partium pen- bũ im-
dentia ab vno (non enim est in illis cor, sed cordi perfe-
quidpiã analogũ, humor per totam illorũ longitu- ctorũ
dinẽ extensus) sunt animalia minimè vna, & quæ ab vna.
Aristotele dicantur esse multa simul iũcta. Propte-
rea possunt in multa diuidi, si non per longum, sed
per latũ ita diuidãtur, vt in singulis partibus aliqua
illius humoris veluti principis membri pars rema-
neat. Denique in iis, quæ perfecta sunt & sanguiné
habent, perfectissima est dispositio & organizatio,
summaque vnitas & pendentia. Habent tamen
cor cum arteriis & venis, quibus quasi funiculis
partes omnes cum principe membro colligan-
tur: & veluti canalibus ab eo virtus omnis
deriuatur in omnes, ac præsertim vitalis virtus

per

per arteriarum pulsum. Itaque diuisa non viuunt; quia tum virtutes cæteras, tum maximè vitalem non recipiunt à corde. Hinc est, quòd non semper animalia grandiora maiorem habent virtutem. Nam cùm eorum virtus à corde & verò etiam à capite deriuanda sit; quò grandius est corpus, eò magis dispersa & imbecilla virtus; quæ in minori corpore est magis vnita & fortis, quòd membra omnia minus ab eo principio distent, à quo virtutem hauriunt.

Cur grādiora animalia nonsemper robustiora.

Postremò ex his omnibus manifestum est, in plantarum ac mutorum omnium nutritione atque accretione partem semper aliquam animæ nouam gigni, atque ex aduentitiæ materiæ potestate educi. Alioqui anima, quæ materiæ partē illam actuaret, minimè ab ea penderet, essetque abstracta & separabilis. Quomodo autem idem semper viuens maneat secundùm formam, exponam eo loco, in quo de accretione dicetur.

Hæc de animalibus materialibus atque ex corporis potestate eductis affirmantur verissimè. At de intelligente, quæ aliud est animæ genus, aduenitque extrinsecus, & tanquam perpetuum à mortali differt à cæteris; secus omnino sentiendum est. Nimirum ea impartibilis prorsus est & inextensa. tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Hoc Aristoteles planè confirmat in tex. 48. & 92. lib. primi, vbi aduersus Platonem intellectum, quem ille ponebat in capite, ostendit esse impartibilem, nec certa vlla corporis parte contineri. Et in tex. 51. lib. 12. Metaph. omne, inquit, non habens materiam impartibile est, quemadmodum humanus intellectus. Si enim reliquæ omnes formæ verè probantur esse partibiles: quia sunt in materia, atque ex illius potestate eductæ: licebit quoque verè concludere, impartibilem esse animam nostram; quòd immaterialis sit & nequaquam ex corpore producta. Quemadmodum & in tex. 78. lib. 8. physic. intelligentiæ reliquæ demonstrantur impartibiles esse, quia sunt immateriales. Etenim extensio, ac partitio non conuenit rebus, nisi propter quantitatem: quare nec formis inest, nisi propter materiam, cuius affectio quantitas. Ita fit, vt æ duntaxat extensæ euadant & partibiles, quæ ex eius potestate germinarunt. Anima nostra aliunde aduenies impartibilitatem suam tuetur, nec materialem vllam imbuit conditionem. Quapropter quemadmodum si quępiam alia intelligentia copularetur cum materia, vt ipsa cum cœlo coniungitur; impartibiliter planè copularetur, reque ipsa copulatur: sic de anima nostra cogitandum est, quæ & immaterialis & per se subsistens est, vt intelligentiæ cæterę. Itaque propositio illa, quam tanquam certam accipiunt aduersarij; Omnis forma formans extensa est cum materia; falsa est, nec vnquam à philosopho cogitata. Animeque definitio, quam Plotinus exposuit in lib. 1. 2. & 4. Æneadis 4. Anima est essentia, partibilis item & impartibilis; soli animæ intelligenti conuenit. Partibilis enim quoquo modo videtur, vt omnibus adest corporis partibus, omnes perficit, atque omnibus vt instrumentis vtitur: impartibilis autem, vt ab illis minimè pendet, tota singulis adest, suamque habet operationem corpori non communem. Nō enim idcirco extenditur forma, quòd formet & det esse; sed quòd ex materiæ potestate eruatur. Quare si quæ forma naturam suam aliunde habeat, atque ad formandam materiam forinsecùs accedat; quę-

Intelligentem animā esse tota in toto corpore, & singulis impartibilis.

A admodum immaterialis est & minimè pendens à corpore, sic impartibiliter & absque extensione formabit. Neque enim hoc distinguitur formans forma ab assistente, quòd illa sit alligata materiæ & cum ea extensa; hæc minimè. Sed eo potiùs, quòd illa intimas omnes materiæ partes & penetrat & perficit; atque ita vnitur, vt det esse: & si sit substantiæ forma, faciat vnum per se coniunctum: hæc autem exteriores duntaxat tangat partes, aut si interiores quoque peruadat, vt cœlestis intelligentia; solum motum atque operationem quampiam adferat. Et quotquot aduersus hanc veritatem fuerunt ab illis congesta aut congeri possunt
B argumenta, vana omnino sunt, & ex falso ducta principio; deque ea sola forma concludunt, quæ materialis est & ex materiæ potestate pullulauit: de immateriali atque extrinsecus adueniente anima nostra omnino nihil. Posse autem esse formam formantem ex materia minimè eductam; tum de anima nostra suo loco demonstrabitur; tum ex eo nunc intelligi potest, quòd formantis formæ vis in eo per se cernitur, vt formet, det esse, perficiat: non item in eo, vt accipiat esse ab eo, in quo suscipitur. Immò hoc accidentarium est, atque ex formæ imperfectione profectum; potestque à generali formæ ratione separari.

C Prior hæc argumentatio hactenus explicata duo prorsus demonstrat. Alterum id, quod queritur; intelligentem animam impartibiliter esse in corpore. Alterum, quantitatem solius materię affectionem esse. Nam si ea compositum iam constitutum consequeretur; intelligens quoque anima, que humani compositi pars est, non minùs quantitate illa extenderetur, quàm extendatur materia.

Alteram addo argumentationem non minùs fortasse necessariam. Si hęc anima esset partibilis, esset item mortalis: quàm igitur est certum eam esse immortalem, tam esse debet esse impartibilē.
D Etenim dum humani corporis pars quępiam abscinditur, quid fit parti illi animę, quę in ea corporis parte esse dicebatur? si interit; cùm anima tota eiusdem sit rationis, interibit tota. Sin autem permanet; aut ea ad reliquum corpus recedit, aut per se separata subsistit. Posterius hoc nequaquam dicendum est; quoniam in infinitas partes incorruptibiles & per se subsistentes eadem anima diuideretur; atque vna in innumerabiles dissolui posset. Quòd si ad reliquum corpus sese recipiat; mitto quòd ipsa per se sola moueretur loco, ac de subiecto in subiectum migraret: essent in eadem materia duę partes distinctę eiusdem formę. De accre-
E tione & decretione eodem modo argumentari licet. Aut enim dum augetur homo, nouam animam produci oporteret, quę accedentem formaret materiā: aut eandem animā locali motu sese dilatare, eandemque illius partem diuersas materię partes perficere. Et rursum dum decrescit, aut interire deberet, aut sese contrahere. Potiùs autem credendum est impartibiliter eam incipere ac desinere formare materiam, absque vlla sui aut productione aut interitu, locive, aut subiecti mutatione.

Sed quoniam in re certa ac palam posita versamur, tertiā duntaxat argumentationē subiiciā, quæ ex cognitione & libertate animæ nostræ ducitur. Scimus eā non materialia modò & sensata singula, sed vniuersas quoque naturas, atque intel-

ligentias ab omni abiunctas materias cognoscere; seseque supra seipsam conuertere, & naturam, atque operationes suas contemplari; atque in omni actione summa libertate frui. Hæc fieri minimè possent, si ea partibilis esset & extensa cũ corpore. Quæ enim alia cogitari potest ratio, cur sensus nec seipsum, nec suam operationem cognoscat: nec res item vniuersas & immateriales comprehendat: neque omnino materialis vlla forma in seipsam operetur? nisi quia materiales cùm sint, extensæ & ligatæ sunt cum quantitate materiæ, quæ nullam prorsus conuersionem admittit. Si igitur anima nostra alligata esset materiæ, atque cum ea extensa, nunquam posset ab illius conditionibus & individuis proprietatibus liberari, atque ad vniuersas & immateriales res sese erigere. Nec demum se conuertendo, seipsam suasque operationes magis cognoscere, quàm sensus possit, aliaue quæpiam materialis forma. Denique libertas omnis periret, ea sic materiæ, & quantitati alligata.

Argumentis respondetur.

Ita fermè animæ nostræ impartibilitas demonstratur. Quæ verò secus suadebant, nullo negotio dissoluuntur. Nam pulchrè quidem & necessariò probauit Arist. intelligentias impartibiles esse, quia non sunt in materia: quippe tota causa, cur forma sit partibilis, materia est. Non tamen licet argumentum reciprocare, formam probando partibilem esse, quod sit in materia. Non enim est satis, vt quouis modo sit in materia: sed ita oportet esse, vt in illa inhereat, aut inexistat, indeque accipiat esse. Sic enim demum omnes materiæ conditiones induit. Quod igitur in materia non est, impartibile prorsus est; quoniam procul abest ab eo, quod extensionis & partibilitatis principium est. At non quidquid est in materia, statim partibile est. Quia quodam modo esse potest, quo materiæ conditionibus non inquinetur. Ita & motrices cœlorum intelligentiæ, & anima nostra, etsi quoquo modo sint in materia; illæ vt mouentes; hæc vt formans & dans esse: quoniam tamen non sunt eo modo, quem dixi, nec quidquam accipiunt à materia; partibiles nequaquam euadunt.

1.

2. Cùm autem dixit, Accretionem fieri ratione formæ; quid sibi verbis hisce voluerit, ibi exponã, vbi de accretione dicam. Interim errant aduersarij, dum ex eo loco argumentantur, nouas animæ partes in adueniente materia produci; quemadmodum in cæteris animabus euenit. Hoc solum verè affirmabimus, præexistentem animam tunc de nouo dare esse aduentitiæ illi materiæ.

3. Omne, inquiunt, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Esto. Sed præterquàm quòd materia est incorruptibilis, nec tamen formæ, quæ in ea susciptiuntur, incorruptibiles euadunt: aut illud verum est de illis duntaxat formis quæ ita suscipiuntur in materia, vt ab illa hauriant naturam suam. Hæ enim propriè dicuntur in materia suscipi. Aut si de anima quoque nostra intelligendum esse contendant, non erit omni ex parte verum: sed ex ea sola, vt quemadmodum id, in quo suscipitur, permultas habet partes; sic anima in eo susceptа non in impartibili quopiam susciatur. Sed vt illud est totum aptum ad suscipiendum esse ab anima; ita hæc in omnibus illius partibus suscipiatur, totumque corpus & omnes partes perficiat.

4. Aliquam porro hominis partem abscissam, atque à reliquo corpore separatam nonnihil interdum moueri, certum est. At non ideò mouetur, quòd in ea vigeat anima: sed quoniam vitalis aut animalis spiritus, qui parte illa continetur, impulsum accepit quempiam, aut dum abscinderetur, aut potiùs ab hominis, cui pars abscissa est, imaginatione. At vbi spiritus euanescit, cessat motus. Quod autem de SS. Pauli & Dionysij capite proditum est; non est in naturalem, sed diuinam causam referendum. Negaret enim Philosophus in cap. 10. lib. 3. de Partibus animalium, caput amputatum posse loqui, cùm arteria careat & pulmonibus. At nunquid insectorum quoque animalium motum referemus in spiritum? Nequaquam, quoniam is motus diuturnior est. Et præter motum sentiunt, & refugiunt, dum tanguntur: quæ non nisi ab anima proficisci queunt.

5. Dum verò tota intelligens anima in singulis partibus esse affirmatur, non licet colligere, earum quamlibet posse hominem appellari. Quoniam homo non solam significat animam; sed corpus quoque organicum integrum & perfectum ad integri hominis naturam pertinet. Quare si vnam aliquam partem consideres, eam ex corporis, non animæ, defectu minimè hominem appellabis. At vide, an dum anima tota est in pluribus partibus, eam esse in pluribus subiectis affirmare velis. Mihi quidem certè definitè & tanquam in integro & adæquato subiecto, in toto duntaxat corpore videtur esse; in singulis partibulis non nisi tanquam in locis & subiectis partialibus; quæ sanè plura esse possunt. Non erit hoc loco incongruum ex S. Augustino in libro de Spiritu & Anima cap. 18. & 35. ad huius rei explicationem exemplum Dei proponere, qui & in toto mundo, & in singulis eius partibus adest totus. Sed quoniam Deus propter naturæ immensitatem dici non potest esse definitè in mundo; accommodatum magis erit exemplum cæterarum intelligentiarum, quæ cœlum aut aliud corpus mouent. Nam in eo toto definitè sunt & adæquatè: & cùm impartibiliter sint, totę item sunt in singulis partibus.

Exemplũ Dei quomodo sit in partibus mundi.

6. Denique anima, inquiunt, eodem tempore mouebitur & quiescet; motibusque agitabitur contrariis, dum vnum membrum altero quiescente mouetur, aut vnum in vnam partem, alterum in oppositam impellitur. Id vero ego illis libenter concedo. Fieri enim omnino quidem non potest, vt idem eodem modo consideratum aut moueatur simul & quiescat, aut contrariis simul & pugnantibus motibus agitetur. At si alio atque alio modo sese habeat, nihil prohibet, & persæpe necessarium est. Eadem igitur anima in eadem corporis parte simul illa præstare non potest: at ratione diuersarum partium cur moueri non possit, dum vna pars mouetur, & altera quiescente quiescere; surſumque item & deorsum moueri? etenim idem quoque corpus ratione diuersarum partium eodem modo afficitur.

Vtrum anima vnius corporis sit vnus actus.

Animam igitur ita ostensum sit esse actum corporis essentialem. Quod autem quæritur, num vnius an plurium corporum eadem anima possit esse actus; nullam habet in stirpibus & mutis difficultatem. Quoniam cùm eorum animæ ex materia educantur, nec ab ea separari possint; manifestum est, tot in illis animas esse oportere, quot materiæ & corpora diuersa sunt: neque posse vnam animam nisi vnius determinati corporis, ex cuius potestate educitur, esse actum.

Tota difficultas est de anima nostra, quæ cùm ex

ex materia nõ producatur, sed accedat aliũde, possitque à corpore separari; difficultatem nimirum adfert, tum eo ipso tempore, quo est in corpore; tum eo maximè, quo separatur. Nam cùm aduenìat extrinsecus, potest fortasse cum multis simul corporibus copulari: & dum ab aliquo incolumis & superstes abit, quidni migrare possit ad aliud: & & si non simul, successiuè saltem fieri plurium corporum actus?

Vidit quidem Plato in Timæo & Phædone, & pluribus aliis in locis, eam plurium simul corporum actum esse non posse, sed in singulis singulas esse oportere. Quam ob causam in Timæum Proclus com. 1. Deos dixit ἀχώτους. 1. sine determinatione sortiri corpora; animas verò μὴ ἀχώτους. 1. cũ determinatione ad certa corpora; neque posse vnam animam plura inhabitare corpora, vt Deus vrbes plures. Non tamen propterea voluit eas multiplicari, quemadmodum corpora multiplicantur: sed cùm animas crederet corporibus esse antiquiores, quòd obtemperantibus illis essent imperaturæ; æquiusque sit, vt iunius obtemperet antiquiori, quàm contra: eas constituit multiplicari seipsis; non per ordinem ad corpora, sed per suas proprias subsistentias. Certo tamen & determinato numero. Et ideò in diuersa migrare corpora: idque præsertim ad purganda crimina atque delicta, quæ in prioribus corporibus admisissent. Vnde apud Platonicos libri de animarum ascensu & descensu, Neque in humana modò, sed bestiarum quoque corpora migrare affirmauit, vt in priore corpore grauius aliquid deliquissent. Sic enim loquitur in Phædone. Eos qui ventri, petulantiæ, gulæ dediti vitam egerũt; neq; quidquã pensi pudorisque habuerunt, decens est asinorum formas & eiusmodi brutorum subire. Qui verò iniurias, tyrannides, rapinas præ cæteris sequuti sunt, in luporum, accipitrum, miluorum genera paresť per transire. Abeunt enim in genera quælibet, quibus in vita mores similes contraxerunt. Eadem ante Platonem Pythagoræ fuit sententia quam in tex. 52. libri 1. fabulam Aristoteles appellauit: & nonne fabulosum est quod de illo narrat Max. Tyrius in ser. 28. quod in Palladis templum ingressus, clypeum appensum intuitus, clypeum dixit agnosco meum, quem mihi interfector meus abstulit in Ilienſi pugna? In eo autem scriptum erat, Menelaus ab Euphorbo: in quo scilicet Pythagoræ antea fuisset anima. Quanquam non desunt, qui Pythagoram dicant non hoc sensisse ita euenire; sed vt homines à peccatis auocaret, eo modo fuisse loquutum.

Animarum migratio.

Inter Peripateticos celebris est Auerrois opinio, vnicum intellectum hominibus omnibus simul assistere. Immò & recentiores aliqui vnicam intelligentem animam omnium formantem formam esse docuerunt.

Cæterùm animarũ illa migratio risu semper fuit excepta potiùs, quàm rationibus confutata. Tribus tamen potissimùm argumentis reiicitur. Primum, quia cùm anima sit ea forma, quæ constituit, dat esse, & distinguit animata corpora; si eadem sit plurium hominum anima, homines illi nequaquam distinguerentur. Sed quemadmodum vnam haberent formam, sic vnus & idem numero essent homo. Præsertim cùm voluerit Plato animam esse totam hominis essentiam & naturam, corpusque vehiculum animæ & instrumentum. Et hæc quidem ratio naturæ principiis nititur. Altera certissimis Christianæ fidei nostræ decretis. Cùm enim certissima fide sciamus futuram aliquando nostrorum corporum resurrectionem; qua redibunt iidem homines, qui antea fuerunt: si vna fuisset diuersorum corporum, atque hominum anima; nequaquam ijdem homines resurgere possent. Sed aut illi duntaxat reuiuiscerent, qui numerum illum animarum explerent: aut vt omnes resurgerent, creari nouas animas oporteret, quæ plurima corpora occuparent. At nisi eandem habeant formam & animam, non erunt iidem homines. Postremò certum est, homines singulos animamque vnamquamque post generalem illam corporum resurrectionem condigna aut præmia aut supplicia reportaturam; prout vna quæque gessit in corpore, siue bona, siue mala. Iam si vna anima in corporibus pluribus fuerit, atque in vno meruerit præmium, in alio supplicium; quid tandem de anima illa ab æquo iudice statuetur?

In schola autem Peripatetica grauiter quidem peccarunt illi omnes, qui vnum in cunctis hominibus intellectum posuerunt: sed illi multò grauiùs, qui formantem eum dixerunt. Etenim faciliùs est, minusque cum ratione pugnans, vnam & eadem assistentem formam corporibus pluribus operationem tribuere, quàm formantem vnam dare esse. Sed quoniam hoc ad eum locum pertinet, in quo de intelligente anima disputandum erit; obiter nunc lectorem monebo, longe aliam Aristoteli fuisse sententiam. Vnam scilicet animam, seu formam, quæcunque illa sit, nec simul, nec successiuè posse esse nisi vnius corporis aut materiæ actum. Nam in tex. 2. formam & animam quamcunque scripsit esse id, per quod res est hoc aliquid 1. substantia perfecta & indiuidua, quæ demonstrari possit. Et in tex. 7. rem vnamquamque per actum maximè esse vnã. Tot igitur animæ, quot indiuidua. Quale in tex. 24. & 26. animam dicet esse actũ determinati corporis. Quoniam actus & potestas sunt relata; neque actus suscipitur nisi in propria quapiã materia aptè ad eum suscipiendum dispositа. Vnaquæque igitur anima non nisi in vno corpore dispositо suscipi potest: siue ea educatur ex materia, siue aliunde accedens cum ea coniungatur. Quoniam vt ad eductionem, sic ad vnionem certè quædam dispositiones necessariæ sunt. Verùm de hoc alibi pluribus. Nunc de iis, quæ omni animæ communia sunt.

Tertia Digressionis Pars. De formarum multitudine in eodem corpore.

Quid de formarũ multitudine senserint alij. 1.

ESt autem multò difficilius constituere, an quemadmodum vna anima non nisi vnius corporis est actus; ita etiam in vno corpore non nisi vna sit anima; an verò plures simul reperiãtur. Et quoniã vniuersa hæc disputatio de pluralitate formarũ in eodẽ compositо perdifficilis est & obscura; attingam ea omnia, quæ ad totum hoc caput pertinent.

Fuerunt permulti & graues viri, qui nullo modo fieri posse crederẽt, vt in eadẽ materia plures simul inessent substantiæ formæ. Horũ ferè princeps, S. Thomas in opusculo 45. quod ad hanc sententiam persuadendã conscripsit; & in opusculo 2. cap. 90. 91. & 92. & in 2. li. contra gẽtes ca. 58. & in disputatis quæst. de Anima art. 9. & 11. & in prima parte

summæ quæst. 76. art. 3. & 4. & in interpretatione tex. 13. prioris libri de ortu & interitu, & tex. 4. & huius 2. li. de anima. Accipiunt enim tanquam certũ, superiorem formã virtute continere inferiorẽ. Quia quò perfectior est forma, eò magis est ens, magis vna, magis ad operandum efficax. Vt vna cùm sit, plures possit facultates atque operationes exercere. Quare vt superior forma perfectior est, ita inferiorum omnium perfectiones materiæ tribuere, atque omnes operationes potest absoluere: vt quæ in aliis pluribus dispersa, & diuisa reperiuntur, in vnica superiori vnita & in simplici entitate coniuncta cõtineantur. Itaque dum ea cõiungitur cũ materia, dat quidem illi esse substantiale simplex: in eo tamen perfectiones plures continentur, quæ propter dispositionum defectum non omnibus semper materiæ partibus tribuuntur; sed diuersis interdum diuersæ. Si n. formę illę sint inter se ordinatę, vt easdem requirant dispositiones, etsi paulò perfectiores: potest materia omnes illarum perfectiones susci pere, vt perfectionem elementi, misti, vegetantis, sentientis, intelligentis. Sin verò ordinatæ non sint, sed diuersas prorsus dispositiones postulent; diuersis partibus diuerso modo dispositis perfectiones diuersæ tribuuntur; vt carnis, ossis, nerui, & aliarum similium partium. Siue tamen in eodem, siue in diuersis materiæ partibus omnes illæ sint perfectiones, quæ plurium videntur esse formarum; ad vnam & eandem formam reuocantur. Ita illi de formarum pluralitate, seu potiùs vnitate philosophati sunt. Quam ob causam, dum anima definitur esse actus corporis, eam interpretati sunt esse actum corporis potestate, nõ actu; informis inquam materię. Posse tamen dici actum corporis actu; quia dum format, priùs dat corporis, quàm viuentis & animati perfectionem. Sic enim dum animati perfectio corporis perfectioni aduenit, verè dici potest anima esse actus corporis actu.

Reliqui omnes in eadem substantia composita plures agnouerunt formas. Et quidem Auicenna in cap. 2. lib. sufficientię duas omnino posuit; formam corporis generalem, quę à materia numquã separetur; & alteram singularũ specierũ propriam & separabilem. Quod ex antiquioribus quoque nostris Theologis sensere complures; qui in prima mundi molitione Deum dixerunt rudem materiã primùm creasse, extitisseque aliquandiu velut omnium elementorum Chaos, deinde singula fuisse distincta.

Sed præter illas in corporibus mistis formas quatuor elementorum integras & perfectas addidit Auicenna. Quam sententiã ab Auerroë confutatam legimus in cõmentario 67. lib. 3. de cœlo. Et quamuis apud Auicennam nullibi, quod sciam, apertis verbis reperiatur, ex plurimis tamen locis colligitur: quemadmodũ ex primo libro sufficiẽtię cap. 10. & ex prima Fen primi libri canonis doctrina tertia cap. 11. & ex tractatu 1. li. 2. cap. 1. & ex libro de medicamentis cordis tractatu 1. sub finem primi capitis, & ex prima parte canticorum tractatu 1. cap. de Hominum complexionibus, & ex lib. 12. de animalibus cap. 2. Quam ob causam & Vgo Senensis, & Iacobus Foroliuiensis, aliique eius interpretes eam tanquam auctoris sententiam ab Auerrois argumẽtationibus vindicare conati sunt.

Scotus verò in 4. li. sententiarũ dist. 11. quæst. 3. & qui eum sequuti sunt, elementa negantes in mistis esse actu, duas formas in specie completas asseruerunt in eodem composito esse non posse: sed vnicã in mistis inanimis esse mistionis formam; in viuentibus autem præter vnicam in singulis animam plures reperiri mistionis formas singularũ corporis partium proprias; formas inquam carnis, ossis, nerui, & cæterarum similium partium: & præter eas omnes aliam quandam communem, quæ & eas omnes contineat, & viuenti corpori adferat vnitatem. Hanc mistionis, corporeitatis, organizationis formam appellarunt.

Henricus quidem certè in Quodlibeto 2. art. 2. & Quodlib. 4. art. 13. in aliis omnibus vnicam concessit esse formam, quæ alias virtute contineat: sed duas in homine omnino inesse contendit; intelligentem animam, & corporeitatis seu mistionis formam. Diuersarum enim, inquit, mutationum diuersos oportet esse terminos: Quare cùm in hominis productione duæ cernantur mutationes, creatio, & ortus; vt anima est creationis terminus, sic ortus terminum aliam necesse est esse formam.

Gullielmus quoque Ochamus in Quodlibeto 2. quæst. 2. duas in homine formas posuit, intelligentem animam, & sentientem. Propterea quòd sentiens intelligenti contraria est; nec altera potest virtute in altera contineri, quòd earum altera materialis sit & mortalis, altera immaterialis & immortalis.

Peripatetici porrò in eo primùm consenserunt, vt in quolibet animimisto præter propriam illius formam quatuor esse voluerint fractas & temperatas elementorum formas. Deinde de viuentibus ita philosophati sunt, vt mistionis formas singularum corporis partium proprias posuerint; tum animam tanquam totius corporis actum, qui speciem adferat. Sed vnicam aliqui in singulis animam, alij duas in homine, sentientem, & intelligentem; seu cogitatem & intelligentem, alij solam in plantis vegetantem, in bestiis vegetantem & sentientem, in homine vegetantem, sentientem, intelligentem, vt omnino animas ita Philoponus sentire visus est in pëormio ad hos libros: etsi post in com. tex. 91. lib. 1. tres hasce animas velut vntus partes in vnam coniungi voluerit. Quod Simplicius quoque docuit in com. tex. 93. & 94. eiusdem libri, & com. tex. 40. libri 3. Alij demum ex recentioribus in plantis duas; vegetantem, qua viuant, & alteram determinatæ speciei, qua sit lactuca aut quercus specie à cæteris distincta. In bestiis autem & homine tres; vegetantem, qua sit viuens; sentientem, qua animal; & equinam aut caninam, qua sit equus aut canis specie à cæteris diuersus; & in homine intelligentem, qua homo. Quam sententiam acceperunt illi à Ianduno. Is. n. in quæstione 8. li. 7. phys. & quæst. 10. li. 2. Metaph. non in viuentibus solùm plures animas esse voluit; sed & in qualibet re composita tot substantię formas re distinctas, quot sunt attributa essentialia synonyma & per se primo modo; vt in homine esse substantiam, corpus, viuens, sentiens, intelligens. Auctor est Henricus, multos id suo tempore sensisse, affirmasseque ex illis omnibus formis fieri vnũ compositum per se; aut propter ordinem, quem omnes habent ad vnam vltimam formam, velut omnium absolutam perfectionem; aut propter mutuum illarum omnium nexum: quemadmodũ animalis corpus, quod pluribus partibus constat, propter illarum omnium coniunctionem est vnũ.

Itaque

Itaque ex his omnibus manifestum est, solis exceptis Thomistis reliquos omnes multitudinem formarum approbasse, & verò necessariam esse iudicasse: animamque constituisse actum corporis actu, non potestate.

Sed quoniam in difficili prorsus loco versamur, antequam meum iudicium interponam, operæpretium fuerit paulisper subsistere. Vt quoniam propter animas & viuentia potissimùm tota hæc disputatio susceptа est; quibus tandem rationibus concludi possit, tres animas esse in homine, videamus. Inde enim de cæteris iudicabitur.

Tres animas esse in homine quomodo ostendatur.

Est locus apud Arist. in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. in quo is exponens naturæ ordinem in humani fœtus formatione omnino affirmat, priùs in illo produci vegetantem animam, mox tempore procedente sentientem, tum demum intelligentem. Non enim, inquit, simul est animal & homo. Qua oratione manifestè tres animas tanquam distinctas formas produci testatur. Quod ex graui sanè Medicorum iudicio confirmatur. Affirmant enim illi, non simul, sed temporibus diuersis illas produci: optimeque cognoscunt, quando in abortu plantanimum periit, quando animal, quando homo. Immo Aristoteles ipse inter intelligentem animam & reliquas hoc voluit interesse: quòd hæ virtute seminis ex materiæ potestate educantur, illa forinsecùs adueniat. Accedit multiplex ratio. Etenim homo non minùs habet virtutem seminis, qua possit quidpiam sibi simile procreare; quàm habeant viuentia cætera. Nisi igitur virtus illa sit frustra, formam quampiam producit, qua filius patri sit similis. Quare præter intelligentem animam alia quæpiam producitur, in qua similitudo versetur. Alioquì dum gignitur homo, nulla substantia gigneretur. Præfuit enim materia, intelligens anima extrinsecùs accedit à solo Deo creata, totum coniunctum nullam rem significat à partibus suis diuersam, quæ substantialis ortus terminus esse queat: vnio demum partium accidens est, aut etiam relatio. Si quid igitur gignatur, aliquam oportet esse substantiæ formam ab intelligente anima distinctam, qua constituatur homo: quæque in hominis morte pereat, vt hæc ipsa sit verè interitus. Tum verò vt est in tex. 31. ita sunt animæ ordinatæ, vt superior sine inferiore nequeat esse. Quare nec sentiens in bestiis sine vegetante, neque in homine intelligens erit sine vtraque. Illud etiam magnum habet momentum, quòd essentialia attributa, & contradicentia ab vna & eadem forma nequeunt proficisci. Intelligenti autem animæ & reliquis attributa contradicentia conueniunt; vt esse materiale & immateriale, impartibile & partibile, immortale & mortale, non pendere & pendere à corpore. Vt illud, quod est in textu 26. lib. 10. Metaph. corruptibile & incorruptibile differunt genere, cum eo consentiat optimè, quod de intelligente anima dicetur in tex. 21. eam esse aliud genus animæ solamque posse separari tanquam perpetuum à mortali. Accedunt operationes, quæ ad inuestigandam formã naturali philosopho certissimum præbent Argumentum. Eæ namque ita produnt formas, vt quemadmodum ex operatione absolutè aliqua forma colligitur, sit ex multiplici & diuersa operandi ratione multiplex & diuersa forma cõcludi possit. Itaque cùm in homine varia prorsùs cernãtur operationum genera; nec intelligentium modò, sed sentientium quoque, & vegetantium: & quidem perfectissima; nil aliud ex illis concludet naturalis philosopus, quàm tres illas adesse animas operationũ illarum principia. Nam quod inquiunt plerique, inesse in homine superius quidpiam, quod inferiora virtute contineat, atque ab illo omnes illas operationes fieri: hoc ipsum est, quod in quæstione versatur; num omnes ab vna forma proficisci queant, an verò plures eas esse oporteat. Quare si operationes sunt argumentum formæ, plures potiùs ex illis re ipsa distinctæ concludentur; cum non minùs perfectæ in homine visantur vegetantis animæ & sentientis operationes, quàm in viuentibus cæteris, in quibus seorsim eæ reperiuntur à propria forma profectæ. Huc spectat pugna illa sensus & rationis, sentientis appetitus & voluntatis; quam singulis propemodum momentis in nobis ipsis experimur. Vnde enim ea proueniat, nisi ex animarum multitudine, quarum altera sensu, altera ratione viuimus? Hoc argumentum sumptum est ex Platone in 4. lib. de Rep. & eo etiam vsus est Galenus in lib. 5. de Hippocratis & Platonis decretis cap. 7. vt illas animæ partes diuersas esse demonstraret. Est etiam de ipso esse humano difficultas. Quoniam homo est formaliter sentiens & vegetans, neque formalis effectus sine formali causa esse potest. Hæc enim sola causa ne à Deo quidem suppleri potest. At per intelligentem animam homo non fit formaliter nisi intelligens; quia vna simplex forma non potest formaliter dare nisi suum proprium esse. Formaliter igitur debet homo cùm intelligente sentientem quoque habere & vegetantem animam. Adde intelligentis animæ immortalitatem. Nam dum hæc à corpore separatur, separarentur, quoque cæteræ; si idem re essent cum illa. At cùm eæ nullam habeant sibi propriam operationem, quam sine corporis organo promere possint, frustra nimirum essent sic à corpore separatæ. Et verò de nutritione, accretione, & decretione non est leuis difficultas. Vix enim quomodo fiant exponi potest; nisi præter intelligentem aliqua ponatur forma, quæ in accedente & recedente materia gigni possit & interire. Neque prætermittenda est sensio; quæ cùm organica sit operatio, non in sola anima, sed in toto coniuncto est vt in subiecto. Quare præter intelligentem ponere oportet sentientem animam, in qua simul cum materia coniuncta cognitiones eæ suscipiantur, quæ in sola intelligente inextensa & abstracta suscipi nequeunt. Hæc & his similia sunt ea, quæ plures animas re distinctas in eodem viuente, atque adeo tres in homine persuadere videntur. Superest vt quid ipse sentiam, tandem aperiam.

Formas elementorum fractas inesse actu in mistis.

Vniuersum hoc disputationis caput, quod est de formarum multitudine, vt in scholis est celeberrimum, atque in vniuersa philosophia maximè necessarium; ita diligenter & accuratè explicandum. Habet autem tres partes. Prima ad mixta inanima pertinet: altera ad animatorum corpora: tertia ad animas. De mistis inanimis verè licet affirmare, eos, qui quatuor elementorum formas in illis actu inesse negarunt, cum tota antiquitate pugnasse. Quamuis enim Peripatetici alio quodam modo ostenderent, ea in mistis manere, quàm antiquiores tradidissent; actu tamen remanere, tum eorum qualitates, tum substantias, confirmarunt. Antiquiores illi, vt ex Arist.

potest intelligi in priore lib. de ortu & interitu, & in 1. de Philosophorum placitis confirmat Plutarchus, sola qualitatum aut situs mutatione misceri elementa voluerunt. Tresque omnino inter illos fuisse de mistione sententias, auctor est Plotinus in libro, cui titulum fecit, de permistione per tota. Aliqui corporum in minimas partes diuisorum substantias substantiis & qualitatibus qualitates apponebant. Ita Democritus, Leucippus, & Epicurus, vt Alexander testatur, solum atomorum corpusculorum concursum & proximum situm mistionem esse asserebant. Hæc non nisi ad sensum fuit mistio. Alij substantias admouebant substantiis, & qualitates agendo & patiendo permiscebant. Quæ Empedoclis videtur fuisse sententia; qui elementorum substantias, vt apud Arist. in 3. lib. de cœlo legimus, haud posse vicissim mutari credidit. Hi qualitatum mistionem fecerunt, substantiarum iuxta positionem & mistionem ad sensum. Ac demum Chrisippus & Stoici ea, quæ conueniunt, corpora absque vlla diuisione ita sese vicissim permeare atque per omnes partes penetrare voluerunt, vt tota perfundantur in tota, nec eorum vllum sit à cæteris loco & situ disiunctum; sed omnia simul absque vlla vel minima substantiæ, aut qualitatum iactura. Ita visus est Plotinus quoque sentire; cùm corpora conatus est demostrare, tum mole, tum qualitatibus, commisceri corporibus.

Sed tribus argumentis conuincitur. Primùm, quòd quantitas, quæ extensionem & partes extra partes significat, penetrationem omnino non permittit, quòd vna quantitas occupet locum aliudque repellat corpus. Deinde, quòd si tota elementa perfunderentur per tota, nihil maius ex elementis omnibus fieret, quàm esset vnius illorum quantitas. Postremò, quòd non omnia elementa tantundem quantitatis ad mistionem adferant, sed ferè minimum ignis, & terra plurimum. Quomodo igitur vnius exigua quantitas alterius multò maiori coëxtendi potest & peruadere totum?

Hippocratem non defuerunt qui affirmarent eandem habuisse sententiam, quàm antea dictum est Auicennæ fuisse. Sed aperta oratione Galenus sub finem prioris libri de elementis, & in primo de naturalibus facultatibus cap. 2. & primo de medendi methodo cap. 2. eum scripsit qualitatum mistionem docuisse: an verò elementa solis qualitatibus temperentur, an etiam substantiis; neque Hippocratem pronuntiasse, neque opus esse medicum scire, cui satis sit qualitatum temperatura.

Magnus quidem certè Albertus eam apertis verbis sequutus est in tract. 2. lib. 2. physic. cap. 1. & tract. 2. lib. 3. de cœlo cap. 1. & 8. & tract. 6. lib. prioris de ortu & interitu cap. 5. immò, quod magis mirum videatur, Auerroëm quoque idem sensisse contendit, solisque verbis Auicennæ contradixisse, cùm elementa dixit diminuto actu, non integro, remanere. Sed duabus omnino rebus eos dissensisse, apertissima Auerrois verba testantur. Primùm, quòd Auicenna solas qualitates miscere vellet, non substantias; Auerroës & qualitatum, & substantiarum mistionem poneret. Deinde, quòd elementorum formas ille negaret vlla ex parte interire, quòd magis & minùs non suscipiant; hic & susciperе magis & minùs, & partem corrumpi, A partemque alteram remanere contenderet. Tum verò accedunt argumenta, quibus aduersus Auicennam pugnauit in commentario 67. lib. 3. de cœlo. Argumentatur enim mistum non fore verè & per se vnum; quòd formam vnam non haberet nec actum vnum, sed quandam plurium congeriem formarum in vnum confluentium. Deinde si formæ, & qualitates quoque integræ remanerent; siquidem qualitates comitantur formas; aut si formarum perfectio sine aliquo qualitatum gradu potest consistere, posset & sine omnibus: at quomodo sine calore & siccitate sit ignis? Potuisset etiam argumentari, mistionem solam accidentium futuram, substantiarum iuxta positionē. Mistum non fore totum homogeneum, neque partem illius quamlibet mistam, neque ex qualibet elementa omnia seperatum iri. Non omnem substantiæ ortum alterius fore interitum. Fore in misto quinque esse determinatæ speciei; elementaria quatuor, & quintum misti proprium. Operationes demum elementorum omnes minùs vehementes minusque perfectas apparere in mistis, quàm in elementis cernantur: & cùm in plurimis summa vigeat densitas, frigusque vehementissimum, quî potest in eis intelligi forma ignis aërisve perfecta?

C Ergò qui integra prorsus elementa consetuari voluerunt, nimium à natura postularunt: contra, qui penitus interire dixerunt, parùm omnino: neutri mistionis vim & naturam assequuti fuerunt. Inter hos media fuit Aristotelis & Peripateticorum sentētia. Nam etsi Latinorum permulti proprium Auerrois commentum fuisse dictitent; quòd elementorum, tum qualitates, tum substantiæ formas, nec omnino integras & illæsas ex mistione euadere, neque in ea prorsus occumbere; sed debilitatas, fractas, & ad mediocritatem redactas asseruari voluit. Vera tamen, & germana fuit antiquiorum Peripateticorum sententia. In
D cuius explicatione contra aduersariorum castra Platonem in prima acie collocabo, in media Græcos Arist. interpretes, in postrema Aristotelem ipsum firmissimis, ac necessariis argumentis instructum.

Eandem enim fuisse Platonis opinationem in Plato. Timæo, existimo ego cum Calcidio, Marsilioque Ficino, & aliis plurib⁹, quidquid dicat Sebastianus Foxius. Nam in Phædone sunt hæc apertissima verba. Quid est in corpore, propter quod, calescit? Nō dabo rudem illam responsionem, quia est calor: sed exquisitionem, quia est ignis.

Ex Græcis autem Aristotelis interpretibus apud Alexandrum & Philoponum, qui hac de re ex instituto scripserunt, nihil propemodum apertius. Alexander in 2. lib. naturalium quæst. cap. 24. interpretationem faciens tex. 2. huius 2. libri de anima; In simplicibus, inquit, & primis corporibus nullo modo materia est hoc aliquid; cùm prima & propria materia his propriè subiiciatur: sed in corporibus compositis; quia his non amplius subiicitur proximè prima & propriè materia, sed ipsorum materia sunt his subiecta corpora elementa: erit quidem horum materia hoc aliquid. Non tamen quod ex illis est genitum, esse hoc, quod est, habet à materia & illius forma; sed à forma, quæ genita est ex certa quadam compositione, & mistione subiectorum corporum. Quo loco apertissimè ponit elementorum formas, quæ simul cum

eorum

eorum materia in mistis permaneant; nec tamen illis dent speciem, sed locum teneant materiæ, mistaque ab alia forma in mistione producta suam speciem accipere. Rursum in libro de mistione habet hæc verba. Corpora, quæ temperãtur, alterum ab altero pati necesse est; propterea quòd neutrum eorum perit; quoniam vtrumque, dum patitur, agit quoque ex altera parte. Et aliquantò post. Aliud est generatio & corruptio, & aliud Crasis. Crasis quippe rerum quarumdam, quæ conferuantur, mistio esse videtur. Neque enim si alterum corruptum fuerit, & impotentius migrauerit, est Crasis: sed huius corruptio, illius verò accretio est. Quocirca nec alimentum temperari dicitur cum eo, quod alitur; neque si vtraque corrupta fuerint ea, quæ miscentur, ampliùs est Crasis. Nam Crasis est quorumdam, quæ seruantur, mistio. Quod dum pluribus persequitur, tunc fieri mistionem constituit, quando elementa viribus penè æqualibus agendo & patiendo eatenus progrediuntur, donec corruptis contrarietatum excellentiis in vnam, eandemque materiam coëant. Et iterum post pauca. Agendo, inquit, & patiendo priùs desinunt posse agere, quàm penitus superentur. Atque id est Crasis. Est. n. intercedẽte actione & affectione eorum iuxta se inuicem positorum per transmutationem, citraque corruptionem vnitio. Ac demum exponens quomodo elementa rursum ex misto separentur, separationem hanc similem esse negat eorum segregationi, quæ in vnum congesta solùm erant: neque item ortui, quo fiat quidpiam, cùm antea non esset: sed mutationem inter vtramque mediam, quam appellat perfectionem, quia partim præerant elementa, partim de nouo fiunt, mutanturque in perfectionem, qua agendo & patiendo fuerant defraudata. Et ideo dici posse quodammodo affirmat inesse in misto potestate; quoniam non integro egent ortu, sed exigua ope ac mutatione ad naturam suam & actum perfectum redeunt. Idem Alexander eandem sententiam confirmat in vltimo commentario in 7. lib. Metaph. Nam quia materia & forma nunquam sunt eadem res, neque in carne affirmat idem esse terram & ignem, carnisque formam. Dissoluta enim carne ignis & terra supersunt, caro non item. In carne igitur actu sunt elementa. Alioqui, si virtute solùm inessent, vt isti Latini dicunt, contra potiùs res haberet. Elementa, inquam, & forma carnis, aut cuiusuis misti, res eadem essent. Ac demum exponens tex. 4. li. 5. metaph. cùm elementum multis modis dicatur, planis verbis admonet, cunctis quidem elementis id esse commune, vt cuique primùm insit; sed elementa propriè dicta inesse vt subiectum, quod pars rei efficitur.

Philoponus. Philoponus in com. ad tex. 82. prioris libri de ortu & interitu, aggrediens de mistione dicere, hoc ponit velut cõsequentis totius disputationis principium; ea, quæ miscentur, esse omnino oportere; non penitus interire, sed conseruari; non actu, quẽadmodum antea erant, sed quodam modo potestate; sicut vinum & aqua temperata; quoniam debilitata sunt; sinceraque vtriusque actio, quæ ante mistionem fuerat, impeditur. Et in com. ad tex. 84. Non, inquit, mista essent, si mero actu essent, ac nihil prorsus mutarentur. Sed aut dicit separari posse, quæ mista sunt; quia planè speciem suam non amiserunt, sed inquinarunt tantum. Et ideo instrumentis quibusdam ad immutandum, aut secernendum comparatis ad pristinam speciem reducuntur. Quomodo aqua percolata separatur à vino. Aut quòd talia sint, qualia existere (quod in se est) seorsim rursus possint, siquis segregandi ea vim adferat. Et paucis interpositis. Ita in mistis insunt elementa facultate, vt non eorum materia tantùm, sed formæ etiam insint, quanquam castigatæ. Eoque facultate esse dicuntur; quia sincere non sunt, nec quales fuerant ante temperationem. Et rursum exponens textum 89. Cùm pares, inquit, sunt quodam modo facultates, vincunt se mutuò quodam modo vtraque; nec tamẽ alterum planè interimit alterum, sed excessum tantùm castigat. Ita totum commune quiddam fit eorum, quæ miscentur, seruaturque in miscellâ vtrunque facultate, eo modo, quo diximus. Quod in cõmẽtario quoque tex. 90. habet, dum mistionis definitionem enarrat. Et exponens tex. 46. posterioris libri, cùm multis verbis persequutus esset, quomodo in mistione partim intereant, partim asseruentur elementa, sintque in misto impura (totidem enim sunt Philoponi verba) non pura, quemadmodum antea: & ideo dici potestate; ad perfectionem scilicet & puritatem pristinam; non simpliciter ad formam; tandem hęc adiunxit, Compositum verò, etsi meram ignis non habet speciem, habet tamẽ eam castigatam: nec totum illud ignis est merus, sed ignis moderatior factus. Quod in tota textus 48. commentatione persequitur. Mistum, inquiens, quandam habere elementorum speciem, etsi eorum sinceritas periit, castigataque sunt. Excessibus enim & extremis viribus castigatis medium quiddam fit. Eoque rem deducit, vt Aristotelem ex elementis solo excessu castigato; eos verò, qui elementa omnino perire affirmant (quod nostri Latini faciunt) non ex elementis, sed ex nuda materia ostendat corpora mista componere. Et his quidem in locis ex instituto Philoponus mistionis naturam exposuit. In com. autem ad tex. 77. huius 2. libri de anima, cur argentum, æs, & huiusmodi metalla sint benè sonora; eam docuit esse causam, quòd multus sit in illis aër dissemina-tus. Quod non ad qualitates referri potest, sed ad solam substantiam & naturam huius elementi propriam.

Ex aliis autem interpretibus Græcis tam apertas quidem & explicatas sententias non habemus; quòd aut ipsi de mistione seorsim non scripserint, aut in libros de ortu & interitu, in quibus de ea tractauit Arist. non ediderint commentaria, aut hæc certè ad nostra tempora non peruenerint. Aliqua tamen apud illos quoque interdum legimus. Cuius generis illud est apud Pſellum in tex. 31. lib. 2. Physic. mista corpora ex elemẽtis cõstare tanquam ex inhærentibus & existentibus; sicut syllabæ ex litteris, totum ex suis partibus, & ex propositionibus ratiocinatio. Et apud Themistium & Simplicium eodem loco; elementa mistorum esse materiam, tum alterationis, tum compositionis: iisque inesse, quæ ex illis fiunt; sicut & prima materia se habet comparationẽ ipsorum simplicium corporum. Et in textu 42. libri 3. Oportet, inquit vterque, æquari elementa, & esse viribus æqualia, si modò conseruanda sunt. Idem Themistius capite 3. huius secundi libri de Anima, plures proponit modos, quibus res componantur ex iis, quæ insint, & in illis conseruentur; atque inter eos est is, de quo nunc agimus.

Pſellus. *Themistius & Simplicius.*

Multò autem apertiùs Simplicius in commentario 29. ad tex. 30. & 31. lib. 1. de cœlo, elementa scribit dici prima inexistentium in generabilibus corporibus; quoniam & accidentia insunt ipsis, sed non prima. Quis autem non videat hæc inesse actu; & nisi elementa quoque actu insint, nullam fore dubitationem? Et paulò post id, quod est in elementi definitione (elementum esse in mistis, aut actu, aut potestate) ita interpretatur, vt actus significet actum perfectum, quem Empedocles & Anaxagoras posuerant, mistionem appellantes solam elementorum congregationem: potestas autem actum imperfectum & castigatum, qui post mutuam alterationem, & non corruptionem relinquitur. Vtro enim modo insint, in libris de ortu & interitu exponendum erat, vbi de mistionis natura disseretur. Quocirca in commentario 30. id, quod est in tex. 32. elementa inesse potestate; de hoc actu refracto ita explicat, vt ea ab inuicem coalterata dicantur esse potestate, quòd rursum separari queant: quemadmodum Theophrasti testimonio ex oculis hominis segregatur flamma, & Megetij Alexãdrini Medici narratione ab Ischiadici viri Ischio exiuit aliquando ignis. Et tandem hoc interesse docet inter elementorum ex mistis segregationem, mistorumque ex elementis generationem: quòd simplicia quidem, quæ ex compositis gignuntur, inexistebant ipsis; composita verò fiunt ex simplicibus, non tamen iam insunt ipsis.

Quæ omnia eo diligentiùs colligere, atque hîc adscribere placuit; vt intelligeret lector, quænam fuerit veterum Peripateticorum sententia, quamque immeritò ex Latinis nonnulli primum illius auctorem faciant Auerroëm; cùm ante illum copiosioribus multò & apertioribus verbis fuerit à Græcis interpretibus explicata. Neque verò reprehensionis notam magnopere verebor, si plura prætermittens vnum illud hoc loco recensuero, quod est apud S. Augustinum in libro ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas cap. 8. Non solùm enim particulas aliquas elementorum omnium temperatas in corporibus nostris inesse affirmat; sed ita etiam interpretatur S. Pauli verba in Epist. ad Rom. ca. 8. vt Omnis planè creatura, vel ipsa etiam elementa, ingemiscat & doleat, reuelationem filiorum Dei, nostrorumque corporum resurrectionem expectans; vt nobiscum resurgens ab omni aliquando corruptione liberetur.

Aristoteles. Verùm enimuerò eandem sententiam Aristoteles non solùm plurimis in locis asseruit, sed multiplici etiam argumentorum genere confirmauit, vt omnino dubitem, num sit quidquam in eius schola magis certum, magisque confirmatum. Primum fuit illud, quòd elementa sunt mistionis, mistorumque materia; non alterationis modò, sed & compositionis. Materia autem, siue eam spectes quatenus principium est & pars, siue quatenus causa illius rei, quæ ex ipsa fit; principium est & causa intrinseca; quæ seipsam exhibendo suscipit formam, atque cum ea cõiuncta compositam substantiam constituit. Propterea in primo Physicorum libro hoc nomine materiã à priuatione, subiectum à termino à quo, distinxit; quòd priuatio & terminus à quo in mutatione pellitur, & (si de non ente ita loqui fas est) interit; subiectum & materia persistit semper incolumis, & potiùs susceptione formæ perficitur, substantiamque componit. Itaq; *Primum Argumẽtum.*

A in tex. 82. eiusdem, & tex. 28. 2. libri eam definiuit esse id, ex quo fit aliquid ita, vt insit. Quod postremum verbum propterea fuisse additum, Philoponus, Simplicius, & Psellus adnotarunt; vt materia distingueretur à Priuatione, ex qua res item fiunt; sed non ita, vt in illis remaneat: & manifestant exẽpla, quæ ab Astrist. adferuntur, æris, & argenti; quæ ita sunt statuæ phialæ, & id genus artificiorum materia, vt actu in illis insint. Primam materiam certum est in primis elementaribus corporibus, quæ ex illa statim oriuntur, actu manere, quandiu illa sunt: & quidem cum illis ipsis qualitatibus, quæ tãquam dispositiones ad producendã formam necessariæ fuerunt. In viuentibus item corpus organicum ànimæ subiectum & materia, organicum

B semper est, quandiu adest anima, illiusque dissolutione abit anima. Si igitur elementa mistorum materia sunt, in his quoque actu illa manere oportet. Alioqui non elementa, sed sola prima materia, vt simplicium, ita & mistorum corporum esset materia: aut non minùs, quam elementa, vnum mistum alterius materia diceretur; dum qualitatum temperatione mutata vnum ex alio gignitur. Id aliam ob causam non dicimus, sed elementa duntaxat: nisi quòd illud non remanet actu, hæc remanent. Ita in tex. 31. eiusdem 2. libri physicorum elementa

C ad materialem mistorum causam reuocantur, sicut litteræ sunt materia syllabæ, & artificiorum materia, & pars totius, & ratiocinationis propositiones. Quæ omnia sunt eorum exempla, quæ actu insunt. Et postremis verbis li. 7. metaph. elementũ definitur esse id, in quod inexistens diuiditur vt materiam; sicut syllaba (A B) diuiditur in (A) & (B) quæ in ipsa existunt vt materia. Quibus iuxtà definitionem, quæ habetur in tex. 31. lib. 3. de cœlo, & in tex. 10. lib. 3. metaph. & tex. 4. lib. 5. omnia penitus consentient cum definitione materiæ in tex. 82. lib. 1. Phys. proposita. Totidem n. verbis elementum esse id affirmauit, ex quo inexistente mista corpora fiunt, & in quod dissoluuntur.

D Quo loco monere libet lectorem, voces illas existentiæ & inexistentiæ magnopere in hoc controuersiæ genere considerandas esse. Nil enim aliud profectò significant, quã esse aut alteri inesse actu.

Ex hoc porrò veluti certissimo principio, elementa esse mistorum materiam, plurima deriuantur, quæ passim apud Arist. accuratus & diligens lector obseruabit: quibus aut apertè dixit, aut certè suppositum, ea in mistis esse actu. Nã in libro Categoriarum cap. de iis, quæ sunt ad aliquid, animal dixit ex igne, aqua, & cæteris elementis constare. In tex. 42. lib. 3. phys. nullum esse corpus mistum

E infinitum, quia elementa sunt finita; nec elementum vllum infinitum esse posse, quoniam corrumperet cætera, nullumque fieret mistum. In tex. 5. lib. 1. de cœlo, natura constantium hæc quidem sunt corpora & magnitudines, hæc autem corpus habent & magnitudinem, hæc verò principia eorum, quæ habent, sunt. Corpora interpretantur Simplicius & Auer. Elementa, habentia corpus mista. In tex. 7. quædam esse corpora simplicia, quædam ex his composita: nec solùm hoc loco, sed in aliis propemodum innumerabilibus, dum ex elementis mista dicuntur cõposita (ex generali nimirũ materiæ compositionis cõditione) elementa actu in illis remanere significantur. Rursum in eodem loco & tex. 8. & 12. composita moueri ab elemento, quod in simpliciũ mistione dominatur.

Et

Et tex. 97. extra cælum non posse vllum esse corpus mistum; quoniam cum necesse sit simplicia esse existente misto; vbi non sunt simplicia, nec mistum esse potest. In tex. 37. lib. 2. eiusdem operis, senectutem, decretionem, aliosque his similes corporis defectus, atque imbecillitates eam ob causam in mistis oriri, quia constant ex elementis: quæ cùm violenter sint extra proprium locum & ad eum nitantur, dissolutionem adferunt misto. Sane si actu non sunt, quomodo violenter sunt? Quomodo nituntur ad propria loca redire? Cuius enim manifestum est, id, quod non sit, nullũ habere appetitum, nullam naturæ propensionem, nullum conatum, aut impetum. In tex. 67. & 68. li. 3. elementa nullam propriam habere figuram; tum quia cùm sint materia mistorum, materia per se considerata informis est, & omnis expers figuræ: tum quia ad quamlibet misti figuram susciendam accommodare sese debent. In cap. vlt. lib. 4. meteor. ita diuersas formas disponit, vt inferiores materia superiorum sint: elementa, inquam, materia mistorum, & hæc materia viuentium: formæque mediæ, & sint formæ comparatione inferiorum, & materia, comparatione superiorum. In tex. 39. huius 2. lib. de Anima, cum Empedocles viuentium accretionem ab igne & terra, quæ sunt in eorum corporibus, deriuaret: nequaquam id reprehendit Philosophus, quod ipse quoque elementa esse actu in corporibus mistis crederet: quod tamen si confutasset, confecisset omnino, eam non esse accretionis causam: quin illud potiùs confirmauit; cùm in corporibus animatis animam inesse oportere ostendit, quæ vnita & colligata contineat elementa, ne distrahantur, neve ad propria loca discedant. Et in tex. 52. propterea dubitauit, cur cùm in organo sensus insint ignis, aër, aqua, & terra; nequaquam ab ipso sensu sentiantur. Nisi enim essent actu, nulla profectò dubitatio. Quemadmodum nec argumentatio illa in cap. 18. libri 1. de animalium procreatione; si semen ex omnibus animalis partibus decideretur, ex partibus quoque eterogeneis, & omogeneis, atque adeò ex elementis ipsis decideretur, ex quibus partes illæ omnes coagmentantur. Verùm hæc satis pro hac prima argumentatione; qua ex eo, quòd elementa sunt mistorum materia, confecit Philosophus, ea tum qualitatibus, tum substantia in ipsis actu remanere.

1. Argumenti. Altera argumentatio fuit ex mistionis natura, quam in priori præsertim libro de ortu, & interitu diligenter explicauit. Nam cùm in tex. 82. dubitationem antiquorum aduersus mistionem proposuisset; statim in tex. 83. mistionem ab ortu & interitu separauit; atque adeò miscibile ab eo, quod oriri potest & interire. In ortu enim quidpiã producitur alterius interitu, in mistione nequaquam. Et ideò lignum negauit misceri cum igne, quando comburitur; nec alimentum cum viuente, dum in eius substantiam mutatur. Quoniam in mutationibus hisce, dum vnum gignitur, alterum omni ex parte perit; etsi nobilior interdum accedat forma, vt in nutritione anima. Eandem ob causam magna cum paruis coniuncta mistionem facere negauit in tex. 88. neque vini guttam cum decem millibus congiis aquæ; quoniam perit vinum, & in aquam mutatur. Propterea in tex. 89. nullum elementum debere alterum magnopere superare monuit: nec ea, quæ facilè, & multum patiuntur, benè cum iis misceri, quæ multum agunt: quoniam illa pereunt, & hæc gignuntur: in mistione autem ex iis omnibus, quæ miscentur, fieri oportet medium aliquid & commune. Nimirum aliqua eorum parte asseruata & cum cæteris permista. Ab alteratione quoque distingui voluit: quòd in alteratione, tum subiectum, tum qualitas, omni ex parte manet integra; quæ verò miscentur, & qualitatum, & naturæ aliquid amittunt. Quo loco non obscurè, sed apertè docet, elementa nec omnino in mistione perire, sicut in ortu: nec integra prorsus & illæsa manere, quemadmodum in alteratione: sed cùm eadem ipsa elementa & oriantur, & alterentur, & misceantur; has omnes mutationes in illis distinguendas esse. Neque solùm antiquos illos in natura mistionis peccasse, qui eam ab alteratione non distinxerunt: sed posteriores quoque Latinos, qui ab ortu & interitu minimè separarunt. Itaque in tex. 84. elementa constituit nec esse in misto integra & perfecta, vt in se ipsis erant ante mistionem; & vt in alteratione corpus & album, dum albescit, neutra ex parte quidquam amittit: nec omnino perire, siue omnia, siue illorum aliquod; quemadmodum cùm ex lignis fit ignis, aut cibo nutritur viuens: non enim esset mistio, sed aut alteratio, aut ortus vnius cum plurium aut alterius interitu. Verùm quodammodo remanere actu, quodammodo potestate: actu, quoniam ex illis quidpiam genitum est, quod mistum esse dicitur: potestate, quia vtriusque eorum, quæ erant antequam miscerentur, & non deperdita.

Quo loco si abutantur aduersarij, perperam omnino agunt. Non solùm enim negat Philosophus id, quod ipsi affirmant, elementa omni ex parte perire: verùm etiam aliquid eorum remanere affirmat: non virtute contentum in forma misti, vt inquiunt illi; sed illud ipsum, quod erat ante mistionem, absque interitu, aut in aliud mutatione. Sed quoniam in tex. 48. posterioris libri hoc ipsum magis declarauit, ad eum locum aduersarios prouoco. Principiò ponit calidum & frigidum, humidum & siccum, hoc est ipsamet elementa (tum quia concretis vtitur vocibus; tum quia qualitates hasce antea posuerat formalia illorum principia; tum demum quia in eo ipso textu perinde dixerat calidum & frigidum, aut ignem & aquam) suscipere magis & minus. Quorsum id, nisi vt eorum in mistione refractionem inde colligeret? Deinde eandem actus & potestatis distinctionem subiungit, quam in priore libro posuerat. Potest enim quidpiam dici potestate ad aliquem actum, aut quòd nullam illius partem habeat, sed totum possit suscipere; aut quòd etsi aliquam habeat partem, careat altera, quam alioqui habere possit. Prior potestas omnino sincera est, pertinetque ad ortum; posterior admistum habet contrarium actum, atque ex ea constat permistio; dum contrariæ & pugnantes formæ corruptis actione mutua excellentiis suis, fracto inquam, & diminuto supremo & perfectissimo gradu, ita vicissim permiscentur, vt nec sit sola materia cum forma misti (esset enim prior illa potestas ad integras elementorum formas) nec ambo contraria actu simpliciter; quoniam nulla superesset potestas, si materia integros & perfectos haberet actus: sed medium quidpiam inter illa, quod in textu 89. prioris libri dixerat vtrique esse commune. Ita ex alia, atque alia contrarium

Potestas duplex ad actũ.

illorum, seu elementorum permistione, quatenus A vnũ magis aut minùs intensum fuerit, alia atq; alia existunt mistorũ genera: in illisque potestate elementa; non sicut materia dicitur esse potestate ad formam, cuius nullã habeat partem; sed secundùm prædictum modum, quo id, quod aliquam habet formæ partem, affirmatur esse potestate ad partem alteram, qua caret. Ex priori enim potestatis genere constat ortus, ex posteriori permistio. Quam ob causam postremò adiungit, permistionem nullam fieri, si elementum quodpiam magnopere superet reliqua; sed ortum, atque interitum: in mistione autem proportione quadam elementorum omnium opus esse, vt nullum eorum possit alterum B omni ex parte destruere.

Quorsum tam diligens, & acurata explicatio, nisi ad elementa in mistis retinenda? ostendẽdumque, quomodo nec integra maneant, nec penitus aboleantur; sed actione mutua frangantur, & temperentur. Non enim extinctionem illam & corruptelã ex sola naturæ dispositione, naturalive cõsequutione propter superioris formæ aduẽtum, quã nuper isti Latini excogitarunt, admisit vnquam Aristoteles. Quin potiùs in tex. 63. lib. 8. physic. absurdum iudicauit existimare, moliri quidpiam naturam, quod statim velit demoliri. Ita sanè absurdissimum esset opinari, eam in conciliandis, atque ad proportionem & concordiam reducendis, & vt par est temperandis hisce elementorum formis tandiu laborasse; si conciliatas & temperatas erat statim destructura, proportionemque, & concordiam illam admirabilem dissolutura. Adduci nunquam potuit, vt naturam crederet tam inconsulto ac temerè operari, vt aggrederetur quidpiam, quod diuturnum ac firmum esse non deberet.

Verùm ad priorem librum est redeundum; duoque in eo loca consideranda, quæ ad hoc ipsum argumentationis caput pertinent. Alter locus est in tex. 85. & 86. in quibus magnopere laborauit, vt inueniret modum, quo ita misceantur elementa, vt quælibet pars misti sit mista, totumque mistum homogeneum. At inanis & superuacaneus fuisset labor; ni ea voluisset actu & secundùm substãtiam ita manere, vt in singulis particulis essent omnia. Nam si sola misti supersit forma, sanè quocumque modo antea diuisa fuissent & coniuncta elementa; totum mistum homogeneum esset, & quælibet illius pars mista: quippe illius forma tota est eiusdẽ naturæ, perque vniuersam materiam illius sparsa, & eius particula quælibet formas elementorum omnes virtute contineret.

» Alter locus est in tex. 90. vbi primùm miscibilia,
» inquit, non necesse est corrupta esse, vbi fuerint F
» mista; neque possunt eadem simpliciter esse, & in
» actu perfecto & integro, sicut antea. Deinde mi-
» stionis definitionem colligit; Mistio est miscibi-
» lium alteratorum vnio. Si vnio & cõplexus, adesse oportet ea, quæ vniantur ac sese complectantur. Vnio enim & complexus formaliter relationem significant inter ea, quæ vnita sunt, ac sese complectentia. Si miscibilium alteratorũ, ergo non omni ex parte corruptorum; sed castigorum duntaxat, & tẽperatorum. Nã cùm tribus modis cogitari posset fieri mistio; aut ex elemẽtis omnino corruptis; aut ex iis nulla parte lesis; aut medio modo affectis; & diminutis solùm, non penitus abolitis: Aristoteles duobus prioribus modis reiectis retinuit tertiũ; totamque mistionis definitionem ex eorum, quæ misceri debent, conditionibus, atq; ex distinctione mistionis ab ortu, atq; alteratione inuestigauit & collegit. Quo circa in tex. 47. posterioris libri mistionem, quam proposuerat Empedocles, non ideo repræhendit, quòd elementa poneret actu in mistis; sed quòd in ea quælibet pars misti non esset mista; cùm in qualibet non poneret elementa omnia. Quòd si iudicasset ipse, ne actu quidem ea permanere; cur illud quæso non maximè reprehendit, tanquam totius erroris fundamentum?

Tertia argumentatio fuit in tex. 84. prioris lib. 3. de ortu & interitu, vbi nõ solùm ex natura mistionis confecit, elemẽta nec omnino manere integra, nec penitus extingui: sed etiã posteriorẽ hanc conclusionis partẽ necessaria ratiocinatione cõclusit. Quoniã dum mistum dissoluitur, separantur rursum elementa, existuntque singula separata, quemadmodum antequam miscerentur. Videntur. n. inquit, ea, quæ miscentur priùs ex separatis conuenientia, & possibilia separari rursus. Quam eandẽ argumentationẽ in tex. quoq; 33. li. 3. de cælo legimus. Nã vt probaret dari corpora, quæ ex elementis constẽt, adhunc modum ratiocinatur. Dum mista corpora dissoluuntur, separantur ex illis elemẽta; præerant igitur in illis. Siquidẽ in ea dissoluitur vnumquodque, ex quibuscõstat, 3. Metaph. tex. 15. & 1. Phys. tex. 65. & li. 3. tex. 45. quo item postremo C loco ostendit, non dari quintum elementum; quoniam quatuor solum ex mistis separantur.

Scio, eos, qui contra sentiunt, respondere, non eadẽ numero, quæ conuenerant, separari; sed alia eiusdem speciei tunc primum produci. At incautè respondent. Primùm, quoniam aperta sunt priora illa verba, quibus illa ipsa, quæ cùm essent separata, fuerunt permista, dissolui rursum & separari affirmatur. Non. n. separari, sed gigni & produci dicuntur ea, quæ non sunt; ea verò separari affirmantur, quæ actu præerant vnita & permista. Neque sine causa & (rursum) dixit Arist. & antithesi illa vsus D est, qua elementorũ separatorũ mistioni eorundẽ mistorũ repetitam separationẽ opposuit. Deinde cùm illi propositũ esset probare, elementa non penitus extingui, dũ miscẽtur: nisi eadẽ numero, quæ conuenerant, separarentur rursum, nihil omnino probasset; inepteque prorsus argumentatus fuisset. Nam si omni ex parte intereant; quorsum non interire probetur ex eo effectu; quo separantur rursum? Sanè, vt mistionem aliud esse voluit, quã elementorũ interitum, mistique ortum; sic etiam separationẽ mistioni oppositã existimauit aliam esse mutationem quàm interitum misti, atque elemẽtorum ortum. Alioqui vrgeret adhuc antiquorum E dubitatio in tex. 82. proposita; Si elementa in mistione perierũt & rursum soluta mistione de nouo gignũtur, nequaquã fuisse mistionẽ, neque postesse separationẽ; sed ortum, atque interitũ. Ex eo igitur ducta est Philosophi ratiocinatio, quòd vt antea, cùm essent separata, conuenerunt, atque vnita in misto fuerunt; ita postquam vnita sunt & permista, dissoluantur iterum, atque in pristinum statum separata redeant. Eadem igitur numero esse voluit, quæ & primùm conuenerunt, & rursum separantur. Quod & nomen ipsum confirmat: nam vt vnio est rerum disiunctarum copulatio, sic separatio præexistentium, & vnitarum rerum, non productionem, sed disiunctionem significat. Alioqui non minùs ex ære quàm ex misto, separari aquam diceremus; dum ex ære fit

aqua

aqua eiusdem speciei cum illa, ex qua genitus fuerat aër. Quod si ita esset, nullum ex hac separatione sumi posset argumentum ad ostendendam mistionem; si tum ex elementis, tum ex mistis, separarentur elementa, aut verius gignerentur.

At à quonam noua illa elementa producantur? siue enim combustione, siue putredine dissoluatur mistum (hi enim duo mistorum propij interitus modi sunt in 4. Meteororum lib.) omnino non est à quo produci queant. Nam si ab igne comburatur lignum, non nisi ignem producit ignis: vnde igitur terra, & elementa cætera, quibus contrarius potiùs est ignis? A misti forma, in qua, vt ipsi dicunt, virtute continebantur, produci nequeunt. Tum quia non est illis simillis; & eorum potiùs interitum procurauit, vt ipsa produceretur. Tum quia si destruitur ipsa, & perit, qui possit alia producere? Verius dicerentur elementa quoque cum illa corrumpi, si virtute in ea continerentur. Cœlum iuuat quidem, vt generalis effectuum omnium efficiens causa: sed specialem nunc causam quærimus, quæ materiam saltem præparet, generalemque illam actionem determinet. Sint autem putredine mistum dissoluatur, eadem est difficultas. Siquidem putredo ab aëris ambientis calore efficitur. Vnde igitur terra & elementa reliqua? Quòd si illorum formæ in misto actu inesse dicantur, facillimum erit separare. Nam quidquid illud fuerit, quod mistum dissoluet, separare vere affirmabitur. Deinde etsi omnes illæ formæ per omnes materiæ partes sint vbique sparsæ; aliquæ tamen sunt particulæ, quæ aëris formam retineant; aliæ quæ ignis, ac cæterorum elementorum: dumque soluitur temperatura, vniuntur omnes, seseque in propriam naturam & perfectionem restituunt. Non enim erant vbique æquè fractæ; sed in quibusdam partibus minùs, quàm in aliis; eæque, quæ minorem iacturam fecerant, dum in eas agunt, quæ minus fuerant debilitatę, totius elementi perfectionem promouent. Itaque aut elementa integra separantur, aut aliquid certè imperfectum, quod perfectam mox naturam recuperet: quòd aut accedente exteriori agente intendatur, aut seipsum in integrum statum restituat, aut cum aliis eiusdem formæ gradibus copulatum perfectam consequatur naturam. Quapropter quoad illam quidem partem, quę in misto præerat, eadem numero, quę ad mistionem venerant, separantur: atque hoc ab ortu magnopere differt hęc separatio. At quoad alteram partem, quam recuperant, ea sanè non est eadem numero, quam amiserant; quoniam idem numero, quod semel periit, naturæ viribus redire nequit: sed eiusdem solùm speciei. Hocque distinguitur hęc separatio ab illa, quæ est ex sola aliquorum congregatione, absque mutatione vlla; vt granorum tritici; aut hordei ex acerno. Absolutè tamen eadem numero dicenda sunt: quoniam prior pars satis est ad vnitatem elemento toti tribuendam; sicut idem numero viuens toto nutritionis tempore dicitur, etsi partes subinde mutentur.

Quarta Argumentatio fuit in eodem tex. 84. elementa. n. non omnino perire, sed aliquam eorum seruari partem, tum ex misti dissolutione probauit, tum ex operatione. Sanè apud Naturales Philosophos in aliis huiusmodi difficultatibus, in quibus de formarum existentia quæritur, magni semper momenti fuit ratiocinandi hæc forma. Etenim

4. Argumentū.

A cùm ex operatione fuerit semper inuestigata & cognita forma, vt ex effectu causa; in mistis operationes omnes elementorum cernuntur, calefactio, refrigeratio, humectatio, siccatio, ac demum is motus, qui simplex est & rectus, sursum, aut deorsum. Oportet igitur existimare elementarium corporum formas, quæ propria sunt harum operationũ principia & causæ, nequaquam in mistione periisse; sed in corporibus mistis conseruatas operari. Neque permanẽt igitur actu, inquit Philosophus, "
vt corpus & album; neque corrumpuntur, neque "
alterũ, neque ambo; saluatur. n. virtus eorum; hoc "
est operatio, quæ index est formæ. Ideo hæc relin- "
B quantur, addit idem Philosophus, nimirum tanquam nota. Nam sensu cognoscitur operatio, ex qua manifestum est ipsorum quoq; adesse formas.

Itaque nisi vniuersa philosophia in dubium vocanda sit, nouaque disputatio instituenda, num ex operationibus liceat formas colligere; fateri cogimur adesse ibi elementorum formas, vbi adsit operatio. Neque enim responderi potest, illam à misti forma proficisci, quòd ea elementorum formas virtute contineat; quoniam operatio hæc tota debilior est multò & imperfectior in mistis, quàm in simplicibus elementis esset: contra quàm euenire oportebat. Quippe superior virtus, quæ in-
C ferioremcontineat, vt nobilior est & perfectior, sic nobiliori & perfectiori modo operatur. Quod tum in artibus videre est, tum in natura; in superioribus causis efficientibus & inferiobus; atque adeò in animabus ipsis; in quibus ea, quæ superior est, perfectiùs multò eadem illa præstat, quæ inferioris erant propria. Quanquam non prætermittam dicere, virtutis hanc continentiam nequaquam in mistione locum habere posse. Sed vt admittatur in iis, quæ in eodem genere considerantur, & inter se ordinantur; vt in agentibus particularibus & generalibus, & in tribus illis formis, Vegetante, Sentiente, Intelligẽte, quæ in genere actus
D & formæ considerantur omnes; à formis tamen elementorum & mistorum reijcienda est. Quoniam nec vnius elementi forma ad alteram ordinatur, nec omnes simul ad formam misti tanquam actus & formæ inferiores ad superiorem; sed sicut materia, materiæque dispositiones ad formam. Materiam autem, materiæve dispositiones quis dicat in forma contineri virtute, aut hac aduenientę fore otiosas, si cum illa persistant incolumes?

Virtutis continentia vt admittenda.

Quinta argumentatio fuit in tex. 49. posterioris libri eiusdem operis. Mista. n. perfecta ex elementis omnibus cõponi & cõstare demõstrauit: quoniã terram adesse oportet, quòd gignantur & ver-
E sentur in terra; naturaliterq; degat vnumquodque in loco illius elementi, quod in ipso cæteris dominatur: adesse oportet aquam, tum vt terra figurã & terminum habeat; aqua. n. quę humorem habet viscidũ maximè, adhęrescentem & efficacẽ, inter elementa omnia maximè potest terminare: tum vt mistum sit consistens partibusque omnibus copulatum. Alioqui terra, si sola esset, diffluereret vtique; sicut puluis, aut cinis: Aqua humore tenaci copulat & coniungit. Iam si terra & aqua adsint, aërem item & ignem adesse necesse est; vt ab elementis contrariis priora illa duo refrangantur, atque ad necessariam misto mediocritatem adducantur.

5. Argumentũ.

Genus hoc argumenti adeò apertum est & necessarium, vt elementarium formarum euersores nihil omnino habere possint, quod respondeant.

Nam non solùm mista dixit Philosophus esse ex simplicibus omnibus composita; in qua compositione, vt in alia quauis, adesse actu oportet componentes partes: alioqui mistum non magis physicè esset compositum in substantia, quàm elementum: neq; erat, cur mista, seu cõposita simplicibus corporibus opponeret. Non solùm .n. terrã, & elementa reliqua inesse affirmauit, & inexistere in misto: quas voces inexistentiam actu significare, antea adnotatum est. Verùm etiam si ab aqua figurare oportet ac terminari terram, partesque illius siccas copulari; vtramque actu adesse oportet. Alioqui nec verendũ, ne arida terra diffluat: quoniam id, quod non est, neque diffluere potest, neque copulatione indiget. Deinde non licet hoc loco ad qualitates confugere. Quia cùm diceret, vbi sunt terra & aqua, adesse quoque debere duo reliqua elementa contraria: quoniam contrarietas propriè qualitatum est; & ideo id fortasse de qualitatibus intelligi potuisset: vt ostenderet, se de substantiis omnino esse loquutum, easque probasse debere in mistis corporibus inesse; adiecit illa verba (vt contingit substantiæ substantiam contrariam esse.

6. Argumentũ. Sexta argumentatio fuit in tex. 50. eiusdem libri. Ex eisdem namque nutrimur, ex quibus constamus: at ex quatuor elementis nutrimur permistis scilicet & temperatis (nihil enim est, quod vno simplici sustentetur; siquidem vel plantæ, quæ sola aqua nutriri videntur, pluribus tamen nutriuntur; aqua scilicet permista cum terra: immo peritiores agricolæ fimum admiscent, in quo propter calorem aliquid ignis & aëris esse videtur; & intelligi potest ex halitu, quem emittit. In quibus sanè mistionibus, terræ inquam, aquæ, & fimi manifestum est elementa esse actu.) Si igitur ex elementis nutrimur, ex illis quoque constamus.

His omnibus in locis hactenus commemoratis non solum Aristoteles hanc sententiam docuit, elementa non omni ex parte interire in mistione, sed fracta & castigata in mistis corporibus asseruari: verùm etiam pluribus argumentis demonstrauit. Vt omnino mirandum sit, potuisse in mentem venire Galeno, vt sub finem prioris libri de elementis, & in commentario primo in Hippocratis lib. de Natura humana, particula secunda, & in primo libro de methodo medendi cap. 2. eum affirmaret existimasse, solis qualitatibus, non item substantiis elementorum, constare mistionem.

7. Argumentũ. Libet autem Aristotelis hisce argumentationibus omni sanè pondere grauioribus pauca hæc subiungere. In quolibet misto certum est elementum aliquod cæteris dominari; at fieri non potest, vt quamuis perirent cætera, illud saltem omnino pereat. Tum quia in illud potius, tanquam robustius, oporteret cætera commutari. Tum quia nihil adest, à quo possit interimi. Non enim à cæteris elementis contrariis, quòd hæc imbecilliora sint, & ab illo potiùs corrumpantur. Neque à forma misti; quoniam hæc illi contraria non est; quin elementa potiùs desiderat, tanquam necessariam sibi materiam, in qua tum produci, tum conseruari debeat. Quod si elementum illud non perit, nec reliqua perire possunt. Siquidem nil aliud est, à quo interimantur, nisi dominans illud, quod in suam naturam illa commutet. At si futura sit mistio, non oportet illud tantopere viribus cætera superare: quoniã mistio non esset, sed vnius ortus cum aliorum interitu. Tuncque solùm fit mistio, cùm etsi aliquis sit excessus, tantus tamen non est, vt cætera debellentur prorsus & fugentur.

Hoc ita se habere, nullamque cogitari posse corporum illorum corrumpentem causam, vel ipsa aduersariorum confessione certissimum est. Namque propterea illi, quòd nullam huiusmodi causam proferre queant, ad eam corruptionem confugiunt, quam naturali solùm consequutione fieri volunt. Quamque inanem prorsus esse & absque ratione cogitatam, alibi satis demonstrauimus. Neque enim locum habet, nisi in eo entium genere, quæ nec per se producuntur, nec per se cohærere in natura possunt. Cuius generis sunt proprietates & accidentia quæuis, quæ pereunte subiecto consistere nequeunt. At de elementis, entibusque perfectis, quæ & per se producuntur, & in hac rerum vniuersitate subsistunt; immeritò (sapientes alioqui Philosophi) ita pronuntiant.

Verùm ad alia transeamus. Respondeant, si placet, an non mista corpora sunt actu & reipsa mista & composita in substantia magis, quàm sint elementa? An non à simplicibus propterea distinguuntur, & speciem naturalis corporis, hoc est substantiæ ex materia & forma compositæ, distinctam, immò dum corpus in simplex & mistum diuidimus, illi quoque oppositam, constituunt? Hoc si nobis concesserint, quod nullo modo negari potest; concedant etiam id, quod est consequens; in illis non qualitates modò esse actu, sed & substantias elementorum, ex quibus illorum substantia mista sit & composita. Nam si ea mista esse respondeserint, atque ex elementis composita, virtute solùm in ipsorum forma contentis: Viderint in omni compositione materiam, eiusque dispositiones actu, vt sæpè dictum est, inesse oportere in re composita; & quidem seorsim ab ea forma, quæ illis aduenit: dum illi virtualem nescio quam materiam imaginantur, eamque cum forma complicatam totam, & confusam. Intelligant etiam, ea ratione fore, vt homo compositus dici possit & mistus ex pane, carne, oleribus, cæterisque obsoniis, quibus vescitur: siquidem & eorum virtutes complures in mistis corporibus conseruantur, atque in illorũ forma virtute continentur. Immò vel vnius misti formam alterius materiam appellari posse; quòd formam habeat, quæ illam virtute cõtineat. Animaduertant præterea, corpus mistum non minùs verè esse mistum & compositum, quàm corpus simplex sit simplex: & vt corpus simplex & elementare materiam actu habet & formam, ita mistum substantiam elementorum postulare: eodemque modo vtrũq; in partes componentes, quæ actu insint, dissolui. Nam si elementa virtute solùm inessent, mistio quidem esset, aut compositio virtualis, vera tamen, realis, & actu non esset. Quemadmodum nec realis adesset relatio inter compositionis partes, quòd eæ re distinctæ non essent. Neque magis esset actu compositum mistum quàm elementorum, si vtriusque forma cum informi materia immediatè copularetur. Illud etiã considerẽt, mistionem illam ex formis virtute cõtentis physicam non esse, sed metaphysicã potiùs. Quæ soli quoque, qui virtute dicitur inferiores formas continere; aut intelligenti animæ, quæ vegetantem, & sentientem; immò & simplici corpori, quod substantiæ, corporis, & talis corporis gradum complectitur, attribui eodẽ iure possit.

Quòd

Quod si mista corpora sint physicè in substantia magis composita, quàm sint hæc omnia, quæ commemorauimus; necessarium profectò est aliquid aliud physicum reipsa in illorum substantia contineri. Quoniam quod ad qualitates attinet, eæ accidentariam temperaturam faciunt, substantiæ mistionem non faciunt. Immò vt accidentaria temperatura quatuor illis qualitatibus actu constat, sic substantiæ mistionem quatuor elementorum substantias actu continere oportet.

9. argumentum. Denique haud ego quidem satis video, quomodo mistionem illi ab ortu, nisi accidentariè propter antecedentem dispositionem, separent. Quod antiqui nequaquam negabant. Quibus Aristoteles magnopere voluit essentialem distinctionem persuadere: eamque ob causam diuersam item vtriusque difinitionem exposuit. Si. n. Elementorum substantiæ penitus extinguantur; vt ortus, ita mistio tribus illis simplicis ortus principiis essentialiter constituetur, prima materia, priuatione, & forma quæ producitur. Ortusque definitio in tex. 23. prioris lib. de ortu & interitu explicata, ortui & mistioni synonymè conueniret. Neque fuisset opus aliam in tex. 90. mistionis definitionem proponere. Hæc qui attentè considerauerit, probéque perceperit; intelliget planè eam, quàm dixi, non Arist. modò, sed veritatis & naturæ fuisse de mistione sententiam.

Aduersariorũ Argumenta. Quæ verò aduersus eam ab aduersariis proponuntur, ad duo capita pertinent. Altero conantur ostendere, elementorum formas impartibiles esse, neque remitti posse, aut frangi. Altero directè agũt aduersus rationem mistionis propositam. Prioris generis argumenta ad alium locum pertinent, in quo de elementis agitur. Nunc ea, quæ posteriori continentur, tãquam huius disputationis propria, satis fuerit explicare. Agunt auctoritate, ratione, & sensu. Aristoteles. n. in tex. 32. lib. 1. de cœlo apertis verbis scripsit, Elementa in mistis inesse potestate, & in tex. 84. lib. 1. de ortu & interitu, eorum virtutes remanere; hoc est qualitates, quæ illorum virtute operantur: aut formam misti, quæ virtute omnia continet. Sic. n. interpretantur illi. & in tex. 89. omnia mutari in dominans, hoc est in formam misti superiorem. & in tex. 48. posterioris libri, perire elementorum excellentias, hoc est substantiales formas. & in cap. 1. lib. 2. de partibus animal. mista non tam ex elementis, quàm ex elementorum virtutibus constare.

Auctoritatem confirmant rationibus. Tum quia plures formæ simul esse non possint, vt nec plura corpora in eodem loco. Tum quia formæ illæ frustra post aduentum superioris remanerent. Tum quia elementorum formæ sunt, terminus à quo mistionis, mistique forma terminus ad quem; terminusque prior abiicitur, dum posterior accedit. Subiectum item ortus non esset ens potestate; neque mistum ens per se; si eius forma enti ab elementorum formis actu constituto aduenirет. Ortus vnius non esset alterius interitus; neque mutatio totius in totum; si cum forma misti elementorum quoque formæ conseruarẽtur. Elementa minimè naturaliter, immo cum summa vi, essent in mistis; cùm & contraria sint, & opposita loca instigante natura desiderent. Quælibet pars misti non esset mista; prohibente scilicet propria singulorum elementorum quantitate, ne vbique omnia simul insint. In vno, eodemque composito plures continerentur subsistentiæ; vt plures forent substantiæ formæ, quarum singulæ compositum subsistens facerent. Eadem materiæ pars quatuor haberet raritates & densitates, aut certe simul rara esset & densa; cùm singulæ hæ formæ raritatem propiam, aut densitatem postulent. Mistũ non solùm non esset vnum, sed etiam in pluribus & diuersis speciebus: singulis nimirum elementorum formis materiam in propria specie cõstituentibus. Fieret interdum, vt duo in eodem misto dominarentur Elementa, vnum motrice, alterum alteratrice qualitate. In carne enim si prius qualitatum genus spectetur, dominatur terra; quia est corpus graue: at si posterius quæratur, quia calida & humida, ignis præualet & aër.

His omnibus sensuum iudicium subijciunt. Nũquam enim sensus iudicabit ignem actu esse in digito, aut piscibus, qui vitam omnem in aquis degunt; aut in frigidissimo lapide. Neque aliud item Elementum. Ita conficiunt sapientes philosophi, elementorum formas substantiales actu & formaliter nequaquam in mistis remanere; sed potestate & virtute; aut nobiliori videlicet modo in forma misti contentæ: aut propter qualitates superstites; quæ non modò vt accidentia quæpiam considerantur, sed tanquam propriæ elementorum virtutes, & velut pereuntium formarum vicariæ ad operandum: aut demum propter operationes, quæ eædem in misto cernuntur.

Cur potestate inesse dicatur. Verùm hæc omnia non magno labore explicantur. Dixit sanè interdum Philosophus, potestate, non actu, inesse. Sed cur ita loquutus, quæue illis verbis subiecta sententia sit; docui satis ex Alexandri, Philoponi & Simplicij interpretatione. Actum enim illum negauit, quem integrum, perfectum, & distinctum ante mistionem habebant; quemque in ea ipsa conseruari antiqui censuerant. Maluit dici potestate; non quòd omnino nõ sint; sed quòd confusa cùm sint & parte mutilata, potestate sunt, tum vt rursum separentur (sic enim ipsemet interpretatus est in tex. 33. lib. 3. de Cœlo) tum vt pristinam perfectionem & integritatem recuperent, vt exposuit in tex. 84. prioris lib. & tex. 48 posterioris de ortu & interitu. Eodem intellectu de organo tactus loquitur in tex. 117. huius 2. lib. de anima; vbi illud affirmat potestate debere continere qualitates tactiles. Quia nimirum remissas & temperatas esse oportet. Alioqui actu inesse manifestum est; quoniam calidũ & frigidũ, humidum & siccum in omnibus insunt corporibus.

Fuit & alia ratio, cur potestate potiùs, quàm actu, inesse pronuntiauerit. Non enim sunt in misto tãquam species quæpiam & corpora per se, sed materiæ vim habent; materia autem potestas est. Et quamuis formæ partem retineant, ea tamen ipsa non dat materiæ suum actum distinctum ac speciẽ, vt antea dabat; sed est velut dispositio materiæ ad misti formam suscipiendam. Immò quia ex materia & forma non fit vnum per se, nisi quia materiæ est potestas, forma actus: Elemẽta, quæ sunt vt materia, dicere oportuit esse potestate, non actu; vt ostenderetur, etsi partem aliquam actus & formæ retineant, ex illis tamen & accedente forma misti quidpiam vnum per se effici. Sicut etiam, etsi prima materia sit actu ens & substantia, comparatione tamen formæ potestas, non actus, appellatur.

Auerroës quoque in 7. metaph. commentario 42. superiores differentias dixit potestate esse in specie,

solam vltimã esse actu. Quod exposuit in cõmentario 43. genus addens in specie non esse actu, sed potestate; quia est vt materia. Et in 8. lib. commentario 6. genericas differentias esse potestate, quia sunt vt materia. Vt enim materia determinatur & contrahitur à forma, ita & genus, genericæq; differentiæ ab vltima: & vt à forma, sic ab vltima differentia nominatur vnumquodque.

Mistionis definitio exponitur.

Eandem rem confirmare licet ex mistionis definitione. Cur enim eam definiuit elemẽtorum alteratorum vnionem? Nunquid qualitatibus solùm alterari voluit elementa, integrasque substantiæ formas asseruari? At hoc est, quod aduersus antiquos disputauerat. Nimirum propterea dixit alteratorum, quòd elementorum illa contemperatio, etsi facta in substantia, ad formam misti producendam est dispositio; omnisque dispositio ad formam alteratione efficitur. Aut alteratorum dixit, & non corruptorum; ne totale illorum exitium quisquã intelligeret. Siquidem prorsus non interire, mistionemque ab ortu & interitu differre, iam posuerat. Alterationis voce dimidiatum interitum significari voluit, velut substantialem quandam (si ita loqui fas sit) alterationem. Eiusmodi enim quidpiam est alteratio in qualitate, cùm eadem qualitas intenditur, aut remittitur, alioque & alio modo mutatur. Quod videtur planè significare vox græca ἀλλοιωτικῶν, hoc est alio modo se habentium, seu affectorum, quàm antea.

Quid elementorum virtus in tex. 84.

Quod autem spectat ad tex. 84. dixit quidem eorum virtutem seruari, & græcè est δύναμις, hoc est potestas. Sed vt ostenderet non penitus interire, tolleretque antiquorum dubitationem: Quæ sublata nequaquam fuisset, si solam virtutis continentiam asseruisset. Verè enim mistio esset elemẽtorum interitus, & alterius formæ ortus; hoc est nulla prorsus mistio, vt obijciebant illi. Minùs peccarunt, qui qualitates intellexerũt, quæ ad operandum virtutes Elementorum sunt. At præterquàm quòd non virtutes, sed virtutem nominat; nec plures qualitates vnius nomine poterant appellari: aut mistioni solùm accidentariæ locum relinquunt; aut, vt prudens sit tam sapientis philosophi ratiocinatio, ex illis ipsis qualitatibus fateantur substantiarum quoque formas ostendi esse superstites. Etenim dum eæ considerantur, non vt accidentia sunt, sed vt virtutes & proprietates Elementorum: statim intelligitur, non posse proprietates ab essentia separari, à qua sola habent, vt sint quandiu tandem sunt. Neque dici possunt in misto remanere, quòd forma accedens formas illas virtute contineat, quarũ eæ proprietates fuerant. Quoniam & ostensum est, eas in illa nequaquam virtute contineri: & cùm propietas non solùm vt producatur, sed vt conseruetur, pendeat ab illa natura, cuius proprietas est; dum pereunt Elementorum formæ, ne puncto quidem temporis possunt illæ subsistere. Aliæ prorsus proprietates misti formam comitantur, quæ diuiniores multò sunt & præstantiores habent operationes; quàm eæ, de quibus nunc sermo. Quæ quòd in mistis eiusdem sunt speciei, fractiores tamen multò & debiliores, quàm in Elemẽtis essent; idem omnino principiũ, fractum licet & debilitatum, demonstrant.

Duplex igitur fuerit vera & germana illius loci interpretatio, vt duplex est vis illius vocis (δύναμις.) Prima est; Non remanent Elementa prorsus integra, nec tota pereunt: quoniam cùm duobus modis quidpiam dicatur, aut actu integro & separato, aut potestate, hoc est actu refracto & permisto cũ contrario, qui potestate sit ad suam perfectionem & separationem à contrario; remanet eorum δύναμις, seu potestas, hoc est forma fracta & cum aliis permista, quæ ad suam perfectionem & separationem est potestate. Hocque cõsentit optimè cũ eo, quod in eodem textu probauerat, Elementa penitus non interire, quia rursum separantur.

Altera interpretatio est, vt δύναμις non potestatem significet actui oppositam; sed facultatem, quæ operationis principium est. Sic enim animæ facultates δύναμεις non multò post in hoc libro appellabuntur. Quam vocis acceptionem sequutus est latinus interpres, qui virtutem vertit. Verùm, vt antea demõstratum est, idem ex hac, quod ex priori, conficitur. Erit enim argumentum à posteriori, quo formas illas ostendetur penitus non extingui, quòd virtus operandi & operatio illorum propria vigeat quoque in mistis, licet parte quadam debilitata.

In tex. 89. quo intellectu dixerit, Elementa omnia mutari in dominãs; propositis ipsius verbis fiet perspicuum. Sic enim habet. Quando autem potentiis adæquantur quodam modo, hoc est vt nullum magnopere superet reliqua, tũc mutatur quidem vtrumque in dominans ex sui ipsius natura: non generatur autem alterum; sed medium & cõmune. Dominans enim non appellatur misti forma: quoniam hæc nihil agit in mistione, nec Elementis dominatur virtute agẽdi, de qua est sermo: immò nec dum eo tempore adest: & si elementorum mutatio in mistum intelligatur, non erit mistio; sed Elementorum interitus, & alterius formæ ortus. Verùm id, quod dominans dicitur, est Elementum contrarium, quòd viribus quoquo modo superet. In illud tamen ita mutantur reliquã, vt nõ gignatur alterum, sed medium & commune; hoc est non vt reliquis Elementis corruptis illud vnum producatur, quia nulla foret mistio: sed vt aliqua reliquorum parte corrupta, & aliqua illius genita, ex imperfectis illis contemperatis formis medium quid existat & omnibus illis commune; quod nec ignis sit, nec aër, nec aqua, nec terra, sed omnia hæc permista & contemperata. Hæc est illorum verborum sententia, quæ optimè mistionis naturam exponit. Certè si vnum elementum interire, & alterum gigni non debet, sed ex omnibus fieri medium quid, & commune: multò minùs dici potest corrumpi omnia, aliamque misti formam produci. Hæc enim nobilior quidem est omnium Elementorum formis, at inter illas media & communis non est, sed diuersæ prorsus ac dissitæ naturæ.

Iam verò textu 48. posteriorìs libri mirum est, quàm turpiter abutantur. Quicunque enim Philosophi verba perlegerit, aperte intelliget, Excellentiarum nomine perfectionem & summitatem formarum, tum accidẽtariarum, tum substantialium, intelligi. Propterea enim principiò accipit, non calorem & frigus, sed calidum & frigidum; hoc est Elementa ipsa, quæ qualitatum nomine sæpissimè significantur, suscipere magis & minùs: duobusque modis actum nominari, aut perfectum & purum, aut dimidiatum & cum contrario permistum. Vt inde nimirum colligat, ea, quæ miscentur, ita agẽdo & patiendo amittere excellentias suas, hoc est summitates actuũ & formarum; vt nec in primam materiam nudam dissoluantur, nec maneant actus

puri

puri & integri, sed ex omnibus dimidiatis quidpiã fiat inter omnes medium. Quæ est mistionis ratio superiùs exposita.

Cur ex virtutibus potiùs Elementorum fiant mista.

Vltimus superest locus explicandus, in quo ex virtutibus potiùs Elementorum, quàm ex Elemẽtis, confici mista dicuntur. Primùm monendi sunt aduersarij, ne humorem legentes & siccitatem, calorem & frigus, qualitates significari putent; quin substantias potiùs Elementorum intelligant. Non solùm enim vsitatissimum Philosopho est ita nominare: sed in eo ipso loco duo habentur huius rei argumenta. Alterum; quòd Elemẽta nominat terram, aquam, aërem, ignem. Alterum; quòd humorem & siccitatem, calorem & frigus, materiam esse scribit mistorum corporum. Non.n. accidentia & qualitates possunt esse materia, sed hanc oportet esse substantiam: & iam in tex. 83. prioris libri de ortu & interitu fuerat positum, qualitates non esse aptam mistionis materiam; sed ea, quæ miscenda sunt, debere esse substantias, vt rursum separari queant.

At quid causæ fuit, vt cùm mista dixisset ex Elementis componi, sermonem statim correxit, ex virtutibus potiùs Elementorum confici? Ea videlicet fuit, vt antiquorum vitaret errorem, qui integra in mistis conseruari voluerunt. In quem errorem ipse quoque visus fuerat incidisse, cùm absolutè ex Elementis primam compositionem fieri pronuntiauerat. Propterea verius dici subiunxit, eam fieri ἐκ τῶν δυνάμεων, hoc est ex potestatibus Elementorum. Potestates autẽ appellauit, vt & in aliis locis, fractas & castigatas Elementorum partes, quæ summitatibus ablatis temperantur & confunduntur. Sic.n. Timæus quoque apud Platonem de Elementis loquens, quæ antequam Deus hunc mundum conderet, confusa erant inter sese & permista; nullum eorum dixit aquam, vel ignem, vel aërem, vel terram, vt modò apud nos nominantur, iure tunc vocari potuisse. Itaque δύναμιν, quam Latinus interpres virtutem vertit, sicut & in tex. 84. prioris lib. de ortu & interitu, meliùs potestatem vertisset. Quoniam vox illa vix potest id significare, quod ad hunc locum pertinebat; vt quomodo elementa cõpositionis mistorum materia sint explicaretur. Optimè autem declarat potestas, quæ imperfectũ actum cum contratio permistum significat.

Vt plures formæ simul.

Argumenta porrò, quibus illi auctores Elementorum formas à misti compositione ablegare prorsus se putant, quàm leuia sunt & infirma? Nam si de perfectis & totalibus formis, quæ speciem constituant, sit sermo; eas non posse simul esse plures in materia, vltrò illis concedendum est. At imperfectæ & permistæ, quæ nullam habeant speciem, sed sese ad aliam suscipiendam speciem subijciant; tantum abest, vt simul esse nequeãt, vt maximè necessarium sit, si mistio vlla futura sit in substantia. Nõ enim eadem est ratio corporum in loco, & formarum in materia. In eodem loco plura corpora simul non suscipiuntur, quòd sua mole occupant locum, neque quantitates eorum penetrare se possunt; & ideo vnum pellit alterum. Formæ nullam habent molem, aut quantitatem. Argumento sit refractarum qualitatum temperatio: quæ integræ & perfectæ simul esse non poterant, castigatæ & dimidiatæ possunt, quamuis pugnantis & contrariæ naturæ. Plures item partium diuersarum formas in viuentibus corporibus eos admittere, & verò etiam diligenter procurare debere, non multò post demonstrabitur. Neque enim superiori forma adueniente superuacaneæ sunt, immò tunc maximè necessariæ: nec minùs, quàm dispositiones quælibet suscipiendæ & conseruandæ formæ. Nam quod ab ipsis dicitur, misti formam virtute formas Elementorum continere, possequè omnem illarum perfectionem & operationẽ præstare; absque probatione accipitur, & incautè pronuntiatur. A me verò contra potiùs rem habere ostensum est: vt formis illis amotis ne propria quidem huius perfectio aut operatio constare queat.

Duplex in mistione mutatio.

Minùs porrò prudenter mutationis huius terminos ponunt, dum Elementa volunt esse terminum à quo. Nam duplicem oportet in mistione mutationem distinguere. Altera est productio formæ misti, mistique generatio. Altera velut antecedens materiæ dispositio; Elementorum scilicet omnium permistio & temperatio. Si prioris quærantur termini; terminus à quo vt in qualibet generatione, est illud formæ priuatio, & terminus ad quem illa ipsa forma producta. Sin antecedẽs Elementorum contemperatio consideretur; terminus à quo sunt ipsamet Elementa separata & distincta, viribusque & substantiis integra; & terminus ad quem illa ipsa vnita, permista, & viribus ac substãtiis castigata & fracta. Absolutè autem cõsiderata, vt Elementa sunt & simplicia corpora, nullius termini vim habent, sed materiæ. Quare vt ab integritate illa & distinctione, quæ est terminus à quo, recedendum est in mistione; ita retinenda semper est substantia, quæ est materia.

Ortus subiectũ quale.

De ortus subiecto minùs peripateticè sentiunt. Et verè omnino scripsit Themistius in 3. lib. c. 27. hunc esse perpetuum naturæ ordinem, vt inferioribus vtatur tanquam superiorum & perfectiorum materia. Neque enim materia prorsus nuda & omni actu spoliata vllius ortus subiectum est: nec nisi antecedentibus quibusdam dispositionibus formata vllam substãtiæ formam suscipit. Hæ in simplici Elementorum ortu sunt principes dũtaxat qualitates; in mistorum procreatione formæ quoque simplicium corporum substantiales, non quatenus eiusmodi sunt actus propriæ speciei; sed quatenus inferiores & veluti dispositiones ad nobiliorem actum à natura fabricatæ. Hanc ob causam refranguntur & simul omnes permistæ & confusæ propriam speciem ac decorem amittunt: atque in hoc vnum conspirant omnes, vt meliori formæ cedant locum & materiam præparent: cedant, inquã, locum quoad speciem & formalitatem; materiam autem præparent sua realitate. Atque hic est pulcherrimus & admirabilis ordo naturæ, hic omniũ corporum nexus: dum ruditas illa & informitas materiæ non statim & subitò quemlibet actum & perfectionem admittit; sed progrediendo paulatim ab imperfectioribus ad perfectiores deuehitur: & dum priores posteriorum dispositiones sunt, omnes simul in communis parentis gremio copulantur; singulisque pro eorum dignitate conuenienter & opportunè locus præparatur. Et quoniam priores ad eam non accedunt, vt illam in sua specie constituant; sed vt ad sequentem actum & speciem attollant; is & ex materiæ potestate educitur, & simul cum ea efficit vnum ens per se.

Vt ortus vnius sit alterius interitus.

De celebri illa Philosophi propositione, Ortus vnius est alterius interitus, longa posset esse disputatio. Sed hoc loco satis fuerit respondere, eam non in omnibus esse vniuersè veram. Quemad-

modum in illo accidentium genere, quæ contrarium non habent: nec in iis item contrariis, quorum alterum necesse non est subiecto semper inesse: aut quæ non fiunt & corrumpuntur ex contrario, sed ex elementorum permistione primùm existunt. Propterea enim in tex. 20. illius libri ad solas substantias propositionem contraxit. In substantiis autem intelligenda est de compositis potiùs, quarum propriè ortus est & interitus; quàm de formis. Nam dum interit homo, compositum solum dissoluitur: & dum homo nutritur, perit quidem alimenti forma; sed si vnicam illi velint in quolibet composito esse formam, nulla gignitur forma; sed quæ præerat intelligens anima materiam illam formare incipit. Neque verò defuerunt, qui in solis Elementis, eorumque simplici ortu propositionem illam esse veram, mistionemque ab ortu longè diuersam mutationem esse affirmarint. Alij plerumque, non semper, intelligendam esse. Sed vt in omnibus & semper veram esse concedamus; sanè in mistorum ortu quidam est Elementorum interitus: tum quoad realitatem, dum refranguntur & quadam parte mutilantur; vt Aristoteles propterea excellentias illorum dixerit interire: tum quoad formalitatem, dum speciem, distinctionem, & nomen ita amittunt, vt cùm permista sint & confusa, omnino videantur non esse; vt ideò dixerit Aristoteles esse potestate. Dumque dissoluto misto pristinam perfectionem & speciem recuperant, actu fieri & tunc primùm oriri propemodum existimantur.

Vt ortus mutatio totius in totum.

Definiuit quoque Arist. ortum esse mutationem totius in totum nullo sensili remanente vt subiecto. Numquid ergo formas omnes Elementorum perire oportet; cùm misti forma producitur? Verùm aut id de simplici Elementorum ortu, in quibus vnica est substantiæ forma, pronuntiatum fuit. Nil enim aliud eo loco volebat Philosophus, quàm ortum ab alteratione distinguere; aliamque postea mistionis definitionem explicauit. Aut de vnius compositi in aliud totum compositum mutatione intelligendum est. Nam cùm totum mutari dicitur, non significatur mutari omnia, quæ sunt in composito, alioqui materia quoque interire deberet. Sed ea integritas mutari ostenditur, quæ cuiusque compositi propria est: siue illa ex vnica simplici constet forma, vt in Elementis; siue ex pluribus, vt in cæteris. Vt autē hæc mutatio fiat, satis est vltimam speciei formam mutari, quæ compositum illud totum & integrum absoluebat. Hoc enim est, quod aliis verbis dicitur in tex. 10. eiusdem lib. ortum esse mutationem ex hoc in hoc; vnius scilicet compositi per vltimam speciei formam constituti in aliud compositum, forma illa mutata, etsi plures aliæ remaneant. Quoniam vnica est, quæ speciem tribuit, totumque illud constituit; cæteræ vim habent materiæ. Quemadmodum cùm vnus numerus mutatur in alium, addita vnica, vel detracta vnitate; etsi maneant reliquæ, mutatio est totius in totum, quia totius forma mutatur, quamuis plures alij inferiores numeri in eo contenti, velut illius materia, conseruentur. Neque enim in corporibus mistis fit statim, vt in simplicibus; sed per plures mutationes, in primam materiam dissolutio.

Venio ad illud argumentum, in quo magnopere illi verentur, ne nimia vi detineantur in mistis Elementa; neue mista sint parùm diuturna. Elementa si secundùm suam naturam & vt partes sunt integritatis vniuersi considerentur; habentque leuitatem & grauitatem, & pugnaces qualitates; sanè in mistis ea dixeris esse præter naturam; & propterea in tex. 39. huius libri necessàriam esse in viuentium corporibus animam, ratiocinabitur Aristoteles. Facilè tamen continentur, quoniam refracta sunt, castigata, & inuicem conciliata. At quatenus mistorum materia sunt, atque ad illorum compositionem instituta, natura duce & conciliatrice naturaliter in illis insunt. Nec temerè affirmauero, non minùs naturaliter ea ibi esse fracta & permista, quatenus sunt horum corporum materia; quàm sint in propriis locis sursum aut deorsum integra & separata, quatenus vniuersitatis huius partes existunt. Etenim propter vtrūque vsum facta sunt à natura; munusque vtrumque libenter exequuntur. Omnem igitur deponant metum, neque mistorum dissolutionem pertimescant.

Neque vt quælibet misti pars sit mista, penetrationem, aut permeationem corporum necessariam putent. Coëuntia enim Elementa in minutas partes diuiduntur; vt non solùm tota in tota, sed singulæ item partes agant in singulas. Harum omnis partium principiò est iuxta positio, deinde continuatio. Quoniam vbi agere aggrediuntur, copulantur omnes, fitque vna coniuncta quantitas, & vna omnium communis materia. Vnde tota misti moles; tanta prorsus, quanta fuit omnium simul Elementorum, quæ ad mistionem conuenerunt. Mox verò mutua procedente actione omnium & passione, siue altera qualitate inter symbola, siue vtraque inter assymbola: fit vt in qualibet materiæ parte, in qua vnica erat vnius Elementi integra forma, pereuntibus aliquot, tum qualitatum, tum substantiæ gradibus, & aliquot aliorum omnium agentium Elementorum gradibus productis, aliquid tandem sit ex Elementis omnibus permistum: atque hoc est, quod Philosophus dixit, quamlibet misti partem esse mistam. Vbi tum in qualitatibus & formis, tū in quantitate & materia, existit perfecta vnitas & coniunctio totius misti. Vt iure optimo mistionem definierit esse vnionem; eorum scilicet omnium, quæ in Elementis antea disiuncta erant, & verò etiam pugnantia.

Ita nec plura erunt supposita, pluresue substantiæ. Tum quia hoc in rebus materialibus materiæ exigit diuersitatem & disiunctionem requirit: in mistione autem quatuor Elementorum materiæ in vnam planè coniunguntur. Tum quia vt ex duabus partialibus materiæ & formæ existentiis vna efficitur perfecta totius compositi subsistentia; non minùs quàm ex duplici illarum partium essentia vna fit compositi natura: ita ex pluribus veluti partium essentiis & subsistentiis Elementorum copulatorum & permistorum, atque ex essentia & existentia formæ misti accidentis fit vna tota & integra misti corporis, tum essentia, tum subsistentia perfectissima. Essentiam enim perpetuò comitatur existentia.

De raritate & densitate non est aliter philosophandum, quàm de calore & frigore, humore & siccitate, leuitate & grauitate, perspicuitate & opacitate. Vt enim hæ omnes qualitates in puris Elementis erant puræ, & in mistis cum suis contrariis singulæ temperantur; ita de raritate quoque & densitate cogitandum est. Sub eadem enim raritate & densitate Elementorum omnium temperatis simul

simul sunt in eadem materia omnes quoque illorum permistæ formæ. Quæ cùm, vt sæpiùs dictum est, in mutua permistione propriam & distinctam speciem amittant, vimque materiæ subeant; mistum efficitur perfectissimè vnum, vniusque solùm speciei. Ad extremùm quoniam alteratrices qualitates, & eæ, quæ motrices vocantur, ita connexæ sunt, vt calida sint item leuia, & frigida grauia; ab vno & eodem Elemento dominante vtrunque horum proficiscitur. Itaque si in carne dominatur grauitas, necesse est abundet frigus; dominantibus scilicet grauibus & frigidis Elementis, terra & aqua. Quod in cadauere manifestum est. Abeunte namque anima friget statim caro natiuæ & propriæ temperationi relicta; aduentitioque illo calore destituta, cuius perennis fons est anima, cuiusque beneficio incalescebat.

Sensuũ iudicia.

Iam verò si argumentationibus prætermissis ad sensuum iudicium prouocent aduersarij nostri; duo benignè monendi sunt. Aut enim nihil sensus respondebunt, tum quòd non substantiæ, sed accidentium sint iudices: tum quod Elementa proprios suos & distinctos actus, quibus sese prodant, in misto non habeant. Aut ex qualitatibus omnibus & operationibus, quas superstites esse deprehendent, totam nobis causam adiudicabunt; formas quoque & substantias quadam ex parte incolumes esse.

Mistio duplex.

Verùm sat est de hac re disputatum. Præstat ad alia progredi. Igitur hæc sit totius huius prioris disputationis clausula. Duplicem omnino in mistorum productione Elementorum permistionem fieri; qualitatum vnam, quæ temperatio propriè dicitur; altera substantiarum, quæ mistio verè nominatur. Illa prior est ortu, hæc intentione naturæ. Nam propterea qualitates temperantur, vt hac antecedente dispositione Elementorum quoque substantiæ misceri possint.

Iacobus Tabarellain lib. de mistio. ca. 7.

Cæterùm quod in tota hac disputatione acceptum est, præter quatuor Elementorum formas inesse in singulis mistis inanimis propriam ipsorum substantiæ formam; à nonnullis video in dubium reuocari, & verò etiam apertè negari. Cum enim Philosophus mistionem dixit nil esse aliud, quàm eorum, quæ misceri possunt, alteratorum vnionem; fuerunt aliqui nec sanè ignobiles philosophi, qui ita hæc verba intellexerunt, vt mistorum corporum naturam dixerint (de inanimis nunc est sermo) nulla constare sibi propria substantiæ forma, sed solis quatuor Elementorum formis temperatis atque vnitis: & ideò verissimè mistionem appellatam fuisse Elementorum alteratorum vnionem. Quare misti forma nil aliud re ipsa fuerit horum sententia, quàm collectio plurium graduum formarum Elementarium, quibus noua formalitas accessit. Coierunt enim inquiunt, in naturam aliam ab Elementorum naturis formaliter distinctam, nec ampliùs Elementa constituunt, sed mista; dantque esse alterius speciei.

In mistione formam misti propriã produci.

Ego verò neque vnionem illam ita interpretor, neque hanc Peripateticorum fuisse sententiam cõperio. Quin eos potiùs voluisse, post alterationem, temperationem, & vnionem Elementorum vnicuique misto opportunam educi aliam ex illius materiæ potestate formam substantiæ Elementorum formis diuiniorem, mistique propriam, velut antecedentis totius alterationis terminum. Alexandri aperta sunt verba in 2. lib. Natural. quæst. cap. 3. Cùm enim singula corpora sublunaria, vel etiam mista, propriam aliquam habere naturam posuisset à cœlestibus corporibus acceptam, perfectiorem, minusue perfectam: simplicia quidem, vt cœlesti illi corpori propinquiora sunt, aut ab eo magis remota: mista autem, vt nobilius in illis, aut ignobilius Elementum dominatur: tandem sic loquitur. Quæ verò ex horum simplicium corporum mistione & temperamento fiunt, tanquam pluribus communicantia potentiis & diuersis corporibus, & composita iam fiunt & perfectiora, & perfectio in eis & forma diuersa fit. & quæ sequũtur. Rursum ex cap. 24. apertiorem sententiam superiùs posui, cùm exponerem, quid ipse de mistione conceperit. Nunc hæc addo. Non enim inquit, quia ignis & aër, aqua & terra, sunt materia carni, caro ab his vocatur & est; sed à forma ipsius genita, secundùm quam caro ex ipsis genita habet essentiam suam. Et paucis interpositis. Composita corpora non habent esse hoc aliquid à subiectorum eis corporum forma; sed ex ea, quæ ex illis, & ab illis est genita. Quapropter vniuersè verum est, omnem compositam substantiam à forma habere esse hoc, quod est. In commentario item vltimo lib. 7. metaph. terra & ignis non sunt idem, quod caro & carnis forma. Dissoluta enim carne ignis & terra supersunt, caro non item. Philoponus autem interpretationem faciens tex. 36. libri primi phys. hoc nomine Peripateticos affirmat ab Anaxagora dissentire, quòd is nil aliud esse diceret corpus compositum, quàm similarium partium, seu componentium concursum: at nos, inquit, qui Peripatetici esse volumus, tali compositioni, temperieique Elementorum dicimus formas aduenire, quæ diuersæ à subiectis sunt. Et in expositione textus 48. posterioris libri de ortu & interitu mistum ait specie sua formatum existere, atque actu præter simplicia esse aliquid.

Complura huiusmodi loca ex interpretibus Græcis possem proferre, nisi Aristotelis verba in promptu essent. Atque vt illa mittam, quæ in com. 76. 82. & 91. libri 1. adnotata fuere: Is in textu 35. lib. prioris de ortu & interitu propterea scripsit in viuentium corporibus eterogeneas partes augeri, quòd homogeneæ augeantur: atque has rursum, quemadmodum reliqua omnia, quæ formam habent in materia, & materia constare & forma sibi propria: augerique ratione formæ, non materiæ. Quæ verba duo continent argumenta ad mistorũ formas ostendendas. Alterũ; quòd accretio per se fiat in partibus homogeneis, carne, osse, neruo, quæ mista sunt corpora: & ratione solius formæ, nõ materiæ. Necesse est igitur aliquam esse formam partium earum propriam. Nutritionem enim quã consequitur accretio, nec mistionem esse dicimus, nec ratione elementorum fieri affirmamus. Quoniam mutatio est ab ea prorsus diuersa, qua sanguis in carnem, os, neruum, immediate mutatur. Alterum; quòd vt reliqua omnia, tum simplicia, tũ mista, caro, & aliæ huiusmodi homogeneæ partes, materia & propria sibi forma cõstare dicantur. Itaque cùm de mistione loqueretur in textu 84. in ea scripsit produci quidpiam aliud ab Elementis: aliud autem formã diuersam significat. Et in textu 41. posterioris libri Empedoclem grauiter reprehendit, quòd solam elementorum, aut similarium partium congregationem diceret mistionem; neque aliam adderet substantiæ formam, tanquam

Propriam cuiusque rei naturam & substantiam, vt ait Philoponus, Elementis superiorem; quæ tanquam mistionis finis mistionem totam & temperationem moderaretur.

Cui similia sunt duo alia loca. Alter locus erit in textu 39. huius lib. vbi rursum eandem ob causam eundem hominem accusabit; quòd, nisi alia sit misti forma Elementis superior, haud possent elementa contraria simul vnita conseruari: sed leuia sursum ascenderent, deorsum grauia descenderent. Et eo quidem in loco Philosophus accretionis efficiẽtem causam quærens, animam colligit in viuentibus corporibus velut superiorem formam Elementa continentem: At eodem argumento in mistis inanimis inanimata alia forma concluditur. Alter fuit in tex. 90. & 91. lib. 1. vbi aduersus Platonem, qui animæ partes ita in corporis partes distribuebat, vt appetens esset in iecore, iracens in corde, intelligẽs in cerebro; rursum obiecit, oportere aliquid esse, quod & illas animæ partes vniat, & totum corpus, quod ex tam diuersis membris compactum est. Vt enim abeũte anima dissoluitur corpus, ita dum viuit, non consisteret, nisi vna esset totius & omnium partium forma. At nonne idẽ aduersariis nostris in hac quæstione obijci potest?

Mitto, quòd non solùm in 1. lib. phys. sed & in tex. 51. posterioris libri de ortu & interitu, aliisque plurimis in locis, in iis omnibus, quæ oriũtur & occidunt, siue simplicia sint, siue mista, prẽter materiã posuit formam tãquam illorum ortus finem. Nam vt mistorum ortus à simplicium & viuentium procreatione diuersus est; sic propriam illorum formã à reliquorum formis diuersam esse oportet, Illorũ videlicet ortus finem ac terminũ. Certè in vltimo capite lib. 4. Meteor. cùm esset sermo de carne, osse, alijsque similibusanimalium corporum partibus: Sunt autem inquit omnia, vt ex materia quidẽ ex Elementis, vt autem secundùm substantiam, ratione. Atque hoc videtur semper fuisse præcipuum huius sententiæ fundamentum, quod antea ostensum est Aristoteli & Peripateticis omnibus fuisse semper firmissimum. Cùm. n. in quolibet composito materiam & formã res diuersas esse oporteat; mistorum corporum forma diuersum quidpiã erit ab Elementis, quæ sunt materia: Quippe hæ duæ partes & causæ nunquam possunt in vnam rẽ conuenire, vt est in textu. 70. lib. 2. phys.

Verùm is argumento eterogenearum partium id ex instituto demonstrat. Etenim quemadmodũ hæ formã habent animam à materia & corpore distinctã, cuius beneficio operãtur, eaque remota omonymè appellantur manus, aut pes; ita & in carne & osse intelligẽda est forma ab Elementis diuersa, quę sunt illorum materia. Quædã est operatio carnis & ossis propria, cuius propriũ itẽ aliquod necesse est esse principiũ. Idẽque post subiungit de ære, argento, cæterisq; mistis inanimis existimãdũ esse. Verè n. hoc argumẽti genus ex operatione deprõptũ firmissimũ est ad ostẽdendã formã operationis principium & causam. Plurimæ autem in omnibus cernũtur operationes, quæ tota Elementari natura superiorẽ virtutẽ demonstrent. Admirabiles namque herbarũ virtutes, magnetis, electri, lapidũque plurimorũ, quî possint in solas elemẽtorũ formas, aut qualitatum temperationẽ reuocari? Nam etsi ex ex qualitatum mistione immediatè deriuentur; aliam tamen præcipuam supponunt causam, quæ substãtiæ forma sit.

Denique dũ in tex. vlt. lib. 7. metaph. formã probaret Philosophus in qualibet substantia cõposita rẽ esse à materia diuersam; hæc inter cætera pronũtiauit: Caro non solùm est ignis & terra, aut calidũ & frigidum; sed etiã aliquid aliud. Et in tex. 22. lib. 12. Si quid ex frigido & calido fit vnum, vt caro aut os; necesse profectò est aliud ab elemẽtis esse illud, quod factũ est. Illud verò perquàm manifestũ est, corpora omnia mista species esse naturalis corporis, tũ inter se, tũ ab elemẽtis natura distinctas: omnẽq; huiusmodi distinctionẽ ab actu fieri & forma substantiæ, quæ naturã singulis & speciem tribuat.

Vniuersum hoc formarũ genus ita nominare licet, vt inanimorum mistorum formas appellemus. Dum. n. mista nominamus, ab Elementorũ formis; dum inanimata, ab animabus eas distinguimus. In specie autem lapidum, aut metallorum, carnis, aut ossis formas non minùs verè, quàm plantæ, aut animalis. Magisque ad specialia descendẽtes, formam silicis, marmoris, auri, argenti; sicut formã lactucæ, betæ, equi, canis, & aliorũ. Suntque hæ primæ omnium formæ, quę ex sola Elementorum permistione oriuntur, actus materiæ, quæ omnibus partibus est tota sibi similis. Quam ob causam hæc omnia omogenea vocantur.

Sed duę sunt difficultates. Altera; cur si ita est, mistionẽ Philosophus definiuit solã Elemẽtorũ alteratorũ vnionẽ? Cur huius formæ non meminit? Altera: à quónam ea producatur, neque enim lapis lapidem, nec metallum metallum procreat.

Si huius formæ in ea definitione nõ meminit, meminit pluribus aliis in locis; ex quibus aliquot inuenta sunt. At neque dum simplicem & vniuersum definiuit ortũ, substãtialis formæ meminit, sed sensilium duntaxat qualitatũ. Ortum inquiens mutationẽ esse totius in totum nullo sensili remanente, vt subiecto. Deinde eam propterea nõ nominauit, quòd non de misti ortu, sed solùm de mistione ageret. Aliud. n. est mistio, aliud misti ortus. Mistio antecedentẽ significat Elementorum temperationẽ atque vnionem, quæ ad gignendum mistum necessaria est. Misti autem ortus, est formæ misti propriæ productio, qua corpus illud, velut species corporis ab Elementis diuersa, constituitur & in natura subsistit. Hoc planè Philosophũ voluisse, manifestum est ex tex. 83. vbi mistionem ostẽdit ab ortu distingui. Et ideò cùm omnis ortus substantiæ mutationem & alicuius productionẽ adferat; mistionẽ definiuit esse vnionẽ duntaxat alteratorũ Elementorum; ortum autem, vniuersum quidẽ & simplicem esse mutationem totius in totũ, Eum verò, qui mistorum est proprius, in cap. 2. lib. 4. meteororũ, esse mutationem factam à primis qualitatibus, postqui humidum & siccum à calore & frigore temperata fuerunt & ad proportionem vnicuique naturæ conuenientẽ reducta. Porrò huic temperationi in misti dissolutione respondet putredo; quã & Elementorũ separatio cõsequitur, & formę misti interitus.

Dum autem quæritur efficiens causa; antecedẽtis quidẽ alterationis & mutuæ elemẽtorũ tẽperationis respõderi potest efficientẽ causam esse ipsa Elemẽta, quę insita sibi agẽdi virtute totũ illud operatur. De vltima verò formæ misti productione constat, animata mista virtute seminis à simili procreari; Cœlorũ, tanquã generalis causæ, accedẽte cõcursu. At de inanimis, quorũ procreatio nõ est à simili, nõ idẽ fuit omnium iudiciũ. Hoc que controuersię genus longiorem disputationem postulat, quam in aliam

alium locum differo. Nunc satis fuerit dicere, harum omnium formarum productricem causam non esse aliam, quàm cœlum per lumen, vt elementorum temperatione, tanquam materiæ dispositione, determinatur, ac temperatarum qualitatum virtute iuuatur.

Vt mistorum ortus ab aliis distinguatur.

Ex quibus omnibus tandē intelligas, mistorum corporum productionem, tum ab elementorum ortu, tum à viuentium procreatione distinctam esse. Nam & formæ cuiuspiam à simplicium & animatorum corporum formis diuersæ productionem significat; & antecedentem habet alterationem, materiæque dispositionem prorsus diuersam. Dum enim simplex corpus produeendum est, simplex duarum integrarum qualitatum coniugatio opportunam satis materiam præparat. At ad misti formam suscipiendam elementa omnia omnesque illorum qualitates miscentur & temperantur: sed ita, vt materia, quæpiam fiat homogenea tota, eiusdemque naturæ & temperationis. Quòd si corpus viuere debeat, organicum erit, atque in plures distinctum partes, quæ alias atque alias naturas & qualitatum temperationes habeant. Ita tum misti natura, tum productio inter naturam & productionem, tum simplicium elementorum, tum animatorum corporum, media est.

Lapides, & metalla nō animata.

Sed lapides Clearchus testimonio Themistij capite quinto non nutriri modo & augeri, sed & parere affirmauit. Et metalla, mistaque omnia Philoponus commētario ad textum 34. & Hieronymus Cardanus libro quinto de subtilitate. Tametsi inanima esse Philoponus; & verè viuere, animaque sustentari Cardanus voluerint.

Sanè quod Orpheus olim, Pythagorici, & Democritus dixerunt, lapides diuinam quandam continere virtutem, qua ceu anima regantur; sapienter dictum est, sicut par est intelligatur. Iouis enim omnia plena, vt est apud Aratum, & Diis omnia plena, Phaletis vox fuit. Neque inter Peripateticos Alexander modò consentiet in capite tertio lib. secundi natural. quæst. sed Aristoteles quoque, qui in primo de partibus animal. capite quinto, eos qui præstantissimarum duntaxat rerum cognitionem sectabantur, viliores quasque fastidiosè aspernantes; hoc argumento reprehendit, quòd nulla sit res in natura, in qua non admirabile aliquid inditum habeatur; adfertque illud Heraclyti, Ne huic quidem fornariæ casæ Dij desunt immortales. At si omnia esse anima, tanquam forma, quæ illorum substantiam constituat, verè prædita voluerunt, hoc ipsum est, quod in textu 87. & 88. libri primi aduersus eos disputauit Philosophus, qui animam esse per omnia corpora diffusam & sparsam afferebant.

Mihi verò rem totam placet paucis concludere. Anima est actus corporis naturalis organici, hoc est eterogenei & in plures partes diuersæ naturæ ac substantiæ distincti. Sic enim antea definitum est. Lapides, metalla, & mineralia cætera sunt tota sibi similia, tum qualitatibus, tum substantia: Et quamuis in minutissimas partes diuidas, nihilo tamen minùs perfecta est natura; quin prorsus eadem. Hoc nullius viuentis conditio patitur: sed pereunt cuncta, si vel præcipuæ aliquæ partes, ac nobiliora organa amputentur. Sanè triplex est anima Philosophorum omnium censu, Vegetans, Sentiens, Intelligens. Nullius organa subsunt, nullius cernitur operatio; nulla igitur inest anima. Sentientem, atque intelligentem ne Cardanus quidem posuit: sed vegetantem solam. Erunt igitur plantæ. Hæc enim plantarum forma. Deinde hæc anima tres minimùm operationes habet, Nutritionem, Accretionem, Procreationem: ad easque exequendas, tum organa comparata, tum materiam opportunam; vt videre est in iis omnibus, de quorum anima, & vita constat. Et eorum quidem nutritio tandiu fit quandiu viuunt: Accretio & Procreatio constitutum habent tempus; Accretionique decretio opponitur. Corpora hæc, vt homogeneam habent naturam, sic vna est illis semper & eadem operatio; nulla organicarum partium diuersitas; nullum certum augescendi tempus; nullus magnitudinis modus: sed quod de igne pronuntiatum est in tex. 41. alia atque alia accedente materia euadunt semper grandiora: neque minuuntur vnquam, nisi quapiam eorum parte amputata. Inter cætera functionum harum instrumenta venæ ac pori cum primis necessarij sunt. Nullas in iis venas inesse, nullos poros pretiosissima quique lapilli & gemmæ testantur: in quibus tamen maximè inesse oportuisset, quòd in suo genere perfectissima corpora sint. Nullæ item in metallis venæ. In auro & adamante pori nulli. Quòd si quibusdam in lapidibus quædam eorum vestigia appareant; ea non sunt venæ, sed interualla, quibus illorum partes propterea separantur, quòd exterioris materiæ additione grandescant: Neque tota simul addatur, aut commutetur materia; sed subinde & per partes; nec possit accedens cum antecedente coniungi satis & copulari. Quare nec in illis, quæ venæ esse videntur, vlla continentur foramina, quibus alimento susceptо & distributo venarum fungantur officio: sed quidquid est, solidum est. Iam ad illud ipsum alimentum hauriendum nullam habent comparatam partem, quemadmodum radices plantæ, os animalia: ad gignendum verò, nec partem vllam, nec semen. Etenim natura, vt nihil redundans facit ac superfluum; sic in nulla re necessaria cuiquam deest. Atque si in hoc corporum genere, vt in aliis pluribus, animam ponere voluisset, nimium necessaria illi ad functiones omnes perficiendas organa præparasset. Hoc enim ipso argumento in textu 50. lib. 2. de Cœlo demonstrauit Philosophus, Cœlum incedendi facultate præditum non esse, quòd pedes & organa motui illi necessaria non habeat. Si nonnulli lapides, inquit Philoponus in commentario ad textum 37. augeri videntur, non est hæc propriè auctio, sed potiùs additio. Hanc enim auctionem docet Arist. quæ per instrumenta naturalia. Instrumenta autem non sunt in inanimatis; non ergo augentur. Et aliqui, quod augetur, per omnem partem augetur. Lapidibus autem exterius fortasse addita materia quædam fit mutatio, & sic maius totum fit, non facta auctione, sed additione: sicut si ignis augeri dicatur pluribus

De lapidum & metallorum nutritione & augmento.

„ lignis additis. Sic & metalla augentur humida, A
„ ex qua constant, materia circumcirca exteriùs
„ concreta, eáque in ipsorum substantiam ab ea quæ
„ est in terra, naturali facultate & vniuerso muta-
ta. Quo loco Philoponus tres complectitur cau-
sas, propter quas hæc corpora verè nutriri &
augeri non dicantur. Primam; quia hæc non fiunt
per instrumenta naturalia, os, ventrem, venas,
& alia, quæ sunt in viuentibus. Alteram; quòd
non in omni parte fiant; sed in exteriori sola, cui
materia additur. Postremam; quòd non ab inte-
riori principio, sed ab exteriori virtute terræ, aut
alterius causæ perficiantur. Quod ex vnionibus
maximè probare licet; quos qui puriores faciunt, B
primum, secundum, ac tertium corticem tol-
lunt, vt purissimum corpus inueniant. Exteriori
enim materia addita per cortices geniti & aucti
fuerunt. Quòd si pretiosissimi lapides hi non pro-
priè nutriuntur nec augentur, multò minùs de
reliquis id credendum est.

Argumenta Cardani.

At enim Cardanus ista omnia corpora, præ-
ter Tofum verè viuere & anima sustentari, mul-
tis modis conatus est persuadere. Primùm enim
inquit, nutriuntur omnia, crescunt, & gignun-
tur; quæ operationes animæ sunt. Certè Papi-
nianus L. Diuortio. §. si vir. ff. soluto matrimo-
nio, lapides sanciuit, qui non renascuntur, non C
esse in fundi fructu: secus autem, si cæsi renascan-
tur; quales in Gallia sunt & Asia. Deinde mista
corpora sensim ab elementari natura recedunt:
terræ primùm, deinde lapides, succi, metalla,
plantæ, animalia imperfecta, & perfecta vsque
ad hominem. Quare si homo, animalia, & plan-
tæ fruuntur vita; cùm sit idem cœlestis calor, qui
hæc omnia miscet; aut nil aliud est anima, quàm
cœlestis calor; aut is est primũ animæ instrumen-
tum: atque vbi est ille, est etiam anima: est au-
tem is in reliquis quoque mineralium corpori-
bus: Tum verò vt animalia morte grauiora eua-
dunt, propterea quòd dum exhalant animam, D
euanescit calor, & quidquid ab eo elaboratum
est: ita plumbum dum in cerussam vertitur & vri-
tur, tertiadecima ponderis parte augetur: quòd
nimirum cœlestis ille calor euanescat. Postea in
montibus non secus, ac plantæ, nascuntur me-
tallica, patulis ramis, radicibus, truncis, & qua-
si floribus, ac fructibus: vt nil aliud, quàm
plantæ sepultæ & totæ sub terra nascentes esse
videantur: sicut & inter animalia vermes, buso-
nes sub terra nascuntur, & viuunt. Præterea la-
pides quosdam inuenias immaturos, & inconco-
cta substantia: post ad maturitatem veniũt; quem-
admodum ea, quæ viuunt. Pars quoque, vt fru- E
ctus arboris, purior; alia impurior. Habent ve-
nas & nutritionis instrumẽta, estque in illis mors.
Nam magnes quidam lapis cum traheret ferrum
alacriter, paucis annis ita extinctus est, vt trahere
desierit. Flores autem & fructus necessarij non
sunt; cùm nec in omnibus plantis visantur, atque
ex fœcunditate oriantur: quæ ab humore & sole
proficiscitur, quæ metallicis desunt; sol sem-
per, humor plerumque. Denique vt plantæ, sic
lapides & metalla, quatuor illas habent partes
viuentibus necessarias, radices, corticem, sub-
stantiam, & venas. Radix est lapidi lapis, me-
tallo metallum, aut metallicum & terra: cor-
tex, substantia, & venæ, manifestè à quolibet
conspiciuntur.

Hæc fermè Cardanus disputat. Quæ mirè ri-
det Iulius Cæsar Scaliger in exercitatione aduersus
ipsum 101. cap. 14. & 18. & tota 102. Ac primùm Refuta-
quidem non video, quo iure, quaue iniuria so- tio.
lum Tofum inanimatum esse affirmet. Deinde
omnia facilè explicantur. Nam neque nutritio,
neque accretio, quæ horum corporum, tum la-
pidum, tum metallorum esse videntur; fiunt ab
anima interiori principio, & alimento intus su-
scepto; sed sola additione materiæ, caloriſque,
aut frigoris actione. Qua etiam fit interdum vt
cæsi lapides renasci videantur; dum noua eidem
loco suppeditatur materia. Verè quidem agno-
uit Cardanus cœlestem calorem in his corporibus
operantem. At si eum animam, aut animæ in-
strumentum dixerit; parùm sapienter pronun-
tiauerit. Est enim Cœli potiùs atque motricis
Intelligentiæ instrumentum, ad animam, cæte-
rasque formas in materia disposita procreandas.
Anima autem substantiæ formam significat; quæ
non nisi in organica materia producitur, eiusque
instrumentum alius quidam est calor, qui cœlesti
illi quidem respondere dicitur in cap. 3. libr. 2. de
animalium ortu; sed nusquam esse idem affirma-
tur. Argumentationem illam magnopere miror:
Mista sensim ab elementari natura recedunt; igi-
tur vt homo, animalia, & plantæ sunt animata,
ita & lapides & metalla esse oportet. Immò ve-
rò quoniam non subitò ab extremo ad extremum
migrat natura, sed sensim per intermedios om-
nes gradus ab elementari & simplici conditione
recedit, priùs necesse est quædam esse corpora,
quæ solam simplicium mistionem habeant, non
animam: tum verò perfectiora succedant alia,
quæ & mista sint & animata. Vt ita & paulatim
progrediatur natura, & gradibus omnibus ordi-
ne optimo perficiatur materia. Inanimum enim
mistum gradum entis quempiam significat, quo
iniquum est materiam ac mundi huius vniuersi-
tatem spoliare. Æquissimum autem & simplici
gradu, & misto inanimo, atque animato, tan-
quam dùobus extremis & medio, absoluere om-
nia. Cur animalia morte grauiora euadant, aspernanda non est hominis ratio; tametsi non probetur Gabrieli Faloppio in libro de Fossilibus cap. 8. mortuaque corpora neget esse grauiora, licet ra- Cur animalia morte grauiora fiant.
videantur esse, quòd partes omnes concidant,
nec sese sustentent; quemadmodũ dum viuerent
sustentabant. Sed ea viuẽtibus omnibus cõmunis
non est. Siquidem plantæ, cùm arescunt, leuiores
potius fiunt, quòd humorem amittant, qui ad-
debat pondus. De plumbi in Cerussam mutatio-
ne experientiam non habeo. Scaligerum tamen
ridentem video, malóque credere plumbum &
metalla corrupta grauiora fieri, quòd aëreæ par-
tes, tenuiorque materia exhalet. Quòd in mon-
tibus nascantur & metallica & plantæ, præcla-
rum scilicet ad formæ & vitæ cõmunionem asse-
rendam subtilis hominis argumẽtum. Quasi vero
quæcunque in eodem nascuntur loco eandem na-
turam habeant. Nascũtur & in vallibus plantæ, &
in mõtibus Tofus; nec tamen animatus Tofus, nec
plantæ inanimæ. Rami, radices, trunci, & reliquæ
plantarum partes exteriori quidem figura in lapi-
dibus interdum & metallis, non tamen reipsa
& substantia sunt. Omonymè igitur; sicut &
homo

homo pictus, aut lapideus. At non plantarum modò partes, sed animalium quoque & hominum ostentant nonnunquam, & metallica, & arbores, & nubes: animalia igitur & homines hæc omnia esse dixeris. Matura item & immatura, tum metalla, tum lapides improprie appellantur propriè viuentia sola, & maximè arborum fructus. In illis autem inanimis corporibus non est vsque adeò semper elaborata & exactè cocta & permista materia, vt perfecta corporis natura postularet; post perficitur magis, meliusque coquitur & miscetur. Minùs verè dicuntur mori; quoniam mors vitæ priuatio est: eaque sola moriuntur, quæ vitam habuerunt: reliqua intereunt, dissoluuntur, putrescunt. Quodque magnes quispiam desierit aliquando trahere ferrum; aut causa fuit temperationis mutatio, aut quòd à circumiecto aëre, aliisve exterioribus causis dissipatæ fuerint aliquæ illius corporis partes, quæ formæ fuerant instrumenta. Et fortasse fractus si fuisset, interiores partes eandem trahendi virtutem habuissent: quod obseruatum aliquando fuit. Denique nullam horum mistorum genus partem habet viuentium corporum. De venis dictum est. Corticem videntur interdum habere; at non est illorum pars, sed velut scoria, parsque materiæ impurior. Substantia in omnibus cernitur; vel etiam simplicibus corporibus. Radices nullę sunt, nec esse possunt; quòd alimento ex terra attracto non sustententur. Neque enim fit lapis ex lapide, neque ex metallo metallum: & sæpissimè iis in locis producuntur, in quibus nec lapis fuit antea, nec metallum; eam solam ob causam, quòd opportuna in eum locum materia confluat, in quo iuxta singulorum naturam concrescere possit & perfici.

Quibus in locis hæc corpora producantur

Neque verò in vno modo, sed in pluribus locis, gignuntur hæc corpora. In omnibus tamen idem fermè productionis modus. Vt hac in re sapienter natura prouiderit, dum imperfectissimas & vbiq; maximè necessarias elementorum formas pluribus in locis voluit pluribusq; modis procreari. Animalia perfecta in eodē semper loco, eodemq; modo: quæ verò inter hæc erant media, in pluribus quidē locis propter summā eorum, tum necessitatē, tum commoditatem; sed eodem vbique ferè modo. Sanè commodissimus, & opportunus maximè locus est in visceribus terræ, in quibus nullum viuens. Quoniam & ibi maximè materia suppetit, & facilè præparatur, atque in loco omni ex parte clauso sublimata & præfæcata promptior est ad concrescendū. Deniq; siue à calore, siue à frigore concrescere ea oporteat; hæc quoque effectrix virtus in eo præsertim loco ad agendum efficax est. In aperta, patentique terra sæpissimè visuntur lapides; aut ex abditioribus effossi locis, aut crebris terrarum mutationibus, fossionibus, ac versionibus detecti, aut demūm quòd ibi nascantur interdum; minutiores potissimùm, vt lapilli in aquarum perpetuarum, maris, & fluuiorum littoribus; breuiore in quibusdam, in aliis longiore tempore. In locis quibusdam riparum fluminis Gyon triginta tribus annis nasci, Auicenna, Albertus, & alij memorant. Visuntur & interdum metalla, immò metallorum venæ. Vix tamen ibi creduntur genita; sed aut torrente detecta, quod Fribergi argentariis accidisse Georgius scribit Agricola: aut ventorum vi, qui arbores, sub quarum radicibus fuerant orta, radicitus extirpant: aut montis, vel saxi abruptione; aut aratione, aliaue simili causa. In aquis sæpissimè gignuntur lapides; vel quòd ipsæ super ripas fusæ lapidescant; aut materiā mutent, quam ibi aptam inuenerint (quòd pluuiales quoque in Pirenæis dicuntur quibusdam in locis efficere.) Vel quòd dum per aliqua loca fluunt, minimas lapidū abradant partes, aut secum lapideum succum vehant, qui mox ad mūrum aliudve corpus adhærescens, in lapidem concrescat: quod de Tiburtinis Anienis fluuij aquis credi potest. Ea etiam vis est interdum & conditio aquarum, vt ligna in illis mutentur in lapides lignorum quoque figura seruata; vt in corallio manifestum est. In mari Dorico auctor est Albertus inuentum fuisse arboris ramum cum auium nido, auibusque in lapidem mutatum: esseque in Gothia fontem, qui corpora quæcunque immersa vertat in lapides. In Ciconum flumine, atque in Piceno lacu Velino iectum lignum lapideo cortice obduci. In Surio item Colchidis flumine; nec virgulta modò, sed & arborum folia in Silaro fumine lapidescere, & in exitu Reatinæ paludis saxum crescere, Puteolanoque puluerī idem accipere ex terræ Cyricenæ & Cassandriæ & totius tractus ab Oropo Aulidem vsque, si salsam maris aquam attigerint, aut in Cnidij fontis dulci octo mēses fuerint; apud Plin. legimus. In ipsis arborum truncis fuisse nonnunquam repertos lapides, historiæ tradunt. Ij aut ibi produci potuerunt, si locus fuit cauus & apta materia, aut aliunde asportati, crescentēque arbore contecti. Sic enim arma in Oleastro appensa, & ambiente cortice occultata reperit aliquando antiquitas, & clauum in media quercu Scaliger Exer. 137. Admirabile est, quod de Lithospermo narratur. Herba est, quæ singulis foliis singulas veluti barbulas gestat, & in earum cacūminibus lapillos candore & rotūditate margaritarum, magnitudine ciceris. Permultos in animalibus reperiri plerique omnes norunt. In hominis renibus ac vesica calculum; & Lupi syritem; in iuuencarum ventre nigricantem Tofum; & motacillæ auis Chloritē; & viridis lacerti sauritem; & Gallinaceorum Alectoriam: & Hirundinis Chelidoniam. In piscium cerebro Chediam, & synodontidem; & Vulturis Quandros; in Buffonis capite Boracem: & Draconis Draconidem; & Galli Radain; in oculis Ierie lapidem eodem appellatum nomine; in testudinis corpore Celontem; in Indico quodam testudinis genere Sileniten; in multis Buffonibus Nuse, in conchiliis demum margaritam. Tanquam nouum & admirabile adfert Scaliger in exerc. 108. in humano iecore, pulmonibus, palpebris, & podagricorum, adde & chiragricorum iuncturis inuentos lapides: & in vesica felis Faloppius in libro de Fossilibus cap. 7. Quin etiam pluuiæ interdum dederunt lapides. Eos Plinius, & Cardanus non fuisse in nubibus genitos, sed vi ventorum illuc ex terra asportatos dicerent. Ego ibi posse gigni non nego ex apta elementorum temperatione in sublimi loco, permisto halitu viscoso, frigoréque concreto. Montes præ cæteris mundi partibus, vt viuentibus ferè carent, sic & lapidibus abundant & metallis. Vt si qui lapidibus saltem

Pluuiæ lapidū.

Cur in mōtibus abūdēt.

carent, ij nec magni sint, nec cum aliis coniuncti; sed solitarij, & per camporum planitiem dispersi. Sin autem plures sint coniuncti & magni, lapedei semper visuntur: quoque plures & altiores, difficiliores quidem sunt ad eruendum, sed ad largiendum liberaliores. Cur ibi potissimùm gignantur hæc corpora, ea est causa; quòd ligonibus, rastris, & aratro non exhauriuntur: neque hominũ industria perspirare coguntur: Cumque illorum substantia solidior sit, calorem & fumos meliùs multò continent; Habent & plures cauitates & cauernas, quibus colligi fumi & præforari commodè queant. In reliquis terræ partibus aut non facilè colliguntur, aut quòd molliores sint & crebrò fodiantur ac vertantur, collecti statim expirant, atque in aëre euanescunt. Deinde in altis montibus abundant niues, diuturna glacies; & vehemens fœuit frigus: quæ calorem ad imas partes compellant, robustioremque reddant & efficaciorem eius operationem: dum in patentibus campis ab exteriori continentis aëris calore interior terræ calor ad exteriora vocatur, atque dissoluitur: Tum verò montium vis & fœcunditas crebris sementibus, herbis, & arboribus non exhauritur; quemadmodum tota propemodum camporum virtus. Quam ob causam montes illi, qui arborum, aut vitium feraces sunt, vix lapidibus, aut metallis abundant; nisi in imis fortasse & remotioribus partibus. Humidum enim pingue arborum, vitium, & herbarum sustentatione consumitur. Præterea, vt hyeme non pullulant herbæ, nec plantæ fœliciter; quòd nimius humor frigidus & aqueus procreationi aduersetur. Germinant autem vere, seseque attollunt fœliciùs, propter humorem temperatum & pinguem. Sic aqua & humidum eius superfluum, quæ lapidum ac metallorum ortum impedirent; ex montibus ad valles defluunt, promptamq; & expeditam procreationem relinquunt. Scio, hæc Scaligero minùs fuisse probata. Sed quæ contra disputat exerc. 98. acuta magis sunt, quàm ad conuincendum accommodata.

Aliam addit causam Cardanus; quòd montes speciem quandam habeant vitæ: quoniam saxis constant, quæ viuunt; vbi autem vita, ibi promptior naturalis procreatio. Verùm ex falso principio, iamque satis superque confutato ratiocinatur. Magis sapienter videatur cuipiam philosophatus Auer. montes eam habere potestatem, quòd Cœlo propinquiores sint. At si veræ sint ac necessariæ Astrologorum demonstrationes, totam terram cum cœlo comparatam instar esse puncti; quænam tanta montium & camporum diuersitas? Præsertim cùm in vallibus propter luminis reflexionem abundet magis calor: minusque, quàm in montibus, regnent venti. Georgius verò Agricola diligentissimus harum rerum obseruator non maximos, sicut nec minimos, sed inter hos potiùs medios montes fodi iubet. Quæcunque autem sit causa, res ipsa constat: suntque montes lapidum & metallorum feraciores, campi plantarum & animalium: illi inanimatorũ mistorum, hi animatorum. Sic enim partiri natura voluit, totumque inferiorem hunc locum implere, & diuersis entium generibus omni ex parte ornare. Ideò inanimis mistis magis abundant montes; quòd & abundet materia, & altero viuentium mistorum genere magis priuentur. Intimis finibus ac visceribus conduntur & quasi absconduntur. Tum quòd eo in loco colligatur materia, adsitque virtus ad efficiendum necessaria. Tum quòd cùm illa penè sola sint propriæ montium opes & bona, maiori cura & solicitudine custodiuntur, nec nisi summa vi & humana industria ac labore superante rapiuntur.

Non desunt tamen argumenta permulta, quibus latentes opes, occultique thesauri cognoscantur. Nam si prouincia cæterarum omnium rerum sit ferax, mineralium quoque corporum feracem esse concludemus. Quoniam si perfectiora reliqua, quæ maiori opus habent virtute, large suppeditat, quidni proferat imperfectiora? Si terra lutosa sit, & metalli ramentis permista; si pinguis, candida, viridis, cærulea, lutea, tubra, nigra, aut alterius similis coloris; mineralis naturæ indicium existimatur. Viridis enim fieri creditur ab ære, nigra ab argento & auro, liuida à plumbo & ferro, cinerea & obscura à sulphure, lurida à calchanto. Si calida fuerit regio, gemmas quoque & pretiosiora metalla vberiùs suppeditabit. Hæc enim maiore indigent calore, quo & magis tenuetur materia, & perfectiùs, meliusque misceatur. Eandem ob causam optimum fuerit, si altioris montis vertex meridiem spectet, Boream radix. Maiorem enim habebit à meridie calorem ad tenuandum & miscendum, atque à Borea frigus ad concrescendum: aut si mauis à septentrione multum humorem, qui à meridiano calore tenuabitur ac temperabitur. In his montibus argentum maximè quærit Cardanus, cuius feraciores fodinæ ex oriente in occidentem tendant. Rationem non exponit. Nullam subesse puto. Verius illud; montes exterioribus partibus steriles, interioribus feraces esse. Quoniam humor & materia ad gignendum apta expirare cùm nequeat & ad exteriorem procreationem erumpere, interiùs tota absumitur. Nec parùm interfuerit, si plantæ, aut arbores foliis fuerint parum viuacibus, ac minimè benè coloratis; quin subpallidis potiùs, liuidis, & deciduis; exilibusque, & bifidis troncis; atque superioribus præsertim ramis subnigris, aut certè præter naturam coloratis. Nam huius rei duplex est causa. Altera; quòd materia, qua illæ sustentari & adolescere debuissent, interiùs absumitur, antequam ad eas perueniat. Altera; quòd plus æquo interior locus feruerat, multóque habitu ac fumo abundet. Quò fit, vt dum camporum ac reliquorum montium herbæ pruinis albicant; eæ, quæ supra metallorum venas crescũt, aquis potiùs madeant. Calidus enim interior locus, halitusque calidus & siccus, aut pruinæ concretionem impedit, aut concretam dissoluit. Quamquam nec plantæ desunt, quæ lapidum ac metallorum societate gaudeant. Ex si adsint, latentes prodent thesauros. Inter has Hedera, Pinaster, Caprificus, Iuniperus, & aliæ quædam. Nimia quoque grauitas terræ, aut lapidum; nimius splendor, nimia soliditas, mineralē indicabunt materiã, optimamque locimistionem; ob magnã caloris & frigoris vim. Licet & odorem attritis duob⁹ ciusdē montis lapidibus cõfiderare. Si enim sulphuris odor sit, indicium erit magni caloris, abūdãtis materię optiméq; imò nimiũ coctæ.

Tum

Tum verò aquæ, si quæ ex monte fluent, si odorem, aut colorẽ, aut saporem alienum habuerint: si in aluei fundo aliquæ metalli, aut lapidis partes visæ fuerint, mineralem naturam manifestam facient. Ac demùm mons ipse, si rimosus fuerit, seipsum prodet. Nam eiusmodi fit, propter acres halitus, quos continet plurimos. Verùm de his nimis multa.

Hactenus igitur in mistis inanimis demonstratum est, quinque omnino substantiæ formas actu inesse; quatuor inquam elementorum fractas & permistas velut materiam, & quintam superiorem integram, singulorum mistorum propriam. Ex quo planè coniicias, quemadmodum de viuentium corporibus philosophandum sit. Si enim verè conclusum est, elementorum temperationem ac permistionem consequi statim aliquam temperationi illi ac permistioni accommodatam substantiæ formam: quoniam materiam sufficienter dispositam necesse est formam substãtiæ aliquam ingredi: vbi in viuentis corporis formatione ita virtute seminis præparatur materia, vt in plures partes distincta alio atq; alio modo singulæ tẽperatæ sint; negari non potest singulas hasce tẽperationes ac permistiones, singulas etiam substantiæ formas consequi; quibus carnem, os, neruum, & alias huiusmodi partes nominamus. Idque ante aduentum animæ. Quoniam vt materiam dispositam necesse est consequi formam; ita singulis formis certus est dispositionum modus à natura constitutus: minoreque indiget dispositione inferior, quàm superior forma; formia misti, quam anima. Quemadmodum igitur prius suscipiuntur in materia dispositiones diuersarum harum partium, quàm animæ: sic necesse est priùs formas illas produci, quàm accedat anima. Neque caro potest esse caro per animam, sed propria opus est forma: quia cùm nondum dispositiones adsint animæ, anima ibi tunc esse non potest. Confirmat hoc id, quod Philosophus tradidit in cap. 3. lib. 2. de animal. ortu; hominem priùs viuere vita plantæ, deinde animalis, tum hominis. Quoniam cùm adsint priùs dispositiones priorum animarum, priùs eas produci oportet, quando posteriores produci nequeunt. Quò enim forma superior est & perfectior, eò meliorem materiam postulat; quia inter materiam & formam essentiæ proportio est, vt inter potestatem & actum. Verùm hinc aliud quoq; ducitur argumentum. Consequens enim esse videtur, vt quemadmodum elementi forma, quæ primas solas qualitates in materia postulabat, simul cum qualitatibus & materia euadit misti formæ materia; sic misti quoque formæ cum elementorum formis temperatis materia sint superioris viuentis formæ: hoc est ante aduentũ animæ reperiantur in materia, eamque aduenientem excipiant. Nam hac demùm tatione in omnibus naturæ operibus erit admirabilis planè ordo, summaque inferiorum cum superioribus copulatio. Quæ in eo consistit, vt inferiora à superioribus perficiantur, atque ab inferioribus superiora pendeant: & hæc quidem illis materiam præbeant, hæc verò actum illis & perfectionem vicissim adferant. Quòd si formæ omnes in prima materia immediatè suscipiantur, nullus fuerit entium, ac perfectionum nexus; nulla simplicium corporum cum mistis coniunctio; nulla mistorum inanimorum cum viuentibus copulatio; nulla pendentia vnius ab alio; nulla inter materiam & formam proportio; si vilissima quæque ac sordidissima materia omni ornatu ac perfectione spoliata cum qualibet nobilissima possit vel animata forma conciliari.

Plurimus esse in viuentibus partium formas.

Duplex formarũ ordo.

Sic igitur statuo. Magnus primùm formarum delectus habendus est; vt intelligatur, quænam formæ, & quomodo inter se ordinentur. Ego verò duplicem in illis ordinem animaduerto. Alterum in ratione materiæ. Alterum in ratione formæ. Aliæ ad alias ordinantur, vt materia ad formam; aliæ, vt actus imperfectior ad alium perfectiorem. Tãquam materia & potestas ad actum & formam ordinantur eæ omnes, quæ cùm nullum inter se habeant ordinem, nullum nexum; necessariæ tamen sunt velut materia, materiæve dispositiones ad aliam formam suscipiendam & conseruandam. Id tum in artibus perspicies, tum in natura. Ex præceptis artis poliuntur lapides, & figura quapiam vt forma afficiuntur; vt materia sint ad extruendam domum accommodata; eamque figuram non amittunt, sed maximè retinent in ædificiis, dum forma domus accedit. Dolantur item ligna; aut alia quæuis materia, dum ab artifice tractatur, formam aliquam induit; quam perpetuò in artis opere conseruat. Scimus etiam totam pene naturam eodem modo cum arte comparari, vt materiæ vim habeat. Artis enim materia sunt naturalia corpora. Quæ dum formam arte partam suscipiunt, naturalem non abiiciunt. Nec perit lapidis forma, ligni, æris, argenti, auri; dum ex illo quidpiam per artem efficitur. Immò nisi hæc omnia naturæ formam diligentissimè tuerentur, artis forma nequaquam accederet.

In ipsismet naturalibus hoc idem facilè animaduertas. Principes quatuor qualitates, calorem, frigus, humorem, & siccitatem, formas esse quasdam certum est; sed accidentarias: neque inter se vllo modo ordinatas, sed ad elementi formam. Ad eam porrò ordinantur, velut materiæ dispositiones ad illius productionem in primis necessariæ. Quare nec virtute continentur in forma elementi, nec ea adueniente recedunt, sed cum illa semper persistunt. Quoniam & materia, & dispositiones eius non solùm debent excipere, sed retinere quoque & conseruare formam: neque recipi modo, sed & cõseruari oportet ignis formam in materia calida & sicca. Iam quatuor elementorum formas non ignoramus inuicem non ordinari, sed ad formam misti: eumque ordinem non esse tanquam inferioris formæ & superioris, sed velut materiæ & formæ: quoniam simplicia hæc corpora ad mistionem apta, & ideò pugnacibus qualitatibus instructa, fuerunt à natura instituta tanquam mistorum corporum materia. Quapropter, vt antea ratiocinabamur, nisi materiam dicas perire aduenientе forma, quæ debebat illam perficere; materiamque virtute contineri in forma: nec dici potest elementorum formas interire, dum misti forma producitur, aut eam in illa contineri virtute. Quin potiùs vt elementi forma actus est materiæ primis affectæ qualitatibus; sic misti formam oportet mistam materiam actuare. Nam nec artis forma potest esse actus nisi materiæ naturali forma actuatæ, aut etiam alia quapiam artis forma.

Formas porrò mistorũ, quæ tam multæ sunt ac tãtopere inter se diuersæ, quis dicat esse inuicẽ ordinatas? Omnes potiùs superiorẽ aliam respiciũt, quæ est anima. Verùm hic ordo alius nõ est, quàm materiæ ad formam. Quòd tum ex eo colligitur, quòd omnes nullum inter se ordinem seruant, sicut nec primæ qualitates, nec elementorum formæ; sed solùm superiorem aliam spectant. Tum quia nisi superior accedat forma, dissoluuntur & pereunt: quasi non essent propter propriam suam perfectionem in materia positæ; sed tanquam alterius materia, materiæve ad meliorem formam dispositio. Propterea nusquam apparent solitariæ & per se, sicut forma auri, argenti, lapidis, & aliorum mistorum; quæ & per se existunt, & speciem constituunt, in qua conseruentur. Sed simul iunctæ sunt & copulatæ, & caro, & os, & neruus, & aliæ his similes; sicut elementa in misto (etsi non tantopere permistæ & temperatæ) tanquam disponentes materiam ad superiorem formam. Hinc est, quòd anima dicitur esse actus corporis solùm organici. Cùm enim ea distinguatur à corpore, vt forma à materia: non quæuis materia, sed pluribus huiusmodi formis distincta & præparata, proprium illius subiectum est. Quare & antecedere debet animam, & cùm ea remanere; sicut materia cum ea permanet forma, à qua actuatur & perficitur. Vt quemadmodũ prima materia nuda cum quantitate primas suscipit qualitates, & cum illis est elementorum materia; & rursum cum elementorum formis materia mistorum: ita cum his ipsis formis sit viuentium materia: & ita quidem vt sicut elemẽtorum formæ, dum ita miscentur & confunduntur, vt suos actus distinctos & perfectos non retineant, materiã efficiũt inanimati misti prorsus homogeneã; quoniã ea forma vnicum habet operandi modum: ita hæ formæ mistæ suos actus perfectos & minimè permistos retinentes eterogeneum corpus constituant, quòd plurimas in eo anima operationes sit habitura. Quam item ob causam plures multò in animalibus sunt eiusmodi partium formæ, quàm in plantis; quòd plures sint operationes.

Vna in singulis anima.

Cùm igitur animata forma sit omnium nobilissima, organicaque materia perfectissima; quemadmodum elaboratio materiæ finem habet in organico corpore, atque in eo solùm latitudo quædam cernitur perfectioris, aut imperfectioris organi rationis. Ita primus formarum ordo in ratione materiæ non vlterius progreditur (etsi secus omninò Philoponus senserit in comment. text. 91. libri 1.) quòd dispositа iam sit materia omnium perfectissima, in qua diuinissima omnium forma suscipiatur. Alter deinceps sequitur ordo, qui est in ratione formæ, atque inter duas solùm formas versatur, quarum vna inferior sit & minùs perfecta, altera superior & perfectior. Neque altera supponatur ab altera, vt antecedens materiæ dispositio; sed vt gradus, per quem natura ad consequentem ascendat formam. Quoniam enim natura non statim summum assequitur, sed ab imperfectioribus ad perfectiora sensim prouehitur: atq; à magis generalibus ad ea, quæ sunt magis specialia & determinata: principium facit ab ea forma, tanquam à perfectione natura priore & magis generali; quæ mox per subsequentem alteram contrahi, determinari, & magis perfici debeat. Hunc ordinem omnino reperias in animarum genere, vegetante, sentiente, intelligente. In quibus ea, quæ est posterior, priorem quidem supponit; at non tãquam materiam, materiæve dispositionem. Tum quia in ratione formæ & actus singulæ sunt perfectæ, nec aliam respiciunt formam, vt potestas, & materia. Tum quia quælibet anima, vt est anima, non supponit tanquam materiam nisi corpus organicum diuersis mistionum formis excultum. Immò in communi omni animæ definitione, qua dicitur esse actus corporis organici potestate vitam habentis, quæuis alia anima videtur excludi. Nam si vna aliã supponeret, aut ad illam ordinaretur, vt materia ad formam; vegetans quidem anima esset actus corporis potestate vitam habentis, at non item sentiens, & intelligens. Sed illa quidem actus corporis actu vitam habentis, hæc autem actu & vita & sensu pæditi. Non secus atque elementi forma est actus materiæ primis qualitatibus affectæ, mistique forma materiæ ex elementis permistæ, ac demum vegetans anima materiæ diuersis mistionum formis distinctæ. Vna igitur anima supponit aliam, non vt forma materiam; sed vt superior & perfectior forma inferiorem, minusque perfectam: & vt superior gradus ad quem non nisi per inferiorem perduci natura potest. In iis autem, quæ hoc modo se habent, necesse non est id, quod est inferius, conseruari simul cum superiori. Sed postquam suo munere perfunctum est, vt naturæ præbuerit gradum ad id, quod est perfectius, abire licet.

Vide 2. de anima text. 49.

In his etiam potest vnum virtute alterum continere: Quia in eodem genere ordinatur, hoc est in genere actus & formæ: & ideò perfectior forma, quæ accedit, præstare potest quidquid ab imperfectiori tribuebatur. In iis namque, quæ in eodem genere essentialiter ordinantur, id, quod superius est & perfectius, totam semper habet inferioris & imperfectioris perfectionem, & aliquid amplius. Quod in causis efficientibus perspicuum est. In diuersis autem generibus, vt materia & forma, prorsus id esse non potest: quoniam diuersorum generum perfectionem significant. Nec vllus dixerit, formam, etsi melior sit, quàm materia, continere illius perfectionem: aut finalem causam efficientis causæ virtutem. Et ideò in priori illo formarum genere, quæ tanquam materia & forma ordinantur, virtualis illa continentia locum non habet. Itaque concludere licet, quasdam esse formas, quas in compositis substantiis necesse sit multiplicari: alias, quæ plures esse non debeant. Vt enim materiæ conditio postulat, vt semper simul cum forma permaneat, eam sustentet, entitatemque & partem rei à forma diuersam significet: ita perfectioris formæ natura est, vt meliori modo deteriorem contineat, & eiusdem generis perfectionem maiorem tribuat. Quapropter vt in illis est multitudo, sic in his vnitatem esse oportet, ne qua earum frustra sit, dum superior totam imperfectioris perfectionem adfert. Quæ si à me non minùs verè excogitata, quàm diligenter explicata fuerunt: verissimè quoque fuerit affirmatum, plures esse in viuentibus substantiæ formas diuersarum corporis partium proprias, vnicam autem animam, velut totius speciei formam; in plantis vegetantẽ; in bestiis sentientem, quæ vegetantem; in homine intelligentem, quæ & vegetantem & sentientem virtute contineat. Verùm vtramq; sententiæ partem pluribus confirmabo.

Cur

Quàm necessaria partiũ forma.

Cur formas diuersarum partium in viuente corpore admittam, immò admittendas esse contendam; facit potissimùm illa ratio, quam exposui. Ex iis enim coalescere oportet organicũ corpus, velut materia actuanda ab anima. Et ideo tandiu eas manere oportet, quandiu anima est in corpore. Hoc enim ad materiæ naturam pertinet. Huc spectat illud, quod in tex. 28. & 29. lib. 8. phys. legitur; Viuentia sola mouere seipsa. Quoniã cùm omne, quod mouetur, ab alio moueatur; viuentia partem habent per se mouentem, & partem per se motam re distinctas; animam scilicet tanquam nautam, & corpus tanquam nauim. Et ideò possunt tota seipsa mouere; quoniam vtramque partem habent actu, & alteram distinctam ab altera. Vtramque autem partem debere esse actu, certum est. Partem mouentẽ; quia omnis motus & actio ab actu oritur. Partem motam, quia vt est in tex. 7. & 8. lib. 5. phys. hoc distinguitur motus ab ortu; quòd id, quod mouetur, est actu; quod oritur, non actu, sed potestate. Propterea elementa non ità dicũtur à seipsis moueri, quia non habent vtramque partem actu, cùm diuidantur in formam & primam materiam, quæ potestate est. Et in anima mista, etsi aliam habeant formam ab elementis distinctam; non tamen ab illa, sed à dominante elemento mouentur. Si igitur viuẽtium corpora, quæ mouentur ab anima, actu sunt & re ab ea distincta, necesse est ea esse actu per aliam formam distinctam ab anima; hoc est per hasce partium formas, quibus totum corpus constat. Accedit illud, quod in cap. 4. lib. 3. de Partibus, & cap. 4. lib. 2. de ortu animal. & aliis in locis affirmatur; cor primum omnium partium gigni. Apertè enim significatur, in animalis corporis fabricatione plures esse partiales generationes, quibus diuersæ in diuersis partibus formæ gignantur; quas animæ tandem productio subsequatur à formarum illarum productione diuersa: eaque viuens cõstituitur, sicut prioribus singulæ partes fuerant constitutæ.

Iam qui eas affirmant, dum accedit anima, momento temporis interire; nequaquam cum ratione loquuntur. Cùm enim in earum productione tanquam materiæ ad animæ productionem necessariæ tandiu natura laborauerit; quî credi potest eas tunc aboleri & destrui, cùm id præstare debent, cuius gratiâ productæ fuerunt; vt animam velut materiæ apparatus suscipiant. Neque enim si remaneant, erunt otiosæ; immò necessario maximè munere fungentur. Neque omnino interire possunt. Tum quia in anima, quæ succedit, nequaquam virtute continentur; quoniam diuersi generis sunt; neque forma continet materiam. Tum quia, vt est in tex. 59. lib. 6. phys. quod corrumpitur, antea corrumpebatur. At antecedenti toto tẽpore organizabatur corpus, & partiũ omniũ ac mẽbrorum distinctione formabatur. Quo igitur modo vltimo illo momento, quo sunt productæ, corrumpuntur? An non scriptum est in tex. 63. lib. 8. eiusdem operis, absurdum esse existimare naturam producere quidquam, vt statim destruat? Maculæ, si quæ fœtui fuerunt impressæ; aut ex matris imaginatione; aut ex materiæ confusione, aut ex alia quauis causa, post animæ aduentum adhuc conspiciuntur; ideq; videntur habere subiectum.

Hoc ipsũ ex interitu, animęve à corpore discessu colligas. Primùm enim vt diuersa fuit animæ, formarumque illarum productio; ita non idem est omnium interitus. Nam interitus animæ est mors, quæ natiui caloris extinctione, humidique primigenij consumptione fit. Partium autem formæ putredine pereunt; hoc est elementaris caloris eductione à circumiecti corporis calore destruuntur. Neque potest vterque calor simul perire. Quoniam is, qui elementaris est, non nisi putrescendo perit; totumque viuentis corpus, quandiu viuit, putrescere omnino non potest: quoniam natiuus calor elementarem magnopere tuetur, ne totus ab exteriori calore educatur. At eo per mortem extincto, hic quoque facilè superatur & putrescit. Alius igitur est animæ interitus, alius corporis & illius partium. Et ideò primùm moritur & recedit anima; deinde omnes quoque illæ partium formæ intereunt, totumque corpus dissoluitur & putrescit. Quoniam antea quidem, dum adfuit anima, necessariæ fuerunt: deinde verò inutiles prorsus essent.

Sed credi omnino non potest, momento vnico, quo abit anima, formas eas omnes de nouo produci, quæ post illius discessum conspiciuntur in corpore superesse. Neque enim vlla est agens causa, à qua producantur: nec eas produci opus est, cùm vllam ampliùs operationem habituræ sint. Quorsum enim producatur forma nerui, qui nec mouere ampliùs debeat, nec sentire? Quorsum arteria, si nullus futurus pulsus? Quorsum in eo corpore vena, quòd nec sanguinem habeat, nec nutritionem? Quorsum reliquæ omnes partes, quæ putrescent citiùs, quàm vllus earum vsus existat? Sensus certè nullam in eo animali aliam indicat factam fuisse mutationem, quàm quòd recedẽte anima natiuus abiit calor, aut aliud huiusmodi accidens. Eãdem autem numero esse formam, quæ & antea habebat animam & calorem, & nunc mortua iacet & frigida. Quòd si eadem numero sit caro, eandem necesse est habeat formam: non animam, sed aliam illi propriam. Qui ergò eam non esse carnem affirmant, sed cadauer, cum sensu & ratione manifestè pugnant. Sensui aduersantur; quia is eandem esse carnem indicat. Rationem autem abiiciunt, quoniam nulla est operatio, ex qua cadaueris illa forma concludatur: nullâ agens causa, à qua producatur: nulla productionis necessitas; cùm animalis corpus vniuersum ad interitum ruat. Deinde etsi ea produceretur, carnis tamen, ossis & aliarum partium naturam dare non posset: quòd hæ formæ ad illam non ordinentur, sed solùm ad animam, formam penitus cadaueris formæ contrariam. Sanè vt mors nihil est aliud, quàm vitæ priuatio & absentia animæ, quæ vitam, sensum, & motum præstabat: sic esse corpus mortuum, seu cadauer, nil aliud significat, quàm corpus anima, vitâque spoliatum. Solam igitur priuationem significat forma cadaueris: corpusque illud, quod cadauer appellatur, corporis habet & omnium partium naturam; non à cadaueris forma, sed ab iisdem formis illarum partiũ propriis, quæ abeunte anima superstites adhuc sunt, quousque penitus dissoluantur. Neque enim credendum est formam illam, quam isti introducunt, vilissimam, inertissimam, omnique operatione destitutam, in eiusdem corporis possessionem succedere, quæ propria fuerat animæ, nobilissimæ formæ, atque ad omnę operationis genus solertissimæ. Corporis inquam organici, quod ad plurimas operationes exercen-

Formæ cadaueris impugnatur.

das omni organorum genere instructum est. Non magis mihi persuadebit quisquam, eam posse dare materiæ naturam carnis & ossis, ac cæterarũ partiũ, vt dabat anima; æquamque esse vim & potestatem abiectissimæ formæ, ac diuinissimæ. Præsertim cùm in anima omnia sint homogenea, formaque omnis inanima homogeneæ materiæ actus: & naturæ illæ partium vniuersæ & singulæ ad functiones plurimas ordinentur, quarum nullam efficere potest forma cadaueris. Libet etiam scisciteri, quî fiat, vt partium formæ tam citò pereant, totumque corpus breui tempore dissoluatur. An non adfert forma perfectionem & conseruationem suæ materiæ, formaq; totius formis partium potiùs, quàm dissolutionem & interitum? Deinde cùm non omnes partes simul putrescant; sed aliæ citiùs, quàm aliæ; quî credi potest vnam esse totius illius corporis formam? Et non plurium potiùs congeriem, quæ antea quidem ab anima vnitatem habebant, ab eaque plurimùm fouebantur atque à putredine conseruabantur; post verò soluta sunt & interitui prorsus obnoxia.

Sed quæso vos, qui sine summa necessitate minimè vultis entia multiplicari; quid vos coëgit nouam hanc, inertem, otiosam, & inutilem entitatem inuehere? quàm multos ponitis ortus atque interitus? quàm multas genitas formas atque coruptas? non sine summo dolore, & gemitu totius naturæ. Vultis in fœtus formatione membra omnia paulatim disponi, partiumque formas suscipere. Sed eas omnes paulò post accedente anima, quæ illas debuit actuare, perficere, animare, iisque ad operandum vti, penitus aboleri contenditis; tum verò anima recedente alias illis similes produci affirmatis, quæ non multò post putrescente cadauere extinguantur. Quid opus est tot mutationibus? Videtur mihi natura vestro sermone leuis, inconstans, & insipiens: quæ idem sæpius efficiat & destruat. An non satius est dicere, easdẽ illas formas, quæ tanquam animæ materia productæ fuerant, aduenientem illam suscipere, cum ea permanere, illique in omni operatione famulari? Tum verò ea recedente solitarias tantisper subsistere, quousque paulatim destruantur; præclarè nimirum vtroque illo, quod explere debuerunt, perfũctas munere; vt & materia esset, & instrumẽta animæ ad operandum. Neque enim abeunte anima forma vlla noua producitur. Sed perinde est, ac si produceretur. Quoniam illæ ipsæ formæ, quæ antea materiæ locum tenebant, mox subeũt formæ locum, materiæque speciem tribuunt: vt verè dici possit mutatum compositum, vnoque pereunte genitum aliud fuisse. Iaceat igitur isthęc forma cadaueris, nec eius nomen in schola peripatetica audiatur. Ea iacente partium formæ stabũt, post animæ discessum in corpore superstites tantisper, dum ipsæ quoque dissoluantur.

Atque huc demum spectant Scoti omnia & discipulorum eius argumenta. Primùm quia anima dicitur esse actus corporis potestate vitã habentis. Si enim ea distinguitur à corpore, illique aduenit: necesse est animæ subiectum sit corpus, antequam accedat anima. Alioqui si ea esset actus corporis, quòd priùs det esse corpus, quàm esse animatum; elementi quoque forma, quæ priùs dat materiæ esse corpus, quàm esse ignem, aut aliud elementum, non minùs corporis actus esset. Deinde quoniam in animali mortuo eadem figura remanet, totius corporis conformatio, eademque prorsus accidentia. Tum verò motus canis ex alta turri cadentis, & in medio itinere morientis, vnus est ad terram vsque continuus: debet igitur vnum habere subiectum. Hoc non est sola materia; quoniam ea, vt non est ens actu, ita subiectum motus esse non potest. Erit igitur in materia forma quæpiam, qua subiectum idem conseruetur, etiam si pereat anima. Accedit anima intelligens, spiritalis forma & impartibilis, quæ corporeum esse non dabit: præsertim cũ in schola S. Thomę forma corporis principiũ sit recipiens quantitatem. Nam si hæc anima daret esse corpus, ea nimirum principium esset recipiendi quantitatem: & ideò extenderetur cum corpore, essetque partibilis & mortalis.

His ex sacra philosophia duo adduntur argumenta. Alterum; quòd Christi seruatoris nostri corpus tribus diebus iacuit in sepulchro. Quo tẽpore non fuit sola materia, quòd eam discipuli S. Thom. ne diuina quidem potestate credant posse esse sine forma. Si igitur aliquam habuit formam, ea nõ fuit forma cadaueris de nouo producta, quia non fuisset idem corpus; siquidem mutata forma vnitas quoque rei mutatur. Quòd si aliqua fuit forma, quæ antea esset in illa materia; neque hæc fuit anima, quoniam ea tunc erat à corpore separata; relinquitur aliam fuisse formam, quæ daret esse corpus.

Alterum huic simile argumentum deducitur ex sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Etenim ex vi verborum consecrationis transubstantiatur panis in corpus Christi. In corpus, inquã, quod non sit corpus per animam. Tum quia, si quis in illo triduo consecrasset, quo anima fuit à corpore separata, consecrasset corpus sine anima. Tum quia ex vi verborum non consecratur nisi corpus sub specie panis; anima autem per concomitantiam, vt in scholis loquimur. Tum demũ quia verba illa efficiunt id, quod significant: corpus autem quidpiam significat ab anima distinctum.

Hæc inquam omnia non tam probant formam illam totius corporis, quam ipsi finxerunt, quàm hasce singularũ partium proprias, ex quibus conficitur organicum corpus, cuius actus sit anima. Propter illas eadem figura & accidentia post animæ discessum in corpore remanent. Immò hinc potiùs colligitur, præter has nullam esse formam illam totius, quam ipsi addũt. Quoniam si ea esset, diutiùs multò corpus illud cum eadem figura, iisdemque accidentibus cõseruaretur. Nunc autem citò dissoluitur; quia nihil est, quod partium illas formas foueat & custodiat.

In motu canis, quem proponunt, idem semper subiectum; quia idem corpus propter hasce partium formas, quæ corpus actu perficiunt. Sed eo argumento manifestè concluduntur plures in viuentibus substantiæ formæ. Non enim proficiscitur is motus ab anima. Tum quia proprius animæ motus est incessus. Tum quia non minùs mouentur eo motu animalia mortua, quàm viuentia: neque dum viuunt secus mouentur, quàm terra & inanimata quæuis corpora. Tum quia animæ potiùs repugnat is motus; fitque grauitate, quæ animæ fatigationem adfert. Et tamen ab interiori principio nascitur: quia non vi, sed sponte cadunt deorsum: ab alia igitur forma distincta ab anima.

Iam quod de intelligente anima adfertur, est necessarium

cessarium earundem formarum argumentum. Ea enim incorporea cùm sit & abstracta, non potest dare esse corporeum, aut facere corpus: quippe corporeum & incorporeum pugnantes sunt differentiæ, quæ substantiam, aut ens diuidunt. Et cùm gradus illi, qui mente in eadem forma distinguuntur, metaphysici sint, materiæque formatio per entitatem formæ realem fiat, nisi substantia realis animæ sit corporea, omnino non dabit esse corporeum. Adde, quòd esse corpus ordinatur ad animam, vt materia ad formam; estque ex eo formarũ genere, quas ostendi minimè contineri in essentia animæ, sed ab illa supponi & actuari. Nisi igitur in homine præter intelligentem sit alia forma corporea, non erit cum animalibus cæteris synonymè homo corporeus. Hæc enim tum ratione materiæ, tum formæ corporea sunt; homo ratione solius esset materiæ: qui tamen sub eodem substantiæ corporeæ genere continetur.

Corporeitas hominis vnde.

Postremo duo illa de Christi corpore argumenta id ipsum demonstrant. Nam sola anima separata eadem numero corpus exanime iacuit in sepulchro, quod materia & partium formis constabat. Atque in Eucharistia ex vi consecrationis in illud corpus Christi mutatur panis, quod animæ subiectum est: hocque est corpus organicum partium formis distinctum. Atque ex hoc capite vrgeri magis discipuli S. Thom. possunt. Etenim veteres SS. PP. & Ecclesia vniuersa semper docuerunt, corpus Christi, quod hoc sacramento continetur, esse idem numero, quod fuit acceptum ex virgine, quod cruci affixum, quod iacuit in sepulchro, quod Pater à mortuis suscitauit. At certum est, neque intelligentem animam, neque cadaueris formam, aut assumptam fuisse ex Virgine, aut affixam cruci, aut animam illam positam in sepulchro, ex eóve reuocatam. Per aliam igitur formam corpus illud fuit corpus; eademque semper perseuerauit, vt idem esset corpus.

Et quoniã naturalis philosophia optimè cum diuina consentit, cùm ab eodẽ auctore Deo & naturæ lumen profectum sit, quo naturalis cognitio paritur; & reuelatum quo diuina & sacra sustentatur: debetque Christianus philosophus reuelato lumine imbecillitatem naturæ subleuare: non verebor hoc loco alterum haud dissimile argumentum ex Sanctorum reliquiis petere. Quas propterea summa veneratione colimus, quòd corpora sint, aut corporum partes sanctorum virorum. Oportet enim aliquam in illis præter primam materiam inesse substantiæ formam, qua idem numero corpus, eademve pars esse dicatur. Ea non est anima, quia corpus exanime: neq; cadaueris forma; tum quia nulla est; tum quia si non sit eadem numero forma, nec esset idem corpus. Neque dicendum est solam esse primam materiam cum accidentibus: quoniam materia sine substantiæ forma aut omnino esse non potest, vt opinatur schola Sancti Thom. aut non nisi per summam Dei potestatem, quod perpetuum esset miraculum. Deinde cur caro putrescit, os & neruus conseruantur? Tum verò idem os, aut neruus conseruantur quæ post animæ discessum relicta sunt. Quo tempore non solam fuisse materiam, testãtur eæ partes, quæ dissoluuntur, & putrescũt. Non enim putrescerẽt, neq; corrũperentur, si materia sola constarent. Deniq; non magis cõseruantur ossa & nerui sanctissimi cuiuspiam viri, quàm perditissimi cuiuscumque, aut etiam bestiarum: in quibus sanè dicendum non est, materiam cum solis accidentibus esse. Quid enim opus est ea sic per miraculum conseruari?

Cæterùm prior hæc pars sententiæ, qua hæc partium formæ continentur, satis est explicata. Soluenda essent Thomistarum argumenta, quibus impugnari eæ videntur. At horum pleraque superiùs soluta sunt, vbi elemẽtorum formas in corporibus mistis actu inesse demonstraui. Eadem enim illa argumenta in vtramque difficultatem intrudunt. Illa videntur esse huius loci propria, in quibus essentiæ rerum dicuntur esse sicut numeri in textu 10. lib. 8. metaph. formæque proprium facere hoc aliquid in textu 2. huius libri. Sed ideò rerum essentiæ cum numeris comparantur, quòd vt numerorum species in certa quadam vnitatum collectione, sic illæ in graduum generis & differentiæ copulatione versantur. Atque vt in numeris addita, vel detracta vnitate, ita in essentiis mutata differentia mutatur species. Deinde vt antecedẽs numerus subordinetur consequenti, vt illius quasi materia euadat atque ab illo accipiat speciem & actum; sic antecedentes formæ subordinantur consequentibus, materia illarum fuit, speciemque & actum ab illis habent.

Argumentis respondetur.

Essentiæ rerũ vt numeri.

Vnaquæq; item forma facit hoc aliquid & substantiam compositam, quæ per se subsistat, & sensibus demonstretur. Ita sanè res habet, dum partium formæ per se considerantur. At comparatione animæ, materiæ, non formæ, vim habent, animaque, vt superior forma, facit hoc aliquid.

Vt omnis forma faciat hoc aliquid.

Addam & illud, quod nobis sæpe inculcant: Vnius rei vnum est esse. Sed vt aliud est esse carnem, aliud os, aliud animatum, aliaque horum singulorum essentia; sic aliam oportet esse formam. Et cuiusque rei per singulas formas constitutæ vnum est esse, vna natura, vna essentialium graduum connexio, vna definitio. Vbi verò plures coëunt huiusmodi formæ, vnum est esse vltimum, quod dat speciem; reliqua generalia sunt, & cum aliis communia, quæque materiæ locum habent. Quare, vt genus & differentia, materia & forma, etsi diuersa esse significent; simul tamen possunt in eadem specie, compositaue substantia reperiri: sic sane poterunt & plures huiusmodi formæ: quarum aliæ generales sint & velut materia, vna verò vltima, velut specifica & formalis. Ita optimè sese habent omnia: atque in essentiis omnibus, tum metaphisicè, tum physicè consideratis; & rursum in his, tum simplicibus, tum mistis, tum animatis; partes omnes conseruantur & in illis reipsa insunt, quandiu ipsæ sunt, quæ ad singularum procreationem & constitutionem conuenerunt. Substantiæ autem per vltimam speciei formam constitutæ nil ampliùs substantiale aduenire potest; sed quidquid aduenit, est accidens. Deque hoc vltimo actu speciei intelligenda est vulgata propositio ex Auer. desumpta in comment. 63. lib. 1. physic. Quidquid aduenit enti in actu, est accidens.

Maiorem fortasse difficultatem pariant duo alia Arist. loca. Quorum alter est in textu. 58. lib. primi huius operis; vbi animam non esse harmo-

niam, aut proportionem principum qualitatum, hor argumento confecit; quòd tot essent animæ in corpore, quot partes. In qualibet enim parte est qualitatum permistio. At non minùs absurdum videtur plures partium formas ponere, quàm plures animas. Alter in textu 9. libri secundi vbi oculum scripsit omonymè oculum appellari postquàm abiit anima: quasi non eandem retineat formam, quam antea habebat.

Vtriusque loci explicatio perfacilis est. Prioris quidem; quoniam non eadem est animæ & formarum partium ratio. Anima, cùm sit superior forma, vltimaque speciei perfectio, quæ cuique rei naturam suam adfert, & quodammodo vnit, ac plures partium formas continet; vnica in toto corpore esse debuit. At partium formas, quæ materiæ vim habent, & eterogeneum, atque organicum corpus faciunt, plures omnino esse oportuit.

Mèbra mortua omonymè.

Posterioris autem; quia non appellamus oculum, aut aliam huiusmodi partem omonymè, propterea quòd propria illius partis forma careat. Immo dum eam conseruari contendimus, synonymè carnem, aut os nominamus, dum solam partis naturam consideramus. Verùm dum hæ partes, & multò magis organica membra, vt oculus, cõparatione animæ considerantur; propter quam velut instrumenta fuerant comparata; seu organici & animati corporis, cuius erant partes ad operandum institutæ: omonymè prorsus dicuntur. Quoniam recessit forma, quæ operari debebat. Hoc significauit Philosophus in textu 35. libri 7. Metaph. cùm digitum mortuum & priuatum anima, quæ illum mouere debuerat, omonymè dixit animalis digitum appellari: quoniam scilicet animalis formam non habet. Dicuntur etiam omon ymè, propter actum secundum & operationem, qua ampliùs non participant. Cùm enim propter operationem fuerint comparatæ, abeunte operandi principio stolidæ remanent, nec operari possunt. Et figuram quidem ac speciem instrumenti habent; sed operationis instrumenta esse nequeunt. Sicut homo pictus aut lapideus speciem hominis habet, sed ratiocinari & operari vt homo non potest. Hoc voluisse Philosophum in textu illo citato, facilè cognosces ex superioribus verbis, quibus de instrumento & securi loquebatur. Sicut etiam in textu 39. libri 7. Metaph. eam duntaxat manum affirmauit partem hominis appellari, quæ operari & actionem suam promere potest. Vtramque porrò interpretationem paucissimis verbis complexus est in cap. 1. libri 1. de part. animal. mortuum hominem inquiens omonymè esse hominem; tum quòd careat anima; tum quòd animæ operatione priuatus sit, propter quam totum illud corpus extructum fuerat. Venio ad alteram sententiæ partem, qua vnicam in viuentibus singulis animam tanquam totius formam, quæ speciem det, esse pronuntio. Hoc ita esse multa testantur. Primùm; cùm animæ inter se ordinentur in ratione formæ & actus, quemadmodum antea explicaui; in eodem prorsus genere ordinantur, eiusdemque generis perfectionem significant. Itaque ea, quæ superior est & perfectior, inferiorem & imperfectiorem virtute continet: easque multiplicare superfluum est. Deinde manifestum est, in eodem viuente actiones animæ

Vnica vnius viuentis anima.

A sese vicissim impedire. Quoniam vehemens & attenta contemplatio sensionem & vegetationem minuit: hæque rursum illam impediunt: Vnicum igitur illarum omnium principium est. Propterea enim impediuntur, quòd anima vni operationi valde intenta nequaquam potest magnopere in alterum incumbere. Quod si plures essent animæ illarum principia, dum vna vni operationi vacaret, altera posset alteram perfectè exequi. Accedit, quòd si plures in homine sint animæ re ipsa distinctæ, separari potest ea, quæ intelligit, cæteris conseruatis: nec à Deo solùm, sed naturalis quoque agentis actione; si solæ illius animæ dispositiones destruantur, non item reliquarum. Immò in morte naturali id re ipsa eueniret; quia cùm perfectior sit superioris, quàm inferioris animæ dispositio, vt ad illam sensim progressa est producendo natura, ita paulatim ab illa recedet demoliendo. Primùm igitur ab homine intelligens anima recederet, dispositionibus eius abolitis; deinde sentiens, tum vegetans: tempore scilicet procedente quemadmodum de productione Philosophus loquebatur. Neque in homine modò, sed in bestiis quoque tolli possent sentientis animæ dispositiones, non item vegentis. Viueretque homo separata intelligente anima; bestiaque post sentientis animæ extinctionẽ. Ita ter homo, bis bestiæ morerentur. Quod enim conati sunt aliqui respondere, mortem solius esse vegetantis animæ destructionem; planè falsum est; quia etsi huic animæ peculiari quadam ratione vita & mors tribuantur: sicut tamen reliquæ item largiuntur vitam, vt ex textu 13. perspicuum est: ita illarum discessus, seu extinctio mors erit. Deinde quæri potest, quænam planta esset illud anima, quod vegetaret duntaxat; & quodnam animal homò, vbi discessit intelligens anima. Necesse enim est, aut esse genus à singulis speciebus separatum; aut aliquam speciem nominare oportet. Intelligens nequaquam erit, quod intelligente anima priuatum est; nec alia species nominari potest, eodemque modo pereunte anima sentiente dicas de planta. Illud verò non leue est argumentum; quòd in textu 24. procreationem sibi similis scriptum est perfectissimam esse operationem perfectorum duntaxat propriam. Vegetans igitur anima, cuius ea operatio est, perfectior esset in bestiis, quàm ea, quæ sentit; si essent ambæ in eo animalium genere. Et in homine item perfectior esset intelligente. Ea enim esset, quæ similem procrearet; non sentiens, aut intelligens. At quomodo posset anima vegetans in bestiarum genere animal procreare, aut in humana specie hominem? Nos enim qui vnicam in his viuentibus animam ponimus, id propterea fieri respondebimus, quoniam in bestiis vegetans eadem est cum sentiente, & in homine eadem cum intelligente. Ideò in illis sentientem procreat, in hoc disponit materiam, & corpus aptum format, ad eam, quæ intelligit, suscipiendam.

Quod autem ad Aristotelem spectat; is pluribus in locis sentire visus est vnicam esse in vno viuente animam. In textu 58. primi libri animam probauit harmoniam non esse, quia plures essent in eodem corpore animæ. Et in textu 90. & 91. Platonem reprehendit, quòd in vno corpore tres animas poneret. Etsi enim de ea sola multitudine animarum vtrobique loqueretur, quæ in aliis atque

atque aliis corporis partibus residerent: earum tamen vnitati fauere videtur: & facilius fortasse plures in pluribus partibus subiectis, quàm in vna parte, eodemque loco concessisset. Addunt plerique textum 31. huius secundi libri, vbi in anima posteriori, priorem dixit potestate contineri, vt in figuris res habet. Sed neque eo loco de animabus, sed de facultatibus est sermo. Neque ex eo loco quidquam colligi posse, quisque sit legitimus illorum verborum sensus, in commentario ad eum locum exponam. Quin potius, cùm ordinare vellet & disponere animæ facultates; vt superior sine inferiori esse non posset: si de animabus verba illa intelligantur, contrarium potius concludetur: esse inquam duas in bestiis animas, tres omnino in homine. Magis sententiæ nostræ fauere videtur initium libelli de Iuuentute & Senectute; Quo loco per vnam & eandem rem dicitur animal viuere & esse animal. Sed ne hic quidem locus est satis manifestus. Quia non est sermo de anima, sed de corde; quod tam vitæ, quàm sensus, principium esse affirmatur.

Ex duobus igitur locis Philosophi sententiam hac de re veriùs colliges. Alter est in textu 65. lib. primi, in quo, vt intelligentem animam incorruptibilem esse ostenderet, hoc vsus est argumento. Si ea vnquam corrumperetur, maximè ab ea corrumperetur, quæ est in senio, debilitate: at ab ea non corrumpitur: quoniam si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. Anima igitur nihil passa est, neque debilitata, sed solum corpus & animæ instrumentum. Nam dum visionem, aliasque sensuum functiones accepit ab intelligente anima, non à sentiente, in homine proficisci: nimirùm eam existimauit vnicam esse in illo animam.

Alter locus est in hoc secundo libro; vbi animam definiuit esse actum corporis potestate vitam habentis. Si enim vt antea quoque adnotaui, ea sit vera animæ definitio: omnem profectò animam iudicauit corpori organico immediatè aduenire, quòd vitam nondum participet, nec vllam habeat animam, sed potestatem ad illam. Quod si ita sit, sola illa erit illius corporis actus.

His duobus locis addendus est ille in secundo libro de animal. ortu capite quarto, vbi de diuersarum corporis partium formatione prima disserens, exemplo primùm explicat prudentis patrisfamilias, qui optimum cibum liberis dat, deteriorem seruis, vilissimum animalibus. Deinde argumento sumpto ex nutritione & accretione iam formati fœtus; Vt, inquit, ex meliori aut minùs bona substantia magis, aut minùs præcipuas corporis partes, quædam etiam ex excrementosa materia mens aduena in fœtu iam formato & grandi sustentat; ita credendum est naturam primùm formasse, antequàm accederet mens. Etsi enim aduenam mentem alio modo interpretetur Philoponus, Ephesius tamen intelligentem animam intellexit; mea quidem sententia magis Philosopho consentanee. Quippe mentem, quam in capite tertio solam dixerat forinsecus aduenire, post aduenam appellauit. Quòd si ea sit, quæ corpora nostra nutrit & auget, nimirùm ea sola est in nostris corporibus anima.

Inter Peripateticos autem Alexander in priori libro de anima cap. vltimo, dum cor ostenderet esse facultatum omnium, vel etiam rationalis sedem ac domicilium: hoc magnopere vsus est argumento; quòd si rationabilis facultas esset à cæteris separata, plures in nobis animas cogeremur affirmare, singulique homines plura animalia esse viderentur. Quæ res impossibilis prorsus est; quoniam id, quod postremam & omnium absolutissimam animam habet, cæteris quoque præditum esse necesse est. Totidem verbis est apud ipsum. Quibus & plures in homine animas esse non posse, & superiorem inferiorum omnium operationes & facultates præstare confirmat. Themistius autem in primo item lib. cap. 5. multas in vno animali non esse animas, hoc argumento concludit. Sit enim, inquit, ridiculum, vt ait Plato, velut milites in Troiano equo plures animas in quolibet homine cõtineri: singulasq; addit esse in singulis, quæ tamen facultatibus pluribus constent. Eadem Simplicio videtur fuisse sententia. Nam in comment. text. 9. libri primi; Quòd quidem inquit in vno atque eodem animali, siue homo sit, siue quoduis aliud, verissimum est vnam videlicet cuiusque animam esse. Et in Commentario ad textum 89. Quæsitum, inquit, est tale. Vtrum sit quouis in animali vna anima, an plures. Quandoquidem & ipsius actiones, tum plures sunt, tum etiam multiformes. Ac si vna quidem est, vtrum composita est ex pluribus substantiis, animal simplex quidem sit, multas verò in se contineat facultates atque adeò multitudo actionum inde resultet. Quandoquidem veluti vnum est corpus, & ipsum animal vnum, necesse est & animam esse vnam. Præterea id minimè vnum esset, quod exempli causa dicat, ego intellexi, ego sensi, iratus sum, aut concupiui; nisi sit vna anima ipsa. Quòd igitur vna sit, planum est. Hæc Simplicius; qui solam deinceps facultatum diuersitatem memorat, quæ in eandem animam impartibiliter vnitæ diuersas corpori præbeant operationes. Denique Philoponus, tum in expositione textus 11. rationalem animam scripsit corpora nostra viuificare, omniumque illis operationum ac motuum principium esse; sed quoad alias operationes inseparabilem esse à corpore, quòd eas per corporis organa exequi debeat: quoad intellectionem autem separari posse, quòd hæc organo corporeo non indigeat. Tum in textum 149. cùm Philosophum concludentem videret, De principio, quo animal sentiens est, definitum fuisse: id non ita dici affirmat, quasi animal multa principia habeat; sed quòd vnum sit & multa; Vnum substantia, multa facultatibus & virtutibus. Tum verò in commentar. cap. 3. libri secundi de animal. ortu, quod eo loco de trium animarum in hominis fœtu productione ab Aristot. traditum est; de vnica interpretatur anima, quæ diuersis temporibus diuersas illas operationes promat; plantæ primùm, deinde animalis, tum hominis. Et inter cætera, Cùm, inquit, innascitur nobis ipsa rationalis anima, eius tunc cum ipsa reliquas omnes facultates innasci certum est. Rationalis ipsa rationis expertes secum confert: non verò cum ipsis confertur. Non enim hoc esse fatemur diuersis temporibus hanc, illamve animæ facul-

„ tatem, vel animam in nobis constituí; hoc enim
„ pacto plures animas, ab inuicemque discretas
fortiremur; & quæ sequuntur. Sunt & illa Pri-
sciani Lydi verba in Theophrasti librum de
„ Phantasia & intellectu capite 11. Si quis gemi-
„ nam essentiam in nobis excogitet, vnum animal
„ multa faciet animalia.

Verùm si sacram & diuinam Philosophiam, quæ certiore nititur lumine, consulamus; accedit difficultas de Christi seruatoris nostri morte, deque vltima nostrorum corporum resurrectione. Nam si præter intelligentem aliæ sint in nobis animæ; dum Christus obiit, quid sentienti aut vegetanti actum est? Dici non potest eas simul cum intelligente à corpore separatas fuisse: neque item penitus periisse, quoniam scitum est illud Theologorum; Quod semel assumpsit, nunquam dimisit. In reliquis verò hominibus cùm reliquæ illæ animæ separari nequeant, postque illius interitum esse superstites; si extinguantur cum corpore, oportet & in postrema corporum resurrectione à Deo de nouo creari. Quod neque necessarium est, neque ab vllo hactenus pronuntiatum. Maneat igitur, non nisi vnam in homine inesse animam; quæ in corpore præstet quidquid reliquæ præstare debuissent: atque in reliquis item viuentibus vnica singularum propria affirmabitur.

Quæ verò adferebantur ad ostendendum ternarium in homine animarum numerum, ita ferè explicantur. Locum illum Philosophi in capite tertio libri secundi de animalium ortu ita aliqui interpretati sunt, vt animam quandam in fœtu primùm produci dixerint, eamque actione seminis principiò fieri vegetantem, deinde sentientem, tum superioris causæ virtute intelligentem. Parùm omnino sapienter. Tum quòd eadem forma diuersarum specierum fieri, atque ex vna in aliam mutari nequeat. Tum quòd animalis procreatio motus esset continuus ab imperfecto ad perfectum, vt alteratio. Tum quòd intelligens anima nequaquam crearetur à Deo, sed actione seminis educeretur ex materia. Ij quoque meritò reprehenduntur, qui vitæ operationes, quæ in fœtu cernuntur, nequaquam ab illius vegetante anima, sed ab anima matris, aut à seminis formatrice virtute, fieri asserebant. Neque enim possunt operationes vitæ ab exteriori principio proficisci; vt ostendit vitæ definitio in textu tertio expositа; Vita est quæ per ipsum fit alitio: & definitio animæ in textu 24. Anima est id, quo viuimus, &c. Oportebit igitur aut eas operationes ab anima proficisci, quæ in fœtu iam sit producta: aut animam matris duo corpora formare. Sed cùm posterius hoc fieri prorsus nequeat, vnum illud superest, matrem alimentum suppeditare, quo fœtus per animam sibi propriam alatur & augeatur.

Exponitur locus 2. de animal. ortu. c. 3.

Duæ autem videntur esse probabiliores huius loci explicationes. Altera est Philoponi in comment. ad eum locum, Magnique Alberti in summa de Homine, & aliorum complurium. In humano fœtu neque animam vegetantem produci, neque sentientem, sed solam intelligentem; quæ iuxta materiæ & organorum dispositionem opera priùs vegetantis, deinde sentientis, ad extremum intelligentis perficiat. Eaque omnia, quæ ab Aristotele eo loco dicuntur, de operationibus intelligenda esse: atque hominem actiones priùs exequi plantæ, deinde animalis, tum hominis. Verùm multas ob causas reprehendenda est. Primùm quia manifestum est, Aristotelem non de operationibus loqui, sed de animabus; quarum vna priùs accedat, quàm alia. Quod tum ex eo cognoscitur, quòd hominem ait non simul esse animal & hominem: tum ex altero, quòd vegetantem animam & sentientem subiungit actione seminis ex materia produci, solam intelligentem forinsecùs aduenire. Deinde, quoniam puer, qui hominis operationes exercere nondum potest, nequaquam esset appellandus homo: quem timen constat intelligentem habere animam. Tum verò, quò nobilior est forma, eò meliorem materiam, perfectioresque dispositiones postulat; quibus productis necesse est statim subsequi formam: est enim necessaria & essentialis materiæ & formæ connexio. Fœtus autem, vbi primùm nutritur & augetur, vsque adeo perfectus & elaboratus non est, vt intelligentem animam possit statim suscipere; at vegetantem potest. Et rursum paulò post ad sentientem aptus est; nondum ad intelligentem. Neque fieri potest in natura, vt materiam dispositam non consequatur forma; cùm sit eadem actio, quæ & materiam disponit, & educit formam. Accedit medicorum iudicium: qui tres distinctas diuersis temporibus animas procreari tradunt. Theologique confirmant; dum vt intelligatur, qualisnam fuerit in abortu culpa, considerandum esse statuunt quænam earum anima in fœtu fuerit. Sanè non consueuit natura ab imperfecto ad perfectum & ab extremo ad extremum subitò transire. Neque credendum est, eam ab inanimato ascendere statim ad diuinissimam omnium formam intelligentem, & non magis per vegetantem & sentientem gradatim progredi.

Denique adducat nunquam, vt credam seminariam virtutem in cæteris omnibus, tum animalibus, tum plantis, esse fœcundam; in homine solo sterilem, neq; vllius animatæ formæ procreatricem. Nam etsi dici possit, humanum semen eam vim habere, vt corpus vniuersum formet, materiamque diuersis partium formis productis disponat: hoc tamen à dignitate ac perfectione humanæ naturæ longè abesse videtur. Nam cùm mutorum ac stirpium semini concedatur, vt non modò materiam preparet, corpusque faciat organicum; sed adducat quoque formam & producat animam: quid tandem homini optima omnium parens inuidisset natura, vt corporis solùm formandi, materiæque disponendæ vim dedisset; quidpiam autem sibi simile gignendi, viuentemve formam procreandi potestatem omnem præripuisset? Esset nimirùm, quod doleret homo conditionem suam: si in eo, quod naturæ suæ conseruandæ esset maximè necessarium, quodque in primis ipse desiderabat, vt perpetuitatem consequeretur, mutis animantibus ac plantis fuisset inferior: Neque quod alia omnia naturalia possunt, Diuinum illud pulchrum & expetendum consequi posset.

Multo

Multò igitur verius est id, quod S. Thom. alijque omnes affirmant, actione seminis tum disponi materiam, totúmque corpus præparari, tum vegetantem quoque animam produci, vbi ad quendam dispositionis modum ventum sit, & rursum post aliquod tempus perfecta magis materia sentientem formam accedere. Tum verò disponi adhuc materiam ad præstantissimam omnino intelligentem formam. Cuius tamen productionem attingere semen non potest, quòd ea forma ex materiæ potestate educi nequeat: sed spiritalis cùm sit, aliunde accedere ad corpus debeat, à solo scilicet Deo creata. Dum verò ita progreditur natura, vt vegetantem primùm animam producat, deinde sentientem: fœtus nõ propterea appellatur planta, aut animal brutum. Quoniam vtraque hæc anima duas sub se habet interiectas species, vegetans plãtam & embrionem, sentiens, brutum animal & Embrionem: plantam quidem & brutum animal vt perfectas species, Embrionem vt imperfectam, quæ vegetantem aut sentientem formam in ordine duntaxat ad superiorem habet, quæ tanquam propria speciei forma nomen ac definitionem dabit. Sed quamuis in humano fœtu hæ tres animæ producantur; dum tamen adest sentiens, abit vegetans; móxque accedente intelligente illa quoque recedit, vnicáque in homine supereſt anima.

Embrio quid.

Cæterùm duplex hoc loco est difficultas. Altera, quòd frustra videntur antecedentes illæ animæ fuisse productæ, si tam citò extinguuntur. Altera, à quanam corrumpente causa & quomodo corrumpantur. Sanctus Thomas nil aliud respondet, nisi ortum vnius esse alterius interitum: præsertim cùm ea, quæ posterior accedit, perfectior sit, & priorem virtute contineat. Causam huius rei esse, quòd vnius ortus sit interitus alterius, non crediderim ego; tum quòd hoc non est causa, sed effectus. Tum quòd in omnibus procreationibus nequaquã ita esse iam demonstraui. Priorem animam interire, quòd accedat posterior, quæ in eodem genere perfectior est; potestque ita formare materiam, vt det illi quidquid prior altera dabat & aliquid ampliùs: libenter audio, sed nondum planè acquiesco; quoniã difficultates propositæ non explicantur.

Cur prior anima producatur.

Ego verò ita ratiocinabor. Priores animæ nequaquam fuerunt frustra productæ: quoniam cùm inter animas sit essentialis ille ordo, quem antea exposui; neque posset natura summum statim attingere, necessariò fit, vt semen, quod in bestijs ad sentiẽtem animam producendam comparatum erat, aut etiam in homine intelligentem (humanum enim semen non est per se comparatum ad sentientem animam procreandam, sed ad eam, quæ hominis propria est: quippe vnum quodque appetit gignere sibi simile: eámq. etsi non producat quoad substantiam, quoniam spiritalis est; verè tamen producit quoad esse in materia; dũ dispositiones adducit, quibus ea coniungi cum materia possit) producat priùs antecedẽtem animam: non tamen per se, sed velut medium & necessarium gradum ad eam formam, quam quærit. Non enim per hominis semen vegetans anima procuratur, aut sentiens; sed per vtramque intelligens. Et ideò non illæ, sed hæc sola conseruatur in materia. Quoniam eæ non fuerunt propter se productæ, sed tanquam gradus ad eam consequendam, quam natura quærebat. Neque dicũtur frustra fuisse: quia fuerunt gradus, optiméque suo munere perfunctæ sunt; dum ad eam formam perduxerunt, quæ quærebatur sanè non producitur talis vegetans forma aut sentiens, quæ præsertim sua natura debeat aut possit existere; sed quæ debeat esse dispositio & gradus ad aliam, quæ in natura existet. Neque enim omnis vegetans aut sentiens id præstare potest: quippè vegetans plantæ nullo modo admittet sensum; nec sentiens belluæ intellectũ & mentem suscipiet: quoniam hæ per se productæ sunt, vt in natura cohæreant: non vt ad aliquid melius ordinatæ.

A quonã corrũpatur.

Quod autem ad corrumpentem causam attinet; plerique eas inquiunt interire solùm atque ex materia recedere per modum naturalis consequutionis. Aduenit enim inquiunt, superior forma, cum qua frustra & sine necessitate remanerent. Verùm, naturæ magis consentaneè philosophabimur, si eas dixerimus ab illa ipsa agente causa interimi, quæ consequentem producit animam. Nam vt quælibet forma constitutas habet dispositiones, earumque certam quandam latitudinem, cum qua consistere potest in materia: sic earum excessus, aut defectus causa est interitus formæ. Quemadmodum igitur expelli potest forma, si materiæ dispositio plus æquo minuatur: ita semen, quod priores dispositiones, animásque produxerat; non propter se, sed propter meliorem formam, dum agendo progreditur, superiorisque formæ dispositiones producit; demolitur eas, quibus antecedentes animæ conseruari debuissent. Demolitur, inquam, totam illarum latitudinem excedendo, perfectioréque producendo, quæ non illarum, sed superioris animæ sint. Mutatis namque dispositionibus formas quoque mutari necesse est; prioréque recedere, posteriorem aduenire. Atque hoc modo in hac quoque corruptione verum est illud Philosophi. Quod corrumpitur, antea corrumpebatur. Totus enim ille motus, quo alterius animæ dispositiones priorum conditionem excedentes producebantur, erat quoque motus corruptionis illarum.

Duas in plantis, & tres in bestijs nõ esse animas.

Iam quoniã illi quoque, qui in viuentibus constituendis duas in singulis plantis, trésq. in bestijs non minùs, quàm in homine, animas ponunt, nituntur maximè verbis quibusdam Philosophi, quæ in eodem libro & cap. leguntur: antequam ad reliquas difficultates euoluendas accedam, quæ animarum in homine multitudinem suadebant, placet illa quoque verba interpretari. Primùm autem quod ad horum hominum opinionem attinet, considerare illi debuissent, se nimium omnino animarum numerum augere. Tres enim duntaxat Philosophi omnes hactenus cognouerunt, vegetantem, sentientem, intelligentem. Illi plures faciunt, dum & vegetantem & sentientem in plantis & bestijs duplicatas ponunt, vnam generis vniuersi, alteram singularum specierum. Deinde poterant meminisse, quid tum in hoc secundo libro de anima à textu 13. tum alijs in locis de trium illarum animarum, seu facultatum distributione fuerit constitutum. Primum enim vitæ gradum vegetantem, vaicum, simplicem, & solitarium in plantis reperiri, eásque per vnicam animam viuere, definitum est. Tum verò dum illi eo modo philosophantur, genus ponunt à speciebus reipsa distinctũ, ac seorsim sub-

sistens: dum, inquam, vegetantem animam in planta, & sentientem in bestia formam esse genericam ab anima specierum illarū propria diuersam & ante illam productam asserunt. Quod nequaquam ita esse, alibi demonstratur: déque sentiente anima apertum est illud Arist. testimonium in tex. 8. 1. libri; Animal vniuersum aut nihil est, aut posterius est, solāque mentis cogitatione à speciebus singulis separatum. Præterea quid opus est tantopere animas augere? Vt enim eadem forma specie, si in diuersa numero materia suscipiatur, numero multiplicatur: ita si diuersa specie fuerit materię dispositio, corporisq. conformatio; diuersæ statim animæ, tum plātarum, tum bestiarum producentur; quæ vno cōmuni conueniēt genere, sicut aliæ omnes species. Alioqui nō in viuentibus solùm, sed in omnibus planè rebus, vel etiam simplicibus Elemētis, oportebit formam generis, formámque speciei ponere; atque in corporibus omnibus formam corporis, & talis corporis te distinctas. Certè si facultates atque operationes consulamus; nullæ sunt in animabus illis, nec facultates, nec operationes diuersæ: sed eædem, tum generis, tum speciei. Nec enim anima equi alias habet facultates, aut operationes, quàm videndi, audiendi, ac cæterorum sensuum; tum verò appetitionis, & incessus: Neque lactucæ anima alias, quàm nutritionis, accretionis, & procreationis. Quæ facultates erant vniuersæ sentientis animæ, aut vegetantis: neque accessit quidquam præter determinationem quandam; sicut generica ipsa forma fuit ad singulas species contracta.

Exponit locus ex 2. de anims ortu ca. 3.

Est tamen apud Aristotelem locus difficilis, qui fauere aduersarijs videatur; & verò etiam fuit errandi occasio. Nam in cap. 3. lib. 2. de animal. ortu, cùm fœtum in vtero dixisset Philosophus non esse simul animal & hominem; sed priùs per sentiētem animā esse animal, deinde procedēte tēpore hominem intelligente forma accedente: statim subiungit, neq. equum simul fieri animal & equum, eodémq. modo in animalibus cæteris rem se habere. Si igitur homo fit homo accedente alia forma hominis propria: intelligi etiam voluit, equum fieri, aut lactucam alia succedente speciei forma à generis forma diuersa. Verùm etsi hoc illis ita esse concederemus; perperam tamen ex eo loco colligerent id, quod maximè quærunt; in plantis duas inesse animas, tres in bestijs & homine. Quamuis enim animæ illæ ita producerentur: quemadmodum tamen in homine antecedentes duæ pereunt, dum accedit intelligens; hęcq. sola in eo viget: ita & in cæteris eueniret; solāque speciei forma subsisteret. Nihilominus ne in productione quidem ita se habere existimādum est. Nam vt omittam interpretationem Philoponi grauissimi omnino interpretis; qui non de animabus, sed de operationibus, ea omnia intelligi voluit: pugnantia loquutus fuisset Arist. si generis formam re à speciebus distinctam, & in natura ante species cohærentem posuisset, quam alibi toties in Platone reprehenderat. Deinde cur non item de plantis adiunxit, non simul esse plantam & lactucam? Si enim non simul est animal & equus; quòd per aliam animam sit animal, per aliam equus, dicendum idem fuisset de plantis, in quibus animas illi duas agnoscūt. At contrarium prorsus legimus, plantas per vnicam simplicissimam animam à reliquis omnibus separatam viuere. Quod cum ijs, quæ sensibus cernuntur, planè consentit. Nam etsi in animalium fœtu, qui in occulto nobis loco perficitur, aliquid ipsi dicere possint: in plantis tamen, quæ in pātenti terra nascuntur, atque à nobis conspiciuntur, dum paulatim ex seminibus pullulant; nullam formæ, aut animæ mutationem cernimus; sed eādem semper lactucæ substantiam, quæ sensim augetur. Ex his verò argumentum sumi potest de animalibus. Nam si plantæ per vnicam viuunt animam, & in tali specie viuunt: bestiæ quoq. per vnicam sentient, & in tali specie sentient. Homo quidē certè sentit, & in tali specie sentit; nec tamen in eo sentiēs anima specifica à genere vniuerso distincta cogitatur. Quod autem respōderi posset, sentientem naturam in homine ab intelligente anima determinari: parùm accommodatè diceretur. Quoniam intelligens forma, si simul cum sentiente in nobis insit, genere differt à sentiente: & intelligere operatio est diuersę prorsus naturę à sensione; quæ sensum quidem & illius operationem supponat, sed eam ad certam speciem determinare minimè possit.

Eo igitur in loco Philosophus cùm tres duntaxat animas nominasset, eásque humano fœtui ordine quodam & tempore procedente aduenire dixisset: probare voluit, eum ordinem inter illas seruari; vt omnium prima sit vegetās, deinde sentiens, tum intelligens. Ac primā quidem vegetantem esse oportere, acceperat iam ex ijs, quæ in hoc 2. lib. de anima tradita fuerant: vbi eam docuerat esse primum vitæ gradum, qui à cæteris separetur; nec aliorum vllum absque eo esse posse. Propterea de reliquis duntaxat probationem subiunxit. Probatio autem est. Quia non simul est animal & homo, nec animal & equus, eadémque in cæteris animalibus ratio est. Quorum verborum si ille sit sensus, quem aduersarij arbitrātur, ineptissima probatio fuerit, quæ argumētum illud accipiat, quod probandum fuerat. Probandum enim erat, sentientem priùs, quàm intelligentem, produci. Hoc si eo argumento probetur, quia non simul fiant, sed priùs sentiens, quàm intelligēs, idem per idem probabitur, & vt in scholis loquūtur Dialectici, petitio erit principij. Ex eo igitur Philosophi argumentatio deducta est, quòd animal est genus, sua natura prius, quā homo. Quare cum anima sentiens sit animalis forma generalis, & anima intelligens forma hominis propria, priùs illa, quàm hæc, produci debet. Atque hoc est, quod ait, Non simul fit animal & homo, hoc est, non simul sunt & æquè latè patēt, sed priùs est, & generalius animal. Quod vt ostendat, equum & reliquas animalis species cōmemorat: vt intelligatur, animal significare quidpiam genericum & prius, quod in hominis fœtu nō simul, sedante intelligentis animæ aduentum produci oporteat. Ex hoc porrò argumentari non licet, in equo & alijs bestijs idem fieri propter eandem causam oportere. Quoniam in homine peculiaris est & propria quædam causa: quòd is non solo sensu consistat, sed ad intelligentem progrediatur naturam, quam ab alia quapiam distincta forma constitui debere manifestum est. At equus & bestiæ cæteræ sentientem solam naturam habent, nec alia indigent forma, quā sentiente: non in sua generalitate accepta, sed per propriæ differentiæ gradum ad singulas species contracta. Hæc est vera illius loci interpretatio. Pergamus ad reliqua.

Seminaria hominis virtus nequaquam est frustra. Format namque corpus organicum, distinguit partes & membra homini necessaria, producis

duci vegetantem, & sentientem animas; atque adeò intelligentem, non quoad substantiam, sed quoad esse in materia; dum substantia illius à Deo creata coniungitur cum materia ope illarum dispositionum, quas produxit semen. Itaque homo verè dicitur hominem sibi similem procreare. Vt enim quidpiam dicatur sibi simile gignere, satis est, si id, quod gignentis actione producitur, ad speciem & naturam illius participandam perducatur, fiátque coniunctum illi simile. Nam cùm terminus ortus non sit forma, sed totum coniunctum; à quocumque tandem substantiæ forma producatur, si gignentis actione atque industria acquirat esse in materia, totúmque coniunctum constituat; id profectò satis est, vt vera sit & perfecta procreatio. Hęc enim substantiæ compositæ productionem significat, quæ à non esse transeat ad esse, ac per se in natura cohæreat. Composita autem substantia ex vnione fit materiæ & formæ. Quare vndecumque adueniat forma; si agens attingit vnionem illius cum materia, verè & propriè dicitur procreare, quòd compositæ substantiæ sibi similis productionem consequatur. Cuius item dissolutio appellatur interitus: quódque dissolutionem adfert, interimere verè existimatur. Non tamen aio procreationis huius terminum esse vnionem, vt relationem significat: sed id, quod vnitum est; seu vnionem, vt significat actum formalem animæ in corpore, ex quo substantia cõposita efficitur. Et quoniam præstabilius est attingere actum formalem immaterialis ac per se subsistẽtis, omniúmque optimæ formæ; quàm alterius cuiusuis; præstantissima omnium est hominis procreatio. Itaque illud etiam sapiẽter affirmabitur; eãdem intelligentem animam, tum creationis terminum esse, tum procreationis. Creationis; quatenus eius substantia ex nulla præiacente materia à Deo producitur. Procreationis; quatenus agentis naturalis operatione cum materia coniungitur, compositam substantiam constituendo.

Vt anima superior fine inferiori.

Ea porrò est formarum conditio, vt si inter eas sit ordo materiæ & formæ, nequeant superiores aut produci, aut esse sine inferioribus. Sin autem sit tãquam formæ & actus imperfectioris ad perfectiorem; non possit quidem superior produci, nisi antea inferior producta fuerit; esse tamen & deinceps conseruari sine illa possit. Quod pluribus antea declaratum fuit.

Vt vtra dicentia de eadem.

Nec tamen essentialia & contradicentia attributa eidem essentiæ formaliter conuenient. Quoniam intelligens anima ita est immaterialis, impartibilis, independens à corpore & immortalis; vt nullomodo sit formaliter materialis, partibus, dependens, & mortalis. Sed virtute duntaxat, vt inferiorum formarum, materialium, partibilium pendentium, & mortalium perfectionem continet. Neque absurdum existimatur, si eidem essentiæ quidpiam cõueniat formaliter, & alterum illi oppositum virtute. Nam si anima sentiens in bestijs consideretur; eam dicimus virtute continere vegetantem, non item contradicentia attributa: siquidem ambæ materiales sunt & mortales. Altera tamen alteram virtute continet; quia perfectior est eiusdem generis forma. Quare si perfectior adhuc eiusdem generis accedat, illam quoque virtute continebit. Quòd si forinsecùs adueniat, sitque immaterialis & immortalis; id comparatione virtualis continentiæ est prorsus accidentarium. Quoniam non ideò virtute continet, quòd materialis sit, aut immaterialis; sed quòd maior in eodem genere perfectio. Quare ex accidenti quoq. est, si contradicentia illi attributa cõueniant: cùm quædam ratione virtualis cõtinentiæ cõueniant, alia ratione actus formalis, quo anima illa in seipsa est actus talis & forma. Animæ igitur vegetans & sentiens, dum in seipsis considerantur, materiales sunt, partibiles, corruptibiles & mortales: at in superiori natura, qua continentur, immateriales dicuntur esse, impartibiles, incorruptibiles, immortales. Quòd nil aliud sint, quàm ipsa intelligens anima totam illarũ perfectionem cõtinens. Propterea Philosophus propriam singularum naturam considerans, priores illas sæpè dixit mortales esse & caducas, intelligẽtem solam immortalem & aliud animæ genus, quod à corpore separetur tãquam perpetuũ à mortali. Neq. est, quòd objciant; nihil, quod per se sit mortale, ex accidẽti fieri posse immortale: quòd, vt est in tex. 26. lib. 10. Metaph. mortale, & immortale ex intima cuiusque rei natura ducantur. Et enim nec animæ illæ sua natura caducę euadunt sempiternæ: neq. intelligẽs anima, quæ naturam habet sempiternã, caduca efficitur. Sed & illæ, dum per se considerantur, mortales semper sunt; hæc immortalis. Et illæ immortales euadunt, dum in superiorem naturam suam cõmutant, virtutéq. in immortali forma cõtinentur. Et hæc mortalis appellatur non formaliter, sed vt mortales formas continet & earum actus, tum primos, tum secundos, exercere potest. Mortale autẽ & immortale, cùm ex propria cuiusq. rei natura nascantur, cuiq. perse & secundum propriam naturam consideratæ tribui debent.

Animæ vegetans & sentiẽs quales vt in intelligente cõtinentur.

Vt ex operationibus colligatur forma.

Iam de operationibus, dum ex illis Philosophus naturalis substantiæ formas quærit, hæc ignorare nõ debet. Primùm ex operatione solã formæ existentiã colligi: optiméq. concludi, si est operatio, oportere quoq. adesse formã. Nõ item formarũ distinctionẽ, aut multitudinem. Tum quòd hæc ratiocinatio ad illud genus demonstrationis pertinet, quod dicitur ex effectu, qui sensibus apparet, ad existẽtiam causæ concludendam. Tum quòd operationes non oriuntur immediatè à forma, sed à facultate: ab eadémque forma plures prodeunt facultates, quibus plures fiunt operationes. Hoc autem in eodem præsertim composito verum est. Nam in diuersis diuersas formas ex diuersis operationibus licet concludere: quoniam vnum suppositum nequit esse principium operandi in alio supposito. Distinctio igitur, sed multitudo formarum propriè & absque errore iudicanda erit ex materiarum seu suppositorum distinctione. Quoniam cùm vnus actus sit vnius potestatis, vna forma vnius materiæ; atque inter materiam & formam, potestatem & actum, relatio quædam sit & essentialis nexus: optimè concludimus vnius multitudinem alterius quoque multitudinem indicare. Loquor autem de formis, quæ rationem habent actus & formæ in materia: Itaque ex operationibus hominis magnam omnino facultatum diuersitatem primùm colliges. Deinde, eas omnes aut ad vnam formam, aut ad plures reuocandas esse. Plures esse non posse, facilè concludes; quia non est nisi vna materia, vnum corpus, vna potestas; in qua non nisi vna forma totius & vnus actus speciei esse potest. Eam affirmabis esse intelligentem animam; quoniam hæc est propria hominis forma, actúsque huic materiæ & corpori accommodatus.

At quomodo hæc anima vegetantium ac sentientium operationum, quæ ab alijs formis in viuentibus cæteris proficiscuntur, principium sit? Videbis vegetare & sentire hominis nequaquam esse vegetare & sentire simpliciter; sed illius propria: oriri igitur debent à forma eius speciali, qua à plantis & bestijs distinguatur. Hanc videbis esse intelligentem animam, superiorem ac perfectiorem in ratione actus primi: & ideò etiam in operatione. Quare eam concludes, omnes illas operationes eam præstare posse, quæ ab alijs formis fieri debuissent. Nō igitur ad plures formas ex illis operationibus deduceris: sed ad vnicam, quæ cæteris virtute contineat. Atque vt perfectionem habet vegetantis animæ & sentientis, ita vim quoque operandi retineat. Et vt humano corpori maiorem addit perfectionem sibi propriam; sic & operationes adducat alterius generis, quæ nulli alteri conueniant.

Homo formaliter vegetans & sentiens.

Hinc verò intelligitur; Primùm, quomodo homo sit formaliter vegetans & sentiens. Etsi enim vegetantem animam, aut sentientem formaliter non habeat quoad esse illarum proprium & distinctum ab esse animæ intelligentis: habet tamen formaliter actum hunc & perfectionem superiorem, in qua actus & perfectio illarum meliori modo continetur. Continetur autem, non eo modo, quo solem dicimus esse virtute calidum; quoniam hoc ad efficientis causæ vim pertinet; quòd scilicet suo lumine calorem possit producere. Nam si hoc modo intelligens anima cæteras contineret; posset quidem eas in alio producere; at hominem, in quo ipsa est, formaliter vegetantem, aut sentientem nequaquam faceret: sicut neque sol formaliter calidus appellatur. Quoniam efficiens causa non potest dare esse formale, quod solius formalis causæ effectus est. Eam igitur ob causam hæc anima dat homini esse formaliter vegetantem & sentientem; quia in genere causæ formalis, hoc est tanquam actus & forma in eodem genere superior, perfectiones & actus illarum animarum continet. Idcirco enim dum coniungitur cum corpore, quia coniungitur tanquam forma cum materia, & forma dat formaliter materiæ totam suam perfectionem: ea quoque anima, quæ velut forma non intelligentem solùm, sed vegetantem quoque & sentientem perfectionem continet, coniuncta cum corpore hominem facit formaliter & intelligentem, & sentientem, & vegetantem. Itaque si quæratur; Num in homine sint formaliter animæ vegetans & sentiens; adhibenda erit distinctio. Est enim in eo formaliter animarum illarum perfectio; dum intelligens, quæ in genere formæ est illis perfectior, cum illarum quoque perfectione est hominis forma. Non sunt autem perfectiones illarum ab intelligente anima distinctæ & separatæ, atq. in actu ipsarū proprio. Vt verè etiā dici possint hæ animæ, tu actu, tū virtute, esse in homine. Virtute; quia non sunt in actu proprio & distincto ab intelligente. Actu, quia verè illarum perfectio in superiore illa forma, atque adeò in homine, cuius illa est actus, tota reperitur.

Vt dici possit cæteras animas à corpore separari.

Deinde intelligitur etiam, dum intelligens anima à corpore separatur, reliquas item animas separari, non quo ad proprios earum actus, sed vt sunt ipsa intelligens anima, quæ & illarum perfectiones continet, & à corpore separatur: vt non ipsæ, sed diuinior illa anima reipsa separetur. Sed quamquam illæ quoq. dicerentur ex accidēti separari, non essent tamen otiosæ. Quòd suo tempore, quandiu fuerunt in corpore, operatæ sint: ac rursum sentiens saltem anima operabitur post vltimam illam corporis resurrectionem, quam aliquando futuram certa fide credimus. Nec in somno cēsetur otiosa, quòd tum vigiliæ tempore operata sit, tum rursum operari debeat. Nec facultas item intelligēdi cum phantasmate censetur esse otiosa in anima separata, etsi nullus illius amplius futurus sit vsus. Hanc porrò in anima separata remanere, ex illis cognosci potest, qui diuina virtute fuerunt aliquando ad vitam reuocati, ac rursum cum phantasmat e intell exerunt. Accedit, quòd num aliquid sit otiosum, ex eo præsertim, quod præcipuè cuique rei conuenit, iudicandū est. Anima verò separata id, quod est in ea potissimum, adhuc operatur.

Venio ad illud, quod de nutritione, accretione, & decretione hominis propone batur. De illis idem prorsus dicendum, quod de ortu & interitu dictum est. Sunt enim ortus quidam & interitus partium.

De sensionibus autem sic sentio. Eæ dicuntur esse operationes toti coniuncto ex anima & corpore cōmunes: non quòd in homine suscipiantur in toto (Cùm enim sint operationes intelligētis animę, quæ non pēdet à corpore, sed seipsa subsistit; earū iudicij & actus elicitus in sola suscipitur anima,) sed quòd cùm sint sua natura actiones inferioris formæ materialis, organo indigēt corporis & verò etiā animali spiritu; perinde ac si in toto essent coniuncto. Hæc de tota hac grauissima difficultate ego pronuntio.

Ex quibus intelligitur, plures omnino formas simul inesse in omnibus mistis corporibus, & in viuentibus plurimas: verè tamen dici posse inesse vnicam; quoniam etsi plures sint, vna tamen est, quæ dat speciem & habet rationem formæ & actus, reliquæ rationem materiæ.

Quæ si vera sunt, grauis omnino fuit Ianuni error, qui iuxta essentialium attributorum numerum substantiæ formas multiplicauit. Quem & Marcus Antonius Zimara in suis ad eum adnotationibus, & alij graues viri iure optimo reprehenderunt. Non solùm enim Elementa, sed Cœlestia quoque corpora, separatæ mentes, accidentia, & aliæ quæcumque res ex pluribus formis re distinctis essent compositæ; cùm in singulis plura possint essentialia attributa distingui. Deinde qui ita philosophetur, formam cogetur corporeitatis ponere inseparabilem à materia, quam vniuersa Peripateticorum schola iampridem explosit. Tum si quælibet species forma consideretur, quemadmodum ignis, aut alterius rei: ea nimirum cùm sit substantiæ forma, dat esse substantiam. Quid igitur opus est alia forma, quæ substantiam constituat? Et quoniam de cæteris attribuit idem dici potest, cuiuis manifestum erit, audiendum planè hac in re non esse Ianunum.

At is non pessimè suam sententiam communiuit. Aristoteles enim, inquit, in textu 28. lib. primi Phys. hoc argumento Parmenidem vrget & Melissum, qui omnia dicebant esse vnum ens. Etsi sola esset substantia, multa tamen essent entia; quoniam in homine sunt animal & bipes, genus & differentiæ: quæ nisi sint res distinctę, nihil cōfecit Philosophus. In textu item 10. lib. 2. Metaph. ratiocinatur, non dari abitionem in infinitum in formis, quia non datur in attributis essentialibus. Quæ ratiocinatio si quid habeat momenti, tot oportet formas concedere, quot sunt attributa. In septimo lib. Metaph. dum de partibus definitionis loquitur, illis respondere affirmat partes rei. In nono eiusdem

operis

operis libro tex.22. Quod, inquit, simplicem habet formam, aut totum scitur, aut totū ignoratur. Quod igitur non totum scitur, nec totum ignoratur, compositum est in forma. At quidquid est sub genere substātiæ, sciri potest quoad genus & ignorari quoad differentiam, aut ignorari genus illius proximū, aut medium, & cognosci genus supremum: est igitur ex multis formis compositum. Postremò, ne singula persequar, hoc modo argumentatur. Quod alicui conuenit per animalis formam, conuenit illi vt est animal: quod autem conuenit alicui vt est animal, est illi commune cum omni animali: at homini per animalis formam, quam aduersarij eandem esse dicunt cum ea, quæ est intelligēs, conuenit esse risus capacem: ergò hoc conueniret illi vt est animal, omnique animali commune esset. At hoc est falsum. Necesse est igitur aliam esse formam, per quam homo sit animal, & aliam, per quam sit intelligens, risúsque capax.

Verùm quod primo loco proponitur, solam probat multitudinem entium forma, definitione distinctorum. Satis enim fuit Parmenidi ostendere, multa esse entia realia, etsi non reipsa distincta. Huiusmodi est distinctio generis & differentię, quę inde necessariò colligitur.

Porrò in 2. lib. Metaphysicæ sermo est de Metaphysicis formis, quæ nequaquam re distinguuntur, sumuntúrq. ex diuersis gradibus: non item de Physicis, quæ insunt in materia re inter se diuersa. Propterea accipit, non dari abitionem in infinitum in formis. Satis enim illi fuit ostendere in formis Metaphysicis: quoniam si in illis abire non licet in infinitum, multò minùs licebit in Physicis, quæ numero pauciores sunt.

Locum citatum ex 7. lib. Metaph. sunt qui ita interpretentur, vt in eo sit sermo de definitione Physica, quæ partibus constat in obliquo casu positis: vt si hominem dixeris esse animal, quod corpore constat & intelligente anima. Non item de ea definitione, quæ partibus in recto casu explicetur, vt homo est animal intelligens. Tunc enim pars vtraque totam hominis naturam significat, altera indeterminatè & tanquam multis communem, altera determinatè & ad solum contractam hominem. Verius dixeris, partibus definitionis respondere partes rei, quæ definitur: non tamen re distinctas, quia diuersi respondent gradus in eadem natura, vnus generalis, alter proprius.

Iam verò alter locus noni lib. Metaph. ita est intelligendus. Quod simplicem habet formam, si in se cognoscatur, aut totum scitur, aut totum ignoratur, propterea quòd nullas habet partes. Hócque de intelligentijs pronūtiatum videtur, in quibus nullam is existimauit esse generis ac differentiæ compositionem. In alijs, quæ genere constant & differentia, vt partibus forma distinctis, altera sciri potest altera ignorata: præsertim si cognitio ex effectis quęratur. Nam ex vna operatione attributum vnum cognoscetur altero penitus ignorato.

Postremò ab hominis forma, qua & homo est & animal, ortum habet capacitas risus, quę tamen non conuenit homini quatenus animal est, hoc est quatenus ea forma sentiētis animæ perfectionē habet, sed quatenus homo est, hoc est quatenus eadem illa forma propriam hominis perfectionem significat. Et ideo non omni animali conuenit.

Animam esse principium, quo primùm viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.

CAP. II.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ἐκ τῶν ἀδήλων μᾶλλον, φανερωτέρων δὲ γίγνεται τὰ σαφέστερα, καὶ κατὰ τὸν λόγον γνωριμώτερον, πειρατέον πάλιν οὕτως ἐπελθεῖν περὶ αὐτῆς· ὑπάρχει γὰρ μόνον τὸ ὅτι ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ τί τὸν ὁριστικὸν λόγον δηλοῦσθαι δεῖ οἷον νῦν οἱ πλεῖστοι τῶν ὁρισμῶν λέγουσιν· ἀλλὰ καὶ τίνα αἰτίαν ἐνυπάρχειν καὶ ἐμφαίνεσθαι. τῶν δὲ ἁπλῶν συμπερασμάτων· οἱ λόγοι τῶν ὁρισμῶν εἰσιν. οἷον τί ἐστι τετραγωνισμός, τὸ ἴσον ἑτερομήκει ὀρθογώνιον εὐθύγραμμον. ὁ δὲ τοιοῦτος ὅρος, λόγος τῶν συμπερασμάτων· ὁ δὲ λέγων ὅτι ἐστὶ τετραγωνισμὸς μέσης εὕρησις, τὸ πρᾶγμα λέγει τὸ αἴτιον.

Quoniam autem ex obscuris quidem, manifestioribus autem fit manifestum & secundum rationem notius: tentandum iterum sic ipsam aggredi. Non enim solum quod sit oportet definitiuam rationem ostendere, sicut plurimæ definitionum dicunt: sed & causam inesse & apparere. Nunc autem vt conclusiones rationes definitionum sunt. Vt quid est quadratio? æquale altera parte longiori rectangulum æquilaterum esse. Talis autem definitio, ratio conclusionis. Quæ autem ait, quadrationem esse mediæ inuentionem, rei causam dicit. Tex. 12.

COMMENTARIVS XIV.

THemistius in ea videtur fuisse sententia, vt Philosophum crederet voluisse hoc loco inuestigare, quomodo, & quæ anima sit à corpore inseparabilis. Et ideò tum de anima vniuersa, tum de singulis partibus eum egisse; vt intelligeretur, num aliqua sit separabilis. Sed certè manifestum est, aliud fuisse illi propositum, aliúdque præstitum; nec eiusmodi quidquam Philosophi verba sapiunt.

Albertus, S. Thom. & Latinorum plerique demonstrari maluerunt definitionem hactenus expositam. Ita verò demonstrari. Anima est id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò: ergò anima est actus primus corporis &c. Alexander quoque in secundo lib. Natural. quæst. cap. 25. eum dixit voluisse probare id, quod antea definiendo acceperat, animam esse formam; idque demonstrasse per causam. Etenim causa, cur anima sit forma, est; quia principium est, propter quod animata dicuntur viuere, sentire, moueri, aut intelligere.

Philoponus Aristotelem dixit animam antea entelechiam appellasse; nunc docere, quomodo sit entelechia, & quomodo corpus perficiat vnaquæque partium ipsius animæ: quomodo inquam plantalis, quomodo sentiens, aut intelligens: & cuius vnaquæque illarum sit entelechia, hócque de singulis animabus agendo.

Magis probo interpretationem Simplicij, atque Auerrois; post expositam generalem animæ definitionem, quæ figuralis erat & confusa, inuestigari aliam magis specialem & cuiusque

propriam. Hoc enim est, quod & statim proponit, ex notioribus tentandum esse iterum ipsam aggredi, hoc est notiori definitione explicare. Vt hoc etiã respondeat propositioni positæ in textu 1. tentandum esse communissimam quærere animæ definitionem. Et exemplo quadrationis significat; cuius duplicem adfert definitionem. Vnam, quæ est conclusio; alteram, quæ est principium & continet causam: tametsi ex vtraque simul sumpta fiat vna perfecta definitio. Nam eodem modo aliam animæ definitionem quærendam proponit. Quia non solùm definitionem oportet explicare, quod res sit, quemadmodum ferè exposuit generalis illa definitio superiùs proposita: sed etiam propter quid sit & ideò animæ quoque alia quærenda est, quæ aperiat causam, cur ea sit actus primus corporis naturalis organici; sicut antea definitum est. Ea enim demum perfecta censebitur definitio, quæ & formalis erit & causalis: quemadmodum si quæras, quid est Ecclipsis? Definitio formalis erit; Ecclipsis est priuatio luminis: Causalis autem; Ecclipsis est interpositio terræ inter Solem & Lunam. Ac demum perfecta erit, quæ vtramque comprehendet; Ecclipsis est defectus luminis ex interpositione terræ. Formalis definitio est velut conclusio; causalis velut principium; propterea quòd per hanc solet illa demõstrari. Quæ demum ex vtraque constat, demõstratio est sola dispositione differens. Siquidem & conclusionem habet & principium demonstrationis, soláque deest forma & terminorum dispositio. Nec est difficile id, quod vltimo loco ponebatur, primum accipere, atque huiusmodi demonstrationem ordinare. Ecclipsis fit ex interpositione terræ; sed cùm interponitur terra, Luna priuatur lumine: Ecclipsis igitur est priuatio luminis. Aristoteles in tex. 10. lib. 2. de Posteriori Analysi exẽplũ proposuit tonitru; cuius definitio formalis est, Tonitru est sonus in nubibus. Causalis autem; Tonitru est extinctio ignis in nubibus. Ac demum perfecta; Tonitru est sonus ignis, qui extinguitur in nubibus. Quæ si alio modo disponitur, fiet demonstratio; Tonitru fit ex ignis extinctione in nubibus; sed cũ ignis in nubibus extinguitur, fit sonus; tonitru igitur est sonus in nubibus.

Definitio formalis & causalis.

Definitio sola dispositione à demonstratione differens.

Hoc loco ex Geometricis exemplum profert quadrationis quadranguli. Quadrare autem quadrangulum est inuenire quadratum æqualium omnium laterum, quod spatium contineat æquale quadrangulo rectangulo duorum laterum æqualium; quod scilicet duo habeat latera duobus reliquis lõgiora. Id assequimur inuenta linea media, quæ inter latus maius & latus minus quadranguli sit proportionalis. Itaq. tres inæquales lineas accipere oportet quæ propositionẽ inter se eandẽ habeant; quæq. est proportio maximæ ad mediã, eadẽ sit mediæ ad minimam. Huius mediæ lineæ inuentio principium est & causa, tum rei, tum demonstrationis. Nam si super eam describatur quadratum; illud erit æquale quadrangulo rectãgulo, quod ex duabus reliquis constabat.

Quadratio quadranguli.

Si igitur quæratur, quid est quadratio? duobus modis respondere licet. Aut definitione formali, quæ explicet, quid sit: Quadratio est confectio figuræ rectangulæ laterum omnium æqualium, quæ quadrangulo altera parte longiori sit æqualis. Aut definitione causali: Quadratio est inuentio mediæ lineæ proportionalis inter duo quadranguli dati latera. Prior est veluti conclusio: posterior velut principium, quia continet causam, propter quam prior illa demonstretur. Nam propterea factum est quadratum æquale quadrangulo, quia linea media fuit inuenta. Porrò ex vtraque simul coniuncta fit definitio perfecta velut demonstratio sola dispositione differens. Quadratio est confectio quadrati æqualis quadrãgulo ex inuentione mediæ lineæ. Nam si alio modo disponas, hanc habebis demonstrationem. Quadratio fit ex inuentione mediæ lineæ proportionalis inter duo quadranguli latera, sed cùm inuenitur hæc linea conficitur figura rectangula æqualium omnium laterum quadrangulo æqualis altera parte longiori, ergo quadratio est confectio talis figuræ. Qua demonstratione illud præterea discimus, vt non solùm quid res sit, & cur sit cognoscamus (vtrumque enim definitione continebatur) sed effectum quoque ab huiusmodi causa pendere ostendamus.

Et vt aliquid vniuersè magis de hac re dicamus, ita res habet. Effectum intuẽtes sensu, illius causam quærimus mente. Hac inuenta, tum definitio conficitur, tum demonstratio. Tripléxq. definitionis existit forma. Vna quid res sit, exponit, altera continet causam, cur sit, tertia vtrumque comprehendit. Duplex item demonstrationis genus. Alterum ex effectu ad illius causam ratiocinatur: alterum ex ea causa effectum pendere demonstrat. Illud ex notioribus nobis ad notiora natura, ex causis cognitionis ad causas rei, ex effectu ad causam. Hoc ex notioribus natura ad notiora nobis, ex causis rei ad causas cognitionis, ex causa ad effectum progreditur. Sensu existentem effectum cernimus, admiramur, causam quærimus. Aut igitur eam inductione assequimur & sensu, quo hęc semper connexa deprehendimus, aut potiùs analysi, qua vel effectum non nisi ab hac causa profisciscì posse: vel si ea semper connexa obseruemus, hoc intelligimus esse effectũ, illud causam: aut etiam perceptionibus Logicis examinãdo, num id, cuius existentia cognoscitur, conditiones habeat propriè causæ cõparatione illius effectꝰ. Ita cognoscitur sanè quidquid est cognoscẽdum. Vt tamen distinctè magis, explicatè, euidẽter, & certa scientia cognoscatur, duplex adhibetur demõstratio. Altera effectum & causam in propositione coniungẽs, atque in assumptione accipiens effectum existere, causam quoq. concludit existere: virtute scilicet cõnexionis in propositione cognitæ ex vi effectus & causæ formaliter. Altera ex causa probata existere ostẽdit, cur effectus sit. Etsi enim per analysim cognita fuerit causa vt causa, & in priori demõstratione cum effectu coniuncta: nõdum tamen satis fuit tota illa analysis explicata, aut ad scientiæ formam reducta, qua euidẽs appareat vnius ex alio deductio. Ita demonstrandi progressus analysi est oppositus. Analysis à cõclusione ad propositiones progreditur, demõstratio à propositionibus ad conclusionem. Idq. quod virtute solùm & potestate cognoscebatur analysi, actu & explicatè cognoscitur, addita etiam deductionis necessitate & euidentia.

Tertium demõstrationis genus ab Auer. in Com. 1. Post. excogitatũ, quo existẽtia simul & causa effectus ostẽdatur, minimè est ab hoc secũdo distinguẽdum. Quælibet enim demõstratio, quę effectus causam ostẽdit, vim habet existẽtiam quoq. si opus sit, probãdi. Quoniã nec sciri potest, cur proprietas insit subiecto, quin cognoscatur inesse: neque inesse cognoscitur, quin intelligatur existere, cùm accidentis esse sit

esse sit inesse. Eadémque est essentiæ & existentiæ causa. Vt si Lunæ Ecclipsis per interpositionem terræ probetur, non solùm cur sit, sed etiam esse ostenditur ei, qui fortasse ignoret. Et in textu 8.lib.2.de Post. resolutione legimus, posse quidem cognosci rem esse, ignorando cur sit: at cognosci non posse, cur sit, quin simul cognoscatur esse. Nam etsi effectum existere esset antea cognitum; sensu tamen, non demonstratione ac per causam, cognoscebatur. Quare dum ex effectu causam assequuti ab illa rursum ad effectum regredimur, non ab eodem ad idem regredimur (esset enim circularis probatio argumentis optimis in textu 6. lib. primi de Posteriori Analysi confutata) quia non ab existentia causæ ad effectus existentiam sensu notam redimus: sed ex vi & natura causæ, cur effectus sit & propter quid existat, diuersum scilicet quæstionis genus, demonstramus.

Aristotelis regressus ex vsus.

Quod & Aristoteli probatum & pluribus in locis factitatum fuit vt in 1.quoq. lib. adnotauimus. In 8. lib.Phys.ex motus æternitate motoris æternitatē demonstrauit,& in tex.53.ex motoris æternitate æternitatem motus. In 2.lib.de Cœlo tex.13.cælū habere dextrum & sinistrū, quia mouetur ab ortu ad occasum, & tex. 34. moueri ab ortu ad occasum, quia dextrum habet & sinistrum. Et rursum in textu 48. stellas esse immobiles, quia sunt sphæricæ, & tex. 54. sphæricas esse, quia non mouentur. In primo de ortu & interitu tex. 51. agens & patiens differre specie, & genere conuenire; quia sunt contraria: essèque contraria, quia differunt specie & conueniunt genere. In 1. lib. de Post. Analysi textu 7. propositiones demonstrationis esse necessarias, per se, & vniuersas; quia conclusio est necessaria: & tex. 21. conclusionem esse perpetuam, quia propositiones necessariæ sunt & vniuersæ. In textu 30. Planetas esse propè, quia non scintillant & rursum non scientillare, quia sunt propè. Lunam esse sphæricam quia sphæricè augetur lumine, & rursum sphericè augeri, quia est sphærica. Mitto cætera. Ad huius rationis interpretationem reuertamur, à qua non nihil digressi videmur, dum exponeremus id, quod dicebatur; non solùm quòd res sit; sed etiam cur sit cognoscendum esse.

Secunda animæ definitio.

Altera igitur animæ definitio, quam Philosophus parat, hæc erit. Anima est principium primum, quo animata viuunt, sentiunt, mouentur, & intelligunt. Hæc & esse & causam continet. Alióque disposita modo demonstrationis erit conclusio. Animata differunt ab inanimatis, quod in se ipsis habeant principium primū, quo sentiant, moueantur, intelligant (neq. enim ab externa ad hæc impellūtur principio) at differunt per animam; anima igitur est principium primum, quo animata viuunt, sentiunt, mouentur, intelligunt. Ex quo etiam prior confirmatur definitio, quia animam tradidit formam esse & entelechiam primam organici corporis; vt post suo loco explicabitur & præterea redditur ratio dubitationum omnium; inductúque consideratio partium animæ ac facultatum.

Cæterùm dum hanc posteriorem animæ definitionem, quæ causam continet, quærendam esse proposuit; eam rationem exposuit, quoniam ex ijs, quæ natura sunt obscuriora & nobis manifestiora, progrediendum est ad ea cognoscenda, quæ natura sunt notiora, minúsque nobis manifesta. Sic enim Philosophi orationem nimis concisam & propemodum mutilam monuerunt Simplicius & Philoponus additione earum vocū, quę prætermisse fuerunt, esse iuuandam.

Sed Philoponus propositionem illam, tum ad superiora retulit, tum ad inferiora. Ad superiora; vt eum illis subsequentem tractationem coniungeret. Quoniam enim ex notioribus nobis ad notiora natura, nobisque occultiora progrediendum est, notiusque nobis est quod res sit, quàm cur sit: notius totum vniuersum & confusum, quàm illius partes distinctæ: notius, id quod est primum nobis, quàm quod est primum natura: notiora inquam composita, quàm simplicia, quæ natura sunt prima. Idcircò cùm antea docuerit quòd sit anima, ciúsque vniuerse generalem definitionem, quasi confusam, proposuerit: deinceps consequens est de singulis eius partibus dicere, & propter quid exponere. Ad inferiora verò & subsequentia, quemadmodum & Themist. & Auer. vt quem modum seruaturus esset ostenderet. Cùm enim corpus si compositum, & ideò nobis notius, quàm anima, quæ est simplex; à corpore ad animam progrediendum erit. Ita in sequenti textu principium facit ab animato corpore quæritque, qua re ab inanimato differat. Et rursum ex compositis ad simplicia progrediendo, ex hoc, quòd viuentia viuunt, sentiunt, mouentur, intelligunt; animam colligit viuendi, sentiendi, mouendi, intelligendi, principium esse. Atque ita etiam ab vniuersa animæ natura in priori definitione exposita ad singulas eius partes descendit, & propter quid prioris definitionis ostendit.

Methodus seruanda.

Digressio IX. *De Notiori Natura & nobis.*

Porrò à notioribus nobis ad notiora natura progrediendum esse, & alibi sæpè admonuit, & perpetuò obseruauit: Vt in textu 2.lib.1.Phys.& tex.10. lib. 7. Metaph. & cap. 6. lib. 1. de Hist.animal. & cap. 4. lib. 1. de moribus ad Nicomachum. Ex sensibus enim cognitionem omnem haurimus. Duobus item modis dici notius, aut natura, aut nobis; non solùm hoc loco significatur, sed & apertè explicatur in primo libro Phys. tex. 2. & 49. & 1. de moribus, & 7.Metaph. locis notatis; & 5.Metaph. tex. 16. & 1. lib. de Poster. resolutione tex. 15. & 6. Top. cap. 1. Et quidem notius natura in 1. Phys. & 7. Metaph. appellatur notius secundùm rationem; alibi etiam absolutè & simpliciter: & notius nobis dicitur esse notius secundùm sensum. Hoc loco notius solùm secundùm rationem nominauit, sed cùm rationi sensum opponere consueuerit; ex illo alterum membrum, quod est notius secūdùm sensum, intelligi voluit. Et quia idem est esse prius & esse notius; duo hæc in primo Post. & 6. Top. & 7. Metap. coniunguntur; & in 5. Metaph. priora cognitione, & hoc loco notiora dixit.

Notius natura quid.

Priùs porrò, ac notius natura multis modis sumitur. Primùm enim significat id, quod est maximè ens & actus, & ideo sua natura maximè intellectile. Sic in tex. 1. lib. 2. Metaph. Intelligentias vocat notissima natura: & tex. 10. lib. 7. quæ nobis sunt nota ait plerumque esse parùm nota natura, & parùm ente participare: & tex. 15. lib. 9. actus dicitur substantia prior potestate. Et tex. 56. lib. 8. Phys. id dici prius altero quod substantia præstat. Secundò significat id, quod primùm intenditur à natura & est quasi finis & vltimum aliorum. Sic species

generibus & compoſita ſuis principijs priora dicuntur : & in textu 58. lib. 8. Phyſ. & cap. 1. lib. 2. de part. animal. & textu 15. lib. 9. Metaph. quæ ſunt generatione poſteriora, eſſe natura priora. Verùm poſterior hic prioris modus ex priori pendet. Propterea enim hæc intenduntur à natura & ſunt aliorum finis, quòd perfectiora ſint & magis entia. Sed poſterior modus in illis tantùm ſpectatur, quorum vnum refertur ad aliud. Tertiò notius natura dicitur, quod ita eſt prius altero ſecundùm naturam, vt illud ſine altero eſſe non poſſit; hoc verò poſſit ſine illo. Quo modo genus ſpecie, & vniuerſa ſingulis natura priora & notiora dicuntur. Quo etiam ſpectat prioris illa notio, qua in libro Categoriarum, & in 5. Metaph. cap. de priori, id dicitur prius, à quo non valet conſequutio. Ad extremum natura notius appellatur, quod prius eſt tempore; & requiritur; vt aliud exiſtat. Ita cauſæ priores & notiores effectis & compoſitis ſunt. Vt ea, quæ tertio loco poſita ſunt, ſimul ſint; eorum autem, quæ quarto, vnum tempore præcedat alterum.

Notius natura cur dicatur.

Ex quibus intelligas, notius & prius natura eſſe notius ſimpliciter, & notius ratione. Cúmque notius natura dicimus, naturæ nomine non intelligi Deum, cui omnia ſunt æquè nota; ſed aut agens naturale, quod ſi dum res producit, eas cognoſceret, priùs cognoſceret ea, quæ priora dicuntur & notiora natura. Quod fortaſſe voluit Auer. comm. 3. lib. 1. Phyſ. cùm cauſas dixit notiores eſſe natura, quòd natura facit compoſita ex cauſis: vt enim nos in ijs, quæ agimus, cauſam priùs, quã effectũ cognoſcimus; ita ſi natura cognoſceret, cauſas priꝰ cognoſceret. Verũ quia hoc modo nõ videtur eſſe abſolutè nota; ſed ex hypotheſi; & quamuis priùs attingantur cauſæ, prius tamen intenduntur effectus & cõpoſita; verius dixeris, vniuerſa & cauſas (hæc enim propriè cenſentur notiora natura) non appellari notiora naturæ, ſed natura, vel ſecundum naturam; hoc eſt ſua natura. Hoc enim eſt notius ſimpliciter (nam etſi Græcè legatur τῇ φύσει, in dandi caſu, nil tamen mirum; cum Græcorum ſit mos ablatiua formæ atque etiam efficientis (vt loquuntur grammatici) in dandi caſu ponere. Ea verò dicuntur ſua natura notiora, quia priora, & ideò prius intellectilia. Sunt autem priora, quòd naturam habeant minime à minus vniuerſis, aut ab effectis & compoſitis pendentem, quæque ſine illis eſſe & cognoſci poſſit. Hæc autem ignotiora natura dicuntur, quia poſteriora, & ita pendent à prioribus, vt abſque illis nec eſſe, nec cognoſci poſſint, quippe ex textu 4. lib. 2. Metaph. vt res ſe habet ad eſſe, ita ad veritatem & cognitionem.

Hæc autem interpretatio ex duobus potiſſimùm locis colligitur, alter eſt in tex. 16. lib. 5. Metaph. vbi prius natura eſſe accidens ait, quàm totum, vt muſicũ, quàm hominem muſicũ, quia hoc ſine illo non poteſt intelligi. Et poſt addit, ea eſſe natura ſua priora, quæ abſq. alijs eſſe poſſunt, hæc autẽ ſine illis non poſſunt. Alter in lib. Top. loco 18. vbi definitionem ex notioribus natura debere conſtare probat: quia genere & differentia conſtare debet. Hæc autem priora & notiora natura dicuntur: tum quia illis ſublatis tollitur ſpecies: tum quia ſine illis non poteſt ſpecies cognoſci, ea poſſunt ignorata ſpecie intelligi.

Notius nobis cur.

Iam verò notiùs, ſeu prius nobis, vel quoad nos id dicitur, quod nobis primum occurit in ſenſuum cognitione : quare in 1. Phyſ. & 5. Metap. dicitur notius ſenſu hoc autem ex 1. lib. de Poſteriori Analyſi textu 5. eſt id, quod ſenſibus eſt propinquius. Cuius generis ſunt res ſingulæ; effectus, & compoſita.

Vtilis diuiſio

Tota autem hæc diuiſio notioris natura & nobis ex eo deducta eſt, quod ſcientia eſt cognitio rei cuiuſpiam ab intellectu noſtro comparata. Idcirco pendet partim à rebus vt ab obiecto: partim ab intellectu noſtro, vt ab efficiente & ſubiecto. A rebus quidem; quia debet eſſe cognitio rei vt res eſt. Quare cum res habeat eſſe à ſuis cauſis, ex illis cognoſci debet. Et cùm vniuerſalia ſint ſua natura priora, priùs quoque cognoſci debent & tractari. Inde ordo & diſpoſitio in ſcientia; vt cauſæ primùm & magis vniuerſalia cognoſcãtur; tum ea, quæ ex illis pendent. Ab intellectu autem in inueſtigatione & inuentione. Cùm enim omnis inueſtigatio ex aliquo noto ad ignotum aliquid cognoſcendum progrediatur; incipiamus neceſſe eſt ab aliquo intellectui noto. Quare ſuppoſito ordine illo, qui ex parte rei cognoſcendæ requiritur; vt cauſæ & vniuerſalia magis primùm tractentur: in horum inquiſitione ſeruandus eſt modus intellectui conueniens, qui eſt à ſenſatis. Namque animus noſter, quamuis ſit immaterialis & facultatem habeat, operationem, & obiectum immaterialia; intellectum intellectionem, & ens vniuerſum: eſt tamen corporis forma. Itaque dum operatur, obiectiuè pendet à corpore, quia accipere debet obiectum ex phantaſmate, atque interueniente ſenſuum cognitione intelligere. Ita fit, vt aliquid ſit illi notius: non quòd ſua natura ſit magis intellectile; ſed quòd per ſenſus facile cognoſcatur. Atque hoc eſt, quod innatam nobis eſſe dixit viam à notioribus nobis ad notiora natura. Nam etſi demonſtratio ex cauſa ex natura notis procedat ad nota nobis: non negamus tamen fieri poſſe progreſſum à notis natura ad nota nobis: ſed in cognoſcendi modo contendimus à notis nobis inchoandum eſſe; præmittendámque demonſtrationem ex effectu, vt poſtea fiat regreſſus, de quo in commentario dictum eſt.

Diſputant autẽ Interpretes, num eadem poſſint eſſe nota nobis & natura. Ariſtoteles in tex. 2. lib. 1. Phyſ. apertè negat. Etſi nota natura ſunt res vniuerſæ, & cauſæ, nota nobis res ſingulæ & effectus; idem non poteſt eſſe vniuerſum & ſingulũ, Cauſa & effectus. In Mathematicis diſciplinis affirmãt plerique, idem eſſe nobis & natura notius; quia quod in illis eſt cauſa, nobis quoque eſt notius. At exijs, quæ in Analyticis traduntur, manifeſtum eſt, in illis propriè non reperiri notiora natura; quia veras cauſas non habent. Etenim ſæpè reciprocantur demonſtrationes: atque id, ex quo aliquid probabatur, ex illo ipſo in alia demonſtratione oſtenditur; & vtraque demonſtratio eſt æquè perfecta. At idem comparatione eiuſdem notius natura & nobis eſſe non poteſt. Quamuis igitur demonſtrationes illæ reuocentur ad communiſſima quædam principia, definitionéſque communiſſimis terminis conſtantes: hæ tamen non ſunt demonſtrationes ſimpliciter, quia non ſunt veræ cauſæ. Deinde cùm concluſio, quæ ex aliquibus principijs probatur, poſſit ex alijs deduci: ac proinde ſciri prioribus illis ignoratis (quare etiam eiuſdem concluſionis plures ſunt interdum demonſtrationes æquè perfectæ) conſtat diſciplinis eſſe; nec propriè habere notiora nobis, ſed ſecundùm quid: nimirum quia ex illis principijs nobis iam notis concluſionem illam

illam deducimus. Quare impropriè dicuntur eadem esse in illis notiora nobis & natura; vt conclusionem ex principijs quibusdam nobis iam notis, & quæ quoquo modo rationem habent causæ, deducimus.

De reliquis scientijs, ac potissimum de Physica, in quibus propriè sunt nota natura & nobis, hoc est veræ causæ & effectus; ita vt nec illius effectum alia possit esse causa, ne illa causa per alium effectus cognosci: omnino statuo, ea, quæ sunt notiora nobis, non esse plerumque notiora natura. Et quoniam quatuor modis dictum est appellari notum natura; sanè in primo res est manifesta. Nam quod est magis intellectile & immateriale, minus est sensile. Et quoniam cognitio nostra ex sensibus hauritur, minùs est nobis notum. In 2. potest quidem esse aliquid notius vtroque modo; quia composita & species sunt magis sensilia, quàm causæ & genera. Verum minùs propriè dicuntur notiora natura. De 3. & 4. vniuersè verũ est, notiora natura esse ignotiora nobis; cũ vniuersaliora & causæ sint minùs sensilia, quàm minùs vniuersalia & effectus, seu composita.

In particulari autem distinguenda est duplex cognitio nostra, altera imperfecta & confusa; altera perfecta & distincta. Nam in 4. modo cognitione distincta priùs cognoscuntur causæ. Tum quia eæ sunt necessariæ ad distinctam effectuum cognitionem. Tum quia cùm sint simpliciores, pauciora requirunt vt cognoscantur. At cognitione confusa, si sint causæ intrinsecæ, quæ item sint partes; cum compositum ex illis sit quoddam totum; propterea est nobis notius, quia est id, quod verè existit, & in quo accidentia sensilia insunt: & ideo in omni scientia totum cognitione confusa notius est partibus componentibus. Quòd si causæ sint extrinsecæ, efficiens aut finis, quæ partes non sint; hæ ipsæ plerúmque sunt in Physicis ignotiores effectu: cùm nimirum effectus est manifestus, vt Ecclipsis, pluuia, ventus, & alij similes. Sin autem effectus sit occultus, vt in multis herbis & alijs, quæ latentes habent virtutes; notior est nobis causa, quàm effectus: non tamen sub ratione causæ, sed materialiter solùm res ea, quæ est causa.

De 3. maior difficultas. Nam in textu 4. 1. lib. Phys. ab vniuersalioribus tanquam sensu notioribus inchoandum esse dixit Philosophus; & in textu 51. posterioris lib. de ortu & interitu faciliorem esse cognitionem singularum rerum cognitis vniuersis. Cum tamen in tex. 49. lib. 1. Phys. & tex. 16. lib. 5. Metaph. res singulas dicat sensu notiores esse, vniuersas ignotiores, & 1. lib. Metaph. cap. 2. vniuersas esse cognitu difficillimas, quòd sint à sensibus distantes. Quare in tex. 22. lib. 2. de Poster. Analysi, facili' esse dicitur definire, singulare hoc est minus vniuersale, quã magis vniuersale; & ideò à singularibus ad vniuersalia procedendum. Immo in tex. 57. 1. Phys. & tex. 2. lib. 3. & 1. de part. animal. cap. 4. ordinem naturæ esse communium tractationem præmittere, particularia & propria posterius docere. Denique cum vniuersalia sint natura notiora, & generatione priora, vt ex 2. de animal. ortu cap. 3. cognoscitur; vbi prius dicitur procreari viuens, deinde animal, tum homo: aut eadem erunt nobis & natura notiora, aut non rectè dicetur vniuersalia esse sensu notiora.

Et quamuis huc spectare videatur perdifficilis illa quæstio de primo cognito; Eam tamen in alium locum differens, hæc nunc significabo. Primum,

A si sermo sit de cognitione intellectus & sensuum simul; nobis notiora sunt singula, quàm vniuersa. Cum enim in nobis antecedat cognitio sensuum, nec sine ea quidquam comprehendat intellectus; profectò primùm omnium cognoscet intellectus singula, quæ sola percipit sensus. *Quid primum cognoscatur.*

Deinde si de sola intellectus cognitione loquamur, & vniuersale sumatur pro eo, quod est plurium effectuum diuersorum causa; qualia sunt Deus, Intelligentiæ, & Cœli; ignotius est nobis vniuersale. Sic Auer. interpretatus est tex. 5. lib. 1. de Poster. Analysi; & intelligendus videtur Aristoteles in cap. 2. lib. 1. Metaph. vbi agebat de sapientia, quæ circa primas & vniuersalissimas causas versatur.

B Tum verò si vniuersale dicatur, quod est in multis & de multis dicitur; formaliterque sumatur, vt secundam habet intentionem ignotissimum quidpiam est, & vt loquebatur Ar. in 1. lib. de anim tex. 8. posterius, hoc est post singularium cognitionem quod si natura ipsa vniuersalis consideretur, déque cognitione distincta sit sermo; vniuersaliora sunt nobis primùm cognoscenda. Tum quia sine illis cognosci nequeunt inferiora. Tum quià cum vniuersaliora pauciora in se contineant, faciliùs cognoscentur.

C Quia tamen notius nobis dici solet, quod nobis primum occurrit & est magis sensile: hæc, natura, non nobis, notiora dicuntur. Quia ideò priùs cognosci debent, quia sunt natura priora, nec sine illis possunt cognosci cætera. Atque hinc est illud; In scientijs ab vniuersalioribus inchoandum esse, & illud; Faciliùs singula cognosci cognitis vniuersis.

Iam verò si de cognitione confusa loquamur; Nominales singulare; Scotus speciem vltimam: S. Thomas & Auicenna maximè vniuersalia, nempe ens, dicunt primùm à nobis cognosci. Ego singularia primùm cognosci volo. Tum quia singularia sola verè existunt; & sunt subiectum accidentium sensilium, per quæ cognoscimus tum quia ab illis est omnis cognitio abstrahenda.

D Ex vniuersalibus autem priùs à nobis cognosci speciem vltimam, quàm magis vniuersalia. Tum quia post singularia species hæ dicuntur subsistere: ea ratione, qua singulare, quod actu existit, essentiam aliam non habet, quàm speciei: cum tamen præter genus differentiam contineat speciei propriam. Tum quia in illis sunt accidentia omnia, tum specifica, tum generica. Tum quia sunt sensibus propinquiores; sensibúsque propinquiora dicuntur nobis notiora. Quare cùm cognitio nostra petatur ex sensibus; primùm cognoscitur species, deinde ex speciebus abstrahitur genus; eadémque est speciei & generis ratio, quę est indiuiduorum &

E speciei: & vt indiuidua ante speciem cognoscuntur, ita hęc genere prius cognosci debent. Ita conficitur, quidquid cognoscitur, cognosci prius sub conceptu speciei, quam generis. Quippe omnis nostra prima abstractio fit ab indiuiduis, & est speciei: abstractio verò generis fit à speciebus, aut ab indiuiduis interuentu speciei.

An autem hoc, quod primò cognoscitur sub conceptu speciei, sit species secundùm propriam rationem, an sub aliqua vniuersaliori ratione; an inquam cognoscatur homo vt est homo, an vt est ens aut substantia: ex horum graduum accidentibus iudicandum est; siquidem ex sensilibus ducitur cognitio nostra. Et quoniam vt gradus vniuersaliores

contrahuntur ad inferiores, ita etiam illorum accidentia ad horum accidentia determinãtur, vt videre est in quantitate, colore, ac cæteris. Corporis enim accidens est quantitas, animalis, aut hominis talis vel talis quantitas, hoc aut illo modo affecta, cum hac vel illa figura. Propterea superiorum accidentia sunt communiora, sæpiùs occurrunt cognoscenda, minoris sunt entitatis, atque vt cognoscantur minore vi & facultate cognoscente indigent. Et sensus, quò est perfectior, plures obiecti, sui differentias distinguit: quò verò imperfectior, pauciores & communiores tantùm percipit. Cùm aliquid procul cernimus, communia tantùm cognoscimus. Propria dum propriùs accedimus. Et pueri, vt est in tex. 5. lib. 1. Phys. communia primum & figuram hominis apprehendentes, omnes homines patres appellant, tum cognoscentes plura, suum à reliquis parentem distinguunt.

Quamuis verò superiorum accidentia ab infirmiori, inferiorum à robustiori facultate percipiantur: si tamen ea fuerit in aliquo virtus, quæ inferiorum accidentia percipere valeat, ea sanè primum cognoscet. Quippe accidentia hæc & perfectiora sunt & magis sensilia, & sola verè existunt, cum accidentia generica contrahant, nec ibi vere existat genericum accidens, nisi contractum. Quare cum hæc sola vere existant; sola mouent sensum, suntque facultati magis accommodata, & si facultas sit ad cognoscendum comparata & obiectum conuenienter coniunctum, illa semper prius cognoscentur. Tum quia specificum accidens comparatione generici est velut totum, quod cognitione confusa prius, quàm partes, cognoscitur. Tum quia experimur, sensus firmos ad operandum, conuenienterque coniunctos cum obiecto vltimas quas possunt, illius differentias percipere.

Dum tamen specificum accidens percipitur, quoquo modo genericum, quod in illo continetur, confusè cognoscitur. Quod si quando genericum solum accidens facultati proponatur, resque sub conceptu generico apprehendatur: id non ex parte accidentis oritur, sed ex parte facultatis, quæ cum imbecillior sit & nimium distet obiectum, non percipit omnem accidentis motionem, quam in facultate firmiori faceret. Itaque cum non possit propria distinguere, communia solum & quæ minore vi cognoscente indigent, percipit. Hinc est puerorum illud exemplum, qui communia primùm cognoscũt. Sensus enim in ea ętate sunt imbecilli & communia solùm percipiunt. Deinde, cum accuuntur, distinguunt propria.

Et quoniam intellectus non operatur nisi firmioribus iam sensibus, quòd perfectiores quærat in corpore dispositiones; imaginatione tunc potissimùm agimur: absolutéque dici potest, primàm nostram cognitionem non esse necessario de re sub conceptu vniuersaliori. Etenim vt sensus aut vniuersaliora, aut magis particularia percipiet, intellectus quoque aut vniuersale, aut particulare cognoscet. Quemadmodum tamen sensus, dum particulare sentit, quodam modo vniuersale in eo contentum sentit: ita & intellectus, si specificum concipiat accidens, supponit quodam modo & confusè cognoscit genericum.

Quid facilius cognoscatur?

Iam si quæratur, vtrum faciliùs cognoscatur, vniuersale ne, an particulare; cognitione confusa faciliùs cognosciaio vniuersale. Tum quia cõmuniora sunt & pauciora accidentia. Tum quia minori egent cognoscente virtute: hòcque puerilis cognitio confirmat, & sibi volui. Ar. in textu 4. antea citato; cùm vniuersalia nobis notiora, hoc est cognitu faciliora, & ideò ab illis inchoandum esse dixit. Vt tamen communiora illa & pauciora facilè ad conceptum aliquem & confusam cognitionem nos ducunt; sic ægriùs distinctam & perfectam adferunt; quæ expluribus & perfectioribus accidentibus potiùs acquiritur. Denique si vniuersalis cognitio confusa facilior est & interdum prior cognitione confusa particularis: & vt antea ostensum est, particulare cognosci distinctè non potest sine distincta vniuersalis cognitione; multò magis cognitio confusa vniuersalis cognitione distincta particularis prior est & facilior. Cæterùm particulare confusè cognitum notius est cognitione distincta vniuersalis. Quod tum ex dictis perspicuum est; tum ex textu 5. iam notato colligi posset. Nam definitum, tanquam particulare, dicitur notius confusè definitione, in qua est genus vniuersalius. Quamquam alias non ignoro esse illius loci expositiones.

Et hæc quidem de vniuersali & particulari dicta sunt, vt secundùm suam naturam considerantur. Si enim spectentur vt se se vicissim continent, vel vt totum potestate, vel vt totũ actu: sanè totum vtroque modo, siuè sit superius, siuè inferius, potius est cognitione confusa: posterius distincta. Ad extremum ex his omnibus intelliges, quomodo Aristoteles id seruauerit; quod proposuit à notioribus nobis ad notiora natura progrediendum esse. Nam si tota tractatio consideretur, antea cognitionem & definitionem generalem & quasi confusam tradidit; nunc specialem magis & distinctam aggreditur. Antea exposuit, quòd sit anima, deinceps cur sit aperiet. Sin verò subsequentem solam tractationem accipias; in ea & ab animato ad animã & ab operatione viuendi, sentiendi, mouendi, & intelligendi, ad animam, quæ illius principium est, & omnino ab effectu ad causam procedet. Sic igitur habet.

TEXTVS.

Δέγωμεν οὖν ἀρχὴν τῆς σκέψεως, ὡς οὐσίαν τὴν ψυχὴν τῷ ἀψύχῳ πᾶσι γὰρ ὑπάρχει τοῖς ὀνόμασιν ἐπινοίᾳ τὸ ὂν ἢ οὐσία, οὐσίαν δὲ τὸ ὑποκείμενον ἢ τὸ τοιοῦτον ὑπάρχει μάλιστα τὸ σῶμα· καὶ γὰρ ὕλη δοκεῖ εἶναι· λέγω δὲ ὕλην ἣ καθ' αὑτὴ μὲν οὐ δῆλον ἐστὶ τί ποτε· ἔστι δὲ κίνησις ἣ καθ' ἑαυτὴν ἢ ζωή, ἢ τοῦτο ᾧ ὑπάρχει ζῆν.

Dicamus igitur principium considerationis accipientes, secretum esse animatum ab inanimato, quod vinat. Multis autem modis cum dicatur viuere, esse vnum aliquod horum inest solum; viuere ipsum dicimus: vt intellectum & sensus, & motus, & status secundum locum: adhuc autem motus secundum nutritionem & decretionem & accretionem.

COMMENTARIVS XV.

INuestigaturus perfectiorem aliam & distinctam magis animę definitionem, principio facto à sensatis & compositis, magisque nobis notis: siquidem animata notiora nobis sunt, quàm anima: quemadmodum initio secundi Phys. ex differentia naturalium ab artificijs collegit, quid sit natura: & superiùs in

rius in textu 3. ex viuentium differentia à non viuentibus animam confecit formam esse viuentis corporis. Ita nunc ex rerum animatarum differentia ab inanimatis inuestigat quid sit vnius cuiusque animæ proprium sed quam veteres differentiam ex sensu & motu quærebant ipse magis latè patentem accipit ex vita quam in tex. 3. definiuerat; vt ita omnem animam, vel etiam, plantarum vegetantem comprehendat, estque hic optimus inuestigandæ definitionis modus; quippe definitio præcipuè nititur differentia; quæ generi communi addit propriam rei cuiusque naturam indicat.

Animatum igitur hoc differt ab inanimato; quòd id, quod animatum est, viuit. Viuere autem cùm multis modis dicatur, propterea quod complures sunt animæ facultates, secundum quas ijs inest vita, quæ animam habent: quatuor omnino viuentium gradus distinguuntur. Primus & omnium infimus, quem postremo loco commemorat, eorum est, quæ duntaxat vegetant, nutriuntur, crescunt, & decrescunt; vt plantæ. Alter eorum, quæ sensu quoque participant; & Toophita. Tertius eorum, quæ incessum item habent: vt equus & animalia perfectiora. Postremus eorum, quæ intelligunt; vt homo. Apetitum non nominauit, quò nusquàm à sensu aut intellectu separatus reperiatur. Sed quidquid vim habet cognoscendi, siue sensu, siue intellectu, facultatem etiam habet appetendi rem cognitam. Gradus autem viuentium ex eo distinguuntur, quòd aliquis vitæ gradus absque alijs sequentibus & perfectioribus reperiatur: quemadmodum in plantis vegetatio sola, in plantanimalibus sensus, in reliquis bestijs incessus, in homine intelligentia quoque.

Quatuor viuentium genera.

Philosophus autem in hac numeratione dignitatis ordinem sequutus primum gradum intelligentem, postremum vegetantem posuit. Sentientem ante mouentem nominauit, quod cognoscens præstet cognoscenti & veluti famulanti. Motus enim cognitioni famulatur ad obiecta cognita persequenda, aut auertenda. Neque mirum videri debet, si quatuor animatorum genera distinguantur, Vegetans, Sentiens, Mouens, Intelligens: cùm tamen tres duntaxat sint animæ, Vegetans, Sentiens, Intelligens: & quinque facultatum, Vegetans, Sentiens, Appetens, Mouens, Intelligens. Namque tres sunt animæ, velut principia, quibus & animata constituuntur & facultates. Quatuor animatorum gradus, velut subiectorum, in quibuus anima quæpiam sit cum alijs atque alijs facultatibus. Quinque demum genera facultatum, quæ alias atque alias habeant operationes circa alia atque alia exteriora obiecta.

Vita quid.

Ex quibus omnibus manifestum est, generaliùs multò vsurpatum fuisse hoc loco nomen vitæ, quàm antea in textu 3. vbi Vitam definiuit esse, quę per ipsum fit, alitionem, accretionem, & decretionem. Ibi enim eum duntaxat vitæ gradum definiuit, qui animæ vegetantis proprius est, & viuentibus omnibus communis. Hoc autem loco vniuersam vitæ rationem distinxit, quæ omnia illa comprehendat, quæ inanima non sunt; aliámque habent præstantiorem operationem, quam quæ à sola natura produci possit.

Itaque veterum illud principium, quo sensu & motu animata ab inanimatis distinguebant, duobus modis Aristoteles corrigit. Primum quòd illi anteriorem sensu vitam non agnoscerent. Deinde, quòd intellectum à sensu non distinguerent. Aristoteles vtrumque scienter adiungit.

TEXTVS.

Διὸ καὶ πᾶν φυόμενον πᾶν ἂν δοκεῖ ζῆν φανερὸν δ' ὂν αὐτοῖς ἔχειν ἁπτικὴν καὶ ἀρχὴν ταύτην, δι' ἣν αὔξησίν τε καὶ φθίσιν λαμβάνει κατὰ τοὺς ἀναντίους τόπους· οὐδὲν γὰρ ἄνω ἰὸν αὔξεται, κάτω δ' ἄλλ' ὁμοίως ἐπ' ἄμφω καὶ πάντη ὅσα ἀεὶ τρέφεται καὶ ζῇ ὅσον πέρας, ἕως ἂν δύνηται λαμβάνειν τροφήν.

Quare & vegetantia omnia videntur viuere. Apparet enim in seipsis habere potestatem & principiũ huiusmodi, per quod accretionem & decretionẽ suscipiunt secundum contraria loca. Non enim sursum quidẽ augentur, deorsum autem non: sed similiter in vtraque & omnem in partem aluntur & viuunt semper, quousque possunt accipere alimentum. Tex. 14.

COMMENTARIVS XVI.

ENumeratis quatuor Vitæ gradibus, singulorum explicationem aggreditur. Ac primùm plantas, & ea, quæ solùm vegetant, colligit seu probat omnino viuere. Propterea quòd nutriuntur, & augentur, & decrescunt in omnem partem, sursum & deorsum, ante & retro, dextrosùm & sinistrorsum; & (vt vno verbo dicam) in omnes situs differentias: manifestum est, ea in seipsis habere principium illud, quod primum vitæ gradum constituere existimatur. Quod enim dixit (secundùm contraria loca) hoc ipsum significat, quod dixi, In diuersas, immò omnes differentias situs & omnino (vt ipsem et post addit) omnem in partem. Nam cùm anima hoc distinguatur à natura, quòd hæc ad vnum sit determinata; nempe ad motum sursum, aut deorsum: ignis enim sursum mouetur, at non deorsum; & terra deorsum, non sursum: anima verò nequaquam. Plantas & ea, quæ solùm vegetant, quæque vt sunt omnium prima & simplicissima, sic maximè videntur ad naturæ conditionem accedere, optimè probauit verè animam habere & vitam. Quia dum omnem in partem operantur, manifestè ostendunt diuiniorem se, magisque à materia eleuatam habere formam, quàm sit purè naturalis forma.

Anima & Natura differentia.

Qui locus optimè videbitur ijs respondere, quę in textu 6. tradita sunt. Nam, vt eo loco ostendit, plantas quoque quæ in vniuerso viuentium genere sunt omnium simplicissimæ, habere corpus organicum, atque in partes diuersæ naturæ distinctum. Ità nunc demonstrat habere vitam & animam, velut illius corporis formam, primúmque viuentium gradum constituere. Nulla enim alia potest esse causa, cur eæ omnem in partem alantur, crescant, & decrescant; naturalia nequaquam: nisi quòd ab hoc interiori principio earum omnis operatio administratur; cæterorum non item. Et ideò ea solum ex parte aut sustentantur aut crescunt & minuuntur reliqua omnia, inanima, cui ab exteriori principio additur aut detrahitur materia.

Nutritio & accretio inanimatorum quale.

Verùm non temere loquutus est, dum de nutritione differens plantas dixit, & ea, quę vegetant, nutriri semper & viuere, quandiu possunt capere nutrimentum. Quæ verba nequaquam apposuit, dum de accretione & decretione loqueretur: sed solum ens secundùm contraria loca fieri affirmauit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Etenim nutritionem vidit operationem esse omni tempore necessariam ad sustentandam vitam ; accretionem verò & decretionem tempus habere determinatum. Omnibus tamen hoc esse cõmune, vt omnem in partem & secundùm omnes situs differentias fiant: ideóque vitæ & animæ operationes sint.

Porrò hoc loco contineri videtur argumentum à minori ad maius. Nam si plantæ, quæ omnium sunt primæ, & minimè videntur viuere, vixque à mere naturalibus & inanimis distingui ; viuunt tamen, dum nutriuntur & augentur : quanto magis viuere dicuntur animalia, quæ cognitionem & motum habent? Quibus manifestissime seipsa excitant ad operandum, habentque in seipsis euidentissimum suæ operationis & motus principium internum. Duplex autem plantalis vitæ argumentum his verbis significatur. Alterum ; quòd in se ipsis habeant operationis principium. Alterum; quòd ad contraria loca operentur & sursum & deorsum, & omnem in partem.

Plantas viuere.

TEXTVS.

Χωρίζεσθαι δ' ἔστι μὲν τῶν ἄλλων δυνατὸν τὰ δ' ἄλλα τούτων ἀδύνατον ὄντων θνητῶν· φανερὸν δὲ καὶ τῶν φυτῶν, οὐδεμίαν δὲ αὐτῶν ὑπάρχειν δύναμιν ἄνευ ψυχῆς.

Tex. 15. *Separari autem hoc quidem ab alijs potest, alia autem ab hoc non possunt in mortalibus. Manifestum autem in vegetantibus. Nulla enim in est in ipsis alia animæ facultas.*

COMMENTARIVS XVII.

POstquàm exposuit primum vitæ gradum; plantásque ostendit & ea, quæ vegetant, participare vita: Exponit etiam, quomodo hic gradus se habeat comparatione reliquorum perfectiorum. Eúmque ostendit posse ab alijs omnibus separari, atque in quibusdam solitarium reperiri: & ideò viuentium quoddam & animatorum genus à cæteris omnibus distinctum constituere. Plantæ vegetant, nec tamen potiuntur sensu. Multò minùs incessu, aut intellectu. Immò verò cùm plures existant primi huius vitæ gradus operationes, Nutritio, Accretio, Procreatio ; sola nutritio ad vitã sufficit, potestque sine alijs esse. Multa enim procreandi vim non habent; & in omnibus tandem cessat Accretio; sola viget Nutritio, nec intermittitur vnquam ; solàque hac actione viuunt. At non ita possunt sine prioribus esse posteriores reliqui, & perfectiores gradus ; aut operationes. Quoniam id quidem, quod inferius est & imperfectius, à quo principium facit natura ad perfectiora sensim progrediendo, potest sine superiori & perfectiori esse : at hoc sine illo esse nequaquam potest, sed illud necessario supponit.

Quod in mortalibus intelligendum est. Nam intelligentiæ separatæ interdum habent sine reliquis. Et vt sunt à corpore & materia abiunctæ; ita viuere possunt absque inferioribus illis gradibus, qui materiales sunt & corporei. Verùm optimam seipsis degunt vitam, vt est in textu 100. lib. 1. de Cœlo & t. 39. lib. 12. Metap. & cap. 8. lib. 10. Moral. ad Nicomachum. Optima autem hæc vita tota ex intellectus functio, qui supremus & optimus vitæ gradus numeratur. Quare quod in decimo lib. de leg. scripsit Plato, Deos scire, videre & audire omnia ; non ita erit accipiendum, vt corporis sensus dixerit; sed sensum appellauerit cognitionem illam sensilium rerum, quę sensibus à nobis percipi solet, etsi ab illis intellectu comprehendantur.

Vt in Dijs.

Ad Deorum enim prouidentiam credidit pertinere eorum omnium cognitionem, quæ sensu, aut intellectu percipi solent. Quare Philoponus in textum sequentem in diuinis ait non esse hos quinque sensus nobis familiares : sed meliores alios ac diuiniores ; meliorem scilicet & diuiniorem sensilium cognitionem. Et in Timæo ipsemet Plato Mundum scribit summa cum æqualitate opificem tornasse; quoniam nec oculis indigebat, cùm nihil extra mundum sit, quod cerni possit ; nec auribus, cùm nihil superfit foris, quod audiatur. In mortalibus verò & corporeis intellectus esse non potest sine sensu. Quoniam vt est corporis forma, sic à corpore accipere debet intelligendum obiectum; hócque fit per sensus. Sensus porrò vegetatione indiget; tum ad caducam naturam conseruandam, tum etiã quia & operatur per calorem, qui conseruatur & pascitur humido : & vtitur spiritu, qui cùm continenter consumatur atque ex agitatione crebra euanescat, opus habet restauratione.

Hoc loco abusus est Petrus Pomponatius ad animæ nostræ mortalitatem asserendam. Quòd Arist. dixerit, In mortalibus animam intelligere non posse sine sensu & alijs vitæ gradibus. Sed nihil omnino confecit. Nam quod in nobis intelligere nequeat anima sine sensibus; propterea fit, quia est corporis forma : & ideò quandiu materialis huius corporis forma est, sensibus eget. At quoniam præter vim formæ immaterialem habet & subsistentem naturam, intelligendique operationem, quæ sua natura opus non habet sensibus : potest ipsa corpore destructo subsistere, & verò sine illius sensibus intelligere.

Anima mortalis.

TEXTVS.

Τὸ μὲν οὖν ζῆν, διχῶς λεγομένου τούτων ὑπάρχει πότερον πότε ζῆν τὸ δὲ ζῷον, διχῶς καὶ αἴσθησιν παρούσης· ἢ γὰρ τὸ κατοικίζειν καὶ κινεῖσθαι τινὰ τόπον, ἔχοντα αἴσθησιν, ζῷα λέγομεν, ἢ τὸ ζῷα μόνον αἰσθήσεως ἢ ὑπάρχει παρῶσιν πᾶσιν, ἀφ' ἧς ὠθοῦσι τὸ πρῶτον δυνάται χωρίζεσθαι τῆς ἁφῆς ἢ πᾶσης αἰσθήσεως, ὕστερον δὲ ἀφ' ἄλλων αἰσθήσεων· θρεπτικὸν δὲ λέγομεν τὸ τοιοῦτον μόριον τῆς ψυχῆς, ὃ καὶ τὰ φυτὰ μετέχει· τὰ δὲ ζῷα πάντα φαίνεται ἔχοντα ἁπτικὴν αἴσθησιν.

Viuere igitur propter hoc principium ineſt omnibus Tactus *viuentibus. Animal autem propter sensum primo. Etenim quæ non mutentur neque mutant locum, habent autem sensum, animalia dicimus & non viuere solum.*

Sensus autem primùm ineſt omnibus tactus. Et sic Tactus *vegetãs potest separari à tactu & ab omni sensu sic & tactus ab alijs sensibus. Vegetans autẽ dicimus huiusmodi partem animæ, qua & plantæ participant. Animalia autem omnia videntur tangendi sensum habere.*

COMMENTARIVS. XVIII.

EX ijs omnibus, quæ de primo nutrientis vitæ gradu docuit, tandem concludit ; vitam propriè dictam, vt à cæteris gradibus distinguitur viuentibus

viuētibus omnibus reperiri propter hoc principiū. Beneficio scilicet vegetantis animæ. Quare & absolutè appellatur vita; quòd tum natura sit prior & cęteras antecedat; tum magis sit omnibus ad vitā necessaria. Quoniam sine hac nulla potest esse vita, hęc sine cæteris potest. Non est igitur hæc potissima vita; sed prima & communissima: melior vita sensus, optima intellectus. Ita semper ad meliora promouet natura.

Plantæ viuere.

Meritò tamen eos reprehendit Themistius: qui viuere inquiebant de plantis & animalibus homonymè dici: quòd in illis viuere sit natura vti; quasi vegetans anima natura quædā sit: in his autem anima vti. Nam si nutriri & augeri ad naturam, non ad animam, pertinent: consequens est, aut animalia nō B viuere quoties non sentiunt; aut duas in illis inesse vitas. Deinde: multa sunt, quæ natura vtantur, quia mouentur, vt elementa: quæ tamen non dicuntur viuere, cùm non nutriantur, nec vegetēt. Tum verò gignendi vis facultas est animæ, eáque in plantis viget: anima igitur vtuntur plantæ. Quòd si ζῶον, si animal, dicitur κατὰ ζῶον, quod est viuere, quemadmodum apud Latinos animal ab anima: non ideò dicitur, quòd anima sentiēs det proprijssimè vitam, aut proprijssimè & primò animet. Sed ita obtinuit vsus loquendi, quòd & vita & anima, earúmque operationes illustriores sint & maximè appareant in animalibus, quæ sensu quoque potiūtur. Quemadmo- C dum, inquiunt Themistius & Philoponus, cursores, dicimus, non eos, qui quocunque modo cursus participes sunt: sed eos, qui vehementiorem & apertum magis habent.

Deinde ad secundum vitæ gradum progrediens, qui est sensus, quo animal constituitur: ita eū à priore distinguit, vt ille viuētibus omnibus cōmunis sit, hic in solis animalibus insit, ita illorum proprius, vt animal per sensum primò constituatur, etsi superioribus reliquis incessu & intellectu careat. Etenim ea, quæ sensum habent præter nutritionem & generalem illam vitam, quamuis loco non moueantur, neque progrediantur quoquam, vt plantanimalia, spōgiæ, conchilia: non solùm dicuntur viuere, sed & D animalia esse.

Plantanimalia ancipitis naturæ.

Quanquam inter plantas & animalia ancipitis videntur esse naturæ. Siue quòd sensum habeant, vt animalia, nec tamen moueantur loco, vt plantæ. Etsi quoquo modo pandant sese & contrahant, vt sensus, ita & motus obscurus est. Siue quòd de illis interdum dubitatum. De spongijs ita scriptum est in c.16.lib.5.de animal.hist. sensum spongijs esse aiunt, argumento, quòd ad aulsoris accessum contrahūtur ita, vt cuilli difficile sit (idem habet cap.1.lib.1.) quod idem etiam faciunt quoties flatus, tempestasque vrget, ne sua de sede pellantur. Sed sunt, qui de E hoc dubitent; vt qui Toronam incolunt. Quare in c.5. lib.4. de Part. non omnino animalia vsus est dicere, sed naturam potiùs inter plantas & animalia mediam.

Nomine porrò sensus sentientem animam oportet cum Themistio intelligere. Ea enim est, quæ primo, hoc est immediatè & potissimùm constituit animal: non sentiendi facultas, vt visus est interpretari Philoponus: tametsi ex operatione, vt reliqua, ita hoc quoque cognoscamus.

Sed quemadmodum dum de vegetandi gradu loqueretur, eum dixit posse in viuētibus quibusdam absque aliorum superiorum vllo reperiri, quoniam primus est & imperfectissimus: alios tamen superiores absque illo esse non posse. Ita nunc in magna quadam huius secundi gradus latitudine tactum affirmat primum esse omnium sensuum, quiq. animalibus cunctis primùm insit. Est enim omniū imperfectissimus & materiatus maximè: quia primus ex primarum qualitatū temperatione oritur nec alium priorem supponit sensum. Verùm cum tactu gustatus quoq. cōprehenditur, vt verè Simplicius admonuit. Nam est tactus quidam. Et cùm sit sensus alimenti, sine quo animalia nulla viuere possunt, aliquis saltem, si non perfectus, omnibus planè necessarius est ad alimentum susciendum, vt in ca.1.lib. de sensu & sensili Arist. idem confirmat. Et illud in c.4. Nutrit autem vt est gustabile, id quod offertur. Omnia enim nutriuntur dulci vel simpliciter, vel mistim. Si enim omne animal nutritur gustabili, gustatu omnia prædita esse oportet. Tametsi in imperfectissimis quibusdā vix apeareat, vt propterea omnino non inesse videatur: quemadmodū est in ca.2. lib. de somno & vigilia. Sicut & tactum inesse omnibus necesse est. Non solùm quia est primus, absq. quo ne gustatus quidem inesset. Sed etiam, vt animalia cognoscant quid sibi cōmodum sit, quid noxium, amplectendoq. aut fugiendo vitam tueantur. Potest tamen tactus & cum eo gustatus ab alijs omnibus separari, & in quibusdam imperfectioribus animalibus reperiri.

Gustatus in omnibus animalibus.

Tactus cum in omnibus.

Itáq. cōcludens quasi explicationem horum duorum graduum vitæ, vegetantis & sentientis: quoniam animal dixerat sensu constitui, hoc est viuentium illud genus, quod secundo vitæ gradu continetur, esse vniuersum animalium genus: subiungit, primo illo vegetandi gradu plantas constitui, omnésq. illo plantas participare: quemadmodum animalia cuncta sensu, hoc est tactu, participant.

TEXTVS.

Διὸ δὴ αἰτίαν ἑκάτερον τούτων συμβέβηκεν. ὕστερον προδιῆλθεν δὲ ὅτι πολύπους ἐρικῶδες μόνον, ὅπερ ἡ ψυχὴ πύτων ἐστὶν ἀρχὴ τοῦ ἐρικῶδες, καὶ πύτης ὥσεται, σπογγικῶν, αἰσθητικῶν, διανοητικῶν, κινήσει.

Propter quam autem causam horum vtrumque accidit, posterius dicemus. Nunc autem eatenus dictum sit solum, quòd anima est horum, quæ dicta sunt, principiū. Et his definita est, vegetante, sentiente, rationali, motu. Tex. 18.

COMMENTARIVS XIX.

DIxerat quidem vegetans sine alijs esse posse: tactúmque item ab alijs sensibus separari, atque in imperfectioribus quibusdam animalibus solitarium reperiri. Sed nullam huius rei causam significauerat. Propterea nunc addit, vtriusque horum causam posteriùs docendam esse. Quoniam enim viuentium omnium corpora fluxa sunt & caduca; Et principio parua & imperfecta; omnibus inesse debuit nutrix facultas, quæ & id reponeret, quod effluxisset & ad maiorem perfectionem adduceret. Omnibus quoque animalibus necessarius fuit tactus, quo carent noxia, & vtilia, ac commoda prosequerentur. Harum vtraque vis

ad vitæ conseruationem necessaria est; altera viuentibus omnibus insita, altera animalibus cunctis. Hoc loco satis fuit constituere quatuor vitæ gradus, animámque esse illorum principium.

Ex quo colligere licet animæ definitionem Anima est principium primum vegetandi, sentiendi, mouendi, intelligendi. Itaque cùm animam dixit hisce definitam esse, vegetante, sentiente, rationali, & motu: non solùm significare voluit vniuersum viuentium genus quatuor illis gradibus contineri, neque plures esse posse. Verùm etiam non abre fuerit interpretari, animam illis definiri posse, aut vniuersè vnica definitione, quemadmodum dictum est, & ipsemet post definiet in tex. 24. Aut seorsim singulas: Vegetans est principium internum nutritionis: sentiens sensionis, &c. Motum autem postremum nominauit, quòd & sentientis & rationalis communis sit.

διανοία quid.

Cæterùm dum διανοητικὸν dixit, non defuerunt ex Auerrois sectatoribus, qui formam illam materialem intelligerent de rebus singulis ratiocinantem, quam nominis propriam & ab intelligente anima diuersam Auerroës posuit, cogitatiuámque appellauit. Quod profectò mirandum est. Nam non solùm interpretes Græci ea voce intellectum significatum declararunt: cogitatiua, inquit ex interprete Simplicius, pro intellectu vsus est, id quod priùs indicauit per intellectum verba faciens. Et Philoponus eam animæ facultatem interpretatus est, quæ à principijs ad conclusionem, & à conclusione rursum ad principia ratiocinando progreditur: quam facultatem intellectum esse certũ est. Verùm etiam manifestũ est hoc loco quatuor illos viuentiũ gradᵒ repeti, quos in tex. 13. nominauerat, inter quos numerabatur νοῦς, hoc est intellectus, mens. Deinde cũ intellectus sit quidã vitæ gradus, vt ex eodem tex. 13. cognoscitur, si διανοητικὸν hoc loco aliud quam intellectum significaret plures quã 4. essent vitę gradus. Et vtrobiq. mancus fuisset Philosophus: qui altero in loco cogitatiuũ, in altero intellectiuũ prætermisisset. Præterea vbi in tex. 94. dicetur, carne molles ingeniosos esse, Græcè διάνοιαν legimus; & apertè sermo est de intellectu, cuius beneficio homi nem asserit & valere prudentia & ad scientias aptum esse. Si igitur διανοητικὸν intellectiuum significat; idem reipsa erunt Aristoteli διάνοια & νοῦς, cogitatiua & intellectus, cogitare & intelligere. Quod magnopere obseruãdum est tum propter aliorum locorum veram & germanam intelligentiam. Tum propter difficultates complures, quæ ex harum vocum diuersitate oriuntur, præsertim de propria hominis forma: quas non est huius loci exponere.

TEXTVS.

Πότερον ὃ πάντων ἕκαστόν ἐστι ψυχὴ, ἢ μέρεσι ψυχῆς, καὶ εἰ μόρεσι, πότερα οὕτως ὥστε ἕτερα χωρίσει λόγῳ μόνον, ἢ καὶ τόπῳ τοῦτο μὲν ἄνευ οὐ χαλεπὸν εἰδεῖν· ἔνια γὰρ ἀποθνήσκει. ὥσπερ τὸν δὴ τῶν φυτῶν ἔνια διαιρούμενα φαίνεται ζῶντα, καὶ χωριζόμενα ἀπ' ἀλλήλων, ὡς οὔσης τῆς αὐτοῖς ψυχῆς, ὀντελεχείᾳ μὲν μιᾶς ἐν ἑκάστῳ φυτῷ, δυνάμει δὲ πλείονων· οὕτω καὶ τἆλλα θήρεα ἔοικε τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν συμβαίνον δὴ τῶν ἀτόμων ἐν τοῖς νομοῖς. καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ἑκάτερον τῶν μερῶν ἔχει, καὶ κίνησιν τινὰ καὶ τόπον· εἰ δὲ αἰσθάνεται καὶ φαντασίαν, καὶ ὄρεξιν· ὅπου μὲν γὰρ αἴσθησιν, λύπην τε καὶ ἡδονὴν παρακολουθεῖ· ὅπου δὲ ταῦτα, ἐξ ἀνάγκης καὶ ὀρεκτικά.

Vtrum autem vnumquodque horum est anima, an pars animæ: etsi pars, vtrum ita, vt separabilis sit ratione solum, an & loco: de quibusdam quidem non difficile videre, quadam autem dubitationem habent.

Sicut enim in plantis quædam diuisæ apparent viuere & separatæ ab inuicem, perinde ac si in his anima, sit actu quidem vna in vna quaque planta, potestate autem plures, sic & circa alias animæ differentias videmus accidere in insectis diuisis. Etenim sensum vtraque partium habet & motum secundum locum. Si autem sensum & phantasiam, & appetitum. Vbi enim sensus, & dolor & voluntas consequitur. Vbi autem hæc, ex necessitate & concupiscentia.

COMMENTARIVS XX.

QVoniam 4. vitę gradus distinxit, qui interdum quidem seorsim & separati cernuntur, interdum autem omnes simul, vt in homine: interpretatur hoc loco Philoponus dubitationem eam Philosophum proposuisse, quam in primo quoque libro significauerat; Num animæ facultates loco & situ distinguantur, an ratione sola.

Sed meliùs Themistius & Simplicius duplicem distinxerunt quæstionem. Alteram; an vnusquisque illorum graduum sit anima; ita vt quemadmodum 4. sunt vitæ & viuentium gradus, ita 4. sint animæ: An omnes potiùs illi gradus sint partes vnius & eiusdem animæ. Alteram; an si sint partes vnius animæ, sint loco & situ distinctæ, vt existimabat Plato, seu Timæus, vt inquiunt Philoponus & Simplicius; irascentem ponens in corde, concupiscentem in iecore, sentientem in cerebro. An verò sola ratione, hoc est proprietate, vt exponit Simplicius; seu definitione, vt Philoponus; aut etiam mentis cogitatione, vt Themistius.

Auerroës tamen priorem dubitationem in duas distinguens, tres omnino numerauit. Primam; vtrũ vnusquisque illorum graduum sit anima. Alteram; an sit anima per se, an pars animæ. Tertiam; an sint partes loco distinctæ, an sola ratione & definitione. Sed cũ ad duas reuocari possint, & verè ab Arist. duę proponãtur; non est cur plures distinguantur. Vtrique igitur quæstionem respondet Philosophus in quibusdam facilem esse, in alijs difficilem. Nam in plantis, quæ solum habent vegetandi gradum, certum est eum esse animam per se, nõ animæ partem. De alijs, in quibus plures gradus simul insunt, dubitari magis potest. Interim tamen priorem quæstionem omittens ad posteriorem accedit: eámque ostendit facilem explicationem habere in plantis & imperfectioribus quibusdam animalibus, quæ vocitantur insecta. In quibusdam verò alijs dubitationem habere. Quæ verba in proximum commentarium reijciantur, nunc cætera interpretemur.

Etenim in plantis vegetans anima, eiúsque facultates omnes per omnes earum partes fusæ sunt & sparsæ; dum nutriuntur omnes, augentur, minuuntur, procreant. Et abscissi ramusculi, si plãtentur, aut inserantur, in magnam arborem adolescunt. Quod planè non fieret, nisi animam & eius facultates haberent. Hinc verò cognosci potest vnicam actu esse in illis animam per totũ corpus diffusam, potestate plures. Quæ verba ita Simplicius accepit, vt vna anima & in plãta sit & in abscisso ramo, ad certũ tẽpus manet, aptúmq. illũ reddat ad propriã, vbi plantarus fuerit

fuerit, animam susciendam. Sic enim plures potestate animas inesse in planta interpretatur, quæ abscissione & plantatione plures actu euadant. At si eandem impartibilem animam & in plãta & in abscisso ramo esse velit; rursúmque hac in ramo pereunte accedere aliam: duo planè asserit, quæ fieri nullo modo possunt. Alterum; vnam numero formam in duabus diuisis & dissitis materiæ partibus esse, materiáque multiplicata non multiplicari formas. Alterum; mutationem, quam inter contraria solùm, aut certè priuantia posuit natura, inter formas eiusdem speciei fieri. Accedit, quòd de insectis animalibus idem, quod de plantis, dicitur: nec tamen de illis idem dicere Simplicius potest. Satius est & naturæ magis consentaneum, animam maximè in materia immersam, naturæque conditioni proximam dicere simul cum corpore diuidi. Et vt corpus vnum actu potest in plures partes scindi, quæ omnes diuisæ viuant, sic vna anima plures sit potestate, actu autem plures fiant diuisione: plures inquam numero, non specie. Anima verò quæ per exiguo continetur ramusculo, adolescit sensim, atque in integram & grandem euadit plantam. In plantis enim inquit Philoponus, vbique semen quoddã medulla est, in qua impartibiliter inest anima; quare in abscisso etiam ramo facultates eius omnes inueniuntur. Quæ Philoponi ratio minùs est firma. Quoniam medulla pars est plantæ, non semen. Verùm illa firmior; quòd hæc anima maximè materialis est & velut forma purè naturalis in materia prorsus immersa, & cum ea partibilis, vbique habet os potestate, quo & alimentum trahere possit & adolescere.

Insecta animalia.

Idem & in insectorum animalium genere cernitur. In quibus non vegetans modò, sed sentiens & motrix inest facultas. Insecta quæ dicantur, exponit ipsemet in primo libro de animalium historia cap. 1.

» Insecta inquit ea appello, quorum corpus incisuris
» præcingitur, aut parte tantùm supina, aut etiam prona. Vnam enim actu habent animam, potestate plures. Quoniam si in partes diuidantur, eæ quoque diuisæ sentiunt, dum punguntur, & mouentur loco: atque ita in eadem parte & sentiendi & mouendi principium habent. Huc spectat id, quod in tertio lib. de part. animal. cap. 5. in sanguine præditis animalibus, quæ perfectiora sunt, eam partem, in qua primò residet anima, tum actu, tum potestate, ait esse vnam: In nonnullis verò exanguibus (cuius generis sunt hæc, quæ vocantur insecta:) actu duntaxat esse vnam. Fieri autem posse vt quod est actu vnum, potestate plura, fiat plura per diuisionem; perspicuum est in ijs omnibus, quæ extensionem habent & partibilia sunt: nam linea, lignum, aqua & his similia, cum sint actu vna, diuisione euadunt multa; quibus omnibus eadem est essentia & definitio. Quare genus hoc animalium proximè ad plantarum conditionem accedit, vt actu sint vnum, potestate plures. Et quod dicitur, in alijs animæ differentijs idem, quod in plantis, accidere; de insectis accipiendum est: in quibus & sensus & motus diuiditur, & cæteræ item facultates. Nam vbi est sensus, adest quoque phantasia, tametsi imperfecta: eodémque modo appetitus quispiam. Quod nequaquam aduersatur ei, quod dictum est in textu 17. tactum sine alijs sensibus esse posse. Quoniam eo loco de sensibus exterioribus erat sermo, vt manifestum erit ex textu 31. Neque ei, quod in 3. lib. di-

Vtinam. nobis animalibus phantasia.

cetur, phantasiam habere organum determinatum in capite. Nam id verum est de perfecta phantasia, quæ distinctas rerum imagines potest effingere; vel etiam interdum si eæ procul absint. At imperfecta, quæ in hisce animalibus inest, quæque non operatur nisi præsens sit obiectum, quod actu moueat sensum; in quacunque sentiente corporis parte esse potest. Cùm enim partes eæ noxium sentientes obiectum doleant, & vtiliatque oportuno delectentur: necesse est, vt propter huiusmodi motum à sensu factum aut fugam imaginentur obiecti tristitiam afferentis, aut prosequutionem eius, quod delectet.

Ita cessat quoque Philoponi dubitatio. Si enim inquit, phantasia melior est omni exteriore sensu, melioréque facultates esse sine deterioribus nequeunt; non poterit phantasia esse, vbi exteriores omnes sensus non sint; hoc est non nisi in animalibus perfectioribus. Etenim de perfecta & distincta phantasia verum est, non de qualiscunque inchoata, quæ exteriori omni sensu perfecto nequaquam est melior.

Iam verò vbi est sensus, est item dolor, aut voluptas: quatenus conueniés & proportionatum obiectum sentitur, aut secus. Quam ob causam spongiæ quoque, si quid durum tetigerint, contrahuntur.

Denique cum his necesse est etiam desiderium aliquod adesse & appetitum, & propensionem in obiectum sibi conueniens & proportionatum: & cõsequenter fugam ab obiecto contrario & aduersante. Quod enim voluptatem sentit, prosequitur iucundum. Aut certè in loco moueri non potest, ad prosequendum pandit sese, aperit, atque ad amplectendũ dilatat. Quod verò dolorem percipit, auersatur noxium, fugit, aut saltem contrahit sese: prosequi autem & auersari appetitus sunt. Atque ita in eadem parte inerunt sentiendi, imaginandi, appetendi, & mouendi principia; neque hæc distinguentur loco,

Quia tamen aliqua animalia phantasia perfecta carent: cùm simul proposuisset phantasiam & appetitum adesse, de solo appetitu probauit; quòd tenuissima sit & obscurissima vis phantasiæ. Quare à sensu immediatè ad appetitum trãsiuit. Vbi, inquit, est sensus, ibi dolor & voluptas; vbi verò hæc, & appetitus necessariò inest. Quædam tamen sunt facultates, quas loco distingui manifestum est. Etenim aspectus in solo viget oculo, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustatus in lingua & palato. Nisi cum Philopono dicamus, omnes habere principiũ à cerebro. Aut cum Simplicio, conuenire omnes in sensu communi. Aut cum Alexandro, sensiones omnes in corde fieri, & ideò ne has quidem esse loco distinctas. Solus tactus per corpus vniuersum fusus est. Nimirum propter illius imperfectionem, qua materialis maximè est. Quemadmodum enim quò forma est perfectior, eò magis elaboratam & determinatam materiam, certúmque organum requirit: ita quò est imperfectior, naturam & conditionem materiæ magis sequitur, atque cum ea partibilis est. Quam ob causam plantæ, quæ infimum tenent viuentium locum; & in animalium genere insecta, quæ imperfectissima iudicantur; naturam habent & facultates tantopere cum materia fusas & partibiles, vt formas planè naturales imitari videantur: Quæ homogeneæ prorsus sunt; & si diuidantur, quælibet earum pars eiusdem est rationis cum toto.

TEXTVS.

Περὶ δὲ τοῦ νοῦ καὶ τῆς θεωρητικῆς δυνάμεως οὐδέπω φανερὸν· ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀίδιον τοῦ φθαρτοῦ.

Tex. 21. *De intellectu autem & contemplatrice facultate nihil adhuc manifestum. Sed videtur genus aliud animæ esse: atque hoc solum separari posse, sicut perpetuum à mortali.*

COMMENTARIVS XXI.

QVæ hoc loco de intellectu subijciuntur, Simplicio non libuit cum superioribus textibus copulare: sed ad ea potiùs omnia referre, quæ hactenus de anima dicta sunt. Quemadmodum etiam id, quod in tex. 19. dicebatur (quædam autem dubitationem habẽt) interpretatus est, nequaquam fuisse dictum propter intellectum: sed propter eas facultates, quæ non videntur esse fusæ per totum corpus; sed certam occupare partem, in qua & organũ habẽt & operationem. Cuius generis sunt aspectus, auditus, odoratus, gustatus. An scilicet eæ loco & subiecto separatæ sint; cùm vegetantem & tangentem fusas esse per totũ corpus, neq. loco distingui, manifestum sit. De intellectu namq. iam antea apertè dictum fuerat, eum non continere vllum corpus, neque vllius corporis esse actum: & nunc affirmatur esse aliud genus animæ; quod tanquam perpetuum à mortali separetur.

Verùm ego non video, quomodo hæc sibi constent. Nam si antea dictum est, intellectum non esse actum corporis: & manifestum est, eum esse aliud genus animæ separabile. Quin etiam eum quoque comprehensum fuisse in definitione animæ tex. 7. & constitutum quendam vitæ gradum in textu 13. Quî fieri potest, si hęc verba ad antecedentem totam tractationem referenda sunt; vt de illo nihil manifestũ esse dicatur? Reliqui igitur omnes verba hæc cum illis coniunxerunt, quæ duobus proximis textibus dicta sunt. Sed Auerroes cũ tex. 19. Vt cùm ibi quæsitum fuerit, num vnusquisq. illorũ quatuor graduũ vitæ sit anima; nunc de intellectu respondeatur; de eo quidem ex hactenus dictis nihil manifestũ esse, videri tamẽ aliud genꝰ animæ; neq. posse nisi homonymè animam appellari. Cœterùm neque hoc mihi probatur. Præsertim cùm hoc ipsum ex animæ definitione in tex. 7. proposita videretur esse manifestũ. Ea quippè definitione intellectum itẽ homonymè saltem contineri, Commentator hic idem tradiderat.

Satius igitur est cum Alexandro, Philopono, & Themistio hæc verba cum textu 20. ita copulare; vt cùm aggressus esset eam quæstionẽ explicare, num eæ facultates animæ loco & situ sint distinctæ; atque in quibusdam eam dixisset facilè explicari, vt in plãtis & insectis animalibus; in quibusdam autem dubitationem habere. Addat nunc; de intellectu, qui contemplatrix facultas est, nihil adhuc manifestum esse: sed de hoc posse iure optimo dubitari. Quoniam neque ex superiùs dictis colligitur, neque hoc loco determinandum est; num is anima sit ab alijs distincta, atque indistincta aliqua corporis parte. Quoniam etsi in textu 92. lib. 1. dictum fuerit, non facile fingi posse, quis locus illi in corpore tribui queat: id tamen nulla ratione demonstratum fuit, neque præsentis instituti est examinare, neque ex dictis colligitur. Sed in 3. lib. explicabitur; vbi is dicetur esse planè incorporeus, immistus, & inorganicus. Nunc autem quantum ad præsens attinet, hoc constet; eum altioris cuiusdam esse ordinis & diuinioris naturæ, atque ad aliud animæ genus pertinere. Quare etsi vegetantem, sentientem, & mouentem, certum sit esse loco diuisas. Tum quòd maximè materiales sunt; tum quòd in partibus diuisis earũ operationes apparent. Id tamen de intellectu affirmare non licet: quippe est aliud genus animæ. Hæc enim verba rationem continere videntur, cur de illo nihil adhuc manifestum sit.

Est autem aliud animæ genus; quia ipse solus est immortalis; & ita corporis actus, vt ab eo non pendeat, sed separari ab eo possit. Reliquæ animæ mortales sunt & inseparabiles. Intellectio enim & contemplatio actio quædam est sua natura separabilis, substantiæque separabilis operatio. Quam ob causam non solùm dixit intellectum, sed & contemplatricem facultatem. Non quidem, vt ait Auerroes, vt intellectus significet intellectum actu, & contemplatrix facultas intellectum patibilem, qui potestate est vt perficiatur. Sed potiùs, vt & significet eloqui, non de quouis intellectu, sed de eo, qui est intelligentis animæ facultas: quémque dixerat gradum vitę quendam constituere; vt optimè, tum hoc loco, tum in expositione tex. 89. primi libri demonstrauit aduersus Alexandrum Philoponus: Aristotelem ostendens loquutum hîc non fuisse de intellectu diuino, sed de humano. Et præterea ostendat, non quemlibet intellectum separabilem esse. Quæ cùm duplex in anima intellectus distinguatur; practicus vnus, alter theoreticus; hic solus est separabilis, quoniam eius operatio non indiget corpore. Practicus autem inseparabilis est; tum à corpore, tum à cæteris animæ partibus: quia per corpus & corporis sensus operationem suam perficit. Cæterùm cùm idem re sit intellectus, qui vt diuersos respicit fines & practicus dicitur & Theoreticus: satis est contemplatio separabilis, vt toga intellectus, & verò etiam intelligentis animæ substantia separetur. Quare intellectus practici corruptio non est transitus ad non ens, sed ad melius ens collectio, & in meliorem statum mutatio, vt in tertio libro inquiet Simplicius. Addidit etiam (contemplatrice facultate) quoniam intellectum passiuum dicet in tex. 20. lib. 3. mortalem esse.

Passiuum autem intellectum phantasiam dicit, quam etiam in superiori textu inseparabilem esse prodidit: passiuum inquam intellectum, quatenus intelligendum obiectum subministrat intellectui.

Neq. tamen quouis modo separatur intellectus. Etenim accidentia quoque separari dicuntur à subiecto. Verùm ita, quemadmodũ perpetuũ à mortali. Oppositò scilicet modo separationi accidentium. Nam accidentia ita separantur, vt corrũpantur ipsa & subiectum remaneat: intellectus autem, dum separatur, remanet ipse immortalis, & subiectum corpus destruitur. Fortasse etiá hoc addidit, ne intellectũ ita separari intelligeremus, quemadmodũ dixerat vegetantem gradum à cæteris vitæ gradibus separari posse, & à reliquis sensibus tactum. Solitaque

que in viuentibus quibusdam reperiri. Propterea enim addidit intellectus separari, sicut perpetuum à mortali: alio scilicet separationis modo. Vt quamuis intellectus, dum est in corpore, à cæteris vitæ gradibus nequeat separari: immò veluti supremus & perfectissimus illos omnes supponat: ab ipso tamen corpore atque adeò ab illis omnibus gradibus alio modo separetur: quo pereũtibus illis solus ipse subsistat immortalis. Nam & contemplatio separante se à corporeis facultatibus intellectu fit.

Anima immortalitas. Ita sanè si intelligantur hæc verba, intellectus nostri immortalitatem astruunt. Sed non minùs, etsi non separabilitatem à corpore, sed ab alijs facultatibus interpreteris. Siquidem exponens quomodo sit aliud genus animæ ab illis separatum & diuersum, separabilem ait esse sicut perpetuũ à mortali. Quia scilicet pereuntibus illis cum corpore supereſt ipse solus immortalis. Ita non solùm diuersam esse facultatem affirmat; sed diuersæ quoque conditionis & naturæ. Quòd reliquæ omnes mortales sunt & caducæ, solus intellectus immortalis & sempiternus. Et quoniam mortale & immortale differunt genere, vt est in tex. 26. lib. 10. Metaph. propterea intellectum dixit aliud animæ genus esse.

Hanc esse veram huius loci interpretationem; neque de separabilitate à corpore, sed à cæteris facultatibus animæ, cuius facultas intellectus quoque sit; manifestum est. Tum ex tex. 19. vbi non de illa, sed de hac dubitationem proposuit; an inquam facultates animæ sint ab inuicem loco, an ratione sola separabiles. Tum ex textu sequenti; in quo statim subiunget, reliquas partes animæ sola ratione separari; non à corpore, sed vnam ab altera, vt sensitiuum ab opinatiuo.

Verbum (videtur.) Denique negligendum non est, quòd Philoponus & Simplicius verbum illud (videtur) quod hoc loco habet Philosophus, non dubiam & incertam, vt interdum alibi, sed certam ac definitam sententiam significare voluerunt; vt idem sit ac apparet. Sicut & Porphyrius in libello de quinque vocibus
» non dubitando, sed asserendo dixit; Videtur autem
» neque genus, neque species, vno tantum modo
» dici.

Anima immortalitas. Quare certam hoc loco de intellectus nostri immortalitate pronũtiatam esse sententiam dixit Philoponus. Quod tamen ego affirmare nõ ausim; cùm aperte dicat, de eo nihil adhuc manifestum esse. Magnum tamen est pro immortalitate argumentum, quòd ita videri affirmet. De his pluribus in 3. lib.

TEXTVS.

Τὰ δὲ λοιπὰ μόρια τῆς ψυχῆς φανερὸν ὅτι πρῶτον, οὐδὲν ἔστι χωριστὰ καθάπερ φασί τινες· πλὴ δὲ λόγῳ οὐδὲ ἕτερα φανερὸν· αἴσθησις μὲν γὰρ ἂν εἴη τὸ δοξαστικῷ ἕτερον, εἰ ἄλλο τὸ αἰσθάνεσθαι τοῦ δοξάζειν· ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον πρὸς ἕκαστον εἰρήσθω.

Tex. 22. *Reliquas autem animæ partes manifestum ex his separabiles non esse, vt quidam dicũt. Ratione autem alias esse manifestum. Sensitiuo enim esse & opinatiuo aliud: siquidem & sentire ab ipso opinari. Similiter autem & aliorum, quæ dicta sunt, vnumquodque.*

COMMENTARIVS XXII.

CVm antea dixisset, & in plantis & in animalibus quibusdam esse vnam animam per totum corpus fusam: & in illis item facultates esse per totum sparsas: de intellectu autem nihil hoc loco constitui posse, propterea quòd sit aliud genus animæ. Colligit etiam ex dictis manifestum esse reliquas animæ partes, hoc est reliquos vitæ gradus superius cõmemoratos, vegetantem, sentientem, mouentẽ, non esse separabiles: non solùm à corpore, quemadmodum est intellectus; sed neque ab inuicem, hoc est loco & situ distinctos non esse in diuersis corporis partibus, vnam extra aliam; quemadmodum Plato volebat, aut Timæus.

Simplicius autem ex eo, quòd Ar. dixit (reliquas partes animæ) verè obseruauit, intellectum, de quo in superiori textu fuit sermo, animæ partem esse: vt non de alio, quàm de humano intellectu ibi loquutus fuerit. A corpore igitur separabiles nõ sunt; quia sunt actus corporis materialis, atque à corpore pendentes: nec vllam habent operationem, quæ nõ per organum corporeũ perficiatur. Ab inuicem autem. Tum quia ita sunt inter se cõnexæ & necessario vinculo colligatæ; vt dum superior inferiorẽ supponit, vbi est illa, hanc quoq. esse necesse sit. Tum quia fuse sunt per totũ corpus, & ideò vbi est vna, est item altera. Sed tametsi loco & situ non distinguantur; distinguuntur tamen definitione & natura. Aliud enim ratione & definitione esse sentiens, aliud opinans; compertum est ex illorum operationibus, ex quibus facultatum vim & naturam optimè inuestigamus. Namq. aliud est sentire, aliud opinari, aliud vegetare, aliud moueri loco. Tametsi vbi est motus, sint etiam sensus & vegetatiõ. *Intellectus animæ pars.*

Verùm hoc, quod dictum est; animæ partes seu facultates nequaquam esse loco distinctas: accipiendum non est de singulis facultatibus in specie; siquidem aliquæ sunt loco distinctę, vt aspectus, auditus, odoratus, gustatus; quæ distincta habent in corpore organa: sed de vniuerso illarum genere; de toto inquam genere gradus vegetantis, sentientis, & aliorum. Quandoquidem in gradu item sentiente tactus saltem per totum corpus fusus est: & ideò in eodem loco cum cæteris vitæ gradibus verum est sentientem quoque adesse gradum.

Nomine porrò opinantis Philoponus interpretatus est mouens. Melius Auerroës & S. Tho. intelligens. Tum quia opinio, seu opinari actionem intellectus videtur significare. Tum quia magis credendum est, Philosophum cõparasse sensum cum intellectu, quàm cum motu. Ambæ enim illæ sunt facultates cognoscentes. Et cùm certũ sit, opinans significare aliquẽ ex quatuor illis vitæ gradibus antea numeratis; opinari nullã prorsus habet similitudinem cum incessu, maximam cum intellectione. Immò ad intellectũ planè pertinere opinionẽ velut ratiocinationis probabilis conclusionem, sicut scientia demõstrationis necessariæ cõclusio est, ex pluribus locis cognoscitur, vt ex in tex. 157. huius lib. & tex. 44. prioris lib. de Post. Anal. & c. 3. lib. 6. Moral. ad Nicomachũ. In quibus certũ est opinionẽ eum voluisse ad intellectũ pertinere. Fortasse etiã hoc ipsum propter Platonicos dictum fuit. Opinio enim inquit Proclus Commentario 3. in Timæum, totius rationalis vitæ finis est, hoc est rationalium omnium *Opinans quid.*

facultatum infima. Infimum autem supremi est supremum infimi & vtriusque particeps. Quia tamen cognoscit rerum sensilium substantias, superat sensum: & quia ignorat earum causas, inferior est dianæa: hæc autem cùm ex alio in aliud transeat & cum tempore operetur, inferior est intellectu. Sensus irrationalis est prorsus. Tum quòd essentiam & rationem nullius rei assequitur. Album enim cernit, sed quid album sit, ignorat. Tum quia rationem non audit, immò reclamat: vt si suadentem audiat, solem esse tota terra maiorem. Opinio rationalis est, quia rerum rationes & essentias cognoscit. Aliquo tamen modo irrationalis, quia causas ignorat. Dianæa vtroque modo rationalis. Intellectus vertex, caput, & velut apex totius rationalis partis. Aristoteles opinionem, seu opinatricem vim à sensu diuersam facultatem esse probat, quia diuersa est operatio. A dianæa & intellectu eam non separat: quoniam & ipsa causas, sed probabiles, non necessarias, assequitur. Itaque opinans dixit pro rationali gradu antea nominato. Alioqui creseret iam vitæ graduum numerus. Sed opinionem accepit, aut tanquam debiliorem & infimam illius actionem, proximéque accedentem ad sensum: aut Platonicis vt ostenderet, eam quoque esse à sensu distinctam.

Quod ex adiunctis verbis colligitur (similiter autem & aliorum, quæ dicta sunt, vnum quodque) quasi ex operatione probare voluerit, omnes illos gradus esse diuersos. Sensum autem & opinionem præcipuè nominauerit, quoniam de his maximè fuerat dubitatum. Sunt, qui hoc loco de facultatū, tum ab anima, tum inter se, distinctione disputent. At satius est in opportuniorem locum differre.

TEXTVS.

ὅτι μὲν οὖν οἷς μὴ ἔστι ζῷων ἅπαντ' ὑπάρχει τοῦτα, τοῖς δὲ ἕνια τούτων, ἐτέροις δ' ἓν μόνον· τῶν δὲ ποίων διῄρηται τὰ ζῷα· δῆλον· αἰσθάνεσθαι δὲ καὶ τροφῆς ἔστι ζῴων· δῆλον· αἰσθάνεσθαι, σκεπτέον ὕστερον· ἁπλοῦν δὲ καὶ τοῦτο αἰσθήσεως συμβέβηκε· τὰ μὲν γὰρ ἔχει πάσας· τὰ δὲ, πλείους· τὰ δὲ μίαν τὴν ἀναγκαιοτάτην, ἁφήν.

Ad hæc autem quibusdam quidem animalium omnia hæc insunt, quibusdam verò quædam horum aliis autem vnum solum. Hoc autem facit differentias animalium. Propterquam autem causam, postea considerandum. Similiter autem & circa sensus accedit. Alia enim habent omnes, alia verò quosdam, quædam verò vnum maximè necessarium tactum.

Tex. 23.

COMMENTARIVS XXIII.

SAnctus Thomas hunc textum duobus modis cum superioribus coniungit. Primo modo, vt nunc soluatur prima illa quæstio proposita in tex. 19. an vnusquisque illorum quatuor vitæ graduum sit anima, an pars animæ. Et ita soluatur, vt in quibus vnicus illorū reperiatur, is sit anima: in quibus verò insint plures, ij potiùs sint eiusdem animæ partes. Altero modo, vt dubium quoddam tollatur. Nam cùm dictum sit, hasce animæ partes seu facultates, non separari loco aut subiecto in eodem animali, posset quis existimare neq. in diuersis separari. Et ideò nunc addatur in diuersis omnino separari, dum vna sine alia persepè reperitur.

Verfiq. satis accōmodatè: Sed magis Philoponus & Simplicius. Voluerunt enim adhuc cōfirmari id, quod dixerat & probare cęperat in textū superiore, hasce animæ facultates ratione & natura differre. Atq. ex eo argumentum deduci, quod viuētia inter se plurimùm distinguuntur, diuersāq. esse iudicātur, propterea quòd in quibusdam eæ omnes insint, vt in homine: in alijs aliquę dūtaxat, vt in bestijs, quibus intellectus deest: in alijs vna solum, scilicet vegetatio in plantis. Quòd si ratione saltem ac natura non distinguerētur, distincta viuentiū genera haud quaquam cōstituerent. Quod enim ait (quibusdam animaliū omnia insunt) & rursum (hoc autem facit differentiam animaliū) vt optimè admouit Philoponus; animalium dixit, hoc est viuentiū. Quod mirum esse non debet. Quoniam ζωὸν, quod animal significat, ἀπὸ τοῦ ζῆν, quod est viuere, dicitur. Et ideò quod nunc dicitur τὰ μὲν ζωῶν, id est, animalium, in tex. 16. dixerat, τὰ μὲν οὖν ζῆν ἀπὸ τοῦ θρέμμα ἔχει πάντα τὰ ζῶντα, id est, viuere igitur propter hoc principium omnibus inest viuentibus.

Propter quam autem causam in quibusdā plures sint gradus, in quibusdam pauciores; post explicabitur. Num addendum est; hoc ipsum, quod de vitæ gradibus dictū est, dici quoq. posse de diuersis sensibus, qui in sentiente gradu continentur. Cùm enim in quibusdam animalium sint omnes, in alijs cōplures: in nonnullis solus tactus: eodem argumento concludi potest, has quoq. diuersas esse sentiētes facultates. Eāsq. etsi interdum in eadem corporis parte reperiantur, ratione tamen ac natura distingui. Sed hoc ipsum postea meliùs explicabitur.

TEXTVS.

Περὶ δὲ τῶ ζῶμεν ἢ αἰσθανόμεθα, διχῶς λέγεται καθάπερ ὁ ὄπτασθαι· τοῦτων δὲ λέγομεν, τὸ μὲν ὄπτασθαι, τὸ δὲ ὄψιν· (ἑκατέρω γὰρ τούτων φαμὲν ὄπτασθαι) ὁμοίως δὲ καὶ τῶ ζῆν λέγομεν, τὸ μὲν ὑγιείαν· τὸ δὲ μοιλῶ τινι τῶν σπερμάτων, ἢ καὶ αὐτὸ τοῦτο μᾶλλον τὸ μὲν ὄπτασθαι καὶ ὑγίεια μᾶλλον, καὶ εἶδός τι καὶ λόγος· καὶ τὸ εἶναι ἀναγκαῖον ἐνδέχεται τῶ μὲν τῶν ὀπτασθαι ἐνδέχεται· ἀνάγκη γὰρ ὃν τινὰ ὀπτασθαι ἢ μὴ πυκνὸν ὑπάρχειν ὀφθαλμόν· τὸ δὲ τῶ ὑγιαίνειν ἢ μὴ τοιοῦτον ἢ μὴ πυκνὸν ὑπάρχειν ὀφθαλμόν· καὶ αἰσθανόμεθα, ἐξ ὑγροῦ μάλιστα πρώτως· ὥστε λόγος τις αὐτῶν ἐστιν καὶ εἶδος, ἀλλ' οὐκ οὐσία τοῦ ἔχοντος ἀποκείμενον.

Quoniam autem id, quo viuimus & sentimus, duobus modis dicitur, sicut id, quo scimus. Horum autem dicimus hoc quidem scientiam, illud autem animam. Vtrorumq. enim horum dicimus scire. Similiter autem & id, quo sanitatem sumus, aliud quidem sanitas est, aliud autē pars quædam corporis aut etiam toto. Horum autem scientia quidem & sanitas forma & species quædam, & ratio, & vt actus eorum, quæ suscipere possunt. Illa quidem enim, qui scire potest, hæc autem, qui sanus esse. Videtur enim in patiente & dispositio agentium inesse actui. Anima autem hoc, quo viuimus, & sentimus, & mouemur, & intelligimus primò. Quare ratio quædam vtique fuerit & species, sed non vt materia & subiectum.

Tex. 24.

COMMENTARIVS XXIV.

QVæ hactenus dicta sunt de diuersis vitæ gradibus, quib° animata, tū ab inanimis, tū inter se distinguuntur; quorúmque principium est anima: huc tan-

huc tandem spectabant, vt alia colligeretur animæ definitio specialis magis, & animæ cuiusque propria; quàm fuerit generalis illa, qua antea definitum fuerat animam esse actum primum corporis naturalis organici. Vt non solùm intelligeretur vniuersè, animam esse actum corporis; sed causa quoque cognosceretur, cur sit actus & quomodo vnaquæque anima sit actus. Hoc nimirum nunc præstat, vt ego quidē opinor; interpretatione penè omnium; præsertim Alexandri in 2. lib. natural. quæst. Simplicij, Philoponi, & Auerrois. Nam etsi Græci illi dixerint, eum voluisse nūc assignare causam prioris illius definitionis: & Auerroës declarare, quod anima sit substantia secundùm formam: non negarunt tamen id noua definitione fieri, quæ causam illam contineret. Memores scilicet eius, quod in textu 12. propositum fuit quærendam esse definitionem, quę non solùm explicaret quòd sit, sed etiam cur sit.

Operari per aliquid duobus modis dicitur.

Principio igitur accipit, duobus modis intelligi posse rem quampiam operari per aliquid. Aut enim id dicitur, tanquam per formam; aut tanquam per materiam, aut subiectum, quod formam habeat. Nam homo aut dicitur scire per animam, quę scientiæ subiectum est: aut per ipsam scientiam, quæ forma quædam est & habitus. Et dicimur item esse sani, aut per corpus, quod sanitatem habet; aut per sanitatem, quæ est forma. Per corpus, inquam, aut totum, si totum sit sanum; aut per aliquam eius partem, quæ sanitate potiatur. Differunt autem materia & forma, quantum ad rem præsertim attinet: quòd per formam primò scimus id quod scimus, & primo sani sumus; & non per materiam. Tametsi forma nec sit nec recipiatur, dum ab agente producitur, nisi in materia disposita. Actiones enim potiùs tribuuntur formæ, quàm materiæ, etsi verè sint compositorum. Tum quia actionis principium est forma, non materia. Tum quia agit vnumquodque vt est actu; est autem actu per formam. Est tamen & materiam actionis causa materialis, quòd & eam susciпiat, & non quoduis agat in quoduis; sed in id, quod aptum est actionem eius suscipere: Quare cùm ad certam formam suscipiendam, quæ actionis principium est, certa requiratur materia: si agendi ratio significet quidquid est ad agendum necessarium, materia quoque agendi ratio dici potest. Neque enim agit forma sine materia. Si tamen agēdi ratio propriè vsurpetur, materia agendi ratio non est. Sicut nec quantitas; etsi ad agendum non solùm certa materia, sed & certa quantitas requiratur. Ita forma potior est, & vt traditur in tex. 12. lib. 2. Phys. natura magis, immò & in textu 7. & 8. lib. 7. Metaph. substantia magis, quàm materia. Vnumquodq. enim tunc magis esse dicitur, cùm est actu, quàm cum potestate.

Forma agendi principium, non materia.

Secunda animæ definitio.

Hoc iacto fundamento; quoniam antea dum quatuor vitæ gradus distingueret, animam posuerat principium esse vegetandi, sentiendi, mouendi, & intelligendi: hanc animæ definitionem colligit; Anima est principium, quo primò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Ex qua priorem illam, quam antea veluti generalem posuerat, ita demonstrat. Id, quo primò quidpiam operatur, est forma & actus illius; sed anima est id, quo primò animata vegetant, sentiunt, mouentur intelligunt; Anima igitur est actus & forma animatorum corporum: non tanquam materia & subiectum: nam etsi operationes, quæ in rebus animatis cernuntur, soli animæ non tribuūtur; sed illi quoque, quod habet animam (non enim solùm dicimus animam intelligere, aut videre; sed hominem quoque intelligere & hominem videre) animæ tamen tribuuntur tanquam principio primo, quo id quoque, quod animam habet, operari dicatur quoque posito ponitur vita, ablatóque aufertur. Quemadmodum si & calorem dicimus calefacere & ignem; intelligimus tamen, calorem primò calefacere, esseque in igne velut principium, quo ipse calefaciat. At quando operatio duobus tribuitur, alterum illorum oportet esse velut formam, alterum vt materiam: formámque esse id, quod est principium primum & ratio operandi, sicut & calor in igne calefaciente & anima in animatis corporibus operantibus.

Esse vnā definitionem.

Iam dum animam definiuit esse principium, quo primùm viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; non vnam eum definitionem, sed quadruplicem posuisse existimauit Ægidius. Etenim cùm generalem antea vniuersæ animæ definitionem exposuisset, singulę superetant animæ speciali & propria definitione definiendæ. Quatuórque omnino sunt definitiones; quemadmodū & quatuor animæ, quæ definiuntur, Vegetans, qua viuimus, sentiens, qua sentimus, mouēs qua mouemur; Itelligēs, qua intelligimus. Tam etsi Phiosophus breuitatis studiosus vnica omnes visus sit definitione cōplecti. Verū dū ita Ægidius loquitur, quatuor accipit animarū genera. Cū tamen, nec Aristoteli, nec vlli omnino Philosopho, mouens anima fuerit cognita tanquā ab alijs diuersa; sed solū vt animæ sentientis facultas. Deinde Aristoteles in tota hac tractatione de anima vniuersè loquitur: Et quamuis vitæ gradus distinxerit, nondum tamen animarum genera seperauit. Immò in tex. 12. numero vnius loquēs quærendā proposuit definitionem, quę causam alterius definitionis antea explicatæ contineret: & vt illa generalis fuit, ita & hęc altera esse debuit. Denique non sine causa duas eo ipso in loco quadrationis definitiones commemorat; formalem vnam; alteram causalem. Nimirum vt duas quoque doceret animę definitiones adferendas esse; quarum vna alterius causam contineret. Quod si addatur id, quod eodem in loco dicitur, ex vtraque definitione, formali & causali, posse vnam perfectissimam confici, quę sola dispositione à demōstratione differat; magis hoc, quod nunc quęritur manifestum fiet. Quemadmodum enim definitio illa est vna, quę est velut conclusio: sic eam quoque, quę velut demonstrationis principium futura est, vnam esse oportet.

Eam omni animæ conuenire.

At enim non defuerunt, qui posteriorem hanc definitionem soli animę intelligenti propterea vellent conuenire; quod ea sola, vt omnium perfectissima est & suprema, ita gradus omnes vitę ac cęterarum animarum continet: veréque dici potest esse principium vitę, motus, sensus, & intellectionis. At quorsum nunc intelligens anima definiatur? Si ita esset, non proposuisset Philosophus in tex. 12. quoniam prior definitio obscura fuerat, iterum ex notioribus nobis tentandum esse ipsam aggredi; hoc est illam animam vniuersam, quam antea obscurius definiuerat. Non item prioris definitionis causam exposuisset; vt eo loco pollicitus est. Neque potuisset in textu 24. ex ea concludere animam esse actum corporis & formam. Quoniam ex eo, quod intelligens anima existat in nobis earum omnium operationum principium, nequaquam colligi potest animam vniuersam in viuentibus omnibus esse actum corporis: sed solùm intelligentem in

nobis esse velut actum & formam nostri corporis. A Vt autem omnis anima ostendatur esse actus & forma corporis ; necesse est omnem animam dicere esse principium , quo viuentia viuunt , sentiunt, mouentur , intelligunt.

Quomodo intelligẽda sit.

Porrò dum hoc dicitur, non ita dicitur, quasi omnis anima in viuentibus omnibus hæc omnia præstet. Iam enim dictum est, hos vitæ gradus separari, posseque vnum solum interdum sine alijs omnibus, & inferiorem quamuis sine superiore reperiri. Sed hoc solùm asseritur. Quidquid viuit aut sentit, aut mouetur, aut etiam intelligit, id per animam tanquam per principium primum viuere, sentire moueri, & intelligere. Itaq. si viuunt plãtæ per animam viuunt : si animalia præter viram fruuntur sensu, aut etiam motu; & homo præter sensum & motum vim habet intelligendi ; animam in illis horum omnium principium inesse. Animam igitur esse principium vitæ, sensus, motus, & intellectionis ; aut coniunctim intelligi potest, aut disiunctim. Vtroque modo verissime. Quemadmodum enim cùm natura definitur principium motus & quietis; aut interpretamur eam vtriusque ita esse principium, vt quamuis in omnibus non si quies, vt in Cœlo : neque in omnibus motus, vt in partibus terræ, quæ circa centrum versantur : omnis tamen motus & omnis quies, quæ sunt in naturalibus, principium habent à natura. Aut etiam licet exponere cum disiunctione , eam in omnibus natura constantibus aut motus principium esse aut quietis. Ita sanè cùm in hac secunda definitione definiri anima videatur, non per se considerata & quatenus forma per comparationem ad suum proprium subiectum , vt in priore : sed per ordinem ad operationem & quatenus est natura : animam dicere licet ita esse principium, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus : vt quamuis in omnibus hæc omnia insint, omnis tamen vita, omnisq. sensus, motus, & intellectio vbicumque reperiantur, siue omnia, siue aliqua ; principium habeant ab anima. At ita demum id interpretari , vt ea semper principium sit aut solius vitæ, vt in plantis: aut in quibusdam animalibus vitę & sensus; aut in alijs motus quoque ; aut etiam intellectionis.

Quomodo natura principiũ motus & quietis.

Definitiones hac priorem demonstrari.

Ita exposita est posterior hæc definitio. Quæ cõmunis item est & generalis, quemadmodum prior: tametsi rationes quoq. singularũ animarũ proprias magis significet. Ex ea verò conatus est Christophorus Marcellus in 1. lib. de anima cap. 9. ostendere, Philosophum nec priorem illam demonstrasse, nec omnino demonstrare potuisse. Sed inanis fuit omnis illius labor. Nam vt communem mittam Interpretum expositionem, immò & ipsius Aristotelis sententiam in textu 12. pollicentis notiorem definitionem, quæ prioris causam doceat : certè in hoc textu 24. manifesta argumentatione probauit, animam omnem esse actum corporis; quia est principiũ, quo primò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Ac demum in textu 26. ex eadem hac definitione concluſit, priore illa optimè definitam fuisse animam esse actum corporis potestate vitam habentis.

Quomodo demonstratur.

Iam verò probationem hanc S. Thomas iudicauit esse à posteriori. Quoniam prius est animam esse actum corporis, quàm esse principium viuendi, aut omnino operandi in corpore. Verùm reclamabit Philosophus , qui in tex. 12. quærendam proposuit definitionem, quæ prioris causam redderet. Quòd si per eam definitionem probatur, quæ continet causam ; à priori probatur. Ita senserunt, tum Magnus Albertus in 2. naturalium quæst. cap. 25. Quanquam Albertus ideò dixit esse probationem à priori , quòd prius sit animam esse principium vitæ & cæterorum , quàm esse actum corporis. Ego interpretans Aristotelis sententiam & Græcorum Interpretum , qui demonstrationem esse per causam tradiderunt ; propterea esse à priori existimo , quia est per causam finalem. Nam esse principium vegetationis, sensionis, motus, & intellectionis, est veluti finis comparatione ipsius animę absolutè & per se consideratę. Sicut enim quęlibet forma est propter operationem ; sic anima ideò viuentibus tributa est à natura, vt sit in illis vitalium operationum principium. Qui finis non solùm operationem illam significat, velut accidens quoddam & actum secundum formę ; sed ipsam potiùs formam operantem , atque in actum secundum quoque prorumpentem.

Ita pulchrè Aristoteles duplici definitione complexus est etiam duplex esse, duplicémue perfectionem , quam anima tribuit corpori ; essentialem vnam, alteram operatiuam. Et quoniam finis non solùm est causa, sed prima omnium causa, & vt ita dicam, causarum omnium causa : optimè probari potest ex illo alia quęcumque causa: præsertim verò in naturalibus , quę ex fine necessitatem habent.

Demonstraturus igitur Philosophus animam esse actum primum & formam organici corporis ; duo antea accepit , ex quibus probationem totam conficeret. Alterum ; formam & actum esse principium primum operandi . Nam cùm operato actum secundum significet ; consentaneum est rationi existimare , illius principium esse actum primum : & formam potiùs , quàm materiam, quæ potestatem significat, est que potiùs apta ad sustinendam & sustentandam operationem , quę à forma promatur , quàm ad eam promendam. Alterum , animam esse principium in viuentibus , quo primùm viuunt , sentiunt , & omnino operantur. Quod quia videbatur aliquam habere difficultatem, futurúmque erat demonstrationis medium, explicatum anteà fuit in textu 13. vbi admonuit, hoc animata distingui ab inanimis , quod animata viuant , sentiant , moueantur , intelligant. Ex his namque duobus veluti principijs ita postremo ratiocinatus est. Id , quo primum res vnaquęque operatur, est illius forma & actus primus: anima est id, quo primum operantur viuentia : anima igitur est forma & actus primus viuentis corporis. Prior definitio exposuit quòd sit , posterior hęc propter quid sit. Illa ostendit animam esse distinctam à corpore , seu compositq, quod constituit : hęc diuersam esse ab actu 2. & operatione , quam promit. Illa dare esse essentiale & absolutum corpori , hęc esse operatiuum. Illa perficere corpus vt subiectum , hęc eo vti , vt instrumento. Vtraque esse actum primum , qui & corpus absoluit & operationem edit.

TEXTVS.

A

TEXTVS.

Τριχῶς γὰρ λεγομένης τῆς οὐσίας, καθ' ἃν εἴπομεν. ὧν τὸ μὲν εἶδος, τὸ δ' ὕλη, τὸ δὲ ἐξ ἀμφοῖν. πότων δ' ἡ μὲν ὕλη δυνάμις, τὸ δὲ εἶδος, ἐντελέχεια. ἐπεὶ δὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν, ἔμψυχον, οὐ τὸ σῶμα ἐστὶν ἐντελέχεια ψυχῆς, οὐδ' ὧν σῶμα τοιοῦτος.

Tex. 25. *Tribus enim modis cum dicatur substantia sicut diximus: quorum hoc quidem species, illud autem materia, aliud autem ex utrisque. Horum autem materia quidem potestas, species autem actus. Quoniam autem quod ex utrisque, animatum, non est corpus actus animæ sed ipsa corporis cuiusdam.* B

COMMENTARIVS XXV.

PRæter demonstrationem illam, qua ex posteriorianimæ definitione probauit priorem, animam esse actum & formam corporis: rursum alia quadam ratione illud ipsum confirmat. Repetita enim diuisione illa substantiæ superiùs proposita in materiam, formam, & compositum: & accepto eo, quod tunc etiam acceperat, animam esse substantiam; eam conficit esse formam & actum corporis. Non enim potest ipsa esse totum compositum ex materia & forma; quia hoc est corpus animatum; non anima; sed habens animam: neque potest esse materia, seu corpus; quia materia est potestas: & corpus tantum abest, vt sit actus animæ, vt ipsum potiùs sit potestate ad animam: erit igitur ipsa actus & forma corporis cuiusdam; nempe organici. C

Quod verò ait Simplicius, materiam significare compositum animatum corpus, non corpus solum: neque animam esse perfectionem corporis, sed animati corporis: verbis Philosophi non conuenit. Tum quòd materiam dicit id, quod est potestate, non quod actu constitutum. Tum quod animatum corpus non materiam, sed quod ex materia & forma constat, esse asserit. Tum quòd apertis verbis non corpus animæ, sed animam corporis ait esse actum. D

Anima intelligẽs forma formans. Illud etiam notandum est, intelligentem quoque animam esse formam formantẽ corporis & actum dantem illi esse. Nam & de solo actu formante est sermo; qui actuat & perficit potestatem materiæ & simul cum ea compositam substantiam facit; & omnem illam animam, quam definiuerat, probat eiusmodi esse actum. In ea verò definitione manifestum est, intelligentem quoque animam nominatam fuisse; dum animam dixit esse principium, quo intelligimus; quod in textu 13. νοῦν appellauit. Immò in superiori quoque textu de sola formante forma loquebatur, cùm dixit; illi potius, quàm materiæ, operationis principium tribuendum esse. Quare cùm non minùs anima intelligens sit in homine principium intelligendi, quàm vegetans aut sentiẽs principium vegetandi aut sentiendi aut etiam progrediendi: non minùs intelligẽtem animam, quàm reliquas formantem formam esse conficitur. Ac postremo cùm ex hac posteriori definitione, in qua anima item intelligens nominata est, priorem illam probauerit, qua vniuersè fuerat affirmatũ, animam esse actũ corporis: inde etiam concluditur, in priori illa definitione eam quoq; animam comprehensam fuisse, definitámque actum corporis formantem, quemadmodum reliquas omnes. E

TEXTVS.

Καὶ διὰ ταῦτα καλῶς ὑπολαμβάνουσιν, οἷς δοκεῖ μήτε αὐτὴν σῶμα εἶναι, μήτε σῶμά τι ψυχὴν· σῶμα μὲν γὰρ ἐκ ἔστι, σώματος δέ τι· διὸ καὶ ἐν τῷ σώματι ὑπάρχει, καὶ ἐν σώματι τοιούτῳ.

Et propter hoc benè opinantur, quibus videtur, neque Tex. 26. *sine corpore esse, neque corpus aliquod anima. Corpus enim non est: corporis autem aliquid. Et propter hoc in corpore inest, & in corpore eiusmodi.*

COMMENTARIVS XXVI.

POstquàm demonstrauit animam esse actum corporis, illud ipsum antiquorum testimonio confirmat: seu ex dictis colligit, benè illos dixisse, qui animam affirmarunt non esse corpus, sed neque sine corpore esse. Verè enim vt hactenus demonstratum est, non est corpus, sed aliquid corporis; actus scilicet, forma & perfectio, & velut principium primum operandi in corpore. Quare sine corpore aut esse aut etiam intelligi non potest. Cuius enim esset actus, forma & perfectio? Nam hæc relationem quandam significant; quæ verò huiusmodi sunt, vnum sine altero esse aut intelligine-quit.

Neque tamen ex eo, quòd laudauit antiquos animam dicentes non esse sine corpore; licebit deducere, eam esse mortalem & à corpore inseparabilem. Etenim in textu 51. dixit; etsi actus corporis, aliquam tamen separari posse, quòd corporeus, materialis, & pendens à corpore actus non sit. Et in tex. 21. Intelligentem animam separari posse, tanquam perpetuum à mortali. Alio prorsus intellectu credendum est, eum hoc loco affirmasse, animam sine corpore esse non posse. Nimirum aut de mortali solùm anima loquutus est; cùm intellectum iam dixisset aliud esse genus animæ & à cæteris separandum. Aut id intelligendum est plerumque ita habere. Ant credendum fuisse dictum de anima, vt est anima, & forma. Nam omnis anima, vt est anima, & forma actionésq. per corpus exercet, sanè requirit corp^{a}: & si nihil aliud habeat, omnino nõ potest sine corpore esse. At si quæ sit immaterialis & intelligens, habeátque operationem propriam; nempe contemplationem, in qua non solùm corporis instrumento non vtitur, quin corpus est illi potiùs impedimento: hac ex parte separari poterit, & esse sine corpore. Separata autem intellectus dicitur, seu mens, non anima; nisi potestate & actu primo, non secundo. Quam ob causam Simplicius non tàm animam, quàm intellectum, separabilem esse voluit. Anima quippe non tàm essentiæ, quàm habitudinis ad corpus, nomen est. Et Nauta, vt nauis gabernator & perfectio existit, inseparabilis ab ea est: vt autem homo, separabilis. Denique nullam animam posse esse sine corpore, intelligendum non est quo ad existentiam; vt non possit per se absque corpore cohærere: sed quo ad quid ita rem & definitionem; vt neque intelligi eius natura neque definitione explicari sine corpore queat. Sed & cognosci & definiri semper debeat cum ordine aliquo ad corpus. Quemadmodum & per ordinem ad corpus & eiusmodi corpus definiuit eam Philosophus; cum esse dixit actum corporis potestate vitam habentis.

De animæ immortalitate.

Anima separata non est actu forma.

TEXTVS.

Καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ πρότερον εἰς σῶμα ἐνήρμοζον αὐτὴν, οὐδὲν προσδιορίσαντες ἐν τίνι ἢ ποιᾳ πρὸς οὐδὲ ποσαχῶς τῶν τυχόντων τὸ τυχὸν οὕτω δ' γίνεται ἢ κατὰ λόγον. ἐπαίσθου γὰρ ἂν ἐντελέχεια δωμάμει ὑπαρχοντι, ἢ τῷ οἰκείᾳ ὕλῃ πάρυκε γίνεσθαι. ὅπ μὲν οὖν ἐντελέχειά πις ἐστὶ, ἢ λόγος τῶ δωάμιν ἔχοντος τοιοῦτος, φανερὸν ἐκ τούτων.

Et non sicut illi, qui ante nos fuerunt, ad corpus aptabant ipsam, nihil vltra definientes, in quo & quali, cum tamen non quodlibet videatur recipere quodlibet. Sic enim fit & secundùm rationem. Vniuscuiusque enim actus in eo quod potestate existit & in propria materia, aptus natura est fieri. Quòd igitur actus quidam est & ratio potestatem habentis, vt sit huiusmodi, manifestum ex his.

COMMENTARIVS XXVII.

ANtiquiores Philosophos superioribus verbis commendauit, quod animam dixissent non esse quidem corpus, at sine corpore non esse. Verùm magnopere nunc reprehendit, quòd nihil de huiusmodi corpore docuerunt quasi vltimam definitionis partem confirmãs; qua anima dicebatur esse actus corporis organici. Siue enim à corpore separari, siue sine corpore cognosci atq. intelligi non posse voluerint; perinde peccarunt. Etenim corpus animæ est tum subiectum & materia, tum instrumentum. At materia & forma, potestas & actus relationem significant: agens item causa & proprium illius instrumentum: simúlque cognosci & explicari debent. Certè nec forma quæuis in materia quauis suscipitur, nec instrumentum quodlibet cuiusuis agenti ad opus quodlibet efficiendum est vsui. Verùm & agentia singula habent instrumenta certa, & formæ quæque proportionatam sibi materiam poscunt; & perfectio quæuis in eo fieri natura sua est apta, quod naturalem ad illam potestatem habet, & est proxima eius materia.

Anima corporisque proporto.

Vtramque rationem pulchrè complexus est in textu 53. lib. primi. Sic enim aduersus Pythagoricos loquebatur. Hi autẽ solùm nitũtur dicere quale quid at anima, sit de susciptente corpore nihil vltra definiunt, quasi contingat iuxta Pythagoricas fabulas, animã quamuis in quod vis ingredi corpus videtur enim vnum quodque propriam habere speciem & formam. Perinde autem inquiunt, ac siquis fabrilem dicat in tibias ingredi. Oportet enim artem instrumentis vti, animam verò corpore. Quem locum maximè videtur hic contextus spectare, quem interpretamur, & ex eo non parùm illustrari. At nunc ex materiæ potissimum & formæ natura argumentum deducit. Quemadmodum enim vnaquæque potestas non quolibet actu perficitur, sed certo & determinato, qui optimè illi conueniat: ita nec quilibet actus in qualibet potestate conuenienter suscipitur: nec quælibet forma apta est materiam quamcumque formare, sed certam aliquam determinatis dispositionibus affectam & præparatam. Nam & quadrupedum, & bipedum, & terrestriũ, & volatilium, & natantium corpora plurimùm differunt, singula prò ratione animæ, futurarúmque operationum optimè comparata. Quod de generibus & speciebus animalium, atque viuentium intelligas. In indiuiduis enim si diuersa est morum & actionum conditio; non propter eam comparatum est corpus, sed ea potiùs ex corporis temperatione nascitur. Itaque non fuit satis dicere, animam esse actum corporis, sed addendum fuit, cuiusnam & qualis corporis sit actus. At corpus ad eã susciendi aptum est corpus organicum, ergo animam benè definitum à nobis est esse actum corporis organici potestate vitam habentis.

Itaque vniuersalem hanc de natura & definitione animę disputationẽ iure optimo concludit, ex dictis manifestũ iam esse animam, esse actum quendam & rationem, hoc est actum primũ & formam, corporis potestatem habentis vt sit huiusmodi, hoc est vt viuat & habeat animam eique famuletur. Quæ sanè postrema verba illis respondent, quibus in tex. 11. priori definitione inquiebat figura fuisse dictum quid sit anima, nũc enim manifestè magis explicatum est.

Digressio X. De vnione Animæ cum corpore.

Ex quo loco duo cognosci possunt, Alterũ, Intelligentem animam Aristoteli fuisse formam formantem: siquidem animam omnem propterea probat esse actum determinati corporis; quoniam quilibet actus non in qualibet materia & potestate suscipitur, sed in certa quapiam & determinata. Quæ probatio de formante solum forma apertè loquitur.

Anima formalis forma formans.

Alterum; id, quod à Philosophis curiosè disputatur, num vnio animæ cum huiusmodi corpore sit naturalis, hoc est cum naturali propensione partium, quæ vniuntur. Quid sit vnio formæ cum materia, in superioribus dictum est in commentario 8. Iam de eo, quod quæritur, corpori quidem naturalem esse, videtur manifestum: quia cùm ab anima perficiatur, ad eam nimirum tanquam ad perfectionem inclinat. Certum etiam est, naturalem esse vegetanti animæ & sentienti, omnique formę, quę ex materiæ potestate educatur. Propterea quòd ex omnes ex materia accipiunt esse & perfectionem. Itaque intelligentis animæ propria est hęc difficultas; vt non dubitauerit S. Augustinus in libro de spiritu & anima miraculo plenum affirmare, quòd tàm diuersa & dissita coniungi potuerint. Dignior enim huius animæ natura videtur, quàm vt corpori sociari debeat. Etenim ea per se subsistens est, minimè pendens à corpore; nihil ab eo accipit, siue vt sit, siue vt operetur. Quin illud potiùs detrimenti patitur, vt nec seipsam nec res cæteras immateriales liberè possit intelligere: sed sensibus vti & phantasmatibus debeat. Deinde si vnionem concupisceret, violenta foret separatio. Et si ad vllum corpus propenderet, nequaquam illud videretur esse hoc nostrum, quod gestamus: quoniam nimis terreum est, graue, crassum, & materiale; ineptissimum ad propriam illam huius animæ operationem, quæ pondere hoc & mole corporis hebetatur magnopere ac penè obruitur. Tenuius aliquod & simplicius corpus, quale esset Cœleste aut aëreum & spirituale, magis eam deceret. Et vt vno verbo dicam, quemadmodum illa perfectissima est forma, ita perfectissimum corpus deberet appetere. At nostrum

strum hoc tàm est imperfectum vt à bestiarũ quoq. corporibus multis in rebus superetur. In nutritione vincitur à struthio; camelo in acceretione à pluribus; quæ maiorem acquirunt corporis molẽ; in procreatione ab alijs, quę sæpiùs & plura procreant: In odoratu à Vulture & Cane; in aspectu ab Aquila, gustatu à Gallina, auditu à lepore & cuniculo, motu à Ceruo & aribus, ac demũ inuestitu & armis penè ab omnibus. Quæ certè in animã referri nõ possunt, quòd ea in homine omnium perfectissima sit. Sed defectus est & imperfectio corporis. Et fortasse dubitari potest, num propterea Plato animas nostras iudicauerit nequaquam fuisse conditas, vt cum nostris hisce corporibus, sed cum cælestibus, vnirentur: verùm propter earum peccata detrusas in hæc inferiora, vt peccatorum in illis luerent pœnas, ad cœlestia tandem reuersuras. sanè Proclus in Alcibiadem primum, cum id, quod naturale est, frequentius esse videret eo quod est præter naturam; hominumque plurimos ignorantes esse malos, contrarios autem quam pauciſſimos. Id minimè mirandum esse respondit. Non enim inquit, naturale est animis vnà cum corporibus vitam degere & in generatione versari, Sed contrà separata animalis, incorporea vita potius est animis consentanea. Quando in generatione versantur, similes sunt hominibus pestilentem habitantibus regionem. Quando verò extra generationem viuunt, vt Plato inquit, similes sunt prata colẽtibus. Quemadmodum igitur non mirandum inter eos, quem pestifera incolunt loca, languere quam plurimos; pauciſſimos verò naturalem valetudinem conseruare; sic & animas in generationem positas plurimas obnoxias passionibus atque prauas esse mirari non debes. Hæc ille.

Iam igitur ostendendum est, hoc quoque animæ genus naturali propensione ad hoc nostrum corpus accedere; hancque materiam huic formę plurimùm conuenire. Propensionem ad corpus ex eo colligimus, quòd anima ens est imperfectum & diminutum, non perfecta & integra natura; sed velut pars & actus cum altero aptus vniri tanquam forma. Ex hoc enim necessariò consequitur propensio & inclinatio ad vnionẽ. Quare nõ nisi ægrè & cum summa difficultate separatur atq. discedit à corpore. Sed quoniam naturam habet abstractam & minimè pendentem à corpore, est illi quoque maximè naturale per se subsistere, nec indigere subiecto, in quo sustentetur. Quoniam tamen illud esse subsistens naturæ est dimidiatæ, non integræ alicuius actu perfectæ speciei: habet quoque aptitudinem & inclinationem ad vnionem cum corpore. Quæ inclinatio nil aliud significat, quàm ipsam animæ essentiam dimidiatam & aptam, vt sit alterius pars. Igitur intelligens anima cum cæteris formis hoc conuenit; vt quia entitas est incompleta, sit apta coniungi cum corpore. At in eo magnopere separatur; quòd abstracta cùm sit & perse subsistens, non inhærendo coniungitur, aut accipiendo esse à corpore, vt cæteræ formæ; sed solùm dando illi esse, & constituendo compositum tanquam illius pars. Quamuis verò nil ea entitatis absolutæ ex hac vnione acquirat: acquirit tamen, vt sit actu pars, atq. per suam hanc causalitatem & actum secundum constituat totum. Tum verò facultates & operationes omnes sentientes & vegetantes, quas extra corpus non haberet; cum necessario pendeant ex corpore. Deniq. cùm essentialiter sit pars, non potest nõ inclinari ad totũ suum, vt quælibet pars inclinatur, vt sit cum totò coniuncta; etiam si nullam inde perfectionem deberet acquirere, vt cùm partes propter totius conseruationẽ interitui seipsas exponũt. Quæ cùm ita sint, facilè intelligi potest, propensionem naturæ non solùm esse ad perfectionem aliquam acquirendam, sed etiam ad impertiendam. Aut si aliquam acquiri oporteat: anima quoque intelligens eas, quas dixi, perfectiones consequitur.

Nihil autem amittit, dum cum corpore coniungitur. Tum quia si prior fuisset corpore & perfectiorem alium intelligendi modum habuisset; aliquid fortasse amitteret, dum in corpus detrusa peiorem intelligendi modum acciperet. At cùm nusquam ante corpus extiterit, nihil potest amittere. Sed in corpore primùm creata tanquam tabula, in qua nihil est scriptum, corporis organorum interuentu intelligere incipit, post ab ijs soluta leberius intellectura. Tũ quia vterq. sanè intelligendi modus est illi naturalis & accõmodatus. Sed alter præsentis est cõditionis, alter futuræ. Et nunc quoq. dum per phantasma intelligit potestatẽ habet intelligẽdi sine illo, etsi eam nunc exercere non possit. Naturale verò illi est intelligere priùs per phantasma, quàm sine phantasmate; quoniam naturale est priùs esse in corpore, quàm à corpre separatam.

Facile etiam intelligitur, huius animæ propensionem ad corpus eo potiùs spectare, vt det esse, quàm vt accipiat. Etenim dat esse absolutum & perfectissimum, nec nisi accidẽtarias quasdam consequitur perfectiones, quæ minime absolutam eius essentiam attingunt. Propensionem autem aliarum formarum esse, tum ad dandum esse, tum ad accipiendum. Et ideò hæ nullo modo possunt esse sine materia; & si essent, per vim omnino consisterent. Anima nostra sine vlla vi potest esse absque corpore; quoniam eius natura subsistens est & minimè ab eo pendens. Non est tamen absque imperfectione quadam. Quoniam illud esse diminutum est & mutilatum, magnámque in corpore perfectionem habebat. Quam ob causam cum eo rursum coniungi desiderat. An verò ex hac separatæ animæ imperfectione, atque ad corpus propensione, possit naturali ratiocinatione corporum futura aliquando resurrectio concludi; non est facile iudicare propterea fortasse Plato animarum posuit in diuersa corpora migrationem. De cæteris Philosophis certum est, nullum eorum resurrectionem illam cognouisse; minimè verò Peripateticos. Nam qui eam assistentẽ duntaxat fecerũt formã voluerũt esse naturã perfectã, quæ sine corpore posset perfecta subsistere. Qui verò formantẽ esse intellexerũt, & ideò dimidiatam naturam; aut interire dixerunt cum corpore, vt Alexander; aut vnitam esse cum alio tenuissimo corpore, à quo nunquàm separetur, vt Philoponus. Aristotelem autem crediderim ego hanc ob causam minùs apertè interdum de illius immortalitate loquutum fuisse. Quoniam cùm illud principium haberet per quàm certum, fieri que non posse existimaret reditum à priuatione ad habitum: & tamen vnam animam non nisi vnius corporis actum esse posse; & ideò Platonicam illam migrationem minimè probaret: dubitus hæsit in statu illo separatæ animæ constituendo. Immortalem eam esse cognoscebat ex operatione illius propria, quàm habet à corpore non pendentem: esseque substantiam imperfectam videbat.

Propensio animæ nostræ ad corpus.

Quid acquirat corpori.

Intelligẽdi modus duplex.

Propensio ad corpus quæ dam.

Corporum resurrectio vt cognosci possit.

Quid Aristoteles de statu animæ separatæ.

quia est actus & forma corporis. Eā porrò perpetuò separatam & solitariam esse non posse ratiocinabatur : nec tamen dissolutum semel corpus rursum restitui posse credebat. Hæsit igitur, nec habuit quidquam certi, quod in tam ardua difficultate nobis relinqueret. Sed quid mirum? est quidem resurrectio naturalis, si terminus eius consideretur, qui est vnio animæ cum corpore iuxta naturalem ipsius animæ propensionem. Quare etiam à naturali agente producitur, quando primùm nascitur homo. At si perpendatur modus, quo ea fieri debet; & agēns causa, à qua eam perfici necesse est; est prorsus supernaturalis; neque solo naturę lumine cognosci potuit. Ab eo præsertim philosopho, qui Deum iudicasset agens necessarium, finitæque virtutis. Qui verò infinitam illius potestatem, & admirabilem operandi modum intelligunt; possunt planè naturali solùm ratiocinatione ex hac separatæ animæ conditione possibilem esse & futuram aliquando nostrorū corporum resurrectionem deducere. Atque hoc argumento inter cætera ad hoc ipsum confirmandum vsus est S. Thomas in 4. lib. contrà gentiles cap. 79. Modum verò, quo ea futura sit, tempus, & alias huiusmodi circunstantias, nunquam nisi ex superiori lumine intelligent. Quoniam hæc ex libera Dei voluntate pendent. Et Philosophi omnes ignorantes modum, quo ea fieri posse, impossibilem prorsus iudicarunt. Verùm de his satis hoc loco, déque animæ propensione ad corpus.

Resurrectio naturalis.

Vnionem hanc esse animæ conuenientem.

Iam verò vnionem cum tali corpore conuenientissimam illi esse & maximè proportionatam (quod secundo loco demonstrandum proposueram) ex his facilè intelligetur. Anima est actus corporis organici: neque potest simplicis corporis, aut etiam misti homogenei esse forma. Inter animas verò, atque organica corpora proportionem esse oportet. Vt quoniam corpus organicum datur animæ tanquam diuersarū operationum instrumentum: animæ illi, quæ plures & nobiliores habet operationes, perfectius tribuatur corpus, quod pluribus & melioribus organis ad eas operationes obeundas comparatis instructum sit. Organicorum omnium corporum perfectissimum, esse humanum, multa testantur. Tum temperatio vniuersa, caloris & spiritus abundantia, cutis & carnis mollitudo. Tum distinctio maior & perfectior membrorum omnium. Tum erecta figura, quæ aptissima est ad perfectissimam functionemm exteriorum omnium sensuum intellectioni demum famulantium. Nam cùm in alto loco sint constituti, liberiùs & vehemētiùs operantur. Postremò accedit maxima præ cæteris omnibus animalibus cerebri quantitas; quo interiorum sensuum, qui proximè ministrant intellectui, accuratiùs operationes omnes exercet.

Humani corporis præstantia.

Deinde in substantijs intelligentis aliquam esse oportuit, quæ non simplici solùm intuitu, vt cæteræ: sed abstractione quoque à phantasmate, atque ratiocinando intelligeret. Tum vt esset in natura intellectus quispiam, qui propria virtute ex vna re cognita deduceret & quasi procrearet: quemadmodum in rebus natura constantibus vna res potest aliam sibi similem gignere. Tum quia vt in rebus quædam sunt simplices, quædam ex alijs compositæ; sic in intelligendi modo æquum fuit aliquas esse, quæ intuitu simplici, alias quæ ratiocinando intelligerent. Tum verò vt per eum intelligendi modum res materiales & corporeæ abstractione à phantasmatibus eleuentur ad esse immateriale & immutabile. Qua in re maximus sanè cernitur inferiorum & superiorum nexus: dum inferiora ita abstrahuntur, vt quodammodo eleuentur, atque ad esse rerum superiorum prorsus immaterialium traducantur. Verùm vt aliqua intelligens substantia hunc haberet intelligendi modum, necessarium fuit eam cum humano coniungi corpore. Etenim hæc intelligentia caret suapte natura omni, specie & cognitione; ceu tabula, in qua nihil est scriptum; estque ad omnes potestate. Itaque cognitionem suam mendicare debet ex rebus: non immediate, quoniam eæ materiales nimis sunt & crassæ, sed per sensuum cognitionem; qua res illæ quoquo modo eleuētur à materia & minùs materiales fiant. Sensus autem absque organo corporeo operari nequeunt. Corpori ergò sensili vniri debuit. Et cùm perfectissimi sensus cum hac perfectissima substantia coniungi debuerint; perfectissimo corpori organico vniri eam oportuit. Hoc autem est humanum, quod ad sensiones omnes est quàm aptissimum. Vt perfectissimus & exquisitissimus tactus ostendit, qui ex optima temperatione nascitur: is autem aliorum omnium sensuum fundamentum est. Corpúsque, quod perfectissimum habet tactum, est item ad intelligendum aptissimum: & optimè in tex. 94. scriptum est à Philosopho, eos homines ingenio magis valere, qui carne molliores fuerint: quod in sanguinis tenuitatem, ac puritatem refert in cap. 2. lib. 2. de part. animal. Igitur si humanum corpus aptissimè comparatum est ad omnes animæ operationes obeundas, reliquum est, eam ad hoc potiùs, quàm ad aliud quoduis, propendere, & cum eo potissimum proportionem habere.

Accedit ordo & dispositio perfectissima totius vniuersi; quę in eo præsertim cernitur, vt natura non tanseat ab vno extremo ad aliud sine aliquo medio, quod vtriusque extremi particeps sit. Cùm enim entia materialia & immaterialia in vniuerso sint extrema; materialia oportuit per alias, atque alias formę & materię coniunctiones paulatim eleuari, quousque ad purè immaterialia attingerent. Primę materię coniungitur primùm simplicissima elementi forma; materię ex elementis permistę aduenit misti forma: eum materia pluribus quoque mistorum formis affecta coniungitur animata forma; ac demum cum nobilissima materia hisce mistorum formis constante, tanquam omnium perfectissima, vnitur intelligens anima; inter omnes quidem animas & formas, quę cum materia copulantur, suprema in genere autem intelligentiarum postrema. Vt ita immaterialium postremo cum supremo materialiū copulato summus esset nexus & ordo vniuersi. Cœleste corpus cùm sit simplex & non organicum animę subiectum esse non potuit. Sed aut forma constat inanimata; aut cum ex se sit actu, coniungitur cum intelligentia superiori, vt ab ea motum solum accipiat. Quocirca si ea omnia corpora considerentur, quę animæ subiectum esse potuerunt; nullum est, quòd magis, quàm humanum, illi conueniat.

Semperque meminisse nos oportet eius, quod in textu septuagesimo quarto, lib. secundi, Phy-

Physic. scriptum est. Optimum aut absolutè dici, aut comparatione vniuscuiusque; & in text. 88. necessitatem in rebus natura constatibus non tàm ex materia, quàm ex fine iudicandum esse. Inde namque intelligemus, corpus hoc, quod dicimus, omnium optimum esse, vt ad vsum intelligentis anima opus erat. Sanè necessarium fuit esse corpus crassum, materiale, & terreum; vt consistens esset & firmum. Atid compensauit natura, tum organorum & temperationis perfectione, tum caloris & spiritus abundantia. Tantúmque abest, vt ab hoc corpore illius operatio impediatur, vt iuuetur potiùs: cùm aptissimè sit ad actionem omnem comparatum, multóque magis ab alio quouis impediretur. Quòd si in vna aliqua re ab aliis superetur, in omnibus tamen simul consideratis superat vniuersa. Immò illa ipsa, in quibus superatur, perfectionis illius testimonia sunt. Etenim nutritionis perfectio non in sola alimenti coctione consistit; sed in commutatione in substantiam eius, quod nutritur. Hæc verò in homine exquisitissima est. Accretio quoque. Quoniam maxima constat propositione partium, ac situs differentiarum. Procreatio demum. Tum quia omni tempore viget; tum quia perfectissimus est humanus fœtus. Quam ob causam vix potest natura plures simul ad perfectionem adducere. Quanquam si numerus quoque desideretur, geminos constat vno partu non rarò procreari. Tres, quatuor, & quinque, sæpè fuisse natos, testatur Aristoteles ca. 4. lib. 7. de animal. hist. vt quatuor interdum partibus viginti fuerint editi. Et Aulus Gellius lib. 10. cap. 3. Augusti Cæsaris ancillam refert in agro Laurente quinque pueros vno partu peperisse. Bernæ apud Heluetios anno 1554. quinos item vnus partus edidit, mares tres, & duas fœminas. Septenos visos asserit Albucrasis, & in Ægypto nasci memorat ex Trogo Plinius li. 7. cap. 3. quin etiam Dorotheam quandam duplici partu 20. vno 9. altero 11. peperisse; scribit Io. Franciscus Picus libro 1. Examinis Doct. Gentium cap. 16. duodecim etiam tradit Plinius libro 7. cap. 11. immò & triginta sex memorat Martinus Cromerus lib. 9. Polonicæ historiæ; aliâq. plura his similia legũtur.

Iam quod ad sensus attinet; etsi quædam animalia superent hominem, quod acutissimè sentiant; homo tamen omnia in eo vincit, in quo sensuum perfectio consistit: in differentijs inquam sensilium obiectorum dignoscendis. Denique quod homo sine vestibus & armis nudus & inermis in hanc lucem prodeat duas ob causas factum prodidit S. Gregorius Nyssenus in lib. de hominis opificio cap. 7. Alteram, ne ferus & crudelis esset homo rebus ad exercendam sæuitiam comparatis instructus. Alteram, quia creabatur is à Deo, vt omnibus imperaret ac cæteris omnibus vteretur; ad cursum equo, ad vestitum ouium lanis, aliisque simili modo. At sapienter Philosophus in cap. 10. lib. 4. de part. animal. perfectionem illius in eo agnoscit, quòd manus habeat & rationem, quibus omnia sibi necessaria comparare potest: nec vlli vestium, aut armorum generi à natura fuit adstrictus. Quare in cap. 2. lib. 1. Polit. hominem scripsit habere arma per insitam prudentiam, atque virtutem, quibus plurimùm valet. Sed de his hactenus. Ex iis enim intelligitur, optimam esse, maximéque naturalem intelligentis animæ cum nostro hoc corpore coniunctionem. Itaque cùm

A & animæ definitionem satis explicatam, & illius vim & naturam vniuersam optimè cognitam habeamus: in eorum, quæ deinceps ab Aristotele traduntur, interpretatione progrediendum est.

DE FACVLTATIBVS ANIMÆ in genere.

CAP. III.

TEXTVS.

Τῶν δὲ δυνάμεων τῆς ψυχῆς αἱ λεχθεῖσαι; ταῖς μὲν, οὐ πάρχουσιν ἁπάσαις, καθάπερ εἴπομεν· ταῖς δὲ, πλείοσιν αὐτῶν· οἷοις δὲ μία μονὰ δυνάμεις δὲ εἴπομεν, θρεπτικὸν αἰσθητικὸν, ὀρεκτικὸν, κινητικὸν κατὰ τόπον, διανοητικόν· ὑπάρχει δὲ ταῖς μὲν φυτοῖς τὸ θρεπτικὸν μόνον· ἑτέροις δὲ αὐτὸ τοῦτο καὶ τὸ αἰσθητικόν· εἰ δὲ τὸ αἰσθητικὸν, καὶ τὸ ὀρεκτικόν· ὄρεξις γὰρ ἐπιθυμία καὶ θυμὸς, καὶ βούλησις πᾶν δὲ ζῷον ἅπαξ μίαν ἔχει τὴν αἰσθησιν, τὴν ἁφήν· ᾧ δ' αἴσθησις ὑπάρχει, τούτῳ ἡδονή τε καὶ λύπη καὶ τὸ ἡδὺ τε καὶ λυπηρόν· εἰς δὲ ταῦτα, καὶ ἡ ἐπιθυμία· τὸ γὰρ ἐπιθυμητὸν ὄρεξις ἐστιν αὐτῶν.

Facultatum autem animæ, quæ dictæ sunt, aliis quidem insunt omnes; vt diximus, aliis verò quædam ipsarum, quibusdam verò vna sola. Facultates autem diximus, vegetatiuum, sensitiuum, appetitum, motiuum secundum locum, rationale. Ineſt autem plantis quidem vegetatiuum solum, aliis autem & hoc & sensitiuum. Si autem sensitiuum, & appetitiuum. Appetitus enim concupiscentia, & ira, & voluntas. Animalia autem omnia habent vnum ex sensibus tactum. Cui autem sensus, ineſt, huic & voluptas & dolor, & iucundum & molestum. Quibus autem hæc & concupiscentia. Iucundi enim appetitus est ipsa. Text. 9.

COMMENTARIVS XXVIII.

Dicerem in huius textus cum superioribus cõiunctione omnes consentire, nisi paucos & verò nobiles Interpretes dissentientes viderem. Ægidius enim inter Latinos Philosophum, inquit, post expositam animæ definitionem tum communem, tum propriam, propterea nunc facultates commemorasse, vt appetitum ostenderet vitæ gradum non esse à cæteris distinctum. Atque ex Græcis Simplicius facultates hasce eam ob causam enumeratas ædidit, vt id explicaret, quod in superiori textu affirmauerat; non coniungi quamlibet animam cum quolibet corpore, sed cùm determinato, atque ad eam suscipiendam comparato. Propterea adferri nutrientem solam in plantis inesse, in animalibus sentientem quoque & appetentem, in aliis præter has mouentem & intelligentem: vt scilicet corpora habent magis aut minùs perfecta.

Magis est Aristoteli consentanea interpretatio Themistij, Philoponi, Auerroi, Alberti, & S. Thomæ, qui post expositam animæ essentiam interpretati sunt agi de facultatibus, quæ ab ea essentia deriuantur. Præsertim cùm superiùs quoque earum mentionem fecisset, póstque magis explicandam rem proposuisset in textu 18. & 23. Itaque cùm antea exposuerit esse absolutũ animæ, nunc esse operatiuum aggreditur: antea docuit quomodo anima sit actus essentialis corporis, vt subiecti, deinceps ostendit quomodo eo vtatur vt organo.

Principiò igitur non de singulis facultatibus in specie, sed de vniuersis earum generibus differens: ex iis, quæ antea dicta sunt, eas accipit non omnes in viuentibus omnibus reperiri, sed in quibusdam omnes; vt in homine, quasdã in aliis, vt in bestiis: in quibusdam vnam solùm, hoc est non vt ait

Auerroës, in quibusdã animalibus solum tactum; sed in viuentibus quibusdam vegetantem solam virtutem; nempe in plantis.

Λογιστικὸν quid.

Deinde facultates omnes enumerans reuocat omnes ad quinque genera; Vegetans, sentiens, Appetens Mouens, Intelligens. Quod enim ait, λογιστικὸν, exponi debet intelligens, quemadmodum in interpretatione quoque textus 18. adnotaui. Et hoc loco Interpres Philoponi vertit intellectiuum; & Hermolaus Themistij interpres, rationale. Et quidem optimè. Nam in tex. 29. ipsemet Aristoteles ostẽdet se vsurpare λογιστικὸν pro intellectiuo. Atque hoc loco totam hanc facultatum enumerationem ex iis deducit, quæ de vitæ gradibus antea dicta fuerãt; inter quos intellectiuũ numerauerat.

Facultatum genera.

Quòd si appetitiuum antea non commemoratum nunc addat: aut propterea factum est sententia Philoponi, quòd appetitum antea coniunxisset cum sensu in textu 20. aut eam potiùs ob causam, quòd antea gradus vitæ considerasset, qui in diuersis subiectis reperiuntur: nunc autem facultatum genera persequatur, tanquam principia operandi circa diuersa obiecta. Et ideò appetitum antea prætermissum, quòd nusquam reperiatur à sensu, aut intellectu separatus, nunc adnumerat, quòd proprium habeat obiectum à cæteris facultatibus diuersum, propriámque operationem. Et fortasse in hanc sententiam non inepte consequentia verba interpretabor. Non enim sine causa id repetit, quod iam dixerat, in plantis solam inesse vegetandi vim, in aliis, hoc est in Zoophitis & conchiliis, facultatem item sentiendi. Sed vt statim nos admoneret, vbicunque est sensus, appetitum, quoque inesse. Perinde ac si diceret, has duas facultates, etsi diuersæ inter se sint, quòd diuersa habeant obiecta & discrepantes operationes: tantopere tamen esse connexas, vt in eodem semper subiecto reperiantur. Et ideò etsi diuersa facultatum genera sint, diuersum tamen vitæ gradum non efficere, neque diuersum viuentium genus. Plantarum nutritio appetitu non eget, nec cognitione, quia naturæ suæ conditione non possunt non accipere alimentum, quod illis offertur. Sunt enim infixæ terræ, ex terráque nutriri debent, quodcumque illud sit, quod paratur illis à terra: neque opus est illis discernere inter hoc & illud. Animalia verò saxis affixa discernente indigent sensu: quia non nutriuntur ex saxis, quibus affixa sunt, sed ex extrinsecus adueniente humore. Multò verò magis perfectiora & gustilia, quæ aliunde parare sibi & conquirere alimentum oportet. Tactu autem discernunt, quoniam is primus est, qui in obiecta incurrit, atque omnibus animalibus communis. Quocirca etsi in plantis nutritio sit & indigentia alimenti, quam naturalis quidam sequitur appetitus & inclinatio ad alimentum sumendum consentaneum suæ necessarium; fames tamen & sitis propriè non dicitur, quoniam nulla cognitio adest, famésque & sitis appetitiones cum cognitione sunt.

Appetitus triplex.

Triplex porrò est appetitus. Duplex videlicet, qui comitatur sensum; concupiscens ad fruendum bonum, & irascens ad vlciscendum, seu auertendum malum. Tertius (quem Auerroës legit, voluptas, sed malè, Græcè enim est ἐθελητικὸς, id est, voluntas, partem intelligentem sequitur, rationalísque appetitus vocatur. Omnia igitur, quæ habent sensum, appetitum quoque habent; non eum, qui voluntas, seu rationalis dicitur, quoniam is est hominis proprius, atque intellectum comitatur, non sensum. Neque appetitum vlciscentem; quia hic cùm sit ad vlciscendum institutus, in ijs solis animalibus inest, quæ plures habent sensus, & instrumenta, quibus vlcisci queant. Sed eum solum, qui est concupiscens boni. Hoc autem duplici argumentatione concluditur. Altera est. Animalia omnia sensum habent tactus; hic enim omnium sensuum primus est, sine quo nullus alius esse posset, at quæ tactum habent, habent & voluptatem & dolorem, voluptatem iucundi & vtilis, dolorem molesti & noxij. Propterea adeuntibus iucundis dilatantur, quasi in eorum complexum, & tristibus obuiis contrahuntur & refugiunt. Quæ autem voluptatem sentiunt & dolorem, in illis inest etiam appetitus & concupiscentia iucundi & boni. Omnia igitur, quæ sensu viuunt, appetitum quoque habent. Quocirca quod antea viuentia dixerat in textu 20. In quibus est sensus, appetitum quoque inesse: hoc loco exposuit de solo concupiscente boni appetitu intelligẽdum esse, quod & eo ipso loco satis significauerat. Atque in quibus est solus sensus tactus omnium infimus & abiectissimus, in iis est etiam sola concupiscentia & titillatio quædam, quæ in genere appetitus postrema est & imperfectissima. Itaq. appetitus genus, concupiscentia, ira, & voluntas, species sunt. Voluntas præstantissima, concupiscentia infima, ira media. Voluntas solius hominis intelligentis; concupiscentia vel imperfectissimorum animalium, ira perfectiorum.

Quomodo tactus alimenti sensus.

Quare Platonici, qui appetitum in iecore posuerunt, non ὄρεξιν sed ἐπιθυμίας, non appetitum vniuersum, sed concupiscentiam, posuerunt. Neque Aristoteles appetitum quemuis dixit consentaneum sensum, sed ἐπιθυμίας. Quoniam hæc eius est, quod sensui iucundum est: non boni, aut vindictæ victoriæve. Eandem in plantis esse voluerunt, qua & alimentum sumerent & appeterent, ac pretio oblectarentur. Eademque omnino facultate & nutriri viuentia omnia, & nutrimenti sensum habere. Verùm vt sensus expertes sunt plantæ, ita concupiscentiæ, quæ sensum sequitur: solaque vtuntur naturali appetentia & instinctu ad alimentum, quo sustẽtentur. Sicut & materia appetit formam, qua perficiatur, etsi sensus omnis & vita sit expers.

TEXTVS.

Ἐπὶ δὲ τῆς ἁφῆς αἰσθησιν ἔχουσι τὰ ἐφ' ἑαυτῶν ἔχοντα τὴν τροφὴν ἐκ τῶν ἐναντίων, οἷον ὑγροῦ καὶ ξηροῦ καὶ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, τούτων δὲ τὴν ἁφὴν αἰσθησιν· διὸ τὰ μὲν ἄλλα αἰσθήσεως οὐδὲν ἔχοντα οὐδὲν ἔχει τῶν ζῴων συμβεβηκός· ἐν οἷς δὲ ἡ τροφὴ ὑγρὸν καὶ ξηρόν, ἐν τούτοις ἀνάγκη καὶ τὴν γεῦσιν εἶναι· ἐν οἷς δὲ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν ἐν τούτοις· ἐν οἷς δὲ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρὸν, καὶ τὸ ὀρεκτικὸν ἐν τούτοις· ἐν οἷς δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν, καὶ τὸ ὀρεκτικὸν ἐν τούτοις· ἐν οἷς δὲ τὸ ὀρεκτικὸν, καὶ τὸ ἐπιθυμητ

COMMENTARIVS XXIX.

Altera ratio, qua eadem conclusio (omnia quæ habent sensum, appetitum item habere) probari potest, nunc adfertur. Tametsi, Auerroës iudicauerit eam in superiori textu; fuisse inductione probatam nunc ratione confirmari.

Ratio porrò ita deducitur. Animalia omnia sensum habent alimenti: sed omnis sensus alimenti est cum appetitu conjunctus: igitur animalia, omnia, quæ sensum habet, habent quoque appetitum. Propositionem eo argumento ostendit esse veram, quod animalia omnia tactus habent sensum, tactusq; sit alimenti sensus. Etenim alimentum omne in quadam temperatione consistit sicci & humidi, calidi, & frigidi: nimirum quoniam vt est in textu 50. posterioris libri de ortu & interitu, ijsdem nutrimur, quibus constamus. Et rursum nutritione oportet consumptam substantiam restaurari. Quare vt elementis & earum qualitatibus temperatis constamus; sicco inquam & humido, calido, & frigido: sic illis quoque temperatis nutrimur & subita ntari necesse est. (Siccis enim dixit & humidis, calidis & frigidis; non siccitate & humore, calore & frigore; quia non qualitatibus nutrimur, sed substantia qualitatibus illis prædita.) Atqui siccũ & humidũ, calidũ & frigidũ qualitates tactiles, corporáq; illis affecta tactilia sunt, atque sensu tactus percipiuntur: alimentum igitur omne est corpus tactile, tactusque alimenti sensus.

Quomodo tactus alimenti sensus.

Quod nequaquam intelligendum est de tactu, vt tactus est, sed quatenus gustatum quoque comprehendit. Quomodo etiam in superioribus, dum textus 20. interpretationem facerem, Aristotelem cum Simplicio adnotaui nomine tactus gustatum quoque comprehendisse: cum tactum dixit in quibusdam animalibus solitarium & absque alijs sensibus esse posse. Hoc enim intellectu nunc tactum puto dici alimenti sensum: non quatenus tactus est, sed quatenus gustatus est quidam tactus, & gustatile est tactile, vt in textu 94. & 101. affirmabitur. Semper enim gustatus adiunctũ habet tactũ: quia non gustatur alimentum nisi tãgatur, primisque illis qualitatibus afficiatur, quæ ad tactum pertinent: & præsertim humore.

Perobscura autem videntur illa verba (aliorum autem sensilium ex accidente) quæ Philoponus non de tactu, sed de alio sensu intelligi voluit. Immò de appetitu. Vt is dicatur perse esse calidi & frigidi, humidi & sicci: ex accidenti autem colorati, sonori & odorati quatenus ex illarum principium qualitatum temperatione constat. Auerroës tactum intellexit esse perse alimenti sensum: ex accidenti reliquos sensus, qui cætera sensilia obiecta comprehendunt. Sanctus Thomas, dum ea verba in auferendi casu legit (alijs autem sensilibus) ita interpretatus est, vt siccis & humidis, calidis & frigidis per se nutriantur viuentia, alijs autem sensilibus non nisi ex accidenti. Vel si gignendi casum, quo vsus est, Philosophus, tetinere velis, nutrimentum inquiet per se esse qualitatum illarum tactilium, ex accidenti aliorum sensilium, quatenus cõtingit tactilia corpora esse item odorata: colorata, sonora. Duas alias interpretationes adfert Simplicius. Alteram fuisse Alexandri, testatur Philoponus: tactum perse qualitatum esse illarum tactilium, ex accidenti aliorum quoque sensilium, colorum, aut sonorum, quatenus hæc cum primis illis qualitatibus coniuncta sunt. Alteram magis probat Simplicius: tactum ex accidenti sentire nutrimentum, quatenus adiuncta habet aliorum sensuum obiecta: per se enim percipit quatenus calidum, frigidum, humidum, siccum, ex accidenti autem quatenus coloratum, sonorum, aut odoratũ, sic enim ad alios sensus pertinet, aspectũ, auditum, odoratum. Namque ad nutrimentum nihil confert color, aut sonus, aut odor: cum nutritio omnis fiat ex alimento, quatenus ex calido constat frigido, humido, & sicco permistis & temperatis. Quod si sapor ad alimentum pertinere videatur: propterea pertinet, quia est vnum quoddam tactile. Spectat enim ad gustatum, qui tactus quidam est, & cum tactu semper coniunctus.

Quæ hactenus dicta sunt, propositionem illam confirmarunt, qua Philosophus, vt ostenderet omnia, quæ sensum habent, appetitum quoque habere animalia omnia acceperat alimenti sensum habere. Assumptio autem erat: omnem alimenti sensum esse cum appetitu coniunctum. Eam ita confirmat. Omnia, quæ alimenti sensum habent, famescunt & sitiunt: atque, adquærendum alimentum, atque adeò sumendum stimulantur, sed fames & sitis appetitiones quædam sunt, fames calidi & sicci: sitis frigidi & humidi; quibus id restauretur, quod in nostra substantia, quæ ex illis constabat, fuit consumptum. Omnis igitur alimenti sensus est cum appetitu coniunctus. Ex his duabus propositionibus expositis manifestum est, animalia omnia, quę sensũ habẽt, habere & appetitum.

Sapor vt ad alimentum pertinet.

Sed quoniam in alimento maximè videtur cõsiderari sapor, famesque & sitis non tam videtur esse appetitiones calidi & sicci, frigidi & humidi: quàm sapidi: idcircò quasi tacitæ occurrens obiectioni, addit postremò; saporem non tam esse alimentum quàm velut alimenti condimentum, vt animalia delectatione allecta libenter & sine molestia ad alimentum suæ naturæ sustentandæ necessarium accederent. Quare appetitus ex accidenti saporum est, quatenus tactilibus illis, quibus primò nutrimur, accidunt velut illorum condimenta. Ex accidenti autem dixi; hoc est secundaria intentione. Alioqui sapores perse ad alimentũ, spectare perspicuum est. Quoniam proprium sunt gustatus obiectum, qui circa alimentum versatur, nempe vt tactus quidam, circa tactilia, vt autem gustatus, circa sapores. Et ideo in lib. de sensu & sensili odores quidam dicuntur per se suaues esse, qui alimentis, saporibusque, suauibus non iunguntur: alios non per se, qui illis iunguntur. Et sapores quosdam gratos addit morbosos esse, quòd qualitatibus temperati non sint. Quocirca ex hoc loco cùm tactum dixisset per se esse tactilium, ex accidenti aliorum sensilium, quoniam ad alimentum nihil conferunt, solum nominauit colorem & odorem, saporem non item. Immò saporem adiecit esse vnum tactilium: & ideò per se ad tactum pertinere non vt tactus, sed vt gustatus est quidam tactus: & ideò sapor tactile quoddam. Et tactilium quidem sensus est quasi alimentorum; gustatilium autem seu saporum, quasi condimentorum.

Digressio XI. De fame & siti.

De fame & siti quid Plato.

Verùm dum ita dictum est, de fame & siti loquutus est Aristoteles; duo videtur Platonis loca coniunxisse. Apud quem in Philebo Socrates ad hunc modum ratiocinatur: famere & sitire nil aliud significare videntur, quàm exhaustum esse:

at quod exhaustum est & vacuum, repleri appetit. Fames igitur & sitis appetitus quidam sunt & concupiscentiæ. Ac rursum in Hipparcho quærens, cur cibum omnē, siue bonū, siue malum, cibum tamen vocemus: & potum similiter, siue bonum, siue malum: respondet, quoniā vterq. cibus sicca est corpori esca, & potus vterque humidū corpori alimētum. Quæ duo si coniungantur, habebimus planè id, quod dixit Aristoteles; Famem esse appetitum calidi & sicci, hoc est esculenti & cibi: sitim appetitum frigidi & humidi, hoc est poculenti & roridi. Quocirca sensiones etiam quædam sunt: siquidem concupiscētia & appetitio quæuis sensum & cognitionem sequitur. Sunt autem sensiones tristes, altera in ventre: altera in ore potiùs & gutture, etenim exinanitio & defectus molestiam & dolorem adfert. Hæ namque sunt partes organicæ huic operi dēstinatæ. In reliquo corpore etsi deficiat alimētum & inanitæ sint partes, fames tamen & sitis nō dicitur, sed naturalis appetitus repletionis, qualis est in plantis. Tristis igitur illius sensionis, quæ in ventre est & gutture, proximam causam inuestigare oportet. Cùm igitur triplex in ventre humidum consideretur: chylosum vnum, quod ex alimento exprimitur, alterum roridum, quod ex potu accipitur: tertium innatum & in ventris substantia insitum, in quo ipsius vita consistit. Fuerunt nō pauci, qui famē formaliter quidem dicerent alimenti appetitum esse, at materialiter sensionem tristem in vētre & non in alijs partibus excitatam significare. Tum quòd is membrum est, quod cæteris membris famulatur. Tum quòd si tristis hæc sensio in vniuerso corpore fieret, grauis nimium esset, atque animalis functiones impediret. Ortam autem ex defectu & consumptione humidi illi membro insiti. Quippe natiuus calor deficiente alimento conuertit se se ad ventrem, absumendóque proprium & natiuum illius humidum sensionem excitat tristem, quam appellamus famem.

Fames & sitis sensiones tristes.

Famis causa.

1. opinio.

Tho. de Garbo in summa. q. 46.

A

B

C

D

Confutatio.

At si fames formaliter esset alimentaris humidi appetitus, vt ipsi fatentur, non innati, quilibet videre potest, eam non huius, sed illius potiùs defectu excitari. Ex illius enim defectu nascitur, cuius præsentia cessat. Cessat autem solo alimento præsente, quamuis ex eo nondum sit innatum humidum restauratum. Neque verò minùs, imo magis esset fames in aliis partibus, quā in ventre: cùm in illis aut perinde, aut etiā magis innatus humor absumatur. Cumque maiori sentiendi vi præditæ sint, acriùs resolutionem hanc persentirēt. Verùm quid quæso fuerit causæ, cur acetosa & punica, quæq. excitent appetitum? Quid de fame, quam vulgò caninam vocitant? Cùm tamen plurimū sit in vniuerso corpore innati humoris.

E

2. opinio.

Galenus igitur in primo lib. de sympt. causis cap. 7. & Turisanus 2. lib. Artis paruæ com. 70. & ex Medicis alij, hanc difficultatem ita exposuerunt, vt quinque distinguerent motus ad excitandam in animali famē concurrentes. Exinanitionē omniū partium à calore profectam humidum depascente: attractionē earum subsidium ex propinquis partibus quærentium: attractionē venarum à iecore, iecoris à venis mesaraicis, & harum à ventre. Vnde quartus oritur motus sensionis tristis in ventre, dū propter hanc attractionem in eius orificio contrahuntur rugæ, quæ sese vicissim fricant; ac demum intus subsequitur motus appetitio eliciat alimēi, quo tristis illa sensio sedetur.

Cæterùm vrget adhuc canina fames absq. attractione aut exinanitione; cùm satis multum sanguinis cōtineatur in venis. Vrgent acetosa & Punica. Cur enim hæc excitant appetitum? Cur fames non est in toto corpore, si in toto est exinanitio, & attractio; non in solo ventre? Sed & tactus ille & partium ventriculi confricatio nullam potest sensionem tristem adferre. Est enim tactus similium, quo simile potiùs delectatur. Ingesto etiam in ventrem cibo cessāt illicò fames; quo tempore nondum cessāt succus & attractio, cùm nondum adsit chylus, aut sanguis. Præsēque natura corporibus animaliū prouidisset, si non priùs stimulum famis adhibuisset, quàm partes omnes essent exinanitæ, omniq. alimenti subsidio destitutæ. Satis fuisset opportuno tempore prouidere, vt paratum semper alimentum adesset, quod omnib. subinde partibus suppiditari posset.

Igitur fuerunt alij, inter quos Gentilis in prompt. tractatu, quem de hac re edidit, qui duplicem appetitum distinguerēt. Alterum naturalem proprij alimenti, hoc est sanguinis, quem venter recore trahit, vt inde sustentetur. Alterum, qui conuenit illi, vt est quasi officina communis omnibus reliquis membris necessarium pabulum subministrans. Priorem enim appetitum non facere istius sensionem iudicarunt. Quoniam attractio illa fit insim, & est cuilibet membro naturalis & insita. Sed posteriorē, qui est appetitus chylosi humidi, quod & præsens oblectat ventrem, & absens sensionem tristis est causa: siue propter humoris frigidi, aut melācholiæ aspersionem, vnde appetitio humoris calidi & sicci oriatur: siue propterea quòd calor non occupatus circa chylosum humidum satis agat in ventrem.

In quorum hominum oratione duplicem illum inventre appetitū probare satis non possum. quod probabilius existimem, membrum illud non sanguine attracto à iecore, sed chylo potiùs nutriri & refici. Quocirca vnicus hic in eo erit appetitus chyli, chylosíve humidi, quo & ipsum abundē beneficiatur, & cæteris post partibus subueniat.

Fateor igitur, immo & contendo, famē formaliter esse appetitum chylosi humidi. Oriturenim ex penuriæ sensu, quo animalia ad cibū & potionem proritata in tempore expleantur. Sed aio, non esse appetitum purè naturalem, aut elicitum. Sed partim naturalem; tum quia etiā sine cognitione, aut cogitatione excitatur: tum quia in perfecto & naturali statu animalia tuetur. Partim elicitum, quia cùm in nobis deficiente alimento sensionem illā animaduertimus, appetitionis alimēti actum elicimus. Itaque huius appetitus causa est tristis sensio. Sed hæc nequaquam ex frigidi humoris aspersione nascitur. Tum quia quę maximè frigidam temperaturam habent, acutissimis famis stimulis vrgentur: cùm tamen calida & cholerica multò minùs esurient: cùm tamen calida & cholerica multò minùs esurient: gis famescant. Tum quia deuorato pipere, aliisve re calida cessaret fames: potiùs verò incitatur. Tū demum quia non videtur alius humor frigidus aspergi posse, quàm aut pituita, aut melancholia. At cōstat, minimè ab iis stimulos famis sentiri, qui sunt flegmatici: & nos ipsos tunc non famere, cùm abundat in ventre pituita. Melancholiā non negabo cōferre aliquid ad hunc appetitum excitandum. At non quia sit humor frigidus, neque per se. Non enim

enim sapienter videretur natura humorem maximè noxium euocare in ventrem. Et quo esset copiosior, eò magis excitaret: cùm tamen sit certum, homines magis melancholicos non esse magis famelicos. Verùm quia est acris & acida, pungitque ventrem, & ad cibum incitat, quo tristis sensio leniatur. Nimia tamen si fuerit, prauum inducet in ventrem habitum: crassóque, terreo, ac fæculéto replet succo, quo appetitus minuitur.

Tristis igitur ea sensio ex actione naturalis caloris in ventrem nascitur, si alimentum desit. Hac enim actione astringitur & siccatur, tum venter totus, tum eius maximè orificium. Nam in fundo venę sunt continentes sanguinem, qui natiui caloris potest adhuc pabulum esse. Neque hęc vētris siccatio absumpto sit innato & primigenio humore (hoc enim continenter consumitur, nec tamen semper famescimus) sed consumptione humidi crassi, alimentarij, & chylosi, quo exteriùs liniebatur, & verò etiam reficiebatur venter. quæ omnia pulchrè complexus est Auerroës in 2. Colliget cap. 13. cùm famem scripsit sensum esse resolutionis humidi crassi in ventriculo. Atque hæc quidem naturalis famis est causa. Præter naturam autem (vt ea quę canina dicitur) oriri potest ex multa cholera per ventrem sparsa, siccantéq. & astringente illius orificium. Aut ex immoderato calore inflammante & siccante. Quam ob causam acetosa acuunt appetentiam.

Sitis quæ causa.

Ex his verò facilè est causam quoq. sitis cognoscere. De qua Auerroës eodem in loco pronuntiauit, sitim sensum esse resolutionis substantię frigidę & humidę. His enim verbis continetur causa eius, quod apud Philosophū legimus, sitim appetitum esse frigidi & humidi: quippe id appetitur, quod consumptum fuit & resolutum, vt Plato loquebatur. Philoponus etiam ita ratiocinatur. Sitis à calido siccóq. fit: at contrariorū contraria sunt remedia, potum igitur necesse est frigidum esse & humidū, sitimq. frigidi & humidi appetitū. quare cùm duplex sit humidum, vnum crassum, solidū, & corpulentū, alterum tenue, & roridum: prioris defectu excitatur fames, quę illius appetitus est.

Tenet vt appetenti calidi & frigidi.

Quòd si appetitus sicci dicatur, non ideo dicitur, quòd cibum oporteat hac qualitate abundare (vita namque humido conseruatur, famésq. est appetitus ad conseruandam vitam institutus) sed quòd debeat esse solidus, crassus, & consistens, hæcq. admista siccitate proueniant. Dicitur etiam appetitus calidi, cùm tamen alimenta complura sint temperata, cáque præcipuè appetantur. Sed formaliter aut certè virtute. Tum quia venter calidus simile sibi quærit. Tum quia calor alimenti calorē interiorē adcoquendum iuuat: immò & fouet, si præ nimia fame euanescat interdū & reuoluatur. Dicitur etiam fames calidi & sicci appetitus, quia cùm animalia calidis & frigidis, humidis & siccis nutriantur: si potus est frigidus & humidus, cibo supersunt calidū & siccum: vt ita restaurētur omnia, quibus animalia constant. Defectu autem posterioris humidi tenuis ac roridi, quo aspergitur corpus, ne siccetur, oritur sitis. Et ideò sitis est appetitus illius, & frigidi & humidi appetitus definitur. Quoniā humidū illud requiritur adhumectandum & tēperandū feruorē sanguinis circa vētrem.

Sitis vbi.

Quanquā non in ventre modo, sed in œsophago quoq. & ore est sitis, quoniā in his omnibus locis tenuis hic & roridus humor esse debet. Fitq. sitis ex illius resolutione à natiuo calore inflammante & siccante ventris orificiū. Præter naturam tamen ex aliis causis. Siue ex nimio frigore, quod per antiperistasim natiuum calorē acuat & inflāmet. Siue ex immoderato calore cordis, orificiū ventris inflammante. Siue ex abscessu natiui caloris, quo abeunte partes destituuntur humore, siue ex aliis similibus causis.

Quimagis sitiant.

Quare iam intelligitur, cur timentes, & adituri tormēta sitiant, de quibus Aristoteles Problemate 2. sect. 27. & qui laborant epiala, morbo nimirum frigido, ac demum hydropici, qui tamen humidi roridi plurimū habent. In timentib. enim calor & sanguis exteriores deserunt partes, atq; ad interiores sese recipiunt, magisq. propterea inflāmantur interiùs, siccantur, & sitiunt. Epiala per antiperistasim auget calorē ventris naturalē: ita maior inflāmatio & consumptio humoris roridi. Hydropicis roridus humor est in imo ventre, & per antiperistasim orificium inflāmat. Ægrè etiā respirant, minúsq. refrigerantur. Aues parum sitiunt, quoniā pulmones valdè laxos cùm habeant, refrigerantur plurimùm, impeditúrq. inflammatio & feruor in orificio vētris. Pueri famescunt magis, quā sitiant. Habēt enim plus humidi roridi, quàm solidi, sicut & fœminæ. Iuuenes plus sitiunt, quàm pueri, quod tantus humor roridus siccatus sit. Senes largiùs bibunt, quàm iuuenes; at non magis sitiūt. Nam imbecillus calor non multum inflāmat, imo externo humore humectante abundāt. Quoniā tamen experti sunt vinum citò nutrire, seq. ob caloris imbecillitatem ægriùs & tardiùs solido cibo nutriri, appetitum potus contraxerunt, non vt est potus, sed vt alimentū. Deniq. bibentib. merū, præsertim generosum, vix tēperatur sitis. Quoniā generosum vinum nō refrigerat, sed magis inflāmat, caloriſq. feruorē in orificio ventris auget: & cùm sit proximè ad inflammationē dispositū, appositō igne statim ebullit. Præsertim si per mare aduectum sit. Quoniā vapores contraxit maris proprietatē, quę est salsedo, & ideò magis inflammat, & sitim prouocat. Optimus ad extinguendā sitim, & accommodatissimus potus est aqua.

Senes vinū bibacēs.

TEXTVS.

Διακαθαιρτέον δὲ περὶ αὐτῶν ὕστερον. νῦν δὲ τὰ περὶ τοῦ ποιεῖσθαι διαγνώσεως ἐπὶ τῶν ζώων τοῖς ἔχουσιν αἴσθησιν ὑπάρχει. περὶ δὲ φαντασίας, ἄδηλον. ὕστερον δὲ διακεκριμένον. ἐνίοις δὲ καὶ τούτοις ὑπάρχει καὶ τὸ νοητικὸν ἢ τοιοῦτον, οἷον ἀνθρώποις, καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἕτερον, ἢ κρεῖττον.

Text. 2

Exactius autem manifestandum de his posteriùs. Hunc autem hactenus definitum sit, quòd animalibus habentibus tactum & appetitus inest. De phantasia autem inmanifestum, posteriùs autem considerandum. Quibusdam autem præter hæc inest & secundum locum mouens: aliis autem rationale & mens; vt hominibus, & si quid aliud huiusmodi est, aut etiam honorabilius.

COMMENTARIVS XXX.

PRima huius orationis verba Simplicius refert ad sapores proximis verbis commemoratos, de quibus post accuratè magis, præsertim in libro de sensu & sensili dicendū sit: Malo ad totū superiorem sermonē referre. Enumeratis enim quinque facultatum generibus, duo ex illis ostendit semper esse ita coniuncta, vt vbi est sensus, sit item aliquis

appetitus, saltem is, qui est concupiscentia boni. Propterea nunc concludit, de his hoc loco satis fuisse dictum, pluribus autem post dicendum esse, cùm de singulis facultatibus, propriisque earũ obiectis tractabitur. Interim sat sit cognoscere, quibuscũq. animalib. ineſt tactus, inesse & appetitum.

Phãtasia in quib. An verò insit quoque phantasia, quemadmodum in textu 20. dictum est; non satis manifestum est. Tum quia spongiæ quidem, inquit Philoponus, triste & iucundum sentiunt: quas tamen phantasiam habere nullus meritò crediderit. Siquidem ea sensibus melior est, nec illæ alium sensum habẽt præter tactum. Tum quia, vt habet Simplicius, etsi in omnibus imperfecta quædam sit phantasia, quæ circa obiecta præsentia versatur, & ea nobis assuescere facit, dum cum delectatione sentiuntur: non est tamen perfecta illa, quæ absentia quoque obiecta percipit, & vim quandam habet memoriæ, propriúmq. in capite organum: neque prior illa imperfecta & proprio carens organo, phantasia dici posse videtur. Sed hoc postea considerandum erit. Nunc absoluenda est inchoata distributio facultatum antea enumeratarum. Et cùm in quibusdam dictum sit solam esse vegetantem, in aliis sentientem item & appetentem, addendum est, in aliis præter has eam reperiri, quę de loco ad locum mouet: quemadmodum in illis omnibus apparet, quæ progrediuntur, aut reptant, aut serpunt, aut natant. In aliis demum vim quoque ratiocinandi & intelligendi, vt in homine.

διανοητικὸν quid. Quod autem nominat διανοητικὸν & νοῦν, vtrumq. hanc vocem ostendit rem eandem significare. Et quod antea διανοητικὸν sæpe nominauit, hoc loco interpretatur significare intelligens. Ita exponunt Themistius & Philoponus: aut si quid differũt, in hoc solũ differunt, quòd διανοητικὸν intellectum potestate & ideò ratiocinatione vtentẽ, τοῦ intellectũ actu, aut habitu, & ideò contemplãtem significet. Alioqui plura essent facultatum genera, quàm ea quinque, quæ superiùs proposuit.

Cæterùm cùm ait, vim hanc ratiocinandi & intelligendi ineſſe in homine, aut si quid est aliud huiusmodi, aut homine diuinius: priorẽ partem Simplicius refert ad animã nostrã ab hoc corpore crasso separatam; alióq. tenuissimo vtentem: posteriorem ad dæmonas, qui in hoc corpus migrarent, atque ad cœlestia corpora, si ea sint animalia, vt asserebant Platonici. Sic enim præter intellectũ inferiorib. quoq. facultatib. vterentur. Sanctus item Tho. & Ægidius ad cœlestia corpora & intelligentias separatas, in quibus est intellectus, etsi inferiores facultates non adsint. Quę interpretatio minùs est Aristoteli consentanea. Tum quia cùm hoc loco nõ solùm enumerare voluerit, sed etiam ordinare & disponere facultates animæ in viuentibus, vt inferiores sine superiorib. esse possent, superiores non item sine inferiorib. nequeunt postremis illis verbis eæ naturæ intelligi, in quib. sine aliis facultatib. solus viget intellectus. Tum quia si ita esset, ea verba non pronuntiasset dubitando, an huiusmodi essent naturæ, aut homini similes, aut eo meliores. Sed quẽadmodum ait Themistius, de solis animalibus dubitando loquutus est, an aliæ quoq. essent animalium naturæ præter hominẽ, in quib. vnà cum intellectu vires & potestates cæteræ coniunctæ essent, vt ab aliis, præsertim Platonicis, ponebantur. Maximè verò cùm hominem videret esse speciem atomam, reliquas autem animas & facultates in plurimis viuentium specieb. reperiri.

Meliùs igitur Philoponus omnia refert ad dæmonas quosdã, qui eiusdẽ ferè cum anima nostra naturæ sint. Platonici namque, vt continuus vbique rerum ordo seruetur, neque ab extremo ad extremum sine medio traducatur natura: inter diuinam naturam & humanã animam, quarũ illa cœlestem, hæc terrenam regionem habitat, mediam esse voluerunt naturam dæmonicam, quæ mediam inter cœlum & terram regionẽ teneat. Nam & eandem ob causam animas nostras à cœlesti vita ad actum priùs, tum ad terreum hoc corpus descendere prodiderunt: & dæmonas intellectili materia constare dixit Plotinus in lib. de Amore cap. 6. per illam in hanc quoq. corporum materiam veniant. Animam mundi & octo cœlestium orbium, ac syderum, quatuórque Elementarium sphærarum animas, Deos; animalia, quæ ætheream, aëreámque regionem habitent, Dæmonas; quæ terram incolant rationalia, homines appellarunt. Sanè ita loquitur in Conuiuio Plato. Omnis natura dæmonum inter mortales, Deósque est media, interpretatur & traijcit humana ad Deos, diuinaque homines. Hominum quidem preces & sacrificia, illorum præcepta, sacrósq. solemnes, institutos & ordinem. In amborum medio constituta totum complet, vtvni versum se cũ ipso tali vinculo connectatur. Per hanc vaticinium omne procedit, sacerdotúmq. diligẽtia circa sactificia, expiationes, & incantationes, & diuinationem omnem, atque magicam. Deus quidem homini non miscetur, sed per id medium commercium omne atque colloquium inter Deos, hominésq. conficitur, & vigilantib. nobis & dormientib. Nam perinde, inquit Tyrius ser. 26. atq; inter Græcos & Barbaros, inter quos est magna vocis ac linguæ differentia, interpretes sunt, qui alterationum voces suscipiunt & significationẽmq. vicissim deferẽdo, diuersitatem illam conciliant commertiáq. inuicem inducunt. Ita intelligi propter dæmonum genus cum Dijs cúmq. hominib. versari. Et rursum in Cratylo quatuor omnino separat Plato naturarũ genera. Dei, Dæmonas, Heroas, Homines. Dij κατὰ δύναμιν dicti sunt, quòd Græcorum prisci Solem, Lunam, Stellas, Cœlum, quæ in perpetuo cursu versari consuebant. Deos esse putarent. Dæmones quasi sapientes, quòd ex aureo, hoc est sapienti hominum genere post præsentis vitę facta existant. Dæmones, inquit, sancti, terrestres, optimi, malorum expultores, & custodes hominũ. Heroës κατὰ τὸ ἔρωτας. Adamasse, quòd homines quidem essent, sed ex Deorum ergà humanas mulieres, aut hominum ergà Deas amore progeniti. Homo demum ἄνθρωπος, quasi ἀνὰ ὄπωπε contẽplãs ea, quę ὄπωπε, vidit; cum animalia cætera, quæ vident, non considerent, nec contemplentur. Quam ob causam in 4. lib. de Legib. his primum, deinde dæmonibus, tum Heroibus, sacrificandum posuit; ac demum ex hominum genere parentum cultum debitum persoluendum.

Dæmonum porrò non vnum est genus: sed alij aliis perfectiores. Quidam maximè intelligentes, alij rationales potiùs & ad humanam conditionem accedentes; alij demum mediæ inter hos naturæ. Supremi diuini, medij animales, infimi materiæ propinqui: quos eiusdem ferè cum hominibus conditionis appellat Philoponus, de quibus illis Philosophi verba interpretantur. Quin etiam Orpheum repetio quinque rationalium animalium

lium genera posuisse. Primum eorum, quorum corpora solus ignis. Hæc si aspectabilia, stellæ; si inaspectabilia, dæmones. Alterum, quorum corpora ignis & aër optimè permistus: Hi ætherei dæmones, aut aërei. Tertium, in quibus aër & ignis cum tenui quadam aqua: Hi dæmones aquei. Quartum, in quibus tenuis etiam terra, quasi terræ halitus: Inde terreni dæmones, aut etiam subterranei, si terræ cauernas subeant. Qui densati interdum attrectari possint. Et vt ait Plellus pulsati doleant, ignéque comburantur & cinerem quoque relinquãt: nutrient, excrementa seménq; & genitalia habeant membra. Postremum hominum, quasi infimorum dæmonum, in quibus solidorum quoque permistio. Quò sublimiora, puriora, & simpliciora corpora, eò diutiùs retinentur. Hominum genus caduca corpora breui mutat tempore. Terreni dæmones & aquei longæui sunt; non tamen indissolubiles. Cœlestes & ætherei sempiterni. Illi perturbationibus non secus ac homines obnoxij. Hi propter naturæ simplicitatem, lociq. puritatem, perturbationum expertes. Itaque quod Plotinus Platonem in Epinomide sequutus hoc Deos à dæmonibus discreuit, quòd Dij à passionibus liberi sint, dæmones nequaquam: Non de vniuerso genere, sed de parte accipias. Sicut & illud, Deos immortales & impatibiles esse, homines mortales & patibiles, dæmonas immortales, sed patibiles; ita oportet accipere, vt patibiles dæmones immortales dicantur, non absolutè, sed hominum comparatione, quorum animæ frequentiùs corpora mutant. Alioqui quod patitur, dissoluatur aliquando necesse est. Iamblichus tamen in lib. de mysteriis, tum dæmonas, tum heroas impatibiles esse probauit, quòd Deum in mundi ordine conseruãdo semper comitentur: vbi autem est passio, perpetuus ordo non seruatur. Iam quibus nil effluit, nutrimento non est opus. Ideò prima duo animalium genera eo non indigent: sed cantibus, figuris, & luminibus delectantur, nobisq. conciliantur. Indigent reliqua. Sed vbi nil terreum, satis odores aromatum ac florum sunt. Postremi generis dæmones crassioribus sanguinis & carnium odoribus indigent. Porphyrius hoc putauit induxisse nos ad animalium carnes vorandas, vt inde congruens sibi alimentum haurirent. Quare homines ventri deditos vasa esse dixit dæmonum immundorum. Aquei dæmones vegetanti & sentienti vbiq. naturæ fauent: aërei rationali potiùs facultati: ignei ad sublimiora contemplanda rationem conuertunt. Ita voluptuosæ aquei, actiuæ aërei, contemplatiuæ ignei vitæ præsunt. Animas in corpora descendentes deducunt aërei, reducunt ignei sublimiores. Rursum tot sunt dæmonum ordines, quot Stellarum. Alij Saturnij nominantur, alij Iouiales, Martiales alij, Solares, Venerei, Mercuriales, Lunares. Omnes aut in igne degunt, aut in aëre puro, aut in aëre crasso & nebuloso propè terram. Et cùm septem præcipua à Deo in homines distribui numina crederent Platonici; contẽplationis acumẽ per Saturnum, Saturnióq. gubernãdi potestatẽ per Iouẽ ac Iouiales, magnitudinẽ animi per Martẽ & Martiales; sensũ claritatẽ per Solem ac Solares, amoris ardorẽ per Venerem, venereóq. interpretandi facultatẽ per Mercurium & Mercuriales; gignendi demum virtutem per Lunã & Lunares dæmones: Per secundos, inquam, ac mundanos deos, ac dæmonas tãquam Deorum

Septem à Deo in homines Numina.

ministros & ad nos deriuati & in nobis cõfirmari; dæmonásq; esse verè inferioris mundi gubernatores voluerunt. Inde triplex prouidẽtia. Vniuersalis in Deo, quę prospicit omnibus: minùs vniuersalis in secundis Diis, quæ omnibus quidem consulit, non tamen omnia, sed quædam largitur munera: particularis deniq. in dæmonib. quę singulis particularia quædam adfert, ergò vt ad Aristotelem reuertamur, quod dixit (aut si quid est aliud huiusmodi, aut homine melius) heroas & dæmonas à Platone & aliis nominatos significasse videtur; Heroas, inquam, ex hominum genere, quos rationalem animã liquido & puro corpori adiunctam Pythagoricus quoque Hierocles definiuit, & dæmonas hominibus meliores.

Prouidẽtia triplex.

Disgressio XII. *De Dæmonibus.*

Quos scriptores Ecclesiastici Angelos, & Peripatetici separatas substantias, aut intelligentias, Platonici dæmonas appellarunt. Nam etsi corpus illos habere voluerint, plerique tamen veteres quoque Ecclesiæ Patres (quos non est huius loci commemorare) Angelos omnes constat fecisse corporeos: spiritúsq. appellatos dixisse, non quod corporis expertes sint, sed quòd tenuissimo corpore, quod oculorum nostrorum aciem effugiat, præditi sint. quemadmodũ aër etiam ipse, qui sanè corpus est, sæpè in sacris litteris spiritus appellatur.

De Socratis dæmone curiosa quæstio, de qua scripsere complures. Ego igneum & Saturnium ex præstantissimis fuisse Platonicè dixerim. Nam ad sublimiũ contemplationẽ erigebat mirificè. Deus interdũ appellatur, quòd præstãtissimi dæmonum & Dij dicantur. Meritò, inquit in Alcibiadẽ Proclus, dæmonẽ suum Socrates appellabat & deum, tanquam ex dæmonũ ordine summũ, & si priuatũ & populare appellet eum Maximus Tyrius ser. 26. Deinde eustodẽ illius Angelum fuisse, crediderim propter ea quæ tum vniuersè de dæmonib. tum de illo traduntur. Vniuersè Plato in Ciuili & Critia dæmonas voluit esse præsides, pastores, & gubernatores hominũ, vt hi præsides sunt, pastores, & gubernatores brutorũ animaliũ. Neq. eos hominib. modò, sed & regionibus præpositos esse. Vaticinijs porrò, augurijs, somnijs, oraculis, vocibus, sacrificijs, inspirationibus nos regũt. Quare hoc solùm dẽpto, quòd dæmones ex sapientibus hominibus fieri prodidit, vel vt loquitur Tyrius ser. 27. nihil aliud dæmonẽ esse, quàm nudũ animum, corpore depositò, qui priorẽ miseratus vitam, miseridiáq. motus erga cognatos animos, qui adhuc cõtinentur in terra, aut eos in proprium gregẽ reducere, errantibúsq. succurrit. Et altero, quod in Epinomide addidit, cogitationes nostras omnes eos cognoscere: cætera ferè cũ iis optimè consentiunt, quę de Angelis à scriptoribus nostris docentur. Nam & apud Calcidiũ quòq. & alios Platonicos deum reperies dæmones nobis custodes dedisse. Et apud Iamblichum media quędã numinũ genera, Ephori, velut alij, nominarunt, Dij medioximi: præsidésq. sunt discretionis atq; iudicij; cõsulúntq. quę facere deceat, quę declinare. Neq; dæmonũ propriũ licere eligere ex dominio natiuitatis; sed abaltiore principio, nẽpe à Diis superioribus dari: neq; hunc alicui parti nostrum, sed toti præesse: vtrúmq. vni præfectum esse, non plures. De seipso verò auctor est in Theage Socrates, A prima pueritia dæmonem illum sibi datum fuisse, velut vocẽ quandam ea dissuadentem, quæ agi nollet. Dæmonicæ potestatis

De Socratis dæmone.

est opus, ait Proclus, dum aliquis eruditur, vt se ipsum purget. quod etsi dæmones non extrinsecus in nos agendo, sed tanquam ex puppi (vt idem loquitur) nos intus dirigendo, plerũq. perficiant: (Non enim extrinsecus, inquit, passiuè vox in Socratem incidebat, sed ex intimis inspiratio per animam totam procedens, & vsque ad sensuum instrumenta progrediens, postremò vox euadebat, in notitiam videlicet veniens, non tam sensu quopiam, quàm consensu) exteriori tamen interdum vtuntur signo, quò minùs de illorum ope ac subsidio dubitemus. Ita & loquentem Socrates, & dictantem Mercurius Trismegistus in Pimandro cap. 12. audierunt. Sed minùs rectè facta prohibentem Socrates, bona & vtilia docentem Mercurius. Vtrumq. Angelorum munus esse scimus. In Phedro extat exemplum. Socrati flumen transituro dæmon signum fecit, vóxque audita, quæ abire vetabat antequam expiasset, quasi aliquid erga Deum deliquisset. quam ob causam in Apologia, quam ad Athenienses habuit moriturus, ex eo, quòd vox illa, quæ vel in leuissimis rebus in tota semper se opposuerat vita, si quid minùs rectè facturus fuisset, tunc verò nec egredienti domo, nec ad mortem properãti contradixisset vnquàm, mortem non esse malam argumentatur. Pertinet & illud ad Angeli custodiam, quod in Theage narratur, dæmonem illum nequaquam omnes ad Socratis familiaritatem admisisse; quosdam etiam omnino prohibuisse. Alios permisisse quidem; at eos solos illius consuetudine profecisse, quibus fauebat dæmon. Et alios firmum ac durabile beneficium habuisse, alios quandiu solum erant cum Socrate, mox nihil à cæteris differentes. Hinc in Apologia calumniam diluit Socrates, ostenditq. se Deos non negare, qui dæmonum opera ac Deos fateatur. Aut enim Dij, aut certè Deorum filij ac ministri dæmones sunt. Verùm hi omnes, dum se humanis rebus gubernandis immiscent, boni nimirum dæmones sunt.

An sint mali dæmones

An sint aliqui mali, maior quæstio, nec omnes consentiunt. Aliquos tamen malos quoq. cognouisse Platonem, contendunt ex Platonicis Iamblichus, Porphyrius, Psellus, Plutarchus, & alij. Nam & ab Ægyptiis acceperat, impuriores dæmones ad inferos à Ioue deturbatos, qui & homines pro viribus ad ima detrahãt. Et à Pherecyde Syro, multos à Ioue rebellasse, à quorum maleficiis plurimùm cauendum sit. Quin etiam ab Orpheo, subterraneos dæmones scelerum vltores. Quare, quod ad initium Timæi narratur de bello quodam inter Athenienses Athlanticosq. commisso, Origenes per allegoriam significasse voluit pugnam inter inferiores & superiores dæmones: & Porphyrius contentionem inter dæmones in generationem deducentes, & animas ad supera contendentes. Tria enim distinxit dæmonum genera, diuinos quosdam; alios secundum habitudinem quãdam, tertios malos & noxios animabus, quibus occidentalem plagam accommodarunt Ægyptij. Democritus orabat, vt bonos dæmones haberet obuios: quippe Plutarchi testimonio multos esse malos existimaret. Quin & Plotinus in libro de proprio cuiusq. dæmone cap. 6. & malos, & fatuos, & ignauos commemorat. Et Porphyrius dæmones quorum animi sunt iniqui, corpora quoque habent deformia: quorum verò probi sunt animi, corpora esse formosa. Aristoteles cùm non alias

A

B

C

D

E

separatas substantias admitteret, quàm quę ex cœlorum motu colligerentur, vt ex 8. libro Phys. & 12. metaphys. cognoscimus, nullos esse malos dæmones iudicauit. Itaque quę in arreptitijs cernimus, in atram bilem reuocauit in problemate primo sect. 30.

Ergò aut vniuersè de substantiis separatis instituti disputatio potest, aut in specie de illis, quos malos dæmones appellamus. Eiusmodi substantias esse, & quidem innumerabiles, certa fide ac religione credimus, sacrarum litterarum testimonio confirmati. At philosophicis argumentis necessariò non demonstramus, maxima probabilitate suademus. Nam si demonstrari posset, aut demonstratio deduceretur ex causa, aut ex effectu. Ex causa duci nulla potest. Quoniam alia non est causa, quàm diuina voluntas, quę illas produxit. Hæc autem nobis ignota est. Ex effectu autem est demonstratio Aristotelis ex cælorum motu. Verùm vt graues Philosophos mittam exilimare corpora illa non ab illis substantiis, sed à naturali sua & formante forma moueri: eo argumento conficeretur, plures non esse eiusmodi substantias, quàm sint cœlestes orbes. Quòd si Theologorum demonstrationibus vteremur, quas ferè collegit S. Tho. in 2. lib. contra gentes cap. 46. eæ non nisi probabilitatem habent. Nam ad tria capita referuntur. Primum est, oportere effectum esse similem suæ causæ. Quod cùm non nisi in synonymis causis habeat locum, & Deus non nisi effectarum rerum causa synonyma, nihil probare videtur posse concludere. Alterum, causas, quæ agunt per artem, debere habere effectum similem arti, qua agunt. Sed hoc non est intelligendum secundum naturã, sed secundum vim significandi. Nec enim domus eiusdem est naturæ, cuius est ars, quæ artificis mente continetur: sed talis, qualis designata fuit artificis mente. Nec aliud concludi potest, quàm talem debere esse mundum, qualem Deus mente concepit: non item aliquas oportere esse res creatas substantiales. Tertium, quædam esse in mundo, quæ solùm habeant corpus sine spiritu, vt plantæ: alia, quę corpore constent & spiritu, vt homo: vniuersique ordinem & perfectionem postulare tertium quoddam genus, quod spiritum habeat sine corpore. Hoc argumentum probabile est, non necessarium. Aut si omnino spiritus aliquis requiratur, Deus ipse est spiritus sine corpore, & anima nostra spiritalis est, neque à corpore pendens. Quanquam etsi probaretur, aliquam esse spiritalem substantiam, non tamen ostenderetur esse innumerabiles, & aliquas bonas, alias malas.

Experientia tamen, quę rationibus omnibus melior est, satis ostenditur, tum Ænergumenorum, tum maleficorum, tum aliarum rerum permultarum, quæ non nisi per spiritus fieri possunt. Vt quòd Vestalis virgo cribro portauerit aquam in Capitolium ad suam virginitatem testandam (etsi S. Tho. in quæst. 6. de Potẽtia, bonis id tribuerit Angelis): Circes Vlyssis socios in animalia bruta mutarit, Diomedis socij in aues conuersi fuerint, Arcades in lupos, & alia plurima. Augur nouacula inspectante populo sciderit cotem, vt in primo de Diuinatione autor est Cicero. Cæco lumen restituerit spuro, eiusque debile confirmauerit calce Vespasianus Imperator, vt Suetonius Tranquillus narrat, & plura apud

Valerium

Valerium Max. lib. 1. In Alexandri & aliorum Principũ natiuitate fuisse facta miracula, legimus apud Iustinum & alios. Extant & in sacris litteris ea, quę in Ægypto coram Pharaone à Magis fuerunt facta; quæq. in fine mundi plurima fient ab Antichristo: Simon Magus volare tentauit, vt Ecclesiastici scriptores testantur; & Magi efficere solent, vt ligneæ statuæ ambulent & saltent, loquãtur, dent respõsa, & similia. Accedunt subitæ corporum translationes ad remotissima loca, vt in Sagis, Magis, & Strygis. Tum verò homines ad insaniã deducti & voluntate ad concupiscentiæ amorem inflammati. Alterum, siue corrumpendo sensuum organa & dissipando spiritus, siue in aliqua vehementi cogitatione diutiùs detinẽdo. Alterum, aut persuasionibus internis, aut humorum cõmotione, ac præsertim sanguinis accensione. Vtrumq. etiam naturalibus medicamentis inuisibiliter adhibitis. Præterea vsus matrimonij prohibitus, aut corporis cuiuspiam interpositione, aut generatricis virtutis respiratione, aut genitaliũ membrorũ detentione; aut occlusione spiritus, cuius opera fit congressus, aut turpissimæ feminæ specie imaginationi, mentíve obiecta. Corpus item inuisibile factum; vt in Apollonij vita narrat Philastrius: siue species visibiles impediendo, siue densando medium, siue aliud corpus interponendo, siue corpus alio transferendo. Immò nec desunt corporum trãsformationes in alia corpora, vt Mosis virga in serpẽtem mutata. Quod de perfectioribus animalibus credendum non est, sed solùm de imperfectioribus quibusdam, quæ aut ex puttedine, aut alio modo coniungendo agentia patientibus gignũtur. Quare quæ de Vlyssis & Diomedis sociis dicuntur, aut fabulosa sunt; aut imaginatione euenerũt, inducto somno & immissis operationum bestiarum phantasmatibus, aut locali corporũ mutatione, ablatis scilicet hominibus, & bestiis, aut auibus in eorum locum substitutis, aut bestiarum; auiúmve figuris corporibus humanis circumiectis. Aut demũ præstigiis: vt de muliere in equam mutata Palladij historia narrat. Adsunt & morbi & incõmoda plurima; immò & neces hominum ac bestiarum, vt in sacra Iob historia legitur, & apud Tobiam de septẽ Saræ maritis interfectis. Et in 12. Tabulis; Qui fruges exeantauerit, pœnas dato: & apud Virgilium, Satas alió vidi traducere messes, & alibi: Deducere montib. ornos. Oliuetum vniuersam viam publicam transcessum, aruáq. inde in locum oliueti profecta, narrat Plin. lib. 17. cap. 25. & accusatum quendã, quòd vicinorũ fruges veneficiis in suum agrum transferret, lib. 18. cap. 6. Mitto incubos & succubos, atque obsessos à dæmone liberatos, ac deniq. mortuorum animas ab inferis euocatas, vt Samuëlis animã à muliere Pytonissa in 1. lib. Reg. c. 28. vt senserunt plurimi, & ideò in lib. Ecclesiast. c. 46. Mortuus dicitur prophetasse: etsi quosdam non ignorẽ secus iudicasse. Deniq. de Apollonio Tyanæo, Apuleio, & Zoroastre, qui fuerunt Magi, plurima extãt apud veteres, ac probatos auctores.

Qui verò hæc in Astrorum, aut imaginationis, aut atræ bilis vim referre conati sunt, inanẽ prorsus laborem susceperunt, nihilque dixerunt, quod vllam probabilitatis speciem haberet. Nam etsi non negemus, admirabilem esse in permultis herbis, ac lapidibus virtutem ad diuersos effectus producendos: illarum tamen scientia obscurissima est, necdum ab hominibus inuenta: imò à sapientissimis quibusque neglecta. Sed & pleriq. effectus enumerati omnem huiusmodi virtutem superant, aut absolutè, aut quoad tam subitam & vehementem operationem, atque in iis conditiones omnes adsunt voluntarij, ex quo cognoscitur agens esse intelligens, non naturale. Et cùm fiant, aut in perniciem hominis, siue corporis, siue animæ, aut ad æmulationem diuinorum & cum sacrarum rerum abusu: non nisi ab intelligentiis fieri possunt, quæ & supra hominem sint, & malæ. Perinde autem fuerit, siue ab illis immediatè fiant; siue ab hominibus ex conuentione & pacto expressis aut tacitis cum ipsis initis. Testantur id maximè inuocationes, obtestationes, corporum prostrationes, sacrificia, & aliæ ceremoniæ à Magis adhibitæ. quæ sine dubio ad inuisibilem aliquam virtutem concurrentem pertinent. Immò miratur meritò Porphyrius eos magno imperio aduocantes dæmones, iubentes morari in aliquo loco, minitantes pœnas, si discesserint. Hæc enim & spiritus esse, & malos esse demonstrant. Iam peregrini & incogniti sermonis vsus, vt de fratris vxore narrat Psellus, diuinatio, ac futurorum prædictio, seu rerum occultarum manifestatio, in nullam naturalem & humanam causam referri possunt. Dæmones autem affectãt plurimùm, tum ad diuinam æmulandam sapientiam prophetiásq. effingendas, tum vt homines in errorem inducant. Prædicunt autem & reuelant, aut ea quæ à Deo audierunt bonis Angelis reuelata: Quippe inter filios Dei, vt scribit Iob cap. 2. venit & Sathan coram domino. Aut quæ ipsi permittẽte Deo facturi sunt. Aut ea, quæ ex plurima rerum cognitione, totque sæculorum vsu & experientia colligunt maxima intellectus perspicacitate. Plurima enim nobis occultissima illis sunt manifestissima. Et quoniam homines non ignorat dæmon plerumq. propensionem naturæ sequi, huius est serius ac diligens obseruator. Aut dæmum ea, quæ etsi futura non sint, sed præsentia, aut præterita: occulta tamen, quòd in alia mundi parte facta, sua is velocitate cognoscens, quę in toto orbe fiunt, renuntiat nobis tanquã futura. Sed finis sit de hac quæstione dicendi, ad quam Philosophi hoc loco dubitatio nos induxit.

Herbarũ & lapidũ virtus.

Vt dæmones futura prædicant.

TEXTVS.

Δῆλον οὖν ὅτι τὸν αὐτὸν τρόπον ἐπὶ μιᾶς ἁπάσης ἐστὶν ὁ λόγος ψυχῆς τε καὶ σώματος. οὔτε γὰρ ἄνευ σχήματος ἔστι τὸ τετράγωνον ὅτι καὶ τοιονδὶ τὸ ἐφεξῆς, οὔτε σὰρξ οὔτε ψυχὴ ἔσται τοιάδε εἰρημένας. γίνοιτο δ' ἂν καὶ ἄνευ τοῦ τοιοῦδε σχημάτων λόγος κοινός, ὃς ἐφαρμόσει μὲν πᾶσιν, ἴδιος δὲ οὐδενὸς ἔσται σχήματος. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς εἰρημένης ψυχῆς. διὸ γελοῖον ζητεῖν τὸν κοινὸν λόγον καὶ ἐπὶ τούτου καὶ ἐφ' ἑτέρων ὃς οὐδενὸς ἔσται τῶν ὄντων ἴδιος λόγος, οὐδὲ κατὰ τὸ οἰκεῖον καὶ ἄτομον εἶδος, ἀφέντας τὸν τοιοῦτον.

Manifestum igitur, quòd eodem modo vna vtique fuerit ratio animæ & figuræ. Neque enim ibi figuræ est præter Triangulum & eas, quæ deinceps: neq; hic anima præter dictas. Fiet autem vtiq. & in figuris ratio communis, quæ conueniet quidẽ omnibus, propria autem nullius erit figuræ. Similiter autem & in dictis animabus. Quare ridiculum, tum in his, tum in aliis communem quærere rationem, quæ nullius est eorum, quæ sunt propria ratio: neque secundum propriam & individuam speciem, ea omissa, quæ huiusmodi est. Text. 30

COMMENTARIVS XXXI.

CRediderunt Auerroës & sanctus Thomas propositũ Philosopho hoc loco fuisse declarare, quale genus sit illud, quod in animæ definitione antea positũ est, cùm ea vniuersè definita est. Non inquã, esse planè homonymũ, neque omninò synonymum; sed immediatè significare plures formas animæ. Sicut figura nil aliud significat, quàm triangulum & alias figuræ species. Et ideò nec dari animam separatam tanquam idæam & genus commune: sicut nec datur idæa figuræ, Platone ipso consentiente. Sed quemadmodum figura immediatè hanc & illam figuram significat, ita & animam hanc & illam in specie animam significare. Eadem propemodum fuit interpretatio Themistij, eò tamen magis accommodata, quòd orationem hanc ita cum antecedente coniungit, vt cùm multæ facultates animæ fuerint commemoratæ, nunc ostendatur non esse in illis vnam aliquam naturam æquabiliter in omnibus fusam, sicut nec in figuris, sed solum ordinem quemdam & texturam quæ in figuris cernitur. Simplicius & Philoponus persistẽtes in eo, quod de vniuersa animæ ratione principio docuerunt; eam non esse synonymam, sed per priùs & posteriùs de animæ speciebus dici: quoniam, inquiunt, in iis, quę per prius & posterius dicuntur, non est satis generalem rationem exponere, sed speciales quoque sunt explicandæ: idcirco Aristotelem distinctis animæ partibus & facultatibus, eas nũc admonere cognosci non posse sola illa generali & communi definitione antea proposita, sed specialem & propriam rationem quærendam esse.

Quàm Græcorum interpretationem ego quidem magnopere probo: sed illud reprehendo, quod propterea agendum de anima in specie dicũt, quòd ea per priùs & posterius dicatur. Nam & antea demonstraui, rationem animæ & definitionem generalem esse prorsus synonymam: & quamuis ita sit, adhuc est de speciebus & partibus agendum. Quoniam nulla scientia debet esse contenta cognitione generis vniuersi, quæ confusa semper est & minùs perfecta, sed proprias quoque specierum rationes inuestigare debet. Quippe accurata & perfecta cuiusque rei cognitio ex propriis constat, tum definitiua, tum demonstratiua. Si enim figuram dixeris esse id, quod vno, aut pluribus terminis continetur, parùm omnino feceris, nisi addideris, quid triangulum sit, quid quadrangulum. quoniam figura nulla subsistit à singulis separata. quare ridiculum esse affirmat, in omni rerũ genere sola generali definitione contentum esse, quæ specierum propriam naturam non explicat, neque vlteriùs ad singularum cognitionem progredi. Cùm igitur vniuersè duntaxat egisset de anima, & plures deinde illius gradus & facultates propterea distinxisset, ordinémque inter eas posuisset: accedendum sibi esse vidit ad singulorum graduum & facultatum considerationem.

Anima vt figura similiu.

Hanc ob causam indicauit, quędam esse priùs ponenda, ex quibus meliùs intelligeretur ordo, quem in iis facultatibus disposuerat, atque ad earum tractationem in specie aditus pararetur. Ergo rationem animæ persimilẽ esse figuræ asserit. Nam quatuor modis videntur omnino conuenire. Primùm, quemadmodum non datur reipsa figura abstracta & separata à triangulo, quadrangulo, & cæteris figurarum speciebus: ita nec vlla est in rebus anima, quæ vegetans non sit, aut sentiens, aut intelligens. Deinde vt figuræ vniuersè consideratæ potest generalis adferri definitio, quæ nulli particulari speciei conueniat, hoc est nullius speciei propriam & specialem, rationem explicet: ita superius expositum est in textu 7. generalis animæ definitio, quæ nullius speciei propria est. Atque hoc modo soluitur Ægidij dubitatio. Non enim ait Philosophus, generalem animæ definitionem singulis animabus non conuenire, siquidem definitio generis speciebus semper conuenit, & quidquid de genere dicitur, de speciebus quoque dici potest. Sed definitionem illam generalem proprias specierum rationes non exponere, & ideò eas quoque deinceps quærendas esse. Tertio, sicut ridiculum est generali figuræ definitione contentum esse, nec petere eam quærere propriam cuiusque speciei, sic etiam de anima sentiendum est. quoniam generalis illa cognitio imperfecta est & cõfusa, specialis distincta & propria. quartum sequenti textu continetur.

TEXTVS.

Παραπλησίως δ' ἔχει περὶ τῶν σχημάτων καὶ τὰ ἐπὶ τῆς ψυχῆς. ἀεὶ γὰρ ἐν τῷ ἑφεξῆς ὑπάρχει δυνάμει τὸ ἑφεξῆς, οἷον τριγώνου τετραγώνῳ ἢ πολυγώνῳ. ὅθεν οὐ τετραγώνου ὄντος ἐνυπάρξει τὸ τρίγωνον· ἐν αἰσθητικῷ δὲ τὸ θρεπτικόν. ὥστε καὶ ἐν ἅπασι ζητητέον, τίνα τρόπον ἕκαστον τοῦ ψυχοῦ. ὅσα μὲν οὖν φυτὰ, μόνον τὸ θρεπτικὸν ἔνεστιν· ὅσα δὲ ἄλλα τῶν ἐφεξῆς οὕτως ἔχοντι, σκεπτέον· οἷον μῶν ἄνευ τοῦ ἁφῆς ἔστι τὸ αἰσθητικὸν ἢ οὐκ ἔστι· τῶν δ' αἰσθητικῶν χωριζόμενα ἐστὶ τὰ πολλὰ τοῖς φυτοῖς· πάλιν δὲ, ἄνευ μὲν τοῦ ἁπτικοῦ οὐδὲν ἄλλο αἴσθησις ἐνυπάρχει· πᾶσι δὲ τοῖς ζώοις οὗτο ὄψις, οὔτε ἀκοὴ ἔχουσιν, οὔτε ὀσμῆς ἢ γεύσεως αὖτε

Similiter autem se habet ei, quod ad figuras & quæ ad animam. Semper enim in eo, quod deinceps, inest potẽte id, quod prius, & in figuris, & in animatis: vt in quadrato quidẽ triangulus in sentiente autem vegetans. Quare secundum vnumquodq. quærendum, quæ unicuiusque anima, vt quæ plantæ, & quæ hominis, aut bestiæ. Propter quam autem causam deinceps ista habent, considerandum. Sine enim vegetante sentiens non est, à sentiente autem separatur vegetans in plantis. Horum autem sine tangente quidem aliorum sensum nullus inest, tactus autem sine aliis inest. Multa enim animalium neque aspectum, neque auditum habent, neque odoris omnino sensum.

COMMENTARIVS XXXII.

QVemadmodum in figuris ordo quidam cognitur & eiusmodi dispositio, vt vna sit prior & potestate quoquo modo contineatur in posteriori. Triangulus enim qui est prima figura rectilinearum, propterea quòd paucissimis constat lineis: (siquidem ex vnica linea nulla fit figura rectilinea: sed circulus, qui est prima curuarum, neque item ex duabus: sed potiùs semicirculus, portio circuli: ex tribus autem principium habens rectilineæ, fitque triangulus rectilinearum prima) quod superioris textus verba testantur. Nam quod est, inquit, figura præter triangulum, & quæ deinceps sunt. Prima igitur triangulus, deinde caeteræ,

cæteræ, nam ex quatuor lineis quadrangulus, quasi ex duobus triangulis compositus; & ex quinque pentagonus, velut ex tribus triangulis coagmentatus; & ex sex exagonus, quasi ex quatuor triangulis, & ex septem septangulus, velut ex quinque triangulus, & ita deinceps.

Triangulus, inquam prior est & continetur in quadrangulo, & in quouis alio multiangulo, qui ex triangulo principium habet: hócque destructo nulla erit consequentium figuratum: illis tamen destructis non continuò peribit triangulus; sed cùm sit prior & paucioribus lineis contentus, omnino manebit. Ita prorsus res habet in animabus. Semper enim eum ordinem seruant, vt prior posteriorum non supponat, posterior verò & priorem supponat, & eam quodammodo contineat potestate; neque possit sine priore esse illa, quę posterior est, at sine posteriori possit esse prior.

Quo ordine se habent facultates.

Generatione omnium prima est facultas vegetans, deinde sentiens, postrema intelligens: Tum quia ab imperfectioribus ad perfectiores natura progreditur. Tum quia priores à posterioribus seperantur, & sine illis in quibusdam viuentibus reperiuntur posteriores sine prioribus esse non possunt. Etenim sentiens spiritu indiget animali, qui dum continenter consumitur, restaurari ex alimento debet actione vegetantis. Intellectus item supponit sensum, vt inde accipiat obiectum. Quare si perfectio singularum expendatur, oppositus plane existet ordo. Prima enim omnium est intelligens, deinde sentiens, tum vegetans omnium imperfectissima. Dum tamen imperfectiores cum perfectioribus coniunguntur, magnopere perficiuntur, perfectiorique modo operantur. Quemadmodum in homine facultatis vegetans, alimentum commutat in carnem, aut os, in plantis in corticem, aut lignum: & in homine meliorem carnem generat, quàm in bestiis: sentiens item perfectiùs in homine operatur. Inferior enim facultas cum superiori coniuncta perfectius habet temperamentum & nobiliora organa, & verò etiam perfectiorem formam, à qua in actione dirigitur.

Aristoteles inter has tres duntaxat facultates ordinem posuit hoc loco, omissis appetente & mouente. Quoniam has manifestum est sequi cognitionem sensus, aut etiam intellectus in homine, & aduenium simul cum sensu, appetitus quidem in omnibus, motus autem in iis, quæ incedere & progredi quoque possunt. Propterea si generatio consideretur, facile est de his quoque constituere, nam appetitus antecedit motum. Tum quia non mouentur animalia, nisi ad rei concupitæ prosequutionem aut contrariæ fugam. Tum quia in quibusdam appetitus viget sine motu, motus nusquam est sine appetitu.

Appetitus appetens mouens præstat.

De perfectione tamen duplex existit difficultas Altera, an facultas appetens sit sentiente nobilior. Altera, an mouente melior. Appetentem non dubito potiorem esse mouente, quæ illius plane ministra est. Sentientem verò crediderim ego & appetenti & mouenti præstare. Tum quia cognoscens est, & immediatè intelligenti omnium diuinissimæ famulatur. Tum quia ab illa duæ reliquæ pendent, & vt sint, & vt operentur. quamquam hoc de appetitu, qui sequitur sensum, intelligi volo, nam de intelligente & humano alio loco dicetur. Si tamen hæ facultates non in seipsis considerentur, sed comparatione subiecti, in quo sunt: mouens nobilior sentiente, atque adeò appetente videbitur. quoniam perfectis duntaxat animalibus ineest, dum sensus & appetitus imperfectissimis quoque & abiectissimis communes sunt. Atque hoc intellectu fortasse Philoponus in Com. textus 32. & 131. motum scripsit sensu nobiliorem esse. Meliorem, inquam, esse motricem, hoc est sentientem cum motrice, quàm sentientem solam sine motrice.

Hoc igitur loco vegetantem, sentientem, intelligentem ordinauit Philosophus. Etenim vegetans est sine sentiente, nec sine illa esse vsquam potest. Et rursum sine tactu nullus est aliorum sensuum, tactus sine aliis omnibus est interdum: quoniam multa sunt animalia, quæ nec aspectum habent, nec auditum, nec odoratum. Quo loco perspicuum est, nomine tactus gustatum quoque comprehendi, qui est quidam tactus: vt in superioribus quoque non semel adnotaui. Non enim gustatum nominat, sed aspectum, auditum, Olfactum, cùm tactū affirmat seorsim ab omnibus aliis sensibus reperiri.

Tactum gustatū comprehendere.

Manifestū etiam est, Philosophum hoc loco non tàm de animabus, quàm de earum facultatibus loqui nec tam velle inferiorem animam virtute in superiori reperiri, vt plerique inquiūt Latinorum: quàm facultates hūc seruare ordinem, vt superior inferiorem supponat, neque ibi esse possit, vbi illa non fuerit: sicut de Triangulo & quadrangulo dictum est, atque innumeris magis apparet. Nam ternarius est in quaternario tanquam illius pars. Sed quoniam ineſt tāquam pars, materialiter, non formaliter: non inquam vt ternarius, sed vt quaternarij pars: propterea quaternarius est vnus numerus, quia tantùm ibi est vna quaternarij forma. Quadrangulus item est vna figura, quia etsi contineatur in eo triāgulus, continetur tamen materialiter & vt pars, non formaliter, tanquam species distincta. Hoc est, quod ait, priorem esse potestate in posteriori. Nimirū quia est tanquam pars & vt materia: materia autem in composito tanquam potestas est. Et vt illi aduenit actus, atque ab eo perficitur, ità numero, seu figuræ inferiori superior aduenit, quę perfectionem dat & speciem numeri & figuræ. Eodem modo res habet in facultatibus animæ: inferiori enim velut materię & potestati superior aduenit, sentiens vegetanti, tanquā actus perficiens, determinans, & dans speciem illi viuenti: in quo dū est vegetans tanquā pars & materia sentientis facultatis, potestate esse dicitur: & sentiens item in intelligente, tametsi actu sit. Non enim vegetans dici potest esse potestate in sentiente, neque hæc in appetente, aut mouente, hæque omnes in intelligente, eo modo, quo Latinè accipiunt. Quoniam hæ omnes facultates actu insunt in nobis, atque in reliquis animalibus, quæ illis vtuntur. Neque vllus dicet, videre nos, aut tangere per mouentem facultatem, aut intelligentem: & non potiùs per illas ipsas facultates harum operationum proprias: aspectum inquam & tactum. Fortasse etiam Philosophus id, quod est prius, potestate esse dixit in eo, quod est posterius, quia potest cum illo coniungi, eique aduenire posterius, tanquam perfectior gradus & vesut forma materiæ. Semper enim ea, quæ sunt inferiora & imperfectiora in natura, consueuit dicere esse potestate comparatione su-

Quomodo vegetās est in sentiēte.

Quomodo potestate.

periorum & perfectiorum; vt ex textu 49. lib. 4. Physic. cognoscitur. At verò quando facultas sentiens aduenit vegetanti, vtraque actu est, non potestate, in animali: sicut & quando tactui aduenit cæteri sensus, & sensui motus, aut etiam intellectus: Denique potestate id dicitur esse, quod non est ab altero distinctum, sed cum eo coniunctum. In quadrangulo potestate non actu, triangulus inest; quia coniunctus est, & diuidi potest quadrangulus, dupléxque triangulus actu separari. Ita cùm facultas posterior sine priori esse nō possit: in sentiente non actu, sed potestate, dicitur esse vegetans, quia actu cum illo coniunctum est, at separari potest, & esse sine illo. Nam & continui partes potestate esse dicimus; quondam actu copulatæ sunt, at diuidi ac separari possunt & fieri actu. Esse autem sermonem de facultatibus, non de animabus, inde cognoscas, quòd cùm generali cognitione contentos nos esse nolit, sed singularum propriam quærere: deinceps nihil de animabus dicet, sed in facultatum explicatione totus occupabitur. Verùm etsi hæc quoque non solùm de facultatibus, sed de animabus ipsis intelligi posse diceretur: abuteretur tamen hoc loco Latini ad probandum vniuersè, inferiorem formam virtute in superiori contineri. Nam hoc loco de solis animabus est sermo: diuersáque est in cæteris formis ratio; vt in superioribus expositi, cùm de formarum multitudine disputarem.

Quare cùm hæc ita sint secundùm vnumquodque facultatum genus, quod coniunctim aut separatim ab aliis reperitur in viuentibus, quærendum est, quænam sit vniuscuiusque viuentis anima, tanquam harum facultatum principium. Neque generali definitione antea explicata contenti esse debemus; sed propria cuiusque animæ ratio quærenda est. Quæ, inquam, sit ratio propria animæ plantæ, animæ hominis, & animæ bestiarum. Hæc enim tria sola animarum genera facultatum omnium principia sunt. Præterea etiam considerandum, quam ob causam facultates hæ omnes & gradus vitæ eum seruent inter se ordinem, quem diximus. Cuius ratio sub finem tertij libri explicabitur.

TEXTVS.

Καὶ τῶν αἰσθητικῶν, τὰ μὲν ἔχει τὸ κατὰ τόπον κινητικόν, τὰ δὲ οὐκ ἔχει· τελειότερον δὲ καὶ τὸ ἐλαχίστων, λογισμὸν καὶ διάνοιαν· οἷς μὲν γὰρ ὑπάρχει λογισμός, φαντασία, πάντως καὶ τὰ λοιπὰ πάντα· οἷς δ' ἐκείνων ἕκαστον, οὐ πᾶσι λογισμός· ἀλλά τισι μὲν καὶ φαντασία, τὰ δὲ ζῶντα μόνον ζῇ.

Text. 32. *Et sentientium alia quidem habent secundùm locum motum, alia autem non habent. Vltimum autem & minimum ratiocinationem & Dianœam. Quibus enim ineſt ratiocinatio mortalium, his & reliqua omnia. Quibus autem illorum vnumquodque, non omnibus ratiocinatio. Sed quibuſdam quidem neque imaginatio, alia verò hæc ſola viuunt.*

COMMENTARIVS XXXIII.

VT hunc textum cum superioribus coniungamus, non est magnopere laborādum. Manifestum enim est, sermonem absolui in postrema superioris textus parte inchoatum. Nam cum explicare cœpisset ordinem, quem inter se gradus vitæ & animæ facultates seruant: vt sensus sine vegetatione esse nequeat, vegetatio sine sensu persæpè sit: & rursum in iis, quæ sensum habent, solus interdum sit tactus, nec tamen vllus aliorum sensuum, sine tactu reperiatur. Aliam nunc in sentientibus varietatem subiungit, quòd aliqua simul cum sensu motum habent de loco ad locū, quemadmodū equus & animalia cætera, quæ incedunt, aut etiam reptant, aut serpunt, aut natant: quid quid dicat Ægidius: alia non habent, vt spongiæ & conchilia, quę perpetuò affixa viuunt. Quare vt sensus sine vegetatione esse non potest, vegetatio potest sine sensu: ita & motus nusquam est sine sensu; quia quod mouetur, ad aliquid cognitū moueri oportet. Sensus tamen potest sine motu esse in quibusdam, quæ cibum habent sibi obuium, nec aliunde mendicare coguntur. Verè tamen admonet Philosophus, animalia hæc ipsa, nisi de loco ad locum non progrediantur, aliquem tamen habere motum quia duro aliquo, & quod resistat, tangente contrahuntur, humido autem diffunduntur, & extenduntur.

Præterea autem homo habet etiam ratiocinationem & διάνοιαν, seu cogitationem. Intelligentiam verterunt aliqui, & optimè Græcisque Interpretibus consentaneè, interquos Themistius virtutem rationalem intellexit, & Simplicius practicum intellectum. Nimirum significarunt rem eandem esse λογισμὸν & διάνοιαν. Sicut enim in textu 39. pro eadem intelligente animæ parte vsurpauit νοητικὸν, & νοῦν, ita hoc loco vsurpauit λογισμὸν, & διάνοιαν. Et quidem Auerroë ipso consentiente, qui alioqui cogitatiue, tanquam diuersæ ab intellectu virtutis, auctor & patronus esse solet. Nam hoc loco λογισμὸν & διάνοιαν virtutem speculatiuam interpretatur, & cogitatiuam, id est, intelligibilem.

Hominem porrò, diuinissimum animal, appellat Philosophus vltimum & minimum: quod minus fortasse cuipiam videatur. Sed vltimum dixit, ac supremum inter sentientia & mortalia omnia, vt quod ascendentes sistimus. Homo enim per intelligentem animam constituitur, quæ vltima formarum est, ad quam, inquit Themistius, progressa natura receptui canit, nec vlterius progreditur. Aut inter rationalia & intelligentia, si alia sint rationalium & intelligentium animalium species. Minimum verò, aut eam ob causam, quam habet Philoponus: quia hæc species vt est omnium suprema & primo principio magis propinqua, sic quantitate & numero minima est comparatione aliorum animalium. Aut eam, quòd vnius speciei atomæ, nec possit in alias contrahi, quemadmodum in plurimas contrahuntur plantarum vegetans, & bestiarum sentiens. Numero igitur vincitur homo à cæteris, sed viribus vincit.

Inferiores animæ magis multiplicantur & diuiduntur, quia imperfectiores & materiæ propinquiores, magisque potestate: intelligens perfectior & magis actu, summoque actui diuino propinquior ac humilior: materiæ autem ac potentiæ propria est diuisio ac multiplicatio, actus vnitas & imparbilitas.

Pro eodem etiam vtramque vocem, λογισμὸν & διάνοιαν, vsurpatum fuisse, argumento sunt consequentia verba. Cùm enim vtramque nominasset, adiecisse homini altera statim prætermissa solā comparatione. Addit memorat ratiocinationem, & quidem bis. Addit enim. Quibus ineſt ratiocinatio mortalium, his & reliqua omnia ante commemorata

morata in esse. Dixit autem (mortalium) aut propter intelligentias separatas S. Thomæ iudicio, quæ absque vllo prædictorum intellectum habent. Humanæ enim rationi soli, inquit Themistius, tanquam » satellites & ministræ facultates cæteræ tributæ fuerunt. Aut propter cœlestia corpora, vt Philopono placuit, Simplicio, & Auerroi: quæ vt sunt sempiterna, sic nutritione non egent; neque sensibus, qui torpentem intellectum excitent. Aut demum propter dæmonas, & heroas, quos ponebant Platonici; vt interpretatus est Albertus: respondebitque hic locus superioribus verbis tex. 29. quæ de Dæmonibus & Heroibus fuerunt exposita.

Plantas esse non dubium. B

Cæterùm in eorum genere, quæ intellectu carẽt, quibusdam ne phantasia quidẽ ineſt perfecta. Nam imperfectam aliquam inesse omnibus, quæ sensum aliquem habent, docuit in tex. 20. Alia verò ea sola viuunt; vt equus & animalia perfecta. Non quòd præter illam non habeãt etiam sensum; quippe imaginatio est motus factus à sensu. Sed quòd hęc facultas in illis sit præcipua & illustris maximè, atque inter cognoscẽtes suprema & optima, veluti dux vitæ; quemadmodum in homine intellectus.

DIGRESSIO XIII.

Animalia ratione carentia. C

AT non defuerunt, qui bruta hæc animalia ratione quoque vti dicerent. Testis est Plutach. in lib. 5. de Philosophorum placitis c. 20. sanè ex ijs, quæ in araneis & formicis apparent, vt mittam cętera, permotos fuisse aliquos, vt dubitarent, num intellectu vterentur, scribit Philosophus in tex. 86. lib. 1. Phys. Rationalis enim facultatis participatio quædam, inquit Porphyrius in libro de Sacrificijs, omnibus competit animalibus, rectitudinem verò, sapiẽtiamque ne hominem quidem adeptum reperire licet, sed & oratione cuncta & ratione, tum interiore, tum exteriore, vti ait, quorum verba non discerni à nobis mirum non sit, cum Barbarorum etiam multorum sermonem minimè discernamus, neque tam loqui eos, quàm indistinctè vociferari putemus, & omnino rationem in nobis & animalibus brutis nõ nisi secundùm magis & minùs differre. Sed fortasse quo intellectu rationem in bestijs nominasset, paulo post exponit: omne, inquit, animatum sentiens habet etiam phantasiam, velut rationem quandam. Phantasiam enim supremam in illis virtutem nominauit rationem. At Aristotelis sunt hęc verba ad initium lib. 8. de animal. historia. Sunt vel in plurimis » cæterorum animalium vestigia morũ animi humani, quamquam hæc in homine apertiùs discernãtur. E » Ineſt vrbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignauia, metus, fidentia, ira, malitia: atq. etiam » prudentię imago ineſt in multis. Alia enim eo, quòd » magis, minusue habeãt comparatione hominis, differunt. Quippe cùm aliqua ex his magis in homine » habeantur, alia in cæteris animalibus latiùs. Constat » hoc ita esse planè argumento puerilis ætatis, in qua » futurorum habituum quasi vestigia & semina videtis: & tamen nihil per id tempus animam hominis » differre à belluarum anima propè dixerim. Itaque » nihil remotum à ratione est, si partim eadem, partim similia, partim ex proportione in cæteris animalibus habentur. Et ad initium Metaph. quædam scribit esse animalia alijs prudentiæ & disciplinæ magis capacia, quæ memoriam & auditum habent, qui est disciplinæ sensus. Multáque Plutarchus disputat in Opusculo, cui titulum fecit, quòd bruta animalia ratione vtantur. A

Veriſſima tamen est Philosophi hoc loco pronuntiata sententia, bestias omnes imaginatione sola, hominem solum inter mortalia intellectu viuere, & rursum in tex. 157. in bestijs quidem cõfirmabit imaginem ineſſe, rationem autem non, & ideo nec fidẽ, nec persuasionẽ, & in lib. de memor. & reminiscentia c. 4. in illis memoriam quidem esse, ac reminiscẽtiam in solo homine, quòniam est velut ratiocinatio quædam, cuius capax est solus homo. Cognoscentis enim est dirigere & ordinare: Intellectus in nobis disponit omnia. Intellectui succedit in bestijs imaginatio. Vbi obiter adnotabis, neque estimatiuam, neque aliam vllam sentientem facultatem in animalibus esse imaginatione superiorem, atque ab hac in homine fieri statim transitum ad intellectum. Quibus, inquit, non ineſt λογισμοῦ, aut imaginatio quoque deest, aut hæc sola ineſt. Inter imaginationem igitur & λογισμὸν interponitur nihil. Quare nec æstimatiuæ, nec memoria facultates vllæ sunt ab imaginatione diuersæ, neque ἀξιώσεις à λογισμοῦ. Porro idem Aristoteles in tex. 80. citato vniuersum hoc animalium genus, nec arte, nec inquirendo, nec deliberãdo, sed solo naturæ impulsu ac ductu, non secus ac plantas, operari vult. & in 8. lib. de Hist. esse in illis, non rationem, sed rationis vestigium quoddam. Vt enim inquit in homine ars, sapientia, prudentia, « sic & in nonnullis ineſt vis quædam eiusmodi alte- « ra naturalis. In canibus, simijs, & alijs quibusdam cernimus quædam, quæ ratione & arte constare videntur. At non arte, sed experimento, imaginatione, & memoria constant ceu rationis vestigio & imagine: quippe hæc artis & scientiæ principia sunt. Denique ne in re certa sim nimius: Platonis verba subijciam, qui de horum animalium generatione sub finem Timæi sic habet. Gressilium ferarum genus ex his natum hominibus, qui à Philoso- « phia penitus alieni ad cœlestia nunquam oculos « erexerunt, ex eo, quòd volutionibus illis, quæ in « capite peragi solent, vsi nunquam sunt. Sed illas « animæ partes sequuti, quæ in ventre & pectore do- « minantur, hoc est concupiscentem & irascentem, « non intelligentem partem. « D

Sensus inferiores.

Cæterùm ex his, quæ Philosophus tradidit, non bimembris modò animalium diuisio, sed & trimembris partitio fiet. Nec modò dicemus, animalia quædam intellectu, alia imaginatione viuere; sed & quædam solo sensu. Quippe quibusdam dixit solum ineſse sensum tactum, alijs sensus omnes & imaginationem, alijs demum intellectum quoque. Quam partitionem apud Themistium quoque reperies in secundo libro de Posteriori Analysi, capite trigesimo quarto, etsi pro imaginatione memoriam nominet; quòd vtraque vox eandem Aristoteli facultatem significet, vt suo loco docebitur. Imperfectiora igitur solo sensu viuunt; quia etsi imperfectam quampiam imaginationem habeant, ea tamen non nisi simul cum sensu operatur. Alia imaginatione, si perfectionem adepta sint, quæ circa absentia operetur, memoriámq. efficiat & experimentum. Alia demum intellectu, qui memorijs & experimentis ratiocinationem addit. Cùm autem experimentum vniuersalis & rationis

Animalium partitio.

principium existat; animalia perfectiora, quæ experimenti, licet imperfecti, sensum habent, rationis vestigium atque initium habere dicuntur. Adeò enim paulatim & sensim, vt est in 8. lib. de Hist. ab vno ad aliud natura gradum facit; vt vix eorum confinium & medium cognosci possit, vtriusnam sit extremi.

TEXTVS.

Περὶ δὲ τῦ θεωρητικοῦ νοῦ ἕτερος λόγος.

De Contemplatiua autem mente alius sermo.

COMMENTARIVS XXXIV.

MIrum omnino est, quantum interpretibus omnibus negotij faceſſant pauca hæc verba. Alexander Intellectum Theoreticum interpretatus est intellectum, qui est in cœlestibus & diuinis corporibus. Sed obiecit illi Philoponus, Aristotelem de eo intellectu loqui, de quo in tex. quoq. 21. loquutus est: eandem enim fermè vtrobiq. sententiam pronuntiauit: Ibi verò de intellectu humano loquebatur; quem animæ genus esse, tametsi à cæteris diuersum, dixit. Eundem voluit à corpore separari posse, velut perpetuum à mortali. Diuinorum intellectus nunquã separati potest, quòd sint sempiterna. Idem præterea est intellect⁹, qui & Theoreticus & Practicus nominatur. Humanus intellectus est, non cœlestis, qui Practicus appellatur. Idem igitur est, qui hoc loco dicitur Theoreticus.

Duobus autem modis Philoponus intellectum nostrum considerans, aut quatenus practicus est, aut quatenus Theoreticus: priori inquit modo separari non potest à corpore, quoniam ab eo pendet in sua operatione: posteriori autem potest. Et quoniam agere de abstractis & separatis à materia, non est naturalis, sed Primi Philosophi; idcirco de intellectu hoc Theoretico ali⁹ est sermo, hoc est alia tractatio; quæ non ad Physicum, sed ad Metaphysicum pertinet. Tametsi ad perfectiorem doctrinã de eo quoq. in tertio huius operis libro nonnulla doceat. Consueuit in extrema quaque naturali tractatione ad abstracta & diuina sese erigere; quemadmodum & in 8. Phys. lib. fecit.

Simplicius quoque intellectum nostrum Theoreticum intellexit, quatenus & à practico distinguitur & à passiuo, hoc est ab imaginatione: quorum quidem passiuus cum reliquis inferioribus gradibus coniũctus est & permistus; practicus autem illi subditur. At Theoreticus neutrũ habet; & ideò neque est actus corporis nisi ex accidenti & quatenus inferioribus facultatibus vtitur. Sed tamen, quia est in nobis, diuersus est ab intellectu illo planè abstracto, qui est in immortalibus substantijs; propterea alius de eo est sermo, hoc est diuersus planè est intellectus, aliaq. omnino de eo ratio, quàm de intellectu passiuo & practico, qui in nobis ipsis insunt: Déque intellectu illo, qui est in abstractis substantijs. Eandẽ putò fuisse Themistij & Auerrois interpretationẽ, dum Theoreticum hunc intellectum interpretati sunt mentem, qua intelligimus & sapimus, eamque diuersæ esse rationis à cæteris animæ facultatibus; quòd nec sit facultas, nec pars animæ, sed natura diuinior inferiori huic inserta.

Inter Latinos autem S. Thomas intellectum voluit ab imaginatione separari: vt quia in animalibus quibusdam, vt in homine, simul esse dixerat imaginationem & intellectum; in alijs imaginationem solam, qua in suis actionibus dirigantur non minus, quàm intellectu homo: nũc addat, aliam tamen esse intellectus Theoretici & imaginationis rationem; magnoperéque has duas facultates differre, vt post in 3. lib. docebitur. Accommodatè magis hoc diceretur, si nõ intellectum Theoreticum nominasset: sed aut intellectum absolutè sicut antea, aut intellectum practicum, ad quem potiùs pertinet vitæ nostræ directio. Denique vt alios prætermittam, credidit Ægidius expositam his verbis fuisse rationem eius, quod dixerat, posse in quibusdam solam esse sine intellectu imaginationẽ. Rationem autem esse; quoniam de intellectu Theoretico, qui alterius est ordinis, alia ratio est, quàm de imaginatione. Ac neque necessarium erat in hoc immorari; cùm satis dixisset, posse inferiores facultates sine superioribus esse, has tamen sine illis non posse. Neque hoc agendum fuisset, nominandus erat Theoreticus intellectus; sed intellectus absolutè & sine additione.

Ergò multò veriùs & Philosopho magis consentaneè duplex ab his omnibus diuersa adferri potest expositio. Altera est; vt ea verba non de nostro, sed de intelligentiarum separatarum, intellectu accipiantur. Cùm enim dixisset, quomodo res habeat in mortalibus; eáque omnia, quæ in rebus huius cælestis habent intellectum, reliquas quoque omnes habere inferiores animæ facultates; æquum erat de immortalibus aliquid dicere, ne manca esset & imperfecta doctrina. Propterea ne quis hoc ab eo desiderare posset; cùm videret copiosiorẽ explicationem huius loci non esse, hoc solùm adiecit; De intellectu Theoretico, hoc est intelligentiarum separatarum, verè & propriè Theoreticus est, non item practicus, alius sermo est; hoc est diuersa prorsus ratio, quæ a Physico consideranda non sit; sed ab eo, qui de intellectu agit. Neque me mouet id, quod Alexandro obiecit Philoponus. Quia tanta est verborum diuersitas, vt facilè possit alter locus de intellectu nostro accipi, alter de abstractarum substantiarum mente.

Altera interpretatio potior videtur, vt de intellectu nostro loquutus sit Aristoteles; is enim duobus modis cõsiderari potest. Aut quatenus circa res materiales & sensatas ratiocinatur ex ijs, quæ sensibus percipiuntur, atque imaginatione subministrantur, earum rationes & causas inuestigando, atque earum effectis colligendo causas, & rursum ex causis condendo effectus. Aut quatenus substantias immateriales & abstractas contemplatur, aut scientarum habitus ita sibi comparauit, vt penes ipsum sit contemplari, quando voluerit. Priori modo, cùm a sensibus pendeat & imaginatione, superiùs dictum. Quibuscunque ineſt ratiocinatio, ineſſe omnia reliqua, præsertim sensum & imaginationem. Posteriori autem modo intellectum considerans, & mentem vocat Theoreticum, non ratiocinantem, & alium esse eo affirmat esse sermonem, hoc est alio modo scribere in illa operatione: Eam scilicet à sensibus non pendere, neque ab inferioribus facultatibus: sed intellectui conuenire, vt est intellectus & habitus scientiarum, & verò etiam à corpore & sensibus separatus. Fortasse

fortasse etiam ratiocinationem primo loco dixit intellectum, quandiu est in corpore & pendenter à sensibus intelligit ratiocinando. Et ideò dixit; Quibus inest ratiocinatio mortaliũ. Intellectum autem Theoreticum appellauit intellectum nostrum absolutè & à corpore separatum; quem in textu 21. dixerat posse solum à corpore separari. De hoc namque alius est sermo: quia & esse potest & operari sine inferioribus cæteris animæ facultatibus.

TEXTVS.

Οπερ οὖν περὶ ἑκάστου λόγος οὗτος οἰκειότατος ἢ περὶ ψυχῆς ὅλου.

Quod igitur de horum vnoquoque ratio hæc proprissima, & de anima, manifestum.

COMMENTARIVS XXXV.

POstrema hæc verba, quibus omnia concludit, S. Thomas intellexit de superiùs dictis: definitionem scilicet animæ antea expositam maximè propriè vnicuique animæ conuenire. Sed meliùs multò Themistius, Philoponus, Simplicius, Auerroës, & Albertus ad sequentem referunt tractationem de singulis animæ partibus & facultatibus seorsim. Nam cùm eas omnes ordinauerit, & quomodo in viuentibus sese habeant docuerit: præterea etiam dixerit, ex generali sola definitione proposita speciales earum rationes non satis intelligi: neque debere nos generali illa definitione contentos esse; optimè subiungens specialem singulorum tractationem futuram: hanc demum ait propriam ac specialem cuiusque facultatis considerationem proprijssimam futuram esse, & maximè huic tractationi de anima accommodatam.

DIGRESSIO XIV.
De Animæ facultatibus.

HÆc sunt, quæ de animæ facultatibus vniuersè à Philosopho tradita sunt. In quibus satis quidem explicauit, tum diuersa illarum genera & ordinem, tum quomodo sint in viuentibus distributæ. At quomodo eæ, tum inter se, tum ab anima, cuius facultates sunt, distinguantur; non æquè apertè docuit. Anima coniungitur cum corpore, non solùm vt det esse, sed etiam vt operationem tribuat. Vtrũque & vidit & præclarè hactenus tradidit Philosophus: dum principio illam considerans vt formam, duplicem eius definitionem colligit; quã manifestũ est, eam immediatè & seipsa coniungi cum corpore, dareque illi essentiam tribuendo seipsam, vt essentialem formam. Deinde aggressus est agere de illius facultatibus. At non satis intelligitur, an ipsa quoque immediatè tribuat operationem, sitque ipsamet facultas operans: an verò posterius hoc munus per qualitatem aliquam exequatur, quę illius sit facultas & operandi virtus: Facultatis nomine nil aliud significando, quàm habilitatem ad agendum quidpiam. Hoc nobis attentiùs considerandum est, & pluribus explicandũ. At paulò altiùs exordiendũ.

An substantia immediatè operetur.

Agentia naturalia operantur quidẽ per suam substantiæ formam, tanquam per principium primum ac præcipuum: vtũtur tamen qualitatibus vt instrumentis, quibus ita alterant & trãsmutant materiã, vt non easdem numero formas, siue accidentiũ, siue substantiæ, communicent, quas ipsa habet: sed alias illis similes ex materię potestate educant; accidentarias primũ alteratione, deinde & substãtiales, substãtiali ortu, tanquam vltimũ suæ operationis terminũ, quo acquisito cesset omnis actio & motus; vt est in tex. 55. prioris lib. de ortu atq. interitu. Itaq. præter coniunctionem & eõcursum vniuersaliũ & particularium causarum, in ipsis quoq. particularibus causis altera coniunctio est necessaria, primarij agentis & instrumenti. Etenim naturalia hæc agentia quodam quidem modo perfectionem diuinam imitari videntur, dum non sunt stolida, & sterilia; sed fœcunda, possũntq. operari, ac sibi simile procreare. At in agẽte vnoquoq. tria omnino continentur, essentia, facultas operandi, & operatio. Essentia absolutũ quidpiam & per se consideratum significat, quod ex gradibus & partibus essentialibus constet. Facultas priuationem quidem quandam inuoluit eius, cuius facultas est. Verùm vt facultas patiendi materiæ præter actus formalis priuationem, entitas quæpiam est ad suscipiendã formam apta. Sic facultas agendi formæ non est sola operationis priuatio, sed absolutum quidpiam, quod operationem eam velut actum secundum promere possit. Itaq. essentia primùm gradibus suis & partibus constituitur; essentiam deinde facultas sequitur operandi; ac demum ex essentia & facultate prodit operatio. Ex quibus videntur peti tres ex illis modis per se, qui numerantur in textu 9. prioris lib. de Poster. Analysi; quorum primus connexionem habet graduum essentialium, secundus connexionem virtutum seu proprietatum cum essentia, quartus & vltimus operationes.

Iam si in essentia velis gradus distinguere; in immaterialibus primùm est gradus generis, & in materialibus materia tanquam patiendi & susciendi facultas. Illi mox aduenit differentia, huic substantiæ forma, velut essentialis actus. Inde facultas & operatio, velut actus & perfectio facultatis & operantis naturæ. Quamquam alio modo facultatem consequitur operatio, quàm facultas essentiam. Facultas ex essentia spõtè erumpit, simplici illa emanatione, quæ conatum nullum requirit essentiæ, à qua emanat. Operatio opus habet conatu, tum essentiæ, tum facultatis: neque simplex emanatio, sed vera efficientia productio illius nominatur. Facultas igitur patiendi quoquo modo ante omnem operationem consideratur, dum in vna tantum natura accipitur. At agendi facultas inter duplicem actum est media; inter actum primum essentiæ, & actum secundum operationis, velut aptitudo & habilitas essentiæ in eum finem comparata, vt per eam essentia conuenientem suæ naturæ operationem promere possit. Quare non est præcipua operationis causa; sed velut præcipuæ ac primariæ causæ aptitudo.

Hæc omnia in solo Deo propter essentiæ infinitatem idem prorsus sunt; in cæteris omnibus necesse est distingui. Ac operationem quidem certum est ab essentia differre. Facultatem autem, vt operationis principium significat, quoquo modo distinguendam esse, ex conditione atque imperfectione creatorum omnium agentium cognoscitur. Quia cùm entia sint finita & limitata, quę actu constent & potestate; absorbere nequeunt, sibique identificare virtutem suam & facultatem agendi. Sed vt essentia certis gradibus generis & differentiæ continetur; sic vt operetur, ali-

quid aliud præter essentiam addi oportet, quod agēdi sit virtus. Vt neque essentia sit actus purus, neque esse operatiuum: sed & illa genere & differentia, potestate & actu constet: & hoc quasi ex pluribus agentibus, primario & instrumentario, essentia, & facultate conflatū sit. Ex his enim tribus essentia, virtute, & operatione, vnum integrum ens & vnicum absolutum agens constituitur, quòd habet vnum integrum esse operatiuum; & ideo vnica sequitur simplex actio, quæ est à toto agente. In quo vt quoad esse virtus agendi subordinatur agenti; sic etiam quo ad operationem. Quia enim virtus illa in rebus creatis est accidens; vt accidens quoad esse est entis ens, ita in operatione non nisi propter illud operatur: operatio quippe essentiam sequitur.

Actio igitur tribuenda est toti agenti, sed suppositō, tanquam principio quod, vt in scholis loquimur; eius enim est operari, cuius est esse. Ex quo habuit ortum peruulgata propositio, quæ ex cap. 2. Proœmij Metaph. colligitur; Actiones sunt suppositorum. Quemadmodum tamen in composito duplex principium substantiæ distinguitur; alterum materiale & susciens; alterum formale & constituens; & præterea adsunt alia principia, quibus accidentariè constituitur. Ita etiam in operatione duplex principium substantiale separare oportet. Alterum est materia, in qua suscipitur actio; alterum substantiæ forma, quæ agendi principium existit. Quam ob causam in textu 53. prioris libri de ortu & interitu materiæ dicitur esse pati & moueri, mouere autem & agere alterius virtutis. Accidentia tamen, quæ in agente continentur, non sunt otiosa; sed vt dant esse accidentarium, quod est propter esse substantiale; ita principia sunt operationis accidentaria, & propter principium substantiale, quod est forma. Quocirca nullū est accidens in cōposito, quod non aliquid ad agendum conferat. Nam & illa ipsa quæ ineptissima atque inertissima videntur, vt quātitas, figura, raritas, densitas, & similia; etsi verè nihil agant, sunt tamen actionis conditiones & aliquid cōferunt, vt celeriùs, aut tardiùs, faciliùs, aut difficiliùs actio perficiatur: aut saltem conditiones materiæ sunt, vt actionem suscipiat.

Natura & agētis similitudo.

Quæ omnia si cum ijs conferantur, quæ in superioribus dicta sunt de operatione naturæ; mirus in omnibus apparebit consensus. Natura operationis principium dicitur; sed principium quo, & ideò principium in eo, in quo est. Vt ipsum ens naturale, quod est compositum, sit id, quod verè operatur: in eo tamen principium quo patiens est materia, & agens forma; & præter has adsunt adhuc qualitates, vt grauitas & leuitas in elementis, tanquam illius operationis instrumenta. Et in efficientis quoque actione & passione totum compositum agit & patitur vt quod; sed duo habet substantialia principia, quorum altero suscipit, altero efficit actionem; & præterea qualitates actrices vt instrumentalia principia: non quidem patiendi; quoniam materia vt subsistens quidpiam & imperfectum aptum perfici & sustentare omnia alia, sine vllis instrumentis seipsa suscipit, vt operationem actiuæ naturæ, sic efficientis actionem: sed solùm actionis: vt sicut qualitates motrices sunt solius formæ instrumenta vt est natura; sic alteratrices eiusdem solius sunt instrumenta, vt est efficiens. Instrumentum quippe cùm sit principium actionis quoddam, cōparatione actionis duntaxat nominatur.

At enim grauissima est hoc loco difficultas, cur substantia nequeat immediatè quidquam operari, sed aliquo semper instrumento & accidentaria virtute indigeat. Rem ita se habere, constat tum Aristotelis testimonio in libro de sensu & sensili cap. 4. cuius hæc sunt verba. Ignis non agit vt ignis, sed vt calidus: de quo Alexander Comment. 30. Tum Iesus, quo ignem per calorem calefacere, & animal per semen generare deprehendimus; neque vllum p ercipimus immediatam substantiæ actionem, sed accidentium solam, vt instrumentorum. In artibus etiam, quæ imitantur naturam, artificis idea, artisq; forma nihil immediatè, sed omnia per instrumenta exequitur. In solo Deo actio est illius substantia, quòd naturæ infinitas absorbeat omnia.

Cur autem cæteræ substantiæ immediatè non agant: in vera quidem & propria actione à Physica, quæ est productio formæ, non est difficile animad- uertere. Quoniam hæc actio esse non potest, nisi vbi est contrarietas, quia semper est cum expulsione contrariæ formæ. Quare cùm in substantia non sit contrarietas, sed in accidentibus, non potest substantia nisi per accidentia agere. Difficilius est actionem communem omni operationi adferre. Mihi verò tria videntur posse dici. Primum, actionem significare perfectionem quandam, qua agens potest aliquid alteri tribuere, passionem autem imperfectionem, carentiam, & egestatem, qua patiens capit ab alio aliquid, quod illi deest. Cùm igitur omnis substantia intrinsecè dicat imperfectionem, carentiam, & egestatem, conuenit illi ex propria natura pati, & accipere ab alio. Non conuenit tamen agere, quia cùm tota rei creatæ perfectio sit ex multis conflata, quæ propter naturæ finitatem nequeunt fieri idem, vim agendi necesse est aliquid esse distinctum, naturęque & essentię addictum. Atque hoc colligitur ex reipsa in se considerata. Vt enim quoad esse non est sola substantia, sed perfectiones multas habet accidentarias sibi additas; ita quoad esse operatiuum non potest se sola continere, sed accidentarijs quibusdam principijs iuuari debet.

Alterum, hanc esse naturam & conditionem substantiæ. Neque enim alia est ratio, cur accidentia plurima vim habeant operandi, nisi illorum natura. Nam etsi principes quatuor qualitates agant, quæ sint contrariæ; Qualitatum tamen motricum operatio nullam habet contrarietatem ex parte qualitatis; sed solùm ratione loci, ex quo & ad quem mouent. Immò in ijs quoque, quæ contrarium habent, oritur quidem ex contrarietate, vt vna qualitas superet aliā: at quòd vim habeat producendi similem aliam, quā ipsius naturam, non videtur habere causam. Quare etiam cōtrariam non interimit, nisi quatenus similē producit: etsi esset materia nuda, calorabile cōtrarietate, aut vllius interitu calorem produceret.

Tertium; substantiam vt est substantia, quoddam esse absolutum, & per se cohærēs significare; & non vt est substantia, non posse coniungi aut dare sese alteri; sed solùm in seipsa subsistere, & suscipere potius ac sustentare cætera, quæ illi adiunguntur. Accidentia, quę dicunt esse quoddam alterius, nempe substantię, commodius possunt esse virtutes & instrumenta, quibus vtatur substantia. Maximè quòd operari accidentarium quidpiam est; & rei cuiuspiam essentia est potiùs in se, atque in gradum conferre, quàm in operatione & actione. Propterea in rebus creatis, in quibus operatio est accidens, ea colere magis videtur cum accidētario, quàm cum substātiali principio, à quo immediatè proficiscatur.

In omni igitur operatione naturalium totum compositum est id, quod operatur. Id verò, ratione A cuius, seu quo operatur, est illius forma substantiæ; nam ideò operatur, vt aliquid illi simile efficiat: hóque tandem per qualitatum actionem assequitur. In artibus quoque artifex operatur: sed per ideam primariò, cui vult aliquid simile efficere; & per instrumentum, cuius motu assequitur finem. Hoc tamen inter est, quòd agentis naturalis instrumentum propriam habet operationem, qua primarij agentis intentionem exequitur: artium autem instrumenta nil aliud habent, quàm motum, quo ab artifice impelluntur. Vt tamen in artibus eadē operatio, quæ est motus instrumēti, instrumento tribuitur, artifici, & formæ artis: sic in B natura eadem operatio accidentium, quæ sunt substantiæ virtus, dicitur esse totius cōpositi, quod per eam virtutem operatur; & formæ illius primariò, vt principij quo; quia etsi ea dicatur finis actionis, vt illi debet fieri aliquid simile; dicitur tamen etiam principium quo, vt ab agente coniungitur cum alio instrumento ad eam similitudinem perficiendam. Ac demum dicitur esse ipsorum accidentium tanquam principij, quo vt instrumento, agens id, quod quærit, assequitur. Sed artis instrumenta sunt separata, natura plerumque coniunctis vtitur. Atque in artis instrumentis separatis, cùm non operentur nisi ab artifice mota, duę cernuntur actiones. C Altera est motus primi agentis, altera effectus instrumenti, vt scissio serræ. In instrumentis coniunctis naturæ distincto motu non est opus, sed vnica est actio instrumenti, quæ proxima est à qualitate & primario à substantia, propter intrinsecam connexionem, qua qualitas substantiæ virtus esse dicitur. Immò in hoc instrumentorum genere non modò non requiritur primarij agentis motio, sed neque applicatio ad agendum, nisi propriam fortasse habeant partialem subsistentiam, vt manus in homine. Sed in qualitatibus absq. vlla applicatione vel motu prodit naturaliter actio, vt actus secundus à primo. Quæ tamen actio tribus præsertim rationibus pendet etiam à substantiæ forma. Tum propter inhærētiam & coniunctionem qualitatum cum substantia, cuius virtutes sunt & instrumenta. Tum propter virtutis illius agentis proportionem cum substantię forma. Tum verò propter agentis intentionem, qua per eas qualitates similem sibi substantiæ formam vult producere. De instrumentis separatis, vt semine, quibus interdum natura vtitur, eadem penè dicenda.

Ex quibus omnibus consequens est, qualitatum actionem non modò similis qualitatis, sed & substantiæ formæ productionem attingere. Est enim E vnica agentis actio per formam & qualitatem, quæ ab vtraque simul exit: ab vna proximè, ab altera primario. Et ideò ad alias duas illis similes terminatur, primùm ad accidentariam, deinde ad substantialem. Immò etiam ad totum compositum, quia est actio totius vt principij quod, quę productionem attingit substantialis formę, non separatæ, sed in materia. Itaque eadem actio comparatione diuersorum terminorum & alteratio dicitur, vt ad qualitatem terminatur: & substantiæ generatio, vt eiusmodi formam adducit. Sic actio caloris, & calefactio vocatur, & ignis generatio. Estque verissimum illud: Idem est, quod disponit materiam, & educit formam. Quoniam idem accidens, quod propria virtute disponit materiam, educit quoque formam, vt est alterius agentis instrumentum. Neque est ampliùs, quòd miremur, si ferrum candens per solum calorem (si modò solus in eo sit calor) producat ignem, animalis semen animal, & alia id genus instrumenta præstantes adeò effectus, immò accidens ipsum substantiam. Hæc enim perficiunt vt sunt instrumenta, virtutesque agendi potioris alterius agentis. Cum quo coniunctionem habent, si non inhærentiæ, proportionis certè & intentionis ipsius. Nam etsi semen non sit inhærendo coniunctum cum animali, proportionem tamen cum illo retinet, agitque semper iuxta intentionem, quam habuit agēs, quando illud emisit. Hinc etiam fortasse calor ab omni substantia separatus, si proportionem retineat, quam cum ea habebat, atque illius intentionem, poterit substantiam producere, quia semper virtute substātiæ aget. Cùm primùm autem illis destituetur, quia non ampliùs aget vt instrumentum substantię, sed virtute propria, solum calorem sibi similem procreabit. Producere enim nobiliorem effectum non conuenit illi, nisi vt est alterius instrumentum, agentisque primarij intentione operatur. Quam ob causam Aristoteles in textu 41. calorem dicet non esse absolutam accretionis viuentium causam, sed concausam potiùs & instrumentum animę, ceu primariæ causę, & textu 54. & 55. posterioris libri de ortu & interitu qualitates prę clarè distinguit esse instrumenta, formásque substantiæ primaria agētia. Propterea si in 1. lib. de part. animal. c. 1. semen dixerit principium esse & efficiēs animalis, quod gignitur, exposuit in c. 4. lib. 2. de eorundem ortu, & tex. 31. lib. 7. Metaph. seminis illam virtutem esse instrumentariam & arti persimilem. Ergò quia vnumquodq. operatur & producit aliud, vt est actu: accidens per se consideratum non nisi accidens potest producere; quia non est actus nisi illius generis. At vt substantiæ adiungitur, illiúsque virtute agit, substantiam quoque, eámque perfectissimam producet, quia est actus instrumentarius illius generis.

D Accidens autem agere virtute substantiæ, non est virtutem aliquam illi addi à substantia deriuatā, per quam operetur: aut ad operandum applicari à substantia: quemadmodum artium instrumenta & virtutem accipiunt & applicantur ab artifice. Sed solùm esse naturalem & propriam illius virtutem operandi, quæ intrinsecam cum ea cōnexionem & proportionem habeat: atque ex intentione agentis, cuius est instrumentum, dirigi ad producendum substantiam. Idcirco enim duntaxat illius virtute agere dicitur, hoc est tanquam naturalis eius virtus operandi. Semini quidem videtur tribui ab animali virtus quædam, qua producat animal, quia est instrumentum separatum. Sed tamen non ob hanc solam causam agere dicitur virtute animalis: quin potiùs, quòd ab illo decisum sit cum intentione producendi animal, sitque illius naturalis & proportionata agendi virtus. Quare in animalibus, quæ ex putredine nascuntur, quoniam qualitates eæ, quæ materiam disponunt, non agunt vt instrumenta, neque ex intentione particularis vlius agentis, in nullum agens particulare productiones eas referimus. Neque in ipsas qualitates, quòd effectus earum naturam & conditionem superet. Sed in Cœlum, generale agens, quod generali agendi virtute inferiores omnes formas virtute cōtineat. Cœli namq. lumen & calor disponit mate-

Instrumentaria natura est artis instrumenta.

Eadem actio ratione formæ, & accidentis.

Accidēs attingere productionem substantiæ.

Quid sit accidens agere in virtute substantiæ.

Quæ ex putredine nascuntur, à quo producantur.

riam & temperat qualitates; atque vt cœleste instrumentum qualitatibus ijs, quæ sunt in materia, determinatum id optimè præstare potest. Idem dixerim de metallorum, lapidum, aliorúmque mistorum inanimorum generatione; quæ nequaquam à simili procreantur.

Iam igitur his vniuersæ disputatis, ad animæ facultates accedendum est. Nullam creatam substantiam diximus immediatè & seipsa operari; sed virtute aliqua indigere, quæ sit qualitas ab ea distincta, ceu illius instrumentum. At quoniam instrumentum & virtus agendi proportionem habere debet cum præcipua agente causa; duo instrumentorum ac virtutum genera in natura cernuntur. Quemadmodum duo item sunt agentium genera. Quædam sunt agentia inanima, quorum virtus & instrumentum ad tertiam pertinet qualitatis speciem; quia aut est qualitas prima, aut secunda. Alia animata & viuentia; quorum virtus operandi secunda specie, quæ naturalium est facultatum, continetur. Ita fit, vt virtus operandi, quæ in Deo est ipsa eius substantia, in reliquis omnibus sit accidens, qualitas secundæ aut tertiæ speciei. Propterea quod extra ipsorum substantiam & naturam consideratur, nec in eorum definitionibus nominatur.

Duo instrumentorum genera in natura.

Si igitur anima, eiúsque facultates ad entium genera primò diuersa pertinent, aliquo modo, si non re, certè forma & definitione, distinguantur necesse est. Præsertim cùm facultas essentiam animæ perfectam supponat: sicut quodlibet instrumentum & virtus agentis supponit agens, atque illi ad promouendam eius actionem adiungitur. Principiúmque operandi, quale est facultas, supponit principium essendi, cuius generis est anima. Neque demum ordo ad operationes in esse tiali substantię conceptu continetur. Anima enim vt actus essentialis totum corpus organicum velut subiectum respicit. At vt est potens operari, respicit operationes tanquam actus primus secundos, & alias, atque alias corporis partes, vt primarium agens illarum perficiendarum instrumenta non autem vt actus potestatem, & forma materiam. Quò fit, vt qui habet tactum, non continuò cæteris sensibus polleat, atque vna facultas sine cæteris reperiatur. Oculos habet quispiam, nec tamen videre potest. Quoniam oculi illi possunt quidē esse animæ subiectum, at non operandi instrumenta, adestque illis animæ substantia, at non operandi facultas. Aliud igitur anima est, aliud facultas. Obliqua etiam de facultatibus dicuntur, quæ de essentia animæ dici non possunt: vt illud, sensum aut intellectum actu suadere rem, quam sensit aut intelligit. Facultates item, vt sensitiuum & vegetatiuum, appellat Aristoteles differentias animæ: differentia enim aliquid significat superadditum & distinctum ab eo, cuius est differentia. Accedit, quòd si nulla esset facultatum distinctio ab anima, ne ipsæ quidem inter se distinguerentur, sed videndi facultas esset essentialiter facultas item audiendi, intelligendi, & alia quæuis. Cùm tamen diuersos obseruamus actus, qui diuersas facultates testentur. Estque ineptum existimare aspectum formaliter audire, auditum tangere, & his similia: quæ verè prorsus dicerentur, si nulla foret distinctio. Nulla item esset inter facultates nobilitatis, ac perfectionis differentia: nulla in homine facultas organica, in quo sola est intelligens anima: nulla intellectus & voluntatis distinctio. Quia cùm facultates sint inorganicæ, nequeunt ex organorum diuersitate distingui, quemadmodum Nominales dixerunt Ochamus, Gabriel, Ariminensis, & Marsilius. Sed ne reliquæ quidem in homine distinguerentur, quòd organicæ non sint. Denique confirmat experientia, vnam animæ virtutem habere actus plures & contrarios, vt actum rectæ rationis, & actus pessimos partis, qui cùm vicissim in homine pugnent, fieri non potest, vt ab eodem principio omnes immediatè proficiscātur: sed plures necesse est esse facultates ab eo quoquo modo distinctas. Ita enim vnam animā & plures facultates dicimus.

Facultates aliquo modo distinguuntur ab anima, & inter se.

Cæterùm minùs probandum est, quod S. Bonauentura in 2. sententiarum libro dist. 14. & alij nonnulli eas dixerunt re distingui inter se, non ab anima, sed esse velut partes ipsius integrantes: & ideo nec esse accidentia, nec de genere qualitatis, sed ad substantiæ genus reduci.

Durandus verò in 1. lib. dist. 3. vegetantes facultates propterea voluit ab anima ratione sola distinguui, quoniam cùm substantiam producant (augumentem enim nequaquam ille à nutriente separari) omnino debent esse substantiæ: Ab anima tamen non distinctæ, quia dum eæ intelliguntur esse anima, vna substantia esse in alia vt in subiecto. Sentientes autem & intelligentes tum ab anima tum inter se re distinxit. Quòd hę animę ad plures operationes indifferentes sunt, ab aliquo determinari debent. Et aliquæ materiales sint & organicæ, aliæ immateriales & inorganicæ. Atque cum addens solum quodpiam producant, possunt & non esse accidentia: re tamen distincta ab anima, atque adeò inter se; quòd vna interdùm pereat incolumi altera. Neque enim Cœcus propterea dicitur, quòd sola careat operatione; alioqui dormiens quoque diceretur cœcus. Neque quòd careat anima, quoniam adhuc viuit & sentit. Sed quòd careat faculate, quæ incolumi anima destructa est. Intellectum tamen & voluntatem re inter se eam distingui. Tum quia vt in naturalibus appetitus non est facultas distincta à mouente, vt appetitus descendendi à grauitate: sic appetitus intelligens in intelligente facultate distingui non debet. Tum quia si idem lumen & illuminare potest & calefacere, quidni & cognoscere & appetere possit eadem facultas, cùm sint operationes inter se ordinatæ.

Cæterùm quidquid sit de quæstione propositi in his certè, quæ ad suam sententiā confirmandam adfert Durandus, multa peccat. Primum; quòd in facultatibus vegetantibus substantiam accon immediatè & per se agere; substantiámque aliquope instrumenti procreare. Quòd & iam confutatum est; & si ita esset, multò minùs necessarium erat reliquas facultates re ab anima separare. Si enim anima vegetans potest immediatè substantiam producere; ea sanè non nisi per aliquam & operationem producunt. Oportet igitur illam quoque operationem producat. At sentiens anima & intelligens, quæ perfectiores sunt, multò magis immediatè possent suas operationes producere. Deinde rationes, quas pro hisce duabus animabus adfert, potuissent quoque efficere, vt idem de vegetante sentiret; quæ non minùs est ad plures operationes indifferens. Quam si determinari dicat ab obiecto, in reliquis idem dicere debuisset. Quòd item aliquæ organicæ sint, aliæ inorganicæ; non est harum animarum proprium, solámque probat sententiam facultatum

facultatum ab intelligentibus distinctionem. Aut si facultatum ab anima distinctionem velit conficere; conficiet quidem in homine sentientes facultates organicas ab inorganica intelligente anima distingui: at eodem modo vegetantes quoque hominis facultates ab anima distinctas esse concludet. In alijs animalibus nihil conficiet: quòd anima sit organica, sicut & facultates. Neque in homine facultatum intelligentium, quæ inorganicæ sunt, distinctionem obtinebit. Quòd autem addit de cœcitate, potest illum in facultatibus vegetantibus vrgere. Quænam enim ex ipso, cur sterilis non gignat, neque senex crescat; hásque facultates conficiam re ab anima distingui: Immò si propterea colligat sentientes facultates re inter se se distingui, quòd vna pereat incolumi altera; de vegetantibus idem licet colligere, in quibus auctrix & genitrix tolluntur vigente semper ea; quæ nutrit. Quòd si re inter se distinguantur, distinguentur item ab anima; quod ab ea nimirum separent. Denique vt non sit hoc loco de intellectus & voluntatis distinctione disputandum: quæ tamen subjungit Durandus, non magis harum facultatum distinctionem impugnant, quàm sentientis appetitus à sensu separationem. Verùm hic appetitus, siue intelligens sit, siuè sentiens, elicitum actum secundum significat; quem naturalis appetitus non habet. Num autem propterea distinctam esse oporteat facultatem, alio loco examinabitur.

Tertia opinio.

Duæ sunt probabiliores sententiæ altera sancti Thomæ, altera Scoti; vtrumque sequuntur plurimi. Sanctus Thomas pluribus in locis facultates omnes, tum ab anima, tum inter se re ipsa distinguendas esse constituit. Ita visus est sentire Philosophus; cùm & animam sæpè dixit esse vnam, facultates plures: & in textu 19. dubitauit, num facultates in corpore loco essent distinctæ: & in tertio libro tex. 3. & 4. Intellectum à sensu separauit; quod ille inorganicus sit & impermistus, facultates cæteræ organicæ atque cum corpore permistæ. Et in lib. de Iuuent. & senect. cap. 2. generalem illam pronuntiauit propositionem; Quod vtitur distinctum esse oporet ab eo, quo vtitur: quippe anima suis, dum operatur, facultatibus vtitur. Ac demum in libris de moribus, in facultatibus, non in animæ substantia, virtutes omnes posuit.

Quod si rem ipsam penitus consideres, idem plane conficies. Substantia namque nulla creata immediatè potest & seipsa operari; sed tria oportet in ea distinguere, essentiam, virtutem operandi, & operationem. Eiusdémque generis actum & facultatem esse oportet: quoniam cùm facultas perfici actu debeat, perficitur essentialiter vnumquodque ab eo, quod eiusdem sit generis. Actus & operatio animæ est accidens; facultatem igitur quoque necesse est esse accidens, non substantiam. Neque enim consueuit natura ab extremo ad extremum sine medio transire; sed operibus eius maximè consentaneum est, inter animæ permanentem substantiam, & operationem, quæ est accidens transiens, mediam esse facultatem accidens permanens. Deinde si anima esset re ipsa sua facultas quia intrinsecum illi est dare actum, sicut quandiu est in corpore semper format, quia se ipsa format: ita si seipsa operaretur, operaretur semper. Immò vero frustra alioqui ponerentur in ea facultates, quæ non aliam ob causam ponuntur, quam quod anima non potest se ipsa operari. Tum vero illud ipsum argumentum, quo antea distinctio aliqua probabatur poterit hoc quoque loco distinctionem rerum persuadere. Nam si facultates eadem res essent cum anima, eadem essent & ipsæ: at qui credi potest, eandem rem esse facultates videndi, audiendi, appetendi, mouendi, intelligendi quarũ tantopere diuersa sunt organa, dissitæque operationes, vt vna etiam extingui penitus possit altera remanente. Certè si à commutata proportione liceat argumentari. Vt se habet esse ad essentiam, ita & operatio ad facultatem; Igitur quę est ratio operationis ad esse, eam esse oportet facultatis ad essentiam, itaque cùm operatio re ab esse distinguatur, distinguetur item re facultas ab essentia. Præsertim cum esse & operatio sint effectus essentię & facultatis, & quidem distincti, qui principia quoque distincta ostendant. Quin etiam ex facultatibus intelligentibus reliquarum item distinctio colligi potest. Eas vero omnino distingui necesse est ab anima: quoniam anima definitur esse actus corporis, intellectus autem nullius corporis est actus. Mitto animam esse substantiam, facultates accidentia: animam per se existere, facultates in ea inhærere. Vnum illud addam. In Elementis, quę infimę conditionis substantię sunt, maximéque ad accidentium naturam accedunt, virtutes sunt operandi re ab illorum substantia diuersę, qualitates scilicet alteratrices & motrices: multóque magis virtutes animæ, quę substantia perfectior est, ponendę sunt re ab illa distinctę. Cùm præsertim substantia nulla possit se ipsa operari, sed omnis operatio accidentium sit & qualitatum à substantia distinctarum.

Quarta Opinio.

Scotus tamen in 2. sent. dist. 16. non re, sed forma duntaxat, tum inter se, tum ab anima eas distinguere maluit: vt eadem anima, quatenus dat esse & absolutè consideratur, appelletur substantia & anima: vt autem operandi principium est, atque ad aliud refertur, dicatur facultas, ac demum vt diuersarum operationum in diuersis organis principium existit, alias atque alias constituat facultates. Etenim in primo lib. huius operis textu 9. facultates hę partes animę appellantur: accidens substantię pars appellari non potest. Et in textu 65. intellectus dicitur esse substantia immortalis. Quod eo etiam argumento confirmatur, quia si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis quoniam anima non est in senio debilitata, sed solum organum: At si facultas rem distinctam ab anima significaret, non solum organum debilitatum fuisset, sed facultas quoque: neque sola organi nutatio ad perfectam visionem recuperandam satis esset. In hoc autem 2. lib. tex. 9. vt ostenderet Philosophus animã esse actũ corporis essentialẽ, aspectũ accepit esse actũ essentialẽ oculi, eámq. esse totius sensus rationem ad totũ corpus, quę est aspectus ad oculum: certum autem est, actum essentialem oculi esse animam, cùm oculus pars sit animata. In eandem sententiam scripsit in textu 10. animam esse vt facultatem instrumenti: vt quemadmodum ex aspiciendi facultate, & pupilla fit oculus, ita ex anima & corpore constet animal. Deinde à textu 13. dum gradus deinceps viuentium distinxit, facultatibus eos & constituit & distinxit: atque in consequenti tractatione ita de facultatibus disseruit, vt de ipsis animę partibus dicere se arbitraretur. Inter cętera in textu 19. quęsiuit, num

facultates loco sint distinctę, an sola ratione: & respondit in textu 20. eas nequaquam loco esse distinctas; quasi solam rationis distinctionem relinquens. In textu vicesimoprimo. Intellectum & theoreticam facultatem genus aliud esse animæ affirmauit, quod solum à corpore separetur, tanquam perpetuum à mortali. Facultatem ipsam genus animæ nominauit; est igitur idem re cum anima: & si facultas à corpore separetur, nimirum substantia est. In textu 22. alias animæ partes pronuntiauit separari non posse, nisi sola ratione; vt sentiens & opinans. In textu 27. & deinceps, dum de facultatibus disputauit, eas perpetuò animarum nomine appellauit; ijsque affirmauit viuentia distingui, tum inter se, tum à non viuentibus. In textu 36. anima est corporis causa, & formalis, & finalis & efficiens. Est autem efficiens causa, quia est principium operationum in illo. Et in textu 41. accretionis causam posuit animam & calorem. Quòd si facultates distinguerentur ab anima, ipsæ potiùs & accretionis & operationum omnium essent efficiens causa. Denique in textu 42. vegetantem & gignentem prodidit eandem esse animæ facultatem. Iam inter Peripateticos illustre est illud Alexandri testimonium apud Auerroëm comment. 20. lib. 7. Phys. Aristotelem affirmantis eo loco non probasse, ad secundam qualitatis speciem non esse motum; quòd naturales facultates, quæ ad illam pertinent, idem sunt cum substantia, ad quam nullus est motus, vt in 5. libro fuerat declaratum.

Mitto Argumenta permulta, quæ tum ab huius sententiæ auctoribus, tum ab alijs congeruntur. Illud quidem certè in scholis Philosophorum est peruulgatum, non esse multiplicanda entia sine necessitate: nec omnino quidquam est, quod sola formali distinctione, organorúmque diuersitate non facile explicetur. Nam si hoc non sit satis; An quia substantia nequit seipsa immediatè operari? At operatur accidens, ens imperfectius. Deinde præsto est natiuus calor, adestque spiritus, quibus vtatur anima. An quia plures operationes interse distinctæ ab vnica nequeunt entitate proficisci? At diuersa sunt organa, quibus ea diuersas exequatur actiones. Et ab eodē calore an nō oriūtur calefactio rarefactio, aliæque similes operationes? Quæ si inter se ordinatæ esse dicantur; an non ab intellectu proficiscuntur assensio, & dissensio, atque à voluntate volitio & nolitio; actiones non diuersæ modo, sed & oppositæ. Deinde vt se habet virtus calefaciendi ad calorem ita facultas animæ ad animam; virtus autem calefaciendi nequaquam re à calore distinguitur. Nequelicet respondere, calefaciendi vim à calore propterea non distingui, quòd calor sua natura ordinatur ad operationem: anima verò immediatè comparata est vt det esse. Quoniam calor quoque forma quæpiam est & qualitas, quæ per ordinem ad subiectum naturam suam habet: primúmque ad dandum esse & afficiendum subiectum, deinde ad operandum refertur. Accedit, quòd vt potestas patiendi materiæ est idem re cum illa, ita de agendi animæ potestate æquum est existimare. Præsertim cùm actus primus suapte natura spectet secundum, illiúsque principium sit. Denique si hæ facultates re ab anima differrent, possent sanè à Deo ita separari, vt ab oculo (idem de reliquis dicas) auferretur anima relicta facultate videndi: posséteque oculus absque anima videre & iudicare de obiectis. At vbi non est anima & vita, esse nequit operatio vlla animata & vitalis, quæ non nisi à principio coniuncto & vitali proficiscitur. Ut verò accidens separatum (sola scilicet facultas separata) ab anima fieri posset beatum. Quæ liber enim forma, quæ sit ratio agendi, si per se subsistat, agere potest; quemadmodum calor separatus calefaceret nimirum. Quare si intellectus & voluntas separarentur ab anima, intelligere possent & amare, atque adeo beari; cùm in harum cognitione & amore Dei posita sit omnis nostra beatitudo. Id verò nequaquā sapientes dici posse, demonstrabunt Theologi.

Hæc tum pro sancto Thoma, tum pro Scoto disputari posse videntur. Vter melius senserit, viderint sapientiores Philosophi. Equidem vt in posteriorem partem magis proponendam quæ simpliciter quoque fuit in com. tex. 7. & 9. lib. 1. nihil tamen video demonstratum, sed probabilioribus argumentis confirmatum; neque ex Aristotele quidquam certi habemus. Magnopere illius ingenium probo, qui in re dubia & probabili vtramque partem probabiliter tuebitur. Etenim necessaria quidem est aliqua & ab anima & inter se facultatum distinctio; at minimè necessarium videtur eam esse distinctionē rerū. Nam etsi in rebus omnibus materia aliquo sit opus instrumento re ab illis distincto ijs, quæ anima carent, est manifestum: hoc tamen animatis dici potest esse organum corporis, tum, & calorem innatum; quibus anima munia omnia exequitur. Quare si facultates sumantur pro organis ad operandum necessarijs, re ipsa sanè distinguuntur ab anima; non minùs, quàm inanimatorum instrumenta ab ijs formis, quarum sunt instrumenta. At si solam significent habilitatem animæ, ac principium, quo per ea instrumenta elicitur operatio: hoc differunt ab inanimis animata, quòd in illis facultates operandi re quidem discrepant à substantia & forma operante; sed idem sunt cum instrumentis. Virtus enim calefaciendi ignem differt à forma substantiæ ignis: at idem est cum calore, qui & calefaciendi virtus appellatur, quatenus est calefactionis principium; & item instrumentum, quatenus per illum ignis operatur. Quanquam si vera esset illa sententia, quam grauissimi asseruerunt Philosophi; primas qualitates forma esse Elementorum substantiales, ne hoc quidem foret vniuersè verum. At si in hoc entium genere facultas distinguitur à substantia, id ex imperfectione manatur: & ideò inanimatæ formæ comparatione animatarum appellantur mortuæ. In animatis autem propter maiorem horum entium perfectionem, facultas est idem re cum substantia. Sunt enim substantiæ viuentes, séque ipsis potentes operari. Forma tamen distinguitur, quia non tantam habent perfectionem, vt eam sibi omnino identificare possint.

Itaque tribus modis se se habet in rebus agentis facultas. Perfectissimo modo in Deo supremo omnium agente. In quo propter summam eius perfectionem atque infinitam & illimitatam entis rationem idem re & forma est cum ipsius essentia, sola que mentis nostræ actione distinguitur. Imperfectissimo in rebus inanimis, in quibus propter summam imperfectionem re ipsa distinguitur. Medio modo in animatis & intelligentibus, in quibus propter maiorem illarum perfectionem est idem re. Et ideò ex se ipsis operari dicuntur. Sed forma distinguitur & definitione: propterea quod tantam vim non habet essentia vt rationem omnem facultatis absorbeat, quemadmodum absorbet infinitas

Dei

Dei perfectio. Hoc tamen inter animata & intelligentias à materia penitus remotas interest. Quòd animatæ res præter formalem hanc facultatum ab essentia distinctionem organis quoque opus habent, spiritu, & calore, distinctis re. Separatę mẽtes nullo indigent instrumento re ab ipsis diuerso. Quò fit, vt modus is operandi intelligentiarum per facultates forma duntaxat distinctas, medius sit inter modum operandi Dei per suam essentiam, & rerum animatarum, quæ organa item re diuersa habent. Ac rursum modus operandi rerum animatarum sit medius inter modum intelligentiarum per solas facultates forma distinctas, & rerum inanimarum, quæ solis instrumentis re distinctis nituntur. Vnde admirabilis planè insurgit ordo agentium in diuersos tributus in natura: Primum Dei, secundum separatum mentium, Tertium rerum animatarum, postremum rerum in animatarum.

Ad argumenta Opponentis.

Quæ verò ad realem distinctionem ostendendam proponebantur, non est difficile explicare: nam dum anima dicitur esse vna, & facultates plures: aut satis est distinctio formalis: aut si realis quæratur, ea ex diuersis organis petenda est. In quibus re distinctis dum considerantur facultates, ipsæ quoque re distinctæ existimantur. Ex eo autem loco, in quo proposuit Philosophus, num eę distinguantur, loco, contrarium potius concluditur. Dum enim respondet, nequaquam loco distingui; sola superest rationis ac definitionis distinctio. Iam Intellectum esse organicum, sensúmque vt organo; non tam ostendi realem facultatum distinctionem ab anima, quã inter se. Sed ne hanc quidem nisi operantes facultates sumantur. Quia dum operantur, vnã vtitur organo, altera non vtitur. At si pro sola habilitate & principio accipiantur; solam indicat distinctionem formalem, tum inter se, tum ab anima. Quoniam eadem intelligens anima, vt secundùm suum gradum proprium operatur, non vtitur organo, atque intellectus vocatur: vt autem operatur secundùm graduminferiorem, organum quoque corporis adhibet & sensus nominatur. Pleraq. item alia de hac eadem formali distinctione intelligere oportet. Nam cùm id, quod vtitur, dicitur debere distingui ab eo, quo vtitur: nisi de instrumentis completis accipiatur, quale non est facultas absque organo; formalem solam distinctionem intelligas. Quemadmodum etiam cùm alias, atque alias virtutes in alijs atque alijs facultatibus Philosophus idem disposuit. Atque in rebus creatis essentia, virtus operandi, & operatio separantur. Sola enim hæc distinctio, quæ in re habeat fundamentum, satis potest vniuersum illud entium genus à Deo separare; in quo nullo modo, nisi mentis nostræ actione, illa omnia distinguuntur. Et si in quibusdam sit quoque rerum distinctio, ea ex nimia illorum entium imperfectione nascitur. Actum & facultatem debere esse eiusdem generis verissima sanè est propositio. Sed dum eam Philosophus pronuntiauit, genus & differentiam in singulis categorijs intellexit. Et cùm actum affirmamus esse oportere in eodem genere, in quo est facultas; sermo est de facultate patiendi aut obiectiua, quæ actuari debet ab actu: non de actiua, quæ actum debet producere. Deinde si argumentatio, quæ ex illa propositione ducebatur, quidquam efficeret; efficeret quoque animæ facultates in genere actionis, ad quod earum actus & operatio spectat, ponendas esse: quæ tamen secundam qualitatis speciem constituunt. Neque tamen propterea opus est eas distingui ab anima, quæ est substantia. Quoniam non omnia entium genera distingui, manifestum est in relatione & fundamento, quantitate & figura, actione & passione, & alijs pluribus. Negandum etiam, animam & operationem esse extrema: potius enim sunt vt causa & effectus; inter quæ si quid requiratur medium, illud erit accidens formaliter ab anima distinctum. Dum autem verentur, ne anima semper operetur, caueant; ne falcultates quoque re distinctæ operentur semper: cùm semper sint in anima. Deinde videant, non eandem esse rationem formalis actus & operationis. Nam ad diuersum causæ genus pertinent: & formalis perpetuò dat esse, at efficiens non semper operatur; quòd ab alijs pluribus, à quibus impediri potest, illius operatio pendet. Hanc enim ob causam deficiente obiecto, aut alia re ad operandum necessaria, non semper operatur anima. Præter quàm quòd formalis actus prouenit à forma communicante se ipsam: efficientis operatio aliquid est ab eo diuersum. Et facultates quidem cum organis coniunctæ, vt distinguuntur re, sic vna est nobilior altera: diserepantésque habent operationes, & vna incolumi perit altera. At si solitariè considerentur, vt habilitatem quandam significant; nec interse, nec ab anima secus distinguuntur, quàm vt vel per se & absolutè consideratur anima vt dat esse, vel vt in organo principium existit operandi. Neque vna perit sine altera; sed omnes simul cum anima inter imuntur in bestijs & plantis: in homine sunt immortales, quia nil aliud sunt, quàm ipsa anima potens hoc vel illo modo operari. Neque cœcum animal dicitur, quòd videndi facultatem amiserit; sed quod dispositionibus & organis ad eam necessarijs careat. Verùm etsi in ijs, quæ organicæ sunt, vnum concedamus sine altera interire; destructo scilicet organo, per quod anima poterat operari: Non licet tamen realem distinctionem inde concludere. Quoniam cùm res ordinem significet ad existentiam, diuersæ res eæ dicuntur, quæ diuersas habere possunt existẽtias, ac seorsim separatæ ambę existere. Quare dum vna facultas ita ab altera aut ab anima separatur, vt penitus intereat, nec vsquam existat, neque existere possit; sola concluditur formalis distinctio: sicut & dum relatio separatur à fundamento, & figura quæpiam à quantiate, & omnino modus ab ea re, cuius est modus; non propterea hæc re ipsa, sed formaliter solùm distinguuntur. Iam vero proportio illa esse ad essentiam, & operationis ad facultatem, fallax est. Quoniam nõ est in eodem genere causæ; sed esse est effectus formalis essentiæ, & operatio à facultate tanquam ab efficiente causa proficiscitur. Cúmque ex effectuum diuersitate colligitur causarum diuersitas, eos oportet esse effectus nequaquam inter se ordinatos. Nam si ordinẽ habeant, ab eadem causa possunt oriri; sicut à calore calefactio, & rarefactio. Ita enim esse operari, quorum vnum ordinatur ad alterum, ab eadem animæ essentia proficisci possunt. Intellectus illud quidem cum reliquis facultatibus habet commune, vt idem re sit cum anima: dicitur tamen non esse actus corporis: duplex est causa. Altera, quia conuenit animæ intelligenti non vt est corporis forma, sed vt subsistens & independens à corpore. Altera, quia dum operatur, nequaquam vtitur corporis organo, vt facultates cæteræ. Atque cùm reliquas consideremus, & vt solam habilitatem significant, & vt cum organo coniunctæ sunt, Intellectus priori solùm

modo consideratur. Igitur facultates hæ omnes re ipsa sunt substantiæ, formaliter accidentia. Et quoniam existentia conuenit cuique rei ratione realitatis; eę reipsa non inhærent, sed per se subsistunt; quia sunt ipsa anima, quæ est substantia; formaliter autem inhærent, quia concipiuntur tanquam accidentia substantiæ.

Et hæc quidem per quam probabiliter dici possunt. Cæterùm distinctio quoque realis suam habet probabilitatem: maximè dum illæ facultates considerantur, quæ organicæ appellantur, & materiales in homine: tum quia magnopere videtur substantiæ creatæ conuenire, vt per agendi virtutem re distinctam agat: neque organa corporis, natiuus calor, & spiritus, videntur esse virtutes, sed instrumenta mera. Vt hoc solùm anima res inanimatas superet; quòd & agendi virtutem habeat, & præter eam alia quoque instrumenta à se distincta.

Ad Argumẽta 4. opinionis vnius.

Ad ea verò, quæ ad distinctionem formalem persuadendam proponebantur, itarespondendum erit. Abusus est interdum Aristoteles nomine partis, vt facultatem significaret. Aut partem dixit non essentiæ aut quantitatis, sed potestatis. Et si facultas sit materialis & organica, debilitato organo ipsa quoque debilitatur. Quòd si solum organum visus sit dicere in senio debilitari; illud afferebatur, vt ostenderet intellectum esse immortalem. Si enim deberet interire, interiret maximè corpore in senio debilitato. Tũc autem non interire, argumẽto probauit sentiẽtis animæ; quę nequaquam interit; quia si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis. Qua ex re concludi voluit, si anima sentiens non interit nisi destructo organo & corpore, nullo modo interire intellectum inorganicum & incorporeum. Itaque aut ex eo loco nihil de harum facultatum distinctione licet colligere: aut si quid colligendum sit, videndi quoque facultatem dicas debilitatam esse in sene. Quoniam organo debilitato ea item facultas debilitatur, quæ ab organo pendet, atque animam organi ratione sequitur. Aut demum ne ipsa quidem debilitata est, sed propter organi imbecillitatem imbecilliùs operatur; eóq. rursum confirmato atque ad pristinum robur restituto perfectè operabitur. Cùm autem animam probauit esse actum corporis essentialem, facultatem videndi accepit esse actum essentialem oculis; non quòd ita esse existimaret: sed quòd si ita esset, oculus homonymè diceretur, postquàm ab eo facultas esset separata. Ita colligit animam esse actum corporis essentialem; quoniam si ea separetur, corpus homonymè appellatur organicum. Sicut etiam in textu 8. esse securim accepit esse actum essentialem securis. Quod tamen verum non est, nisi vt est instrumentum. Quo modo facultas quoque videndi diceretur actus essentialis oculi; non absolutè, sed vt est instrumentum eius operationis. Quemadmodum ex facultate item videndi & pupilla fieri oculum affirmauit, quatenus instrumentum quoddam est. In textu 19. & 20. facultates negauit esse loco distinctas, quemadmodum Plato voluerat: non tamen eas re distinctas esse. In textu 21. intellectum, vt alibi sæpè, intelligentem animam appellauit: aut intellectum ipsum vt est illius animæ facultas. Sic enim diuersum est animæ genus, aut certè alterius generis animæ facultas; potestque separari, dum anima separatur, quia propriam habet operationem, in qua corpori nihil commune. Hinc in textu 22. cæteras opposuit animas, earumque facultates, quæ ratione sola & definitione separantur: non quidem inter se aut ab anima, sed à corpore, ita vt perse seorsim existant. Intereunt enim omnes simul cum corpore. Quòd si animarum nomine intelligi sæpè voluit facultates, & facultatibus dixit vigentia distingui nihil mirum. Aut enim essentia distinguuntur, si facultatum nomine intelliguntur animæ, aut propriè si facultates ipsæ significentur. Anima triplici modo est corporis causa: forma quia dat esse: finis, quia propter illam fabricatum est corpus: Efficiens, quia primarium, si non immediatum, operationum principium. Facultates & ipsæ efficientes dici possunt, sed velut animę instrumẽta. Eandem ob causam animam potiùs, quàm facultatem, accretionis causam esse voluit. Postremò cùm eandem facultatem esse dixit vegetantem & procreantem, nihil de ea, quam nunc quærimus, distinctione colligi potest. Quoniam eandem dixi facultatem, aut fine, aut genere, aut obiecto, vt in commẽtario illius loci dictum est. Iam ratio, cur in 8. Phys. probatũ non fuerit, ad secundã qualitatis speciem non esse motum, non est ea, quam habet Alexander, sed hæc potiùs, quia cum eiusmodi facultates habeantur à natura, non sunt per motum comparandæ.

Venio ad eas rationes, quibus hæc ipsa realis distinctio confutabatur. Facultates necesse est omnino distingui ab anima, quoniam hæc immediate nequit operari seipsa. Et quamuis calorem habet, spiritum, ac diuersa corporis organa, hæc tamen omnia imminentibus animæ operationibus iam non sunt, sed opus adhuc est instrumento connecto cum anima. Quòd enim vis calefaciendi non distinguatur à calore, ex imperfectione naturalium virtutis, aut ignis, cui ea virtus est satis,

tionum proxima, sed velut quidpiam alterius primarię causæ.

Sunt qui facultates dicant ex anima quasi ebullire. Alij hanc esse illarum effectricem causam. Alij materialem; Auerrois auctoritate permoti in com. 2. lib. 4. Metaph. vbi substantiam scripsit accidentium esse causam, nō finalem, aut effectricē, sed materialē. Effectricem autem causam generans esse inquiunt; quoniam vt est in 8. Phys. lib. tex. com. 32. & in 3. lib. de Cœlo com. 28. agens, quod dat formam, dat ea quoque, quæ comitantur formam.

Verius pronunciabis, esse causam materialem, finalem, & effectricem. Neq. enim dici potest illarum formalis causa. Quia facultates formaliter sunt accidentia; anima, substantiæ forma. Sed neque vllam propriam videtur habere cæterarum causarum naturam. Non materialis; quoniam propria accidentium materia est subiectum; plurimæque facultates non in anima sola sunt, sed in toto coniuncto. Neq. formalis propterea quòd earum finis est potius operatio. Neque demum effectrix; quia non per se solæ producuntur, sed magis cum anima ipsa comproducuntur: præsertim si formaliter solùm ab ea distinguantur. Potest tamen hoc triplici genere illarum causa appellari, materialis; quòd aliquæ saltem in ea sola sunt, vt in subiecto: & illæ ipsę, quæ sunt in toto coniuncto, primùm sunt in anima, & per animam in corpore quoque. Finalis; quia facultates omnes sunt propter animam, vt per eas operari possit. Quare cùm in tex. 37. duplex finis propterea distinguatur; vnus cuius gratia; altera cui: Finis cuius gratia, est operatio; Finis autem cui, anima; in cuius bonum & perfectionem tota tandem operatio cedit. Postremo appellari potest effectrix causa. Nam & si ab ea non prodeant facultates per verum motum, quiad propriam efficiētis vim pertinet; ab ea tamen fluunt tanquam proprietates. Quem productionis modū emanationem, seu naturalem consequutionem dixere Peripatetici; quod posita anima facultates consequantur: quemadmodum posito sole, aut alio quouis lucido corpore consequitur lux, positámque essentiam proprietates comitantur. Quæ productio etsi propriè motus, aut efficientis actio propria non sit, ad illius tamen causalitatem reuocatur. Alioqui si anima, aut essentia quæuis esse solùm materialis suarum facultatum, aut proprietatum causa, nihil differret accidens proprium a communi. Nam vt aliqua sit distinctio, affirmare necesse est substantiam esse subiectum solum suscipiens accidens commune, at comparatione accidentis proprij ad illius productionem quoquo modo concurrere. Facultates autem veluti animæ proprietates sunt.

Iam verò quod sæpè hactenus dixit, quasdam esse facultates, quæ sint in sola anima, alias in toto coniuncto sustentari, ita explicandum est. Duo sunt, quæ in facultatibus hisce considerari possunt. Vnum ex parte animæ, habilitas ad operandum. Alterum ex parte corporis, organum, & dispositio ad exequendam operationem necessaria, quæ in conuenienti quantitate figura, & qualitatum temperatione consistit. Quo fit, vt in earum operatione duo prorsus reperiantur. Ex parte organi susceptio obiecti, aut realis, aut per speciem, aut certè illius præsentia, cum conuenienti dispositione, tum organi, tum medij: atque ex parte animæ attentio, cognitio, & iudicium.

Facultates bipartitæ.

At non omnes facultates eiusdem sunt generis. Quarumdam operatio principium facit ex parte animæ, atque in corpus desinit. Hæc appellantur facultates agendi, vt facultas vegetans, appetens, & mouens. Aliæ à corpore potiùs incipiunt, & in animam deriuantur, quæ patiendi facultates dicentur. Quemadmodum cognoscentes, quæ prius significant obiecti susceptionem in organo, aut certè præsentiam eius, deinde cognitionem & iudicium animę. Itaque facultates eę omnes & operationes, quę tum in anima, tum in corpore aliquid ponunt, sunt suapte natura toti coniuncto communes: tametsi præcipuè tribuantur animę, cuius habilitatem ad operandum formaliter significant, organum item & dispositionem corporis ad significandū: operatióque formaliter actio est animę, quę tamen in corpus quoque redūdat, aut passionem aliquam in corpore factam supponit.

Facultates igitur omnes & operationes vegetantis animę & sentientis, quoniam huiusmodi quid, & in anima, & in corpore significant, pendentque necessariò à corporeo organo, conditionē sua toti coniuncto communes sunt. Non ita tamen, vt equè primò, & immediatè & in corpore sint & in anima. Hoc enim non ita esse certis rationibus demonstratur. Nam facultas formaliter ac præcipuè habilitatem animę significat, solámque consequitur animam, vt illius proprietas & virtus operandi, operatióque actio est animę per eam facultatem, corporis autem organum adsignificatur duntaxat, eamque ob causam requiritur, quoniam anima, cuius ea facultas, materialis est & corporea: & ideò vt se ipsam tribuit corpori, ita suas quoque facultates & operationes facit communes. Atque vt ipsa sine materia esse nequit, sed illius subsidio naturam suam tuetur & conseruat, ita neque sine ea potest operari. Quocirca si quę est anima, quę materialis non sit, sed à corpore independens atque per se cohærens, suas ipsa habebit facultates & operationes in se sola, absque vllo corporis organo. Igitur vegetantes quoque & sentientes facultates, earúmque operationes, quę materialium sunt animarum, per se primùm ipsis animabus considerantur, deinde in corpore, in quo eę sustentantur. Deinde quoniam animam, & corpus duę sunt res distinctę, quî fieri potest, vt facultas, quę simplex qualitas, equè primùm & immediatè in vtraque existat. Denique in homine saltem dici non potest, quomodo facultas videndi (vt hoc exemplum accipiam) sit in toto coniuncto. Etenim impartibilis est humana anima, organum, corporis quantum, extensum, & partibile. Oporteret igitur facultatem & quantam esse & non quantam, extensam & non extensam, partibilem & impartibilem. Itaque quod facultates hasce omnes affirmaui, dum secundùm suam naturam considerantur, & proprias animas consequuntur in plantis, & bestijs, toti coniuncto communes esse, ita est intelligendum, vt per se primum in anima proprio earum principio sint, deinde etiam in corpore, in quo ea inest anima. Tum quia non insunt in

Anima triplici genere causa facultatum.

Accidentis proprij & communis differentia.

Facultates Plantarij, & Alioru esse in toto coniuncto.

corpore, nisi ratione animæ; quæ materialis est & corporea. Tum quia præcipuè significant habilitatem illam, quæ soliùs est animæ; secundario addunt organa, quæ suppeditat corpus.

Eas portò neque solius esse animæ, neque sòlius corporis, sed totius coniunctę apertis verbis docuit Philosophus in primo huius operis libro textu 14. 64. & 66. & in libro de sensu & sensili, capite primo & in lib. de somno & Vigilia, capite primo alijsque in locis. Namque duæ illæ animæ, vegetans, & sentiens, quidquid sunt, sunt in materia, extensæ, partibiles, atque à materia pendentes; & ideò eadem est facultatum & operationum conditio. Quia si ipsæ sint, sustententur in alio, omnino nequeunt solæ aliorum subiectum esse: atque huic adferri potest illud ex capite primo, libri de Somno & Vigilia. Eiusdem est actus, cuius potestas. Si enim potestas in sola esset anima, operatio quoque in ea sola inesset; animæque plantarum, & brutorum animalium per se subsistentes forent, non pendentes à corpore, atque adeò separabiles; quemadmodum intelligens hominis anima. De stirpium igitur & mutorum facultatibus ita sentiendum.

In homine facultates omnes in sola anima sustentari.

De homine, in quo hæ quoque omnes cernuntur, nec tamen inest anima vegetans, aut sentiens quoad proprios illarum actus extensos, & pendentes à corpore; sed sola intelligens impartibilis, & subsistens, à qua facultates omnes & operationes prodeunt, diuersum planè Iudicium. Non desunt, qui has quoque in toto homine ponant. Tum quod eæ item operationes non minùs, quàm in viuentibus cæteris, à quantitatis conditionibus pendent; nec nisi res singulas & materiatas percipiunt. Tum quòd si sola operetur anima, organa & membra corporis non alium habebunt vsum quàm medij, per quod animæ sub ministrentur species, aut obiectum. Tum demum quod hæ facultates organicæ appellantur.

Verùm quo minus ego ita sentiam, illud facit, quod paulò ante proposui. Non enim fieri potest, vt eadem facultas & operatio, & partibilis sit & impartibilis, in subiecto quanto & non quanto. Et quoniam facultates prodeunt ex anima, corpori nequaquam possunt fieri communes, nisi quia pendentem à corpore anima naturam habeat. Intelligens anima nullo modo pendet. Quare nec facultates habere hac conditione potest, vt eas corpori faciat communes. Quod si operationes eius materiales & quantæ esse videantur; propterea videntur, quia circa obiectum materialem & quantum occupantur; Neque res immateriales & vniuersas possunt cognoscere, quòd sua natura operationes sunt animæ materialis, nec nisi ea comprehendunt, quæ aut in organo suscipiuntur, aut illi repræsentantur. Itaque Hominis organum eum solum habet vsum, vt in eo suscipiatur, aut repræsentetur obiectum: Deinde anima illud sua facultate cognoscit. Atque hæc est causa, cur hæ facultates in homine dicatur organicę. Etsi enim in sola sint anima subsistente; quoniam tamen suapte natura facultates sunt materiales; formæ, operari omnino nequeunt, nisi in organo materiali & corporeo, circa materiale item & corporeum obiectum.

Probabilius fortasse cuipiam videatur, facultates hasce re ab anima distinctas, atque adeò earum operationes in homine esse in solo corpore, atque ab anima orginem solùm & principium habere: & ideò conseruari & recuperari ab anima, eáque sublata penitus interire. Ita enim & facultates, & actiones verè essent materiales, & organicæ; corporisque membra vera organa, quæ tanquam efficientia ad has operationes concurrerent. At illud obstat, quòd, vt antea demonstratum est, facultates omnes cum animæ habilitatem quandam significent, per se primum inesse oportet in anima, non in corpore, nisi quatenus anima inhæret corpori.

Malim de hominis facultatibus tàm magnificè sentire, vt has ipsas, quæ in viuentibus cæteris corpori. Sunt communes, si pro sola habilitate sumantur, esse credam in sola anima. Quoniam cum animæ habilitates quædam sint, quæ non nisi animę interuentu sint in corpore: Dum intelligens anima, cuius hę omnes habilitates sunt, non inhærent corpori, sed viribus propriis sustentantur; corpori nullo modo possunt conuenire. Quod multò magis affirmandum est, si facultates dicas esse idem re cum anima. Si enim idem re sint cum anima, quę corpori non inhæret, omnino nec ipsę inhærere possunt.

De intelligentibus facultatibus multò magis tum est, eas animę proprias. Nam non solum Philosophus in tex. 66. libri primi intelligere, contemplari, & intellectum ipsum dixit diuinum quid esse actionibus reliquis & facultatibus. Et textu 92. ne fingi quidem posse quomodo intellectus aliqua corporis parte contineatur. Et in tex. 4. & 6. libri tertij intellectum non debere esse permistum cum corpore, vt omnia possit intelligere. Et in capite tertio libri secundi de animalium motu, solam mentem forinsecùs aduenire, eíque diuinam, quia nihil cum eius actionem communicat actio corporea. Verum ita esse ratio quoque concludit. Tum quia hę facultates proprię sunt illius animæ, quæ subsistens est, nec pendet a corpore. Tum quia ipsæ quoque simul cum anima à corpore separantur: non separarentur autem, si essent in corpore, vt in subiecto: Quippe defecto subiecto omnia simul illius accidentia perire necesse est. Tum demum, quia si essent in corpore, materiales essent, nec nisi res corporeas & materiatas perciperent: cùm tamen circa vniuersalia quoque & ab omni materia & corporis conditione liberas versentur. Sanè totum hominem dicere liberas versentur. Sanè totum hominem dicimus intelligere; non quòd in eo toto, vt in subiecto, sit intellectio: sed quòd anima, quę intellectio, sit intellectio: sed quòd anima, quę intelligit, pars illius est essentialis. Totus etiam homo intelligens appellatur; etsi anima sola, non corpus; intelligens substantia sit. Etenim actiones omnes sunt suppositorum, perfectarumque substantiarum.

Siquis verò totius huius rei rationem quærat, noscere illum oportet, intelligentem animam ita esse actum corporis, vt quia est actus & subsistentia imperfecta, det esse corpori; non inhærendo, seu inexistendo, sed solum formando. Est enim ipsa actus & subsistentia per se subsistens & abstracta. Quò fit, vt quoniam accidentis natura est, vt suo subiecto inhæreat, intellectus & voluntas,

voluntas, intellectio & volitio, inhæreant illi. Et cùm accidens non sit actus cuiusque nisi inhærendo, propterea dici non possunt actus corporis. Quia cùm insit in anima, quæ corpori non inhæret, nec ipsæ inhærere possunt. Toti tamen homini tribuuntur animæ, quòd inhæreant animæ, quæ actus est & essentialis forma hominis. Propterea potiùs dicendum scripsit Philosophus in textu sexagesimo quarto primi libri, hominem anima misereri, discere, aut cogitare; quàm ipsam animam. Nam etsi alij aliter verba illa interpretentur; vt tamen de intelligente anima sit sermo, nihil aliud voluit Aristoteles, quàm loquendi formam præscribere, actionésque illas denominatiuè .toti homini tribuendas esse; quamuis in sola sint anima tanquam subiecto, vt habetur in textu sexagesimo quinto & sexagesimo sexto, quibus has facultates intelligétes ostendit inorganicas esse, impartibiles, planéque diuinas.

Quòd intra differant intelligentes facultates.

At si facultates omnes, tum intelligentes, tum reliquæ, insint in homine in sola anima; quodnam inter eas discrimen fuerit? Differunt plurimùm, tum operatione, tum ex parte ipsius facultatis. Operatione; quoniam intellectus & voluntatis operationes absque vllo perficiuntur organo, aut dispositionibus, à quibus, vt subiecto, pendeant. Cognitio enim & iudicium animæ, susceptióque intellectilis speciei, aut obiecti, sine vllo constat organo, in sola viget intelligente facultate: Quoquomodo duntaxat, extrinsecè, vt ab obiecto, pendet à phantasmate; quatenus ab illo obiectum abstrahit, speciemue intellectilem. At sentientium facultatum integra operatio ab organo pendet tanquam subiecto; propterea quòd susceptionem includit speciei, aut obiecti, vel certè repræsentationem in organo.

Ex parte autem facultatis sentiens facultas præter animæ habilitatem determinatum organum; corporisque dispositiones per se adsignificat, & sine illis facultas censetur diminuta, neque actum suum promere potest. Intelligens facultas nullum poscit organum, aut corporis dispositionem; seipsa perfecta est & operatur. Deinde etsi earum neutra inhæreat corpori; facultati tamen intelligenti, quæ eam consequitur animam, vt intelligens est & subsistens, id per se conuenit. Sentienti autem & vegetanti non nisi ex accidenti; quòd animam consequantur, quatenus inferiores continet formas, quæ naturali conditione deberent corpori inhærere. Quòd si in homine non inhæreant, id ex accidenti euenit; quòd meliorem sortiantur conditionem, atque ex nobiliori forma subsistente oriantur.

Vt differant facultates hominis & aliorum animantium.

Quocirca facilè explicabitur multorum dubitatio de sentientium ac vegetantium facultatum distinctione in homine, cæterisque viuentibus. Nam si idem re sint cum anima sólaque differant forma; sanè differunt specie (facultas inquam videns in homine & equo; aut facultas nutriens in homine & planta) immo & genere; si reipsa considerentur. Quia nil aliud sunt re, quam ipsæ animæ, quæ specie, immò & genere discrepant. Si tamen formaliter considerentur, vt sunt habilitates ad hanc, vel illam operationem, circa hoc, aut illud obiectum, qua in re formalis facultatum vis consideratur; sunt sanè eiusdem speciei, aut generis, vt genericè, aut in specie spectari possunt quippe circa eadem versantur obiecta.

At si re distinguantur ab anima, multò magis eiusdem sunt speciei. Tum quia animæ sunt qualitates secundæ speciei. Tum quia qualitates illæ in homine intelligentem animam committantur; non vt est intelligens, sed vt animas continet eiusdem rationis cum cæteroum viuentium animalibus. Tum etiam quia eædem hæ facultates in homine quoque deberent sua natura corpori inhærere, sicut & anima sentiens: Sed vt hæc anima non inhæret, quia in actu superiori continetur; ita facultatibus accidit corpori non inhærere, quia sentientem animam, non in actu proprio, sed in actu superiori consequuntur.

Quamquam eadem est ratio facultatum, quæ & actum sentientem in se, & contentum in superiori commitantur: Et ideò eiusdem sunt speciei, & in homine, & viuentibus cæteris, in quibus proprium earum animarum actum consequuntur. Quare in homine quoque licet in sola sint anima, quoquo tamen modo dicuntur esse actus corporis; quia saltem adsignificat dispositiones, & organa eius, sine quibus operari nequeunt; quòd suapte conditione materiales sint & corporeæ.

Nil sanè facultates per totum corpus diffusæ sint.

Denique huc etiam spectare videtur illa difficultas, num facultates diffusæ sint & sparsæ per totum corpus. De qua cùm superius quoque dictum sit, paucis nunc colligam, intelligentes in omnibus omnino partibus esse, quemadmodum & ipsa anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Vt enim ea impartibiliter est in toto corpore, ita impartibiliter sunt omnes illius facultates, quæ & in ea sola insunt, & absque vllo corporis organo operantur. Quare dum hæ operationes fiunt, nulla est corporis pars, in qua exerceantur. In capite præsertim videntur perfici, quòd ibi vigeat phantasia, cuius in actionibus intellectus est plurimus vsus. Verùs tamen in nulla dixeris esse corporis parte, sed in ipsa duntaxat impartibili anima, quæ corpori non inhæret.

De reliquis, si eæ sint idem re cum anima, videbitur quidem eas debere esse per vniuersum corpus diffusas, dum ea ratione considerantur, qua solam animæ habilitatem significant. Quamquam vt dispositiones item & corporis organa dicunt. (Quomodo facultates integræ, & operatrices censentur) non sint, nisi in ea parte, in qua est dispositio, & organum. Verùm ne hoc quidem est necessarium. Dici enim potest, animam quidem, quæ reipsa est facultas, per totum corpus diffusam esse: At facultatem, quæ ab ea formaliter distincta est, seu animam, quatenus formaliter

facultatem & habilitatem significat, in ea sola vigere parte, qua visitur organum. Quoniam in ea duntaxat parte anima est potens, & apta ad operandum: Et ideò in ea sola vim habet facultatis.

Quòd si facultatem reipsa distinguas ab anima multò magis affirmare poteris, facultatem non vbique & in toto corpore animam consequi, quia frustra, & absque vllo vsu conseparetur: sed in ea solùm parte, in qua comparatum est organum ad operandum accommodatum, quemadmodum adnotato loco pluribus expositum est.

DE FACVLTATE vegetante.

CAPVT IV.

TEXTVS.

Ἀναγκαῖον δὲ πρότερον μᾶλλον περὶ πάντων σκέψιν ποιεῖσθαι, λαβεῖν, τί ἕκαστον αὐτῶν ἐστὶν ἢ τί οὕτως περὶ αὐτὸ ἐστὶ τῶν ὑπαρχόντων. εἰ δὲ χρὴ καὶ πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτῷ, ἢ τὸ νοητικὸν ἢ τὸ αἰσθητικόν, ἢ τὸ θρεπτικὸν πρότερον ἕτερα τούτων τὰ ποιεῖν ἢ τὰ αἰσθάνεσθαι. πρότερα γὰρ ἀπορητέον τῶν ἐνεργειῶν ἢ τὰς δυνάμεις καὶ τὰς πράξεις καὶ τὰ πάθη. εἰ δὲ πρότερον τὰς ἐνεργείας ἢ τὰς δυνάμεις, πάλιν ἐστὶ πρότερα τὰ ἀντικείμενα ἐκείνων. περὶ ἐκείνων πρῶτον ἂν δόξαι διοριστέον εἶναι τί πρὸς αὐτὰ αὐτέον, οἷον τὰ νοητὰ καὶ αἰσθητά, καὶ τοῦτο.

Tex. 53. *Necessarium autem, eum, qui de his considerationem facturus est, accipere quid est vnumquodque ipsorum: Postea sic de ijs, quæ consequuntur, agere. Si autem oportet dicere quid vnumquodque ipsorum, vt quid intelligens, aut sentiens, aut vegetans; prius adhuc dicendum, quid intelligere, & quid sentire. Peiores enim facultatibus operationes & actiones secundum rationem sunt. Si autem sic: his autem adhuc priora opposita oportet considerasse: De illis primum vtique oportebit definire propter eandem causam, vt de alimento, de sensili, & intellectili.*

COMMENTARIVS XXXVI.

AGgrediens Philosophus specialem & propriam singulatim animarum considerationem, duo statim præstat. Principio proponit quid sibi agendum sit. Deinde quo ordine, quauè methodo procedendum. Eum igitur, qui de his facultatibus in specie considerationem facturus est (scientialem cognitionem interpretatur Simplicius; accuratam saltem & diligentem considerationem quilibet intelligere proponit omnino debere explicare, quid sit earum vnaquæque: Tum verò proprietates & affectiones earum inuestigare. Siquidem ipsum quid est, vt dicebatur in textu vndecimo libri primi, est id per quod reddimus causam accidentium omnium.

Hocque si habeas, exquisitissima doctrina est, nec quidquam ampliùs quærendum superest. Hoc est illud (περὶ τὰ ἐνυπάρχοντα) hoc est de affectionibus & accidentibus proprijs, quæ vnumquamque animam consequuntur. Vt quòd ea nutrientis beneficio in omnibus conseruetur; quòd sensus à vehementionibus obiectis lædatur, intellectus roboretur; quod intellectus sit seiunctus, cæteræ inseparabiles, ille innominicus, hæ organicæ. Sic enim demum perfecta habebitur vniuscuiusque cognitio, quæ essentiæ & proprietatum cognitione absoluta. Cum autem considerandum proponit, quid sit intelligens, obiter obseruabis, intellectum quoque, non minùs, quàm cæteras animæ partes, quiditatiuè à naturali Philosopho in hisce libris considerari; neque his aduersari ea, quæ in primo de Partibus libro disputantur, ostensum est in totius huius nostri laboris præfatione.

Deinde quasi simul soluens quæstionem propositam in textu decimo libri primi, an prius agendum sit de facultatibus animæ, an de operationibus; & an de operationibus prius, an de obiectis; quoniam ex notioribus nobis quærenda est eorum cognitio, quæ minùs nota sunt atque perspecta: principium inquit faciendum esse ab operationibus atque ex illis quærendam facultatum cognitionem, quæ operationum principia sunt. Etenim nobis notius est, quid sit sentire, aut intelligere; quàm quid sensus, aut intellectus.

Priorésque facultatibus actus sunt & operationes secundùm rationem, hoc est nobis notiores & euidentiores, vt interpretantur Themistius, Philoponus, & Auerroes, & in primi libro de Anima capite octauo Alexander. Aut potiùs priores dicuntur secundùm rationem, hoc est definitionem, vt ait idem Alexander. Priora enim definitione censentur illa, quibus definiuntur alia, nec tamen ad sui definitionem illa adsciscunt. Sicut facultas per operationem definitur, non item per facultatem operatio. Rursum facultates quidem operationibus priores generatione sunt: quoniam quælibet causa effectu suo prior est; præsertim efficiens causa, qualis est facultas comparatione earum operationum, quæ ab illa proficiscuntur.

Operationes

Operationes tamen facultatibus priores sunt, si vtrarumque, perfectio consideretur; cum operationes veluti finis, & perfectio sit facultatum; tametsi secus Themistius. Operationes igitur sunt facultatibus priores cognitione, tam secundum nos, quàm secundum naturam. Secundum nos quidem; quia ex illis tanquam posterioribus, & effectibus in facultatum cognitionem ducimur. Secundùm naturam autem; quia facultates per operationes & actus earum definiuntur. Neque sine operationibus intelligi possunt: operationes verò sine facultatibus intelliguntur, si sensionem dicam esse obiecti sensilis cognitionem, nutritionemue alimenti in viuentis substantiam commutationem: sensum autem asseram facultatem esse, qua sentile obiectum percipitur, nutricemue facultatem eam esse, qua alimentum in viuentis substantiam mutatur. Denique intentione quoque naturæ operationes facultatibus priores sunt. Natura enim operationes per se intendit, & propter illas produxit facultates, vt per eas circa obiecta operaretur.

Obiecta quomodo actibus priora.

Et ideò etiam obiecta sunt actibus, & operationibus priora. Quòd & maximè sensata sint, & sine illis cognosci aut definiri operationes nequeant; ac demum operationes omnes sint propter obiecta. Quocirca cùm operationes sint facultatibus priores, & obiecta operationibus; antequam de facultatibus agatur, de operationibus agendum est; & priùs de obiectis, quàm de operationibus. Primùm, inquam, de obiectis, deinde de operationibus, tum de facultatibus. Siquidem ex obiectis operationes, & ex operationibus facultates cognoscuntur.

Nominat autem Philosophus alimentum, sensile, intellectile; alere, sentire, intelligere; alens, sensiens, intelligens: non item obiecta & operationes aliarum duarum facultatum, appetentis, & mouentis. Quoniam enim vniuersam hanc tractationem ad ipsarum animarum cognitionem referebat, eas solas commemorauit facultates, quibus eæ potissimùm animæ significantur, quæque sunt magis ipsarum propriæ: animarum inquam vegetantis, sentientis, intelligentis.

Obiecta cur opposita dicantur.

Cæterum obiecta vocat τὰ ἀντικείμενα, id est, opposita; quemadmodum etiam in textu decimo libri primi eo nimirum oppositionis genere, quo in ijs cernitur, quæ sunt ad aliquid. Obiecta enim relatorum more operationibus opponuntur.

Relata quomodo sint simul.

At statim exoritur dubitatio, quomodo obiecta dixerit esse operationibus priora; possitque sine illis cognosci ac definiri. Siquidem relata simul natura esse dicuntur in eorum categoria, quæ sunt ad aliquid: cui verè respondent Philoponus, & Symplicius, obiectum etsi formaliter sit simul natura, simúlque cognoscatur, & per suum correlatum definiatur; suapte tamen conditione esse prius. Nam color, quatenus quidam actus sensilis, simul est cum sensione: & quatenus aspectabilis, aspectu aspectabilis esse definitur: quatenus tamen color & qualitas quæpiam prior est, nec per aspectum definitur. Et in ijs etiam, quæ sunt ad aliquid, id quod rationem habet causæ, effectum suum antecedit: & homo, qui est pater, prior est filio; tametsi quatenus pater & filius, sunt simul.

Et Aristoteles ipsemet non omnibus relatis conuenire dixit, esse simul natura. Sed & scibile demonstrauit prius esse scientia; quòd & multa præexistant scibilia, quorum scientia post sensum acquiritur. Et pereunte scientia non perit scibile: sublatóque animali scibilia multa supersunt, Elementa, Cœli, & entia reliqua. Immò circuli quadratio scibilis est, necdum tamen eius scientia inuenta. Et sensile item prius est sensu; quòd & sublato sensu non tollitur sensile, sensúsque tunc primùm existit, cùm animal nascitur, ante animal verò sunt elementa sensilia, quibus animal constat. Materia etiam & forma sunt ad aliquid, textu vigesimo sexto, libri secundi Physic. materia tamen prior est forma.

Itaque relata esse simul natura, de relatis, quæ secundùm esse dicuntur, intelligendum est. Hæc enim cùm totam suam naturam hauriant ex termino, nec aliud significent, quàm respectum ad illum, nequeunt esse nisi ille sit, & ideò simul cum eo, & sunt, & non sunt. At genus illud alterum Relatorum, quæ secundum dici vocantur, qualia sunt ea, quæ commemoraui, vt absolutam entitatem & naturam significant seipsa ordinatam ad aliud, sic priora esse possunt. Ideo nihil mirum, si hoc loco sensibilia obiecta, & opposita esse relatorum more dicantur, & tamen operationibus, ad quas referuntur, priora. Hinc etiam est, vt sine illis cognosci ac definiri possint, dum illorum absoluta natura, non respectus ad correlatum, consideratur.

Quatuor entium genera.

Omnino quatuor reperies entium genera: Quædam sunt absoluta, & per se subsistunt, vt integræ substantiæ. Alia sunt quidem absoluta, sed inhærent alteri, vt accidentia pleraque. Alia nil aliud, quàm ordinem ad aliud, significant, vt relationes secundum esse. Alia demum absolutam quidem naturam habent, sed ordinatam ad aliud, vt relata secundum dici. Primum genus entium per ea tantùm definitur, quæ naturam eius in eadem categoria constituunt. Alterum additione subiecti, in quo sustentantur. Tertium per terminum, ad quem referuntur. Postremum si absolutè consideretur, absolutè definiri potest: si vt significat ordinem, definietur per illud, ad quod ordo terminatur. Huius postremi generis facultatum obiecta sunt.

Quatuor definiendi modi.

Denique quod ea dixit operationibus esse notiora, monent Themistius & Philoponus, in alimento & sensili verum esse; non item in intellectili: immò intelligere notius esse, quàm

intellectile obiectum. Et ideò antequam de altrice ac sentiente facultate agat, eum agere de alimento & sensili: at non priùs de intellectili, quàm de intelligere. Nunc tamen vniuersè sòlùm loquendo generalem illam propositionem posuisse, ne doctrinam & ordinem turbaret, illud interponendo, quod intellectionis & intellectilis obiecti speciale est.

Intelligere an motus intellectionis.

Verùm hoc quoque in ea animæ parte quoquo modo obseruatum fuisse in tertio libro videbitur; Estque leuis coniectura, quæ adfertur; ne ordinem turbaret. Poterat intellectile cum cæteris non nominare, si non eadem illius esset conditio. Sanè illud priùs se offert intellectui nostro; actusque rectus reflexum antecedit; neque intellectionem suam nisi replexo actu intelligit post rectam propositi intellectilis obiecti intellectionem. Sed ad alia faciliùs progreditur, quàm in seipsum se conuertat: neque omnino sine intellectili intellectionem suam intelligit, quoniam alicuius obiecti intellectio sit oportet. Quod in eodem rerum genere accipias. Alioqui primorum & separabilium intellectionem antecedet intellectio intellectionis materialium rerum & corporatarum. Atsi in eodem consistas genere, intellectile siue materiale, siue abstractum, intellectionem sui antecedit: estque vniuersè verum, operationes priores esse & notiores facultatibus, & obiecta rursum operationibus.

DIGRESSIO XV.

De facultatum ex operationibus & obiectis distinctione.

Facultates ex operationibus, & obiectis distingui.

HOc loco grauis est inter interpretes disputatio de facultatum ex operationibus, atque operationum ex obiectis distinctione. Nam etsi facultates per operationes, hæque per obiecta tanquam notiora cognosci possint: quoniam tamen hæc sunt extrinseca, nequaquam videntur posse intrinsecè constituere, ac distinguere, aut operationes, aut facultates.

1. opinio.

Propterea complures non ignobiles Philosophi eam habuerunt sententiam; vt & facultates per operationes, & has per obiecta extrinsecè prorsus distingui existimarent: intrinsecè autem seipsis, & constitui, & distingui. Quia sunt qualitates quæpiam & absoluta entia, quæ non per ordinem ad aliud, sed seipsis vim & naturam suam habeant. Sed certè cùm Aristoteles affirmauit, intelligi non posse quid sit facultas, nisi quid sit operatio intelligatur; essentialem prorsus coniunctionem & intrinsecam facultatum ex operationibus constitutionem ostendit.

Confutatio.

Principiò igitur ponatur id, cuius perfacilis esset probatio; Non esse in hac re sermonem de distinctione numerica facultatum, quæ ex subiecto potiùs quærenda est, vt cuiuslibet accidentis numerica vnitas. Ergò essentiali generis, aut speciei distinctione, dum facultates operationibus, & operationes obiectis distingui affirmantur; id nequaquam formaliter intelligendum est; quasi operationes aut obiecta vltimas differentias essentiales esse, quæ facultates aut operationes constituant. Neque enim qualitates simplices essent; sed coniunctum quippiam ex accidenti: atque operationes extrinsecæ sunt facultatibus, & operationibus item obiecta. Neque etiam intelligere oportet distingui solùm per causas extrinsecas efficientem aut finalem. Quoniam nulla superesset difficultas; consentientibus omnibus facultatem esse suarum operationum effectricem causam, & operationes atque obiecta facultatum finem.

2. opinio auctoris.

Sic igitur sentiendum. Facultates animæ, etsi facultates sint, intrinsecè tamen constitui & distingui per ordinem ad operationem & obiectum; nec sine illo intelligi vllo modo posse; sed ex ordine ad alias atque alias operationes circa alia atque alia obiecta singulas facultates naturam suam deriuare. Ita verè affirmamus relatum esse de essentia alterius, atque per ordinem ad suum correlatum, & constitui, & distingui. Non quòd terminus correlatus sit de illius essentia; sed quòd ordo ad illum sit id, quo intrinsecè & constituitur & distinguitur. Eodem enim intellectu pronuntiamus animæ facultates essentialiter constitui & distingui, non per operationes ipsas & obiecta; sed per eorum, tum ad obiecta remotè. Quare cùm vnum relatum sine altero non cognoscatur; primúmque cognoscenda sit illius relati natura, quod materiale consideratum prius est altero correlato; sapienter negauit Philosophus facultatum naturam perfectè cognosci, nisi antea operationum & obiectorum, quæ facultatibus priora sunt, natura teneatur.

Iam verò is ordo, quem significare dicimus facultatem ad operationem & obiectum, non est certi alicuius generis: quia cùm facultas qualitas, & Relatio diuersum entis genus; permisceri non debent genera illa, quæ primò diuersa esse dicuntur. Sed est ordo transcendens, qualis est accidentium omnium ad suum subiectum, scientiæ ad obiectum scibile, & aliorum entium plurimorum, quæ relata secundum dici vocantur, nec tamen in relatorum categoria ponuntur, sed per genera diuersa vagantur. Si enim scientia, quæ ordinem quendam ad scibile obiectum significat, habitus est primæ speciei qualitatis; quid si facultas quoque sit in altera eiusdem generis specie, quamuis ordinem ad suas operationes & obiectum contineat? Nimirum qualitas est absoluta in anima; sed quoniam propter operationem est comparata, vt facilem ac promptam reddat animam ad operandum circa hoc aut illud obiectum; ad hoc idcirco item relationem ad operationem circa obiectum, per eámque ab alijs omnibus accidentibus distinguitur. Et verò etiam vna facultas ab alia distinguitur; vt ad alias atque alias operationes circa alia atque alia obiecta facilem singulæ animam reddant diuersas.

diuersos scilicet adsignificando ordines, ac diuersa operationum genera circa diuersa obiecta.

Itaque duo entium genera facilè distingues, Actuum vnum; alterum facultatum. Quorum vtrumque significat ordinem ad alterum. Nam genus actuum est forma speciei, quæ ad duplicem facultatem habet ordinem, quemadmodum & ipsa duobus modis est actus. Primùm enim est actus essentialis & determinatæ speciei: atque hoc modo facultatem patiendi materiæ propriam respicit, quam actuare & perficere potest, dando illi esse & speciem. Deinde est actus operatiuus: quomodo respicit facultatem agendi, qua operari possit; & facultatem patiendi illius subiecti, quod eius actionem potest suscipere.

Forma duplicè facultatem respicit.

Duplex facultatis genus.

Hinc duplex facultatum genus; vnum patiendi, quod nil aliud est, quàm materia, quæ ad formam referri dicitur in secundo libro Physicor. textu vigesimo sexto, tanquam ad actum. Alterum agendi; quod quia est accidens, refertur quidem ad substantiæ formam, vt ad primarium agens, cuius facultas est: verùm tanquam ad actum sibi proportionatum & eiusdem generis, à quo perficiatur & actuetur; ad alium refertur accidentarium actum, qui est illius operatio.

Qua in re differt plurimum facultas agendi à facultate patiendi; quod facultas patiendi etsi substantia sit, quoniam tamen in genere facultatis est imperfectissima (siquidem pati est imperfectionis argumentum) non potest ipsa producere sibi suum actum & perfectionem. At facultas agendi, quamuis sit accidens, quia tamen vim habet agendi, atque in eo ad perfectionem actus operatiui accedet; potest ipsamet suam sibi perfectionem comparare, producendo suam operationem, qua perficiatur.

Ex quibus manifestum est, substantiæ actum, si quatenus ens est & substantia consideretur, esse prorsus absolutum; quippe est ens in se, & per se cohærens. At si consideretur quatenus est actus, ordinem quendam significare ad facultatem. Et quidem duplicem: alterum ad facultatem patiendi; alterum ad facultatem agendi. Et rursum patiendi facultatem, quæ est materia, quatenus est ens & substantia, quidpiam esse absolutum; sed quatenus est facultas, ordinem ad actum significare. Facultatem autem agendi duplicem omnino habere ordinem: Alterum quatenus est ens. Quia enim est accidens, communi accidentium omnium conditione ordinem habet ad subiectum. Alterum quatenus est agendi facultas. Atque hic est adhuc duplex: alter ad primarium illud agens, cuius est facultas & agendi virtus: alter ad actum secundum & operationem, quam potest efficere, quaque perfici debet. Atque per hunc postremum ordinem animæ facultates constituuntur & distinguuntur.

Facultatis agendæ duplex ordo.

Facultates naturalis & vitalis distinguuntur.

Cæterùm operatio, quæ ab aliqua facultate oritur, aut est naturalis, aut vitalis. Naturalis operatio aut solum habet actum secundum, qui nihil aliud producat; vt localis motus, qui maneat in ea re, quæ mouetur; vt motus ignis sursum, & terræ deorsum in quibus manifestum est facultatem distingui per ordinem ad eum actum; vt leuitatem & grauitatem per ordinem ad motum sursum & deorsum, atque adeò ad locum sursum & deorsum, tanquam illorum motuum terminum, earúmque operationum obiectum. Aut præter actum secundum aliquid aliud producit: quemadmodum calefactio calorem, & siccitatem siccatio, velut actiones in aliam transeuntes materiam. Quare distinctio iam facultatum earum, quæ operationes hasce producunt, non solùm sumitur ex ordine ad operationes, sed ad materiam quoque quæ tamen non appellatur obiectum, sed subiectum potiùs: quoniam in ea suscipitur actio, atque operationi facultatis subijcitur. Quamquam in hac operatione non videtur requiri materia ex natura actionis; sed solùm veluti secundariò, quatenus formæ productionem adiunctam habet.

Quia enim forma, quæ producitur, suscipi in aliqua materia debet; in eadem suscipitur & actio, quæ est idem re cum forma. Alioqui tota ipsa actionis ratio, si per se consideretur, ab agente tanquam à principio, suam speciem accipit: quippe qualis est actus agentis, talis existit actio. Itaque priùs natura est agens, deinde actio, tum materia suscipiens actionem. Atque in hoc quoque operationum genere facultates determinantur ex agentis actu in ordine ad solam actionem; non ad obiectum seu materiam, nisi fortasse secundariò: quia hæc posterius quoddam est ipsa operatione.

Venio ad alterum genus operationum vitalium. Eæ aut sunt vegetantes duntaxat, aut etiam cognoscentes, & quæ cognitionem sequuntur. Vegetantium operationum eadem propemodum est ratio, quæ earum, quæ sunt merè naturales. Propterea quòd vegetans anima est fermè naturalis forma. Quare etsi operationes illius perfectiores sint, & magis à materia eleuatæ; in ordine tamen ad solas operationes videntur constitui. Non enim propriè habent obiectum, sed solam materiam & subiectum, in quo illarum actio suscipiatur; tametsi magis determinatum sit, quàm operationum merè naturalium subiectum. Et ideò hoc nomine videri possunt ex illo quoque constitui & distingui. Id verò maximè propriè cernitur in facultatibus cognoscentibus, & quæ cognitionem sequuntur, quæque ex anima sentiente aut intelligente deriuantur. Etenim hæ formæ multò reliquis omnibus perfectiores, materiæ dant non solùm esse absolutum, sed etiam esse operatiuum diuinioris generis, quàm essent reliquarum formarum operationes. Nimirum esse operatiuum aliquo modo immateriale; quod aut consistit in susceptione obiecti in cognoscente, modo magis spirituali, quàm sit in se: aut certè in ipso cognitionis actu, quo anima cognoscens dat obiecto esse cognitum, illudque sibi vnit & in seipsam transformat. In qua operatione duo prorsus animaduertas. Alterum est; vt obiectum sua natura materiale & coporeum ad esse quoddam immateriale & incorpo-

Facultatis vitalium distinctio.

Cognitionis vis.

reum traducatur ; siue per speciei ab obiecto susceptionem ; siue per actum cognitionis velut obiecti cogniti formam. Alterum ; vt accedente cognitionis animæ actu res cognita vniatur cum cognoscente , aut etiam in eam transformetur ; atque ita anima cognoscendo fiat perfectissimè omnia. Atque ad formalem rationem huius generis operationum tria omnino conueniunt; facultas cognoscens , operatio cognoscentis, & obiectum cognitum. Nam quia cognitio est operatio quædam & actus secundus , requirit actum primum , à quo deducatur ; facultatem scilicet cognoscentem. Sed quoniam est talis actus secundus , opus habet tali re cognita qua à cæteris cognitionibus distinguatur. Et ideo res cognita comparatione cognitionis non est velut materia, aut subiectum cognitionem suscipiens: quia cognitio non est operatio in externam materiam transiens , sed in ipsa cognoscente facultate remanens : sed habet veram rationem obiecti , circa quod operatio ea versetur. Ita fit , vt non modo obiectum prius sit cognitionis operatione, tanquam illius principium : sed operatio quoque aliquo modo prior sit facultate cognoscente. Nam etsi facultas operationem antecedat, quatenus vim habet efficientis causæ : quatenus tamen subiecti rationem habet , in quo eadem illa operatio suscipitur , posterior esse videtur. Qua in re operationes hæ magnopere à naturalibus distinguuntur , in quibus proprie non est obiectum : sed primum omnium est agens , deinde actio , tum subiectum , in quo illa suscipitur. Deinde quoniam in operationibus in alienam materiam transeuntibus operatio vnico tantùm modo agentem facultatem respicit ; tanquam effectus scilicet , & actus secundus illius: in immanentibus autem hisce duplici planè modò ; primùm tanquam effectus & actus secundus illius; quo modo videtur esse vt finis & terminus : Deinde tanquam actus primus & forma , quæ sub esse quodam immateriali aduenit illi, atque cum ea coniuncta determinat illam & perficit ; sicut quælibet forma subiectam sibi materiam.

Vnio cognitionis cum cognoscente, & recognita.

Vnio tamen cognitionis cum cognoscente facultate multò maior est , quàm cuiusuis alterius operationis cum suo principio. Quoniam reliquæ operationes , quæ in aliud transeunt , solam habent vnionem actus secundi cum primo , effectus cum efficiente causa : sed cognitio præter hanc habet quoque vnionem formæ cum materia. Remanet enim in eadem facultate , à qua oritur ; atque ex actu cognitionis vt rei cognitæ forma , ipsaque cognoscente facultate , tanquam subiecto perfectissimè fit vnum inesse cognito. Quocirca eadem prorsus relatione cognoscens facultas ad operationem & ad obiectum refertur. Non enim respicit operationem, nisi tanquam vnientem sibi & in se transformantem obiectum : neque obiectum respicit , nisi tanquam cognitum eaque operatione perceptum. Vt maior multò existat vnio cognoscentis facultatis cum re cognita , quàm cum cognitionis actu. Quoniam vnio cum actu est tanquam vnio efficientis causæ cum effectu , seu materiæ cum forma : at vnio obiecti cum facultate per cognitionis actum , est potius identitas. Quia obiectum transformatur in facultatem cognoscentem , & lapis cognitus in cognoscentis animæ naturam mutatur ; vereque pronuntiatum fuit ab Auerroë in Commentario quinto libri tertij, maiorem esse vnionem ex intellectu intelligente re que intellecta, quam ex materia & forma. Etenim ex illis fit vnum formaliter. Quippe illa dicuntur fieri vnum formaliter, qui in vnicum actum seu formam transeunt : id tum in sensu fit tum in intellectu & omnino in cognoscente facultate & re cognita. Sensile namque aut intellectile fit actu sensile aut intellectile quatenus actu sensu aut intellectu cognoscitur vel iudicatur, & sensus item & intellectus fuit actus quatenus actu sensit ille , hic intelligit , & omnino de sensili aut intellectili iudicat ; cognitioque & iudicium est forma illa vna , per quam horum vtrumque fit actu & vnum & idem.

Ex quibus omnibus iam planè intelligi quàm meritò dicatur , cognoscentes facultates essentialiter constitui & distingui ordine ad operationes & obiecta. Et ideò per operationes essentialiter ad obiecta ordinari , & verò etiam ex illis cognosci & definiri. Tota namque facultatum vis in eo versatur , vt per illas anima circa alia atque alia obiecta operetur ; & ideo aliæ atque aliæ tributæ sunt facultates. Hoc nimirum voluit Philosophus non solùm in superiori textu , sed etiam in vigesimo secundo, vbi sentiens & opinans distingui probauit , quoniam sentiri & opinari operationes distinctæ sunt. Et in textu trigesimo octauo , instrumenta dici ex operibus iudicari , num eadem sint , an diuersa. In primo libro de Cœlo, textu centesimo decimo sexto , facultatem determinari , constitui , ac definiri per ordinem ad actum , quem potest efficere. In secundo eiusdem libri textu decimo septimo , eorum vnumquodque quorum est opus , esse operis gratia. Ac demum in quinto & nono Metaphysicæ facultatem per actum perpetuò definit , & explicat. Id verò in singulis ita esse perspicies. Facultates cognoscentes ab appetentibus , tum obiecto distinguuntur , tum operationis modo. Nam ea , quæ cognoscunt , circa ens occupantur quatenus verum est & aptum cognosci : quæ appetunt , bonum & sibi conueniens quærunt. In cognitione obiectum cognitum eleuatur , atque in cognoscentis naturam mutatur : contra in appetitione animal potiùs appetens ad obiectum appetitum mouetur & trahitur. In cognitione obiectum fit simile cognoscenti : in appetitione anima rei, quæ appetitur, euadit similis. Deinde cognoscentes ipsi met facultates inter seipsas distinguuntur, non cognitione & cognoscendi modo , sed diuersorum formaliter obiectorum comprehensione. Aspiciendi enim facultas operationibus circa obiecta aspectabilia , facultas audiendi circa audibilia, eodemque modo reliquæ omnes , & constituuntur & distinguuntur. Consideres autem semper obiectum formale. Neque materiale si accipias, eandem facultatem sæpè reperies obiecta re prorsus distincta & interdum etiam vnum obiectum à pluribus facultatibus percipi . Operationem item oportet facultati esse adæquatam ; quemadmodum

dum aspicere aspectui, & audire auditu. Denique in genere apperentium facultatum sentiens appetitus atque intelligens, tum obiecto separantur, tum operandi modo, Quoniam sentientis appetitus obiectum, materiale est & ex singulis rebus constat: appetitus intelligens immaterialia & res quoque vniuersas complectitur. Ille sensuum cognitionem sequitur; neque cum magna libertate agit: hic & intellectus cognitionem comitatur, & omnem vim habet perfectissimæ libertatis.

Vt cognoscatur obiectum formale & operationem adæquatam;

Vt autem facilè cognoscas obiectum formale & operationem adæquatam; hanc teneas regulam. Quando animal; quod vna operatione priuatur, alijs item omnibus careat, quæ circa ea versatur, quæ sub eadem formali ratione conueniunt: quodque operari potest circa vnum obiectum, operari etiam potest circa alia omnia eiusdem rationis formalis: certum sit, omnia illa obiecta ad vnam facultatem pertinere: atque illud, in quo conueniunt, formalem eorum rationem esse: operationémque circa illa omnia esse propriam & adæquatam operationem facultatis, quæ illa habet obiecta. Quemadmodum quia animal, quod caret visione albi, caret item visione reliquorum colorum; & quod videt album, potest reliqua quoque videre, concludimus colores omnes sub ratione visibilis ad vnam facultatem pertinere, atque visibile rationem esse formalem obiecti; ac demum videre esse operationem illius facultatis propriam & adæquatam. Quòd si vna operatione careat animal, & possit alias exercere; aut contra posset vnam exercere, alias non possit; argumentum erit, operationes illas & earum obiecta ad diuersas omnino facultates spectare: vt quoniam cœcus videre non potest colorem, sed audit sonum; concludimus colorem & sonum diuersa esse obiecta; videre & audire diuersas operationes; visum & auditum diuersas facultates.

De facultatis multitudine.

Itaque manifestum est, plures omnino esse animæ facultates; tum quia plura sunt obiecta pluresque operationes circa illa; tum quia vt argumentatur Alexander primo de Anima Capite octauo plura in corpore cernuntur organa; quæ nequaquam frustra & absque vllo consilio, sed ad plures operationes exequendas accommodatissimè fuerunt præparata, singulisque suam ad esse oportet facultatem. Hoc enim præstat naturæ anima, quòd natura ad vnum est determinata, anima diuersas prorsus habet operandi formas. Scripsit quidem Philosopus in 2. lib. de cælo, textu sexagesimosecundo quo aliquid est perfectius, eo paucioribus operationibus assequi finem sibi propositum. Sed entia perfectissima, Deus & sæparatæ mentes, nobilissimum finem nobilissimo modo; & quæ imperfectissima sunt, finem infimum paucis & humilibus medijs adipiscuntur: quæ verò medio modo se habent, si præstantissimum quærant finem, pluribus omnino actionibus coguntur illum procurare. Eáque Philosophi verba de primi generis entibus intelligenda sunt. Aut si de omnibus proponantur; vera erunt, dum idem finis cum æquali perfectione omnibus proponitur. Plures igitur sunt animæ facultates: pluresque eius animæ, quæ nobilior est: quia præstantiorem habet finem & operationes plures.

Beyond Scotus 2. dist. 6.

Non tamen infinitæ. Tum quia nihil infinitum in natura. Tum quia essent superuacaneæ, nec operari possent; cùm & animæ virtus, & corporis organa sint finita.

Quot autem sint, aut ex illarum principio, aut ex subiecto, aut ex operationibus & obiectis considerari potest. Si animæ considerantur, ex quibus eæ proficiscuntur; tria sunt facultatum genera, quia tres animæ; vegetans, sentiens, intelligens. Sin spectentur subiecta, hoc est viuentia, in quibus reperiuntur; his additur mouens. At quoniam ex obiectis & operationibus vera & perfecta facultatum natura quærenda est, His omnibus addendum est appetens. Suntque omnino quinque facultatum genera. Quorum primum ad alimentum & ad naturæ conseruationem refertur, alterum ad rerum sensilium cognitionem, tertium ad appetenda bona & naturæ conuenientia, quartum ad incessum, quo ea bona procurentur, & vitentur mala, postremum ad omne ens intellectile, vel etiam immateriale & abstractum, percipiendum. De singulis post seorsim disputabitur.

De facultatis instrumento.

Interim addendum, ex parte quidem animæ facultates adesse, at eas ex parte corporis duobus adiumentis niti, organo, & natiuo calore. Organa diuersa visuntur, & multiplicia in etherogeneo corpore, singularum earum facultatum propria, quę organicę appellantur. Calor autem est tanquam generale omnibus instrumentum, proportione respondens cęlesti luci, quam generale illud agens ad actiones & effectus omnes adfert. Id non solùm Aristoteles prodidit in capite tertio, libri secundi de animalium ortu, verùm ex eo etiam colligitur, quòd nihil est in toto animalis corpore ad cuncta illa munera obeunda magis opportunum. Immò calidiora corpora meliùs multo exequuntur omnia, quàm ea, quę sunt frigida. Et vegetans quidem anima calore vtitur. Tum quia nil aliud est vita, quam participatio & permansio nutrientis animę cum calido & humido, vt est in capite decimo quarto, libri de vita & morte. Tum quia nutritio, accretio, & procreatio absque coctione non constant, coctióque caloris est opus. Tum etiam quia eiusdem instrumenti opera res quęque gignuntur, conseruantur, & operantur. Viuentiáque caloris ope procreantur. Et ideò frigida nequaquam procreant, plantę ac stirpes verno potissimùm tempore accedente, nimirum calore, generant. Anima autem sentiens tantum habet caloris vsum, vt in textu centesimo tricesimo dicturus sit philosophus, absquę eo nihil sentire. Nam frigescente corpore, caloréque ad interiores partes contracto, aut nullus, aut debilis est sensus, aut motus. Sola intelligens anima nullo indiget organo, nisi quatenus à corpore pendet, & sensibus. Sed dum ita eo vtitur, diuersum à sensibus organum nequaquam habet. Hoc verò inter vegetantes, sentientésque facultates interest, quod illę calore solo, non item spiritu, opera sua perficiunt. Nisi fortasse sit pulsus, atque in animalibus;

quæ sanguinem habent, procreatio. At sentientes partes calorem, animali quoque vtuntur spiritu per neruos in omnes corporis partes diffuso. Cui tantum Philoponus tribuit, vt in commentario textus centesimi sexti, & centesimi septimi, eum solum scripserit esse propriè sensuum omnium organum: Et ea, quæ organa esse iudicantur; vt oculi humores ac tunicas, esse quidem organa comparatione aëris, at comparatione spiritus veluti medium.

TEXTVS.

Ὥστε πρῶτον περὶ τροφῆς ἡ γεννήσεως λεκτέον. ἡ γὰρ θρεπτικὴ ψυχὴ ἡ ταῖς ἄλλαις ὑπάρχει ἡ πρώτη ἡ κοινοτάτη δυνάμις ὅθ' ψυχῆς, καθ' ἣν ὑπάρχει τὸ ζῆν ἅπασιν, ἧς ἔστιν ἔργα γεννῆσαι ἡ τροφῇ χρήσασθαι.

Tex. 34.

Itaque primum de alimento, & generatione dicendum. Vegetans enim anima, & alijs ineſt, & prima, & maximè communis facultas eſt animæ, ſecundum quam ineſt omnibus viuere. Cuius opera ſunt, generare, & alimento vti.

COMMENTARIVS XXXVII.

Vegetãtis animæ appellationes.

IN hac speciali partium animæ consideratione prima proponitur illa, quæ omnium prima est. Quæq. & naturalis appellatur, quòd naturaliter propemodum operetur: & nutriens, quòd hæc sit prima & communis maximè illius operatio: Et procreans, à præcipua scilicet & diuinissima functione, quæ est sibi simile procreare: Ac demum vegetans, propterea quòd illius beneficio & ope vigeat & sustententur viuentium vita. Ea nimirum communissima omnibus est, quæque à cæteris supponitur quemadmodum in figuris rectilineis triangulus. Ergò quoniam dictum est, facultates ex operationibus cognosci, hâsque ex obiectis; ideò de obiectis primum & operationibus agendum esse, vt facultates tandem intelligantur: propterea nunc ex dictis concludit, de alimento primum & generatione dicendum esse.

Anima vegetãs tota circa alimẽtũ.

Alimentum autem non dicit solius nutritionis obiectum; neque generationem solam eam functionem, quæ est sibi similis procreatio: Sed alimentum intelligit totius vegetantis animæ, & omnium illius facultatum atque operationum obiectum. Sanguis enim vna est omnium materia; omnesque circa alimentum occupantur. Altrix commutando, consumptamque substantiam reponendo. Auctrix, & decretrix augendo, aut minuendo ex multo, paucoue alimento commutato: Procreatrix demum ex parte quadam alimenti superflua aliud gignendo.

Generationem quoque vult operationes omnes huius animæ significare. Aut quòd hæc sit præcipua illius operatio, & velut cæterarum finis: Aut quod omnes videantur esse generationes quædam. Nam altrix quoque partialis quædam est generatio, dum ex alimento partem quandam viuentis substantiæ gignit: Auctrix, & decretrix adiunctam semper habent huiusmodi maioris, aut minoris substantiæ generationem.

Porro duæ sunt rationes, cur de vegetante anima priùs agendum sit, quàm de cæteris animabus agatur. Primùm quoniam ea est prima anima, & vt cæterarum omnium fundamentum. Sine hac enim nec sentiens esse potest, nec aliorum quidquam. Quare, vt est omnium prima, sine qua reliquæ esse nequeunt; Ita primùm cognosci debet, quia sine illius cognitione cæteræ cognosci non possunt. Deinde quoniam ea est omnium communissima, & in viuentibus omnibus reperitur. Immò secundùm eam omnia quæcumque viuunt, participant vita. Siue quod vita propriè, & præsè sumpta huiusce primi pij sit propria: Ab alijs autem non dicantur viuere, sed aut sentire aut intelligere; Quemadmodum in textu 16. positum est. Siue quod cum reliqui vitæ gradus sine hoc esse nequeant, verè beneficio & merito huius dicitur inesse omnibus vita. Quocirca, cùm à magis generalibus & vniuersis rebus sit inchoandum, ab hac omnium communissima anima principium vique faciendum est.

Et quidem iuxta propositum ordinem de alimento statim, ceu de obiecto, agere debuisset. Antea tamen operationes commemorat, quæ circa alimentum habet hęc anima. Ea sine gnere sibi simile, & alimento vti; hoc est nutrire & augere. Nutrix alimento vtitur viuentis substantiam omni tempore, quo viuit, conseruando: Et auctrix ad perfectam quantitatem membra omnia deducendo; vt conuenienter & perfectè operari queant. Sanè genitrix quoque alimento vtitur, dum ex eo accepto semine quippiam procreat. At quoniam alimentum à viuentis conseruationem præsertim comparatum est, altrici potissimùm & auctrici tribuitur, quæ conseruationem illius & perfectionem procurant, circàque alimentum vtile versantur. Non item procreatrici, quę superfluam partem ad tuendam speciem accipit. Seorsim etiam procreationem commemorat, quod eam in superioribus prętermisisset, cùm in textu 3.13.&14. operationes huius animę nominaret.

TEXTVS.

Φυσικώτατον γὰρ τῶν ἐν τοῖς ζῴοις ἔργων, ὅσα πλέον ἔχει τοῦ ποιεῖν, ἢ τὸν γένεσιν ἀπεργάζεται, τοῦτο πέφυκεν ἕκαστον ἀεὶ, ὅσον μέχρι τοῦ ζῷον, φυτὸν ἢ φυτόν.

Naturaliſſimum enim operum, quæ in animantibus, quæcumque perfecta ſint non mutilata ſpontaneam generationem habent, facere alterum ſibi quale ipſum. Animal quidem animal, planta autem plantam.

COMMEN-

COMMENTARIVS XXXVIII.

DIctum est in superiori Commentario, cur Philosophus initio statim tractationis huius de vegetantis animæ facultatibus primam eam commemorauit, quæ omnium postrema est: genitricem inquam. Eandem ob causam, licet importuno videatur ac præpostero loco, omissa tantisper nutritione, & accretione procreationem sibi similis subiungit esse naturalissimam viuentium operationem. Quibus etiam confirmat tum id, quod B dixerat, vegetantem facultatem omnium primam, & communissimam esse; quòd eius actionis principium sit, quæ naturalissima viuentibus est. Tum etiam genitricem facultatem ad vegetantem animam pertinere; de quo fortasse quispiam dubitasset, multa videns vegeta re quæ non generantur probatio autem est, qua facultas ea, cuius opus naturalissimum est viuentibus cunctis, illius animæ esse debet, quæ prima est & communis cunctis.

Procreatrix vitæ. Naturalissimum Simplicius interpretatur principalissimum: Philoponus finem & quasi scopum, quem sibi maximè natura proponit. Veriùs for- C tasse naturalissimum dixerim, aut quòd omnia, vel etiam ea, quæ merè naturalia sunt, eam quoquomodo habent; dum ignis quoque & naturalia cætera sibi simile gignunt: aut propter maximam naturę propensionem & appetitum, quo ad actionem eam viuentia omnia sollicitantur: aut demum quod tota hæc operatio eò refertur, vt naturæ, quæ in indiuiduo caducæ sunt & mortales, perpetuitatem quandam in specie consequantur. Quare, vt nihil est magis cuique rei naturale, nec quidque tantopere procurat vniuersa natura, quàm esse: Ita hæc operatio in D eum finem instituta naturalissima est. Vt enim magis naturalis indiuidua sit conseruare seipsam per nutritionem: Naturæ tamen speciei naturalis magis est procreatio, qua conseruatur ipsa.

Anima ita vt procreet. Propterea non planta modò plantam, sed animal quoque procreat animal. Etsi enim gignendi facultas vegetantis animæ propria sit; neque inferius, ac deterius possit superius quidpiam, & melius se procreare: Dum tamen facultas hæc in animali cum superioribus quoque virtutibus coniuncta est, atque ab illis perfecta & exculta; Immò non tàm vegetantis, quàm sen- E tientis, & verò in homine intelligentis animæ virtus (Hæc enim sola est in his viuentibus anima quæ omnia moderatur.) Et præterea non plantali, sed animali semine vtitur, cuius virtus in spiritu in animalis corpore optimè temperato: Quid mirum, si animal quoque atque adeò hominem producere potest? Etenim animalis nomine hominem quoque comprehendit Philosophus, qui genera viuentium omnia complecti voluit. Hominem porrò quomodo gigni dicamus ex semine, alibi expositum est. Nam etsi anima eius actione seminis non producatur, disponitur tamen materia & præparatur corpus cum quo ea coniungi debet; dumque harum A dispositionum beneficio coniungitur; causa, quę dispositiones produxit, verè dicitur coniunctum illud produxisse.

Hinc cessat Philoponi dubitatio, an si omnibus naturale est sibi simile procreare, insit etiam in irrationali, hoc est sentiente anima vis procreandi, sensusque sensum procreet, & ira iram, & in reliquis similiter: An verò vegetans sentientem, & deterius id, quod est melius, producat. Cui parum ille accommodatè respondit: Sed non est necesse singula persequi, modò rem ipsam teneas.

Quæ ad procreãdũ apta. Cæterum nec omni tempore, nec in viuentibus omnibus hæc operatio cernitur. Sed tres omninò conditiones postulat. Primam: vt viuentia sint in sua specie perfecta, ad eámque magnitudinem & membrorum omnium granditatem venerint, quæ ipsis conuenit. Cùm enim communicare alteri esse, perfectionem significet, non nisi perfectorum esse potest. Quæ autem imperfecta sunt, vt pueri & recens nata, substantiam, eam omnem; ex qua alliud gignere debuissent sibi ipsis apponunt, vt perficiantur. Neque hæc operatio, quæ ad conseruandam in specie labilem & caducam naturam est instituta, danda fuit viuentibus recens natis, sed ad vlteriorem duntaxat ætatem prouectis. Magno item calore opus habet, vehementi virtute, naturáque omnino robusta. Propter has enim causas, nec tenellæ plantæ, nec animalia in prima ætate procreant. Alteram; vt viuentia non sint mutilata, ijs scilicet partibus, quæ ad procreandum necessariæ sunt; siue vt opportunè elaboretur & perficiatur semen; siue vt post elaboratum & perfectum effundatur, quemadmodum spadones. Inter hæc mulos etiam Philoponus numerat. In- *Mulus sterilis.* fęcundi enim sunt. Et siue genitalia instrumenta desint, siue gignendi virtus; perinde mancum animal dixeris. Quamquam & hoc animal interdum fęcundum esse narrat Philosophus in 6. Historię libro cap. 22. 24. & 36. Et in secundo de ortu sub finem, & de admirandis auditionibus particula 68. Verùm aut sunt diuersi generis, aut aborsum patiuntur, nec fœtum possunt absoluere. Tertiam; vt non habeant spontaneam generationem, hoc est ex putredine sponte non prodeant; vt vermes, pulices, cimices, & similia. Quoniam hęc cùm manifestam & conspicuam efficientem causam non habeant, sponte videntur nasci: Quod materia, vt est in tex. 31. libri septimi Metaph. à se ipsa potest eo motu moueri, quo semen mouet.

DIGRESSIO XVI.

De ijs, quæ ex putredine gignuntur.

ALius est hic gignendi modus, qui in superiorem causam reuocari debet; quę generali quadam agendi virtute, qua inferioribus hisce præest, acceperit à Deo quasi curam conseruationis & perpetuitatis rerum omnium inferiorum, & earum præcipuè, quę ob corporis imperfectionem & organorum procreatione necessa- *Ex putredine, à quo genitæ.*

riorum ineptitudinem ſuam naturam alterius ſimilis productione conſeruare non poterant. Diuina hęc virtus cæleſtis eſt, quæ in putreſcente materia qualitates ita iungit ac temperat, vt ſi opportunè diſpoſita ad formam aliquam, & verò etiam viuentem atque animatam ſuſcipiendam. De quarum procreatione duo potiſſimùm diſputantur.

Quænā nta gignantur.

Alterum; quænam ſint ea viuentia, quæ hoc modo gigni poſſunt. Cuius difficultatis mihi quidem perfacilis explicatio videtur. Quoniam cum tota hæc procreatio coniunctione fiat & temperatione qualitatum in putreſcente materia; ea nimirum procreari, quorum opportunam & ſufficientem diſpoſitionem poterit in ea cælum producere. Non igitur perfectiora viuentia, ſed abiecta quædam & imperfecta quoque hunc habebunt ortum. Quę plurimùm à prima cauſa in extremam quandam & infirmam viuentium ſortem receſſerunt. Qua enim ratione poſſit cœlum perfectius corpus organizare, cùm tanta membrorum diſtinctione, varietate, ordine, planéque admirabili proportione, quam in animalibus pleriſque cernimus? Mihi quidem certè à naturali agente, quod neceſſariò & non cum libertate operetur, id fieri non poſſe videtur, quod à mundo condito tot annorum millibus factum non fuerit. Quin potiùs cum numquam perfectum illud viuens viſum fuerit ex putredine procreatum; ne id quidem fieri poſſe credendum eſt. Quo namque argumento id naturalis Philoſophus cognoſcet, quod tanto temporis interualo numquam fuit factum? Sanè animalia perfecta primo ortus ſui tempore non quolibet alimento ſuſtentantur, ſed parentum ope ac ſubſidio aliquandiu indigent. Quanam igitur ratione nutrietur illud animal, quod fuerit à cœlo productum.

Itaque ineptè prorſus Auicenna in libro de diluuio homines ſcripſit & animalia cuncta ex putreſcente materia, aut ex terra naſci poſſe. Quod Petrus quoque Pomponatius ſenſit, & confutauit Antonius Bernardus ſectione nona libri 29. euerſionis ſingularis certaminis: Et Ariſtoteles primo libro de animalium ortu capite primo quædam eſſe affirmauit, quæ ex ſolo procreentur ſemine; quędam, quę ex ſola putredine; alia, quę tum ex ſemine, tum ex putredine producantur. Si enim quędam ſunt, quę ex ſolo naſcantur ſemine (Quę ſanè ſunt perfectiora) manifeſtum eſt, ea non poſſe ex putredine propagari.

An gemina ex ſemine, & putredine ſint eiuſdem ſpeciei.

Alterum, quod diſputatur, eſt; An cùm quędam vtroque modo naſcantur; ea, quę ex ſemine, & ea, quę ex putrefactione gignuntur, eiuſdem ſpeciei ſint. Negauit Auerroës in Comment. 46. libri 8. Phyſ. & Commentario ad caput primum libri primi de animalium ortu, & multis perſequitur M. Antonius Zimara in ſua Tabula, verbo, Homo non poteſt generari &c. Videtur autem aperta fuiſſe Philoſophi ſententia in capite primo de animalium ortu. Nam ea, inquit ex putreſcente materia oriuntur, aut non procreant, aut aliquid à ſe diuerſum procreant. Si enim eiuſdem ſpeciei aliquid procrearent, ipſa quoque fuiſſent ex ſemine procreata. Quoniam ea, quę ſunt eiuſdem ſpeciei eundem habent procreationis modum. Si autem diuerſum aliquid procreent, illud ſanè credendum eſt, non poſſe aliud procreare. Abiremus enim in infinitum, atque infinitę forent imperfectorum animalium ſpecies. Plura ab Auerroë, eiuſque Sectatoribus adferuntur.

Sed malo reliquorum pene omnium iudicium ſequi, animaliáque hæc omnia eiuſdem eſſe ſpeciei affirmare, & eandem poſſe ſpeciem ex ſemine & ex putredine procreari. Ariſtoteles in text. 23. libri 7. Metaph. Sanitatem dixit & arte, & caſu effici poſſe; quemadmodum eadem animalia fieri poſſunt ex ſemine & non ex ſemine. Et rurſum in textu 31. ea animalia poſſe & ſemine & caſu procreari, quorum materia poteſt à ſeipſa moueri eo motu, quo illam mouet ſemen: Quorum verò non poteſt, ea non poſſe aliter gigni, quàm ex ſemine. In 6. autem libro de animalium hiſtoria capite 15. quoſdam ſcripſit piſces ex arena, & limo atque ex coitu procreari, eiuſdemque eſſe naturæ. Et apes addit Philoponus ex tam norum corporum putredine genitas generare eris ſemen immittentes. Quemadmodum etiam in 64. problemate ſectionis 10. Mihi de identitate ſpeciei loquereturi, ineptè quæreret, quam obcauſam animali à quadam non ſolùm ex coitu, ſed ſponte naturæ poſſint procreari; alia verò ex coitu dũtaxat, vt equus, & homo. Quin in primo libro de animalium partibus capite primo hominem gignitem & hominem genitum eiuſdem eſſe ſpeciei pronuntiauit; Et in alijs quoque ſpeciebus eadem interdum arte fieri & caſu, ſeu ſponte, vt fatentem; idemque animal & coitu & ſponte propagari. Quo loco manifeſtum eſt, ſermonem eſſe de identitate ſpeciei, qua homo hominem gignit. Denique in tertio libro de animalium procreatione capite 11. varias exponens plantarum procreationes, bucinas, purpuras aliaſque imperfectiles plantas affirmauit eaſdem & propagatione & ſponte fieri. Quod in primo libro de plantis capite primo confirmauit Theophraſtus; quæcunque ſcribens & ſemine & ſponte fieri, atque in eis parem eſſe plantarum & animalium rationem. Quòd in vtroque viuentium genere quædam ex ſolo ſemine; alia non niſi ſponte; quædam vtroque modo gignantur. Iam eaſdem prorſus animus eſſe operationes, eadem accidentia omnia, vtrouis modo procreentur: Nec quidquam omnino habemus, ex quo naturæ, & eſſentiæ diuerſitatem colligamus.

Nam quod obijciebatur, animalia genita ex putredine, aut non gignere, aut aliquid à ſe diuerſum gignere; ſi vniuersè & generaliter accipiatur, pugnat profectò cum ſenſu & experientia. Quonam in nuper fabricatis nauibus, aliiſque huiuſmodi locis conſpiciuntur mures ex putredine orti, cùm aliunde non fuerint comportati, nec ante illos adeſſent alij, ex quibus naſcerentur. Eos autem conſtat illos mures procreare quamuis fœmina prægnans occiſa agnoſcitur habere mures in vtero. Idem de apibus dicendum videtur, quæ ortæ ex ducibus, qui ſpecie differunt, eiuſdem ſpeciei apes progignunt. Itaque non deſunt, qui reſpondeant rationem illam, qua Ariſtoteles probauit animalia ex putredine orta, ſi procreent, diuerſum genus procreare: Quia, ſi eiuſdem ſpeciei eſſet procreatio, ipſorum quoque procreato

creatio eiusmodi esse debuisset; Esse probabilem. Quoniam probabile, non tamen semper necessarium est, filios eodem, quo parentes modo nasci. Simili enim ferè argumentatione (quam tamen ipsemet logicam, hoc est probabilem esse fatetur), in secundo libro de animalium ortu capite 6. mulos probauit non gignere, quia non possunt gignere mulum: Non enim gignitur mulus, nisi ex equo & asino: Neque aliud animal diuersum; quia ex mare & fœmina eiusdem speciei nasci non potest nisi filius eiusdem speciei. Tota enim hæc argumentatio persimilis ei est, quæ probauit animalia genita ex putrefactione non gignere sibi simile, sed aut nihil, aut diuersum. Quoniam filiorum & parentum ortus similis videtur esse debere.

Verum alia quænam mihi videtur esse illius loci explicatio. Tria omnino sunt animalium genera. Quædam perfectissima, quæ non nisi ex semine procreantur, vt homo & equus. Quædam imperfectissima, quæ ex sola putredine nascuntur, vt muscæ, pulices, pediculi. Alia demum inter hæc media, quæ vtroque gignuntur modo, vt mures, ranæ, & similia. Cùm enim paulatim in omni operatione progrediatur natura; ab ijs, quæ ex sola putredine nascuntur, ad ea, quæ solo semine conseruantur, voluit per ea progredi, quæ vtrumque procreationis modum haberent. Dum igitur affirmauit Philosophus, ea, quæ ex putredine oriuntur, aut aliud non gignere, aut aliquid diuersæ speciei producere; de ijs non loquitur, quæ & ex semine & putrescendo nasci possunt. Quia, si hæc ex semine quoque nascantur, verisimile est ex maris & fœmina coniunctione in eadem specie nasci. Et quamuis eorum progenitores ex putredine fuerint nati; id tamen fuit ex accidenti; quoniam poterant ex semine quoque procreari. Verum de ijs loquebatur, quæ non alio modo, quam ex putrefactione, nasci possunt. Cùm enim ex semine produci nequeant, si coëant, non possunt sibi simile procreare; quoniam simile illis animal produci non potest, nisi ex sola putredine. Aut igitur nihil omnino, aut aliquid diuersum gignent.

Hanc porrò sententiam mente Philosophum concepisse, dum ea verba pronuntiauit: Tum « ex illis ipsis verbis colligo: Sic enim est apud « ipsum. At verò, quæ non ex coitu, sed putri materia oriuntur, generant quidem, sed genus diuersum, &c. Quibus verbis planè ostendit, se nequaquam de ijs loqui, quæ gigni possunt ex coitu; sed de ijs duntaxat, quæ ex sola putrescente materia prodeunt. Tum ex capite primo lib. quinti de animalium historia, vbi agens de horum ipsorum animalium coitu, quæ ex putredine nascuntur; Ex illis, ait; gigni semper diuersum quidpiam, quod nihil ampliùs generet: Ex coitu scilicet pediculorum lendes; ex coitu muscarum vermiculos; ex coitu pulicum aliud quoddam genus vermiculorum, quod oui speciem præseferat. Et capite 24. & 86. libri 6. Cùm in Syria mulas narrasset, & coire, & parere, statim adiecit, eas alterius generis esse. Dis his hactenus.

TEXTVS.

Ινα τε ἀεὶ ᾖ τῷ θείῳ μετέχωσιν ὡς δύνανται. πάντα γὰρ ἐκεῖνο ὀρέγεται· καὶ εἰκῇ ἢ ἕνεκα τούτου πράττει ὅσα κατὰ φύσιν πράττει.

Vt ipso semper & diuino participent, quatenus possunt. Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quæcumque secundum naturam agunt.

COMMENTARIVS XXXIX.

FInalem tandem causam adiungit, propter quam huiusmodi operatio sibi simile procreans à natura viuentibus tributa sit. Ea est, vt quoquo modo participent esse diuinum, & quoad fieri potest, semper sint; Quemadmodum Deus & diuina entia sempiterna. Omnia enim maximè appetunt esse: Animalia quidem, & quæ cognitionem habent, elicito appetitu, cætera naturæ instinctu. Et ideò modis omnibus conseruationem sui procurant: hucque tandem natura omnem suam operam confert. Quod quia in indiuiduo ita assequi non possunt vt semper sint, in specie saltem id conantur; aliud gignendo sibi simile, quod post interitum sui in natura subsistat. Longiorem hæc tractationem postulant; sed ea in opportuniorem locum differatur. Etenim harum facultatum tractationes principium erit in tex. 42.

DIGRESSIO XVIII.

De Inanimorum corporum generatione.

Philoponi sententia de gignendi facultate.

NVnc prætermittendum non est, quod hanc gignendi facultatem ita putauit Philoponus omnibus natura constantibus insitam esse vt quod omnia perpetuitatem quærunt elementis quoque lapidibus, metallis, & omnino inanimis omnibus ita necesse voluerit; vt triplici quasi gradu constet: Obscurius insit in elementis & mistis inanimis, atque adeò in plantis ac stirpibus, in quibus nullus est sensus, aut appetitus, cuius stimulis incitentur in venerem, sed solus naturæ instinctus. Manifestiùs in bestijs, quæ sensu ac desiderio commouentur, & solicitantur. Perfectissimè in homine, qui sobolis quoque successionem habet in hac functione propositam. Sed rursum primum gradum tripartitum fecit. Remissior enim est & imbecillior in rebus inanimis hæc facultas, quàm in arboribus & plantis. Atque in mistis remissior adhuc, quàm in elementis. Quoniam hæc, dum vicissim agunt, id, quod est potentius, imbecillius alterum in suam naturam cõmutat. Non ita lapides & metalla. Hæc tamẽ ipsa, si accipiantur singula, sunt velut animalium partes: si tota illorum integritas consideretur, velut integra animalia. Quare, vt genitrix vis non

ineſt ſingulis animalium partibus ſed animalibus integris : Ita nec lapidibus ſingulis, aut metallis, ſed vniuerſæ eorum integritati. A

Confutatio. In his & pugnantia loquitur Philoponus, & communi omnium ſenſui aduerſatur. Fatetur is, elementa, lapides, & metalla, corpora eſſe inanimata : Pugnantia igitur addit, dum hæc animæ facultate prædita eſſe adiungit. Nullus verò conceſſerit, ibi eſſe facultatem poſſe, vbi eius principium non adſit. Mitto monſtrum illud, lapidum, aut metallorum vniuerſitatem inſtar eſſe animalis integri. Quomodo enim vnius animalis inſtar ſit illud, quod partes non habet vnitas; Immò tantopere diſſitas & diſperſas? Et quenam maior gignendi vis in toto ſit, quàm in partibus ? Sanè & animalium partes alimentum in ſuam quæque naturam commutant. Eſtque nutritio adgeneratio quæpiam. Et lapides quoque ac metalla; Etſi multò poteſt tempore ac ſenſim, maior fiunt. B

Generatio ſynonyma & homoyma. Ergò generationem dicamus quandam eſſe ſynonymam, qua ſimile à ſimili producitur: Aliam omonymam, quæ à diſſimili cauſa proficiſcitur Vtraque tum in animatis rebus, tum in animis cernitur. Nam & animal ab animali gignitur ex ſemine, & à cœlo putreſcente materia, & ignis item ignem generat. At non lapidis lapidem metalumue metallum. Ita perpetuitati partim conſulit natura particularis, partim vniuerſalis. C

Elementorũ generatio. De inanimis nunc dicendum. Neque in elementis magnopere laborandum. Quod enim in viuentibus facultas genitrix, hoc in illis alteratrices qualitates, calor, & frigus, humor, & ſiccitas. His inſtructa ita agunt, tum viciſſim, tum in aliam materiam, vt ſi agendi virtute ſuperent, alterum in ſuam naturam mutent. Simplex eſt hæc generatio, ſimplicique harum qualitatum actione conſtat.

Miſtorũ. De miſtis maior difficultas, operæque plus poſtulat. Verùm aut ea ex elementorum concurſu & pugna immediatè exiſtunt, aut ex elementorum habitu, vt quę in cauernis terrę naſcuntur. Si ex mutua elementorum actione producatur quidpiam, antecedentis alterationis, materieque preparationis, quę elementorum temperatione conſtat, efficiens cauſa ſunt alimenta ipſa quę inſita ſibi agendi virtute totum illud operantur. At productionis formę miſti, atque adeo generationis myſti cauſam non reperies aliam, quam cœlum per lumen, vt antecedenti temperatione tanquam materię diſpoſitione determinatur: Et qualitatum temperatarum virtute iuuatur. D

Mineralium omnium materia communis, & ortus. Mineralium omnium materia ſunt elementa omnia. Sunt enim miſta perfecta. Et duplicis habitus humidi & ſicci, tum inter ſe, tum cum aliorum elementorum, aëris, & ignis permiſtione, corpora hęc exiſtunt. Vbique terram & aquam abundare grauitas & ſodilitas facilè perſuadent. At non immediatè ad eam miſtionem hæc elementa conuenire; ſed euoporando, duplicique habitu ſuppeditato, ſicco & humido; illud eſt argumento. Tum quòd dum aperiuntur fodinæ, plurimus erumpit; Sulphureo item odore, quo foſſores ſæpè necantur. Quam ob cauſam faciunt noroſi homines, criminúmque conuicti ad fodienda olim metalla damnabantur. Tum verò, quòd cùm horum corporum miſtio tenaciſſima ſit & ſtabiliſſima; neceſſe eſt tenuiſſima eſſe ea, quæ miſcentur. Nam, vt eſt in tex. 89. libri primi de Ortu, & Interitu, eò facilior & melior miſtio, quo minores in partes diuiduntur ea, quæ miſcentur. Faciliùs namque agunt & patiuntur, tot ſuam naturam & qualitates cum alijs communicant. At quoniam euaporatio tenuantis caloris opus, qui tenuiores corporis partes ſoluit, & alijs ſeparat, quæ craſſiores ſunt, & ſubſidunt; calorem in omni mineralium productione adeſſe oportet, qui & neceſſariam materiam præparet, eam diſpenſet & permiſceat. Humidi enim aquei & ſicci terrei permiſtio maximè fit à digerente calore; dum ſenſim denſat, atque inutilioribus partibus ſeparatis efficit, vt vniuerſa materia conſtet, non vſque effluat, aut dilatatur. Quemadmodum & in animalium coctione, natiui caloris opera crudescit ſanguis, & in denſam ac ſolidam membrorum ſubſtantiam mutatur. E

Humidi aquei hanc ſiccique terrei euaporationem libuit naturalium rerum ſcriptoribus ſublimationem appellare, quaſi in ſublime leuationem. Etenim hi fumi ex humido pingui ac terreo nui permiſtis ad cauum locum eleuati, cùm frigidi ſint & præcalidi, facile penetrant: Atque in terræ meatus, & vias fodiunt, plures, aut pauciores, pro maior, minorue fumi virtus & efficacitas fuerit, continentiſue corporis reſiſtentia. Has venas nominamus; quòd in terra ſint inſtar venarum in animalium corporibus. Et vt in his ſanguis continetur venis, atque in omnes corporis partes diſtribuitur ex alimento ſeparatis. Ita in terra duplex humor ex inferiori hoc eleuatus globo meatibus illis concluditur, atque ad diuerſas illis corporis partes accendit. Ibi incluſus permiſcetur optimè actuoſiſſimè; Atque in loco clauſo in ſeipſum concoquodam modo præfocatur; & à frigore, tum cumiecti corporis, tum ſibi inſito, congelatus alias, atque alias corporum formas mutatur. Sunt hæ, quas dixi, ſublimatio & præfocatio, in metallorum potiſſimum ac lapidum procreatione neceſſariæ; Quoniã tam accurata & tenax permiſtio non fieret. Nam ſi pates & apertus eſſet locus, exirent fumi, ijſque in circumiectum corpus mutatus non gigneretur. In alijs corporibus, quorum pertuſa minus eſt tenax, non ſunt fortaſſe tantopere neceſſariæ, ſed ſatis eſt humidi cuiuſpiam terreo adpermiſtio & concretio.

Hæc eſt vniuerſa horum corporum materia, aqueus & humidus halitus cum ſicco terreo permiſtus: omnia quidem elementa, ſed aqua potiſſimùm & terra exhalando permiſtæ. Alterum autem exceſſu duplex exiſtit quaſi ſpecialis & propria duplicis corporum generis materia. Si enim abundet ſiccus & terreus habitus, qui ab humido aqueo quidpiam patiatur, lapides fiunt, & quæ ab Antiquitate foſſilia nominantur. Nam etſi foſſilia interdum generali appellatione dicantur ea, quæ fodendum generali appellatione dicantur ea, quæ fodiuntur ex terra, vel etiam metalla: Nonnumquam tamen tanquam ſpeciali voce nominantur, quatenus hæc à metallis diſtinguuntur, quatenus hæc ſunt, aut ductilia, illa nequaquam liquefcere poſſunt, aut molleſcere.

Horum præcipuam materiam eſſe terram, offen-

dant

frigus, siccitas, densitas, duritiés, grauitas. Interualla etiam quædam terræ duræ, & siccæ, velut venarum vestigia, quæ in illis interdum visuntur, Aut quòd pars ea terræ non satis perfectè potuerit in lapideam naturam mutari. Aut quòd ex lapidibus ipsis, quæ terrea sunt corpora, separata fuerit; agitatione scilicet & attritione illorum corporum: Tum ab alijs causis, tum maximè à terræ motu. Fraguntur enim, & multa fiunt ramenta; eáque atteruntur in puluerem qui ablutus aqua sit lutum, & terra lapidi persimilis. Hanc ob causam lapides omnes merguntur in aquam, à grauiori elemento tracti. Solus pumex innatare videtur. Rationem exponit Philosophus in cap. primo libri secundi de plantis, propter cauitates plurimas leuiore aëre plenas. Quare solutus in puluerem non minùs mergitur, quàm lapides cæteri; aere scilicet separato. Alium è Syro insula lapidem integrum fluctuare in aqua & cominutum mergi Plinius memorat libro 36. capite 17. Eadem est ratio. Sanè Christallus, adamas, berillus, & id genus alij perspicui lapides aquei maximè videntur. Sed inabundaret terra, aquarum ima non peterent; Sicut non petit glacies, quæ tota est aquea; etsi terreum quidpiam admistum habeat.

Quoniam tamen lapidis maximè constans est & solidus, partésque omnes adeo cohærentes habet, vt sine summa difficultate non frangatur: Quæuis terra per se sumpta esse non potest. Quoniam ea propter nimiam siccitatem non consistit, nec partes habet copulatas; sed soluitur in minima; vt videre est in puluere. Propterea in Timæo Plato lapides fieri dixit ex terræ specie per aquam emergente: Aristoteles ex habitu sicco nonnihil permisto cum humido: Gabriel Fallopius hanc fatetur eorum lapidum esse materiam, qui in terræ visceribus giguntur: pretiosiorum autem lapillorum, & eorum, qui in animalibus, plantis, & aquis nascuntur, lapideum succũ; In pretiosis quidem omnino purũ, in alijs minùs. Nam & pretiosi lapilli intra alium lapidem semper concrescunt; & eodem modo, quo succi; hoc est, non rotundi, sed in facies, & angulos: Succorum autem materia est succus. Accedit, quòd si non ex succo, sed ex fumoso halitu concrescerent, opaci omnes essent & nebulosi: Pretiosi autem quique nitidi sunt, splendidi, & pellucidi: nimirum ex purissimo succo concreti, in quo per coctionem, terræ partes fuerint tenuatæ, nimiúsque humor absumptus. Denique Albertus Auicennam sequutus terram potiùs lutosam, seu humidum vnctosum & viscosum, hoc est terram passam ab humido vnctoso & viscoso, esse voluit opacorũ lapidum materiam. Quod Georgius quoque affirmauit & Agricola, Aristotelem & Theophrastum ausus reprehẽdere. Nã inter plures lapides visuntur rimæ quasi venæ luto plenæ, quod in lapidem perfectum nondum concreuerit. Perspicuorum verò materiam esse aquam magis, seu aqueum humidum cum tenuissimo sicco terreo permistum: Atque ita ab eo passum, vt eius virtus omnes quasi humidi partes obtineat; nec tamen illius substantiam in terram mutauit. Eiusmodi enim lapides sunt velut fusa vitra; Vitrorúmque ea materia est. Et aqua, quæ à sicco magnopere patiatur, concrescit in lapidem; & quibusdam in locis, in quibus maxima vis gignendi lapides, aqua guttatim descendens, aut pluuia, aut alio modo fusa, propterea lapidescit; quòd dum descendit, à terreo loci sicco patiatur. Denique perspicuitas illa ab igne, aut aëre esse nequit: Et Christallus, berillúsque glacies quædam aquæ videntur esse.

Sed quod à nobis Albertus postulat, vt perspicuorum materia aquam potius, quàm terram esse concedamus; nunquã profectò obtinet; cũid Aristoteli & antiquioribus omnibus aduersetur; iámque ostensum sit in omnibus abundare terram. Hoc voluit Aristoteles, cùm siccum & terreum halitum nominauit, quod in cap. 7. libri 4. Meteororum sibi apertis hisce verbis interpretatus est. Concrescunt autem quæcumque terræ. Quapropter, & nitrum, & sales terræ sunt magis, & lapis, & fictile. Hoc Plato, cùm terram per aquam emergentem dixit. Eadem enim vtriusque sententia. Nam ideò terram dixit Plato per aquam emergentem lapidum esse materiam, quòd calor in terræ visceribus ageris terreum fumum eleuet, terramque in aërem mutet; qui dum cauernas petit, occurrens aëri, aut in cauernis, aut in superficie terræ existenti, eum pulsat ilq. terrenæ moli vehementer illisus, in locum, vnde nouus aer ascenderat, recedit. Et ex ea reflexione terreus fumus, qui mistum aërem habet, ita densatur in lapidem, vt si terra optimè compacta sit, lucidi fiant lapilli, qui æqualibus partibus constant: Sin minùs, opaci lapides inæqualium partiũ. At si humor omnis resoluatur, arida duntaxat tellꝰ relinquitur.

Ex quibus postremis verbis intelligimus, aërem appellatum fuisse halitum humidum, atque ex duplici halitu Platonem non minùs, quàm Aristotelem, lapides efformasse, Terra tamen & sicco abundante. Hic enim est, quem terræ speciem per aquam emergentem appellauit. Hinc pyramidalem montium figuram existere non ineptè credideris, propter halitum scilicet ascendentem, ex quo gignuntur lapides, quibus constant montes. Ea siquidem est leuium corporũ figura, dum sursum mouentur. Atque hæc est vera & maximè generalis lapidum materia, qui & communi nomine censentur lapides, & vbique per totam terram affatim & in magna quantitate giguntur. Neque enim in cauernis illis terræ persæpè vastissimis alia subesse potest materia, quæ cauitates illas occupet: Et ideò effossis inde lapidibus alijs rursum giguntur nouo subinde accedente halitu.

Montiũ figura vnde.

Non ita tamen hanc ego Aristotelis, aut Platonis sententiam accipio, vt nullus, nisi ex hac materia, formetur lapis: Sed vt ea sit generalis, communis, & notissima. Maximè cùm Aristoteli in illis Meteorum libris propositum esset docere omnia, quæ ex illo duplici halitu producuntur. Inter quæ lapides esse vidit, Præsertim quòd ad eandem illam materiam eos item reuocari posse animaduertit, qui ex lapideo succo in plantis & animalibus nascuntur, vt vniones, aut in aquis, quæ lapidem abraserunt, dum per saxorum fluerent rimas, vel lapideum vehunt succum, aut alio huiusmodi modo. In eodem namq. capite septimo paulò ante notato lapides aliquos non ex halitu, sed ex succo gigni testatur his verbis. Sunt autem & lac & sanguis amborum quidem communia, & aquæ, & terræ, magis autem vt plurimùm terræ: quemadmodum & ex quibuscumq. humidis nitrum fit, & sales: Et lapides quoq. ex quibusdam constant talibus.

Verùm in omnibus abundat materia terrea superfluo absumpto humore antequam lapis concresceret. Quod in perspicuis quoque necessarium est. Nam etsi ideò perspicui sint, quod plus humoris habeant, quàm alij plurimi; superat tamen terra. Et ideò solidi sunt, & prægraues, atque infra aquam descendunt. Neque vllo modo liquescunt, aut mollescunt. Etenim summum frigus ira congelat, vel etiam niues in summis montibus terræ permistas; vt materia illa ad siccitatem tracta chrystallus fiat, aliusue perspicuus lapis. Ligna quoque plantæ folia, & quorumdam animalium corpora lapidescunt; quòd valde terrestria sunt, & aquæ immersa ad lapidis naturam traduntur facilè. Quocumque enim in loco terra ita misceatur aquæ, vt eam ad siccitatem trahat, fit lapis.

Propterea terra, quæ solidam habet superficiem, multos & probatos suppeditat lapides. Quoniam dum halitus expirare non potest, diuturna est actio & passio, qua fit optima mistio. Habet etiam solida terra maiorem actionem. In fluminum ripis aperto licet & patenti loco, in quo fumi nequeant præfocari, lapilli plurimi, immò & probatissimi auri grana visuntur. Sed aut ab aquis, ventis, aliáue aduehuntur causa: Aut propterea ibi nascuntur, quòd ille ipse locus clausus est & solidus, & præfocare potest. Dum enim sæpissimè aquis alluitur, hæ subeuntes occludunt meatus, fumique expirationem prohibent. Quare huiusmodi aurum censetur optimum, & nitidissimi sunt lapides; quòd crebris aquæ lauationibus materia sæpè purgatur. Est & locus magnopere calidus; dum calor luminis reflexione super aquas excitatus, frigore aquæ ad littus repellitur, ibique & magis consumit & extrahit humidum & materiam reliquam meliùs coquit & indurat. De alueo maior difficultas. Ferè enim abundat lapide; cùm tamen frigeat semper & humescat aqua. Verùm aut ibi non nascitur, sed in flumen aliunde proijcitur; aut ab aqua rapitur, dum per lapidosa loca transit; aut ibi gignitur, dum riparum calor sub aqua terram permeat, eiusque euaporationem impedit aqua. Sic enim optimè permiscet & coquit.

Illi autem optimè permisti iudicantur, vbicumque geniti fuerint; qui franguntur ægriùs, fractique politas omnino & æquabiles superficies reddunt, abrasúsque puluis minutissimus est. Nam hæc omnia siccum testantur omni ex parte passum ab humido, optiméque ab eo copulatum & terminatum. Itaque in factitijs lateribus illud obseruatur interdum, vt aqua primùm optimè cum terra misceatur, vt eam totam penetret. Tum siccetur. Sic enim & politiores euadunt, & magis compacti. Atque in hoc quoque ars imitatur naturam, dum politissimos, & pulcherrimos molitur lapides.

Metallorum propria materia, & ortus.

Iam verò si halitus humidus & aqueus dominetur, isque à terreo sicco patiatur, existunt metalla. Eorum enim omnium, quæ liquari possunt, aut mollescere, duci & extendi, materiam propriam esse aquam: tum auctor est Aristoteles in capite septimo & decimo libri quarti Meteor. & & textu octauo libri secundi, Physico. & textu quinto libri quinti Metaphysic. Tum certa ratio persuadet. Idcircò enim aut liquescunt, aut mollescunt; quia humidum aqueum, quod terreo sicco terminatum fuerat, calore ignis vehementi soluitur, & liquidum fit ac fluens. Nam & terra sicca & dura, si infundatur aqua, mollescit primùm, deinde etiam liquescit & fluit, si tantum aquæ accesserit, vt aquæ plus sit, quam terræ. Quoniam tunc aqua sua natura fluida tantopere dominatur terræ, vt eam secum trahat.

Non est tamen aqua simpliciter & sola horum corporum materia. Quippe aqua facile euaporat, fluida est, perspicua, minimèque terminata & si in aliud corpus effundatur, illico expanditur, adhæresçit & humectat. Metalla & euaporant difficilè & opaca sunt ac terminata, & nisi vexentur igne, solida prorsus sunt, consistentia & dura. Et quamuis liquescant igne soluta, dum tamen effunduntur, non humectant, non adhæresçunt; sed conglobantur in partes. Oportet igitur aquam à cæteris elementis quibuspiam pati, atque ita cum terreo sicco misceri vt naturalis fluor & perspicuitas terminentur, & impediatur ne dissipetur metallum, sed quasi peribos constet. At quoniam optima est & arctissima mistio; non erit aqua immediatè permista terræ, sed euaporatione multa, diuturnáque sublimatione opus est, vt vtriusque corporis halitus tenuissimi misceantur, tum inter se, tum cum aliquibus aliorum elementorum particulis.

Dum in Timeo Plato metalla tradidit nil esse aliud, quàm aquas fusiles, remotam eorum materiam significauit. Multò magis & Hermes, & ij, qui elementa omnia dixerunt. Propinquam verò sapienter nobis exposuit Aristoteles in extremo tertio libro Meteor. cùm non aquam, sed aqueum & humidum halitum, hoc est aquam calore tenuatam & euaporantem pronunciauit. Sic enim tenuè humidum cum fumoso ac tenui tereo, ignéque & aëre, quæ tenuia item sunt, arctissimè miscebitur.

Porrò qui secus senserunt, à veritate procul aberrarunt, & iure optimo ab Alberto & Agricola derisa fuit sententia Democriti, qui calcem & lixiuium; & Gilgil, qui cinerem aqua assumum, materiam esse persuadere conati sunt. Certè cinis cum aqua parùm omnino miscetur. Et metalla omnia flaua essent, citrinive coloris, sicut lixiuium. Cuipiam fortasse fucum faciat argumentum illud, terram potiùs esse illorum materiam, quoniam omnia merguntur in aqua. At non eam ob causam merguntur, quòd maximè abundet terra, sed quòd cum aqueo habitu tereum quoque permistum habeant & largius, quam aëris, igniſue substantiam. Neque Auicenne concedendum est, metalla omnia ex sulphure & argento viuo proximè existere: Quæ chymistarum communis opinio est, quàm & S. Thomas in extremo tertio libro Meteor. & ineunte 4. sequutus est.

Et tantopere Gaspar Contarenus, vt in extremo libro tertio de Elementis, & septimo primæ Philosophiæ non dubitauerit scribere, esse omnium opinionem, de qua nullus ambigat. Argentum autem viuum dicitur esse velut menstruum fœminæ, & sulphur tanquam semen mas-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ris; Illud, vt materia; hoc, vt efficiens. Hisque duobus principijs vniuersa ars illa nititur, qua pollicentur aurum. Etenim dum ipsimet Chymistæ affirmant, se nequaquam loqui de vulgaribus hisce, ac nobis notis argento viuo & sulphure: Verùm de Philosophicis, quæ nil aliud sunt, quàm halitus duo ex terra & aqua exsistis atque in communem vitriolum mutatis excitati; quorum alter humidus, viscosus, & tenax: alter siccus, terreus, & pinguis. Ille argenti viui materiam continet; hic materiæ sulphuris similis est. Quæ est causa, cur interdum etiam metalla dicant, ex vitriolo gigni, interdum ex arsenico.

Quoniam & ex vitriolo credunt duplicem illum habitum excitari; & habitum siccum aliqui arsenicum vocant. Dum inquam hæc loquuntur; aut ea, quæ loquuntur, ostendere ac probare non possunt; aut illud ipsum astruunt, quod negare ac demoliri se profitentur: metallorum scilicet materiam proximam esse halitum humidum, quem Aristoteles docuit in terræ visceribus excitari, & cum terreo fumo misceri. Nam quod tertium addunt principium, sulphur totum, purum, ac splendens, quod metallicam facultatem habeat, quæ ex duplici illo habitu densando & coarctando metallum efficiat; Aut nouam comminiscuntur fabulam, atque vt in materia, sic in efficiente causa peccant: Aut terreum siccum habitui aqueo admistum significant. Sed & parùm constanter loquuntur; cùm antea vim efficientis tribuerint sulphuri, quod velut semen maris esse ponebant.

Accesserunt propiùs ad veritatem Albertus, & Agricola. Nam Agricola in quinto de Fossilibus libro, cùm succum metallicum ex terra & aqua pluuia, terram scilicet abradente factum velut lixiuium in metallicis venis coctum, proximam metallorum materiam posuit; humidum & aqueum & liquabilem nimirum materiam accepit. Sed tamen crassiorem omnino, quàm vt tam perfecta & tenax mistio fieri possit. Hæc enim euaporatione, sublimatione, & præfocatione indiget.

Deinde in fodinis quidem chalcanthi, aluminis, & aliorum, quæ ex concrescente succo fiunt, succus inuenitur nondum perfectè concretus: Non item in metallorum mineris; sed ijs apertis plurima duntaxat cernitur euaporatio. Ea quoque, quæ concrescunt ex succo, aut stiriarum modo concrescunt, vt aliqui interdum lapides in montibus, aut fontibus, aut hyberno tempore gelu dum aquæ ex tectis, alioue loco cadunt: Aut in facies & angulos, aliaue simili figura; vt alumen, saccarum candi, & id genus alia. Metalla non item; sed potiùs velut capilli, aut situs in pariete, putrescente pomo, pane, aut alio eiusmodi corpore.

Albertus autem in tertio Mineralium libro capite secundo, ex humido pingui, & vnctoso cum tenui terreo permisto metalla vniuersa formauit. Quæ sententia probatur plurimis; nec ego habeo quidquam, quod reprehendam; nisi quòd metallorum humidum voluerit esse pingue & vnctosum. Nam pinguedinem inter humida aëris esse & ignis, traditum est ab Aristotele in capite quinto libri secundi, de partibus animalium; omnéque pingue esse calidum in capite nono libri tertij, & capite tertio libri quarti. Rursum pinguia scimus supernatare aquæ. Abundant enim elementa leuia. Propterea supernatat oleum, quòd pingue est & vnctosum. Quoniam, vt est in capite septimo libri quarti Meteor. & capite secundo libri secundi, de animalium ortu plenum est aëre. Denique pinguia omnia accenduntur facilè, inflammantur, & optimum igni nutrimentum præbent.

Metalla omnia non leuibus, sed grauibus elementis abundant, aqua & terra. Et ideò merguntur in aqua: Nec calida sunt, sed maximè frigida, vehementique concreta frigore: Et igne quidem liquescunt, aut saltem mollescunt, quòd humida sint, frigoréque concreuerint: At nec inflammantur, nec ignem nutriunt; quoniam eorum humor aqueus non aëreus. Quòd si plurimum haberent humidum pingue, & vnctosum; plurimum item haberent aërem, essentque aëris potiùs, quàm aquæ; calida magis, quàm frigida; Ac demum supernatarent aquæ; & ita accenderentur igne, vt accensa flamma cerneretur. Præterea omne pingue densum.

Hanc enim ob causam in Problemate 21. sect. 20. Nullius animalis lingua pinguis, quòd raram esse oporteret, vt saporum genera sentiret. Item in Problemate quarto sectio. 13. quod pingue est nunquam malum odorem reddit: & probl. 13. sect. 21. pinguia omnia gustatu suauissima. Et capite nono libri quarti Meteor. Vinum dulce pingue. Metalla omnia aut nullius, aut masi odoris, eorúmque humidum per quàm tenuè esse oportet, vt accuratam mistionem faciat. Scimus etiam ea, quæ pinguia sunt, ægrè coqui; quoniam vnctosa sunt, & lenta, vixque tenuantur: Metallorum autem humidum optimè miscetur. Neque illud prætermittam, quod ex eodem libri quarti Meteor. loco colligo. Aristoteles de olei natura loquens: Si oleum, inquit, esset aquæ, oportebat concrescere à frigido, vt glacies: Si autem terræ plus, ab igne, vt fictile. Nunc autem concrescit quidem à neutro; crassescit autem ab ambobus. Causa est, quia plenum est aëre.

Ex quibus verbis non solùm id concludo, quod nunc quæritur; verùm etiam inanem esse intelligo distinctionem illam duplicis pinguedinis, quam Albertus ad suæ sententiæ defensionem excogitauit. Quarum altera fæculenta sit, & metallis exterior; altera purior, & interior. Nam siue pura sit, siue impura, crassescere posset, tum à frigido, tum à calido: Neutro autem modo concrescere, aut durari, neque magnopere densari. Hæc enim pinguedinis natura. Metalla igitur, quæ Philosophi aperta sententia concrescunt frigore, pingui vnctoso humore non constant, sed aqueo prorsus. Certè in extremo libro tertio, eiusdem operis legimus, ex eadem materia metalla fieri; ex qua efficitur ros, aut pruina; immò aqua ipsa.

Et ideò ea quodammodo esse, vt aquam; quoniam ex eadem materia fieri aqua poterat. Itaque

aued uorim & pruinæ similia sunt metalla ; partim dissimilia. Similia quidem , tum materia, tum proportione quadam . Quoniam vt se habent ros & pruina supra terram, ita se habent intra terram metalla. Cui si addatur id , quod est in capite vndecimo libri primi, rorem & pruinam in hac aëris infima regione proportione respondere pluuiæ , & niui in superiore media ; profectò licebit dicere , quod ad materiam & habitum humidum attinet , quod sunt pluuia & nix in media ; rosque , & pruina in infima aëris regione . Hoc intra terram esse metalla. Et vt in superiori regione pluuia , & nix atque in hac infima ros & pruina; sic intra terram metalla , non ex pingui & vnctoso , sed ex humido solùm & aqueo habitu fieri.

Metalla ros & pruina.

Sunt autem dissimilia : tum quod ros & pruina sereno , tranquilloque cœlo fiunt ; pluuia & nix nubilo & interdum ventoso ; metalla in tranquillis quidem , sed tenebrosis prorsus & obscuris partibus terræ. Tum verò materia proxima, & efficiente causa. Roris enim & pruinæ materia minor est , ac tenuior , frigusque densans temperatum magis , quam in pluuia, aut niue: In metallis verò & multa , & tenuissima materia , & frigus maximum.

Et hæc quidem omnia supra terram ex humido habitu concrescunt , postquam is secretus fuerit , atque ex terra in apertum , liberúmque locum ascenderit. Vel vt alij interpretantur, postquam ab eo separatus fuerit alter halitus siccus , qui ascendit altiùs. Et ideò hæc mollia sunt & liquida ; metalla verò antequàm secernatur , siue ex terræ globo siue ex habitu sicco; sed ex vtroque in terræ latebris optimè permisto , siccóque humidum terminante concrescunt : & ideò dura sunt & solida . Ex quibus omnibus perspicuum est , metalla aquæ magis esse , quàm terræ ; humidi potiùs , quàm sicci. Durities enim illorum & soliditas , tum ex admistione terræ, & sicci , tum ex concretione nascitur.

Cómunia mineraliũ accidentia.

Hanc mineralium omnium materiam communia item accidentia consequuntur. Omnia enim frigida sunt & sicca , quòd & frigidis elementis abundent , & propter concretionem siccentur , aut à calore absumpto humido , aut à frigore expresso , aut saltem densitate , & concretione impedito , ne actu naturali vtatur. Itaque mollescunt aliqua , soluta scilicet concretione , aut interiori humore ad exteriores partes vocato. Sunt item omnia aut nullius saporis , aut mali : nullius lapides , mali cætera. Causa est siccitas. Sapor namque gustatur humido ; hæcque aut prorsus sunt sicca , aut concretione humoris actus prohibetur : aut certè tantam habet terrei permistionem & adustionem aliquam , vt ingratus reddatur sapor. Minus tamen in auro & argento , quòd temperatio melior . At quoniam in metallis ipsis humidum nimis ligatum est , saporem eorum gustamus magis in aquis , in quibus ea coquuntur , aut quæ diu per metallicos ductus fluunt , aut in metallicis vasis multo tempore conseruantur.

Metalli enim saporem combibunt. Odorem habere possint aliqua. Quoniam odor fit à calido , vbi siccum humido dominatur : est. que sicci potiùs , vt sapor humidi. Calorem faciliùs admittunt , præter pauca perspicua. Denique vt omnia calore concrescunt , aut frigore ; sic quæ tam vehementi calore & siccitate concreta sunt , vt quemadmodum est in capite nono libri quarti Meteor. nulli supersint meatus , quos aqua penetrare possit ; nulla arte , aut industria liquescunt ; vt lapides . Absumptus enim est à vehementi calore humor, qui fluere possit : isque solus relictus , qui siccis terræ partibus copulandis necessarius erat.

A solo calore sicco , & igneo longa multaque actione is quoque ita consumitur & exhauritur , vt in pulueres soluatur lapis. Quod de perfectis & puris lapidibus dicitur. Nam quidam sunt , quæ tum aqua , tum igne molescant ; immò & liquescant : quòd aut non tam vehementi calore concreti sunt , minúsque siccati minùs perfecti censentur lapides. Vt memoris pars illa , quam aqua diu maceratam mollem factam se vidisse tradit Agricola. Aut qui lapides non sunt ; sed vitrum , metallum , aut aliquid aliud habent admistum ; quemadmodum in libro de lapidibus Theophrastus confirmat.

Ita res habet in illis , quos in quinto de natura fossilium libro idem Agricola memorat : & in Alabandico , quem igne liquari : & ad vsum vitri fundi , scribit Plinius libro 36. capite octauo. Vitrum enim habet admistum ; immò inter vitri species censetur , ac demum in Pyrimacho, quem non solùm liquescere , sed & stillare & fluere in capite septimo libri quarti Meteor. affirmat Aristoteles. Habet enim , inquit Theophrastus, admistum metallum, sicut & lanis Mile. Alioqui de puris lapidibus aperta est sententia in capite vltimo libri tertij Meteor. eorum genus esse ἄτηκτον, hoc est liquari non posse; & capite septimo libri quarti, neque liquari, neque omnino mollescere.

Quare si lapides metallis liquandis admiscem Empyrici, non adeò admiscent, vt liquentur, sed vt metallorum liquationem iuuent. Non enim quosuis , sed calcareos accipiunt ; & eos , qui citò soluantur in calcem , antequàm metallum comburatur. Calx enim acris est , & incidendo liquationem iuuat: sed vt parcant sumptui , lapidem potiùs, quàm calcem accipiunt. Hæc lapidum conditio est.

De metallis placet percurrere affectiones eas omnes mystorum corporum proprias , quæ in capite nono libri quarti Meteor.ab Aristotele tractantur. Primùm enim metalla omnia concretilia sunt . Et quoniam aqueo humore constant, concrescunt frigore , quemadmodum ros , & pruina , cæteráque , quæ ex humido habitu fiunt. Calore ea potiùs constant , quæ terræ sunt & ex sicco habitu genita. De Argento viuo specialis difficultas. Sed an sit metallum disputatur. Dumque vniuersum genus consideratur , satis est generalis illa Philosophi sententia.

Quæcumque

Quæcumque sunt aquæ, absentia calidi, & frigoris vi concrescunt. Vtrè & illa altera. Quæcumque calidi priuatione concrescunt, à calido soluuntur.

Liquescunt igitur ignis calore sicco & assante, qui interiorem humorem ad exteriores partes vocet. Quoniam hæc humidorum & frigore concretorum corporum conditio, si humor ita excedat siccitatem, vt eam quoque possit ad fluorem inducere. Ferrum, quòd non tantum aquæ contineat, sed tantumdem propemodum terræ, quæ humoris fluorem prohibet; non potest (nisi fortasse à vehementissimo calore) ita solui, vt prorsus liquescat, & fluat; sed solùm B vt per partes sicci secum permisti diffluat. Reliqua vt minus habent terræ & plus aquæ, ita facilius liquantur & fluunt. Quoniam humidum ita dominatur sicco, vt calore solutum possit illudsecum trahere.

Quamquam oricalchi fodinas, quòd nec igne, nec arte vlla liquescat memorat Scaliger exercitatione octuagesima octaua. Itaque cùm ferri quoque genus quoddam sit, quod liquescat semel & fundatur, post nec fundatur, nec omnino molleſcat, eruntque & ferrum & oricalchum anticipitis quasi naturæ, vt aut molleſcere possint & liquescere, aut solùm molleſcere. Quin & C apud Orbasium in libro de Machinamentis, qui inter Galeni opera extat cap. 30. æs quoddam reperio ductile, aliud fusile.

Omnia tamen exactè molleſcunt, & malleis extenduntur; propter perfectam quoquo momo & tenuem, vel etiam in ferro & oricalcho, terrei & aquei habitus, seu sicci & humidi permistionem. Immò propterea ferrum magis molleſcit, quàm cornu, & cornu magis, quàm lignum. Est enim in ferro perfectior, quàm in ligno, humidi siccique permistio. Tametsi lignum non propriè molleſcit, sed igne potiùs siccatur: præsertim cùm eius humor mi- D nus viscosus sit & lentus, quàm in ferro, & cornu, & ideò euocatur facilè & exhalat, lignumque siccatur. Sed dùm ita mouetur humor & euocatur, videtur lignum molleſcere.

Iam flecti omnia, & in curuitatem contrahi, rursumque in rectitudinem dirigi, perspicuum est. Causa est humor viscosus præsertim & tenax. Quippe ea, quæ planè siccata sunt, nec flectuntur, si recta sint, nec curua diriguntur, sed potiùs franguntur; vt in lapidibus, & siccis lignis apparet. Viridia ligna flectuntur propter humorem, & à seipsis diriguntur: tum ob contentum aërem, qui compres- E sus dilatatur; tum ob concauas partes nimium compressas, & connexas plus æquo distractas. Illæ enim pellendo iuuant; hæ ad naturalem situm retrahendo, sunt qui flexionem humori tribuant, directionem siccitati. Verùm si post flexionem siccetur humor, haud ampliùs dirigetur corpus.

Iuuat igitur siccitas, tum flexionem, tum directionem. Quia corpus, quod flectitur, aut dirigitur, solidum sit oportet & consistens.

A Vtraque tamen humoris beneficio præcipuè fit. At metalla acceptam semel flexionem ferè retinent, nec sponte diriguntur. Quoniam humor est aqueus, atque ita cum sicco permistus, vt planè ligatus sit. Enses tamen & arcus aliqui visuntur, qui inflexi ad rectitudinem sponte redeant, ijque optimi iudicantur. Quod non sit purum ferrum, sed aut argentum viuum, aut aërem habeant admistum, à quo dirigantur. Concauis & connexis partibus iuuantibus, quæ præter naturam contractæ, aut extensæ fuerunt.

Fractilia autem, & friabilia propriè non sunt hæc corpora, sed quoquo modo. Etenim illud propriè frangi existimatur, quod cùm magnos & distantes habeat meatus, in duas magnas partes rumpitur. Friari autem id, quod paruis & crebris constans meatibus, in minutas plures comminuitur. Lignum dicitur frangi, vitrum friari. Metalla cùm paruis & plurimis meatibus plena sint, non nisi ægrè frangantur: & quoniam viscoso ac tenaci constant humore, omnino friari nequeunt. *Fractilia. Friabilia.*

Sed quia propter meatuum crebritatem percussa per omnes partes tremunt, & vnaquæque ex suo discedit loco, atque ab alijs propemodum separatur, & nisi viscosus retineret humor, prorsus separaretur; non friari, sed penè friari dicuntur. Falloppius verò in libro de Metallis capite 11. tradidit modum, quo æs fieri possit fragile, vt vitrum; & rursum ductile, vt verum metallum.

Omnia enim metalla ducuntur & malleis extenduntur, vel sine igne: nisi fortasse ferrum; quod vt magis terreum, ita magis terminatum, ligatum, & contumax igne iuuari debet. Duci porro nil aliud est, quàm eodem ictu latitudine & profunditate simul extendi. Longitudo, aut latitudine comprehenditur, aut hoc loco prætermittitur: quòd pleraque dum extenduntur latitudine, longitudine minuuntur, aut demum id nominatur, quod minimum requiritur. Iam ductilitatis duplex est causa. *Ductilia.*

Altera, humoris tenuitas lentorem aliquem & viscositatem admistam habens. Altera, illius humoris & siccarum partium optima & firma temperatio. Nam quia humor tenuis est, facilè cedit malleo. Et quoniam siccum optimè cum eo colligatum est & temperatum, ita vt alter alterum contineat, nec facilè seiungi possint; siccum quoque simul cum humido cedit & extenditur. Metalla verò, & humido multo, & tenui, optiméque temperato cum sicco constant.

Lapides quòd planè terrei sint, non ducuntur, sed franguntur, comminuuntur. Inter metalla maximè aurum duci potest, & in tenuissimas laminas, quas bracteas nominant, inque folia & fila produci. Tenuissimo namque humore & optimè terreum sicco comprehendente constat. Ideò partem terræ sibi proximè iunctam numquam deserit, sed semper secum trahit: vnáque auri vnica tantopere creditur duci posse, vt decem terræ iugera

tegat. Proximum auro argentum est: sed Alberti sententia longè magis, quàm sextuplo superatur.

Itaque si argenti scrupulus granorum viginti quatuor in filum centum, & triginta quatuor pedum, & vncia in pedes termille ducentos producitur; quid tandem aurum? Tertio loco succedit & quarto reliqua: quæ aut plus terrei, quàm par erat; aut crassiorem & impuriorem humorem habuerunt; vt ferrum; aut minùs profectam humoris cum siccitate mistionem, vt plumbum & stannum. Ferrum tamen ictum mallei magis sustinet, longiúsque ducitur, quàm plumbum, aut stannum: quòd firmiorem, & tenaciorem habeat humoris ac terrei temperationem.

Impressilia.

Iam verò quoniam quidquid est ductile, est item impressile; metalla quoque omnia impressilia sunt: quæque faciliùs ducuntur, imprimuntur facilius. Nam siue solo tactu, aut pulsu superficies corporis in profundum per partem transeat, reliqua non mutata; siue ictu id fiat; perinde impressile efficitur. Solúmque mollitudine & duritie differunt corpora; non impressilitate, sed imprimendi modo. Siquidem mollia, vt cera, solo Tactu, aut pulsu imprimuntur, dura, vt metalla, ictu. Hoc igitur ipsum ex humore cum sicco permisto prouenit. Humoris enim beneficium est, vt pars vna corporis in profundum recedat, nec tamen à cæteris diuidatur. Siccitas autem facit, vt licet pars ea, quæ tacta fuit, aut pulsa, aut percussa recedat; non tamen recedant aliæ, sed in suo situ consistant. Quæ omnino sicca sunt, imprimi propterea nequeunt, quòd non cedant, sed aut immota maneant, aut frangantur; vt lapides, & similia. Neque etiam quæ tota humida sunt; vt aqua: quia non solùm ea pars recedit, quæ tangitur, aut pellitur, sed tota planè commouetur, & locum mutat resiliendo; pellenti nimirum circunfusa.

Quoniam tamen metallorum humidum ita cum sicco temperatum atque ab eo terminatum est, itáque concretum & densatum; vt non facilè imprimantur, sed opus sit ictu; impressilia quidem sunt, at non formabilia: Multò minùs pressilia, aut subactilia. Cera, quæ solo tactu aut pulsu imprimitur, formabilis quòque est & subactibilis.

Formabilia. Pressilia. Subactilia.

Facilè enim manu formatur. Non est tamen pressilis: quia datam sibi formam retinet. Lana & spongia pressiles sunt, non formabiles, nec impressiles, nec subactiles. Nam tangenti cedunt in profundum recedentes, nec diuisæ: verùm nullam datam formam retinent, sed ad pristinum statum redeunt. Hoc enim pressile appellamus. Aqua & cætera illi similia planè: humida & fluida, nec impressilia sunt, nec formabilia, nec pressilia, nec subactilia; sed solùm diuisibilia. Quoniam si premantur, nec transeunt in profundum, nec vllam susciptunt formam; sed diuiduntur, solùm, & hinc inde recedendo locum prementi cedunt.

An sint viscosa metalla, aut lenta; magis dubitari potest, Viscosum enim, seu lentum id dicitur, quod cùm liquidum sit, aut molle, trahi potest multúmque laxari & contrahi; vt vnctuosa, oleum. Quæ & mollia sunt, & propter humoris ac siccitatis ad modum caterarum nexum laxantur humore, & siccitate humorem ad se trahente contrahuntur. Igitur metalla quandiu dura sunt, manifestum est actu viscosa non esse: quippe viscosum oportet esse liquidum. Viscosam tamen substantiam habent, quia liquari possunt, liquatáque actu viscosa sunt. Quoniam eum habent humoris & siccitatis nexum, quo quodammodo laxantur, & contrahuntur. Non enim quemadmodum aqua & quæ aquea planè sunt, & liquores plurimi, si in aliud corpus effundantur, expanduntur illico, adhærescunt, & humectant: & laxantur quidem & extenduntur; at non contrahuntur, quoniam humor siccitati nimiùm dominatur.

Sic etiam fit in metallis: At omnino secus. Nam liquefacta non expanduntur prorsus; Neque tangenti adhærescunt, neque humectant; sed in seipsa contrahuntur & conglobantur in partes. Propterea quòd humoris & siccitatis velut catena constent; & ita sit humor cum siccitate ligatus & permistus, vt quamuis effundatur & extendatur; retineatur tamen & contrahatur à siccitate. Et ideò quasi per globos consistat. Quandiu autem dura sunt; viscositatem in eo ostendunt, quod malleis ducuntur & extenduntur; humore scilicet secum trahente siccitatem; tametsi post nequeat siccitas humorem contrahere, impediente duritie. Nam nec humoris extensio fuit spontanea, sed ab externavi percutientis & extendentis mallei. Porrò aqueus halitus, qui matallorum materia est, minimè sua natura viscosus, viscosus efficitur terreâ halitus permistione terminatus, densatus, & tenacior factus.

At minimè humectari metalla possunt. Ea enim humectantur, quæ alienum humorem imbibunt; neque in sola superficie madescunt. (Quippe hæc rida, non humida appellantur in textu vndecimo quarto posterioris libri de ortu & interitu) sed interiùs quoque irrigantur per totum. Quod corporibus illis euenit, quorum terra, non aqua, dominatur. Sicca enim ea esse oportet, vt alienum humorem suscipiant & imbibant. Deinde in illis duntaxat, quæ ampliores habent meatus, quàm sit exteriora aquæ crassitudo; alioqui ad interiora humectanda non penetraret aqua. Ac demum in ijs, quæ meatus habent duros & permutatim dispositos, hoc est, qui inter se non communicent, nec eorum quiuis in quemuis desinat, sed intercepti sint & alterna serie dispositi. Secus enim non humectarentur, sed liquerent statim; vt in sale & nitro perspicuum est.

Metalla sunt quidem corpora dura; sed aquæ magis, quàm terræ: Etsi ferrum perinde terreum est & aqueum; angustos omnino meatus, qui aquam non admittunt, habent omnia. Aurum & argentum, ac ferè cætera, si in humido loco diu fuerint, humorem aliquem videntur combibere (tametsi solum plumbum dicat Galenus

Galenus in libro nono de simplicis medicament. facultatibus, parùm accommodatè causam illius adferens, quòd plumbum aëreum magnopere sit) At non propterea humectantur, sed exteriori humore aut halitu adhærente grauiora fiunt. Sic & lapides duri exterioti humore deliniuntur, interiùs non humectantur, Etsi terrea corpora sint, Angusti namque meatus aquam non suscipiunt.

Tractilia item metalla non esse certum est, quòd humor perfectè temperatus cum sicco & terminatus sit. *Tractilia.*

Neque fissilia: Hoc enim siccitatis præsertim opus est; qua in lignis probè siccatis fit, vt in longum vlteriùs diuidantur, quàm diuidentis motus diuidat. Præterquàm quòd fibras habent & meatus per longum protensos, spiritu plenos & aëre; & inde strepitus, qui, dum finduntur, sentitur. Spiritu scilicet cum impetu exiliente. Liquida, mollia, aut omnino humida & viscosa, non sunt fissilia. Liquida enim & mollia, aut meatus non habent, aut non in longum protensos. Et liquida quidem fluunt, nec partibus ita consistunt, vt seiungi queant. Mollia verò, quæ aut formabilia sunt, aut præssilia, ad omnem dimensionem meatus protendunt; neque satis consistentes & duras habent partes. Denique metalla, Etsi dura sint, fissilia tamen non sunt; quia humida & viscosa. Propterea enim quæcumque huiusmodi sunt & ad impressionem apta, non finduntur; sed solum diuiduntur, aut secantur, quantum diuidentis, secantisue motus cogit. Idem viridioribus, aut alio modo humidis naturalle magis viscosis lignis euenit. *Fissilia.*

Exhalabilia quoque non sunt, aut suffitum emittentia. Quoniam ob mistionis perfectionem; optimámque sicci & humidi coniunctionem, nihil ex illis ne longissimo quidem tempore procedente resoluitur. Et ideò non corrugantur, minuuntur, aut siccantur, vt poma, & alia plura corpora, quæ non ab igne passa, sed sola temporis longinquitate, hoc est ab aliquo quidem exteriori ambientis aëris calore, sed nobis minimè manifesto; Et ideò sola temporis diuturnitate exhalare videntur & consumi. Quòd si accedat ignis; ligna quidem, ossa, pili, & similia fumum emittunt; pinguia fuliginem, vnctosa nidorem, aquea saltem vaporem: At nihil horum metalla, perceptibili certè mole. Tanta enim est humidi & sicci coniunctio, támque perfecta mistio, vt neutrum ab altero exhalare possit. Quam ob causam nullum, aut vix vllum habent odorem. Nam odor non nisi cum exhalatione fumosa & calorisactione sentitur. *Exhalabilia.*

Cremari autem non possunt, nec inflammari; multò minùs in carbones verti. Duas ob causas rem quampiam cremari docuit Philosophus. Altera est; quod meatus habeat ad suscipiendum ignem accommodatos. Nos quòd ad agendum & patiendum necessarij meatus sint (hoc quippe in priori libro de ortu & interitu confutatum est) sed quòd in illis contineantur aër, aut spiritus, qui facilè mutatur in ignem. Isque meatus in rectum protensi esse debent, vt ignis genitus spirare possit, ne statim suffocetur. Altera est, quòd meatibus illis aëreum, pinguem, & vnctosum humorem contineat, qui ab igne superari & accendi queat. Ligna vtrámque ob causam cremantur optimè, vel etiam ebenus: Quoniam etsi magis terrea sit, angustioréque habeat poros, & ideò mergatur in aquam, vt est in capite septimo libri quarti Meteor. Aliquos tamen continet, & aliquem in eis aërem. Lapides vtraque deficiente causa non cremantur; quia neque poros habent, neque humorem, sed terrei plane sunt & sicci. Metalla humido constanta aqueo; quòd ignis nutrimentum non est. Verùm concretione quidem soluta liquescunt, aut mollescunt, non tamen inflammantur. Tantum abest, vt in cineres soluantur. Hoc quippe illis ferè conuenit, quæ aut calore genita sunt, aut calore simul & frigore, Ita vt, aut ab alterutraque aut ab vtraque causa consumptum fuerit, Aut expressum humidum aqueum. Metalla frigore concrescunt retento humido. Immò cùm reliqui lapides cremari possint, carbunculum minimè omnium cremari scribit Aristoteles, quòd humorem habeat tantopere cum siccitate hærentem, vt ab illa vix possit educi. Iuuat & meatuum paruitas, quam non facilè penetrat ignis. Eum aduri omnino non posse dixi Theophrastus in libro de lapidibus. *Cremabilia.*

Quòd si cremari metalla nequeunt, nec flammam facient, nec carbones. Ad flammescendum enim ea sunt apta, quæ aëreæ sunt, eduntque fumum, qui si accendatur, flammam facit: Siquidem nil aliud flamma, quàm succensus fumus. Illa verò carbones faciunt, quæ plurimum habent terræ, quæ fumo ac tenuiori parte consumpta supersit in carbones mutata. Propterea ligna rariora, vt vitis, abies, & similia optimam & plurimam habent flammam, nec aliud penè postea supereſt, quàm multis cinis. Solidiora & densiora, vt quercus & vlmus, minorem edunt flammam, sed carbonem suppeditant plurimùm. Metalla aquea magis sunt, aqueóque humore concreta: Et vt aliquos meatus habeant, ij tamen perparui sunt, nec continuati. Itaque solui quidem possunt ab igne, & liquari, At non flammam concipere, nec in carbones verti. Vt enim ad liquescendum aptus est aqueus humor, sic ad flammam & carbones ineptus. Hoc tamen non impedit, quominus igne purgentur ea, quæ magis fæculenta sunt & impura. Nam ex omnibus ferè, sed maximè ex ferro, aliqua secernuntur excrementa magis terrea. Solum aurum propter materiæ puritatem nullum habet. Quam ob causam in extremo tertio Meteor. libro. Solum dicitur non igniri. Neque illius pondus igne minuitur, quoniam nihil ex eo decidit. Ferrum maximè minuitur, plurima ex eo materia detracta. Eandem ob causam rubiginem contrahunt reliqua, præsertim ferrum, aurum non contrahit. *Inflammabilia.* *Carbonabilia.*

Succorum genus, quod plus habet humoris, & à calore liquescit, & ab humore, vt sal, nitrum, sulphur, & alia multa. Priùs autem liquescunt, quàm emolliantur, quod meatus habeant æqualis magnitudinis, ordinéque disposito. Ideò enim calor & humor æqualiter *Succorum genus.*

penetrant. Ergò si mineralia omnia complecti oporteat, terrarum genus solo humore mollescit primùm, deinde liquatur. Inæquales etenim meatus habet, nec ordinatè positos: & ideo non in omnibus æquè suscipitur humor, qui statim liquefaciat. Sed vt maiores primùm meatus, tum minores subit; ita emollit primum, tum liquat. Metalla solo calore mollescunt, quædam molescunt & liquescunt, alia mollescunt solùm: Lapides neutro modo, nec liquescunt, nec mollescunt. Sicci demum vtroque modo, & mollescunt, & liquescunt. Ex quo omnium horum corporum definitionem colligas, ex naturali hac inquam proprietate. Glacies calore quouis, tum sicco, tum humido, soluitur. Nam plurimum habet humorem; atque ita concrescit frigore, vt non extractus, sed congelatus fuerit: quòd non tam vehemens fuerit frigus, vt exprimere humorem poterit.

Hæc nimirum satis esse possent vt intelligeret quiuis, inanimorum horum corporum productionem non à genitrice vlla facultate proficisci, vt inquiebat Philoponus. Verum vt res euadat planior, dicam apertiùs, quamnam ea efficientem causam habeant.

Mineralia omnium efficiens causa.

Qui inter Chymicos hæc corpora negant propriam vllam habere substantiæ formam, solasque materiæ qualitates, ac præsertim duritiem, formæ loco esse contendunt: ea quoque negant vllam habere per se effectricem causam: quemadmodum nec habent cætera, quæ specie substantiæ carent. Sed ex accidente gigni ab igneo calido, quod in quocumque loco fuerit, materiam aptam assando, in lapidem aut aliud quiduis vertat. Zenonem autem scribit Albertus ad occultam virtutem, in re sanè difficili, confugisse. Democritus, & qui animata ea esse voluerunt, ab anima interiorem materiæ calorem mouente produci responderunt. De lapidibus seorsim loquuti sunt Hermes & Empedocles. Alter fabricatorum eorum proclamauit Martem, tametsi ab alijs item stellis adiutum.

Inde enim diuersitas; materiæ quoque & loci diuersitate accedente. Alter, vt in vndecimo problemate, sectionis vigesima quarta, apud Aristotelem, legimus, calorem. Nimirum, inquit Albertus, propter Pyrrhæ, & Deucalionis fabulam; in qua lapides ossa magnæ Matris appellantur. Ossa enim ex Vulcani potissimùm partibus componi voluit. Metalla verò dixerunt alij frigoris esse opus. Siquidem frigore concrescunt & conseruantur, calore soluuntur.

Auicenna & Albertus rem totam ad mineralem terræ virtutem reuocarunt. Nam vt in semine vis est viuentium & sentientium corporum formatrix, ab animali vasisque spermaticis deriuata: sic in terra cogitari voluerunt huiusmodi virtutem inesse, à stellarum virtute deductam; quæ ex opportuna materia minerale quidpiam possit effingere. Ea triplici parte constat. Prima est mouentis intelligentiæ; altera orbis moti; postrema elementaris naturæ. Prima veluti dirigens & formans, ceu ars in artificijs effingendis: altera, vt operatio & motus manus; postrema, tanquam instrumentum, quod manu mouetur.

Duplici namque instrumento vtitur hæc virtus, calore & frigore. Calore extrahit, coquit, & coagulat humidum: atque ex terrea materia, quæ ab vnctoso humido passa sit, lapides format; & ex humido passo à terreo sicco metalla procreat. Frigore autem constringit & exprimit humidum: durandóque & coagulando alios ex aqueo eo humido passo à terreo sicco producit lapides; in quibus ea remanet humidi pars, quæ ad copulandam & continuandam terram materiam satis est; reliquo videlicet toto expresso.

Ergò de tàm graui controuersia apud tàm graues veros & sapientes Philosophos dictorum, illum principio accipiam, quod antea verum esse demonstraui; Inesse in his corporibus formam substantiæ singulorum propriam ab elementis cæterisque omnibus corporibus longè diuersam; eámque inanimatam. Deinde; ab igneo calore non posse illam produci constanter affirmabo. Tum quia is non potest nisi calorem & ignem sibi similem procreare. Tum quia nequit esse causa tantæ formarum specie & genere distinctarum varietatis, quanta in hisce corporibus facilè obseruatur. Quorum aliqua certum est concrescere frigore, vt pluribus in locis Aristoteles tradidit; atque in adamante, Chrystallo, & alijs manifestum est.

Tum demum quia si ab illa efficiente causa producerentur omnia; ab humido Sanè aqueo & frigido soluerentur. Etenim contrariæ causæ contrarios habent effectus: & vt ea, quæ frigore coagulantur, calore soluuntur & igne; ita quæ calore concrescunt, frigore & aqua dissolui necesse est. Multò verò minùs ab anima produci possunt. Tum quòd hæ non sint animatæ formæ. Tum quòd non gignuntur à simili, neque ex semine; quemadmodum cæteræ animatorum formæ.

Hermes, dum cœlestem aduocauit virtutem, propriùs ad veritatem accessit. Sed solius Martis actio tantam vim habet, vt tot, tamque ingentes lapides per vniuersam terram producat, aut etiam ad intimos eius recessus penetret. Empedocles intelligere facilè potuisset, Chrystallum in altissimis concrescere montibus, in quibus perpetuæ niues: Adamantem frigidissimum esse, aliósque non paucos.

Aristoteles non calorem modo, sed frigus quoque lapides facere docuit. Calorem, dum absumit humorem. Frigus, dum nimio gelu humorem exprimendo indurat. Calor tamen per se consideratus vim non habet producendi substantiam: minimè vero tam multiplicem: neque ad determinatam speciem operabitur vnquam, nisi ab alia virtute dirigatur.

Frigus quidem conseruationi nonnihil prodest, quoniam calore soluuntur. At si liquescant, verè nihilominùs metalla sunt, non tamen calore concreta.

Deinde

Deinde in cæteris omnibus naturæ procreationibus plurimùm ac penè dixerim totum operatur calor. Metallorum vero terrei sicci & aquei humidi optima tenacissimáque mistio opus magis est tenuantis ac digerentis caloris, quàm aduersantis frigoris. Neque virtus terræ tàm est efficax. Tum quòd ea in elementorum permistione patiatur potiùs, quàm agat.

Tum quod etsi frigore & siccitatte densare humidum, & iuxta suam conditionem crassum & concretum facere possit; fortis certè ac tenacis illius permistionis, quæ in metallis est & lapidibus, nullo modo fuerit causa: nec aliam vnquam, quàm terræ, formam dederet. Ex Auicenna & Alberto libenter quærerem, quidnam tandem sit mineralis illa virtus, quam inesse terræ contendunt. Num qualitas aliqua à cœlo producta, an corpus quodpiam, velut semen, per terram sparsum? Corpus nullum cernitur, nec in lapidibus, nec in metallis.

Et siue corpus sit, siue qualitas; vt eam produxit cœlum, sic lapides & metalla immediatè producere potuissent. At quonam modo cœlum per solum lumen agendo eam produxit: Lumen enim per se & tanquam proprium effectum non nisi calorem adfert; & secundo loco reliquas qualitates, quæ omnium principes esse existimantur: tum verò ea, quæ ex illis oriuntur: inter quæ virtus illa non numerabitur. Oportetet etiam esse diffusam per totam terram; Immo & per aërem, plantas, & animalia cuncta: quoniam & vbique in terra & in omnibus hisce corporibus minerale quidpiam gignitur. Id sine corporum & quantitatum penetratione non fiat, si virtus ea sit corpus. Sin autem qualitas sit secunda, ex primarum videlicet permistione existet.

At in terra, aqua, & aëre simplicibus corporibus quæ tanta mistio esse potest; quis credat, tum in illis, tum in plantis, arboribus, & animalibus, tàm multis tanque diuersis corporibus eandem mistionem & qualitatem contineri; si lapidum herbarum, & aliorum eiusmodi mistorum corporum diuersæ virtutes esse creduntur, quod diuersæ sint principum qualitatum temperationes, ex quibus illæ deriuentur; qui potest ex tot, tamque diuersis atque adeo pugnantibus corporum temperationibus eadem illa qualitas in omnibus proficisci.

Quod si eam nil esse aliud, quàm cœleste lumen à materiæ despositione continentisque loci calore aut frigore determinatum, affirment illius patroni; non magnopere repugnabo. Assentiat planè, si velint; lapidésque cum Aristotele contendam, tum calore concrescere, tum frigore. Calore quidem siccante & extrahente, aut consumente superfluum humorem. Eo enim, aut consumpto, aut extracto, consistit. Id, quod reliquum est.

Frigore autem, aut humorem exprimente, aut magna vi comprimente & coagulante. Aliquis tamen humor in omnibus retinendus esse, qui siccas terræ partes copulet: alioqui non lapis fieret, sed puluis, arenáue. Vbi verò nimius est humor; non concrescit lapis. Hanc ob causam in palludibus & stagnatis locis, vel nulli gignuntur, vel perpauci. Etenim necesse est, siue calore, siue frigore, superfluum humorem separari. Calorem porro esse efficientem causam, in pretiosis & pellucidis lapillis haud difficilem habet probationem. Nam eorum puritas & nitor non nisi ex perfecta mistione, terrearúmque partium cum cæteris coctione nascitur, eáque caloris effectus est. Ideo in calidis regionibus maximè abundant. Aliorum plurimi frigore potiùs concrescunt. Et hæ quidem sunt lapidum efficientes causæ.

Metalla vero fieri quidem à calore, illud est argumentum; quod multo humido constant & terreo probè digesto. Deinde quod perfectum metallum nonnisi natura sublimatione efficitur.

Tùm quod metallica loca sulphuris odorem reddunt. Hæc enim omnia caloris opera sunt. Sed tamen postquam permistio illa facta fuerit à calore, frigore demum coagulantur & concrescunt. Sic enim Aristoteles tradidit. Et ideo calore soluuntur.

Existimandum tamen non est, solum calorem aut frigus harum omnium procreationum, tum lapidum, tum metallorum, causas existere. Sunt enim potius alterius potioris, causæ instrumenta. Ea nec sunt elementa; propterea quod simplicia hæc corpora locum materiæ tenent, mistorúmque formæ elementarem totam naturam superant. Neque sublunaris vlla particularis causa, quæ eiusdem cum illis naturæ sit: Siquidem à simili non gignuntur. Sed ea est cœlum.

Nam & Plato ex proportione inter cœli & terræ virtutem hæc omnia existere prodidit; terrámque esse illorum matrem, cœlum parentem Trismegistus pronunciauit. Aristoteles cùm in capite secundo libri primi Meteor. Supremum hoc corpus proposuisset, velut præcipuam meteorologicarum rerum causam, quæ ex duplici habitu, humido siccóque gignuntur: Inter ea, quæ ex hac materia nascuntur, fossilia & metalla omnia post in extremo libro tertio commemorat. Nam cùm cœlum sit supremum & generale agens, quod vim habet sublunaria omnia corpora producendi; vbi nulla particularis adest & propria efficiens causa, qua substantiæ vim habeat; Ipsum solum à qualitatibus & materiæ dispositione determinatum administrare omnia creditur.

Iam si hæc est metallorum efficiens causa, hæc materia; celebri disputationi locus est. Num arte quoque fieri, aut mutari metalla possint. Verùm illorum primùm species constituantur. Pugnantes omnino sententias fuisse comperio. Aliqui enim vnicam existimarunt esse perfectam metalli formam, auri propriam; cætera esse in via, vt auri formam adipiscantur: Etenim omnium eadem est proxima materia, humidum cum terreo permistum. Et arte mutatur vnum in aliud, æs, & ferrum in argentum; plumbum in aurum. Neque alia, quàm accidentium materialium, coloris, ponderis, densitatis, vi-

Metallorum species. 1.

detur esse differentia. At facilè poterant hi intelligere, ea, quæ imperfecta sunt, inchoata, & in via ad aliud, in eo statu non sistere: Quemadmodum in propria sua conditione, & forma quiescunt metalla singula. Materiam quoque sine forma esse non posse: Et ideò in omnibus metallis substantiæ Formam esse oportere. Et quidem ab auri forma diuersam. Tum qui manifestum est ea esse ab auro diuersa. Tum quia si ea esset auri forma perfecta, metalla quoque illa aurum perfectum forent. Imperfecta autem esse non possunt; quoniam huiusmodi formæ substantiæ impartibiles sunt. Itaque si eadem sit omnium materia; diuersæ tamen eius dispositiones, & alia atque alia humidi & sicci temperatio diuersas possunt in metallis parere substantiæ formas. Ita & in cæteris euenit. Denique diuersæ adsunt proprietates, quæ diuersam substantiæ formam testantur. Nam calor, sonus & id genus alia proprietates potiùs, quàm accidentia communia in metallis censeri debent; cùm vnius naturæ metallis omnibus semper & vbique conueniant.

2. Alij verò plures omnino in singulis species & formas posuerunt, interiorem vnam, alteram exteriorem, vnam latentem & occultam, alteram conspicuam & manifestam. Plumbum intus dixerunt esse aurum, foris plumbum, aurum contra. Aës intus argentum, foris æs: contra argentum. Eodémque modo reliqua. Eo videlicet argumento, quod vnum arte mutetur in alterum. At quisquis ita Philosophatus est, Anaxagoræ opinionem excitauit, qui quodlibet in quolibet & in singulis omnia esse affirmabat.

Deinde quacumque in parte diuidatur, idem vbique apparet, siue interiores partes, siue exteriores considerentur. Quam ob causam corpora hæc fuerunt semper homogenea & vbique sibi similia, eiusdémque naturæ iudicata. Non igitur in vna interiori parte vnam habent formam, & in altera exteriori alteram. Quód si vtraque simul esse dicatur, sed vna latitans, altera manifesta, intelligatur plures eiusmodi formas, perfectas, neque inter se ordinatas, simul esse non posse: Diuersasque formas dispositiones diuersas postulare, nec posse tantopere diuersas formas cum ijsdem planè accidentibus esse. Ac demum quoniam forma non nisi ex operatione cognoscitur; dum in omnibus partibus eadem accidentia, eædémque operationes vnius duntaxat formæ conspicuantur; nonnisi vnam formam licet asserere.

3. Fortasse secus senserunt, tum illi, qui vnam in omnibus formam; tum illi, qui plures in singulis posuerunt; quòd in quibusdam materiæ affinitatem quamdam cernerent. Cùm enim plumbum humorem habeat superfluum & terreum non omnino perfectè cum aqueo mistum, nec probè defæcatum; Potest vi ignis superfluus ille humor euaporatione extrahi, terreúmque defecari ac perfectiùs misceri. Atque ita in colorem citrinum, aurique splendorem mutari.

Ita naturam quoque procedere existimarunt. Verùm, vt hoc illis nunc concedatur; non tamen propterea concedendum est, aut vnam esse plumbi, aurique formam, aut aurum in plumbo latitare. Nam etsi id aurum esse dicatur, quod arte illa ex plumbo fieret; mutatione tamen temperationis & accidentium certum est formam quoque mutari. Quare plumbi forma pereunte auri forma fuisset genita. Quamquam veriùs fortasse negabimus esse aurum, sed auro quidpiam simile. Vix enim hactenus perfecit opus chymista; sed citrino potiùs elixir in auri speciem colorauit materiam, alboue in argenti similitudinem; studuitque, vt color vi ignis metallum totum permearet; illique firmiter adhæreret. Sed de hoc postea.

Nunc inter eos, qui metalla singula singulis constare formis ijsque naturam illorum distinguere concesserunt, non defuisse video, qui Platonis patrocinium suscipientes metallicam eiusmodi formam ex proportione, quæ inter virtutem terræ sit & cœli, dicerent nasci. Etenim terram metallorum omnium esse matrem, cœlum patrem, terrámque in montibus maximè fieri puidam, ex Trismegisto audiuimus. Est autem terræ virtus frigida, sicca, ponderosa; cœlorum vero alia atque alia singulorum planetarum propria.

Nam si robustior fuerit terræ virtus, quàm planetarum lumen, plumbum gignetur, fulcum corpus, frigidum, & perquàm graue. Sin contra res habeat, maiorque sit cælestis virtus, quàm terræ; nascetur aurum, frigidum quidem, solidum, & graue, sed flauum, splendidum, & incorruptioni propinquum, eodémque modo cætera. Itaque iuxta planetarum numerum septem metallorum species proponuntur, singulaque singulis tribuuntur, Saturno plumbum, Ioui stannum, Marti ferrum, aurum Soli, Veneri æs, Mercurio argentum viuum, quod propterea Mercurium vocitant, Lunæ demum argentum.

Alij tamen argumento viuo omisso, stannum Mercurio dederunt, & electrum Ioui. Aut etiam ex Platonicorum sententia Marsilius Ficinus in Platonis Critiam ferrum & Marti, & Oricalchum Veneri. Tametsi in Plotini librum de cœlo capite sexto priorem magnis distributionem probet.

Hieronymus Cardanus stanno etiam ex metallorum censu expuncto, electrum dedit Mercurio, æsque Cyprium Ioui. De toto autem metallorum numero nouam prorsus publicauit sententiam. Septem à natura productas species Commemorans, & quatuor arte factas. Naturales, aurum, Argentum, Electrum, Æs, Æs Cyprium, Plumbum, & ferrum. Factícias, Chalybem, stannum, Oricalchum, & aliud æs ciprium: septenarium numerum leui prorsus argumento probat, quod multis modis peccat.

Primùm enim metallorum species mollitudine & duritie distinguunt, puritate & impuritate quas omnibus certum est naturam & speciem non mutare. Deinde ex auro & argento electrum constare accipit ex ære & ferro Cyprium æ-

Non

Non igitur hæ sunt metalli species, sed quidpiam ex duabus speciebus confectum. De Oricalcho dubitant multi, num sit fossile & natiuum; præter factitium illud, quod ex ære conflat Cadmeæ fossilis colore tincto; sicut & veteres factitasse Festus Pompeius testatur.

Verùm si sit, non est ab ære diuersum metallum; sed ad illud refertur. Quamuis excepto auro omnium præstantissimum aliquando fuisse habitum, scripserit in Critia Plato. Sic neque Cyprium æs ab ære specie differt. Electrum vero aut Metallum non est, sed bituminis genus ex saxis defluens; liquidum primò, deinde aëris frigore densatum: aut ex auro & quintâ argenti parte constans quidpiam, vt in libro trigesimo tertio capite quarto, tradidit Plinius. Argentum viuum inter metalla nullo modo numerari debet. Tum quia nec durum est, nec ductile, nec cæteras habet metallorum omnium proprietates; de quibus antea dictum est. Tum quia metalla omnia sunt aquea, eorúmque materia est aqua & humidum aqueum; & ideo concrescunt frigore.

De Argento viuo.

At de Argento viuo extat illud in capite no-
« no libri quarti Meteor. Argentum viuum non
« concrescit, vt nec oleum; propterea quòd plus habet aëris, quàm aquæ quæ enim aërea sunt, non concrescunt, sed crescunt; vt de oleo dixerat in capite octauo, & à Chymistis, qui argentum hoc dicunt esse spiritosum totum, admistione sulphuris incrassatur: vt mirum sit, Conciliatorem differentia centesima quinquagesima prima, esse terreæ & aqueæ substantiæ existimasse. Propter aërem hanc & spiritosam naturam fit, vt dum calescit, miro agitetur modo; vitroque incluſus ad superiora euolet.

Anulus sponte mouens.

Qua arte efficitur annulus seipsum mouens, quem idiotæ homines tantopere mirantur, vt magicæ arti atque incluso dæmoni attribuant id, quod ex huius argenti in anulo excauato contenti natura prouenit: Nam statim atque calefit argentum à calore mouetur, mutátur in spiritus, & anulum mouetur propterea Chymistæ fugitiuum seruum appellant, non propter Mercurij conditionem, cui argumentum illud tribuunt, vt fabulantur multi, inter quos Conciliator; sed propter motum, quo videtur fugere. Quòd si Chymistarum illud esset verum; Argentum hoc Metallorum esse materiam; magnum inde haberemus argumentum, ad hoc, quod nunc quærimus, ostendendum; argentum viuum metallum non esse. Quoniam si communis sit omnium materia, species ab alijs diuersa non est. Quippè vna species aliorum materia esse non solet; nisi fortasse ex accidenti.

Denique distributio illa singulorum Metallorum in Planetas singulos neque necessaria est, neque probabilis, neque omnino constare potest. Nam etsi in metallorum productione adesse oporteat agentium & patientium principiorum proportionem; próque illorum diuersitate alia atque alia metalla existant: hoc tamen corporum horum proprium non est; sed cum illis omnibus commune, quæ in hac tota sublunari regione gignuntur. Vniuersa igitur singularum naturarum genera septenario specierum numero eodem illo argumento constare oporteret.

At non ita res habeat. Nam tum aliarum rerum, tum metallorum ortum, aut solus obtinet sol, aut ab alijs stellis perparùm iuuatur: nec à Planetis reliquis modò; sed ne à superioribus quidem astris. Etenim qui tandem possit Saturni, Iouis, aut alterius stellæ perexiguum & imbecillum lumen, calórque tenuissimus ad remotissimas & frigidissimas terræ partes penetrare, atque ex duro frigidóque corpore magnam vim halitus excitare, sublimare, ac totam mistionis materiam disponere ac digerere? Hæc solius solis efficacitas est, proprium & singulare beneficium.

Lex igitur Metallorum species nobis cognitas esse aio (Ammonius quippe, vt etiam testatur Agricola, plures esse scripsit nobis incognitas; vt & animalium, & stirpium) quæ pro diuersa materiæ temperatione propria sibi constent substantiæ forma; Aurum, Argentum, Æs, ferrum, Stannum, Plumbum. Chalybs, quem aliqui in Metallis censentur à ferro specie nequaquam differt. Quod ex Philosopho intelligi potest: qui in capite septimo libri quarti Meteor. Chalybem tradidit ex ferro fieri sæpiùs ignito & in aquam extincto. Ita enim ferrum excrementis vi caloris purgatum, moxque frigore aquæ magis constipatum, purius efficitur & durius. Hócque est Chalybs, ferrum scilicet repurgatum & defæcatum. Propterea fortasse credidit Cardanus factitium planè metallum esse, non naturale. Sed quamuis propter cognatam, immò eandem naturam, arte fiat ex ferro, Ars tamen naturæ æmula est, & interdum quoque foditur, atque in Aquitania aliquot illius fodinas memorat Scaliger Exercitatione centesima sexta. Stannum item à natura suppeditari manifestum est.

De Chalybe.

Iam igitur Metallorum speciebus constitutis, alterum illud considerandum supereſt, num vna in aliam arte mutari possit. Nitidúm auri splendorem, formosámque speciem tantopere adamarunt permulti, tum priscis, tum nostris temporibus, vt minimè sibi potuerint temperare, quin varios tentarent modos, vt ex sordidioribus deterioribusque metallis concupitum sibi aurum efformarent. Ac primùm quidem quoniam persæpè metalla non pura & sincera fodiantur, sed impura & cum alijs permista, purgandi atque aurum à cæteris separandi rationem inierunt.

Num arte mutari metalla possint.

Ars chymica.

Deinde alterius progressi cogitarunt modum, quo ex singulis separatis aurum sibi procurarent. Chymicæ artis hæc fuere principia. Cuius ope ex ferro aliqui æs faciunt, & æs auri colore tinctum in Oricalchum vertunt alijs non fæcatum, sed verum sitientes aurum aut argentum, vt illius naturam magis exprimant, vtuntur plumbo, quod faciliùs mutari potest: illudque vtrtute Elixir in auri aut Argenti speciem permutant. Duobus enim modis

operari creduntur: aut colorem solum mutando, albo scilicet elixir faciendo album, quod videatur argentum, & citrino citrinum, quod auri speciem habeat, minimè mutata metalli specie. Aut secundo modo, metalli quoque speciem & naturam mutando.

Hoc autem nituntur principio, metallorum omnium materiam sulphur esse & argentum viuum, illud velut maris semen, quod efficiendi vim habeat: hoc vt menstruum sanguinem, qui efficientiam illius suscipiat, igitur vt medici corruptos humores, qui in nostris corporibus insunt atque illorum sanitatem perturbant, medicamentis primùm, quæ purgandi vim habeant, expellunt: Deinde ijs, quæ confirmare possint & confortare, naturalem virtutem corroborant: atque ita, tum à natura velut principe causa, tum ab arte, tanquam naturæ instrumento, producitur sanitas. Sic illi sulphur primùm & argentum viuum quàm optimè purgant & temperato igne confortant: tum elementorum cœleitiumque corporum virtutes materiæ illi inhærentes ad eam proportionem ducunt, quam producendi metalli mistio postulat: tum demum natura ab arte velut instrumento adiuta auri, argentiuè formam ac substantiam producit.

Ignem propterea temperatum esse oportet, ne nimirum agendo adurat potiùs, quàm confortet, depascat, quàm iuuet, dissipet, quàm promoueat opus: & omnino eum habere debet modum, qui producendi metalli naturæ conueniat. Hæc nimirum Ars est, quam profitentur Chymistæ, vel inuita natura id aggredientes, quod illa occultum esse voluit; eamque quoad fieri potest imitantes. Etenim vasis ad sublimandum & præfocandum quàm maximè aptis vtuntur; lentóque igne admoto materiam illam eodem modo, quo fit in terræ mineris, sublimant & præfocant; vt idem tandem opus efficiant.

Id cum Mahumethana secta habuisse principium scribit Faloppius. Ego de hoc nunc non disputo, sed illud quæro; num id, quod pollicentur, præstare possint, necne. Nam separari quidem & tingi, coloribúsque & accidentibus quibusdam alia in alia mutari sæpè metalla non dubito. Verùm an specie item & substantia variari; nec fucatum solùm, sed verum aurum fieri possit; non facilè dixerim. Multis sæculis ea in re à pluribus laboratum, maximàque auri & argenti vis consumpta; nec verum vnquam aurum factum, quòd toleraret ignem. Et quotquot conficere se gloriati sunt, impostores eos ac deceptores fuisse reipsa compertum est.

Nam quòd Caium Principem scribit Plinius libro trigesimo tertio, capite quarto, ex auri pigmento excocto excellens aurum feciſſe; minimè credas. Neronem autem Imperatorem omni arte adhibita nihil profeciſſe, Augustinus Niphus testatur Commentario centesimo vigesimo primo in tertium Meteor. Iamisinum quendam Farmocopolam Senatui Veneto sua ætate illusisse, maléque cum eo actum fuisse, Falloppius memorat; meminitque Cardanus. Illusit & eidem Senatui alter Venetus superioribus annis, cùm ipse essem Patauij, tum vero etiam Venetijs; & clam fugere coactus est. Tandémque sereniſſimi Bauariæ Ducis, ad quem se receperat, iussu actus est in crucem. Ita quotquot eam artem professi sunt, vt aiit quidam, nihil, nisi fumum, effecerunt; certe aut miseri semper vixerunt, aut ditati nunquàm fuerunt.

Auicenna autem, vt est apud Albertum libro tertio Mineralium, tractatu primo, capite nono, & Ægidium quodlibeto tertio, quæstione octaua, & Auerroës libro primo de Animalium ortu, capite primo, & prima disputatione Physica aduersus Algazelem capite primo, & Sanctus Thomas in secundum librum Sententiarum distinctione septima, quæstione tertia, articulo primo, & in disputatis, quæstione sexta, de Potentia, articulo primo, & Ægidius, Augustinus Niphus, & Falloppius, & Conciliator differentia ducentesima nona, & Franciscus Vitturius in tractatu de arte magica, & Georgius Agricola libro quinto de Fossilibus, & Ludouicus Buccaferreus Commentario quadragesimo tertio in quartum Meteor. & Cardanus tum libro sexto & decimo septimo de subtilitate, tum libro decimo de rerum varietate, capite quinquagesimo primo, & Scaliger exercitatione centesima sexta & trecentesima vigesima septima, prorsus id, quod illi aggrediuntur, fieri posse negarunt. Istas Fornaculas, inquit Scaliger exercitatione vigesima tertia odi, odio plusquam Vatiniano. Sunt enim noctuæ ad aucupia crumenarum, à quibus aurum, quod postea pollicentur alijs, ipsi captent priùs.

Tametsi idem Sanctus Thomas in secundæ, secundæ parte Summæ quæstione septuagesima septima, articulo secundo, visus sit hac de re dubitare. Neque defuerunt grauissimi viri, qui fieri posse penitus affirmarent; etsi modum ignoremus. Inter quos idem ipse Auerroës paulo ante citatus in Commentario trigesimo sexto in tertium librum de Anima, & Albertus loco notato, & Sanctus Thomas in extrema expositione tertij libri Meteor. & Commentario primo libri quarti, & Thimonis quæstione vltima, tertij Meteor. & Buccaferreus eodem loco, & Antonius Bernardus libro decimo nono, exercitione singularis certaminis, sectione septima, & Marcus Antonius Zimara in sua Tabula, & Ioannes Paulus Donatus libro decimo octauo, Gonzagiorum contradictione prima, & Panormitanus in capite ex tuarum tenore, De sortilegijs, & Benedictus Pererius in octauo libro de principijs & proprietatibus rerum naturalium, capite vltimo: ac demum apud Cardanum extat Iani Latinij satis copiosa disputatio, qua id multis argumentis persuadere conatur. Immò, quòd magis vrget, Augustinus Niphus in Commentario ad tertiam Auerrois disputationem, auctor est, dæmone monstratore à quodam aliquando verum aurum fuisse factum.

Itaque

Itaque in hanc potiùs ego sententiám vt probabiliorem descendo ; vt cùm pluribus partibus tota hæc chymistarum ars contineatur, eam totam vtilem & admittendam esse existimem, quæ in variis distillationibus occupatur, quæque in separandis, aut repurgandis metallis sedulò laborat. Sed eam, quæ illorum mutationem aggreditur, siue substantia, siue colore solùm & accidentibus mutare, & aut argenti & auri speciem, aut verum argentum & aurum efficere conatur; non esse quidem ex eorum genere, quæ ἀδύνατα iudicantur, difficillimam tamen, dispendiosam, inutilem prorsus, & verò etiam pernitiosam esse.

Quod ad distillationes attinet, separationes, & purgationes; res est manifesta, quotidianáque experientia confirmata. Accidentium quoque mutatio tanta sæpissimè facta est, vt veré argenti, aut auri speciem referrent. Tota est in mutatione substantiæ difficultas. At quæ ab iis adferuntur, qui eam fieri non posse contendunt, nulla necessitate concludunt. Auerroës duobus locis primùm adnotatis duo argumenta proponit. Alterum, quòd vna forma non potest nisi vnam habere materiam. Si igitur auri materia est ea, quæ terræ visceribus continetur; Inepta erit altera, quam Chymista præparat. Alterum, quòd eadem res natura, & arte fieri nequit. Tertium addit S. Tho. quòd auri forma non ignis, sed solis calorem determinato contentum loco velut parentem agnoscit. Quartum Conciliator, quòd ars non substantiam, sed accidentia dumtaxat, mutandi vim habet. 5. Ægidius; quòd vt ea, quæ in vnoquoque genere perfecta sunt, determinata habent sui ortus principia, efficientem causam, materiam, & locum, quemadmodum animalia perfecta semen, sanguinem menstruum, & vterum: ita, & aurum metallorum perfectissimum cælestem virtutem, halitum terra inclusum, & mineram velut vterum.

His videlicèt machinis Chymistarum arcem euertere & regnum debellare illi conātur. Verùm eadem numero forma non est nisi vnius numero materiæ, nec vna specie forma nisi vnius specie materiæ; hoc est materiæ ijsdem dispositionibus affectę. Alioqui cùm sit vna sublunarium omnium materia, si dispositiones mutentur, & alio atque alio modo versetur materia, formas omnes suscipiet. Ita nimirum & ex ligno fit ignis, & ex igne aër, & omnino ex quolibet quodlibet, & ex vno metallo aliud; si non vna, pluribus certè mutationibus, quibus materia tandem vt pars est disponatur. Eandem verò rem, & natura & arte fieri posse, & aperta Philosophi fuit sententia in text. 29. lib. 7. Metaphys. vbi etiam exponit causam, cur quędam vtroque modo fiant, alia non nisi arte existunt. Et apertum est, tum in sanitate, quæ & natura ipsa operante recuperatur interdum, & iuuante nonnumquam arte: tum in aliis pluribus. Refert Scaliger id, quod ipse ab oculato teste accepit, in Ægypto apud Cayrum ingentem semper pullorum multitudinem igneo calore in furnis quibusdam artificiosè confectis ex ouis procreari: quapropter si animal idem, & ignis calore, & eo, qui viuentium propriùs est quique electi proportione respondet, gigni potest, cur non possit idem metallum, & igneo, & cælesti procreari? Siue enim hi calores natura differant, siue eiusdem sint speciei, tantumdem fiet, si calor ignis optimè temperetur, & deuoratrix eius conditio qualitatibus aliis ita corrigatur, vt benignam ac mitem cælestis caloris naturam imitetur. Nec tamen artem dicemus substantiam producere, nisi eodem modo, quo accidentia procreant. Etenim non artis, sed naturæ proprium est formas, tum substantiæ, tum accidentis, quod rem quampiam significet, ex materiæ potestate educere: Sed in id incumbit tota, vt res à natura productas variis modis versęt & poliat. Itaque siue accidentibus solis, siue substantia quoque metalla mutentur, perinde est: nec operatur ars, sed natura, illúdque est artis opus, vt naturalia agentia cum patientibus coniungat. Nam vt ars Medica sanitatem corporibus nostris censetur restituere, dum adhibet medicamenta, quæ virtutem habent à natura sanitatem in nobis efficiendi: Ita Chymicum affirmamus mutare posse metalla, dum igne & naturales cæteras adhibet causas, quæ illius effectus vim habeant. Denique in Ægidij ratiocinatione aliqua quidem est probabilitatis species, at nulla necessitas: Neque id, quod accipitur, vllo argumento probatur. Animalia perfectiora determinata habent principia, quòd ea, quæ ad illorum procreationem necessaria sunt, ab aliis causis fieri nequeant. At pulli, quos arte quoque produci dictum est, imperfectissima animalia non sunt, maioris operę videtur esse organici corporis formatio, quàm homogenei temperatio.

Quocirca quod mihi videtur hanc artem tam difficilem, Chymistarúmque operam atque industriam vanam reddere, illud est, quòd minimè opportunam materiam accipiunt. Sulphure & argento viuo vtuntur, quę nequaquam sunt metallorum materia, sed humidus aquæ & siccus terræ halitus: Quos si quærerent, minor fortasse in opere absoluendo difficultas inesset. Metalla namque coagulatione & concretione indigent. Argentum viuum propter multum aërem coagulari non potest, neque concrescere: sed sulphuris admistione, aut lignorum, herbarúmve succi, crassescit dum taxat & sistitur, quod lunam illi fixam appellant.

Sed quamuis idonea quæreretur materia, promptum tamen & expeditum opus non esset: quia non est facilè tam tenues halibus excitare, difficiliùs excitatos accuratè & studiosè, vt par est, digerere & miscere. Difficillimum coagulare & ad auri, aut argenti naturam concretione adducere. Halituum excitatio non tenuis caloris est opus, maioris digestio & permistio. At coagulationem & concretionem frigore & siccitate fieri oportet. Vt in extremo tertio Meteor. traditum est. Vehementi calori vehementius frigus statim subiungere, aut etiam simul copulare, ea præsertim, qua par est, temperatione, difficillimum prorsus est, tum in quouis metallo producendo, tum verò in omnium perfectissimis, argento & auro.

Itaque dum hoc aggrediuntur chymistæ; rem quidem moliuntur, quæ sua natura fieri posset, vix tamen, & non sine summa difficultate: Et ideò inanis & dispendiosa est eorum opera, nec inutilis modò, verùm etiam pernitiosa. Quoniam & nihil agendo tempus inutiliter terunt, & tum suas, tum alienas opes in fumum vertunt, seque ipsos & alios ad summam egestatem redi-

gunt. Ac demum dum non verum, sed fucatum aurum faciunt, falsam monetam inuehunt, quam plurima consequuntur mala. Et cùm à medicis aurum persæpè in medicamentis potandum præbeatur, si falsum pro vero potetur, maxima sine dubio corporibus nostris pericula & damna imminent.

Porrò quoniam non in metallis solùm, sed & in gemmis suam operam ponunt chymistæ, ex iis, quæ de metallorum mutatione dicta sunt, intelligi volo, quatenus in gemmis quoque eos progredi posse credam. Vt magnopere optandum sit, vt immoderate hominum cupiditati modus aliquando ponatur.

TEXTVS.

Τὸ δὴ οὗ ἕνεκα, διωόν. τὸ μὲν οὖν πᾶ ἢ φ. ἐπεὶ οὖν κοινωνεῖν ἀδύνατοι τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου τὴ σωεχείαν, διὰ τὸ μηδὲν ἐνδέχεσθαι τῶν φθαρτῶν τὸ αὐτὸ καὶ ἓν ἀριθμῷ διαμένειν. ἢ μανθάνει δυνατὸν ἕκαστον, ᾧ̓ σης κοινωνεῖ. τὸ μὲν, μᾶλλον. τὸ δ᾽ ἧττον. τὸ διαμένει ἐκ αὐτὸς, ἀλλ᾽ οἷ αὐτὸ. ἀριθμῷ μὲν οὐχ ἓν, εἴδει δ᾽ ἕν.

Text. 35. *Id verò, cuius gratia, duplex: hoc quidem cuius, illud autem cui. Quoniam igitur communicare non possunt ipsò semper & diuino continuatione, propterea quòd nihil mortalium contingit idem & vnum numero permanere, quatenus participare potest vnumquodque, ita communicat, hoc quidem magis, illud verò minus: & permanet, non ipsum, sed quale ipsum: numero quidem non vnum, specie autem vnum.*

COMMENTARIVS XL.

CVR facultas gignendi sibi simile data fuerit viuentibus, dictum est. Nimirùm propter eum finem, vt quàm diutissimè sint & quàm maximè possunt æternitatem consequantur. Hoc vt meliùs intelligatur, duplicem distinguit finem, τὸ μὲν οὗ, τὸ δ᾽ ᾧ. Alter, qui dicitur finis cuius gratia, is est, qui agentis actione acquiritur. Alterum Simplicius & Latini permulti interpretantur finem quo: qui est potiùs medium, nempe forma aut operatio, qua acquiritur finis cuius gratia. Sed meliùs multò cum Themistio, Philopono, & Auerroë intelligitur finis cui: ille scilicet, cui acquiritur & inseruire debet prior ille finis cuius gratia. Quærimus nimirum fælicitatem, & quærimus nobis, quia nos ipsi volumus esse fælices. Fælicitas finis est cuius gratia laboramus, nosque ipsi sumus finis, cui fælicitas ea quæritur. Et sanitas est, cuius gratia Medicus accersitur, potióque sumitur: sed ægrotus est finis, cui sanitas procuratur. Denique in extructione domus finis cuius gratia est, arcere imbres, ventos, & pluuias: finis cui, est Homo, cui domus extruitur.

Finis duplex.

Ita igitur dum viuentia omnia procreatione sui similis perpetuitatem quærunt, illa quidem perpetua conseruatio finis est, cuius gratia operantur: at finis cui, est anima, inquit Philoponus. Sed meliùs cum Themistio & Auerroë dicitur ipsum viuens, seu natura illa viuentis, cuius conseruatio & perpetuitas procuratur. Nam & corpus & anima, & omnino omnia sunt propter totum. Quod autem est in animatis anima, est in cęteris forma naturalis. Quare in omnibus duplex est hic finis; omniáque naturæ hoc perpetuitatem curant, hæc naturali instinctu, illa appetitu elicito: quippe in secundo Phys. lib. moniti sumus, cognitionem finis minimè necessariam esse, vt propter finem agere dicatur quidpiam.

Quoniam igitur mortalia non possunt eadem numero semper permanere, quemadmodum Deus mentésque sæparatæ, atque adeò cælestes corpus, vt ait Auerroës: conantur id in specie assequi, vt continuata indiuiduorum plurium procreatione eorum saltem natura conseruetur. Ita enim fit, vt si ipsum indiuiduum gignens non conseruetur, conseruetur certè quale ipsum, hoc est alterum eiusdem naturæ & speciei indiuiduum illi planè simile. Neque permanet vnum numero, sed multa, specie tamen vnum, quoniam eadem in omnibus est natura speciei.

Deus est omnia participabile.

Hac etiam duplicis finis distinctione occurtur obiectioni, qua naturale magis esse viuenti diceretur conseruare scriptum, quam aliud sibi simile generare. Responsio autem est; finem cuius gratia, esse sui conseruationem, at conseruationem speciei esse finem cui. Non enim sibi facta sunt indiuidua, sed vt in illis species conseruetur, eorúmque singula ex accidenti sunt in hac rerum vniuersitate, species per se. Itaque tum conseruationem sui quærunt vt finem cuius gratia, tum speciei, vt finem cui & primarium, ad quem prior ille finis refertur. Quare opus, quod vlteriorem hunc finem respicit, magis est viuentibus naturale: quàm alterum illud, quod priorem & proprium sui ipsius finem spectat.

Quod verò dixit, vnum quodque quatenus potest æternitate participare; hoc quidem magis, illud autem minùs, S. Thomas & fere Latini de indiuiduis intellexerunt, quorum aliqua sunt aliis diuturniora, magisque longæua. Quę interpretatio parùm videtur accommodata non solùm quia, vt ait Philoponus, animalia complura homine diuturniora participarent magis diuino esse, quàm Homo, qui breuiore tempore viuit. Verùm etiam quia indiuidua, quæ perpetua non sunt, sed caduca & fluxa, comparari non possunt in æternitate secundùm magis & minùs, cum nullo modo æternitatem participent. Propterea cum Græcis omnibus & Auerroë comparatio illa consideranda est in speciebus, quæ participant quidem omnes æternitatem, sed aliquæ magis, aliæ minùs. Quoniam in illis aliquæ sunt, quæ continuata procreatione similes à simili conseruantur: aliæ ex putredine potiùs sustentantur. Priores illæ magis dicuntur æternitatem participare, quoniam continuata propagatione ita sustentantur, vt semper sint, nec earum vnquam propagatio & natura intermittatur. Hæ verò posteriores minùs quia vt continuatam non habent propagationem, sed ex putrescente materia nascuntur, temporibus quibusdam sunt, aliis non sunt, vt in culicibus manifestum est, cimicibus, muscis, & similibus, quæ interruptam quasi æternitatem habent, dum per interualla sempiterno tempore fiunt. Neque ordinem vni-

uersi

uersi perturbant, dum cessant: quòd imperfectissima sint, & in suis causis virtute retineantur. Sed & spontanea hæc fortasse dicuntur, quasi sponte sese atque ex accidenti rebus ingerentia: non ex primario naturæ instituto, sed ne materia ad animam frustra fuerit disposita, numerosissima hæc sunt, vt quod durationi detrahitur, multitudine compensetur. Casu hæc fieri dixit Philosophus in Text. 31. lib. 7. Methaphys. Magis attingunt, inquit Themistius, quorum perpes accensus nulla diuulsione aut interiectione confunditur. Minùs » attingunt cætera animalium genera, quæ statis & » descriptis temporibus modò comparent, modò » penitus abolentur, rursúsque renascuntur & prodeunt. Ita respondebunt hæc verba superioribus, quibus duplicem posuit regenerationis modum, vnum ex propagatione, alterum ex putredine spontaneum.

Alio etiam modo participant esse diuino, hæc clariùs, illa obscuriùs: quòd diuinæ naturæ & perfectionis similitudinem quædam habent magis, alia minùs expressam. Homo magis, quàm bruta, quia intelligens: bruta magis, quàm plantæ, quia sensu cognoscunt: plantæ magis, quàm inanimata cætera, quia viuunt. *Deus est omnia participes*

Fortasse verba illa (ipso semper) priorem, & illa (& diuino) posteriorem interpretationem significant. Vtramq. colligas ex Text. 100. lib. 1. de Cælo. vbi à primo principio immortali & diuino cæteris dixit communicari, his quidem exactiùs, illis autem obscuriùs, esse & viuere.

Quæ verò in quibusdam Codicibus adduntur verba (quare animalium & plantarum semen instrumentum est) scienis prætermisi; quòd in emendationibus non reperiantur, neque necessaria videantur. Si tamen addenda sint, iis Philosophus addet, semen, tum animalibus, tum plantis propterea fuisse tributum, vt esset velut instrumentum, quo alterum simile sibi gignendo naturam tueretur suam, sempiternitatemque quo quomodo assequerentur. Quæ enim perfectiora sunt, effusione seminis tanquam aliqua substantiæ suæ parte aliud procreant, & numericam etiam vnitatem quod possunt procurant.

DIGRESSIO XVIII.

De rerum Duratione.

LOcus monet vt & vniuersè de rerum omnium duratione dicamus, in specie namq; de viuentium vita satis in libro de illorum temperatione dictum est. Celebris est inter Metaphysicos Entis diuisio in essentiam & existentiam, velut naturam & modum, quo essentia sit actu & extra suas causas, si causas habeat. In essentia quædam spectatur latitudo perfectionis, qua vel est ipsum Ens totámque habet Entis rationem, vel tanta aut tanta illius participatio. Et ideò vel est infinita & simplicissima, vt in Deo, qui est Ens per essentiam: vel finita & gradibus quibusdam limitata & composita: quemadmodum increatis omnibus rebus, quę & gradum habent Entis, in quo omnes conueniunt, & gradum talis entis: eúmque multiplicem in eadem categoria, dum ratio entis vniuersi paulatim descendit & per plures differentias contrahitur ad talem singularū rerum propriam rationem, qua talem dicuntur habere in ente latitudinem, essęque magis aut minùs perfectæ, quemadmodum magis aut minùs rationem entis participant. Et ideò dum inter se comparantur, maioris, minoris, & æqualis rationem habent.

Quantitas perfectionis, & molis.

Et quoniam hoc magnitudinem significat; inde magnitudo & quantitas perfectionis existit à magnitudine & quantitate molis diuersa: diuisióque magnitudinis seu quantitatis in magnitudinem aut quantitatem perfectionis & molis: quarum hæc materialium rerum & corporearum sit propria, illa entibus cunctis vel etiam Deo communis. Sed in essentia sola cōsideratur, non in existentia. Nam vt essentia per se & absolutè accepta Entitatem significat, ita & perfectionem. Existentia nec Entitatem nec perfectionē ab essentia distinctam, sed illius modum. Immò præter hanc magnitudinem habet aliam essentiam, dum simul cum aliis sumitur. Hæc est magnitudo deiuncta & essentiarum numerus.

Existentia magnitudo, duratio.

Habet tamen existentia quoque magnitudinem suam; quæ in eo versatur, vt illud esse actu, quod ea significat, non statim atq; habetur cesset, sed permaneat. Atque hæc est duratio, permanentia scilicet rei inesse actu existentiæ. At quoniam existētia essentiam sequitur, duratio magnitudinem essentiæ comitatur: & quemadmodum diuersę sunt essentiæ, sic aliæ atquæ aliæ durationes existunt.

Maximè generalis essentiarum diuisio est in eam, quæ increata est & infinita; & eam quæ creata & finita: siue ita principium habuerit, vt immortalis deinceps perseueret, nec vnquam sit habitura finem, quemadmodum essentię separatarum mentium, animi nostri, cælestium corporum, primæ materiæ: siue mortalis & habitura quoque finem, vt reliqua, quæ lunæ ambitu continentur. Hinc triplex existit duratio. Infinita vna, independens, principio carens & fine, soliusDei propria, Æternitas. Altera finita, dependēs, principium habens, sed carens fine, intelligentiarum & reliquorum Entium immortalium, Æuum. Tertia, quæ finem etiam habet, omnibus iis, quæ gignuntur & occidunt, communis, tempus. At quemadmodum Deus, Intelligentiæ, quæq. ab interitu libera sunt, essentiam habent totam simul, absque successione vlla & variatione: quæ verò oriuntur & intereūt, successionem habent & motum, atque in perpetuo fluxu versantur. Ita duratio quædam est impartibilis prorsus, inuariabilis, sine successione, tota simul collecta. Ea est Æternitas & Æuum. Alia, quę & successionem habeat & variationem: Tempus nimirum, quod sequitur motum, quo res mortales continenter agitantur & fluunt. Et ideò definitur Numerus motus secundum prius & posterius: hoc est variabilis mensura & successio motus. *Duratio triplex.*

Duratio igitur, si vniuersè consideretur, à successione abstrahit, totáq. simul esse potest. Abstrahit item à finito & infinito, sicut & magnitudo. Nam si illud esse, quod durat, totum simul sit & infinitum, illius duratio tota simul, inuariabilis, & infinita erit. Sin autem finitum sit, siue totum simul, siue variabile & succedens; similem quoque durationem habebit. Ita omnino se habet Æternitas Dei ad Æuum & tempus, quemadmodum diuinę *Duratio mensura.*

perfectionis magnitudo ad creatas omnes perfectiones. Et quod mirum videri possit, non omnis magnitudo partibilis est: sed & duratio magnitudo quædam existit, & tamen impartibilis aliqua: in Deóque vera est perfectionis infinitæ magnitudo, & in quauis substantia latitudo perfectionis, vtraque impartibilis. Nam & solius quantitatis molis proprium est esse partibile, & sola duratio successiua cum motu coniuncta partibilis est. Est etiam duratio transcendens quidpiam; quod per omnes res simul cum existentia & essentia vagatur. Verùm neque est essentia rei, neque ratione essentiæ, sed existentiæ illi conuenit. Essentia enim ab existentia & durationeabstrahit, potestque eadem diutiùs ac minùs diu durare, & diuersæ essentiæ eadem sæpè durationem habent. Duratio autem nequaquam abstrahit ab existentia, sed illius permanentiam significat. Et ab ea quidem formaliter distinguitur, quoniam existere est rem esse actu, durare autem, eam tamdiu in illo permanere: quod moram addit existentiæ, ne scilicet statim atque est, desinat esse, sed aliquandiu permaneat. Re ipsa tamen sunt idem, nec ita separantur, vt aliquando sit, aut duratio sine existentia, aut sine duratione permanens existentia. Sed quoniam essentia quoque & existentia sunt idem re, fit vt essentia, existentia, & duratio, ita sint idem, vt non nisi formaliter in rebus creatis, in Deo sola mentis nostræ actione distinguantur. Nimirum essentia gradum significat, perfectionem, ac definitionem, quæ in rebus creatis genere ac differentia continetur: existentia illam esse actu: ac demum duratio permanentiam eius ac moram. Æternitas re est ipsemet Deus absque principio & fine independenter durans: Æuum res ipsa æuiterna: tempus res temporanea in suo esse perseuerans. Dum verò essentia & existentia in rebus creatis formaliter distinguuntur, fit vt duratio quoque, quæ in existentia consideratur, ab ea re, quæ durat, formaliter differat: in Deo sola mentis nostrę cogitatione. Propterea quòd alia non est in eo essentiæ & existentiæ distinctio. Quam ob causam is non solùm æternus, sed ipsa Æternitas est: & cùm dicitur Æternitatem mensuram, secus id, quàm de rebus creatis, affirmatur. Hæ namque ante mentis nostræ actionem verè suis durationibus mensurantur, quòd ab illis distinctæ sint. Deus non nisi ex nostro intelligendi modo, dum Æternitatem vt aliquid ab eo distinctum & tanquam mensuram concipimus, quæ alioqui mensuræ rationem habere non poterat, quòd ab eo non distingueretur.

Duratio vt distinguatur à re, quæ durat.

Motus & tempus distinctio

Motus quoque & tempus in rebus, quæ oriuntur & pereunt, sunt idem re, soláque differunt forma. Nam successio, quæ in hoc rerum inest genere, atque essentiam immutat, & consequenter existentiam, quatenus essentiam afficit atque ad illius acquisitionem aut destructionem tendit, rationem motus constituit. Quare cùm harum rerum essentia non sit consistens, sed ad interitum continenter fluat, verissimè dicuntur semper esse in motu. Quatenus verò existentiam afficit & in ea moratur, atque ad exitium semper immutat, appellatur tempus. At Deo, cuius nec essentia nec existentia variationem admittit, immutabilitatem tribuimus ratione essentiæ, atque ratione existentiæ æternitatem. Quemadmodum verò essentia & existentia, sic motus & tempus sunt eadem res. Eadem inquam successio, quę etiam idem est cum eare, quæ succedit. Quam ob causam consentientibus Philosophis non nisi vnicum est Ens successiuum, quoniam tamen accidente distinctione formali, prior natura est essentia, quàm existentia, priúsque rem acquirere esse, quàm esse & in eo permanere: siquidem existentia tanquam modus & actus vltimus essentiæ aduenit: priùs quoque natura est acquirere successiuè esse, quàm in eo perseuerare. Ita prior natura est motus, quàm tempus, & tempus verè dicitur consequi motum, velut illius affectio, & tanquam posterius quidpiam & notius, esse illius mensura.

Vniuersè autem loquendo, quoniam mensura id est, quo cuiusque rei magnitudinem cognoscimus: quotuplex est magnitudo, totidem existunt mensuræ. Quadruplicem hactenus magnitudinem commemoraui: Perfectionis vnam, alteram coniunctam, tertiam deiunctam, postremam successionis & durationis. Id verò quo aliud cognoscitur, notius esse oportet. Et mensura igitur notior esse debet iis, quæ mensurantur. Immo perfectionis magnitudo hoc habet proprium, vt illius mensura non solùm notior quidpiam sit, sed & perfectius: quemadmodum nobilissima species cuiusque generis cæterarum mensura est. In magnitudine coniuncta permanenti accipitur aliquid eiusdem generis, quod notius sit. In deiuncta illud cernitur singulare, vt mensura cæteris simpliciior sit, nempe vnius. In successione & duratione etsi re sint idem, quia tamen duratio, vt significat tempus, est quid posterius & notius, sumitur tanquam mensura successionis, quæ constituit motum, est eam quoque motu deinde metiamur. Rursum quæ durationes æternitatis & æui sunt nobis valde occultæ, temporis duratione notiore, vt illis coëxistit, eas mensuramus. Ac demum quæ inter tempora, quæ singulos motus consequuntur, vnum est altero notius, notissimum illud & communissimum, quod cæli motum consequitur, vt aliorum omnium mensura accipitur. Iidem cælestes quoque motus & durationes non omnes æquè cognoscimus, notissimus vt malumus: motu scilicet primi mobilis maximè conspicuo; deinde motu solis, tum lunæ, diem annum & mensem distinguentes: reliquorum orbium motibus non vtimur, quod vsque adeò perspecti non sint.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ ἡ ψυχὴ τοῦ ζῶντος σώματος αἰτία καὶ ἀρχή. λέγεται δὲ πολλαχῶς λέγεται.

Est autẽ anima viuentis corporis causa & principium. Hæc autem multis modis dicuntur.

COMMEN-

COMMENTARIVS XLI.

MAgnopere laborat Philoponus, vt hanc orationem cum superiore coniungat: & mea quidem sententia, minùs assequutus est quod quærebat. Themistius & Simplicius ne verbum quidem. Latini ferè volunt enumeratis animæ vegetantis facultatibus animam ostendi illarum causam esse. Auerrois iudicium magis probo: Cùm enim ex generali animæ definitione haberetur animam esse animati corporis formam: & post ex iis, quæ de facultate sibi simile procreandi postremò dicta sunt, colligi satis posset eam efficientem item causam esse; voluit omnino exponere quot modis ea sit in viuentibus causa. Siquidem hoc quoque prædocendum fuit, antequàm ad specialem animarum singularum tractationem magis descendat. Quo loco simul etiam explicabit quæstionem propositam in text. 11. an anima sit actus corporis vt nauta nauis, iuxta posteriorem illius loci interpretationem ibi factam: Docebit enim eam non solùm esse actum corporis formantem, sed etiam eo vtentem, dum modos omnes iudicabit, quibus anima est causa in animato corpore.

Causam autem & principium nominat, vt etiam pluribus aliis in locis, vtramque coniungere voluit. Vtriusque multiplicem ait esse acceptionem. Nam & quatuor causarum genera in secundo Physicorum lib. statuuntur, & acceptiones principij variæ in quinto Metaphysic. text. 1. commemorantur. Latiùs tamen principij, quàm causæ, notio patet. Etenim communis principij notio explicatur eodem loco; cùm principiis omnibus commune esse dicitur esse primum, vnde res incipit, aut esse, aut fieri, aut cognosci: visque principij in eo cernitur, vt ab eo procedat quidpiam, atque id principium dicitur, à quo aliud quocumque modo deriuatur, abstrahendo à prioritate, efficientia seu influxu, & essentiali distinctione, comparatione illius, cuius est principium. A prioritate, inquam, temporis aut naturæ. Quoniam non est semper necesse, vt principium sit prius eo, cuius est principium. Etsi enim hoc apud philosophos non reperiam; Theologi tamen nostri verissimum esse docent, cùm in diuinissima Trinitate Patrem Filij principium, nec tamen priorem eo dicunt. Quippe nil ibi prius, nil posterius, neque tempore, neque natura. Eodem modo de filio loquimur comparatione sancti Spiritus: quamuis Filium principium secundum, & Patrem principium primum dicamus. quoniam ille ita principium est, vt sit à Patre velut principio, quod nullum habeat principium sui. Sola igitur originis prioritas est. Abstrahit etiam principium ab efficientia. Potest enim principium esse, quod nihil efficiat: quo modo mane dicitur principium diei, & terminus à quo principium motus, & punctus principium lineæ. Denique abstrahit ab essentiali distinctione. Quoniam in diuinis personis principium & id quod est à principio non essentiis, sed relationibus solis distinguuntur. Correlatum autem principij non est principiatum; sed id, quod est à principio. Siquidem Patrem principium dicimus, at Filium non principiatum, sed à principio: quòd illud imperfectionem & essentiæ distinctionem significare videatur. Itaque principium ordinem quemdam solùm dicit, siue productionis, siue temporis, siue loci, siue dignitatis, siue cuiusuis alterius generis.

Principij & causæ quid.

A

B

C

D

E

At causa his omnibus influxum addit. Causa enim est, quę in aliquid influit; siue producendo vt efficiens; siue aliomodo communicando esse, vt cæteræ. Hoc enim est causare, communicare alteri esse. Ideo naturæ saltem prioritatem & essentiæ distinctionem inter causam & effectum significat. Quippe non potest idem esse causa sui ipsius. Hinc mutatio & priuatio; quod non possit causa dare suum esse, sed aliud debeat nouum producere, quod antea non esset. Quocirca etsi antiquiores Græci Theologi nil veriti fuerint causæ vocem in diuinis vsurpare, Patrem Filij causam appellantes, nihil aliud causam, quàm principium dicentes: Latini tamen accuratè magis distinguentes has voces, non causam, sed principium dici maluerunt, vt errandi omnis ouatio vitaretur. Omnis igitur causa principium, at non omne principium causa. Punctum lineæ principium dices, non causam. Nam si causa esset, maximè videretur esse vt materia, quod in sexto Physic. lib. multis confutatur. Vt non sit mirum, si & hoc loco & alibi sæpè voces hæ coniungãtur, ac pro eadẽ vsurpentur. Etenim omnis causa principium, & in text. 3. lib. 4. Metaphys. hæc idem esse dicuntur, sicut vnum & Ens, soláque ratione differre: quòd latiùs principium pateat, & principium ordinem significet vnius ab alio; causa autem influxum. Vel vt interpretatur Alexander, principium dicitur vt est primum & ab eo res est; Causa verò vt propter illam est. Ferè autem principium efficienti causæ attribuitur, vt in text. 19. lib. 3. manifestum est; eámque principium motus appellare Philosophus consueuit: & ordo ille progressionis vnius ab alio; qui principij nomine significatur, in hoc genere causæ maximè apparet.

Solet etiam interdum addere Elementa; principia dicens, causas, & Elementa, vt in text. 1. lib. 1. Physic. in quorum verborum interpretatione mira dissensio. Sed aut quòd de illis vocibus nondum satis inter antiquos constitisset, vt ex Plutarcho cognoscitur in primo lib. de Philosophorum placitis cap. 2. vt omnem tolleret ambiguitatem coniunxit omnes, ne de vocibus quæstio superesset. Aut quòd hæc omnia idem re esse putaret. Nam & in quarto Metaphysic. text. 3. de principio & causa id exposuit; & text. 23. lib. 12. aliud, inquit, est principium aliud elementum; ambo verò causæ sunt, & principium in hæc diuiditur. Ferè tamen principium & causam obseruabis omnia causarum genera significare, elementum solas causas internas, materiam & formam, ac præsertim materiam. Nam & elementa mistorum materia sunt, & ad materialem causam perpetuo reuocantur, & Elementi definitio in text. 4. lib. 5. & extremo libro septimo Metaphys. soli materiæ conuenit. Quia etsi materia & forma constet compositum; in formam tamen dissolui

Exponitur verba quædam text. 1. lib. 1. Phys.

Elementa maximè materiam significant.

non dicitur, quòd dissolutio in ea fiat, quæ manent: neque vnica intelligente anima excepta remanet forma post compositi dissolutionem: eandem ob causam in primo lib. de priori Analisi cap. 1. in subiectum dumtaxat & attributum quæ sunt vt materia, dissolui dicitur propositio, non in copulam, quæ vim habet formæ: quòd illa maneant, hæc pereat. Itaque non temerè dixeris elementum hoc loco nominatum non fuisse, quòd esset perspicuum, animam non esse vt materiam: tùm quia in text. 4. iam eam ostenderat non esse corpus, seu materiam: tùm quia si est vt forma, quemadmodum antea definiuit, nequaquam potest esse materia: siquidem hæc duo causarum genera dissitam habent naturam, neque in eandem rem conueniunt vnquam.

Animam non elementum, sed tamē principiū esse.

Propterea non elementum, sed causam & principium dixit: siue hæc pro eodem vsurpētur, quasi diceret, siue causam, siue principium appellare velis, anima est viuentis corporis causa seu principium. Siue potiùs diuerso significatu nominentur. Nam non temerè causam priùs, deinde principium dixit. Sed quoniam ex definitione principio proposita fuit ostensum, animam esse actum & formalem causam: deinde ex iis, quæ de facultatibus quoque adiecta sunt, eam habuimus esse principium, hoc est velut efficientem suarum facultatum. Deinde verò quoniam ex definitione habitum fuit, eam esse actum essentialem & dare corpori esse absolutum: cùm sit etiam facultatum principiū, consequens videbatur, eam dare quoq. esse operatiuum, & in eo esse principium operationum. Ac velut Nautam in naui totam animalis vitam gubernare, atq; adhunc finē referri omnia; maximè ad conseruationem & perpetuitatem, quam tantopere cuncta desiderant. Hoc igitur est, quod ait; Anima est viuentis corporis causa & principium. Quomodo autem sit, ita exponit.

TEXTVS.

Ομως δ' ἡ ψυχὴ τῶν διορισθέντων τρόπων τριῶν, αἰτία. καὶ γὰρ ὅθεν ἡ κίνησις αὕτη καὶ τὸ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς ἡ οὐσία τῶν ἐμψύχων σωμάτων ἡ ψυχὴ αἰτία.

Verùm anima tribus definitis modis causa. Etenim vt vnde motus ipsa, & cuius gratia, & vt substantia animatorum corporum, anima causa.

COMMENTARIVS XLII.

TAmetsi causa & principium ita, vt dictum est, distinguantur: quoniam tamen reipsa sunt idem; omnisque causa principium est, etsi non omne principiū causa: in eo, quod nūc agitur, perinde fuerit, siue causā dicere, siue principiū. Melius verò fuerit causæ vocem retinere: tùm quia magis animæ vim in corpore exponit: verè enim non solùm est principium, sed & causa: tùm etiam quia forma, finis, & efficiens, quæ de anima demonstranda sunt, propriè in causarum generibus nominantur. Cùm igitur & principium & causa multis modis dicantur: Anima tribus modis ex iis, qui in secundo lib. Phys. & alibi definiti sunt, dicitur esse viuentis corporis causa, & vt efficiens, & vt finis, & vt forma. Neque mirum. Nam hæ tres causæ in vnam & eandem persæpè concurrunt. Verùm antequàm videamus, quomodo hæc à Philosopho singula demonstrentur, operæprecium fuerit de causarum generibus & cuiusque vi ac natura aliquid prædocere.

Digressio XIX. *De quadruplici causarum genere.*

Quatuor à Peripateticis causarum genera numerantur, Materiale, Formale, Efficiens, & Finale. Antiquioribus materialem causam facile cognitam, formalem vix vlli, ab Empedocle sōlùm & Democrito obscurè indicatam: efficientem quibusdam notam, haud tamen satis perspectam, Hesiodo primùm, deinde Empedocli & Anaxagoræ: Finalem demum à nullo apertè positam, restatur Aristoteles in primo lib. Metaphys. cap. 3. & 4. & 2. Physic. text. 22. & 1. de Partib. animalium cap. 1. & lib. 5. de eorumdem ortu cap. 1. Sed si res tota diligenter consideretur, ita sunt omnes inter se connexæ, vt qualibet earum posita reliquæ omnes ponendæ sint. Si enim sit materia, formam adesse oportet, quæ illam in specie perficiat: & agens, quod formam illam in materiam inducat: & finem, propter quem agens operetur. Rursum si sit forma, opus est subiecto, in quo ea sit: agente, à quo producatur: & fine, à quo agens ad agendum incitetur. Quòd si sit agens, subiectam actioni suæ materiam supponit: formam aliquam agendo producit: & propter finem quempiam operatur. Denique cùm finis impellat agens ad formam in materia producendam; si fuerit finis, erunt efficiens, materia, & forma. Et ita erunt, vt in diuerso genere singulæ primò & per se ad constituendum effectum concurrant, vt immeritò conatus fuerit Seneca Epist. 66. ad duos contrahere, formali & finali reiecto. Plato instrumentum addidit & exemplar.

Verùm quælibet causa tria omnino requirit. Primum, vt sit aliquid: deinde, vt aliquam habeat causandi rationem: postremò, vt in ea sit quippiam, ratione cuius eam vim habeat. Materiam esse aliquid, antea demonstratum est. Id autem, per quod est causa, ipsius potestas est. Atque vt causandi ratio intelligatur, duo in ea spectanda sunt. Alterum est esse id, in quo suscipiatur forma. Alterum esse id, ex quo fiat compositum. Compositum enim esse id, quod omnes causæ intendunt, & cuius dicuntur causæ, certa ratio includit. Nam sunt causæ eius, quod fit seu producitur: producitur autem id, quod tanquam perfectum verè habet esse & in natura subsistit. Hócque est compositum: quod propterea tanquam proprius causarum effectus adfertur, dum ex materia dicitur gigni ignis, per formam ignis fieri ignis, & ab igne produci ignis, vt speciem suam conseruet: & omnino naturalium rerum causæ dicuntur, duæ internæ, externæ reliquæ. Quoniā illæ solæ essentiā eius constituunt, cuius sunt causæ, nēpe cōpositi.

Si tamē spectetur id, in quod suam primùm vim exerunt, id potiùs ipsamet causæ esse videntur: & ideo sibi vicissim dicuntur causæ. Etsi enim omnes causent compositum, Ens q. perfectum intendunt: quia tamen illud nisi ex pluribus partibus esse non potest, finis primùm mouet agens, agens primùm educit formam, forma primùm format materiam, materia primùm suscipit formam: atque dum ita sunt causæ, producunt compositum. Nam cùm cōpositum non sit res distincta à materia & forma, sed illæ ipsæ sibi inuicem cohærentes; omnia ratio causandi, quę circa materiam & formam versatur, circa compositum item versatur. Et agens educendo formam, materia illam suscipiendo, forma actuando materiam, & finis mouendo agens ad educendam formam, faciunt nimirum compositum

tum: estque eadem reipsa causalitas & inter ipsas vicissim, & cõparatione compositi. Potestas enim illa, ex qua materia vim habet causæ, eadem est causa vt materia ad vtrumq. referatur. Et ex eo, quòd materia est actus indeterminatus & imperfectus, est potestas apta, per formam perfici, & velut pars compositum constituere: & ideò suscipit formam, vt per eam perfectũ quid fiat. Neq; potest esse vnius causa, quin sit itẽ alterius. Et dum subijcitur formæ, fit pars cõpositi; ipsáq. susceptio formæ est cõpositi constitutio. Et rursum si causat cõpositum tanquam materialis eius pars, ex qua fiat; necesse est alteri parti, quæ est forma, subijciatur.

Materia exempl. & forma causa.

Quamquam alia atque alia ratione. Nam comparatione formę est id, in quo fit, vel ex quo educitur: comparatione cõpositi id, ex quo tanquam ex materia fit aut componitur: quorum alterum est prius altero. Etenim quia si non tempore, natura certe prius est formam eduei & suscipi in materia, deinde materiam & formam vt partes constituere compositum; prior est causalitas respectu formæ, quàm comparatione compositi: neque potest materia vt pars compositum constituere, quin suscipiat formam. Etsi enim compositum aliquod fieri possit ex partibus, quarum vna alteram non suscipiat, vt ex partib. integrantibus, aut quantitatis: hoc tamen compositionis genere, quod est ex materia & forma omnino nõ potest. Quoniam hæc compositio fit, dum vna pars dat suum actum alteri, cui inexistit, & ideò vnam oportet in altera suscipi: quemadmodum in toto integro partes vniri necesse est, neque sine hac vnione compositionis illud genus intelligitur. Propterea nec vis materialis causæ ad solam formam sistit; nec perfecta censetur, nisi cùm ad compositum terminatur. Et ea in text. 28. lib. 2. Phys. definitur esse id, ex quo fit aliquid cùm insit: quia compositum essentiale fit ex materia, tanquam subiecto præexistente & permanente in illo. Et quãuis fiat quoq. forma, quæ ex illo subiecto educitur: quia tamen fieri ex aliquo significare videtur fieri ex præexistẽte & eo, quod subijciatur, materiæ potissimùm attribuitur.

Forma compositi quomodo

Forma verò non dicitur esse id, ex quo fit compositum (nisi fortasse quatenus tanquam pars natura saltem illud antecedit) sed potiùs esse quiditatis ratio. Quòd de cõposito solũ potest intelligi. Siquidẽ forma non est quiditas materiæ, sed compositi, dũ seipsã tribuẽdo determinatã essentiã & quiditatem illius propriã adfert. Vt enim materia quoq. sit quiditatis pars, quippe totũ id significat, quod est composito essentiale: forma certè sola est quiditas eius propria, qua tale ab aliis distinctum efficitur. Nam materia cõmunis est, & dat solũ esse substantiam corporeã: omnisq. actus certæ speciei est à forma, tùm quoad essentiam, tùm quoad existentiã. Vt quemadmodũ ex materia & forma tanquam duab. imperfectis essentiis fit perfecta compositi essentia: sic ex duabus earum existentiis imperfectis fiat vna subsistentia perfecta formaliter solùm ab illis distincta: sicut etiam compositum à materia & forma distinguitur.

Causa formalis.

Si ergò in forma quoq. tria illa sint agnoscenda, quæ in omni causa requiruntur; id, quod est formalis causa, est propriè forma substantiæ; id, per quod est causa, est illius actus certę speciei, ratio demum causandi est, vt sit pars propriam compositi quiditatem constituens: quam actuando & formando materiam exequitur.

Causa efficiens.

Quod autem ad externas causas attinet; Efficiẽs verè est primum, hoc est potissimum principium, vnde oritur motus. Ita optimè distinguitur à natura: quòd natum principium sit motus in eo, in quo est; Efficiẽs autem causa principium, vnde motus, hoc est principium motus in alio, seu provt est aliud. quemadmodum etiam potestas illius agẽdi dicitur esse principium motus aut mutationis in altero, aut prout est alterum in 5. lib. Metaphys. text. 17. Principium, inquam, motus: non quòd non sit etiam principium eius effectus aut formæ, quæ per motum producitur: sed quòd ita exponatur modus, quo est principium formæ, nempe per motum. Quocirca id, quod est efficiens causa, sunt res ipsæ naturales, quarum vnaquæq. naturæ suæ congruenter operatur: Id, per quod est efficiens, est ipsius forma tanquam agendi principium: Ratio causandi est agere seu producere, suáque virtute facere, vt aliud habeat esse.

Causa conseruãs

Ad efficientem porrò causam Conseruans, Instrumentum, & Exemplar reuocantur. Nam duob. modis potest res quæpiam conseruari. Aut impediẽdo corruptionẽ, quam illius contrariũ molitur. Aut per agentis præsentiã, si res ab illius præsentia pendeat. Prior est improprius, & illis dumtaxat conuenit, quæ non per se, sed ex accidente indigẽt conseruante, propterea quòd occurrat contrariũ; alioqui seipsis consistere potuissent. Sed siue hæc conseruatio fiat augendo qualitates, quibus ea res contrario resistat, siue debilitando & contrarij actionem prohibendo: manifestum est, eam ad efficientem causam pertinere; essèque diuersam ab ipsius rei productione. quoniam productio est circa formam, seu rem ipsam, hęc autẽ conseruatio circa qualitates, aut ipsius rei contrarium.

Posterior modus est magis proprius. quia in illis cernitur, quę per se indigent conseruãte, nec absq. eo possunt cõsistere. Verùm hic ipse vim efficiẽtis habet. Nam productio & cõseruatio forma solùm distinguuntur; quòd altera rem significet tunc primùm virtute alterius accipere esse, cùm antea non esset: altera eam permanere in eo esse, quod iam habebat. Et ideò vtraq. rem significat habere esse virtute alterius. Et cùm sint idẽmet esse ipsius formę seu rei, sunt quoq. idẽ re inter se: atq; ab eodem agente, vel etiã ratione eiusdẽ virtutis & principij: quẽadmodum idem est effectus, nẽpe habere esse. Visq. conseruandi est necessariò etiã producendi: quoniã si potest continẽter dare esse, multò magis principio potuit. Immò nõ solùm ab eodẽ agente & per idẽ principiũ: sed ab illo quoq. eodẽ modo operante sunt & productio & conseruatio. Cùm enim eadẽ sit vis, quę & producit & cõseruat, quatenus ab ea aut primùm res habet, aut deinceps retinere esse, eadẽ est in vtraq. agentis operatio, idem influxus; totáq. diuersitas est in patiẽte aut effectu, provt vel primùm accipit esse, vel illud idẽ retinet: sub eadem tamen ratione causandi, quia vtrumq. significat esse ab alio.

Causa instrumentaria

Instrumentum quoque diuersam ab efficiente causam non constituit: sed tanquam aliquid illius ad eam reuocatur; instrumentáque propriè solius sunt efficientis causæ. Etenim forma & finis nulla adhibent; sed sepsis effectum suum causant. Materia etsi quasdam habeat dispositiones, eæ tamen illius instrumenta propriè non dicuntur. Quoniam instrumentum ordinem ad actionem significat, vt sit id, quo aliquid operetur. Materia

nullam actionem habet, sed passionem, quam ipsa immediatè sustinet. Quòd si appelles instrumenta, ad materialis causæ genus reuocabuntur. Quia velut materiæ dispositiones ad susciendum & patiendum rationem quandam patiendi & sucipiendi habent. Si igitur de proprio instrumento loquaris, quod in actione & efficiente causa cernitur; propterea ad illud causæ genus semper reducitur, quòd illius virtute operetur.

Instrumentorum tria genera.

Tria namque sunt instrumentorum genera, quædam naturæ, quædam artis, alia, quibus interdum vtitur Deus. Naturalia propriam sibi semper aliquam actionem habent, qua si per se considerentur, primaria efficientia dicantur: calor enim calefacit, & calorem producit. Diuina item aliquem possunt habere motum: quemadmodum lutum, quo Christus ad illuminandum cæcum aliquando est vsus, humectare poterat, aut huiusmodi quidpiam efficere. Artificiosa nullo modo dices efficientia: quoniam malleus aut terra, vt arte constant, formæ sunt mortuæ & omni operatione destitutæ. At si considerentur vt alterius agentis instrumenta sunt; duo videntur, tùm naturæ, tùm artis instrumenta significare. Alterum quasi materiam, vt quidpiam sint aptum ad effectum eum iuuandum, quem præcipuum agens machinatur. Nam si calor non posset calefacere, & malleus aut serra materia illa & figura non constarent; instrumenta esse non possent, aut ignis producendi, aut cathedræ conficiendæ. Alterum velut formam, moueri scilicet atque ab agente primario dirigi, vt hoc aut illo modo agant. Nisi enim ab alio moueretur, effectum illum nunquam producerent. At in diuino instrumento satis est si ab eo moueatur; quæcumque tandem sit instrumenti natura & conditio, etsi ad effectum attingendum minimè apta. Vt enim agens, quod finitæ virtutis est, determinatis egeat aptéque comparatis instrumentis; quod ab illis actio eius adiuuetur. Deus certè virtutis infinitæ nulla indiget tope instrumenti: sed quolibet vel ineptissimo quidlibet potest efficere, quia quodlibet vel ineptissimum instrumentum potest is ad actionem quamlibet eleuare. quemadmodum quoque in natura & artibus quò præstantius est agens, eò ad nobiliorem effectum attollit instrumentum. Ita nimirum & ligno dulces factas aquas Marath, & ficis sanatum Ezechiam, & luto restitutum cæco aspectum, & alia id genus complura litteræ sacræ testantur.

Cæterum quoniam quæcumque sint instrumenta, ea non agunt, nisi aut à primario agente mota, quemadmodum artium instrumenta; quę propria vi nihil efficiunt, sed artificis solùm impulsa motu: aut si ratione suæ formę aliquam habeant actionem, vt instrumenta præsertim naturę: quatenus tamen sunt instrumenta, & hoc aut illo modo agunt ad eum effectum producendum accommodatè, non agunt nisi à primario agente mota & directa: instrumentum omne reduci debet ad primariam causam, cuius virtute & impulsu agit; neque aliud causæ genus constituit. Instrumentum verò diuinum, quod absq. necessitate assumitur, nullam habet ad eum effectum actionem naturalem: sed signum potiùs diuinæ actionis esse videtur nisi Deo libuerit actinem instrumenti ad actionem supernaturalem eleuare.

Superest vis ideæ & exemplaris considerandi. Idæa dici solet esse forma extra rem existens, ad cuius similitudinẽ agens per intellectum effectum quempiam per se producit. Ita quatuor idææ conditiones proponuntur. Prima, vt sit forma distincta ab ea re, cuius est idæa, nihil enim est sui ipsius idæa. Altera, vt ad eius similitudinem quidpiam fiat. Nam hic est modus causandi idæam, vt ita regula, cuius imitatione aliquid fiat. Tertia, vt id ad cuius similitudinem per se efficiatur. quòd si præter intentionem & ex accidente fiat, in eo vis idææ non cernitur. Postrema, vt agens, quod ex idæa operatur, sit agens per intellectum: & ideò vt idæa causet, concipi debet ab agente & habere esse obiectiuum in mente. Agens naturale etsi producat sibi simile, eius tamen forma idæa non dicitur. Quia etsi ea spectari possit, vel vt operandi vim habet, quo modo vocatur efficiens, vel vt est productæ formæ similis, & ita idææ rationem habere videatur: quoniam tamen eiusmodi agens impellitur ad agendum à forma, non vt ei similis, sed vt actiua (etsi enim similis non esset, nihilominùs ageret, vt videre est in homonymis, in quibus agens naturale idæam nullam inspicit: quippe nec eam cognoscit nec simile sibi producit: ac proinde non ab idæa, sed impulsione naturæ trahitur) nulla in eo propria idææ ratio reperitur. Quam ob causam non ineptè admonet nos Philoponus in commentario ad text. 17. lib. 2. Physicorum, Aristotelem tanquam naturalem philosophum exemplarẽ causam omisisse, quòd natura, dum quidpiam operatur, exemplaria non intuetur, sed absque cognitione rationes tenet earum quæ fiunt. Sic enim non arte aut intellectu, hoc est exẽplaria intuendo: sed solo naturę ductu hirundo dicitur in text. 80. facere nidum, aranea telam, planta folia & fructus, naturaliáque cætera suos effectus.

Si igitur in solis agentibus per intellectum reperiatur idæa, non solùm debet esse aliquid absolutum extra rem existens, in quo effectus imitando & similitudo consistat: verùm duplicem quoque relationem significat. Alteram ad id, cuius est idæa, quemadmodum omne simile refertur ad suum simile. Alteram ad agens per intellectum. Non enim idæa per se existens causat, sed ratio est, per quam agens causat aliud. Vt perspicuum est in idęa, qua vtitur pictor, siue sit idæa externa, imago quæpiam, quam intueatur, siue interna, quam mente conceperit. Namque in omnibus negandа idæa est, in artibus saltem manifesta, in quibus ex efficiendi operis conceptione artifex operatur: non per formam, qua est homo, sed per eam, quam habet. Agénsque omne, quod ex electione agit, per aliud præcognitum agit: quia voluntas non eligit nisi aliquid mente conceptum.

Itaque in triplici agentium genere reperitur idęa, vt triplex est agens per intellectum, homo, Angelus, Deus. In quibus ea, quę naturę impulsu fiunt, quia sine libertate fiunt, non per idæam fiunt, vt dum homo procreat hominem. Nec enim procreare potest qualem vellet, & in diuinis quando pater generat filium. Nam etsi in sacris litteris imago, figura, & caracter patris appelletur: eam tamen rationem exposuerunt viri doctissimi, quòd repræsentet patrem.

At ratio

At ratio exemplaris & exemplati requirit etiam, vt vnum sit alterius imitatione factum. Et ideò exemplar relationem significat causæ ad externum effectum, debétque esse exemplato prius: ac demum actio, quæ ab eo proficiscitur, est actio practica, qua vnum alterius imitatione fiat. quæ omnia de æterna illa & ineffabili generatione affirmari non possunt. In iis ergò dumtaxat, quæ liberè fiunt, versabitur in homine in artificiis præsertim, in Angelo in motu cœlorum & similibus actionibus, in Deo in iis omnibus, quę extra se operatur.

Efficiens perfecta quid.

Etenim perfecta efficientis ratio in eo cernitur, vt principium sufficiens sit producendi effectum. Et quoniam vnumquodque agit vt est actu, estque actu per formam, & forma est principium & ratio agendi, propterea vnumquodque agens per suum actum & formam agit, atque per eam sibi simile producit. Et vt ab actu, & forma producendi vim habet: sic etiam habet, vt determinatum quidpiam producat. Quemadmodum enim forma, quia est actus primus principium est operationis tanquam actus secundi: ita quia est actus determinatæ speciei, principium existit determinatæ operationis, quæ formæ illi conueniat. Neque solùm ad efficientis rationem pertinet, vt vim habeat producendi; sed etiam vt talem rem producere possit; siquidem operatur vt est actu per talem formam. Immò idem re sunt, esse productiuum vniuersè, & esse productiuum huius. Nam & forma, à qua efficiens habet vtrumque, eadem est, & vt est forma, & vt est talis: & cùm productio ad rem existentem terminetur, existentiáque non sit vniuersæ naturæ, sed singularum rerum; efficiens esse productiuum, nil aliud est, quàm esse productiuum huius aut illius: tametsi mente velut duo separentur. Inde est, quòd ad efficientis rationē pertineat, vt sit productiuum aliquo modo sibi similis: propriè quidem efficiens synonymum, omonymum autem quoquo modo. quia cùm sit productiuum huius aut illius per suum actum, producet illud vt est aliquo modo simile suo actui, per quem producit. Et ideò effectus dicitur esse talis, quia producitur à tali efficiente per talem actum: & vnitas effectus in efficientem causam reducitur, dicitúrque esse talis qualis esse debet; quia est similis actui & formæ efficientis, per quam est factus.

Duplex efficientis genus.

Vniuersè autem duplex est efficientis genus. Vnum, quod solo naturæ impulsu, absque cognitione operatur. Alterum, quod cognoscit & liberè agit. Et vt illud est in actū determinatum per naturalem formam, quæ in eo est principium agendi & producendi talem effectum: ita hoc esse debet per aliquam formam cognitam menteque conceptam, qua & constituatur in actu, & tota eius actio ad hoc potiùs, quàm illud, producendum determinetur: præsertim cùm hoc agentis genus ad plurima efficienda sit indifferens. Idea est naturalis forma significata. Forma hæc appellatur idea. Quæ hoc quidem cum naturali forma conuenit, quòd vt agens naturale per formam est actu ad operandum, dicitur producere sibi simile, ad hunc vel illum effectum determinatur, & est propria illius causa: sic agens per intellectum hæc omnia habet ab idea. At naturale agens operatur formam suam non cognoscendo: sed ea solùm ratione, qua forma illa vis quædam est operandi, naturaliter in actionem prorumpens; vnam solam habet formam; qua vno modo est actu & ad vnam actionem vnúmq. effectum determinatum: & ideò naturaliter, necessariò, & eodem semper modo operatur. Agens autem ex cognitione per ideam agit quatenus eam cognoscit; pluréisque habet idæas, quibus alio atque alio modo ad alias atque alias operationes sit actu, & ad diuersos effectus determinetur. Et ideò operatur ex electione, vnam aliquam ex multis, quas habet, idæam accipiendo, & per eam determinatum, dum illam intuetur, propria fit huius potiùs quàm alterius effectus causa.

Idea ad efficientē ita spectat

Propterea ad illud ipsum causæ genus spectat idea, ad quod pertinet naturalis forma quatenus est agendi principium & efficientis determinatio. Quoniam enim vtraque est actus, per quem agens actu operatur & determinatum effectum sibique similem producit: ad idem genus causæ spectat vtraque. Quoniam siquæ sint intereas differentiæ, eæ non diuersum causæ genus, sed diuersum in eodem genere causandi modum ostendunt: vt alterum naturale agens dicatur, necessarium, determinatum ad vnum; alterum cognoscens, liberum, indeterminatum ad plura. Nimirum ergò ad efficientem causam reducitur. Tum quia ad illius rationem constituendam pertinet, velut aliquid eius, velut inquam actus, determinatio, & principium proximum seu ratio agendi. Tum quia naturalis forma, dum idem in agente naturali præstat, ad eam causam reuocatur, quæ alioqui vt dat esse, ad formalem pertinet. Ita Aristoteles in text. 30. libri 7. Metaphysicæ omnia dixit quodammodo fieri à synonymo, etiam in arte. Quia domus sit per formam domus, quę est in mente. Idæam enim illam ad efficientem causam reuocauit, quæ est artifex.

Causa finalis.

Cæterùm omne, quod agit, finem aliquem & vltimum actionis spectat. Deus, quòd summum sit & infinitum bonum sequeipso contentum, sibi ipsi finis est atque in eo idem sunt, id quod operatur, id propter quod operatur, & operatio ipsa. Quarę cùm omnium rerum sit efficiens causa, neque aliud quàm seipsum agendo spectet, est item vltimus omnium finis. Agentia cætera, quę non omnem habent rationem boni, sed perfecto constant & imperfecto, nempe bonitate, quam habent; & alterius, quam non habent, carentia; perfici possunt ab alio, quod eam habeat bonitatem, qua carent. Ita & finem habent à se distinctum; nec vltimus finis esse possunt: triáque illa, quæ in Deo sunt idem, separantur in illis.

Finis duplex.

Duplex tamen adhuc in iis distinguitur finis. Alter, qui de nouo producitur; vt forma, quæ gignitur. Alter, qui præexistit motui, & per eum acquiritur. Atque vt ille prior dicitur potius operationis & motus finis, ita hic posterior proprie agentis finis appellatur. Quamquam in eo ipso fine, qui motui præexistit, aliquid semper est, quod producatur. Nam dum ignis procreat ignem, tum ignis forma tamquā generationis finis producitur, tum per eam finis aliter præcipuus agenti acquiritur: proximus quidem ipsius perfectio, quatenus agendo perficit etiam aliud: remotus autem speciei

conseruatio, vniuersique perfectio; primæ causæ assimulatio. In quibus omnibus & aliquid est, quod acquiritur, & aliquid, quod generationi præexistit. Præexistunt ignis generans, species, vniuersum, prima causa. Producitur agentis operatio, & aliquid, quo species conseruatur & perficitur vniuersum, ac demum primę causę assimilatio acquiritur. Ita finis quicumque aliquo modo produci debet, si non quoad essentiam, certè quoad acquisitionem.

Omnia agere propter finem.

Quæ porrò in natura agunt, aut solo naturæ impulsu agunt, vt inanimata omnia & plantę, aut cognoscendo. Siue materialiter solùm cognoscant & elicito appetitu appetant finem, quemadmodum bestiarum genus: siue etiam formaliter sub ratione finis, & tanquam conueniens aliquid & bonum, vt homo. Hominem, qui intelligentia dicitur, certum est agere propter finem. Nam & finem formaliter cognoscit: & nisi cognoscat non agit, positisque omnibus ad agendum necessariis potest non agere: quod argumento est, eum si agat ab aliquo fine moueri. Quin etiam tantæ operationum varietatis, quanta in eo cernitur, nulla est alia ratio, nisi quòd diuersos intueatur fines, ad quos aliis atque aliis actionibus contendit. De cæteris idem facilè concludes. Habẽt enim omnia certam metam, & terminum suarum actionum. Non eandem tamẽ, sed pro diuersitate naturæ diuersam operationem, qua certò & absque errore singula tendant in aliquem suæ perfectionis terminum, quo acquisito quiescant. Et ideò Natura principium est motus & quietis, nempe motus, qui ad terminum tendat & finem, in quo quiescat id quod mouetur. Tam verò ordinate in eum tendunt, quasi haberent sapientiam, & intelligerent finem. Vnde Auerrois illud in comment. 18. libri 12. Metaph. Opus naturæ opus intelligentiæ. Et imitatione eorum, quæ natura fiunt, perficiuntur complura in artibus, quas propter finem operari manifestum est. Imò ex omnibus rerum Naturalium operationibus tam admirabilis vniuersi ordo consurgit, ac si vniuersi constituendi rationem tenerent singulæ. Vsque adeò tendunt omnes non solùm ad propriam perfectionem, sed ad vniuersi quoque ordinem & bonum. Accedit, quòd vt præclarè aduersus antiquos Aristoteles disputauit, naturæ operationes aut semper fiunt aut plerumque, eodẽmq. modo & ordine vnius post aliud, quousq. tandem ad proprium aliquem & eundem semper terminum veniat. Quem ni consequatur, aberrasse dicitur & frustrà egisse, quasi propter illum operaretur. Denique in Deo perspicua est ratio finis: tum quia perfectionem significat: tum quia propter se ipsum omnia operatus est, séq. ipsum amando est beatus. Cùm igitur creatę res omnes bonitatis diuinæ participes sunt, habent & ipsę bonitatem quandam, quæ & appeti possit & rationem finis habere. Verissimè enim pronuntiatum est in text. 86. lib. 2. Phys. ineptum esse existimare propter finem eas non agere, quòd eum non cognoscant, aut deliberatione & consilio non vtantur. Operatio enim propter finem in eo cernitur, vt illius gratia fiat, isque tanquam determinatum quidpiam & certum ea tandem operatione quæratur. Quod in agentibus liberis præstant cognitio, consilium, & electio: in reliquis propensio & impulsus naturæ. In quibus non minus, quàm in liberis, vnum quodque fit quemadmodum est aptum fieri: eóque ordine illorum omnium, quæ fiunt, vt nisi impediatur aliunde, idem semper effectus consequatur: perinde quasi omnia propter illum fierent.

Ita demum in hoc quoque genere causarum illa explicabuntur, quæ in reliquis antea proposita sunt. Id, quod est causa, est illud reale, bonum, & perfectum, quod operatione & motu acquiritur. Est autem causa secundùm suum esse reale, quod est futurum. Nam ita & est quid bonum & expetendum, & vltimò terminat motum & operationem agentis, atque vt illud acquiratur, fiunt omnia quæcumque fiunt, quod si non acquiratur, frustrà egisse agens dicitur: & si acquiratur, non solùm præclarè actum censemus, sed omnis etiam actio cessat & appetitio conquiescit. Propterea non est causa secundùm esse reale actu, sed effectus potiùs: neque de ratione eius est, vt quando causat existat, sed vt in illo dumtaxat vltimo, quo terminat motum. quin potiùs quando causat debet non existere, siue simpliciter, si de nouo sit producendus; siue quoad acquisitionem, si motui præexistat. Quia tamen agens propter illum non ageret, nisi vel eum cognosceret, vel in eum saltem inclinaretur natura, verè quomodo dicitur ante motum esse, siue in cognitione, siue in propensione agentis. Quare vt propensio in agente naturali, ita esse cognitum in eo quod cognoscendo operatur, non sunt id, ratione cuius finis est causa: sed conditiones dumtaxat ex parte agentium, quibus positis causalitas eius consequitur. Et quamuis ipse actu non sit, verè tamen & realiter est causa, si agens propter illum operetur. Quoniam illius causalitas non significat, eum esse re aut operari quidpiam, sed solùm esse id, cuius gratia.

Quę causalitas tum comparatione agentis ternitur, tum mediorum omnium, quæ ad finem consequendum adhibentur. Comparatione agentis est id, cuius gratia agens operatur: comparatione mediorum id, cuius gratia ipsa sunt, assumuntur, & ordinantur ab agente. Nam quod plerique vim finis agnoscant in eo, vt moueat agens ad agendum, causando in eo desiderium sui: minùs est Philosophi doctrinæ & rationi consentaneum. Aristoteles enim vnicam illam vim exposuit, vt sit id, cuius gratia, & vt metam causalitatem eam ad efficientem causam magis pertinere: non solùm in Deo, qui omnia propter finem operatur, nullum à fine causatum desiderium: sed neque in naturalibus. Nam etsi ad finem habeant inclinationem, quæ desiderij locum habere possit: ea tamen non est à fine, sed à natura naturæve auctore ipsis insita, eodémque modo se habet in agentibus ex cognitione desiderium finis, quo in naturalibus inclinatione naturæ.

Mediis porrò verissimè dicitur finis necessitatem dare, aut contingentiam, speciem, perfectionem, bonitatem, & appetibilitatem. Quòd in agentibus ex cognitione maximè perspicias. In naturalib. enim quæ non accipiunt tanquam media, nisi ea, quæ suapte naturæ sunt ad illum finem, quem

quem quærunt, bonitas eorum & appetibilitas propria ægriùs ab ea distinguitur, quam à fine hauriunt. Faciliùs in liberis, quæ id quoque possunt ad finem referre, quod etsi vtile esse posset, non tamen sua natura, sed sola illorum actione refertur. Quamquam hæ omnes causalitates non sunt re ab ea diuersæ, qua finis est cuius gratia. Neque hæc, qua est cuius gratia respectu mediorum, diuersa est ab illa, quæ est comparatione agentis: sed eadem prorsus, quæ cum diuersis comparata diuersas rationes habet. Ea est esse id, cuius gratia operetur agens. Ita enim & est finis operantis agentis, & ipsius operationis & motus, & eorum omnium quæ ab agente assumuntur ad finem.

Sed dum omne agens ostendo agere propter finem, cuius adeptione quiescat actionémq. omnem intermittat, intermittenda mihi quoque est generalis hæc causarum consideratio: ad finem enim perducta est. Vt ea scilicet intelligerentur, quę de illis contracto ad animam sermone à Philosopho dicentur, sic enim habet.

TEXTVS.

Ὅτι μὲν οὖν ὡς οὐσία, δῆλον· τὸ γὰρ αἴτιον τοῦ εἶναι πᾶσιν ἡ οὐσία· τὸ δὲ ζῆν τοῖς ζῶσιν τὸ ἔνιοις ὄντα ἐστίν. αἰτία δὲ καὶ ἀρχὴ τούτων ἡ ψυχή· ἐν τῷ τὸ κινεῖσθαι ὅπως λόγος ἡ ὀντελέχεια.

Quòd igitur substantia, manifestum. Causam enim ipsius esse omnibus substantia.

Viuere autem viuentibus est esse: causa autem & principium horum anima. Amplius autem eius, quòd potestate est ratio, actus.

COMMENTARIVS XLIII.

PRimùm igitur ostendit eam esse corporum animatorum substantiã, hoc est formam. Formam enim substantiam appellat, definitam scilicet & rei cuiusque propriam. Propterea quod forma præsertim ex omnibus causis est causa ipsius esse & substantiæ cuiusque rei propriè ac proprietatum eius. Materia quippe omnibus communis est, & vt subiectum singularum specierum substantiam susci-piens: & efficiens, vt illam producens, & plurium causa vnum potest esse, vt efficiens vniuersale: & finis tanquam id cuius gratia. Propterea etiam forma terminus appellatur.

Duobus autem argumentis ostendit. Alterum est: Id, quod est causa esse & substantiæ cuiusque rei, est illius forma: sed anima est causa esse & substantiæ viuentium corporum, est igitur illorum forma. Minorem propositionem hac ratione concludit. Viuere viuentibus est esse (intelligit enim vitam in actu primo: nam vitæ in actu secundo anima est causa vt efficiens, non vt forma) sed ea viuunt per animam: hæc enim principium est, quo primò viuunt, vt in text. 24. definitum est: ea igitur est causa esse & substantia viuentium, & ideò est illorum forma. Eodem enim modo differunt vita & viuere, quo essentia est esse. Namque illud simplicem formam seu animam significat, hæc formam participatam, & animam cum corpore iunctam. Illud abstractum, hoc concretum.

Alterum argumentum est ex animę definitione superiùs posita desumptum. Actus corporis potestate vitam habentis est illius forma: sed anima est actus corporis potestate vitam habentis, igitur anima est illius forma. Quo loco illud obiter adnotabo, quod antea quoque ex animæ illa definitione demonstraui; Animam omnem, vel etiam intelligentem, esse formantem corporis formam: neq; ea definitione comprehendi nisi formantem formam. Tum quia omnem animam affirmat causam esse corporis in genere causæ formalis, velut illius essentiam. Tum quia ex ea definitione conclusionem hanc probat: assistens autem forma, quæ solam præbet operationem, causam quidem efficientem dixeris, at formalem non dixeris.

Anima intelligẽs forma formans.

TEXTVS.

Φανερὸν δὲ, ὡς ἡ οὐσία ἕνεκα, αἰτία ἡ ψυχή· ἔοικεν γὰρ ὁ νοῦς ἕνεκα τοῦ τινός, τὴν αὐτὴν ἔχοντι καὶ ἡ φύσις. καὶ τόδ' ἔστιν αὐτῇ τέλος. τοιοῦτον οἰ ἐν τοῖς ζῴοις ἡ ψυχὴ κατ' φύσιν. πάντα γὰρ τὰ φυσικὰ σώματα τῆς ψυχῆς ὄργανα, καθάπερ τὰ τῶν ζῴων, εὔτω καὶ τὰ τῶν φυτῶν. ὡς ἕνεκα τῆς ψυχῆς ὄντα. διτταχῶς δὲ τὸ οὗ ἕνεκα. τὸ τι οὗ, καὶ τῷ.

Manifestum autem, quod & cuius gratia causa anima. Vt enim mens alicuius gratia facit, eodem modo & natura: & hoc est ipsi finis. Huiusmodi autem in viuentib. anima secundum naturam. Omnia enim naturalia corpora animæ instrumenta, sicut quæ animalium, sic & quæ plantarum, tanquam gratia animæ existentia. Duobus autem modis id cuius gratia, & cuius, & cui.

COMMENTARIVS XLIV.

DEinde animam esse item animati corporis finem, hanc ratiocinatione concludit. Quemadmodum agẽs illud, quod per intellectum operatur, & omnino artifex, dum opus quodpiam ex præceptis artis efficit, propter finem aliquem operatur, ita dubitandum non est naturam, etsi finem non cognoscat nec deliberatione vtatur, propter finem tamẽ quempiam operari quidquid operatur, vt in 2. Phys. lib. demonstratum est. Itaque dum laborat in efformando corpore organico, tum animalium, tum plantarũ (nam harum quoque corpora esse organica probatum est in text. 6.) aliquem nimirum habet propositum sui laboris atque industriæ finem. At finis est anima: siquidem totum illud corpus velut animæ domicilium & ad plurimas operationes obeundas organum præparatur. Quare & pro diuersitate animarum & viuentium diuersa formantur corpora.

Natura propter finem operari.

Porrò illa verba (omnia enim naturalia corpora animæ instrumenta) sanctus Thomas & intellectu accepit, vt animata rebus

omnibus naturalibus vtantur, homo animalibus cæteris, plantis, rebusque inanimis, animalia bruta plantis & rebus inanimis, plantæ demũ rebus ipsis inanimis, quatenus ab eis nutrimentum accipiunt & commodum. Sed magis ad rem Philoponus & Simplicius naturalia corpora interpretati sunt plãtarum & animaliũ corpora: vt sit sensus; Animam propterea dici cuius gratia, quòd plantarum & animalium corpora animæ sint instrumenta: instrumenta autem ad vsum vtentis sunt. Ego autem existimo corpora hęc appellata fuisse naturalia: tum quia iam inanimæ definitione dictum fuerat, animam naturalis corporis esse actum: vt hoc loco naturalia ea corpora significata fuerint, quæ in ea definitione nominata. Tum quia cùm naturam ab agente per intellectum, hoc est ab artifice, distinxisset; naturæ quoque instrumenta voluit ab artium instrumentis distinguere: quòd illa sint corpora naturalia, hæc arte constent: nec tamen illa minus, quàm hæc, alicuius gratia fabricata sint.

Non esse autem intelligenda nisi plantarum & animalium corpora, ipsemet Philosophus statim ostendit, dum subiungit (sicut animalium, sic & plantarum) omnia enim naturalia corpora, non animalium modò, sed & plantarum, animæ instrumenta sunt: & ideò animæ gratia fabricata. Siquidem instrumenta illius gratia fiunt, quòd illis vti debet. De singularum partium vsu in corporib. animalium scripsere plurima tum Galenus tum alij Medici, maximè qui corporum dissectiones tractarunt, & à nobis non pauca in separata illarum consideratione dicuntur.

Finis cuius gratia & cui.

Iam verò quemadmodum antea duplex distinctus est finis: vnus cuius gratia, alter cui. Ita nunc repetita distinctione sciendum est, finem, cuius gratia fit corpus organicum, operationem esse, & finem cui, esse animan. Efficitur enim illud corpus in tam multa distincta organa propter operationes complures, quæ per illud fieri debent. Ad id, quod eo vti debet ad operandum, est anima. Aut cum Philopono, Simplicio, & Auerroë dici potest, animam esse finem cuius gratia, totúmq, viuens finem cui. Tum quia hoc verè est id, quod operatur & corpore vtitur. Tum quia animatum est perfectum, anima perfectio: at quod perficitur, est finis cui, perfectio autem, finis cuius gratia. Tertiam interpretationem maximè probat Philoponus, finem cuius gratia esse vniuersi mundi constitutionem, seu æternitatem, quam vniuersa natura summopere procurat, finem autem cui esse animam.

Ex his vero iam manifestum est animam non solum formantem, sed & vtentem actum esse, verèq. in corpore esse vt in naui nauta neque intellectus modò, sed & omnis anima, quia omnes vtuntur corpore, immò minùs intellectus quàm cæteræ, quoniam ille proprium nõ habet organum neque corporis organo vtitur.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν ᾗ ἔστιν ἀνθρώπου ἢ κατὰ τόπον κίνησις, ἢ ψυχῆ. οὐ πᾶσα δὲ ὑπάρχει ταῖς ζώσαις ἡ δυνάμεις αὐτῆ. ἔστι δὲ ᾗ διάνοιαις ᾗ αὔξησις κατὰ ψυχήν· ἡμῖν γὰρ αὔξησις διάνοιαις τις τῆ δοκεῖ αἰσθάνεσθαι δὲ οὐδέν. ὁ ψυχὴν ἔχει. ὁμοίως δὲ καὶ αὔξησις ᾗ φύσιν ἔχει· οὐδεὶς γὰρ φύεται, οὐδ' αὐξάνεται φυσικῶς μὴ τρεφόμενον. τρέφεται δὲ οὐδὲν μὴ καινωθὲν ζωῆς.

At verò & vnde principium qui secundum locum motus, anima. Non omnibus autem viuentibus inest hæc facultas. Est autem & alteratio & accretio per animam. Sensus enim alteratio quædam esse videtur. Nihil autem sentit, quod non habeat animam. Similiter autem & de accretione & decretione se habet. Nihil enim decrescit neque augetur naturaliter, quod non nutritur. nutritur autem nihil, quod vitæ particeps non sit.

COMMENTARIVS XLV.

TErtio loco animam probat esse quoq, velut efficientem causam: vnde rursum intelligitur, verè animam esse actum vtentẽ corpore, velut nauta naui. Consueuit autem efficientem causam appellare primum principium motus. Animam igitur efficientem causam esse, inductione ostendit. Primùm enim in corpore seu animali principium est motus de loco ad locum, vt in eis perspicuum est, quæ ita incedunt, aut etiam reptant, aut serpunt, aut natant, vt ex vno loco in alium migrent. Nam hoc aliunde, quàm ab anima, esse nõ potest. Siquidem hic motus in omnem partem, & per determinata corporis organa in eum finem comparata, ac demum cum tanta libertate, vt ipsis integram sit sistere seipsa in medio motu & cessare quando libuerit: omnino non nisi ab anima esse potest, non à forma merè naturali, quæ etiã in eo, in quo est, alicuius motus principium sit; ad vnicum tamen constitutum terminum perpetuò mouet absq. vllo organo: neq; quiescit vnquam, nisi ad optatum locum peruenerit.

Verùm Simplicius non solùm efficientẽ causam motus de loco in locum, sed corporis quoq; formationis: Neque quòd animalia moueat, verùm etiam quòd generet, probari voluit, etsi argumentũm ex locali motu accipiatur. Si enim intrinsecus sola mouet appetitione, necesse est sit & procreatrix: & in 8. Phys. lib. ostensum est, generans esse naturalis motus causam. Eamigitur esse efficientem & productricem causam, demonstrat ex eo, quòd secundùm naturam moueat.

Ita sanè est. Nam virtus animæ, quæ est in semine, fabricatur sibi corpus, quòd & formare & mouere debet. Non diuertit, inquit Themistius in primo lib. cap. 22. Sed fabricatur architecturque conueniens sibi & accommodatum organum. Deformat ipsa sibi & præparat domicilium, non deformatum ante & præparatum demum subit. Non enim quemadmodum cithara dedolatur priùs & conditur, tum demum adhibetur ad musicam: ita & corpus ornatur ante instruitur, mox animæ sumendum offertur. Quo modo autem ordine id fiat, non est huius loci exponere: posse de tota genitrice facultate fœtúsque formatione dicetur nunc animam satis sit efficientem causam esse, tum formationis sui corporis, tum motionis eius. An verò hic Philosophus vtrumq, præstare voluerit, magnopere dubito, quòd de motu solùm, non de procreatione illius verba loquantur. Et ratio, ex qua id Simplicius deducit, est mihi non parùm suspecta. Tum quòd elementa non dubitem à propria forma secundùm naturam moueri quæ tamen externam habent sui ortus efficientem causam. Tum quòd animalia ex

parentibus

putredine orta nihilò minùs, quàm ea, quæ ex semine propagantur, ab insita illis mouentur anima: nec tamen ab eâ, sed à cœlo gignuntur. Animam autem esse etiam efficientem sui corporis causam, ex eo potiùs deducerem, quòd nutritionis & accretionis, quę generationes quædam sunt eiusdem corporis partiales, principium existit. Cæterum siue motum accipias solum, siue etiam animati corporis formationem, neutrum in viuentibus omnibus reperitur. Nam & multa ex putredine nascuntur, & alia carent facultate motrice, vt Zoophita.

Propterea aliam motus speciem subiungit, alterationem. Anima, inquit, est item alterationis principium, quoniam sentire est quoddam alterari. Nihil autem sentit, quod nõ habeat ánimam. Sentire porrò dixit esse alterari quoddam, non alteratione illa corrumpente, quę in naturalibus plerisque cernitur inter contrarias qualitates, calorem & frigus, humorem & siccitatem, quarum vna alteram destruit: sed quemadmodum interpretabitur in text. 57. perficiente potiùs, qua sensus obiecti sui cognitione maximè perficitur, tactus tactilium qualitatum, gustatus saporum, odoratus odorum, auditus sonorum, aspectus colorum, nec quidquam in eo corrumpitur. Non inquam alteram ab obiecto, quod in eius organo suscipiatur, aut reipsa, quod plerumque fit, aut per speciem sui, vt pleriq. opinantur: sed obiecti cognitione, hoc est ab actu ipso & operatione cognitionis productæ ab anima circa obiectum. quę cognitio, dum in facultate cognoscente suscipitur, quædam nimirum est alteratio, dum ex non cognoscente facit cognoscentem. Atq; hoc modo verè probauit Philosophus animam efficientem alterationis & sensionis causam esse. Nam si hoc sit verum, oportet sensionem formaliter alterationem esse, eámque operationem esse & effectum animæ tanquam efficientis causæ. Alioqui si sensio dicatur esse alteratio quatenus organum: suscipit obiectum aut speciem illius, nequaquam probasset Philosophus animam efficientem esse alterationis causam. Quoniam obiecti specieíve susceptio effectus animæ non est, sed obiecti, quod aut reipsa, aut per speciem multiplicat sese vsque ad organum atque in illud agit.

Propterea alterationem quandam dicit. Quoniam propria alteratio mutatio corporum est secundùm qualitates: quæ cùm in organo reperiatur, si de hac loqueretur, non alterationem quandam, sed absolutè alterationem diceret. Quæ verò in facultate est, alteratio quædam appellatur, nempe promotio & transitus ad actum, ad quem erat potestate.

Iam verò quoniam ne hoc quidem motus in viuentibus omnibus reperitur, non enim sentiunt omnia, sed animalia duntaxat, estque in plantis vita sine sensu: quamquam satis esset, si & motus de loco ad locum, & sensionis in aliquibus principium foret, vt ostenderetur eam esse vt efficientem causam: nihilominùs vt viuiers è demonstraret, in omnibus viuentibus, vel etiam in plantis, animam esse causam efficientem, tertiam adiungit motus speciem, quæ omnibus planè communis est: accretionem inquam & decretionem. Nam viuentia omnia & animata augentur & minuuntur: at nihil augetur naturaliter neque minuitur, nisi nutriatur, neque nutritur quidquam, quod vitam non habeat: Omnis igitur accretio & decretio fiunt ab anima.

Inanimata quomodo nutriantur & augeatur.

Nam etsi lapides, metalla, & cætera corpora inanimata nutriri quoque & augeri videantur, dum grandiora fiunt, ea tamen non est nutritio, sed procreatio sibi similis ex apposita materia: non est accretio, sed additio extrinseca. Non enim nutriuntur neque augentur naturaliter, hoc est ab interno principio & in omnibus partibus, neque per instrumenta naturæ in eum vsum destinata, sed externa solùm additione materiæ, interioribus partibus nihil mutatis.

Decretio vt ab anima.

Quod autem dubitat Philoponus, quomodo anima dicatur decretionis causa, cùm decretio ad viuentis imperfectionem & interitum spectet, sicut accretio ad perfectionem, nihilque aut sibi aut suo subiecto interitus causa sit. Ita quidem ab eo explicatur. Animam decretionis dici causam, vt priuatio & non ens ortus principium appellatur. Quemadmodum enim hæc principium dicitur, non quòd efficiat aliquid, sed quòd ex eo, quod non est, fiat res vna quæque priuatióque accedenti formæ locum relinquat: sic illa decretionis causa nominetur, non quòd eam efficiat, sed quòd illius causis propter imbecillitatem cedat.

Sed mea quidem sententia parùm accommodatè. Tum quia priuationem videtur facere ortus principium ex accidente decretionis causam: cùm tamen & res per se fiat ex priuatione tanquam ex termino à quo: & parùm ad rem attulisset Philosophus effectum ex accidente, vt animam efficientem causam ostenderet. Tum quia si animam esse causam efficientem probauit Aristoteles, quòd decretionem in viuentibus efficiat: negare non debuisset Philoponus eam efficere decretionem. Hoc enim est illud ipsum negare, quod & Aristoteles affirmauit & suæ probationis medium esse voluit. Dicere potiùs potuisset, In decretione duo considerari, vt & in accretione. Alterum est viuentis restauratio ex maiore aut minore alimento, quàm fuisset consumptum. Alterum maioritas aut minoritas, quæ in viuentis corpore inde consequitur. Etenim in accretione vtrumq; per se à natura intenditur: in decretione alterum duntaxat: restauratio inquam: quia cùm non possit ampliùs natura debilitato calore cum tanto fœnore restaurare, conatur saltem quantam potest viuenti reponere. Ex quo si minoritas consequatur, ex accidente & præter naturæ intentionem est.

TEXTVS.

Ἐμπεδοκλῆς μὲν οὖν καλῶς εἴρηκε τοῦτο, προσχωρίσθεις αὖ ἑκάστοις συμβαίνειν τοῖς φυτοῖς, καίτοι δῆλόν γε ἐν ὀλίγοις, ὅτι τὸ πλεῖστον οὕτω φέρεσθαι καὶ φύσει. ἀέρα δὲ ὅτι τὸ πῦρ ὡς αὕτως. οὕτω γὰρ τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω καλῶς λαμβάνει. οὐ γὰρ ζῴου τοῦτο τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω, καὶ πᾶν ὅπερ· ἀλλ' ὡς ἡ κεφαλὴ πρὸς ζῷον, οὕτως αἱ ῥίζαι πρὸς φυτόν, εἰ χρὴ τὰ ὄργανα ὅπερ λέγει, καὶ ζῴου τοῖς ἔργοις.

Tex.38. *Empedocles autem non benè dixit hoc, accretionem addens accidere plantis, deorsum quidem, cùm radices mittant propterea quòd terra sic mouetur secundum naturam, sursum autem, propterea quòd ignis eodem modo. Neque enim sursum & deorsum benè accipit. Quoniam non idem sursum & deorsum omnibus & ipsi vniuerso. Sed vt caput animalium, sic radices plantarum, si oportet instrumenta dicere diuersa & eadem operibus.*

COMMENTARIVS XLVI.

QVod dictum est, animalium incessum atque adeò sentionem fieri ab anima, ita erat manifestum, vt negaretur à nullo. In accretione non ita veteres omnes consentiebant: sed aliqui aliasillius causas proponebant. In quartum consideratione nonnihil Philosophus immoratur. Ac primũ Empedocles materiæ necessitatem prætendebat, terram & ignem: plantasque deorsum crescere ea parte qua radices mittunt, quòd partes terreæ suo pondere descendant: sursum autem extendi ramos, propter igneas partes altiora loca sua leuitate petentes.

Sursũ & deorsum quid.

Opinionem hanc duobus modis confutat. Primùm quoniam non eodem modo in singulis rebus consideranda sunt sursum & deorsum, quo in vniuerso toto se habet. In toto enim vniuerso sursum est locus corporum leuium, deorsum locus grauium. Et deorsum quidem id dicitur, quod est medium mundi; sursum autem, quod est circa medium maximéque à medio distat. At in plantis non sunt hęc per comparationem ad totum vniuersum constituenda: vt rami dicantur sursum, quòd prius ad eum locum accedant, qui in vniuerso est sursum: radices deorsum, quòd mundi medio locóque deorsum propinquiores sint. Sed quoniam plantæ viuunt quemadmodum animalia; sunt hęc in illis distinguenda potiùs comparationem ad animalia, quæ & nobis notiora, & in viuentium genere perfectissima sunt; ad quæ analogiam quamdam habent plantæ. Quare vt in animalibus pars ea sursum dicitur, qua sumunt alimentum: ea est caput, tametsi eorum pleraque prona spectent terram. Ita & in plantis radices, quibus alimentum trahunt, existimandæ sunt esse sursum: eæque proportione respondent animalium capiti. Quia vt hæc eos habent in capite, eáque parte nutriuntur: ita radices os plantarum sunt, quo ex terra sugunt alimentum. Æquum est enim instrumenta ex operibus & vsu iudicare: siquidem propter vsum & opera fabricata sunt. Et ideò cùm plantarum & animalium corpora sint organica & velut animæ instrumenta; eorum partes ex vsu, quem habent, examinandæ sunt. Quæque eundem habent vsum, eodem modo iudicandæ: diuerso autem, quæ diuersum. Itaque cùm radices in plantis eundem habent vsum, quem os & caput in animalibus; eas dubitandum non est sursum esse, quemadmodum os & caput. Deorsum autem pars est opposita, ad quam alimentum transit; in animalibus pedes, in plantis rami.

Duæ partes viuentibus omnibus necessariæ.

In secundo libro de partibus animalium capite 10. duas viuentibus omnibus partes necessarias esse prodidit Philosophus: quarum altera sumatur alimentum, altera secernatur excrementum. Sæpes tamen excrementi locum non habent, quod ex terra coctum cibum hauriant. Sed excrementi vice semina & fructus effundunt. Perinde enim fuerit, siue vtile, siue inutile excrementum dixeris. Quamquam si ex animalibus, quæ plantis meliora sunt, ad plantas deriuentur hæ voces, sursum & deorsum: poterunt & ex homine omnium præstantissimo & optimo ad animalia cætera atque ad plantas deriuari. In homine autem, qui erectam habet figuram, sursum & deorsum hęsce eisdem vniuersi partibus respondent optimè.

Cæterùm sex omnino situs differentiæ commemorantur in tertio Phys. libro textu 54. & libro quarto textu quarto & quinto, & pluribus aliis in locis, sursum & deorsum, ante & retro, dextrum & sinistrum. Quarum duplex ratio extat in tertio libri secundi de Cœlo. Altera, quæ est etiam in 4. Phys. tex. 8. 50. quia triplex est dimensio: atque longitudine considerantur sursum & deorsum, latitudine dextrum & sinistrum, in profunditate ante & retro. Altera ex triplici animalium motu virtutéue (hæc enim in animalibus præsertim considerantur.) Primus motus est accretionis, in quo sursum & deorsum ceruntur. Ea nanque pars, in qua est virtus, quæ huius motus principium exit, sursum vocatur: ea est caput. Nam ore primùm sumitur & teritur cibus, quo aluntur. Huic proportionem respondent plantarum radices, quæ tum ex terra trahitur, tùm præparatur alimentum. Pars porrò huic opposita dicitur deorsum. In hoc motu maximè longitudo spectatur; quia tandiu augeri viuentia creduntur, quamdiu maior eadē eorum longitudo. Deinceps etsi corpulentiora & obæsiora euadant, augeri tamen non dicatur.

Alter est incessus. Hinc dextrum & sinistrum. Nam pars ea, in qua maximè vis motrix viget, & vndè agreditur motum, appellatur dextra, perque opposita, sinistra. Quare & pars dextra calidior & robustior, est in eam copiosior caloris influxus & spiritus. Incedentéque dextrum pedem primùm mouemus, & dextram manum admouemus operi. Si secus accidat, id in perpaucis est & ex accidente.

Tertius motus est sensio, ex quo ante & retro emuntur. Pars, in qua est huius motus principium, anterior est. Ea est facies, in qua sensum omnium organa vigēt. Huic opposita est posterior. Itaq; hæ propriè in solis animalibus nominantur, in quibus hi omnes vigent motus. In plantis, quæ solum habent accretionem, sursum duntaxat & deorsum. In rebus inanimis nullum prorsus: quod vt est extra nono eiusdem secundi libri de cælo, aut omnino non mouentur, aut ad vnicum constituuntur terminum. In cælesti demum corpore non ita: comparatione nostri partem dextram & sinistram, orientem & occidentem dicimus: quòd ab illa incipiat & in hac desinat localis motus. Quare cùm hic solus motus insit in eo corpore, non item accretio & sensio; solum dextrum & sinistrum, non cætera in illo nominamus.

Hæc omnia ad huius loci interpretationem pertinebant, vt intelligeretur, cur hoc loco sursum duntaxat & deorsum, non alias situs differentias Philosophus nominet; cùm tamen omnem in

in partem accretio fiat. Ratio est duplex, quòd in plantis, de quibus sermo, hæ duæ solæ differentiæ considerentur. Altera, quòd ex accretionis motu, de quo agebatur, sursum dumtaxat & deorsum deducantur, aliæ ex aliis animalium propriis motibus.

Quo loco etiam Auerroïs lapsum obseruabis. Qui sursum in animalibus dixit esse caput, quoniam inde principium sensus. Nam & Aristoteli, & sibi ipsi aduersatur. Quippe alibi cum Aristotele cor docuit esse principium sensus. Et oblitus est ex sensu peti ante & retro: sursum autem & deorsum non ex sensu, sed ex nutritione & accretione pendere.

Hæc quasi per digressionem dicta sint. Iam ad Philosophi interpretationem reuertamur. Atque quod ad hanc primam aduersus Empedoclem argumentationem attinet, ea non demonstrationis necessariæ, sed probabilis rationis vim habere videtur. Propterea subiiciet alteram. Potuisset enim Empedocles respondere, se non adferre accretionis causam, quòd ignis & terra ad sursum & deorsum ferantur, quæ in viuentibus: sed quæ in vniuerso considerantur: & ideò deorsum radices mitti & ramos sursum; quòd ad mundi medium terra & à medio ignis moueantur. Hoc tamen meritò reprehendit Philosophus, quòd non benè sursum & deorsum in viuentibus nominet; in quibus maximè nominare oportebat, cùm accretio sit motus ipsorum proprius. Partéque eorum, cùm sint organicæ ab vsu & officio, non comparatione partium vniuersi nominandæ sunt: neque radices dicendæ deorsum mitti & rami sursum, quòd illæ ad deorsum vniuersi, hi ad sursum tendant. Sed contrà potiùs, quòd radicibus alimentum sumatur, & ad ramos transeat.

DIGRESSIO XX.

De motu grauium & leuium.

Offert sese occasio hoc loco tres difficultates explicandi. Primam, cur grauia & leuia sursum & deorsum moueantur. (Nugatur enim Alcinous nam in lib. de doctrin. Platonis cap. 2. nihil ait esse sursum aut deorsum.) Alteram, vndenam eorum grauitas & leuitas oriantur. Postremam, à quonam principio elementa sursum & deorsum moueantur. Cùm autem elementa in hac quæstione nominantur, grauia omnia & leuia intelligenda sunt: si quidem mista quoque ab elemento dominante mouentur.

Cur leuia & grauia sursum & deorsum moueantur, hæc est causa. Elementa integra & tota, velut huius vniuersitatis partes, primùm & per se ad medium & à medio properant, vt illa nimirum occupent spatia, quæ intra cæli ambitum inania remansissent. Propterea motrices qualitates acceperunt. Tametsi leuia moueantur simul ad locum, ignis ad superficiem lunæ, aër ad superficiem ignis: grauia velut consequenter, dum ex naturali horum corporum dispositione fit, vt dum medium mundi occupant, superficie aëris vndequaque contineantur. At elementorum partes mistaque corpora, quę ab elemento dominante impelluntur, primùm & per se ad suum totum, consequenter ad totius locum mouentur.

Aristoteles paulò aliter hanc quæstionem tractans in quarto libro Physic. text. 48. & 49. & quarto de cœlo à text. 21. ad 26. & posteriore de ortu & interitu text. 50. duas rationes exposuit. Alteram, quia vnum quodque mouetur ad simile, à quo propter qualitatis similitudinem conseruetur. Alteram, quia mouentur ad locum vt pars ad totum & materia ad formam. Nam quod continet, est vt totum & forma, quod autem continetur, vt pars diuisa & materia. Sanè & pars naturaliter mouetur ad totum, & formam quærit materia.

Itaque in hoc sublunari mundo disponendo naturam dixeris cœlestium corporum dispositionem imitatam fuisse. Vt enim in cœlestibus plures sunt orbes, quorum vnus alteto continetur: ita per has qualitates motrices disposuit elementares orbes, vt ignis ad suprèmum locum leuitate impulsus reliqua omnia complecteretur: aër minore prędictus leuitate sub igne aquam & aqua sub aëre terram continerent, terra verò grauissima in medio esset immobilis, velut centrum circa quod superiores orbes verterentur. Et cum quatuor essent loca, medius, extremus & tertius prope medium, quartusque prope extremum, inserunt natura grauitatem simpliciter, leuitatem simpliciter, & grauitatem ac leuitatem secundum quid, vt & omnia implerentur loca, & cùm elementa se se vicissim contingerent, totum vniuersum omni ex parte esset plenum. Et ita plenum, vt optimè etiam animalibus consultum, dum omnium solidissima terra commodissimusque habitationis locus medium tenuit: ignis, ne vehementi nimis actione obesset, in remotissimum se cessit locum cœlestibus corporibus proximum, quę aut maxima densitate resisterent maximè, aut propter naturæ diuersitatem nihil omnino paterentur. Propè terram aqua propter pisces, aërque, propter aues & animalia cætera, quæ respirando viuunt. Terra etiam densissima in medio est velut totius mundi fundamentum, aptissima ad cęlestes omnes virtutes suscipiendas, lumenque mistorum generatione necessarium replectendum. Ignis rarissimus suprema petijt, vt maximum occupaturus locum dispergeretur maximè & rare fieret, rarusque cùm esset, cœlorum aspectum virtutisque descensum non impediret. Aqua densior densissimę terræ & aër rarus igni rarissimo adiuncta sunt: vt & piscium natatus constaret, & cęterorum animalium respiratio ac motus, cuius vt est in textu vigesimo octauo libri tertij de cœlo, propter tenuitatem ac mobilitatem aptissimum medium est aër.

Elementum dispositio.

Leue igitur est, quod à medio & sursum fertur: graue, quod ad medium est deorsum, leue, quod cæteris supereminet: graue, quod substat: aut simpliciter aut secundum quid. Potiores namque definitiones hæ sunt, quam eæ quas excogitauit Alcinous, Graue est, quod difficilè in locum extra naturam trahitur, Leue quod

Leuis & grauis definitiones.

facilè. Aut graue, quòd ex plurimis; Leue, quod ex pauciſſimis partibus conſtat. Ita & motus & quies horum corporum explicantur: motus ad locum & quies in loco per motum occupato, vnde vniuerſi conſtitutio conſtat. Auerroës in comment. 26. & 31. libri quarti de cœlo, & Albertus, tractatu ſecundo, cap. quarto, eiuſdem libri, potiores eas definitiones eſſe iudicarunt, quę quietem continent; quod naturalem horum corporum ſtatum exponant, qui eſt in proprio locò, tanquam finis illius motus, qui eſt ad locum. Verùm ex textu 23. libri octaui Phyſic. ſecus colligimus. Tum quia natura motus quidem & quietis, præcipuè tamen motus principium eſt. Tum quia motus magis Phyſicus eſt, quàm quies: naturaliſque Philoſophus res potiſſimùm in ordine ad ſuas operationes & maximè ad motum conſiderat. Itaque ſi leue ſupereminet, & graue ſubſtat; id motum ad ea loca conſequitur. Leuitáſque & grauitas qualitates ſunt, illa corporis rari, hæc denſi, quę illorum motuum principia ceu inſtrumenta & ſecundaria exiſtunt. Sunt autem qualitates tactiles: quippe leuia & grauia corpora tangendo cognoſcimus & diiudicamus. At ſecundæ, quoniam oriuntur ex primis & ad eas reuocantur in text. 8. poſterioris libri de ortu & interitu.

Vnde leuitas & grauitas oriantur.

Dicuntur autem oriri ex primis: non ex mutua illarum actione, quoniam ſimplices & ſimplicium corporum propriæ non eſſent: ſed quòd eas conſequantur. Non leuitas ex ſummo calore ſummóque frigore grauitas. Aquæ enim cuius proprium ſummum frigus, grauiſſima omnium eſſet. Neque ex duplicis qualitatis complexu: quia ſi contrariorum effectuum contrariæ ſunt cauſæ, contrarij complexus contrarias adducerent qualitates. Et ſi caloris & ſiccitatis complexus in igne ſummam adducit leuitatem, complexus frigoris & humoris in aqua grauitatem ſummam produceret. Neque tertiò ex raritate & denſitate. Tum quia in cœlo raritas eſt, & denſitas abſque leuitate & grauitate. Tum quia ſi ſolam accipias materiam cum quantitate, raritatem habebis aut denſitatem; nec tamen leuitas illico conſequetur aut grauitas.

Ad ſint ergò oportet principes qualitates: Atque hoc intellectu leuitas & grauitas eas comitari dicuntur in ſecundo libro de partibus animalium capite primo. Adſint & raritas & denſitas. Quam ob cauſam in quarto Phyſicorum libro, text. 84. & 85. & in tertio de cœlo, textu 10. quod eſt denſum, eſt graue, & quod rarum, leue. Quòd ſi Auerroës cryſtallum objiciat perſpicuam & ideò raram, grauem tamen, & nubem denſam & leuem. Cryſtallum doceas denſam eſſe: tum quia ſub parua extenſione multum habet materiæ; frigore namque concreuit. Tum quia in caput Auerrois proiecta frangeret illud. Quædam autem perſpicua eſſe denſa, cæleſte corpus teſtabitur maxima parte perſpicuum & denſiſſimum. Eſt igitur cryſtallus denſa propter frigus, quo concreuit; & perſpicua propter aëris & aquæ permiſtionem: ſicut & glacies perſpicua & denſa. Nubes opaca eſt ſeu ſubnigra: & rara potiùs, quàm denſa. Nam in modicam aquam denſeta mutatur; neque aqua denſiſſimum eſt corpus. Vniuerſè autem cùm

Com. 10 lib. 3. de cœlo.

denſum dicamus, quod ſub parua extenſione multum materiæ continet; & rarum, quod materiæ parum ſub magna extenſione habet: multam neceſſe eſt denſi materiam adferre pondus, & modicam rari leuitatem. Et ideò in textu 55. libri octaui Phyſicorum, graue & leue ad denſum & rarum tanquam ſui principia reuocantur. Et in elementis, quæ rara, leuia; quæ denſa, grauia: quóque magis rara aut denſa, eò impenſiùs leuia aut grauia.

In miſtis idem obſerues. Niſi quod in textu octuageſimo quinto, libri quarti Phyſicorum in plumbo & ferro rem ſecus habere, videatur Philoſophus affirmaſſe. At is cùm in raro & denſo duo conſideraret, in raro leue & molle, in denſo graue & durum: ſapienter admonet, graue & durum non ita ſemper cohærere, vt quæ grauiora ſunt, ſint item duriora: nam plumbum grauius eſt, ſed mollius ferro. Neque negauit, quiduis grauius eſſe denſius, ſed eſſe durius. Plumbum enim ferro grauius eſt, ſed minùs durum. Quòd eius humidum minùs coctum nec ſatis reſſolutum grauitatem augeat, ſed corpus faciat mollius: ferri autem humidum meliùs digeſtum & reſſolutum, minùs graue, ſed durius.

Poſitis igitur primis qualitatibus fuerint rarę & denſitas leuitatis & grauitatis cauſæ: Quibus ſi elementorum adiunxeris ſubſtantiales formas, potiorem habebis cauſam. Leuitas enim & grauitas, actiua motus principia ſunt: conſentient igitur elementis ratione formæ. Et cùm principia ſint velut alterius inſtrumenta; formam, quæ præcipua eſt natura, comitari debent. Porrò cùm & ſubſtantiæ forma, & raritas ac denſitas, ex agentibus primis qualitatibus oriantur; ex illis item leuitas & grauitas deduceretur. Subſtantiæ forma eſt præcipua cauſa, qualitates cæteræ velut materię diſpoſitiones.

Et cùm primas qualitates audis, duarum quidem complexum intelligas, at præcipuè aëtram. quippe elementa calida leuia ſunt, frigida grauia: quaſi leuitatis auctor ſit calor, grauitatis frigus. Rara item leuia, & denſa grauia: raritáſque caloris eſt, denſitas frigoris, licet tamen magnopere ſocia qualitas; ſiccitas calorem ad leuitatem producendam, & frigus ad productionem denſitatis: humor impedit potiùs, leuitatémque ac grauitatem rempert. Nam nec ſummam patitur raritatem, quoquo modo coniungit, vnit, & cogit: nec denſitatem ſummam, quoniam diffluunt humidæ corporis partes. Siccitas ſummam, tum raritatem, tum denſitatem, permittit; quia expellit humorem.

Itaque cur tanta aut tanta leuitas, aut grauitas in ſingulis elementis inſit, cauſa eſt, tum ſubſtantiæ forma, tum raritas aut denſitas tanta vel tanta; tum demum primarum qualitatum complexus. Intenduntur verò & remittuntur, quemadmodum hæc earum principia; non contraria qualitatis permiſtione. Propterea quatuis remittantur, ſemper tamen ad locum contrario, vt qualitates alteratrices; quæ tantopere re-

pere interdum debilitantur, vt nihil aut vix quidquam agunt.

Ex his quatuor planè intelliguntur. Primum, motrices has qualitates verè elementorum proprietates appellari, cùm eorum formas consequantur. Alterum, vtrænam qualitates priores sint, alteratrices ne, an motrices. Generatione enim alteratrices antecedunt; cùm & ex illis motrices oriantur, & eæ in posteriori libro de ortu & interitu velut elementorum principia statuantur. Priùs namque producuntur ab agente velut materiæ dispositiones ad elementarem formam atque adeò ad qualitates motrices, quę formam comitantur. Illæ ad generationem spectant, hæ ad localem motum, qui vt perfectissimus, sic omnium postremus est.

At si elementa iam constituta considerentur, priores motrices videbantur, quòd hæ secundùm se spectatis elementis conueniant, illæ per ordinem ad mista. Sunt etiam perfectione priores; tum quòd ad elementi substantiam propiùs accedunt, cùm ex ea oriantur. Tum quod perfectionis actus principia existunt, quo elementa finem suum & perfectionem assequuntur, quæ est quies in loco naturali. Et motricibus vniuersum constituunt, partésque illius integrantes euadunt: alteratricibus materia fiunt mistorum. Tum demum quia illæ conueniunt elementis vt naturalia sunt corpora, hæ vt efficientis potiùs vim habent.

Testium, motrices mediorum elementorum, aëris & aquæ, qualitates non minùs simplices esse, quàm eæ sint, quibus extrema, ignis & terra, mouentur. Etenim simplices omnes consequuntur formas. Et si mediæ ex extremis essent compositæ, verè argumentaretur Auerroes in quarto libro de cœlo commentar. vigesimo sexto, ipsa quoque elementa media fore ex duobus extremis elementis composita. Haberent quoque principium motus compositum, motumque ipsum compositum, non simplicem; atque ab excedente qualitate, quemadmodum mista, mouerentur. Igitur quàm est certum, elementa omnia simplicia esse corpora, motúmque habere simplicem: tàm etiam certum esse debet, simplices omnibus motrices qualitates inesse. Neque medias appellari medias, quasi ex extremis compositas; sed potiùs comparatione illarum: aëremque & aquam leuitatem & grauitatem habere simplices, sed ambo comparatione ignis grauia dici, comparatione terræ leuia: quemadmodum rem eandem comparatione diuersorum & dextram & sinistram nominamus.

Quod autem Xenarchus obiicit apud Simplicium comment. vndecimo, in primum librum de cœlo, aquam ascendere ex terra, & aëreque descendere, & aërem item ex igne descendere, & ex aqua & terra ascendere: non magnam habet difficultatem. Mouentur enim semper, vndecumque moueantur, ad eumdem terminum medium. Quare neque contrarij motus existimantur, cùm ad eundem sint terminum, etsi non per idem spatium. Quamuis comparatione extremorum aut alicuius alterius corporis videantur & sursum & deorsum moueri. Ea namque leuium & grauium natura est, vt leuiora grauibus præesse velint. Dúmque aër infra ignem descendit, aut supra aquam & terram ascendit, comparatione horum corporum deorsum aut sursum moueri videtur: cùm tamen eundem semper medium locum petat. Eodemque modo aqua supra terram ascendens, ex aëreque descendens.

Quartum, motrices omnes qualitates elementorum omnium specie distingui. Tum quòd ex distinctis specie formis oriantur. Tum quòd diuersorum motuum ad diuersos terminos principia sint. Nam & aëris motus ad ignis locum est aëri violentus textu 39. libri quarti de cœlo, & ideò is ex loco ignis impellente natura recedit ad locum suum, ex concauo lunæ ad concauum ignis. Quare cùm terminus à quo & ad quem differant specie, textu octuagesimo sexto, libri primi de cœlo, necesse est, tum hæc loca, tum principia motus ad illa specie differre. Eodémque modo in aqua & terra: diuersásque earum omnium qualitatum definitiones Philosophus exposuit.

Quam ob causam Philoponum ignis & aëris leuitatem, aquæque item grauitatem & terræ, asserentem eiusdem esse speciei, neque aliter, quàm secundùm magis & minùs, differre: & ideò duos duntaxat simplices motus rectos esse, duóque distincta loca, medium & vltimum; iure optimo reprehendunt Simplicius notato loco, & Auerroes Commentario octauo, eiusdem libri. Si enim omni corpori simplici simplex quispiam inest natura motus; vt sunt quatuor simplicia corpora, ita quatuor simplices motus totidemque illorum terminos specie distinctos esse oportet. Hoc enim argumento cœlestem quintam essentiam ab elementis diuersam inuestigauit Philosophus. Quare cùm simplicem motum rectum in motum sursum & deorsum diuidimus; generalis diuisio est, quæ alia continet membra, sursum & deorsum simpliciter & secundùm quid. Quemadmodum & diuisio corporis in leue & graue; quorum vtrumque duo diuersa membra complectitur. Aut mathematicè accipientes, sursum & deorsum dicimus, vt elementaris mundi semidiametri terminos. At physicè considerando alias atque alias virtutes naturalium corporum conseruatrices, quatuor plane distingues.

A quónam autem actiuo principio moueantur hæc corpora atque ad propria impellantur loca, magna prorsus altercatio. Illi vero parùm omnino prudenter responderunt, qui aut à cœlo, aut à loco moueri dixerunt. Neque enim aliam cœlum habet actionem, quàm moti luminis. Quare per motum deberet elementis in orbem motum tribuere. Luminis autem actio localis motus non est, sed illuminatio & calefactio, quę si localem motum adferant, vt caloris proprium est rarefacere, & sursum trahere, frigoris autem densare, vnde motus deorsum consequatur: mitto quòd cœlum ex accidente esset horum motuum causa, velociùs die, quàm nocte, æstate, quàm hyeme, meridie, quàm alio tempore, mouerentur leuia: contrà grauia nocte potiùs, quàm die, hyeme ac frigido potiùs, quouis, quàm calido tempore.

Qui vero à loco moueri pronuntiarunt; tum quia in quarto libro Physicorum textu quarto, locus dicitur habere virtutem quandam & vim attrahendi: tum quia leuia & grauia quò propiùs ad locum accedunt, eò incitatiorem habent motum; quasi magis vim attrahentis loci sentiant: Intelligere debuissent, Peripateticos locum constituisse non efficientis causæ, sed finis ac termini vim habere. Quare Aristoteles in textu tertio, libri quinti Physicorum, cum ea exponeret, quę in quouis motu requiruntur, terminum ad quem ab efficiente distinxit. Et in quarto libro de cœlo à textu xxii. ad xxv. leuia & grauia moueri scripsit sursum & deorsum tanquam ad propriam perfectionem, & vt sanabile ad sanitatem. Sanè locus corpus procul dissitum immediatè nequit mouere; quia vt est in textu octauo, libri septimi Physicorum mouens immediatum tangere debet id, quod ab ipso mouetur. Sin autem mediatè moueat per aliquam attrahentem virtutem ab ipso profectam: præter quàm quòd dici non potest, quænam ea sit virtus, & quomodo egrediatur ex loco: oporteret eam per totum mundum diffundi, cùm ex omnibus partibus corpora moueantur. Alioqui si ad certum terminum diffunderetur, haud posset ex remotiore loco elementum moueri: terràque in concauo lunæ posita non descenderet. Est autem ridiculum affirmare virtutem eam per totum mundum diffundi. Et vt diffunderetur, adhuc illud esset incommodi, quòd corpus magnum & paruum, maioris & minoris ponderis, ex maiore minoréq. distantia, eadem semper moueri velocitate deberet; aut certè maior illius velocitas esset, quod ex principio moueretur: siquidem propinquior virtus efficacior esset. Cùm igitur loco ait Philosophus virtutem quandam inesse; tum dubitando ac disputando loquitur; tum intelligere oportet virtutem, qua naturalis locus locatum corpus conseruare potest; & ideo finis est & terminus motus.

Cur velocius moueantur, cùm accedant ad locum.

Quod autem adferunt, corpora hæc velociùs moueri quando accidunt ad locum; Simplicius in Commentar. 86. in textu 88. libri primi de Cœlo videtur in dubium vocare. Sed ab Aristotele, tum eo loco, tum in secundo de cœlo, textu 35. & quinto Physicorum, textu 76. admittitur: & ita esse fatetur idem Simplicius in comment. quadragesimo sexto in textu sexagesimo primo, libri quinti Physic. dupliciq. Stratonis argumento in libro de motu confirmat. quoniam alia non potest adferri ratio, cur cum aqua tota antea continuata descenderet, partes illius proximæ terræ separentur à cæteris: cúrque lapis ex altiore loco descendens maiorem in terra faciat plagam; nisi quia cum maiore velocitate descendit.

Cùm igitur de effectu constet, illius causa quærenda est. Non respondebo cum Hypparcho apud Simplicium, motum velociorem esse, quòd violenta virtus, quæ corpus extra naturalem locum proiecerat, minuatur; naturalisque virtus ad proprium impellens locum augeatur. Etenim non semper violentus motus naturalem antecedit: sed si elementum extra proprium locum generetur & ad illum moueatur, idem effectus fuerit.

Neque cum Alexandro, quoniam mobile magis à contrariis distat, à quibus eius actio impediebatur. Cui persimile est id, quod habent Albertus in quarto Physicorum & S. Thomas in primo de cœlo, & Themistius in octauo Physic. propinquitate naturalis loci confirmari magis ac roborari motricem corporis virtutem. Nam quod ad Alexandrum spectat, fieri potest, vt corpus non tàm diu inter contraria versetur, vt illius virtus debilitari queat; sed moueatur statim atque extra suum locum genitum est. De aliis verò auctoribus, etsi Simplicius Aristotelem iudicet eam habuisse sententiam, vt noua quæpiam vis motrix accedat: mihi tamen secus videtur. Tum quia nullam maiorem lapidis grauitatem sensimus post motum. Tum quia dici non potest, à quonam virtus ea producatur. Non enim a loco, vt ex dictis manifestum est. Neque ex solo motu, quia localis motus nullam per se adfert formam, vt est in textu 59. libri octaui Physic. Immò ex eo res calescit ex textu 42. libri secundi de cœlo, & cap. quarto, libri primi Meteorum. Et ideò deberet potiùs descendendo fieri leuior & aliquid grauitatis amittere. Neque à medio. Cùm enim aër sit leuis, qui potest addere grauitatem lapidi descendenti? aut cùm sit minùs leuis, quàm ignis, ascendentis illius leuitatem augere? grauitas verò terræ & leuitas ignis summæ sunt, neque augeri possunt. Neque propter agitationem maiorem, seu corporis, quod mouetur, exercitationem. Nam agitatio illa est localis motus, quo nihil acquiritur, & vt est in secundo libro de moribus ad Nicomachum cap. primo inanimata assuetudine atque exercitio nihil fere comparant.

Quòd si in mechanicis quæstione decima nona cur si super lignum ponatur securis, & magnum illi adhuc imponatur pondus, lignum non diuidatur; diuiditur autem, si attollens securim pertias: inter alia responderit, graue ipsum plus grauitatis assumere dum mouetur, quàm dum quiescit. Noluit tamen plus grauitatis addi, quam esset tota illius corporis grauitas, quod faceret securi quiescenti impositum. Quis enim hoc credat? sed maiorem addi impetum & secundum grauitatis actum. Propterea enim securim subiungit tum ex grauitate sibi insita moueri, tum ex ea, quæ percutientis est.

In textu autem 88. libri primi de cœlo videbitur quidem sententiæ illi fauere: si tamen illius verba perpendantur, orationem esse constabit ad antiquos, seu ad hominem, qui spatium ponaret infinitum, in quo moueretur elementum. Præsertim cùm ex antiquis permulti posse dicerent infinitum motum in vacuo fieri, totamque medij resistentiam remouerent. Quę si ita esset, non posset alia maioris velocitatis motus reddi causa, quàm intensior qualitatis mouens & ideo si infinitum esset spatium, in infinitum eam oporteret intendi.

Ego igitur effectus illius, de quo quæritur, causam existimo esse medium, per quod fit motus. Non solùm quòd sub finem motus parum medij superandum supersit: quoniam motus est propinquo & remotissimo loco æqualem sub finem haberent velocitatem. Verùm multò magis quoniam & inferiores medij partes, quæ dimi-

dendæ supersunt, minus resistunt: tum quòd pauciores sint: tum quòd cùm ex textu 28. libri tertij de cœlo, aër (idem de aqua intelligi potest) institutus à natura sit, vt omnes motus iuuaret; & ideo facilè omnem in partem impellatur; ex toto antecedente motu magnum iam accepit impetum & promptitudinem ad motum deorsum. Quare cùm celeriùs deorsum moueatur, lapis quoque maiori velocitate eum loquitur ad locum deorsum. Quod Auerroistis maximè probabitur, qui hæc corpora dicunt ad motum medij moueri, vt post dicam. Partes quoque superiores, quæ lapidem sequuntur, concitatiorem faciant motum; dum impetu naturali ad occupandum eum confluunt locum, qui vacuus superesset: & cùm fuissent lapidis motu separatæ ac dispersæ, magno conatu ad vnionem concurrunt. Et quò plures fuerint, eò maiorem impetum faciunt, magisque possunt corpus promouere. Accedit, quòd aër motu illo dissipatus & commotus faciliùs cedit minúsque resistit, quàm quando erat vnitus. Hinc est etiam, vt maior velocitas sit si ex longinquiori loco corpus moueatur. Tum quia magis impellitur aër deorsum, redditúrque ad eum motum promptior: tum quia plures partes confluunt à tergo, & impellunt: tum quia totus aër magis est commotus & dissipatus, ceditque faciliùs.

Longe grauia à propria sedes mouet.

Verùm ad inchoatam de principio naturalis horum corporum motus disputationem reuertamur. Eorum sententia probatur, qui à seipsis ea moueri dicunt: à substantiæ inquam formæ, quæ leuitate aut grauitate, vt instrumento vtatur. Sic enim Aristoteles prodidit, dum in textu primo, libri secundi Physicorum, inter entia naturalia, quæ in seipsis primum habent operationis principium, eóque ab artificiis distinguuntur, quatuor numerat elementa. Quo loco Themistius, Philoponus, Simplicius, eiusque testimonio Alexander, hoc inter elementa & plantas discrimen agnoscunt; quòd hæ locali careant motu, cæteros habeant; contra illa in seipsis solum habeant motum ad locum. Et in textu octuagesimo quarto naturalia esse definit (sunt autem elementa corpora naturalia) quæcumque ab aliquo in seipsis principio ad aliquem finem continuatè mouentur. Naturalia enim omnia ex textu quarto materia constant & forma, quę ex textu tertio primum est principium motus in eo, in quo est. Quam ob causam in textu octuagesimo sexto, libri quarti densum, quod in textu 84. & 85. dixerunt esse graue; & rarum, quod leue; localem motum docet efficere. & in primo libro de cœlo textu octuagesimo nono, neque ab alio moueri probat, neque vi (sunt autem hæc duo distincta membra; perinde ac si diceret, neque vi, neque omnino ab alio, seu nullo modo ab alio, multò minùs vi) per extrusionem, vt inquiebant quidam. Tum quia si omnino ab alio, tardiùs moueretur maior ignis sursum, maiorque terra deorsum: contra quàm prorsus eueniat. Tum quia si vi, non moueretur velociùs propè finem motus, sed tardiùs: & vnde amouerentur vi, eò natura instigante rediret. Quòd si neque vi, neque alio modo moueatur ab alio; reliquum est à seipsis moueri. Rursum in textu vigesimo sexto, libri tertij ex eo, quòd naturalem habent motum, probat habere leuitatem aut grauitatem tanquam propensionem ad sursum & deorsum, internique principij mouentis instrumentum. Et textu vigesimo octauo naturalem motum ab eo distinguit, qui ab extrinseco proficiscuntur; quòd naturalis possit quidem ab extrinseco iuuari, præcipuè tamen ab interno principio, quod est natura, proficiscantur. Apertissima verò sunt verba in textu vigesimo quarto, libri quarti, vbi hac ipsa quæstione proposita, cur ignis & omnino leuia sursum, & terra & grauia deorsum moueantur: aliam respondet non esse causam, nisi quòd hæc quidem in seipsis videntur habere principium mutationis (dico quippe graue & leue) illa autem non, sed extrinsecùs, vt satiabile & augmentabile &c. Quod sanè non de passiuo, sed de actiuo principio intelligendum est: quoniam passiuum in aliis quoque reperitur.

Elementa quidem certè materiam habent & formam, atque in aliis naturalibus rebus forma motum adfert: idem igitur de formis elementorum concludere licet. Si enim dant esse elemento, possunt & operationem tribuere: immò & debent; cùm omnis naturalis forma sit propter operationem atque ex operatione cognoscatur. quia vt materiæ proprium est pati, elementáque ratione materiæ patiuntur; ita formæ est agere, hæcque ipsa corpora debent ex forma aliquam operationem accipere. Ea est localis motus. Tum quia omnium communissimus, quique naturalibus omnibus insit. Tum quia motrices qualitates propterea tributæ sunt, vt instar instrumenti formam substantiæ ad eam operationem perficiendum iuuarent.

Scio de his qualitatibus disputari, cuius sint instrumenta mouendi; an elementaris formæ, an potiùs illius, quod elementum generauit. Sed immeritò puto Philosophos hac de re disceptare. Quoniam si eæ ceu proprietates consequuntur formam, nimirum id, quod elementum producit, ex accidente leue aut graue producit: quemadmodum qui procreat hominem, risibile procreat ex accidente: quòd non risibile, sed hominem per se intendat. Itaque non generantis, sed solius elementaris formæ dicendum est qualitates eas esse instrumenta.

Potest autem à motrice qualitate elementum moueri; quoniam hic est proprius illius actus & operatio, sicut caloris calefacere. Atque vt ignis calidus calefacere potest, quòd etsi calorem habeat actu, potestate tamen est ad calefactionem; & habet actum primum, quo secundum promat: ita cum qualitatem motricem habet, est adhuc potestate ad motum & operationem eius, eámque potest susci pere. Hinc in textu trigesimo secundo, libri octaui Physic. duplex in textu trigesimo secundo, libri octaui Physic. duplex in elementis potestas ad motum distinguitur; vna remota & essentialis ad formam, qua promitur motus, altera proxima & accidentaria, quæ post productam formam, quæ mouere potest, supereſt adhuc ad motum actu promendum. Neque modò est hæc duplex potestas ad localem motum, sed & ad alterationem, generationem, & alios omnes. Quod & Philosophi exempla testantur, & ratio persuadet. Illud est discriminis, quòd idem potest se mouere ad locum, si solam habeat proximam &

Duplex in elementis potestas ad motū.

accidentariam potestatem: at non potest se ipsum generare aut alterare, cùm omnis alteratio & generatio veræ sint & physicæ actiones, alicuius inquam formæ productiones, cuiusmodi actione nihil potest in seipsum agere, quia verè idem esset actu & potestate, ageret & pateretur productione & susceptione nouæ formæ similis producenti. Potest tamen se ipsum mouere loco: quoniam localis motus non est vera actio physica, sed operatio solùm agitatio corporis, quæ nullius est productio formæ. Neque enim leuitas leuitatem, aut grauitas grauitatem producit: sed vtraque actum secundum & operationem, qua sursum aut deorsum impellitur corpus. Et cùm mobile nihil intrinsecè suscipiat, sed solum extrinsecum locum, nihil propriè dicitur, pati aut agere in seipsum, sed mouere & agitare se ipsum: essèque actu & potestate comparatione diuersorum: actu comparatione actus primi, quòd formam habeat essentialem motricemque qualitatem, potestate autem ad actum secundum agitationis ad locum; Qua elementum totum ita seipsum mouet, vt totum moueat & totum moueatur vt quod, atque vt principio quo, moueat forma per qualitatem motricem, & moueatur materia per insitam sibi quantitatem. Quia cùm localis motus nihil aliud sit, quàm successio partium corporis in spatio, hæc ratione quantitatis sit, & ideo materiæ quantitate affectę præsertim tribuitur. Itaque peruulgata illa propositio, Nihil potest in seipsum agere, de vera actione physica, quæ formę productionem significat, accipienda est: atque ita, vt idem ratione eiusdem partis & principij & agat & patiatur. Motus autem localis non est productio formæ habętque in his corporibus agendi & patiendi principium.

Sanè vt ab interno principio quiescunt atque in proprio consistunt loco, & positiuus ille actus consistendi ab elementi forma deriuatur & in materia suscipitur, ita prorsus de motu cogitare nos oportet, formam eandem mouere & materiam moueri ad eum locum, in quo futura est illius corporis quies. Siquidem finis & terminus motus est quies, idémque motus & quietis naturalis principium est, vt naturæ definitio confirmat, quæ est in textu tertio, libri secundi Physicorum. Quam definitionem si diligentiùs consideres, eam intelliges tum actiuæ, tum passiuę naturę earum rerum naturalium conuenire, quas in tex. primo commemorauerat. Propterea naturam actiuam in eodem textu tertio, distinguit à medico seipsum curante. Quare cùm prima rerum naturalium, quę materia & formante forma constent, species sint elementa, vtramque in illis naturam debemus ponere, ne Aristoteles eam naturæ definitionem attulerit, quæ primis naturalibus corporibus, quę tanquam aliorum exemplum proposuerat, non conueniat.

Vnus est locus, qui superioribus atque adeò vniuersę huic sententię aduersari mognopere videatur. Is est in octauo eiusdem operis libro. In quo à textu 27. vtque ad 34. tum omne, quod mouetur, ab alio, tum leuia & grauia à generante, moueri ostendit. Ita sanè rem habere senserunt permulti, ac discipuli præsertim S. Thomæ: tametsi aliam fuisse eius sententiam, tum ex secundo libro contra Gentes capite quarto, & ex quæstionibus disputatis quæstione quinta, & prima secundæ, quæstione sexta, art. primo, tum ex aliis locis cognoscitur. Etsi enim ab initio sibi leuitate aut grauitate moueantur hæc corpora; eum tamen inquiunt motum tribuendum esse generanti vt principi mouenti, cuius instrumenta qualitates sint eæ, quas tanquam sui vicarias illis inseruit. Non enim solùm id egit generando, vt elementum produceret, sed vt productum ad perfectionem quoque promoueret. Indiget autem elementum præter essentialem perfectionem accidentaria item & extrinseca naturalis & opportuni loci; vt & gaudeat conseruetur, & operari possit. Itaque cum non semper in proprio gignatur loco, possitque etiam ab eo interdum remoueri, nec semper adsit generans; substituit sibi motricem qualitatem, quæ quoties opus esset, loco illud & perfectioni naturali restitueret, atque in ea naturalium aliferendo quietem conseruaret. Secus est in animalibus. Quia cùm nullum habeant determinatum locum, in omne possunt moueri partem. Non enim mouentur vt ad aliquam perfectionem natura sibi necessariam perducantur; sed propria funguntur operatione: & ideò ipsis, non generanti, motus ille tribuitur. Dispar quoque est actionis qualitatum alteratricium conditio. Quoniam agendo alteri potiùs tribuit, quam sibi elementum perfectionem acquirat.

Mihi verò hæc subtiliter potiùs, & probabilitatis specie, quàm verè & Philosopho consentaneè dici videntur. Vt enim cùm ignis producit ignem, cùm calefacit, cùm augetur animal, hos motus non tribuimus generanti, quamuis dederit formam, à qua motus hi omnes proficiscuntur: sed proximum eorum principium ignem ipsum, aut calorem, aut animalis animam esse affirmamus: cur non idem de locali motu dicamus? nam si propterea is motus generanti tribuatur, quòd ab eo formam acceperit, qua mouetur: tribuatur eidem omnis actio, quæ ab eo accepta sit forma, quæ immediatum illius principium est. Quin etiam cùm propensionem quoque ad eum motum suscipiendum acceperit elementum à generante, fateantur oportet ea passiuè quidem à se moueri, sed à generante motúmque leuium & grauium nullo modo naturalem esse.

Neque verò dum ad suam asserendam sententiam peruulgatam propositionem vsurpant, Quæ dat formam, dat omnia, quæ comitantur formam; inde consequens esse animaduertunt, non modò localem motum, sed generationes omnes, alterationes, accretiones, & animalium quoque incessum, ascribendæ generanti esse. Inculcant propositionem de iis solis, quæ actione eadem producuntur, suntque cum forma necessario connexa eo tempore, quo producitur, vt sunt hoc & risibile. Nam qui producit hominem, producit quoque risibile; & qui generat elementum, leue item & graue generat, & textu 25. libri quarti de cœlo: alterum per se primò, alterum secundariò & per modum naturalis ac necessariæ consequutionis. At non ea est elementaris formæ mobilis natura sum aut deorsum connexio. Tum quia si in proprio loco

Sententia eorũ qui mouere dicunt à generãte.

loco elementum gignatur nullus fuerit motus. Tum quia duæ sunt actiones distinctæ, quarum altera producit formam, altera motum: illa prior, hæc posterior. Leuitas porrò & grauitas, cùm elementorum proprietates sint, eorúmque consequantur formas; elementaris potiùs formæ, quàm generantis, instrumenta sunt, illiúsque virtute impellunt. Etenim generante aut omnino ex accidente, aut certè secundariò producuntur. quippe elementum per se & primùm intendit, secundariò & ex accidente producit leue aut graue. At elementi formam per se & naturaliter consequuntur, nec ab ea vnquam separari possunt. Non igitur sui vicariæ dantur à generante, sed ex elementi forma deriuantur, vt ad certum & constitutum sibi locum elementa perducant atque in eo retineant, in quo tanquam partes vniuersum constituant. Hanc enim ob causam perfectiora in proprio loco, quàm extra illum, censentur; quòd ibi finem eum consequuntur, vt vniuersum constituant: & ideò conseruationem in eo procurant; vt vniuersum, cuius sunt partes, conseruata conseruent. Verùm dum leue deorsum mouetur, aut graue sursum ad occupandum vacuum; à quonam alio mouetur, quàm à seipso, cuius natura particularis, vt est vniuersi pars, bono totius succurrit? at multo magis ad proprium locum sponte mouebitur, in quo & vniuersum constituat, & seipsum conseruet. Præterea si elementa essent æterna, quemadmodum Aristoteli placuit, nónne leuia essent & grauia? etsi extra proprium locum essent, an non ad eum mouerentur? non minùs sanè, quàm nunc eorum partes moueantur. At vbi generans, à quo moueri dicantur?

Neque verò maiorem generans perfectionem procurare debuit aut potuit, quàm vt sibi simile omni ex parte procrearet, tam essentiali, quàm accidentaria qualitatum perfectione. Quippe hic agentium omnium finis: cætera agentium & generantium rationem non attingunt. Ex accidente namque est, vt extra naturalem locum generent; aut id, quod in naturali genitum est, ex eo pellatur: neque his debet generans prouidere, sed natura potiùs, quæ sui ipsius & vniuersi conseruationem & vnum quodque in proprio loco requirit.

Semen sanè veré dicitur animalis plantæve instrumentum ad animal procreandum aut plantam. Accommodatum prima facie videtur exemplum. Quippe vt elementum à generante separatum ac dissitum mouetur, sic à viuente semen decisum & eo etiam interdum mortuo, à quo decisum est, viuens aliud procreat. At si rem penitiùs consideres, magnam omnino diuersitatem reperies. Etenim semen propterea viuentis virtute dicitur procreare, quòd cùm quidpiam illius sit & velut pars ab eo decisa, non potest propria & naturali sibi virtute operari, sed sola sibi ab eo communicata, à quo decisum est: neque enim habet animam, cuius ea sit virtus. At elementa non sunt aliquid generantis, sed entia per se absoluta & perfecta; habéntque propriam sibi formam, quam leuitas & grauitas mouendi virtus consequitur. Quare vt viuentis ab alio viuente geniti operationes omnes non gignenti, sed genito tribuuntur, ita & in elementis iudicandum est.

Neque secus in octauo Physic. libro iudicauit Philosophus: sed omnia cum iis consentiunt, quę aliis in locis tradiderat. Quorsum enim duplicis ad motum protestatis in text. trigesimo secundo distinctio? nimirum tria fecit principia motus; duo per se, tertium ex accidente. A generante mouentur leuia & grauia de remota & essentiali potestate, cum ab eo accipiunt formam, qua moueri possint. Sic enim is quoque, qui discit, moueri à docente dicitur ad contemplandum; & quod calefit, à calefaciente, ad calefaciendum; & omnino in quolibet motu, quod dat formam, quæ principium sit motus, de remota & essentiali potestate mouere ad eum motum existimatur. At hæc ipsa forma, vt in eo, qui scientiæ habitum sibi comparauit, aut quod calefactum est, aliisque omnibus, sic in leuibus & grauibus, principium existit motus de proxima & accidentaria potestate: in illis contemplationis, calefactionis, ac cæterorum; in his motus sursum & deorsum. Ita, inquit eo loco Themistius, ignem dicimus sursum, terram deorsum ab alio moueri; quoniam ab alio hæc facta sunt. Non enim à seipsis fiunt. Vbi verò genita sunt, illicò & peream naturam, per quam genita sunt, agunt. Et Aristoteles de leui iam genito loquens, aget, inquit, statim nisi quid prohibeat. Itaque ex accidente demum ab eo moueri putantur, quod impedimentum illud remoueat, quod prohibebat motum. Etsi enim nec verè moueat, nec mouendi principium dederit, quoquo tamen modo causa motus existit. Hæc est illius loci sententia. In quo etiam atque etiam obseruare lectorem velim, eodem prorsus modo de locali motu, atque de alteratione ac cæteris omnibus philosophatum fuisse Philosophum: vt eodem prorsus modo intelligat eorum omnium principium esse, tum remotum generans, tum proximum propriam corporis formam, vt paulò ante ratiocinabamur.

Exponit locus ex 8. Phy. li.

Verùm magnopere etiam considerandum est, quid eo loco Philosophus ageret. Cùm enim vnum primum motorem quæreret, probandum accepit, omne quod mouetur, ab alio moueri, non ita vniuersè, vt in septimo libro textu primo & secundo quatenus ad motum quoquo modo mouente & mobili opus est: sed in particulari magis, quatenus ad inuestigandum primum motorem vlui erat. Ita & in textu 27. & 28. mouentium adfert diuisionem: & post animalium motum à leuium & grauium motu distinguit, quòd illa à seipsis, hæc à generante per se & ex accidente à remouente prohibens moueantur: nimirum vt quidquid mouetur, ab alio moueri demonstret. Hoc in motu præter naturam manifestum erat. In naturali autem animalia principium habent mouens, distinctum & separatum ab eo, quod mouetur. Non animam: quoniam in textu trigesimo quod est continuum, mouere seipsum non potest: bestiarum verò anima non minùs, quàm elementi forma, extensa est, partibilis, & continua cum corpore: neque vlla esset inter animalis & elementi motum differentia. Sed cor, quod & principium motus est, & à reliquo corpore separatum.

Elementorú & animalium motus diuersitas.

Propterea in textu vigesimo octauo nutæ vtitur Philosophus exemplo: quod tum in medio animalis residet cor, vt in medio nauis nauta: tum à reliquo corpore separatum, vt à naui nauta. Plantas cum grauib. comprehendit; quod cùm de locali motu esset sermo, hic in plantis alius non est, quam grauis elementi dominantis: Hinc in tex. vigesimo nono, leuium motum & grauium ab animalium motu distinguit, quod vnico illa moueantur motu, neque hanc inchoare & finire possint vbi libuerit: hęc & omnem in partem, & cum libertate moueantur. Quare vt à corde animalia, sic leuia & grauia etsi à seipsis moueantur, quia tamen à seipsis ad inchoandum motum non excitantur, opus alio habent extrinseco, tum generante, à quo motricem formam acceperunt, sicut sciens à docente accepit scientiam, qua contemplatur: tum remouente impedimentum motus, quoniam nec sine hoc moueri possunt. Quod tamen ex accidente mouet, quoniam illius per se effectus est sola impedimenti remotio, non motus. Moueri autem sursum in tex. trigesimo secundo dicitur esse actus & operatio ipsius leuis propria, ipsumque leue hoc faceret & semper superius fieri, nisi quid prohibeat: non secus ac qui scientiam habet contemplari se ipso potest.

Quòd si post subijciat, non mouere se ipsa, neque mouendi, sed patiendi principium habere: in hoc quoque opere de anima sentire ait esse quoddam moueri & pati, etsi vere sit agere. Nimirum vt in sensu, si non semper, plerumque certè antecedit organi passio ab obiecto; sic ante leuis aut grauis motum aliqua sit mutatio, aut generatio, aut impedimenti ablatio: propterquam pati & moueri ab alio dicitur. Voluit etiam illis verbis indicare corpora hęc non habere principium illud perfectè se mouendi, quod in animalibus inest, quę est inchoare motum, & ab eo cessare, & omnem in partem & in proprio etiam loco, nec solum appetitu ab externo obiecto excitato, sed etiam imaginatione sola intrinsecùs commota moueri possunt, omninoque sui motus plenum dominium habent, sic enim illorum proprium esse dixit in tex. 29. à se ipsis moueri.

Quæ interpretatio partim colligitur ex text. decimo octauo, libri quinti Phys. vbi elementa scribit propriè dici ferri, quia dum mutant locum, non est in ipsis stare & cessare à motu; sed necessariò debent ad terminum peruenire: Partim ex text. 9. libri secundi de cœlo. Quo loco inanimata negat habere in se principium motus; Quoniam aut omnino non mouentur, aut non omnem in partem.

Adde quòd nec in proprio loco mouentur, sed quiescunt: neque extra locum posita sine aliquo externo motore incohant motum: generante inquam, si extra locum gignantur, aut impedimentum remouente, si genita detineantur. Illo per se quia ideò mouentur, quia extra locum genita sunt hoc ex accidente, quia etiam sine illo moverentur eam solam ob causam, quòd extra locum sunt. Ea item fere dici solent à seipsis moueri, in quibus apertè cognoscitur pars mouens distincta à parte mota, vt in animalibus cor: neque hoc in rebus inanimis est. Accedit, quòd impropriè cuique rei tribuitur, quod illi per se conuenit. Moueri autem animalibus per se conuenit, cæteris non nisi ex accidente. Illa enim quando volunt, vel in proprio loco, moueri possunt, hæc non nisi extra locum genita, aut per vim detenta. Per se autem quiescunt potius & conseruantur in suo loco, nec nisi per vim ab eo abeunt. Ideò ex seipsis quiescere potius, quàm moueri videntur.

Denique motorem quærebat Aristoteles distinctum & separatum ab eo, quod mouetur, vt nimirum primum motorem separatum colligeret. Neque in elementis eiusmodi motor reperitur. Extra illa adsunt generans, quod dat formam & instrumenta motus, atque id, quod impedimentum remouet. Præsertim cùm subsistens quidpiam videatur motor significare.

In septimo igitur Phys. libro, vniuersè de motu loquęs, quidquid mouetur affirmauit ab alio moueri, aut supposito distincto, aut per partes loco distinctas, vt in heterogeneis animalib. aut si Homogenea fuerint, distinguere saltè oportet agendi principium & patiendi, formam & materiam: sic natura vnaquæque definitur principium motus in eo in quo est. In octauo autem, libro primum motorem quærens, in quouis motu voluit motorem aliquem à mobili distinctum assignari posse. Atque ita probationem deduxit. In omni violento motu constat externum esse motorem. In naturali autem animalium, quæ à se ipsis mouentur, pars adest mouens loco & situ distincta à parte mota. Denique in leuibus & grauibus maior sanè difficultas: motorem tamen distinctum & separatum reperias, generans & remouens prohibens. Non quòd internum principium non habent, sed quòd præter illud reperiri quoque externum possit. Sicut & animalia moueuntur sanè ab anima, at præter illam adest cor separatum mouens. Satis enim erat ad primum motorem inuestigandum, habere in omni motu separatum motorem, etsi præter eum alius esset coniunctus & continuatus cum eo, quod moueretur. Hæc ad illius loci explicationem dicta sint satis.

Auerroës autem, tum in commentariis octaui libri Physic. tum in quinto eiusdem operis libro comment. 18. & tertio cœl. comment. 28. & libro quarto commment. 22. fatetur sanè corpora hæc de potestate essentiali à generante moueri, atque de accidentali à seipsis formáque sibi propria. At quoniam agendi principio respondere oportet patiendi principium ab eo distinctum: & vt quidpiam se ipsum moueat, habeat necesse est partem mouentem per se distinctam à parte mota: ea dicit moueri à propria formâ, non per se & immediatè, sed ex accidente & moto medio. Formam inquam elementi priùs mouere medium, tum ad illius motum mouere elementum. Quemadmodum nauta mouere se ipsum dicitur, dum naui mota ipse quoque mouetur. Mouet igitur forma, per se mouens medium, atque ex accidente elementum. Vt enim non mouetur, nisi vt accidit illud esse extra suum locum, ita mirum non est, si ex accidente quoque ad illum reuertatur. Et quamuis interqu

accidente reuocari oportere ad aliquam causam per se; non ita accipiendum, ac si præter formam alia debeat esse causa per se huius eiusdem effectus elementaris motus. Sed vt effectus fortuitus, inuentio thesauri, reducitur ad causam per se, non inuentionis, sed fossionis, aut alterius effectus adiuncti: sic elementaris forma, quæ ex accidente mouet elementum, per se impellit medium.

Quæ sententia vt à multis viris doctis recepta, sic probabilis videri possit. Nam & Aristoteles in textu 72. libri quarti Physic. & textu 27. libri tertij de Cœlo, medium voluit esse prorsus necessarium atque à natura institutum ad omnes motus perficiendos. Sed tamen hæc mihi faciunt difficultatem. Primùm, cùm elementi motus sit naturalis, habere debet principium intrinsecum: etsi habeat principium actiuum debet etiam habere passiuum; vt perspicuum est ex ijs, quæ de natura antea tradita sunt. Quòd si natura sit principium primum & per se in eo, in quo est; tum forma debet per se primò mouere, tum materia per se primò moueri. Quod enim materia dicitur per se primò moueri intentione naturæ, minùs est ad rem. Quia natura est principium motus, non qui intenditur, sed qui reipsa fit. Et cùm patientis naturæ ratio in susceptione consistat illius motus cum inclinatione, quem agens natura producit; non fuerit profectò in elementis patiens principium naturale, nisi eorum materia per se primò & immediatè suscipiat motum: sicut non esset agens, nisi illorum forma per se primò & immediatè moueret. Neque verò esset natura, nisi aliud naturaliter sibi coniunctum & ad suscipiendum motum propensum moueret. Non enim esset principium motus in eo, in quo est, sed in alio, nempe in medio: principium autem motus in alio efficiens est & motor extrinsecus, non natura. Et quis dicat eum esse motum à natura, quo nauta nauem mouendo mouetur? Deinde elementi motus ille ad motum medij videtur versionis motus esse; qualis sanè est nautæ motus ad motum nauis. At vectione motum non esse à seipso, sed ab alio motore externo; & ideò non naturalem, sed præter naturam; fatebitur is, qui legerit textu 10. libri septimi Physic. Iam verò motus ille, quo elementum mouet medium, naturalis non est; quia non est à principio interno; sed pulsio, quam in eodem loco constat esse motum ab alio. At in hoc genere motus necesse est, vtid, quod pellit, priùs moueatur aliquo motu, quàm moueat aliud impulsu. Moueatur igitur elementum necesse est, antequàm moueat medium; saltem priùs natura. Non igitur ad medij motum, sed à seipso ante illius motum mouetur: & quia ipsum mouetur, mouet & impellit medium. Nimirum tractionem esse dixit Philosophus, vbi maior est trahentis impulsus, quàm corporis, quod trahitur.

Eadem enim ratione pulsio, si maior impellentis corporis impulsus, quàm eius, quod impellitur, oportebitque corpus impellens priùs moueri, quàm impellat aliud. Accedit, quòd ex textu 56. posterioris libri de ortu & interitu, & cap. 6. libri quarti meteororum idem eodem modo se habens efficiet nunquam, vt aliud aliter atque aliter se habeat; sed ipsum priùs oportet aliter & aliter se habere: Itaque si elementum impellat & moueat medium, ipsum priùs moueri necesse est. Non igitur ex accidente mouetur ad motum medij. Tum verò si duo sint motus coniuncti, vnus naturalis, alter præter naturam; existimare potiùs debemus, eum, qui naturalis est, causam alterius esse, qui est præter naturam; quàm contrà: quemadmodum cœli motum esse potiùs causam motus ignis in orbem in propria sphæra, quàm hunc illius. Quare cùm in elementorum motu duplex sit coniunctus motus; alter elementi, qui est naturalis; alter medij, qui præter naturam: æquius est, elementi motum esse causam motus medij, quàm hunc illius. Quippe credendum non est, nunquam posse naturalem fieri motum, quin violentus tanquam illius causa præcedat; cùm naturalis sit prior violento; textu 67. libri quarti Physic.

Denique cùm aliquid mouetur solùm ex accidente ad alterius motum, eodem numero motu mouetur, quo illud mouetur; vt videre est in anima, quæ moto corpore mouetur; & nauta, qui cum naui; & alijs pluribus. At elementi motus diuersus est à motu medij, cum vnus sit naturalis, alter violentus. Non igitur dici potest moto medio ex accidente moueri. Hæc fermè sunt, quæ minùs mihi probabilem faciunt Auerrois sententiam, cogúntque omnino dicere, corpora hæc à seipsis, hoc est ab interno principio, tum actiuo, tum passiuo, per se moueri. Verùm de his satis.

TEXTVS.

Πρὸς δ' πύπις τὶ τὸ σωμ̃ζον εἰς πάντα φερόμενα, τὸ πῦρ ἢ γλιὸ γλιῶ; ἀλλ' ἀπὸ ἥσπερ ἀρ', εἰ μὴ ἃ ἔσχε κωλύσον. εἰ δ' ὅτι, οὐτ' ὅτι ἡ ψυχὴ, ἢ τὸ αἴτιον τῦ αὐξάνεσθαι ἢ τρέφεσθαι.

Ad hæc autem quid est, quod continet quæ in contraria feruntur, ignem & terram? Distrahentur enim nisi aliquid fuerit prohibens. Si verò est, hoc est anima, & causa, cur augeantur & nutriantur. Tex. 59.

COMMENTARIVS XLVII.

ALterum obijcit Empedocli Philosophus. Si enim in viuentibus nil aliud sit, quàm elementa; eáque vt ille inquit, ad contraria loca mouentur, ignis sursum ad ramos, terra deorsum ad radices, omnino ibi contineri non possunt, sed ad naturalia sua loca discedent. Nam cùm sint inter se contraria, & leuia quædam, alia grauia, ambóque extra naturalem locum: nisi adesset anima, quæ tanquam superior forma vnita illa contineret, statim ad propria loca migragent: nec solùm ad ramos ignis ascenderet, sed prorsus ad concauum lunæ, vbi totum ignis residet elementum: totúmque viuens penitus dissolueretur. Si igitur anima est, quæ ibi elementa continet, illa ipsa fuerit, quæ corpora auget. Quod autem dicitur, animam elementa continere, ne ad sua loca recedant, intelligendum est continere in genere causæ finalis, aut etiam formalis. Finalis quidem, quoniam elementa ita fuerũt coniuncta & temperata propter animam, quæ illis aduentura erat, & propter eandem coniuncta conseruantur,

Formalis autem, quòd anima seu perfectior forma aduenit illis, maiorémq. adfert perfectionem, cum qua libenter conseruantur.

Elementa actu in mistis.

Verùm ex hoc loco licet colligere elementa in corporibus mistis esse actu. Alioqui quærendum non esset, quidnam ea continent vnita, neque verendum, ne ad tua loca recederent.

Hæc sunt duo, quæ in Empedoclis sententia Philosophus reprehendit. Tertium addi potuisset, quòd etsi fortasse magis terreæ sunt plantarum radices, quàm rami: falsùm tamen est, augere ramos propter igneas partes sursum ascendentes. Etenim rami quoque multò magis terrei sunt, quàm ignei. Quod tum ex pondere & grauitate manifestum est, tum ex consistentia, densitate, & duritie. Et quartum, quòd non solùm augentur plantæ, sed animalia quoque: nec modo sursum & deorsum, sed prorsus in omnem partem. Horum autem causam eam adferri non posse, perspicuum est.

TEXTVS.

Δοκεῖ δὲ ἔνιοτε ἡ τοῦ πυρὸς φύσις ἁπλῶς αἰτία τῆς τροφῆς καὶ τῆς αὐξήσεως εἶναι. καὶ γὰρ αὐτὸ φαίνεται μόνον σῶμα τῶν σωμάτων ἡ σχεδὸν τοιχεῖον τρεφόμενον καὶ αὐξανόμενον. διὸ καὶ ἐν τοῖς φυτοῖς καὶ ἐν τοῖς ζώοις ὑπολάβοι τις ἂν εἶναι τὸ ἐργαζόμενον.

Text. 40. *Videtur autem quibusdam ignis natura simpliciter causa nutritionis & accretionis esse. Quoniam solus ipse corporum aut elementorum alit & augeri videtur. Quare & in plantis & in animalibus putabit vtique quispiam hunc esse id, quod operatur.*

COMMENTARIVS XLVIII.

COnfutata Empedoclis sententia, ignem & terram accretionis causam facientis, ad alteram accedit aliorum, qui solum ignem tum nutritionis, tum accretionis causam esse affirmabant. Eo vel maximè argumento; quòd is potissimùm inter omnia corpora & elementa nutriri & augeri videatur. Siue quòd, vt deducit Auerroes, solus sit maximè efficax ad agendum, omniáq. in suam naturam commutet: quemadmodum ea faciunt, quæ nutriuntur. Siue quòd nutritio & accretio maximè fiant à calore, igniq. sit primo calidus. Siue etiam quòd aliqua semper materia sustentari debeat, eáque deficiente & ipse deficiat, perinde quasi ea nutriretur: & ideò vt conseruetur, noua subinde adduntur ligna. Ascendit etiam semper flamma, partésq. illius ad superiora euolant loca, & ideò restauratione opus habet. Denique noua accedente materia augetur plurimùm: neque ita quemadmodum aquæ aut terræ additione maior fit terra aut aqua: sed adiectione materiæ dissimilis, quam actione sua in propriam substantiam commutat. Quòd si hanc ignis potissimùm nutriendi & augendi seipsum vim habeat, poterit in viuentibus quoque nutritionis & accretionis eorum esse causa. Nam si elementa, quòd grauia sint & leuia, corporibus mistis, tum inanimis, tum animatis, tribuunt motum sursum aut deorsum, quatenus eorum aliquod in illis abundat ac cæteris dominatur: cur ignis, qui elementum est maximè potens ad agendum, quódque eam præsertim habet qualitatem, qua nutritio & accretio perficitur, non possit in viuentibus omnibus operationes eas efficere?

Itaque posterior hæc sententia tribus modis à priore diuersa est. Primùm, quòd Empedocles duo elementa accretionis causam ponebat, ignem & terram: hi solum ignem. Deinde, quòd ille causam referebat in qualitates motrices, leuitatem & grauitatem, quarum illa sursum impelleret, hæc deorsum: hi in qualitates agentes, calorem scilicet. Postremò ille solius accretionis causam adferebat: hi & accretionis & nutritionis.

Quocirca id, quòd Philosophus eos dixit ignem fuisse simpliciter horum causam, duobus modis interpretari licet. Aut ad Empedoclem referendo, vt sensus sit, ignem simpliciter, hoc est ignem solum, esse causam; non autem concausam simul cum terra quemadmodum ille pronuntiauit. Aut potiùs ad ipsam Aristotelis sententiã respiciendo, qui in sequenti textu calorem quidem concedit esse concausam, non tamen causam simpliciter, hoc est propriam, præcipuam, & integram, quemadmodum illi voluerunt. Sic enim loquitur.

TEXTVS.

Τὸ δὲ σωματοῦν, ὁμοῦ πως ὂν, οὐ μᾶλλον αἴτιον ἢ μᾶλλον ἡ ψυχή. ἡ γὰρ τοῦ πυρὸς αὔξησις εἰς ἄπειρόν, ἕως ἂν ἅπτηται τὸ καυσόν. ὅλως δὲ φύσει συνεστῶσιν ὅσοις δεῖ τροφῆς καὶ αὐξήσεως. ζῶσι δὲ ψυχῆς, ἀλλ' οὐ πυρός ἢ μᾶλλον ἢ ὕλης.

Hic autem concausa quidem quodammodo est, non tamen simpliciter causa; sed magis anima. Ignis enim accretio in infinitum, quousque vtique vstibile suppetit. Eorum autem, quæ natura constant, terminus est & ratio magnitudinis & accretionis. Hæc anima, non ignis, & rationis magis, quàm materiæ.

COMMENTARIVS XLIX.

PRopriùs multò ad veritatem accessit posterior hæc sententia, quàm Empedoclis illa prior. Propterea quòd ineptum omnino videtur, & quod sola propositione omnem amittat fidem, grauitatem & leuitatem elementorum accretionis esse causas: calorem autem proponere, magnam habet veritatis speciem. Quia cùm nutritio alimenti coctione fiat; manifestum est coctionem caloris opus esse; nutritionem autem accretio sequitur.

Hanc ob causam Aristoteles Empedoclis sententiam prorsus confutauit: posteriorem hanc, si non omnino, aliqua certè ex parte probauit. Probauit enim calorẽ nutritionis causam esse: illum solum reprehendit, quòd simpliciter causa esse diceretur: hoc est aut præcipua & potissima; aut sola, hoc est solus ignis, non item terra, vt volebat Empedocles; qui & ignem & terram complectebatur: fatetúrque esse concausam, hoc est veluti instrumentum potius alterius causæ, quæ est anima.

Calorẽ

Calorem esse animæ instrumentum atque ad operationes hasce plurimum habere momenti; non probauit, sed tanquam notum accepit. Præsertim quòd ij, cum quibus disputabat, non hoc solùm concedebant, sed aliquid amplius contendebant. Quod autem illi negabant, calorem non esse simpliciter causam, sed magis animam, hac ratiocinatione concludit. Ignis nullam habet constitutam quantitatem; sed quandiu fuerit illi apposita materia adustionem apta, crescere semper in infinitum potest. At omnia, quæ natura constant, positum habent magnitudinis terminum; ad quem vbi peruenerint, non augentur amplius, etiamsi addatur materia. Non igitur ab igne seu calore augentur: sed ab anima, tanquam præcipua causa, quæ totam caloris actionem temperet ac moderetur: efficiatque, vt quemadmodum in nutritione non mutatur alimentum in ignem, sed in carnem, & quidem animatam & viuentem: sic in accretione non ad quamlibet magnitudinem augeatur, & viuens totum, & singulæ illius partes; sed ad determinatam, in qua omnis accretio cesset. Quemadmodum enim in artificijs, in quibus adhibetur ignis, nisi artis illius actio temperetur, vrit omnia & depascit; atque vt effectum ad optatum perducat exitum, necesse est, superior causa actionem eius regat & temperet: vt in re coquinaria & medica manifestum est. Ita in viuentibus corporibus, nisi anima velut superior forma agens illi præsit, non reficiet, sed destruet; & non restaurabit, sed deuorabit omnia. Accretio igitur animæ potiùs, quàm igni tribuenda est: & rationi magis, hoc est formæ, quàm materiæ. Quoniam operatio quælibet & effectus per illam productus; agenti potiùs & principi causæ, quàm instrumento; & formæ magis, quàm materiæ tribuitur. Anima autem est princeps causa & forma, & ignis velut instrumentum & materia.

Cæterùm paucis verbis videtur Philosophus pugnantia loquutus. Primùm affirmauit, ignem posse in infinitum augeri: deinde statim adiecit, omnium natura constantium determinatam esse magnitudinem. An non ignis est corpus natura constans? Sunt qui ignem interpretantur augeri posse in infinitum, hoc est in immensam molem, determinatam tamen & finitam. Alij augeri posse in infinitum ratione suæ formæ, sed non ratione materiæ; quòd nulla sit materia infinita, quæ illi apponatur. Alij aliter. Et quidem Simplicius Platoni magis, quàm Aristoteli conuenientem interpretationem habet, quam libenter prætermitto. Vera interpretatio est; dum dixit omnium natura constantium determinatam magnitudinem esse, eum non omnia naturalia intellexisse; alioqui manifesta esset contradictio; sed viuentia sola: sicut etiam in textu 37. omnia naturalia corpora appellauit viuentium corpora. Atque in hoc tota argumentatio consistit, quòd viuentia omnia ad quantitatem determinatam augentur; non item ignis & non viuentia cætera. Sic enim ignem conficit non posse esse viuentium accretionis causam. Itaque benè Philoponus natura constantia interpretatur ea, quæ ita nutriuntur & augentur, vt in seipsis nutrientem & augentem vim habeant, cuius beneficio nutriri propriè & augeri dicantur. Nam quia natura in 2. libro Phys. definita fuerat principium motus in eo, in quo est: corporaque naturalia vniuersè appellantur ea, quæ in seipsis hoc principium habent; iure etiam hoc loco viuentia, quæ ab hoc interiore principio nutriuntur & augentur, & non sola additione materiæ, sicut ignis, natura constare dici potuerunt. Vt scilicet viuentium nutritionem & accretionem ab ignis nutritione & accretione distingueret, qua maximè aduersarij nitebantur. Hæc igitur fuerit verborum sententia. Ignis augeri potest in infinitum, quoniam ab exteriore principio augetur; additione scilicet materiæ ad vstionem aptæ: at ea, quæ propriè nutriri & augeri dicuntur, ab interiore principio, quemadmodum viuentia, determinatam prorsus magnitudinem habent: & licet plurimum apponatur materiæ, non tamen propterea magnitudinis illius excedunt terminum: non igitur ab igne aut calore, sed ab alia meliore causa, & nutriuntur, & augentur.

Digressio XXI. *Quomodo rerum omnium natura constantium determinata sit quantitas.*

Cæterùm quod paucis proposuit Philosophus, pluribus est explicandum. Potest quantitas tribus modis considerari. Primùm absolutè & natura sua. Altero modo vt est primæ materiæ affectio. Postremò vt in rebus iam natura constantibus reperitur. Quantitatem materiæ infinitam quidem non esse, nullo tamen certo termino circumscriptam, initio ferè huius libri posuimus. Iam si per se consideretur, mirantur nonnulli, alij etiam falsum esse contendunt id, quod Aristoteles in 6. Phys. libro necessarijs rationibus demonstrauit; Quantitatem coniunctam non ex impartibilibus, sed ex quantis & diuiduis partibus constare. Verùm si quantitas sit extensio seu partium extensarum ratio; ex ijs, quæ nullam habent aut extensionem aut partium vim manifestum est quantitatem nullam aut extensionem fieri posse. Ex partibus igitur quantis continuata fit extensio: in qua dum omnium partium entitas spectatur in textu 18. libri quinti Meth. dicitur esse partibilis in ea, quæ insunt. At quoniam eæ non sunt inter se distinctæ; potestate potiùs, quàm actu, esse censentur. Non enim eodem modo sunt partes in quantitate, quo in toto essentiali aut heterogeneo. In his cùm partes, aut à natura, aut certè qualitatibus & viribus separentur; etsi in vnam molem coniungantur, adhuc partes actu esse existimantur. At in continua quantitate partes omnes eiusdem rationis sunt, nec vllo modo distinctæ possunt actu partes appellari, nisi diuisione separentur. Habet tamen cõiuncta quantitas extra partes, dum & extensam entitatem habet, quæ diuisa plurimas partes actu suppeditet, & interim vna potest in ipsa extra aliam ostendi. Proprium est numeri ex impartibilibus cõstare. Nam etsi is ex diuisione oriatur quantitatis coniunctæ, cuius partes partibiles adhuc sunt, vt coniunctæ quædam quantitates & ipsæ sunt; si tamen eæ in ratione vnitatis cõsiderentur. Vnum quatenus est vnum impartibile est textu 68. libri 3. Phys.

Quantitatis triplex modus.

Propterea infinitum diuerso modo reperitur in numero, quàm in quantitate coniuncta. In hac duplex est; vtrumque potestate: vnum diuidendo, alterum addendo. Non quòd futuræ aliquando sint infinitæ partes actu diuisæ aut additæ: sed quod infinita fieri possit & diuisio

Infinitum in quantitate.

& additio. Quoniam enim quantitatis hoc genus partibus quantis & partibilibus constat, si eæ proportione quadam minores semper & inter se communicantes auferantur, potest in infinitum diuidi: eæque rursum si alteri quantitati addantur, excresceret illa nimirum in infinitum. At in numero illud solum est infinitum, quod in additione versatur. Nam quia is ex impartibilibus vnitatibus coalescit; si diuidatur, ad vnitates deducit, quæ diuidi amplius non possunt. Sed quemadmodum coniunctæ quantitatis diuisio nullum habet finem; sic semper suppetunt vnitates, quæ ita addantur numero, vt quicumque determinatus numerus superetur. Quod in additione quantitatis coniunctæ non euenit. Neque enim euadit maior quantitate, quæ diuiditur; & quantitate altera, cui fit additio. Itaque per se considerata quantitas nullum quidem sibi certum præscribit magnitudinis aut paruitatis terminum; sed & augeri semper & minui potest: nunquam tamen aut augendo fiet infinita, aut diuidendo deficiet quod diuidatur.

Iam verò si vt est in rebus naturalibus consideretur, nulla, neque coniuncta, neque deiuncta quantitas actu infinita reperitur. Quod dum ab Aristotele in 3. libro Phys. & primo de cœlo diligenter fuit probatum, à permultis arguitur contradictionis; quòd alibi æternitatem mundi constanter asseruerit, ex qua & infinitæ cœlestium orbium conuersiones colliguntur, & infinitæ in speciebus singulis indiuiduorum generationes; ac demum infinitæ intelligentes animæ, quas & immortales esse & singulorum hominum proprias non obscuris verbis sæpè confirmauit. Cæterùm omnes cœlorum conuersiones vnicus sunt continuatus motus, qui siue à nobis, siue comparatione nostri, vt sæpiùs circa terram voluitur, plures in partes tribuitur. Vniuersè autem Aristotelem animaduerto in rebus duntaxat quantis & permanentibus infinitum euertisse. Nam vt eum mittam propter quantitatem de illo agendum suscepisse in textu 1. libri 3. Phys. propterea quòd continuum definitur esse id, quod in infinitum est partibile: duplicem illam infiniti notionem, quam à textu 56. pertractat, tum in diuisione, tum in additione, in sola quantitate coniuncta, & numero, qui ex illius diuisione colligitur, considerauit; atque ex hoc rerum genere exempla omnia deprompsit. Interdum quoque vt in textu 34. & 39. eiusdem libri, & textu 33. primi libri de cœlo de infinito monuit in solis rebus sensilibus & corporeis agendum esse; omittendamque tanquam nimis generalem, quæstionem illam, num insit in Mathematicis & intellectilibus, quæ omni quantitate carent. Et ideò rationibus illis probauit, infinitum nullum esse, quæ corporibus duntaxat quantis conueniunt: ac demum in ijs solis demonstratum esse concluſit in textu 56. libri 3. Phys. & textu 75. libri primi de cœlo. Contra illud item, infinitum machinas omnes argumentationum admouit, quod in rebus permanentibus cogitari posset; & verò ab antiquis Philosophis cogitabatur. Alioqui plurimis in locis generationem perpetuam, motúmque & tempus infinitum admisit: atque in eo solùm laborauit, vt ostenderet non dari aliquid actu existens infinitum; ostensúmque esse colligit in textu 56. notato. Immò definitionem illius infiniti probauit in textu 62. & 63.

Aristotelem de infinito sibi non contradixisse.

extra quod accipi semper aliquid potest: eámque reprærhendit, quæ omnia actu affirmabat, vt nihil extra super esset sumendum. Itaque imperfectum illud &, vt ita loquar, secundùm quid infinitum, quod in motu, tempore, ac rerum generatione, vel intelligentibus etiam animabus, carutisse principio existimatur, sed nunquam caret fine; non est quod illi obijciatur; cùm & ab eo libenter admittatur, & extra illud aliquid semper supersit, quod sumatur.

Quoniam verò quantitate præsertim coniuncta nullum extat corpus actu infinitum; sed determinatam habent singula quantitatem; ea & magnitudine & paruitate determinari potest; idque aut intrinsecè aut extrinsecè. Intrinsecus magnitudinis terminus est is, quem res potest attingere, maiorem non potest. In scholis appellatur maximum quod sic seu in quo sit, quia maxima est quantitas earum, in quibus res esse potest. Extrinsecus autem, quem attingere aut potest, minorem potest: & dicitur minimum quòd non, seu in quo non, quia ex ijs quantitatibus, in quibus propter nimiam magnitudinem res esse non potest, hæc est minima. Terminus paruitatis intrinsecus dicitur minimum quòd sic seu in quo sit, minima scilicet earum quantitatum, in quibus res potest consistere. Denique terminus paruitatis extrinsecus appellatur maximum quòd non seu in quo non, & est maxima earum quantitatum, sub quibus propter paruitatem res esse non potest. Porro terminus tam magnitudinis, quam paruitatis, aut est positiuus, aut negatiuus: positiuus est, quo res aliæ omnes superantur, vel magnitudine, vel paruitate, nec vlla est æqualis: Negatiuus autem, cùm adsunt æquales multæ, nulla tamen aut maior aut minor.

Cæterùm si diuinam potestatem consideremus intelligemus statim, nulli rei esse terminum constitutum. Quia etsi non possit esse quam infinitum, potest tamen Deus, qui vim omnem secundarum causarum & materiæ dispositionum facilè supplet, rem quamlibet & maiorem & minorem facere, & cum quauis maxima aut minima quantitate, vel etiam in puncto, conseruare. Vt enim corporis fortasse organizatio & operationes multæ non adsint, essentia certò rei subsistet incolumis.

Quòd si ad ea te conuertas, quæ ipsa in natura cernuntur, agnosces statim in tota rerum vniuersitate aliquid positiuè omnium maximum, suprenum cœlum, & aliquid negatiuè saltem minimum, etsi hoc non facilè monstrabis.

In singulis item speciebus & maximum & minimum, aut positiuè, aut saltem negatiuè.

Quinetiam si de ijs, quæ esse possunt, quæstio proponatur; Viuentia omnia fatebor ego certa habere constitutam quantitatem, vt sub quauis magnitudine & paruitate esse nequeant. Etenim corpore constant organico; nec organum quodcumque aut maximum, aut minimum, ad animæ functiones obeundas est aptum: quod artifices quoque experiuntur. Quare in 7. Politicorum libro cap. 4. vel etiam ciuitatibus præscribitur terminus, ne cuiusuis magnitudinis aut paruitatis sint, sed certum teneant modum, vt animalia, plantæ, & instru-

& instrumenta. Deinde accretionis principium finitam habet virtutem; vitalisque calor, dum auget, continenter consumitur, cessatque tandem augere. Ita & magnitudine & paruitate determinata est intrinsecè naturalis viuentium dispositio; non naturalis solùm extrinsecè.

5. Inter ea porrò, quæ non viuunt, de elementis præsertim disputatur: sed de cæteris quoque proportione. Elementa igitur tota & quatenus mundi sunt partes, mutuam habere oportet proportionem, neque ambitum lunæ excedere: & ideò & magnitudinem habent constitutam & paruitatem, vt totum illud spatium impleant.

6. Quòd si eorum natura per se spectetur, nullus est magnitudinis terminus; sed quemadmodum de igne affirmauit Philosophus nisi deesset materia, possent in infinitum crescere. Sunt enim homogenea corpora; quorum formæ nullam partium configurationem, organorumve distinctionem postulant: sed sola principum qualitatum viagunt. Neque ab interno principio, quemadmodum viuentia, sed externa accedente materia augentur: eóque sunt ad agendum robustiora, quò fuerint in maiore materia.

7. Nulla etiam est inexistentium partium constituta paruitas: neque cùm sint eiusdem rationis tota, vlla earum est, qua non possit alia minor ostendi.

8. De partibus per se existentibus posset sanè vtrumque probabiliter disputari: nescio tamen quo modo verisimilius existimem, ne eas quidem intrinsecè determinatas esse, sed fieri semper minores posse: tametsi à circumiectis corporibus aliisque causis externis earum conseruatio prohibeatur. Eiusdem namque rationis sunt tota, eorúmque formæ immediatè cum materia quantitate duntaxat & primis qualitatibus affecta coniunguntur: neque materia modò cum quantitate in minores semper partes diuidi potest, & primæ item qualitates cum quauis minima quantitate consistere; sed hæ ipsæ remissiores fieri possunt, atque cum illis elementorum quoque formæ, tum intenduntur, tum remittuntur.

De figura, quæ in quantitate fonta fpellat.

Habent igitur in rerum natura quantitatem finitam corpora singula: vnde figura aliqua in illis existit. Siquidem nil aliud est figura, quàm quantitas superficie aut linea vna vel pluribus terminata, velut quantitatis modus, non re, sed forma ab ea distinctus. Quam ob causam non ita potest à quantitate diuelli, vt absque illa per se cohæreat: & quamuis formaliter ad genus qualitatum pertineat, reipsa tamen est quantitas.

Porrò vt quantitas, sic figura nullius actionis principium existit: & vt nullum significat actum primum, qui per se sit, ita nec vllum habet actum secundum aut motum: sed si in illo corpore, cuius est terminus, aliquod sit principiũ mouẽs, siue internũ, siue externũ, quemadmodũ quantitas conditio est necessaria corporis mobilis, quia omne, quod mouetur, quantum esse oportet & partibile, vt in 6. lib. Phys. tex. 32. demonstratur, sic figura, quæ modus quispiam est corporis mobilis quoad actum primum, actui quoque secundo & motui adfert modum: tum vt talis sit motus, qualis est figura: tum vt velocior fiat aut tardior, faciliùs nimirum aut ægriùs diuiso medio. Et ideò solùm iuuat localem motum, qui secundum duntaxat actum significat, non item reliquos, qui formam quampiam producunt: quoniam nec quantitas, nec figura, fœcunditatem vllam habent.

Sunt autem corpora quædam, quæ natura sua propriam sibi figuram habent, vt cœlum & viuentium genus. Et quoniam in his figura est potissimùm propter operationem, ea est, quam postulat operatio, corporisque conditionem consequitur, & talis est, qualem illius dignitas requirit. Itaque non temerè conditio corporis ex figuræ conditione colligitur: duplicique viuersè distincta figura, vna recta, altera, quæ orbe concluditur, posterior priori meritò anteponitur. Vt enim vnico termino continetur, ita simplicior est atque natura prior, quodámque modo infinita, dum vna quidem ex parte nihil illi potest addi, ex altera vero aliquid semper eius est, quod accipiat. Est etiam omnium capacissima, & ad resistendum propterea robustissima, quòd singulæ illius partes alijs sustentantur. Quam ob causam fornicata ædificia omnium firmissima existimantur: & natura figuram eam in omnibus, quoad fieri potest, procurat. Et in cœlo quidem ac elementis facilè assequitur: in viuentibus autem, si omnino non potest, quòd eorum operationes non permittant, in singulis certè membris ac partibus quàm maximè æmulatur. Ad extremum est hæc figura in motu prorsus admirabilis: non modò quia sola est ad motum sempiternum accommodata: sed etiam quia id, quod in orbem vertitur, immobiliter quodam modo & quiescendo mouetur; dum in eodem semper consistit loco, neque ex loco ad locum vnquam totum mutatur. Immò dum circa duo puncta veluti polos voluitur, omnes propemodum habet motus. In illa enim in orbem conuersione idem corpus ratione quarundam partium velociùs, tardiùs ratione aliarum mouetur: tardiùs siquidem voluuntur eæ, quæ polis propinquiores sunt; velociùs quæ longiùs ab illis distant. Aliquis etiam cernitur motus rectus, tum naturalis, tum contra naturam: quatenus partes quædam descendunt, aliæ ascendunt. Vt sapientissimè egerit natura, vel auctor potiùs naturæ; dum eam figuram dedit cœlesti corporis omnium simplicissimo, primo, nobilissimo, & sempiterno, quòd cætera omnia & continere debuit, & conseruare, & citra ea perpetuò volui. Alia verò sunt, quæ ab alio potius externo configurantur: siue quòd illorum corporum motum ea consequatur figura; quemadmodum propterea terra & aqua sunt sphæricæ, quòd omnes earum partes æquè ad centrum confluant. Siue id à continente corpore fiat. Sic enim ignis à cœlo & aër ab igne configurantur, in orbem, quæ rectam potius aut pyramidis figuram propria sua vi haberent.

Circuli præstantia.

Elementorũ figura.

TEXTVS.

Επὶ δὲ τῆ αὐτοτελεστάτῃ τῆς ψυχῆς δραστικῆ καὶ γνωστικῆ, τοιαύτη τροφῆς ἁπλουστάτου δεομένη τυγχάνει. ἀφορίζεται γὰρ πρὸς τὴν δύναμιν ταύτην ἔργῳ τοιούτῳ.

Tex. 42. *Quoniam autem eadem animæ facultas altrix & procreatrix, de alimento necessarium definire primum. Separatur enim ab alijs facultatibus opere hoc.* A

COMMENTARIVS L.

VEgetantis animæ facultates ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, tres esse colliguntur; nutrix, auctrix, genitrix: trésque illius operationes; nutrire, augere, gignere: Quas omnes esse ab anima atque ab hoc principio in viuentibus exerceri; ex eo manifestum est, quod animam demonstrauit in viuentibus esse causam, tum formalem, tum finalẽ, tum efficiẽtem. Cõsequens igitur erat de his facultatibus agere. Sed quoniã iuxta methodum antea propositam prius agendum est de illarum obiectis; primùm incipit agere de alimento, tanquam de obiecto, circa quod versantur omnes; quóque à ceteris facultatibus distinguuntur. A sentiente inquam, appetente, mouente, & intelligente; quæ alia prorsus habent obiecta, de quibus post alimentum agetur. B

Altrix & genitrix re eadem facultas.

Quod autem facultatem alentem & gignentem ait esse eandem; sunt qui intelligant eandem esse, sicut genus & species, animal & homo: quoniam genus cum specie distinctum non facit numerum. Hanc verò illi interpretationem habent, quòd non alentem, sed vegetantem legant: cùm tamen Græcè sit, θρεπτικὴν. Ergò reliqui non genus vniuersum exponunt; sed nutrientem facultatem, cum qua intelligatur ea quoq. quæ auget. Sicut & in tex. 34. vtramque communi nomine appellauit, eam, quæ vtitur alimento. Has verò facultates omnes eandem esse fine iudicauit Philoponus. Quoniam & nutritio & auctio ad procreationem similis referuntur; & ideò factæ sunt, vt obsequantur illi; estque æquum à fine omnia nominare. Verùm ego non hanc opinor fuisse Aristotelis mentem. Siquidem nutritio & auctio per se primò viuentibus tributæ sunt, vt suam conseruarent & perficerent vitam, vt quàm optimè iuxta suam naturam operari possent. Sed potiùs dixisse eandem facultatem esse, aut genere, quemadmodum S. Thomas exposuit. Quinque enim facultatum genera antea distinxit, vegetans, sentiens, appetens, mouens, intelligens; atque ad vegetans hæ omnes pertinent, nutriens, augens, & gignens. Aut obiecto, vt placuit Auerroi. Nam si facultates ex obiectis distinguuntur, vt antea definitum est; quæ idem obiectum habent, verè eadem facultas esse dicuntur. Omnes autem circa alimentum versantur; & ideò agendum de alimento tanquam communi omnium obiecto. Quoniam tamen alia atque alia ratione circa illud versantur singulæ; nutriens, vt est substantia ad reficiendum & conseruandum apta; augens, vt est quantum ad augendum illius corpus & singulas partes opportunum, gignens demum, vt est indiuiduo illi superfluum atque ad aliud sibi simile procreandum vtile. Idcircò sub eodem vegetantis genere tres hæ facultates specie distinctæ cõtinentur: quæ idem materialiter habent obiectum, forma & considerandi modo diuersum. Idcircò eas dixit Philosophus eandem facultatem esse, non simpliciter, sed quoquo modo, hoc est aut genere, aut obiecto materiali & remoto. C D E

Digressio XXII. De triplici vegetante facultate.

TRes esse vegetantis animę facultates, altricem, auctricem, & procreatricem, & constituit Philosophus, & manifesta ratio concludit. Cùm enim caloris & aliarum externarum causarum actione cõtinenter consumatur illud humidum, quo viuentium vita debuit sustentari, necessarium fuit eorum conseruationi prouideri subsidio facultatis cuiusmodi, qua restaurare possent atque in seipsis reponere id, quod ab alijs causis fuisset absumptum. Et quoniam nihil subitò ad perfectionem adducit natura, quin potiùs ab imperfecto ad perfectum paulatim progreditur, viuentia, quæ cùm primùm prodeunt in lucem imperfecta sunt omnia, tum propter seminis paucitatem & materiæ, ex qua fuerunt genita, tum propter angustias loci, in quo formata: & ideo inepta prorsus sunt ad eas functiones obeundas, quæ sunt eorum naturæ propriæ: opus omnino habuerunt alia virtute, qua ad eum statum & conditionem traducerentur, in qua operationibus omnibus quàm absolutissimè fungerentur, membris omnibus factis grandioribus atque ad operandum magis accommodatis. Denique quoniam vniuersum hoc viuentium genus, quod lunæ ambitu continetur, dum subsistit in singulis, caducum est & mortale, neque possunt eadem numero viuentia perpetuò conseruari, tertia fuit addenda virtus, qua mortalitas hæc & caducitas indiuiduorum, propagatione vnius indiuidui simũlis ab alio ita compensaretur, vt si non idem indiuiduum, eadem certè speciei natura conseruaretur.

His porrò tribus virtutibus satis fuit omni ex parte, tum incolumirati indiuidui & opportunæ ad operandum magnitudini, tum speciei conseruationi prouisum. Nutrientis finis est esse simpliciter, auctricis esse cum iusta magnitudine, genitricis esse perpetuum. Quoniam cùm hæc anima ad vitam & viuentium esse referatur tota; hoc aut gigni debet ab alio, aut genitum conseruari & perfici. Dicam verius: hoc esse aut perfici debet, aut conseruari: hæcque conseruatio tum in indiuiduo esse debuit quoad fieri potuit, tum in specie. Perficitur virtute auctrice, conseruatur in indiuiduo facultate altrice, ac demum in specie facultate genitrice.

Itaque tria distingues entium genera. Primum illud omnium perfectissimum, quod & immortale est, & penitus immutabile, tam intrinsecè, quàm extrinsecè. In eo neque alitio inest, neque accretio: sola viget generatio facultásque gignendi: non ex defectu & indigentia, vt species scilicet conseruetur; sed ex sola naturæ fœcunditate, qua seipsum alteri communicare potest. Hoc ens est solus Deus. In cuius generatione etsi diuersitas suppositorum reperiatur, identitas tamen est naturæ. Qua in re à cæteris omnibus procreationibus magnopere diuina hæc generatio distinguitur. Quòd cùm alia omnia gignendo communicent suam naturam diuerso indiuiduo aut supposito; maiorem, quàm speciei, nunquam identitatem assequuntur. Solus Deus eandem numero naturam diuerso largitur supposito, estque perfectissima generatio & absque mutatione vlla.

Alterum

In intelligentijs & cœlo nulla.

Alterum genus entis est, quod etsi aliquam extrinsecè mutationem susciPiat, intrinsecè tamen penitus est immutabile & immortale. Quare nec nutritione indiget, nec accretione, neque alterius sibi similis procreatione. Et quoniam ens est finitum & limitatum; eam non habet naturæ fœcunditatem, quam Deus: nec vllo modo potest seipsum alteri supposito communicare, simile sibi gignendo. Hæc intelligentiarum conditio est & cœlorum, quæ nullo modo alteri se communicant; nisi fortasse homonymè, dum tanquam causæ vniuersales ad inferiorum rerum procreationem concurrunt.

In viuentibus sublunaribus omnes.

Tertium ac postremum est entis mutabilis & caduci, quòdque non statim à principio omnem suæ naturæ perfectionem habet. Et ideò omnibus illis, quas commemoraui, facultatibus subleuatur, vt ex singulari naturæ prouidentia imperfectionem & caducitatem conditionis suæ quoquo modo compenset. Hæ sunt res sublunares, in quibus eæ præsertim, quæ viuunt, tribus illis facultatibus perfectissimè vtuntur; non viuentes quoquo modo. Ignem enim constat sibi simile gignere, nutriri, & augeri, vt in textu 41. & in posteriore libro de ortu & interitu textu 50. confirmat Philosophus. Lapides item nutriri videntur & augeri; etsi non generent, complura sunt viuentia, quæ sibi simile procreare non possunt, vt plantæ permultæ quæ carent semine, & animalia nonnulla. Quam ob causam non defuerunt, qui eodem prorsus modo & inanimata & animata nutriri dicerent & augeri. Sed verissimè scriptum est in tex. 37. nihil augeri, nisi alatur; nihilque ali, quod vitam non participet. Immò in textu 50. paulò ante citato, cùm hoc videret Aristoteles, laborauit non parum, vt modum exponeret, quo ignis inter inanima omnia nutriri dicatur.

An in nō viuentibus hæ operationes insint.

Marsilius igitur in priorem librum de ortu & interitu quæstione 11. inanima nutriri dixit & augeri appositione, quemadmodum & partes animalium porosas. Sed partes hasce intra seipsas nutrimentum susciPere, inanimata nequaquam. Verùm appositio intusue susceptio localem motum significant, essèque videntur extrinsecæ & accidentariæ, dum in nutritione aut accretione considerantur. Nec desunt lapides foraminibus & cauernulis pleni, quibus alimentum vbique susciPiatur.

Reponatur 1. lib. de accretione.

Alij triplex omnino posuerunt discrimen: primum, quòd in viuentibus eadem semper anima perseueret, in cæteris noua gignatur forma. Deinde, quod nutritio viuentium ad heterogeneas partes terminetur, cæterorum ad homogeneas. Denique quòd, vt est in textu 41. ad certam & constitutam magnitudinem augeantur viuentia; reliqua materiæ additione fieri semper maiora possint. At primum, quod affirmatur, est perquàm falsum. Si enim animam nostram excipias, reliquæ materiales sunt & partibiles, nouaque accedente materia de nouo subinde gignuntur; non minùs, quàm non viuentium formæ. Alterum ex accidente videtur esse. Nam si veram nutritionis formam consideres; parum refert, an homogeneæ, an heterogeneæ partes nutriantur. Quinetiam in viuentibus quoque homogeneæ primùm nutriuntur, deinde quæ ex illis componuntur heterogeneæ. Tertium accommodatè magis dicitur, sed ex principio pendet, à quo fit accretio. Hoc in viuentibus est anima calore vtens. Ea enim corporis membra & organa omnia determinatæ cuiusdam magnitudinis postulat, vt operari possit. Calórque agendo ita debilitatur & frangitur, vt eandem alimenti quantitatem suppeditare semper nequeat. At non viuentium formæ alijs opus non habent organis, quàm qualitatibus; possuntque sub quauis quantitate consistere: & qualitates, quibus agunt, etsi dum agunt repatiantur; si tamen victoriam reportent, potentiores tandem euadunt.

His adde viuentium nutritionem & accretionem quatuor omnino causis à non viuentium nutritione atque accretione differre. Nam si formam consideres, viuentia per omnes partes & vndequaque nutriuntur & augentur: non viuentia in eaduntaxat, cui externa additur materia. Sin materiam quæras, inanimata augentur solùm ratione materiæ, quæ antecedenti non corruptæ apponitur, vt in lapidibus videre est, alijsque omnibus; præter ignem, qui dum sua leuitate ac tenuitate supera petit loca, continenter euanescit. Animata non dicuntur augeri ratione materiæ, quoniam hęc accedit & recedit; sed magis formæ, quæ eadem semper est & perfectiùs, quàm antea, operatur. Efficiens porrò causa in viuentibus sola est anima per calorem, in non viuentibus naturalis forma per singulorum proprias qualitates. Sed in his ab aliquo alio apponi materiam oportet; anima nullo indiget. Trahit enim alimentum ipsa, retinet, coquit, in omnes tribuit corporis partes, atque in membrorum naturam commutat. Postremò inanimatorum finis in omni operatione est sibi simile procreare; vt videre est in igne, qui nunquam idem permanet; sed alius semper est & alius; tametsi propter materiæ contiguitatem idem esse videatur. Quod in 2. Meteororum libro cap. 2. confirmat Philosophus; ignem quoque propriè nutriri negans, quòd idem nunquam permaneat. Immò si qua esset separata materia, & in eam ageret ignis, commutaret illam perinde ac si esset sibi coniuncta. Nec tamen hæc appellari nutritio posset, sed solùm generatio. Atque fruuntur vita, volunt seipsa quoque singula conseruare & perficere: eamque ob causam & alimentum intus susciPiunt & sibi adiungunt; nec nutrimentum à se diuisum, sed quod cum illis coniunctum sit, in substantiam suam commutant.

Procreatio viuentium qualis.

Cæterùm quoniam ex omnibus illis actionibus, quæ viuentium propriæ esse creduntur, procreatio potissimùm inanimatis item inesse videtur, eam quoque sciendum est plurimùm à viuentium generatione differre. Primùm vel ipsa appellatione. Namque inanimata fieri dicuntur, produci, gigni, nasci propriè non dicuntur. Viuentia nascuntur propriè, eorúmque procreatio natiuitas nominatur. Deinde tempore. Inanimata enim tempore quouis gignunt, animata non nisi certo quodam & constituto. Tum verò loco. Nam illorum procreatio fieri vbique potest; hæc non nisi in aliquo tanquam conseruante vase ad id præparato nascuntur, animalia in vulua, plantæ in terra. Præterea modo quoque generationis. Quoniam animata, dum aliud generant, conferunt aliquid ad generationem ex sua substantia (semen, sanguinem, ouum) quod remaneat in genito.

Inanimata nihil tui largiuntur, sed qualitatibus, quæ agendi vim habent, in externam operantur materiam. Et ideò maior multò in illis, quàm in his, seruatur vnitas. Denique in animalium generatione non solùm animali gignens generationi materiam subministrat; sed accretioni quoque & perfectioni vsque ad quendam terminum. In vulua enim tum nutritur fœtus, tum augetur ex materia, quam suppeditat mater. Et in illis quoque, quæ nascuntur ex suo, ita rem habere reperies in tertio libro de animalium ortu cap. primo & secundo ex albumine namque procreantur, ex vitello nutriuntur & crescunt. A

Neque verò propterea existimandum est genitricem hanc facultatem non esse vegetantis animæ propriam, quòd animata omnia sibi simile hoc modo non gignant. Non enim propterea illius propria existimatur, quòd illam semper & necessariò comitetur, cum ijs saltem instrumentis, quæ ad eum vsum fuerunt à natura præparata. Sed eam potiùs ob causam, quòd in omnibus, in quibus viget, huiusce animæ beneficio vigeat. Nam etsi animalia quoque, quæ sentientem animam habent, facultate hac & operatione polleant: ideò tamen pollent, quòd in hac anima vegetantis perfectio contineatur. Quibusdam viuentibus non dedit hanc facultatem natura, necessarijs saltem instrumentis instructam: quòd alio modo procreari facilè possent; siue ex putredine, siue diuersarum specierum permistione in animalibus; siue abscisso, & transplatato ramo in plantis. B

Quæ hactenus dicta sunt, eò tandem spectant, vt cùm tria entium genera initio distincta fuerint; ostenderetur, quomodo tertium illud genus tribus hisce instructum facultatibus & operationibus, alente, augente, & procreante, viuentibus maximè conueniret, cæteris quoquo modo: quámquã meritò facultates hæ vegetantis animæ propriæ dicerentur: quarum duæ viuenti per se considerato conuenirent, tertia bonum & conseruationem speciei quæreret: & ideò duæ illæ magis in trinsecæ sunt, & cuiq. necessariæ; tertia hæc nõ item. C

Minuens cur inter facultates non numerentur.

Hinc etiam intelligitur, quæ sit causa, cur inter huius animæ facultates augentem numeremus, minuentem non item. Anima etenim vegetans per se primùm ad conseruandum & perficiendum comparata est; & omnino ad ea, quæ ad vitam eiúsque functiones pertinent. Hæc sunt nutritio, accretio, procreatio. Decretio ad interitum potiùs & ruinam tendit, vitæque operationes omnes mutilat ac prorsus impedit; vt in senibus manifestum est. Deinde ad hoc non fuit opus propria vlla facultate, sed satis erat nutrientem & augentem virtutem debilitari & frangi. Adde comparatione accretionis decretionem esse veluti priuationem, aut quidpiam certè minùs præcipuum; atque sub potiore virtute comprehendi, cùm commune nomen non adsit, vt Aristoteles loquebatur in tex. 6. lib. 3. Phys. & tex. 18. libri 5. D E

Cur naturales dicantur.

Cur autem hæ operationes appellentur naturales, quamuis operationes animæ sint; hanc in Epitome Metaphysicæ, tractatu prim, capite vltimo insinuauit causam Auerroës; quòd anima, cuius operationes existunt, omnium simplicissima totaque penè homogenea sit; atque in singulis corporis partibus, quemadmodum natura, suas omnes functiones habeat. Ita etiam ferè in plantis habere cernimus. Anima verò hoc differre à natura videtur, quòd vt multiplicem habet operationem, sic magnam præsefert organorum distinctionem atque in singulis alias atque alias prorsus operationes. Eam etiam habet causam Thurisanus Commentar. 12. in secundum artis paruæ librum; operationes hasce, præsertim nutritionem & accretionem, naturales appellari, quòd insitæ atque innatæ in ipsis membris videantur; non influxæ, quemadmodum sensus, pulsus, & motus; qui ex influxa potissimùm complexione pendent. Crediderim potiùs ego naturales nominari; tum quòd entium merè naturalium operationibus persimiles sit, & cum illis quasi communes: siquidem ea quoque & nutriri quoquo modo videntur, & augeri, & procreare: tum quòd in viuentibus quoque per instrumenta merè naturalia, hoc est per calorem perficiuntur; sicut in igne. Tum demum quòd necessariò & ad modum naturæ, non cum magna libertate, fiunt; animáque ipsa vegetans forma naturalis appellari solet.

Iam verò si earum ordinem consideres; etsi generatione priùs sit viuens procreari, quàm nutriri aut augeri: quoniam tamen accipere omnes in eodem viuente oportet, quod & nutrire, & augere seipsum, & aliud sibi simile procreare posse: primam omnium facimus facultatem eam; quæ nutrit: quòd prima huius animæ operatio sit nutrire & tueri seipsam. Hanc accretio sequitur, quia ex alimento sumpto augere debet & perficere viuens, in quo ipsa est. Postrema accedit alterius sibi similis procreatio. Tum quia hæc ex parte alimenti superflua & residua perficitur. Tum quia perfecti & robusti iam viuentis operatio est, vt diximus in textu 34. Tum quia, vt est in textu 49. quasi reliquarum finis est, vt eius subsidio perpetuitatem illam, quam tantopere optat, consequatur natura.

Itaque si perfectionis ratio habeatur, secus omnino iudicandum erit. Omniúmque præstabilissima erit genitrix. Tum quia perfectorum & non mutilatorum propria, cùm reliquæ in imperfecta potissimùm ætate vigeant. Tum quia omnium vltima operatur, aliásque omnes supponit. Immò Philoponus interpretationem faciens textu 19. & 42. propter eam tanquam finem, & nutrientem, & augentem tributas fuisse credidit. Ea etiam extra se operatur. Qua in re tum ad sentientis animæ, quæ circa res exteriores agit, perfectionem accedit: tum Dei æternitatem æmulatur, dum naturam & speciem facit perpetuam. Denique illius operatio, communicare seipsum & diffundere, totúmque viuens simpliciter procreare, operatio præstantissima est, quæ ex illis omnibus in Deo solà reperitur.

De nutriente & augente constituunt multi, & inter eos S. Thomas in expositione textus 49. melioremem augentem esse; quòd posterior sit, & ad perfectum adducat statum, robustioréque calore indigeat. Philoponus quoque inter Græcos non dubitauit affirmare propter accretionem fuisse plantis vim nutriendi datam. Verùm hæc, quæ ad illius facultatis præstantiam ostendendam adferuntur, extrinseca sunt. Etsi vim & naturam vtriusque intimam consideres, præstabiliorem multò animaduertentes

maduertes eam esse, quæ nutrit. Nam si operationes vtriusque contempleris, vt motus quidam aut mutationes diuersæ sunt; cum naturam suam accipiat motus à termino, sanè eò nobiliorem nutritionem accretione esse intelliges, quò magis substantia quantitati præstat. Deinde si quatenus facultates quædam sunt, operationes earum intuearis, altricis operatio est absumptæ substantiæ reparatio, quæ generatio quædam est atque ad singulorum conseruationem refertur; quemadmodum vniuersæ naturæ conseruationem procurat procreatio. Accretio solam habet maioris quantitatis aquisitionem. Tum verò si obiectum quæras; vtriusque obiectum est alimentum: sed altricis vt est substantia, procreatricis vtquantum, vt est in tex. 47. Quare si ex operationibus & obiectis de facultatum natura iudicandum est; nobiliorem multò ac dignorem altricem facultatem esse concludes. Illud etiam non parum habet momenti, quòd hæc facultas tàm præclaram & efficacem habet operationem, vt alterius quoque facultatis obiectum simul acquirat. Dum enim substantiam comparat, qua viuentis natura conseruetur, cum ea quantitatem quoq. adducit, qua augeatur. Procreationis sanè materiã quoq. lucratur: at remotè; postque nutritionem omnem perfectam opus est mutetur in semen, & nouam gignendi atque formandi fœtus virtutem accipiat. Et hæc quidem de harum facultatum perfectione ego sentio.

Quid habeant commune.

Quòd si quid illis commune sit, quid proprium, quæratur: communem omnes habent originem, idémque principium: cùm ab eadem omnes oriantur anima. Communeitem obiectum; quod nutrimentum esse dixit Philosophus tex. 47. Commune subiectum, saltem remotum; totum scilicet coniunctum, dum suam habent solitariam naturam. In homine verò antea dictum est, quomodo saltem organicè facultates appellẽtur. Deniq. communi omnes vtuntur instrumento, naturali calore.

Quomodo differant.

At non parùm distinguuntur: tum obiecto formali. Nam alimentum est altricis obiectum vt substantia auctricis vt quantum; genitricis vt superfluum. Tum fine. Quoniam genitrix speciei conseruationem spectat, reliquę conseruationem & perfectionem singulorum. Tum proprijs earum operationibus; quę sunt absumptam substantiam reponere, facere maius, sibi simile procreare. Tum subiecto. Quòd altrix, & auctrix per totum corpus fusę sunt, atque in omnibus partibus operantur: genitrix in animalibus vnam habet determinatam partem, testes aut etiam spermatica vasa. Tum instrumento. Quia earum vna maiore ac vehementiore, quàm alia, calore indiget. Tum demum tẽpore. Nam auctrix & genitrix determinatum habent & constitutum tempus, altrix per totam vitam operatur. Semper enim necesse est restaurari substantiam, quę continenter absumitur, & vt est in tex. 14. & 47. tandiu viuentia viuunt, quandiu aluntur. Accretio, quę conuenientem duntaxat atque ad operandum opportunam quantitatẽ quęrit vbi hęc fuerit acquisita, finem habet; ne nimia corporis moles excreseat, quæ omnem potius operationem impediat. Generatio autem perfectum viuens naturamque potentem ac robustam postulat. Quam ob causam neq. in prima, neque in postrema, sed in media ętate viget. Deinde debilitat nimium & frangit vires; obfuisset que plurimùm, si omni tempore generare viuentia potuissent. Immò eo ipso tempore, quo apta est operari, propterea licet absque vllo scelere ab illius officio temperare; à nutritione & accretione non licet. Conseruare enim seipsum est cuique maximè naturale hocque impedito interitum sequi necesse est. At species, si ab vno indiuiduo non conseruetur, conseruabitur ab alio: hęque operatio, dum incolumitatem speciei procurat, indiuidui vitę plurimùm obest.

A procreatione cur liceat abstinere.

Maiorem habet discriptionem; num eæ inter se differant re, an forma duntaxat. Facilior erit explicatio, si facultates ab anima re distingui negẽtur. Quoniam si ita esset, ne inter seipsas quidem re differrent: quod aperte voluit Simplicius in com. tex. 9. lib. 1. sed aut forma, aut sola mentis nostrę actione. Facultates enim altrix & genitrix circa substantię generationem versantur: neque alitio quidquam est aliud, quàm partialis quędam generatio. Altrix autem & auctrix secundùm magis & minùs differre videntur. Ambęque circa substantiam quantam ita occupantur, vt si substantię tantumdem reponatur, appelletur alitio; si plus aut minùs, accretio vel decretio. Sunt tamen qui altricem & genitricem re distinguant, altricem & auctricem sola ratione.

Ego non forma modò, sed re quoque genitricem iudicio à cęteris distinguendam esse ab illis omnibus, qui facultates velint re ab anima separari. Hoc enim non solùm testantur operationes, & operandi modi, tempus operandi, effectus producti, & obiecta tantopere diuersa: sed distincta quoque subiecta ostendunt. Nam cùm duę reliquę facultates per omnia membra diffusę sint; genitrix certam habet in vnica corporis partem, saltem in animalibus, sedem.

De altrice & auctrice posset sane pro vtraque parte probabiliter disputari. Quia vt substantia & quantitas distiguuntur re; sic affirmari posset duas esse re distinctas facultates, quę circa illas occupentur. Probabilius tamen iudico, vnicam esse re, duas forma. Quòd vnica re facultate sit satis; necessaria facit coniunctio inter substantiam & quantitatem. Neque enim sine quantitate vnquàm acquiritur substantia: eadémque facultas vtrámque viuenti comparat: & si plus addatur substantię & quantitatis, quàm fuisset consumptum, augetur viuens; si minùs, decrescit; si equale, nutritur in eodem consistens statu. Nam & toto vitę tempore aliqua semper & nutritio & accretio aut decretio efficitur. Quoniam etsi vera illa propria accretio & decretio, quæ dimensionibus omnibus constat, tempus habeat constitutum, nec in tota vigeat vita; omni tamen tempore potest viuens alimentum sumere absumptæ substantiæ æquale, in eademque magnitudine conseruari: potest sumere maius, & ita pingescet, latitudinéque saltem augebitur: potest sumere minùs, macrescetque, extenuabitur, atque dimensione euadet minus. Eandem rerum identitatem ostendunt eadem vtriusque facultatis loca. Ambæ namque per omnia membra diffusæ sunt; & vbicumque operatur earum vna, operatur & altera. Certè Philosophus dum in tex. 34. duo solùm vegetantis animæ opera numerarit, gignere, & alimento & tex. 43. lib. 3. accretionis & decretionis causam esse genitricem ac nutricem animam; duas visus est præcipuas facultates significare, réque eandem esse & vnam quæ

circa alimentum verſetur vt eſt ſubſtantia, & vt quantitatem habet. Neque vllus eſt, qui decretionem affirmet à facultate proficiſci re diſtincta ab ea, quæ auget. At ſi eadem facultas re facere maius poteſt & minus; quidni æquale poſſit? Verùm quamdiu viuentia magnitudinem eandem tuentur, ſolam dicimus altricem facultatem operari, quæ ſubſtantiam æqualem apponit: illo igitur quoque tempore, quo augentur & minuuntur, eandem re affirmare licet facultatem eſſe, quæ cum maiore aut minore calore plus aut minus ſubſtantiæ comportet.

Facultas hæc, quæ has omnes operationes exequitur, ſi commune nomen habere poſſit, reſtauratrix facultas appelletur. Totam enim in eo, quod abſumptum fuerat, reſtaurando laborat: & interdum plus, interdum æquale, interdum minus, reſtituit: vt calor, quo ea vtitur agendo, vehementior fuerit, aut debilior. Porrò hæc reſtauratio non ſubſtantiæ modo, ſed & quantitatis eſt. Tum quia ſine quantiate acquiri ſubſtantia non poteſt. Tum quia vt ſubſtantia, ſic quantitas quoque ſubtracta fuerat; & vtraque opus habet reſtauratione. Dicimus tamen nutritione reſtaurari potiùs ſubſtantiam, quàm quantitatem. Tum quia ſubſtantia per ſe primùm & conſumitur & reſtauratur: quantitas ſecundariò & conſumptione reſtaurationéque ſubſtantiæ. Tum quia propria nutritionis operatio eſt reſtaurare ſubſtantiam, eiuſque finis, indiuidui conſeruatio; quæ ex ſubſtantia potiſſimùm pendet. Tum quia nutritio formaliter in mutatione verſatur alimenti in naturam viuentis, quæ ſubſtantiæ mutatio eſt. Tum demum quia conſumptio, & acquiſitio ſubſtantiæ manifeſtior eſt, quam conſumptio acquiſitione quantitatis: ſi quidem illæ fiunt per ſe, hæ ex accidente, naturalique ac neceſſaria conſequutione.

Poſtremò vtraque hæc facultas idem re habet obiectum alimentum, ſoláque diſtinguitur forma: dum vt eſt ſubſtantia nutrit: vt eſt quantum, auget. Propterea vbicumque Philoſophus ſpecies motus diſtinxit, ſeparauit ſemper motum ad quantitatem ab ea mutatione, quæ eſt ad ſubſtantiam: accretionémque & decretionem ſpecie numerauit à generatione diuerſam. Vt inde etiam manifeſtum eſſe poſſit, auctricem facultatem forma ſaltem & ſpecie diſtinguendam eſſe ab altrice: præſertim quòd altera toto vitæ tempore operatur, altera certum habet & præſcriptum tempus. Vna plus caloris poſtulat quam altera. Ac demum diuerſos habent fines propoſitos, diuerſas definitiones, diſtinctas operationes, & diſtincta formaliter obiecta.

Videtur autem eſſe alimentum contrarium contrario: non omne autem omni: ſed quæcumque contrariorum non ſolùm generationem habent ex ſe inuicem, ſed & auctionem. Gignuntur enim multa ex ſe inuicem, ſed non omnia quanta, vt ſanum ex ægrotante. Videntur autem neque illa viciſſim alimentum eſſe: ſed igni quidem alimentum aqua, ignis autem non alit aquam. In ſimplicibus igitur corporibus hæc eſſe videntur maximè, hoc quidem alimentum, illud autem quod alitur. Text. 4

COMMENTARIVS LI.

ACturus igitur de alimento, quóniam manifeſtum erat, non ex quolibet nutriri viuentia & ſuſtentari, ſicut neque ex quolibet, fit quodlibet, vt in naturalibus dictum eſt: ab alimenti viuersè ſumpti conditionibus principium facit: vt intelligat, quale illud eſſe oporteat. Præſertim cùm de hoc quoque aliqua eſſet inter antiquos Philoſophos concertatio: aſſerentibus quibuſdam alimentum debere eſſe diſſimile & contrarium alito: alijs verò debere eſſe ſimile.

Tres igitur conditiones ponit. Prima eſt, vt quo quo modo viuenti, quod ex eo nutriri debet, contrarium ſit: in principio ſcilicet nutritionis, & antequàm coctum ſit. Nam vt viuens nutriatur, alimentum neceſſe eſt in illius ſubſtantiam mutari: & vt mutetur, inter illa eſſe actionem & paſſionem; hæcque non niſi inter contraria fit. Abſoluta tamen contrarietas non eſt. Tum quòd alimentum non longè à viuentis corporis natura diſtare oportet, vt faciliùs in eam mutetur. Tum quòd nec alimentum, nec viuentis corpus, ſummè calida ſunt aut frigida, humida aut ſicca. Ergò quaſi media quoquo modo temperata minuſque ſæuientia contraria ſunt. Neque audiendus eſt Simplicius, dum non veram contrarietatem; ſed priuantem oppoſitionem, qua alimentum alijs caret forma, propterea interpretatur, quod ſubſtantiæ ſubſtantia propriè non ſit contraria. Non enim ſubſtantiæ, ſed qualitatum ac temperamenti contrarietatem Philoſophus voluit, quæ alterationem, immutationem, & omnino nutritionem adferet.

Altera, vt non ſolùm ſit contrarium, ſed & eiuſmodi, vt ſui mutatione augeat id, in quod mutatur. Multa enim ex ſeſe inuicem fiunt & viciſſim mutantur: vt ſanum ex ægrotante, & ægrotans ex ſano; album ex nigro, nigrúmque ex albo; nec tamen ex vno augetur alterum. Quibus verbis, vt interpretatur Auerroës, ſignificare voluit, alimentum ſubſtantiam eſſe debere. Subſtantia enim eſt, que ita nutrit, vt ſimul etiam quantitate augeat, quam ſecum ſemper adducit. Accidentia autem omnia, quæ contrarietatem habent, mutationem quidem vnius in alterum habent, ſed nutritionem & accretionem non habent. Præter quam quod vbi materia non eſt, nequit eſſe mutatio: & niſi alimentum materiam habeat, quæ poteſtate ſit ad viuentis formam, in illius ſubſtantiam mutari omnino non poterit: Quod ſi materiam habeat, ſubſtantia erit.

Atqui

TEXTVS.

Δοκεῖ δὲ ἕν τι εἶναι, τὸ ἀντικείμενον πρὸς ἕκαστον. οὐ πᾶν δὲ παντὶ, ἀλλ' ὅσα περὶ ἐναντίων μὴ μόνον γενέσεσιν ἐξ ἀλλήλων ἔχει, ἀλλὰ καὶ αὔξησιν. γίνεται γὰρ πολλὰ ἐξ ἀλλήλων, ἀλλ' οὐ πάντα ποσά. οὐδ' ὑγιὲς ὂν κάμνοντος. φαίνεται δ' οὐδὲ ἐκεῖνα τὴν αὐτὴν ἔχοντα διάθεσιν ἔνια θρέμματα. ἀλλὰ τῷ πυρὶ μὲν τὸ ὕδωρ τροφὴ, τῷ δὲ πυρὶ εὐτρέφει τὸ ὕδωρ. ἐν μὲν οὖν τοῖς ἁπλοῖς σώμασι ταῦτ' ἔστι δοκεῖ μάλιστα, τὸ μὲν τροφὴ, τὸ δὲ τρεφόμενον.

At non propterea voluit Philosophus, nutritionem perpetuò cùm accretione esse. Nam consistentiæ tempore nutriuntur viuentia, nec augentur; immò minuuntur in senio.

Verùm aut solùm voluit alimentum esse quantum & corporeum, quod eo corpus quantum nutriendum sit. Nam propterea non omnem contrarietatem dixit nutriendo esse; neque mutationem omnem esse nutritionem. Sed in omni ætate additur quantum quanto: neque substantia modò, sed & quantitas restauratur. Aut nutritionem significare voluit aptam esse augere quoque sua natura; etsi ex accidente fiat, vt minuto calore non augeat. Aut demum in omni vita consideratur auctionem quandam, si non propriam per omnes dimensiones, certè per vnam aliquam; dum obæsa magis & pinguia aut corpulenta euadunt.

3. Tertia conditio est; vt alimentum sit velut quidpiam materiale & imperfectum comparatione illius, quod ex eo nutriri debet. Vt enim materia se habet ad formam & ad agens; ita habere se oportet alimentum ad viuens, à quo alterari atque in suam formam & substantiam mutari debet. Hoc vel in simplicibus corporibus, quæ minùs propriè nutriri & augeri dicuntur, facilè animaduertas, nam ea aliorum, quæ imperfectiora & velut materia comparatione illorum sunt, alimentum esse dicuntur. Quemadmodum aqua, hoc est humidum velut aqua, & vnctuosum sicut oleum, quod ex æëre & constat, Themistij Philoponique sententia pabulum est & alimentum ignis, quo eius mutatione sustentatur, & augetur. Vel aquam dicit elementum igni contrarium. Inter contraria enim est actio, mutuáque mutatio. Et ideo ignis agit in aquam, velut contrarium magis materiale & imperfectum, in suámque naturam mutat; & augetur, dum elementum dentius mutatur in rarius. Contra si rarius mutetur in densius, ignis in aquam; interitus potiùs, quam generatio & nutritio videtur: quoniam in minus contrahitur. Quin & ignis velut excrementa reliquit cineres, fumusque ceu ex alimento exhalat, & alius semper atque alius fit. Quæ in elementis cæteris non cernuntur, viuentiúmque ac nutritione vtentium videntur propria. Adde etiam calorem huius elementi proprium. Caloris autem opera nutriri viuentia constat. Hæc est causa, cur ignis potissimùm inter elementa omnia nutriri dicatur; cùm tamen vicissim mutentur. Etenim non solùm ipse potentior est atque ad agendum efficacior, faciliúsque reliqua in se ipsum mutat, quàm ipse mutetur ab illis. Verùm etiam, vt in tex. 50. posterioris libri de ortu & interitu ratiocinatur. Philosophus; id quod alitur, est vt forma, quoniam in alimentum agere debet, illiudque in suam naturam mutare: quod formæ proprium est: alimentum autem est vt materia; quia patitur & mutatur. At ignis inter elementa omnia maximè vim habet formæ, cum sit in supremo loco, cæteráque omnia contineat, & omnium perfectissimum sit.

Cur ignis potissimùm alcatur.

Quòd si in elementis ita res se habeat, multò magis in viuentibus, quæ propriè ac verè nutriuntur, verum erit; alimentum debere esse materiale quidpiam & imperfectum, comparatione eius quod alitur. (Nam animatum est quod alitur; inanimatum quod alit). Atque ità potestate esse ad eius formam, vt ab eo pati & mutari possit. Porrò ex hac alimenti explicatione intelligitur & alitionis actio. Est enim alimenti mutatio in substantiam aliti, eiusque restauratio. Ac demum ex hac actione facultas quoque cognoscitur; cuius definitionem ex hoc deducet in tex. 48.

Alitionis definitio.

TEXTVS.

Απορέλαο δ' ἔχει. φασὶ γὰρ οἱ αὐτὸ τὸ ὅμοιον πρὸς ὅμοιόν φέρεσθαι, καθάπερ ᾗ αὔξανεσθαι, πῶς οἷόν τε ὥσπερ ἐπὶ τῶν πυμπαλιν ἔλκειν, τὸ ἀνόμοιον πρὸς ἑαυτὸ ὡς ἀπαθοῦς ὄντος τοῦ ὁμοίου. πλὴν δὲ μεταβάλλειν γε πάσχει. ἢ δὲ μεταβολὴ πᾶσιν εἰς τὸ ἐναντίον ἢ τὸ μεταξύ, ἔστι δὲ τροφὴ πάσχει τι ὑπὸ τοῦ τρεφομένου, ἀλλ' οὐ τὸν ὑπὸ τῆς τροφῆς, ὥσπερ οὐδ' ὁ πλεῖν ὑπὸ τῆς ὕλης, ἀλλ' ὑπ' ἔκεινος αὐτή. ὁ δὲ πλεῖν μεταβάλλει μόνον εἰς ἀνεργείᾳ ἐξ ἀρχῆς.

Dubitationem autem habet. Dicunt enim hi quidem simile simili ali; sicut & augeri. Alijs autem, vt diximus, contrà videtur contrarium contrario, tanquè impatibile sit simile. Alimentum autem mutari & digeri: mutatio autem omnibus in oppositum, aut in medium. Tex. 44.

Præterea alimentum patitur aliquid ab eo, quod alitur, sed non hoc ab alimento: Sicut neque faber à materia, sed ab illo hæc. Faber autem mutatur solùm in operationem ex otio. Tex. 45.

COMMENTARIVS LII.

ETsi quæ de alimento dicta sunt, sensu & ratione satis certa viderentur ea tamen dixit dubitationem habere: non quidem in sepsis, sed propter dissidentes aliorum Philosophorum sententias. Fuerunt enim qui de his dubitarent, & alijs item fortasse dubitationem adferrent. Duæ autem omnino fuerunt pugnantes de alimento sententiæ. Quidam enim alimentum voluerunt debere esse simile viuenti, quod ex eo nutriri vult & augeri. Alij contra senserunt contrarium esse debere. Qui priorem habuere sententiam, rationem eam proposuerunt, quòd cùm nutritionem accretio sequatur; sicut vnumquodque simili suo augetur, vt caro carne, os osse; ita eo nutriri credendum est. Si enim dissimile aliquid adderetur, non eiusdem esset accretio, sed diuersorum coniunctio. Qui verò posteriorem, duplici argumento vsi sunt. Alterum fuit; alimentum patitur ab alito, dum coquitur & in eius substantiam mutatur: at simile non patitur à simili, sed omnis passio inter contraria & dissimilia versatur; omnéque mutatio à contrario fit in contrarium aut medium, quatenus propter vtriusque contrarij participationem vim habet contrarij. Alterum verò; Alimentum patitur ab eo, quod alitur: coquitur enim & in ipsum mutatur. Exemplo vtitur fabri: quia vt faber circa propositam materiam, sic id, quod

nutritur circa nutrimẽtum agit. Non patitur autem A
alitum ab alimẽto, quia nõ mutatur. Sicut æs patitur
à fabro, dum ab eo alijs atq. alijs modis mutatur, vt
ex eo quodpiam opus ex arte faciat: non item patitur faber aut mutatur ab aëre. Nisi ea intelligatur
mutatio, qua ex non operante fit operans, & ex
potestate in actum, atque ex otio ad negotium
trãsit. Verùm dum ita mutatur, non patitur ab aëre;
sed ipsemet ex electione incipit operari, cùm antea esset otiosus: quæ mutatio perficiens est.

Et ideò Philoponus hoc exemplo significari dixit,
in nutritione alimenti quidem mutationem fieri,
sed quamuis alteretur & corrumpatur alimentum,
perficientem tamen mutationem esse; quoniam B
ad perfectiorem viuentem formam mutatur. Et
Simplicius mutationem esse dixit, non per passionem, sed per actionem: qua nullo forinsecùs impellente, sed seipsa excitatur anima ad agendum.
Atque hoc est, quod loquebantur Platonici, animam mouere seipsam; ex otio scilicet ad operationem se excitando.

Num alitũ ab alimento patiatur.

Illud maiorem videtur habere difficultatem,
quod additur; alitum ab alimento non pati. Etenim contraria eam vim habent, qua vicissim
agant & patiantur: omnéque agens, quod communem habet cum patiente materiam, agendo
patitur. Itaque dum viuens agit in alimentum sibi C
contrarium, ab eo vicissim patiatur necesse est.
Ita sanè res habet; & in tex. 53. prioris libri de ortu
& interitu fatetur idem Philosophus cibum inquiens & pati & agere. Eamque ob causam natiuus calor in viuentibus debilitatur subinde ac minuitur: neque potest tàm copiosè & largè post aliquot annos nutrire. Ac primùm quidem accretio
cessat, tum decretio quoque & mors subsequuntur. Præsertim verò frangitur calor & hebetatur
durioribus ac frigidioribus cibis, & quibusdam
largiùs sumptis prorsus obruitur. Id tamen solum
quod alitur, dicitur agere, non alimentum. Tum
quia id, quod alitur, rationem habet formæ, D
alimentum materiæ: actióque est formæ, passio
materiæ. Tum quia quod nutritur, permanet
idem secundùm formam, alimentum mutatur:
illud patitur quidem quo ad mutationẽ aliquam, at
non quo ad mutatum esse; quia ad naturam suam attinet: hoc esse etiam quo ad mutatum esse, dum in
illius naturam mutatur. Tum etiam quia aliti
actio est euidens & cum victoria; qua tandem superatur alimentum & ad illius naturam trahitur.
Tum demum quia etsi ratione qualitatum mutua
sit actio & passio, ratione tamen substantiæ, in qua
uis actione nutritionis consistit, alimentum patitur
& mutatur à viuente, non viuens ab alimento; at- E
que ita ex alimenti substantia viuentis substantia
reparatur.

Quo circa actionis nomine assimilationem hoc
loco intelligas. Agit inquam viuens in alimentum,
non alimentum in viuens: quoniam alimentum viuenti assimilatur atque in illud mutatur; non contrà: neque in illud agere dicitur, actione illa, quæ est
cum victoria: alioqui actione quauis alibi cibum
dixit & pati & agere.

Digressio XXIII. *De Naturali actione.*

Quæ in his Philosophus de nutritione dixit,
alibi vniuersè magis de actione omni disputauit:
paucáque illius verba longioris nobis orationis occasionem præbent. Ea duo habebit capita alterum
de actionis obiecto alterum de illius conditionibus
& modo. Nam & quæsiuit Philosophus, num
simile agat in simile: & occasionem quærendi dedit, an omne, quod agit, agendo patiatur.

Ergò is in priore libro de ortu & interitu à tex. *An idem agat in passum.*
46. & deinceps, duabus reiectis antiquorum sententijs; quorum aliqui nullam dixerant inter similia
versari actionem posse: alij non nisi inter hæc eam
esse contenderant: medium inter extrema sequutus, neque inter omnino simile esse constituit;
quoniam idem ageret & pateretur: neque inter
penitus dissimilia; quia hæc se se mutuò non expellunt. Sed solùm inter contraria; quæ specie dissimilia, genere similia sunt. Etenim actio & pas- *Actiua opposita non distinguuntur realiter.*
sio hoc nomine distingui videntur; quòd cùm
passio sit formalis ratio, qua forma quæpiam suscipiatur in aliquo, qua formaliter nominat patiens; ad rationem item eius formalem pertinet, vt in
patiente sit velut in subiecto; neque patiatur
quidpiam passione, quæ sit in alio. At actio, cùm
sit potius formalis ratio, qua exit quidpiam ab aliquo (formam enim significat vt ab agente proficiscitur) non postulat intrinsecè, vt sit in agente;
sed vt exeat ab eo. Immò transeuntes omnes actiones propterea hoc appellantur nomine, quòd in
alio suscipiantur ab agente distincto. Planéque accidentarium est, vt immanentes aliquæ actiones
hanc ob causam dictæ in ipso sint agente, à quo
deriuantur. Quoniam ne hæ quidem in eo sunt, vt
agens est; sed vt patientis quoque vim & rationem subit. Quò fit, vt idem sit passionis subiectum, cui inhæreat; & obiectũm, circa quod
versetur. In actione autem hæc distingui debent: *Actio transeuntis eadem est.*
quamuis in transeunte reperiantur in eodem, in
immanente in diuersis. Quippe subiectum est
ipsum agens & obiectum extrinsecum quidpiam;
vt in locali motu sensuum que operationibus perspicuum est. Actio enim transiens circa obiectum
aliquod transmutandum versatur: & ideò obiectum oportet etiam esse subiectum. Immanens
non obiecti sui transmutationem, sed agentis perfectionem significat: & ideò subiectum habet ab
obiecto diuersum. Cùm igitur in actionibus plurimis constet hæc tria distingui, agens, subiectum,
& obiectum actionis: in permultis etiam agens
& subiectum esse idem, obiectum distingui: superest videre, num possint interdum hæc tria coincidere; sitque aliquid, quod non modò actionem
suam suscipiat, sed eius etiam obiectum sit, agatque in se ipsum vt actionis suæ obiectum.

Scotus in 1. sent. distin. 3. q. 7. & in 2. distin. 1. q. *Scotus.*
10. fieri posse dixit, réque ipsa fieri in homonymorum agentium actionibus; vt in intellectione, volitione, lenium & grauium motu. Alij hæc ita esse
confirmant: & in corrumpente quidem actione
haud posse quidquam directè agere in seipsum,
posse tamen actione reflexa, quæ ex antiperistasi oriatur.

oriatur. Præter qualitates enim reales agens inquiunt diffundere per medium qualitates intentionales, quæ si contrarium inuenerint, ad proprium subiectum redeant, atque in illud vehementiùs agant.

Cæterum intentionales hæ qualitates in tactilibus à plurimis non admittunt mihi verò nulla per eas videtur fieri posse actio. Tum quia eas ex vno in aliud subiectum migrare ac per se moueri oporteret. Tum quia nequeunt intentionales qualitates producere reales. Illud iudico firmum esse debere; posse actione quacumque idem per partes in seipsum agere. Tum in generatione substantiæ quain viuentium nutritione idem quodam modo se ipsum gignit aut corrumpit. Tum in alteratione, qua cor cæteras corporis partes calefacit, vnaque pars calida aut frigida calefacere aliam aut refrigerare potest. Tum in accretione, qua idem ratione diuersarum alimenti partium accedentium seipsum auget. Ac demum in motu locali. Etenim in animalibus vna pars aliam mouet, & cor reliquas omnes.

Certum quoque sit, posse idem ex accidente in seipsum agere. Anima enim dum corpus impellit, se ipsam quoque ex accidente mouet.

An verò primò & per se totum agere possit & pati: sanè id ita fieri nequit, vt idem eadem ratione acceptum & agat, & patiatur. Tum quia agens & patiens oppositas rationes significant. Tum quia actio sit, vt aliquid est actu; & passio, vt est potestate: neque potest idem comparatione eiusdem esse simul actu & potestate. Quod fortasse Philosophus voluit in 7. & 8. Physic. cùm toties dixit, non posse idem mouere se ipsum; vt colliges maximè ex tex. 38. & 40. libri 8.

Quòd si alia atque alia sit agendi & patiendi ratio, nullam inuoluit contradictionem: quin aliqua sunt eiusmodi; vt cùm separatæ mentes se ipsas intelligunt. Etsi enim in synonymis actionibus nequeat idem esse actu & potestate, quia comparatione eiusdem esset, & non esset, haberet & non haberet actum, qui producitur: in homonymis tamen quibusdam, vt cùm intellectus, leuitas, aut grauitas, non intellectum, leuitatem, aut grauitatem; sed intellectionem, motumque sursum aut deorsum producunt; id esse potest. Quoniam agens est actu primo, & potestate ad actum secundum, rationeque actus est agens, & ratione potestatis patiens seu actionis obiectum.

Sed sciendum est, virtutem quamlibet materialem & quantam, quòd corpori & quantitati alligata sit; imperfectiorem multò esse, quàm sit virtus immaterialis & à quantitate abiuncta. Illa nequit se in seipsam conuertere, neque oculus se ipsum videt, nec auditus audit. Hæc libera prorsus est, & quo magis immaterialis & abstracta, eo liberior & perfectior. Intellectus potest seipsum intelligere, & quo magis à materia remotus, eo facilius id præstat. Separatæ mentes actione directa se ipsas intelligunt, intellectus noster, dum in hoc corpore commoratur, non nisi reflexè. Vt verè in Phædro pronuntiatum fuerit à Platone, nihil esse difficilius, quàm animam à phantasmate separare. Ex eo tamen, quod in se ipsum redit, probant, tum ipse, tum Proclus, eum non esse corpus: quoniam nullum corpus potest in se ipsum redire, quod quantitas, quæ in ratione partium extra patres consistit, id non permittat. Itaque nullum agens corporeum & quantum potest primo & per se in se ipsum agere; siue seipsum gignendo aut interimendo, quia idem comparatione eiusdem simul esset & non esset: siue augendo & minuendo: siue motu de loco ad locum, vt in 7. & 8. Phys. demonstratur: siue demum alterando. Tum quia nulla esset qualitas summè intensa: sed quod aliquam habet, posset in se ipsum agendo intensiorem semper facere: quod & in accretione accideret. Tum quia idem haberet & non haberet qualitatem eam, ratione cuius alteratio fieret. Et cum præsertim de alteratione corrumpente sit sermo, idem se ipsum corrumperet, cum tamen insitum cuique sit à natura conseruare seipsum. Adde etiam alterationes hasce propterea semper fieri; vt agenti patiens euadat simile, spectátque ad actionem transeuntem, vt circa aliquid ab agente distinctum versetur.

Verùm quòd ad Aristotelem spectat; sæpè quidem ille negauit posse idem agere in seipsum, vt in 7. & 8. Phys. dum nihil probat mouere se ipsum; & in tex. 17. libri 5. Met. dum potestatem definit, eamque vult esse principium agendi in aliud vt est aliud, & in tex. 17. & 18. 3. libri de anima, vbi hac ratione probat agentem intellectum à patiente diuersum, quoniam in omni natura aliquid esse oportet, quod agat, ab eo distinctum, quod patitur. In priore tamen libro de ortu atque interitu tex. 48. & 73. id apertiùs visus est negare, & in 8. Phys. ostendit se tantum iudicasse, non posse corporeum aliquid & quantum primò & per se agere in seipsum totum, vt ostendit maximè inductio illa in tex. 48. qua actionem probat non fieri ratione similitudinis, quia idem maximè ageret in seipsum, cùm sit sibi ipsi maximè simile. Erat autem sermo de actione tantum Physica & corrumpente. Tum quia ex eo etiam colligit fore, vt idem corrumpat se ipsum. Tum quia de huiusmodi actione & passione propria eo loco agebatur.

An simile agat in simile.

Cùm igitur habeamus, non posse agens primò & per se actionis esse obiectum, superest videre, an possit saltem aliquid esse illi simile. Et cùm substantia ex se non agat, minimè quæritur; an possit in aliquid agere, quod similem habeat substantiæ formam. Sed sermo est de qualitatum similitudine, in quibus omnis actio versatur. Potest autem vna qualitas alteri similis esse, aut specie, aut gradu, aut agendi virtute. Speciei similitudo est omnium minima, graduumque ac virtutis dissimilitudinem habere potest. Qualitatis enim natura in impartibilli consistit, gradus & agendi virtus latitudinem habent.

Si sola speciei similitudo sit, fatentur omnes actionem esse posse: quoniam maior calor intendit minorem. Similitudo autem graduum maior quidem est, specieique similitudinem supponit: absque tamen actricis virtutis similitudine esse potest. Rectè namque Philosophus in tex. 80. libri 8. Phys. in maiore magnitudine ostendit maiorem inesse virtutem, quia cum magnitudine crescit agendi virtus. Immò vero cum paucioribus gradibus maior potest esse virtus, si illi in multo maiori magnitudine accipiantur. Neque in candente ferro tot sunt caloris gradus, quot in paruo aliquo igne, & multo tamen maior agendi virtus. Etenim virtus essentialem ordinem ad

actionem significat, actióque dicit formam, vt non solùm ab agentis forma pendet, sed ab agente toto vt operatur. Operatur autem vt est actu existens, quantum, extensum, & cum alijs pluribus qualitatibus ac dispositionibus coniunctum. Quocirca non solùm qualitatis gradus, sed diuersæ, quoque dispositiones adiunctę variare possunt, iuuare, aut impedire actionem agendive virtutem.

Vt actio variari possit.

Tribus autem potissimùm modis id euenire potest. Primùm ex maiore aut minore distantia patientis ab agente. Deinde ex maiore vel minore agentis quantitate. Postremò ex illius densitate aut raritate. Densitas enim plurimum actionem promouet. Tum quòd in corporeo denso agentis partes sunt propinquiores, & vicissim, & patienti: quia sub minori extensione contentæ: habentque virtutem magis vnitam, & eam meliùs partes omnes in patiens exerunt. Tum quòd cùm densum sub extensione parua multas habeat materiæ partes, maiorem etiam in pluribus partibus agendi vim continet rarum cùm partes habeat & vicissim & à patiente magis distantes, parumque materiæ sub extensione magna; multò minùs vbique agit. Itaque si duo sint eiusdem molis agentia, sed sub maiori aut minori extensione; eorum alterum agendo alterum superabit: quodque minorem extensionem habet, non quidem maiorem qualitatem, sed citiùs atque expeditiùs producet. At si eadem sit extensio & diuersa moles, vnumque altero densius; id, quod fuerit densius, tum citiùs aget, tum perfectiorem qualitatem producet. Igitur agendi ratio ac mensura non est simpliciter ex qualitatis specie illiusque intensione petenda: sed ex agendi virtute, quæ aliunde & augeri potest & minui. Possuntque duo esse agentia qualitate similia & gradibus æqualia, actione tamen inæqualia: propter maiorem scilicet aut minorem densitatem, partiúmque multitudinem cum maiori vel minori extensione. Possunt quoque esse duo gradibus & agendi virtute æqualia; si reliquæ item conditiones & qualitates eodem modo se habeant. Possunt demum esse duo, quorum alterum pauciores habeat qualitatis gradus, & tamen magis agat; quòd quantitatis partibus alijsque conditionibus magis superet, quam gradibus superetur.

Ex quibus consequens est, agentia ea, quæ gradu similia sunt, non item agendi virtute, agere inter se posse. Quia cùm actio inde oriatur, quòd agendi virtus maior, quàm resistentia, sit: & vnum, quod totidem habeat gradus, superari agendi virtute ab eo possit, quod densius sit, pluresue habeat partes: poterit hoc sanè in illud agere, quod harum conditionum deffectu minorem agendi ac resistendi vim habeat.

Quòd si qualitate, gradibus, agendique virtute similia sint; nullo modo possunt vicissim agere. Tum quia finis actionis omnino cessat, vbi patiens agenti penitus simile sit. Tum quia vnum quodque agit, vt est actu, patiturque vt est potestate: hæc autem æquè sunt, aut actu, aut potestate. Meritóque obijcitur in tex. 48. citato, nullam esse rationem, cur eorum vnum potiùs, quàm alterum, aut agat, aut patiatur.

Proprium igitur actionis obiectum, nec ens ipsum agens, nec aliquid illi simile, vt est simile; sed vt dissimilitudinem aliquam & contrarietatem retinet: omnisque actio Physica inter primas solùm qualitates, vt contrariæ sunt, versatur: inter alias, non nisi vt cum illis permistæ sunt. Quoniam in illis prima est contrarietatis ratio, quæ Physicæ omnis actionis est radix.

Actione tamen reflexa & per antiperistasim fieri potest, vt quidpiam, tum in simile, tum in seipsum agat. Quod tum in calce videas, quæ aqua infusa propter calidorum habituum reflexionem ad centrum calcis, contrario scilicet frigido adueniente, ita calescit, vt aqua quoque feruear. Tum in peponibus; qui ad solis radios frigescunt: non solùm quòd tenues halitus calidi ab externo calore extrahantur, minorque calor à maiore consumatur, vt est in problemate 13. sect. 24. Sed etiam quòd circumiectus calor efficit, vt illorum naturale frigus per reflexionem intendatur; vt eodem in loco Philosophus innuit; dum aliam similem quæstionem soluit. Tum in purealibus aquis, quæ hyeme calidæ, æstate frigidæ sunt. Tum in aquæ guttis ex aëris media regione descendentibus. Quæ propter caloris antiperistasim refrigerantur magis, atque in grandinem congelantur, vt in primo traditur Meteororum libro. Tum in alijs pluribus his similibus. Quamquam hæ omnes actiones verè & propriè non videntur esse eiusdem in seipsum per se, sed ratione partium. Hactenus satis hac de re sit dictum, vt illud, quod de sensibus à Philosopho dicebatur, quoquo modo illustraretur ac planius euaderet.

DIGRESSIO XXIV.
De Reactione.

VEnio ad alterum caput, quod de actionis conditionibus fuit propositum. Eæ duæ præcipuæ sunt, contactus & reactio. De contactu post suo loco, nunc de reactione, de qua in superioribus verbis Philosophus loquebatur. Sane cum actione necessario coniunctum esse videtur, vt dum agens agit in patiens, ab illo quoque patiatur, dumque patiens patitur ab agente, simul etiam in illud agat. Apertâque fuit Aristoteli in 3. Phys. libro tex. 8. & 1. de ortu & interitu tex. 53. & 87. quem locum allegans in 4. libro de animalium procreatione cap. 3. habet hæc verba. Omne agens patitur etiam à patiente: vt quod secat, hebetatur ab eo, quod secatur, quod calefacit, refrigeratur à calescente, densitur quodcumque mouet, excepto primo, vicissim aliquo motu mouetur: verbi gratia quod pellit, pellitur quodammodo, & quod premit, repellitur, & quod agit, magis patitur. Interdum etiam ita, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat, & refrigeretur, quod calefacit, calescat, quod refrigerat: cùm aut nihil fecerit, aut minùs, quàm ipsum affectum est. Quæ verba libuit huic loco adscribere, quòd præter grauissimam Philosophi auctoritatem conjecturam

eius sen-

eius sententiæ confirmationem ex sensu ductam & experientia, tum in artibus; tum in natura. Quibus addi potest localis motus duarum phialarum sese vicissim confringentium; aquam calidam & frigidam permistas vicissim temperari; duos gladios sese vicissim hebetare; ferrum candens frigidæ aquæ infusum calefacere illam, ab eáque refrigerari; manum frigidam in sinum positam calefieri, sed sinum refrigerari; glaciem manu acceptam calore liquefieri, sed manum refrigerari; cibum alterare animal, & ab eo quoque alterari ac mutari; ac demum, vt cætera mittam, partes elementorum proximas minùs esse puras, magisque temperatas qualitates habere. Cùm enim communem habeant elementa materiam, pugnantibúsque qualitatibus differant; agere vicissim possunt & pati; & elementum quod est actu sub vna qualitate, potestate est ad alteram illi contrariam. At ratione actus agere potest, rationéque potestatis pati: & cùm agens habeat coniunctum contraria qualitate instructum, ab illo patiatur necesse est: quoniam naturale ens cum patiente coniunctum non potest non in illud agere. Mistio quidem certè miscibilium est alteratorum vnio; qua ex illis omnibus temperatis efficitur quid medium atque omnibus commune. At nullo modo fieri posset, neque mistio, neque elementorum temperies, nisi ea vicissim agerent & paterentur. Nam si vnum ageret solùm, & aliud pateretur; vnum esset summè perfectum, & aliud aut penitus interemptum, aut ita fractum & contusum, vt nullo modo appareret. Agens igitur, quod aut materiam non habet, aut à patiente diuersam, aget sanè nihil patiendo; quoniam potestate non est ad eam formam, quæ in patiente reperitur. At in ijs, quæ communem habent materiam, non modo in diuersis contrarietatibus est reactio, vt cùm calidum agit in frigidum, atque ab illo humectatur (de hoc enim reactionis modo non est disputatio) sed etiam in eadem. Calidum enim calefacit frigidum, & ab eo refrigeratur. Nam vt in miftione refrangantur qualitates & temperentur, omnes necesse est dum agunt & refrangunt suam contrariam, pati quoque & refrangi ab illa; cùm ab alia pati & refrangi non possint. Et nisi ita esset, elementa symbola, quæ vnica qualitate pugnant, nihil paterentur agendo neque refrangerentur. Qualitates enim contrariæ quidem dicuntur, quæ vicissim se ex eodem subiecto possunt; in aliquo tamen gradu remisso possunt simul in eo consistere. Quod & in quinto Physic. libro textu sexto, decimo nono, quadragesimo quinto reperies; & in aqua tepida, omnique pugnantium qualitatum reactione, omnique intensione, remissione & corruptione earum experieris. Dum enim intenditur, remittitur, aut corrumpitur vna qualitas, cum aliquot illius gradibus aliquot item contrariæ qualitatis reperiri necesse est. Quoniam non nisi expulsione contrariæ intenditur, nec nisi eiusdem permissione remittitur, aut illius productione corrumpitur; & in mistis omnibus qualitates omnes temperatæ & permistæ continentur. Ita fit, vt quantum vna qualitas distat à summo, tantum habeat qualitatis contrariæ; aut quantum illius habet, tantum à summo distet.

Reactionem fieri in eadem contrarietate.

Qualitatum remissio & vna contrariæ intensio.

Actio, & passio Reactio & repassio.

Cæterùm illud etiam intelligatur; vbi communis adest materia, non actionem modò & passionem, sed reactionem quoque & repassionem nominari. Actio est primarij agentis in patiens, passio præcipui patientis; reactio patientis in agens primarium, repassio demum eiusdem primarij agentis à patiente. Quocirca actio absolutè dicitur illa, quæ est cum victoria; & ideò primario & robustiori agenti tribuitur. Reactio victoriam non significat, sed quandam potiùs resistentiam aut renitentiam; atque in imbecilliori agente consideratur: Quod quantum potest, fortioris agentis vim repellere à se conatur. Ex quibus actionem & reactionem intelliges esse idem formaliter, solúmque pones distincta principia, à quibus oriuntur, differre: passionémque item & repassionem ex diuersis subiectis, in quibus suscipiunt. Eandem verò actionis & reactionis, passionis radicem esse. Actionis radix est actus; quòd vnumquodque agat vt est actu. Reactio quoque ex actu & forma proficiscitur; quia patiens propterea reagit, quòd actum & formam agenti contrariam habeat. At passio & repassio ex potestate proueniunt; quæ in vtroque ad aliquem alium actum & formam ineft. Quare cùm agens & patiens contraria sint, actúque habeant vnam formam & potestate alteram, vtrumque potest in suum contrarium agere, vt quidpiam est actu illi contrarium; & vicissim ab eo pati, vt ad formam & actum illius potestatem habet.

Harum omnium radix.

Reactionem fieri in eandem partem.

Neque verò potest agens à patiente repati in diuersa solùm parte ab ea, per quam agit: sed in eadem quoque. Quippe illa actu est vna forma & potestate altera; eadémque aquæ calidæ pars, quæ frigidam calefacit, refrigeratur ab illa. Alioqui nulla foret mistio. Quoniam elementorum partes impermistæ remanerent; cùm tamen in priore libro de ortu & interitu textu octogesimo quinto & octuagesimo sexto. Quamcumque misti corporis partem voluerit Philosophus esse mistam. Immò nulla prorsus fieret actio inter ea, quæ vniformia & in eadem contrarietate omninò æqualia essent.

Calculatoris opinio.

Quapropter audiendus non est Raimundus Suyfset Calculator in tractatu septimo de reactione, eam negans in eadem parte fieri posse: sed agens partib⁹ robustioribus agere & imbecillioribꝰ pati. Quòd si partes omnes sint æquè robustæ, nisi patientis resistentiam superent, actionem nullam fore si superent, futuram actionem sine reactione. Videtur duobus maximè principijs niti. Altero; æqualem in singulis qualitatibus alteratricibus agendi & resistendi vim inesse. Altero; à virtute imbecilliori aut æquali actionem nullam proficisci.

Burlæi opinio.

Quod & fatetur Philosophus in libro de animalium motu capite secundo, & proposuit quoque Burlæus in Physic. librum tex. 19. vt nullam esse reactionem ostenderet. Si enim agens & patiens æqualem virtutem habeant, nulla erit actio; quoniam ab æquali esse non potest: sin autem inæqualem; illud tantùm aget, quod superabit; patiens vero nihil aget; quòd à virtute imbecilliori proficisci nequeat actio: nulla igitur erit reactio. Accedit, quod si esset, nunquam agens opus suum

absolueret, neque perfectè simile sibi faceret patiens. Huius enim reactione amitteret aliquem suæ virtutis gradum, atque in vltimo actionis, non modò perfectum effectum non produxisset, sed magnam potius suæ virtutis partem amisisset.

In eadem porrò parte reactionem non fieri, hoc argumento conficit Calculator. Quoniam idem contrarijs motibus simul moueretur, duásque pugnantes qualitates susciperet. Nam si calidum quadruplo maiorem extensionem haberet, in totum ageret frigidum, quod non nisi in quartam illius partem reageret. Quarta igitur duntaxat pars repatetur & frigefieret. At illa ipsa à tribus reliquis partibus calidis, cum quibus est coniuncta, calefit. Pars igitur illa repassa motibus simul contrarijs moueretur, pugnantésque qualitates susciperet. Verum vnius intensio alterius remissio atque adeò expulsio est.

Hanc ipsam difficultatem omnium sanè maximam alij post ad medium, per quod fit actio, traduxerunt. Aër namque per quem ignis agit in aquam, ab igne calefieret & simul à reagente in ignem aqua refrigeretur. Ita non repassio modò in eadem parte, sed reactio quæuis & repassio tolli videtur.

Et fortassè propterea Franciscus Neritonensis reactionem per se & directè in eadem contrarietate negauit: eam inquiens per se in alia solùm contrarietate versari, sed ex accedente in eandem qualitatem, per quam primum agens egerat, redundare. Dum enim ignis calefacit aquam, ab ea per se humectatur; at corrupto frigore aquæ extinguitur illius humor, sublatáque ignis siccitate calor eius perit. Verùm errauit magnopere. Tum quòd agentia naturalia priuauit propria illorum actione, si cum suo contrario coniuncta in illud non agant. Tum quòd totam sustulit mutationem elementorum singulorum, vniusque elementi ex assymbolis duobus generationem, in quibus vnica qualitas corrumpi debet incolumi altera permanente; vt in textu 27. posterioris libri de ortu & interitu Philosophus prodidit. Tum quòd elementa absque vllo contrario ex accidente solùm corrumpi concessit. Tum demum quia cùm actionis & passionis radix sint actus & potestas, cùm eiusdem contrarietatis comparatione eadem pars sit actu quoad vnam qualitatem, & potestate quoad alteram, necesse est per se agere & pati. Neque in elementis symbolis, quæ vnica qualitate agunt, vlla reactio foret.

Neritonensis opinio.

Vt hæc vitaret Gullielmus Entisbeius in vltimo suorum sophismatum, reactionem quidem per se in eadem contrarietate & parte concessit: sed eam voluit non in toto, sed in parte fieri. Vt si sint calidum vt octo, & frigidum vt octo, quoniam calidi resistentia æqualis est actioni frigidi, non potest in illud totum reagere; potest in aliquam partem, cuius resistentiam superat. Eadem fuit, Ioanni Mariliano sententia; contra quem multa scripsit Caietanus Thionensis.

Entisbeij opinio & Mariliani.

Et quoniam hi omnes auctores in eo visi sunt consentire, vt qualitates alteratrices vellent æqualem agendi ac resistendi vim habere; de hoc antea constituendum est, quàm ad propositam quæstionem respondeamus. Primùm autem ponere oportet, quid resistentiæ nomen significet. Videtur ergò resistentia in successiua solùm actione reperiri; quia cùm nequeat forma tota subitò produci, id minimum ex aliquo nascitur impedimento, in quorum ratione sit resistendi. Illud porrò triplex esse potest. Id enim vel ex parte producendæ formæ oritur, quæ cùm latitudinem habeat, non potest tota simul acquiri. Vel ex parte dispositionis materiæ, quæ formam eam suscipit. Nam dum qualitas quæpiam producitur, expelli debet eius contraria, quæ erat in materia. Hæc autem productionem suæ contrariæ suique corruptionem magnopere impedit propter coniunctionē scilicet, quam hæ qualitates habent cū cui inhærēt. Inde namq. vim habent regnendi se & conseruandi in eo subiecto; & ideò resistere dicuntur & impedire productionē contrarij, à quo corrūpi debent. Vel demū oritur impedimentum & resistentia ex actione contrarij. Quia cum in materia producitur qualitas, quæ contrariam habet, reagit eius contraria agentisque eam productis virtutem minuit.

Prima impedimenti ratio, quæ ex formæ latitudine oritur, impropriè admodum resistentia dicetur: Quoniam propriè non est impedimentum illum: Quin ipsa potius forma similem sibi contendit producere & quantum potest productionem eam iuuat. Sed est natura ipsa illius formæ, ex qua motus potius existit à mutatione distinctus: & in motu quoque locali cernitur, qui productio formæ non est, sed fluxus partium mobilis, quæ latitudinem habent, in spatio, quod latitudine item præditum est. Quam si resistentiam appelles, minus propriè loqueris. Non enim impedit eductionem formæ, sed moram & tempus adfert, modúmque impedit, ne subitò producatur: vel si sit localis motus, ne omnes mobilis partes spatij partes omnes momento percurrant. Forma verò substantiæ tota simul producitur, neque hanc resistentiam habet.

Tertia item impedimenti ratio, quæ in reactione consistit, non videtur esse propriè resistentia. Tum quia substantiæ forma, vt non agit, ita nec reagit; sed hoc qualitatum proprium est: & tamen ipsa quoque resistere dicitur. Tum quia ferrum, lapis, & quoduis durum, comprimenti resistunt, & parietes vento; nec tamen reagunt. Tum quia reactio est actio quædam & productio formæ, eademque actione & corrumpitur contrarium reagendo, & producitur simile: at resistere formaliter non est producere formam, neque aliud corrumpere; sed impedire, ne aliquid producatur.

Propterea etiam non est agere, aut pati. Non agere; tum quia multa resistunt, quæ non agunt. tum quia actio formaliter productionem significat alicuius ab alio; resistere autem productionem alterius impedire. Neque pati; tum quia ferrum, aut lapis, dum resistunt, nihil patiuntur, nec suscipiunt quidquam: tum quia prima materia maximè patitur & nihil resistit. Immò in cæteris quantò aliquid magis patitur, resistere minùs videtur; & quo magis resistit, minùs pati. Tum demū quia pati formaliter est aliquid suscipere, resistentia susceptionem non significat.

Propria igitur resistentia erit illa, quam oriri docebamus ex aliqua subiecti patientis dispositione, qua

quâ impeditur actio, passio', ex productio formæ propter dispositionis illius coniunctionem cum materia. Hanc resistendi vim habent accidentia omnia, quòd omnia connexionem aliquam habeant cum substantia & in ea conseruari velint. Maximè verò habent illa, quæ à parte materiæ stant, quantitas, durities, densitas, & huiusmodi cætera. Porrò hæc resistentia, vt non sit formaliter actio, nec passio, nec reactio; actus tamen quidam est secundus inter hæc medius. Est inquam actus secundus. Tum quia in moralibus communis est Philosophorum vox, non eum modò, qui actum virtutis promit; sed eum item, qui resistit vitio, ex virtute operari: quæ tamen resistentia actum secundum significat. Tum quia quod resistit obijcitur agenti, vt eius actionem impediat vel moretur. Non potest autem actus secundus impediri, nisi alius ei secundus actus opponatur. Tum etiam quia quod resistit, ad oppositum tendit: quod non nisi per actum secundum esse potest. Nam si nullus esset secundus actus, mera esset passio; qualis in prima materia cernitur, quæ vt nullum habet actum, ita nihil resistit, sed solùm patitur. Est autem hic actus secundus inter actionem & passionem medius. Primum quoniam vtriusque particeps est: actione; quia contrariæ virtuti opponitur, eámque impedit ac retundit: passione, quia contrarium agens supponit, cui resistat, sempérque ex patientis parte se tenet. Deinde quia est imperfectior actione, quod formæ positiuæ productionem non significet, sed solam contrariæ repulsionem, atque impeditionem, ne ingrediatur. Est tamen passione perfectior; quòd non solam potestatem dicat, sed actum primum includat, actúsque secundi ab illo exitum significet. Postremò quoniam supponit actum & potestatem, quæ actionis & passionis sunt propriæ. Actum quidem primum in eo, quod resistit, à quo vim habet resistendi: Potestatem autem, quia semper ex patientis parte se tenet.

Itaque resistentia hæc propriè dicta nil aliud formaliter fuerit vt ab actione, passione, & reactione distinguitur; quàm actus quidam negatiuus potiùs ac priuatiuus, quàm positiuus. Quod enim resistit, verè nil agit, neque producit quidquam prout formaliter resistit: sed solùm se tuetur, & impedit seu repellit contrarium: videtúrque priuatiuus esse actus, quia formaliter significat non admittere contrarij actionem.

Est autem quidpiam sanè in natura, quod agat solùm absque passione & resistentia. Deus enim vt infinitam habet virtutem, nihil inuenit, quod resistere possit: quia nulla est proportio inter illius & cuiuslibet rei creatæ virtutem. Sunt etiam aliqua, quæ agant solùm, nec patiantur, neque resistant. Separatæ omnes mentes ita agunt, vt à nullo patiantur actione corporea; & ideò nulli resistant. Cœlum quoque nihil ab his inferioribus patitur, neque illis resistit. Ab intelligentia sanè susceptum motum in orbem: at nec illi resistit; quin ad eum potiùs motum inclinat, quia non destruit ipsum, sed magis perficit. Neque propriè patitur; quoniam motus ille non est alicuius formæ susceptio. Et aliquid, quod nullo modo agat, sed patiatur solùm; idque absque vlla resistentia: hæc est prima materia. Aliud est, quod agat, & absque resistentia patiatur, vt in operationibus sensuum & intellectus. Potest & aliquid pati, & absque reactione resistere. Vt si ingens ignis exiguam stuppam comburat; stuppa patitur & quantum potest resistit, nec tamen propter virtutis imbecillitatem in ignem reagit. Denique plurima sunt in natura, quæ simul & agant, & patiantur, & resistant; cuius generis sunt actiones, quę inter elementa versantur, vbi inter agens & patiens est proportio.

Quanę vis resistendi qualitatibus insit.

Iam verò his de ratione resistendi explicatis, facile erit intelligere id, quod quærebat. Retenta enim resistentiæ distinctione exposita; atque ex eo sumpta, quòd actrices qualitates duobus modis spectantur, vel vt formæ quædam sunt, quæ dant esse materiæ, & ideò cum illa connexæ cohærent: vel vt contrarietatem & agendi vim habent: Si posterior hæc resistentia consideretur, qua in suum contrarium reagendo debilitant illud, eiúsque productionem impediunt; sanè quantam vnaquæque qualitas agendi vim habet, tantam quoque habet resistendi: quæque plus agendo possunt, plus etiam valent resistendo. Siquidem hæc resistentia nil aliud est, quàm cuiusque qualitatis actio. Sin autem priorem ac magis propriam resistendi rationem quæras, qua forma inhærens materiæ & cum ea coniuncta, nolens ab ea separari, contrariæ aduentum repellit: inæqualem planè aio vim agendi ac resistendi esse: eásque qualitates, quæ plurimum agunt, minimè resistere, & quæ minimùm agunt, resistere plurimùm.

Terram in elementis cernimus ineptissimam ad agendum, ad resistendum validissimam: ignem agentem plurimùm, & minimùm resistentem, cùm paruo negotio propter raritatem extinguatur: aërem item & aquam proportionem eandem seruare. Qua in re naturæ prouidentiam possumus admirari. Quoniam cùm hæ qualitates atque per eas elementa permisceri deberent; ita eas æquum fuit institui, vt maximè possent permisceri. At si idem elementum, eadémque qualitas egisset plurimùm & simul itẽ plurimùm restitisset nõ potuisset cum alijs permisceri. Quocirca calor & frigus, quæ maiorem agendi vim habẽt, minus resistere debuerunt; magis humor, maximéque omnium siccitas. Quò fit, vt qui morbi ex siccitate proueniunt, vt febris ethica, difficilius curentur à medicis. Potissima huius distributionis ratio est, quoniam priores duæ qualitates stant potius à parte formæ, & ideò maiorem agendi vim habent. Minus verò resistunt propter minorem cum materia nexum. At posteriores reliquæ sequuntur magis materiam, cũi non tam tributæ fuerunt, vt agerent, quàm vt illius partes copularent, determinarent, consistentiámque ac soliditatem adferent. Quare cum maiorem habeant cum materia connexionem, fortius se in ea detinent.

Hæc cum aduersarij non intelligerent, nihil mirum, si secus, quàm oportuit, de reactione senserunt. Verum sensuum quoque iudicium negarent. Cum enim negare non possent, reactionem nos in actionibus omnibus sentire; sensibus dixerunt credendum non esse, vbi præstò sit contraria ratio.

Nam si sensibus credamus, solem affirmabimus terra maiorem non esse: quod tamen demonstrant Astrologi. Quasi vero aliter, quàm ex sensibus, de naturalibus rebus philosophari liceat. Aristoteles quidem certè Tenoni hac ipsa in re peccati objicit in octauo libro Physic. textu 22. imbecillitatis esse intellectus dimisso sensu rationem quærere; & textu 26. hominis id esse, qui minimè possit iudicare, quid melius sit, & quid deterius; quid credendum, aut non credendum; ac demum quid principium, aut non principium. Nimirum voluit summus Philosophus nostrarum omnium rationum principium esse sensum & experientiam; ex quibus ortum habuisse scientias omnes, tum in Proemio Metaphysicæ ostendit, tum in extremo posteriori libro de Posteriori Analysi: iuréque optimo Platonicos repræhendit in tertio libro de Cœlo textu 61. quòd superficies fatérent principia corporum; neque ijs consentaneè loquerentur, quæ sensibus percipiuntur, quos in rebus naturalibus tutissimos duces sequi debemus. Et in priore libro de ortu & interitu textu 58. antiquos coarguit, quod posthabito sensu omnia vnum immobile affirmarent. ac postremò sub finem decimi cap. libri 3. de animalium ortu, cùm de apum procreatione dixisset multa; tandem hæc verba subiecit: Generatio apum ita se habere videtur, tum ratione, tum etiam ijs, quæ in earum genere euenire visuntur. Non tamen adhuc satis explorata, quæ eueniant, habemus. Quòd si quando satis cognita habebuntur, tunc sensui erit magis, quàm rationi credendum. Rationi enim fides adhibenda, si quæ demonstrantur, conueniunt cum ijs, quæ sensu percipiuntur, rebus. Quinetiam Astrologi, dum solem terra maiorem esse ostendunt, ex sensu & ijs, quæ sensu percipiuntur, ostendunt. Ex eo inquam, quòd res quò magis distat, eò minor appareat; quóque lucidum corpus est magis remotum, minùs potest illuminare. Quocirca etsi sensus interdum propter nimiam obiecti distantiam malamvè facultatis aut medij dispositionem erret; ex ipsis tamen sensibus error ille corrigitur. Quorum demum iudicium si necessariæ omnes conditiones adsint, certissimum est; vt in textu 63. & 52. huius libri, & 24. libri 4. Metaphys. Aristoteles confirmauit. In rationibus autem, quas quisque potest excogitare, quàm multi sæpè errores deprehenduntur. Vt optimè monuerit Auicenna in prima quarti, quando sensus & ratio pugnant, sensui potiùs standum; & magnus Auenazar, experientiam & sensum veritatis esse stateram.

Contra negantes sensum.

Quibus rationibus vita reactio.

Quamquam rationibus quoque ostenditur confirmarit sensus. Tum ex communi materia, quæ potestate est vtrumque contrarium. Tum quia naturale agens conuenienter applicatum patienti non potest non agere. Tum ex mistione; quæ nulla esset; nisi contrarietatis eiusdem & partis reactio foret. Tum demum ex inæqualitate virtutis agendi & resistendi in alteratricibus qualitatibus. Quibus omnibus Aristotelis, quem cæteri omnes sequuntur, grauissima accedit auctoritas. Quod enim eum aliqui de solo motu locali; aut certè in diuersa contrarietate; aut eo demum intellectu, vt non patiatur quidem agens, dum agit; sed eius naturæ sit, vt post pari possit; intelligendum esse: leue est, neque illius verbis consentaneum. Nam & omne agens eam dixit subire legem, vt patiatur: & alterationis quoque in eadem contrarietate exemplum attulit: idque simul & eodem tempore, quo agit: atque eam huius rei causam expositi, quod agens Physicum actu constet & potestate, materiáque ad vtramque contrarietatis partem potestate sit.

Maneat igitur, non modò in agentibus naturalibus, quibus est communis materia: verùm etiam per se in eadem parte & contrarietate, atque in agentibus quoque vniformibus & æqualibus, reactionem esse. Quoniam etsi calor sit vt octo, & frigus vt octo; minorem tamen resistendi, quàm agendi vim habent; calórque agit in frigus, quia vehementiùs agit, quàm resistat frigus: hócque vicissim in illum reaget, quod robustus ad agendum sit, quàm calor ad resistendum firmus. Vnius enim contrarij actio circa resistentiam alterius versatur, vt illud ex subiecto pellat: & quoniam agentis repassio ex materiæ oritur potestate ad patientis formam, quousque hæc expleatur potestas, repatitur semper. Quemadmodum etiam quia patiens propterea reagit, quia est actu, quandiu aliquem habuerit actum, reaget. Adest enim semper reactionis repassionisque principium: neque tota est agentis potestas expleta, nec totus patientis actus corruptus. Etenim non agit agens in patiens, nisi formam illius corrumpendo, sibique similem procreando: ac tantum expellit contrarij, quantum sibi simile producit: tantundem igitur reactionem illius impediet, si quidem alio modo non impedit, quam destruendo formam, per quam illud reagit. Quare vt succesiuè formam suam producit, demolitúrque contrariam, ita succesiuè contrarij reactionem impediet: & cùm aliquem gradum destruxit, eum tantùm impediet, ne in se producatur: supersunt autem reliqui, qui produci possunt: & vt succesiuè fit actio, ita succesiuè quoque & minor reactio erit quandiúque durabit actio, durabit quoque reactio, & vt qualitate tota producta cessat actio, quia tota materiæ potestas expleta est, sic etiam tota contraria forma corrupta cessat reactio, quòd nullus amplius sit actus, qui agat. Quæ omnia ea lege accipienda sunt, si vnum intra alterius sphæram actionis contineatur. Alioqui cùm robustius agens maiorem habeat sphæram, posset in imbicillius agere absque vlla repassione: propter nimiam scilicet distantiam, qua ipsum extra patientis sphæram esset. Interdum, inquit Aristoteles libro quarto de animalium ortu capite 3. fit, vt quod agit, magis patiatur, quàm agat, & refrigeretur, quod calefacit, calescat, quod frigefacit: cùm aut nihil fecerit, aut minùs, quàm ipsum affectum est.

Hinc duo iam intelligentur. Alterum, nisi agens & patiens sese immediatè contingant, fore aliquando sine repassione actionem. Quia cùm fuerit patiens prorsus debilitatum ac pene profligatum, ad tantam distantiam non reaget, vt agens illud assequiat. Quòd si immediatus contactus fuerit, reparatur semper, quia semper intra illius sphæram continebitur.

Alterum

Actio augmentum à maiori virtute.

Alterum; peruulgatam illam propositionem; Actionem debere fieri à robustiore virtute, neque à minore aut æquali actionem vllam proficisci; ita accipiendam esse, vt aut vis agendi vnius qualitatis comparetur, non cum vi agendi, sed cum vi resistendi alterius: aut de ea sola actione pronuntietur, quæ victoriam reportare prorsusque patiens profligare debet. Aut demum in ijs duntaxat qualitatibus sit vera, quæ speciei eiusdem sunt. Minor namque aut æqualis calor in maiorem aut æqualem non agit, sed solum maior in minorem, augendo illum. In contrarijs autem qualitatibus minimè admittenda est. Neque tamen propterea tollitur, quin agentia naturalia simile sibi producant. Nam pugnant quidem aliquandiu contraria: quod tamen robustius fuerit, ita tandem contrarium debilitat ac prosternit, vt prorsus extinguat atque in suam naturam commutet. Non secus ac in hominibus luctantibus cernas. Contendunt enim aliquandiu; sed eorum tandem alter altero superior existit. Sunt qui addant, agens cessante demum repassione reducere sese ad pristinum robur atque sibi simile procreare. Verum quidquid sit de hoc, dici potest, si totum agens repassum fuerit, reduci ab extrinseco aliquo in pristinum statum: aut si non reducatur, producere quidpiam sibi simile; non eo gradu, quam antea habebat; sed eo, quem tunc cessante reactione habet. Quòd si aliqua tantùm parte repassum sit; reliquæ supersunt integræ, quæ & illam reficere possunt, & effectum perfectè similem producere.

Explicatio argumenti de parte repassa.

Sed vrget difficultas illa à Calculatore proposita de parte repassa. Multa de hoc à pluribus scripta fuere. Equidem iudico eandem partem simul calefieri & refrigerari. Duobus enim modis potest quidpiam contrarijs moueri motibus. Aut ad vltimum vsque & perfectam vtriusque qualitatis contrariæ intensionem: idque aut ita, vt tantumdem vtriusque qualitatis; aut ita, vt plus vnius, quàm alterius, producatur. Aut ad aliquod tempus; vt tandem superato altero motu, alter sit superstes. Moueri quidem nihil potest contrarijs motibus ad summum vsque & æqualiter: at aliquandiu & inæqualiter, quid prohibet? Tandem enim earum qualitatum altera superat alteram, atque ad vnam solam terminatur motus. Etsi duæ contrariæ qualitates, possunt in eodem subiecto in aliquo remisso gradu consistere; quidni etiam producantur? Nam etsi continuè producantur & corrumpantur; nihil tamen obstat, quominùs horum vtrumque fiat, quandiu qualitates pugnant, déque statu ac firma sede contendunt. Quæ tamen earum robustior est, generatur magis & intenditur, quàm ab inimica destruatur & remittatur. Immò si rem diligentiùs examines, affirmabis tandem neutram intendi neque remitti. Quoniam illud intendi dicitur aut remitti, quod idem persistens plures acquirit aut pauciores gradus. Cùm verò in illo contrariorum conflictu eadem qualitas gignatur sæpiùs & corrumpatur, minùs verè dici intendi aut remitti videtur.

Alterum dici potest, partem eam refrigerari, non calefieri. Quoniam quandiu agens agit, nisi sit patiente debilius, non intendit seipsum defendere, cùm nihil sit, à quo expugnari queat: sed contrarium suum demoliri conatur. Calidum igitur illud potentius frigido non calefacit partem repassam, sed totum in superando frigido occupatur. Seipsum enim tueri suarúmque partium incolumitatem aduersus alterius oppugnationem procurare, infimorum agentium est; quæ propterea in aliud reagunt, vt seipsa defendant. Agens igitur illud fortius in frigidum duntaxat ageret, atque illud superando actionem eius debilitaret: quare quò minùs pars illa repassa frigefieret, eò magis à cæteris partibus calidis calori pristino restitueretur. Neque simul duo illi motus fierent; sed vnus alteri succederet: priusque frigefieret remissius, tum caloris intensio sequeretur: atque ita deinceps, quousque perfectus omnino esset calor. Hoc enim luctantium & inter se pugnantium proprium est. Ex his tamen ne colligas, calidum, quod agit in frigidum non agendo in partem repassam, agere in distans & non in proximum. Etenim pars illa cum reliquis coniuncta est: & quamuis minorem habeat, quàm cæteræ, calorem, calida tamen existit: neque actio partibus, sed toti corpori calido tribui debet: eáque antequàm pars illa repatefieret inchoata erat. Quare etsi caloris aliquid amittat, semper tamen calidi in frigidum actio continuatur.

Ad argumenta de medio

De medio, per quod actio fit & reactio, & eadem affirmari possunt, & præterea addi duo. Alterum; medium calefieri simul & refrigerari; sed inæqualiter & difformiter. Nam propè agens calidum magis calefit, minùs propè frigidum; propè hoc autem magis refrigeratur, quàm propè illud. Potest autem remissis & inæqualibus gradibus idem medium contrarijs, qualitatibus affici. Nam si eidem etiam corpori duo apponantur contraria agentia, quæ ambo illud agant, sanè ambo aliquem in eo suæ qualitatis gradum producent. Alterum, medium non affici nisi à potentiori aut sibi magis qualitate simili agente, acérmque duntaxat calefieri: frigidum autem non refrigerare illud, sed in calidum reagere per frigus, quod in medio remanet: perinde ac si ipsummet illud produxisset. Est enim qualitas illi similis & conueniens.

TEXTVS.

Πότερον δὲ ἓν ἢ δύο τὰ τελευταῖα τροφήματων, ἢ τὸ πρῶτον ἕτερον καὶ διαφορὰν ἔχει ἢ οὔ; ἄμφω, καὶ ἡ μὲν ἀπὸς ἢ δὲ πεπεμμένη, ἀμφοτέρως δὴ ἂν δέξαιτο τὸν τρόφιμον λέγειν. ἡ μὲν γὰρ ἀπὸς, τὸ ἐναντίον τῷ θερμῷ τρέφεται. ἡ δὲ πεπεμμένη, τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ. ὥστε φανερὸν, ὅτι λεχθήσεται τροπὴ ἀμφοτέρως καὶ ὀρθῶς καὶ οὐκ ὀρθῶς.

Vtrum autem sit alimentum id, quod vltimò aduenit, an id, quod primum, differentiam habet. Si verò vtraque, sed hoc quidem incoctum, illud autem confectum, vtroque vtique modo continget alimentum dicere. Quatenus enim crudum, simile simili. Quare manifestum, quod dicunt quodammodo vtrique, & rectè, & non rectè.

A

COMMENTARIVS LIII.

Alimentum an viuenti simile an dissimile

TOtam, quæ inter antiquos fuerat, dubitationem tollit Aristoteles, vtramque opinionem concilians. Potest enim alimentum duobus modis considerari. Aut in ipso nutritionis initio; quando primùm sumitur, necdum confectum est: sed panis adhuc & obsonia cætera propriam suam formam & naturam retinent. Aut in fine, postquam coctum est, & à sua natura & forma in naturam & B formam sanguinis aut etiam secundarum humiditatum mutatum; atque viuenti substantiæ vnitum, proximè dispositum est, vt in illius substantiam mutetur & animetur. Nam si hæc duo ita distinguantur; vtramque illam sententiam videbimus partim veram esse, partim non veram. Qui enim simile dixerunt nutriri simili, verè dixerunt; si alimentum in vltimo nutritionis considerarunt: quo tempore antecedētibus mutationibus assimilatum iam viuenti est; neque pati ab eo ampliùs debet, sed illius solùm formam suscipere. Atsi de nutritionis principio loquuti sunt, minùs veram habuerunt sententiam.

Contra verò qui alimentum affirmarunt dissimile & contrarium esse debere; si de nutritionis fine C dixerunt, falsum dixerunt: sin de principio, verissima illorum fuit oratio; vt eorum argumenta satis ostendunt. Quandiu igitur dissimiles alimentum & contrarias qualitates habet, alteratur & corrumpitur à viuente: atque hoc est, quod alimentum incoctum dissimile & contrarium Philosophus nominauit. At vbi qualitates mutatæ sunt, atque ita superatæ, vt nil supersit agendum, nisi viuentis formam suscipere; tum demum patitur & mutatur solùm passione & mutatione perficiente, qua & formam eam suscipit & animatur. Hoc est alimentum confectum & simile: quia vltimò præparatum D est & potestate proxima, vt animetur & idem omnino cum viuente fiat, eadem ipsius forma susceptа.

Quamquam sunt qui hanc similitudinem eò referant, vt alimentum ita confectum, si comparatione solùm illius partis, inquàm mutatum est, considereturi; idem potiùs, quàm simile esse dicatur: atsi cum toto conferatur, appelletur simile; propter reliquas illius partes, cum quibus idem non est. Hippocrates autem in libro de alimento (quo loco vsus est Galenus in tertio libro de temperamentis cap. 2. & 1. de naturalibus facultatibus, cap. 11. & primo de sanitate tuenda cap. 15.) tribus modis propter eam, E quæ dicta est, causam alimentum nominauit. Nam & alimentum dixit, quod iam simile factum est: & quasi alimentum, quod appositum & aglutinatum est, at nondum simile effectum: & futurum alimentum, quod necdum appositum est, quod primum accedit, potestate; quod vltimum, actu alimentum dicere possumus.

Alimentum tribus modis dici.

DIGRESSIO XXV.
De Alimento.

NOn solùm medici de alimentis tractant, vt illis aut conseruatur aut turbatur nostrorum corporum sanitas: sed multò magis agere debet naturalis Philosophus, ciusque propria tractatio est; a quo medicus accipit, si quid sapienter de alimentis loquitur. Cùm enim de facultate, quæ alit, naturalis Philosophus agat, quoque agat necesse est de illius obiecto; quod tum hoc loco, tum in priori libro de ortu & interitu Aristoteles fecit; & Themistius ac S. Thomas interpretationem facientes textu 50. eum significant specialem de alimento librum scripsisse.

Omnibus igitur alimentum id dicitur, quod in nutrientis substantiam mutari potest, eámque restaurare & conseruare, quam ob causam optimè obseruauit Galenus in primo libro de alimentorum facul. cap. 1. & lib. 3. de temperam. cap. 2. & 4. & accepisse videtur ab Aristotele Probl. 43. sect. 1. alimentum distingui à medicamento: quòd medicamentum quatenus eiusmodi est corporis nostri substantiam alterat eiúsque intemperiem corrigit. Non tamen in illius substantiam mutatur; neque ad illam, sed ad aliquam magis qualitatem perditam recuperandam suscipitur. Venena igitur, aut à corpore nihil mutantur, aut illius potiùs naturam vincunt & prosternunt. Aut si initio immutentur à corpore, corrumpuntur & putrescunt, secúmque computrescere corpus & perire faciunt. Medicamenta & calefaciunt corpus & reciprocè calefiunt: non tamen superantur, neque in corporis substantiam mutantur. Alimenta demum & superantur & mutata restaurant. Et quamuis hæc quoque substantiam corporis non nihil immutent, quòd omnis actio reactionem habeat; & ideò ad corporis naturam aut cōseruandam aut mutandam vim magnam habent: insensiliter tamen immutant. Quamquam alimenta quædam reperias, quæ & alimenta sint, dum viuentis substantiam restituunt; & medicamenta, dum alterant corpus; aut calefaciendo, vt piper, zinziber, & aromatum genus: aut refrigerando & humectando, vt lactuca & olera pleraque: aut siccando, vt salsa & acria edulia. Ac proinde vniuersum hoc alimentorum genus à permultis medicamentosum appellatur; quòd & alat simul & medeatur.

Ea propriè alimenta vocantur, quæ ita restaurant, vt nulla qualitate excedant, qua aut calefaciendo nimium alterent corpus, aut alio modo afficiendo, aut cohibendo ventrem, aut laxando, aut stomachum roborando, aut debilitando: sed omnino conseruando corpus totum in eo statu & conditione, quam in eo inuenerint. Hinc proprietates pene omnes & conditiones alimenti.

Principio quia nativi caloris actione in viuentis substantiam mutari debet, proportionem habeat oportet & cum viuentis substantia & cum innato calore: alioqui superari à calore non posset atque in viuentis substantiam mutari. Propterea in primi libro de ortu & interitu textu 39. debet alimentum esse potestate id, quòd ex eo nutriendum est, vt potestate caro, actu autem aliquid aliud. Non quod

quòd caro nutrire nequeat; sed quod cùm id, quod nutritur, & caro sit & caro huius viuentis propria; alimentum oportet viuentem carnem non esse, sed inanimatam, potestate ad suscipiendam animam. Ex quo id obiter intelliges, quod alio loco demonstraui; sanguinem, qui est proximum animalium sanguineorum alimentum, animatum non esse. Et id, quod in tex. 43. huius lib. positum est, nõ quodlibet nutriri quolibet, singulaque viuentia certo quopiam alimentorum genere sustentari. Quoniam vt est in tex. 43. lib. 1. Phys. non fit quodlibet ex quolibet, sed vnum quodque ex contrario.

Contrarium.

Quare alimentum oportet quoquomodo contrarium esse illi, quod ea ali debet. Quod & eodem in loco obseruatum est, & explicatum in tex. 45. & priore lib. de ortu & interitu tex. 38. & 39. vbi alimentum dicitur partim debere esse simile ei, quod alendum est, partim dissimile, simile potestate, actu dissimile: simile postquam coctum fuit & mutatum; dissimile antequam coquatur & mutetur. Quæ omnia consentiunt mirificè cum ijs, quæ de actione & passione docuit idem Philosophus in eodem libro de ortu & interitu tex. 49. 50. & deinceps; agens & patiens dissimilia specie esse debere, similia genere; communémque habere materiam, formam & qualitatem diuersam. Hæc enim demum sunt, quæ agere vicissim possunt & pati, & vltrò citróque mutari. Ita nimirum alimentum & viuens dissimilia specie sunt; quòd alterum viuat, alterum non viuat: genere tamen & materia conueniunt: hæcque cùm sit potestas ad omnes formas, causa est, vt alimentum, quod actu non viuit, suscipere vitam possit. Quocirca ita viuens in alimentum aget, vt si maiorem habuerit vim agendi, in suam illud substantiam & naturam commutet.

Materia elementa continens.

Ita & eam habes alimenti conditionem, vt materiam habeat cum viuente communem & intelligis, quænam inter hæc contrarietas necessaria sit. Scitè enim obseruarunt Simplicius & Philoponus, satis esse priuantium contrarietatem: si alimentum actu non habeat vitam; sed dum communi materia constat, eam habere possit. Hinc verò efficitur, vt non omnia viuentia eodem alimenti genere vtantur; sed alio plantæ, alio bestiæ, alio denique homo: alio pueri, alio iuuenes aut senes, alio cholerici, alio phlegmatici, alio sanguinei, alio melancholyci. Causa est proportio illa, quam inter alimentum & id, quod alitur, esse oportet; vt alterum in alterius naturam mutetur.

Subiectum.

Oportet etiam alimentum esse substantiam. Tum quod dissipatam viuentis substantiam sarcire debet, parsque illius fieri: neque ex non substantia fieri substantia potest, vt in tex. 52. lib. 1. Phys. ratiocinabatur Aristoteles. Tum quòd, vt est in tex. 50. posterioris lib. de ortu & interitu, ex ijs nutrimur, ex quibus constamus: constamus autem substantia, non accidentibus. Tum etiam; quòd si in viuentis naturam mutandum sit, materiam habeat necesse est, quæ & potestas sit & mutationis subiectum, atque viuentis formam suscipiat. Quapropter cùm alimentum & substantiam & quantitatem habere videret Philosophus; affirmabit in tex. 47. nutrire quatenus substantia est.

A

At enim inquiunt Theologi sacramentales Eucharistiæ species nutrire. Ita sanè est. Verùm, vt hoc loco prætermittam multa, quæ à multis hac de re disputantur; existimo rem ita habere, vt non solius naturæ, sed aliqua ex parte Dei virtus in hoc appareat. Idque duobus modis. Primùm; vt quantitas, quæ absque subiecto conseruatur veluti reliquorum accidentium subiectum, sit etiam subiectum, quod natiui caloris actionem suscipiat, qua & superstites panis & vini dispositiones destruuntur, carnisque, aut aliarum nutriendarum partium dispositiones inducuntur. Alterum; vt vbi ventum fuerit ad vltimum dispositionum, quod est antecedentis alterationis primum non esse, in quo substantiæ formam educere oporteret; creet Deus materiam, eámque dispositionibus ijs subijciat. Et quoniam ea sufficienter disposita est, eodem momento naturale agens per dispositiones iam productas formam carnis ac cæterarum partium educit, existitque substantia composita, quam intelligens anima illicò formare incipit. Quod non magnopere mirum videri debet. Quemadmodum enim dum nascitur homo, non solùm nullum est miraculum, dum intelligens anima in materia aptè disposita creatur à Deo: quin potius miraculum esset, si non crearetur. Ita nullum credendum est esse miraculum, dum posita sufficienti dispositione creatur ibi materia: immò nisi crearetur, magis esset sanè mirandum: quippe non minorem ordinem & connexionem cum materia habent qualitates eæ, quàm cum intelligente anima habeat propria illius dispositio. Immò maiorem: si quidem accidentia magis pendent à subiecto, quàm dispositiones à forma. Creatur igitur naturaliter, id est posita naturali dispositione atque exigente hoc natura rei, ordine, & prouidentia, qua Deus tanquam auctor naturæ debet omnibus prouidere & agentium particularium defectus supplere; nec quidquam in natura permittere, quod sit frustrà. Etsi homo dicitur naturaliter genitus ab homine; quamuis hic nec produxerit animam, nec materiam, sed hanc duntaxat quodammodo disposuerit, multò magis dici poterit naturaliter ex sacramentalibus illis speciebus carnem aut aliud quidpiam produci, hominemque nutriri & refici. Quia etsi materia fuerit à Deo creata, naturale tamen agens & eam totam opportunis qualitatibus præparauit, & substantiæ quoque formam produxit. Naturaliter quoque quantitas cum antecedente dispositione tota in ea materia suscipitur. Quoniam cùm antea diuino miraculo consisteret, propter præsentem Christum, suáque natura esset apta inhærere, dum desinit adesse Christus, & accedit materia, naturaliter in ea suscipitur: Deo nimirum cessante conseruare illam absque subiecto. At non est de hoc pluribus nunc disserendum.

Quomodo sacramentales species nutriãt.

Magis ad hunc locum pertinet concertatio illa, quæ aliquando inter Aristotelem & Pythagoricos extitit. Nam, vt est in lib. de sensu & sensili cap. 5. affirmarunt aliquando Pythagorici odorem solum nutrire. Quod medicos quoque illius temporis quosdam sensisse, testatur Alexander in comment. ad eum locum 51. & significarunt Hippocrates sub finem lib. de alimento, & Galenus tum in illius loci comment. tum in 2. Aphorismorum lib. particula. 11. Certè recentis panis ac mellis odo-

Odorem non nutrire.

re triduo superuixisse Democritum, refert Ioannes Alexandrinus; & alium nescio quem plures dies, Oribasius: atque in syncope vtuntur odoribus medici ad reficiendos spiritus. Verùm potest quidem odor confortare nonnihil, dum cum illo ab odorato corpore fumosus ascendit halitus, quo & spiritus recreari & tenues aliqui gigni possunt; quemadmodum sanè medicorum experimenta testantur. Omnino tamen sapienter concludit Aristoteles accidens non posse nutrire. Tum quòd alimentum oporteat esse compositum & mistum; vt statim ostendetur. Tum quòd proprius nutritioni dicatus locus, in quo & alimentum suscipitur & conficitur, est os & venter: odores autem ad caput potiùs per nares ascendunt. Quò fit, vt neque satiemur odoribus; neque in nobis sedetur fames nec coextinguatur sitis. Quod enim Plinius lib. 7. cap. 2. & Strabo lib. 15. Geographiæ Astomorum gentem scripserunt in extremis orientalis Indiæ finibus nullo cibo aut potu vesci, sed varijs radicum duntaxat & florum odoribus sustentari; aut non facilè credo; aut ita intelligo, vt perrarò comedat aut bibat, sæpéque odoribus illis recreetur.

Alimẽtum esse substantiã corpoream, & carnalem.

Propriùm igitur & verum alimentum, quod substantiam dissipatam resarciat & viuentum vitam sustentet, oportet esse substantiam. Corpoream scilicet, ortus capacem & interitus, quæque communem habeat cum viuente materiam; vt in eius substantiam mutari queat. Si tamen sola prima materia omni substantiæ forma spoliata viuenti apponeretur, nimirum ex ea nutriretur. Quoniam in eam ageret natiuus calor, viuentisque formam ex illa educeret: quemadmodum aliud quoduis naturale agens alterare illam posset atque ad suæ speciei formam trahere.

Alimẽtum non nutrire.

At si substantiæ formam habeat; nequaquam poterit alimentum præbere viuenti corpus vllum simplex & elementum purum. Quod & significauit Philosophus in 1. lib. de cœlo tex. 21. & necessarijs argumentis persuasit in posteriore libro de ortu & inter. tex. 50. & lib. de sensu & sensili cap. 4. & 5. Iisdem namque nutrimur, quibus constamus; eadémque est & procreationis & nutritionis materiam: siquidem corpus illud nutritione conseruatur, quod fuit genitum: quare vt corpora nostra sunt mista, sic mistis quoque corporibus sustentantur. Deinde omnis nutritio coctione perficitur, atque in omni coctione excrementum aliquod secernitur; vt in 4. meteororum lib. ostenditur: corpus simplex cum nullam habeat partium diuersitatem, excrementa nulla habere potest. Hæc illius fuerunt argumenta. Quibus accedit, quòd cùm viuentium corpora sint mista, vt corpus simplex in mistum mutari nequit, ita nec elementum in viuens. Cùm enim elementum simplexque corpus vehementiores multò, immò perfectas omnino & integras qualitates habeat, superari numquam posset à corpore misto, quod fractis admodum est & debilitatis viribus vniuersis: quin ipsum potiùs à robustiore agente superaretur. Quòd si Hyppocrates in lib. de flatibus aërem dixit nutrimentum esse corporibus nostris, cùm triplex nutrimentum fecit, cibum, potum, & aërem: ampliori acceptione nutrimenti loquutus est, pro omni eo, quod ad substentandam vitam necessarium est: est autem aëris respiratio cum primis necessaria.

Terram quosdam mandere certum est, & confirmat idem Hyppocrates in lib. 4. de morbis, cùm ex eius esu calculum gigni scripsit. Verum hoc non est naturale, sed vitiosum alimentum, quo non reficitur, sed prosternitur natura. Camæleonem ferunt, & inter alios Plinius in lib. 8. cap. 33. solo aëre sustentari, est Aristotelem aliquando dixisse, vidisse se hominem, qui solo aëre & sole nutriretur, testis & Olympiodorus: & in argumento ad Platonis Phædonem refert Marsilius Ficinus, & in 2. lib. de causis plantarum cap. 8. confirmat Theophrastus, aërem inquiens putari posse alere. Fertur quoque. Cicadas rore solo vesci: est autem ros species concreti aëris, vnde illud poëtæ.

Dúmque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ.

Quod in 11. lib. cap. 26. confirmat Plinius. Denique inter homines quidam fuisse dicuntur, qui duobus, tribus, aut etiam pluribus diebus cibum non sumpserint: & septem dierum inediam legimus apud Hyppocratem in lib. de principijs, & plurium etiam apud Athenæum & Magnum Albertum: & Themistius in oratione 4. cui Timlus est, sophista, quadraginta dies Pythagoram abstinuisse cibo, tandémque in musarum templo interijsse narrat, nec non apud Olympiodorum, & alios, eorum extant exempla, qui menses & annos absque cibo vixerunt. De puella Germanica, quæ biennium ferè integrum abstinuerat, libellum edidit Simon Portius, & trigenariæ iuuenis in Normandia, quæ octodecim totis annis non comederat meminit Petrus Aponensis in expositione vltimi problematis Aristotelis sect. 10. Toto enim hoc tempore aërem fortasse credidere alimentum præbuisse.

Cæterùm Aristoteles non solùm vniuersè nihil simplex posse alimentum esse pronuntiauit: sed de aëre quoque, quem continenter ad vitam nostram substentandam inspiramus, & quidem propter nutritionem, vt ante cum crediderat Hyppocrates testimonio Galeni initio lib. de vtilitate respirationis; id speciatim affirmauit in lib. de sensu & sensili, & problemate 13. sect. 1. Vt iure optimo negauerit Philosophus id, quod de camelæonte circumfertur. Aristoteles quidem certè in 2. lib. de animalium historia cap. 11. narram huius animalis curiosè perueſtigans, id nequaquam adscripsit, quod post addidit Plinius, reliqua omnia ad verbum inde in suam historiam transferens. Quare aut proprium est Plinij mendatium, quod propterea sit mihi magis verisimile, quod idem ipse immemor fuj in lib. 11. cap. 26. camelæontem scripsit rore & araneis viuere, non aëre. Aut propterea dictum est, quod cùm illud animal pauciſſimæ substantiæ sit & frigidiſſimum ac propter sanguinis inopiam maximè omnium rigeat & timeat propterque timorem nimium tam multos calores mutet, vt est in extremo cap. 11. lib. 4. de partibus animalium: tenuissimo quoque vtitur alimento, quo tandiu sustentatur, vt aëre potiùs, quam vllo cibo vesci videatur.

Sed

Sed quoniam hanc ipsam difficultatem eásque omnes, quæ de cicadis & alijs similibus proponebantur, pulchrè exposuit idem Philosophus sub finem 5. cap. eiusdem libri; opportunum fuerit illius verba hic adscribere. Omne, inquit, insectorum genus minimo alimento contentum est, propesibiipsa sufficiunt: non tàm corporis exiguitate, quàm frigiditate. Quod enim calidum est, cibum & desiderat & concoquit citò: contra quod frigidum est, cibo carere facilè patitur. Sed omnium maximè cicadarum genus ieiunum est. Satis enim ijs alimentum est humor, qui in corpore remanet. Ex quibus verbis intelligitur, animalia frigida pauco alimento posse multò tempore sustentari; eóque diutiùs quò fuerint frigidiora. Quædam etiam esse, quæ breue tempus viuant, quæque absque alimento consistant solo humore illo, quem in primo ortu acceperunt. Vt iam non sit mirandum, si camæleo & cicada nullo vti cibo videatur. Itaque quod affirmatur de rore, minimè necessarium est: cùm auctor sit Aristoteles primæuum illum humorem satis esse. Posset tamen ros animali cuipiam vel trantillum nutrimenti præbere; quia non est purum & simplex elementum, sed imperfectum mistum: quod cum qualitates habeat fractas, & terrei quidpiam & aquei, posset ab aliquo in suam mutari substantiam.

Sic enim aquam quoque alimento esse scripsit in problemate ante notato idem Philosophus: aquam scilicet impuram & externis qualitatibus affectam, & temperatam; qualis ferè ea est, quam habemus. Alioqui aquam, quæ purum sit elementum, nequaquam posse nutrire; ideoque peritos agricolas, dum plantas irrigant, miscere terram; in posteriore libro de ortu & interitu tex. 50. & in lib. de sensu & sensili cap. 5. iam scripserat. Tametsi ne hoc quidem Galenus admitteret; qui in lib. 4. de vsu partium aquam omnino affirmauit se non nutrire nutrimentum per corpus deducere. Pisces sanè vitam omnem in aquis viuunt: ij tamen non aqua pura sustentantur, sed aut limo, aut alijs rebus, quas in aquis sæpissimè reperiunt. In altum enim ascendunt sæpissimè, atque in eorum ventre permulta nondum cocta visuntur. Sunt etiam minores pisces maiorum præda.

Homines quosdam certum est multò tempore sine cibo vixisse. Sed in quibusdam non sine magno naturæ damno. Nam aut post id tempus cibum non susceperunt, ventriculo & intestinis contractis; aut facultatibus omnibus ac visceribus offensis breui tempore obierunt. In alijs diuina id virtute factum est, vt in Moyse, Elia, & Christo seruatore nostro; quos prohibita aut impedita natiui caloris actione, Deo scilicet cum eo non concurrente, quadraginta totis diebus ac totidem noctibus nihil cibi sumpsisse litteræ sacræ testantur. Et post illos multi viri pietate ac vitæ sanctimonia insignes sumpta Eucharistia omni alio cibo multo tempore abstinuerunt. Alios tamen compertum est abstinentiam & ieiunium simulasse, dum occulto vescerentur cibo. Verùm naturaliter quoque fieri potest, vt ieiunus homo haud paruo tempore conseruetur. Natura namque paucis contenta est: plurimúmque vt in cæteris, ita in hoc assuetudo valet: & multo crebróque ingesto cibo & egesto, intestina omnia & viæ dilatantur & capaces magis ac famelicæ fiunt. Atque vt non tantumdem omnes alimenti sumunt, sed propter maiorem calorem ac diuersum corporis habitum aliqui largiùs vescuntur, quàm alij: sic aut propter multum humorem & copiosiorem pituitam, quæ natiui caloris actionem detineat, minore opus est cibo: Quam causam tradiderunt periti medici, animalia biliosa bis die refocillanda esse, pituitosa semel. Et extat aphorismus 57. lib. 7. corporibus humida carne prædita perferenda fames est. Illa enim maiore, quàm hæc; indigent alimento; citiùs conficiunt & minùs indiam tolerant. Aut quòd cutis tam sit densa, vt per illius poros vix quidquam actione caloris resoluatur: omnes verò humores tàm benè in toto corpore dispositi ac inter se temperati, vt hominem non suffocent. Ac demum quod exiguus sit & imbecillus natiuus calor, nec externa contraria maguopere oppugnent: fieri omnino potest, vt sine cibo quis diutiùs conseruetur.

Quemadmodum animalia compluta sine cibo totam hyemem latitare dicuntur in 8. lib. de animalium histor. cap. 15. Qua de re Galenus in aphorismi citati comment. Vrsum scribit Aristoteles cap. 17. latere minimùm dies quadraginta mense præsertim tertio; eóque tempore nil cibi gustare pingueścere tamen tanto opere, vt vix se loco mouere queat: & primis quatuordecim diebus ita sopiri, vt ne tantillũ quidem se moueat. Tunc enim plurimos coquit humores crudos, qui corpore continentur. Animal namque est voracissimum, crudisque omnino cibis alios addit, maximámque cruditatem contrahit. Quare insitum illi est a natura eo tempore latere; tum ne plures congelarat, quibus natiuus calor prorsus obruatur; tum vt vehementiùs operetur calor, meliúsque coquat. Primis quatuordecim diebus dormit, crassioribus vaporibus ad caput ascendentibus. Vnguem fugit aut lambit, eam fortasse ob causam, vt flegma digerat & ad os traducat.

Verùm ad rem propositam reuertatur oratio. Sanè huc etiam spectat qualitas humani cibi. Quidam enim diutissimè possunt sustentare. Refert in Sro Dion cibum quemdam parare Britannos, cuius si tantum ceperint, quanta est faba, minieuemè esuriunt neque sitiunt. Et Plinius lib. 7. cap. 2. Sauromatas tertio quoque die cibum sumere. Qui tàm sobriè viueret, aere potiùs, quàm alio cibo, sustentari videretur. Eo tamen nequaquam nos nutriri, illud etiam est argumento, quo aliquando Aristotelem vsum legimus; quod cibus, qui nutrire debet, per Oesophagum ad ventrem deijcitur atque in eo coquitur: aer non ad ventrem, sed ad pulmones per asperam arteriam descendit: atque ita descendit, vt mox ascendat rursum & expiretur. Quocirca id, quod Galenus in lib. de vtilitate respirationis, & eius testimonio Hyppocrates affirmarunt, inspirato illo aere nutriri spiritum, qui corde continetur; minimè credendum est, qua de re in libro de animati corporis temperatione dictum est.

Verùm enim verò non quodlibet corpus mi-

stum est ad nutriendum aptum ; sed illud solum, quòd à viuentis calore mutari possit, habeátque temperiem qualitatum illi proximam ac pene consimilem. Sic enim facilè ad illius substantiam traducetur. Ergò metalla non nutriunt, tum quod à natiuo calore mutari nequeunt ; habent enim tenacissimam mistionem & humiditatem viscosam, quæ non nisi à vehementissimo calore sicco dissolui possit. Tum quòd cùm accedant proximè ad elementorum naturam ; non eam habent cùm viuente proportionem, quæ necessaria esset : sed terream prorsus, aqueam, illiúsque temperamento contrariam. Itaque quod vulgò dicitur, struthiocamelum ferro nutriri, etsi Cardanus in 10. lib. de subtilitate in vehementem calorem & ventriculi crassitudinem referat ; & Plinius lib. 10. cap. 1. eum scribat sine delectu omnia coquere; negandum est & visus est negare Albertus lib. 23. de animalibus. Aurum quidem nutrire videbitur, dum in medicamentis quibusdam interdum adhibetur. Sed præter quàm quòd medicamentum, quatenus medicamentum est, nutrire non debet; sed qualitate quapiam alterare aut afficere viuentis substantiam : aurum illud exiguæ quantitatis in puluereisque contusum & verò etiam potione aliqua temperatum sit oportet, vt à calore superari queat. Alioqui si integrum deuoretur, cum excrementis eiicitur.

Metalla non nutriri.

Destruthiocamelo.

Lapidibus quoque non nutrimur. Quoniam propter nimiam densitatem & crassitudinem non dissoluuntur. Sunt etiam nimis sicci, immò prorsus terrei : nec humorem habent, quod fluere possint ; sed eum solum, qui ad terreas partes copulandas necessarius est. Isque nisi vehementi aduratur calore sicco, dissolui non potest. Eandem ob causam pili & alia id genus sicca non nutriunt. Plantæque quædam in aquis sulphuratis nascuntur & conseruantur : at eæ non solo sulphure, sed aquæ frigore & humore temperato sustentantur.

Neque lapides.

De venenis difficultas maior. Mitridatem fuerunt illis nutritum. Nihil mirum. Nam etsi venenum propter vehementiorem aliquam qualitatem obsit plurimùm aut etiam interitum adferat: si tamen tàm robustus fuerit calor, vt superet illius frigus ; aut quæuis alia eius noxia qualitas à potentiori vincatur : aut demum assuetudine fiat, vt coquatur ; poterit alimentum præbere. Certè elleboro coturnices & cicuta sturnos citra noxam vesci, scribit Galenus in 2. lib. de alimentorum facultatibus cap. 6. & lib. 3. de temperamentis cap. 4. & lib. 6. de sanit. tuenda cap. 3. & Egyptios aliásque gentes quasdam serpentes & viperas deuorasse, in libro 3. de alimen. facult. cap. 3. idem est auctor.

Deuenenis quid.

Propriæ autem alimenti qualitates sunt calor ac præsertim humor. Propterea enim quæritur alimentum, vt siccata corpora reficiantur & humectentur ; natiuusque calor sustentetur & vita, quæ in humore prorsus conseruantur. Alimentum etiam oportet in omnes corporis partes distribui : quare humidum sit necesse est, vt facilè per vniuersum corpus fluere atque omnibus illis partibus adiungere sese possit hæc enim sunt humoris opera. Humidum autem dico, aut actu, aut potestate & virtute ; vt & humectari facilè possit, & humectare. Quam ob causam data videtur animalibus saliua, qua cibi interdum sicci humectentur, aptioréque ad partium alitionem reddantur. Quare & si Philosophus in tex. 28. famem definiuit appetitum calidi & sicci ; & humidi cibi satietatem videntur parere ; panis verò, qui siccus est & commune homini alimentum, nunquam esse fastidio : fames propterea dicta est appetitus sicci, quòd etsi appetitus sit humidi, quo reficiatur natura ; hoc tamen à siti distinguitur, quòd est appetitus solidi alimenti ; soliditas enim à siccitate prouenit cum calore coniuncta, qui prohibet, ne sit soliditas, quæ à viuente dissolui nequeat ; qualis esset, si à frigore profecta fuisset. Sitis etiam appetitus dicitur frigidi & humidi : frigidi, quia nascitur ex inflammatione ventriculi rotido humore consumpto : humidi, quoniam est appetitus alimenti fluuidi ; quod humoris effectus est.

Alimẽti qualitates calor & humor.

At quid causæ est, cur alimenta quædam satietatem adferant, alia nequaquam? Respondet Aristoteles in 13. probl. sect. 21. humida & pinguia plerimùm quidem nutrire posse ; at quoniam in ventre supernatant, fastidium parere. Deinde ea non fastidire maximè, quæ naturæ minùs conueniunt. Panis numquam fastidium adfert, quia condimentum quoddam & temperamentum aliorum omnium. Nimium enim humorem & lentorem cæterorum ciborum siccitate sua temperat, neque pinguedinem eam habeat, quæ satiare solet.

Postremò in lib. de sensu & sensili cap. 4. & 8. lib. de histor. animalium cap. 1. & 2. alimentum reperies debere esse dulce. Quod non de qualitate intelligas, sed de substantia. Sit enim oportet substantia tenuis, aërea, & humida, quæ penetret facilè, ac sese in omnes corporis partes insinuunt, omnésque reficiat. Neque qualitates, sed corpora alimento reficienda sunt & sustentanda. Quamquam sapor quoque nonnihil dulcis aut potiùs gratus, animalis appetitionem plurimùm iuuat. Quæ verò qualitatem habent nimis dulcem, minimè naturæ conueniunt, citoque fastidium & nauseam pariunt. Immò vt est in libro de sensu & sensili capite quinto cibus suauis sæpe morbosus est. Hæc fermè sunt; quæ in alimento vniuersè considerantur. Quæ si adsint, haud magno natiui caloris dispendio vertetur in copiosum sanguinem, totiúsque viuentis substantiam optimè efficiet & tuebitur.

Vt tamen planius intelligatur, quænam sint bona, quæue minùs bona alimenta, speciatim aliquid de illis dicendum est. Quatuor omnino alimentorum genera periti medici distinxerunt. Primùm eorum, quæ producuntur à terra : quales sunt herbæ, radices, arborum fructus, plantarum semina, tubera, fungi. Alterum animalia omnia, quæ aut volatilia sunt, aut terrestria aut quæ in aquis degunt. Tertium partes animalium, tum internæ, tum externæ. Postremum ea, quæ ab animalibus prodeunt, nec tamen sunt illorum partes, vt oua, lac, serum, caseus, butirum, sanguis, mel.

Optimum

Optimum illud est alimentum, quod est optimi succi, faciléque potest coqui, & pauca habet excrementa. Quam ob causam primum illud, quod dixi, alimentorum genus non magnopere probatur. Quoniam herbarum genus vniuersum maximè excrementosum est, neque multi ac probati succi. Et ideò bestiæ, quæ hoc solo vtuntur cibo, & ferè semper comedunt, & plurima egerunt excrementa. Omnium tamen eorum, quæ suppeditantur à terra, optimus est panis ex mundissimo confectus tritico, exiguo fermento & sale conditus, atque in clibano studiosè coctus. Inter herbas lactuca probatur; quòd moderatè refrigeret & humectet, minimèque malum gignat succum. Inter fructus præstant omnibus ficus probè B maturæ: deinde vuæ præsertim pensiles, quæ quidquid erat flatuosum amiserint. Sed & aduersus hosce flatus iuuant tritta dentibus grana, quæ acinis continentur.

In animalium quadrupedum genere suilla caro maximè probatur Galeno; quòd si bene coquatur, probatissimos gignat succos, sitque humanæ persimilis. Ego tamen non video, quid sit tam præstans in eo cibo, quem humidissimum esse constat & coctu difficillimum: quémque ille ipse auctor in 1. lib. de alimentorum facult. cap. 2. fatetur esse succi crassi & viscosi, atque athletarum proprium; quo si aljus vescatur, celerrimè in plenitudinis incurrat morbum. Multò potior est edina, quæ & pertenuis est, & temperate humida & calida. Agnorum caro humidior est, quàm par sit; quidquid Auerroës dicat in quinto Colliget capite trigesimo secundo: quare secundo loco vitulinam aut veruecinam habita complexionis nostræ ratione proponerem. Illa enim humidior est & sicciori corpori accommodatior: calidior hæc & frigidiorem constitutionem magis iuuaret.

Ex bipedibus omnes mirè iuuenculas gallinas laudant, capos pullosque cohortales. Nam carnem habent temperate calidam & humidam, optimique succi. Immò gallineam scribit Auerroës admirandam habere proprietatem temperandi complexionem; illiusque iusculum optimum leprosis medicinam præbere; atque eius cerebrum cerebri nostri substantiam augere acueréque ingenium. Ex reliquis volatilibus phasiani probantur, perdices, attagenes, turdi, merulæ, tenelli columbi, passerculi, qui inter dumeta volitant; ac turtures, quibus ingenij acuendi vim tribuit Auerroës.

In piscibus saxatiles & pelagici cæteris præponuntur: quique velociorem habent motum & piabilem magis miniméque viscosam substantiam. E Si vero damnantur, qui in immundis fluminibus turbidis ac limosis degunt: & in illis præsertim, quæ magnæ cuiuspiam ciuitatis purgamenta excipiunt; vt in tertio libro de alimentorum facult. & in lib. de succorum bonitate & vitio scripsit Galenus.

Ex animalium gressilium partibus, mamillæ, testes, aliæ, & iecuscula probatissimarum auicularum aut etiam animalium, optime nutriunt. Ac demum ex ijs, quæ ab animalibus A proueniunt, oua & lac sunt optima, si laudatorum sint animalium. Oua quidem gallinarum; in quibus vitellus melior multò albumine: quippe albumen ægre coquitur, inquit Galenus 12. lib. de methodo medendi cap. 6. lac verò caprarum, si melle aut aqua, vel saccaro, aut sale modico aspersum fuerit, ne cogatur in ventre. Quamquam Auerroës lac asininum præferat. Sed ex ijs substantijs, quæ continentur in lacte, optimum est butyrum; quia tenuis aëreæ, & dulcis substantiæ. Caseus deterior; quòd substantiam valde crassam habeat. Atque recens quidem frigidus est & humidus; vetus autem siccus & calidus propter permistum salem: medius inter vtrumque minùs malus. Hæc ad rem præsentem de cibis dicta sint satis. Medici enim est hæc diligentiùs persequi. *De potu aquæ.*

De potu eodem modo dicendum. Communissimus atque vsitatissimus potus, aut est aqua, aut vinum, aut ceruisia. De aqua certum est, aptissimam eam esse ad extinguendam sitim, quæ frigidi & humidi appetitus est. Nimio tamen frigore obesse plurimùm potest, si sola potetur ab eo, qui huic potui assuetus non sit. Hispanos scimus propter assuetudinem aquarum bonitatem hoc potu maxime gaudere: & fœminis intemperantiæ atque impudicitiæ signum esse vinum copiosius præsertim hausum. At qui aquam bibunt, largiùs comedunt; quod aqua non nutriat quemadmodum vinum, & ceruisia; ex quibus si quis multum hauriat, non multum comedit; quoniam illis copiosius reficitur. Inter aquas illæ saluberrimæ sunt, quæ sapore omni, colore, & odore carent, syncerææ prorsus, ac pellucidæ; ἄκρατος, hoc est qualitatis omnis expertes, vocitare solet Galenus. Omnium optima est fontana præsertim si è sublimibus locis terreno puro ad orientem solem fluat. Purior enim est, leuior, D ac citissimè calescit & refrigeratur. Secundum locum habent pluuiales, si probe purgatæ fuerint ac percolatæ. Tertium puteales; quæ si ductus sint minerales, limosi, aut cœnosi, sordidumue habeant fundum, atque angusto loco contineantur; pessimæ existimantur. Quartum medici plurimi dant fluuialibus, easque maximè damnant, quæ ex magnis hauriuntur fluminibus, in quæ alia multa ingrediantur. Sed considerandæ diligenter est natura & conditio singulorum fluminum. Romæ namque constat Tyberinam optimè purgatam cuiuis puteali præstare plurimum. Aquas lacuum ac paludum non solùm certum est pessimas esse, sed pestilentes quoque. *De vino.*

Vinum naturæ peramicum est: de quo tum alibi Galenus, tum in lib. 12. de medendi methodo cap. 4. permulta tradidit. Quid quid de illius qualitatibus plerique disputent, plane sentiendum est esse actu frigidum & humidum. Hoc enim est certissimum sensus iudicium. Et nisi ita esset, aut sitim non extingueret, aut certe minùs aptum illius obiectum foret: si quidem sitis frigidi & humidi appetitus est. Virtute tamen est calidum, & ideo amicum naturæ magis,

quam aqua : & ad alendum aptius. Calefacit item stomachum & totum corpus, vires auget spiritum & sanguinem fouet, mentem exhilarat, senectutem recreat, & id genus plurima adfert commoda vinum. Citissime & optime nutrit, præsertim generosum. Si tamen acerbum fuerit, crassum ac vitiatum sanguinem, & atram bilem, procreat. Rubrum copiosiùs alit, quia est magis crassum, sed album vt est tenuius, ita maiorem incidendi vim habet, meliúsque renes purgat, & vrinam prouocat. Dulce faciliùs, quam austerum, distribuitur. Nouum tum ægrè distribuitur, tum excrementa plurima & flatus procreat.

Annosum magis est totum nutritioni accommodatum : modicè tamen sumptum, & aqua probè dilutum, pro ratione ætatis, regionis, ac temporis. Etenim merum & immodicè haustum nimirum vexat & opprimit natiuum calorem : aut si ab eo superetur, neruos lædit, caput vaporibus plurimis tentat, paralysim, stuporem & innumera alia morborum genera inuehit.

De cerusia. Cerusiam ex tritico aut hordeo lupulisque confectam vino inferiorem esse, vel ex eo intelligas, quòd ea illæ tantum gentes vtantur, quæ vinum non habent, & Galenus in lib. 6. de simplicium facultatibus, dum de Zytho loquitur, & Dioscorides lib. 2. cap. 311. & 312. damnare nisi sunt, tanque flatuosam & prauisucci ; dum arte confecta vina hanc ob causam improbarunt. A quibus planè dissentientes aliquos hac nostra tempestate reperias, qui potionem eam anteponunt vino. Ego vt vinum in primis laudem, cerusiam non prorsus improbo, Tum quòd eam constet nutrire plurimùm ; atque in eo etiam ad sanitatem, conferre, quòd refrigeret corpus & humectet ; & ideò æstate præsertim accommodata videtur. Tum etiam quòd gentes eas, quæ illa vtuntur, & sanas, & robustas, optiméque valentes conspiciamus.

Ergò tota hæc de alimento disputatio præceptis quibusdam concludatur, quæ in alimenti sumptione seruanda erunt. Quam rem tanti fecit Hyppocrates, vt in lib. de veteri medicina non dubitauerit affirmare, totam eam artem inde & nomen habuisse ; quando accommodata humanæ naturæ alimentorum ac victus ratio fuit inuenta.

Cibi & potus quantitas. Primùm igitur videndum, ne nimis multum sit aut nimis parum id, quod sumitur. Etenim vt habet Porphyrius libro. 4. de abstinentia animalium, ex veterum græcorum testimonio, Nihil ad sanitatem melius, quam superflua minimè congerere. Quippe ex nimio cibo & potu cruditates oriuntur, natiuique caloris oppressio, qui tantum molem nequit coquere. Inde & morbi plurimi, & accellerata mors. Contra ex nimis tenui victu debilitantur venter calorque natiuus ; pabulo scilicet deficiente : dissoluuntur quoque membra & citius tota viuentis substantia consumitur ; cùm non perfectè restauretur. Ea igitur esto cibi quantitas, quæ ventrem non grauet, sed famem atque appetentiam sedet ; nec tamen omnino extinguat. Sanitatis enim studium est, vt sapienter Hyppocrates monuit in 6. Epidemiorum lib. non satiari cibis & ad labores impigrum esse. Nam si copiosior fuerit ingestus cibus, morbum facit, vt est in 17. Aphorismo, libri secundi.

Denique de toto hoc capite extat eiusdem lib. Aphorismus quartus. Non satietas, non fames, neque aliud quidquam bonum est, quod naturæ modum excedat, & Pythagoræ præceptum fuit potionis & ciborum mensuram facere oportere : mensuram inquam, quæ molestiam tibi non inferat, etsi animi functiones is potius, quàm corporis sanitatem atque incolumitatem spectaret.

Propterea ne excedatur modus, vitetur varietas. Quoniam vbi magna varietas, vix quantitas nimia vitari potest. Deinde cùm varias item habeant qualitates qualitatum temperationes ; multò magis in illis coquendis laborat natiuus calor. Hyppocrates in lib. de flatibus, tum multimodinem, tum varietatem ciborum, diætam malam nominauit : varietatemque seditionem mouere propter dissimilitudinem affirmauit. Hominum verò in hac parte vitium pulchre inter cæteros deplorat Plutarchus in opusc. quòd bruta animalia ratione vtantur. Vnicuique animalium, inquit ; vnus cibus natura conuenit : his quidem herba, illis autem radix, & fructus. Quæcumque verò sunt carniuora, nullum aliud cibi genus appetunt : & homo fertur ad omnia, voluptatibus & ingluuie ductus ; omnia experitur, omnia gustat ; & veluti nondum quid sit proprium conuenienséque sit cognoscat, solus ex omnibus animantibus omnium vorator est factus, & cætera. Magnum quidem certè Alexandrum legimus peritissimos duos coquos recusasse, quòd à Leonida diceret se duos optimos accepisse, corporis exercitationem ante prandium, qua cibi procretur appetentia, atque in prandio temperantiam, ne cœnę gustus tolleretur.

Quòd si plus æquo comederis, inedia longa, somno, quiete, vomitu, aut etiam lenta in posterum diem deambulatione, illius cibi molem depones. Extat præceptum Celsi, libri primi, capite secundo, eum, qui benè coxerit, mane tutò surgere, qui verò minùs, debere quiescere ; neque se labori aut exercitationi credere. Moderato igitur vtamur cibo & vt cum Synesio in libri de somnijs loquar, medicam potiùs, quàm siculam paremus cœnam. Nam & Platonem, cum in Italiam & Siciliam venisset, magnopere Italicis & Syracusanis offensum fuisse mensis, quod bis quotidie saturi fierent, ipsemet scribit in epistolam ad Dionis propinquos & familiares. Sibaritas adderet Themistius in ordinatione secunda quę ἐπαφρίος inscribit, & Maximus Tyncis in sermon. tricesimo primo & tricesimo tertio, dum Syracusanarum quoque ac Sicularum meminerunt. Omnium venter nec nimium grauatur, nec inanis plane relinquatur. Nam tolerare famem prauis humoribus implet ventrem, vt confirmat Auicenna in tert. Fen. primo Canon, Doctrina secunda cap. 7.

Sed

Sed quoniam tempus quantitatem & qualitatem cibi variare plurimùm potest; illud omnino spectandum fuerit. Æstate namque propter natiui caloris imbecillitatem tenuis victus est satis, isque frigidior & humidior: quo refrigerentur & humectentur corpora, quæ calescunt nimium & siccantur. Hyeme largior esse potest; quòd calor ad interiores sese partes recipiens magis coquit: isque calidior & siccior esse debet. Æstate parum & sæpiùs edendum est; hyeme multum & rariùs; mediis temporibus media quædam ratio victus tenenda. At in regione item, tum calida, tum frigida, aut temperata, idem obseruandum. Nam ventres hyeme & vere calidissimi sunt, vt est in aphorismo 15. lib. 1. Neque aduersatur Plutarchus, cùm in secundo conuiuiorum quæst. 2. disputat, cur circa finem autumni voraciores simus. Per comparationem enim ad æstatem est sermo, autumnique finis principium existit hyemis: atque illa ipsa est causa, quòd calor per æstatem dispersus & imbecillior factus, colligitur eo tempore viribusque augetur.

Temporis ratio habenda.

Ætatis. Habenda tamen est semper ætatis ratio. Nam pueris propter tenuem corporis complexionem ingentemque calorem & accretionem tenuis cibus, sed multus, est dandus. Iuuenes solidiore indigent alimento, eoque nonnihil frigido, ad sedandas prauas perturbationes. Senes calidum volunt & humidum. propterea vinum merum, mel, oleum, & mulsum, optimè illis conueniunt.

Complexionis. Videnda quoque erit corporis cuiusque complexio: & melancholici quidem calidis & humidis cibis vtentur, quæ complexionem illam iuuent & corrigant. Cholerici frigidis & humidis, phlegmatici calidis & siccis, sanguinei temperatè humidis & calidis, aut etiam siccioribus ac frigidioribus.

Exercitationis Huc etiam cuiusque spectat exercitatio. Nam qui litterarum studiis occupantur aut otiosam prorsus vitam degunt, neque corpus magnopere laboribus exercēt, tenuiori ac moderatiori egent victu; qui coquatur faciliùs; & ideò elixis potiùs, quàm assis. In quorum sumptione seruetur ordo; vt primùm illi sumantur, qui faciliùs coquuntur. Si enim hi posteriores sumantur, coquūtur priores; cumque descendere nequeant, in ventre putrescunt.

Cibipræparatio. Neque verò in ciborum præparatione, gustatus delectatione, & cuiusque consuetudine, parùm momenti est. Elixa caro optima esse creditur; quòd faciliùs coquatur; tametsi pleniorem habeat humorem assa, in interioribus saltem partibus: etsi secus sentire visus sit Galenus in 3. lib. de alimentorum facul. cap. 19. Et oua, non frixa, neque alio modo durata; sed mollia & sorbilia probantur. Quamquam scitum est illud; Quod sapit, nutrit. Et illud Hippocratis 38. aphor. libri secundi. Paulò deterior & cibus & potus, verùm iucundior, melioribus quidem, sed iniucundioribus, præferendus est. Etenim stomachus libentiùs amplectitur, retinendique virtus vehementius illis applicatur.

Consuetudo. Consuetudini porrò non solùm in secundo lib. Metaph. t. 14. tribuendum esse plurimùm, dixit Philosophus: sed etiam in libro de memoria & reminiscentia cap. tertio eam scripsit esse velut alteram naturam. & in problemate primo sect. 28. inter cætera illud adfert; Nos tàm ægrè ab assuetis recedere, vt Dionysius Tyrannus, quòd in vrbis obsidione aliquantulum temporis à consueto potu destitisset, tabe protinus laborarit. Et apud Hippocratem aphorismus extat. 49. libri notati; Adsuetos faciliùs ferre consuetos labores, quamuis debiles sint & senes; quàm iuuenes & fortes non adsuetos. & aphorismus 50. Ex multo tempore consueta, etsi deteriora sint, molesta minùs esse inconsuetis. Nam & apud Alexandrum in problematibus grandis & innata est armatura contra omnem difficilem passionem consuetudo.

In potu sapienter agendum est. Quemadmodum enim is est necessarius, tum ne cibus crassescat nimium & duretur in ventre; sed liquescat nonnihil, vt commodiùs coquatur. Tum ad temperandos & permiscendos cibos. Tum vt cibi coctio sit elixatio, non assatio: elixatio enim sine humore non fit. Tum demum vt alimentum distribuatur faciliùs, ac totum permeet corpus. Quòd si quædam sint animalia, quæ absque potu cibum sumant; ea multum humorem viscosum habent, cibóque valde humido vtuntur: quemadmodum aues ferè carniuoræ. Ità dum sumitur cibus, seruabitur modus; ne fluitet cibus in ventre atque innatet, nec vllum certum teneat locum. Optimum verò fuerit parùm & sæpiùs bibere. Optima enim fiet cibi potusque permistio. Ante cibum, aut à cibo bibere, dum coctio perficitur, pernitiosum. Nam ieiuno ventre bibere, neruos & caput lædit: à cibo autem, coctionem impedit & turbat, flatus & cruditates procreat. Ante coctionis tamen principium magnopere sitienti aquæ potius, quàm vini, potum permitterem. Nam & pondere & frigore per antiperistasim coctionem iuuabit.

Potus ratio.

De potu post cænam extat Hippocratis aphorismus 17. lib. 5. Quibus noctu bibendi est auiditas, his admodum sitientibus, si superdormierint, bonum est. Somnus enim, inquit Galenus, sedabit sitim. Magnopere tamen sitienti, siue ex humidi defectu, siue ex largiore meracioris vini potu oriatur sitis; vult Galenus concedi potum, quo & addatur humidum, & vini calor aquæ frigore temperetur. Quare salubriùs aqua præbebitur, quàm vinum. Cæterùm quælibet potio nimium frigida plurimùm obest quocumque tempore sumpta: præsertim verò post corporis exercitationem, aut sudorem, aut balneum. Post fructus disputant medici; num vinum bibendum sit, an aqua. Sed iis fructibus, qui citò coqui possunt, putredinique sunt obnoxij; vt peponibus, cerasis, persicis, moris; modicum, sed generosum, vinum infundendum consulo. Coquentur enim citiùs, minimeque putrescent. Reliquis aqua magis conuenit. Quoniam cùm non citò coquantur, si vinum addas, quod omnes corporis partes facillimè penetrat, prauum illius cibi succum ad vniuersum corpus deducet. Satius esset omnino non bibere. Neque calidum opimæ carnis iusculum improbo. Nam illius cibi frigus mitigare potest, coctionemque iuuare; nec tamen tam citò penetrare, vt vinum.

Sed de potu satis dictum est.

Hora seruanda.

Illud postremum monebo; in alimenti sumptione seruandam esse horam: non certam aliquam & constitutam; sed eam, qua inanitis partibus prioreque substantia consumpta vexat nos fames. Etenim exhaustæ venæ sugunt ventrem, indéque alimentum reficiendis partibus necessarium quærunt. Quocirca inanis fuerit medicorum illa quæstio, quoties in die sumendus sit cibus. Nam si expectanda sit & sequenda fames & appetentia; manifestum est, toties esse sumendum, quoties famescimus, latrantemque sentimus stomachum. Ita fiet, vt bis aliqui, alij ter aut quater, alij vix semel vescantur. Optimum tamen fuerit ac tutissimum communem tenere vsum his comedendi, prandio & cœna: vt qui debiliorem habent ventrem, id quod vna comestione sumpsissent, partiantur in duas. Satius enim est bis naturam moderatè recreare ac reficere, quàm semel nimium onerare. Et Hippocrates in libro de victus ratione, cùm in morbis acutis ptisanam præciperet; iis, qui bis in die cibum capere soliti sunt, bis quoque dare voluit: iis verò, qui semel, semel duntaxat primo die, deinde bis, si opus fuerit. Tam inter duas comestiones id temporis intercedat, quod cibi sumpti coctioni sit satis. Id septem aut octo horarum esse ferè oportebit. Eritque commodum tempestiuè prandere, æstate præsertim: quoniam æstiuus calor opprimit & appetentiam deiicit, si inualescat. Proderit plurimùm aliqua corporis exercitatio, quæ antecedat cibum; maxime matutina. Nam & antecedentis cibi excrementa purgabit, & omnibus corporis partibus addet robur.

Largius ne prandendum an cœnãdum.

Verùm si & prandium sumendum sit & cœna; maiorem illud habet dubitationem; largiorne prandij, an cœnæ cibus esse debeat. Hippocrates in lib 3. de diæta, & Galenus in lib. 7. de medendi methodo; quos Auicenna in 3. fen. 13. tract. 3. & reliqui ferè antiqui sequuti videntur; largiorem suaserunt cœnam. Recentiores permulti prandium malunt esse liberalius; quòd diurno solis calore corporisque exercitatione iuuetur coctio. Vnica ego contentus sum distinctione, quam apud veteres reperio. Nam si corpus sit sanũ, esto cœna largior: quòd facilior sit & melior noctis coctio. Quã ob causã medici omnes quiete & somno cruditates ventrisque repletiones curari præcipiunt. Motus enim & vigilia magnopere distrahunt natiuum calorem, qui in quiete & somnio ad vnam illam operationem vitæ in primis necessariam totus colligitur illiq; soli vacat anima, quæ dum vigilat, in plures operationes distrahitur. Accedit nocturnum frigus, quod per antiperistasim calorem internum iuuat, atque ad interiora compellit; quem exercitatio diurna solisque calor euocauerant. Ideò & plus comedimus hyeme, & meliùs coquimus, quam æstate. ventres enim hyeme calidiores, vt est in aphorismo 15. lib. 1. & plantas quoque & arbores manifestum est fœlicius nocte adolescere, quàm cùm diurno solis calore aduruntur, & concidunt potiùs. Accedit, quòd plus temporis intercedit inter cœnam & prandium, quàm inter prandium, & cœnam. dumque mane à somno surgimus liberiorem ventrem magisque purgatum sentimus, quàm cum vespere ad cœnandum accedimus. Diurna enim exercitatio & motus corporis, cùm vias omnes aperiat, secretionem potius & purgationem excrementorum iuuat, cibique per vniuersum corpus distributionẽ, quàm coctionem promoueat. Somnus, inquit Galenus in 12. lib. de methodo medendi cap. 3. coquit, vigiliæ digerunt. & lib. 1. de Sympt. caulis cap. 8. In somno animalis vis quiescit, naturalis vehementius operatur. Et lib. 1. de alim. facul. cap. 2. curij, qui corporis magnos labores subeunt, à crassis & prauis cibis minùs lædantur, causam esse tradidit, non diuersos labores, sed nocturnam quietem: quòd ij somni sint profundioris; quæ res ad coctiones multum ipsis adfert momenti. Quòd si plures ordine noctes insomnes illos ducere coëgeris, morbo statim corripientur.

Denique omittenda non est Aristotelis auctoritas omni pondere grauior. Is duobus maximè in locis hoc, quod dico, sentire se ostendit. Alter est in cap. primo lib. de somno ex vigilia his verbis; Opus suum facit nutritiua particula dormiendo magis, quàm vigilando. Nutriuntur autem & augentur tunc magis, tamquam nihil egentia ad hoc sensu. Alter in 5. lib. moralium ad Nicomachum cap. vltimo; vbi vt humanam fœlicitatem atque virtutem ostenderet in actionibus animæ vegetantis nequaquam consistere; hoc vel maximè argumento, quoniam fœliciores essemus in somno, quàm in vigilia; subiunxit hæc verba; Pars hæc & facultas in somnis maximè operari videtur. Quæ verba in summum de anima librum cap. 20. transtulisse videtur Alex. sic enim habet; Semper alimur, & in dormiẽtibus maximè præcipuo munere atq; actione potestas hæc sese exercere videtur. Et Philoponus in comment. tex. 44. libri 3. Magis, inquit, noctu operatur nutritiua. Ergo si in somno meliùs, quàm in vigilia, coquimus cibos; liberiùs & largiùs cœnare, quàm prandere licebit: corpori videlicet sano & optimè constituto.

Quòd si vitiatum fuerit & minùs benè affectum, conducibilius erit interdum prandere magis, quàm cœnare: quemadmodum si dolore capitis laboret nimiaúe pituita aut alio simili morbo. Nam hic si multum cœnauerit, peiùs habebit; propter vapores multos, qui nocte ad caput ascendent. Idem illi seruandum erit, cui difficilis fuerit cibi descensus; vt aliqua iuuandus sit corporis exercitatione. Verùm in omnibus retinenda est consuetudo; aut certè non subitò, sed sensim & longo tempore mutanda.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' οὐδὲν τέλεσται μὴ κατὰ φύσιν ζῶον, τὸ ἐμψυχον ἂν εἴη σῶμα τὸ τεφρούμενον, ἢ ἔμψυχον. ἔστι δὲ τοῦτο πρὸς ἔμψυχόν ἐστι, καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκός.

Quoniam

Tex 46 *Quoniam autem nihil alitur, quod vitæ particeps non sit; animatum vtique fuerit corpus, quod alitur, quatenus animatum. Quare & alimentum ad animatum est, & non ex accidenti.*

COMMENTARIVS LIIII.

POstquàm egit de alimento per se considerato, eiusque conditiones exposuit; credidit sanctus Thomas sermonem instituì de illo, quatenus vegetantis animæ operationibus conuenit: ac primùm nutritioni, tum accretioni quoque & procreationi. Meliùs Philoponus, eum egisse hactenus de obiecto, scilicet de alimento: nunc iuxta ordinem antea propositum transire ad operationem, quæ est nutritio. Quod dum facit, simul etiam à propria nutritionis ratione quædam excludit, quæ antea inclusisse videbatur; nimirum ignem, quem aqua nutriri maximeque simplicium omnium corporum hanc operationem habere dixerat. Nutriri, inquit, est viuentium proprium, nihilq; vera & propria nutritione nutritur, quod vitæ particeps non sit. Hac namque operatione definita fuit vita in tex. 3. Vitam autem dicimus, quæ per ipsum fit, nutritionem, accretionem, & decretionem. Viuentisque omnia sunt animata: siquidem hoc distinguuntur animata ab inanimatis, quòd illa vitam habent, hæc non habent.

Nutritio igitur propria est operatio animæ animatorumque corporum, quatenus animata sunt. Itaque alimentum relationem per se ad animatum significat, non ex accidenti. Sicut, inquam, seruus dicitur per se domini seruus, ex accidenti hominis; sic alimentum per se dicitur animati corporis, quatenus animatum est; ex accidenti aliorum omnium. Cùm enim nutritio sit operatio vitalis atque animæ propria, eiusque obiectum sit alimentum, hoc per se id spectabit, quod vitam habet & animam. Sanè nutritio & ad nutrimentum & ad nutritum per se refertur: ad illud vt ad obiectum, ad hoc vt ad subiectum. Et alimentum item, tum ad alitionem, tum ad alitum relationem significat: ad alitionem vt ad operationem, quæ circa illud versetur: ad alitum quatenus animatum est, vt ad principium, cuius ea est operatio. Et si nutriens ad nutritum per se refertur, refertur quoque per se ad animatum; quoniam animata sola nutriuntur. Inanimata cætera, vel etiam ignis, impropriè nutriri dicuntur; cum nec habeant vitam, nec animam.

Et hæc quidem optima est interpretatio. Sed neque hæc contemnenda. Nequaquam fuisse hoc loco propositum Philosopho dicere de operatione, quæ est nutritio: sed cùm dixisset cuiusmodi oporteat alimentum esse, voluisse item docere, quid sit illud, quod alitur. Hoc enim conclusio illa ostendit, animatum corpus esse, quod alitur, quatenus animatum est. Præsertim cùm & ignem quoque nutriri dixisset: & post dum alimenti conditiones exponeret, alimentum addidisset pati ab eo, quod alitur: non item id, quod alitur, ab alimento pati. Horum enim vtrumq; hanc, quam dico, explicationem desiderabat: vt intelligeretur, quidnã sit id, quod alitur. Propterea statim eum opinor subiunxisse, id, quod alitur, esse solũ viuens, seu animatum corpus: & alimentum per se referri ad animatum, quatenus animatum est. Et ideò ab eo pati, vt illius formam velut perfectionem suscipiat: neq; ignem & inanima cætera nutriri posse; tametsi ignis præsertim humore sustentari videatur. Ex eo porrò, quòd solum animatum corpus alitur, quatenus animatum est; statim cognoscitur, alitionem actionem animæ esse circa alimentum. Indeque etiam, quid sit altrix facultas, intelligitur.

TEXTVS.

Ἔστι δ' ἕτερον τοῦτο τῷ αὐξητικῷ εἶναι· ἢ μὲν γὰρ ποσόν τι τὸ ἔμψυχον, αὐξητικόν. ἢ δ' οὐσία τις ἡ ὑσία, τοιοῦτο. Tex 47

Est autem aliud esse alimento; & ei, quod augendi vim habet. Quatenus enim quantum quoddam animatum, augere potest: quatenus autem hoc aliquid & substantia, alimentum.

COMMENTARIVS LV.

EXistimauit sanctus Thomas agi nunc de alimento, quatenus duabus reliquis animæ operationibus, accretioni & procreationi, conuenit. Ego cum Themistio, Philopono, Simplicio, & Auerroë potiùs credo propositum Aristoteli fuisse ostendere, quo modo alimentum ad illas tres operationes pertineat, quas hactenus cõmemorauit: vt ita doceret, quemadmodum eæ distinguantur. Nutrix, inquam, auctrix, & procreatrix: & earum item actiones, nutrire, augere, & procreare. Præsertim cùm in tex. 42. agendum esse dixisset de alimento, propterea quòd eadem sunt nutriens & procreans, ambæque circa alimentum versantur.

Nutrientem autem dixit, tum nutrientem, tum augentem. Ambæ enim re ipsa circa alimentum, sed alia atque alia ratione occupantur. Etenim alimentum duobus modis considerari potest, vt in priore quoque libro de ortu & interitu tex. 41. exposuit. Altero, quatenus substantia est & hoc aliquid. Altero, quatenus quantum quoddam est: si quidem substantia materialis & corporea quantitatem adiunctam semper habet: & viuens quoque, quod nutrit, tum substantia est, tum quantum. Priori modo additum viuenti alimentum atque in eius substantiam mutatum, consumptam substantiam restaurat, alimentumque appellatur; & nutritionis materia est, facultatisque nutrientis obiectum: Quæ illud agit, vt viuentis substantiam conseruet: & ideò tandiu ea conseruatur, quandiu nutritur. At posteriore modo ad alteram pertinet facultatem, quæ auget, estque accretionis materia. Quia dum alimenti maior quantitas viuenti acquiritur, quàm fuerit ex eius substantia detractum; augetur illud profectò & fit grandius. Quemadmodum igitur id, quod nutritur, tum substantia est, tum quantum; ita & alimentum

Alimentum & substantiam esse & quantum; nutritionis & accretionis obiectum.

quoque alimenti substantia viuenti addita & in eius substantiam mutata nutrit illud; quantitas maior accedens auget.

Et ideò semper quidem nutriti oportet viuens, quamdiu viuit, vt in tex. 14. dicebatur; non tamen semper augeri. Quoniam cùm semper illius substantia fluat, momentisque singulis consumatur; si à nutritione cessauerit, penitus interibit. At debilitato calore non semper substantia maior aquiritur, quàm fuerit consumpta: sed post aliquod tempus æqualis. Tunc eadem viuentis magnitudo conseruatur. Postea verò etiam minor: quo tempore minuitur viuens, tandemque vita extinguitur.

DIGRESSIO XXVI.

De altrice facultate & auctrice.

TRes esse vegetantis animæ præcipuas facultates, sæpè dictum est. de singulis iam agendum. Ac primùm de altrice, qua viuentis substantia consumpta restauratur. Quod opus etsi pluribus præparationibus antecedentibusq; mutationibus egeat; propriè tamen in alimenti mutatione in viuentis substantiam consistit, qua illi totum id restituitur, quod fuerat detractum. Hippocrates in aphorismo 15. lib. 1. eius, quod euacuatur, repletionem appellauit. Itaque alitio propriè mutationem substantiæ significat & generationem, qua viuentis pars quæpiam ex cibi materia producitur. Primùm & per se homogeneæ partes nutriuntur; deinde quæ ex illis constant eterogeneæ. Excrementa & humores non nutriuntur; quòd aut pellantur ex corpore tanquam superflua; aut vt vtilia retineantur, cùm sint partium alimentum, nequaquam oportet ipsa nutriri. Pilos, vngues, & id genus alia, propriè non nutriri; ex eo manifestum est, quòd animata non sunt.

Quoniam igitur viuentis omnes partes, quæ integrum corpus absoluunt, nutriri debent; facultas hæc in corde, primo ac præcipuo membro, residens per eas omnes spargitur. Tot verò videntur multis commutatrices facultates esse, quot partes existunt, in quarum substantiam commutandum est alimentum. Aliam, inquam, omnino facultatem esse, quæ illud mutet in carnem; aliam, quæ in os; alias, quæ in partes cæteras specie ac natura diuersas. Quemadmodum enim substantiæ distinguuntur, in quas commutant; sic ipsas specie distinguendas esse arbitrantur. At quid est opus? Satis est vnica in toto corpore facultas, quæ vt in diuersis est membris, ita diuersa efficiat opera. Interdum autem nutritio solam significat substantialem restaurationem, quæ vltima est mutatio alimentaris substantiæ in singularum viuentis partium substantiam. Interdum totam illam & multam præparationem, quæ mutationem eam vltimam antecedit.

Vnicam esse altricem facultatē.

Nutritionis progressus.

Hæc principium habet in ore; in quo cibus dentibus ita teritur, vt ad mutationem in substantiam viuentis disponatur sensim. Deinde per œsophagum ad ventrem deijcitur; in eoque mutatur in subalbam illam naturam, quam chylum appellant. Tum in intestinis, terrestri ac fœculenta magis parte relicta, quæ vtilior est per messenterij venas, in quibus rubescere incipit, ad iecur trahitur. Vbi dum quatuor separantur humores, pars ad nutriendum aptior rubescit prorsus & fit sanguis. Is post per venas in omnes corporis partes distributus, magisque cordis actione per spiritalem arteriarum calorem communicata elaboratus, accedente singulorum membrorum actione, in humores secundos atque in ipsorum demum membrorum substantiam mutatur. Ita nutritionem considerando potiori iure possent plures virtutes altrici facultati subordinatæ cogitari: vna in ore, altera in ventre, tertia in iecore, quarta in corde, postrema in membris singulis. Verùm neque hæc virtutum multitudo alia est, quàm subiectorum; in quibus eadem virtus operatur. Eadem namque nutriendi facultas per calorem & alias membrorum illorum cõditiones proprias ea omnia præstare potest. Omnes enim illæ actiones in eo conueniunt, vt alimenti mutationes quædam sint; ab eademque facultate, quæ circa alimentũ versatur, hauriri omnes possunt. Cuius præcipuum instrumentum est calor; deinde partes illæ corporis, os, venter, iecur, venæ, cor cum arteriis suis.

Ex quo difficultatis illius explicatio intelligitur; an semper fiat nutritio, nec in tota vnquam vita intermittatur. Nam si sola vltima illa mutatio consideretur, quæ propriè nutritio est, hoc est in viuentis substantiam commutatio; ea sanè non fit perpetuò, sed plures oportet dispositiones ac mutationes antecedere: neque fieri potest, vt ore susceptus cibus in viuentis substantiam illicò transeat; sicut nec lignum subitò mutatur in ignem, sed dispositiones primum producuntur. Quòd si accidentariæ omnes atque antecedentes mutationes spectentur; omnes, inquam, cibi alterationes, quæ ad postremam illam mutationem ordinantur: verissimè affirmare licet, nutritionem continenter & semper fieri, neque animam vnquam ab hac operatione cessare. Cuius rei ratio non est, quòd si vel minimùm intermitteretur, periret viuens. Viueret enim etsi breui aliquo tempore cessaret nutritio; quòd tantum adhuc caloris & humoris esset in corpore, quantum ad vitam aliquandiu retinendam satis esset. Neque cùm in textu 14. & in priore lib. de ortu &, interitu tex. 41. viuentia dixit Philosophus nutriri quandiu viuunt; tandiuque viuere, quamdiu nutriri possunt; significare voluit, intermissam nutritionem protinus consequi mortem: sed nutritionem hoc ab accretione distinxit, quòd non semper & per omnem vitam augeamur, sed ea post aliquos annos cessante nihilominus viuamus: semper autem, hoc est per omnem vitam, nutriamur. Verùm cur numquam hoc nutritionis opus omni ex parte intermittatur, hæc est certissima ratio. Quoniam natiuus calor momentis omnibus circa susceptum cibum aliquid operatur; nec vllo vnquam tempore, cum naturaliter & necessariò operetur, intermittere potest actionem in alimentum illud, quod fuerit illi præsens. Hæc enim est agentium naturalium conditio. Quare si non vltimò commutat, disponit tamen atque ad commutandum præparat: propterea quòd operatio est vitæ prorsus necessaria. Et animalia, quæ hyeme latitant, multo tempore sine

sine cibo, eum coquunt, quem antea voraciùs sumpserunt. Neque in atrophia penitus impeditur nutritio; sed imperfecta est, minusque bona nutrimenti assimilatio.

At enim explicandum magis est, qua ope primò sumptum ac deuoratum alimentum ad viuentis substantiam sensim traducatur. Communis est Philosophorum ac Medicorum consensus, præter tres illas primarias virtutes, altricem, auctricem, procreatricem, quattuor adesse alias minùs præcipuas, quæ tribus illis famulentur, earumque operationes iuuent. Quoniam enim extrinsecum atque à viuente & singulis eius partibus remotum est alimentum; oportet illud adiungi, vt in partium substantiam mutetur.

Virtutes nutritiui famulantes.

Attrahens.

Propterea vim quandam attrahendi natura inseruit, qua partes singulæ partem eam alimenti ad se alliciant, quæ resarciendis & conseruandis singulis est necessaria. Et vt animalibus insita est vis appetendi, seque loco mouendi, vt opportunum quererent cibum: ita vt inuentus oreque susceptus viuentsum corpus reficeret, vis tributa est singulis partibus, qua illum ad se traducerent. Plantis verò opus non fuit appetendi locoque se mouendi virtute; quòd alimẽtum semper habeant præsens: sed attrahente duntaxat, vt illud ad partes singulas penetraret.

Detinẽs & coquens.

Verùm cùm attractum alimentum dissimile sit, atque à viuentis substantia diuersum; mutetur oportet, alteretur, & fiat simile. Quod quia subitò fieri nequit, retineri aliquandiu debet, quousque alteretur & mutetur. Quocirca duæ aliæ virtutes sunt necessariæ: quarum vna cibum attractum retineat, altera retentum coquat & ad viuentis substantiam traducat.

Expellens.

Porrò in omni coctione superfluæ aliquæ partes separantur, excrementaque supersunt: quæ si in corpore remanerent, viuentis incolumitati obessent plurimùm. Propterea quarta virtus additur, qua ea velut noxia pellantur.

Discretiua.

Quintam, quæ vtile alimentum à superflua & inutili materia secernat, addidit Auerroës in 2. lib. colliget cap. 7. 8. & 9. & in 3. lib. cap. 16. Discretiuam virtutem appellauit: quam Albumazarem quoque posuisse affirmauit; Galenumque reprehendit, qui eam non viderit. Sed ipse magis reprehendẽdus sit. Quoniam illa vtilis alimenti ab inutili separatio, ad eam, quæ coquit, virtutem pertinet. Cùm enim coctio sit alimenti mutatio in substantiam viuentis; totum illud commutat, quod ad illius substantiam resarciẽdam opportunum & vtile est: parte nimirum illa relicta, quæ nec mutari potest, nec nutrire. Eademque facultas coquens, vt circa propriam occupatur materiam, coquit: vt verò vtilem partem commutat relicta inutili, vtile ab inutili secernit & separat. Potest hæc ipsa separatio & ad attractionem & expulsionem reuocari. Nam dum membra bonam alimenti mutati partem ad se trahunt, & relinquunt aut etiam expellunt eã, quæ est mala; verè separant & secernunt bonum à malo, vtile ab inutili.

Cùm igitur quattuor facultates sint satis; omnium prima est ea, quæ trahit; altera, quæ retinet; tertia, quæ coquit; postrema, quæ coctionis excrementa expellit. Potissima est ea, quæ coquit; cùm præstabilissimam habeat functionem, quæ alimenti mutatio est in viuentis substantiam. Sed enim earum vnaquæque duplex adhuc consideratur. vna communis & generalis, quæ toti famulatur corpori. Qualis ea est, qua & trahit venter, & retinet, & coquit cibum corpori vniuerso, intestinaque coctionis illius excrementa pellunt. Altera particularis & propria, qua membrum vnumquodque trahit, retinet, atque in se commutat partem cibi sibi necessariam, illiusque excrementa eiicit.

Communia & propria.

Vtramque exercet Anima duplici instrumentorum genere. Primùm enim in omnibus earum operationibus plurimùm valent principes quattuor qualitates ac præsertim calor. Maximè verò in coctione, attractione, & expulsione; quæ adiunctum habent motum. Frigus enim immobilitatis potiùs est causa. Hoc ipsum tamen eas iuuat temperando calorem, aut per antiperistasim augendo. Sed præcipuè ad retinendum & expellendum confert. Quippe retentio fit contractione, quæ frigoris & siccitatis propria est: & expulsio humido iuuatur & frigido; quibus lubricæ fiunt viæ, per quas facilè transeunt excrementa. Eamdem ob causam attractionem iuuant, atque per omnes corporis partes distributionem. Neque illud paruum est frigoris commodum ad excrementa expellenda, quòd dissolutionem prohibet spiritus & caloris, quibus fieri debet expulsio. Humiditas verò præter attractionem & expulsionem iuuat quoque coctionem: quoniam ea velut elixatio est, quæ sine aliquo humore non fit. Siccitas demum tum retentioni necessaria est, vt diximus; tum attractioni & expulsioni. Quia cùm omnis motus circa immobile aliquid fieri debeat, siccitas immobilitatis est causa. Verùm præter has quattuor qualitates vtitur anima triplicis generis fibris, rectis, obliquis, transuersis: rectæ attrahunt, obliquæ retinent, transuersæ expellunt. Coctio propriis fibris non indiget.

Earum instrumenta.

Porrò quattuor hæ facultates, tum inter se, tum ab altrice, secus non differunt, quàm vt altricis partes. Non inquam sunt facultates ab ea diuersæ; sed ipsamet actiones eas omnes perficit, & attrahit, ac retinet, & coquit, & expellit. Omnes enim circa idem alimentum operationes sunt, inter se maximè ordinatæ: quæque ad nutritionem primùm & per se pertineant, tanquam antecedẽtes dispositiones mutationis illius in substãtiam viuentis, in qua vis propria nutritionis cõsistit. Quemadmodum enim in agentibus cunctis eandem esse virtutem animaduertimus, qua & alterant & dispontunt materiam; quaque illam ab vna forma in aliam mutant: sic eandem existimandum est esse, quæ & cibum ad mutationem disponat, & in viuentis substantiam tandem commutet. Quam fortasse ob causam nihil de illis seorsim fuit vsquam ab Aristotele dictum. Vidit enim non esse facultates ab altrice diuersas. Iureque optimo administræ & auxiliatrices appellantur; quòd præuiæ sint & disponentes ad alias: potiusque nutritioni, quàm cæteris, auxiliari dicuntur; quòd sint veluti illius partes.

Ea vt ab altrice differant.

At illud videtur difficultatem parere; quòd cùm altrix quoq; virtus opem ferat auctrici & vtraq; procreatrici, hæ quoque deberent auxiliatrices & administræ sequentiũ appellari. Facilis est solutio. Quoniã tres hæ facultates per se cõsiderate quampiam per se habẽt operationẽ, quæ ad esse substan-

tiale viuentis illiusque conseruationem per se pertinet: quare rationem finis habere possunt, atque à natura tanquam primariæ facultates absque ordine ad aliud instituì. Quatuor autem illæ, quas administras dicimus, propriam operationem non habent, quæ expeti per se possit; sed eam solam, quæ ad potiores alias ordinatur.

Attractio. Atque vt de singulis aliquid dicam: Attractione singula membra necessarium sibi & opportunum cibum attrahunt. Estque velut naturæ quidam succus, quo ex penuria & defectu consumptæ substantiæ sugit continenter anima accedentem alimenti substantiam, qua priorem restauret, animantisque vitam conseruet. Natiuo calore iuuatur, cæterisque ad id comparatis instrumentis.

Retētio. Retentio perficitur maximè qualitatibus & instrumentis iam commemoratis, figura membrorum & vasorum, cute, mẽbranis superpositis, aliisque similibus.

Expulsio. Expulsio autem calore natiuo, homoreque & frigore elementari calore temperato, & fibris transuersis. Atque illius obiectum sunt excrementa; quæ aut vtilia sunt, aut inutilia.

Coctio quid. Sed potissima nutrientis facultatis actio est cibi coctio. Eam in 4. meteororum lib. cap. 3. definiuit Philosophus, perfectionem esse à natura & proprio calido ex oppositis passiuis. Etenim cibus, antequàm in viuentis substantiam mutetur, alterari debet, vt viuenti similis fiat. Hocque non quauis alteratione perficit; sed ea, quæ viuentis substantiæ conueniat. Quare cùm hæc sit perfectissima substantia, alterationem eam perfectissimam esse oportet; quoniam est ad perfectissimam formam. Eam verò necesse est fieri dominante humido, non sicco. Vt enim viuentis vita humido sustentatur, sic inimica illi est siccitas. Humidum porrò minimè sit aqueum; sed aëreum; quia natiuus viuentium calor aëreo sustentatur, extinguitur aqueo. At aëreum humidum non debet esse rarum & leue; dissiparetur enim & euanescret: sed firmum, consistens, & densatum; quemadmodum membra, quæ illo refici debent. Itaque cùm firmitas & consistentia ex siccitate proueniat (siquidem humor rem facit facilè terminabilem ac fluentem; vt in aëre & aqua perspicuum est) siccitatem aliquam necesse est cum humido permiscere: non tamen nimiam, ne materia nimis dura euadat. Eamdem ob causam opus est densatione. Quia cùm abundet humor, necesse est accedat densatio, qua materia illa fiat consistens. Et ideò siccitate opus est, sine qua densatio non esset, sed congelatio; quæ paruo calore solueretur, membráque liquescerent. Propterea non omnes cibi partes ad hanc dispositionem suscipiendam sunt aptæ. Nam permultæ sunt terreæ, quæ propter siccitatem pugnantesq; alias dispositiones in viuentis substantiam mutari nequeunt. Partes quoque aqueæ ad eam consistentiam non adducuntur. Hinc duo existunt excrementorum genera; fœces, & vrina: ac deinde alia his similia; sordes, pili, vngues, sudores, & reliqua. Duplex item alteratio cibi; altera materiæ vtilis est retinendæ ad efficiendam nutritionem; altera materiæ inutilis, quæ secerni ac repelli debet. Quæ sanè minus propriè, imò abusione vocis appellatur coctio: eam solam ob causam, quòd vtilis materiæ alterationem consequitur, quæ verè coctio nominatur. Denique ex his omnibus quatuor omnino intelliges. Primum in hac coctione coniunctionem quandam reperiri & proportionem contrariarum & pugnantium qualitatum; modicæ siccitatis cum humore; densationemque quamdam humoris aërei. Quæ cùm in calorem sensilem & elemẽtarem referri nequeat, quoniam is rarefacit potiùs & siccat; necesse est ab eo fiat, qui proprius est & natiuus viuentium. Alterum; optimè ab Aristotele definitam coctionem fuisse. Est enim perfectio; tum quòd ad perfectissimã viuentis formam referatur; tum quòd non corrumpens, sed perficiens potiùs alteratio esse videtur; cùm ea maximè perficiatur humidum. Hæc autem alteratio fit à natura & proprio calido; hoc est ab anima vegetante, natiuoque calore viuentis proprio. Postrema verba (ex oppositis passiuis) Alexander & cum eo alij de materia, quæ patiendi principium est, interpretati sunt: at meliùs intelligi possunt de oppositis qualitatibus, humore & siccitate, quæ & passiuæ appellari solent, & in coctione temperantur. Qua sanè breui definitione Philosophus coctionis causas omnes complexus est. Materialis est cibus oppositis qualitatibus affectus: formalis, perfectio illa & alteratio, humorisque & siccitatis temperatio: efficiens, vegetans anima calore vtens natiuo: finalis demum, vltima illa perfectio, quæ viuentis formæ in materiam cibi productio est.

Tertium; coctionem esse propriam viuentium operationem. Tum quia natiuus calor coquens in illis solis reperitur. Tum quia hæc dispositio & alteratio cibi requiritur solùm ad suscipiendã animã. Quoquo tamẽ modo inanimatis quoq; cõuenire potest; si in materia sit aliqua humidi & sicci proportio, calorque adsit moderatus, qui agat; vt in carnis elixatione & assatione animaduertes. Calor enim ignis temperatus humorem carnis cum siccitate ita temperat, vt cocta existimetur. Quare vt temperatè agat, in elixatione apponimus ollam & aquam; & in assatione caro magis ab igne remouetur, magisque moderatus ignis adhibetur. Alioqui nisi hæc proportio seruetur, aut omnino non coquetur caro, aut adustio erit, non coctio.

Quartum; coctionem omnem, quæ propriè coctio nominetur, incrassando potiùs & delando fieri, quàm tenuando & rarefaciendo. Coctio namque aut comparatione partis vtilis alimenti consideratur; aut comparatione partis inutilis & superfluæ; aut demum comparatione totius alimentitiæ massæ, quæ in ventrem fuit ingesta. Si tota massa cõsideretur, sanè interdum rarefaciendo fit & emolliendo. Quod in maturatione vuæ manifestum est, pomorumq; omniũ ac fructuum, qui dura cortice non teguntur: qualia sunt pira, mala, persica, ficus, cærasa. Nam si res quæ coquitur, plurimum habeat terreæ & aqueæ materiæ parumque humidæ aëreæ; eam necesse est rarefaciendo & tenuando coqui: separando nimirum terreum illud & aqueum excrementosum & naturæ inutile, quod graue erat & crassum; retinendoque tenuiorem partem aëream nonnihil densatam, siccitate admista & temperata. Ita in prima quoque animalium coctione totus cibus mutatur in chylum, tenuiorem scilicet & molliorem substantiam: atque ex illo in intestinis crassæ, duræ, & terreæ fœces separantur. Quòd si plurimum fuerit aëreæ & spumosæ materiæ; densando coquetur.

quetur. Itarem habere animaduertes in fructibus permultis, qui duram habent corticem; vt in nucibus & amigdalis: atque in animalibus in sanguinis coctione. Quoniam enim sanguis aëreo tenui & vtili humore abundat, totam deinceps coctionem vsque ad vltimam mutationem in membrorum substantiam incrassando & densando fieri oportet. Eadem penè distinctio adhibenda est in ea alimenti parte, quæ inutilis est & excrementosa. Cùm enim coctio tota, quæ circa illam versatur, hoc agat, vt inutilem hanc materiam ab ea separet, quæ vtilis est; si materia sit valde terrea & tenax, tenuatione opus, est & quasi incisione; vt à reliqua vtili separetur, atque expellatur. Hoc modo alui fœces separantur. At si materia sit nimis rara, quæ separari prorsus nequeat, nisi densetur; eam totam congregat calor, densatamque commodius expellit.

Iam si vtilem materiam considereres; illius coctio semper fit incrassando potiùs & densando, quàm tenuando & rarefaciendo; vt & Aristoteles & interpretes omnes, Galenusque ac ferè medici confirmant. Cùm enim vtilis materia sit humidum aëreum, tenue, & rarum, quod in substantiam viuentis densam & solidam mutari oportet; crassescat magis & densetur necesse est. Et ideò coctio tota sicci permistione & cum illo humido temperatione perficitur. Sic enim crassescit humidum, fitque densum, solidum, & consistens. Quocirca cùm proprium coctionis obiectum sit materia vtilis, & pars ea cibi, quæ apta est in substantiam viuentis mutari; absolutè pronũtiari licet, coctionem incrassando semper & densando fieri. Densatio tamen hoc loco intelligenda potiùs est melior partium compactio, maiorque humidi proportio cum sicco; quàm mutatio illa, quæ rarefactioni opposita sub minori extensione plus materiæ & corpulentiæ continet.

Coctionis species.

Cæterùm tres coctionis species commemorantur in cap. 3. & 4. eiusdem lib. Maturatio, Elixatio, Assatio. Quibus tres incoctiones opponuntur; Cruditas, Inquinatio, Tostio, seu mauis Adustio. Eas qui ita acceperunt, vt maturatio coctio sit à natiuo viuentium calore perfecta: elixatio ea, quæ calore ignis arte constat, si sit calor aqueus: assatio si solùm habeat calorem igneum & siccum: multis modis peccarunt. Primùm, quia maturationem Philosophus scripsit eam esse, quæ in fructibus versatur. Deinde addidit, parum omnino referre, num elixatio fiat artificiosis, an naturalibus instrumentis. Et rursum alimenti coctionem in corporibus nostris elixationem esse affirmauit; quam constat à natiuo calore fieri. Sed & fieri à natiuo calore aut ab igneo, essentiales differentiæ non sunt, quæ species has coctionis distinguant. Nam & efficiens causa extra rem consideratur; & in 7. lib. metaphis. t. 23. aliqua interdum legimus & natura & arte posse fieri; & ideò elixationem & assationem arte quoque dixit Philosophus fieri posse. Denique si vera esset illa distinctio, quam auctores illi posuerunt; quemadmodum duæ dicuntur esse coctionis species, quæ calore ignis coniuncto cum humido aut sicco perficiantur: ita duæ quoque deberent esse, quæ à natiuo calore fierent, qui cum humore interdũ, & interdũ cum siccitate cõiungatur. Aut certè nõ nisi duplex coctio distinguenda esset; altera à natiuo, altera ab ignis calore profecta. Quare ne id quidem omnino prorsus bandum est, quod Alexander pronuntiauit; maturationem eam esse, quæ fit ad interno calore naturali; elixationem, quæ à naturali quidem calore, sed externo & aqueo: assationem, quæ à calore naturali externo & sicco. Eadem enim fermè distinctio est cum superiori, eademq; patitur difficultates.

Albertus coctionẽ duobus modis considerauit; & vt actio est, & vt mutatio. Vt est actio, eam dixit ex agẽte distingui: vt autem mutatio, ex terminis. Ita tum ex agẽte, tũ ex terminis tres species collegit. Ex agente quidem; quoniã si calor sola sua virtute agat, est maturatio: quia humidũ & siccũ passiuè solùm & vt materiã se habent. Sin autem agat calor cum humore coniunctus, dicitur elixare. Deniq; si & calor cum siccitate, existimatur assare. Ex terminis autem seu potiùs subiectis: Quia maturatio seminibus conuenit & fructibus; elixatio humidæ carni: assatio siccioribus membris, ossibus, neruis, aliisque similibus. Deinde maturatio in prima fit fœtus procreatione, sola caloris virtute: elixatio in pueili ætate, in qua abundat humidum: assatio consistente ac senescente ætate, vbi maior fuerit membrorum siccitas.

Hæc sanè verè dicuntur. Cæterum illud etiam atque etiam obseruandum est; coctionem propriè in solis viuentibus reperiri; neque magnopere laborandum de elixatione aut assatione carnis ad ignem: quarum alteram constat fieri à calore cum humore aquæ, alteram à solo calore cum sibi adiuncta siccitate. Quò fit, vt in carne elixa maior sit humor extrinsecus, quàm in assa: quoniam illa humore aquæ tota perfusa est: caro tamen assa plus habeat in interioribus partibus proprij sibi humoris. Nam dum exteriores ab igne siccantur, ad interiores sese recipit humor. Verùm de propria viuentium coctione, quæ animæ opus est, existimo inter omnes conuenire debere, efficientem illius causam præter animam non esse qualitatem vllam elementarem; sed solùm natiuum calorem, singulare animæ instrumentum, tum ad functiones omnes, tum maximè ad coctionem, quæ propria caloris actio esse videtur. Tametsi aliis quoque elementaribus qualitatibus iuuetur. Itaque ex parte agentis quærenda non est coctionum harum speciei distinctio. Siquidem vna & eadem est omnium efficiens causa, anima per calorem natiuum tanquam præcipuum instrumentum. Eandem enim animam eodem calore vtentem, quatenus cum aliis atque aliis qualitatibus coniungitur, aut solus operatur, diuersos effectus producere; neque mirum est, neque nouum. Imo verò ne ex obiecto quidem videntur essentialiter distingui; sed solùm secundùm magis & minùs, prout alimentum cum maiore aut minore quantitate humidi misti cum sicco coquitur; omnesque in essentiali coctionis ratione conueniunt.

Caro assa humidior, quàm elixa.

Quomodo fiat nutritio

Sed iam totam nutritionis formam colligamus. Satis quidem ex dictis poterat id intelligi, quod nunc explicandum propono. Non erit tamen inutile rem totam paucis complecti. Principiò susceptus ore cibus dentibus teritur, & quoquo modo ad primam illam, quæ in ventre futura est, coctionem præparatur. Sic enim in cap. 3. lib. 2. de partibus animalium sectionem & comminutionem cibi in ore nullam præstare coctionem scripsit Philosophus, sed facilitatem potiùs coctionis in ventre futuræ: cùm cibum ita diuisum

faciliùs calor expediat. Sed non attritione modò & præmansione dentium præparatur; sed & continuitate meatus ac pelliculæ ab ore ad ventrem vsque extensæ. Tum verò saliua, quæ est in ore: *Saliua vis.* non illa quidem pituitosa, quæ aut ex cerebro descendit, aut ex ventris cruditate ascendit: sed ea, quæ ex linguæ radicibus & glandulis vtrinque positis suppeditatur. Plurimæ namque illuc conueniunt venæ atque arteriæ, quæ maximam alterandi cibi vim habent. Quam ob causam Galenus in 3. lib. de naturalibus facult. & lib. 10. de simplicium medicamentorum facult. & Auicenna in 1. Fen. 1. can. doct. 4. cap. 2. triticum ore præmansum & saliua permistum maturandi apostema vim habere tradiderunt. Quam profectò non haberet, si cum aqua aut alio modo attritum esset. Et in lib. de inæquali temperie scripsit idem Galenus, viperæ saliuam homini esse pernitiosam: rursumque humanam saliuam viperam scorpiumque necare, si ieiunus inspuat: imò, vt est in 3. lib. de naturalibus facultatibus bestias omnes magnopere lædit. Fit etiam interdum, vt vnius hominis saliua obsit alteri; vt propterea fortasse ex politia inter homines benè moratos institutum sit, vt vnus alterius vitro ad potum non vtatur. Quòd si tantam vim habet saliua: multò magis ad primam illam ventris coctionem præparare poterit & quoquo modo afficere cibum. In ea porrò totus in chylum mutatur; tum propria ventris virtute; tum aliorum membrorum ope; iecoris præsertim, quod quasi manus quædam illum apprehendit, atque ex superiori parte fouet & ad coquendū suo calore iuuat. Tum verò lienis ex sinistra parte, omento & abdomine toto ex superiore, arteriæq; *Cubatio salutaris* magnæ ex inferiore. Vnde intelliges obiter, satius esse ad latus dextrum dormire, quàm ad sinistrum. Sic enim & lien amplectitur optimè & fouet ventrem, & cordis operatio minùs impeditur. Mutato in chylum alimento nutritur statim venter, vt in lib. de humoribus positum est: eoq; sufficienter recreato, reliqua pars minimè illi necessaria pilero aperto ad intestina effunditur, perque mesenterij venas trahente iecore, quidquid est vtile ac nutriendo corpori opportunum, ad illud ascendit. Sed in illis interim venis nonnihil rubescit, sensimque ad perfectiorem sanguinis coctionem in iecore futuram disponitur. A iecore humoribus reliquis separatis, aut solus sanguis, aut certè cum aliqua illorum parte permistus, ad omnes corporis partes, tum superiores, tum inferiores, per venam cauam distribuitur. Deinde sanguis calore spiritus, qui arteriis venas vbique comitantibus continetur, tenuatur magis ac perficitur; absque noua tamen coctione, quæ substantiæ mutationem adducat. Atque ex illa item parte, quæ dextrum cordis subit sinum, gignitur spiritus: non coctione aliqua, & ideò nulla ibi excrementa; sed sola tenuissimarum partium resolutione. Porrò sanguis ille, qui per reliquum corpus in venis fusus est, à singulis attractus partibus capillares venas ingreditur, & in earum extremitatibus in primum mutatur humorem secundum, deinde in reliquos, tum demū in membrorum substantiam.

Tres in nutritione coctiones. Ergo tres omnino sunt in tota nutritione coctiones præcipuæ: Prima in ventre; cuius præparatio in ore, & excrementa fœces. Altera in iecore; cuius preparatio in mesenterij venis, & excrementa vrina. Tertia in membris; cuius præparatio, tum in venis actione cordis per spiritum in arteriis diffusum, tum in capillaribus per mutationem in humores secundos, si à primis illi essentia non distinguantur; & excrementa sordes, sudores, ac superfluitates cæteræ; ex quibus pili, vngues, & aliæ partes excrementosæ. Quòd si essentialis esset distinctio primorum & secundorum humorum; quartam oporteret coctionem addere, quæ in extremis capillaribus fieret.

In plantis simile quidpiam cernas. Prima namque coctio est in radicibus; quam ob causam non immeritò affirmauit Mnesitheus in opere de alimentis (tametsi non omnino probauerit Galenus in 2. lib. de aliment. facult. cap. 61.) radices omnes plantarum coctu difficiles esse; quòd humorem multum minusque benè coctum contineant, qui magis deinceps in cæteris partibus coqui debeat. altera enim coctio fit in trunco; tertia in ramis. Nisi primam dicas fuisse in terra, illisque propterea naturam non dedisse ventrem, nec organa cætera, quæ in animalibus insunt: quòd alimentum magna ex parte confectum & coctum trahant ex terra: alteram in radicibus, tertiam in trunco & ramis. Hactenus de altrice facultate. iam de auctrice.

DIGRESSIO XXVII.
De facultate auctrice.

QVid habeat commodi facultas altrix, quidque assequatur operando, dictum est. Quemadmodum enim ad indiuidui conseruationem comparata est tota; sic illud diligentissimè procurat, vt substantiam continenter addat; quā id, quod aliarum causarum iniuria consumptum fuerat, resarciatur. Ita verò in id munus incumbit, vt omnes suas vires in illius indiuidui salute atque incolumitate procuranda libenter impendat. Et ita quidem strenuè agit, vt non solùm consumptam substantiam viuenti restituat; sed multò quoque ditiorem ac locupletiorem reponat. Ea est huius facultatis vis & benignitas; vt quandiu viribus fuerit integris & ad agendum robusta, maiorem semper substantiā in viuentis horrea comportet, quàm omnes inimicæ causæ depascant & dissipent. Quocirca non solùm non patitur viuens aliquod detrimentum; sed auget potiùs & ampliorem suam substantiam facit. Cum autem vis illa benefica nimio hostili impetu frangitur, non auget quidem amplius patrimonium viuentis, sed tamen nec statim dissipatur. Nam dum eadem virtus incumbit operi, ac pro viuentis hæreditate fortiter pugnat; illud saltem obtinet, vt primùm quidem à maiore damno tueatur; deinde verò magis debilitata & fracta vix possit ab extrema pernicie vindicare: sed acie demum profligata, ipsa quoque cum viuente occumbat. Hæc in eum finem dixi; vt id intelligatur, quod antea docui, eamdem re facultatem esse, quæ & substantiam reficit, & auget, tandemque minuere videtur. Reficit, dum alimentum in viuentis substantiam mutat. Auget, quandiu potens est & robusta; maioremque illius quantitatem reponit, quàm fuerit detractum. Ac demum minuit, dum debilitata & fracta tātum nequit restaurare, quantum fuit effusum.

Etenim duplex omnino est facultatis huius operatio.

ratio. Altera, dum alimentum in viuentis substantiam mutat. Altera, dum tantumdem mutat, aut plus, aut minus. Atque in hoc ipso aut considerare possumus vim ipsam mutationis vnius substantiæ in aliam: aut rationem tanti aut tanti, maioris scilicet, minoris, aut æqualis. Commutatio tota ad nutritionem pertinet, siue plus mutetur, siue minus, siue æquale. Nam hæc modos quantitatis significant. Quare si in commutata substantia rationem quantitatis spectes, quatenus ea tanta est, aut tanta: hoc iam facultatem aliam constituit ab altrice distinctam. Vt verissimè fuerit pronuntiatum in tex. 47. & in priore lib. de ortu & interitu text. 41. vtramque hanc facultatem habere idem re obiectum; quòd vtraque circa alimentum versetur: Sed ratione ac forma diuersum; quoniam altera circa illud versatur vt est substantia, altera vt quantum.

Verùm dum hanc mutationis rationem consideramus; ignorandum non est, eam versari solùm circa substantiam, nullo modo circa quantitatem. Tum quia vt prima materia, ita & quantitas, quæ illius proprietas est, mutari non potest: sed & eadem materia & quantitas cibi viuenti apponitur. Tum quia vt ad primam materiam nullus est motus, ita nec ad quantitatem: vtraque enim ortus omnis & interitus expers est. Tota igitur nutritionis mutatio fit ratione formæ: dum materia, quæ alimenti formam habebat, viuentis formam suscipit; eademque illius & materia & quantitas materiæ & quantitati huius apponitur. Atque hæc appositio, quatenus est substantiæ, totum viuens reficit & restaurat; quatenus quantitatis, facit maius, æquale, aut minus. Vt enim substantia per se considerata extensionem nullam habet aut magnitudinem; sed hæ in quantitate spectantur: ita non potest illa augere, minuere, aut facere æquale; sed hæc ad quantitatem pertinent.

Ita distinctionem formalem habemus facultatum altricis & auctricis; earumque identitatem realem. Nam eadem facultas, quæ substantiam commutat, quantitatem quoque addit & auget. At quoniam refectio additione substantiæ & maioritas appositione quantitatis magnopere distinguuntur; realem illam facultatem in duas partimur: quarum alteram, quæ substantiam restaurat, altricem: alteram, quæ quantitatem auget, auctricem nominamus. Inde etiam intelligimus, facultatem, quæ facit maius, æquale, & minus, non modò re, sed & forma vnam esse. Nimirum est idem re cum facultate altrice, quæ circa alimentum versatur, vt est substantia: & idem forma cum auctrice, quæ circa illud idem occupatur vt est quantum. Quare cùm ad eam spectet totum alimentum sub ratione quanti consideratum; cùm ratio quanti non sit nisi vna; sicut & ratio substantiæ; plures nequeunt esse facultates, quæ circa quantitatem occupentur; quemadmodum nec plures circa substantiam versantur. Imò vt est vna, quæ per totam vitam nutrit, additque viuenti alimentum sub ratione substantiæ, tum in prima ætate, tum in statu consistentiæ, atque adeò in extrema conditione: sic vnica est, quæ circa idem alimentum versatur, vt est quantum: in tota scilicet vita. Neque enim differt nisi secundùm magis & minus, perfectius & imperfectius. Vt quandiù perfectissimè operatur, facitque viuens maius; tandiu augere existimetur: quando autem minus perfectè, conseruando scilicet duntaxat quãtitatem eam, quam augere non potest; nutrire solùm dicatur, non augere: proprioque careat nomine, quòd nullam quantitatis mutationem faciat: ac demum si tantopere fuerit debilitata, vt ne æqualem quidem quantitatem addat, dicatur minuere. Quod tamen ex accidente facit; quia non potest amplius tantum apponere, quantum superiore tempore apponebat.

Cur verò facultatis huius operatio tam sit varia, eam sapientissimi quique Philosophi rationem esse iudicarunt quam in superioribus quoq; significaui: quòd natiuus calor, quo ea vt adiutrice causa opus suum perficit, continenter debilitatur. Principiò enim robustior maiorem alimenti partem, deinde debilitatus & fractus minorem commutat nutriendo: & ideò maiorem interdum, aliàs minorem viuenti quantitatem addit; eademque facultas vt perfectius aut imperfectius instrumentum habet, modò augere creditur, modò minuere. Cæterùm de hac facultate vniuersè satis dictum est: atque expositum, proprium illius obiectum esse alimẽtum, vt est quantum: operationemque propriam, facere viuens maius, æquale, aut minus.

Eadem facultas & auget, & minuit.

Prima proprietas accretionis.

Deinceps examinandæ sunt difficultates grauissimæ, quæ de hac operatione proponi solent. Ea extrinsecùs accedente aliquo fieri debet, vt iit priore lib. de ortu & interitu tex. 31. & 33. confirmatur: acquisitione inquam nouæ quantitatis. Nam & nutrionem consequitur, qua noua substantia acquiritur, quæ adiunctam habet quantitatem: & nisi noua accederet quantitas, nil aliud esset viuentis accretio, quàm rarefactio. Hoc autem accretionem à rarefactione distinguimus, quòd accretione res maior euadat quãtitate addita; rarefactione autẽ, sola eiusdẽ quantitatis extensione: quare deficiente extrinseco alimẽto, quo apponatur quantitas, accretionem viuentium impediri manifestè animaduertimus. Sed si ea quantitatis additione augentur, eiusdem detractione minuuntur: hancque ipsam ob causam decretionem distingui volumus à densatione.

Accretio vt à rarefactione distinguatur.

Cùm autem quantitatem audis de nouo acquiri aut detrahi; eam ne credas de nouo produci aut corrumpi: quoniam cùm sit inseparabilis à materia, nullus est motus, quo aut producatur vnquam aut corrumpatur. Sed propterea dicuntur accretio & decretio esse motus ad quantitatem; quòd maiorem, quàm haberet, acquirit viuens quantitatem, aut aliquam illius partem amittit. Non ergò producitur quantitas, quæ non esset, aut corrumpitur ea, quæ iam esset: sed quantitas, quæ erat alimenti, apponitur viuenti: aut quæ viuentis erat, ab illo detrahitur, & fit alterius, quod ex ea materia producitur, quæ ab illo separatur. Ita nimirum in tex. 31. paulo ante notato accretio definitur esse existentis quantitatis additio, decretioque eiusdem detractio. Eodem enim modo illud ipsum viuens dicimus nouam sibi materiam acquirere aut amittere; cùm tamen materia neque ortus capax sit neque interitus. Propterea fieri numquam accretio potest, nisi substantiæ generatio antecedat. Ea est nutritio.

Vt quantitas de nouo acquiratur.

Cùm enim quantitas per se acquiri non possit, nec amitti; sed perpetuò comitetur substantiam, hoc est materiam; noua prorsus acquiri non potest, nisi acquisita substantia; quam viuens non nisi nutritione consequitur. Dum ægrotant corpora, videntur interdum augeri: quo tempore aut vix nutriuntur, aut certè non tam copiosè, vt maiorem substantiam acquirant, quàm amittant. Sed ea non est vera accretio: neque re ipsa fiunt corpora maiora, sed sensuum iudicio longiora fieri videntur, dum macilentiora euadunt. Tenuiora enim quæ sunt longiora, iudicantur. A

Secunda proprietas.

Quocirca optimè Philosophus in commemorato tex. 33. accretionem dixit omnibus viuentis partibus fieri debere, & vt est in tex. 14. huius secundi lib. de anima, ad omnes situs differentias. Causam ex nutritione petendam esse significauit. Nam cùm ea alimento intus susceptо & in omnes corporis partes distributo omnes omnino reficiat: accretionem quoque necesse est ad omnes partes ac dimensiones pertinere. Augentur autem propriè eæ solæ partes, quæ propriè viuentis partes sunt animatæ, communi vita & nutritione fruentes. Pilos, vngues, & id genus alia, quæ augeri videntur; vt propriè partes non sunt, neq; animam habent, nec nutriuntur; ita nec propriè augeri dixeris. Quæ partes propriè nominantur, augentur omnes: at non sine summa prouidentia, specialique fine naturæ proposito. Calor enim qui partes omnes nutrit, cùm sit robustior & naturaliter operetur; tam copiosè nutrit, vt plus substantiæ & quantitatis addat, quàm ad naturam viuentis conseruandam opus sit: dumque partibus omnibus addit, omnes augeri necesse est. Natura verò conatur perducere viuens ad debitam illi quantitatem, organorumque omnium perfectionem, quibus quàm optimè operari possit. B

Cur maior corporum longitudo, quàm latitudo, aut crassitudo.

Maior tamen est corporum longitudo, quàm latitudo, aut crassitudo. Quoniam longiora primùm facta fuerunt; augenturque eadem proportione deinceps. Præsertim cùm ea quantitas & figura corporis & membrorum operationibus omnibus obeundis esset opportuna. Accedit, quòd calor, cuius opera augentur corpora, sursum potiùs, quàm in aliam partem, mouet. Tum verò etiam propter sensiones & incessum. Quæ enim eam corporis conformationem non habent, ægrè mouentur vt pueri, limaces, testudines, reptiliaque omnia, quæ vnam partem per aliam trahunt. C D

Tertia proprietas.

Postremò in eodem tex. 33. eam voluit esse accretionis vim, vt in ea tota idem perpetuò persistat viuens. Qua de re grauissima est inter interpretes disputatio, de qua quid ego sentiam, post exponam. Nunc proprietates hasce duas ob causas commemorauí. Primùm, vt veram & propriam accretionem separares ab illis, quæ speciem accretionis quamdam habent. Nam quemadmodum prima proprietate, quæ additionem postulat quantitatis, à rarefactione distinguitur: sic duabus reliquis, quæ & partes omnes augeri & totum manere idem volunt, separatur ab ea, qua extrinseca materiæ appositione quidpiam fit maius. E

Altera causa fuit, vt accretionis definitionem inde colligeres. Aristoteles enim dum nouæ quantitatis acquisitionem considerauit, eam dixit in tex. 25. eiusdem lib. de ortu & interitu, esse motum ad maiorem quantitatem: & in tex. 31. esse existentis magnitudinis additionem. Sed qui omnes illius proprietates cõplecti voluerit; motum esse viuentis affirmabit à vegetante anima natiuoque calore factum, aliquo extrinsecus accedente, quo viuens idem persistens ex minore quantitate ad maiorem & ex imperfecta ad perfectam, per omnes partes progreditur; vt quàm optimè & suæ naturæ congruenter operari possit. His enim verbis omnes accretionis causæ atque adeò tota illius vis & natura continetur. Iam ad planiorem singulorum explicationem accedendum est.

Motus augmenti.

Dum viuens augetur, plures omnino fieri mutationes necesse est. Cùm enim augeri debeat noua quantitate accedente: neque hæc per se produci possit, sed materiam quoque aliquam oporteat addi, quæ quantitatem adducat: habet accretio nutritionem adiunctam. Atque in vtraq; plures sunt mutationes. In nutritione primùm tota cernitur antecedens alteratio, quæ plures etiam habet mutationes substantiæ, quibus alimentum dissimile sensim fit viuenti simile. Deinde in vltima mutatione alimenti in viuentis substantiam perit alimenti forma, sanguinis scilicet, qui vltimum esse alimentum existimatur. Tum verò forma gignitur illius partis propria, quæ alimento reficitur. Atque hæc mutatio duobus modis considerari potest. Primùm vt est productio cuiuspiam formæ substantiæ. Quomodo generatio dicitur, fitque subitò, quia forma est impartibilis. Deinde ratione materiæ & subiecti, in quo suscipitur. Atque ita cùm non producatur ea forma per se, sed vt alterius pars; neque in subiecto seorsim existente, sed in alimenti materia viuenti adiuncta; adgeneratio potiùs appellatur, quàm generatio; vt ex tex. 39. libri notati discimus: habetque successionem quandam & tempus, dum non tota alimenti substantia simul in poris suscipitur; nec tota simul, sed per partes viuẽti adiungitur; vnaq; pars prius, quàm alia, viuentis formam suscipit: formam inquam, tum illius partis, in quam mutatur; tum demum animam velut communem vitam totiusque formam.

Verùm hæ omnes mutationes circa alimentum versantur, vt est substantia, nutrientisque facultatis obiectum. Cum iis verò, quædam aliæ coniunctæ sunt, quæ in eodem alimento spectantur, vt quantũ est & auctricis facultatis obiectum. Prima est additio quantitatis alimenti quantitati viuentis, eiusque aquisitio in viuente, quod nutritur: atque vt ex alimenti substantia consumptæ substantiæ iactura resarcitur; ita ex illius quantitate quasi cum fœnore detracta magnitudo recuperatur. Altera quæ hanc consequitur, extensio, quædam est & dilatatio. Maiore enim quantitate addita extensionem quandam consequi necesse est, nisi quid prohibeat, vt est in tex. 32. lib. 8. Phys. Tertia hinc oritur loci maioris acquisitio. Vt enim quantitati conuenit locus, ita maior quantitas locum maiorem postulat.

Quoniam igitur tam multæ mutationes adsunt; quarum ea quidem, quæ antecedens alteratio est, alimentum ad cæteras omnes præparans, omnium prima

prima est temporéque antecedit : reliquæ autem omnes perficiuntur simul, naturaque dumtaxat vna prior altera iudicari potest : difficile semper fuit constituere, in quanam earum potissimùm propria vis accretionis consideranda esset.

Prima opinio de accretionis natura.

Qui eam dixerunt vnam aliquam mutationem non esse, sed commemoratarum omnium congeriem ; iure optimo reprensi fuerunt à Marsilio in quæst. 10. in librum sæpe citatum. Nam vt ea taceam, quæ ab illo proponuntur ; ex pluribus Philosophi locis manifestum est, accretionem speciem esse quandam motus ab omnibus distinctam. Et ex text. 31. lib. 5. Phys. didicimus, vnitatem motus ex termini vnitate iudicandam esse : atque accretio non solùm vnus motus esse existimatur, sed vnum quoque terminum habet, quantitatem, cuius acquisitione viuens euadit maius. Nam etsi plures mutationes sint cum hac quantitatis acquisitione coniunctæ ; si tamen singulas attentè consideres & accuratè distinguas, alias omnes intelliges extrinsecas esse, partim accretionem antecedentes, partim comitantes. Certum etiam est Peripateticorum illud principium ; Motum seu mutationem esse idem re cum termino : nec minus firmis rationibus demonstratur, quantitatem re ipsa distingui à substantia. Ex his enim duabus propositionibus consequens est, ad substantiam & quantitatem duos esse oportere distinctos motus ; accretionemque motum à nutritione diuersum significare. Neque cogitandum est, nutritionem accretionis partem esse. Tum quòd ea nobilior multò sit operatio ; neque mutatio in substantia accidentarij motus pars esse possit. Tum quòd ab Aristotele commemoratæ semper fuerunt tanquam species motus primò diuersæ ; quæ ne synonimo quidem genere conuenirent, vt nec substantia & quantitas conueniunt. Tum demum communis est penè omnium notio, nutritionem substantiæ, accretionem quantitatis acquisitionem significare ; diuersarumque facultatum, nutricis & auctricis, ratione saltem & forma distinctarum, operationes esse.

Secunda opinio.

Quapropter minus etiam Marsilius accretionis naturam assequutus est : qui generationem esse affirmauit maioris substantiæ partis, quàm consumpta fuerit. Eam tamen adgenerationem maluit appellari : quoniam generatio propriè nominatur, si aliquid per se existens producatur ; accretione autem substantia producitur cum reliquo viuente coniuncta, tanquam illius pars. Atque accretionem quidem appellauit, si maior adgeneretur substantia, quatenus facit maius : nutritionem, quatenus consumptam substantiam restaurat : Decretionem, si minùs : si tantumdem, nutritionem solam : hasque omnes mutationes ratione dumtaxat distinxit.

Eamdem fuisse recentiorum sui temporis sententiam, Augustinus Niphus testatur. Sed iam demonstratum est, necessarium esse accretionem distingui re à generatione seu nutritione ; esseque speciem motus per se ad quantitatem ; ab ea diuersam, quæ est ad substantiam. Præsertim quod Arist. vbique docuit, generationem subitò fieri, accretionemque motum esse successiuum, qui cum tempore perficiatur. Et hic quidem respicit totum ; quod & maius fieri, & mutare locum, & idem semper manere affirmatur : adgeneratio verò eam potiùs partem, cui fit substantiæ additio ; quæque antea exhausta alimento repletur & restauratur.

Tertia, & quarta opinio.

Quæ omnia si vera sunt, illud quoque fuerit perquàm certum, accretionem neque alterationem esse, neq, localem motum. Nam & diuersæ sunt species motus : & alteratio quidem ad qualitatem : nec accretionem modò, sed substantiæ quoque generationem antecedit, nec loci mutationem necessariò adiunctam habet : accretio & est ad quantitatem, & substantiæ generationem consequitur, maiorisque loci aquisitionem affert. Localis autem motus ad locum est, seu vbi : atque in omnibus entibus naturalibus cernitur : & in iis, quæ augentur, aquisitio loci consequitur accretionem : quæ & in solis viuentibus est, & ad inhærentem ipsis eorumque corpora extendentem quantitatem, non extrinsecùs ambientem ; quemadmodũ locus, ex quo deducitur vbi.

Quinta opinio.

Extensio fortasse illa partium viuentis, quæ alimenti in substantiam eius commutationem consequitur, fucum faciat cuipiam ; quemadmodum fecit Burlæo, dum tex. 6. lib. 3. Phys. interpretaretur ; & Ianduno in quæst. 10. lib. 4. & quæst. 7. lib. 8. & M. Antonio Zimaræ in tabula, verbo Motus definitio est ambigua, aliisque non paucis : qui eam crediderunt propriam accretionis rationem continere. Nam dum caro repletio noua carne ex sanguine genita omnibus poris extenditur, & ad maiorem transit quantitatem ; & quidem cum successione & tempore ; & est maioris loci acquisitio ; & Aristoteles quoque in illius lib. tex. 25. apertis verbis scripsit, id quod augetur, esse vt id, quod extenditur.

Multis argumentis hanc sententiam confutauit Petrus Pomponatius in priore libro, quem de accretione & nutritione promulgauit ; quę collegit M. Antonius Timara, & paucos ante annos Iacobus Tabarella in cap. 8. lib. quem sub eodem titulo scripsit. Ego verò dum Philosophi scripta considero ; in tex. 31. accretionem reperio definitam fuisse nil aliud esse, quàm existentis magnitudinis additionẽ : & in tex. 34. dum quæreret, quidnam id esset, quòd propriè augeri diceretur ; id solum propriè augeri respondit, cui additur alimentum quantum. At si accretio foret extẽsio, parùm sapienter respondisset. Non enim esset formaliter quantitatis additio : neque illud solum dicendum esset augeri, cui alimentum quantum additur, sed ipsum quoq ; alimentum additum. Siquidem non minus illud extenditur, quàm viuentis pars, cui additum est. Præterea in tex. 41. & in hoc 2. lib. de anima textu 47. accretionis obiectum voluit esse alimentum quatenus quantum est : sicut nutritionis obiectum quatenus substantia est. Quemadmodum igitur nutritio, dum circa hoc obiectum versatur, nil aliud est, quàm aquisitio substantiæ : ita nil aliud esse formaliter accretionẽ existimauit, quàm quantitatis aquisitionem. Denique aperta oratione localem motum distinxit à ceteris in tex. 59. libro 8. Phys. quòd in eo nulla realis entitas aquiratur in eo, quod mouetur : in alteratione & accretione acquiratur semper, in illa qualitas, in hac quantitas : at extensione illa per se considerata nihil rei acquiritur. Nihil enim aliud videtur esse, quàm aut rarefactio quædam, aut localis motus, aut mutatio situs. Accretionẽ non esse rarefactionem, manifestum est. Tum quia, vt antea

Accretionem non esse rarefactionẽ.

adnotaui, propterea Philosophus eam posuit accretionis conditionem, fieri accedente aliquo; vt eam à rarefactione distingueret, quæ nullam quantitatis, vt nec materiæ, additionem habet. Tum quia rarefactio interdum raritatem eam producit, quæ qualitas quædam est: eamque certum est motum esse ab accretione distinctum, quæ quantitatis, non qualitatis, acquisitionem significat. Interdum autem non qualitatem, sed solùm quãtitatis modum diuersum adfert; quemadmodum cùm spongia manu compressa dilatatur aperta manu. At hæc rarefactio nil aliud est, quàm localis motus, aut mutatio situs; quibus nihil aquiritur in eo, quod mouetur: suntque motus ab accretione prorsus distincti, cùm ex termino species quæque motus essentia distinguantur. Postremò illud verè disputari potest, extensionem illam accretione posteriorem esse, quantitatisque aquisitionem consequi, in qua voluit Philosophus accretionis naturam versari. Non enim aliam ob causam extenditur viuens, nisi quòd maiorem aquisiuerit quantitatem, quæ ampliorem postulat locum: neque extensione aliud quidquam aquiritur, quàm extensio maior in ordine ad locum, ex qua loci ampliori consequitur occupatio. Si igitur ante extensionem aquisita est quantitas, qua corporis omnes partes extensæ in se fuerunt & grandiores factæ; & ideò ad maiorem locum extenduntur; ante extensionem perfecta omnis accretio est: neque hæc in extensione, sed in antecedente quantitatis acquisitione, ex qua extensio nascitur, consideranda est.

Non igitur propterea scripsit Philosophus, id quod augetur, esse quẽadmodũ id, quod extẽditur quòd accretionẽ crederet extẽsionẽ esse; sed quòd adiunctam extensionem habeat: sicut in tex. 32. libri quarti Phys. dixit esse speciem motus localis, quòd adiunctam habeat loci maioris aquisitionem: imò non affirmauit extensionem esse, sed similitudinem alterius proposuit (quemadmodum id, quod extenditur) nihil autem explicatur per se ipsum, neque cum se ipsò comparatur. Voluit autem illis verbis à cæteris speciebus motus accretionem distinguere. A generatione, & alteratione; quia generari potest quidpiam aut alterari in eodem loco manens; augeri non potest, quin maiorem acquirat locum. A motu locali; quia quod eo motu mouetur, totum ex vno loco ad alium mutatur; quod autem augetur, eodem retento loco ampliorem acquirit: quemadmodum id, quod extenditur, priorem locum non deserens ad ampliorem sese dilatat. Hæc est vera verborum illorum sententia.

Sexta opinio. Sunt qui accretionẽ quadam partiũ propulsione fieri arbitrentur: freti nimirum auctoritate Philoponi in interpretatione tex. 35. & 39. illius lib. & Alexandri sub finem lib. de mistione. Vt quemadmodum in canali aqua pleno, dum alia additur aqua, hæc priorem pellit; sic in viuente corpore, dum alimentum accessit, atque in poris susceptum est, vna pars aliam pellit ac trudit, & hæc aliam, totumque corpus fit maius: quo modo ferè vngues & pili crescunt.

Cæterùm quò magis in propulsione apparet localis motus, eò minus accretionis natura exponitur. Imò si ita esset, accretio violentus esset motus: siquidem in tex. 10. lib. 7. Physic. propulsio species est localis motus, violenti potiùs, quàm naturalis. Et cicatrices seu maculæ, quæ insunt in vna corporis parte, tempore procedente pellerentur ad aliam: quæ in eadem semper parte visuntur. Neque ex vnguibus & pilis sumere licet argumentum. Quoniam vt animam non habenti, nec propriè sunt corporis partes; ita nec propriè augeri dicuntur, sed sola terrei excrementi ad vnam partem appositione moueri pulsione vnius partis ab alia.

Nimius cuipiam fortasse videar in aliorum opinionibus, tum recensendis, tum confutandis. At in difficili loco versamur: & dum quid alij dixerint accuratè examinatur, quid dicendum sit tandem intelligitur. Ergò ab ipsa nominis notione facto principio, manifestum est, augeri nil aliud significare, quàm fieri maius; auctionemque maioritatis aquisitionem esse. Et quoniam maius & minus in quantitate considerantur, quemadmodum & æquale & inequale; manifestum item est, auctionem mutationem quantitatis significare: quod in priore de ortu & interitu lib. tex. 25. 26. & 31. confirmatur. Ea potest duobus modis fieri. Aut enim propterea euadit maior aut minor, quòd noua accedat quantitas; aut pars illius, quæ erat, quæpiam detrahatur: aut propterea id fit, quòd eadem quantitate manente mutatur illius modus, extensio scilicet in ordine ad aliud, commensuratio aut occupatio loci; dum ea quantitas aut magis extenditur, aut contrahitur. Quantitas à materia non separatur. Prior igitur illa mutatio in quantitate, quæ additione fit aut detractione, fieri omnino non potest, quin addatur quoque aut detrahatur materia: quemadmodum si aquæ addatur aqua, fit maior aqua, detractaque aliqua eius parte fit minor: quòd & materia & quantitas addantur, aut detrahantur. Posterior autem, quæ non quantitatis, sed modi & termini quantitatis mutationem adfert; nec quantitatis, nec materiæ additione, aut detractione indiget. Nam dum ex aqua fit aër, rursumque ex aëre aqua, eadem semper est quantitas & materia; quæ dum rarescit aut densatur, maior fit aut minor, solo quantitatis modo aut termino mutato. Sed vt in priore mutatione non posset mutari quantitas, nisi mutaretur materia; sic in hac posteriore dum eadem manet materia & quantitas, mutari non posset terminus & modus quantitatis, nisi in materia fieret mutatio formæ. sicut enim materiam quantitas, ita terminus quantitatis formam sequitur. Non est tamen necesse mutari semper formam substantiæ, quemadmodum mutatur dum ex aqua fit aër, aut ex aëre aqua; sed interdum satis est solam accidentis formam mutari; siue qualitatem quampiam, quæ vim habeat agendi, densandi inquam, aut rarefaciendi; vt cùm idem corpus densatur frigore, aut calore rarescit: siue etiã figuram solo motu locali; vt cùm spongia manu comprimitur, & post aperta manu dilatatur & extenditur. In priore autem mutationis genere, dum materiæ & quantitatis mutatio fit, nulla persæpè est mutatio formæ: quemadmodum si simile addatur simili, vt aqua aquæ: interdũ verò etsi in materia, quæ additur, mutetur forma, dum dissimile quidpiam additur, quod in illius,

cui

cui additur, naturam transit; vt si ligna apponas igni: quia tamen in materia addita producitur forma illius, cui additio facta est; nullam dicimus fieri mutationem formæ. Sicut enim illud, quod augeri dicitur & quantitatem mutare, est id, quod idem manens maioritatem acquirit aliquam; ita in illo ipso mutationes has omnes considerare oportet, affirmareque in priore auctionis genere eadem manente forma mutationem esse in materia & quantitate: in posteriore autem in eadem materia & quantitate formam & quantitatis terminum ac modum variari.

Viuentia porrò certum est nequaquam mutatione formæ ac termini modiue quantitatis augeri. Tum quia formæ nulla potiùs mutatio cernitur. Tum quia dum eorum corpora exhauriuntur perpetuò & consumuntur, susceptoque alimento resarciuntur: manifestum est continentem quandam fieri mutationem materiæ, huiusque mutatio quantitatis quoque mutationem adducit. Ita nimirum in tex. 31. & 33. affirmauit Philosophus viuentium accretionem aliquo extrinsecùs accedente fieri, additione scilicet materiæ & quantitatis, vt eam à rarefactione distingueret. Et in tex. 35. & 36. fieri ratione formæ, non materiæ; quòd materia continenter mutetur, forma eadem semper maneat. Imò hoc accretio ab aliis omnibus speciebus motus magnopere differt, quòd reliquæ solùm requirunt subiectum, in quo suscipiantur; non item materiam, ex qua fiant; accretio & subiecto indiget & materia. Nam generatio quidem mutatio est ad substantiæ formam; alteratio ad qualitatem, quæ formæ naturam sequitur: & ideò absque noua accedente materia susci pi in subiecta materia possunt. Motus item localis solum actum secundum & agitationem corporis mobilis in spatio quopiam significat. At accretio dum nouam postulat quantitatem, quæ quia inseparabilis est à materia, sine illa non acquiritur; non solùm opus habet subiecto, in quo suscipiatur, sed accedente quoque materia, ex qua fiat. Quoniam autem non ita crescunt viuentia additione materiæ & quantitatis, vt ignis additione lignorum; aut aliquid aliud eiusmodi, quod careat anima: duas alias apposuit Aristoteles accretionis viuentium conditiones: alteram, vt omnes corporis partes augeantur: alteram, vt idem in ea viuens perpetuò conseruetur.

Ex quibus omnibus si veram volueris Philosophi de accretionis natura sententiam colligere; affirmabis profectò, eam in successiua continuataque alimenti quanti aquisitione intra viuentis poros per omnes partes ac dimensiones eodem manente semper viuente versari. Alimentum enim à nutrienda parte attractum atque in poris susceptum ita in eius substantiam mutatur, vt non totum simul, sed per partes mutetur: sicut non totum, sed per partes in poris susci pit, corporique reliquo adiungitur. Sunt nimirum in viuente corpore pori quamplurimi, caloris resoluentis membra actione geniti: qui dum susceptо alimento implentur, progrediente actione caloris gignuntur alij: & quoniam hæc actio numquã intermittitur, perpetua quædam est in corpore pororum generatio, eorũque repletio. Quare dum ea pars alimenti, quæ in prioribus poris susceptа est, in viuentis substantiam mutatur, extenditur viuens; tum ob quantitatem cum ea substantia aquisitam; tum quòd noui subinde pori à calore gignantur, in quibus alia statim susci pitur alimenti pars, quæ interim proximè ad commutationem fuit præparata, moxque in viuentis substantiam mutatur; atque alij gignuntur pori, magisque extenditur viuens: & ita deinceps semper, quamdiu suppetit alimentum, virtusque animæ robustior ad multum alimentum præparandum, pluresque poros gignendos & extendendum viuens, censetur semper accretio fieri. Ea verò procedente tempore debilitata & fracta, minùs alimenti præparat, minùs gignit poros, minùs extendit, solumque nutrire existimatur, aut etiam tandem minuere.

Porũ corpore.

Mutationes in accretione coniunctæ.

At quoniam in tota hac tamque sedula operatione naturæ quinque omnino mutationes simul fiunt: continuata pororum procreatio, continuata viuentis extensio, continuata alimenti in genitis poris susceptio, continuata illius commutatio in viuentis substantiam, ac demum continuata illius quantitatis aquisitio, quæ alimenti fuerat huiusque substantiam viuenti additam sequitur: hæc enim omnia eadem caloris actione perficiuntur. Vt mittam pororum generationem, viuentis extensio & alimenti in poris genitis susceptio motus locales esse videntur: nisi alimenti illa susceptio pro sola passione sumatur, quæ in susci pientibus poris apparet. Alimenti porrò mutatio in substantiam viuentis propria nutritionis est: solaque supereſt continuata aquisitio quantitatis, seu mauis alimenti prout est quantum; quæ ad proprium auctricis facultatis actum pertineat: qui si acquisitio fuerit quantitatis maioris, eam constituet operationem, quam accretionem nominamus, qua viuens fiat maius omnibus partibus; non vt ea, quæ rarefiunt, sed vera maioris quantitatis additione. Duobus enim modis alimenti quantitas considerari potest.

Quantitatem duobus modis considerari.

Primùm quatenus substantiæ illius proprietas est: neque hoc modo ad accretionem pertinet, sed substantiæ adgenerationem consequitur. Deinde quatenus extensio quædam est, partesque in seipsa extra partes habet; & ideo apta est per partes aquiri, & ad eum statum viuens adducere, in quo perfectè secundùm suam naturam operetur. Quomodo dum consideratur, verè affirmatur accretionis naturam constituere. Quia cùm in alimenti cõmutatione in viuentis substantiam continuata quædam appareat & successiua quantitatis additio, cuius aliis atque aliis partibus accedentibus viuens sit maius; ea non nisi accretionis propria esse potest. Imò propter additam hanc quantitatem fit, vt substantiæ quoque adgeneratio successionem quamdam & temporis moram habeat. Nam ea quidem, si sola consideretur forma substantiæ viuentis, quæ producitur, temporis momento absoluitur: at ex parte subiecti, in quo ea forma susci pi debet, opus habet tempore. Quoniam enim alimentitia materia quantitatem habet & partes, neque potest tota simul in poris susci pi; neque toti simul ea virtus animæ applicatur, quæ ad viuentis formam debet eam

traducere; dum aliæ atque aliæ illius partes accedunt & cum tempore ac ſucceſſione applicantur, cum tempore item & ſucceſſione viuentis formam ſuſcipiunt. Vt continuata potiùs quædam eiuſdem formæ per totam materiam extenſio, quàm ex ſingulis partibus eductio eſſe videatur.

Accretionem eſſe motum ſucceſſiuũ.

Ex quibus manifeſtum eſt, quam ob cauſam inter ſpecies motus ſucceſſiui accretionem Philoſophus perpetuò numerauerit. Quemadmodum enim quia corpus, quod mouetur loco, extenſionem habet & partes, quarum vna ſuccedit alteri; & in ſpatio, per quod mouetur, tranſire priùs oportet priores, tum poſteriores partes: & qualitas item producenda latitudinẽ habet intentionis & gradus, qui non omnes ſimul, ſed paulatim alij atque alij produci debent: localem motum atque alterationem fieri affirmauit cum tempore, eſſeque ſucceſſiuos motus: ita de accretione quoque iudicauit. quoniam quantitatem, quæ illius terminus eſt, vidit habere partes extra partes, quas non omnes ſimul, ſed ſenſim oporteret aquiri.

Continuum multis modis dici.

Quò faciliùs explicatur id, quod in ſcholis diſputatur, num ea ſit motus continuus, nec ne. Nam ſi ea ſit acceptio continui, vt perpetuum & ſempiternum ſignificet: ſic ſanè in 8. Phyſic. lib. localem ſolum motum probatum eſt eſſe continuum. & in textu 23. oſtenſum, nec augeri quidquam poſſe nec minui continuè, ſed eſſe medium conſiſtentiæ tempus, quod inter accretionem eſt & decretionem. Non eſſe autem accretionem hoc modo continuam; tum inductio oſtendit & experientia; tum perſuadet ratio. Quoniam vt eſt in primo libro de cœlo textu 21. quidquid augeri poteſt, poteſt item corrumpi. Deinde accretio viuentium propria eſt in eum finem inſtituta, vt perfectè operentur: at non ſolùm determinatam magnitudinem habent omnia, vt eſt in textu 41. huius 2. libri de anima: verùm etiam ſub quauis maxima membrorum quantitate operari omninò non poſſent: quare poſt ſufficientem & ad operandum opportunam quantitatem adeptam finem habet accretio. Denique natiuus calor, dum animæ famulatur augendo corpora, agendo patitur magiſque in dies debilitatur, ac tandem omnino augere non poteſt.

Eandem ob cauſam nec ideò poteſt accretio appellari continua, quòd per totam vitam duret. Poſt aliquot enim annos perfectis omnibus membris caloreque debilitato & fracto ceſſat. Vnde vitæ illa partitio in tres ætates, incrementi, conſiſtentiæ, & decrementi.

Neque verò propterea hunc motum dices eſſe continuum, quòd toto eo tempore, quo fit, ſit vniformis eodemque modo fiat. Etenim non eſt ſemper calor æquè ad augendum robuſtus, ſed continenter debilitatur magis: neque alimenta eodem ſemper modo ſumuntur. Accedunt morbi complures, prauus quiſpiam in corpore humor, melancholia, alimenti nimia conſumptio in re venerea, & id genus alia; quæ accretionem aliquando impediunt plurimùm. Tum membra, quæ augeri oportet & extendi, faciliùs multò augentur & extenduntur quandiu meliora ſunt, quàm alio tempore, quo ſolidiora facta ſunt & duriora. Quam ob cauſam in primo libro de animalium ortu cap. 18. pueros ſcripſit Ariſtoteles non habere ſemen; quoniam in augendo corpore totum alimentum abſumitur, antequàm excrementi quidquam remaneat. Immò primo quinquennio humanum corpus capere dimidium ferè totius magnitudinis, quam toto tempore eſt habiturum.

An accretio ſit continua.

Hactenus conſentiunt omnes; non item An accretio ſit continua, id eſt numquam interrupta toto illo tempore, quo viuentia creſcunt. Affirmant enim nonnulli, omneſque illi affirmare coguntur, qui nutritionem ita putant per totam vitam fieri, vt aliquid ſemper alimenti in viuentis ſubſtantiam mutetur. Ego tamen ſecus ſentio; qui nutritionem antea oſtendi interrumpi perſæpè; hocque videtur voluiſſe Philoſophus in textu 23. libri 8. Phyſic. cùm vt antiquis oſtenderet, ea, quæ mouentur, non ſemper moueri; illud accepit argumentum; neque augeri; neque moueri continuè; ſed eſſe & medium. Quæ verba etſi Themiſtius, Simplicius, & Pſellus ita interpretati fuerint; vt inter accretionis & decretionis motus conſiſtentiæ quies interponatur. Quoniam tamen ita illos ſeparauit Ariſtoteles, vtneque accretionem, neque decretionem dixerit, hoc eſt neutram earum poſſe eſſe continuam; latius eſt de ſingulis hiſce motibus ſeorſim acceptis id intelligere: neque inquam accretionem totam à principio vitæ vſque ad vigeſimum quintum annum; neque decretionem totam ad mortem vſque continuam eſſe; ſed ſæpiùs interrumpi. Idque confirmat exemplum, quo vtitur, cauationis lapidis: quæ non fit à ſingulis guttis, cùm earum permultæ ſolùm diſponant. Eodem enim modo intelligi voluit accretionem fieri; vt aliquo tempore viuens augeatur, alio ad auctionem diſponatur.

Quod autẽ inquiunt grauiſſimi illi interpretes, accretionem & decretionem continuos motus non eſſe; experientia ſanè & ſenſu confirmatur: quibus manifeſtum eſt, eandem aliquandiu quantitatem retinere viuentia, quam accretione adepti ſunt. Atque huc ſpectare videtur illud in textu 63. libri 8. Phyſic. Naturam nihil vnquàm facere, vt demoliatur ſtatim. & in text. 62. 64. & 65. omnino demonſtratum eſt, contrarios motus continuari non poſſe; ſed inter eos intercipi tempus: propterea inter accretionem & decretionem conſiſtentiæ velut quietis tempus agnoſcitur.

Igitur eo modo accretionem affirmamus motum eſſe continuum, quo calefactio, refrigeratio, aliaue alteratio, aut localis motus dicuntur eſſe continua: quia dum fiunt, continuatè fiunt, ſucceſſiuè, cum tempore; non ſubitò & momento. Huius rei exiſtimarem ego ſuperuacaneum eſſe probationem adferre, niſi Auerroës in comment. 23. libri 8. Phyſic. ſolum motum localem ſcripſiſſet eſſe continuum; accretionem autem per minima progredi, quæ aliis atque aliis momentis acquirantur. Quod pluribus poſtea recentiores complures confirmarunt.

Auerroës opinio, accretionem ſcripſiſſe minima.

Partialem igitur quamlibet accretionem (de hac enim ſermo) continuam eſſe, habereque partes, quæ ſibi ſuccedant & communi omnes termino copulentur; & ideò tempore continuo fieri:

fieri : non solùm communis est penè omnium sententia ; verùm etiam Aristotelis , qui eam semper inter successiui & continui motus species numerauit. Est enim successio & continuitas, aut essentialis motui propriè dicto , aut inseparabilis certè proprietas. Quare in textu primo libri tertij Physic. vniuersè motum dixit esse de genere continuorum : & in textu 49. lib. 6.continuum ostendit ita esse , tum in aliis motibus, tum in accretione ; vt in eis neque prima neque vltima pars reperiatur. In textu autem 129. lib.4. vniuersè cùm affirmasset , omne , quod mouetur , moueri cum tempore ; hoc vsus est argumento : quoniam in omni motu est velox & tardum , quæ tempore mensurantur ; tum in locali motu,tum in aliis omnibus. Et in textu 132. cùm quæreret, an tempus sit numerus cuiusuis motus, an determinati cuiuspiam ; esse respondit cuiusuis motus contineri , & non cuiusdã ; eodemq; modo alterationis , accretionis , & localis motus. Siue igitur numerum numeratum , siue numerantem intelligas ; eodem modo omnes sunt motus successiui & continui. Vt enim corpus mobile & spatium partibilia sunt & continua in locali motu,ita & quantitas , quæ accretionis est terminus; & qualitas , quæ alterationis. Quòd si ita esset , vt inquiunt illi , accretio nullo modo esset motus; sed congeries quædam ex mutatis esse subitisque pluribus mutationibus. Accedunt rationes illæ omnes , quibus ostenditur , alterationem motum esse continuum ; quæ accretionem quoque concludunt. Licet & ex impropria accretione illa,quæ in rebus inanimis cernitur, argumentari. Dum enim ignis additione lignorum augetur , corpusque quod rarescit , ad maiorem locum extenditur ; successiuè & continuatè vtraque hæc accretio perficitur. At in hoc persimilis est ea , quæ viuentium : in eo duntaxat ab auctione ignis diuersa ; quòd idem semper viuens maneat , omnesque illius partes crescant:& à rarefactione; quod noua accesserit materia & quantitas.

Et quoniam ij , qui secus senserunt , auctoritate potissimùm Auerrois permoti sunt ; meminerint quid ab eo scriptum fuerit in comment. 6. lib. 3. Physic. duo enim omnino affirmauit. Alterum,ex definitione motus eo loco tradita manifestum esse , motum omnem esse continuum. Alterum, continuationem hanc in locali motu magis, quàm in cæteris, esse conspicuam. Is enim à principio ad finem vsque interrumpitur nunquam: cùm accretio (alterationesque complures) interrumpatur sæpiùs ; neque vnus est motus continuus , sed & motibus & quietibus pluribus interceptis constat. Ex his enim manifestum est accretiones quoque partiales esse continuas:& eam, quæ est totius vitæ,continuam quidem non esse; at nec ex mutatis esse,sed ex motibus constare. Quòd si minima & momenta nominauit in comment. 23.lib. 8. interpretatus est Marcus Antonius Timara , eum tunc accretionem non per se consideràsse , sed quatenus nutritione perficitur. Nutritio namque subita mutatio est , perque minimas alimenti partes in poris susceptas fit ; vt idem commentator exposuit in comment. 38. prioris lib. de ortu & interitu.

Dari primum minimum in

Quod verò aliqui dicunt , dari saltem primum minimum , quod momento temporis aquiratur ; reliquum verò motum successiuè & continuatè fieri , mihi quidem certè probabile est. *accretione.* Tam inquam in quantitate , quàm in substantia, esse primam partem, quæ in poris susceptà aquiratur viuenti ; reliquam cum successione & continuatione aquiri : substantiæ quidem ex accidente,quantitatis autem per se.

Itaque licet concludere , accretionem esse motum propriè dictum ab aliis omnibus distinctum, quo viuens maiorem quantitatem aquirit : motum verò à minori & imperfecta quantitate ad maiorem & perfectam viuenti debitam , vt perfectè operari queat. Decretionem autem motum à maiori & perfecta ad minorem , minusque perfectam , cum qua imperfectiores operationes existant. Quare perfecta & imperfecta , maior & minor quantitas , termini sunt oppositi, inter quos hi motus versari dicuntur.

Accretionem per omnes partes fieri.

Ergò de accretionis natura satis dictũ sit. De eo, quod augetur , dicendum superest. Qua in re duæ omnino exponendæ erunt accretionis conditiones. Altera, accretionem in omnibus partibus fieri. Altera , idem omnino manere in accretione tota id, quod augetur. Prima enim illa conditio accretionem forinsecùs aliquo accedente fieri, satis est explicata, vbi ostensum est quomodo ex alimento sumpto viuens augeatur.

Proprium igitur accretionis subiectum est totum viuens. Nam & accretio est operatio animæ propria : & id , quod ab imperfecta & minore quantitate ad maiorem & perfectam transit , cuique nouæ quantitatis additio fit ; est ipsum viuens , quod nutritionis item subiectum est. Neque enim alimentum accedens , neque pars , quæ inde restauratur , nutriri aut augeri dici possunt. Siquidem vnius potiùs corruptio est , alteriusque generatio. Verùm cùm duo in eo partium genera reperiantur ; integritatis , & essentiæ ; integrantes partes in corpore considerantur , suntque tum homogeneæ , tum eterogeneæ : de quarum omnium accretione idem prorsus dicendum est,quod de nutritione antea dicebatur. Quoniam enim accretio nutritionem insequitur ; nec nisi in iis reperitur , quæ nutriuntur , vt est in tex. 37. partes eæ , quæ nutriuntur , augentur omnes , & solæ. Eæ sunt , quæ animam habent & integrum corpus constituunt. In his porrò quemadmodum eæ,quæ sunt homogeneæ, per se primùm nutriuntur ; deinde quæ ex illis coagmentantur , eterogeneæ: ita per se primùm illæ , tum hæ quoque augentur. Sic enim in tex. 35. prioris libri de ortu & interitu ratiocinabatur Aristoteles. Neque enim aliam ob causam augetur manus , nisi quia caro, os,neruus,& homogenę cęterę crescunt ; ex quibus illa componitur.

Augeri primùm homogeneas partes,si eterogeneas.

Omnes partes simul augeri.

Scio disputari à multis , an hę omnes partes augeantur simul , an verò crescant aliquę non crescentibus aliis : atque à nonnullis interdum ità esse affirmari. Sed nequaquam ego ita euenire existimo. Quin potiùs nullam vnquam partem augeri aio, quin reliquę augeantur omnes. Atque hoc est,quod Philosophus pronuntiauit, partibus omnibus augeri viuens : alioqui si vna crescęret non crescentibus aliis, vera non esset & propria viuentium accretio. Nam nec potest in illis vna nutriri , quin omnes nutriantur ; nec ad vnam vnquam distribuitur alimentum, quin reliquę omnes

suam partem accipiant, vt omnes simul ad vitam & incolumitatem totius conseruandam reficiantur. Quamquam in hac generali distributione ea seruatur proportio, vt quæ partes grandiores sunt & maiore indigent nutritione; maiorem quoque alimenti partem accipiant. Itaque cùm nutrix facultas sparsa sit per omnes partes & in omnibus potens ad commutandum plus alimentitiæ substantiæ, quàm in ipsis fuerit dissipatum: omnes prorsus necesse est ita nutriri & refici, vt omnes etiam augeantur.

Pori in corpore

Cæterùm inter omnes, tum Philosophos, tum Medicos, conuenit viuentia corpora non esse omnino solida, sed plurimas passim habere cauitates & foramina, quæ poros consueuimus nominare: eosque in hisce corporibus reperiri cognoscimus, tum ex plurimis excrementis, quæ per cutim effluunt; tum ex aëre nobis circumiecto, quem corpora nostra penetrare sentimus; tum verò ex vi & actione natiui caloris, qui dum in partes corporis agit, continenter resoluit aliquid & extendit membra: quare cauitates aliquas in illis fieri necesse est. Sine quibus profectò constare haud posset totius viuentis nutritio; nisi aut corporum penetratio fieret, alimenti scilicet & viuentis corporis; aut violenta scissio, qua ad nutriendas partes alimentum peruaderet.

Partes solidæ & porosæ.

Homogeneæ igitur partes duplici adhuc partium genere constant: quarum aliæ solidæ sunt & nondum à calore consumptæ ac perforatæ: aliæ porosæ, in quibus aliquid consumptum iam & exinanitum fuit. Hæ non semper & vbique æquales sunt; sed maiores interdum, interdum minores: neque in diuersis modò animalium speciebus, verùm in eadem quoque specie: immò & in eodem indiuiduo, tum diuersis temporibus, tum eodem. Non solùm enim in humana specie (vt hoc exemplum accipiam) maiores sunt in mari, quàm in fœmina; in iuuene, quàm in sene; & omnino in vno indiuiduo, quod calorem maiorem habeat, quàm in alio, quod minorem: sed etiam in eodem homine eodemque tempore vna corporis pars maiores, quàm altera, poros habet; tum quòd calidior sit; tum quòd humidior & mollior patiatur faciliùs atque à calore soluatur, quàm alia, quæ siccior sit & durior: quod in carne & osse aliisque compluribus manifestum est.

Pororũ vsus in corpore.

Iam verò poris hisce magnopere vtitur natura ad finem sibi propositum consequendum. Nec solùm tanquam viis quibusdam ad excrementa pellenda corpusque purgandum: sed etiam tanquam aptissimis vasis ad omnium earum partium, in quibus fuerunt geniti, atque adeò totius corporis nutritionem & accretionem perficiendam. In eos namque opportunum coniicit alimentum, quo consumpta substantia restauretur; & quidem fœliciùs multò, quàm antea. Quare cùm vbique sint pori, omnesque partes restauratione indigeant; & nutriuntur omnes, & augentur. Ea tamen proportione seruata, vt vbi maiores sunt & ampliores pori, copiosior quoque nutritio sit & accretio maior: quoniam plus alimenti suscipitur.

Poros nunquã esse inanes.

Ex quibus omnibus quatuor planè manifesta fiunt. Primum, poros hosce numquã esse inanes, sed plenos semper, aut vapore aliquo, præsertim quando gignuntur, aut spiritu, aut aëre, aut alimento, aut excremento.

Quomodo augeatur.

Alterum; verissimum esse id, quod antea dictum est, homogeneas partes per se primùm nutriri & augeri, earumque beneficio eterogeneas. Etenim pori per quos nutritio omnis fit & accretio, ad homogeneas partes per se pertinent. Quamquam si naturæ intentio consideretur, dici possunt primùm nutriri & augeri eterogeneæ; quia cùm accretio illud spectet, vt viuens perfectè iuxta suam conditionem operari queat; ad partium eterogenearum, quæ sunt operationum omnium instrumenta, perfectionem refertur: sed vt eæ ex homogeneis componuntur, sic illarum auctio ex homogenearum auctione deriuatur.

Quomodo omnes nutriãtur.

Tertium; verissimè omnino dictum fuisse ab Aristotele, accretionem fieri per omnes partes: nam non solùm augentur omnes, tum homogeneæ, tum eterogeneæ: sed in homogeneis quoque particulæ omnes earum, tum porosæ, tum solidæ; alia tamen atque alia ratione. Partes enim porosæ & nutriuntur & augentur per intus susceptionem alimenti; solidæ per iuxta positionem; quia dum implentur pori, illud ipsum alimentum partibus solidis apponitur; & cum illis ita continuatur, vt grandiores euadant. Dicunturque augeri vera & propria accretione; quoniam ea comparatione totius viuentis consideranda est potiùs, quàm ratione partium; estque satis, si ratione totius sit intus susceptio, & aliæ omnes accretionis conditiones seruentur. Quamquam pori illi impropriè partes viuentis dicuntur; potiùs enim sunt partium cauitates & spatia; neque partem vllam substantiæ viuentis significant; sed absentiam magis & defectum illius, quæ fuit consumpta; & ideò impropriè quoque nutriri aut augeri affirmantur, magis propriè eæ, quæ sunt solidæ, quæ verè partes sunt, & viuentis substantiam significant.

Quomodo absque corporũ penetratione.

Quartum & vltimum; etsi nutritio & accretio fiat per omnes partes; vtramque tamen fieri absque vlla corporum aut quantitatum penetratione; beneficio scilicet pororum, in quibus alimentum quantum suscipitur, atque omnibus planè solidis partibus adiungitur; quam ob causam Aristoteles in tex. 39. prioris lib. de ortu & interitu alimentum dixit cum nutrienda re permisceri non quòd verè permisceatur, sed quòd per poros ad minimas vsque illius partes penetret.

Accretionem non materiæ sed formæ fieri.

Et hæc quidem de integritatis partibus, quæ in corpore considerantur. De partibus autem essentiæ, quibus totum viuens absoluitur, materia inquam & forma; extat illa sententia in tex. 35. 36. & 37. eiusdem lib. pronuntiata; Accretionem fieri ratione formæ, non materiæ: propterea quòd materia accedat & recedat sæpiusque mutetur; forma semper sit eadem. Quæ verba ideo pronuntiauit Philosophus, & doceret, quomodo in accretione seruari tres illæ conditiones possent; vt & fieret per omnes partes, & accedente aliquo, sine corporum tamen penetratione, ac demum idem in tota accretione perseueraret viuens. At in eorum interpretatione mirum est quanta semper dissentio fuerit. Immo Alexandrum scribit Auerroës in comment. 38. illius libri ab hac Aristotelis sententia discessisse; potiusque accretionem affirmasse ratione materiæ fieri. Fit enim accretio additione; additurque materia materiæ & quantitati quantitas. Et quamuis materia

materia continenter fluere & mutari videatur; aliquæ tamen sunt illius partes primigeniæ, quæ ad mortem vsque illæsæ conseruentur; quibus dum additur accedens alimentum, augetur viuens.

Sed immeritò calumniatus est Alexandrum Auerroës; & fortasse nec hominis scripta vidit, vt in 3. lib. de anima comment. 20. confessus est is aliquando. Non solùm enim aperta oratione Alexander in 1. naturalium quæst. lib. cap. 5. & in lib. de mistione, Aristotelis sententiam sequutus & interpretatus est: verùm etiam argumentis confirmauit. Tum quasi materia spectetur, etsi ea non simul tota mutetur, sed aliquæ partes diutiùs permaneant; tandem tamen fluit & recedit tota; neque ratione illius dici potest idem viuens subsistere: potest ratione formæ, quæ eadem semper est. Tum quia si accretio fieret ratione materiæ, cùm per omnes partes fieri debeat, omnino sine corporum penetratione non fieret.

Philoponus autem vsque adeò veram esse sententiam sibi persuasit, vt nullo modo dici voluerit materiam augeri. Quare cùm in tex. 36. dixisset Philosophus, materiam carnis augeri, si plus accesserit, quam decesserit; eum affirmauit augendi vocabulo abusum fuisse. Adiunctio enim illud est, non accretio; quia non seruantur in eo, quæ augmenti sunt propria.

Prima opinio. Principiò igitur constituere oportet, quid nomine materiæ & formæ hoc loco intelligendum sit. Quosdam scribit Marsilius in quæst. 13. partes secundùm formam interpretatos fuisse partes illas corporis, in quibus primum illud humidum conseruatur, quod ab ortu fuit acceptum: partes autem secundùm materiam eas, quæ alterum habent humidum, quod ex alimento suppeditatur. In prioribus enim præcipuè partibus resident anima natiuusque calor, qui accretionem operatur: & posteriores sunt velut materia, tum ad priorum defensionem & conseruationem, tum ad natiuum calorem pascendum. Atque priores illæ conseruantur semper, earumque consumptionem sequitur viuentis interitus: Posteriores perpetuò fluunt & mutantur.

At non ea fuit Aristoteli mens; qui apertis verbis dixit, in carne & osse materiam; sicut in qualibet re, quæ formam habeat in materia. Quæ verba de duplici hoc humido non licet exponere. Immò illæ ipsæ partes, quæ humidum illud habent primigenium, materia constant & forma. Deinde eam ob causam verba illa pronuntiauit, vt accretionem omnium partium fieri doceret; tum additione materiæ & quantitatis; tum eodem semper subiecto manente. Quòd si partes illæ primigeniæ considerentur; dici quidem fortasse potest, subiectum idem manere, quòd earum aliquid ad mortem vsque conseruetur: non omnes tamen viuentis partes augebuntur; si quidem eæ quoque sunt illius partes, quæ ex alimento formatæ sunt. Neque sine corporum penetratione accretio fieret: quoniam primeuæ illę partes non minùs, quàm alimentum, corporeæ sunt. Aut igitur corporum erit penetratio, aut non omnes alimenti additione augebuntur.

Secunda opinio. Alij, inter quos Thomas de Garbo in sua medicinali summa quæst. 54. & Conciliator differentia 56. formales partes dici maluerunt eterogeneas, quæ per se operari possunt velut forma: materiales autem homogeneas, quæ eterogenearum sunt materia.

Dixit quidem Aristoteles in tex. 37. accretionem magis esse manifestam in partibus eterogeneis: sed tamen in tex. 35. ante quàm eam diceret fieri ratione formæ, non materiæ, distinctis eterogeneis & homogeneis partibus, eterogeneas affirmauerat, vt ex homogeneis componuntur, sic augeri propterea, quòd homogeneæ augeantur. Deinde omissis eterogeneis homogeneas in materiam & formam distinxerat. Tum demum accretionem subiunxit fieri ratione omnino formæ, non materię. Duo enim omnino inde colligimus. Alterum, materiam & formam in solis homogeneis considerandas esse. Alterum, accretionem fieri ratione formę, non materię; de homogeneis solis pronuntiatum fuisse: tum quia in illis materiam & formam distinxerat: tum quia eterogeneas iam affirmauerat non augeri per se, sed quoniam augentur homogeneę: hocque solum exponendum relinquebatur, quemadmodum homogeneę augerentur. Deinde in tex. 36. propositionem eam ostendit in carne & homogeneis partibus. Et in tex. 37. etsi argumentum accipiat ex eterogeneis, in quibus vt operatio viget, sic euidentior est forma: in homogeneis tamen, hoc est in carne, quamlibet partem concludit esse auctam secundùm formam, non secundùm materiam.

Tertio loco ponendę sunt Egidij Romani, Marsiliique commentationes. Quorum alter duplici distincto partium genere; quarũ aliquę sensiles sint & aptę per se solitarię cohærere, aut operari; alię non sensiles neque aptæ per se separatæ existere, aut aliquam operationem habere: priores iudicauit esse formales partes; quia quod separatum à toto existere atque operari potest, formæ vim habet: posteriores materiales; quoniam nec materia, quæ potestas est, per se cohærere nec operari potest, nisi ab actu & forma perficiatur. Alter verò formales partes voluit esse partes porosas; quòd eæ sint sensiles, sensilitasque rebus propter formam conueniat: materiales autem non porosas, quæ propter paruitatem insensiles sunt, vt materia. Accretionemque dixit fieri ratione formæ, hoc est porosarum partium: quoniam cum fieri eam intus susceptione oporteat, alimentum in poris suscipitur. Hæc fermè illi. *Tertia opinio.* *Quarta opinio.*

Sed neuter planè audiendus est. Non Egidius. Tum quia vt partes eterogeneæ homogeneis auctis augentur; ita eæ, quæ sensiles sunt, ideò crescunt, quòd grandiores fiant insensiles. Tum quia dum Aristoteles carnem & os homogeneasque singulas partes duplices esse dixit, quemadmodum vnumquodque est, quod formam habet in materia; significauit profectò se materiam & formam aliud quidpiam nominasse; generali scilicet illa & propria acceptione, qua in rebus omnibus natura constantibus, vel in minutissimis illis Ægidij partibus, materiam inesse dicimus & formam; cunctasque res naturales ex duplici natura constare, materia & forma in 2. Physic. lib. docetur. Eamdem ob causam ineptum est porosas partes & solidas interpretari. Nam si in carne & osse non minùs materia & forma dicuntur, quàm in cæteris rebus; permulta sunt in natura, quæ poros habent nullos. Deinde si, vt Marsilius affirmauit, porosæ partes maiores sunt, magisque sensiles, quam non porosæ & solidæ:

præter quàm quòd id sensui aduersatur, in ossibus præsertim, neruis, ac solidioribus partibus, imò prorsùs in omnibus: maxima viuētis corporis pars inanis esset ac inanimata: non enim habent animā pori. Præterea (vt antea quoque adnotaui) porosæ illæ cauitates partes carnis, ossis, aut omnino viuentis corporis propriè appellari non possunt. Nullam enim illius substantiam habent; sed partium foramina sunt & spatia, quæ aut vaporem, aut aërem, aut excrementum, aut alimentum nondum planè mutatum continent: tantum abest, vt sint forma, partesque præcipuæ, quæ augeantur. Voluit etiam Aristoteles id, quod augetur, addito alimento augeri; idemque in tota accretione manere: at non illis, sed partibus solidis additur alimentum: nec illæ vnquam eædem, sed aliæ semper atque aliæ sunt. Sumpto namque alimento priores implentur pori, aliique noui gignuntur.

Quinta opinio. Accommodata magis videretur quorumdam aliorum expositio; formam significare totum cōpositum, animatum scilicet corpus; materiam autem illius partes: accretionemque toti potiùs, quā partibus tribui: quoniam partes fluunt, tum corpus, tum vegetans anima, in qua hæc operatio cōsideratur: totum verò idem est semper per æquialentiam. Hæc inquam expositio accommodata magis videretur propterea, quòd in 2. Physic. lib. tex. 31. idem ipse Aristoteles auctor est, totum suarum partium comparatione esse quasi formam, partesque comparatione totius quasi materiam.

Nisi & grauior auctoritas & firmior ratio contrarium potiùs suaderent. Auctoritas est eiusdem Philosophi; qui, vt sæpè iam dictum est, in illo ipso tex. 35. cuius nunc interpretationem quærimus, vnamquamque item partem, carnem, os, & alias similes, materia & forma constare dixit. Inde namque manifestum est, formam dici, non compositum, sed alteram compositi partem, quæ materiæ actus est. Propterea etiam ea verba pronuntiauit, vt accretionem doceret per omnes partes & absque corporū penetratione fieri. Ideo enim eam fieri dixit secundùm partes formæ, non secundùm partes materiæ. Quomodo ergo dici potest fieri secundùm totum, non secundum partes; si secundùm omnes planè partes eam fieri ipse contendit? certè nil aliud est re ipsa totum, quàm omnes partes simul sumptæ: quare si augetur totum, partes quoque omnes augeri necesse est: aut si dici nequeunt partes augeri, ne totum quidem dicatur. Immò quemadmodum eterogeneas partes non aliam ob causam augeri dixit, nisi quòd augeantur eæ, quæ sunt homogeneæ: ita neque dici potest augeri totum, nisi quòd partes illius crescant; & quidem omnes in vera viuentiumque propria accretione.

Sexta opinio. Hi ergo omnes propriè materiam & formam interpretati sunt: quòd & obscura videretur oratio Philosophi, & accretionis natura perdifficilis. Alij magis propriè verba illa intelligentes, verè materiam & formam in viuentibus & eorum partibus inesse dixerunt, quemadmodum in vnaquaque re, quæ formam habeat in materia. Sed tamen ne hi quidem omnes eodem modo. Auerroës in comment. 38. superiùs notato duobus modis visus est velle accretionem fieri ratione formæ. Altero, quia fit ab anima, quæ viuentium est forma. Altero, quia seruatur semper eadem accidentaria & de genere qualitatis forma; hoc est eadem mēbrorum figura; etsi noua addatur quantitas, mutetur que materia.

Quæ commentatoris oratio vera quidem est, si per se consideretur; sed nequaquam Aristotelis verborum accommodata interpretatio. Non enim quærebat, à quonam accretio fieret; sed quomodo sine corporum penetratione per omnes partes & eodem manente viuente fieri posset. Externa autem membrorum figura accidentariam quamdam & externam, non substantialem & internam identitatem ostendit; neque accretionem à corporum penetratione liberat. Deinde cùm Aristoteles viuentis partes materia & forma constare asserit; quemadmodum cætera, quæ formam habent in materia: non video quomodo neglecta substantiæ forma, ratione cuius res naturales verè dicuntur habere formam in materia; figuram externam aut accidentariam vllam formam possimus intelligere. Denique figura, cùm sit qualitas, accretionis terminus esse non potest: sed magis ad alterationem pertinet, si rem quampiam à quantitate diuersam significet. At si idem re sit cum quantitate; non augebitur, nisi aucta aut certè extensa mutatave quantitate: potiusque quantitas, quàm figura, augeri existimabitur.

Reliqui igitur substantiæ formam interpretati *Supina opinio.* sunt. Et quidem materiam & formam corpus & animam complures intelligi voluerunt: accretionemque non fieri ratione corporis, quod continenter fluit & mutatur, nec potest absque corporum penetratione partibus omnibus ex addito alimento augeri: sed ratione animæ quæ cum materia non fluit, sed eadem permanet accedentelque alimenti partes format.

Sententiam hanc nostris temporibus magnopere porbauit multisque confirmare conatus est Iacobus Zabarella in lib. quem de accretione edidit & nutritione cap. 15. Sed mihi quidem tantum abest, vt quidquam persuaserit; vt magnopere minatus sim grauem sanè philosophum, Patauij mihi optimè notum, in re tam graui tam leuia argumenta proposuisse; vt vegetantem animam, tatione cuius accretio fit, ostenderet non simul fluere aut interire cum materia, quæ continenter dissoluitur: quin ab ea potiùs separari; atque ad formandam accedentem materiam extendi; neque ex ea nouam educi formam. Conciliator rudissimorum hominum sententiam appellauit. Ego verò, vt duo illa taceam argumenta, quæ sibi ipsi Zabarella proposuit. Alterum, formam ex vno in aliud subiectum migrare non posse. Alterum, animam non esse per se mobilem, vt in primo lib. confecit Philosophus. Quæ duo argumenta etsi ipse diluere conatus sit, parùm tamen fæliciter successit: nec ita, vt sibi ipsi, cæteris satisfecit. Illud primùm obiiciam, quòd plures in eodem viuente animas esse, vegetantem scilicet in animalibus & homine præter sentientem & intelligentem, tamquam certum accipiunt isti Philosophi; quòd sapientioribus perquàm falsum, aut certè non ita manifestum videtur, vt ex eo principio deduci debeat nutritionis & accretionis natura, quæ operationes animæ sunt omnium manifestissimæ. Deinde Aristotelem materiam & formam in carne, osse, cæterisque homogeneis partibus nominasse. Et ideò non

non corpus & animam, quæ sunt generales viuentis partes; sed materiam & formam illarum partium proprias significasse. Præterea solam hominis intelligentem animam impartibilem esse, neque interire cum corpore, antea demõstraui. Quare hæc accretionis forma, quam ipsi exponunt, in homine fortasse locum habere posset. At cùm reliquæ animæ materiales sint & cum corpore extensæ atque partibiles; ac præsertim vegetans, quæ omniũ prima ex materiæ potestate educitur, quæque maximè materialis est, & cuius propriæ sunt nutritio & accretio: fieri omnino non potest, vt in viuentibus cæteris pars vlla materiæ recedat aut accedat, quin animæ simul pars pereat aut oriatur. Omnis enim forma, quę ex materiæ potestate educitur, siue tota spectetur, siue partes singulæ considerentur; quemadmodum ex illa materia educitur & ab illa naturam totam habet; si ab illa deinceps pendet, neque sine illa potest subsistere: immò illius interitus nil aliud est, quàm ab illa materia separatio. Neque modò à toto corpore, sed etiã à singulis partibus. Certè principium illud Aristotelis in tex. 13. lib. 1. est planè necessariũ; neque solùm de tota forma, sed de illius item partibus: si anima operationem habet propriam non communem cum corpore, separari à corpore potest; si nullam habet, separari non potest. At quænam est vegetantis animæ operatio, quæ cum corpore communis non sit? aut quónam alio argumento eam separari posse cognoscemus. An non cùm sit tota eiusdem rationis, si quælibet illius pars separabilis est atque à corpore non dependẽs, tota quoque separabilis & non dependens fuerit? Immò verò quoniam procedente tempore nulla est corporis pars, quæ non mutetur, alia scilicet noua accedente; si à qualibet parte separatur anima, tota tandem fuerit ab eo corpore separata, ex cuius potestate fuit educta; quodque primum tamquã proprium & natiuum subiectum formauit. Quare multò magis poterit ab eo separari, quod nunc format tamquã spurium, adulterinum, & subditicium; ex cuius potestate non fuit educta. Præterquàm quòd absurdum est, materialem & corruptibilem formam ponere in materia, ex cuius potestate non sit educta. Miror etiam acutos & perspicaces Philosophos non vidisse, solam animam dici non posse augeri. Nam aut id propterea diceretur, quòd ipsa esset accretionis terminus, aut quòd esset subiectum. Terminus non est anima, nec substantia vlla; sed quantitas maior. Substantia & anima, aut generatione aquiritur, aut nutritione. De subiecto autem motus (est enim accretio motus quidam) extat Philosophi sententia in tex. 32. lib. 6. Phys. subiectum motus oportere esse partibile: at forma nec partibilis est, nec mobilis, nisi ex accidente: & in tex. 3. lib. 5. eiusdem operis, forma nec mouere dicitur, nec moueri: & in tex. 36. & 37. huius secundi lib. de anima, Anima in viuentibus corporibus est triplicis generis causa, formalis, finalis, efficientis: materialis nusquã dicitur, quemadmodum isti affirmant. Immò in 2. Phys. lib. tex. 70. reliquæ tres causæ in vnam sæpè conueniunt, materialis nunquã. Sed non aliam ob causam in hanc eos adductos fuisse sententiam opinor, quàm quòd alio modo exponere non possent, quomodo ratione formæ accretio fiat, idemque semper persistat viuens.

Ego verò alio prorsus modo exponi posse, aliãque fuisse Philosophi verbis subiectam sententiam non dubito; Alexandrum nimirum sequutus, Philoponum, & grauiores alios interpretes. Materiam & formam propriè oportet accipere pro duabus substantiæ compositæ partibus. Et quoniam Aristoteles non solùm de viuente toto non loquebatur, sed exclusis etiam eterogeneis partibus homogeneas solas considerabat, cùm eam sententiam pronuntiauit; ratione quarum eterogeneas, atque adeò totum viuens augeri dixit: propterea in homogeneis solis materiam & formam intelligere oportet, dum ratione formæ, non materiæ, accretionem fieri affirmauit: quare in tex. 36. materiam carnis dixit. Harum enim accretione exposita, satis erat manifesta totius viuentis accretio: siquidem illæ per se primùm augentur; tum ratione illarum eterogeneæ partes totumque viuens. Et quoniam propria homogenearum partium forma notissima est, has formas intelligere oportet. Sic enim accretionis cõditiones omnes seruãtur optimè. Quoniam partibus omnibus augetur viuens, dum caro, os, & omnes homogeneæ partes grandiores fiunt: & quidem in earum poris vbique sparsis alimento susceptо, & absque corporum penetratione, eodemque manente eo, quod augetur: quoniam in alimenti materia producitur eadẽ partis forma. Quod de materia dici non potest. Tum quia cùm accretio per se quantitatis mutationem significet, materiæ quoque cuius proprietas est quantitas, mutationem adferat necesse est. Aliud atque aliud sumitur alimentum, sed eadem viuentis forma producitur. Siue enim carnem edas, siue panem, siue olera; carnem ex illis omnibus, os, aut neruum generabis. Tum quia cùm accretio fiat ex alimento corpore & quanto, & viuentis quoque corpus sit quantum; absque quantitatum & corporum penetratione augeri omnes corporis partes non possent, si ratione materiæ accretio fieret. Mutatur quidem forma carnis, ossis, & aliarum partium, dum earum materia mutatur: mutari tamen non videtur, sed eadem semper manere. Tum quia non per se quantitatis mutatione mutatur, sicut materia; sed solùm materiæ, à qua pendet, mutationem sequitur. non enim ita est cum forma cõiuncta quantitas, vt cum materia. Tum quia partes alimenti omnes, quæ materiæ partibus cõsumptis succedunt, vt inter se diuersæ sunt, & in principio dissimiles; ita alterantur & mutantur, vt sua abiecta forma ad viuentis naturam transeant; eandemque omnes susciplant formam, quæ in partibus consumptis fuerat: quare ratione formæ potissimùm conseruari videtur viuentis vnitas. Eadem etiam semper cernitur operatio, immò in dies perfecta magis. Eadem est figura, corporisque ac membrorũ conformatio: operatio autem & figura consequuntur formam: Huc illud spectat in tex. 37. manifestam magis esse in eterogeneis, quàm in homogeneis partibus, accretionem. Nimirum tum propter operationem, quæ illis exercetur; & quidem post accretionem perfectiùs: tum propter membrorum figuram, quæ velut quantitatis terminus ad formam item pertinet. Fortasse etiam cõsiderauit Philosophus quantitatem, & vt quantitas est, & vt talis determinata: quantitatemque absolutè consideratam vidit propriam esse materiæ; terminatam autem pertinere ad formam, vnde omnis in rebus terminus. Et ideò accretionem, quæ ad quantitatem determinatam viuentique

Auctoris opinio.

conuenientem est motus, ratione formæ potiùs, quàm materiæ fieri pronuntiauit. Præsertim quòd cùm accretio conferatur ad perfectionem viuentis, quod imperfectum satis fuit genitum; ex accidente est, si in materia ad illud perficiendum addita non suscipiatur eadem numero viuentis forma. Hoc enim ex illius formæ imperfectione oritur; quòd materialis sit, & cũ materia oriri ac perire debeat. In homine, in quo perfectior inest formę conditio, eadẽ numero suscipitur, si nõ partium singularum forma, certè totius hominis. In reliquis, in quibus tantam assequi vnitatem natura nõ potest, speciei saltem vnitatem assequitur; eiusdem rationis formam, tum in partibus producendo, tum in toto. In materia nulla prorsus eiusmodi vnitas cõseruatur. Idcircò accretionem, in qua idem conseruari oportet id, quod augetur, ratione formæ fieri dixit, non materiæ. Hanc opinor fuisse verbis illis subiectam sententiam. Sed omittendum non est, in genere quoque efficientis & finis, formæ potiùs, quàm materiæ, attribuendam accretionem esse. Quoniam & fit ab anima, quæ viuentis corporis est forma: & propter animam, quæ per illud corpus omni ex parte perfectum omnibusque institutum organis operatura est. Hanc enim ob causam & noua accedit quantitas, & totum corpus fit maius.

Materiã quoque, & coniunctiã totum augeri.

Philopono tamen assentiri non possum, qui nullo modo dici posse voluit augeri materiam. Potiùs existimo, & formam, & materiam, atque adeò coniunctum totum augeri. In accretione namque maior quantitas aquiritur: aquiri autem non potest, quin plus accedat materiæ. Immò nullam aliam ob causam augetur quantitas formaue substantiæ, tum singularum partium, tum viuentis totius; quàm quòd augeatur materia. Materiam enim quantitas comitatur, atque in maiore materia maior susciptur forma: neque intelligi potest augeri formam, quin augeatur materia. Etenim dum in poris vbique genitis alimentum susciptur, illud sane materia constat & forma: forma illius perit atque in viuentis formam mutatur, viuentisque forma augetur: materia autem additur & cum viuentis materia coniungitur. Vt igitur additione genitæ formæ antecedens augetur forma; sic additione materiæ & quantitatis alimenti, viuẽtis materia & quantitas existimari debet augeri. Denique nutritione manifestum est non formam restaurari modò, sed consumptam quoque ac dissipatam materiam. Quoniam igitur nutritionem accretio sequitur; quãdo plus materiæ reponitur, quàm fuerat consumptum; necessarium quoque est accretione, tum formæ, tum materiæ plus accedere.

Neque verò negauit vsquã Philosophus materiam augeri; sed accretionem significauit formæ potiùs, quàm materiæ attribuendam esse. Cuius rei dum rationem eam posuit, quoniam ex addito alimento materia partibus omnibus non augetur, formæ verò nulla est pars, quæ non crescat: confirmauit potiùs materiam quoque augeri, at non omnibus partibus. Cur formæ potiùs, quàm materiæ, tribuatur accretio; iam dictum est. Cur autem materia partibus omnibus augeri nequeat, eam esse causam cognoscimus, quòd accretio accedente aliquo fieri debeat. propterea enim addit (& accedente aliquo): nec potest alimentum partibus omnibus addi. Quoniam quantum est & corporeum; sicut & materia, qua viuentis corpus constat. Neque alterum posset omnibus alterius partibus addi sine corporum & quantitatum penetratione; quam natura non susciput. Itaque susciputur quidem alimentum in poris, partibusque solidis omnibus adiungitur: at hæ quantæ sunt atque in alias partes infinitas diuiduæ; quibus alimentum addi non potest. Quare solæ illæ, quibus alimentum apponitur, quòd per interiectos poros sint actu diuisæ, adueniente aliquo augeri dicuntur. Quam rationem confirmat in tex. 36. partes enim materiæ non sunt semper eædem, sed aliquæ subinde resoluuntur; quemadmodum si aqua per vtrem transeat. Quare alimenti additio fieri omnibus non potest.

Cæterùm præcipua illa ratio, quæ ex corporum penetratione ducitur, locum non habet in forma. Quoniam in quantitatibus solum & iis, quæ propriam quantitatem habent, consideratur penetratio. Forma propriam quantitatem non habet; sed ex accidente quantitate materiæ euadit quanta: & ideò materiam totam & omnes eius partes potest peruadere. Et vt fit quantã, dum cum materiæ quãtitate coniungitur; ita dum in alimenti tota accedente materia & omnibus eius partibus susciputur, verè dicitur partibus omnibus augeri: quia nulla est tam parua, cui non aliqua materiæ & quantitatis facta sit accessio. Cur autem materia potiùs, quàm forma dicatur fluere; tametsi cum materia formæ quoque partes mutentur: manifestũ est ex ijs, quæ antea dicta sunt.

Totum viuens augeri.

Iam verò si & forma & materia augetur; idque additione, tum materiæ, tum formæ, quæ in accedente materia producitur: consequens est, totum quoque viuens ex duabus hisce partibus coniunctum augeri. Immò id est, quod verè & propriè augetur, cuique primùm accretio attribuenda est, quatenus potestate est ad maiorem quantitatem suæ naturæ cõuenientem. Non solùm enim in tex. 64. primi lib. huius operis vniuersè dictũ est, operationes animæ omnes non esse soli animæ tribuẽdas (multò minùs corpori) sed toti coniuncto: & in tex. 8. lib. 5. Phys. motus cuiusque subiectũ oportere esse ens actu substãtiamque compositam; atque hoc à substantiæ mutatione differre, cuius subiectum est ens potestate, sola prima materia. Sed etiam in specie de accretione in tex. 34. prioris lib. de ortu & interitu, cùm quæreret, quid sit id, quod augetur; id augeri respondit, in quo principium est illius motus. Principium autem est anima per calorem: totum igitur animatum corpus erit id, quod augetur. Et in tex. 35. totum dixit augeri partibus omnibus, sed ratione potiùs formę, quàm materię. Et in tex. 38. maius totum genitum est, accedente aliquo & in eius formam mutato. Denique in tex. 37. & 46. huius lib. integram penè habet argumentationem: Idem est accretionis & nutritionis subiectum; sed nutritionis subiectum est animatum corpus; hoc igitur ipsum accretionis item subiectum fuerit. Quare in tex. 39. tria illa distinguens, quod alitur, quo alitur, & quod alit: Id quod alit aît esse animam; quod alitur esse animatum corpus, totum scilicet viuens; & quo alitur, alimentum.

Sed quoniam materiam quoque & formam augeri dictum est; cõiunctum totũ vt quod (sic etiam iam in scholis loqui consueuimus) augeri intelligas; materiam autem & formam vt quo. Totum enim viuẽs propterea augetur, quòd illius materia & forma

& forma augeantur. Et quoniam de substantia cõposita sermo est, vtrumque hoc principium per se ad totius accretionem spectat: alterum, vt patiens & materiale, quod quantitatem suppeditat accretionis materiam: alterum, vt formale & agens, & verò etiam finale. Formale, quia quantitatis terminum totiusque accretionis modum præscribit. Agens, quia accretionem totam operatur. Finale, quia propter illius commodam operationem mẽbra omnia grandiora fiunt. Quapropter quod de nutritione pronuntiauit Philosophus in tex. 46. id quod nutritur, esse animatum corpus, quatenus animatum est; quoniam nutritio propria est animæ operatio: idem de accretione, quæ nutritionem sequitur, affirmare licet; Id quod augetur, esse animatum corpus, quatenus animatum est; quoniam accretio propria est solius animæ operatio: & quatenus viuentia illud habent in se principium, hac quoque operatione fruũtur. Qua dũ non solùm integritatis partes, tam homogeneæ, quàm eterogeneæ, per omnem dimensionem augentur; verùm etiam essentiæ partes, materia & forma; verissimè accretio est totius viuentis operatio.

Idẽ viuens tota accretionis tempore conseruari.

In qua illud vnum superest explicandum, quod idem Philosophus affirmauit: Idem semper viuens in accretione tota conseruari. Hoc omni motui, immò & mutationi, commune est. Quin accretioni potiùs cõuenit ratione generis, quo motus quidam est. In omni enim motu idem mobile corpus manere oportet sub vtroque termino. Immò & in omni mutatione; cùm nil aliud sit mutatio, quàm transitus cuiuspiam subiecti mutabilis ab vno termino ad alterum. Quoniam igitur accretio transitum viuentis significat ab imperfecta quantitate ad perfectam; necesse est idem sit viuens, quod antea quantitatem habuit imperfectam, deinde ad perfectam perductum est. Huc tota spectat accretio: illiusque finis est, Viuens illud, quod genitum est imperfectum neque propter organorum imbecillitatem operari potest, ad eum promouere statum, in quo quàm optimè operetur. Hoc non consequitur natura, nisi post accretionem perfectam sit idem viuens, quod principiò fuerat.

Verùm quàm est hoc certum & manifestum, tam incertum est & obscurum, quonam modo id fieri possit. Et enim viuens totum duplici constat parte, materia & forma, corpore & anima. Anima in homine immaterialis est, impartibilis, minimeque à corpore pendens: neque mutata materia & corpore mutatur. Quare ratione animæ idem semper homo dici posset. At neque hæc est vnitas absoluta; cùm tota hominis essentia non sit sola anima, sed corpus quoque. Deinde viuentia cætera, quæ materiales & extensas simulque cum materia & corpore mutabiles & corruptibiles animas habent, ne eandem quidem formam retinere videntur. In corpore autem æqua est hominis & aliorum omnium conditio. Nam aliquæ semper illius partes resoluuntur, alijsque ex alimento accedentibus continenter mutantur; & vt est in tex. 36. prioris lib. de ortu & interitu, tamquam aqua in vtre fluunt.

Vnum illud hoc loco dici potest esse certum, difficultatem hanc longè maximam esse: nec eam ad vnam aliquam partialem accretionem pertinere. Quia cùm in hac fiat solùm additio quantitatis alimenti ad existentem viuentis quantitatẽ; hæc ipsa remaneat necesse est, & cum ea, quæ additur, coniungatur: alioqui viuens nequaquam maius euaderet. Tota difficultas est de totius vitæ accretione, in qua sæpiùs mutatur quantitas. Et quoniam hæc non mutatur per se, sed mutationem substantiæ comitatur; reuocanda est ad nutritionem quæstio, in qua substantiæ, tum corporis, tum animæ, mutatio fit: vt intelligamus tandem quemadmodum, cùm toties ambæ hæ partes mutentur, idem tamen semper viuens esse dicatur.

Prima opinio.

Marsilius solum hominem dixit eundẽ numero absolutè manere semper ratione formæ. Quoniam intelligẽs anima nulla prorsus ex parte mutatur: sed eadem semper immaterialis cùm sit & impartibilis, tũ maiorem, tum minorem aduenientem materiã format; nec vnquã cum recedente consumitur. At ratione corporis & materiæ, reliquáque itẽ viuentia omnia tam ratione formæ, quàm materiæ; non verè & propriè, sed ampliore quadam significatione & per æquiualentiam quandam eadem numero conseruari: quòd aduenientes omnes partes similem planè figuram, situm, & dispositionem retineant. Quemadmodum fluuius idem esse existimatur; quia etsi continenter fluat & mutetur aqua, in eadem tamen est alueo, eandemque figuram, sitũ, & continuationem habet. Eadem fuit quibusdam aliis sentẽtia: hoc videlicet argumento, quòd cùm humidum primigenium per totam vitam non cõseruetur, sed aliud subinde æquiualens ex alimento accedat; non nisi æquiualentia potest idem numero appellari.

Thomas de Garbo quæst. 22.

Secũda opinio.

Alij, qui vt superiùs dictum est, vegetantem quoque animam cogitarunt non interire ac fluere cum materia; sed eandem per totam vitam consistere & ad maiorem sese materiam extendere atque ad minorem contrahere: maiorem quidem adferunt viuentis illius vnitatem. Sed & falso nituntur principio, & neque ipsi perfectam indiuidui vnitatẽ exponunt, sed ex parte: quemadmodum æquiualentiæ vnitas speciei; non indiuidui, vnitas est. Et neutra planè accretionis subiecto sufficiens est, in qua, vt in quolibet motu, idem numero subiectũ oportet in toto motu sub vtroque termino permanere.

Tertia opinio.

Propterea secus hac de re philosophati sunt Alexander, Philoponus, Auerroës, & grauissimi quique Peripatetici. Qui tum ratione formæ, tum materiæ, hoc est secundùm totum, ostenderunt idem omnino viuens conseruari. Nam cùm ea sit veræ accretionis conditio, vt id quod augetur, maneat idem; quodque augetur, sit totum viuens & secundùm formam & secundùm materiam; viuẽs oportet vtriusque partis idẽtitatem cõseruare. Vt enim entitas, sic vnitas totius atque identitas, ex illius partibus ponderanda est. Hoc nomine nutrientem facultatem & augentem distinxit Philosophus à procreante in tex. 47. huius lib. quòd illa conseruet & perficiat idem numero viuens, in quo ipsa insit; hæc diuersum aliud numero, eiusdem tamen speciei & naturæ, producat. Accedunt maculæ, quæ in prima ætate contrahuntur in corpore, consequentisue temporis cicatrices; quæ deinceps per totam vitam conseruantur: nec omnino tandiu manerent, si sola anima, non item corpus proprium illarum subiectũ, eadem numero permaneret. Canes quoque non leue sunt huius rei argumentum: qui post annos plurimos agnoscũt suos dominos, vt de Vlissis cane scitum est: nec vllo modo agnoscerent, nisi ijdem essent numero homines; non solùm ratione animæ, sed multò magis corporis,

quod materiale & sensatũ est. Mitto ætatum distinctionem; quæ nulla omnino esset. Certè in singulis nutritionib. & auctionibus idẽ numero viuẽs manere, certũ est & omnib. notũ: at si in singulis idẽ est necesse item fuerit esse in omnibus: quoniã si in earũ nulla mutatur, nec in omnibus dici potest fuisse mutatum. In Christo autem Domino ac seruatore nostro, qui non secus ac cæteri homines alebatur & augebatur, certum est idẽ numero corpus semper fuisse. Tum propter admirabilem illam vnionem cum Diuino verbo; qua, vt est commune Theologorum axioma, quod semel assumpsit, nũquã dimisit; Tum quia idem numero corpus, quod ex Maria Virgine prodijt, passum est in cruce, iacuit in sepulchro, assumptũ est in cœlum: sic enim & Theologi omnes & veteres sancti patres & catholica Ecclesia loquuntur & sentiunt. Satis igitur non est animæ aut æquiualentiæ identitas; sed & anima & corpus totumque omnino viuens idem numero semper esse, quamdiu viuit, existimandum est: Atque (vt ego quidem opinor) hac fermè ratione exponendum.

Vnitas atque identitas, siquidem cuiusque rei essentiam comitantur, ex principiis eisdem, ex quibus essentia, quærenda est. Compositæ rei essentia ex materia pendet & forma; quæ in viuẽtibus sunt corpus & anima. Corpus idem semper est numero. *Idem numero corpus.* Primùm, quia humidum illud primigeniũ, ex quo primùm formatum fuit & in quo maximè velut primo subiecto consistit vita vnitasque viuentium, quæ ex corpore dependet; etsi continenter patiatur ac minuatur, aliqua tamen ex parte ad finem vsque vitæ perdurat: atque illius consumptio natiuique caloris extinctio mors est naturalis, quæ totam naturalis vitæ periodum concludit. Neque enim viuens est quasi flumen, quod nullam habet consistentiam & firmitatem. Sed partibus hisce primigeneis, velut primo ac præcipuo vitæ fundamẽto, tum conseruandis, tum augendis, humidum alimenti apponitur, quod cum priore coniunctũ nequaquam illius naturam mutat, sed tuetur potiùs ac fouet. Neque aliud propterea existimatur esse corpus, sed idem prorsus ad meliorem substantiæ & quantitatis conditionem promotum. In plantis, quæ ex minimo interdum nascũtur semine, primigenea illa materia mole quidem exigua, sed virtute magna, in radicibus præsertim, internodiis, ac solidioribus partibus conseruatur: quemadmodum in animalibus quoque euenit proportione quadam. Sed illud præterea perquàm verè dici potest; non ratione modò primigenerarum partium, sed ratione quoque totius, identitatem conseruari. Nam partes omnes, quæ adduntur, ita cum antecedentibus copulantur, in earumque naturam mutantur, vt vnam cum illis vnius corporis organicam materiam efficiant. Nec solùm eam, cui adduntur, non destruant, aut vlla ex parte mutent; sed resarciant, restaurent, conseruent, augeant.

Anima eadem. De anima illud verissimè pronuntiare licet; alias quidem atque alias illius partes in addita materia produci (humanam animam semper excipio) nunquã tamen ita materiam totam mutari, vt nouam oporteat animam gignere: sed in omnibus hisce mutationibus satis est partem aliquam antecedentis animæ ex additæ materiæ potestate educere. Qua in re non animæ mutatio fit, sed eiusdem, quæ erat, additio quædam & auctio. Quod & ex operatione cognoscimus; dum easdem facultates & operationes non mutatas; sed magis perfectas cernimus. Immò anima consistentiam potius adferre videtur, dum dat esse & conseruat corpus; eamque ipsam operationem promit, qua viuens se ipsum conseruat, dissipatamque substantiam resarcit.

Denique tum materiam, tum formam, easdem semper esse affirmamus. Quoniam quidquid illud sit, quod mutatur, ac nouum accedit; non per se seorsim, tamquã aliquod ens nouum, producitur; sed alteri coniunctum, tamquã illius pars, adgeneratur. Vt hanc ob causam verissimè eadem semper sit materia, eadem forma, idem prorsus viuens. Neque de tota hac facultate maiores sunt difficultates.

TEXTVS.

Σώζει δὲ πᾶν οὐσίαν, ἢ μέχρι τούτου ἐστὶν ἕως ἂν ἐγρήγηται· ἡ γενέσεως ποιητικόν, οὐ τῶν τρεφομένων, ἀλλ' ἑτέρου τρεφόμενον· ἁπλῶς γάρ ἐστιν αὐτὴ ἡ οὐσία· γενῇ δ' οὐδὲν αὐτὸ ἑαυτό, ἀλλὰ σώζει.

Conseruat enim substantiam, & conseque est, quousque alitur. Et generationis quoque factiuum est: non eius, quod alitur: sed talis, quale id, quod alitur. Ipsa enim substantia iam est. Generat autem nihil ipsum seipsum, sed conseruat.

COMMENTARIVS LVI.

TErtia supereſt procreatrix facultas, procreatioque illius operatio. Hæ circa alimentum quoq; versantur: sed quatenus nõ amplius ad id refertur, quod ex eo alitur; sed ad aliud illi simile producendum. Nam semen, ex quo viuentia gignuntur, pars quædam est alimenti superflua illi, quod ex ipso alitum est: vtilis tamen alteri, quod ex eo procreabitur. Postquã enim abundè viuens nutritum fuerit & auctum; quod supereſt alimenti, ad conseruandam speciem refertur. Nam & pro qualitate & quantitate alimenti plus minusue animalia ad venerem incitantur. Quam ob causam nec pueri plantæque tenellæ, nec senes procreant, quòd superfluum non habeant alimentum: dum illi quidem totum absumunt, vt sua corpora faciant grandiora: hi verò propter caloris imbecillitatem parũ omnino habeant alimenti, suæ dumtaxat vitæ conseruandæ necessarium.

Dixit autem Philosophus, alimentum esse generationis factiuum; hoc est obiectum & materiam, ex qua viuentia progignantur. Aut id propterea dixit, quia semen, quod pars quædam est alimenti, vim habet à viuente acceptam, qua vt illius instrumentum possit aliud viuens procreare.

Postremò esse generationis factiuum, non illius, quod alitur: sed alterius similis; duplici ratione probauit. Altera; quoniam id, quod alitur iam est: quod autem gigni oportet, nondum est. Altera, quoniam nihil gignit seipsum, sed quidquid gignitur, ab alio gignitur. Propterea quòd id, quod non est, operari omnino non potest: multò minùs gignere, quæ perfectorum duntaxat operatio est; vt in tex. 34. dictum est. Solùm potest idem conser-

uare

uare seipsum & per nutritionem quàm diutissimè A tueri; aut etiam accretione perficere. Addi poterat tertia ratio; quoniam vis hæc gignendi viuentibus tributa est, vt perpetuitatem assequantur. quam cùm ipsa habere non possint, aliud sibi simile substituendo procurant. Si dissimile gignat, præter intentionem est & quasi monstrum, vt in 4. lib. de animalium procreatione cap. 3. Philosophus loquitur. Degeneratio enim potiùs est, quàm generatio: degenerandique principium est fœminam generare, non marem; vt eo loco traditur.

Ex his iam distincto harum operationum & facultatum obiecto, planiùs habetur operationum ipsarum & facultatum definitio. Si enim nutritionis obiectum est alimentum vt substantia, quia sic viuentis substantiam renouat; nutritio fuerit absumptæ viuentis substantiæ renouatio: nutrixque animæ facultas substantiam animati corporis alimenti assimilatione renouans ac restaurans. Eodemque modo accretionem & procreationem, augentemque & procreantem facultates definies. Maximè omnium necessaria est nutritio, quæ ad esse suique ipsius conseruationem pertinet. Dum actio ad quantitatis perfectionem, & procreatio ad speciei perpetuitatem referuntur.

Nutritio & nutrix facultas quid sit.

TEXTVS.

C

Ἔτι δ' ἡ μὲν τοιαύτη τῆς ψυχῆς ἀρχὴ, δύναμίς ἐστιν, οἵα σώζειν τὸ ἔχον αὐτὸ ἢ τοιοῦτον. ἡ δὲ τροφὴ παρασκευάζει ἐνεργεῖν. διὸ τεθρῦλε τροφῆς, ἡ δύνασθαι εἶναι.

Tex. 48. *Quare huiusmodi quidem animæ principium facultas est quæ conseruare potest id, quod eam habet, quatenus tale. Alimentum autem præparat ad operandum. Quare priuatum alimento esse non potest.*

COMMENTARIVS LVII.

D

EXpositis tribus officiis atque operibus animæ vegetantis, nutrire, augere, gignere; putauit Themistius admoneri nos hoc loco, nutritionem omnium maximè necessariam operationem esse: quippè quæ circa essentiæ viuentis cõseruationem occupetur, neque conseruari sine ea vllo modo queat. Non idem fuit Auerrois iudicium. Sed cùm antea ostensum fuerit operationes hasce non posse aut ab elemẽtis aut ab alio principio, quàm ab anima, proficisci: nunc tandem deduci voluit, hoc illarum principium nutrientem esse facultatem, cuius propria est viuentis conseruatio.

Magis accommodatè visus est interpretari Philoponus, quem postea S. Thomas sequutus est: Aristotelem ex hactenus dictis nutrientis facultatis definitionem colligere. Cùm enim initio proposuisset, ex obiecto & operatione deducturum se nos in facultatis cognitionem; postquam de alimento disseruit deque triplici operatione, quæ circa illud versatur, æquum erat de facultate dicere. Difinit autem his verbis. Facultas nutriens est animæ facultas instituta ad conseruandum viuens quatenus tale est, hoc est in indiuiduo. Sic enim à gignẽte facultate distinguitur, quæ ad conseruandam speciẽ comparata est: ad conseruandum inquam viuens, non quatenus tale est, sed quatenus alterum, quale ipsum, quod gignit. Quare hoc, quod nunc dicitur (quatenus tale est) opponitur ei, quod antea dixit in tex. 34. dum de procreatione loqueretur (aliud quale ipsum) & in tex. 47. (aliud tale, quale id, quod alitur). Cæterùm quoniam vnaquæque res per suã formam est talis, siue in indiuiduo, siue in specie: ita etiam intelligenda sunt hæc verba (quatenus tale est) hoc est secundùm formam, non secundùm materiam; vt in priore libro de ortu & interitu appertioribus verbis dictum est. Materia enim fluit semper & mutatur, nouo subinde accedente alimento; forma eadem manet, quòd ita semper alteretur ac mutetur quidquid accedit, vt viuentis formam suscipiat: & ideò illius beneficio idem semper indiuiduum perseuerat.

Nutritionis facultatis definitio.

B

Alimentum autem, inquit, præparat altrici facultati talem operationem, qua idem viuens conseruat. Quoniam est id, circa quod ea operatur, & ex quo viuentis substantiam restaurando illud conseruat. Quemadmodum, inquit Simplicius, materia assidens ad excitandam actionem apta perinde ac sunt ligna Fabro. Propterea deficiente alimento deficit vita: viuensque quod alimento priuatum fuerit, subsistere diu non potest. Quia cùm illius substantia continẽter consumatur, nec vlla ex parte resarciatur; breui tẽpore tota consumitur. Fortasse etiam alimentum dixit huic facultati operationem illam præparare, quòd multo antea tempore alterari alimẽtum oporteat & præparari, pluribusque modis versari & coqui, vi postrema illa tandem operatio fiat, qua viuenti adiungitur, eiusque substantiam reficit.

Porrò sciendum est hoc loco solius nutrientis facultatis definitionem exponi; non item augentis, & gignentis: quòd eæ facilè poterant ex illa colligi. Etenim si nutrix est ea facultas, quæ conseruat viuens: auctrix illa fuerit, quæ perficit & ad debitam quantitatem perducit, vt perfectè operationes omnes obire possit: ac demum genitrix ea, qua viuens procreat alterum quale ipsum, speciẽque suam tuetur.

Auctricis & genitricis definitiones.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δὲ θρ τρία, τὸ τρεφόμενον, καὶ ᾧ τρέφεται, καὶ τὸ τρέφον· τὸ μὲν τρέφον ἔστιν ἡ πρώτη ψυχή· τὸ τρεφόμενον, τὸ ἔχον αὐτὸ σῶμα· ᾧ δὲ τρέφεται, ἡ τροφή.

Quoniam autem tria sunt: quod alitur, & quo alitur, & alens: alens quidem est prima anima: quod verò alitur, habens ipsam, corpus: quo autem alitur, alimentum. *Tex. 49*

COMMENTARIVS LVIII.

DIxerat antea, animam nutritionis esse principium. Deinde alimentum quoque visus est affirmare quoquo modo illius principium esse, dũ ad eam operationem præparare subiunxit. Idcircò S. Thomas eum iudicauit nunc voluisse ostendere, alio atque alio modo & animam & alimentum illius actionis principia existere. Verùm quoniam tria omnino distinxit Philosophus potiùs cũ Philopono & Auerroë existimandum est, eum postquã de alimento disseruit, voluisse quoque distin-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

guere & explicare ea, quæ ab alimento nominantur. Hæc tria sunt, id quod alitur, id quo alitur, & id quod alit. Id quod alitur, est corpus, quod anima præditum est: totum scilicet viuens, cuius absumptam substantiam resarcire oportet ac nutritione conseruare. Id, quo alitur, est alimentum. Quibus verbis exposuit id, quod in superiori textu dixerat, alimentum ad hanc operationem præparare: nimirum tamquã illius obiectum & materia, vt eo loco interpretatus sum. Id demum, quod alit, est prima anima: hoc est anima vegetans, quæ omnium prima est, vt verè inquit S. Thomas & potest esse sine aliis, aliæ autem non sine illa: aut prima facultas animæ, quæ est altrix, vt malunt Philoponus & Simplicius: aut demum, quemadmodum placet Auerroi, anima est prima nutritionis causa, hoc est causa præcipua & natura prior facultate illa altrice, quam etiam dixit esse principium illius operationis immediatum: aut etiam comparatione caloris, quem in tex. 41. nutritionis & accretionis causam esse concessit: non tamen causam primam; sed hanc esse animam, calorem autem concausam & velut animæ instrumentum.

Triamutritionisefficientia.

Itaque tria omnino sunt efficientia nutritionis principia. Anima, tamquã primum ac præcipuum principium; facultas altrix, tamquã immediatum, per quod anima operatur: calor, velut vtriusque instrumentum; de quo non multò post dicetur.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ἀπὸ τοῦ τέλους ἅπαντα πρᾶγμα λέγειν δίκαιον· τέλος δὲ τὸ γεννῆσαι οἷον αὐτό. εἴη ἂν ἡ πρώτη ψυχὴ γεννητικὴ, οἷον αὐτό.

Quoniam autem à fine appellare omnia æquum: finis autem procreare quale ipsum: fuerit vtique prima anima procreatrix quale ipsum.

COMMENTARIVS LIX.

EGidius Aristotelem existimauit duas vegetantis animæ definitiones exposuisse: alteram in tex. 48. per nutrientem facultatem: alteram hoc loco per facultatem gignentem. Verùm in tex. 48. non fuit definita anima, sed animæ facultas nutriẽs: & ideò eam non appellauit animam, sed animæ principium & facultatem. Ex qua definitione aliarum item facultatum, auctricis & genitricis, colligi definitiones voluit. Atque hoc loco post traditam facultatum definitionem voluit ipsam vegetantem animam definire, quæ illarum principium est & origo. Quare vt operationes per obiectum definiuit, & rursum per operationem facultates: altricem inquiens facultatem eam esse, quæ conseruat viuens quatenus tale est: sic animam per facultates definit. At quoniam gignere sibi simile perfectissima est huius animæ operatio, & ideò veluti cæterarum finis: genitrix quoque facultas perfectissima omnium & reliquarum finis censenda est: qua viuens, postquã in se perfectum fuerit, in aliud perfectionem suam effundit. Propterea per eam potissimùm definiuit hanc animam. Æquum est enim singula, præsertim naturalia, & ea quæ propter operationem instituta sunt, quemadmodũ anima cum suis facultatibus, nominare à fine atque per illum definire, quoniam finis præcipua est & prima causarum omnium, immò causarum causa: cuius causa fiunt omnia & à qua omnia pendent. Itaque primam animam, hoc est vegetantem definit eam esse, quæ gignendi sibi simile in specie vim habet.

Fuerunt verò complures, qui hunc locum ita interpretati sunt; vt planè affirmarent genitricem facultatem ita esse reliquarũ finem, vt nutrix & auctrix propter illam viuentibus tributæ fuerint. In qua sententia fuerunt Philoponus in expositione tex. 19. & 42. & Auerroës hoc loco; planè affirmantes nutritionem datam esse propter accretionem, accretionemque propter procreationem: vt postquã viuentia crescendo facta essent perfecta, possent aliud procreare. Ego tamen secus sentio; atque harum facultatum vnamquamque per se & propter suam operationem tributam fuisse contẽdo. Et Philoponus ipse, dum tex. 31. exponit, multa esse animalia fatetur, quæ genitrice careant facultate, vt vermes, & quæ ex putredine nascuntur: Complures item herbas, quæ sponte oriuntur, nullum ferre semen: quæ tamen omnia & nutriuntur & augentur. Vis enim nutrienti eum finem habet propositum, vt consumptam substantiam restaurando conseruet indiuiduum, quemadmodum in tex. 48. apertis verbis legimus. Vis augendi, vt illud ipsum perficiat, vt quàm optimè operari possit. Vis demum gignendi, vt alterius similis procreatione species ea conseruetur, cuius indiuidua omnia caduca sunt.

Quocirca si hoc loco gignere sibi simile dicitur esse finis: præter quàm quòd non nutritionis & accretionis, sed vegetãtis animæ finis esse affirmatur: finem propterea Philosophus appellauit, quòd vltima sit & perfectissima operatio; & ideò videtur esse velut finis, quia præstantissimum quidpiam, optimum, & postremum significat; quo acquisito motus omnis intermittatur, quiescatque natura. Sic enim vegetans anima, postquã sibi simile produxit, nil habet ampliùs, quod agat. Atque ita hunc locum interpretari visus est Alexander in 1. lib. de anima cap. 9.

DIGRESSIO XXVIII.

De facultate procreatrice.

TErtia vegetantis animæ facultas procreatrix est. Hæc in plantis inest & animalibus. nam & planta plantam, & animal procreat animal. Tota speciei conseruationem procurat; atque in illud incumbit sedulò, vt quemadmodum est in tex. 14. sempiternitatem atque æternitatem Dei quoque modo assequatur. Separatæ mentes cœlestiaque corpora, vt ab omni interitu libera sunt, quòd aut materia aut certè contradictionis potestate, aut priuatione, & contrariis careant: sic æternitatem illam indiuidui sui sempiternitate perfectissimè æmulantur; nec vlla opus est illis procreatione. Sublunaria omnia, quæ materiam habent, priuationem, & contraria; quemadmodum oriuntur, ita & occidunt. Huic caducitati tribus modis natura prouidit. Primùm insito cuique desiderio ac studio

ac studio conseruandi seipsum, quamdiu potest. Deinde virtute resistendi contrariis, in illáque re agendi; vt ita quàm diutissimè tuerentur seipsa. Tum verò facultate sibi simile procreandi; vt si in individuo non possent, in specie saltem primæ causæ æternitatem imitarentur: vt in tex. 59. posterioris libri de ortu & interitu, & lucu-lentius in cap.1. lib. 2. de animalium procreatione traditum est. Sapientis cuiusdam vrbis "conditoris exemplo (inquit Galenus lib. 14. de "vsu partium cap. 2.) qui non id modò agit, vt "vrbem suam in præsens tantum tempus populo "frequentet; sed prouidet, quo pacto in omne "tempus aut saltem diutissimè ciuitas conserue-"tur. Nulla tamen floruisse adeò memoratur, "vt non dies ipsa conditoris memoriam deleuerit. "Naturæ verò opificium multis annorum milli-"bus iam constitit atque in posterum stabit. Nam "mirabilem quandam rationem inuenit, qua in "demortui animalis locum nouum aliud suffi-"ciat. Itaque semen adhibetur velut instrumen-tum, aut etiam procreationis materia: vt ex illo illiúsque virtute atque operatione aliud quid-piam producatur, in quo post procreantis interi-tum natura conseruetur incolumis.

De procreatione viuentium natura.

Itaque nil aliud fuerit procreatio, quàm ori-go seu processio vnius ab altero secundùm si-militudinem naturæ. Quò fit, vt gignens & genitum oporteat esse distincta. Tum quòd nihil seipsum gignit, sed conseruat textu 47. Tum quòd cùm actiones sint suppositorum, vt est in procœmio librorum metaph. Multò ma-gis procreatio, quæ non nisi perfectorum esse dicitur in tex. 34. huius lib. vtrumque suppositum postulat; & quidem alterum ab altero di-stinctum. Tum verò quia virtute seminis à gignente decisi noua producitur forma à gignentis forma diuersa. Neque enim id, quod gignit, suam ipsam formam eandem numero largitur genito: sed seminis tanquam propriæ virtutis effusione aliam sibi similem producit. Quo-niam tamen procreatio fit cùm naturæ simili-tudine, illiúsque conseruatio procuratur: si vni-uersam procreationis vim & rationem conside-res; in ea non est necessaria, vt suppositorum, sic naturæ distinctio in gignente & genito: sed vnitas potiùs, aut certè similitudo: cum pro-pter illius conseruationem fiat, eadémque gi-gnentis natura genito tribuatur. Quapro-pter quò maior fuerit vnitas & similitudo natu-ræ, seruata suppositorum distinctione; eò perfe-ctior fuerit generatio. Animalium procreatio po-tissimùm fit seminis effusione ab vno animali, & susceptione in altero, cum quo aliqua sit agentis & patientis aut etiam adiuuantis vel certè susceptum semen conseruantis & fouen-tis proportio. Hæc aut est inter duo eiusdem speciei animalia; aut inter ea, quæ diuersæ speciei sunt. Si enim nulla sit proportio, nec vlla fuerit procreatio si specie differant, omo-nyma procreatio censetur; nec satis propriè no-minatur: quoniam ab vnitate ac similitudine naturæ recedit plurimum, dum tertia inter il-las media species producitur, in qua generis so-lùm vnitas & similitudo seruatur, speciei verò & individuorum diuersitas est: etsi equus non gignat equum, nec asinus asinum; dum tamen vterque procreat mulum, sanè animal producit animal. Perfectior ea iudicatur & synonima dici-tur, quæ in eadem specie versatur: quoniam maior vnitas est & similitudo cum sola individuo-rum diuersitate. In quo genere perfectissima illa censetur, quæ præter naturæ vnitatem acciden-tium quoque similitudinem retinet, si filius om-nino similis patri euadat. Imperfecta verò, si dissimilis: præsertim si fuerit monstrum.

In Deo veràesse generationem.

Iam si in viuente quopiam gignendi vis & in-strumentum idem prorsus essent cum gignente: neque illud opus haberet semine, sed immedia-tè posset totam suam naturam alteri communi-care: nimirum summa in eo conseruaretur natu-ræ vnitas atque identitas; nec alia esset, quàm suppositorum, diuersitas. At creatarum rerum conditio inferior est. Quoniam cùm finitam habeant & limitatam naturam, nequeunt illam eamdem numero alteri supposito communicare. Verùm id solùm assequuntur, in quo summum vnitatis atque identitatis studium testantur; vt eandem partialiter saltem decisam communi-cent: dum materiæ partem sibi minùs necessariam tribuunt, in qua virtutem suam collocant, qua formam aliam naturæ suæ persimilem produ-cant: atque ita quàm maximè possunt vnitatem & identitatem naturæ tueantur. Et si dissimile quidpiam gignant, aut id ex virtutis imbecillitate proueniat; aut ex imperfectione, minoréque pro-portione agentis & patientis; aut ex materiæ defectu vel redundantia; aux ex aliis impedien-tibus causis. In diuina sola generatione seruatur eadem numero natura gignentis & geniti, cum sola suppositorum diuersitate.

Procreationis notio qua.

Ex quo intelligas, generationem vniuersè sumptam processionem solam significare vnius suppositi ab alio; qua vnum ab alio eiusdem vel similis naturæ gignatur. Estque simpliciter per-fectio quædam in ente absque imperfectione vlla: immo cum summa perfectione, quam naturæ communicatio significat, absque communican-tis detrimento. & Aristoteles perfectorum pro-priam operationem esse dixit. Propterea non in inferioribus modò & caducis rebus; sed in Deo quoque reperitur: alio tamen atque alio modo. nam in Deo ex sola naturæ fœcunditate oritur; nec supplet quidquam, aut detrahit: nimirum propter naturæ illius infinitatem. At in inferioribus re-bus, quæ finitæ sunt, tum ad supplendum naturæ defectum labentémque naturam renouandam spe-ctat; tum aliquam habet gignentis iacturam. Deinde cùm inferiorum generatio perfectio quædam sit, qua separatas mentes superant: sed ad supplendum naturæ defectum referatur; qua in re ab illis superatur: vtrumque in Deo absque vlla imperfectione reperitur. Quia non propter naturæ defectum, sed ex sola illius fœcunditate gignit. Tum vero inferiorum procreatio est actio transiens, quæ cùm in patiente subiecto re ab agente distincto suscipiatur, re quoque à gi-gnente distinguitur, quidpiamque re ab eo distinctum producit. At generatio diuina, cùm intellectus actione perficiatur, actio est im-manens: actióque immanens in agente re-manet, nec ab eo necessariò distinguitur; neque

opus est aliquid ab eo diuersum producat, sed eandem potest communicare virtutem : quæ si sit A
agentis substantia, eadem agentis substantia communicabitur. Ergo cùm in Deo gignendi virtus & generatio sint idem, tum inter se, tum cum essentia & natura diuina ; eandem numero essentiam & naturam communicat genito ; suntque idem prorsus gignendi virtus, generatio, diuina essentia, & generationis terminus. Nam cùm actio sit idem re cum forma, quæ producitur ; actioque immanens idem cum suo principio quo : consequens est diuinam generationem idem esse cum termino & cum principio, eandemque numero patris ac filij naturam : manente tamen suppositorum distinctione in omni B
generatione necessaria. Quocirca etsi naturæ lumine cogitare non possis generationem vllam, qua eadem numero gignentis natura cum sola suppositorum distinctione genito tribuatur : si tamen reperiretur, omnium esset perfectissima; quia cum gignentis & geniti distinctione summa esset & perfectissima naturæ vnitas. Re ipsa verò eam in Deo reperiri ; nullamque implicationem, sed perfectionem maximam continere; certissima religione cognoscimus : rationemque formalem generationis vniuersè spectatæ intelligimus nequaquam includere mutationem, sed originem solam vnius ab alio, abstrahentem ab C
omni mutatione. In diuina enim illa generatione nulla mutatio : quia nihil fit, quod antea non esset.

In generationibus tamen inferiorum adest semper mutatio. Tum quia cùm rem totam producere nequeant ; subijci oportet subiectum aliquod, quod ab vno termino ad alterum transeat. Tum quia etsi essentiæ communicabiles sint, solumque suppositum conditione sua incommunicabile : creatæ tamen naturæ, quia finita est, repugnat eandem numero alteri communicari: quia non potest terminos suos excedere, qui- D
bus in illo individuo est constituta. Quòd si actu existens abstraheret ab hoc termino, communicare se posset. Propterea enim natura ab individuo abstracta, quòd abstrahat à termino, in infinitum communicabils est ; quóque magis abstrahitur, magis communicari potest : & genus pluribus, quàm species, communicatur : natura numerica, quòd sit summè determinata, limitata, & quasi ligata, nulli alteri communicare se potest. In Deo potest, quòd natura illa in persona patris est planè infinita & illimitata. Et ideò generatio illa mutatione caret: tum quia eadem numero patris natura communicatur fi- E
lio, neque fit de nouo : tum quia nulla ibi materia, nec transitus à non esse ad esse ; cùm sit æterna.

Duo in generatione terminorum genera.

Hinc verò illud etiam erit manifestum ; In inferiorum naturarum generationibus duo prorsus terminorum genera reperiri : vnum, quatenus est generatio : alterum, quatenus adiunctam habet mutationem. Vt est generatio, conuenit illi solùm terminus ad quem ; suppositum, quod gignitur. Generatio enim vniuersè spectata, vt abstrahit à mutatione, sic abstrahit quoque à priuatione & termino à quo. Vt autem sit cum mutatione, terminum habet à quo & ad quem, priuationem, & formam. Quare triplex in ea transitus consideratur : primus est processio ge- *Triplex in generatione*
niti à gignente : alter subiecti à non esse ad esse, *Primus.*
à priuatione ad formam : tertius formæ à potestate ad actum. Triplex item influxus : vnus gignentis, alter materiæ, tertius formæ. Primus *Tertius.*
actiuus, alter passiuus, tertius formalis. Quare imperfectissimæ sunt eiusmodi generationes: quoniam gignens non dat totum esse ; sed materiam supponit, quæ simul cum illo influat, tum ad effectus constitutionem, tum etiam ad eductionem formæ. At generatio diuina est omni ex parte perfectissima. cùm nec egeat præexistente subiecto, à quo iuuetur ; nec partem solùm, sed totum planè esse tribuat ei, quod gignitur. Atque vt est sine mutatione, sic posterius illud terminorum genus, priuationis & formæ, non admittit. Ac demum cùm sit æterna, omni caret influxu & causalitate ; solamque habet rationem principij & originis vnius ab alio.

Altissimam hanc & admirabilissimam generationem cùm non posset Philosophus solo naturæ lumine assequi, solasque intueretur sublunares procreationes, quæ semper cum mutatione perficiuntur : optimè sanè definiuit in tex. 22. prioris lib. de ortu & interitu, generationem vniuersè spectatam totius in totum mutationem esse : & rursum in lib. de iuuent. & senect. cap. 14. viuentium propriam procreationem esse primam nutrientis animæ cum calido participationem. Sic enim in omnibus sublunaribus habet. Ex dictis autem satis perspicuum est, quid sit, tum vniuersè, tum in specie, procreatio hæc, quæ viuentium propria existimatur. Ea porrò in plantis seminis à planta geniti atque in terram proiectiui satis absoluitur. In animalibus autem, perfectioribus præsertim, tria postulat; sexuum diuersitatem, eorumdem amplexum & congressum, ac demum materiam quamplam vtrinque suppeditatam. Itaque totius operis explicatio quatuor omnino capitibus continetur. Primum enim de duplici sexu, maris & fœminæ, in hoc opere prorsus necessario dicendum est. Deinde de maris semine, fœminæque menstruo sanguine ; quibus vtrinque, quod moliuntur, absoluitur. Tum de vtriusque ad procreandum concursu. Ad extremum de fœtus in vtero formatione, tamquam admirabilis operis molitione. Sed cùm de primo capite dictum sit in libro de animati corporis temperatione, de reliquis dicendum supereſt.

DE SEMINE, MENSTRVOQVE sanguine.

SIue semen dicas, siue genituram, perinde est. Nam & *σπέρμα*, de genitura, scripsit Hippocrates, & *περὶ σπέρματος*, de semine Galenus; & ille genituram passim appellat *σπέρμα*; & Aristoteles in primo de an : ortu cap. 18. genituram dixit id esse, quod à generante proueniens causa est, quæ priùs obtineat generationis principium. Hoc ipsum autem est semẽ: etsi magis voluerit is ens perfectum ex duobus principiis maris & fœminæ significare. Illud igitur statim intelligatur, semen excrementum esse quoddam sanguinis, nutritioni superfluum atque ex nutritionis reliquis genitum;

genitum; cognosci posse, tum ex illius generatione & vasis, quibus continetur: tum ex eo, quòd propterea pueri & senes non emittunt semen, quòd nullæ illis reliquiæ supersunt; quique Veneri nimium indulgent, cruentum emitunt semen: tum ex Aristotele in 1. lib. de animalium ortu cap. 18. & 19. vbi ait esse excrementum vltimi alimẽti mutati: & lib. 3. de eorumdem histor. cap. 22. vbi animalium sanguineorum tamquam proprium ponit emittere semen. Quòd si in probl. 51. sect. 1. scriptum sit, semen pituitæ naturam ferre; illud propterea dictum est, quòd seminis emissio excrementi cuiusdam detractio sit; quemadmodum pituitæ ejectio: atque vtriusque purgatio morbis quibusdam prosit. Hoc nimirum eo loco indicauit Philosophus. Tum verò in 1. lib. de animalium ortu cap. 18. cùm & semen & pituitam excrementa esse pronuntiauit: sed illud vtile & alimenti vltimi; hæc inutile atque ex primo alimẽto acceptum. Verùm aliud quiddam est, in quo semen sit pituitæ persimile: quòd ex secundo eiusdem operis lib. cap. 2. cognoscimus. Etenim semen est natura humida & aquea, quemadmodum pituita. Sed præter aqueam illam & humidam partem, spumosam aliam habet, aëream & calidam; quæ facit vt nunquã congelari possit. Quoniam aër incongelabilis est. Itaque semen commune quidpiam est spiritus & aquæ: & ideò calidum & humidũ. Quam ob causam tum ab Hippocrate quoque, tũ ab aliis scriptoribus, nunc igneum, nunc aqueum fuit appellatum. Igneum & calidum, propter contentum spiritum: aqueum & humidum, propter sanguinem. Adde etiam coloris similitudinem. Omnium enim animalium semen est album, quemadmodum pituita. Quam ob causam iure optimo reprehendit Herodotum Aristoteles, qui Æthiopum semen nigrum esse affirmasset.

Cæterùm omittendum illud non est, quod multis peperit difficultatem; quánam ex causa spumositas seminis oriatur. Seminis natura aquea est & aërea. Aquea, quia diffunditur, liquidumque est & humidum. Aërea verò, tum ex albicante colore cognoscitur, tum ex calore: quia cùm debeat generare animal, omnesque fœtus partes penetrare & formare, calidum & aëreum sit oportet. Sed & cuiusuis rei spuma oriri potest, aut ex concussione; vt patet in mari, ouo, oleo, alioúe simili concusso. Nam eo motu permiscetur aër cum illo corpore, & inde spuma existit. Aut ex immersione vtius corporis in aliud; vt cùm aqua in vinum infunditur. aër enim permiscetur; quóque ex altiore loco descendit aquá, maior excitatur spuma, quia plus aëris & cum maiore vi permiscetur. Aut ab externo calore; quémadmodum in aqua feruente. Aut demum ab insito & innato calore; quemadmodum in musto. Seminis igitur spuma ex innato calore parteque aërea contenta ortum habet.

Hæc autem cùm sit natura seminis, calida & humida; optimè conuenit cum sanguine. Et quibusdam accidit id, quod Aristoteles obseruauit; vt immoderato Veneris vsu cruentum semen emitterent.

Homo sui corporis proportione plurimum semẽ emittit: quia plurimum sanguinis & caloris habet. Oblæsi non multum habent seminis; quia nec multum sanguinis. Pueri quoque & decrepiti: illi, quia totum sanguinem nutriendo absumunt: hi verò, quia cùm parum nutriantur, parum habent caloris & sanguinis. In venarum exilitatem retulit causam Hippocrates in lib. de genitura, cur pueris non fluat: parùm meo iudicio accommodatè. nam illæ satis conueniunt corpusculo. Eunuchi item semine carent; quia caloris inopiam habent, & testibus carent, vbi seminis est officina; aut saltem meatibus, quibus continetur & effunditur.

Sed hoc inter antiquos Philosophos & Aristotelem disputatum magnopere fuit. Affirmarunt enim illi, semen ex omnibus corporis partibus secerni; & Hippocrates in eodem lib. de genitura, & initio lib. 4. de morbis, & in lib. de aëre, aquis, & locis, eandem sententiam docuit. Tum quia in illius emissione vniuersum corpus & membra omnia delectationem sentiunt & laborem; nec parum debilitantur & franguntur. Vnde coitum Democritus paruam Epilepsiam appellauit. Tum quia animal diminutum & mancum procreat aliud sibi simile; cum eiusdem scilicet partis læsione; partusque toti parentum corpori & singulis partibus assimilatur. Aristoteles verò longa oratione illorum sententiam profligauit. Vasa enim sunt quædam coquendo, conseruando; & emittendo semini præparata; testes & spermatica vasa; tum deferentia, tum iaculantia. Et vt in cæteris facultatibus vnum aliquod membrum necesse est illarum functionibus immediatè exercendis præesse; quamuis aliud sit, à quo prima ducatur origo: sic in facultate gignendi vnũ aliquod esse oportet, quod illius actione fungatur. Neque credi potest, tam breui tempore ex omnibus partibus decidi semen; cùm breuissimo interdum tempore operatio illa perficiatur: nec rarò euenit, vt vel leuissimo tactu, vel osculo emittatur semen.

Quod verò post veteres illos dixerunt aliqui, ex alimento iam in singulis partibus & poris membrorum cocto superfluam quandam partem venas subire paruas, deinde magnas, quousque tandem perducatur ad cauam, indeque ad seminaria deduci vasa, & testes: mihi quidem certè non videtur credendum: cum ne intelligi quidem possit, quomodo superfluæ illius partis regressus fiat per venas, quæ alium semper sanguinem ad alenda membra deducunt. Nam præter quàm quòd nulla est efficiens causa, à qua pars illa sanguinis pulsa retrocedat, dum semper membra sanguinem trahunt, quo sustententur: qua ratione poterit ab illis separari is, quem iam habẽt? cùm omnes venæ sint plenæ, ac inter eas minimæ illæ, quas primas subire oporteret; qua via redire poterit? & cùm semen fiat ex parte vtilis alimenti; numquã membra partem dimittent sanguinis, qua nutriri possint; cùm interim in alio attrahendo laborent. Sunt qui ex cerebro spinalique medulla semen deriuent; Hippocratis autoritate suffulti in lib. de genitura, & lib. de ossium natura. Sed nullæ sunt ab eo membro ad testes viæ, quæ deducant semen; nisi tenuissimi fortasse neruuli; non seminis, sed spiritus tantùm delatores.

Denique à cerebro, corde, & iecore Auicenna. Quod & veteres poëtas significasse dixeris, cùm Venerem cum Marte coëuntem à Mercurio, Apolline, ac Neptuno dixerunt respici; Mercurio cerebrũ, Apollini cor, Neptuno iecur indicantes.

quod ea ex parte verum existimari potest, qua iecur sanguinem, cor & cerebrum spiritum semini gignendo suppeditant.

Esto hæc igitur vera sententia. Sanguis in iecore genitus ita per venas in omnes corporis partes distribuitur, vt pars aliqua immediatè spermaticis vasis suscepta perficiatur sensim & albescat, tandemque in testibus omni ex parte perfecta, conijciatur in vuluam. Itaque non ex tertia, quæ est in singulis membris, sed ex secunda iecoris coctione seminis materia deducitur. Nam & immediatè descendit ex iecore, vt in 16. lib. de vsu partium cap. 10. confirmat Galenus. *Spermatica vasa.* Proptereaque natura, quæ alioqui compendio vtitur, atque ex proximis locis venas & arterias deriuare solet, ad solos testes & mammillas ex remotis locis accepit, vt diutiùs sanguis longiore mora coqueretur. Neque vt lacti, sic semini sola interualli longitudo fuit satis. Sed vt accuratiùs coqueretur, tum ex longinquo venas & arterias deriuauit ad testes & mammillas; tum præterea multipliciter eas, priùs quàm insereret, inuoluit; vt longior mora maiorem coctionem & perfectionem faceret. In tertia autem coctione singulorum membrorum, in eorum substantiam mutatur sanguis, fit solidus, & eterogeneus; quæ omnia plurimùm distant à seminis mollis & homogenei natura.

Concludamus ergo, seminis materiam ex iecore potissimum & corde decidi; ex quibus sanguis & spiritus, quibus constat semen deriuentur. Formaliter tamen decidi ex testibus: quoniam perficitur in illis, formamque seminis accipit. Ad seminis tamen emissionem concurrunt maximè præter testes cor quoque & cerebrum, spiritus impulsione, motuque & agitatione totius corporis. *Seminis emissio.* Præter eum enim motum, qui ab his duobus membris pendet, accedit spiritus vi cordis & cerebri; qui permistus semini emissionem iuuat formatricemque virtutem addit. Semen etiam calidissimum est & spiritu plenum; dumque genitales partes acerrimi & exquisitissimi sensus motu suo titillat, corpus vniuersum in sympathiam trahit. Nam & in pruritu totum titillatur corpus, dum vnica pars prurigine afficitur. Hinc delectatio oritur partium omnium, labor, & fatigatio post coitum, dolor & vacuitas capitis, mentisque hebetudo: ac demum hinc est, quòd sæpè dormientibus nobis aut alio quouis tempore, absque vlla corporis agitatione, ex sola vehementi imaginatione, emittatur semen. Accurrens enim spiritus aperit meatus, & semen propellit. Quocirca Hippocrates eos scripsit, quibus venæ iuxta aures sectæ sunt, coire quidem & genituram emittere, sed modicam, debilem, & infœcundam; quòd virtutis illius ex capite descensus impediatur. Certè formatio fœtus, cæterique omnes effectus admirabiles, cuinam alteri causæ tribuantur? Generatio opus est totius viuentis, summoque indiget calore, qui in spiritu inesse creditur: arteriæque genitalibus partibus inseruntur, quibus plurimus ad eas effunditur spiritus. Atque huc commotio spectat & agitatio membrorum omnium in coitu: nimirum vt spiritus operationi illi necessarius subministretur. Atque propter huius spiritus virtutem in formando fœtu præcipuam fit interdum fœtus omni ex parte genitoribus similis. Quamquam nemo est, qui non intelligat, quàm sæpè accidat, vt filij parentibus quàm dissimillimi nascantur.

Verùm de hoc pluribus postea. iam de fœminarum menstruo sanguine. Hunc sanguinem excrementum esse, tum Aristoteles ostendit in primo lib. de animalium ortu cap. 19. & lib. 4. cap. 1. & pluribus aliis in locis; tum ratio persuadet ex illius natura ducta. Quoniam nil aliud est quàm sanguinis portio incocta, fœminæque minimè necessaria, quin potiùs noxia. Quæ propterea statis temporibus purgatur; quemadmodum excrementa cætera. Quòd ex frigida & humida nimis temperatione oritur, quæ perfectè coquere nequit. Quare etsi maris quoque semen pars quædam sanguinis est, sanguis tamen est omnino coctus & bonus: & ideò illius emissione debilitatur magnopere corpus, vireſque maris minuũtur. At menstrui profusione vegetior fit fœmina. Tum quia ex illo vtilis pars quæpiã exiuit, ex hac verò materia prorsus exitiosa. Tum quia seminis emissione magna spiritus copia emittitur; profluxu menstrui nequaquam; quia in eo sanguine perexiguus spiritus continetur, & sine corporis commotione purgatur.

Menstruum porrò sanguinis partem esse; ita est omnibus certum & sensu ipso confirmatum, vt probatione non egeat. Adsunt enim vasa, quibus purgatur; eaque sunt venæ, quæ in vterum ingrediuntur: venis autem comportatur sanguis. Et quandiu profluit menstruum, nec ex naribus, nec alia ex parte fluit sanguis. Quin etiam in mammillis lac cessat. Aut si quid horum fortasse adsit, deterior est purgatio menstrua.

Vtile tamen excrementum est; quia materia, ex qua in vtero formatur fœtus: nec fieri bona conceptio potest, nisi menstruum quantitate & qualitate fuerit benè dispositum. Fœtu autem concepto non ampliùs fluit vsque ad partum. Hinc est, quòd eo potissimùm tempore incipiat fluere, quod est conceptioni ac procreationi opportunum: cesset autem, vbi concipere amplius non potest fœmina, quod ferè est circa quadragesimumnonũ vel quinquagesimum annum. Cur ante & post hoc tempus non fluat, eadem est causa, quam exposui esse, cur pueri & decrepiti semen non habeant.

Viris etiam & seminis fluxu seminis ac menstrui magna fit in corpore vniuerso mutatio; tum quoad vocem, pilorum generationem, & huiusmodi alia; tum etiam quoad mammarum tumorem, totiusque corporis titillationem, quæ ex eo nascitur, quòd nimius sanguis exitum quærat. Mulier in vniuerso animalium genere plurimum habet menstrui; quòd pilis careat, cornibus, & huiusmodi aliis, in quæ solent animalibus cæteris excrementa conuerti. In mulieribus autem, quæ vitam otiosam & inertem degunt, gulæque ac ventri magis indulgent, plurimum excrementitij huius sanguinis congregatur.

Qui propterea menstruus vocatus est, quòd singulis mensibus fluat. Cuius periodi rationem aliam non exposuit Philosophus in 2. lib. de animalium ortu cap. 4. & lib. 4. cap. 2. quam

lunæ motum. His enim verbis est apud ipsum. Vt „ menstrua secundùm naturam mensibus decrescentibus potiùs fiant ; eandem ob causam accidit. Tempus enim hoc mensis frigidius est & „ humidius, propter lunæ decrementum defectionemque. Quo loco aperuit quoque causam, cur eo potissimùm tempore, quo luna decrescit, purgentur menstrua : quia cùm frigidius sit & humidius illud tempus, incoctus humor magis abundat.

Hoc ipsum tamen difficultatem habere videtur, propterea quòd humida omnia, quibus dominatur luna, in plenilunio potiùs abundant ; vt videre est in conchiliis & huiusmodi aliis. Egi hac de re pluribus in lib. de actione Cœli : vbi plenilunij tempus ostendi calidius esse reliquo ; quia magis abundat lumen ; quod cùm corporis humiditatem mouere possit, non resoluere, humidius efficit. Sed hoc verum est de humiditate illa, quæ qualitas est inhærens corpori & per ipsum sparsa. Hæc enim ab eo calore ad exteriores partes vocatur ; & ideò hic ipse plenilunij calor humidiorem fortasse faciet fœminæ carnem sua natura mollem & humidam. Sed cùm sanguinis illa profusio non calore aut humiditatis euocatione fiat ; sed frigore potiùs & incoctione abundet in corpore : eo maximè tempore decrescentis lunæ abundat atque effunditur, quia illud frigidius est. Accedit consuetudo naturæ certaque in omnibus rebus periodus. Consuenit enim statis temporibus singulas res efficere : illudque constituit menstruorum tempus.

Non omnibus tamen mulieribus idem est tempus : sed aliis atque aliis lunæ diebus : & quibusdam plenilenio fluunt. Viragines ferè triduo purgãtur ; molliores & otiosæ diutiùs, vel etiam per septimanam : & omninò pro varietate coloris, temperamenti, ætatis, habitus, & anni temporis, nunc parciùs, nunc liberaliùs profluit sanguis. *In quibus sit animalibus.*

Neque in omni animalium genere reperiuntur menstrua : sed in eo solùm, in quo est sanguis & semen : quodque intra se concipit fœtum, & viuum parit. Nil enim aliud sunt menstrua, quàm sanguis, ex quo fœtum concipi oportet. Nisi enim in eum finem instituerentur, sanè potuisset natura pluribus aliis modis materiam superfluam purgare. Postremò exitiosa prorsus ac pernitiosa fertur esse sanguinis huius natura : de cuius effectibus extant multa apud Hippocratem libro primo de morbis mulierum & Plinium lib. 7. cap. 15.

DE MARIS ET FOEMINÆ AD procreandum concursu.

IAm verò ad tertium caput accedamus ; marisque ac fœminæ ad procreationem concursum exponamus. Principiò illud accipiatur, quod ab omnibus statui animaduerto : facultatem gignendi per semen bipartitam esse. Duplex enim est illius opus, seminis præparatio, & formatio fœtus. Illa generationis instrumentum facit, hæc opus exequitur. Prior, quæ procreatricis virtutis nomen retinuit, in ipso duntaxat viuente residet, quasi potioris ac præcipui agentis virtus : posterior est in semine, vt instrumenti virtus, prioris quasi vicaria. Prior igitur in plantis quidem sparsa est & fusa per totum corpus, & præsertim per ramos, in quibus gignuntur semina : sed in animalibus principium habet atque originem à corde, quemadmodum cæteræ omnes facultates. In alia tamen quadam parte exercetur ; de qua Galenus & medici cum Aristotele ac Peripateticis contendunt num ea in testibus, an in seminariis vasis resideat : atque in libro de eterogeneis partibus à nobis pronuntiata sententia est. *Genitrix facultas bipartita.*

Vbicumque autem hæc virtus esse dicatur, siue in meatibus duntaxat, siue etiam in testibus ; has omnes efficere debet operationes. Primùm trahere sanguinem ad illa vasa, hoc est partem illam alimenti iam mutati, quæ mutari in semen debeat. Deinde magis illam coquere & perficere in viscosam & albam materiam ; sicut & lac in mammillis coctione albescit. Tum verò cum illa miscere spiritum, ex quo vim totam formandi fœtus accipiat. Postremò totam illam massam pudendo in vterum fœminæ velut fœcundam terram conjicere : vbi cum sanguine menstruo & semine fœminæ permista totum formet fœtum & producit animal. Itaque licet seminis materia pars quædam sit vltimi alimenti, quod nutrientis virtutis coctione fuit mutatum : quatenus tamen procreationis est instrumentum ad gignendum aliud comparatum, eamque habet qualitatum temperationem, qua & formare fœtum in vtero, & præparare materiam, & animam demum producere possit : sic sanè ab hac procreandi facultate perficitur, quæ partem illam alimenti in spermaticis vasis & testibus susceptam variis ac miris modis afficit & temperat, tandemque illi virtutem eam largitur. *Seminaria virtutis operæ.*

Venio ad alteram virtutis huius procreatricis partem, quæ formandi fœtus & absoluendi operis vim habet. Hæc, quasi effectus est aut potiùs instrumentum prioris, residetque in elaborato iam semine. De qua ita loquitur Aristoteles in 2. lib. de animalium ortu cap. 1. quod, inquit, semen efficit, mouet cùm aliquid tetigerit, quamquam non adhuc tangit : & motus, qui inest, quodam efficit modo ; vt ædificatio ædes ; & quæ sequuntur. Inest autem, tamquam accidens in subiecto, in spiritiosa illius parte spumosa, & magis tenui. Eiusque obiectum seu materia, circa quam velut artifex versatur, est pars altera crassior & sanguinea in animalibus, simul cum sanguine menstruo semineque femineo. Ex his enim tamquam materia viuentis omnia membra format, totumque corpus absoluit. Propria illius operatio est materiam illam alterare, & alio atque alio modo disponere : tum formare membra : quam ob causam formatrix virtus appellatur : animamque demum ex materia illa opportunè disposita ac præparata educere ; si fuerit materialis anima, quæ educi possit. Alteratione gignuntur homogeneæ partes, formatione eterogeneæ ; vt in 1. lib. de naturalibus facult. cap 5. adnotauit Galenus. *De virtute fœtus formatrice.*

Verùm tam admirabilis structuræ opus irrationalis facultatis esse non videtur ; sed artis optimæ & principis : & Auerroës in comm. 21. lib. 7. metaph. diuinam virtutem appellauit. Quî enim fieri posset, inquit idem Galenus in libro de fœtum formatione cap. 6. vt talis humor, qualis *Formatrix virtus quid.*

» apparet in semine, in tanto numero succedentium A
» sibi motionum numquã aberret, donec iustum fi-
» nem attigerit? nam sicut incredibile est, nullum
» in tanta partium multitudine errorem à fortuita
» motione committi; ita consequutionem motus
» artificiosam ab aliqua irrationali substantia ef-
» fici, perinde atque aliqui dicunt, nimis audax
» est. Et rursum; si trecentorum membrorum
» structura spectetur, quorum singula decem scopos
» ac fines habeant, eosque fœlicitet assequuta sint;
» ad trium millium numerum omnes euadent. Et
» nondum tamen dixi id; quod maximè miran-
» dum in horum fabrica est; æquales prorsus esse
» in sinistris partibus musculos iis, qui in dextris B
» sunt; arteriis item arterias; venis venas; ac ner-
» uis neruos: vt tria millia finium duplicanda
» iam sint. Idem est in ossibus; quæ ducenta sunt
» & ampliùs: quorum item singulorum fines decem
» cùm sint; longè plures, quàm duo millia, ef-
» ficiuntur: & duplicati quattuor millia & ampliùs
» euadunt. Eadem ars in visceribus omnibus, &
» demum omnibus partibus spectari potest. Vt si
» quis fines vniuscuiusque fabricæ numerare ve-
» lit, numerus omnium summam perfectionem as-
» sequutorum in myriadas, non chiliadas, rediga-
» tur. quos ego nequaquam nisi à sapientissimo ac
» potentissimo opifice factos esse crediderim. Ita- C
que etsi visus est interdum idem auctor formatricem hanc virtutem nil esse aliud existimare, quàm viuificum calorem seminis, eiusque temperamentum; vt in comm. 15. aphor: lib. 1. se tamen non satis exploratum habere, quid sit; fatetur ingenuè, dum ex instituto de fœtuum formatione differit.

Mundanam animam huius operis molitricem esse, dixerunt aliqui; & ferè eo loco Galenus: nisi quòd absurdum putauerit eam circa vilissima animalia occupari. Alij intellectum ponunt, vt vniuersalem causam; plantalemque atque irrationalem virtutem, vt particularem. Etenim rei ma- D
terialis & corporeæ proxima causa materialis esse debet & corporea. Quo argumento Auerroës ideas negauit rerum corporearum procreatrices causas esse. Nam si immaterialis causa naturalem formam produceret; ea immaterialis esset & per se subsisteret: neque genita quidquam cum parentibus commune haberent aut simile. Auerroës igitur hanc virtutem in semine inclusam esse voluit & per eius calorem agere. Non quòd sit forma in eo, vt anima in calore natiuo: sed vt cælestis anima in cœlesti corpore, quæ separata cùm sit, per illud tamen omnia hæc inferiora gubernat. & ideò Aristoteles intellectui fecit persimilem. At dum eam Auerroës in semine ponit vt E
intelligentiam in cœlo & mouentem in mobili, non vt formam in materia; subsistentem facit & immaterialem. Quod si verum sit, quomodo à generante profecta sit? quî credi id possit; in bestiis & plantis præsertim? quomodo ab ea parentum ac filiorum similitudo?

Aristoteles igitur in extremo lib. 4. meteororum exponens causam generationis animalium, partes ait homogeneas quas alteratione fieri diximus, à calido fieri & frigido, vt ab illis concrescunt: eterogeneas autem, quæ formatione constant, aut à natura, aut ab alia causa formari. Quænam autem sit hæc alia causa, exposuit in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. Inest enim, inquit, in semine omnium quod facit, vt fœcunda sint semina: videlicet quod calor vocatur. Id- que non ignis, non talis facultas aliqua est; sed spiritus, qui in semine spumoso que corpore continetur: & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarum. Propterea & Simplicius animam generationis quoque principium esse volebat eius, in quo est: & Themistius ipsammet formare sibi corpus & instrumentum fabricare inquiebat; vt in comm. 42. adnotaui.

Sanè hæc si cum casu & fortuna comparetur, rationalis virtus iudicatur. Certò enim constanter, & ordinatè disponit omnia: & operatur perinde, ac si ratione & intelligentia operaretur. Quippe à prima & suprema intelligentia, tum vim eam accepit, tum conseruatur & dirigitur, etsi ipsa ratione & intelligentia careat. Et alibi Simplicius inferiorem naturam non tam mouere, quàm moueri; non causam, sed concausam esse voluit. Porrò & in tex. 80. lib. 2. Phys. de araneis, formicis, hirundinibus, pluribusque animalibus dubitatum est, num intellectu vterentur; propter admirabilia opera; quæ tamen non intellectu, sed naturæ instinctu & ductu constare creduntur: neque opus habere cognitione in tex. 86. demonstratur. Hæc enim est naturæ conditio, vt ordinatè & ad certum finem agat, neque aliter agere possit: quoniam ita ab illius parente Deo instituta fuit. Itaque tam admirabilis apparatus in animalis corporis formatione in Deum tandem, vt primum auctorem & moderatorem, referendus est, meritoque Galenus pluribus in locis ex sola huius fabricæ contemplatione Deum exclamare & prædicare coactus est.

Proxima tamen causa est generans, atque illius instrumentum semen per insitum ei calorem & proprium ipsius temperamentum. Neque alta esse potest causa, cur quorundam semen fœcundum sit, aliorum infœcundum: curque maris semen agendi & formandi vim habeat, non item humor is, qui ex fœmina velut inchoatum & minùs elaboratum semen fluit. Alia inquam causa esse non potest, quàm caloris & temperamenti conditio: qua vt est generantis instrumentum potest & homogeneas & eterogeneas partes totumque corpus fingere ac formare. Inde etiam filiorum ac parentum similitudo. Quoniam in vnoquoque genere conatur agens sibi simile procreare. Nec vlla fierent monstra, nisi agens esset particulare, quod à scopo naturæ proposito aberraret interdum. Quòd si hanc virtutem interdum legas separatum quidpiam esse ac diuinum; propterea id dictum intelligas; tum quòd ab animalis corpore, à quo decisum est semen, & cuius instrumentum existit, verè sit separata: cuiusque reliquæ omnes viuentis operationes absoluantur in ipso, habeantque in eo principium & instrumentum coniunctum; sola hæc virtus ab eo separata est; & ita separata, vt multo post tempore, vel etiam animali mortuo, perficiat opus suum: perinde quasi non vt alterius instrumentum, sed insita sibique propria virtute ageret. Tum quòd diuinum plane quidpiam videatur, dum supra suam naturam animatum & sentiens producit, & vero intelligens

„ intelligẽs, si corporis dispositio spectetur ac iudi-
„ cium sensuum; quibus perinde homo ex hominis
„ semine, ac planta aut equus ex plantæ & equi se-
„ mine produci videtur: cum tamen semen nec vi-
„ uat, nec sentiat, nec intelligat. Accedit vniuersa
„ illa, quam diximus, structura corporis, partiumque
„ singularum vsus, atque omnium simul compositio
„ & nexus, mutuaq; dependẽtia. Quæ semen pla-
„ nè ostendunt in tam admirabili opere perficiendo
„ ab occulta & latente supremi opificis Dei virtute
„ moueri ac dirigi; quidpiamque esse ab omni cor-
„ pore separatum ac diuinum, quod præter semen
„ agat. Naturalis enim virtus ad vnum determinata
numquã posset tam multa tamque diuersa & ad-
mirabilia efficere ac tam ordinatè disponere; nisi
à superiore diuina intelligente causa duceretur ad
agendum atque in actione dirigeretur. Nam verè
hæc operatio per se considerata artis & intellectus
esse videtur, non naturæ. Quippe ex vna & simpli-
ci materia multiplices ac diuersos effectus produ-
cere, vt ex ligno abacum, lectum, cathedram,
mensam, scamnum; atque ex sanguine carnem,
os, neruum, arteriam, venam, cartilaginem, artis
est & intellectus, non naturæ.

De appetitu maris & fœminæ.

Non minorem habet difficultatem & verò
etiam admirationem appetitus ille, quo &
mas & fœmina ad procreandum accedunt. Pu-
dendorum naturæ, inquit in Timæo Plato,
„ in viris insita vis inobediens ac imperiosa, &
„ quasi animal non exaudiens rationem, furiosarum
„ libidinum violentiæ, subiicere sibi cuncta cona-
„ tur. Vulua quoque & vterus in fœminis pari ra-
„ tione animal auidum generandi, si intempestiuè
„ diuque à generando abstineat, ægrè fert moram,
„ plurimumque indignatur. Appetitum hunc con-
stat fuisse illis insitum à natura, vt ad eum allice-
rentur actum, qui conseruationi speciei erat in pri-
mis necessarius. Sed in animalibus dixit Hieronymus Cardanus in 7. lib. de subtilitate marem à fœmina trahi, in rebus autem inanimis fœminam ad marem moueri. Cuius rei nec rationem exposuit, nec vllam (vt mihi quidem videtur) exponere potuit. Nam vt sexuum hanc diuersitatem ac distinctionem mittam in rebus inanimis haud propriè nominari: coëundi ac gignendi appetitus non nisi in animalibus reperitur: atque in his ipsis non solùm mas appetit fœminam, sed fœmina quoque marem; eademque est in vtroque appetentiæ ratio: quoniam vterque sexus est ad gignendum speciemque conseruandam necessarius: & si mas appetit fœminam, vt in ipsa aliquid gignat; fœmina quoque appetit marem, vt ab eo aliquid procreet. An verò marisne an fœminæ appetitus maior; disputari sanè posset. Sed pudori consulendum est.

Cur perpetuus hominis appetitus.

Illud quæri potest cur hic appetitus reliquarum ferè specierum fœminas non nisi certis quibusdam temporibus sollicitet, in humana verò & aliis quibusdam fœminæ & semper appetant & semper sustineant marem. Huius rei causam esse opinor, quòd quædam sunt animalium species frigidiores, aliæ calidiores: quædam, quæ non omni tempore possunt concipere, aliæ semper possint. Quare cùm appetitus ille ad procreandum referatur; iis, quæ semper procreare possunt, perpetuus fuit insitus appetitus: reliquis eo solùm tempore, quo ad concipiendum erant idoneæ. Aliis siquidem temporibus frustra & magna cum molestia fuisset datus. Maribus perpetuus propemodum videtur inesse; quòd calidiores sint, & apti semper procreare; si semper habeant fœminam, in qua procreare queant. Accedit & vteri situs & conformatio. Muliebris. n. præsertim vterus profundior est, eiusque ceruix oblongior maris amplexum minusque longum pudendum faciliùs sustinet. Bestiarum ferè vterus fœtu concepto magis extuberat, & ori externo maximè propinquus fit; nec sine lesione cõgressum maris sustinere potest. Sed & verissimum est illud Aristotelis in problem. 46. sect. 10. Venus comes satietatis est. Perpetuum hominis appetitum in generis nobilitatem retulit Iulius Cæsar Scaliger exercit: contra Cardinum 131. cap. 4. Meliùs perpetuam exposuit gallinarum appetentiam; quòd earum fœcunditas vtilitates adferret hominibus maximas.

An fœmina agendo ad generationẽ concurrat.

Sed illud est diligentiùs considerandum, quod inter Philosophos & medicos numquam fuit cõstitutũ; an fœmina agendo, an solùm patiendo materiãque suppeditando & maris actionem sustinendo, ad procreationem concurrat. Aristoteles in primo lib. de animalium procreatione cap. 2. 18. 19. & 20. & lib. 2. cap. 4. & 5. & lib. 7. Metaph. tex. 31. & lib. 8. tex. 12. totam agendi vim tribuit mari, fœminamque voluit patiendo solùm concurrere. Quam ob causam artifici marem, ligno fœminam comparauit; quòd ille efficiat, formet corpus, & det animam; hæc materiam formandam & animandam subiiciat. Fœmina, inquit in cap. 4. citato, semper materiam præbet, mas vim creandi; corpus igitur ex fœmina est, anima ex mare. Idem sensserunt Auerroës, tum in eorum Aristotelis locorum expositione, tum in 2. colliget cap. 10. & Auicenna in lib. 9. de animalium natura, & Albertus in lib. 15. & 16. de animalibus, & S. Thomas in 3. parte summæ quæst. 32. art. 4. & Caietanus in comment. eius loci, & 2. 2. ad art. 12. quæst. 154. aliique complures, tum Philosophi, tum Theologi; & ex medicis copiosè hac de re disseruit Dinus in comment. lib. Hippocratis de naturâ fœtus.

Primum enim id suadere videntur sexuum distinctio maris, & fœminæ, diuersaque organorum conformatio, quæ procreationi dicata sunt. Quippe hæc duo satis apertè possunt ostendere, marem agere, fœminam pati alteriusque actionem sustinere. Deinde distinctio patris & matris: quòd ille scilicet agat, hæc patiatur: nam si ageret quoque mater, quemadmodum pater; posset & illa pater appellari. Tum verò contra suam omnem voluntatem & nihil agentes nullumque semen emittentes concipiũt interdum fœminæ: & narrat Auerroës, mulierem quandam lauantem in balneo, in quo viri quidam non multò antea sparserant semen, concepisse fœtum, sola illius seminis in vterum attractione. Idem & nostra tempestate accidisse à fide digna ipse accepi & sæpiùs factũ testatur Egidius c. 6. lib. de fœtus formatione, vt virgo fuerit ab eo fecundata, qui eam non potuit violare, attracto scil. semine extra vterum sparso. Quæ tamen magnam habent difficultatẽ. Tum quia vt sit conceptus, cum semine viri adesse quoque oportet fœmineum semen, quod eo tempore vix adfuerit. Tum quia virile semen prodidit Aristoteles expositum aëri refrigerari statim, liquescere, & infœcũdũ reddi. Immo eos, quibus prolongum pudendũ,

infœcundiores esse ; quòd ob viæ longitudinem refrigeretur semen. Quod in proprio vase refrigeratur & fit infœcundum ; quid si effundatur in aërem aut aquam ? Affirmant tamen mulieres sæpiùs expertæ, se interdum sine coitus delectatione concepisse, hoc est sine seminis effusione. nam hæc adiunctam habet dilectationem, nec raro vidimus renitentes ac viro reluctantes concepisse. Immò verò cùm materiam formando fœtui suppeditet fœmina, sanguinem menstruum ; si ea vim item haberet agendi, nulla indigeret maris coniunctione ; sed sola posset integram prolem absoluere. Posset enim tantopere augeri agendi virtus fœminæ, vt virtuti maris esset æqualis; posset que sine illa concipere fœtum. Mas quidem certè solùm videtur agendo concurrere, non item patiendo. Quî igitur credi potest, fœminæ, quæ læsum est animal & imperfectum, & verò etiam naturæ monstrum, virtutem vtramque fuisse tributam ? An non cùm in omni natura respondere oporteat cuique agenti aliquod patiens, vt in tex. 18. li. 3. ratiocinabitur Philosophus ; credendum potiùs est patiendi vim datam fuisse fœminæ, quæ optimè actioni maris responderet ? Mihi verò id eò fit verisimilius, quòd etsi ea quoque præter menstruum sanguinẽ semen aliquod ad procreandum fœtum conferat: illud tamen adeò est vel ipsius Galeni confessione imperfectum, aqueum, impurum, & incoctum ; vt nullo modo credi possit diuinissimam habere formandi ac gignendi virtutem, quæ in semine maris viget: sed potiùs, vt est apud Auicennam & Dinum omonyme semen sit appellandum : & ille non semen, sed aquam, pluribus in locis nominauit. Frigidior enim est fœmina quàm vt semen tantoperè possit coquere, vt agendi vim habeat. Imbecillitas " quædam, inquit Aristoteles cap. 20. li. 1. de anima- " lium ortu, fœmina est ; quòd semen ex vltimo ali- " mento coquere nequeat. Tunc etiam producitur " fœmina, quando semen maris minùs est siccum, minùs calidum, minùs robustum & efficax ; neque maris potest productionem assequi. Tunc enim natura, ne prorsus frustra egisse videatur, fœminam saltem procreat : & si non potuit procreare agens, procreat saltem id, quod agentis alterius virtutem & actionem suscipiat. Quòd si ea virtutem vtramque haberet, agendi & patiendi ; perfectior sanè esset, quàm mas. Illud denique in hac sententia firmanda opinor mente concepit Aristoteles ; semen maris per se sufficientissimum esse ad agendum & formãdum ; nec aliud quidquam desiderari in fœmina, quàm vt illius actioni materiam aliquam formandam subiiceret.

Ex sacris quoque nostris doctoribus, dum de primi parentis culpa disputant, efficax sumere licet argumentum. Si solus, inquiunt, Adamus, & non Eua, peccasset ; nihilominus illius culpa in omnes posteros deriuata fuisset : at si sola deliquisset fœmina, non vir, fœminæ scelus nequaquam posteros infecisset. Hoc verò satis potest nobis persuadere, solam à fœmina suppeditari materiam ; naturæ propagandæ vim culpæque transfundendæ efficacitatem penes marem esse. Quam inter cæteras putant fuisse causam, cur seruator noster Christus de fœmina absque maris opera nasci voluerit.

Galeni commẽtitia opinio.

Verùm quid contra hæc Galenus disputet considerandum est, ne indicta causa homine condemnasse videamur. Is duobus libris, quos scripsit de semine, quem plurimi sequuntur medici, & ex Theologis S. Bonauentura, Scotus, Ochamus, Gabriel in 3. sent. lib. fœminam quoque contendit & semen emittere, & agendo concurrere ; non quidem primaria actione, quemadmodum mas : sed secundaria & quasi à maris actione pendente : atque ex vtraque vnum existere efficiens principiũ, vnumque motum. Nam cùm ea præter sanguinem menstruum humorem etiam quemdam emittat semini maris persimilem, is cum sanguine menstruo permistus parte quidem crassa & corpulenta materiam præbet neruis ac venis, quæ formari ex sanguine non potuerunt ; parte autem tenui & spiritosa cum semine maris cõiunctus vim quamdam agendi habet & procreandi.

Quod indicare primùm possunt testes & spermatica vasa, quæ in fœminis item à dissecantibus visuntur testibus ac vasis maris similia. Deinde voluptas, quam illæ in coitu sentiunt. Tum pollutio, quæ dormientibus ac somniantibus non minùs, quàm viris, accidit. Immò & voluntaria ac procurata mollities ; quæ grauis propterea iudicatur culpa, quòd semen perdant, quod ad gignendum natura parauerat. Filij quoque non patrimodò, sed & matri nascuntur persæpè similes. Hoc enim argumento est, in vtroque parente vim inesse agendi, modò in hoc, modò in illo superiorem. Quam ob causam Hippocrates, tum in mare, tum in fœmina, semen voluit esse, tum masculum, tum fœmineum ; hoc est fortius interdum & robustius, interdum debilius : illudque producere marem, hoc fœminam. Fieri tamen non posse partum omni ex parte vni parenti similem ; sed aliquam semper cum vtroque similitudinem esse ; quoniam ab vtroque semen in partum procedit. Immò verò gallinæ absque maris coitu pariunt oua, quasi ex se potestatem agendi ac gignendi habeant. Denique mas & fœmina eiusdem sunt speciei, easdemque oportet facultates habeant, fœminaque item vt mas procreando agat.

Hæc fermè Aristoteli obiiciuntur. Cuius sententia certissimis Philosophiæ principiis nititur, quæ ex actionis & passionis, agentisque & patientis natura sumuntur. Nam etsi dubitent nonnulli, *An fœmina* an is fœminam crediderit semen vllum præter *emittat* menstruum sanguinem emittere : quoniam tamen *semen.* in corporibus dissecandis non parùm fuit exercitatus, dum testes & vasa seminis aspexit, existimandum potiùs est, eum non ignorasse aliquem illorum esse vsum ; atque in illis aliquem inesse humorem, qui ad vuluæ cornua amittatur in coitu : quod apertis verbis fatetur in primo lib. de animalium procreatione cap. 20. & lib. 2. cap. 4. Noluisse tamen humorem illum appellari semen. Tum quòd propter caloris imbecillitatem minùs perfectus est & coctus : & ideò nec agendi vim habet, quæ in semine maris inest : immò hoc ipsum, si minùs fuerit calidum, infœcundum nec satis ad agendum efficax esse existimatur. Tum quòd fœmineos illos testes minùs perfectos ac solidos esse vidit : minusque calidos ac spiritosos, quàm vt perfectum semen efficere possent. Humor hic fœminis eam ob causam maximè in coitu fluit : tum vt delectatione, quam fluendo adfert, ad actionem speciei conseruandæ in primis necessariam allicerentur à qua alioqui abhorrerent magnopere ; tũ quia patiãtur ; tum quia gestando fœtum, pariendo, & educando laborant plurimùm, sæpeque

sæpeque pericli-tatur: tum vt esset veluti alimentũ ac temperamentum calidiori & sicciori semini maris: tum vt vuluę cornua obliniret, ad quæ semẽ maris non pertingit: tum vt os vulvæ leniretur, quò facilius in eam semen maris defluere t; vulvãque replendo virilis seminis motum prohiberet, atque ad illud retinendum conferret: & verò etiã delectationem augeret, quæ in illius susceptione percipitur. Sicut enim maior est cibi delectatio, si opportunè fuerit lingua humectata saliua; ita cum delectatione maiori semen maris in vulua suscipitur, si ea fuerit fœminæ humiditate linita. Tum verò vt facilior conceptio esset. nam & conceptionis initio vulũam oportet esse humidam, deinceps siccam 3. & dum susceptione seminis maris delectatur vulua, faciliùs concipit, eo enim cum delectatione susceptο clauditur, susceptumque conseruat & fouet; cumquẽ interdum calidior sit vulua, & maris item semen calidum & crassum; & ideò fœtus aut non concipiatur, aut conceptus pereat; fœmineo illo humore tenuiori ac frigidiori optimè temperantur. Ac demùm vt ex eo, tanquã frigidiore faciliusque concrescente, cogeretur pãniculus, qui genituram fouet in vtero: aut etiam simul cum sanguine menstruo, incocto scilicet & imperfecto, vim haberet materiæ, quę calidioris ac perfectioris seminis actioni subiiceretur. Ne quis tamen eum existimet esse ad gignendum omnino necessarium. Quoniam absque delectatione vlla humorisue decisione interdum fœminæ conceperunt: & si materiam duntaxat præbere debet, satis copiosam sanguis suppeditabit.

De filiorum & parentũ similitudine.

Neque enim ex filiorum & matrum similitudine certum petitur argumentum. Tum quia persæpè accidit, vt neutro parenti partus sit similis: sed aut auis, aut aliis, qui nec agendo, nec patiendo procreationem quid quam iuuerunt. Tum quia si ea similitudo adsit, aliam prorsus habet causam, quam Philosophus in li. 4. de animalium procreatione ca. 3. exposuit. Ea est proportio seminis maris, quod agendi vim habet, cum materia, quæ à fœmina suppeditatur. Inde namque similitudo sexus nascitur aut diuersitas. Aut enim semen maris calore & siccitate abundat plurimùm, omninoque menstruum sanguinem aut etiam humorem ex fœmina decisum superat: aut est penitus debile, frigidius & humidius, atque à reluctante contumacique materia vincitur: aut demum nec omnino vincit, nec penitus superatur. Et similitudo, aut in sexu, aut in complexione, aut quantitate, colore, aliisue accidentibus corporis consideratur. Si maris semen excesserit plurimùm, omninoque promptam & obedientem fœmineam materiam potuerit subiugare; filius procreabitur perquàm similis patri; tum sexu, tum complexione & aliis accidentibus omnibus, quæ ex procreationis principiis pendent. Potestque hæc virtus tantopere dominari, vt non naturalibus modò accidentibus, sed aduentitiis quoque interdum similis producatur; claudusque claudum procreet, & stultus stultum.

2. Quòd si virtus seminis sit prorsus debilis & infirma, atq; à robusta pertinaciq; materia vincatur; trahetur ad motum contrarium, matrique omni ex parte similis existet soboles. Cùm enim à fortiori materia seminis virtus debilitetur nec possit sibi simile procreare; accommodat sese materiæ, illiusque conditiones sequitur: vt si non eum, quẽ vellet; eum certè, quem potest, actionis suæ terminum consequatur. Ita plerumque fit, vt filiæ similes sint matri, & filij patri. Verè tamen affirmare licet; si fœtus matri nascatur similis, id ex accidenti fieri: non minùs, quàm in artibus persæpè euenit: vt propter contumacem atque inobedientem materiam non fiat opus artificis ideæ omni ex parte simile. Sic enim in natura semen maris speciei quidem similitudinem obtinet, homoque hominem gignit: at propter difficilem rebellemque materiæ conditionem euenit, vt in individuo nec sexus nec accidentium complurium similitudinem habeat. Ita nimirum de sexu philosophabatur Aristoteles, cùm fœminam affirmauit ex accidenti procreari; ne cùm mas fieri non potuerit, frustra omnino egisse natura videatur. De complexione & accidentibus cæteris idem pronuntiare licet.

Iam si agens tertio modo se habeat; nec omnino 3.
vincat materiam, nec ab ea penitus superetur; aut æquales omnino sunt virtutes, nec altera potest alteram subiugare. Ita Hermaphroditus existit; in quo sexus vterque, parentisque vtriusque similitudo copulatur. Interdum etiam tertia species; quemadmodum ex asino & equa mulus. Semen enim materiam habet resistentem nimis, & æquis penè viribus reluctantem; nec eam potest ad suam formam trahere. Quare dum vtrinque certatur, ad tertium natura declinat. Aut semen in vno vincit, & in altero superatur. Ita fit soboles in vno similis patri, & in alia matri. Nam si efficax sit in productione sexus, sed debile in complexione; patris quidem erit sexus, sed complexio matris. Sin debile in sexu, & efficax in complexione; sexus erit matris, & complexio patris. Ita & viri existunt effœminati, & fœminæ viragines. Illi sexum habent viri & complexionem fœminæ; hæ sexum fœminæ & complexionem viri. Idem in accidentibus reliquis intelligi volo.

At quoniam progenitorum virtus vsque ad 4.
quartam generationem conseruatur in semine; potest seminis virtus aut menstrui fortior esse quoad progenitorum motum, quàm patris aut matris. Hæc est causa, cur nascatur interdum nec patri similis, nec matri; sed auo, proauo, aut atauo; siue patris, siue matris. Inde etiam morbi, quos hereditarios vocamus.

At magis mirũ videtur, quòd nec patri, nec matri, 5.
nec progenitorum vlli non numquã similis sit. Id præter naturam quidem euenit; sed tamen duplicẽ habet causam. Aut contumaciam nimiam & inobedientiam materiæ; quæ ad solius substantiæ ac speciei, non item accidentium, similitùdinem trahi potest. Aut vehementem & fixam coitus aut conceptionis tempore matris imaginationem. Vix enim credi potest, quantam hæc vim habeat: nec solùm potest imaginantis corpus immutare, sed in conceptum quoque aut concipiendum fœtum vim suã conferre. Quærit Aristoteles in problem. 12. sect. 10. cur cæterorum animalium proles magis, quàm hominis, parentibus suis similes fiant. Quia, inquit, homo vago varioque plerumque in cõgressu est animo: vtque pater aut mater in concepcu affecti sunt ita partus euariant. Hinc Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem cap. 9. artem formosos filios procreandi docet. Cum de formis, inquit, vir formosum procreare filium vellet, puellum formosum in tabula pingendum curauit; atque vxori iussit, vt cùm venereis rebus vteretur, in

Imaginationis vis in coitu.

illam intueretur picturam. Illa verò defixis oculis tabulam respiciens, puerulum non patri, sed picto puero similem peperit. Contra, fœminam quandam scribit Auicenna in 9. de animalibus lib. hominem valde nigrum peperisse, cum ambo progenitores essent albi; quòd nigram ob oculos picturam habuisset: & gallinam Albertus peperisse pullos cum accipitris rostro; quòd eiusmodi animal imaginatione versasset. Sed & in sacris historiis celebris est illa Iacobi industria Gen. 30. cap. vt in aspectu virgarum varij coloris maculosa pecora conciperentur. Propterea coniuges nolebat Hesiodus liberis operam dare, dùm redirent è funere; sed cum à conuiuiis vel ludis. Illegitimi quoque filij similes interdum mulieris marito nascuntur; quòd illum, siue ex timore, siue alio modo, imaginetur adultera mulier. & quidem hac de re satis.

6. Porrò ad vnicam hanc masculini & fœminini sexus generalem causam decem illæ reuocãtur, quas commemorauit Egidius; qualitas seminis, quantitas, ætas, dispositio testis, à quo decisum est semen, locus vteri, complexio menstrui, qualitas cibi & potus, dispositio aëris, ventorum conditio, ac cœlestis demum influxus. Hæc enim omnia eò tandem spectant, vt calidius semen, atque ad agendum & subiectam sibi materiam debellandam robustius, aut minùs calidum minusque robustum sit.

De ouis gallinæ. At enim gallinam inquiunt absque maris coitu oua parere subuentanea. Esto: sed ex illis pullus non nascitur. Verùm ex iis duntaxat, quæ ex coitu proueniunt. Quod Galenus fatetur in lib. 14. de vsu partium cap. 7. Vt ex hoc ipso intelligatur solam procreationis materiam præbere gallinam, vimque totam formandi atque ex illa materia gignendi viuens petendam esse ex mare. Quod enim ait Galenus, deesse illi aliquid ad perfectionem; nempe caliditatem à mare: hoc ipsum est, quod formandi animalque procreandi vim habet.

Denique si ex eo, quòd mas & fœmina eiusdem speciei sunt, easdem licet colligere in vtroque facultates: marem quoque conficiemus vim habere patiendi, quam omnes fatentur in sola fœmina residere. Est igitur in vtroque sexu eadem procreandi facultas, quòd vterque debeat ad procreandum concurrere: at non eodem modo: alioqui quid sexuum diuersitate opus fuisset? sed mas quidem agendo, & vt ait Philosophus, formam & animam dando: fœmina autem patiendo, hoc est suppeditando materiam; marisque actionem sustinendo. Nam & sanguinem menstruum subministrat, & semen maris suscipit, retinet, ac fouet: tum verò formatum fœtum vtero gestat, multoque nutrit tempore. Quæ omnia passionem nimirum significant; qua & suscipiatur & conseruetur id, quod fuerit à mare profectum.

De fœtus in vtero formatione.

VEnio ad quartum propositionis meæ caput; in quo exponendũ supereſt, quemadmodum ex semine maris fœminæque menstruo formetur in vtero fœtus. Cùm solus mas vim totam habeat efficiendi ac formandi, relinquitur humorem illũ, qui seminis loco fluit in fœmina, simul cum sanguine menstruo materiæ vices tenere. Immo cùm *Seminis duplex pars.* semen quoque maris duplici constet parte: aërea vna, tenui, spiritosa, & spumosa. Quam ob causam optimi & laudabilis sanguinis spumam appellauit Pythagoras. & in 2. lib. de animalium procreatione cap. 2. veteres laudat Philosophus, quòd concubitus Deam à spumosa seminis natura ἀφροδίτην nominassent. Et in Cratylo Plato explicate magis Hesiodo contradicendum non esse ait Venerem à spuma, quam generat, aphroditem appellanti. Altera magis aquea, crassa, tenaci, & viscosa; in qua prior illa quasi sustẽtatur. Posterior hæc pars cum sanguine menstruo & humore fœmineo permista rationem subit materiæ.

Scio non defuisse, qui secus senserint; totumque semen maris voluerint agere, nec vllam illius partem pati velut materiam: quoniam efficiens causa & materialis in vnam conuenire non possunt. Sed aut formato fœtu euanescere totum atque in vaporem dissolui, perque corporis meatus exhalare: quemadmodum Aristotelis in 2. lib. de animalium procreatione cap. 3. verba illa confirmare videntur; Genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum euanescit, cùm naturam humidam aqueamque habeat. Aut totum secerni, & ex vtero foras emitti perfecto opere. Quam sententiam eo loco reprehendit Philosophus. Aut spiritosam demum ac tenuiorem partem euanescere; aqueam & crassiorẽ cum cæteris superfluitatibus emitti ex vulua. Sic enim Auerroi placuit Aristotelis verba interpretari.

Mihi verò rationi magis consentaneum visum est semper, aëream quidem partem, spiritosam, ac tenuem, quæ agendi vim habet, absoluta actione, ad quam fuerat destinata, euanescere prorsus ac dilabi: neque ea, quæ contra disputauit Galenus in cap. 4. prioris lib. de semine, momenti quidquam habent ad refellendum. At crassiorem alteram partem ita cum sanguine menstruo & fœminæ semine permisceri, vt ex omnibus simul permistis totum animalis corpus formetur. Humida enim & liquida protinus permiscentur: & Hippocrates ac Galenus maris ac fœminæ semina permisceri fatentur. Imò hęc fuerunt Hippocratis verba in 1. lib. de diæta; siquis animam animæ. 1. semen semini permisceri perneget, amens esto. Itaque quoniam materiam remanere oportet in eo, quod ex ipsa efficitur; pars hæc seminis in formato fœtu conseruatur. Neque hinc conficias, aut efficientem causam & materialem conuenire in vnam; aut marem patiendo ad procreationem concurrere. Nam & in plantarum seminibus quidpiam est in suprema eorum parte, quod agendi vim habet; & reliquum materiam præbet: & animalium semen non est totum vnius & simplicis naturæ; sed duæ in eo partes separantur, quarum altera agentis, altera materiæ vim habet. Neq; illud dicitur patiendo cõcurrere, quod materiam, aut materiæ quidpiã tribuit: sed illud, quod seipsum alteri subijcit, eiusq; actionem suscipit; siue materiam aliquam, siue nullam omnino conferat.

Ita ex sanguine solo partes formantur omnes, siquidem semen ipsum sanguis est. Et quidem rationi maximè consentaneè. Quippe ex iis nutritur vnumquodque, ex quibus constat; eædemq; sunt conseruantes causæ, quæ procreantes fuerunt. Ex nutritione igitur, qua conseruantur corpora nostra, de prima illorum formatione ratiocinetis. Omnes corporis partes, licet distinctissimæ naturæ ac temperationis, sanguine nutriuntur & sustentantur:

sustentantur: non quòd ex eo, quod in sanguine crassius est, gignatur os, neruus, solidioresque partes; & ex eo, quod est tenuius, caro & molliores aliæ ac tenuiores: tanta enim diuersitas complexionis & naturæ, quanta inter os & carnem cernitur, solam illam causam habere non potest: sed quòd idem illud alimentum actione singulorum membrorum ac partium nutriendarum alio atque alio modo afficiatur ac mutetur. Quemadmodum igitur anima vt est in osse aut carne, ex eodem alimentario sanguine os procreat aut carnem sibi similem: ita nimirum ex eodem sanguine primordiali multiformi actione seminis velut instrumenti à procreante animali decisi, possunt eædem illæ tantopere inter se diuersæ partes primùm formari. Quod enim in nutritione potest anima in pluribus illis partibus actu diuersis; potest & semen, quod potestate & virtute est omnes illæ partes, quatenus animæ & animalis instrumentum existit. Animæ inquam, quæ organicum & pluribus partibus distinctum corpus quærit: & animalis, quod actu partes illas omnes habet. Ideò etiam potest diuersis modis materiam illam alterare, durandoque formare ossa, extendendo neruos, & coagulando carnem ac partes cæteras. Præsertim cum non minùs sanguis ille, tũ menstrui, tum seminis, quàm is, qui quotidiani est alimenti, potestate sit & velut materia partes illæ omnes, tum formandæ, tum sustentandæ.

Sanè maris semen, quia viscidum est & filosum, magnopere videtur cum ossibus, neruis & similibus cæteris partibus conuenire, aptaque illorum materia esse. At optimè monuit Auicenna in 9. de animalibus libro, hoc inter naturam & artem interesse; quòd ars exterius solùm operatur, variis modis corporum figuras versando; sed illorum complexiones & naturas non mutat. Natura autem totam sibi subiectam materiam ita preuadit, vt aliis atque aliis qualitatibus afficiat, nouamque formã & naturam producat. Quare etsi sanguis mẽstruus duritatem ossium, ac neruorum venarumque filositatem non habeat, actione tamen seminis ita mutatur, vt ex eo partes illæ omnes breui formentur tempore; productis nimirum dispositionibus cunctis & accidentibus tum necessariis, tum opportunis.

Sed quoniam in re præsertim graui nihil temerè pronuntiandum est; id, quod dixi, non solùm Hippocrates, Galenus, ac peritissimi quique medici confirmabunt; & Aristotelis illa verba in cap. 1. & » 3. memorati libri; semen non est animatum actu, » sed potestate. Verùm etiam ita esse, multis modis ostendi potest. Primùm; quia nullo modo credendum est totum semen maris, quod quandam habet partem perquàm corpulentam & tenacem, perire ac dissolui, dum in alienam agit materiam. De parte spiritosa & tenui, quæ facilè potest efflare, id verè affirmare licet: at de altera non item; neque qua via efflare queat, ostendi potest. Deinde, quia si filius nullam haberet paternæ substantiæ partem; nequaquam diceretur esse de substantia patris: neque maior in viuentibus, quàm in igne, cæterisque rebus inanimis, gignentis & geniti vnitas seruaretur. Cùm tamen in scholis philosophorum illud persæpè audiatur; In viuentibus id, quod gignit, aliquid suæ substantiæ tribuere genito, quod idem numero in eo permaneat; hocque esse semen. Certè in plantis manifestum est, non omnino aboleri semen, dum plantam procreat; sed in illa ipsa remanere: & in iis, quæ inseruntur absciſsaue transplantantur, abscissus ramus veluti semen decisum in arbore remanet, quæ mox adolescit: neque animalia æquum est deterioris conditionis facere. Neque enim magis animal genitum diceretur filius, aut de substantia gignentis animalis; quàm arca, cathedra, aut artificium quoduis: siquidem nil aliud, quàm actionem & efficientiam vtrumque agens effectui suo dedisset. Tum verò obseruatum est sæpè ab iis, qui diligenter & accuratè prægnantium corpora dissecarunt; in fœtuum formatione principium fieri à panniculo, qui semen viri ac fœminæ sanguinem ita includit, vt omnino crassa substantia formando fœtu necessaria efflare amplius non possit. Narrat Hippocrates in lib. de natura fœtus, & refert quoque Galenus in lib. de fœtuum formatione cap. 1. psaltriam quandam fœminam ipsius iussu sexto post conceptionem die feciſse abortum; seque genituram maris panniculo (quem χώριον fuisse scribit Galenus) vidisse inclusam; perinde ac si quis crudi qui exterius putamen detraheret, vt per interiorem membra nulla interior humiditas pelluceret. Sæpiusque accidere, vt mulieribus post tres aut quatuor à principio dies, semen panniculo circumuolutum excidat; scribit idem Galenus in 1. lib. de semine cap. 4. Ego verò addam, tantam partium ac membrorum corporis varietatem ac diuersitatem; nec solùm quoad numerum, sed etiam quoad temperaturam & qualitates vniuersas; haud posse in vnam solam sanguinis à fœmina comportati materiam referri. Quis enim ex mollissima & humidissima materia formari credat durissima & ficcissima ossa, neruos, arterias, venas, cartilagines, aliasque his similes solidiores partes?

Partes spermatica & nõ spermatica.

Vnum est hoc loco, quod in scholis medicorum non libenter audio. Duo enim distinguunt in animalis corpore partium genera: quasdam spermaticas, quæ ex semine spermateque maris tanquã ex propria materia formentur; cuius generis arterias, venas, neruos, panniculos, cartilagines, copulas, tendones, ossa, & cerebrum esse affirmant: quòd & seminis colorem referant, & exanguia sint. Alias verò, quæ ex menstruo sanguine oriantur; carnem totam, cor, iecur, & viscera reliqua. Hanc ego distinctionem numquã probabo. Quoniam (vt mittam, neque illius auctores in ea tuenda satis esse constantes. Siquidem Galenus in 2. lib. de naturalibus facult. cap. 3. apertis verbis scriptum reliquit, os, cartilagines, arterias, venas, neruos, & omnino partes omnes, ex menstruo sanguine fieri: hunc que omnium materiam esse; agentem verò ac formantem causam, maris semen Phidias inquit, ex cera efficere ebur aurumue non potuit; sed nec ex auro ceram. Natura nullius materiæ veterem formam seruat. Quippe ita sanguis essent cunctæ animalis particulæ: is scilicet, qui à matre confluit, vna vniusque formæ materia ceræ vice artifici subiecta: siquidem os, cartilago, arteria, vena, neruus, membrana, exanguia quidem sunt, ex sanguine tamen facta) cùm semen & sanguis menstruus omnino permisceantur & confundantur, vt antea dictum est; semenque vel intimas omnes menstruæ materiæ partes peruadat, vt in omnibus fieri possit actio & apta omnium cõformatio (neque enim semen est veluti artifex, qui in sola subiectæ sibi materiæ extremitate hæreat; sed agens prorsus

Partes omnes tum ex semine, tum ex mẽstruo formari.

naturale, quod partes omnes peruadat) magis est A rationi consentaneum existimare, nullam esse in toto corpore partē, quæ aut solo sanguine constet, aut solo semine; sed ex vtriusque permistione omnes existere. Quemadmodum enim ex alia atque alia elementorum permistione diuersa mistorum genera producuntur: sic ex varia seminis & sanguinis temperatione diuersæ illæ corporis partes formari possunt. Quarum eæ, quæ spermaticæ appellantur, vberiorem habeant seminalem materiam: reliquæ abundent potiùs sanguine. Nec video, quid tandē soliditate ac duritate inter sanguinem menstruum & semen tantopere interfit. Nam etsi propter viscositatem videatur semen consistentiam quandam habere maiorem; illa tamen quid sit ad ossium duritatem? Mucus itē & phlegma viscosa sunt & filosa; opportuna igitur ossium, neruorum, ac venarum materia. Et certè hac ipsa in re non satis homines mirari possum, dum cor nobilissimam & generosissimam totius corporis partem ex fœtido affirmant sanguine gigni; atque ex infirma frigidæ fœminæ materia membrum illud formari; quod tum caloris fons est, tum omnibus dominatur: & ex quo ipsorummet confessione deducuntur arteriæ, quas ex viri semine formant. Ac rursum iecur, in quo venarum principatum ponunt, ex crassissimo sanguine dicunt concrescere: cùm tamen inde pullulantes venas constare velint spermate. Ac demum dum solidas duntaxat partes, quæque sanguine non alantur, ex semine fieri statuunt; mollissimum statim cerebrum & fieri addunt ex semine, & nutriri sanguine. Complura his similia prætermitto, quæ facilè obseruabuntur ab eo, qui naturalis rationis ac philosophiæ principia vel mediocriter teneat.

De fœminæ semine vide quā pugnanter & oblitiosè loquantur. Semen hoc agendo ad procreationem fœtus concurrere, apud illos certissimum principium est. Peripateticis ne conclusio quidem. Mox semen illud addunt alimentum esse seu materiam, qua semen maris nutriatur, quia humidius est. Atque ex illo, quia frigidius concrescit faciliùs, panniculos fieri, quibus fœtus post formandus inuolui & contineri debeat, & conseruari spiritus ne euanescat & dissipetur. Quorum primus est χόριον, Latinis secundina; quæ proximè adhæret vuluæ, ab eaque fœtum separat. Alter huic propinquus farcimini figura persimilis ἀλλαντοειδὴς, seu intestinalis appellatur. Postremus, qui proximè fœtum continet, à mollitudine ἄμνιον vocatur. Intra hos formatur fœtus. Qua in re sententiam suam planè destruunt, dum fœmineo semini, F alium formandi fœtus effectum tribuunt. Consumitur enim in panniculis illis texendis: aut si quæ pars supereſt, alimentum præbet semini maris, dum intra panniculos totam sibi subiectam materiam format ac pingit. Illi porrò panniculi nequaquam fiunt ab vteri calore assante, velut crusta in pane; quemadmodum nonnulli crediderunt, decepti quibusdam Hippocratis verbis in lib. de natura fœtus, & Galeni in 1. de semine cap. 4. Quis enim ibi calor assans? etsi tantus esset calor, numquam conceptio fieret. Quæ, inquit Hippocrates aphor. 62. lib. 5. vteros habent percalidos & adurentes, non concipiunt. Sed à formatrice virtute, quæ inest in semine. Nam & in plantarum genere, tum fructus, tum cortex, folia, & operimentum quoduis, à seminis virtute formantur. & Hippocrates quoque semen tradidit panniculum facere.

Panniculi fœtum continentes.

Hic triplex est. Secundina totum inuolvit fœtum: & duabus constat tunicis; inter quas arteriæ, & venę complures sparguntur, quæ in vmbilici vasis vnitæ, & cum orificijs arteriarum & venarum vteri coniunctæ spiritum, & sanguinem ad vmbilicum deducunt. Ita fœtus, vt planta terræ alligata radicibus, nutritur. Hic est primus panniculi huius vsus; vt arterijs, & venis per eum sparsis vtero alligetur fœtus, indeque nutrimentum accipiat. Alter, ne mollis fœtus vuluæ contactu, aut quouis illius motu lædatur. B

Secũd. fœtus.

Arteriæ.

Allantoides ab vmbilico solùm inferiores partes inuoluit: quòd hic sit illius vsus, vt vrinā fœtus vmbilico effusam excipiat. Propterea multis constat rugis & amfractibus, quibus continetur vrina; ne mordax cùm sit & acris, aut fœtum lædat, aut secundinam corrodat, aut etiam abortum prouocet.

Allantoides.

Amnion demum totum fœtum molliori magisque suaui contactu continet. Tum vt totum à secundinæ durioris contactu tueatur, tum vt sudores à toto exeuntes secernat. Et ideò rarior est, vt sudor resudare possit. C

Amnios.

Fæces ibi nullæ sunt; quòd hæ ex prima cibi coctione separentur; quæ nulla est in fœtu, qui alimento à matre iam cocto sustentatur. Propterea alio non fuit opus panniculo, quo excrementi hoc genus eiiceretur. Summaque naturæ prouidentia factum est, vt sanguine per vmbilicum, non chylo per os, nutriretur fœtus. Quia cùm ex chylo plura & crassiora secernantur excrementa, hoc & tenello fœtui molestissimum esset, & vterus nimium excrementis repleretur & grauaretur. Prima omnium formatur secundina, tum aliæ duæ; quidquid in tractatu de formatione fœtus dicat Egidius. Quoniam priùs oportet alimentum attrahere per venas per illam deductas, quàm excrementa vlla eiicere. D

Fæces.

Chylus.

Excrementa.

Quid primùm formetur.

Disputant rursum Aristoteles & Galenus; quanam potissimùm ex parte sit formationis principium. Aristoteles in 3. libro de partibus animalium ca. 3. & 4. & 2. libro de eorumdē procreatione cap. 1. & 4. pluribusq; aliis in locis, cor primum omnium formari existimauit. Quod post illum non Peripatetici modò confirmarunt, sed ex medicis quoque non pauci; & inter eos Arabum princeps Auicenna in 21. fen. 3. can. tract. 1. cap. 2. & Iacobus Foroliuiensis, Dinus, Thomas de Garbo, & omnes illi, qui commentaria ediderunt in caput de generatione embrionis. Nec dubitauit Auicenna ex hoc rationem sexus deducere: vt si cordis complexio primùm formati fuerit masculina; calida scilicet & cum multo spiritu; reliquis item membris proportione similis complexio accedat, totusque fœtus masculinus euadat fœmininus, si secus. Probatio autem Aristotelis fuit; tum ex corporum dissectione, qua in imperfecto adhuc fœtu cor animaduertit ante reliqua membra formatum. Tum ex ratione; quia cor principium est virtutis omnis, quæ in animali reperitur, debetque membra omnia regere & gubernare. Æquum igitur fuit, membrum illud ante omnia producerere, deque illo

maxime

maximè naturam esse sollicitam, à quo reliqua omnia gubernari ac vim penè omnem deriuare debuerunt.

Galenus autem in 1. lib. de semine cor & iecur affirmauit initio formationis existere; illud ex tenuiori sanguinis parte, hoc ex crassiore: propter insignem nimirum, non iecoris modò, sed & cordis, in animalibus perfectis vsum. At in lib. de fœtuum formatione, quasi palinodiam canens, iecur asseruit primùm, deinde cor formari: his scilicet coniecturis adductus. Primùm; quia si abortus post diem trigesimum fiat, tria conspiciuntur membra, iecur, cor, cerebrum; omniúmque maximum est iecur. Deinde quia communis est Philosophorum & Medicorum sententia; fœtum primo illo formationis tempore solam plantæ vitam viuere. Nulla igitur tunc cordis necessitas, quando prorsus non respirat. Nec enim vllus ibi aër; & si ore aperto attraheret spiritum fœtus; aquas, quibus inatat, traheret & suffocaretur. Multò minùs cerebri; quod cùm sensus & motus principium sit, primum omnium formari Alcmæon credidit: & vt in 6. de Hippoc. & Plat. decretis scribit Galenus, inde vasa omnia deriuari docuit Pelops.

Cæterùm non debuisset Galenus tàm leues ob causas inconstantiæ ac leuitatis notam subire. Nam quòd post trigesimum diem inchoata tria conspiciantur membra, quid mirum? quòd verò iecur sit maius corde, miror ego à docto & graui homine adferri: quasi verò maiora membra continuò debeant priùs, quàm minora, formari. Conditio cordis maiorem non requirit molem; atque per omnem vitam multò minus est iecore. Denique cùm obseruasset Hippocrates in pullorum generatione primùm apparere caput; respondit Auicenna, cor quidem priùs fuisse formatum; sed aut propter paruitatem, aut propter confusionem cum aliis membris tardiùs discerni. Est enim, inquit, interdum millij grano nõ maius. Quod autem Galenus iactitat, eo tempore animal non indigere corde; præclarè mea quidem sententia idem ipse Auicenna confutauit. Principiò enim haudquaquam potest viuens illud nutriri, in quo non insit vita natiuo sustentata calore: siquidē solis viuentibus inest nutritio. Membrũ igitur illud primum omniũ formari debet, quo & omnis vita & natiuus calor tamquam à principio & fonte deriuantur, vt ita demum fieri possit nutritio; atqui membrum hoc in animalibus est cor, velut principium facultatis vitalis. Deinde vis formatrix non eget statim nutritione ac restauratione; nisi resolutio, consumptio, & dissipatio substantiæ antecedat. Itaque dum primò format membrum, illius nutritione non indiget; quoniam nihil fuit consumptum, quòd restaurari oporteat. Nulla verò prorsus illius membri necessitas ante partium earum, quas Galenus spermaticas vocat, formationem. Alioqui si antea sanguis copiosior affluxisset, obruxisset semen; neque verus conceptus existeret, sed mola; vt ex iis intelligas, quæ de molæ generatione habet Hippocrates in primo lib. de morbis mulierum, & lib. de sterilibus. In prima igitur fœtus formatione nihil opus iecore, nec alimento. Verùm cùm in tota formatione ac propagatione fœtus, & necessaria sit vita, & vitalis calor ac spiritus, quibus regatur fœtus, foueatur, ac sustentetur, atque ad meliora trahatur, hæcque omnia promanent à corde; manifestum planè est, à corde primum inchoandam formationem esse.

Spectant huc quoque eà omnia, quæ de huius membri necessitate ac principatu alibi à me fuerunt exposita. Quale illud est, nutritionem sine hoc membro fieri non posse; alimentum ab illo tandem elaborari debere, ante quàm possit in reliquarum partium substantiam commutari. Etsi enim eo tempore cor spiritum non gignat, nec pulset; sed spiritus per vmbilici arterias à matre suppeditetur: caloris tamen fons est; membrúmque princeps, à quo deinceps administrari vita & conseruari debet. Vt in hac quoque difficultate firmioribus multò ac certioribus rationibus Aristoteles, quàm Galenus, nitatur. Atque immeritò Ioannes Fernelius in lib. de hominis procreatione cap. 10. (qui tamen tàm inconstanter loqui mihi videtur, vt modò iecur primùm, modò cor & iecur simul, ac tandem omnia membra eodem tempore formari dicat) calumnietur, nullis firmis rationibus eam sententiam ab illius auctoribus confirmari.

Sic igitur res habet. Fœmineus vterus maris semen ore interno quasi manu auidè arripit atque in sinus recondit suos. si eodem tempore fœminæ affluat semen, celerior & prōptior erit conceptio, vt in primo de mulierum morbis habet Hippoc. Certè non multo intercallo affluat necesse est, tum semen, tum sanguis menstruus. Neque enim nisi menstruales conceptiones esse solent: & Hippocrates mulierem voluit desinentibus aut inchoantibus mensibus adire virum. statim verò susceptо semine, in illius complexũ colligit sese & contrahit vterus; illius scilicet retinendi & concipiendi auidus. Retentum fouet, illiúsque virtutem sopitam excitat atque ad formandum fœtum promouet. Nam cùm semen non actu, sed potestate animatum sit, alieno, vt excitetur, principio indiget. Hæ igitur sunt vteri circa semen actiones; attractio, retentio, permistio, suscitatio.

Quo ordine formetur fœtus.

Primis autem statim conceptionis diebus tres quasi producuntur bullæ; ex quibus tria præcipua membra, cor, iecur, & cerebrum formari debeant. Sed præcipui membri, quod vt vltimum moritur, sic primum viuere debet, cæterisque impertiri vitam; cordis inquam bulla, reliquas tempore antecedit. Nempe sexto aut paulò amplius die quædam existit massa, velut spumosum lac, tribus hisce bullis distincta; quæ paulatim deinceps in membra concrescunt. Ideò enim vt accedente alimento (hactenus enim ex materia nihil attractum est præter illud, quod primùm fuit iniectum) perficiantur omnia; formantur vmbilici vasa, quibus ad vteri venas deductis sanguinem illis contentum hauriant & ad fœtum deducant. Deinde tribus illis panniculis fœtus inuoluitur, secundina, allantoide, & amnio; de quibus non multò antea dictum est. Quam ob causam fortasse dixit Democritus exteriora primùm, deinde interiora produci; hoc est panniculos primùm, tum intra panniculos fœtum. Ita fœtus veluti fructus est in arbore; panniculus vt cortex, seu folia, quæ fructum tuentur; vmbilici vasa instar copulæ, qua fructus arbori alligatur, atque adeò accipit nutrimentum. Et principiò quidem venulis per panniculum sparsis

Fœtus fructus in arbore.

nutritur fœtus : deinde verò per proprias venas; vbi paulò melius fuerint formata membra. Cùm igitur circa membrum princeps ſtatim occupetur natura; ita ſedulò agit, vt nono die apparere incipiant guttæ quædam rubeæ & fila; ac decimoquinto, quaſi ſanguis iam coagulatus conſpiciatur : tuncque primùm reliqua duo membra apparent. At vigeſimoſeptimo die formata magis viſuntur, & quoad ſubſtantiam carneam perfecta, atque ab inuicem diſtantia. Tum verò principibus membris formatis, corde, iecore, cerebro; quæ cæterorum formationem iuuare debent; vſque ad trigeſimum quintum vel trigeſimum ſextum diem venæ formantur, arteriæ, oſſa, nerui, membranæ, pectus, venter, inteſtináque cætera; atque à cerebro ducitur ſpinalis medulla, oſſáque ſenſim dureſcunt: ac demum artus omnes atque externa membra quoquo modo formata ac diſtincta conſpiciuntur; ſi fœminæ fuerit conceptus : nílque aliud ſupereſt, niſi vt ad quadrageſimum vel quadrageſimum ſecundum vſque diem expoliatur opus atque ad perfectionem & ornatum adducatur: carne videlicet repletis cauitatibus multis, quæ in rudi adhuc opere ſuperſunt; tandémque obducta cuti, velut perfectiſſimi operis inuolucro. Quòd ſi maſculus fuerit fœtus, triginta ferè diebus ita perficitur, vt grandioris formicæ magnitudinem non multum excedat; deincépſque perficiatur paulatim, creſcat, & ornetur ſenſu: vt tertio etiam menſe mas, & quarto fœmina, mouere ſeſe incipiat, & quaſi in vtero calcitrare.

Quo tẽpore fœtus in vtero moueatur.

Diuerſitatis huius ea eſt cauſa quod tempus motus proportionem habere oportet cum tempore formationis; vt ita ordine omnia & periodis ſuis procedant in natura. Porrò membrorum motus duo poſtulat; organizationem, & ſoliditatem. Quoniam motus omnis immobili quopiam & fixo indiget, cui innitatur illud, quod mouetur. Itaque tria erunt tempora neceſſaria; formationis, ſolidationis, & motus. Quæ ſi reſpondere ſibi debeant; vt mas fuit formatus triginta, & fœmina quadraginta diebus, totidem aquirent ſoliditatem : ac demum poſt totidem mouebuntur : mas inquam nonageſimo, & fœmina vigeſimo ſupra centeſimum die : ille tertio, hæc quarto menſe. Eſt enim mas fortior fœmina, breuioríque tempore membra omnia ſolidantur. Tametſi id, quod tum de formationis, tum de motus tempore dictum eſt; intelligi debet plerumque non ſemper euenire. Maior enim aut minor calor poteſt interdum aliquot dierum diuerſitatem parere.

Tempus partus.

Denique vbi perfectus fuerit, calcitrando rumpit panniculos & prodit fœtus in lucem ex obſcuro & tenebricoſo carcere : cùm eam adeptus fuerit corpuſculi granditatem, vt copioſiore indigeat alimento, maioréque refrigeratione, quàm vmbilici vaſa ſuppeditent : & verò etiam ampliore loco, quàm vteri anguſtiis contineatur. Accedit nimia vteri diſtenſio, grandioríſque molis pondus, atque illius motus: quæ vterus iam non tolerans eiicere nititur. Itaque ex pari fœtus & fœtæ contentione partus editur naturalis. Porrò humani partus tempora ferè ſunt ſeptimus, octauus, nouus, decimus, & vndecimus menſis. Ante ſeptimum nullus eſt: ſed ſi ante id tempus excludatur fœtus, vt ſatis perfectus non eſt, ita non partus, ſed abortus dicitur, aut effluxus. Partus enim non niſi perfecti & abſoluti operis in lucem editio eſt. Perfecti inquam, tum partium omnium conformatione, tum corpulentia & robore : ante ſeptimum menſem non adſunt. Quòd ſi excernatur genitura antequam formatus ſit fœtus, effluxum dicimus : abortum autem, ſi formatus fuerit; ſiue immaturus prodeat, ſiue extinguatur in vtero.

Vndecimus menſis poſtremus eſt terminus, quem ſi excedat, non legitimi fœtus, ſed molæ argumentum eſt. Mola enim pluribus interdum geſtatur annis, quòd nec alatur, nec tranſpiret; neque alimentum, aut aërem, aut maiorem locum optet. Septimeſtris partus non rarò euenit, nonimeſtris frequentior, naturaliſque maximè : decimeſtris itẽ ſatis frequens, vndecimeſtris riſſimus, naturæque grauis tam diuturna geſtatio. Septimeſtris vitalis eſt, ſi 7. exeunte menſe, decimo inquam & ducenteſimo die, vt Hipp. interpretatur in l. de principiis, prodeat.. Inde & illud in l. de alimento Ad figurationem ſoles trigintaquinque, ad motum ſeptuaginta, ad perfectionem ducenti & decem. quod ſiue ad partium conformationem, ſiue ad robur nihil prorſus deſit. quippe ſequentibus menſibus nihil partibus perfectionis accedit; ſed roboris, ſi imbecillior virtus formatrix fuerit, nec ſatis robuſtum potuerit 7. menſibus facere.

In præſtantiam & diuinitatem quandam ſeptenarij numeri fœtus huius vitam referunt Pythagorici. certè Hippocrates in l. de principiis, & in l. de ſeptimeſtri partu, maximam huic numero vim ineſſe credidit, quo tota vita noſtra diſpenſetur. Nam & in vtero diebus ſeptem partium penè omnium rudimenta viſuntur, & 7. menſe abſolutum eſt opus. Mox in lucẽ editus infans 7. menſe dentis incipit; 7. anno dentium mutatio fit; 2. ſeptenario pubeſcit ſeménque emittit, & vocem mutat; 3. barbeſcit & ſemen habet prolificum; 4. acquirit robur; 5. & 6. vires tuetur; ac ſingulis demum ſeptenarijs mutationes maximas fieri Ariſt. quoque in 7. l. de an. hiſt. confirmauit. atque vt vno verbo dicam, cõceptus, abortus, partus, iiſdem temporibus quibus & morbos, iudicari voluit Hippocrates; morbiſque ſoli ſeptenarij ſunt critici. Verum agẽdi nullavis ineſt numeris; quantitas n. eſt numerus. Certam potiùs noſtræ legem ſtatúque in omnibus circuitum admireris. 7. autem menſe perfectus eſt fœtus : quare ſi anguſtus ſit vterus, & maiorem locum quærat fœtus; cum nihil ei ad perfectionem deſit, ſi prodeat in lucem, viuet. Sed & nonimeſtris, decimeſtris, & vndecimeſtris vitales ſunt.

Solus octimeſtris non item. quid ita? ſi ſeptimeſtris viuit, cur non multò magis octimeſtris, diutius vtero detentus, longioríque naturæ opera atque induſtria elaboratus ac perfectus? Hippocrates nullum vmquam viuere affirmauit. & in libro de alimento partus. 240. dierum (qui octo faciunt menſes) non eſt & eſt; hoc eſt naſcitur quidem, ſed vitalis non eſt. Ariſt. verò in 4. de gen. an. c. 4. minùs quidem, viuere tamen poſſe ſcripſit : & in probl. 40. ſect. 10. confirmauit. & in 7. l. de hiſt. an. c. 4. Qui menſe, inquit, octauo naſcuntur, viuere ac adoleſcere in terra Ægypti poſſunt, & quibusdam alijs in locis, vbi mulieres fertiliores ſunt, multóſque ſimul facilè & ferunt

&

pariunt. sed locis hisce multi intereunt, nec nisi perpauci seruantur. In Italia quoque eorum priscorũ opinionem vitales hos partus interdum esse, l.7.c.5.autor est Plinius. fœminæ robori tribuendum id erit; vel vt Arist.loquitur, in diebus computandis ratum fuit,nec satis conceptionis tempus animaduersum.

At siue numquam,siue vix vmquam vitales sint, effectus ratio quæratur. Astrologi & Genethliaci syderum causantur aspectus.singulis enim inquiũt, mensibus planeta quispiam præest, primo Saturnus frigidus & siccus semen retinet in vtero,& humidam materiam cogit. 2. Iupiter calidus & humidus fœtum format & auget. 3. Mars calidus & siccus superflua siccat &mouere incipit.4.Sol maiori calore perficit & ampliores meatus reddit. 5. Venus,carnem auget &venustatẽ adfert.6.Mercurius motus instrumenta perpolit.7. Luna carne & pinguedine implet omnia fibrarum spatia, vteriq; osculum ad partum humectat.Itaque planetis omnibus exultus si prodeat, opportunè & ad vitam prodit. At si 8. mense maleficus & vitæ hostis Saturnus redeat,fœtúmque refrigeret & constringat vterum, infausta succedunt omnia; difficilis enim est partus, & calore & humore qualitatibus vitę destitutus fœtus non potest viuere.Atque omnino minus est à luna ad Saturnum, ab infimo ad supremum mutatio, quàm tenellus fœtus ex consueto ad insuetũ locum prodiẽs non sustinet. quod si benignum expectet Iouem prospera succedunt omnia;nec minùs, si Martem aut Solem.

Ceterum horum hominum vanitatem præclarè confutauit Io. Picus in iis, quæ copiosè aduersus ipsos disputauit. quàm enim ineptum est illud;primordia vitæ à capitalissimo vitæ hoste mortísque principe planeta ducere? Aut quî fieri potest, vt primo & 8. mensi Saturnus presit; cùm quolibet tempore,mense,die,& hora concipiat mulier? ceruólque 8. mense vitales nasci testatur Aristoteles in 6. de an. hist. c. 29. Aliis igitur proportiones potiùs sectari libuit; duplámque conformationis ad motum, & triplam motus ad partum proportionem ponere, vt vitalis sit partus. Ideò septimestris viuet,quia 25.formatur,70.mouetur,210.prodit in lucem.quidquid enim in septuaginta moueatur; iti triplicitatibus perficitur, vt est in 2. lib. de populi morbis sect.3. At si 40.die formetur,& 80. moueatur, & 240. prodeat; nónne proportio illa seruabitur ? erit tamen 8. mensis, miniméque vitax partus, vt ex lib.de alimento dictum est.

Esto igitur hæc vera huius rei causa. Fœtus exclusionem legitimam non procurat natura, nisi absolutus, perfectus, & omnino viuax sit fœtus. 7. demum mense perfectus est,absolutus, viuaxque. Tune igitur si robustus sit, panniculos rumpit & exitum sibi fœlicem parat. si prævalere non potest,imbecillus est:at plurimum conando & colluctando patitur. quia si non multò post, 8. 5. mense, viribus nondum satis refectis conatum eundem & luctam repetat, duas sibi statim succedentes afflictiones non ferens planè prosternitur: & si in lucem veniat, ita fractus & debilitatus venit,vt viuere minimè possit. si 9. aut 10. expectet mensem,renouatis viribus ac robustus prodit ac viuit. Sanè Hippocrates octimestrem partum dixit non viuere, quòd consequenter sibi succedentes duas afflictiones sustinere non valeat: sed alio quodam modo loquutus est. Alteram enim is afflictionem interpretatus est in vtero fuisse; quòd circa illud tempus per 40. dies laboret vterus; quia difficilior fœtæ gestatio est, & fœtus imbecillior. Altera vero in partus contentione,& parturitionis doloribus,fœtúsque labore. Infestantur maxime, inquit Plinius, in 7. de hist. « mulieres mense quarto octauóque : & si vel 4. « vel 8. fœtus perierit, ipsæ quoque magna ex parte « intereunt. Itaq; plures fuerint vnius effectus causæ, « vteri ac matris per id tempus imbecillitas ; fœtus circa 7. mensem conatus & lucta, ac nimis accelerata imbecillioris adhuc colluctatio. ex quibus omnibus moribundum planè prodire fœtum necesse est.

Situs in vtero.

Iam quo modo prodeat paucis dicendum est. Totus contractus & quasi conglobatus in vtero sedet puellus: manibus apprehendit genua, atque inter genuà ita demittit caput, vt oculi vtrinque pollicibus incumbant manuum,nasúsque in genua descendat. confirmat hoc Aristoteles in 7. de an. hist.libro. At proditurus in lucem, caput primum exerit,si secundum naturam egrediatur.Tum quia vmbilico quasi libratus mouetur, superioraque grauiora sunt. Tum quia ibi principium motus. Tum etiam quia facilior exitus, quàm si pedibus exiret. Manus enim & brachia, aut non ita dilatant viam; aut impediunt, si fortasse vel propter amplitudinem, vel propter dolorem & agitationem vteri extenderentur. Agrippas in pedes natos appellauere veteres. Ritu ergo naturæ, inquit Plinius l.7.c. 8. capite hominem gigni mos est,pedibus efferri.

Cur capite prodeat.

Cur verò citiùs aut tardiùs pariant animalia,aut petitur ex minori maioríue animalis perfectione, aut ex minori vel maiori fœtus magnitudine. Ferè enim grandiora animalia multo tempore portant, vt elephas duobus annis. Aut ex minori maioriue alimenti copia. Hoc enim deficiente calcitrat fœtus, rumpit panniculos, & erumpit. At quid est causæ, cur masculinus fœtus perficiatur citiùs? An quia dextrum vuluæ latus, in quo mas formatur, calidius est sinistro, quo fœmina continetur? an quia & dexter testis & semen ab eo decisum caloris plus habent? Calor enim vehementer & strenuè operatur;atque inde nascitur mas. An demum quia & materia tota melior est, magísque pura & apta recipere actionem omnem & formationem agentis ? atque vt est minùs humida minúsque fluida, ita terminatur faciliùs, atque ad membrorum consistentiam soliditatémque adducitur.

Curmas citiùs perficiatur.

Quamquam marem semine à dextro teste decisо procreari, atque in dextro vteri sinu concipi, medicis quidem certissimum est ; at mihi aut magnopere suspectum,aut non semper verum. Nam cùm sexus conditio ex virtute & proportione seminis supra menstruum pendeat;vndecumque decisum sit semen,potest esse tàm calidum, fœminámque tàm frigida,vt mas nascatur.Potest etiam esse tàm debile & fœmina tàm robusta ; vt quamuis ex dextro teste prodierit, fœmina tamen existat. Potest vterus esse tàm calidus aut frigidus, vt & in sinistro sinu mas, & in dextro fœmina procreetur: certiórque omnino sexus ratio ex proportione agentis & patientis vniuersè petitur.

Iam si mas in vtero ; extra vterum certè fœ-

mina citiùs perficitur ; vt in 7. lib. de animalium historia cap. 3. Philosophus quoque confirmauit. Primùm enim cùm frigidior sit temperatio, altrixque virtus imbecillior; citius augere desinit. Deinde maius humidum faciliùs extenditur. Sed vt est minus aëreum, magísque aqueum, frigidum, & plegmaticum, minorem suscipit extensionem. Ita ferè maribus minores fœminæ. Tum verò accedit, quòd actiuè alterum procreare, quod est operatio, quæ à mare iam perfecto proficiscí debet, fortior multò est, efficacior, maioréque opus habet robore, maiore perfectione ac longiore tempore; quàm fœminæ operatio, quæ solam in se ipsa materiam suppeditat, fouétque. Hanc ob causam citiùs fœmina, quàm mas, est ad procreandum apta: illa duodecimo, hic quartodecimo vix anno: citiúsque fœminæ, quam mari, nuptias leges omnes permiserunt. Denique mas, vt plus habet caloris atqúe humoris aërei & puri, sic longinquioris est vitæ (si secus interdum accidat, id ex victus ratione, laboribus plurimis, aliísque causis externis proficiscitur) quod autem citiùs interiturum est, ad perfectionem magis atque integritatem properat. Denique duplicem Hippocrates in lib. de septim. partu complexus rationem est. cùm, „ inquit, à matre segregatæ fuerint, puellæ celeriùs, „ quàm masculi, pubescunt, sapiunt, & senescunt: tùm propter corporum imbecillitatem; tùm propter victus rationem. Quippe imperfectiora sunt eorum corpora, & otiosam atque inertem vitam degunt.

Cur fœmina citius extra vterum perficitur.

Mẽstrui sanguinis tres partes in vtero.

Vndæ variolæ & puerorũ morbi.

Cæterùm quandiu fœtus vtero continetur, sanguis menstruus, qui formationis fuit materia, mox ad vterum defluens tres in partes diuiditur. Prima, quæ omnium optima est & maximè pura, in formandi fœtus nutrimentum & auctionem cedit. Quoniam tamen aliquid semper noxij admiscetur, existunt inde variolæ, & alij morbi, quos nullus ferè puer euadit. Inficitur enim sanguis & caro tota: & quandiu gestatur vtero fœtus, à loci calore conseruatur, neque debilis calor fœtus potest expellere. Post robustiore facto calore, ebullit noxius humor, atque ad expulsionem mouetur: citiùs aut tardiùs, vt diuersa fuerit caloris conditio. Hoc variolarum morbo non vexantur bestiæ, quòd & sicciore vtantur victu, & labore atque exercitio impurum humorem digerant, aut etiam in pilis & cornibus absumant. Porrò alimentum hoc vmbilico trahi, neque primam ventris aut iecoris alteram, sed solam membrorum tertiam coctionem habere fœtum, tum tenera illius conditio requirebat; tum vmbilicalis vena testatur. Nullum quippe vas est, quo ad os ducatur cibus. Quo argumento conuinci possunt Democritus & Epicurus, de quibus in 5. de Placitis libro Plutarchus. Magis miror Hippocratis illa verba in lib. de principijs; Puer in vtero comprimens labia, ex vtero matris alimentum sugit. sed aut à quopiam fuerunt addita, aut non satis eo tempore anatomica res perspecta. Alioqui alijs in locis vmbilico is nutriri asserit: vt in lib. de alimento; Antiquius & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus. & lib. de natura pueri; iuxta mediam carnem vmbilicus distat, per quem alimentum & incrementum capit. & li. de octimestri partu; vmbilicus, per quem alimenti ingressus pueris contingit. ex quibus locis vera hominis sententia satis cognoscitur.

Altera pars ducitur ad mammillas, & fit lac, quo fœtus in lucem editus sustentetur. Tertia planè excrementosa retinetur in vulua, vt illius orificium humectans egressum fœtus adiuuet, tandemque eijciatur cum illo. Non eijcitur ante partum; quoniam vuluæ orificio aperto, factoque eiectionis motu, periculum esset abortus: præsertim quòd humore illo facilis esset & lubrica via. Multæ igitur superfluitates congregantur, tum vrinæ & sudoris intra panniculos; tum menstrui sanguinis in vulua. Vtramque propter fœminæ sanitatem purgare oportet. Vrinæ ac sudoris aquositas tota in ipso partu eijcitur: quia panniculis continetur, ruptisque panniculis statim elabitur, facilioremque partui egressum parat. At purgatio reliqua post masculinum partum triginta ferè, & post fœmininum quadraginta dierum est. Masculinus enim fœtus tum à maiore & calidiore virtute melióreque materiæ coctione prouenit; tum vt est calidior, maiorem vtero calorem addit. Vbi verò maior calor & virtus meliorque coctio, ibi superfluitates pauciores, expulsioque fortior. Eandem ob causam & in iunioribus, vt Hippocrates monuit in lib. de natura fœtus, quàm in senioribus; & verò in calidioribus ac robustioribus, quàm in minus calidis ac debilioribus fœminis, purgatio breuior.

Vitia excrementa tardius pellit.

Cur quadraginta maiorem tempus.

Degnatio matricem.

Ferè autem ita fit, vt æquale sit tempus purgationis huiusce & formationis fœtus. Masculum enim triginta & fœminam quadraginta diebus formari dictum est. Æqualitatis causam haud facile dixerim; nisi fortasse quòd subita tantæ materiæ euacuatio nimiam fœminæ post longum & præsertim gestationis & partus laborem, mutationem atque alterationem adferret, nec sine graui periculo si sensim ac lentè fiat, est tutius. Accedit, quòd abscisso vmbilico ac venis vteri amputatis, multa suppeditatur materia, antequam venarum orificia consolidentur. Quam enim adfert Hippocrates causam; quoniam diebus totidem purgari superfluitates oportet quo fuerunt congregratæ; probare non possum. Tum quia hoc ipsum est, quod quæritur; cur totidem diebus purgentur. Tum quia sex primis formationis diebus, vt nullus ex vtero sanguis attrahitur, ita superfluitates nullæ congregantur: Sed vt post sextum diem formatis vmbilici vasis attractio incipit; ita tunc primum congregandi principium existit. Tum verò quia non solùm vsque ad trigesimum vel quadragesimum diem; sed toto planè tempore, quo fœtus gestatur vtero, septem aut nouem pluribusue mensibus, quemadmodum semper attrahitur sanguis, qui tres illas in partes commemoratas diuiditur; sic toto hoc tempore superfluitates colliguntur, quæ post partum paucioribus multò diebus purgantur.

Cæterùm dum animalibus, quæ in vtero gignuntur ac gestantur, tria illa dedit natura; formatricem seminis virtutem; materiam, ex qua formentur; ac demum materiam, qua sustententur & perficiantur: tantumdem illis etiam prouidit, quæ nascuntur ex ouo. Nam in hoc tres omnino substantiæ continentur: pars seminalis, quæ agendi vim habet: albumen, & vitellum; ex albumine

albumine formatur, ex vitello nutritur. Sic enim A meliùs constituerunt Aristoteles in lib. 3. de animalium procreatione cap. 2. & Auicenna in lib. 18. de animalibus; quàm Hippocrates, qui in lib. paulò ante citato formationis vitellum, nutritionis albumen materiam fecit. Quoniam tamen generatio multo indiget calore, ouúmque extra vterum refrigeratur ab aëre; incubare oportet matrem, calorémque fouere: aut certè ouum in calido loco poni, vt de quadrupedum ouis dicitur.

Alia permulta, quæ circa hoc admirabile procreationis opus considerari possent; de prima illius conceptione; de causis, tempore, ac concipiendi modo; de conditionibus fœminæ B ad concipiendum aptæ aut ineptæ; quæ ante maris & fœminæ congressum seruanda sint; de fœcundi congressus tempore; de signis eius, quæ conceperit; de concepti fœtus gestatione, & aliis adiunctis, quandiu gestatur; de partu, pariendique modo; ac demum de abortu; medicorum magis sunt propria, quàm instituti nostri: neque ad animæ illiúsque facultatum cognitionem magnopere spectant.

Animalium & plantarum procreatio similis.

Totius igitur huius considerationis hæc sit clausula. Eundem prorsus modum tenere naturam in animalium formatione, quem in plantarum procreatione seruat. Plantæ semen in terram proiicitur, velut earum vterum: & animalis semen vtero fœminæ tanquam illius fœcunda terra susc̃ipitur. Semen plantæ calido in humidum agente inflatur & tumescit in terra: & semen maris sanguísque menstruus eandem ob causam turgescit & inflatur in vtero. Plantæ semen humorem trahit ex terra: & semen maris ex fœminæ vtero sanguinem sugit. Planta tum ex proprio seminis, tum ex accedente terræ humore nascitur: & Animal tum ex seminis ac menstrui, tum ex aduentitio per vmbilicum humore gignitur. Postquam plantæ semen fuit in- D flatum, erumpit planta: idem in animali semine cernitur. In planta primùm formantur frondes aut quidpiam frondibus simile, deinde inter frondes exurgit planta: in animali præparantur priùs panniculi, tum omnia intra panniculos membra formantur. In planta post illa folia fiunt radices, quibus alligata terræ alimentum ex ea trahat: in animali post panniculos vmbilici vasa formantur, quibus vtero alligatur fœtus, indéque accipit alimentum. Nam nec animali, nec plantæ, primis illis diebus aduentitio est opus alimento: cum & animalis fœtui satis sit humidum menstrui, & plantæ humidum seminis: Post prouidere oportet organa, quibus aliunde copiosius E alimentum trahatur. Quare vt in animalis formatione primùm aggreditur natura cordis tanquam præcipui membri formationem; deinde copiosioris materiæ indiga priùs absoluit panniculum & vmbilici vasa; tum verò inchoatum perficit opus: ita in plantis primùm aggreditur formationem nodi, qui proportione cordi respondens inter radices & germen medius existit; deinde germinis quædam velut folia emittens; inter quæ germen assurgat, deficiente materia conuertit se ad radices, quibus eam hauriat ex terra. In animali multa sunt membra, manus, & pedes; brachia, & crura suis quæq; articulis distincta: hoc ipsum in plantis sunt rami. Quin & in vtroque viuentium genere interiores priùs & præcipuæ formantur partes; in animali cor, iecur, cerebrum; in planta nodus, radix, germen: tum exteriores, & quæ alias tueri & conseruare debent; tandémque in planta cortex, in animali cutis. Denique in animalibus semen est maris, & fœminæ menstruum: in plantis, vt non sit hæc sexuum distinctio, quidpiam certè est proportione respondens tamquam agens & materia: superior inquam seminum pars, seu cuspis, in qua vis agendi maris residet; & reliquum illius corpus, velut materia fœminea. Ex quibus omnibus admirabilis planè apparet naturæ ac summi opificis ars & sapientia.

TEXTVS.

Ἔστι δὲ τὸ τρεφόμενον διπλοῦν, ὥσπερ ᾧ κυβερνᾷ, ἡ χεὶρ, καὶ τὸ πηδάλιον· τὸ μὲν κινοῦν καὶ κινούμενον, τὸ δὲ κινοῦν μόνον. πᾶσαν δ' ἀναγκαῖον τροφὴν ὑγρὰν πέττεσθαι· ἐργάζεται δὲ τὴν πέψιν τὸ θερμόν. διὸ πᾶν ἔμψυχον ἔχει θερμότητα.

Est autem id, quod alitur, duplex; sicut & quo gubernatur, & manus & clauus. Hoc quidem mouens & motum; illud autem mouens solùm. Omne autem alimentum necesse est coqui posse. operatur autem coctionem calidum. Quare animatum omne habet calorem. Tex. 50.

COMMENTARIVS LX.

HActenus dictum est, tres esse facultates atque operationes vegetantis animæ; nutrientem, augentem, procreantem: & rursum, id quod nutritur, augetur, & procreat, esse ipsum viuens: Id quo nutritur, augetur, & procreat, esse alimentum: Id demum, quod hæc omnia operatur, vegetantem esse animam. Reliquum erat duntaxat explicare instrumentum, quo hæc omnia operatur anima: præsertim cùm superiùs concessisset antiquis, calorem primam quidem non esse ac præcipuam causam, concausam tamen esse.

At cùm duplex nutritionis principium proponatur, quemadmodum in nauis gubernatione: vnum, quod mouet & mouetur; vt clauus; alterum, quod dumtaxat mouet, non item ab alio mouetur; vt gubernatoris manus: Auerroës calorem & animam intellexit: calorem tamquam mouens motum, animam vt mouens non motum. Calor enim alimentum mouet, dum alterat illud & coquit: sed mouetur ab Anima, quæ in tota hac actione præest, illámque moderatur. Themistius & apud Philoponum Alexander duplex sanè instrumentum interpretati sunt: coniunctum vnum, alterum separatum: Facultatem inquam animæ, & calorem. Nam etsi facultas ab anima moueatur, verè tamen dici potest mouens non motum: quia non mouetur ab alio extra se, sed anima illi coniuncta vtitur ea tam-

Nutritionis instrumenta quæ.

quam virtute propria de suo sinu deprompta. Calor autem est mouens motum ab alio, & tamquam ἔξωθεν ἐπικεκλημένον ὄργανον, vt verbis vtar Themistij; hoc est velut organum & machinamentum quoddam extrinsecùs adhibitum; eámque insidens anima gubernatoris instar temperat. Quemadmodum & manus instrumentum gubernatoris est, cum eo coniunctum, & clauus instrumentum ab eo separatum.

Posterior hæc interpretatio magis probanda est. Tum quia animam esse primam & præcipuam nutritionis atque adeò harum omnium operationum causam; satis iam dictum fuerat, nec erat ampliùs inculcandum: sed explicandum potiùs instrumentum, quo ea vteretur: & verò etiam ostendendum, quomodo & calor & animæ facultates omnia hæc opera promouerent, atque inter se & cum anima haberent. Tum etiam quia cùm in proximo textu dixisset, animam esse id, quod alit; non statim addidisset, eam esse id, quo alitur: Præsertim cùm esse id, quo aliquid fit, instrumentum significet: animáque sit præcipua causa, quæ instrumento vtitur. Tum demum quia, vt inquit Simplicius, exempla manus & claui medium quidpiam significant inter mouentem animam & nauim motam: planéque ostendant intelligi animam non posse.

Mitto, quòd Auerroës in illa expositione parùm sibi constare videtur. Principiò enim fatetur propositum Philosopho fuisse declarare instrumentum, per quod anima agit in cibum. Deinde cum hoc duplex esse proponitur, alterum eorum interpretatur animam quæ non instrumentum est sed prima causa, quæ instrumento vtitur. Cæterùm quoniam in superiori textu tria illa distincta sunt; Id quod alitur; Id quo alitur, & alens: dum statim subiungitur; id quod alitur esse duplex, omnino videtur esse subdiuisio secundi membri superioris partitionis. Et quoniam eo loco id quo alitur, dixit esse alimentum; verior erit Philoponi, Simplicij, & S. Thomæ interpretatio; nunc subiungi, Id quo alitur esse duplex: quorum alterum est nutrimentum; alterum natiuus calor. Nutrimentum est velut materia, ex qua nutrit anima, auget, & procreat. Calor, velut instrumentum efficientis causæ, quæ est anima. Et nutrimentum quidem ait Philoponus moueri solùm, non item mouere: quia in tex. 45. dictum est, illud pati quidem ab eo, quod alitur; hoc tamen à nutrimento non pati. (Est enim nutritionis materia) calorem autem & moueri ab anima, & nutrimentum mouere.

Sed quod spectat ad tex. illum 45. dictum est eo loco, quomodo propositio illa intelligenda sit. Nunc vt ita interpretatur Philoponus, legit passiuè (illud autem, quod mouetur solùm) cùm tamen vbique legatur actiuè (τὸ δὲ κινῶν μόνον) illud autem quod mouet solùm). Propterea satius est interpretari, nutrimentum esse mouens motum, veluti clauum: quoniam ipsum & mouet carnem, ossa, & cæteras viuentis partes, quas reficit: & à calore itē mouetur, dum alteratur, coquitur, modísque diuersis mutatur: & est veluti clauus, qui & mouet nauim & gubernatoris manu mouetur. Calor autem est mouens non motum, velut manus: quia

A is alimentum mouet; nec ab alio ampliùs mouetur: ab alio inquam exteriore, sed solùm ab interiore principio; nempe ab anima, cum qua coniunctus est. Et ideò non dixit θέρμη, sed θερμόν; non calor, sed calidum: hócque est veluti manus, quæ clauum quidem mouet, ab alio tamen exteriore non mouetur; sed solum à gubernatore tanquam ab interiore principio, cum quo ipsa vt hominis pars coniuncta est. Et vt alimentum est veluti materia comparatione caloris, circa quam is agit, vt ex ea viuens conseruet: ita clauus est vt materia, circa quam operatur manus, & per quam gubernat nauim. Et calor quidem vim habet efficientis, tamquam instrumenti animæ, comparatione alimenti: & manus item efficientis, tamquam instrumenti nautæ, comparatione nauis. Ac demum vt nauta manu mouet clauum & clauo nauim; sic anima calore mouet nutrimentum, nutrimentóque nutrit, auget, & gignit.

Calorem porrò instrumentum esse operationibus hisce perficiendis necessarium, eo argumento probauit; quoniam alimentum, quod est illarum omnium materia, coqui necesse est & mutari; vt id, quod antea erat dissimile, immò contrarium, simile fiat, ac tandem mutetur in viuentis substantiam, quod eo nutriri debet, & augeri, atque ex residua parte alterum procreare. At omnis coctio fit à calore; siue maturationem spectes, siue elixationem, siue assationem. Nam quæ in seminibus præsertim & fructibus cernitur maturatio, calore solo perficitur: elixatio humidioris carnis à calore cum humore coniuncto: siccioris demum partium assatio à calore cum siccitate. Quam ob causam coctionem vniuersè definiuit Philosophus in 4. lib. meteororum, Perfectionem à natura & proprio calido, ex oppositis passiuis. Itaque vere ex his omnibus postremò colligit, animatis omnibus inesse oportere calorem. Quoniam cùm omnia nutritione indigeant saltem & accretione, pleraque etiam procreatione; hæc nisi à calore fieri planè non possunt.

Calor instrumentum operationum.

TEXTVS.

Τύπῳ μὲν οὖν τί ἐστιν ἡ τροφὴ, εἴρηται· διαιρετέον δὲ καὶ ὕστερον περὶ αὐτῆς τὰ τοῖς οἰκείοις λόγοις.

Figura igitur quid est alimentum, dictum est. Accuratè autem magis post de eo in propriis sermonibus declarandum est.

COMMEN-

COMMENTARIVS LXI.

HIc finem habet tractatio de alimento, deque vegetante anima & eius facultatibus atque operationibus. Quare concludit; figura, hoc est vniuersè duntaxat & quatenus ad has animæ facultates cognoscendas & separandas necessarium erat; dictum esse, quid sit alimentum, quas scilicet conditiones habeat, & quatenus sit animæ vegetantis obiectum. Accuratiùs autem & magis speciatim agendum postea proponit in B propriis de ipso sermonibus. Auerroës libros de animalibus intellexit; in quibus partes exponentur & instrumenta, quæ hisce animæ operationibus, quæ circa alimentum versantur, dicta sunt. Philoponus & Simplicius libros de animalium procreatione; in quibus dicetur de semine, quod pars quædam est alimenti superflua. Sed neque libri de historia aut de partibus animalium intelligi possunt: quoniam illi libros hosce de anima antecedunt. Neque ij, qui sunt de animalium procreatione: quia etsi posteriores sint, atque in illis dicatur de semine ac partibus procreationi dicatis; ea tamen non est accuratior C tractatio de alimento, quam nũc Philosophus pollicetur. Pollicetur n. se dicturum de alimento, nõ solùm vt est superfluum nutriendo & vtile procreãdo; sed etiam de alimẽto ad nutriendum apto, de quo pauca quædam hoc loco exposuit, quæ ad distinguendas has facultates necessaria videbantur. Immò accuratiùs multò de illo egit in hoc libro, & verò etiam in primo de ortu & interitu, & in 4. meteororum, quàm acturus sit in libris de animalium procreatione; vbi non de alimento, sed de semine differet. Quod igitur nunc pollicetur, existimo cum Themistio proprium quemdam esse & peculiarem librum, quem de D alimento pararet Aristoteles; in quo accuratè magis & in specie de alimentis ageret. Is autem liber, aut ab eo postea absolui non potuit, aut absolutus ad nos non peruenit: sicut & alios plurimos perijsse scimus, quos Laërtius commemorat, alijque complures.

Digressio XXIX. *De facultate vitali.*

TRes duntaxat vegetantis animæ facultates, altricem, auctricem, procreatricem, de quibus hactenus dictum est, commemorauit Philosophus. Neque plures in plantis conspiciuntur, in quibus ea sola est anima. Quocirca finem habere posset huius animæ consideratio, nisi in animalibus quædam alia cerneretur operatio, quam non ad sentientem animam, sed ad hanc ipsam vegetantem pertinere certum est. Ea est, qua cor & pulmones mouentur, & respirat animal, & gignitur in corde spiritus, ac denique in toto corpore pulsant arteriæ. Nam cum vita sit animæ vegetantis effectus, hæque omnes operationes ad vitam in animalibus plerisque conseruandam ac retinendam sint in primis necessariæ; facultatem hanc vitalem appellamus, eiusque tractationem

Cur vitalis facultas dicatur.

A vegeantis animæ propriam esse existimamus. Quare iis, quæ de cæteris facultatibus ad Aristotelis interpretationem hactenus disputata sunt, aliquid de hac item addendum est.

Conuenit inter omnes, inesse in quibusdam viuentibus hanc facultatem, spiritus opificem, respirationis, ac pulsus: non tamen in omnibus; quoniam nec in omnibus hæ operationes cernuntur. Quænam enim earum in plantis conspicitur aut stirpibus? verùm in solis animalibus. Neque in vniuerso animalium genere; sed in calidioribus duntaxat & sanguine præditis; quæ cor habent perennem caloris copiosioris fontem in reliquas corporis partes deriuati. Hæc enim sola producere possunt vitalem spiritum, respitare, atque arteriis pulsare. Quam ob causam non defuerunt aliqui non ignobiles sanè auctores, inter quos Turisanum placet commemorare in 2. commentariorum libro in paruam Galeni artem particula 12. & 35. qui dixerint, nequaquam esse nominandam facultatem vitalem, quòd non in omnibus insit viuentibus; sed spiritalem potiùs, quòd potissima illius operatio sit confectio spiritus. Cuius rei illud etiam videtur esse argumentum, quòd cùm vita sit effectus formalis animæ; ea in toto viget corpore, non in vna aliqua determinata parte; quemadmodum hæc facultas corde & arteriis contineri existimatur. At neque in vocibus hærendum est, neque necessarium appellationem mutare. Siquidem propterea vitalis nominatur, quòd vitam tueatur, & in corpore conseruet animam: non quòd ipsa sit vita, aut formaliter adferat vitam. Quòd si mutare nomẽ oporteat, sicut nominari spiritalis potest, quòd spiritum conficiat; ita & pulsatilis appellabitur, & respiratilis; quòd pulsum & respirationem efficiat: aut si malueris, à subiecto, in quo inest, virtutem cordis nominabis.

Verùm enimuerò vbi de nomine constiterit, difficilior multò & grauior de re ipsa orietur quæstio; num sit facultas à cæteris omnibus distincta. Negant ferè Peripatetici, propterea quòd eorum princeps Aristoteles, dum animæ facultates diligenter & accuratè perquisitas in hoc secundo libro de anima, nusquam illius meminit; quasi sub vegetante contineri existimaret. Et rursum dum vegetantes facultates distingueret, nutrientem, augentem, & procreantem numerauit, vitalem non nominauit. In sentientibus autem, appetentibus, mouentibus, aut intelligentibus facultatibus eam habendam esse, nec vllibi indicauit, nec prorsus iudicauit. Idcircò Auerroës E interpretationem faciens quarti capitis libri tertij de animalium partibus, & in secundo colliget capite septimo Galenum grauiter reprehendit, quòd eam à cæteris distinxerit: omninoque contendit, non esse à vegetante diuersam; quod ex medicis quoque Turisanus confirmauit. Et certè neque ex vlla operatione distinctio colligi potest; neque vlla illius necessitas apparet. Non enim necessaria est ad conseruandam vitam; quia cùm vita sit ipsa vegetans anima vt est in corpore; quemadmodum illa ostendunt Aristotelis verba in textu 37. Viuere viuentibus est esse; ea satis conseruatur opportunis materiæ dispositionibus, congruenteque membrorum corporis conformatione; aut etiam nutritione &

An sit facultas à cæteris distincta. Peripatetici contrà opinio.

cc

accretione, vt in textu 3. idem fuit auctor. plantæque & animalia plurima absque hac facultate viuunt. Neque est, quòd spiritus generationem & pulsum prætendat Galenus. Quoniam spiritus ex sanguine gignitur actione sola vehementis caloris, qui corde continetur, parteſque sanguinis tenuiores resoluit. Pulsus autem, tum cordis, tum arteriarum, eam habet causam; quòd is calor in tenuissimo illo spiritu maximè mobilis est. Respiratio quoque generationem insequitur spiritus, & dilatationem ac compressionem cordis; in quo quia nimius est calor, quo & ipsum & propinquiora cætera membra siccari potuissent ac nimium æstuare; arteriam asperam prouidit natura, qua dum cor dilatatur & comprimitur, inspiretur ac respiretur aër, quo cor & interiora illa membra refrigerentur. Denique aut hæc facultas naturalis esset, aut cognoscens: nullus cognoscentem esse affirmabit, quoniam omnia illius opera sine cognitione perficiuntur; neque naturales facultates plures numerantur, quàm tres illæ iam commemoratæ. Si igitur hæc facultas à cæteris distingui debeat, hoc vnum superest, vt plura, quàm quinque sint facultatum genera.

Galeni & medicorum opinio.

Cæterùm contra Peripateticos hosce pro distinctione huius facultatis ab omnibus reliquis pugnant plerique medici; ac præsertim Galenus in libro 5. & 7. de Hippocratis & Platonis decretis, & libro 1. de naturalibus facultatibus, & in libro de vsu pulsuum, aliisque in locis, & ex Philosophis S. Thomas in opus. de motu cordis. Nec aliis rationibus pugnant, quàm effectibus, qui proprij facultatis huius esse videntur. Operæpretium verò fuerit singula diligentiùs persequi, quæ pro illorum causa possunt adferri. Facultatem hanc illiusque operationes paulò ante affirmaui non in omnibus vigere viuentibus; sed in solo quodam animalium genere perfectiore, quod habeat sanguinem. Horum animæ perfectiores cùm sint, æquum est nobiliorem habeant modum, quo sint in corpore; vt magis habere videantur rationem actus, & quasi dominium in se ipsas. Hic autem in eo apparet, vt non solùm in corpore conseruentur ab infimis illis dispositionibus & viliſſimis qualitatibus, quas eo tempore inuenerunt, quo ad illud accesserunt: Sed ipsæ quoque seipsas quasi in eo conseruent; addita videlicet quadam alia præstabiliori multò dispositionis forma; nimirum perpetuo facultatis cuiuspiam in omnes corporis partes influxu, quo ita foueantur omnes & regantur, vt lubens in eis moretur anima. Propterea residet hæc facultas in corde; hoc est in medio totius animalis, ex quo arteriæ ceu vasa virtutem hanc deferentia per totum corpus distribuantur. Nam per spiritum ab ea facultate in corde genitum calor cordis diffunditur, qui cætera membra fouens conseruet in illis animam. Et ideò cùm nil aliud sit vita, quàm animæ permansio in corpore, vitalis facultas appellatur; quòd vnionem hanc & permansionem, hoc est vitam, conseruet. Ita fit, vt dum in corpore conseruat animam, conseruet quoque ac plurimùm iuuet facultates illius omnes atque operationes, quas in corpore exercet; dum membris, ceu illarum organis, calorem addit, quo & illorum singulis innatus calor foueatur, & verò etiam auctus operetur perfectiùs: & ideò reliquæ omnes facultates ab hac vna magnopere pendent. Quoniam nisi illa calorem suum effundat & spiritum, reliquæ operari non possunt. Propterea enim cessantibus, vel ad breuissimum tempus, facultatis huius operationibus in corde; procreatione inquam & effusione spiritus, pulsuque, tum cordis, tum arteriarum, ac demum inspiratione aëris & expiratione; interire animal cernimus; nec posse animam in corpore permanere: eos verò, qui vehementem habent pulsum, magnamque spiritus copiam, diutiùs viuere, atque ad operationes omnes magis esse aptos ac strenuos, quàm eos, qui & debili pulsu & exiguo spiritu sustentantur.

De natura & necessitate huius facultatis.

Ex quibus omnibus iam primùm intelligetur eximia dignitas summaque cordis necessitas in hoc animalium genere: atque hoc intellectu verissimè affirmari, membrum hoc virtutis omnis & operationis in toto corpore principium esse. Est enim principium instrumentorum omnium, quæ operationibus cunctis inseruire debent; omnibusque calorem distribuit & spiritum, quibus operari possint. Deinde, verè etiam fuisse superiùs constitutum, hoc membrum primum omnium in animali formari. Ea namque illius est vis ac potestas, vt reliqua omnia nec esse possint, nec operari: si quidem & animam in illis oportet actione huius facultatis cordis conseruari; nec possunt quidquam sine illa operari. Tertiò; facultatem hanc quoad proprias illius functiones in solo vigere corde, & quoquo modo in arteriis. Quoad effectum tamen, qui est vitam tueri atque operationem omnem promouere, sparsam esse & fusam per totum corpus. Quartò, posse quidem in viuentibus pluribus facultatem naturalem & verò etiam animalem sine hac vitali reperiri; quemadmodum in exanguibus & quæ carent corde manifestum est. Verùm eæ imperfectæ sunt; & vt in animalibus perfectioribus magis perficiantur, illam quoque adesse oportet; vt videre est in sanguineis omnibus & cordatis, in quibus hæc facultas magnopere perficit sanguinem & alimentum, quod naturalis facultatis obiectum est; animalique facultati subministrat materiam, vitalem spiritum, ex quo is, qui animalis dicitur, procreetur. Quinto, iure optimo virtutem hanc cordis cum cœlesti virtute comparari posse. Principiò enim sicut virtus vna cœlestis inferiora omnia conseruat, atque ad omnes eorum operationes concurrit: ita facultas hæc vitam tuetur, & animalium perfectorum, quæ sunt velut parui quidam mundi, naturam conseruat, omnemque actionem promouet. Deinde, vt cœlum quæcumque agit, per lumen & motum agit; sic facultas vitalis omnia perficit per calorem & spiritum, seu mauis per spiritum calidum, qui raritate ac tenuitate respondet luci; & per motum pulsus. Tum verò, quemadmodum ex cœlesti lumine, dum in alia atque alia materia suscipitur, alij atque alij effectus producuntur; ita nimirum ex hac vna facultate operationes omnes proficiscuntur, quæ in animalibus cernuntur, dum illius virtus ad alia atque alia membra deriuatur. Ac demum sunt sanè in vniuerso hoc corporeo lumen & motus instrumenta

Cordis primum. *Vitalis facultas cordi quemadmodum similis.*

menta intelligentiæ & cœli, tamquã primarum & generalium causarum. Intelligentiæ inquam, tamquam primi mouentis immobilis; cœli autem, vt primi mouentis ab alio moti; primi tamen alterãtis inalterabilis. At in animali vitalis spiritus & pulsus instrumenta profectò sunt animæ & cordis, tãquam generalium causarũ eorum omnium, quæ in animali fiunt. Animæ quidem, tanquam primi mouentis ab alio non moti: cordis verò, vt mouẽtis ab anima moti. Quamquam quod ad alterationem pertinet, sit primum alterans, quod non nisi ex accidenti alteratur; cùm cibum & alterationẽ non suscipiat vt est cor, sed solùm vt pars quædam est viuentis, quæ nutriri ipsa quoque debet & sustentari.

Hactenus exposita sit prima ratio, qua confici potest, facultatem vitalem in animalibus sanguine præditis distinguendam à cæteris esse; vt conseruet & foueat vitam, omnesque illius functiones iuuet & perficiat. Altera petitur ex operationibus, quæ ad alias facultates haud satis videtur reuocari posse. Nam spiritus procreatio ad nutrientem facultatem non pertinet. Tum quia hęc circa solum alimentum, non circa spiritum occupatur. Quocirca nec datur spiritus naturalis; quòd ea nutriendi operatio nequaquam indigeat spiritu. Tum quia spiritus omnibus animalis operationibus vtilis est; immò & necessarius: non solùm alterius similis procreationi; verùm etiam sensioni & incessui: neque vllam ex iis operationibus animalia calidiora possunt sine spiritu exercere. Quocirca cùm non ad vnam magis, quàm ad aliam reduci possit; constituere eam oportet tanquam facultatem ab omnibus diuersam. Deinde pulsus quoque operatio est animæ; neque ad mouentem facultatem pertinet. Tum quia hæc cognitionem insequitur & appetitum: pulsus & sine cognitione fit, & absq; appetitione: immò viget quoque in somno. Tum quia facultas mouens cum libertate operatur: facultas pulsandi naturaliter planè & necessariò. Illa fatigatur operando, crebraque indiget quiete; hæc nunquam opus suum intermittit, quòd fatigetur nunquam. Illa in permultis animalibus reperitur perfecta; in quibus nullus est pulsus. Illa in neruis præsertim residet, & in omnibus corporis partibus vim suam ostendit: hæc corde & arteriis continetur, & in spiritu potiùs, quàm in arteriis, esse videtur: siquidem spiritus potiùs inanimatus in arteriis pulsat, quàm ipsæmet arteriæ. Denique duæ hæ facultates ad diuersos prorsus fines referuntur.

Ad facultatem porrò sentientem quis eam reuocet? Omnis enim facultas sentiens est cognoscens; atque in somno ab omni operatione quiescit. Pulsus nihil cognoscit, & in somno maximè operatur. Quas ob causas ad facultatem fortasse vegetatem cuipiã videbitur pertinere. At nec circa alimentum versatur, nec operationibus modò huius animæ vtilis est, sed plurimùm item sensionibus & motui de loco ad locum: contra verò reperiuntur permulta, quæ absque hac operatione vegetant. Accedit, quod vegetantes operationes sunt in toto corpore: nutriuntur enim omnes & augentur, aut omnes saltem sunt ipsius viuentis & animati corporis: pulsus in solo corde & arteriis residet: neque ipsius animalis esse videtur; siquidem nulla ipsius pars pulsat, sed inanimatus spiritus corde & arteriis contentus. Atque vt vno verbo dicam, pulsus neque est nutritio, neque accretio, neque procreatio: neque præter has aliæ numerantur vegetantis partis operationes.

Dicet quispiam, pulsum attractione quadam constare & expulsione; quę operationes huius animæ sunt tribus illis præcipuis ministrantes. At videat, num quælibet attractio ad animam vegetantem pertineat; an ea sola, quæ est proprij obiecti, hoc est alimenti & solidioris cuiuspiam rei, quàm sit spiritus aut aër. Neque enim attractio pulsus alimentum adducit; quin potiùs si vel minima illius particula arteriam asperam ingrediatur, plurimùm lædit adfertque animali interitum. Adde, quòd hæ operationes vt ad nutritionem spectant, per venas fiunt & alia organa ab arteriis, in quibus est pulsus, planè diuersa.

Tertia ratio peti potest ex earum partium structura, quæ huic facultati famulantur. Quarum prima est cor, in quo ipsa tamquam subiecto proprio & fundamẽto sustentatur; maximeq; sinister ipsius sinus. Altera sunt arteriæ inde per totũ corpus deriuatæ, vt spiritus virtusque hæc cordis ad omnia dimanaret. Tertia pulmones cordi velut flabellum insidentes. Hæc enim omnia membra non aliam ob causam fabricata esse videntur, quàm propter hanc facultatem. Neque omnino credi potest, cor membrum omnium præcipuum propria facultate carere, quæ in ipsomet operari possit; atque in eo dignitatem suam tueatur, vt ad cæteras omnes animalis functiones concurrat, omnesque ab illa vna magnopere pendeant.

Postremò ad huius rei confirmationem adducunt medici, facultatis huiusce operationem posse in aliquo membro esse absque aliarum facultatum operationibus. Nam fit interdum, vt membrum quodpiam, neque nutriatur, neque sentiat, neque tamen putrescat.

Auctoris sententia.

Vtriusque partis rationes diligenter satis fuerunt expositæ. Mihi verò probabile sanè videtur id, quod contendunt medici; vitalem facultatem à cæteris omnibus esse distinctam; non tamen genus efficere facultatis primò diuersum ab aliis. Propterea quod generalis quædam sit facultas, quæ alias omnes & conseruare debeat & ad operandum iuuare. Quare cùm proprium actum non habeat, qui per se expetatur, ad alias potiùs reducitur. Nam etsi pulsum habeat: is tamen totus ad cõseruationẽ & subsidium aliarum facultatũ est cõparatus, neque vllum proprium habet vsum. Idcircò etiam nec genus animæ diuersum constituit. Quia cùm animarum genera ex diuersis sumantur eleuationibus à materia; facultas hæc diuersam à cæteris eleuationem non significat. Sed est potiùs velut perfectio quædam vegetantis animæ atque sentientis administra; dum ad sensum & motum spiritum necessariũ suppeditat: cumque non polleat cognitione, eundem habet eleuationis gradum, quem vegetantis animæ facultates habent: & ideò ad hanc potiùs animam, quàm ad alias, reuocari debet. Deniq; neque viuentium aut animatorum genus diuersum facit; quòd numquam à vegetante & sentiente perfecta separetur. Hæc inquam probabilissimè dici possunt.

Sed tamen, vt liberè loquar quod sentio, nullam video necessitatem addendi facultatem à nutriente distinctam. Nam vt fœtum in vtero taceã arte-

riis pulsare, atque ita fouere calorem; nec tamen in illius corde spiritum gigni pulsumque diffundi: neque à vitali matris facultate pulsum illum effici posse; quoniam vitalis actus ab extraneo principio nequit proficisci. Nihil omnino aliud videtur esse, quàm talis nutriens animalis perfecti, quod vehementiorem calorem habeat. Nam quemadmodum quædam sunt animalia, quæ sanguine nutriantur, alimento in sanguinem commutato: alia sine sanguine nutritionem suam perficiant: nec tamen propterea in iis, quæ sanguinem habent, facultatem ponimus à nutriente distinctam, quæ sanguinem gignat; sed eum fieri affirmamus à nutriente, quatenus in animalibus hisce maiorem, quàm in cæteris, calorem habet. Ita prorsus ob vehementiorem calorem fit, absque alia facultate addita, quæ spiritum conficiat; vt eadem facultas nutriens, quæ procreat sanguinem, ex eo adhuc arterialem sanguinem & spiritum gignat, tenuando magis & resoluendo priorem illum sanguinem. Deinde tenuissimus hic & mobilissimus spiritus immoderato calore agitatus efficit motum in corde; cumque apertas habeat arterias, nullo negotio effundit sese, atque eumdem in arteriis, calore scilicet instigante, excitat motum. Propterea enim quò maiorem animal calorem habet, eò vehementiorem hunc motum sentimus. Hoc enim certissimo est argumento, motum illum à calore fieri. Calor porrò ita cum spiritu per omnes partes diffusus mirificè recreat, fouet, & conseruat totum animalis corpus, omnesque illius operationes promouet. Vt quemadmodum altrix facultas circa alimentum atque indiuidui conseruationem occupatur; ita hæc vitalis & idem obiectum habeat, & eumdem finem. Ille namque ipse spiritus, & est sanguis quidem, & alimenti pars humida & calida: quæ per corpus distributa siccatis partibus ac refrigeratis opportuno humore & calore subueniat. Dumque crassiorem sanguinem venis contentum tenuat, conuersionem illius in partium substantiam non parùm iuuat. Quæ omniaad perfectissimam altricem facultatem, quæ in hocanimalium genere inest, certum est pertinere.

Ad efficiendam quoque respirationem pulmonumque motum excitandum quid alia opus sit facultate? sufficiens causa potest esse calor & sanguis in magna copia in pulmones irrumpens, aut aliquid aliud, quod non multò post explicabitur. Denique non spiritu modò & calore in arteriis diffuso, sed & sanguine venis contento atque ad omnes partes deriuato animalium vita conseruatur: Nec tamen in iecore vitalem facultatem medici ponunt. Potest igitur vniuersa hæc vitæ conseruatio in facultatem nutrientem reuocari, ad quam tota indiuidui conseruatio pertinere videtur. Hæc enim & sanguine in venis & spiritu in arteriis optimè vitam tuetur: illaque ipsa, quæ venarum sanguinem facit, facit & arteriarum spiritum, tenuissimum scilicet sanguinem, vt vehementiorem nacta est calorem.

Hæc nimirum Aristoteli fuit causa, cur de vitali hac facultate nihil seorsim disputauit. Cùm.n. intelligeret, nequaquã eam esse à nutriẽte distinguẽdam, quæ & calorem maiorem & cum arteriis cor habeat, satis se muneri suo fecisse existimauit, dum de nutriente facultate disseruit. Verùm hac de re, tam ex medicorum opinione, quàm ex certissimis peripateticæ scholæ decretis dictum sit satis. In qua disputatione cùm medici quoque non omnino improbabilem sententiam afferant; ne nimis difficilis ac morosus ab illis iudicarer, placuit eam ita explicatam relinquere; vt posset lector vtram mallet partem eligere. Nec tamen ita veritatem dissimulaui; quin facilè quiuis intelligat, vtrinam ego magis assentiar.

De Pulsu cordis & arteriarum.

IAm verò facultas hæc vitalis, siue ab aliis distincta sit, siue non sit, calore vtitur naturali ad gignendum vitalem spiritum, ad efficiendum pulsum, ad respirationem. Itaque agendum esset hoc loco de calore & spiritu, nisi de vtroque antea satis fuisset disputatum in li. de corporis temperatione. De pulsu & respiratione dicendum supereſt. Pulsum à veteribus non omnem arteriarum motum, sed eum solum, qui vehementior esset & sensu perciperetur, nominatum fuisse, primumque Hippocratem arteriarum quemlibet motum appellasse pulsum spiritum, auctor est Galenus in lib. cui titulum fecit, Quòd animi mores corporis temperaturam sequantur cap. 8. sed parùm constanter loquutus est. Quippe in 1. lib. de pulsuum differentiis cap. 2. contrarium planè affirmauit: primum inquã Hippocratem hac vsum fuisse voce; at nõ cuilibet arteriarum motui hoc nomen attribuisse; sed Hippocrate posteriores Praxagoram & Herophilum. Verùm quidquid sit de nominis inuentore, multa certè de re ipsa disputantur: multoque plura à medicis, quàm à Philosophis. Sed omnia penè video ex efficiente illius causa pendere, vt intelligatur, vndénam motus ille cordis & arteriarum oriatur, quem pulsum nominamus: dilatatio inquam & contractio, seu eleuatio & depressio illius membri, quę cõmuniter diastole & systole appellatur. Hoc. n. constituto facile est de omnibus aliis decernere.

Turitanus ex sanguinis ebullitione in corde orri credidit. Is enim cũ sit humidus, vbi ad cor peruenerit, nimio illius membri calore incipit ebullire, tumescere, dilatari: eoque tumescente cor quoque & arterias dilatari & attolli necesse est. At quoniam dum fit hæc dilatatio, subintrat ad cor frigidus aër, qui feruorem mitigat suoque frigore constringit; mox cordis & inde arteriarum depressio sequitur. At depressa substantia calida & ferues inflãmatur rursum, dilatatur, attollitur: atque ita deinceps continuatur motus pulsus, dilatationis & depressionis. Quocirca plures in pulsu continẽtur motus: calefactio sanguinis & resolutio spiritus ac vaporis ex illa calefactione: tumefactio ex eadẽ illa calefactione, in spiritu præsertim raro, qui faciliùs tumescit: dilatatio cordis & arteriæ propter tumorem illum: frigidi aëris ingressus, propterea quòd cor & arteria magis dilatata sint, quã materia tumuerit: frigefactio ab ingrediente aëre adducta: densatio spiritus & sanguinis: compressio cordis & arteriarum, ac demum egressus aëris, qui subintrauerat. Vt non eadem sit dilatationis & depressionis causa; sed planè diuersa: neque ea sit anima, aut vitalis vlla facultas; sed calefactio potiùs & refrigeratio.

Hanc nimirum de cordis & arteriarũ pulsu opinionem visus est habere Philosophus, cùm in cap. vltimo lib. de respiratione tria distinguens, quæ accidunt circa cor, saltum, pulsum, & respirationẽ, saltum voluit eam habere causam, quòd à circumiecto frigido externo compellitur ad cor calor, qui

qui frigidum ambiens expellere nititur ; & ideò palpitationem illam & saltum efficit, quem in timore ac morbis nonnullis in corde sentimus.

Pulsus. Pulsum autem ebullitioni esse persimilem, quæ tunc fit, cùm humidum inflammatur à calido: propterea enim attollitur & maior fit moles. Nam dum in cor adducitur semper ex alimento humidum, hocque à calore tumefit, eleuat nimirum & dilatat cor: subsidet autem & deprimitur, dum occurrit frigido, à quo compellitur. Quæ enim tandem alia sit causa, cur iuuenes vehementiorem habeant pulsum, quàm senes; dormientes, quàm vigilantes; laborantes, quàm quiescentes; ægri, quàm sani? nisi aut maior calor, aut maior illius ad interiora recessus, aut maior denique commotio illius & agitatio. Cur castaneæ, in ignem iectæ concepto flatu ac calore resiliunt? cur lauri folia, salis micæ, aliaque his similia? Vnde feruentis aquæ tumor & ebullitio cum eleuatione ac depressione, illi prorsus persimili, quæ cernitur in corde? Quemadmodum enim aqua humida concepto calore tumescit statim, attollitur, atque ad latera ollæ cacabiue alliditur: occurrēte autem vel etiam insufflato aëre frigidiore deprimitur ac subsidet, quousque rursum à calore attollatur. Sic profectò humidus in corde sanguis calore concepto attollitur atque ad latera cordis alliditur: moxque ab aëre inspirato sedatur, donec nouis caloris stimulis incitetur. Experimur in nobis ipsis, si alterum latus sit calidius altero, vehementius illud pulsare. In apostematibus quoque propter contrarium circumiectum humorem acriùs pulsant arteriæ; magis nimirum accensæ, nitentesque hostilem humorem procul pellere. In phlegmone vnam aliquam corporis partem occupante vehementior est partis illius pulsus: & vniuersè quæcumque pars magnopere calescat præ cæteris, ea vehementiùs itē pulsat; quod perspè in inflammato capite experimur. Hæc enim omnia prorsus testantur, ob solum calorem absque vlla facultate animæ in animalium corporibus fieri pulsum. Quibus accedit, quòd cùm arteriæ omnes simul in toto corpore pulsent; minimè videtur fieri posse, vt eodem temporis momento virtus vlla per vniuersum corpus ad extremas vsque arterias diffundatur à corde. Et si id fieret, sanè viciniores cordi arteriæ multò magis, quàm cæteræ omnes, pulsarent: cùm tamen in brachiis ac temporibus, quæ sunt partes ab eo membro remotiores, manifestus sit vehementior pulsus. Potiùs igitur existimandum est singulas partes propter proprium feruorem, quem singulæ continent, habere pulsum; easque pulsare magis, quæ plus caloris continent.

Confutatio. Verùm quidpiam est, quod in hac dilatationis & depressionis forma magnam adfert difficultatem. Quoniam modus hic, qui hactenus fuit expositus, naturalis non est; immò violentus planè corporibus illis, quæ hoc modo dilatantur & deprimuntur. Esset autem, quòd magnopere accusaremus optimam parentem naturam, quæ motum illum, qui est ad tuendam & conseruandam vitam institutus, violentum esse voluisset; vt minimè diuturnus esset, sed fatigationem semper & & interitum membris illis, cordi & arteriis, momentis singulis moliretur. Deinde quia etsi calidus ille spiritus posset fortasse in arteriis, quæ corpora sunt tenuiora, motum illum excitare; non videtur tamen posse tanta facilitate ac celeritate dilatare & comprimere solidissimam ac firmissimam cordis substantiam.

Secunda opinio. Ab his verò difficultatibus facilè expediunt sese reliqui omnes medici; dum motum eum contendunt proprium esse facultatis illius vitalis, quam ab aliis omnibus diuersam esse voluerunt. Hæc enim dilatat, inquiunt, cor vt suscipiat aërem & refrigeretur, aëreque illo spiritus nutriatur: atque vt euaporet fuliginososque permultos expellat halitus. Contrahit autem, vt susceptum extrudat aërem, postquā eo fuerit satis refrigeratum. Dilatatione non magis extenditur illud membrum; sed quod erat longum, fit latum & breuius: compressione autem ad pristinam longitudinem redit. Dum dilatatur, spiritus, qui in arteriis continebatur, ad cor regreditur; & ideò concidunt arteriæ: dum comprimitur, aperiuntur arteriæ, spirituque ex corde effusus eas ingreditur; & ideò attolluntur & saltant.

Confutatio. Hæc fermè illi tradiderunt. In quorum oratione quædam sunt, quæ ego probare non possum: alia iudico probabilia: Quædam omnino verè pronuntiata. Minus verè hæc dici affirmo. Cor dilatari, vt suscipiat aërem, fuliginososque expellat halitus. Nutriri autem spiritum attracto aëre, omnino falsum esse confirmo; & falsum indicauit Philosophus in cap. 8. lib. de respiratione. Neque enim aërem vllum credo ingredi vnquā cor, sed ad illius solùm orificia deduci, statimque repelli. Quorsum enim ingrediatur? an vt spiritum nutriat? at quale quæso nutrimentum? spiritus quidem certè alio non habet opus alimento, quàm perenni ex sanguine corde contento noui spiritus ressolutione: neque nutriri potest, quod animatum non est; nec simplex aër corpori misto nutrimentum præbere. An fortasse aut spiritus ille, aut cordis latera, refrigeratione indigent? spiritus, quò est feruidior, eò magis vitam animalis fouet, perfectioresque operationes edit: vbi verò non est præcalidus, imperfectæ functiones omnes visuntur. Aut si nimis sit calidus, cur tepidiorem non procreauit natura? an non vt in omnibus suis operibus prudenter agit ac prouidè; sic minorem in corde calorem posuisset, vt temperatus magis existeret spiritus? at illius procreatio summo indiget calore; neque quidquam est in animali toto, quod tanto opus habeat ardore. Videant, calorem illum cordis, tanquam perennis fontis, debere ad extremas vsque partes deriuari: neque deriuari, nisi cum spiritu; qui si minùs accuratè fuerit calefactus, vix vllum habebit calorem, cum ad extrema peruenerit. Dicent, opinor, oportere spiritum illum refrigerari, ne nimium accendat cor. At nullam penè habet in corde moram; quippe qui continenter effunditur. Et cor densissimam habet & solidissimam substantiam, quæ à tenuissimo corpore tam facilè pati non potest. Tum verò adest perpetua exterior illius membri refrigeratio motu pulmonum, quæ satis illud à conflagratione tuetur: neque opus est interiores quoque refrigerari partes cum summa spiritus pernicie atque cum aëre permistione.

Aërem cordis sinus non ingreditur.

Excorde an fuligiosa exhalationes purgentur. Iam verò dilatationem illam propterea fieri, vt fuliginosæ fumosæque exhalationes expellantur; minùs videtur verum. Quoniam cùm spiritus generatio sola caloris ressolutione partiumque sanguinis tenuiorū à dextro cordis sinu ad sini-

trum traductione perficiatur; nulla inde existit excrementosa superfluaúe exhalatio, quam purgare oporteat. Vt.n. nulla fit in corde coctio, sic nulla sunt excrementa, quæ purgare necesse sit.

Contendo etiam falsum esse cordis depressionem eum ob finem fieri, vt aër in corde susceptus extrudatur. Tum quia nullum ostendi aërem suscipi. Tum quia etiamsi susciperetur, non video, quomodo ille potius, quàm spiritus contentus, posset extrudi. Est enim tenuior spiritus & ad motum promptior, quàm aër. Quare aberraret à suo fine natura, dum aërem nolens expellere extruderet spiritum.

Inſyſtole ſpiritum à cor non recedere.

Ad extremum constanter aio, falsum esse illud, quod de reditu fabulantur illius spiritus, qui est in arteriis, ad cor dilatatum. Neque enim est, à quo moueri possit, seu potius compelli ad reditum: præsertim cùm statim repelli rursum à corde debeat. Quoties in eadē via idē ipse spiritus cōpulsus & repulsus volutaretur? Addā momenta ratiomū. Primùm; credi non potest nec mente concipi, cordis vnica dilatatione vniuersum contrahi spiritum, qui arteriis omnibus totius corporis continetur; quemadmodum pulsare omnes, dilatari, & comprimi manifestum est. Quòd si arteriæ, quæ à corde sunt remotissimæ, ad illud dilatatum non confugiunt; alia profectò quærenda est ratio, cur illæ dilatato corde deprimantur; quæ de cæteris quoque intelligenda erit. Deinde, si omnes ita, vt ipsi dicunt, ad cor recurrerent, extremæ nimirum arteriarum partes prorsus inanes & vacuæ omnique spiritu destitutæ remanerent: siquidem spiritus, qui extremas illas partes occupabat, ad cor recessit. Nulla vnquā etiam noui spiritus emissio foret, nulla emissi progressio in arteria, nulla resolutio aut euaporatio spiritus ex corpore. Si enim is, qui semel fuit emissus, ad cor dilatatum reuertitur; cùm deprimetur, non nouus emittetur spiritus, sed idem ille ad locum, vnde recesserat, repelletur. Itaque in arteria progredietur numquam, sed in eadem semper parte vltrò citroque mouebitur, tantum in dilatatione retrocedendo, quantum in depressione processerat. Quare nec vllus efflaret ex corpore: quoniam ad extremas compulsus arterias, dilatatione cordis inde reuocaretur.

Auctoris opinio.

Probabiliter dici puto, motum illum à vitali fieri facultate. Si enim hæc facultas ab aliis distincta sit, nimirum hic motus est illius maximè propria operatio.

Cordis dilatatio & depressio.

Verissimè illud fuit pronuntiatum, dilatatione cor nequaquam magis extendi, sed fieri latum atque ad maiorem breuitatem sese contrahere id, quod erat longum: neque contractione densari, sed ita deiici & concidere, vt ad pristinam figuram & longitudinem redeat. Etenim hoc sensus ipse iudicat, dum in aperto animali adhuc viuente & pulsante motum illum cordis contemplamur. Verùm vt id fiat, minime necessaria est vitalis facultas. Satis enim est anima ipsa per calorem, aut certè per nutrientem facultatem, quæ maiorem nacta fuerit calorem, organaque omnia ad id quàm optimè comparata. Dilatatio, inquam, cordis efficitur à tumescente calido: quod tamen non dilatet magis & extendat, sed eleuet solùm, efficiendo latum id, quod erat longum: neque dubito, hoc voluisse Philosophum, vbi cor scripsit eleuari. Deiectio autem & depressio aut ex natura membri nascitur, quod dilatatione distensum ad naturalem figuram oblongam redit: aut ex refrigeratione illius calidi ab aëre facta frigidiore; non cordis sinus ingrediente, sed ad orificia & exteriores partes adducto; atque adeò à pulmonum, velut flabelli, motu refrigerante. Quapropter dum dilatatur, calefactio & tumor calidi antecedit cordis eleuationem: est enim illius causa. Dum verò deprimitur, frigefactio & depressio cordis causa est & prior depressione spiritus.

Idem de arteriis quoque intelligendum. cordis enim velut sui principij sequuntur motum. Inflantur, inquam, & saltant propter tumescens calidum: cadunt & subsident, aut quòd naturaliter ad suam figuram redeant; aut à circumiectarum partium occurrentium frigore refrigeratę. cur eleuentur, habent à corde, à quo spiritum calidum & eleuantem accipiunt. Cur concidant; tum à seipsis, quibus ea est naturalis figura; tum à proximarum partium frigore. Hinc est, quòd depresso corde eleuantur arteriæ, eoque eleuato deprimuntur hæ & concidunt. Dum enim cor deprimitur, aperiuntur illius orificia; & altero quidem suscipitur sanguis ex vena caua gignendo spiritui necessarius; altero autem plurimus calor & spiritus in arterias effunditur: fitque admirabilis illa cordis in arterias irradiatio, hoc est consensus totius spiritus, qui continetur arteriis, cum corde tanquam illius principio & fonte. Propterea corde aperto magis feruet, ebullit, & tumescit: non subitò & momento, sed breuissimo tempore. Est enim tenuissimus atque ad omnem impressionem expeditissimus: præsertim quòd orificio aperto nouus spiritus nouusque calor effunditur, qui statim arterias omnes peruadit. Dum autem eleuatur cor clauduntur orificia. Et ideò ex vna parte, cùm venæ cauæ sanguis non ingrediatur cor, totus tunc à superioribus partibus, quæ inde sustentari debent, copiosior trahitur. Ex altera irradiatio cessat, & effusio caloris ac spiritus in arterias. Quare concidant hæ & deprimantur necesse est. Hoc igitur ordine ac vicissitudine pulsant in omni animalium vita cor & arteriæ. Cor primùm eleuatur, deinde arteriæ concidunt: dum hæ concidunt, deprimitur cor & illæ rursum illicò eleuantur; atque ita deinceps arteriarum motus pendet semper ex motu cordis tamquam principij & fontis illius caloris & spiritus, qui mouere debet. Opus sanè admirabilissimum, soliusque supremi ac sapientissimi opificis proprium. Ex cuius explicatione alia complura nullo negotio intelligentur.

Primum; cur arteriæ solæ pulsent, non venæ. Etenim pulsus caloris feruorem postulat in corpore tenui, quod tumescere facilè & ebullire possit. Maximus verò cordis feruor in sinistro viget sinu, cui alligantur arteriæ: quæ solæ tenuissimum corpus continent & aptissimum ebullire. Deinde non ideò fit pulsus, quòd aliquid ad cor deducatur; sed potiùs quòd aliquid ab illo in arteriam immittatur. At venæ nihil à corde accipiunt, sed ad illud comportant sanguinem. Accedit, quòd venæ molliores sunt, quàm vt perennem illum motum tolerare possint.

Alterum; cur arteria ligata non pulset ea parte, qua separatur à corde, etsi calidum adhuc contineat spiritum. Impeditur nimirum immisso

immissio spiritus, irradiatio cordis, atque ad eius calorem continuatio.

Ar remotiores arteriæ magis pulsent.

Tertium; cur à corde remotiores aliquæ arteriæ magis, quàm propinquiores aliæ, pulsare videantur. Sanè rationi consentaneum videtur, vt propè cor, quod principium & fons est caloris & pulsus, vehementiùs pulsent; etsi à nobis id tactu non percipiatur. Verùm si ita sit; aut ea fuerit causa, quòd propinquiores arteriæ à circumiectis membris nimium opprimantur: aut ea, quòd tenuiores sint, quam aliæ quædam remotiores. Quod ideò factum est à natura, vt id caloris, quod ex longinquitate deerat, multitudine spiritus compensaretur. Constat autem in ampliore arteria commodiorem effici motum; quia contentum calidum tumescit faciliùs, arteriaque minori opera dilatatur. Itaque in arteria magna, quæ statim prodit ex corde, vehementissimum credi potest esse motum: tum propter cordis propinquitatem: tum propter spiritus & caloris copiam, vasique amplitudinem: tum verò etiam quia non præmitur ab aliis membris.

Cur cerebrum pulset.

Quartum; cur cerebrum quoque, etsi frigidum membrum, pulset tamen, quemadmodum calidissimum cor. Etenim is pulsus ex magna oritur copia tenuissimi spiritus ascendentis ex corde. Quippe complures habet cerebrum sinus hoc spiritu plenos; & ideò eodem participat motu. Mitiore tamen; quoniam spiritus illius feruor temperatur nonnihil à cerebri frigore. Ex quo sanè peti argumentum potest ad ostendendum medicis, motum hunc à vitali facultate minimè proficisci. Viget enim in cerebro quoque, in quo nulla est vitalis facultas. Quòd si in membro frigido fiat à solo calore, multò faciliùs in calidissimo corde fieri poterit.

An sit motus naturalis.

Quintum; an hic motus sit naturalis, necne. Depressionem tam cordis & arteriarum, quàm cerebri, certum est esse naturalem: quoniam hæc membra suæ naturæ dimissa ad naturalem redeunt conditionem. Maior de eleuatione difficultas. Etenim comparatione quidem spiritus videtur naturalis; quòd ab interno fiat tumefaciente calido. At si considerentur vasa, videbitur esse præter naturam, aut etiam violentus: quoniam ab externo spiritu dilatantur. Omnino tamē dicendum est esse naturalem; quòd fiat ab anima, & spiritu animæ instrumento, ad animalis conseruationem intimè necessario. Nam & motus sursum, vt fit ab anima: naturalis esse iudicatur. Et neruus creditur naturaliter mouere ossa, membraque omnia: tum propter animam: tum propter naturalem eorum coniunctionem. Ergò cerebri quoque motus naturalis poterit dici, dum ab eo fit spiritu, qui est animæ instrumentum cerebro ad animales illius omnes operationes in primis necessarium. Nulla enim ibi vitalis facultas, quæ naturalem faciat motum. Aut si violentus dicatur cerebro, cordi quoque & arteriis fuerit. At & in cerebro & in corde atque arteriis oportet eum esse in tota vita perpetuum: naturalis igitur fuerit.

Sextum; totum dilatationis motum (compressio namque potiùs efficitur à particulari natura membri) reuocari ad vegetantem animam, eiusque nutrientem facultatem, quæ spiritum illum feruidum facit: at quoniam immediatè fit à calore spiritus, optima ratione tuisse calori ab Aristotele attributum.

Septimum; vniuersum hunc motum, tum dilatationis, tum compressionis, ex naturæ ac materiæ necessitate fieri: vt potiùs quærendus sit finis, propter quem fiat; si propriè & accuratè loqui velimus. Natura verò, quæ nihil frustra operatur, eo ad duplicem finem vtitur. Dilatatione quidem ad aërem inspirandum. Qui etsi ad cordis sinus non admittatur; eò vsque tamen progreditur, vt & cor & interiores omnes partes refrigerando mirificè recreet. Compressione autem, tum ad excludendum hunc ipsum admissum aërem; tum ad diffundendum per arterias calidum spiritum, quo partes corporis omnes foueantur & conseruentur. Vt verè licèat affirmare, dilatatione refrigerationem, compressione calefactionem quæri: hisque duabus alternatis alterationibus vniuersam animalium vitam constare. Sed quoniam aëris inspiratio ac refrigeratio ad pulmones magis & trachæā pertinet, quàm ad cor & arterias; proprius dilatationis finis fuerit, vt sequenti compressione spiritus effundatur. Neque enim comprimi potest id, quod non fuerit dilatatum. Quare vt pulmones ad refrigerandum, sic totus cordis motus ad calefaciendum pertinebit: perindeque hac duplici alteratione conseruabitur animalium vita.

Duplex finis huius motus.

Pulsum duplici constare motu, duplicique quiete.

Video me, dum efficientem pulsus causam docui, totam fermè illius naturam aperuisse. Copiosiore tamen opus est explicatione. Certum igitur est & omnium consensu firmatum, eum non esse vnum aliquem motum, sed duplici constare contrario, dilatatione, & compressione: duplicique intercepta quiete inter dilatationem & compressionem, hancque & sequentem dilatationem. Non.n.possunt cōtrarij motus cōtinuari: atq; inter rectū & reflexum motum intercedere quietem necesse est, vt in 8. Phys. libro demonstratur. Hique duo motus & sunt contrarij; & eorum vnus tanquam rectus, alter tanquam reflexus. Deinde cùm cor aut arteria fuerint à spiritus calore dilatata, nequeunt se statim comprimere: sicut lapis sursum proiectus non statim deorsum redit, sed tempore opus est, quo vna virtus motrix alteram sibi contrariam superet, vireſque suas recuperet. Et rursum si fuerint compressa, concedere oportet calori tempus, vt renouatis viribus iterum possit acrior insurgere. Tum verò & dilatatio & compressio adiunctas habent calefactionem & refrigerationem, quæ sine tempore non fiunt. Quæ res præter ea, quæ superiùs disputaui, omnino mihi persuadet, motum eum à vitali facultate, quam dicunt medici, nequaquam proficisci. Quo modo enim eadem virtus contrarios motus atque inter illos interceptam quietem adferat? Potest animal ad anteriorem partem & posteriorem incedere, medioque aliquo tempore quiescere. At quid mirum? Voluntarius est motus, qui cognitionem atque appetitionem consequitur. Facultas autem vitalis est prorsus naturalis, & absque cognitione vlla & appetitione operatur. Possem pro medicis respondere: Vnam quidem facultatem esse, eamque sine cognitione agentem; at quæ in duplici motu duas habeat rationes oppositas; & ideo vtrumque

præstare. Cùm verò sint motus oppositi, alteram illarum virtutum oportere alteram superare, vt alter motus fieri post alterum possit: atque inde oriri quietem. Esse etiam opus diuersa eiusdem virtutis applicatione: tum ad dilatandum; tum ad comprimendum. Verum neque hæc omnino satisfaciunt. Vt propterea coacti fuerint aliqui respondere, non esse vnam specie facultatem, sed genere; duásque specie distinctas virtutes continere, quarum altera dilatet attrahendo aërem; altera comprimat, tum aërem, tum spiritum expellendo. Sic enim inter B cæteros constituit Gentilis in primam fen. primi Can. doct. 6. capite 4. dubio 17. Hoc verò quàm sapienter dicatur, aliorum sit iudicium. Mihi quidem certè tota hæc difficultas planè persuadet, eam, quam exposui, veram esse & propriam illorum motuum causam: neque in hoc diutiùs immorabor.

Nõ esse motum voluntarium.

Vndecumque autem proueniat hic pulsus, motus est prorsus naturalis: non solùm vt naturale opponitur violento; de hoc enim iam dixi: sed etiam vt voluntario & libero. Omnis namque C voluntarius motus antecedente siue sensus siue intellectus cognitione fit, perque musculos exercetur. Hic absque vlla cognitione, vel etiam in somno ac omni prorsus tempore viget; nec vllis vnquam vtitur musculis; corde solùm & arteriis contentus, in quibus musculus nullus.

Hanc motum non vti fibris.

An verò vtatur fibris, à medicis video disputari. Nam Gentilis eo, quem indicaui loco, & Conciliator differ. 51. & ferè recentiores, motum hunc, qui attractione quadam & expulsione constare videtur, ita fieri asserunt, vt attractio rectis, D expulsio transuersis fibris vtatur. Probabiliùs tamen Thomas de Garbo quæst. 40. aliique nonnulli cor & arterias dixerunt indigere quidem fibris, vt cætera membra, ad nutritionem; at in pulsu nullum esse earum vsum; huncque immediatè à vitali virtute proficisci. Quod multò erit verius, si non ab ea virtute, sed à tumescente calido, moxque refrigerato nascatur hic motus: Argumento est, quòd cerebrum nullis constat fibris; eodemque hoc motu mouetur. Deinde in motu, qui fit per fibras, trahendo aut expellen- E do, id quod trahitur aut expellitur, solùm patitur, non agit; vt videre est in alimento, dum per venas mouetur. At non ita se habent spiritus & aër in hoc motu. Nam & spiritus calore suo dilatat, & membrum refrigeratum naturalisque propriæ figuræ appetitu deprimitur, & cor sua depressione effundit spiritum; aerque dum respiramus, sponte ingreditur. Dilatatis enim corde & pulmonibus præstò est ad occupandos pulmones vacuos, eorumque depressione extruditur, ne corporum fiat penetratio. Potest etiam absque F attractione aut expulsione vlla intelligi pulsus. Si enim idem spiritus in corde aut arteria quapiam consisteret; nihilò minùs pulsaret, quàm nunc vlteriùs progrediendo pulset. Neque si per fibras fieret, posset totum cor simul pulsare; multoque minùs arteriæ omnes: totum autem cor simul moueri, arteriasque omnes eodem tempore pulsare, certum est. Nam etsi dilatato corde non sit necesse arterias omnes simul vniformiter comprimi, aut compresso dilatari; propter aliam atque aliam interdum arteriarum dispositionem, maiorem- que aut minorem calorem, alias ue qualitates, quæ pulsum in vna parte velociorem, quàm in alia, facient: in toto tamen corde arteriisque cordi propinquioribus est semper vniformis motus: quòd illæ saltem cordis virtutem eodem modo accipiant. Quinetiam in corpore secundum naturam optimè disposito simul omnes plerumque pulsant. Quoniam cor huius motus principium naturaliter & æque in omnes agit, irradiat omnes, consentit eum omnibus. Qua in re cœlesti virtuti assimilatur plurimùm, quæ in omnia hæc inferiora sibi subiecta simul agit: quare vt cœlum, si eadem esset in omnibus dispositio, eundem in omnibus effectum produceret: ita si cor arterias omnes ab omni impedimento liberas habeat, eundem omnibus pulsum dabit. Quod eo argumento confirmat Galenus in libro de vtilitate pulsus; quòd quocumque in loco corporis probè constituti, & sani arterias tanganus, eas omnes simul dilatari ac deprimi sentimus.

An omnes arterias simul

Non defuerunt tamen, qui hac experientia magnopere abuterentur, vt inde conficerent, eodem quoque tempore cor & arterias dilatari, eodemque deprimi: non autem dilatato corde deprimi arterias, eoque depresso dilatari. Tactu namque simul pulsare cor & arterias deprehendimus; dum vna manus pectori, arteriæ altera admouetur. Verùm hanc experientiam verè dixit Conciliator differ. 80. esse fallacem; eamque iampridem exposuit Galenus in lib. compendij pulsuum; & obseruauit etiam Thomas de Garbo quæstione 41. Etenim cor pineæ propemodum est figuræ; cuius basi pulmonibus alligata, libera cuspis vergit ad pectus. Quò fit, vt dum dilatatur atque in seipsum quasi contrahitur, cuspis recedat à pectore, neque in eo sentiatur motus, dum verò deprimitur & fit longius, cuspide pulsat pectus. Cordisque motum sentimus quando deprimitur, arteriarum autem dum eleuantur: atque quo tempore deprimitur cor, eleuantur arteriæ; quóque hæ deprimuntur, illud eleuatur. Hactenus de toto hoc motu satis.

Pulsũ differ.

Quæ enim de pulsuum differentiis à Galeno & aliis medicis copiosissimè disputantur, ad Philosophum naturalem non spectant. His autem capitibus continentur. Pulsuum differentiæ peti possunt ex quantitate, qualitate, materia, motu ipso, intercepta quiete, ordine ac proportione seruata. Ex quantitate, aut est pulsus magnus, qui in omni arteriæ dimensione æqualis est; aut longus aut breuis: latus aut angustus; altus aut humilis; vt dimensione aliqua fuerit inæqualis. Ex qualitate, aut vehemens dicitur, aut remissus. Ex materia, hoc est arteriis, quæ pulsant, aut mollis, aut durus. Ex motu ipso, aut velox & concitatus; aut tardus & debilis. Ex intercepta quiete longiori & rariori, breuioribus & crebriori; aut rarus & tardus; aut frequens & velox. Ex ordine demum ac proportione, aut æqualis, aut inæqualis. Hæ sunt præcipuæ differentiæ. Plures, tum simplices, tum compositæ, commorantur; ex ætatibus, temporibus anni, & aliis pluribus, quæ non est instituti nostri diligentiùs persequi. Quemadmodum nec musicas consonantias, quæ in his omnibus considerantur: quod inter

inter cæteros fecit Conciliator differ. 8. 3. Cætera persequamur.

De Respiratione.

Respiratio quid.

RESpiratio quoque ad vitalem facultatem creditur pertinere. Est autem respiratio aëris motus in animali, per pulmones & asperam arteriam factus. Quem ad vitam maximè necessarium esse, vt & pulsum; vel ex eo cognoscitur, quòd si ad breuissimum tempus impedia tur, moritur animal. Quare etsi propriè in quodam solum animalium genere reperiatur, quidpiam tamen illi simile, quod transpiratio dicitur, in omnibus ferè viuentibus ineſt: per porros scilicet, qui in eorum corporibus reperiuntur. Constat autem respiratio duplici motu, inspiratione & expiratione; altero susc ipitur aër, altero redditur. Quare cùm sint motus contrarij, inter eos necesse est quietem aliquam esse, quemadmodum inter pulsus eleuationem & depressionem.

Respirationis duplex motus.

Respiratio in fœtu pulsu.

Est tamen totus hic respirationis motus ignobilior multò & inferior pulsu. Tum quòd pulsus nobilioris est membri, cordis omnium longe nobilissimi: nobiliorisque materiæ, eóque magis respiratione præstat, quòd spiritus aëre nobilior est. Tum quòd respiratio penè tota ad conseruandum pulsum confertur. Accedit, quòd pulsus non est primùm institutus ad attrahendum & emittendum; sed ad tuendam & fouendam vitam: nec vlla in eo per se spectatur attractio. Spiritus enim in ipsomet corde & arteriis proprium habet domicilium, etsi ex corde velut fonte ad arterias ceu riuulos deriuetur. At respiratio tota per se ad susc ipiendum & reddendum aërem est comparata: neque in iis mẽbris, in quibus viget, in aspera inquam arteria & pulmonibus, resident nec conseruatur aër. Neque verò pati velocitate nec simul pulsus & respiratio perficiuntur. Sed velocior multò & crebrior est in corde & arteriis pulsus, quàm in pulmonibus respiratio. Facile est vtrumque motum obseruare. Sed natando & quocumque libuerit tempore cohibere poteris & retardare respirationem; pulsum non poteris. Quique nimium replentur cibo, nonne difficiliorem habent respirationem? Nimium enim dilatato ventre, inter iecur & pulmones comprimitur diaphragma: cùm tamen pulsus, aut idem, aut etiam frequentior sentiatur.

Cur respirent animalia.

In constituenda porrò respirationis causa antiquitatem video mognopere laborasse. Quid Democritus senserit, quid Empedocles, quid Plato, non est necesse aut commemorare aut examinare: vtrumque diligenter Philosophus præstitit in libro, quem de respiratione scripsit: tandemque confecit, eam habere causam, vt cordis calor aëris frigore temperetur, atque ita conseruetur vita. Namque animalia omnia & viuentia sustentantur & viuunt calido: sanguinea verò inter omnia maximum calorem habent. Is duobus modis interire potest; aut exstinctus à contrario, aut in se ipso marcescens. Quare cùm maximus horum animalium calor seipsum posset propter nimiam vehementiam consumere, refrigeratione opus fuit, vt consisteret & conseruaretur, tum calor, tum animalium vita. Inspiratur igitur frigidus aër, isque susceptus pulmonibus refrigerat cor: moxque ab eo vicissim cale factus expiratur, vt frigidior alius accedat. Ex quo intelligere licet, vniuersum inspiratum aërem expirari: aut si quæ illius pars in pulmonibus asperaúe arteria hæreat, illam ipsam tandem sequentibus expirationibus expirari.

Cur aër potius inspiretur, quàm aqua.

Porrò ad hanc refrigerationem aptior multò est aër, quàm aqua, etsi natura frigidior. Tum quia mobilior aër, faciliusque susc ipitur & redditur: aqua non nisi ægerrimè ad pulmones deducta fuisset, indeque reducta. Tum quia non semper & vbique præstò est aqua; & animalia, quæ respirant, in aëre, non in aqua, viuunt. Tum verò quia frigus aqueum est pernicioſum, breuique tempore calorem sua tenacitate ac viscositate opprimeret. Vt propterea pisces non immediatè refrigerentur aqua ad cor ingrediente (morerentur enim) sed per branchias partes exteriores humectantur & per partium communicationem cor quoque & totum corpus refrigeratur.

Quod sit præcipuum respirationis instrumentũ.

Iam verò cùm ad aëris respirationem hæ præcipuæ partes conueniant; epiglottis, quæ ita erigitur, vt liberum aëri ingressum det & egressum; aspera arteria, per quam is ingreditur & egreditur; pulmones ad quos eleuatos ingreditur, & à quibus mox concidentibus extruditur; Diaphragma & musculi omnes intercostales, dum dilatationis & compressionis thoracis motum efficiunt; quo dilatato vel compresso eleuantur aut cõprimuntur pulmones. Epiglottis & arteria nihil omnino efficiunt, sed liberum dumtaxat aëri transitum ad pulmones permittunt: & ideò cum illis coniunctæ sunt. Thoracis autem motus potissimùm fit à diaphragmate. Propterea dum quæritur, quodnam sit præcipuum respirationis instrumentum, de pulmonibus & diaphragmate disputatur: illi susc ipiunt & reddunt aërem; hoc thoracem eleuat & deprimit.

Galenus & meadicorum opinio.

Galenus in lib. de motu thoracis & pulmonum, & in lib. de causis respirationis, ac ferè medici, eligunt diaphragma, quòd hoc eleuando thoracem causa sit, cur pulmones, ne intra dilatatum thoracem sit locus vacuus, eleuentur: eleuati autem velut spongia trahunt aërem: ac rursum contrahendo comprimat item pulmones, attractumque aërem extrudat. Cum enim pulmones nullas habeant fibras, nullos neruos aut musculos, quibus motus omnis efficitur; nequeunt ipsi ex se moueri; sed sequi potiùs debent diaphragmatis motum, in quo hæc omnia insunt. Vulnerato etiam & aperto pectore, dum aër thoracem subit, cessat pulmonum motus; quòd aër occupet locum: quod argumento est pulmones antea non propria vittute fuisse motos, sed solùm ad locum illum occupandum, qui eleuato thorace fuisset vacuus. Denique non aliam ob causam nimia cibi repletio difficiliorem facit respirationem, quàm quòd venter plenus liberum impedit diaphragmatis motum. Addit Conciliator in annexo differ: qq. vidisse se diaphragmate læso concidere statim pulmones; perinde quasi tota inde respiratio penderet.

Consultatio.

At videant medici; num consentaneè principiis suis loquantur; dum motum hunc fieri volunt à facultate vitali, moxque præcipuum illius instrumentum addunt esse diaphragma: cùm tamen non in hoc membro, sed in corde & arteriis facultatem illam ponant.

Videant, respirationem propriam esse pulmonum susci-
pientium aërem & reddentium operatio-
nem: Quid enim aliud sit respiratio, quàm susceptio aëris & redditio? At hæc quid pertineat ad diaphragma? potest sanè eleuatio & depressio thoracis absque aëris susceptione, & redditione intelligi; hæcque rursum sine diaphragmate thoracisque motu: nec tamen absque pulmonibus & eorum motu concipitur, imò cùm respiratio nominatur, concipiunt omnes pulmonum, non diaphragmatis, motum. Cum enim hæc sit propria operatio, quæ facultatem illam & motum pulsus consequitur, qui est in corde; illius potius membri, quod est propè cor, propria iudicatur. Quæcumque verò ad diaphragmatis patrocinium adferri possunt in hac causa; nihil aliud persuadent, quam ad respirandum concurrere nec parum habere momenti diaphragmatis quoque & thoracis totius motum. Idcirco enim post largiorem cibum difficilior respiratio; lęsoque cessat diaphragmate. Neque pulmonum motus indiget fibris, neruis, ac musculis. Sunt enim hæc instrumenta animalis ac voluntarij motus, ac fibræ etiam naturalis nutritionis. At si pulmones attollere se se absque fibris ad implendum vacuum fatentur medici, quidni etiam naturaliter sine illis eodem motu moueantur? Aperto thorace aëreque subintrante non mouentur, propter nimiam refrigerationem: neque enim mouentur, nisi à calido.

Auctoris sententia.

Hoc nimirum est, quod in cap. vltimo lib. de respiratione sapienter constituit Philosophus, proprium ac præcipuum respirationis instrumentum esse pulmones. Quia cum cor nouo semper sanguine impleatur ac tumescat, abundè is in pulmonum arterias irrumpit (plurimas autem habent pulmones) vique aduentitij caloris inflantur, & attolluntur. Præsertim cùm substantia constent tenuissima, quæ à vehementi calore facillimè penetratur & attollitur. Deinde quoniam planè spongiosi sunt, aëris multum concipiunt: non attrahendo (quæ enim sit animæ virtus, quæ corpus extrinsecum possit attrahere; cùm nullas habeat anima operationes, nisi in ipso animato immanentes?) sed vt in follibus accedit (verè enim pulmones dixeris velut folles cordi incumbere) in quos eleuatos naturaliter se se insinuat aër, vt occupet locum, qui vacuus remaneret. Tum verò frigidus aër per arterias & meatus pulmonum ad cor peruadens, totum refrigerat, sanguinisque & spiritus calorem illum retundit, quo fuerant pulmones inflati. Ita concidunt illi, aëremque extrudunt, quem susceperant, vt planè in follibus accidit. Verum alio aduenien-
te calore attolluntur rursum & inflantur: atque ita semper hic motus progreditur. Qui si non est tam frequens, vt est cordis & arteriarum pulsus; nihil mirum. Etenim pulsui satis est modicus tumor; quippe corpus, quod pulsare debet, exiguum est, & totus calor vnico vase contentus. At respiratio maximo tumore indiget: quoniam peramplum est pulmonum corpus, lobosque habet, cauitates, & fistulas plurimas; ad quas primùm sanguis, deinde aër penetrare debēt. Branchiarum in piscibus motus eadem est ratio. Nam cùm calidum attollitur branchias quoq; attollit & ingreditur aqua: cumque hæc refrigerauerit, concidunt omnia & extruditur aqua.

Pulmonum attolens ac deprimens causa.

Respiratio cur minùs frequēs quàm pulsus.

At enim inquient medici, non solùm respirando attolli pulmones & deprimi, sed vniuersum quoq; thoracem. Thoracis motum respondebit Philosophus consequi pulmonum motum; & quia attolluntur cor & pulmones, quæ continentur thorace, totum quoque continentem thoracem attolli. Quæ omnia mirè probantur Auerroi in 2. Colliget cap 19. Hæc igitur sit huius disputationis conclusio. Ad respirationem concurrunt quidem præter pulmones diaphragma, thoraxque totus: at ea est propria pulmonum operatio; hique propria virtute mouentur, hoc est calore quidem à corde deriuato, sed qui in ipsis tanquam in proprio subiecto sit. Propter mutuam tamen partium consensionem, & vinculum naturale sit, vt dum pulmones mouentur, partes item proximæ continentes, thorax & diaphragma, eadem modo moueantur. Præsertim cùm idem cordis calor per totum illum interiorem locum quoquomodo spargatur. Ita fit, vt si strictè ligetur thorax, alioue modo illius motus impediatur; pulmonum quoque motus totaque respiratio impediatur. Neque enim attolli aut deprimi pulmones possunt, quin cum eis simul attollatur & contrahatur thorax. huius cùm præcipuum instrumētum sit diaphragma, respiratio tota meritò à diaphragmate quoq; pēdere affirmatur.

Ex his verò petenda erit disputationis alterius explicatio; Num hic respirationis motus sit naturalis; & quî fiat, vt nobis liberum sit eam, cùm libuerit, frequentiorem facere aut tardiorem. Nam si naturale significet id, quod aduersatur violento, quamuis non defuerint, qui pulmonum eleuationem dixerint violentam: credendum tamen est, motum, quo tum illi, tum thorax concidunt, & diaphragma remittitur, naturalem esse: siue formam spectes, quoniam illius causa est anima: siue materiam; nam ad illum inclinant planè membra illa sua natura grauia. Motum autem alterum, quo & pulmones & thorax attollūtur & diaphragma contenditur, naturalem esse falsem ex parte formæ, quæ id efficit. Sed & ratione item materiæ, vt fit per instrumenta omnino naturalia, & in membris naturaliter connexis; quemadmodum de pulsu antea dicebatur.

Quod si naturale illud dicatur, quod opponitur voluntario, sanè voluntarium iudicauit Galenus, tum quòd per neruos & musculos diaphragmatis & thoracis perficiatur; musculi.n. & nerui sunt instrumenta voluntarij motus. tum quòd in nostra potestate sit celeriùs aut tardius respirare, aut etiā penitus cohibere. Alij partim naturalē, vt fine neruis mouentur pulmones; partim voluntariā, vt in diaphragmatis & thoracis motu adhibeantur nerui.

Sed omnino naturalē eum esse, hęc demonstrant, Etenim vel dormientibus nobis, aut nihil cogitantibus, absque vlla cognitione aut appetitione efficitur. Estque simpliciter necessarius, atque ad conseruandam vitam totus refertur, persimilis pulsui: vt loco pulsus eo interdum vsus Hippocrates fuerit. Et ex illo medici de complexione, deque cordis constitutione, quæ sunt res planè naturales, iudicare solent. Efficitur.n. à causa prorsus naturali, sanguinis & spiritus calore, qui à corde submittitur, pulmonesque, præcipuum illius instrumētum, nullos habēt neruos aut musculos, nec vllum voluntarij motus instrumentum. De hoc.n. iam contra Galenum constitutum est. Confirmat autē experientia, nequaquam nos posse hunc motum impedire; sed si breui tempore cohibuerimus anhelitum, cogimur statim vel inuiti respirare. Ab omnibus operibus, inquit Hippocrates, in lib. de flatibus

„ de flatibus, aliquando immunes quiescunt ho-
„ mines: verum ab hoc opere nulla omnibus mor-
„ talibus animantibus requies contingit; vt cessent
„ spiritū adducere, ac rursum exhalare. Dū narium
meatus nonnunquam, siue à pituita, siue ab alia
quauis causa, claudantur; summam comedendo,
loquendo, aut ciuium operi, quod respirationem
ore impediat, difficultatem experimur; vt ne dor-
mire quidem, nisi ore aperto, quò libera sit respi-
ratio, possimus. Ea est naturæ vis & impetus in
hac in primis necessaria operatione, vt nullo mo-
do voluntate frænari possit.

Fateor tamen non esse naturam ab imperio vo-
luntatis omnino liberam. Est enim integrum no-
bis celeriorem illam aut aliquantò tardiorem fa-
cere. quod etiam in palpebrarum motu, & thussi
accidit. Nam quædam sunt actiones, quæ naturæ
quidem instinctu fiunt: at quoniam adiunctum
habent quorundam instrumentorum vsum, quæ
voluntati quoque subsunt; etsi ab ea nequeant
penitus impediri, nonnihil tamen immutari pos-
sunt, vt celerius aut tardius fiant. Huius generis
est respiratio. Etsi enim pulmonum motus natura-
lis sit, quòd nullum habeat voluntarium instru-
mentum: ea tamen ex parte voluntati subiicitur,
qua adiunctum habet diaphragmatis & thoracis
motum, in quibus nerui sunt, qui non modo na-
turalis motus, vt in palpebris & thussi, & verò in
respiratione, dum sine cognitione fit; sed & volun-
tarij possunt esse instrumenta; vt in cæterorum
membrorum motibus. Itaque cùm ex cognitione,
& voluntate celerior aut tardior fieri possit dia-
phragmatis motus, cum quo pulmonum motus
coniunctus est, verè dicitur respirationis motus
absolutè naturalis; secundum quid, quoad cele-
ritatem aut tarditatem, posse esse voluntarius. Ita
Simplicius quoque dicturus est in com. tex. 43.
„ libri 3. Respiratio, inquiet, & expiratio habent
„ quidem aliquid necessarium, habent tamē & quod
„ cum appetitiuo est motu. Prohibemus enim inter-
„ dum, & remittimus iuxta liberū nostrum appetiti-
uum. Quod in homine præsertim omnium anima-
lium diuinissimo propterea factum dixerim, quòd
hic motus loquutioni esset maximè necessarius.
Quare cùm loquutionem oporteret esse voluntа-
riam, necessarium fuit adiungere instrumenta, quę
voluntati subessent: vt ita administraretur respi-
ratio, vt vocis ac loquutionis necessitas postula-
bat.

Priauimentibus animalibus reliqua videbantur frigerandum.

Hæc fermè sunt, quæ de aëris ac pulmonum res-
piratione, quæ animalium est perfectiorum, di-
cenda videbantur. Vnum illud desideratur, vt quo-
niam ea ad refrigerandum calorem adhibetur; cùm
in omnibus viuentibus insit calor, paucis signifi-
cetur, quemadmodum viuentia omnia refrigeren-
tur. Plantæ non respirant; sed cùm non multum
caloris habeant, satis à circumiecto aëre refrige-
rantur, dum circa illas subinde mutatur, aliusque
atque alius accedit. Quare immoderato aut frigo-
re aut calore, præsertim sicco, siccantur facilè,
quod tenuis calor facilè extinguatur. Refrigerātur
etiam ex alimento; nempe aqua, qua irrigantur.
In animalibus exanguibus, quæ parua sunt, & ca-
loris modici, & ideo breue tempus viuunt: ab aëre
quoque ambiente refrigerationis satis est. Mo-
dicum enim, inquit Aristoteles, habentia calorem
modico indigent auxilio. Quæ verò longiori sunt
vita, & maiori calore; vt apes, quæ ad septem an-
nos viuunt: & canora, quæ bombū m edunt, vt ves-
pæ, scarabei, cicadæ; paulò maiorem volunt re-
frigerationem. Quam ob causam septo transuerso
tenuem membranam adiecit natura, & aërem; vt
aër à membrana commotus refrigeraret. Eiusdem
aëris ad membranam allisione fit bombus. Prop-
terea cicadæ meridie potissimum & præcalido tē-
pore obstrepunt; quod maximè indigeant refri-
gerationę; plurimumque & membranam & aërem
mouent. Muscæ item, scarabei, & vespæ, dum mo-
uentur, edunt bombum; quòd maior motu exci-
tetur calor, maiorque cùm egeant refrigeratio-
ne, maximè interiora mouent. Animalia sanguи-
nea, si pulmones habeant, nec multum tamen ca-
loris; respirant quidem, sed exiguus calor haud
magna indiget refrigeratione; diuque possunt abs-
que respiratione viuere. Huius generis ranæ sunt
& alia quædam, quæ propterea pulmones habent
valde laxos, qui absque nouo suscepto aëre diutius
possint refrigerare. Quę verò & pulmones habent,
& sunt præcalida; multò crebriorem quærunt res-
pirationem. Hæc præsertim sunt viuipara terre-
stria, ouipara pennata, corticata; vt testudines,
lacertæ, serpentes, stelliones; & aquatilia pede-
stria, vt focæ, & cocodrilli, & cetacea omnia, et-
si pedibus careant; vt delphini, qui propterea, vt
est in 6. libro de hist. an. cap. 12. dormire dicuntur
exerto super aquas capite, vt respirent; & dum
dormiunt, stertunt, & si retibus capiantur, citò
suffocantur, quòd nequeant respirare. At quoniam
cum alimēto multo necesse fuit multum eos item
aquæ attrahere; dedit illis natura fistulam ad ca-
put, qua susceptam excludant aquam: non secus
ac cancri per tegumenta colli. Aquatilia demum
omnia, quæ pulmonibus carent, nequaquam re-
frigerantur aëre; sed aqua per branchias suscepta,
atque ad interiores partes per fistulas deriuata,
moxque post refrigerationem ejecta. Ita, tum de
respiratione, tum de tota vitali virtute, atque adeò
de omnibus vegetantis animæ facultatibus &
actionibus, dictum sit.

DE SENTIENTE FACVLTATE in genere.

CAPVT V.

Sentiens anima inter vegetantę media.

SECVNDVM à vegetante anima locum tenet sen-
tiens: melior illa, quia cognoscens; deterior
intelligente, quia materialis, minusque in suis
operationibus libera. Vt naturaliter operatur, ve-
getanti persimilis; vt cognoscit atque de rebus
obiectis iudicat, intelligenti: At & obiecto, &
cognoscendi modo deterior. Nam intelligens
non materiales modò res & singulas, circa quas
est sensus; sed vniuersas quoque naturas & à ma-
teriæ concretione liberas comprehendit. Co-
gnitionis autem forma proximè ad illam accedit,
qua separatæ mentes, ac Deus ipse fruuntur. Non
solum enim est cognitio, sed intellectio. Sequi-
tur tamē cognitionem sensuum, ex quibus anima,
quandiu corporis huius est actus, intelligenda ob-
iecta cogitur mendicare. Vt verè omnino dixeris,
non ad suam modo ipsius vitam tuendam, & con-
seruandam, quemadmodum animalibus cæteris,
homini à natura, aut parente potius naturæ Deo,
tributos fuisse sensus: sed vt seduli essent atque

industrij intellectionis ministri. Cæterùm de animæ huius natura, quomodo sit inter vegetantem, & intelligentem media, dictum est satis, cùm de triplici animarum genere, diuersisque earum à materia eleuationibus ageretur.

Eius facultates.

Iam tribus tota facultatibus continetur, sentiente, appetente, mouente. Sentiens obiecta percipit, appetens percepta concupiscit, mouens demum ad ea procuranda adducit, si fuerint remota. Constantem omnes seruant ordinem. Prima omnium est cognitio, deinde appetitio, tum motus. A cognitione tota hæc anima vocatur sentiens, quòd prima sit, omniumque potissima, & cæterarum veluti principium & causa. Nam quidquid ea operatur, aut sensio est, aut sensionem comitatur. Cognoscentem non nominamus; quoniam cognitio illi est cum intelligente communis. Sentientem dicimus; quasi sensu cognoscentem. Hæc eius est propria; & vt in plantis nullis ac stirpibus reperitur, sic animalibus omnibus ineſt. Carent permulta appetitu & motu: nullum est, quod non fruatur sensu. Vnde Aristotelis illud in textu 16. Animal est per sensum primò, & textu 6. libri tertij; Animal necesse est habere sensum; & in libro de sensu & sensili capite primo; Animalibus', quà animal est vnumquodque necesse est inesse sensum; per hoc enim determinamus animal esse & non animal: & libro de somno & vigilia capite primo; eo quod sensum habeat, definitum est animal. Vita namque plantarum est, sensus animalium, intelligentia hominis. Planta per vitam, Animal per sensum, homo per intelligentiam primum constituuntur: per animam, inquam, quę primam hanc saltem facultatem secum adferat; etsi appetitus & motus perfectioribus animalibus insint.

Cur sentiens dicta.

Itaque de sensu tanquam præcipuo & optimo accuratè omnino disseruit Aristoteles; de appetitu & motu obiter & perpaucis. Sensum autem cùm bipartitum animaduerteret; & alium quidem in organis corporis exteriùs positis, omnibusque conspicuis operari; alium in interioribus partibus, magisque reconditis residere; tripartitam tractationem fecit. Primùm de sensu vniuersè dixit, deinde sensus omnes exteriores explicauit; postremò interiores persequutus est.

At quoniam nutaret sæpe, atque huc, illucque fluctuaret, tum Aristotelis interpretatio, tum disputatio tota, nec certum posset cursum tenere; nisi antea de perobscura, & perdifficili quæstione, quæ de sensuum cognitione in omnibus iam Philosophorum scholis versatur, certi aliquid antea constitueretur: operæpretium fuerit generalem hanc disputationem præmittere, quæ consequentium omnium fundamenta continebit. Quæstio est, vt mihi quidem videtur, non vsque adeò antiqua; num præter sentientem facultatem, obiectaque sensilia formis quibusdam, seu speciebus opus sit, velut obiectorum simulacris, vt hæc à facultate sentiri possint. De hoc igitur & verò de tota harum formarum natura & conditione dicendum.

DIGRESSIO XXX.

Num sensus intentionali egeat specie, qua sensilia obiecta percipiat.

VT obiectum sensile à facultate percipiatur, cum illa coniungatur oportet. Plerumque immediate coniungi non potest: immò si coniungatur sensionem impedit; coniungi ergo debet per aliquid, quod aut facultate prodeat ad obiectum, aut ab obiecto in facultatem immittatur, ceu forma, species, imago, & simulacrum obiecti; quo remotum obiectum facultati repræsentetur; quemadmodum in imagine Cæsar & repræsentatur & cognoscitur.

Solum aspectũ putarũt nonnulli egrediente aliquo à facultate ad obiectum perfici. Quod cùm ad propriam aspectus rationem pertineat, reijciatur in eum locum, in quo de hoc sensu agetur. In reliquis certũ est, aliquid potius ab obiectis in facultates immitti. In gustatu tamen & tactu nullis videtur opus esse speciebus aut formis præter reales qualitates tactiles & sapores. Tactus enim plerumque, & gustatus semper, absque medio extremo immutãtur, per quod species trãsmitti possit. Non inquam gustatur sapor, nisi linguæ, palatoque impositus ita re ipsa afficiat sensum, vt quemadmodum calefacit, aut refrigerat; ita vel delectet dulcedo, vel amaritudo tristitiam adferat. Nimirum illæ ipsæ qualitates gustantur, quæ imponuntur palato: nec ita desipiat quisquam, vt intentionalibus, non realibus, oblectari nos atque ad cibi appetitionem trahi, aut secus affici, ab eoque abhorrere arbitretur. Nam si cibi gustatus propterea sit animali datus, vt suauis saporis delectatione ad naturæ necessarium alimentum sumendum inuitetur; qui credi potest, optimam parentem naturã fictis nos ac mentitis qualitatibus decepisse, dum veris ac realibus oblectari nos existimamus? Obiectum, quod per intentionalem speciem afficit sensum, potest & quidem commodiùs multò per externum medium & aliqua interposita distantia afficere. At nunquam gustatur cibus nisi immediatè tangat: si vel minimum separetur, gustatus est nullus. Idcircò porosa tota & spongiosa lingua, visque conficiendæ saliuæ, vt aridorum succus cum saliua permistus penetrare possit.

De tactu idem iudicium. Gustatus enim est quidam tactus. Immediatè à realibus qualitatibus patitur; vt manus à calore ignis, non minùs, quàm lignum omnis expers sensus. Et immediatè gignitur dolor & tristitia, si aduratur manus calore; sin frigore frigescant nimium & contrahantur corpora, si caro aut neruus pungatur acu, ferroue, aut scindatur. Dum vna sentitur qualitas, non potest simul eius contraria percipi; quin ea potius aduenientem pellitur. At intentionales species nihil horum præstare queunt; quoniam nec sunt inter se contrariæ, nec re ipsa agunt: Tantum abest, vt vicissim sese interimant, atque ex subiecto pellant. Denique hic sensus vterque maximè omnium materialis est, vt illorum confirmãt organa, & perquàm materialiter obiecta sua persentiscunt: Quare nullis opus habent intentionalibus speciebus, sed ab ipsissimis qualitatibus realibus permouentur; plerumque immediatè, interdum etiam tactus intercepto alio corpore:

corpore; vt dum aëre calefacto calescit manus.

In auditu quoque & odoratu eas respuunt illi omnes, qui sonum & odorem ab obiecto ad facultatem vsque re ipsa propagari aiunt per medium. Contrà disputant alij, qui qualitates hasce intentione solùm multiplicari volunt. Quæ disputatio eius loci propria est, in quo de his sensibus agetur.

De Aspectu disputatio.

Solus superest aspectus, in quo cùm re ipsa non multiplicentur colores, hanc saltem speciem velut imaginem sui ad oculum vsque emittere illos sentiunt Latinorum plerique, Aristotelemque ac veteres Peripateticos Græcos sensisse contendunt. Aristoteles namque pluribus in locis sensum dixit alterari & pati, non alteratur autem nec patitur nisi ab obiecto sensili. In tex. 12. libri 7. phys. Atque etiam, inquit, ipsi sensus alterantur; patiuntur enim, quoniam ipsorum motus est per corpus patiente aliquid sensu. In t. 37. huius 2. libri de anima. Sensus quædam alteratio esse videtur. In t. 51. Sensus in eo, quod est moueri aliquid & pati, accidit; videtur enim alteratio quædam esse. Porrò in tex. 59. moueri & pati asserit ab obiecto; huius, inquit, operationis actiua sunt extra, aspectabile & audibile; similiter autem & reliqua sensilia. Hinc verò penè omnia deducit, quæ de sensibus tradit. Nam in tex. 60. sentire non est in nobis quando volumus; necesse enim est sensile esse præsens. In t. 62. Sensus dum patitur, non est obiecto similis; sed similis fieri potest: dum autem passus est, iam est similis; quia formam & actum obiecti suscepit. In tex. 63. Color est motiuus eius, quod est actu perspicuum. Et ideò in tex. 71. Medium oportet colore omni carere, vt colores omnes possit suscipere. Et tex. 73. Color ideò videtur, quia mouet aërem illuminatum, & ab hoc mouetur organum. Et tex. 74. Nulla esset visio in vacuo, quia cùm sensum oporteat aliquid pati, nec immediatè pati possit à colore; necesse est adesse medium, per quod patiatur. At color re ipsa non multiplicatur, nec agit; ergo per intentionalem speciem. Ita in tex. 121. & 138. Sensus dicitur esse susceptiuus formarum sine materia. & in tex. 124. Plantas respondetur propterea non sentire, quòd principium hoc non habeant, quo possint suscipere formas sine materia. & in 3. libro tex. 18. lapis non est in anima, sed lapidis forma. In libro de sensu & sensili capite 2. Visio fieri constituitur, non extramittendo aliquid ex sensu, sed intus suscipiendo ab obiecto; & cap. 7. Motus soni & odoris ab obiecto ad sensum cum tempore fieri, at coloris motus momento absolui: Nimirum quòd illi re ipsa, hic intentione multiplicentur. In lib. de memoria, & Reminisc. capite 2. Dum exponitur, quomodo absentium & præteritorum recordemur; oportet, inquit Philosophus, intelligere talem aliquam factam per sensum in anima & in parte corporis habente ipsam, velut picturam, quandam, passionem, cuius dicimus habitum esse memoriam; factus enim motus imprimit velut figuram quandam sensilis, sicut sigillantes annulis. Inde exponit, quinam magis minusue memoria valeant, vt diutius minusue diu impressas hasce imagines retinent; pueros que ac senes esse immemores, quòd illis propter accretionē, his propter decretionem citò fluant obiectorum imagines. In lib. quoque de somniis cap. 2. præclarè de hac ipsa re loquitur; ostendens quo modo obiecta imprimāt species in organa, quæ pereuntibus obiectis remaneant, sintque somniandi occasio: & motum profert proiectorū, qui primo mouente remoto eam solam ob causam fit, quòd primum Mouens mouit aërem, & hic mouet alium: atque alterationem, in qua calefit aër, aërque calefactus calefacit aliud corpus. Idem enim accidit in sensu, qui est alteratio quædam. Hinc in 5. lib. de Animalium ortu cap. 1. Cum quæret, cur oculi cœsij acutè interdiu cernere nequeant, nigri noctu; & contra nocte illi perspiciant melius, hi interdiu: Hanc exposuit causam; quòd cœsij parum humoris continent, parumque indigent motu; nigri vt copiosiorem habent humorem, ita maiorem postulant motum. interdiu autem vehemens est ab obiecto motus, quia magnum lumen. Oculi cœsij vehementiorem motum sustinere non possunt, nigris optimè is conuenit. At nocte cùm exiguum sit lumen, obiecta leuiter mouent, nigrique oculi maiorem requirunt motum; cœsiis est ille accommodatissimus. Itaque optimus ille aspectus iudicatur, qui inter multum & parum humoris est moderatus; quoniam is neque ob defectum facilè ab obiecti motu turbatur, neque ob excessum ægrè mouetur. Ex cornea quoque pupillæ obtensa, magis, aut minùs pellucida, dura aut rugosa; ex oculi situ infosso aut prominenti, aliisque huiusmodi fit, vt acutè, aut obscurè cernamus: quod melius aut deterius obiecti motus in oculo suscipiatur. Denique vt multa prætermittam, pleraque sectionis 31. problemata, nisi speciebus hisce ab obiectis ad oculum emissis, exponi non possunt. Præsertim 2. cur vno oculo exquisitius, quàm duobus, cernimus? Quoniam vnus motus certior est & firmior, quàm duo. Octauum, & 15. Cur lusci minutos scribūt caracteres? quia proximè admotis oculis scribunt; proximè autem posita, cùm vehementiùs agant in sensum, videntur magna. Deinde quia contractis palpebris scribūt: alioqui propter imbecillitatem à vehementi motu obiecti distraheretur virtus. Duodecimum, & 19. Cur oculus sinister æquè videt ac dexter? Quoniam æquè patitur ac afficitur ab obiecto. Decimum sextum, Cur lusci contractis palpebris aspiciunt? Quia motus obiecti est magis vnitus. Vigesimum sextum, Cur vt videant lusci, propè apponunt obiectum, senes remouent? Cùm tamen ambo imbecillitate laborent. Tota causa est obiecti motus.

His accedunt alia. Cur enim qui diutius aspexit album, mox ad alia sese conuertens videtur sibi omnia cernere alba? Quia species albi remansit in oculo. Cur homine conspecto, quem antea nunquàm vidimus, clausis illicò oculis notionem illius efformamus, quam assequi antea nunquam potuimus? Quoniam aliquid oculis ab obiecto susceptum est, ex quo noua formetur notio. Cur in speculo tàm multa, vel etiam quæ sunt post tergū, repræsentantur nobis? Quia eorum species in speculo susceptæ, indéq; ad oculum reflexu repræsentare potest. Cur in speculo conuexo res maior cernitur, in concauo minor & interdum etiam inuersa? Causa est maior aut minor dissipatio, aut vnio specierum, earumque reflexio in speculo. Cur baculus integer apparet fractus, si partim in aëre sit, partim in aqua? Cur calculus in vase non videtur, super infusa aqua videtur, oculo in eodem loco & situ perspiciente? Propter specierum reflexionem.

Cur res quælibet in aqua appareat maior? Propter earumdem refractionem; aut quòd eæ in crassiori medio susceptæ crassescunt. Cur sol aut facies apparet maior in aqua mota, quàm quiescente? Vt tantus interdum sit aquæ motus, vt plures soles, pluresque facies conspiciantur. An non id propterea euenit, quòd motu disgregentur species & dissipentur, fractaque veluti aqua pars vnaquæque repræsentat totum?

Verum quid suadeat ratio consideremus. Quod Arist. prodidit, vehementiora obiecta destruere sensum, experimur esse verissimum; nec in aliis modò sensibus, sed & in aspectu; non lucem modò, quæ re ipsa; sed & colores, qui non re ipsa perueniunt ad sensum. Albus disgregat, niger congregat, viridis ac rubeus confortant: & si niues aliudue valde album diutiùs aspexeris, hebetatur sensus & patitur. Gentes quasdam scimus fuisse solitas Tyrannorum fratres, ne ad imperium aspirarent, diuturniore candentis ferri intuitu excœcare. Sanè hunc in omnibus cõstantem naturæ ordinem videmus, vt numquam ab extremo ad extremum sine medio transeat: Cùm igitur materiale obiectum ad immaterialem conditionem & naturam cognitione animæ traducatur, rationi perquàm consentaneum videtur traduci priùs ad quoddam esse intentionale, veluti medium inter illud esse prorsus materiale & esse cognitum, quod est sine materia. Etenim cognitio quoque antequàm immaterialis penitus fiat intellectione, quoquo modo immaterialis efficitur cognitione sensuum: & obiectum ipsum antequam habeat esse intellectum, quod est omnium supremum, habet esse visum, aut alio sensu perceptum. Primum inquam habet suum esse materiale, deinde esse repræsentatiuum in specie, tum esse visum in sensu, Postremo esse intellectum in mente. licet & ex interioribus sensibus argumentari; in quibus species hasce necessarias esse, somnia confirmant & memoria. licet & ex plurimus, quæ à perspectiuis demonstrantur. Firmissimum enim illorum principium sunt radij egredientes ab oculo ad obiectum, aut certè specierum radij ab obiecto ad oculum. licet & ex sacra scientia: in qua illud verissimè constituitur, perfectiones omnes, quæ sunt in Deo vnitæ & simplicissimæ, duas habere in rebus creatis imperfectiones; alteram, quòd sunt finitæ; alteram, quòd diuisæ & multiplicatæ. Cùm enim esse reale sit perfectio quæpiam, & terminare cognitionem ac facultatis actum per repræsentationem alia quæpiam sit perfectio, hæc in Deo sunt vnum & idem; quoniam suo esse infinito est ratio intelligendi seipsum, neque vlla re alia repræsentari, aut per speciem creatam videri potest. At in cæteris rebus hæc necesse est ita distingui, vt aliud sit esse illarum reale, aliud esse repræsentatiuum, quod sit ratio terminandi facultatis actum; esse, inquam, intentionale in specie, quæ repræsentandi vim habet.

Quadruplex speciei necessitas.

Ad extremum, vt rem vniuersam in caput referamus, quadruplex omnino videtur esse huius speciei necessitas. Primum, vt facultatem moueat & quasi dormitantem ac sopitam ad actionem excitet. Deinde vt obiectum cum ea coniungat. In omni enim actione opus est agentis, patientisque contactu: quare cùm nihil à facultate exeat ad obiectum, aliquid necesse fuerit in facultatem immitti. Alioqui, vt inquiebat Democritus, in vacuo non minùs, quàm in pleno, immò melius cerneremus. Nisi enim propterea medium adhiberet, vt speciem transmittat, qua obiectum cum facultate iungatur; aut nulla necessitas, aut visionem potius impediat, quam promoueat. Certa quoque ac determinata distantia obiecti à facultate opùs non esset, nisi aliqua esset actio impressioque obiecti in facultatem. Non enim ea requiritur, vt aliquid agat sensus in obiectum; quoniam is immanentem habet actionem; sed magis vt obiectum queat agere in sensum: nulla verò est actio, nisi speciei immissio. Tum verò vt facultatem conditione sua indifferentem determinet. Est namque prorsus indeterminata, atque indifferens, tum ad operandum & non operandum, tum ad operandum circa hoc aut illud obiectum, album aut nigrum. At non potest ab alio, quàm ab obiecto, determinari. Neque hoc alium habet determinandi modum, quàm aliquid in facultatem immittendo. Atque vt in cæteris sensibus manifesta est realis qualitatis determinatio, in auditu soni, in odoratu odoris, in gustatu saporis, in tactu tactilis qualitatis; sic aspectum coloris saltem intentionalis profusione credendum est determinari, vbi realis multiplicari non potest. Denique vt obiectum remotum ac procul dissitum repræsentet ac renuntiet facultati. Etsi enim non desint, qui speciem negent vllam repræsentandi vim habere; Arist. tamen picturam, figuram, & imaginem obiecti eam appellauit.

An solum id, quo obiectum sentiatur, an etiam, quod cognoscatur.

Maiori contentione disputari solet, an ea sit solum id, quo obiectum sentiatur, an verò id etiam, quod cognoscatur. An, inquam, ipsa terminet actum facultatis, an solum sit ratio, qua obiectum terminet. Nam sunt, qui speciem ipsam sentiri opinentur. Tum quia id sentitur, à quo sensus patitur; patitur autē à susceptā specie. Tum quia non potest quidquā per similitudinem cognosci, quin priùs similitudo ipsa cognoscatur; & cùm per statuam videmus Cæsarem, nimirum statuam ipsam conspicimus. Ac demum quia remoto obiecto quidpiam adhuc cernitur, si aut magnam lucem, aut vehementem calorem aspexeris: neque tunc cernitur color, sed sola illius species.

Cæterum & experientia, & Aristotelis testimonio didicimus, sensum circa proprium obiectum non errare. Erraret autem magnopere, si speciem vel vt obiectum perciperet: iudicansque se obiectum cernere nihil nisi speciem eius cognosceret. Percipit verò obiecti magnitudinem & figuram, quam re ipsa habet, non eam, quam minima species in oculo susceptа. Percipit non obiectum modò, sed eius quoque distantiam: non igitur speciem, quæ est in oculo; sed obiectum, quod ab eo distat. Et audientes sonum facilè iudicamus ex qua parte fiat: & sonum sequuti ad eam partem progredimur & homines & bestiæ. Quod non euenirent, nisi sonum vt est in sonantis corpore, aut certè extra, sentiremus. Hinc multò magis de colore & coloris specie colligas. Denique vt argumentatione vnica complectar omnia, si species conspici potest, an ea conspicitur, quæ est in oculo? at vt sensus nequit sentire suum organum, ita nec illud, quod est in organo: & Aristoteles post docebit oportere organum carere obiecto sensili, vt illud sentiat. An verò ea, quæ est in medio? At medium esse perspicuum interminatum ac peruium totum: neque videtur quidquam, nisi in terminato

minato corpore. An demum ea, quę in aliquo corpore terminato suscipitur? quemadmodum in speculo, in quo repræsentata imago cernitur: & coloribus illis, quos radiis solaribus per coloratum vitrum aut virides ramos transeuntibus videmus in terra, alioue corpore. At in speculo non videmus speciem, sed rem ipsam per speciem à speculo reflexam. Hæc enim in corpus terminatum incidens reflectitur, sicut & lumen. In vitro autem aut viridibus ramis errat sensus applicatione obiecti; dum colorem, quem verè videt in vitro aut ramis, alteri applicat corpori, ad quod radij solis transeunt. Aut si oculus vitrum, ramosue non aspexerit, propterea colores cernit in alio corpore, quòd simul cum lumine per vitrũ aut ramos transeunte, aut ad aliud corpus reflexo reflectitur quoque coloris species, quæ illum nobis repræsentat.

At enim inquiunt, sentire est quoddam pati. Ita sanè. Verum non patitur sensus à specie, sed ab obiecto magis per speciem: quare non speciem, sed obiectum per speciem percipit. Neque sensio est formaliter passio; sed vitalis facultatis actio, quæ passionem habet adiunctam; vt post intelligetur. Itaque vt passio à specie proficiscatur, cognitio tamen ac iudicium animæ circa illud est, quod specie proponitur. Duplex namque similitudinum aut imaginum est genus. Vnum earum, quæ formales sunt; & cùm qualitatis vnitate conueniant, repræsentant, actumque facultatis terminant: Quoniam sua natura sunt coloratæ, & aliquid habent, quod à facultate cognosci queat. Immò non potest per illas illud cognosci, cuius similitudines sunt, nisi quia cognoscuntur ipsæ. Huius generis est Cæsaris statua, imagoue expressa coloribus in tabella. Alterum earum, quæ cum nullum habeant colorem aut actum sensilem, quo facultatem terminent, sed virtute solum similitudines appellentur; nullo modo sentiuntur, sed solum facultatem mouent, vt aliud sentiat. Eiusmodi est species, similitudo inquam, quæ mouet sensum & repræsentat aliud, non terminat. Atque illud etiam atque etiam intelligendum est, dum de sensili specie est sermo; eam nullo modo sensionis principium esse, nec vllum adferre influxũ actumue secundum, qui sensionem promoueat. Etenim hæc vitalis & animata operatio ab anima & facultate, non ab inanimata atque ad realem omnem actionem inepta specie, proficiscitur tota.

Quæ hactenus disputata sunt, eò spectant, vt ostẽdatur in aspectu saltẽ ab obiectis in sensũ immitti speciẽ, à qua tota propemodum videndi ratio pendeat. Iã rursum tota illius vis & de nominibus natura diligentiùs consideranda est. Cùm igitur de speciei cognitione loquimur, species formã quandam significat & qualitatem, velut imaginem ac similitudinem obiecti, quod per eam cognoscitur. Propterea species seu forma vocatur. Dicitur autem species seu forma sensilis, intentionalis, spiritalis sine materia. Sensilis; tum vt ab intellectili distinguatur; tum quia vt est obiecti sensilis, & afficit sensum, atque ad sensionem promouet. Intentionalis; ea scilicet acceptione, qua intentio tendentiam significat cuiusque rei in suum finem, seu facultatis in obiectum. Sic enim intentio formaliter est facultatis tendentia in obiectum; materialiter & denominatiuè obiectum, in quod facultas tendit. Quare cum sensus per speciem sensilem in obiectum verè tendat, intentionalis species vocatur. Dicitur etiam spiritalis, non quòd à materia sit libera (promitur enim à materiali obiecto, atque in medio & organo materiali suscipitur) sed vel quòd subitò ac temporis momento producatur; vel quòd perquàm tenuis sit & cum materia minùs, quàm obiectum, permixta: vel quòd nullam realem, physicam, & corrumpentem perpessionem adferat: immò neque id afficiat, in quo suscipitur. nam oculum non ideò album nominamus, quòd albi speciem susceperit. Denique appellatur forma sine materia quod sensilem qualitatem absque subiecto, in quo re ipsa continetur, renuntiet sensui.

Quod autem Democritus, Leucippus, Epicurus, & Lucretius conati sunt persuadere species hasce corpuscula esse ab obiecto in sensum immissa; iure optimo fuit à sapientioribus Philosophis confutatum. Neque enim sine corporum & quantitatum penetratione in medio & organo susciperentur. Vt mittam absque obiectorum consumptione atque exinanitione effundi ea non posse: cùm totum præsertim aërem illis compleri oporteat, dum ex quauis eius parte sensilia obiecta persentiuntur. Neque incorporeæ substantiæ fuerint, si à corporeo obiecto proficiscuntur. Neque aliud omnino, quàm qualitas. Quoniam præter substantiam, quantitatem, & qualitatem, ad reliqua entium genera non est per se actio; vt est ad species hasce, quæ per se producuntur. Sunt verò qualitates reales; quia re ipsa in medio & organo suscipiuntur. Materiales tamen; quòd ex potestate materiæ medij & organi educantur, in eaque sustentẽtur. At à materia magis eleuatæ, quàm cæteræ omnes: tum natura sua & conditione: tum quòd ab obiecto potiùs producente pendeant, quàm à subiecto. Eandem enim ob causam & lumen qualitas censetur magis spiritalis, quàm reliquæ: & species hæc dicitur habere esse intentionale; non solum, quòd habeat esse repræsentatiuum, quo facultas in obiectum tendit; sed etiam quòd ab illo esse degeneret, quod in se ipso habet obiectum. Quoniam tamen tota pendet ab obiecto, cuius est imago; ad eandem qualitatis speciem, tanquam aliquid obiecti, pertinet.

Scio non deesse graues viros, qui eam putant eiusdem cum obiecto esse naturæ. Verùm si obiectum sit aptum se ipso terminare facultatis actum, nulla speciei necessitas. Si autem non sit aptum, non magis apta fuerit species, quæ naturæ & conditionis eiusdem sit. Deinde productionis modus diuersus est: Colorẽs ex elementorum permistione nascuntur, species ab ipsis coloribus promitur. Tum verò qualitates secundæ vim non habent actionis, qua similes sibi producant: quæ igitur insit coloribus virtus producendi speciem eiusdem naturæ & rationis? colores reales, albus & niger, contrarij sunt & pugnantes; nec ad summum intensi subiecto in eodem consistunt, aut certè permiscentur; subiectumque afficiunt ac nominant: illorum species nullam inter se contrarietatem exercent, simul in eodem subiecto absque cõfusione vlla atque permistione sunt, nec ab earum tamen vlla subiectum afficitur, aut nominatur. Nulla igitur naturæ communio, sed diuersitas summa.

Est verò tota species homogenea, & vbique sibi similis; sicut & sẽsilis qualitas, à qua proficiscitur. Propterea quælibet illius pars æque ac tota obiectum totum repræsentat: atque ex minimo foramine totum vel maximum montem cernimus: &

Duplex imaginum genus.

Species, quia.

An sit eiusdem naturæ cum obiecto.

An homogenea tota.

in paruo subiecto æquè ac in magno; nec minùs in oculi pupilla, quàm in toto medio, suscipitur. Verè tamen eterogeneam repræsentatione dixeris, dum eterogeneum obiectum refert; quoniam tum vt producatur, tum vt conseruetur, ab illo pendet. Quod de obiecto eterogeneo quoad numerum, diuersitatem, ac situm partium intelligas. Vt enim vnico colore totum est coloratum, sic vnicam habet speciem, qua & sensui proponatur, & ab eo sentiatur. Quòd si diuersæ partes diuersos habeant colores, pluribus item speciebus cognoscentur; quòd singuli singulas emittant.

Vnde vnitatē habeat.

Ergo speciei vnitas ex vnitate obiecti sēsilis concreti, quod eam promit, tota pendet. De vnitate numeri maior difficultas. Si namque species repræsentantes duo alba numero distincta numero item distinguantur, qui possunt accidentia numero solum distincta in eodem esse subiecto, medio & organo? Si verò sit vna numero, quomodo duo obiecta repræsentat? Equidem dum naturam earum specierum intueor, eas video tantopere ab obiecto pendere, vt facilè credam hanc quoque vnitatem ita ex eo deriuari, vt quot numero fuerint obiecta, totidem sint & species; triaque alba per tres numero distinctas species cernantur. Quòd si quis plura accidentia numero solum diuersa in eodem subiecto miretur; is dum de intentionalibus est sermo, mirari desinat: Quòd nec afficiant subiectum, nec tàm ab illo, quàm ab obiecto naturam, & ideo vnitatem accipiant. Quare vt accidentia reliqua, quæ naturam totam habent à subiecto, illudque afficiunt, nequeunt in eodem subiecto multiplicari, sed eo multiplicato multiplicantur & ipsa; sic intentionales has qualitates necesse est multiplicatis obiectis multiplicari. Et si enim omnia in abstracta albedinis natura conueniant; in concreto tamen diuersæ sunt numero albedines; speciesque concretam, non abstractam, qualitatem repræsentat; neque ab hac, sed ab illa producitur.

Accidētia n. distincta numero eodem subiecto.

Speciem extensā & partibilem esse.

Quoniam verò & ab obiecto quanto & partibili producitur, atque ex subiecti quanti & partibilis potestate educitur, in eoque suscipitur; quæcumque fuerit species, siue numero solùm siue & specie distincta; naturam omnino & entitatem extensam habebit & partibilem: quemadmodum & lumen, & materiales omnes qualitates. Est enim certissimum illud Philosophorum omnium principium, formam omnem (multo magis accidens) quæ est in materia ex illius potestate educta, extensam & partibilem esse. Quia quod ex materia educitur, ita educitur, vt ex qualibet materiæ parte formæ aliquid ernatur. Quò fit, vt pars formæ sit in parte materię, totaque forma in materia tota. Quod nisi ita esset, esset vna & eadem numero species in diuersis subiectis; in medio inquam & oculis plurimis, qui eam suscipiunt. Etsi obuolutum quodpiam obiectum sensim & per partes reuolueretur, partesque singulæ impartibilem sui speciem producerent, si quidem impartibilia copulari & vnum quid efficere nequeunt, essent in eodem medio atque organo ab eodem numero obiecto innumerabiles species numero solum differentes productę: immò ne numero quidem: cùm ab eodem obiecto & in eodem subiecto producantur. Extenditur igitur & partibilis est.

Intendi etiam & remitti,

Intenditur etiam & remittitur, atque adeò ad maiorem vel minorem distantiam producitur, vt obiectum fuerit magis vel minùs vehemens, magis, aut minus propinquum. Propterea ab vno obiecto magis, quàm ab alio, & in vna distantia magis, quàm in alia, permouemur. Quamquam si speciem formaliter consideres, vt est imago, quæ vim habet repræsentandi obiectum, verè dixeris quodammodo impartibilem esse, partemque illius quamlibet, æquè ac totam, integrum obiectum perfectè renuntiare.

Non enim singulæ obiecti partes suam speciem producunt, quoniam partes non sunt actu distinctæ, nec seorsim sensiles, & potestate infinitæ infinitas etiam species emitterent. Sed ex toto obiecto, quod est vnum sensile concretum, vnica existit species, cuius partes omnes ab illo pendent, hæque & totum sentitur & partes omnes in toto. Et quia pars speciei quælibet est à toto obiecto, fit vt & tota sit homogenea, & quælibet eius pars obiectum totum repræsentet. At quoniam obiectum ea præcipuè parte, quæ directè speciem respicit, ad eam producendam concurrit; ex vno aliquo situ pars vna quæpiam obiecti potiùs, quam alia, conspicitur. Quoniā ea magis parte ad speciei productionem concurrit. Ita quò propiùs interpositi corporis foramen apponimus oculum, eò maiorem propositi obiecti partem cernimus; plures namque illius partes ad speciei productionem concurrunt, quæ directè & absque impedimento suscipitur.

Speciei igitur huius natura ex his, quæ hactenus dicta sunt fermè cognoscitur. A quonam verò producatur, magnopere dissentiunt eius Auctores. Aut enim eam cogitare possumus à separata quadam intelligentia produci, aut à lumine, aut ab aliqua animæ facultate, aut ab obiecto. Auicenna totum hoc munus tum producendi formas tum naturales ex materia, tum sensilem & intellectilem adsensionem & intellectionem præparandi, separatę tribuit intelligētiæ. Neq; dubitauit Auerroes scribere in cōmentario sexagesimo, oportere in sensu præter obiectum ponere extrinsecū aliud motorem, à quo sensilis species excitetur; quemadmodum ab agente intellectu intellectilis species producitur. Quare sensile obiectum fuerit vt materia, ex qua species hæc à motore illo excitetur, vt ex plātanimate ab agēte intellectu intellectilis producitur. Quod n. in tex. 17. l. 3. adferet Arist. vt agētem intellectum persuadeat; in omni natura oportere aliquid esse, quod agat; & aliquid, quod patiatur; non solum agentē intellectum ostendit, à quo intellectilis species producatur; sed & agētem sensum, qui perficiat sensilem: Quemadmodum datur sensus patiens, qui eam suscipiat. Nā & species hęc spiritalior videtur, quàm quæ à materiali & corporeo prorsus obiecto produci queat: ad superiorem aliquam causā magis spectare videtur. Itaque vt intellectus Agens Auerroi fuit intelligentia, quā plerique ex eius discipulis volunt esse primi. Orbis motricem; sic agentem sensum intelligentiā interpretātur, quæ postremum Lunæ orbem vertit. Illam intellectilem, hanc sensilē speciem procreare.

Quanquam nec de Auerrois sententia satis constat. Nam in commentario illo sexagesimo, quasi certi nihil affirmasset, concludit his verbis: Et debes hoc considerare: quoniam indiget perscrutatione. Et Marcus Antonius Timara in explicatione contradictionis trigesimæ tertiæ, tum extrinsecum motorem interpretatus est obiectum, quod à sensu speciem percipiente diuersum est; tum priorem interpretationem contendit haud posse cum

reliqua.

reliqua Auerrois doctrina consistere, cui hæc sunt certissima: effectuum sensilium sensiles debere esse causas; ab antiquo & immutabili principio nouam actionem non perfici; intelligentias nihil nisi Cœlum cognoscere, non item sublunária & singularia; nihil eas efficere nisi per Cœlorum motum & lumen. At hæc quid ad speciei productionem? Aut si lumen præcipue dicatur producere, hoc cœlestis corporis proprium est; deberetque is effectus Cœlo potiùs, quàm intelligentiæ, tribui. Quòd si motum & lumen separes, alia non supereſt intelligentiæ operatio, quàm intellectus & voluntatis: quomodo autem intelligendo, & volendo ex obiectis illas producat? Aut cur non omni tempore, sed solùm præsente lumine? & quis tandem credat, intelligentiam vllam leuissimo hoc opere temporibus omnibus detineri? quî possit tot tamque diuersis ac dissitis obiectis per totum mundum sparsis occupari; vt ex omnibus eliciat speciem.

Secunda opinio. Magis accommodatè dixeris produci à lumine, quod de omnibus sensibus Arabes quosdam sensisse testatur magnus Albertus. Etenim lumen mediæ cuiuspiam est naturæ inter materiales & spiritales qualitates, naturamque speciei persimilem habet, nec minùs, quàm illa, momento producitur. Quò magis lumen crescit in medio, eò maiorem & copiosiorem speciei profusionem animaduertimus. & Philosophus quoque in tex. 18. l. 3. agentem intellectum affirmabit comparatione phãtasmatũ esse veluti lumẽ comparatione colorum: Quare vt ille ex phantasmatibus intellectilẽ elicit speciem, ita ex coloribus hoc educet sensilem.

Verum si ex aspectu velint illi de cæteris sensibus iudicari, eodemque modo concludi à lumine in illis speciẽ produci; certius fuerit ex cæteris omnibus de aspectu solo iudicium. Quare cùm illi omnes nõ minùs in tenebris, quàm in lumine, obiecta sua persentiant; si illi quoque vtantur specie, certum fuerit, eam neque in illis, neque in aspectu à lumine produci. Etsi. n. hic nonnisi aere illuminato operetur, lumen tamen non est efficiens speciei causa. Quoniam illius actio nimis est generalis atque ad effectum omnẽ indifferens: estque alia opus particulari causa, quæ hanc illamúe efficiat speciem. Neque aliã operationem habent, quàm illuminare & calorem producere. Calor nihil ad rem præsentem attinet. Siue. n. vigeat frigus, siue percurgeat calor, eodem modo species producitur. Lumen verò necessaria quidem est medij dispositio, vt eam suscipiat speciem, quæ ab alia proficiscitur causa: At exponi non potest, quã vim habeat ipsius productricem. Vnde Arist. cùm agentem intellectum persimilem faceret lumini, non dixit, lumen absolute colores facere actu aspectabiles (sunt. n. ipsi sua natura aspectabiles) sed quodam modo; hoc est, addendo conditionẽ illam & dispositionem medij perneccssariã. Ita lumen ea ex parte conuenit cũ agente intellectu, qua quoquomodo concurrit ad efficiendos colores actu aspectabiles; quemadmodũ intellectus agẽs suo lumine phãtasmata facit actu intellectili. At ea discrepat, qua intellectus agẽs id efficit vt præcipua causa, lumen iuuat solũ vt dispositio quædam & cõditio necessaria; vbi alia adest præcipua causa, quæ speciem producat.

Intellectus agens assimilatur lumini.

Tertia opinio. Quid ergò? Num in sentiente animę parte duplex erit sensus; alter agens atque ex obiectis sensilem procreans speciẽ; alter patiens eamque suscipiens? Quemadmodũ in intelligente & est agens intellectus & patiens, ille ex phantasmatibus producens; hic suscipiens intellectilem speciem. Apud Ar. intellectum quidem agentem legimus; quòd intellectiles species, immateriales, vniuersarũ naturarum imagines, & diuersi omnino ordinis & conditionis à phantasmatibus, essent producendæ. At agentem sensũ non legimus, quoniã sensiles species, vt eiusdem ordinis sunt; sic à sensilibus ipsis obiectis produci queunt. Neque sensus vitalis animæ facultas operationẽ habere potest, nisi vitalẽ, atque in animali contentã, non itẽ in externa obiecta transeuntem. Et cùm idẽ obiectum ab hominibus plurimis aspiciatur, à quonam illorũ sensu, aut quomodo ab omnibus simul species illius producitur? At quomodo ab externo obiecto determinetur sensus agens ad speciẽ in patiente sensu producendã? nã si obiectum remotũ id possit, cur non etiã possit illud idem sine specie determinare sensum ad sensionis actum promendũ?

Ex hac tota disputatione licet concludere, speciẽ hanc ab obiecto ipso sẽsili, cuius forma est & imago, produci. Hoc voluisse videtur Philosophus omnibus illis in locis antea cõmemoratis, in quibus ab obiectis significauit immitti aliquid in sensum. Et in tex. 59. habet hæc verba, huius operationis actiua extra sunt; aspectabile, audiblie, & sensilia reliqua. Et t. 67. & 73. color mouet aërem illuminatũ, ab hoc autẽ mouetur sensoriũ. Et tex. 121. Vniuscuiusque sensus patitur ab eo, quòd odorem habet aut saporẽ, aut sonũ. Et in l. de sensu, & sensili c. 2. Sensile facit agere sensũ. & c. 6. Cùm sensilia omnia obiecta numerasset, hæc adiecit; actiuũ est vnũquodque ipsorũ sẽsus, in eo. n. quòd possũt illũ mouere, dicuntur omnia; ac demũ cũ in sensu perpessionem quandã posuisset, actionem obiecto tribuit. Etenim corporea quædã & materialis qualitas cùm sit species; velut imago & omnino aliquid obiecti, in eũ finẽ instituta, vt per eam percipiat sensus obiectum; quid aliud credi potest, quã illam ab obiecto produci? præsertim cùm ab eo tãtopere pendeat, vt nec produci nec conseruari absque illo possit, mutatoque obiecto & ipsa statim mutetur. Nimirum in aliquo genere causæ ab eo pendet. Non formæ; quia & est extra obiectum, & diuersã habet naturã. Nec materiæ; quoniam eius materia & subiectũ est perspicuũ illuminatũ, mediũ, & organũ. Neque finis; is. n. potiùs est visio, & facultas operãs. Supereſt igitur efficiẽs causa, à qua illa non secus propagetur, quàm à lucido corpore lumen. Denique si propterea est necessaria, vt obiectũ cum facultate iungatur, illique repręsẽtetur quemadmodũ est in se, atque id præstat, vt quędam est obiecti participatio: Sanè hoc nihil est, quod naturam vireſque obiecti excedat, aliaúe superiori indigeat causa.

Quarta opinio.

Cùm verò Albertus eas prodidit ab obiecto produci, non quoad esse illius materiale & extensũ, sed quoad formalẽ essentiã: ab ipsa, inquã, obiecti forma, non vt est in materia, sed vt diuinitatis participatio, qua vim habet multiplicandi seipsã. Et falso illo visus est niti fundamento, speciẽ immaterialem esse & spiritalẽ, vt ideò ab obiecti forma, quatenus est in materia, produci nequeat. & meminisse omnino debuisset, actiones omnes suppositorũ esse, & eorum, quæ existũt, seu potiùs per se cohærent. Intellexisset. n. nõ albedinẽ, sed albũ, hoc est formam in materia existentẽ & concretã, totũque materialem & concretũ obiectum esse illius operis Architectum. Hoc illud est, quod existit, atque à nobis

Vt producatur ab obiecto.

per speciem cognoscitur. Non. n. albedinem, sed album; non formam vniuersam atque à materia liberam, sed singularē, concretam, & in materia existentem cernimus: neque species solum formæ est, sed totū materiale obiectū repræsentat. Tota igitur à toto producitur; quāuis ratione potissimùm illius formæ, qua totū corpus existēs est sensile. Eademque conditione, qua cæteræ omnes qualitates: ad certam, inquā, & determinatā distātiam, maiorē aut minorē, vt vehementius minusue vehemens obiectum fuerit, & intensior ac robustior in minori, quàm in remotiori distantia.

Ex quo subiecto producatur. An suscipiatur in facultate.

Iam verò subiectum, ex quo producitur, perspicuum est illuminatū. Adesse. n. oportet lumen. At non desunt, qui in organo susceptā, putent itē in facultate suscipi. Nam & sensū scripsit Ar. ab obiecto pati, formasque suscipere sine materia; & id genus alia, quæ in facultate quoque ostendunt suscipi. Verùm si omnes hominis facultates verè antea demonstratum fuit in sola inesse anima, non in organo; adhibenda erit distinctio; vt in animalibus quidem cæteris, quæ facultates habent extensas & organo inhærentes, species in toto coniuncto ex organo & facultate suscipiatur. At in homine in solo remaneat organo, nec vllū habeat ad facultatem accessū. Vt. n. qualitas est materialis & extensa; sic subiectū postulat materiale & quātum: Primūque suscipitur in organo, ex cuius potestate educitur: deinde si facultas cū organo fuerit extensa, ad eam quoque deriuatur; sin minùs, specie in solo hærente organo vtetur facultas.

Sensio vt animæ & corporis

Vnde duo planè intelligimus admirabili arte instituta in natura. Alterum; in his sensionibus, quæ totius coniuncti operationes sunt, ita fuisse cuncta disposita, vt aliquid esset animę propriū, & aliquid corporis: animæ facultas & cognitio, corporis organum & species, seu organū specie instructū. Vt omnino ex accidēte fiat, si in quibusdā propter animæ imperfectionē facultas simul sit & quasi confusa & permista cū organo. Rursū quoniā ad hanc operationem oportet materiale obiectū concurrere; factū est, vt duo essent illius principia; vnū ex parte animæ, alterū ex parte obiecti; anima per facultatem concurreret, obiectū per sui speciem. Et ideò facultas per se remanet in anima, vt illius virtus ad agendum; & materialis obiecti species in organo itē materiali, tanquā qualitas & similitudo obiecti.

Secundū specierum genus.

Alterum; vt intellectio & sensio diuersæ sūt cognitiones, illa immaterialis & propria facultatis ab omni corporis conditione abstractæ; hæc materialis & quæ sine corporeo organo nō perficiatur: ita diuersas prorsus species accepisse à natura; intellectiles & immateriales illā, hāc sensiles & materiales. Quapropter æquum quoque fuit, vt alia atque alia essent specierū harū subiecta; intellectiliū sola anima, eiusque facultas, patiens intellectus; sēsiliū solùm corporis organū per se, nō item facultas, nisi quę cū organo esset permixta. Quę omnia & summam opificis Dei sapientiā & magnā effecti operis, animaliū inquā ac præcipuè hominis, præstantiam ostendūt. Propterea verò affirmauit Ar. sensum ab obiecto pati, & illius speciē suscipere, quòd aut de sensu brutorū animaliū & per se, nō in homine & meliori ani- a cōsiderato, loqueretur; aut sensum dixit non solā sentientē facultatē, sed facultatē cū organo cōplicatā. Sic. n. verè sensus ratione organi speciem suscipere ac pati confir natur.

Quæ de speciebus hisce fuerunt hactenus disputata, subtiliter sanè excogitata, atque à plurimis ita recepta sunt; vt eorū omniū, quæ de sensibus ac sensione cognoscēdi tradūtur, quasi certū principium ac firmū fundamentū accipiantur. Mihi tamen non parum incerta, & verò magnopere suspecta videntur. Primum. n. non defuerunt permulti & graues Philosophi, qui contra illas pugnarunt. Platonicos non cōmemoro, qui extramissione perfici visionē tradiderunt: nihilque animā posse à corporibus suscipere, quòd actus sit iudicatorius, nec moueatur à corpore; sed ipsa potius motionis omnis corporeæ sit autor. Siquidē mouens & perficiens, melius magisque absolutum, quā res mouenda & perficienda, esse debet. Neque antiquos illos, qui simile à simili cognosci voluerunt. Neque eos, qui facultatem dixerunt immutare medium, qualitatē aliquam immittendo; mediūque immmutatum immutare obiectum, actuque sensile facere. Galenus quidē certè in 7. li. de Hippocratis & Platonis decretis, ca. 5. hoc argumento vsus est: quòd numquā videre possemus veram obiecti magnitudinem, quòd Idolum rei tam magnæ oculis nostris nō potest obiici. Reiecisse quoque Porphyriū in l. de sēsu, auctor est Nemesius l. 4. Philos. c. 2. sed multis hoc argumentum persequutus est Plotinus in l. de Visione, & l. de sensu & mem. Ad hunc. n. modū ratiocinatur. Per corporeum organum necesse est sentire. Nam in intellectili quidem mundo anima sine corpore viuit: at sentire non est intellectilia, sed sensilia percipere; animam igitur oportet sensilibus quasi contiguā & eiusdem naturę consortē factā esse, vt ea percipiat. Sic. n. per consensum & compassionem cū sensilibus obiectis fit sensio. Neq; propter lumen inter visum & colorem opus est corpore medio. argumento est, quòd densiora & opaca omnino visionē impediunt, rariora & perspicua hoc solū habent, vt illi non obstent. Verum si adsit mediū, necesse non est illud pati quid quā; quoniā & dū à pisce Narce piscatoris manus patitur, nihil patitur calamus medius. obiectorū verò speciebus nequaqā formari aut figurari, siue mediū, siue organū sensus, multis modis ostendit. primū sub obscura nocte igniculus longissimè distās & sidera conspiciatur; nec tamē aēre teneb roso effundūtur species: neque dici potest ignē per aērem fundi vsque ad oculum; nā hoc sensui repugnat; & si ita esset, minima quæque cerneretur in aēre, non solus ignis. Deinde si patitur medium, cōditione corporea patitur, velut in cera imprimitur figura certa; igitur obecti pars in certa medij parte figurabitur, partsq; medij cōtigua oculo tantā obiecti partē redderet, quāta pupilla est atque obiectū totum cernitur, neque ex directo modò, sed & tergo, & vbicumq; fuerit. Tū verò priusquā lumę perueniat od oculū, sæpe dum adhuc est alibi; conspicimus tamē ea, que sūt ibi; advidendum igitur, opus non est, vt medium & organū patiantur. Præterea, quādo aliquid cernimus, illic aspicimus visuque attingimus, vbi est ipsum sensibile; quasi perceptio ibi fiat, animaq; extra perspiciat. nulla ergo in anima susciputur forma. non. n. opus foret extra perspicere, si in se videndæ rei speciem posslideret. Accedit, quòd nō posset visus interuallū, quod inter obiectū est & sensū metiri: immò nihil distare obiectū videretur. Quantitas quoq; obiecti nō percipereetur, neq; cœlū pupilla maius iudicaretur. Denique nō cerneretur obiectū, sed forma oculo impressa, cen illa vmbra. Hæc Plotinus disputat, omninoq; conficit, sentire non esse à rebus sentiēdis pati. sed circa illas agere: meminisseq; & reminisci non esse consentare atque

atq; repetere formas rerũ animo aliquando impressas, sed ex naturali & insita virtute animę ex potestate prodire in actũ circa id ipsũ, quod ãtea cognouit.

Et Lactantius quoque Firmianus in li. de opificio Dei cap. 8. Visionem confirmauit propterea potiùs fieri, quòd animæ virtus per oculos pellucidos, & transparentes tanquam per fenestras transpicit ea, quæ sunt opposita. Et omnino vniuersum hoc disputationis caput exposuerunt diligẽtiùs inter scholasticos Theologos dum de Angelorũ cognitione dissererent, Durandus in 2. senten. distinctione 3. q. 6. & li. 4. dist. 49. q. 2. & Gulielmus Ochamus in 2. l. q. 14. 17. & 18. & Gregorius Ariminensis 1. li. dist. 3. q. 1. & li. 2. dist. 7. q. 3. & dist. 43. q. 7. & Gabriel Piel li. 2. dist. 3. q. 2. Et inter medicos Thomas de Garbo in sua summa q. 63. Quanquam Gregorius in interiori sensu admittit. Exterior non eget, quòd adsit obiectum; quare si specie afficitur, non ideò afficitur, vt per illam sentiat; sed vt species per eius organum permeãs cerebro mox impressa vsui sit phantasiæ, ac interiori sensui in rei absentis cognitione. Cæteri nulla omnino specie opus esse demonstrant; sed obiectum ipsum in congruenti distantia immediate sentiri exteriori sensu; interiorẽ autem, vbi semel simul cum exteriori cognouerit, posse sępiùs recognoscere.

Durandi proprium est illud: In animali spiritu interdum fieri sensiles impressiones, quę remotis obiectis conseruantur; dumque interiori obiiciuntur sensui, si in illis cognitio sistat, erramus rerum imagines iudicantes res ipsas esse: sin autem vt aliorum imagines appræhendantur, existunt nobis memorandi principium.

Species nulla necessaria.

Horum sententia mihi semper magnopere probata est; nec vnquam species hasce tãtopere necessarias iudicaui, quin sine illis sensus omnis operatio perfici queat: siue sensum ipsum consulamus; siue Aristotelẽ, siue rationẽ. Sensus eas nullus percipit; neque aliud ad sentiendum deprehendit conuenire, quàm facultatem, obiectum in conuenienti distantia, & medium opportunè dispositum. Ipsi illarum assertores tradiderunt, eas coloratas non esse, nec sensili alia qualitate affectas, qua sentiri queãt. De Aristotele non immeritò dubitares, si ea tãtum audires, quæ ad specierum patrociniũ cõmemorata fuerunt. Sed & illa suis quęque locis explicabuntur; & hæc interim intelligantur.

Sentire quomodo patitur alterari.

Si sentire dixit esse pati quoddã, mutari, & alterari; aut de sensu vniuersè loquens in eius organo vidit obiectũ ipsũ reale susci pi, in tactu, gustatu, odoratu, auditu, atque adeò in aspectu lumẽ; neque colori propriam actionem deesse, quatenus luminis admixtione constat. Aut pati voluit & alterari, non recipiendo speciem, sed sensionẽ velut obiecti formam. Propterea sensum dixit, hoc est facultatem, in qua sensio susci pitur; non organum, in quo species. Ita interpretati sunt Alexander, & Philoponus.

„ Mutatio sensus, inquit Alexander l. 3. naturaliũ quę-
„ stionũ c. 3. non fit per alterationem; neque vt in iis,
„ quæ corrumpuntur; sed vt id, quod in seipsum con-
„ uertitur; hoc est suam actionem susci pit. Id. n. agit
„ & patitur. Et Philop. Commentario in tex. 121. Sen-
„ sus fit id, quod sensile; non albus factus aut dulcis,
„ hoc est nõ susceptione obiecti aut speciei illius; sed
„ sensilis formam sine materia susci piens. i. puras eo-
„ rum rationes cognitiuè impressas, & insculptas ha-
„ bens; hoc est actũ ipsum cognitionis, velut puram
„ rationem & formam rei cognitæ. Et rursum. Non
„ coloratur sensorium, nec fit benè olens, nisi secun-

A dum formam. Dico autem ipsam sentientem facultatem (susceptio igitur formæ sine materia non est speciei receptio in sensorio, sed cognitionis in facultate) Propterea addit; nam & corpus à calore patitur, & tactuus sensus; At sensus à sola calidi forma cognitiuè patitur, sensorium vero vt materia subiectum calori effectum.

Externa porro obiecta sensionis dicuntur actiua; quia aut re ipsa in organo susci pta, aut certè intra actionis sphæram posita sensum determinant, & ad sentiendum excitant: & circa ea est & terminatur sensio. Non, inquam, agunt & mouent vt efficiens; sed vt finis & appetendum: vel vt causa, sine B qua non mouet. n. seipsam anima, sed non sine externo obiecto. Sicut & appetitus proposito obiecto excitatur, nihil tamen obiecto in eum agente. & Plato accusabat corpus quasi causam improbitatis animæ; non quòd corpus quidquam in eã ageret: sed quòd illa ob nimium cum corpore cõmercium à se ipsa vitiaretur. Sic. n. Simplicius quoque in textum 52. de sensũ ab obiectis motione philosophatus est. Propterea sentire non est in nobis, quando volumus; Non quia obiecti presentia opus est. Sensus post sensionem est obiecto similis, quia formam eius, hoc est sensionem accepit; hęcque est forma sine materia, quam sensus susci pit. Hæ imaC gines & picturæ obiectorum in anima; hæ impressiones ab obiectis factæ.

Hanc Græcorum interpretationem fuisse reperies: qui speciem nil esse aliud tradiderunt, quã sensionis actum, & notionem ab eo formatam, atque expressam. Ita loquutus est Themistius in 3. lib. de anima c. 14. & pluribus in locis Alexander. Quare in 1. de anima ca. 26. Sensum dixit speciei susceptionem efficere; sensionis. n. artifex est. & c. 24. deformari nos & figurari à sensibus, dum sentimus (à sensibus inquam, nõ à sensilibus) sensumque sensilium formarum susceptione fieri actu, de cognitione ipsa interpretatus, hoc argumento probauit; quia susci pere formas cum materia est fieri subiectum eius, quod susci pitur: at sensus non est talis nam etsi organum patiatur qualitatem realem susci piens; sentire tamẽ nõ est pati, sed iudicare atque discernere.

Deinde nullam aliam in interiori sensu vim specierum cõseruatricem posuerunt, quã quòd phantasia vim habeat imaginandi & formandi ea, quæ sensit. Hæc ipsa sunt Themistij verba. Quòd si in interiori sensu nil aliud est species, quàm phantasiæ operatio; multò magis in exteriori nil aliud erit, quàm illius sensio. Alexand. quoque c. 19. li. notati; Quemadmodum phantasiam dixit motionẽ quanE dam esse, per quam nobis simulacra quæpiã gignũtur in anima; & omnino definiuit τύπωσιν, hoc est figurationem & formationem imaginum; sic à sensuum functionibus circa res sensiles (non ab ipsis sensilibus) figuram & expressam (non impressam) quandam effigiem gigni affirmauit. Sensumque definiuit potestatem sensilium formarum circa obiecta (non ab obiectis) susceptionem. Rursum Themistius in 1. li. de Mem. & Reminisc. c. 11. Propterea reliquias & simulacra ex sensuum actione relicta, velut sensilia interna, non semel exposuit sensum actu appellari; quod functionis sensilis (non obiecti) opera sint, picturæ que expressæ à sensu in actu (non ab obiectis impressæ). Dumque vim exponeret memorandi, Ex actibus, inquit, quos circa sua obiecta sensus absoluunt (non ab ipsis obiectis) formantur quædam simulacra, quæ tanquam sigilla & picturæ eorum, quæ inciderint, inuri nobis atque

Obiecta vt sensionis actiua.

Picturas & imagines vt Perpetuis nominarint.

in sensu principe, hoc est in corde, constituí, collocarique videntur. Denique cùm impressionē, effigiem, picturam, figuram, simulacrum nominassent; diligenter vterque admonuit abusionem esse vocis; neque hæc propriè dici, sed vocabuli aptioris inopia. Nec enim effigiantur, inquiunt, aut configurantur sensus apprehensis, haustisque sensilibus. Nam qualis obsecro figura omnino albedini, aut colori? qualis sapori, odoriue.

Obiecta vt moueant sensum.

Obiecta tamen verè affirmãtur mouere sensum; & priùs medium, quàm sensum; siue actione reali, vel etiam colores vt luminis permistione constant; siue quòd obiectiuè moueant, determinent, excitent ad operandum; neque id immediatè, sed per medium. Ex his facile erit cætera interpretari.

Iam & hæc addam, ex quibus quęnam fuerit Philosopho sententia, manifestius erit. In tex. 37. Vt animam ostenderet esse quoque efficientem causam animati corporis, omnes species motus commemorat; nec localem solùm, nutritionē, & accretionē, sed & alterationē. Alterationis autē principiũ esse, ex eo cõficit, quòd est principiũ sensionis, quæ alteratio quædã est. Hæc probatio si quid habeat momenti; non est intelligenda alteratio, quæ fit in organo, susceptо obiecto, eiusue specie. Hæc enim effectus est obiecti, non animæ; sed ea, quæ est in facultate ipsa; dum eam operationem suscipit, cuius principium existit. Nam hæc sola est effectus animæ velut efficientis causæ. Rursũ in tex. 54. Sensum affirmat, qui antea erat dissimilis, post fieri similē obiecto; forma illius susceptа, ad quam erat potestate. At ad obiectum reale, aut speciem eius, non sensus, sed organum & materia, potestate sunt; sensus autem potestate est ad cognitionem velut obiecti formam & facultatis actum ac perfectionem. In tex. 57. Sensus passio & alteratio tota in eo ponitur, nõ quòd obiectum, aut obiecti speciem, sed operationem suam operando suscipiat, atq; ex actu primo aut habitu in actũ secundũ prodeat. Contemplans .n. inquit, fit, quod scientiam habet. Ex quibus omnibus locis facilè eos interpretaberis, quibus specierum assertores abutuntur; dum sensum dixit Philos. passionem quandam esse & alterationem, aut sentire esse pati, alterari, & moueri. Porrò in tex. 59. Prima sensus mutatio fit à generante: secunda à seipso; sicut qui habet scientiã potest contemplari. Hoc solo discrimine; quòd qui habet scientiam, exteriori obiecto non eget, vt contẽpletur; eget sensus, vt operetur. Nulla hîc speciei mentio, sed obiecti solùm præsentis. In tex. 101. Cùm saporum materiã dixisset esse humidum; ideoque à nobis gustari, quòd in aqua aut humido suscipiantur & misceantur: colores subiunxit nequaquam ita videri, quòd aut misceantur cum perspicuo aëre, aut perspicuũ fiat illorum materia; neque quod ab sie effluat quidquam, quod in perspicuo susceptum ad oculos transmittatur: sed perspicuum vice tantum medij fungi. Quibus verbis quid clarius dici poterat? Si species ab obiectis emitterentur, nonne visio per effluxum rei cuiuspiam ab obiectis fieret? Nonne illud cũ perspicuo misceretur? Nonne perspicuum materiæ & subiecti vim habent? In t. 127. Inter inanimatorum atque sentientium corporum à sensilibus qualitatibus passionem hoc solùm voluit interesse; quòd illa patiuntur, non agunt; hęc & patiũtur & agunt: patiendi autem eundem vtrobique esse modum. Quare vt in illis realis solùm forma suscipitur, nõ intentionalis; atque ab ea fiunt sensilia, non sentientia; ita & in his. Atque facile fuisset discrimen in eo ponere, quòd inanimata reales, sentientia intentionales formas suscipiant. Verùm de hoc pluribus in eius loci Commentario dicetur. In tex. 147. dubitationē proponit, seù obiectionem, quî fiat, vt sensus, siue communis, siue particularis, contrariis simul motibus moueatur, dum contraria obiecta sentit. quæ nulla esset si per eas species sentiret quæ contrarietatem nullam habere & simul à contrariis obiectis in sensu dicũtur suscipi. est autem maxima dum à qualitatibus ipsis realibus permouentur sensus. Neque eam in t. 148. responsionem dedit quæ fuisset optima si speciebus illis vteretur sensus; sed aliam omnino diuersam excogitauit, quæ species eas euertit, vt illius loci cõment. adnotabit.

Emiss. intromiss.

Quæ fuerit etiam Græcorum interpretum sententia, manifestè satis intelligitur ex iis, quæ paulo ante commemorata sunt. Pauca hæc sat fuerit addidisse. Nam nõ solùm illi, Alex. præsertim & Themist. sensionem tradiderunt tribus duntaxat absolui, sensili obiecto præsente, sentiendi virtute, atque virtutis huius functione. Verum etiam apertis verbis vllas ab obiectis emitti species negarunt, sola præsentia & relatione quapiam contenti. Alex. in. li. de an. toto c. 34. multis argumentis aduersus eos disputat, qui per simulacrorum incursum visionem fieri volunt, & in l. 1. natural. quęst. c. 2. medium, inquit, nullum colorem passiuè recipit, sed ab eis mouetur per præsentiam & habitudinem quandam ad ea corpora, quæ proprium colorem habẽt; submistrando animalibus vt per ipsum colores cõprehendantur. Alium motum nullibi Alex. agnoscit. Sic. n. habet in priore lib. de an. c. 12. Lumen in perspicuo gignitur, non per defluxum aliquem, neque more materiæ; siue perspicuo excipiente lumen, siue lumine excipiente colorem. Abeuntibus autem rebus, quæ hæc innasci faciunt, subinde facescunt. Verùm est quædam vtrinque motio, quæ fit in rebus, quæ colorem excipiunt, præsentia quadam & habitu; quemadmodũ fiunt ea, quæ in speculis cõspiciuntur. Et posteriore l. c. 38. diligentissimè persequens, quomodo fiat Visio: Patitur, inquit, visus videndo, non quòd defluentia quædam à rebus visis excipiat; sed perspicuo, quod inter visum & rem visam est, alterato quodammodo à visili, & formam à re visili visui representante. Eodem scilicet modo mutari à coloribus medium docet, quo à lumine. Quod nihil aliud significare putat, quã lucidi corporis præsentiam, qua sola perspicuum potestate fiat actu. Quemadmodum igitur, inquit, præsentia eorum, quæ ad illuminandum apta sunt, facit perspicuum potestate esse perspicuum actu; ita quod actu perspicuum est, colorem rerum visarum tanquam secundum quoddam lumen præsentia eorum capit quendam secundum actum recipiens. Color enim perspicui actu motiuus est (solum igitur secundum motionis actum suscipit, non speciem, quæ formam & actum primum significat). Propterea addit: Non est autem hæc mutatio, qualem dicimus in rebus alteratis fieri. Nam alteratio est motus & per transmutationem fit: perspicuum autem non sic lumen & colores excipit, vt ipsum alteretur: Verum ita pati dicitur, velut si quis eum, qui à dextra alicuius fuerit, pati diceret, cum nec motus ipse fuisset, nec affectionem vllam in se accepisset. Talis est perspicui mutatio per lumen & colores. Præsentia. n. illuminantis aut colorati tale reddit-

» redditur perspicuum, quemadmodum ex habitudi- A
» ne eius, qui adstat ad sinistram, fit dexter. Vt au-
» tem dexter desinet esse sinister, vbi transmigrauerit
» sinister; ita lumen cessat translato illuminante. Si-
» militer id, quod videri potest, desinit tale esse, nul-
» lam excipiens affectionem per transmutationem,
» quæ in ipso fit; sed facta in ipso, quæ alteratio vi-
» detur, ex habitudine. Addit & lumen & colores in
perspicuo fieri præsentia lucidi, vel colorati cor-
poris; velut vmbram per solam interpositi opaci
præsentiam. Itaque vt lumen & tenebræ solam
præsentiam vel absentiam significant; ita visionem,
aut non visionem, præsentia sola vel absentia co-
lorati corporis constare. Tertium subiicit contem- B
plationis exemplum; quam simul atque inuenit,
qui quærit, sciens fit, tanquam tangente intelle-
ctu & per præsentiam scibilis facto sciente. Ita pers-
picuum sola lucidi aut colorati corporis præsen-
tia fit actu. Tandem concludit, visionem fieri non
per affectionem & alterationem medij sed per ha-
bitudinem, situm, & relationem solam obiecti,
quod videtur, ad oculum.

Mitto Simplicium & Prisscianum Lydum, qui
animam sæpiùs dixerunt ob obiectorum præsen-
tiam proferre in actum rationes eorum in se laten-
tes; cognitionisque actũ esse rerum sensilium exem-
plarem rationem. Si enim forinsecùs anima species
reciperet, nõ esset sensio intrinsecùs & vitalis actus, C
sià rebus velut sigillo obsignaretur. Res potiùs ex-
ternæ suo modo, hoc est materialiter, afficiunt sen-
sum: sed vita organo insita motionem hanc in spe-
ciem immaterialem immutat, atque ita seipsam ad
rerum similitudinem componit. Si enim similitu-
do hæc forinsecùs in ea fieret, non posset contra-
riis simul fieri similis. potest autem contrariis simul
reddere se similem diuersarum rationum pro-
latione. Contraria enim edere potest, suscipere
non potest. Hæc illi. Sed aliqua loca præstat indi-
care. Sic igitur Priscianus loquitur in librum Theo-
» phrasti de anima ca. 5. Anima propterea dicitur rei D
» sentiendæ speciem possidere; quia illius proferat
» rationem, nec vllo modo tanquam ab illa formam
» aliquam vel figurationem, velut à sigillo suscipiens.
» & cap. 6. quo modo anima fit similis sentiendis?
» Non quidem ex eo, quod quid quã ab illis recipiat,
» sed quia secundum rationem illorum agat. & cap.
» 13. Arbitror, inquit visionem perfici, nec per sus-
» ceptionem aliquam ab externis, &c. Et rursum c.
» 28. Nihil à coloribus effluit, quod efficiat visionem.
» & cap. 30. quidam figurari formarique perspicuum
» putant: verùm non ita putandum est. & capite 32.
» quod videndum est, non per passionem in pers-
» cuum agit, quando nec ipsum quidem quod il- E
» luminat. & in librum de phantasia & intellectu ca.
» 1. ex Iamblico, Neque passio est neque motus, sed
» actio impartibilis atque definita, neque susceipien-
» do forinsecùs figuratur, vt cera; sed ab infinitis at-
» que secundum assimilatiuarum rationum produ-
» ctionem susceitatur.

» Simplicius autem in extremo Commentario ad
» tex. 75. In ipsa, inquit, sensitiua vita per propriam
» actionem fit sensilium comprehensio: non quòd
» à sensilibus patiatur, sed quòd circa ipsa operetur
» & agat. & in com. 38. lib. 3. in sensu operante sensi-
» lium imprimuntur formæ, non extrinsecùs, sed in-
» trinsecùs collocatę ex substãtia in ipsa actione, quã-
» do iam agit. Etenim cognoscitiua actio tota intrin-
» secùs locata est, quia etiã formę secundum quas de-
terminatur, intrinsecùs positæ sunt.

Sed & Ephesius Michaël ad initium libri de mem. & remin. imprimi quidem aliquid in sensuum cognitionibus opinatur; sed apertis verbis docet, id non ab obiectis, verùm ab ipsis sensuum operationibus & actibus in primo sensorio inscribi, vt figuram, pigmentum, simulachrumue.

Denique Philop. comm. 2. tex. 69. In aëre simul agnoscit actum secundũ per quandam huic corpori facultatem insitam sensilium transuectricem ac sensui renuntiatiuam: citra affectionem vllam, alterationem, aut actum primum. Transeunt, inquit, " per inuisibilem aërem colorum operationes, & " visui propria subiecta renuntiant, ipsos inquam " colores: in ipsum quidem sensum agentes, in pers- " picuum tamen affectum aliquem non immittẽtes. " Sicut fabri operatio ligno talem aut talem figuram " præbet, in securim autem, per quã operatur, nihil " tale agit, quale in lignum. Sed post multa totum " aërem visibilium imaginibus compleri demon- " strat. Hoc, inquit, est & magis dubium & multò " magis absurdum. Primum enim si aër visibilium " simulachris & imaginibus plenus est, vnde inter- " ualla cognoscimus? oporteret enim & qui valde " longè est, & qui propè, eodem modo apparere. " Sed neque oporteret quæ sunt longissimè sensum " effugere: siquidem totus aër omnibus simulachris " plenus est. & quis est vsus, vt statuamus secundum " rectam visus operationes procedere? oportet enim " ea, quæ non longè sunt à nobis, & quæ videre " possumus, quæque aspexerimus, videre; cum totus " aër penitus sit simulachris plenus? cur ergo non vi- " deamus, nisi ad aciem intendamus? Quare in Com. " tex. 102. Non miscentur, inquit, colores perspi- " cuo, nec fit eorum materia perspicuum; sed per ip- " sum videntur; neque effluxiones in sensum mit- " tunt. Nam & corpus esset effluxio, & à ventis dis- " pergeretur. Ibidem & in tex. 160. Quando autem " dico, imaginationem esse susceptricem sensilium " formarum, ne putes ei typos à sensilibus imprimi. " A secundis enim delerentur primi typi. Hæc ex " multis proposuisse satis, vt veritatis studiosus le- " ctor intelligat, quænam fuerit Peripateticis de hoc " toto controuersiæ genere sententia.

Iam verò si rationum momenta quærantur; oc-
currit statim, animam facultate instructam vim per
se habere cognoscendi. Neque aliud, quàm cog- *Contactus qualis in sensu.*
noscendum obiectum requiri. Certam tamen ali-
quam distantiam seruatio portere; non ex parte
obiecti, quoniam hoc sua natura in quauis distan-
tia sensile est, & ab aliis atque aliis facultatibus in
minori & maiori distantia sentitur. Verùm ex par-
te animæ & facultatis, quæ finitã habent ac deter-
minatam agendi virtutem, certamque sibi sphæ-
ram constituunt, vltra quam nihil sentire queunt.
Fatentur hoc specierũ patroni. Tum quòd in omni
actione ex parte Agentis consideratur sphæra, quæ
nil aliud significat, quàm distantiam, ad quã Agens
agere potest. Tum quòd obiectum perspè in eo
spatio non cernitur, in quo effundere speciem af-
firmatur. Etsi enim effundatur species, facultas ta-
men vim tantam non habet. Porrò actionis sphæ-
ra constituta, quidquod intra eam continetur, tan-
gi dicitur ab Agente; aut immediatè quoad suppo-
situm & virtutẽ; aut certè mediatè quoad suppo-
situm, & immediatè quoad virtutem. Quoniam
etsi inter animal & obiectum sit aliquod aliud cor-
pus, vt aër; virtus tamen sentientis facultatis ad

illud vsque obiectum pertingit. Persimilis omnino contactus, tum in actione Cœlorum in hæc inferiora corpora; tum in actione torpedinis Piscatoris manum stupefaciẽte, in calefactione nostrorũ corporum aëre intercepto, aliisque plurimis, quæ per aliud medium corpus perficiuntur. Hoc solùm est discriminis quòd cùm aliæ sint actiones in illud corpus transeuntes, contactum habent agentis & patientis actionem alterius suscipientis. At actiones sentientium & cognoscentium facultatum immanentes sunt, constantque contactu agentis & obiecti actionem alterius terminantis, non suscipientis obiecti. In illis contactus est productione alterius formæ in eo, quod tangitur; in his nihil producitur in eo, quod tangitur, sed sola in cognoscente cognitio velut forma obiecti cogniti cum relatione ad obiectum, quod cognitionem terminat. Nam vt animæ facultas operans, ipséque operationis modus eleuatior est, minusque materialis, quàm facultates & operationes puré naturales: sic eleuatiore minusque materiali, altiore ac diuiniore constant contactu. Hic sanè tum in aspectu, tum in cæteris sensibus posset esse satis ad eorum operationem perficiendam: omnes enim determinatam habent sphæram, virtutisque contactum.

Sensuum differẽtia.

Duo tamen sunt sensus, tactus & gustatus, qui materiales maximè cùm sint, realis formæ susceptionem postulant. Reliqui tres, qui spiritalem magis habent operandi modum, sine illa constare posse videntur. Nec aspectus modò, sed & auditus, & odoratus. Vt non sit semper opus aure aut naribus sonum aut odorem re ipsa suscipi: sed persæpè sat sit si hæ qualitates intra illorum sensuum sphæram gignantur, vt posita congruenti distantia possint illi de obiectis suis iudicare; nil aliud, quàm cognitio is actum, suscipientes. Satis enim à præsentia & contactu hoc obiecti intra sphęram actionis facultatis positi ad operandum determinantur. Vt autem minor aut maior fuerit distantia, magis aut minùs perfecta erit operatio, & interdum cum sensus læsione. In vacuo nulla esset, quia nullus contactus. Virtutis namque contactus mediatum saltem suppositorum contactum postulat.

Hæc omnia certissima, planeque necessaria videntur ratione concludi. Verùm & hæc specierum assertoribus proponantur. Primùm eas dicunt ab obiectis produci. Videant, nihil agere supra suas vires posse, neque formam corpoream spiritalem, aut partibilem & contrariam, impartibilem aliam & non contrariam inducere. hanc enim ob causam agentem intellectum excogitarunt Peripatetici. Doceant quænam sit illa obiectivirtus, qua producantur, atque ex medij & organi potestate educantur. Colores enim qualitates secundæ sunt, minimè solertes atque ad agendum efficaces. Nec tamen sine actione, agentéque virtute potest ex materia forma vlla educi, siue realis ea sit, siue intentionalis; modò sit entitas quæpiam. Eductio quippe est actio. Deinde effundi afferunt ad certam vsque distantiam, vltra quam nullæ omnino producantur, quòd agentis virtus finita constitutam habeat suæ actionis sphæram. Ergo si in termino sphæræ aut extra illam aspectus quispiam ponatur, acutior multò ad perspiciendum, quàm omnes illi forent, qui intra illam percipiebant obiectum: Negari haud potest acutiorem & robustiorem facultatem plus aliquid posse, quàm obtusiorem ac infirmiorem, cùm illa ex longinquiore semper spatio operari debeat. Quòd si operetur, & obiectum illud persentiat, iam non fuerint species ad cernendum necessariæ. An igitur & videbit, quia acutior & ad operandum robustior; & non videbit, quia caret specie, sine qua operari non potest? Tum verò eas dispergi fatentur in orbem, totumque complere medium actionis obiecti sphæra contentum. Oporteret igitur æquè visione recta obiectum videri vbicumque esset, siue directè oppositum oculo, siue non directè. Quoniam æquè vbique species adesset repræsentans; fieretque visio æquè in orbem.

Huc perspectiuorum spectant demonstrationes quibus visionem ostendunt per radios fieri ab oculo ad obiectum protensos, & non per speciem ab obiecto in orbem sparsam. Per conum, inquam, cuius cuspis in oculo & basis in obiecto. Quod certè visionem confirmat sola facultatis circa obiectum virtute perfici, non aliqua re ab obiecto immissa, solamque obiecti præsentiam satis esse. Nam si visio speciei receptione perficeretur, vt duo sunt oculi, in quibus species suscipitur, & in vtroque inest facultas animæ; ita quodlibet obiectum appareret duplex: præsertim si, vt nonnulli voluerunt, nil aliud sensio sit, quàm speciei susceptio. Quòd si absque specie cernamus, vnum cernimus, quia vnum vtrique oculo cernendum proponitur. Præterea dum in specie repræsentandi vim inesse tradunt, coguntur concedere id, quod maximè negant: oportere eam primùm cognosci, vt illius cognitione aliud cognoscatur. Quod enim respondent, quoddam esse imaginis genus, quod ad aliud cognoscendum moueat, non tamen ipsum cognoscatur; hoc ipsum est, quod agitur. Fieri enim non potest, vt ad ignotum cognoscendum ducamur per id, quod penitus non cognoscatur. Neque vllum aliud est in natura exemplum quàm hoc, de quo disputatur. Reliquæ omnes imagines priùs ipsę cognoscuntur, tum ad alterius cognitionem excitant; ideoque aliud repræsentant, quòd ipsæ sint tales. Cæsarem album, magnum, armatum ideo cernimus in statua; quòd ipsa sit alba, magna, armata. Quomodo igitur coloratum obiectum, tantæque quantitatis repræsentet species, quæ nullum colorem habeat, nec quantitatem tantam, quanta percipitur? At ex quánam causa vim eam habet repræsentandi? maximè videretur ex obiecto, à quo producitur. Verum si obiectum vim non habet repræsentandi seipsum, quomodo potest eam speciei tribuere? An ergo ex aëre medio? At is nihil repræsentat; neque hoc magis, quàm illud; neque aliam vim habet, quàm illuminati perspicui, per quod quiduis videri possit. An demum ex anima? At ea est, cui sit repræsentatio; estque indifferens ad imaginem omnem & repræsentationem admittendam.

Mitto plurimas, easque maximas difficultates, quæ circa totam harum specierum naturam occurrunt. Quomodo producantur, aut produciab obiecto queant. Quomodo illuminatus aër speciebus & imaginibus hisce subitò repleatur, recedentéque lumine omnes intereant. Quomodo infinities producantur & intereant in oculo, quoties is aperitur & clauditur. Quomodo in eodem aëre, eodemque oculo innumerabilium obiectorum species absque permistione vlla versentur.

Quomodo

Quomodo contrariorum pugnantiumque obiectorum species simul suscipiantur. Si enim nil aliud sunt, quàm eorum participationes; si illa sint contraria, species quoque pugnantes esse oportet. Quomodo accidentia plura numero solùm distincta, plures inquam plurium alborum species, in eodem subiecto simul esse queant. Quomodo minima species ingentissima obiecta repræsentet. Num partibilis sit, an impartibilis. Num eiusdem naturæ cum obiecto, an diuersæ; aliasque plures his similes.

Planior fuerit & expeditior sensuique ac rationi magis accommodata philosophandi ratio, si obiecto incongruenti distantia, hoc est intra sentientis virtutis sphæram posito (sic enim & cum facultate coniungitur & eam determinat) medioque vt par est affecto, fieri omnis sensio dicatur. Nihil namque in natura admittendum est frustra, nec absque summa necessitate multiplicanda entia. Possunt autem optimè constare omnia sine specie; tum ex distantia & proportione alia atque alia obiecti & facultatis; tum ex diuersa medij dispositione & natura; tum demum ex luce in oculo susceptа, aut vario situ & dispositione organi.

Argumentis respondetur.

Nam post diuturnum albi vehementioris intuitum propterea nobis omnia videntur alba, quòd ad cernendum obiectum suum natura valde aspectabile, per exiguum natura spiritum conuocauit, eodemque modo cernimus quousque copiosior accesserit. Vtitur natura spiritu ad videndum, eodemque modo videmus quamdiu eadem est spiritus conditio. Accedit diuturna nimis, vehemens, & attenta antecedens sensio. Nam quia circa vehemens obiectum adhibuit natura magnum conatum, vt vehementem eius actionem sustineret; fit vt aliquandiu illud ipsum videatur sibi videre. Adest & vera luminis actio: luminis, inquam, tum medij, tum obiecti. Cùm enim colo res permistione luminis constent, lumine illo re ipsa agunt & in medium & oculum; similemque in illis lucem producunt: aut crassiorem aliam fortasse qualitatem; luce scilicet colori quoquomodo permista, aut certè illo affecta: quæ non solùm visionem non iuuet, obiectum repræsentando; quin impediat potiùs, facultatem perturbando: Quamdiu autem ea qualitas in oculo resident, quid mirum si eiusmodi esse obiecta omnia videantur? Sanè hoc non in omnibus obiectis euenit; sed in extremis solùm & vehementibus: maximè in albo, quod plurimùm habet lucis. Non item in mediis; quæ tamen non minùs, quàm illa, speciē sui dicuntur producere. Alexander tamen in priori libro de An. ca. 18. & in posteriori cap. 38. Oculum quidquam passū fuisse negauit; sed eum respondit imaginationis esse effectum, quæ aliquandiu post rem visam potest imaginari.

Quòd autem visi hominis notitiam interiorem statim formemus, quam antea nunquam formare potuimus; nequaquam ostēdit susceptam fuisse illius speciem; sed nexum magis facultatum, sensusque interioris aut intellectus pendentiam ab exteriori sensu; vt phantasia aut intellectu nihil possimus concipere, quod non fuerit exteriori sensu perceptum: vbi verò quidpiam hoc sensu perceperimus, facile fit & interiori sensu & mēte percipere.

De speculis.

Ea, quæ apparent in speculis maiorem habent dificultatem; vt propter hanc solam dixerit Durandus excogitatas fuisse species. Verùm nonne & Alcinous in li. de doctrina Platonis cap. 18. & alij graues Philos. in solam luminis reuerberationem retulerunt? & dum illi specierū subsidium quærunt, in maiores se coniiciunt angustias. Aut enim repræsentatio illa quidpiam est in speculo, aut non: si aliquid sit in speculo, nil aliud sanè fuerit, quàm species. At speciem negant ipsi videri, esseue similitudinem, quę nostrum obtutum terminet. Deinde accidens non mouetur nisi subiecto illius moto: repræsentatio mutatur non moto speculo, mutaturque speculum non mutata repræsentatione, si obiectum non mutetur. Nullum item accidens quantitatem habet aut dimensiones, nisi in subiecto, in quo etiam repræsentatio hæc suas secum adfert dimensiones, propriamque obiecti figuram retinet: perinde ac si nihil sit omnino in speculo, sed sola ad obiectum repræsentatum relatio; quæ ideò mutato illo mutetur, quemadmodum relatio quęuis mutatione termini. Tum verò libenter discerem, num ea species sit in profundo speculi, an in superficie. In profundo esse non potest. Quomodo enim tenuissimum accidens ab externo immissum obiecto ad solidissimi ac densissimi corporis profunditatem penetret? Præsertim quòd ea magis apparet in profundo, & verò vltra speculum; quò magis remouetur obiectum: hoc est, quò debilius est & imbecillius ad agendum. Quòd si in superficie dicatur esse, reclamabit sensus, qui omnino cernit in profundo & vltra speculum. Nimirum hoc propterea fit, quoniam maior est distantia. Accedunt ea, quæ in secundo libro communis Perspectiuæ in expositione propositionis 19. afferuntur ad ostendendum, formas apparentes in speculis (hæc est propositio) per impressionem idoli in speculis factam minimè fieri. Tum quia in ferreis quoque, & adamantinis speculis, in quibus perspicuitas nulla, quæ impressionem suscipiat, res eodem modo repræsentantur. Tum quia vt species in toto susciperetur speculo, sic in qualibet illius parte repræsentaret. Tum etiam quia repræsentationis quantitas maior speculi quantitate non esset, remque nobis proponeret in ipso speculo, non vltra speculum. Denique apparent multa in eo loco, in quo species non suscipitur: Atque in eo, in quo suscipi affirmatur, nihil repræsentatur. Nam quæ sunt ad dexteram speculi partem, in eadem parte apparent; non solum vltra, sed etiam extra speculum, vbi nulla susciipi potest species: & in parte sinistra opposita, totaue speculi superficie, quæ speciem suscipere existimatur, nihil videmus. Idem & in iis apparet, qui iuxta fluminis ripam incedūt. eorum enim corpora in eadem parte repręsentātur sub terra; quò nulla produci species potest. Si igitur nec species, nec reale quidquā inhęrēs in speculo nobis repræsentatur, repræsentationem illā necesse est dicere nil esse aliud, quàm præsentiæ relationem ad obiectum in tali aut tali distantia ac proportione ad facultatem. Ita planè sensit Seneca libro primo naturalium quæst. cap. 5. & 15. magnopere species illas in speculo susceptas irridens; & Alexander in cap. 38. ante notato ita rem exposuit, vt nihil suscipiat speculum, neque patiatur quidquā; sed quemadmodum dextrum & sinistrum relationem solam significant, sic præsentis obiecti repręsentatio eiusmodi quidpiam sit. Et vt corporis vmbra nihil est aliud, quàm illius corporis oppositio; ita & imago, quæ apparet in speculo.

Duplex enim est videndi modus, vnus rectus,

alter reflexus. In visione recta duo duntaxat conueniunt, facultas & obiectum illuminatum in congruenti distantia & directè oppositum cum medio perspicuo. In reflexa verò tertium quodpiam corpus requiritur, quod repræsentare possit obiectum, quod directè non est facultati propositum. Hoc-que Alexandri item sententia oportet esse corpus densum, politum & splendidum; vt speculum aut eiusmodi aliud oculo directè oppositum. Etenim hæc corpora ex propria natura perspicui terminati, densi, ac politi, si lumen accesserit, vim habent corpora sibi proposita in tali aliqua distantia repræsentandi. Quod sensu & inductione manifestum est, tum in aliis plurimis, tum in oculi pupilla, propter talem nimirum naturam. Vniuerse igitur propterea visiones huiusmodi reflexæ fiunt, quòd præter obiectum & facultatem tertium adest corpus aptum repræsentare, quando inquit Priscianus in librum de anima cap. 33. per specula spectantur vultus, sit ibi visionis ipsius reuerberatio quædam in formam primam; non secundum passionem, sed secundum actionem. An non & specierum patroni tradunt, in speculo & similibus corporibus nihil cerni, sed speciem ab illis ad oculum reflecti, illique obiecta repræsentare? At cur hæc ipsa repræsentatio in corporis conditionem non referatur? Et si specierum ea est vis, cùm non minùs à non tersis & impolitis corporibus reflectantur, cur ab illis nihil nobis repræsentant? An quia tunc non vniuntur? At cur tandem à politis potiùs, quàm ab impolitis reflexæ vniuntur? Faciliùs sanè huc atque illuc diffluerent à terso & polito corpore, præsertim conuexo. Quòd si non tersum ac impolitum corpus sit conuexum, nonne magis deberent vniri, quàm à terso & polito, plano ac conuexo? & tamen ab hoc repræsentatur obiectum, ab illo non item.

Visio duplex, recta, & reflexa.

Verùm de his fortasse plura, quàm æquitas causæ postulabat. Illa ipsa autem est ratio, quòd in speculis vel etiam ea cernantur, quæ sunt post tergum. Curque alia atque alia concaui sit & conuexi speculi repræsentatio. In concauo inuersa facies cernitur, quòd superior speculi pars inferiori, & inferior superiori apta sit repræsentare: perinde ac si plura essent specula, quorum vnum alteri repræsentaret. Minùs etiam repræsentatur obiectum in concauo, maius in conuexo: Quoniam pauciores in illo, plures in hoc partes ad repræsentandũ concurrunt.

Iam baculus rectus apparet fractus; quia cùm per diuersa videatur media, vnum rarius, alterum densius, in alio atque alio apparet situ. Deinde vt aqua est densior, ita si fuerit illuminata, est Alexandri quoque iudicio per se apta repræsentare; non minùs, quàm cætera polita corpora. Nam & aquam inspicientes faciem nostram, lunam, & alia corpora intuemur. Itaq; dum illam baculi partem, quæ est in ipsa, perinde repræsẽtat, ac si in plana eius superficie iaceret; quid mirum, si baculus fractus iudicetur?

Baculus fractus.

Calculus in vase apparet super infusa aqua in eo loco, in quo antea non apparebat: non propter speciem aquæ impressam, quoniam ne ita quidem cerneretur, cùm nec species ipsa sit sensilis, nec obiectum directè facultati oppositum; sed quia in reflexa illa visione concurrit tertium corpus, aqua; quod antea non concurrebat, eiusque virtute potest in eo situ apparere, in quo sine illius concursu non apparebat. In eadem aqua, etsi non semper, interdum certè res apparet maior, quàm sit; quia medium crassius (si pura fuerit & clara, vix diuersitas vlla) & quò crassius fuerit & magis impurum apparet maius. Cumque ipsa item vim quandam repræsentandi habeat, potest rem quamlibet paulò maiorem oculis nostris proponere. Quod si agitetur, quid mirum, si maiores adhuc res & interdum duplices repræsẽtet? Motu facto, duplicis, aut etiam triplicis speculi locum subit: fierique potest tantus ac tam velox motus, vt non solùm duplex, sed & triplex atque etiam plura obiecta cernantur.

Calculus in aqua.

Quæ videantur in aqua.

Ex his intelligas, quid de pluribus aliis dicendum. Ignitus circumagitur baculus, & in orbem vbique ignis apparet; aut propter motus velocitatem, aut propter qualitatem quampiã in oculo productam; lucem inquam, aut simile aliquid. Solis radiis coloratum vitrum permeantibus cernitur in terra, alio-ue corpore color; siue quòd tertium cõcurrat corpus, quod alterius colorem repræsenter; siue quòd verus color in superficie corporis radios luminis suscipientis, proximoue aëre gignatur. Ita colorantur nubes, & vbicumque lumen cum opaco permisceatur, color existit, intensior aut remissior; neque sensus circa proprium obiectum errat. Illaque fuerunt Auerrois verba in commentario 67. Aër videtur multotiens coloratus colore, quem videmus mediante aëre; vt parietes & terra colorantur per colorem planetarum apud trãsitum nubium super eas. Et Alexander in prior. lib. de anima cap. 12. lumen, inquit, colori sibi comparato concolor efficitur. Ab auro enim aureum, purpureum à purpura, ab herba herbaceũ apparet. Fortasse etiam vitri color transeuntis luminis vt multiplicat sese, & colorem similẽ gignit aut lumen transiens; ita colorem illum imbibit, eoque temperatur, vt illum repræsentet in terminato corpore.

Ignitus baculus.

Solis radij per colorata vitrum.

Qua porrò ex causa à vehementibus obiectis destruantur sensuum organa, suo loco docebitur. Interim sat sit, effectum realem, qui à vehementi præsertim & robusta nimis actione proficiscitur, inertis speciei & actionis omnis expertis esse non posse. Neque inter obiectum sensile & esse cognitum opus est medio. Quoniam hoc ipsum esse cognitum est valde materiale; satisque est, si inter esse ipsius obiecti materiale, & esse cognitum intellectu, quod est prorsus immateriale, medium sit esse cognitum sensu, quod medio modo se habet.

De interiori sensu nunc non laborandum. Habet quidem ille obiectum absens: verum quomodo fiat specie operetur, ibi explicabitur, vbi de illo differendum erit. Interim memineris, memoriam, de qua partim videtur esse difficultas, Aristoteli velut habitum quendam fuisse; atque ex antecedenti cognitione, simul cum externo sensu habita, maiorem quandam promptitudinem & velut habitum comparari; qui & animæ facultatem determinet, & ad sequentem operationem reddat prõptiorem.

De memoria, & intellectu.

Perspectiuorum demonstrationes suscepit quoque Alexander in c. 38. ante notato, & illis vsus est. At eæ non ponunt, sed euertunt species, vt paulo ante dictum est. Radios enim opticos accipiunt ab oculo incidentes in obiectum, & ab obiecto reflexos. Deinde quæ ab illis dicuntur, non ita eueniunt; sed ad planiorem explicationem fuerunt ab illis excogitata: perindeque explicant, ac si ita euenirent. Nam & Astrologi plurimos in Cœlo circulos imaginantur, quorum existit nullus: sed illis ita exponunt cœlestes motus, & omnia, quæ in illis corporibus obseruantur, quemadmodum si circuli vere inessent. Quid enim mirum, si scientia, quæ à materia & sensili corpore abstrahit, quidpiam imaginetur,

Perspectiua.

netur, quod in sensilibus omnino non sit? Dum igitur diuersas aspectus operationes propter diuersum obiecti situm conantur ostendere, alias atque alias accipiunt lineas (nã quo alio Mathematicus medio, quã quãtitate, vtatur?) aut ab oculo ad obiectũ, aut etiam ab obiecto ad oculũ ductas. Quę imaginariæ quidẽ sunt omnes, explicant tamẽ id, quod quęritur: siue ponantur species, siue non ponantur.

Ad extremum quod ex Theologorum fontibus deriuatum est, Nullam rem creatam posse esse rationem repræsentandi seipsam; nihil aliud confirmabit, quàm inferiores res hasce à nobis non cerni, nisi actione luminis fiant actu aspectabiles; at hoc eam ob causam euenit, quoniam hic sensus luminis postulat conditionem. In cęteris, in quibus obiecta ipsa realia deducuntur ad eorum organa, locum non habet. In illum autem, non Angeli modò, sed res quoq; corporeæ seipsis intellectiles sunt. Quippe esse intellectile comitatur ens; & vt seipsis entia, ita & intellectilia sunt.

His ita expositis ac veluti totius sensuum cognitionis fundamentis iactis, ad Philosophi interpretationem aggrediamur. Cogar autem deinceps sæpiùs à communi ac peruulgata multorum & quidem grauium virorum interpretatione discedere; quòd in explicanda illius de sensu atque intellectu sententia longè aliter, quàm illi iudicauerint, sentiendum esse, & verò Aristotelem sensisse posuerim.

TEXTVS.

Διωρισμένων δὲ τούτων, λέγωμεν κοινῇ περὶ πάσης αἰσθήσεως· ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις ἐν τῷ κινεῖσθαί τι καὶ πάσχειν συμβαίνει, καθάπερ εἴρηται· δοκεῖ γὰρ ἀλλοίωσίς τις εἶναι. φασὶ δέ τινες καὶ τὸ ὅμοιον ὑπὸ τοῦ ἐμοῦ πάσχειν. ἔστι δὲ πῶς δυνατὸν ἢ ἀδύνατον, εἰρήκαμεν καὶ ἐν τοῖς καθόλου λόγοις περὶ τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν.

Text. 51. *Definitis autem his, dicamus communiter de omni sensu. Sensus autem in eo, quod est moueri aliquid & pati accidit, sicut dictum est. Videtur enim alteratio quædam esse. Aiunt autem quidem & simile à simili pati. Hoc autem quomodo fieri possit aut non possit, diximus in vniuersalibus sermonibus de ipso agere & pati.*

COMMENTARIVS LXII.

QVoniam sentientis animæ, de qua nunc pergit disserere, natura & essentia aut satis poterat ex iis cognosci, quę tum de generali animę definitione, tum de illius gradibus antea dicta sunt; aut certè quæ sunt illius propria, ex facultatibus & operationibus colligenda erant: propterea statim aggreditur de facultate sentiente dicere; quemadmodum & de vegetante fecit.

Sic igitur exorditur. Postquàm dictum est de vegetante anima, quæ vim solùm habet conseruandi illud, quod eum habet: & ideò simplicior est & prior, tum natura, tum cognitione; & sine qua nulla alia esse potest, ipsa verò sine aliis persæpe solitaria cohæret: & ideò ad consequentes, quæ vt profectiores sunt, sic obscuriorem habent cognitionem, veluti gradus existit: agendum est de sentiente, quæ & vegetantem consequitur, & cognoscendi quoque vim habet. Primùm autem dicẽdum est de ea generaliter & vniuersè; deinde speciatim de singulis sensibus. Quemadmodum enim antea generalis animæ vis & natura fuit exposita; deindeventũ ad singulas eius partes: ita dum hę cõsiderantur, ęquũ est explicare prius si quę sint communia & generalia, deinde ad speciali ad escendere.

Propterea quæcumque de sensibus explicantur hoc loco, ad quatuor capita reuocantur. Primum ea continet, quæ aduniuersum hoc facultatis genus pertinent. Alterum est de obiecto eius sensili. Tertium singulos exteriores sensus contemplatur. Postremum interiorum sensuum explicationẽ habet. Quę verò de hac facultate dicentur, tria sũt. Primũ, sensum esse facultatem patiendi; alterum, quomodo id sit; tertium, quomodo reducatur ad actum. *Partitio tractationis de sensibus.*

Principiò igitur sensum accipit patiendi facultatem esse, quod initio statim acceptum fuisse dixerunt Auerroes, & Albertus; quoniam cùm manifestum esset sensum facultatem quandam esse; antequàm vlterius progrederetur, dicendum erat, qualisnam facultas sit; agendine, an patiendi. At si ita esset, nequaquam eum seruasset ordinem, quem antea constituerat; dum de obiectis primùm, deinde de operationibus, postremò de facultatibus agendum esse posuit. Ego tum illius rei causas fuisse comperio. Primam, vt differentiam statim poneret inter sentientes facultates, & vegetantes, de quibus dictum est. Hæ namque facultates agendi sunt, illæ patiendi potiùs. Vegetãtes agunt in suum obiectum & in viuentis substantiam mutant, aut ex eo aliud procreant; sentientes ab obiecto suo patiũtur. Alteram, vt ex notioribus & iam demonstratis procederet ad incognita; magisque explicaret id, quod antea dixerat, atque ita cum superiore cõsequentem hunc sermonẽ magis copularet. Cum animã demõstraret esse efficientẽ causam, illud accepit argumentũ, quòd sentire alterationẽ quandã significet. Hoc igitur nunc vtitur tanquam principio consequẽtis & futuræ tractationis de sentiente facultate, in qua etiã explicabit, quomodo sensus, dum sẽtit, alteretur & patiatur. Tertiã, quã insinuat Simplicius; vt ordinẽ antea propositũ seruaret, atq; ex obiectis & operationibus facultatis cognitionẽ traderet. Nam & obiecta sensilia immutant sensum & alterãt, dũ aut in illius organo suscipiũtur, siue re ipsa, quemadmodũ in tactu, gustatu, odoratu, & auditu; siue intentionaliter per speciẽ sui ab obiectis immissã, vt de aspectu dicitur à plerisq; aut potius secũdũ esse cognitũ; quatenꝰ cognitio, quę in eo ipso principio remanet, à quo proficiscitur, tã quã forma quæpiã obiecti cogniti in cognoscẽte facultate susciputur. Quæ posterior interpretatio (etsi priorẽ habeat Simplicius) mihi quidem eò magis videtur Aristoteli accõmodata, quòd propositionẽ eã acceperit ex iis, quæ in t. 37. demonstrauerat. Quo loco cũ animam probaret efficientẽ causã esse, quoniã sensus est alteratio quædã; ostendi non posse intelligi alterationẽ factã ab obiecto, siue re ipsa, siue per speciẽ in organo susceptã: neq; .n. efficiens illius causa est anima, sed obiectũ: verũ intelligendã esse alterationẽ eã & mutationẽ, quæ in ipsa facultate cognoscente fit, dũ cognitionẽ suã velut obiecti formã suscipit. Huius .n. efficiens causa est anima. Certè si absolutè pronunciasset, sensum in eo esse, quod est moueri & pati, libenter interpretarer eũ esse quidẽ formaliter agẽdi facultatẽ, & sentire esse agere atq; de obiecto iudicare, sicut sũt reliquæ omnes facultates, & operationes animæ, quæ forma est & actus primus substantię, cui natura facultates ceuirtutes agendi prouidit. Peculiarẽ tamẽ ob causã & sensum patiendi facultatem appellari, & sentire dici esse pati; quòd antecedentem organi passionem ab obiecto factam, in plerisque saltem sensibus, adiunctam habeant. Sed dum addidit (sicut dictum est) antecedentem illam respicit probationem: quæ *Sentire quomodo sit pati.*

me cogit aliam quandam passionem alterationem cogitare, quæ insit in sensione, quatenus effectus est & operatio animæ, nullo eius organo considerato. Ea autem est, quam dixi. Etenim adiunctam habet consequentem passionem, mutationem, & alterationem, dum in eo ipso suscipitur, à quo oritur: illique adfert formam, quam antea non habebat; & quidem accidentariam, propter quam alterari dicatur.

Sensio quomodo alteratio quædam.

Ait etiam esse alterationem quandam: aut quòd non sit alteratio physica, & propriè dicta; aut quòd non sit quælibet alteratio, sed perficiens duntaxat, non corrumpens. Quòd si alterationem ab obiecto factam consideres; ea persæpè est & physica, & corrumpens; vt in tactu præsertim manifestum est. Et de omnibus verum est illud; vehemens obiectum corrumpere sensum. Cæterùm siue alterationem & passionem antecedentem ab obiecto factam intueamur, siue consequentem obiecti cognitionem, quæ immanens est operatio; verè adnotarunt Philoponus, & Simplicius, Philosophum non omnino affirmasse sensionem formaliter esse alterationem & passionem, sensumque facultatem patiendi: sed addidisse verbum (videtur). Quoniam verè quidem sensio est actio quædam, sensusque facultas agendi: at adiunctam habet alterationem & passionem; quam si quis solam consideret, sensionem ac sensum nil aliud, quàm passionem, patiendique facultatem esse iudicabit.

Quoniam tamen certum est, sensum sine passione ac mutatione ab obiecto facta non esse; Aristoteles hoc explicare aggreditur quomodo fieri possit. Nam ex antiquis aliqui dixerant, vnumquodque pati à suo simili: alij contrarium à contrario. Qua de re in priori libro de ortu & interitu vniuersè dictum est. Siue libros de ortu & interitu, vt sapienter admonuit Simplicius; quoniam in illis de cõmunibus agitur rebus omnibus naturalibus; siue generalem potiùs nec ad particularem vllum modum descendentem, de actione & passione tractationem eo loco expositam generales sermones de agere, & pati appellauit. Sed dum de his vniuersè in eo libro dictum esse affirmat, non immeritò addenda esse hæc verba (dicendum autem & nunc) existimauit Alexander & subaudienda saltem Philoponus. Quoniam in tex. 54. non multo post de hoc quoque disseret quantum ad hunc locum pertinet. Denique quod attinet advocem illã (ἀλλοίωσις, alteratio obiter adnotabis, Simplicium in comm. 5. ph. cum legisset in tex. 18. (Motus igitur secundum qualitatem alteratio sit) Aristotelem pronuntiasse, primum fuisse vocis huius inuentorem. Sed ante illum obseruare Platonem potuisse in Tecteto, Parmenide, & alibi; & ante Platonem Timæum Locrum in libello de natura voce eadem fuisse vsos ad eundem qualitatis motum significandum. Vt ab illis potiùs accepisse videri possit Aristoteles.

TEXTVS.

Ἔχει δ' ἀπορίαν, διὰ τί οὐ καὶ τῶν αἰσθήσεων αὐτῶν γίνεται αἴσθησις, ἢ διὰ τί αὐτῶν ἔξω ὑποιοῦσιν αἴσθησιν, οἷόντε πυρὸς ἢ γῆς, ἢ τῶν ἄλλων στοιχείων, ὧν ἐστιν ἡ αἴσθησις, καθ' αὑτὰ ἢ κατὰ συμβεβηκότα τούτοις. ὅλως οὖν, ὅτι τὸ αἰσθητικὸν ἐκ δυνάμεως ἐστιν οἱονεί, ἀλλὰ δυνάμει μόνον. διόπερ οὐκ αἰσθάνεται, καθάπερ τὸ καυστὸν οὐ καίεται αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἄνευ τοῦ καυστικοῦ. ἔτι δὲ ἑαυτὸ, ἢ οὗπερ ἐνδέχεται τοῦ ἐντελεχείᾳ πυρὸς ὄντος.

Habet autem dubitationem, propter quid & sensuum ipsorum non fiat sensus: & quare sine iis, quæ sunt extra, non faciunt sensum, inexistente igne & terra & aliis elementis, quorum est sensus per se aut per ea quæ accidunt his. Manifestum igitur, quòd sensitiuum non est actu, sed potestate solùm: quare non sentit; sicut combustibile non comburitur ipsum per se sine combustiuo: Combureret enim seipsum, & nihil indigeret igne actu existente.

COMMENTARIVS LXIII.

DVm hunc locum interpretatur S. Thomas, quem permulti Latinorum sequuti sunt, existimauit Empedoclis opinionem confutari, quòd simile arbitratus cognosci à simili, sentientem animam, vt cognoscere sensilia omnia posset, exilis omnibus compositam esse dixerat, quatenus eam ex elementis constare opinabatur. Quanquam multò ante S. Thomam eandem fuisse interpretationem Plutarchi legimus apud Simplicium. Sed magnopere probanda non est. Tum quia opinio illa Empedoclis iampridem fuerat non solùm in tex. 25. li. primi commemorata; sed etiam à tex. 75. vsque ad 86. diligẽter confutata. Tum quia hoc loco Philosophus ipse elementa confirmat inesse, si non animæ, certè illius organo.

Magis ad rem Themistius absolutè credit dubitationem proponi; cur sensus exteriora solum obiecta cognoscat: non item suum organum; quod tamen vt ex sensilibus elementis concretum, ita & sensile est. Nã hæc dubitatio per se considerata ad sensuum cognitionem plurimùm pertinebat. Optimè verò Philoponus, Simplicius, Auerroës, & Albertus, dubitationem, quæ vniuersæ huic tractationi opportuna erat, interpretati sunt hoc loco exponi; vt id probaretur, quod in superiori textu acceptum fuerat; sentire esse moueri quoddam, pati, & alterari. Etenim cùm sensus cognoscendi facultas sit, cognitioque vitalem actionem atque ab interiori principio profectam significet; agendi potiùs, quàm patiendi virtus esse videtur. Sensum igitur patiendi facultatem esse, & sentire esse pati hac ratione confirmatur. Si sensus patiendi facultas non esset, & sentire non esset pati; nulla reddi posset ratio eius, quod experimur esse verissimum: cur inquam sensuum ipsorum non sit sensus; cur queij omnino nisi exteriora obiecta non sentiant. Si enim agendi virtutes essent, seipsos & quibus insunt, organa, sentire possent, neque exteriori indigerent obiecto. Ita video hos omnes interpretes in vnam dubitationem hæc omnia copulare.

Ego tamen duas potiùs esse crediderim, vt verba ipsa satis ostendunt. Alteram, cur sensus non sentiat

tiat seipsum. Alteram, cur sine exteriori aliquo obiecto sensili nihil prorsus sentiat. Verùm cùm in priori dicitur, sensum non sentire seipsum, reprehendit Simplicius Alexandrum interpretantem organum. Neque enim facultas videndi videt oculum, in quo ipsa est; sed exteriora cætera: Mauultque facultatem ipsam organo vtentem significari. Sed Themistius quoque & Philop. Organum interpretati sunt. Et quidem melius. Tum quia duplicata dubitatio maior est veritatis confirmatio. Tum quia etsi sensus agendi facultas esset & non patiendi; non tamē seipsum cognosceret: Propterea quòd hoc intellectus est proprium, qui facultas est immaterialis & abstracta; & ideò potest se supra seipsum conuertere: sensus non potest, quia materialis est. Quemadmodum neque vegetantes facultates, neque ea quæ mouet: quæ tamen agendi, non patiendi, facultates esse creduntur. Tum verò etiam quia verba, quæ statim consequuntur, existimari debent esse probatio, non posterioris tantùm, vt plerique opinantur; sed prioris quoque dubitationis. Quoniam enim in iis, quæ sensum habent, insunt ignis & terra & elementa cætera; siue quòd vt interpretatur Auer. singulis sensuum organis elementum aliquod attribuatur, quòd in eorum compositione dominatur, vt est in lib. de sensu & sensili. Aspectus .n. & odoratus aquæ, auditus aëris, gustatus & tactus terræ dicuntur esse. siue potius (neque .n. ignis organo vlli attribuitur, quē tamen hîc Philosophus nominat) quòd organa singula sint ex elementis omnibus concreta; quæ sensilia sunt corpora, aut per se, aut ratione eorum, quæ illis accidunt (nondum enim dictum est quidnam sit obiectum sensile per se; substantiane an accidens: aut elementa dixit esse sensilia per se; quia sunt per se earum qualitatum subiectum, quæ per se afficiunt sensum: aut demum sententia Philoponi & Simplicij per se sensilia vocantur propter proprias ipsorum qualitates, ex accidenti autem propter alias, quæ illis aliquo modo insunt, vt colores & alias similes) Cur sensus, si est facultas agendi solùm, organum suum non sentit, quod ex sensilibus illis corporibus concretum est? quemadmodum nutriendi & mouendi facultates, quæ agendi virtutes sunt, illas ipsas corporis partes reliciunt & mouent, in quibus eæ insunt. Cur item, nisi externum obiectum adsit, nihil prorsus sentitur? Etenim cùm in seipso præsentia habeat sensilia obiecta, videlicet elementa, ex quibus organa, totumque animalis corpus compositum est, sentire omnino deberet, si nihil ab obiecto externo eum pati oporteret.

Albertus hoc putauit fuisse dictum aduersus Platonem, qui & sensum agendi virtutem faciebat, & singulis sensibus elementum aliquod tribuebat, quod in illius compositione dominaretur; vt oculo ignem, S. Thomas contra Empedoclem & antiquos cæteros, qui cum eo senserant. Verius Græci ex rei veritate propriaque sententia: Quoniam sensuum organa cùm sint corpora mixta, ex quatuor nimirum elementis composita sunt.

Itaque ex his dubitationibus, quibus satisfieri planè non potest, si sensus agendi facultas esse dicatur, manifestum esse concludit eum facultatem esse patiendi, & sentire esse quoddam pati, vt antea dictum est; atque ita dubitationes illas facilè explicari. Nam quia facultas omnis patiendi seipsa non est actu, sed potestate, mouerique debet & ad actum reduci ab alio, quod sit actu (nihil enim inquit Simplicius, à seipso patitur) quemadmodum vstile non potest à seipso reduci ad vstionis actum & ad formam ignis; sed ab igne actu existente reduci debet: alioqui si à seipso reduci posset, non esset opus exteriorem ignem admouere. Sensus quoque quia facultas eiusmodi est, quæ ex se nullum habet actum, seu formam sensilium obiectorum, qua actu sentiens esse dicatur; sed potestas quædam est ad illam suscipiendam: non potest seipsum ipse ad illa mouere; hoc est ad sentiendi actum, qui est veluti obiectorum sensilium forma; sed ab exteriori obiecto moueri debet. Nā cùm sensus vt ab obiecto patiatur, & moueatur, debeat esse potestate ille similis, actu dissimilis; si à seipso pateretur & moueretur, hoc est seipsum sentiret, sibi ipsi dissimilis esset; quod esse non potest. & quamuis organum sensus ex sensilibus elementis actu compositum sit; & ideo quatenus corporea substantia, actu sit; quatenus tamen organum, potestate existit neque potest à seipso traduci ad actum. Nam propterea pati debet & moueri ab externo obiecto: quod autem patitur & mouetur, potestate est.

Duas alias propositæ dubitationis explicationes habet Philoponus. Altera est; sensionem tangendo fieri; sensumque materialem & corporeum esse, atque in organo vt in subiecto. quare cùm nequeat corpus conuertere se in seipsum, neque potest corporeus sensus supra organum suum sese conuertere, & quæ in eo sunt cognoscere. Itaque hoc inter intellectum & sensum interest; quòd immaterialis & incorporeus intellectus in seipsum redit, remque cognoscendam in se continet; & ideo intelligit vbi libuerit. At sensus immaterialis & corporeus obiectum habet extra se; neque cognoscit quidquam, nisi ad id, quod est extra, extensus; neque operatur, quando vult, sed quando præsens obiectum adest. Hinc Simplicius conuersionem in seipsum actionis dixit esse ex se perfectæ munus; sensum autem potestate tantùm esse: & intellectum vitam esse numeris omnibus absolutam, quòd nullo indigeat externo aut motore aut obiecto, reliquas facultates omnes imperfectas; quòd externum quidpiam desiderent, siue à quo moueantur, siue ad quod moueantur.

Sensus & intellectus differentia.

Altera, sensionem per medium perfici, & quidem ad eam actionem opportunum; vt visionem per illuminatum perspicuum. Inter sensum autem & organum, medium nullum est. Itaque dum vehementiorem & præter naturam febris calorem, quia corpus vniuersum vexet, sentimus; per medium sentimus, neque sensus in seipsum suumque organum redit. Quoniam caro aut nervus organum est; sentitur autem calor, qui in sanguine est & spiritu. Hi enim in febre præter naturam calescunt. Aut si partes quoque solidas febris inuadat, non æquè omnes calescunt, minusque calidæ cæteras calidiores sentiunt. Nam si æqualis vbique fuerit calor, nihil sentietur. Idem literico euenit, qui colorem oculo præter naturam affusum cernit. & ei, qui oculorum suffusione laborans caliginem & veluti culices videt. Quod enim videt, organi visus pars non est: quare aliud videt, aliud videtur. Idem tum de lingua bile perfusa, tum de similibus aliis dixeris. Vt omnino verum sit, sensum non posse seipsum sentire.

Febris calor vt sentiatur.

Litericus & suffusus.

Elementa ineſſe miſtis.

In verbis tandem Philoſophi obſeruabis illa (inexiſtente igne, & terra, & aliis elementis) vt intelligas elementa in corporibus miſtis ineſſe actu. Neque enim ſenſile eſt, quòd virtute eſt tale, ſed quod eſt actu calidum inquam & frigidum, humidum & ſiccum. Quod ſi quis Philoſophum reſpondeat cum Empedocle loqui, qui elementa actu & integra ponebat in miſtis; non animaduertit Ariſtotelem nunc principium ponere ac fundamentum totius tractationis de ſenſibus, quod ſanè firmum, ſtabile, atque ex ſua ſententia poſitum eſſe oportet.

Digreſſio XXX. Senſionem ſentiẽtis facultatis actionem eſſe, at non ſine paſſione.

SEnſio materialis eſt operatio & corporea. Quare præter animæ facultatem neceſſe eſt corporis organum ad eam concurrat; vt oculus ad videndum. At fieri poteſt, vt organum propriam aliquam habeat actionem. Nam & meſtruatæ mulieris oculus inficit ſpeculum, & faſcinatoris faſcinat puerum. & illud apud Virgilium. Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat Agnos. & Baſiliſci oculus hominem necat, vt Plinius libro 29. capite 4. & Galenus in libro de Theriaca ad Piſonem teſtantur. & de Catoplepa fera apud Fontem Nigrim in Æthiopia referunt idem Plinius lib. 8. capite 21. & Ælianus libro 7. capite 1. & qui oculos lippos aſpexerit ſæpè, eodem corripitur morbo; Quemadmodum Ariſtoteles confirmat in problemate 4. ſectionis 7. Quoniam corruptum & peſtilentem exhalant ſpiritum, aut qualitatem, & amor per oculos maximè & immittitur & hauritur; in adoleſcentibus præſertim. Sanguis enim & ſpiritus ex eo genitus in adoleſcentia tenuis, clarus, calidus, dulcis: procedente ætate tenuioribus conſumptis partibus craſſior euadit & obſcurior; caloreque hebetato, & humore abſumpto, frigidior & ſiccior. Spiritus autem clarus per oculos maximè veluti feneſtras vitreas emicat; tenuiſque, calidus, & dulcis, tum facilè per oculos & emittitur & ſuſcipitur, & arterias omnes inficit; tum verò cor tanquam officinam & ſedem propriam petit, ſuoque aculeo vulnerat.

Organi actio propria.

Amor per oculos hauritur.

Cæterùm vniuerſum hoc operationis genus non eſt ſentientis facultatis organo ſuo vtentis, ſed organi propria. Neque de hac nobis eſt ſermo; verùm de ea, quæ ſenſilis obiecti perceptionem ſignificat. Hanc porrò actionem quandam eſſe à facultate profectam me quidem iudice negari non poteſt, ſi abſque ſuſceptione ſpeciei ſola præſentis obiecti comprehenſione fiat. Nam ſi obiectum nihil agat, nec in facultatem immittat, neque ab vllo alio ſuſcipiatur quidquam; quid aliud ſupereſt, quàm facultatem ipſam ſenſionis principium eſſe? Dum tamen hæc actio in eadem facultate ſuſcipitur, ſenſio dicitur eſſe quædam paſſio; quòd operatio illius, quæ eſt obiecti cognitio, adiũctam habeat ſuſceptionem.

Senſionem eſſe actionẽ.

Totam hanc rem perobſcuram & difficilem ſpecies illa reddit, quam ab obiecto plerique contendunt in ſenſum immitti. Propterea enim Ægydius Romanus & Gaietus vterque, Cardinalis inquam & Thiennenſis, & Paulus Venetus, & Auguſtinus Niphus, ſenſum voluerunt facultatem eſſe patiendi duntaxat, non agendi: ſenſionemque formaliter nil eſſe aliud, quàm paſſionem, hoc eſt ſpeciei ſuſceptionem atque vnionem cum facultate ſentiente. Suſcipitur ſpecies & in medio: At non quælibet ſuſceptio eſt ſenſio, ſed ſuſceptio ſola in organo animato, quod ſentiendi virtute præditum ſit. Libet hoc paulò pluribus explicare; quòd tum philoſophicam ſubtilitatem habeat, tum non omni fortaſſe probabilitate careat; ſi verum ſit illud, ſenſionem ſpeciei ſuſceptione perfici. Duobus namque modis poteſt forma quæpiam in aliquo ſuſcipi, Aut abſque vllo ſuſcipientis concurſu; vt aqua in vaſe, formæ artium in materia; & de violentis extat illud in 3. libro de moribus ad Nicomachum cap. 1. Violentum eſt id, cuius principium eſt extra, nec quidquam confert illud, quod patitur. Aut cum aliquo concurſu, quo procuretur vnio illius, quod ſuſcipitur, cum eo, quod ſuſcipit: quemadmodum materiam dicimus patiente ſuo concurſu & eductionem & vnionem naturalis formæ cum ſeipſa iuuare. Species igitur ſenſilis, quæ & in medio & organo ſuſcipitur, aut conſideratur quoad eſſe reale, quo qualitas quæpiam eſt; aut quoad propriam formalem rationem, qua vim habet repræſentandi, ad obiecti cognitionem & ſenſionem inſtituta, facultatique vnita poteſt immateriali quodam modo rem cognitam in cognoſcentem transferre. Si priori modo conſideretur, non in ſentiente modò facultate & eius organo, ſed in medio quoque ſuſcipitur; & quidem cum patiente concurſu, tum organi, tum medij, dum ex illorum materiæ poteſtate educitur. Verùm ita nulla eſt ſenſio. Quoniam non eſt ſuſceptio ſpeciei vt vim habet repræſentandi & concurrendi ad ſenſionem. Si autem poſteriori hoc modo ſpectetur, etſi dum & in medio & organo ſuſcipitur, vim habeat repreſentandi, quia tota & vbique eiuſdem eſt rationis: in medio tamen hoc modo conſiderata ſine vllo concurſu ſuſcipitur. Quoniam medium nulla præditum eſt cognoſcendi virtute, qua ad ſpeciem vt repræſentantem & cognitionis principium ſuſcipiendam accedat. At in organo & facultate cùm cognitrix vis adſit, cum organi concurſu ſuſcipitur, & quodam quaſi conatu ad facultatis ſuſcipientis vnionem cum ſpecie ſuſcepta tanquam cognoſcentis & formæ, quæ cognitionis principium eſt. In hac ſuſceptione formalis poſita eſt ſenſionis natura ceu vitalis quædam & animalis paſſio per ſpeciei ſuſceptionem ſentientiſque facultatis concurſum.

Senſionem paſſionem ſolam eſſe.

Reuocetur in memoriam vnio naturalis formæ cum materia. In hac concurrit quidem materia patiendi ſua poteſtate: At ea non eſt ſola ratio, ex qua ſequatur eſſe naturale certę ſpeciei cuiuſpiam rei. Verùm præter eam adeſt quoque realis actus & cauſalitas formæ; & virtus agentis educentis formam, eamque cum materia vnientis. Concurſus materiæ dicitur paſſio, concurſus formæ actio, concurſus agentis actio. At in vnione ſpeciei cũ facultate ſentiente quamuis facultas ſit vt ſuſcipiens & patiens materia, ſpecies vt forma & obiectũ vt Agens: Sola tamẽ facultas, vnionis vitalis, quę eſt formaliter ſenſio, videtur eſſe cauſa. Obiectũ. n. vim quidem habet in medio & organo

organo producendi speciem; quæ cum sit ad sensionem necessaria, quoquo modo sensionis principium indicatur. At cum materiale sit & inanimum, dici non potest efficiens causa vitalis illius vnionis, quæ sensionis naturam habet. Minùs verò species per verum formationis actum. Tum quia omni vita carens vitalis formationis actum habere nequit. Tum quia etsi formet vt realis quædam qualitas; vt tamen species est, hoc est obiecti repræsentatrix, ab omni abstrahit influxu. Non secus ac imago quæuis vt est imago: cùm ad imaginis vim hoc solum pertineat, vt aliud referat, atque ad aliud cognoscendum deducat: non vt actuet, formetúe. Sola igitur facultas suum apponit conatum & patientem influxum, quo nullum actum producens, neque merè suscipiens, sed patientem causalitate & concursu speciem sibi vnit veluti imaginem obiecti repræsentatricem, quæ in illius cognitionem ducere potest. Illamque quodam modo viuificat, atque in suam transfert naturam, & per illam obiectum quoque, quod propterea dicitur fieri ipsum cognoscens, aut certè vnum cum cognoscente. Atque in hac assimilatione passiua formalis ratio cognitionis & sensionis consistit.

Ita tria omnino intelliguntur. Primum, patiendi facultatem esse sensum, non agendi quidquam; sensionemque passionem, non actionem vllam. Nisi fortasse actionis nomine influxus quiuis & actus secundus significetur: seu vt influxus ille facultatis patiens actui materiæ, formæ, & agentis naturalis, æquiualet. Quare verissimè ab Aristotele scriptum fuerit, sentire esse quoddam pati, moueri, & alterari.

Sensus & materia comparatio.

Alterum; facultatem hanc patiendi in cognoscentibus præstare plurimùm potestati patiendi materiæ in naturalibus. Illa enim sola sua passione & influxu totam efficit cognitionem, totumque obiectum cognitum in seipsam transfert: hæc solo suo concursu nequaquam ad constituendum naturale compositum explendamúe seipsam sufficiens est; sed formæ & agentis concursus adhuc requiritur. Quò fit, vt esse reale & naturale rerum multis constet influxibus, materiæ, formę, & agentis: at esse cognitum præter speciei productionem, quæ vt conditio solùm quædam est, vnico facultatis cognoscentis influxu, patiętęque conatu, quo viuificet obiectum & in seipsam transferat, totum absoluatur.

Tertium; eandem prorsus potestatem esse, qua & ad suscipiendam speciem & ad sentiendi actum potestate est anima: eademque mutatione, qua speciem accipit, aquirere itę simul sensionis actum. Sensio enim nil aliud est, quàm viuifica illa speciei susceptio.

Hæc sanè omnia pulchrè videntur dici posse, & verò etiam ex pluribus Philosophi locis suaderi. Maximè ex tex. 37. & 51. vbi sensus alteratio quædam & passio esse dicitur. Et tex. 59. Obiecta externa esse actiua sensionis, quasi facultati nihil nisi passio superst. Et tex. 138. Eundem esse actum sensilis & sensus, ratione sola diuersum. Quemadmodum sonus est actus & obiecti sonantis & sensus audientis. At actio obiecti est, à quo producitur; & passio facultatis, in qua susciputur: sicut de cæteris quoque agentibus & patientibus exponit in tex. 139. & 140. In quibus actio & passio vnus est amborum actus, vt in tertio Physicorum. lib. tex. 18. declaratur.

Sensionem esse actionem quandam.

Verum enimuerò quominùs ego his planè assentiar, hæc faciunt. Primùm; quod huiusce sententiæ illud videtur esse fundamentum, facultatem sentientem extensam esse & fusam per organum; & ideò in ea quoque susci speciem in organo susceptam. Quod vt in brutis animalibus sit verum, existimare tamen æquam esse hominis & mutorum conditionem, est à veritate alienum. Cum enim facultates habere prorsus abstractas ab organis, speciemque in organis solùm, non in facultatibus susci pere, antea demonstraui. Vt omnino necesse sit sensionem dicere susceptionem speciei in facultate non esse; si in homine, qui tamen sentit, nequaquam susci piatur: sed actionem quampiam facultatis circa speciem in organo susceptam. Deinde obseruamus persæpè susci pi speciem in organo seu facultate, nec tamen sentiri quidquam; Quod in libro quoque de sensu & sensili capite 8. adnotauit Aristoteles. Apertis namque oculis multorum præsentium obiectorum haurimus species, nec illa percipimus. Immò in interiori sensu conseruantur species, nec tamen illorũ obiecta semper cognoscimus. Quid ita? An quia non attendit facultas, neque adfert illum concursum, quo susceptа species viuificetur? At in interiori sensu per antecedentem cognitionem semper est viuificata & in facultatem transformata. Accidit etiam persæpè, vt facultas attendat atque in sensionem conetur; nec tamen sentiat. Quemadmodum cùm in eadem distantia vnus obiectum percipit, alter etsi speciem in orbem vndique sparsam susci piat & circa eam conetur; non tamen cognoscit; quòd actum facultas non eliciat. Tum verò vna & eadem sensione nunquam obiecta plura simul sentirentur. Quoniam si sensio nil aliud sit, quàm speciei susceptio; quot sunt actiones ab obiectis profectæ, impressioneſque speciei, totidem susceptiones esse oportet; tot inquam, quot species susceptæ; cùm passio idem sit cum forma: totidem igitur sensiones erunt. Exponi etiam non posset, quo modo sensus obiecti distantiam percipiat: siquidem species æquè in eo susci pitur, siue à propinquo, siue à remoto obiecto profecta; & æquè illam sibi facultas assimilat. Cæterum nec intelligi potest facultatem concurrere atque in se transformare speciem & obiectum absque actione. Aut enim id facit cognoscendo, aut sine omni cognitione. Cognitionem adesse oportet. Tum quia cognoscens facultas id operatur. Tum quia experimur in nobis, quidquid circa obiectum operatur facultas cognoscens, id eam cognoscendo operari. Tum etiam quia si naturaliter, non ex cognitione, operaretur; plurima semper obiecta sentiret, vt plurimorum præsentium species susci pit, ad quas omnes naturaliter operando concurreret. Tum demum quia nihil hic concursus à concursu materiæ ad naturalis formæ productionem distingueretur. Quod si cognoscendo cõcurrat, iam cognitio illa est actio facultatis à speciei susceptione distincta. Et si opus sit conatu & aduertentia Animæ circa speciem; quid hoc est aliud, quàm actio illa, quæ formaliter est sensio? Accedit, quòd organum perspicuum illuminatum capax est sua natura speciei; facultas autem est facultas

Si vehementior sit sensilium motus peraditur sensus.

cognoscendi : aliud igitur est speciei susceptio, aliud sensio & cognitio illa in organo ; nempe aliquid à facultate profectum. Hæc est causa, cur sentiendo fatigemur. Passio enim præsertim si sit perficiens, qualis est sensio, numquam adfert fatigationem, nec materia patiendo & suscipiendo formas fatigatur vnquam, nec medium susceptione specierum. Sed in omnibus fatigatio ex operatione nimia & actione nascitur. Sensio igitur non est passio, specieiúe susceptio, sed actio ab his diuersa. Etenim dum sentimus, non solùm precipimus obiectum, sed & de illo iudicamus, & sensus fit de illo certus : qua certitudine intellectus quoque certitudo nititur : at iudicare præter susceptionem speciei actionem significat.

Esse actionẽ sensus.

Denique accedit Aristotelis & Peripateticorum consensus. Sensionẽ illi actionem esse voluerunt, non ab obiecto productam in sensu, vt visi sunt sentire nonnulli, quibus fucum fecerunt verba illa in tex. 59. & in lib. de sensu & sensili cap. 2. & 6. Sensilia obiecta actiua esse operationis illius, quæ est in sensu : Verum ab ipsa facultate sentiente profectam. Etenim in tex. 24. Anima est id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primum. Quemadmodum autem primum principium est, quod suis facultatibus agendo, vegetationis, incessus, atque intellectus operationes perficit, ita & de sensione intelligendum est. In tex. 37. sensus quidem videtur alteratio quædam esse, siue propter speciei, realisúe obiecti in organo susceptionem adiunctam, siue quòd in eo suscipitur, à quo proficiscitur : dum tamen vtitur verbo (videtur) re ipsa aliquid aliud esse significat. & illo ipso in loco Anima dicitur esse causa triplicis generis, formalis, finalis, efficiens : quoniam vt incessum, accretionem, & decretionem, ita & sensiones omnes in animalibus efficit, eorumque corpora animæ sunt in his omnibus operationibus exequendis instrumenta. Quare vt sensio totius animalis est operatio, quæ ab anima per corporis organum fit : ita duplici quasi parte constat : quarum altera est corporis, susceptio speciei obiectiúe realis, altera animæ, cognitio ac iudicium facultatis. Appetitiones quoque duplici dicimus constare parte, materiali vna, quæ in corpore consideratur, altera formali, quæ in animæ facultate. Nam ita materialiter est feruor sanguinis in corde, formaliter appetitio vindictæ. Ita sensio est passio quædam in corpore, vt in tex. 12. libri 7. Phys. exponitur, in organo inquam speciei, obiectiúe realis susceptio, in anima cognitio facultatis. Quanquam tum in sensu, tum in appetitu quoniam animæ actio in ipsa suscipitur, hanc item ob causam operatio illa passio quædam esse affirmatur. Sed in tex. 64. primi huius operis libri (qui non paruam habet vim ad ostendendum sensionem non esse solam obiecti, specieiúe susceptionem) magnopere nos admonuit, operationes hasce, quæ aliquid habent in corpore & aliquid in anima, non eodem semper modo perfici. Aliquando enim à corpore incipiunt & in animam desinunt, vt functiones sensuum, quæ principium habent ab organi susceptione, atque in animæ cognitionem terminantur : interdum autem ab anima incipiunt & deriuantur in corpus, quemadmodum appetitiones, in quibus propter vindictæ desiderium commouetur sanguis. Præterea in tex. 59. huius secundi libri sensum tradet proximam esse potestatem ad operandum, velut scientiam & contemplandum, posseque statim sentire, si adsit obiectum. Quare si contemplari est agere, erit sit sentire. In eodem loco obiecta externa dicuntur esse huius operationis actiua : est igitur sensio operatio quædam. Sed in libro de sensu & sensili cap. 2. sunt hæc aperta verba, Sensile facit agere sensum. In tex. 118. Sensum discernere & iudicare sensilia. Et tex. 127. Aërem pati quidem ab odore & sensilem fieri, at non sentire, quoniam sentire non est solùm pati, sed aliquid præter pati, hoc est iudicium ferre de obiecto, vt exponunt interpretes, præsertim Alexander. Et in t. 140. Actio visus visio dicitur, & gustatus gustatio, coloris autem & saporis innominata est. Ad extremum in t. 16. libri 9. Metaph. Visionem & sensionem omnem docuit actionem esse immanentem, quæ in vidente & sentiente suscipiatur, neque vllum relinquat opus, sed solum habeat actionis vsum. Quo loco & actionem esse asseruit, & visus est interprætari, cur alibi passionem quãdam esse affirmasset, nempe quia in eodem suscipitur, à quo oritur.

Alexander verò in primo libro de anima cap. 12. Potestas, inquit, videndi per admotam obiectis lucem actionem ea excipere & iudicare potest. Et cap. 18. Sensus animæ potestas est, quæ sensiles formas sine materia excipit, discernit, internoscit, iudicat, comprehendit, de illis iudicium fert, & similia plura, quæ actionem significant. Et cap. 19. In sensu tria omnino sunt, obiectum sensile, sentiendi virtus, atque virtutis huius operatio. Addit sensuum actionibus sensilium figuras & expressas effigies gigni, sensionemque sensus sentientisúe animæ actionem esse circa obiectum sensile. Et cap. 24. Sentire non est pati, sed iudicare & discernere. & cap. 26. Sensus speciei susceptionem efficit Et in 2. lib. cap. 13. & 14. Sensus percipit, apprehendit, & iudicat.

Themistius quoque in primo lib. de an. cap. 15. interiorem sensum æstimatorẽ esse dicit, arbitrum & iudicem eorum quæ per exteriores, hauiuntur. Recordationẽ verò non ad animam, sed ab anima proficisci, animamque producere & promere res, quarum vestigia in se cõdiderat. ac demum iudicare, sentire, comprehendere, contemplari motus quoddam non esse, functiones tamen & actiones animæ esse. Et tursum in 2. lib. c. 19. Sentire non solùm est pati, sed & agere. Et li. 3. c. 14. Sensũ passio non tàm passio, quàm actus & absolutio est. Et 1. l. de mem. & Reminisc. c. 11. Ex actibus, quos circa sua quæque genera sensus absoluunt. Et tursum in sensu tria sunt, obiectum, sentiẽs virtus, & actus qui tanquam fœtus excluditur.

Simplicius in com. tex. 75. lib. 1. de an. Cognitio actio est, nõ autem passio, & in 2. l. tex. 61. & 62. Sensus iuxta sensilis assistit formam, at non passiuè (neque. n. albescit aut calescit) sed actiuè: Non in agendo veluti effectrices causæ, sed iudicando & cognoscendo. Et rursum, simul & mouetur & agit, estque simul & actio & passio, passio á sensilibus, actio cùm per vitæ, quæ in sensorio est, excitationem assimilatur sensiliũ formis. Et in tex. 75. Per propriã actionem fit sensilium compræhensio, non quòd à sensilibus patiatur anima, sed quòd circa ipsa operetur & agat. Et in tex. 118. Iudicatiuam actionem nominat. Et tex. 127. Sensus non sola externi obiecti actione consistit, sed etiam propria. Sentire siquidem est cognoscendo agere. Et tex 143.

Sensus

» Sensus actiua ratio, & tex. 144. Sensus per se ipsum
» agit, vbi à sensili excitatus fuerit. Et tex. 147. & 149.
» Sensitiuum iudicium neque passio, neque motus
» est; sed actio & perfectio intrinsecùs excitata: non
» effectiua sensilium, sed cognitiua ipsorum.

Philoponus in tex. 59. sensus externis præsensibus opus habet vt agat. Quare tum ipse tum Simplicius in tex. 51. sensum interpretantur dictũ fuisse passionem & alterationem esse; non quòd ipse ita esse sentiret Philosophus; ideò enim addidit (videtur) sed aut quòd paulò ante animam asserens vt efficientem causam esse, etiam in alterationis motu Sensionem attulisset velut alterationem quandam; quare in tex. 59. sensum dixit externis præsensibus indigere, vt agat. Ita Philoponus. Aut
» Simplici iudicio, quoniam sensus etsi non est alte-
» ratio, iis tamen apparet, qui sensorij passionem in
» actionem cum ipso complicatam atque vtentem
» transferunt.

Denique Priscianus Lydus in Theophrasti librũ de anima c. 27. Non in passione, inquit, consistit visus; sed in speciali vitæ perfectione atque in partu quodam rationis innatæ: & c. 30. sensus non secundũ passionẽ fit, sed est perfecta quædã species actionis siue actus. Et Porphyrius in libro de occasionibus, Passio corporũ cum transmutatione cõtingit. Passio verò animæ est accommodatio quædam & affectio ad rem ipsam vt actio quædam.

Mitto Auerroëm ac Latinos interpretes. Satis fuerit ex Græcis hæc commemorasse. Omnes .n. cùm sensionẽ operationem esse vitalẽ animaduerterent, eam non nisi ab anima, vitalique principio proficisci posse intellexerũt. Nam si ab obiecto obiectiue specie proficisceretur, nihil obijceretur nobis, quod statim non sentiretur. Deinde æquè perfectè sentiremus simul obiecta plurima, eaque diuersa nec solùm eodem, sed & diuerso sensu. Quoniam æquè omnium species in omnibus suscipiuntur. At vni obiecto attendentes aut nullo modo, aut certè minùs sentimus cætera. Argumentatur etiam Arist. in tex. 19. libri 3. Agentem intellectum nobiliorem esse patiente, quòd potior sit Agentis conditio. Quòd si obiectum sensile non speciem modò, vt agens intellectus; sed sensionem quoque produceret, multò magis sentienti, hoc est patienti facultati præstaret. Quare si is aliquando obiectũ dixit actiuum esse sensionis; hoc est solùm intellectu dixit, quòd moueat, determinet, excitetque facultatem ad sentiendum, atque illius actionem terminet. Neque pluribus in hac re opus est.

A quo producatur sensionis actio.

Ex his autem, quæ proposita sunt, tum sensionẽ cognoscimus actionẽ magis esse quàm passionem; Tum ab obiecto externo eam intelligimus non proficisci; neque à sensili specie, siue vt præcipua & integra causa, quemadmodum credidit Magnus Albertus in 2. de anima tra. 3. Et in li. de Apprehẽsione, & in summa de Homine, & S. Thomas in prima parte, quæst. 56. artic. 1. Qui perinde speciem sensionis in facultate, & calorem calefactionis in igne principium posuit; hoc solo discrimine, quòd illa est immanens, hæc transiens actio; & ideò in Commentario textus 119. Omnẽ in sensu vim agẽdi negauit, solaque eum vi patiendi cõstare voluit. Siue vt facultatis instrumento, aut partiali causa; vt visus est sentire Scotus in 1. sententiarũ li. dist. 3. quæst. 7. Sentientem .n. facultatẽ simul cum obiecto aut specie principium sensionis posuit. Quoniã cũ hæc actio sit vitalis & cognoscẽs, totam speciei vim & conditionem superat; neque vlla ex parte à principio vitæ omnis & cognitionis experte deduci potest. Deinde vt id præstaret species, oporteret eam non in Organo modò, sed in ipsa facultate suscipi: Quod in homine saltem non euenire antea demonstrauimus. Tum verò cùm sensio immanẽs actio sit; si à specie vllo modo produceretur, in eadem susciperetur: At in sola facultate, non in specie, suscipi eam certum est. Denique eam solam ob causam adhibetur species ad sentiendum, vt facultatem determinet, moueat, coniungat, eique obiectum repræsentet: quæ si præstiterit, facultas sola sufficiens est sensionis & cognitionis causa.

Nullum esse agẽtem sensum à patiente distinctum.

Cæterùm non defuisse video inter Latinos, qui cùm sensionem actionem esse intelligerent; eamq; ab anima, sentienteque facultate profectam; duplicem in vnoquoque sensu sentientem facultatem re ipsa distinctam cogitarunt: agentem vnam, alteram patientem: illã producentem sensionem, hanc suscipientẽ. Sic inter cæteros Iandunus. Itaque cur in scholis fuerit sensus agens nominatus, duæ omnino fuerunt causæ. Altera, vt sensiles species ex obiectis eliceret. Altera, vt sensionis principium esset. De priori actum est superiùs, cùm de speciebus illis disputaretur. Posterior hæc duobus maximè principiis nititur. Altero, quòd sensum Philosophus patiendi facultatem appellauit: eadem autem esse non potest agẽdi & patiendi virtus. Altero, quòd in tex. 17. li. 3. in omni natura argumentabitur patiẽdi potestati agendi facultatẽ respõdere debere. Quo argumento agentẽ intellectũ à patiẽte distinctum probabit. Vt igitur in sentiẽte anima est sensus patiens, ita necesse est & agentẽ esse. Nam si eadem facultas ageret & pateretur, actionemq; suã susciperet; idem esset agens & patiens, actu & potestate. Necesse est etiam has duas facultates re ipsa distingui. Tum quia agẽs & patiẽs sunt cõtraria. Tũ quia, vt est in tex. 17. li. 5. Metaph. Agens est principium mutãdi aliud vt est aliud: & patiens, quod mutatur ab alio vt aliud est.

Verùm enimuerò vt hæc opinio passim ab omnibus reiicitur, ita non erit nobis magnopere laborãdũ. Aristoteli .n. & rationi aduersatur. Is cùm longam & accuratam de sensibus tractationem fecerit, tum generalem, tum specialẽ; sensumq; sæpiùs affirmauerit pati, patiendiq; facultatẽ esse; agentẽ nusquã sensum nominauit: tantum abest, vt de eo disseruerit. Quod omnino facere debuisset, ne mãca & imperfecta sensuum explicatio esset. Quin actiua potiùs sensionis exteriora obiecta pronuntiauit. De antiquis interpretibus idem dici potest. Deinde in tex. 16. lib. 9. Metaph. cùm duo actionis genera distinxisset; vnũ in externã materiam transiens; alterum in eo ipso susceptum, à quo proficiscitur: An non sensionis & cognitionis exẽpla proposuit? In ipsismet, inquit, actio est, vt visio in vidente & contẽplatio in contẽplante, & vita in anima. Ipsemet Iandunus, in sua opinione parùm constans. in quæst. de sensu & sensili quæst. 9. In visione aliisque eius generis operationibus fieri posse scripsit, vt eadem sit & agendi & patiendi facultas. Hæc enim immanentis actionis vis. Eadem facultas, vt est actus primus, agit; vt autẽ potestas ad actũ secundũ, patitur: eumque & promit & suscipit. Promit, vt actus primus; suscipit, vt potestas ad secundũ. Videas hoc in intellectu quoq; in quo agentẽ quidẽ & patientẽ intellectũ legimus;

sed tamen vt mittam maximam semper fuisse difficultatem, nec dum inter interpretes constare, quidnam fuerit Aristotelis intellectus agens; Num separata mens. An facultas Animæ. Deturque esse animæ facultatem: nonne intellectionis actio à patiente intellectu, non ab agente proficiscitur; atque Agentis vnicum est munus species producere, resq; actu intellectiles efficere? Quòd si in intellectu eadem sit facultas producens & suscipiens intellectionem, Agens & Patiens; quidni etiam sit in sensu? In intellectu autem Agens intellectus nominatur, in sensu non item agens sensus. Quoniam intellectiles species, immateriales, ordinisque superioris, quàm sit phantasma, aliam habere non possunt efficientem causam: at sensiles species & in materialium genere continentur, & ab obiecto ipso producuntur. Tum verò de patiente sensu in promptu est quærere; num ille sit cognoscēs, an non. Cognoscentem omnes fatentur, Aristotelem sequuti, qui sentire & cognoscere docuit esse pati. Et fateri coguntur aduersarij, qui eum dicunt cognitionem ab agente sensu factam percipere: Ac demum confirmat intellectus patiens, qui omnino cognoscens est. At si ille cognoscens est, quid opus agēte sensu? Quippe cognoscere nil est aliud, quàm cognoscentis facultatis actio. De hoc ipso quoque agente sensu quærendum erit; An cognoscendo, an verò sine cognitione cognitionem illam producat. Si non cognoscendo, sed impellente natura ageret, necessariò ageret & semper: semper igitur & plurima simul obiecta, quorum species suscipiuntur, vel etiam dormientes, aut non attendentes, sentire nos oporteret. At nullam cognitionem efficeret naturalis merè facultas. Superioris namque ordinis est cognitio: facultasque non cognoscens nobilior esset cognoscente; quoniam agens præstat patienti: hocque argumento in tex. 19. li. 3. probabitur, agentem intellectum nobiliorem esse patiente. Quanquam cognitio cognoscentis operationem significat; sicut calefactio operationem calidi: omninoque pugnantia videtur loqui, qui eum sine cognitione cognitionem dicat producere. Quam ob causam intellectus agens, dum non intelligere affirmatur, negatur item intellectionem in patiente intellectu producere. Si ergò cognoscat & cognitionem cognoscendo producat; sanè vt ille seipso cognoscit, neque ab alio accipit cognitionem, ita de patiente sensu dicere licet; nec agente alio fuerit opus. Deinde cognitio immanentem actionem significat; quæ in eo ipso suscipiatur, à quo producitur; non effundatur in aliud; hoc est in agente sensu remaneat, non in patiente mittatur: neque sensus patiens cognitionem ab alio immissam suscipere poterit, sed à seipso excitare debebit, si immanens actio futura sit. Quocirca aut in 5. libro Metaph. sola facultas agendi & patiendi physicè & cum corruptione definita fuerit: hæc. n. est ab alio & in aliud; quia nihil corrumpit & destruit seipsum. Aut si facultatem omnem vis comprehendere, ita Philosophi accipias verba; vt rationis, non rei, diuersitatem postulent. Perficiente namque & minùs propria actione potest idē in seipsum alio atq; alio modo cōsideratum agere.

Cur dicatur intellectus agens, & non sensus agens.

Sensio cur passio dicatur.

Maneat igitur Sensionē formaliter actionem immanentem esse animæ per suam facultatem; eamq; ab eadem facultate oriri, in qua suscipitur. Quam Peripateticis libuit patientem appellari, Tum vt pleriq; dicunt, propter adiunctā Organi passionē ab obiecto illatam: tum vt Platonicorū coargueretur error, qui sensū omnino actiuū esse voluerāt: tū demū quòd actionem habeat immanentē, quæ & actio est & passio quædam. Sed vt est actio, communē habet cum cęteris omnibus conditionem: at vt passionem habet in eo ipso, à quo oritur, ab aliis distinguitur, quæ in aliud trāseūt. Quare cùm vnūquodque ab eo potiùs, quod illius propriū est, appellari debeat; libuit Peripateticis patiendi facultatem nominare, vt propriā huius operationis cōditionem & naturā exponerēt; qua non agit in obiectū: sed potiùs ab eo patitur, neque in aliud transit, sed in suo principio & fonte remanet. Ita optimè scriptum est in tex. 59. Sensum esse veluti scientiā, operarique posse absque vlla in ipso facta mutatione. Et in tex. 61. sensum esse non vt puerum, sed vt iuuenem ad militandum. Voluit. n. ostendere esse potestate proxima, vt ex seipso operari queat. Nam etsi susceptione speciei indigeat; hæc tamen est ex parte obiecti, non facultatis, nec vllā illi operandi virtutē addit. Sensioque actus secundus est, qui ab hac facultate promitur circa obiectum sensile: actio inquam perceptionis & iudicij. Non ergo sensus propterea pati dicitur & moueri ab obiecto, quòd obiectum vera & reali actione in sentientem facultatem operetur quidquam; atque ita de potestate ad actum reducat, quemadmodū ab igne reducitur vtile corpus. Atque in hoc interpretes omnes consentiunt.

Dum verò affirmant permulti, propterea eum pati, quòd obiectum in sensus Organum agat; siue reali actione, vt in tactu, gustatu, odoratu, auditu, aut certè per intentionalem speciem, vt in aspectu: nimirum vt actione hac excitatus sensus sensionis actū producat: dicaturq; ad actū reduci, tum ab excitante obiecto, tū à seipso sensionis actū promente. Et ideò tū patiēdi facultas sit, quatenus eius Organum patitur; tū agendi, quatenus secundū cognitionis actū edit. Ego actionē quidē obiecti realem in Organum illorum quatuor priorum sēsuum libenter agnosco (tametsi in odoratu & auditu non semper necessariā esse existimem, vt opportuniore loco docebo) Immò etiā interdū in aspectu, cuius Organū à luce patitur. Eam tamē omnino extrinsecā facultati esse iudico: nec satis intelligo, quomodo patiēte Organo facultas, quæ non patiatur, sed agat, patiendi facultas eam ob causam appellari possit. Deinde intellectus quoq; in tertio libro patiendi facultas, & intelligere pati quoddā esse dicetur. Nec tamē intellectus Organū habet, in quo ea passio considerari queat. Denique à coloribus immitti speciem ad oculum, libenter nunquā audiui. Dum igitur sensus facultas patiens esse dicitur, eam ob causam id affirmari aio, quæ intellectui quoque communis est, & ab Alexandro significata in secundo libro de Anima cap. 19. Vbi sensum passiuum esse scripsit, quoniam ipsius apprehensio per passionem fit. Et rursum, intellectum passiuum dici, quatenus formarum apprehensiuus est. Pati namque, ait, videtur id, quod apprehēdit, atque id cum sensu commune habet: nimirum quia cognoscēdi facultas est. Cognitionis enim ea vis est, vt obiectum trahat ad se, atque in seipsam transformet. Estque veluti forma quædam obiecti cogniti, quæ dum in cognoscente facultate suscipitur, in eam transformantur obiecta omnia; & anima cognoscendo fit omnia, reliquæ cognita dicitur esse in anima. Et dum ita facultas

obiectorum

obiectorũ formas suscipit, verissimè patitur, passionis hoc intentionalis & perficiensis genere.

Sicut vt ab obiecto mouetur & excitatur.

Et quidem ab obiectis; tum quòd ab illorum formas suscipit; tum quòd ab illis ad cognoscendum excitatur. Excitatur, inquam, non actione vlla propria, sed sola præsentia: quemadmodum etiam agens excitari affirmatur & moueri ab Idea, seu forma, per quam agit: aut à fine propter quem operatur: aut à materia ad operandum apta. Sicut in textu 48. inquit Aristoteles, alimentum, quod in textu 45. dixerat nihil agere in id, quod alitur, præparare altrici facultati suam operationem, ceu inquit, eo loco Simplicius, Materia assidens ad excitandam actionem apta; perinde ac sunt ligna fabro; quibus scilicet ad præclarum quodpiam opus efficiendum excitatur, si ea perquàm aptam materiam esse conspexerit. Ita obiectum intelligendum est cognoscentem facultatem ad cognoscendum mouere.

Cur cognoscentis patiãs, reliqua agẽdi facultatis.

Atque hoc modo optimè distinguimus genus hoc facultatum à reliquis omnibus; sicut Aristoteli propositum fuit distinguere, dum eam dixit esse facultatem patiendi, reliquas agendi. Reliquæ enim omnes agendi solùm, non patiendi facultates sunt. Vegetans, inquam, Appetens & Mouens. Quoniam Vegetans actionem habet in exteriorem materiam, quam alterat & commutat. Appetens trahit animal ad appetitum obiectum; ac demum Mouens ad illud prosequendum impellit. At cognoscens non agens est modò, sed & patiens. Quia cùm cognitio non motionem animalis significet ad obiectum cognitum, sed obiecti potiùs transformationem in facultatem cognoscentem, atque illius susceptionem per cognitionis actum velut illius formam: verè affirmatur facultas non solum agere, sed & pati, dum obiecti cogniti formam suscipit.

Facultatis cognoscentis & materiæ comparatio.

Itaque sicut materia dicitur esse potestas patiens, quatenus nullam ex se habet formam, sed rerum omnium naturales formas potest suscipere, existimaturque actu pati & mutari, quando illas suscipit: ita nimirum facultas cognoscendi est facultas patiendi; quia nullam ex se habet cognitionem tanquam rerum cognoscendarum formam: sed est tanquam tabula, in qua nihil est scriptum, vt de intellectu legimus in tex. 14. libri 3. potestque omnium formas suscipere cognoscendo: vereque existimatur suscipere, pati, & mutari; quando actu cognoscit, & cognitionibus tanquam rerum cognitarum formis imbuitur. Et ideò vt materia, sic anima, quatenus cognoscendi vim habet, dicitur esse locus formarum in tex. 6. eiusdem libri. Sed materia est locus formarum, quæ in natura existunt, Anima autem formarum, quæ cognitæ sunt. Hoc tamen inter materiam & cognoscentem facultatem interest; quòd materia neque habet ex se formam vllam; neque actum, quo illam sibi comparare possit; & ideò est merè potestas patiendi & suscipiendi; quæ ab alio, quod agendi vim habeat, reduci ad actum debet. At facultas cognoscens, etsi ex se nullam habeat cognitionem, ceu obiecti cogniti formam; habet tamen actum, quo possit illam producere; quam ob causam ab Aristotele similis esse dicitur habitui scientiæ, qui in actum contemplationis exire potest;

Facultas & obiectũ

Non tamen sine obiecto; quoniam vt in naturalibus forma fit similis agenti; quoniam materia per eam fit particeps naturæ agentis; ita in cognitione, quia per eam facultas cognoscens transformare in se debet obiectum cognitum; forma illa quoad speciem non debet esse similis cognoscenti, sed obiecto cognito tanquam Ideæ & exemplari, cuius ea sit participatio & transformatio, qua obiectũ illud in facultatem exprimatur.

Vt ad cognitionem producendam concurrant.

Quocirca ad illam producendam duo omnino concurrunt: Alterum tanquam agens; hocque est facultas tanquam habitus, qui actum cognitionis producit. Alterum tanquam Idea & exemplar, quod sit velut determinatio & excitatio facultatis; quemadmodum agens quodlibet per intellectum ab Idea quapiam mente concepta, & agens naturale à sua forma naturali determinatur, atque ad effectum illi similem producendum excitatur. Quò fit, vt cognitio partim sit similis facultati producenti, partim obiecto tanquam exemplari determinanti. Est inquam facultati similis quoad genus; obiecto quoad speciem. Nam in intellectu cognitio est forma intellectilis & immaterialis prorsus & impartibilis; in sensu est forma sensilis: nec omnino spiritalis, nec impartibilis: quoniam scilicet eiusmodi est natura & conditio facultatis, à qua earum vnaquæque oritur. Imò in singulis sensibus appellatur visio, auditio, aut alia similis forma; non solùm propter obiectum, sed etiam quoniam ab hac aut illa facultate nascitur. Quòd autem talis sit, aut talis intellectio, talis aut talis visio seu auditio; visio scilicet albi aut nigri; auditio grauis aut acuti soni: Hoc planè petitur ex obiecto, cuius vnaquæque est similitudo à facultate efformata.

Naturalium facultatũ partitio.

Ex quibus omnibus quatuor prorsus colligimus. Primum; facultatem cognoscentem diuinissimum omnium esse facultatum genus. Nam duo facultatum genera distinguimus in natura: facultatem patiendi solùm quæ est materia; & facultatem agendi: quæ aut in corporibus merè naturalibus consideratur; aut etiam in iis, quæ habent animam. Agendi facultatem manifestum est in genere facultatis præstabiliorem esse ea, quæ est patiendi: Siquidem agere potius est, quàm pati. Cùm illud perfectionis argumentum sit, atque ab actu oriatur; hoc egestatem, inopiam, & imperfectionem significet. Rursum in genere agentium facultatum certum est animæ facultates primum locum tenere. Quod tum ex earum origine certum est; tum ex subiecto, fine, operatione, operandi modo, ac demum organo, quo ad operandum vtuntur. Sed omnibus præstat facultas cognoscens. Continet enim perfectionem omnem, tum potestatis materiæ, tum reliquarum omnium facultatum. Potestatis quidem patiendi perfectionem habet, quia suscipere potest, & verè suscipit rerum omnium formas. Sed meliori modo, quàm materia, dum immateriali quodam & nobiliori multò suscipit, quàm eæ sint in se ipsis. Reliquarum autem facultatum agentium; quoniam eæ, aut agunt actione in externam materiam transeunte, aut certè ad aliquid aliud extra se impellunt: at facultas cognoscens, dum circa exterius obiectum versatur, non effundendo sese in illud, sed in seipsa actionem suam retinendo; totam habet priorum perfectionem nobiliori modo, quàm eæ ipsæ habeant. Et dum non impellit ad obiectum, quemadmodũ appetens & mouens facultates, sed illud magis ad se trahit atque ad suam naturam & conditionem

Cõgnoscentis facultatis præstantia.

eleuat, diuinissimam prorsus habet operationem. Atque vt vno verbo dicã; facultas hæc vna perfectionem omnem habet, tum patientis facultatis, tum alterius cuiusuis agentis; idque absque earum imperfectionibus.

Vt cum cæteris cõueniat & differat.

Alterum, quòd ex superiùs dictis colligimus; est; facultatem hanc partim conuenire magnopere cum reliquis facultatibus, partim ab illis differre. Conuenit cum facultate patiendi materiæ; quòd nullam habet, potestque omnes habere rerum cognoscendarum formas. At differt; quòd materia ab exteriori agente formas omnes cogitur mendicare; facultas autem cognoscens etsi exterius obiectum requirat, à seipsa tamen operatur & formam sibi producit: neque in hoc quidquã agit obiectum; sed solùm est id, circa quod facultas actum suum cognitionis elicit. Deinde etsi in eo cõueniant, quòd vtraque facultas, dum aduenientem formam suscipit, eam facit conditioni suæ similem (animam nostram excipio, quæ forinsecùs accedit) differunt tamen plurimum, quòd materia formã quam suscipit, deterioris conditionis facit. Materialem enim facit, corpoream, & partibilem: quæ si per se cohæreret, immaterialis potiùs esset, incorporea, & impartibilis. At facultas cognoscens ad meliorem statũ traducit. Nam obiectum materiale, corporeum, & partibile, dum ad cognitionis formã eleuat, aut penitus in intellectu, aut certè quoquo modo in sensu immateriale facit, incorporeum, impartibile. Conuenit item cum reliquis facultatibus agentibus; quòd omnes sunt agentes, possuntque actum suum producere. Sed reliquæ aut solum actum secundum & operationem quandam edunt; aut si præter hãc sit quæpiam forma, hæc in exteriori materia producitur. Facultas cognoscens non solum actum secundum, sed formam quoque promit, & quidem in seipsa. Immò, quod mirũ planè est, in ea idem sunt actus secũdus & forma. Cognitio enim, vt est operatio quædam cognoscentis facultatis, actus secundus est; vt autem comprehensio, imago, & transformatio obiecti cogniti in facultatem cognoscentem, veram habet rationem formæ.

Duplex in sensu passio.

Tertium est; duplicem in sensu passionem posse considerari: alteram in organo ab obiecto factam: alteram in facultate; quæ ab ipsamet proficiscitur: non tamen sine obiecto. Et illam quidem in quibusdam sensibus necessariam esse, quòd illi materiales valde cùm sint & imperfecti, non sentiunt nisi obiectum immediatè sibi coniunctum, organoque admotum. Ita enim in Tactu præsertim & Gustatu res habet. In aliis non item; quòd magis perfecti sint, minusque materiales. Certè si de solis exterioribus sensibus nunc loquendum sit; eos ego existimo tripartitò esse distinctos. Quoniam enim pati proprium materiæ est, quò illi magis aut minùs sunt materiales, maiorem aut minorem passionem habent. Itaque quidam sunt maximè materiales & imperfecti, qui realem & immediatam obiecti cum organo coniunctionem semper volunt; Tactus scilicet & Gustatus. Alij sunt perfectissimi, qui nullam vnquàm immediatam coniunctionem admittunt, sed semper obiectum distans cognoscunt; hic est aspectus. Alij demum medio modo se habent; & interdum quidem re ipsa suscipiunt obiectum, quòd tam vehemens

Sensus externi tripartitò distincti.

sit illius actio, vt ad sensum vsque multiplicetur: sed tamen etsi ad sensum vsque non perueniat, possunt illud sentire: huius generis sunt Auditus, & Odoratus. Et Tactus quidẽ & Gustatus veram & realem semper habent passionem in Organo: Aspectus numquam, nisi interdum à lumine realem; aut fortasse intentionalem, si species ab illius obiecto emissæ admittantur: Auditus & Odoratus interdum realem; interdum aut intentionalem, si in his quoque sensibus essent species; aut omnino nullam. Quòd si nullæ species concedantur, illud etiam pulchrè affirmabitur; in duobus prioribus sensibus duplicem semper passionem esse; vnam in Organo; alteram in facultate. In Aspectu vnicam semper in facultate, nullam in Organo. Denique in Auditu & Odoratu vnicam interdum in facultate, interdum alteram quoque in Organo.

Quartum & postremum est; verissimè ab Aristotele fuisse pronuntiatum, sentientem facultatem per se consideratam patientem esse. Et sentire esse quoddam pati: hancque passionem non in Organo, sed in ipsa facultate; non in corpore, sed in anima spectandam. Quoniam cùm sensus sit facultas cognoscens, & sentire sit quoddam cognoscere; facultas omnis cognoscens, omnisque cognitio non actionem solam, sed passionem quoque significat. Atque hoc à cæteris facultatibus distinguitur; vt in textu 16. libri 9. Metaph. declaratum est. Et quia ex hoc petenda est totius huius facultatis cognitio, iure optimo fuit in ipso huius tractationis initio positum, velut totius consequentis explicationis fundamentum.

TEXTVS.

Ἐπειδὴ δὲ τὸ αἰσθάνεσθαι λέγομεν ὅτι ὧν. τὸ, τε δὲ δυνάμει ἀκοῦον καὶ ὁρῶν, ἀκούειν καὶ ὁρᾶν λέγομεν, κἂν τύχωμεν καθεύδοντες. καὶ τὸ ἤδη ἐνεργοῦν. ὡσαύτως ἂν λέγοιτο καὶ ἡ αἴσθησις. ἡ μὲν ὡς δυνάμει, ἡ δὲ ὡς ἐνεργείᾳ. ὁμοίως δὲ καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι, τὸ τε δυνάμει ὄν, καὶ τὸ ἐνεργείᾳ.

Quoniam autem sentire dicimus duobus modis: potestate enim & audiens & videns audire & videre dicimus, etsi fuerit dormiens. Et quod iam est operans: duobus vtique modis dicetur & sensus, hic quidem vt potestate; ille verò vt actu. Similiter autem & ipsum sentire, & quod potestate est, & quod actu.

COMMENTARIVS LXIV.

SEnsum dixerat esse patiendi facultatem, quæ absentibus obiectis nihil sentiret, sentire tamen posset; iisque præsentibus fieret actu. Idipsum magis adhuc libuit explicare; & vt mihi quidem videtur, à posteriori & ex effectis confirmare. Nam ex sentiendi operatione de sensu ipso, qui est facultas, videtur hoc modo ratiocinari. Sentire, quod sentientis facultatis operationem significat, potestate duobus modis dicitur, potestate, & actu. Non enim solùm enim animal dicimus videre & audire, quando præsente obiecto colorato aut solo actu operatur, cernendo colorem & audiendo sonum.

Sed

Sed etiam quando aut absente obiecto, aut quòd dormiat, vel in tenebris vigilet, aut non attendat, nihil prorsus videt, neque audit. Videre tamen potest, si aut inuigilet, aut accedat obiectum aut lumen, aut attendat anima. Si igitur operatio & potestate dicitur, quando non adest, sed adesse potest; & actu, quando re ipsa adest: facultas quoque ipsa sentiendi & potestate erit interdum, si non adsit illi operatio, sed adesse possit; & interdum actu, quando re ipsa operabitur. Namque sensus illius animalis, quod dormit, aut in tenebris iacet, aut obiectū preſens non habet, potestate est; Quoniam nihil sentit, sed vim habet, hoc est actū primum sentiendi; neque opus habet mutatione vlla essentiali, vt sentiat; sed accidentaria duntaxat ad actum secundum operandi; statim atque aut euigilauerit, aut affulserit lumen, aut obiectum occurrerit. Tunc enim statim sensus fiet actu.

Sensus potestate quis.

Itaque quod dicitur de potestate & actu, verè adnotauit Simplicius intelligendum non esse de potestate valdè remota; quemadmodum sperma quoque potestate videns & audiens diceretur; quod tamen pluribus opus habet mutationibus, antequàm actu videri possit & audire. Sed de propinqua & accidentaria ad solum actum secundum operationis. Quam tamen, vt obseruauit Auerroës, habitudinem quandam habere significauit Philosophus. Etenim is, qui facultatem habet videndi & non videt, potestate propinqua videns dicitur etsi dormiat. Minùs tamen propinqua, quàm is, qui vigilans propterea non videt, quòd sit in tenebris, aut absit obiectum. Quoniam in illo maiori opus est mutatione; & quidem quæ in ipso fiat; nempe vt euigilet: quàm in hoc cui satis est, vt obiectum aut medium illuminetur, aut proponatur illi obiectum: quæ omnes mutationes extra ipsum considerantur. Tametsi illa ipsa verba (etsi fuerit dormiens) cum Philopono ita possumus interpretari, Sentire duobus modis dicitur; aut potestate, quando adest habitus sine actu, vt in dormiente: aut actu, quando est habitus operans, vt in vigilante.

Sensus potestate pluribus modis.

Regressus Aristotelis.

Denique postquam ex operatione ad facultatem ipsam sentiendi progressus est; rursum ex facultate ad operationem regreditur. Quem procedendi modum certam omnino scientiam parere, manifestum est ex Analyticis. Ergò vt ex eo, quòd sentire dicitur & potestate & actu, sensum quoque & potestate & actu dici ostenderat: ita ex eo, quòd sensus duobus hisce modis dicitur, sentire item vtroque modo dici concludit. Et prior quidem ratiocinatio ab effectu fuit ad causam; posterior autem à causa est ad effectum. Et vt in priore duobus illis modis dici sentire, tanquam effectum sensu & experientia notum accepit; sic in posteriori illum concludit ex causa; propriam scilicet illius effectus causam ostendens.

TEXTVS.

Πρῶτον μὲν οὖν ὡς τὸ αὐτὸ ὄντος τοῦ πάσχειν, καὶ τοῦ κινεῖσθαι, καὶ τοῦ ἐνεργεῖν, λέγωμεν. καὶ γάρ ἐστιν ἡ κίνησις ἐνέργειά τις· ἀτελὴς μέντοι, καθάπερ εἰ ἐτέθησαν πρῶτον.

A *Primùm igitur tanquam sit idem pati & moueri & agere, dicamus. Etenim motus est actus quidam: imperfectus tamen, quemadmodum in alijs dictum est.* *Tex. 54.*

COMMENTARIVS LXV.

SEnsum esse patiendi facultatem, satis hactenus explicatum est. Alteram igitur huius disputationis partem aggreditur, vt quomodo id sit pleniùs ostendat. Quod dum facit, simul etiam declarat, quomodo quod patitur, partim patiatur à simili, partim à dissimili: quod potissimùm hoc loco quæri existimauit Philoponus. Et verò etiam quomodo sensum dixerit esse potestate & moueri ab B alio; & rursum esse actu & operari. Quod Simplicio, Auerroi, & S. Thomæ visum est esse totius huius orationis scopum. Nam & hæc duo explicationem aliquam desiderabant; cùm antea dictum fuisset sensum moueri & pati; sed exponendum esse, an à simili patiatur, an à dissimili: Et paulò ante, sensum duobus modis dici, & potestate, & actu. Cùm enim potestate dicitur, ab alio videtur debere moueri & pati, vt ad actum reducatur. Cùm autem actu consideratur, & vt operans, agere potiùs, quàm pati existimabitur.

Principiò igitur accipit, idem esse pati, moueri, C & agere, ceu potiùs esse actu. Non enim dixit πάσχειν, quemadmodum in textu 51. vbi generales sermones de agere & pati nominauit. Sed ἐνεργεῖν, quod esse actu significat: quemadmodum paulò antea dixit, sensum duobus modis dici, δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ, hoc est potestate & actu. Sed quod dixit, duo illa esse idem; intelligendum est esse idem re ipsa, & vbi ambo simul in eodem reperiantur. Alioqui differre ratione, posseque vnum esse sine altero; in pluribus manifestum est. Sol enim (vt hoc vnum de multis exemplum proferam) neque patitur, neque mouetur alio motu, quàm perenni illo, quo in D orbem fertur: semper tamen est actu per lucem. Et rursum aër, dum illuminatur, fit actu: & patitur quidem, quia suscipit aliquid; sed si propriè loqui velimus, non mouetur, quia illuminatio non est motus propriè dictus, sed mutatio subita. Immò neque in sensu res eo modo se habet. Quoniam sensio tempore opus non habet, sed momento perficitur (nisi fortasse realis illa obiecti susceptio in organo consideretur, quæ in quibusdam interdum sensibus sensionem antecedit) & ideò dum sensus fit actu, patitur quidem; at si accuratè loquamur, non mouetur.

Vt idem pati, moueri, & agere.

Propterea hoc loco (moueri) non ita propriè sumendum erit, sed generaliore illa acceptione, E qua mutationē sæpè comprehendit. Quemadmodum neque passio physica intelligenda est, quæ temporanea & corrumpens alteratio est. Sed perficiens potiùs, vt adnotauit Philoponus, dum textū 37. interpretaretur. Sic enim discipulum quoq; dicimus à Doctore pati, dum ab eo docetur. Ita demum sentire erit pati & moueri; idemque erunt pati, moueri, & esse actu, seu potiùs fieri actu. Hoc enim verè significat ἐνεργεῖν, quod operationē quandam indicat. Alioqui si esse actu per se & permanenter intelligatur; tria illa, quæ Aristoteles nominauit, idem non erunt. Quoniam sol & æterna reliqua sunt actu, nec tamen patiuntur quidquam aut mouentur nouæ vllius susceptione formæ. Sed sicut ἐνέργειαν opposuit δυνάμει, ita & ἐνεργεῖν opponere oportet ei, quod est potestate:

ac planè existimare illud dici ἐνεργεῖν, quòd de potestate transit ad actum; nuncque primùm fit actu, cùm antea potestate esset. Hoc enim prorsus & patitur & mouetur; idemque in eo sunt pati, moueri, & fieri actu. Atque ita res habet in sensu.

Philosophus autem hac sola argumentatione probauit hæc tria esse idem; quoniam motus, cum quo manifestum est coniunctam esse passionem, est ἐνέργεια quædam, vt in tertio libro Physicorum habetur. Est enim operatio, qua aliquid de potestate transit ad actum. Tametsi ἐνέργεια sit imperfecta; quoniam admistam habet δύναμιν, vt eo loco pluribus declaratur. Sed neque nunc omnino prætermittendum est; vt hic locus planè intelligatur.

Motus est ἐνέργεια.

Digressio XXXII. *De Motu.*

Motum esse.

MOtum qui negarunt, etsi is propria sit operatio naturæ, scientijs omnibus & opinionibus iniuriam fecerunt. Nam omnes sensuum iudicio coacti cum admittunt; eoque scientiæ omnes & artes vtuntur: vel quòd aliquo motu omnes comparentur: vel quòd practicæ motus quosdam dirigant, factiuæ adhibeant, atque in theoreticis Mathematicæ & à motu reali abstrahant & imaginario vtantur; dum lineam motu puncti describunt, à puncto ad punctum lineam ducunt, & id genus alia. Metaphysica præcipuam sui obiecti partem, substantias abstractas, motu probatam supponat. Naturalis essentiam illius & proprietates diligenter perquiret; propterea quòd propria sit naturæ operatio, quæ nisi fuerit probè perspecta, eam quoque ignorari necesse sit.

Motus & Mutatio.

Motus igitur & mutatio Peripateticis tantumdem nonnunquam significant. Interdum vero mutatio aut in substantia dicitur, aut ea quæ inter contradicentia versatur, & in quouis entis genere momento absoluitur. Motus aut est in quantitate, qualitate, & vbi, aut inter contraria, & cum tempore ac successione perficitur; velut species quædam mutationis. Certe si nominum vis perpendatur, vel etiam dum absque distinctione vsurpantur; motus id videtur esse, quod quieti & statui aduersatur, tanquam habitus priuationis; mouerique propriè significat non sistere, sed vlteriùs progredi. Mutatio autem variationem indicat, & transitū ex vno in aliud. Nec solum ita à mutatione separatur motus, sed etiam ab vtroque distinguitur productio; qua res significatur fieri cùm antea non esset.

Productio.

At cum motu duo reliqua coniunguntur. Si enim res mouetur & non sistit, profectò mutatur, & ab vno transit ad aliud; & prout aliquid de nouo aquirit, alicuius quoque habet productionem; hoque præsertim in motu naturali, qui aut est alicuius aquisitio, aut cum aquisitione.

Motus radix.

Cæterum principium omnium & radix est potestas; iisque duntaxat conueniunt, quæ actu constant & potestate. Deus actus purissimus nec mouetur, nec mutatur, nec de nouo producitur. Sed quia compositio actus & potestatis oritur ex eo, quòd quidpiam sit ens finitum & limitatum, quod ex pluribus velut partibus coagmentari debeat; reliqua omnia præter Deum aut physicam habent, aut certe metaphysicam compositionem: Suntque potestate aut interna & subiectiua, qua aliquid, quod non habent, possint suscipere; aut externa & obiectiua, qua virtute agentis extrinseci possint esse, cùm antea non essent. Propterea enim aliquid non sistit, sed vlteriùs tendit; quia potest tendere aquirendo aliud. Et ideò tendendo mutatur, quia potest ad aliquem actum & formam peruenire, abiiciendo priorem. Quoniam tamen motus est operatio physica, physicam item potestatem requirit. Et ideò motus, mutatio, & productio, quæ cum motu coniunctæ sunt, in iis solùm rebus reperiuntur, quæ actu constant & potestate physicis.

Verùm incipiendo à motu, tria possunt in eo considerari. Primum est mouens & mouere; quod nil est aliud, quàm agens & agere, seu actio. Alterum est id, quod mouetur & moueri: quod idem est, quod patiens & pati ceu passio. Postremum est ipse motus per se spectatus, quatenus significat non sistere, sed progredi. In mutatione quoque spectari possunt id, quod mutat & mutare; id, quod mutatur & mutari: quæ duo cum agente & patiente, agere & pati, actione & passione coincidunt: ipsaque demum mutatio, prout est quædam variatio. Quomodo subiectum significat, quod variatur; & hoc cum eo coincidit, quod mutatur & patitur: & præterea duos terminos, inter quos fit variatio; vnum à quo recedit, & alterum, ad quem accedit. Denique in productione cernes & id, quod producit; & producere, quod ipsum cum agente & agere, seu cum actione conuenit. Deinde id, quod producitur; quod si pro toto coniuncto sumatur, distinguitur sanè à patiente. Quoniam in productione id solum patitur, quod suscipit formam, ex qua fit coniunctum. At si pro sola forma accipiatur, reperies quoque in productione id, quod patitur, & passionem; quam in subiecto ipsius formæ spectabis: quoniam illud est, quod suscipiendo patitur. Forma tamen producta coincidet potiùs cum termino ad quem; nam ad eam terminatur productio, seu ratione illius producitur totum coniunctum. Vltimò habebis ipsam productionem, quæ nouam significet aquisitionem, aut illius formæ, aut coniuncti.

Motus requirit terminos.

Motus porrò etsi quatenus mutationē inuoluit requirat terminos, inter quos versetur: quatenus tamen à mutatione & productione distinguitur, nil aliud significat, quàm illud non sistere: nempe operationem, qua mobile non quiescit, sed vlteriùs tendit. Et ideò natura est principium motus & quietis; hoc est operationis huius, qua naturalia à non naturalibus distinguuntur; & quietis in termino per eam aquisito. Tametsi non sola natura, sed efficiens quoque causa per suam naturalem formam principium est motus. In hac autem operatione vniuersa & est aliquid, quod mouet seu agit; & aliquid, quod mouetur & patitur; & ipse motus, actio, & passio; ac demum forma, quæ ab agente per motum producitur, atque in patiente suscipitur. Mouens, mobile, & forma, distinguuntur re aut certè possunt distingui. Actio autem, passio, & motus sunt solùm operationes quædam velut mediæ inter agens & patiens, mouens & mobile. Neque rem vllam per se significant, sed aliquid in re: & ideò nec considerantur, nec sunt præter ipsas res. At quoniam agens & patiens, mouens & mobile, videntur esse ipsis extranea; quippe alterum est principium efficiens, alterum suscipiens: forma autem & operatio considerantur quasi inter ipsa mediæ: ideò actio, passio, & motus, formæ magis

quàm

Actio, passio, motus, & forma.

quã agenti & patienti, mouenti & mobili, sunt interna. Atque hæc omnia, actio, passio, motus, & forma, ab agente & patiente, mouente & mobili distinguuntur re, aut certè possunt distingui (Reliqui enim motus, vt progressiones sunt imperfectæ formæ ad suam perfectionem, ita sunt idem re cum progrediente forma. At localis motus, qui est progressio corporis ad locum seu vbi, distinguitur re à loco exterius ambiente; atque in mobili potiùs & vbi, termino interno, consideratur) sed inter se sunt idem semper, solàque differunt definitione. Nam eadem forma, vt est in subiecto & illud format, appellatur forma, atque ab omni operatione abstrahit. Quia etsi omnis operatio cesset, in subiecto nihilominùs est, & illud afficit. Vt autem agentis virtute producitur & ab eo pendet, dicitur actio. Vt susciputur in patiente, atque eius susceptione subiectum patitur, vocatur passio. Vt demum non sistit, sed vlteriùs progreditur & continenter aquiritur, appellatur motus. Estque sola operatio media inter agens & patiens, mouens & mobile, abstrahens ab vtroque; & ideò diuersa ab actione & passione. Quin etiã à mouere & moueri: quòd mouere nil aliud sit, quã agere; & moueri nil aliud, quã pati & susciperc, quatenus nominant agens & patiens. Magis tamen accedit ad moueri: quia si moueri sumatur pro eo, quod est non sistere, abstrahendo ab eo, quòd sit ab alio, vel in alio; nimirum idem est, quod motus. Et cùm motus significet non sistere, sed vltra tendere: hoc non spectatur in mouente, quia ipsum non tendit, sed aliud potiùs impellit. Verùm in eo potiùs, quod mouetur: quia vt mouetur non sistit, sed vlteriùs progreditur. Ita mobile, quod ad passionem pertinet, vt principium est patiendi & susciendi; pertinet item ad motum, vt est principium vlteriùs progrediendi. Quoniam enim formam non habet, quam habere potest; non solùm potest eam susciperc, sed etiam ad eam tendere: motusque est operatio vlterius tendens, velut promotio & excitatio in formam: conuenitque ei, quod non est perfectũ in actu, sed potestate ad eam perfectionẽ. Quo intellectu loquẽs Philosophus de mobili in 3. lib. Phys. Motum dixit esse actũ eius, quod est potestate, quatenus est potestate. Et propterea esse actum imperfectũ, quia ipsum possibile est imperfectum. Et rursum, esse actum mobilis vt est mobile; hoc est, aptum ad aliquam perfectionem progredi. Sed quoniam id, quod est aptum tendere ad perfectionẽ, qua caret, est etiam aptũ susciperc & pati; ex hoc autem non est aptum agere: & ideò id, cui debetur motus, coincidit cum eo, cui debetur passio; non item cum eo, cuius est actio: ostendit quoque idem Philosophus motum non esse in mouente, sed in mobili. Dum tamen eum vidit ab aliquo motore perfici, & in aliquo subiecto susciri; definiuit quoque esse actum à motore in mobili, seu actum agentis & patientis. Nisi etiam ita definiens considerauerit eum esse idem re cum actione & passione.

Motus in mobili.

Motus qualis actus.

Verùm enimuerò cùm motus dicitur esse actus, vel potest intelligi actus primus, quatenus motus est idem re cum forma imperfecta ad suam perfectionem tendente: Vel (quod magis rationem eius formalem explicat) actus secundus & operatio ad vlteriorem promouens perfectionem. Actusautem illius, quod nondum eam habet perfectionem & est aptum ad eam tendere. Ita vt hic actus respondeat potestati, non susciendi, sed tendendi ad perfectionem: tametsi ea non aquiratur, nisi etiam susciatur. Certè Philosophus in 3. Physicorum libro motum considerandum suscepit tanquam operationem naturæ; & sæpè visus est hunc actum operatione explicare. Et deinde ostendit esse actum mouentis & mobilis, essèque vnum actum amborum: quoniam à mouente profectus susciptur in mobili. Alicubi etiam motum scripsit non esse calorem, sed calefactionem; non inquam formam, sed operationem. Etenim motu maximè distinguuntur à cæteris naturalia. Non enim suas omnes perfectiones habent semper & naturali sua conditione; quemadmodum ea, quæ sempiterna sunt & actu duntaxat; sed ad eas paulatim perueniunt: non ab externo principio receptas, sicut artificia; sed ab interno; quo sponte quasi excitantur & ad illas actiuè aut passiuè promouentur. Hócque est natura, quæ propterea dicitur in naturalibus esse principium motus & quietis; hoc est operationis, qua ad suam perfectionem promoueantur & in ea aquisita quiescant. Motũsque est actus eius, quod est potestate vt potestate; hoc est, operatio eius, quod suam perfectionem non habet & est aptum ad eam tendere: & ideò est actus imperfectus, quia ipsum possibile est imperfectum; nempe quia est operatio includens potestatem, & eius quod sua caret perfectione.

Motus successio

Est item actus successiuus; quia est actus tendens & vlteriùs progrediens; velut actus eius, quod est adhuc potestate: & tanquam operatio naturæ, quæ nihil subitò, sed omnia cũ successione & tempore exequitur. Vel si quid momento absoluit, id alterius operationis successiuæ terminus est; vt generatio substantiæ. Immò est essentialiter successiuus. Nam & essentialiter est actus vlteriùs tendens, hoc est, succedens; & dicitur esse de genere continuorum; & cùm operationem quampiam significet, nil aliud, quàm successio adferri potest, quo à momentanea operatione essentialiter distinguatur. Quidquid enim aliud proposueris, id aut erit vtrique commune, aut successionem includet. Esse productionem aut aquisitionem formæ, fieri, venire ad esse, transire à non esse, & si quæ sunt alia huiusmodi, aut successionem continent, si vna pars succedat alteri, nec tota forma simul fiat, sed sensim ad perfectionem tendat: aut si non ita res habeat, momentaneæ quoque mutationi conueniunt, si pluribus interruptis mutationibus vna pars post aliam fiat.

Sunt qui essentiam motus in eo agnoscant, vt ita fiat, vt inde successio velut proprietas consequatur. At quid hoc sit, exponi non potest, nisi successio nominetur. Vt sicut momento perficitur mutatio, sic successione motus. Atque vt in mutatione præter esse momentaneum nihil est, quod in successiuo quoque motu non reperiatur: ita in hoc præter successionem nihil cogitatur, quod illius proprium sit. Ea demum supereſt distinctio, quæ ex termino ad quẽ peti posset. Verùm si propterea distinguas, quòd vno modo aquiratur terminus motus, alio terminus mutationis: nimirum hoc est, vnum aquiri successiuè, alterum subitò. Erunt igitur successiuum & subitaneum essentiales differentiæ. Nam si propterea distinguantur, quòd terminus motus sit partibilis, habeatque

contrarium; non item terminus mutationis: & ideò ille cum tempore, hic subitò comparetur: poterit in illo ipso termino motus intelligi, aut etiam diuina saltem virtute fieri momentanea mutatio: si aut interruptè per momenta producatur, aut subitò recedat contrarium, quod productioni moram adferebat. Illuminatio quoque, etsi partibilem habet terminum, momento fit. Et quamuis non reluctetur contrarium, in aliis atque aliis gradibus luminis producendis successionem habet. Maior quidem, magisque essentialis terminorum distinctio in eo cernitur, quòd vnus sit substantia, alter quantitas, qualitas, aut vbi. At si ita philosophemur, prima & essentialis diuisio mutationis vniuersæ non esset penes successiuũ & momentaneum; sed penes diuersas Categorias. Præsertim quòd differentiæ eæ, quæ sumuntur ex terminis, quatenus eas habent proprietates, quibus cum tempore aut momento aquirantur, perquàm videantur esse ipsis terminis accidentariæ.

Scio antequam singulæ Categoriæ essentialiter distinctæ spectentur, communiores quasdam illorum terminorum proprietates considerari posse: vt termini mutationis vniuersæ aut momento aquiri possint, aut cum successione; tum verò differentias hasce genericas distinctione Categoriarũ diuidi. Sed si generalem diuisionẽ quæras, multò meliùs respondebitur, quandam esse mutationem in substantia, aliam in accidente. Magisque differunt inter se termini, quatenus vnus est substantia, alter accidens; quàm quatenus hoc aut illo modo possunt aquiri. Et lumen magis conuenit cum calore, quia sunt sub eodem genere; quàm cum substantia, quatenus potest momento produci. Quare illuminatio reuocanda potiùs esset ad genus, quod esset ipsi commune cum calefactione, quàm ad commune Alterationi & Generationi substantiæ.

Postræmò nihil est, cur essentialis differentia petatur potiùs ex eo, quòd sit ad talem, aut talem terminum; quàm ex eo, quòd subitò, aut successiuè fiat. Immò hæc videntur in ipsa mutatione considerari, tanquam aliquid ad eam in primis pertinens. Quoniam mutatio vt mutatio, aut subitò fit, aut paulatim. Esse autem ad talem terminum, vnde successio consequatur, aut momentum; videtur esse extraneum. Quia si terminus impartibilis cum successione aquireretur, aut partibilis totus simul produceretur; essent motus & mutatio sine tali aut tali termino.

Verè igitur hac ratiocinatione concluditur, motum essentialiter esse successiuum, eúmque hoc præsertim à momentanea mutatione distingui. Neque verò propterea species est quantitatis. Nam si vt est via ad terminum consideretur, in nulla per se ponetur Categoria; quia non est aliquid, quod naturam significet, quæ per se consideretur. Quin potiùs cùm sit totus propter aliud, ad Categoriam illius reuocari debet. Eius porrò successio si per se, quatenus est extensio quædam accipiatur, species quidem est quantitatis. At non differentia motus; sed tanquam mora & duratio constituit tempus. Quatenus verò est differentia motus, nil aliud significat, quàm tendere ad aliud, velut modum illius viæ. Et ideò quemadmodum via, sic successio quoque illius modus; atque omnino motus, non solùm materialiter spectatus vt est forma imperfecta, verùm etiam formaliter vt significat vlteriùs tendere & succedere; ad solam termini, ad quem tendit & succedit, Categoriam reducitur. Et de his quidem hactenus.

Motus in qua Categoria.

TEXTVS.

Πάντα δ' πάσχει ἢ κινεῖται ὑπὸ τοῦ ποιητικοῦ ὄντος ἐνεργείᾳ ὄντος. διὸ ἔστι μὲν ὡς ὅμοιον τοῦ ὁμοίου πάσχειν, ἔστι δ' ὡς ἀνόμοιον· καθάπερ εἰπομεν· πάσχει μὲν γὰρ τὸ ἀνόμοιον· πεπονθὸς δ' ὅμοιόν ἐστι.

Omnia autem patiuntur & mouentur ab actiuo & actu existente. Quapropter est quidem vt à simili patiantur, est autem vt à dissimili, sicut diximus. Patitur enim quod dissimile est, passum autem simile est.

COMMENTARIVS LXVI.

ALterum nunc explicare aggreditur; An quod patitur, patiatur à simili, an à dissimili. Si enim motus est idem cum ἐνεργείᾳ, id est operatione & actu; moueri quoque idem erit cum ἐνεργεῖν, hoc est fieri actu. Et ideò omne, quod mouetur & patitur, aliquo modo fit actu. At quidquid mouetur, patitur, & fit actu; moueatur oportet, patiatur, & fiat actu ab aliquo, quod sit actu. Proptereà quidquid patitur, necesse est partim patiatur à simili, partim à dissimili. Initio enim est dissimile; quia id, quod patitur, est potestate; & id, à quo patitur, est actu. Deinde verò fit simile; quia fit actu, quemadmodum est id, à quo patitur. Ita enim sensus quoque antequàm operetur, atque ab obiecto sensili moueatur & patiatur (eo scilicet modo, que antea exposui) potestate esse dicitur, non actu. Patitur autem & fit actu ab obiecto, quod est actu sensile; & ideò patitur à dissimili. At post operationem, cum ipse quoque sit factus actu, illi similis est.

Addam, non solùm ante operationem, esse dissimilitudinem, sed & oppositionem. Vt quoquo modo in hoc quoque reperiatur id, quod in priori libro de ortu & interitu traditum est; Actionem & passionem inter contraria versari; agensque & patiens tum dissimilia esse, tum contraria. Nam vbi hoc in actione & passione propriè dicta, quæ est tum corrumpens alteratio, verum omnino est; déque vera & propria contrarietate intelligendum. At in sensu vt ea non est actionis forma, sed alia quædam longè diuersa, & quidem perficiens; ita vera contrarietas non est, quæ corrumpat; sed oppositio priuans, quæ perficientem potiùs formam adducat. Principiò ergo sensus est potestate ad obiecti sensilis cognitionem, tanquàm ad formam, à qua perfici potest, eáque caret. Deinde obiecto proposito ad eam suscipiendam mouetur, suscipiendóque magnopere perficitur, & fit actu.

Quod si ità est; illud etiam intelligitur, sensum non dici pati, aut esse patiendi facultatem: quòd obiectum reale, aut illius speciem suscipiat in organo. Ad hanc enim non sensus, sed organum & materia potestate sunt. Sed quòd cognitionem suscipiat, tamquam obiecti formam, & facultatis ipsius actum & perfectionem.

TEXTVS.

TEXTVS.

Διαιρετέον δὲ καὶ περὶ δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας. νῦν γὰρ ἁπλῶς λέγομεν περὶ αὐτῶν. ἔστι μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπιστήμων τις, ὡς ἂν εἴποιμεν ἄνθρωπον ἐπιστήμονα, ὅτι ὁ ἀνθρωποι τῶν ἐπιστημόνων καὶ τῶν ἐχόντων ἐπιστήμην. ἔστι δ' ὡς ἤδη λέγομεν ἐπιστήμονα ἃ ἔχοντα πλὴν γραμματικὴν ἕκαστος δ' τούτων, ἃ ἢ αὐτῶν βάσει δυνατός ἐστιν· ἀλλ' ὁ μέν, ὅτι τὸ ἡρῶος τοιοῦτον καὶ ὁ ὕλη· ὁ δ', ὅτι βελτιόεις δυνατὸς θεωρεῖν, ἂν μή τι κωλύσῃ τῶν ἐξωθεν.

Text. 55. *Dividendum autem & de potestate, & actu. Nunc enim simpliciter dicimus de ipsis. Est enim sic sciens aliquid, sicut si dicamus hominem scientem; quoniam homo scientium & habentium scientiam. Est autem, sicut iam dicimus scientem habentem grammaticam. Vterque autem horum non eodem modo potens est. Sed ille quidem, quia genus huiusmodi & materia: hic autem, quia vbi libuerit, potens contemplari, nisi quid prohibeat eorum quæ extra.*

COMMENTARIVS LXVII.

CÆterùm vt hæc tota difficultas planior euaderet, postquam ostendit, quomodo sensus & potestate dicatur esse & actu: libuit etiam exponere, quomodo de potestate reducatur ad actum. Dixerat quidem reduci ab aliquo, quod sit actu: sed vt quid hoc esset intelligeretur, distinxit adhuc potestatem & actum, & verò etiam passionem: vt apertè ostenderet, qualis potestas, qualisue passio sit in sensu. Hoc igitur est, quod addit, distinguendũ esse de potestate & actu. Quoniam de illis simpliciter, hoc est Philoponi & Simplicij interpretatione, indeterminatè & indistinctè hactenus dictum est: non explicando quot modis eorum vnumquodque dicatur. Distinctione autem, tum rerum, tum multiplicis vocum significatus, scientiæ omnes & disciplinæ constituuntur. Aut etiam (simpliciter) dixit, hoc est absque vlla certa probatione, aut demõstratione; solis propositis exemplis. Accuratè autem & cum demonstratione agere de potestate & actu ad primum Philosophum pertinet. Quàm posteriorem interpretationem confirmat verbum illud (dicimus) non enim ait (diximus) quasi antecedentia respiciens; sed quasi de præsenti & consequenti tractatione loquens.

Hanc porrò accuratam magis distinctionem propterea susceptam fuisse Philoponus credidit, vt sensum ostenderet alterationem non esse, neque motum: quod non quidquid potestate est, & ad actum ducitur, alterari dicendum sit & moueri. Sed alterationem & motum propriè dicta intelligere oportet; ne pugnãtia loqui videamur. Etenim sentire esse alterari quoddam & moueri, sæpius antea dictum est.

Prima potestas ad formam. Duplicem igitur potestatem distinguit. Alteram, qua quidpiam aptum est sua natura susc ipere habitum, nec tamen eum habet. Quemadmodum cùm puerum aut hominem rudem dicimus esse potestate scientem, & posse scire: quoniam eius natura capax est & susceptrix scientiæ. Hoc enim est, quod ait (homo scientium est & habentium scientiam) & rursum (genus huiusmodi & materia est.) Genus autem dixit, quòd vniuersa hominis natura sit ad scientiam apta, etiamsi vniuersa non sit ad contemplandum idonea: sed illi soli homines, qui scientiæ habitum adepti sunt. Potestas hæc remota est, & essentialis. Quia carentiã significat, non solùm operationis & actus secundi; sed habitus quoque & actus primi, qui operandi principium est. Qua potestatis acceptione de prima materia sæpissimè loquimur, dum eam ad rerum omnium naturalium formas potestate esse dicimus.

Altera ad operationẽ. Alteram, qua id, quod iam habet habitum & formam actus primi, non operatur per eum, sed operari potest. Quemadmodum homo, qui Grammaticæ, Musicæ, aut alterius artis & disciplinæ habitum sibi comparauit; dicitur adhuc potestate sciens, dum nihil operatur. Quia formam habet & habitum, quo vbi primùm voluerit, operari potest, nisi exterius impedimentum occurrerit, aut occupatio quæpiam, aut prauus corporis habitus. Potestas hæc accidentaria nimirum est & propinqua. Dicitur enim is potestate sciens, quia per habitum, quem habet, contemplari potest, & operari: neque ad id efficiendum in eo quidquam aliud requiritur.

Duplex igitur potestas est, quia horum vterque dicitur aliquid posse: sed alio atque alio modo. Alter, quia naturalem habet aptitudinem ad sciendum; hoc est ad comparandum sibi & suscipiendum scientiæ habitum. Alter, quoniam habitum habet, quo operari potest. Quare prior potestas est veluti materiæ potestas ad formam: posterior, quasi potestas formæ ad actum secundum. Et vt ait Simplicius, illa respicit generationẽ, qua aquiritur forma & habitus; & ideò imperfectior est: hæc operationem formæ & habitus aquisiti, estque perfectior, quia formam habet, & sola caret operatione. Quam ob causam prior dicitur materialis: & ideò de illa Philosophus loquens generi materiam adiunxit; vt eam ostenderet materialem esse, quæ gignendo perficiatur. Posterior autem formalis; quia non est ad generationem, sed ad genitæ formæ operationem.

Et hæc quidem est duplicis potestatis distinctio. Quam appositè dixit Simplicius in solis rebus partibilibus, hoc est in quibus essentia, potestas, & operatio distinguuntur, intelligendam esse. Nam in æternis, in quibus idem est esse & posse, vt est in textu 32. libri 3. Phys. nequaquam ita loquutus fuisset Aristoteles.

TEXTVS.

Ο δ' ἤδη θεωρῶν, ἐντελεχείᾳ ὢν καὶ κυρίως ἐπιστάμενος τόδε τὸ α.

Text. 56. *Alius autem iam contemplans, actu existens, & propriè sciens hanc litteram, A.*

COMMENTARIVS LXVIII.

POstquàm duplicem potestatem distinxit; vnam ad formam, habitum, & actum primum: alteram ad operationem & actum secun-

dum. Duplicem quoque actum subiungit. Nam etsi prima huius textus verba vnum solùm videantur proponere, quo quispiam dicitur esse actu sciens, qui actu operatur, & iuxta scientiæ habitum contemplatur: sicut grammaticus actu scribens & cognoscens litteram, A: aut musicus actu scribens aut canens musicum quidpiam. Postrema tamen superioris textus alium quemdam ostendunt. Etenim cum eum dixit, qui scientiæ sibi habitum comparauit, contemplari posse quando voluerit; alium quendam actum significauit, quo quis dicitur esse actu primo, & potestate ad actum secundum: deinde actum quoque secundum subiunxit. Et alter quidem est essentialis, forma videlicet, & habitus; alter autem accidentarius, nempe operatio.

Ita dupliei potestati antea propositæ duplex hic actus optimè respondet: potestati essentiali ad formam & habitum, forma ipsa & habitus: & potestati accidentariæ ad operandum, operatio à forma & habitu profecta. Propter quam propriè scientem hominem appellari dixit, minùs propriè propter habitum, minimè omnium propter potestatem solùm. Quoniam nomina actibus potissimum imponuntur, & vltima rei perfectio est operatio, quæ perfectionis quoque habitus & actus primi argumentum est. Et nos quidem duplicem potestatem & duplicem actum distinguimus, sicut dictum est. Quoniam etsi tria solùm esse videantur, potestas habitus, & operatio: duo tamen extrema sunt pura, atque id, quod medium est quasi permistum, est veluti duplex. Potestas enim prima & essentialis potestas solùm est, non actus: operatio item actus solùm est, non potestas; & ideo actus nominatur: at habitus & est actus comparatione potestatis essentialis, & potestas comparatione operationis & actus secundi.

Energia & entelechia quid.

Verùm illud etiam atque etiam obseruandum est, quòd cùm in tex. 53. & 54. sentire diceret & potestate dici & actu; actum semper nominauit ἐνέργειαν, quæ operationem significat; quia sentire actu est operati: tunc que sensus esse actu existimatur, quando operatur. At in tex. 55. & 56. vniuersè magis loquens de potestate & actu, actum ἐντελέχειαν dixit, quæ actum quoque primum comprehendit, & formam, à qua energia oritur & operatio. Itaque cùm in tex. 52. sensum dixisset per se consideratum non esse actu, sed potestate; debereque fieri actu ab alio; sicut vtile fit actu ab igne actu existente; in sensu energiã nominauit, in igne entelechian; hoc est formam, quæ vtionis principium sit. Vt ex hoc loco plane intelligas, entelechian Aristoteli & actum primum & secundum significasse, vt in tex. 1. positum fuerat: energian autem solum actum secundum: & entelechian secundum, formam operantem; energian, ipsam potiùs operationem.

TEXTVS.

Ἀμφότεροι μὲν οὖν οἱ πρῶτοι κατὰ δύναμιν ὁπωσιμόνες, ἀλλ' ὁ μὲν διὰ μαθήσεως ἀλλοιωθείς, καὶ πολλάκις ἐξ ἐναντίας μεταβαλὼν ἕξεως· ὁ δ' ὅτι τὰς ἔχων τῶν αἰσθητῶν ἢ τῶν γραμματικῶν, οὐκ ἐνεργεῖν δ', εἰς τὸ ἐνεργεῖν ἄλλον δόντον.

Ambo igitur primi secundùm potestatem scientes. Sed ille quidem per disciplinam alteratus, & sæpè ex contrario mutatus habitu: hic autem ex eo, quòd habet sensum aut grammaticam, non agit autem, ad agendum alio modo.

COMMENTARIVS LXIX.

EVm, qui actu operatur & contemplatur, propriè scientem appellari dixerat. Reliquos autem ambos antea commemoratos, quorum alter natura aptus est & capax scientiæ, alter habitu comparato non contemplatur; potestate potiùs, non actu scientes dici posse affirmat. Rationem paulò ante significaui. Atque vt alio atque alio modo potestate esse dicuntur; sic alio atque alio traducuntur ad actum. Alter quasi per disciplinam alteratus (non enim est propria & vera alteratio, sed ampliori vocis significatu; quo alterari dicimus quidquid alicuius formæ & habitus aquisitione fit alterũ: Alioqui in septimo phys. tex. 20. scientiæ habitum negauit alteratione comparari.) Et sæpè ex contrario mutatus habitu. Themistius ignorationem, & inscitiam, hoc est scientiæ priuationem interpretatus est. Sed mirum fuerit, si habitum oppositam illi priuationem interpretemur. Neque sine causa additum est (sæpè.) Et ideò melius Philoponus, & Simplicius interdum quidem, inquiunt, ex ignoratione, quæ est negationis, hoc est ex carentia & priuatione scientiæ, fit sciens: interdum autem ex ignoratione prauæ affectionis atque ex contrario erroris habitu, quo perperam imbutus fuerat, ad veram scientiam & cognitionem mutatur. Et quidem Simplicio aduerbium illud (sæpè) tantumdem valet ac nonnunquàm. Neque enim semper ex non grammatico fit grammaticus: sed interdum ex prauo grammatico bonus grammaticus: ab aliquo nimirum adiutus, qui actu sit talis.

Alter autem ex eo, quod in se ipso iam habet habitum, quo operari queat; tametsi non operetur; ad actum transit operationis. Quare diuerso prorsus modo se habent. Ille non habet habitum, sed potest habere; hic habet, sed eo non vtitur. Et ille quidem transit ad habitum; hic verò ad actum.

At nónne in hoc quoque quædam est alteratio & mutatio? est nimirum, dum ex non operante fit operans: quemadmodum in tex. 45. fabrum dixit mutari ex otio in actum: & non multò ante, sentire, operari, & fieri actu alterari quoddam esse, pati, & moueri. Cur ergò eum potiùs, qui ex potestate transit ad habitum, alterari dixit & mutari; quàm eum, qui per habitum incipit operari, cùm antea non operaretur? Duplicem opinor fuisse causam: quòd & formæ cuiuspiam permanentis aquisitionem, & transitum de potestate ad actum alteratio & passio propriè significare videantur. Quæ duo in priore alterationis & mutationis genere potissimùm reperiuntur; in posteriore non item. Nam qui operatur, propriè non fit à se ipso diuersus: neque aquirit quidquam, quòd in ipso velut forma permaneat; sed actum solum secundum promit. Atque hoc est, quod ait (hic autem ex eo, quòd habet sensum aut grammaticam, non agit autem, ad agendum alio modo) subintelligendum est aut addendum, mutatur. Non enim transit de materiali-

materiali & patiente potestate ad formam & habitum; sicut ille, qui nondum habet sensum aut grammaticam: sed solùm de potestate formali & agente, hoc est ex habitu ad operationem & actum secundum. Neque mutatur essentialiter, sed accidentariè. Neque ex non sentiente aut non grammatico fit sentiens aut grammaticus: sed ex sentiente, aut grammatico non operante fit actu operans.

TEXTVS.

Οὐκ ἔστι δὲ ἁπλοῦν οὐδὲ τὸ πάσχειν, ἀλλὰ τὸ μὲν φθορά πως ἐστὶ τοῦ ἐναντίου· τὸ δὲ σωτηρία μᾶλλον τοῦ δυνάμει ὄντος, πρὸς τὴν ἐντελέχειαν ὄντος ἤδη ὁμοίᾳ, ὄντος ὡς δύναμις ἔχει πρὸς ἐντελέχειαν· θεωροῦντι γὰρ γίγνεται τὸ ἔχον ἐπιστήμην, ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν ἀλλοιοῦσθαι· εἰς αὐτὸ γὰρ ἡ ἐπίδοσις ἢ εἰς ἐντελέχειαν, ἢ ἕτερον γένος ἀλλοιώσεως.

Text. 57. *Non est autem simplex neque pati: sed hoc quidem interitus quispiam à contrario: illud autem salus magis eius, quod est potestate, ab eo quod est actu & simili: sic, vt se habet potestas ad actum. Contemplans enim fit, quod scientiam habet. Quod aut non est alterari (in ipsum enim additio & in actum) aut alterum genus alterationis.*

COMMENTARIVS LXX.

VErè quidem scripsit Philoponus, propterea diuersas hoc loco passionis acceptiones Aristotelem posuisse; quoniam diuersa potestatis & actus significata distinxerat. Aliud tamen quiddam eum spectasse non dubito. Etenim cùm antecedentem illam potestatis & actus tractationem eò referret, vt exponeret id, quod quærebat, quomodo sensus patiendi facultas, sentiréque pati quoddam sit & alterari: priùs quidem potestatem distinxit & actum: quoniam omnis passio potestate aliqua sustentatur & nititur: vt ostenderet, qualis potestas ad sentiendum inesset in sensu; potestas scilicet formæ & habitus ad operationem illius propriam, tum promendam, tum suscipiendam. Deinde verò passionis quoque distinctionem adiecit, vt planè declararet, quemadmodum sensus operando patiatur, qualisque passio & alteratio sit. Oportebat enim, inquit Simplicius, differentiam ponere inter veram passionem & alterationem; & eam, qua sensus pati dicitur & alterari: quem postremis verbis superioris textus alio quodam modo pati affirmauerat.

Sicut igitur potestatem & actum pluribus modis dici ostensum est: sic passionem accipit non vno ac simplici modo nominari; sed plane duplici: quorum alter est ad interitum, alter ad salutem & perfectionem. Passio, quæ interitum adfert, ea est, quæ à contrario proficiscitur: quod in principibus qualitatibus maximè apparet. Nam etsi omnis alteratio, dum in materia formam quampiam producit, perfectionem quandam adducat: si tamen forma illa consideretur, quæ antecedebat in materia, alteratio quædam corrumpens est. Quia si forma, quæ producitur, sit antecedenti contraria, nequeunt simul consistere: sed pellitur illa & prorsus interit. Siquidem dum corpus calefit, corrumpitur frigus, & accedente albore pellitur nigror. Altera quædam est passio, non ad interitum, sed ad perfectionem potiùs. Qua id quod patitur, ita de potestate ad actum transit, vt nullam amittat perfectionem, quam antea haberet; sed aquirat aliam, quam non haberet. Id verò eam ob causam euenit, quia non patitur à contrario: sed ab eo, quod est solùm actu tale, quale illud est potestate. Et ideò non contrarium, sed magis simile: eo videlicet modo, quo potestas & actus dicuntur similes esse; quia & vnum significat ordinem ad alterum; & potestas non perficitur, nisi à proprio actu; neque actus suscipitur aut oritur, nisi à propria potestate: & omninò actus & operatio, quæ ab habitu proficiscitur, similis illi est, velut proprium illius opus suæque effectus causæ. Quocirca cùm non fiat mutatio ex contraria forma in contrariam, sed ex potestate in actum, atque ex operationis priuatione in operationem ipsam; absque vllius rei interitu perfectionem suam consequitur. Neque enim qui ex scientiæ habitu contemplatur, scientiæ amittit habitum; sed operando colit & perficit.

Porrò quod posteriori hoc modo patitur, sapienter dixit Philosophus aut propriè dici non posse alterari, aut aliud quoddam esse alterationis genus (pro eodem autem hoc loco alterationem & passionem vsurpat.) Propriè quidem dici non potest passio aut alteratio: quoniam passio, inquit S. Thomas, & ante eum Philoponus in tex. 58. propriè decrementum quoddam significat & læsionem patientis, quod ab agente superatur atque in deteriorem statum mutatur. Alteratio autem interpretatione Simplicij & Philoponi mutatio quædam est corporea, quæ fit in passiua qualitate; dum vna corrupta suscipitur alia. At quod posteriori illo modo patitur, perficitur potiùs & aliquid illi additur; neque scientiæ habitum abiiciendo in qualitate mutatur, sed eodem qualitatis habitu manente actum solùm & operationem illius assumit. Generationem mauult Philoponus appellari, quòd mutatio fit ex priuatione ad actũ; ex non operatione inquam ad operationem: qualis generatio esse dicitur. Quòd si quis passionem aut alterationem appellare velit; aliud quoddam fuerit minùs proprium, immò & omonymum passionis & alterationis genus. Atque hoc modo pati sensus dicitur & alterari. Quia dum operatur, nihil illi perit, neque fit mutatio ab vna forma in aliam: sed perficitur solùm, operationem suscipiendo tanquam sensilis obiecti formam, ad quam erat potestate. Et ideò à priuatione transit ad actũ. Et quia potestate est id, quod sensile obiectum est actu; ab eo, quod est actu, deducitur ad actum, eique quantum potest euadit simile. Ita sentire est pati quoddam & alterari; non corrumpendo, sed perficiendo; omnino diuersum ab eo, quod passim & in communi sermone nominamus.

Iam verò ex hoc loco licet colligere id quoque, quòd antea sæpiùs adnotaui, sensum non dici facultatem patiendi propterea, quòd obiecti speciem in organo, sed quòd ipsemet operationem suam obiectique cognitionem in se suscipiat. Sic enim eum pati & alterari exponit Philosophus, quòd ex actu primo & habitu in actum secundum & operationem prodeat.

Sensus patiatur.

A

TEXTVS.

Διὸ κ κακῶς ἔχει λέγειν τὸ φρονοῦν, ὅταν φρονῇ, ἀλλοιοῦσθαι· ὥσαρ οὐδὲ τ οἰκοδόμον ὅταν οἰκοδομῇ. τὸ μὲ οὖν ἐκ τ ἐντελεχείαν ἄρον ἐκ δυνάμει ὄντος, κ τὸ νοοῦν κ φρονοῦν, ἃ διδασκαλίαν, ἀλλ' ἕτερον ἐπωνυμίαν ἔχειν δίκαιον.

Tex. 58. *Quocirca non rectè se habet dicere sapientem, cùm* B *sapit, alterari: sicut nec ædificatorem, cùm ædificat. Quòd igitur in actum ducit ex eo, quod est potestate, secundùm ipsum intelligere & sapere, non doctrinam, sed alteram habere nominationem æquum.*

COMMENTARIVS LXXI.

APerta omnino est orationis huius sententia. Nam post duplicem distinctam passionem atque alterationem, corrumpentem & perficientem, id potissimum colligit, quod quærebat. Et quoniam passionem & alterationem perficientem dixerat minùs propriè passionem alterationemue appellari: sapientem hominem deducit aut scientem, dum ex sapientiæ aut scientiæ habitu operatur, non rectè, hoc est propriè, dici pati aut alterari: neque item ædificatorem, quando ædificat; neque artifices reliquos, dum ex arte quidpiam efficiunt. Qui tamen magis, quàm sapiens aut sciens, alterari videntur; quia corpore quoque operantur, non anima sola, vt illi. Sed tamen etsi illi corpore moueantur, is tamen est localis motus, non alteratio. Et si alterentur quoque, dum operando calescunt, id ex accidente est, & nihil calescendo persæpè artificia perficiunt.

Itaque argumentatio videtur esse à maiori ad minus. Etenim si artifices, qui corpore quoque operantur, propriè non alterantur; multò minùs sapiens & sciens. Non enim in patibilibus qualitatibus mutantur, neque in illis quidquam corrũpitur; sed perficiuntur magis & in habitu, quem habent, proficiunt, dum illius operationem edunt & à priuatione ad actum transeunt. Quocirca cùm is, qui ita per habitum scientiæ operatur, non adipiscatur tunc primùm scientiam; sed ea, quam habet, vtatur atque in ea perficiatur; dici non potest doceri aut discere: neque transitus ille ex scientiæ habitu ad contemplationem & ex ea potestate accidentaria ad operationis actum appellari doctrina potest: neque id, quod ex potestate deducit ad actum (obiectum scilicet, quod contemplandum proponitur) dici debet docere. Tum quia nouam hæc omnia scientiæ aquisitionem significant. Tum quia is, qui obiectum illud contemplatur, nequaquam ab eo discit, inquit Philoponus; quoniam neque is patitur ab obiecto, neque obiectum in eum agit. Sed aliquo alio modo nominari debet, qui nondum fortasse nominatus est, sed nominari posset. Sic igitur habet id quod in potestate secunda consideratur, atque ab habitu ad operandum transit.

TEXTVS.

Τὸ δ' ἐκ δυνάμει ὄντος μανθάνον κ παιδεύον ὁπολαμβάνω τῶν τὸ ἐντελεχείᾳ ὄντος κ διδασκαλικοῦ, ἢ τι δεῖ πάσχειν φατέον. ὥσαρ εἴρηται· ἢ δύο τρόπους εἶναι ἀλλοιώσεως, τήν τε ἐπὶ τὰς στερητικὰς διαθέσεις μεταβολὴν, κ τὴν ἐπὶ τὰς ἕξεις κ τὴν φύσιν.

Quod autem, potestate cùm esset, addiscit & accipit scientiam, ab eo, quod est actu & docendi facultatem habet: aut neque pati dicendum est, sicut dictum est: aut duos esse alterationis modos, tum eam, quæ ad priuatas dispositiones mutationem; tum eam, quæ ad habitus & naturam.

COMMENTARIVS LXXII.

POstquàm exposuit quemadmodum se habeat id, quod habet habitum & ad operandum mutatur: voluit etiam ostendere, quomodo id se habeat, quod est in prima & essentiali potestate, atque ad habitum comparandum accedit. Nam qui nondum scientiæ habitum habet, cùm ad eam sit potestate, addiscit atque illius sibi habitum comparat alterius ope, qui eam actu habeat & posset illi docendo tradere: quorum alter verè docere dicitur, alter discere; propriéque in vno doctrina vocatur, in altero disciplina. Non enim sine causa credendum est, Philosophum in hac mutatione, addiscendi & docendi verbis vsum fuisse. Sed vt eam distingueret ab altera, quam doctrinam dixerat nominandam non esse, sed alio prorsus modo. Quòd si quis inuentione propria, non ab alio, scientiam aquirat; ipse docentis & discentis vim subit: iuuatúrque ab aliquo, quod sit actu; nempe ab intellectu illuminato cognitionéque principiorum actuato, ex quibus ille conclusiones deducit. Tametsi de eo solo id affirmauit Philosophus, qui ab alio doctus addiscit.

Verùm cùm hoc modo mutationes hæ distinguantur; conueniunt tamen eo, quòd vt de priore dictum est, ita de hac quoque existimare oportet: ne eam quidem passionem esse aut alterationem, nisi duo distinguantur alterationis modi; sicut & antea distincti sunt. Alter prius ad priuatas dispositiones, hoc est ad interitum atque antecedentis formæ priuationem. Hanc enim alterationem corrumpentem antea nominauit: non quòd illius terminus per se corruptio sit & priuatio; sed quòd cum nouæ formæ productione hæc quoque coniuncta sint. Alter minùs proprius ad habitus & naturam: hoc est à priuatione ad habitum & ad solam naturæ conuenientem perfectionem aquirendam, absque vllius rei iactura: quod alterationis genus salutare & perficiens superiùs appellatum fuit.

Quòd si non ex priuatione, sed ex contrario erroris habitu ad scientiã transeamus; id ex accidente fuerit: neque transibimus quatenus errorem habemus, sed quatenus cognitione vera caremus;

remus : eodémque modo transiremus, si sola in nobis inesset priuatio. Si igitur duplex hoc passionis & alterationis genus distinguatur : tum qui scientiæ habitum aquirit : tum qui eo aquisito vtitur contemplando ; posteriore genere pati dicentur & alterari ; priore non dicentur ; si propriè & accuratè loquamur.

TEXTVS.

Τῶ δ' αἰσθητικοῦ, ὅ μὲν πρῶτη μεταβολὴ γίνεται ὑπὸ τοῦ γεννῶντος. ὅταν δ' γεγονὸν ᾖ, ἔχει ἤδη ὥσπερ ἐπιστήμων, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι. καὶ τὸ κατ' ἐνέργειαν δ', ὁμοίως, λέγεται τῷ θεωρεῖν, διαφέρει δ' ὅτι τὸ μὲν τὰ κινητικὰ ἢ ἐνεργείας, ἔξωθεν τὸ ὁρατὸν καὶ τὸ ἀκουστὸν· ὁμοίως δ' καὶ τὰ λοιπὰ τῶν αἰσθητῶν.

Text. 59. *Sensitiui autem prima quidem mutatio fit à generante. cùm autem genitum fuerit, habet iam sicut scientiam & ipsum sentire. Quod autem secundùm actum est, eodem modo dicitur, quo contemplari. Differt autem ; quia huius quidem operationis actiua extra, aspectabile & audibile : similiter autem & sensilia reliqua.*

COMMENTARIVS LXXIII.

QVæcumque hactenus ab Aristotele de potestate & actu dicta sunt, déque modo transeundi à potestate ad actum ; eò tandem spectabant, vt naturam & vim sensus exponeret ; atque doceret quo modo sensus sit facultas patiendi, & sentire sit pati. Quo expósito consequens erat dicere, quomodo & à quo sensus à potestate traducatur ad actum. Sanè in tex. 56. grammaticam & sensum coniunxit, vbi dixit (hic autem ex eo quòd habet sensum aut grammaticam. Quare cum hactenus post exposuerit quomodo res habeat in grammatica seu scientia ; consequens erat de sensu dicere, quem præcipuè propositum sibi habebat. Hoc igitur est, quod nunc agit ; ad id veniens, quod tertium totius huius generalis sensuum contemplationis caput est.

Duplicem autem potestatem esse docuerat, duplicem actum, mutationémque duplicem, qua transitus fiat à potestate ad actum : atque id quemadmodum in intellectu se habeat, postremò exposuit. In sensu verò sic habet. Dicimus quidpiam potestate prima & essentiali sentiens, quod sentiendi facultate præditum nondum est : quemadmodum semen aut fœtus, antequàm sentiens accipiat animam. Prima hæc mutatio, qua fit actu primo & essentiali, tanquam habitu sentiens efficitur, à generante : sicut prima intellectus mutatio ad scientiæ habitum fieri dicebatur à docente, qui veluti generans est. Nam generans, dum sentientem animam dat, sentiendi item adducit facultatem, quæ animam comitatur. Atque id, quod eam habet, est sicut is, qui scientiæ habitum adeptus est ; eodémque modo ad sentiendum se habet, quo sciens ad contemplandum. Vterque enim est actu primo & essentiali ; at potestate secunda & accidentaria ad secundum operationis actum ; contemplationis inquam & sensionis. Et ideò sensio est vt contemplatio : & vt ipsemet, qui habet scientiam, obiecto proposito deducit se ad contemplationem ; ita & habens sensum deducit se ad sensionem. Protinus enim vagit natus puerulus frigidum aërem sentiens & non consueti luminis aspectum ægrè sustinens.

Prima mutatio sensus à generante.

Secùdò à seipso.

Philoponus verò, dum primam mutationem fieri ait à generante, alteram à sensilibus obiectis ; non latis videtur Aristotelis mentem assequutus ; qui sentire affirmauit perinde dici ac contemplari. Vt enim contemplari ab habitu scientiæ nascitur nullo exteriùs mouente : ita & sentire à sensu, qui est veluti habitus ad operandum : posito tamen obiecto, circa quod operetur. Hoc verò inter scientem & sentientem interest, quòd sciens & contemplans exteriore obiecto non indiget, cùm illud in se ipso per habitum scientiæ habeat. At sensus eget ; colore scilicet aspectabili, aut audibili solo, eodémque modo in cæteris sensibus. Remoto enim colore, sono, aut alio eiusmodi sensili, nulla est sensio : exteriùs autem occurrente obiecto protinus sentitur. Quare sensionis actiua sunt extra, contemplationis intra.

Obiectũ vt sensionis actiuum.

Obiectum porrò sensionis actiuum appellat : non quòd verè & propriè in sensum agat. Tum quia si verè & propriè ageret, sensus verè & propriè pateretur, moueretur, alteraretur ; & intellectus quoque ab intellectili obiecto : id verò antea negatum est. Tum quia in intellectu nulla potest actio propria cogitari : in sensu etsi in tactu maximè & gustatu & quoquo modo in odoratu & auditu realis actio esse videatur ; in aspectu tamen à coloribus non est. Immò si reliqua sensilia obiecta quidquam agunt, in organum solum corporeum agunt, non in sensum. Sed quemadmodum impropriè & omonymè, alióque quodam passionis & alterationis genere, dicitur sensus aut intellectus pati vel alterari ; ita & obiectum improprio quodam alio actionis genere dicitur sensionis aut intellectionis actiuum : quatenus sua præsentia excitat, prouocat, & determinat facultatem ad operandum, vt antea pluribus declarauimus. Actiuum enim non propriè nominari, ex superiore tractatione manifestum est : sed pro omni eo, quod quocumque modo à potestate traducit ad actum ; quouisque modo est causa, vt aliud ad actum transeat, quod alioqui vim in se ipso habet transeundi ; quòd sit in actu primo & essentiali, qui vim habet secundum actum promendi.

Sensus obiectũ vtextra.

Illud autem inter sensum & intellectum voluit interesse, quòd obiectum sensus sit extra, intellectus intra. Quod non videbitur omnino verum, si interiores sensus consideres ; qui obiectum intra habere videntur. Verùm de illis nihil hoc loco dixit ; propterea quòd nondum eos

ab intellectu distinxerat : sed de solis exteriori bus , tanquam omnibus notis , loquutus est. Quamquam interiorum sensuum obiectum esse intra , illi soli affirmarent , qui species ab exterioribus obiectis immissas admitterent. Tametsi ne id quidem omnino verè diceretur. Siquidem eæ species obiectum non essent , sed obiecti formæ & similitudines ; quibus obiectum ipsum cognosceretur. Qui verò species illas non agnosceret , veriùs pronuntiaret sensuum omnium , tum exteriorum, tum interiorum, obiectum esse extra, solius intellectus intra.

A

Quocirca totam hanc interprætationem concludentes, explorata ex ea planè habemus naturam sensus. Est enim patiendi facultas , quæ à generante simul cum anima , cuius ea vis est, producitur ; & vbi producta est , occurrente illi obiecto sensili , ex se ipsa prodit in actum suum & operatur , eúmque suscipiendo patitur.

B

Definitio sensus.

TEXTVS.

Αἴτιον δ᾽ , ὅτι τὸ καθ᾽ ἕκαστον ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν αἴσθησις, ἡ δ᾽ ἐπιστήμη τῶν καθόλου. τούτων δ᾽ ἐν αὐτῇ πως ὑπάρχει ἡ ψυχή. διὸ νοήσει μὲν ἐπ᾽ αὐτῷ, ὁπόταν βούληται· αἰσθήσεται δ᾽ , ἂν ἐπ᾽ αὐτῷ· ἀναγκαῖον γὰρ ὑπάρχειν τὸ αἰσθητόν. ὁμοίως δ᾽ ἔχει καὶ τῶν ἐπιστητῶν τοῖς ἐπὶ αἰσθητῶν· ἐκ δὲ τούτου αὐτὸν αἰτίαν , ὅτι τὰ αἰσθητὰ τῶν καθ᾽ ἕκαστα ἐκτὸς καὶ τῶν ἔξωθεν.

C

Text. 60. *Causa autem , quia rerum singularum secundùm actum sensus ; scientia autem vniuersorum. Hæc autem in ipsa quodam modo anima. Quare intelligere quidem in ipso , cùm vult ; sentire autem non in ipso. Necessarium enim esse sensile. Similiter autem & hoc se habet & in scientiis sensilium : & propter eandem causam ; quia sensilia singularum rerum & exteriorum.*

D

COMMENTARIVS LXXIV.

CAusam exponit eius, quod dixit , obiectum sensus esse extra, intellectus intra. Causa autem est , quoniam sensus operatio circa res singulas versatur, intellectus circa vniuersas. Res enim singulæ sunt extra , & in seipsis subsistunt, non in anima. Quin potiùs quia necessariæ sunt animalibus ad sustentandam vitam ; tributi fuerunt illis sensus à natura , vt sensilibus rebus ad salutem suam vterentur. At res vniuersæ in ipsa quodam modo sunt anima. Nam quæcumque sunt extra animam in tota hac rerum vniuersitate , ea singula sunt , non vniuersa. Naturam enim habent in rebus singulis productis existentem : quæ si vniuersa fieri debeat, mentis actione opus est ; qua à rebus singulis singularúmque propriis conditionibus separetur.

E

Quam ob causam in textu octauo libri primi vniuersale dicebatur aut nihil esse , aut quidpiam singulis rebus mentisque actione posterius. Porrò cùm dicitur (rerum singularum secundum actum sensus) ne cum rebus singulis coniungas illud (secundum actum) vt sententia sit , sensum versari circa res singulas , quæ actu sint. quid enim erat opus hoc addere ? aut quænam sint res singulæ , quæ actu non sint, si productæ sunt ? sed coniungas cum sensu; qui & actu esse potest & potestate : neque secus interpretari permittit græcus textus; sic enim habet (ἡ καθ᾽ ἐνέργειαν αἴσθησις , hoc est sensus qui secundum actum.

Auerroës autem vniuersas res hoc loco interpretatus est phantasmata ; quæ vniuersa sunt potestate , non actu : & ideò non absolutè , sed quodam modo dicuntur esse in anima. Simplicius quoque intelligi noluit vniuersa , quæ de multis enuntiantur. Quoniam ea , inquit, non sunt in anima , sed in rebus singulis , de quibus enuntiantur. Verùm vniuersa scibilia, quæ particularium rerum , quæ sciuntur, primæ sunt ac supremæ causæ : prima scilicet principia, ex quibus scientiarum omnium conclusiones omnes deducuntur. Et ideò quodam modo dicuntur esse in anima; quoniam primariè non insunt in anima , sed quatenus ea coniuncta est cum intellectu , qui prima illa intellectilia habet quasi connata. Verior est & Aristoteli magis accommodata Philoponi , Alberti , sancti Thomæ, ac cæterorum interpretatio ; vniuersa ea dici, quæ re ipsa quidem sunt in rebus singulis, & ideo de illis affirmantur : Mentis tamen actione ab illis separata considerantur. Hæc enim sunt scientiarum obiecta , cum quibus comparantur sensus : sicut singulæ res , quæ extra animam subsistunt , obiecta sensuum sunt.

Cur autem non absolutè , sed quodam modo dicantur esse in anima, multæ afferuntur causæ. Duæ à Philopono. Altera, quoniam videntur quidem in ipsa esse , velut in loco aliquo; quemadmodum dicetur in tex. sexto libri tertij, non tamen propriè , sed per quandam similitudinem & analogiam. Altera , quam pluribus post sanctus Thomas exposuit ; quoniam verè, re ipsa, & vt in scholis loquimur, materialiter considerata , in singulis rebus subsistunt ; in anima verò quatenus vniuersa sunt & formaliter spectantur. Tertia additur ab Alberto , quam ab Auerroë accepit. Sunt enim in anima, non actu, sed potestate : dum non ipsa, sed eorum imagines, hoc est phantasmata , habet anima , à quibus potest vniuersa abstrahere.

Priorum ratio vna. 1.

2.

3.

Liceat & mihi adferre aliquas. Prima hæc etit ; quòd res vniuersæ à singulis abstractæ in anima sunt , non tanquam forma in subiecto, sed velut obiectum in cognoscente facultate. Altera ; quòd magis verè & reali existentia sunt in rebus singulis extra animam ; ibi verò quoquo modo. Tertia ; quòd res vniuersæ, quæ scientiarum conclusiones sunt , non secundùm suam naturam , sed quatenus scientiæ habitu comprehensæ , in ea sunt anima , quæ scientiæ habitum adepta sit. Quarta, quòd res vniuersæ intelligendo fiunt, suntque per intellectionem in anima , quæ naturâ à singularũ rerũ cõditionibus absoluit, & si accuratè loqui velimus, hominem potiùs dicemus anima intelligere , quàm animam intelligere ; vt

4.

int. 64. libri primi dictum est: quoniam actiones omnes suppositorum sunt. Quapropter hoc ipso in loco ex differentia, quam inter sensum & intellectum esse docuit; quòd sensus obiectum sit extra, intellectus in ipsa anima; aliam quamdam colligens; nimirum nos intelligere posse, quando volumus, quia & in nobis habemus intelligendi facultatem, & obiectum ipsum intelligendum scientiæ habitu comprehensum: sentire autem non posse; quoniam etsi facultatem sentiendi habeamus, in nobis tamen sentiendum obiectum non est, sed extra nos; neque sine obiecto vlla potest esse sensio, neque illud nobis semper est præsens: hanc inquam differentiam inter sensum & intellectum exponens, non dixit (intelligere in ipsa est) hoc est in anima, in qua dixerat quodammodo esse vniuersale: sed in ipso; hoc est in homine, qui animam habet. quoniam illi propriè tribuenda est operatio ea, quæ fit ab anima, quæ illius pars est & forma.

Cæterùm quòd sensum dixit non nisi præ-
Cur sit præsens intellectui obiectum sensui non item.
sens obiectum sentire, intellectum vel etiam absens; propterea fit. Tum quia omnis cognitio sensus constat intuitu; intellectus abstractione quoque vti potest. Tum quòd sensuum co-
Intellectus quid cognoscat.
gnitio in nobis est omnium prima; intellectus sensum supponit. Itaque cum obiectum vbique necesse sit coniunctum esse cum facultate, vt ab ea cognoscatur; cum sensu non nisi reali præsentia coniungi potest: Intellectui præstò est phantasia, quæ obiectum licet absens proponat. Absente igitur obiecto aut nulla fuerit sensio, si nullo modo adsit: aut certè momentanea & insensilis, si adsit quidem, sed statim remoueatur. Quemadmodum si præusta sudes circumducatur, cernitur ignis in orbem: at propter motus velocitatem vix animaduertitur tempus. Odorato corpore ex arca remoto diutiùs & multo interdum tempore sentitur odor, quòd odorifera remaneat exhalatio, adsitque odoratus obiectum.

Per somnum item non rarò gustamus dulce, & audimus sonum; quorum tamen neutrum ad-
Greg. Arim. 1. sent. dist. 3. q. 1. art. 2.
est. Sunt qui sensiones illas interiori sensui tribuant, non exteriori. Alij etiam exteriori; quòd species, quæ in vigilia fuerant à sensu ad phantasiam transmissæ, mox in leui somno reflectantur interdum atque ad sensum recurrant. Quæ Auerrois fuit sententia in paraphrasi de somno & vigilia cap. de somniis, & in tertio colliget capite 38. Ego & exteriorem sensionem esse non dubito, & obiectum præsens agnosco. Defluente namque pituita per guttur, quid mirum, si dormiens gustare se dulce existimet? dúmque in leui somno, qui non procul absit à vigilia, sonum quempiam leuiter subaudit, strepitum aut musicam audire se iudicat. Crescunt & hæc phantasia vehementiùs operante. Verùm de his alibi.

Sensus vt singularium, intellectus vniuersalium.
Quod autem subiunxit Philosophus, sensum rerum singularum esse, scientiam vniuersarum; magnam sanè habet difficultatem & ad grauem nos posset disputationem trahere; Num intellectus cognoscat res singulas, an vniuersas dumtaxat; quódque proprium sit illius obiectum. At quoniam ea ad alium locum magis pertinet, satis erit nunc dicere; sensum quidem solas res singulas & materiatas posse percipere; quoniam is materiata & organica facultas est; materiæ scilicet & organo corporis alligata: intellectum autem res quoque vniuersas & à materia separatas; quoniam immaterialis & ab omni corporeo organo libera virtus existit. Philosopho autem non fuit hoc loco propositum ita facultates hasce distinguere, vt intellectus res solas vniuersas, non item singulas: sed ita vt solas singulas sensus, intellectus vniuersas quoque cognoscant. Sicut enim is materiatas solas, hic immateriatas quoque; hoc est & materiatas & immateriatas: ità is solas singulas, hic vniuersas quoque; hoc est & singulas & vniuersas, cognoscere posse pronuntiantur. Cuius rei argumentum est; quòd practicas scientias statim addit circa res sensiles & singulas versari, quemadmodum versatur sensus. Immò verò in singularum cognitione alio prorsus modo intellectus se habet, quàm sensus. Etenim sensus non solùm circa res singulas occupatur, sed etiam singulari modo, quatenus eæ sunt in hoc loco & tempore & cum singularibus aliis conditionibus: nec eas vnquam potest abstrahendo cognoscere, sed præsentes solùm intuendo. At intellectus est vniuersorum, hoc est aut naturam vniuersam cognoscit, aut certè vniuerso modo; non præsentem rem modò intuendo, sed & absentem considerando: quòd in nobis sæpè experimur, & omnino vt in contradistinctis facultatibus, vt in quinque sensibus exterioribus, diuersa prorsus oporteat esse obiecta; in subordinatis tamen, qualesunt sensus & intellectus, satis esse quampiã diuersitatem modi, testatur communis sensus, qui eadem cognoscit particularium sensuum obiecta, sed alio quodam modo dum inter ipsa discrimen ponit. sensus in singularis cognitione sistit; intellectus ex singulari ad vniuersalis, quòd proprium illius obiectum est, cognitionem ascendit. Ergo vniuersum intellectus obiectum sunt omnia vt dicitur in tex. 4. lib. 3. proprium autem ac præcipuum est vniuersale & quiditas ipsa: sensúsque & intellectus differentiam philosophus hoc loco accepit ex eo, quod cuiusque proprium est ac peculiare.

Intellectus singularia cognoscere.

In artibus tamen, quæ sensiles res tractant, vt in illis aut ex illis quidpiam efficiant (has enim, siue practicæ sint, siue effectiuæ, scientias sensiles hoc loco nominat) addit eodem modo se habere, quo se habet sensus; & propter eamdem causam. Nam quemadmodum quia sensus circa res singulas exteriores versatur, non est in nobis sentire quando volumus; sed quando præsens fuerit obiectum: ita in hoc artium genere, quod circa res sensiles, quæ singulæ sunt & exteriores, versatur, operari non licet, neque artifex erit in actu perfectus, nisi obiectum præsens habuerit. Neque enim sanabit medicus, neque faber quidquam effecerit, quando voluerit; nisi præsens obiectum fuerit.

TEXTVS.

Αλλὰ περὶ μὲ τούτων διαπεφήνται, κομιδῆ γοῦν ἀῦ ἡ εἰσωθις.

Νῦν δ διωρίσθω τοσοῦτον, ὅτι ἔχ ἁπλῶ ὄντος τοῦ δυνάμει λεγομένε, ἀλλὰ τὸ μὲ, ὥσπερ ἂῦ εἰπομεν ὁ παῖδὰ δυνάσθαι στρατηγεῖν· τὸ δ, ὡς ὁ ἐν ἡλικία ὄντα· ὅτως ἔχει τὸ αἰσθητικόν.

Επεὶ δ' ἀνώνυμος ἁπῶν ἡ διαφορά. διώρισται δ περὶ αὐτων ὅτι ἕτερα, ἡ πῶς ἕτερα· λεκτέον δ' ἀναγκαῖον τὸ πασχειν ἡ ἀλλοιεῖσθαι, ὡς κινεισ ὑπομασι τὸ δ αἰσθητικόν, δυνάμει ὄν, οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη ὡς ἐντελεχείᾳ, καθάπερ εἰρηται· πάσχει μὲ οὖῦ ἔχ ὅμοιον ὄν· πασχόντος δ ὁμοιότητα, ἡ ἔστιν οἷον ἐκεῖνο.

Sed de his quidem accuratiùs dicendi dabitur & rursus occasio.

Tex. 61. *Nunc autem tantùm definitum sit, quòd cùm non sit simplex id, quod potestate dicitur: sed aliud quidem, vt si dicamus puerum posse exercitum ducere: aliud autem, vt in ætate existentem: sic habet sensitiuum.*

Tex. 61. *Quoniam autem innominata ipsorum differentia; definitum autem de his, quòd alia, & quomodo alia: necesse ipso pati & alterari tanquam propriis nominibus vti. Sensitiuum autem potestate est tale, quale iam actu sensile, sicut dictum est. Patitur igitur non simile existens: passum autem assimilatum est, & est quale illud.*

COMMENTARIVS LXXV.

QVæ de differentia sensus & intellectus dicta sunt; & sensum rerum esse singularum, intellectum vniuersarum; quomodo item in nobis sit intelligere, quando volumus, ac demum quomodo intellectus practicus res singulas cognoscat; accuratam sanè magis tractationem postularent. Verùm de iis pluribus differendi occasio dabitur in 3. libro, vbi de intellectu disputabitur. Nunc satis sit ea sic attigisse.

Quapropter paucis ea colligens, quæ hactenus dicta sunt, simul etiam ostendit, in quem finem fuerint explicata. Primùm enim dictum est, duobus modis quidpiam dici esse potestate. Aut potestate remota, quæ caret habitu; vt si puerum dicas militare posse, aut exercitum ducere. Quia etsi per ætatem ad id nondum sit aptus, potest tamen ad eam ætatem & corporis robur venire, vt & arma gestare, & bellica omnia munia obire queat. Aut potestate propinqua, quæ habitum habet & solo caret actu: vt cùm adultum iam & ætate grandiorem hominem ea præstare posse affirmamus: quæ potestatis distinctio eam ob causam fuit proposita, vt intelligeretur, quomodo animal habere sensum censeatur, dum non sentit; quóque modo sensus dicatur esse sentiendi potestas. Vtrumque enim secundùm posteriorem dicitur potestatem; quæ eorum est, quæ habitum habent, & illius actu atque operatione carent. Nam sensus est in animali, velut habitus operari potens & actum secundum edere, si obiectum necessarium adfuerit.

Duplex potestas.

Deinde ostensum est duplicem passionem esse, duplicémque alterationem: corrumpentem vnam & propriam; alteram absque corruptione perficientem & impropriè sic nominatam. Nimirum vt doceremur, sensum passionem quidem esse & alterationem quandam; sed posterioris generis. Et ideò mirum non esse, si cùm antea dictum fuisset, sentire esse pati & alterari; post additum fuerit, sensum nec pati proprie nec alterari. Quoniam cùm proprium nomen non habeat, impropriis cogimur vocibus vti, passionémque & alterationem sensum nominare: quod deinceps quoque fiet. Sed aliud quoddam minùs proprium passionis & alterationis genus intelligendum semper erit. Non solùm enim mutationem habitus in actum proprio ait Themistius carere vocabulo; sed neque etiam duplicem potestatem distincta habere nomina. Quod Philosophi verba significant. Qui cùm de duplici facultate sermonem repetiisset, statim adiecit (quoniam autem innominata est ipsorum differentia) hoc est eius, quod in priore, & eius, quod in posteriore est potestate. Potius tamen Simplicij sententia generatio quædam est, quàm alteratio: quia est à priuatione ad actum: sed accidentaria generatio, non substantialis.

Itaque ex his deducit, sensitiuum esse id potestate, quod actu est obiectum sensile. Nam pati debet ab illo: atque id, quod passurum est, potestate esse oportet; actu autem id, cuius est actio. Quod de secunda potestate intelligendum est. Iam enim dictum est, sensitiuum quoad primam potestatem esse actu, solámque illi potestatem alteram superesse. Et in tex. 54. id, quod patitur, partim pati à simili, partim à dissimili. Quia principiò est dissimilitudo & oppositio quædam; dum vnum est potestate, alterum actu: tandem verò similitudo, cùm ambo sint actu; & tale sensitiuum, quale obiectum sensile. Quoniam sensus sentiendo trahit ad se atque in se ipsum per cognitionis actum transformat obiectum cognitum; atque ita anima cognoscendo fit omnia, dum rerum omnium cognitiones tanquàm illarum formas suscipit: sicut materia; immò magis, quàm materia formarum omnium naturalium susceptione fit omnia. Nam etsi sensum nolit Philoponus cum materia comparari, & verò etiam magna in eo sit dissimilitudo, quòd materia est potestate prima ad naturales formas, & per primam essentialem mutationem ab agente fit omnia. Sensus autem ex potestate & mutatione secunda accidentaria & impropria à se ipso cognitionis formam obiecti præsentis promit. Ea tamen maxima est similitudo; quòd vt materia naturales omnes formas suscipit & suscipiendo fit omnia, ita & sensus ad cognitiones velut obiectorum omnium sensilium formas se habet.

Existimauit quoque Philoponus definitam hoc loco sentientem facultatem fuisse; sensus est potestate talis, qualia sunt actu sensilia obiecta. Ego tamen non ita credo. Sed verbis illis deductũ ex dictis, qualis sit sensus, & quomodo se habeat cõparatione sensilium, vt ab illis pati possit. Quòd si eum voluisset Aristoteles definire; sen-

sium

sum potiùs dixisset sentientis animæ facultatem esse, quæ ab exterioribus obiectis sensilibus patiens quoquo modo & alterata potest omnia illa cognoscere, déque illis iudicare.

DE OBIECTO SENSILI.

CAP. VI.

TEXTVS.

Tex. 63. Λεκτέον δ' καθ' ἑκάστην αἴσθησιν πρῶτον περὶ τῶν αἰσθητῶν ἀντικειμένων.

Dicendum autem per singulos sensus de sensilibus primùm.

COMMENTARIVS LXXVI.

VNiuersa & generalis cognitio in vnaquaque doctrina & disciplina minùs perfecta existimatur: nec vllus ea erit contentus, qui aut accuratè docere, aut distinctè & perfectè discere velit. Sed post vniuersi generis cognitionem ad singularum specierum peruestigationem vterque profectò accedet. Aristoteles de sensu hactenus vniuersè loquutus ad singulas nunc descendit species; dicendúmque de vnoquoque sensu singillatim proponit. At quoniam in tex. 33. de obiecto antea agẽdum esse posuerat, quàm de facultatibus: antequàm ad singulorum sensuum tractationem accedat, de obiecto sensili dicendum esse constituit.

Antea quidem visus agere de sentiente facultate in genere; nec tamen de sensili obiecto vniuersè sermonem habuisse. At nequaquam ita est. Immò quidquid de sensu docuit, ex obiecto sensili deriuauit; & vt ait Philoponus, de vtroque simul egit. Nam vt mittam id, quod sæpius affirmauit; sensum patiendi facultatem esse, patíque, moueri, & alterari ab obiecto sensili: in tex. 52. sensum dixit sine obiecto sensili exteriore nihil sentire; esséque elementorum, aut per se, aut ex accidente. Et in tex. 59 exterius obiectum esse actiuum operationis, nec sine eo deduci sensum à potestate ad actum. Et in tex. 60. obiectum sensus esse res singulas; prorsúsque ad sensionem necessarium esse. Ac demum in tex. 62. obiectum sensile actu esse tale, qualis potestate est sensus: & ideò ante sensionem esse dissimile, post sensionem simile. Neque præter hæc aliud quidquam ferè supererat, quod de obiecto vniuersè considerato dici hoc loco deberet, aut ad naturam sensus cognoscendam magnoperè pertineret. Iam verò de singulis sensibus acturus, quemadmodum hæc tractatio specialis magis & distincta futura est, sic ad eam se se præparans, magis etiam in specie & distinctè de sensili obiecto loquitur: vt scilicet quænam sit ea, quæ ad sensus propriè pertinet, & quibus vnusquisque sensus constituitur, intelligi posset.

TEXTVS.

Λέγεται δὲ τὸ αἰσθητὸν τριχῶς· ὧν δύο μὲν καθ' αὑτὰ φαμὲν αἰσθάνεσθαι· τὸ δὲ ἕν, κατὰ συμβεβηκός· τῶν δὲ δύο, τὸ μὲν ἴδιόν ἐστιν ἑκάστης αἰσθήσεως, τὸ δὲ κοινὸν πασῶν.

Dicitur autem sensile tribus modis: quorum duo quidem dicimus per se sentiri, vnum autem ex accidente. Duorum autem aliud quidem proprium est vniuscuiusque sensus, aliud autem commune omnium.

COMMENTARIVS LXXVII.

DVas igitur sensilium obiectorum diuisiones proponit. Alteram generalem, qua obiectum sensile vniuersum in id diuidit, quod per se, & id, quod ex accidente sentitur. Per se id sentiri dicitur, quod ideò sentitur, quia afficit & monet sensum. Ex accidente autem illud, quod sensum quidem non afficit, cum sensili tamen per se, quod afficit, coniunctum est. Alteram magis specialem: qua obiectum sensile per se rursum diuidit in obiectum commune, & obiectum proprium. Is tamen omnia hæc simul complectens vnicam quasi partitionem primùm proponit; obiectum sensile triplex esse, duo per se, tertium ex accidente. *Sensilium diuisio.*

Cuius pertitionis hæc potest exponi ratio. Quoniam sensus facultas est materialis & organica, tribus modis considerari potest: aut genericè, vt facultas est: aut in specie, vt hæc aut illa facultas est: aut demum, vt materialis & organica; quæ generalis est sensuum omnium conditio. Quatenus genericè consideratur, obiecto sanè sensili eget: quemadmodum nullum est genus à speciebus separatum, ita nec vllus sensus, nec obiectum vllum sensile à speciebus singulis distinctum. At dum in specie singuli sensus accipiuntur, duo existunt sensilium genera; proprium, & ex accidente. Etenim singulæ facultates opus habent obiecto proprio, à quo & naturam suam, & à cæteris distinctionem accipiant. Hoc sensilis illa qualitas est, circa quam vniuscuiusque operatio versatur: vt aspectabilis qualitas comparatione aspectus, & audibilis comparatione auditus: lumen, inquam, colórque, & sonus. Quocirca cùm facultas vnaquæque sensili proprio constituatur & distinguatur: manifestum est tot esse propriorum sensilium genera, quot sentientes facultates sunt. Loquor de obiectis formaliter consideratis. Sunt autem quinque exteriores facultates sentientes (de his enim nunc sermo, de interioribus postea,) aspectus, auditus, odoratus, gustatus, tactus: totidem igitur sensilium propriorum genera; aspectabile, audibile, odorabile, gustabile, tactile. Neque in his enumerandis Philosophus laborauit: quoniam tot esse, quot sensus; manifestum erat, si facultatum numerus ex obiectis deriuátur. *Diuisionis ratio*

At dum aliquid aliud cum obiecto proprio coniũctum est, alterum existit sensilis genus, quod ex accidente vocatur; propterea quòd nec afficiat sensum, nec ad illius naturam constituendam aut distinguendam pertineat; sed cum sensili proprio quoquo modo coniunctum sit. Hoc autem est duplex. Aut enim id, quod coniungitur, est alterius sensus aut facultatis obiectum; non illius, ad quem pertinet illud, cui adiungitur: aut nullius sensus obiectum est. Sanè dulcedo & omninò sapor (hoc vnum ad aliorum omnium exemplum accipiatur) sensile per se & proprium gustatus est, & albedo item aspectus. Sed dum ambæ æqualitates coniunguntur in lacte, dulcedo aspectui & albedo gustatui ex accidente sensiles sunt. Sensui item exteriori ex accidente sensile dicitur id, quod ad superiorem facultatem pertinet: vt esse amicum vel inimicum, esse vniuersale aut intellectile: quorum illud ad æstimatiuam spectat, hoc ad intellectum. Hinc in tex. 133. argumentabitur Aristoteles, non esse opus sexto sensu, quo sensilia communia cognoscantur: quoniam si hæc illius essent propria, ex accidente essent reliquis quinque sensibus sensilia. Quia quod est per se vnius sensus, aliorum est ex accidente: nunc autem ab omnibus per se sentiuntur. Denique sensilium quoque priuationes ex accidente sensiles dixeris; quòd cùm nullam habeant sensilitatis vim, comparatione tamen habitus, cuius priuationes sunt, quoquo modo percipiuntur. Substantiam item indiuiduam ex accidente sensilem esse affirmamus. quòd coloris, odoris, saporis, alteriúsue qualitatis per se sensilis subiectum sit. Dum enim hæc per se sentitur, illa quoque ex accidente sentiri dicitur: cùm alioqui nullo ipsa sensu sensilis sit. Etenim sensus accidentia diiudicat, substãtia mente sola compræhenditur. Quod & apud Aristotelem perspicuum est, & omnino sapienter institutum fuit. Aristoteles vbicumque sensilia per se, tum propria, tum communia, commemorauit, illorúmque exempla proposuit; accidentia semper sola nominauit: propria, qualitates, quæ propterea sensiles nominantur; communia, ex alio etiam accidentium genere. Quare cùm in libro de sensu & sensili cap. 6. de propriis loqueretur, in omni sensilium genere contrarietatem inesse scripsit: substantiæ autem nihil est contrarium; nisi fortasse ex accidente, quemadmodum in tex. 22. 24. & 49. posterioris libri de ortu & interitu elementis dixit contrarietatem inesse. Quare vt substantia contrarietatem habet ex accidente, quòd adiunctas habeat contrarias & pugnaces qualitates; ita ex accidente sensilis est, quòd cum iis, quæ per se sentiuntur, coniuncta sit. Etenim quæ est accidentium ratio ad substantiam, eadem sensuum est ad mentem. Accidentia propter substantiam comparata sunt, & sensuum cognitio ad mentis cognitionem refertur. Illa sunt extrinseca velut ornamenta indumentáue substantiæ; & horum cognitio omnis extrinseca est; quæ ad meliorem magisque reconditam substantiæ cognitionem deducit. Accidentibus omnibus præstat substantia, & sensibus cunctis melior mens. Melioris igitur facultatis æquum fuit melius ac præstabilius esse obiectum. Sensus accidentia per se cognoscunt, substantiam non nisi ex accidente: mens vtrumque entium genus æquè compræhendit: & quidem accidentia meliore prorsus modo, quàm essent à sensibus compræhensa; illorum scilicet vim & naturam totam peruadens. Nam & interior sensus omnia exteriorum obiecta acutiùs & acriùs diiudicat; & omnino superior facultas præstare valet quidquid inferior exequitur; & quidem meliore ac diuiniore modo. In bestiis quæ mente carent, verè monuit hoc loco Philoponus in commentario tex. 65. nullam esse cognitionem substantiæ, vt substantia est; sed sub ratione amici aut inimici, quæ sensui exteriori ex accidente sensilia sunt.

Iam verò si sensus consideretur vt materialis & organica facultas est, existunt sensilia communia. Vt enim sensus materiam inuoluit, quantitatem, & extensionem; tum in natura sua tum in operatione, quam ex se promit: ita necesse est circa obiectum quantum & extensum versetur: quantitatem autem cætera comitantur; figura, numerus, motus, quies. Verùm quænam & quot ea sint, mox explicabitur. Iam intelligatur iure optimo appellari communia; quòd peculiarem nullam facultatem constituant, neque vllius proprium obiectum sint: sed velut conditiones cum obiectis singulorum sensuum propriis semper coniunctæ ad omnes aut certè plures pertineant.

Itaque cùm sensile proprium definiuit Philosophus esse illud, quod per se ab vnico sensu sentitur; pulchrè illud & à sensili ex accidente & à communi distinxit. Ab altero quidem, dum dixit esse sensile per se; ab altero autem, dum vnico sensu sentiri affirmauit. Non est commune sensile vllius sensus formale obiectum; sed tota huiusvis propria qualitate continetur, quæ à singulis sentitur sensibus. Quantitas & communia sensilia cætera communes cõditiones sunt, quæ qualitates singulas comitantur, & vt qualitates sunt, & vt eiusmodi materiali & organica facultate sensiles. Sunt inquam conditiones necessariæ, tum ex parte qualitatis, tum ex parte cognoscentis facultatis: quòd vtraque materialis sit; nec illa sine materia & quantitate esse, neque nisi materialia & quanta percipere queat.

Facultas intelligens alterius generis est. Etenim proprium intellectile obiectum habet, commune non habet. Tum quia vnica facultas est, & quidquid ea cognosci potest, proprium illius censetur obiectum. Sermò est de formali obiecto. Nam si de materiali loquaris, accidentium cognitionem verè dixeris communem illi cum sensu. Tum quia immaterialis facultas nec à materia pendet, nec à quantitate, aliaúe eiusmodi conditione, quæ cum materiali obiecto coniuncta sit. Et ideò immaterialiter atque immutabiliter omnia, vel ipsam materiam & mutationem, compræhendit. Quamquam vt à sensu & phantasmate cognitionem haurit, ægrè & vix nec nisi ratiocinatione adhibita potest obiectum suum à quantitate aliisúe conditionibus liberare. Verùm Aristotelis interpretationem prosequamur.

TEXTVS.

TEXTVS.

Λέγω δ' ἴδιον μὲν, ὃ μὴ ἐνδέχεται ἑτέρᾳ αἰσθήσει αἰσθάνεσθαι, οἷον ὄψει ὁ μὴ ἐνδέχεται ἁπαρθῆναι, οἷον ὄψις χρώματος, ἢ ἀκοὴ ψόφου καὶ γεῦσις χυμοῦ. ἡ δ' ἁφὴ πλείους μὲν ἔχει διαφορὰς· ἀλλ' ἑκάστη γε κεῖται περὶ τούτων, ἃ ἐκ ἁπατᾶται ὅτι χρῶμα, ἀδ' ὅτι ψοφος, ἀλλὰ τί τὸ κεχρωσμένον, ἢ πῦ· ἢ τί τὸ ψοφοῦν, ἢ πῆ· τὰ μὲν οὖν τοιαῦτα λέγεται ἴδια ἑκάστου.

Dico autem proprium quidem, quod non contingit alio sensu sentiri, & circa quod non contingit decipi: vt aspectus coloris, & auditus soni, & gustatus saporis. Tactus autem plures habet differentias. Sed vnusquisque iudicat de his; & non decipitur, quòd color sit, neque quòd sonus; sed quid coloratum, aut vbi; aut quid sonans, aut vbi. Talia igitur dicuntur propria vnuiscuiusque.

COMMENTARIVS LXXVIII.

IS igitur generali partitione illa sensilis obiecti proposita, singulorum explicationem aggrediens initium facit à proprio. Quoniam illud est primum & per se sensile, quo singuli constituuntur sensus & distinguntur. Sensile autem commune est quidem sensile per se, at non primum; neque sensuum naturam constituit aut separat. Etenim ab omnibus aut certè pluribus percipitur; & ideò commune dicitur: illud ab vno duntaxat; quod & nomen ipsum testatur. Hoc est primum inter illa discrimen. Alterum; quòd circa obiectum proprium numquam errat sensus, circa commune interdum.

Sensilia propria & communia differentia.

Quo duplici discrimine duas voluit conditiones exponere, quibus quodnã sensile proprium sit intelligeretur. Illud enim est, quod & vnico sentitur sensu, & non alio, scilicet exteriore (potest siquidem interiore; sed nunc de exterioribus solùm sermo) & præterea absque errore percipitur. Hoc & aliis in locis inculcauit; & sensum inde ab intellectu distinxit in tex. 152. & à phantasia in tex. 156. & libro 4. Metaph. tex. 24. & 25. quòd sensus circa proprium obiectum numquam erret, phantasia & intellectus non rarò. Atque adeò propria obiecta separauit à communibus in libro de sensu & sensili cap. 4. quòd in propriorum cognitione non obueniat error, quemadmodum in perceptione communium. Rationem opinor fuisse; quoniam cùm ex obiecto proprio facultas quælibet suam vim & naturam accipiat, certissimam omninò ac firmissimam illius cognitionem esse oportet.

Sensus circa proprium obiectum non errat.

Cæterùm Epicurus & antiquiores alij vsque adeò id verum esse voluerunt, vt sensum dicerent nec decipi vnquam nec posse decipi. Tum quòd nulla foret vllius rei scientia, quæ fallaci niteretur principio. Tum quòd si sensum affirmes decipi, aut ipse deceperis, aut verè ac certò pronuntias. Si decipiaris, audiendus non es: Te autem verè pronuntiasse quî scis, nisi ex sensu? sensum igitur veracem ac certum esse fateberis, cùm maximè negas. Sed esto. Detur sensum decipi: sanè corrigi potest. Nõ à ratione per se; quoniam hæc ductorem sensum sequitur. Necesse igitur est sensum esse certum, vt

De sensuum iudicio.

A absque errore corrigatur. Ita sensilia omnium certissima esse inquiebant Epicurei: & omnia quæcumque apparent, ita esse contendebat Protagoras. Etenim iudicium sensus ad modum naturæ progreditur: neque secus, quàm rei natura postulet, iudicabit is vnquam. Quare puerum optimum esse rerum puerilium iudicem, senem non item: sed senem de senilibus, puerum de puerilibus, ebrium de ebriis, sanum de sanis iudicare. Alia ratione fuerunt post illos quidam alij permoti. Quoniam verum & falsum, inquiebant, non sunt in sensu, sed in intellectu.

B Academici contrà pugnarunt: maximè Arcesilaus & Carneades; scientiam omnem idcircò negantes, cunctaque in opinione ponentes; quòd sensus aut semper aut plerumque mentiatur: vt quamuis verè interdum iudicaret, credendum tamen illi non esset. Nam & in Theæteto Plato non est veritus scribere, sensum esse ἀλεηθείας ἀπάγωγον, hoc est veritatis frustrationẽ. An non obiectũ in aqua iudicat esse maius, quàm sit? remum fractũ, qui est integer; magnũ id, quod est paruũ; & paruũ, quod est magnum; quiescens id, quod mouetur; & motum, quod quiescit; coloratum id, quod nullũ habet colorem? Quoties orientem aut occidentem solem intuentes flauum aut rubrum iudicamus? vt

C non sit mirum, si niuem esse nigram & aquam nigram dixerit Anaxagoras. Testis est in 2. Academica Tullius. Nec aspectus modò mendax; sed & cæteri sensus. Qui aurium tinnitu laborat, magnos semper sonos & strepitus asserit: & in sonorum speciebus vocumque tonis erramus omnes sæpissimè. Qui cerebri fluxiones patiuntur, pessimè de odoribus iudicant. Qui palatum linguamue bilo perfusam habent, sapores deprauatè diiudicant. Quid plura? penè omne iudicium sensuum fallax est & incertum.

In sensu quomodo veritas.

D Ita olim de sensuum cognitione dubitatũ. Constat autem, non eodem modo in sensu & intellectu veritatem aut falsitatem quærendam esse: sed in sensu communiore quadam acceptione, quæ nec affirmationem habeat nec negationem; sed simplicem rei apprehensionem, aut quemadmodum est in se, aut secus: quomodo primam quoque mentis functionem veram dicimus aut falsam. Affirmare autem sensum errare perpetuò circa proprium obiectum, nec illud vnquam apprehendere aut de illo iudicare, quemadmodum re ipsa sit; hominis profectò fuerit, qui non intelligat frustrà futuram hanc facultatem nobis insitam à natura, vt per eam sensilium omnium rerum cognitionem assequeremur. Iniquum verò

E esse, tum homini perfectionem summam, tum animalibus cæteris necessaria vitæ subsidia negare. Si enim iudicium sensuum semper sit mendax, nulla fuerit scientia, quæ sensuum iudicio nititur. Et vniuerso mutorum generi cùm propter vitæ conseruationem, vt vitarent noxia, sibique vtilia compararent, insiti fuerint illis à natura sensus; pessimè omnino consultum; quibus tam incerta ac fallacia, immò interdum pernitiosa data sint instrumenta. Si tamen errent interdum, nihil mirum. Errat & intellectus, superior & melior animæ virtus. Sensus namque materialis facultas est, defectui obnoxia sua natura: multisque indiget, organo, obiecto, medio, ex quorum aliquo facile potest esse peccandi occasio.

Verborum autẽ Aristotelis, proprium obiectum

Vt nũquam errare dicatur sensus.

absque errore à sensu percipi, non eadem fuit omnium interpretatio. Sed duas probare non possum. Alteram Alberti & quorumdam aliorum; errare quidem sensum in obiecto materiali, vt est extra animam; at non in formali, vt specie repræsentatur: verùm eo semper modo percipere, quo illi repræsentatur. Talis enim producitur sensio, qualis species proponitur. Alteram aliorum; nunquam errare circa obiectum adæquatum, posseque circa inadæquatum errare. Non inquam errare aspectum circa vniuersum aspectabilium genus, sed circa speciem illius quampiam; vt cùm album asserit esse nigrum. Priorem quidem non probo. Tum quia eodem modo dici posset, nec eum circa commune sensile errare: cùm tamen voluerit Philosophus ita ferè distinguere proprium à communi, vt circa proprium non erret, erret circa commune: Tum quia vt species non per se sentitur, sed est id, quo sentitur obiectum: ita neque id esse potest, circa quod obueniat error, sed omnis error circa obiectum erit. Posteriorem autem. Tum quòd in tex. 161. ex specie adæquati obiecti adfertur exemplum: quòd enim, inquit, album sit, non est falsus. Tum quòd eodem modo dicerem non errare circa commune. Nam dum aliquod corpus video, non erro iudicando non esse quantum aut figuratum: sed in eo, quòd dico esse tantum aut figura tali præditum.

Ergo Themistius, Philoponus, atque Simplicius, tres addi volunt conditiones, etsi non manifestè ab Aristotele expositas, quæ si adsint, nunquã erretur. Primam ex parte organi; alteram ex parte medij; tertiam ex parte obiecti. Organum sit benè & naturaliter dispositum; medium opportunum, neque re exteriori impeditum; obiectum in conueniente distantia. Auerroës autem non semper, sed plerumque. Quod Græci etiam interpretes fatentur; quòd aliqua conditionum interdum desit: vt apud Themistiũ reperies in cap. 10. 11. & 15. libri tertij, & Simplicium in tex. 152. & 161. & Philoponum in eundem tex. 161. & Alexandrum in priore libro de anima cap. 19.

Vtraque interpretatio ex ipsomet Aristotele peti potest. Nam in hoc loco vniuersè ait non posse decipi, & in textu 151. & 156. semper esse verum: at in tex. 161. semper esse verum, aut minimùm habere falsum; cùm in communibus erret sæpissimè. Semper enim est verus, si tres illæ adsint conditiones; interdum falsus, si earum defuerit aliqua. Quã ob causam id, quod antea fuerat dictum, eum esse semper verum, meritò fuisse contractum, & tutiùs pronuntiatum (aut minimùm habens falsum) adnotauit Philoponus. Fortasse enim ex affectu, quo sensum volebat ostẽdere non esse intellectum nec phantasiam, audaciùs pronuntiauerat, eum esse semper verum: postea correxit sermonem & tutiùs affirmauit, aut semper verum esse, aut certè rarissimè errare. Nam hoc ipsum satis erat ad eam, quam posuerat, distinctionem stabiliendam. Intellectus namque & phantasia ad verum & falsum indifferentes sunt; errantque sæpissimè, dum circa obiectum absens operantur, & ab inferioribus aliis facultatibus pendent; quarum aliqua potest errare. Sensus plerumque saltem est verus; quòd immediatè circa præsentia versetur.

Aspectus igitur colores cognoscit, nec præter eum vllus alius sensus: Nec vnquam errat colorem esse iudicans: quia cùm sit proprium illius obiectum, aut nil omnino percipiet, aut colorem percipiet, vereque colorem esse affirmabit. Eodem modo se habet auditus circa sonum, odoratus circa odorem, gustatus circa saporem. Tactus plures habet differentias. Nam reliquorum sensuum obiecta ad vnam oppositionem pertinent: colores ad albi & nigri oppositionem, soni ad grauem & acutum, odores ad suauem & ingratum, sapores ad dulcem & amarum. At tactus circa tactiles qualitates occupatus non vnum aliquod sensilis genus, sed plura cognoscit. Quoniam qualitates eæ ad vnum propinquum genus aut oppositionem vnam reuocari non possunt: sed plures omnino numerantur in textu 8. posterioris libri de ortu & interitu. Percipit enim tactus calidum & frigidum, humidum & siccum, graue & leue, durum & molle, lubricum & aridum, asperum & lene, crassum & tenue. Quarum etsi aliæ ad alias reuocentur; duæ tamen sunt oppositiones principes, calidi & frigidi, humidi & sicci; quarum vna ad aliam non reuocatur. Quam ob causam post dubitationem proponet, num tactus sit vnus sensus, an plures. Hic tamen ipse sensus hoc cum ceteris conuenit; quòd omnes obiectum suum proprium cognoscunt & de illo iudicant, nec circa illud errant. Sed interdum circa ea, quibus illa accidunt: quæ nimirum ex accidente sentiuntur. Non inquam errat aspectus iudicando an sit coloris, quem videt; & an albus an niger: neque auditus circa sonum. Sed errare potest circa id, in quo est color; aut locum, vbi sit: quæ sunt sensilia ex accidente & communia: existimando niuem esse id, quod cernit album; & fortasse erit vellus, aut aliud quidpiam. Aut iudicando esse in vno loco, & erit in alio: aut in vna distantia, & erit in alia. Aut circa id, quod sonat, aut locum distantiamúe, in qua excitatur sonus. Atque in aliis sensibus eodem modo. Itaque si per viride vitrum aspicias, omnia cernis viridia. Errat nimirum: quòd vitri colorem aliis quoque corporibus inesse iudices. Idem ægrotorum error, dum palati linguæúe amaritudinem inesse cibis putant. Hoc est, quod Philosophus aspectum dixit & auditum non errare in eo, quòd colorem aut sonum esse dicant; sed in eo, quòd huius vel illius corporis esse iudicent. Et in tex. 161. quòd, inquit, album sit, non est falsus: si autem album hoc aut aliud quidpiam, falsus est.

In sensili communi crebrior est error, tum in applicatione; tum verò etiam in tota illius ratione. Nam ea moueri iudicamus, quæ quiescunt; eaque quiescere, quæ mouentur. Minùs hæc monent & afficiunt sensum, minoremque cum eo proportionem & nexum habent. Quare in textu 155. ea extat causa, cur factum sit, vt hæc sensilia pluribus sensibus, non vno, vt propria, sentirentur. Quoniam cùm leuiter moueant, facilis erat in illis error. Ideò prouisum, vt si vnus sensus non satis moueretur aut erraret, alius adesset, qui defectum compensaret aut corrigeret.

Tandem concludens Philosophus, expositum fuisse qualénam sit cuiusque sensus obiectum: apertè significat propterea duas illas conditiones fuisse expositas, vt & vno sentiretur sensus, & absque errore; vt quale id esset ostenderetur. Non autem, quemadmodum interpretatus est Philoponus, vt sensile proprium distingueret & separaret à communi, & eo quod ex accidente sentitur:

sentitur: quòd & pluribus sensibus & sæpè cum errore sentiuntur. Nam etsi ex singulorum propriis conditionibus cognoscatur, quid inter ea interfit; hoc tamen non fuisse potissimum Aristoteli propositum exponere, sed singula potiùs propositæ diuisionis membra declarare & quale sit vnumquodque explicare; tum ex postremis huius textus verbis manifestum est; tum ex ipsius explicationis initio. Cùm enim obiectum proprium, commune, & quod ex accidente sentitur, numerasset; statim adiunxit; Dico autem proprium quidem, &c. Nimirum exponens quid vnumquodque significet eorum, quæ numerauerat.

TEXTVS.

Κοιναὶ δ', κίνησις, ἠρεμία, ἀριθμὸς, σχῆμα, μέγεθος.

Communia autem, motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

COMMENTARIVS LXXIX.

POstquàm primum diuisionis membrum exposuit, quod primum & per se sensile dicitur; aggreditur alterum, quod etsi non sit primum, est tamen per se sensile: pauciſque exponit quænam communia sensilia sint, & cur ita nominentur. Communia sensilia quinque omnino commemorat; motum, quietem, numerum, figuram, magnitudinem. Eundem numerum fecit in libro de sensu & sensili cap. 1. cui ἀσπερὸν & lene, acutum & obtusum addidit in cap. 4. dum Democritum & naturales alios Philosophos reprehenderet, quòd propria & communia sensilia non distinxissent. Sed ea ad magnitudinem reuocauit; dum & ex quinque antea numeratis solas accepit magnitudinem & figuram illisque asperum & lene, acutum & obtusum, addidit: & hæc ipsa addens ita loquutus est. (Ampliùs autem acutum & obtusum, quod in molibus, &c.) In tex. etiam 133. hæc rursum sensilia quinque commemorans addit vnum: quod tamen ad numerum reuocari potest & sub eo existimes fuisse hoc loco comprehensum.

Sensilia communia quot.

Alexander autem in comment. 36. in libro de sensu & sensili addidit interuallum. Et Nemesius in li. 4. suæ philosophiæ cap. 3. locum, distantiam, situm, asperum & lene, æquale & inæquale, acutum & obtusum. Alij etiam maius & minus, simile & dissimile, aliaque complura; vt apud Vitellionem lib. 3. aliosque perspectiuos videre est. Verùm aut dici potest, Aristotelis consilium non fuisse sensilia omnia communia hoc loco colligere (neque enim id erat necessarium, cùm ex illis neque constituantur neque distinguantur facultates, quemadmodum ex propriis) sed præcipua quædam tanquàm aliorum exempla proponere. Quod ex eo colligi potest, quòd diuersis in locis ea diuerso modo proposuit. Interdum enim hæc quinque nominauit; interdum adiecit sextum; interdum duo ex illis duntaxat, aliis quibusdam adiunctis. Aut respondere licet, his quinque commemoratis omnia quodam modo fuisse proposita: quoniam ad hæc quasi summa capita possunt cætera reuocari. Sicut enim asperum & lene, acutum & obtusum, ad magnitudinem pertinent & figuram; sic vnum reducitur ad numerum; interuallum aut distantia ad magnitudinem, quia longitudo quædam est: locus item, quia superficies: aut si mauis ad motum & quietem, quatenus corpus vel in loco & spatio mouetur, vel in eo quiescit: situs quoque ad locum pertinet, partiumque corporis in loco positionem significat. Reliqua demum omnia partim ad magnitudinem spectant, partim ad figuram.

Sunt autem sensilia communia vt conditiones quædam ab obiecto proprio inseparabiles. Quæ cùm omnibus hisce facultatibus conueniant, quatenus omnes materiales sunt & organicæ; communia obiecta vocantur. Nam & obiectum illud oportet esse quantum, quoniam à facultate quanta cognoscitur. Et quia omne quantum est finitum terminisque quibusdam conclusum, vltimam habet superficiem & figuram, hoc est σχηματισμὸν, inquit Philoponus, delineationem & circumscriptionem. Tum verò quidquid sensu percipitur, à quocumque alio distinctum est; eademque sensione possunt multa sentiri. Ideò sensus in suum obiectum fertur aut sub ratione vnius, aut sub ratione multitudinis & numeri: non quidem formaliter considerati; quatenus numerus est & vnitatum quædam collectio; sed materialiter, quatenus plures sunt res numeratæ atque ab inuicem distinctæ. Ita tollitur dubitatio Philoponi, quam proposuit ex textu. 131. libri quarti Physic. vbi solus intellectus dicitur numerare posse. Solus namque intellectus numeri formam aut etiam mathematicum & mente abstractum numerum apprehendit: sensus res ipsas rerumque numeratarum multitudinem, quæ in natura cohæret, percipit.

Numerus vt sensilis.

Quod vnitatem quoque nominauit, quam hoc loco Philosophus prætermisit, consentaneè loquutus sum eidem Philosopho, qui in tex. 133. eam cum numero numerabit: & rationi. Nam cùm numerus ex vnitatibus constet; si numerum sensus cognoscat, vnitatem quoque cognoscat necesse est. Et quemadmodum multa simul sentire potest, sic & vnum duntaxat seorsim percipere.

Postremò quælibet res quanta est apta moueri loco, fluereque & agitari in aliquo spatio, ita vt alio atque alio modo se habeat; agitatione quoque illa alio atque alio modo successiuè afficiendo sensum, dum locum mutat & situm. Aut quiescere potest in eodem loco, & situ, eodem semper modo immutando sensum. Itaque dum sensus rem quantam cognoscit, aut eam cognoscit in motu, aut in quiete: non quidem motum & quietem formaliter cognoscendo, quatenus aut fluxum aut illius priuationem significant: sed materialiter, quatenus quies permanentem rem eodemque modo afficientem sensum significat; & motus rem alio atque alio modo in loco & situ sese habentem, atque cum successione mutantem locum & situm, alioque modo, quàm antea, mouentem sensum. Sane Plotinus in lib. de generibus entis cap. 23. motum verissimè dixit

Motus & quies vt sensiles.

per se inuisibilem esse; neque motum, sed pedes agentes sese, à nobis videri; quatenus eos alium atque alium habentes locum neque alicubi quiescentes videmus. Alterationem quoque ex eo, quod alteratur, animaduerti; quòd qualitas non eadem sentiatur. Sed quòd propterea voluerit ille motum ex accidenti sentiri; omnino probandum non est. Sentitur enim per se, velut propriorum sensilium modus. Obiecta namque communia velut conditiones sunt cum obiectis propriis coniunctæ, propter eam, quam superiùs exposui, causam. Quoniam enim sensus facultas est materialis & organica, obiectum illius oportet esse quantum; quantitatem autem cætera consequuntur, figura, numerus, motus, & quies. Neque moueat quemquam, quod Galenus in libro tertio de dignoscendis pulsibus cap. 1. motum conatus est probare nullo sensu sentiri, sola mente comprehendi. Quoniam bestiæ nullum motus haberent sensum; quas tamen eum sentire certum est: quia & canis mouentem se loco dominum sequitur, eoque quiescente quiescit; & omnes omnino ab incurrentibus & motis obiectis terrentur & fugiunt; & id genus plurima.

Aristoteli porrò quantitatem libuit postremo loco numerare; quoniam motus, quies, & numerus, sensibus omnibus verè communia sunt; figura & quantitas solis aspectu & tactu dignoscuntur. Sed & aliis in locis alium ordinem seruauit.

Digressio XXXIII. *De Sensilium obiectorum quantitate & numero.*

Impartibile nõ sentiri.

IAm prætermittendum non est id, quod sæpiùs diximus, obiectum sensile quantitatem semper habere, ita verum esse, vt optimè in libro de sensu & sensili cap. 6. & vltimo disputauerit Aristoles impartibile omnino sentiri non posse. Nam vt facultatem materialem, quantam, & organicam mittam obiectum accommodatum sibi & proportionatum postulare: omneque obiectum sensile materiale esse, materiamque quantitatem semper habere: nec formas substantiæ naturales, cum quibus sensiles qualitates copulatæ semper sunt, non nisi in materia quanta cohærere: sentiendi virtus finita est & certam habet actionis sphæram, vltra quam operari non potest. In huius termino si impartibile quidpiam sit, illud sanè sentietur & non sentietur: sentietur, quia non est vltra sensionis terminum; non sentietur autem, quoniam extra actionis sensus sphæram existit. Deinde quoniam eò perfectior existimatur facultas, quò minora potest obiecta percipere; infinitã oporteret eam esse perfectionem & virtutem, quæ impartibile obiectum comprænderet. Propterea quò minus est obiectum, eò propiùs apponitur sensui. At si in infinitum esset minus, in infinitum apponi deberet; hoc est si esset impartibile, deberet supra ipsum sensum poni: atqui post demonstrabitur, sensile supra sensum positum sentiri non posse. Omne igitur sensile fuerit quantum; quantitatique maior aut minor appositio aut distantia respondebit.

At omne quantum est partibile: omne igitur sensile partibile fuerit. Duobus autem modis partitio fiet. aut enim genus in species, aut totum coniunctum in quantitatis partes diuidemus. Si sensile obiectum per se consideretur, vt qualitas est & alicuius sensus proprium; nequaquam illud in infinitum diuides, sed in colorum species, sonorum, aliarumue qualitatum, numero certo comprehensas. Quoniam vnumquodque sensile duas habet extremas species, vt color album & nigrum: vbi verò extrema sunt, necesse est finita esse ea, quæ inter illa continentur. Sin autem quantitatis fiat diuisio, quemadmodum aliud quoduis continuum, diuidi in infinitum potest; non æquales, sed inæquales & minores subindè partes accipiendo. Erit tamen tam parua tandem quantitas, vt nec substantiæ forma, nec sensilis qualitas conseruetur: nisi fortasse in elementis, quæ probabile est determinatam quantitatem minimam non habere. In cæteris potestate solùm & assignatione licebit in infinitum progredi.

Maior difficultas, an possit sensile corpus esse tam paruum, vt omnem effugiat sensum, nec prorsus sentiri queat. Fieri posse non dubitò, vt quidpiam sit sensili qualitate affectum, quod neque actu sentiatur, neque ob paruitatem sentiri ab aliquo animali queat; tum in indiuiduo; tum in specie vniuersa. Omnis enim facultas sentiens & in indiuiduo & in specie determinatam habet virtutem; qua vt ad certam distantiam & non maiorem, ita circa tantam quantitatem & non minorem operari potest: quòd & maior distantia & minor quantitas maiorem quærant virtutem. Et experientia compertum est, quædam esse tam exigua, vt ab animalibus quibusdam omnino non percipiantur: quæ tamen comprehendantur ab aliis: siue de indiuiduis loquaris, siue de speciebus. Quod enim ab indiuiduo vno aut à tota vna specie non percipitur; id ab alio speciei eiusdem indiuiduo, ab aliaue specie comprehenditur. Quoniam ob meliorem organorum conditionem spiritusque tenuitatem ac puritatem, & in vno indiuiduo acutior, quàm in alio, est sensus; & in vna specie robustior virtus, quàm in alia.

Nihil autem arbitror in rerum natura tam paruum re ipsa existere, vt aliquo alicuius animalis sensu comprehendi non possit. Testatur experientia; & confirmat ratio. Fruſtrà enim esset sensile illud corpus, quod à nullo sentiri posset: & superuacanea iudicatur illa facultas, cuius nullus potest esse actus. Immò verò cùm facultas suapte natura referatur ad actum, sensileque potestatem significet comparatione actus sentiendi; pugnantia loqueretur is, qui aliquod diceret esse sensile corpus, quod sentiri non posset. propterea enim sensile est, quia sentiri potest ab aliquo, qui sentiendi virtutem habeat.

At quoniam sensile omne quantum est & diuisionis capax; si diuidatur eruntne semper etiam sensiles illius partes? Eas quoque opinor sensiles fore, modò conseruentur neque in circumiectum corpus mutentur. Quandiu enim conseruantur illæ, necesse est sensiles item qualitates in illis velut dispositiones conseruari, vt calorem & siccitatem in igne. Omneque corpus naturale, siue simplex, siue mistum, sensilibus qualitatibus

qualitatibus præditum est: hocque naturalia à mathematicis differunt & metaphysicis rebus, quæ à sensili conditione aut mente aut reipsa abstractæ sunt. Cùm autem sint sua natura sensiles illæ partes, quemadmodum earum minuitur quantitas, ita sentiendi virtus augeri potest, esseque perfectior & acutior facultas; siue id in eiusdem speciei indiuiduis, siue in alia atque alia eueniat specie.

Solæ continui partes, quæ corpori copulatæ inexistunt, nec sentiuntur per se, nec sentiri possunt. Quoniam hæ vt per se distinctæ non sunt, ita nec per se & seorsim afficiunt sensum. Dum tamen coniunctim atque in toto continuo sentiuntur, verè dixeris, si vniuersè pronuntiaueris; Nihil omnino esse tam paruum, siue per se existens, siue alteri inexistens, quod aliquo sensu sentiri non possit.

Hæc in gratiam quantitatis & magnitudinis, quæ inter communia sensilia primum ac præcipuum habet locum, dicta sunt. Ex quibus intelliges, quid de sensilium qualitatum gradibus sentirete oporteat. Nulla enim fuerit tam remissa, quæ exquisito aliquo sensu aut in aliqua coniunctione approximationeúe sentiri non possit. Eadem est, quæ paruitatis, explicata ratio.

An multa sensilia simul sentiri queant.

Iam de numero vnum illud disputetur, an multa sensilia simul possint vno sensu sentiri. Facilis esset responsio, si de interiori sensu loqueremur; quem plurium exteriorum obiecta simul cognoscere constat, dum ea comparat, & separat vnumquodque. At de exteriore dicendum. Is nec simul nec successiuè plura cognoscit obiecta, quæ ad diuersos sensus pertineant. Vnius enim est determinati obiecti proprij. Potest tamen plura sua simul percipere, vt ea faciunt vnum simulque mouent sensum. Aspectus, dum album à nigro distinguit, vtrumque simul cognoscit. Simul aspicit alborem cartæ, atramentique nigrorem; & omnino colores plures, dum picturam quampiam intuetur. Multos homines simul videt, & auditus multos audit sonos in concentu musico, aut multorum clamore, &c. Intellectus quoque simul materiam & formam intelligit, vt vnum faciunt coniunctum; & enuntiatio subiecto constat & attributo; vt alia plura taceam. Tametsi à phantasia is pendeat; quæ simul formare nequit nisi vnum. Exterior autem sensus à pluribus obiectis præsentibus simul mouetur. Vt quamuis plures sint obiectorum actiones in sensum, atque adeò plures in eius organo susceptiones ac passiones: illas tamen vnica sequitur cognitio sensus, vnicum de omnibus iudicium. Qua in re naturalibus cæteris actionibus plurimùm præstat sensio. Etenim vnica naturalis actio circa contraria obiecta nõ est, vt alboris nigroriſque productio: at vnica est vtriusq; sensio. Ibi reales motus vicissim sese impediunt: hîc actio cognitionis diuinior omni caret contrarietate, omni impedimento. Minùs tamen perfectè ac distinctè singula internoscit, quàm si seorsim singula percepisset. Pluribus quippe intentus minor est ad singula sensus.

TEXTVS.

Τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐδενός ἐστιν ἴδια, ἀλλὰ κοινὰ πάντων. ἁφὴ γὰρ ἡ ἀφὴ κίνησίς τίς ἐστιν αἰσθητὴ ἡ ἁφή.

Huiusmodi enim nullius sunt propria, sed communia omnibus. Etenim & tactu motus aliquis sensilis est & aspectu.

COMMENTARIVS LXXX.

QVænam communia sensilia sint, superioribus verbis numerando docuit. Nunc cur ita nominentur paucis exponit. Ratio ea est, quam considerent illi; qui hæc interiori illo sensu, qui communis dicitur, sentiri voluerunt, & ideò communia hæc sensilia vocari. Communia enim appellari tradit, quoniam non sunt vllius sensus propria, sed exteriorum omnium communia, quod experientia testatur, & ratio superiùs explicata persuadet. Sunt enim velut conditiones sensilibus propriis adiunctæ, quòd & obiectum & facultas materiam habeant. Quare quod Auerroës scripsit in commentario 65. sensilia hæc esse propria communi sensui (quidquid aduersus eum disputet sanctus Thomas) ita accipias, vt communem sensum dixerit particularium omnium sensuum communitatem. Non enim ignorauit, si ea communis sensus propria sint, particularibus sensibus ex accidenti fore sensilia: cùm tamen ea Philosophus per se sensilia dicat. Et in commentario 133. idem Auerroës omnino cum Aristotele negat ea esse propria vllius sensus. Et hoc in loco ita loquitur, vt communia distinguat à propriis; quòd hæc ad vnum aliquem sensum, illa ad communem, hoc est ad omnes simul pertineant.

Communia sensilia partibus sentiri sensibus; & cur communia dicantur.

Quod Alexander in comment. 36. in lib. de sensu & sensili, & Themistius, Philoponus, Simplicius, atque adeò Auerroës ita interpretati sunt, vt aut omnibus, aut certè pluribus communia esse tradiderint dicanturque communia omnibus, non quod singuli sensus omnia comprehendant; sed quòd quædam omnibus, alia pluribus percipiantur; nullum vno solo sensu sentiatur. Ipsemet Aristotelẽs in caput quartum lib. de sensu & sensili apertè scripsit, ea esse communia sensuum, si non omnium, aspectus saltem & tactus: atque hos duos sensus solos non sine causa hoc lolo nominauit, cùm omnibus communia esse dixisset.

Sensilia communia an omnibus sensibus percipiantur omnia.

Propterea duobus hisce omnium cognitio repugnante nullo conceditur; reliquis non item. Nam numerum quoque plerique permittunt, dum aut ab vno, aut à pluribus obiectis affici sese animaduertunt. Audimus & vnum sonum & plures, vnum & plures odores odoramur, eodemque modo & sapores gustamus. Motum tamen & quietem gustatui Philoponus præripit: cæteri cum his quoque gustant. Etenim non solùm stantes omnes ac de loco ad locum sese mouentes aspicimus, & audimus sonum, aut odorem olfacimus ex eodem aut ex alio atque alio

loco ad nos venientem: & tactus demum id, quod ſtat, percipit, & id quod mouetur: ſed guſtatus quoque non modò quà tactus quidam eſt, verùm etiam per ſe conſideratus ſapores dignoſcit, dum aut quieſcunt, aut linguam palatumúe percurrunt, & in aliis atque aliis eorum partibus dulcedine aut amaritudine afficiunt. Hæc igitur tria, numerus, motus, & quies, communia omnibus ſunt.

De magnitudine & figura parùm conſtanter loquutus eſt Philoponus; eas primùm aſpectui ſolùm & tactui communes dicens; deinde tribus omnino ſenſibus, aſpectui, auditui, odoratui. Et in textum 133. aſpectu & auditu comprehendi ſubiungens. Quam poſteriorem ſententiæ partem ſi tueri velit, reliquis omnibus interpretibus aduerſabitur: immò & Ariſtoteli, qui in paulò ante memorato libello apertis verbis pronuntiauit, ſi non omnium ſenſuum, aſpectus certè & tactus communia eſſe. Magis Philoſopho conſentaneè pronuntiarunt, qui ſolis hiſce duobus ſenſibus comprehendi dixerunt. Quod Galeno quoque placuit in ſeptimo libro de Hippocratis & Platonis decretis capite 5. tametſi tactui non niſi quandoque & ex accidenti id conceſſerit. Magnitudo autem hoc loco, vt alibi ſæpè, coniuncta quantitas appellatur. Propterea enim diſtinguitur à numero; & in ea mox conſideratur figura, vt illius terminus. Itaque quod Alexander ſcripſit, magnitudinem auditu quoque cognoſci, dum magnum & paruum in ſono ſentiuntur: Et Themiſtius cap. 37. ſenſilia eſſe omnibus communia. minùs propriè & per analogiam quandam & metaphoram dici Philoponus & Simplicius admonent; potiuſque vehemens & exile nominari ea oportere.

Illud verè obieceris, ſenſus omnes facultates eſſe materiales, quæ ſine quantitate obiecta ſua non percipiant; quantitatemque omnem finitam figura quapiam terminari: ſitaque duo hæc ſenſilia omnibus ſenſibus communia eſſe. Accurata tamen & diſtincta cognitio aſpectus duntaxat & tactus propria fuerit; cæteri ſenſus imperfectè & quoquomodo illa perſentiunt. Hocque intellectu accipi poteſt illud, quod hîc dicitur, vniuerſum hoc ſenſilium genus eſſe omnibus ſenſibus commune: & illud in libro de ſenſu & ſenſili, quantitatem & figuram aut omnibus aut certè aſpectu & tactu ſentiri. Ab omnibus enim quoquomodo, ab aſpectu & tactu accuratè & diſtinctè hæc duo ſentiuntur. Numerum omnes diſtinctè percipiunt, multos colores, multos ſonos, odores, ſapores, & qualitates tactiles; à rebus ſimul ſenſus afficitur. Denique motum etiam & quietem; vt eodem ſemper aut alio atque alio modo ab obiecto aut ſtante aut accedente permouentur. Aſpectus præ cæteris acutiſſimè de omnibus iudicat, vt in capite primo ſæpiùs indicati libelli Philoſophus adnotauit.

Cæterùm ab vniuerſa hac difficultate facilè nos expediret Auerroës; qui hoc loco, cuius nunc interpretationem facimus, non legit (huiuſmodi enim nullius ſunt propria, ſed communia omnibus:) verùm ita potiùs (ſed communia eis omnia) vt nõ affirmauerit Ariſtoteles hæc obiecta omnibus ſenſibus communia eſſe; ſed omnia eſſe communia, non vllius ſenſus propria. Quod ſanè ita eſſe manifeſtum eſt: quoniam omnia aut omnibus, aut certè pluribus percipiuntur, numerus, motus, & quies omnibus; magnitudo & figura, ſaltem aſpectu, & tactu. At cùm ipſe hoc nomine reprehendit Themiſtium, reprehendendus ipſe magis eſt. Græcè enim non legimus (κοινὰ πάσαι) ſed (κοινὰ πάσαις) non communia omnia, ſed communia omnibus: atque ita legerunt ſemper & interpretati ſunt Græci omnes interpretes; magiſque conſentanea videtur oratio. Nam cùm antea dixiſſet, proprium illud appellari obiectum, quod vno ſolo ſenſu percipitur; deindéque opponens illi obiecta communia affirmaſſet, ea nullius eſſe ſenſus propria; conſequens erat dicere, omnibus aut certè pluribus eſſe communia. Accedit, quòd cùm in ſuperiori textu duas obiecti proprij conditiones poſuiſſet; alteram, illud eſſe vnius duntaxat ſenſus: alteram, circa illud non errare ſenſum: poſteriorique alteram in obiecto communi indicaſſet opponi, nempe circa hoc interdum errare ſenſum: conſequens item erat alteram priori opponere: ea eſt, obiectum commune non eſſe vllius ſenſus proprium, ſed omnibus aut pluribus commune. Ita enim optimè fuiſſet expoſitum, & quid ſit obiectum proprium, quid commune; & quomodo inter ſe diſtinguantur.

Hanc igitur poſteriorem explicationis partem hoc loco poſuit, exemploque notiſſimo illuſtrauit; tactum nominans ſenſum omnium maximè materiatum, notum, & animalibus omnibus communem: & aſpectum, cuius diſtinctiſſima & clariſſima eſt operatio; & motum, notiſſimam omnium & communiſſimam rerum natura conſtantium proprietatem. Tactu enim & aſpectu perſpicuum eſt nos motum cognoſcere: non eſt igitur motus proprium alicuius ſenſus obiectum, ſed commune pluribus.

TEXTVS.

Καθ' αὑτὰ μὲν οὖν ἴδια αἰσθητὰ ταῦτα.

Per ſe igitur ſenſilia ſunt hæc.

COMMENTARIVS LXXXI.

HÆc verba ſunt veluti eorum omnium concluſio, quæ hactenus dicta ſunt. Cùm enim obiectum ſenſibile vniuerſum partitus eſſet in obiectum per ſe & ex accidenti; rurſumque obiectum per ſe in proprium & commune diuiſiſſet: poſtquam docuit, quid ſit proprium, quid commune; optimè concludit dictum fuiſſe de obiecto per ſe; ſtatim dicturus de eo, quod ex accidenti ſentitur. Senſilia per ſe ea cenſentur, quæ afficiunt & mouent ſenſum: is motus in propriis manifeſtus eſt, in communibus non item: Ariſtoteles tamen in his quoque agnoſcit motum. nam in textu 133. omnia motu ſentiri affirmabit: motu inquã, quem inferunt ſenſui. A magno n. albo, vt à niue in amplo campo extenſa, aut à magno calido,

calido, longè aliter afficimur, quàm à paruo: & minuti caracteres faciunt cæcutire: aliter ab eo patimur, quod acutos habet angulos, quàm ab eo, quod obtusos habeat, aut omnino planum sit & æquabile: aliter à pluribus, quàm ab vno: aliter ab eo, quod mouetur, quàm ab eo, quod stat: vt quando aqua fluit, aut stat. Neque hoc in nobis modò est verum, sed & in bestiis. Nam & à magno obiecto plurimùm, à paruo vix permouentur: à figura quapiam aut motu obiecti accedentis aut multitudine & numero perterrentur: aliaque in illis plurima obseruamus. Obiecta etiam propria tantopere sunt cum hisce omnibus complicata, vt sine illis mouere sensum non valeant. Color enim nisi maiorem habeat quantitatem, vix acutissimum ac perspicacissimum mouet sensum. Perindeque mouebit, etsi à sensili ex accidenti separetur, & sine vlla substantia existat: quod in Eucharistiæ accidentibus manifestum est.

Quomodo moueant.

Omne igitur per se sensile mouet sensum & per se ab illo sentitur: quod duobus modis fit; aut tanquam obiectum formale atque illius facultatis proprium; aut tanquam communis omnium conditio & generalis obiectorum omnium propriorum modus, quo illorum motio aliis atque aliis modis afficitur ac determinatur. Neque enim abstracta permouent sensum obiecta propria, sed vt concreta existunt cum cõmunibus complicata: & ideò vna & eadem exterioris sensus actione, tum propria, tum communia, obiecta persentiuntur: illa tanquam formalia obiecta, hæc vt illorum conditiones & modi: ambo simul, dum obiecta propria hoc aut illo modo affecta comprehenduntur. Quam ob causam Priscianus Lydius in librum Theophrasti de anima capite nono & 11. propria dixit actione inferre vehementiorem, communia remissiorem & quasi consequentem: & verè adnotarunt Philoponus in textu 65. & Simplicius in textu 133. duplex esse sensile per se; vnum præcipuum ac primarium, quod per se ipsum in sensus incurrit; hocque est proprium: alterum secundarium & tanquam consequens, quod in sensum quidem agit, sed simul cum altero, quod primarium est; atque hoc est commune. Non enim agit magnitudo aut figura, nisi quia colorata est; & vnusquisque sensus proprij obiecti rationem primùm quærit. Ergo de hoc duplici sensili per prius & posterius dicitur sensile per se.

Sensile per prius & posterius dici.

Non nulla de quiete & numero difficultas. Nam illa priuationem motus significat, hæc negatione continui cognosci dicetur in textu 133. De vtraque pluribus eo loco. Interim non quietem neque continuitatis negationem intelligas, sed quiescens corpus atque ex eodem situ eodem modo efficiens sensum: & vnitates item non continuatas, neque communi termino copulatas; sed separatas, & ideò alio afficientes modo, quàm cùm essent omnes coniunctæ.

Digressio XXXIV. *Quomodo sensilia communia moueant sensum.*

ADdendum tamen est, non defuisse, qui sensilia hæc communia audientes esse sensilia per se, sensumque mouere; ea crederent immittere speciem à sensilis proprij specie diuersam. Ita Albertus, Egidius, Iandunus. Quibus fauere videntur verba illa Themistij capite secundo libri tertij; cùm magnitudinem oculus sentit, statim similitudo magnitudinis in oculo sculpitur; eodemque modo & motus & figuræ & vnitatis. Hocque à sensili ex accidenti communia sensilia distingui tradidit.

Verùm omnino satis est sensilis proprij species (quòd non propterea dico, quòd speciem vllam immitti credam; sed vt illius assertores doceam, quid in hac resentire ipsi debuissent) hoc modo affecta atque à sensili communi determinata. Nõ enim à sola obiecti proprij forma per se considerata, sed ab obiecto existente & concreto producitur species. Quare cùm non ab albedine, sed ab albo proficiscatur; albumque quantitatem habeat, figuram, & cætera sensilia communia: quæ ab illo prodibit species, vt id repræsentet, à quo producitur, quemadmodum est; tum albedinem, tum quantitatem, figuram, cæteraque omnia his adiuncta repræsentabit. Nam vt re ipsa sensile commune conditio est & modus proprij sensilis; ita productioni quoque speciei, imagini, & repræsentationi eius modum adfert.

Communia sensilia propriam sibi speciem nè habere.

Quod dixi de specie, idem prorsus de motu illo intelligas, quem sensilia propria sine specie faciunt in sensu. Non inquam diuersum habent motum à propriorum motu sensilia communia; sed conditioni suæ accommodatè satis mouere censentur, dum quoquomodo afficiunt & modificant motum illum, qui à propriis infertur sensui. Propterea in vtrumque obiecti genus fertur sensus, & vtrumque tanquam vnum vnico actu percipit: quod non esset, si diuersas species aut motiones immitterent. At vnum percipit vt obiectum formale; alterum vt illius conditionem & modum. Alterum, vt sensus est & cognoscendi vim habet: alterum, vt materialis est & organicus. Ita alterum solùm immittit speciem aut mouet sub formali ratione, qua facultatis virtus continetur: alterum, vt conditio adiuncta speciem aut motionem modificat. Accedit, quòd magnitudo & extensio albedinis non est quidpiam re ab albedine distinctum, quod diuersa specie aut motione indigeat. Etsi enim quantitas re ab albedine distinguatur, sensui tamen representari non debet realitas quantitatis per se consideratæ, sed color ipse extensus hacque figura comprehensus: quod non alia specie aut motione, sed modo duntaxat quopiam opus habet. Quamquã si communium sensilium naturam consideres, planè cognosces, nullum eorum propriam posse speciem aut motionem producere. Medium & organum post docebit Philosophus carere oportere omni eo, quod debent suscipere:

Neque proprijs motum.

quemadmodum colore omni, vt ab omnibus A
possint moueri. Cum igitur propriam ambo hæc
corpora quantitatem habeant, quantitatis spe-
ciei propriæ aut motionis capacia nõ sunt: quem-
admodum nec coloris, si colorata sint. Mitto,
quantitatem actionis omnis ac productionis ex-
pertem esse, velut materiæ proprietatem. In ob-
iectis propriis qualitates quoque secundæ vim
aliquam habent agendi, vt ex primis constant,
incisque permistionem habent. Figura idem re
est cum quantitate; & motus cum eo, quod mo-
uetur, nec quidquam habet præsens, nisi impar-
tibile mutatum esse. Quies demum & numerus,
aut priuationes sunt vel negationes, aut idem re B
cum quiescente corpore numeratisue rebus. De-
nique generali vncia argumentatione conclu-
dam. Si commune sensile propriam speciem aut
motionem haberet à proprio diuersam; posset
sine illo sentiri.

Hoc etsi concesserint rudiores quidam homi-
nes, hoc vel maximè argumento persuasi, quòd
si quis in cœlo ignisue conuexo foret, manum-
que extenderet, quantitatem & soliditatem cœli
resistentem sibi sentiret; quæ præter lucem
omni caret sensili qualitate, quæ vllius sensus &
maximè tactus obiectum proprium sit. Sapien-
tiores tamen philosophi fieri non posse conten- C
Nec pro-prium sine cõmuni, neque hoc sine illo sentiri. dent. Quòd inter proprium & commune tan-
tus est nexus, vt nec proprium sine communi,
nec commune sine proprio sentiri queat. Pro-
positionem vtramque apud Aristotelem repe-
ries. Nam is in libro de sensu & sensili capite 6.
non posse scripsit videri album, quòd non sit
quantum. Si enim secus esset, contingeret esse
aliquod corpus colorem nullum habens aut qua-
litatem sensilem; quare nec sensile omnino.
" Quasi diceret, nec sensile proprium sine com-
" muni, neque hoc sine illo sentiri posse. Proprium
" sine communi haud posse sentiri, antea demon-
stratum est: quòd communia conditiones & D
modi sint necessario cum facultatis materialis &
organicæ obiecto proprio complicati. At mul-
tò minùs commune sentietur sine proprio. Tum
quia conditio & modus multò minùs esse potest
aut operari sine eo, cuius est conditio aut mo-
dus; quàm illud possit sine conditione aut mo-
do: quippe ab illo habent conditio & modus
quidquid sunt & operantur. Tum quia vt ex
propriis obiectis constituuntur aut distinguun-
tur facultates, atque ex illis & naturam & vim
omnem operandi deriuant; sic vbi ea non ad-
sint, nihil planè operari queunt. Motus earum
retum, quarum colores sonosue aut aliam qua-
litatem alicuius sensus propriam non agnosci-
mus, hanc ob causam non persentiscimus: len-
tum ac suauem aëris motum non animaduerti-
mus, quòd strepitum non edat vllum. Omnino
magis sensilia communia à propriis, quàm hæc
ab illis, pendent: illa enim primùm ac præcipuè,
hæc secundo loco & consequenter sensilia sunt.
Dum inquam sensilitatis rationem intuemur.
Alioqui si vt naturales formæ quæpiam sunt
considerentur; magis pendent propria à quanti-
tate saltem, quàm hæc ab illis: quoniam in sub-
iecto esse nequeant, nisi aliqua fuerit quantitate
præditum.

Difficultatem porrò de cœlo propositam alij aliter explicarunt. Fuerunt, qui tactum nihil *Mauro.* sensurum dicerent. At tangere nonne sentire *tangere* est? Caietanus sensurum obiecti sui priuationem, *Caiet.* perinde atque in vacuo. Hoc tantùm discrimine, quòd in vacuo perciperet intactile in nullo subiecto, in cœlo autem in corpore quanto, duro, & resistente. Sensurum inquam quantita-
tem tanquam modum negationis obiecti pro-
prij; dum se non immutari ab obiecto suo ani-
maduerteret. Non disputo hoc loco, an obiecti
priuationem sentiat sensus: certè in cœlo non
absentia modò tactilis qualitatis agnosceretur,
sed veram tactus haberet quanti & duri corpo-
ris resistentiam; quam nimirum sentiendo com-
mune obiectum sine proprio sentiret. Fateor
igitur inter manũ & cœlum futurum verũ contac-
tum; sed non alium, quàm velut inter duo
quælibet inanima corpora, quorum extrema se-
se contingerent. Veraque esset resistentia, quæ
actum quempiam secundum significat; at sensus
nullus: tangendique facultas negatiuè se habe-
ret, nihil omnino percipiens, quòd nulla obie-
cti proprij adesset ratio, à qua permoueretur.
Neque enim fieri potest, vt cognitionis actum
promat facultas, & non circa obiectum aliquod,
quod cognoscatur. Experimur non rarò, siue
nimio frigore, siue alia causa obstupescere ma-
num atque insensilem effici; vt quamuis tangat
aut etiam pungatur, nil prorsus sentiat: tactus ta-
men est duorum corporum cum resistentia, &
verò etiam cum obiecto proprio. Quid igitur
mirum, si ex defectu proprij obiecti in cœlo
tactus quidem esset, sed sine sensu? nam resistẽ-
tia phantasia, non sensu tactus, perciperetur. Ar-
gumento sit, tum stupida & sentiendi actu pri-
uata manus, quæ ne alterius quidem corporis
obuij resistentiam sentit. Sed hæc aut phantasia
percipitur, aut omnino non percipitur, si alteri
rei simus intenti. Tum quòd si non manu, sed ba-
culo cœlum tangeres; eodem planè modo, hoc
est phantasia, resistentiam perciperes, neque non
posse vlteriùs progredi animaduerteres.

TEXTVS.

Κατὰ συμβεβηκὸς δ' λέγεται αἰσθητὸν, οἷον εἰ τὸ λευκὸν εἴη Διάδους υἱὸς· καὶ συμβεβηκὸς τῷ τοῦτο αἰσθάνεται, ὅτι τῷ λευκῷ συμβέβηκε τοῦτο οὗ αἰσθάνεται. διὸ οὐδὲ παρὰ τοιοῦτον καθὸ τοῦ αἰσθητοῦ. ὅτι δὲ καὶ αὐτὰ αἰσθητὰ τὰ ἴδια κυρίως ἐστὶν αἰσθητά, φανερὸν ἐκ τῶνδε μάλιστα ἐκάστου αἰσθάνεται.

Ex accidenti autem dicitur sensile, vt si album sit Diaris filius. ex accidenti enim hoc sentit, quoniam accidit albo hoc, quod sentit. Quapropter nihil patitur quatenus huiusmodi à sensili. Sensilium autem per se propriè sensibilia sunt propria; & ea, ad quæ natura est substantia vniuscuiusque sensus.

COMMEN-

COMMENTARIVS LXXXII.

POstremum membrum diuisionis obiecti sensilis explicandum supererat. Hoc est, quod nunc aggreditur; duobusque aut etiam tribus modis exponit, quodnam sit obiectum sensile, quod ex accidenti dicitur. Primùm illius exemplum proponendo. Si enim Diaris filius sit albus (Diares, legit Philoponus; quem Aristotelis amicum fuisse testatur) dum illum conspicio, aspectus per se videt album, quod est proprium illius obiectum; ex accidenti autem Diaris filium, in quo albedo est. Atque hoc est alterum, quod ad huius rei planiorem explicationem velut propositi exempli rationem statim subiungit. Nam propterea Diaris filius existimatur esse sensile quodpiam ex accidenti; quoniam cum albo, quod per se sentitur, coniunctus est; acciditque albo Diaris filius, qui sentitur. nam etsi album illud Diaris filius non esset, sensile tamen esset.

Sensile ex accidenti quod.

Quapropter non substantia modò; sed quidquid ita cum obiecto sensus proprio coniunctum est, vt sensum non moueat; poterit sensile ex accidenti dici; vt esse musicum, esse statuarium, & id genus alia. Quod visus est significare Philosophus, cùm non hominem, sed Diaris filium, hoc est hominem & relationem, nominauit. Aspectui quoque addit Simplicius mellis dulcedinem ex accidenti sensilem esse, & omnino proprium vnius sensus obiectum, si comparatione alterius sensus consideretur. Dum enim cum illius obiecto proprio coniunctum est, ab eo ex accidenti sentitur.

Sensile ex accidenti duplex.

Verùm hoc loco duo sunt obseruanda. Alterum est; propterea obiectum ex accidenti sensile esse substantiam, quia cùm sensuum per se & propria obiecta sint accidentia, in aliqua substantia oportet ea sustentari, & cum illa semper esse coniuncta. Itaque sicut antea demonstratum est, vim obiectorum propriorum ex propria singulorum sensuum natura considerari; communia verò ex generali illa conditione deriuari, qua sensus omnes sua natura facultates sunt materiales & extensæ; & ideo obiectum postulant, quod quantitatem habeat, quantitatemque reliqua consequuntur. Ita nunc intelligendum est, obiectum, quod ex accidenti nominatur, deriuari planè ex natura obiecti proprij, quod accidens cùm sit, cohærere per se nequit; sed in aliquo subiecto, hoc est in substantia, sustentatum ita per se sentitur, vt substantia quoque illius subiectum ex accidenti sentiatur. Et quoniam in eadem substantia inesse plura accidentia possunt; illa item, quatenus cum obiecto cuiuspiam sensus proprio coniuncta sunt, ex accidenti sentiri dicuntur. Dum enim album video, hominem quoque aut substantiam video, aut musicum, aut dulce: sed non nisi album per se; hominem, substantiam, musicum, & dulce, ex accidenti. Atque vt omnia simul complectar, dum album video, & album per se video tanquam

Sensile ex accidenti ortus, & causa.

A proprium aspectus obiectum; & quantum, motum, aut aliquid huiusmodi, quod sit velut obiecti proprij modus, tanquam obiectum commune & per se, quia cum omnibus aut pluribus obiectis propriis hæc ita coniuncta sunt, vt simul cum illis afficiant & moueant sensum: non alio tamen modo, quàm formam quampiam & modum ponendo illi motioni, quæ fit ab obiectis propriis. Denique video etiam hominem, substantiam, musicum, aut dulce: at prorsus ex accidenti. Quoniam ea ita sub accidentibus & obiectis per se occultantur; vt nullo modo afficiant sensum: sed ideò solùm
B sentiri existimantur, quia cum illis, quæ per se sentiunt & mouent sensum, copulata sunt.

Substantiæ cur sensilia ex accidenti.

Est & alia ratio, cur substantia ex accidenti sensilis appelletur. Ea est, quoniam sensus non suis viribus, sed per aliud ipsam cognoscit: nempe per intellectum, cum quo coniunctus est. Dum enim, inquit Simplicius, cum sensili coëxistit, ad illius cognitionem excitatur intellectus. Prior ratio animalibus omnibus communis est, posterior hominis propria.

Alterum, quod hoc loco magnopere adnotandum esse existimaui; illud est, quod Themistius, Philoponus & Simplicius quoquomodo in-
C dicarunt; Aristotelem quidem consuesse dicere, accidens accidere substantiæ; sed interdum etiam affirmasse, substantiam accidere accidenti. Non solùm enim hoc loco Diaris filium dixit accidere albo; sed in libro categoriarum, dum de iis loqueretur, quæ ad aliud dicuntur, hominem scripsit accidere relationi. Omnibus, inquit, alijs sublatis, quæ accidentia sunt; omnibusque circumscriptis, quæ accidentia sunt domino, vt esse bipedem, aut scientiæ capacem, aut hominem; relicto verò solo, quòd dominus
D est, &c. & in secundo libro Physic. textu 33. statuario dixit accidere Polycletum esse. Quod ne quis miretur; intelligere debet, album, relationem, statuariam artem, & id genus alia, duobus modis considerari posse. Aut enim considerantur quatenus accidentia sunt: atquehocmodo non accidenti substantia, sed substantiæ accidens accidit; vnde & nomen ipsum accidentis deductum est: & album, relatio, arsque statuaria, homini & substantiæ accidunt. Aut quatenus album est aspectabile, aut aliud quoduis eiusmodi obiectum per se alicuius sensus. Et relatio item, quatenus relatio est & respectus
F ad terminum, arsque principium & causa statuæ. Atque ita sanè & albo accidit esse Diaris filium, aut substantiam aliam; & relationi aut arti esse hominem aut Polycletum. Sed dum priori modo loquimur, accidere accidens substantiæ propriè dicimus; posteriori autem minùs propriè substantiam pronuntiamus accidenti accidere; hoc est coniunctam cum eo esse, neque ad propriam illius naturam pertinere.

Substantiam accidenti & accidēs substantiæ accidere.

Tertium & vltimum, quod à Philosopho affertur ad exponendum sensile, quod ex accidenti sentitur, quóque hoc genus sensilis ab eo maximè distinguitur, quod est per se; illud est, quod à me paulò ante significatum est: sensum

ab eo nihil pati neque affici quatenus huiusmodi est, hoc est quatenus substantia; sed solùm quatenus in eorum aliquo continetur, quæ per se sensum mouent: quatenus inquam substantia est alba, aut alio accidente affecta. Non enim substantiam videmus, sed colorem, qui in ea est: atque dum substantiam videre dicimur, ex accidenti planè videre dicimur.

Postremò tribus hisce sensilium obiectorum generibus expositis, proprio, communi, & quod ex accidenti sentitur; ad singulorum sensuum tractationem accessurus, ex illis omnibus accipit obiecta propria, propter quorum cognitionem singuli sensus comparati sunt atque à natura fabricati. Etsi enim propter communia quoque fabricati videantur; non tamen secundum propriam cuiusque sensus rationem, sed secundùm communiorem quamdam, vt adnotauit Simplicius; hoc est quatenus omnes sunt facultates materiales, quæ non nisi cum quantitate & reliquis, quæ quantitatem consequuntur, percipere propria obiecta possunt. Itaque reiectis illis, quæ ex accidenti sentiri dicuntur; quòd vt nihil afficiunt sensum, ita nihil ad eius naturam cognoscendam conferunt: ex obiectis per se, quæ sensum mouent, in consequenti tota sensuum consideratione sensilia propria, quæ propriè sensilia dicuntur, retinenda sunt & ante oculos proponenda. Quoniam hæc primùm & essentialiter sentiuntur, inquit Auerroës; cùm propter illa instituti fuerint sensus. Communia autem etsi necessariò, non tamen primùm, sed velut modi & conditiones obiectorum primorum sentiuntur.

Cõmunia sensilia esse per se sensilia.

Quare hoc nomine contendit Philoponus sensilia communia, etsi à propriis separata sensum non moueant nec omnino sentiantur, sensilia tamen ex accidenti appellari non posse, dum cum propriis simul sentiuntur. Quia sensilia ex accidenti, vel etiam dum sentiuntur, nihil in sensum agunt: communia verò quoquo modo agunt; & ideò si non primo, certè secundo loco per se sensilia sunt. Quòd si à propriis separata non mouent sensum, ne colores quidem mouent à lumine aut perspicuo separati: nec tamen propterea inter sensilia ex accidenti numerantur. Neque igitur sensilia communia eam ob causam credendum est esse ex accidenti sensilia: sed vt sensilia per se dicantur, satis est, si cum propriis copulata sensum afficiant.

cere, innominatum autem existit. Manifestum autem erit, quod dicimus, procedentibus maximè. Aspectabile enim quod dicimus, est color.

COMMENTARIVS LXXXIII.

SI ex obiectis haurienda est facultatum cognitio, vt in tex. 33. positum est: post obiecti sensilis considerationem hactenus factam sentientium facultatum explicationem facilem polliceri nobis possumus. Et quoniam ex obiectis propriis vniuscuiusque substantia & natura maximè pendet, quemadmodum postrema superioris textus verba affirmarunt: neglectis interim illis obiectis, quæ aut ex accidenti, aut communiter omnibus sentiuntur sensibus; ex propriis in exactam singulorum cognitionem deducit.

Duo sensuum genera.

Duo autem in animalibus insunt sensuum genera. Vnum externum, quod & obiecta externa immediatè percipit, & organis corporis exterioribus ac patentibus vtitur. Alterum interius; cuius cognitio prioris cognitionem sequitur, & organum interiùs latens neque cuiuis notum, magisque reconditam habet operandi formam. Ab exterioribus principium facit Philosophus, quòd notiores sint, simpliciores, & verò etiam communiores: priusque in animalibus operentur, quàm ij, qui interiores dicuntur.

Cur primum de exterioribus.

Porrò inter exteriores etsi prior in animalibus vigeat tactus, sitque communior, & posse sine cæteris reperiri, cæteri sine ipso esse non possint: quam ob causam in 6. naturalium Auicennaab eo credidit inchoandum. Aristoteles tamen aspectum primùm contemplatur. Tum naturæ ordine; quia omnibus præstat; quòd & pluribus egeat ad operandum, ac præsertim luce, diuinissima qualitate: & momento operatur, remotissimaque obiecta diiudicat, & minimè abillis patitur. Tum etiam doctrina, quòd manifestissimus est, tum organo, tum operatione, & vt loquitur Simplicius, luminosa sui specie atque ad solem proportione. Neque enim à communioribus inchoandum est, quòd communiora sint; sed quòd ferè notiora. At in sensibus, inquit Philoponus exponens textũ 75. contrarium accidit; vt ij notiores sint, qui speciales magis existunt. Itaque cùm aspectus & sit omnium potissimus, idemque manifestissimus; est velut cæterorum mensura: eoque probè percepto reliqui facilè cognoscentur.

Aspectus definitur.

Iam de hoc sensu duo præcipua capita tractantur. Alterũ de obiecto, quod est aspectabile. Alterum de medio, per quod aspici potest: hoc autem est id, quod est perspicuũ. Primùm igitur aspectus obiectum vniuersè credendum est esse quidquid est aspectabile. Sic enim generali vocabulo appellatur; quoniam circa id, quod aspectabile est versari aspectum oportet. Nam aspectabile illud significat, quod aspici potest; & aspectus facultas est aspectabilium perceptrix. Itaque principium fecit Philosophus ab obiecto formali, quo maximè vnaquæque facultas determinatur. Deinde adiecit id, quod est materiale. Aspectabile namque & colorem comprehendit, & alia quædam, quæ plurimis quidem verbis describere & circumloqui possumus aut singula

DE ASPECTV.

CAP. VII.

TEXTVS.

Οὗ μὲν οὖν ἔστιν ἡ ὄψις, τοῦτό ἐστιν ὁρατόν. ὁρατὸν δ' ἐστὶ χρῶμά τε, καὶ ὁ λόγῳ μὲν ὧι ἔστιν εἰπεῖν, ἀγώνυμον δ' ὑπάρχει ὀνόματι δ' ἴσως ὁ λέγομεν προσελθόντες μᾶλλον. τὸ γὰρ ὁρατὸν ὃ λέγομεν, ἐστὶ χρῶμα.

Cuius igitur est aspectus, hoc est aspectabile. Aspectabile autem est & color, & quod oratione quidem est di-

Tex. 66

singula nominare: vna tamen voce appellare non possumus, quemadmodum colorem appellamus. De illis procedente oratione dicetur. Nam in textu 72. quædam esse docebit, quæ in tenebris conspiciantur: contrà quàm color, qui in lumine duntaxat cernitur: Eiusmodi sunt, fungus, cornu, capita piscium, squammæ, echinorum oculi, & ea, quæ nocte lucent: quæ nec colorata dici possunt, nec vno nomine appellari.

Lumen quoque colorem dici.

Verùm coloris nomine hoc loco non colores ipsos solos intelligas; sed lucem quoque quam in textu 69. dicet esse vt colorem perspicui; & in libro de sensu & sensili capite tertio aër, inquit, & aqua sunt colorata: tale enim aliquid splendor est. Quasi splendorem quoque & lucem diceret appellari posse colorem. Aut colorem solum nominauit, primam & potissimam huius obiecti partem: quam vt videamus, lucem quoque requirimus, velut illius conditionem quandam. Non enim colores cernimus nisi cum lumine; in tenebris nequaquam: quam ob causam non defuerunt, qui eos ne colores quidem aut aspectabiles esse affirmarent. Lumen ipsum per se cernimus, dum cœlestia astra lucidaque alia corpora aspicimus, quæ colorem nullum, sed solum lumen habent. Sanè lumen, si per se consideretur, præstantissimum quidpiam est & qualitas diuinissima. At si aspectabilitatis rationem intuearis; quoniam conditio est medij, per quod videtur color, præcipuum magisque proprium huius sensus obiectum videtur esse color. Nam hic & per se aspicitur, & facultatis huius actum terminat: neque ratio est videndi aliud: semperque cernitur, in quocumque fuerit corpore; quia semper est in corpore aspectum terminante. Lumen autem non videtur cerni nisi reflexum aut in corpore terminato susceptum; vt in cœlo & aliis pluribus manifestum est.

Aspectus dignitas.

Quain re aspectus nobilitatem agnoscas. Nam & præter obiectum ac medium externum suprema atque omnium diuinissimam qualitatem postulat: & per vnum aspectabile percipit aliud; nempe per lumen colores persentiscit. Itaque præclarè Priscianus Lydius pronuntiauit; In his inferioribus aliud esse, quod videmus; aliud, per quod videmus: in superioribus autem hæc duo coniungi; quòd ipsum astrorum lumen sit id, quod cernitur.

TEXTVS.

Τοῦτο δέ ἐστι τὸ ὂν τῷ καθ' αὑτὸ ὁρατῷ· καθ' αὑτὸ δέ, οὐ τῷ λόγῳ, ἀλλ' ὅ, τι ἐν ἑαυτῷ ἔχει τῷ αἴτιον τὸ εἶναι ὁρατόν.

Hic autem est id, quod in eo, quod per se aspectabile. Per se autem, non ratione; sed quoniam in se ipso habet causam, vt sit aspectabile.

COMMENTARIVS LXXXIV.

ILlis, quæ innominata sunt, nunc omissis; acceptoque colore tamquam manifestè aspectabili; eum ait esse id, quod est in eo, quod per se aspectabile est. Quæ verba ità interpretati sunt Auerroës, Albertus, & sanctus Thomas; vt color dicatur esse per se aspectabilis non primo, sed secundo modo eorum, quæ per se dicuntur. Esse namque aspectabile proprietas coloris est: neque color dicitur aspectabilis per se ratione, hoc est ita vt aspectabile in eius definitione ponatur; sicut in iis fit, quæ primo modo per se dicuntur: sed quoniam in seipso habet causam, vt sit aspectabilis; quemadmodum subiectum suæ proprietatis causam continet: & ideò subiectum in definitione potiùs proprietatis nominatur, & color in aspectabilis definitione.

Color vt per se aspectabilis.

Hanc ego interpretationem prorsus non reiicio. Sed eam magis probo, quæ Simplicij fuit. Is colorem scripsit dici esse in eo, quod est per se aspectabile, hoc est in corpore terminato: quod non ratione dicitur per se aspectabile, quoniam in ipsius definitione ponatur aspectabile vt aliquid substantiæ; sicut in iis, quæ primo modo per se dicuntur. Aut quòd in aspectabili definiendo coloratum corpus nominetur; quemadmodum in eorum definitionibus, quæ posteriori modo dicuntur, illorum subiectum ponitur. Sed in se habet causam, vt sit aspectabile: Hoc est non per aduentitium quidpiam aspicitur; quemadmodum corpus perspicuum, quod non per aliquid sibi connaturale, sed per aduentitium lumen cernitur; & ideò interdum actu, interdum potestate aspectabile est. Verùm quoniam in se ipso habet velut proprium id, per quod sit aspectabile; colorem scilicet, qui est formalis causa, vt coloratum corpus aspectabile sit. Et cùm color in eo sit permanens atque illius proprius, est semper ex se aspectabile actu primo, quoniam habet actum & formam, propter quam aspici possit: tametsi actu secundo non aspiciatur, si aut desit lumen, aut aliud quidpiã necessarium ad videndũ.

Themistius & Philoponus ea quidem ex parte consenserunt, quòd verbis illis intellexerunt coloratum corpus à perspicuo distinctum fuisse: sed dissenserunt in eo, quòd Simplicius discrimen illud in eo agnouit, quòd coloratum corpus per aliquid sibi proprium est aspectabile, perspicuum per aduentitium lumen: illi autem potiùs in hoc, quòd coloratum corpus cùm sit terminatum, in sola exteriori superficie actu & per se, hoc est immediatè, est aspectabile; perspicuum autem interminatum secundùm interiores partes conspici potest. Verùm tum superficies, tum corpus totũ per se aspectabilia dici possunt. Superficies, vt qua aspicitur corpus: Corpus autem, vt id, quod verè aspicitur. Actiones enim & passiones suppositorum sunt. Colorem quoque Philosophus aspectabilem dicit. Ergo color aspectabilis est, vt forma & ratio, cur aliud aspiciatur: corpus, vt quod verè aspicitur: & superficies, vt qua cõspiciatur corpus. Nõ. n. videtur terminatũ corpus, nisi in superficie. Aspectabile igitur est color, & color, quatenus aspectabilis in eo est, quod per se est aspectabile: hoc est tũ in toto colorato corpore, tũ maximè in superficie, quæ immediatè cõ-

Color corpus & superficies vt aspectabilia.

ſpicitur & per ſe. Quoniam cùm in ea colores omnes conſpiciantur, per ſe aſpectabilis dicitur: non quòd in eius definitione ponatur aſpectabile, aut ipſa ad aſpectabilis definitionem adſciſcatur: ſed quòd cauſam in ſe habeat, hoc eſt colores, cur aſpici poſſit. Non enim eum, qui eſt in profundo, colorem cernimus; nec cernere poſſumus, niſi ad ſuperficiem reducatur: ſed eum ſolum, qui re ipſa in ſuperficie hæret; ex qua tamen totum aſpici nominatur. Propterea & corpus & ſuperficiem per ſe aſpectabilem dicit: quoniam eius, quod eſt aſpectabile, ſubiectum eſt. Sanè, vt eſt apud Alexandrum in primo libro naturalium quæſtionum capite ſecundo ſimul ſunt color & ſuperficies: quoniam extremum corporis, quà corpus eſt, ſuperficies; quà verò perſpicuum, eſt color: Quòd ſi quædam ſint corpora, in quorum profundo videantur colores; vt dum in ſpeculo cernimus plumbum, quod partem eius poſteriorem terminat: ſanè ea corpora ſunt perſpicua, mediique vim habent, per quod ceu per aërem & aquam colorem in ſuperficie plumbi hærentem cernimus.

Plura in eandem penè ſententiam Philoponus diſſerit: ſed ad huius loci intelligentiam haud magnopere neceſſaria ſunt. Ego ſolùm adnotabo, totam hanc primam de aſpectu orationem optimè cum antecedente coniungi. Nam cùm Diaris filium ex accidente videri dixiſſet, dum videtur album; & opportunè de hoc ſenſu introduxit ſermonem, & colorem dixit eſſe aſpectabilem; corpuſque coloratum per ſe aſpici, Diariſque filium & alia quæcumque adiuncta, non per ſe, ſed ex accidenti hoc ſenſu ſentiri.

TEXTVS.

Πᾶν δὲ χρῶμα κινητικὸν ἔστι τῶ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς. ἔστι δὲ τοῦτ' ἔστιν αὐτοῦ ἡ φύσις.

Tex. 67. Omnis autem color motiuus eſt eius, quod in actu, perſpicui. & hoc eſt ipſius natura.

COMMENTARIVS LXXXV.

Emendatur hic locus.

EMendandus primùm eſt hic locus, deinde interpretandus. Nam quod initio huius orationis in pleriſque codicibus cauſantem particulam (enim) legimus; nequaquam cum Græco codice conſentit. Non enim in eo eſt (γὰρ) ſed (δὲ.) Propterea Sanctus Thomas ſecus, quàm oportuerat, hunc textum interpretatus eſt. Cauſantem enim particulam legens adferri cauſam exiſtimauit eius, quod dictum fuerat, colorem eſſe per ſe aſpectabilem. Cauſa autem eſt, quoniam color eſt motiuus perſpicui actu: hocque habet ex ſua natura & proprietate. & ideò eſt aſpectabilis, quia mouet perſpicuum: ſi igitur ex ſua natura eſt motiuus perſpicui; eſt item ex ſua natura aſpectabilis.

Verùm cùm legenda potiùs ſit particula (autem) veriùs cum Græcis, quos Auerroës & Albertus ſequuti ſunt, affirmabimus definiri, quid ſit color. Nam cùm aſpectus obiectum poſuiſſet eſſe aſpectabile; & aſpectabile docuiſſet eſſe colorem; dicendum omnino erat de colore tanquà de proprio aſpectus obiecto, atque ab illius definitione inchoandum.

Color igitur eſt id, quod eſt motiuum eius, quod eſt actu perſpicuum: atque hoc eſt ipſius natura. Quæ verba poſteriorem interpretationem confirmant: oſtenduntque coloris definitionem & naturam exponere, non cauſam reddere, fuiſſe Ariſtoteli prioribus verbis propoſitum. Porrò perſpicuum dicitur, quod interminatum eſt poteſtque omni ex parte videri, & per illud etiam tanquam medium conſpici aliud; cuiuſmodi ſunt aër & aqua; quæ peruia ſunt nec aſpectum terminant. Horum perſpicuorum corporum, & oculi item, cuius præcipua pars pupilla eſt perſpicua, dicitur color eſſe motiuus: quia per hæc duntaxat, non per ea, quæ opaca ſunt & terminata, mouere aſpectum poteſt & omino videri. Quo enim modo mouere aſpectum exiſtimatur, dum videtur; ita & mouere medium dicitur, dum per illud cernitur: ſue id fiat effluxione & tranſmiſſione ſpecierum intentionalium; ſiue abſque ſpeciebus, ſolo illo metaphorico & improprio motu, de quo antea dictum eſt.

Et quidem Philoponus motiuum interpretatur perfectiuum. Quia etſi perſpicuum perficitur à lumine, à colore tamen quoque perficitur: ſine vlla alteratione aut paſſione, vt habet Simplicius; ſed per ſolam, quæ in ipſo eſt, traiectitiam facultatem: qua colorem ad viſionis actum perducit, quatenus eſt id, per quod is videtur: aut per ſpecierum ab obiecto ad oculum tranſmiſſionem. Vtrouis modo philoſopheris, facultas illa perſpicui corporis, qua eſt aptum videndorum colorum medium, perficitur & abſoluitur. Cæterùm ſi ſitrin tenebris omni priuatum lumine, poteſtate duntaxat perſpicuum appellatur; quoniam ſine lumine perſpici actu non poteſt: cùm autem illuminatum eſt, actu perſpicuum dicitur. Lumen perficiendi faciendique actu perſpicuum poteſtate vim habet: tum color motiuus eſt perſpicui, quod fuerit actu, hoc eſt perſpicui illuminati: ſi quidem in tenebris & ſine lumine videri nequit.

At Philoponus non ex ſubſtantia, ſed ex accidente & proprietate definitum ait fuiſſe colorem: ex ſubſtantia autem in libro potius de ſenſu & ſenſili capite tertio color eſt extremitas corporis perſpicui terminati. Quod Ariſtoteli *Alterum poterat* fortaſſe aduerſari videbitur; qui poſtquam colorem dixit eſſe motiuum perſpicui actu, hoc ſubiunxit eſſe ipſius naturam. Planiùs hanc rem exponit Simplicius. Duobus enim modis conſideratur color: aut quatenus color eſt & qualitas quæpiam; aut quatenus aſpectabilis eſt & ad ſenſum refertur. Priori quidem certè modo non hoc loco, ſed in libro de ſenſu & ſenſili definitus eſt. Quæ definitio non formaliter, ſed materialiter accipienda eſt; nec tam explicat quid ſit color, quàm in quo ſubiecto ſit; etſi eſſentialem Philoponus dixerit.

Non

Non enim color est formaliter extremitas; & ideò Pythagoras reprehenditur colorem inquiens extremitatem esse: sed dicitur esse extremitas, hoc est in extremitate versari. Aut extremitas corporis appellatur, non vt est corpus (hæc enim est superficies) sed vt perspicuum terminatum. Quippe color terminati perspicui actus est, lumen interminati. Extremitas autem nominatur, non quòd interiores partes coloratæ non sint; sed quòd exteriores solæ conspiciendæ proponantur.

Posteriore autem modo definitus hoc loco est color: essèque motiuum perspicui actu, est ipsius natura; non quatenus color, sed quatenus aspectabilis est. Atque ita tum à cæteris aliorum sensuum obiectis distinguitur, tum ab aliis aspectabilibus, quæ in superiori textu separauit à colore Philosophus. Etenim color non nisi in lumine cernitur, quisque habet perspicuo actu. Sonus, odor, & reliqua sensuum obiecta, immò & aspectabilia illa, de quibus in tex. 72. in tenebris quoque sine lumine sentiuntur. Solus color necessariò postulat lumen & perspicuum actu illuminatum; & ideò solus ex obiectis omnibus sensilibus, immò & ex aspectabilibus, definitur esse motiuus eius, quod est actu perspicuum.

Auempace. Auempace autem, vt est apud Auerroëm, in hac definitione interpretanda lapsus est; dum colorem dixit motiuum esse perspicui actu; non quòd perspicuum oporteat esse actu, antequam coloris motum suscipiat; sed quòd ab ipso colore fiat actu. Itaque lumen affirmauit necessarium esse ad videndum, non in medio, sed in obiecto colorato: vt scilicet color fiat actu, vt possit medium perspicuum mouere. Verùm non ait Philosophus, colorem esse actu motiuum perspicui: hoc enim eum sensum habere posset: sed (τὸ καθ' ἐνέργειαν διαφανὲς) hoc est eius perspicui, quod iam sit actu. Deinde cùm in tex. 69. lumen definiet & esse actum huius perspicui, manifestè declarabit, perspicuum antea dictum fuisse perspicuum illuminatum; neque illius actum esse colorem, sed lumen. Et quoniam eam interpretationem pluribus confutauit Auerroës, non est quòd immoremur.

A dum eum subiicit absque lumine aspectabilem non esse; manifestum est, lumen perspicui actum esse.

Color vt egeat lumine. Sed cùm color sine lumine aspectabilis esse negatur, id de actu secundo intelligendum est. Cum enim esse aspectabile sit coloris proprietas, quæ naturam illius ex elementorum permistione ortam consequitur: in tenebris quoque, & verò etiam in intimis corporum partibus; non sola exteriori superficie, aspectabilis est color actu primo; hoc est habet formam, quæ aspici possit. Re ipsa tamen & actu secundo non aspicitur, nisi præsente lumine aspiciendique facultate. Atque ad hunc actum est potestate, si sit in tenebris, aut in interioribus partibus, aut si aspiciendi facultas absit. Sed in interioribus partibus est potestas remota, in exterioribus propinqua: quoniam his solùm deest lumen aut facultas: illæ ad superficiem primùm reducendæ sunt.

Lumen in medio & obiecto necessarium esse. Iam verò lumen, tum in medio, tum in obiecto necessarium est: neque obscurum prorsus obiectum, neque per medium omnino tenebrosum videri potest. Et de medio quidem pronuntiauit Philosophus, colorem esse actum perspicui actu illuminati: de obiecto autem, colorem sine lumine videri non posse, sed vnumquemque in lumine conspici. Vt verè etiam affirmare liceat, ex eo, quòd color mouere non potest medium nisi illuminatum, Aristotelem deduxisse, ipsum quoque illuminatum esse oportere. Nam si in medio necessarium est lumen, vt coloris motus suscipiatur; multò magis in ipso colore requiritur, vt mouere possit.

Denique quoniam lumen ad videndum colorem est necessarium, & ipsum quidem interdum per se aspectabile est sine colore, color verò sine lumine aspici nequit: concludit antea dicendum esse de lumine, quàm de colore accommodatè dici queat. Accedit & illud, quòd & qualitas est sua natura nobilior & prior, quæ ad colorum quoque compositionem concurrat. Et rursum dici non potest quid sit lumen, nisi quid sit perspicuum intelligatur: siquidem lumen definitur esse actus perspicui; quàm actu pelluceat suscepto lumine.

TEXTVS.

Διόὅ ὐχ ὁρατὸν ἄνευ φωτός, ἀλλὰ πάντως ἕκαστον χρῶμα ἐν φωτὶ ὁρατόν. διὸ περὶ φωτὸς πρῶτον λεκτέον τί ἐστι.

Quare non est aspectabile sine lumine; sed omnis cuiusque color in lumine aspectabilis. Itaque de lumine primùm dicendum, quid sit.

COMMENTARIVS LXXXVI.

ARistoteles ergo ex coloris definitione proposita sapienter colligit, colorem sine lumine aspectabilem non esse; sed colorem omnem opus habere lumine, vt aspici possit. Quibus verbis lumen significat actum esse perspicui. Si enim color solius perspicui, quod sit actu, motiuus est;

Digressio xxxv. *De Colore.*

PAucis omnino verbis & obscurè satis Philosophus coloris naturam expositi. Pluribus opus est. Nam & aliquos reperio non satis eum à lumine distinxisse.

Colorem qualitatem esse à lumine diuersam. Plato in Timæo colorem scripsit veluti flammulam quandam esse fulgorémque è singulis corporibus emicantem. Et aperta oratione Auempace, vt est apud Auerroëm, nil esse aliud, quàm lumen, credidit. Et in 6. naturalium Auicenna, & Albertus hoc loco, & in lib. de sensu & sensili, & in summa de homine, materialiter esse dispositionem quandam ad suscipiendum lumen ex elementorum permistione in corporibus ortam; formaliter autem ipsum lumen, vt alio atque alio modo terminati corporis superficiei admiscetur. Itaque nocte & in tenebris non nisi materialiter in corporibus esse colores; formaliter tunc solùm, cùm adest lumen.

Aristoteles quidem certè in tex. 18. lib. 3. lumen affirmabit potestate existentes efficere actu colores: agentémque intellectum lumini esse persimi-

lem, quòd quemadmodum lumen colores facit actu & aſpectus obiectum, ſic intellectus agens intellectiles ſpecies vniuerſáſque naturas, patientis intellectus obiectum, producat. Et in lib. de ſenſu & ſenſili cap 3. lumen eſſe colorem perſpicui. Et rurſum, aërem & aquam eſſe colorata: quæ tamen conſtat non niſi illuminata eſſe. Ac demum, colorem eſſe perſpicui extremitatem in corpore terminato: nimirum quia in ſola illius extremitate ſuſcipitur lumen. Alexander quoque in primo lib. naturalium quæſtionum cap. 2. album eſſe tanquam præſentiam luminis, nigrũſque vt illius abſentiam; illud maximè, hoc minimè aſpectabile. Et in primo lib. de anima cap. 13. in corpore terminato non ineſſe actu colores, niſi cùm illuminatur. Certè in Irideac nubibus ſolo lumine ſuſcepto colores exiſtunt varij. Et cyathi non omnino rubro vino pleni pars inferior idcircò albeſcit, quòd eam penetret lux. In ſolis ecclypſi defectu luminis palleſcunt omnia, quaſi à lumine ſuum quæque colorem habeant. Propterea obiectum luce affuſum, etſi medium & oculus tenebroſa ſint, cernimus: contrà ſi hæc illuminentur & illud obtenebretur, nihil conſpicimus. Nimirum lumen obiecto adeſſe oportet, vt illi colorem adferat. Et quæſo, ſi abſente lumine in coloribus hæreat color, quænam tandem ſit ratio, cur is abſque lumine non cernatur? An opus eſt lumine, vt color poſſit mouere medium? at ſi lumen ſeipſo mouet illuminando, quidni moueat color ſui ſpeciem immittendo?

Colorem in tenebris inesse corporibus.

Cæterùm veriſſimè deduxit Auerroës, ſententiam fuiſſe philoſophi, colores in tenebris quoque in corporibus actu ineſſe. Nam & in tex. 66. colorem docuit eſſe id, quod exiſtit in eo, quod eſt per ſe aſpectabile; quoniam in ſe ipſo habet cauſam, vt ſit aſpectabile. Et in tex. 67. eſſe motiuum eius, quod eſt actu perſpicuum; hoc eſt perſpicui illuminati: ex quo colorem deduxit abſque lumine aſpectabilem non eſſe. Color igitur à lumine diuerſum quidpiam eſt, illudq; in perſpicuo ſupponit. Hinc diuerſa, tum hoc loco, tum in lib. de ſenſu & ſenſili, vtriuſque definitio. Hinc diſcrimen illud; perſpicua interminata propter lucem, quam ſuſcipiunt, alio atque alio modo & procul & propè repreſentari obtutui; colorem eodem ſemper modo. Quamuis aquam maris alio modo procul, quàm propè conſpicias; rubeus tamen color rubeus ſemper apparet. Hinc demum & illud; interminata corpora, vt aërem aut aquam, extrinſecùs colorari, dum aliunde ſuſcipiunt lumen: Terminata verò intrinſecùs, quòd ex ſe colorem habeant. Nam ſi colores externo conſtarent lumine, coloratum à perſpicuò interminato nihil differret; neque proprio, ſed externo colore aſpectabile eſſet. Res tota ex iis, quæ non multò poſt de colorum generatione dicentur, planior euadet. Etenim lux qualitas eſt omnium prima, cœleſtium corporum maximè propria, ſuáque conditione minimè materialis. Colores qualitates ſecundæ ſunt ex primarum remotè, proximè ex lucidi, opaci, & perſpicui permiſtione ortæ. Albedo & nigror pugnant, pugnanteſque effectus habent, diſgregare, & congregare aſpectum. Et nigredo cùm maxima ex parte conſtet opacitate; quî poteſt idem eſſe, quod lumen. Nullæ etiam forent colorum ſpecies natura diſtinctæ, nulla verorum apparentiúmque colorum diſcrepantia. In cœlo non minùs, quàm in inferioribus, oporteret eſſe colores. Hique ex qualibet luminis mutatione continenter in corporibus mutarentur. At iidem ſemper ſunt; neque alia mutatio fit, quàm quòd maiore aut minore accedente lumine, clariùs obſcuriúſue cernantur. Diuiſo corpore non minùs perfecti, immò perfectiores plerumque, in interioribus viſuntur partibus, quam in exteriori ſuperficie cernerentur. Neque eos ſubito à lumine excitari dicas. Nam præterquàm quòd id credi non poteſt; ſi corpus album in luce minima diuidatur, albedo conſpicitur perfectiſſima: quæ tamen non niſi à maxima luce prodiret: omninóque certa ratio tenenda eſſet, vt hic à tanta, ille ab alia luce color gigneretur.

Ergo ſunt corpora vel in tenebris colorata; ſed eorum color ſine lumine, nec videtur, nec videri poteſt. Neque illis aduentitium lumen colorem adfert aut formam, qua actu primo ſint aſpectabilia: ſed ſolùm id præſtat, vt eorum color per ſe actu primo aſpectabilis actu quoque ſecundo aſpiciatur, atque de poteſtate propinqua ad actum veniat. Non inquam colorem facit, vt forma quæpiam eſt abſoluta; ſed vt aſpectricem facultatem terminat, ab eáque conſpicitur. Neque id colori addendo quidquam; alioqui ex accidente, non per ſe, aſpectabilis eſſet: ſed perſpicuum faciendo actu, vt à colore moueri poſſit. Etenim nec medium facit perſpicuum; verùm id, quod ſua natura perſpicuum eſt, facit actu perſpicuum. Ita intellectus agens lumini perſimilis dicitur, dum res ſua natura & entitate actu primo intellectiles actu quoque ſecundo intellectiles efficit. Adhibito lumine producitur coloris ſpecies intentionalis, ſitque color actu ſecundo aſpectabilis: & accedente intellectu agente adeſt intellectilis ſpecies, eſtque res actu ſecundo intellectilis. At hæc in 3. lib. erunt examinanda.

Vſu item vocis ampliore, quo lumen quoque & vniuerſum aſpectus obiectum comprehendit, lumen perſpicui color appellatur: aërque & aqua colorata, hoc eſt aſpectabilia, dicuntur. Color verò quomodo extremitas perſpicui terminati definitur, dictum eſt in commentario. Neque mirum, ſi album interdum colorem dicant Peripatetici eſſe vt lumen, & nigrum ceu tenebras. Nam & imperfectiorem qualitatem perfectioris comparatione veluti priuationem eſſe, ſcimus ex tex. 18. lib. 1. de ortu & interitu, & tex. 22. lib. 12. metaph. & albus plurimum luminis habet admiſtum, niger eſt pene totus opacus. Alioqui tum Alexandri, tum aliorum Græcorũ interpretum aperta fuit ſententia, colores qualitates ſecundas eſſe ex elementorum permiſtione ortas: quod de veris ac perfectis coloribus intelligendum eſt. Quidam enim imperfecti ſunt & apparentes, qui ſolo lumine ſuſcepto aut reflexo refractóue in aliquo corpore conſtent. Huius generis colores nubium ſunt, Iridis, & ille, qui in infima cyathi parte cernitur. Solis verò deficiente lumine cuncta palleſcunt, non mutato colore, ſed cùm colores abſque lumine non cernantur, deficiente lumine minùs à nobis cernuntur.

Cur autem lumen tantopere ſit videndo neceſſarium, vt in tenebris nihil planè cernatur; non facilè dixeris. Nam quod plerique aiunt, neceſſarium eſſe, vt colorum ſpecies ad oculum proueniant; mihi quidem certè probari non poteſt. Tum quòd nullas eiuſmodi ſpecies eſſe credam.

Tum

Tum quòd si essent, non proueherentur à lumine, neque de subiecto in subiectum migrarent, alias atque alias aëris partes percurrendo.

Aut igitur id nobilitati ac dignitati huius operationis & sensus tribuendũ est. Nam propterea Timæus hunc sensum omnium sumptuosissimum appellauit, quòd pluribus, quàm cæteri sensus, indigeat. Hoc forsan (inquit Priscianus Lydus in Theoph. li. de anima cap. 21.) propriũ est aspectus, „ lumine videlicet indigere: non quia minùs sit perfectus, quã cæteri sensus, qui nullo alio externo indigent perfectore: sed quia præstantiorem sublimioremque actionem habet. Cui potentia non „ suppetit sensualis, sed diuiniorem insuper quandam desiderat speciem. Sicut enim corpus nostrum ad hoc quidem, vt graue sit atque descendat, „ non indiget anima; sed ad ipsum progressionis apprehensionisque motum propter excellentiã motionis naturalem corporis motum exuperantis: „ sic & visus cæteris excellentior, propterea quòd „ excellentiùs operetur, alio quodam vtitur perfectore. Addit & in cap. 22. luminis item ipsius præ„ stantiam. Hæc, inquit, opulentia quædam est, tum „ visibilis omnium primi, quod lumen esse dicimus; „ cætera videlicet videnda perficere: tum ipsius vi„ dendi potentiæ, sentientis scilicet non solùm „ lumen, sed alia quædam ipsius luminis bene„ ficio.

Aut ex eo deducendum erit, quòd cùm per interiectum medium videre oporteat, aliquid necesse sit esse oculo, medio, & obiecto commune; quo actu fiant, vt circa obiectum facultas agat. Oculi pupilla & medium perspicua sunt: actus perspicui lumen est: adesse igitur lumen oportet, vt hæc actu fiant. At hæc peruia sunt, obiectum terminatum; illa vbique, hoc in extremitate saltem suscipiunt lumen; vt eadem sit & communis omnium conditio, eodémque & communi actuata actu operatio promatur. Itaque lumen dixit Priscianus cap. 14. eiusdem lib. vtrinque perficere, tum visurum ad videndum, tum visibile vt videatur. Neque enim aut visibile aget in visurum sine lumine, aut visurus aget aliquid circa visibile. Visibile autem iuuatur lumine, quòd illius colorem viuaciorem & ad visum mouendum efficaciorem reddat. Nam & in colorum generatione lumen formæ vim habet, opacum & perspicuum sunt vt materia.

Maximum ob ictũ lumẽ, minimum meãy, & organi. Maximum igitur obiecti lumen esse oportet; quoniam illud facultatem mouere debet atque ad operandum excitare: naturalisque eius opaca & obscura conditio magis iuuanda est: perspicuis vel exigua sufficit lux. Deinde cùm sensile positum supra sensum non sentiatur; & medium eo carere oporteat, quod per illud sentiri debet: plus omnino in medio, quam in oculo; plúsque in obiecto, quàm in medio, necesse est luminis esse. Propterea lumen admouemus obiecto: & quò magis obtenebratur oculus, meliùs videt; manúmque admouemus oculo, vt acutè cernamus: atque ex obscuriore loco vel minimum lucidum corpus & stellas minimamúe lucernam licet remotissimam nocte, non die, perspicimus. Quæcumque tamen obiectum illuminatum postulant, eadem aliquod item, licet remissius, in medio & oculo lumen requirunt.

De colorum generatione. Iam ergò de colorum natura, cognitu quidem difficillima, sed iucundissima, & de qua extant scripta perpauca; Epicurus olim, Democritus, & qui cum illis philosophati sunt, ex atomis omnia conficientes, ex non coloratis atomis permistis colorata corpora fieri voluerunt. Empedocles ex elementis actu coloratis, vt in 1. lib. naturalium quæstionum cap. 13. auctor est Alexander.

At Aristoteles in cap. 3. lib. de sensu & sensili, cæterique peripatetici, ex elementorum permistione perfectos existere colores docuerũt. Duplex namque colorum genus agnoscimus. Quidam sunt imperfecti, in Iride, nubibus, aliisque similibus suscepto lumine in opaco quopiã corpore, reflexoque aut refracto. Quique à pictoribus fiunt, dum duos pluréue sue componendo alium quempiam colorem efficiunt. Accedit persæpè distantia aut propinquitas. Nam remotus aër videtur niger, dum plurimas illius partes per lineam rectam aspectus transiens, eas velut densatas conspicit. Propinquusverò albus, quòd facilè penetretur absque impedimento aut opacitate vlla, quæ nigrorem pariat. Fit etiam, vt impingat lumen in corpus coloratum; quod dum aspicimus, circumiectus quòque aër & luminis radij eodem videntur colore affecti. Luminis radij apparent flaui, si in aureum incidant nummum. Denique lumen per vitrum coloratum transiens atque in alio susceptum corpore colorem in eo eundem refert: eodem scilicet colore imbutum. *Duplex colorum genus.*

De his nunc non est sermo: sed de altero perfectorum genere. Eos peripatetici ex elementorum permistione fieri prodiderunt. At hæc duobus modis spectantur. Altero, vt principibus illis qualitatibus, calore, frigore, humore, siccitate, prædita sunt. Altero, vt lucida sunt, opaca, & perspicua. Lucidus est ignis, opaca terra, perspicua reliqua duo. Colores nequaquam ratione prioris generis qualitatum existunt, nisi remotè, quatenus illarum actione ac passione permiscentur hæc corpora. Quamob causam secundæ qualitates nominantur. Quod vel ex eo intelligas, quòd albedo inest in summè calidis, vt in calce; & in summè frigidis, vt in marmore: in summè humidis, vt in lacte; & in summè siccis, vt in ligno, capillis, & lana. Calor quædam efficit nigra, vt cutim & carbones; alia alba, vt calcem & ossa. Frigus in quartana febri denigrat, dealbat in niue, grandine, aliisque pluribus. Quædam sunt alba & calida, vt saccarum, sal, calx: alia frigida, vt lac, marmor, nix. Quædam nigra & calida, vt piper; alia frigida, vt oppium, attramentum, sepiæ, ebanum. Quam ob causam nec medici ex coloribus temperaturæ argumentum sumũt, nec ex illis iudicant, calidáne an frigida, humida siccáue sint medicamenta. Sed aliquam aliam necesse est proximam subesse causam: ea est alterum illud qualitatum genus, lumen, opacitas, perspicuitas: quæ dum mutua caloris, frigoris, humoris, & siccitatis actione alio atque alio modo permiscentur ac temperantur, alios atque alios corporibus mistis colores adferunt. Nam & lumine quocumque modo in opaco suscepto plurimos manifestum est imperfectos colores existere. Quare si illud ipsum lumen accuratè magis fuerit cum opaco permistum & temperatum, perfectos omnino procreabit colores. Hinc est, quòd color dicitur esse actus perspicui terminati. Opaco enim permisto cum luce & perspicuitate oritur. Opacitasque terminat nec lumini peruia est. Si opacitatem tollas, perspicuum supereſt interminatum, cuius actus est lumen. Ita colorem definies qualitatem secun- *Vt colores ex elemẽtis oriãtur.* *Coloris definitio*

dam esse, lucidi, opaci, & perspicui permistione constantem.

Cœlũ & elementa colore carent.

Cœlum & simplicia elementa colorem nullum habent. Etenim pars ea cœli, quæ est perspicua, vt non est terminata, ita nequit esse colorata: quippe color terminati perspicui actus est. Astra verò solam habent lucem; etsi pro varia medij dispositione alios atque alios colores referant. Orientem aspicias solem, propter interiectorum vaporum multitudinẽ apparet flauus: in meridie absumptis illis candicat. Si crassiores sint vapores, rubeum dices: nigrum penè, si crassissimi. Ignis quoque sola luce præditus est. Domesticus ignis propter fumi terræque & opacæ materiæ permistionem colores varios ostentat: album, si fumus rarus, paucus, probéque digestus; flauum, si crassior; rubeum etiam, si multus; nigrum, si crassissimus, vt in picis flamma: immò & viridem, si quid accesserit materiæ aqueæ, quod non benè possideatur ab igne; vt in sulphure, imáque candelæ flamma propè ceram.

Ignis.

Aër & aqua.

Aërem & aquam colorata dixit Philosophus ampliore, vt dictum est, vocabuli vsu. Alioqui neque lucem habent, sed perspicuitatem, qua luci peruia sunt. Neque colorem: tum quia hic solius terminati corporis actus est & extremitas: tum quia cũ ambo hæc corpora instituta sint, vt omnis motus, tum naturalis, tum animastici, hoc est sensionis, medium; colore omni carere debuerunt, vt per ea colores omnes conspicerentur. Hinc & mista, quæ aëre abundant & aqua, colore carent; vt vitrum & cristallus.

Terra.

Terram Hieronymus Cardanus in 2. de subtilitate lib. sua natura coloratam dixit; pullam inquam, seu etiam nigram. Terra enim pulla & nigra omnium optima & fertilissima. At fertilitatem aquæ & aëris permistionem ostendere, confirmabit Philosophus in tex. 50. posterioris lib. de ortu & interitu. Quippe elementum simplex non nutrit. Quod Theophrastus in lib. de coloribus cap. 1. album appellauit, & coloratam Priscianus in librum eius de anima cap. 17. non est de vero albore accipiendum: cùm & hunc Aristoteles igni potiùs tribuerit, terráque sit igni contraria: & nigra magis videatur esse debere, cùm opaca sit & tenebrosa. Nam & albor ad lucem, nigrorque ad tenebras referuntur in cap. 3. lib. de sensu & sensili: & album velut habitus est comparatione nigri: ac demum terram, si cum igne compares, vt non est lucida, ita quasi priuatam dixeris. Verùm propterea ita loquutus est Theophrastus, quòd nullum colorẽ habeat; sed ad omnes indifferens albicare propemodùm videatur. Quemadmodum & cinis: quoniam humor, qui colorabat, extractus fuit ab igne. Quamquam cinis terra pura non est (falsus enim) & ideò colorem aliquem habere potest. Opaca igitur terra lucem solùm in superficie suscipit.

Simplicium corpor. dispositio.

Ita pulcherrima existit simplicium corporum dispositio. Cœlum lucidum simul est & opacum, perspicuum terminatum & interminatum, ratione diuersarum partium: ignis lucidus totus & perspicuus: terra opaca & vix in superficie suscipiens lucem: aër & aqua interiecta corpora perspicua tota ac luci peruia. Color propria est mistorum corporum qualitas. At ea, in quibus abundat ignis, lucent præsertim; vt noctiluca, oculi fellis, & similia. Si dominentur aër & aqua, nullus est color; quòd illorum corporum interminata perspicuitas retineatur, vt in cristallo & vitro.

A Ergo dominante terra producitur alius atque alius color, vt ea fuerit alio atque alio modo cum cæteris elementis temperata. Dúmque tria hæc adgnendum colorem conueniunt, terra opaca, ignis lucidus, aër & aqua perspicua; opacitas, & perspicuitas velut materiæ dispositiones sunt, lux tanquam agens & forma (lucidum & opacum solarumque nominantur, vt agens & præcipua materiæ pars). Quemadmodum enim solis lux forinsecùs aduenies opacitati nubis, ceu quædam illius forma, colorem procreat imperfectum, qui breui tempore dissoluatur; sic intrinseca lux corporis, quod cum opaco alio accuratè permisceatur, colorem perfectum gignit; tandiúque permanentem, quandiu substantialis permistio durat.

Ex quo intelligas obiter substantiales elementorum formas oportere in permistis corporibus actu asseruari. Quoniam si lux & opacitas elementorum intrinseca colores hosce debent efficere, luxque & opacitas proprietates sunt, quæ formas elementorum comitentur; non remanebunt llæ in mistis, si hæ aboleantur.

Colores porrò ex lucido, opaco, & perspicuo non ita creduntur fieri, vt color formaliter sit lux cum duabus cæteris qualitatibus temperata. Nam C aut esset essentialiter lux, aut ens ex accidentij trium scilicet illarum qualitatum complexus. Coloratáque corpora per insitam sibi lucem conspicerentur; vt ea, quæ propterea vocantur noctiluca: neque opus esset externo lumine. Sed de materia & efficiente causa ita id intelligendum est, vt ex illorum corporum permistione vt ex materia, atque ab illa efficiente causa, fiat color diuersa qualitas à luce, opacitate, & perspicuitate. Nam si in elementorum permistione lucidum & perspicuum opacitatem, reliqua scilicet tria elementa tertam, non mole & quantitate, sed qualitatibus illis superent; color existit albus: si contra eueniat, niger. D Si multum adsit lucis & perspicuitatis, multúmque item opacitatis, rubeus. Si parum ex omnibus, reliqui omnes colores, vt alia atque alia fuerit contemperatio.

Non leuem adferunt difficultatem nix & spuma; in quibus sola aëris & aquæ, quæ ambo perspicua sunt, permistione color albus existit. Ideò dubitant multi, num sola perfecta mista sint colorata, imperfecta non item. Ita sensit Albertus, dum de niue loqueretur in primo meteororum lib. eam inquiens videri albam, at non esse. Dicat & Anaxagoras nigram. Mihi certum est, non omnia quatuor elementa colori perfecto gignendo necessaria esse: sed si vnum desit, aër aut aqua, posse illum ex reliquis tribus procreari. Adsunt enim lux, perspicuitas, & opacitas. Niuis & spumæ albo- E rem probabilissimum est proprium & perfectum colorem non esse, sed variam lucis reflexionem in minimis illorum corporum partibus. Si namque minimam spumæ bullam seorsim acceperis, nullum ea colorem habebit: omnes autem simul, dum vicissim reflectunt lucem, imperfectum illum colorem faciunt. Vitrum quoque in minutissimas contusum partes eamdem ob causam albescit; cùm tamen singulæ nullius coloris sint. Nix tamen permanentem videtur habere alborem. etsi enim compressa coloris aliquid amittat, alba tamen persistit. Oritur is color ex terræ opacitate cum habitu permista; quæ tamen magnopere ab aëris & aquæ perspicuitate superatur.

tur. Est tamen imperfectus color : quoniam externam solam lucem habet, non intimam ignis permistionem. Ideò nimia luce aspectum lædit; luxque potiùs, quàm perfectus color, videtur.

Sola supersunt perfecta mista perfectis coloribus prædita : quòd sola internæ lucis cum opacitate & perspicuitate permistione constant. Non in omni tamen perfecto misto necesse est perfectum inesse colorem. Quædam sunt perspicua peruia, quæ colorem potiùs transuehant, vt medium, per quod colores omnes videantur; quemadmodum vitrum, cristallus, lapides quidam, & animalium nonnullorum, immò & omnium, oculi. Cùm enim colores omnes percipere debeant, colorati dicendi non sunt, sed perspicui, qui à colore mqueantur : quippe color est motiuus eius, quod est actu perspicuum, hoc est medij & oculi, quæ actu illuminata fuerint. Quòd si colorati videantur, exténtque complura, tum apud Aristotelem in 3. lib. de animalium procreatione cap. 1. tum apud alios de illorum coloribus : sanè duæ tunicæ, adnata & vuea, coloratæ sunt; illa alba, hæc subnigra : reliqui colores apparent ac minùs veri sunt, ex varia lucis permistione profecti; vt in nubibus. Illorum causam Philosophus cristallini humoris abundantiam esse voluit. Nam si multus fuerit, qui minùs penetretur à lumine, niger fit color : sin paucus penetretur faciliùs, existit albus; ac medio modo glaucus & reliqui. Accedunt, tum vuea tunica, tum multus aut paucus albugineus humor, & spiritus situsque oculi aut prominens aut reconditus. Multus enim humor & spiritus situsque prominens glauciſſimum & subalbum seu citrinum colorem reddit : contrà exiguus & latens nigrum; medius habitus colorem item medium & varium.

Colores oculi.

Velut extremi & omnium primi censentur albus & niger : quidquid nonnulli secus dixerint. Nam & id apertis verbis asseruit Philosophus in tex. 47. lib. 1. Phys. & aliis in locis : essèque hos duos colores in perspicuo terminato, quod in peruio sunt lumen & tenebræ, adiecit in cap 3. lib. de sensu & sensili : & ratio confirmat. Tum quia contrarij sunt, neque ex aliis, neque ex sese vicissim componuntur; sunt igitur primi, simpliciſſimi, extremi. Tum quia cùm primus colorum ortus ex lucido sit & opaco; plurimum alter habet lucis, alter totus ferè opacus est. Accedit & illud ex tex. 4. lib. 2. metaph. & tex. 3. lib. 10. primum in vnoquoque genere cæterorum mensura est. Hos enim duos colores cæterorum mensuram verè dixeris, quòd ex illorum permistione alij complures fiant. Albus simplicior & prior nigro existimatur, veluti lux & habitus: lux enim & habitus tenebris & priuatione priora sunt. In coloribus, inquit Philosophus in textu septimo libro 10. Metaph. est vnus color, nempe albus; deinde alij ex hoc & nigro fieri videntur : nigrum autem priuatio est albi sicut tenebræ lucis. Propterea colores omnes alios facilè suscipit, quòd & prior & simpliciot & veluti habitus. Faciliusenim habitum, quàm priuationem, deserere.

Colores extremi albus & niger.

Iandunus porrò in libro de sensu & sensili quæstione 19. colores medios ex extremis componens, nullum fecit certum colorum numerum, quòd extremorum compositio infinitis modis variari queat. At colorum omnium principia fuere iam posita, lucidum, opacum, perspicuum; & Aristoteles in capite 3. & 6. illius ipsius libri non coloris modò, sed & sensilis cuiusuis obiecti non posse infinitas esse species demonstrauit : quoniam vbi sunt extrema, necesse est media esse finita. Septem igitur omnino species statuantur. Duæ extremæ, album & nigrum : illud maximè accedens ad lumen, hoc ad opacitatem; & ideò alterum maximè, alterum minimè aspectabile. Inter hæc medium est viride; quod propterea in probl. 20. sect. 31. tantopere dicitur esse aspectui gratum. Inter viride autem & album continentur, tum puniceum seu croceum, accedens magis ad album, & consonantiam habens diapason, duorum ad vnum, duorum inquam graduum lucis & vnius opacitatis : tum citrinum seu cæruleum, quod magis declinatad viride, & proportione constat diapente, trium ad duo; trium graduum opacitatis & duorum lucis. Ac demum inter viride & nigrum sunt, tum purpureum seu violaceum, accedens magis ad nigrum, proportione diapente, trium opacitatis graduum & duorum lucis : tum rubeum, quod propiùs accedit ad viride, proportione diapason, duorum lucis graduum & vnius opacitatis. Hæ sunt præcipuæ species. Extremæ ingratæ lædunt, gratiores mediæ confortant; maximè omnium viride.

Coloris species quot, & quæ.

At enim pluribus in locis affirmauit Philosophus, colores medios ex extremis componi. Fateor : neque vsquam compositionis modum exposuit. Quatuor igitur modos cogitare licet. Primus sola extremorum in partes minutiſſimas diuisorum iuxta positione constet. Hanc nullus veram & perfectam colorum constitutionem dixerit; quòd nullam habeat extremorum permistionem. Alter pictoribus est familiaris, dum colorem vnum obducunt alteri. Cæruleo enim aquam maris repræsentanti obducunt album referentem spumam, mediúsque color efficitur spumantem aquam representans. In natura sæpiùs idem animaduertas, dum erubescit quispiam. Nam ex cutis albore sanguinisque accedentis rubore medius efficitur color. At ne hæc quidem est vera permistio; sed sensus iudicio, qui dum inferiorem colorem per superiorem aspicit, tertium distinctum atque ex vtroque permistum iudicat. Tertius compositionis modus ita fieri posset, vt duorum extremorum colorum refractione ac remissione alter eorum totum peruaderet alterum; quemadmodum in alteratricibus euenit qualitatibus. Fuit hæc Auerrois sententia in primo libro Phys. comm. 56. & 5. li. comm. 6. 19. & 25. & 4. lib. de cœlo comm. 26. & in paraphrasi libri de sensu & sensili & 10 lib. metaph. comm. 23. quam Iandunus probabilem iudicauit. quòd si in comm. 7. lib. 10. metaph. negauit idem Auerroës medios colores ex albo & nigro tanquam ex duobus principiis componi; sustulit contradictionem Marcus Antonius Timara, colores medios non componi ex extremis vt ex mensurantibus principiis; quippe solus albus colorum perfectionem mensurat, quia primus & simpliciſſimus : non item niger, quia velut albi priuatio : eos tamen esse actu in coloribus mediis atque illorum naturam constituere. Cur ita de horum colorum natura senserit Auerroës, hæ fuerunt causæ. Primùm, quo-

Vt colores medij ex extremis cõponãtur

Auerrois sententia.

niam eos ex extremis constare affirmauit sæpè Philosophus. Deinde quia ab extremo fieri non potest motus nisi per medium.

Quæ si ita habeant, necessariò consequens est, colores medios nec inter se nec ab extremis differre specie: quòd nil aliud, quàm extremorum remissorum coniunctionem significent. Sicut & tepor ex calore & frigore remissis qualitas non est ab illis essentia diuersa. Itaque nec fuerint veri, sed apparentes colores: re ipsa verò nil aliud, quàm extremorum copulatio. Innumerabilésque colorum erunt species, vt inquiebat Iandunus; quòd extremi possint innumerabilibus modis complicari. Hæc quàm sunt absurda, tàm ostendunt manifestè secus omnino accipienda esse Philosophi verba, cùm colores medios ex extremis componi pronuntiauit. Duplicémque illorum productionem distinguendam. Altera est per motum, qui ab extremo fiat ad extremum, ab albo ad nigrum. Quo modo vera esse videntur ea omnia, quæ ex Auerrois sententia dicta sunt: hócque intellectu dici posset eum fuisse loquutum, & omnis tolleretur contradictio. At hæc productio accidentaria prorsus est naturæ essentiæque colorum. Essentialis illa, quam antea indicaui, ex lucidi, opaci, & perspicui permistione; qua tum extremi, tum medij colores omnes per se primùm essentialiter constant: Ita tamen, vt non in impartibili consistere, sed latitudinem quandam habere singuli intelligantur. Mediorum hanc productionem, non actu, sed quarto quodammodo, nempe virtute, ex extremis esse perspicuum est. Actu enim ex lucido, opaco, & perspicuo, non minùs, quàm extremi, componuntur. Tum quia compositio hæc propria est & essentialis cuilibet colori; cùm ex ea per se oriatur color. Tum quia colores quoque medij qualitates sunt simplices; quippe simplici modo immutant sensum: quare per se primùm ex coloris principiis oriri debent. Quoniam tamen multum lucis cum minimo opaco facit album, multúmque opaci cum minima luce nigrum: colores reliqui omnes verè dicuntur ex his constitui; quòd eædem causæ, quæ per se primùm generare debuissent album & nigrum, si paulò magis abundassent; reliquos procreant colores medios, dum paulò magis temperantur. Flauus color, inquit Simplicius in com. tex. 26. lib. tertij cùm simplex re vera sit, non autem ex commistione albi & nigri, qui sunt colores extremi, à natura constitutus; sed proprius & simplex color, vt dictum est; nihilominùs ex vtrisque dicitur esse extremis, ob communicationē & participationem de vtroque omnium mediorum. Verùm interruptam Philosophi verborum interpretationem prosequamur.

Duplex colorum productio.

TEXTVS.

Ἐστι δὴ τὸ διαφανὲς. Διαφανὲς δὲ λέγω, ὃ ὄντι μὲ ὁρατὸν, οὐ καθ' αὑτὸ δὲ ὁρατὸν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀλλὰ δι' ἀλλότριον χρῶμα. τοιοῦτον δὲ ὄντι ἀὴρ, καὶ ὕδωρ, καὶ πολλὰ τῶν στερεῶν· καὶ γὰρ ὕδωρ, καὶ ἀὴρ, διαφανές· ἀλλ' ὅτι ὄντι φύσιν ἐνυπάρχουσα ἡ αὐτὴ οὐ πύτοις ἀμφοτέροις, καὶ ἐν τῷ ἀϊδίῳ τῷ ἄνω σώματι.

Est igitur aliquid perspicuum. Perspicuum autem dico, quod est quidem aspectabile, non autem per se aspectabile, vt simpliciter dicam; sed propter externum colorem. Huiusmodi autem est aër, & aqua, & multa solidorum. Non enim quatenus aqua, neque quatenus aër, perspicuum. Sed quoniam est natura, quæ eadem ineest in his vtrisque & in sempiterno illo superiore corpore.

COMMENTARIVS LXXXVII.

DE perspicuo igitur primo loco dicturus tria exponit. Primum, quid sit perspicuum. Alterum, quænam sint ea corpora, quæ perspicua esse dicuntur. Postremum, quid in illis insit, propter quod perspicua nominentur. Hoc enim ipsum erat necessarium, vt quid sit perspicuum intelligeretur. Est autem sermo de puro & peruio perspicuo; non de eo, quod opacitate permista terminatum est. Nam & antea de hoc solo loquutus fuerat, & huius solius nunc exempla commemorat. Terminati autem perspicui proprius actus color potiùs est, quàm lumen.

Ergò quid sit perspicuum, verè exposuit in lib. de sensu & sensili cap. 3. cùm naturam quandam & virtutem esse dixit aëris & aquæ ac similium corporum communem, qua lumen vbique possunt suscipere. Quam definitionem spectans Priscianus Lydus in Theophrasti lib. de anima cap. 14. aptitudinem quandam esse scripsit ad suscipiendum lumen, & velut exile luminis vestigium quoddam. Nunc autem non tam quid sit, quàm quale sit docet. Nimirum consentaneè loquens definitioni coloris in superiori textu expositæ: perspicuum quoque non absolutè, sed per comparationem ad sensum & quatenus sensile est definire voluit. Perspicuum inquiens illud esse, quod ex se aspectabile non est, sed solùm propter externum colorem, quem suscipit: quemadmodum inter simplicia corpora aër & aqua: & inter ea, quæ mista sunt & solida, vitrum, cornu, & alia quædam. Hæc enim si per se considerentur, nihil habent insitum & connaturale, quo videantur, neque lumen, neque colorem: sed tunc demum videntur, cùm aut illuminantur, aut externum colorem imbibunt. Ex se autem nullum habere colorem possunt; quoniam color terminatorum corporum proprius est: quem si hæc vllum haberent, perspicua non essent, nec pellucerent: idcirco autem sunt perspicua, quòd nullo colore proprio sint affecta.

Cæterùm quòd externo colore susceptо perspicuum videri Themistius interpretetur de traiectitia virtute colorum, vel etiam contrariorum, qui per aërem aliáue perspicua corpora transmittuntur ad oculum; nullo modo probare possum. Quoniam traiectrix illa virtus nec videtur, nec visa efficit illud corpus, in quo inest. Non n. aut aërem aut aquam aut vitrum cernimus alba, aut nigra, rubra aut viridia: quòd colores hosce traiiciant ad oculū. Sed aut lumen intelligo, quemadmodum Priscianus quoque interpretatus est in cap. 16. Alterius, inquit ille, color lumen dicitur, tanquam aliunde ideſt,

id est ab illuminante procedens. Aut lumen & colorem ipsum realem, quo si huiusmodi corpora ab exteriori causa fuerint affecta, vt si aër aut aqua illuminentur, aut etiam aqua vitrumue colore quopiam liniatur, aspectabilia statim euadunt. Nam etsi de aëre dubitari possit, an illuminatus cernatur: hoc tamen argumento probat Philoponus; quòd non modò nos, sed bestiæ quoque; nec alio sensu, quàm aspectu; manifestè cognoscunt, quando dies est, & quando nox. Quia scilicet illuminatum aërem conspiciunt: Tunc que prodeunt ex antris, ad eaque abeunte lumine redeunt. Lumen enim ait Themistius in textu 69. aërem visilem facit, quemadmodum sua colores corpora. Itaque perspicuum, tum illuminatum videtur, tum coloratum. Sed quando illuminatum est, videtur quatenus perspicuum: quando autem coloratum, quatenus quoquomodo terminatum. Atque hæc corpora simul possunt esse illuminata & colorata; simul pellucida & quoquomodo terminata; simul in se ipsis videri & esse media ad videnda alia: quæ omnia in colorato vitro facilè apparent.

Nam aër videatur.

Sed colorem Philoponus & Simplicius lumen solum interpretantur; quia lumen est velut color perspicui, vt in sequenti textu quasi hæc verba exponens affirmabit Aristoteles. Quoniam tamen non omnino dicet esse colorem, sed vt colorem perspicui, hoc est id ipsum esse lumen in perspicuo peruio, quod est in terminato color: malo nunc coloris appellatione quidpiam colori & lumini commune intelligere; sicut & antea dixit Aspectabile esse colorem; colorem ipsum & lumen comprehendens. Siquidem vtroque modo perspicuum fit aspectabile, siue colorem suscipiat, siue lumen: neutro tamen modo per propriam & naturalem, sed per aduentitiam qualitatem. Ac aër quidem & aqua pura per solum lumen, non per colorem: quoniam corpus simplex coloratum esse non potest. Corpora autem mista vtroque modo, & per lumen, & per colorem. Et tum perspicuo quidem, tum colorato conuenit, sine lumine non videri. At perspicuum vt perspicuum, quatenus illuminatum est solùm, videtur: coloratum verò, & vt illuminatum, & vt coloratum.

Perspicuitas pluribus corporibus communis.

Iam quoniam non solus aër aut aqua corpora sunt perspicua, sed complura item mista & solida: propterea aërem & aquam sapienter subiungit non esse perspicua, quatenus aër aut aqua sunt. (si enim quatenus aër, solus aër & ea, quæ aërea sunt, perspicua essent: eodemque modo si quatenus aqua) sed propter communem aliquam naturam, quæ & in aëre est & in aqua (non nominat autem mista corpora, quæ perspicua quoque esse dixerat; quoniam illorum perspicuitas ab altero est horum elementorum in illis abundante) & in superiore cœlesti corpore. Nam præter hæc inferiora cœlestia item esse perspicua, ostendunt superiorum orbium astra; quorum aspectus ab inferioribus orbibus non prohibetur. Sola astra non sunt perspicua, & ideò superiorum aspectum tollunt: indeque solis eclipsys lunari astro interposito. Cœleste igitur corpus, vt in cæteris, ita in perspicuitate, primatum obtinet: deinde sequitur aër, tum aqua: ab his accipiunt corpora mista, quæcumque perspicua sunt. Quare vt hæc corpora diuersam habent naturam, sic eorum nulli dici potest ineſſe perspicuitas per essentiam: (si quidem nulli inessent alij) sed conditionem aliquam esse oportet omnibus illis communem, ex qua perspicuitas oriatur. Quod enim interpretantur aliqui, non naturam aliquam, ratione cuius perspicuitas consequatur; sed ipsam perspicuitatem hisce corporibus esse communem; minimè videtur cum Philosophi verbis consentire. Perspicuitatem namque potiùs probat esse communem; quia non conuenit singulis quatenus propriam & specialem habent naturam; propterea quòd cæteris non conueniret, sed quatenus communi aliqua naturæ conditione, ex qua ea oriatur, prædita sunt. Perspicuitatem dicere possumus aptitudinem esse ad suscipiendum lumen, quæ in perspicuo peruio ineſt in toto corpore, in terminato in sola superficie. Conditionem autem cœlo & reliquis corporibus communem, ex qua aptitudo ea nascatur, non est facilè nominare; & innominatam penitus esse dixit Auerroës. Dici tamen potest eiusmodi esse raritatem cum tenuitate quadam, & (vt ita loquar) spiritalitate partium coniunctam; qua in re cœlestes orbes cum elemẽtis perspicuis conueniunt: si quidem & orbes perspicui minùs densi sunt, quàm astra opaca; & elementa item perspicua minùs densa, quàm terra opaca. An verò huiusmodi perspicuitas de cœlo & inferioribus corporibus synonimè dicatur, an per prius & posterius vt sensit Albertus; hoc loco non disputo, sola Philosophi interpretatione contentus.

TEXTVS.

Φῶς δέ ἐστιν ἡ τοῦ διαφανοῦς ἐνέργεια τοῦ διαφανοῦς ᾗ διαφανές· ἔστι δὲ οὗ μὲν ἐν οἷς τοῦτο ἔστι, καὶ τὸ σκότος.

Lumen autem est actus huius perspicui, quatenus perspicuum. Potestate autem, in quibus hoc inest, & tenebræ. Tex. 69.

COMMENTARIVS LXVIII.

QVoniam color videri non potest sine lumine; prius dixit agendum esse de lumine. Et quoniam quid sit lumen exponi sine perspicuo non potest; primùm omnium de perspicuo dixit, tanquam de materia & subiecto luminis. Nunc ad lumen accedens, tanquam ad formam & perfectionem illius, his verbis definit; lumen est actus perspicui, quatenus perspicuum est. Propterea igitur agendum priùs fuit de perspicuo; quoniam in luminis definitione nominandum erat. Definitio enim ex notioribus seu antea explicatis adferri debet. Et ideò etsi perspicuum quoque definire potuisset per lumen; per colorem tamen maluit definire, quia colorem iam definierat; de lumine nihil adhuc dixerat. Quam ob causam colorem externum, quem in definiendo perspicuo nominauit, meliùs, quàm lumen, interpretabimur aut colorem ipsum aut id, quod colorem & lumen comprehendit. Accommoditissima verò hæc est definitio tractationi, quam de lumine hoc loco instituit. Non enim lumen considerat in subiecto naturali, corpore lucido, sole aut igne (immò in capite 3. libri de sensu & sensili addidit esse actum perspicui ex ac-

cidenti ; hoc est eius, quod ex se lumen non habet, sed aliunde accipit) nam hoc ad tractationem potiùs de cœlo aut elementis pertineret. Sed in externo & non naturali subiecto, in quo à naturali diffusum suscipitur. Et vt est conditio medij necessariaque dispositio ad videndum colorem, vt ex textu 66. & 67. manifestum est.

Lumen quid.

Ergo lumen est actus, perfectio, & forma huius perspicui, quod dictum est ex se aspectabile non esse, sed solùm per externum colorem: quia ex se nec lumen habet sibi proprium, nec colorem ; sed tum demum aspici potest, cùm horum alterum aut vtrumque suscipit. Est autem actus huius perspicui, hoc est perspicui peruij, aëris & aquæ & solidorum quorumdam. Atque ita definitur lumen per proprium subiectum; quo distinguitur à colore, qui terminati potiùs perspicui actus est. Denique actus dicitur huius perspicui, hoc est perspicui, quod sit actu aspectabile; quemadmodum in eius definitione positum est.

Lumen energia potiùs, quàm entelechia perspicui.

At actum non ἐντελέχειαν nominauit, quæ actum perfectum seu habitum; sed ἐνέργειαν, quæ operationem potiùs seu actum imperfectum cum operatione iunctum significat. Sicut etiam in definitione coloris ; cùm eum dixit motiuum esse perspicui actu illuminati. Etenim hoc perspicuum non habet proprium lumen ceu permanentem habitum, sed externum dumtaxat & aduentitium, semperque cum illuminatione coniunctum. Nam statim atque desinit externi corporis illuminatio, desinit & in perspicuo lumen. Propterea lumen energia potiùs est quàm entelechia perspicui. Et ideò dicitur quoque esse præsentia corporis lucidi in perspicuo: non quòd formaliter nil aliud sit, quàm præsentia ; sed quòd ex lucido corpore præsente in perspicuum deriuetur, tamdiuque in eo perseueret, quamdiu illud fuerit præsens ; eoque recedente statim recedat ; & quod erat illuminatum, relinquatur tenebrosum. Absentia enim & priuatio luminis tenebræ sunt : & vt perspicuum præsente lumine illuminatur & fit actu, quatenus est perspicuum, hoc est quatenus est aptum ad suscipiendum lumen. Aut non quatenus est aër, aut aqua, aut aliud eiusmodi corpus, sed secundum generalem conditionem perspicuis omnibus corporibus vel etiam cœlo communem ; qua sunt ad suscipiendum lumen apta : sic eo remoto efficitur tenebrosum ; & dicitur esse potestate ; quoniam ad lumen, quo caret, rursum accipiendum est aptum. Hoc enim est, quod ait, (potestate autem, in quibus hoc inest & tenebræ) hoc est corpus illud, quod naturam eam habet perspicuis omnibus communem, & est tenebrosum carensque lumine, potestate ad lumen esse dicitur. Hoc est perspicuum quatenus perspicuum ; cui dum accedit lumen, facit actu perspicuum : atque hæc est propria perspicui forma & perfectio.

Lumen eius præsentia corporis lucidi in perspicuo.

Idcirco enim Simplicius, cùm lumen audit appellari energiam perspicui, duplicem distinguit energiam ; alteram perficiendi vim habentem ; alteram procedentem & manantem à sua causa. Lumen namque, quod est in corpore lucido, entelechia quidem dicitur, dum absolutè consideratur & velut habitus in proprio & naturali subiecto : verè tamen est etiam energia, dum operatur & illuminat cætera : energia inquam, promanans à sua & naturali causa. At dum est in perspicuo, Actus & energia perspicui appellatur ; non ab eo promanans, sed illud perficiens. Et quatenus quidem emanat, actionem appellant Latini ; quatenus autem suscipitur & perficit, actum & formam.

Possumus & alio modo interpretari illa verba (potestate autem, in quibus hoc inest & tenebræ) si potestatem hanc, de qua Philosophus loquitur, non potestatem consequentem luminis remotionem à perspicuo, sed illius potiùs aduentum antecedentem, intelligamus. Vt cùm perspicuum dixisset non in sublunaribus modò, sed & in cœlestibus reperiri ; mox voluerit hæc duo corporum genera hac ex parte distinguere, quòd in cœlestibus sit perspicuum semper actu illuminatum, numquam cum potestate & priuatione : at in sublunaribus interdum sit actu, interdum potestate. Quoniam ad hæc interdum accedit corpus lucidum, interdum ab illis recedit: & ideò hæc interdum sunt illuminata, interdum tenebrosa : vtriusque scilicet subiecta, luminis & tenebrarum.

Ex quo loco verè colligunt Simplicius & Philoponus, lumen & tenebras non opponi tanquam duas formas contrarias & pugnantes, sed velut formam & priuationem ; tenebrasque solam luminis priuationem & absentiam significare. Neque ad tenebras inest in perspicuo potestas, sicut ad lumen : quia cùm priuatio sit non ens, nullam ad se suscipiendam in subiecto potestatem postulat : sed potestas, quæ est ad formam, interdum eam habet, interdum ea caret. At leuis est ratio, qua tenebras probat Simplicius positiuum aliquid non significare contrarium lumini : quoniam esset opus duplici potestate. Etenim materia simplici potestate formas omnes, licet contrarias, suscipit. Porrò si lumen & tenebræ priuanter opponuntur, colligit Philoponus, lumen non esse corpus, sed formam : quia priuationi forma, non corpus, opponitur.

Dubitationem de luna proponit Simplicius, quæ terrenæ vmbræ cono subintrante solis lumine priuatur. Verùm non luna, sed reliquus lunaris orbis perspicuus est ; luna autem opaca, & ideò ipsa solis aspectum nobis præripit: orbis autem reliquus, qui perspicuus est, nec superiorum syderum aspectum impedit, nec eorum vnquam priuatur lumine : quemadmodum nec orbes reliqui. Et quamuis pars orbis aliqua lumine priuaretur ; ea tamen, inquit Philoponus, præ toto reliquo orbe est minima. Ea verò lumine quidem priuatur, quod accipit à sole ; at proprium semper retinet.

Vniuersè autem magis loquendo de lumine, satìne lumen omnium corporum quoquomodo est actus. Nullum enim esse voluit natura, quod tàm diuinæ qualitatis particeps non esset; & tamen lumen non nisi perspicui actus dicitur. Siue namque peruium, siue terminatum perspicuum accipias;

cipias; alterius partes omnes à lumine penetrantur & actuantur, alterius sola superficies exterior, ibique & luminis & visionis actus terminatur nec vlteriùs progreditur. Ibi aspectabiles facit colores; aut si corpus nullius coloris sit, neque aliunde accipiat lumen, sed naturale possideat; non in superficie modò, sed in omnibus partibus habet lumen. Non est tamen lumen actus perspicui terminati, aut etiam opaci vt terminatum est aut opacum; sed vt multum habet perspicui opacitate licet aliqua terminatum. In sole totus orbis perspicuus est; at in astro, quod lucet, opacitas quædam inest ob illius partis densitatem: atque ita in cæteris.

TEXTVS.

Τὸ δὲ φῶς, οἷον χρῶμά ἐστι τῦ διαφανοῦς, ὅταν ἢ ἐντελεχείᾳ διαφανὲς ὑπὸ πυρός, ἢ τοιούτου, οἷον τὸ ἄνω σῶμα· καὶ γὰρ τούτῳ τι ὑπάρχει ἓν καὶ ταὐτόν.

Lumen autem vt color est perspicui, cùm fuerit actu perspicuum ab igne aut huiusmodi: quale quod sursum corpus. Etenim huic aliquid inest vnum & idem.

COMMENTARIVS LXXXIX.

LVmen definiuit esse actum perspicui. Iam ne quis lumen existimaret esse colorem, coloremque & lumen minimè differre: præsertim cùm antea dixisset, perspicuum sua natura non esse aspectabile, sed propter externum colorem: colorem autem interpretati sumus, aut lumen, aut lumen simul & colorem. Si enim lumē est actus perspicui, & perspicuum externo colore susceptо fit aspectabile; lumen igitur & colorem quispiam esse idem existimauerit.

Idcircò nunc admonet, lumen non esse propriè colorem, neque lumen proprie colorem appellatum fuisse. Non enim colorat aërem aut perspicuum: neque est illi æquè insitum, ac rebus coloratis color. Quia non ex intimis illius corporis, cui inest, principiis oritur, sicut color; sed ab exteriori corpore illuminante accipitur; & ideò facilè separari potest; quod non potest color. Sed lumen est veluti color & quidpiam colori proportione respondens; vt quod est color in corpore colorato, hoc sit in perspicuo lumen. Quia vt color est actus, forma, & perfectio colorati corporis terminati; ita peruij quoque perspicui est lumen: & vt color facit corpus coloratum, ita lumen facit pellucidum: denique aut coloratum per colorem, ita perspicuum per lumen est aspectabile. Fortasse etiam lumen dixit esse vt colorem, quoniam verus color est, qui colorato corpori hæret inseparabilis, cum eoque huc & illuc transfertur & omnino corrumpitur: at lumen vt separabilis actus adest perspicuo, eoque moto & corrupto immotum & incorruptum permanet.

Lumen & color quid differāt.

A Quam interpretationem significare videtur Simplicius, cùm actum esse ait perspicui, non tanquam ab ipso; sed vt actum, qui ipsum perficiat: non inquam vt ex principiis & potestate eius productum, sed ab alio immissum.

Verùm si perspicuum ex se non habet lumen, sed potestate est ad illud suscipiendum; lumenque est illius actus & forma: sanè quæri poterat, à quónam hæc potestas reducatur ad actum, vt perspicuum actu illuminetur. Propterea vt absoluta sit perspicui & luminis consideratio; id subiungit fieri ab igne aut alio eiusmodi corpore lucido, quod cùm in se ipso habeat lumen, possit velut luminis fons in aliud quoque effundere. Quale etiam est cœleste corpus; quod etsi magna ex parte sit perspicuum, astra tamen habet lucida, quæ & perspicuas illius corporis partes & inferiora corpora, quæ lumen susсipere apta sunt, possunt illuminando facere actu perspicua. Præsertim verò sol, qui vt maximum habet lumen, ita maximè potest cætera illuminare. Sed in sublunaribus, vt aërem & aquam dixerat perspicua corpora & ad lumen susсipiendum apta; ita nunc ignem nominat tanquam supremum & cœlesti lumini proximum, aptum illuminare & facere actu aëris & aquæ perspicuum.

Perspicuum à quonā fiat actu.

B

C Quo circa ita res se habet in elementis; ignis non solùm peruius totus, sed & cœlesti lumini proximus, est & ipse lucidus. Aër & aqua, quæ longiùs distant, non lucida sunt, sed perspicua; nec proprium habent lumen, sed in omnibus suis partibus externum possunt susсipere & transmittere: & aër magis, quàm aqua: quia & magis rarus, & tenuiorum partium, & igni ac cœlo propinquior. Terra, vt est maximè remota, ita opaca remanet, & in sola superficie susсipit lumen & reflectit; in interioribus partibus tenebrosa tota. Cœlum partim lucidum est, partim lucis expers; partim terminatum, partim peruium corpora mista excedentis elementi conditionem retinent.

Simpliciū corporum dispositio.

D

Cæterùm quod superiùs de perspicuis corporibus, tum cœlestibus, tum sublunaribus dixit, ea non esse perspicua quatenus talia sunt singula, sed quatenus communem habent naturam, quam perspicuitas consequatur; hoc idem de lucidis affirmat. Cœlestia namque corpora, & ignis, & si quæ sunt talia, lucem habent & alijs eam impertiri possunt. Sed non habent quatenus talia sunt: Verùm propter communem aliquam rationem, quæ in illis omnibus insit, velut causa vt & in se ipsis luceant & cætera possint illuminare. Si enim sol aut ignis luceret quatenus talis natura est; solus ipse luceret & præter ipsum nihil. Quænam autem sit hæc communis lucidorum omnium conditio, vix alio modo exponi potest, quàm nobilitatem & præstantiam illorum corporum proponendo. Nam quia lux præstantissima est omnium qualitas, non nisi præstantissimorum corporum proprietas esse potest: cœli inquam supremi corporis; & ignis, qui cæteris omnibus elementis plurimùm antecellit. Hanc ego sententiam verbis illis existimo esse subiectam (etenim huic inest aliquid vnum & idem) hoc est eadem conditio naturæ communis apta illuminare. Tametsi Simplicius, Auerroës, aliique permulti secus interpretentur: cœleste scilicet corpus simul esse perspicuum

E

Lucidorum corporū cōditio cōmunis qua.

& illuminatum : neque in eo reperiri perſpicuum poteſtate , quemadmodum in ſublunaribus , ſed actu ſemper ; quia ſemper eſt præſens id, quod illuminet : aliud tamen eſſe, ipſum eſſe perſpicuum, & eſſe illuminatum. Sed prior interpretatio Themiſtij fuit & Philoponi ; & magis eſt Ariſtotelis verbis conſentanea. Quamquam & ea licet intelligere, non de conditione naturæ , qua in ſe ſint ſubiectum lucis ; ſed de proprietate illa, qua cætera poſſint illuminare. Quod maximè viſus eſt velle Philoponus, cùm igni & cœleſti corpori vnum & idem dixit illuminatiuum ineſſe, per quod eorum vtrumque ad actum deducit & perſpicuum perficit : Tametſi tum perſpicuitatis, tum luminis diuerſa ſit & in ſuperioribus & in inferioribus menſura.

TEXTVS.

Τί μὲν οὖν τὸ διαφανὲς, καὶ τί τὸ φῶς, εἴρηται· ὅτι οὔτε πῦρ, οὐδ' ὅλως σῶμα, οὔτε ἀπορροὴ σώματος (ὑγρὸν γὰρ ἂν σῶμά τι καὶ ἅπας· ἀλλὰ πυρὸς ἢ τοιούτου τινὸς παρουσία ἐν τῷ διαφανεῖ· οὐδὲ γὰρ δύο σώματα ἅμα δυνατὸν ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι.

Quid igitur perſpicuum, & quid lumen, dictum eſt: quòd neque ignis, neque omnino corpus, neque vllius corporis defluxus (eſſet enim vtique aliquod corpus & ſic) ſed ignis aut huiuſmodi alicuius præſentia in perſpicuo. neque enim duo corpora in eodem ſimul eſſe poſſunt.

COMMENTARIVS XC.

QVid ſit perſpicuum, ſatis quidem explicatum eſt, dum in aëre, & aqua & huiuſmodi aliis corporibus peruiis dictum eſt conditionem eſſe quandam & aptitudinem communem ad ſuſcipiendum lumen. At cùm lumen definitum eſt eſſe actum huius perſpicui, definitum ſolùm eſt per comparationem ad perſpicuum: ſed quid ipſum ſit in ſeipſo, nondum declaratum eſt : quid inquam illud ſit, quod in perſpicuo vt actus & perfectio illius ſuſcipitur ; an ſubſtantia, an accidens ; an corporeum quidpiam, an ſpiritale : de hoc enim veteres maximè diſſentiebant. Addit igitur quaſi ex dictis colligendo, lumen neque eſſe ignem, neque corpus, neque corporis defluxionem.

Quod Philoponum miror credidiſſe non de ſolo lumine, ſed de perſpicuo quoque fuiſſe dictum. Nam quod dicitur (aut defluxus corporis vllius) : quodque ſubiungitur (ſed eſſe præſentia ignis aut huiuſmodi corporis in perſpicuo) manifeſtum eſt de ſolo lumine, non de perſpicuo fuiſſe adiuncta. Itaque meliùs omnino Simplicius non de perſpicuo, ſed de lumine hæc omnia affirmat fuiſſe addita : ac præſertim aduerſus Timæum apud Platonem interpretantur, tum ipſe, tum Philoponus. *Lumen quid.* Lumen enim eſſe ignis ſpeciem quandam, dixit Timæus & in eum Proclus comm. 3. diurnumque lumen & id, quod ex oculis noſtris effluit, ſimul iuncta vnum corpus efficere : quod ex Iamblichi quoque commentariis poteſt intelligi. Sed & alij præter Platonem ignem eſſe putauerunt ; partientes ignem in carbonem, flammam, & lumen ; ſeu potius in ignem carbonem, ignem flammam, & ignem lumen. Atque adeò Democritus, Epicurus, & Empedocles, omnino corpus ſeu atomorum corpuſculorum efluxionem à corpore lucido eſſe voluerunt.

Quæ omnia Philoſophus neceſſaria prorſus ratione confutat. Nam ſi lumen in perſpicuo ſuſcipitur tanquam illius actus & perfectio ; totumque peruadit ; nec aërem modo aut aquam aliaſue inferiora corpora, ſed ſuperiora quoque cœleſtia ; dum ſol & aſtra cætera per inferiores orbes lumen ad nos tranſmittunt ; corpus profectò ſuſciperetur in corpore, duoque corpora ſeſe mutuò penetrarent, ſimulque eſſent in eodem loco. Quòd ſi (argumentatur Alexander capite 3. lib. 27. de anima) ea, quorum locus æqualis eſt, ipſa quoque æqualia ſunt ; vtrumque corpus ſimul acceptum eorum alterutri eſſet æquale : At hæc natura non ſuſtinet ; ſiquidem habent ſingula corpora quantitatem ſuam, molem, & extenſionem, qua vnam partem obtinent extra aliam, & proprium occupant locum : atque ſi in aliud incurrant corpus, aut diuidunt, aut confringunt ; aut ſi durum ſit & reſiſtens, ex ſuo loco pellunt, vt ipſa ſuccedant. Siue autem lumen dicatur eſſe ignis, aut corpus, ſiue à corpore defluuium ; perinde eſt, ſi hoc ipſum corporis defluuium ſit corpus. Non defuerunt, vt ex Philopono ſcimus, qui propterea lumen penetrare corpora poſſe reſponderent, quòd immateriale ſit corpus : & Simplicius in Philoſophi argumentatione ſola materialia corpora intelligi voluit. At hoc contradictionem inuoluit : quippe omne corpus materiam habet, hæcque primum corporum principium eſt. Et ſi quia corpus immateriale exiſtit, per aliud poteſt corpus procedere ; non ſolùm per aërem & perſpicua, ſed & per opaca & omnino corpora omnia poſſet procedere. Si verò aërem diſſecaret lumen, aut per illius meatus tranſiret ; non eſſent omnes aëris partes illuminatæ, neque vbique eſſet aer ; abeunteque lumine remaneret vacuum ; & rarior eſſet obtenebratus, quàm illuminatus aer ; ac demum reſpirantes interdum aerem, interdum lumen, interdum vtrumque ſimul hauriremus. At verò quomodo à ſole ſolidiſſimos inferiores cœleſtes orbes peruaderet, vt ad nos deſcenderet ? Deinde aer ſuſcepto lumine corpulentior & craſſior fieret ; contra quàm res ipſa habeat : ſiquidem in tenebris & nocturnis horis craſſior eſt & denſior. Atque ſi corpus eſſet, igne nimirum tenuius & leuius ; illius ad nos deſcenſus naturalis motus non eſſet. Et illuminatio, motus ſcilicet luminis, fieret cum tempore (ſic enim mouentur omnia corpora) at ſimul & momento fit per totum aerem & aliud quoduis perſpicuum ; ſoleque oriente in omnes terras lux momento diffunditur. Nec poſſet in omnes partes vel contrarias moueri : ſiquidem tam multas vel etiam contrarias naturas, & motrices qualitates nequaquam habere poſſet. Omnis enim naturalis corporis motus aut ſurſum eſt aut deorſum aut in orbem : lumen æquè in omnem partem ſimul diffunditur ; & quidem recto motu, non in orbem. Tum quia lucerna ſolas anteriores aeris partes illuminat, non poſteriores aut ſuperiores & inferiores. Tum per foramina tabulatum aut feneſtrarum aut parietum ita progreditur, vt per foramen ab illuminato corpore ad illuminans recta prorſus ducatur linea. Sed & ſi lumen eſt corpus, cur ſi per anguſtam rimam in tenebroſum domum ingrediatur, clauſa repente cuius

terima non remanet; cùm tamen alium non habeat exitum? Immò & luminis motus externa vi impediretur, aut cõcitatior fieret; quemadmodum aliorum omnium corporũ motus: at eodem semper modo spargitur lumen, siue vigeant venti, siue tranquillus & pacatus sit aër. Et hic quidem à ventis mouetur, & aliò transfertur; lumen autem non item. Denique si corpus esset lumen, continuata & perenni illius diffusione absumeretur sanè quoduis lucidum corpus: at nihilo minus euadit.

Lumen non esse ignem.

Et hæc quidem vniuersè Peripatetici aduersus hasce omnes opiniones disputant. Speciatim autem lumen ignem non esse ostendemus. Tum quia non solus ignis, sed sol & alia corpora lucent & illuminant. Tum quia in aqua item & glacie est lumen; ignis esse non potest. Tum quia si ignis esset, propter naturam & per vim deorsum moueretur. Ac demum quia lucent capita quorumdam piscium, & lapides nonnulli; & concussione lapidum educitur lumen: nec tamen in his ignem esse credendum est.

Non effluuium corpusculorum lucidi.

Neque esse defluuium corpusculorum à corpore lucido. Quoniam illuminando consumeretur, restaurationeque indigeret: neque in cœlestibus corporibus hæc vllo modo fieri possunt: atque vt habet Philoponus, stultum est vllum in illis defluuium cogitare.

Lumen & præsentia in perspicuo.

Quid igitur erit lumen? Nullo sanè modo corpus, sed aut ignis, aut solis, alteriusque lucidi corporis præsentia in perspicuo. Quam definitionem non formaliter, sed causaliter intelligas. Lumen namque non est formaliter præsentia: quia hæc formaliter, inquit Themistius, est relatio rei præsentis ad id, cui est præsens: sed est qualitas, quæ in perspicuo producitur à præsente corpore lucido. Nam statim atque lucidum corpus fuerit præsens perspicuo, in eo lumen consequitur. Et ideò quia nil aliud requiritur, nec alia opus est mutatione, verè corporis eiusmodi præsentia in perspicuo esse dicitur. Altero modo intelligi potest non presentia loci & situs corporum lucidi & perspicui; sed formæ luminis, quæ apta est perficere perspicuum: Quo modo hæc definitio eadem penè fuerit cum superiori. Quippe idem videtur esse affirmare lumen esse actum & formam perspicui; & dicere esse perfectionem perspicuo præsentem. Prior interpretatio videtur fuisse Philoponi, posterior Simplicij, vtraque Themistij. cùm præsentiam talem dici scripsit, quali aut agens dicitur esse præsens patienti, quod ab eo quidpiam accipit; aut perfectio & ornatus adesse illi rei, cui perfectionem & ornatum adfert. Sanè vtramque Philosophus non obscurè significauit. Priorem, cùm dixit presentiam corporis lucidi in perspicuo. Corpus enim lucidum dixit, à quo aliquid in perspicuum deriuetur. Posteriorem autem, cùm statim subiunget, lumen præsentiam esse illius habitus, qui priuationem à perspicuo pellit.

A

B

C

D

E

Digressio XXXVI. *De quantitate, & corporum penetratione.*

QVoniam lumen non esse corpus, neque defluxum corporis, Philosophus hoc argumento probauit; quoniam plura corpora simul esse non possunt; huius ratio quærenda est.

Accidentia omnia nil aliud sunt, quàm entis entia, velut modi afficientes substantiam, quæ primum & per se est ens. Quantitas extensio est ratioque partium extra partes, quas substantiæ quoque tribuit: indeque & diuisionis ratio, & mensuræ, & esse æquale aut inæquale, finitum vel infinitum, occupare locum, & si quæ sunt alia his similia, tamquã proprietates quantitatis existunt. At Stoici quantitatem videntes ratione materiæ ineſſe substantiæ corporeæ, eam existimarunt esse ipsammet materiam. Et post eos alij substantiam & qualitates omnes propriam voluerunt extensionem habere, quæ tamen ab illis nequaquam re distinguatur. Sed si materia potestatem significat ad actum; & substantia id, quod est per se, quantitas verò partes & extensionem; alia profectò materiæ seu substantiæ, alia quantitatis ratio est. Nam & ad diuersas spectant categorias, & diuersum entis genus significant; quemadmodum aduersus Melissum & eos, qui infinitum asserebant velut substantiam, in primo & tertio Phys. argumentatus est Philosophus. Immò in septimo libro Metaph. tex. 8. materiam probans esse substantiam, quantitatem dixit substantiam non esse, sed materiam, cui ea inest: quoniam si quantitas & qualitates omnes separentur, sola supereſt materia. Certè dum ens rei dicitur esse illud, quòd est aptum existere; certius adferri argumentum non potest realis entium distinctionis, quàm quòd ea vel seorsim existant separata, vel sint apta propriis singula existentiis existere. Quòd si naturæ viribus nequeat quantitas à materiæ gremio diuelli ac sine materia cohærere: id tamen omnino fieri posse ex admirabili Eucharistiæ sacramento cognoscitur; in quo quantitatem à materia separatam existere certissima fide credimus. Ita necessariò concluditur, eam esse rem quampiã à materia seu substantia diuersam.

Quantitatem à substantia distingui. Gulielmus Ocham prima parte log. cap. 24. & 45. & in tract. de Sacr. altaris q. 3. & quodlibeto 4. q. 28. & seq.

Sed naturæ lumine ita libet philosophari. In corpore quidem naturali multa cernuntur, materia, substantiæ forma, qualitates, & accidentia plurima: vnica tamen est extensio, qua hæc omnia extenduntur; materia per se secundo modo, quoniam propria illius affectio est; reliqua ex accidente, quia dum extensæ materiæ aduenium, non sibi propria, sed alterius extensione extenduntur. Quam ob causam sæpe apud Aristotelem legimus, qualitates & alia omnia ex accidenti quanta & partibilia esse, propter subiectum, in quo sunt. Quòd si plures essent in corpore extensiones, propriamque haberent singulæ qualitates & formæ rationem partium; esset in quolibet corpore plurimarum quantitatum mutua penetratio: Quam non solùm ab antiquis omnibus maximum & euidentissimum absurdum iudicatam fuisse confirmant Simplicius atque Themistius in tex. 8. libri 4. Phys. eoque argumento, vt est in tex. 53. & 55. vacuum illi asserebant, & Aristoteles locum demonstrauit in textu 8. & 37. triplicem dimensionem non esse: neque in textu 27. posse idem esse in se ipso ex accidenti: & in textu 76. vacuum confutauit tamquam spatium trifariam dimensum omni cărens corpore: ac demum in 1. li. de an t. 72. neque animam, neque in tex. 69. lumen esse corpus vllum licet tenuissimum; quia sequeretur plurium

Decorporum penetratione.

corporum penetratio. Verùm etiam manifesta ratio demonstrat. Neque enim ratione substantiæ, neque ratione qualitatum vllarum, ea iudicatur fieri non posse: immò prorsus est necessaria: dum & substantiæ forma totam penetrat materiam, & plurimæ qualitates simul in eodem subiecto sunt. Sed ratione duntaxat quantitatis: quia cùm in extensione partium extra partes vim suam ostendat, plures extensionis partes, quarum vna sit extra aliam omnino simul ita esse non possunt, vt vbi est vna sit item alia, seu vna sit intra aliam. Propterea si vnum corpus accedit, aut alterum illi cedat locum, necesse est, aut confringatur, vel saltem hebetentur ac retundantur.

At hoc nequaquam ita debet intelligi, vt diuinæ potestati, litteris sacris, fideique nostræ decretis quidquam detrahatur. Etenim duplex in quantitate ratio partium consideratur. Vna, qua ipsa est in se extensa & vnam partem habet extra aliam. Altera per ordinem ad aliud corpus, cui coëxtenditur & commensuratur; seu ad locum, quem replet, aliud inde corpus expellendo. Sed prior dumtaxat est illi essentialis, altera velut proprietas: neutra naturæ viribus tolli potest; quòd ea nec rerum naturas mutare queat, nec proprietates, quæ illas naturaliter & necessariò comitantur, prohibere. At diuina virtus, quæ proprietatem quamlibet & actum secundum potest ab essentia & actu primo remouere, posteriorem facilè separat à priori; aut corporibus pluribus in eodem loco positis; aut vno corpore extenso impartibiliter alteri adiuncto. Ita nimirum Christi corpus virginali claustro minimè violato exiuit ex vtero; clausoque sepulchro prodiit; & fores clausas atque adeò cœlos ipsos penetrauit; ac demum impartibiliter sub panis & vini speciebus in sacramento continetur.

Duplex in quantitate ratio partium.

Dum igitur plura quanta simul sunt in natura, materia scilicet, substantiæ forma, & qualitates plurimæ; vnicam in omnibus cogimur quantitatem & rationem partium agnoscere, qua hæc omnia quanta sint & extensa. Et vt ea distinguitur à forma & qualitatibus, quæ dicuntur ex accidenti extensa; ita distingui debet à materia; tametsi maiorem cum hac affinitatem habeat, eamque per se extensam faciat. Idcircò si quantitas remoueatur; materia, forma, & qualitates omnes impartibiles erunt: materia quidem & forma omnino; qualitates autem, quæ propriam habent graduum latitudinem, si non extensione, certè intensione diuidi poterunt. Corporea tamen substantia adhuc ab incorporea distinguetur; quòd illa, etsi actu non extendatur, apta tamen erit accedente quantitate extendi molemque efficere: huic verò extensio omnis repugnat; & quamuis addatur quantitas, nihilò magis fiet partibilis.

TEXTVS.

Δοκεῖ δὲ τὸ φῶς ἐναντίον εἶναι τῷ σκότῳ· ἔστι δὲ ὁ σκότος, στέρησις τῆς τοιαύτης ἕξεως ἐκ διαφανοῦς, ὅταν ὅλον, ἔστι δὲ ἡ τούτου παρουσία τὸ φῶς ἐστι.

Videtur autem lumen contrarium esse tenebris; sunt autem tenebræ priuatio huiusmodi habitus à perspicuo. Quare palàm & huius præsentiam lumen esse.

COMMENTARIVS XCI.

QVod lumen dixerat non esse corpus, sed corporis præsentiam in perspicuo; hoc rursum confirmat argumento sumpto contrario. Etenim lumen videtur esse tenebris contrarium; non vera & propria contrarietate, sed oppositione illa, quæ inter habitum est & priuationem. Siquidem lumen est veluti habitus; nec aliud quidquam significant tenebræ, quàm priuationem huiusque habitus absentiam à perspicuo, quod aptum erat illuminari. Non enim tenebrosus fit aër, quòd aliquid illi accedat, sed magis quòd recedat aliquid, fiatque absens id, quod fuerat præsens. Si igitur tenebræ nil significant aliud, quàm luminis corporisue lucidi absentiam à perspicuo, nec aliud erit lumen, quàm habitus præsens in perspicuo ex lucidi corporis præsentia.

Quæ argumentatio est item definitionis antea propositæ explicatio. Declarat enim quomodo lumen definitum fuerit esse lucidi corporis præsentia in perspicuo. Nimirum non præsentia formaliter, sed aliquid ex præsente corpore lucido deriuatum ad perspicuum. Propterea enim lumen addit velut habitum in perspicuo, & tenebras priuationem illius. Verùm dum tenebras dicit priuationem huius habitus à perspicuo, illiusque præsentiam lumen, præsentiam in superiori definitione nominatam videtur habitum præsentem interpretari, perfectionemque à lucido corpore productam. Quare ex duplicis illius definitionis interpretatione in superiori commentario proposita maximè videbitur posterior probanda, quæ propria Simplicij fuit.

Porrò etsi quis tenebras pertinaciter contendat priuationem non esse, sed rem quampiam lumini verè contrariam: non tamen, inquit Philoponus, propterea obtinebit lumen esse corpus. Immò nec omnino erit substàtia. Nam in substantia contrarietas non est, sed in qualitate. Si igitur lumen & tenebræ verè contraria sunt, qualitates fuerint, non substantiæ. Quòd si substantia non sit, corpus non erit: nisi fortasse corpus velis de quantitatis genere, hoc est trifariam dimensum quidpiam. At præter quàm quòd ne in quantitate quidem contrarietas inest; neque vim agendi habet quantitas, quemadmodum habet lumen: perinde fieret corporum penetratio, dum in perspicuo suscipitur, ac si esset corpus de genere substantiæ. Non enim respuit natura penetrationem substantiarum, vt in materia & forma perspicuum est; sed quantitatum & dimensionum. Deinde certam haberet magnitudinem aliquam, duorum aut trium cubitorum, aut aliam quamuis: quare non in omni corpore susciпi posset, sed in eo solo, quod simile quantitatem haberet. Quòd si neque substantia sit, neque quantitas; sola superest qualitas: siquidem reliqua entium genera nullam rem absolutam significant, quæ per se considerari possit tanquam habitus & perfectio perspicui. Sed siue tenebræ priuatio sint, siue

siue res quæpiam alia, perinde ostenditur, lumen nil aliud esse, quàm qualitatem. Quoniam & vim habet agendi sibi propriam, & est obiectum per se solo aspectu sensile, ac demum intenditur & remittitur: quod exceptis elementorum formis, quæ in mistione refrangi debuerunt, nulli omnino substantiæ neque quantitati conuenit; sed qualitatis proprium est.

TEXTVS.

Καὶ ἐκ ὀρθῶς Ἐμπεδοκλῆς, οὐδ' εἴ τις ἄλλος οὕτως εἶπεν, ὡς φερομένου τοῦ φωτὸς, καὶ γιγνομένῃ τινὰ μεταξὺ τῆς γῆς καὶ τοῦ περιέχοντος, ἡμᾶς δὲ λανθάνοντος· ἔστω γὰρ ἐπὶ καὶ παρὰ τοῦτο τῶν λόγων ἀλήθειαν, καὶ παρὰ τὰ φαινόμενα· ἐν μικρῷ μὲν γὰρ διαφήματι λάθοι ἂν· ἀπ' ἀνατολῆς δὲ ἐπὶ δυσμὰς, τὸ λανθάνειν μέγα λίαν τὸ αἴτημα.

Et non rectè Empedocles, neque si quis alius sic dixit, quòd feratur lumen & producatur inter terram & continens, nos autem latcat. Hoc enim est & præter eam, quæ in ratione veritatem, & præter ea, quæ apparent. In paruo enim spatio lateret fortasse: ab oriente autem in occidens latere, magna valdè petitio.

COMMENTARIVS XCII.

POstquàm quidnam sit lumen ostendit; eamque opinionem confutauit, quæ Platonis fuisse creditur, lumen esse corpus aut defluuium corporis: alteram quoque reprehendit, quæ fuit Empedoclis. Is enim aut si quis alius sic dixit (nam in Timæo Plato visus est lumen dicere per effluxionem ad nos venire) lumen affirmauit à cœlo ad terram & aërem illi circumiectum paulatim moueri, perque omnia hæc corpora, quæ sunt inter terram & cœlum continens, moueri & extendi cum tempore; priùs in vna parte, quæ illuminanti corpori propinquior fuerit; deinde in alia magis remota. Eam tamen esse motus celeritatem, vt à nobis minimè obseruetur, neque percipiatur.

Num illuminatio cum tempore fiat.

Hæc opinio hoc præsertim loco reprehenditur; quoniam ex eodem illo principio deriuata est; quòd & ipsa lumen crederet esse corpus, & ideò moueri de loco ad locum; idque paulatim & cum tempore, quemadmodum mouentur corpora. Principium & fundamentum huius opinionis prætermittens Philosophus tamquam superiore argumentatione iam destructum; id aggreditur, quod ex eo deducebatur. Et tacitè quidem hoc obiicit: si lumen cum tempore moueretur, id à nobis proculdubio cognosceretur; quemadmodum reliqua corpora, quæ mouentur, moueri omnia cum tempore animaduertimus. Atqui nullum in eo cognoscimus motum, sed momentaneam mutationem: neque esse motum de loco ad locum, sed subitam potiùs alterationem iudicamus.

Quoniam verò Empedocles hoc argumentum viderat, diluereque conatus fuerat; lumen inquiens moueri cum tempore, sed tempus à nobis propter motus velocitatem non percipi: hoc ipsum, quod diluendo responderat, aperta oratione confutat. Nam hoc & rationi aduersatur, & sensui. Sensui quidem, quia subitò cernimus totum illuminari: rationi autem; quoniam etsi fortasse in paruo aliquo spatio (adde etiam minuti alicuius corporis) motus quispiam minimè sensilis fieri posset: in tanta tamen vastitate, tum corporis moti, tum distantiæ, quanta est ab ortu ad occasum & à cœlo ad terram, fieri nulla ratio permittit: immò nullo modo fieri posse suadet: præsertim cùm lumen ipsum tàm vastum esset & immensum corpus. Quare si vt hoc credamus nobisque persuadeamus ita esse postulet Empedocles; magna prorsus petitio est, magnum postulatum. Etenim absque demonstratione peteret, vt ratione sensuque repugnantibus quidpiam illi concederemus.

Potest & alia esse horum verborum expositio. Hoc, quod Empedocles asserit, aduersatur ei, quæ in ratione est, veritati. Quia dum lumen ait loco moueri & cum tempore, aduersatur illi veritati. quæ necessaria ratione demõstrata fuit, lumen non esse corpus. Moueri enim eo modo non potest, nisi sit corpus. Pugnat etiam cum iis, quæ videntur: quia totum sublunare perspicuum subitò illuminari conspicimus.

Lumen non esse corpus.

Cæterum vniuersa hac Empedolis confutatione rursum confirmauit Philosophus id, quod antea demonstrauerat, lumen non esse corpus. Si enim esset corpus, moueri ipsum oporteret, vt à cœlestibus ad inferiora descenderet perque totam hanc perspicui latitudinem extenderetur: & quidem cum tempore, cum omnis motus egeat tempore. At nullum in illuminatione tempus est; sed omnia hæc corpora & eorum partes singulæ, tum propinquæ, tum remotæ, simul illuminantur: non igitur illuminando mouetur, neque omnino est corpus.

Digressio XXXVII. *De natura luminis.*

LVmen non esse corpus, demonstratum est. Quid igitur fuerit? Nimirum aut emphasis tãtùm & apparentia coloris; aut forma quæpiam à lucido corpore in perspicuum deriuata. Sanè non defuerunt qui nil aliud, quàm colorati solis præsentiam, esse dicerent; solemque illuminare, non esse affirmarẽt eum quidquam extra se producere; sed aspectui nostro præstantissimum illius colorem repræsentari. Quorum hominum opinio tum solem & cœlestia corpora colorata esse accipit, tum sensui aduersatur. Agit enim solis lux in aspectum nostrum, nimiumque lædit: nimirum forma quapiam in medio producta. Corpora etiam perspicua sunt item conspicua; vt aqua, cristallus, vitrum; quæ cùm omni colore careant, reliquum est, per lumen sibi communicatum videri. Ideò lumen vt colorem esse perspicui affirmauit Philosophus. Denique cùm lumen in aëre nostrisque corporibus gignat calorem; necesse est ibi adsit, vbi operatur, spargaturque per aërem & ad nostra quoque perueniat corpora. Nihil enim agit vbi non est, neque actio sine agentis patientisque contactu constat. Aristoteles verò tum in superioribus lumen definiuit actum esse perspicui & velut habitum illi præsentem tenebrasque pellentem, atque id, quod erat potestate, facientem actu. Et deinceps in tex. 74. propterea grauiter reprehendet Democritum, intercedente vacuo asserentem fieri visionem posse: Quoniam patiendo videmus: patiendo inquam non à colore, sed à lumine, quod per medium ad oculos vsque nostros deducitur. Quòd si in tex. 69. lumen esse præsentiam dixit, in Commẽtario ad eum locum hæc verba interpretati sumus: eodemque intellectu loquuti sunt interdum Alexander,

Lumen quid.

Simplicius, aliique Peripatetici.

Si igitur forma quæpiam sit, aut substantiæ fuerit, aut accidentis: Placuit nonnullis substantialem formam esse, tum cœlestium, tum sublunarium; aëris inquam, non vt aër est, sed vt perspicuus. At omnis substantiæ forma alteratione antecedente producitur, eiusque productione aliquid aliud interit. Nulla hîc præmittitur alteratio, nihil interit; sed accedente per localem motum corpore lucido, sola tenebrarum priuatio pellitur perspicuique potestas perficitur. Sed & absque subiecti interitu abest & adest: quod accidentis proprium est. Neque verò eadem esse potest cœlorum & sublunarium substantia: illa omni ab interitu libera sunt, hæc singulis penè momentis mutantur, oriuntur, & pereunt. Atque in cœlo aut nulla est substantiæ forma, aut eadem in toto reliquo orbe & astro: cùm tamen solum astrum, non totus orbis, luceat. Et in quo orbe tam multæ visuntur lucentes stellæ, quis tot credat esse substantiæ formas? Atqui substantia inter sensilia ex accidenti numeratur in tex 65. lumen autem per se sentitur, estque conspicuum maximè; cuius beneficio conspicua euadant cætera omnia. Substantia non intenditur neque remittitur; lumen & magis est & minùs intensum.

Lumen an incorporeum.

Substantia igitur non est; siue corporea, siue multò minùs incorporea. Nam & effluit à corpore, & ita suscipitur in corpore, vt cum eo extendatur, abeunteque lucido corpore perit. Verùm ita fortasse aliqui de eo loquuti sunt, vt incorporeum dixerint; quòd in perspicuis corporibus vel densissimis suscipiatur, vt ab illis pendere minimè videatur: itaque adsit, vt non insit; quia separabiliter adest, quemadmodum Priscianus Lydus loquitur » in libro de Theophrasti de anima ca. 25. Lumen so- » lis, inquit Iamblichus in libro de mysteriis cap. 7. » idem totum continuum est vbique, neque potest » in partes diuidi, neque alicubi claudi, neque à fon- » te proprio separari, neque miscetur aëri, licet ad- » sit. Et cap. 14. cœlum asserit incorporeis rebus cognatissimum esse propter lucem: & fortasse cœlum esse lumen ipsum sine materia & sine dimensione, etsi propter amplam eius præsentiam dimensio ap- » pareat. Quare cœlum, inquit, est anima cœli seip- » sam accommodans oculis rebusque caducis; & lu- » men est intellectus eiusdem. Quod in lib. de dubiis animæ seu de visione capite 6. & 7. multis Plotinus persequitur. Immò quia est actus ab alio, etsi nullum subsit corpus; sed fingatur inane, perinde, inquit, subsistit atque ad alia sese extendit, pertransitque à nullo vectum. Non esse autem in alio, argumento est, quòd abeunte eo, quod illuminat, in re illuminata non remanet. Est igitur actus ex subiecto quodam, nempe luminoso corpore, emicans; non tamen in subiectum transiens, sed subiectum potiùs, si adsit, sub eo aliquid patitur. Quemadmodum vita actus est animæ sub quo, si adsit corpus, aliquid patitur; at non præsente corpore est nihilominus eiusmodi actus. Propterea illuminante remoto euanescit, quia non est factum proprium illuminati corporis, sed est actus corporis lucidi ad externa procedens: qui & adest & abest imago vitæ Cœli, vt in librum eius de pulchritudine Marsilius Ficinus interpretatur. Ita vt quod in cœlesti vita intellectuale inest, sit in cœlesti corpore luminosum, & sub luna velut illius imago.

Et quoniam momento adest & abest, nec remanet illuminante subtracto, neque simul cum corpore suscipiente inficitur aut mouetur, neque inter se confunduntur lumina: omnino deducitur non afficere perspicuum, nec aëris qualitatem esse, nec omnino corporeum quidquam; neque ab illuminato, sed ab illuminante pendere: sicut vita non ab animato, sed ab anima: neque demum tam ex corpore, quàm ex mundi vita prouenire. Primum corpus est cœleste, prima huius qualitas lumen. Ideò vsque adeò perfecta, vt per modum actus potiùs, quàm otiosæ qualitatis existat. Vt enim duplex est forma; quædam in ordine rerum à se ipsa consistens, quædam ab alio sustentata: sic & actus duplex, alter agentis duntaxat formæ, alter in patiente iacens. Nam vt reliqua corpora vaporem aut eiusmodi aliquid ex se emittunt; ita cœleste (vt idem Ficinus in librum de cœlo ex 10. de rep. ratiocinatur) lumen vndequaque protendit per vniuersum mundum, velut mundanæ animæ visum, quo cernat omnia, tangat, foueat. Sphæra item solis animæ suæ visus est, & aliæ sphæræ cæterarum cœlestium animarum. At stellæ planetæque oculi sunt, tum visuales, tum visibiles; sphæræ autem cæteræ oculi inuisiles. Sed & Iuliano platonico ex Iamblichi & Phœnicum mente lumen fuit diuinæ intelligentiæ perennis actus per solarem maximè feneſtram ad oculos emicans & per cuncta porrectus. Hæc est prima & generalis causa luminis omnis, tum cœlestis, tum sublunaris. Secundaria verò & magis particularis anima mundi. tum singulæ singularum sphærarum animæ. Suscipitur autem in perspicuis solùm corporibus, ab opacis refugit: non quòd ea penetrare non possit (penetrat enim christallum multò solidius) sed quòd perspicua minùs corporea sint & materialia, terreaque natura corpulentior & obscurior à cœlesti, tum perspicua, tum luminosa, sit alienissima. Hæc fermè de luminis natura Platonici.

In quibus quod lumen accipiunt aëris qualitatem non esse; & ita perspicuis adesse corporibus, vt illis non insit, post examinabitur. Iam intelligatur, cur incorporeum, non corporeum dixerint. Nam si propriè & accuratè loquamur, neque corporeum esse, neq; incorporeum, sed inter corporea & incorporea medium, velut cœli propriam qualitatẽ, cuius natura incorporeis proxima est, prudenter omninò ex eorumdem Platonicorum sententia monuit nos illeipse, de quo loquuti sumus, Ficinus, in septimum Platonis de rep. librum. Quod non ita accipias, quasi inter corpoream & incorpoream naturam mediumaliquid reperiatur: sed quòd cùm incorporeum non sit, à communi tamen & generali cæterarum corporearum formarum conditione plurimum differt, atque cum illis comparatum videri potest incorporeum.

Est igitur qualitas; tum quia corpora nominat qualia, vt solem lucidum, & perspicuum illuminatum: tum quia agendi vim habet, immò propria est cœlestis corporis virtus, qua inferiora fouet, conseruat, & in ea omninò agit: quemadmodum calor, frigus, humor, & siccitas, virtutes elementorum sunt, quibus vicissim agant. Tum demum quia est per se sensile & proprium vnius sensus, hoc est aspectus obiectum.

Eam porrò in sole ac cæteris corporibus lucidis, vt in coloratis colores, re ipsa inesse, inter omnes

Quomodo sit in aere.

omnes video conuenire. At quemadmodum insit in aëre aliisque corporibus interiectis, dum à lucidis per ea dispergitur, non satis conuenit. Etenim Albertus & Ægidius, immò & Scotus in 2. sent. librum distinct. 13. aliique nonnulli non secus ac colores multiplicari lumen voluerunt: neque reipsa, sed intentione solùm esse in aëre aliisque corporibus, velut lucis, quæ in lucido corpore residet, intentionalem speciem. Etenim facultatem & medium, vt est in tex. 71. omni eo, quod sentiendum est, atque vt aspiciendis coloribus, ita & lumine, carere oportet; solamque illius speciem suscipere. Quoniam sensile impositum sensui sensionem impedit potiùs, quàm prouocet. Lumen autem in toto aëre temporis momento producitur, & extinguitur, reflectitur, & id genus habet alia, quæ specierum earum, non realium qualitatum propria esse videntur. Estque lux præ cæteris omnibus nobilissima qualitas, quam vix credi potest toties, immò continenter, oriri & interire in medio. Quæ res tantopere permouit Iulium Cæsarem Scaligerum vt in exer. 71. aduersus Cardanum religioni sibi duxerit arbitrari eam interire posse.

Caietanus verò exponens articulum 3. quæst. 67. primæ partis summæ sancti Thomæ, neque re, neque intentione, sed vtroque modo eminenter esse: quòd & calorem perinde gignat, ac si re; & aspectu percipiatur, ac si intentione esset: subtiliter sanè pronuntiauit. At neque quid hoc sit exponere potuit, neque sancto Thomæ tum eo loco, tum in comm. huius 2. de anima aliisque eiusdem scholæ discipulis consentaneè loquutus est.

Omnes enim realem qualitatem re ipsa per hæc omnia corpora dispersam agnoscunt. Tum quia re ipsa medium & organum afficit & nominat, aëremque aut oculum illuminatum dicimus: dum ab intentionali specie nihil affici aut nominari certum est: neque aërem aut oculũ album appellari, propterea quòd alboris speciem susceperint. Tum quia calorem adfert effectusque realis realem causam esse oportet: intentionalis species nihil producit. Neque veniat in mentem tibi caloris illius immediatum auctorem esse solem. Non enim quodlibet lumen calefacit, sed reflexum, duplicatum, & omninò vehemens. Neque sol eodem semper modo calefacit, sed magis aut minùs, vt magis aut minùs reflectit lumen. Neque potest à lucido corpore tantopere à nobis dissito realis in nobis calor produci, nisi aliquid producendo in medio, per quod in remotiora agat corpora: quippe omnis actio contactu perficitur. Id verò species non fuerit, quæ nullius actionis vim habet: reale igitur lumen: Aëris item lumen aspicimus, ab eoque magnopere permouetur hic sensus. Immò si vehementius fuerit, non sustinet oculus; sed planè dissipatur & destruitur: intentionalis species neque vt dictum est, agendi vim habet, neque per se sensilis est; sed ratio sentiendi aliud: nimirum reale illud esse oportet, quod afficiat & moueat sensum, illiusque actionem terminet. Species tum obiectum proprium, à quo effluxit, repræsentat; tum communia cum proprio coniuncta, quantitatem, figuram, & alia superiùs commemorata. Omnia enim per vnam & eandem sentiuntur speciem. Si igitur aëris lumen species sit solaris lucis; dum illam, siue in aëre, siue in alio quouis illuminato corpore intuemur, solem, & quantitatem, figuram, cæteraque illius communia sensilia, non minùs, quàm in speculo intueremur. Iam lunæ lumen nonne à sole mutuatum est, quemadmodum & aeris & cæterorum illuminatorum corporum lumen? luna igitur tantopere lucida tamque vehementer agens in hæc inferiora, vt omnino secundas post solem partes teneat, horum hominum sententia non fuerit reipsa lucida: nec verum, sed intentionale lumen habuerit. Quòd si illud sit reale, erit & aeris & aliorum omnium lumen aliunde acceptum. Et si toties in luna lumen illud & adest, & abest (non enim propriè corruptionem dicimus, vbi contrarium non est) quid dubitat religiosus homo Scaliger, ne in aere nimis sæpè gignatur & pereat? Denique quàm est incertum ac dubium, an vllæ omnino in tota rerum vniuersitate sint eæ species? Vt illos ego magnopere mirer, qui eas in illum quoque locum conantur inuehere, cui minimè necessariæ sunt. Nam colores quidem re ipsa multiplicare se nequeunt, quòd agendi virtute non sint præditi: at lumen potest. Atque vt ad percipiendos colores aerem illuminari oportet, ita & ad percipiendum lumen: & vt suscipiatur in oculo, necesse est sit in medio, quia non nisi per medium potest ad oculum peruenire. In oculo autem suscepto lumine cernitur adhuc aeris alteriusue corporis lumen intensius ac robustius. Propterea vt acutè cernamus, manu oculum obumbramus: & nocte stellas & quodlibet vel tenuissimum lumen videmus, quod horis diurnis non cernebamus. Color per se sensilis est, ac sine lumine non sentitur: lumen & per se sensionis actum terminat, & sine alio sentiri potest. Color & lumine indiget, & vt illi sentiunt, intentionali specie: lumen aut se ipso cernitur, aut posterior illius pars priorem, à qua pendet, repræsentandi vim habet. Quattuor illæ principes qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas, re ipsa multiplicant se alterando: colores aut intentionaliter solum, aut nullo modo. Soni & odores re ipsa sanè, sed locali motu, non alteratione, qua sibi simile gignant: lumen diuinissima omnium qualitas, tum reipsa, quòd actiua sit; tum intentionaliter, quòd minimè materialis ac propemodum spiritalis: non tamen per speciem sui, quia vbi realis est qualitas, opus specie non est: sed sui ipsius repræsentatione. Eadem illius spiritalis ferè conditio facit, vt & tam facilè gignatur & pereat. Ferè enim à lucido corpore pendet totum, vix à subiecto corpore. Et inuento opaci tamquam hostilis corporis impedimento, facilè se conuertat atque ad suum principium & fontem redeat.

Lux. *Lumen.* *Radius.* *Iubar.* *Splendor.*

Itaque lux, lumen, radius, iubar, & splendor seu fulgor, ita in eadem natura nominantur, vt lux in proprio ac naturali subiecto, corpore scilicet lucido, consideretur: lumen in alieno vndequaque effusum: radius, si per lineam rectam effundatur. Est autem radius, aut rectus, si rectà protendatur; aut reflexus, si ab opaco corpore redeat; vterque aut perpendicularis, aut acutus, aut obtusus. Radium autem magnum & plenum significat Iubar. Postremò splendorem aut fulgorem dicimus, si in opaco corpore densetur atque ad politum quidpiam tersum, vt aurum aut argentum, reflexione oriatur.

Sanè vniuersam luminis naturam ad habitum

& disposition em pertinere perquàm probabile iudicauit Albertus, quòd in cœlo sit veluti habitus fixus & permanens, in sublunaribus transiens dispositio. Satius tamen est in tertia qualitatum specie ponere, quæ patibilium qualitatum est & passionum. Per se namque sensilis est sensuique passionem adfert: immò & realem corporibus cæteris passionem, lumen & calorem producendo. Quòd si habitum Philosophus appellauit; habitum dixit formam & positiuum quidpiam, cui tenebras & priuationem opposuit.

Luminis præstantia. Omnium præstantissima ac prorsus diuina qualitas lumen est. neque in tota natura inueniri potuit alia, quæ cum ea posset contendere atque æquo iure certare. Cœlestis enim corporis, primi ac supremi agentis, cui nihil contrarium, qualitas est; quæ vniuersum hunc inferiorem mundum foueat, conseruet, omnique ex parte moderetur. Diuinum quidpiam in ea inesse, quo cæteris omnibus qualitatibus præstet, fatentur omnes. Inter Pythagoræ symbola illud est: De rebus diuinis absque lumine ne loquaris. Et in libro de repub. Plato lumen visus & visilis obiecti nexum esse omnium maximè honorandum (libro 10. vinculum cœli appellat) solemque lucis parentem ipsius boni filium esse. hoc est dei quia ipsum in mundo sensili principem posuit; vt eundem in eo teneret locum, quem ipse in intellectili mundo teneret. Deus enim primum est intellectile, sol primum sensile. Et in Timæo ignem, quia est lucidus, diuini animalis speciem esse. Ex Platonicis non pauca paulò ante commemorata sunt: plura apud ipsos passim reperias. Et ex nostris Areopagita Dionysius in libris de cœlesti Hierarchia, deque diuinis nominibus scriptum reliquit, lumen vestigium esse cœlestium rerum; neque vllam esse in rebus corporeis qualitatem, quæ Deum tantopere repræsentet. Quid pulchritudo & ornatus, quem rebus omnibus adfert? fordent nocte omnia, clarescunt & splendent multoque pulchriora die visuntur. Mœrent in tenebris animalia cuncta; redeunte lumine lætantur & gestiunt: nec animalia modò, sed quæ sensu carent, plantæ & stirpes: quasi commune bonum ac diuinum quidpiam sibi totique mundo gratulentur. Qualitatem scilicet eam, ex qua omnis vita, conseruatio, & perfectio pendet: Dei planè virtutem dixeris regentem atque administrantem omnia. Prior enim est qualitatibus cæteris, totaque inferiori natura; & vim quoque habet illas ipsas qualitates producendi, quæ omnium principes & aliarum causæ existimantur; à quibus sublunares res omnes gubernantur ac sustentantur. Sola in primo, supremo, ac diuinissimo omnium cœlesti corpore reperitur tamquam illius & intelligentiæ virtus maximè propria. Propriam videtur, qua numquam deserat, habere figuram; radium inquam, quem vocant: qui si in opacum corpus inciderit, reflectitur, refrangiturue. Cæteræ qualitates nec reflectuntur, nec refranguntur, nec propriam figuram habent; sed materiæ & subiecti, in quo suscipiuntur, figuram sequuntur. Neque verò in corpore quouis suscipitur, sed in eo velut dispositionem perspicuitatem requirit, quæ nescio quid habet spiritale: Aristotelis testimonio in textu 40. libri quarti Phys. aër, quia perspicuus, nihil esse apparet. Est etiam nobilissimi sensus obiectum, immò & medium: siquidem & ipsum videtur, & ratio est videndi aliud. Quodque illius naturam ostendit maximè, omnino pendet semper ab agente, tum vt producatur, tum vt conseruetur: quod alia nulla qualitas habet. Accedente namque corpore lucido, illuminantur omnia, eoque abeunte totum euanescit lumen: quasi nihil à materia & subiecto, sed totum ab agente pendeat.

Ita tum ob hanc causam, tum quia contrarium non habet, producitur subitò in toto aëre; & quidem vbique eodem modo; vt Aristoteles tum hoc loco, tum in libro de sensu & sensili capite 7. confirmauit. eodem enim temporis momento, quo sol aliquod cœli punctum attingit, corpora omnia perspicua illuminat, quæ præsentia sunt; tamquid intensum, quàm potest, lumen momento eodem tribuit. Et si lucidum corpus crearetur, momento eodem, quo crearetur, præsentia sibi omnia illuminaret. In cæteris qualitatibus & contrarium & materialis earum conditio moram productionis adfert.

Aliis tamen ex causis lumen quoque cum successione & tempore produci potest. Siue quod lucidum corpus sensim & cum successione perficiatur: quemadmodum si materia quæpiam successiuè ignescat, cum successione item euadet lucida: siue medium, in quo suspici lumen debet, paulatim & non totum simul, aut intensiuè, aut extensiuè, perficiatur. Nam si aër crassis nunc vaporibus plenus ab illis sensim purgetur, aut aliis atque aliis partibus adueniat lumen; successionem nimirum illuminatio habebit. In sole & candela, quæ circumfertur, vtramque videas illuminationis successionem ex illuminantis corporis loculi motu profectam. Nam & idem lumen æquè intensum in diuersis partibus producitur, ad quas corpus accedit: & pars remotior, quæ minùs illuminabatur, accedente corpore copiosius accipit lumen. Cùm enim lumen suapte natura intensionem habeat & remissionem, possitque & clarius & obscurius esse; si quid accedat, quod moram adferat, potest cum mora produci. Alioqui propemodum spiritalis & contrario carens natura subitò prodiret.

Vnum est, quod admirationem pariat; qui fieri possit, vt momento vnico ex tanta aëris vastitate tamque multis illius corporis partibus educatur lumen. Nec immeritò affirmasse videatur Democritus produci cum tempore. Scio communem penè Philosophorum nostri temporis sententiam esse, lumen luminosi corporis virtute luminisque ipsius actione ex potestate materiæ aëris & aliorum perspicuorum corporum educi; ex partibus primùm propinquis, deinde & remotioribus; vt & in caloris & aliarum similium qualitatum alteratione fit. Quod duobus præcipuè argumentis concludi videtur. Altero; quia nisi ex horum corporum potestate educeretur, crearetur nimirum atque ex nihilo produceretur. Altero; quoniam cùm lumen accidens sit, omnino inhærere debet atque in aliquo sustentari; & verò in corpore lucido vt in subiecto proprio & naturali inhæret. Nisi igitur ex perspicui potestate educatur, sed à lucido corpore effundatur; ex vno in aliud subiectum migrabit: quod accidentis natura non sustinet.

Communem hanc existimationem, ego vt debeo libenter

libenter veneror, & amplector. Sed non parùm laudarem illius industriam, qui mecum vellet ingenium exercere suum, vireſque illius periclitari: diuiniſſimam hanc inquiens qualitatem abſque vllo cauſali materiæ concurſu ad illius eductionem, ſed ſolùm ad ſuſceptionem, à ſolo lucido produci corpore; atque in hoc dignitatem eius atque immaterialitatem verſari; vt cùm ad cæterarum omnium materialium formarum productionem non ſolùm agentis virtus, ſed materiæ quoque concurrat; lumen ſola agentis fœcunditate in materiam tanquam in vas & ſuſceptaculum effundatur. Hoc enim effuſio ab eductione differt, quòd eductio ſit noua productio alicuius ex aliquo; effuſio autem præexiſtentis rei communicatio ab aliquo, quod eam poſſideat.

Lumen ex potentia medij non educi.

Hoc modo produci lumen, niſi ego magnopere fallor, ſenſerunt veteres, tum Platonici, tum Peripatetici. Apud Platonicos ortum hinc habuit opinio illa, viſionem extramiſſione fieri. Ex oculis » enim inquit in Timæo Plato, emanat lumen & cuo- » lat occurritque diurno lumini; aut ſi non occurrit, » extinguitur & euaneſcit; vt in tenebris. Huc verò ea omnia ſpectant, quæ ex eadem ſchola ſuperiùs commemorata ſunt: lumen incorporeum eſſe; adeſſe, ſed non ineſſe perſpicuis corporibus; ſeparabiliter adeſſe; non miſceri aëri; à proprio fonte non ſeparari; aëris qualitatem non eſſe, ſed illuminantis actum ad externa procedentem; non ab illuminato, ſed ab illuminante pendere; ab eoque emitti, vt à cæteris corporibus exhalat vapor; eſſe velut mundanæ animæ ac cæterarum viſum, quo cuncta tangunt, cernunt, fouent; eſſe actum diuinæ intelligentiæ per ſolares feneſtras ad oculos emicantem & per cuncta porrectum; penetrare perſpicua & ab opacis refugere; ac demum illud » Plotini, etiamſi nullum ſubſit corpus. ſed fingatur » inane, perinde inquit ſubſiſtet, & ad alia ſeſe ex- » tendet, pertranſibitque à nullo vectum. & Maxi- » mus quoque Tyrius ſer. 17. defluentem à ſole lu- » cem dixit.

Iam Priſciani Lydi verba libet adſcribere, quòd non ſententiam modò, ſed & confirmationem eius contineant. Is in Theophraſtum de anima cap. 19. » Iamblichum, inquit, ſequens neque corpus eſſe lu- » men exiſtimo, neque corporis alicuius paſſionem, » vel qualitatem. Lumen enim eſſe ſuum non habet » in aëre. Nam aëre moto lumen permanet, & aëre » multifariam permutato lumen ſuo in ſe impetu in- » de diſcedit, ſeruatque interea indiſſolubilem cum » ſua cauſa connexionem. Ipſa quinetiam huius ſi- » mul tota præſentia per omnia accipere id valentia » ſubitò facta; præſente videlicet eo, quod illumi- » nati; & iterum abeunte repentina defectio luminis » nullum ibi ſui veſtigium relinquentis; argumento » nobis eſſe poteſt, lumen non eſſe aëris paſſionem. » Paſſiones, velut calor, nec accedunt ſubitò; & igne » ſubmoto calor eius exiguam ſaltem ſui ſpeciem in » patiente relinquit. Conſtat præterea ipſum lumi- » nis actum eſſe à corporibus ſeparatum; quia ne- » que ſucceſſione gradatim progrediente, neque » permutatione ſubiecti vſquà accedit, neque ad cer- » tum vſque terminum cohibetur; ſed diffundit ſe » ipſum quouſque offendit aliquid, quod poſſit ac- » cipere. Neque vnquam lumina inuicem confun- » duntur atque componuntur. Quo igitur modo » lumen actus diaphani nominatur? Profectò non vt paſſio quædam, nec vt perfectio eius in eo ve- « lut ſubiecto facta: ſed tanquam ſeparabiliter ip- « ſum perficiens; neque luminoſus hic actus aliquan- « do ſit diaphani, ſed efficit potiùs, vt diaphanum « ſit ipſius permanens, ipſe interim illuminanti con- « tinuus atque cum eo vndique circumductus. Hoc « igitur ita ſummatim cõmemoratum, ne forſan ſi- « cut in aliis patientibus aliquid effici ſolet, ſimili- « ter lumen in aliquo fieri vel ſuſcipi ſuſpicemur. « Hæc Priſcianus. qui de Peripateticis ſanè ſecus iudicauit.

Ego tamen eos paſſim aſſerentes video lumen in aëre non gigni more materiæ, ſed præſentia ſola luminis in perſpicuo, velut actum & perfectionem ipſius: voceque colluſtrationis vtentes, quæ luminis diffuſionem ſignificat. Hæc apud Alexandrum reperies in primo libro de anima capite 12. Immò in ſecundo libro capite 38. perſpicuum poteſtate non ita ſuſcipere lumen, vt ipſum alteretur, ſed ſola luminis præſentia fieri actu; neque omnino à lumine pati, neque lumen illius affectionem eſſe. Eandem ſolam luminis præſentiam in perſpicuo, qua ea, quæ perficiunt, adeſſe illis dicuntur, quibus perfectionem & ornatum adferunt; habet Themiſtius in hoc ſecundo libro capite 22. & 23. Simplicius verò in com. tex. 75. lib. 1. habet hæc verba. Lumen aëri aduenit, non « ex aliqua ipſius tranſmutatione factum; vt eius « indicat præſentia & abſentia nullum ſecum attra- « hens tempus; ſed extrinſecus aduenit. & ſecundo « libro in com. tex. 67. Lumen eſſe incorporeum, neque perſpicui paſſionem, ſed actum illi ingenitum; non vt in ſubiecto, ſed qui ſeparabiliter adſit; vel etiam argumentis oſtendit. tum quia per totum perſpicuum penetrat. tum quia momento adeſt & abeſt: paſſiones autem cum tempore « gignuntur & pereunt. Et textu 68. lumen, inquit, « eſt actus perſpicui, qui ipſum perficiat, at non qui « ab ipſo deueniat. Et tex. 69. non eſt actus perſpicui « tanquam ab ipſo, ſed vt actus, qui ipſum perficit. Et cùm Ariſtoteles lumen dixiſſet ignis aut alicuius huiuſmodi præſentiam eſſe in perſpicuo; præſentiam, inquit, intelligit non localem, ſed ipſius « ſuſcipientis perfectricem, idque iuxta illuminan- « tis efficacem actionem, quæ in paſſionem non « terminat, ſed in actionem tantum. & rurſum in « commentario tex. 18. lib. 3. cum intellectum agentem dixiſſet Philoſophus habitui & lumini perſimilem eſſe, magis accommodatum eſſe dixit exemplum luminis, quàm habitus; quoniam habitus ab eo, qui eum habet inſeparabilis eſt; lumen verò etſi illuminatæ rei adſit, eſt tamen tanquam actus, qui ab eo ſeparetur, quod illud recepit. Nam & intellectus ſeparabilis eſt. Ac demum in Commentariis libri ſecundi de cælo cùm dixiſſet Philoſophus in textu 42. ab aſtris excitari calorem motu aërem atterente; is à ſole ac ſyderibus cæteris intelligi voluit luminis radios effluere, aëremque collidere & atterere. Eandem quæſtionem pertractans Philoponus in degreſſione ad textum 69. huius libri de anima; Quî fiat, vt cùm ſol calidus non ſit, nec eius radij corpora ſint; aërem tamen tantopere calefaciant, & in igniariis etiam ignem accendant: hanc prorſus habet reſponſionem. Quemadmodum ab anima calotis omnis experte vitalis calor in corpore proficiſcitur, qui calorem inſitum mouens viuificat ani-

mal & calefacit: sic à sole vitalis luminis actus in aërem proficiscitur, quo insitum aëris calorem excitante ac mouente calescit aër. Nam & ira non calida sanguinem circa cor concitante accenditur animal: curaque & solicitudo animi & vehemens cogitatio calorem auget. Reflexum verò lumen maiorem calorem facit, quòd geminentur radij: meridieque & æstate calidior est aër, quòd longiore mora plures actus à sole promantur atque à corporibus reflectantur. Idem auctor in com. tex. 80. lumen asserit prorsus esse à corpore absolutum atque ab opacis corporibus per se absque corpore reflecti.

Hæc & alia plurima, quæ facilè diligens lector obseruabit, planè ostendunt, quam illi de luminis natura & productione sententiam habuerint. Sed quid Aristotelis illud in tex. 68. ?perspicuum, inquit, aspectabile est propter externum colorem. Si Prisciani interpretationem teneas, externum colorem appellari lumen; illud habebis non ex perspicui gremio pullulare, sed ab illuminante sole immiti. Prisciani locum indicauimus in commentario. Est & illud in tex. 69. Lumen vt color est perspicui. Et illud; Lumen est præsentia in perspicuo. De quibus in commentariis ex Simplicij sententia dictum est.

Quòd si non tam testium multitudine, quàm rationum momentis agendum sit; offerunt se statim ea omnia, quæ non multò ante immaterialitatem & præstantiam qualitatis huius ostendebant. Primùm enim cùm prior sit cæteris omnibus, tum qualitatibus, tum corporibus, tanquam cœli & intelligentiarum, virtus qua sublunarem hunc mundum administrant: rationi consentaneum est esse aliquid, quod ab inferioribus hisce non pendeat; neque ab illis accipiat esse, sed illis omnibus adferat. Non vt illorum aliquid, sed vt superioris quidpiam agentis; quòd in illis eam solam ob causam suscipiatur, vt gignat, foueat, & conseruet omnia. Idcirco nec contaminatur, quamuis inficiatur subiectum. Deinde qualitas est cœlestis corporis propria. At in cœlo eam constat ex materiæ potestate non educi, quòd mutabilis ea materia non sit: sed corporis naturam consequi & in perspicuum immitti. Itaque vt à sole deriuatur ad lunam & sydera cætera, perque totum cœleste perspicuum ad nos descendit; nec tamen ex eorum educitur corporum potestate, sed in illis duntaxat suscipitur: ita de cæteris quoque existimare oportet. Atque vt alia materiæ conditio & natura in cœlestibus inest, alia in sublunaribus; ita cœlestes qualitates non videntur ex materiæ sublunaris potestate educi posse. Tum verò contrarietas accedit, quæ in omnibus qualitatibus ex materiæ potestate eductis obseruatur. Verè namque in capite secundo libri de longit. & breuit. vitæ scriptum est, impossibile esse formam, quæ sit in materia, contrarium non habere. In lumine nulla est, quòd ab agente solo pendeat, quod ab omni contrarietate liberum est: cœleste autem lumen lumina cætera imitantur. Nulla item qualitas aut forma figuram aliam habet, quàm subiecti, à quo suam naturam accipit. Lumen figuram non subit corporum, in quibus suscipitur, sed propriam semper retinet illuminantis corporis. Vnde propositio illa, quæ apud Vitellionem est » trigesima nona libri secundi. Incidentiæ radiosæ luminis per foramina angularia ingressæ ad mediocrem distantiam sunt figuræ rotundæ: quia solare corpus illluminans rotundum est. Accedit subita & momentanea productio. Nam quæ cum subiecti passione producuntur, sensim & cum tempore aliquo producuntur: præsertim quòd lumen etsi contrarietate careat, graduum tamen latitudinem habet, quæ moram adferret. Neque materia tota est applicata agenti; sed vna pars remotior, quàm alia; atque ex vna priùs, quàm ex alia parte, educeretur. Qualitates etiam omnes, quæ producuntur ex materia, ab ea quoque pendent, possentque aliquandiu in ea retineri & conseruari. Lumen illuminante remoto illicò euanescit; neque vel breuissimo tempore retinetur; nec vllum sui vestigium relinquit. Solum inter omnes qualitates reflectitur, atque in seipsum & ad suum principium redit. Hoc materiæ cuius affectio est quantitas, rebusque cum materia coniunctis planè aduersatur; & iis solis conuenit, quæ aliunde suam naturam habent. Si enim qualitas ex materia educta reflecteretur, aut materiæ quoque & subiecti quantitas reflecteretur, aut qualitas essentialiter à materia & subiecto pendens ex vno in aliud subiectum migraret. Adde, quòd, vt argumentabatur inter cæteros Priscianus, aëre remoto non remouetur lumen, & rursum, quiescente aëre mouetur lumen, si corpus illuminans moueatur. At quî fieri possit, vt accidentaria præsertim forma, si pendeat ex subiecto, aut non simul cum illo aut sine illo moueatur? Ad extremum huius rei certissimum indicium fuerit, quòd plurimum illuminantium corporum lumina in eodem perspicuo suscepta minimè confundantur neque permisceantur. quod nec in cæteris qualitatibus euenit, nec omnino eueniret in lumine, si ex materia educeretur vt cæteræ; & non potiùs singulari priuilegio à solo illuminante naturam totam & vim haberet.

His nimirum argumentis disputari posset. Quæ verò ab iis, qui secus opinantur, obiiciuntur, hanc haberent explicationem. Crearetur, inquiunt, nisi ex materiæ gremio erueretur. Intelligant creationem esse nouam rei, quæ non erat, ex nihilo productionem: lumen autem non produci de nouo, sed quod erat in corpore lucido, de nouo suscipi in perspicuo, quod ad illud suscipiendum, non producendum, fuerat potestate. At si ita est, ex vno in aliud subiectum migrabit. Fateor. Quod non videbitur illi mirum, qui Simplicij & Ammonij com. in categoriarum li. perlegerit. Dum enim eorum definitionem interpretantur, quæ sunt in subiecto; propositam odoris dubitationem, qui ex odorifero prodiens corpore per aërem spargitur, duobus modis exponunt. Primũ. n. Aristoteles, inquit Simplicius, nõ dicit non posse odorẽ separari ab eo, in quo erat; sed ab eo, in quo est. Nam etiã ab aliquo subiecto deflecteret, cùm vniuersũ ipsũ sit continuũ, aut contactu, aut vnione, potest in alis subiectis sese recipere, cũ nullũ vacuũ adsit. Quãquam alteram adferunt solutionem, non odorem solum, sed cum fumoso halitu vt proprio subiecto diffundi. Sed interim satis est, nec absurdum, nec impossibile eos iudicasse, accidens ex vno in aliud subiectum transire. Atque ad huius confirmationem post adferetur eiusdẽ Simplicij, Philoponi, ac Plotini sententia, sonũ quoque sine aëris motu ad maximam distantiam spargi, sola virtute atque efficacitate

Lumen nõ crea. ri.

Lumen ex vno subiecto in aliud migrat.

efficacitate primi motus, quo à sonantibus corporibus fuit productus. Itaque si odores & soA nos concedant illi ex vno in aliud subiectum transire; multò minùs mirum videbitur, si de lumine minùs materiali accidente id affirmetur. Propterea namque non possunt cætera ex vno ad aliud subiectum transire; quòd cùm ab eorum vno acceperint quidquid sunt, nimirum separatio ab illo interitus eorum est. Et quòd materialia sint, necesse est, vt sint, educantur ex materia; neque in eo subiecto esse possunt, ex cuius materia non fuerunt educta. Lumen accidens quidem est, egétque semper subiecto, cui innitatur: at diuinioris atque immaterialis maB gis naturæ est; nec aliam ob causam materiale vocatur, nisi quòd materialis corporis proprietas sit atque in materia suscipiatur. Ea enim conditione à solo corpore lucido accipit esse, vt ab eo effundi semper in alia corpora debeat; sicut aqua continenter ex fonte fluit: estque lucidum corpus quasi fons lucis. Quod nomen ipsum significat.

Lucidum enim dicitur; quòd alijs lucet, corporibúsque cæteris impartitur lumen: & illuminatio atque irradiatio, luminis influxum testantur. Propterea non nisi perspicua illuminationem irradiationemúe suscipiunt; cætera reijciunt ac reC flectunt. Illa enim penetrant ac peruadunt luminis radij; hæc non item. Alioqui si illuminatio alteratione constet, vt calefactio, quemadmodum calor ex quolibet corpore, vel repugnantissimo, superatis qualitatibus contrarijs tandem educitur; ita & lumen diuturniore actione posset ex cuiusuis corporis potestate educi. Iam verò propterea non illuminantur opaca, quòd luminis radij penetrare nequeant; inuentaque opacitatis resistentia resiliant & reflectantur. Quamuis igitur aëri perspicuisque corporibus, in quibus suscipitur, inhæreat lumen, quia accidens est: quoniam tamen illius natura D non ab illis pendet, sed à solo corpore lucido, quod ad vlteriora proijcit corpora, aut secum ab alijs ad alia transfert; nihil mirum, si alia atq. alia subiecta mutet. Magis omnino mirãdum esset, si secus accideret, remanerétque in perspicuo, à quo minimè pendet, separatum à fonte, quem vnicum sui auctorem, parentem, & conseruatorem habet.

Lumen ex solo illuminante procedit.

Verùm enim verò siue lumen ex solo illumiE nante procedat, siue etiam ex perspicui potestate educatur; non debuisset Albertus in summa de homine, quem nonnulli post sequuti sunt, solis lucem lumenque ab eo in sublunaribus corporibus productum affirmare diuersæ speciei esse. Nam & sensus obiecti sui optimus æstimator secus iudicat; neque aliam, quàm intensionis ac remissionis, differentiam agnoscit. Et in textu sexagesimo octauo, eandem perspicui naturam, tum in cœlo, tum in cæteris, Philosophus esse pronuntiauit, eandemque luminis quoque fuerit, quod perspicui actus esse definitur. Est etiam eadem vtriusque luminis definitio, subiectum solum diuersum: & luna quoque & astra cætera non minùs, quàm sublunaria, lumen à sole accipiunt. Perinde autem fuerit, siue ex potestate perspicui educatur, siue ab illuminante solo procedat. Eductio enim ex materia qualitatis eiusdem speciei opus est, dum id, quod habet lucem, propinquam sibi partem alterat. Neque calorem in igne & aqua differre specie dixeris, etsi in illo vt in naturali subiecto sit, in hac non item. Quòd si ex materia educendum non sit, idem prorsùs lumen, quod erat in sole, in perspicuis mox corporibus reperitur. Nam propositio illa libri duodecimi Metaphysic. textu 26. corruptibile & incorruptibile differunt genere, de substantijs, non de accidentibus, pronuntiata est. Quippe ex natura substantiæ oritur, vt res corruptibilis sit aut incorruptibilis. Et hæc Philosophus differre dixit genere, quia vel sunt substantia, vel ex rei substantia oriuntur. Neque solis modo & sublunaris perspicui, sed quorumcumque lucidorum corporum lumina eiusdem speciei sunt. Lumen inquam ignis, squammarum & capitum piscium, oculorum quorundam animalium, lapidum, cicendelæ, & caliorum, si quæ lucentia sunt; de quibus Albertus in tractatu 2. huius lib. cap. 12.

Illud iam explicandum superest, quod non multò ante accepimus, plurium corporum lucidorum lumina in perspicuo eodem suscepta non permisceri neque confundi. Non enim desunt qui non minùs, quàm cæteras in eodem subiecto qualitates, permisceri & in vnam confundi putent. Tum quòd ex eiusdem corporis potestate educuntur. Tum quòd cùm individuationis accidentium, principium sit subiectum; plura numero solùm distincta in eodem subiecto simul esse non possunt. Tum quòd accedente lumine crescere illud videmus & intendi, quod priùs erat in aëre: quemadmodum intenditur calor calore addito.

Plura lumina non permisceri.

Ego verò antiquiores antea commemoratos & Alexandrum in Comment. octaui libri, de sensu & sensili, Perspectiuósque omnes sequutus omnino secus sentio. Alioqui tot in eodem subiecto distincta miniméque permista lumina reperiri, quot illuminantia fuerint corpora. Primùm enim hoc ex tota superiori disputatione consequens est; in qua confectum fuit, non ex subiecti perspicui potestate lumen educi, sed à lucido corpore totum effundi, ab eóque solo pendere. Deinde verò ex eo manifestum est, quòd si tribus aut pluribus luminibus vnum opponatur corpus oppacum, totidem in oppositum vmbræ resultant. Etsi tribus pluribúsue candelis ingens opponatur tabula, in cuius medio sit foramen, tria in oppositum resiliunt lumina non confusa; vnum in rectum, & duo reliqua è transuerso sese vicissim intersecantia. Quòd si ea, vbi concurrunt, permiscerent; non tria distincta, sed vnum commune lumen intensius proijceretur vlteriùs. Immò verò si ita esset, posset lumen in infinitum intendi, accidentibus alijs atque alijs corporibus lucidis, quorum vnum quodque aliquot luminis gradus adferret: aut etiam vnius lucidissimi corporis lumine sæpiùs reflexo. Sanè qui colorum species intentionales admittunt, permisceri eas aut confundi negant; etsi ex materiæ potestate educantur.

Quamuis enim accidentia ea, quæ totam suam naturam, & ideò vnitatem, habent à materia, nequeãt plura numero solùm diuersa in eodẽ subiecto esse: quæ tamẽ ex alijs potiùs causis pendent & veluti immaterialia sunt, ex illis quoque vnitatem accipiunt. Quare cùm lumen ab illuminãte effundatur;

quòt distincta fuerint illuminantia corpora, totidem erunt in eodem subiecto distincta lumina, tam intensum vnumquodque, quàm intensum potuit illuminans corpus producere. Videtur autem noui luminis aduentu crescere, non quòd intendatur magis, sed quòd ibi magis confectum sit, vbi plura adsunt lumina. Neque magnopere interest, etiamsi lumen diceres ex materiæ potestate educi. Cùm enim non absolutè, sed dependenter, tum vt sit, tum vt conseruetur, ab illuminante potiùs, quàm à materia, educeretur, ab illo maximè vnitatem haberet, ex eadémque materia plura & distincta educerentur. Ergo admirabilis planè & materialem penè conditionem superans natura luminis est. A B

TEXTVS.

Ἔστι δ' χρώματος μὲν ἐνδεκτικὸν, τὸ ἄχρουν, οἷον τὸ ἄῤῥορον. ἄχρουν δὲ ὅτι τὸ ὁρατὸν ἢ τὸ ἀόρατον. ἢ τὸ μέλαν ὁρώμενον, οἷον δοκεῖ τὸ σκοτεινόν. τοιοῦτον δ' τὸ ὁρᾶσθαι μὲν, ἀλλ' οὐχ ὅταν ᾖ ἐντελεχείᾳ ὁρατὸν· ἀεὶ δ' ὅταν δυνάμει. ἡ γὰρ αὐτὴ φύσις, ὁτὲ μὲν σκότος, ὁτὲ δὲ φῶς ἐστιν.

Text. 71. *Est autem coloris quidem susceptiuum id, quod est sine colore. soni autem, quod sine sono. Sine colore autem perspicuum est & inspectabile, aut quod vix aspicitur: quale videtur id, quod tenebrosum. Huiusmodi autem perspicuum quidem, at non cum fuerit actu perspicuum, sed cum potestate. Eadem enim natura quandoque quidem tenebræ, quandoque autem lumen est.* C

COMMENTARIVS XCIII.

DIuersi diuerso modo hunc textum aggrediuntur. Sed omnes eò mihi videntur colimare, vt postquam de colore, perspicuo, & lumine egit; de colore quidem & lumine, tanquam de aspectus obiecto; de perspicuo autem propter hæc, quoniam in vtriusque definitione nominatum fuit: incipiat nunc agere de medio, per quod aspicimus. Nam hoc, etsi alijs verbis, voluisse Græcos opinor; cùm eum dixerunt ex dictis colligere, id, quod debet colorem suscipere (medium scilicet ad videndum colorem) proprium non debere habere colorem. Immò & Auerroëm quoque dum causam affirmauit adferri, propter quam color antea dictus fuerit motiuus esse perspicui. Et sanctum Thomam, qui doceri dixit quomodo perspicuum ad colores se habeat. Agere namque hæc omnia est de medio agere. Visionis autem medium est perspicuum, per quod videntur colores, & per vnam illius partem cernitur alia. D E

Medium carere debere obiectio sentiendo. Quoniam autem communis conditio eius, quod debet quidpiam suscipere, ea est, vt careat ea re, quam suscipere debet (si enim eam haberet, profectò non susciperet) id quoque, quod colorem est susceptorum, colore carere oportet: & sono item id, quod susceptorum est sonum; eodemque modo in cæteris sensibus. Nam si quis inesset color aut sonus, is planè occuparet sensum, atque alterius sensionem impediret: is sentiretur & non alius. Quod sæpè experimur. Nam dum per viride vitium aspicimus, ita oculos nostros occupat ille color, vt is solus cernatur, reliquáque omnia virere videantur; nec alij colores ad oculum perferri possunt. Sed in singulis eodem modo euenit. Si aër clamoribus, tinnitu, alióue perstrepat sono, loquentis vox minimè auditur. Etsi lingua amaro aut salso humore occupetur, amara aut salsa edulia omnia iudicantur.

Colorem & sonum Philosophus nominauit, aut tanquam præcipuorum sensuum obiecta, et quibus cætera iudicentur: aut duplicem significans modum, quo sensile obiectum in medio sentientisque facultatis organo susciptur. Interdum enim reipsa susciptur; quemadmodum sonus & aliorum imperfectiorum magisque materialium sensuum obiecta: interdum intentionaliter duntaxat; vt color, siue per sui speciem susciptiatur, siue per solum metaphoricum motum sensusque cognitionem; sicut antea declaratum est. Nam vt mouere dicitur aspectum & medium; ita dici quoque potest in eorum vtroque susciptiui. Siue igitur reipsa & proprie, siue intentionaliter & minus proprie susciptiui debeat. Id, quod susceptorum est, carere illo oportet, aut penitus, aut certè maiore illo & intensiore gradu, qui sentiri debet. Tenuis enim quispiam sonus, quo aër occupetur, aut exilis interiecti vitri color, vehementioris sensionem nequaquam impediet. Quoniam illo priuatum est medium. Verùm etsi color solus nominetur, non item lumen; oportet tamen lumen quoque intelligere, quod antea dictum fuit velut colorem quempiam esse. Nam si magnopere illuminatus fuerit aër, minorem per eum lucem non videbimus (propterea enim astra in die non cernimus) at tenuem habuerit, poterit esse medium, per quod maior aliqua conspiciatur lux.

Hanc igitur ob causam perspicuum est ad colores omnes perspiciendos accommodatissimum medium: quoniam sua natura nullum colorem habet. Intelligendum autè est perspicuū, non quod sit actu (hoc enim esse illuminatum aut coloratum antea dictum est): sed quod, tum ad colores, tum ad lumen, sit potestate. Atque hoc est solum perspicuum sublunare & corruptibile. Cæterùm propositio illa; coloris susceptiuum est id, quod est sine colore; cum hac conuertibilis est; Quod est sine colore, coloris susceptiuum est. Itaque duo affirmare licet fuisse hoc loco demonstrata. Tum ex eo, quòd perspicuum coloris susceptiuum est, debere carere colore. Tum etiam ex eo, quòd colore careat, coloris susceptiuum esse. Vtraque enim ad perspicui & medij cognitionem magnopere pertinebat.

Quod autem dicit esse inaspectabile, aut vix aspici; duobus modis interpretabor. Alexander enim Themistius, & Simplicius, inaspectabile & quod vix aspicitur, eandem rem esse crediderunt, aëremque omnino obscurum & lumine prorsus carentem significare. Nam tenebræ, quæ priuationem eius, quod aspectabile est, significant, inaspectabiles verè sunt. Quoquo tamen modo vix aspici dicuntur, quatenus per negationem & absentiam lucis ex accidenti cognoscuntur, dum sentiam lucis ex accidenti cognoscuntur, dum sentiam lucis ex accidenti cognoscuntur, dum s

autem vix aspectabile, quando aliquod quidem, sed tenuissimum, lumen habet; vt in non tantopere obscura nocte, vel circa matutinum aut vespertinum crepusculum. Quæ posterior interpretatio magis est Aristoteli consentanea. Nam in textu 96. 103. & 120. cùm aspectum dicet aspectabilis, obiecti esse & inaspectabilis, auditum audibilis & inaudibilis, odoratum; odorabilis & inodorabilis, eodémque modo reliquos sensus: inaspectabile, inaudibile, & inodoralibile multis modis dici posse declarabit. Aut enim id dicitur, quòd nullo modo aspici, audiri, & odorari potest, quòd nullum habeat lumen aut colorem, nullum sonum, aut odorem: aut id, quod ægrè & vix sensibus hisce percipi potest. Hócque rursum duobus modis: aut quòd paruum & prauum odorem habeat, sonum, aut colorem: aut quòd nimium sit vehemens, neque à sentiente virtute sustineri facilè queat; quemadmodum eximia solis lux, aut vehementior quispiam sonus, aut odor. Horum enim vtrumque obiectum inaspectabile dicitur, aut insensile; quoniam aut illius motum omnino non sustinet sensus, aut non sine difficultate sensúsque læsione sentitur. Quod si ita est, ad rem præsentem pertinebit perspicuum sine colore, hoc est sine lumine, interpretari inaspectabile primo modo, quòd nullum habeat lumen; aut vix aspectabile posteriore illo modo, quòd paruum adsit lumen. Tertius autem ille, quo id aspici non potest, quod nimio lumine sentientem virtutem superat; ad perspicuum potestate non pertinet, sed ad illud, quod actu est perlumen: nuncque de perspicuo potestate sermo est: atque hoc est inaspectabile ex sua natura, & tenebrosum. Nam cùm lucis & tenebrarum capax sit, interdum illuminatum est, interdum tenebrosum; interdum actu interdum potestate. Sed siue lumen habeat, siue tenebras; siue actu sit, siue potestate; eadem semper est ipsius natura.

Porrò hoc loco non possum non monere lectorem veritatis studiosum, vt hanc Philosophi demõstrationem obseruet; ac iudicet, num in visione aliisque sensibus intentionales ipse formas posuerit. Demonstrat debere colore carere id, quod colores debet suscipere, siue medium sit, siue organum; eodemque modo in alijs sensibus. Medium demonstrationis est, colores suscipere. Iam si suscipiantur colores intentionales, quatuor terminis demonstratio constabit: siquidem medium supponit pro colore intentionali, & conclusio pro colore reali; eritq. fallacia dictionis. Optima verò demonstratio; si vbique sit sermo de colore reali; qui & in medio per motum ab obiecto factum, & in organo per cognitionis actum suscipiatur.

DIGRESSIO XXXVIII.

Quomodo sensilium obiectorum priuationes cognoscantur.

QVoniam Philosophus tenebricosum perspicuum inaspectabile esse affirmauit, aut certè si aspiciatur, ægrè & vix aspici: locus postulat, vt paucis declaretur, quomodo tenebræ ac reliquæ obiectorum sensilium priuationes cognoscantur.

A Per se quidem eas non sentiri, manifestum est. Tum quia ita facultates per actus & obiecta constituuntur & distinguuntur, vt adæquatum realis facultatis obiectum, extra quod nihil ipsa cognoscat, reale ac positiuum esse oporteat. Tum quia sola ea per se sentiuntur, à quibus patitur sensus & mutatur: à priuatione autem, quæ est non ens, pati & mutari planè non potest. Ex accidente igitur cognoscuntur; Quatenus sensus à proprio obiecto non mouetur. Propterea cum hanc quæstionem proposuisset Priscianus in librum Theophrasti de anima cap. 11. Respondendum est, inquit, sensum non tam sentire quàm cõsentire, neq. initi figique talibus, sed ex eo, quod in his actio inhibetur, in ipso conatu sensum iudicare quod deficit ipsis, & capite vigesimo, tenebræ non sunt visibiles.

Quomodo priuationes accidẽter sentiat.

B

Non enim sentimus eas quopiam intuitus firmamento; sed priuatione cernendi; atque eo, quòd minimè videamus. Hoc à singulis sensibus animaduerti, eorúmque vnumquemque obiecti sui absentiam & priuationem cognoscere, interpretati sunt Themistius, Philoponus, & Simplicius, tum hoc locotum in Com. ad tex. 96. 103. & 138. & Philoponus etiam in Commentario tex. 106. & 107. Sed Aristoteli parùm & rationi minùs consentaneè. Namque Aristoteles dum in libro de Somno & Vigilia, capite secundo, ita loquutus est: Quoniam autem existit secundum vnumquemque sensum, hoc quidem aliquid proprium, illud verò aliquid commune: proprium quidem, vt visui videre, auditui audire, & alijs eodem modo. Est autem & quædam communis facultas sequens omnes, qua & quòd videt & audit, sentit. Non enim visu quidem videt quod videt, & iudicat vtrique, & potest discernere, quòd alia quidem dulcia sunt ab albis, nec gustatu, nec visu, nec ambobus, sed communi quadam particula omnium sensoriorum. Planè affirmauit, nos non particulari sensu, sed communi; cognoscere nos videre aut audire. Duplicem namque distinguit communis sensus actionem, quæ à particularibus sensibus nequeat proficisci. Altera est, cognoscere illorum sensuum operationem. Altera, obiecti sui à reliquorum sensuum obiectis differentiam animaduertere. Si igitur nos videre & audire atque omninò operari, non particulari sensu, sed communi cognoscimus, eodem quoque, non particulari aliquo, cognoscemus nos non videre aut non audire, aut penitus non operari. Quocirca si propterea tenebras aut cuiusuis obiecti priuationem cognoscimus, quòd cognoscimus nos non videre, neque omnino sentire: Id sanè non particulari aliquo sensu, sed communi cognoscemus.

C

Cõmunis sensus operatio duplex.

D

E

Quò etiam illud spectet, quòd in cap. 1. eiusdem libri, somnum & vigiliam ad communem sensum pertinere hoc argumento probauit, quoniam hæc velut priuatio & habitus opponuntur, oppositáque in eodem versantur & fiunt.

Sed & ratio necessaria demonstrat, sentientem nullam facultatem, quippe quæ materialis semper sit & quanta, posse in seipsam redire, vt se operationémque suam cognoscat: sed hoc solius intellectus aut separatarum mentium, quæ nullum habent cum materia & quantitate comercium, esse proprium.

Neque igitur aspectus, neque auditus, neque vllus alius particularis sensus animaduertere potest, num operetur aut non operetur. Hoc enim conuersionem supra seipsum significat, atque ad aliam pertinet facultatem. Et quoniam obiecti priuationem non percipimus, nisi dum nos non moueri ab obiecto neque circa illud operari animaduertimus: ea planè non fuerit operatio illius sensus, cuius proprium est illud obiectum, sed facultatis alterius. Non alterius particularis sensus; quoniam nulla eiusmodi facultas proprij sui obiecti limites excedit: sed superioris alicuius virtutis. Aut communis sensus, vt credere visus est Aristoteles, & in Commentar. 149. affirmauit Auerroës. Quoniam is communis est iudex, tum obiectorum, tum actionum inferiorum sensuum: qui dum eos nequaquam ab obiecto illorum proprio moueri animaduertit, coniectura potest atque ex accidenti absentiam & priuationem illius cognoscere.

Priuationes intellectu cognosci.

Aut intellectus potiùs: tum quia modus hic cognoscendi priuationes obiectorum per habitum ratiocinationē habet manifestā, quæ cum aliqua, licet breuissima, mora perficiatur. Ea verò est hæc; oculos apertos habeo & erectas aures atque vtrumque organum benè affectum, nec cerno quidquam aut audio; non est igitur mihi præsens lumen aut sonus. Tum quia sentire est quoddam pati; neque communis sensus pati aut operari potest, nisi dum patiuntur & operantur proprij. Quare si absente obiecto propius sensus non petatur, neque is, qui communis est, cognoscere poterit, eum, qui proprius est, non operari. Quam ob causam Philoponus in textu 103. coactus ab externo ad internum sensum cognitionem eam traducere, quoniam externi operatio in eo solùm est, quod ab obiecto patitur; dúmque non patitur, operatione caret: ad phantasiam potiùs traduxit, quæ absente quoque obiecto & externo sensu non operante operari potest.

Bestias priuationem omnē non cognoscere.

Sed necessariò conficitur, solius hominis, qui ex animalibus omnibus solus ratiocinatur, propriam cognitionem hanc esse: bestiásque quæ solum præsens obiectum sentiunt, sentire se cognoscere communi sensu operante: atque hoc duntaxat memorato loco Philosophus affirmauit. Quod si remoueatur obiectum, nihil sentiunt, nec omnino quidquam operantur, neque se nō operari animaduertunt: sed in sola negatione versantur. Quod enim sæpè vsurpari solet, eandem contrariorum facultatem esse, de veris & positiuis contrarijs intelligendum est. Quoniam cùm facultas per operationem & obiectum constituatur, solam operationem & obiectorum positiuum respicit.

Vt sensus priuationē cognoscat.

Quamquam etiā quoquo modo affirmare licet, particularem quoq. sensum obiecti sui priuationem cognoscere: quatenus intellectus non sine illo, quin eo potiùs concurrente, cognoscit. Dum enim intellectus animaduertit sensum non moueri, absentiam & priuationem obiecti intelligit. Ita accipias illud, aspectum esse aspectabilis & in aspectabilis, auditum audibilis & inaudibilis, cæteróque sensus eodem modo. Quamquam ijsdem in locis exponitur, sensile & insensile, vt dictum est, duobus modis nominari: aut id, quod omnino sentiri nequit, quod meram priuationem sensilis obiecti significet; aut id, quod ægrè & non sine læsione sentitur, quòd nimis vehemēs sit, aut parùm & prauum coloris alterius ue obiecti habeat. Nam & in 7. Phys. lib. tex. 20. immobile, tum id dicitur, quod penitus non mouetur; tum id, quod ægrè moueri potest. quare tenebras dicet in textu 33. exiguam lucem & corpus per parum splendidum vixque aspectabile, & silentium exilem sonum & vix audibilem, & inguſtabile paruum & prauum saporem. Et textu 110. intactile, quod paruum omnino habet differentiam tactilis qualitatis; quemadmodum, inquit, est aer. Hæc enim omnia exteriori sensu, etsi ægrè, percipiuntur. Et rursum eodem modo intelligas id, quod est in textu 138. cùm aspectu non videmus, nos discernere & tenebras & lumen, sed non eodem modo. Lumen namque cognoscit aspectus per se & propria operatione, dum ab eo præsente mouetur. Tenebras autem quatenus dum à lumine non mouetur is sensus, intellectus obiecti eius absentiam & priuationem ratiocinatur. Idcircò enim non ait non videre, sed visu percipere lumen & tenebras. Lumen videmus, tenebras visu percipimus; intellectu ratiocinante, dum visum non operantem animaduertit. Tenebræ cognoscuntur, inquit Simplicius in tex. 133. non mouendo visum desiderantem & videre tentantem.

TEXTVS.

Οὐ πάντα δὲ ὁρᾶται τὸ φωτί δέον. ἀεὶ μέντοι ἀόρατον τὸ ἀντίον χρῶμα. ἔστι γὰρ ὃ μὴ τῷ φωτὶ οὐχ ὁρᾶται ἀλλ' ἀμυδρῶς πως πάσχει αἰσθητόν. ὅμοιον τὰ σκοτεινὰ φαινόμενα ἡμῖν τοιαῦτα. ἀόρατα δὲ ἔστι τὰ ἐνίοτε οὕτω μέν, οἷον μύουσι κόραι, καθαρὰ γοῦν ἡ λεπτὸς, ὁρᾶται μείζ. ἀόρατος δὲ ὁρᾶται πυκνὸς ὢν καὶ χρώ-

Non omnia autem in lumine aspectabilia sunt, sed solius cuiusque proprius color. Quædam enim omnino quidem non videntur, in tenebris autem facem fumum: vt quæ ignea videntur, & incentia. Innominata autem sunt hæc vno nomine, vt fungus, cornu, capud piscium, & squammæ, & oculi. Sed nullum horum videtur proprius color.

COMMENTARIVS XCIV.

DVm in textu 66. de aspectu dicere aggreditur, est duplex distinxit aspectabile obiectum: alterum appellauit colorem, alterum innominatum esse dixit; sed post de eo seorsim dicendum esse post coloris explicationem. Ergò de priori illo obiecti genere; de colore inquam, tum proprie dicto, tum lumine, quod color quidam est, & de verò etiam de perspicuo, quod & luminis subiectum est, & medium ad colorem videndum, hactenus disseruit. Nunc de altero illo dicere aggreditur, quod vna voce nominari non potest.

Et quoniam in textu 67. colorem posuit sine lumine aspectabilem non esse, sed omnem cuiusque colorem in lumine aspici: ab hac eadem propositione exordiens, vt ad aliud aspectabilis genus transeat; Non omnia, inquit, aspectabilia in lumine aspectabilia sunt, sed solus cuiusque corporis proprius color. Quædam enim sunt, quæ externo lumine collustrata non cernantur, sed

in tenebris duntaxat: & ideò nocte, non die, videntur. Quoniam exiguam & pertenuem habent lucem, quæ sibi quidem sufficiens est, vt videatur; sed & quauis maiore adueniente luce offuscatur (vehementior enim animæ motus imbecilliorem offuscat) & alia nequaquam potest ipsa facere aspectabilia. Huius generis sunt fungus, cornu, squamæ & capita quorundam piscium, & oculi; adde etiam cicindellas ignitáque omnia & noctu lucentia. Quæ vno communi nomine appellari nequeunt vniuersa, sed singula commemorare oportet.

Themistius verò ea dixit aut omnino colorata non esse, siquidem coloris proprium est mouere perspicuum actu illuminatum: aut alio, quàm cætera corpora, coloris genere prædita. Quæ verba vereor, ne & contradictionem contineant, & cum Aristotele parùm consentiant. Namque si coloris proprium est mouere perspicuum actu; conueniet id omni colori: siquidem ex generali & vniuersa coloris natura proficiscitur. Quis igitur alius color sit sine lumine aspectabilis? Certè Philosophus & colorem omnem definiuit motiuum esse perspicui actu; & hæc, quæ sine lumine videntur, prorsus nunc à calore separat: vt & nullius illorum proprius sit color; & non propterea videant, quòd colorata sint (egerent enim externo lumine) sed quòd ignea & suapte natura lucentia.

Aliter Philos. triplex.

Vnde triplex omnino esse diximus aspectabilis obiecti genus. Vnum est id, quod coloratum est, quódque sine extremo lumine non videtur. Color enim interdiu solùm videtur, non noctu. Alterum est perspicuum actu; quod eam solam ob causam cernitur, quòd externo lumine illuminatum sit. Tertium, quod igneum est aut lucidum; hoc est quod proprium & insitam sibi lucem habet. Atque hoc rursum est triplex. Vnum, quod maxima planè luce præditum est; quod ideò extremo lumine non indiget, nec tamen noctu videtur, sed solùm in die, vt sol, quòd is dici quoque parens sit & auctor. Alterum, quod moderatam magis habet lucem, quæ tamen & ipsa lucere potest in tenebris, & externo lumine non facilé offuscatur & occultatur: vt ignis & luna & astra quædam, vt lucifer.

Atque hæc, tum in lumine, tum in tenebris, & die & nocte, videri possunt; vt de igne apertis verbis in textu 74. dicetur. Tertium, quod tenuissimam habet lucem, quæ nocte solùm & in tenebris conspiciatur. Cuius generis ea sunt, quæ hoc loco Philosophus nominauit. Inter quæ non ignem, sed ignea commemorauit: quoniam ignis magnopere lucet, nec in tenebris modò, sed & in lumine quæ autem ignea sunt, vt ignis lucem habent, non integram, sed participatam; ita parùm & solùm in tenebris conspicua sunt. Habent enim tantum lucis, vt ipsa cerni possint; at non tantam, vt circumiectum illuminent aërem; quemadmodum ignis & incida cætera, quæ maiorem lucem habent. De his tamen omnibus verè affirmare licet, præter colorem reliqua omnia sibi ipsis causam esse, vt videantur: & ideo in tenebris quoque videntur, quia lucida sunt.

Vt solum color in lumine videatur.

Appositè autem quærit Simplicius, quomodo Aristoteles solum colorem dixerit in lumine videri; siquidem illuminatum quoque perspicuum videatur. Adde etiam ignem, solem, lunam, & huiusmodi corpora, quæ lucem maiorem habent, non colorem vllum. Mitto parùm accommodatas Latinorum quorundã responsiones: sanè Simplicius de colore præsertim id fuisse dictum respondit, quòd is videtur tanquam aliquid à lumine distinctum; non item de perspicuo, quia cùm ipsius actus sit lumen, non videtur tanquàm aliquid distinctum à lumine. Et ideò cum potius cernitur quam in lumine. At luna quoque sol, & ignis, vt in textu 74. fatebitur Aristoteles, & in lumine videntur, & non tanquam colorata; sed tanquam lucida; à lumine tamen distincta. Itaque veriùs admonuit Philoponus, propositioni illi addendum esse (solùm) atque hoc modo enintiandum; solus color in lumine solùm videtur: atque ita nunc habent exemplaria Græca. Ignis autem & luna in lumine quidem videntur; non tamen in lumine solùm, sed in tenebris.

De sole porrò, qui colorem non habet, nec tamen nisi die videtur; aut dicendum est, eum ex se in tenebris quoque & noctu aspectabilem esse, quia semper lucidus est: quòd si noctu non aspiciatur, ex accidenti esse; quoniam tantam habet lucem, vt omnino tenebras pellat, secúmque adducat diem. Aut cum Philopono affirmandum; eum esse aspectabilis quoddam genus ab alijs omnibus diuersum: neque in tenebris videri, quòd ipse tenebras pellat; neque interdiu, quòd ipse sit diei efficiens causa.

TEXTVS.

Διὰ τοῦτο μὲν οὖν αἰτίαν ταύτην ἐκτέον, ἄλλος λόγος.

Propter quam igitur causam hæc videntur, alia ratio.

COMMENTARIVS XCIV.

QVædam esse dixit, quæ nocte duntaxat & in tenebris luceant sintque conspicua. Cuius rei nullam exposuit causam, sed nec omnino vult hoc loco exponere; verùm in alium reijcit: nimirum, vt Themistio placet & Philopono, in librum de sensu & sensili. Causa autem est, quòd exile habent lumen, quo etsi non possint circumiectum aërem illuminando reliqua quoque conspicua facere, seipsa tamen manifestant: hócque solùm in tenebris; quoniam maiore diutno adueniente lumine lux illorum exigua occultatur: sicut & lux stellarum, quæ noctu lucebant. Noluit autem in hac explicanda causa nunc immorari; ne coloris tractationem interturbaret, neue à præcipuo aspectus obiecto ad hæc paucula, quæ vix & rarò videntur, digrederetur. Satis illi fuit ea commemorando, significare sub aspectus obiecto contineri, & quatenus contineantur, quoue modo à colore distinguantur, indicare: quod scilicet in tenebris solùm videantur, color in lumine.

Cur quædam in tenebris solum inspiciantur.

Hæc est communis horum verborum interpretatio. At num fortasse accommodatior sit altera, viderint sapientiores. In lumine dixerat proprium cuiusque colorem videri, quia color

illuminati perſpicui motiuus eſt. Quædam verò eſſe, quæ in lumine non cernuntur, ſed in tenebris moueant ſenſum; neque hæc proprium habere colorem, & ideò in lumine non videri; quia colorata non ſunt. Dicendum ſuper erat, cur omnino & in tenebris videantur. Hoc nunc agit, & illatiua vtitur particula (igitur.) Si non videntur, quia colorata ſunt; alia igitur eſt ratio, propter quam videantur. Quæ nam iſta? illa, quam iam ſignificauerat, quia ignea ſunt & lucentia. Hæc eſt ratio, cur & videantur, & in tenebris videantur. Puto autem verbis hiſce contineri probationem eius, quod dixerat, hæc mouere ſenſum, quia ignea ſunt & lucentia. Probatio verò eſt hæc. Aut videntur, quia colorata ſunt, aut quia ignea & lucentia: hæc proprium colorem non habent; propter aliam igitur cauſam videntur, nempe quia ignea & lucentia.

A

B

TEXTVS.

Νῦν δὲ δῆλον ποσαχῶς φανερόν ἐστιν. ὅτι τὸ μὲν ὡς φωτὶ ὁρώμενον, χρῶμα. διὸ ἐν οὐκ ἐνόπτροις οὐδὲ φωτὸς τοῦ τοῦ λίθου αὐτοῦ τὸ χρώματος ἕξει τὸ κινητικὸν ἕξει τὸ καθ' ὑπάρχειν ὄμματος ἢ τὸ ὁπτικόν· τὸ δὲ διαφανοῦς, φῶς δὲ τοῦτο σημεῖον δὲ τοῦ πυρὸς φανερόν· ἐὰν γὰρ τις θῇ τὸ ἔχον χρῶμα ἐπ' αὐτοῦ πλησίον, ὄψει· ὅτι δ' ἄνευ τοῦ διαφανοῦς, οὐδὲν ὑπάρξει. νῦν πυρὸς δ' ὄντος ἐν τούτοις κινεῖται τὸ αἰσθητήριον.

C

Nunc autem eatenus manifeſtum eſt, quod id
Tex. 73. *quidem, quod in lumine videtur, color. Quare non videtur ſine lumine. Hoc enim erat ipſi colori eſſe, motiuum eſſe perſpicui actu. Actus autem perſpicui lumen eſt. Signum autem huius manifeſtum. Si quos enim ponat id, quod habet colorem, ſuper ipſum aſpectum, non videbis. Sed color quidem mouet perſpicuum, puta aërem, ab hoc autem continuo exiſtente mouetur ſenſorium.*

D

COMMENTARIVS XCVI.

ITaque ad coloris conſiderationem reuertens partim ſuperiùs dicta repetit, partim ex eis concludit, id, quod in lumine ſolùm videtur, eſſe colorem. Atque ex hoc rurſum aliud deduxit: Non videri, inquam, ſine lumine aut in tenebris: qua re differt ab ijs, quæ paulò ante dictum eſt in tenebris ſolùm & non in lumine conſpici.

Colorem ſine lumine nõ videri.

Porrò ad hoc demonſtrandum, tum à priori argumẽtatur, tum à poſteriori. Primùm enim coloris definitionem antea poſitã accipit, color eſt motiuus eius perſpicui, quod eſt actu: & ex actu per lumen, ſiquidem lumen quoque definitum eſt eſſe perſpicui actum: neceſſe igitur eſt illuminatum eſſe perſpicuum, vt à calore moueatur colórque videri poſſit. Deinde hæc experientia confirmat. Si coloratum admoueatur oculo, planè non cernitur; eam ſolam ob cauſam, quia ſublatum eſt lumen, quod ad cernendum erat neceſſarium; mediúmque perſpicuum, quod à colore moueatur, vt ita aſpectus quoque moueri queat. Vnde intelligi poteſt coloris definitionem quæ demonſtrationis principium eſt, ex experientia rebúſque ſenſu notis collectam eſſe, ſicut & prima ſcientiarum ac demonſtrationum principia, quæ notiſſima eſſe oportet, colligi ſolent.

E

Itaque affirmare licet, duo Philoſophum hoc loco præſtitiſſe. Alterum fuit, ex coloris definitione demonſtrare ipſum ſine lumine videri non poſſe. Alterum, ex eo, quòd in lumine ſolùm experimur ipſum videri, eam oſtendere illius naturam ac definitionem eſſe, vt perſpicui actu motiuus ſit. Quam ob cauſam dixit Philoponus veluti habitum eſſe perſpicui; quoniam eſt propria illius perfectio & forma: colorem autem actum illius habitus abſoluere, dum per illud tanquam per medium colores quoque cernuntur & ad oculum traijciuntur. Quòd ſi coloratum obiectum tangat oculum, planè non cernitur; quoniam prohibetur lumen & tollitur perſpicuum, quòd eſſe medium debuerat & priùs à colore moueri, quàm moueatur aſpectus.

Verùm non ſine ſummo conſilio non dixit Ariſtoteles, colore; ſed eo, quod habet colorem, admoto oculo non videri. Quoniam id, quod colorem habet, corpus opacum eſt, quod lumen vidini neceſſarium impedit; & ideò prohibet, ne videamus: ſicut & palpebræ, dum oculos claudimus. Color autem ipſe in oculo poſitus nequaquam viſionem impedit, quod lumen non prohibeat. Hoc que videre eſt in ieterico, qui etſi colorem habet affuſum oculo, non ſolùm tamen videt, ſed omnia citrini coloris eſſe iudicat. Verùm hæcipſa vitio per medium perſpicuum fit. Quoniam vitio maxime fit in humore cryſtallino, inter quem & colorem illum, qui in vuea tunica ineſt, albugineus humor continetur, perſpicuus, & quidem actu, quòd color ille lucis acceſſum non impediat. Quapropter perſpicuum quoque corpus, vt vitium, oculis ad motum cerneretur, quoniam lucem admitteret: & per ipſum cætera viderentur, quia perſpicuum eſt. Quamquam duritiem corporis formidantes claudimus palpebras, neque contractum ſuſtinemus. Illis item verbis vſum fuiſſe Philoſophum ait Simplicius in ſequenti Commentario, quoniam luce dum vtique admotum oculo videtur, niſi luce nimia offulcet ſenſum & hebetet.

TEXTVS.

Οὐ γὰρ καλῶς τοῦτο λέγει Δημόκριτος οἰόμενος, εἰ μὴν κενὸν τὸ διαφανὲς, ἐνδέχεσθαι ἂν ἀκριβοῦς, εἰ μηδενὸς τῶν ἐσχάτων εἴη τοῦτο τοῦ ὄντος ἀδύνατον τοιοῦτον γίνεσθαι τὸ ἐνόν. ὅλως μὲν γὰρ ἀπορία ὁρᾶσθαι χρῶμα μὴ ὄντος ἀλλοτ. λάμπειν δ' ὑπὸ τοῦ μεταξὺ οὔτ' αἰσθητὸν τῷ ὄντι, κενοῦ δ' γενομένου, οὐχ ὅπως οὐκ ἀκριβῶς, ἀλλ' ὅλως οὐδὲ ὁρᾶσθαι.

Non enim benè hoc dicit Democritus, opinatus, ſi fieret vacuum quod medium eſt, perſpici poſſe exquiſitè, etiamſi formica eſſet in Cœlo. Hoc enim eſt impoſsibile. Patiente namque ſenſitiuo ſi ipſum videre. Ab ipſo igitur, qui videtur, colore impoſsibile. Relinquitur autem, vt à medio. Quare neceſſe aliquid eſſe medium. Vacuo autem facto nedum exquiſitè, ſed nihil omnino videbitur.

COMMEN.

COMMENTARIVS XCVII.

Democritus eam habuit de visione sententiam, vt in ea perficienda minimè crederet medium vllum inter aspectum & coloratum obiectum esse necessarium. Quin potiùs affirmabat, si totum hoc spatiũ, quod inter nos & cœlestia corpora aëre & igne plenum est, remotis illis fieret vacuum; fore vt nihilominùs exquisitè, immò acriùs & exactiùs cerneremus, quod libétque vel minimum corpus & verò etiam formicam in cœlo positam conspiceremus. Nam cùm certum sit, quotidianáque experientia comprobatum, obiectum quò magis distet à nobis, eò minùs videri: si formicam nunc aut etiam grandiora corpora paulò longiùs dissita non videmus, & cœlestia astra propter loci distantiam tàm parua nobis apparent, tametsi immensam plaçe habeant molem: tunc autem facto vacuo formicam in cœlo sitam exquisitè cerneremus: omnino consequens est, acriùs multò & probiùs omnia tunc visum iri, quàm nunc videantur.

Hanc opinationem Democriti reprehendere fallámque esse demonstrare libuit hoc loco Aristoteli; quod veritati & sententiæ prorsus aduersaretur suæ. Necessarium enim esse dixerat, vt à colore moueatur medium perspicuum, hoc est aër; atque hoc vsque ad oculum continuato moueatur sensus. Ad hunc igitur modum ratiocinatur. Vt obiectum quodpiam videamus, sensum aliquid patioportet; quoniam vt antea ostensum est, sentire patiquoddam est, moueri, & alterari; siue re ipsa, vt in cæteris materialibus magis sensibus; siue intentionaliter, vt in aspectu; hoc aut speciei susceptione in oculo, aut sola obiecti aspectabilis præsentia, qua excitatur sensus atque ad operandum trahitur. Aut igitur à colore ipso, qui cernitur, moueri oportet, aut à medio: colore moueri non potest immediatè & proximè (hoc enim subintelligendum esse verè Simplicius admonet). Quia non solùm non tangit, sed nimium omnino distat, si ponatur in cœlo. Immò si tangeret atque oculo admoueretur, omnino non videretur. Necesse igitur est, vt immediatè moueatur à medio, vt ità dici possit à calore quoque alterius interuentu moueri.

Itaque hic erit in visione ordo mouentium, & eorum quæ mouent. Aspectabile obiectum est primum mouens, quod non mouetur: aspectus vltimum, quod mouetur & non mouet: medium perspicuũ & mouetur & mouet. Idcircò vt fiat visio, id quod inter aspectum & colorẽ est, plenum semper esse oportet. Hoc enim est, quod ait (quare necesse est aliquid esse mediũ, hoc est Id, quod est medium, esse aliquod corpus plenum) neque in vacuo quidquam videretur. Tantum abest, vt acriùs cerneretur, quàm in pleno; aut etiam formica in cœlo exquisitè conspiceretur, quam nunc paululum distantem non videmus.

Sanè Philosophi hæc argumentatio notissimo illo principio nititur; Omnis actio per contactum fieri debet. Siue igitur sit actio in aliud transiens, vt actio ignis in lignum; siue in eo ipso quod operatur remanes, vt visio & omnino sensio; cõtactu agentis & patientis, quod actionẽ suscipiat; siue agentis & obiecti, circa quod agit, quodque illius actionem terminat, opus est. Eóque duplici: altero quidem virtutis, qui agnoscitur in eo, vt subiectum siue obiectum agentis sphæra contineatur. Nam vnum quodque agens, vt finitam agendi virtutem, ita & determinatam distantiam habet; ad quam illius virtus ita se se potest extendere, vt vltra eam non possit. Neque ignis calefacere potest nisi ad certam distantiam, neque aspectus quantumcumque dissitum obiectum cernere. Altero autem suppositorum & quantitatum, sine quo virtutis contactus non est. Isque versatur in eo, vt agentis & patientis, seu agentis & obiecti, extremitates sunt simul, aut immediatè, aut certè alio interiecto corpore. Quemadmodum cùm ignis tangit aërem, & aër lignum, quod calefit, aut oculus aërem, aërque coloratum parietem, qui videtur. Siue igitur coloratum obiectum agat in oculum sui speciem immittendo, siue aspectus circa illud operetur, ablato aëre medio factoque vacuo nulla erit visio. Quoniam si obiectum immittere in oculum oporteat speciem sui, nihil est, in quo ea suscipiatur, vt ad oculum transmittatur. Sed aut statim euanescit & perit in vacuo, aut potiùs omnino non producitur, quia nihil est, ex cuius potestate educatur, aut in quo suscipiatur. Sicut nec in tenebris producitur, quod in solo perspicuo illuminato produci queat. Eandem ob causam nec lucida corpora nec astra viderentur.

Quod si aspectus non susceptа sui obiecti speciẽ in oculo, sed proposito duntaxat obiecto circa illud operetur, nihilo magis cernet in vacuo. Vacuo namque facto contactúque suppositorum sublato, virtutis itẽm contactus tollitur, atque impeditur, ne ad obiectum pertineat. Quippe certissimum est illud Philosophorum omnium axioma, Nihil operatur vbi nõ est. Nam quia operatio virtutem operandi comitatur, hæcque rursum essentiam ipsam cuius est virtus, vbi non est essentia, aut immediatè, aut mediatè, nec virtus esse nec potest operatio. Quocirca cùm vacuũ præsentiam tollat omnémq. præsentiæ & suppositi contactum, virtutis quoque contactum tollit omnémque operationem prohibet. Tantum abest, vt iuuet certiorémque & acriorem faciat, vt Democritus asserebat. Atque hinc efficacitas intelligitur Aristotelicæ aduersus ipsum disputationis.

DIGRESSIO XXXIX.

Naturalem omnem actionem contactu perfici.

LOngioris hæc disputationis occasionem præbent. Agentis enim & patientis contactum in omni actione necessarium esse, tum hoc loco Philosophus accepit, tum alibi sæpè. Nam in Phys. lib. 8 tex. 10. mouens & mobile demonstrauit simul esse oportere vt fiat motus. Et in tex. 82. lib. 8. propterea miratus est, quomodo proiecta corpora non tangente primo mouente moueatur. Atque vt cætera mittam, in priore lib. de ortu & interitu tex. 43. 44. 45. & 78. id ex instituto & vniuersè constituit.

At non defuerunt qui secus sentirent, nec Democritus modo, sed & Plotinus in lib. de dubijs animæ vel de visione, & Alexander peripateticus Auerrois & Alberti testimonio 2. lib. de cœlo t. 24. *Qui cõtactum negarint.*

Cœlum namque agit in hæc inferiora, quæ minimè tangit ; aërémque calefacit sol, interiectos orbes non calefaciens. Scitum est menstruatæ mulieris oculos inficere speculum ; fascinatórisque facinare pusiones ; & Basilisci necare homines ; torpedinem piscatoris manui torporem adferre, nihil afficiendo ea quæ interiecta sunt. Eundem piscem narrant Aristoteles in lib. 9. de animalium historia cap. 37. & Plinius lib. 9. cap. 42. & lib. 32. cap. 1. & Albertus lib. 24. de animalibus abscondere sese in arena & limo, piscésque cæteros stupefacere & vorare. qui oculos lippitudine laborãtes inspexerit, sæpe eodẽ inficitur morbo, vt est ĩ probl. 4. sect. 7. nec tamẽ eorũ oculi sese contingũt. Electrum trahit surculos, & magnes ferrum. Eandémq. ferrum trahendi vim ineſſe Milui piscis ossi, auctor est Simplicius com. 104. in tex. 82. lib. 8. Phys. Inest & in singulis animalium membris vis attrahendi alimentum à se remotum. Speculum concauum comburit stupam, & non proximum aërem. Fundi vasorum, quibus calefit aqua, frigidiores, superioréque aquæ partes, quæ magis ab igne distant, calidiores sunt ; vt in probl. octauo sect. 24. confirmatur. Feruet & bullit oleum charta contentum, nec à subiecto igne charta comburitur. Coquitur pomum, neque circumductum læditur linteum. Oscitante alio ad oscitandum prouocamur ; & in musicis instrumentis vna corda pulsata resonat alia ab ea distans. Lupina tympana ferunt ea dissoluere, quæ agnino constent corio, etsi nullus eorum sit contactus. Ac demum imaginationem sæpè compertum est in corporis partibus à se remotis effecisse complura. Noui hominem & verò amicissimum mihi ; cui sola imaginationis vi, cùm libuerit, volo manus egregiè sudat. Ità ferè nos experimentorum numero territant diligentes nimirum & oculati obseruatores naturæ. Ex eo item argumento deducto, quòd si actio contactu fieret, in superficie duntaxat fieret; cùm superficierum solùm contactus sit : at in tota profunditate fit actio.

Vera opinio statuitur.

Verùm hæc omnia me ne tantillum quidem mouẽt. Agentia enim naturalia omnia sunt corporea, agendique virtutem quantitati alligatam habent, nec agendo possunt à quantitate recedere. Quippe actio agendi virtutem, hæcque agentis naturam & esse comitantur. Quam ob causam res materialis & quanta in immaterialem & à quantitate abiunctam non agit. Quoniam cùm virtus & actio sint quantæ, non nisi in re quapiam quanta suscipi possunt. Quòd si in aliquo non susciperentur, nec vlla erit actio neque in quidquam aget. Sanè actio formam significat vt ab agẽte proficiscitur; idque circa quod agens agit, actionem eius suscipit. Quarè cùm illius actio & forma sit quanta, neque possit quantum suscipi in non quanto ; consequens necessario est, agens quantum non nisi in aliud quantum agere. In eo porrò non potest agentis actio suscipi, nisi ei fuerint immediatum ; si non superficie, ita vt nihil interagens & patiẽs intercedat ; virtute saltem agendi. Quia si agens in aliquid ageret neutro sibi modo immediatum, non posset illius actio in eo suscipi: & si ageret in quidpiam, quod extra actionis sphæram esset, actio eius esset abstracta & à quantitate libera : cùm tamen omnis actio agentis quanti ita sit cum quantitate coniuncta, vt ad certam solam distantiam agere & extra illam nihil possit. At quoniam actionis quantitas totam aliquam constituit sphæram ; quidquid ea continebitur, immediatum erit agenti ; quia ad totum illud spatium potest illius actio pertinere.

Duobus vero modis dicitur immediatum ; aut supposito, si nihil intercedat, sed agentis & patientis extrema sese contingant. Aut virtute ; quando etsi non immediatè se tangant extrema, agens tamen in id agit, quod actionis suæ sphæra continens idque virtutem suam interiecto corpori communicando : vt licet per medium agat; quia tamen virtus ea non est medij propria, sed ab agente profecta, dicatur semper agens immediate quoad virtutem attingere patiens. Hinc ortum habuit distinctio illa duplicis contactus, quæ est in 1. lib. de ortu & interitu, quorũ alter est Mathematicus, alter Physicus. Nam Mathematicus contactus corporum est, quorum extrema absque medio se tangunt, sine vlla tamen virtute aut actione. Physicus autem præter hunc extremarum quantitatum contactum virtutẽ etiam addit, qua vnum agit aut mouet, alterum patitur aut mouetur. Qui sane contactus, aut mediatus esse potest, aut immediatus: idque aut suppositio aut virtute.

Vt triplex omnino possit esse contactus Physicus. Vnus tum suppositio tum virtute immediatus, qualis est interignem & aërem, vbi absque alio interiecto corpore aërem ignis calefacit. Alter suppositio solùm, non virtute immediatus, vt cum aër ab igne calefacit nostra corpora. Postremus virtute & non suppositio, vt cùm ignis interpositio aëre nos calefacit. Cùm igitur Mathematicus contactus solum extremorum seu suppositorum contactum significet, Physicus autem & suppositorum & virtutis tertia addi potest contactus ratio communior, quæ & ex eodem Philosophi loco colligitur, & spiritalibus quoque conuenit, dum in res corporeas agunt. Hic est solius virtutis, & in eo solùm agnoscitur, vt agens etsi quantum non sit, virtutem suam applicet atque in aliquid agat.

In omni porro naturali & corporea actione necessariam esse agentis vnionem cum patiente, quæ fit per contactum Physicum, siue mediatum, siue immediatum, non tanquam rationem formalem, sed velut actionis conditionem, colligitur plane, tum ex locali motu, quo manifestum est non posse aliquid ab alio moueri, nisi aut immediate, aut mediate ab illo tangatur. Tum ex certissimo illo principio, quod initio posui, actionem à virtute agenti, hancque ab essentia pendere, cúmque naturalium agentium essentia sit cum quantitate ligata virtutem & actionem non posse sine quantitate esse, hoc est non nisi ad certam aliquam distantiam, intra quam debeat patiens contineri. Ita vt patiens dicatur esse cum agente, aut ab alio tangi non modò virtute, quia hic tactus in quauis distantia esse potest, cum vertetur solum in agentis & patientis proportione : verùm etiam quantitate, siue immediate, siue mediate; vt contineatur determinata sphæra, ad quam actio illa cum quantitate coniuncta extendere se se possit : & quicquid intra illam sphæram fuerit, siue immediate, siue mediate, dicetur ab eo agentem per illam actionem tangi.

Sed præter hæc adest experientia omnium certissimaq. in medicamentis obseruamus nullam esse actionem, nisi ita adhibeantur, tangantque in naturalibus ignem (vt hoc exemplum accipiam) non calefacere corpus, nisi mediate, aut immediate illud tangat. Quòd si absque contactu agerent, egritis opus non esset adhibere medicamenta, nec

frigida

frigidus ad ignem accederet, aliáque id genus fierent. Immò si inter agens & patiens poneretur aliquod corpus, non impediretur actio; parietéque interiecto nihilominùs calefaceret nos ignis, & agentia omnia effectus suos producerent. Aut enim interiectum corpus impediret ratione distanti æ, aut propter interpositi corporis molem: distantia eadem esset, siue quidpiam interponeretur, siue non; corporis autem molem causare is non posset, qui contactus necessitatem negaret. Neque enim à mole penderet actio, neque ab ea impediri posset. Quòd si impediri dicat propter formam & qualitatem contrariam; sanè corpus aliquod interponi posset, quod similes formas & qualitatis haberet; quemadmodum si inter hominem & ignem alius eisdem qualitatibus affectus homo statuatur. Vnde etiam triplici agente posito, vno propinquiore, & alio remotiore à patiente; & posito vno igne, qui in tria patientia eodem modo dispositа ageret; & tria illa agentia æquè agerent in illud patiens, cùm actio à contactu non pendeat; & vnicus ille ignis eandem ob causam tria illa obiecta immediatè calefaceret. Quæ tamen certum est & sensu confirmatum haud ita se habere. Et quidem certè nisi agentis & patientis contactus requireretur, posset in vacuo quoque fieri actio: tunc que actio rei quantæ non minùs esset abstracta, quàm immaterialis rei actio; magisque, quàm essentia & virtus, ex quibus ea proficiscitur. Neque distantia vlla impediret actionem, neque iuuaret propinquitas; neque agens breuioribus lineis vehementiùs, quàm longioribus, ageret. Atque nulla potior est ratio, cur natura tantopere fugiat vacuum, quàm quia in eo nulla fieri posset actio. Neque vlla est ratio, cur hæc in vacuo non fieret, nisi quia non esset contactus. Nimirum corpora immediatè se se tangentia atque à Deo conseruata in vacuo agere possent: at si dissita essent, statim atque actio ab agente exiret, euanescere in vacuo; quod nihil esset, in quo ea susciperetur & per quod ad patiens deueniretur. Quin etiam si actio contactu non indiget, possent omnia in vacuo à cœlo & alijs secundis causis conseruari: nec erit quòd Philosophus dicat in 1. lib. Meteor. cap. 2. necessarium esse inferiorem hunc mundum cum cœlesti superiori coniunctum esse, vt virtutem inde omnem deriuet.

Nunc verò nihil est vacuum in natura, cumque agens agit, nisi tangat patiens, intercedit aliquod corpus, aut eiusdem naturæ cum patiente, & sic est immediatum patiens; aut eiusdem cum agente, estque immediatum agens, tum virtute, tum supposito; aut est aliquid diuersæ ab vtroque naturę, quod tamen communem cum illis materiam habeat, tũcque agens prius agit in illud medium, posterius in aliud: quoniam propter communem materiam illud quoque medium pati ab eo agente potest, quare etsi mediatè quoad suppositum, immediatè tamen virtute tangit illud patiens. Quòd si corpus medium densitate & duritie aliaue qualitate agenti nimirum resistat; aut omnino actionem impedit, aut retardat tandiu, quandiu ipsum quoque ab agente fuerit superatum. Hoc enim certissimum est argumentum ex sensu & experientia ductum, actionem per contactum fieri; nec posse agẽs in remotum agere, nisi prius agat in id, quod magis propinquum est.

Actiones sphæra. Cæterùm cùm agens finitam virtutem habeat, non potest hic contactus in infinitum progredi; sed certam habeat distantiam, ex qua vi tutis agentium sphæra oritur: intra quam quidquid fuerit constitutum, pati ab eo agente poterit; siue immediatè, siue mediatè quoad suppositum; semper autem immediatè quoad virtutem. Extra illam autem nihil omnino agentia possunt. Vocatur sphæra; quoniam agentia virtutem suam in orbem exerunt in circumiecta omnia corpora. At non vno & eodem modo. Quia cùm agant per contactum, quò perfectior & magis immediatus contactus fuerit; eò vehementior est actio: minor & imbecillior, vbi contactus magis mediatus. Ita vehementior semper est in partes propinquiores actio, & in eas vehementissima, quæ supposito quoque tanguntur: in reliquas infirmior semper, quousque ad eas progrediatur, vltra quas agentis virtus extendere se amplius non potest: hicq. est terminus sphæræ & quantitatis illius virtutis. Verùm in hac ipsa difformitate vniformitas quædã est & proportio, ex distantiæ & contactus vniformitate & proportione orta. Hæc in duobus maximè cernitur. Primùm, vt in omnes in orbem partes æque propinquas eodem modo agat. Deinde, vt in primas partes agat, ex empli causa vt octo, in paulò remotiores vt septem, in magis distantes vt sex, atque ita deinceps, quousque propter nimiam distantiam prorsus non agat. Quò fit, vt agentia naturalia dici possint operari vniformiter difformiter, atque in sua agendi sphæra à summo gradu vsque non gradum vniformiter difformiter agere.

Actio vniformiter difformis intra sphæram.

Quamquam hæc proportio quatuor potissimùm ob causas non nihil sæpe mutatur. Primùm propter qualitatem, quæ producitur. Nam si ea pendeat ab agente, non solum vt producatur, sed etiam vt conseruet, quemadmodum lumen à corpore lucido, remoto agente cessat omnis actio, nec potest ad remotiora corpora progredi. Quòd si pendeat solum in productione, vt calor ab igne, durabit adhuc actio, etsi præcipuum agens remoueatur, quod producta in medio qualitas conseruari possit atque in aliud agere: actio tamen primario agenti tribuetur, quod per virtutis contactum dicetur agere. Deinde propter raritatem & densitatem aliasue dispositiones medij. Per medium namque rarum facilior quidem est actio, at non tàm vehemens, remotoque agente aut illicò aut breui tempore cessat. Medium autem densum egrius quidem penetratur, sed vehementiorem atque ad maiorem distantiam habent actionem eámque diutius primo agente remoto prosequitur, vt in candente ferro videas. Tum verò plurimum refert quomodò agens cum patiente coniunctum sit, quando agit per medium. Nam si patiens per lineam rectam opponatur agenti, vehementissima est actio quia per lineas breuissimas, & eas, per quas omne agens vim suam exerit. Quòd si ad latus sit, vt per lineas reflexas agendum sit, aut nihil, aut perparum agit. Postremo natura, conditio, & dispositio patientium maximam adfert diuersitatem. Hanc enim ob causam fit, vt cum multa persæpe patientia æque sint agenti cuipiam propinqua, aut saltem inter se ordinata intra agentis sphæram, actio tamen vehementior in vno sit, quã in alio, & in eo nõnumquã, quod magis distat. Quin etiam fiet, vt quamuis agentis virtus per aliquod ex illis corporibus transeat ad aliud, in illo tamen nihil omnino efficiat, in hoc vehementissimè operetur. Agentium enim actus in patiente dispositio suscipiuntur, vt est in t. 24. huius 2. lib. de anima.

Actiõ quatuor modis variãtur.

Cœli actio in inferiora.

Hinc est, quòd cœlum in eadem distantia per vnam & eandem virtutem tamen diuersos effectus producat. Causa est alia atque alia patientium dispositio. Qua etiam fit, vt solis ac superiorum astrorum virtus per omnes inferiorum cœlorum orbes ad sublunaria descendat, & ideò in ea dicatur per contactum agere; illos tamen orbes non afficiat, aut immutet: quoniam ad eum effectum, quem in inferioribus producit, suscipiendum non sunt apti, vt præclarè exposuit Alexander in 1. Meteororum lib. comment. 17. & Themistius apud Auerroëm loco ante notato. Accedit, quòd lumen, per quod cœlum agit, calefacit maximè per reflexionem; hæcque fit circa terram opacum corpus; & ideò hic maximè virtus eius apparet.

Menstruata mulieris oculi.

Non est dissimilis ratio, cur menstruatæ mulieris oculi sanguineis maculis inficiant speculum. Nam ex illis exit spiritus seu vapor sanguinis, qui per aërem non infectum inficit speculum; quoniam in eo crassior factus apparet. Non secus ac vapor noster emissus ore speculum, non aërem, maculat. Sed ex oris habitu profecta macula non diu remanet, quòd crassus sit halitus, nec profundiores speculi peruadat partes: at vapor ex oculis menstruatæ prodiens tenuissimus est, speculúmque penetrat; & ideò diutiùs hæret macula. Hac de re ita
„ loquutus est Aristoteles in lib. de somnijs, cap. 2. In
„ speculis valde nitidis, cùm mẽstruis aduenientibus,
„ inspiciunt in speculum, fit superficies speculi vt nu-
„ bes sanguinea. Et si quidem nouum sit speculum,
„ nõ facile est abstergere huiusmodi maculam. Si ve-
„ ro vetus, facile. Causa vero, quoniam oculi, cum
„ fiunt menstrua, afficiuntur, sicut & alia quælibet
„ corporis pars. Etenim natura existunt pleni vena-
„ rum. Ideo cum fiunt menstrua, propter turbatio-
„ nem & sanguineam ebullitionem nobis quidem,
„ quæ in oculis, differentia incerta est; ineſt autem.
„ Nam eadem sanguinis & menstruorum natura.
„ Aer autem mouetur ab ipsis; & eum, quia supra
„ specula est, aërem continuum existentem talem
„ facit, vt ipse patitur: hic vero speculi superficiem.
„ Quemadmodum enim vestium, quæ maximè mun-
„ dæ sunt, citissimè inquinantur. Nam purum exa-
„ ctè monstrat quidquid exceperit; &c.

Fascinatoris oculus & Basilisci.

Fascinationes quoque si prolatis quibusdam verbis aut alia simili ceremonia fiant, plarum est opera Dæmonum fieri. Sin vero naturaliter & ex proprietate aliqua illius indiuidui, fient per vapores pessimos ex facinantium oculis emissos. Idem de basilisco dixeris necante homines. Id enim pestilenti aliqua qualitate efficitur.

Torpedinis virtus.

Torpedo autem in pescatoris manum aut brachium, & non in rete, torporem inducit, propter subiecti dispositionem: etsi Themistius rete quoque dixerit aliquid pati, at non eodem modo propter diuersam dispositionem. Poteris vero alterius piscis contrarium effectum obijcere, quo actionem contactu fieri confirmabis. Refert enim Iulius Cęsar Scaliger exercitatione 128. cap. 6. in Arotan fluuio Zeilæ insulæ quendam extare piscem, quem si manu capias, continuò febre corriperis statimque dimisso liberaris, proinde Febrius is nominatur.

Lippitudinis causa.

Lippitudinis porro exortæ in eo, qui crebro lippũ inspexerit, exposuit Philosophus duplicem causam. Altera est mobilitas oculi, qua facilime cuiuis obiectæ rei euadat similis. Nam & nullo negotio perturbatur, si perturbatum alium inspexerit oculum.

Altera, quoniam ab oculo lippopraui & corrupti exhalat spiritus, qui alterius inspicientis oculum inficit. Inficit autem oculum potiùs, quam aliam partem aut aërem, propter vtriusque oculi naturæ similitudinem. De magnete ferrum trahente & similibus in primo libro dictum est. Attractionem autem cibi ad singula viuentium membra in superioribus traditum est propriam esse facultatem cuiuspiam animæ singulis membris insitæ, atque in ea operatione contactum adesse, virtutis immediatum, suppositique mediatum.

Concauum quidem certe speculum cùm ignem producat reflexione radiorum solis, ibi maximè producit, vbi maior reflexio aptáque magis materia ad concipiendum ignem. Fit autem reflexio ad aliquam distantiam, in qua ex omni parte spondi concurrunt radij.

Superiores porrò aquæ calefactæ partes calidiores sunt, quàm eæ, quæ sunt in fundo, quia vapores calidi sursum mouentur, relictis in fundo, tanquam frigidioribus ac frigidioribus partibus, quæ superenatant ægriùs & dissoluantur ab igne. Accedit & antiperistasis, qua propter contrarij prælentiam aquæ virtus ad inferiores partes igni propinquas se se recipit, vt ei resistat.

Calescit vero oleum in charta, nec incenditur illa, pomúmque coquitur illæso linteo, vel propter eandem causam, quia oleum quoque & pomum frigida sunt actu: vel quia nec charta nec linteum comburi possunt, nisi siccentur, siccari autem nequeunt, dum ab oleo & pomo humectantur. Ita Hieronymus Cardanus in 2. de subtilitate lib. coqui docet pisces in charta velut in sartagine, si oleum infundatur. Neque filum quo circùmductum ardere, non solùm in prunis sed nec in flamma.

Non semper vero oscitamus oscitante alio, sed cùm non aduertimus, vacátque plane & otiosa est anima: Nimirum excitata anima ab alterius oscitatione, repentèque appetitu facto eiusdem, quod aliàs anima vt bonum cognouit. Fortasse etiam ab oscitante transmittuntur vapores aliqui graues & pigri, molestique naturæ, quorum excutiendorum fit appetitus, & ideo oscitamus, vt excutiamus. Sane aut non ex qualibet distantia, aut non tantopere ad oscitandum excitamur. Quod si attendat anima & aduertat, non excitamur, quod phantasia rectum iudicet.

Ex eadem quoque prohantasiæ virtute prouenit, vt prægnantium affectus vitient fœtum, totquot infantibus maculæ earum rerum, quas prægnans magnopere appetierit, conspiciatur. Refert Cardanus in 12. lib. de subtilitate, accidisse, vt cùm duæ mulieres, quarum altera erat prægnans, colloquerentur, aliaque accurrẽs earum capita collisisset, ea, quæ erat prægnans expresserit in fœtu signa simoris. Nam duas peperit puellas à summa fronte ad nasum vsq. iunctas. Tenerrimus enim in vtero fœtus ita nutritur ac pẽdet à matre, vt quamlibet eius impressionem nullo negotio suscipiat. In corporibus item nostris plurimum valet imaginatio. Animus enim per species aut res imaginatas proximum illi spiritũ & per hunc aliũ remotiorem mouet, quousque ad eam veniat partẽ, in qua effectus ille etruptus.

Quo spectat maioris cuiusdam difficultatis explicatio. Nam ex hominis recenter interfecti vulnere dicitur sanguis effluere, si accesserit ille, qui interfecit. Non enim credendum est solam eius præsentiam id efficere absque contactu. Sed aut dissentiam

nam id iustitiam efficere, vt fortasse responderet Theologus: aut si naturalis ratio subsit, vehementem esse imaginem inimicitiæ aut odij, vehementémque spiritus agitationem contra interfectorem, factam eo tempore, quo interficiebat. Magnopere namque accensa est bilis & inflammatus ad vindictam sanguis, agitatúsque spiritus; atque accurrerunt ad vulnus, tum ad læsam corporis partem fouendam, tum ad vindictam. Quare si antequàm sedentur, inimicus accedat, erumpit in illum sanguis; tum propter antecedentem imagnationem inimicitiæ & vindictæ, à qua fuerunt spiritus & sanguis incitati; tum etiam quia eadem est in inimico agitatio; & ideo propter simpathiam vnum simile mouetur ad alterum simile, spiritus interfecti ad interfectoris spiritum. Quocirca non nisi intra viginti quatuor vel vt mauult Marsilius Ficinus in Platonis conuiuium, oratione septima capite 5. intra septem horas post interfectionem effectus ille sequitur, antequàm spiritus in interfecti corpore sedetur. Hæc fortasse fuerit huius rei naturalis causa. Nam quod Petrus Apponensis scripsit exponens problema tertium, quod sextum ipse numerat, sectionis septimæ; id euenire propterea quòd interfector, dum interficeret, impressit spiritus quosdam inimicitiæ succensos in interfectum, qui ad interfectoris præsentiam moueantur ad eum redeundo, à quo prodierant, & ideò fiat motus in interfecto corpore vulnús que emittat sanguinem: non videtur satis probabile: cùm impressio illa & reditus spirituum explicari non possit.

Interfectum mouet interfectorem.

In instrumentis musicis vnisonum, inquit Hieronymus Fracastorius in lib. de simpathia cap. 11. aliud vnisonum mouet: quia quæ similiter tensæ sunt chordæ similes aëris vndationes & facere & recipere natæ sunt. Quæ verò dissimiliter sunt tensæ, non eisdem circulationibus aptæ sunt moueri, sed vna circulatio aliam impedit. Namque in chorda pulsata cernitur duplex motus, alter fit à citharedo; altero pulsata chorda ad proprium redit situ. Quare si eamota debeat alia moueri, oportet in secunda talis proportio sit, vt aëris circulationes quæ priorem faciunt motum, posteriorem non impediant. Hanc proportionem illæ solæ habent chordæ, quæ similem habent tensionem. In ijs enim quæ dissimilem, dum fit secundus motus, obuiat illi secunda aëris circulatio, ac sese impediunt. Addit Cardanus in 18. lib. de subtilitate, aërem motum excitare semper sonum in chordis, licet non audiatur: cùm tamen æqualis est motus, consentit in vnum motum; quia eadem ratione mouetur, nec vllo modo resistit, integerque ad quiescentem chordam defertur, tantáque propemodum vi mouet, quanta mouetur. Alij alias cogitant causas. Sed in omnibus manifestum est, motum illum sine mediato saltem contactu non fieri.

Vitia organorum.

Cur autem lupinis fidibus agninæ non obstrepant; immò etiam lupinis tympanis agnina penè obmutescant; causam omnes referunt in eorum animalium contrarietatem & pugnam. Immo in omnibus diuersorum animalium fidibus idem euenire Cardanus affirmat. Alij verò permulti contactum ponunt specierum intentionalium, quæ à lupino Tympano ad agninum delatæ dissoluant illud. Sed neque hæ species admittuntur ab omnibus, neque realem vllam actionem præstare possunt. Mallem id totum vel in ipsum realem sonum & aëris motum referre, vel in alias qualitates illius corij ac fidium contrarias & hostiles, quæ motu illo, quo pulsantur, excitantur maximè.

Homo viso lupo rauescit.

Alia permulta de lupis ab Alberto scribuntur in 22. lib. de animalibus, Cardano, & alijs. Homo dicitur viso lupo (quamquam irridet Scaliger exercitatione 344.) obmutescere seu potùs rauescere, propter malum & homini contrarium spiritum, qui ex oculis eius erumpit. Cohibet enim hominis spiritum, ne perfectè vocem formare queat. Equi etiam pedes obstupescere dicuntur, si vestigia lupi diu sequatur. Nam si recentia sint, odore & prava qualitate vexatur. Eadem est causa, cur lupi cauda in boum aut equorum præsepio suspensa impediat eos ne comedant; & caput in columbario suspensum noxia columbis arcet animalia: nisi etiam ex aspectu afficiantur timore. Pleraque alia dicuntur, quæ fabulosa videntur.

Vltima superest obiectio explicanda, quæ deducebatur, actionem fore superficierum tantum, quarum est contactus. Verùm non ita est. Namque contactus non est ratio formalis, sed conditio actionis, conditio autem in extremitatibus satis est, modo formalis ratio, quæ est virtus agendi vnius & patiendi alterius, in illis totis vigeat. Atque hæc ita se habent.

DIGRESSIO. XI.

De Proiectorum motu.

Proiectorum & magnetis comparatio.

CÆterùm ad contactum in operationibus naturæ stabiliendum duo seorsim ex pluribus explicanda sunt, quæ in superioribus proponebantur. Alterum, quod Aristoteles ipse obiecit in tex. 82. lib. 8. Phys. Si enim inquit omne, quod mouetur, mouetur ab aliquo, quomodo mouentur aliqua continuè, non tangente eo, quod mouet; vt proiecta? Alterum de magnete lapide, qui ferrum item non tangit, quod ad se trahit. In horum altero est expulsio, qua expellens, vt est in tex. 10. lib. 7. Phys. relinquit id, quod expellitur. In altero tractio, in qua inter magnetem trahentem & ferrum tractum interponitur aër. Vterq. motus ab extrinseco principio fit: ille à proijciente; hic à magnete: ille à se repellit, hic ad se trahit. Proiecta principio moueri à proijcientis motrice virtute, perspicuum est. Sed si ab eadem mox impelleretur proiectum à proijciente separatum; neque mouens & mobile simul essent seseúe tangerent; neque perinde cessaret motus in eodem termino, siue proijciens velocissimè sequatur profectum, siue non sequatur: neque perinde moueretur, siue lapide ex fenestra proiecto claudatur illico, siue nõ claudatur fenestra.

A quo moueãtur proiecta.

Ergo permultisunt, qui virtutem motricem proiecti à proijciente separati considerent in proiecto; aut impetum illi impressum; aut etiam qualitatem, quæ sensim deficiat, totáque tandem abolita cesset motus. Nec desunt qui non in proiecto modo, sed & in medio qualitatem hanc imprimi dicant. Sanè impetus nihil aliud, quàm motum, significat; neque alius in proiecto impetus considerari potest, quàm motus ille, quo mouetur. Hic autem est effectus, cuius causam quærimus; non illius causa. Neque aliud est imprimere impetum, quàm mouere. Et quoniam impetus non permanens ens est, sed successiuum, quo modo successiuum est totum simul imprimatur & in proiecto impressum vsque ad finem motum conseruetur.

Monte catinus 8. Phys.

Non moueri à virtute impressa.

Non imprimi autem qualitatem vllam, multis videO à viris doctis demonstratum. Sed nec mihi prorsus silendum. Et vt mittam in vacuo quoque futurum hunc motum, qui ab eiusmodi qualitate proficiscatur: nullam omnino illius qualitatis efficientem causam reperies. Proijcientis enim virtus motrix solum actum secundũ, non primum vllum, producit. Calor autẽ, frigus, & cæteræ similes qualitates manus, calefacient, refrigerabũt, aut aliam similem qualitatem, non motricem illam, imprimient. Qua verò actione? Impulsus enim aut expulsus locales motus sunt, qui nullam per se adducunt formam. Dum funda circumagitur lapis, funeve campana trahitur; quomodo per fundam funemve qualitas imprimatur; aut cur difficilior in principio motus? Siue manu, siue funda, siue baculo aut ligno, siue alio quocũq. proijcias modo; siue tabellis, siue reticulis lusoriã agites pilam: siue balista vtaris, siue bõbarda: siue lapidem proijcias, siue lignũ aut ferrum: siue sursum, siue deorsum, siue in trãsuersum, siue etiam in orbem: perinde mouetur corpus. Quẽnam verò sit communis harum omnium proijcientium causarum virtus? Quæ tam diuersorum proiectorum corporum dispositio, quæ qualitatem eam aut producit aut suscipiat? Quæ qualitas tantopere diuersos ac pugnantes motus efficiat? diuersæ autem qualitatum species vnde existant? cùm eadem esse non possit proijciens causa, quæ omnem in partem impellat. Motus sursum & deorsum leuitatis & grauitatis proprij sunt: at quomodo corpus graue sursum leuitare feratur, aut leue deorsum grauitate? Quæ verò alia cogitetur qualitas, quę in transuersum atque in orbem moueat? Dum lusoria pila in parietem vel pauimentum proiecta in proijcientem resilit, à quanam qualitate mouetur? Non ab insita grauitate: quoniam hæc deorsum traheret. Neque ab ea qualitate, quam proijciens impressisse cogitatur: quòd ea contrarios efficere motus non possit: neque credendum, solo parietis aut pauimenti non mouentis neque reproijcientis contactu priorem illicò qualitatem abolitam contrariámq. productam fuisse. Præsertim quod non eadem semper velocitate resiliat: sed quò maior est ad parietem vel pauimentum allisio, eò resilit vehementiùs: cum tamen & intensiorem haberet proiectum qualitatem impressam, & minor possit esse parietis pauimentiue repellentis motus. Tametsi cum minore semper impetu resilit pila, quàm fuerit proiecta: & ad minorem distantiam, quàm, nisi impedita fuisset, conficere potuisset. Verùm quæcumque fuerit producens causa, quænam quæso corrumpens est? Præsertim quòd forma operando perficitur & crescit potiùs, quàm deficiat: hanc̃que permulti causam esse voluerunt, cur naturalis leuium & grauium motus in fine velocior sit. Proiectorum autem motus in medio vehementior est, celerior, magisque vniformis, quàm in principio. Quòd facile obserues in trocho alioue simili corpore, quod à pueris in plano circumagatur. Maiores enim primùm gyros faciunt, quasi titubantes; quòd corporis grauitas nondum planè à motrice virtute superata inclinet deorsum. Deinde minores & veluti stãtes; quòd maior virtus accesserit. Initio difformis est motus & quasi mistus ex recto & eo qui fit in orbem, spiralémque velut describit lineam: post vniformis, ordinatus, & in orbem duntaxat, atque in eodempũcto. Quę motus diuersitas ab vna, simplici, & homogenea virtute nõ proueniret. Qui verò bombardas & tormenta explodunt, sagittas iaculantur; certam seruant distantiam, vt perfodiant corpora: alioqui vix lædunt: quisq. ad pectus interdum admouerunt, vix vestes penetrarunt. At si virtus impressa moueret, initio potiùs vehementiùs velociùs moueret: quia robustior esset, fortior, magisq. integra virtus. Quænam porrò fuerit causa, cur ea, quę sunt in motu, faciliùs moueantur, quàm quę quiescunt? Cur solida, dura, & grauia corpora faciliùs, quàm mollia & leuia, proijciantur? Cùm tamen ad impressionem omnem suscipiendam promptiora sint, aut certè minùs impressiæ virtuti resisterent. Maximè si in eam ipsam partem, ad quam naturaliter mouentur, impellantur à proijciente. Sursum enim faciliùs lapidem, quàm plumam proijcias. Denique cur vnum corpus ad terram allisum resilit plurimùm, aliud vix aut ne vix quidem? Si enim à pauimento resiliendi virtus imprimeretur corporibus cunctis imprimeretur. Et quæcumque figura aut conditio corporis fuerit, perinde fuerit. Tum quia si ferreo globo ad duos palmos ascẽdendi vim potest imprimere; quidni plumbeo, cubicóue corpori possit tribuere, vt ad vnum resiliat? Tum quia virtus impressa maior est, quàm naturalis grauitas: sursum enim resilit graue corpus. Et figura, quæ modij resistentiam descendendo superabat, ascendendo quoq. vinceret. Dimidiata sphæra ad terram allisa, nõ resilit si plana superficies allidatur; resilit autem, si conuexa. Cùm tamẽ plana minùs, quàm cõuexa; immo conuexa hæc non minùs, quàm integra sphæra, scin dendo aëri accommodata sit. Pluribus nunc agere supersedeo.

Si igitur virtus, qua proiecta mouetur à proijciente seperata, neq. in proijciente est, neq. in ipso proiectis; relinquitur eam esse in medio, in quo efficitur motus: quemadmodum Aristoteles indicant in 4. Phys. lib. tex. 68. & in lib. 8. tex. 82. & in 3. de cœlo tex. 28. & in lib. de somnijs cap. 2. & de diuinatione per somnium cap. 2. & problemate 6. sect. 11. & in Mechanicis quæst. 33. Et enim dum proijcitur lapis, simul cum eo impellitur & cõprimitur aër, aq. à lapide anticipatur. Impulsus vero aër impellit, cũ lapidẽ, tum alium proximum aërem. Neque parum promouet posterior etiã aër, qui ne vacuũ relinquat locum, rarefactus accurrit anteriorémq. impellit. Et in 4. lib. Phys. tex. 62. veterum argumentum, quo nisi daretur vacuum inquiebant fore, vt in quolibet locali motu totus aër corporáque omnia fluctuarent; egregiè soluit Philosophus; corpora inquiens humida cedere, aut diuisa, aut densata, aut rarefacta. Quamdiu igitur impellens virtus robustior fuerit, impulsus aër impellit alium, corpúsque proiectum promouet. Vbi vero tantopere fuerit debilitata & fracta, vt lapidis grauitatem non ampliùs superet, quin ab ea potiùs vincatur; finem habet proiectio caditque in terram lapis.

Duas huius rei causas licet exponere. Altera est agilis & fluuida medii conditio. Non enim quælibet corpora, sed quæ eiusmodi sunt, vt facilè in omnem partem suscipiant motum & reddant, ad eum motum perficiendum sunt apta. Exposuit hoc Philosophus in tex. 28. lib. 3. de cœlo, horum duorum proferens elementorum naturam, aeris & aquæ: quæ vt media sunt, sic apta existunt & sursum & deorsum nullo negotio moueri: & ideo illis ad omnes motus perficiendos natura vtitur. Hanc motus proiectorum causam esse, verba illa testantur; Quapropter & non sequente eo, quod mouetur ferme,

fertur quod vi motum est. Si enim non tale aliquod corpus esset, non vtique esset qui vi fit motus. Nimirum propter horum corporum, aëris & aquæ humorem atque agilitatem, fit, vt dum ad motum promptiora existunt, vehiculum quasi proiectorum euadant: dúmque faciliùs, quàm proiecta, mouentur, deferant ea quodam modo atque vlteriùs promoueant.

Altera causa est, quòd cùm medium à proijciente impulsum præter naturam densatum fuerit, ad naturalem conditionem ac raritatem redire nititur. Raritas namque & densitas substantiæ formam aut etiam qualitates primas consequuntur, tanquam necessariæ dispositiones substantiæ. Densato autem vel præter naturam rarefacto corpore, aut compresso potiùs aut distracto, abolita non est forma. Quare hæc naturalem conditionem omnibus modis procurat: eóque citiùs & faciliùs assequitur, quo cæteræ qualitates adsunt, quæ raritatem & densitatem iuuant; quæ maiore cum mora productæ fuerunt vbi primùm genitum est elementum. At id assequi non possunt, nisi aliud sibi proximum corpus impellant. Itaque dum maxima cum vi rarefaciunt sese, tum proiectum impellunt vlteriùs, tum alias item sibi propinquas medij partes, eàsque densant. Quæ interim diuisæ atque à proiecto anticipatæ, dum raritatem mox quærunt, motui non minùs, quàm priores, famulantur.

Ex aqua de aëre argumentum sumas. Aquam enim manifestè conspicimus iniecto calculo alioúe corpore pulsatam commoueri tantopere, vt ingredienti corpori locum cedens atq. in orbem densata proximã item aquã pellat subindeq alij atq. alij fiant orbes, quousq. optatam tandem recuperet raritatẽ. Interim verò surculi, ligna, & quæcumque in ea sunt corpora, mouentur atque ab illis orbibus vltenus tum impelluntur tum vehuntur. In maris verò procellis ac tempestatibns vna vnda excitat aliam, etsi in nauem aliúdve mobile corpus inciderint, vehementissimè agitant & impellunt: & quidem onustissimas naues. Bombardæ etiam & tormenta bellica prægrandes prægrauésque globos explodunt propterea & proijciunt, quòd incluſus ignis raritatem quærat. Accedunt sclopi subterraneique cuniculi; in quibus tormentarius puluis accensus vrbium mœnia integrósque montes in aërem mittit. Alicubi scimus gratulatorias bombardas sine globo explosas ex aduersis ædificijs solo vehementi aëris appulsu ingentia abripuisse saxa. Dúmque maiores quæque explodúntur bombardæ, puluere subitò rarefacto aëréque impulso concutiuntur ædificia & tremunt. In cubiculis si porta sit fenestræ oppositа, nullo licet flante vento, portam experimur subclausam aperiri subitò, clausamúe concuti ac tremere; si maiore cum impetu ac celeritate fenestra claudatur. Subitò enim rarefactus aër accurrit, ne detur vacuum; portámque aperit aut concutit. Contrà si fenestra clausa celeriùs aperiatur, densatus & compressus aër portam claudit; eodémque modo, etsi ex diuersa causa, concutit. Est autem porta non leue corpus. Neque aliam terræ motus habet causam, quàm halitum visceribus terræ inclusum, motúque aut alia causa calefactum. Dum enim ampliorem quærit locum, terram concutit. At quanta in his omnibus vis? Non solùm tum ingentia támque grauia mouent corpora; sed & naues ad scopulos alliſæ rumpuntur, etsi durissimis compactæ trabibus: & tormentorum globi durissima penetrã corpora vrbiumq. crassissima diruunt mœnia. Terræmotus totam commouet terram, ædificia ingentia vrbésque interdum integras euertit, & maximas lignorum ac lapidum moles in aërem mittit. Fulmen verò quid est, nisi accensus halitus ex nubibus vi excluſus? & tamen turres, domos, & obuia quæque deijcit. Quid venti? Præcrassas & annosas concutiunt arbores ac radicibus euellunt, totum cõmouent mare, parietes diruũt, domos euertunt, corpora ex vno in alium transferunt locum, maximas & onustissimas naues ita impellunt, vt maxima breuissimo tẽpore conficiant spatia. Apud Indos ferunt probatissimi testes tam vehementes excitari tiphones, vt onustas mercibus naues in aërem tollant; nec euenire rarò, vt sensim incolumes eas in mare demittant. Neque hæc omnia machinis alijs, quàm impulso aëre, perficiuntur. Quid igitur mirum, si lapis aut perexiguum corpus ad breuem distantiam propellatur? Dum enim mouentur hæc corpora, mouendi virtutem simul accipiunt, primóque mouente remoto possunt vlterius adhuc mouere; quandiu maiorem vim aliquæ illorum partes habuerint, quàm aut reliquæ aut proiectum corpus ad resistendum.

At quid fuerit causæ, cur densatus aër versus proiectum potius, quàm alia ex parte, rarefaciat sese? An quia in eam potissimum partem impulsus ac densatus fuit? Ex vna enim parte pulsus ac densatus in oppositam mouetur & rarefit, vbi à violenta nulla premitur causa. An etiam à posteriori parte compulsus in omnem aliam raritatem quærit; sed cùm nullibi, nisi in proiecto, resistentiam inueniat, in eo solo ictum & propulsionem facit. Id in aqua conspicuum est: quæ rarefacit se ac mouet in orbem; & vbi obuium aliud corpus habet, illud propellit. Ita fit, vt cùm siue aër, siue aqua rarefiant in orbem, nec tamen nisi in vna parte impellant; minuatur sensim ac debilior euadat motus, tandémque impulsio cesset. Præsertim quòd maiores subinde fiunt orbes, in quibus dissipata virtus in pluresque partes distracta deficit.

Hoc igitur est, quod in textu 82. libri 8. Physic. proijciens dicitur efficere, vt aër aut aqua, quæ natura sunt apta moueri & mouere, possint proiectum mouere. Et in textu 28. lib. 3. de Cœlo, naturalem motum concitationem fieri ab eo motu, qui est secundùm potentiam, hoc est à virtute forinsecus impellente, quæ impetum naturæ promoueat: violentum autem ab hac sola virtute proficisci, quòd nullum in mobili principium habeat: aërem verò vtriusque motus instrumentum esse, quod & sursum & deorsum moueri aptus est, si eas in partes moueri ceperit. Aut enim extrinseca potentia mouens est à aër proijciente motus & concitatus; instrumentum autem idem ipse aër per se consideratus. Per se namque acceptus vtriusque motus instrumentum est; impulsus autem præcipua violenti causa. Aut extrinsecam virtutem proijcientem & impellentem causam intelligas; instrumentum verò aërem à proijciente impulsum. Etenim eiusmodi sunt hæc corpora, vt & moueri apta sint, & hoc motu principium mouendi recipere. Cessantéque proijcientis motu mouebit adhuc vis motrix in alio corpore susceptа.

Porrò ex hoc textu manifestum est, nullam proiecto corpori qualitatem imprimi. Quippe virtutem

extrinsecam vult naturalem motum non simpliciter, sed velociorem facere. Simpliciter enim ab interno principio efficitur. Violentum autem, qui nullum internum principium habet, simpliciter à virtute seu potentia fieri. Si non tale, inquit, aliquod corpus esset, non vtique esset qui vi fit motus: & » eum quoque, qui secundùm vniuscuiusque natu- » ram est, motum promouet: At si qualitas imprimatur proiecto, hæc nimirum, non aër, præcipua fuerit motus causa: perindéque in naturali ac violento motu sese habebit aër: atque vt leuia & grauia naturali motu mouerentur, etsi non iuuarentur à medio; ita & proiecta moueri possent. Satis enim est vis motrix, si tanta sit, vt mobilis resistentiam superet: superare autem certum est; quia & muros diruit, & commemorata cætera præstat, quæ magis, quàm proiecti grauitas, resistunt.

Propter eandem motus proiectorum efficientem causam negat Philosophus motum hunc esse continuum; quòd plura sint mouentia; aliæ scilicet atque aliæ partes aëris impellentes.

Cur proiectorum motus in medio velocior.

Cur autem velocior sit in medio, quàm in principio, causa est, quòd in principio vna vel altera impulsione facta perpaucæ sunt & exiguæ impellentes & impulsæ aëris partes. In fine verò maiores quidem existant, at debilitata nimirum est & fracta impulsio. In medio tum impulsio viget, tum partes aëris impellentes & impulsæ plures atque omnium maximæ sunt; corporisque proiecti resistentia quoquomodo superata, vt promptius quasi se ad eum motum exhibeat.

Eadem est causa, cur proiectum ex maiore aliqua distantia maiorem ictum & plagam faciat, quàm in principio motus. Est enim in medio velocior ac vehementior motus. Nam nec in quauis distantia eam vim habet, sed si nimia fuerit, imbecillior est motus. Est etiam initio minùs vniformis & libratus motus. Quoniam aër subitò concursus ac dissipatus huc illúcque perturbatè fertur (quod in aqua manifestiùs cernas) deinde certum magis, ordinatum, & libratum accipit motum: vnde & maior ictus.

Verùm enimuero hæc Philosophi sententia satis hactenus explicata videtur. Iam enitendum nobis est, vt compluribus difficultatibus satisfaciamus. Primùm enim mirantur nonnulli proiectum recta ad aliquem determinatum locum progredi, & sagittam ad scopum. At eadem fuerit admiratio, si ab impressa qualitate aliáue quacunque causa moueatur. Neque aër per se consideratus, sed à proijciente eam in partem impulsus mouet. Et loquentes ita formamus aërem, vt vox ad oppositos nobis præsertim perueniat. In grauioribus tamen corporibus, vt ferreo globo bombarda explosa, medius quidam inter scopum & naturalem corporis locum efficitur motus. Cùm enim magnis vtrinque viribus à mouente virtute mobilisque resistentia certetur; ita sese vicissim temperant, vt medius resultet motus. Itaque periti explosores, vt scopum attingant, altiorem sibi præfigunt terminum; ex proportione scilicet mouentis & nobilis computantes quantum in ea distantia declinare possit.

Vt proiectum tendat in scopum.

Secundò videntur difficile, aërem, molle scilicet, tenue & fluuidum corpus, sustinere posse, nedum mouere tam grauia corpora, quæ plures interdum homines non sustinerent: cùm ne paleam quidem sustineat. Sanè hoc non difficile modò, sed & impossibile est, si quiescat aër & secundum suam naturam accipiatur. Propterea enim cessante impulsu deorsum cadit proiectum. At si moueatur, velocitas nimirum & impetus motus, tum mobilis grauitatem, tum aëris mollitudinem ac raritatem cedendique facilitatem præueniunt, atque in oppositam partem impellendo insitæ grauitatis actum impediunt: perindéque resistit aër, ac si corpus esset durum. Omnino magna vis est motus; qui fundam quoque & grauem aquam in aperto ac patenti vase, lapidem in funda manúve aperta retinet, nedum velociter circumaguntur cadant. Mollia verò & tenuia corpora, dum se subitò rarefaciunt, mammo id impetu faciunt. Quod tormentarius pulsus ostendit: qui si paulò cumulatiùs fuerit in bombardam ingestus, eam licet ferream & benè crassam rumpit: eáque omnia confirmant, quæ non multò ante proposita sunt. Quibus adde inflatos vtres: vtis grauia corpora, vel etiam insidentem hominem, sustinere: Et inflatiles pilas non inflari modò aëre, sed ita durescere, vt feriant quoque & contundant, si quempiam percusserint. Facit id densatus aër. Si enim vel tantillum expiret, mollescit illicò & cedit quod supereſt.

Vt aër è grauia corpora moueat.

Tertiò obijciunt ita fore, vt ea, quæ minorem habent resistentiam, longiùs possent maioréque cum velocitate proijci; vt lana, bombix, pluma: quæmen vix aut minimùm proijciuntur. Respondeant & illi, qui qualitatem impressam ponunt. In quæstione autem 34. mechanica propterea id euenire docet Philosophus, quòd genus hoc corporum non contra nititur, vixque proijcientis impulsum sustinet, ægréque diuidit medium. Leuiora enim sere rariora sunt, rarioráque tenuium partium, quæ facilè cedant, comprimantur, & densentur. Grauiora densiora sunt, partésque benè compactas habent, nec densationi cedunt. Illa omnem in partem nullo negotio impelluntur: Hæc non facilè circunferuntur, quòd magis insita grauitate resistant. Initio autem motus, vt aër solet esse dissipatus & turbulentiùs moueri, sic leuia facilè huc & illuc mouet: grauia impelluntur constantius, magisque promouentur. Certè propterea nauibus subuma imponitur, ne vento & fluctibus huc & illuc impellatur, sed certiorem teneant cursum. Eandé ob causam nec faciũt ea corpora sonum; quia non densant nec frangunt aërem sed aër per ea potiùs elabitur.

Quartò difficultatem adfert, quòd in eodem aëre contrarij persæpè fiunt motus: Neq. potest idem aër in oppositas partes & moueri & mouere. Plante enim vento aëréq. in vnã partem impellente, proiectum in aliam vel oppositam tendit. Cæterùm posse aliquid & motu totius moueri & sibi proprio, perspicuum est, tum in eo, qui dum nauigio vehitur, ita liam partem mouetur; tum in aqua, quæ & fluuii cum fluuio mouetur, & verticem facit; & dum motus fluuius deorsum labitur, partes illius aliquæ naiuigantium remis repelluntur sursum: aut si aduerso nauiges fluuio, aqua nauigio proxima, tum rotius motu, tum remotum impulsu, deorsum fertur: ac demum calculo in fluuium iniecto, aqua & deorsum totius, & in orbes proprio ac partiali motu mouetur. Aër verò, dum aues flante volitant vento, tum venti motu in anteriorem partem mouetur totus, tum ab alis aliquæ eius partes deorsum & sursum pelluntur ac densantur. Facilius autem est vnam partem, quàm totum, comprimere ac densare: quia minor, immo vix vlla resistentia.

Magis

Magis autem compressa & densata vehementiùs ac velociùs rarefit, vel illa ipsa pars, quæ oppositio motu totius motui mouetur: minùs tamen, quàm si quiescente toto moueretur. Sagitta igitur, lapides, & reliqua eiusmodi corpora aduerso vento proiecta mouentur; quòd proximæ proiecto corpori partes vehementiùs, quam totum, densatæ magis possunt in oppositam partem rarefieri & mouere. Quamquam minor semper erit motus, quàm si aut planè quietus, aut minùs commotus aër esset. Facilius verò fuerit per eundem aërem in contrarias partes eodem tempore proiecta moueri. Etsi enim quomodo sese vicissim impediant, præsertim si multa & magna: possunt tamen diuersæ aëris partes in diuersa densari & rarefieri: quemadmodum & cùm duo clamant, vnus contra alterum. Quod obseruabis in aqua. Nam duobus iniectis calculis, liberè primùm vtrobiq. mouetur in gyros; deinde cũ alij occurrũt alijs, intersecãt sese vicissim, & permistim quasi moueri pergũt. Quod eò facilius & expeditiũ in aëre fit, quo tenuius & ad motũ promptius est corpus.

Quinta difficultas est in lapillis, quos pueri præsertim iam scitè proijciunt in aquam, vt eam bis terue subintrent & rursum per aërem progrediantur. Neque enim aëris densatio per aquam, neque aquæ per aërem mouere potest. Sed intelligendum est, non aërem modò, sed & aquam eiusmodi corpus esse facilè mobile, aptúmq. densari & rarefieri. Nam propterea densatus aër aquam propellens densat, hæcque rursum aërem. Iuuántque non parùm, tum intrusio violenta lapilli; tum quòd circa superficiem id fiat, vbi aqua vt calidior & aëris naturæ vicinior, ita rarior & ad motum omnem est expeditior. Tum verò quòd multum etiam aëris simul cum lapillo sese in aquam ingerit, atque ab aqua compressus lapillum promouet. Aërem autem subintrare aquam, ostendunt bullæ, quę in aqua fiunt, dum subito quidpiam in eam immittitur.

Magis in hoc laborabunt ij, qui qualitatem impressam ponunt. Cùm enim ea sit ad vnam partem determinata, quomodo in aliam moueat, lapisque demersus in aquam emergat rursum. Aristoteles autem propterea emergere responderet, quod & medij motus ita à mouente dirigatur; & ingestus aer egressum quærat; & lapilli figura sit plana faciléque sustentetur ab aqua, ne descendat; ac demum aqua ipsa à subintrãte lapillo in inferiorem partem compressa, dum ad superiorem sese rarefacit & attollit, lapillum quoque ad superiora eleuat.

Sexta de ijs, quæ per fistulam aliquam truduntur; siue sagitta sit, siue globulus; vt in oblongis illis fistulis experimur, quibus flatu globulum emittentes vehamur auiculas. Sit anta sit fistulæ latitudo, vt inter eam & sagittam seu globulum intercipiatur aër, manifesta est motus efficiens causa. Quod si non maior sit, quàm sagittæ globuliúe crassitudo, aliquis sane motus existit quod aër quispiam ex posteriori parte vrgeat; at minor multò & difficilior.

Septima de motu trochi in orbem; qui à densatione & rarefactione non videtur posse proficisci. Siquidem hæ per breuissimam lineam, quæ est recta, fieri debent: quoniam natura breuissimo motu ad naturalem statum properat. Trochus funiculo, quo circumuoluitur, velociter & magna vi tracto mouetur. Funiculus tractus trochum in orbem vertit; aëremque secum eodem modo commouet. Quantò vehementiùs trahitur, tantò magis commouet, plúsque aëris secum trahit. Eóque magis, quòd funiculo tracto non mouetur semper in eodem loco, sed huc illúcque trahitur, maiórque fit aëris commotio atque etiam ad latera trochi allisio. Aër autem tenuis est, humidus, & facilè mobilis, adhæresciúntque sibi vicissim illius partes, & facilè vna commouet & trahit aliam. Quare dum inter se & ad trochum velocissimè alliduntur, plurima fit multarum partium densatio aliarúmque rarefactio; quæ, ne detur vacuum, densatas sequuntur. Vt autem densatio fuit facta in eam partem, ad quam aër à funiculo fuit tractus; ita cessante tractione in eandem fit rarefactio & quasi plurimarum aglomeratarum partium explicatio; hoc est in orbem; eodémque motu vertunt trochum.

Argumentum sumas ex aquarum vorticibus in orbem trahentibus de tandem absorbentibus paleas & similia corpora: aque ex aëris typhone in orbem item eleuante & abripiente.

Iuuat & trochi vehemens ad terram allisio. Tum quod commotus iam aër & agitatus facilius mox à funiculo circunducitur: siquidem faciliùs mouentur ea, quæ iam sunt in motu. Oppositus est hic motus motui fundæ. In funda namque lapis in orbem circunductus recto motu proijcitur: in trochó motui aëris recto ad terram succedit in orbem circunductio. Tum etiam quod aër ad terram densatus, dum se rarefacit, trochum sustinet, ne in terram procumbat; sustentatúsque faciliùs circunducitur. Etsi vero trochus manu exceptus in alium traducatur locum; quia tamen proximas aliquas aëris partes secum abducit, non cessat illico motus: debilior tamen efficitur; tum quod non habet totum circunducentem pristinum aërem; tum quod ille ipse, qui adest, maiorem in aëre nouo resistentiam experitur.

Maior ijs, qui virtutem impressam ponunt, erit in hoc motu difficultas. Quomodo enim aut motus allisionis ad terram rectus, aut explicatio & tractio funiculi, vim imprimat, qua moueatur in orbem?

De lusoria pila reticulis proiecta.

Octaua de lusoria pila, quæ reticulis longiùs, quàm tabellis, proijcitur: cùm tamen reticulis non tantum aëris repellatur atque densetur, quantum tabellis. Per foramina enim dilabitur plurimus. Hoc loco intelligere oportet, vt ab aëre moueatur proiectum, non esse satis aërem quoquo modo densari, sed proiectum oportet ita in eum trudi, vt velociter diuidatur eóque fere modo proiectum suscipiat, quo lignum vi infixum clauum suscipit. Vt enim ligni partes intrusione claui densatæ, dum ad naturalem conditionem redire nituntur, clauum comprimunt: sic & aëris partes intrusione proiecti densatæ, dum rarefaciunt sese, comprimunt illud secumque deferunt simul ac promouent. Hinc est, quod proijcientes aliquid vltimo quodam impulsu velocius mouemus quando relinquimus aëri: & quamuis velociter antea mouemus, nisi vehementi impulsu finiatur motus, parum mouebitur proiectum. Quia etsi densetur aër, non tamen diuiditur, nec in eum immittitur proiectum, sed in illo agitato quasi dimittitur. Propterea reticulis longius, quàm tabellis, proijcitur pila: quod tensæ chordæ ita pulsæ cedunt, vt cito multúmque resilientes citissimè proiectum pellant atque in densatum aërem intrudant. Meliùs nimirum mouentem aërem applicantes proiecto. Tabellæ cedunt parum, minúsque velociter resilientes non tantopere proiectum intru-

dunt. Æquè enim velociter & aërem & pilam impellunt tabellæ: reticuli velociùs pilam, dum per foramina dilabitur aër.

De chorda tensa & forcipibus ferreis.

Nona de chorda benè tensa & pulsata, quę tandiu sursum ac deorsum agitatur; cum tamen aer non nisi vnam in partem fuerit motus. Similis est difficultas de forcipibus ferreis, quibus ignem tractamus. Postquam enim oblongæ partes adductæ fuerint, si subito dimittantur, multo tempore tremunt, accedentes sæpius & recedentes. Atque virtus impressa hæc faciat? Ergò respondendum est, chordam è suo loco pulsam ad eum tensione reuocari; motus autem celeritate impelli ac densari aerem ad oppositam partem; hicque rarefactus impellit rursum ad alteram partem, atque ita subinde: minore tamen motu; quousque naturalem raritatem adepto aere in suo loco planè quiescat chorda.

Forcipum quoque partes compressæ dilatantur à seipsis & ad pristinum redeunt statum: quoniam cõpressione interior superficies in inflexionis loco præter naturam fuit cõtracta & quasi corrugata, exteriórque extensa. Quod in melioribus corporibus facilè videas; & in manus digito, dum inflectitur: ideòque inflexa ligna franguntur, quòd exterior pars propter siccitatem distendi nequeat: humida magis flectuntur, & maximè quæ minùs consenuerunt; Plus enim habent humoris. Tremunt autem eædem forcipum partes dilatatæ, propter eandem causam, quam de chorda exposui. Argumento est, quòd si subitò dimittantur tremunt: non item, si sensim aclentè. Non enim lenta ac sensim facta, sed subita dilatatione commouetur aer & densatur.

De motu funda.

Decima, cur longiùs proijciantur ea, quæ iam agitata mouentur: longiúsque funda, quàm manu, proijciatur lapis. Quæstionem hanc resoluit in Mechanicis Philosophus, quæstio. 12. duásque exposuit causas. Alteram; quia facilius est ea mouere, quæ sunt in motu, quàm ea, quæ quiescunt. Vbi verò vtimur funda, proijcimus lapidem, qui iam erat in motu funda circũductus antequàm proijceretur. Quòd si manu proijciatur id, quod quiescebat in manu. Alteram; quia quò magis linea distat à centro, eò velocior & maior motus: magis autem distat lapis ab humero, qui est instar centri, si proijciatur funda.

De pila ad terrã allisa.

Vndecima, cur pila ad terram allisa resiliat; cùm tamen aër fuerit versus terram impulsus. Duplex potest esse responsio. Prior; aerem deorsum impulsum, cùm venit ad terram, non potuisse sese versus terram rarefacere, quòd terra illi non cesserit: & ideò recedendo à terra in oppositam partem raritatem procurasse; pilámque eodem motu sursum repulisse. Posterior; pilam allisam ad terram comprimi & quodam modo in seipsam contrahi propter impellentem vim terræque duritiem, ad quam allidit-
E
tur: atque vt ad pristinum statum se reducat, resilit, diuidit aërem, & densat, seséque in illum intrudit, priusquam rarefiat; & ideò ab eo mouetur.

Vniuersè autem videmus ea corpora resilire, quæ in corpus impingunt, quod illis non cedat. Lapis quoque lignum, cæteráque resiliunt non nihil. Ex corpore autem cedente, vt luto, non resiliunt. Ea item corpora, quæ leuiora sunt, vel interiorem continent aërem, promptiora sunt ad resiliendum. Allisione autem corporum compressionem aliquam partium fieri, siue in allidente corpore, siue in allíso, siue in vtroque; manifestum est; Si lutea pila in parietem aut lapis in terram proijciatur; si plumbum ad parietem aut lusoriam pilam carbone attramentóue tinctam ad pauimentum allidas. Maior enim est vis comprimens, quàm eius, quod comprimitur, resistentia, quæ vero facilè cedunt, sed ægrè ad suum redeunt statum, vix aut nihil resiliunt.

Verissima igitur fuit Aristotelis de proiectorum motu sententia, quæ & rem ipsam pulchrè exponit, & difficultatibus omnibus abunde satisfacit. Quòd autem dictum fuit à Platone, motum hunc peristasim & circum obsistentiam medij fieri, quòd illius partes in locum à proiecto corpore relictum confluant: ostendit quidem causam motus esse medium; sed veram illius rationem non attingit: necessariáque ratione confutatum ab Aristotele fuit in 4. & 8. Phys. Quoniam statim atque consumer illæ partes locum eum, qui vacuus relinquebatur, occupassent, totus cessaret motus. Sed & antiperistasis hęc medij in quouis motu, tam naturali, quàm violento, reperitur; & vt naturalem non efficit, sic nec violenti causa esse potest. Eadem repertitur principio, medio, & fine violenti motus: oporteret igitur eadem semper cum velocitate fieri, nec vllam habere finem. Prius quoque est lapidem scindendo aërem vlterius progredi, quàm in illius locum succedere aërem. Neque in his diutiùs immorandum est;

Alterum autem, quod in contactu in omni actione assereńdo difficultatem faciebat, magnes est, qui distantem & minimè tactum ferrum trahit, sed de hoc in 1. lib. copiosè satis dictum est. Itaque hic disputandi finis.

TEXTVS.

Διὰ τὸ μὲν οὖν ἀπὸ τοῦ γεγλυμμένου ἢ φωτὸς ἐφάπτεσθαι πῦρ ἢ ὁρᾶν μᾶλλον ὀφθῆναι, ἢ ὁρᾶν σκότει, ἢ φωτί. ἢ διὰ τὸ διάστασις. τὸ γὰρ ὀφθῆναι πάντα γίνεται ἐξαφῆς.

Propter quam igitur causam colorem necesse in lumine videri, dictum est. Ignis autem in vitroque videtur, & in tenebris, & in lumine & hoc ex necessitate. Perspicuum enim ab hoc perspicuum fit

COMMENTARIVS XCVIII.

COloris considerátio tantisper interrupta fuisse videtur, dum opinio Democriti confutatur: quod tamen huic tractationi opportune accidit. Ad colorem igitur reuertitur; expositámque fuisse concludit causam, propter quam is non nisi in lumine videatur. Causa autem ex ipsius essentia deducta est. Quoniam coloris, quatenus aspectabilis est, ea est natura, vt perspicui illuminati motiuus sit. Deinde quoniam in tex. 72. quædam alia commemorauerat, quæ noctu solùm & in tenebris conspiciantur; rectium addit aspectabilium genus. Ignem videlicet, qui vtroque modo videatur, & in tenebris, & in lumine. Tanta enim illius lux est, vt nec ab externo lumine offuscatus occultetur, nec in tenebris seipsum non prodat. Immò & illuminat medium, & facit actu perspicuum, & instar solaris ac diurnæ lucis reliqua item obiecta reddit perspicua; dum & ea illuminat, & medium quoque sua luce facit actu

actu perspicuum, vt per ipsum omnia videri queat. Nam vt est inter omnia elementa nobilissimum, ita solum inter omnia lucidum; maximéq. ad cœlestis corporis naturâ accedit, tum loco & situ, tum verò: maximè luce, quæ propria superioris illius corporis qualitas est & inter materiales diuinissima. Immò ea quoq. ignea sunt, propter ignis participationem quoquo modo alia item illuminât. Cicendula enim in manu posita aut alter colorato corpori admota colorem ostendit illius partis, cui admota est.

Sed postrema illa verba, quibus ignem in tenebris quoque cerni posse probat (quoniam perspicuum ab eo fit actu perspicuum) non ita intelligenda sunt, vt idcircò videatur, quòd in tenebris aërem totum vsque ad aspectum illuminet, nec alioqui videri possit. Sæpè namque experimur, id quod Philoponus & Simplicius asserũt, nos in obscura nocte videre ignem procul dissitum; etiam si solius candelæ aut exigui alterius corporis lumen sit. Quòd propinquum quidem ibi aërem illuminet; credendum tamen non sit tantam aëris vastitatem vsque ad nos illuminari. Verùm ita accipi debent, vt argumentationem contineant à minori ad maius. Quòd verba illa (& hoc ex necessitate) significare videntur. Nam ignis illuminando perspicuũ potest reliqua quoq. actu aspectabilia facere, multò magis potest & seipsum prodere & in tenebris perspicuum facere.

Sed tamen, vt Simplicius significat, siue die, siue nocte videatur; semper in lumine aliquo videtur: aut inquam in lumine alieno, vt in die; aut in eo, quod ab ipsomet in circumiectum aërem effusum sit. In tenebris tamen quoq. videri dicitur, si nocturnum procul videatur. Quoniam etsi propinquus illi aër ab ipso illuminatus sit, à nobis tamen illud lumen non videtur, totúsque reliquus aër ad nos vtquè tenebrosus est & obscurus. Quamobrem etsi ignea quoque omnia, vt cicendulæ, aliquem circa se fulgorem ac lumen emittant; ea tamen in tex. 72. in tenebris solùm, non in lumine, cernia affirmauit: quoniam totum reliquum medium vsque ad oculum est tenebrosum; neque exiguum illud illuminatum semper est aspectabile.

DIGRESSIO. XLI.

De aspectus organo, aspiciendique modo.

HÆc de aspectu Philosophus. Nobis verò antequam ad cæteros transeamus sensus, duo diligenter considerandа sunt. Alterum de huius operationis organo. Alterum de operationis modo. Videndi organum eõstat esse oculum. Eius descriptionem in communi totius corporis descriptione fecimus, vbi & de oculi natura disputatum est. Ad hunc locum illud pertinet, vt intelligamus, quęnam ipsius potissimùm pars præcipuum sit videndi organum. Credidit Alexãder, vt intelligi potest ex primo eius lib. de anima cap. 8. & Comm. 9. in lib. de sensu & sensili, & Themistius lib. 3. de anima cap. 8. oculo quidem aspectabile obiectum proponi, visionem tamen in organo fieri sensus communis, hoc est in corde: & ideò totum ductum ab oculo vsq. ad cor debere esse illuminatum, vt fieri visio possit. Adfert autem Alexander Aristotelis verba in ca. 2. illius lib. » Non enim, inquit, in vltimo oculi anima, aut animæ sensorium est; sed manifestum, quòd interiùs. Quare necessariò perspicuum est & receptiuum luminis quod interius oculi. Et hoc etiam in ijs, quæ accidũt, manifestũ. Iam enim quibusdam vulneratis in bello iuxta tempora, ita vt abscissi essent meatus oculi, accidit fieri tenebras; sicut lucerna extincta. Et in ca. 8. quemadmodum in rebus ipsis cõtingit ita & in anima. Idem enim & vnũ numero album & dulce est & alia multa: sed esse alterũ vnicuiq. Similiter ergo ponendum & in anima, idem & vnum esse numero sensitiuum omniũ, ipsum esse tamen alterum & alterum. Quibus verbis videtur cor constituere commune sensuum omnium sensoriũ; quod præcipuam animæ sedem esse voluit. Probat etiam suam sentẽtiam Alexander; quoniam si visio, auditio, gustatio, fiant in diuersis corporis partibus; non poterit esse vna aliqua facultas animæ, quæ sensus hosce corrigat: quoniam ab ea distabũt plurimum. Cùm etiam hæc organa sint duplicata, obiectum quodlibet sentiretur duplex: quòd si sentiatur vnicum, necesse est vnico sentiri organo: hócque est in corde.

Philoponus autem de visione præsertim loquẽs, eam fieri voluit in optico neruo, qua parte pupillæ inseritur. Sic enim loquitur in tex. 69. Visiuum spiritum à cerebro descendere dicimus per visuos neruos, eúmq. ad crystallinum vsq. peruenire, & in ipso desinere: quare & illic fiunt visibiliũ iudicia. Et rursum, visibilium apprehensio in ea solùm fit parte, in qua pupilla consistit. Quod duplici argumento ostẽdit. Tum quia si hæc vitio aliquo laborauerit, impeditur visio; etiamsi reliquæ omnes partes benè habuerint: & contra, si reliquæ laborauerint & hæc benè habuerit, videmus optimè; quasi per eam solam fiat visio. Tum quiã ad eam propterea perforata est vuea, ne suo colore impediret visionem, prohibendo lumen, quo pupillæ perspicuum fit actu. Eandem sententiam exposuit in Comm. tex. 82. 2 opinio.

Sed in Comm. tex. 106. 107. organum propriè voluit esse spiritum, eo scilicet loco contentum; humoréque & tunicas esse medium. 3.

Auicenna autem in 6. naturalium parte 3. cap. 8. & Albertus hoc loco, & S. Thomas in lib. de sensili, alijq. permulti, ad eam partem opticorum neruorũ, in qua coniunguntur, reuocarunt visionem. quæ sententia probabilis videri possit, si per species visio perficiatur. Ijs enim positis, propterea quodlibet obiectum, etsi duobus oculis videatur, vnicum esse videbit; quòd duæ species ad commune duorum neruorum foramen conueniant: Accedit, quòd in ea coniunctione fortior est & magis vnita virtus. 4

Vnum est inter cætera, quod mihi suspectam hãc sententiam facit; quòd non videam, quomodo hæ species possint vsque ad illud foramen multiplicari (quod mihi sanè argumento est, species hasce in interioribus sensibus nullas esse, quamuis in exterioribus admitterentur). Nam cùm nequeant nisi in lumine multiplicari, opticus neruus (multò minùs interiores meatus reliqui) non est illuminatus. Nam etsi foramen habeat, illud tamen est perexiguum; & cùm sit natura terreus & opacus, susc ipere lumen non potest, quo species multiplicentur.

Visionem igitur fieri in pupilla puto. Non in aranea tunica, vt quibusdam placuit, hoc argumento, quòd in ea non solùm recipi, sed & reflecti species possunt, & ideò meliùs videri. Verùm in humore crystallino. Quæ sententia non solùm Galeni fuit in lib. de Hypp. & Plato. decr. & alijs in locis, Auerr. *Auctoris sententia.*

in lib. de sensu & sensili & in 2, colliget c. 15. & aliorũ; sed Aristotelis quoq. pluribus in locis; in quibus tũ oculum videndi organum integrum, tum pupillam præcipuam eius partem proposuit. In textu nono, oculum accepit vt materiam, & videndi facultatem vt formam & animam; quæ nisi adsit, homonimè dicatur oculus. Et in textu 131. vt animalia perfecta ostendat omnes habere sensus; talpam quoque inquiet sub pelle habere oculos. Et in lib. 1. de animalium historia cap. 15. sensoriam visus partem oculos vocat, & secundo de animalium ortu capite quarto, de illorum generatione in hanc sententiam plurima disputat, quæ iucundum erit perlegere.

In oculo autem pupillam esse præcipuam partem, qua videmus; confirmauit in textu 10. huius libri, B dum oculum ad videndum præparatum constare dixit pupilla & visu tanquam organo videndique facultate. Et in textu 82. vbi aërem auditus organum affirmauit animatum esse vt pupillæ humidum. Et in textu 83. Animal non audire si laboret membrana, quæ aërem continet; quemadmodum non videtur, si laboret pellis, quæ pupillæ ostenditur. Et in textu 130. Elementa sensuum organis distribuens, pupillam velut aspectus organum scripsit esse aquæ. Et in tex. 31. lib. 3. pupillam vt videndi præcipuum organum ab aëre fieri actu. Et in 1. lib. de animalium historia cap. 9. vniuersam oculi structuram exponens: Humor, inquit, oculi interior, quo C videmus, pupilla est. Et in 2. lib. de partibus cap. 8. sensorium tactus caro est, aut prima vt pupilla visus: aut coniuncta, per quam agitur, perinde ac pupillæ perspicuum omne. Quorsum enim per opticos neruos ad oculum oculique pupillam deducatur spiritus ac pupillæ infigantur nerui, nisi ibi futura sit visio? Sanè nos conatum adhibemus in oculo, vt videamus, videdóq. oculus fatigatur, & præcipua oculi pars est pupilla. Cúmq. visionis organũ humidum & aqueum esse oporteat, necesse est aliquis sit ex humoribus, quorum nobilissimus est crystallinus. Et ideò in medio oculi tanquam in centro & optimo loco positus, atque à reliquis omnibus omni ex D parte septus & custoditus. Accedit, quòd videndi organum perspicuum esse debet, eiusmodi autem est crystallinus humor. Aranea tunica nil aliud est, quàm villorum ac fibrarum textura ad continendum humorem illum apposita, propter quem reliqua etiam omnia fuere formata.

Quod autem dixerunt aliqui, visionem in corde fieri, minimè credendum est. Nam vt illius membri spiritum mittam propter immoderatum calorem ad sentiendum esse ineptum: propterea solùm ad cor visio reuocari potest, quòd illud sit sentientis totius facultatis, immò facultatum omnium, prin- E cipium. At verba, quæ ex lib. de sensu & sensili obiiciuntur, ita sunt exponenda. Pupilla non est in oculi extremitate, sed pluribus tegitur tunicis. Propterea proprium videndi organum interius aliquid est, magisque reconditum. Quod pupillam esse cõsequentia verba confirmant. Quare necessariò perspicuum est & receptiuum luminis quod interius oculi. Quod si ea, quæ adduntur, videndi vim in opticis neruis videntur ponere: ea ideò dicta sunt, quoniam per eos deuehitur spiritus videndo necessarius. Itaque læsis illis ac truncatis non fit visio, sed tenebræ: non pupillæ visio, quippe in ea, vt antea, suscipitur lumẽ, sed quòd sine spiritu non fit visio. Quæ autem ex cap. vlt. proponuntur, ostendunt vnũ principiũ; quo sentimus, non formaliter, sed virtute; hoc est

Exponit locum ex lib. de sensu & sensili.

A cor esse vnum primum membrum, à quo sensuum vis omnis deriuetur ad reliqua membra, quibus immediatè & formaliter sentimus.

Neque ratio, quæ in eam sententiam Alexander adduxit, vllum habet momentum. Tum quia communem sensum accipit esse in corde, à quo reliqua particularium sensuum organa magnopere distant: quòd si ponatur in cerebro, non magna erit distantia. Tum quia siue in exterioribus organis sensione fit, siue non fiant; nihilominùs oportet à corde ad exteriores illas partes trãsmitti spiritum: at spiritum potest transmittere, poterit & actiones illarum corrigere. Deniq. quodlibet obiectum non apparet duplex propter eandem rationem, propter quam ea quoq. quæ audiuntur aut olfacta percipiuntur, duplicia esse non iudicantur, etsi vbiq. organa & nerui sint duplicata; neq. in vnũ, sicut optici nerui, coeant. Nimirũ etsi sensiones ipsæ sint duæ formaliter, hoc est duo actus producti ab anima per duo organa est tamen vna obiectiuè; quia videndum aut sentiendum proponitur vnum, circa quod naturali societate ambo simul oculi mouentur. Cur autem coëant optici nerui, plures exponuntur causæ: inter quas ea est vt vnius oculi virtus & visiuus spiritus deriuetur ad alterum, alteróq. eorum clauso possit alterque bene cernere; aut si alter oculus aut neruus læderetur, nõ impediretur tamen visio aut imperfectior fieret.

Iam ex his intelligitur, vndenam aspectus omnis bonitas: quæ in eo agnoscitur, vt procul & distinctè aspectabilium omnes differentiæ percipiantur. Oritur enim ex organi & spiritus conditione. Nãs multus sit humor & purus, procul & exactè cernit: si paucus sed purus, exactè quidem, sed non procul aspicit: si multus & impurus, procul, sed minùs exactè: si deniq. paucus & impurus, nec procul nec exactè videt. De spiritu idem ferè intelligas. Oritur etiam oculi quantitate & situ in capite. Etenim oculus concauus melius, quàm prominens aspicit dimittíque cõseruatur. Tum quia minùs patitur & disgregatur à lumine. Tum quia nimia lux in oculo suscepta aeternè lucis aspectum impedit: quoq. minor in oculo fuerit, facilius is exteriorem aliam quamcunq. percipiet. Minor autem suscipitur in oculo concautor & vt melius cernamus, oculum manu adũbramus, aut etiam ferè claudimus palpebras: non solùm vt videndi virtus vniatur, obiectiue motus magis vnitus sit, verum etiam ne nimia lux impediat & disgregetur.

Porro in oculi quantitate sunt qui magis probent oculum paruũ: tum quia spiritũ habet magis vnitũ & motum magis item vnitũ suscipit: tum quia magis profũdus est, quàm magnus. Sed potior magnus est: tũ quia in paruo spiritus vicissim sese impediunt: tum quia magnũ cerebrum melius est & perfectius paruo, oculũsq. à cerebro deriuatur & similẽ habet naturam. Tum quia magnus oculus multam materiam & probè permistam & temperatã robustamq. virtutem formatricẽ indicat. Quam ob causam oculus magnus & bene vidẽs putatur esse diuturnæ vitæ signum. Indicat enim multũ humorem probèq. purgatum ac temperatum: Et quoniam hæc pars reliquis ferè corporis temperationem sequitur, argumentũ est bonæ totius corporis temperationis & copiosi humidi, quo possit diutiùs vita sustentari. Proximus est oculus paruus & benè vidẽs. Quia si nõ multum, certe bonũ humidũ in toto corpore significat. Tum magn⁹ & malè vidẽs. Etenim multũ quidẽ humoris, sed malè tẽperatum ostẽdit. Pessim⁹ paruus & malè vidẽs. Quia paucam & malam habet humiditatem.

Colorem

Colorem medium maximè probat Philosophus in 5. lib. de animalium ortu cap. 1. quod optimam significet temperationem. Extremi defectum aliquem habent aut excessum: & vel facilius, quàm par esset, vel cum nimia difficultate, patiuntur ab obiectis: propterea non tàm benè vident. Et oculus niger melius interdiu videt, quàm glaucus hic enim melius noctu. Nam ille multum & confertum habet humorem, qui non nisi à magna luce mouetur: hic exiguum, qui modica indiget luce, atque à multa dissipatur. Ille tamen failius fit luscus, quia cum abundet humor, si ampliùs excesserit, faciet luscum. In glauco excessus hic esse nequit: Sed is siccitate potius laborabit, exiguo scilicet illo humore siccato. Hinc etiam cognoscitur, cur senes propinqua quædam obiecta non cernant, quæ remotiora melius vident. Nimirum eorum oculus est siccatus, quemadmodum & totum corpus; paucúmque habet spiritum. Quare ab obiecto propinquo nimirum patitur & spiritus dissipatur; à remotiore accommodatè magis mouetur. Hæc & huiusmodi plurima ex oculi constitutione ac præsertim ex pupilla pendent; omninóque confirmant, eam esse præcipuam oculi partem & potissimum videndi organum.

DIGRESSIO XLII.
De afficiendi modo.

Dictum est de aspectus organo: superest & de operatione dicere. Plotinus in lib. de dubijs animæ vel diuisione cap. 4. tres opiniones tangit. Primam, ita per radios visuales, vt per capillos aut manus, propagare animam sese atque sensilia tangere. Alteram, non propagari animam per radios, sed eos quasi virgas extendere ad obiecta eosq. inde ad animam reuerberari & renuntiare obiecta. Tertiam, lumen ab obiectio figurari, figuratúmque ad oculos peruenire. Circa primã ludit, inquit Ficinus; alteram deridet, tertiam reprobat. Tantámque vult esse inter aspectum & obiectum compatiendi conformitatem, vt satis vicissim moueantur & agant, etsi nulla in medio contingat passio. Sanè ex Antiquis permulti visionem fieri credidérunt emittendo, egressúque rei alicuius ab oculo. Pytagoricinamque egredi voluerunt luminosos radios, qui si obiectum sibi simile, hoc est illuminatum, inuenerint, regrediantur ad illud oculo representandum. Hypparchus, Stoici, & Empedocles, emitti corpus aliquod luminosum, seu radios, qui obiectum totum complecterentur: & siquidem obiectum esset illuminatum, oculo illud representarent; sin minùs, illuminarent tenebras eásque illuminatas videri. Porrò hanc emissionem & complexi sunt perspectiui, & hac ratione explicarunt, vt radios dixerint ab oculo progredi instar pyramidis; cuius conus sit in oculo & basis in obiecto; tantámque esse basim, quantum est obiectum quod debet cerni. In eius autem medio lineam rectam existere, quam appellant sagittam; per quam immediatè fiat visio. Sed quò remotius obiectum fuerit eò fieri minorem conum in oculo; quoniam lineæ longiores sunt & in maiori distantia à basi concurrunt: & ideò remotum obiectum videri minùs, quàm propinquum. Alij aëris impulsu ab oculo in coni figuram vsq. ab obiectum constare visionem voluerunt. Plato autem in Timæo & Platonici, quos Galenus sequutus est in 7. lib. de Hyppocratis & Platonis decretis capite quinto, visionem fieri tradiderunt emissione lucis seu luminosorum radiorum ab oculo, qui cum diurno lumine concurrentes atque permisti, quò oculorum acies dirigitur, ibi visionem faciant. Nocte autem non videri; quia abeunte diurno lumine, id quod ab oculo egreditur, euanescit. Quæ Platonis oratio oculum accipit esse igneum atq. internũ continere lumen ac splendorem, quem possit emittere.

Verùm aduersus hæc omnia tum Aristoteles disputauit in lib. de sensu & sensili. c. 3. tum Alexãder in com. illius lib. & in 2. de anima c. 32. & seq. & Philoponus in digres. tex. 69. quę omnia & diligẽter collegit & auxit Theophilus Zimara in com. tex. 69. Ego igitur sic statuo. Ex oculis certum est emitti aliquid; vt oculi testantur menstruatæ mulieris inficientes speculum: & basilisci necantes hominem: & fascinantium, & similium aliorũ. Verùm per hoc, quod emittitur, non fit visio. Quòd si Aristoteles in probl. 15. & 16. sect. 31. ab oculis dicat emitti radios, aliquando vnitos, nonnunq. dispersos: & in 3. Meteororum lib. ca. 2. fieri accipiat refractionem ab oculo, & c. 4. cuiusdam meminerit, qui tàm debilem habebat aspectum, vt illius radij reflecterentur semper in aëre, & ideò imaginem suam vbiq. in aëre cerneret: ex aliorum sententia loquitur, siue Platonicorum, siue perspectiuorum: meminisseq. nos oportet quidnã ab illo scriptum sit sub finem c. 1. lib. 5. de animalium ort. Nihil enim, inquit, interest, an visus exitu cerni dicatur, vt quidam aiunt, & quę sequũtur. Similem enim addit motui effici visionem necesse est. Quare cum eodem modo videret ea, quæ ad visionem spectant, explicari posse, siue ab oculo exeat quidpiam ad obiectũ, siue ab obiecto ad oculum, nihil mirũ, si ex aliorũ cõmuni sententia interdũ accepit egredi aliquid ab oculo ad obiectum. Nam & perspectiui, cùm eodẽ modo rẽ explicari posse animaduerterẽt, quippe ijdẽ anguli & in oculo & in obiecto fieri possunt, maluerunt antiquorum loquendi modũ retinere, visionem emittendo fieri affirmantes.

Visionẽ suscipiẽdo fieri.

Aristoteles vero vbi hãc difficultatẽ in lib. de sensu & sensili accuratè magis examinauit, suscipiendo potiùs aliquid ab obiecto, quàm ad illud emittẽdo, visionẽ fieri affirmauit. Senserat quoq. Democritus ita visionem perfici: sed in oculo suscipi voluerat corpuscula ab obiecto emissa, ceu ipsius simulacra. Verũ ab Aristotele & Alexandro necessarijs rationibus confutatur. Tum quia consumerentur obiectũ & augeretur oculus, fieretq. singulis momentis multo maior, cũ plurima semper obiecta cernat, à quibus hauriret corpuscla. Tum quia res viderentur esse minimæ, si per ea corpuscula conspicerentur. Tum quia corpuscula illa facilè à vento transportarentur, quolibétq. vel minimo vento flante nihil cerneretur. Ita constituerunt Peripatetici in oculo suscipi solũ lumẽ, aut speciẽ intentionalẽ ab obiecto emissam, aut motũ potiùs obiecti visionisq. actum ceu speciẽ & formã obiecti cogniti. Nã cũ reliquas sensiones constet non emittendo, sed suscipiendo fieri, quidni de visione idẽ sentiamus: Etenim sentire pati quoddam est, immanentémq. actionẽ significat, quàm fieri constat in oculo, atque in ea parte, in qua videndi facultas residet. In eà igitur coniungi oportet obiectũ cũ facultate, estq. verisimilius, obiectũ ad facultatem accedere, quàm hanc ad obiectum egredi. Crystallinus autẽ humor propterea videtur in exteriori superficie figuram habere planam, vt quidquid forinsecùs accedit, promptè suscipiat: quod in extremo l. 10. de vsu partiũ fatetur Galenus.

Oculus cur videndo fatigetur.

Quòd si fatigatur oculus videndo, atque vt accutè cernas comprimis palpebras & conatum adhibes, quasi aliquid emissurus; (si enim susceptione fieret visio, cum sit perficiens, non corrumpens susceptio, fatigatio nulla foret; neque claudendæ, sed aperiendæ palpebræ essent:) sciendum est fatigari oculum, non susceptione, sed conatu; quem adhibet facultas ad operandum, ad firmandum oculum, ad continendum seu conuocandum spiritum, multáq. spiritus consumptione. Præsertim quòd materialis & extensa facultas sit, saltem in bestijs. Eiusmodi enim facultates operando fatigantur, vt est in tex. 32. lib. 8. Phys. in homine autem fatigatio est organi, non facultatis, quę abstracta est. Cõtrahimus autem palpebras bene visurivel ad obtenebrãdum oculũ, ne lux nimia obsit; vel ad vniendum visuum spiritum totámq. videndi vim; vel demum vt motus ab obiecto magis vnitè suscipiatur in oculo.

Visio vt sine specie ab obiecto immissa.

Porrò duobus modis perfici hæc operatio potest. Primùm ex eo duntaxat, quòd facultas vim habeat videndi & organum sit benè affectum, atq. obiectum in debita distantia propositũ atq. illuminatũ totúmq. medium quàm optimè affectum. Vbi enim hæc omnia ita se habeant, nil aliud supereſt, quàm vt facultas attenta cognitionis actum eliciat quæ visio non emissione, sed susceptione constat: quoniam nihil ab oculo exit; & visionis ille actus in ipsa facultate suscipitur non ad obiectum progreditur.

Altero autem modo, si præter hanc totam facultatis obiecti & medij dispositionem accidat etiam obiecti in pupilla repręsentatio. Pupilla enim corpº est politum & tersum, perquàm aptum repręsentatare, vt speculum. Dum verò obiectum in pupilla, in qua est anima, repręsentatur; optimè videtur, si attendat anima. Ita oculus propterea fuerit animali datus, vt sit quasi animatum speculum, in quo cernantur. Quæ sententia fuit Alexandri in capite. 38. posteriorisli b. de anima; & Aristoteli ac cæteris Peripateticis maximè videtur consentanea; dum in aspectu imagines & simulacra obiectorum nominãt. Hoc autem modo magis adhuc perspicuum est, visionem suscipiendo fieri: quia cùm nihil ab oculo exeat in eo suscipitur, tũ obiecti repræsentatio, tum immanens visionis actus.

Oculus animatum speculum.

Vterq. visionis modus mihi sanè probabilis videtur; sed nescio quomodo magis posterior. Tũ quia si alterius hominis pupillam aspicimus, semper aliquid in ea repręsentari cernimus. Tum quia meliùs ita facultas coniungi videtur cum obiecto, quàm si solùm in congrua distantia proponatur obiectum.

Visio per lineã rectã perpendicularem.

Semper autem visio fit per lineam rectam perpendicularem. Nam cùm tribus modis possit obiectum ab oculo distare; aut per lineam curuam, aut per rectum non perpendicularem, aut demum per rectam perpendicularem, quæ ab obiecto ad oculum rectà progrediatur atq. in eo recto efficiat angulos; hoc solùm postremo modo fit visio. Quoniã cum facultas videns materialis sit virtus & extensa, quæ in actione sua pendet à quantitate & virtutis sphęra; per lineas agit breuissimas, quę rectæ sunt & perpendiculares. Atque vt visione vnica quodlibet maximum obiectum percipi posset, prouidit natura oculum rotundum. Hoc enim differt orbicularis figura à plana, quòd in plana lineæ omnes à maiori figura ad minorem ductæ nequeunt esse perpendiculares: at in circulis, quorum idem sit cẽtrum lineę omnes à maiori ad minorem ductæ perpẽdiculareş

Oculus curvotũdus.

A sunt. Cùm igitur oculus circularis sit, si circa illum orbem proponatur obiectum, poterit totũ vnica visione cerni. Immo obiecta plurima in orbem proposita simul videri possunt, quod per lineam perpendicularẽ omnia cum oculo coniungantur. Perfecta tamen & exquisita visio per eas solùm constat lineas, quæ è diametro respiciunt oculum. Hoc esse experimur, dum nos quidem multa simul videre animaduertimus; sed illum solùm perfecte, in quod oculos directe conijcimus. Nam cum aduertimus præter speciei susceptionem, vel propositionem, seu repræsentationẽ obiecti, quæ omni ex parte per lineas rectas perpendiculares fieri potest, requiratur adhuc attentio & applicatio facultatis ad virtutis visiuæ; quæ vt finita est, ita perfecte non potest simul præsentibus omnibus obiectis applicari illud perfectissime omnium cernitur, cui prę cæteris applicatur: hócq. illud est, quod è diametro magis opponitur. Atq. hanc ob causam adiuncti sunt oculo tot musculi, vt facile omnem in partem moueatur, alijsq. atq. alijs obiectis applicaretur.

B

Hinc vero permulta, quæ à Perspectiuis dicuntur, facilem habent explicationem. Primo, cur magnam molem, vt magnam vrbem, perfectiùs & integrius videamus, cum ab ea distamus, quàm cum nimium accessimus. Nimirum è longinquo pluribus paribus è diametro opponitur oculo; quoniam in minori quantitatẽ apparet, quàm è propinquo. Quo fit, vt volentes aliquid integrè & totum simul videre, remoueamus non nihil ab oculo. Nam etsi distinctius cernatur propinquum, remotius tamen videtur integrius, quia totum melius sub aspectum cadit.

C

Secundo, cur dicant perspectiui visionem fieri per lineam rectam & per pyramidem seu triangulum, cuius basis in obiecto & cuspis in oculo. Cũ nanq. obiectum sit amplum, & maius multo, quàm oculus, visionem necesse est ab oculo quasi dilatare sese, vt totum amplectatur obiectum: & ideo fit quasi pyramis ab oculo insistens obiecto. In qua quidem oportet lineas omnes perpendiculares esse in oculo, quamuis nõ sint in obiecto: sed inter eas necesse est vnam esse in medio Pyramidis, quæ in obiecto quoq. sit perpendicularis. In hac fundatur Pyramis & ideo vocatur axis seu sagitta, tenditq. ad eã obiecti partem, quæ è diametro opposita est. Hinc illud, Per axim seu sagittã nos certificari de obiecto: quoniam perfectissima fit per hanc lineam visio.

D

Tertio, vt perfectè aliquid videamus, post vnam visionem, qua totum obiectum obiter quasi aspeximus, singulis eius partibus admouemus oculos, singulas considerantes. Totum enim obiectum non potest simul è diametro proponi oculo; sed necesse est singulis applicationibus singulæ proponantur.

E

Quarto, cur cum aqua quiescit, videmus in illa faciem nostram, cum vero agitatur, non videmus: cum quiescit, potest oculus firmiter applicari: at cum agitatur, nullam habet firmam ac certam axim, sed ea quoq. agitatur. Eandem ob causam & legere deambulando aut alio modo mouendo corpus, & tormenta, quæ hominem in gyrum vertunt, aspectui plurimum obsunt maximeq. fatigant: quoniam oculus in axe figenda laborat, nec eam potest firmè tenere.

Quinto intelligitur ratio mutabilitatis visionis, nempe ex agitatione axis aut ex motione obiecti aut oculi: quo modo in aspectu plurimæ deceptiones contingunt & Aristoteles scribit in cap. 4. lib. de somnijs.

somnijs, videri nauigantibus terram moueri, quòd moueantur ipsi & in probl. 9. sect. 3. ebrijs videri omnia moueri, quòd ascendant habitus plurimi & sumi, qui axem oculi, spiritum, ac vim totam videndi magnopere agitant.

Sextò, cur cùm duo sint oculi, vnicum obiectum appareat. Id enim vniformitate axium, quæ ad idem obiecti punctum terminantur. Quare si comprimas, obiectum apparet duplex, quia mutat axis.

Septimò ad cognoscendam rectitudinem distantiæ obiecti consueuisse nos alterum claudere oculum; vt videre est, inquit Philosophus, in sagittarijs. Nam vt rectè sagittam mittant, alterum claudunt oculum. Etenim vnico oculo vnicam axim facile in obiectum & scopum dirigunt. Obiecti tamen distantia multò meliùs vtroque oculo aperto & applicato percipitur: sed applicare plura, & coniungere difficilius est: præsertim si res tenues sint ac minutę. Quam ob causam difficile est filū in foramen acus imponere: quoniā duæ res tenues ac minutæ coniungendæ sunt, quib⁹ nō est facile applicare axim. Et ebrij forè dicuntur nescire duos digitos coniungere, quoniam propter motum vaporum firmare axim nequeunt. Cæterùm de his fortasse nimis multa. Iam enim ad perspectiuorum scientiam penè transcendimus, dum de naturalibus disputamus.

DE AVDITV.

Cap. VIII.

TEXTVS.

ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ περὶ ὀσμῆς ἐστιν. οὐδὲν γὰρ αὐτῶν ἅπτεται τὸ αἰσθητικὸν ποιεῖ τὴν αἴσθησιν. δηλοῖ δὲ τοῦτο μάλιστα ὅτι καὶ ὀσμῆς καὶ ψόφου τὸ μεταξὺ κινεῖται. τοῦτο γὰρ πυκνοῦται μᾶλλον τὸ αἰσθητήριον ἑκάτερον ὅταν δὲ ἅμα αὐτὰ ᾖ ὅπη δὲ αἰσθητήριον τὸ ψοφοῦν ἢ τὸ ὄζον, οὐθενὸς ἧττον ποιοῦσι. περὶ δὲ ἁφῆς καὶ γεύσεως ἐξ ἀμφοῖν ὁμοίως φαίνεται δι' ἃ δὲ αἰσθάνεται ὕστερον ἔσται δῆλον.

Eadem autem ratio est & de sono, & de odore. Nihil enim ipsorum tangens sensorium facit sensum. Sed ab odore quidem & sono mouetur medium, ab hac autem sensoriorum vtrumq. Cùm autem super ipsum sensorium aliquis apposuerit sonans aut olens, nullum sensum facit. De tactu autem & gustatu simili quidem modo se habet, non autem videtur. Propter quam autem causam, posterius erit manifestum.

COMMENTARIVS CXIX.

DE aspectu satis dictum est, déque multiplici eius obiecto: deinceps de reliquis sensibus & illorum obiectis dicendum est. Secundus autem locus auditui debebatur, quoniam multis partibus reliquos omnes superat. Nam & est disciplinæ sensus, vt in lib. de sensu & sensili cap. 1. & in prœmio Metaphys. habet Philosophus, ac perdiscuntur plurima: nec animalia, quæ hoc sensu carent, disciplinæ capacia sunt. Ad prudentiam verò ac moralem totam scientiam atq. administrationem confert plurimùm: cùm hæc ferè omnia in crebra multorum auditione & consultatione consistant. Tum verò ad supernalem quoq. cognitionem: siquidem fides ex auditu comparatur, vt S. Paulus loquitur. Ad permouendos quoq. animos, vt quotidiana experientia & plurimorum veterum exempla testantur. Namq. hic sensus qualitatem habet pro obiecto, quæ inter cæteras maximè immaterialis est; cum per solum localem motum producatur, qui nihil dicitur producere in tex. 59. lib. 8. Phys. ea est sonus.

Etsi verò Themistius ad textum vsq. 77. aspectus considerationem producat; meliùs tamen Philoponus superiori textu absolutam fuisse arbitratur. Quippe nihil de eo ampliùs dicitur, sed ad alios potiùs sit trāsitus. Et quoniam ab aspectu & aspectabili tanquam perfectissimis & manifestissimis principium fecit: eadem methodo ad auditum & odoratum atque ad audibile & odorabile aggreditur; tum verò ad gustatum & tactum gustabileq. & tactile. Nam etsi tactus omnium sensuum primus in animalibus insit, sitq. omnium cōmunissimus: obscurissimus tamen est, & plurimam habet ac difficillimam quæstionem; tum de immediato ipsius organo; tum verò an sit vnus an plures sensus. Gustatus verò tactus quispiam est. Odoratus demum obscurus in nobis & infirmissimus existit: quò fit, vt nec odorum differentias satis habeamus perspectas. Antea igitur de auditu agendum fuit.

Auditus porrò & odoratus tractationem aggrediens, & eam optime cum antecedenti aspectus cōsideratione coniungit, & quædā sensibus hisce omnibus communia permittit: dum statim ponit eandem esse soni & odoris rationem, quę de colore fuit exposita. Quoniā hæc ipsa obiecta, si organo sensus admoueantur, plane non sentiuntur; sed ipsa quoq. corpore aliquo interiecto sentiri volūt: ita vt primū moueāt & afficiant mediū, deinde sentiendi organū. *Sensiones per medium fieri, & cur.*

Cur medio opus sit, duplicē rationem habet Simplicius. Alteram, quoniam sensile obiectum & eius motio proportionem cum sensu habere debēt. At si absq. medio moueret, immoderate ageret, nimióq. excessu læderet potiùs ac dissolueret, quàm perficeret sensum. Hoc enim re ipsa sæpe experimur, si aut vehementior lux affulserit oculo, aut nimius sonus aut odor auribus naribusúe propriùs admoti fuerint. Quòd si obiectum exile sit ac tenue, propiùs quidem admouendum erit; at non ita, vt tangat: propter eandē scilicet necessariā proportionē.

Alteram addit rationem, quam non solùm non probo, quin potiùs magnopere miror à sapiente philosopho fuisse propositam. Dum enim necessarium esse ait medium, qui opus est aliquo, per quod obiecti motus deferatur atq. ad sensum traijciatur; sicut lapis vecte: manifestè petit principium illudq. ipsum respōdet, quod quæritur. Siquidē hoc ipsum quærimus, cur non possit immediate sensus ab obiecto moueri; sed opus sit aliquo, per quod eius transmittatur motus.

Prior autem illius ratio in gustatu & tactu locum non habet; in quibus organum tàm est solidum & corpulentum, vt non solùm immoderata motio ab obiecto timenda non sit, sed omnino requiratur & optime sustineri possit. In alijs verò sensibus potest esse obiectum rēmissum, quod immoderatè nō agat neq. lædat: aliámq. ob causam requiri medium paulo post docebo.

Latini quoque interpretes huius rei rationem quæsierunt; & quidē S. Thomas alijq. pene omnes sensum tradiderunt egere medio, quia cùm sit facultas minus materialis, quàm sint cæterę naturales, minus materialiter debet obiectum suum percipere: quod si absque medio interiecto perciperet, materialiter nimis perciperet. Et cùm non fiat transitus ab extremo ad extremum sine medio; neq. ab obiecto maxime materiali potest immediate natura transire ad modum minime materialem, quem habet in organo: sed medio quodam modo habere antea se oportet in interiecto corpore.

Huic duas Ægidius addidit. Primam ; quoniam
specie productio in organum difficilior est propter A
membri soliditatem & consistentiam, priúsq. pro-
duci debet in medium , vt inde commodiùs ad or-
ganum traducatur. Alteram ; quia omnis facultas
determinatum obiectum postulat, tum quoad rem,
tum etiam quoad modum & distantiam.

Verùm quidquid sit de eo, quod hi omnes Phi-
losophi tanquam principium accipiunt, ab obiecto
species immitti ; certè si colores à cæteris sensilibus
obiectis sæpares, reliqua aut multiplicatur re ipsa, vt
soni, odores, & primæ qualitates tactiles ; aut im-
mediatè organo sensus admouentur , vt sapores.
Deinde species materialius est in organo , quàm in
medio. Siquidem oculus aqueus est , medium aë- B
reum. Aut si obiectum potest in medio spiritalem
speciem producere, eandem posset in organo : præ-
sertim cùm & in medio & in organo eiusdem ratio-
nis sit. Quòd si membri soliditatem prætendat Egi-
dius, vehementiore ibi actione opus erit. At quò
magis species ab obiecto distat , eò debilior illius
productio est, debiliúsq. agit ipsa in organum. Hæc
enim est agentium omnium conditio , robustiùs
agant in id, quod propinquum est ; quàm in id, quod
longiùs distat. Ægriùs igitur suscipientur in orga-
no, quàm si immediatè in eo producta fuisset. Quod
autem ad obiecti determinationem attinet ; omnis
quidem facultas determinat sibi obiectum quoad C
speciem & ea quæ sunt illi essentialia ; non tamen
quoad accidentia , cuius generis sunt maior aut mi-
nor magnitudo, distantia, continuitas, & similia.

Auerroës autem & cum eo permulti Aristote-
lem crediderunt voluisse sensum sentire non posse
obiectum, nisi à se dissitum, alióq. externo corpore
interiecto. At facile animaduertere potuissent, neq.
tactum, neq. gustatum sentire quidquam, nisi sapo-
res imponantur linguæ , & calor aut frigus afficiant
carnem. Neruúmque aut carnem, si pungatur, acu-
tum corpus sentire. Neq. febricitantibus aliam ob
causam omnia videri esse amara , vt est in tex. 104.
nisi quia linguam habent eo humore perfusam. Et D
odorem cum fumoso habitu ad nares penetrare:
Sonúmq. re ipsa ferire aures : Ac lucem deniq. im-
mediatè suscipi in oculo. Et dum intuiti sumus ve-
hementem aliquam lucem aut colorem, dum ad te-
nebras nos recipimus, remanet adhuc in oculo lucis
aut coloris impressio ; vt pluribus cõfirmatur in lib.
de somnijs cap. 2. lux autem illa seu color non est in
aëre, quia is tenebricosus est ; sed in oculo. Perfricato
etiam in tenebris aut compresso oculo splendo-
rem cernimus & lucẽ: vel quòd, vt aliqui putant, in
oculo ipso lux quædã sit in spiritu: vel potiùs, vt an-
tea diximus, quod compresso oculo fiat, vt pars pu-
pillæ inferior videat superiorem : at pars illa pu- E
pillæ est supra aliam, vel etiam lux spiritus, si quæ
sit, in ipso est oculo. Icterius autem videtur sibi vi-
dere omnia coloris citri, quod is color in oculo insit
& per illum videat cætera ; perinde ac per viridia
perspicilia omnia nobis viridia videntur, quia pri-
mùm viride vitrum & per illud reliqua videmus.
Certè quilibet sensus læditur plurimùm à vehemẽ-
ti obiecto sensili, neq. nimiam solis lucem tolera-
mus, & à minimo strepitu obsurdescimus ; quod lux
& strepitus suscipiantur in oculo & aure, vehemen-
tiúsq. afficiant & dissoluant organum. Deniq. si esset
medium necessarium , aut id esset propter obie-
ctum, aut propter sensum. Obiectum eò vehemen-
tiùs agit in sensum, quò est propinquius: sensus au-

Fieri sapè sensionem immediatã.

tem aptus est immediatè suscipere obiecti speciem,
sicũt potest medium. Quin etiam dempto aspectu
exteriores reliqui sensus re ipsa videntur ab obie-
ctis, nõ intentionaliter per species, moueri. Quam-
quam & aspectus quoq. interdum : tum quia obie-
ctum nonnunquãq. habet sibi impositũ, tum quia
lux non per species, sed re ipsa agit.

Hoc igitur solùm verè dixeris affirmasse Philo-
phum, Inter sensum & primum obiectum opus esse
medio. Nam hoc illius verba apertè satis ostendunt
dum & in tex. 73. non coloratum corpus, dixit oc-
lo admotũ nõ videri: & nũc nõ odorẽ, aut sonũ sed
corpus olens aut sonans naribus & auribus appositu
nullum sensum facere. Immo omnem quoq. cæte-
rorũ odorũ aut sonorũ sensũ impediũt. Priùs igitur
oportet moueri medium, quàm sensum. Cur autem
ita sit, nõ eandem credendum esse in aspectu & in
duobus sensibus rationem. In aspectu namq. obie-
ctum coloratum oculo admotum propterea nõ vi-
detur ; neq. aliorum visionem permittit, quia cùm
sit opacum, luminis accessum impedit, sine quo ni-
hil cernimus. Lucis verò prima productio luciditas
corpus remotiora sint oportet. Sol, flamma, candẽ-
la, ignis, apposita oculo totum dissoluunt, immò
propinquiora magnopere lædunt. In audit autem
& odoratu corpus sonans & odoriferum hanc po-
tiùs ob causam auditum & odoratum prohibent,
quoniam auditũ impediũt aeri, qui tũ sonũ, tũ odo-
rem ad illorũ sensuum organa deferre debet. Sonus
enim à sonantibus corporibus excitatus & odor
cum fumoso halitu ab odorifero emissus corpore
spargunt in aëre cum locali motu vsq. ad organum.
Aut si necesse non sit organum ab hisce obiectis
penetrari, sed possint hi duo minus materiales sen-
sus in eo aspectum æmulari, vt remotũ quoq. obie-
ctum persentiant: ita corpora illa eorum organi ad-
mota sensum ab illorum obiectis separant, vt inter
vtrumq. posita coniunctionem & contactum æ-
lant, sine quibus nec operatio vlla esse potest.

Odoratus etiam illud est proprium, quod naribus
impositum odoriferum corpus inspirationem pro-
hibet, quę ad sensus organum deducere halitum de-
bet, nariúmq. cõtactu impeditur halitus, ne ex odo-
rifero ascendat corpore, tum cohibendo, tum hu-
mectando & refrigerando, crassiorúmq. partiũ per-
mistione. Primus item sonus fieri in aere nequit si
quod ibi esse non possunt sonantia corpora, tum
quod immoderatò motu nimiũ læderetur organi.

In gustatu & tactu immediata coniunctio esse vi-
detur: quòd hi sensus materiales plane cũ sint, obie-
ctum non persentiunt nisi organo admotum. Sed
nisi sensio cum læsione & molestia futura sit, inte-
quoq. medium esse oportet, si non extraneum, aere
aut aquam, certe intraneum & cum organo conun-
ctum; hoc est pelliculam toti carni obductam, quæ
nihil ipsa sentit, sed mediũ est, per quod sentit caro
aut pars alia sentiens. Eam si tollas, fit quidem sen-
sio, sed cum dolore, molestia, læsioneq. cùm ramen
sensio natura sua sit operatio perficiens, non lædens
& destruens. In gustatu præterea opus est saliua, quę
medij, vim quandam habet. Hoc in ægrotis defici-
te gustatus deest. Atq. hoc hi duo sensus prioribus
tribus deteriores sunt, quod illi extraneo, hi intra-
neo duntaxat indigent medio.

Quoniã igitur nulla est perfecta & naturalis sensio,
si obiectũ sit supra organũ sensus, ed aliqua opus est
distantia medióq. propterea dixit Philosophus, sen-
sionẽ perfectã coparatione 1. obiecti, primo mouẽ-

tis sensũ aliquò interposito medio debere fieri: & necessàriam quidem esse obiecti & sensus coniunctionem, sed eam immediatam non esse.

Propterea locus est quæstioni in lib. de sensu & sensili cap. 7. tractatæ, An ab obiecto sensili priùs mouearur mediũ, quã sensus. Cui paucis respõdendum est, id odoratu & auditu odores & sonos priùs tempore mouere mediũ, quàm sensum. Hanc enim ob causam fit, vt à thure priùs videamus exiuisse fumum, quàm odorem vllum sentiamus, Odoréq. omnes, qui ex remotiore ad nos loco veniunt, antequàm sensus comprehendamus, fumum in intermedio aere ascendentem conspicimus: & eos qui, propinquiores sunt, odoratos priùs odorem fuisse audimus. Sonum autem certum est ab eo audiri priùs, qui propior accesserit. Dúmq. bombarda explodítur, etsi luce prior sit sonus priùs tamen oculo cernitur lux, quàm aure audiatur sonus. Et cum antecedat tonitru, priùs conspicitur fulgur. In amplo quopiam Theatro priùs videtur actoris actio & corporis gestus, quàm exaudiatur vox. Quid ita? Quoniam auditus & odoratus cum locali, aeris ille, hic odoriferi habitus, motu perficiuntur: localis autem motus indiget corpore, priúsq. vnam, quàm alterã medij partem obit. Aspectus operatur subitò, eodémq. temporis momento & medium & sensus ab aspectabili permouentur. Idémq. obiectum ab omnibus, sine propè sint, siue longius distent, simul conspicitur. Dum oculos aperis, præsens quodlibet obiectum vel longissimè positum vnico momento percipis. Non enim est huius sensus functio velut localis motus; verùm & vt alteratio quæpiam & illuminatio. Alterationes autem complures subitò perficiuntur, totũq. medium vnico momento illuminatur. Perinde autem fuerit, siue ab intentionali specie moueri medium velis, siue Metaphoricè à sola obiecti præsentia. Nam & species contrarietate caret, quæ productionem retardet.

ETXTVS.

Τοῖς. Τὸ δ' μεταξὺ, ψοφοῦντος μὲν ἀέρος, ὀσμῆς δὲ, ἀόρατον. κοινὸν γὰρ ἅπαντες ἐπ' ἀέρου καὶ ὕδατος δεῖν. ὥσπερ τὸ δίαφανὲς χρώματος, οὕτω καὶ ἔχοντι ὀσμὴν ἀναπνοὴν ἀμφοτέροις ὑπάρχειν πυὶς. φαίνεται γὰρ καὶ ἔνυδρα πάντα ζώων ἔχειν αἴσθησιν ὀσμῆς. ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος, καὶ τῶν πεζῶν ὅσα ἀναπνεῖ, ἀδύνατα ὀσμᾶσθαι μὴ ἀναπνέοντα. ἅμα δὲ καὶ πάντα ὕστερον λεχθήσεται.

Medium autem soni quidem aër, odoris autem innominatum. Communis enim affectio quædam in aëre & aqua est: vt perspicuum colori, sic habenti odorem in vtrisq. hisinest. Videntur enim & animalium aquatica odoris sensum habere. Sed homo quidem & pedibus ambulantium quæcumq. respirant, odorare nequeunt nõ respirantia. Causa autem & de his potestertius dicetur.

COMMENTARIVS C.

IN omnibus quidem sensibus requiritur mediũ, per quod eorum vnusquisq. suum obiectum sentiat. Sed quoniam de gustatu & tactu, qui interius habent & obscurius organũ seorsim post dicendum erit: interim quodnam sit auditus & odoratus medium exponit.

Auditus medium, per quod defertur sonus, est aer. Quoniam is, vt inter sonantia corpora attritus primum sonum excitat, sic inde ad auditũ vsq. leuissime agitatus & cõmotus, sonũ illum spargit atq. ad sensum transmittit. Sed notissimũ, cõmunissimũ & A prõptissimũ mediũ nominauit Philosophus. Alioqui in aqua quoq. audiri fatetur, & fatebitur in tex. 79. & 83. & sonum exaudiunt vrinantes, piscésq. persentiunt strepitũ & fugiunt. Sed inter aerem & aquam hoc interest; tũ quod minùs multò auditur in aqua, quàm in aëre, vt est in probl. 61. sect. 11. tum quòd in aëre & gignitur & multiplicatur sonus; in aqua gigni non potest; neq. si duo corpora intra aquam sese percutiant, sonum edunt. Tum quia aqua propter crassitudinem retardat motum, ne sit celer, aut illius diuisionem anticipat. Tum quia ea intercepta propter lentorem & viscositatem non frangitur nec friatur. Quod si in superficie percussa aut ex altodescendens ad aliquodúe solidum corpus allisa sonat; medium, quod fractum & friatum excitat sonum, est aër. Non enim aqua est mediũ, sed percussum corpus. Sonum tamen excitatus in aëre potest in aqua quoq. spargi aut certè sentiri. *In aqua audire, nõ gigni sonum.*

B Odoratus autem medium vna voce nominari nõ potest: sed aerem & aquam comprehendit, quatenus communem habent affectionem, quàm in ca. 5. lib. de sensu & sensili exponet esse quatenus humida sunt, detersiua, & lauatiua. Hæc namq. corpora aspectus, auditus, & odoratus medium sunt: alia tamen atq. alia ratione. Aspectus, quatenus perspicua sunt; auditus, quatenus friabilia aut penè friabilia; odoratus, quatenus humida, detersiua, & lauatiua. Nam vt id, quod lauat aut detergit, aliquid in se cõcipit eius, quod lauatur aut detergitur: colorem inquam, aut odorem, aut etiam partes substantię aliquas: ita dum ab odorifero corpore cum fumoso halitu exhalat odor, mediũ ad lauantis & detergentis modũ aliquid in se illius corporis suscipit. Aspectus medium διαφανὲς, græci nominant, auditus, ἠχές, quasi personium aut personatum; odoratus demũ διοσμῶν, quasi perodorum. Hęcq. omnia sibi proportione respõdent. Et Aristoteles διαφανὲς sępe nominauit; duo reliqua, quę ipse innominata reliquit, nominarunt posteri; & primus Theophrastus eius successor, vt Philoponus testatur. *Odoratus medium.*

C Nos verò & quęcumq. animalia respirant, in solo aere odoramur. Quoniam quæcumq. respirant, cũ aere fumosum odoriferi corporis halitum naribus respirando suscipiunt. Nihilominùs in aqua quoq. hunc vigere sensum, testantur pisces, qui cum non respirent, sed per branchias refrigerentur, odorem in aqua persentiunt, dum odoratu sectantur cibum; vt in tex. 97. dicetur. Et, vt inquit Philoponus, si aspectum habent & auditum nobiliores sensus, inferiores quoq. & imperfectiores eos habere credendum est. Cur autem ea omnia, quæ non respirant, odores absolutè persentiãt; quæq. respirant, respirãdo duntaxat odorentur; posteriùs docendũ pollicétur, vbi de odoratu disseret, atq. in tex. 100. explicabit, aut etiam in lib. de sensu & sensili. *Odoratus suscipitur in aqua.*

D

TEXTVS.

Νῦν δὲ πρῶτον περὶ ψόφου καὶ ἀκοῆς διορίζωμεν. ἔστι δὲ διττὸς ὁ ψόφος ὁ μὲν γὰρ, ἐνέργειά τις. ὁ δὲ δυνάμει. τὰ μὲν γὰρ οὐ φαίνεται ἔχοντα ψόφον, οἷον πρόγνον. ἔνια δὲ ἔχειν, οἷον χαλκὸν καὶ ὅσα τοιαῦτα καὶ λεῖα, ὅτι δυνάμει ψοφητικά. τὸν δὲ αὐτὸν μεταξὺ καὶ τῆς ἀκοῆς ἐμπίπτειν ψόφον ἐνέργειαν.

Nũc autẽ primũ de sono & auditu definiamus. Est autẽ duplex sonus. Alius enim actus quidã, alius autẽ potestas. Quædã enim habere sonũ nõ dicimus, vt spongiã, lanam. At autẽ habere, vt as, & quæcumq. solida & leuia. Quoniã sonare, possunt: hoc autem est inter ipsum & auditum facere sonum actu. Tex. 77.

E

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

COMMENTARIVS CI.

PAucis quibusdam præmissis, quę auditui & odoratui communia erant, ad specialem singulorum tractationem accedit: priúsq. & de auditu differendum proponit, & eadem methodo antea proposita & in aspectu obseruata.

Cur de auditu ante odoratũ.

Priùs quidem agit de auditu, quàm de odoratu; quoniam nobilior est sensus & faciliorem habet explicationem. Nobilior est; tum quia, vt ait Simplicius, in longius defertur. Longiùs enim audimus, quã odoremur. Tum quia spiritalior est & per solũ localẽ motum, qui omniũ primus est & perfectissimus, perficitur eius obiectum. Odor enim etsi localí motu cum fumoso halitu ex accidenti moueatur; per se tamen alteratione producitur, dum ex odorifero corpore resoluitur. Faciliorem autem eũ habere explicationem, ipsemet Aristoteles in tex. 92. affirmabit: propterea quòd praue omninò odoretur homo.

Porrò in auditus tractatione eandem hactenus seruatam methodum retinendam proponit, dũ de sono & auditũ, hoc est de obiecto priùs, deinde de facultate, agendũ esse dixit. Vt quemadmodum ex aspectabili obiecto explicata fuit aspectus natura, sic ex audibili audiendi facultas inuestigetur.

Audibile autem est sonus. Propterea de sono agere incipiẽs diuisione statim vtitur. Duplex enim est sonus. Alter quidem actus quidam (ἐνέργειάν vocat, quòd non habeat esse constans & fixum, sed in sola operatione & motu). Alter autem potestas (meliùs autem fortasse ἐνεργείᾳ & δυνάμει, quàm ἐνέργεια & δυνάμις; meliùs inquam actu & potestate, quàm actus & potestas legeretur). Sanè obiecta omnia sensilia ita se habent, dum & vt entia sunt, & per cõparationem ad sensum quatenus sensilia sunt, considerantur. Nam & colorẽ dicimus interdum esse actu aspectabilem; quatenus adest lumen; interdum potestate, si lumen desit. Et vt qualitas item est, potestate dicitur esse & actu; quia & potest corpus colorari, & actu coloratum esse. Vtroque igitur modo sonum quoque dici posse ostendet.

Sonus ἐνέργεια

Atq. vt declaret, quomodo quatenus ens quodpiã est, id dicatur; duo corporum genera proponit, vt à non sonoris sonora distinguat. Quædam sunt, vt spongia & lana, quæ neq. actu sonant vnquã, neq. sonare possunt. Alia, quæ & apta sunt edere sonum, & sæpẽ reipsa edunt; vt ęs, ferrum, lignum; eáq. omnia, quæ duas habent conditiones. Alteram, vt dura sint & solida. Alteram, vt læuia & plana. Quare non sonora erunt ea, quæ mollia fuerint & inæqualia. Solida autem omnia & læuia sonare queunt; quoniam allidere possunt & frangere aërem cuius inter duo corpora intercepti vehementi ac celeri allisione violentáq. expulsione confertim facta excitatur sonus. Itaq. si quiescant & à nullo alio simili corpore percutiantur, sonum continent potestate; ipsáq. ad sonandum aptitudo, inquit Philoponus, est sonus potestate. Si autẽ ab alio vehementer, percutiantur, ita vt aer conglobatus vi extrudetur & frangatur, actu sonum edunt. Spongia non sonat, quòd nec solida sit nec læuis, sed tota foraminibus ceu cauernis plena: intra quæ sese recipit aer, & frustatim cõminutus paulatim & non totus simul egreditur. Lana item, quia mollis, facilè cedit. Ideò neutrum corporum genus frangere aërem potest & sonare; quẽadmodum ea, quæ cùm solida sint, non cedunt: & cùm læuia, cauernis & foraminibus aërem non recipiunt, nec minutatim diuidunt, sed allidunt, frangunt, & sonare faciunt. Tunc enim sonum actu edidisse existimantur, cùm aerem, qui inter ipsa & auditum interiectus est, complent sono.

Sonora corpora quæ & qualia. Solida.

Possunt autem esse corpora solida, aut simpliciter & vere, vt æs & argentum; aut quòd habeant se ita quam solida, si velocitate motus anticiperetur naturalis eorum motus. Cõglobãtur enim quasi & coeunt plurimę illorum partes, & ideò perinde ac solida resistunt; vt videre est in aere & aqua. Debent etiã esse plana & lata; nimirũ vt aerem confringant. Si enim non sint plana, sed cauernis plena, inæqualitas impedit fractionẽ aëris, & aer ni cauernulas diuisus nõ facit sonum. Lata quoq. ui fuerint diuidentem aerem, non confringent: quemadmodum acus si ferat acum, non facit sonum. Plurimùm autem interest, si sint concaua: multum enim concipient aeris, & retinebunt diutiùs; & ideò sæpè repercutietur & sonabit: vt campanæ, quæ diu tinitum retinent. Præterea debent esse aerea: ideò æs & metalla potiùs nominat, quia propter multum aerem permixtum maximè sonora sunt. Quæq. magis aerea sunt magis etiam sonant. Plumbum, ferrum, & alia magis terrea, non item. Ligna multum quidem aerem continent, sed minùs sonant, quòd aer multa terra, quæ minimè sonora est, obrutus sit. In metallis aer permistus est cũ aqua, quæ & ipsa soni capax est. In lignis fagus, ficus, & quæcũq. sunt magis aerea, maiorem habẽt sonum. Deniq. debent esse corpora friabilia vel penè friabilia, vt benè sonent. Friabile corpus dicimus, quod simul in minutissimas partes diuidi potest, vt argilla, vitrum, glacies. Penè friabile autem quod nõ frangitur quidẽ in partes minutissimas, sed tremorem facilè cõcipit, quo partes omnes minutissimę mutent situm, si percutiãtur, ac diu remanent. Hoc enim est penè friari. Nã vt in friabili corpore partes omnes ita recedunt à suo situ, vt disiungantur, sic in tremẽte recedũt partes à situ naturali, siquæ magis recederent disiungerentur ac proinde friarẽtur. Quod in campana percussa videas, quæ tantùm tremit, vt partes omnes à proprio situ discedãt, & si paulò amplius mutarẽt situm, continuitas earũ solueretur. Quo fit interdum, vt si trementi campanæ apponatur ferrũ, quo aliqua eius pars prohibeatur tremere, frangitur campana: quoniam trementibus cæteris partibus & mutuatibus situ, ea prohibita in suo situ manet. Cæterũ corpus friabile aut penè friabile duas postulat conditiones. Alteram, vt sit humidum, tum vt partes eius copulẽtur, tum vt cõcipere tremorem possit. Alteram, vt hoc humidum sit concretũ. Fluidum namq. ac lentũ cùm adhęrescat partibus, non facilè frãgitur: & ideò glacies perfrictus, quàm aqua, friatur.

Iam verò si sonus actu exaudiatur, non solùm erit actu sonus, sed etiam actu audibilis. Quod si à nullo audiatur, sonus quidem actu erit, at non actu audibilis, aut sensilis. Atq. ita eodem prorsus modo ò habent sonus & color: & vterq. duobus modis dicitur, actu & potestate. Tum quatenus ens & qualitas quæpiam est: tum quatenus sensilis est. Et de colore quidem antea dictum est, nunc autem & de sono. Nam propterea addidit (hoc est inter ipsum & auditum facere sonum). Potest enim sonus nõ solũ esse tum sonum), inter id, quod sonat, & auditũ, sed etiã inter id, quod sonat, & aliquid aliud, quod audiendi virtute careat. Verum hic potestate audibilis est, non actu. Et vt actu audibile significaret, dixit (inter ipsũ & auditum.)

Ea

Duplex sonus actus & potestas.

Ex quibus omnib. duo manifesta sunt. Alterum, duplicem esse in obiectis sensilibus actum: vnum, quo sunt; alterum, quo sentiuntur: duplicémque potestatem; vnam, qua esse; alteram, qua sentiri possint. Alterum, sonum & reipsa multiplicari in medio; & vt in subiecto reperiri, tum in sonantib. corporibus, tum in medio. In sonantibus quidem corporibus, quoniam in ipsis primùm excitatur & fit actu sonus; & ea Philosophus affirmauit habere sonum. Háncque fortasse ob causam non dixit sonum esse actu & potestate; sed esse actum & potestatem: corporum scilicet sonantium, in quibus aptitudo ad sonandum est sonus potestas, sonúsque ipse excitatus potestatis huius existit actus. In medio autem, quoniam in eo multiplicatur & spargitur ad alia corpora, vel etiam ad auditum, quemadmodum medium illud facillimè mobile est. Omnino corpus illud aptum est subiectum soni, quod aut friabile fuerit, aut penè friabile. Primùm quidem & maximè videtur sonus esse in aëre; tum quia is maximè friabilis est & facillimè frangitur, tum quia omnino necessarium est medium ad percipiendum sonum, nam per eum à corpore sonante ad auditum traduci debet. Deinde verò in corpore quoque sonante, si friabile sit aut quasi friabile, vt metalla multa, quæ valde aërea sunt & plurimùm tremere possunt: Aurum minùs sonat, quàm argentum & æs, quia propter perfectam mistionem est lentum, & ideò facillimè duci potest. Optimè tamen sonat, quòd illius tremor est per minutiores partes, propter mistionem perfectissimam. Hæc verò sonantia quoque corpora ex his intelliges esse subiectum soni. Primùm quia in illis partes omnes penè fráguntur atque ex suo situ discedunt. Deinde quia facta eadem aëris confractione in diuersis corporibus diuersus fit sonus: vt si duo corpora argentea & duo ærea æquali impetu concutiantur aëriscantundem intercipiant. Cùm enim soni diuersitas non oriatur ex aëre, necesse est eam in sonãtia corpora reuocare: vt in aëre quidem non sit maior sonus, quia æqualis confractio est, sed in sonantibus corporib. Cùm enim aërea sint, quidni soni capacia esse possint?

In aqua non fit quidem sonus, auditur tamen. Quare aëri maximè tribuitur, tum quia in eo est certissimus, & per eum ad auditum defertur: tum quia est medium, in quo sonus quilibet à quibusvis corporibus productus suscipitur, & verò in omni soni productione in primis necessarius est.

Sonantia.

A Sed quo modo ex his, quę potestate habent sonum, fiat sonus actu, hoc est soni causas planiùs explicare oportuit. Hoc præsẽs oratio absoluit: ita vt antea de sono potestate dixerit, nũc & de eo, qui actu existit.

Sonus vt fiat.

Vt igitur actu fiat sonus, triã omnino necessaria sunt: corpus aliquod percutiens aliud percussum, & tertium inter hæc medium. Hoc sibi volunt illa verba (sonus actu semper est alicuius) percutientis scilicet corporis (& ad aliquid) id verò est percussum corpus (& in aliquo) quod inter percutiens & percussum sit interiectum, in quo videlicet percussio fiat. Cur autem tria hæc adesse oporteat, causa est, quoniam sonus percussione excitatur. Quare vt in omni actione necessarium est agens & patiens, ita B in percussione percutiente opus est & percusso. Neque si vnicum sit corpus, etiamsi suapte natura sonorum sonúmque potestate continens, actu fiet vnquam sonus: quia in vno solo percussio esse non potest. Sed tunc primùm, cùm fuerint duo; quorum alterũ verberet, alterũ verberetur. Quare sicut agẽs ad aliqud agit, hoc est ad patiens, circa quod tanquã subiectum agit: ita sonãs ad aliquid sonat, hoc est ad corpus sonabile, in quo eius percussio suscipiatur. Sonans est corpus percutiens, quod agentis vim habet: sonabile autem percussum, quod est tanquam patiens percutientis percussionem suscipiens.

C Rursum quoniam percussio nont fit sine locali motu, immò localis quidam motus est (tunc enim fit percussio, quando percutiens ad percussum accedit; eáque distare oportet, alioqui percussio non fieret. Et vt manu percutiamus corpus, quod tangimus; attollimus priùs & amouemus manum, vt percutere possimus. Propterea omnis percussio præter hæc duo corpora indiget tertio, quod inter illa interiectum sit. Nam præterquàm quòd non datur vacuum, si inter illa nullum esset corpus, vt localis motus non fieret, ita neque percussio, neque sonus. Porrò si localis motus non fit, nisi per medium peruium, quod facilè cedat & diuidatur: non D item per corpus durum & solidum: neque vt fiat sonus id, quod inter percutiens & percussum intercedet, durum & solidum esse debebit, sed quod diuidi, friari, atque in minimas partes frangi queat. Tunc enim demum eo inter duo corpora celeri percussione anticipato & antequàm diuidi & elabi possit, vehementer fracto & friato, excitabitur sonus. Huiusmodi aër est, qui & ad omnem motum promptissimus est, & leui negotio frangitur atque in minutissimas partes dissoluitur.

Cur item opus sit medio, rationem aliam legimus apud Simplicium. Ea est; quoniam aliquid esse oportet, quod deuehat sonum: alioqui statim à sonantibus corporibus genitus euanesceret, nec E exaudiri posset. Hoc, quod dicitur, verum quidem est; sed nequaquam illius causa est, quod nunc quæritur. Non enim quæritur medium, quo deportetur aut audiatur sonus, sed quo primùm gignatur. Deportandi potest & aqua esse medium, siquidem in aqua vrinantes & pisces sonum persentiunt. At gignendi nequaquam: quoniam non quauis percussione fit, sed vehementi & celeri; qua medium anticipetur & cum impetu vique frangatur, dum confertim eliditur. Quod in aqua propter nimiam partium crassitudinem fieri nequit. Concurrentium enim corporum retardat motum, & sensim ipsa dilabitur antequam frangi possit. Deinde aër facillimè mobilis est statimq. à sonantib. corporib. protrusus aërem proximum cum impetu pellit, frãgit & sonat.

In aqua non fit sonus.

TEXTVS.

Γίνεται δὲ ὁ καθ' ὑπόστασιν ψόφος, ὅταν πως πρὸς ἄλληλα πληγὴ γένηται καὶ πάσχοντος καὶ ποιοῦντος· διὸ οὐ πᾶν σῶμα ψοφεῖ· οἷον ἐπὶ μὲν τοῦ ἀέρος ἐνδέχεται γίνεσθαι ψόφον· ἐπὶ δὲ τοῦ ὕδατος οὐκέτι· τὸ γὰρ πάσχον ἐν τούτοις ἀεὶ διίσταται, καὶ οὐ γίνεται πληγή· ἐν οὐ γίνεται δὲ οὐ γίνεται ψόφος.

Fit autem qui est actu sonus semper alicuius, ad aliquid & in aliquo. Percussio enim est, quæ facit. Quare & impossibile, si sit vnum, fieri sonum. Aliud enim quod verberat, & quod verberatur. Itaque sonans ad aliquid sonat. Percussio autem non fit sine latione.

COMMENTARIVS CII.

AD naturam soni declarandam non fuit satis dicere, quædam esse corpora sonora, alia non sonora: sonoràq. ea esse, quæ solida sunt & læuia.

Aqua vt est grauis, ita iners & tarda ad motum, multáque opus est vi, vt protrudatur & protrudat: parsque vna mota in aliam incurrens, quę non facilè cedit, retardatur, neque confringitur. Hæc igitur sunt principia soni, duo corpora sonantia, si concurrant, seseque percutiant, & medium inter illa interceptum.

DIGRESSIO XLIII.

De soni productione, & multiplicatione.

Cur de solius soni productione egerit.

PRopterea verò Philosophus soni potissimùm productionem ac producentes causas hoc loco declarauit, nõ item aliorum sensilium: non inquam colorum, odorum, saporum, tactiliúmve qualitatũ; sed solius soni: quoniam reliqua naturam habent absolutam atque in aliquo subiecto fixam & permanentem; quam seorsim in lib. de sensu & sensili tractare maluit, atque hoc loco per comparationem duntaxat ad sensum illa considerare, quatenus aspectabilia sunt, odorabilia, & omnino sensilia. Nam hoc satis erat ad sensuum naturam declarandã, quæ ex obiecto formaliter considerato pendet. At sonus non habet aliud esse, quàm in medio, quandiu producitur, & actu corpora sonant. Quod quidem ad præsentem sensus auditus cõsiderationem pertinet. Tamdiu enim est sonus, quamdiu auditur; ideóq. audiri desinit, quia esse desinit. Propterea cum auditus tractatione soni quoque productionis & naturæ consideratio copulanda fuit. Sanè tintinabulum à Græcis κρουόμενον ὑπὸ τοῦ κτυποῦντος, ἠχεῖ ἄδηλον fortasse dictum fuisse scribit Philoponus, quòd dum mouetur canat, cessantéque motu sonare desinat.

De virga & flagello sonãte.

Cæterùm contra hæc, quæ de soni productione dicta sunt, opportuna est dubitatio eiusdem Philoponi. Etenim si solavirga aut flagello percutias aërẽ, sonus nimirum excitatur: nec tamen adsunt tria corpora, sed duo sola, quorum vnum duntaxat solidum est. Verùm tum ipse, tum Simplicius & Themistius verè respondent, eorum alterum duorum vicem supplere. Nam vel aër tum percussi corporis locum habet, tum medij: quia posterior illius pars, dum congeminatur & conglobatur à proximo aëre motu, instar densi & solidi corporis percussi resistit. Vel virga aut flagellum, dum inflectitur, vim habet & percutientis & percussi, atque inter illa est aër medius. Quòd si duro ligno alióve corpore, quod non inflectatur, aërem verberaueris, aut non sonabit, aut exiliter admodum. Flabellũ quoq. ad solida corpora adiacentia aërem allidens sonum facit.

Vnum addit Philoponus, de quo meritò dubitari potest: aërẽ videlicet trium interdũ locum habere. Nam cùm vehementer expiramus, aër emissus ex ore est percutiẽs; qui verò proximus est, vim habet medij; ac demum is, qui ab hoc impulso impellitur, percussum corpus est. Verius enim dixeris, tum in hoc, tum in formanda voce, pulmones impellere aërem asperámq. arteriã, dentes, & labia, esse corpus percussum atq; ita magis appareat sonantiũ corporum conditio illa, qua dicuntur debere esse solida.

Vt sonãs, sonabile, & medium omnino sint.

Igitur tria illa, quæ Philosophus memorat, non in omnibus sonis eodem reperiuntur modo: sed in permultis distincta re, vt in sono campanæ, in qua est corpus sonans seu percutiens, quod in media campana pendet; & est ipsa campana, corpus sonabile seu percussum, ac denique medium, aër. In aliis ratione solùm separantur, vt in sono, qui fit aëre exfollibus expresso, vento per angustum foramen ingrediente, sibilo, & aliis similibus, quæ propter allisionem & fractionem aeris vehementem in angusto aliquo loco faciunt sonum. In sono item, qui fit fractione panni vel chartæ: siue quòd aër in meatibus contentus veloci ac vehementi motu per vim elidatur, siue quòd ad eum locum, in quo erat pannus aut charta, si citò scindantur, citò confluit vndique aër, ne detur vacuum: & ideò aeris partes sibi obuiæ cum impetu alliduntur, franguntur, & sonãt. In his enim omnib. videtur solus aër facere sonum. Interdum etiam aër cum vno tantùm corpore solido, vt virga flagellâve commemoratis, & si dilatetur aut constringatur corrigia, si ignitum ferrum immittatur in aquam. Partes enim aereæ calore summo impetu nituntur egredi, & ideò fit sonus. Si magnus vẽtus ad parietem allidatur, si sal, castanea, vel aliud flatuosum corpus proijciatur in ignem.

Nam flatus calore rarefactus quærit exitum, cuiusmodi confringit exteriores illius partes, quæ ad proximum aerem allisæ faciunt sonum. Quam ob causam cultello castaneas sciudimus antequàm proijciamus in iguem, vt flatus habeat exitum. In his omnibus etsi reipsa non nisi vna aut altera natura concurrat, hæ tamen sunt instar trium. Nam si virga percutias aerem, aut flabello, iam dictum est quomodo in his res habeat. In vento quoque & huiusmodi aliis ventus aut pars aeris prior est percutiẽs; paries seu pars aeris posterior est percussum, aër interceptus & allisus est medium.

Ergò sonus gignitur quidem motu, sed non quouis, verùm percussione. Neque percussione quacumque, sed ea, qua medium intercipiatur prius & opprimatur, quàm natura sua diuidi possit & elabi. Medium quippe inter percutientia corpora diuersis modis se habere potest. Primùm ita, vt diuidatur quemadmodum est aptum diuidi; atque ita nullus est sonus.

Deinde, vt non diuidatur, sed opprimatur, antequam diuidi possit. Sic enim magno impetu frangitur & colliditur, & facit sonum. Quare si esset vacuum, posset absque sono fieri in eo duorum corporum percussio, propter defectum medij fracti & collisi. Sed hoc non est intelligendum solùm de percussione propriissimè sũpta, nisi fortasse de perfectissimo sono lõquaris. Sed ampliori quadam acceptione de quouis motu, in quo ita opprimatur aër, vt frãgi & collidi cogatur, antequã diuidi queat.

Vt igitur omnes ferè modos, quibus sonus excitari possit, complectar paucis: primùm fieri potest vera & propria duorum corporum percussione, inter quæ intercipiatur aër, qui percussionis vi ita opprimatur, vt frangatur. Deinde percussionis voce quemcumq. motum intelligẽdo, quo aër oppressus frãgatur, efficitur sonus aeris extrusione ex angusto aliquo loco, in quo item confringi cogatur; vt in follibus, & vento per paruum foramen flante. Aeris enim partes eò certatim confluentes sese vicissim colliduntur & frangunt. Huc etiam spectat sonus, qui fit contritione partium aeris locum aliquem ingredientium, vt dum rumpitur pannus aut charta. Tum verò etiam allisione; vt cùm duo venti sibi vicissim occurrunt, aut ventus ad parietem allidit. Et vox allisione aeris ad laringẽ & dentes formatur. Postremo sola fit inundatione; vt cùm vẽtus magno perflat in aere, & naturalem illius motum anticipat.

Itaq; ne

Itaque soni adæquata causa non est percussio corporum propriè dicta; sed collisio potiùs, & propulsio vehementior; qua naturalis motus corporis anticipetur, antequam cedere possit. Aristoteles autem percussione fieri pronuntiauit, aut præcipuam & notissimam soni productionem explicans, aut percussionis voce amplioriacceptione vtens. Atque hæc de productione soni dicta sint.

productio soni quatenus.

Quam naturalem esse constat, quidquid Albertus dicat in summa de homine. Tum quia fit per instrumenta naturalia; & est qualitas naturalis, licet modus ab arte proficisci possit, vt patet in campana & instrumentis musicis. Tum quia educitur ex potestate aeris fracti, seu trementis ac penè fracti corporis. Tum verò quia corpus, ex quo educitur, habet à natura eiusmodi formam & dispositionem, vt friari possit seu penè friari, & ita facere sonum.

ALTERA DIGRESSIONIS PARS.

De soni multiplicatione.

AT quònam modo excitatus sonus ad auditum vsque perducatur? Non dicam & re & intentione multiplicari. Quoniam horum alterum esset superfluum. Et cùm sonus intentionalis spiritalior sit, quàm realis, multò ille magis & celerius multiplicaretur, quàm realis. Quare esset sonus in aliqua parte medij intentione multiplicatus & non reipsa.

Sonum reipsa multiplicari.

Neque etiam, realem sonum in prima solùm aeris fractione fieri, indè verò vsque ad auditum intentione multiplicari. Scio enim scriptum esse in lib. de sensu & sensili cap. 7. sonum per medium cum tempore & locali motu medij ad auditũ perduci; priúsque tempore partem vnam medij moueri, quàm alteram. Loquendo etiam transfigurari dictionem, quia delatus aer transfiguratur. Etenim longiore aeris motu figurationem amittit vox. Et rursum, primum mouens, vt tintinnabulum, idem numero ab omnibus sentiri, proprium autem non idem numero, sed specie. Quæ omnia non de intentionali, sed de reali multiplicatione verè dicuntur. Ratio quoque eorum quæ experimur, reddi non posset. quemadmodum cur vehemens sonus lædat auditum, & aliorum eiusmodi, quæ mox commemorabuntur. Aqua iniecto calculo, vel alio quouis modo commota, facilè vel ad magnam distantiam agitatur, aer faciliùs multò commouetur, eiúsque commotio vehemens & fractio reipsa sonat. Non solùm igitur in prima fractione, sed deinceps quoq. ad multam distantiam reipsa producetur. Quod & Alexander habet in lib. de sensu & sensili comm. 61. & 63. Auerroes, Albertus, alijque complures. Sicut enim in aqua iniecto calculo vnus circulus facit alium, & ille alium, quousque vis impellendi prorsus pereat, sic prima aeris fractione facta aeris fractus frangit alium in orbem, & hic alium, quousq. vis frangendi cesset. Propterea Aristoteles in libello proximè notato auditum ab aspectu separauit, quod in altero priùs moueatur medium, quàm organum, in altero simul vtrumque. Ille enim localiter fit motu, qui requirit tempus: hic alteratione, quæ momento perfici potest. Et in hoc secundo lib. de anima textu 80. Echo fieri dicetur repercussione aeris ad aliquod solidum, sicut repercutitur pila & lumen. Et text. 82. sonatiuum, inquiet, est, quod motiuum est aeris continuate vsque ad auditum. Etenim aerem constat esse facillimè mobilem in omnem partem, maximéque friabilem, & ideò aptissimum ad multiplicandum sonum. Sed & eodem modo videtur propagari debere sonus, quo gignitur. Gignitur autem locali motu & fractione aeris. Ideo citiùs & perfectiùs auditur ab iis, qui propinquiores sunt, quàm ab iis, qui magis distant. Species intentionalis momento & æquè per totum medium funditur, ac proinde aspectabile obiectum æquè & simul ab omnibus cernitur.

Simplicij opinio.

Hactenus Simplicius quoque consentit in com. text. 80. & Auicenna vbi de auditu loquitur. Sed Simplicius totum aërem putauit tunc concuti & moueri, cùm aliqua eius pars percussa mouetur. Nam ea est continui natura, vt vnius partis percussione compatiatur totum. Quod aduersatur, tum Aristoteli, qui successiuè ait sonum deferri, priùs per vnam aëris partem, quàm per aliam. Tum experientiæ: quia non simul & æquè auditur sonus ex loco remoto & ex propinquo. Tum rationi: quia is localis motus fractionis aëris non potest simul in toto fieri. Neque enim solo motu locali, sed fractione fit sonus, totúsq. aër simul confringi nequit. Et si quia est continuus, totus simul moueretur, vniuersum aëris elementum simul sonare oporteret.

Auicenæ opinio.

Auicennæ autem illud fuit proprium, quòd eandem aëris partem à percutientibus corporibus fractam existimauit impetu tradi, ac per totum medium ad auditum vsque penetrare, velut sagittam ad scopum. At neque est à quo is aër propelli tanta vi ad tantam distantiam possit: neque id cum experientia constat, qua sonus auditur in orbem. Si enim recta feratur, vt sagitta, quomodo exaudietur in orbem?

Tertia Latis erũ operatio.

Ergò S. Thomas, Ægidius, ex pleriq. alij, ita de sono philosophati sunt, vt primum sonum aëris fractione factum reipsa dixerint ad certum vsque spatiũ multiplicari, ad quod aëris motus peruenire potest; inde verò ad auditum vsque intentione sola. Nonnulli etiam primam solam aëris fractionem sine alio aëris motu multiplicare sonum putant re ipsa vsque ad certum spatium, indéq. intentionem illius vlteriùs progredi.

Confutatio.

Hoc mihi nunq. persuadebunt illi. Primùm enim aduersatur iis, quæ ex Aristotele commemorata sunt. Deinde intentionis illa multiplicatio non minùs, quàm intentionis coloris productio momentanea esset: at sonum constat multiplicari semper cum tempore, quia citiùs semper à propinquiore, quàm à magis distante auditur. Ventus autem magnopere impedit aut iuuat multiplicationem soni: intentionalium specierum multiplicationem nec impedit nec iuuat, vt in aspectu manifestum est. Fieret etiam necessariò, vt is, qui procul distaret & ad quem sola intentio speciei peruenire, non primum realẽ perciperet sonum, sed vltimum, ex quo intentionalis species producta est: siquidem species id repræsentat: à quo producitur. At verè audimus campanæ aut alterius sonantis corporis sonum. Existimare autem à campana immediatè simul realẽ & intentionalem sonum diffundi, perabsurdum est. Accedunt problemata plurima, immò ferè omnia, sectionis 11. quæ intentionalibus speciebus explicari non possunt. Atque illis hæc addantur. Cur super hasta vel longissima, aut per harundinem perforatam, sonus

vel exiguus ad aures distinctè deferatur. Cur in orchestra sparsæ palæ actorum vocem obtundant. Cur aula peristromatis ornata obtundat item vocẽ. Cur in dealbata nuper domo vel vacuis vasis plena, magna fiat vocis reflexio, sonoráque audiatur vox. Cur in vacuo hominib. templo minùs audiatur vox, quàm in pleno. Cura articulata vox quò è remotiori loco auditur, eò magis amittat consonãtium sonum & articulationem. Cur è longinquo vox tenuior semper sentiatur, & imitantis aliquem è longinquo clamantem, subtilem formamus vocem. Hæc enim & similia explicari prorsus sine reali soni multiplicatione nequeunt.

Sonum non sẽper ad aures vsque pernenire

Addam postremò nullas in natura species hasce intentionales subsistere: tantoperéque ab hac existimatione abhorreo, vt crederem potiùs non esse opus in medio multiplicatione vlla, sed eam solam ob causam percipi sonum, quòd sit in congruenti distantia & proportionem cum audiendi facultate; quemadmodũ antea de aspectu dictum est. Nequis tamen ita sententiam meam accipiat, ac si sonum vellem in primis duntaxat fracti aëris partibus esse. Existimo enim cum Aristotele & Peripateticis aërẽ tàm esse facilè mobilem, vt vel semel fractus possit iterum atque iterum frangi ac nouum sonum gignere: vel si non frangatur, per orbes tamen illos, quos in aqua quoque cernimus, possit ad magnam interdum distantiam sonum primò factum deferre. Hanc tamen realem aëris commotionem licet ad aures eorum perueniat, qui propinquiores sunt, non peruenire ad eos omnes, qui sonum illum exaudiunt, hæc satis testantur. Sub aqua quoque auditur sonus ab vrinatoribus & piscibus, nec tamen realis vllus aëris motus eò perducitur. Duo ex aduerso clamantes non possent sese vicissim audire, si realis aëris motus vsq; ad aures necessarius esset: siquidem aër duos illos contrarios motus sustinere vox potest. Idem de duabus campanis aut quibusvis duobus corporib. in diuersis locis sonantibus dicas. Vtrumque enim auditur sonus alterius corporis. Ventus vehemens impediret omnino ac prohiberet auditionem soni: & flabelli motus, quo æstate excitatur ventus, atque à facie amouetur aër, deberet omnem sonum repellere. Præterea credi non potest, Ex leui aëris motione tantam fieri ad longissimum nonnumquam spatium agitationem, sicut bombarda ad multa interdum milliaria auditur, & sonus campanæ vel leuiter stylo aliquo ferreo: percussæ ad longum spatium auditur. Accedit, quòd citra muros & in cubiculis clausis audimus sonos, quibus non potest vllo modo communicari motus ille & agitatio externi aëris. Lapilli æreo vase inclusi edunt sonum, quem nos audimus; nec tamen apparet, quomodo agitatio inclusi aëris possit aures nostras ferire. Et in text. 83. auditur in aqua, nec aqua ingreditur aurem propter anfractus. Et Philoponus in text. 83. & 84. exteriorem sonum transmitti ait ad organum per interiorem aërem, nec tamen eum moueri.

quomodo auditur sonus.

Ex his igitur & similibus videtur confici, necessariam non esse realem aëris motionem vsque ad aures illorum omnium, qui percipiunt sonum; sed à permultis quidem cum reali hac motione percipi, ab aliis sine illa. At quomodo, duobus modis id fieri potest. Altero, vt ad eam duntaxat distantiam multiplicetur sonus, ad quam fit motus aëris: inde verò non ampliùs; sed ab auditiua ipsa facultate in congruenti distantia ac dispositione medij ex propria ipsius virtute percipiatur: sicut de aspectu & coloris perceptione antea dictum est. Quomodo explicantur facillimè, experientiæ omnes; maximè illa, cur citra murum & in clauso quoque loco audiamus.

Altero, vt sonus non solùm per realem aeris motum, sed etiam sine illo reipsa multiplicetur per maximam distantiam, ex priore illo motu, quo fuit productus. Quæ fuit etiam Plotino sententia in lib. de dubiis animæ cap. 5. & Simplicio loco ante notato, & Philopono in digress. ad text. 69. Ipse, inquit, aër percussus & sonum edens auditu non apprepinquat; sed per quandam suam sonorum transuectricem facultatem sonos traijcit, sicut & operationes colorum. Nam cùm simus in aqua, eos, qui in aere sonitus fiunt, sentimus, non ipso vique manante aere per aquam transeunte; sed quòd in aqua est quod transuehit renuntiatiuam sonorum facultatem. Et comment. in text. 80. sonum in aere non minùs, quàm lumen, reflecti asserit, atque ad aures peruenire, ad quas percussus aër non peruenit. Hac ratione dici potest, nullum sonum in aqua gigni; sed sonum in aere productum in aqua quoque multiplicari multóq. faciliùs in consequente aere. Tota verò hæc productio seu multiplicatio soni ex reali pendet aeris motu. Ex vehementi enim illius fractione ac concussione fit, vt genitus sonus per alias proximas partes eodem modo spargatur, quo lumen: & quò maior est fractio, eò longiùs spargitur atque ex maiori distantia sentitur. Fitque tota hæc multiplicatio cum tempore; non solùm quia pendet ex locali motu producente ac multiplicante: sed etiam quia sonus ipse materialior est qualitas; quæ non momento vt lumen, sed cum tempore diffundi debet. Corrupto autem eo sono, qui ex reali aeris concussione fuerat factus, consistere nequit is, qui ex eo erat multiplicatus: quoniam ab illo intrinsecè pendet, vt lumen à corpore lucido: non tamen tàm citò perit vt lumen, quòd magis materialis qualitas est. Sonus is, qui ab omnibus auditur, eiusdem naturæ atque speciei est. Etsi enim diuersæ soni partes ad diuersas diuersorum aures perueniant; omnes tamen eundem sonum audire dicuntur, quia idem est primum sonans, à quo hi omnes soni profecti sunt. Atque hinc est, quòd distantiam quoque & situm primi sonantis percipiamus: Quoniam sonus ille, qui immediatè percipitur, ab eo pendet & in illius quoque cognitionem ducit.

Denique ex his omnibus exponi possunt experientiæ omnes, quæ proponebantur. In quibus ea maximè vrgebat, quòd citra murum & in loco clauso audimus sonum. Sed non minùs eos vrget, qui multiplicationem intentionalem ponunt. Nos autem respondebimus, per aliqua foramina, quæ semper supersunt, sonum illum penetrare. Hanc enim Philosophus in problem. 49. & 61. sect. 11. voluit esse causam, cur per huiusmodi corpora solida audiamus, non item cernamus. Nam non solùm in rectum, vt lumen; sed quoquò versus per tenuissimos meatus quantumuis sinuosos penetrat sonus. Quod si nullus sit meatus, nihil auditur.

Ex his tamen duobus modis, quibus auditionem fieri posse dixi; priorem ego maximè probarem; quamuis posterior Peripateticis fortasse magis sit consentaneus.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ὡσπερ δὲ εἰπόμεν, οὐ πᾶν πεπονθὸς πληγὴν ὁ ψόφος· οὐ γὰρ ἐνδέχεται ἢ πεπληγυῖα ἢ πληγεῖσα μὴ χαλκὸς ᾖ ὅσα λεῖα ᾖ κοῖλα· ὧν ἕνεκα καὶ ὁ μὲν χαλκὸς, ὅτι λεῖος· τὸ δὲ κοῖλα, τῇ ἀνακλάσει πολλαὶ παρὰ πληγὰς μὴ γίνωνται, ἀδυνατοῦντος ἐξιέναι τοῦ κινοῦντος.

Sicut autem diximus, non quorumlibet percussio sonus. Nullum enim faciunt sonum lana percussa, aut percutientes, sed æs & quæcumque læuia & concaua. Æs quidem, quoniã læue, concaua autem reflexione faciunt percussiones multas post primam, quòd non possit exire quod motum est.

COMMENTARIVS CIII.

CVM tria dixisset ad efficiendum sonum esse necessaria, duo corpora sonantia (Sic enim corpus percutiens & percussum communi nomine appellamus; quoniam in ipsis vere est actio & effectio soni; medium autem patitur duntaxat, non agit, dum à duobus illis corporibus frangitur & susçipit sonum. Quam ob causam Philoponus aerem dixit esse materialem causam soni, quoniam in eo subsistit tanquam illius forma, effectricésque causas esse duo illa corpora) Et tertium, quod interea fit medium: de singulis aliquid dicere aggreditur.

Duo sonora corpora quæ.

Neque enim quælibet corpora ad sonandum apta sunt, vt antea dictum est, vbi sonora corpora à non sonoris distincta sunt: neque cùm sonus percussione fiat, quorumlibet corporum percussio sonum edit. Nam si lanam, bombicem, plumam, spongiam, percusseris, nullum facies sonum. Sed duas illas conditiones antea potitas adesse oportet, vt sint corpora solida, & læuia seu plana. Soliditatem tamen aut nunc prætermittit breuitati studens; præsertim ex superiori explicatione hæc adferens: aut significat, dum lanam mollem excludit, æriśque solidi exemplum propomit.

Porrò dum addit concaua, facilè in Simplicij sententiam discendo, vt credam, non absolutè nunc tradi sonantium corporum conditiones (quid enim erat opus, si antea fuerant explicatæ?) sed eorum, quæ benè & magnopere sonent, hoc est diuturniorem & valdè sensilem edant sonum. Immò verò tribus hisce conditionibus, soliditate, læuitate, & cauitate, tria significari facilè credo. Nam quia corpora quoque aspera & inæqualia sonant, licet vehementiùs læuia & æquabilia, soliditas ad sonum absolutè gignendum pertinere videtur, læuitas ad soni vehementiam; cauitas ad diuturnitatem & protensionem. Et ideò etiam fortasse nunc non nominat soliditatem, sed læuitatem solam & cauitatem: quòd non tàm sonantia, quàm benè sonantia corpora consideret. Benè sonare autem censentur, si vehementem & diuturniorem sonum faciant.

Propterea æs & metalla commemorat, quæ propter multum permistum aerem vehementiùs sonant, quàm ligna aut alia corpora: & ea quoq. addit, quæ concaua sunt. Quoniam hæc dum diutius retinent aerem, qui non facilè exire ac dissipari potest, eúmque sæpiùs allidunt ad latera & frequenter percutiunt, reciprocant, & vt ex interprete Themistius loquitur, congeminant plagas; diutiùs sonant, quàm ea corpora, quæ plana sunt in latitudinem diffusa. quia hæc multum quidem aerem vna percussione intercipiunt & frangunt, is tamen nullo intuento impedimento spargitur statim & dissipatur.

TEXTVS.

Ἔτι ἀκούεται ἐν ἀέρι καὶ ὕδατι, ἧττον μέντοι· ἔστι δ' ὁ ψόφος κύριος ὁ ἀήρ, οὐδὲ τὸ ὕδωρ· διὰ δὲ τὸ στερεὸν πληγὴν μᾶλλον ποιεῖσθαι πρὸς ἡμᾶς. καὶ ποτὲ μὲν ἀέρα· ποτὲ δ' ὕδατι, ὅταν ἐκτυπῇ πληγεὶς ὁ ἀήρ· καὶ μὴ διέχῃ. διὸ ἐὰν ἔχῃς καὶ στρόφοις πληγῇ, ψοφεῖ· διὰ τὸ φθάσαι τὸν κτυποῦντα τὸν ῥαπίζοντος τὴν ὄψιν τὸν ἀέρος, ὥσπερ δὴ εἰ ῥοῦν ἠθροισμένον ψαμμον τύπτοι ἢ φερόμενον ἔχοι.

Amplius auditur in aere & in aqua, sed minùs. Non est autem soni Dominus aer, neque aqua: sed oportet solidorum percussionem fieri adinuicem & ad aerem. Hoc autem fit, cum permanet percussus aer, & non dissipatur. Quare si velociter & vehementer percutiatur, sonat. Oportet enim ferientis motum anticipare fracturam aeris: sicut si aceruum aut cumulum arenæ, dum mouetur, percutiat aliquis velociter. Tex. 79

COMMENTARIVS CIV.

EIusmodi igitur esse oportet sonantia & benè sonantia corpora, vt dictum est. Nunc autem dicere aggreditur de medio, quod inter illa necessarium est, vt actu sonare possint.

Soni medium

Antea quidem solum aerem tanquam medium opportunum nominauerat: iam verò quasi priorem sermonem aut corrigens aut absoluens, aquam quoque addit. Etenim & in aqua auditur sonus; sed minùs, quàm in aere. Atque hanc ob causam solus aer antea nominatus fuerat tanquam præcipuum & optimum audiendi medium. Minùs porrò audimus in aqua, hoc est obtusiùs, imperfectiùs, & minùs distinctè. Hebetescit enim sonus & obrauescit, inquit Themistius; propter corporis scilicet crassitudinem. Aut tardiùs & minùs remotè: quia propter eandem causam non potest sonus tàm citò & tàm procul peream spargi. Aut demum minùs sentimus aqua: quoniam aer duobus modis est soni medium, tum gignendi, tum multiplicandi & deportandi: Aqua delatricem solùm habet facultatem, genitricem non habet, propter rationes superiùs explicatas. Quocirca per aerem, ait Philoponus, & in aere auditur sonus; non tamen per aquam, sed in aqua. Quoniam per interiectum aere gignitur, & in eo genitus spargitur: per aquam autem non gignitur, sed in ea spargitur is, qui per aerem genitus est. Itaque Aristoteles id soluit accipiens, quod vtrique corpori commune est, audiri dixit & in aere & in aqua.

In aqua minùs auditur.

Dicitur soni non dominus.

At non est propterea existimandum, soni dominum esse aut aërem aut aquam: hoc est aut hæc: sola corpora ad sonum edendum satis esse (sic enim interpretantur Themistius & Auerroës) aut quemadmodum Philopono & Simplicio magis placet, corpora hæc effectrices esse soni causas. Nam inter effectrices potiùs interponunt sese, vt ex illis allisis & confractis fiat sonus; vt aër: & ideo materiæ potiùs vim habet, quàm efficientis. Aut certè vt per ea spargatur & ad auditum iam genitus deportetur sonus; quemadmodum idem ipse aër & aqua. Qua in re sunt velut subiectum & vehiculum: quod ipsum ad materialem, non ad efficientem causam pertinet. Materia verò cum sit potestas, non potest se ad actum ducere; sed agente indiget, quod illum ad actum traducat, propterea non est domina, sed alteri potiùs famulatur ad effectum. efficiens causa est domina effectus, quoniam illius virtute & actione producitur. Ergo hæc corpora expertia soni sunt sua natura, ad illum tamen suscipiendum apta. Efficientes autem causæ sunt solida corpora sese vicissim & ad interceptum aërem percutientia. Hoc enim est, quod addit (sed oportet solidorum percussionem fieri ad inuicem & ad aërem.) Quo loco dum solam nominat soliditatem, non item leuitatem aut cauitatem, confirmat id, quod in superiori commentario adnotaui, soliditatem solam ad efficiendum simpliciter sonum pertinere, reliquas ad vehementiam & productionem soni. Et rursum dum omissa aqua solum dicit aërem, aquam ostendit aptam quidem esse ad deferendum, at non ad gignendum sonum.

Soni causa.

Cæterùm duobus modis vult Simplicius exponi posse illa verba. Aut coniunctim, vt duo semper sint solida corpora aërem intercipientia & percutientia. Aut diuisim, vt interdum quidem & plerumque ita sit, interdum tamen vnum corpus solidum percutiat aërem, qui tum alterius solidi, tum medij locum habeat. Verùm quidquid sit de re ipsa, interpretatio posterior minùs videtur Philosopho consentanea. Quoniam duo corpora solida numero plurium aperte nominat, & aërem præterea inter illa medium.

Motus qualis gignat sonum.

Neque omnis solidorum corporum percussio facit sonum: sed oportet percussionem esse vehementem & celerem, vt aër sua natura dissipabilis, antequàm diuidi & percutienti cedere possit aut exilire, opprimatur, & inter percutientia corpora interceptus protrudatur. Tunc enim aceruatim extrusus per omnes partes colliditur, friatur, & sonat. Nam si sensim & lentè pulsaueris corpus, nõ sonat: quoniam scinditur aër, dissipatur, & vndique dilabitur, antequàm concurrant corpora. At si celeriter & vehementer corpora concutiantur, magnus editur sonus, quòd aëris scissio & dissipatio anteuertitur, isque præuentus colliditur. Omnino oportet motum percussionis præuenire motum naturalem aëris, vt opprimatur antequam exiliat: quemadmodum si velociter fundam circumducas, non cadit lapis funda contentus, & si celeriter vas aqua plenum circumducas, non cadit aqua, quoniam velocitas motus præuenit naturalem motum lapidis aut aquæ. Idcircò peruentientia corpora illa oportebit esse lata. Quippe si acuta sint, diuidunt aërem, non opprimunt, nec faciunt sonum: quemadmodum si acuto gladio aërem ferias, aut si acus acum cuspide petat.

Denique exemplum quoddam adfertur, quod Auerroës interpretatus est continere argumentum à minori ad maius, ad ostendendum vehementi ac celeri motu opus esse. Si quidem vel ea ipsa, quæ sua natura non sunt magnopere sonora, si vehementer ac celeriter percutiantur, sonant, vt arena cumulus. Sed textum habuit truncatum voce illa (dum mouetur.) Græci igitur omnes exponunt exemplum, non argumentationem vllam. Exemplum inquam arenæ aut tritici; quæ si, dum deorsum mouentur, velociter percutiantur, ita vt præueniantur, antequam granorum ordo soluatur, faciunt sonum. Idem enim & in aëre contingit.

TEXTVS.

Ἠχὼ δ' γίνεται, ὅταν ὑπὸ τοῦ ἀέρος ἑνὸς γενομένου ὠθῇ τὸ ἀντηρὸν τὸ διορίζειν καὶ κωλύσαν διωθῆται, πάλιν ὁ ἀὴρ ἀπωθούμενος πράττῃ.

Echo autem fit, quando ab aëre vno facto propter vas, quod terminauit & prohibuit frangi, iterum ab repellitur, quemadmodum pila.

COMMENTARIVS CV.

VNiuersè & generaliter de soni productione dictum est, quæ corpora sint ad sonandum idonea, quale inter ea medium aptum, qualis demum percussio ad excitandum sonum necessaria. Iam affectum quẽdam & accidens soni declarare aggreditur, quod ineest illi, non quatenus sonus est, sed quatenus inter corpora quæpiã reflectitur: obiecto scilicet impedimento solidi corporis, quod ne recti vlteriùs feratur prohibet: nec tamen in illa reflexione adesse videntur corpora percutiens & percussum aërémque collidentia. Affectum hunc seu accidens Echo nominauit, Platonem sequutus in Phædro. Aër, inquit, & Echo à leuibus solidisque repercussa corporibus eodem, vnde venerunt, iterum reflectuntur.

Nihil enim aliud est Echo, quàm reflexus & repercussus sonus. Eámque habet causam, quòd aër, qui à sonantibus corporibus sese vicissim percutientibus fuit commotus & protrusus, impingens in aliquid solidum, durum, & cauum, ad suum principium redit: quemadmodum lusoria pila in parietem proiecta. Cúmque sit sonus reflexus non sit à corpore reflectente, sed à percutiente primo, primoq; percusso, sic enim de pila, cuius nunc exemplum adfert, loquitur in text. 32. lib. 8. Phys. Reflexa, inquit, pila non à pariete mota est, sed à proijciente. Reflexus autem sonus, tum quia propter corporis soliditatem non potest vlteriùs progredi; tum quia propter eiusdem cauitatem continetur, ne dissipetur: immò ibi magis colligitur & vnitur. Quoniam enim corpus est solidum, rectum aëris motum terminat, prohibétque ne vlteriùs progrediatur. Et quoniam est cauum, prohibet, ne frangatur & dissipetur, immò magis colligit & vnit. Sic ego interpretor illa verba (aëre facto vno propter vas.) Non enim ait, vno existente, sed ἑνὸς γενομένου, vno facto, hoc est magis collecto & vnito propter figuram corporis caui, in quod impegit. Vas namque corpus appellat seu locum, in quem aër pulsus est: propter figuram scilicet

scilicet cauum, quia velut vas quoddam efficitur: cuiusmodi antra ferè sunt. Quippe aër, qui à sonantibus corporibus fuit protrusus, dum recta pergit & alium sibi proximum aërem mouet; simili planè motu, quo ipse fuit motus, eum item simili format sono; & ille rursus alium, quousq. in corpus durum & cauum incidat. Quod vacuum quidem non est: sed etsi esset, perinde esset. Nam vltimus aër corpus illud subintrans & ab eo contẽtus, ne dissipetur, atque à duro corpore repulsus reflecteretur, & posteriorem aërem rursus moueret, eodemque sono formaret. Iàm verò quoniam locus ille non est vacuus, sed aëre plenus; hic ab aduenientis aëris impulsu motus & formatus, sed à loci cauitate prohibitus, ne dissipetur, in durum corpus impingens resilit, posteriorem aërem impellit & format, idque subinde, quousq. idẽ sonus auribus nostris reddatur.

Græci quidem aërem, quem Aristoteles memorat vnum factum propter loci cauitatem alium repellere aërem, interpretati sunt aërem loco illo contentum atque aduementem alium repellentem. Quoniam reuera cùm locus non sit vacuus, adueniens aër corpus cauum non attingens abillo immediatè non repellitur, sed ab aëre ibi contento. Verùm quod ad naturam Echo intelligendam attinet, perinde esset, si locus esset vacuus. Subintraret enim adueniens aër, & à solido corpore immediatè repulsus eodem modo redderet sonum, quousque motus aëris validior esset & fortior, quàm illius dissipatio.

DIGRESSIO XLIV.
De Echo.

ERgò dum Aristoteles dixit, tunc fieri Echo, cùm ab aëre vno facto propter vas, quod terminauit & prohibuit frangi, iterum aër repellitur, quemadmodum pila; hanc nobis reliquit definitionem: Echo est aëris repercussio facta ad solida & caua corpora: plana & læuia addit Themistius: ex iis nimirum, quæ antea de sono vniuersè posita sunt; quę Philosopho libuit hoc loco durorum nomine comprehendere. Dicitur autem esse repercussio, non formaliter, sed quemadmodum de soni definitione dictum est: quoniam ex aëris repercussione fit. Formaliter autem est sonus ipse repercussus (resonantiam vertit Latinus interpres in probl. 23. sect. 11. & Auerroës iterationem soni appellauit) aëre scilicet à solido & cauo corpore resiliente. Quibus verbis recentiorum sententia conuincitur, qui speciem intẽtionalium soni reflexione fieri cogitarunt. Etenim non sonum omnino ita per medium spargi, sed cum reali motu & percussione aëris docuit.

Cæterum cùm lusoriæ pilæ in parietem proiectæ, luminisq. in corpus opacum incidentis proponuntur exempla; duo magnopere vitanda sunt. Alterum, ne quemadmodum pila eadem numero, quæ proijcitur, resilit; sic eundem numero aërem à sonantibus protrusum corporibus ad corpus solidum & cauum peruenire & inde ad nos redire credamus; quemadmodum hoc loco Albertus credidit, & ante eum visus est credere Auicenna in sexto naturalium parte 2. cap. 6. Quoniam apertè satis Philosophus dixit, ab vno aëre alium repelli. Deinde cùm & primus sonus & illius repercussio per medium spargantur in orbem atque in orbem audiantur, & quidem ad magnam distantiam, nullo modo fieri nec mente concipi potest, primam illam aëris partem tantopere multiplicari atque in orbem extendi. Accedit, quòd bis aut ter interdum fit Echo: nulloque modo fieri potest, vt eadem aëris pars reflectatur toties. Si quis igitur est aër, qui numero idem eat & redeat, sicut pila, ille solus est, qui vltimò ad solidum corpus peruenit. Idem enim ipse repellitur & proximum pellit.

Alterum, ne ita omninò sonum ad nos redire putemus, sicut reflectitur lumen. Sed hoc interest, inquit Philoponus, quòd sonus simul cum subiecto sibi aëre resilit; lumen autẽ solum & absq. subiecto reflectitur. Quod quidem lumini peculiare est & inter materiales omnes qualitates proprium, quòd prima sit & diuinissima qualitas, quæ à corpore potiùs lucido pendet, quàm ab aëre, in quo susciptur. Quod autem dubitat idem Philoponus, num fortasse, vt sit in lumine, ita & in sono solus sonus sine subiecto aëre reflectatur, probabile videri potest, quòd & hanc soni multiplicationem vt probabilem in superioribus admittimus. Quod & is probabili argumento probat; quòd non rectà solùm, sed à latere quoque & ex obliquo audiatur sonus. Alioqui ea fortasse verior fuerit causa, quòd aër per orbes moueatur, quẽadmodum aqua lapillo iniecto: & ideò in orbem spargat sonum. Sed quamuis sine aëre spargi concederetur, quoniam materialior, quàm lumen, qualitas est, non parùm illius diffusio & auditio impediretur vento; neque tàm subitò spargeretur, quàm lumen: & omnino citiùs à propinquioribus auditur, quàm ab iis, qui longiùs distant. Et quoniam aër maximè mobilis est, & cum reali illius motu ad magnam saltem distantiam progreditur sonus: propterea resilire aërem dixit Philosophus.

Sonum sine aere spargi resilire.

Vt fiat Echo.

Et Alexander, Simplicius, Philoponus, Auerroës, immò & idem ipse Albertus in summa de homine, vnam aëris partem motam mouere aliam & formare vsque ad corpus solidum & cauum constituerunt. Vnde quoniam aër vltimò pulsus adhuc erat aptus vlteriùs aliàm pellere; resilit & alias atque alias aëris partes versus principium suum mouet: quemadmodum, inquit Auerroës, orbes in aqua facti, si impedimentũ inueniant, ad centrum sensim redeunt. Quamquam Simplicius congruenter loquens opinioni, quam de recta soni multiplicatione habuit, pulsa prima aëris parte reliquas item omnes & rectà & reflexè simul moueri velit: propter summum scilicet earum consensum. Verùm Philosophus sonum tradidit cum tẽpore multiplicari: nec ij, qui propè sunt & qui procul, simul audiunt sonum. Neque simul persentiuntur primus sonus & reflexus, sed tempore intercedente, Omninóque necesse est motum rectum priorem esse reflexo, & verò etiam inter illos quietem interponi, vt in 8. Phys. lib. traditur: quoniam contrarij motus sunt, qui nullo modo fieri continuatè possunt.

Cæterùm necessaria est certa quædam distantia soni primùm facti, & corporis, à quo repellitur. Non enim in qualibet distantia fit Echo: quòd nec aëris motus, nec sonus nisi ad certum quoddam spatium multiplicantur: nec tantam semper vim habent, vt ad suum principium redire queant. Plurimùm autem iuuerit corporis siccitas, à quo reflectitur: nam hæc qualitas magnopere acuit sonum, quem obtundit humor & heberat. Adde, quòd humido adhæresci aër, nec liberè resilit. Hanc ob causam fit Echo in cauernosis maximè &

vetustis locis: tum ob cauitatem; tum ob siccitatem. Perfectúmque tunc censebitur, quando statim & distinctè sonum reddiderit; & ita reddiderit, vt magnam syllabarum seriem & sæpiùs repetierit. Celebris olim fuit illa Cheloniæ Cereris porticus, cuius Pausanias in Chorintiacis meminit: cui echo nomen erat, quòd ter eandem verborum formam remitteret. Et Olympiæ altera, quæ quòd septies eandem iteraret vocem, ἑπτάφωνος dicebatur. Vnde Lucretij illud;

Sex etiam ac septem loca vidi reddere voces,
Vnam cum faceres: ita colles collibus ipsis
Verba repulsantes iterabant dicta referre.

Memorat & Dion septem ad Bizantium turres, ad quarum primam si vocem miseris aut lapidem, illa clamorem reddit, tum sequens ac cæteræ deinceps omnes. In Mediolanensi agro haud procul ab vrbe (passibus fortasse quingentis) villa est, quam Honzagam antea, nunc Simonetam vocant. Magnificum in ea palatium est, in quo non septies modò, sed & vigeties distinctè repetitur sonus. Ipsemet non sine admiratione iucunda sæpiùs audiui. Ferunt & propè Aretium in Hetruria admirabilem aliam audiri, quę aliquoties plura & integra verba reddat. Plerumq. tamen fit, vt postremæ duntaxat reddantur syllabæ: quoniam dum aëris motus debilitatur, minùs perfectè potest sequentem aerem formare: & ideò confunduntur & pereunt priores syllabæ.

Celebriores aliquot loco.

Cæterùm grauis hoc loco existimatur difficultas, qui fieri possit, vt articulis & syllabis distinctam reddat vocem; quæ animæ per organa quædam ad id constituta proprium opus est. Et rursum, an vox, quę redditur, eadem numero sit, an specie, cum voce primùm formata. Echo sanè vim habet sonum omnem reddendi: non articulatum modò, sed & dearticulatum; animalium scilicet & aliorum quorumuis sonantium corporum. Quoniam perinde reflectitur aër & sonus: accidentariúmque est, vt echo articulatam vocem, aut sonum quemlibet dearticulatum referat. Neque si articulatam vocem reddat, magnopere mirandum est. Etenim & quidem ad illius primam formationem necessaria cum opportunis instrumentis anima: sicut ad primam quoque soni cuiusuis productionem sonantibus corporibus aëriśq. fractione opus est. Sed vt sonus ita semel productus potest absque noua corporum percussione multiplicari: sic non ab anima semel articulata potest cum eadem forma & modo per aërem fundi & reflecti. Propter dependentiam scilicet ab articulate anima in prima illius productione.

Vt articulatam vocem reddat.

Verùm nimia distantia reflexióq. facit, vt in quibusdam solùm syllabis articulatio conseruetur, pereantque priores & confundantur in medio. Quare qui nimium distant, minùs benè & distinctè percipiunt vocem: & echo truncatas plerumque, non integras, reddit voces. Cuius rei causa est; tum quod aëris motus debilitatur, minúsq. perfectè sequentē aerem mouere ac formare potest. Tum quod solidum corpus, vnde repercutitur aer, minùs interdum cauum est minúsq. siccum: & ideo repulsus aer dissipatur faciliùs, & propter corporis humorem minùs clarum & distinctum reportat sonum. Aut demum vltimus aer impingens in solidum corpus ita illud percutit, vt priores soni aut vocis partes in eo imprimat impressæq. euanescant, quod corpus illud non possit eas aeri reddere; præsertim si minùs benè siccum sit. Imprimūtur & euanescunt priores syllabæ, quoniam vt illæ priores fuerunt à nobis formatæ, sic prioribus aeris propulsi partibus in illud corpus impingunt.

Cur vltima solùm reddatur syllaba.

Iam vero ex his potest intelligi, voces hasce numero solùm, non specie, à prima voce pronunciata differre. Nam si non sit formata ab arteria, arteriáli certè vocis virtute facta est. Nec aliud quidquam est, quàm illius quædam multiplicatio, seu illa ipsa multiplicata.

TEXTVS.

Ἔοικε δὲ αἰεὶ γίνεσθαι μὲν ἠχὼ ἀεί· οὐ φαίνεται δὲ τοῦ φθόγγου, καθάπερ καὶ τοῦ φωτός. ἐκ μὲν γὰρ τοῦ φωτὸς ἀεὶ ἀνακλᾶται, οὐ τοῦ δὲ φθόγγου· ἀλλὰ σκότος ἔξω τε ἡλιωμένου γίγνεται, ὡς καὶ ἀφ' ὕδατος ἢ χαλκοῦ, ἢ καὶ ὅταν ἡ λεία· ὥστε σκιὰ ποιεῖ, ἢ τὸ φῶς οὐ λείπει.

Videtur autem semper fieri echo, sed non manifesta: quia accedit in sono, sicut & in lumine. Etenim lumen semper reflectitur. Non enim fieret vbique lumen, sed tenebræ, extra locum sole illustratum. At non sic reflectitur, vt ab aqua, aut aëre, aut etiam aliquo alio corpore, vt umbram faciat, qua terminetur lumen.

COMMENTARIVS CVI.

NON satis fuit docere causam, propter quam resonet aer & fiat echo. Sed libuit quoque addere, quolibet facto sono resonare aerem fierique semper echo. quod ex iis, quæ dicta sunt, intelligi poterat ita esse: quoniam si propterea fit in aere resonantia, quod aer pulsus in solidum & cauum corpus impingat, & inde resiliat; manifestum esse poterat id semper fieri; quòd vbique adsint huiusmodi corpora, à quibus aër, pulsus resilire cogatur. Quoniam tamen mos illius est ex notioribus minùs nota explicare, id ostendit ex lumine, de quo antea dictū fuerat, & in quo res magis conspicua est. Quæ nem in re confirmare videtur id, quod ex Græcorum interpretum sententia eo loco adnotaui, vbi aspectus tractationem Philosophus aggressus est: cum videlicet sensuum considerationem ab aspectu tanquam notissimo, quoque ad cæterorum explicationem vti posset, auspicatum fuisse.

Ergò eodem modo res habet in sono atque in lumine. Nam vt lumen in opacum corpus incidens reflectitur, ita & sonus, hoc est aër sonans in solidum quidpiam incurrens. Atque vt lumen semper reflectitur, quia passim obuia illi sunt opaca corpora: sic & sonus, cùm vbique adsint solida, quę vitentur illius progressionem impediant. Meminisse autem oportet, eum de vehementi sono loqui, quem intext. 79. ex veloci & vehementi percussione excitari voluit. Namque vt lumen, si tàm debile sit, vt ad corpora opaca non perueniat, sanè non reflectitur: ita neque sonus, si propter imbecillitatem aut nullo modo aut eneruatus planè attingat solida. At si magnum fuerit lumen veheménsq. sonus, vtriusq. semper reflexio fit, tametsi non semper sentiatur. Cuius rei causa est, tum imbecillitas motus & reflexionis, quę ad aures nostras non perueniat, aut minùs benè aerem formare valeat: tum condirio corporis, à quo reflectitur aër, quod aut nō satis cauum est, minúsq. vnitè & confertū repulsus aer facilè dissipatur, aut non magnopere siccum, sed potius humidū, & ideò obtusius minúsq. clarè ac distinctè sonat.

Illud

Illud porrò, quod accepit Philosophus, lumen semper & vbique reflecti; non eo argumento probauit, quo paulò ante vsus sum; quoniam scilicet vbique sunt opaca corpora, à quibus repellatur: sed à posteriori maluit ratiocinando concludere. Nisi enim vbique reflecteretur, non esset vbique lumen sed solùm in loco Soli exposito rectisq. ab eo radiis illustrato. Extra illum autē essent tenebræ, necquidquā cerneretur; vt in cubiculis tectisq. locis. Vbiq. autem est lumen quoniam à loco, qui à Sole illustratur, per totum reliquum aerem in omnem partem reflectitur. Quanquam non semper ita reflectitur, quemadmodum à læuibus splendidisque corporibus, in quibus manifesta omnino reflexio est. Vt interdum etiam locus, ad quem reflectitur lumen, perinde illuminetur, ac si à Sole ipso illustraretur: vt videre est in speculis, aqua, aëre, aut alio corpore terso & polito: à quibus reflexum lumen sustineri oculis non potest; etsi opacum quidpiam opponatur, vmbram quoque facit; ex qua lumen cognoscere & terminare consueuimus. Communi scilicet hominum opinione. Alioqui ita verè terminandum non est, cùm in vmbra quoque lumen reflexum adsit. Verùm ab opacis quoque quibusvis corporibus, vt à terra, parietibus, lignis, reflecti dubitandum non est: etsi apertè non cognoscatur nec proijciat vmbram, quòd remissius sit, quàm oporteret.

Ita verò prorsus in sono quoque accidit. Nam interdum eius reflexio sentitur, quoniam à corporibus cauis, læuibus, & siccis reflectatur: interdum non sentitur, quòd locus, vnde fit reflexio, patens & apertus sit; aut etiam inæqualis & humidus. Itaque & in sono & in lumine eodem modo res habet, sitque semper reflexio, quamuis non semper clara & sensilis.

Parùm verò accommodatè dixit Themistius, eam ob causam quemque audire seipsum loquentem, quia vbique fit vocis repercussio; alioqui non auditurum, si non repercuteretur. Etenim Philosophus dixit non semper repercussionem esse claram & sensilem: cùm tamen is, qui loquitur, seipsum semper audiat, etsi submissa loquatur voce, quæ vix repercuti possit. Et sonus ipse, qui à loquente proficiscitur, per se absque repercussione sensilis est, & vt ab aliis sensitur, sic ab eo, qui loquitur, sentiri potest. Denique dum sentitur echo, tum primus, tum secundus sonus seorsim audiuntur.

Verùs multò adnotauit Simplicius, ἀνάκλασιν, id est reflexionem luminis hoc loco ab Aristotele nominari, non eam solam, quæ in oppositum fit & ad angulos rectos versus suum principium, quæ propriè reflexio appellatur: sed eam item, quę in quamcumque partem est: quam διάκλασιν, hoc est refractionem recentiores nominarunt. Vtroque enim modo multiplicatur lumen, & à loco solè illustrato ad alia dispergitur: atque vt lumen, sic sonus in orbem & progreditur & regreditur. Potiùs tamen nunc, vbi reflexio luminis cum soni repercussione comparatur, qua efficitur echo, intelligenda est prior reflexio recta. Quoniam echo in oppositam & aduersam partem maximè fit, præcipueque ab illis sentitur, qui ex opposito sunt. Deinceps verò quoniam sonus in orbem vbique spargitur, potest & refractio in omnem partem intelligi, quę illi respondeat. Nam & ab aliis auditur, qui sunt ex obliquo, licet minùs. Quanquam eum non reprehenderem, qui solam reflexionem rectam interpretaretur; quoniam hanc verè Philosophus cum soni repercussione comparauit. Quòd si aliam postea quamuis refractionem commemorauit, propterea commemorauit, vt id probaret, quod acceperat, lumen semper reflecti: nec solùm à læuibus fulgidisque corporibus, sed à terra quoque & opacis quibusvis. Id enim ex refractione quoque probauit, qua corpora quæuis illuminantur, etsi rectos Solis radios non suscipiant.

Videbitúrque esse quasi argumentatio à minori. Si enim ad huiusmodi loca, quæ rectum lumen non suscipiunt, lumen adducitur, multò magis in locis ipsis rectum lumen suscipientibus reflexionem rectam concedere oportebit, vt in terra: tametsi eam non videamus, quemadmodum videmus in aqua & læuibus fulgidisque corporibus.

TEXTVS.

Τὸ δὲ κενὸν, ὀρθῶς λέγεται κύριον τῷ ἀκούειν. δοκεῖ γὰρ εἶναι κενὸν ὁ ἀήρ. ἔστι δ' ὅτιν ὁ ποιῶν ἀκούειν, ὅταν κινηθῇ συνεχὴς ᾖ εἰς ἑαυτὸ ἀλλ' ὅταν ᾖ ψαθυρὸς εἶναι, οὐ γεγωνεῖ· ἀλλ' μὴ λεῖον ᾖ τὸ πληγὲν. ποτὲ δὲ εἰς γίνεται ἅμα, ἀλλ' τὸ ὀπίσθιον. ἐν γὰρ τῷ τῷ λείῳ ὀπίσθιον.

Text. 82.

Vacuum autem rectè dicitur audiendi dominus. Videtur enim esse vacuum aër: hic autem est, qui facit audire, cùm motus fuerit continuus & vnus. Sed propterea quòd fragilis est, non sonat, nisi læue fuerit, quod percussum est. Tunc autē vnus fit simul propter planum. Vnum enim est læuis planum.

COMMENTARIVS CVII.

PRobabit quispiam S. Thomæ sententiam, post expositam soni generationem tractari nunc de medio, per quod audimus, déque immutatione, quæ in eo fit à sono. Nec parùm fauebit Themistius, apud quem ex Latino interprete hæc est capitis inscriptio, De intermedio in auditu. Sed si ita esset, non vacuum, sed aërem nominasset Philosophus: neque aliorum sententiam commemorasset, sed explicasset suam. Sic enim interpretati sunt Philoponus, Simplicius, Auerroës, & Albertus, immò & Themistius; Vacuum esse audiendi dominum, aëremque vacuum esse ex aliorum sententia dici. Nam ipse in quarto Physicorum lib. nullum esse in natura vacuum disputatione longa concluſit: fuisséque inter veteres, qui plenum aëre vacuum esse crederent, in textu 52. eiusdem lib. commemorauit.

Igitur cùm antea sonum dixisset ex corporum percussione intercepto aëre fieri, & percutientia quidem corpora effectrices esse illius causas, aërem autem concausam, velut materiam: huius nunc confirmationem ex aliorum testimonio adducit. Seu ex dictis colligit, eos non omnino malè dixisse, qui vacuum audiendi dominum esse pronuntiarunt. Quod eò libentiùs ab eo commemoratum fuisse credo, quòd in textu 74. Empedoclem reprehenderat in vacuo asserentem optimam fore visionem; & ideo vacuum, si esset, videndi dominum fore: vt scilicet vtriusque sententiæ diuersitatem ostenderet. Nam Empedocles de vacuo propriè loquebatur; hi de aëre, quem ideo vacuum appel-

labant, quòd, vt est in text. 40. lib. 4. citati, minimè corporeus est. Itaque illi voce quidem & loquutione peccabant, quoniã verè aër corpus quidpiam est, non vacuum: reipsa autem benè sentiebant, quoniam verè aër, dum percussus excitat sonum & ad auditum defert, audire nos facit, estque audiendi dominus.

Aeruus audiendi dominus.

Idque duobus modis. Tum quia inter corpora interceptus producit sonum, auditus obiectũ proprium, quo facultas hæc tota cõstituitur. Tum quia genitum defert ad auditum, vt actu sentiri possit. Priorem partem accepit Philoponus, vt verò etiam Plotinus in lib. de dubiis animæ cap. 5. etsi is & sine aëre fieri sonum voluerit: argumento sonorum, quiin animalium interiorib. fiunt, parte alia aliam collidente: quales sunt quædam ossium flexiones, attritioneſque mutuæ, & disruptiones quædam & sectiones. Posteriorẽ Simplicius & Themistius. Sed prior tenenda est. Propterea enim Aristoteles aërem subiunxit, quòd fragilis sit & facilè dissipetur diuisusque cedat, non sonare, nisi inter corpora læuia & plana interceptum. Quoniam quæ plana non sunt, diuidunt, plana autem non item, sed inter illa manet vnus aër, sicut est vna plana corporis superficies.

Etsi verò posteriorem quoque interpretationem videri cuipiam possit Philosophus fuisse cõplexus, cùm aërem dixit auditum facere, dum moueretur continuus & vnus; hoc est cùm nullo intercepto vacuo frangitur & sonat vsque ad aures, atque cum interiore aurium aëre coniungitur. Ea tamen non est illorum verborum sententia. Sed hæc potiùs, quam tum ex sequentibus verbis colligimus, tum ex text. 79. Etenim statim hoc ipso in loco quemadmodum aërem continuum & vnum dixerit, interpretatus est: eum inquiens esse, qui non est diuisus & dissipatus (hic enim sonum non faceret) sed antequàm diuidi & dilabi possit, anticipatus fuit atque à corporibus planis compressus: hic est, qui sonat. In text. autem 79. tunc solùm docuit fieri sonum, cùm permanet percussus aër & non dissipatur. Namque ibi permanentẽ aërem & non dissipatum dixit, hic appellat continuum & vnum: hæcque duo loca sese vicissim interpretantur.

Sed quæpiam alia inter hos duos textus apparet discrepantia. Quippe in altero aërem negauit esse soni dominum, in altero autem audiendi dominum esse affirmat. Ergò intelligere oportet, in priore id negatum fuisse, tum quia solus aer sonare non potest, sed corporum percussione opus est: tum quia in excitando sono aer vim efficientis non habet, sed patientis & materiæ: dominariautem ad efficientem causam pertinet, non ad materiam. Quare in tex. quoque. 83. per se insonus aer esse dicetur. Illud ipsum tamen alio quodam modo in posteriori loco affirmatum fuit: nempe elementa omnia considerando; aut omnino corpora, quæ soni subiectum esse possunt. Nam etsi in aqua quoque & sonãtib. corporib. al quis sonus, in aere tamen magis. Siquidem in aqua susci pi potest, at non primùm excitari: in sonantibus corporibus susci pi, sed non multiplicari & ad auditum spargi. Quare aqua nullo modo domina dici debet. Sonantia corpora soni quidem propter efficiendi virtutẽ domini possunt appellari, at non audiendi. Aer tum soni, tum audiendi. Et antea quidem negatum fuit, soni dominum esse propter causam, quam dixi: nunc autem non soni, sed audiendi dominus appellatur. Quare

Aer cur soni non dominus

si propriè & accuratè loquamur, soni dominos dicemus esse sonantia corpora audiendi aerem.

TEXTVS.

Φάφτικὸν μὲν οὖν, τὸ κατπκὸν ἀπὸ ἀέρος σωζομένου μέχρι ἀκοῆς.

Sonorum igitur, quod motiuum vnius aëris conseruatione vsque ad auditum.

COMMENTARIVS CVIII.

POst expositam hactenus soni generationem et corporum sonantium percussione aerisque interceptu, visus est Auerroi Philosophus intimo ita tim huius orationis aggredi explicare quomodo is cum auditu copuletur, vt audiri possit. Sed prima verba nequaquam consentiunt. Verùm illud possit confirmant, quod habet Philoponus, & quoquo modo Simplicius significat; ex superiùs dictis colligi sonori corporis definitionem. Non enim quodlibet percutiens corpus & percussum sonant; siquidem nullum sonum faciunt lanæ, vt antea dictum est sed illud solum, quod aërem vnum & continuum seruatum miniméque dissipatum mouere vsque ad auditum potest; hoc est corpus solidum, læue, & planum.

Porrò vnum aërem seruari oportet, non quòd vna & eadem illius pars, quæ inter percutiens corpora fuit intercepta, vsque ad auditum moueri & protrudi debeat: hoc enim non ita esse manifestum est, tum ex distantia perspicuè maxima, tum ex eo, quòd in orbem auditur sonus ab omnibus, nec potest aëris illa particula in orbem ad omnium aures trudi. Sed vnum aërem necesse est esse continuatione (hoc enim addidit, vt exponeret, quomodo vnum aërem dixisset) quia etsi vt in aqua iecto calculo aquam motam cernimus mouere aliam & illam rursum aliam, diuersosque ac plurimos fieri orbes in fluido illo & facilè mobili corpore: sic enim aëre quoque vna pars à percutientibus corporibus mota moueat aliam & plurimi fiant orbes; eóque plures, quàm in aqua, quò tenuius & magis mobile corpus, quàm aqua, est aër: hoc tamen totum est corpus continuum miniméque diuisum aut interruptum; in quo dum priores partes motæ posteriores alias mouent, eandem illis soni formam impertiunt: vel, vt maulit Simplicius, quoniam aer à solidis corporibus percussus reliquo aeri non interrupto soni actum per continuum tribuit.

Quod autem adiunxit (vsque ad auditum) id circò adiunxit, quia sonum considerabat formaliter vt sensilis & audibilis est. Neque tàm intelligere oportet auditum, qui præsto sit & actu audiat, vt Philoponus credidit: quàm eum, qui adesse & audire posset, vt veriùs intellexit Simplicius. Ita vt siue vltrà, siue citrà auditum actu existentem perueniat sonus, perinde sit, neque minùs dicatur sonus: quoniam si actu non sentiatur aut audiatur, sensilis tamen est & audibilis. Neque ideò credendum est, sonum esse sonum, quòd actu à quopiam

quopiam audiatur, sed sat est, si audiri potest. Sicut & colores & sensuum cæterorum obiecta naturam suam habent, quamuis à nullo sensu actu sentiantur: eorúmque vis & natura in eo duntaxat agnoscitur, vt qualitates suapte natura sensiles sint.

TEXTVS.

Ἀκοὴ δὲ συμφυὴς ἀέρι. διὸ δὴ τὸ ἐν ἀέρι κίνημα τῷ ἔξω, τῷ εὖ πεφυκέναι, διοσαφῶς οὐ πάντα τὰ ζῶα ἀκούει· οὐδὲ πάντη διέρχεται ὁ ἀήρ· οὐ γὰρ πάντη ἔχει ἀέρος τὸ κινητικὸν μέρος ἢ ἐμψυχον, ὥσαφῶς ἡ κόρη τὸ ὑγρόν.

Auditus autem cognatus aeri. Propterea autem quòd in aere est, motu externo internus mouetur. Quare non vndequaque audit animal, neque quocumque transit aër. Non enim vbique habet aerem quæ moueri debet pars animataque est, sicut pupilla humidum.

COMMENTARIVS CIX.

HOc loco si contendat Auerroes doceri quemadmodum cum auditu copuletur sonus, vt audiri possit: aut S. Thomas, quomodo à sono in aëre excitato moueatur audiendi organum: haud sanè magnopere repugnabo. Neque fortasse dissentiet Philoponus, priora inquiens verba fuisse addita, nequis aerem audiens moueri continuatè vsque ad auditum, propterea illum existimaret ad auditoriam vsque membranam moueri oportere. Hæc enim omnia eodem spectant, vt postquam productus in aere inter sonantia corpora est sonus atque ad auditum perductus, quemadmodum ibi persentiatur, tandem intelligamus.

Aër auditui cognatus. Sic igitur res habet. Præter exteriorẽ hunc aerem alius quidam est intra aurem contentus. Nam ideò si digito aurem obturemus, interiorem motum & sonum persentimus: quoniam exteriori compresso & truso interior quoque comprimitur & truditur, membranámque & auris latera impellens, sonum facit. Id quod inditio est sanam esse & benè affectam aurem: alioqui tenuem illum sonum non sentiret. In aure quoque apparet quædam cauitas locúsque corporis cuiuspiam capax; quem certum est vacúum non esse. Propterea auditus dicitur συμφυὴς ἀέρι. Philoponus & Simplicius interpretati sunt, aerem esse ingenitum & auribus à natura inclusum. Sed parùm omnino accommodarè. Tum quia non nunc, sed paulò post hoc exponet, eum inquiens auribus inædificatum esse. Tum quòd non dixit, ἀὴρ δὲ συμφωνὸς ἀκοῇ: sed contra potiùs ἀκοὴ δὲ συμφυὴς ἀέρι: hoc est non, aër est cognatus auditui; sed auditus est cognatus & eiusdem naturæ cum exteriori hoc aëre, propterea quòd aërem in se continet. Qui tamen purus aër non est; sed aëri quidpiam simillimum, hoc est spiritus à cerebro per auditorios neruos trãsmissus, ceu vitalis aër. Quamquam is non idem semper numero & incorruptibilis est; sed alius atq; alius, per partes sæpè mutabilis, vt & reliquus spiritus & vniuersæ corporis partes. Si tamen periret totus periret & cum illo auditus.

Auditus organum. Eum porrò Simplicius propterea cognatum exposuit, quòd animatus sit & viuat. Hocque eam ob causam, quod illum credidit proprium esse audiendi organum: neque enim potest quidquam sentire, quod animatum non sit. Verùm neutrum omnino credendum est. Namque si nec spiritus cerebro contentus, vnde is deriuatur: nec reliquus, qui toto corpore continetur, animatus est: sed ad animatas partes, tum fouendas, tum ad operandum iuuandas, transmittitur: qui possit ille animatus esse? Quòd si animatus non est, neque sentiendi organum erit. Alioqui externa re sentiret animal; neque animalis, sed illius rei actio esset sensio. Adsunt autem membrana & nerui ad membranam auriúmque radices à cerebro extensi, in quibus vita est & sensus. Propterea non multò post dicetur, auditionẽ non fieri, si læsa fuerit membrana. Nam & reliqui sensus operantur per neruos, ijque à cerebro deducunt spiritum. Membranam enim dico non exteriorem illam & cauo foramini proximam, quę spiritum hunc versus flexuosum meatum continet atque ab egressu prohibet: sed interiorem alteram, quæ in penitissima est aurium sede, auditoriis neruis coniuncta. Nam hoc quoque Hippocratis illud confirmat in libro de principiis; Pellicula, inquit, in aure iuxta os durum huius est, velut aranei tela, & omnium pellicularum ficcissima: quod autẽ ficcissimum est, multum resonat, cum & plurimum resonauerit, maximè audimus.

Oculi & auris similitudo. Itaque non magnopere diuerso, quin simili potiùs modo se res habet in oculo & aure, in aspectu & auditu. In oculo præcipuũ videndi organũ est pupilla seu crystallinus humor in aure audiendi membrana illa neruis copulata. Vtraque per neruos, illa opticos, hæc auditorios, spiritum quo operari possit, à cerebro accipit. Pupilla in oculi medio sita est, & ne ab exteriori luce nimium lædatur, anteriorem habet albugineum humorem, qui lucem antea susciꝑiat atque ad pupillam transmittat. Membrana item in intima est aure, & ne ab aëre & sono exteriori vehementiùs protruso nimium pateretur vehementiorique motu offenderetur, præter flexuosum meatum, in quo is motus non parùm debilitatur, alius quidam est aër seu spiritus intra aurem collocatus, qui exterioris incursum & motum exciperet atque ad membranam suauiùs deduceret.

Cur aer auribus insitus. Duas alias Philoponus addit aëris huiusce inclusi causas. Alteram, ne cùm animal in aquam mergitur, aures aqua ingrederetur & mẽbranam læderet. Alteram, vt animal in aqua quoque audire posset. Ego neutram probo. Nam vt in proximo textu docebit Philosophus, flexuosus meatus cæcúmque foramen, quod vix ab aëre penetratur, crassioris corporis ingressum satis prohibuisset. Et nisi ipsum prohibeat, non prohibebit aër; sed validiore subintrante corpore exiliet locúmq. cedet. Deinde non solùm aërem, sed & aquam posse esse audiendi medium, habereq. personantem & transuectricem sonorum facultatem; idem ipse interpres scripsit in comm. ad text. 78. & Aristoteles docuit in text. 79. Illud igitur naturæ consilium fuit in hoc aëre includendo, vt membranam & audiendi organum ab exteriori aere tueretur, sonique motum & incursum primùm exciperet & mitiorẽ factum introduceret.

Iam verò cùm hæc ita se habeant, colligit ex iis rationem, cur auribus duntaxat, non cæteris partib. corporis audiamus sonos, neque omni ex parte penetret aer. Hæc autem est: quoniam pars ea, quæ moueri debet, animata cùm sit, hoc est membrana, non vbique habet aerem, qui exterioris & cognati aeris motum suscipiat. Sicut neque omni ex parte

aspicimus, sed solis oculis. Quoniam in ea sola parte est pupilla cum anteriori humore albugineo, qui exteriorem lucis motum suscipiat & ad eam transmittat. Pulchrè autem ad explicandum auditum vsus est aspectu, cuius antea explicationem fecerat. Hoc enim postulat doctrinæ ratio, vt ex notioribus & antea expositis ignotiorum & consequentium doctrina tradatur. Sed & oculus organum est magis notum & conspicuum, quàm sit auris: faciliúsq. est videre quemadmodum se habeat in oculo pupilla, quàm quomodo in secretissimis aurium partibus membrana. Et rursùm cùm aspectus sit sensuum nobilissimus, & ideò cæterorum omnium mensura; optimum ex eo de cæteris fieri iudicium potest.

TEXTVS.

Αὐτὸ μὲν δὴ ἄψοφον ὁ ἀὴρ, ὅτι τὸ εὔδρυπτον. ὅταν δὲ κωλυθῇ θραυσθῆναι, ἢ πεπονικὸς ψόφος.

Tex. 83. *Per se igitur insonum aer, propterea quòd facile dissipabilis. Cùm verò dissipari prohibetur, huius motus, sonus.*

COMMENTARIVS CX.

NOndum satis intelligitur id, quod explicare aggressus fuerat, quomodo sonus in exteriori aëre factus suscipiatur in aure & audiatur. Hoc igitur potiùs agit hoc loco, quàm id, quod senserunt aliqui: vt scilicet exponat, qualis aër ille sit, qui aure inclusus continetur. Itaq. cùm aërē posuerit auditus esse medium, tum exterius tum interius; ac primùm in exteriori aëre suscipi sonū, deinde ab illo ad interiorem transmitti: quoniā opus est motu & percussione ad faciendum sonum, motúsque in exteriori primùm aëre fit, qui cum interiori copulatur: apposite addit quasi ex his omnibus colligens, exteriorem illum aërē per se & sine sonantib. percutientib. que corporibus consideratum carere omni sono. Tantum abest, vt soni dominus sit, quēadmodum tex. 79. dictum est. Quod si post in tex. 81. affirmatū fuit, eum esse audiēdi dominum, eum id ob causam affirmatum fuit, quia est subiectū suscipiens sonum ab alia efficiente causa genitum; & medium deferens illum ad auditum.

Aërem per se carere sono.

Hoc verò consentit optimè cum eo, quod de aspectu positum est in tex. 71. id, quod colores susceperturum est, sine colore esse debere; & id, quod sonum, sine sono; & omnino quod futurum est sentiendi medium, qualitate illa carere, quæ per ipsum sentiri debet. Aërem igitur, qui audiendi medium futurus est, sonosque omnes susceperus, nullum ex se habere oportet sonum. Et hæc quidem finalis causa.

Sed alteram hoc loco exponit, quæ tum ex natura soni, tum ex efficientibus illius principiis ducitur. Sonus enim ex motu fit & vehementi corporum percussione, quæ interceptum aërem cogunt & antea frangunt, quàm dissipari queat. Is autem per se consideratus facilè in paruas particulas dissipabilis est, réque ipsa dissipatur, nisi ab huiusmodi corporibus contentus celeri percussione opprimatur. Facilè etiam in maiores partes diuiditur & cuiuis corpori cedit. Ideò non per se, sed inter hæc corpora interceptus sonat. Sic igitur ratiocinari videtur. Sonus est motus aeris à mouentibus corporib. prohibiti dissipari: at is per se consideratus facillimè dissipatur: nisi ergò alia adsint corpora, plane non sonabit.

Itaque dum aer per se consideratur, duo illi ad sonandum desunt. Alterum est efficiens soni causa, quę sunt percutientia seu mouētia corpora. Altera dispositio quædam in illo ad suscipiendū sonum necessaria. Vt enim lumen non nisi in perspicuo susciptur, estq; perspicuitas dispositio aeri necessaria ad suscipiendū lumen: ita sonus non susciptur in aere, nisi cogatur & partes eius vniantur. Vtrumq. Philosophus paucis verbis significauit. Vniuersè quidē confusè, cùm aerem dixit per se carere sono: speciatim autem & distinctè dispositionis defectum, cùm eum subiunxit facilè dissipari: & efficientis causæ, tunc solùm sonare asserens, cùm dissipari prohibetur. Quare aer per se, hoc est aut solus & sine sonantibus corporibus; aut quatenus aer est, insonus est: sonat autem, quatenus ab illis mouetur, vnitus, & coactus.

Neque præter rem Philoponus ex hoc loco soni definitionem colligit: sonus est motus continui aeris & qui vnus manſit, per ictum qualitate præditum frangi prohibiti. Ictum autem certa qualitate præditum intelligere oportet ictum velocem & vehementem, vt in tex. 79. positum est. Neque quod sonus dicitur esse motus, accipiendum est formaliter, sed causaliter; hoc est quidpiam ex motu factum; vt ex dictis manifestam est. Sed definitionem soni Aristoteles vsque ad text. 85. distulit.

Nunc quod dicitur (ἄψοφον, carens sono) Simplicius interpretatus est duo significare; & quod sonum non facit, & quod soni susceptiuum non est. Posteriorem partem ego non satis probo: tum quod Aristotelē videam, dum addit tunc solùm sonare aerē, cùm à sonantibus corporibus prohibetur frangi, ac sola prima soni productione loqui. Tum quod innum genitum multiplicari posse credam sine alia consequente aeris motione, vt pluribus iam ostensum est. Ergò carens sono aer dicitur, quoniam nullum ex se habet sonum.

TEXTVS.

Ὁ δὲ ἐν τοῖς ὠσὶν ἐγκατοικοδομητὸς πρὸς τὴν ἀκίνησίαν, ὅπως ἀκριβῶς αἰσθάνηται πάσας τὰς διαφορὰς τῆς κινήσεως.

Hic autem auribus inædificatus est, quò sit immobilis, vt exquisitè sentiat omnes differentias motus.

COMMENTARIVS CXI.

NVnc ab exteriori aere ad interiorem aure contentum transit. Et vt exteriorem illum per se consideratum soni expertem esse dixerat, quia facile dissipabilis est: sic interiorem hunc minimo item sonorum esse affirmat; quoniam immobilis est, nec vllus sine motu sonus esse potest. Porrò hic aer auribus inædificatus, hoc est contentus & ingenitus, & non aduentitius, sed à natura insitus & inclusus est, propter eam, quam superiùs exposui, causam.

Maior difficultas est, quomodo & cur immobilis appelletur. Siquidem non modò antea dictum est exterioriaere moto eum quoque quiintus est; mouueri. Simplicius non penitus immobilem, sed vehementi motu immobilem intelligi volunt. Vehemens enim motus perturbaret iudicium sensus, minúsque

minúsque sinceram actionem faceret: & ideò aure inclusus est, ne à corporibus vicinis percussus sonaret vehementiùs. Nam etsi vehementiùs cuipiam in aurem inclamemus, multo is tempore non audit; commoto scilicet aëre illo, ita vt exteriores sonos non recipiat. Moueri autem dixit interiori & moderato magis motu, quàm ille sit, qui in exteriori & remotiori aëre fit. Themistius quoque & Auerroës non absolutè immobilem interpretati sunt, sed valde quietum, & magis quàm hic exterior sit. Philoponus autem in comment. text. 82. & 84. & idem Themistius in explicatione text. 84. immobilem loco exposuerunt. Quippe numquam mutat locum, vt singulis penè momentis hic exterior: sed in auribus semper & eodem loco conseruatur. Eum tamen quodam modo moueri: tum quatenus sonos excipit ab exteriori aëre, atque ad proprium audiendi organum perfert: tum quòd non idem semper incorruptibilis conseruatur, sed per partes sæpè mutatur, alio atque alio aëre accedente. Hanc interpretationem ego non improbo, immò ex Philosophi verbis colligo, qui inædificatum auribus dixit, vt esset immobilis: & membrana inclusus est, vt adesset perpetuò nec inde vnquam moueretur. Verùm cur inædificatus sit & immobilis, alius potior finis subiungitur. Propterea si attentiùs omnia pensitemus, aliam illum sententiam mente concepisse intelligemus. Primùm enim cùm audiendi medium aërem vtrúmque tum exteriorem, tum interiorem, posuisset; déque exteriori explicasset quomodo is per se consideratus careat sono: idem de interiori debuit affirmare. Eum scilicet quoque per se carere motu & ideò aptissimum esse audiendi medium, quippe carens omni audibili sono. Exteriorem autem aërem propterea docuerat carere sono, quia sonus est motus quispiam; & nisi mouentia accedant corpora, planè is non sonat: non igitur ex se habet sonum, sed aliunde suscipit. Antecedens hæc fuit ratiocinatio. Huic nunc subiungit interiorem item aërem per se consideratum omni sono carere, eandémque prorsus ob causam, quoniam sonus est motus, hoc est non fit nisi per motum: isque aër dum per se consideratur, nullum habet motum, nullum sonum: est igitur ad sonos omnes excipiendos aptissimus. Immò hanc ob causam auribus fuit à natura inclusus est, vt ait Simplicius, solidis ossibus ambitus, vt ab omni motu tutior esset. Itaque quod immobilis appellatur, duobus modis ego interpretor, aut carens sono (sonum enim proximis verbis motum esse dixerat) aut carens motu, ex quo efficitur sonus. Nam perinde erat vtrumque dicere.

Ergò interiorem hunc aërem argumento illo probat carere sono, quòd ex finali causa ducitur. Etenim propterea is auribus fuit inclusus, vt immobilis esset, hoc est careret sono, qui motus quidam est, aut careret motu, ex quo nascitur sonus. Consequentia item verba interpretationem hanc confirmant. Namque hunc aërem ideò probant debuisse esse immobilem, vt omnes differentias motus exquisitè sentire posset. At cuius motus differentias auditu sentimus? Nullius sane: sed solius soni, qui proprium illius obiectum est. Motum igitur appellat sonum, sicut & antea appellauit. Quare & id, quod immobile dictum est, nihil aliud significauit, quàm carens sono, aut motu, ex quo proficiscitur sonus.

Alteram immobilitatis huius causam addidit Philoponus; quoniam si aëris moueretur, id sine sensorij læsione non fieret. Accedit & impossibilitas. Quoniam cùm sonus opus habeat, tum sonantibus corporibus, tum eorum percussione; nec sonantia corpora in tam angusto loco contineri possunt, nec percussio fieri. Sed non hoc agitur nunc, vt explicetur, cur is aër immobilis sit; sed cur omnis soni expers: eáque sola est causa, vt sonum omnem suscipere & ad auditum perferre possit. Etenim vt exteriori hoc aëre sono quopiam perstrepente sonos cæteros non audimus, & si oculus colore quopiam alijque sensus obiecto aliquo fuerint occupati, nec alios audimus sonos, nec obiecta sentimus cætera: ita si interior ille aër sonum vllum haberet, reliquorum auditionem impediret: tantum abest, vt audiendi medium esset.

TEXTVS.

Διὰ τοῦτο δὲ ᾗ ἐν ὕδατι ἀκούομεν, ὅτι καὶ εἰσέρχεται πρὸς αὐτὸν τὸν συμφυῆ ἀέρα. ἀλλ' οὐδ' εἰς τὸ οἰκεῖον διὰ πολλῆς ἴσχυος. ὅταν γὰρ τοῦτο συμβῇ, οὐκ ἀκούει· οὐδ' ἂν ᾖ μεμυζηχὸς κάμῃ, ὥσπερ τὸ ὑπὸ τῇ κόρῃ ὑμένιον, ὅταν κάμῃ.

Propter hoc autem & in aqua audimus: quòd non ingrediatur ad ipsum congenitum aërem. Sed neque ad aurem, propter anfractus: cùm autem hoc acciderit, non audit: neque si membrana laboret, sicut cum quæ super pupillam, pellis laborat.

COMMENTARIVS CXII.

AVerroës, Albertus, & alij non pauci, opinantur, ex iis, quæ dicta sunt, colligi causam, cur sub aqua item audiantur soni. Sanctus Thomas ostendi duo audiendi impedimenta: alterum, si aër ille insitus pereat: alterum in consequentibus verbis, si non sit immobilis. Sed accommodatè magis interpretes Græci superiora confirmari intellexerunt. Auditum enim fieri, non exteriori aëre vsque ad proprium huius sensus organum ingrediente, sed illo appulso & interiorem eum tangente, qui auribus continetur, eóque auribus renuntiante; argumento probat vrinantium. Nam illi audiunt in aqua: non quòd exterior hic aër, in quo fit sonus, ingrediatur in aquam vsque ad audiendi organum; quia potiùs si esset in aqua egrederetur, sursum ascendens. Neq; quòd ingrediatur aqua: non enim ingreditur, sed ne in aurem quidem.

Nam & nimis crassum est corpus, & aurium anfractu flexuoso que meatu prohibetur. Immò si ingrederetur, nihil audirent. Quoniam auditus aëris est. Et aqua, tum nimio frigore aut humore, tum crassitudine membranam auditus læderet, in eáque cauitate subsistens putresceret atque organum planè destrueret. Sanè complures

audiendi actu priuati fuerunt, quibus aut aqua aut humor quispiam ea penetrauit loca.

Flexuosus auriũ meatus cur factus.

Hinc scitè Philoponus & Themistius colligunt causam, cur natura flexuosum illum meatum in aure parauerit. Ne quid in aurem ingrediès interiorem aërem audiendique organum læderet. Certè duas ob causas Aristoteles auditum tolli significat.

Cur auditus pereat.

Alteram, si quid ingrediatur, quod expellat aërem, sine quo auditus non est. Alteram, si membrana laboret aut omnino læsa sit. Cuius rei exemplum ex aspectu sumi potest; quo iam antea vt notiori cepimus vti ad explicandum auditum. Et enim non solùm non videmus, si perspicuum illuminatum auferatur: sed etiam si membrana, quæ pupillæ obtenditur, læsa & vitiata fuerit, aut cicatrice vulnerève affecta, aut panniculo obducta, aut senio demùm corrugata.

Aspectus & auditus comparatio.

Cæterùm pupillam Philoponus aut partes illi subiectas interpretatur, aut ante illam positas, hoc est humores & membranas, aut vueæ potiùs tunicæ foramen. At nescio cur in superiori textu pupillam negauerit appellatam fuisse foramen illud, sed interiorem humorem: nunc autem non humorem, sed foramen interpretetur. Itaque hoc quoque hoc loco eadem acceptione existimandum est pupillam dici humorem crystallinum, præcipuum videndi organum; Anteriorémque pellem corneam membranam significare. Et antea quidem inclusum aërem asserebat in aurem ante audiendi organum, velut albugineum humorem in oculo ante pupillam; Alterum ad colores aut lucem, alterum ad sonos excipiendos interiorique organo renuntiandos. Nunc autem corneæ membranæ in oculo humorem illum continenti persimilem videtur addere in aure membranam aërem continentem; vt verè interpretatur Simplicius, quidquid dicat Themistius. Etsi erret in eo, quòd contentum aërem velit primum esse audiendi organum. Itaque duæ sunt in aure distinguendæ membranæ. Vna exterior, foraminis cœco obtensa innato aëri continendo; velut cornea in oculo. Altera interior, in intima aëris sede, quæ respondeat pupillæ, tanquam auditus organum.

Duæ aurium mẽbranæ

Vrinantium auditus.

Vt igitur vnde digressa est, nostra reuertatur oratio; si in aqua audiunt vrinantes, non propterea quòd aqua ad membranam ingrediatur; sed quòd interiorem habent aërem, qui sonum forinsecùs incurrentem & per aquam aduectum excipit atque ad organum deducit: manifesto est argumento nostras aures interiorem aërem continere: neque nos propterea audire, quòd exterior hic aër ad organum vsque auditus perueniat, sed quòd exteriorem sonum ad interiorem deducat, isque exceptum transmittat ad organum. Verùm si aqua non ingrediatur ad aërem vsque innatum, & tamen in aqua audimus; erit fortasse necessarium dicere, aut sonum audiri interdum etsi vsque ad organum non multiplicetur; aut sine reali corporis motu vlteriùs quoque spargi. Qua de re pluribus antea dictum est

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν σημεῖόν γε ἀκούειν μὲν, τὸ ἠχεῖν αὐτὸ τὸ οὖς ὥσπερ κέρας.

Sed & signum audiendi, aut non, sonare aurem sicuti cornu.

COMMENTARIVS CXIII.

QVæ hoc loco subijciuntur, Themistius & Simplicius ad illius interpretationem retulerunt, quod dictum fuerat, aërem auribus insitum immobilem esse. Si enim is audiendi soni medium est, sonare illum oportet & moueri, quoniam sonus non est sine motu. Et Auerroës, ad probandum in aure hunc aërem contineri, quem ab exteriori distinctum ingenitum illi esse acceperat. At quid opus est tam altè repetere, cùm proxime superiorem orationem continuare possimus: Nam quomodo immobilis aut mobilis sit aër ille, sine dictum est, eum affirmando nullum ex se habere sonum, sed omnes aliunde aduenientes prompè suscipere. Essèque eum in aure, necesse non erat probare, sed tanquam notum accipi poterat: cùm in dissectionibus manifesta ibi cauitas & locus huius corporis conspiciatur. Aut si probandum erat, satis ibi probatum fuit, vbi dictum est, auditum aëri cognatum esse. Inde enim consequens est, vt non solùm circumiectum illi esse oporteat exteriorem hunc aërem, præsertim cùm in aqua quoque audiamus: sed & in ipsius organo insitum; sicut in organo aspectus, qui aquæ esse dicitur, continetur humor: Deinde etiam cùm explicata est ratio, cur non vbique, sed solis auribus audiamus: quia non vbique, sed in ea sola parte, habemus aërem. Hæc inquam satis de vtroque illo capite supérque dicta fuerant.

Satius erat, aut rursum confirmare, quod vltimum conatus est probare, auditum moueri non ingrediente aures exteriori aëre, sed interiorem pulsante. Aut etiam iudicio quoque Philoponi quidpiam adiungere ad id, quod fuit postremum, aere illo aut membrana malè & præter naturam affectis aut læsis, nos non audire. Interdum enim neutro illorum facto id quoque euenit; vt si sordibus aut aliqua eiusmodi materia meatus aurium compleatur. Tunc enim non propterea non audimus, quòd perperam affectus sit aër læsave membrana, sed quòd ab exteriori aëre ad interiorem illum soni transmissio impediatur. Siquidem sordes & alia id genus terrea corpora eam non habent transmittendorum sonorum facultatem, quam habent aër & aqua.

Hoc igitur argumento cognoscemus, num auris sit sana necne: & an causa, cur non audiamus, ea sit, quòd externus aër aurem immediatè non pulset, aut quòd malè affectus sit internus aër læsave membrana: an potiùs congestæ sordes, aut alia exterior aliqua. Auri manum apponamus, aut etiam digito auditorium meatum comprimamus; si auris sonet velut cornu, & interior quasi bombus

bombus, nullo externo aëre pulsante, sed solo interiore compresso in aure, persentiatur; sana omnino est auris benéque se habent, tum aër, tum membrana, auditricique facultati ad tenuem illum percipiendum sonum famulantur. Si enim læsa essent, nullus sentiretur sonus: sicut læsa pupilla aut aqueo humore corneáve membrana, nihil cernimus: omninóque destructo aut mutilato organo perfici nequit ea operatio, quam per organum fieri necesse est. Ergò si non sentiatur sonus, extrinsecum & aduentitium fuerit impedimentum. Quemadmodum si oculo benè sano apponatur manus aut opacum aliud corpus, quod lucis accessum prohibeat.

Quod autem spectat ad cornu; in eo lapsi sunt Auerroës, Albertus, & S. Thomas; aurem sonare interpretantes cornu ad aurem appositò. Etenim manifestum est illud adferri, vt exemplum eius soni, qui manu fit aut digito auri admotis. Atque apositè adnotauit Simplicius, sonum duobus modis fieri: aut solido corpore aërem percutiente; aut aëre in corpus solidum incurrente. Est enim sonus, qui fit in cornu & musicis instrumentis, ad eum explicandum, qui fit in aure, apussimus. Quoniam vt cornu, sic auris posteriore illo modo sonant: non solido corpore aërem verberante, sed aëre in solidum incurrente. Cornu quidem aëre, in ipso continetur, ab exteriori vehementer moto atque in latera solidi corporis impulso: auris autem exteriori aere in angustum redacto atque compresso; & rursum interiore ab hoc impulso atque ad solidas auris partes allisò.

TEXTVS.

Αἰεὶ γὰρ οἰκείᾳ τινὰ κίνησιν κινεῖται ὁ ἀὴρ, ὁ ἐν τοῖς ὠσίν· καὶ ὁ ψόφος ἀλλότριος, ἢ οὐκ ἴδιος.

Semper enim proprio quodam motu mouetur aër, qui in auribus: sed sonus extraneus, & non proprius.

COMMENTARIVS CXIIII.

1. HÆc verba nescio quàm verè à plerisque exponantur. Aerem enim illum in aure moueri quidem semper dicunt; quemadmodum ramenta, inquiunt Themistius & Philoponus, in Sole moueri conspiciuntur: at is motus minimè satis est ad gignendum sonum: quia sonus, ait Simplicius, non est aeris per seipsum tantùm moti; sed fit aut incursu ipsius ad aliud, aut alterius ad ipsum. Eáque ratione sonus est alterius & non ipsius proprius.

Quæ expositio propterea mihi nō parùm suspecta est, quod non facilè credam aërem illum moueri. Tum quia nulla est causa, aut finalis, propter quam moueatur; aut efficiens, à qua agitetur. Quidquid autem mouetur, ab aliquo moueatur necesse est. Tum quia siue is sit aër, siue spiritus, nec aër alium habet motum, quàm sursum, nec spiritus in cerebri sinibus aut arteriis vllum habet, præter eum, qui est à corde; nec in neruis alium, quàm accursum ad eas partes, quæ sentire debent aut moueri. Tum quia nullum corpus naturale mouetur in proprio loco, sed quiescit, neque extra locum alio impellitur, quàm ad suum locum: minimè verò is aër aut spiritus, qui immobilis antea dicebatur. Denique nullum corpus natura constans præter cæleste moueri semper potest. Neque ramenta, quæ in aëre moueri videntur in Sole, sunt aër, sed alia quæpiam corpuscula, quæ à leni aura aut simili causa mouentur.

2. Quare aliam Philoponus interpretationem cogitare coactus est: aërem illum in aure semper moueri, non loco aut agitatione vlla, sed sonorum ad sensum transuectione: esséque hunc motum illi proprium, non inquam simpliciter transuehere (hoc enim exterior quoque aër habet) sed immediatè ad sensum transuehere: etsi non proprium, sed forinsecùs aduenientem sonum transuehat. Hoc consentaneè magis & verè diceretur, nisi Aristoteles hunc motum semper illi inesse affirmaret. Non enim semper aërem illum sonos ad sensum transuehere certum est: quia nec semper adsunt nec semper audiuntur.

3. Mihi verò perfacilis & aperta Philosophi sententia videtur. Intelligendum enim est verbis hisce rationem eius contineri, quod dictum fuerat, aurem manu digitóve compressam, si fuerit sana, semper sonare. Ratio autem est, quoniam aër aure contentus, nisi vitiatus fuerit, *οἰκείᾳ τινὰ κίνησιν*, hoc est domestico quodam motu semper mouetur. Semper inquam, quando manu aut digito auris premitur, & exterior aër in angustum redactus intus protruditur: & ideò dum ab hoc interior ille propellitur, in proprio domicilio mouetur & sonat. Sed sonus extrinsecus est, non illius *ἴδιος*, id est proprius: quòd non sonet quatenus aer est & per se consideratus (nam hoc modo antea dictum est, eum omni sono carere) sed quatenus ab exteriori aëre impellitur, aut etiam ad membranam solidáque auris latera percutitur. Hanc ego existimo veram esse & germanam horum verborum interpretationem.

4. Sed & alteram video non aspernandam adferri posse. Propterea namque fortasse aër is dictus est semper moueri, non quòd semper moueatur, sed quòd facillimè, & impulsu quouis moueatur. Etenim si in textu 20. libro primo Physicorum immobilè non solùm id dicitur, quod nullo vnquam modo mouetur, sed etiam id, quod tardè moueri incipit ægréque mobile est: cur non semper mobile appellare non liceat, tum id, quod semper, tum id, quod facillimè & leuissimo quouis impulsu mouetur? Habet autem *οἰκείαν κίνησιν*, hoc est aut domesticam & in propria sede & loco; aut propriam & priuatam ab exteriorisque aëris motione diuersam: non tamen ita illi propriam, vt solus atque eo moueatur, sed ab illius potiùs impulsu deriuatam.

TEXTVS.

Καὶ διὰ τοῦτο φασιν ἀκούειν τὸ κενὸν ἠχοῦντι, ὅτι ἀκούομεν τοῦ ἔχοντι ὡρισμένον τὸν ἀέρα.

Text 85. *Et propter hoc dicunt audiri vacuo & sonante: quoniam audimus habente determinatum aerem.*

COMMENTARIVS CXV.

HÆc verba ex dictis omnibus rursum colligunt id, quod in tex. 81. positum est: idcircò veteres aliquos dixisse, auditum fieri per vacuum, vacuúmque esse audiendi dominum. Quoniam fit per aërem, tum exteriorem, tum interiorem: atque per eam corporis partem, qua aër, quidam determinatus incluſus & ſtabilis continetur, ab hoc exteriori diſtinctus: aërem autem illi vacuum esse opinabantur. Quod verò addit (& ſonante) verè dixit Simplicius fuisse additum, vt aërem benè affectum & aurem ſanam ſignificaret; quam appoſita manu ſonare tradidit.

TEXTVS.

Πότερον δὲ ψοφεῖ τὸ τυπτόμενον, ἢ τὸ τύπτον, ἢ ἀμφω, ἢ τὸν ἕτερον. Εἰ γὰρ ὁ ψόφος κίνησις τοῦ δυναμένου κινῆσαι, τὸν τύπτον ποιεῖν, ἔνθεν τὸ ἀφορμᾶσθαι ἀπὸ τοῦ λείου, ὅταν τις κρούσῃ.

Text 85. *Vtrum autem ſonat id, quod verberatur, an quod verberat, an & vtrumque, modo autem altero? Eſt enim ſonus motus eius, quod poteſt moueri hoc modo, quo reſultantia à leuibus, cùm aliquis percuſſerit.*

COMMENTARIVS CXVI.

ADgignendum ſonum tria ſuperiùs poſitum eſt neceſſaria eſſe, corpus percutiens, corpus percuſſum, & aërem inter illa interceptum. Deinde de aëre dictum eſt: qui præcipuum quidem eſt ſubiectum ſoni, non tamen illius dominus, non inquam efficiens cauſa, ſed medium, quo ſonus gignitur, genitúſque ad auditum deducitur. De percutiente igitur percuſſoq. corporibus, déque efficiente cauſa dicendum ſupereſt.

Sonus à quo & quomodo fiat.

Sanè hoc eſt, quod nunc quæritur, quid ſit: id, quod ſonet, hoc eſt ſonum efficiat & excitet: corpúſne percutiens, an percuſſum. Et omnino reſpondet eſſe ambo, ſed alio atque alio modo. Quippe illud (an & vtrumque?) tum additum eſt, ne vllum perfectæ diuiſionis membrum videretur prætermiſſum, tum verò tanquam de propoſita quæſtione ſententia & iudicium. Ambo igitur hæc corpora faciunt ſonum, ſed alio atque modo: percutiens impellendo aërem, & percuſſum retinendo ac prohibendo ne dilabatur & effluat: illud tanquam motum, hoc tanquam quieſcens & manens. Quòd ſi corpus vtrumque moueatur ac ſeſe vicíſſim percutiant; vtrumque cum altero comparatum percutientis & percuſſi, impellentis & retinentis, moti & manentis, rationem habet. Vtrouis enim modo fiat, perinde gignitur ſonus: aëre ſcilicet intercepto magnáque vi expreſſo & facto, vt percutiens quidem corpus comparatione percuſſi vim habet agentis & percuſſum patientis: at comparatione ſoni vtrumque eſt agens & efficiens, amboque ſonantia corpora appellantur.

Quòd ita eſſe ex ſoni definitione oſtendit. Sonum autem definit eſſe motum, hoc eſt quidpiam ex motu factum. Motu inquam non quocumque, ſed eius corporis, quod à leuibus corporibus ſeſe percutientibus reſiliat, hoc eſt aëris. Is enim eſt, qui inter læuia corpora interceptus & compreſſus reſilit. Quæ tota definitio tum ex ſuperiùs traditis colligitur, tum manifeſta eſt. Sed aër hac in re potest, neque à ſeipſo ità reſiliret, niſi aliunde oppreſſus vrgeretur reſiliréque cogeretur. Opprimitur autem & vrgetur ab intercipientibus illis corporibus. Hæc igitur agentis & efficientis vim habent ipſumque ſonare faciunt. Non ſolum inquam eorum aërem, ſed vtrumque: quoniam alterum ſolum vt intercipere aut opprimere non poteſt, ita nec ad reſiliendum cogere: verùm vtroque opus eſt, quemadmodum cùm cæraſorum nuclei duobus compreſſis digitis eliduntur, vterque digitus efficientis vim habet.

Porrò hunc aëris reſilientis motum Simplicius ait non eſſe localem, qualis ſcilicet eſt corporum ſolidorum, vt pilæ in parietem proiectæ indeque reſilientis; ſed velocem quandam percuſſionis & actionis diſtributionem, dum vna pars aëris pulſa pellit aliam. Hoc enim modo à leuibus reſilit aër inter percutientia corpora fractus vique extruſus. In eo tamen conueniunt, quòd vterque motus eſt reſilitio à duris & leuibus corporibus. Nam ſi corpus ſit molle, non reſilit pila, & ſi fuerit inæquale, in concauis eius partibus hærebit ſæpè: eodémque modo aër, & ideò non ſonabit. Propterea ſonus non quiuis motus eſſe dicitur, ſed illi ſimilis, quo pila aliáque eiuſmodi corpora reſiliunt à leuibus. Tametſi alia complura ſunt diſſimilia. Non enim eadem numero aëris pars per totum ſonat vſque ad auditum, ſicut eadem pila itque rediitque. Neque pila reſilit inter duo corpora intercepta & compreſſa, ſed à pariete vlteriore motu prohibito aëreque ad parietem denſato rarefaciente ſeſe pilámque repellente.

Quo modo autem ad gignendum ſonum duo corpora ſolida & leuia neceſſaria ſint, pluribus antea definitum eſt. Nunc verò hoc non agitur ſed vt illorum vtrumque oſtendatur eſſe tanquam efficientem ſoni cauſam. Nam propterea ſolùm propoſita fuit definitio ſoni. In qua dum ſonum eſſe motum, hoc eſt operationem, Philoponus interpretatur; mox addens, ſequentia verba (eius, quod poteſt moueri) motum localem ſignificare; mutandum mè audiendus eſt. Tum quia pauciſſimis verbis homonymiã cõtineret definitio. Tum quia ſonum eſſe motum & verò totã definitionem, colligit Ariſtoteles ex ſuperiùs dictis; in quibus motũ ſemper localem, hoc eſt percuſſionem ſignificauit. Vtrobique igitur localem motum intelligere oportet, vt ſonus ſit motus localis, hoc eſt quidpiam ex locali motu profectum: non quocumque, ſed quo aër à leuibus corporibus cogitur reſilire.

Digreſſio

DIGRESSIO XLV.

De Natura soni.

FAcessat igitur omnis de natura soni dubitatio. Est enim qualitas secunda tertij generis. Nam & sensui passionem adfert tanquam proprium illius obiectum: & acrem qualem, hoc est sonantem, nominat. Quòd si Auerroes in comment. 116. eum dixit ferè esse in capitulo ad Aliquid, & non in Qualitate, sequutus est Philosophi sensum in text. 125. esse relatum quidpiam, vt ad auditum refertur & audibilis est: non tamen simpliciter. Præsertim cùm non videatur esse nisi dum auditur, nec per se subsistat vsquam. Et ideò non dixit, eum absolutè esse in genere relationis, sed ferè, hoc est videri esse, tum propter hanc illius naturam, tum propter relationem eam ad auditum. Et in text. 78. dictum est, sonum fieri ad aliquid.

Est autem qualitas secunda, non quòd ex primatum permistione oriatur, quemadmodum color, odor, sapor. Sed vel quia supponit qualitates primas primáve corpora qualitatibus illis affecta. Vel quia corporibus eget quibusdam aliis qualitatibus iam præditis: corporibus inquam duris, leuibus, concauis, aëreis, ex eorúmque allisione gignitur. Quare etiam definitur esse motus corporis, quod à leuibus potest ex percussione resilire. Non sit formaliter motus, quemadmodum dictum est: quoniam hunc in text. 64. sensile commune iam fecerat: sed qtiód ex corporum sese percutientium motu excitetur. Non secus atque in text. 69. lumen quoque dicebatur lucidi corporis præsentia in perspicuo, hoc est ex illius præsentia produci. Meritò autem sonus potissimùm definitur per motũ, quoniam consistit semper in fieri, sicut motus, positáque corporum percussione ponitur & ablata aufertur. Nam & lumen lucidi corporis præsentia dicitur, quia eo corpore posito ponitur lumen & ablato aufertur. Quod cæteris qualitatibus, quæ permanentes sunt in natura, non euenit.

Tinnitus cãpanæ diutiùs durare post factum motum videtur: verùm non est vnicus sonus, sed alius atque alius, propterea factus, quòd campana, quæ corpus est penè friabile, cõcipit ex percussione tremorem, quo hinc inde partes aeris intra campanam contenti alliduntur & tinnitum faciunt, vt in extremo text. 78. significatur. Et cãpanæ magis cauæ, quoniam aër difficiliùs egredi potest; quæque ex mobiliori materia constant, vt vehementiùs & diutiùs tremunt, ita sonum ac tinnitum diutiùs retinẽt. Loco quoque appensæ diutiùs retinent, quam si appendantur manu: quia manus tremorem impedit, quem locum permittit liberum.

Quocirca verissimum illud est, quod habet Philosophus in lib. de sensu & sensili, cap. 7. sonum produci cum tempore, priúsque in medio aëre suscipi, quàm ad aurem perueniat. Producitur enim locali motu, qui requirit tempus, & per vnam priùs, quàm per aliam, partem fit. Quod si localis motus gignere nihil dicatur in 8. lib. Physic. text. 59. id intelligendum est essentialiter & ex propria illius natura. Neque enim aliqua res necessario illum sequitur, sed ex aliqua circunstantia adiecta sequi

A potest; propter duritiem inquam corporum, friabilitatem, & huiusmodi alias conditiones: quemadmodum etiam motus localis causa caloris esse existimatur. Possunt etiam hoc modo verba illa intelligi, vt terminus primus localis motus non sit aliqua res noua, sed tamen secundarius & consequens esse possit.

TEXTVS.

Οὐ δὴ πᾶν, ὥσπερ εἴρηται, ψοφεῖ τυπτόμενον καὶ τύπτον· οἷον εἰ ἁπαλῇ βάλοι τις ἐξόντως. ἀλλὰ δεῖ τὸ τυπτόμενον ὑφ' οὗ μᾶλλον ἔξ), ὥστε τὸ ἀνεχὲς ἄθροον ἀφάλλεσθαι καὶ σείεσθαι.

Quippe sicut dictum est, non omne sonat quod verberatur & quod verberat, vt si feriat acus acum. Sed oportet quod percutitur aquabile esse, vt aër acernatim resiliat & concutiatur.

COMMENTARIVS CXVII.

C HÆc verba etsi quidpiam videantur ex superiore soni definitione deducere, ad illius tamen explicationem quoque pertinent. Namque sonum dixerat fieri ex motu duorum corporum, percutientis & percussi: hæcque esse efficientes illius causas. Nunc cuiusmodi hæc corpora esse oporteat, vt sonum facere possint, explicandum fuit: præsertim cùm fuisset dictum, non quemuis motum sonare, sed eum, qui est à leuibus resilitio. Duas ergò horum corporum conditiones exponit, quæ etiam quoquo modo, sed obscurè nimis, in definitione propositæ continebantur, dum resilitio à leuibus nominata est. Primùm sint oportet corpora lata. Nam si acus acum cuspide feriat, nullus D fit sonus; nec si corpus perfectè sphæricum aliud sphæricum percuteret: quoniam in solo puncto se se contingerent, nec vllus inter ea comprimeretur aër, vique exilire cogeretur: sed diuisus dilaberetur sensim. Et globi, qui in natura cernuntur, aliquem sonum edunt, quòd non puncto, sed magnitudine tangant, acrémque aliquem intercipiant. Non magnum tamen quia non magna latitudo tangens, nec multus interceptus aër. Corpora plana sese percutientia magnopere sonant, quod amplior latitudo copiosiorẽ opprimit aërem atque exilire compellit.

Philoponus hoc ex generali naturalium rerum E conditione, qua determinatam omnes magnitudinem postulant, deriuare conatus est. Sed mea quidem sententia parùm ad rem. Nam ea est conditio rerum natura constantium, hoc est corporum ex materia & forma compositorum: non sonorum aliorúmve similium accidentium. Immò ne in omnibus quidem corporibus fortasse locum habet, vt in elementis. Sed non est huius loci de hoc disputare. Verùm illud affirmare, cur sonantia corpora latitudinem aliquam habere oporteat, hanc potiùs esse, quam significaui, causam, vt intercipere aërem possint & prohibere, ne diffluat, sed acruatim exilire cogant: siquidem sonus eiusmodi quopiam motu gignitur.

Æquabilia. Deinde corpora hæc æquabilia esse oportet, hoc est aut lata aut non aspera. Si priorem interpretationem sequaris, non erit diuersa à superiore conditio, sed illius explicatio. Vt cùm dixisset ea corpora non sonare, quæ sunt vt acus: addat ea esse ad sonandum apta, quæ latitudinem habent. Cæterum ego posteriorem potiùs amplector; vt omnes corporum sonantium conditiones, quas superiùs proposuerat, ex soni nunc definitione colligat: & ita quodammodo definitionem illam bonam esse confirmet, ex qua proprietates omnes cognoscantur. Hoc enim signum esse bonæ definitionis positum est in text. 31. libri quarti Physic. alioqui dialecticam esse & vanam dixit in textu 11. libri primi huius operis. Sint igitur corpora æquabilia, minimè aspera, minimè inæqualium partium, minimè cauernosa, aut foraminosa. Quoniam si eiusmodi fuerint, diuidetur in illis & comminuetur aër, atque in cauitates susceptus non exiliet. Vt autem vnus & continuus maneat, densatúsque & coaceruatus exiliat, æqualium prorsus partium corpora sint oportet. At fortasse etiam vnica illa æquabilis voce vtrumque. Philosophus significauit, tum latitudinem, tum æquabilitatem. Etenim æquabile esse non potest, nisi latum sit & partium extensionem habeat.

Cùm verò dixisset, non omne percutiens & percussum edere sonum, nõ sine causa de solo percusso adiecit, ipsum æquabile esse oportere. Quoniam etsi maior sit sonus, si ambo sint eiusmodi, altero tamen saltem existente sonus aliquis consequitur: quoniam agitatum aërem & impulsum retinet ne dissipetur, repellitque & resilire facit.

Dura & solida. Denique cum his omnibus conditionib. tertiam illam debemus intelligere, quam huius tractationis initio posuit in textu 77. duritiem scilicet & soliditatem. Quam hic etiam quoquo modo significauit, tum exemplo solidarum acuum sese pulsantium, tum quando sonum dixit esse motum illi simile, quo à leuib. resiliunt corpora. Non enim resiliunt, nisi à duris & solidis corporib. Itaque iure optimo Auerroës tres hoc loco concluſit esse sonorum corporum conditiones: vt sint dura, vt lata, vt leuia seu æquabilia.

TEXTVS.

Αἱ δὲ διαφοραὶ τῶν φθεγγομένων, ὡς τῇ καὶ ἐνεργείᾳ φάσκειν δηλοῦσθαι. ὥσπερ γὰρ ἀΐδιον φωτὸς οὐκ ὄντος τὰ χρώματα, οὕτως οὐδὲ ἄδιον φθογγὸν ἄνευ τοῦ βαροῦ.

Text. 86. *Differentiæ autem sonantium in sono secundum actum manifestè sunt. Sicut enim sine lumine non videntur colores, sic nec sine sono acutum & graue.*

COMMENTARIVS CXVIII.

SOni differentias explicari manifestum est. Sed an eæ propter se quærantur, an propter aliquid aliud, non ita inter omnes conuenit. Nam plerique post soni definitionem positam, illius diuisionem in suas species subiungi interpretantur. Et ideò (sonantium) pro eo, quod est (sonorum) dictum fuisse opinatur Philoponus, Themistium fortasse sequutus, qui eodem modo interpretatus est. Nimirum quoniam iuxta sonantium corporum diuersitatem diuersi gignuntur soni, pro sonis fortasse videri possit Aristoteles sonantia corpora nominasse. At Simplicius & sonantia corpora intelligit, & post illorum conditiones commemoratas vult eorum differentias quæri. Et quoniam ex actione facultates rerúmq. substantias, & ideò tale aut tale sonatiuum ex tali aut tali sono cognoscimus: sonorũ differentias proponit, ex quibus id, quod quæritur, intelligi poterit. Eodem intellectu Auerroës rerum sonorarum differentias comprehendi & declarari dixit ex sono in actu.

Quod ego Philosophi verbis perquàm consentaneum esse existimo. Nam vt consequentia mutam verba, quæ in proximo commentario perpendam; non solùm violentum nullaque ratione firmatum videtur, sonantium, hoc est sonorum interpretari: verùm etiam sonantium, quæ vox actum, hoc est corpora actu sonantia significat, minùs licet sonum potestate exponere. Neque opus erat dicere differentias sonorum potestate ex sonis actu factis cognosci: præsertim cùm hactenus de sono actu semper fuerit sermo; de sono autem potestate ne verbum quidem. Quod si sonantium corporum differentias ex sonorum differentiis quæri dicamus, apertissima fuerit & Philosopho digna sententia. Nam & antea de sonantibus corporibus erat sermo: & communis est is philosophandi modus, quo cuiusque naturam ex illius operatione inuestigatur & ex effectu causa colligitur; ac demum plurium naturam atque causarum discrepãtia ex operationum & effectuum diuersitate concluditur. Itaque cùm in superiori contextu sonorum efficientes causas sonantia corpora esse posuerit; naturalis ratio postulabat, vt de illorum differentiis dicturus eas ex illorum differentibus sonis velut ex operationibus & effectibus notioribus explicaret.

Itaque sonantia corpora in acutè & grauiter sonantia diuidit, horúmque differentias ex sono, quem reipsa edunt, inuestigat. Hoc enim est, quod ait (sonantium differentiæ in sono secundùm actum manifestæ sunt:) scilicet tanquam in effectu & operatione, in qua vnaquæque causa & natura seipsam manifestat & prodit. Quemadmodum enim non videntur colores sine lumine, quia etsi naturam coloris habeant & formam, quia sint aspectabiles actu primo, reipsa tamen & actu secundo non aspiciuntur, nisi illuminati quoque fuerint. Sic etsi sine sono corpora sint acuta & grauiter sonatiua: quid tamen in illis sint acutum & graue, intelligi non potest, nisi reipsa edunt sonum. Quocirca vt aspectus se habet ad videndos colores, ita & intellectus ad intelligendas hasce acuti & grauis in sonantibus corporibus differentias. Et vt lumen est necessarium, vt colores actu cernantur; sic sonus actu, vt illæ sonantium corporum differentiæ intelligantur. Sed lumen, vt conditio videndi necessaria, sonus, vt effectus ex sonante corpore profectus. Denique vt lumen à coloribus diuersum est, sic sonus ab acuto & graui, quę in sonantibus corporibus insunt. Ergo antea quidem generales posuit sonantium corporum conditiones, quæ cuiuis sono gignendo necessariæ sunt; vt scilicet sint corpora solida, plana, & leuia: nunc autem quasi speciales addidit, quæ ad hunc aut

aut illum sonum requiruntur. Quæ quoniam nec cognosci nec omnino nominari possunt, nisi ex sono tanquam ex effectu; sapienter dixit sonantium corporum differentias in sono considerandas & cognoscendas esse.

Sanè absolutè sonant corpora, quatenus solida, plana, & læuia sunt acutè autem vel grauiter, quatenus hanc aut illam in se differentiam habent. Quare vt soliditas, planities, & læuor, quasi facultates quædam in illis sunt ad absolutè sonandum; sic acutum & graue velut facultates considerantur ad hunc aut illum sonum edendum. Et quoniam facultates omnes ex actionibus cognoscuntur, atque vt in textu 33. positum est, ex proprijs earum operationibus inuestigandæ sunt; has quoque sonantium corporum facultates acutè grauiterue sonandi ex acuto & graui sono tanquam proprio illarum actu coniectare oportet. Immo & priores illas generales facultates, etsi tàm sint in corporibus conspicuæ, vt quamuis non sonent cognosci queant, cùm tangendo aut aspiciendo, soliditatem, planitiem, & læuorem illorum sentiamus: eas tamen ex sono in superiori sermone inuestigauit; quoniam lana, spongia, acus, & alia corpora, quæ conditiones eas non habent, non sonant. Multò igitur magis ex sono, qui alio atque alio modo auditur, posteriores hæ & speciales cognoscendæ sunt, quæ aliunde cognosci non possunt. Statim autem atque acutum aut grauem sentimus sonum, intelligere possumus, corpora sonantia facultatem habere non solùm generalem sonandi, sed & specialem acutè grauiterve sonandi.

TEXTVS.

Ταῦτα δὲ λέγεται κατὰ μεταφορὰν, ἀπὸ τῶν ἁπτῶν. τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ κινεῖ τὴν αἴσθησιν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ὅτι πολύ· τὸ δὲ βαρὺ, ἐν πολλῷ τὶ ὀλίγον.

Hæc autem dicuntur per metaphoram à tactilibus. Acutum enim mouet sensum in pauco tempore multum, graue autem in multo parum.

COMMENTARIVS CXIX.

Postquam acutum & graue in sonantibus corporibus tanquam eorum differentias distinxit; quomodo hæc de illis dicantur & quid significent explicare aggreditur?

Acutum & graue vtrè sonantium corporũ.

De sonantibus igitur corporibus acutum & graue minùs propriè dicuntur, sed per metaphoram à tactilibus ductam. Nam etsi in illis non graue, sed obtusum appelletur; res ipsæ tamen simili planè modo habent. Tactilia autem dicit, non qualitates, sed corpora. Calorem enim frigus, humorem, & siccitatem, quis propriè acutas dicat aut graues? Quare hinc superiorum verborum interpretatio colligi potest: non inquam sonorum, sed sonantium corporum, quæsitas differentias fuisse: neque sonantium significasse sonos, sed corpora ipsa sonantia. Tam in tactilibus corporibus propriè considerantur acutum & graue, seu potiùs obtusum; suntque horum differentiæ. Nam acutum id dicitur, quòd citò penetrat & tactum pungit; vt acus aut acutus gladius: obtusum autem seu hebes, quod tardè & vix operatur, pellitque potiùs aut trudit. Hæc verò ad sonum & sonantia corpora cum quadam proportione traducuntur. Quippe acutus sonus appellatur, qui & celeri motu ad auditum peruenit, & eum magnopere penetrat ac propemodum vulnerat: grauis autem, qui tardo motu ad sensum fertur. Quod in remotioribus sonis facilè cognoscitur. Citiùs enim ad nostras aures acutus peruenit, quàm grauis; & rursùm grauis auditum parùm mouet, & vt ait Themistius, obtundit offunditque tanquam trudens. Ita enim ea verba (multum & parum) meliùs interpretabimur, quàm fuerit interpretatus Philoponus acutum mouere multum, hoc est permanere & diutiùs perseuerare, graue autem parùm, hoc est citò desinere & cessare.

Simplicius autem non rectè eandem interpretationem insinuans, id asserit fuisse dictum, non ex propria sententia, sed aduersus Timæum, qui concentum fieri existimauerat acuto sono præueniente citiúsque auditum mouente, primùm quidem vehementiùs, deinde verò remissiùs; & post graui subsequente: Aristotelem autem non ex veloci & tardo acutum & graue iudicanda esse voluisse, sed ea, quam dixit, proportione: acuto scilicet auditum penetrante, graui autem quasi superficialiter impellente. Nam hæc ipsa est illorum verborum sententia. Et causalis particula (enim) satis ostendit non confutari quemque, sed rationem adferri, cur à tactilibus hæc ad audibilia translata fuerint.

Sensus igitur hanc sonorum horum differentiam obseruat, quòd ab acuto magnopere penetratur vehementiorique motu feritur, & vt statim Philosophus ipse loquetur, pungitur: parùm autem omnino & temperatè magis à graui: vt pelli potiùs videatur. Sic acutum in auditu respondet optimè illi, quod in tactu sentitur, & obtuso seu hebeti graue.

Aliam illorum verborum (multum & parum) interpretationem colliges ex problem. 6. sect. 11. qua magnam & paruam distantiam significabit. Acutus enim sonus longiùs & ad maiorem distantiam protenditur, grauis ad minorem. Quærit namque eo loco Philosophus, cur voces è longinquo acutiores esse videantur; quámque ob causam procul absentium clamorem imitantes acutam emittamus vocem, ac demum Echo acutior ad nos veniat, quam procul esse manifestum est. Itaque multum & parùm in acuto & graui sono, tum tempus, tum distantiam significabant. Altera interpretatio ex sequentib. verbis colligitur, quibus acutum subiungitur esse velox, & graue tardum. Altera ex notato problemate.

Iam verò ex sono ad sonantia progredientes, intelligemus ea esse acutè aut grauiter sonantia, quæ hunc aut illum motum faciunt aut facere possunt; vt in fidibus manifestum est. In quibus ea, quæ tenuis est & magis tensa, acutè sonat, quòd parùm aëris celeriter & vehementer moueat: contra grauiter ea, quæ crassior est & minùs tensa, quòd plus aëris tardiùs minúsq. vehementer impellat. Atque in corporibus cæteris verè adnotauit Themistius, politiora quæque acutiorem edere sonum; quòd ab illis aër celeriùs dissiliens velociùs moueatur; & ideò auditum citò & validè lacessat.

TEXTVS.

Καὶ οὐ δὴ παχὺ τὸ ὀξὺ. τὸ δὲ βαρὺ βραδύ, ἀμφὶ γίνεται, τῷ μὲν, ὅτι τὸ παχὺς ἡ κίνησις ποιοῦσι τῇ δὲ, ὅτι βραδυπῆται. ᾗ εἰκαιολογον ἔχει τῷ φάναι τὸ μὲν ἀφικνεῖται τοῦ ἀκοῦσαι ὀξεῖ ᾗ ἀμβλεῖ. τὸ μὲν γὰρ ὀξὺ οἷον κεντεῖ. τὸ δὲ ἀμβλὺ οἷον ὠθεῖ ὅτι τὸ κινεῖν, τὸ μὲν ὀλίγον, τὸ δὲ ἐν πολλῷ. ὥστε συμβαίνει τὸ μὲν παχὺ, τὸ δὲ βραδὺ εἶναι.

Non certè acutum velox, graue autem tardum. Sed fit illius quidem propter velocitatem motus huiusmodi, huius autem propter tarditatem. Et videntur proportionem habere cum acuto & obtuso in tactu. Acutum enim velut pungit, obtusum verò velut pellit: propter ea quòd mouet. illud quidem in pauco, hoc autem in multo. Quare accidit, illud quidem esse velox, hoc autem tardum.

COMMENTARIVS CXX.

SIue orationis huius initium legas (ἢ οὕτω) siue (οὐ δὴ) particulam (igitur) non reperies, quæ inferendi vim habeat. Nec facilè dixerim, quemadmodum in pluribus exemplaribus in hunc locum irrepserit. Certè si quid ex dictis colligendum fuisset, cõtrarium potiùs collegisset Philosophus. Cùm enim acutum dixisset mouere multum in pauco tẽpore, graue autem in multo parum; nequaquam inde consequens erat, acutum non esse velox, nec graue tardum; sed potiùs oppositum. Est igitur emendandus hic locus.

Sed quamuis duplex videatur esse Græca lectio, vt Simplicius confirmat; & quidem pugnans: altera aiens, altera negans: vtraque tamen tantumdem valet. Nam si affirmando legas (& sic velox acutum, graue autem tardum, intelliges reipsa hæc esse coniuncta.) Siquidem acutus sonus dictus est is esse, qui pauco tempore multum mouet; hoc est celeri ac vehementi motu aut ad auditum distantem venit, aut illum magnopere afficit; contra graue: forma tamen & natura distingui. Sin autem negando (non certè acutum velox, graue autem tardum) affirmabis hæc quidem magnopere coniuncta fuisse, distinguenda tamen: neque idem esse acumen & velocitatem, grauitatem & tarditatem. Nam acutum quidem breui tempore longum conficit spatium & auditum quasi pungit: obtusum autem non item; sed & lentum magis habet motum & aures potiùs quasi pellit. Aliud tamen est velociter aut tardè moueri, aliud pungere, aliud pellere. Et acutum & graue per translationem à tactu in auditu nominantur; sunt que analoga, quæ illis proportione respondeant. Quare vt hæc in tactu non velocitatem aut tarditatem significant, sed pungere aut pellere; ita & illa in auditu, & sono. Iis verò accidit velocitas aut tarditas: & acutum & graue per se significant id, quod dictum est: ex accidenti autem velox aut tardum tanquam aliquid cum illis coniunctum. Quemadmodum & in tactu aliud est ferrum acutum habere aciem, aliud citò diuidere. Nam vnum est alterius causa: acuta inquam acies causa celeris motus, & illud figuram quandam significat & quantitatis modum in acuto hærentem corpore, hoc autem motum duntaxat & operationem, tanquam aliquid ex acumine consequens. Sic enim in sono quoque intelligere oportet acutum & graue modum quendam & qualitatem esse, qua celeriter aut tardè moueri & ideò pungere & quodam modo diuidere aut pellere auditum possit. Propterea accidere ait acuto & graui velocem aut tardum motum. Hic enim extra illius essentiam est, velut effectus deriuatus ex causa. Sanè diuersorum generum diuersæ sunt differentiæ: sonus autem & motus genera sunt diuersa: illius differentiæ commemorantur acutum & graue, huius velox & tardum. Et in sonantibus item corporibus eiusmodi quidpiam significant, quo & aërem & auditum celeriter aut tardè moueant. Porrò in tactu quomodo acuto & graui accidat celeriter aut tardè mouere, ita exposuit Philoponus, quod acuto abeunte, obtuso à multo corpore occurratur. Verum in auditu idem intelligendum est. Quare vt in ferro & tactilibus aliis corporibus acutum & obtusum figuram quandam & quantitatis modum adferunt, sic in sono & sonantibus corporibus acutum & graue qualitatem quandam velut illorum modum & (vt Aristoteles nominauit) differentiam significat: quam nescio an alio modo, quàm remissam & crassitudinem, appellare possis. Nam tenues & crassiora quæque corpora grauiter & obtuse sonare animaduertimus, vt ferrum, plumbum, stannum, & densiora humidioráque ligna: acuta autem aërea & quæ tenuiori substantia sunt, vt argentum, rarioráque & sicciora ligna. Idcirco enim ipsa celeriter aut tardè apta sunt moueri & mouere aërem & auditum.

Acutum & graue, velox & tardum.

Postremò in tota hac oratione Simplicius verba quædam desiderari existimauit, illisque (propterea quòd mouet, illud quidem in pauco, hoc autem in multo) hæc subiungenda esse (alterum quidem est velox, alterum verò tardum) vt tandem concludere liceat (quare accidit, illud quidem esse velox, hoc autem tardum.) Sed neque apud Aristotelem extant ea verba, neque ab interpretibus cæteris desiderantur. Tantumque abest, vt necessaria videantur, vt potiùs supernacanea prorsus sint, totámque orationem perturbent. Ac demum illud ipsum est, quod postremò concludit.

TEXTVS.

Περὶ ὑφ' οὗ φέρει, ταύτῃ διωρίσθω. ἡ δὲ φωνὴ ψόφος ἔστιν ἔμψυχου. οὐδὲ γὰρ ἄψυχον οὐδὲν φωνεῖ, ἀλλὰ κατ' ἐπιτροπὴ λέγεται φωνεῖν. οἷον αὐλὸς ᾗ λύρα, ᾗ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἐνδέχεται ἔχειν, ᾗ μέλος, ᾗ ἐμμελῆ. ἔοικε γὰρ ὅτι ᾗ φωνὴ τοιοῦτόν τι ἔχειν.

De sono igitur sic definitum sit. Vox autem sonus quidam est animati. Inanimatorum enim nullum vocem edit: sed per similitudinem dicuntur vocem edere, vt tybia, & lyra, & quæcunque alia inanimatorum extensionem habent, & melos, & loquutorem. Videntur enim, quia & vox hæc habet.

COMMENT.

COMMENTARIVS CXXI.

De sono quadrupliciter dicitur.

DE sono hactenus vniuersè dictum est satis. Etsi ea, quæ pluribus explicata sunt conferantur in pauca; dictum est, quid sit sonus, quo modo fiat, quas habeat efficientes causas, in quo fiat, & quo modo ad auditus sensum perueniat, quodque sit audiendi medium; ac demum qualia esse oporteat sonantia corpora; & quæ illorum differentiæ.

Post hæc à genere ad speciem descendendo de voce, quæ sonus quidam est, dicere aggreditur, vt distinctam magis cognitionem tradat. De qua primùm ea intelligi debent, quæ de genere vniuerso dicta sunt. Quæcumque enim generi insunt, singulis item illius generis speciebus conueniunt. Deinde ea, quæ sunt specialia & illius propria, considerauda sunt. Ergo vocem definit esse sonum quendam animatorum proprium. Sonus significat genus, reliquâ differentiam. Non enim quilibet sonus est vox, sed is, qui animatorum proprius. Nec omnis sonus, quem animalia edunt; quoniam & manibus collisis & pedibus supplosis sonare possunt: Nec tamen magis vox appellabitur is sonus, quàm alius quiuis duorum corporum concussione factus: verùm is solus, qui certis quibusdam instrumentis ad eum vsum comparatis formatur. Ea sunt pulmones, arteria aspera, & illius suprema pars, larinx & epiglottis. Propterea vox non solùm animatorum sonus proprius est, sed etiam sonus illorum quidam, hoc est per huiusmodi vocalia instrumenta factus. Itaque non est sonus animatorum quorumuis, sed animalium: nec omnium, sed sanguine præditorum. Immò & in his aliquâ carent voce, vt pisces. Ea igitur sanguinea vocem habent, quę & illa habent instrumenta, quibus inspiratur aër & expiratur & frangitur: inspiratur & expiratur pulmonibus, arteria, diaphragmate, intercostalibus musculis. Quare qui latum habent pectus, magnam edunt vocem & sonoram, atque ex magna & crassa voce magnitudinem & profunditatem pulmonum colligimus. Frangitur ad laringem, epiglottidémque: quare in loquutione & maximè in cantu, vel etiam auicularum, epiglottis potissimùm mouetur.

Vocalia animalia quæ.

Aliam item ob causam dicitur sonus quidem. Quia screatus, tussisque per hæc instrumenta fiunt; nec tamen voces sunt: verùm illi duntaxat soni, qui cum imaginatione aliquid significandi proficiscuntur: Screatus enim & tussis non ad significandum referuntur, sed natura superfluam & noxiam materiam reijciente necessariò & coacte fiunt: nisi inter aliquos ita conuenerit, vt screatu aut tussi quidpiam sibi vicissim significent. Sed hoc ex accidenti est & rarum. Itaque cùm vox dicitur sonus animatorum quidam, intelligendum est, eam esse sonum vocalibus instrumentum formatum, cum imaginatione quidpiam significandi. Euisnodi vocem inanimata non habent. Siquidem nec ea instrumenta habent ad illam formandam necessaria; significandique imaginatione carent. Sonum duntaxat & strepitum edunt, non vocem; nisi similitudine quadam eorum nonnulla: vt in musicis instrumentis tibia & lyra, quæ humanam vocem imitantur.

In voce tria.

Namque tria in hac voce considerantur. Primùm extensio quædam, hoc est tempus & mora, quæ pronuntiatione consumitur: vnde syllabæ longæ & breues. Deinde concentus, quiin acuti & grauis modulatione ac proportione consistit. Denique loquutio, qua in litteras & syllabas velut articulos vox tota distinguitur. Articulatio autem & inflexio lingua dentibúsque, quatuor præsertim anterioribus, & labiis perficitur. Extensio in aliis quoque reperitur, & motum omnem consequitur tempus. Concentus magis est soni proprius; locutio non cuiusuis sed humani soni. Hæc autem tria dum instrumenta quædam musica imitantur, si propterea vocalia vocémque habere dicantur, similitudine & imitatione, non verè & propriè dicentur. Etsi enim non extensionem solùm habeant & concentum, sed ita etiam interdum litteras & syllabas distinguant, vt humanas reddant voces & videantur loqui: hoc tamen totum similitudine & imitatione constat.

Cæterum quod ad illa tria attinet, discrepat à nobis non parùm Philoponus. Nam nos quidem legimus, κατάστασιν, μῆκος, διάλεκτον, extensionem, concentum, loquutionem: ipse autem κατάστασιν dixit positam esse pro eo, quod est ῥύθμον, & extensionem pro numero, numerúmque ex compositione longarum & breuium syllabarum & dictionum existere: & μῆκος pro ἁρμονίαν, concentum pro harmonia: ac demum διάλεκτον pro λέξιν, sermonem pro dictione aut sermonum compositione. Quod quidem meo iudicio non est Aristotelem interpretari, sed peruertere atque ad suum sensum sine ratione & fundamento trahere. Quare cùm apud eum tres illas, quas dixi, voces reperiamus, satiùs multò est scienter illas exponere, quàm temerè in alias mutare.

TEXTVS.

Πολλὰ δὲ ζώων ἐν ἔχουσι φωνὴν. οἷς τά τε ἔναιμα, καὶ ἡ ἔναιμων οἱ ἰχθύες. καὶ πῶς δὲ λόγως, ἐστὶν ἀέρος κίνησις ἡ φωνή. ἀλλ' οἱ λεγόμενοι φωνεῖν, οἷς ὁ τοῦ Ἀχελῴου ἰχθύες, ψοφοῦσι ταῖς βραγχίοις, ἢ τινι ἑτέρῳ τοιούτῳ.

Multa autem animalium vocem non habent, vt exanguia, & inter sanguinea pisces. Et hoc rationi consentanee: siquidem aeris motus est sonus. Sed qui dicuntur vocem edere, vt qui in Acheloo pisces, sonant branchiis aut alio huiusmodi quopiam.

COMMENTARIVS CXXII.

VErè dixit vocem esse sonum quendam animati. Quoniam non solùm non est quilibet sonus, qui in animatis auditur; sed neque quorumlibet est animatorum. Quare animatorum esse dicitur, non quòd in omnium sit animatis, sed quòd in illis solis aspiciatur,

Eadem tamen est causa, cur & inanima omnia & animata permulta vocem non habere dicamus. Nimirum quoniam iis carent, quæ ad formandam vocem necessaria sunt, pulmonibus & arteria. Propterea plantæ ac stirpes, etsi animatæ sint, vocem non habent, sed vt inanima cætera sonum duntaxat, dum aut agitantur vento, aut alio corpore verberantur. Immò & in animalium genere eadem est multorum conditio: quippe quæcumque sanguine carent, omnino vocalia non existimantur. Quoniam vt frigidiora sunt, ita non egent refrigeratione, quæ inspirato aëre fit: sed ille satis est, quæ assumpto alimento aut alio quouis modo fit.

Animalia non vocalia quæ.

Eorum quatuor genera fecit Philosophus in 4. libro de animalium hist. cap. primo, mollia, vt sepiæ & polypi, crustata, vt cancri, testacea, vt ostreæ; & insecta, vt apes, muscæ, & similia. Quæ omnia vocem non habent, quoniam frigida sunt nec refrigeratione indigent: & vt sanguine carent, ita & corde, pulmonibus, & arteria, quibus aërem ad cor refrigerandum suscipiant & reddant. quòd si cicadæ dicuntur canere, & muscæ & apes interuolandum sensilem edunt bombum is nequaquam vox est, sed sonus quispiam, quem cicadæ quidem faciunt, vt Themistius & Philoponus exposuerunt, & colligitur ex Aristotele in libro de respiratione cap. 11. dum membranam pectori & transuerso septo subiectam diuerberant, alis & interceptum spiritum aërémve allidunt. De grillis idem dicendum: quos capite quoque amputato tempore multo sonare testatur Albertus, inde argumentum sumens eos proprié vocem non edere, quia vox ore & capite editur. Muscæ verò & apes alis interuolandum percutientes aërem sonant: quare cessante volatu cessat bombus.

Cicadarũ muscarum & apium bombus.

Pòrrò nec omnia sanguinea vocalia sunt: sed quædam in eo quoque genere carent voce, vt pisces. Causa eadem, quia pulmones non habent, & ideò nec suscipiunt aërem, qui formandæ vocis materia est: sed branchiarum vsu refrigerantur aqua, in qua viuunt, sicut pedestria aëre. Quædam verò ancipiti natura sunt: in quibus aliqua esse, quæ breuem & exiguam vocem dicantur reddere, vt crocodilus & fluuiatilis equus, testis est Philoponus. Etenim pulmones habent, etsi valde laxos, aëréque vtuntur.

Cæterùm dum Aristoteles, tum de exanguib. pedestribus, tum de piscibus, affirmasset hæc omnia carere voce: rationem huius rei adfert: quoniam sonus est aëris motus. In qua non immeritò quispiam dubitauerit. Siquidem non tàm probat hæc animalia non habere vocem, quàm ea nullum prorsùs edere sonum. Quod in quibusdam falsum est: quoniam cicadæ, muscæ, & apes, si non vocem, sonum certè faciunt, & quidem aëre moto. At non omnem sonum, sed talem, qui est vox, neque omnem aërem, sed inspiratum, interpretatus est Simplicius. Aut omnino intelligere oportet rationem hanc ad solos pisces, quos postrémò nominauerat, pertinere; vt ex consequentibus verbis manifestum est. Et verò etiam illi magis probatione indigebant; quod sanguinem habeant, vt animalia cætera, quæ vocalia sunt. Itaque exanguibus statim reiectis persistit in sanguineis, quorum propria est vox.

Pisces autem non habere vocem, argumento probat à maiori ad minus. Pisces nullum omnino edunt sonum, ergò multò minùs vocem: sonus enim generalior est, vox soni species, pluribusque indiget. Eos verò sono quoque carere ostendit, quia dum in aquis degunt, aëre carent, sonum tem aëris motus est. Quare nec homo nec animalia, quæ anticipitis naturæ sunt, dum versantur in aquis, edunt vocem: quòd etsi aqua sonum aut vocem in aëre factam transmittere possit, aptum tamen medium non est, in quo primum fiat. Quosdam ingentes pisces obijci sibi posse vidit, qui in Acheloo vocem dicuntur edere. De quibus duo omnino respondet. Alterum, eos non vocem, sed sonum facere. Hoc enim est, quod cùm eos dici vocem edere proposuisset, statim adijcit, eos sonare: quasi dicere, non vocem, sed sonum edere. Alterum, branchiis aut alia eiusmodi parte illos sonare: aërem scilicet in summis aquis verberantes, dum aquam branchiis, aut ore, cauda, aut alia simili parte aut eiaculantur, aut diuerberant, turbant, & aërem intercipiunt. Quod si in altum demergantur, nullum efficiunt sonum. Sed hic sonus nequaquam est vox; cùm extra ipsa animalia, neque per instrumenta vocalia fiat.

Sed huius loci alia interpretatio quærenda non est; cùm eam nobis ipsemet scriptam reliquerit quarto libro de animalium hist. cap. 9. Pisces, inquit, vocis quidem expertes sunt, quippe qui neque pulmones, neque arteriam, aut guttur, obtineant. Sed sonos quosdam stridoréque mouent, qui vocales esse existimantur, vt lyra & chromis: his enim quasi grunnitus quidam emittitur. Aper etiam piscis, quemadmodum Achelous gignit, vocalis habitus est, vt crica & cucalus. Alter enim quodam modo stridet, alter vt cuculus auis obstrepit, vnde nomen accepit. Quæ omnia creditam illam vocem emittunt, aut attritu branchiarum, quas horridiusculas continent, aut suis interioribus, quæ circa ventrem habentur. Spiritus enim inclusus in his est, quem dum atterunt atque agitant, sonos illos eliduut. Hæc ille.

TEXTVS.

Φωνὴ δέ ἐστι ζώου ψόφος, καὶ οὐ παντὸς μορίου. ἀλλ' ἐπεὶ πᾶν ψοφεῖ τυπέντος τινος, καὶ τι, καὶ ἐν τινι τῶν ἐν τῷ ἀέρι, δῆλόν ὡς ἂν φωνοίη ζῶόν μόνον ὅσα ἀέρος πνεῖ ἀέρα.

Vox autem sonus animalis est, & non quilibet eius parte. Sed quoniam omne sonat verberante aliquo, & aliquid, & in aliquo, hoc autem est aer, rationi vtique consentaneum est, vt ea sola vocem edant, quæcumque suscipiunt aërem.

COMMENTARIVS CXXIII.

HÆc verba videntur quidem ita cum superioribus copulari, illorúmque sententiam absoluere, vt cùm Acheloi amnis pisces branchiis aliáve simili parte sonare dixerit, propterea

propterea nunc duas ob causas vocem eos non habere subiungat, neque sonum illum esse vocem. Alteram, quia vox non est quilibet animalis sonus; sed is, qui determinata quadam sit parte, hoc est non branchiis aut alia simili, sed pulmonibus & arteria. Alteram; quoniam ea sola vocem edunt, quæ partibus illis susceptum aërem & reddunt. Horum autem neutrum piscibus illis inest, qui nec pulmones habent aut arteriam, nec in aëre, sed in aqua degunt. Cæterùm non hoc solum sibi hoc loco proposuisse Philosophum arbitror: sed postquam separauit ea, quæ vocem non habent, nempe inanima omnia, plantas, & ex animalium genere, quæ carent sanguine, ac demum inter sanguinea pisces: simul etiam voluisse constituere, quænam tandem vocalia sint, quæque propria vocis natura sit: Vtrumque hoc ferme modo colligit, partim in antecedentibus, partim in iis, quæ consequuntur.

Vocem sonum quendam esse, manifestum est. Efficientes soni causę sunt sonantia corpora. Hæc, aut animam habent, aut inanima sunt: inanima sonare possunt, non vocem edere. Vox igitur sonus est quidam animatorum proprius. Iam animata, aut plantæ sunt & stirpes, aut animalia. Ex plantis & stirpibus non alius auditur sonus, quàm ex inanimis quibusvis corporibus: & exanguia quoque animalia carent voce. Sola igitur supersunt sanguinea. Sed neque vniuersum horum genus voce præditum est: siquidem pisces degentes in aquis nullam edunt vocem, quia non habent aërem, quem percutiant. Est igitur illorum sanguineorum propria, quæ viuunt in aëre. Cuius rei aliquam necesse est esse causam. Ea petitur ex generali natura soni. Quia cùm sonus sit motus aëris, vox quoque soni species, motus quidam aëris est: itaque animalium hoc genus oportet partem aliquam in seipsis continere, qua susciperе possint & ita mouere aërem vt sonet. Manifestum autem est, copiosum semper aërem sola arteria aspera & pulmonibus susciрi & reddi. Sola igitur hæc pars est, quę vocem edit. Eaque sola animalia, quæ hanc partem habent, vocalia sunt: & vox est aëris motus ab anima in hac parte factus. At hæc pars est respirationi dicata: vox igitur motus est seu percussio respirati aëris ab anima ad huiusmodi partem facta. Hæc fuit tota Philosophi ratiocinatio: persimilis illi, qua initio huius libri vsus est, dum animæ naturam ex animatorum inanimatorúmque corporum discrimine inuestigaret. Sed singulas eius partes interpretemur.

Ex superiùs igitur dictis vocem colligit sonum esse animalis proprium, eúmque certa & determinata parte factum. Quibus verbis superiora illa interpretatur (vox sonus quidam est animati.) Est enim sonus, quidam, tum propter subiectum seu efficientem causam, tum propter instrumentum, quo efficitur; tale inquam animati genus, & talem corporis partem determinatam: tum verò propter finem, ad quem refertur, vt statim subiunget. Nunc quod ad efficientem causam, & instrumentum attinet, vtrumque hæc est ratio. Quoniam ad formandam vocem tria illa adesse oportet, quæ in sono quouis necessaria sunt; aliquid percutiens, aliquid percussum, & aërem inter hæc medium. Aqua enim trajiciendi quidem, A at non gignendi soni medium fuerit. Quare illa sola edere vocem possunt, quę intra se susciрiunt aërem, partémque aliquam habent ad eum susciрiendum, reddendum, & percutiendum accommodatam. Hoc enim arteria & pulmonibus susceptum aërem dum excludunt, atque ad laringem & epiglottidem allidunt & verberant, vocem nimirum edunt.

TEXTVS.

B Πᾶδη γὰρ τῷ ἀναπνεομδύῳ καπαχρῆται ἡ φύσις ὀδὴ δύο ἔργοις καθάπερ τῇ γλώτῃ ὀδὲ πρὸ γεύσιν ἢ πρὸ διάλεκτον. ὧν ἡ μὲν γεύσις ἀναλκαῖον. διὸ ἢ πλειόσιν ὑπάρχει. ἡ δὲ ἑρμηνεία ἕνεκεν τοῦ εὖ. οὕτω καὶ τῷ πνεύμαπι προῖσι πρὸ ψυχρότητα πρὸ ἐντὸς, ὡς ἀναλκαῖον. τὸ δὲ ἄμου ἐν ἐπροις εἴρηπαι ἢ πρὸς πρὸ φωνὴν ὅπως ὑπάρχῃ τὸ εὖ.

Iam enim eo, qui respiratur, vtitur natura ad duo opera; sicut lingua ad gustatum & loquutionem: quorum gustatus quidem necessarius; quare & pluribus inest, interpretatio autem boni gratia. Sic & spiritu & ad calorem interiorem tanquam necessarium (causa autem in aliis explicabitur) & ad vocem, vt insit bonum.

COMMENTARIVS CXXIV.

Efficientem vocis causam & instrumentum dum exponeret, ea sola animalia dixit esse vocalia, quæ parte quadam determinata susciрiunt aërem: & quamuis eam ipse nondum nominauerit, nos tamen magis explicando arteriam & pulmones esse diximus. Is autem paulatim progrediens, primùm quidem dixit, non quamlibet, sed determinatam esse partem. Deinde nunc eam esse addit, qua huiusmodi animalia respirant. Tandem verò guttur & pulmones apertis verbis nominabit.

Hoc igitur loco antea dicit, partem eam esse, qua respirant, vt inchoatam sententiam absolueret. Nam cùm ea parte dixisset susciрi aërem, nondum erat explicatum; quomodo fieret vox. Respiratio enim duplici constat motu, susceptione aëris & redditione; inspiratione inquam & expiratione: neque vox inspiratione & susceptione aëris formatur; quia paulatim & sensim ingreditur: sed expiratione & extrusione aceruatim & cum impetu ac percussione ad laringem facta. Propterea communem respirationis vocem nominans, inspirationis & expirationis proprium vsum in natura commemorat. Vt enim lingua ad duo opera vtitur natura; tum ad gustandos sapores, dulcésque & amaros aliósque quoscumque dignoscendos, tum ad loquendum: ita & respiratione seu respirato aere, tum ad interiorem cordis calorem refrigerandum & (vt addit Simplicius) ad calorem ventilandum, ne immobilis extinguatur, & ad fuliginosas pulmonum superfluitates expellendas, tum ad formandam vocem, abutitur.

Respirationis vsus.

Calorem cordis refrigerat dum frigidus inspiratur, & pulmones subiens attollit, qui velut flabellum calidissimo membro insident. Vocis autem formandæ materia est, dum loci calefactus neque cordi refrigerando amplius vtilis expiratur, vt frigidior alius suscipiatur.

Linguæ vsus.

Cæterùm tum linguæ, tum respirati aëris hic vsus est necessitatis: alter commoditatis potiùs. Gustare lingua sapores necessarium planè fuit, vt cibi delectatione ad operationem maximè necessariam allicerentur animalia, vtiliq. aut noxio cibo cognito sustentaretur eorum vita: at loqui non item, sed commodum potiùs. Illud, vt omnino essent, quia sine elimento sustentari nequeunt: hoc, vt benè essent; dum & aliorum societate fruerentur, & cum illis conuiuentes, tum eos docerent, tum ab illis discerent. Ideò gustatus ineſt pluribus, id est omnib. loquutio solis perfectioribus, hoc est homini. Aut pluribus dixit, expositum intelligens saporum sensum: nam hic non ineſt omnibus, neque necessarius est; sed ille solus, qui conuenientiam & inconuenientiam qualitatum alicuius discernit; quare & maiori etiam animalium parti exquisitus adest saporum sensus. Refrigerare item interiorem focum summæ necessitatis est. Quoniam si vel minimum impediretur, suffocaretur statim, & calore in se ipsum conuerso interiret planè animal, mortis illo genere, quem Philosophus marcorem appellauit. At formare vocem non erat necesse, sed maximè commodum & vt benè essent.

Quid vox, quid loquutio.

Vnde tria intelligimus. Primum, aliud esse vocem, aliud loquutionem aut sermonem. Nam vox est omnis sonus per huiusmodi instrumenta vocalia factus cum imaginatione quidpiam significandi. At loquutio seu sermo articulationē habet seu distinctionē. Quam ob causam Alcinous in lib. de doct. Platonis c. 4. sermonem diffinit effluxum à cogitatione per os cum literata voce, hoc est articulata & literis distincta. Vox bestijs quoque communis est; loquutio & sermo solius hominis. In cæteris enim animalibus vocalibus etsi quædam sit distinctio & inflexio soni; eam tamen propriè articulationem nō dicimus; quòd distinctionem illam non habeat syllabarum & dictionum ad aliquid significandum, quam in humana voce animaduertimus.

Vox hominis & bestiarū quid differat.

quare in animalibus reliquis vocem solùm dearticulatam nominamus, quæ nec loquutio nec sermo dici potest: Ac proinde multò plura & aptiora in homine sunt instrumenta ad formandam & effingendam vocem. Neque nisi in eo propriè est vox cum imaginatione aliquid significandi. Nam cæterorum voces & à natura significant; & nil aliud, quàm animi affectum quempiam homo voce exprimit animi sensa & notiones mentis. Denique sola humana vox litteris constat, syllabis, & dictionibus, solaque scriptis mandari potest. Littera sonus est articulatus non ampliùs partibilis: qui si solus proferri potest, vocalis dicitur: si non potest, consonans: quæ sine vocali nullum omnino habent sonum, appellantur mutæ, quòd ex se nihil sonent ac loquantur: quæ verò aliquem habent, semiuocales; quia ad naturam penè vocalium accedant, vt perse ferè pronuntiari queant. Ex litteris fiunt syllabæ, ex syllabis dictiones, vt ex dictionibus tandem loquutio tota coagmentetur. Quæ omnia eam ob causam adieci, vt articulatam vocem intelligeres propriè solam humanam dici: & ideò rationem vocis ac definitionem analogicè conuenire

Littera quid.

Vox analoga.

hominis & aliorum animalium voci; articulatæ inquam voci & dearticulatæ.

Alterum, linguam non esse partem ad formandam vocem institutam, sed ad distinguendam & articulandam, syllabasque & dictiones figurandas. Non est inquam instrumentum vocis, sed loquutionis & sermonis: tametsi voce quoque ad inflexionem & modulationem non parùm conferat, vt in auium cantu perspicuum est. Ergò propria vocis instrumenta pulmones sunt & arteria, quæ sola autem respirationem faciunt. Lingua, dentes, labia, vtad respirandum necessaria non sunt, ita nec perse ad vocem, sed ad loquutionem & sermonem: maximè autem lingua, quare quibus crassa nimis, aut laxa, aut alligata est, ij impeditè omnino & minùs distinctè loquuntur, & voces quasdam formare aut etiam interdum planè loqui nequeunt.

Vt enim in tibijs instrumentisque musicis, per illa efflatus spiritus, digitis figuratur & distinguitur, vt hoc aut illomodo sonet: sic aër, qui à pulmonibus per arteriam velut tibiam expirat, lingua formatur, & dentibus, & in syllabas dictionesque distinguitur. Nam vt in cæteris, ita in hocce imitatur naturam, arteriæ ac pulmonum ideam spectans. Tibia enim est instar arteriæ, vter seu mulcis hominis bucca spiritum per tibiam impellens, instar pulmonum, digiti spiritum egredientem pulsantes, velut lingua aërem ex arteria erumpentem pulsans. Quare vt digitos in tibia, sic in ore linguam mouemus, dum loquimur, miroque modo agitatur in auibus, dum canunt. Iuuant etiam non parùm dentes, præsertim primores, vt in cap. 1. lib. 3. de partibus animalium habet Aristoteles, & labia: quoniam his quoque partibus frangitur, additur, & formatur aër. Idcircò bestiæ, quæ loquuturæ non erant, laxam omnino linguam & os patens labiáque deducta acceperunt à natura: & ideò quę aues humanum sermonem quoquo modo imitantur, vt Psittaci, & illæ, quarum comitis Psaphon Lybicus creatus dicitur fuisse Deus à Maximo Tyrio in serm. 19. quòd voces eas essent edoctæ, Magnus Deus Psaphon, linguæ, genarum, & labiorum conformationem habent humanæ magis similem.

Tertium, vocem esse loquutionis sermonis materiam: quippe ea in syllabas & dictiones distincta loquimur. Vocis autem materiam expiratum aërem: nam eo egrediente atque ad laringem percusso fit vox. Efficientem porrò causam, tum vocis, tum sermonis, esse animam. Sed vocis causa aut est sentiens anima, aut vegetans, aut potiùs vtraque, quoniam ab altera fit aëris respiratio, & ad alteram imaginatio significandi pertinet. Sermonis autem ea, quæ intelligit: & ideo solius hominis proprius sermo. Instrumenta verò vocis esse pulmones & arteriam asperam: loquutionis linguam, dentes, labia. Quibus demum accedit finalis causa, quæ genere eadem est, nempe significatio; sed specie diuersa. Nam vox ad animæ affectus significandos refertur, loquutio ad exprimendas mentis conceptiones. Itaque duobus modis homo cæteris omnibus præstat; ratione & oratione, qua sociale animal fit & ciuile, scientiisque ac disciplinis excultus. Has autem duas res, rationem & orationem eiusdem, ac immortalitatem, præmij esse dixit Trismegistus in Pœmandro cap. 12.

Hactenus

Hactenus satis sit hic locus explicatus; nisi illa A
supersint verba, quibus librum quemdam citat pluribus de respirationis necessitate tractantem. Auerroës librum quendam de anhelitu fuisse credidit, qui ad nos nõ peruenerit; verbáque Arist. legit tanquã de re iam explicata (causa autem in aliis dicta est.) Sed Græcè est διὰ τί τοῦτο, dicetur. Quare Philoponus & Simplicius interpretati sunt significare libros de partibus animalium & libellum de respiratione. Quam sententiam ego ea ex parte non probo, quòd libri de partibus animalium cùm hosce de anima libros antecesserint, non poterant hoc loco tanquam subsequutura tractatio proponi. Quare solum de respiratione libellum intelligo, qui & subsequuturus est, & hanc rem totam optimè complectetur.

Digressio XLVI. *Quomodo natura vno ad plura vtatur.*

IAm verò illud cuipiam difficultatem pariat; quòd hic locus, qui naturam asserit lingua & inspirato aëre ad duo vti, pugnare cum eo videatur, qui est in capite primo lib. 1. Polit. Nihil enim, inquit, natura facit tale, quale statuarij Delphicum gladium ob inopiam: sed vnum ad vnum. Sic enim optimè instrumenta proficiant, si eorum singula non multis, sed vni deseruiant.

Verùm vtriusque loci explicatio ex iis colligenda est, quæ alibi sæpè dicta sunt. Nam in 8. lib. Phys. t. 56. & in 2. de Cœlo t. 34. naturam dixit perpetuò facere id, quod est melius. Et ideò pluribus aliis in locis affirmauit, eam nec in rebus necessariis mancam & deficientem esse, neque in non necessariis redundantem & superfluam. Sanè vt ait Philoponus, compendio semper vtitur, delectatúrque quàm paucissimis: neque facit quidquam, quòd otiosum sit aut superuacaneum. Immò hoc argumento ad res complures conficiendas sæpissimè vsus est Aristoteles. Etenim in tex. 91. non multò post probabit, pisces non habere arteriam; quia cùm non respirent, frustra haberent. Et in tex. 50. lib. 1. Phys. ita probauit principia esse finita; quoniam vbi finita sunt satis, melius est finita ponere, quàm infinita quærere. Et in tex. 56. Eiusdem lib. esse duntaxat tria; quia vna contrarietas vnumque subiectum satis sunt; & plura si essent, essent otiosa. Eodem modo in tertio quoque lib. de cœlo tex. 37. & 38. argumentatus est. Et in tex. 31. & 32. lib. 1. vnum motum in orbem ratiocinatus est non esse alteri contrarium; quia eorum alter esset frustra. Et in cap. 1. lib. 3. de partibus animalium nullum animal habere simul serratos & exertos dentes; quoniam altero modo dati essent frustra. Et in cap. 11. lib. 4. pisces, oues, & ouipara omnia, non mouere inferiorem maxillam triplici motu, sursum, deorsum, & ad latera, sicut mouent homo & viuipara; sed sursum duntaxat & deorsum: quia cùm careant maxillaribus dentibus, tertius ille motus, qui ad molendum & conficiendum cibum oppositus est, esset frustra. Et in cap. 13. piscibus nulla membra pendentia fuisse apposita, vt brachia & crura; quia essent superuacanea; si quidem piscis natura sua natilis est, atque ad natandum satis sunt pinnulæ. Ac demum in 2. lib. de animalium ortu cap. 4. In quibus est sexus maris & fœminæ, solam fœminam gignere non posse; quoniam mas esset frustra.

Natura nihil frustra.

Contrà vero interdum argumentatus est ex eo, quòd eadem hæc ipsa natura minimè deest in necessariis. Quemadmodum in tex. 50. lib. 2. de cœlo astra probauit progrediendo non moueri; quoniam si ita moueri debuissent, natura prouidisset illis instrumenta illi motui necessaria. Et tex. 59. ea esse sphærica; quia cum incedendi motum habitura non essent, credendum est naturam, quæ summo consilio operatur omnia, figuram illis dedisse ad incessum minimè aptam. Et in tertio lib. de anima tex. 44. plantas; & tex. 45. animalia, quæ perpetuò affixa manent, progrediendi facultatem non habere; propterea quòd si eam haberent, natura præparasset illis instrumenta ad illum motum opportuna. Et in tex. 60. animalia sensum habere; quoniam is ad quærendum alimentum vitámque sustentandam necessarius erat. B

Nihil à natura mancũ.

Si igitur compendio maximè delectatur natura, neque facit quidquam, quod necessarium non sit; nec tamen in necessariis deest; duo hinc consequi necesse est. Alterum est, eam instrumentorum numerum non augere, vbi commodè & æquè benè vnico ad plura munera vti potest. Neque solùm in hoc loco eam dixit ad duo vti lingua & aëre inspirato, sed in cap. 10. lib. 4. de partibus animalium: tum in masculo, tum in fœmina, eadem corporis parte eam abuti, & ad eiiciendum humidum excrementum, & ad rem veneream. Et cap. 16. lib. 2. Elephantum proboscidevti, tum ad sumendum cibum tanquam manu, tum ad odorandum: aliáque his similia pluribus in locis. Et omnino voluit neruum esse sensus & motus instrumentum, córque facultatum omnium & operationum parentem & architectum. Nunc autem quod ad rem præsentem attinet, neutra sanè functionum harum alteram impedit: nec minùs perfectè sapores lingua gustamus, aut cor inspirato aëre refrigeratur; quòd illis iisdem loquamur & edamus vocem. Immo si benè rem totam examines, non solùm non fierent meliùs hæ operationes, si plura essent instrumenta: quin potiùs alia, quàm hæc, esse non poterant. C D

Natura vno ad plura vtitur.

Alterum est; si quæ sint munera, quæ aut nullo modo, aut non commodè & exquisitè vnico instrumento fieri poterant; in his prudenter auctum fuisse instrumentorum numerum. Quareverissimè illud pronuntiatum fuit; Non quemadmodũ ærarij ferrariúe fabri gladium, quem Delphicum appellabant, ob vtentium inopiam ad multos vsus habilem fabricabant; vt vnico sumptu pauperes plura sibi quodammodo instrumenta pararent: sic operari naturam. Sed aut singulis operibus singula adhibere instrumenta, quando vnum plura commodè non potest exequi, vt seruos ad seruiendum, & fœminas ad sobolem procreandam (hoc. n. est, quod eo loco agit Philosophus) & ideò à natura distincta esse fœminam & seruum; neque fœminã natura esse seruã. Aut si commodè possit, instrumẽto vni opera plura committere: neq; id eam ex inopia facere, sed ne quid frustra & superuacaneũ moliatur. Quòd si plures interdũ partes ad eandẽ operationem præparat, vt in gallinaceo calcaria & rostrum, in falcone vngues & rostrũ, eodémque modo in aliis pluribus: hæc instrumenta diuersarũ rationum sunt, naturáque & operandi modo nõ parũ inter se differũt. Sic. n. ad vocẽ quoque parati sunt pulmones & arteria; & ad sermonem lingua, dentes, & labia: plura scilicet vnius operationis instrumenta, sed inter se diuersa, alióque atque alio modo operationem eam adiuuantia. E

exponitur locus ex 1. polit. lib.

TEXTVS.

Ὀργανον δὲ τῇ ἀναπνοῇ, ὁ φάρυγξ· ἕνεκα γὰρ τοῦ μορίου τούτου ἔστι τὸ πνεύμων· τούτῳ γὰρ τῷ μορίῳ πλεῖον ἔχει τὸ θερμὸν τὰ πεζὰ τῶν ἄλλων. δεῖται δὲ ἀναπνοῆς καὶ ὁ περὶ τὴν καρδίαν τόπος θερμότατος. διὸ ἀναγκαῖον ἐστὶν ἀναπνεόμενα, εἰσιέναι τὸν ἀέρα.

Tex. 89 *Instrumentum autem respirationi guttur. Cuius autem causa hæc pars est, pulmo. Hæc enim parte plus habent caloris pedestria, quàm alia. Indiget autem respiratione & qui circa cor locus primus. Quare necesse est intrò respiratum aërem ingredi.*

COMMENTARIVS CXXV.

NVnc tandem determinatam illam partem nominat, quam antea dixerat formandæ voci necessariam esse: quæque aërem illum inspirat, quo postremis verbis affirmauerat interiorem calorem refrigerari: ac rursum expirat, vt frigidiorem alium inspiret, eóque expirato formatur vox. Hæc igitur pars, quæ respirationis instrumentum φάρυγξ. existit, est φάρυγξ. Quæ vox & fœminini generis esse potest, & masculini: ac priori quidem modo fauces significat, hoc est vastum illum hiatum, qui post linguæ radicem sequitur & τραχεῖαν, id est fistula seu arteria aspera, vocatur. Posteriore autem laringem seu guttur, hoc est supremam faucium & arteriæ partem, quæ tribus constat cartilaginibus; duplici interiore, & exteriore tertia, quæ à clypei seu scuti forma nomen habuit. Hæ à proximis contractæ musculis aut dilatatæ vocem faciunt acutam, aut grauem, aliásque eius differentias; de quibus in 4. lib. de hist animalium cap. 9. & 5. de eorumdem ortu cap. 7. & sect. 11. & 19. problematum. Hæc enim diuersitas, tum ex reliquis instrumentis sumitur, tum ex hac parte potissimùm, animalisque vocem formantis calore. Nam si arteria sit magna & ampla, calórque vehemens, fit vox magna, grauis, & valida, quia multum aëris à magno calore pellitur. Sin autem ea sit ampla, sed exilis calor; fit quidem vox magna & grauis, sed tarda & debilis; quia multus aër à paruo calore mouetur. Si angusta & calor magnus, acuta vox, sed vehemens & velox: paruus enim aër à magno calore truditur. Quòd si debilis sit calor, vox erit acuta, exilis, & tarda; quia caloris motus est debilis. Propterea pueri acutam, sed vehementem habent vocem; quoniam angusta arteria, sed magnus calor. Quia tamen is ab humiditate obtunditur, vehementior fit vox procedente ætate, quæ nimiam absumit humiditatem; voxque in crassiorem mutatur, quòd dilatetur arteria, plúsque aëris susciptiatur. Eo scilicet maximè tempore, quo incipit semen emitti. Tunc enim dilatantur omnia vasa, propter maiorem caloris vim. Mulieribus etiam & eunuchis acuta vox, propter caloris defectum & arteriæ angustias, quæ parùm suscipiunt aëris; qui dum facilè mouetur, celerem & concitatam edit vocem. Grauior viris & tardior; quia dilatata arteria plus aëris hauriũt, quodæ grius ac tardiùs mouetur. Propterea vituli & vaccæ graviorem, quàm boues, videtur habere vocem: quoniam cùm æquales habeant arterias, minorem habent virtutem. Contrà ægrotantes & fatigati acutiorem edunt vocem, quàm iidem sani & quiescentes: quoniam contractam habent arteriam & parum aëris mouere possunt. Denique ex inæqualitate arteriæ euadit vox aspera, ex æqualitate lenis, ex siccitate inflexibilis & dura, ex humiditate flexibilis & mollis.

Vocis formatio.

Laringi porrò insidet epiglottis ad totius meatus custodiam, ne cibus aut potus ingrediantur, dum ad œsophagum traducuntur; sed solus aër. Itaque laringem quidem & guttur (quidquid dicat Auerroës) interpretari hoc loco oportet; quoniam cum articulo masculino ὁ φάρυγξ legitur. Sed tamen necesse est totam etiam arteriam asperam intelligere, quemadmodum Philoponus, Simplicius, & Themistius intellexerunt. Tum quia ea tota, non laringe solo, respiramus; hoc est suscipimus & reddimus aërem. Tum quia Aristoteles ipse ita visus est exponere, dum statim subiungit (cuius autem causa hæc pars est, pulmo) propter pulmones enim non solùm larinx, sed arteria tota, quæ illis inseritur, ducitque & reducit aërem, facta est. Laringen tamen seu pharingen potissimùm nominauit; aut quòd caput sit & principium totius arteriæ; aut potiùs quoniam non per se, sed propter vocem de respiratione loquebatur: neque instrumentum respirationis per se consideratæ quærebat, sed quatenus respiratus aër edit vocem: hanc autem edit, dum ad laringem verberatur; isque præcipua est arteriæ pars, quæ si non respirationis, vocis certè instrumentum sit dum aër ad membranas in interiori eius suprema parte vtrinque positas & ad epiglottidem alliditur & frangitur.

Arteriam autem factam dixit propter pulmones; quia nil aliud ipsa est, quàm via & ductus aëris ad illos, atque in iis plane terminatur & absoluitur, & vt quæcumque animalia pulmones habent, arteriam item habent; ita quæ pulmonibus carent, carent & arteria. Hæc porrò sunt cordata omnia. Siquidem ad cor refrigerandum & interiorem illum calorem mitigandum pulmones velut flabellum appositos fuisse, cuiuis erit manifestum, qui eos omni ex parte amplectentes cor intueatur: rursúmque animaduertat, animalia omnia, quæ pulmones habent, habere cor: tametsi quædam cor habeant sine pulmonibus, vt in lib. de respiratione cap. 13. traditur. Sed hæc alium habent respirationis modum: pisces inquã per fistulã à corde ad brãchias ductam, quę aquam suscipit, vt aërem in cęteris arteria. Quare arteria propter pulmones facta est, pulmonésq; propter cor. Tametsi ad vocem quoque edendam, vt respirato aëre, sic arteria & pulmonibus vtatur natura; atque vtrumque hunc respirationis vsum in lib. quoque de sensu & sensili cap. 5. tradi legimus.

Quapropter cum arteriam Aristoteles factã ait propter pulmones; primus quidem & magis prœcipuus finis est cor, sed proximus pulmones. Cor. n. calidissimũ est illud membrum, quod refrigerante indiget aëre. Atque hoc sibi volunt illa verba (indiget autem respiratione & qui circa cor locus primus) hoc est id, quod primũ & per se respirationis refrigeratione indiget, est cor; quia est primũ & per se calidũ. Quare necesse est intrò suscipi aërẽ inspiratum. Nam dum respiratũ dicit, generali voce pro speciali vtitur; siquidẽ respiratio & inspirationem & expirationem complectitur. Idcirco arteria aspera cartilaginea tota est, & circulis seu annulis constans; vt patens semper & apertus sit aëris locus: estque satis lata & ampla, vt multus aër

aër suscipiatur, multáque fiat refrigeratio. Pulmones autem sua quidem conditione frigidi sunt, neque refrigeratione opus haberent: sed tum vicinitas cordis facit, vt calescant & quoquo modo refrigerari debeant: tum etiam multus sanguis, quem in quibusdam animalibus continent. Sic enim legimus in lib. de respiratione cap. 4. Ha-
„ bentia pulmonem refertum sanguine omnia ma-
„ gis indigent refrigeratione propter copiam caloris. Et ideò hac etiam parte animalia pedestria cæteris calidiora esse dicuntur: nimirum illis, quæ degunt in aquis, neque pulmonibus, sed branchiis refrigerantur; aut etiam ipso contactu frigidæ aquæ, in qua viuunt.

Cæterùm respirationis duplicem alium vsum addit Simplicius. Alterum caloris ventilationem: alioqui immobilis manens extingueretur. Alterum fuliginosarum superfluitatum extrusionem. Tertium habet Galenus, vt inspirato aëre nutriatur spiritus & reficiatur. Quod minimè verum esse, ostensum est antea, cùm de spiritu ageretur.

An pedestria animalia aquatilibus calidiora.

Hoc loco Philoponus, cùm pedestria animalia plus caloris habere audiuit, intelligendum esse nolnit ea vniuersè aquatilibus calidiora esse; sed solùm hac parte, hoc est pulmonibus, maiorem habere calorem, quàm ea, quæ pulmonibus carent: alioqui quædam esse aquatilia pedestribus natura calidiora. At Aristoteles in lib. de respiratione cap. 13. magnopere reprehendit Empedoclem, qui ea, quæ in aquis degunt, calidiora esse affirmauerat; omninóque frigidiora esse contendit. quòd aut exanguia prorsus sint, aut paucissimum sanguinem habeant. Et ideò in elemento frigidissimo viuunt; quia vnumquodque in loco sibi simili optimè conseruatur. Et quamuis pisces quoque cordati sint; hoc tamen membrum multò maiorem in pedestribus calorem habet.

Quare si à corde & sanguine vniuersum corpus calescit; manifestum est pedestria toto corpore aquatilibus calidiora esse. Accedit, quòd plures illa operationes habent, quæ sine magno calore fieri nequeunt. Verùm similia cum similibus comparanda sunt: sanguinea inquam pedestria cum aquatilibus sanguine item præditis; exanguiáque cum exanguibus. Alioqui pisces sanguine præditos fatebitur Aristoteles pedestribus quibusdam, quæ exanguia planè sunt, calidiores esse. Etenim illi & sanguine calescunt & corde, & aliqua opus habent refrigeratione aquæ per branchias subeuntis: his nec sanguis inest, nec cor, sed cordi quidpiam analogum; neque inspirato aëre refrigerantur, neque aqua.

An pisces arenam alimonio sustententur.

At enim inquit Philoponus coquunt quidam pisces arenam & limosa omnia; quæ non coquunt pedestria. Ego verò haudquaquam dixerim humido animali alimentum esse terrestre purámue arenam: sed ex limosa substantia illud accipere quidquid succosum est & ad nutritionem aptum; reliquum esse potiùs excrementum. Sed & pedestria duriores & solidiores multò conficiunt cibos. Et plantæ, quæ minimum inter viuentia calorem habere existimantur, an non terra & limo sustentantur? non parùm enim iuuat temperaturæ similitudo. At prolixior hac de re disputatio ad alium locum pertinet.

TEXTVS.

Ὥστε ἡ πληγὴ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος ἀπὸ τοῦ κατὰ τὰς πύπους τόπου μορίοις ψυχροῖς ποιεῖ τὸ καλούμενον ἀρτηρίαν, φωνὴ ἔστιν· οὐ γὰρ πᾶς ζῴου ψόφος, φωνὴ, καθάπερ εἴπομεν· ἔστι γὰρ τὰ γλωττίζοντα ψοφεῖν, ὥσπερ οἱ βήττοντες· ἀλλὰ δεῖ ἔμψυχόν τε εἶναι τὸ πύπτον, καὶ μετὰ φαντασίας τινός· σημαντικὸς γάρ τις ψόφος ἐστὶν ἡ φωνή· καὶ ὁ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος, ὥσπερ ἡ βὴξ· ἀλλὰ τούτῳ πύπτει τὸ ἐν τῇ ἀρτηρίᾳ πρὸς αὐτόν.

Quare percussio respirati aëris ab anima, quæ in his partibus, ad vocatam arteriam, vox est. Non enim omnis animalis sonus vox, quemadmodum diximus, est enim lingua sonare, vt tussientes. Sed oportet, & animatum esse verberans, & cum imaginatione aliqua. Significatiuus enim quidam sonus est vox: & non respirati aëris, sicut tussis: sed isto verberat eum, qui est in arteria, ad ipsam. Text. 90

COMMENTARIVS CXXVI.

HOc illud est, quod tanta arte tanquam admirabili methodo, quantam quámque admirabilem superius vidimus, quærebat Philosophus; vt definiret quid sit vox: Propterea primùm animata ab inanimis separauit: deinde plantas ab animalibus: tum exanguia omnia animalia & pisces, qui aërem non respirant, à sanguineis illis, quæ momentis omnibus tum inspirant, tum expirant. Postea partes illas nominauit, quibus ea fit respiratio; guttur, & pulmones. Denique causam subiunxit perennis huius respirationis, interioris scilicet cordis & pulmonum caloris refrigerationem. Vt tandem ex iis omnibus hanc vocis definitionem colligeret: Vox est aëris respirati percussio ad arteriam, facta ab anima, quæ in hisce partibus inest.

Vox quid & quomodo fiat.

Esse aëris percussionem, commune illi est cum omni sono; reliqua specialia sunt & vocis propria; atque ex illis petita, quæ & antea de sono vniuersè explicata fuerunt, & ad intimam illius naturam pertinent. Ex corporibus inquam percutientibus, quæ tum efficientes causæ soni sunt, tum iuxta diuersam suiconditionem sonandique facultatem, alias atque alias sonorum differentias pariunt. Id, quod percutit, est anima: nec quæuis anima, sed ea, quæ in eiusmodi vocalibus animalibus insit: neque anima per se considerata; quia id, quod percutere & sonare debet, necesse est esse corpus: sed ea, quatenus est in corpore & illud mouet. Neque vt est in quauis corporis parte aut quamlibet mouet: quoniam vox est sonus, non qualiber, sed determinata parte, factus. Verùm quatenus est in hisce partibus, quæ ad respirandum aërem aptæ sunt; pulmonibus scilicet & arteria. Pulmones enim dum concidunt, contentum in se aërem per arteriam pellunt, atque ad eam percutiunt & verberant. Quare percussum & verberatum corpus est arteria, & maximè suprema illius pars, larinx. Nam etsi in arteria tota, quæ dura est, cartilaginea, & plurimis quasi anulis distincta, percussio fiat, tum ad ipsam, tum ad nouum aërem ingredientem; multo tamen maior fit in laringe, qui

& cauernulas habet, in quibus frangitur aër; & dur- A
rior est & pluribus constat cartilaginibus, quæ
contrahuntur & dilatantur; & epiglottidem quo-
quoque incumbentem habet, ad quam etiam
magnopere alliditur & frangitur. Quam rem sen-
sus ipse confirmat. Nam dum loquimur aut cani-
mus, ea præ cæteris miris modis moueri agitari-
que conspicitur.

Verùm aut nondum satis definitum est, quid sit
vox: aut id, quod dictum est, vocem fieri ab anima,
alio quodam modo accipiendum est, quàm verba
prima specie præ se ferant. Etenim non omnis, sed
quidam sonus ab anima factus vox est. Neque is
satis contrahitur, dum sonus esse dicitur in hisce
partibus factus, inspirati aëris percussione: quo- B
niam tussis eiusmodi quidpiam esse videtur: nec
tamen vox est. Nam qui tussiunt, vt pituitam aut
aliquid aliud noxium per arteriam defluens ex-
pellant, aërem simul inspiratum trudunt: immò &
linguam mouent, quæ loquutionis & sermonis
proprium instrumentum est. Nec tamen tussis est
Tussis à voce vt differat. vox: sed pluribus modis à voce distinguitur. Pri-
mùm in voce sensim & naturaliter egreditur aër
ordinatéque percutitur paulatim protrusus: in
tussi autem aceruatim, præter naturam, inordina-
tè & coactè: nec solùm aër egrediens percutitur,
sed repercutitur quoque, vnde corporis concussio C
nascitur, non valente aëre id expellere, quod natu-
ræ noxium est. Deinde non tam fit motus aëris
in arteria, qui ad vocem requiritur; quàm in ore
per linguam; vnde tussientes lingua sonare dixit
philosophus. Non enim intendit natura mouere
aërem in arteria, sed noxiam materiam pellere.
Tum verò vox volente animali producitur: tussis
non ex voluntate, sed natura ipsa cogente vel in-
uitum. Denique vox ad significandum quidpiam
comparatur: tussis non ad significandum (nisi for-
tasse ex accidenti, si ita inter quospiam conuene-
rit) sed ad expellendum id, quod naturæ noxium
est & inimicum. Vt igitur vox à tussi distingua- D
tur, animatum esse oportet id, quod percutit, &
cum imaginatione aliqua percutere.

Quæ verba ita interpreteris, vt aut alia conditio
addatur, quæ superiori definitione non contine-
retur; aut prior illa explicetur quomodo accipienda
sit. Dum enim vox dicitur esse percussio facta ab
anima; intelligendum est eam fieri ab anima non
merè naturaliter operante, sicut cætèræ omnes
operantur formæ; sed quatenus anima est. Et quo-
niam ea, quæ vocem edunt, sola sunt animalia: ope-
rari debent quatenus animalia sunt, hoc est ex co-
Vox & loquutio gnitione & appetitu. Quare cùm duo sint cogno- E
scendi principia, quibus tota animalium vita diri-
gatur; in bestiis imaginatio, in homine intellectus:
vox, quæ bestiis quoque inest, ab imaginatione di-
rigitur; loquutio hominis ab intellectu: voxque
formatur percutiente aërem anima cum imagina-
tione naturales affectus & perturbationes signifi-
candi neque articulatione indiget; quia vt affectus
simplices sunt, ita simplici sono explicari debent.
at in homine in syllabas & dictiones distinguitur,
dirigente intellectu ad interiores suas ac multipli-
ces notiones promendas atque aliis significandas.

Vocis definitio. Si ergò tota vocis definitio colligatur; vox erit
percussio, hoc est sonus (sonum enim esse motum
& percussionem dictum est) factus ab anima, aëre
à pulmonibus respirato & ad arteriam percusso,
cum imaginatione quidpiam significandi. Quo-
circa verè omnino vox sonus quidam initio ap-
pellata fuit. Non solùm quia est sonus talis, fa-
ctus ex tali aëre, tali percussione, & tali parte cor-
poris determinata; sed etiam quia inter omnes so-
nos, qui ita fiunt, ea non solùm est sonus respirati
aëris, sicut tussis; sed etiam est sonus ad significan-
dum comparatus. Et rursum non est sonus aëris
immediatè ad arteriam percussi, sicut tussis, quæ
noxij cuiuspiam inter aërem respiratum, & eum
qui est in arteria, ingruentis violentam habet ex-
pulsionem: sed aëris, qui primùm verberat alium
aërem, qui est in arteria, eúmque ad ipsam arteriam
impellit & percutit; atque ita paulatim & ordinatè
non tumultuariè progreditur; nec immediatè, sed
alterius interuentu ad arteriam percutitur.

Sanè si hanc vocis definitionem attentiùs consi-
deres, omnes illius quattuor causas reperies. Effi- *Vide Comm.*
ciens enim causa est anima, instrumentaria pulmo-
nes & arteria; materialis aër respiratus; finalis signi-
ficatio; formalis demum percussio seu sonus signi-
ficans. siquidem finis & forma in vnum coincidit,
vt est in tex. 70. lib. 2. Phys.

Sed quod dicitur, vocem ad significandum re- *Vide quæst. 10.*
ferri, intelligendum est ad significandum aliquid *Comm. 10.*
à se diuersum. Neque satis est, vt (quòd recentiores
dicunt) vox se ipsam significet, vt blitiri & eiusmo-
di aliæ voces fictæ: nam si nil à se diuersum signi-
ficant, voces propriè non sunt. Est enim voci essen-
tiale & in definitione positum, rem aliquam si-
gnificare.

TEXTVS.

Σημεῖον δ', τὸ μὴ δύνασθαι φωνῆν ἀναπνέοντα, μηδ' ἐκπνέοντα, ἀλλὰ κατέχοντα· κινεῖ γὰρ τότο ὁ κατέχων.

Signum autem, non posse vocem edere respirantem, neque expirantem, sed detinentem. Mouet enim hoc retinens.

COMMENTARIVS CXXVII.

OStendit id esse verum, quod postremum af-
firmauit; vocem aëre paulatim & sensim ex-
pirato fieri. Quoniam neque dum inspiramus (re-
spirationem enim dixit pro inspiratione, generali
voce pro specialiter ens) neque dum expiramus, vo-
cem edere aut loqui possumus. Inspiratione id fie-
ri non posse, manifestum est. Quia vox non fit *De loquutione.*
dum suscipitur aër, sed dum expellitur: isque qui
ingreditur, alterius egressum, qui sonare & vocem
reddere posset, magnopere impedit. Dum autem quis
expiratur, si totus simul & confertim excludatur,
vt fit in tussi; nequaquam vocem formare licet:
quoniam toto aëre subitò expirato statim vox de-
ficiente materia deficeret, nouóque aëre subeun-
te interrumperetur. Oportet igitur aërem de-
tineri; neque totum simul, sed sensim & pau-
latim extrudi vt quasi ad animæ imperium re-
spirationem modereris; vt vox continuari &
diutiùs protrahi possit. Sanè qui frequenti in-
digent respiratione; vt anhelantes, loqui non
possunt: quòd aërem nequeant detinere.

Idcirco

Idcircò, inquit Hippocrates in lib. de principiis, » homines vbi voluerint edere magnam vocem, at- » trahentes spiritum externum, eum foras propel- » lunt & magnam vocem edunt, prout spiritus du- » rat : postea verò vox contabescit. Sed & cytha- » redi, cùm ipsos vocem intendere oportuerit, spi- » ritum quàmplurimum intrò trahentes pronun- » tiationem extendunt & vociferantur, ac magnam » vocem edunt, prout spiritus durauerit : vbi verò » spiritus defecerit, desinunt. Hoc quidem multo tempore non fit, quia loquendo, & expirando aër consumitur. Sed nec diu anhelitum cohibemus, quoniam interior cordis calor refrigeratione indiget, nec diu potest sine illa consistere. Et ideò vocem sæpè interpolare cogimur, & inter loquendum trahimus sæpè spiritum. Quò tamen quisque diutiùs interiorem aërem continebit, eò diutiùs vocem, & sermonem continuatum protrahet: illosque non parùm miramur, qui longam aliquam sententiam vno spiritu pronuntiauerint. Sed hi & multum aërem antea inspirant, & illum retinent, paulatimque & sensim expirant. Non. n. fieri potest, vt simul loquamur aut edamus vocem, & respiremus: quoniam hæc contrarios motus significant. Vox aut loquutio retentionem aëris & percussionem ad arteriã, seu ad aërem in ipsa contentum; respiratio susceptionem & redditionem, seu transitum ab exteriori ad interius & contra.

Quæ verò postrema sunt verba, multi ita legunt (mouet enim isto retinens) & ita exponi solent ab omnibus, vt significent, retento aëre fieri vocem; quoniam eo retento mouetur is, qui est in arteria, & ita fit vox. Quæ sententia est vera, sed parùm accommodatè ex philosophi verbis collecta. Græcè enim ita habetur (κινεῖ γὰρ τοῦτο ὁ κατέχων) quæ ita latinè reddenda sunt (mouet enim hoc retinens, seu qui retinet.) Vbi pronomen (hoc) est in accusandi casu positum; vt sensus sit, retento aëre nos propterea loqui, quia eum nõ statim eiicimus, sicut cùm totum simul expiramus: sed illum mouemus, hæc est allidimus & percutimus ad alterum aërem in arteria contentum, atque ad ipsam arteriam; & ideò vocem edimus. Hunc enim retenti aëris motum voluit Aristoteles ab inspiratione, & expiratione distinguere; vt exponeret id, quod dixerat, non inspirato, aut expirato, sed retento aëre fieri vocem. Atque hoc etiam totum ad illam definitionis particulam explicandam pertinet, qua vocem definiuit respirati aëris percussionem: & ostẽdendum, aërem inspiratum non statim reddendum esse, sed retinendum; vt paulatim expiratus cum percussione reddatur.

Digressio XLVII. *De institutione & significatione vocum; humanaque loquutione.*

Humana vocis institutio.

AVctor est Aristoteles in primo lib. de animalium historia cap. 1. ita fuisse naturã comparatum, vt quædam essent animalia omnino muta, alia strepitum duntaxat ederent, alia demum vocem quoque formarent: & in his quidem permulta vocem solam nullis litteris exprimendam darent, aliqua loqui etiam possent. Et quoniam diuinissimum hoc animalium genus est homo, cui is potissimùm huiusmodi egerit voce, Platonicè proposuit Simplicius in præfatione commentariorum ad Aristotelis Categorias. Sic autem ratiocinatur. Sunt in nobis mens & anima: in mente notiones & res, quæ intelliguntur, sunt idem; sed nulla ibi vox. Anima verò, dum ad mentem conuertitur, habet & ipsa (quamuis secundo loco) notiones & res in vnum coniunctas: dum autem à mente discedit, notiones à rebus separat, & loco rerum formas sibi quasdam format & notiones, quas nititur rebus accommodare, vt earum cognitionem habeat. Sed eadem anima in generationem prolapsa & obliuione repleta, aspectu indiget & auditu, vt ad eorum, quæ cognouerat, reminiscentiam excitetur. Et ideò opus est aliquo, qui iam viderit veritatem, vt voce prodeunte à notione, quam habet, excitet in audiente notionem illam, quæ iam erat obliuione sopita; & ita alter quoque veritatem agnoscat.

Multò melius adferre potuisset peripateticum illud in primo polit. lib. cap. 2. hominem esse ciuilem, aliorumque societate delectari; societatem autem & ciuilem conuictum sine mutua communicatione, & significatione eorum quæ mente cõcipimus, non posse consistere. Quæ fortasse est causa, cur ægriùs multò cum exteris conuiuamus nationibus, quarum ignoremus idioma: quoniam propter vocum diuersitatem communicatio, & consuetudo impeditur. Communicatio verò propriorum esse debet, quæ aliis quoque impertiantur. Itaque animalibus cæteris, quæ solum habent incũdi & molesti sensum, ea data est vox, quahæc significare possent. Homo habet etiã sensum iusti & iniusti, recti & praui, honesti & turpis, veri & falsi: omniumque cognitionem per rationem, & imperium per voluntatem. Et ideò non solùm est sociale animal, sed diuinum & intelligens, res mente comprehendens, earúmque notiones formans à rebus acceptas per sensus, & eas ex voluntate aliis communicans. Vnde societas existit politica inter homines à bestiarum conuictu longè diuersa: ex qua domus & ciuitates coactæ sunt, prout communicatio hæc vel inter homines solùm eiusdem familiæ continetur, vel etiam in tota aliqua ciuitate versatur. Sed quoniam hominis intelligentia, eiusque notiones occultæ sunt, opus fuit aliquo signo, quo alteri indicarentur. Hócque aliquid esse debuit, quod sub sensum caderet, quia homo sensu ad intelligendum ducitur: vt ita alter, cui sensile signum proponitur, ducatur ad percipiendam notionem, quæ inest in animo proponentis. Debuit etiam esse facile, ac omnibus præsto, vt facilè posset omnibus proponi. Ac demum variabile, ac commutabile, quòd infinitæ propemodum sint & diuersissimæ hominum conceptiones.

Ineptissimi ad hoc fuerunt tres sensus, tactus, gustatus, odoratus, & eorum obiecta. Tactus nimis est materialis ad immateriales animi notiones explicandas: neque ea, quæ sub ipsum cadunt, vanitatem tantam admittunt, vt tam diuersæ possint explicari notiones. Quoniam tamen hoc sensu quoque comprehenduntur figuræ, quibus vti ad representandas notiones possumus; eo non parùm iuuamur: sicut Dydimum à natiuitate cæcum Rufinus Ecclesiasticæ hist. lib. 2. cap. 7. & Socrates lib. 4. cap. 20. & Theodoretus libro quarto cap. 27. aliique scriptores referunt solo tactu disciplinas mathematicas didicisse, eadémque arte possemus discere caracteres omnes, & legere; si ea constarent materia, in qua figura quæpiam perciperetur. Gustatus autem & est tactus quidam,

& multò pauciora comprehendit. Porrò odores in nostra potestate non sunt; quemadmodum ea esse oportet, quæ notiones nostras repræsentare debent: vt & illis vti liceat vbi libuerit, & variis modis fingere, ac formare. Aspectus, & auditus, seu colores & soni supersunt. Colores & sunt extrinseci, nec in nostra potestate; nec flecti facilè ac formari possunt. Doubus tamen modis aspectui proponuntur notiores; aut gestibus, & nutibus, quemadmodum muti faciunt; aut figurando aliquid, vt picturis, litteris, caracteribus. Vtrumque autem signorum genus plurimis modis ad innumerabiles notiones exprimendas variare licet.

Quamquam litteris non significantur immediatè notiones, sed voces. Et ideò illis vtimur ad absentes aut ad eos, ad quos voces nequeunt peruenire: ad præsentes vtimur voce. Vox. n. ad significandas notiones aptissima est. Tum quia semper est nobis præsto & in nostra potestate; potestque innumerabilibus modis fingi ac formari; ad eamque formandam habemus omnia instrumenta à natura. Tum quia sonus vniuersè aptus est aliquid indicare; vt sonus campanæ, tubæ, & similium; atque in animalibus affectiones animæ significat; vt suspiria, gemitusque dolorem; plausus manuum lætitiam. Vox igitur hominis perfecta & articulata fuerit aptissima ad notiones mentis repræsentandas. Inde illud apud Platonicos, Per Os ingrediuntur mortalia, & egrediuntur immortalia; hoc est mētis conceptiones: & apud peripateticos; Auditus est disciplinæ sensus: quod sumptum est ex cap. 1. li. de sensu & sensili, vbi sermonem audibilē, qui nominibus constet, quæ sunt rerum symbola, causam esse disciplinæ Auditumque ad prudētiam conferre plurimùm; & ideò cæcos à natiuitate prudentiores esse surdis & mutis, docuit Aristoteles. Quemadmodū igitur vox est ad significādum aptissima, sic data est animalibus ad communicandum aliquid, quod intus lateret; animalibus plerisque dearticulata, ad affectiones aliquas animæ significandas; homini articulata, propter animi notionum communicationem. Quare quàm est illi propria hæc communicatio, nempe vt est animal sociale, intelligens, & politicum; tam est propria vox articulata.

Vox ad significandum aptissima.

Angelorum loquutio.

Sed enim quoniam separatæ quoque mentes substantiæ sunt intelligentes, in quibus summa viget politia, vt Dionysius Areopagita docuit; nec tamen vocibus hisce vtuntur ad conceptionum suarum communicationem; quæri meritò posset, quænam sit in illis communicatio & loquutio. Sanè in his quoque loquutio est; alia tamen, quàm in nobis. verùm ad hunc locū, in quo de humana voce agitur, quæ sensu auditus percipiatur, non pertinet explicare, quomodo ea perficiatur.

In absoluta verò & perfecta hominum communicatione quatuor continentur. Primum res, quæ cognoscuntur. Deinde notiones, quę de rebus formantur. Tum voces quibus significātur notiones. Postremò litteræ seu scripta, quæ vocum seu notionū sunt signa. In quibus sunt maximè quatuor considerandā. Primùm notionum communicationem duplici eguisse signo, voce & scriptis. Quia. n. vox ad præsentes duntaxat peruenire potest, statimque cum ipsa pronuntiatione interit; vt cum absētibus, & posteris quoque communicatio esset, fuere præter vocem necessaria scripta. Ad præsentes tamen voce potiùs, quàm scriptis, vtimur; quoniam promptior est, & expedita magis.

Vox, & scripta.

Alterum; in his quatuor, quæ commemorani, eum quoque quem præposui, seruari ordinem. Nam notiones supponūt res ipsas, quarum notiones sint: voces sequuntur notiones. quas debent significare: vltima sunt scripta, quæ ob defectum & inconstantiam vocum adhibentur. quam ob causam Aristoteles initio lib. de interpretatione voces dixit esse signa eorum, quæ sunt in anima; & scripta esse signa eorum, quæ sunt in voce.

Tertium; in his quatuor esse duo, quæ significentur; res & notiones: & duo, quæ significent; voces & scripta. In quibus voces primùm natura ipsa instigante fuerunt institutæ, & per naturalia instrumenta formatæ; scripta verò planè ex arte; dum obseruatum est diffluere voces, & societatem tamen politicam communicatione cum absentibus & posteris indigere. Nec parum iuuit innata gloriæ, & immortalitatis cupiditas.

Quartum in hoc duplici signo voces significare notiones & res, scripta autem repræsentare & voces & notiones & res. Fuerunt. n. in vocum quoque defectum substituta. Quapropter dum librum quempiam legimus, non solum autoris conceptiones & res ipsas nos cernere, quemadmodum si vocem audiremus; sed audire quoque loquentem autorem nobis videmur. Cæterùm quoniam de vocibus duntaxat propositum est hoc loco agere; de illarum significatione pluribus dicendum est.

Altera digressionis pars. De vocum significatione.

PRimùm autem explicare oportet, quid voces significent. Signū illud esse existimamus, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, in alterius cognitionem deducit. Sic. n. sanctus Aug. definiit in 2. lib. de doctrina Christiana cap. 1. & in Dialect. cap. 5. quemadmodum vestigio viso aut fumo, transisse animal, aut subesse ignem cogitamus: significaréque nil aliud est, quàm in alterius cognitionem deducere. Sed hoc commune est voci cum omni effectu. Vt n. effectus ducit in cognitionem causæ, à qua oritur; sic animalis vox indicat animal, à quo formatur; propter necessariam scilicet causæ & effectus connexionem. Significat autem animal illud viuere, quia nisi à viuente formari non potest. Deinde quódnam sit illud animal: nec modò in specie, sed & in indiuiduo: quippe ex voce cognoscimus an sit homo, an equus, an canis, & an sit hic, an ille. Tum etiam sentientis animæ effectus, iram, gaudium, dolorem. Hi enim excitantur in corde, aut certè non sine aliqua circa cor mutatione: voxque fit ex allisione aëris, qui ad locum circa cor inspiratur. & ideò alia, atque alia cordis dispositio aliam atque aliam aëris allisionem vocisque formationem adfert. Necessarium tamen non est, vt animal, dum vocem profert, intendat alteri affectum suum significare. Quoniam persæpè fit, vt affectu cogente nullóque alio præsente edatur: quæ tamen affectus illius signum est, quòd apta sit eum significare; & si quod aliud adesset animal, illi nimirum significaret: quemadmodum fumus ignis semper est signum, quia ex eo nascitur, eúmque vt effectus causam est aptus significare.

Cæterùm quoniam humana vox non à sentiente appetitu dirigitur, sed à mente, vt aliquam habet notionem; siquidem propter politicam communicationem

municationem instituitur; & imperatur à voluntate, communicationem & explicationem notionum mentis iubente: significat etiam notiones hasce & conceptiones, tanquã causam, quia dirigitur ab intellectu illis formato; & ideò hanc aut illam vocem formante. Sicut artifex per artis habitum materiam quampiam format ad ideas illas quas animo concepit, exprimendas. Hinc est, vt nunquam loquamur, nisi notionem eius rei, quæ voce significatur, quæ profertur, conceperimus mente. Vt enim loqui possimus id, quod mente falsum esse putamus; voceque aliud ostendere, quàm in animo lateat: dum tamen loquimur, obuersatur animo notio rei, quæ voce significatur: & dum etiam mentimur, id loquimur, quod cogitamus; nempe nos velle aliud exponere, quàm verum esse iudicemus.

Antequã possimus id, quod nõ cogitamus.

Duobus tamen modis possumus proferre voces rerum, quas mente non versamus: vel quòd aliud cogitantes proferamus; vt dum ea reddimus, quæ memoria tenemus, & interim aliò vagatur animus. Quemadmodum enim multi fiunt gestus corporis absque attentione; ita & in loquutione euenit. Aut quòd errore & lapsu linguæ vna vox pro alia pronuntietur. Sed hæ ipsæ voces aliam mentis antecedentem conceptionem supponunt; & ita semper vox aliquam animi conceptionem significat; nisi fortasse dum profertur vna vox pro alia, prolabamur in aliquam, de qua nunquàm fuerit cogitatum.

Supponit etiam cognitionem aliquam sensus, atque appetitus sentientis affectum. Nam & mentis notio ex sensuum cognitione oritur; & voluntas, quæ imperat vocem, plerumque ab appetitus sentiẽtis affectu excitata imperat. Quare remotè & minùs propriè dici potest vocibus significari quoq; sensuũ ipsas cognitiones, imaginationes & affectus. At quoniã animi notiones ipsarum rerũ similitudines sunt; fit, vt vocibus, quæ propriè notiones significant, res ipsæ quoque significentur, quarum notiones habemus. Et quoniam mens nostra est apta res omnes intelligere, omniumque notiones formare; voces quoque sunt aptæ res omnes significare.

Sed de hac significatione duo præsertim disputantur. Alterum, quidnam primùm significẽt, notionesne, an res. Alterum, an hanc significãdi vim habeant à natura, an ex hominum voluntate.

Nã voces primum rei, an notiones significent.

Quid propriè & primùm significent, antiquos quoque dubitasse refert ex Porphyrio Boëtius in 2. Editione in librum de interpre. Com. 2. Quibusdam enim significarunt res corporeas, aliis incorporeas quasdam & vniuersas naturas; quales Platonis Ideæ fuisse dicuntur. Aliis sensus, seu ipsorum cognitiones. Aliis imaginationes, quas de rebus formabant. Aristoteli notiones animi, vt ex illius libri principio satis colligitur: quæ quidẽ notiones nec sunt res corporeæ, vel incorporeæ; sed earum similitudines: nec sensuum cognitiones, nec imagines; sed conceptiones mentis & intelligentiæ. Quæ tamen, sensuum cognitiones & imaginationes supponunt, quasi medias inter res ipsas & notiones mentis. Quod Platonem, Aristotelem, Speusippum, & Xenocratem, docuisse confirmat idem Boëtius com. primo. Igitur ex verbis illis Aristotelis in li. de interpretatione quibus ea, quæ sunt in voce, symbola esse dixit notionum, quæ sunt in anima; & scripta eorum, quæ sunt in voce; deducunt ferè percipatetici, vt Am^us, Porphyrius, Boëtius, Auerroës, & S. Thomas, voces primùm significare notiones animi, seu res cognitas deinde per notiones res quoque ipsas, quæ in natura subsistunt. Quod etiam reliqui Græci confirmant, dum in lib. Categoriarum Philosophum scribunt de simplicibus vocibus agere, vt mediis notionibus res ipsas significant. Et Simplicius inter cætera vocem vt immediatè similem esse conceptionibus, & per conceptiones rebus proximeque mouere & coniungere notiones discipuli & Præceptoris; easque rectè motas & digestas applicari rebus, atque ita fieri rerum cognitionem. Et S. Thomas eam habet rationem, quam multæ voces, vt homo aut animal, naturam abstractam significant, quæ non in rebus, sed in mente subsistit. Scotus tamen & multi Latinorum malunt primùm significare res ipsas, vt res sunt.

Voces rebus primùm impositas fuisse.

Quibus sanè concedam ego voces primùm esse ipsarum rerum, atque ad eas significandas fuisse primùm impositas; absoluteque & vltimò rerum, non notionum, esse signa. Hoc enim tum docuerunt Plato & Aristoteles; ille in Cratylo nomina docens similitudines quasdam esse & quasi picturas rerum; hic in primo Elenchorum cap. primo nos inquiens ad disputationes adferre voces, quòd res adferre non possimus; & vocibus vti tanquam figuris. & in 4. lib. metaph. textu 28. rationem, quã significat nomen, esse ipsam definitionem: quod autem definitione explicatur, non est notio, sed essentia rei. Tum ex ipsa vocum impositione cognoscitur. Primi namque impositores rebus, non notionibus, imposuerunt. Adduxit enim Deus (vt sacræ testantur litteræ) ad Adamum omnia, quæ creauerat; vt videret quid vocaret ea; ipseque vocauit omnia nominibus suis. Nimirum nomina fuerunt imposita rebus ipsis, quæ à Deo creatæ fuerant; non mentis nostræ notionibus. Tum verò, vt auctor est Plato, impositores nominũ aliquã spectarunt proprietatẽ rerum & similitudinẽ cum nominibus, vt apta essent illarũ signa. Atq; in propositionibus totaque loquutione voces pro rebus, non pro notionibus supponuntur; illisque auditis intelligũtur & cõcipiuntur res: quod satis indicat, tum eas rebus esse impositas; tum vt voces sunt & aliquorum voces esse dicuntur, res primùm, non notiones, significare. Præsertim quòd ad notiones significandas propriæ quædam adsunt voces; vt notio, conceptio, & his similes. Vt reliquæ, homo, animal, & eiusmodi aliæ, non sint primùm ipsarum notionum, nec vt sunt res quædam, sed vt sunt signa rerum; hoc est vel vt primùm significent notiones, deinde res quoque ipsas, quæ notionibus significantur, tanquam verum & proprium significationis terminum; auditaque voce primùm concipiatur notio, tum per eam res quoque ipsa, cuius est notio; atque ita notionis interuentu feramur in rẽ: nõ quòd primũ feramur in notionem, sed quòd non possimus in rẽ ferri, nisi eam cõcipiamus; & in eam ferri est eam cõcipere. Vel vt cùm notio sit signum rei, loco illius ponatur vox tanquam aliud eiusdem rei signum. quo modo duo erunt rei signa, Notio, & Vox; & vtrumque immediatum, sed vnũ ponetur ob alterius deffectum; fierique poterit, vt non significet rem sicut priùs, sed solùm quia loco prioris est positum; & ideò aliquo modo dicetur prioris signum. Sed hoc non impedit, quò minùs immediatè significet rem, sicut priùs; nec

facit, vt illud fuerit ad huius significationem impositum. sicut si loco imaginis Cæsaris ponatur A; & imago & A immediatè significabunt Cæsarem; sed tamen A. quoquo modo dicetur imaginis signum; non quòd ad eam significandum sit impositum, sed quòd illius loco ponatur.

Notiones conditiones quibus significentur res.

Vtrouis autem modo significentur res mediis notionibus, notiones sunt solùm conditiones, quibus significentur res. Nam res quidem per se significantur, illisque imposita sunt nomina; sed nequaquam nominarentur, nisi conciperentur. Quam ob causam Plato eum dixit, qui imposuit nomina, imposuisse talia, quales concipiebat res: & nomẽ ipsum ex se vim habet significandi, & non per notionem; & ideò solo audito nomine, nec loquentis notione percepta, illius significatio percipitur. Sed notio conditio est, vt nomen significet; quia nisi fuisset in mente notio, non fuisset ad significandum cogitatum nomen. Ita conficitur, impositas quidem fuisse voces ad res ipsas significandas, sed eas significare interuentu notionis velut conditionis, tam ex parte rerum, quàm ex parte vocum. Vnde etiam aliquæ voces non significant res, vt sunt in se, sed vt concipiuntur: quemadmodum videre est in propositionibus, in quibus veritas est & falsitas, compositio & diuisio, maximè propter intellectum & eius notionem, seu propter res vt concipiuntur. In simplicibus quoque quædam significant vniuersam naturam, vt homo; aliæ accidentia abstracta & quasi à subiecto separata, vt albedo: Hinc etiam ex proprietatibus rei cognitis eam nominamus; & vt diuersis modis concipimus, ita diuersis rem eandem vocibus nominamus; vt in abstractis & concretis vocibus manifestum est. Nec nominamus nisi ea, quæ cognoscimus: & ideò nominamus, vt ea, quæ ipsi concepimus, aliis communicemus. Voces verò prolatæ non significarẽt rem, nisi præcessisset illius notio, atque in audientis animo notionem similem excitarent. Immò quia præcessit notio, formatur vox; eaque ponitur loco notionis ad significandam rem, quæ notione potiùs significari debuisset.

Scriptæ rerum potiùs, quàm vocum, signa.

Scripta quoque formata fuerunt tanquam rerum potiùs, quã vocum, signa: primumque significant res, etsi non nisi mediis vocibus tanquam conditionibus. Ita tria sunt ipsarum rerum signa: sed notio immediatè & ex se significat; vox media notione; scripta mediis vocibus: voxq; sensilis accipitur loco notionis insensilis, scriptaque permanentia vocum pereuntium loco.

Voces primùm significare notiones.

Iam verò si non quæratur, cuiusnam sint voces, & cui sint impositæ; sed ad quodnam significandum iis vtamur, quidque primùm indicent, non vt signa ad significandum imposita, sed absolutè: videntur primùm indicare nobis notiones, vt repræsentant res, & per notiones res ipsas; quamuis primùm ad significandas res fuerint impositæ. Voces enim ab homine prodeunt intelligente & cognoscente res, notionibusque accommodantur: & ideò hæc aut illa vox formatur, vt habetur hæc aut illa notio: immò in eum finem instituuntur, vt aliis notiones nostras pandamus, similesque in iis, qui audiunt, excitemus: At quoniam notiones sunt rerum, volumus etiam explicare res; seu notiones, quas de rebus habemus. Quare etiam impositæ rebus voces fuerunt, earumque vocibus vtimur; tum quia notiones sunt rerum & propter ipsas res; tum quia res notionibus notiores sunt. Et quamuis rebus significandis impositæ fuerint; non tamen nisi media notione significant. Vt quemadmodum in impositione vocum ad significandas res notio est media inter res & voces; quia non imponuntur rebus, nisi vt concipiuntur: ita sit etiam media in significatione, quasi cõditio, ob quam voces significent res. Quò fit, vt voces substituantur notionibus; vt id, quod notiones non possunt, præstent voces. Nam si notiones nostræ essent æquè alteri ac nobis notæ, non esset opus vocibus, sed ipsæ informando alteri satis essent. Quam ob causam voces dixit Philosophus immediata esse notionum signa, & notiones rerum; scriptaque vocum, & cõfirmant mutorum voces, quæ eodem modo diuersas animæ affectiones indicant.

Suntigitur in vocibus duo separanda; id, quod formaliter significant; & modus significandi. Formaliter significant immediatè & solùm res; quia illis solùm impositæ sunt: ratione tamen modi significandi primùm significant notiones; quia per notiones significant res. Quemadmodum album formaliter albedinem solam significat, at ex modo significandi indicat quoque illius subiectum. Et rursum vel possunt voces considerari vt à dicente proficiscuntur, vel vt sunt rebus ipsis significandis impositæ. Primo enim modo notiones significant, quæ in animo dicentis residunt, & à quibus oriuntur. Altero autem res ipsas indicant, faciuntque, vt audientis animus in res feratur, quarum verè sunt signa. Vt enim formamus notiones de rebus, ita de illis loquimur, alios in earum cognitionem ducendo, & qualem nos de illis notionem habuerimus explicando. Ita philosophus in lib. quidem de interpret. voces notionum esse signa pronuntiauit; sed in primo Elench. eas adiecit poni pro rebus tanquam vera illarum signa. Atque in Thæteeto Plato scripsit quidem, τὸν λόγον, id est sermonem esse idolum cogitationis in mente: at subiecit in Cratylo, nomen esse picturam & similitudinem ipsius rei: duoque velut eius munera exposuit, docere nos mutuò, & distinguere res inter se. Itaque vox in ratione significationis notionem sequitur, quia illius loco substituitur & ab homine intelligẽte proficiscitur. Neque fieri potest, vt magis distinctè significet rem, quàm notionem: immò clariùs multò rem exprimit notio, quàm vox; quia magis immediata, & naturalis est illius similitudo: multoque meliùs formamus rerum notiones, quàm vocibus exponamus: nunquam verò meliùs eloqui possumus, quàm conceperimus.

Signum quando signum sit.

Cæterùm quoniam signum vel potest esse naturale, quod sua vi absque vlla hominum voluntate significet; quemadmodum vestigium significat animal, & fumus ignem: Vel datum & ex institutione; quod non insita vi, sed ex hominum vel dantis voluntate rem quampiam indicat; sicut signum campanæ, signum est lectionis, aut concionis, hederaque vini vendibilis, & Iris ex diuina institutione non futuri diluuij. Hocque ipsum signũ est adhuc duplex. Alterum practicum, quod rem quoq; efficiat, quã significat: sicut verba illa Dei, Fiat lux, Fiat firmamentũ; & verba, quibus Christus faciebat miracula, nostræque legis sacramenta ab eo instituta. Alterum Theoreticum, quod solùm significat, & non efficit; vt pleraque alia: explicandum relinquitur, quale signum sit vox.

In ea duo spectantur. Alterum, quòd sit sonus quidam. Alterum, quòd quidpiam significet, seu ean-

significandi

significandi vim habeat. Sanè formatio ipsa vocis & illius soni est planè naturalis: tum quia est naturalis quædam actio, à qua etsi abstinere liceat; si tamen ea fungamur, non possumus alio modo fungi, quàm eius natura postulet. Tum quia à natura vim & instrumenta habemus omnia, quibus eam formemus. Significatio autem huius aut illius rei, in sonis quidem bestiarum & in nostris quoque suspiriis, singultibus, tussi & aliis similibus, quæ naturaliter erumpunt, est planè naturalis. Nam sine consilio & deliberatione, solo naturæ impulsu, hæc omnia fiunt. At de voce hominis propria non videtur facilè posse constitui.

Quomodo voces à natura significare.

Etenim Cratylus apud Platonem & Heraclitus apud Ammonium in librum de interpret. cap. de nomine; & Pythagorici apud Dexyppum lib. 1. in Categorias cap. 6. & Simplicium in expositione definitionis denominatiuorum, senserunt natura ipsa significare res tanquàm earum similitudines; neque minùs naturaliter res repræsentari vocibus, quàm speculis: atque vsque adeò naturaliter res singulas proprium habere nomen, vt si illud proferas, aptè nomines; si aliud pronunties, ne nomina quidem dici possis, sed sonum edere, qualem corpora cætera vel inanimata edunt. Itaque sapientem voluit Cratylus non in eo laborare debere, vt rebus imponat nomina; sed in eo potiùs, vt inueniat quodnam sit singulis à natura impositum: si enim propria ipsarum nomina cognouerit, res ipsas quoque perfectè cognoscet. Et Pythagorici propterea negarunt nomina Omonyma, multiuoca, & similia; quoniam si res omnes proprium habeant à natura nomen, tanquàm naturalem sui similitudinem, nomina omnia erunt synonyma & singula singularum rerum propria. Quippe fieri nō potest, vt idem nomen sit eodem modo diuersis rebus simile; neque vt multa nomina eidem sint rei æque conformia. Omonyma & multiuoca inde habuerunt ortum, quod propriis ignoratis vno nomine coacti sumus multa significare & pluribus vocibus rem eandem adumbrare; dum earum nullam videremus perfectè rem explicare. Quòd si rerum singularum vnica sit vox; consequens erit, vnicum esse verum & ex natura rei idioma: Neque nomina ipsa esse indiuiduorum, sed specierum. Quoniam naturæ & proprietates rerum, quæ significantur, specierum sunt, & vniuersarum naturarum; rebusque singulis ratione speciei, & vniuersæ naturæ insunt. Nisi fortasse indiuiduis quoque & singulis rebus propria ex propriis earum proprietatibus imponentur nomina. Quocirca nominum impositio non nisi sapientissimi fuerit viri; qui perfectè naturas omnes rerumque omniū & vocum proprietates nouerit; vt singulas singulis possit accommodatè imponere. Non inquam proprias fingere voces, vt ait Cratylus, quæ conueniāt rebus; sed eas solùm inuenire, quæ natura sua iam conueniunt.

Quomodo à natura significet.

Dicuntur autem esse à natura; non quoad existentiam; tum quia re ipsa formantur ab homine, pendētque à voluntate eius, qui formare velit aut non formare. Tum quia si ipsæ existerent, aut in humana mente existerent, & hoc non; quia percipiuntur auditu, & velut sensilia signa adhibētur ad ea significanda, quæ latent in mente. Aut in rebus ipsis, quarum sunt voces; vel tanquàm substantiæ ipsarum, vel tanquàm accidentia. Vtrumq; absurdum est. Adhibentur enim à nobis vt ipsarum rerum signa. Tum quia si ipsæ à natura existerent, res quædam essent, aliasque haberent voces, quibus significarentur. Omnes enim res voce quapiam significātur; atque in infinitum progrederemur. Verùm à natura esse dicuntur, quoad essentiam; hoc est talem similitudinem cum re, quæ inesse debet in vera & propria illius voce.

Quod hæc nimirum testare videntur, soni mutorum à natura significant affectiones animæ; ipsæque humanæ notiones naturalia sunt rerum signa; & ideò eædem sunt apud omnes, sicut & ipsæ res: at voces adhibentur loco notionum; eodem igitur modo significare debent & eædam esse apud omnes, vnumque conficere idioma, si propriæ singularum voces quærantur. Præsertim cùm inseruerit nobis natura vim formandi voces ad occultas animi notiones ostendendas; sicut vim suspiriorum & aliorum huiusmodi sonorum dedit ad affectiones cæteras significandas. Quòd si vox ipsa quidpiam est naturale, quidni etiam formalis eius ratio, & actio sint naturales? ratio autem formalis est vis significandi, & actio significare. Quare etsi innumerabilibus modis variari possint voces; in tota tamen hac multitudine quædam sunt, quæ naturales & propriæ similitudines rerum sunt; vnaque magis conuenit vni rei, & alia alteri: vt quælibet tandem res ex tota illa multitudine eligat vnam, qua naturaliter significetur.

Vocum vis.

Vis etiam magna, quæ in vocibus quibusdam inest, non potest nisi in naturam referri. Inesse autem vim, confirmant Magi, qui verbis alliciunt dæmones & vinciunt, & omnino admirabilia faciunt. Et Hæbrei referunt, apud priscos conseruatam fuisse per traditionem nominum cognitionē, hisque solis eos fecisse miracula. Apollinem quoque & Pythagoram ferunt quibusdam vocibus mira quædam fecisse; & Marsilius Ficinus in 3. lib. de studiosorum vita cap. 21. non pauca memorat. Arius Patrensis apud Ammonium præces adfert & imprecationes, in quibus nostra nomina pronuntiata euidenter iuuant, aut lædunt nominatos. Certè rem eandem animaduertimus, vt aliis atque aliis vocibus proponitur, mouere, aut non mouere eos, qui audiunt; quasdamque esse in vno idiomate voces, quæ alio non satis exprimantur. Quam ob causam cogimur sæpè Græcis vocibus vti, quòd earum vis Latinè reddi satis nō possit. Et Origenes in 1. lib. cōtra Celsum inter cætera monet, hæbreas quasdam voces non debere alio idiomate proponi, propter magnam vim, quam in se continent: & omnino de nominum vi multa habet Plinius in lib. 28. cap. 2. In nominibus quoque imponendis hominibus magnus habetur delectus; quasi aliqua vis subsit ad mores atque actiones omnes humanas dirigendas: & in his Pythagoras numerum vocalium potissimùm spectauit. Putabat enim vt Plinius refert cap. 4. eiusdem libri, imparem numerum clauditates, oculorumue orbitatem ac similes casus dextris partibus, parem autem læuis adferre. Et vniuersè tria præsertim considerabant Pythagorici, fatum, genium, & nomen. Quartum addūt nonnulli, regionem. Quæ omnia si conueniant, optimè nobiscum agi, si sint bona; pessimè, si mala: quòd si non conueniant, varia fore euenta; vt illorum vnumquodque maiorem, aut minorem habuerit vim. Denique musica quoque, dum sonis quibusdam & vocibus minùs distinctis constat,

Quomodo ostendant res ex hominum institutione significare.

maximam in animos nostros vim habet.

Iam aduersus hanc vocum rationem cum Cratylo Hermogenes disputat Socrate iudice: contraque contendit eas ita esse positione & hominum institutione, vt quilibet possit rem quamlibet qua libuerit voce rectè nominare. Cùm enim Protagoram sophistam audisset, res ipsas quoque credidit ex nostra voluntate pendere; remque vnamquamque esse talem, qualis videtur nobis, vt est in Theeteto & apud Ammonium in Categoriam ad aliquid. Diodorus quoque Dialecticus apud eundem in librum de interpret: significationem vocũ planè voluntariam esse existimans, vocem omnem significantem esse credidit: & ideò seruis suis conA iunctionum voces, atqui, sed, vel, & alias similes, imponebat. Nullam verò inesse vim à natura, tum ex idiomatum diuersitate colligi potest: singulæ enim gentes voces sibi proprias liberè excogitarunt; resque & notiones sunt eædem apud omnes, quia naturales; voces autem diuersæ, quia liberæ. Tum ex plurimis omonymis & multiuocis vocibus in vnoquoque idiomate; quæ nullæ reperirentur, si voces naturaliter significarent. Quoniam vnica esset vox, vt naturalis similitudo vnius rei, & singulæ singularum rerum propriæ, sicut notiones mentis. Quare in rebus & notionibus nulla est omonymia; nec vnius rei nisi vna notio; quia hæc B sunt à natura. In solis vocibus hæc idcircò eueniũt, quod liberè adhibẽtur, vel vna ad plures res significandas, vel plures ad eandem rem indicandam. Quò etiam crebra spectat mutatio vocum in eodem idiomate: vt res, quæ vna voce antea appellabatur, illius mox pereunte vsu aliam subeat appellationem. Et appellatio plurimarum rerum arte constantium: quæ à natura esse non potest, cùm naturalium rerum non sit significatio eiusdem vocis diuersa & interdum opposita apud diuersas gentes. Nam (manè) Latinis primam diei partem significat, & Hæbreis piscem: eiusmodi plura habet Scaliger in 3. li. de causis linguæ Latinæ cap. 6. immò in eodem quoque idiomate eadem vox diuersæ est significationis: sicut eadem vox (mane) Latinis aliter significat, si deducatur à verbo maneo: & eadem vox prout alio atque alio modo cum aliis coniungitur, alio atque alio etiam significat: vt audio tibi, & audio te; & huiusmodi plurima. Adde litteras ipsas seu elemẽta, ex quibus voces constãt, ex hominum prorsus institutione esse; ac proinde integras quoque, quæ ex illis constant, voces eorum voluntati debere relinqui. In exponenda verò ratione significationis vocum, cur hanc aut illam rem significent, an non plerumque deducimus eas ex aliis vocibus? vt verbum à verberando aëre. Nisi ergo in infinitum eamus, veniendum tandem erit ad aliquas primas, quæ non deducantur ex aliis, nec aliam præter hominum impositionem habeant causam.

Permulta ex his attigit Alexander in 3. lib. natural. quæst. cap. 11. sed aliam quandam præcipuam rationem exposuit. Habemus enim à natura vim imponendi nomina singulis rebus; sunt igitur nomina ex nostra positione, non à natura. Nam si essent à natura, non possemus ea imponere, sed ante nostram impositionem existarent. Quemadmodũ enim habemus quidem à natura vim recipiendi scientias, eas tamen à natura non habemus, sed ipsi studio nobis comparamus; ita vis imponendi nomina est à natura, non ipsa nomina. Nam vt non A diceremur scientiarum receptiui, si eas haberemus à natura; ita nec nominum impositiui, si ea à natura forent. Aristoteles quoque in lib. de interpret. nomen definiuit esse vocem ex institutione significantẽ: & Plato in Cratylo nomina imponi à legislatoribus, quorum alij sunt aliis sapientiores; & ideò meliora, aut peiora nomina formant. Et vt oratio coniuncta, quæ affirmat, vel negat, vera potest esse, aut falsa, quia conuenienter rebus aut secus coniungere possumus vel diuidere: ita in simplicibus vocibus alię possunt esse veræ, aliæ falsæ; vt fuerint aptè vel ineptè rebus impositæ. Cùm enim sint rerum picturæ quædam; vt picturæ possunt interdum non rectè fieri, sic voces secus, quàm B oporteat, aliquando possunt imponi.

Præterea nomina ferè sunt duorum generum, *Duo nomina genera.* vt docuit Plato, & S. Augustinus in Dialectica cap. 6. Alia, quæ deducũtur ab aliis; alia, quæ sunt quasi prima: Plato vocat elementa, & S. August. cunabula cæterorum. In his potissimùm considerari syllabas & litteras, quibus constant, præcipit Plato; vt intelligatur, an sint rebus ipsis satis accommodatæ. Ex his autem deducuntur plurima, apteque deducũtur ab his, à quibus significationẽ rei significãdæ accommodatã accipiant. Atqui primorũ illorum formatio nobis est planè libera; fitque persæpè, vt C litteris constent, quarum proprietates significatis rebus non conueniant. Quare significare non possunt ob similitudinem aliquam, cùm nullam habeant, sed ex hominum conuentione, qui ea voce voluerunt rem eam significare: atque in paucissimis similitudinem aliquam adferas, quæ aut fortuita nõ videatur, aut planè ficta. In iis verò nominibus, quæ ab his deducuntur, quilibet ferè liberè deductionem fingit: vt verbum à verberando aëre, vel à verberãda aure, vel à vero & loqui, quia oportet vera loqui; vel à vero boando, id est sonando, vel etiam aliis mediis. Immò idem nomen deduceturD interdum à diuersis nominibus, quæ contrariam significationem habebunt, & ab eodem etiam deducentur nomina contrariarum rerum; vt Plato commemorat.

Ad extremum etsi quorundam nominum adferri possit ratio; in iis tamen ipsis locum habet impositio libera: sunt enim diuersæ rerum proprietates, quæ diuersis possint nominari nominibus. Quare liberum adhuc relinquitur ex quacunque volueris proprietate nomen accipere: quique hactenus imposuerunt nomina, imposuerunt ex sibi cognita proprietate, atque opinione, quam de rebus habebant: quæ fortasse ex aliis proprietatibus & opinionibus aliquando mutabantur. Præsertim F. quòd primi, qui nominarunt, rudes ferè fuerunt, & ignari naturarum rerum: vt omnino non videantur sequuti proprietates, sed voluntatem suam.

Hæc videntur pro vtraque parte disputari posse de vi significandi vocum. Plato & Aristoteles in medio quasi totius controuersiæ iudices constiterunt. *Iudicia de ista controuersia.* Nam Plato ita dixit esse à natura; vt non à quolibet, sed à solo sapiente res quælibet nominetur; vt vox naturæ rei aliquo modo conueniat. Aristoteles autem ab hominum quidem impositione eas esse, sed aliqua spectata proprietate ac similitudine cum re. Neque nisi vocibus differre videntur, re ipsa conuenire; partim esse à natura, partim ex hominum impositione. Non enim temerè, sed propter aliquam proprietatem & similitudinem fuerunt

fuerunt ad res significandas impositæ.

Principiò igitur Cratylo & iis qui priores partes tenent, concedi potest, vocem vniuersè spectatam esse sua natura aptam ad animi notiones, & res significandas; propter naturalem quandam cum illis similitudinem. Nam sola vox ex sensilibus omnibus, vt antea dictum est, apta est significare: quare aliquam in ea naturalem aptitudinem esse, oportet, quæ in aliis non sit. Vnde etiam à natura, seu diuina potius sapientia in eum vsum fuit instituta; non minùs, quàm dearticulatæ mutorum voces, quæ naturaliter indicant affectus animi. Vocalia quoque instrumenta omnia naturalia sunt, & illorum vsus naturalis; ac principium dirigens est intellectus habens notionem, & voluntas imperans eam explicari alteri: non secus, atque in mutorum vocibus affectus animi, & appetitus sentiēs. Quam ob causam dixit Alexander nos habere à natura vim imponendi nomina, quemadmodum habent muta vim indicandi affectus animi. Finis etiam est naturalis, mutua inter nos communicatio & societas. Materia quoque naturalis, nempe sonus quidam à natura profectus. Deniquevt Plato scitè obseruat, mutus, quia vocibus caret, eo modo, quo potest, conatur, instigante natura, suas notiones, & res explicare, atque in inchoatam aliquam vocem prorumpit: sed cùm eam absoluere nequeat, ad nutus & signa sese conuertit; quibus id assequitur, quod assequutus voce fuisset. Quare vt actiones illæ, quæ vocis loco substituuntur, indicant res ex naturali similitudine; ita de voce idem credi potest. Nec modò de voce vniuersa, sed in specie quoque probabilius videtur, quamlibet vocem habere quādam cum speciebus similitudinem; atque ex natura sua hāc, aut illā rem significare, singulisque propria conuenire nomina. Vt.n. mutus in specie quoque nutus accommodat & gestus corporis singulis rebus, quas significat; vt illi rerū similitudines sint, & ideò eas repræsentent: ita vocem credendum est significandis rebus conformari: at non quibuslibet, sed similibus, vocibus res quæque significentur. Quò fit, vt quemadmodum mutus gestus manuum, aut aliarum corporis partium rebus accommodat illisque rem conatur repræsentare: sic loquentes oris motum, linguæ, ac cæterorum vocalium instrumentorum ad talē formandam vocem accommodamus, cui insit similitudo rei. Ita interdum asperam vocem formamus, interdum lenem & suauem, acutam, grauem, aut aliis modis, pro rerum diuersitate, quas volumus significare. Cùm dicimus (tu) intendimus labia & spiritum in eum, quem alloquimur: contrà verò in nos, cùm dicimus (ego) & similiter (tibi, & mihi) vos & nos, vobis & nobis, & similibus; vt Pub. Nigidius obseruauit apud Aulum Gellium lib. 10. cap. 4. Immò in ipsarum litterarum formatione, quibus vox constat, os conformatur ad rotundam figuram, dum formatur O; agitatur lingua, dum formatur R. comprimitur ad dentes & retrahitur, dum formatur T; & ita in aliis, vel ex motu, & figura vocalium instrumētorum in formatione vocis, vel ex aliis similibus fieri possunt in vocibus similitudines quædam, quibus res ipsæ naturaliter repræsententur. Vt sicut res ipsa est aspera tactu vel gustatu, ita vox auditu sit aspera, & in aliis simili modo. Certè si vniuersè vox sua natura sit apta significandis rebus propter similitudinem quandā; etsi in particulari plures voces formari queant, quibus res eadem significetur; eæ tamen infinitæ non sunt, sed certus est earum numerus; qui ex diuersis proprietatibus sumitur, quibus eæ possunt fieri similes rebus: est que inter eas aliqua, quæ maximè similis sit, & apta sua natura ad rem repræsentandam. Nec rectè dedisset natura vocem ad significandas res, nisi aliqua inter illas esset proportio. Neque cuiusuis est imponere nomina, sed sapientis, qui rerum proprietates cognoscat. Hæc enim omnia ostendunt aliquam inter rem & vocem similitudinem esse debere. Nam vt ratiocinatur Plato, quemadmodum oratio vera dicitur, aut falsa, ita simplices illius partes, nempe voces, aliæ sunt veræ, quòd rem accommodatè significent; aliæ falsæ, quæ secus proponant quàm sit. Vt enim actio quæuis artis, & benè fieri potest, & malè; atque vt benè fiat, adhibetur aptum & proportionatum instrumentum: ita vt loquutio benè fiat, non quibuslibet vocibus, sed accommodatis rei, de qua loquimur; fieri debet. Et vt artis instrumentum, vt rectè fiat, non à quouis fieri debet, sed à perito; & eo modo, quo ad opus est aptum; sic voces non à quouis, sed à perito sunt imponendæ; eoque modo, quo aptæ sint rei, quam significant, repræsentandæ. Quam ob causam ducunt nos in eius cognitionem, vocanturque picturæ rerum & simulacra, & ab Aristotele symbola, & à Platone instrumenta substantias rerum discernendi, & docendi. Eosque reprehendimus, qui temerè mutant rerum nomina, & fingunt noua. Sed Platonis iudicio vt de eorum impositione optimus iudex est Dialecticus; ita vt rectam eorum rationem discamus, adeundi sophistæ sunt vel Poëtæ. Dialecticus Platoni maximè omnia nouit; sophista maximè calumniatur; Poëta imitationis est studiosissimus, iudicareque potest, num aptè nomina rerum naturas imitentur. Et nos cùm reddimus causam significationis alicuius vocis, aliquam ostendimus habere similitudinem cum re.

Potest autem esse similitudo vel effectus; vt enim lana vel res lenes leniter afficiunt tactum, ita hæ voces, lana & lene, auditui lenes sunt: idemque de melle, amaro, dulci, acri, & similibus dicitur. Vel soni; vt terribile, bombarda, tonitru, ballatus; vel Ethymologię, vt homo ab humo, vel ab humanitate, & lapis à lædendo pede: Vel continentiæ, seu rei contentæ; vt vrbs ab orbe quòd quasi in orbem contineat; & Horreum, quasi hordeum, quòd eo continetur; aut aliis similibus modis. Immò verò non solùm similitudo passiua, sed aliqua etiam sympathia videtur inesse vocibus. Quoniam pulsata vna chorda pulsat aliam; ad hominis vocem animalia cætera terrentur; & ad cantum galli leo; & ad stropitum ferri horret homo.

Quocirca probabile est id, quod Origenes & Philo in lib. de opificio mundi & alij plures docuerāt; in Hæbræa præsertim lingua eiusmodi voces extitisse, quæ cum maxima naturali similitudine significarent. Ortum enim habuit ab Adamo, in quo summa fuit sapientia & naturarum cognitio, ac proprietatum omnium rerum, vocumque cum illis conuenientiæ: atque in vocum impositione credēdum est eum proprietates rerum fuisse sequutū. Quorsum enim narret historia sacra, Deum adduxisse ad Adamū omnia, vt videret, quid vocaret singula; vocasseque illum nominibus propriis; & quod ipse vnumquodque vocauit, hoc esse illius nomen? nimirum vt ostenderet, eum vidisse, idest

Mutus gestus.

Dialecticus, sophista, & Poëta.

Similitudo vocis & rei.

Hæbræarum vocum similitudo.

considerasse quemadmodum vnaquæque res conuenienter esset vocanda; & ita vocasse, vt illud esset cuiusque nomen, hoc est maximè illi naturæ accõmodatum eamque aptissimè explicans. Quod etiam obseruauit Cæsariensis Eusebius in 11. lib. de præparatione Euangelica cap. 4. atque ex eo intelligi potest, quòd & is sapientissimus erat, & optimè nouerat, quomodo singula possent quàm optimè vocibus exponi; & linguam illam Deo præcipiente instituebat tanquam omnibus communẽ futuram: eratque in eo perfectissima humana natura scelere nondum vitiata; ac proindè perfectissimus debebatur illi modus nominandi res & suas aliis notiones explicandi. Ita vt absque vllo vsu vocum iam ob omnibus receptarum cùm primùm quis vocem audiret, propter naturalem similitudinem cum re significata, intelligeret statim, quid ea significaret. Confusio autem & varietas linguarũ principium habuit in ædificatione Turris Babel, atque ex peccato orta est. Vt credendum sit, opinionem illam, nomina esse à natura, ab Hæbræis ad Græcos, vt alia permulta, deriuatam fuisse. Et ideò tam creber apud Philosophos fuit de vi nominum sermo: indeque Chabalistarum errores. In Hæbrea autem lingua inter omnes maximam inesse vim significandi, non solùm in integris vocibus, sed & in singulis litteris; videre est apud Eusebium loco notato & S. Hieronymum in proœmio commẽtariorum ad Ieremiæ lamentationes. Cùm enim sit antiquissima, & deducta ab humana natura integra; non est dubium, eam esse omnium præstantissimam & ad res significandas aptissimam. Quare in sacris litteris in nouorum nominum impositione ferè semper adfertur impositionis ratio, & similitudo aliqua & affinitas cum re, quæ nominatur.

Sapientes quoque homines omni tempore hoc imitati sunt, vt in rebus nominandis proprietatem & naturam rei spectarent: vt planum est ex principio Cratyli, & Aristotele, qui sæpè ostendit nomina rerum naturis conuenire, atque ex nominibus ad rerum naturam argumentatur: vt in 2. physic. lib. tex. 63. ex nomine casus & in 4. lib. tex. 66. & 76. ex nomine vacui; & in 1. de cœlo tex. 22. & 1. meteor. cap. 3. ex nomine ætheris, & cap. 11. ex nomine guttæ & pluuiæ; & in hoc 2. de anima tex. 2. ex nomine Entelechiæ; & in lib. Categoriarum ex nomine Categoriæ, quod à iudiciis ad attributiones superiorum de inferioribus traduxit. Et in lib. de interpret. cap. 2. & 3. ex nomine & verbo infinitis, quarum appellationum quoque rationem exposuit; & in cap. 4. ex nomine contradictionis: & vt multa omittam, ex nomine termini, ratiocinationis, figuræ, definitionis, & aliis similibus, tum in analyticis, tum alibi. Igitur præter hominum impositionem aliqua est in vocibus cum rebus similitudo.

Ex nominibus argumẽta crebra.

Vocum duo genera.

Cæterùm duo sunt vocum genera, vt antea significatum est. In primis omnium vocibus, quæ ab alia nulla deducuntur, considerandæ sunt syllabæ & litteræ, simplicissimæ earum partes. ex harum enim similitudine tota similitudo & vis vocis consurgit; sicut ex coloribus singulis totius imaginis pictæ similitudo existit. omnium ergo litterarum, tam vocalium, quàm consonantium, spectandæ sunt proprietates; quæ aut ex motu oris oriuntur, linguæ, & aliorum instrumentorum; aut ex asperitate, vel lenitate soni, aliisue huiusmodi. Quæ verò deducuntur ex aliis, ita sunt deducendæ, vt aptæ sint ad rem significandam, ad quam deducuntur. Propterea deducere oportebit ab illis, à quibus similitudinem & vim aptam significandi accipiant: quæ vel quæri potest ex similitudine rerum, quæ significari debent; à quarum alterius voce ad alteram significandam similis deducetur vox. Vel ex connexione aliqua, siue causæ & effectus, siue continentis & contenti, siue partis & totius, vel aliis similibus modis.

Nihilominùs temerè is & frustra laborauerit qui eiusmodi similitudines in omnibus quæsierit vocibus. Nam post primum illum hominis innocentis statum, primasque voces ab eo rebus omnibus impositas, quas eiusmodi fuisse verisimile est; tota penè hæc similitudo periit, propter nimiam linguarum & idiomatum confusionem, vocesque plurimas ab indocta potiùs plebe, quàm à sapientibus viris in communem vsum inuectas. Vt nunc aliqua duntaxat primæ illius similitudinis extent vestigia; non in omnibus, sed in quibusdam vocibus à sapientibus viris impositis. In pluribus verò nihil apparet præter hominum voluntatem & impositionem.

Quò fit, vt dicendum sit, significationem vocum partim esse ex hominum institutione, partim ex natura. Nam etsi ab hominibus fuerunt impositæ, debent tamen cum rerum naturis conuenire, & propter proprietatem aliquam & similitudinem impositæ sunt; qua si quæ carent, non scienter impositæ iudicantur, sed ex longo vsu aut potiùs ex imperitorum hominum abusu obtinuisse, vt id significarent. Hinc videri quidem sibi dixit Plato imponenda esse nomina ex aliqua similitudine; vereri tamen se, ne sit minùs hoc similitudinis pondus, atque in multis adhibẽda sit consensio. Testantur idem de Platone Alcinous cap. 5. institutionis ad eius doctrinam, & Ficinus in Cratylum, & Eusebius cap. 3. lib. notati. Et Aristoteles in lib. de interpretatione voces vocauit σημεῖα, signa & notas, non autem ὁμοιώματα, id est similitudines, sicut appellauit notiones: vocesque dixit diuersas esse apud diuersas gentes, notiones easdem. Quoniam illæ magna ex parte pendent ex hominum voluntate, hæ similitudines sunt ex rebus ipsis desumptæ. Et cap. 2. nomen definiuit esse vocem, quæ ex hominum institutione vim habeat significandi. Quoniam, inquit, natura nominum nullum est, sed quando fit nota. Et cap. 4. orationem significantem esse, non vt instrumentum, sed sicut dictum est, ex hominum voluntate. Quod sentit Ammonius & peripatetici omnes confirmant. Et Rethores quoque liberam faciunt nouandorum nominum potestatem: & Aristoteles in lib. Categoriarum cap. de relatis id putat esse sæpè necessarium; ac præsertim in nominibus, quæ ad scientias pertinent, & res occultas indicant; vt obseruant Porphyrius & Dexippus de Categoriæ nomine agentes. Vt ridiculus iam sit Nigidius apud Gellium, si nomina ita esse à natura putauit, vt nunquam nouari possint. Non enim magis esse nobis naturalis sermo vniuersè, quã particularis ille, qui nominibus illis naturalibus constaret. At à natura principium duntaxat habemus, quo nomina quælibet, & sermonem quemcumque formare possimus: quod quidem indicat vocem & loquutionem vniuersè naturalem esse, hanc verò, aut illam ex nostra voluntate.

Non

Non sunt tamen temerè nouanda nomina. Sed quoniam cum rerum naturis consentire debent, solis sapientibus eorum impositio permittitur. Dumque ex hominum voluntate pendere dicuntur, sapientum voluntas intelligitur. Qui tamen ipsi nec in omnibus necesse est proprietatem aliquam spectent. Nam proprietates, ob quas vox potest esse similis rebus, eæ solùm sunt, quæ conueniunt illi ratione litterarum. Quòd enim vox cum sono graui, aut acuto pronuntietur, ex accidenti est, eandemque semper rem significat. Litteræ verò paucissimæ sunt; ac proinde vix ex illis peti possunt proprietates ad infinitas propemodum res propria voce vocandas.

Nominum vis nulla.

Ex quibus vltimò intelligitur, in vocum significatione nullam omnino vim naturalem esse; omnesque artes, quæ hac vi nituntur, fictitias esse & vanas. Si enim significatio naturalis non sit, sed ex impositione, quænam fuerit in significatione vis naturalis? Si igitur vlla sit vis, poterit esse comparatione audientis; quia intellectio nostra pendet à phantasmate; voceſque, quæ ex impositione significant & repræsentant res, pro diuersitate rerum, quas repræsentant, diuersa proponũt audienti phãtasmata; quorum vnum magis, quàm aliud, mouet & ad rem intelligendam excitat. Ita voces, quæ vehementiora & aptiora inducent phantasmata, maiorem vim, quàm eæ, quæ imbecilliora & ineptiora, habere dicentur. Propterea vna vox magis, quàm alia, rem eandem significat: & translationes magnopere mouent; quia plerumque ducuntur à rebus, quarum phantasmata sunt efficacia. Accedit vsus & consuetudo: voces enim quæ iam sunt in vsu, meliùs videntur nobis significare.

Quoniam tamen tota hæc vis nititur significatione, quæ naturalis non est, sed ex impositione; ideò neque illa naturalis dici potest. Quòd autem nominum vi multa legantur facta, fiantque à Magis; ea non vi nominum fiunt, sed pacto cum dæmone ad homines decipiendos & in errore detinendos.

Possunt præterea voces vim habere naturalem, non ratione significationis, sed vt sunt sonus quidam, qui fit cum aëris motu. Vim enim habet mouendi auditum, vel cum delectatione vel tristitia, vel alio simili modo, pro varietate soni & aëris moti, qui cum tali, aut tali proportione mouet auditum. Quam ob causam fortasse tantam vim habet musica; dum aër hoc aut illo modo motus, atque ab homine inspiratus eodem modo mouet spiritum; proque sonorum varietate variæ in animalibus affectiones excitantur, vt variis modis moto aëre mouetur spiritus. Maneat igitur, voces non à natura, sed ex impositione significare; pleraſque tamen ex aliqua rei significandæ proprietate peti.

Musicæ vis.

Tertiæ Digressionis Pars. De humana loquutione.

EX his vocibus humana loquutio constat. Sunt autem duo, quæ communi notione videtur loquutio inuoluere. Alterum, esse manifestationem obiecti, & notionis eius, quæ latet in mente. Alterum eiusmodi manifestationem esse debere, quæ apta sit fieri omnibus eiusdem ordinis, vt humana loquutio hominibus omnibus. Quare cùm aliis pluribus modis vsurpetur hoc nomen, oritur in eo omonymia magna. Primùm enim pro interna illa loquutione sumitur, qua vnusquisque secum ipse cogitando loquitur, sibique conceptiones suas, & res conceptas manifestat. De qua S. Augustinus loquitur in 15. de Trinit. lib. c. 10. adfertque multa ex sacris litteris. Inde ora duo distinguuntur; vnũ corporis; alterũ cordis, quo interna hæc loquutio constat, non minùs, quàm ore corporis perficiatur externa. Sanè vtraque verbum aliquod format; sed ex solis externæ loquutionis verbis diuersa constant idiomata. Internum enim verbum neq; Græcum est, neque Latinum, neque idiomate vllo eõtentum. Quamquam interna hæc non vsque adeò propriè loquutio dicitur. Tum quia non fit audiẽti: nam quòd idem ipse sibi loquens se ipsum audire dicatur: impropriè dicitur. Tum quia loquutio illa nil aliud est, quàm ipsa rei notitia, non autem eius manifestatio: neque per propriam actionem fit; sed per modum obiecti. Tum etiam quia si loquutio est manifestatio quępiam; ea non fit sibi ipsi; sed alteri; cui sit ignotum id, quod vni est notum. Propterea nec intellectio rei loquutio vocatur, si accuratè loquamur; etsi quædam sit obiecti, quod intelligitur, manifestatio: manifestatur autem intellectui, aut si mauis intelligenti.

Loquutio externa & interna.

Opus igitur est, vt sit manifestatio alteri: & si sit manifestatio, necesse est sit alicuius rei ignotę. Propterea directio nostrarum cogitationum in Deum, seu loquutio cum illo dum oramus, nec dum loquutio propriè dici potest; quoniam cogitationes omnes nostræ sunt illi notissimæ; & ideò nihil illi manifestamus; neque est manifestatio ei, qui audiat, vel ignoret.

Loquutio cum Deo.

Præterea manifestatio quædam fieri potest obiecti per nouam quampiam operationem, aut circa obiectum, aut in facultatem, aut in aliud: quæ tamen reuelatio potiùs, quàm loquutio, dicetur; de qua in Moral. sæpè S. Greg. & alij. Porrò hæc alloquutio, seu reuelatio, vel est à solo Deo immediate per multiplicem eius, & occultam operationem in creaturam intelligentem; vel per angelos. Et quidem interdum fit per res ipsas sine verbo; vt cum Ezechiel electri speciem vidit. Interdum per res, & verba simul; vt cùm in Paradiso audita est vox Dei deambulantis ad aurã post meridiẽ. Nonnumquã internis solùm imaginationibus; quemadmodum Iacob dormiens vidit scalam. Aliquando etiam externis aëreis signis; sicut ex nube audita est diuina vox; Hic est filius meus dilectus, &c. Vel aëreis substantiis; vt Abraham vidit tres angelos. Vel terrenis, quemadmodum asina Balaam loquuta est. Vel terrenis simul, & aëreis, sicut Deus loquutus est in rubo. Vel demum præsentia angeli in homine, vt quando angelus cum Zacaria loquutus est. Verùm has omnes constat propriè loquutiones non esse, sed manifestationes solùm obiecti per oblationem impedimenti.

Loquutio Dei cum homine.

Propriè igitur loquutio actionem eam significat, quæ ab intellectu prouenit, seu dirigitur, qua conceptiones ex se occultæ sensilibus quibusdã signis naturaliter notis exprimũtur, vt iis cognitis, deducatur is, qui audit, in cognitionẽ conceptionũ loquẽtis, & rerũ, quarum is cõceptiones habet, similes illis conceptiones formando. quam ob causam Trismegistus in Pimandro c. 9. intelligentiã prodidit sermonis esse sororẽ & vtraque sibi vicissim instrumenta. Nã neque sermo absque intellectione pronũtiatur, neq; intellectio absq; sermone prodit in lucẽ. Atq; hæc in primis adesse oportet. Primùm, sensile aliquod signũ, quod sensui obiectũ in

Loquutio propriè quid.

Loquutioni quæ necessaria.

alterius cognitionem possit deducere: cuius generis est humana vox. Deinde formatio, seu expressio huius signi, qua alteri communicetur; quæ in nobis dicitur prolatio, seu pronũciatio. Tũ notitia quędã rei, de qua loquimur: quippe ex actuali notitia rei formatur vox. Quã ob causam qui mente diuertit à cognitione, seu cogitatione rei, illicò nescit quid ipse loquatur, aut alter exponat. Postea actualis imaginatio vocis: vocem .n. dixit Philosophus fieri oportere cum imaginatione aliquid significãdi; ptiusque formatur vox in imaginatione, quàm proferatur; eiusque imaginatio formationem antecedit. Denique ex his omnibus vox intimas rei notiones exprimendi vim accipit; fitque loquutio cum dependentia ab intellectu dirigente voces illas ad internarum notionum expressionem. Quare in intellectu necesse est lumen esse quodpiam expressiuum rei per vocem; atque ex his omnibus loquutio formatur, altissima intellectus operatio, naturæ intelligentis propria.

Inde verò, tandem cognosces quædam, quæ in loquutione non sine magna admiratione, & verò etiam vtilitate, obseruantur. Primò enim loquutio est intellectiua rei expressio, vt ab intellectu rem cognoscente dirigitur. Nam cognitio facit intellectum quodammodo omnia, vt in 3. lib. dicetur: id verò duobus modis fit; aut impressione rei in intellectu; aut expressione, seu impressione alteri, quæ loquendo efficitur. Altera est quasi conceptus intellectus: vnde notiones illius conceptiones dictæ sunt; ex vocis nimirum semine profectæ. Altera quasi eiusdem partus, quo in altero procreat id, quod ipse conceperat. Prior operatio facit, vt qualis res est in se, talis in intelligente sit: qua intellectus intelligendo fit omnia; quia concipit, & in se ipsum transfert omnia. Posterior efficit, vt qualis est in intelligente, talis in alio audiente fiat: propterea illa præcedit, hæc sequitur; signumque scientis est posse docere: quia quò perfectior prima operatio fuerit, qua nos ipsi concipimus intelligendo, eò perfectior quoque erit altera, qua alterum parturiendo docemus. Itaque clara, facilis, & perspicua rei gestæ narratio, multóque magis facilis ratio docendi, atque in mentis conceptionibus alteri exprimendis perspicuitas, certissimum est, tum bonitatis ingenij, tum doctrinæ argumentum. Vt hæc demum actio, quæ loquutio dicitur, vltima sit intelligentis perfectio: quemadmodum procreare sibi simile quoad corpus, perfectissima censetur viuentium functio, solisque inest perfectis, vt in tex. 34. dicebatur. Ac proinde cùm omnes homines natura scire desiderent; illi ipsi, qui sciunt, percupiunt aliis ea, quæ sciunt, communicare. Quamquã naturalis huius desiderij ea quoque ratio adferri potest; quòd ita immortalitatem quamdam consequimur, dum alterum nobis scientia, & rerum cognitione similem procreamus. Vt quemadmodum propter hanc immortalitatem insita est vis, & cupiditas procreandi corpora, vt est in eodem tex. 34. ita duplex alia spiritalis procreatio, procreandiúe cupiditas tributa fuerit intellectui: altera cognitione, quæ procreatio quædam est: altera multò magis propria, & perfecta, illius alteri communicatione, alteriusue scientis procreatione. Vt, sicut ratiocinatur Platonici, quemadmodum incorporea, procreatione procreans vult alteri communicare pulchrũ, quod habet in corpore; sic in spiritali pulchrum animo velit in altero eãdem pulchritudinẽ ponere; aliud animo pulchrũ sibi simile procreãdo, quo eadẽ animi pulchritudo, perfecte illo, cõferentur. Et quò hæc procreatio præstantior est alteri, eò pluraiis debemus, à quibus ita procreati fuerimus; quàm iis, à quibus sola accepimus corpora: plurimùm autem Deo, qui & animorũ, & corporũ largitor est, atque perfector.

Intellectus duobus modis fit omnia.

Loquutio vltima intelligentis perfectio.

Procreandi & docendi cupiditas.

Neque dũ de humana loquutione agimus, omittendum est, eam propriè in alterum tranferre rem cognitam; & quidẽ meliori modo, quàm si ipse ex se, non ab alio audiens, cognouisset: quoniam & rẽ transfert, & conceptum eius; qui erat in loquente. Et quidem cũ maxima quadã vi, & efficacitate; ordinando res, & conceptiones inter se, atque alteri persuadendo rem ita esse: idq; tũ maxima intellectus oblectatione, quæ omnia in affectũ quoq; redundant: vt amor, odium, desiderium, ira, & perturbationes cæteræ aduersus rem illam, de qua est sermo, commoueantur. Postremò in ipsis etiam vocibus, quibus, vt signis, vtimur, ex conceptionum ordinatione per lumen intellectiuum facta oritur ordo, metrum, & concentus verborum; vnde tota pendet eloquentia.

TEXTVS.

Φανερὸν γὰρ, ἐξ ὧν ἐπὶ τῶν ἰχθύων ἀφωνεῖ· οὐ γὰρ ἔχουσι φάρυγγα. τοῦτο δ' τὸ μόριον οὐκ ἔχουσιν, ὅτι οὐ δέχονται τὴν ἀέρα, ἀλλ' ἀναπνέουσιν· ἀλλ' οἱ λέγοντες, ὅτι φωνοῦσι οἱ ἰχθύες, διαμαρτάνουσιν. δι' ἣν μὲν οὖν αἰτίαν, ἕτερός ἐστι λόγος.

Manifestum enim est, & cur pisces sine voce. Non enim habent guttur. Hanc autem partem non habent, quoniam recipiunt aërem, neque respirant. Sed qui dicunt pisces vocem edere, peccant. Propter quam igitur causam, alius est sermo. Text.

COMMENTARIVS CXXVIII.

HVnc tex. non est interpretatus Themistius: & fortasse etiam tollendum esse tãquam superuacaneum existimauit. Nec temerè id affirmauerim: quòd verisimile sit eandem illum cũ reliquis Græcis, Philopono, & Simplicio, sententiam habuisse, quæ post Latinorũ quoque interpretũ fuit; Philosophũ hoc loco nil aliud agere, quàm ex dictis causam colligere, cur pisces vocẽ non habeant. Verùm hoc minimè necessariũ videbatur; cùm iã satis in tex. 87. explicatũ, & verò etiã demõstratum fuerit; propterea quòd eam partem non habẽt, qua suscipiant aërem, qui sonum, & vocem reddat. Sanè principium ipsum orationis aliud pollicetur. Nam particula (γὰρ) cuiusmodi rei rationẽ exponi significat.

Aliam igitur rationẽ adfert ad illud ipsum, quod dixerat, confirmandũ: piscium q; argumento ostendit vocẽ aëre respirato, & ad arteriã percusso fieri. Illi nãq; propterea sunt sine voce, quòd guttur, & arteriã non habẽt, ad quã percutiatur aër. Ergo ea, quæ vocẽ edunt, propterea edunt, quòd hanc partem habent, & ad eam percutiunt aërem; voxque, respirato aëre, & ad arteriam percusso, editur.

Et hoc quidem satis erat ad id, quod quærebatur. Postquã tamen nominauit arteriam, voluit etiã adferre causam, cur arteriam nõ habeant: causamque finalem proposuit ex tex. 89. petitam; Namque eo loco arteriam dixit fuisse propter respirationẽ, & pul-

& pulmones factam. Quare cùm illi nec pulmones habeant, quibus aërem suscipiant; nec omnino respirent, sed aqua sola per branchias refrigerentur; ne arteriam quidem habere debuerunt.

Qui verò eos arbitrati sunt habere vocem, quòd sonum quempiam edant, vt ij, qui sunt in Acheloo; prorsus errarunt. Iam enim dictum est eum sonum non esse vocem; & qui vocem appellarunt, vocis naturam assequuti non sunt, nec eam à sono distinxerunt. Quæ porrò sit causa, cur pisces arteria, pulmonibus, & omnino respiratione careant; alio potiùs loco explicandum est, neque ad rem præsentè pertinet: sed tum in libris de partibus animalium, vt inquiunt Philoponus, Simplicius, & Auerroës; tum in libro de respiratione considerabitur. Causa autem est, tum quòd in aquis degant, vbi aër non est, qui pulmonibus inspirari, & expirari possit: tum quòd satis est illis aquę per branchias susceptæ refrigeratio.

Cur ità respirationis.

Digressio XLVIII. *Num respirent pisces.*

NVm pisces omnino respirent, fuit inter antiquos disputatum; & nostris temporibus Hieronymus Cardanus aduersus Rondeletium, qui hac de re librum scripserat, multa sanè proposuit in 7. libro de rerum varietate, cap. 37. Sed Democritus animalibus omnibus respirationis vsum voluit esse communem. Anaxagoras item, & Diogenes. Alter propterea pisces tradidit respirare; quòd dum emittunt aquam, hæc impetu motus rarefacta mutatur in aërem, quem egrediente aqua necesse est inspirari, ne detur vacuum. Quasi verò alia præstò non sit aqua. Alter, quia cum aqua permistus est aër, attractaque aqua sic attrahitur aër. Eadem Hipp. fuit sententia in libro de flatibus. Neque mare, inquit, spiritus exors est. Non enim viuere natantia animantia possent, si non spiritu participarent: quomodo autem participarent, si non per aquam, & ex aqua spiritum attraherent? Sed præterquàm quòd hi loquuti solùm sunt de inspiratione, non de respiratione tota; facilè Aristoteles tum hoc loco, tum in cap. 5. lib. de respiratione demonstrauit pisces non respirare.

Hieronymus Mercurialis.

Scio non defuisse viros doctos, qui in suis ad eum Hipp. librum annotationibus Aristotelem cum Hipp. conciliare voluerint; vt alter manifestam, & copiosam respirationem, aërisque attractionem negauerit; alter exiguam, tenuemque concesserit. Alioqui, inquiunt, nullo tempore extra aquam viuere possent; cùm non pauci per horas multas viuere conspiciantur. Verùm, vt eos mittam de respiratione piscium extra aquã viuentium Hipp. & Aristotelis verba interpretari, dum illi de respiratione in aqua disputent. Sanè Philosophi nostri argumentatio tota omnem huic animalium generi respirationem præripit. Primùm enim ita ratiocinatur. Omnia quæcumque respirant, pulmones habent, & guttur, quibus aërem suscipiant, & reddãt: Pisces non habent: omni igitur respiratione carẽt. Deinde respiratio animalibus omnium calidissimis concessa est à natura ad calorem, & internum focum refrigerandum: terrestria verò ferè sunt aquaticis calidiora; quare si terrestria complura non respirãt, multò profectò minùs respirabũt aquatica. Nam si ita non esset, pisces, qui minima indigẽt refrigeratione, duos haberẽt refrigerationis modos: alterũ aqua branchiis attracta; alterum aëre inspirato. Itaq; possent illi non minùs extra aquã, quàm in aqua, viuere, si alio modo, quàm aqua, nẽpe aëre intus suscepto, refrigerati possent. Non .n. alia est causa, cur extra aquam interuallo breui moriantur; nisi quòd refrigeratione destituantur. In illis etiã, quæ respirãt, fit motus in ea parte, qua respirãt, hoc est circa pectus: in piscibus nullũ aliũ, quàm branchiarum, obseruamus motũ. Præterea dum in aqua moriuntur ea, quæ respirãdo vixerunt, fiũt in aqua bullæ; dum aër egreditur, qui pulmonibus eorum continebatur: hoc in piscĩu obitu non cõspicimus. Denique eodẽ modo, quo pisces possent & homines, & animalia cætera in aquis viuere: siquidem possent eodem modo respirare. Nũc autẽ propterea viuere nequeunt, quòd nulla ibi esse respiratio possit. Atqui, inquit Philoponus, quomodo fieri potest, vt aër sit in aqua? neque .n. aëri natura insitũ est, vt in aqua subsideat. Declarant autem & inflati vtres, & amphoræ inanes, quæ supernatãt; & bullæ, quæ fiunt, vbi parua aëris particula intercepta est.

Quæ omnia argumenta tantam vim habent concludendi, vt omnino credendum sit, nullam piscibus respirationem inesse, si propriè, & accuratè loqui velimus: sed eos quoquo modo aqua refrigerari. Extra aquam verò non subito quidem interire, quòd vehementem calorem non habeant, à quo statim ac refrigeratione aquæ caret, opprimantur: breui tamen extingui tempore, quòd sine refrigeratione nequeant sustentari. Respiratio autem sanguine præditorum, ac terrestrium animalium, quæ maiori calore viũunt, & pulmonibus prædita sunt, propria est. Quòd si delphinus, & alia quædam spirent, vt est in c. 12. l. 6. de anim. hist. hæc ancipitis naturæ cùm sint, & fistulã habẽt, & pulmones, & extra aquã suscipiunt aërem, & reddunt.

Vniuersè igitur ita res habet. In omnibus viuentibus calor natiuus, & insitus focus, vt alimento, sic refrigeratione indiget; alioqui in se ipsum conuersus suffocaretur, & periret. Quibus maior inest calor, refrigeratione maiori opus est. Calidissima animalia, quæ pulmones habent, crebra aëris mutatione plurimùm refrigerantur. Pisces, qui sanguinei quidem sunt, sed pulmonibus carent, per brãchias aquam suscipiunt. Exanguia omnia tum terrestria, tum aquatilia, vt sunt frigidiora, ita satis refrigerantur, aut circumiecti aëris, aut aquæ frigore: aut insectorum quædam, quæ paulò calidiora sunt, per scissuras sub transuerso septo admisso aëre. Denique plantis satis est, tum aëris tangentis, tum aquę, qua sæpè rigantur, refrigeratio.

Vt refrigeretur viuentia omnia.

DE ODORATV.
CAP. IX.
TEXTVS.

Περὶ δ' ὀσμῆς καὶ ὀσφραντοῦ, ὅπερ ἐυδιόριστον ὂν τῇ εἰρημένῳ· οὐ γὰρ ἄδηλον, πρίν τι ἴδειν ὀσμὴ, οὕτως ὡς ὁ λόφος, ἢ τὸ φῶς, ἢ τὸ χρῶμα. εἰπὸν δὲ, ὅτι πάνυ καίπειν παύτῃσιν ἐν ἔχουσιν ἀκριβῆ, ἀλλὰ χείρω πολλῶν ζώων. φαύλως γὰρ ἀνθρωποι ὀσμῶνται, καὶ εἴπερ αἰσθάνεσθαι τοῦ ὀσφραντοῦ, αὐτοῦ τοῦ λυπεῖ ἢ τῶν κάτω, ἐκ ὄντες ἀκριβοῦς τοῦ αἰσθητοῦ.

De odore autem, & odorabili minùs facilè est, quàm de ijs, quæ dicta sunt, definire. Non enim sic manifestum, quale quid est odor, vt sonus, aut lumen, aut color. Causa autem, quia sensum hunc non habemus exquisitum; sed peiorem multis animalibus. Prauè enim odoratur homo, & nihil sentit odorabilium sine molesto, aut iucundo; non existente exquisito sensorio. Text. 92.

COMMENTARIVS CXXIX.

ACcuratè omnino de aspectu, & auditu, optimis, & præcipuis sensibus, actum est. Sed non minùs de odoratu agere oportet: atque hoc nunc aggredimur, eademque prorsùs methodo, quæ in superioribus obseruata est: ex obiecto scilicet facultatis cognitionem inuestigantes. Propterea statim de odore, & odorabili agendum proponitur. Etsi n. Græca vox (ὀσμὴ) & odoratũ, & odorẽ significet; malumus tamen hoc loco odorem intelligere: tum quia sic postulat tota superior methodus; vt non à facultate ad obiectum; sed ab obiecto ad facultatem progrediamur: tum, vt huius quoque tractationis principium respondeat superioribus, quæ statim obiectum nominarunt. Aspectum nãque ità in tex. 66. aggressus est: Cuius est aspectus, " hoc, est aspectabile. aspectabile autem color, & in- " nominatum. Et rursum, auditum in tex. 77. Nunc " autem primò de sono, & auditu determinemus. " Sed in priore quidem loco obiectum formale, & materiale; sed priùs formale ex quo facultas distinguitur, & constituitur: in posteriore autem obiectum, & facultatem; sed priùs obiectum nominauit; ex quo facultas cognosci debet. Ita in hoc 3. obiectum materiale, & formale accipit, sed antea id quod materiale est, commemorat: quod & natura sua est prius, & id, quod difficilem illam habet cognitionem, de qua loquuturus erat. Addit etiam (& odorabili) vt quatenus de odore dicturus sit ostendat. Non inquam absolutè vt qualitas quæpiam est sed ex relatione ad odoratum. Absolutam enim considerationem in librum de sensu & sensili differt: quod & in colore fecit. Accedunt sequentia verba (quid sit odor, vt sonus, aut lumen, aut color) rursum enim (ὀσμῆς) nominat. Quare nisi breuissima oratione contineatur omonymia; si in altero odorem interpretamur; in altero quoque oportet non odoratum, vt Philoponus, & interpres Themistij Hermolaus; sed odorem interpretari.

Cur odoris cognitio obscurior.

Cognitionem hanc porrò obscuriorem esse asserit, ægriusque definiri odorem posse, aut illius species distingui; quàm in sono, aut colore, aut lumine definitum sit, aut distinctum: quoniam hæc notiora sunt nobis. Sunt autem notiora, quia facilè propriam quandam in illis naturam animaduertimus, quæ sensilis sit, quamque habeant ipsa, etsi nullo sentiantur sensu. Quare & propria eam voce appellamus, quæ non per comparationem ad sensum dicatur, neque ab eo deflexa sit; sed absolutè illis imposita. Vt cum sonum dicimus, colorem, lumen; nequaquam hæc ab auditu, aut aspectu, sed absolutè nominamus. Eandem ob causam non fuit difficile aspectabilium obiectorum species distinguere, colorem, lucem, & ea, quæ noctu, & in tenebris solum videntur: quod etsi vnũ commune nomen nõ habeant, singula tamen propria voce appellantur. Coloris item species, album & nigrum, & alias inter has medias distinguimus: & sonum in acutum, & grauem diuidimus. Eodemque modo in gustatu sapores nominamus, & illorum differentias dulce, & amarum, aliasque complures. Ac demum in tactu etsi vnum non sit nomen, calorem tamen, & frigus; humorem, & siccitatem dicimus. At odoratus obiectum nõ alio modo, quàm odorem, & odorabile appellamus.

A Quæ voces absolutæ non sunt; sed ambæ ab odoratu deflexæ; & obiectum potiùs formale, quàm materiale, & id, quod odorari debet, significant: Non inquam naturam sensilem sed illius ad sensum habitudinem. Deinde odorum quoque species exactè discernere, aut nominare difficillimum sanè fuerit: quoniam neque genus, neque species satis cognoscimus.

Itaque verba illa (non enim sic manifestum, quale quid sit odor, vt sonus, aut lumen, aut color) duobus modis interpretari licet. Aut de genere vniuerso, quod in odoribus voce quidem ab odoratu deflexa nominamus, sed quænam qualitas, aut natura sit, dicere non possumus; quem- B admodum cum sonum, lucem, colorem, appellamus: Aut de speciebus, aut differentiis odorum quas distinguere satis non valemus, qualis vnaquæque sit; sicut species, & differentias reliquorum sensilium obiectorũ separamus. Etenim hunc odorandi sensum minùs, quàm cæteros, exquisitum, & certum habemus: immò deteriorem omnino, quàm animalia quædam. Nam inter quadrupedia canis, inter volatilia vultur multò meliùs odores vel maximè remotos persentiscunt: dum nos vix propinquos comprehendimus, nec nisi cum sensu iucundi, aut molesti, suauis, aut C ingrati. Quasi minùs certus, & efficax sit hic sensus ad ipsos per se, & secundum suam naturam cognoscendos, & distinguendos.

Quod non temerè, & absque summo consilio factum est à communi omnium parẽte natura. Sed propter eam causam, quòd cæteris, quæ ventri, ac libidini mancipauit, eum sensum dedit propter gustatum, quo minus accuratè, & distinctè vtuntur. Et ideò odoratu potiùs, quã gustatu, præsentiunt, & quasi prægustant cibos, antequã comedant; deinde auidè statim arripiunt: & vt suis etiam temporibus Veneris libidinem sectarentur odoratu incitata, & ducta; vt in canibus est ma- D nifestum. Homo cùm calidior sit, omni tempore ad libidinem prouocatur: & vt exactissimum habet tactum, & ideo etiam gustatum, sic non odoratu, sed gustatu ipso tentat, & prægustat cibos, tum comedit. Quare exactiorem in cæteris, quàm in homine, odoratum esse oportuit, vt gustatus imperfectio compensaretur, atque in re tantopere necessaria, illis quoque satis consultum esset. Quamquam si cæteros quoque percurras sensus, in illis videbitur homo à compluribus aliis animalibus superari. Scitum enim est illud;

Nos sus auditu, linx visu, simia gustu,
Vultur odoratu præcellit, auaca tactu.

E At duobus modis posse hos sensus comparari, exactioresque dici, aut quòd magis dista s obiectum, aut quòd plures illius differentias percipiant; auctor est Arist. in 5. lib. de animalium ortu cap. 1. & 2. Quòd aut in maiori distantia & minorem obiecti gradum percipiant; essentialis non est perfectio: quoniam in eadem plerumque specie reperitur, & vnus homo perfectiorem hoc modo aspectum, aut alium sensum habet, quàm alius. Et essentialis perfectio, & distinctio ex eodem cap. petenda est, ex quo essentia petitur: neque ex distantia, aut obiecti intensione, vel remissione, quæ conditiones, & modi tantum sunt; sed ex obiectorum natura sensuum essentia petitur. Atque in eo consistit, vt plures obiecti sui differentias, ac species comprehendat; vt quemadmodum talis facultas

facultas cognoscēs esse dicitur, quòd obiectum tale cognoscat; ita essentialiter dicatur esse tantæ perfectionis; quia tot illius species, ac differentias percipit. Quod indicauit quoque Philosophus, vbi maiorem aspectus, quàm aliorum sensuum, perfectionem ex eo deduxit, quòd plures rerum differentias cognoscat. Hoc verò præstat homo animalibus omnibus. Aspectu quidem, perceptione, ac distinctione perfecta colorum omnium, & proportionis illorum. Auditu, vt in musica maximè, & harmonia perspicuum est. Gustatus item, & tactus exactissimi sunt; & in tex. 94. & in lib. de sensu, & sensili cap. 4. & primo libro de animal. hist. cap. 15. hic tactus dicitur esse certissimus, & exquisitissimus, deinde gustatus; quia est quidam tactus. Tactus namque hoc à cæteris distinguitur sensibus, quòd organum habet ex ijdem qualitatibus compositum, quæ ipsius obiectum sunt: nempe carnem, aut eiusmodi quidpiam, quod ex elementis, quatuorque tactilium qualitatum temperie constet: deinde asperum, lene, durum, molle, & similia alia. Quò fit, vt nullus cuiusque animalis tactus sentire possit quemlibet gradum qualitatis; quia sensum eo carere oportet, quod sentire debet: & ideò vnicum caloris gradum non sentit, quòd illum in se contineat; sed illius duntaxat excessum. Reliqui sensus, cùm ex suis obiectis non constent, quamlibet eorum remissionem percipiunt, si distantiæ ratio seruetur. Itaque quò qualitas in organo tactus remissior fuerit, eò remissior in obiecto sentitur. Quoniam autem homo organum tactus maximè omnium temperatum habet; fieri quidem potest, vt animal aliud quodpiam qualitatem minùs intensam percipiat; sed vix eius contrariam sentiat, quòd in ea nimium abundet. Homo omnes simul exquisitè sentiat. Quoniam enim quò vna qualitas remissior est, eò intensior existit eius contraria: fiet quidem, vt animal, quod minimum habet frigoris, minorem, quàm homo frigiditatem persentiat; sed imbecilliorem habebit caloris sensum. Homo qualitates omnes perquàm temperatas habet, statimque cuiusuis excessum sentit, omnesque simul tactilium qualitatum differentias exquisitiùs multò, quàm animalia cætera, sentit. Hinc est, quòd eadem res vni videtur calida, alteri tepida, aut etiam frigida. Facit id enim diuersa organi dispositio, quæ maiorem, minoremue calorem habet.

Tactus cæteris sensibus differens.

Lacrymatur frigida autem lætà videtur.

Eandem ob causam lacrymæ ex nimio risu profectæ videntur frigidæ; calidæ autem, dum ex dolore, & mœrore proueniunt. Nam qui magnopere rident, iis genæ sunt calidiores propter spiritus, & sanguinis copiam, quæ ad exteriores partes erumpit. Illis autem qui dolent, sunt frigidæ, quòd ad interiora calor contrahatur.

Odoratus hominis & bestiarū differētia.

Superest odoratus, qui hoc præsertim loco cōsideratur. Hoc item sensu quadam ex parte cæteris omnibus præstat homo. Nam, vt est in cap. 5. libri de sensu, & sensili, animalia cætera, vt odoratum habent propter gustatum, ita non videntur habere sensum odorum per se, quatenus suaues sunt, aut ingrati: sed solùm ab odore moueri, quatenus est odor alimenti, ex quo aduentitiam habet (vt Alex. loquitur) suauitatem, aut molestiam: non illius propriam, sed ex adiunctis saporibus deriuatam, qua ratione sunt saporum nuntij. Solus homo suauibus odoribus per se delectatur, vt florum, & aliorum similium, quæ nihil conferunt, aut iuuant ad alimentum. Quidam odorum (inquit Aristoteles) per se ipsos suaues sunt; quemadmodum illi, qui florum: nihil enim magis, vel minùs ad cibum inuitant. Et paucis interpositis. Hoc igitur odorabile proprium hominis est: qui autem secundùm sapores ordinatus est, & aliorum animalium, &c.

Quò fit, vt non semper cibi odore oblectetur homo, quin potiùs offendatur satur: delectatur solùm, dum esurit. At florum, aromatum, & similium rerum odores oblectant semper. Atque hoc fortasse est, quod hominem dixit odores non sentire sine molesto, aut iucundo, hoc est, sine sensu ingrati, aut suauis; quæ bestiæ nequaquam sentiunt: & ideò magis sincerum, & purum odorem percipiunt; dum homo tutum quasi cum suauitate, aut molestia implicatum sentit. Huius quoque causam eo in loco reperies. Ideireò enim tradidit Philosophus homini præ cæteris datum esse sensum odorum suauium florum, & similium; vt nimium cerebri frigus, & humidum (habet enim is inter omnia frigidissimum, & humidissimum cerebum) quoquomodo temperaretur. Quòd si nimis vehemens sit interdum actio, sentitur molestia.

Hæc mihi videtur esse posse huius loci interpretatio. Altera magis accommodata. Homo præue odoratur: quod ex effectu cognoscitur. Quoniam nullum odorem sentit sine molesto, aut iucundo, hoc est, nullum odorem, nisi vehementem, qui molestia, aut delectatione afficiat. Nimirum propter organi minùs temperatam dispositionem. Habet enim cerebrum, & quantitate maximum, & qualitate frigidissimum, & humidissimum. Quare cùm odor calidi sit, & sicci; moueri illud non potest, nisi à vehementi odore; à tenui, & exili non potest. Dum autem à vehementi mouetur, vehemens passio (inquit Simplicius) impedit, quò minùs purum sit iudicium. Præterea cum illius organum sit intra cranium, magis reconditum est, quàm cæterorum sensuum organa, eique os appositum est. Quare non facilè odoribus patet aditus, nisi per quædam foramina, quæ à spongiæ figura σπογγοειδῆ nominantur. Non recto, sed obliquo ductu: eaque perspè pituita oppleta sunt; quæ eò magis abundat in homine, quò maius, humidius, & frigidius cerebrum. Itaque non nisi à vehementi odore mouetur. Animalia cætera, vt calidiori, & sicciori sunt cerebro; sic meatus illos patentiores habent, & emunctiores; meliusque tenuibus, & distantibus odoribus permouentur.

Cur odoratus hominis obtusior.

Hoc est, quod Aristoteles minùs exquisitum organum nos habere dixit, quàm animalia cætera; vereque affirmamus homines illos, qui benè odorantur, hoc est procul & tenuem quemlibet odorem sentiunt, stolidos esse, & mente rudes: ingeniosos autem quosque & qui mentis viribus valeant plurimùm, nihil nisi propinquum, & vehementius odorabile sentire. Nam illis calidius est, & siccius cerebrum, quo ad brutalem conditionem magis accedunt. His frigidius, & humidius; ideoque magis sunt ad omnia mentis munera apti; quòd meliùs spiritus temperetur.

Odoratus ingenij indicium.

Sentimus quidem igitur, & nominamus iucundum, & molestum: at quænam sit ea natura; quæ iucunda est, aut molesta, dicere non

possumus; quoniam odorabilia exactè non percipimus; sed iucundo tòlo, & modesto ea discernimus. A quibus si odores nominemus, non illorum naturam, sed modum, quo afficiunt sensum, significamus. In cæteris sensibus non solùm cognoscimus hoc esse iucundum, aut molestum; sed etiam dicimus esse colorem viridem, aut album; saporem dulcem, aut amarum; eodemque modo in sonis, & tactilibus qualitatibus.

Homo vt à bestiis superetur.

Quare tribus modis homo à bestiis odoratu superatur. Primùm, quòd illæ magis remotum odorem sentiunt; vt vultures. Deinde, quòd vel minimo odore mouentur. Tertiò, quòd plures odorum differentias percipiunt, quas homo nullo modo sentit. Quorum vtrumque manifestum est in canibus ferarum vestigia persequentibus, amicumque ab inimico; & dominum ab alio quouis, cæterisque bestiis filios odoratu dignoscentibus: & hominem propterea statim Philosophus comparabat animalibus duros habentibus oculos.

Tertiam illorum verborum interpretationem habes apud Themistium. Vt sentire odores cum oblectatione, aut fastidio, argumẽto sit hũc in nobis sensum imbecillum esse, & infirmiorem omnino, quàm cæteros, qui nec delectatione, nec fastidio à suis afficiuntur obiectis. Quod Plutarchum quoque sensisse scribit Simplicius. Quàm hæc interpretatio sit probanda, viderint alij. Certè si molestia affici imbecillitatem argueret, ego de oblectatione, & voluptate non idem affirmarem: præsertim cùm pugnantia sint, nec ex eadem causa proficisci queant. Deinde minùs verè dici arbitror, reliquos sensus à suis obiectis oblectatione, aut molestia non affici. Sed omnes potiùs video proportionatis, & moderatis obiectis delectari, & ab extremis, atque immoderatis perturbari, vt molestia affici. Delectatur aspectus colore viridi, & moderata luce; auditusque consonãtia, & harmonia; & gustatus dulci sapore; ac demum tactus re quapiam molli, & benè temperata. Contrariis verò omnes magnopere offenduntur.

Sensus omnes obiectis suis delectari, vel molestia affici.

Digressio XLIX. *Cur tertio loco de odoratu disseratur.*

VErùm inchoatam interpretationem cogor tantisper interrumpere. multos.n. video primis hisce Philosophi verbis magnopere perturbari; nec parùm mirari, cur hoc loco de odoratu agere aggrediatur. Si enim (inquiunt) tam est hic sensus in nobis imperfectus, & oblætus; si tam incertus, & obscura odorum natura; cùm is profiteatur se notiora persequi, atque ab illis ad ea, quæ ignotiora sunt, progredi: cur non antea de tactu, & gustatu disseruit, qui certiores multò sunt sensus; deque illorum obiectis, quæ magis cognita, atque perfecta habemus?

Ego verò horum hominum argumentatione ne tantillum quidem commoueor, neque à suscepta interpretatione eorum me vnquam oratio reuocabit. Nam & veteres omnes sequar interpretes, qui aut aduersus hanc Aristotelis methodum ne hiscere quidem ausi sunt; aut eam magnopere comprobarunt. Philoponus namque post aspectum, & auditum, odoratui tertium locum tribuendum fuisse demonstrauit; vt ita huius sensus cognitio, atque explicatio in vniuersa hac sensuum contemplatione esset media, quemadmodum is inter omnes sensus est medius, vt in libro de sensu, & sensili cap. 5. affirmat Aristoteles. Est enim medius tum operatione, tum obiecto, & natura. Nam si operationem consideres, aspectus, & auditus obiecta sua sentiunt vel remotissima: & aspectus magis, quàm auditus, quòd spiritalior sensus sit. Gustatus, & tactus non nisi planè coniuncta; quòd maximè materiales sint. Odoratus media virtus est, & conditio: quippe nec tam propinquum obiectum postulat, nec tantopere distitum, sed medio quodam modo positum persentiscit. Obiectum porrò, ex quo tota sensuum natura iudicari debet, ipsum quoque medium est. Quoniam aspectus quidem circa colores, & lumen versatur: lux in tota hac elementari regione ignis propria qualitas est, colorque ex luce cum opaco, & perspicuo permista gignitur. Auditus autem percipit sonos, qui sunt aëris. Gustatus sapores, & succos, qui sunt aquæ: tactus dura, solida, & terrea prorsus corpora. Odoratus versatur circa halitus, qui mediæ cuiuspiam naturæ sunt. Mediæ (inquam) aut inter terram, & ignem, vt halitus siccus; aut inter aquam, & aërem, vt is, qui est humidus.

Aspectus, vt sensus, & organum.

Neque his quisquam existimet disputationem illam aduersari ab Aristotele in cap. 2. libri de sensu, & sensili susceptam aduersus Platonem asserentem aspectum esse ignis. In ea namque de organo quæstio est, non de obiecto: oculumque aquæ, non igneæ, naturæ esse optimo iure contenditur. Hoc autem loco non de organo, sed de obiecto, deque facultate per se considerata nobis est sermo. Et nisi Plato sententiæ suæ argumentum ex oculo deduxisset, facilè posset tota illa controuersia, lisque componi.

Cæterùm hoc quoque intelligere potuissent illi, qui hanc in sensibus pertractandis methodum criminantur. Hominem quidem animalia cætera tactu superare, quòd perfectiorem habeat qualitatum tactilium temperationem, cutimque maximè tum temperatam, tum delicatam: & ideò etiam gustatu; quoniam gustatus est quidam tactus. Tactum tamen nequaquam esse cæteris sensibus certiorem, cùm is materialis maximè sit, & corporeus. Sed certiores esse aspectum, & auditum, de quorum altero scriptum est in proœmio librorum Metaph. eum nos facere plurimùm cognoscere, pluresque differentias manifestare: & de altero in libro de sensu, & sensili cap. 1. eum esse disciplinæ sensum. Quòd si secus eueniat, vt de odoratu præsertim hoc loco affirmatur; id non ex natura sensus euenire, quòd infirmior ea sit, & imbecillior: quia quò minùs corporea est, magisque eleuata à materia; eò est ad cognoscendum aptior. Verùm id ex accidenti fieri; neque culpandum esse sensum, sed organum, quod minùs benè affectum sensus operationem obtundit, & hebetat; aut etiam omnino impedit. Ita nimirum in odoratus organo rem se se habere superior commentarius declarauit.

Accedit, quòd hoc loco non considerantur sensus, quatenus in homine sunt, vt inde tractationis ordo deriuandus sit: sed vniuersè, & secundùm suam naturam. Quæ etsi in homine sedecus haberet, ob idque pars hæc tractationis futura nobis esset difficilior, minùsque distincta; non tamen propterea inchoata methodus à melioribus,

lioribus, & nobilioribus sensibus ad deteriores,& inferiores deferenda erat. Quoniam odoratus tertium planè nobilitatis locum retinet, quãuis ineptius in homine sorticus organum minùs pro dignitate,quàm in aliis quibusdam, operetur. Præsertim cùm non magis aperta, & distincta futura esset hæc cognitio,si post gustatum, & tactum de odoratu dictum fuisset.

At magnopere vereor, immò ne vereor quidem,ne isti tam prompti Aristotelis calumniatores maiorem calumniãdi ansam habuissent, si postquã de aspectu, & auditu,potissimis sensib⁹ egisset, ordine perturbato,&quasi tumultuariè de omniũ abiectissimo tactu dicẽdũ suscepisset, odoratu in postremum locum relicto. Quoniam igitur aspectui, & auditui affinis magis est, & cognatus odoratus; minúsque sua natura materialis, quàm duo reliqui, gustatus,& tactus; sapientissimè agendum sibi tertio loco de odoratu constituit.

Denique eum etiam arbitror nonnullam organorum rationẽ habuisse. Vt eos primùm sensus explicaret,qui organum habent in capite certum, & constitutum; antequàm ageret de tactu, qui per corpus vniuersum diffusus est. Inter eos verò, quorum organa visuntur in capite,priùs d odoratu,quàm de gustatu,agendum sibi esse putauit:tum quia gustatus,cùm sit quidam tactus, non erat à tactu separandus;tum quia odoratus organum magis est cum aspectus,& auditus organo situ & loco cõiunctum. Tum quia magis est in exteriori facie conspicuum,quàm sit lingua, quæ tota in ore latitat. Nam etsi proprium odorandi organum non sit hic nasus,qui in media facie videtur; sed intra cranium contineatur; sicut nec videndi organum exterior est oculi tunica, neque audiendi prominens ex capite auris:sed illius interior pupilla, huius abditissima membrana: certum tamen est naribus odorem suscipi,sicut,& aure sonus, & lux, aut color tunica cornea. Itaque tria hæc organa maximam omnino similitudinem & cognationem habent: neque hanc ipsam ob causam tertij huius sensus consideratio fuit à prioribus separanda.

TEXTVS.

Εὔλογον δὲ ὅτῳ μὲν τὰ σκληρόφθαλμα τῶν χρωμάτων, ἀισθάνεσθαι, μὴ διαφόροις δ' αὐτοῖς εἶναι τὰς διαφορὰς τῶν χρωμάτων, πλὴν τῷ φοβερῷ καὶ ἀφόβῳ. ὅτῳ δ' αἱ τῶν ὀσμῶν τῶν τοῦ ἀνθρώπου γένος.

Text. 93 *Rationi autem consentaneum sit, & quæ duros oculos habent,sentire colores; & non manifestas ipsis esse colorum differentias,nisi terribili,& non terribili. Sic autem & odores hominum genus.*

COMMENTARIVS CXXX.

QVemadmodum se habeat homo ad odores sentiendos, exemplo illustrat eorum animalium, quæ præduros oculos habent; vt cancri,locustæ,pisces, & similia. Illa propter organi ineptitudinem minùs exactè, & distinctè colores, & eorum differentias percipiunt. Neque exiles quosuis sentiunt,aut aspectabilia discernunt, eorum proprietates, & naturas cognoscendo; hoc (inquam) esse album, illud nigrum: sed terribili solùm, aut non terribili distingunt.

Odoratus hominis duri oculi.

Quod duobus modis interpretari licet. Aut quod à vehementi quopiã obiecto afficiantur terrore,à tenui, & exili ne moueantur quidem; quòd dura, terrea, ac propemodum opaca membrana mitiorem,ac paulò magis moderatum obiecti motum non admittat. Aut ita, vt non terribile accipiendum non sit pro simplici negatione; sed pro obiecto contrario illi,quod est terribile:ita vt nihil quidem sentiant,nisi vehemens; quia durum organum magno indiget motu: sed illud aut terrorem potest incutere, aut non incutere. Atque ita hæc duo respondebunt optimè molesto, & iucundo, quæ in hominis odoratu prioribus verbis tanquam ambo positiua nominata sunt.

Sic enim prorsus nobis euenit in odoratu, vt propter prauam organi conditionem odorum naturas,& proprietates minùs cognoscamus, nec earum singulas;sed solùm penes voluptatis, aut molestiæ affectum distinguamus. Et vt colorum illa, sic odorum nos non proprias, speciales, & essentiales; sed communes, generales,& accidentarias quasdam differentias animaduertamus. Accidit enim colori, & quidem generaliter, terribile esse, aut non terribile: & odori item molestum esse, aut iucundum. Animalia cætera, quæ meliores habent,& puriores oculos,albũ quoque, & nigrum, cæteráque colorum differẽtias persentiunt. Nam canes,equi,& aues quędam,suos agnoscunt dominos;nec odore solùm, sed colore discernũt fœnum animalia aut panem. Eodémque modo ad odores cognoscendos habere se se videntur animalia illa, quæ certius habent, & exactius odorandi organum. Quare vt se habent ad colores animalia,quæ duris sunt oculis;ita se hãbet ad odores homo:& vt ad colores homo,& ea,quæ puros, ac sinceros habent oculos;sic ad odores canes, vultures, & animalia ea, quæ optimè odorari existimantur. Quæ omnia ex alia, atque alia organi,tum videndi, tum odorandi,dispositione nascuntur.

Quod verò dixit Philoponus,verbum illud (rationi consentaneum)idcircò fuisse additum, quòd incertum esset,verisimile tamẽ, animalia illa,quæ duros habent oculos, non exactè à coloribus moueri; minùs omnino probo. Nã id nullo modo incertum esse poterat. Tum quòd re ipsa constat,ea, nisi vehemens fuerit obiectum præsens, perinde se se habere,ac si nihil adesset. Neque enim accedũt, neque recedunt,neque vllo modo mutantur. Tum quia manifesta ratione ita esse concluditur. Quoniam si motus obiecti tum in medio, tum in organo, pro diuersa illorum dispositione faciliùs aut ægriùs suscipitur; certissimum est vehementiore ibi opus esse motu,vbi minor fuerit dispositio;durósque, ac propemodum opacos horum animaliũ oculos minimè aptos esse ad lucis,& colorum motum suscipiendum, qui perspicuum prorsus subiectum postulat. Immò propterea rationi consentaneum esse affirmauit Philosophus,vt ea minùs exactè cognoscant, & distinguant colores; quia cùm ineptum,ac planè obscurum habeant oculum, minùs apta sunt ad obiectorum motum suscipiendum,eáque acutè perspicienda.

TEXTVS.

Εοικε γὰρ αὐλῆσαι ἔχειν πρὸς τὸν χυμὸν ᾗ ὁμοίως τὰ εἴδη τῶν χυμῶν πρὸς τὰ ὀσμᾶς. ἀλλ' ἀκριβέστερον ἔχομεν πρὸς χυμὸν, διὰ τὸ αὐτὸν εἶναι ἁφὴν πως· πάντων δ' ἔχειν πως αἴσθησιν τὸν ἄνθρωπον ἀκριβεστάτην· ὁ μὲ γὰρ τῶν ἄλλων ζώων λείπεται πολλῶν τῶ ζώειν· κ) ᾗ τὸν ἁφὴν, πολλῶν τῶν ἄλλων διαφερόντως ἀκριβοῖ. διὸ κ) φρονιμώτατον ἐστι τῶν ζώων. σημεῖον ᾗ τὸ κ) ἐν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων παρὰ τὸ αἰσθητικὸν εἶναι εὐφυεῖς, κ) ἀφυεῖς, παρ' ἃ μὲν γὰρ ὀξεῖς εἰσι πρὸς τὸ σκληρόσαρκοι, ἀφυεῖς πρὸς διάνοιαν. εἰ δ' μαλακόσαρκοι, εὐφυεῖς.

Text. 94 *Videtur enim proportionem habere ad gustatum: & similiter saporum species ad eas, quæ tunc odoris. Sed exquisitiorem habemus gustatum, quòd ipse quidam tactus est. Hunc enim habet sensum homo exquisitissimum: in aliis enim inferior multis est animalibus: tactu autem multò, quàm cætera, excellentius percipit. Quare & prudentissimum animalium est. Signum autem, quòd & in hominum genere secundùm sensorum hoc ingenioſi sunt, & non ingenioſi: secundùm autem aliud nullum. Duri enim carne, inepti mente, molles autem carne benè apti.*

COMMENTARIVS CXXXI.

IAm ergò cùm tam rudis, & imperfectus in nobis sit odoratus, tamque difficilis odorum cognitio; opportunum fuerit alio iuuari certiori sensu. Semper enim ex notioribus ignotiorum cognitio quærenda. Sanè vsitatissimum est ex effectu manifesto, & conspicuo occultam inuestigare causam. Sed & sæpè in disciplinis tradendis iuuamur iis, quæ antea fuerint explicata: sicut in exponendo auditu vsus est iis Philosophus, quæ de aspectu tradita fuerant. Interdum etiam ad ea nos conuertimus, quæ cum illis, de quibus agitur, similitudinem, & proportionem, seu coniunctionem quampiam habeant; si alioqui eorum cognitio fuerit nobis facilior.

Hoc igitur nunc agit ad gustatum & sapores se se conuertens, quibus ad odoratus & odorum cognitionem vtetur plurimùm. Nã odoratus similitudinem quamdam, & analogiam habet cum gustatu; & odorũ species cum saporum speciebus. Tum quòd bestiis odoratus datus est propter gustatum. Tum quòd vtraque qualitas, & sapor, & odor, ex iisdem principiis oritur, humido, siccóque permistis: & ad eadem elementa pertinet, aërem, & aquã, tametsi humidi magis, & aquæ sit sapor; sicci potiùs, & aëris odor. Hinc est, quod & odore dignoscunt animalia cibos, & odoratu sectantur. Et in ca. 5. lib. de sensu, & sensili scriptum est; odorem esse affectionem quandam alimenti; omnéque sapidum esse odoriferum, & contrà: ac demum odorũ species simul cum saporum speciebus distingui, tum in suaues, & molestos; tum in dulces, & amaros; in pingues, & acres; austeros, & acerbos; iisdémque vti obique nominibus appellari. Quare (inquit Simplicius) vt odoratus ad odorabilia, sic ad gustabilia gustatus se habet: & vt odoratus ad gustatum, ita odorabilia ad gustabilia. Est tamen in nobis certior, & exquisitior gustandi sensus, quã odorandi. Et ideò ex gustatu, & gustabilibus non parùm iuuari possumus ad odoratum, & odorabilia dignoscenda.

Odoratus, & gustatus cognatio

Cur autem gustatus certior sit, & exquisitior, ea est causa; quoniam is est quidam tactus (non enim gustamus sapores, nisi tangendo, linguæque admouendo; sicut tactu sentimus calidum, aut frigidum, molle, aut durum) tactum autem habet homo certissimum, & exquisitissimum. Quod nequaquam intelligendum est reliquorum sensuũ comparatione; ne cum Philopono labores, cur deaspectu primùm egerit: sed præ cæteris animalibus. Vt cùm odoratum antea dixerit, multis nos animalibus deteriorem habere, ea omnia nunc tactu à noctis superari subiungat. Quod apertè satis ostendit ea, quæ sequitur, probatio. Eum enim sensum in nobis esse exquisitissimum hac oratione cõfirmat, quod in reliquis quidẽ sensibus ab animalibus multis superatur homo: at tactu multò, quàm cætera, διαφερόντως ἀκριβοῖ, hoc est excellentiùs, & perfectiùs, exquisitè, & exactè percipit. Quare & prudentissimum omnium animalium est. Immò solus, vt mente, sic prudentia valet: siquidem φρόνησις habitus mentis constituitur in 2. ad Nicomachum lib. in reliquis versutia potiùs quædam, aut naturæ instinctus cernitur. Est autem vna, & eadem prudentiæ, & perfectionis tactus communis causa, carnis mollitudo: causa, inquam, non efficiens, sed materialis potiùs, aut instrumenti, quo vtitur animã. Potest & prudentiæ nomine hoc loco solertia & sagacitas ad ea peragenda, quæ aut ad esse aut ad benè esse animalis pertinent, intelligi.

Quare ad hunc modum ratiocinatur. Qui inter homines carne sunt molles, ingenio valent, iidémque tactum habent exquisitum: at molliorem homo habet carnem, quàm animalia cætera: magis igitur ingenio, prudentia, tangendique facultate valet. Nam quibus tenuis est cutis, & caro mollis, ij & viuacem omnino habent tactum, quo qualitatem quamlibet paulò magis excellentem sentiunt: & ingenio valent, atque ad prudentiam, & disciplinas omnes sunt apti: neque id aliunde meliùs iudicatur. Propterea quòd optimam habent, & delicatissimã corporis temperationem; vnde optimus, & tenuissimus gignitur spiritus: isq; vt ait Themistius, faciliùs funditur, expeditiúsque discurrens per corpus, functiones omnes promptissimè, ac perfectissimè exequitur. Et vt habet Philoponus, facilè excrementa dissoluuntur, & secernuntur; quæ si nimium abundent, phantasiam, & vim ratiocinandi perturbant, & obtundunt. Quibus verò caro dura est, & tardissimus est sensus, nec nisi à vehementioribus obiectis permouẽtur, & inepti prorsus mente existimantur. Nam & crassum, ac penè terreum, tardum, & inertem habent spiritum; atque excrementosum & graue corpus phantasiam & mentem magnopere impedit. Quocirca stupidos homines παχυδέρμους, id est crassipelles appellant Græci, sanè in extremo quoque capite 16. lib. 1. de part. an. eam rursum ob causam tradidit Aristoteles carnem homini mollissimã factam fuisse, quòd maximè omnium animalium valeat sensu tactus. Et Ægyptius sacerdos apud Platonem in Timæo temperatas regiones dixit prudentissima ingenia procreare; propter meliorem scilicet corporis temperationem.

Mentem autem hoc loco διάνοιαν Philosophus appellauit. Ex quo illud confirmatur, quod alibi adnotauimus, vocem hanc intelligentem illi partem significare, tametsi eadémque valere, ac νοῦν. *Diæresio 1. Quàm verò ex tactu ingenij bonitas colligatur.*

OPtimè ex sensibus ad intellectum docet nos Philosophus ratiocinari. Quoniam etsi non naturã, operatio certè illius quam diu est actus corporis, à corporis sensibus pendet; quoque perfectior

ctior fuerit sensuum operatio, eò erit & illa, quæ intellectus est propria. Sed tactum potiùs, quàm cæteros sensus, vult nos considerare: quoniam illius organum per vniuersum corpus diffusum est. Quocirca & corporis totius habitum ostendit, & cum reliquorum omnium sensuum organis complicatum est: quò fit, vt illorũ organa tactus quoque organa sint. Quare si tactu quispiam optimo valeat, eũ concludi potest vniuersam sentiendi facultatẽ habere quàm optimam. Vnde promptissima intellectus operatio consequitur, quam ingenij bonitatem appellamus. Hoc autem iacto velut intelligẽtis totius operationis fundamento, ad scientias cõparandas aspectu potissimùm, & auditu iuuamur plurimùm, vt est in proœmio librorũ Metaph. & c.1. li. de sensu, & sensili; dum alter differentias obiectorũ plurimas distinguit, alter percipit docentis vocem. Accedit, quòd vt diuersa fuerit carnis conditio, tenuior, & mollior; crassior, & durior: ita diuersus in nobis gignitur spiritus ille, qui generale ad omnes animæ functiones instrumẽtum est. Diuersæ namque corporis partes diuersarũ operationum particularia existunt instrumenta; spiritus generaliter omnibus famulatur. Itaque vt ex alimẽti coctione is gignitur: ita ex carne optimè cognoscitur; caróque tangendi instrumentum existit. Huc etiam spectat id, quod in cap. 10. li. 4. de part. an. legimus, bestias hominibus dementiores esse; & pueros minùs, quã viros, mente valere; atque inter viros pomiliones: Quoniam superiorẽ corporis partem, in qua maximè viget mens, corpulentam nimis habẽt, eáque nimia corporis mole grauata minùs est ad operandum apta, & expedita. Hoc enim ipsum, tum de spiritu, tum de carne tenui, & molli, crassáue, & dura, dici potest. Certè Hippocrates in lib. de flatibus nihil esse dixit in corpore, quod magis ad prudentiam conferat, quàm sanguis: quoniã ex sanguine gignitur spiritus animæ instrumẽtum. Atque in iis, qui carne molles sunt, tenuiorem esse, & puriorem sanguinem, manifestum est.

Iam verò hoc ipsum, quod ingenij bonitatem in mollitudine carnis agnoscat hoc loco Philosophus, Platonis illud ex Timæo confirmat. Potuerat (inquit) Deus tàm solidum hominis corpus concinnare, vt nocumento forinsecùs occurrenti minùs foret obnoxium. Sed mollius efficere præoptauit, quò esset contemplationi paratius. Neque aduersatur illi, quod in 1. proble. sect. 30. traditũ est: omnes, quicumque vnquàm aliqua in re ingenio claruerunt, melãcholicos fuisse: qui corporis habitus terreus est, & siccus; durus potiùs, quàm mollis. Neque Galeni sententiæ in com. 39. in 1. Hippocratis lib. de natura humana; Animi acumen, & dexteritatem ab humore bilioso, hoc est à calida, & sicca temperatione, deriuari; ab atra bile constantiam, & firmitatem; à sanguine simplicitatem, & soliditatem; pituitam ad formandos mores inutilem esse. Quamobrem in li. quòd animi mores corporis tẽperaturas sequuntur, cap. 5. probauit iudicium Heraclidi, siccitatem ingenij causam esse. Et in lib. artis medicæ celeritatem mentis voluit esse caloris, & siccitatis.

Melancholici triplex.

Etenim duplicem oportet melancholicam temperationem distinguere. Vna est naturalis, frigida, & sicca: in qua ex elementis dominatur terra, & ex humoribus atra bilis. Hæc sanè tarda est, & parũ ad scientias apta: neque de ea loquutus est Philosophus; sed de altera quadam, quæ aduentitia potiùs est, flauæ bilis, & sanguinis adustione. Hæc calida est, & sicca, ad omnes motus celer, & prompta; solers, & omnino ad excogitandum, & contemplandum aptissima; Aristotelisq; iudicio vino persimilis, propter calorem admirabiléque effectus. Hæc in iis omnibus, qui quacumque in re claruerunt, fuisse dicitur. Habet enim acumen & viuacitatem bilioſi & calidi humoris; stabilitatem & constantiam admixtæ siccæ melancholiæ; tenuissimum demum, ac optimũ spiritum, carnẽque prorsus mollem, tenuem, ac delicatam, beneficio scilicet caloris coquentis optimè, humidũque cum sicco permiscentis, & superfluam, atque excremẽtosam materiam, quæ duram facere potuisset, accuratè secernentis.

Duritas & mollitudo duplex.

Verùm cùm tenuem cutim, & carnem mollẽ hoc loco nominamus, vtiq; naturalis tenuitas, & mollitudo intelligenda est; quã (vt verbis vtar Themistij) tribuerit incorrupta natura: nõ quæ arte & industria quæsita fuerit; vt molles quidam, & effœminati homines faciunt. Idémq; de duritie intelligendum est. Nam si labore, aut exercitationis quopiã genere dũrior euadat exterior cutis, nihil obfuerit menti. Quare non est, quòd quis fœminas obiiciat viris molliores, & puerulos, immò & vermes, & animalia quædam. Fœminarũ namq; mollitudo non ex perfecta temperatione nascitur, sed ex abundãti humore pituitoso, eóq; minùs benè cocto, & temperato cum sicco: vnde crassior, & segnior ad operandum spiritus. Adde etiam ex vitæ, & exercitationis genere sedentario, & otioso. Pueris item maior est mollitudo propter multum humidum; & animalibus quibusdam, quibus perfecta deest imaginatio, & verò mens ipsa, & ratio. Dixerim etiam, vermium, & similium animalculorum carnem non propriè dici; sed esse quidpiam analogum, & proportione respondens carni.

TEXTVS.

Ἐστι δ' ὥσπερ χυμὸς, ὁ μὲν γλυκὺς, ὁ δὲ πικρὸς, ὅπερ ἡδύσμα. ἀλλὰ τὰ μὲν ἔχουσι καὶ εὔχλοον ὀσμὴν, καὶ χυμὸν, τὰ δὲ τυφλὰ τῶν. λέγω δὲ οἷον γλυκεῖαν ὀσμὴν καὶ γλυκὺν χυμόν. ὁμοίως δὲ καὶ δριμεῖα, καὶ αὐστηρὰ, καὶ ὀξεῖα, καὶ λιπαρὰ ὄζην ὀσμή. ἀλλ' ὥσπερ εἰπομεν, διὰ τὸ μὴ σφόδρα διαδήλους εἶναι πάς ὀσμὰς ὥσπερ τὸν χυμούς, ἀπὸ τούτων εἰλήφθαι τὰ ὀνόματα καθ' ὁμοιότητα τῶν πεπεγμάτων. ὁ μὲν γὰρ γλυκεῖα, ἀπὸ τοῦ κρόκου καὶ τοῦ μέλιτος. ὁ δὲ δριμεῖα, ἀπὸ τοῦ θύμου καὶ τῶν τοιούτων. τὸ αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Est autem vt sapor, hic quidem dulcis, ille verò amarus; sic & odores. Sed alia quidem habent proportione odorem, & saporem: alia verò contrà. Dico autem, vt dulcem odorẽ, & dulcem saporem. Similiter autẽ & acer, & austerus; & acutus, & pinguis est odor. Sed, vt diximus, propterea quòd non valde manifesti sunt odores, sicut sapores, ab his sumpta sunt nomina secundũ rerũ similitudinem. Dulcis enim à croco; & melle; acer autem à thymo, & huiusmodi. Eodem autem modo & in cæteris. Tex 35.

COMMENTARIVS CXXXII.

OCcultam dixit esse odorum naturam, ignotásque species ex saporibus quærẽdas, cum quibus magnam coniunctionem habent, & analogiã: præsertim cum sensum hunc minus exquisitũ habeamus. Hoc nunc aggreditur; simul exponens, quænam coniunctio sit, & analogia, quæque odorũ species. Meminerimus autem idem in auditu factũ. Nam, vt ibi sonorum differentias ex tactilibus corporibus designauit, in quibus acutũ, & graue pro-

priè nominantur;indéq; ad ſonos,licet minùs propriè,transferũtur: quoniam in illis quidpiam eiuſmodi cernitur,quod acuto,&graui in tactilibus reſpondeat. Ita nunc ex guſtabilibus ſaporibus odorabilium qualitatũ differentias exponit; quæ in ſaporibus & guſtatu propriè nominãtur,in odoribus & odoratu minùs propriè;ſed propter quandã cum illis ſimilitudinem,& proportionẽ. Dulcem enim, aut amarum odorem quis propriè dixerit?

Odorũ duplex genus.

Nec tamen odores omnes complectitur;ſed eos ſolos,qui cum ſaporibus,&guſtatu coniuncti ſunt; hoc eſt alimentorum odores. Hi enim ſoli poterãt ex ſaporibus colligi:ſed ex illis fortaſſe voluit alios quoq;ſi qui ſunt,diſtinguendos,& appellẽdos eſſe: quos in li.de ſenſu,& ſenſili odores florum eſſe affirmabit;qui non ad alimentum,ſaporem,& guſtatũ perſineant; ſed per ſe conſiderentur ad nimium humani cerebri frigus,& humorem duntaxat temperandum comparati.

Saporũ ſpecies.

Hunc igitur ex ſaporibus ita conſtituit. Quemadmodum ſapor quidam eſt guſtatus dulcis, vt in croco,& melle;alius amarus,vt in abſynthio; alius acer,vt in thymo;alius auſterus, vt in cidoniis malis;alius acutus,vt in pipere;alius pinguis,vt in adipe. Ita & in odoribus has omnes ſpecies nominamus,quòd cùm magis propria eorum natura,& differentia non ſit nobis tam perſpecta, vt propriis cã vocibus appellare poſſimus, tranſlatitiis vtimur, propter exilem quãdam,& tenuem ſimilitudinem, quam in illis,dum afficiunt ſenſum, animaduertimus. Alioqui nec dulcem, nec amarum odorẽ diceremus. Quamquam hęc in omnibus corporibus non eodem modo ſe habent. Sed in quibuſdã coniuncti ſunt,tum ſapor, tum odor,proportione ſibi reſpondentes: vt cum ſapore dulci dulcis odor in croco,& melle;aut cum acri acer in thymo. In aliis non item; ſed cum vno ſapore odor eſt planè contrarius,aut alius quiuis;vt in aloë,aut ſtyrace,& ferè vnguẽtis odor eſt dulcis,ſed amarus ſapor. Quod propterea fuit adnotatum;ne id,quod dictum fuerat,odores ex ſaporibus cogniſci, & nominari, in eiſdẽ ſemper corporibus intelligeretur:néue qualis in ſingulis ſapor guſtatur, talis nominaretur odor: ſed vniuersè magis &ad ſenſum,nõ ad ſubiectũ cõparatione, illi proportione ſibi & nominibus reſpondentes eſſe conſtituerentur,qui tum guſtandi, tum odorandi ſenſum eodem modo afficiunt; ſiue in eodem, ſiue in diuerſis ſubiectis ſint.

Vt ex ſaporibus odores colligãtur.

At enim ſi ea eſt ratio,cur odoribus tanta ſit cum ſaporibus affinitas, totidémque ſaporum & odorũ ſpecies exiſtant, quòd hæ ambæ qualitates ex iiſdẽ principiis pendeant, humido ſiccóque permiſtis; ideóque omne corpus ſapidum eſt etiam odoriferum, & contrà;iure optimo quærit Simplicius,cur non ſimilẽ ſemper ſaporem ſimilis odor ſequatur, nec ſemper cum dulci ſapore dulcis ſentiatur odor, Causã eſſe reſpondet, quoniam imbibitum ſapidũ aliquando digreditur & ad cognatum aliquod propriámue prinationem deflectit. Etenim qualitates ſecundę primarũ permiſtionem conſequuntur: fitque interdum, vt ſicci & humidi permiſtio eodem modo cõparatione ſaporis & odoris ſe habeat, interdũ non eodem. Sed ſtatim obiicere licet Simplicio; ſi ex eadẽ permiſtione ſapor & odor naſcantur, quî fieri poteſt, vt imbibitũ ſapidum ad aliud deflectat,aliúſq; ſapor ſit,alius odor? Potiùs credendum propterea interdũ qualitates haſce diſcrepare,quòd diuerſa ſint illarum ſubiecta. Vt quãuis idẽ corpus, tum ſapidum ſit,tum odoriferum;in humidis tamẽ & craſſioribus illius partibus contineatur ſapor;in ſiccioribus,tenuioribus, & exhalantibus,odor. Nã quòd guſtamus,eſt craſſus humor & ſuccus; quod odoramur,tenuis & ſiccus halitus. Itaque ſi diuerſæ fuerint aut etiam pugnantes harũ partium temperationes, diuerſi atque adeò pugnantes erũt ſapor & odor. Si vero interdum ſimiles, ſimiles quoque fuerint hæ in eodem corpore qualitates.

Curnon ſemper ſi milis ſa por & odor.

Differentias & ſpecies odorum exquiſitè cognoſcere vix poſſumus, quòd ſenſum hunc incertum valde,& prauè affectum habeamus, nec niſi vehementiores perſentiſcamus. Primos tamen & quaſi extremos odores dicimus iucũdos & moleſtos ſeu ſuaues & ingratos, dulces & putridos:medios autẽ eos,qui nec vehementer delectant nec magnopere diſplicent. Quoſdam reperias;qui ſuauiſſimos cæteris odores non tolerant: & ipſe homines nouã roſarum odore planè abhorrentes. Id aut ex quapiã indiuidui proprietate oritur, aut ex praua cerebri temperie, quæ ab odore illo nimium patiatur, aut etiam ex nimia ſiccitate aut calore membri, cui moleſtũ ſit ab odoribus ſiccari magis aut calefieri.

Diuerſi odores.

TEXTVS.

Ετι δ', ὥσπερ ἀκοὴ καὶ ὄψις τῶν αἰσθητῶν, ἢ μὲ τὸ ἀκουστὸν καὶ ἀνακουστὸν, ἢ δ' ὅρατὸν καὶ ἀόρατόν· καὶ ἡ ὄσφρησις, τὸ ὀσφρητὸν καὶ ἀόσφρητον· ἀόσφραντον δ', τὸ μὲ πολὺ πόλεως ἔχειν ἀδύνατον ὀσμὴν, τὸ δ', μικρὰν ἔχειν καὶ φαυλην. ὁμοίως δ' ἔχει καὶ γευστὸν καὶ τὸ ἄγευστον λέγε).

Præterea vt auditus & vnuſquiſque ſenſuum, hic quidem audibilis & inaudibilis, ille autẽ aſpectabilis & inaſpectabilis; & odoratus odorabilis & inodorabilis. Inodorabile autem, aliud quidẽ ſecundũ id, quod omnino non poteſt habere odorem; aliud autem, quod paruũ habet & pauum. Similiter autem & guſtabile & inguſtabile dicitur.

Tex. 71.

COMMENTARIVS CXXXIII.

ODoratus obiecto conſtituto,eiúſq. ſpeciebus diſtinctis, quomodo hic ſẽſus ad earũ cognitionem progrediatur,paucis exponit. Quã in re videtur etiam velle ſignificare,odoratum non ſolùm guſtatui ſimilem eſſe,vt hactenus traditum eſt,ſed cæteris quoque ſenſibus. Non.n.hac in re à cæteris diſcrepat. Et odorũ quidem ſpecies ex cognatis ſaporibus nobis notioribus ſeparauit:quatenus autẽ eæ cognoſcãtur,ex aſpectu & auditu,de quibus antea dictũ eſt,manifeſtat. Nam quemadmodũ aſpectus,vt eſt in tex.71. aſpectabilis eſt & inaſpectabilis, & auditus audibilis & inaudibilis; ita odoratus odorabilis eſt & inodorabilis. Quo.n. alio ſenſu hæc cognoſcantur?

Inodorabile quid.

Quid ſit odorabile,manifeſtum eſt ex iis,quę hactenus tradidit. Id.n.ſignificat, quod odorẽ habet odoratúque ſentiri poteſt. Iã quid inodorabile appellauerit, declarandum ſupereſt. Duobus modis id dicitur (idẽq, de inaſpectabili & inaudibili aliiſq; ſimilibus intelligendũ) aut id, quod nullũ omnino odorẽ habet;aut id,quod paruũ, & parũ. Nã aiterum nullo modo odoratũ habet, alterũ vix & non ſine magno ſenſus conatu &læſione:addeetiã non niſi ab exquiſito ſenſu. Cæterùm cùm id nominauit,quod nullum odorem habet; non ſolam priuationem,ſed negationem puram indicauit. Dixit.n. (quod omnino impoſſibile eſt habere odorem.) Quod aut ex quodam orationis impetu pronunciatum fuit:alioqui circa idẽ obiectum & odorabile & inodorabile,

inodorabile, vt in aliis sensibus, consideranda sunt. Aut propterea affirmatum, quoniam corpus, quod amisit odorem, recuperare illum ampliùs non potest: vt putrefactũ pomum aut aridũ: siquidẽ à priuatione ad habitum natura non regreditur.

Quocirca meliùs hunc locum videbitur interpretari Philoponus, quàm Themistius. Etenim hic inodorabile dici intellexit, sicut vox & sonus dicuntur inaspectabiles quòd natura inhabiles sint vt aspici queant. Ille autem quasi Themistium carpens, non aspectum, sed rationem esse dixit, quæ sonum cognoscit inaspectabilem esse aut inodorabilem: eámque negationem interpretatus est obiecti proprij priuationem; qua id, quod natura aptum est habere odorem, non habet. Certè vnusquisque sensus obiecti sui limitibus continetur, nec extra illos quidquam cognoscit. Si igitur odoratus odorabilis est & inodorabilis, inodorabile necesse est in eo considerare, quod poterat esse odorabile & non est. Eodẽ modo in gustatu quoq; gustabile & ingustabile dicimus. Præsertim cùm odor & sapor tantopere inter se coniuncti sunt, vt in eisdem corporibus reperiantur.

In eo tamen nec Philoponi nec Themistij sententiâ sequor; quòd gustatum affirmant & saporem per se, & priuationem illius & absentiam ex accidenti cognoscere. Quoniã cùm de aspectu dicerẽ, necessaria prorsus ratione ostẽdi, priuationẽ obiecti non sensu, sed intellectu cognosci. Sic igitur explicandus est hic locus. Odoratus est per se odorabilis, tanquam proprij obiecti; & inodorabilis itẽ, si inodorabile significet id, quod paruum & prauũ odorem habet. Nam hoc quoque naturam obiecti participat, potéstq; sensum mouere, etsi ægrè, propter paruitatem: aut cum molestia & læsione, propter prauitatem. Denique est etiam inodorabilis, quod solam dicit odoris priuationẽ; quatenus etsi nullum circa illud cognitionis actũ efficiat, sed ea priuatio intellectu cõprehendatur; non comprehẽditur tamẽ absque odoratus actu non positiuè, sed negatiuè concurrente. Tunc.n. intellectus cognoscit corpus illud nullum habere odorem, quando naribus benè affectis appositum non mouet sensum, nequevllum circa illud actum odoratus elicit.

Vt odoratus sit inodorabilis.

A B C D E

Vt aër & aqua odorandi medium.

Quod eodem quoque modo intelligendum est, quo in duobus illis sensibus ipsemet Aristoteles interpretatus est. Nam vt in tex. 68. declaratum est, aërẽ & aquam esse videndi medium, non quatenus aër aut aqua sunt, sed quatenus communem habent naturam. Sic in tex. 75. & 76. eadem corpora odorandi medium esse affirmauit, quatenus communem quandam affectionem habent: cámque in aspectu esse perspicuitatem, in odoratu nominari non posse. Tametsi in lib. de sensu, & sensili eam is quoquo modo significauit, cùm ea corpora dixit odorabilia esse quatenus humida sunt & lauatiua ac detersiua sapidæ siccitatis: & posteri ὑόσμον nominarũt. At Philosophi verba metaphoricè, non propriè, intelligenda esse verè admonuit Alexander. Nec.n. aër propriè lauare potest, quòd non adhæreat partibus, neque continuitatem soluat. Neque aqua detergere, cùm adhæreat corporis partibus; quódque detergit, separatum esse oporteat. Lauare igitur & detergere dicũtur, quia vt id, quod lauat & detergit, concipit in se aliquid eius, quod lauatur & detergitur; odorem, saporem, colorem, aut etiam partes substantiæ aliquas, vt in aqua lauãte pãnóq; detergente videas: ita quoniã interni caloris actione exhalat semper in mediũ aliquid substantiæ rei odoriferæ; mediũ in se aliquid illius concipit ad modum lauantis & detergentis; halitũ inquam odoriferum. Hócque solius odoris est proprium, quia solus cum halitu multiplicatur.

Vt aër & aqua lauatiua sint & detersiua.

Aër & aqua triũ sensuũ medium.

Trium igitur sensuum media sunt hæc duo elementa; aspectus, auditus, & odoratus: triũque sensilium delatricem vim habẽt; colorũ, sonorũ, & odorum. colorũ, quatenus perspicua sunt: sonorũ, quatenus friabilia aut penè friabilia: odorum, quatenus humida, lauatiua & detersiua, aut ὑόσμα. Quod autẽ ad odores nunc attinet, hãc inesse in aëre vim, certum est. Quoniã & vultures cadauera plurimũ diffsita odoratu solo persequuntur: & eodẽ sensu canes sectantur feras, & in aëre interdum manifestè videmus in iis, quæ suffitu sentiuntur, odorẽ cum vaporoso halitu diffũdi atque ad nares peruenire. Et interdum vt meliùs sentiamus odorẽ, manibus in nares aërẽ protrudimus. In aqua verò pisces odorari constat. Quoniã ij ipſi, qui oculos non habẽt, vt cochleæ, purpuræque sectãtur cibũ: & ij, qui aspicicẽdi facultate valent, in obscurissimis tenebris ad præsentẽ escã accurrũt, ab illius scilicet odore inuitati, vt pluribus traditur in 4. lib. de animal: hist. cap. 8.

Pisces odorari.

Porrò illa verba (æquè autẽ & sanguinea & exanguia) interiecta sunt, & à cæteris distingui debent parenthesi, ne orationem perturbẽt. Quare hic erit sensus. Quæ in aquis degunt, odorẽ sentire videtur, sicut & quæ in aëre: quoniam illa quóque ad sectãdũ alimentũ ab odore inuitantur. Atque inter hæc interposita fuerunt illa verba (æquè autem & sanguinea & exanguia) quæ Philoponũ & Simpliciũ miror interpretatos fuisse de animalib⁹ tũ aquatilibus, tũm aëreis. Quorsũ.n. dũ de solis aquatilib⁹ est sermo, vt in aqua probetur ea odorari, aërea quoq.

TEXTVS.

Εστι δὲ καὶ ὑσφρητὸν διὰ τοῦ μεταξὺ, οἷον ἀέρος ἢ ὕδατος· ἐν γὰρ τούτοις ἔοικε καὶ ἀναπνέουσι. ἔμοιγε δὲ καὶ τὰ ἔναιμα, καὶ τὰ ἀνάιμα, ὅσαπερ καὶ τὰ ἐν τῷ ἀέρι· καὶ γὰρ τούτων ἕκαστα πορρώτερον ἅπτεται τῷ σώματι τὸ ὑσφρητὸν ὑποσμα γινόμενα. Tex. 97

Est autem & odoratus per medium, vt aërem aut aquã. Etenim aquatica videntur odorem sentire (æquè autẽ & sanguinea & exanguia) sicut & quæ in aëre. Nam horum quædã eminùs ad alimentum accurrunt ab odore affecta.

COMMENTARIVS CXXXIIII.

NOn solùm in eo aspectui & auditui odoratus est similis, quòd odorabilis est & inodorabilis; sicut aspectus aspectabilis & inaspectabilis, & auditus audibilis & inaudibilis. Verùm etiã in eo, quòd fit per externum medium, sicut & illi: & quidem per idẽ medium, aërem, & aquam. Itaq; in his duobus textibus, dum exponit, quid sit huic sensui cum prioribus duobus cõmune, duo simul alia tractat. Alterũ, quomodo hic sensus ad sui obiecti cognitionem progrediatur. Alterum, an per medium aliquod operetur, & quodnam illud sit. Sed prior illa similitudo magis erat generalis, & quidem cum

comprehendantur? Sed & inepta esset oratio, si ita loqueretur: Ea, quæ sunt in aquis (tã inquã ea, quæ sunt in aquis, quàm ea, quæ sunt in aëre) odorẽ sentire videntur; sicut ea, quæ sunt in aëre. Quis ita loqueretur? Sapiẽs autẽ omnino fuerit, si interposita illa verba de solis aquatilibus intelligãtur; in quib. quædam sunt sanguine prædita, alia prorsus exanguia. Vt ita ex vtroq; genere ad id probandũ, quod quæritur, generale argumentũ petatur. Animalia omnia, quæ sunt in aquis, tũ ea, quæ sanguinẽ habent, vt pisces: tum ea, quæ non habent, vt sepiæ, polypi, cancri, ostreæ; non minùs videntur odorem sentire, quàm ea, quæ degunt in aëre; quoniam odoratu trahuntur ad alimentum.

Digressio 11. *De natura & multiplicatione odorum.*

PRopterea humidi vniuersè, aëris inquã & aquę, vt detersiua sunt & lauatiua, actum esse odorẽ, definiuit in lib. de sensu & sensili. c. 5. Verùm si Alexander sola hæc duo corpora dicat esse odoris subiectũ, odorémq; hoc à sapore differre, quòd huius subiectũ sit corpus sapidũ, illius aër & aqua; de odore loquitur per ordinẽ ad sensũ; quia nõ nisi per aërẽ aut aquã diffusus sentitur. Sapor autẽ non itẽ: sed corpus sapidũ organo gustatus imponitur. Alioqui vt lumen & sonus aëris quoq; & aquæ sunt actus, & tamen in lucidis quoq; & sonãtibus corporibus insunt; sic & odorẽ intelligẽdũ est in odorifero quoq; inesse corpore. Quod sẽsu ita manifestũ est, vt ineptum sit probationẽ quærere. Et Philosophus quoque propterea dixit elementa odore omni & sapore carere, corporáq; sapida esse itẽ odorifera. Odor n. qualitas est secunda ex elementorũ permistione, sicut & sapor, orta. Totúsq; odor, qui in aëre medio aut aqua susçipitur, ab odorifero prodit corpore. Est inquã secunda qualitas patibilis tertiæ speciei; quia sensilis est, vt cæteræ eius generis; orta ex elementorum permistione, actione calidi: quia in corpore non penitus frigido & crasso, sed tenui & vaporoso, consistit; caloris tenuãtis halitũque odoriferũ resoluentis opera. Nã & confricatione & calefactione excitatur ex corporibus odor. Sicco tamen supra humidũ dominãte. Quoniã cùm in permistione hæ duæ qualitates præ cæteris patiantur, humido abundante fit sapor, sicco odor: Hicq; dicitur esse sicci, ille humidi. Magna est hæc differẽtia huius ortus, à colorum & sonorum ortu. Color non nisi remotè ex primis qualitatibus nascitur; proximè ex luce, opacitate, & perspicuitate; sonus autẽ ex locali motu sonantiũque corporũ percussione interceptum aërem confringente. At odor & sapor immediatè & primũ ex primarum qualitatũ permistione existunt; ideóq. magis materiales sũt. Verũ in ea permistione humor & siccitas sunt velut materia, calórque frigore aliquo tẽperatus velut agens humorem & siccitatẽ permiscens. Itaque si dominetur humor, siccitásque ita illi incorporetur, vt optimè penetret & cum eo compacta sit, accedẽte aliqua caloris coctione, fit sapor. Quæcumque. n. coctio, siue elixatio sit, siue assatio, siue maturatio, nouum aliquẽ saporẽ adducit; vt in carnibus, quæ coquũtur; & arborũ fructibus, est videre: quòd alioatq; alio modo subinde siccũ cum humido tẽperetur: resq. siccæ prorsus & adustæ nullũ saporem habẽt. Quòd si excedat siccitas, humórque illi incorporetur & cũ ea tẽperetur, gignitur odor. Argumento sit odor ille, qui ex arida terra nascitur, cùm in eam deciderit pluuia: permisto nimirum humore cum siccitate.

Odoris subiectũ.

Odoris & sapo-ris ortus

Non igitur odor dicitur esse sicci, quòd in odorifero corpore abundet semper siccitas. Quippe in halitu, qui ex terra madefacta ascendit, & in liquoribus plurimis, & aquis arte paratis, abũdat humor. Sed aut ita libuit Philosopho odorem sapori opponere, vt quamuis ex eadem permistione oriãtur, siue abundet siccitas, siue humor; quæ tamen sunt maximè sicca, sunt maximè odorifera & parùm sapida, vt cynamomum, rosa, & similia: quæ verò maximè humida, plurimũ sapida & parũ odorifera: vt mel, & aqua maris. Sapor enim gustatur in humido. Aut ita loquutus est, quoniã omne quidẽ sapidum corpus est odoriferũ, & contra; sapor tamen in humidis & crassis partibus præcipuè consistit; odor in siccis, tenuibus, & exhalãtibus: gustamus. n. humorem crassum, olfacimus tenuem & siccum halitum. Aut deniq; odorem dixit magis sicci, quia calido & sicco sentitur halitu: calido exefficiẽte causa resoluẽte, sicco ex materia & natura propria. Saporẽ autẽ magis humidi, quòd cũ humido succo gustatur.

Hinc duo intelliges. Alterum, cùm tanta sit ac tã necessaria odorum & saporum coniunctio, vt omne corpus sapidũ sit item odoriferũ, & contrà: iure optimo scriptũ fuisse in lib. de sensu & sensili, odores saporibus, & hoc loco, odoratũ gustatui, odorũque species saporum speciebus proportione respõdere. Alterum, præter intrinsecũ illum finem, quo sensilia omnia obiecta ad sentientẽ facultatẽ referuntur, duos alios esse odorum fines: tum calore & siccitate immoderatum cerebri frigus & humorem temperare: tum alimenta vtilia ab inutilibus separare. Ille hominis proprius est, hic bestiarũ potiùs.

Disputant autem hoc loco interpretes, quónam modo odor ab odorifero corpore per aërem aut aquã diffundatur: præsertim tam procul, vndeanimalia quædã odorari dicuntur. Nam vultures belli Troiani tẽpore à quingentis milliaribus aduolasse legimus, occisorum cadauerum odorem sentientes. Auicenna realem cum vaporoso halitu diffusionẽ ad odoratum vsq. fieri voluit. Auerroës solã intentionalem credidit. Alij realem vsque ad certum terminum, deinceps verò intentionalem. Sanè quod ad horũ Philosophi verborum interpretationẽ attinet, quocũque fiat modo, is satis est ad ostendendũ, aërem & aquã esse odorãdi mediũ. Neque Aristoteles hoc loco odoratum probauit per medium fieri, sed solũ quodnam esset illud mediũ expoluit. Nam aliquod medium esse necessariũ, partim manifestũ erat: quia si corpus odoriferum ponatur intra nares, non solũ non sentitur, sed aliorũ quoque omnium sensionem impedit. Partim verò acceptũ fuit in tex. 75. vbi iam positum fuerat, nõ aspectum modò, sed & auditum & odoratum interiecto alio quo corpore fieri: solúmque supererat explicandum quodnam esset illud corpus.

Iam de eo, quod disputatur, ego ita pronũtio. Intẽtionalis specierum diffusio minimè in hoc sensu necessaria est, vt nec in cæteris. Realis multiplicatio, tũ asseritur ab Arist. in c. 7. li. de sensu & sensili & ab Alexandro eo loco, cæterisque Peripateticis. Aristoteles. n. eodẽ modo cum tẽpore per localem motum & sonũ & odorem multiplicari voluit, primúsque ab illis moueri mediũ, quàm sensum. Immò primum mouens, vt thus, ab omnibus sentiri asseruit, id autẽ, quod immediatè sentitur, numero diuersum esse, specie idem. Si intentionali specie diffunderetur, idem semper numero sentiretur: quippe non species organo susçepta: sed obiectũ, cuius est

est species, per eam sentitur. Tum verò in plurimis manifestum est. Nam odores quosdam naribus cũ magna voluptate suscipimus, alios cum summa molestia. Aliqui recreant, & vt Aristoteles loquitur, immoderatum cerebri frigus & humorẽ temperant: alij lædũt & obsunt plurimùm, & nonnumquam prosternunt animal. Vt fateri necesse sit realem aliquam qualitatem, aut naturæ amicam, aut contrariam, inspirando ad cerebrũ penetrasse. Neque.n. nisi inspirando odoramur; quasi rem aliquã naribus suscipientes. Et si, vt dixit Philosophus, odores suaues ad cerebrum nostrum temperandum referuntur; non nisi reali qualitate temperari potest. Sed & odores omnes à calore fiunt, certámque corporis temperationem poscunt singuli. Boni.n. & suaues à superante calore humidúmque coquẽte; graues & fœtidi à debiliore causa non coquente gignuntur. Citiùs etiam à propinquioribus, quàm abiis, qui magis distant, sentitur odor. Abigitur autem vento, impedítúrque magnopere illius sensio. Sæpè bonus odor vehementior imbecilliorẽ tetrũ obscurat, eiúsque sensionem prohibet; aut contrà. Quod nõ fieret, si re ipsa non traiiceretur ad sensũ. Nam colores omnes, licet contrarij, traiiciuntur simul; neque vnus alterius aspectum prohibet. At si odor est actus aëris, & aquæ, vt lauatiua sunt, & detersiua, quemadmodum Philosophus definiuit; sanè lauatiuum, & detersiuum id dicitur, quod reale aliquid suscipit. Neque certiùs huius rei argumentum quæri potest, quàm ex ipsomet sensu; quo in vehementioribus, & acutis odoribus quidpiã sentimus per nares ingredi, atq; in cerebro suscipi. Et ex carne, quæ ad ignẽ coquitur, aut ex suffitu, ascẽdere conspicimus quasi fumum, & halitũ; qui vbi ad nares venerit, tum demũ sentitur odor. Quamquam hæc non solùm re ipsa, sed etiam cum vaporoso halitu multiplicari, atq; in medio spargi odorem ostendunt. Tum aspectus iudicio, qui halitus, & fumos in aëre videt. Tum ipsius odoratus, in cuius organo vehemẽs à vehemẽtioribus odoribus sentitur motus, & cum magna interdum molestia, capitísque dolore. Quænam verò alia sit causa, cur aurum, vt ait Aristoteles, inodorabile sit? nisi quia propter perfectam mistionem halitũ emittit nullum: sicut quia nullum succum, nec saporem vllum habet. Quippe omne corpus odoriferum est exhalabile; quia calorem habet internũ, qui tenuiores partes resoluit in halitum. Cur, vt plurimarum rerum sentiamus odorem, confricamus eas, & calefacimus; magísque odoriferę sunt calidæ, quàm frigidæ? nónne quia calore exhalant partes earum tenuiores, quas prohibebat frigus? cur benè olida, nisi tegantur, odorem breui amittunt; nisi quia tenues partes, in quibus est odor, nimium exhalant. Cur bonus odor cerebrum, cor, & spiritum recreat, nisi propter fumosum adiunctum halitum? Cur contrà teter odor lædit, aut etiã necat? nisi quòd pessimus halitus inficit cerebrum, aut nimis crassus & vehemens spiritui & respirationi præcludit aditum. Cur aromata in cinere suffita magis, quàm in prunis, olent? nisi quia prunæ absumunt halitum antequàm exhalent, non item cinis. Cur suffimenta remotiora magis olent, quàm propinquiora? nisi quòd propè sunt crassiores partes, quæ odorem impediunt; remotiores autem tenuiores solæ, quæ magis olent. Cur olida vrinam prouocant? nisi quoniam exhalans halitus corporis meatus aperit. Cur, vt in 4. lib. de morbis confirmat Hippocrates, comedentis allia excrementa omnia eorum odorem retinent? nisi quia tenuis admodum est, & efficax allij halitus, faciléque totum permeat corpus. Cur odorifero corpore in arca posito, indéque post aliquod tempus ablato, tum arca, tum omnia, quæ in ea continentur, diutissimè odorem retinent? nisi propter corporis halitum corporibus illis permixtum, diúque conseruatum. Cur in grauibus morbis odoribus quasi nutrimur, & aliquandiu sustentamur? nisi quòd vaporosus halitus tenuiores deferat partes, quibus nonnihil reficimur. Sanè Aristoteles in cap. 5. lib. de sensu, & sensili odorationem inspirando fieri, capitíque prodesse plurimùm voluit; & illius fuerunt hæc verba: Odorabilis sensorium in capite, & cum spirito- « sa intrat vaporatione: quare ad spiratiuum vadet « vtique locum. Et in capite 2. eiusdem libri: odor fu- « mosa euapotatio est: fumosa autem enaporatio ab « igne. Quo argumento odoratum esse ignis ostendit. Itaque si eos reprehendit, qui vaporem, fumidúmue halitum odorem esse asseuerant; propterea reprehendit, quòd nil aliud eum esse, quam halitum velint; qualitatémque esse contendit, quæ cum halitu deferatur. Aut quòd nullam putent esse sine eiusmodi halitu odorationem. Pisces enim odorantur in aqua, quò halitus penetrare non potest. In capite autem septimo auditum, atque olfactum omnino conficit locali motu constare, & cum tempore fieri; priúsque à propinquioribus, quàm à remotioribus; & sonos, & odores sentiri, quòd illi aëris, hi vaporosi halitus motu locali sensim progrediantur. Itaque Ammonius, atque Simplicius in librum Categoriarum dum eorum definitionem interpretantur, quæ sunt in subiecto; odorem respondent, dum per aërẽ progreditur, nequaquam per se moueri, aut mutare locum, ex vnóue in aliud subiectum migrare: quoniam non solus, sed cum vaporoso halitu spargitur.

Ammonij verò, & Philoponi argumenta prætermittenda non sunt. Ex eo namque argumentantur, quòd fœtidum sepè transeũtes locum, circumseptis sudario naribus, aërem quidem respiramus (fieri enim nequit, vt hunc non respiremus) odoris verò fœditatem non percipimus. Inde enim non solum fumosum halitum colligunt; verùm etiam eum ostendunt aëre crassiorem esse cùm sudatij meatus penetret aër, halitus ille non penetret. Tum verò etiam ex eo, quòd pomum longiore temporis spatio rugosius redditur; perinde quasi eius substantia, in qua erat odor, per halitum digeratur. Atque ex vaporibus ex incensis tam manifestè exhalantibus, vt etiam manibus sæpè ad nares pellamus. Denique Platonis quoque vtitur testimonio Ammonius.

Odorem non semper ad nares diffundi.

Necessarium tamen non est odorem ad odoratum vsque semper diffundi. Sed si intrà sphæram actionis sensus contineatur, poterit absq; alia reali ipsius in organo susceptione sentiri. Sic.n. de coloribus quoq; & sonis philosophandum sentio. Quomodo.n. aquatilia (inquit Philoponus,) quæ sũt super aquæ superficiẽ, olfaciunt? neq;.n. probabile est vaporosũ halitũ per aquã deorsũ procedere, sed potius sursum. Et cùm odoris natura calida sit, extingueretur in aquis: & vultures ex infinitis interuallis cadauera sentiũt; nec eò vsquetiq; è corporib⁹ perueniũt halitus. Et exigua quædã corpuscula diu nõ retinerẽt odorẽ, si eorũ halitus eò vsq. peruenirent, vnde sẽtitur: neq. in permultis est tã vehemẽs calor

vt tam procul halitum possit emittere. Denique animalia, quæ non respirando odorantur, ostendere etiam possunt necessarium non esse, vt odor ad odoratum perueniat, vt ab eo sentiatur. Harum igitur cognoscentium facultatum ea vis est, & natura, vt circa quidpiam sibi propositum versentur: satisque obiectum illud censetur esse coniunctũ cum facultate cognoscente, si non magis remotum fuerit, quàm facultas operari possit, tumq; statim circa illud operabitur. Inde est, quòd odores aliqui ab vno minùs, ab alio magis, & ab alio maximè remotè percipiantur; vt vnumquodque animal minorẽ, aut maiorem habuerit odorandi virtutem. Cæterùm de hac philosophandi ratione circa sensuum cognitionẽ pluribus in locis multa superiùs significata fuerunt.

De vulturum odoratu

Quod tamen de vulturibus fertur, aut suspectum esse potest: quis enim scire potuit eas tã procul aduenisse? aut multis modis explicatur. Primũ respõderi potest, non odoratu, sed acutissimo aspectu eas cadauera illa sensisse. Deinde, fumosum halitum vento fuisse ad remotissimas partes deportatum. Tum nec fumoso halitu, nec alia multiplicatione opus fuisse, sed sola odorandi facultate, quam acutissimam habẽt, remotissimum, sed maximum, eas odorem percepisse. Denique quoniam aduersarij conantur intentionalem diffusionem persuadere, viderint illi, aut non minorem, aut etiam maiorem difficultatem esse, vt intentionalis species tam procul diffusa fuerit. Siquidem hæc quoque ad determinatam distantiam diffundi ab illius patronis existimatur.

A

B

C

Quia dum non inspirant, & suscipiunt, sed aut expirant & reddunt, aut retinent spiritum, omnino non respirando, nihil odorantur; neque ex inferiore, neque ex superiori loco; etiamsi odor sit præsens, vel intra nares odoriferum corpus.

At in aqua, & ab aquatilibus, quæ non respirant, quomodo sentiri potest? Certè non sentiri odorem, si odoriferum corpus intra nares conciatur, omnibus commune est. Aut, inquam, omnibus sensibus; quia omnes per aliquod medium sentire debent: & si obiectum cum ipsorum organo immediatè coniungatur, nullo modo sentitur; immò aliorum sensionem prohibet. Aut potiùs omnibus animalibus, tam aquatilibus, quàm aëreis. Statim enim subiungit: At sine respiratione non sentire proprium est hominum: hoc est animalium eorum, quæ respirant. Neque hoc maiori probatione indiget; cùm satis experientia ipsa confirmetur; & ideò tanquam certum, & manifestum accipitur.

Itaque difficultatem, quæ maximè fuit proposita propter animalia ea, quæ in aqua non respirando odorantur; siue sanguinea sint, siue exanguia: magis generalem facit, vt illa omnia complectatur, quæ non respirando odores sentiunt: quemadmodum ea, quæ inter terrestria, & aërea ortum habent sanguinem. In his enim nec sunt pulmones, nec respiratio, vt in apibus, & insectorum genere. Nam de his quoque eadem difficultas est, & ideò in proximis textibus vniuersè, & generaliter respondebitur.

D

E

TEXTVS.

Διὸ καὶ ἄπορον φαίνεται, εἰ πάντα τὰ ὁμοίως ὀσμᾶται· ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος οὐκ ἀναπνέων τε, μὰ ἀναπνέων δέ, ἀλλ' ἐκπνέων, ἢ κατέχων τὸ πνεῦμα, οὐκ ὀσμᾶται, ὅτε πρόσω δεῖ, οὔτε ἐγγύθεν, ἐὰν μὴ ἐπὶ τῶν μυκτήρων ἐντὸς τυθῇ. καὶ τὸ τὰ ἐν ὑγρῷ πεφυκότα τῷ αἰσθητηρίῳ, ἀναίσθητον εἶναι, κοινὸν πάντων· ἀλλὰ τὸ ἄνευ τοῦ ἀναπνεῖν μὴ αἰσθάνεσθαι, ἴδιον ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων· δῆλον δὲ πειρωμένοις.

Text. 98. *Quocirca & dubium videtur, si omnia quidemæquè odorentur, homo autem respirans quidem, non respirãs autem, sed expirans, aut retinens spiritum, non odoratur; neque eminùs, neque cominùs, neque si in nasum intus ponatur. Et in ipso quidem positum sensorio insensile esse, omnium commune. At sine respiratione non sentire, proprium hominum. Manifestum autem iis, qui experiuntur.*

COMMENTARIVS CXXXV.

REm ita, vt dictum est, certum est se habere. verùm si non solùm in aëre, sed & in aqua; nec à terrestribus modò, & quæ in aëre degunt, animalibus; sed etiam ab iis, quæ in aqua viuunt, sentiuntur odores: quomodo id se habeat, statim oritur difficultas. Etenim ea omnia, quæ respirant (nã hæc omnia nomine hominis intelligenda esse, aptissimè interpretes Græci voluerunt) dum respirãt, & suscipiunt aërem (respirationem hoc loco pro inspiratione, tanquam generalem vocem pro speciali, positam esse, satis declarat altera expirationis vox, quam illi statim opponit) odorari constat.

TEXTVS.

Διὸ καὶ ἄπορον φαίνεται, εἰ πάντα τὰ ὁμοίως ὀσμᾶται· ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος οὐκ ἀναπνέων τε, μὰ ἀναπνέων δέ, ἀλλ' ἐκπνέων, ἢ κατέχων τὸ πνεῦμα, οὐκ ὀσμᾶται, ὅτε πρόσω δεῖ, οὔτε ἐγγύθεν, ἐὰν μὴ ἐπὶ τῶν μυκτήρων ἐντὸς τυθῇ. καὶ τὸ τὰ ἐν ὑγρῷ πεφυκότα τῷ αἰσθητηρίῳ, ἀναίσθητον εἶναι, κοινὸν πάντων· ἀλλὰ τὸ ἄνευ τοῦ ἀναπνεῖν μὴ αἰσθάνεσθαι, ἴδιον ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων· δῆλον δὲ πειρωμένοις.

Quare exanguia, cùm non respirent, aliũ fortasse quendam sensum habent præter eos, qui dicti sunt. Sed fieri non Text. *potest; siquidem odorem sentiunt. Odorabilis. n. sensus, & malè olentis, & benè olentis, odoratus est. Amplius autem & corrumpi ea apparet à vehementibus odoribus, à quibus corrumpitur homo, vt bituminis, & sulfuris, & similium. Odorari igitur necessarium, sed non respirantia.*

COMMENTARIVS CXXXVI.

PRimùm autem confutat id, quod quispiam de proposita difficultate existimare fortasse potuisset; aut certè ex ea consequi videbatur. Nam si pisces, & exanguia quoque, quæ in aëre viuunt, odores persentiunt, nec tamen respirando sentiunt; videri cuiuspiam possent aliquo alio sensu, quàm odoratu, comprehendere. Si enim idem esset sensus eodem modo in omnibus operaretur: aut, inquam, in omnibus respirando, aut in omnibus absque respiratione, sentirentur odores: & si aër in quibusdam odores absque respiratione traiicit, cur non idem in cæteris euenit?

Hoc autem ostendit dici non posse, verissimum illud

Vnum in omnibus animalibus odoratui.

illud principium accipiens: Facultates ex obiectis, &actionibus constituì, & distingui. Sicut.n. odorabile vnum quoddam sensilis obiecti genus est; ita non nisi vnam potest sentientem facultatem constituere, quam odoratum nominamus: sicut aspectũ, aut auditũ eam dicimus, quæ aspectabilia omnia, aut audibilia percipit. Quare quicquid est odorabile, siue benè, siue malè oleat, non alio, quã odoratus, sensu sentitur. Si igitur hæc animalia omnia odoris habent sensum, non alio, quàm odoratu, habere possunt. Si.n. idẽ obiectum eodẽ actionis genere cognoscunt, eandẽ quoque necesse est facultatẽ habeant. Dum autẽ benè, & malè olens nominauit, primã odorabiliũ oppositionẽ significare voluit, quã antea ex saporũ analogia dulcẽ, & amarũ, hoc est suauẽ, & molestum appellauit; vt ita vniuersum odorũ genus cõprehenderet. Hęc.n. est oppositio prima, ad quã omnes alij odores reuocantur. Porrò hęc animalia sensũ habere boni, & mali odoris, ex eo cõfirmat, quòd eodẽ modo, quo cętera, à vehemẽtibus, & tetris odoribus læduntur, aut etiã necãtur, vt bituminis, aut sulfuris. Quòd si mali odoris sensum habent, habebunt itẽ boni: quoniam eadem est contrariorum facultas, & si circa eandem odorabilium oppositionem versantur, eundem quoque operantem sensum habebunt.

Videtur etiã his verbis contineri argumentum à maiori ad minus. Si.n. opposita, & pugnantia obiecta vno sensu comprehendũtur, neq; propterea facultates multiplicantur; multò minùs propter diuersũ operandi modũ, qui prorsus accidentarius, & extra obiecti vim, & naturã est, multiplicare oportebit. Quamquã alterã huius loci interpretationẽ non prætermittam. Ea est, animalia hęc omnia non alio, quã odoratus, sensu odores sentire, ex eo probasse Philosophum, quòd odoris sensus alius non est, quàm odoratus. Ea verò odoris habere sensum, ostendisse ex eo, quòd benè olentium, & grauè olẽtium, quæ odorũ differentiæ sunt, sensu potiuntur.

Cæterùm illa verba (Ampliùs autem) non tam prioris argumenti confirmationẽ, quàm alteram à priore distinctã argumentationẽ significare videntur. Atq; hoc modo illis perpetuò vti Philosophus consuevit. Deinde non rursum nominat δυσώδεις, hoc est malè olentes, quos antea nominauerat; sed ἰσχυρὰς ὀσμάς, id est fortes, & vehemẽtes odores. Quare hæc erit altera argumentatio ad ostendendum, hæc itẽ animalia eodẽ sensu odores sentire. Eodem n. modo, quo cætera, quæ respirando odorãtur, hęc quoque quæ non respirant, à vehementibus nimis odoribus læduntur, eorũque organa offenduntur magnopere: igitur eodem sensu eos persentiunt.

Ita duplex hoc loco proposita argumentatio ex certissimo duplici principio ducta est, quorũ alterũ antea explicatũ fuit: facultates ex obiectis, & actionibus cõstitui, & distingui: alterũ experientia, & sẽsu manifestũ est, vt post explicabitur in tex. 123. & 143. ex quibus locis confirmabitur horũ verborum interpretatio, in qua fortes odores dixi nõ malè olentes. sed vehementes, & modũ excedẽtes significare. Nam illis in locis eadẽ est vox (ἴσχυρες) dum & ἴσχυραν ὀσμὴν dicet in tex. 143. & ἰσχυροτέραν τὴν αἴσθησιν κίνησιν dissoluere organũ sensus; eámque vocẽ certum est fortem, vehementẽ, & nimiũ mouentẽ organũ significare. Quapropter in priore argumẽtatione videtur Aristoteles ex natura facultatis, quę ex obiecto, & actione cõstituitur, ratiocinari: in posteriore autẽ ex organo, quod à vehementi obiecto patitur, & dissoluitur. Vt ita eandẽ in illis animalibus ostẽderet esse facultatẽ, eandémq. organi conditionẽ; & ideò eundẽ integrum, & absolutum sensum qui ex facultate constat, & organo; illáque ipsa odores sentire, etiamsi non respirent, vt cætera.

Odorũ realis multiplicatio.

Iam verò hic locus vtrouis modo exponatur, non erit illis contemnendus, qui modum quærunt, quo odores in medio multiplicentur. Quoniam si aut vehementi motione dissoluere potest temperiem organi; aut praua qualitate malus, & pestilens odor cerebrum inficiendo prorsus interimere, sicut suauis salutem adfert, dum nimium cerebri frigus & humorem temperat; perspicuum est neutrum ab intentionalibus speciebus fieri posse, sed realem esse oportere qualitatem.

TEXTVS.

Εοικε δ' τοῖς ἀνθρώποις διαφέρειν τὸ αἰσθητήριον τοῦτο, ὡσπερ τὰ τῶν ἄλλων ζώων, ὥσπερ τὰ ὄμματα τοῖς τὰ σκληρόφθαλμα· τὰ μὲν γὰρ ἔχει φλέγμα καὶ ὥσπερ ἔλυτρον, τὰ δὲ βλέφαρα· ἃ μὴ κινήσας, μηδ' ἀναπάσας, οὐκ ὁρᾷ· τὰ δὲ σκληρόφθαλμα, ἁδὲν ἔχει τοιοῦτον, ἀλλ' εὐθὺς ὁρᾷ τὰ γινόμενα ἐν τῷ διαφανεῖ. ὅπως οὖν καὶ τὸ ἀσφραντικὸν αἰσθητήριον, τοῖς μὲ ἀκάλυφες εἶναι, ὥσπερ τὸ ὄμμα· τοῖς δ' ἃ ἀέρα δεχομένοις ἔχειν ὑπακάλυμμα, ὁ ἀναπετάννυσιν ἀποκαλύπτουσι, διευρυνομένων τ' φλεβίων καὶ τ' πόρων.

Videtur autem in hominibus differre hoc sensorium ab iis, Tex. 100
quæ aliorum animalium: sicut oculi ab oculis eorum, quæ duros habent oculos. Nam illa quidem vallum habent & quasi velamen palpebras, quas si non moueant, neque retrahant, non vident. Quæ autem duris sunt oculis, nihil eiusmodi habent; sed statim vident, quæ sunt in perspicuo. Sic igitur & odorandi sensorium aliis quidem sine operculo est, sicut oculus; aliis verò aërem recipientibus habet velamẽ, quod respirãtibus detegitur, dilatatis venulis, & meatibus.

COMMENTARIVS CXXXVII.

VT res habeat, quidque ad propositã difficultatem de diuerso odorandi modo in animalibus respirantibus, aut non respirantibus respondẽdum sit, cùm eumdem alioqui odorãdi sensum habeant, hoc loco aperit, totidémque penè verbis repetit in libro de sensu, & sensili cap. 5. Cur enim respirando quædam odores persentiant, alia non respirando; causam esse constituit, non sentientis facultatis, aut organi diuersitatem, sed aliam, atque aliam eiusdem organi constitutionem.

Diuersa oculorũ, aurium, & narium ratio.

Ad hoc autem explicandum vtitur aspectu, seu aspectus organo. Nam quædam sunt animalia, quæ oculos habent palpebris inuolutos; alia, quæ apertos planè, detectos, & absque palpebris; vt ea, quæ duros habent. Natura enim, quæ nec vlla in re necessaria cuique deest, nec superuacaneum quidquã facit; mollioribus oculis, qui ab externis incursionibus lædi facilè poterant, prouidit palpebras, quæ ab iniuriis illos tuerentur. Durioribus autem, qui minùs erant externis incommodis obnoxij, superuacaneas, & minimè necessarias palpebras apponere noluit, nec absque vllo vsu, aut commodo animalibus illis videndi impedimentum adferre, quæ ipsa organi hebetudine satis parùm essent ad videndum apta.

Eandẽ in auditu diuersitatem obserues. Quibusdam enim auriculas videas extra caput prominere ad excipiendũ sonum, atque ad interiore m meatũ

coniiciēdum. Aliis non item; vt auibus, & piscibus, atque adeò ouiparis, & corticatis quadrupedibus. Tum quia duriore constant materia, & cute; vt in capite 12. lib. 2. de part. an. tradidit Aristoteles. Tū quia absq; magno læsionis periculo fuissent nimio illis in volatu, & natatu impedimento. Et verò etiam aëre aues, & aqua pisces ea parte susceptis, non parum sensissent incommodum.

Quod igitur in aspectu, & auditu conspicitur, in odoratu quoque factum est. Non enim eodem in omnibus modo se habet odorādi instrumentū; sed in quibusdam durius est, in aliis mollius. In quibus est mollius, vt facilè pati, & lædi poterat; sic in interiori, & magis abdita parte cōdi debuit, vallūque illi, ac sæpimentū apponi, quale oculis palpebræ. In quibus autem est durius, id cauendum non fuit, neque re minimè necessaria grauanda natura. Ergò quemadmodū animalia, quæ palpebras habent obductas oculis, nihil planè cernere queunt, ne in lumine quidem, nisi aperiant palpebras; quę verò duros habēt oculos, protinus vident, vbi lumen affulserit, absque vllo in ipsis motu facto. Ita quibus liberum est, nullóque obductū vallo odorādi organum; ea præsentem statim odorē persentiunt: hæcque ea sunt, quæ sine respiratione odorantur. Quæ verò opertum habent, & tectum organum, Attollant operculū priùs oportet, vt ab odoribus organum moueri queat. Attolitur autem respirando, & ideò non nisi respirādo odorantur. Inspirando, inquā; quoniam tunc temporis dilatantur venulæ, & meatus, odórque aut liberè ingreditur, reque ipsa penetrat ad organum; aut certè sublato interiecto corpore, ita cum illō coniungitur, vt sentiri possit.

Narium operculum.

Venæ nomen.

Venulas porrò Philoponus interpretatus est neruos, quibus odorentur. Sed nisi mammillares ipsos processus intellexerit, qui tamen ab antiquis nerui appellati non fuerunt, omnino non licet interpretari. Quoniā corpora dissecātes, nullos huius sensus peculiares neruos inuenimus. Deinde nec māmillares processus, nec nerui intelligi possunt. Quoniā si dilatatis venis operculum tollitur, necesse est aut venulas ante operculum, aut potius in ipso operculo considerare, vt iis dilatatis tollatur operculū, pateatque odori aditus. Venas itē ipsas non intelligimus, quòd eæ non sentiendi, aut respirandi, aërisue suscipiendi, sed nutritionis, & sanguinis instrumenta sunt: verùm meatus ipsos, per quos aër, aut odor penetrare possit: si quidē venas ampliori fuisse apud veteres significatione nominatas, constat ex Hippocrate in libro de principiis, in quo arteriæ quoq; & optici nerui appellātur venæ. Neque alio modo inspirādo remouetur operculum, nisi quòd dilatatur, & in eo aperiūtur meatus, per quos aër, & odor ingrediātur. Olfaciēdi organa, inquit Alex. in priori lib. de Anima cap. 15. respiratione aperiuntur, & expanduntur: moxcoëunt, occluduntúrq; quemadmodum in eorum animalium oculis euenit, quæ palpebris prædita sunt. Itaq; quod post nominatas venulas subiungūtur meatus, ad explicandū pertinet quid venularū nomine significatum sit. Et ideò fortasse non venas dixit, sed venulas; ne venas propriè dictas intelligeremus, sed quidpiā velut venas: quidq; hoc esset, exposuit meatus subiungens. Nā ante māmillares processusos illud est, quod cribrū, seu colatoriū dicitur; totū foraminibus plenū, quę inspiratione aperiūtur & dilatātur, odoriq; aditum præbēt. ἰσθμοειδῆ ossa ab isthimi forma nominātur.

Isthmoidia ossa.

Sanè quod Philoponus addit, foraminibus illi viscosa, & emunctu difficilia excrementa contrahi quæ odoris sensum impediāt, inspirationéq; secerni natur; aut etiā quandā esse pelliculā superpositam quæ inspirando leuetur; minùs probandū est. Quoniam excremēta, etsi foramina interdum occupēt, id tamen accidentariū est, nec semper ita habet. neque tam inspiratione, quā expiratione, & verò optimè narium emunctione purgantur: inspirando n. ad interiora potiùs trahuntur. Denique non quæuis, sed vehemens dumtaxat inspiratio secerneret. Quod autem ait, pelliculā inspirando leuari, manifeste falsū est. Nullam. n. eiusmodi pellem dissecantes inuenimus, quę leuari possit; sed cerebri meningē māmillaribus processibus incumbentē, minutis foraminibus traiectā: & alteram quandam membranā, quam in libro de odoratus instrumento 2. ponit Galenus ante ossa colatoria, continuā illi, quæ interiorē totam oris regionē, & linguam, aliisque vicinas partes complectitur. Maneat igitur, operculū, quod Philosophus nominauit, aut os illud esse, aut alterā illam, quę ossi obducta est, membranam: aut meningē potiùs, quæ est ante māmillares processus. Venulas autē, seu meatus, esse earū partium foramina, quibus inspiratione dilatatis, patet odori aditus: sicut apertis palpebris luci, & colori patet accessus.

Quare inspiratio ad odorandū ita se habet, vt palpebrarum apertio ad aspiciendū. Vtraque autē est velut remouens id, quod odoratum, & aspectum prohibebat. Quo remoto, vt aspect⁹ in iis, quæ palpebras habent mollibus obductas oculis; & in iis, quæ duris sunt oculis: ita & odoratus in iis, quæ respirant; iisque quę non respirando odorantur, eodē prorsus operātur modo. Et vt oculus palpebris cūstoditus præclarū existit aspiciēdi organū; sic odotus id, quod post operculū est: pars scilicet illa anterior cerebri, quā māmillares processus nominant.

Digressio LII. *Immeritò Galenum Aristotelis hunc locum criminatum fuisse.*

GAlenus, dum in hunc Aristotelis incidisset locū, calūniādi potiùs, vt in aliis plerisq. rebus, quā veritatis, studio librū scripsit, quē de odoratus instrumento nominauit. In quo totius nasi, & partiū eius primū descriptione facta, neq. os nasi, neque mēbranā illi substratā odorandi instrumentum esse ostēdit: sed anteriores cerebri sinus, ad quos cū odores, tum inspiratū aërem penetrare affirmauit. Deinde aduersus hanc Philosophi de meatū nasi operculis, quæ in odorū sensu aperiri debeāt, pronuntiatam sententiam multa inuehitur. Primū. n. reprehēdit, quòd in quanam potissimū parte odor sentiatur non exposuerit. Deinde, quòd foramina, quæ inspiratione aperiūtur, parum accōmodatè cū palpebrarū apertione cōparauerit. Oculorū namq. palpebræ voluntario motu aperiuntur quoties volumus: non itē foramina illa, sed aëre solū subintrāte. Tū verò quòd non explicauerit vbinā sint ea foramina, nū in nariū membrana, an in alia quapiam parte. Nā si in nariū membrana esse dicātur, (quippe alibi non visuntur) aëre foris pellente, sine respiratione aperirētur, odorésq. sentirentur. At etiāmsi nares opponas, aut instrumēto quopiā aër insuto fletur: nullus tamē, nisi respires, sētitur odor. Quòd si motum illorū dicas motui cordis esse persimilē, distentáq. foramina aperiri, sicut & cordis orificia. Aut is motus voluntarius est, aut naturalis: siue autē volūtate fieret, siue natura, externo motore, inspiratóq. aëre opus nō esset. Deide si volūtari esset motus,

tus, nostrum esset, quotiesvellemus aperire, etiam nullo inspirato aëre; sed proprium sibi teneret ordinẽ, interdúmq; susceptо aëre, fieret, interdũ redditо, interdum tempore intermedio. Neque etiam responderi poterit, foramina illa dilatari ab iis ipsis partibus, quæ respirationẽ faciunt. quoniã pectus à suis musculis dilatatur, pectorisque dilatationem pulmonum quoque eo contentorum dilatatio cõsequitur; quos statim subit aër, nevacuum quidquã remaneat. At quid hæc ad nariũ foramina dilatanda pertineãt? siquidem neque os, neque guttur, dilatant partes magis vicinas, per quas ad pectus & pulmones aër transmittitur. Si nariũ igitur illa foramina, nec per se, nec à partibus inspirationem facientibus dilatantur; reliquum est, ea ab incurrente aëre aperiri, vel etiam absque respiratione. Nec tamen nisi respirando sentitur odor. Quoniã etsi dilatata fuerint ab incurrente aëre narium foramina; odor tamẽ cerebrum non subit, nec subibit vnquã nisi & ipsum dilatetur, & alterum trahat spiritum, quo illius anfractus occupentur. Eo.n. attracto subibit aër & odor. id autem fit respirãdo: & ideò respirando duntaxat odoramur. Quòd si non in cerebri sinib⁹, sed immediatè post foramina fieret odoratio; vt incurrens aër, sic odor per illa foramina ad organum odorandi penetraret, & sine respiratione sentiretur. Denique illud quoq; reprehendit, quòd illa foramina operculis impositis clausa esse voluerit; quæ aëre mox subeunte attolli oporteat, vt ad odorãdi organum odor perueniat. Etenim ea, quæ in auribus extant, clausa non sunt. Meliúsque est & optandum magis, vt quilibet sensus semper sit ad operandum aptus; quàm tunc duntaxat, cùm spiritum trahimus: potiúsque esset in perpetua operatione versari, nec ab agendo vnquã desistere, si fieri posset; quàm in otio & quiete magnam temporis partem degere. Et cæteri sensus quamdiu eorum obiecta præstò sunt, ea sentire possunt, atque in illis sese exercent. Hæc fermè aduersus Aristotelem disputauit Galenus.

In qua disputatione, neque os nasi, neque membranam odores persentire, verè arbitror esse affirmatum & Aristoteli consentaneè. Quoniam ossa omnis sensus expertia sunt: neque in mẽbrana, sed in alia magis recondita & interiori parte intellexit nos odorari, cùm organum post operculum & meatus posuit. Non item verè pronuntiari aio, anteriores cerebri sinus, tum aërem & odores suscipere, tum eorum sensum habere. Namvt eum mittam leuibus omnino fuisse argumentis persuasum: nullus est meatus, quo ad illos, vt ad pulmones per arteriam asperam, ducatur aër. Sed substantia cerebri tota est solida, nec aëri aut odoribus peruia. Nec quæ aëris est necessitas in pulmonibus ad cor refrigerãdum, ea est in cerebro, frigidissimo membro. Neque credendum, in illis sinibus aëtẽ miscери cum spiritu; quem ad sensum & motum efficiendum oportet esse purissimũ; & frigore cerebri satis superque temperatur. Hoc verò cum iis consentit maximè, quę singulis propè momẽtis experimur. Nullus. n. est, qui nesciat & in seipso non sentiat, frigidum aërem, præsertim si tenuis sit & capitis futuras penetret, plurimùm obesse capiti; membro scilicet sua natura perfrigido. At quantò magis obesset, si sinus ipsos tam largè subiret? Et quì credi possit ita fuisse à natura institutum? Quòd si aër ad sinus non penetret, nec penetrabit odor, neque in illis erit illius sensus. Neque video cur in toto illo cerebri meatu, quo ad sinus duceretur, non item sentiretur, antequàm penetraret ad sinus. Quid. n. tandem nisi colore & frigore, sensibus omnibus inimico, differunt illi à toto reliquo cerebro? Denique vt cæteri omnes sensus operantur neruis, cur odoratus quoque non operetur? Sed venio ad Aristotelis accusationes.

Aër vel odorem cerebri sinus nõ subire.

Ea prima est; In qua potissimùm parte sentiatur odor, Aristoteles non exposuit. Immò verò & ex aspectus organo diligenter inuestigauit, & apertis satis verbis exposuit; cùm eam partem esse significauit, quæ operculo aperto & meatibus dilatatis odores suscipit. Neque verò hoc modò loco, sed & in lib. de sensu & sensili, institutam scripsit respirationem, tum ad cordis refrigerationẽ, tum ad aperiendos meatus ad cerebrum, vt sentiremus odores. Et in 5. lib. de animalium procreatione cap. 2. quæ animalia nares habent productiores, melius olfaciunt; vt Laconici catelli: quoniam motũ odorum longum habent & rectum. Et omnino vbique voluit in ea parte, quæ est supra nares, fieri odorũ sensum. Neque. n. nos eos sentimus, nisi postquàm superiorem illam narium partem peruaserint. Hæc autem pars, neque est os, neque membrana: quoniam in iis operculum & meatus sunt. Sed id, quod ea proximè consequitur; nempe mãmillares processus, velut nerui ad sentiendum aptissimi, ex cerebro ad hunc sensum non minùs, quàm ad cæteros, erumpentes: & quidem crassi, si crassos Galenus postulet. Tametsi eos veteres non appellauerint neruos; quòd cranium non egrediantur, neque magnopere videantur à cerebri substantia differre velut quædam ipsius tubera. Propterea processibus illis læsis læditur odoratus; & opus est aërem inspirare, vt odoremur. Nam etsi odore nasus compleatur, nihil senties, si anhelitum cohibueris; quòd interiorem locum non attingat odor. Neque aliud est ibi quidquã ad odorandum aptum. Os. n. caro, membrana, cartilago, cutis, ad percipiendos odores parùm sunt accommodata. Nerui autem, qui eò à tertia coniugatione ducuntur, ad inferiores quoque narium partes, non ad sensum, sed ad motum; neque ad nares modò, verùm etiam ad genas, labia, & alias propinquas partes extenduntur; & si vllius sensus, tactus, nõ odoratus, capaces sunt. Denique anterior cerebri pars cunctorum sensuum quoquo modo principium est: neque inde ad olfactum quidquã aliud ducitur, quàm hi processus.

Odorãdiorgãnum.

Sanè cerebrum omni sensu carere prodidit Philosophus in 3. li. de anim hist. ca. 19. & in li. 2. de eorumdem partibus cap. 7. & 10. At processus illi, etsi ex cerebro deriuentur, minùs tamen sunt molles, mutatáque temperatione sensum habere possunt. Nam nerui quoque ex cerebro substantiam accipiunt; quæ durior effecta & siccior singulare sentiẽdi instrumentum existit: habéntque hi processus nerueam substantiam, etsi inter neruos propter significatam causam non numerentur. Odor verò vt est calidus & siccus, sic frigidum & humidum organum postulat. & ideò in lib. de sensu & sensili ca. 2. & 5. huius sensus organum circa frigidissimũ & humidissimũ cerebrum esse dicitur. Organũ namque potestate id esse oportet, quod actu est obiectum.

Altera accusatio est; Foramina, quæ inspiratione aperiuntur, parùm accommodatè Aristoteles cum palpebrarum apertione comparauit. At omnes norũt, exempla & similitudines, quæ ad rem quãpiam explicandam adferuntur, omni ex parte conuenire

Operculi palpebrarũ similitudo.

non oportere: sed satis esse, si in eo, ad quod ostendendum proponuntur, conueniant. Nunc autem vt animalium quorumdam oculis appositæ sunt palpebræ, quæ nisi aperiantur non cernuntur colores: ita odoratus organo additum est operculum, quod nisi tollatur, non sentiuntur odores. Ex quo illud etiam soluitur, quod tangit Auerroës; ex hac similitudine videri consequens, hominem odorari meliùs, quàm animalia illa, quæ organum habent sine operculo: sicut meliùs vident, quàm ea quę absque palpebris oculos duros habent. Non.n.in omnibus, sed in eo solo, de quo agitur, quærenda similitudo est.

Palpebrarum motus.

Quamquam & illud negari posset, quod Galenus accipit; palpebrarum motum prorsus voluntarium esse. Sæpissimè.n.absque consilio & voluntate mouentur. Neque solùm dum clauduntur dormientibus & euigilantibus aperiuntur: sed etiã in hoc perenni motu, quem clausæ & dilatatæ inuigilia faciunt. Eaq; sola ex parte voluntati subsunt & appetitui, qua & concitatiorem & tardiorem motum facere possumus, atq; ex consilio interdũ claudere & aperire. Verùm de foraminibus illis tantũdem dici potest. Non.n.ingrediente aëre aperiuntur, vt ille putauit; sed respirantibus nobis. Quoniã vt respiratione dilatatur thorax, ita superior illa narium membrana distenditur, aperiunturque foramina. & vt respiratio absolutè quidem est naturalis motus, sed qui volentibus nobis celerior & tardior fieri possit: ita & de illis foraminibus intelligendum est. Quare & nihil nobis cogitantibus aut etiam dormientibus, tum fit respiratio, tum foramina dilatantur; distenta scilicet membrana, quæ ad defensionem organi fuit appositа, minutisque traiecta foraminibus, vt tum aëri & odoribus, tum pituitæ & excrementis cerebri esset peruia.

Vt aperiantur foramina.

In qua parte sint foramina.

Tertia Galeni criminatio est; Aristotelẽ foramina quidẽ nominasse, sed minimè explicasse in quãnam parte ea sint; in membranáne, an in alia quapiam. Cæterùm meminisse poterat summæ illius breuitatis, quam in omnibus locis perpetuò seruauit; nec suam Galenus in aliis debuit verbositatem postulare. Homini namq; breuitatis studiosissimo, apud quem sententiarũ ferè, quàm verborũ, maior est numerus, satis fuit dicere, operculum dilatatis meatibus remouendum esse, vt meatus illos & foramina in illo ipso operculo, hoc est in membrana, esse intelligeremus. Sed hoc ipsum sibi voluit, cùm operculum palpebris oculorum, dilatationémque foraminũ apertioni palpebrarum analoga esse tradidit. vt.n.palpebrarũ apertio in ipsis palpebris cõsideratur; sic dilatationẽ foraminũ non in alio, quã in operculo illo, hoc est in membrana, intelligi voluit. Appulso.n.aëre pellitur quidem mẽbrana, sed non aperiuntur, nec dilatantur foramina, nisi accedat respiratio: quia non aperiuntur, nisi distendatur mẽbrana; hæcque respiratione distenditur, dũ circumiectæ partes attolluntur. Eiusmodi.n. quidpiã fit in capite, quale in thorace, & pulmonibus cernimus. Siquidem tum thorace, tũ capite, respiramus. Deinde ipsemet Galenus argumentatur; quãdiu loca plena sunt aëre, ad ea non posse externũ aërẽ ingredi; sed inspiratione opus esse & dilatatione, qua interior aër attrahatur & exteriori detur locus. At licet aër mẽbranã impellat; nisi tamen respiret animal, non aperiet foramina ad ingrediendum; quoniã totus interior locus est plenus. Quòd si respiratio accedat; illa ipsa, quæ aeri locũ dilatat, mẽbranam quoque distendit; aperitque vias, per quas ingredi queat. Non ita autem, dum respiramus, distẽduntur os, guttur, & arteria aspera: quoniã satis aëri amplitudine sua naturali patẽt: neq; amplius distẽdi possunt, cũ sint aut osseę aut cartilagineæ partes.

Quarta demum accusatio tota est calumniosa & falsa: aut ex eo profecta, quòd Aristotelis sententiã minimè assequutus sit accusator. Nequaquã.n.voluit Aristoteles foramina illa mẽbranulis appositis velut operculis clausa esse: qua in re lapsus quoque videtur fuisse Philoponus; tametsi non affirmãdo, sed dubitando loquutus. Neque operculum, quod nominauit, foraminibus appositum esse dixit, sed interiori odoratus organo; sicut palpebræ oculis, quibus nullum aliud incumbit operculum, quod videndo remoueri oporteat.

Nimio igitur contradicendi & calumniandi studio ductus fuit Galenus ad eum cõscribendũ libellũ: immeritóque Aristotelem reprehendit, cuius hæc est verissima de odoratus organo sententia. Odoratus organũ anteriores esse cerebri processus, velut neruos: iis verò in permultis animalibus appositam esse membranam minutis traiectam foraminibus, sicut plurimorum oculis adsunt palpebræ. Ea verò foramina dilatari oportere, vt odoratorganum subeat: idque respirando fieri: Atque hanc esse causam, cur animalia quædam respirando odorentur, alia sine respiratione hoc sensu potiantur.

TEXTVS.

Καὶ διὰ τοῦτο τὰ ἀναπνέοντα ἐν ὑγρῷ ἀσμᾶται· ἐν τῷ ὑγρῷ γὰρ ἐσφραγισμένα ἀναπνεύσαντα. τοῦτο δ' οὐκ ἐν τῷ ὑγρῷ ἀδύνατον.

Et propter hoc quæ respirant, non odorantur in aqua; necessarium enim odorari respirando. Hoc autem fieri in humido non potest.

COMMENTARIVS CXXXVIII.

HÆc verba sententiam apertã continẽt. Quippe ex iis, quæ proximè dicta sunt, deducitur, animalia ea, quę respirant, odores in aqua non persentire; vt vrinantes. Causa autẽ est, quoniam ea nõ odorantur, nisi respirando: quare cùm in aqua nequeant respirare, sed solùm in aëre; in aëre, non in aqua, odores persentiunt.

Dubitationem tamen afferunt animalia illa, quę ancipitis dicuntur esse naturæ; possintq. & in aqua, & in aëre vitam ducere. Philoponus ea credidit, vt ancipitis naturę sunt, sic ancipitem quoque odoratum habere: atque in aëre quidem respirando, in aqua verò sine respiratione odorũ sensum habere. Sed aut illa operculũ habent in odorandi organo, aut non habẽt. Si habeant, omnino in aqua, & sine respiratione odorari nequeunt: siquidem in ceteris necessaria est respiratio, vt dilatentur meatus, operculúmque tollatur. Si autẽ non habeant, ne in aëre quidem indigent respiratione: sicut nec apes, nec animalia eiusmodi, quæ in aëre viuentia odores sine respiratione sentiunt. Eodémque modo de illis fortasse verius fuerit affirmare, ea nec in aëre, nec in aqua respirando odorari. Etideò Aristotelẽ quædã distinguendo, quę respirãdo, alia, quæ nõrespirãdo odorentur, animalia omnia cõprehẽdisse: quòd

quòd ea, quę ancipitis naturæ sunt, communem cũ illis, quæ perpetuò degunt in aqua, odorandi modum habeant. Quare in 4. lib. de an. hist. cap. 8. eodem modo, quo de aquatilibus cæteris, delphinos dixit non habere manifestum odoratus, & auditus organum. Et quamuis aliquam in illis arteria, & pulmonibus spirationem pluribus in locis idem ipse Philosophus posuerit; naribus tamen nullam, quæ ad odorandum referatur.

TEXTVS.

Ἔστι δὲ ἡ ὀσμὴ τοῦ ξηροῦ, ὥσπερ ὁ χυμὸς τοῦ ὑγροῦ.

Est autem odor sicci, sicut sapor humidi.

COMMENTARIVS CXXXIX.

QVoniam hactenus odorum naturam, & species ex saporibus explicauit; ne quis fortasse existimaret odorum, & saporum eandem rem esse; antequàm hunc sermonem absolueret, indicare voluit, quomodo hæ duæ qualitates distinguãtur. Distinctio autem est; quòd odor est sicci, sapor humidi.

Odor sicci, & sapor humidi.

Quæ verba magnam videntur habere difficultatem. Tum quia si, vt in tex. 95. significatum est, & apertè magis traditum in lib. de sensu, & sensili cap. 5. Omne corpus sapidum est odoriferum, & contrà; fieri non potest, vt in eodem corpore duæ contrariæ, & pugnantes qualitates dominentur. Tum quia liquores multi sunt valde odoriferi; in quibus sanè siccitas dominari non potest. Tum demum quia odor est in corpore tenui, & vaporoso: tenuitas autem, & vapor abundante humido, quod alieno termino facilè terminetur, oriri videntur. Multa etiã sapida non humore, sed siccitate abundant; vt aromata, & alia quædam; absintiique exhalatio sicca est, & valde amara.

Verùm si sapor in quodam succo consistit, nec nisi humido gustatur; linguaque nimis arida nullũ habet saporis sensum; & ideò siccus cibus humectandus saliua est, vt gustetur: Manifestum profectò est, saporem esse humidi, & succulenti corporis. Odorem autem non nisi calore dissoluẽte reddunt odorifera corpora; vt videre est in suffitu. Frigus enim, & gelatio, vt inquit Aristoteles, odores delent; quoniã extinguunt calorem, qui mouet, & gignit. Fit enim odor actione caloris; non cuiusuis, sed tenuantis, & odoriferum halitum resoluentis; hicque calor est siccans. Propterea temperant odores magnopere nimium cerebri frigus, & humorem; quòd calidi ipsi sint, & sicci. Odoramur etiam acutis halitibus nares subeuntibus; qui minimum siccitatem ostendunt. Et in floribus ij maximè olẽt, qui in dumetis, & spinis, quæ siccitatem indicant, nascuntur. Et violæ, rosæque meliùs olere videntur languentes, cùm sicciores sunt; quàm matutino tempore, quo virent maximè, & plurimum humorem habent: immò siccarum rosarum maximus est, & suauissimus odor.

Porrò hunc locum meliùs interpretari non possumus, quàm ipsemet Aristoteles in lib. de sensu, & sensili interpretatus fuerit. Primùm enim in cap. 4. saporem accipiens in humido aqueo versari, aduersus Empedoclẽ, & Anaxagoram ostendit, aquę non inesse actu sapores omnes: quoniam arborum fructus decerpti, etsi aquam non attrahant, magnã tamen saporum mutationem faciunt. Deinde saporis materiam statuit esse humidum; quia in humidum facilè inducitur sapor, nõ in siccum. Aqua enim permisto corpore dulci, aut amaro, dulcis fit, aut amara; nõ item terra, aut cinis. Iam hoc humidum non est aëreum, sed aqueum. Tum quia inducitur in aquã, non in aërem. Tum quia aëreum humidum odoriferi potiùs corporis est, facileque exhalat, & euanescit: sapor autem in re consistente esse debet. At solum humidum aqueum non est sapidum. Nullum .n. corpus simplex sapidum; & quæ aqua perfectior, ea minimè sapida. Oportet igitur humidum aqueum aliquid pati, non à calore solo: quoniam cùm sapor sit crassior succus, quã aqua, crassescere aquam oportet, vt fiat sapida: at à calore tenuatur potiùs, & rarefit. Præterea patitur vnumquodque, & mutatur à contrario; humido contrarium est siccum. Hocque non erit igneum; sed terreum. Tum quia terra maximè est sicci, vt est in tex. 23. posterioris lib. de ortu, & interitu. Tum quia igneum siccum est tenue, quod exhalet, & euanescat, potiusque ad odorem spectet. Ergo terreum siccum cum aqua miscendum est, quò densior ea, & corpulentior euadat. Miscetur autem calore agente, & aqueum humidum per siccum terreum percolante. Quemadmodum enim aqua maris fit salsa terreo halitu permisto; & sal salsus terrei sicci, & humidi aquei permistione; & lixiuiũ amarum, aqua per cineres colata; & subterraneæ aquæ, dum per alias, atque alias terras, aut bituminosas, aut sulphureas præterfluunt, alios, atque alios sapores imbuunt; ac demum quælibet aqua, dũ colores, aut sapores quoscunque lauat, eos ipsos combibit: ita nimirũ calore terreũ siccum cũ humido aqueo permiscente, humidumque per siccũ colante gignitur sapor. Estque sapor passio quædam in humido facta à sicco, quæ gustatũ afficere, & in actũ mutare apta est. Itaque humidum saporis materia est, tamquã id, quod à sicco patitur: siccum autem agentis vim habet simul cum calore, velut concausa. Ex alia verò atque alia caloris coctione, & permistione, alios, atque alios sapores gigni, testantur carnes, quæ igne coquuntur; & arborum fructus, qui calore solis optimè miscente, & digerente siccum cum humido maturantur.

Quomodo gignatur sapor.

Ita saporem definiuit Philosophus passionem esse à sicco factam in humido, gustatum, qui sit potestate, vim habens alterandi actu. Passionem enim esse dixit, hoc est patibilem qualitatem: à sicco factam in humido; quia siccum in humido susceptũ, & cum eo à calore temperatum, gignit saporem, qui, vt obiectum vnũquodque sensile, gustandi facultatem potest afficere, atque ad actũ traducere.

Saporis definitio

Vt ineptierit planè Democritus, quem Theophrastus lib. 6. de causis plantarum sapores testatur ex figuris generasse: ex acuta amarum, & asperum, ex rotunda dulcẽ, ex aliis alios. Vt quemadmodũ figuræ se habent ad tactum, aut lædendum, aut oblectandum, ita se habeant ad gustatum saporis figuris illis constantes. Atque adeò iure optimo Auerroës in com. 105. & in 5. colliget cap. 27. Galenum reprehenderit, tametsi sectatores habuerit Thomam de Garbo quæst. 71. Medicinalis summæ, & Conciliatorem differ. 145. & alios quosdam medicos. Is .n. in 4. lib. de Simpl. medic. facul. sapores voluit ex actiuis qualitatibus perpendẽdos esse.

Sapores ex passiuis qualitatibus iudicari.

Contrà ostendit Auer. ex passiuis potiùs iudicari debere. Sicut enim colores non ex actiuis spectantur, quia idem color in corpore calido reperitur, & in frigido; atque in duobus corporibus calidis, vel duobus frigidis contrarij omnino interdum colores sunt: sed ex passiuis; ex varia, inquam, lucidi, opaci, & perspicui permistione. Et odores item non ex actiuis, sed ex varia permistione & proportione humidi cum sicco. Ita etiam sapores ex diuersis mistionibus ac proportionibus sicci cum humido spectare oportet. Quam ob causam cum contrariis qualitatibus actiuis idem sapor reperitur: vt dulcedo in lacte frigido, atque in sacaro calido; amaritudo in absynthio calidissimo, & in oppio frigidissimo. Quidam etiam fructus immaturi sunt dulces, qui deinde paulatim amarescunt; alij amari sunt immaturi & sensim dulcescunt: omnes verò immaturi sunt frigidi & maturantur calore. Ac demum quidam paulatim dulcescunt absque vllo calore, vt apparet in mespilis. Ex quibus cognoscimus, calorem & frigus perinde se habere ad dulcem & amarum saporem: neque ex illis diuersam saporum naturam spectandam esse, sed ex diuersa potiùs humidi & sicci permistione. Quamquàm plerumque fit, vt amaricudo oriatur ex calido; quoniam calidi est humorem dulcem & tenuem extrahere; quodque siccum & crassum remanet, amaritudinem parit. Neque tamen hoc semper necessarium est; vt patet in oppio: atque ex sicco potiùs crasso dominante amaritudo spectanda est; atque adeò in omnibus saporibus ex tali aut tali humidi & sicci mistione: quamuis ea, vt ab efficiente causa, à calido sit aut frigido.

Quomodo gignatur odor.

Eodē modo in cap. 5. eiusdē li. de sensu, & sensili odores fieri philosophatur Philosophus. Quæcūq; odore carent, sapore quoque carere animaduertimus: & contrà, quæ odorem emittunt, sapida item sunt. Elementa omnia odorem nullum habent; sed nec saporem, nisi quid cum illis permistum sit. Mare odorem habet, at sapidum est. Lapis caret odore; quia & sapore. Ligna odorifera sunt, quòd & sapida: minùs verò ea, quæ aquatica. Denique aurum inter metalla est sine odore, quia est sine sapore: æs & ferrum odorem edunt, quoniam & saporem. Permistione igitur sapidi humidi seu sapidæ siccitatis (vtroque enim modo loqui possumus; quoniam tum ex humido, tum ex sicco, fit sapor) gignitur odor. Et vt sapor fit sicco terreo permisto cum humido aqueo, humidoque per siccum percolato, cooperante calido: ita si humidum sapidum permisceatur cum sicco, atque in aëre & aqua non vt perspicua sunt, sed vt sapidæ illius humiditatis aut siccitatis lauatiua aut detersiua, abluatur aut detergatur; efficitur odor, cooperante calido. Itaque odoris materia sunt aër & aqua, quatenus sapidam humiditatem aut siccitatem lauare possunt aut detergere. Quod enim (inquit Philosophus) est sapor in aqua, hoc est in aëre & aqua odor. Efficiēs autem causa est sapida siccitas cooperante calore. Sapor enim statim ex terreo sicco permisto cum humido aqueo gignitur. Odor verò præter hanc permistionem opus habet exhalatione à calore facta; vt in suffimentis cernitur. Et ideò priùs Aristoteles exposuit, quid sit sapor, deinde quid odor. Quoniam prior est & simplicior saporis, quàm odoris, generatio. Siquidem calore in sapidum corpus agente excitatur odor: qua de re etiam in 12. & 13. sect. probl.

Cùm igitur ita se habeat saporis & odoris natura, & vterque ficci & humidi permistione constet; saporem tamen hoc loco magis esse humidi affirmauit; quoniam in succo, & humido aqueo potissimùm consistit, cui admiscetur siccum. & ideò si in aquam sapidum corpus infundas, eundem tota saporem contrahit. Quòd si in corpus siccum infundas, nullum concipiet saporem. Deinde quoniam non nisi humido gustatur sapor. Humidam enim linguam esse oportet; & si fuerit sicca, sapores non sentit. Quare nisi corpus sapidum sua conditione sit humidū, vt vinum; necesse est & ipsum & linguā externo humectari humore. Odorē autē sicci potiùs esse dixit; quoniā ignea potiùs natura est, & calore resoluitur, cūq; exhalatione sua spargitur & sentitur: nec nisi siccata corpora odorem reddunt, humectata non item. Quò fit, vt quamuis eadem corpora & sapida sint & odorifera; quæ tamen maximè humida sunt, maximum saporem habent & odorem paruum: contrà quæ maximè sicca, plurimùm olent & parùm sapiunt. Quare cùm Philoponus odorem esse ignei sicci interpretatus est, calorem excitantem odorem respexit. Sed siccum potiùs illud sapidum, hoc est terreum, intelligendum est, cuius permistione cum aëre & aqua dixit Aristoteles odorem fieri. Nam quod spectat ad ignem; is non quatenus siccus, sed quatenus calidus est, in odorum natura operatur.

Odor ergo calidus est & siccus: calidus, propter calorem, à qua excitatur & exhalat: siccus, propter sapidæ siccitatis materiam, qua constat. Quam ob causam & in lib. de sensu & sensili odores florum per se suaues, nec vlla ex parte ad nutriendum vtiles factos fuisse dixit à natura, vt nimium cerebri frigus, & humorem temperarent: & hoc loco totam odoratus tractationem concludens adiunxit, odorandi organum potestate esse tale, qualis actu est odor. Sic enim habet.

TEXTVS.

Τὸ δ' ὀσφρητικὸν αἰσθητήριον, δυνάμει τοιοῦτο.

Odoratiuum autem sensorium, potestate huiusmodi.

COMMENTARIVS CXL.

QVæ verba Philoponus, Simplicius, Auerroës, aliique complures de odorandi facultate intellexerunt: vt quod in generali sensuum consideratione antea dixerat, sensū esse potestate id quod actu est obiectum sensile; fieriquè actu sentiendo; hoc ipsum nunc de odoratu dicatur.

Sed de aspectu & auditu eadem verba pronuntiasset Philosophus, si post generalem illam sententiam de odoratu id affirmare voluisset. Deinde cùm sensorium nominetur, nescio quomodo facultatem, & non organum ipsum, intelligere possimus. Ego & organum interpretabor, & hanc sententiam non minùs, quàm antecedentem, illi persimilem esse affirmabo, quam in eodem libello iam sæpiùs citato pluribus explicauit. Cùm enim odorem dixisset esse ficci, organum odorandi subiunxit:

Odorãdi organũ quale, & quod.

iunxit potestate esse tale, qualis actu est odor. Quòd si potestate sit tale, actu erit contrarium: hoc est actu humidum, potestate siccum. Adde etiam actu frigidum, potestate calidum: siquidem odor calidus quoque est. Hoc autem organum est cerebrum, quod in memorato libello frigidissimum & humidissimum esse dicebat, odorumque calore & siccitate temperari.

Quæ duo loca si coniunxisset Galenus, multò minùs criminatus fuisset, Aristotelem non indicasse in quanam parte sit odorandi organum. Apertis enim verbis explicauit esse in cerebro. Quibus si adiungantur paulò superiora, quibus odorandi sensorium in quibusdam animalibus dicebat esse obductum operculo, in aliis non item; apertoque operculo fieri odoratum; manifestum fuerit, eum in anteriori cerebri parte, hoc est in mammillaribus processibus, vim odorandi posuisse.

DE GVSTATV.

CAP. X.

TEXTVS.

Τὸ γευστὸν ἔστιν ἁπτόν τι· διὸ καὶ αὕτη τῶν μὲν εἶναι αἰσθητὸν διὰ τῶν μεταξὺ ἀλλοτρίου ὄντος σώματος. οὐδὲν γὰρ ἅπτεται.

Textus 101. *Gustabile autem est quodpiam tactile. Et hæc causa, ne sit sensile per medium alienum corpus existens. Neque enim tactus.*

COMMENTARIVS CXLI.

DE gustatu nunc quarto loco sermonem esse, manifestum est. Nam cùm superiùs dixisset in tex. 75. omne quidem obiectũ sensile sentiri per mediũ, hocque in aspectu, auditu & odoratu, perspicuum satis esse; in gustatu autẽ & tactu, etsi res paulò obscurior sit, posteriùs tamen docendum esse, quemadmodum in illis quoque se habeat: nunc trium priorum sensuum, tanquam nobiliorum & notiorum, explicatione perfecta, reliquos duos aggreditur. & priore loco gustatum: eadem scilicet methodo, qua de prioribus disseruit; siquidem gustatus & manifestior est, & verò etiam nobilior & melior tactu.

Gustatum nobilior tactu.

Quod tum ex eo cognoscitur, quòd natura, quæ ab imperfectis principium facit ad perfectiora progrediens, à tactu ad gustatum ascendit. Et ille quidem est primus omnium sensuum, hic autem secundum habet gradum. Tum ex eorum organis & obiectis. Nam gustatus determinatum habet in vna aliqua corporis parte organum, tactus sparsum & quasi incertũ. Gustandiq; obiectum sunt sapores, qualitates secundæ ex primis genitæ; & multò illis meliores, quæ ad tactum pertinent. Denique post odoratum propter obiectorum coniunctionem agere de gustatu oportuit. Namque & ex iisdem principiis oriuntur odor & sapor, omneque odoriferum corpus est sapidum, & omne sapidum odoriferum. Immò in lib. de sensu & sensili cap. 4. odor & sapor dicuntur esse eadem ferè passio; quòd ex eadem permistione oriantur, & in eodem simul corpore semper reperiantur; & vterque lauabilis sit, odor in aëre & aqua, sapor in aqua. Ac demum vterque est qualitas alimenti, & ex vtroque alimenta dignoscuntur. Quamquam ea ex parte plurimùm differant, quòd & diuersorum sensuum obiecta sint; & sapor magis humidi, odor magis sicci. Quare & odor quispiam existit, qui non alimenti est, sed delectationis, atque ad cerebrum temperandum totus refertur; odor inquam florum.

Ergo vt cæteris sensibus fecit, sic in hoc principium faciens ab obiecto, & in facultatis cognitionem deducens; gustabile accipit esse quoddam tactile, & ideò sine externo medio gustari. Quoniam eiusmodi sensus est tactus, vt obiectum suum absque alieno medio percipiat. Quæ verba eò spectant, vt hic sensus à cæteris omnibus distinguatur: siquidem antea dictum fuerat diuersam illius esse à prioribus tribus naturam. Nam etsi hoc habeat cum illis commune, vt per medium aliquod operetur, quoniam hoc omnis sensus postulat: ea tamen ex parte magnopere differt, quòd externo illi corpore interiecto indigent, aëre aut aqua; hic internum duntaxat medium habet, obiectumque oportet omni externo corpore remoto sentiendi organum tangere. Qua in re conuenit quidem gustatus cum tactu, sed ab eo distinguitur obiecto; quoniam gustatus obiectum est gustabile, tactus autem tactile. Et quamuis gustabile sit etiam tactile, non est tamen quoduis tactile, sed determinatum quoddam. Neque retrò commeare licet, omne tactile esse gustabile, sicut omne gustabile est tactile.

Gustatus à cæteris sensibus distinctio.

Itaque quod in tex. 94. gustatum dixit esse quemdam tactum, & nunc gustabile esse quoddam tactile; perperam illi acceperunt, qui formaliter interpretati sunt, quòd eamdem lingnam & gustare viderent & tangere. Quasi verò hoc argumento non probaretur, nullum esse sensum præter tactum; cùm in omnium organis vis tangendi vigeat. Et non dixerit idem Philosophus in tex. 88. compendio naturam delectari, vnoque ad plura opera vti; tum aëre ad cordis refrigerationem & vocem; tum lingua ad gustandum & loquendum, adde & ad tangendum. Et rursum in tex. 112. argumentum illud non responderit aliquam fortasse vim habiturum fuisse, si non linguam modò, sed reliqua item corporis caro vt tactilia sentit, sic gustabilia quoque gustaret. At dum non ita est; & omne quidem, quod gustat, tangit, omneque gustabile est tactile; sed non gustat omne, quod tangit, neque omne tactile est item gustabile: manifesta cognoscitur obiectorum horum & sensuum distinctio. Quam ob causam non dixit, gustatum esse tactum, aut gustabile esse tactile: sed illum esse quendam tactum, hocque quoddam tactile.

Nemo tamen hinc deducat gustabile esse speciem tactilis, gustatamque speciem tactus velut generis: & ideò commemorandum non esse tanquam sensum ab eo distinctum; quoniam in nulla diuisione species commemoratur vt membrum à suo genere diuersum. Etenim dubitationem hanc totam veteres interpretes iamptidem explicarunt: nec solùm responderunt Alexander, Philoponus, & post eos S. Thomas, gustatum esse quidem tactum quendam quoad sentiẽdi modum; quia non liter, quàm tangendo, suum obiectum percipit, sicut & tactus: re ipsa tamen diuersam sentiendi

Vt gustabile quoddã tactile, gustatus quidam tactus.

facultatem, cùm obiectum habeat distinctum; saporem, qualitatem à tactilibus diuersam: & diuersam item actionem, distinctumque organum. Quippe vt ex textu 112. dictum est, gustat sola lingua, tangit non hæc sola, sed vniuersa corporis caro. Verùm etiam Themistius, Simplicius, & Albertus, gustabile interpretati sunt esse quoddam tactile, non per se & essentiali attributione, sed subiecto duntaxat & ex accidenti; quatenus sapor gustabilis & qualitas tactilis in eodem subiecto sunt. Nam cùm proximis verbis dixisset Philosophus, saporem esse humidi atque in humore potissimùm consistere: neque is gustetur nisi humectetur lingua: humorque tactilis qualitas sit: propterea statim subiunxit, gustabile, quod in humore tanquam materia & subiecto sustentatur & gustatur, tactile quoddam esse. Sanè gustabilem qualitatem in aliquo subiecto esse oportet: hoc humidum corpus est. Atque ex omnium quidem principum qualitatum permistione fit sapor, siccitatis præsertim & humoris, maximeque humoris, vt antea dictum est. Sed hic aut considerari potest quatenus humor est, aut quatenus sapidus est. Priori enim modo tactilis est, posteriori gustabilis. Hinc fit, vt gustabile non gustetur nisi tangendo: quoniam in tactili qualitate versatur. Sicut enim obiectum gustabile in tactili obiecto sustentatur, sic gustatus sensum in tactus sensu sustentari & cum eo coniunctum esse necesse est. Propterea maior multò est gustatus, quàm aliorum sensuum, coniunctio cum tactu. Quoniam cæterorum sensuum obiecta ab illis, etsi non tangantur, cognosci possunt. Et aut ex primis qualitatibus non gignuntur, vt sonus; aut si gignuntur, non immediatè & proximè gignuntur; vt colores, qui ex luce, opacitate, & perspicuitate immediatè & proximè nascuntur: aut si immediatè ex illis fiant, vt odores, calore tamen resoluuntur: & ab odorifero corpore exhalant; vt illius contactu opus non sit. At sapores & immediatè ex tactilibus qualitatibus fiunt, & in illis perpetuò conseruantur, nec nisi gustabilis corporis contactu sentiri queunt.

Gustatus sine externo medio.

Et quoniam gustabile est quoddam tactile, nec sapor gustari potest nisi tactu sentiatur humidum, in quo est sapor: si tactus non interiecto aëre aut aqua, sed omni externo corpore remoto, sentit humorem; gustatus quoque saporem absque externo medio percipiet. Externum autem & alienum corpus cùm dixit, atque à gustatu & tactu excluſit; internum & coniunctum medium reliquit, quo hi quoque sensus vtantur.

Gustatus & tactus similitudo.

Est igitur in illis similitudo maxima; tum obiecti, quia omne gustabile est etiam tactile. Tum organi; quia eadem lingua vtroque sensu fungitur. Tum medij; quia vterque interno & coniuncto vtitur medio, non externo & alieno. Tum modi operandi; cùm vterque per realem & immediatum contactum agnoscat obiectum suum, dum illud in se ipso suscipit. Denique vterque ad vitam est maximè necessarius atque ad alimentum spectat.

Distinctio eorumdē.

Plurimùm tamen, tum formali obiecto distinguūtur & totali organo; tum medio, quòd in tactu latiùs, quàm in gustatu, pateat: tum verò operandi modo. Et tactus quidem qualitatem tactilem sentit, quamuis corpus, quod illam producit, remotum sit: vt gustemus autem, necesse est sapidum corpus imponi linguæ: & sine gustatu operatur tactus, gustatus sine tactu nunquam. Atque ille quidem ad alimentum solùm est comparatus, hic verò tum propter gustatum necessarius est, tum vt vitæ noxia & contraria vitemus. Omnino enim est hic sensus animalibus cunctis necessarius: tum quia hæc est prima sentientis animæ operatio, velut cæterarum fundamentum: tum vt noxiis retrahamur: tum quia vt est in tex. 28. quemadmodum calido, frigido, humido, siccoque constamus; sic illis sustentari nos oportet. Gustatus condimentum potiùs spectat; vt & saporis delectatione ad alimentum sumendum inuitemur, & vtile ab inutili ex sapore diiudicemus. Itaque famē & sitim, quæ alimenti appetitiones sunt; non saporis, sed calidi & sicci, humidi & frigidi, appetitum esse definiuit Philosophus; alioqui non alimenti, sed condimenti, appetitus essent. Et in imperfectissimis quibusdam animalibus affixis; vt spongiis & vrticis, testimonio Philoponi in com. tex. 31. & Themistii cap. 11. & Auerrois comment. 31. solus inest sine gustatu tactus. Immobilia enim eodem semper modo alimentum trahunt, neque illius optionem habent: quare saporum sensu non indigent, sed sat est tactilium qualitatum sensus. Quæ, vt tactiles sunt, vniuerso sentiuntur corpore: vt alimenti qualitates existunt, determinata parte, quæ cæterorum linguæ proportione respondet. Ita alimenti sensus in omnibus animalibus inest.

Plantæ cur sint sensu carentes.

Plantis ne hic quidē necessarius fuit; quia cū sint infixæ terræ, adest semper alimentum: & cùm crassioris sint temperationis, quilibet succus opportunum illis alimentum præbet. Ad noxiorum verò incursum duræ sunt & dura tectæ cortice.

Tactus gustatus & alimentum si sint diuersa.

In animalibus perfectioribus inest quoque gustatus, quo præter conuenientiam & contrarietatem alimenti sapores item discernunt. Et vterque sanè sensus est alimenti: sed alter alimenti absolutè considerati, alter condimenti potiùs. Quocirca scitum illud; Quod sapit nutrit; & Aristotelis illud; Alimentum nutrit vt est gustabile; non à priori, sed tanquam signum accipiendum erit: gustatus quippe delectatio opportunum indicat alimentum. Certè Aristoteles, cùm in li. de sensu & sensili alimentum dixisset nutrire vt gustabile; statim adiecit (omnia enim nutriuntur dulci) quasi verbis illis significans, ex hoc dulci & iucundo sapore vtile alimentum cognosci; ex amaro & molesto inutile.

Omnia nutriuntur dulci.

Quod autem ipse affirmauit, & confirmarunt Theophrastus in 6. lib. de causis plantarum, & Galenus in 4. de Simp. medic. facul. cap. 14. & experientia satis testatur. Nam & dulcia expetuntur à nobis; præsertim pueris, in quibus integra est natura & in sua conditione posita; & natura ex alimento sumpto dulciorem separat partem & amaram relinquit. Quam ob causam sanguis, quo sustentamur, dulcis est, & excrementa omnia salsa & amara. Quòd si dulcioribus interdum cibis saporem alium admiscemus; aut id propterea facimus, quòd dulcia facilè implent, satiant, & in ventre supernatant, cùm ferè sint pinguia. Aut quòd vitiata & minùs benè affecta sit nostri corporis temperatio, ventrisque habitus minùs syncerus. Nam si abundet cholera, frigidis & acetosis; si pituita, calidis & acribus delectamur. Aues quoque, apes, & ferè cætera, dulcibus vesci manifestum est. Alia ſi propter corporis temperationē dulcedinem magis

temperatam

temperatam quærant, dulciore tamen cibi parte nutriuntur. Sed cùm alimentum & substantiam contineat dulcem, & saporem dulcem: sapor condimentum est, quo oblectatur gustatus; substantia verò dulci natura reficitur.

A

tur. Nam etsi hæc verè dicantur, ad hunc tamen locum non pertinēt; in quo Aristoteles longè alio intellectu materiam nominauit, vt necessariam gustabilis & tactilis coniunctionem demonstraret.

TEXTVS.

Καὶ τὸ σῶμα δ', ἐν ᾧ ὁ χυμός, τὸ γευστὸν ἐν ὑγρῷ ὡς ὕλη. ὥστε δι' ἀπλῆν π.

Atque adeò corpus, in quo sapor gustabile in humido, vt in materia: hoc autem tactile quoddam.

B

Quare etsi in aqua essemus, sentiremus vtique iniectum dulce. non esset autem nobis sensus per medium, sed eò, quòd esset permistum humido, sicut in potu. Color autem non sic videtur; eò, quòd misceatur, neque effluxibus.

COMMENTARIVS CXLII.

QVòd gustabile dixit esse quoddā tactile, hoc est gustabilem qualitatem sentiri non posse, nisi tactu simul sentiatur qualitas tactilis cum eo cōiuncta: & ideò sine medio externo sentiri posse: hoc argumento nūc probat. Corpus sapidū est gustabile in humido; siquidem sapor est humidi, sicut odor sicci: at humor est qualitas tactilis, & humidum est tactile; igitur gustabile est quoddam tactile.

Humidum saporis materia.

Sed verba illa (vt in materia) non ita Græcè legimus sed (ὡς ὕλῃ) in recto, non (ὕλη) in dandi casu. Non inquam vt in materia, sed vt materia: atque ita legit Simplicius, corpus inquiens, quod humidæ qualitati gustabili subiectum est, esse tanquam materiam illi substratam. Philoponus autem visus est legere (ὡς ὕλη, vt in materia) vt verborum sententia sit; corpus, in quo vt in materia est gustabilis succus, esse humidum. Quæ interpretatio Themistij fuisse quoque videtur, cùm saporem dixit tanquam humori formam euadere. Alexander verò in lib. 1. de anima cap. 16. omnino aliter hunc locum legit: non inquam (ὡς ὕλῃ, vt in materia, sed (ὡς ὕδατι, vt in aqua). Idcircò enim probat nihil sine humido esse gustabile, quia materia huiusmodi qualitati, hoc est sapori, est ex aqua, quæ humida est: siquidem humidum aqueum terreæ siccitati permistum facit saporem. Qua oratione humidum potiùs saporis materiam, vt Philoponus & Themistius, quàm corpus humoris saporosi, vt Simplicius, subiectum fecit. Atque id sane magis ad rem. Quippe ostendendum erat, gustabile esse tactile; vt illa verba testantur (hoc autem tactile quoddam est) quare ex tactili qualitate ducenda nimirum probatio fuit: scilicet ex humido, cum quo sapor velut cum materia, ex qua gignitur, necessariò coniunctus est. Nam cur quæso lingua prorsus arida sapores non sentit; nisi quia humidum saporis materia est; nec potest nisi in humido gustari sapor? & si corpus quoque sapidum sit prorsus siccum, nisi liquescat & humectetur, non gustatur.

Quare nec illud probo, quod verbum illud (vt materia) interpretatur idem Simplicius additum fuisse ad perspicui differentiam, quod colorem non suscipit, sed actionem solùm, qua color mouet aspectum; & ideò coloris materia non est. At corpus humidum suscipit quoque saporem, tanquam formam & accidens, quod in ipso sustentetur. Nam etsi hæc verè dicantur, ad hunc tamen locum non pertinēt; in quo Aristoteles longè alio intellectu materiam nominauit; vt necessariam gustabilis & tactilis coniunctionem demonstraret.

TEXTVS.

Διὸ ᾗ εἰ ἐν ὕδατι ἦμεν, ἡσθανόμεθα ἂν ἐμελιθίδος τὸ γλυκὺ ἐκεῖθεν· οὐκ ἂν δ' αἰσθησις ἡμῖν διὰ τοῦ μεταξύ, ἀλλὰ τῷ μιχθῆναι τῷ ὑγρῷ, καθάπερ ἐπὶ τῆς ποτοῦ. τὸ δ' χρῶμα ὐχ οὕτως ὁρᾶται τῷ μίγνυσθαι, οὐδὲ ταῖς ἀπορροίαις.

COMMENTARIVS CXLIII.

GVstabile esse tactile, hoc argumento confecit; quoniam humor, qui tactilis qualitas est, materia saporis existit; neque sine illo gustatur sapor. Nunc videtur quidem ex his deducere, gustari in aqua saporem posse: præsertim cùm superiores quoque sensus, aspectum, auditum, & odoratum, in aqua quoque operari dixisset. Aut obiectioni respondere; quoniam gustatum dictum est fieri sine medio, nos autem sapores aquæ iniectos per eam gustamus quasi per medium.

C

Sed verè hac oratione ostendit, tum humidum esse saporum materiam, tum eos sine externo medio gustari. Etenim si essemus in aqua, sapores in ea existentes planè sentiremus. Siquidem & vrinantes & natantes marinæ aquæ salsedinem persentiunt: & si cuiuis aquæ dulcis aut alius quispiam sapor admisceatur, cùm eam bibimus aut ore suscipimus, dulcedinem & saporem illius statim gustamus. Quin etiam salsam pituitam sentimus. Et omnino nisi saliua madescat lingua, sapidos siccos cibos non percipimus. At aqua, pituita, & saliua, corpora humida sunt; quæ officio medij nequaquam funguntur, sed materiæ, in qua suscipiuntur sapores: eæque absque vllo interiecto corpore in sentiendi organo positæ, optimè gustantur. Sapores igitur humido constant vt materia: nec per externum medium sentiuntur, per quod eorum actiones ad organum traducantur, vt in coloribus euenit: sed ipsimet cum humido corpore permisti in organum immediatè agunt.

Aquæ esse humidum saporum materia.

D

Quare etsi aqua pura, & per se considerata planè insipida sit, & vt sæpe nominauit Galenus, ἄσπιος; propterea quòd est corpus simplex, primis duntaxat qualitatibus præditum; non secundis, quæ ex permistione gignuntur: vim tamen habet saporis omnis susceptricem. Non itē aër, etsi humidus & ipse sit: nisi, vt inquit Philoponus, valdè vehemens sit & efficax sapor; vt in absynthio recens decerpto interdum accidit, vt vehementi qualitate aut aliqua defluente substantia affecto aëre amarus sapor distantis corporis quoquomodo à nobis gustetur. Sed hoc rarissimum est, & vix euenit: quoniam humidum, quod saporum materia est; oportet esse crassum & succosum, quale est humidū aqueum.

Aër saporis.

E

Quòd verò adiecit (sicut in potu) aut exemplum est, quemadmodum in aqua sine medio externo

sentiatur sapor: vt ita sentiri dicatur, sicut cùm vinum aut liquorem quempiam potantes saporem illius in organo immediatè susceptum gustamus. Aut (quod magis credo) alia instantia ad id, quod agebat, confirmandum: vt hæc sit verborum sententia. Dum sumus in aqua, sapores aquæ permistos immediatè sentimus; & dum nunc in aëre viuimus, si vinum aut aliud quidpiam potemus, quod sanè humidum & liquidum est, saporem illius organo susceptum gustamus: sapor igitur gustatur in humido vt materia; non vt intermedio corpore, sed prorsus immediatè.

Qua in re sapores dixit magnopere à coloribus differre. Non enim sicut sapores ideò gustamus, quòd in aqua aut in humido suscipiantur & cum eo misceantur, atque ita immediatè in gustandi organo suscipiantur: sic etiam colores suscipiuntur & permiscentur cum perspicuo, vt à nobis cernantur: neque perspicuum sit eorum materia, sicut humidum est materia saporum. Neque ideò colores videntur, quòd ab illis effluat quidpiam, quod in perspicuo susceptum ad oculos nostros perueniat: qua de re pluribus in libro de sensu & sensili; sed solùm interiecto perspicuo absque vllius rei effluxione aut susceptione permistione ue conspiciuntur. Neque perspicuum vim habet materiæ aut subiecti, sicut aqua & humidum in gustatu: sed solùm medij. Ita colores per medium extraneum videntur, sapores sine medio gustantur.

Contra species intentionales. Qui locus magnopere notandus erit ad ostendendum à coloratis obiectis nullas emitti colorum species, quæ in perspicuo susceptæ ad oculum transmittantur: sed solùm inter oculum & obiectum corpore medio illuminato colores omnes videri. Alioqui si species illæ ab obiectis emitterentur, visioque per effluxum rei cuiuspiam ab obiecto fieret; & illud in perspicuo misceretur & perspicuum vim medij solùm non haberet; sed materiæ quoque & subiecti; quòd species eas susciperet; non minùs, quàm aqua & humidum sapores suscipit.

A B C D

TEXTVS.

Ὡς μὲν οὖν τὸ μεταξύ, ἐστὶν ὅτιν. ὡς δ' χρῶμα τὸ ὁρατὸν, ἅπαν τὸ γευστὸν ὁ χυμός. οὐθὲν δ' ποιεῖ ἄδηλον χυμοῦ ἄνευ ὑγρότητος, ἀλλ' ἔχει ἐνεργείᾳ ἢ δυνάμει ὑγρότητα, οἷον τὸ ἁλμυρόν. διὸ καλῶς τε ἀπὸ τῆς σωπτικοῦ γλώσσης.

Vt medium igitur nihil est: vt autem color aspectabile, sic gustabile sapor. Nihil autem facit saporis sensum sine humore; sed habet actu, aut potestate humorem; vt sal. Nam & facilè ipsum liquescit, & linguam colliquat.

Text. 102. E

COMMENTARIVS CXLIV.

Comparatio gustatus & aliorum sensuum. ERgo ex iis omnibus, quæ dicta sunt, duo concludit. Alterum est discrepantia & similitudo, seu affinitas gustatus cum tribus prioribus sensibus, aspectu, auditu, odoratu. Illi namque per medium aliquod externum, aërem aut aquam, obiecta sua persentiunt: gustatus absque medio, sicut & tactus. Sed cùm illud omnibus commune sit, vt obiecti cuiuspiam sint determinati; siquidem facultates singulæ certis ac determinatis obiectis constituuntur: & vt aspectus est aspectabilium, auditus audibilium, odoratus odorabilium; ita gustatus est gustabiliũ. Et vt id, quod est aspectabile, est color; quod audibile sonus; quod odorabile, odor; ita id, quod est gustabile, est sapor: tũ materialibus, tũ formalibus obiectis partim conueniunt, partim discrepant. Etenim habẽt quidem omnes determinatum obiectũ, tum materiale, tum formale: sed illud in singulis propriũ est atque à cæteris diuersum.

Itaque hoc est, quod Philosophus colligit, in gustatu nihil quidem esse, quod sit tanquam medium, quemadmodum est in cæteris sensibus; immò hoc ab illis differre hunc sensum. Sed tamen vt color est aspectabile, sic saporem esse gustabile: hoc est vt aspectus proprium habet & determinatum obiectum, colorem quatenus aspectabilis est, & reliqui sensus eodem modo; sic gustatum quoque habere saporem, quatenus est gustabilis. Atque in hoc proportionem esse inter hos omnes sensus; vt sicut aspectus se habet ad colorem, & contra color ad aspectum; sic gustatus se habeat ad saporem, & ad gustatum sapor.

Alterũ, quod hoc eodẽ loco colligit, est; saporẽ nullũ sine humore gustari. Nã si sapor est in humido vt in materia, necesse est quidquid gustatur in humido gustari. Nisi malis cũ Philopono sentire, Aristotelem, cùm antea saporem omnẽ dixisset in humido gustari, obiici sibi posse vidisse multa corpora sicca, quorũ sapores gustãtur optimè; & ideò hanc obiectionem tollere voluisse, atque ostendere, ea quoque, quæ sicca esse videntur, in humido gustari, saporemque aliquem habere quòd humoris quidpiam contineant. Etsi enim actu sicca sunt, potestate tamen sunt humida. Quòd dum facit, simul etiam propositionem illam interpretatur, qua pronuntiauit absolutè, saporem omnem in humido gustari. Nam duobus modis corpus sapidum potest esse humidum; aut actu, vt vinum & alia huiusmodi liquida: aut potestate, vt sal & cætera, quæ actu quidem concreta sunt & solida, sed interiorem multam humiditatem continent, quæ facilè solui potest & liquescere. Quemadmodum sal admotum linguæ statim liquescit & funditur; & tum linguam madefaciens, tum maiori illius humido permistum gustatur.

Tonsillæ adnotatæ. Propterea etiam ad radices lingua duas glandulas spongiis persimiles (tonsillas appellant) præparauit natura, vtrinque vnam, saliuam & pituitosum humorem continentes; quibus lingua & partes oris omnes continenter humectentur: non vt ad loquendum vocemque formandam lingua moueri possit, quemadmodum in 11. de vsu partium lib. cap. 10. philosophatus est Galenus (hoc enim hominis proprium est) verùm etiam (quod omnibus generale est) ad sicciores cibos humectandos eorumque sapores gustandos, vt sapienter hoc loco Auerroës adnotauit. Quare dum ea quoque sicca gustantur, quæ non liquescunt, vt panis, caro, & obsonia plurima; nõ gustantur quatenus sicca sunt, sed quatenus aut interiorem aliquem humorem continent, in quo est sapor; aut exteriori humiditate perfunduntur, & cum illa permiscetur eorum sapor.

An humor sit necessarium. Dubitauit autem Auicenna in 6. naturalium lib. num hic humor sit velut medium, per quod sapor diffundatur quousque attingat linguam & sentiatur. Sed omnino negandum est cõstanterque affirmandum, corpus ipsum & succum sapidum cum hoc

hoc humore permiſceri, vt de aqua paulò ante dicebatur, & ita immediatè in lingua ſuſcipi & guſtari. Alioqui quomodo ſola ſaporis qualitas prorſus materialis ex vno in aliud ſubiectum migret?

Sanè hac tota explicatione docuit etiam Philoſophus quemadmodum guſtatus ſaporum fiat: re ſcilicet ſapida actu humida exiſtente ſua natura aut certè effecta humida, dum è poteſtate in actum tranſit. Siue id fiat multo ſapidi corporis humore ſoluto & liquato, vt fit in ſale & aliis pluribus; ſiue exteriori ſaliuæ humiditate cum interno humore modico, in quo ſapor conſiſtit, permiſta; vt in pipere, pane, & ſimilibus cibis ſiccis; ſiue demum vtroque modo. Tria enim guſtabilium genera diſtingui poſſunt. Quædam ſunt actu liquida, vt vinum. Alia concreta, ſed cùm humorem multum contineant, liquieſcere poſſunt, vt ſal. Alia demum ſolida planè ſunt, nec liquari queunt; ſed humorem tamen aliquem habent, in quo eorum eſt ſapor; vt panis, & caro. Primum guſtabilium genus per ſolam ſuam humiditatem guſtatur. Alterum partim per ſuam ſolutam, partim per externam ſaliuæ admiſtam. Tertium per ſolam externam ſaliuæ humiditatem.

Tria guſtabilium genera.

TEXTVS.

Ὥσπερ δὲ καὶ ὄψις ἐστὶ τοῦ τε ἀοράτου, καὶ τοῦ ἀοράτου· τὸ μὲν σκότος ἀόρατον χρίνει καὶ τοῦτο ὃ ὄψις ἐστὶ τὸ κλαυκαμεοῦ. καὶ τοῦτο ἀόρατον· δηλον δὲ τείνον τοῦ σκότους. ὁμοίως δὲ καὶ ἀκοὴ ψόφου τε καὶ σιγῆς, ὧν τὸ μὲν ἀκουστὸν καὶ μεγάλου ψόφου, καὶ διάστασιν ἔχοντος καθαροῦ ὅσον μὲν ὁ μικρὸς ψόφος οὐκ ἀκουστὸς τείνων τινὰ, καὶ ὁ μέγας τοιαῦτα βίαιος.

Vt verò & aſpectus eſt & aſpectabilis & inaſpectabilis (tenebræ enim inaſpectabiles: iudicat autem & has aſpectus). Præterea eius, quod valde ſplendidum (etenim hoc inaſpectabile, alio autem modo, quàm tenebræ). Similiter autem & auditus & ſoni & silenty, quorum illud quidem audibile, hoc autem non audibile: & magni ſoni, & aſpectus vehementer ſplendidi. Sicut enim paruus ſonus inaudibilis quodammodo, ſic & magnus & violentus.

Tex. 103.

COMMENTARIVS CXLV.

SErmonem Ariſtotelis hoc loco dixit Auerroës eſſe manifeſtum. Quod ſi referatur ad verba, videtur eſſe verum. At ſi quæratur quorſum hæc dicantur, fortaſſe non item. Nam S. Thomas & Ægidius agi dixerunt de guſtatus obiecto, poſtquam ſatis de medio dictum eſt. Quam ſententiam ſequuti ſunt Latinorum permulti; immò eam omnium prorſus interpretum fuiſſe non dubitauit Auguſtinus Niphus aſſerere. Sed ſecus omninò Græci omnes iudicarunt. Philoponus namque poſt explicatam guſtatus differentiam à cæteris ſenſibus eiuſdemque cum aſpectu & auditu affinitatem; doceri quoque voluit, quid is habeat cum ſenſibus omnibus commune. Magis verò accommodatè mea quidem ſententia Themiſtius poſt expoſitam diſcrepantiam; quòd hic ſine medio extremo fiat, illi per medium: & alteram conuenientiam, quòd ſinguli proprium habeant obiectum, circa quod verſentur: ſubiungi alteram. Vt enim aſpectus non ſolùm eſt aſpectabilis obiecti, ſed inaſpectabilis quoque: & auditus atque odoratus, tum audibilis & odorabilis, tum inaudibilis & inodoirabilis: ita guſtatus quoque guſtabilis eſt & inguſtabilis. Eodemque modo Simplicius hunc locum intellexit, quidquid dicat Niphus. Immò & intellexiſſe videtur Auerroës cùm compendiariam hanc ſententiam colligit; Non ſenſile tribus modis in vnoquoque ſenſu dici. Etenim inaſpectabile aut id dicitur, quod nullum omninò colorem habet, aut lucem; vt tenebræ: aut id, quod nimis vehementem habet, quam aſpectus non facilè aut nullo modo tolerare poſſit: illud ob ſenſilis formæ abſentiam, hoc ob excedentis formæ præſentiam: aut demum id, quod tam tenuiter & exiguè habeat, vt vix afficiat & moueat ſenſum. Totidem modis inaudibile dicitur, & inodorabile, & inguſtabile. Itaque in eo conueniunt hi omnes ſenſus, vt tum propria apprehendant ſenſilia, tum eorum priuationes & exceſſus & deffectus.

Inſenſilibus modis.

Quo modo priuationes ſingulis ſenſibus percipi intellexerint Græci interpretes, quóque modo ego cognoſci exiſtimem, traditum eſt in digreſſione ad tex. 71. eaſque oſtenſum intellectu ſolo comprehendi: atque hanc cognitionem eatenus tribui ſenſui, quatenus intellectus non ſine ſenſu percipit; dum eum nequaquam ab obiecto præſente moueri deprehendit. Ita intelligendum eſt illud, aſpectum iudicare tenebras.

Vt ſenſus priuationes cognoſcat.

Obiecta porrò nimis vehementia nimiſue tenuia & imbecilla propria quidem ſenſus actione ſentiuntur; ſed illa etſi ſua natura maximè ſenſilia, inſenſilia tamen dicuntur: tum quòd nimio exceſſu lædant & corrumpant ſenſum: tum quòd eorum immoderata vis & nimius motus ſuſtineri non poteſt, eſtque ſenſus illis ſentiendis impar. Quam ob cauſam hæc melius inſenſilia dici, quàm priuationes, adnotauit Simplicius: quoniam formam habent, qua per ſe ſentiri queant. Hęc autem, quòd priuationi propinqua ſunt: & cùm vix ſenſum moueant, vix & parùm exactè ſentiuntur.

Illud igitur, quod verè & meritò ſenſile appellatur, eſt moderatum obiectum; quod cùm ſenſui proportionatum ſit, tum exactè ſentitur, tum abſque læſione & corruptione, immò cum delectatione & perfectione ſenſus.

TEXTVS.

Ἀόρατον δ' ὅτι μὲν ὅλως λέγεται, ὥσπερ καὶ ἐπ' ἀδυνάτου τὸ ἀδύνατον εἶναι τὸδε, ἐὰν πεφυκὸς μὴ ἔχῃ, ἢ φαύλως, ὥσπερ τὸ ἄπουν, καὶ τὸ ἀπύξιον· οὕτω δὲ καὶ γεῦσις τοῦ γευστοῦ τε καὶ ἀγεύστου· τοῦτο δὲ τὸ μικρὸν καὶ φαῦλον ἔχον χυμὸν, ἢ φθαρτικὸν τῆς γεύσεως.

Inaſpectabile autem, aliud quidem omnino dicitur, ſicut & in aliis quod impoſſibile eſt; aliud autem, ſi aptum natura cùm ſit non habeat; aut praue, ſicut carens pedibus, aut carens nucleis. Sic vtique & guſtatus, & guſtabilis & inguſtabilis. Hoc autem eſt, quod paruum, aut praauum habet ſaporem; aut corruptiuum guſtatus.

COMMENTARIVS CXLVI.

CVm iam tribus modis inaſpectabile dici docuerit; haud ſatis intelligo, quo conſilio dictum fuerit à Philopono, vocis huius omonymiam nunc primùm diſtingui, eiuſque ſignificata diuidi. Potiùs affirmo, quartum ſignificatum addi, quo inaſpectabile, quemadmodum & in cæteris inaudibile, inodorabile, & inguſtabile, meram negationem ſignificat. Vox .n. inaſpectabilis dicitur, quòd nec aſpiciatur, nec aſpici omnino queat. Eodemque modo color inaudibilis dicitur, & ſonus inguſtabilis: entiaque ſpiritalia, & proprium quodlibet vnius ſenſus obiectum comparatione alterius ſenſus ita nominare licet. Atq; hoc diſtinguitur quartum hoc ſignificatum à primo illo, quo priuatio ſignificabatur; hoc eſt negatio & abſentia obiecti in ſubiecto, in quo adeſſe poterat; & comparatione ſenſus, à quo ſentiri potuiſſet: vt tenebræ in aëre comparatione aſpectus, & ſilentium comparatione auditus. Quare priuatio quidem inſenſilis dicitur comparatione illius ſenſus, cuius obiectum eſt priuationis habitus: habitus autem hic ipſe vni ſenſui ſenſilis, ſi cum aliis ſenſibus comparetur, inſenſilis planè appellatur.

Inſenſile quartum modo.

Propterea tenebras antea dicebat inaſpectabiles eſſe: ac negationes haſce non ſolùm inaſpectabiles, ſed omnino inaſpectabiles nũc appellat. Quoniam priuationes poteſtatem ſignificant & aptitudinem, negationes omnino nullam. Sed quoniam negationi perſimilis eſt & cognata priuatio; & priuationi id, quod ægrè & vix actum habet & formam: propterea cùm negationem nominaſſet, hæc quoque paucis repetit, quæ ſuperiori oratione docuerat. Inaſpectabile inquam illud etiam dici, quod cùm aptũ ſit aſpici, non aſpicitur tamẽ; propterea quòd non habet actum, quem habere poſſet; aut tenuem valde & exilem habet: vt perſpicuum tenebroſum, aut tenuiſſimo quopiam lumine præditum.

Verùm non temerè dixero, hæc fuiſſe hoc loco eam ob cauſam ab Ariſtotele repetita, vt quadrimembrem inſenſilis partitionem factam oſtenderet poſſe ad bimembrem diuiſionem certa ratione & arte conſtantem reuocari. Nam inſenſile quidpiã dicitur, aut quòd ſenſili careat forma, aut quòd eam minùs accõmodatam habeat. Quorum vtrũque membrum rurſum diuiditur. Primũ enim aut negationem ſignificat, aut priuationem. Alterum autem, vel exceſſum formæ, vel defectum. Poteſt & alio modo diuidere. Inſenſile dicitur, aut per exceſſum, aut per defectum. Illud ſenſilem formam habet, ſed nimis vehementem. Hoc autem rurſum diuidendum eſt. Aut enim nec ſenſilem formã habet, nec habere poteſt; aut non habet quidem; ſed habere poſſet; aut demum tenuem nimis & exilem habet. Fortaſſe etiã ſignificare voluit inſenſile duobus modis dici: aut ſua natura, aut propter defectũ & imbecillitatem ſentiẽtis facultatis: quodque poſteriori hoc modo dicitur, minùs verè & propriè dici: vt ſi ſolem inaſpectabilem dixero, propterea quòd fixis oculis lucem eius nequeam ſuſtinere. Et ideò à nimis vehementi ſenſili tria hæc membra ſeparauit, quæ propriè & ſua natura inſenſilia dicuntur, quòd aut penitus aut magna ex parte careant ſenſili forma, neque ſenſum veleant permouere.

Inſenſilis ſcientiaria diuiſio.

Nam etſi hoc loco prauè aſpectabile interpretentur Philoponus & Simplicius; tum id, quod excedit; tum id, quod deficit: minùs tamen verè & accommodatè. Si quidem verba illa (ſi aptum natura non habet, aut prauè) oſtendunt apertè ſermonem eſſe de ſolo prauè aſpectabili per defectum & ſua natura: quòd prauè habeat ſenſilem formam, ſitque priuationi propinquum; non autem propter ſolam ſentientis facultatis imbecillitatem. Quod exempla quoque confirmant, quæ defectum manifeſtè ſignificant. Nam quædam aues aut animalia carere pedibus dicuntur, aut fructus quidam carere nucleo; non quòd penitus careant, ſed quòd paruos pedes, paruumque nucleum habeant.

Verùm hæc omnia, quæ de aſpectu dicta ſunt, de guſtatu quoque intelligere oportet. Is enim & guſtabilis eſt, hoc eſt proportionati & conuenientis obiecti ſapidi; & inguſtabilis; quod totidem modis dicitur, quot inaſpectabile. Inguſtabile namque appellatur non id ſolùm, quod nullo modo percipi guſtatu poteſt (hoc enim propterea nunc prætermiſſum eſt) ſed etiam id, quod paruum eſt, quod prauum, quod corruptiuum: Paruum ex Attica conſuetudine priuationem ſignificare, docuit Simplicius. Prauum id dicitur, quod tenuem & vix mouentem ſenſum habet ſaporem. Corruptiuum denique, quod excedit & nimis vehemens eſt: aut omnino lædens & offendens ſenſum; vt ea, quæ impendio acida ſunt, aut acria, alioſue malo ſucco prædita.

TEXTVS.

Δοκεῖ δ' εἶναι ἀρχὴ τὸ ποτὸν καὶ ἄποτον χύσεως· φησὶ γὰρ αὐτὸν τοῦτο· ἀλλὰ τὸ μὲν μαῦλον καὶ φθαρτικὸν χύσεως, τὸ δ' ἐναντίον φύσει.

Videtur autem principium eſſe potabile & impotabile. Guſtatus enim quidam ambo. Sed hoc quidem prauum & corruptiuum guſtatus; illud autem ſecundum naturam.

COMNENTARIVS CXLVII.

OBſcura ſanè horum verborum ſententia eſt, nec ſatis ab interpretibus explicata. Sed cùm humidum aqueum antea dixiſſet eſſe velut ſaporum & guſtabilium materiam; materiaque principium quoddam ſit: poſtquam de guſtabili dixit & inguſtabili; principium guſtabilis & inguſtabilis ſubiunxit eſſe potabile & impotabile. Quoniam cùm humidum & actu dicatur & poteſtate, vt in ſuperioribus dicebatur; atque in vnoquoque genere id, quod eſt actu potiſſimùm conſideretur; & omnino vt quidpiam guſtetur, debeat eſſe actu humidum, hoc eſt liquidum & quod linguam poſſit madefacere: quod eiuſmodi eſt, maximè & primò eſt id quod potabile eſt. Et ideò potabile eſt principium guſtabilis, omnéque guſtabile eatenus eſt actu guſtabile, quatenus actu humidum & quoquo modo potabile. Nam ſolidum quoque alimentum potabile dicitur, quatenus habet ſuccum, qui ad ventriculum demittitur ad modum potabilis. Et contra impotabile eſt principium inguſtabilis; quia ſi aut omni-

no

no aridum sit, nec humidum vllum succum aut exignum omnino habeat; quemadmodum aut omnino erit impotabile, aut ægrè potabile; sic aut prorsus erit ingustabile, aut ægrè gustabile. Itaque potabile & impotabile gustabilis & ingustabilis principia dicuntur: quoniam humor, qui potabile efficit, gustabilium omnium materia est; hæcque eatenus gustabilia sunt, quatenus actu humida.

Poculentum & esculentum.

Credideram etiam voluisse Aristotelem gustabilia omnia ad duo prima capita, quæ appellauit principia, reuocare. Ea sunt poculentum & esculentum; quæ verbis illis respondent, quibus dixerat, quædam actu, quædam potestate, habere humiditatem. Nam poculenta sunt actu humida, liquida, & fluida; esculenta non item; sed potestate, quatenus humectari possunt: & ideò poculenta dixit potabilia, esculenta impotabilia; quoniam sicciora sunt, nec actu humida, nec liquida. Ambo tamen sunt gustabilia; & ad horum alterum pertinet quidquid gustari potest.

Impotabile explic.

Sed impotabile duobus modis dicitur: aut id, quod prauum, hoc est tenuem & exiguum humorem habet, estque plus æquo aridum: aut quod corruptiuum gustatus, hoc est quod nimis vehementi sapore maloue, & ingrato prorsus succo imbutum est, nec sine molestia & læsione gustatur. Horum alterum esculentis solis & cibis solidis & siccis conuenit: alterum tum esculentis, tum poculentis. Sola namque esculenta impotabilia sunt, quòd parum humoris habeant nimiumque sicca sint: sed propter immoderatum aut malum saporem poculenta quoque. Quare etsi potabile vno tantùm modo dici affirmetur, id quod est secundùm naturam: id tamen duobus modis intelligendum est. Aut quòd sua natura humidum actu sit & liquidum, vt potari possit. Aut quòd iucundum, gratum, & moderatum saporem contineat, qui sine læsione, immò cum delectatione, gustetur. Illud solis poculentis conueniet, hoc tum poculentis, tum esculentis.

Potabile duplex.

Ita quodam modo poculenta sola & liquida appellare licebit potabilia. Esculenta verò & sicca, impotabilia: alio autem, tum poculenta, tum esculenta, & potabilia & impotabilia nominare. Quare hoc loco Philosophus non solùm gustabilia omnia & ingustabilia ad duo principia & capita reuocauit; sed etiam exposuit, quot modis potabile & impotabile dicatur.

TEXTVS.

Ἔστι δὲ κοινὸν ἁφῆς καὶ γεύσεως τὸ ποτόν.

Est autem commune tactus & gustatus potabile.

COMMENTARIVS CXLVIII.

Potabile quodammodo tactile.

POstremò sicut antea gustabile affirmauerat quoddam esse tactile; sic nunc potabile quoque asserit esse tactile, velut gustatus & tactus cõmune. Etenim vt sapor, quia gustatur in humido, quòd qualitas tactilis est, non gustatur nisi tangendo; & sapor quatenus humidus est, sentitur tactu; quatenus autem sapor, gustatu: ita potabile cùm humidum sit, tactile quidpiam est; cùm autem sapidum, ad gustatũ pertinet. Et ideò vt sapor & gustabile, sic potabile tactus & gustatus commune quidpiam est.

Appositè autem adnotauit Simplicius, potabile nunc dici, non id quod paulò ante ab impotabili distinctum fuit; sed id, quod vtrique commune est. Tam enim id, quod est secundùm naturam; quàm id, quod prauum & corruptiuum gustatus, tactile est, tactuique & gustatui commune. Neque quod prauum & corruptiuum est, gustatur nisi tangendo.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ὑγρὸν τὸ γευστὸν, ἀνάγκη τὸ αἰσθητήριον αὐτοῦ μήτε ὑγρὸν εἶναι ἐντελεχείᾳ, μήτε ἀδύνατον ὑγραίνεσθαι· παρέρχεται γάρ τι ἡ γεῦσις οὐκ ἄνευ τοῦ γευστοῦ, ἢ γευστόν. ἀναγκαῖον οὖν ὑγραυθῆναι τὸ δυνάμενον ὑγραίνεσθαι σωζόμενον μὴ ὑγρὸν ᾖ, τὸ γευστικὸν αἰσθητήριον.

Quoniam autem humidum gustabile, necesse sensorium ipsius neque humidum esse actu, neque huiusmodi, vt humectari nequeat. Patitur enim aliquid gustatus à gustabili, quatenus gustabile. Necessarium igitur humectari, quod humectari potest. Ita tamen, vt seruetur. Non humidum autem, gustandi sensorium. Text. 104.

COMMENTARIVS CXLIX.

GVstatum dixit, quòd adiunctum habeat tactum, absque medio externo obiectum suum sentire. Deinde de hoc obiecto disseruit. Iam de organo in quo obiectum illud suscipi oportet, vt gustetur, dicere aggreditur. Et quoniam ex iis, quæ in tota superiori disputatione constituta sunt, certum erat, cuiusque sensus organum debere actu carere obiecto, quod per illud cognoscendum est, esseque ad illud potestate: & omnino quidquid debet aliud suscipere, careat illo necesse est, & sit ad suscipiendum aptum: ex gustabilis obiecti natura colligit qualenam esse opporteat gustandi organum.

Gustatur obiectum quale.

Gustabile omne esse humidum; neque gustari saporem, nisi in humido; iam definitum est. Organum igitur, quod saporem gustandum suscepturum est, neque humidum actu fuerit, neque ad humorem suscipiendum ineptum. Neutro enim modo gustabilis saporis capax esset. Sed quoniam gustatus patitur à gustabili: tum generali sensuum omnium conditione, qua sentire est pati: tum speciali, qua immediatè & tangendo obiectum operatur. Patitur autem à gustabili, quatenus gustabile est, & sapidum. Nam quatenus humidum est & quidpiam tactile; patitur quidem ab eo; sed quatenus tactus quidam: quatenus autem gustatus est, patitur à gustabili vt sapidum est & gustabile. Propterea illius organũ passionis illius capax sit oportet. At vt gustabile, non gustatur nisi in humido; ita suscipi non potest in organo, nisi cum humido. Organum igitur, quod gustabile susceptum est, necessarium fuerit sua natura non esse humidum, sed humectari aptum, neque ipsa humectati, vt simul cum humore gustabilem percipiat saporem. Quoniam si actu esset humidum, à sapori humiditate & succo non pateretur: quippe iam actu esset tale. Vel si susciperet, nimia humiditate perturbaret, confunderet, & euanescer

sapores faceret: nec eos omnino gustaret, sed suam potiùs & sibi insitam velut propinquiorem, non saporum, humiditatem sentiret.

Quoniam verò in tex. 57. duplex distincta est passio; vna corrumpens, altera perficiens: vniuerseque definitum, sentire perficientem passionem, non corrumpentem, significare: organum quoque gustatus ita pati debet à gustabili, atque ita humectari, vt ipsum incolume maneat, & perficiatur potiùs: alioqui si corrumperetur, omnino non fieret sensio, neque gustabilium perceptio. Idcircò etiam additum est, gustatus organum ita humectari oportere, vt seruetur incolume.

Salem etiam dixerat in tex. 102. potestate esse humidum, facileque liquescere: nec quemquam voluit existimare, eodem nunc modo, non actu, sed potestate humidum dictum fuisse organum. Nam sal, nitrum, & huiusmodi alia, dum actu sunt humida, dissoluuntur & suam naturam amittunt: organum gustandi, dum sapidis succis humectatur, nequaquam liquescit, neque dissoluitur; sed perficitur magis & seruatur.

Quòd si quædam sint, quæ non humectent, sed siccent; vt piper, salsamenta, panis siccus, & id genus alia: id tamen non faciunt quatenus sapida sunt, sed quatenus tactili aliqua qualitate prædita, siccitate aut calore; quibus insitum linguæ humorem absumunt. Gustantur autem quatenus salina & oris interno humore permista & humectata organum illud humectant.

Siccitas morbus linguæ.

Aristoteli tamen propositum non fuit humorem omnem à lingua remouere. Etenim siccitas, vt ait Simplicius, morbus quidam est linguæ, qui eam ad gustandum ineptam facit. Sed permista naturali eius membri humiditate, & verò etiam aduentitio saliuæ humore; voluit solùm abesse aut crassum illum & pituitosum, qui saporum gustatum tollit, aut alium quemuis nimium (vt proximè sequentia verba ostendunt) qui sapores externos diluit, perturbat, & obscurat, eorumque humiditatis actionem impedit. Quæ omnia non eò solùm spectant, vt ostendatur qualénam gustãdi organum esse oporteat; sed etiam explicant, quomodo gustatus sit quidam tactus.

Denique eodem argumento, quo probatum est, hoc organum humidum actu esse non debere, sed potestate; eodem conficiendum est, non debere esse vllo affectum sapore, sed ad omnes suscipiendos aptum. Quod ab Aristotele aut prætermissum fuit tanquam manifestum & ex generali sensuum doctrina iam cognitum; aut eodem argumento comprehensum. Quoniam si omnis sapor cum humido gustatur; quod probatur carere humido, probatur quoque carere sapore; esseque tum ad humorem, tum ad saporem potestate.

A *Signum autem, quòd neque lingua sentit magnopere ficca, neque valde humida. Hic enim tactus sit primi humidi: quemadmodum cùm quis, qui prægustauerit fortem saporem, gustet alterum. Et vt ægrotantibus amara omnia videntur; quòd linguam plenam huiusmodi humiditate sentiunt.*

TEXTVS.

Σημεῖον δὲ, τὸ μήτε καταξηρον οὖσαν τὴν γλῶτταν αἰσθάνεσθαι, μήτε λίαν ὑγράν· αὕτη γὰρ ἁφὴ γίνεται τοῦ πρώτου ὑγροῦ, ὥσπερ ὅταν προγευματίσας τις ἰσχυρῶς χυμοῦ, γεύηται ἑτέρου· καὶ οἷον τοῖς κάμνουσι πικρὰ πάντα φαίνεται, διὰ τὸ τὴν γλῶτταν πλήρη τοιαύτης ὑγρότητος αἰσθάνεσθαι.

COMMENTARIVS CL.

GVstatus organum tale esse debere, quale dictum est; hoc est non actu, sed potestate humidum; hoc argumento ostendit, quod latis aperte testatur, eum non omnem humorem voluisse excludere, sed nimium & immoderatum, qui saporum susceptionem & sensum impediret. Nam si lingua (hanc enim velut gustandi organum nominat) prorsus sicca sit & arida omnique humore priuata, nullum ciborum saporem sentimus: neque item si magnopere humida. Cùm enim omnino arida est, ne potestate quidem humida est; nisi fortasse potestate remota: quoniam externo solo cibi humore humectari nequit. Quare cùm sapor non nisi in humido gustetur, saporem nullum gustare potest. Propterea ad illius radices posuit natura glandulas, quæ suppeditarent humorem. cùm autem nimium fuerit humectata, ita occupatur ab illo humore, vt aduenientes alios non sentiat. Tactus enim fit primi humidi) hoc est quoniam gustatus est quidam tactus; neque gustatur quidquam nisi tangendo; sicut primus ille humor copiosè per linguam sparsus alterius humidi sapidi accidentis contactum impedit, ita & illius gustatum prohibet: & vt alius humor non tangitur quàm internus, ita nec alius gustatur. Sed sensus totus & organum circa primum illum humorem & eius saporem, si quem habet, occupatur.

Quod duobus experimentis confirmat: alterum est eorum, qui vehementem quempiam & fortem saporem gustarunt. Nam si posteam alius accedat sapor, illum non gustant: organo scilicet priori sapore occupato. Alterum ægrotantium, qui quòd linguam habeant flaua bili conspersam, cibos omnes amaros esse iudicant. Nimirum vtriusque effectus causa est, quòd tactus fit primi humidi, priorque ille succus & sapor, qui occupauit linguam, posterioris sensum prohibet. Sed & si nimium fuerit humida, illud accedit incommodi, quòd nimio humore diluit accedentes sapores, confundit, & obscuros reddit. Et ideò quibus abundat pituita, insipida omnia videntur esse.

Cæterum de iis, qui linguam habent asperiam cholera, dubitat Philoponus. Quoniam illi, si mel gustent maiorẽ sentiunt amaritudinem; & tamen dulcedo mellis priorẽ debuisset tẽperare saporem. Negat ita rem se habere. Sed antea nec amaritudinis, nec saporis vllius sensum fuisse, quòd bilis quiesceret nec vllum sensum faceret: post verò amarum sẽtiri saporem, quòd melle gustato commota est & agitata bilis ad faciendum sensum. Ita sanè res est. Nam ex diuturna obiecti sensilis præsentia ita occupatur anima, vt ex actu transeat in habitum, & habitu quasi contracto circa illud obiectum, actu illud non sentiat, nisi ab ingruenti aliquo excitata ad attentionem & actum producendum

cendum circa illud. Eodem. n. modo quæcumque gustantur amara iudicantur; quoniam amaram bilem, quæ quiescebat nec sentiebatur, mouent & ad faciendum sensum excitant.

Lingua optimè affecta.

Vt igitur gustatus organum optimè sit ad gustandum comparatum, neque humore nimio madidum fuerit; quia & aliorum humorum impediret accessum, & eos nimium diluendo obscuraret saporem, redderetque insipidum. Neque humore aliquo sapido præuentum & occupatum; quippe aduenies sapor non sentiretur. Neque omnino siccum & aridum; quoniam neque tunc impositum succum gustaret, sed auidè imbiberet. Verùm oportebit esse affectum, tum naturali sua & propria, tum tenui aliqua saliuæ humiditate, quæ omni sapore careat. Nam quod eiusmodi fuerit, cùm sapore omni spoliatum sit & ad omnes susciendos ac persentiendos optimè affectum; potestate proxima esse existimabitur atque ab aduenientibus quibuscumque facilè immutabitur, omnesque exactè gustabit.

Digressio LIII. *De gustatus organo.*

SI igitur linguam Philosophus tanquam proprium gustandi organum nominauit; quid importunè obiiciunt aliqui in libro de sensu & sensili capite 2. scriptum esse, gustatus & actus sensorium esse iuxta cor? Etenim horum verborum alia est quàm ipsi putent, sententia, vt eo loco docebimus, in quo de tactus dicemus organo. Quod autem potissimum in lingua sapores sentit, sunt nerui per eam à tertia coniugatione dissemi-nati.

Qua lingua pars magis gustet.

At in quanam linguæ parte magis hic sensus vigeat, disputari video. Fereque medici interiorem illius partem & radices eligunt. Tum quòd insigniores ibi sint nerui. Tum quòd saliua copiosior. At leuibus argumentis nituntur. Neque enim vbi maiores, sed vbi molliores nerui, magis sentiunt; neque tam in principio, quàm in extremo sui, obseruantur sentire. De saliua quoque sententia eadem. Non vbi plurima, sed vbi tenuissima, viget gustatus: neque linguam debere esse prorsus siccam, neque nimis madidam, Philosophus monuit. Itaque si ad radices extensione maior gustatus fuerit, quòd latior lingua maioresque & magis protensi nerui; intensior tamen & exquisitior in anteriore ac priore erit parte. In» est, inquit, idem Philosophus in lib. 1. de anima» lium historia capite 11. pars sentiens saporem lin» gua, vim hanc sentiendi obtinens parte sui pri» more. Nam si interiore tangat, minùs sentiet, &c. Et libro 4. de partibus capite 11. esculentorum & poculentorum gustatum ita distinguit, vt esculenta priore, poculenta posteriore linguæ parte sentiantur. Quod experientia testatur. Sanè vbi maior multitudo, ibi exquisitior sensus; præsertim gustatus, qui est quidam tactus; quem exquisitissimum in iis esse constat, qui mollem maximè habent carnem. Sic enim in tex. 94. exquisitum in homine gustatum ineſſe probatum est, quia exquisitus est tactus: hunc autem exquisitum esse, quia caro mollis. At linguæ ac neruorum maior est in priore parte mollitudo, tenuiorque ibi saliua saporem faciliùs introducit.

Quod summo naturæ consilio factum est. Vt enim gustatum dedit nobis, vt eo alimenta diiudicaremus; atque in ea parte posuit, qua ea sumuntur: sic exquisitissimum & acerrimum in principio statim ponere decuit, vt statim de illis iudicantes repellere noxia & admittere vtilia possemus. Ita persæpè fit, vt ad interna nimis coniectum cibum ad anteriora reuocemus, vt meliùs gustemus: medicamentaque, tum vt deglutiamus faciliùs, tum ne magnopere gustamus, ad interiora coniicimus quantum possumus. Quamquam primorem linguæ partem non vltimam solam extremitatem intelligi voluit Philosophus; sed insignem aliquam partem; fortasse ad medium vsque illius; aut certè totam eam partem, quæ melior est.

Gustatus & tactus terræ.

Ad extremùm de organo accipiendum est illud, quod in eodem libro de sensu & sensili scriptum est; vtrumque hunc sensum esse terræ: tactum quidem per se, gustatum autem, vt tactus quidam est. Nam si obiectum consideres, vt tactus dici possit terreus, quòd materiales maximè qualitates percipiat; gustatus tamen aquæ magis esse diceretur; quia sapor humidi aquei est, nec sine hoc humore sentitur. Quòd si organum spectes, vterque sanè est terræ. Quoniam siue neruus, siue caro, sit organum tactus; vtraque pars temperie propria terrea est; & ideò in tex. 130. terra maximè dicetur in tactu misceri. Organo namque solido & consistenti indigebat; quod ex terreo ficco constat. Lingua quoque, caro & nerui terrea sunt.

Neruus vt sentiat.

In tex. autem 79. libri primi nerui & quæcumque in animalium corporibus terrea penitus sunt, non sentire dicuntur; quòd neruus cum innata sua temperatione consideretur. (quomodo & lingua sicca sapores non gustat.) At à contento spiritu temperatus & calefactus, atque à circumiecta carne humectatus, sentire optimè potest; sicut & lingua saliua humectata. Ossa & pili numquam sentiunt, quòd huius temperationis capacia non sint, cùm nullum contineant spiritum: & pili etiam careant anima. Sed & gustatus organum carere debet sentiendo obiecto, esseque ad illud potestate: sapor est humidi, organum igitur erit sicci; quod terræ proprium est. Ac demum ex proprio operandi modo materiale, solidum, & crassum, hoc est terreum, non minùs quàm tactus, organum postulabat.

TEXTVS.

Τὰ μὲν οὖν εἴδη τῶν χυμῶν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν χρωμάτων, ἁπλᾶ μὲν τὰ ἐναντία, τὸ γλυκὺ καὶ τὸ πικρόν· ἐχυδρὸν δ', τὸ λιπαρὸν, τὸ δὲ τὸ ἁλμυρὸν· μεταξὺ δὲ τούτων, τό, τε δριμὺ καὶ αὐστηρὸν, στυφνὸν καὶ ὀξύ· χρῶμα δὲ αὖ τὰ δοκοῦντα εἶναι διαφορὰ χυμῶν.

Species autem saporum, vt & in coloribus, simplices quidem contrariæ, dulce & amarum. Consequentes autem, illius quidem pingue, huius verò salsum. Mediæ autem horum, & acre, & austerum, acerbum, & acidum. Ferè enim hæ videntur esse saporum differentiæ. Tex. 105.

COMMENTARIVS CLI.

HAud valde obscura est horum verborum sententia. Manifestus enim de saporum speciebus sermo. Et cùm de gustabili obiecto vniuersè antea dictum sit; deque organo sensus, quo gustari debet: nunc de gustabilium speciebus distinctè magis agitur. Siquidem & in superioribus sensibus obiectorum singulorum differentias commemorauit, dum aspectus obiectum in colorem, lumen, & tertium genus innominatum, quod in tenebris solùm cernitur, partitus est: & de auditu differens de sono dixit & voce; sonumque in acutum, & grauem diuisit, dum sonantium corporum differentias exponeret: ac demum in tex. 95. odorum species saporum speciebus ostendit proportione respondere. Etsi verò de colorum speciebus nihil dixit: quoniam tamen illorum differentiæ magis manifestæ & cuiuis conspicuæ esse videntur: Aspectusque est primus sensus, qui cæterorum regula & mensura esse debet: Saporum species ex colorum speciebus inuestigare voluit. Propterea etiam ex coloribus potissimùm eas distinxit, quòd ambæ hæ qualitates ex elementorum permistione nascuntur; colores, quatenus lucida sunt, perspicua, & opaca; sapores, quatenus humida & sicca. Soni diuersam omnino habent productionem; & odores ex elementis quidem gignuntur & maximam cum saporibus cognationem habent: sed illi minùs noti sunt, & ex saporibus potiùs in tex. 93. & 95. inuestigati & distincti.

Saporũ species.

Ergò vt in coloribus, sic in saporibus duæ sunt primæ species simplices & inter se contrariæ: in coloribus album & nigrum; in saporibus dulce & amarum. Quarum vna perfectior est & veluti habitus, altera imperfectior & alterius comparatione tanquam priuatio: Quemadmodum in tex. 18. prioris libri de ortu & interitu, & tex. 22. libri 12. Metaph. calor dicitur esse vt forma, frigusque illi contrarium velut priuatio: quia semper id, quod deterius est, comparatione melioris est quasi priuatio. Ambæ autem sunt formæ simplices: quia cùm sint contrariæ, ex se se vicissim constare nequeunt; & quia sunt primæ, ex aliis non possunt esse compositæ. Aliæ potiùs species ex his tamquam primis & extremis componi dicentur: non quidem verè & re ipsa; quoniam illæ ipsæ quoque ex propriis colorum & saporum principiis nascuntur; colores ex luce, perspicuitate, & opacitate; sapores ex humido & sicco; sed virtute, quatenus ex eisdem principiis ex quibus extremi colores aut sapores per se primùm produci debuissent, si aut magis abundassent aut meliori modo temperata fuissent; reliqui omnes interiecti producuntur, dum alio quodam modo permiscentur.

Deterius priuatio melioris.

Porrò vt inter colores extremos quidam sunt, qui ad album magis accedunt, vt puniceus seu croceus; alij magis ad nigrum, vt purpureus aut violaceus: alij inter hos omnes sunt medij, vt viridis. Ita & in saporibus dulci quidem propinquior est pinguis, amaro autem salsus; & inter hos medij acer, austerus, acerbus, & acidus: suntque hæ omnino saporum species. Dulcis gustatur in melle, amarus in felle, & absynthio; pinguis in adipe & oleo, salsus in sale, acer seu acutus in pipere, austerus seu ponticus in cidoniis malis, acerbus in sorbis & fructibus immaturis, acidus in aceto.

Digressio LIV. *De saporum speciebus.*

SEd non immeritò fortasse obseruauit Simplicius, post has species enumeratas additum fuisse, fere has videri esse saporum differentias; propterea quòd incomprehensibiles sint eorum species, hæque commemoratæ fuerint velut manifestiores. Certè Alexander acrem prætermisit; & Themistius suauem addidit & acutum; Philoponus flacidum; & Auerroës in 5. colliget capite 27. insipidum; quem eundem esse puto cum eo, quem flacidum Philoponus nominauit, quòd saporis ferè expers sit: nisi etiam (vt nomen ipsum indicat) saporis etiam omnis priuationem significet. Ac demum apud Plinium lib. 15. capite 27. vsque ad tredecim saporum genera legimus, dulcem, suauem, pinguem, amarum, austerum, acrem, acutum, acerbum, acidum, salsum; quibus addit saporem vini, lactis, & aquæ; quos à prioribus distingui putat.

Aristoteles octo species commemorat. Totidem in Timæo Plato; sed prætermisso pingui acutum addidit. Theophrastus in 6. libro de plantarum causis cum Aristotele numerauit, Cum Platone Galenus in primo lib. de simp. medic. facul. cap. 35. 36. 37. Sed Aristoteles in lib. de sensu & sensili cap. 4. affirmauit omnino totidem esse colorum & saporum species, vtrinque septem. Etenim pinguem reuocauit ad dulcẽ (Theophrasto potiùs libuit salsum ad amarum reducere). His siquis addatur alius, eum parùm omnino abesse dixit Philoponus, quin omni prorsus sapore careat; neque natura, sed remissiore aut intensiore gradu ab aliis distinguatur. Omnium iudex est gustatus, vt alio atque alio modo suum ab illis organum affici animaduertit.

Dulcis lenis est, suauis parteque exasperatas & velut erosas æquat, manifestamque habet oblectationem: minùs manifestam pinguis. Amarus detergit & molestè exasperat, atque, vt ait Plato, aliquid substantiæ colliquat. Salsus siccat & mordet. Acer vehementi calore vehementiùs mordet eroditque & incidit. Austerus seu ponticus, Auerroi stipticus, & Galeno σφοδρὸν, siccat, exasperat, contrahitque in profundum. Acerbus idem propemodum vehementiùs efficit. Acidus demum, si calorem demas, non absimilem acri operationem habet: sed & fermentationem quandam in sicco terreo facit, humidumque aqueum aëri permiscendo bullas & spumam excitat.

Dulcis ex perfecta permistione temperatoneque ficci cum humido existit. Pinguis paulò magis abundat humido. Amarus plurimum habet ficci crassi cum pauco humido. Salsus amari siccitatem cum aliquo humore temperat. Acer ex plurimo tenui ficco cum pauciſſimo humido prouenit. Acerbus ex ficco humidoque minùs benè coctis & permistis. Austerus & acidus ex plurimo humido indigesto paucoque sicco. Dulcis & pinguis ferè à temperato calore fiunt. Amarus, salsus, & acer, à vehementiore. Acidus, austerus, & acerbus, à frigore.

Maiore contentione video disputari, quinam ex his extremi sint. Vt enim in colorum genere albus & niger, & in odoribus suauis & molestus extremi

extremi censentur: sic in saporibus Galenus ac ferè medici acrem & ponticum seu austerum extremos ponunt. Quorum hominum oratio hasce ob causas vendibilis fortasse videatur. Primùm, quoniam vt albus color & niger propterea censentur extremi, quòd alter abundet luce, alter opacitate, quæ sunt colorum principia; ita sapores extremi statuendi sunt illi, quòd humore aut siccitate abundent; hæc enim saporum initia sunt. Acer autem siccitate abundat, humore ponticus & austerus. Quamquam non ita argumentatur Galenus; sed Auerrois testimonio ex qualitatibus potiùs actiuis. Acer enim calidissimus est, frigidissimus acidus: quippe ille maximo calore fit, hic ex maximo frigore nascitur; pugnantesque efficientes causæ pugnantes & extremos sapores efficiunt. Tum verò extremus ille sapor videtur esse, qui vehementer & cum molestia gustatum afficit. Hoc enim vehementis obiecti sensilis proprium dixeris: extremum enim sensile vehemens item est. Nam & album vehementer & cum molestia aspectum afficit, quia extremus est color: contrà viridis, quia delectat maximè, iudicatur medius. Quare cùm sapor dulcis gustatum maximè oblectet, lædant autem acer & austerus; ille potiùs credendus est esse medius, hi extremi. Denique medius est sapor, per quem ab vno extremo ad extremum alterum fit motus; illi verò extremi fuerint, inter quos versatur motus. At acerbum saporem immediatè in dulcem mutari cognoscimus in vua, & fructibus cæteris, dum maturantur: deinde à dulci mutatio fit in acrem, si dulcis vua coquatur; dulcis igitur sapor medius est, acer & acerbus seu ponticus extremi.

Verùm subtilius omnino philosophandum est: neque ex actiuis, sed ex passiuis qualitatibus, quarum permistione gignuntur, natura saporum iudicanda. Neque enim vt hoc loco argumentatur Auerroës, cum actiuis necessariò connexi sapores sunt: sed ab eisdem qualitatibus diuersi & contrarij oriri possunt: quod & in coloribus obseruatur. Neque contrarij sapores essent dulcis & amarus; cùm dulcis non ex summo, sed moderato calore nascatur: sed acer magis & acidus; ille summè calidus, hic summè frigidus: quorum tamen vterque sensui benè habenti molestus est. Amarus verò plantarum sapor, dum mutatur ad dulcem, nonne per alios sapores medios transit? Sanè sensus dulcem & amarum summopere contrarios & pugnantes esse iudicat. Verùm dum medici non absolutè & per se, sed humani corporis comparatione calidum, & frigidum cæteraque qualitates considerant, minùs ab accurato philosopho, qui cuiusque naturam quærit, audiendi sunt. Passiuæ autem qualitates, humidum & siccum, duobus modis spectari possunt: aut materialiter, eorum solùm excessum vel defectum intuendo: aut formaliter, vt permistæ perfectum aut imperfectum temperamentum faciunt. Medici materialiter solùm considerantes, sapores extremos fecerunt acrem & acidum; quòd in altero plurimùm abundet siccum, in altero humidum. Præsertim cùm qualitates item actiuas respicientes, alterum à summo calore, alterum ab extremo frigore nasci viderent. Accessit singulorum saporum operatio. Acer enim calidissimus est & siccissimus, plurimumque calefacit & siccat; vt obserues in pipere: acidus contrà frigidissimus & humidissimus; vt in aceto sentimus. At hæc extra propriam saporum naturam sunt, atque ad primas qualitates illis adiunctas pertinent: neque ad gustatum vt gustatus est, sed vt quidam tactus, qui per eas perficitur qualitates.

Prima qualitates duobus modis spectantur.

Peripatetici sapientiùs multò propriam saporum naturam accuratè & formaliter ponderantes dulcem & amarum extremos posuerunt. Saporis namque natura in sicci cum humido permistione versatur: dulcis autem ex perfectissima qualitatum harum temperatione existit, Amarus ex intemperie summa; quia cùm plus æquo abundet siccum crassum, pessimè propter crassitudinem cum pauco humido permiscetur. Propterea amarum potiùs, quàm acrem aut acidum, opponimus dulci. Quoniam etsi acer quoque plurimum habeat sicci cum pauco humido, aciduque humidi plurimum cum pauco sicco; tenue tamen est saporis acris siccum, facileque miscetur; siccum amari propter crassitudinem misceri non potest. Humidum quoque facilius miscetur, quàm siccum, præsertim si crassum sit: quare cùm in acido sit multum humidi, melior, quàm in amaro, permistio fit; amaruque potiùs opponitur dulci.

Dulcis sapor. Amarus.

Actiuus.

Itaque non eadem est coloris & saporis ratio. Cùm enim color participatio sit lucis & perspicui in opaco, extremi colores ex maxima aut minima participatione iudicantur. Sapor autem ex sicci cum humido permistione oritur, saporumque differentiæ ex perfecta vel imperfecta mistione spectantur. Neque mirum, si colores extremi lædant sensum, dulcisque sapor delectet. Etenim color extremaque cætera obiecta ex extremis causis, album ex summa luce, nigrum ex plurima opacitate, extremus sonus ex percussione extrema; propterea que non delectant, sed offendunt. At sapor dulcis delectat, quòd ex mediocritate summaque suorum principiorum temperie nascatur: sed contrarius illi amarus offendit quia oritur ex intemperie.

Saporũ & colorum differẽtiæ.

Propositio autem illa, Ab extremo ad extremum non fit transitus sine medio, de locali motu intelligenda est: aut etiam de intensione & remissione qualitatum eiusdem speciei. In iis autem, quæ specie differunt, nullumque habent ordinem, sed vnumquodque immediatè produci potest; nullum habet locum. Immediatè enim vnusquisque sapor ex sicci cum humido permistione fieri potest: & ideò præter dulcem & amarum sapores cæteri non dicuntur medij, nisi per similitudinem, quare ex accidenti est, si per illos fiat motus. Nam & dum ex dulci fit amarum, fiet priùs salsum, acre, vel aliquo alio sapore sapidum: quare hoc ipso argumento probari posset dulce & amarum esse extrema.

Motus ab extremo ad extremum.

Quod optimè Peripatetici saporum compositionem ex passiuis qualitatibus spectantes constituerunt. Nam si eos consideremus per ordinem ad actionem propriam & mutationem, quam gustatui adferunt; nullæ sunt tam inter se diuersæ ac dissitæ mutationes, quàm dulcis & amari mutatio; quorum alter delectatione summa, alter maxima molestia afficit. Quare si qualitas quæque ex proprio & formali actu iudicanda est; relinquitur statim, hos duos esse extremos sapores. Addo etiam id ita esse, si sapores considerentur

per se vt qualitates quædam sunt: tum ex communi loquendi & concipiendi modo: tum quia hi duo notissimi omnium sunt: extrema autem vt simplicia, & quæ maximè sensum afficiunt, notissima semper sunt: tum quia mensura sunt cæterorum saporum, quos ex distantia vel propinquitate ad illos mensuramus: Tum quia cùm qualitatis natura ex propria eius actione maximè cognoscatur, amari & dulcis actiones plurimùm diuersæ sunt.

Dulcis & amaritis vt aliorum principia.

Quocirca mirum non est, si hi duo ipsi sapores ab eisdem Peripateticis elementa & principia cæterorum dicantur. Primùm enim extremi sunt, extremaque sunt quasi principia mediorum. Deinde mensura illorum sunt, quos per similitudinem quandam & proportionem ad illos iudicamus & distinguimus; quemadmodum & colores omnes comparatione albi & nigri. Et meritò Theophrastus dulcem dixit esse cæterorum exemplar. Est enim maximè temperatus, gustatusque qui in quadam mediocritate qualitatum consistit, eo plurimùm delectatur. Voluit etiam eum esse principium saporum; quia est boni alimenti principium, cùm omnia nutriantur dulci: sicut amarus principium est alimenti mali, & cæteri sapores medij principia mediorum alimentorum sunt. Sunt igitur principia per similitudinem, sicut & album & nigrum colorum principia dicuntur. propriè autem non sunt; quia nec materialia principia sunt, nec formalia, nec efficientia, nec finalia.

An medij sapores ex extremis componantur.

Postremò de his saporibus disputatur, an sapores medij qualitates sint re ipsa tales sua natura, an solùm apparentes ex dulcis & amari permistione. Sed facilis solutio est. Nam si naturales sapores sint atque ex naturalibus causis profecti quæ sunt siccitas cum humido à calore permista; sunt re ipsa tales, specieque distinguuntur, tum inter se, tum ab extremis. Sin autem sint arte facti; vt per culinariam plurimi sola plurimorũ corporum sapidorum coniunctione; ij sanè coloribus respondent, qui à pictoribus miscentur; neque specie ab aliis differunt.

TEXTVS.

Ὥστε τὸ γευστικόν ἐστι, τὸ δυνάμει τοιοῦτον· γευστὸν δέ, τὸ πεπτικὸν ἐντελεχείᾳ αὐτῶ.

Quare gustatiuum est, quod potestate huiusmodi. gustabile autem, quod potest ipsum facere actu.

COMMENTARIVS CLII.

His verbis tota gustatus consideratio concluditur. Sed dum gustatiuum dicitur esse potestate id quod est actu gustabile, atque à gustabili fieri actu: gustatiuum Philoponus intelligit facultatem ipsam gustandi: vt postquàm de obiecto actum est, ex illo facultatis cognitio colligatur. Sic enim initio positum est, ex obiectis facultates cognoscendas esse. Themistius autem organum potiùs interpretatur. Cum enim hoc paulò ante dixisset non debere esse humidum actu, sicut est sapor gustabilis, sed potestate duntaxat: postquàm saporis speciem distinxit, postulabat doctrinæ ratio, vt doceretur, à quonam organum illud à potestate ad actum traduceretur.

Ego verò Aristotelem puto vtrumque spectasse; quod Alexander quoque & Simplicius visi sunt iudicare. Nam vtrumque est potestate; organum, vt à saporibus humectetur illoque suscipiat: facultas, vt sensionis actum producat & tanquam obiecti formam recipiat. Et vtrumque à gustabili reducitur ad actum, sitque tale actu, quale est ipsum gustabile. Sanè gustatiuum, tum organum significat, tum facultatem. Siquidem sensus omnis facultas est cum organo coniuncta, nec sine illo operatur. Et vt de oculo dicebatur in tex. 9. & 10. eum esse coniunctum quidpiam ex pupilla & aspectu; sic gustatiuum ex lingua & gustatu tanquam organo & facultate compositum significat.

DE TACTV.

CAP. II.

TEXTVS.

Περὶ δὲ τῆς ἁπτῆς ἢ ἁφῆς ὁ αὐτὸς λόγος· εἰ γὰρ ἀφὴ μία τῶν αἰσθήσεων, ἀλλὰ πλείους, αἰσθητήριον ἢ τὸ ἁπτὸν αἰσθητὰ εἶναι. ἔχει δ' ἀπορίαν, πότερον πλείους εἰσὶν, ἢ μία. καὶ τί τὸ αἰσθητήριον τὸ τῆς ἁπτῆς ἁπτικὸν, πότερον ἡ σὰρξ ἢ ἔστι τοῖς ἄλλοις τὸ μεταξύ, ἢ οὔ· ἀλλὰ ταῦτα, μᾶλλον ἴσως τὸ μεταξὺ τὸ δὲ πρῶτον αἰσθητήριον ἄλλό τι ἔστιν ἐντός· ποιόν τι γὰρ διάστασις, μιᾶς ἐναντιώσεως εἶναι δοκεῖ, οἷον ὑγρὸν, λευκοῦ ἢ μέλανος· καὶ ἢ ἀκοὴ, ὀξέος καὶ βαρέος· καὶ γεῦσις, πικροῦ καὶ γλυκέος· ἐπὶ δὲ τῶν ἁπτῶν πολλαὶ εἰσὶν ἐναντιώσεις, θερμὸν ψυχρὸν, ξηρὸν ὑγρὸν, σκληρὸν μαλακὸν, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τοιαῦτα.

De tactili autem & tactu eadem ratio. Si enim tactus non vnus est sensus, sed plures; necessarium & tactilia non plura sensilia esse. habet autem dubitationem, vtrum plures sint, an vnus.

Et quòd sensorium tactilis tactiuum; vtrum caro & quod in aliis proportione respondet, an non: sed hoc quidem medium, primum autem sensorium aliud quiddam est intus. Omnis etenim sensus vnius contrarietatis esse videtur; vt aspectus albi & nigri, & auditus grauis & acuti, & gustatus amari & dulcis. In tactili autem multæ insunt contrarietates; calidum, frigidum; humidum, siccum; durum, molle; & aliorum quæcunque eiusmodi.

COMMENTARIVS CLIII.

ITa tactus tractationem aggreditur, vt apertis omnino verbis confirmet id, quod antea dictis propterea hunc sensum in vltimum locum fuisse reiectum, quòd omnium difficillima & obscurissima esset illius cognitio; ad quam ex aliorum sensuum antecedẽti cognitione oportet nos quoquo modo introduci. Nam propterea statim de tactili tactuque eodem modo dicendum proposuit, quo de cæteris dictum est. Nimirum obscurissima hæc cognitio ex antecedenti iuuabitur. quia tactile eodem modo se habet ad tactum, quo se habent obiecta cætera sensilia ad eos sensus, quorum obiecta sunt: & ideò ex obiecto tactili tangentis facultatis cognitionem quærendam esse. Hoc autem principio

principio posito, difficiles duas & obscuras planè quæstiones huius sensus proprias subiunxit; quæ nisi explicentur, prorsus non potest huius sensus natura cognosci. Itaque siue dignitatem & nobilitatem spectes, siue doctrinæ & cognitionis facilitatem; magis omnino probandum est Aristotelis consilium, qui infimum & obscurissimum sensum in postremum reiecit locum; quàm Auicennæ, qui propterea voluit esse primum, quòd primus animalibus omnibus insit, & sine aliis esse possit. Etsi enim hæc Auicennæ methodus, qua in rebus cognoscendis naturæ in illis producendis ordinem sequimur; tunc probanda sit, quando ea, quæ priora sunt, faciliorem quoque habent cognitionem: & ideò Aristoteles ipse de vegetantibus antea facultatibus egit, quàm de sentientibus differeret; deque his prius, quàm de intelligentibus: in disciplinis tamen tradendis facilitatis potiùs & doctrinę ratio habenda est; quam ob causam in sensibus explicandis mutare ordinem coactus est Aristoteles.

Duæ igitur quæstiones, quas in primo huius considerationis ingressu proponit, hæ sunt. Prima, an tactus sit vnus sensus, an plures. Altera, quodnam sit illius organum. Quæ nisi antea explicentur, nihil de tactu dici potest. Certè cùm facultates ex obiectis constituantur & distinguantur; vt facultas sit vna, obiectum vnum esse oportet. Quæcumque igitur ad vnam facultatem pertinent, ad vnam primam contrarietatem reuocari debent, vt sub vno obiecto contineantur. Et quidem in cæteris sensibus ita res habet. Nam in aspectu vna est prima contrarietas albi & nigri, in auditu acuti & grauis, in odoratu suauis & ingrati, in gustatu dulcis & amari: ad quas colores omnes, soni, odores, & sapores, reducuntur; & ideò in vnoquoque genere vnum existit obiectum, quo facultas vna constituitur. Odoratum tamen Aristoteles non nominauit; siue quòd is, vt ait Philoponus, obscurus in nobis sit, nec satis obiecti sui differentias diiudicet: siue potiùs quòd in tex. 95. odorum differentias dixerit saporum differentias sequi. At in qualitatibus tactilibus nulla est; sed plurimæ sunt contrarietates, calidum & frigidum, humidum & siccum, durum & molle, graue & leue, asperum & lene, acutum & obtusum, tenue & crassum, friabile & tenax. Quarum etsi complures aliæ reducantur ad alias, vt in posteriore libro de ortu & interitu traditum est: duæ tamen sunt æquè primæ, calor & frigus, humor & siccitas; quarum altera ad alteram non reuocatur. Ergò duæ circa illas videntur esse tangentes facultates. Quippe de tactili & tactu eadem, quæ in cæteris sensibus, ratio: & vbique obiectum & sensus vicissim sibi respondent, eodemque modo se habent. Quoniam vnusquisque per suum obiectum constituitur: & si vnum est obiectum, vna est facultas; si plura obiecta, plures quoque facultates. Quocirca in tex. 106. argumẽtatio nulla continetur, sed prioris dubitationis propositio; An cùm eodem modo se se habeant tactile & tactus, quo in cæteris sensibus se habent obiectum & facultas, tactus sit vnus sensus, an plures, qui circa plura item tactilia obiecta versentur.

De vnitate tactus.

Deinde in tex. 107. proponitur altera difficultas; Quodnam sit organum tactus; num caro in iis animalibus, in quibus carnem propriè nominamus; & in aliis id, quod carni proportione respondet, etsi propriè caro non sit; vt in piscibus, in insectis, & exanguibus omnibus: an verò caro sit velut medium, internum tamen & in ipso animali insitum; sicut aër & aqua sunt externum medium in aspectu, auditu, & odoratu: primum autem tangendi organum sit aliud quidpiam intus & magis reconditum; vt in aspectu pupilla, in auditu membrana interior, in odoratu mammillares processus. Porrò hæc posterior dubitatio maximè cum priori cohæret. Si enim caro aut omnino vnum sit organum, argumento erit vnum esse tactum: quoniam vnum organum vnius est facultatis. Contrà si multiplex organum, multiplicem item fortasse facultatem coniectare licebit.

Quod organũ tactus.

Vtraque autem dubitatione proposita, argumentum subiungit, quo ex multiplici obiecto sensus plures persuaderi videntur. Aut interpretari possumus, Primùm velut propositionem totius huiusce ratiocinationis proponi in tex. 106. cùm eodem modo se habeant facultas & obiectum, si plura fuerint tactilia obiecta, plures quoque videntur debere esse tactus. Deinde altera quoque dubitatione interposita in tex. 107. de huius ipsius sensus organo, assumptionem subiungi; sed obiecta sunt plura, quoniam plures sunt contrarietates: atque ita concludi, plures esse tactus. Quamquam dum ego in hac postrema orationis parte integram argumentationem reperio; omnis sensus est vnius contrarietatis; sed tactus plurium est, non vnius; non est igitur vnus sensus, sed plures; priorem interpretationem libentius amplector.

Verùm apertior omnino fuerit oratio, si cum Philopono priorem verborum ordinem ita mutemus: De tactili & tactu eadem ratio est. Sed dubitationem habet, vtrum sint plures, an vnus. Si enim plura sint tactilia obiecta, necesse est plures quoque tactus esse. Plura autem obiecta esse videntur, quia plures sunt contrarietates. Atque hæc est prima dubitatio.

TEXTVS.

Ἔχει δέ τινα λύσιν πρὸς γεγραμμένα πλὴν ἀπορείαν, ὅτι ἡ ὄπτη τῶν ἀφῶν ἀδιάστατόν ἐστιν ἐναντιώσεις πλείους, οἷον ἐν φωνῇ οὐ μόνον ὀξύτης καὶ βαρύτης, ἀλλὰ καὶ μέγεθος καὶ μικρότης, καὶ λειότης καὶ τραχύτης φωνῆς, καὶ τοιαῦτ' ἕτερα. ἐοικὸς δὲ καὶ περὶ χρῶμα διαφοράς τοιαύτας ἔτεραι.

Habet autem solutionem quandam ad hanc dubitationem. Quòd & in aliis sensibus sunt contrarietates plures, vt in voce non solùm acumen & grauitas, sed & magnitudo & paruitas, & lenitas, & asperitas vocis, & huiusmodi alia. Sunt autem & circa colorem differentiæ huiusmodi aliæ. Tex. 108.

COMMENTARIVS CLIIII.

Difficilius est Aristotelis mentem & sententiam in hoc sensu tactus assequi, quàm in cæteris. vt enim res erat obscurior & magis perplexa, ita dum in re dubia diuersis hinc inde dubitationibus ac rationibus ea, qua solet breuitate, propositis veritatem inuestigat, ægrius nobis est quid tandem senserit definire.

Postquã igitur argumentationẽ illam proposuit, qua ex multiplici contrarietate multiplicitas tactus cõcluditur; eã infirmare atque diluere aggreditur. Nam cæteri quoq; sensus, quos vnicos & singulares esse constat, circa plures contrarietates versantur; vt auditus circa acutum & graue, magnum & paruum, lene & asperum, & huiusmodi alia, quæ in sono & voce (vocem. n. pro sono communi auditus obiecto, speciem pro genere, nominauit) considerantur. Quippe non solùm vox acuta dicitur aut grauis, sed magna quoque aut parua, lenis aut aspera. Suntque hæ omnes differentiæ inter se non parùm diuersæ; sicut & diuersas habent causas, amplitudinem aut angustiam arteriæ, asperitatem aut lenitatem illius, vehementemque aut languidum impulsum. Si. n. ampla sit arteria, vt multus per eam simul aër moueatur, vox grauis efficitur; accuta, si angusta. Si vehemens sit aëris impulsus, magna editur vox; parua, si languidus & debilis. Ac demum si arteria fuerit asperior & inæqualis, asperam quoque faciet vocem; lenem, si lenis. Itaque priorem superioris argumentationis propositionẽ negat; Vnum scilicet sensum vnius cõtrarietatis esse: manifestam adferens aliorum sensuum instantiam; qui etsi circa plures contrarietates versentur, non propterea tamen multiplicantur.

Vocis diuersitas vnde.

An vnus sensus vnius contrarietatis.

Verùm hæc responsio probabilis est & apparens, non certa & necessaria; &, vt Themistius ex interprete loquitur, non proba & seria, sed phalerata & verisimilis. Quoniam si de obiectis propriis sit sermo; vt ex illis totam suam naturam & distinctionem habent facultates, ita certum est in vno obiecto vnaque facultate non nisi vnam esse contrarietatem. quoniam si plures essent, quæ ad vnam reuocari non possent, eæ ad plura obiecta genere diuersa, & ideò ad plures facultates, pertinerent. Quòd si de communibus obiectis loquamur, tunc sane contrarietates plures vno sensu comprehendi possunt: sed obiecta communia in constituendis facultatibus & distinguendis nullam vim habent: cumque vnus sensus vnius dicitur esse contrarietatis, de propriis, non de cõmunibus obiectis est sermo. Magnum autem & paruum aut communia sensilia sunt, vt inquiunt Alexander, & Themistius; aut impropriè nominantur in voce, vt Philoponus & Simplicius ad tex. 64. & rursum hoc loco affirmant.

Vox vt magna aut parua.

Quod enim sensile commune est & propriè nominatur; illud est, quod coniunctam quantitatem significat. In voce autem vehemens potiùs & exile dicũtur, quę intensionem quandam & remissionem vocis ostendunt: neque sunt auditus obiecta per se sensilia, aut obiecti species, quemadmodum sunt contrarietates eæ, quæ nominantur in tactu; sed velut modi ipsius vocis per se sensilis, sicut intensio & remissio in calore & frigore cæterisque similibus qualitatibus. Certè cùm vox & sonus quilibet ex motu & collisione aëris fiant, duplex in eo magnitudo & paruitas reperietur; quarum vtraque quantitatem significat. Altera est parmanens, aëris moti, qui magnus est aut paruus. Altera successiua, durationis illius motus, qui fit in aëre: quæ duratio tempus quoddam est. Sed harum neutra est ea, de qua nunc sermo. Tum quia neutra est audibilis; tũ quia neutra in sono & voce consideratur, quatenus eiusmodi sunt; sed aut ad materiam pertinent, ex qua fiunt; aut ad motum, quo efficiuntur. Magnitudo autem aut paruitas, quæ nunc spectatur in sono tanquam illius propria, est velut priorum effectus & tanquam modus soni, quo vehementer aut exilites mouere auditum potest: sicut intensum & remissum in qualitatibus cæteris; nec in tactilibus modò, sed & in colore, luce, odore, sapore. Has. n. omnes qualitates (etsi Philoponus secus senserit) magnas aut paruas dicimus, & magnum colorem aut lumen, & odorem magnum aut saporem, & item paruum nominamus; intensionem solam aut remissionem significantes. Quare. vt hæc in cæteris, cùm per se non sentiantur, sed velut sensilium qualitatum modi; neque propriæ, sed communes differentiæ sint; inter sensiles contrarietates non numerantur: Ita neque vehemens & exile, seu magnum & paruum in sono numerare oportet. De aspero & leni idem existimandum. Quamquam vt ait Themistius, hæc aut translatione à tactilibus nominantur in voce, aut differentiæ sunt figuræ, quæ sensile commune est & voci quoquomodò conuenit propter aërem, qui in ea elidenda percutitur. At in tactu plures sunt contrarietates, calidi & frigidi, humidi & sicci; quæ communia sensilia non sunt, sed propria.

Aliud & vera.

Quod autem additur (sunt autem & circa colorem differentiæ huiusmodi aliæ) duobus modis interpretari possumus. Aut colorem propriè intelligentes; in eoque easdem illas differentias, magni & parui, asperi & lenis, quas in voce nominauit. Nam color magnopere fulgens, inquit Simplicius, vt color auri & argenti, aut quicumque citiùs & vehementiùs sensum mouens, magnus appellatur: contrà paruus, qui maiori eget lumine vt videatur, omninoque debilius & obscuriùs mouet; vt color plumbi: Et rursum lenis is, qui aspectu iucundus sit & delectabilis: asper, qui ingratus & molestus. Aut quoniam non has easdem, sed huiusmodi alias differentias dixit; colorem ampliori significatione accipientes, quatenus lumen quoque & aspectabile omne comprehendit; ac præter albi & nigri differentiam, lucis, coloris, & tertij generis innominati, quod in tenebris solum aspicitur, differentiam commemorantes; & rursum aspectabile & inaspectabile, quæ antea proposita sunt; & id genus alia.

Hæc igitur est superioris argumentationis solutio, quæ hoc loco adfertur à Philosopho: quæ vt dixi, probabilis est, non necessaria; apparens non vera. Et ideò non absolutè solutionem; sed solutionem quandam appellauit. Quoniam etsi plures in cæteris sensibus contrarietates esse videantur, vnica tamen est vera, reliquæ generales differentiæ & communes modi obiectorum omnium, qui non per se, sed simul cum obiectis propriis sentiuntur. At in tactu verè sunt plures contrarietates quæ obiectum tactile plures in partes distrahunt, singulæque per se sensiles sunt. Itaque omnino veget argumentatio illa proposita.

Duplex in voce magnitudo & quantitas.

Simplicius tamen optimam & verissimam solutionem esse contendit; prorsusque affirmat intimatam fuisse propositionem illam; Vnus sensus circa vnam contrarietatem versatur. Quare solutionem quandam dictam fuisse interpretatur, quasi illius solùm argumentationis, quæ ex pluribus contrarietatibus fuit proposita. Alteram enim, inquit, iam proponet ex obiecti vnitate desumptam, cui solutio ea non occurrit. Qua in re non solùm Alexandro & Themistio contradicit, sed & Aristoteli & sibi ipsi. Etenim is in tex. 50. & 56. lib. 1. Phys. simul cum Arist. fatetur in vno genere vnicam esse contrarietatem primam, ad quam cæteræ omnes reducuntur. Huncautẽ in vno sensilis ob-

iecti

iecti genere contrarietates plures reperiri contendit. Deinde, quòd argumẽtationes duas distinguit, A commune quidem illi est cum Philopono; sed minùs verum. Quoniam duæ illæ argumentationes, quæ ab ipsis proponuntur; altera, quia vnus sensus vnius contrarietatis est; altera, quia vnus sensus circa vnum obiecti genus est, tantumdem omninovalent. Siquidem, vt Arist. tradidit, in vno genere vna est prima contrarietas: perindeque est; siue ab vnitate cõtrarietatis, siue ab vnitate generis argumentari; & eadem est vtriusque argumentationis solutio. Neque satis mirari Simpliciũ possum, qui tactũ concedens esse circa plures contrarietates primas, eundẽ dicat circa vnũ obiecti genus versari. Quod igitur attinet ad postrema huius contextus verba. B

TEXTVS.

Αλλὰ τί ἰδ ὑποκείμενον, ὥσπερ ἀκοῇ ψόφος, οὐπω δῆλον.

At quid sit subiectum, sicut auditui sonus, sic tactui, non est manifestum.

COMMENTARIVS CLV.

C

ALteram illi argumentationem proponi affirmãt; qua priori infirmata rursum ostendatur tactum non esse vnum sensum; quoniam non habet vnum obiectum, sicut habent auditus, ac cęteri sensus. Nam in auditu est sonus, vnum obiectũ in aspectu color, in odoratu odor, in gustatu sapor. At in tactu, etsi tactile nominari possit, hoc tamen nõ est subiecti vllius, & naturæ nomen, sed per habitudinem ad sensum dicitur; sicut audibile, aspectabile, odorabile, gustabile. Verùm dubitationem hanc, ait Simplicius, non ex rerum natura, sed ex ignoratione nostra insurgere; quibus commune illud obiectum minùs perspectum est, nec satis illud nominare possumus. Et ideò non fuisse dictum, non esse vnum, sed non esse manifestum.

Multò autem verius Alex. & Themist. nullam in his verbis argumentationem agnouerunt; sed potiùs velut antea propositæ dubitationis conclusionem. Quasi diceret; siue vnius, siue plurium contrarietatum sit vnus sensus, certè in tactu non satis perspectum est, an illius obiectum sit vna aliqua natura; vt in auditu sonus, & in cæteris color, odor, sapor; an plures. Neque enim vnum commune obiectum nominari posse videtur. Et quamuis argumentatio illa proposita de multiplici in tactu contrarietate solui posse videatur eo, quo dictum est, E modo: remanet tamen adhuc difficultas, vt intelligatur, quo modo hic sensus sit vnus; si quidem in eo vnum obiectum, ad quod omnes illæ contrarietates pertineant, non ita apparet, neque tam facilè, vt in cæteris sensibus, nominari potest. Nam si in his quoque plures contrarietates proponãtur; omnes tamen in vno obiecto considerantur, ex quo illorum vnitas petitur. At in tactu nihil apparet vnũ, quod huic sensui vnitatem tribuat.

Hæc quidem videtur esse horum verborum sententia. Sed mihi venit in mentem opinari, Aristotelem postquam priori argumẽtatione dubitauit, an tactus sit plures sensus, eiusq; argumẽtationis probabilem, & apparentem solutionem respondit; voluisse quoque contra argumentari, aut solutionẽ illam confirmando, aut propositam dubitationẽ pro vtraque parte disputando; vt ita veritatẽ faciliùs inueniret; aut potiùs quid omnino sentiendũ sit, indicando. Quare vt ex multiplici contrarietate tactum esse multiplicem facultatem probauerat; ita ex obiecti vnitate vnã esse affirmauit. Vt. n. in auditu vnum est obiectum, sonus, in quo plures illæ cõmemoratæ contrarietates considerantur; & in aliis itẽ sensibus; indeque suam illi vnitatẽ habent: sic in tactu vnũ est obiectum: vna igitur facultas, sed hoc solùm est discrepantiæ, quòd in cæteris obiectũ illud vnũ manifestum est, & facilè nominatur, in tactu non item.

Cuius interpretationis occasionẽ quidẽ mihi dedit Auerroës; qui Philosophũ dixit, postquàm proposuit dubitationem probantẽ tactus pluritatẽ, incepisse excitare modum debilitatis eius, hoc est dubitationem illam argumẽtatione contraria infirmare. Verùm post ratio ipsa confirmauit. Cùm. n. initiò dictum fuisset dubitationem haberẽ, an tactus plures sint, an vnus; quemadmodum proposita est argumentatio; ex pluribus cõtrarietatibus, ad suadẽdum plures esse tactus; sic argumẽtatio altera subiungenda fuit, qua vnũ esse concluderetur. Et verò est hæc, quæ ex obiecti vnitate ducitur. Quamquã hoc vnũ tactus obiectum non ita manifestũ est, vt in cæteris sensibus, hoc est non æquè omnibus notũ; nec quod tam facilè, quàm in cæteris, nominari possit.

Digressio LV. *Quatenus vnum sit obiectum tactus.*

PRopterea laborarunt non parùm interpretes, vt obiectum hoc vnum nominarent. Et Atticos refert Philoponus nominasse τὸ ἀντίτυπον. i. quòd resistit, seu renititur. Resistens autem seu renitens eos appellasse, non id, quod durũ est, & contrarium molli; sed omne corpus naturale, quod attingi potest, tactumque terminare: Ad differentiam Mathematicorum corporum, quæ tactui non occurrunt, sed in imaginatione, & mente versantur.

At non ineptè obiicit Philoponus caloris, & frigoris tactum non fieri per impulsum, & occursũ: neque à Mathematicis corporibus distingui solùm naturalia, quòd tangãtur; sed etiam quòd reliquis percipiãtur sensibus: Eamque tactilis notionẽ reliquorum quoque sensuum obiecta compræhendere: ac demum Aristotelem non quærere subiectũ, sed genus vnum, quod & in vnam primam oppositionem diuidatur, vt cætera genera, & tactilia omnia sub se contineat tanquàm superius inferiora.

Sed respondere illi potuisset, se ἀντίτυπον ita appellare id, quod tactu sentitur, ad differentiam Mathematicorum corporum, sicut naturalis tactus dicitur ad differentiam tactus Mathematici: atque ita calor quoque & frigus cõpræhenduntur. Deinde corpus quidem naturale cæteris sensibus sentiri, sed quatenus ἀντίτυπον, hoc est tactui occurrens est, solo sentiri tactui: sicut quatenus aspectabile est, aspectu solo percipitur; eodemque modo in cæteris sẽsibus. Denique, se non subiectum, sed genus attributũ nominasse, illudque in vnam primã oppositionem diuidi; sed plurimarũ rerum differentias ignotas nobis esse, nec nominari posse.

Illud potiùs fuit illis obiiciendũ, eos dum ita nominant, non nominare qualitatẽ ipsum, rẽ naturam, & obiectum tactile; sed habitudinẽ solã ad sensum; quemadmodũ Aristoteles tactile nominauerat aspectabile, &c. Rem autem ipsam, quæ tactilis est, ipse immanifestam esse affirmauit, nec illi vlla ex parte aperuerunt.

Simplicius quoque parùm appositè cõmune illud genus appellauit corporum, quatenus corpora sunt, determinatiuũ. Etenim corporũ determinatio aut quoad substantiam consideratur, aut quoad accidentia. Quoad substãtiam id, quod determinat, est substantiæ forma cuiusque propria: quoad quantitatem, figura: quoad accidentia reliqua qualitates omnes, nõ tactiles modò, sed aliorũ etiam sensuum. Deinde vnitas ea generis quæritur, qua vnus sensus constituì possit, hoc est quæ vnius rationis sit, & ad vnam facultatem pertinere queat. Hæc neque eiusmodi est, neque ad tactũ vniuersè, & per se refertur.

Satius igitur est cum Aristotele fateri, hoc vnũ genus obiectum tactus non satis manifestũ nobis esse, nec posse vna voce nominari. Verè tamen vnum est, pluribusque vocibus explicatur. Etenim sẽsilia omnia obiecta qualitates tertij generis sunt. Tertiũ autem illud genus naturam vnã significat, quã alio modo nominare nõ licet, quàm patibilem, aut sensilem qualitatem: quæ appellatio per habitudinem ad sensum dicitur. Porrò illud genus in diuersas diuiditur species, quæ ad singulos sensus pertinent. In quibus aliquæ sunt, quas tum in genere, tum in specie nominamus: aliæ in specie quidem propriũ nomen habent at in genere nõ habent, nisi deflexũ à sensu, ad quem pertinent. Eiusmodi sunt qualitates tactiles. Neque hæ solùm, sed illæ quoque, quæ ad aspectum pertinent. Non solùm. n. aspectus colorẽ percipit, sed & lumen, & tertium illud genus, quod inuominatũ esse dicebatur. Quibus nulla est alia cõmunis vox, nil aspectabile, quæ per ordinem ad sensum dicitur. Nam etsi Philoponus colore dixerit reliqua quoque cõprehendi, & hoc cõmune esse, splendidum colorem. Et Simplicius lumẽ, quia ipsemet color est tanquam aspectabile quoddam lumen. Atque horũ vtrumque verum sit, præsertim cùm & color participatione luminis fiat, & lumen sit tanquam perspicui color, vt est in textu 69. Si tamen attentiùs consideres, neutram appellationem videbis communem vnam naturam significare. Sed dum splendidus color dicitur, non vnum aliquid, sed duo proponuntur, color, & splendor. Dum autem lumen profertur, solum lumen indicatur: & si color quoque eodem hoc nomine intelligatur, minùs propriè & quasi per participationem intelligitur. Genus autem & vnam naturam, & æquè primò speciebus omnibus communem significat. Sanè Alexander non solùm tactui, sed aspectui quoque conuenire affirmauit, vt eorum obiectum communi vno nomine contineri non possit.

TEXTVS.

Tex. 109. Πότερον δ' ὅτι τὸ αἰσθητήριον ἐντός, ἢ ὃ, ἀλλ' εὐθὺς ἡ σάρξ, οὐδὲν δοκεῖ σημεῖον εἶναι, τὸ γίγνεσθαι τὴν αἴσθησιν ἅμα διῃρημένων. ἢ γὰρ εἴ τις περὶ τὴν ἀρχὴν ὀπτήσειεν, οἷον ὑμένα ποιήσας, ὁμοίως τὴν αἴσθησιν εὐθέως ἀναλάμψας ἂν ἐσημαίνοι καὶ τὴν ὄψιν, ὥστε ἐπεὶ ἔστιν οὕτω τὸ αἰσθητήριον· εἰ δὲ καὶ συμφυὲς ἦν ἐξ ἀρχῆς, διῆκεν ἂν ἡ αἴσθησις.

Num autem sit sensorium intus, an non sed protinùs cauo, nullum videtur signum esse, quod fiat sensus simul atque res tanguntur. Etenim si quis circa carnem extẽderit, vt pelliculam cùm fecerit, similiter sensum protinùs cùm tetigerit, indicabit. Et tamen constat, quòd non est in hoc sensorium. Si autem & congenitum fuerit, citius adhuc pertinget vtique sensus.

COMMENTARIVS CXLVI.

IN tota hac disputatione credidit Philoponus hypotheticam quandam ratiocinationem contineri vnitatem tactus persuadentem. Si organum tactus est vnum, necesse est tactum quoque esse vnum (vnius enim sensus vnum est organum, & contra) Atqui organum est vnum, nempe caro: tactus igitur vnus est sensus. Quæ quidem ratiocinatio in Aristotelis verbis aperte non inuenitur, sed potestate, inquit ille, continetur, dum & assumptio, & connexum illius confutantur. Hocigitur loco assumptionem illam dixit refelli, probatque carnem non esse organum tactus.

Verùm extorta nimis est interpretatio. Melius omnino Alexander, Themistius, & Simplicius eum iudicarunt post priorem de vnitate tactus dubitationem propositam, ad posteriorem accedere, quæ organum illius quærebat, An sit caro, An aliquid intùs. Quod vel ipsum huius orationis initium aperte testatur. Quod non solùm nouam quæstionem proponit, sed totidem etiam planè verbis eam repetit, quæ in tex. 107. secunda fuit posita. Hanc porrò dixit Simplicius hoc loco fuisse acceptam, antequàm prior de tactus vnitate omnino dissolueretur, vt priorem illam augeret, eam diluendo rationem, quæ ex organi, scilicet carnis, vnitate vnum esse tactum probare potuisset. Quòd si caro non sit organum, magis adhuc erit dubium, an tactus sit vnus, an plures, cùm reliquatur incertum, quodnã eius organum sit, vnumne, an plura. Et quamuis vnum esset, non tamen continuò constaret tactum esse vnum: quoniam vnum posse esse plurium sensuum organum, testatur lingua, quæ gustatus, & tactus organum est.

Huius igitur sensus organum esse carnem, reipsa comprobari videbatur. Nam ea statim atque fuerit tacta sentit. Quòd si esset medium, tempore opus esset, quo per medium illud tactilis qualitas ad interius organum pénetraret. Hoc enim in cæteris sensibus euenit. Quoniam soni, & odores propterea non statim, sed aliquo interiecto tempore sentiuntur. Quare vt Aristoteles probet, non carnem, sed aliquid intus, esse organum; carnemque potiùs esse velut medium, contra hoc disputat. Quia etsi carnem quis tenui aliqua pellicula, aut membrana, vel etiam tenuissimo linteolo obduxerit, nihilo tamen minùs protinùs sentiet, siue alterius corporis contactum, siue calorem, frigus, & huiusmodi cæteras alteratrices qualitates: neque vllus pelliculam illam, membranam, aut linteolum dixerit esse tactus organum.

At parum firma videtur probatio. Nam in pellicula propter eius tenuitatem breuissimum est & vix sensile alterationis tempus: Caro crassius medium esset, maioreque indigeret tempore, multoque maiore opus esset, si sensio in corde fieret. Pelliculam autem nunc nominatam non tam quampiam intelligo, quæ carni arte apponi posset, vt pelliculam oui, aut cæpé: quàm naturalem illam, quam vbique contrahit caro nostra, quámque tum in magnis caloribus, tum aliàs sæpè separari sine dolore, & læsione sentimus: quippe quæ pars corporis animata non sit. Hanc enim significare mihi videntur illa verba

(ἢ ὑμένα ποιοῦσι) pelliculã faciẽs, seu cùm fecerit, hoc est, cùm circa carnem natura contraxerit. Nam etsi Themistius hæc verba interpretatus sit de alio quopiam tenuissimo corpore ita carni appositio, vt cum ea coalescat: quemadmodũ, inquit, de Hercule fabulis proditũ est, cuius corpori plãnè inhæserit tunica, quã Deianira Centauri sanguine tinctã ei induit. Satius tamen est naturalem pelliculam intelligere. Nam & ex ea optimũ peti poterat argumẽtum, nec Philosopho prætermittendũ: vt cõprehenderentur omnia; tũ ea, quæ arte apponi possunt, cùm dicitur (si quis circa carnem extenderit); tum ea, quæ à natura insunt (ἢ ὑμένα ποιοῦσι). Et certè vox illa (ἢ) exẽplum, & similitudinem duorũ significat; vt quemadmodum in cæteris ars imitatur naturã, ita in hoc naturalis pelliculę imitatione exterius carni quidpiã obducatur. Verùm huic appositicia sit, siue naturalis pellicula; non minùs sentiunt corpora nostra, statim atq. tangũtur, quã si ea carerent. Eam tamen certum est organum tangendi non esse. Neq. igitur carnem esse cõcludi potest, propterea quòd statim tacta sentiat. Porrò verba illa (si autẽ & congenitum fuerit, citiùs adhuc pertinget vtiq. sensus) quadrũplicem sententiam habere possunt. Prima est aliorum omnium interpretum; carnem cum appositia illa pellicula cõparari: & postquam dictũ fuerit, in eo illas conuenire, vt amb ę mediũ sint, non organũ tangẽdi, hãc significari discrepantiã, quòd caro internũ sit, & cõiunctũ: pellicula externũ, & ideò citiùs per carnẽ, quã per pelliculam sentiri. Aut etiam infirmari id, quod ad propositũ argumentum responderi potuisset. Quispiã enim occurrere poterat, minùs bonam esse cõparationem carnis, & pelliculę circũ positæ; quia pellicula est extrinseca, & ideò organũ dici non potest; caro autem animato membro cõgenita organum esse potest. Occurrit Philosophus, ex hoc haberi solùm breuiori tempore fieri sensum per carnem, quàm per pelliculam.

Tres reliquę interpretationes ignobilis sanè interpretis sunt, sed non minùs fortasse veræ. Prima duplicẽ antea pelliculã cõmemoratã fuisse: appositiciũ vnã, alterã naturalẽ; atq. has duas nunc inter se cõparari. Altera, comparationẽ esse, tũ carnis, & pelliculæ naturalis, tùm pelliculæ appositicię. Nã & caro, & naturalis pellicula sunt media coniuncta, citiusq. sentiunt, quàm apposita, & externa pellicula. Tertia, cõparari carnem cũ vtroq. pelliculę genere. Comparari autẽ, nõ quòd sit mediũ internũ, & coniunctũ, sed quòd συμφύες, & cõnaturale, hoc est animatum, quemadmodum id quod est interius organũ: pelliculæ autem inanimatæ sunt, & diuersæ. Vt ideò per animatam carnem velocior sit, & promptior sensus, quam per inanimatas pelliculas.

TEXTVS.

Διὸ ἢ τὸ τοιοῦτον μόριον τοῦ σώματος ἔχλι οὕτως ἔοικεν, ὥσαρ ἂν εἰ κύκλῳ ἡμῖν περιεπεφύκει ὁ ἀὴρ. ἐδοκοῦμεν γὰρ ἂν ἁπτόμενοι ἢ ψόφου, ἢ χρώματος, ἢ ὀσμῆς, ἢ μιᾶς τινὸς αἰσθήσεως εὐθὺς ἢ ἀκοὴν ἢ ὄσφρησιν, καὶ δὲ διὰ τοῦ διαφανοῦς ἀλλ' οὐ γίνεται ἡ κίνησις. φανερὸν τοίνυν ὅτι ἐστὶν ἡ αἰσθητικὸν ὑπερῷον ὄντα.

ὅτι δὲ τῆς εἰρῆσθαι πῶς καλῶς ἄδηλον.

Quapropter talis particula corporis videtur sic se habere, sicut si in orbẽ nobis adnatus esset aër. Videremur sanè Textus *vno quodã sentire, & sonũ, & colorẽ, & odorem: & vnus quispiã sensus esse auditus, & aspectus, & odoratus. Hũc autem quoniam definitum est id, per quod fiunt motus, manifestum sit dicta sensoria esse.*

A *In tactu autem hoc nunc immanifestum.* Text. 113

COMMENTARIVS CLVII.

TRibus modis hunc locum interpretatur Philoponus. Tũ ita, vt confutetur secunda ratio, quę carnẽ esse organũ tactus ex eo videbatur ostendere, quòd aliud præter eã organũ non appareat. Tũ verò ita, vt hypoteticæ illius ratiocinationis, quæ in superioris cõmentario posita est, cõnexũ seu maior propositio falsa esse ostendatur: quemadmodũ eiusdem interpretis sententia assumptio antea confutata est. Propositio autẽ erat; si organũ tactus est vnũ, necesse est tactũ quoq. esse vnũ. Ac demũ ita, vt in eiusdẽ illius assumptionis cõfutatione versetur adhuc Philosophus: ostendátq. nõ esse vnũ tactus instrumentum, carnẽ; rationẽ eam improbãdo, quæ id suadere videbatur, quoniam per vnã carnem tactilia omnia sentiũtur. Cõtra Themistius, & Auerroës nihil probari, aut cõfirmari voluerũt. Sed ille quidẽ est superiori argumẽtatione cõcludi carnẽ non esse organũ tactus, sed velut mediũ, & latentis; magisq. recõditi organi operimentũ. Hic autem, erroris illorũ causas doceri, qui tactũ arbitrati sunt esse vnũ; quia præter carnem aliud huius sensus organum non appareret.

Verumtamen magis ad rem videtur mihi dixisse Simplicius duo prorsus demõstrari: ita vt duplicem illam superiorem quæstionẽ, tum de vnitate tactus, tum de illius organo coniunxerit hoc loco Philosophus; simul ostẽdendo carnẽ non esse primũ tangẽdi organũ: & quamuis vnũ sit id, per quod sentimus; non tamen propterea necesse esse vnũ esse sensum. Quorũ vtrũq. explicat ferè argumentũ alterũ, quo id probari videbatur, diluendo. Carnem enim esse organum quispiam fortasse tibi persuadeat, propterea quòd pars est corporis nobis congenita, quæ immediatè tactilia suscipit, neq. aliud prorsus apparet organũ. Cõtra disputat Philosophus, carnẽ hac in re nobis imponere; sicut & imponeret aër, si, vt est nobis vndiq. circũfusus, quemadmodũ caro, ita cum nostris corporibus cõcresceret, parsq. illorũ euaderet, sicut caro, & sensuum organa obtegeret. Tunc enim aër videretur esse sentiẽdi organũ: & vt vnũ esset organũ, sic vnicũ concludi posset esse sensum. Etsi quidẽ in eo susciperẽtur soni, colores, odores, & omnino sensilia obiecta, liceret colligere, auditũ, aspectũ, odoratũ, & omnes planè sensus vnicũ esse sensum. Quæ tamen omnia certũ est esse falsa. Eodẽ igitur modo nõ propterea quòd caro sit nobis cõgenita, immediatéq. tactilia omnia suscipiat, affirmare licet; aut eam esse tãgendi organũ, aut vnicum esse tactũ. Nunc autem διὰ τὸ διαφανοῦς, quam vocem duobus modis interpretari possumus: Aut ita, vt opponatur ei, quod dictũ est, carnẽ, & aërem vndique nobis circũiectum esse, totáq. corpora nostra occupare. Aut ita potiùs, vt alterã illam respiciat orationis partẽ, qua aërẽ acceptũ est esse nobis adnatum, atq. cũ nostris corporibus coniunctũ, sicut est caro. Priori nãque modo significabit, sonorũ, colorum, & odorum motũ non vbiq; fieri, sed in parte corporis determinata in auribus, oculis, naribus; & ideò manifestum esse, organa hæc esse diuersorũmque sensuum. Posteriori autem, aërem; per quem ab illis obiectis fit motus, esse à corporibus nostris seiunctum, & separatum. Vtrúmque enim Græca vox significare potest. Quare cùm aër non possit esse organum, conspicuæ sunt diuersæ in corpore partes, quæ per interiectum aërem mouentur, tanquam

Carnem non esse primum organũ.

diuersorum sensuum organa. Atque iuxta duplicem hanc interpretationem, duobus item modis explicandum est illud (per quod fiunt motus) & altero significauit organum, per quod mouetur sensus; altero medium, per quod & organum, & sensus pulsantur. Quare hoc inter tactum, & illos tres connumeratos sensus interest, quòd cùm in illis separatum sit medium, organáq. conspicua, manifesta est eorum multitudo: in tactu verò nō item. Quia cùm habeat medium coniunctum, & congenitum, non cernitur illius organum. Et ideò magis dubitatur, quodnam illud sit; &, An vnus sit sensus, An plures. Gustatum prætermisit; aut quod sit quidam tactus: Aut quòd etsi determinatum ipse quoque vt cæteri, organum habeat, medio tamen separato non vtitur. A B

TEXTVS.

Ἐξ ἀέρος μὲν γὰρ ἢ ὕδατος ἀδύνατον συστῆναι τὸ ἔμψυχον σῶμα. δεῖ γὰρ ἅ στερεὸν εἶναι. λείπεται δὴ μικτὸν ἐκ γῆς καὶ τούτων εἶναι, οἷ βουλεται ἡ σὰρξ καὶ τὸ ἀνάλογον. ἡ γὰρ πᾶσα αἴσθησις διὰ τοῦ μεταξὺ καὶ ἡ ἁφή. ὥστε ἁπλοῦν καὶ τὸ σῶμα εἶναι μεταξὺ τοῦ ἁπτικοῦ ποιοῦντος αἰ αἰσθήσεις πλείους οὔσας.

Ex aëre enim, aut aqua constare non potest animatum corpus. Oportet enim solidum quidpiam esse. Relinquitur igitur mistum ex terra, & ex his esse: quale vult caro esse, & quod proportione respondet. Quare necessariam est & corpus esse medium tactui adnatum, per quod C *fiunt sensus, qui plures sunt.*

COMMENTARIVS CLVIII.

CViuspiam rei causam adferri, satis ostendit particula (enim), Cur igitur mediū tactus coniunctum sit, & nobis congenitū, in alijs autem sensibus separatum, & seiunctum, aër, aut aqua, exponit causam: cur, inquā tactus non fiat per aërem, & aquam, sicut cæteri sensus, sed per aliquid nobis congenitū; Alexander, Themistius, Philoponus, Simplicius, Auerroës, & omnes planè interpretati sunt. Ita sanè est. Atq. hic locus optimè respondebit tex. 75. Nam quod eo loco pollicitus est, se posteriùs explicaturū D causam, propter quam tactus, & gustatus fiant quidem per medium, sed non ita manifestum, vt in cæteris sensibus; nunc diligenter absoluit.

At magnopere etiam probandum est id, quod subiunxit Simplicius, causam quoq. doceri, cur primum tangendi organum sit immanifestū. Duo nanque postremis superioribus verbis continebantur, quorum causa quæri poterat. Alterum erat; mediū, per quod cæteri sensus mouentur, esse ab illis seiunctum, & separatum; id autem, per quod mouetur tactus, coniunctum, & congenitum, scilicet carnem. Alterum, quod ex hoc deducebatur; reliquorum diuersa, & inter se distincta organa manifesta esse; organum tactus non item. Ergò vtriusque causam ita E ostendit. Animalium corpora solida esse oportet; nō igitur solo aëre, solaúe aqua constare poterunt: quoniam hæc elementa tenuia sunt, fluxa, & inconstantia; sed necessarium omniū fuit permisceri cum illis terram, quæ soliditatem, & constantiam adferret. Cū igitur reliqui sensus, intercedente aëre, aut aqua operētur, eorū mediū coniunctū nobis, & congenitum esse non potuit. At potuit mediū tactus. Quoniā caro aut id, quod in illis animalibus, quæ propriè carnem nō habent, carni proportione respōdet, tactúsq. media existūt, vt solida sunt, sic ex terræ & aliorum elementorum permistione cōstant; & ideò coniuncta, & congenita esse possunt. Hinc verò efficitur, vt cæterorum sensuū organa manifesta sint, tactus immanifestū. Nam, cum cæteri non per cōiunctum, sed per separatum medium sentiant: exterior corporis pars cōspicua, oculus, auris, nares, necesse est illorū organum sit. Verū tactus, qui separato medio non vtitur, exterior hęc caro, quæ in corpore prima cōspicitur, mediū est: organum autem in aliqua alia existit magis recondita parte, quę sub carne continetur.

Quo loco non parū miror grauissimos sanè interpretes, cur animaliū corpora aërea esse nequeāt, aut aquea, sed terrea esse debeant: atq. adeò vtriusque hāc Aristotelis argumētationem minùs bene declarasse. Ex eo nāq. deduxit Philoponus, quod animalia viuāt in terra, ijsq. simile fieri oporteat, in quibus est versaturum. Quod accepit, opinor, ex tex. 40. posteriorioris lib. de ortu, & interitu. Sed nō de animalibus eo loco Philosophus, verū de mistis omnibus loquebatur, quatenus mista dūtaxat sunt, nō quatenus animata. Atq. in ijs probauit terrā ineſſe oportere, nō propter similitudinē loci, & locati corporis, sed quia gignātur, & degūt in terra, naturalitérq. degat vnum quoq. in illius elemēti loco, quòd in mistione magis abūdat. Nūc autē de animalibus solis est sermo, quatenus animalia sunt, & sentiūt. Neq. eam rationē adfert Aristoteles, quam huius quęstionis proprium esse intellexit: sed hanc potiùs, quòd solida esse debeāt eorū corpora. Hoc verò & tāquam experientia, & sensū manifestū accepit; & ex fine, propter quem formantur, facilè probari poterat. Quippe operationes omnes, quæ in eiusmodi corporibus fiunt animā, partiū, ac membrorū, totiúsq. corporis solūtatem postulāt. Et quid tādem respōdebit Philoponus de piscibus & auibus, quorū corpora solida nō tunc, ac terrea; nec tamen in terra, sed in aqua, aut aëre viuunt? Simplicius autē principiū illud accepit. In tactu necessariū esse obiectū immediatè occurre, atq. cum viuēte, sentiētéq. corpore copulari, non corpus viuēs aëreum esse posse, aut aqueū. Verum de hoc immediato cōtactu ne verbū quidē hoc loco Philosophus; immò fortasse oppositū prorsus. Nam in permultis exēplaribus post nominatam carnē, & id, quod illi est analogū, habentur hæc quoq. verba (εἰ γὰρ πᾶσα αἴσθησις διὰ τοῦ μεταξύ, ἡ δ' ἁφὴ, hoc est, si enim omnis sensus fit per medium, sit etiam tactus) quæ tamen ex Themistio fortasse desumpta sunt, atque in hunc locum translata. Deniq. Themistius & Auerroës primū accipiētes, omnem sensum, vel etiam tactū, indigere medio: deinde, necessarium esse, vt animalia sentiant tactilia omnia, alioqui abilis perderētur: ex vtraq. propositione colligūt, mediū tact' esse aliquid, quod sit animalis corporis pars: Non aërem, aut aquā, quæ animati corporis partes esse nequeūt. At earū propositionū, quas accipiunt, neutra in huius orationis contentā reperies. Neque opus est Aristotelis argumētationem obscurare, aut implicare; vbi ea tā simplex est, & aperta, vt omnino perspicuū sit, nō ex eo, quòd obiectū tactile viuenti corpori immediatè admoueri debeat, viuēs corpus probari aëreū, aut aqueū esse non posse: aut ex eo, quòd omnis sensus indigeat medio, animalia, quę oporteat tactilia obiecta sentire; mediū tactus cōuenire nec aërē esse, nec aliquā corporis partē. Verum ex propria dūtaxat corporū horum natura, & constitutione, qua sunt animata, cōfici potiùs, ea nec aërea esse posse, nec aquea, sed terra cū elemēteis hisce permista cōstare oportere. Neq. enim anima est actus simplicis, elemētaris, & fluidi corporis: sed misti, heterogenei, ac solidi; quod ad illius operationes exequēdas aptū fit. Vt hæc probatio hausta quoq. sit ex definitione, & natura animæ initio huius lib. explicata.

Libentor

Libenter tamen Themistio cõcedam,& Auerroi, Aristotelem ad hanc totam ratiocinationem deducendam accessisse generali illa,quam in tex.75.tradiderat,sensuum omnium cõditione supposita,sensus omnes per aliquod mediũ fieri. Cùm enim post affirmasset,hoc medium in reliquis esse separatum, in tactu coniunctum, & congenitũ, diuersitatis huiusce causam postremò significauit:& ideò necessarium esse conclusit,corpus hoc ad natum &congenitum, carnẽ scilicet & in alijs pluribus animalibus id,quod est velut caro, esse medium tactus inter obiectum tactile & id,quod proprium est tangendi organum. Quia si non potest esse aër aut aqua, aut vllũ corpus seiunctum, reliquum est eam esse corporis partem, cui primùm tactilia obiecta admouentur. Ea verò est caro, si carnis nostræ cutis quoque comprehendatur. Hæc enim in præsentia non separantur.

Quo loco Philoponus non absolutam necessitatẽ, sed eam solam,ne quid esset superfluum,videtur intellexisse. Necessarium enim inquit,vt natura,quæ in omnibus cõpendio vtitur, cùm in animaliũ corporibus: carnem inuenerit, per quam tactilia possint comprehendi, ea potiùs vteretur, quàm externum aliud medium adhiberet.Sed si antecedens ratiocinatio probè fuit percepta, perspicuum fuerit, non solùm naturam non debuisse, sed nec potuisse alioui medio. Siquidem omnino demonstratum est, aërem aut aquam nullo modo posse huius sensus esse mediũ; sed congenitum aliquid esse debere.

Per quòd fiunt sensus, qui plures sunt (non quòd tactus verè sint plures sentiẽtes facultates: sed quòd ex dubitationibus antea propositis plures esse videantur. Aut plures dicuntur, quoniam circa plures contrarietates versantur,calidi & frigidi, humidi & sicci.Aut potiùs, vt ex sequentibus verbis statim intelligetur;quoniam gustatus est quidem tactus, atq. in hoc cum tactu conuenit, quòd is quoq. non per externũ sed per internũ & congenitum mediũ fiat. Quare plures sunt sensus, qui per corpus congenitũ fiant;hoc est tum tactus,tum gustatus.Et tactus sunt plures,hoc est facultates,quæ tangendo sentiant: tactus inquam propriè dictus, & gustatus.

A

B

C

D

TEXTVS.

Δηλοῖ δέ, ὅτι πλείους ἁπλῶς ἡ γλώττης ἁφὴ. ἅπαντων γὰρ ὑπ' αὐτῶν αἰσθάνεται κατὰ τὸ αὐτὸ μέσον, καὶ χυμοῦ. εἰ δὴ οὖν ἡ διὰ σαρκὸς αἰσθανόμενον τὸν χυμὸν ἐδόκει ἂν ἡ αὐτὴ μία εἶναι αἴσθησις ἡ γεύσεως καὶ ἁφή. νῦν δ' ἕν, ὅτε μὴ ἀντιστρέφει.

Tum. *Ostendit autem,quòd plures, qui in lingua, tactus. Omnia enim tactilia sentit secundum eandem particulam. & saporem. Si igitur alia caro sentiret saporem, videretur sanè idem & vnus esse sensus, gustatus & tactus. Nunc autem duo, propterea quòd non reciprocatur.*

E

COMMENTARIVS CLIX.

IN Commentario ad tex. 109. existimasse Philoponum adnotaui totam hanc Aristotelis disputationem in hypotheticæ cuiusdã ratiocinationis confutatione versari: si organum tactus est vnũ, tactus quoque est vnus; sed organum est vnũ,scilicet caro; tactus igitur vnus. Huius enim assumptionem credidit hactenus confutatam fuisse,carnem ostendendo non esse organum,sed medium tactus. Iam verò connexum confutari, propositionem eam docendo non esse veram; si organum est vnũ, sensus est vnus: propterea quòd lingua organum est duorum sensuum, gustatus & tactus.

Themistius autem & Simplicius postquàm probatum fuit,tactum esse plures sensus,eam rationem dilui iudicarunt, qua ex vnitate instrumenti probari poterat,eum esse vnum. Siquidem per carnem,vna cùm sit,tactilia omnia comprehenduntur. Dilui autem argumento linguæ, quæ duorum sensuum instrumentum est: Alijs etiam, inter quos fuit Auerroës, visum est alio argumento præter id, quod ex multiplici contrarietate antea ductum est, tactum ostendi omnino multiplicem esse; quòd Aristoteles ita sentiret: atque hoc ipso argumento simul oppositam illam rationem solui, quæ ex instrumenti vnitate sensus vnitatem probare videbatur. Argumentum autem ex lingua petitum esse;cuius eadem parte & sapores gustantur, & tactilia omnia iudicãtur; quòd caro non sit instrumentum, sed medium : instrumentum autem sit intus;& aliud saporum,aliud tactilium cognoscendorum: eodémq. modo in tactu aliud vnius, aliud alterius contrarietatis.

Ego verò secus omnino hunc locum expono, & magis fortasse ad rem: Etenim prima verba duo mihi apertè significant: Alterum est,Philosophi consilium esse non quidpiam confutare aut diluere, sed id probare,quod in superiori textu cõclusit,carnem esse medium tactus,qui plures sensus cõtinet.Hanc enim ob causam nunc subiunxit; tactum plures sensus continere,& ideò carnem plurium sensuum esse medium ; is tactus testatur, qui fit in lingua : ab vna scilicet parte ad vniuersam carnem argumẽtum deducens. Alterum est, hoc loco non esse sermonem de tactu, quatenus est specialis quidam sensus à gustatu distinctus ; sed vniuersè magis & in genere, quatenus tum tactum,tum gustatum comprehẽdit. Vniuersum autem illum, non specialem tactũ,nunc considerari, ex eo manifestum est, quòd tactum dicit, qui est in lingua, quo tum tactilia omnia sentiũtur,tum sapores dijudicãtur. Hic enim vniuersus est ille tactus,qui tum tactum,tum gustatum continet. Itaque vt aërem antea & aquam aspectus, auditus, & odoratus, externum medium esse docuerat; neq. in gustatus consideratione vllum exposuerat illius medium, sed solùm dixerat eum esse tactum quendam,fierique per medium internum,non per externum : neque satis exponi poterat,quonam vteretur medio ; quia hoc pendet ex natura tactus,conueniatque gustatui , quatenus tactus quidam est & obiectum suum tangendo percipit. Ita nunc vbi de tactu agebatur, exponendum fuit, quodnam tandem sit horum duorum sensuum medium. Et quoniam in modo operandi tangendo obiectum conueniunt, commuui & generali voce tactus vsus est:probauitque per cõgenitum medium plures sensus fieri, hoc est non tactum solùm,sed & gustatum. Non enim dixit in superiori textu fieri plures tactus , sed per illud corpus congenitum , quod est tactui mediũ, fieri plures sensus.

Hoc autem nunc probat ex lingua; manifestéque ostendit probatio , sermonem non esse de pluribus tactibus propriè dictis,sed vniuerse de pluribus sensibus,qui tangendo fiunt. De tactu namque propriè dicto etsi in tex.107.dubitasset, an essent plures sensus;quoniã circa plures cõtrarietates versatur:in tex. tamen 108.& hãc dubitationẽ quoquo modo diluit,

& vnicum esse constituit; quia vnicum habet obiectum, ad quod omnes illæ contrarietates pertinent, etsi minùs manifestum sit & nominatum, quàm in cæteris sensibus. Idcircò nunc tactilia omnia tanquam vnum obiectum sentiri ait à lingua, saporem, tãquam alterũ illud tactus, hoc gustatus obiectũ & vt ex obiectorũ diuersitate duos hosce sensus colligit esse plures & diuersos, ita ex singulorũ, tũ tactiliũ, tum gustabiliũ, vnitate intelligi vult singulorum sensuum vnitatem. Eandem ob causam obiectum tactus nominando, non appellauit calorem & frigus, humorem & siccitatem, plures illas contrarietates, quæ plures tactus ostendere potuissent: Sed tactilia dixit, quasi vnum obiectum, vt vnum sensum significaret. Immò nomine vsus est à sensu deflexo, non autem absoluto, quemadmodum cùm saporem pronuntiauit. Non solùm quia communis natura nominari absolutè non potest, vt in tex. 108. positum est: verùm etiam vt tactum, de quo fuerat dubitatum, an esset plures sensus, vnum esse ostenderet, obiectum illud formale, ex quo sensuum vnitas aut distinctio pẽsatur, vnum nominando, etiamsi materialia essent plura.

A

B

Linguam porrò potissimùm proposuit: quoniam cùm saporum gustatus in hac sola vigeat parte, ex ea sola probari poterat plures esse sensus, qui sine externo interiecto corpore, carnem velut congenitum medium tangendo, fiant. In reliqua enim corporis carne fit quidem tactilium, at non saporum sensus. Quare cùm tactilia omnia vnum obiectum sint, ad vnum pertinent sensum: neque ex illorum sensione in reliquo corpore probari poterat, plures sensus tangendo fieri, carnémque plurium sensuum esse medium. At in lingua, tum sapores, tum tactilia sentiuntur, & vtrumque obiecti genus tangendo percipitur. Itaque ex illa optimè cõcluditur id quod quæritur. Immò si vt lingua, sit reliqua corporis caro præter tactilia saporem quoque sentiret, & quod est in lingua, esset in tota carne: planè non possemus cognoscere plures esse tactus: sed gustatus & tactus viderentur esse vnus & idem sensus: & sapores ipsi qualitates quædam tactiles esse iudicarentur. Iam verò dum reliquam totam carnem videmus tactilia quidem omnia sentire, sed minimè sapores cognoscere, linguam autem, tum tactilia non minùs, quàm reliquam carnem, percipere; tum præter ea de saporibus quoque iudicare; apertè intelligimus saporum sensum à tactilium sensu diuersum esse, gustatúmque & tactum duos esse sensus. Alioqui si vnus & idem essent, nimirum reciprocarent; & vbicumque sensus tactilium esset, esset item saporum. Sed quoniam sapores quoque, sicut & tactilia, tangendo & omni externo corpore remoto sentiuntur, plures esse tactus concludimus, hoc est plures sensus, qui tangendo fiant: mediúmque externum & separatum tribus sensibus necessarium esse, aspectui, auditui, odoratui; internum & congenitum ad duos pertinere, ad gustatum, & tactum.

C

D

E

Vnde habetur, sensuum distinctionem aut vnitatem neque ex organo neque ex medio, sed ex solo obiecto considerandam esse. Tam etsi in tactu fit, vt illius organum cum aliorum omnium organis iungatur; quidquid dicat Auerroës. Hoc autem propterea euenit, quòd tactus est sensus toti corpori nimium necessarius; & ideò totum corpus permeare debet, illiúsque organum per aliorum omnium sensuum organa sparsum esse. Quod enim de lingua dicit Aristoteles, idem de oculo, aure, & naribus, dici poterat; quæ præter obiecti proprij sensum tactilia quoque percipiunt. Sed illi tangendo non fiunt. Denique tantum abest, vt hoc loco voluerit Philosophus tactum propriè dictum plures esse sensus; ut rationem eam confutauerit, quæ vnum suadere videbatur; vt hinc potiùs deducatur argumentum ad ostendendum, eum plures sensus non esse. Si enim is ita ratiocinatur; si tota caro sentiret saporem & tactilia omnia, sicut sentit lingua, sapor & tactile viderentur esse vnum obiectum, neq. distingui possent gustatus & tactus. Licet & nobis ita concludere: nota caro sentit calorem & frigus, humorem & siccitatem, prorsúsque tactilia omnia; igitur hæc omnia ad vnum obiectum pertinent, neq. plures tactus propriè dicti distingui possunt.

TEXTVS.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, εἰ πᾶν σῶμα βάθος ἔχει, πᾶσα δὴ ἡ περίπυρος μέγεθος. ὧν δὲ δύο σωμάτων μεταξὺ σῶμα πέφυκε δέχεσθαι ἄμφω θάτερα ἀλλήλων ἅπτεσθαι. τὸ δ' ὑγρὸν εἶναι δεῖ σῶμα, οὐδὲ τὸ ἕτερον ἀλλ' ἁπλῶς ὑδωρ εἶναι ἢ ἔχειν ὕδωρ· τὸ γὰρ μέρος ἀλλήλων οὐ πᾶν ὕδατι μὴ ξηρὸν θιγεῖν ἄκρων ὄντων, ἀναγκαῖον ὕδωρ ἔχειν μεταξύ· ὧν ἁπλᾶ τὰ ὑγρὰ εἰ δεῖ πᾶν ἁφὴν ἀφωὴ πᾶν ἅψασθαι ἄλλο ἄλλου· οὐδὲν πᾶν ὑγρὸν ὑγρῷ ἅψει. ὁμοίως τὸν ἔχει ὁ ἀὴρ πρὸς τὸν ἀέρα, ἢ τὸν ὕδατι πρὸς τὸν ἀέρα τὸν ὕδατι· λανθάνει δὲ μᾶλλον ἡμᾶς. ἔστιν τὰ ἐν τῷ ὕδατι ζῷα ἐν ἑτέρῳ ἑτέρου ἅπτεσθαι.

Dubitauerit autem quispiam, si omne corpus profundum habet, hoc autem est tertia magnitudo: quorum verò est duorum corporum medium aliquid corpus, non contingit hæc sese vicissim tangere: humidum autem non est sine corpore, neque vllum, sed necesse aquam esse aut habere aquam. Quæ vero sese vicissim tangunt in aqua, cum eorum extrema sicca non sint, necesse aquam habere mediam, qua repleta sint vltima. Si autem ita verum, impossibile vnum corpus in aqua tangere aliud. Eodem autem modo & in aëre. Similiter enim se habet aër ad ea, quæ in ipso, & aqua ad ea, quæ in ipsa aqua. Latet autem magis nos, sicut & quæ in aqua animalia, si vllum tangit vllum.

COMMENTARIVS CLX.

QVæ nunc & deinceps dicuntur, confert Philoponus ad tertiam hanc argumentationem instituendam, qua carnem probet instrumentum tactus non esse, sed medium. Si cæteri sensus vtuntur medio, tactum quoque vti oportet: at non videtur vti externo: internum igitur medium est caro, non organum. Itaque quod nunc dicitur, inter quælibet duo corpora solida aquam semper aut aërem intercedere, quasi illius argumentationis solutionem interpretatur, quæ mox ab Aristotele confutetur.

Sed nulla extat confutatio, & extorta penitus interpretatio est; cùm ne nominentur quidem cæteri sensus. Quam etiam ob causam minùs probo consilium Simplicij, qui discrimen tactus à tribus prioribus sensibus exponi voluit. Video enim apertè dubitationem proponi aduersùs id, quod fuit constitutum, non fieri tactum per medium externum sicut reliqui sensus, sed per internum, & congenitũ. Quo modo Themistium quoq. intellexisse credo: neque Auerroëm dissentire, cum ait quæri, an præter carnẽ internum medium, externo etiam hic sensus egeat. Nam hoc querit dubitationẽ eam proponẽs. Et quidem adferri potuisset pellicula illa seu membrana, quam in tex. 109. dictum est extendi circa carnem posse,

posse, neque impedire sensum. Ea enim externum est & seiunctum medium. Sed aërem maluit Philosophus & aquam proferre ; tum quòd naturalia sunt & vsitata, non subtili arte aut industria magna conquisita: & aliorum sensuum existunt media, à quibus tactum hoc nomine separauit, quòd illi intercedentibus hisce corporibus fiant. Tum etiam quòd in textu III. hæc ipsa corpora probauerat esse non posse tangendi media.

Sic igitur ratiocinatur. Vbi inter duo quæpiam corpora tertium intercedit corpus, illa dici non possunt sese immediatè tangere. Quoniam vt in textu 22. lib. 5. Physic. definitum est, tangere sese illa existimantur, quorum extremitates sunt simul : vbi verò corpus aliquod interiectum est, cùm omne corpus profunditatẽ quãpiam significet, hoc est nõ longitudinẽ modò & latitudinẽ sed altitudinẽ quoque, quæ tertia dimensio est tertiáque coniunctæ quãtitatis species ; interuallũ aliquod esse & distantiam necesse est. At inter quelibet duo corpora solida sese tangentia intercedit semper aër aut aqua, quæ corpora quædam sunt ; nunquam igitur immediatè se tangunt, neque vllus absque externo medio, aëre aut aqua, fit tactus. Argumentationis huius assumptionem accipiens. Quæcunque sese tangunt, in aëre aut aqua sese tangere, ita ostendit. Quidquid humidum est aut vdum (quid autem inter hæc interfit, docetur in tex. 14. posterioris lib. de ortu & interitu : nempe humidum illud dici, quod per omnes partes sparsam humiditatem habet ; vdum autem, quod in sola superficie humore alieno madidum est) sola humoris qualitate constare non potest ; quoniam qualitas non est sine corpore : verùm per aquam aut aërem, quæ corpora humida sunt, humidum aut vdum est. Sed ea, quæ in aëre aut aqua se tangunt, aut in omnibus partibus humorem imbibunt, aut certè eorum extremitates, quibus se tangunt, siccæ non sunt, sed madidæ ; vt si duo digiti copulentur in aqua, & extracti aperiantur, vtrinque cernuntur madidi. Quare cùm humiditas sine suo corpore, quod aër est aut aqua, esse nequeat ; nimirum alterum horum corporum intercedet. Hoc verò in aëre minùs quidem, quàm in aqua, manifestum est ; propterea quòd tenuius corpus tenuiorem habet & conspicuum minùs humorem : necesse est tamen idem in eo contingere ; quoniam & est corpus humidum, & primò humidum. Et vt tenuius est, sic faciliùs potest cætera subire corpora, ac sese in minutissimos meatus insinuare. Quòd si aër humidior fuerit, manifestius erit humectati in eo corpora : quoniam appositò igne plurimùm euaporant, humorémque emittunt, & siccantur. Ergò inter ea omnia, quæ siue in aqua, siue in aëre sese tangunt, aquam aut aërem intercedere necesse est : quorum altero corpore illorum extremitates repletæ madescant, & ceu interuallo ac profunditate interiecta separentur. Nullum igitur corpus immediatè tangit aliud : nec minùs tactus, quàm cæteri sensus, fit per externum medium, aërem aut aquam.

Quod autem attinet ad verba, meritò dixisse cuipiam videbitur Philoponus, ea inordinata esse ac perturbata. Nam cùm dixisset (dubitauerit autem quispiam) in postremum locum dubitationem conlecit. Ea enim est dubitatio (si vdum tangit vdum.) Itaque hoc modo videbitur disponenda oratio (dubitauerit autem quispiam, si vdum tangit vdum) & post subiungenda dubitandi ratio (si quidem omne corpus profunditatem habet, &c.) quare aut librariorum incuria verborũ series immutata est & perturbata oratio : aut si à Philosopho ita fuit ordinata & scripta, mirum non videatur ; quoniam sæpè rationem priùs proposuit, ac demum quorsum eam proposuit, ostendit. Et ne idem sæpiùs repetat, compendio vtens, non antea conclusionem proponit, quàm ratiocinando velit colligere ; sed solùm ratiocinatione eam concludit. Atque ita hoc loco factum fuisse existimari potest. Quamquam minimè opus est ordinem orationis mutare, neque postrema illa verba velut propositam dubitationem aut argumẽtationis conclusionem accipere. Satis enim dubitatio proposita fuerat & explicata, cùm in aqua probauerat immediatè corpora non se tangere.

Sed tota illa postrema sententia (latet autem magis nos, sicut & quæ sunt in aqua animalia, si vdum tangit vdum) à superiori argumentatione separanda erit. Duplexque fuerit interpretatio. In altera, siue illa verba (si vdum tangit vdum) ad nos referamus ; siue ad animalia, quæ sunt in aqua ; eadem sententia constabit : qua cùm ex aqua & aëre argumentum adduxisset, subiecit ; nobis, qui in aëre viuimus, minùs esse manifestum, an in aëre vdum immediatè tangat vdum, an verò aëre interiecto : sicut & animalibus, quæ in aqua degunt, ignotum est, an intercedat aqua. In altera referentur ad nos eadem illa verba, eritque hic sensus : latet nos, an quemadmodum animalia, quæ sunt in aqua, non immediatè, sed aqua interiecta, se tangunt ; sic in aëre vdum tangat vdum aëre intercepto, an vero immediatè. Hoc autem nos latet ; quoniam aër tenuior est, quàm aqua, minúsque corporibus adhæresci t. Ita nimirum interpretatus est Auerroës. Sed vtrouis modi interpreteris, necesse nõ erit aut verborum seriem inuertere, aut obscuritatis & perturbatæ orationis Philosophum accusare.

DIGRESSIO LVI.

Inter corpora solida non esse semper aërem aut aquam.

SVperiorem Philosophi argumentationem non eodem modo interpretes omnes acceperunt. Auerroes enim, tum in hoc, tum in 115. Comment. eum credidit omnino ita sensisse ; nobisque persuadere voluisse, corpora solida immediatè nunquam sese contingere ; sed aerem vbique aut aquam intercedere. Atque ita rem sese habere, magnopere contendit aduersus Themistium ; qui nec ita esse, nec Aristotelem affirmando, sed disputando argumentatum fuisse, argumentationémque tanquam leuem neglexisse dixerat. Philoponus autem eum quidem seriò probasse iudicauit ; secus tamen esse multis modis demonstrauit. Ac demum Simplicius totum hunc locum voluit dubitationem continere, qua tactum quoque per externum medium fieri ostendatur : non quòd semper ita sit ; sed vt ostenderetur, etsi interdum ita eueniat, tactum tamen à cæteris differre sensibus. Id autem ostendit in tex. 114. & 115. quòd in cæteris sentitur procul & per magnum medium ; hóque priùs mouetur, quàm sensus : in tactu non nisi propè & per exiguum in sensiléque corpus, quod simul cum sentiendi organo afficitur.

Ego verò Themistium arbitror hunc locum optimè interpretatum fuisse. Nam seriò Aristotelem probasse, intercedere semper aërem aut aquam, Philopono assentiri nequeo: neque credere, tam sapientem, támque oculatum Philosophum in re tam manifesta tam turpiter hallucinatum fuisse. Simplicij autem sententiam eatenus reijcio, quatenus consequentem textu 114. de medio externo, si non semper, interdum certè in tactu intercepto exponit; quem de medio potiùs interno & coniuncto intelligendum esse opinor. Postremo minimè audiendus est Auerroës, dum inter solida corpora aërem semper aut aquam esse inculcat. Etenim vt mittam impropriè minúsque verè dictum iri, solida corpora sese contingere, si vt est in textu 22. libri quinti Physicor. contingere sese ea dicuntur, quorum extremitates sunt simul.

Cœlestium orbium contactum immediatum esse, certum est: Quodnam enim inter illos intercedat corpus? Et in his inferioribus eodem modo, si corpora sint omni ex parte polita & æquabilia, ita vt exactè quadrant superficies nec vacuam vllam cauitatem relinquant, Aërem omnem & aquam excludent. Hæc enim solidis corporibus resistere nequeunt. Sicut cùm in amphoram aëre plenam aqua conijcitur, totus egreditur aër: etsi solidum quidpiam ingesseris, egreditur aqua. Multa etiam sunt, quæ ita coniunguntur, vt adhærescant: quemadmodum emplastra corporibus nostris admota, claui lignis aut parietibus infixi, securis impacta ligno, plumbum aut stannum duo quæpiam solida coniungens, aurum & argentum aurificum arte consolidata, chartæ aut ligna glutine copulata, arborum rami arboribus alijs inserti atque in vnam coalescentes arborem, lateres in muris & ædificijs instructis cum calce cohærentes, aliáque id genus complura: quæ haud dubiè tam firmiter non cohærerent, immò labore nullo separarentur, si aër aut aqua intercederet. Inter secantem autem terram & lignum; inter scindentem cultrum seu vulnerantem gladium, & corpus scissum aut vulneratum aut transfossum; Inter nouaculam & pilos; inter malleum & clauum seu incudem; inter virgam aut baculum percutientem, corpúsque percussum; inter digitos & cærasorum nucleos vi extrusos; quis aërem credat esse medium? Nec secaret serra, nec culter scinderet, nec vulneraret gladius, nec aliorum quidpiam omninò fieret. Et cùm vnum corpus solidum trudit aliud aut impellit, quomodo per interiectum fluuidum corpus truderet aut impelleret? Id enim propter duritiem fit & resistentiam; neque à fluido & cedente proijci solidum potest. Quis verò tormenta bellica aëre dicat intermedio demoliri mœnia atque euertere; aut malleum trudere clauum, incudémque quatere, aut dentes terere cibum? Lapides, qui vel in superficie terræ visuntur, vel interioribus partibus continentur; támque ingentia ædificia, quæ sustentantur in terra; an non immediatè terram tangunt? quomodo enim ibi sit aër, qui aut ad superiora sponte non exiliat, aut corporum mole aut pondere non extrudatur? Quis eum credat tantam molem & pondus sustinere, aut impedire contractum? Dum lapis ex alto caderet, tanta aëris vastitas motum prohibere non potuit; minimus nunc quispiam aër prohibeat? In carpis, allijs, & fructibus omnibus, nónne immediatus est partium contactus? Inter arborum corticem & truncum; inter musculos plurimos, qui animalium corporibus continentur; inter carnem & ossa, aliáque similes partes, quis aër quæue aqua esse possit? Et verò si inter alia quæpiam corpora aër quispiam interdum sit aut aqua, nonne tantopere comprimi possunt & cogi, vt aër omnis & aqua excludantur? Vt si manu calamum præmam, ensem, malleum, baculum; nonne si quidpiam intercedat, dùm ea moueo aut vehementiùs agito aut vibro, manu perfæpe caderent? Sonum etiam voluit Philosophus vehementi solidorum corporũ percussione atq. interceptionis collisione & protrusione fieri. At nisi ea corpus se contingant, quomodo collidetur aut protrudetur aër? Quomodo tremet campana & quidem partibus omnibus? Dum digitos accuratè compressos aut etiã pugnum in aquam inijcimus; res ipsa loquitur, eam inter corpora sese tangentia haud quaquam se insinuare. Quippe apertos digitos volámque manus extensam minimè maduisse conspicimus. Neque verò esse aërem, argumento certo concluditur quòd is exiliuisset ex aqua, si vllus ibi fuisset. Nunc ergo dum in aëre quoque coniungimus digitos manumúe totam in pugnum contrahimus, totus elabitur aër, & immediatus fit contactus.

Atsi digiti manúsue aqua maduerint, non videtur immediatus esse contactus, totáque exprimi aqua. Quoniam dum rursum aperiuntur, materie nihilominùs conspiciuntur. Philoponus hinc quoque contendit immediatum esse contactum aquámque, digitis compressis aut manu, intra poros carnis, quæ rara est & mollis, totam suscipi, ac rursum dilatatis ijs diffundi ex poris atque in extremitate carnis apparere. Hoc ita esse, credi potest; sed tamen non minùs fortasse verè respondebimus, hoc inter aërem & aquam interesse, quòd aër corporibus nostris non adhærescit, adhærescit aqua. Quare dum comprimuntur digiti, totus elabitur aër: at non tota aqua, sed ea sola, quæ sensilem faciebat molem; eáque pars tenuissima remanet, quæ carni adhæsit, póstque madidam rursum oculis nostris repræsentat.

Non enim contendimus contactum omnem solidorum corporum semper & vbique immediatum esse; sed quemadmodum duo corpora humida, vt aër & aqua; & vnum humidum & alterum solidum, vt aqua & caro, sese immediatè tangunt; ita duorum quoque solidorum corporum immediatum esse posse, essèque per sæpè contactum. Interdum autem esse mediatum, tum in humidis, tum in solidis, manifestum est. Propterea Philosophum credo propositam illam dubitationem de aëre aut aqua inter solida corpora semper & vbique interceptis, tanquam apertè falsam & cum sensu actione pugnantem, penitus contempsisse, æque in ea diluenda immorari & inchoatam tractationem retardare voluisse. Nam experientia ipsa satis diluitur & falsa esse conuincitur. Voluisse tamen eam proponere; quoniam ad id pertinebat, quòd agebatur, num sensus omnes externo vtantur medio, eúmdémque omnes operentur modo.

Quòd autem quidam dixerunt, immediatum quidem esse contactum, si corpora per vim coniungantur; at si copulentur sensim, aërem semper aut aquam interponi: ex nimio erga Auerroëm affectu profectum

profectum, est; neque ad præsentem Philosophi dubitationem accommodatè pronuntiatum, in qua absolutè & vniuersè quæritur, an tactus externo vllo medio ad sentiendum vtatur. Egétque potiùs risu, quàm confutatione. Siue enim vi & subitò, siue naturali motu & sensim corpora copulentur & cocant, tantundem omnino euenit. Neque Aristoteles secus vnquam existimauit. Quippe in tex. 101. gustatum probauit absque medio externo sapores persentire, quòd hæc sit conditio tactus, cùm quo is sensus necessariò coniunctus est. Et in tex. 102. hoc docuit gustatū & tactū à cæteris distingui sensibus, quòd nihil in illis intercedat mediū inter obiectum & sensum. Et in tex. 104. linguam externo humore perfusam aduenientes sapores non gustare demonstrauit; quoniam tactus non est nisi primi humoris, qui immediatè tangit; vt flauæ bilis in ægrotantis lingua. Et in tex. 110. & 111. in cæteris sensibus medium constituit esse separatum, aërem & aquam, in tactu non item, sed nobis congenitum, carnem aut analogum quidpiam. In tex. autem 113. cum contrà argumentatus est, non est ex propria sententia loquutus, sed dubitationem proposuit: quam aut omnino neglexit tanquam sensui & naturæ tactus manifestè repugnantem; aut plane dissoluit, negando rem ità esse: tum illis verbis (si autem hoc verum, impossibile, vt vnum corpus in aqua tangat aliud). Cùm enim tactus, vt sæpiùs fuerat dictum, omni alio remoto corpore fieri debeat; & vt fert ipsius notio, extremitates eorum, quæ se tangunt, oporteat esse simul; minimè sese tangerent solida, si aliud quidpiam ea separans intercederet. Tum in tex. 114. gustatum inquiens & tactum tangendo fieri, alios verò sensus obiecta procul dissita percipere: & omnes quidem per medium fieri, sed illos per internum & latens, hos per externum & manifestum. Tum in tex. 116. in tactu asserens carnem esse id, quod in cæteris est aer aut aqua; hoc est non aerem aut aquam, vt in cæteris sensibus, esse medium in tactu; sed solam carnem, velut medium congenitum. Verùm hos ipsos textus interpretemur.

A B C D E

TEXTVS.

Πότερον οὖν ἅπαντων ὁμοίως ἔστιν αἴσθησις ἢ ἄλλων ἄλλως, καθάπερ καὶ δοκεῖ; ἡ μὲν γὰρ γεῦσις καὶ ἁφὴ τῷ ἅπτεσθαι αἰσθάνεσθαι δοκεῖ· τὸ δ' οὐκ ὄντος ἀλλὰ καὶ τὸ σκληρὸν καὶ τὸ μαλακὸν δι' ἑτέρου αἰσθανόμεθα. ὡσαύτως καὶ τὸ ψοφητικὸν καὶ τὸ ὁρατὸν καὶ τὸ ὀσμητόν. καὶ τὸ ὀσμητικόν. ἀλλὰ ταῦτ' ἐμὲν πόρρωθεν τὰ δ' ἐγγύθεν. διὸ λανθάνει, ὅτι αἰσθανόμεθα γε πάντων ἄρα τῷ μέσῳ. ἀλλ' ὅσα πύκνων λανθάνει. καὶ τοι καθάπερ εἴπομεν καὶ πρότερον καὶ εἰ δι' ὑδάτος αἰσθανόμεθα γε ἆρ' ἁπλῶς ἁπάντων λανθάνοντος ἢ διείργει ὁμοίως ἀεὶ ἔχοντος ὡσαύτως καὶ νῦν ὂν τῷ ὕδατι καὶ τῷ ἀέρι. δοκεῖ μὲν τὸν αὐτῶν ἅπτεσθαι, καὶ οὐδὲν εἶναι ἄνευ μέσου.

Num igitur omnium similiter est sensus, an aliorum aliter, sicut nunc videtur? gustatus enim & tactus tangendo, aliys autem procul. Hoc autem non est. Sed & durum & molle per alia sentimus, sicut & sonorum, & aspectabile, & odorabile. Sed alia quidem eminùs, alia verò cominus. Quapropter latet. Nam omnia sutimus per medium, sed in hu latet. Et quidem sicut diximus & prius, etsi per pelliculam, quæ nos lateret, quòd dirimit, sentiremus omnia tactilia, similiter vtique haberemus, sicut nunc & in aqua & in aere. Videmur enim ipsa tangere, & nihil esse per medium.

Text. 34.

COMMENTARIVS CLXI.

PEnè omnes interpretes de medio externo, aëre & aqua, hunc locum exposuerunt. Et quidem superioribus consentaneè. Nam Philoponus superiorem dubitationem asserendo fuisse propositam, vt omninò probaret, tactum quoque intercedente aqua aut aere fieri: nunc ostendi voluit, simili prorsus modo rem se se habere in tactu & cæteris sensibus, omnésque corpore aliquo externo intercepto sua sentire obiecta. Sed illud in tactu & gustatu perexiguum esse neque à nobis percipi; in reliquis tribus multum omnino & conspicuum. Sed quod addidit, hac ratione argumentationem eorum dissolui, qui carnem probabant organum tactus non esse; quia non esset proportio inter omnes sensus: non video posse prudenter addi. Tum quia eiusmodi argumentatio in antecedenti disputatione de carne habita ne significata quidem fuit; neque nunc accommodatè interponeretur. Tum quia Philosopho opus non fuit in illius solutione immorari; cum carnem ipse non organum, sed medium esse ostenderit: idque vt eandem esse omnium sensuum rationem demonstraret, hoc est omnes per aliquod medium fieri, neque sensile cum illius organo immediatè copulari.

Itaque meliùs videbitur Simplicius absolutè affirmasse, demonstrari discrimen tactus ab alijs sensibus. Et Auerroes, quæri num sentiri omnia sensilia eodem modo fiat, an diuersò, vt diuersò, vt diuersi sunt sensus. Nam antea quidem significare visus est diuersò modo fieri, cùm tactus medium ostendit esse congenitum, Carnem, non separatum, aerem aut aquam, vt in cæteris. Post verò in tactu quoque ratiocinatus est aerem aut aquam intercedere. Propterea merito nunc dubitat, num eodem modo sentiantur omnia, an vero diuersi sint sentiendi modi, quemadmodum gustatus & tactus sentire videntur tangendo, hoc est immediate & sine vllo interiecto corpore, reliqui autem tres, aspectus, auditus, odoratus, procul, hoc est aere aut aqua interpositis inter organum & obiectum longe dissitum.

Sensus omnes vt conueniãt & discrepent.

Adhanc porro quæstionem ita respondet, vt partim similes, partim discrepantes in sentiendi modo sensus omnes esse definiat. Primùm enim negat, rem ita se habere vt videtur: neque gustatum & tactum immediate prorsus obiecta sua comprehendere, vt sensum iudicio apparet. Immo durum & molle & omnino tactilia omnia, vel ea, quæ nullam alterandi vim habent, per interpositum aliquod medium, sentiri affirmat: sicut & sonorum ab auditu, & aspectabile ab aspectu, & odorabile ab odoratu, per aerem aut aquam sentiuntur. Gustatum autem non nominauit, quod is tactus quidam sit atque sub eo contineatur: aut cum durum dixit, obiectum tactile significauit, & cùm molle, gustabile, siquidem gustatur in humido & succo, & quatenus potabile est, hocque necesse est esse molle. Deinde diuersitatem hanc & discrepantiam adfert quod tres reliqui sensus obiecta sua procul dissita, multóque & magno corpore interiecto, sentiant: tactus & gustatus non nisi prope, & perexiguo interposito medio, quod vix à nobis deprehendi queat. Quare partim conueniunt omnes in sentiendi modo, partim discrepant. Conueniunt, quod omnes sentiunt per medium, discrepant, quod in quibusdam

medium, hoc est manifestum & cuiuis conspicuum, in alijs nos latet.

Tactum pluribus modis dici.

Quo loco ad rem adnotauit Themistius, tactum pluribus modis dici. Aut enim ampliori sumitur acceptione; vt ea omnia comprehendit, quorum extrema sunt simul, etsi nullus sit eorum sensus, nec inter illa actio vlla: quemadmodū si circulus circulū tāgat, aut quælibet magnitudo magnitudinem aliā. Quem tactum appellare Mathematicum consueuimus cum Aristotele in tex. 44. prioris de ortu & interitu libri: quadamque iuxta positione constat omni remoto medio. Aut accipitur magis propriè & ad res naturales contractè, vt coniunctam habet actionem eorum, quæ sese tangunt. Tactus hic physicus nominatur. Et Themistius quidē hoc loco in sentientibus solis eum considerauit. Sed cùm pluribus modis tactum accepisset dici, absolutam magis doctrinam tradidisset, si naturalem hunc tactum aut in rebus vita sensúque carentibus esse posse dixisset; vt inter ignem & ligitum, aut aërem & aquam, quę vicissim quidem agunt & patiuntur, sed nullius rei sensum & cognitionem habent: aut in ijs, quæ sensu prædita sunt, & ideò cùm tactæ rei comprehensione tangunt; vt animalia omnia. Quare cùm vterque hic posterior tactus non in iuxtapositione, sed alter in actione & passione, alter in rei cuiuspiam comprehensione versetur; constare omnino potest, etsi medium quidpiam intercedat.

Postremò argumento sumpto à simili, rem ita se habere in duobus hisce sensibus, confirmat Philosophus. Nam sicut si per pelliculam aut membranam carni obductam, vt in tex. 109. dictum est, sentiremus; sentiremus per medium, quod nos lateret, immediatéque sentire videremur: ita & nunc latent nos aër aut aqua, quę inter tangentia corpora tactiliáque obiecta intercedunt, & omnia sine corpore medio sentiri videntur. Hæc omnium penè interpretum expositio est. Ego tamen Themistium potiùs sequutus dubitationem in superiori textu propositam, quasi obiter & extra rem inductam fuisse arbitror. Nunc verò ea prætermissa ac potiùs neglecta, aut etiam explicata, Philosophum ad id, quod agebatur, redire. Et simul dubitationem illam rursum diluere; omnes quidem sensus respondendo peraliquod medium fieri; sed alio prorsus atque alio modo. Neque enim de externo, sed de interno medio eum loqui credo; carnémque ostendere non organum tactus, sed medium potiùs esse.

Carnem nō organum, sed medium tactus esse.

Argumento nimirum sumpto ex proportione, quàm inter hunc sensum & cæteros esse oportet, vt omnes operentur per medium: quod in tactu aliud esse non potest, quàm caro, etsi nos lateat: tum quia exiguum; tum quia coniunctum & congenitum. Idcirò aliorum sensuum obiecta sentiuntur procul dissita, quòd per externum sentiantur medium: tactile autem & gustabile propè; quia carni admouentur, hæcque sola intercedit. Quod argumento duplici confirmatur. Tum pelliculę seu membranę, quæ medium sanè esset, & tamen propter tenuitatem aut etiam propter coniunctionem, si nobis esset congenita, lateret nos, quòd dirimit & velut medium separat organum ab obiecto tactili. Tum aëris & aquæ, quæ in superiori dubitatione concludebantur inter tangentia se corpora intercipi, sicut enim si ita esset, quia nos latent, viderentur omnia immediatè sentiri; sic & in carne accidit. Nam quia nos latet eam esse medium, videntur omnia sine medio sentiri; cùm tamē medium quodpiam adsit.

A Ita partim conueniunt sensus omnes, partim discrepant. Omnes enim vtuntur medio; sed externo alij & manifesto, alij interno & occulto. Hæc porro esse veram huius loci interpretationem, plenum erit ex ijs, quæ subijciuntur.

TEXTVS.

Ἀλλὰ διαφέρει τὸ ἁπλῶς περὶ ὁ ἐνεργεῖ ἢ πρὸς ὑφεστηκός, ἢ κατὰ συμβεβηκός· ἅμα γὰρ τῷ μεταξὺ ποιεῖν τι θιγεῖν ἐστιν, οὐχ ὑπὸ τοῦ μεταξύ· ἀλλ' ἅμα τῷ μεταξὺ ἁφῆς ἐστὶ κινεῖν πληγεῖσ. οὐ γὰρ ἡ αὐτὸς πληγεῖσα καὶ πάσχει, ἀλλὰ ἅμφω ταῦτα πληγῶσι.

Sed differt tactile ab aspectabilibus & sonoris, quòd illa quidem sentimus eo quod medium mouet quidpiam nos, tactilia vero non à medio, sed simul cum medio: sicut qui per clypeum percussit. Non enim clypeus percussus percutit, sed simul accidit ambo percuti.

COMMENTARIVS CLXII.

NAm cùm sensibus omnibus dixisset illud esse commune, vt per aliquod medium fiant: ne subiungit eos in hoc ipso differre, vt quinis intelligere possit medium in tactu & gustatu potius internum esse & congenitum, carnem scilicet, in reliquis externum, aerem aut aquam. Hoc enim est, quod ait, alio modo sentiri tactilia obiecta & gustabilia (siquidem tactilium nomine gustabilia quoque intelligenda sunt quòniam gustare, vt sæpè dictum est, quoddam tangere est) alio aspectabilia & sonora, atque adeo odorabilia. Quippe hæc tria ita intimus, vt ab illis priùs moueatur medium, deinde medium motum quoquomodo moueat & afficiat nos, soni namque & odores priùs suscipiuntur in aëre, tum ab aëre sonoro & odorifero nos ipsi permouemur. Lux item priùs illuminat interiectum perspicuum, ac demum oculis nostris affulget. In colore autem similis quoque motus est, si non realis certè intentionalis, aut per colorum species, quæ priùs suscipiuntur in medio, ac per medium in oculos aut quatenus non immediate, sed per aliquid aliud interiectum sentitur. Et ideo dixi medium moueri quidpiam nos, hoc est quoquo modo, siue re ipsa, siue intentionaliter & impropriè. At tactilia & gustabilia dum sentimus, non permouemur à medio, sed simul cum medio: neque priùs ab illis mouemur medium, tum sensus, sed vtrumque simul. Sicut cùm quis clypeum gestans per eum percutitur, non priùs lancea vel lapide percutitur clypeus, tum percussus clypeus gestantem hominem percutit: sed simul & eodem ictu tum clypeus percutitur, tum homo, qui clypeum gestat. Immo tantum abest, vt clypeus percussus percutiat, vt percurrienti sit potius impedimento: quia nisi is intercederet, vehementior esset percussio. Cuius rei ratio alia non est, nisi quia clypeus est velut medium cum homine ipso coniunctum, & ideo simul vterque percutitur. Quod si separatum esset, priùs oporteret percutere clypeum, deinde is percuteret hominem: sicut cum baculo percutitur aut lapide. Quæ igitur diuersitas huius sentiendi est causa? Ea nimirum, quod reliqui huius sentiendi est causa? Ea nimirum, quod reliqui sensus per externum & separatum medium fiunt, tactus & gustatus per internum & congenitum.

Idcirco

Idcirco enim in illis opus est priùs moueri medium, & à medio affici sensum. In his autem simul fit vterque motus. Illéq. censetur motus mediatus: hic immediatus quia etsi medium intercedat, illud tamen coniunctũ est, & simul cum sensu mouetur.

Non ignoro, Themistum secus hunc locum interpretatum fuisse. Atque in tribus prioribus sensibus dixisse nos moueri à medio, hoc est medium non moueri & affici ab obiecto, sed per medium organa nostra & sensus: in tactu autem & gustatu & medium & sensum alterari simul & pati. Verùm quod ad medium in illis externum, in his internum distinguendum attinet, perinde est: & in tactu carnem velut clypeum ipsemet interpretatur. Quoad rem ipsam autem, neque ita est vt dicitur; neque Aristoteli consentanee dicitur. Sanè non albescit aër, neque nigrescit; at illuminatur, sonat, odoribúsque repletur. Nec solùm eas qualitates suscipit, sed verè etiam ab illis nominatur. Et lumen an non antea definitum est esse actus perspicui vt perspicuũ est: & color esse motiuus eius, quod est actu perspicuum hoc est illuminati medij & sonus esse motus aeris resilientis à læuibus: ac demum in lib. de sensu & sensili, odor esse actus aeris aut aquæ, vt lauatiua sunt & detersiua. Ita enim re ipsa illuminatus, sonans, & odorans, nostros permouet sensus. Coloratus autem etsi non dicatur, colorum tamen speciebus susceptis mouetur & patitur. At neque medium neque organum tactus alteratur, nec nominatur à grauitate, leuitate, asperitate, lenitate, duritie, mollitudine, & alijs similibus qualitatibus, quas tangit. Neque Philosophi sermo est de appellatione, sed de motu. Neque in eo sensilium differentiam facit, quòd nominent medium, vel non nominent: sed quòd priùs aut simul moueant, tum medium, tum organum; quódque organum aut immediatè à medio, aut ab obiecto permoueatur. Cuius diuersitatis ratio ex ijs petitur, quæ antea tradita sunt: quòd inquam in quibusdam medium sit nobis congenitum, in alijs separatum & dissitum.

Quocirca neque Philoponus audiendus est, si hęc spectare velit ad alteram eorum argumentationem diluendam, qui carnem ostendebant organum tactus non esse. Quoniam si per medium externum sentiret caro, nequaquam illa huius sensus proprietas seruaretur, qua distinguitur à cæteris; vt tangendo, hoc est nullo interposito corpore obiectum suum percipiat. Tum quia vt in superiori quoque Commentario adnotaui, non esset opus Philosopho in huiusmodi obiectionum solutione laborare. Tum quia prima contextus verba satis ostendunt, inchoatam sensuum comparationem eum prosequi. Et cùm eo dixisset conuenire, quòd omnes sciant per medium; sed in eo differre, quòd aliqui procul obiecta sua percipiant, alij non nisi prope: & ideo in illis medium sit manifestum, in his nos lateat: aliam nunc differentiam ac diuersitatem exponi: Quæ nominatur quidem esse in motu, qui fit per medium; sed re ipsa diuersam quoque medij rationem significata: nempe in illis esse externum medium, in his internum & coniunctum: sicut clypeus cùm gestatur, coniunctus est, & ideò simul mouetur. Itaque paulatim & sensim progrediens, primùm deduxit nos ad hæc media intelligenda, eorúmque vim & naturam dignoscendam. Deinde etiam ad ea ipsa nominanda. Nam primùm dixit, eorum alterum esse amplum & manifestum, alterum exiguum & incognitum. Deinde alterum ab obiecto motum mouere sensum, alterum simul cum sensu ab obiecto moueri. Tandem in sequenti textu alterum dicet esse aerem aut aquam, alterum carnem in tactu, vel in gustatu linguam.

Duplex tactilium qualitatum genus.

Cæterùm meminisse oportet hoc loco, tactile obiectum bipartitum esse. Nam partim constat primis qualitatibus, calore, frigore, humore, & siccitate: partim alijs secundis, quę secundùm has in corporibus insunt; grauitate & leuitate, asperitate & lenitate, alijsque pluribus. Quoniam in vtrisque quidem verum est, simul moueri sensum & mediũ: at non eodem modo. Quod illæ ipsæ qualitates non eodem modo agunt, siue in sensum, siue in medium. Principes enim illæ reali alteratione agunt, animalis temperamentum immutando, réque ipsa tum carnem, tum organum afficiunt, & nominant calidum frigidum, humidum, siccum. Reliquę non alteratione, sed motu potiùs & impulsu; dum graue deorsum trahit, leue sursum impellit, asperum inæqualitate partium pellit, aut etiam lacerat, leue non item, molle facilè cedit tactui durum non cedit; eodémque modo cætera, in quibus non alteratio aut qualitatis vllius productio (quæ enim ab illis producatur) sed motus quispiam agnoscitur, simulque in medio, & organo; vt clypei exemplum confirmat: in quo & percussio est & motus isque tum in clypeo, tũ in homine simul factus. Fortasse autem hoc potissimùm exemplo vsus est Philosophus ad hoc alterum tactilium qualitatum genus, in quo res obscurior erat, explicandum.

Vt medium priùs moueatur quàm sensus.

Intelligendum tamen est, simul tempore, non natura, moueri sensum & medium. Quia si sensus moueri nequit nisi per medium; omnino medium necesse est natura saltem priùs moueri. Idem in aspectu quidẽ verum est; quem in lib. de sensu & sensili affirmabit idem Philosophus, non tempore, sed momẽto operari. At id non oritur ex natura medij; sed aut sensus, qui immaterialis maximè est: aut obiecti, quod aut non multiplicatur per medium, aut certè non re ipsa, sed per intentionalem speciem, vt colores; aut momentaneam prorsus multiplicationem habet, vt lumen. Ex parte autem medij esset potiùs tempore. Quoniam cùm sit externum & separatũ, moueri priùs deberet, quàm sensus. Quam ob causam ab aspectabilibus quoque hoc loco dixit prius moueri medium, quàm sensum; quia solum medium considerabat, ex cuius conditione fit, vt in solis tactu & gustatu fiat simul motus; quoniam medium coniunctum sit, vt clypeus neq. moueri possit, quin simul organum sensus moueatur.

Immò ne in his quidem videtur id esse vniuersè verum. Quippe in illis quidem qualitatibus, quæ per motum & impulsum sentiuntur, id ità est. At in principibus illis quatuor, quæ alterando mouent, necesse est prius alterari carnem, quæ est medium, moxque ab hac altera moueri organũ. Quare ita erit Philosophi propositio intelligẽda, vt in omnib⁹ quidẽ sensibus prius saltẽ natura moueri oporteat mediũ, quàm sensus organũ: sed in ijs, qui externo vtuntur medio, ex parte medij, quod separatum est, prius quoq. tempore moueri mediũ; hocque si non in omnibus, certè in pluribus eueniret & si quando non ita eueniat, aliunde, id quàm ex medio, proficisci. In ijs autem, qui medium internum & coniunctum habent, secus accidere: & in omnibus quidem sensibus, si non circa omnia obiecta. Nimirum propter illorum propriam & specialem conditionem.

Cogor ita hunc locum interpretari; tum quòd hæc videtur esse Philosophi mens, dum, de solo homine sensuum medio loquitur; omnésque in eo comparat, quòd per medium sentiant. Tum quòd communis aliorum interpretatio propositis dubitationibus non satisfaciat. Dum enim in aspectu inquiunt, auditu, & odoratu, priùs medium, quia delatricem vim habet colorum, saporum, odorum; eósque deferendo agit in organum: in tactu autem & gustatu non item; quoniam medium patitur & alteratur passione atque alteratione propriè dicta, sicut & organum: Certum est de prioritate temporis, non naturæ, sermonem esse: quoniam naturæ prioritas in tactu quoque & gustatu reperitur. Ergò respondeat quæso, an non aspectus subitò operetur, eodémque temporis momento medium & organum patiatur? An non caro priùs tempore quàm organum tactus, alteretur? An non dum caro calefacta aut simili alia qualitate affecta calefacit aliovè modo afficit organum, agat in illud & moueat; magisque propriè, quàm dum aër sonis perstrepens aut odoribus fragrans audiendi aut odorandi sensum permouet? Accedit, quòd vim delatricè habere non magis actionem in sensum significat, quàm calefactiore alisque agentium qualitatum alteratio. Immò secus omnino: siquidem illud priùs nil aliud significat, quàm esse vehiculum & id, per quod, vt Simplicius loquitur: hoc autem posterius qualitatem & actionem propriè dictam. Quòd si nullus negauerit, aërem calidum aut aquam frigidam verè agere & mouere nos, cum corpora nostra calefaciunt aut refrigerant, atque in his ipsis nostris corporibus, dum vna pars calefacit aut refrigerat, humectat aut siccat aliam: quis verè negare possit, agere carnem aut mouere, quàdo calefacta & alterata calefacit aut alterat neruum, aliamuè interiorem partem, quæ tactus aut gustatus organum sit?

Quòd autem dixit Auerroes, prioritatem, de qua hoc loco agitur, nec temporis, nec naturæ: sed causæ potiùs intelligendam esse; atque in reliquis sensibus prius moueri medium, quàm sensum; in tactu & gustatu simul vtrumque: quia in illis mouetur medium ab obiecto, mediúmque motum est causa mouens organum; in his verò medium non est tanquàm causa mouens, sed solum obiectum causa est, quæ tum medium, tum organum simul mouet. Eò minùs satisfacit, quòd in his quoque duobus sensibus medium is externum interponit. Quo posito intelligi planè non potest, nos per aërem aut aquam calefieri aut refrigerari; quin illa ipsa corpora calefiant priùs aut refrigerentur, ipsáque calefacta aut refrigerata easdem mox qualitates corporibus nostris impertiant: nec minùs in ea agant, immò magis verè & propriè, quàm quando ad aures & nares sonos aut odores deferunt. In aspectu autem non minor erit, quàm antea, difficultas, nam etsi in lumine aer illuminatus agere dicatur in oculum, vimque habere causæ; in coloribus certè non dicetur, qui aut nullo modo aut intentionaliter solùm in aere suscipuntur. Sanè ad hæc omnia quemadmodum responderi possit, nisi eo modo, quem ipse proposui hæc Philosophi verba intelligantur, non video.

Primũ minimũ in alteratione.

Fortasse etiam ex hoc loco non ineptè quispiam colligat; In alteratione dari primum minimum ex parte subiecti, quod simul totum alteretur. Si enim ita sit, tunc verè licebit affirmare, non solum in ijs qualitatibus, quæ per motum sentiuntur; sed in principibus quoque illis, quæ alteratrices sunt, moueri simul medium & organum. Quia cum determinata quædam corporis pars, quę tota simul alteretur; hæc non solum eam comprehendit, quæ medium est, sed eam quoque, quæ organum. Animaduertendum est cum Philopono & Simplicio, ideo nunquam moueri simul medium & sensum, quia caro, quæ medium est, sentit quoque & simul esse medium & organum, si non primum, certè secundum.

TEXTVS.

Omnino autem videtur caro & lingua, sicut aër & aqua ad aspectum, & auditum, & odoratum se habere, sic se habere ad sensorium, sicut illorum vnum, quodque. Ipso autem sensorio tacto, neque ibi, neque hic fit vnquam sensus. Vt si quis corpus album super oculi vltimum ponat. Quare & manifestum, quòd id, quod intus tactile sensorium. Sic enim vtique, quemadmodum in alijs euenerit. Apposita enim super sensorium non sentiuntur. Super carnem autem apposita sentiuntur. Quare medium tactilis caro.

COMMENTARIVS CLXVIII.

VErè à me in duorum superiorum textuum interpretatione dictum fuisse, non de extraneo medio esse in illis sermonem, cum de medio tactus loqueretur Philosophus, sed de intraneo & connato, verba hæc aperte confirmant. Etenim quod ait Philoponus, dubitatũ fuisse hactenus, num tactus & gustatus externo vtantur medio, caróque sit illorum organum, nimirum propter analogiam cum cæteris sensibus: nunc verò contrà dubitari atque ex eadem analogia Philosophum argumentari, carnem non esse organum, sed medium minime credendum est. Tum quia vniuersa hæc de tactu disputatio dubia esset, anceps, incerta, ad vtramque partem probabilis, neque in ea certi quidquam constitueretur, vt in cæteris sensibus factum est. Tum quia orationis illud initium (omnino autem) plane testatur totam disputationis hanc conclusionem esse, veramque Philosophi sententiam, non dialecticam aut problematicam argumentationem, cõmere. Nõ enim dubijs, sed certis plane verbis & tanquam huius assertor sententiæ, antecedentem totam disputationem concludens, ait omnino ita se habere carnem in tactu & in gustatu linguam, vt in cæteris sensibus se habent aër & aqua. Neque carnem inquam neque linguam esse tactus aut gustatus organum, sed hæc ita se habere ad id, quod est organum, vt se habent aër & aqua ad propria reliquorum sensuum organa, oculum, aurem, nares, eámque partem, quę in his membris præcipuum est sentiendi instrumentum.

Quòd

Quòd enim ait (illorum vnum quodque) etsi aërem solum & aquam nominasset; propterea ait, inquit Simplicius, quòd hæc, vt ex tex. 68. & 76. manifestum est, trium sensuum media sunt; non quatenus aër aut aqua, sed quatenus communem habent naturam, & sunt diaphana, dijcha, & diosma; hoc est perspicua, persona, & perodora: Quemadmodum enim hęc elementa, quatenus tres has conditiones habent, quasi facultates colorum, sonorum, & odorum delatrices; aspectus, auditus, & odoratus media euadunt; ita caro & lingua, dum vim habent qualitates tactiles & sapores deportandi medium existunt, non organum, tactus & gustatus. Atque in hoc sensuum omnium analogia seruatur. Sed illud est discrimen duplex; quòd iam positum est: quorum vtrumque ex eo nascitur, quòd aër & aqua sunt media externa & separata; caro & lingua interna & congenita. Quartum discrimen addunt Philoponus & Simplicius aërem & aquam esse media duntaxat; carnem tum medium, tum organum. Quoniam non solùm per eam sentit alia interior pars, velut primum & præcipuum organum: verum ipsa quoque sentit, tametsi secundariò & tanquam minùs præcipuum instrumentum. Quod ipsum fortasse discrimen intelligere possumus ab Aristotele in superiori textu significatum fuisse, cũ tactum diceret non mouerià medio, sed simul cum medio: quia scilicet medium congenitum simul cum proprio sentiendi organo tactilia obiecta persentit.

Caro tactus medium, tum organum.

Quãquã duo hæc elementa aerẽ, & aquã, nõ solũ medium, sed & quoquo modo organum dicere possumus esse illorum trium sensuum; quippe aspectus organum exaqueis humoribus constat; auris aerem inclusum continet; ac demum odoratus organum vaporem habet ex vtroque mistum. Quare si ita habere se debet caro ad tactum vt aër & aqua se habent ad hos sensus, eam oportet tum medij, tum organi vim habere & quoniam magis incertum videbatur, an esset medium, propterea hoc maximè probauit Philosophus: non esse inquã organum duntaxat, sicut oculus est organum aspectus, sed etiam medium: neq. solùm, vt aër & aqua, sed medium sentiendo patiatur. Quod autem ita est organum, vt non sit medium, alia est interior pars. Themistius tamen carnem contendit esse duntaxat medium, non item sentire. Quoniam Aristoteles apertè dixit, eodem modo se se habere carnem in tactu & gustatu, quo se habent aër & aqua in reliquis sensibus; in quibus sanè ita sunt medium, vt nullo modo, nec primò nec secundo sentiant. Et omnino medij & organi rationes non solùm diuersæ sunt, sed & quodammodo oppositæ. Siquidem medium est id, quòd non operatur, sed per quod operatur aliud: organum autem id, non per quod, sed quo immediatè operatur quidpiam & sentit. Immò vero carnem non esse organum, sed duntaxat medium, non solùm explicauit Philosophus cõparatione illius facta cum aëre & aqua, verum etiam confirmauit ratione. Quam Auerroes voluit esse à destructione consequentis ad antecedentis destructionem. Si caro non esset medium, sed organum, vt in alijs sensibus, ita in tactu, simile positum suprà sensum non sentiretur: at sentitur, immo non sentitur, nisi suprà ipsum ponatur: ergo ipsa non est organum, sed medium. Meliùs tamen ad secundam figuram reduxit Philoponus. Obiecta sensilia sensuum organis immediatè admota non faciunt sensum, tactilia, & gustabilia carni & linguæ absque alio corpore interiecto imposita sentiuntur, caro igitur & lingua non organum, sed medium sentiendi sunt, organum autem aliud interius. Ratiocinationis huius propositio quo modo intelligenda sit, satis dictum est in Commentarijs ad tex. 73. & 75. & in Digressione ad posteriorem hunc locum: eaque interpretatio ex his verbis rursum confirmatur. Nõ enim alborem, sed corpus album ait positum suprà oculum non videri: sicut & in tex. 73. dixerat, id quod habet colorem, & in tex. 75. non odorem aut sonum, sed corpus olens aut sonans. Atque huius rei ratio ex eo loco petenda erit: núncque satis sit perpetuum & vbique constantem Aristotelis loquendi modum adnotasse.

Cæterùm oculi vltimum nemo cum Themistio id, quod intimum est, hoc est pupillam, dicat. Quo modo enim corpus album immediatè admoueatur pupillæ? Sed id quod extremum, hoc est corneam tunicam, inter quam & coloratum corpus intercedere aërem aut aquam oportet, si aut illud, aut aliud quidpiam videri debeat. Idem de sonante atque olente corpore in auditu & odoratu dicendum est. In tactu autem & gustatu non eadem est externi medij necessitas. Nam in cæteris ea est, quia sine lumine nihil videmus: nec corpus sonans aut olens, sed sonum aut odorem ab illis profectos, audimus aut olfacimus. Et ideo aerem aut aquam esse oportet, in quibus lumen, sonus, & odor suscipiantur. At in tactu non ita est: sed vt nomen ipsum significat, tangentis corporis & tacti extremitates debent esse simul hoc enim est tangere, in tex. 22. lib. 5. Phys. hæcque ipsa generalis notio in tactu quoque animato & sentiente necessaria est.

Verùm generalem alteram sensus conditionem & naturam seruari oportuit, quia antea positum est, sensum omnem esse operationem & passionem quandam perficientem, non lædentem & corrumpentem. Ea non seruaretur in tactu, si nullum omnino intercederet medium, quo mitior & suauior fieret corporum contactus. Sed obiectum organo immediatè admotum læderet plurimùm, & cum dolore molestiáque summa sentiretur. Propterea cùm externum medium esse non posset, prouidit natura medium internum & animali congenitum. Vt inquam vna exterior pars, quæ immediate tangeretur, medium esset, quo interior alia sentiret. Ita nimirum suauis & minimè lędens, sed perficiens, fit tactus, generalisque seruatur natura tactus, vt simul sint tangentium extremitates, & sensuum omnium communis conditio, vt per medium fiant, licet alio atque alio modo. Ac demum tactus atque adeo gustatus, qui est quidam tactus, tum fiunt immediate, tum per mediũ immediate comparatione medij externi, quo cęteri sensus vtuntur: per mediũ, si absolutè & perse cõsiderentur. Qua si nõ externo & separato interno certe & congenito vtuntur medio. Ita carnem concludit esse tactiui mediũ, hoc est tum tactus tum gustatus, quidum tangendo operatur, tactus quidamest.

DIGRESSIO LVII.
De Organo tactus.

QVod hoc loco Philosophus definiuit, carnem non esse organum tactus sed medium, organum autem interius quidpiam existere, non sine

causa ab interpretibus eius magnopere disputatur. Non solũ enim sensu & experientia nõ satis confirmatur; sed neque etiã constans videtur hæc auctoris sententia. In 1. lib. de animalium historia cap. 3. partem eam, in qua tangendi vis continetur, dixit carere nomine; & in quibusdam esse eandem, in alijs proportione quadam. Et mox in cap. 4. hanc interpretatus est esse partem homogeneam, hoc est carnem, aut in ijs, quæ carnem non habent, eam, quę carni proportione respondet: & omnino partem sanguineam, aut in exãguibus eam, quæ illi analoga est. Eandémque sententiam habuit in secundo lib. de partibus cap. 1. 3. & 5. & confirmauit in lib. 3. de histor: cap. 11. dum cutem omni sensu carere dixit, maximè eam, quę est in capite; quia nulla interposita carnem diceret eam esse, quæ in cæteris corporis partibus sentit. Sed in eodem 2. lib. de partibus ca. 8. rem visus est dubiam facere; nununquam caro sit organum, an medium. Sic enim loquutus est. Tactus sensorium pars eiusmodi, hoc est caro est: aut prima, vt pupilla aspectus: aut coniuncta, per quam agitur, perinde quasi pupillæ omne perspicuum. At in cap. 10. quemadmodum in hoc 2. lib. de anima apertis verbis negauit. Tactus, inquit, primum sensoriũ non caro, nõ pars eiusmodi aliqua; sed aliquid intimũ. Quod in lib. de sensu & sensili c. 2. & in lib. de Iuuent. & senect. c. 2. iuxta cor esse pronuntiauit.

Varia Aristotelis sententia.

Prima opinio.

Atque ita intimum illud tactus organum interpretati sunt Themistius cap. 40. Simplicius in tex. 106. 116. Theodorus Methochita cap. 11. suæ expositionis, & Alexander in priore lib. de anima cap. 17. & vltimo; tactilium qualitatum sensionem atque comprehensionem in corde fieri asserentes; carnem verò esse medium, quo eæ renuntientur cordi: sicut aër & aqua aspiciendi, audiendi, & odorandi medium sunt.

Secundo.

Philoponus verò in com. ad tex. 106. & 107. Aristotelis omnino opinionem fuisse credidit, carnem esse tangendi organum; si non primum, certè secundum. Nam si hic sensus tangendo sentit, vt est in tex. 129. partem illam corporis sentire atque illius organum esse necesse est, quæ tangit: tangit autem caro; hócque vbique & in toto corpore. At id, quod est intus, velut primarium organum, non tactus modò, sed sensuum omnium, animalem spiritum intelligi voluit. Quod sensit quoque Psellus in extremo libro de Dæmonibus & cum Theophrasto Priscianus in lib. de an. c. 40. cur autẽ præter sentientem carnem aliud sit magis primarium organum, ea fuit Prisciani ratio: quemadmodũ caro, inquit, vehementiùs patiens sub sensili è proximo illi incidẽte passionis acerbitate actum sentiendi disperdit.

Spiritũ tangẽdi organũ non esse.

Sed nescio, an sapienti vlli Philosopho persuadeat. Propterea quòd si spiritus animam non habet nec vitam, neque pars est animalis, nec sensum habere potest: tantum abest, vt in eo potissimùm vigeat tactus. Deinde in 2. lib. de partibus animalium tactus organum tradidit Aristoteles crassum esse, corpulentum, & consistens: spiritus tenuissimus est, & omnium maximè fluidus. Tum verò cuiusque sensus proprium oportet esse organum, vt & propria est actio, propriúmque obiectum: spiritus commune quidpiam est sensibus cunctis necessarium. Et quamuis lingua, tum gustatui, tum tactui, famuletur, non est tamen idem vtriusq. sensus organum, quoniam non conuertitur; & gustatus in sola est lingua, tactus in toto corpore. Sed & ratio illa, qua idem interpres probauit carnem esse tangendi organum; quia hic sensus operatur tangendo; eaque pars, quæ tangit, illius organum censeri debet: proma sanè est & ex ipsa tactus notione ducta. Spiritus ille interior non est id, quod tactilia obiecta tangit: proprium igitur tangendi organum esse non potest. Sed solùm quatenus generale quoddam est instrumentum, quo ad omnium sensuum & motum exequendum anima vtitur.

Eandem ob causam neque cor vllius operationis, nisi vitalis, proprium organum dixero: minimèque tactus, in quo tangentium extrema simul esse oportet. Manifestúmque est, partem eam, quæ in toto corpore tangitur, sentire, hoc est de obiecto iudicare. Deinde tum cor, tum spiritus calidissima sunt, tactúsque organum temperatum esse oportet, vt qualitates omnes diudicet. Præterea si Aristoteles cor esse organum voluisset, non dubitasset cap. 10. lib. 2. de partibus, an organum sit gemini, vt in cæteris sensibus. Neque in. tex. 11. in tactu affirmasset simul moueri medium & organum. Quo modo enim à tactili obiecto & caro vt medium, & cor tantopere dissitum velut organum simul moueantur? Aliquo nimirum, immo & multo tempore opus esset. Nunc verò statim atque tangimur quidpiam, sentimus: nec potest qualitas tactilis per medium tàm crassum támque dissitum transmitti, statim ad cor aut etiam ad spiritum. Porro cum obiecta tactilia duobus sentiantur modis; aut per alterationem, aut per impulsum aliumúe similem motum: per alterationem alteratrices illæ qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas; per motum grauitas, & leuitas, asperitas & lenitas, & alia his similes: cor neque calefit, neque impellitur, neque vllam prorsus alterationem aut motum ab incidentibus hisce obiectis patitur. Sed omnis eiusmodi passio exterioris est illius partis, quæ proximè ab obiectis attingitur. Dolor verò, qui continui dissione sentitur, an non in ea parte sentitur, in qua continuum diuiditur? Iam vero hic, quàm absurdum quiuis sensus, ita fit, vt non solùm qualitates & differentias tactiles sentiamus; sed etiam qua parte sentiamus, manu, aut pede, aut alia quauis, opinemur iudicemus. Et interiores interdum, interdum exteriores partes dolent. Neque spiritus, qui corde continetur, ad sentiendum est aptus, quemadmodum is, qui ad exteriorem partẽ à cerebro per nerues transmissus est. Accedit, quod cùm organum sensus communis multo magis visus sit idem quæ Aristoteles in corde penere, nullo modo credi potest, idem esse, tum singulorum exteriorum sensuum, tum interioris illius, qui communis est, organum: Atque in organo tactus non solùm tactilia obiecta suscipi, sed aspectabilia quoque, & ea, quæ ad cæteros sensus pertinent. Sed omnino tantum consentaneum est, interioris sensus interius esse organum, exteriorum exterius; illud vnicum, hoc tàm multa sunt obiecta, multique sensus. Denique tangendi organũ partem homogeneam voluit esse Aristoteles, cor eterogeneum est membrum. Cor igitur, vt aliarum omnium facultatum, sic tactus principium & fons erit, proprium tangendi organum, in quo de obiectis iudicetur, non erit, si cum sensu & ratione naturæque huius sensus consentaneè, Philosophari velimus: verùm in exteriori parte, in qua obiecti motio apparet.

Atenim aliquãdo dixit Aristoteles, gustatus & tactus sensorium esse iuxta cor. Ita sanè. Non tamen dixit esse in corde. Non igitur cor, sed aliquid aliud

est

est illorum sensuum organum. Propterea verò dixit esse iuxta cor, vt hos duos sensus à reliquis tribus distingueret; quorum organa propè cerebrũ, in editissima scilicet parte, conspiciuntur, oculi, aures, nares. Nam gustatus & tactus in inferiori parte cùm vigeant sub cerebro, propinquiores cordi sunt; & ad illud potiùs, quàm ad cerebrum, pertinere videntur. Neque situ modò, sed & temperatione distinxit. Priores enim sensus temperationis frigidæ organum habent; & ideò cum frigidissimo cerebro coniuncti sunt. Reliqui duo magis calidi aut certè tempetati; qui ad cor magis pertineant caloris fontem & partem omnium calidissimam cerebro oppositam: quasi priorum organa cerebri frigore frigeant, posteriorum cordis calore calescant. Illorum etiam organa molliora sunt & cerebro ferè persimili substantia constant: horum solidiore, duriore, ac planè carneo vtuntur organo. Eiusmodi est cordis substantia; carnea inquam, prædura & solida, & terrea; quale horum sensuum organum. Ad hæc autem duo membra sensus omnes libuit reuocare; quòd penes illa sentiendi vis residet. Cor enim virtutis omnis fons est & origo: cerebrum illius quasi vicarium, dum & neruos subministrat, & spiritum temperat. Neque in his contradicit nobis Alexander, dum eum locum interpretatur. Sed quidpiam addit, in quo illi contradicendum sit. Alteram namque rationem adducit, cur ita sensus fuerint distributi. Quoniam cùm à corde ad sensus omnes ducantur nerui; ad aspectum, auditum, & odoratum ita ducuntur, vt priùs per cerebrum transeant: ad gustatum autem & tactum immediatè. Etenim nullus à corde nascitur neruus, sed à cerebro prodeunt omnes, & inde potiùs ad cor deriuantur: & vt ad reliquos sensus, sic ad linguam ex cerebro neruos dissectiones manifestè ostendunt.

Neq. Platonis illud in Timæo quod & Alcinoüs habet in libro de hominis doctrina cap. 19. Tenditur à lingua venæ ad cordis sedem, saporum nuntię; probari potest. Siue enim venas, siue potiùs antiquitatis acceptione intellexerit neruos; neutrum in dissectionibus comprobatur. Iam verò sensuum illam distinctionem propter diuersam organorum conditionem & temperationem, ipsemet Aristoteles interpretatus est: tum eo ipso loco, vbi cur horum duorum organum propè cor posuisset, eam rationem exposuit; quia cor cerebro oppositum est vt membrum omnium calidissimum: tum verò in cap. 10. lib. 2. de partibus. Nam citans eum librum de sensu & sensili, quæ ibi dixit, his verbis interpretatus est. Principium sensuum esse cordis locum, definitum iam est, cùm de sensu ageremus: & quam ob causam duo, id est, tangendi & gustandi, sensus ex corde apertè pendent; vnus ex reliquis tribus, idest odorandi, medium tenet; duo, id est, audiendi & aspiciendi, maximè in capite positi sunt, propter sensoriorum naturam, & quæ sequuntur. Cor enim esse principium sensuum, non sensorium, probauit; quia gustatus & tactus ex illo apertè pendent, etsi proprium aliud sensorium habeant. Dum autem auditum & aspectum positos esse addidit in capite propter sensoriorum naturam; exposuit etiam quod dixerat, sensorium gustatus & tactus esse propè cor; nimirum propter suam naturam, quæ à corde magnopere pendet.

Deinde cùm aspectum dixisset esse aquæ auditum aëris, odoratum ignis, tres hosce sensus propè cerebrum esse subiunxit: non quòd cerebrum sit eorum organum, sed quòd oculus ex cerebro conformatus sit, calidique materia sit frigidum. Tactum verò & gustatum subijciens esse terræ eos ad cor potiùs pertinere affirmauit: tum quòd terræ frigus magno illo calore cordis indigebat: tum quod ipsa cordis substantia solida est, dura, benè compacta, & velut terrea; multóque horum duorum sensuum organis similior, quàm cerebrum. Accedit; quòd multò pluribus neruis opus habet tactus, & verò gustatus, quàm sensus cæteri: neruorúmque principium & fontem coluit esse cor. Præterea quoniam hi duo sensus ad alimentum & vitam tuendam ac conseruandam spectant; vitæque & alimenti principium est cor. Postremò quia nullus priorum sensuum operatur in corde, sed omnes in capite. In corde autem solus viget tactus; vt dolores testantur, qui in ea parte sentiuntur interdum acutissimi: gustatus, etsi in corde non operetur, tactus tamen quidam est. Atque hæ sunt causæ, propter quas ad cor potiùs, quàm ad cerebrum, pertinere hi duo sensus dicti sunt. Et hæc quidem hactenus.

Aliò enim vocat nos Auerroës; qui in Comment. 108. 116. illud, quod Aristoteles pronuntiauit esse intus velut tangendi organum, interpretatus est neruos; qui sunt sub carne. Quòd si in libro de animalibus dixit esse carnem; propterea dixit, inquit Auerroës, quia nondum ex corporum dissectione in cognitionem neruorum venerat. *Tertia opinio.*

At quàm sæpè & quàm multa de neruis in libris illis de animalibus, qui hosce de anima scriptos antecedunt, idem Philosophus loquitur? quomodo sine diligenti dissectione libros illos conscribere potuisset; aut quomodo dissecare, quin per totum corpus neruos sub carne sparsos intueretur? Verùm nec ipse Auerroës sibi satis constat. Nam in Comment. 117. carnem aut neruum interpretatur; & in secundo de partibus animalium libro, capite primo, & in Paraphrasi libro de sensu & sensili capite secundo, & in secundo libro Colliget, capite octauo & decimo tertio, carnem omnino prædicat primum esse & proprium tangendi organum, neruúmque carni famulari. Neque susceptum illud neruorum patrocinium Philosopho consentaneum esse videtur. Quippe non solùm in locis antea indicatis, quibus hanc de organo tactus quæstionem attigit, nũquam neruos nominauit: sed etiam tactũ voluit in tex. 124. huius libri, & textu 66. libri tertij, in quadam temperie tactiliúmque omnium qualitatum mediocritate versari, vt percipere omnes possit. Hanc enim ob causam plantas docuit non sentire, quòd nimis terreæ sint; neque ossa, pilos, aliaue huiusmodi, quæ terrea planè sunt. At neruos terreæ temperationes esse, frigidos & siccos, Philosophi omnes consentiunt & medici: & aperta fuit Aristotelis sententia in textu 79. libri primi; Quæcumque in animalium corporibus insunt simpliciter terræ, vt ossa, nerui, pili, nihil sentire videntur. Quamquam non neruos nec pilos, sed ossa sola, legit Auerroës. Illius verò sententiam confirmabunt medici; quorum illa est permulgata doctrina, vim omnem sentiendi esse in cerebro; neque sentire quidquam in vniuerso corpore, nisi per neruos à cerebro transmissos. *Confutatio.*

Quod plurimis in locis Galenus tradidit, in opere præsertim de vsu partium. Vt in cap. 18. lib. 1. non dubitauerit scribere, nullam in toto corpore carnem ex seipsa sensum habere; & ideò per eam vbique spargi neruos, vt vbique sentiamus.

Quarta opinio. Theophilus Timara.

Denique non defuerunt in tam obscuro loco, qui apertis verbis Aristotelem dicerent haud satis organum tactus exploratum habuisse: & ideò cùm videretur illi verissimile non esse illud, quod primum ab obiectis attingitur; affirmasse non esse carnem, sed interius quidpiam, neque quid hoc esset, dicere potuisse.

Auctoris opinio.

Ego verò non ita credo: præsertim cùm tam multis alijs in locis tam apertis verbis hac de re diseruerit. Sed verè affirmari posse existimo, eum in re dubia ancipitique quæstione voluisse difficultatem significare, & vt dixit Philoponus, ad inuestigandam veritatem nos exercere. Neque quidquam omninò hoc loco constituisse; sed cùm alibi sæpiùs veritatem explicasset, voluisse solùm rei difficultatem indicare. Sic enim de vnitate quoque tactus diuersa proposuit argumenta: & rursum an externo corpore intercepto fiat tactus. Et in priori quidem non satis apertè respondit: Posteriorem autem, vt ait Themistius, omnino neglexit. Neque argumentationibus illis interpretes Græci aquieuerunt; sed contra potiùs rem sese habere ostenderunt. Quod in tertia hac quoque quæstione fecerunt. Nam etsi is argumentatus sit carnem nullo modo sentire; sed id, quod est intus: Alexander tamen, Philoponus, & Simplicius, eam quoque sentire voluerunt; esseque si non primum, certè secundarium tangendi organum: idque ex Aristotelis sententia. Ergo quid Aristoteles hac de re senserit, ex alijs locis colligendum est, in quibus non disputando, sed asserendo loquutus est.

Caro tangendi organum.

Carnem sentire & esse verum tangendi organum, non semel, sed pluribus in locis aperta oratione affirmauit. Quòd si innominatum esse interdum dixit, propterea dixit, quia non in omnibus est caro, sed in permultis carni quidpiam proportione respondens, vt superiùs quoque in textu 107. loquutus est. Etenim carnem maximè obseruauit sparsam esse per totum corpus, quemadmodum est tactus. Exterioriisque sensus organum intellexit exterius esse debere: præsertim illius sensus, qui tangendo, hoc est coniunctis extremitatibus eius, quod tangit, & eius, quod tangitur, operatur. Vidit etiam vbicumque vel leuissimè pungitur caro, animalia quæque sentire: neque aliud pungi, quàm carnem. Qua sanè experientia conuincuntur Auerroës & Medici. Nam etsi per totum corpus dispersi sint nerui, in quolibet tamen carnis puncto non sunt. Voluit etiam Philosophus tactum in mediocritate tactilium qualitatum consistere, vt paulò ante ostensum est: carnémque potissimùm eiusmodi partem esse temperatam & ad excessum quemlibet cognoscendum aptam. Et nónne in textu 94. ex carnis velut proprij organi mollitudine maximè vigere tactum in homine demonstrauit? Et rursum in extremo capite 16. libri secundi, de animalium partibus, homini tradidit omnium molliſſimam datam fuisse carnem, quòd omnium maximè sensu tactus valeat.

Nerus & cutis.

Propterea tactum inesse neruo & cuti præsertim capitis interdum negauit, quòd natura ficciores hæ partes sint, & ideo per se spectatæ ad sentiendum ineptæ. At illæ ipsæ cum carne coniunctæ & copulatæ, vt humectantur meliorique modo temperantur, ita sentientes euadunt. Nam & neruus cùm carne permistus atque illius humore spiritúsque calore temperatus, si per se & seorsim spargatur aut diuidatur, diuisoue acriores inspergantur; sentit nimirum & magnopere dolet; atque in eo spasmum, vehementissimum scilicet dolorem, verè agnoscunt medici. Et cum neruum constet cæterorum sensuum organum esse, & verò etiam motus; multò magis credi debet organum esse tactus, sine quo nullus aliorum sensuum, neque motus. Etsi cum primum et cerebro egreditur, aut non sentit, aut obtusè admodum, perfectè: quòd similis nimirum est cerebro, quod aut nullum, aut vix vllum creditur habere sensum: immoderatè enim frigidum ejus humidum, tactúsque intemperie consistit.

Cutem verò sentire quilibet experitur: & eò magis, quò mollior fuerit & delicatior. Contra quibus dura est, hebes inest sensus. Habetque dispositionem satis temperatam & ad sentiendum aptam. Immò in homine temperatissimam & aptissimam. Atque hæc corporis pars maximè indiguit sensu, quòd in eam primùm incurrat noxia & repellenda. Accedit sensus ille, qui ex diuisione continui; quæ siue in cuti fiat, siue in alia parte, ibi prorsus sentitur, neque ad interiores partes pertinet. Non solùm enim tactilia quæuis sentimus; sed etiam ea ipsa parte sentimus, qua tangimus, & interdum summa, interdum intima corporis parte. Quamquam cutis mollitudinem & humectationem habet à carne: alioqui sua natura rigidus est & mucosus lemor in extremo corpore ad omnia membra tegenda obductus: carne scilicet ficcescente, vt polentis crustula, quemadmodum est in secundo libro, de animalium ortu, capite quarto. Et quamuis esse temperata sit satis, si tamen adhæreat ossi, siccior euadit & ad sentiendum ineptior. In humano autem capite sensum aliquem habet, quod carnis quidpiam subsit.

Interiores quoque partes sentiunt & dolent, quòd idoneum satis temperamentum habeant; cor, iecur, lien, pulmones, intestina omnia. Denique venis, arterijs, panniculis, idem iudicium. Ossa & cartilagines propter intemperiem, siccitatemque nimiam non videntur sentire posse. Multò minùs pili, vngues, dentes, cornua, humores, adeps, & quæcumque animata non sunt. Itaque fiet, non modò carnem, sed & partes omnes corporis molliores, magisque temperatas sensum tactus habere. Perfectissimus tamen omnium in carne viget neruosa quoniam plurimis & tenuissimis permista neruis optimè temperatur; dum nimius carnis humor neruique siccitas temperantur vicissim; atque vbi plurimi sunt nerui, plurimus item est per neruos transmissus spiritus.

Quòd si quis Aristotelem omnino vellet hoc quoque in loco affirmando loquutum esse, carnem non esse sentiendi organum; ita posset illius verba exponere, vt cum alijs consentirent. Carnem enim fortasse non propriè nunc nominauit, sed cutem intelligi voluit. Quod ex tribus licet colligere. Primùm, quòd in tertio de animalium histor. libro, eandem dixerat omni sensu carere. Deinde, quòd hæc

hæc sit prima & extrema corporis pars, quæ à tactilibus omnibus primùm attingitur: eáque potissimum vtroque hoc nomine inter omnes corporis partes vim medij habere videbatur: tametsi cum carne coniuncta ipsa quoque simul cum ea sensum accipiat. Postremò, quòd ea maximè similis videbatur illi pelliculæ de qua in textu 109. & 114. loquutus fuerat; dixerátque, non organum, sed medium esse.

Id autem, quod est intus, velut præcipuum & per se organum, caro erit & neruus cum carne permistus & ab ea temperatus. Hoc modo & Philosophi hæc sententia cum experientia & ijs, quæ alibi abeo tradita sunt, constabit: & sensus tactus, qui omnium primus est & velut aliorum fundamentum, quique vt est is, per quem primò animal constituitur & est animal; ita cùm illius obiectum ea contineat, ex quibus constant animalium corpora, ad illorũ vitam tuẽdam maximè necessarius est; per vniuersum corpus diffusus fuerit, hoc est per omnes Homogeneas partes, quæ sentientem animam habent, molliorésque sunt & temperatiores.

Quòd si non cutem, sed carnem propriè nominatam tanquam medium intelligamus: eam respondebimus alijs quidem in locis appellatam fuisse tangendi organum, quia reipsa sentit, dum tangitur: sed nunc primum ac præcipuum organum in interiori parte fuisse positum, hoc est in neruo, qui est sub carne. Eámque comparatione huius organi esse velut medium tamen non sensu priuatum, vt in cæteris sensibus aer & aqua; sed animatum & simul cum primo organo sentiens. Quod si in textu 79. lib. 1. neruum dixit non sentire, cum per se consideraret & secundùm suam temperationem frigidam, siccam, & terream, atque à carne separatam. Cum carne autem permistus & temperatus optimè sentit: immò præcipuum sentiendi organum credi potest; velut id, quod à corde & cerebro transmissum est, quorum alterum sensus omnis principium est, alterum administrator.

Carnem autem non absolutè dictam fuisse non sentire, sed primi duntaxat organi comparatione factam fuisse medium; & interpretatur Simplicius, & ipsius Philosophi verba apertè testantur: tum in cap. 12. libri secundi de partibus animalium, quæ cum hoc loco sententiam eandem continent, deque primo sensorio loquuntur: tum quia tum in textu 107. quæstionem hanc proposuisset de primo solùm sensorio, in hoc textu 116. carnem scribit obiecta sibi admota sentire & in extremo textu 117. ita concludit; sensorium autem, in quo tactus inest primò, est huiusmodi pars. Eodem modo interpretor dictum fuisse, cutim non sentire; hoc est non esse primum ac primarium huius sensus organum, vt nec est caro.

Quocirca totam hanc disputationem concludentes planè possumus affirmare, tangendi organum esse molliorem quamcumque & magis temperatam partem Homogeneam, quæ sentiente anima prædita sit; singulásque esse velut organi partem. Sic enim Philoponus in comment. ad text. 65. & ad textu 15. libri primi, sensum hunc dixit per totum corpus sparsum esse. Et Aristoteles propterea fortasse scripsit eius organum esse innominatum; quia plures partes complectitur, quibus vnum nomen non est: sed aut est caro, aut analogum quidpiam, hoc est neruus, cutis, aut aliquid simile. Sensum enim ad vitam conseruandam prorsus necessarium per vniuersum corpus extendi oportuit.

Vt sensile positũ supra sẽsum non sentiatur

Ad argumentationem autem illam, qua carnem probauit Philosophus esse medium, non organum, quia sensile positum supra sensum non sentitur: vt neruum aut aliam quamcumque interiorem partem immediatè tactam sentire prætermittam: tria soleo respondere. Primum, si is asserendo argumentatus sit, eum loquutum esse de sensione, quæ naturaliter & sine læsione ac molestia fieri debet. Ea enim fit per medium, sed quod simul cum orgãno sentiat. Hocque aut est caro comparatione nerui, aut cutis comparatione carnis & nerui. Nam neruus naturaliter non sentit, nisi per carnem; nec caro, nisi per cutem. Quare caro aut cutis dicuntur media; non quòd ipsæ non sentiant, sed quòd per eas neruus & interiores partes sentiant. Alioqui & neruus & cor & quæcunque alia pars immediatè tacta nimirum sentiet. Causa autem est, quoniam loco medij in tactu est soliditas & corpulentia organij; quæ non facilè mouetur nec tantopere patitur ab obiecto, vt nisi adsit medium, dissoluatur sensus, aut iudicium eius turbetur.

Alterum, si non asserendo, sed disputando ita ratiocinari voluit; inter obiectum & cutem carnemve adesse respondebo inanimatam cuticulam, eamque esse medium, per quod & cutis & caro & neruus sentiant. Eáque detracta fieri quidem sensum, sed cum molestia. Et certe argumentum illud haud magnam vim habet. Siue namque adsit naturalis hæc pellicula, siue exterior quæpiam apponatur; perinde sentit cutis, aut caro. Neque est obiectum immediatè positum supra sensum, sed medium corpus intercedit. Non ergò inde licet colligere, carnem aut cutim esse medium, non organum.

Tertium, propositionem illam de primo obiecto sensili intelligendam esse; atque in cæteris sensibus non item in tactu, locum habere. Nam si in cæteris sensibus opus est medio, id non oritur ex generali sensus natura, sed ex propria & speciali illorum conditione, vt in digressione ad tex. 77. dictum est, neque ea in tactu & gustatu locum habet. Propterea scitè Philoponus tripartito sensus diuisit. Aspectus & auditus obiecta maximè dissita sentiũt; gustatus & tactus prorsus coniuncta: odoratus mediocri intertuallo distantia.

Tactus maximè materialis sẽsus.

Ex quibus omnibus tactum intelligas maximè omnium sensuum materialem & corporeum esse. Nam & primus ex materia & corpore educitur, & per totum corpus protenditur, & materiali maximè & corpulento vtitur organo, & circa obiectum maximè materiale occupatur; quod propterea statim dicetur corporis, qua corpus est, differentias continere, ac materiali demùm maximè modo operatur, dum non nisi tangendo sentit ea, quæ immediatè ipsi coniunguntur.

TEXTVS.

Ἁπτὰ μὲν οὖν ἐστιν αἱ διαφοραὶ τοῦ σώματος ᾗ σῶμα. λέγω δὲ διαφορὰς, αἷς τὰ στοιχεῖα διορίζουσι, θερμὸν, ψυχρὸν, ξηρὸν, ὑγρὸν, περὶ ὧν εἰρήκαμεν πρότερον ἐν τοῖς περὶ στοιχείων.

Tex.117 *Tactilia igitur sunt differentiæ corporis, quatenus corpus. Dico autem differentias, quæ elementa definiunt, calidum, frigidum, humidum, siccum de quibus diximus prius in iis, quæ de elementis.*

COMMENTARIVS CLXIV.

MAgna in huius contextus explicatione inter interpretes videtur esse discordia. Omnes tamen iudico eodem spectare, & Aristotelis consilium quoquomodo intellexisse: Sed aut non perfectè assequutus fuisse, aut certè non satis expositisse. Dum enim Philoponus ait, post dubitationes hactenus de tactu propositas eum ad id, quod agendum erat, redire; atque exponere, quodnam sit obiectum tactile, quæque illius species. Et S. Thomas, agi de organo; ostendique quale sit tactus organum: sententiam Philosophi partiti sunt; nec integram, sed alteram illius partem acceperunt. Themistius, tum de ipso tactu, tum de organo dici voluit. Sed cùm tactum scripsit, ostendit esse omnium maximè corpulentum, quòd circa qualitates eas versetur, quæ corporis, quatenus corpus est, differentiæ sunt: priorem partem minùs accommodatè absoluit. Nam neque hoc agitur, sed satis in textu III. explicatum est. Neque id satio illa concluderet. Nam reliquæ item sensiles qualitates, colores, soni, odores, & sapores, differentiæ sunt corporis, quatenus corpus est; non quatenus animatum & viuum (sic enim Themistius ipse loquitur) nec aliud interest, nisi quòd tactiles sunt omnium primæ, nec mistis solùm, sed simplicibus quoque corporibus communes: reliquæ posteriores & mistorum magis propriæ.

Melius ergò Simplicius, tum de obiecto, tum de organo sermonem esse iudicauit. At de obiecto tradi, vnum esse tactilium omnium genus, quod antea quærebatur; prorsus non probo. Quoniam neque hæc Philosophi verba significant: neque verum est, vnum illud genus esse id, quod est corporis determinatiuum; vt superiùs demonstraui. quare hoc loco arbitror ego ex tota hactenus habita disputatione duo concludi; alterum de obiecto; alterum de organo. De obiecto concluditur, vt vox illa (igitur) satis indicat: Tactilia, quæ huius sensus obiecta sunt, eas esse qualitates, quæ corporis, vt corpus est, differentiæ existunt: hoc est calidum & frigidum, humidum & siccum. Quæ appellant differentiæ, quòd elementa, quorum sunt propriæ & per se qualitates, ratione quorum mistis quoque corporibus insunt, tum constituunt & determinant, tum distinguunt & separant. Vtrumque enim differentiarum munus est, & vtrumque Græca vox (διορίζουσι) significat. Non appellantur autem differentiæ essentiales, quasi eæ sint substantiales elementorum formæ vt Philoponus visus est opinari: sed accidentariæ & propriæ. De sensilibus enim duntaxat est sermo. Elementorum quoque principia dicuntur esse in posteriori de ortu & interitu libro, qui de elementis hoc loco vocatur, quod in eo de his corporibus disserarur. Nec tamen substantialia, sed accidentaria principia esse dicuntur, quatenus ex duarum complexu singula elementa gignuntur. Itaque dum primis verbis appellatæ sunt differentiæ corporis, vt corpus est, minùs benè interpretatus videtur esse Themistius, hoc est non quatenus animatum est & viuum. Quoniam ipsemet Philosophus statim subiungens (dico autem differentias, quæ elementa determinant) alio prorsus modo exposuit. Corpus quam, quatenus corpus est; hoc est non quatenus mistum, sed quatenus simplex corpus duntaxat generabile tamen & corruptibile; siquidem qualitates sunt inter se pugnantes & contrariæ. Natura corpus mistum has quidem qualitates habet, sed ab elementis: Singulásque magis aut minùs intensis, quemadmodum elementum aliquod magis minusue abundat. Quatenus autem mistum est, qualitatibus alijs affectum est, alijsque sensilibus; coloribus, odoribus, saporibus; quæ ex elementorum permistione nascuntur.

Porrò complures aliæ qualitates tactiles sunt, durum & molle, asperum & lene, densum & rarum, graue & leue, & id genus aliæ. Sed solas illas quatuor nominauit, quæ omnium primæ sunt, & ad quas cæteræ reuocantur. Quod vt significare, posteriorem illum de ortu & interitu librum commemorauit, in quo ad illas reuocari cæteras demonstrauit. Sed de graui & leui alteram quandam rationem habet Philoponus, quæ nullo modo probanda est. Idcirco enim hæc ait prætermissa esse, quòd in proprio loco elementa neque grauia sint, neque leuia; sed eiusmodi fiunt, cum extra suum locum posita atque à toto separata ad illud deorsum aut sursum mouentur. Meminisse autem poterat naturam, tum motus, tum quietis, principium esse, & grauitatem leuitatémque intelligere, quæ naturæ instrumenta sunt, duplicem habere actum seorsum: alterum, quo mouentur ad locum: alterum, quo in eo quiescunt seseque naturali propensione detinent atque expellenti resistunt naturalia corpora. Neque vllius formæ natura in sola operatione consistit: neque corpus calidum dicitur aut frigidum, eo duntaxat tempore, quo actu calefacit aut refrigerat; sed etiamsi nihil eiusmodi operetur: nec grauitas aut leuitas solum motum deorsum aut sursum significant; sed qualitates velut potestates & facultates, quæ illorum motuum, si opus sit, principia existant; sin minùs, quietis in eo loco, in quo corpora optimè conseruari & esse possint.

Vt qualitates primæ sint differentiæ & principia elementorum.

DIGRESSIO LVIII.

De Vnitate Tactus.

FOrtasse ex eo, quòd duas contrarietates primas recensuit Philosophus, colligat quispiam, tactum non esse vnum sensum, sed plures: quoniam vnus sensus vnius contrarietatis & vna facultas vnius obiecti esse antea dicebatur. Aspectus albi & nigri, auditus acuti & grauis, odoratus iucundi & molesti, gustatus dulcis & amari. Est enim plures alias qualitates cognoscat, eæ tamè ad illâ vnâ primæ cõtrarietatẽ reuocãtur. At tactus plures habet & quæ primas

primas contrarietates, quarum vna ad alteram non reuocatur. Sanè id ita esse, obnixè contendunt Auerroës in Comment.108. Albertus, S.Thomas, Ægidius, alijque complures. Sed plerique duos faciunt, vt duæ sunt primæ contrarietates. Ad eas enim aut ad sensilia communia cæteræ reuocantur. Auerroës tertium addit, qui graue & leue comprehendat: & in 2.Colliget cap.13.quartum, famescentis & sitientis stomachi. Delectatur enim cibo & potu famescens, tristatur satur: & quintum delectationis venereæ. Sextum alij, doloris & voluptatis. Themistius quidem certè in cap. 39. vniuerse pronuntiauit tot esse, quot sunt contrarietatum paria. Sed in cap. 21. Tangimus, inquit, glabra, aspera, » mollia, dura, grauia, leuia: tangimus calida, frigida, B » humida, sicca: Omnia hæc vno sensu cognoscimus. » Ita licet quinque coniuges copulæ sint, vnus tamen » est tactus. Quæ Peripateticorum omnium sententia » fuit.

» Atque ad argumentum illud de multiplici contrarietate tribus modis respondet Alexander in priore de anima libro. Primùm, in cæteris quoque sensibus multarum contrarietatum eundem esse sensum; vt auditum acuti & grauis, magni & exilis, lenis & asperi, &c. Deinde esse quidem vnum genus tactilium omnium contrarietatum, at commune nomen non esse. Denique, nec aspectabilium C omnium vnum esse commune nomen, vt in tex.72. ipsemet Aristoteles confessus est. Quartum responsionem addit Philoponus, hoc à cæteris sensibus differre & eximium habere tactum; vt vnus cùm sit, plures possit contrarietates comprehendere. Etsi plures contrarietates plures tibi tactus suiadeant, cur sensorij vnitas in toto corpore vnum non persuadeat?

Verùm commune tactilium nomen Atticos interpretes τὸ ἁπλοῦν nominasse refert Philoponus; & corporum, quatenus sunt corpora, determinatiuum Simplicius; qui propterea non ex rerum natura, sed ex ignoratione nostra argumentum illud D duci; iámque ob causam non vnum obiectum non esse, sed manifestũ non esse, dictũ fuisse adnotauit. Philopon' autẽ adducit Philosophi verba in tex.128. » Quòd autẽ nõ sit sensus alius præter quinq; aspectũ, » auditum, odoratum, gustatũ, tactũ, ex his credet aliquis. Et quoniam de tactu maximè dubitatum fuerat, de eo præsertim adiungit; quæcumque tangentes sentimus tactu sentiri; eandem scilicet facultatem, quæ inter sentientes quinta numeratur: omnes quippe speciei atomæ vnitatem habent. Alia igitur atque alia animæ iudicia fuerint, vt alia atque alia tactilium genera; at eadem indiuidua facultas omnium arbitra. Nam & eadem est indiuidua anima, quæ aliarum atque aliarum corporis partium actus E existit, atque cum corpore diuidua sit. Ita quinque sensus numerantur. Alioqui plures numerari oporteret: quoniam non minùs specie differrent duo tactus, quàm tactus & aspectus. Certè lumen & color contrarietate vlla non continentur: immò magis, quàm tactiles qualitates, distingui videntur; & vnius aspectus obiectum sunt. Communis verò sensus omnium sensuum contrarietates percipit. Etsi sensus singuli qualitates specie diuersas comprehendunt, cur non plures etiam contrarietates cognoscant? Nam si vnitatis speciei ambitum egredi potest obiectum, vniúsque speciei facultatis obiectum esse genere duntaxat vnum; Quidni plurium quoque contrarietatum, quæ sensilitatis eandem rationem habeant, esse vna facultas possit? Quòd si multiplex organum esse dixeris, carnem, neruum, & similes alias partes: hoc materialis & corporei valde sensus totique corpori maximè necessarij argumentum est. Propterea enim per totum corpus funditur & sufficientem vbique organi dispositionem habet. Neque facultatum diuersitas ex subiectis, sed ex obiectis iudicatur. Nec enim caloris sensum in corde & manu specie diuersum dices: & vt aspectus in animalibus cunctis, ita & tactus in omnibus corporis partibus communem vnam rationem habet. Nam etsi aliæ atque aliæ partes alio atque alio modo sentire videantur; quædam titillando, aliæ alio modo; tactus tamen sensio diuersa non est; sed delectatio aut tristitia, vt iucundum aliquid aut molestum sentitur. Cùm frigemus, oblectat calor; contrà cùm calemus, molestiam adfert; eadem tamen caloris in eadémque parte sensio. Vbi plurimæ conueniunt partes, est- Tactus que tactus insolitus, vt sub maxillis & pedibus; pro- titillatio pter magnam sensilitatem & insolentiam fit titillatio; quam mox assueti non sentiunt. Ieiunus stomachus delectatur, tristatur satur; propter conueniens aut non conueniens obiectum. Idem in cæteris animaduertas sensibus. Odoratus in omnibus idem specie: at odore vno delectantur aliqui, tristantur alij: nec propterea facultatum numerus crescit. In tactu igitur, vt in cæteris, plura materialiter obiecta sunt; at facultatis vnitas ex formali dẽducitur. Ambasque illas contrarietates, quæ omnium primæ existunt, ad vnum genus pertinere antea expositum est: & nunc duas contrarietates nominat, quòd vnum illud non sit facile alio modo, quàm tactile, nominare; voce scilicet non absoluta, sed à sensu deflexa, quæ formale obiectum indicat, rationémque qualitatibus illis omnibus, quæ sensu percipiuntur, communem: sicut & in alijs sensibus aspectabile, audibile, odorabile, gustabile nominamus.

Itaque aut Philosophum dicas in textu 106. & 107. disputando in re perobscura loquutum fuisse; nequé constituisse quidquam, nisi vbi postea ostendet, quinque duntaxat esse exteriores sensus: ita enim vnus solus relinquitur tactus. Aut argumenta eo loco proposita mox explicasse in textu 108. cæteros quoque sensus circa plures contrarietates versari; atque in tactu vnum quidem obiectum esse, sed innominatum ac minimè manifestum.

TEXTVS.

Τὸ δὲ αἰσθητήριον αὐτῶν τὸ ἁπλοῦν. ᾧ ὑπάρχει ἁφὴ καλουμένη ἁφὴ ὑπάρχει πάντων, τὸ δυνάμει ποιοῦν τὸν μέσον. τὸ γὰρ ἁπτὸν ἁπτόν ποιεῖ. ὥστε τὸ ποιοῦν ἐστιν αὐτὸ ἐνέργεια, τὸ δὲ ὑπομένον ποιεῖ δυνάμει ὄν.

Sensorium autem ipsarum tactilium, in quo qui vocatur tactus ineſt primo, poteſtate huiuſmodi particulâ eſt.

Sentire enim pati quoddam eſt. Quare faciens quale ipſum actu, tale illud facit, cùm ſit poteſtate &c. Tex.118

COMMENTARIVS CLXV.

DE organo autem illud vnum pronuntiauit; tactus organum eámq. partem, in qua primum ineſt tangendi facultas, talem poteſtate eſſe debere, quale actu eſt obiectum, quod tangendum eſt. Hæc enim ſenſuum omnium communis conditio; vt eorum organa obiecto ſentiendo careant, & poſſint illud ſuſcipere; & velut in primis neceſſariam in ſingulis eam ſenſibus inculcauit. In aſpectu quidem & auditu in textu 71. in odoratu autem in textu 100. in guſtatu in textu 104. & 105. ac demum nunc in tactu. Quare cùm obiectum ſit calidum, frigidum, humidum, ſiccum; organum hoc neque calidum actu eſſe oportebit, neque frigidum, neque humidum, neque ſiccum; ſed poteſtate.

Quomodo tactus organum poteſtate ſit ad tactilia.

At ſi ex elementis permiſtum eſt, vt in textu 111. dictum eſt, quomodo id eſſe poterit? Nimirum qualitates illas omnes actu & reipſa continebit. Sed ita temperatas, vt quemadmodum de elementis dicitur, ea non eſſe in miſtis actu, ſed poteſtate; quòd fracta ſint & permiſta, non integra & diſtincta, neque ſuam ſpeciem & actum materiæ tribuant, ſed medium quidpiam efficiant: ſic de qualitatibus hiſce intelligendum ſit. Et omnino meminiſſe oporteat duplicis illius poteſtatis, quæ in textu 48. poſterioris lib. de ortu & interitu traditur: quarum altera toto actu caret, altera parte illius duntaxat. Nam vt poſteriorem hanc, non priorem illam voluit ibi Philoſophus elementis conuenire, dum in miſtis conſiderantur: ita hoc loco intelligere oportet, dum hæ qualitates elementorum in organo tactus ſpectantur. Ex quo conſequens erit, verè antea definitum fuiſſe, carnem & cutim, ſi non ſint primum tangendi organum, tamen ſenſu non carere. Immò ad tangendum aptiſſima eſſe, cùm qualitatum harum temperatione conſtent, quæ ad omnes percipiendas poteſtate ſint.

Id porro, quod hoc loco affirmauit, eodem planè argumento demonſtrat, quo in textu 104. organum guſtatus probauit non debere eſſe humidum actu, ſed poteſtate: quoniam pati debet à guſtabili obiecto, quod humidum eſt, & cum humido inguſtatum agit: Quod autem patitur, eatenus patitur, quatenus poteſtate eſt, non actu, ſicut id, quod agit, eatenus agit, quatenus eſt actu. Nam tangendi organum non actu, ſed poteſtate debere eſſe tale, quale actu eſt obiectum tactile; confirmat ex eo, quod vt ſæpè dictum eſt, ſentire pati quoddam eſt, quæ nimirum paſſio organi eſt & ſenſus, quemadmodum agere eſt obiecti: quod autem patitur, poteſtate eſſe oportet. Et quoniam ex ſeipſo non poteſt ad actum tranſire, neceſſe eſt fiat actu ab aliquo, quod ſit actu. Sed id, quod eſt actu & facit illud quoque actu, eatenus facit, quatenus ipſum eſt actu & alterum poteſtate ad illum ipſum actum. Quæ ex generali ſenſuum doctrina antea tradita manifeſta ſunt. Etenim ſentire eſſe pati quoddam, & ſenſitiuum eſſe poteſtate tale, quale eſt actu ſenſile obiectum; & ideò patiab hoc, quod eſt actu: Fierique actu & partim pati à ſimili, partim à diſſimili, in principio quidem & dum patitur, eſſe diſſimile, ſimile autem, poſtquam paſſum eſt. Propterea antequam patiatur, quidpiam aliud actu eſſe debere, poteſtate autem illud ipſum: fierique actu per ſuſceptionem formæ ipſius obiecti ſenſilis, ſiue realis, ſiue intentionalis: aut inquam ipſa reali qualitate ſuſcepta, aut ſola illius ſpecie, aut actu cognitionis tanquam forma quadam obiecti: abundè antea dictum eſt. Quare etiam manifeſtum exiſtit, cur non dixerit abſolutè, ſentire eſſe pati, ſed eſſe pati quoddam. Non enim eſt paſſio corrumpens & propriè dicta, ſed perficiens & minùs propria. Quoniam nil corruptionem quandam interdum adiunctam habeat, dum calor in carne ſuſceptus expellit frigus, aut humor ſiccitatem: hoc tamen ex accidente, neque in omnibus. Neque eſt corruptio organicæ tientiſúe facultatis; ſed vtriuſque perfectio. Neque ea pertinet vllo modo ad ſenſum, ſed ad cótrarium, quod ab obiecto & ſenſu remouetur.

Porrò qui ſomarum intentionalium ſuſceptione hunc ſenſum perfici cogitarunt, minùs nobiliſcó. ſunt negotij. Nam vt mittam, ne in cæteris quidem eas ſpiritalioribus ſenſibus neceſſarias eſſe; quid is ſenſu maximè materiali & corporeo, quique reale obiectum tangendo operetur, opus eſt illis? Principes quatuor alteratrices qualitates agunt reipſa, ſimiléſque ſibi producunt, noſtrorum corporum temperamentum immutando. Cæteræ tactiles eatenus ſunt, quatenus motum aliquem & impulſum habent, tangentiúe reſiſtunt, aut cedunt; vt grauitas, leuitas, durities, mollitudo. Nec omnino quidquam inter animalia & corpora cætera intereſt, niſi quod cætera ſine ſenſu, animalia cum delectationis aut moleſtiæ ſenſu qualitates eas ſuſcipiant. At cætera omnia reales, non intentionales formas, ſuſcipiant. Eadem guſtatus conditio; quia tactus quidam. Sed in guſtatu lapidum corpus immediatè imponit linguæ; quòd nequeat ſapor reipſa ſe multiplicare. Interdum autem tactus vti poteſt externo medio, quòd alteratrices qualitates reipſa ſe multiplicare queunt: ita tamen, vt ſi non primum obiectum, qualitas certè ab eo producta in organo ſenſus ſuſcipiatur. Cætera neceſſe eſt ipſamet ſuſcipi, ſi ſentiri debeant. Itaque tactus reale ſemper quidpiam ſuſcipit; aut qualitatem, aut corpus tactile: idque propter materialem huius ſenſus conditionem. Siue autem qualitatem, ſiue corpus qualitate affectum ſuſcipiat; perinde iudicat, num conueniens ſibi obiectum ſit, an noxium.

TEXTVS.

Διὸ τὸ ὁμοίως θερμοῦ, ἢ ψυχροῦ, ἢ σκληροῦ δὲ μαλακοῦ τὸ αἰσθάνεσθαι. δηλοῖ γὰρ ὑπολαμβάνων, ὡς τὸ αἰσθητικὸν ὅτι μαλιστα ἔστιν ἕως ἔστιν ὃ τοῖς αἰσθητικοῖς ἐναντίωσις ἢ ὅλῳ τῷ σώματι τὰ αἰσθητά· τὸ γὰρ μέσον, κρῖνόν· γίνεται γὰρ πρὸς ἑκάτερον ὡσπερ σταθμὸν τοῦ ἄκρου.

Quare æquè calidum vel frigidum, aut durum & molle, non ſentimus, ſed redundantias. Quaſi ſenſus ſit mediocritas quædam ſit eius, quæ in ſenſilibus eſt, contrarietatis. Et propter hoc iudicat ſenſilia quod enim medium, indicandi vim habet. Quoniam vtriuſque ipſorum comparatione ſit alterum extremorum.

COMMEN.

COMMENTARIVS CLXVI.

SIue cum Simplicio Philosophum dicas tacitæ obiectioni occurrere: siue cum Themistio, Philoponо, & Auerroë, ex ijs, quæ dicta sunt, quidpiam eum deducere ad sensionem tactus intelligẽdi apprimè necessarium: Perinde sanè fuerit, eodémque prorsus modo sententia constabit. Nam si tangendi organum potestate, non actu, tale oportet esse, quale actu est obiectum tactile: dubitare quisque poterat, quomodo tactiles qualitates sentiri possint, cùm ex illis actu compositum sit huiusce sensus organum, velut corpus ex elementis permistum. Tum verò consequens erat (id, quod hanc dubitationem tollet) sensus huiusce organum, etsi ex qualitatibus tactilibus, hoc est ex suo proprio obiecto, actu compositum sit; in quadam tamen illarum mediocritate consistere; eásque qualitates, quæ in obiecto & per se consideratæ extremæ supt & ad summum intensæ, magnopere fractas, remissas, & temperatas continere: Itaque quoniam id, quod est remissum & exile, potestate est ad id, quod intensum est & vehemens; adhuc organum illud, etsi quoquo modo sit actu, potestate est ad suum obiectum, tactiliáque omnia sentiendo. Sed ità, vt non similem & sibi æqualem æqualitatis cuiusuis gradum comprehẽdat, siue caloris, frigoris, humoris, & siccitatis, siue duritatis & mollitudinis, siue alterius cuiusuis. Quippe nihil patitur à simili, neque mouetur quidpiam ad eam suscipiendam formam, quam iam habeat) sed maiorem aliquam duntaxat & vehementiorem, qui aliqua parte superet & excedat. Sic enim & patitur à dissimili, & ad illius actum est potestate, & omnino de sensilibus suis obiectis iudicare potest; hoc est ea sentire & comprehendere.

Tactum sentiendo qualitatem non sentire.

Hoc verò pulchrè demonstrat ex proposita tactus natura. Tactus est mediocritas quædam; hoc est in extremarum tactilium qualitatum medio versatur: sed quòd mediocre est & medium, iudicandi vim habet; ergò tactus de extremis & excedentibus qualitatibus iudicare potest. Assumptionem ita ostendit. Quod mediocre est & medium, comparatione vtriusque extremorum fit alterum illorum, hoc est comparatione calidi est frigidum, & comparatione frigidi calidum. At quod eiusmodi est, pati potest ab vtroque contrario; siquidem actio & passio inter contraria consequitur. Mediocre igitur & medium atque adeò tactus, qui mediocritas quædam est, ab vtroque extremo & excedente pati potest, atque vtrumque sentire, comprehendere, & iudicare; si sentire pati quoddam est.

Differentia tactus à cæteris sensibus.

Quare hoc distabit tactus à cæteris sensibus; quòd cæteri omnes quamcumque sui obiecti partem comprehendunt & sentiunt, illiúsque totius existunt iudices: at excessus duntaxat percipit tactus & iudicat. Causa est organi conditio & compositio, nõ sentiẽtis facultatis natura. Quoniã enim quod libet mistum & ideò tota quoque animalium corpora, ex elementis concreta sunt, eorúmque continent qualitates, quæ tactus obiectum sunt: fit, vt huius sensus organum aliquam habeat sui subiecti partem, nec omnino vnquam illo carere possit. Reliquorum sensuum organa suis obiectis penitus carere queũt: quippe ea non sunt elementares, qualitates, quæ ad corporum constitutionem necessariæ sint: neque ex suis obiectis, sed ex tactilibus qualitatibus, constant. In tactu tamen illud procurauit natura, vt organum quàm maximè temperatum haberet: vtita si non omni ex parte, omnem certè sui obiecti partem, hoc est si non gradus omnes, omnes tamen qualitates comprehenderet & iudicaret. Nam si intemperatum & qualitate quapiam excedens fuisset, excedentem illam qualitatem sentire nequiuisset; sed solum eius contrariam. Nunc autem in mediocritate omnium constitutum redundantias omnium exactè percipit & diiudicat.

Sensorium mediocritas sit.

Itaque dum sensum dixit Philosophus mediocritatem esse; & sensum tactus intelligi voluit, non omnem sensum; & sensum pro sensus organo nominauit. Quod tum ex ijs, quæ dicta sunt, perspicuum est: tum ex eo, quod hoc loco agebatur. De solo enim tactu, déque illius organo erat sermo. Tum demum quia idcircò illa propositio adfertur, vt tactus probetur solas qualitatum redundantias sentire: quoniam scilicet mediocritas quædam est qualitatum; quódque medium est, vim vtriusq. extremi habet. Quæ probatio in eo medio vim habet, quod ex extremis cõponitur. Quam ob causam scitè admodum Themistius admonuit, non esse intelligendum medium, quòd eque ab extremis distat & ab vtroque remotum est, quemadmodum in 2. ad Nicomachum libro virtus dicitur esse mediocritas quædam inter excessum & defectum tanquam extrema vitiosa: sed medium, quod extremi vtriusq. particeps est.

Vt omnes sensus mediocritas.

Non solum tamen tactus organum, sed sentientem quoque facultatem posse quoquomodo dici mediocritatem quamdam, non ineptè contendit Simplicius, atque adeò sensum omnem Themistius & Philoponus. Tangentem quidem facultatem, quatenus subiecta vtitur organi media temperatura. Sensum autem omnem, quatenus in vniuscuiusque sensus obiecto contrarietas quædam est, in cuius medio tanquam extremi vtriusque iudex versatur sensus: aspectus inter album & nigrum, auditus inter acutũ & graue, & eodem modo reliqui. Quare alio modo, quàm tactus, dicentur illi mediocritates quædam: illi, quod nihil contineant eorum, quas recepturi sunt, qualitatum: tactus, quòd remissas & medias illas habeat quorum vtrumque, etsi verè dici possit, ad rem tamen præsentem minimè est, vbi de solo tactus organo agitur, déque ea mediocritate, quæ ex contrariorum extremorum permistione nascitur.

Cæterùm hanc non absolutè mediocritatem, sed velut mediocritatem quamdam appellauit Philosophus. Aut quòd nulla sit in corporibus omni ex parte mediocritas, quam ad pondus medici nominarunt: vel si sit interdum, extemporanea sit & propter caloris ætatum, corporúmque mutationem minimè diuturna. Aut certè quod ea tactui necessaria non (neque enim inest in omnibus, inquibus inest tactus) sed satis sit temperatior quouis qualitatum fractarum & remissarum permistio: hæcque in magna quadam latitudine versetur & illud quoque mediocre existimetur, quod non multum à mediocritate recedit.

DIGRESSIO LIX.

Quo modo tactus solam qualitatum redundantiam sentiat.

QVòd hoc loco ab Aristotele traditũ est, solum obiectum redundantias & excessus, non item similes & æquales gradus percipere tactum; optima sanè ratione nititur. Quoniam sentire & pati; neque à simili patitur quidquam, sed quidquid patitur, à maiori ac robustiori virtute patitur & mutatur. Deinde quoniam sensus & omnino quidvis aliud, quod qualitatem quampiam susceperurum est, carere illa debet, essèque ad eam susciendam aptum. Itaque id tùm ex parte agentis, tum ex parte patientis necessarium esse videtur. Agens enim agit vt est actu, & patiens patitur quatenus est potestate. Neque illud agere in hoc potest, nisi actu quopiam præditum sit, quo alterum careat: neque hoc pati nisi actu illo careat, quia ab agente produci potest.

In sensu duplex passio.

In sensu porrò duplex cernitur passio. Altera in organo, altera in facultate sentiente. Facultas semper & in omnibus sensibus patitur, & propter eam maximè dicitur sentire esse quoddam pati, vt alio loco demonstraui. Nunc tamen Philosophus ad organũ quòq. eandem propositionem trahit quoniam in tactu organũ quoq. semper patitur; & in gustatu quoque, qui tactus quidam est. In cæteris sensibus non item. Sed aut non à toto obiecto, sed à quadam illius parte patitur; vt aspectus à luce, non à colore. Aut à toto quidem, sed non semper; vt in auditu & odoratu; atq. adeò in aspectu, dum circa lucida versatur. Non enim semper necesse est hæc obiecta in organo re ipsa suscipi: sed remota quoque sæpè sentiuntur. Solus tactus, & cum eo gustatus, organi quoque passionem semper postulant, antequàm operatur & operando facultas patiatur. Si autem reliquorum item organa parte quapiam obiecti occupata sint; res ipsa testatur non æqualem, sed vehementiorem duntaxat qualitatem sentiri; vt de gustatu apertis verbis in tex. 104. legitur. Iam quod in cæteris sensibus interdum accidit, euenit semper in tactu. Quia cùm illius organum ex tactilibus qualitatibus concretum sit, eas habet semper quadam ex parte sibi præsentes. Itaque hanc ob causam

Cutis manus.

Galenus in primo de temperamentis libro cap. vltimo, cutim scripsit, eam præsertim, quæ est in manu, esse omnium corporis partium temperatissimam, omniúmque extremorum, calidi & frigidi, humidi & sicci, verè mediam: quoniam sensilium omnium norma futura erat: tactus nimirum instrumentum proprium à natura præparatum. Quod verè sanè dictum est. Sed quemadmodum cum eo constet, quod idem auctor alibi sæpissimè inculcauit, præcipuum tangendi organum esse neruum tanquam à cerebro sentientis omnis virtutis principio deriuatum, viderint eius discipuli.

Primarió omnium qualitatũ æquè iudicem esse tactum.

Mihi illud obiter reprehendẽdũ videtur, quod habet in secundo eiusdem operis libro cap. 3. caloris & frigoris solum tactum iudicem esse, humorisautem & siccitatis simul cum tactu rationem. Nam omnis hę qualitates sunt æquè primę & tactiles; & ideò æquè ac eodem modo per se obiecti tactilis partes. Facultásque vna quæque vt per suum obiectum constituitur, ita per se circa illud operari potest, & in bestijs re ipsa operatur, in quibus nulla est ratio. Deinde nec qualitate hasces nec omnino quidquid sensile cognoscere aut iudicare potest ratio, nisi per sensum; non igitur ratio, sed sensus per se & primùm humidi quoque & sicci corporis iudex est. Immò & durum à sicco distinguit: sentitque se alio modo à duro moueri, quàm à sicco; quia vtraque qualitas tactilis est & sub illius obiecto continetur. Ratio autem alio quodam modo, dum non omne durum videt esse siccum, sed interdum humidum, vt glacies.

Porrò tum in his tum in alijs omnibus tactilibus sensum non nisi redundantias sentire, etsi optima ratione à Philosopho probatum sit atque ab interpretibus confirmatum, difficultate tamen non caret. Magis enim frigidam aquam sentimus cum frigemus, quàm dum calidiora sunt corpora nostra. Mirúmque omnino videbitur, si omnia, quæcumque nos sentimus, calidiora nostris corporibus esse dicantur. Sentimus enim duritiam & mollitudinem æqualem aut minorem, dum nostra vel aliena corpora contrectamus, sesèque vicissim tangant manus, etsi æquè calidæ sint, duræ, aut molles. Immò Themistius & Philoponus & verò Alexander in priore libro de anima cap. de tactu, & in posteriore cap. 13. negantes sentiri æquale, non dubitarunt affirmare, non solùm sentiri excessum, sed & defectum. Verùm ad hæc omnia respondere licet. Primùm quidem, solum excessum Aristotelis decreto sentiri, non item defectum. Quia quę ratio probat non sentiri æquale, quoniam in sensum agere non valet, multò magis concludit non sentiri defectum, qui ad agendum imbecillior est & infirmior, magisque ad priuationem accedit, & id quod sua natura insensile dicitur. Deinde verò intelligere oportet, de illis solis qualitatibus sermonem esse, quæ ad intimam organi temperationem pertinet, cùm æquales aut minores non sentiri affirmantur: non item ea alijs quibusuis, quę aliunde in organo suscipiuntur. Duobus enim modis calida aut frigida dici possunt corpora nostra, aut proprio & insito calore vel frigore aut aduentitio aliúndéque accepto. Nam tantum abest, vt aduentitiæ hæ qualitates aliarum sibi similem sensum impediát, vt maximè iuuent. Atq. ita fit, vt frigidiora corpora nostra frigoris aquæ magis persentiant. Quoniam si calidiora sint, caloris interno frigori resistit atque illius actionem temperat. At dum frigida sunt, hoc ipsum frigus, quod vltra naturalem habitum continent, cum accedente & circumiecto aquæ frigore coniunctum vehementiùs pulsat sensum, & vtrumq. tanquam vnum obiectum inuadit. Idem de frigore, idem de calore intelligas. Nam non omnia sanè, quæ calida nuncantur, nostris corporibus calidiora sunt: sed calor, qui in nobis existit, aduentitius plerumque est, non ex naturali organi temperatione.

Quod autem ad duritiam & mollitudinem attinet, meminisse debemus (id, quod in cæteris quæque qualitatibus euenit) mollitudinem sæpe sentiri, non quatenus mollitudo, sed comparatione tangentis durities est: & duritiem item, non quatenus durities, sed quatenus mollitudo. Ita enim fit, vt mollitudo minor sentiatur, quatenus tangentis manus comparatione durities est: & contrà maior durities, quatenus mollitudo quæpiã. Quo fortasse lectu à Themistio & Philopono dictũ est, nõ solũ excessum,

excessum, sed defectum quoque sentiri.

Postremò, quæ prorsus in aliqua qualitate fuerint æqualia, vt mollitudine; si tangendo se se persentiant non illius qualitatis, sed alterius cuiuspiam, quæ inæqualis fuerit, vt caloris aut frigoris, sensus fuerit: siue ea intensior sit, siue remissior. Siquidem remissio quoque sentitur, quatenus intensioris contrariæ, quæ tactus organo caret, rationem habet.

DIGRESSIO LX.

De Tactus dolore & delectatione.

QVoniam verò tactus omnis aut cum voluptate & delectatione fit, aut cum tristitia & dolore: hoc quoq. cõsiderandum Philosopho est, qui accuratam huius sensus cognitionem quærit. Voluptatem & dolorem esse opposita, manifestum est. Quamquam voluptas latiùs patet, quàm dolor. Illa inspiritalibus quoq. reperitur, vt in intellectu, dum contemplatur reiq. cuiuspiam cognitionẽ assequitur, vnde Hætruscus Poëta; *Altero piacere, che impararti nõ prouo.* Hic in solo versatur corpore in voluntate & spiritalibus minùs propriè nominatur. Quare voluptati vniuersè acceptæ dispicentiã potiùs aut molestiam: quã non in tactu modò, sed & in omni sensu & vbicúmque voluptas fuerit, agnosces. Cui enim conueniens obiectum delectationem parit, displicentiam ac molestiam contrarium adfert. Doloni delitiam potiùs seu lætitiam opponas. Hæc enim propriè solùm in tactu: in cæteris sensibus propter adiunctum tactum. Gustatus ab acribus, acidis, acerbis, amaris saporibus læditur singuli vehementiùs alterent continuitatémque soluant. Cõtrà dulcibus oblectatur. Odoratum vehementes & acuti odores eandem ob causam cum molestia & dolore subeunt; cum iucunditate suaues. Auditum offendunt vehementiores soni, aspera vox, maxima & celerrima. Vehementi enim motu colliditur & quasi scinditur auditus organum: vt interdum aliqui audiendi sensu penitus priuati fuerint organo scilicet vehementia soni diuulso. Idem in aspectu faciunt splendores maximi; nec sine oculorũ dolore aciactura obiecta eiusmodi nimiamúe lucẽ intuemur. Disgregat enim & quodammodo diuidit. Cõtra lux moderata delectat. In colorũ aspectu id minùs apparet, quòd re ipsa non agant in oculum, neque cum eo iungantur. Recreant tamen colores medij viridis & cæruleus; lædunt extremi; albus, & niger: quòd illi moderata cõstent luce; hi aut nimia aut vix vlla: quare disgregat alter, alter cõgregat. Sic igitur habent sensus omnes, dum adiunctus est tactus obiecti re ipsa eorum afficientis organa. Alioqui si facultas remotum cognoscat obiectum, displicentiam solùm habent aut voluptatem, dolorem aut delitiam non habent.

Vt hæc verum dolorem & delectationem habeant.

Posuit autem natura dolorem & delitiam in tactu propter animalium conseruationem, vt noxia cum dolore & vtilia cum delitia sentiendo, ab illis refugerent; hæc libenter amplecterentur & verò prosequerentur. Itaque sensiones sunt & operationes perfectissimæ; non læsæ & imperfectæ, quemadmodum aliquid iudicarunt. Etenim cùm vtrumq. ad animalis conseruationem pertineat; ita oportuit perfectum à natura tactum institui, vt non vtilia modò cum delitia, sed & noxia cum dolore æquè perfectè sentiret; vt illa prosequi, hæc vitare posset. Quoquo tamen modo sensio læsa dici dolor potest: tum obiectiuè, tum consequenter. Est enim lædentis obiecti sensio; sensúsque vehementi dolore impeditus ac turbatus reliqua minùs sentire potest. Contrà delitia vtroque modo perfectissima est operatio. Nam quod Conciliator differ. 77. & Gentilis 2. prim. doct. 2. & Ioannes Fœrnelius in lib. de Symptomatis cap. 6. dolorem affirmarunt non ipsam noxij obiecti perceptionem, sed quidpiam inde consequens esse; Conciliator qualitatem quãdam, cæteri molestiam animi ex tactione profectum; vt tristitiam, aut iram ex inimici aspectu: omnino probandum non esse. Quoniam & dolorem delitiámque ostensum est formaliter sensiones esse conuenientis aut non conuenientis rei: & omnino confirmat Auicenna dolorem loco notato definiens cõtrariæ rei sensum esse. Et Galenus in 2. lib. de locis affectis cap. 2. dolor, inquit, tristis sensus est, sicut voluptas blandus est sensus. Atque vt lætari, ita & dolere operationes quædam Formaliter sunt, non qualitates. Omnis enim sensilis qualitas, etsi oriatur ex alijs, per se nonnunquam est, licet à nullo sentiatur: dolor non est nisi dum sentitur, neque sine sensu concipi mente potest. Sed & qualitas quæuis sensilis facultatẽ perficit, in aliquo saltẽ gradu; dolor semper lædit. Delitia igitur iucundam, dolor tristem & molestã sensionem significãt; hácque cessante, tum delitia cessat, tum dolor. Non quod dolorẽ ipsum aut delitiam tanquam obiectũ, sed quòd obiectum quodpiam aut cum delitia, aut cum dolore sentiamus: atque hoc significamus, cùm delitiam doloremve sentire nos dicimus. Non ita visionem aut auditionem sentire nos loquimur. Quod delitia & dolor ad modum obiecti, visio & auditio cæteræque sensiones tanquam actiones significantur. Cùm enim dolor & delitia vehementiores apprehensiones sint, quæ à tactu tanquam primo sensu cæteris quoque communicantur, proprium propterea nomen obtinuerunt.

Sensiones esse.

Hæ propriissimæ operationes esse.

Iam verò quænam sit doloris causa, magna fuit Auerroi præsertim cum Galeno disputatio. Galenus enim Auicennæ testimonio in 2. primi doctr. 2. summa. 2. cap. 19. & Auerrois in 3. Colliget cap. 51. doloris causam esse voluit continui solutionem. Auerroës autem alterationem solam, neque continui diuisionem nisi propter alterationem adiunctã adferre dolorem. Sed omnino existimandum est, dolorem omnem ex vehementi obiecti tactilis improportione proficisci, duásque illius causas esse. Tum immoderatam & minùs cõuenientem alterationem, tum continuitatis diuisionem. Priorem visus est Aristoteles indicare in probl. 13. sect. 11. vbi dolorem scripsit refrigerationem pectoris esse. Quamquam non de eo dolore loquitur, qui est in tactu, sed de altero, qui animæ affectꝰ est lætitiæ oppositus. Posteriorem autem in problemate 26. sect. 5. post longam nimiámque ambulationem femora scribens magis dolere, quàm tibias, quod femorũ caro sit magis coniuncta, dolórque præcipuè propter continui distractionem fiat. Verum ante illum Plato vtramque visus esse complecti in Philebo & Timæo. In altero enim loco Harmonia, inquit, soluta in animãtibus vnã naturæ solutionem generationémque dolorum eo in tempore fieri dico. Rursúsque harmonia contemperata & in sui naturam

Quo doloris causa.

protinus restitura voluptatem fieri dicendum est. In altero autem, Passio violenter prætérque naturam abundè simulque nobis illata molesta sit. Rursus quæ in naturam abundè simulque reuertitur, dulcis. Et vtroque antiquioris Hyppocratis profert illud Galenus in lib. de sympt. causis cap. 6. & in lib. de inæquali temperie cap. 3. Iis quibus natura alteratur & corrumpitur, dolores fiunt. Quod etsi de dolore ex alteratione profecto is interpretetur, illis tamen ipsis in locis, & in 2. lib. de locis affectis, & in 12. de medendi Methodo, & alijs in locis vtramque doloris causam complexus est. Dolores, inquit in 2. artis paruæ part. 88. ex Turisani partitione, aut continuitatis solutionem, aut alterationes subitas ostendunt. Soluitur continuitas incisione, & corrosione, & fractura, & tensione. Alteratur verò substantia calore, frigore, siccitate, & humiditate. Quæ verba non ita accipienda sunt, quemadmodum aliqui accipi voluerunt, vt altera causa ad alteram pertineat; voluerítque Galenus solam continuitatis solutionem doloris causam essentialem esse: proptereáque calorem aut frigus alterando adferre dolorem, quòd continuitatem dissoluant; ille rarefaciendo, hoc partes quasdam densando atque ab alijs separando. Etenim hoc non semper est verum. Omninóque existimandum est, generalem doloris causam improportionem esse & inconuenientiam obiecti; hancque in duas illas diuidi. Alteratio non quæuis dolorem facit; sed magna & subita, quæ intemperiem adferat. Continui autem solutio non sola intelligitur qua partes re ipsa diuiduntur & separantur; sed alia quæuis, quæ præter naturam distrahantur nimirum aut comprimantur. Tactus namque ad vtilia noxiáque sentiendà comparatus est; atque, vt est in 2. lib. de partibus animalium cap. 1. in Homogenea parte reperitur. Hæc autem, tum compositione constat, tum temperatione: compositio partium est integrantium, temperatio principum & alterantium qualitatum. Itaq. duplicem in Homogenea parte sentimus noxiam, cōpositionis dissolutionem, & temperationis alterationē intemperationémq. Solam enim alterationem interdū adferre dolorem, cōplura testantur. Nam & immoderatus calor, aut excedens frigus, etsi nulla sit continui diuisio, dolorem faciunt. Et fæbricitantes intra ossa & neruos dolorem persentiunt; nec vlla ibi solutio continui, sed sola febrilis alteratio: quippe modum excedens alteratrix qualitas eam vim habet. Sola item continuitatis dissolutio. Tum quia diuersis solutis partibus diuersus est dolor, etsi eadem sit dissoluens causa, vt idem culter. Tum quia dum vitreum Phlegma in intestinis includitur, cholicum dolorem gignit: neque vlla est alteratio, cùm frigidus ille humor aptus sit potiùs obstupefacere sensum: soláq. videtur esse continui dissolutio, dum acumine diuidit ac penè terebrat intestina. In alijs etiam partibus sæpè sentitur dolor, nec vlla apparet alteratio; quemadmodum si digitum aut carnem comprimas, si acu pungas, acutóque quouis & duro cultro scindas. Certè dum virgis cæduntur pueri, siquæ sit alteratio, ea est calefactio: at quò magis calescit caro, eò minus dolet: non igitur propter alterationē, sed propter continui dissolutionem dolebat. Durum enim scindens aut comprimens, dolorem facit, cum naturalem & conuenientem corporis statum turbat. Cùm autem dolor & delitia opponantur, oppositarum quoque causarum effectus esse debent. Doloris causa vniuersa est improportio & inconuenientia obiecti tactilis: delitiæ igitur causa proportio erit & conuenientia eiusdem. Et vt improportio & inconuenientia, aut est alteratio intemperata, aut continuitatis solutio: sic proportio & conuenientia, ex qua delitia oritur, vel potest esse in alteratione temperata & congruente animalis complexioni, quę quandiu fit, magnam et adfert delectationem & voluptatem: vel in vnione partium, qua maximè semper delectatur natura, propterea quòd in ea conseruetur. Ita tamen, vt nisi alterari vel vniri aut diuidi delitiā agnoscas, nec dolorem, non autem in alterato vel vnito esse aut diuiso. Quoniam cùm hæc sunt, iam assuenit natura.

Denique cùm dolorem & delitiam ostenſim fit ex alteratione quoque primarum qualitatum fieri disputant Philosophi ac medici, an omnes prima qualitates dolorem faciant. Nam Auicēna & Constantinus ciliator solum calorem & frigus facere volunt, siccitatem autem & humorem non nisi ex accidenti. Siccitatem quidem, vt nimirum constringat partes, & simul etiam soluit, à propinquis eas separando; vt videre est in terra sicca, quæ ob nimiam siccitatem æstate scinditur. Humorem verò, quia si corpus humidum sit valde acutum, comprimendi vim habet & perforandi, vt patet in Phlegmate vitreo, quod colicos dolores excitat. Galenus autem non visus est sibi constare. Nam in lib. de sympt. causis calorem solum & frigus causas dolorū ponit; quoniam siccitas & humor nisi calori, frigoríve iungantur, vim occursu suo non inferunt. Atin 2. artis paruæ, quem Turisanus sequitur, æquè humido & sicco, ac frigido & calido dolorem tribuit. Verùm Auerroes, tum indicato loco, tum in 4. Colliget cap. 46. omnium optimè constituit, omnes quidem qualitates adferre dolorem, sed vehementem omnino fieri à calore & frigore, quæ celerrimè ac vehementissimè agunt: minorem à siccitate & humiditate, quæ tarde operantur. Non modò autem calorem & frigus, sed siccitatem quoque & humorem adferre dolorem, hæc satis testantur. Primùm, quòd qualitates sunt per se tactiles, & proprium tactus sensus obiectum: quare cùm dolor fiat ex sensione tactilis obiecti excedentis & improportionati, nimia quoque siccitas & humiditas per se dolorem facient. Deinde; quòd hæ qualitates animali possunt adferre mortem, ergò & dolorem. Tum verò, quòd fames & sitis dolores quidam sunt: & fames oritur defectu humoris substantialis & sitis defectu humoris roridi: siccitas igitur dolorem facit, & ideò humiditas quoque, siquidem contrariorum par est ratio.

Vtraque tamen qualitas minorem dolorem adfert, quàm calor & frigus. Quoniam cùm dolor fiat ex magno & subito motu, ab ijs qualitatibus fieri magnus non potest, quæ paruam & tardam habent actionem. Dicitúrque dolor ex motu, siue alterationis, siue solutionis continui fieri, quia cùm sit passio quędam in tactu, passio quæhibet est in motu. Finitóque motu cessat dolor, quia in antecedenti motu est factus habitus, cui assuescens natura non dolet amplius. Debet tamen esse vehemens motus, quoniam obiectum paruum vix est sensile, atque in dolore vehementem oportet esse sensionem. Debet enim esse subitus, non quod momento, sed quod breui tempore multus fiat. Si enim sensim progrediatur, dolorem non adferet: tum quia semper paruus est, dolórque magno motu & vehementi

Alterationem doloris causa.

Continuitatis solutio.

vehementi sensione indiget: tum quod ei assuescit natura, & ideo non afficitur: Denique totus hic motus in sentiente parte fiat oportet, si sensu percipendus est: & sensus sit benè dispositus ad percipiendum obiectum. Quam ob causam si incaluerint humeri, percussionis dolorem non sentiunt præterquàm quod iam est fere factus habitus & assuetit natura. Cæterùm vt sit dolor, debet hic totus motus esse præter naturam. Si enim reducatur natura ad suum statum, motus erit iucundus & delitia, à quacumque tandem qualitate fiat.

Verè autem in Epinomide Plato Deum dixit doloris & voluptatis penitus expertè esse. Et alibi dolorem & voluptatem procul à diuinitate sedere. Est enim penitus immutabilis: neque hæc ibi esse possunt, vbi numquam status præter naturam est.

TEXTVS.

Καὶ δεῖ ὥσπερ τὸ μέλαν καὶ λευκὸν ἡ μέλας μηδέτερον αὐτῶν ἐνέργειᾳ εἶναι δυνάμει δὲ ἀμφω· οὕτω δὴ καὶ ὅσα ἐν ἁφῇ, καὶ τὰς ἁφῆς μήτε θερμὸν μήτε ψυχρόν.

Textus 119 *Et vt oportet id, quod debet sentire album & nigrum, neutrum ipsorum esse actu, potestate autem vtrumque: sic sanè & in alijs, & in tactu, neque calidum, neque frigidum.*

COMMENTARIVS CLXVII.

HVnc textum à superiori non separarunt interpretes Græci: immò neque interpretati sunt. Fortasse quòd nihil noui continere videretur. Sed tamen argumentum habet ad probandum id, quod dixit, solam qualitatum redundantiam & excessum tactu sentiri. Argumentum autem à cæteris sensibus ductum est, atque ab aspectu potissimùm, qui vt omnium primus & nobilissimus est; sic aliorum norma & mensura esse debet. Aspectum igitur, vt album & nigrum videat vtraque qualitate carere actu oportet, atque ad illas percipiendas esse potestate. Eodémque modo cæteri sensus. Nam & auditus caret sono, & odoratus odore, & gustatus sapore: Ergò tactus quoque carere debet calore & frigore, qualitatibúsque cæteris quas persensurus est. Atque omnibus sensibus conuenit, vt tales potestate sint, qualia actu eorum obiecta existunt. At reliqui sensus sua quidem natura penitus carent omni parte obiecti, vt in superiori commentario dictum est; & ideo non solùm excessum, sed omnem planè illius partem comprehendunt. Si tamen interdum accidat, vt à quapiam eiusmodi qualitate eorum quispiam occupetur, non aliam quamlibet, sed vehementiorem duntaxat & excedentem sentiet. Tactus igitur, qui obiecto suo penitus carere non potest, cùm ex illo compositum habeat organum; non quamlibet, sed vehementiorem & reduntantem qualitatem comprehendet.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ ὥσπερ ἔφαμεν καὶ ἐπὶ τοῦ ὁρατοῦ καὶ ἀοράτου ἰῶπως καὶ ὀσμῆς καὶ ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν τῶν αἰσθητῶν. οὗτω καὶ ἐπὶ ἁφῆς καὶ ἁπτοῦ καὶ ἀναισθήτου καὶ ἁπτοῦ δὲ ὅτι, ὅτε ἔχον πάμπαν μικρὰν διαφορὰν τῶν ἁπλῶν οἷς πέποιηκεν ὁ ἀὴρ. καὶ τῶν ἁπλῶν αἱ ὑπερβολαὶ ὥσπερ τὰ φαινόμενα. καὶ ἔτι ἐπὶ τοῦ μὴ οἰκείου τῇ αἰσθήσει εἰρηται τύπῳ.

Amplius autem sicut aspectabilis & inaspectabilis erat quodammodo aspectus, similiter autem & reliqui oppositorum: sic & tactus tactilis & intactilis. Intactile autem est, & quod paruam omnino habet differentiam tactilium, quomodo se habet aër, & tactilium redundantiæ, vt ea, quæ corruptiua sunt. De vnoquoque igitur sensu typus dictum est. Textus 120.

COMMENTARIVS CLXVIII.

PRima huius orationis verba inchoati sermonis prosequutionem significant. Nec tamen hoc loco probatur ampliùs, tactum sentire solum qualitatum excessum; sed potiùs defectum quoque. Itaque aut credendum est, ita hæc verba cum superioribus coniungi, vt cùm antea comparatio quædam & similitudo sensuum omnium proponeretur, qua omnes carere obiecto debent, quod persensuri sunt: altera nunc addatur; vt sicut alios sensus dictum fuerat tum obiectum suum cognoscere, tum quoquomodo priuationem eius; ita hoc ipsum affirmetur de tactu. Quemadmodum enim aspectus est aspectabilis & inaspectabilis, & alij sensus eodem modo sensilis & insensilis: sic etiam tactus tactilis est & intactilis. Ita hunc locum intellexerunt Themistius, Philoponus, & Auerroes: tametsi solus Themistius hæc cum superiori textu coniungat; reliqui vniuersè & absolutè exponi credant huius sensus cum cæteris comparationem quandam. Aut potiùs, mea quidem sententia, existimandum, hæc cum tex. 118. copulanda esse. Vt quoniam ibi tradidit, solos qualitatum excessus tactu percipi; adiungat nunc, deffectus quoque & priuationes sentiri; quemadmodum de alijs sensibus dictum fuerat.

Quare fuerit quidem comparatio quædam huius sensus cum cæteris. Verùm non hoc potissimùm agitur; sed vt in superiori textu præcipuè probabatur, tactum redun: dantias sentire, & simul cum hoc facta est comparatio, dum ex alijs sensibus sumptum est argumentum: Ità in hoc potissimùm quidem asseratur, deffectum quoque & priuationem sentiri; tum verò cum hoc sensuum comparatio accedat, dum id, quod quæritur, ex alijs sensibus explicatur. Aspectum porro aspectabilis esse dixit & quodam modo inaspectabilis: quoniam propriè est aspectabilis, tanquã cõuenientis obiecti, à quo perficitur, min⁹ propriè inaspectabilis, quia aut cũ lesione & molestia, si nimis vehemẽs obiectũ fuerit, aut ægrè & cum difficultate, si nimis tenuè, aut omnino impropriè & tanquam conditio, sine qua intellectus non perciperet, si meram priuationem significet. Eodem modo reliqui sensus, auditus, odoratus, & gustatus, oppositorum sunt. Opposita autem duobus modis interpreteris. Aut audibile &

inaudibile, odorabile & inodornabile, gustabile & inguſtabile; quæ oppoſitionem quandam ſignificant. Aut obiecta ipſa ſingulorum ſenſuum vniuersè conſiderata; quæ tum in tex. 33. tum in 1. libro tex. 10. eadem voce appellauit ἀντικείμενα, oppoſita; quoniam relatorum more opponuntur actui & facultati. Omnes enim ſenſus circa ſuum obiectum ita verſantur, vt & ſenſiles ſint & inſenſiles. Cùm ergò tactus obiecti ſit tactilis & intactilis; de tactili nihil dicit, quoniam de eo dictum fuerat in tex. 118. Illud enim eſt, quod commodè & ſine læſione difficultatéue ſentitur: & excedit quidem qualitatem eam, quæ in organo continetur; non tamen vehementiùs, quàm par ſit; ſed omnino moderatè & cum proportione. Intactile verò duobus modis dici affirmat: aut per defectum, aut per nimium & immoderatum exceſſum, quo organum lædat & perdat.

Inſenſile quot modis dicatur.

Mirum verò cuipiam videatur, cur Philoſophus, qui in tex. 103. in cæteris ſenſibus traddidit quatuor modis inſenſile pronuntiari; duos tantùm hoc loco cõmemorauit. Vnum ex illis fateor penitus prætermiſſum tanquã ad ſenſum minimè pertinẽtem. Antea enim inſenſilis acceptiones omnes diſtinguens, eam quoq. recenſuit, qua negatio mera & id, quod nec ſenſilem formã habet, nec habere poteſt; ſignificatur. At ſatis fuit eam ſemel, ne quid doctrinæ deſideraretur, indicaſſe; deincepſq. tanquã nullo modo ad ſenſum ſpectãs prætermittẽda fuit. Reliquæ duabus hiſce continentur. Nam cùm id dicitur, quod paruam omnino habet tactilium differentiã; tum id comprehenditur, quod exiguam & tenuem qualitatem; tum id, quod priuationem habet. Quod exiguam qualitatem habet, aut intelligi poteſt ſupra oragni temperationem; quàm non multum, ſed tenui aliquo gradu excedat; hócque ſuperiori ſententiæ maximè conuenit, quia ſolos exceſſus ſentiri dixit: aut infra eiuſdem organi mediocritatem; quod vix etiam ſentietur; ſed vt antea dictum eſt, non per ſe quatenus tale eſt, ſed quatenus contrariæ qualitatis vim habet. Huius intactilis exemplum aër proponitur, qui vt eſt in 1. lib. Phyſ. tex. 54. & priori lib. de ortu & interitu tex. 24. minimè omnium ſenſiles qualitates habet: & cùm inter elementa in medio verſetur, magis temperatus exiſtit, noſtræque habitationis locus: quare vix ſentitur, niſi vehementiùs caleſcat aut refrigeretur.

Tactus á cæteris ſenſibus differentia.

Priuationem autem illud habere cenſetur, quod ſimili planè qualitate affectum eſt. Nam vt verè admonuerunt Alexander & Philoponus ſecus omnino in tactilibus, quàm in ſenſilibus cæteris conſideranda priuatio eſt. Quoniam in cæteris quidem poteſt omnimoda & vera, hoc eſt omnis formæ priuatio, in aſpectu tenebræ, in auditu ſilentium, in odoratu inodorũ, in guſtatu inſipidum. Quia hæ qualitates ad naturam corporis, vt corpus eſt, non pertinent, poteſtque eſſe corpus, quod illis prorſus careat. At in tactu non item: quoniam illius obiectum in omni corpore aliqua ſaltem ex parte ineſſe oportet, nec vllum reperias in natura corpus, quod tactilibus qualitatibus omnino careat: quia, vt in tex. 117. dictum eſſe, conſtitutrices ſunt corporis vt corpus eſt. Itaque qualitas in quopiam corpore non excedens, ſed illi planè ſimilis, quæ in organo tactus cõtinetur, priuationem ſignificat, nõ qualitatis, ſed tactilis. Quia etſi ſua natura apta ſit ſentiri, eo tamen organo nec ſentitur, nec ſentiri poteſt. Atque vt priuatio, ita & inſenſile, alio atque alio modo in tactu, quàm in cæteris ſenſibus, nõtmi-
tur. Nam in cæteris inſenſile per priuationem dici-
tur ſecundùm ſuam naturam, quòd omni forma ca-
reat, quæ ſentiri poſſit: & ideò animalibus omnibus in-
inſenſile eſt. In tactu autem non ſecundùm ſe dici-
tur, ſed per comparationem ad ſenſum. Quia enim
formam ſenſilem habet, ſed ea cùm ſit ſimilis, mo-
uere nequit ſenſum. Quare non omnibus inſenſile
eſt, ſed quod ab vno non ſentiatur, ab alio ſentiatur:
quippe non eadem in omnibus eſt organi tempera-
tio.

Quartá & vltima intactilis acceptio, quæ hoc-
co ſecunda proponitur, ea eſt, quæ vehemẽs in-
mis obiectum, lædens, & deſtruens organum com-
prehendit: vt nimis calidum aut frigidum, quòd tactu tolerari non poteſt, aut non ſine læſione tolleratur.

Hic eſt finis dicendi de tactu, déque exteriorum ſenſibus in ſpecie. Propterea concludit, de illis ſingulis dictum fuiſſe typicè, hoc eſt ſummatim & adumbratè, velut ait Alexander, breuiter & concile. Accuratiùs enim & magis in ſpecie, tum de obiectis ſenſilibus & organo, tum de ſentiendi modo, diſſeret in lib. de ſenſu & ſenſili.

DE QVIBVSDAM, quæ ſenſibus omnibus communia ſunt:

CAP. XII.

TEXTVS.

καθόλου δὲ περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν, ὅτι ἡ μὲν αἴσθησις ἐστὶ τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν ἄνευ τῆς ὕλης, οἷον ὁ κηρὸς τὸ δακτυλίου ἄνευ σιδήρου & τοῦ χρυσοῦ δέχεται τὸ σημεῖον· λαμβάνει δὲ τὸ χρυσοῦν ἢ τὸ χαλκοῦν σημεῖον, ἀλλ' οὐχ ᾗ χαλκὸς ἢ χρυσός· ὁμοίως δὲ καὶ ἡ αἴσθησις ἑκάστου ὑπὸ τοῦ ἔχοντος χρῶμα, ἢ χυμὸν, ἢ ψόφον, πάσχει· ἀλλ' οὐχ ᾗ ἕκαστον ὀνόμαζεν λέγεται, ἀλλ' ᾗ τοιονδὶ, & κατὰ τὸν λόγον.

*Vniuersè autem de omni ſenſu accipere oportet, quòd ſenſus quidem eſt id, quod ſuſcipere poteſt ſenſiles formas ſine materia: vt cera anuli ſine ferro & auro ſuſcipit ſignum. Accipit autem aureum aut æneum ſignum, ſed non quatenus æs, aut aurum eſt. Similiter autem & ſenſus vniuſcuiuſque ab eo, quod odorem habet, aut ſapo-
rem, aut ſonum, patitur. Sed non quatenus vnumquam-
que illorum dicitur, ſed quatenus tale eſt, & ſecundùm
rationem.*

COMMENTARIVS CLXVIIII.

IMperfecta ſanè traditio illa & doctrina iure opti-
mo cenſetur, quæ generali tantum & commu-
nia perſequitur, nec ampliùs deſcendit ad ſingula.
Quoniam ea confuſa eſt, minimèque diſtincta.
Verùm ea quoque mutila eſt & manca, quæ prætermiſſis iis, quæ ad vniuerſam naturam pertinent & omnibus communia ſunt, ſingula dunſaxat propo-
nit.

Ergò Ariſtoteles ſenſuum explicationem faciens, tum de ſingulis, tum de omnibus vniuerſe dicere debuit. Eáque priùs docere, quæ facilius

docere

doceri & perdiſci, quæque aliorum cognitionem iuuare poſſent. Hoc enim poſtulat ratio doctrinæ. Ferè autem communia & generalia primùm tradenda ſunt, quòd non ſolùm ſingulorum cognitionem iuuent, ſed omnino hæc ſine illis cognoſci nequeant. Quare ante ſpecialem ſingulorum ſenſuum conſiderationem de ſentiente facultate vniuersè actum eſt in textu 51. & deinceps, docendo, ſentire eſſe quoddam pati, qualiſque paſſio ſit, & à quonam ſenſui inferatur. Quòd ſi quæ ſint, quorum explicatio & intelligentia ex ſingulorum cognitione pendeat, ea nec doctrinæ ratio prædoceri permittit, nec penitus omittenda ſunt, ſed ſingulorum explicationi ſubiungenda. Huius generis ſunt hæc, quæ poſtquam de vnoquoque ſenſu & cuiuſque obiecto ſenſili dictum eſt, de omni ſenſu, hoc eſt de ſenſu vniuersè & in genere Philoſophus nunc dicit accipi oportere. Nam antea quidem docere potuit vniuersè, ſenſionem eſſe paſſionem quandam, eámque perficientem, non corrumpentem, atque ab obiecto ſenſili factam in ſenſu. Sed quod nunc additur, ſenſum facultatem eſſe ſenſilium formarum ſuſceptricem ſine materia, eáſque reipſa ſuſcipere, dum patiùr ab obiecto, minimè potuit eo loco doceri, nec ſine ſingulorum cognitione intelligi. Quod dum nunc abſoluit, ſimul etiam exponit id, quod antea ſæpè affirmatum eſt, ſenſum, qui eſt poteſtate, ſentiendo fieri actu ipſa obiecta ſenſilia: magiſque declarat, quid ſit ſenſus vniuersè conſideratus, ex quo poterit colligi, quid ſit vnuſquiſque ſenſus. Quia ſi ſenſus vniuersè facultas eſt formarum ſenſiliũ ſuſceptrix ſine materia; aſpectus nimirũ facultas erit aſpectabilium formarum ſuſceptrix, auditus audibilium, & eodem modo reliqui ſenſus.

Cæterùm hæc propoſitio multis modis intelligi poteſt. Quia cum ſenſus facultas ſit, quæ corporis organo vtitur; aut id, quod dicitur, referri poteſt ad organum, aut ad facultatem ipſam. Et rurſum, aut ita intelligi, vt obiecti ſenſilis forma abſque eo ſuſcipiatur, quòd ſuſcipiatur materia, in qua ea forma ſuſtentabatur; hoc eſt corpus ſeu ſubſtantia ſenſili formæ & accidenti ſubiecta: aut ita, vt forma illa immateriali modo accedat.

Plerique interpretes & inter Græcos Themiſtius & Simplicius ſuſceptionẽ organi interpretati ſunt. Et Themiſtius quidem inter cæteros ſuſcipi formam affirmauit, hoc eſt ſenſilem qualitatem, vt colorem in oculo, ſonum in aure, in olfactu & guſtatu propriam eorum qualitatem. Quo loco tum intentionalem ſuſceptionem cõplexus videtur, dum colorem nominauit; tum realem, dum cætera ſenſilia ſubiunxit. Quæ omnia voluit ſine materia ſuſcipi, dum ſenſilis forma à materia & ſubiecto, cui inhæret, abiuncta ad ſenſum peruenit; atque ita impellit organum, vt materia forinſecùs ſedeat, non autem intus cum forma in ſenſum ſubeat. Sicut cùm quidpiam ſecuri cæditur, non ſola ferri acies cædit, ſed & acies cum ferro & ferrum quoque ſubit lignũ: & ignis vrit, non ſola ignis forma aut ſpecies.

Hanc interpretationem ego non probo. Primùm, quoniam ignem totum agere, non ſolam illius formam, etſi à Philopono quoque confirmetur, Ariſtoteli tamen & rationi apertiſſimè aduerſatur. Quippe Ariſtotelis verba ſunt illa in libro de ſenſu & ſenſili cap. 4. ignis non agit vt ignis, ſed vt calidus; hoc eſt non ſe toto, ſed forma. Et certa ratio perſuaſit, materiam patiendi & ſuſcipiẽdi principium eſſe, agendi & tribuendi, ſolam formam. Et actus ſecundus, qui operationem ſignificat, non niſi ab actu primo, hoc eſt à forma, oritur. Et in ipſo huiuſce libri initio non materia, neque totum coniunctum, ſed forma appellata eſt actus; diſtinctáque in actum primum & ſecundum, qui operationem habet. Deinde quoniam hoc modo ſuſcipere formam ſine materia non ſolùm conuenit ſenſui, ſed etiam iis omnibus, quæ in natura patiuntur. Quid enim inter ligni, aquæ, alteriuſue inanimati, & noſtrorum corporum calefactionem interſit? Sanè lignum, quod comburitur, non materiam, ſed ſolam formam ab igne ſuſcipit: nec quidquam omnino, quod ab agente quouis naturali patiatur, aliud, quàm formam, ab eo accipit, neque agens largiri aliud poteſt. Materia verò agentis actioni ſubijcitur; & dum mutatur, agentis formam ſuſcipit; materia illius forinſecùs ſedet. Tum verò non in omnibus ſenſibus ita euenit, vt Themiſtius loquitur. Quia etſi in aſpectu, auditu, & odoratu, non corpus coloratum, ſonans, aut olens, ſed ſola illorum forma, in ſenſus organo ſuſcipiatur: in guſtatu tamen & tactu non ita eſt ſed corpora ipſa, hoc eſt materia ſuſcipiuntur; vt antea expoſui. Et de guſtatu præſertim affirmauit Philoſophus, ſaporem omnem guſtari in humido & ſuccoſo quopiam corpore, quod illius materia eſt: neque ſolitarius vnquam ſapor linguam ſubit, ſed ſemper cum humido corpore. Quòd ſi humidum corpus non adſit, non ſentitur ſapor. Immò in oculorum ſuffuſionibus & in interno aurium tinnitu, aſpectus quoque & auditus ſimul cum materia formas in organo ſuſcipiunt. At omnis ſenſus ſemper ſuſcipere dicitur formas ſine materia.

Auerroës ergò, Albertus, S. Thomas, Ægidius, & ferè latini, ſenſum inquiunt ſuſcipere formas ſine materia, quòd obiectorum formæ alio modo in ſenſu organo ſuſcipiantur, quàm in ipſis obiectis ſint. Nam in obiectis materiales prorſus exiſtunt & iuxta ipſorum diſpoſitionem; in organo ſenſus ſecundum eſſe intentionale & quoquo modo immateriale ſuſcipiuntur.

Sed præterquàm quòd de intentionalibus hiſce formis, quas iſti loquuntur, inter omnes non conuenit: neque ad certam propoſitionem exponendam incerta æquum eſt adferre: ſi colores ſepores, qui reipſa ſeſe multiplicare nequeunt; lucem certum eſt reipſa in oculo ſuſcipi, ſonum in aure, odorem in naribus, multóque magis ſapores & qualitates omnes tactiles; quæ per alterationem aut impulſum ac motum & interdum per ſolam continui diuiſionem ſentiuntur. Háſque omnes qualitates eiuſdem rationis & conditionis eſſe, tum in organis, tum extra organa in ſeipſis. Deinde ſi à coloribus in oculum ſpecies eæ immittantur, per medium aërem immittentur: non ſolus igitur ſenſus, ſed aër quoque & medium formas ſine materia ſuſcipiet. Immò magis. Hoc enim eſt interpretibus illis principium; formas pro ſubiecti diuerſitate diuerſas eſſe; & ideò in organo minùs, quàm in obiectis, materiales eas eſſe. Quòd ſi ita habeat, minùs materiales erunt in aëre, quàm in oculo; cùm aër tenuiorem multò naturam habeat. Magis igitur ipſe, quàm ſenſus, formas ſine materia ſuſcipiet. In organis autem tactus & guſtatus, quæ maximè materialia ſunt & corpulenta, immaterialiori ſpecie opus

non fuerit, neque hæc in illis susci pi vllo modo poterit. Nec vlla vnquam ratio in his duobus sensibus opus esse speciebus illis persuadebit. Sed si omnis sensus per huiusmodi species fieret, vt aspectus contrarios simul colores cernit, sic contrarias qualitates tactus quoque susciperet, quòd intentionales contrariorum species simul esse possint. Omnis quoque sensus momento fieret, neque medij motu impediretur, quemadmodum in aspectu euenit. Nunc autem certum est, reliquos omnes tempore indigere, aëriſque in contrariam partem impulsu impediri magnopere, auditum præsertim & odoratum, qui medio illo vtuntur. Denique cùm in sequenti textu ita loquetur Philosophus; sensorium autem primum est, in quo huiusmodi facultas; manifestis verbis interpretabitur, se nunc non de organo, sed de facultate loquutum fuisse. Tunc enim primùm de organo dicere aggreditur. Et verò quicumque sensum susci pere formas sine materia de organo quouis modo interpretantur; respondere debent, quonam modo eadem propositio de intellectu quoque, cuius nullum est organum, fuerit ab eodem Philosopho pronuntiata. Cur enim quæso non absolutè dixit, sensum susci pere formas sine materia; sed sensiles formas dixit? Nisi quia intellectus quoque alias quasdam magis, immò penitus à materia liberas, susci pit. In textu autem tertio, libri tertij, an non intellectum etiam dicet esse susceptiuum formæ; eodémque sese habere modo ad intellectilia, quo ad sensilia se habet sensus? Et rursum in tex. 6. eum esse locum formarum. Et in tex. 38. non lapidem, sed lapidis formam esse in anima; & ideò intellectum esse formam formarum, & sensum formam sensilium.

Auctoris expositio. Quibus locis certum est de facultate, tum intelligendi, tum sentiendi, sermonem esse: eásque inuicem comparari: neque nunc de organis, sed de sentiente facultate vniuersè, agitur. quocirca si facultates ipsæ formarum, tum sensilium, tum intellectilium, appellantur loca: neque in organo corporeo, sed in anima dicitur esse lapidis forma, non lapis; hoc est forma sine materia; omnino facultatem ipsam, non organum, intelligi oportet susceptricem esse formarum sine materia. Deinde si hoc non solùm sensui, sed & intellectui commune est; dici non potest conuenire sensui, quatenus sensus ab intellectu distinguitur; hoc est quatenus corporeus est & organo vtitur. Quia si ita esset, illi soli, non intellectui quoque conueniret: & formam potiùs cùm materia, quàm sine materia aptus esset susci pere; quemadmodum organum materiale est & corporeum. Sed necesse est ea ratione conueniat, qua sensus communem quampiam habet cum intellectu naturam: quatenus inquam facultas cognoscens est. Ita enim quemadmodum natura cognoscens efficitur eleuatione quapiam à materia (siquidem, vt verè ait Themistius, materia suopte ingenio insipiens, bruta, & ad cognoscendum inepta est) sic obiectum quoque ab eiusdem materiæ sordibus eleuat; magis aut minùs, vt facultas ipsa cognoscens magis aut minùs fuerit eleuata: maximè quidem & omnino intellectus, quoquo autem modo sensus. Vt namque duæ hæ facultates eatenus natura conueniunt, quatenus cognoscentes sunt; & ideò aliquo modo à materia eleuatæ: tum verò operatione, quatenus vim habent assimilandi sibi obiectum & illum in se transferendi. Differunt autem, quòd intellectus spiritalem prorsus & à materia liberam naturam habet: sensus non item, sed minùs, quàm cætera, materialem. Ita dum cognoscendo assimilant sibi, pérque cognitionis actum in seipsas obiectum tranferunt, immateriale illud faciunt; intellectus perfectissimè, sensus quoquo modo. Ipsáque obiecti cognitio est velut illius forma: quæ dum in facultate cognoscente susci pitur, verè in ea susci pitur obiecti forma sine materia: hoc est obiectum ipsum cognitionis actu factum immateriale. Facultásque quæ vim habet, tum assimilandi sibi obiectum materiale & faciendi illud immateriale, tum susci piendi in se suam cognitionem tanquam obiecti formam; iure optimo dicitur susceptrix esse formarum sine materia. Quod demum perfectè declarat id, quod antea demonstratur; sensum, qui est potestate, sentiendo fieri ipsa obiecta sensilia. Quoniam vt materia fit alia susceptione formæ, ita dum sensus actum sentiendi cognitionis, ad quem erat potestate, susci pit tanquam obiectorum formam, verè fit actu ipsa obiecta cognita. Atque in hoc tota sensus vis & natura consistit.

Cognitionum ordo & natura.

Hanc nimirum esse veram huius loci sententiam non dubito, quæ & Trismegisti fuerat, cum in Pimandro capite nono, sensum ac motum in hoc potissimum discrepare dixit, quod hic sectetur materiam, ille secundùm essentiam est. Philoponúmque & Alexandrum eodem modo intellexisse cognoscetis, qui eorum commentaros attentè perlegerit. Philoponus sensum dixit sine materia obiectorum formas susci pere, dum putas eorum rationes cognitiuè impressas & insculptas habet. Et paulò post; ea, quæ sentimus, hoc nomine ab ijs distinguit, quæ sensu carent, quòd cognoscant & iudicent eam, quæ in ipsis sit, formam. Et tandem cùm sensorium nominasset, sermonem statim correxit; Dico autem, inquit, ipsam sentientem facultatem. Nam sensorium quidem patitur à calore, sicut quodlibet aliud corpus: sed sensus à sola calidi forma cognitiuè patitur; & quæ sequuntur. Quibus verbis aperte facultatem ab obiecto separat, formamque sine materia susceptionem in facultatis cognitione constituit. Alexander autem in primo libro, de anima, capite decimo octauo, hunc locum exponens, sensum, inquit, animæ potestatem esse, quæ intercedentibus sensorijs sensiles formas extra subiectam materiam excipere & discernere nata est. Quinetiam Simplicius obiecti formam asserens in organo susci pi, illam ipsam addit dici & cognosci à sensu, quasi hoc verè sit susci pere formam sine materia. Alioqui formæ, quæ ab obiectis susci piuntur in organis aliorum sensuum præter aspectum, materiales profectò sunt. Et in Commentar. textu 124. apertè ait, principium susceptiuum huiusmodi formarum esse per ipsam sensitiuam vitam, hoc est sentientis animæ facultatem: plantásque non susci pere formas sine materia, quia non excitantur per id ad cognoscitiuam actionem. Ac rursum in Commentario tex. centesimo tricesimo octauo, formam, inquit, ab obiecto in sensus organum productam sine materia est, nimirum in iudicatrice vita per cognoscitiuam actionem firmata. Et paulo post, sensorium ait per eam vitam, qua est vitale organum perfectum factum à vita, quæ ipso vtitur, recipit immaterialem

materialem sensilis formam; idque ab ipsa sensitiua vita: formam inquam, hoc est actionem, quæ ipsius sit cognoscitiua. Et in postrema commentarij parte; sensile inquit non esse sensionis causam, sed ipsam potiùs perfici & in actu constitui à sentiente animâ, quæ ipsius sensilis formæ occurrit: idque ex seipsa quidem facit, sed ab occursu sensilis excitata, vt propriam expromat rationem, quæ ipsi conuenienter quadret. Et in comment. tex. 139. forma cognoscibilis sine materia in vita stat; animáque intrinsecùs & à seipsa agit.

Denique id cum Philosophi verbis optimè consentit. Hic etiam interpretatur, quid sit susciperе formam sine materia, vt sit sensum pati à colore aut sono; non quatenus eiusmodi qualitates sunt, sed secundùm rationem: non inquam quatenus qualitates quæpiam reales existunt, sed quatenus sensiles sunt. Nam quatenus qualitates sunt, patitur sanè ab illis organum, & patiuntur reliqua corpora: sed quatenus sensilia sunt, patitur solus sensus, qui eas apprehendit atque apprehendendo formam sensilem format & in seipso suscipit; qualitate ipsa in corpore sensili aut in organo relicta. Ex quo loco magnopere confirmatur id, quod alibi docui, sensionem appellari passionem, non propter obiectum obiectiue speciem in organo susceptam, sed propter cognitionem in sentiente facultate velut immanentem actum residentem.

Quapropter dum forma susciрi dicitur sine materia, non tam intelligenda est materia, quæ sensilis qualitatis subiectum est, hoc est corpus ipsum sensile (Hoc enim modo susciрere formam sine materia conuenit omnibus, vel etiam inanimis corporibus, quæ alterantur & ab alio quidpiam patiuntur) sed qualitas ipsa realis, quæ velut materia & subiectum sensilitatis est. Nam organum quidem susciрit qualitatem; sensus autem non hanc, sed eius comprehensionem, quatenus sensilis est. Dúmque non qualitatis, sed sensilis duntaxat formam susciрit, verè dicitur sensilem formam sine materia, hoc est sine qualitate reali & materiali, quæ velut illius materia est, susciрere. Sicut cera figuram & signum anulisusciрit sine ferro aut auro: neque susciрit quatenus ferreum aut aureum est; sed quatenus figura & signum.

Quod, vt paulò ante deducebam, ex cognoscentis facultatis natura oritur, quæ materialem formam potest à materia eleuare & immaterialem quoquomodo facere; in seipsam traducendo, non illam materialiter & reipsa consideratam, sed illius comprehensionem & similitudinem. Quippe cognitio, tum in intellectu, tum in sensu, rei cognitæ similitudo est, forma, & ratio. Sed in sensu est similitudo, forma, & ratio sensilis; in intellectu intellectilis: in hoc immaterialis penitus & spiritalis; in illo non item, sed quoquomodo. Itaque vt possunt naturalia corpora tribus modis considerari, & vt naturalia sunt, & vt sensilia, & vt intellectilia: ita tribus modis agunt, triplicémque formam & similitudinem sui producunt. Quatenus naturalia sunt, naturalem planè & sibi similem, tum quoad rationem, tum quoad existendi modum; vt calor calorem: & in similem materiam, hoc est in organum, aliudúe corpus. Quatenus autem sensilia sunt aut intellectilia, sensilem aut intellectilem: non in aliud corpus, sed in id, quod sentiendi aut intelligendi vim præditum formam eam susciрere potest. Quoniam tamen esse sensile aut intellectile, naturam aliquam aut formam non significat à naturali distinctam, quæ agendi vim habeat; sed formalitatem quandam & habitudinem ad eam facultatem, quæ sentire possit aut intelligere; quæ sanè formalitas & habitudo nullam vim habet producendi quidpiam: non verè dicimus, ea quatenus sensilia sunt aut intellectilia similè sibi formâ producere: sed solùm naturalia, quatenus naturalia sunt, id præstare (quáquam nec omnia, vt colores, &c.) quatenus autem sensilia sunt aut intellectilia, id sunt, circa quod facultas sentiens aut intelligens, eleuata magis à materia, sensilem quampiam formam aut intellectilem, cognoscendo & solam naturalis formæ rationem comprehendendo producūt. Et priorem quidem dicimus esse cum materia, posteriores autem sine materia: quoniam ea est singularum causarum producentium conditio & natura. Ita paucis verbis expositit Philosophus, quid sensus sit, quidque illius maximè proprium, quo à cæteris omnibus dignoscatur.

TEXTVS.

Αἰσθητήριον δ' πρῶτον, ἐν ᾧ ἡ τοιαύτη δύναμις. *Sensorium autem primum, in quo huiusmodi facultas.* Text. 3

COMMENTARIVS CLXX.

DE sensus organo nunc secundo loco dicì manifestum est & omnibus certum. Sed quòd ait S. Thomas, propterea hoc agi, ne quispiam, qui sensum audiuisset susciрere formas sine materia, sicut & intellectus susciрit, sensum crederet facultatem esse à corpore abstractam neque vtentem organo, quemadmodum intellectus: minimè probandum est. Quoniam tam sæpè antea significatum fuerat, sensum facultatem materialem & corpoream esse, déque singulorum sensuum organo dictum; vt de hoc nequaquam dubitari posset: inter eos præsertim, qui sensum pati & susciрere formas sine materia, de speciei sensilis in organo susceptione cum S. Thoma interpretati fuissent.

Cùm igitur de sensu, hoc est de sentiente facultate vniuersè dixisset, quid ea sit; esse scilicet facultatem sensilium formarum susceptricem sine materia; atque hoc maximè distingui ab organo & corpore; quòd hoc materiales planè susciрiat, illa cognoscendo immateriales eas faciat, sinéque materia susciрiat. De organo nunc vniuerse quoque dicere voluit; vt ita generalem doctrinam de toto sensu traderet, cùm de singulis antea disserens de singulorum duntaxat dixisset organis. Quò magis Simplicium miror hæc ad organum sensus communis referentem; quòd spiritum esse affirmauit. Nam non de communi sensu, sed vniuersè de omnibus sensibus dicendum sibi Philosophus proposuit: nondúmque probauit, præter exteriores sensus interiorem alium in animalibus inesse. Et in textu 128. exteriorum duntaxat tractationem concludet; ex dictis inquiens perspicuum esse, non esse alium sensum præter hos quinque. Quòd si non hunc communem sensum Simplicius intellexit, qui specialis est animæ facultas tanquam exteriorum iudex: sed eum, qui est veluti genus partici-

latium omnium sensuum: sanè laborandum non fuit, vt speciale ac proprium illius organum à cæterorum organis diuersum reperiretur. Siquidem genus nullum in natura subsistit à suis speciebus separatum.

Optimè igitur dixit Philoponus, postquam de sensu actum est, agi & de organo. Sed hoc statim interpretatus est esse spiritum. Etsi enim oculi, aures, nares, diuersa diuersorum sensuum organa sint; hæc tamen non sunt prima; quoniam in illis non est sentiendi facultas; sed per ea ad spiritum passio ab obiectis transmittitur. Qua in re magnopere errauit; & cum eo Simplicius quoque. Nam in spiritu non residet sentiendi facultas: Immò is omnino animatus non est, neq. corporis pars; sicut nec sanguis, cuius tenuissima pars spiritus est: tãtum abest, vt primum existat sentiendi instrumentum. Solum eam vim habet, vt caloris vehiculum cùm sit, generaliter iuuet operationes omnes, tum sensus, tum motus, quę sine calore fieri nequeunt. At & omnium sensuum vnum principium primum esse potest, sed non vnũ primum organum, quo immediatè operentur, quia vt est diuersa obiectorum natura, sic aliam atque aliam esse oportet organorũ dispositionem in diuersis planè corporis partibus. Tactus verò solidũ omnino organum postulat, vt est in tex. III. magnoperéque temperatum & qualitatum tactilium mediocritate constans, vt in tex. 118. idem ipse Aristoteles subiunxit. At spiritus tenuissimus est & calidissimus. Quod si is tangendi organum non sit, nec aliorum sensuum fuerit: siquidem tactus primus est omniũ, sine quo nullus illorum esse potest.

Spiritũ non esse sentiendi agendi.

Quod igitur hoc loco affirmat Philosophus, est; antea quidem singulis sensibus singula & propria organa assignata fuisse, sicut singulæ facultates singulorum obiectorum erant. Nunc autem vt de facultatibus omnibus vniuersè dictũ est, eas esse formarum sensilium susceptrices sine materia: Ita de omnibus sensibus affirmari posse, primũ sensus organum eam esse corporis partem, in qua eiusmodi aliqua facultas fuerit sensilium formarũ susceptrix sine materia. Propterea eum nõ nominat: quoniam vt sensus nõ est vnus aliquis, sed plures; sic illius organum non est aliqua vna pars, sed plures; videndi oculos, audiendi aures, odorandi nares, gustandi lingua, tangendi totum corpus. Neq. vniuersè quidquã dici potest, nisi id, quod dictum est. Cæterùm primũ organum aut intelligi potest generaliter & vniuersè sumptum; aut id, quod potissimum est & præcipuũ; vt pupilla oculi, mẽbrana auris, processus mammilares, &c. Vt huiusmodi organum separatur à cæteris, quæ illius constitutionem atque operationem adiuuant: quales sunt humores reliqui, & tumicæ oculi, aures, nares, &c.

Animæ facultates non esse per totum corpus fusas.

Ex quo demùm loco colligere licet, animæ facultates non esse diffusas per totum corpus, quemadmodum est illius substantia; sed in ea duntaxat residere parte, quæ ad operandum est apta.

TEXTVS.

Ἐστὶ μὲν οὖν ταὐτὸν, τὸ δὲ εἶναι ἕτερον· μέγεθος μὲν γὰρ αὐτὸ εἶναι τὸ αἰσθάνεσθαι οὐθενός· οὐ μὴν τό γε αἰσθητικὸν εἶναι, οὐδὲ τὸ αἰσθάνεσθαι μέγεθός ἐστιν ἀνάλογός τις ἢ δύναμις ἐκείνου.

Est igitur idem, esse autem alterum. Magnitudo enim quædam fuerit id, quod sentit, non tamen sensitiuo esse. Neque sensus magnitudo est, sed ratio quædam & facultas eius.

COMMENTARIVS CLXXI.

POstquam definiuit, quid sit facultas, quid organum; ea inter se comparat; docens, quomodo idem sint, & quomodo distinguantur. Sunt, inquit, idem numero & subiecto, sed ratione & natura diuersa. Vt enim ex forma & materia, ex vtente & eo, quod vtitur, vnum quidpiam efficitur: sed aliud est forma, aliud materia; aliud vtens, aliud id, quo vtitur: ita ex facultate & organo vnũ quid exsistit perfectum ad operandum aptum; sed aliud est facultas, aliud organum.

Sanè in tex. 9. & 10. oculus dicebatur esse quidam materia, sicut corpus est materia animæ: & vt ex corpore & animæ fit vnum animal, sic ex oculo & aspiciendi facultate vnum quidpiam perfectum ad operandũ effici. Nunc autem natura & ratione hæc differre, hoc argumento ostendit; quòd organum sit corpus quoddam est & magnitudo, facultas non item, sed actus & forma corporis ac magnitudinis. Neque sentiens dicitur, quatenus magnitudinem habet; quoniam vbi à corpore recessit anima, abest adhuc corpus & magnitudo, nec tamen sentit: sed quatenus facultate quadã velut magnitudinis actũ & forma præditum est. Itaque subiecto idem sunt, sicut quælibet forma & actus cum sua materia & subiecto; ratione autem diuersa, vt omnis forma & actus ab eo, quod formam & actum habet.

Non est tamen hic locus ita intelligendus, vt facultas & organum sint idem re, solaque mente ac definitione, & (vt in scholis loquimur) formaliter distinguuntur. Quoniam cùm facultas sit in anima, quemadmodum anima & corpus reipsa distinguantur, ita facultatem quoq. & organum distingui necesse est. Sed solùm esse idem numero & subiecto voluit. Vt sicut ex anima & corpore, etsi re distinctis, fit vnum animal; sic ex facultate & organo fit vnum operans. Distingui autem ratione, hoc est naturæ; aliamque facultatis, aliam organi substantiam esse; vnam velut formalem, alteram velut materialem: atque ex vtraque constare oportere id, quod sentiens nominatur.

TEXTVS.

Φανερὸν οὖν ἐκ τούτων καὶ ὅτι τὸ παθεῖν καὶ αἰσθάνεσθαι ἀναλόγως φήσομεν τὰ αἰσθητήρια καὶ τὰ αἰσθητὰ λυέντα καὶ πλεονάζοντα καὶ ὑπερβάλλοντα, λύεται ὁ λόγος. τοῦτο δ' ἐν ἅπασι, μάλιστα δ' ἐν τοῖς ἀκούουσι καὶ ὁποῖος χρωμένων φθείρει τὴν ἀκοήν.

Manifestum autem ex his, & propter quid sensum redundantiæ corrumpunt sensoria. Si namque fortius sensorij motus, soluitur ratio. Hoc autem erat sensus. Sicut & consonantia, & tonus, vehementius percussi fidibus.

COMMENTARIVS CLXXII.

EX eo, quod sensum dixit esse rationem quandam in corpore, hoc est proportionem & commensurationem organi, quatenus certam quandam in eo temperationem ac dispositionem postulat, vt operari possit; Duo planè deducit. Alterum est, cur obiecta sensilia nimis vehementia modumque excedentia corrumpant sensuum organa, neque omnino sentiri queant. Causa est, quoniam

niam obiecta illa vehementiùs agunt, quàm par sit, motúque immoderato proportionem eam & temperationem organi, in qua sensus versabatur, dissoluunt.

Certè hinc statim quiuis intelligat, non obiectorum species intentionales, sed reales qualitates ad sensuum organa peruenire. Siquidem species illæ agendi aut corrumpendi nullam vim habent: sed tota hæc realium qualitatum propria virtus est & efficacitas: neque in cæteris modo sensibus, sed & aspectu.

Sensus porrò proportio & commensuratio esse materialiter dicitur, quoniam vt operetur, certam in organo proportionem & commensurationem postulat: non formaliter, quia in primo libro à tex. 54. ad 62. ostensum est, animam nõ esse harmoniam & temperationem qualitatũ. Verùm vt anima corpus temperatum & proportione quadam constans requirit, vt in eo sit, quæ si dissoluatur, in eo esse non potest: ita multò minùs operari in illo poterit, si opportuna temperatione caruerit. Omnis quippe forma maiorem materiæ apparatum desiderat, vt operetur, quàm vt in ea absolutè consistat. Propterea sensus, qui animæ facultas est, quamuis dissoluta organi temperatione non statim deserat corpus & pereat, nequit tamen operari, aut certè vix & imperfectissimè operatur.

Cæterũ alio modo hunc locũ interpretatũ fuisse Theophrastũ, neque in mutua illorum habitudine sed in proportione sensualiũ instrumentorũ ad sentienda obiecta rationem eam exposuisse, apud Priscianum legimus in libro de an. cap. 45. & verè etiam Simplicius quodã alio modo interpretatur sensum portortionem appellari. Quoniam, vt ex Themistio quoque & Philopono antea fuit adnotatum in Cõment. tex. 118. in medio duarum cõtrarietatum tanquam iudex versatur: non quòd ex illis compositus sit, sed quòd circa vtramque operetur. Et ideo simile quoque organum postulat, quod ab extremis illis contrarietatibus remotum sit; & aut omninò illis spoliatum aut certè tenuiter ac mediocriter imbutum. Æquum enim est, vt facultati vtenti conueniens sit, vt per illud operari & de vtroque extremo iudicare possit. Eandem Priscianus interpretationem fecisse videtur, cùm in essentiali vita & iudice sensilium rationem collocauit; soluique rationem dixit, quatenus organorũ rationẽ susceptурum euadit ineptũ. Quare hoc modo proportionẽ accipiendo prius natura sensus, quàm organũ, proportio est & mediocritas. Siquidem organũ ideò tale efficitur, vt sensui famulari possit: alioquin prorsus modo manifestum est sensum affirmari proportionem ac mediocritatem esse; quàm in primo libro negatum fuerit.

Sed cùm ab immoderato quouis obiecto mediocritas organi & proportio dissoluatur; organo corrupto sensus operatio impeditur. Corrumpi verò organum, inquit Philoponus, aut quatenus corpus quoddam est, aut quatenus organum sensus. Quatenus corpus, dissoluitur organum à vehementi luce, nimióque splendore, aut ignis calore humorem oculi depascente, illiúsque tunicas nimium siccante: & auris membrana ab immoderato aëris impulsu: & omnino reliqua à nimium calefaciente aut refrigerante, humectante, siccanteúe qualitate. Quatenus autem sensorium, patitur & dissoluitur à propria sensilium operatione, vt sensilia sunt: quemadmodum oculus à colore congregatus aut disgregatus, & auris à sono. Cuius sententiæ posterior pars potest esse suspecta. Tum quia vt sensio est perficiens passio, non corrumpens, vt in tex. 57. dictum est: Ita sensile obiectum, vt sensile est perficiendi duntaxat vim habet, non perdendi & corrumpendi. Tum etiam quia omnis corruptio per realem actionem contrariæque formæ productionem fit. Sensile autem, vt sensile, reali actionem nullam habet, sed intentionalem & impropriam, quatenus sensum ad operandum mouet. Tantúmque abest, vt contrariam producat, vt nullam potiùs producat: sed solùm idsit, circa quod sensus ex seipso sensionis actionem promat: Ab eóque improprie & intentionaliter secundum actum cognitionis circa illud à sensu productum patiatur.

Sola igitur supereſt prior corruptio organi, quatenus corpus naturale est, à reali qualitate agente & noxiam atque intemperatam formam producente. Sanè organum, etsi quatenus sensorium est, à nobis considerari queat: hoc tamen mentis cogitatio est, reipsa verò corpus quoddam existit. Neque corrumpitur, nisi verâ & corporea actione; non intentionali, impropria, & metaphorica. Propterea igitur destruitur organum sensus, quòd nimis vehemens obiectum sit, vt nimia solis lux, nimisúe attenta ferri candentis inspectio, ingens strepitus, & similia. Dissoluitur enim organi temperatura, nec tam vehementem potest sustinere actionem. Hanc causam exponit Philosophus; atque vt ostendat, quemadmodum à vehementi obiecto sensorij proportio ac temperatio dissoluatur; exemplo vtitur harmoniæ & concentus musici, qui certa vocum proportione sonorumúe intentione ac temperatione constat. Quippe in cithara aut lyra fidium quæpiam vehementiùs pulsetur, aut in musicâ vocum aliqua plus æquo attollatur concentus dissoluitur. Et omnino quæcumque in mediocritate aliqua & commensuratione consistunt, corrũpuntur omnia & pereunt, si cuiusuis partis redundantia & excessus accedat.

Duobus modis corrumpi sensum posse.

In fidium autem exemplo appositè notat Simplicius, earum concentum duobus modis turbari; aut fidibus incisis, aut vehementiùs pulsatis: priorique modo omnino tolli, posteriori turbari duntaxat & impediri. Hoc enim ad id explicandum pertinet, quod paulò ante dixi, aut organi temperiem ita interdum mutari, vt sensus omnis tollatur ac penitus aboleatur; aut ita, vt impediatur solùm, ne benè ac promptè operetur.

Sed & alias ob causas debilitantur & pereunt organa sensuum. Primùm, ob diuturnam nimis & vehementem sensionẽ, qua consumatur is spiritus, qui humectare organum & recreare debebat. Multum enim sensio absumit spiritum: Ideò quiete opus est & somno, quo & sensus cesset & spiritus interim reficiatur. Deinde propter nimium quamcumque spiritus penuriam. Qua fit, vt fame laborantes non cernant. Cùm enim organum est tantopere debilitatum, quia spiritu destitutum; si vehemens accedat sensile, patitur plurimùm. Tum verò propter nimiam actionis cessationem. Etenim exercitatio cõseruat organum; vimq. sentiendi, sicut & ingenium, acuit & memoriam perficit. Atque intermissa sensione desuescit spiritus venire ad organum, aegreque ad illud redit; & ex illius humectantis absentia siccatur organum. Ita fit, vt qui diu fuerunt in tenebris, vim lucis post nequeant susti-

nere; & manè surgentes vix lucem intueri possumus. Præterea debilitatur adhuc & corrumpitur organum ex crebra sensilis nimis parui perceptione: siue sit simpliciter paruum, siue ratione distantiæ. Namque vt facultas eiusmodi obiectum percipit, magnam vim & conatum in musculis ad figendum organum adhibeat necesse est, & spiritus congregari etiam debet, idque non sine labore & constrictione. Ideò scribentes ac legentes minu-
6. tos caracteres debilitantur aspectu. Ad esse etiam potest extrinseca causa. Nam pituitæ defluxu læduntur gustatus & olfactus, aut alij etiam sensus.

Sanè causa à Philosopho explicata (vehementis inquam obiecti) efficacissima est, & in quatuor sensibus, qui reali actione obiecti in organum operantur, manifesta. De aspectu maior difficultas, quòd realem actionem colores non habeant. Aiunt plerique species eorum intentionales agere in oculum locali motu disgregando spiritum; sique proportionem excedat, maximè lædere. Agere autem in spiritum potiùs, quàm in substantiam oculi; quoniam spiritus tenuissimus. At si admittantur hæ species, dici etiam possent confortare aut lædere organum, congregando aut disgregando spiritum; non efficientes, quia ne hoc quidem videntur posse; sed solùm concomitanter. Quoniam enim albedo est valde aspectabilis, atque in oculum vehementer imprimit, pauco spiritu opus est ad videndum albũ: & ideo disgregat, & discedit ab organo. Nigredo parũ mouet sensum, quia parũ habet lucis, atq. ad naturã tenebrarum accedit: Quare multum spiritum ad eam sentiendum euocat anima. Viride aut rubeum temperata sunt magis & moderatè mouent sensum: proindéque moderatè conuenit spiritus, & mediocris à facultate adhibetur conatus. Atque hinc est, quòd aliqui colores confortare dicantur, alij lædere aspectum. Verùm quid opus est speciebus? Adsunt colores reales. Et vt species non videtur, sed obiectum per speciem; ita nec lædit species aut iuuat, sed obiectum per speciem. Obest autem aut prodest, vt maiorem vel minorem in lucidi & opaci permistione proportionem habet. Nam quia lux sua natura dissipare spiritum potest realiter in oculum agendo, colores quoque illi, qui lucis plurimum habent, hoc ipsum faciunt. Hæc est causa, cur albedo tantopere obesse & aspectum disgregare dicatur. Qui verò minorem continent lucem, minùs agunt minúsque aspectabiles sunt; quoniam aspectabile obiectum lucidum esse oportet: obsúntque facultati, quia nimium in eorum perceptione laborat. Alij demum temperati maximè confortant; quòd ita moueant, vt neque spiritus dissipetur, neque facultas in perceptione nimium laborare cogatur. Ex quo intelligas, quomodo congregare aut disgregare aspectũ, colorum horum proprietates esse dicantur. Proprietates enim sunt, quòd ex illorum natura ex tali lucis & opaci permistione oriantur.

Vt colores lædat vel reuocent aspectũ.

A *quòd mediocritatem non habent: neq. principium huiusmodi, quod possit sensilium formas recipere: sed tum materia patiuntur.*

TEXTVS.

Καὶ διὰ τί τὰ μὲν φυτὰ οὐκ αἰσθάνεται, ἔχοντά τι μόριον ψυχικὸν, καὶ πάσχοντά τι ὑπὸ τοῦ θίγειν καὶ ἅπτεσθαι; ἢ γὰρ ψύχεται ἢ θερμαίνεται. οὐ γὰρ ἔστι τὸ μὲν ἔχειν μεσότητα, μηδὲν δὲ τοιοῦτον ἀρχὴν, οἷον δὲ ἔχοντα τὴν εἰδητικὴν αἰσθητήν, ἀλλὰ πάσχειν μὲν τῆς ὕλης.

Text.124 *Et propter quidnam plantæ non sentiunt, cùm habeant quandam animæ particulam, atq. à tactilibus quidpiam patiantur? Etenim refrigerantur & calescũt. Causa enim*

COMMENTARIVS CLXXIII.

EX eodem illo principio, sensum in mediocritate quadam consistere, interpretantur omnes: terum nunc deduci; cur plantæ non sentiant. Quod veriſſimum sanè est. Verùm non ex hoc modo deduci ego illud arbitror; sed ex eo quoque quòd sum dixerat facultatem esse sensilium formarũ sine materia. Cur namq. plantæ non sentiant, duas respondet esse causas. Alteram; quòd mediocritatem & temperationem organi non habent. Alteram; quia etsi partem quãdam animæ habeant, hoc est vegetantẽ, qua nutriuntur & crescunt: principio tamen illo carẽt, quod susciperе potest formas sine materia, hoc est cognoscente & sentiẽte parte. Ex quo duo ſtatim intelligũtur, quæ ad superiorum interpretationem pertinent. Alterum est; id, quod in tex. 121. dictum fuit, sensum sũscipere formas sine materia, non de organo corporeo, sed de animæ facultate, pronuntiatum fuisse. Alterum; mediocritatem, quæ post in sensu considerata est, ad organum maximè pertinere. Sic enim nunc quoq. hanc quæstionem examinans, cur plantæ non sentiant vt animalia; tum ex parte organi, tum ex parte facultatis ad vtramq. partem ratiocinatur. Et quidem sapientissimè; cùm perfectus & absolutus sensus, tum organo corporis constet, tum animę facultate, quæ organo vtitur. Atq. ex vtraq. parte petendum argumentum fuit. Quia si corpus propter animam fabricati est, duas halce oportet viuẽtium partes sibi vicißim respondere; & vbi vna est ad operandum apta aut ineptã, ibi & alteram esse.

Duo igitur argumenta proponit, quæ de quæstione proposita dubitandi causam præbeant, suadeant, videantur plantas sentire. Primũ ex parte facultatis. Quoniam cũ sentire animæ functio sit, plantæ sint animatæ sunt: & cũ nutriãtur & augeantur, aliquam certũ est eas habere animã. Alterũ ex parte organi. Siquidẽ à tactilibus qualitatibus afficiantur, dũ non minùs refrigerantur & calescunt, humectãtur & siccantur, quàm animalium corpora: immò arũdatæ & siccatione pereunt. Vtrumq. autem coniungendũ fuit; quoniam in anima quoq. corpora ab huiusmodi qualitatibus alterantur, quæ tamen non sentire manifestum est; quia nihil sentit, nisi animatũ. Animata verò, etsi principium sentiendi habeant, nihil tamen sensilia obiecta sũscipiant, nihil sentiunt: quippe omnis sensio alicuius obiecti sensio est. Sigunt plantæ & animatæ sunt & sensilia obiecta sũscipiũt, cur non sentiunt? Etsi verò de sensu vniuersè in intermo, sola tamen tactilia obiecta proponit: tum quia est primus & ommium communissimus sensus; quia nisi adsit, nullus aliorum adesse potest; eóq. à plantis excluso omnis alius simul excluditur. Tum quia is maximè in organi mediocritate consistit, vt in tex. 118. dictum est: atq. ex huius organi intemperatione omni sensu eas carere probandum erat. Tum demum quia sensus reliquos in plantis non inesse, dubitari non poterat. Siquidem ij organum habent in certa corporis parte determinatum, oculos, aures, nares, linguam; quæ in plantis non sunt. Et illorum obiecta, colores, sonos, odores, sapores, manifestum est in hoc primo viuẽtium genere non

susciρi.

suscipi. De tactu magis poterat dubitari; quòd & primus est & imperfectissimus & maximè materialis sensus; organóque vtitur per totum corpus diffuso; & illius obiectum in plantarum quoque corporibus suscipitur.

Non dixit autem absolutè, plantas à tactilibus pati; sed quidpiam pati. Quoniam à sensili obiecto duobus modis patiuntur animalia, quæ sensum habent: tum corpore scilicet seu corporeo organo, quod obiectum suscipit: tum anima seu animæ facultate, quę ab obiecto permota cognitionis actum vel ut obiecti formam promit & recipit. Plantæ priorem duntaxat, non posteriorem passionem habent. Patiuntur etiam non absolute eo modo, quo sentire dicebatur esse pati in tex. 57. hoc est cum perfectione eius, quod patitur: sed quodam alio modo, scilicet cum interitu & corruptione; si quidem eæ passiones corrumpentes sunt. Denique non absolutè, sed quidpiam pati dicuntur; quia non patiuntur ab omnibus qualitatibus tactilibus. Non inquam à graui & leui, à duro & molli, ab aspero & lenialisque similibus: sed ab illis solis quatuor primis, quæ alterandi vim habent; à calore & frigore, humore & siccitate.

Prima vatio. Vbi verò ita de hoc dubitauit Philosophus, ijsdem planè argumentis ostendit, nullum in plantis inesse sensum simúlque duo priora diluit argumenta. Primùm enim non sentiunt plantæ propter nimiam corporis sui peripheriem. Quippe non habent eam mediocritatem & qualitatum temperationem, quam tactus præsertim postulat. Non inquam illarum corpora vniuersa, neque vlla eorum pars. In animalibus illæ ipsæ partes, quæ ab hac mediocritate magis recedunt, omni priuantur sensu; vt ossa cartilagines, & etiam nerui, vt est in tex. 79. lib. 1. si solam innatam sibi & propriam temperationem habeant. Sed caro, cutis, & neruus quoque à spiritu carnéq; temperatus atque ad mediocritatem ductus, optimè sentiunt. Et omnino quæcumque animalia duriore ac terreo magis sunt corpore, minùs sentiunt. Atin vniuerso plantarum ac stirpium genere, tum corpora tota, tum partes singulę à mediocritate nimium recedunt, terreæque plus æquo sunt.

Secunda. Deinde quoniam etsi anima quapiam præditæ sint, principio tamen illo carent, quod vim habet sensiles formas suscipiendi sine materia. Hoc est viuunt quidem, sed priuantur sensu, quem eiusmodi facultatem esse ac principium in animalibus non multò ante definitum est. Sed si calefiunt & refrigerantur, si humectantur & siccantur; suscipiunt prorsus formas cum materia. Quæ verba, vt ex superiùs dictis cognoscitur, non ita intelligenda sunt, vt exposuit Philoponus; eas cum materia pati, quoniam illarum corpora fiunt materia qualitatum tactilium; quas suscipiunt. Hoc enim non minùs conuenit animalium corporibus, dum ijsdem qualitatibus afficiuntur. Neque etiam vt Themistius; quòd materia simul cum qualitate subit illarum corpora, dum nutriuntur. Etenim non hoc agit Philosophus. Neque dum calefiunt aut refrigerantur, alio modo alterantur, quàm cætera, vel etiam animalium corpora: alterante scilicet qualitate aliam sibi similem in obiectum corpus producente, soliúsque qualitatis susceptione. Sed intelligendum est, propterea plantas dici pati seu suscipere formas cum materia quòd qualitates quidem illas materiales in sua corpora admittant, sed cùm omni sensu priuentur, nequeant illas cognoscendo à materia eleuare, puraſq. & synceras illarum naturas sine materia suscipere in anima, quemadmodum animalia suscipiunt, quæ sensum & cognitionem habent. Verùm hæc duo, organum & facultas, necessario coniuncta sunt, seseque vicissim consequuntur. Nam si organum aptè temperatum non habent, neque sensitricem facultatem habere possunt: & contrà si facultate carent, nec habebunt organum. Quoniam alterum sine altero esse non potest, & alterum siue altero esset frustra, cùm operari nequeat.

Tertia. Tertiam causam, cur plantæ non sentiant, addit Themistius à fine ductam. Si enim eæ sensum haberent, frustra nimirum haberent. Quia cùm infixæ sint radicibus terræ, nec moueantur loco, neque salutaria persequi, neque à noxijs fugere possunt, quemadmodum animalia. Nihil autem frustra facit natura.

Iam si tactum non habent, neque habebunt gustatum, vt quidam voluerunt: neque sensum suauis & tristis, vt in Timæo dixit Plato: neque omnino vllum aliorum sensuum. Tum quia tactus est omniũ primus, sine quo nullus aliorum esse potest: minimè verò gustatus, qui tactus quidam est. Tum quia reliqui omnes sensus perfectiùs minúsque materiale, minùs crassum & terreum organum postulant. Quare si ad tangendum inepta sunt plantarum corpora, ad cæteros sensus fuerint ineptiora.

TEXTVS.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις, εἰ πάσχει ἀπ' ἄλλου τῆς ὀσμῆς τὸ ἀδυνάτως ὀσφραίνεσθαι ἢ διὰ χρώματος τὸ μὴ δυνάμενον ἰδεῖν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ πάντων. εἰ δὲ τὸ ὀσφρανθὲν ὀσμή, εἰ καὶ ποιεῖ τι ὀσφρηθὲν ἢ ὀσμὴ ποιεῖ ὥστε καὶ ἀδυνάτων ὀσφρανθῆναι, σύγχυσιν οἷον πάσχειν ὑπὸ ὀσμῆς. ὁ δ' αὐτὸς λόγος ἐστὶ ὅτι καὶ ἄλλων οὐδὲν πέπονθε δυνάμει, ἀλλ' ἢ ἀδύνατον ἔκαστον.

Dubitauerit autem quispiam, an patiatur aliquid ab odore id, quod odorari non possit, aut à colore id, quod non possit videre. Similiter autem & in alijs. Si autem odorabile, odor, si quid facit odoratum, quatenus odor facit. Quare nullum eorum, quæ odorari nequeunt, pati ab odore potest. Eadem autem ratio & in aliis. Neque eorum, quæ possunt, nisi quatenus sensitiuum vnumquodque. Tex. 125

COMMENTARIVS CLXXVI.

CVm plantas quoque, & ea, quæ sensum non habent, à tactilibus qualitatibus pati dixisset, etsi eas non sentiant: iure optimo de sensilibus cæteris dubitationem proponit, an ab odore quoque colore, sono, & sapore, pati quidpiam possit, quod earum sensum non habeat. An verò hæ qualitates in illis suscipiantur solis, quæ eas suscipiendo persentiunt. Quam ob causam verè quidem fortasse Auerroës credidit, nil aliud hoc loco fuisse Aristoteli propositum, quàm exponere differentiam inter qualitates tactiles cæterorúmque sensum obiecta. Quòd hæc non afficiant nisi id, quod sensu præditũ est, illæ ea quoque quæ omni sensu carent. Sed minimè veram illius differentiæ rationem subiunxit, quòd sensilia reliqua sint de genere relationis, tactiles autem qualitates de genere actionis & passionis per se, ex accidenti verò relationis. Etenim neque relatio, neque actio & passio, per se sensiles sunt, sed

omnia sensilia obiecta tertij generis qualitates & absoluta entia sunt quibus relatio accidit, quatenus sensiles sunt; aut actio, quatenus agendi principia esse possunt. At nec tactiles omnes qualitates agendi vim habent: vt graue & leue, rarum, & densum, asperum & lene, durum & molle: sed quatuor illę duntaxat omnium principes. Et in aspectabilium quoque genere lux agit plurimùm.

Verùm arbitror quoque ego non solùm voluisse Philosophum tactiles qualitates à sensilibus ceteris separare. Sed illius potiùs occasione, quod de tactilibus & plantis dixerat, generalem magis & vniuersam quæstionem tractasse; num à sensilibus pati quidpiam contingat, quod sensu prorsus careat. Hoc enim ad generalem sensuũ tractationem hoc loco susceptam magis pertinebat. Quare Simplicius proprium sensus patiendi modum ex his doceri autumat. Nam cùm triplex in sensilibus qualitatibus actio & passio esse queat. Vna per alterationem & susciptientis mutationem; vt cùm calefit quidpiam, aut refrigeratur, aut colore & odore aliaue reali qualitate imbuitur. Altera per solam formalis actus communicationem, absque alteratione; vt cùm cera per solam impressionis actionem figuram anuli suscipit, & sensilium qualitatum intentio per medium traijcitur ad sensum. Tertia per exterioris quidem formæ susceptionem, sed determinatam & perfectam propria quadam cognitionis & iudicij actione illius, quod eam suscipit. Hæc nimirum sola est passio sensus propria, & ab obiecto sensili, quatenus sensile est, profecta. Et quamuis duæ priores in ijs quoque esse possint, quæ sensum nullum nec vitam habent: hæc tamen postrema in solo sentiente, quatenus sentiens est, susciptur; actióque illi respondens solius sensus propria existimatur. Atque hoc modo sensile & sensus rationem vicissim habent, aguntque & patiuntur. Neque sensio quamliber passionem significat; nec passionem solam, sed passionem eiusmodi, cui sensus iudicantis actio adiuncta sit. In qua Simplicij commentatione secundum passionis genus non intentionalium specierum susceptione, sed sensilis actus traiectione constat. Et trimembris partitio ad bimembrem diuisionem contrahi potest. Vt quædam sit mera passio & qualitatis seu actus susceptio aut traiectio, qualis tum in medio, tum in alio quouis corpore cernitur: alia cum actione & iudicio sensus coniuncta, quæ in solis animalibus inest. Illa inanima est, minimèque vitalis; hæc animata, vitalisque prorsus, sentiens, & iudicatoria. Illa formam cum materia, hoc est materialem penitus qualitatem, suscipit; hęc aut solam formam sine materia, vt in colorum visione; aut in organo formam cum materia, & in sensu formam sine materia. Et ideò illa existit in corpore, hæc in anima, partéque illius sentiente. Ac demum illa materialis obiecti duntaxat susceptio est; hæc obiecti quoq. formalis sensilis inquam, quatenus sensile est.

Triplex in sensilibus actio & passio.

Duplex passio.

Et certè dum Philosophus dubitat, an quemadmodum plantę & corpora cætera à tactilibus absq. illarum sensu & cognitione afficiuntur; ita sit quidpiam, quod ab odore aut colore, cæterisque sensilibus patiatur, nec tamen ea odorari possit, videre, aut omnino sentire, & agendo quoque de illis iudicare: duplicem solùm passionem distinguit, alteram synceram & sine cognitione ac iudicio, alteram cum cognitionis & iudicij actione copulatam: Respondétque secus omnino rem se se habere in his omnibus qualitatibus, quàm in tactilibus habeat. Nam in his potest vtrumque passionis genus reperiri, & in quibusdam qualitates sine cognitione & iudicio suscipi. At in illis non item: sed nihil vsque eas suscipere aut ab illis pati, quod eas item sentire & cognoscere nequeat. Neq. in his ipsis eas susciptibilis ab illis pati, nisi quatenus sentiendi & cognoscendi vim habent singula. Quorum vtrumq. vt ostendat, tanquã principio vtitur ea relatione, quæ inter sensum & sensile reperitur. Sensus enim ad sensile dicitur, & sensile quoque ad sensum: & vt sensus sensilis sensus est, ita & sensile sensu sensile.

Propterea propositio illa (odorabile est odore) ita est accipienda, vt non hæc, sed eius conuertens intelligatur (odor est odorabile). Non enim odorabile, sed odorem propositum illi est demonstrare ea sola mouere & afficere, quæ odorandi sensu prædita sunt. Accipitque tanquam medium argumentationis terminum relationem eam, quæ est inter sensile & sensum. Quam relationem manifestius omnino significat odorabile, quàm odor. Nam etsi odor quoq. significare videatur, id tamen propterea est, quia est vox à sensu deflexa, non quæ absolutam naturam proponat, vt antea dictum est cùm de odoratu ageretur. Neque in cæteris sensibus obiecta materialia, sed formalia relationem significant: Non inquã color, sonus, aut sapor, sed aspectabile, audibile, gustabile. Neque ipsemet odor eam significat, nisi quatenus odorabilis est. Odor igitur est minor extremitas, mouere & afficere odoratum, extremitas maior, odorabile, medius terminus. Ex quibus adhunc modum ratiocinatur. Odor est odorabile, sed odorabile vt odorabile ad odoratum dicitur, & odorabile omne odoratu odorabile est, igitur odor vt odor, idest vt odorabile est, ad odoratum solum refertur, eúmque solum mouet & afficit: nec aliud quidquam ab eo moueri potest & pati, quod odorandi sensum non habeat. Eadem est cæterorum sensuum ratio. Nihil enim à coloribus, sonis, ideoporibus, patitur, nisi aspectu, auditu, & gustatu praeditum sit.

Quod autem contra hæc obijci posset, medium ab huiusmodi qualitatibus affici, dum soni, odores, & lux per aërem & aquam sparguntur, quæ corpora non solùm sensu, sed omni anima carent, in promo commentario explicabitur. Sic enim subiungit Philosophus.

TEXTVS.

Ἅμα δὲ δῆλον ἐκ τούτων. οὔτε γὰρ φῶς ἢ σκότος, οὐτε ψόφος οὔτε ὀσμὴ οὐδὲν ποιεῖ τὸ σῶμα τὸ διαφανές. ἀλλ' ἐν τοῖς ἔστιν, ἢ μὴ ἔστιν ἀπορροὴς διὰ τούτου τοῦ ξύλου. ἀλλὰ τὸ ἀπτὸν καὶ τὸ γευστὸν ποιεῖ τὸ μὲν, ὅτι τοῦτο ἀπ' ἐσχάτου ἅπτεται τοῦ σώματος.

Simul autem manifestum est &c. Neque enim lumen & tenebræ, neque sonus, neque odor, quidpiam agunt in corpora, sed ea, in quibus sunt, vt aër, aut in tonitru findit lignum. Sed tactilia & sapores agunt. Si enim non, à quonam paterentur inanimata & alterarentur?

COMMENTARIVS CLXXV.

QVibus verbis id ipsum quod ratione probauerat, experientia & effectu confirmat. A sensilibus inquã obiectis nihil pati, nisi quod sensu habet. Quippe cuius manifestũ est, neq. lumen & tenebras, hoc est aspectabile, id afficere: quod aspectu careat neq. sonum aut odorem agere in quidquam, quod auditũ aut odoratum non habeat. In eo enim quod

quod aspectu, auditu, & odoratu præditum non sit, nullus effectus à qualitatibus hisce producitur. Quòd si produci videatur interdum, id ex accidenti prorsus efficitur, non à sensili qualitate, sed aut ab eo, in quo qualitas inest, aut ab aliquo alio, quod cum ea coniunctum sit. Nam si tonitru quis dicat proscindi ligna, aut eiusmodi alia inanima corpora dejici id nequaquam fit ab illo vehementi sono, & fragore, qui est in tonitru, sed à fulmine cum tonitru coniuncto, aut ab aëre in tonitru vehementer impulso, qui aër soni subiectum est: neque à sono, sed à subiecto aëre patiuntur hæc corpora. Et rursum ab odoribus patiuntur quidem, & aër, & alia corpora, dum bene mal olentia fiunt: sed non ab odore vt odor est, verum à vaporoso halitu odorem deferente, qui cum illis permiscetur. Dum autem in illuminato aëre inanima quoque corpora calefiunt, respondet Philoponus, ea non à lumine calefieri, sed ab aëre, non quatenus illuminatus est, sed quatenus calidus. Quæ sententia non omni ex parte videtur esse vera. Quoniam aërem ipsum à lumine calefieri certum est. Si quidem hanc ob causam calidior interdiu est, quàm noctu, & æstate, quàm hyeme: & omnino illuminata loca calidiora sunt ijs, quæ tenebrosa existunt & opaca. Calefiunt igitur, siue ab aëre calefacto à lumine, quatenus calidus est, non quatenus illuminatus: siue ab ipsomet lumine, at non quatenus lumen est & aspectabile, sed quatenus calefaciendi vim habet, estque potestate ac virtute calidum.

Vt primæ qualitates sensibus non sentientia patiantur.

Qua in re non parùm cum tactilibus qualitatibus conuenit. Quia enim vt hæ sunt inferioris naturæ instrumenta, sic lumen supremi & primi corporis cœlestis virtus est, qua inferiora hæc omnia regit & fouet, vtrumque qualitatis genus vim habet agendi in omnia corpora, tum animata, tum inanima. Sed hoc conuenit illis, quatenus sunt qualitates actiuæ & alterantes, non quatenus sensiles sunt. Etenim sensilibus cæteris qualitatibus, coloribus, sonis, odoribus, saporibus, vt non sint primæ, sed secundæ non alterationis principia, sed effectus, qui ex primarum illarum actione oriantur: sic nulla inest in aliud actio, quatenus qualitates eiusmodi sunt, sed solùm quatenus sensiles sunt. Quod cùm ad sensum dicatur, agere in ea sola possunt, quæ sensum habent, eáque sola ratione, qua sensu prædita sunt. Primis autem ijs, quæ sensiles sunt, vimq. agendi & alterãdi habent, duplex planè conuenit actio. Vna, quatenus sensiles sunt. Altera, secundum propriam ipsarum naturam, qua primæ & alteratrices existũt. Prior eiusdem rationis est cum cæterarum sensilium qualitatũ actione, hoc est in ea sola, quæ sensu prædita sunt quatenus sensu valẽt. Posterior ipsarũ propria generalior est in omnia corpora, vel etiã sensus & vitæ expertia. Dúmq. ita in ea agunt, quæ sensum habent, hęc non patiuntur ab illis, quatenus sensum habẽt, sed quatenus corpora quædã sunt, eodémq. prorsus afficiuntur modo, quo inanimata cætera. Quare si mediũ, aër & aqua, à lumine, calore, sono, odore, patitur, dum hæ qualitates per mediũ spargũtur, non patitur ab illis, quatenus sensiles suat, sed alia quapiam ratione. A lumine & calore, quatenus agendi & alterandi obuia quęuis sibi corpora virtute valent. A sono, quatenus mouetur & allidítur aer, in quo est sonus. Ab odore, quatenus vaporosus dispergitur & in medio susc pitur halitus, in quo est odor.

Vt à sensilibus non sentientia patiantur.

Sapores Philosophus addidit: & ideò dubitauit Auerroes, an ij agant in corpora gustatu priuata. Sed omnino negandum est, dum quatenus sapores sunt considerantur. Sunt enim qualitates secundæ, quæ quatenus eiusmodi sunt, nullam agendi vim habent. Quatenus autem sensiles sunt, solum sensum afficere ac mouere possunt. Sapores igitur hoc loco nominauit Philosophus & cum tactilibus qualitatibus cõiunxit; non quatenus sapores sunt & gustabiles, sed quatenus gustatus, vt antea docuerat, est quidam tactus, & gustabile quodpiam tactile. Habet enim socias qualitates tactiles, quæ agendi vim habẽt: & ideò à saporibus quoq. humectantur, siccantur, calefiunt, & refrigerantur corpora. Hoc ita esse, neque nominatos fuisse sapores, vt sapores sunt, sed vt tactiles habent qualitates; ex ea ratione intelligitur, qua & qualitates tactiles & sapores probat in corpora quoque inanimata agere. Si enim inquit inanimata corpora ab his non patiuntur & alterantur, à quonam paterentur? Essent nimirum impatibilia & immutabilia. Quæ ratio de solis tactilibus valida est, quæ & omnium primæ sunt, & ad agendum maxime efficaces: & nisi ab illis patiantur & alterentur corpora, à nullis alijs pati aut alterari possunt. Nec sine causa satis illi non fuit nominare passionẽ, sed alterationem adiunxit. Primùm, vt exponeret, quatenus sapores nominasset: nimirum non vt sapores sunt, sed vt alteratrices qualitates habent adiunctas. Ipsi enim per se considerati vim alterandi non habent, sed ex alteratione nascuntur. Deinde, vt explicaret, quatenus tactiles ipsę qualitates in corpora inanimata agant: nimirũ non vt sensiles sunt, sed vt alteratrices. Atque cùm paulò ante vnum modũ posuisset, quo à sensilibus patiuntur inanima; quatenus ab eo patiuntur, in quo ea sunt: alterum nunc subiunxit, quatenus ex his quæpiam alterandi & agendi in aliud vim habent.

TEXTVS.

Ἆρ' οὖν καὶ ταῦτα πάσχει, ἢ οὐ πᾶν σῶμα παθητικὸν ὑπὸ ὀσμῆς καὶ ψόφου καὶ τῶν πάσχοντα ἀόριστα ἐστι, καὶ οὗ φθορὰ οὐ γίγνεται ἀπ' ὀλίγου τοῦ ὡσαύτως παθεῖν;

Ergone & illa agent? An non omne corpus passiuum ab odore & sono: & quæ patiuntur indeterminata & non manent, vt aër? Olet enim tanquam passus aliquid. *Textus 127.*

COMMENTARIVS CLXXVI.

QVod de tactilibus primis qualitatibus tradidit, eas in corpora quoque sensus omnis expertia agere; de cæteris item sensilibus explicare pergit. Propterea quærit, num & illa, quæ antea nominauerat, lumen, sonus, odor, agant in eiusmodi corpora; sicut agunt calor, frigus, humor, siccitas. Cur autem hoc quęrat, causa est; quia si tactiles qua-

litates agerent in hæc corpora, quatenus sensiles sunt, manifestum esset, reliquas item sensiles qualitates agere. At cùm agant quatenus alteratrices sunt & agendi vim habent; maximè licet de cæteris dubitare, quæ tàm efficaces ad agendum non sunt; an alio quodam modo agere queant.

Vt primæ qualitates à cæteris differant.

Ergò partim affirmat, partim negat; ostenditque has ipsas qualitates partim cùm tactilibus conuenire, partim ab illis discrepare. Etenim agunt & ipsæ in corpora inanima, sed non in omnia; neque in quoduis corporum genus, quèadmodum principes illæ tactiles. Sed indeterminatum quoddam; nempe in ea corpora, quæ interminata sunt & humida, & ideò patiuntur facilè & immutantur; vt aër & aqua. Lumen namque in solo perspicuo suscipitur, à corpore opaco repellitur, nec nisi in superficie admittitur. Perspicuum autem est aër aut aqua, mistaque corpora quædam, quę his plurimùm abundant & interminata sunt, vt vitrum. Colores perspicuo egent illuminato, nec realem vllam agendi vim habent, sed aut intentionalem in medium & sensum, aut si re ipsa coloretur quidpiam, non solius coloris, sed coloratę, substătiæ permistione coloratur. Quod in humido & interminato corpore facile fit, ægrè & vix in sicco & terminato. Nam dum colores parieti obliniuntur aut ligno, aqua primùm soluuntur & liquefiunt, tum aquæ beneficio obliniuntur. Soni omnes gignuntur in aëre, & cum aëre modo spargunturaut etiam in aqua. Sed si durum, siccum, & terminatum corpus interponatur, propagatio illorum impeditur. Odores cum vaporoso habitu promptè in aëre suscipiuntur: in solidis & terminatis corporibus non nisi quatenus interminata quoquo modo sunt, hoc est porosa, ita vt odorifera exhalatio penetrare possit: alioqui in superficie sistit. Denique sapores in humido & succoso corpore constant.

Itaque illa verba (& non manent) etsi forte quispiam cum Philopono referre possit ad qualitates; vt in huiusmodi corporibus interminatis diutiùs non retineantur & persteht, sed breui tempore permutentur & abeant: & ideò minùs ea videantur ab illis pati. Veriùs autem de ipsismet corporibus intelligentur, quæ & interminata sunt, & non manentia, hoc est humida. Humidum enim est, quod proprium non habet terminum, sed quemvis alienum suscipit. Quare quod eiusmodi est, facilè potest qualitates hasce suscipere, quę non tàm actione propria, quàm corporis, in quo sunt, permistione suscipiuntur. Atque hoc differunt hæ qualitates à tactilibus primis, quòd hæ cùm ad agendum sint vehementissimæ, corpora omnia, vel durissima & siccissima, penetrant: illę tenuioris multò aut nullius actionis, non nisi in interminatis & humidis admittuntur. Igitur primæ qualitates tactiles nullam in subiectis corporibus dispositionem postulant: sed cùm sint omnium primæ, tum ob naturam propriam, tum ob agendi efficacitatem agere possunt in omnia, siue interminata sint, siue terminata, siue humida, siue sicca. At cæteræ, quæ neque primæ, neque tàm efficaces sunt; conditionem corporum quampiam postulant, vt interminata sint & humida. Hæc si adfuerit, tunc demum in illis suscipientur; lumen alteratione, reliquę subiecti, in quo sunt, permistione.

Passionis sensus à reliquis differentia.

Quod autem hoc loco Philoponus inanimatorum corporum passionem ab ea, quæ fit in sensu, duobus modis distinxit. Primùm, quòd sensus passionem, quæ in ipso fit, hoc est formæ cognitionem, consequitur; non item inanimata corpora. Deinde, quòd passio & immutatio sensus subitò & momento fiat, sensim autem & gradatim ea, quæ inanimatorum corporum. Nempe quamdiu adest ignis, inquit, magis semper calefit corpus: at sensus cùm primùm occurrerit sensile, cognoscit statim; non intenditur ampliùs cognitio, neque remittitur, sed eadem semper est. Nimirum ex eo profectũ est, quòd horum verborum sententiam minùs est attentus. Miniméque probandum est. Tum quia non de omnibus, vt Philoponus; sed de quibusdam solùm sensibus Philosophus loquitur: neque horum inanimis corporibus, sed illorum sensilia cum nobilibus comparat. Tum quia vt certum est, externos sensum operari nunquam nisi obiectum fuerit præsens: ita manifestum est, eum nõ magis cognitionis actum seruare, quàm inanima corpora formam ei custodiant, quàm à sensilibus obiectis acceperint, immõ minus; quia est forma minus pendens à materia. Sed quandiu adest obiectum, & forma conseruatur in corpore, & cognitio in sensu; eoque remoto perit vtraque. In organo autem sensus quo non videat eodem rem se habere modo, quo in inanimato corpore? Eodem enim modo & producitur, & conseruatur, & perit lumen, & sonus, & odor, in aëre aut aqua, & in oculo, aut aure, aut naribus: & calor in aëre aut aqua alioue corpore, & in carne & neruo.

Quòd si cognitionis productio in sensu momentanea sit, lumen quoque in aëre & aqua momento producitur: & sensilia cætera, si in medio inanimato sensim & cum tempore producuntur, producuntur etiam in organo animato. Ac demũ vt augetur, aut minuitur, intenditur, aut remittitur obiectum, ita cognitio & sensio perfectior euadit, aut imperfectior & debilior. Quis enim maiorem aut minorem calorem, frigusue sentire se non fateatur, quòd admodum illius corpus magis & minùs calefiat aut refrigeratur.

Hæc obiter aduersus Philoponum dicta sint. Ex quibus loci huius interpretatio à me facta confirmatur, & vera esse conuincitur. Nam cùm dicatur, An non omne corpus passiuum est ab odore & ligno, sicut à calore cæterisque tactilibus qualitatibus? Subiunxit, omnino non omne corpus ab illis pati posse; sed ea sola, quæ interminata sunt & humida, vt aër. Hunc autem ab hisce qualitatibus pati & affici, argumento probat odoris, quem in eo manifestiùs sentimus. Etenim propterea olet & interdum fœtet aër, quod ab odoribus quidpiam passus sit.

TEXTVS.

Τί οὖν ὅτι τὸ σῶμα ἅπαν πάσχει τι ὑπὸ τοῦ ὀσμᾶσθαι, ἢ τὰ μὴ ἔμψυχα; μᾶλλον δὲ τὸ μὲν ὅλον οὐδέν· ὁ δὲ ἀὴρ πάσχει, καὶ ὕδωρ καὶ ξύλον καὶ ὅσα τοιαῦτα μίγνυται.

Quid igitur est odorari, nisi aliquid pati? an vero sentire est? Aër autem passus cito sensilis fit.

COMMENTARIVS CLXXVII.

HVnc locum attentè considerent illi, qui sensionem putant meram esse passionem, non actionem vllam: sensumque facultatem patiendi duntaxat, non agendi quidpiam. Cùm enim affirmatur

affirmasset Philosophus, non ea modò, quæ sensu prædita sunt, sed ea quoque, quæ prorsus inanima, à sensilibus eodem modo pati, si non quatenus sensilia sunt, certè quatenus absolutæ quædam qualitates existunt, eas scilicet suscipiendo: iure optimo quærit, quonam modo sentientia & animata à non sentientibus & inanimis differant. Hoc enim est, quod ait, Quid igitur est odorari, nisi quidpiam pati. Odorati nominat, quoniam de eo potissimum verbis proximis loquutus fuerat. Sed sensum omnem intelligi vult. Quoniam vt in ijs, quæ vitam & sensum non habent, nulla est actio circa sensilia, sed mera passio formarúmque à sensilibus susceptio: Sic & in sentientibus videtur esse, eodémque modo ab illis ambo pati iudicantur. Quam dubitationem statim exponens respondet, in eo diuersitatem esse, quòd odorari est sentire, aër autem passus citò sensilis fit. Sentire inquam non solùm est pati & suscipere in organo sensilium, luminis, soni, odoris, saporis, caloris formas: sed etiam est agere sentiente q. facultate eas cognoscere ac de illis iudicare. Corporis enim passioni adest socia sentientis animæ actio. Fitque non raro, vt quamuis in organo sensilis qualitas suscipiatur, nihil tamen sentiamus, propterea quòd non attendat anima, neque circa susceptam qualitatem agat. At in aëre sensuq. carentibus corporibus sola est passio & susceptio, qua ipsa nũt sensilia dũ sensili qualitate afficiũtur. Et aëre, odore aut sono repletus, & qua aliudue corpus calefactũ, sentiri à nobis queunt, sed minimè ipsa sentiunt, quod facultatem non habeant, qua de susceptа qualitate iudicent.

Itaque hoc differt sentiens, à non sentiente, quòd illud patiens sentit, hoc verò patiens sensile fit. Et hoc quidem, inquit Simplicius, externa duntaxat actione constant illud autem etiam propria. Verùm hoc quoque obseruandum est; Vt corpus inanimũ sensilis formæ susceptione sensile nominatur, sic & animatum organum nominari. Siquidem eadem est vtriusque conditio; neq. sentiendi & iudicandi actio est organorũ propria, sed facultatis. At quemadmodum hæc sensilia dicuntur, quòd sensilem suscipiunt formam; sic anima & facultas à cognitionis actu sentiens appellatur: non solùm externa appellatione, quòd sit sentiendi principiũ; sicut quod libet, quod in externam materiam agit, agens nominatur: sed interna prorsus à forma, hoc est à sensionis actu tanquam obiecti sensilis forma sibi inhærẽte. Est enim actio non in externam rem transiens, sed in eo ipso, quod agit, remanens. Idcircò in corporibus cæteris vnica est passio, in sentientibus omnino duplex. Illa patiuntur solùm, dum sensilem qualitatem suscipiunt: Hæc & dum qualitatem in organo, & dum cognitionis actum in facultate admittunt. Quamquam priorem ego passionem organi non semper necessariam esse dixerim, nisi in tactu & gustatu, qui materiales maximè sunt: in cæteris autem posse non nunquam sonos & odores, vel etiam lumen à facultate comprehendi, etsi organum non plusquam quærint: modò sint non magis dissita, quàm facultatis virtus operandi patiatur. A colotibus autem oculum pati nunquam & affici, nisi quando ipsimet oculo obliniũtur: vt in icterico. Alioqui nec illire ipsa multiplicantur, nec intentionalem specierum multiplicationem libet admittere.

In sola sapida passio.

Quod ex hoc ipso loco intelliges: non solùm inquam in coloribus, in quibus à plerisque ponuntur, sed multò magis in sensilibus cæteris nullas esse eiusmodi species. Quippe non aliud voluit Philosophus interesse discrimen inter inanimatorum & sentientium corporum passionem, quàm quòd illa patiuntur, non agunt; hæc & patiuntur, & agunt: patiendi autem eundem vtrobique modum esse. Eadem igitur forma, quæ in corpore inanimato suscipitur, suscipitur quoque in organo. At in inanimato suscipitur realis sonus, odor, lumen, & calor, in aëre aut aqua: & qualitates tactiles, quę in duris item corporibus per actionem & alterationem realem susciпiuntur, reales nimirum sunt: & hoc loco confirmat idem Philosophus, qui ab omnibus hisce qualitatibus aërem & inanimata corpora dixit sensilia fieri. Non enim intentionalis species sensilis est; neque sensile facit illud corpus in quo suscipitur. Igitur sensuum quòque organis reales qualitates aduenient. Alioqui facile fuisset Aristoteli, & verò etiam debuisset, eam inter horum corporum passionem differentiam facere; quòd inanimata qualitates reales, sentientia intentionales suscipiant. In facultate vero non speciei, sed cognitionis & iudicij susceptionem posuit. Vbi igitur intentionales istæ species? quæue illarum necessitas; si realis qualitatis in organo susceptione facultatisque cognitione ac iudicio sensio tota absoluitur.

Contra species intentionales.

Deniq. ex hoc ipso loco licet rursum intelligere, quẽ verè à me fuerit antea expositio illa tex. 121. sens⁹ est facultas formarũ sensiliũ susceptrix sine materia. Quoniam nunc dũ sentiẽtia hoc solùm nomine à non sentientibus distinguuntur, quod non solo patianturur corpore sensilium obiectorum formas suscipiendo; sed item sensu illas cognoscant, & iudicent: declaratur planè, priorem susceptionem cum inanimis corporibus communem, susceptionem esse formę cum materia; hoc est formæ secundùm suum esse & conditionem materialem: sensus autem proprium esse suscipere sine materia, quatenus eas cognoscit & cognoscendo à materia eleuat, modóque quodam immateriali in se ipsum transfert. Atque in hoc tandem sensus natura consistit: quæ cũ agens sit, & patiẽs quatenus actioneni suam suscipit, vtrumque Philosophus optimè explicauit. Patiendi quidem vim, dum antea sensum dixit susceptiuum esse formarum sine materia: agendi autem nunc postremo addens, eum non solà organi passione constare, sed actione quoque formęque ab obiecto susceptæ cognitione.

Vt absq; suscipio formas sine materia.

SECVNDI LIBRI FINIS.

HIERONIMI DANDINI

Cæsenatis, è Societate Iesu.

IN ARISTOTELIS DE ANIMA LIBROS.

COMMENTARII TOMVS III.

Qui tertij libri interpretationem continet.

PRÆFATIO.

Tertij libri principium vbi.

QVM ab eo loco, in quo Philosophus phantasię tractationem aggreditur, Magnus Albertus & Ægidius tertij libri principium fecerunt; perperam interiorem sensuum considerationem ita partiti sunt, vt de communi quidem sensu in secundo libro, de phantasia verò in tertio ageretur. Aut enim vtraq. secundo libro cõpræhendenda est, quẽadmodum iudicauit Auerroes, qui totam hanc peruestigationem sensuum sentientisque animæ propriam esse cum intelligeret, eo primùm loco tertium distinxit librum, vbi de intelligente parte disseritur. Aut certè vtraque cum tertio atque intelligentis animæ contemplatione coniungenda. Quod mihi quidem certè satius esse videtur. Tum quod Græcos omnes interpretes ita partitos fuisse animaduertam. Tùm quod magna omnino est interiorum horum sensuum cum intellectu cognatio: vt quamdiù hic degit in corpore, nil planè sine illis operetur: quin illis vtatur perpetuo; siue is in sola rerum cognitione versetur: siue actionem quoque respiciat. Quocirca nec de illius natura & operatione quatenus corporis actus est (quomodo consideratur hoc loco) dici poterat, nisi de phantasia simul & interiori sensu diceretur. Complures præterea erant, qui sensum ab intellectu, phantasiam à mente, non satis distinguerent. Siquidem opinio, inquit Philoponus, quæ intelligentis animæ est, magnam habet cum communi sensu & phantasia societatem & communionem: nec nisi ex mutua comparatione facile erat distinguere; neque prudentis fuisset Philosophi de illis agere, antequam distinctas facultates esse demonstrasset.

Superior igitur sentientis animæ explicatio nequaquam est omni ex parte perfecta. Sed ea duntaxat continet, quæ ad exteriores illos sensus pertinent, qui conspicui omnibus & manifesti sese offerunt. Cæterùm duo desiderantur. Alterum de interioribus sensibus, Alterum de motrice facultate. Vtrumque cum intelligente parte coniungitur. Hoc, quod homini quoque cum bestijs commune sit: & ideo postremo tractãdum loco; quod tum sentientem, tum intelligentem appetitum consequatur. Illud, vt à sensu intellectus separetur, simulque cum eo facilùs explicetur. Tum vero Simplicius tentia, vt quantumcumq. rationis vestigium in sensum veniat, ex hac copulata consideratione intelligatur. Quippe inter ea, quæ proxima sunt, aliquid esse communio: atque infimi supremum supremi infimo cognatum ferè reperias.

Et quidem Philoponus totius libri scopum atque institutum solam intelligentem animam, tum quoad substãtiam, tum quoad facultates, esse voluit. Nec item sensum: sed de hoc propterea solùm disserit, vt intelligẽtes facultates à sentientibus distinguantur. In cuius viri oratione magnopere illud obiter obseruari volo, quod intelligentis animæ substantiam quæri affirmauit. Ex quo duo sunt consequentia. Alterum; huius quoque animæ substantiam ad naturalis Philosophi cognitionem pertinere: Alterum; eam esse hominis formantem formam veramque humanæ naturæ partem. Quemadmodũ enim separatarum mentium, quæ cœlestibus assistunt orbibus, substantiam Physicus nõ considerat, sed operationem solam & motum: quòd hæc operatio naturalis sit; non substantia. Ita si anima nostra corporihuic, quod gerimus, duntaxat assisteret, substantiam penitus abstracta esse; operationem solam & facultatem, non substantiam, naturæ contemplator Philosophus considerare posset. Existimo autem primariam quidem & præcipuam Aristotelis intentionem fuisse de intelligente eligentéq. anima dicere. Quod & ea præstantior est & diuinior: & vegetante ac sentiente ferè explicatis peruestiganda supererat; cum nihil hactenus de ea traditum fuerit. De interioribus autem sensibus, partim per se, partim propter intellectum egit. Per se quidem; quoniam suscepta sentientis animæ consideratio nondum erat perfecta, hanc-

cta,háncq. omnino partem postulabat. Propter intellectum autem ; quatenus considerationem hanc vidit non parùm prodesse;immò summopere ad intellectum cognoscendum atq. à sensu separandum, necessariam esse.Propterea enim tum considerationem vtrâq.copulauit atq. vno libro cõplecti voluit: tum de sensu priùs dixit, vt superiorẽ tractationem cõtinuaret,& inchoatam absolueret, ac demũ viam sibi & aditum ad intellectus cognitionem pararet. Tandem de motrice quoque facultate loquitur.

A

Verùm antequàm hæc aggrediatur,principio statim disputat ; Num alius sit exterior sensus,propter illos quinque de quibus in superiori libro disseruit. Ad quam disputationem hæ illũ causæ impulerunt. Primùm, vt hunc librũ cum superiori coniungeret: nullúmque fuisse prætermissum exteriorem sensum antea ostenderet , quàm ad interiores accederet. Deinde vt ita ad hosce sensus faceret sibi gradum; absolutam esse exteriorum explicationem demonstrans,quòd præter illos quinq.alius supersit nullus. Tum verò quòd scitu dignum problema esset atq. ad sensuum cognitionem spectans,neq.alibi cõmodiùs explicandum. Ad extremum (quod Philopono quoque placuit) vt inde mox cõmunis sensus , quo propria singulorum exteriorum sensilia diuidicentur,necessitatem colligeret. Nam vbi probatũ fuerit,præter illos quinque particularem alium sensum non esse; si hi cognoscere simul hæc omnia obiecta non possunt; consequens erit, cognitionem eam ad interiorem alium sensum pertinere. Quod verò habet Simplicius hoc idcircò disputari , vt quasi inductione intellectus à sensu discrimine considerato nullum sensum non consideratum fuisse demõstretur: videri sanè potest probabile. At illud nequaquam; Hoc vtile esse ad probandum, vnumquemq. sensum operationem suam percipere. Quoniam hic proprius fuit Simplicij error, de quo post dicendum erit. Nunc enim ad Aristotelis interpretationem accedere oportet.

Cur disputet an alius sit exterior sensus.

B

C

PLVRES, QVAM QVINQVE exteriores sensus non esse.

CAPVT I.

TEXTVS.

Ὅτι δ' οὐκ ἔστιν αἰσθητήριον κοινὸν τῶν πέντε λέγω δὲ τοῦτο ὃ ἔστιν ἀκολουθήσαντι ὄψεται. γένοιτο δ' ἂν ἡμῖν ἡ πίστις ἐκ τῶνδε. εἰ γὰρ πάντες οὗ ἔστιν αἰσθάνεσθαι ἀφ' ἑνὸς ἑτέρου αἰσθητοῦ (πάντα γὰρ τὰ κοινὰ ἢ ἁπλῶς ταῦτα, τῇ ἁφῇ ἡμῖν αἰσθητὰ ὑπάρχει) ἀνάγκη τι εἶναι ὃ ἐκλείπει ὡς αἴσθησις , καὶ αἰσθητήριον ἓν ἡμῖν ἐκλείπειν.

Quòd autem non sit alius sensus præter quinque (dico autem hos, aspectum, auditum,odoratum, gustatum,tactum) ex his quispiam credat.Si enim cuiusuis , cuius est sensus tactus, & nunc sensum habemus (omnes namque tactilis,quatenus tactile est, affectiones tactu nobis sensiles sunt) necesse etiam (siquidem sensus quispiam deest) & sensorium aliquod nobis deesse.

Textus

D

E

COMMENTARIVS I.

Cur de sensuum numero maximè dubitetur.

CVr de sensibus hisce potissimùm dubitari possit , num plures sint; quàm de vegetantis animæ partis facultatibus; ea fortasse fuerit causa,quòd vegetantes facultates vnitæ magis sunt atq. in viuentibus penè omnibus, tum animalibus, tum plantis, omnes simul cernuntur. Omnia quippe nutriuntur & augentur; vixque vllum reperias,quod simile sibi non gignat. At in sensibus, cùm in animalibus quibusdam solus tactus aut etiã obscurus gustatus quispiam; in alijs hic quoq.magis clarus; in alijs demum omnes simul obseruentur: in varietate plurima non immeritò quis dubitauerit.

Quo igitur modo quinarium numerũ probat ? inductione probari non potuisse inquit Simplicius, non quòd ea , vt Philopono visum est , necessariam concludendi vim non habeat. Habet enim si particularia omnia cõmemorentur,vt in 2.de priori analysi lib.cap.29.cognoscitur.Sed quod plures animalium species ignotæ nobis sint : immo plures ignotæ,quã cognitæ. Verùm ratione vtitur, quæ partim ex cognoscendis obiectis ducitur; partim ex sensorijs,quibus anima vtitur, partim ex medijs,per quæ operatur sensus. Potuisset & ex actionibus, quibus facultates proximè definiuntur ac distinguuntur, & verò etiam tanquam ex effectu cognoscũtur, argumentari. Sed cùm harum ipsarum natura & distinctio ex obiectis hauriatur,ex his solis ratiocinari voluit. Facultates omnes à natura institutæ sunt propter obiecta & sensus propter sensilia cognoscenda animalibus tribui. At sensilium quinq.duntaxat genera sunt; eáq. omnia memoratis quinque sensibus cõpræhenduntur.Neq.igitur esse potest alius præter illos sensus. Ratiocinatio hæc non solùm principio illo nititur; Natura nihil facit frustra: Frustra autem esset alius sensus,si quinque hisce sensilia omnia cognoscũtur.Verùm multò magis illo,quod in tex.33. lib.2. positum est; Facultates sunt propter obiecta, per eáque constituuntur & distinguuntur.Quare ex intima ipsorum sensuum natura petitur: nec plures modò ostendit non esse frustraũe futuros ; sed omnino esse non posse.

Quomodo quinarius numerus probetur.

Potissimùm autem ex omnibus sensibus tactum nominauit,quòd de eo præsertim in 2.lib. disputasset; Num vnus sit sensus an plures; Núm.q.vnico tactilia omnia persentiri possint. Quare dũ hoc loco nõ minùs tactilia cũcta illo vnico tactu,qui simul cũ quatuor reliquis sensibus quinariũ absoluit numerum,cõpræhendere nos affirmat,quàm sensibus ceteris sensilia reliqua;apertis verbis antecedentem illam disputationem terminare videtur , vnicúmque esse tactilium , omnium tactum respondere. Quod de speciei,non generis,vnitate intelligas. Quoniam de hac est sermo: eáq. est tum cæterorum sensuum, tum ipsi⁹ obiecti tactilis vnitas. Neq.enim si tactile non minùs,quàm aspectabile aut audibile, vnũ specie est obiectũ formale ; dici potest vnam specie facultatem minùs , quàm illa, constituere. Propterea Philosophũ opinor , cùm omnes tactilis affectiones tactu sentiri diceret, addidisse (quatenus tactile est) vt quoniam ex multiplici qualitatum contrarietate aduersus vnitatem tactus disputauerat, vnũ formale obiectũ significaret,ex quo vna circa multiplex materiale obiectũ facultas constitueretur. Immò Themistius argumentationem hanc vniuersam eò retulisse videtur, vt quoniam ex disputatione illa de tactus multitudine colligi videbatur plures , quàm quinq.esse sensus;ostendatur non ita esse : quoniam plura tactilia vnico sensu continentur.

Vnitatem esse tactilium.

Tactum etiam ex omnibus sensibus nominauit, quòd infimus is omnium sit & imperfectissimus. Vt ita quasi à minori ad maius argumentaretur si tactus , qui omnium imperfectissimus est , vnus cùm sit, tactilia omnia compræhendit ; multò magis aspectabilia , singulisque reliqui obiecta sua tota

cognoscent. Et ideò hypothetica oratione vsus est (si tactus tactilia omnia sentit) vt inde colligeretur, multò magis sua quæque obiecta potiores reliquos sensus comprehendere. Tum demum quoniam ex posteriori de ortu & interitu libro manifestum erat, tactiles omnes qualitates ad principes quatuor reuocari, quas à nobis omnes sentiri certum est. Neq. dubium facultatem principum illarum cognitricem eas etiam cognoscere, quæ ex illis oriuntur, modò tactiles sint. Sicut aspectus, qui cognoscit lumen, colores quoq. qui luminis participes sunt cõprehẽdit.

Hæc est prima Aristotelis ratio ex obiecto ducta. Sanè omnium optima maximéq. necessaria. Quam non parùm miror ab interpretibus præsertim Græcis & Auerroë aut obseruatam hoc loco non fuisse, aut certè minùs perpẽsam. Nam etsi post in tex. 132. illius mentio est apud Themistiũ, Simpliciũ, Auerroëm, Albertũ & S. Thomam: nunc tamen Themistius priora illa verba, quibus hæc argumentatio cõtinetur, aliò prorsus retulit. Simplicius ex animę nostræ perfectione, quæ in nobis de mortua nõ est, aut minùs ad sensilia omnia percipienda efficax, ratiocinari Philosophum credidit. Reliqui autem fere voluerunt esse quasi antecedens ratiocinationis illius, quæ posteriori huius orationis contextu ex sensorijs organisq. deducitur, quámq. alteram ego esse nõ dubito à priore diuersam. Si quis nobis deesset sensus, neq. memoratis illis quinq. sensilia omnia cognoscerentur, sensorium quoq. deesset aliquod: at sensoriũ nullũ deest, igitur nec vllus abest sensus, sed profectò quinario illo numero sens⁹ omnis absoluitur.

Simplicius tamen Aristotelem opinatus absolutiorem probationem fecisse, si aliquis, inquit, deest nobis sensus, aut id oritur ex defectu animæ, quòd imbecillis & demortua facta sit vita, vt sensibus omnibus potiri nequeat, aut ex corporis defectu, quòd organo quopiam priuatũ sit. Atqui omnia in nobis est perfectissima, vitáq. viuacissima, si quę sit in mortalibus: anima inquam & vita non rationalis modò & intelligens, quæ omniũ suprema est: sed vel ipsa sentiens, quæ tum motum habet de loco ad locum, non secundùm partem, vt ostrea, sed secundùm totum: eúmq. non incertum & vagum, quemadmodum vermes & pulices, sed certum, cõstantem, atq. ad omnes loci differentias planè perfectissimum. Tum verò cum intelligẽte coniuncta est & cum ea coaluit, eiq. parere & obsequi apta est: vnde non leuem cõsequuta est perfectionem, immò maximam ad omnes sensus exequendos vim & efficacitatem. Quare si hominis vita omnium optima quinque solùm fruitur sensibus, nullus planè alius est nec esse potest sensus.

Argumentum hoc etsi quibusdam minùs necessarium visum sit, magnã tamen ego vim probandi habere iudico, cum ex perfectione formę petatur, quę tum facultatum, tum operationum principiũ existit. Scimúsq. perfectiorem formam facultatum perfectiorum principium esse: ac rursum vbi eæ insunt, quæ superiores sunt & perfectiores, inferiores quoque & imperfectiores inesse. Quã ob causam Themistius textum enarrans 132. necessarium planè argumentum iudicauit. Et hoc loco Philoponus rationem hanc vnicam omnibus Aristotelis argumentationibus antepositit: iuréq. optimo tertiam eam licebit ponere ad id, quod nunc quæritur, ostendendum. Tametsi Aristotelem ea vti non reperio. Nisi hanc ob causam non vniuersè de omnibus animalibus, sed speciatim de nobis, hoc est de perfectissimis optimáq. animis præditis loquutus hoc loco sit. Verùm fortasse (nobis) dixit, hoc est perfectis omnibus animalibus, in quibus sensus omnes insunt. Quædam enim alia reperias, quæ sensus quosdã habent sine alijs. Et quamuis ex eo etiam post rationi natus sit, quòd in animalibus perfectionibus sensus omnes insint; id tamen nõ ex animę perfectione colliget; sed ex eo, quòd omnia illis sensoria adsint.

Cæterùm ad argumentationem ex sensorijs ductam redeundum est. Quam dum ego perpẽso, interpretes cõplures video, vt ex duabus vnam tantùm conficiant, verborum Aristotelis sensum modo inuertere ac turbare. Priora enim illa, quibus tactu dicimur tactilia omnia sentire, tanquam antecedens ad subsequentem argumentationẽ effert Auerroës. Dimidiatam assumptionis propositionem Philoponus: qua interrupta tãquam obscura, quæ ponatur propositio: tum verò inchoata probatio dissoluatur. Qua in re quantopere Philoponi orationem turbat & obscurat? Plurimùm autem torquet, dum verbis illis (si cuiusuis, cuius est sensus tactus, &c.) significari vult inesse in nobis sensorium, quod medio non vtatur. Non enim tam longo verborum circuitu fuisset vsus, vt id diceret: neq. illud ea verba sonant: sed nos tactu, quem habemus, tactilia omnia cõprehendere. Vt quiuis inde deduceret, aliũ citra tactilia sensum non esse; eodémq. modo non citra sensilia reliqua. Deinde dum propositione verbis illis interposita (necesse est, si sensus quispiam deest, & sensoriũ aliquod deesse) tandem in sequentem probationem iliam ait absolui; repetito eo, quod principio fuerat dictum, nos habere sensoriũ, quod medio non vtatur; additóq. sensorio, quod per medium sentiat; vt ita nullam nobis deesse sensoriũ ostendatur. Frustra & ineptè Philosophum facit bis eandem rem paucissimis verbis repetentem, non alio, quam inuolutæ & obscuræ orationis, fructu, quã apertam & explicatam facere potuisset. Deniq. S. Thomas parùm etiam accõmodatè & orationẽ perturbat, & primis verbis de organo sermonẽ esse dicit: Probatiq. animal, quod alicuius sensus organum habet, sensilia omnia sentire, quæ illo sentiri queunt argumento tactus, quo tactilia omnia sentimus. Est enim nusquam organũ, sed solus sensus, hoc est facultas verbis illis nominatur. Quòd si duę, vt diu, argumentationes separẽtur; & probandi vis etelcin, & apertissima est & maximè plana ratio. Primis videlicet verbis ex obiectis sensilibus probatione ducta. Deinde subiũcta altera, quæ ex sensorijs petitur, illis verbis (Necesse est, siquidẽ sensus quispiam deest, & sensoriũ aliquod nobis deesse). Hæc enim propositio est; cui subiungenda est assumptio (at sensorium nullum deest.)

Prior illa propositio absq. probatione accipitur, tanquã nota. Sed tribus modis ostẽditur à Philopono. Primũ quia sensus & sensoriũ correlata sunt. Deinde quoniã sensus est, quod vtitur; sensorium, quo vtitur: frustráq. alterũ sine altero esset. Demiq. quia sensus nunquã immediatè, sed per sensoriũ semper sensilia obiecta suscipit: quare vbi futurus est sensus, ibi sensorio quoque opus est. Quæ rationes probabiles sunt. Illę magis necessarię adhiberi poterãt. Tum quòd sensus organica facultas sit. Tum quòd singulos nobis cognitos, propterea quòd diuersam habent operationẽ, diuersúmq. ab obiecto motũ, manifestũ est singula sibi propria habere organa: ita in alijs quoq. oporteret esse, si alij præter illos essent. Et hæc quidem est propositionis confirmatio

De

De assumptione verò in sequenti commentario dicendum est. Verùm antea non inelegantem aliam verborum hactenus explicatorum interpretationem subijciam: qua propositæ argumentationes ambæ ad vnam in duas diuisam ita reuocantur. Si quis alius est sensus præter quinque omnibus notos, aut is eiusdem cum illis est rationis, aut diuersæ. Non eiusdem, quoniam sensibus hisce nobis notis sensilia omnia comprehendimus, aliúsque quiuis esset superuacaneus. Neque diuersæ, quia si is deesset nobis, illius quoque sensorium deesset: atqui sensorium nullum deest: neque igitur sensus vllus. Cæterùm eodem modo, quo antea, probandum superest sensorium nullum deesse.

A

B

TEXTVS.

καὶ ὅσων μὲν αὐτοὶ ἁπτόμενοι αἰσθανόμεθα, τῇ ἁφῇ αἰσθανόμενοι, ὧν πυρὸς ἐνόντος ἔχοντες· ὅσα δὲ δι' ἄλλου μεταξὺ, ἢ μὴ αὐτοῖς ἀπείρου, τοῖς ἁπλοῖς διαστήμασι. λέγω δὲ οἷον ἀέρι καὶ ὕδατι.

Et quæcumque quidem ipsi tangentes sentimus, tactu, quem habemus, sensilia sunt. Quæcumque verò per media, & non ipsa tangentes, simplicibus interuallis. Aere inquam, & aqua.

COMMENTARIVS II.

NOn solùm pauca hęc verba, sed integrum contextum, cuius ea principium sunt, retulit Sanctus Thomas ad id explicandum, quod ipse argumentationis superioris propositionem esse voluit: Quod habet aliquod organum sensus, id omnia ea sensilia cognoscit, quæ per illud organum sentiri possunt. Explicari autem exemplis & inductione: tum eorum, quæ sine externo medio, tum eorum, quæ per medium sentiuntur. Philoponus ad assumptionem confirmandam, ostendendúmque nullum nobis deesse sensorium: quia ex aëre solùm & aqua atque ex terra permista fieri sensoria possunt. Auerroës demum primam instituit ratione m ad probandum non esse plures sensus, eámque ex medijs desumptam. Quod probabilissimum omnium mihi videtur. Nam etsi duas in superiori contextu rationes significauit, vnã ex obiectis, alterã ex organis: neutram tamen explicabit, sed explicabit deinceps: eam præsertim, quæ est ex organis: quoniã hæc explicari nõ poterat, nisi antea de medijs fuisset sermo. Neq. Simplicium discrepantem reperio; dum probari ait, nec sensorium deesse, nec sensum. Per se enim ex medijs probatur non deesse sensum; deinde etiam nec sensorium, quatenus probatio altera: ex sensorijs ducta pendet ex hac, quæ est ex medijs.

C

D

E

Sic igitur argumentatur. Duo sunt sentiendi modi, aut tangendo obiectum, aut externo quopiam corpore intercepto. Vel si mauis, omnem sensum fieri per aliquod medium antea declaratum est. Iam medium aut externum est aut internum; omni scilicet alio remoto externo corpore. Hoc enim est, quod ait (quæcumque tangentes sentimus) quoniam id non significat sensum tactus ab alijs distinctum, sed sentiendi modum tactui gustatuiq. communem; quo hi duo sensus à tribus cæteris distinguuntur, qui non vt illi tangentes obiecta extremisque sensorij & organi simul positis; sed alio quopiã corpore interiecto, quasi interuallo inter ea facto, procul dissita obiecta persentiunt. Quare dum quæcumque tangentes sentimus, tactu, quem habemus, sentiri dicuntur; tactus nominatur, quatenus gustatum quoque, qui tactus quidam est, compræhẽdit. Mediũ internum non posse esse aërem neq. aquam; ratio illa persuasit in tex. III. lib. 2. Quia cùm sit pars animati corporis, quod solidũ esse oportet, solidum quidpiam & consistens esse debet: Multò minùs erit ignis. Tum propter eandem rationẽ. Tum verò etiã quoniam is agit potiùs & mouet, quàm patiatur & moueatur, alteriúsue actionem transmittat. Medij autem functio non agere, sed pati; non mouere, sed alterius motionem suscipere atque ad sensum traducere est. Immò ignis facillimus cùm sit & vehementissimus ad agendum, positus supra sensum aliorum omnium sensionem prohiberet. Adde etiam corrumpendi & perdendi nimiam vim habet. Sola supereſt ex simplicibus corporibus terra (cœleste siquidem corpus nihil ad rem.) Ea sane solida est & consistens. Sed quominùs sola & simplex possit esse medium, illud facit: non quòd immobilis prorsus sit, vt ait Simplicius. Quoniam etsi locali motu videatur immobilis; alteratione tamen, quæ ad hos sensus, qui interno vtuntur medio, magis pertinet, non item. Sed quòd crassum nimis & materiale corpus atque ad motus & impressiones obiectorum admittendas & reddendas difficilis prorsus existat. Medium verò facile sit & promptum ad omnem motum oportet. Si igitur ea futura sit medium; permista fuerit & cum reliquis corporibus temperata. Sic enim permouebitur facilè atque obiectorum redundantias suscipiet & reddet. Atque hoc est illius sensus medium, quod tangendo operatur. Medium autem externum non erit, nisi duplex elemẽtum, aër & aqua; in quibus versantur & viuimus. Aut si quod sit corpus mistum; eatenus erit, quatenus horum simplicium alterum in eo abundat. Hæc sunt τὰ ἁπλᾶ διαστήματα, simplicia spatia seu interualla, quæ Philosophus dixit: nempe simplicia hæc corpora, quæ velut spatium quoddam & interuallum inter obiectum & sensorium interponuntur. Et ipsemet aërem & aquam nominauit. Non tamen absolutè & vt aërem & aquam. Quoniam, inquit Simplicius, non ea sola, sed similia quoque nonnulla sunt medium: vt fax, quæ est velut aër; & mista quædam, in quibus eorum elementorum alterum abundat; vt oleum, vinum, nebula. Hæc externa corpora reliquorum sensuum, qui non tangendo fiunt, medium existunt. Nam etsi ea quatenus eiusmodi sunt & secundùm suam naturam, non nisi vnius aut certè duorum, vt ipsa duo sunt, sensuum medium esse possint: Quatenus tamen aut διαφανὲ sunt, aut ὑγρὰ, aut διάσμα, tribus sensibus, aspectui, auditui, odoratui, famulantur: eandémque ob causam, propter communem scilicet naturæ conditionem, eodem sensui ambo inseruiunt. Atqui præter hæc corpora nec sunt nec possint esse alia, quæ sentiendi medium existant. Neque hæc ipsa pluribus modis, quàm ijs, qui dicti sunt, cogitari possunt esse media: Aër & aqua media sunt externa, quatenus διαφανὲ, ὑγρὰ, & διάσμα: & terra medium internum, quatenus ita temperata, vt caro aut simile quidpiam sit. Neque igitur plures sunt nec possunt esse sensus, quàm ij quinque, qui per hæc media nunc in animalibus operantur.

Sensus medium duplex.

TEXTVS.

Ἔχει δὲ οὕτως, ὥστε εἰ μηδὲν ἓν καὶ ταὐτὸν ἕτερα ἀλλήλων ὄντα πᾶν γένος ἀναίσκει τὸν ἔχοντα τὸ ἰδιοτυπον αἰσθητήριον ἀμφοῖν αἰσθητικὸν ἕν· εἰ δὲ ἕτερος ὁ ἀὴρ τοῦ αἰσθητηρίου καὶ ἕτερον ὁ ἀὴρ καὶ ὑφὼς καὶ χρόας· εἰ δὲ πλείω τὰ αὐτά, οἷς χρόας καὶ ἀήρ. τὸ ὕδωρ (ἀμφω γὰρ διαφανῆ) καὶ ὁ τὸ ἕτερον αὖ τοῦτο ἔχων μόνον αἰσθήσεται τῷ δι' ἀμφοῖν.

Res autem ita habet: vt siquidem per vnum plura & inter se genere diuersa sensilia sint, necesse sit eum, qui huiusmodi sensorium habet, vtriusque sensitiuum esse. Quemadmodum si ex aëre sensorium est, & est aër tum soni tum coloris: si verò plura eiusdem, vt coloris & aër & aqua (ambo enim perspicua) & qui eorum alterum solum habet, quòd per vtrumque sentiet.

COMMENTARIVS III.

VEre à Philopono dictum est, maximam ijs habendam esse gratiam, qui horum verborum sententiam primi diuinarunt. Nam etsi consentire omnes videantur sententiã esse; Per vnum & idem medium plures sensus operari posse pluráque obiecta sentire. Quorsum tamen hoc doceatur, nõ item consentiunt. Auerroës ex superiori argumentatione, qua sensus omnes positum est aut per carnem, aut per aërem aut aquam operari, deduci credidit, omne animal, quod aliquod ex his medijs habuerit, ea omnia sensilia cognoscere, quæ per illud mediũ cognosci possunt, siue vnum, siue plura genere diuersa sint. Vt ita ostenderet, tum determinatum numerum sensuum numero sensilium & mediorum, tum totidem in aquatilibus animalibus, quot in terrestribus & aëris inesse sensus. Alij, qui de sensorijs antea fuisse sermonem existimarunt, hæc Empedocli responderi maluerũt, quasi asserenti simile simili cognosci, vt in tex. 51. lib. 2. significatũ est. Et ideò siccitanti, si ex igne & terra per se fieri sensoria nequeunt, quomodo hæc corpora sentiuntur à nobis? Responderi autem, si per vnum medium sensilia plura cognoscũtur, vt per aërem colores & soni, cur non etiam ab vno sensu multa comprehendantur.

Sed verius mea quidem & Philoponi sententia duas interpretabimur obiectiones dilui, quæ aduersus superiorem argumentationem, quam is de organis explicauit, proponi à quopiã potuissent. Primùm enim quæsiuisset quispiam, si tria solùm sunt media, terra permista, aër, & aqua, cùm quinq. plane adsint nobis sensus, quomodo pars est sensuum & mediorum vel etiam sensoriorum numerus: aut quomodo nullum sensorium deest? Deinde dixisset, colores tum per aërem, tum per aquam sentiuntur, nec in diuersis modò animalibus, à terrestribus & volucribus per aërem, à piscibus per aquã, verùm ab ijsdem quoque, vt à nobis ipsis: eiusdem igitur sensus duo sunt media, neque idem est mediorum sensoriorumque & sensuum numerus.

Quamquam dum nullam ego dubitationis mentionem factam video, & illud orationis exordium lego (ἔχει δὲ οὕτως, Res autem ita habet) explicari potius opinor id, quod dictum fuerat, quàm dubitationem vllam aut dubitationis dilationem significari. Tametsi in rei cuiusuis dubiæ & obscurę interpretatione multiplicis semper dubitationis explicatio tacitè inuoluatur. Obscurum erat, quemadmodum cõmemoratis tribus medijs quinq. sensus cõstituantur. Propterea hoc exponens rem ita habere iubigit, vt intelligere nos oporteat per vnũ & idem corpus medium plura vel etiam diuersi generis sensilia obiecta sentiri posse. Per aërem enim aut aquam colores sentiuntur, soni, odores; pérque terrestre medium qualitates tactiles & sapores. Quare diuersi genere sensilia dixit, vt ad rem Simplicius admonuit, quæ ad diuersos pertinent sensus; quæque diuersa sunt non solùm genere qualitatis naturalis, sed genere quoque sensilis, vt sonus & color; quorum alter audibilis est, alter aspectabilis.

Neque sat scio, cur colorem Philoponus proclore dixerit appellatũ fuisse: nisi ea fuerit causa, quod de sensorijs, non de medijs sermonem esse crederet. Idcirco enim aërem intellexit non medium, sed sensorium: quòd non aspectus, sed odoratus organum aëris esse intelligeret, aspectus autem aquæ. Immo naribus non minùs, quàm auribus, instrumentum esse & inædificatum aërem, idem ipse antea affirmauerat. At nõ est, quòd Aristotelis orationem tam obtusam & inconsideratã faciamus. Quoniam licet particula (per) & medium & instrumentum, hoc est sensorium, suaui significare possit, & alijs in locis significet: nunc tamen de medio accipiendam esse, antecedens sermo testatur. Quo Philosophus tum quædam nos dixit sentire tangentes, alia per interiecta media aërem aut aquam: tum verò non ex sensorijs, sed ex medijs ratiocinatus est ex eorum numero sensuum numerum inuestigando. Quæ ratiocinatio si præsenti oratione magis explicetur, deijsdem mirum medijs intelligatur oportet.

Sic igitur res habet: vt si per vnum medium aptæ sint plura vel etiam genere diuersa sentiri; id quoque quod huiusmodi sensorium habeat (hoc est sensorium huius sensus, qui per illud medium sentire potest: aut sensorium huiusmodi, quod medio illi cognatum sit, & siue qualitate siue natura pertinente) aptum sit vtrumque sentire. Quemadmodum si ex aëre sensorium est, hoc est aëri medio cognatum. Quod cùm duobus modis, vt dixi, esse possit; vt significaret vtrumque soni potiùs, quàm coloris; auditus inquam & aspectus exemplum posuit. Nam auditus quidem organum, quòd instrum continet aërem, natura ex aëre est. Aspectus autem natura ex aqua, qualitate ex aëre quoque: quoniam perspicuitas aëri & aquæ communis est. Quare verborum illorum (quemadmodum si ex aëre sensorium est, & est aër, tum soni, tum coloris) ordo mutandus est; vt superioribus exemplum respondeat, hoc intellectu: Quoniam per aërem, tum soni, tum color, plura sensilia genere diuersa sentiri apta sunt; sentiri quoque debent per sensorium, quod aëri cognatum sit. Sed si obiectum sit vnius generis, vnicum erit sensorium, vnico modo cognatum medio, aut natura, aut qualitate. Sin autem obiecta sint plura genere, plura quoque erunt sensoria obiectis illis & eorum sensibus respondentia. Omnia tamen vnico illi medio cognata; siue natura, vt audiendi sensorium; siue qualitate, vt aspectus aut etiam odoratus organa.

Ita profecto nullum nobis sensorium deest, paruque sensuum est sensoriorum & mediorum numerus. Quia dum plura generéque diuersa sensilia per idem medium sentiuntur, medium quidem est vnum corpus, sed alio atque alio modo diuersa obiecta

obiecta suscipit & transmittit. Non inquam vt est aër aut aqua: sed colorem vt διαφανὲς, sonum vt ψοφητὸς, odorem vt εὐῶδες: siue aër sit, siue aqua. Terra item permista tactus & gustatus existit medium, quatenus alia atque alia ratione temperatur. Tactus quidem, quatenus ita temperatur, vt in omnium qualitatum mediocritate consistens apta sit omnium redundantiam suscipere. Gustatus autem, vt humorem paulò maiorem cum modica siccitate permistum habet. Nam ita sapores, qui in duabus illis qualitatibus consistunt, potest admittere: quod, si planè siccum esset aut humore nimio perfusum, non sentiret; vt in tex. 104. libri 2. dictum est. Quocirco etsi corpora media tria sint, aër, aqua, terra; quinque tamen media, totidémque sensoria & sensus existunt. B

Iam si contra res habeat, vt eiusdem obiecti plura videantur esse media, siue eiusdem, siue diuersorum animalium comparatione; quemadmodum cùm color & per aërem & per aquam aspicitur, non ita tamen est. Quoniam hæc non sunt medium, vt aër aut aqua sunt, sed vt perspicua apta suscipere lumen & colores traijcere; eandémque in vtroque corpore perspicuitatis naturã esse iam pridẽ in tex. 68. traditum est, cùm de aspectu ageretur. Quare qui eorum alterum solum habet, vt ex aqua oculum aspiciendi sensorium; aut ex aëre autem, quæ audiendi instrumentum est; vtrumque quodammodo habet. Et C ideò per vtrumque sentire potest; seu id, quod per vtrumque sentiri aptum est (tribus enim modis in diuersis codicibus hunc locum legimus. Quidam habent αἰσθητὸν δὲ ἀμφοῖν; alij τῷ ἀμφοῖν; alij τῷ δὲ ἀμφοῖν: quo postremo modo legit Philoponus) Per vtrumque inquam, aut id quòd per vtrumque sentire potest; propter communem illam qualitatem & conditionem, qua sentiendi media sunt aut sensoria: perspicuitatem inquam in colorum aspectu humiditatem & fluorem in sonorum auditu. Aut si vtrũque perspicuum sentiri legamus; eatenus intepretabimur, quatenus fuerit perspicuum terminatum, D & ideò coloratum aut etiam lucidum. Et in auditu similiter vtrumque sonare sentitur, aër & aqua; si sono vtrumque repleatur.

Ita his explicatis vtraque tollitur dubitatio, quam Aristoteli fortasse quispiam obiecisset. Explicatumque est, parem omnino esse mediorum, sensoriorum, & sensuum numerum: atque ex medijs verè ostensum fuit nullum nobis deesse sensorium, nec sensum; & ideò quinque duntaxat esse sensus.

Verùm in hac tota explicatione intelligendum est; posse quidem idem corpus obiectorum plurium cognoscẽdorum esse medium, etsi ea genere diuersa sint. Et per plura item corpora vnum & idem obiectum sentiri: horúmque vtrumque, tum in co- E dem animali, tum in diuersis. At neque vnum sensorium plura diuersi generis obiecta vnquam percipit, neque idem obiectum sensorijs pluribus compræhenditur; siue hæc in eodem, siue in diuersis animalibus considerentur. Nam etsi in oculi aqueo aut auris aëre diuersæ illæ insint qualitates & dispositiones, quibus aqua & aër media sunt, colores, sonos, & odores, suscipientia. Plura tamen alia præter corporis aptitudinem ad sentiendum requiruntur; sentiendique facultas, quæ in illo inest organo, vno quodam obiecti genere definita ac determinata est: atque illud ipsum sensorium, quatenus sensorium est, vnius sensus & vnius obiecti sensilis sen- A sorium est. Deinde quod in cuiusque sensus sensorio præcipuum esse intelligitur, non est simplex corpus, vt medium, aër & aqua: sed mistum quidpiam & animatum, quod vnius tantum obiecti suscepiuum est. Et vt aqueus ac vitreus oculi humores propter fluidam naturam apti fortasse sint ad sonos & odores suscipiendos: cristallinus tamen solidus & consistens ineptus est; neque solida & dura tunica cornea interposita qualitati vlli nisi soli lumini permittit aditum. Interior autem auris membrana coloribus & odoribus ineptissima est: nec locus lumini aut odorifero halitui peruius; sed solis pulsatur & pemouetur sonis.

Quamobrem qui hæc Philosophi verba, quibus per vnum plura & per plura vicissim vnum sentiri pronuntiauit, de sensorijs intellexerunt; in eorum expositione laborant plurimùm. Qui verò de medijs interpretati fuerint, facilè omnino, apertam, & superioribus maximè consentaneam sententiam reddent.

TEXTVS.

Τῶν δὲ ἁπλῶν, οἷς δυοῖν τούτοιν αἰσθητήρια μονόν ἐστιν, ἐξ ἀέρος καὶ ὕδατος. ἡ μὲν γὰρ κόρη, ὕδατος. ἡ δὲ ἀκοὴ, ἀέρος. ἡ δὲ ὄσφρησις, ἐκ πέρατος τούτων.

Ex simplicibus autem duobus his solum sensoria sunt, ex aëre & aqua. pupilla enim aquæ, auditus verò aëris, odoratus autem alterius horum. Text. 134

COMMENTARIVS IV.

QVi superiorem sermonem de sensorijs intelligi voluerunt, probarique nullum nobis deesse sensorium; multò magis eodem hunc referunt, in quo apertis verbis de sensorijs agitur, eorúmque omnium inductio seu commemoratio continetur. Ego verò Auerrois sententiam plurimùm probo, ex medijs hactenus demonstratum fuisse plures quàm quinque sensus non esse: nuncque alteram ex sensorijs demõstrationem deduci. Quam Philosophus in principio quidem huius disputationis proposuit; si sensus, inquiens, deesset quispiam, necesse esset & aliquod sensorium deesse. Sed eam minimè explicauit; quòd explicationis argumentum ex medijs desumendum antea explicandum esset.

Non esse igitur plures sensus, quàm quinque ex eo concludit, quòd nec sunt nec possunt esse plura, quã quinque sensoria. Quæ deductio vnde vim habeat, *Non nisi quinque sensoria esse.* in com. 1. indicaui. Iam quinque duntaxat esse sensoria, facile erat absq. rationum momentis persuadere; sola scilicet eorũ cõmemoratione. Quia cùm de sensibus exterioribus sit sermo, exteriora item oportet esse sensoria, patentes ac manifestas cuiuis corporis nostri partes. In quo si oculos, aures, nares, linguã, & vniuersum corpus nominaueris; nihil planè supererit, quod vllius sensus particeps sit. Voluit tamen Philosophus rationem quoq. ostendere. Vidit autem maximam inter mediũ & sensorium coniunctionem esse, naturæq. aut certè qualitatis similitudinem: quoniam ab obiecto affici vtrumq. ac permoueri necesse est. Propterea superiori demonstratione plurimùm vtitur; ferécq. ex illa, quæ de medijs explicata est, posteriorem hanc de sensorijs colligit. Quod vel prima vox ostẽdit. Quod enim ait (ex sim-

plicibus) non solùm ait tanquam oppositũ terræ in tactu permistæ, quàm paulò post nominat. Verùm etiam velut accipiens interualla illa simplicia, quæ in antecedenti ratiocinatione dixerat intercedere; dum per externa media & non tangentes obiecta sentimus.

Ergò medium sensus aut internum est, aut externum. Internum & animali congenitum iam confectum est ex nullo simplici elemento constare posse, sed terram cum alijs permistam esse oportere. Externum verò duplex solùm existere, aërem aut aquam. Quoniam hæc sola mouentur facilè & transmittunt motum: atque cùm in his animalia omnia degant, facilè illis obuia sunt. Hoc si ita est, ex solis igitur hisce simplicibus, aëre aut aqua, sensoria esse possunt eorum sensuum, qui per externum medium sentiant. Siquidem inter sensorium & medium ea, quam diximus, futura cognatio est, & ipsa quoque sensoria à sensilibus omnibus pati ac moueri oportet. Quare cùm duo illa corpora tribus modis affecta trium duntaxat sensuum media esse queant, aspectus, auditus, odoratus, non nisi horum trium sensoria absoluent. Absoluant inquam, quoniam vt simplex elementum pars esse nequit aut membrum animati corporis; ita nec integrum sensorium fuerit. Hoc enim animata pars est membrumue, sed in eo contineri potest atque ad illius constitutionem quoquo modo concurrere. Propterea non dixit Philosophus duo hæc corpora esse sensoria; sed ex illis duobus sensoria esse. Quomodo autem ex illis sint & quorum sensuum, commemorando exponit.

Quomodo aspectus est aquæ, auditus aëris.

Pupilla enim est aquæ. Quoniam si pupillam cristallinum humorem intelligas, qui præcipuum existit videndi organum; is sanè velut congelata aqua tibi esse videbitur. Sin oculum totum; is præter hunc humorem duos alios magis aqueos continet, vitreum, & eum qui ab aquæ similitudine aqueus nuncupatur. Auditus verò aëris; quoniam vt in superioribus in tex. 83. traditum est, is incluſus semper atque auribus insitus continetur. Hæc tamen sola nequaquam sunt horum sensuum sensorium. Tum quòd nec oculi humor est pura aqua, sed mistum corpus, in quo ea abundat: nec id, quod aure includitur, purum aëris elementum, sed animalis spiritus aëris persimilis. Tum quòd oculus & auris, quæ absoluta organa ad operandum idonea sunt alia præterea continent: ille tunicas plures; hæc membranam, qua præcipuè sentiuntur soni; & vtrobique adsunt. Et quamuis pupilla maximè videatur cristallinus humor esse; nunc tamen totum potiùs oculum eam significare credo: sicut etiam in tex. 10. superioris libri; cùm oculum tanquam integrum instrumentum operans pupillam esse dixit & aspectũ, hoc est corporis organum & animæ facultatem. Immò non tam propter cristallinum, qui propriè pupilla est, quàm propter circumiectum humorem aqueum, arbitror ego oculum dici esse aquæ. Nam præter maiorem vocis & naturæ similitudinem reipsa potest id, quod dicitur, ex humore hoc confirmari. Quippe si oculum pungas & perfores, effluit tibi aqua, non cristallinus, sed aqueus humor. Et certè vt auditus est aëris, non propter membranam, quæ primum est audiendi sensorium, sed propter proximum illi aërem, qui etsi medij vim quandam habeat, dum sonum ab externo aëre susçipit & ad membranam suauiùs transmittit: pars tamen quædam sensorij censetur, quoniam in eo continetur. Sic æquum est aspectum dicere esse aquæ, non tam propter humorem cristallinum, quàm propter circumfusum illi aqueum, qui medij item functionem exequitur, lumen & colorum motum excipiens primùm, deinde ad cristallinum traijciens: sed partamen oculi & integri operantis instrumenti existit. Et hæc quidem de his sensibus.

Pupilla quid.

Odoratus verò alterius horum esse dicitur, aëris aut aquæ. Quod si verum est, nequaquam id sit verum, quod Philoponus tum in commentario primo huius libri, tum in expositione tex. 101. libri superioris, non minùs in naribus, quàm in auribus aëre incluſum & inædificatum aërem scripsit contineri. Quoniam de solis auribus id ab Aristotele traditum est, in naribus nusquam agnoscitur. Quòd si enim dixerit spiritum persimilem aëri, præterquàm quod nullus ibi est perpetuò incluſus, cùm is in interpretatione tex. 122. primum sensuum omnium sensorium eum fecerit, non minùs, quàm odoratus & auditus, cæteri omnes sensus aëris essent. Deinde proprium odorandi sensorium idem ipse interpres in commentarijs ad tex. 97. 100. & 116. in processibus mammillaribus agnouit. Quos ego quidem certè non video quemadmodum insitum aërem habeat. Verùm si ita esset, non alterius horum, sed aëris duntaxat, sicut auditus, diceretur odoratus esse; aqua non item. Propterea vocem hanc (ἀκτῖνα) cognitat Philoponus ita interpretari, vt alterum solum, hoc est aërem, significet. At inter auditum & odoratum nihil discriminis assignasset Philosophus, si vtrius aëris vterque esset. Deinde id reliquis interpretibus aduersatur, qui vtrumque corpus intelligi uoluerunt. Siue vt Themistius, Auerroës, & S. Thomas, quòd animalia quædam odorantur in aëre, quædam in aqua. Siue, vt alij, quòd tum terrestria, tum aquatilia, per vtrumque medium persentant odores. Siue, vt Simplicius, vtroque modo. Siue demum, vt ego interpretor, quòd hic sensus ita accipiti versetur, & quasi vtriusque naturæ particeps, indifferens sit & æquè, tum in eodem, tum in diuersis animalium generibus, per aërem & aquam operari possit. Et ideò sensorium quoque habeat quasi inter vtrumque medium elementique vtriusque particeps. Nam quod aliqui ejus organum dicunt in aquatilibus esse aquæ, in cæteris animalibus aëris; parum sapienter pronuntiatur. Quoniam vt obiectum idem est, quod ab vtrisque imitatur; eadémque facultas, quæ ex obiecto constituitur: ita idem necesse est sensorium esse, quo circa illud obiectum facultas operatur. Aristoteles autem, cùm in secundo libro difficultatem eam disputaret, cur animalia quædam respirando, alia sine respiratione odorentur; eorum sententiam, qui diuersum inquiebant ea odorandi sensum habere, hoc argumento confutauit in textu 99. quòd eosdem odores persentiant omnia. Quòd si ex diuerso operandi modo non licuit illis diuersam facultatem asserere; multò minùs ex diuerso medio, vbi eadem facultas est, diuersum organum poni potest. Præsertim quòd illud ipsum, quod de diuersis animalibus dicitur, de eodem quoque dicendum esset. Illud magis quam modò aëreum, modò aqueum organum habere: quia modò per aërem, modò per aquam odores comprehendit. Odoratus igitur alterius horum est, aut aëris, aut aquæ, & per vtrumque sentit

sentire potest. Tum propter sensorij humiditatem: humidissimum enim est, vt optimè ab odoribus, qui sicci magis sunt, permoueatur. Humiditas autem communis est & symbola duorum horum elementorum qualitas. Tum verò quoniam mammillares quidē processus, vt sunt cerebri pars frigida & humida, sic aquæ videntur esse non minùs, quàm crystallinus oculi humor. At ossa cribatoria, quæ illos antecedunt, implentur aëre, dum dilatantur; dúmque hic sensus operatur, organum aëre repletum habet. Ac demum nares, pars quædam organi, non minus, quàm aures, aëre semper copioso plenæ sunt. Quamquam aurium aër inclusus est, narium liber, singulisque momentis mutatur. Sed si auditus propter aërem illum ante membranam contentum, etsi animatus non sit, aëris esse dicitur; poterit etiam quoquo modo odoratus dici propter hunc, qui mammillares processus antecedit, & (vt ita loquar) pro foribus stat.

TEXTVS.

Τὸ δὲ πῦρ ἢ οὐδενὸς ἢ κοινὸν πάντων. οὐδὲν γὰρ αἰσθητήριον ἐξ αὐτοῦ πεποίηται. ἡ δὲ γῆ ἢ οὐδενὸς, ἢ ὅτι μὴ ἁφῇ μάλιστα μέμικται ἰδίως. λείπεται δὴ μηδὲν εἶναι αἰσθητήριον, ἔξω ὕδατος καὶ ἀέρος.

Ignis verò aut nullius, aut communis omnium. Nihil enim sine calore sensitiuum. Terra autem vel nullius, vel in tactu maximè permista est propriè. Itaque reliquum fuerit, nullum esse sensorium præter aquam & aërem.

COMMENTARIVS V.

IAm verò præter hæc tria sensoria, quæ dicta sunt plura esse non posse, quæ per externum operentur medium; siquidem ex Simplicibus hisce, aëre aut aqua, constare debeant; manifestum est. Quoniam si ea, vt sæpè dictum est, non nisi tribus modis medium esse possunt; neque etiam plurium, quàm trium, sensuum sensoria facient. Idcirco si plura fuerint, ex alijs constabunt corporibus; aut ex igne, aut ex terra, aut alio quopiam. Ex igne ostenditur fieri nullum posse: quòd is aut nullius sit sensus, cùm potens plurimùm sit ad agendum minimèque ad patiendū, atque obiectorum motum susciendum & reddendum aptum. Immò maximam habeat vim corrumpendi & perdendi materiam, circa quam versetur. Quam ob causam non solùm nō est ad iuuandam sensum aptus, verùm etiam sensorio admotus magnopere aliorum omnium sensum impediret, & verò etiam ipsum demoliretur sensum. Quòd si quando odoratus dicitur esse ignis, vt ab Auerroë in 9. lib. colliget cap. 36. non ratione organi, sed obiecti dicitur. Quoniam à calore excitatur odor ex odorifero cœpore, atq. in medio cū fumoso halitu ad odoratum multiplicatur. Aut certè hoc ipsum ignis elementum communem omnium sensuū est. Quod de substantia visus est Simplicius intellexisse; propterea quòd pars corporis nostri quælibet & ideò sensoria quoq. ex elementis omnibus concreta sunt. Neq. enim ignis elementaris, vt hic noster domesticus vstiuus est; neque tantopere abundat, vt sensionibus obesse quidquam possit. Reliqui de qualitate potiùs, hoc est calore, interpretati sunt. Quia cur omnium communis esset, rationem eam statim subiunxit; quòd sine calore nihil sentire possit. Nam sentire non potest, inquit Philoponus, id, quod non nutritur & coquit. Quippè sensorium ipsum viuat, nutriatur, alimentū coquat, & in suam naturam mutet necesse est, vt mox sentire queat. Neque absque spiritu, qui ex nutritione & alimento optimè cocto continenter gignitur, sensus vllus operatur. Nutritionem autem & coctionem omnem calor is esse opus nemo ignorat. Cæterum magis ad rem Themistius & Auerroës. Verè enim Philosophus de propria singulorū sensuum operatione loquitur; quam sine calore nō fieri certum est. Nam si organa fuerint calida, operantur optimè; sin frigida, vix vllam promere actionem valent: primo videlicet & maximè generali animæ instrumento calore destituta. Propterea calor is per totum corpus ab anima dispensatur, vt singulis organis portio eius obtingat, qua suę naturę & conditioni conuenienter operentur. Itaque quod ait, nihil sine calore sensitiuum esse; qui Simplicij sensum sequetur, ad actum primùm referet: qui aliorum, ad secundum. Ille sine igne inquiet sensitiuum, hoc est integrum sentiēdi principium, quod ex facultate & organo constans sentire aptum sit, constitui non posse. Hic absq. calore sensionis actū & operationem non promi affirmabit. Ille igneum calorem dicet ad cōstituendum sensorium requiri; hic vitalem atque ex animæ officina profectum ad illius vsum necessarium esse inculcabit.

Cur cōmunis omnium.

Ignis duplex.

At si calorem hunc interpretemur, sine quo non operatur anima; annon is est calor ille, quem natiuum & animæ proprium dicimus? Quid igitur is ad igneni; vt ex eo probetur in nostris organis dispersum ignem contineri? Sanè quod Philoponus & Simplicius duplicem distinguant ignem, vrentem vnum & corrumpentem, qui est domesticus hic noster, nullius planè sensus; alterum elementarem omnium communem, potiúsque viuificum aut propositæ dubitationi non satisfacit; propterea quod animæ calor ab elementari & igneo diuersus sit; aut si eiusdem esse naturæ illum velint (quod Themistius certè significauit) ne quaquam elementarem illum appellare oportuit. Ego verò longè diuersæ naturæ esse non dubito, atq. in superioribus demonstraui pluribus. Nunc quemadmodum igne nullius esse proprium, de substantia, non de calore, intelligitur: Sic eum esse omnium cōmunem accipiendum censeo; Hoc est in nullo tam immodicè abundare, vt vni alicui tanquā proprius tribui possit; sed in cunctis aliqua ex parte reperiri. Hoc consequentia item verba confirmant; quibus simplicem & puram terram statim addit nullius esse; sed permistam in tactum maximè esse propriè & speciatim, Purum quippe ac simplex in nullo sensu inesse, vtique conuenit elemento, aëri & aquæ: permistum autem inesse, omnibus, commune, conuenit igni, proprium vero tactui speciale est terræ. Quare vt terra secundum substantiā permista propria est tactus, sic eodem modo ignis omnibus cōmunis esse intelligi debet. Hoc nam q. antitheſis illa proprij & communis ostendit. Sed ratio, qua ignem probat omniū esse communem, quia nihil sine calore sentire potest, de naturali animæ, nō de elementari & igneo calore, acipienda est. Atque vt aspectus dicitur esse aquę, auditus aëris, odoratus horū alterius, tametsi in oculo non sit aqua, sed aqueus aut crystallinus humor, qui aqueum quidpiam sapit; neque in aure aër, sed animalis spiritus aëri nō nihil

affinis: neque demùm in odoratu aër nec aqua, sed quidpiam illi cognatum. Ita cùm in omnibus calor quidam vigeat, si non igneus, illi certè genere similis & idem, verè omnium communis esse ignis affirmatur.

Cur terra nullius sensus.

Cur autem pura & simplex terra nullius sit sensus, duplex est causa. Altera, quod pertinax nimiùm sit atque ad obiectorum motus suscipiendos difficilis. Quippe quæ nullum ex illis qualitatibus habet, quę ad lumen, colores, sonos, odores transmittendos opportunę sunt. Altera, quod crassissimum elementum ad sensum & cognitionem omnem ineptum prorsus existit. Siquidem animaliũ eę partes, in quibus illa plus æquo abundat, vt ossa, omni sensu priuantur. Eandémque ob causam nihil sentiunt plantæ, vt est in tex. 124. superioris lib. 2. & tex. 66. huius tertij. Si enim omnis cognitio eleuatione quapiam à materia perficitur; & ideò intellectus ad perfectissimè cognoscendum maximè comparatus est, quòd ab omni prorsus materia abiunctus subsistat. Sanè terra, quæ crassissimum & maximè omnium materiale corpus est, ad cognoscendum fuerit ineptissima. Quare etsi cum tenuioribus alijs minúsq. materialibus elementis permisceat, & ad sentiendum quoquo modo reddatur idonea, infimi tamen duntaxat & inter omnes plurimùm materialis sensus organum sit soliúsque tactus propria est.

Nunc enim nomine tactus gustatus quoque compræhẽditur; totiúsq. illę sensus significatur, qui tangendo sentit. Vt post sensoria proposita, quæ per medium operantur, integra fiat & absoluta omniũ commemoratio; ijs quoq. additis, quæ tangendo & sine medio externo sentiunt. Quapropter immeritò causatur Philoponus in medium hoc loco adductum tactum. Non enim solùm, vt ille inquit, de ijs sensibus agitur, qui per mediũ fiũt: sed de omnibus; vt omnes probet plures, quàm quinq. esse non posse. Quæ igitur addit, tactus & gustatus sensoria sunt; quia ambo, vt tangendo operantur, ita terrę sunt: quòd, cùm admouẽda illis obiecta sint, solida & cõsistentia esse debent; idq. multa & magis, quàm in sensorijs, perspicua terræ permistione. Cùm igitur hæc omnia in nobis insint, nullum sanè sensorium deest, neque sensuum numerus augeri potest.

Quod autem tandem concludit, nullum esse sensoriũ præter aquam & aërem; appositè monet Simplicius non esse ad prædicta omnia referendum: sed ad eos solos sensus, qui per externum operantur medium: non item ad id, quod de tactu dictum est. Is enim ab hac generali propositione quasi exemptus est, cùm illius propriam esse terram cum cæteris elementis permistam traditum est.

TEXTVS.

Ταῦτα δὲ καὶ νῦν ἔχει ἔνια ζῴων· πᾶσαι ἄρα αἰσθήσεις ἔχουσιν ἐξ ἀνάγκης ὅσα μὴ ἀπλῶν, μηδὲ πεπηρωμένων φαίνεται περὶ κοιλίαν ἀναπλεῖν ἔχον τὸ δέρμα ἔχουσα ποῖς ὀφθαλμοῖς.

Tex. 131. *Hæc autem & nunc quædam habent animalia. Omnes igitur sensus habentur à non imperfectis neque mutilatis. Videtur enim & talpa sub pelle habere oculos.*

COMMENTARIVS VI.

SVperior argumentatio ex sensorijs deducta nondum finem habuit. Atque vt tandem concludatur, præstat in pauca totam conferre. Si quis inquiebat, deesset nobis sensus, aliquod item sensorium deesset: at nullum sensorium deest: nullus igitur abest sensus. Propositio accepta est vt manifesta, propter organicam sensus naturam. Assumptionem argumento mediorum probauit. Omnis sensus per medium, aut externum, aut internum sentit: externum aut aër est aut aqua; interna autem ra permista. Ex aëre & aqua tria colliguntur sensoria; ex terra vnicum, caro: neque plura hic esse possunt. Siquidem præter hæc elementa & iguem sensorijs omnibus communem neq. vllius proprium, alia non supersunt. Propterea nunc totam huius superioris contextus sententiam tanquam propositionem accipiens assumptionem adiungit; Hæc omnia sensoria in animalibus quibusdam inesse. Ait enim vocem illam (Hæc) ad duo tantùm simplicia, aërem & aquam, proximo nominata referas cum Simplicio; vt illud quoque (& nunc) referendum esse significat: quasi diceret, terram permistam in omnibus vel imperfectissimis esse, manifestum est, quia omnium corpora solida sunt: sed in quibusdam reliqua item duo adsunt perinde tamen sentiunt omnia habebis. Vnde argumentationẽ totam concludit, omnia in illis sensoria contineri, nec vllum prorsus deesse. Ex quo consequens est, quinque duntaxat esse sensus, neque his plures esse posse.

Hæc animalia ea sunt, quæ perfecta & non mutilata censentur: quæ propterea quædam appellauit, quòd alia quædam imperfecta & mutilata sint. Miror hoc loco grauissimos interpretes, Themistium, Philoponum, & Simplicium, animalia perfecta motu loci definiuisse, motu inquam ordinato. Imperfectáque ea esse voluisse, quæ aut omnino non mouentur, aut certe non ordinatè. Minimèque veritum fuisse Philoponum affirmare, motum nobiliorem esse ac meliorem sensu: & ideò quoniam vbi est melius, ibi deterius quoque reperitur, animalia, quæ motum eum habent, sensus item omnes habere. Etenim quod ad hæc Arist. verba attinet, non motus, sed sensoriorum duntaxat fieri mentionem video: eáque animalia appellari perfecta, quæ sensoria omnia sensúsque omnes habent. Quod perfecti quoque notio confirmat, qua vt est in textu sexagesimo tertio, libri tertij Physicor. & textu vigesimo tertio, libri secundi, de Cœlo, perfectum id dicitur, cui nihil eorum deest, quæ illi ex natura sua conueniunt. Quod autem ad rem ipsam, si animal sensu, non motu, primùm constituitur, quemadmodum legimus in tex. 26. superioris libri, perfectum sane animal definendum illud fuerit, quod vi omni & facultate sentiendi præditum est. Deinde sensus antecedit, motus sequitur: & ideò perfecto & ordinato motu animalia perfecta mouentur, quia perfecta sentiendi virtute fruuntur. Et quædam mouentur, alia immobilia sunt, quòd illa sensus omnes habent, hæc occurrentium

occurſantium modò & ipſa tangentium obiectorum, ſed diſtantium item ac remotorum, quæ non niſi motu perſequi ac ſibi comparare poſſunt. Hæc autem tactum ſolum & guſtatum præſentium rerum, quas tangunt; hoc eſt imperfectiſſimos duntaxat ſenſus, qui per internum operantur medium, à natura obtinuerunt: Illa omnem prorſus ſentiendi modum, tum per internum, tum per externum medium.

Motum porrò affirmare nobiliorem eſſe ſenſu, rationi prorſus aduerſatur. Tum quia ſenſus facultas cognoſcens eſt, quæ vniuerſo genere melior multò eſt non cognoſcente: primiſque ac optimis ſubſtantijs cognitio tribuitur, non motus. Tum quia is immediatè intellectui famulatur, proximéque cum hac diuiniſſima facultate coniunctus eſt. Motus ſimul cum appetitu famulatur ſenſui; dum aut ad ea impellit, aut ab illis remouet ac retrahit, ſenſu cognita & appetitu concupita fuerint vel repudiata. Sanè ſenſus prior eſt motu. At in eodem ſolùm, non in diuerſo, verum eſt, id, quod eſt priùs, imperfectius eſſe.

Motus nobilior ſenſu.

Qui verò ſolum hominem ſignificari volunt, cùm omnes ſenſus dicitur à non imperfectis animalibus poſſideri; nullo modo audiendi ſunt. Quoniam etſi homo perfectiſſimum ſit, non ſolus tamen perfectum animal eſt. Neque de propria hominis perfectione loquendum erat, ſed de perfectione animalis, vt animal eſt; hoc eſt de perfectione ſentientis naturæ, quæ ſenſilibus omnibus abſoluitur. Hæc verò ſolius hominis non eſt, ſed aliorum complurium. Immò fortaſſe, vt illius interpretationem occaſionem tolleret, non dixit (perfectis) ſed (non imperfectis): vt ea omnia ſignificaret, quæ cum omnes habeant ſenſus, imperfectam ſentientem naturam adepta ſunt. Atque hoc modo generalis magis & efficax probatio eſt; ex ijs deſumpta, quæ animali & ſentienti naturæ quatenus eiuſmodi eſt, conueniunt. Quemadmodum imperfecta ea dicuntur, quæ Græci ζωόφυτα nominant; quibus nullus ineſt ſenſus, nec ſenſorium vllum, eorum quæ per externum mediũ operãtur; ſed ſolus tactus aut guſtatus eorúmque ſenſorium. Vt quod vox ipſa teſtatur, inter animalia & plantas ambigui & ancipitis generis videantur. Dum ſentiunt quidem vt animalia; cúmque dilatantur & in ſeipſa contrahuntur, motum item obſcurum habent. Immobilia tamen loco ſunt, & quaſi terræ ac ſcopulis adhærescunt, vt plantæ. Quare motus perfectionis quidem inditium fuerit, at non ipſa perfectio. Quæque incedere ac progredi videris, affirmare poteris perfectam habere ſentientem naturam facultatibus ſuis omnibus præditam, quibus tum proxima, tum remota obiecta compræhendat.

Zophyta.

Addit (neque mutilatis). Quod non ad ſpeciem vniuerſam, vt prior particula; ſed ad indiuiduum refertur. Vt cuncta hæc ſenſoria ſenſúſque omnes in animalibus illis ineſſe intelligas, quæ tum ſpecie perfecta, tum indiuiduo non mutilata fuerint; hoc eſt aut in primo ortu oblæſa, aut poſt parte corporis quapiam & organo priuata: ſed toto corpore & partibus membriſque omnibus optimè & naturæ ſuæ congruenter diſpoſita.

Talpam vidit obijci ſibi poſſe, quæ perfectorũ animalium genere continetur; nec tamen vno aliquo indiuiduo, ſed ſpecie tota carere oculis & aſpectu videtur. Eam reſpondit ſenſorijs omnibus prædítam eſſe. Quippe oculos etiam habet, ſed pelle obductos ac tectos; ne dum terram fodit ſibique cuniculos parat, læderentur à terra. Fortaſſe etiam à minori ad maius argumento vſus eſt. Nam ſi talpa, quæ in animalium perfectorum genere imperfecta & mutilata oculiſq. priuata videtur, oculos tamen ſub pelle habet: multò magis tum ipſa habebit reliqua cæterorum ſenſuum ſenſoria, tum verò animalia perfectiora ſenſorijs omnibus & ſenſibus prædita erunt. Cæterùm totum hunc locum idem ipſe Philoſophus in cap. 8. lib. 4. de animalium hiſtoria pulchrè interpretatus eſt. Nam cùm quinque ſenſus commemoraſſet; Homo, inquit, & quæcumque terreſtrium animal gignunt; atque etiam quæ ſanguinem habent & animal pariunt; omnia hos omnes ſenſus habere videmus; niſi quid læſum ſit ac laceſſitum: quale talparum genus, cui aſpectus deeſt. Non enim oculos in aperto id habet. Cute tamen detracta, quæ craſſiuſcula obtenta luminum ſedem opacat, oculi intus laceſſiti imperfectique viſuntur. Sed ita, vt eaſdem omnes partes habeant, quibus integri oculi conſtant. Habeant enim nigricantem illum orbiculum, & quod intra eum continetur, quòd pupillam vocant. Atque etiam albidæ portionis ambitum: ſed non tàm liquidò, quàm oculi conſpecti & eminentes. Nec in partem exteriorem hæc apparere poſſunt, propter obductæ cutis corpulentiam: quippe cùm natura inter procreandum lædatur, atque ita inchoatum opus relinquatur.

Talpæ oculi.

Ex quibus verbis quinque omnino intelliguntur. Primum, animalia perfecta non ſolum hominem eſſe, ſed alia plurima, quæ ſenſus omnes habent. Deinde talpam item de genere perfectorum, eſſe, ſed oblæſum animal ac laceſſitum. Quam ob cauſam nunc quoque cùm perfecta & non mutilata animalia dixiſſet, talpam ſtatim ſubiunxit, tanquam perfectum quidem, ſed mutilatum animal. Tum verò eam oculos habere, at aſpectu non item frui. Mox huius rei cauſam eſſe ineptitudinem ſenſorij. Inchoatum enim eſt miniméque abſolutum & craſſa obductum pelle, quæ luminis acceſſum prohibet. Poſtremo cuiuſmodi oculi illi ſint & quibus partibus conſtent. Verum enimvero an talpa quidquam omnino cernat, vniuerſéque totum hunc locum in quo de ſenſuum in animalibus diſtributione agitur, operæ pretium fuerint paulo pluribus examinare.

DIGRESSIO I.

Quomodo animalibus diſtributi ſint ſenſus.

QVinque ſenſus, aſpectum, auditum, odoratum, guſtatum, & tactum: non ineſſe omnes in animalibus omnibus certum eſt. Tactum habent cuncta. Primus enim omnium eſt, quo animal primùm conſtituitur, & ſine quo aliorum nullus poteſt conſiſtere. Guſtatum quoque aliquem, obſcurum ſaltem & imperfectum: tum propter magnam cum tactu cognationem, qua is tactus quidam eſt, tum propter alimentum animalibus omnibus neceſſarium. Addidit Ariſtoteles in tex. 28. ſit-

Guſtatus aliquis in omnibus animalibus.

perioris libri, & tex. 63. & 64. huius tertij, & cap. 1. lib. de sensu & sensili. Quare si in cap. 2. lib. de somno & vigilia, & Themistius hoc loco, & Philoponus in comment. tex. 31. lib. 2. in imperfectis quibusdam animalibus, cuius generis spongiæ sunt & vrticæ marinæ, solum dixerint inesse tactum sine gustatu, id de magis perfecto ac distincto gustatu intelligendum erit. Paulo meliorem habent hunc sensum sine perfectioribus cæteris ostrea, conchæ, & similia, quæ motu priuata sunt. Atque ex eorum genere, quæ quoquo modo mouentur, Echinus marinus in cap. 8. lib. 4. de hist. numeratur.

Pisces audire & odorari.

Præter tactum & gustatum, odoratum quoque & auditum inesse piscibus, etsi non manifestum illorum organum, sed narium & aurium loco foramina quædam duntaxat in capite præseferant, multis eodem in loco demonstratur. Facto enim vel leui strepitu fugiunt: & ideo piscatores certis ac statis temporibus silent: alijs vero strepitum faciunt, quo aut eos in vnum locum congregent, aut in retia compellant. Escam vero minùs recentem vix attingunt, nec eodem escę genere capiuntur omnes, sed proprium sibi genus, vel in tenebris, solo videlicet odoratu dignoscunt & ad illud accurrunt. Immo odoribus interdum euocantur ex antris: nidoribus & sepiarum carũculis deustis, aut assatis polypis delectantur plurimùm. Contrà flutę, si vel piscium latura vel nauis sentina eijciatur, tanquam odorem sentientes, mirum in modum fugiunt. Suum prę terea sanguinem odorari pisces videntur. Nam eo effuso abeunt. De aspectu dubium non est, cùm & patentes ostentent oculos, & accedentes homines cùm aspiciunt, recedant.

Apes quoque culices, formicas, & huiusmodi animacula, odorari ostendit: quoniam procul persentiunt: nec putidis vnquam floribus insident apes: & regem, inquit in lib. 9. cap. 40. si forte aberrauerit, odoratu sagaci persequuntur donec inuenant. Deinde sulphuris odore intereunt ex his multa, aut certè sulphuris originique odore abiguntur deseruntque cauernulas.

Denique in homine ac perfectioribus cæteris, tum terrestribus, tum volatilibus animalibus, certum est & sensus omnes adesse, & eorum organa efformata meliùs magisque distincta. De aspectu solùm & auditu duplex est difficultas. Altera de Talpa; Nam quidquam aspiciat. Altera de Ape; An audiendi sensu vtatur.

De talpæ oculis.

De Talpa non apud interpretes modo, sed apud Aristotelem item diuersa & penè dixerim pugnãtia reperias. Etenim dum hoc loco eam dixit habere oculos videndique sensorium, vt perfecta cætera habent; existimare visus est eam videndi quoque vsu potiri. Siquidem sensoria propter sensum dentur; frustráque sit illud organum, cuius nullus sit vsus. Quo argumento vsum illum sæpè fuisse in Digressione ad tex. 88. lib. 2. adnotaui. At in primo de historia libro cap. 9. & lib. 4. cap. 8. omnino eam negauit quidquam videre, aut perspicuos & ad videndum aptos, sed præssos, confusos, oblæsos, habere oculos; hoc est non tàm oculos, quàm oculorum loca, situm & descriptionem. Verùm cùm non vna & Simplex, sed duplex planè difficultas verbis hisce inuoluatur; vna de oculis; altera de aspiciendi facultate oculorúmque officio; de vtraque seorsim dicendum est.

De oculis vbique Philosophum affirmantem videre eos animali huic inesse, at minimè perfectos & absolutos. Namque hoc loco inter mutilata & obtusa animalia talpam propterea censuit; quòd oculos quidem habeat, sed sub pelle positos opacáque. Et in lib. de historia loca potiùs oculorum, quàm oculos appellauit; quòd perspicui, aperti, & ad videndum apti nequaquam sint. Legimus tamen oculorum situm descriptionémque eandem esse, quæ in perspicuis cæterorũ animalium oculis ad naturalem suam functionem comparatis cernitur: pupillam inquam & circa eam albuginem humorem, ambientésque tunicas; & ijdem in locis proditum legimus, & detracta pelle confirmato. Minimè verò perfici potuerunt, natura imperfectum mandum læsa inchoatúmque opus ac diminutum relinquente. Quo sanè exemplo magnopere vsus est Galenus in 14. de vsu partium lib. cap. 6. & lib. 2. de semine cap. 5. vt eadem in fœmnis ac maribus ostenderet esse genitalia membra, ealémque in vtroque sexu partes: Verùm in maribus erumpentes foras, vehementiori propellente calore; in fœminis intus condita, propter imbecilliorem virtutem erumpere nequiuisse. Sic enim Talpæ quoque oculi intus formati ex ijsdémque humoribus & tunicis coagmentari exprimi foras à debiliori natura non potuerunt; similéque illorum oculis, qui gemitur vtero, remanserunt. Nam vt ij clausi sunt, & quibusdam etiam in lucem editi non statim aperiuntur; dentésque in gingiuis ad huc latentes perpetuò sunt talparum oculi.

Num verò quidquam omnino cernant, magna contentio est: Nec inter Aristotelis modò interpretes, sed inter alios item perueſtigatores naturæ. Celenus cœcum prorsus animal appellauit. Idem Plinio visum est in lib. 11. cap. 37. quam ob causam in lib. 30. cap. 3. duo mala scripsit huic animali naturam fecisse. Alterum, quòd perpetua cæcitate atra nebris damnauit. Alterum, quòd viuum sepelierit. Subscribunt Themistius, Auerroes, S. Thomas, & Philoponus, tum in expositione tex. 31. lib. 2. tum in comment. 1. huius; atque hoc demum loco, & in sua tabula M. Antonius Zimara. Neque ego magnopere cõtradicam: quippe rem secus habere non facilè demonstratur. Frustra autem non respondebo datos oculos nihil visuros. Nam aut ad ornatum adiecti sunt, vt mammillæ maribus: aut vt talpam de genere perfectorum animalium esse intelligeret; aut quia ratione generis, quo talpa mus quidam est & perfectum animal, debebantur. Etsi impedita post natura fuerit; quòd speciei obscurum & opacum terræ locum habituræ non conueniret. Etenim scitum illud; Quod conuenit generi, speciei quoque conuenit; de attributis essentialibus intelligendum est. Quamquam fortasse cùm non sint tàm perfecti, vt operari queant; nequaquam vere dices eos esse frustra. Nam in tex. 62. lib. 2. Phys. frustra id dicitur, quod aptum erat consequi finem neque consequutum est. Denique haud quaquam absurdum esse respondebo, quidpiam in individuo esse frustra, modo in vniuersa specie non sit. Sane qui nascantur muti, surdi, aut cæci. An non frustra in illis sunt loquendi, audiendi, videndique instrumenta? Id tamen non reprehenditur; quoniam in vniuersa specie vsui sunt. At cur non etiã dicam frustra non esse in specie, id quod vsui generi sit? Sane in mulo adsunt organa omnia procreationi dicata,

& tamen sterile animal est, & infœcundum: neque accusamus naturam; quoniam in asino frustra non esse cernimus. Ita verò talpæ oculos frustra non esse intelligas: quia si non videt talpa, videt mus, sub quo genere illa continetur.

Verè autem dixisse videtur Themistius, videndi officium animali huic intra terram degenti necessarium esse non potuisse. Neq. enim ad quærendum cibum, aut procul aspiciendum quidquã. Quippe in obscuro loco per crassum & opacũ elementũ nihil vidisset. Et aut alimentum habet præsens & obuiũ; aut odoratu, qui magis, quàm aspectus, propter alimẽtum animalibus datus est: Aut certè auditu, quẽ Alberti testimonio & Plinij in lib. 10. cap. 69. acutissimum habet, satis superque venatur.

Ergo Aristoteles hoc loco probaturus sensoria omnia & sensus animalibus perfectis inesse, argumentũ sumpsit ex talpa, quæ cùm animal perfectũ sit ratione generis, mus videlicet quidam, oculos saltem habet. Quia cum videndi sensum rationes generis habere deberet, natura muris cuiusdã productionem aggressa oculos quoq. formare cæpit. At quoniam mutilata, & læsa visuq. orbata ratione speciei futura erat, ad eam declinans ab opere destitit, cœcũmq. animal fecit. Quare cum oculos habeat, qui animali illi debitum fuisse visum testantur, si absoluta perfecti animalis productio fuisset, sapienter deduxit, animalia perfecta & non mutilata sensibus cunctis ornata esse.

Verum hęc omnia tàm necessarijs rationibus non concluduntur, quin probabilibus argumentis liceat affirmare, non nuda & otiosa planè organa, sed exili item aliqua tenuiq. functione prædita talparum speciei inesse. Qualis inquit Simplicius, per obductam oculis tunicam esse potest; atq. in nobis, dum penè occludimus palpebras, esse solet; estq. in animalibus illis, quæ noctiuaga vocitantur. Et certè Aristotelem non temerè dixeris consentire. Dum enim animalia perfecta sensus omnes habere argumento talparum ostendit, quæ etsi mutilatæ sint & oblæsæ, oculos tamen obtinuerunt: Præterquàm quòd in t. 9. lib. 2. oculum sine visu homonymè oculum scripserat appellari; dum de sensu loqueretur, non erat purum, nudum, iners, & omni sensu carens instrumentum adferendum. Optimum verò fuerit argumentum; si in animali læso, etsi sensorium imperfectissimum sit, quia tamen sensorij est, aliquid sensus adest: multo magis in nõ mutilatis nec læsis omnes sensus erunt; ijsq. perfecti & viuaces. Quòd si in lib. de histor. visu carere dicat; eo modo dicit, quo oculos asserit non habere. Quare vt quodam modo, nõ simpliciter & detectos, conspicuos, atq. in aperto positos, vt animalia cætera, oculos ait habere; sed imperfectos & pelle occultatos; quæ tamen quoquo modo perspicua & ad recipiendum lumen idonea est; & ideo nequaquam eo in loco pilosa. Ita intelligere oportet visum illi quempiam obscurum & exilem, nõ acutum & perfectum, inesse nõ qui procul & remota obiecta (quod proprium aspectus officium est) sed qui proxima solùm suscipiat.

Diuersa oculorũ in variis animalibus.

In vniuerso autem animalium genere ita comparatũ esse animaduertimus, vt quod in reliquis omnibus instrumentis euenit, pro diuersa oculorũ dispositione magis aut minùs aspiciendi virtus vigeat. In quibusdam perfectissimi sunt, & statim in lucem edita optimè cernunt: alijs primùm clausi; vt catelA lis, post aperiuntur & exactè vident: nec tamen propterea cœcos initio dicimus. Alijs semper detecti & absq. palpebris expositi, vt piscibus. Ne quartus deesset gradus, perpetuò clausis seu perspicua potiùs membrana obducti, ne illorum vsus omnino prohiberetur, facti sunt talpæ. Atq. hic perfectorum animalium extremus. Tum sequuntur imperfecta, quibus non tàm oculi quã oculorũ vestigia. Et quædam non videndo, sed offendicula tentando incedunt; vt limaces. Ita ab imperfectioribus ad perfectiora sensim natura progreditur.

Cur talpæ aspectus datus.

B At quorsum aspectus talpæ, tenebrosæ scilicet & opacæ regionis incolæ? An quia perfectum animal est, aspiciendiq. sensorio præditum? An non tàm vt videret, quàm vt videndi vsum & lucem fugeret? Nã cùm naturalis illius locus esset terra, maximéq. noxius aër, vt vitaret aërem seséq. intra terram contineret, inseruit natura lucis sensum, vt si quando prodiret ex terra, lucis læsionem sentiens sese illicò sub terram abderet. Cur vero tàm exilis ac tenuis visus? Triplicem tibi rationem in 10. de subtilitate libro Hieronymus Cardanus indicauit. Primam, ne sub terra tenebrosa degens, si acutum haberet, nihil videns nimium tristaretur. Alteram, quia si acri esset intuitu, molles haberet oculos, facileq. læderetur à terra: nec tamen in illis tenebris quidquã iucũdum cerneret. Tertiam, quod acuti aspectus finis est procul aspicere: ea degens sub terra nihil poterat procul videre. Quartam potiorem fuisse arbitror ineptitudinem ac ruditatem sensorij, crassámque obductam pellem.

C

Cur oculis eius obducta pellis.

Verùm quæ pellis huiusce necessitas? Ne, inquit, Philoponus, dum terram fodiens parat sibi cuniculos & cibum quærit, lumbricos, & herbarũ radices, excœcaretur facilè. Vel, quemadmodũ Alberto placuit; vt si quando animal habetationi tenebrosæ assuetum prodiret in lucem, splendorem, & vim lucis sustinere posset. Non est igitur horũ quoq. interpretum sententia omni visu priuatũ, si aut excœcari potest, aut sensum lucis habet. Tametsi idẽ ipse Albertus in 22. de animalibus libro cœcũ appellet animal, quod nõ oculos, sed oculorũ loca habeat. Verùm id propterea fortasse dictũ est, quod imperfectissimis oculis tenuissimóq. aspectu sit. Neq. hac de re quidquã est, quod cũ maiori nunc probabiliter disputẽ.

D

An formica videat.

De formica eadem non nullis dubitatio, An sensũ habeat aspiciendi. Cœcam planè facere non dubitauit in 9. de subtilitate lib. Cardanus. Quoniam, inquit, non adeo indigeret aspectu, cornibus auxiliantibus, quæ baculi loco sunt illi ad tentandam viam, velut & limacibus. Sed immeritò ità loquutus est: cùm eadem in hoc, quas in animalibus ijs, quæ vident, operationes obseruemus, & vero, quàm in permultis, admirabiliores: quas idem ipse auctor in 7. de rerũ varietate cap. 28. cõmemorat. Et in maioribus quoq. illius generis aperte satis oculos deprehendimus. De muscis alijsq. similibus sententia eadem. Et vniuersè nullũ animal volans cœcũ esse debuit, ne volans impingeret, læderetur, & caderet.

An apes audiant.

E Venio ad Apes, quas non solùm is auditu priuauit, sed Aristoteles quoq. ad initium primi libri metaph. & verbis eius permoti S. Thomas, & Augustinus Niphus. Verùs tamen eas audire, tum à Plinio in 11. lib. cap. 20. & Virgilio in 4. Georgicorum, & Alberto in 1. Metaph. alijsq. pluribus affirmatum est. Tum vero ab Aristotele ipso significatum in 9. historiæ

„ lib.cum in cap.40. de hoc animalium genere disse- A
„ ruisset plurima. Gaudere,inquit, plausu atq. sonitu
„ apes videntur : quapropter sonitu aëris aut fictilis
„ conuocari eas in alueum aiunt. Et quamquam rei
difficultatem indicans,incertum esse subiungat, an
audiant, & voluptatéue, an formidine id faciant:
audire tamen ostendit, cùm addit. Tempore matu-
tino silent omnes, donec vna gemino aut triplici
„ bombo excitet omnes. Tum vniuersæ ad opus pro-
„ uolant. Cúmq. redierint, primùm item tumultuát,
„ paulatímq. minùs subinde strepunt,dum vna circũ-
„ uolitando susurret, quasi dormiendum præcipiat.
Tum repentè omnes conticescunt. Idem de signo,
„ quo ad migrandum excitantur,antea dixerat. Cum B
migrandum est, inquit, vox solitaria & peculiaris
quędam aliquot ante diebus intus mittitur. Quibus
omnibus verbis argumẽta quoq.continentur, qui-
bus animal huic auditum inesse demonstratur. Nã
cum eris sonitu conuocantur,aut voluptate permo-
uentur,quod plausu delectentur ac sonitu;aut com-
moti &agitati aëris formidine incitentur;(hoc enim
dixit dubitari posse) si commoti aëris formidine
mouerentur, longiùs potiùs auolarent, quam ad
eum,in quo fit sonus,aërq. plurimùm agitatur, ad-
uolarent locũ : præsertim cùm impulsus aër eas im-
pellat; non trahat, aut alliciat. Deinde si aëris illam
agitationem eæ persentirent, cuius nullũ nos pror- C
sus sensum habemus ; exquisitior in illis, quã in no-
bis esset,tactus. At in tex.94.antea traditum est;ho-
minem inter animalia omnia exquisitissimum ha-
bere hũc sensum. Verùm solitaria & peculiaris vox,
quæ migrandũ indicit; vnius apis vox aut leuis su-
surrus, qui aut ad opus excitat, at somnũ præcipit;
quantam demum & quam sensilem aëris commo-
tionem faciant? Deniq. non aëris commotione aut
agitatione, sed plausu, sonitu, tinnitu, voce, bom-
bo,susurro,quæ omnia soni quidam sunt & ad audi-
tum referuntur, permoueri eæ dicuntur.

Neque verba illa, quæ in 1. Metaph. libro le- D
guntur, vrgent magnopere. Alberti enim extat
interpretatio in primis acommodata, & vera. Eo
loco sermonem non esse de auditu absolutè & vni-
uersè, quatenus sonorum sensus est: Sed vt percí-
pit sonum ad modum sermonis & nominum, quæ
conceptiones quasdam significent. Qui auditus, vt
disciplinæ principium est, sic in animalibus ijs solis
reperitur, quæ disciplinæ quoquo modo capacia
sunt, vt canes, simiæ, psitaci, & alia quædam;
quæ propriis compellata nominibus accurrunt,
alijsque & alijs vocibus auditis mouentur aliter aut
quiescunt. Hic apibus inesse negatur. Is autem,qui
est soni simpliciter & absolute, tum in animalibus
alijs perfectis, tum in apibus continetur. Atque ità E
Philosophi loca alioqui pugnantia conciliantur.

TEXTVS.

Ὥστε εἰ μὴ ἔστι τι ἕτερον ὅτι σῶμα, καὶ πάθος, ὁ μηδενὸς ὅτι ἁφὴ ὅτου σώματος, οὐδεμία ἂν ἔκλειπει αἴσθησις.

Tex.132. *Quare si non est aliud corpus & affectio, quæ nullius sit eorum quæ hic corporum, nullus vtique deficiat sensus.*

COMMENTARIVS VII.

IN sensuum quinario numero stabiliendo ex-
dendum non est Philosophum illud præterm
se,quod præcipuum ac potissimum esse poterat
sententiæ firmamentum. Ex medijs & sensoriu
gumenta deducit. De obiectis, ex quibus mani
constituuntur ac distinguuntur facultates, nihil ha
ctenus loquutus est; præter id, quod principium
significasse, non item satis explicasse antea dix
Quocirca qui prima horum verborum vim pe
culli solam hic superioris argumentationis confir
rijs deductæ conclusionem contineri autumant, ve
Philoponus; mea quidem sententia non parum e
rant. Nec minùs Auerroes & Albertus; qui tamen
duntaxat ex obiectis rationem proponiamur. Non
orationis principium deductionem quandam ape
tè significat. Melius quidem Themistius & S. Tho
mas,tum ex sensorijs,tum ex obiectis deductionem
faciunt. Sed quomodo apud illos hæ distinctæ ra
tiones fuerint ac seorsim explicatæ, non reperio

Optimè verò cum Simplicio interpretabimur il
conclusionem eorum esse, quæ de medijs & sensu
sorijs prædicta sunt. Particula enim (quare) vim ha
bet concludẽdi. Tum verò addi aut certe in mente
riam reuocari atque absolui argumentum illud ex
obiectis ductum, cuius propositionem antea posu
tam fuisse docui. Nam si præter nota quatuor el
menta,ignem,aërẽ,aquam,terram,ex quibus cons
sum est quomodo & quatenus sensuum medi
sensoria constent; nullum est aliud corpus simplex
(quæ enim permista sunt, ex illis quatuor sunt con
creta). Et rursum si quinque his sensibus,qui perfe
ctis in animalibus insunt, omnia nobis obuia sen
lia obiecta cognoscimus;nisi alia sit affectio, sensibi
úe qualitas præter eas,quę in hisce corporibus nostr
obuijs obseruantur ; nullus profectò præter hos
quinque sensus esse potest,perfectisque animalibus
quæ illos habẽt,nullus deest. Aut si ità mauis ratio
cinari. Si alius esset sensus, aliud quoque esset me
dium, aliud sensorium, aliud obiectum: at nullum
est corpus, quod medium aut sensorium esse possit,
nec sensilis vlla qualitas, quæ sit obiectum : neque
igitur alius est sensus. Vt argumentatio sit à conse-
quentis destructione ad antecedentis destructionẽ.

Itaque quod corpus & affectionem Philoponus
corpoream affectionem interpretetur, quæ sensu
rium facere queat; non probo, tanquam violentam
miniméque consentaneam interpretationem. Sed
vt corpus,& corporis affectionem Philosophus no-
minat, sic tanquam duo diuersa intelligo : corpus
aliud ab elementis quatuor, & affectionem qualí-
tatem sensilem,quæ insit corporibus, quæ hiclum,
hoc est nobis notis & obuijs,siue elementa sint,siue
elementis permista. Nam principes quidem qua-
tuor qualitates tactiles, & præter eas gravitas & le-
uitas & aliæ quędam, elementorum sunt: colores
autem,odores,& sapores,mistorum corporum.

Verba illa (quæ hic) addita quidam putant,vt ce-
leste corpus excluderetur. Sed propterea illa loc
quuntur, quod de sensorijs solùm arbitrentur ess
sermonem , ad quæ constituenda æternum illud
& impatibile corpus ineptum est. Cùm verò de
obiectis quoque ratiocinetur Philosophus, multo
corpora , quæ apud nos & nobis nota sunt ; ha-

hac rerum vniuersitate continentur, intelligere: A
præter quæ & eorum qualitates nullum aliud sit aut
corpus aut qualitas, quæ aut sensoriũ aut obiectum
esse queat. Quamobrem cœleste quoque corpus
rectè Simplicius comprehendit; quoniam ipsum
sensile est, sensilésq. qualitates habet; lumen præsertim, quod oculis ipsis percipimus, cuiusque beneficio & ope inferiorum quoque corporum colores
cernimus.

Porrò non esse plura corpora, nec sensiles plures
qualitates, manifestum est. Nam præterea, quæ in
posteriori de ortu & interitu libro de quaternario
elementorum numero tradita sunt; si corpora
omnia examines, aut vnum sunt ex illis quatuor B
simplicibus, aut aliud ex illis permistum. Et rursum
si sensiles qualitates singulæ singulorum corporum
perquirantur, nullam reperias, quæ quinque sensuum aliquo non persentiatur. Propterea in huiusce
propositionis probatione immorandum sibi non
esseduxit Philosophus; cùm certum esset, nullam
obijci ab aduersario posse.

DIGRESSIO II.

Qua hæ Aristotelis argumentationes expenduntur.

C

Si vniuersa Aristotelis probatio hactenus explicata in summa capita referatur; ea triplici cõstat
argumentatione: quarum vna ex mediis, altera ex
sensoriis, tertia ex obiectis deducta est. Quibus si
addideris eam, quam ex vitæ nostræ perfectione
Simplicius hausit, quatuor omnino fuerint. Quæ
ex medio ducitur, principio duplici sustentatur.
Altero, sensum omnẽ operari per medium. Altero,
medium illud aptum & accommodatum esse debere ad suscipiendum sensuique reddendum motum
ab obiecto factum, si sentire est pati atq; ab obiecto
moueri. Quę verò ex sensoriis, tum ex eo vim ha- D
bet, quòd omnis sensus organica facultas est, nec sine organo operari potest: hinc ipsi sensus, quos
nouimus, singuli singula sibi propria sensoria obtinent. Tum ex eo, quòd inter cuiusque sensus sensorium & medium, per quod ad illud deducitur eius
obiectum, magnam oportet proportionem & conuenientiam esse. Quippe sensorium moueri debet
per medium, & eorum vtrumque sensilis obiecti
actum suscipere; qui per medium ad sensorium
traijciendus est. Quod nequaquam fieret, aut certè
non sine vi, nisi eiusdem essent aut naturæ aut qualitatis. Postremò (Simplicij) enim argumentationem,
etsi sua vi probandi non careat, nunc prætermittam) E
ea, quæ ex obiectis ratiocinatur, principium illud
sequitur; Facultates esse propter obiecta totámque
suam naturam & distinctionem ex illis sumere.

Ex quibus facilè quiuis intelligat, quàm sapienter
in hac re confirmanda summus Philosophus egerit;
quámque certis eam ac necessariis argumentis demonstrauerit. Quæ si cum Platonica argumentatione illa conferantur, quam in huius libri commentario primo Philoponus adfert, quantum demum
intererit? Nam quæ tandem est illa deductio?
Quinq; sunt simplicia corpora, elemẽta quatuor, &
quintũ cœleste corpus: quinque item figuræ solidæ,
Pyramis, cubus, octo laterum, duodecim laterum,
& viginti laterum; Quinque igitur sunt sensus. Quis
sapientem philosophum ita colligentem ferat?
Quæ enim est istæc antecedentis & consequentis,
figurarum sensuúmque connexio? *Prima obiectio.*

Tribus tamen modis fuit Aristoteles reprehensus. Primùm à Iamblicho, vt in comment. primo
Simplicius testatur: quòd animalium inductione
numerum sensuum probauerit: cùm tamen animalia existant plurima, tum cœlestia, tum dæmones: quorum illa melioris sensus sint, quàm hæc
mortalia. Siquidem impatibili sensu, quique à seipso excitetur, prædita sint. Hi verò Platonicorum
sententia sensit item vtantur. Deinde à S. Thoma 2.
in prima Theologicæ summæ parte quæst. 78. art. 3.
quòd cùm facultates non sint propter sensoria aut
media, sed hæc potiùs propter illas; minùs accommodatè ex sensoriorum aut mediorum numero fa- 3.
cultatum numerus concludatur. Tum demum à
Hieronymo Cardano ad initium 13. de subtilitate
lib. quòd in vniuersa hac re demonstranda communibus assumptionibus vsus sit.

Iamblicho respondet Simplicius, Aristotelem *Ad primam.*
nequaquam inductione vsum fuisse, sed firma prorsus ratione ex vitæ perfectione sensoriisque posita.
Deinde cœlestium atque adeò dæmonum sensum
alteriùs ordinis esse, neque cum nostris hisce commemorandum. Sicut nec communem, qui in nobis
est, sensum cum exterioribus quinque numeramus,
etsi cum illis coniunctus sit. Tum verò illorum sensum minimè à nostris diuersum esse natura; cùm
circa eadem sensilia obiecta versetur. In qua responsione mirari primùm possumus tacitè quodammodo fuisse concessum cœlestium sensum impatibilem esse. Etenim omnis sensus, immò facultas
omnis cognoscendi, facultas patiendi est: cùm nil
aliud sit cognoscere, quàm in seipsum transferre
obiectum illiúsque formam sine materia suscipere.
Deinde illa duo non satis constare videntur: sensum illum cum nostris numerandum non esse: &
rursum eum à nostris minimè diuersum esse. Certè
si ille agendi solùm facultas est, non patiendi,
quemadmodum noster, omnino ab eo diuersus est.
At negandum prorsus erit cœlestibus vllum aut dæmonibus inesse sensum, vt cap. 71. huius ipsius libri
pulchrè demonstrauit Themistius. Verùm hæc disputatio alio loco definita est. *Ad 2.*

Iam S. Thomæ argumentationi respondebo: etsi
sensoria propter facultates facta sint, quemadmodum id, quo vtimur, propter id fit, quòd ea vsurum
est: & vt etiam demus, media quoque propter
easdem per illa operaturas parata fuisse (licet id fortasse non omni ex parte verum sit.) Consuetum
tamen est Philosophis à posteriori & ex effectu ad
causam & id, quod prius est, ratiocinari. Sic enim
Aristoteles cùm à priori quasi argumentum principio sumpsisset ex sensilib. obiectis; vel, vt Simplicio
placuit, ex animæ vitæve perfectione, quæ sensuum
omnium principium existit: sapientissimè ex organis item, quæ notiora nobis sunt & sensibus ipsis
comprehenduntur, ad incognitos & latentes sensus
ratiocinatus est. Quæ argumentatio certissimo, vt
dixi, principio nititur; Sensum facultatem esse corporeã, quę sine corporis organo subsistere nequeat.
Vnde consequens est, nullum in animalib. sensum
esse posse, qui non habeat organum, & quidem sibi
proprium. quia si propria quædam & ab aliis diuersa facultas sit; vt propriũ sibi habet operandi modum,
propriúmque obiectũ; ita proprium quoque quo
vtatur, organum habere debet. Ex medio etiam
optimum fuit argumentum, propter necessariam

inter medium & sensum connexionem, qua sensus omnis medium aliquod postulat. Quare si nullum aliud sit medium, verè licet concludere nec vllum alium esse sensum.

Ad 3. Postremò Cardani sententia iniqui planè aut minùs singula pensitantis iudicis est. Nam quo modo communib. assumptionib. vtatur is, qui ex obiecto de facultatib. in priori argumentatione, ac rursum ex organo & medio de facultate suapte natura organica, quæq; aliquo semper indigeat medio, ratiocinetur? Quid magis intimum & essentiale facultati, quàm obiectum? Quid facultati organicæ necessarium magis, quàm organum? Quid sensus magis proprium, quàm sensorium & medium? Immò quidquid præter hæc de sensu dixeris, extrinsecum erit, alienum erit, commune erit.

Sed age, quàm accommodatè quámque ex propriis, tum S. Thomas, tum Cardanus id demonstrẽt audiamus. Iamblicus enim aliena reprehendere satis sibi gloriosum duxit. Ergò ita S. Thomas ratiocinatur. Sensus facultas patiendi est, ab exteriori obiecto sensili immutari apta, & quidem immutatione spiritali per intentionalem obiecti speciem. Namq; si sola naturalis immutatio satis esset, plantæ quoq. & inanima corpora sentirent, dum alterantur. At spiritalis alteratio quinq. duntaxat modis fieri potest. Nam aut est sola spiritalis immutatio, vt in aspectu: aut si cum spiritali sit naturalis quoque ea est in obiecto, aut in organo. Si sit in obiecto, aut est cum motu locali, vt in auditu; cuius obiectum ex aëris percussione & motu gignitur: aut cum alteratione, vt in odoratu, cui odor alteratione excitatur. Sin autem sit in organo, hoc demum in tactu & gustatu euenit. Sed in tactu ea mutatio fit ab illa ipsa qualitate, quæ proprium illius obiectum est: In gustatu autem non à proprio illius obiecto, hoc est à sapore, sed ab adiuncta qualitate, humore scilicet, cum quo gustatur sapor. Neque præter has alia potest esse alteratio. Quinque igitur hi solùm sensus sunt.

S. Tho. ratio.

Confutatio. Quæ ratiocinatio plurimùm sanè illius auctori probata est, atque hoc loco in commentario ad tex. 135. repetita. Multis tamen modis peccare videtur. Primùm enim in re omnibus certa principium incertum ac dubium accipit, & vt permulti sentiunt, etiam falsum; Ab obiectis sensilibus intentionales effluere species. Cùm tamen ad rem certam magis ostendendam medio item omnibus certo & verò etiam certiore vti debuisset. Deinde sensus omnes vult per species hasce sentire. Cùm tamen in tactu & gustatu, plerúmq. etiã in odoratu & auditu, naturales ac reales qualitates in sensoriis suscipiantur: quæ cùm adsint, frustra intentionales cogitantur. Tum verò deductio illa (si sola naturalis immutatio satis esset, corpora omnia sentirent, dum alterantur) Aristoteli minimè consentanea est, qui in text. 124. lib. 2. non solùm plantas docuit non sentire, dum calefiant aut refrigerant, quòd oportuna corporis temperie prædita non sunt: Verùm etiã quòd principium & facultatem sentiendi non habeant. Multò minùs inanima corpora sentiunt, quæ nullã prorsus animæ partẽ obtinuerunt; Etsi intentionalis quoq. mutatio accedat: Quemadmodũ absque sensu species illæ in aëre suscipiuntur. Postea naturalẽ omnẽ immutationẽ immeritò aspectu præripit, qui à reali luminis qualitate afficitur, siue lucidum quid, siue coloratum videndum sit. Nihil sine lumine videtur: nec sine alteratione, actione, & passione producuntur colores. Neq; omittendum fuit medium, cùm naturalis immutationis partitio fieret. Non solùm enim in obiecto aut organo, sed & in medio ea fit, tũ locali motu in sono & odore, tũ alteratione in lumine quoq. Præterea alterationes illæ omnes localésq. motus nullam per se vim in sensibus constituendis habent, sed ex accidenti sunt. Etsi enim propterea requirantur, vt sensus obiectum producatur, aut etiam ad sensum perueniat: nihil tamen conferunt, vt obiectum sensile sit aut sensus quispiam constituatur. Denique vt triplex facta est alteratio, sic triplex poni poterat localis motus, in obiecto, in organo, & in adiuncto quopiam. Interim medium taceam, in quo tum alterationem iam dixi, tum localem motum fieri. Quin etiam in obiecto simul & organo alterationem additam quispiam.

Iam verò ex fine Cardanus præclaram scilicet & diuinam quandam probationem instituit. Sensus, inquit, salutis nostræ gratia sunt. Quæ autem nobis occurrunt, si proxima sint & exteriùs incidant, eorum gratia tactus est. Si intus assumantur, ea oliuelte explorare satis est. Si autem remota existant occurrant autem, vt fugere possimus cùm directè obuiant, visu prænoscuntur: Cùm autem ex obliquo, aërem mouere coguntur & strepitum facere, quo ditus præficitur. Manifestum igitur est quinque sensibus nobis atque animalib. perfectionibus opus fuisse. Sextum autem si natura constituisset, id nulli futurum.

Principio dum ex solo fine argumentum petit sapientis philosophi, qui causas omnes perquirere debet, minùs absolutè officium explet. Dente intimas ipse causas prætermittens & extrinsecam solam & remotam perquirens, iniquè Aristotelem reprehendit, qui ex intimis rem eandem confecit. Ex formali inquam, cùm ex obiectis sensilibus, quibus facultatum natura constituitur ac definitur: & materiali, cùm ex organis, quæ facultatum subiectum & velut materia sunt, argumentatus est. Aut si tantopere placebat finis, an non Aristoteles, dum obiecta proposuit, propter quæ sensus condiuisset & animalibus insiti, proximum & intimum finem persequutus est? Ita sanè iudicauit Auerroës in comment. 129. & firmissimam omnium rationem esse prædicauit. Hic enim finis vna & eadem res est cum forma, vt est in textu 70. lib. 2. Physic. & text. 36. superioris huius operis libri. Vter igitur ex communibus & à rei natura remotis magis tibi videtur demonstrasse? Verùm omittenda non fuit delectatio. Nam propter hanc quoque animalibus conflatos fuisse sensus: ex eáque id, quod quærebur, perinde Cardanus confecisset. Quippe nullum est corporeæ delectationis genus, quod quinque istis suum quopiam non percipiatur. Multo minùs prætermittendus intellectus, propter quem tanquam famuli & præcursores in homine animali supremo facti sunt sensus omnes, vt faciem illi quodã modo præferrent. Hique quinq. corporearum omnis rei cognitionem abundè illi subministrant. Verùm quatandem arte sensus quinque Cardanus colligit, cùm in argumentatione quatuor solùm nominasset, tactum, odoratum, aspectum, auditum; Nihil esse in consequenti colligendum, quod non fuerit in antecedenti positum, dialecticorum vbique fabellis perstrepunt. At gustatum à Cardano nominatum non video: quin potiùs excusum, cùm cibos odoratu satis explorari dixit. Atqui hoc ipsum falsum est.

est. Superuaneus enim & inutilis gustatus esset, cuius nullus alius est, quàm in cibis dignoscendis, vsus. Deinde cùm ingratum pernulta saporem habeant, quę suaue olent, odoratu ea explorare satis non est. Cum tactu eum comprehensum non fuisse duo testantur. Alterum, quòd tactum in exterioribus tantùm, quæ intus non assumuntur, occupatum esse voluit. Alterum, quòd si ibi gustatũ posuisset, non addidisset statim, odoratu cibos satis explorari. Vno verbo dicam. Plura sunt in huius hominis argumentatione peccata, quàm verba. Sed nimius sim, si persequar singula. Sat fuerit ad iactantiam temperandam pauca hoc loco attigisse. Quædam etiam in exercitatione aduersus ipsum 297. accurè Iulius Cæsar Scaliger significauit. Quare ad Aristotelis probationem, tum à calumniis vindicandam, tum verò explicandam, tot dicta sint. Neque enim profectò in animali vllo vel perfectissimo plura, quàm quinque exteriora sensoria figuræ & qualitatum insigni discrimine imaginaberis, oculos, aures, nares, linguam, & totum corpus.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τῶν κοινῶν οἷόν τε εἶναι αἰσθητήριόν τι ἴδιον ὧν ἐκάστῃ αἰσθήσει αἰσθανόμεθα κατὰ συμβεβηκός οἷον κινήσεως λέγω, καὶ μεγέθους, καὶ ἀριθμοῦ, καὶ ἑνός.

At verò neque communium potest esse sensorium aliquod proprium, quæ vnoquoque sensu ex accidenti sentimus. Vt motum, quietem, figuram, magnitudinem, numerum, vnum.

Text. 131.

COMMENTARIVS VIII.

PErinde est, siue nunc tacitæ obiectioni satis fieri dixeris, tollique responsionem, qua superiorem probationem infirmare quispiam potuisset, vt Themistio, Philopono, Simplicio, Alberto, & S. Thomæ placuit: siue quartam rationem addi, qua illud ipsum ostendat: Siue demum, vt Auerroi visum est, rationem eam absolui, quæ postremò ex sensilibus obiectis deducebatur. Etenim si diluatur obiectio, aut infirmetur responsio; ea esse poterat, necessarium esse alium sensum, non ad propria, sed ad communia sensilia cognoscenda: quia cùm hæc illis quinque, aut omnibus, aut certè pluribus, cognoscantur, nec tamen vllius specialia sint, alium esse oportet proprium illorum sensum. Quare ostendendum est, propter sensilia hæc communia sexto sensu opus non esse. Sin autem quarta ratiocinatio addatur, ea ex his ipsis communibus sensilib. petitur. Ac demum si inchoata ex obiectis ratio absoluatur, pars ea supereſt, qua communia hæc obiecta continentur. Atque vbi ostensum est sensilia propria alio non indigere sensu, quòd his quinque compræhendantur omnia; ostendendum relinquitur, neque communibus percipiendis necessarium eum esse. Itaque tantumdem semper conficitur.

Hæc autem fermè est argumenti explicatio. Si præter quinque opus est alio sensu; An vt sensilia communia percipiantur? Atque hæc nullius specialis & proprij sensus obiecta sunt: nullo igitur alio indigemus sensu. Communia sensilia quæ sint, quòq. modo à propriis distinguantur: in text. 63. & 64. traditum est. Sed nunc vnitatem addit eo loco non commemoratam: quæ tamen facilè ad numerum reducitur. Sensorium etiam prosensu nominat. Quia cùm sensus sensorio egeat, sensoriúmque propter sensum sit, atque antea ex sensorio ad sensum argumentum deductum sit, & ostensum parem esse sensuum & sensoriorũ numerum, nihil iam interest siue sensorium, siue sensum nominet. Quia si communium non potest vnum aliquod esse sensorium proprium, neque vnus fuerit sensus. Verùm antithesi illa, qua communibus opposuit proprium, assumptionis confirmationem vel ex ipsis vocibus haustam contineri arbitror. Tanta enim inter commune & proprium vocis ac naturæ contrarietas & pugna est, vt statim atque communia obiecta appellantur, eáque significantur, quæ non vno aliquo, sed pluribus aut omnibus sensibus cognoscuntur, vnusquisque intelligat nullum posse proprium esse illorum sensum; eúmque, qui communis obiecti sensum aut sensorium proprium dicat, pugnantia planè loqui, eiúsq. orationem seipsam destruere.

communia sensilia nullius sensus propria esse.

Quæ autem proximè adiuncta sunt verba (quæ vnoquoque sensu ex accidenti sentimus) apertam quidem magis haberent sententiam, si adesset negatio (non ex accidenti) vt in quibusdam Latinis codicibus adest. Atque probationis argumentum continerent: ea non posse esse vllius sensus propria; quoniam ita pluribus communia sunt, vt ab illis per se sentiantur: at si essent alterius sensus propria, ab hisce sensibus quinque ex accidenti sentirentur: siquidem vnius sensus obiectum ab altero non nisi ex accidenti sentitur. Verùm in exemplarib. Græcis negationem non reperio. Quare duobus modis ea verba accipientur. Nam vel cum antecedentibus coniunguntur, vel ab illis separantur. Si coniungantur, sententia erit; Communium nequit esse proprius sensus, quasi illa nunc his quinque sensib. ex accidenti sentiantur. Sin autem separentur, ita argumentaberis. Si sensilia communia proprij alicuius sensus sunt, nunc igitur quinque his sensib. ex accidenti sentiuntur: seu, Non potest sensilium communium esse proprius sensus, nisi ea quinque his sensibus ex accidenti sentiantur.

Duplex hic interpretandi modus magnopere diuersus est. Prior Themistij fuit & Simplicij: atque argumentum contineret, quo fortasse quispiã ostenderet, proprio sensu obiectis communib. opus esse: quoniam si proprium non haberent, ex accidenti sensilia esse viderentur. Verùm huic responderetur, non idem esse obiectum commune, & ex accidenti, vt & antea expositum est, & rursum non multò post explicabitur: neq; si non sit obiectum alicuius sensus proprium, continuò sequi esse ex accidẽti. Nam inter vtrumq. intercedit id, quod pluribus quidem sensibus est commune, omnibus tamen per se, quia simul cum propriis afficit & permouet sensum. Potior est interpretatio posterior Philoponi & Auerrois, qua continetur altera dictæ iam assumptionis confirmatio: quippe in aliis quoque sensibus, quos nouimus, ita euenit, vt proprium vnius sensus obiectum comparatione alterius ex accidenti sensile sit: quòd non sit aptum mouere nisi vnum sensum, cuius propriũ obiectum est. Quare vt dum albor per se ab aspectu cernitur, ex accidendi sentitur sapor, aut odor cum albore cõiunctus, propriũq. gustatus aut odoratus obiectum: ita dum sensilia communia cum propriis iuncta sentirentur, ex accidenti ab his quinque sensibus sentirentur, si alterius cuiuspiam proprium obiectum forent. Neque in sensib. modò, sed in cæteris quoq. ita res habet; vt si

quidpiam sit vnius proprium, non nisi ex accidenti alterius sit. Nam si huius quoque proprium esset, prioris vtique illius non esset proprium: immò neutrius, sed vtique commune. Comunia porrò sensilia non ex accidenti, sed per se quinq. his sensibus sentiri, ex motu ostenditur, quem inferunt sensui. Quæ enim ex accidenti sentiri dicuntur, non ideò sentiri affirmantur, quòd sensum afficiant, sed quòd cum eo, quod afficit & per se sentitur, coniuncta sint. At communia omnia motu sentimus. Quia non solùm à calore permouetur aspectus noster, sed ab illius quoque magnitudine, figura, motu, quiete, numero. Nam aliter afficitur à magno aut paruo obiecto, aliter ab acuto vel obtuso, à moto aut quiescente, à pluribus vel vno. Atque hoc à propriis obiectis differunt, quòd hæc vnicum, illa plures sensus mouere queunt. Non igitur ex accidenti, sed per se sentiuntur. Ac rursum si per se sentiuntur, non ergò propria vllius sensus obiecta sunt. Ità tum ab iis, quæ ex accidẽti, tum ab iis, quæ propriè, sentiuntur communia sensilia differunt. Ab iis quidem, quæ ex accidenti, quòd communia per se sensilia sint. A propriis autem, tum quòd hæc vnico sensu, plurib. illa aut omnib. percipiuntur. Tum quòd etsi ambo per se comprehendantur, illa tamen primariò afficiunt sensum, hæc secundariò, velut modi & conditiones necessariò illis adiunctæ: pérque sensilia propria, tanquam causas: vt non tàm sentiri, quàm simul cum propriis sentiri dicenda sint.

Communia sensilia per se sentiri.

Per se sentiri quid sit.

Vniuersè autem sentiri per se nil aliud est, quàm ideò sentiri, quia sensus ab obiecto afficiatur permoueatúrque. Quod tribus modis fieri videtur. Primùm cogẽdo aut dissipando sensorium. Deinde actum suum, lumen, sonum, odorem, saporem, qualitatem tactilem, illi imprimendo. Postremò quatenus anima ab obiecto excitatur, prouocatur, atque ad actionem suam promendam determinatur. Sentiri verò ex accidẽti est, non idcircò sentiri, sed quòd cum eo, quod afficit aut mouet, coniunctum sit.

A B C D

TEXTVS.

Ταῦτα γὰρ πάντα κινεῖ αἰσθανόμεθα. οἷον μέγεθος κινήσει. ὥστε καὶ τὸ σχῆμα μέγεθός τι καὶ τὸ σχῆμα. τὸ δὲ ἠρεμοῦν, τῷ μὴ κινεῖσθαι. ὁ δὲ ἀριθμὸς, τῷ ἀποφάσει, τῷ συνεχοῖς καὶ τοῖς ἰδίοις. ἑκάστη γὰρ αἴσθησις αἰσθάνεται ἑνός.

Hæc enim omnia motu sentimus. Vt magnitudinem motu. Quare & figuram. Magnitudo enim quædam & figura. Quiescẽs autem eo, quòd non moueatur. Numerus autem negatione continui, & propriis. Vnus quisq. enim sensus vnum sentit.

E

COMMENTARIVS IX.

Communia sensilia per se sentiri.

VErùm ita esse, communia inquam non ex accidenti, sed per se sentiri, commemoratione explicatur. Magnitudo motu quopiam sentitur, quia cùm qualitas, quæ sensile proprium est, in magnitudine quapiam extensa semper consistat, dum qualitas extensa mouet, simul magnitudo tanquam illius modus mouet. Hunc enim motum nunc nominat: eum scilicet, qui ab obiecto infertur sensui. Quòd si magnitudo motum quempiam habet, habebit item figura, quæ magnitudo quædam est: magnitudo inquam hoc aut illo modo finita & terminata. Vnde intelliges magnitudinem non eam appellari, quæ in omnibus sensilibus propriis inest (quidquid Philoponus dicat) sed eam, quæ est in quantitate. Nam hæc sensile commune est, atque in hac sola consistit, figura. Deinde non ineptè etiam obiter colliges, figuram esse idem re cum quantitate: quippe quæ tas quædam esse dicitur.

De quiete, quæ motus priuationem significat, dicturus maior. Quoniam priuatio & non ens nequit nec mouere sensum: sicut nec tenebræ actum mouent. Quam exponentes Auerroës & S. Thomas cùm quietem dixerunt ex motu comprehendi, sicut tenebræ ex luce, & vnaquæq. priuatio ex habitu: Plutarchum sequuti videntur, qui dixit sententiam; Quietem per comparationem ad oppositos motus cognosci. Sed animaduertendum poterant cognitionem hanc ratiocinatione solùm constare: neq; ad sensum sed ad intellectum pertinere. Deinde ita fore, vt quies non sit sensile per se: siquidem nulla priuatio mouet sensum: & ideò ipsomet Auerroë consentiente in comm. ex accidenti sentitur. Tum vero hunc motum non esse eum, de quo hic Philosophus loquitur. Non enim de illo agit, quo sensile corpus moueri potest, verùm de eo, quo sentiens ab illo afficitur, quòque omnia dixerat motu sentiri. Propterea etiam opinor quietem eum non nominasse, sed quiescens: non inquam priuationem, sed corpus ipsum velut habitum motu priuatum. Quod nimirum afficit sensum. At quónam modo quiescens illud cognoscitur? Quatenus eodem semper modo & absque varietate ac (vt Philoponi vtar verbis) affectione nec aucta nec diminuta, mouet sensum. Quod enim mouetur, alio atque alio modo subinde mouet, illius motu affectione aucta vel diminuta. Itaque verba illa (quiescens autem, eo quod non moueatur) si cum Simplicio intelligas quiescẽs sentiri motu, non quo ipsum moueatur, sed quo sensum moueat; erunt erit sententia: neque rationem propriam, qualentiatur quies, indicabis. Optimè autem interpretaberis, rationémq. significabis; si quiescens sentiri dixeris, quod non moueatur, hoc est quod immotum permaneat & in eodem persistens loco eodem semper modo afficiat sensum. Ita tum exponitur modus, quo quiescens sentiatur: tum illius causa ostenditur. Modus est, eodem semper modo afficiendo; Causa, non moueri, sed in eodem stare loco: sensúsque eodem modo ab obiecto affectus illud sentit, vt in eodem loco quiescens. Fauet illud sectum lib. Phys. tex. 73. quo quiescere id dicitur, quod similiter se habet nunc & priùs. Non enim cùm de sensilibus obiectis est sermo quietem oportet intelligere priuationem motus; quia priuatio sensilis non est. Sed id, quod velut materia est; corpus scilicet permanens eodémque modo se habens, quod per dispositionem permanentem afficit sensum.

Iam numerus negatione continui cognosci dicitur. Negationis nomine priuationẽ ne intelligas, Auerroëm fortasse sequutus. Tum propter eandem causam, quæ in quiete dicta est. Tum quia, vt vnum, ita & numerus mouet sensum, ac per se sensilis est. Sed hîc quoque negatio materiam tibi significet, vnitatésque non continuatas nec inter se copulatas. Vt enim seorsim singule, quemadmodum homines singuli, equi, aut lapides; ita & omnes simul permouere sensum possunt. Hic est numerus, qui negatione cognoscitur: non quatenus vnitatum collectionem in vnam quandam formam & speciem numeri continuitatisve negationẽ significet: sed vt multæ vnitates sunt, multáq. sensilia corpora simul collecta & simul

simul sensum permouentia. Quocirca aptè Philoponus continui nomine vnitatem significari dixit. Nam & continuum vnum est; & vnum item, quod in sensilibus rebus consideratur, continuum. Et numerus negatione continui, hoc est vnitatis, cognoscitur; quatenus non ab vno, sed à pluribus disiunctis afficitur sensus. Sanè is vnũ & plura obiecta dignoscit; quia non eodem modo ab vno atque à pluribus mouetur. Qua in re persimiles sunt numerus & quies: & vtrumq. sensile quodam modo negatione dignoscitur; quatenus non eodem, sed alio modo afficiunt, quàm vnum & motus. Non tamen comparatione cum illis facta (quomodo enim comparet sensus?) sed diuersum sentiendo motum. Sicut & aspectus album & nigrum, & cæteri sensus plures obiectorum suorum partes cognoscunt; non comparatione vtentes, sed alium atque alium motum persentientes. Numerus. Nam etsi numerus quoque sit vnus; alio tamen modo est, quàm vnum illud, quod numeri principium aut pars existit. Hoc enim est vnum copulatione ac partium continuatione: numerus autem separatas & disiunctas habet partes, vnúsq. solùm collectione & accumulatione dicitur. Idcircò alio modo numerus, alio vnum afficiunt sensum. Hoc, vt vnum continuum; ille, vt vnum collectum & plura disiuncta. Atque vt ostenderet Philosophus numerum à sensu nõ cognosci vt collectione vnum est, sed vt planè disiuncta; secundùm materiam, non secundùm formam (forma quippe sola mente comprædĕditur) eum dixit continui negatione cognosci quia fit ex diuisione, quæ continuitatem soluit vnúmque in plura distrahit.

Quodverò addidit (& propriis) sensilia propria, quæ cum communib. coniuncta sunt, significat. Aliúmq. indicat modum, quo numerus ac sensilia cõmunia cætera cognoscãtur. Is est cognitione propriorum. Quoniam enim propria per se primùm cognoscuntur, communia secundo loco; dum non solùm video decem, sed decem alba; alborum, quæ propriorum sẽsile sunt, cognitio magnopere iuuat ad numerum denarium, qui in illis est, cognoscendum. De magnitudine & figura idem principio dicere potuisset: sed maluit cum numero dicere. Tum quia numerus abstractior cæteris est; & cum duplex sit numerus, numerans, & numeratus, mouere voluit de numerato id intelligendum esse. Tum quia difficilius erat intelligere quemadmodum is negatione, quæ sua natura sensilis minimè est, sentiretur. Tum vero quia satius esse vidit proprium & speciale modum antea indicare, quo sensilia communia singula per se sentiantur & moueant: deinde omnium communem subiungere, quo prior ille proprius adiuuetur: quia nimirum cum propriis, quæ per se primùm mouent & sentiuntur, coniuncta sunt.

Denique postrema huius orationis verba (vnusquisque enim sensus vnum sentit) minùs accommodatè Philoponus retulit ad probandum, numerum sensibus omnibus sentiri: quoniam omnes sentiunt vnum, quod numeri principium est. Ex quo sit consequens, reliqua item esse sensilia cõmunia plurium saltem sensuum, non vllius propria. Verùm probatio hæc superuacanea erat, miniméque necessaria. Et ad illa potiùs proxima verba (ex propriis) referri debet. Neque vnum numeri principium significat: sed vnum genere obiectum vnius naturæ & formæ, & ideo vnius sensus proprium: vt aspectabile, aut audibile. Vnusquisque enim sensus vnius est obiecti proprij, à quo totam suam naturam habet. Vel etiam tactus, inquit Simplicius, vnius obiecti est, licet nomen vnum non habeamus, quo tactiles omnes qualitates simul nominemus; nisi tactile illud, quod à sensu deflexum est. Itaque tactus non minùs, quàm cæteri sẽsus, vnus fuerit. At quorsum hæc probatio? Tum vt explicaret, quo intellectu propria nominasset: nempe vt singulorum sensuum obiecta propria significaret. Tum vt ostenderet id, quod dixerat, ex propriis cognitionem communium adiuuari. Nam si ita sit, sicut singuli sensus communia percipiunt, ita singulis propria oportet adesse obiecta. Propterea hoc quoque sapienter adiunxit Philosophus. Ac simul etiam quid sit propriũ exposuit: quod scilicet vno tantùm sensu sentitur. Et proprium communi opponens, quid inter vtrumque interfit, pulchrè ostendit. Ac demum confirmat sextum sensum dari non posse, quia nullum illi obiectũ supereſt: siquidem tum sensilia propria tum communia per se sentiuntur quinque illis notissimis sensibus. Si verò hæc ipsa sentire ille dicatur ex accidenti, genus hoc obiecti satis non est ad nouum sensum constituendum, sed opus est obiecto per se. Verùm de hoc pluribus in sequenti textu.

TEXTVS.

Ὥστε δῆλον, ὅτι ἀδύνατον ὁτουοῦν ἰδίου αἰσθάνεσθαι τῷ τούτων τῶν κινήσεως. οὕτω γὰρ ἔσται, κἂν εἰ νῦν τὴν ὄψιν γλυκὺ αἰσθανόμεθα, τῶν δὲ ὅτι ἀμφοῖν ἐχόντες τυγχάνομεν αἰσθήσεων, ἢ ὅτι συμπέπτωκεν γνωσόμεθα. εἰ δὲ μή, οὐδαμῶς ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκὸς αἰσθανόμεθα. τῷ γὰρ Κλέωνος υἱὸν, οὐχ ὅτι Κλέωνος υἱός, ἀλλ' ὅτι λευκός, τοῦτῳ δὲ συμβέβηκεν τῷ Κλέωνος εἶναι.

Quare manifestum, cuiusuis horum proprium sensum esse non posse, vt motus. Ita enim erit, vt nunc aspectu dulce sentimus. Hoc autem, quoniam vt insuper sensum habemus, quo cùm in vnum concurrunt, cognoscimus. Sin minus, nullo vtiq; modo, nisi ex accidenti sentiremus: quemadmodum Cleonis filium; non quia Cleonis filius, sed quia albus: hoc verò accidit Cleonis filium esse. Text. 34.

COMMENTARIVS X.

TVm ex postremis superiorib. verbis communium sensilium vnum aliquem proprium sensum esse non posse colligit. Vnusquisq. enim sensus est vnius cuiuspiam obiecti proprij: communia verò hæc omnino plura sunt, neque sub vna communi vlla natura continentur. Tum verò maximè ex antecedenti tota argumentatione, qua ostensum est, ea omnia ab hisce quinque sensibus, qui perfectis animalibus insunt, per se sentiri. Inde namque tum quia pluribus communia sunt, tum quia per se ab illis sentiuntur, velut conclusionem deducit, nullius illorum posse proprium aliquem sensum esse. Motúmq. ex omnib. tanquã exemplum memorat. Verùm vt priorẽ argumenti partẽ antea indicauit solùm, neque longiorẽ probationẽ adhibuit, quòd necessaria non esset: ita & nunc solùm dicit, cuiusvis horum, quæ videlicet communia omnibus aut certè plurib. sunt, vnum proprium sensum esse non posse. Etenim ipsa cõmunis & proprij antithesis ita esse satis ostẽdit. Posteriorẽ verò plurib. explicat. Nam si sextus communiũ sensus adesset, quinq. reliquis, quib, ea nunc cognoscimus, ex accidenti vtiq; sentirentur: quemadmodũ cùm dulce aspectu sentitur. Sane enim ex accidenti sentitur; quoniam tum coloris, tum dulcedinis, quæ cum colore in vno aliquo corpore, vt in melle, lacte, aut pomo, coniuncta est, sensum habemus.

communia sensilia nullius sensus propria esse.

Plutarchus & cum eo Philoponus deesse dixerunt (primus) vt sensus sit: quoniam priùs vidimus colorẽ, dulcedinémq, gustauimus, si post idem corpus videremus, dulcedinem quoq. ex accidenti cognoscimus, etsi nihil agat gustatus. Ita Themistius item & Auerroës interpretantur sed Themistius & Philoponus cognitionem hanc sensui communi tribuunt. Parùm omnino ad rem, cùm nihil adhuc de illo probatum sit, déque solis nunc exterioribus disputetur. Ego nihil addo, nec antecedentem cognitionem requiro. Sed de simplici ac præsenti cognitione, qua nunc primùm aspectui proponatur corpus, in quo ambæ insint qualitates, interpretor. Atque cum Simplicio vtriusq. sensum intelligo aspectum, cuius color, & gustatum, cuius dulcedo propria obiecta sunt. Dum namque colorem per se tanquam proprium obiectum, quod sensum mouet, aspectu sentimus; dulcedinem quoque ex accidenti sentire dicimur: non quòd quidquam ea hunc afficiat sensum: sed quòd cùm ad alium sẽsum per se pertineat, cum proprio aspectus obiecto cõiuncta est. Ita nimirum communia etiam sensilia ex accidenti sentiremus, si proprium illa sensum haberent. Nec enim essent ampliùs obiecta per se communia, sed propria: idémq illis, quod cæteris propriis, eueniret. Aut si ita non esset, nullo nisi ex accidenti sentirentur.

Quæ verba aut cum Simplicio ad proximè dictum duorum propriorum sensilium concursum referas: nempe si ea per duorum concursum non cognoscamus, non fiet simul arborum cognitio; sed merè ex accidenti cognoscemus. Aut potiùs (vt ex consequentibus verbis, quibus idem repetit, colligitur) ad sensilium communium cognitionem, de qua proximè agebatur. Ea enim tunc, cùm non possent per se cognosci, non nisi ex accidenti cognoscerentur: Sicut dulce aspectu sentitur, hoc altero, qui supereſt, modo cognoscerentur, quo Cleonis filium videre dicimur: hoc enim non nisi ex accidenti dicitur. Nam per se quidem videtur album aut alio modo coloratum (hoc enim aspectus obiectum) at Cleonis filius non nisi ex accidenti: quoniam albo aut colori accidit esse Cleonis filiũ, quod mente quidẽ concipitur, sed nullo sensu per se cognosci potest.

Sensile ex accidenti duobus modis.

Ex quo loco tria magnopere intelligũtur. Primum est, sensile ex accidenti duob. modis dici: Aut quod huicvel illi sensui quatenus huiusmodi sunt accidat. Aut quòd absolutè & vniuersè accidat sensui. Huic vel illi sensui accidit id, quod sua quidem natura sensile est, at non ab hoc vel illo, sed alio sensu. Sensui autẽ vniuerso id, quod ad nullum pertinet sensum, sed mente sola comprehenditur. Vtrumq. Philosophi hæc verba continent, quæ tum dulce, tum Cleonis filium commemorant. Illud sensile sua natura est, & per se ad gustatum spectat: verùm aspectui alterive sensui accidit, dum propriis illorũ obiectis adiungitur. Hoc autem, siue substantiam significet, hoc est hominem, qui filius est; siue ipsam filiationis relationem; nullo sensu sensile est. Et ideo sensui vniuerso & absolute considerato accidit, si cum sensuum sensilib. obiectis coniungatur. Illud obiectum significat vnius sensus cum alio sensu comparatum: Hoc substantiam seu aliud quiduis, quod per se sensile non sit. Sensilia communia, etsi nullius sensus proprium obiectum sint, nulli tamen sensui accidunt: sed velut modi & conditiones generales cum omnium obiectis coniunctæ mouent omnes, atque ab omnibus per se secundo loco sentiuntur.

Alterum est, Philosophum hoc loco planiùs explicare, quid sit sensile ex accidenti, quam exposuerit in textu 95. libri secundi. Nam eo loco Diaris filium nominans, alterum duntaxat illum modum posuit. Quoniam cum nondum de singulis egisset sensib. sed solùm de sensili obiecto vniuerso disseruisset, illud solum ex accidenti sensile adfirmandum putauit, quod sensui accidit vniuerso, nec vllo modo sensile sua natura est. Nunc autem, postquam de sensibus in specie dixit, ac præsertim disputatum præter eos sit alius sensus, copiosiorem doctrinam tradidit, omnésq. modos exponens absolutos, quod antea inchoatum reliquerat.

Tertium & vltimum, non accidens modo dici Aristotele dici accidere substantiæ, sed accidentem substantiã; cùm Cleonis filium, hoc est substantiã, accidere ait albo. Aut etiam vnum accidens alteri accidenti, si filiationis relationem intelligas. Quemadmodum accipi oporteat, in comm. ad text. 65. superiùs exposui: vnde multa, quæ ad hunc locum pertinent, petenda erunt, immo penè omnia huc transferenda.

Iam quod ad id attinet, quod nunc quæritur, si communium sensilium esset alius sensus proprius, aspectui & aliis sensibus ea essent ex accidenti sensilia. At vtro modo? Priori scilicet illo, quo id, quod est sua natura sensile sensuique. cuiuspiam proprium alicuius, alterius sensus obiecto accidit: sicut dulce aspectui sensile ex accidẽti est. Propterea enim hoc Philosophus exemplo vsus est, vt non solùm doceret, communia sensilia ex accidenti sensilia esse; sed etiã vtro modo forent, simul exponeret. Atque iam demonstratum est, ea per se sentiri ab omnibus hisce sensibus, quos habemus: præter eos igitur alius esse nequit eorum sensus proprius. Hoc enim est, quod ait.

TEXTVS.

ὧν δὲ καθ' αὑτὰ ἕκαστον ἴδιον κατὰ πάντων, οὐ κατ' ἐπίθεσίν τινα, οἷον χρῶμα ὄψει καὶ γεύσει· διὸ ἀληθεύει ἑκάστη αἴσθησις περὶ τοῦ ἰδίου καὶ ἔχει ἢ ὁρᾷ ἢ γεύεται· οὐδαμοῦ γὰρ ἀπατᾶται ἡ ὄψις ὅτι χρῶμα ἢ ἡ γεῦσις ὅτι χυμός· οὐδὲ μὴν ὅτι ἡ σάρξ ἢ ὁ χυμός· οὐδὲ γὰρ ἀπατᾶται ἡ ὄψις ὅτι ὁ χυμὸς ἢ ὁ χαλκὸς ἢ ὁ ἥλιος ἐστίν· ἀλλ' ὅτι ἥλιος ἢ χαλκὸς ἐστὶν ὁ χρώματος ἢ ὁ χυμός, ἐκ συμβεβηκότος ἀπατᾶται.

Communium autem sensum habemus iam commune, non ex accidenti. Non igitur sunt propria. Nullo enim modo sentiremus: sed ita vt dictum est Cleonis filium nos videre.

COMMENTARIVS XI.

QVippe communem sensum non eum dicit, qui est interior ab exteriorib. hisce distinctus, velut illorum omnium iudex: quoniam nondum eum probauit nobis inesse. Sed exteriorum horum communitatem quandam; non ab illis distinctam, sed ex omnibus illis conflatam. Sicut inquam communia sensilia dicimus, quæ nullius sensus propria sunt; ita communem sensum appellat, hoc est non vnum aliquẽ sensum, sed omnes simul, qui obiecta illa percipiunt. Omnibus enim vis inest communia sensilia percipiendi. Communium igitur sensilium communem iam habemus sensum; quia non vno aliquo speciali, sed omnibus hisce notis sensibus communiter ea sentimus: idque non ex accidenti, sed per se & proprium motum. Quod ad illud consequens demoliendum pertinet, quo si sextus esset illorum proprius sensus, deducebatur fore, vt ea sensibus cæteris ex accidenti sentirentur. Quod vbi demonstrauit

molitus est, verè concludit, ea non esse vllius sensus propria, & ideò nullum esse alium sensum. Quoniam enim si ita esset, ea, vt dictum est, nullo modo sentirentur à nobis per se ac per motum in sensum factum: sed solùm ex accidenti, sicut Cleonis filium videmus.

Quæ verba superioribus aduersari videntur, quibus fore dixit, vt sentirentur sicut ab aspectu sentitur dulce. Sed quatuor modis respondere licet. Primùm dicere possumus, duos eum modos proposuisse, quibus ex accidenti quidpiam sentitur: & ita proposuisse, vt si prior aduersario non probaretur, alter, qui solus supererat, necessariò admittendus esset: sin minùs inquiens, nullo vtique modo, nisi quemadmodum Cleonis filium, sentiremus. Propterea nunc posteriorem hunc repetit, non quasi potiorem & veriorem, sed vt eum, qui à proteruo & insciente aduersario, qui meliorem repudiet, necessariò admittendus sit. Hoc verba illa significant (ita vt dictum est) eodem scilicet modo, quo Cleonis filium secundo loco proposui illi, qui dulcis aspectum non probasset. Deinde dicemus, duos ex accidenti sensilis modos nominatos fuisse: sed posteriorem solùm appellatum ex accidenti, quoniam absolutè & sensui vniuerso, non vni alicui sensui, accidit. Ideo cõmuniũ nunc inquiens non habere nos sensum ex accidẽti, modum illum repetit, quam ex accidenti nominauerat. Tum verò Cleonis filiũ affirmabimus tribus modis considerari posse. Primùm quatenus substantia quædã est, aut accidentib. quibusdam affectus, quæ sub nullum sensum cadunt; vt filiationis relatione: philosophiæ, musicæ, vel alterius disciplinæ aut artis habitu. Deinde quatenus pluribus sensilibus accidentibus constat, quæ diuersorum sensuum sunt, colore, odore, lenitate, asperitate, mollitudine, & qualitatibus aliis tactilibus. Postremò quatenus vtriusq. generis accidentium, tum sensilium, tum non sensilium, & verò etiam substantiæ, congeriem & cumulum habet. Quare respondebimus, eum antea quidem primo modo consideratum fuisse, vt alia sensilis ex accidenti acceptio doceretur. Nunc autem secundo vel tertio modo spectatum nominari. Si secundo, vt priorem illum modum magis accommodatum significaret; quo id vno sensu ex accidenti sentitur, quod alterius sensus proprium est. Sin tertio, vt simul & exemplo vnico modum vtrum, de antea significatum comprænderet; & vniuersè diceret, nullo modo nisi ex accidenti communia sensilia fore sensilia, vtrúmvis aduersarius modum elegisset. Quare vt Cleonis filium intuentes nihil per se videmus nisi colorem; ex accidenti autem primo modo odorẽ eius, lænitatem, mollitudinem, humiditatem, calorem, & huiusmodi alias sensiles qualitates: atq; adeò secundo modo hominem, filium, philosophum, musicum, statuarium. Ita magnitudinẽ cerneremus, figuram, motum, aut quietem, numerum, vel vnitatem.

Verùm illud tandem intelligendum est, probationem, quæ postremis illis verbis continetur (nullo enim modo sentiremus, sed ita vt dictum est Cleonis filium nos videre) non ad idem pertinere, vt Philoponus, Simplicius, Auerroës, S. Thomas, & alij crediderunt, ad quod antecedens verbis illis comprehensa referebatur. Quorsum enim eándem rem tam breui oratione repeteret? Sed antea quidem ostendit sensilium communium proprium sensum non esse, quia reliquis sensibus ex accidenti sentirentur. Nunc autem non hoc confirmat: sed id, quod postea subiunxit, sensilium communium communem nos habere sensum, non ex accidenti. Ad hoc enim probatio ea reuocanda est, non ad postrema & poxima verba (non igitur sunt propria.) Ac rursum communia illa sentiri non ex accidenti, nequaquam contra aduersarium probat, qui sensum illorum proprium poneret: sed absolutè & comparatione horum duntaxat quinque sensuum, quibus ea iam sentimus. Immò tanquam probatum supponit, nullum esse illorum proprium sensum. Probatio autem est; quoniam si ea ex accidenti sentiremus, sentiremus planè vt dictum est Cleonis filium nos videre: hoc est ex accidenti prorsus, sicut in textu 65. antea citato Diaris filium, hoc est consensu omnium substantiam, vel id quod nullo modo per se sensile est, ex accidenti dicebatur sentiri: quippe cùm alius non sit sensus, quo per se sentiantur, nequaquam sentiuntur à nobis, quemadmodum aspicitur dulce, sed vt Cleonis aut Diaris filius. Itaque cùm antea propositionem eam directè probasset, quoniam hæc sensilia mouent & afficiunt sensum: rursum nunc confirmauit ad absurdum deducendo, fore scilicet, vt ea non alio modo sentirentur, quam Cleonis filius videatur.

TEXTVS.

Τὰ δ' ἀπ' ἄλλων ἴδιᾳ καὶ συμβεβηκὸς αἰσθανόμεθα αἱ αἰσθήσεις, οὐχ ἧ αἰ αὐταί, ἀλλ' ἧ μία, ὅταν ἅμα ἡ αἴσθησις ᾖ τοῦ αὐτοῦ γένηται. οἷ, ὅτι μὲ χολὴ πικρὰ καὶ ξανθή· οὐ γὰρ δὴ ἑτέρας γε τὸ εἰπεῖν, ὅτι ἄμφω ἕν. διὸ καὶ ἀπατᾶται, ᾧ δοκεῖ ἡ ξανθὸν, χολὴν οἴεται εἶναι.

Quæ verò inuicem propria, ex accidenti sentiunt sensus, non quatenus ipsi, sed quatenus vnus; cùm simul in eodem sit sensus: velut quòd bilis amara & flaua. Non enim alterius dicere, quòd ambo vnum. Quare & decipitur: & si quid flauum fuerit, bilem esse putat.

COMMENTARIVS XII.

QVod Philoponus dixit, aliud exponi significatum eius, quod ex accidenti sentitur; Cùm vnius sensus obiectum ab alio sensu sentit? verè quidem dictum est. At quorsum id? Duplicem opinor fuisse causam. Alteram; quoniam cùm superioribus verbis illud proposuisset, ambigua & obscura visus est oratione vti. Nam cùm dulce dixit aspectu sentiri, non explicauit, an per se, an ex accidenti sentiatur. Et quispiam fortasse crederet per se sentiri. Præsertim quòd statim subiunxit (sin minùs, nullo vtique modo, nisi ex accidenti sentiremus) quasi prior ille modus ex accidenti non esset. Propterea docendum hoc fuit. Alteram, quia cùm sensilia propria à singulis ipsorum sensibus propriis comprehensi traditum lampridem fuerit: deinde verò etiam communia communi sensu ab omnibus sentiri: tertium nimirum sensilium genus, quæ ex accidenti dicuntur, supererat exponendum.

De Altera horum parte, quæ sensui accidit vniuerso, A
suáq. natura sensilis non est: iam pronuntiauit, eam
nullo modo sentiri; hoc est illius cognitionem ad
nullum pertinere sensum; sed ad superiorem quam-
piam virtutem, nempe ad mentem. Sola relinquitur
ea pars, quæ non vniuerso sensui, sed huic vel illi ac-
cidit. Nam cùm ea sit suapte natura sensilis, ostendē-
dum est, quónam modo & à quo sensu cognoscatur;
quæ've sit illa virtus, quæ dum album cerno, dulce
cum albo coniunctum persentiat.

Propria igitur obiecta inuicem & mutuò ex acci-
denti sentiuntur à sensib. illis, quorum obiecta non
sunt. Nempe si de proposito exemplo sit sermo, gu-
status obiectum ab aspectu, aspectûsq. obiectum à B
gustatu, ac eodē modo in cæteris obiectis ac sensib.
At non quatenus eiusmodi sensus sunt natura inter
se & obiecto distincti, aspectus & gustatus: quoniam
hoc modo considerati, vt totā suam vim & naturam
ex proprio suo acceperunt obiecto, ita nihil præter
illud sentire queunt: nec aspectus nisi de colore iu-
dicat, gustatus de sapore. Aliena verò neque per se,
neque ex accidenti cognoscunt. Sed quatenus vnus,
hoc est, vt interpretantur Græci, quatenus in vnum
communem sensum vniuntur. Quæ interpretatio
mihi non parùm suspecta est. Primùm quoniā nihil
adhuc de illo communi sensu dictum est: & antequā
de eius vsu & operatione dicatur, probandum est C
eum in animalib. inesse. Nunc autem de solis parti-
cularib. affirmatur, eos vicissim vnum alterius ob-
iectum ex accidenti sentire. Deinde is non opera-
tur quidquam, nisi quamdiu particulares sensus ex-
teriores operantur. Quare si aspectus & gustatus
simul operantur, opus illo non est ad vtrumque ob-
iectum, albedinem & dulcedinem, persentiendum;
nisi cognoscendum sit album esse dulce. Sin autem
solus aspectus, non gustatus, sentiat, nihil omnino
sensus communis de dulcedine iudicabit. Quod
enim inter cæteros ait Philoponus, iudicium hoc ab
eo sensu ex colore colligi; perfectò ratiocinatione
indiget, ratiocinatióq. nulla in sensu. Denique si ita D
esset, non video, quo modo vnus sensus particularis,
qui nihil aliud ageret, quàm proprium suum obie-
ctum renuntiare communi, propterea dici posset
alterius obiectum ax accidenti sentire. Sed & sensui
communi ab interpretib. hisce tribuitur id ex acci-
denti, quod maximè illius proprium est & per se:
cognoscere inquàm album & dulce, eáque distin-
guere. Nam etsi Simplicius ostendere conatus sit,
quo modo id cognoscat per se: hæc tamen constare
nequeunt. Sed aut sensilia propria non dicuntur ex
accidenti sensilia propter sensus communis, sed par-
ticularium solùm cognitionem, aut communis sen-
sus illa cognitio ex accidenti est, non per se.

Veriùs multò Auerroës, quem post S. Thomas E
sequutus est, cognitionem illam declarauit non esse
vnius sensus, sed duorū simul circa sua obiecta ope-
rantium. Est autem duorum, non quatenus distincti
sunt, & seorsim vnusquisque sentire posset: sed qua-
tenus vnus quoad actum secundum sensionis, hoc
est quatenus simul sentiunt, aspectus colorē, gusta-
tus saporē. Sed tamen ne hoc quidē exponit quem-
admodum vnius sensus obiectum ab alio vicissim ex
accidenti sentiatur. Equidem dum Aristotelis verba
considero, interpretationē Alberti persuaderi mihi
sentio; duos sensus non alio modo, quàm subiecto,
vnum appellari. Itaque vnius sensus obiectum ab
alio sensu ex accidenti sentitur, quatenus sensilia
eorum obiecta, vt color & sapor, in eodem insunt
corpore. Inde namque fit, vt dum aspectus colorem
cernit, dulce cum colore coniunctum ex accidenti
cernere videatur.

Sanè ita Philosophus ipse interpretatus est. Pri-
mùm vbi paulò ante dixit Cleonis filium ex accidē
videri, non quòd is videatur; sed quod videatur
album, cui accidit Cleonis filium esse. Quare dum
propria quoq. sensilia mox ex accidenti sentiri sub-
iungit, eodem modo intelligēdum est sentiri, quod
vnum alteri accidat, in eodémq. subiecto consis-
Siquidem quatenus ex accidenti sentiuntur, com-
niunt planè hi duo modi sensilis ex accidenti, eun-
démque ob causam ex accidenti sentiri dicuntur.
Differunt autem in eo, quòd alter sensui, & sibi
per se vniuerso accidit, nec vnquam per se sentie-
est: alter particulari sensui proprioque ac domi-
nato sensili accidit, cùm alioqui alio sensu per se
sentiri posset. Deinde cùm statim addit (cùm simul
in eodem sit sensus.) Hoc enim exponit quo mo-
lectu sensum vnum nominasset. Atque vt ostende-
ret (in eodem) subiectum significare, in quo duo
sensilia propria simul sint, exemplum bilis subiunxit
amaræ simul & flauæ: quorum alterum gustatus,
alterum aspectus obiectum est.

Ergò causa, cur obiecta propria, quę suapte natura
per se sensilia sunt, ex accidēti sentiantur inter se,
ea est, quia nō sentiuntur quatenus huiusmodi sunt,
sed quatenus in eodem corpore cum alterius sensus
obiecto coniuncta existunt. Sentiuntur autem non
à proprio eorum sensu (sentirentur enim per se) sed
ab alterō illo sensu, cuius propriū est id obiectum,
cum quo ipsa coniuncta sunt, dum is circa illud ope-
ratur. Amaritudo, si per se consideretur, gustus
sensilis per se est. At si in bili cum flauore iungatur,
ex accidēti sentitur ab aspectu flauorē bilis imitente.
Is circa flauorem quidem operatur quatenus ipse,
hoc est quatenus aspectus est talisque facultas eius-
modi perceptrix obiecti. At circa amaritudinē non
quatenus ipse (eam enim per se sentiret) sed quate-
nus vnus, hoc est cum suo obiecto coniunctum ha-
bens alterius obiectum, coniunctè & simul vtrum,
sentit, alterum per se, alterum ex accidenti.

Porrò hoc ita esse, argumento illo confirmat, quo-
niam non est alterius duntaxat horū sensuum neque
aspectus, neque gustatus, neque vllius omnino par-
ticularis sensus, dicere quòd ambo, flauor scilicet &
amaritudo, vnum sint, hoc est, in eodem subiecto re-
periantur, & idem corpus flauum sit & amarum. Sed
hoc ad diuersos pertinet sensus, ad aspectum iu-
dicare de colore, ad gustatum de sapore. Quoniam
hæc propria sunt illorum obiecta, nec facultas vlla
nisi de suo obiecto iudicat. Ex quibus verbis rursum
intelligas, quomodo paulo ante sensum vnum no-
minauerit: nēpe quod plurium obiecta in vno sub-
iecto sint. Siquidem apertè nunc vnum subiecto di-
citur, cùm ambo vnum esse pronuntiantur. Etiam
cognoscas, quàm parùm ad rem tum hæc, tum ante-
cedentia, de communi sensu à plerisq. exponantur.
Quod enim ait, (alterius) relationē ad alterum signi-
ficat: nec intelligi potest nisi de duorū sensuū nomi-
natorū altero. Vt non alterius illorū, sed vtriusq. si-
mul velit esse iudicium illud, eámq. totam cogni-
nem, de qua loquutus est. Non esse autē illorū alte-
rius solùm id iudicare, ostendit ex eo, quod sapē de-
cipietur aspectus, qui flauum dixerit amarū esse aut
bilem. Etenim fuerit interdum mel, quod flauum
est; at dulce, non amarum. Atqui circa proprium
suum subiectum non erat sensus.

Totam

Plurium sensuum coniuncta cognitio.

Totam igitur hanc commentationē concludens interiorem sensum fateor cognoscere posse & iudicare bilem flauam esse & amarā, lac album & dulce: idque tribus modis. Aut simul cum vtroq. exteriori sensu, aspectu & gustatu qualitates eas persentiētib. Aut eorum altero solùm operante: siue is aspectus sit colorem cernens, siue gustatus saporē dijudicās; alterius autē operatione antea aliquando facta. Aut demum neutro quidquā tunc agente, quemadmodum cùm absentis cibi appetitus commouetur. Verum has omnes cognitiones nihil adhunc locum arbitror pertinere. Tum quòd de exterioribus solùm sensibus, nondum de interiori illo, agitur: siue is sit, qui communis appellatur; siue phantasia; siue alius quiuis. Tum quòd cognitiones eæ omnes sunt per se; núncque de illa est sermo, quæ ex accidenti dicitur, quāque vnius exterioris sensus obiectum ab alio eiusdem generis sensu sentitur; atque id vicissim & mutuò, quemadmodum à me Philosophi verbis & sententiæ magis accōmodatè expositū est.

A

B

TEXTVS.

Ζητοῦσι δ' αὖ τινὲς ἕνεκα πλείους ἔχομεν αἰσθήσεις, διὰ τί μίαν μόνων οὐ ὅπως μὴ λανθάνῃ τὰ ἀκολουθοῦντα καὶ κοινά, οἷον κίνησις καὶ μέγεθος· καὶ γὰρ ἐὰν ἓν ᾖ χρῶμα καὶ μέγεθος, ἧττον ἂν λανθάνοι καὶ μᾶλλον δόξειεν αὐτὰ εἶναι πάντα ἅπερ τὰ ἀκολουθοῦντα ἑκάστοις· ἅμα γὰρ χρῶμα καὶ μέγεθος τοῦτο· ἔτι δὲ ἑτέρῳ αἰσθητῷ τὰ τοιαῦτα οὐ πάρεστι, δῆλον ποιεῖ, ὅτι διά τι ἕκαστον αὐτῶν.

Quærat autem quispiam, cuius gratia plures sensus, sed non vnum solum, habemus? An vt ea, quæ consequuntur & communia non lateant? Vt motus, & magnitudo, & numerus. Si enim esset aspectus solus, isque albi, laterent vtique magis, & viderentur idem esse omnia, quòd simul vicissim sese consequantur color & magnitudo. Nunc autem cum in altero sensili cōmunia insunt, manifestum fuit, quòd aliud quid vnumquodque ipsorum.

C

D

COMMENTARIVS XIII.

PLana est & facilis horum verborū sententia. Sed dum quærit, cur non vnum solum, sed plures habeamus sensus, duobus modis accipi quæstio potest. Aut vniuersè & absolutè. Cur non vnicus, sed plures nobis, hoc est perfectis animalibus, tributi fuerint à natura sensus. Aut comparatione duntaxat communium sensilium: cur inquam plures circa illa versentur; & non vnus solus, quemadmodum circa propria. Themistius absolutam visus est accepisse: eiusq. sententiæ subscripserunt Albertus & S. Tho. Philoponus autē & Simplicius Plutarchum sequuti & post eos Auerroës ad cōmunia sensilia contractā. Sanè cùm de quinque sensibus egisset antea, postq. non esse plures demonstrasset; oportunum erat vniuersè dicere, cur non vnus, sed plures essent. Verùm dum ex communib. solis sensilib. multitudinis causam inuestigat & exponit, significare videtur se propterea solùm hoc explicare, quòd in antecedenti disputatione tradidisset non esse vnum aliquem proprium ac peculiarem, sed communem solùm quendam eorum sensilium sensum, qui plurium, immò omnium particulariū sensuum cognitione constat. Huius enim causam nunc quærit, cur non sit factus vnus propter illorum propriā cognitionē sensus, sed ea voluerit natura cōmuni solùm plurium sensuum comprehensione cognosci. Simulque exponit quomodo communem sensum antea nominauit.

E

Cur plures sensus.

Nam si absolutè & vniuersè rem considerasset, plures aliæ & efficaces magis causæ adferri poterāt. Non quidem ex instrumentis, vt Themistius credidit, quoniam instrumenta propter facultates facta sunt. Et quamuis nunc ex instrumentis facultates inuestigemus; facultatum tamen numerus causā fuit instrumentorum multitudinis, non contrà. Sed ex obiectis potissimùm, propter quæ fuerunt conditæ facultates. Quæ enim facultatib. cognoscenda sunt, plura omnino sunt genereque diuersa. Tum verò ex diuersis sentiēdi modis. Tum per externum medium, tum eo quoque omni remoto. Ex rebus sentiendis, quarum aliæ proximæ sunt nostrisque corporibus circumiectæ, aliæ procul discitæ. Ex animalium diuersitate; quorum alia aliis perfectiora melioréq. sentiente natura ac plurib. sensib. ornata esse oportuit. Atque ex huiusmodi aliis capitibus.

Cur plures communium sensilium sensus.

Nunc autem id solùm agens, quod dictum est: quæstionis quidem explicationem ex fine petēdam sibi esse duxit. Tum quòd eorum, quæ sunt propter finem, vt sensus & facultates propter operationem, ex fine reddenda est ratio. Tum quòd non de aliquo indiuidui cuiuspiam accidente, cuius causa aut ex materia aut ex agente adferri solet: verùm de specie atque adeò animalium genere vniuerso disputationem esse intelligeret: cuius ratio ex finali causa quærenda est, vt in cap. 1. lib. 5. de animalium procreatione idem ipse confirmat. Primam tamen & essentialem maximè causam indicauit. Quoniam enim facultates omnes propter obiecta factæ sunt, vt circa illa operentur; sensúsque propter obiectorum cognitionem: Naturam dixit instituisse, vt non vno aliquo proprio sensu, sed communiter multis communia hæc sensilia sentirentur; quò planiorem & magis certam illorum cognitionem haberemus.

Sensilia communia cur consequentia.

Porrò sensilia hæc appellat ἀκολουθοῦντα καὶ κοινά, consequentia & communia. Consequentia quidē; tum quia cum obiectis propriis coniuncta semper sunt. Et quasi ἀκόλουθοι, assectatores, comites, & asseclæ, adsunt illis perpetuò. Tum quia non per se primò, sed secundario cum obiectorum propriorum sensione comprehenduntur & quasi cognitionem illorum consequuntur. Communia verò, quòd non cum vno aliquo solo, sed cum pluribus immò omnibus sensilibus propriis reperiantur.

Quare dixit (vt non lateant consequentia & communia) quæ laterent fortasse & sensibus omnibus communia esse ignoraret, si vnò solo sentirentur sensu. Laterent inquam & minùs omninò, quàm propria, cognoscerentur. Quoniam minùs omnino sensilia sunt, quàm propria; sensúsque magis à proprio obiecto mouetur, quàm à communi: & magis illud cognoscit; neque circa illud errat, cùm erret persæpe circa commune, quòd minùs illud assequatur. Communia item esse ignorarentur: quoniam vnico sensu percepta illius propria esse existimarentur, necvlla communitas appareret. Denique tum laterent, tum communia esse ignorarentur: quia minùs planè, immò nullo modo à propriis distinguerentur, cùm ambo simul vnico sensu sentirentur.

Si enim color & magnitudo semper sint simul seseque vicissim consequuntur (quod aut de corporibus hisce sublunaribus & mistis intelligendum est: elementa item cōprehendendo, quæ aut nusquam

aut certè hîc apud nos pura & sincera non sunt: aut si de cœlesti quoque corpore accipiatur, coloris nomine lux etiam significatur.) Quomodo aspectus magnitudinem poterit à colore, commune à proprio, discernere? At dum cum altero itē sensili proprio, vt cum calore, tangitur magnitudo; & filo quidem aspectu color percipitur, solóque tactu calor, vtroque magnitudo; facile est commune dignoscere atque à proprio separare.

Propriorū certior quam communium cognitio.

Nihilominùs propriorum sensio exactior est & certior, quàm cōmunium: aspectus exquisitè magis ac certò cognoscit album, quàm magnitudinem; si singulos spectes sensus. Etenim mouentur magis & vehementiùs à proprijs, quàm àcōmunibus: eorūq. vis & natura ad propria sentienda per se primùm cōparata est. Quo fit, vt in cōmunib. erremus sæpè, in propriis vix vnquam. Immò obscurè ac leuiter communia à singulis percipiuntur, cùm distinctè ac perfectè sentiantur propria. Certè obscuritas hæc & imperfectio multitudine ac diuersitate sensuū quoquo modo compensantur, exactáq. ac certa euadit. Melior tamē adhuc est & exactior ea, quę propriorū. Quia dum plurium sensuum accedunt testimonia, omnia simul sumpta constant ex singulis, quæ per se obscura sunt & infirma. Quam ob causam cùm diceret, si solus esset aspectus, fore vt laterent nos hæc communia sensilia; non absolutè dixit, laterent, sed magis laterent; hoc est minùs cognoscerentur. Quia nunc quoque etsi plurib. percipiantur sensibus, non tamen tàm exactè, & clare, quàm ea, quæ propria sunt, comprehenduntur, illorúmq. comparatione quoquo modo latēt. At si solo vno sensu sentirētur, multò magis laterent, vixq; omnino cognoscerētur.

Sensilium communium cognitio an ratiocinatione egeat.

Et Simplicius quidem ratiocinatione opus esse dixit: neque negandum est, vt reliquarum omnium rerum, sic horum sensiliumcognitionē ea meliorem fieri. Satis tamen solis sensib. cognoscuntur, tum à nobis, tum à ratione carentib. animalib. Et si ratio, quæ Simplicium mouit, quia scilicet ea esse genus diuersū à propriis solo sensu non cognoscitur; quidquam valeret, ne propria quidē à propriis ipsorum sensibus absque ratiocinatione cognoscerentur.

Cur igitur tot adhibitis quasi testib. horum sensilium cognitionem in anima confirmari oportuerit, hæc fuit causa: quoniam ea per se ab vnico sensu obscura, imperfecta, nec distincta tradebatur. Aliam habes apud Philoponū ex Platonis septimo de Rep. & Timæo, vt ipse ait, desumptam. Nam ego illam iis in locis non reperio. ea est propter maiorem mathematicarum disciplinarum certitudinem. Circa magnitudinem enim & figuram versatur Geometria, circa numerum Arithmetica & Musica, circa motum & quietem Astronomia. Quasi verò bestiis hæ Mathematicæ disciplinæ perdiscendæ forent. Ita non minùs illæ, quàm nos, communia sensilia sensibus omnibus compræhendunt. Sed dum de sensibus & sensilibus est sermo, ne in homine quidem ad mathematicas hasce disciplinas, quæ ab omni sensu sensiliq. materia abstrahunt solámq. magnitudinem & numerum per se consideratum & abstractum velut intellectilem materiam contemplantur, minimè confugiendum est.

Quare vt huic commentario finem imponam, duo in verbis Philosophi adnotabis. Alterum ex omnibus sensilibus communibus antea memoratis tria hoc loco sola nominari, motum, magnitudinē, numerum: quoniā hæc præcipua sunt, ad quæ cætera reuocantur: quies ad motum, figura ad magnitudinem, vnitas ad numerū. Alterum, cùm de aspectu esset sermo, primùm nominari album, deinde quia accommodatè magis colorem. Animaduertit enim Philosophus, album & magnitudinē dignoscipossatque distingui, etsi aspectu solo cognoscerentur magnitudo: quia cum nigro quoque, flauo, & aliis colorum speciebus reperiretur atque aspectu cerneretur. Eodémque argumento, quo nunc ab vniuerso propriorum obiectorum genere distinguitur, quia cum pluribus sentitur, distinguerētur quæ nunc à coloris speciebus & partib. Propterea aut album pro colore nominatum est, vt inquit Simplicius: post animaduerso hoc, quod dixi, argumēto album in colorem mutauit. Verùm eodem argumento coloris voce non solus color, sed aspectabile omne intelligendū est: vt verum sit, si solus esset aspectus, lateret magnitudo nec posset à calore distingui. Nam si solus intelligatur color, qui lucida quoque astra & tertium illud innominatum genus, quod videtur in tenebris, cum magnitudine cerneret, cognoscere vtique posset & distinguere.

DIGRESSIO III.
De horum sensuum comparatione.

ERgò cùm hîc finem habeat de sensibus exterioribus disputatio, hanc ego vltimam adiicam clausulam: quinq. sanè exteriores esse sensus, eosque non in omnibus quidē animalibus, sed in perfectioribus saltem inesse; In imperfectissimis autem poté quosdam sine aliis reperiri: Tactum absque cæteris, gustatum cum solo tactu; tactum, gustatum, & odoratum sine auditu, & aspectu: hoc ab illorum modo separatos esse posse.

Iam eos rursum considerantes atque inter se comparantes, omniū maximè necessarium cognoscimus esse tactum, sine quo nec animal esse nec sustentari potest. Infimum tamen atque ignobilissimum propter obiecti conditione, quòd primæ qualitates simplicissimæ omnium sint & infimæ. Tum quòd nullum habeat certum atq; in corporis parte aliqua constitutum, vt cæteri sensus, sed incertum penè totum corpus differsum, organum, quod inesse materialis sit sensus. Tum verò quia cōmunissimum omnium sit, quiq; in omnib. vel abiectissimis animalibus esse queat atque à sensib. cæteris, velut materia & dispositio necessaria, supponatur. Operatio autē alteratione reali perficitur qualitatibus, quæ similes sibi alias ex materiæ potestate educunt: modo scilicet materiali maximè & imperfecto; eiusque organum ex qualitatib. eisdem componitur, quæ tactus obiectum: quam ob causam, vt in text. 118. dicebatur, excessum duntaxat quēdam illius non totam latitudinem, sentit. Secundum locum habet gustatus, qui tactus quidam est, sed ab imperfectionib. huius liberior. Tertium odoratus his persimilis. Quartum auditus paulò quidem melior & eleuatior, sed qualibet calem requirat motū. Optimus omniū est aspectus. Nam & momento operatur, nec ab alteratione vlla vel locali motu pendet, minimúmq. patitur ab obiectis. Et ad maximam distantiam operatur; nec circa res modò sublunares & caducas, sed circa cœlestia quoque corpora; quæ nullo alio comprehenduntur sensu. Obiectum habet lumen, diuinissimam qualitatē ab inferioribus omnib. corporib. non pendentē: colorésq. qui inter secundas qualitates maximè perfectant. Sed & plurimorum nobis cognitionē adferrestant. Sed & plurimorum nobis cognitionē adferrestant, rerúmque plurimarum differentias manifestat, vt in proœmio metaphysicæ Philosophus loquitur.

Eis

Est enim omnium immaterialis maximè; quo & accidentia discernimus, & ea omnia, quæ nos ad cognoscendum perducant: nempe colores, quantitatem, figuram, numerum, motum, proportionem, & eiusmodi alia: dúmque vnum contrarium percipit, ab alterius ac plurium simul cognitione non impeditur. Accedit, quòd ad intellectum propiùs accedit, estque ad inueniendas nouas scientias aptissimus. Tum verò operando speciem quandam libertatis præ cæteris sensibus habere videtur. Oculis namque adiunctæ sunt palpebræ, quibus tegatur oculus, si cernere animal nolit: & adiecti complures musculi, quibus in quemcumq. libuerit intueri, partem oculus adducatur. Hoc verò organum quale tandem est? quàm præclarum? quàm multis instructum tunicis, humoribusque redundans? qualem figuram situmque habet in corpore? Figura quippe orbiculari est; atque in anteriori ac superiori parte collocatum. Quam ob causam hic sensus animali toti regendo quasi præest omnésq. illius actiones dirigit. Propterea nocte præsertim, & in tenebris timemus plurimùm; quòd huius optimi sensus præsidium nobis desit, quo dispiciamus omnia, vt vel singula caueamus; vel aggrediamur. Denique in præstantissimis & optimis rebus tutandis & conseruandis quàm maximè solicita solet esse natura: summámq. sensus huius dignitatem in eo demonstrauit, quòd illi conseruando adiumenta tàm multa adhibuit, cilia, supercilia, palpebras, poma, nasum, quæ omni ex parte ambiunt ac tutantur oculum. Vt merito in Timæo Plato sumptuosissimum nominauerit sensum; duósque oculos illius organa luciferos orbes instar duarum stellarum esse scripserit.

Itaque si maximè omnium necessarius est tactus, & præstantissimus aspectus; cum vtili iam contendit honestum, vt amoris nostri præripiat palmam. Sanè amore concupiscentiæ, qua non perfectionem atque præstantiam, sed solam vitæ necessitatem spectemus; præ cæteris amant animalia cuncta tactum & gustatum. Sunt enim ad vitam in primis necessarij, eáque spectant, quæ illam tuentur & fouent: & ideo animalibus fuerunt insiti, vt eorum conseruaretur vita. Quin hoc amore dixeris cæteros tres sensus nequaquam diligi, nisi vt illis duobus summopere necessariis famularentur. Quoniam tamen concupiscentiæ amor imperfectus est, nequaquam colligas absolutè hos duos sensus præ cæteris diligi. Quippe ab amore secundùm quid ad amorem simpliciter esset argumentatio. In bestiis fortasse, in quibus maximè concupiscentia viget, id verum sit. At homo meliore amicitiæ amore & propter se maximè omnium amatur aspectus: quia est ad cognoscendũ aptissimus, vt ad initium metaphysicæ confirmat Philosophus. Sic enim opus aggredi-
» tur. Omnes homines natura scire desiderãt. Signum
» autem est sensuum dilectio. Nam & absque vsu pro-
» pter seipsis amantur. Præ cæteris autem, qui per
» oculos fit. Non enim vt agamus solùm, verùm etiam
» nil acturi ipsum videre præomnibus aliis eligimus.
» Causa autem est, quòd sensuum hic vel maximè nos
» cognoscere quidquam facit, multásq. differentias manifestat. Est enim acutissimus & nobilissimo operatur modo, imaginationémque vehementissimè mouet. Quod quotidiana experientia testatur. Nam & facilius & crebriùs de rebus hoc sensu, quàm alio quouis, perceptis cogitamus: & firmius omnino hærent res visæ, eorúmq. phantasmata meliùs omnino formamus. Cuius rei causam reperies etiam in lib. de sensu & sensili cap. 1. Multas, inquit, differentias « & omnimodas aspectus annuntiat facultas; quia « corpora omnia colore participant; ita vt & communia maximè per hunc sentiantur, &c. «

Quòd si auditus eodem in loco ad percipiendas disciplinas aptissimus esse dicatur, passimq. disciplinæ sensus appelletur: eum duobus modis intelligendum est posse spectari. Aut enim consideratur comparatione obiecti proprij, qui est sonus: quo modo abiectus satis est sensus; cùm sonus perparùm ad scientiam conferat, aspectúsq. obiecta plurimùm prosint. Aut cõparatione humanæ vocis, quæ sensu illo percipitur, vt notiones formentur, quæ ad disciplinas perducunt. Ita auditus est disciplinæ sensus. Sed hoc iudicauit Philosophus ex accidẽti esse; quatenus id, quod auditu percipitur vocib. constat, quæ significatarum rerum notæ sunt. Aspectus autẽ per se ad cognoscendum deducit. Deinde auditus sanè ad disciplinas confert, quæ à docentib. aliis accipiuntur. At aspectus ad eas est potior, quę inuentione propria comparantur. Qui sciendi modus minùs quidem frequens est vsitatus; alteri tamẽ plurimùm præstat, eóq; primi scientiarum inuentores vsi sunt. Nobis verò propterea carior aspectus est, quàm auditus, quoniam suauior est, & carior ea cognitio, quam propria inuentione assequimur, quàm ea sit, quam ab aliis edocti discimus. Aristoteles etiam cœcos propterea dixit prudentiores esse surdis. Vt enim surdi plurima possint propria inuentione cognoscere, quòd aspectus plura suppeditet: cœci tamen fuerint prudentiores, pluráq. per doctrinam cognoscerent, quòd auditum habeant disciplinæ sensum, quo multò plura, citiùs, & minori cum labore cognoscentes prudentiores euadent. Prudentia enim experimentis multis terúmq. plurimarum auditione comparatur.

Auditus vt disciplinæ.

Cæci surdis prudentiores.

COMMVNIS SENSVS INVESTIGATIO. Cap. 2.

DE sentiente facultate vniuersè, déque sensibus exterioribus in specie hactenus dictum est. De interioribus iam dicendum. Arduum sanè opus ac perdifficile. Nam vt hi exteriorib. magnopere præstant; tum obiecti amplitudine atque operationis modo, cùm & præsentia & absentia cognoscant: tum melioris subiecto, quippe in animalibus perfectioribus maximè vigent: tum quòd & bestiarum & hominum vitam administrent penè totam ac regant: proximéq. ad intellectum accedant, immediatéque illi famulentur. Ita obscuriorem habent magisque reconditam cognitionem: cùm & obiectum, & operatio, & organum, & distinctio minus nobis conspicua sint.

Eos tamen præter exteriores in animalibus perfectioribus reperiri, testantur ea, quæ tum in nobis experimur, tum obseruamus in bestiis. Iudicamus enim de obiectis diuersorum sensuum exteriorum, colorémq. à sono aut odore differre animaduertimus: quod iudicium nullius est exterioris sensus, cum singuli suum duntaxat obiectum agnoscant. Neque intellectus, quòd non hominis proprium, sed cum bestiis commune sit. Idem ex somniis, & huiusmodi aliis concluditur. Quis lupum vel etiam remotum sentit, soláque illius vt inimici apprehensione magnopere commouetur.

Inesse in animalibus interiores sensus.

Nósq; ipsi cuiuspiam rei vel absentis imaginatione mira in nobis ipsis experimur. At nec rei absentis, nec amici aut inimici, cõuenientis aut non cõuenientis, cognitio ad exteriorẽ vllum pertinet sensum: & sensus tamen cognitio est; quæ in bestiis quoque repetitur: Præter exteriores igitur interior aliquis inest sensus sensionum harum principium. Interiorem autem dicimus, quòd non exteriùs vt cæteri in corporis edita ac manifesta parte, sed interiùs in recondito magis minimèq; conspicuo organo suam operationem perficiant. Maximè sanè animalib. cunctis necessariam: tum ad vitę conseruationem, quę sola presentium rerum per exteriores sensus cognitione non constaret: cùm opus persępè sit absentem & distantem cibum querere, atque ab aduersis & hostilibus rebus cauere. Tum verò ad actiones omnes exteriorum facultatum dirigendas intellectuique suppeditãda phantasmata, sine quib. suam promere operationem nequit. In homine autem animali omnium diuinissimo meliores omnino interiores hæ operationes existunt, quàm in bestiis sint; quòd & à meliori ac perfectiori principio oriantur, & adiunctum habeant intellectum. Aristoteles illarum considerationem ita aggreditur.

Interiores cur discantur.

TEXTVS.

Ἐπὶ δ' αἰσθανόμεθα ὅτι ὁρῶμεν ἢ ἀκούομεν, ἀναγκαῖον ἢ τὸ ὁρᾶν αἰσθάνεσθαι ὅτι ὁρᾷ, ἢ ἄλλο. ἀλλὰ τὸ αὐτὸ λέγω καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων αἰσθητῶν. ἐπεὶ δὲ χρώματος ὁρῶμεν καὶ ὅτι λευκὸν ἢ μέλαν, ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ἀναγκαῖον ἢ τὸ ὁρᾶν τὸ αὐτὸ εἶναι ἢ ἕτερον ἢ αὐτὸν αὑτῷ.

Text. 136 *Quoniam autem sentimus, quòd videmus & audimus, necesse est, aut aspectu sentire, quòd videt; aut altero. Atqui idem quoque erit visionis & subiecti coloris. Quare vtique aut duo eiusdem erunt, aut idem suiipsius.*

COMMENTARIVS XIIII.

DVm Philosophus disputat quónam sensu sentire nos sentiamus, an eo ipso, quo sentimus, an alio quopiam: id eum agere Philoponus credidit, vt cùm ostenderit ad obiecta sensilia, siue propria, siue communia, cognoscenda alio sensu præter quinque opus non esse, iam disputet, num fortasse necessarius ideò sit, vt sentire nos sentiamus. Sed antea de vno sensu, qui sextus esset, quæstionem fuisse, nunc autem omnino de quinque: An inquam decem sint sensus; quinque vt obiecta ipsa comprehendamus, ac rursum totidem, quib. priorum illorum operationes cognoscamus, aspiceréque audire, olfacere, gustare, & tangere, nos sentiamus.

Sanè qui hanc quoque disputationem ad eundem illum quinarium numerum confirmandum referat, non magnopere damnandus mihi videbitur. Is enim vtroque modo poterat confirmari: Tum ex sensilium omnium cognitione argumento ducto: tum ex illorum ipsorum quinque sensuum operationis ac sensionis comprehensione. Nullam tamen video de denario quęstionem esse: sed vniuersè proponi, num eodem an alio sensu sentire nos sentiamus. Deinde si alius sit, quæri, an vnus an plures. Quod ad interiorem sensum ab exteriorib. illis diuersum & tanquam illis communem inuestigandum nimirum pertinet, postquam de exterioribus eorúmque numero satis dictum est. Sic Auerroës, Albertus, S. Thomas, & alij intellexerunt, & ante illos Alexander in suo primo libro de anima. Id verò diuersis modis inuestigat. Altero ex singulorum illorum sensuum operationibus. Altero ex diuersorum obiectorum differentia & distinctione. Neutra enim harum cognitio particulariũm sensuum esse potest. Ergò de operationibus ita primùm ratiocinatur. Manifestum est & in seipso experitur vnusquisque nos non solùm videre colores, audire sonos, cæteráque obiecta percipere: verùm etiam harum omnium operationum sensum habere, visionésque nostras, auditiones, ac sensiones cæteras animaduertere. Aut igitur eas ijdem illi sensus percipiunt, quibus earum obiecta comprehendunt, vt visus quidem cernit, auditus, qui sonum audit, cernere & quoque & audire, suamque visionem aut auditionem, comprehendant. Aut id ab alio sensu cognoscitur. Hoc verò in vtramq. partem disputat, quam admodum in obscuris fere ac arduis quæstionibus consueuit, quo veritatem faciliùs assequatur.

Ac primùm eodem vtrumque sensu sentiri, tum sensile obiectum, tum sensionem eius, duobus modis argumentatur. Primùm obiecti sensilis sentiri non potest, quin obiectum ipsum sentiatur. Cùm enim videre nil aliud sit, quàm sentire colorem, quo modo cognoscatur visio, nisi simul comprehendatur color? si ergò alio sensu, quàm aspectu, colorem nos sentiamus aspicere, necesse est illud ipsum, tum visionem, tum colorẽ visionis obiectum comprehendere. Atqui eiusdem obiecti duos esse sensus; coloris scilicet, tum aspectum, tum alterum illum, quo aspectus sensio cognoscitur, absurdum est; Philoponi quidem iudicio, quoniam sensilia omnia essent communia, nullum proprium. Venire autem, tum quòd eorum alter superuacaneus foret; tum multò magis quòd sensus & facultates omnes constituuntur obiectis & distinguuntur: & ideò vnius obiecti non nisi vnus potest esse sensus.

Quod de eiusdem ordinis ac naturæ sensibus, déque obiectis eodem modo consideratis intelligas: Quemadmodum circa eundem colorem vt aspectabilem exteriorisilli duo eiusdẽm. conditionis sensus versarentur. Alio qui interiores illi essent, qui circa eadem exteriorum obiecta occuparentur. Et præterea intellectus, qui ea ipsa intelligit. Sed hæc diuersi sunt generis atque ordinis facultates, inter se ordinatæ, vt superiores & inferiores. Nec obiecta eodem, sed alio atque alio modo considerantur. Qui ergò absurdum hoc vitare voluerit, non ad alio, sed ab illo ipso sensu, qui obiectum sentit, sensionem quoque illius affirmare debebit comprehendi.

Hoc Philoponus, Auerroës, Albertus, & S. Thomas, tanquam alterum absurdum deducunt, quod duorum alterius optio detur. Ad ostendendum autem absurdum esse, eundem sensum suiipsius esse, minimè accommodata est Auerrois illa ratio, quia idem esset agens & patiens. Nam intellectus est suiipsius, dum in seipsum redit. Sed illa potius, quia sensus corporea organoq. alligata facultas est: & vt corpus propter adiunctã quantitatem & partes extra partes in seipsum contrahi & conuerti non potest, ita nec corporeum quidquam. Verum cùm argumentatio hæc tota probare contendat, eodem sensu tum obiectum tum sensionem sentiri: credendum potiùs est, posterius illud non deduci vt alterum absurdũ, sed vt argumentationis conclusionẽ, eodẽ vtrúmq. sensu sentiri. Nimirum vt absurdum illud vitetur, plures esse eiusdem obiecti sensus.

Posse

Sensilia vt obiecta & subiecta dicantur.

Posset autem hoc loco fortasse mirari quispiam; sensilia, quæ alibi Aristoteles ἀντικείμενα, hoc est A opposita seu obiecta appellare consueuit; aut quòd proponantur illi & ad sentiendum obiiciantur, ὑποκείμενα nūc & subiecta dixerit. Sic enim habet (τῆς ὄψεως καὶ τῶ ὑποκειμένῳ χρώματος, visionis & subiecti coloris). Sed ea fuit causa, quòd visionem tanquam formam, & colorem vt illius subiectum considerauit; cùm vtrumque tanquam integrum vnum obiectum aduentitio illi sensui considerandum proposuit. Nec mirum, si de nouo & peregrino sensu loquens, in eius obiecto appellando vocem mutauit.

Digressio. Non solum hominem sensiones suas sentire.

Cæterùm magis illud cõsiderandum est, quod habet Simplicius; propterea Philosophum quasi de nobis solùm loquentem, non item de animalibus cæteris, & antea dixisse (& nunc sensum habemus) & (tactu nobis sensiles sunt) & aliàs sæpiùs ad nos verba retulisse: & nunc etiam (quoniam autem sentimus, quòd videmus & audimus) tum quòd totus hic tertius liber ad humanam animam referatur. Tum quòd perfectissima sit in nobis sensitiua vita. Tum quòd (quod ad præsentem locum attinet) quia sentire, quòd sentiamus, solius hominis proprium est. In quo propter rationalis vitæ coniunctionem sensus quoque rationalis efficitur: & in se ipsum conuersus se ipsum seque sentire cognoscit. Et ideò Iamblichi quoque sententia omonymè sensus nominatur, si cum bestiarum irrationali sensu comparetur.

Enimuerò siue rem ipsam examines, siue Aristotelis verba consideres; grauissimi alioqui interpretis lapsum agnosces. Quæ enim intentio libri sit, iam antea dictum est. Et ipsemet Simplicius, quam nunc absolutam & solam facit, primis statim suæ expositionis verbis præcipuam dixit. Deinde quæ de quinario sensuum numero, deque communi sensu & phantasia, docentur; non sunt hominis propria, sed cum animalibus cæteris communia, atque ad sentientem animam vniuersè pertinent. Quæ si de solo homine demonstrẽtur, non de subiecto primo & vniuerso demonstrabuntur: Errorque ille admittetur, qui in primo de posteriori analysi libro damnatur, cùm attributum generis vniuersi non de illo, sed de vna specie aliqua ostenditur: vt habere tres angulos duobus rectis æquales, non de triangulo vniuerso, sed de isoscele aut scaleno. Perfectissimam porrò in nobis esse sensitiuam vitam, verum est: & ideò fortasse ad nos superiùs verba sæpè conuertit, cùm de sexto sensu differeret. Quoniam si is in nobis non sit, ne in cæteris quidem minùs perfectis animalibus fuerit. Nisi aut vnum de multis velut exemplum, vt sæpè fit, hoc etiam loco proposuerit: in re præsertim obscura, quam in nobis ipsis planiùs, quàm in cæteris, deprehendimus. Aut potiùs cùm nos nominauit, non speciẽ, sed genus, hoc est animalia cuncta perfecta sensibusque omnibus prædita significauerit.

Nequaquam enim id solius hominis proprium, sed cum bestiis commune. Quod fatebitur q uiuis, qui tum operationes earum complures cum attentione magna & studio fieri obseruauerit; quòd quidpiam se cernere alioue sensu percipere animaduertant. Tum verò eas videbit, si impeditos habent sensus, conari magnopere expedire illos & aperire oculos, arrigere aures, admouere nares ac dilatare, vt acutiùs sentiant. Et quamuis noster sensus ex coniunctione & consortio rationalis vitæ melioris cuiusdam conditionis atque accidente perfectior euadat: natura tamen & essentia nõ mutatur. Quare synonimè cum bestiarum sensu nominatur. Quippe nil aliud sit, quàm sentientis animæ facultas huius vel illius obiecti sensilis perceptrix. Neque rationalis sit, nec in seipsum se se conuertit. Quia semper & vbique B materialis corporeæque animæ corporea facultas est. Nullumque corpus in se ipsum posse se se conuertere, Simplicius quoque consentit. Sanè præsens hæc disputatio eam ob causam ab Aristotele suscepta est, vt communis is sensus ab exterioribus diuersus ostẽderetur: qui tũ operationes & sensiones illorum cognosceret, tum obiecta diudicaret. Quod si nos soli sentiamus nos sentire, nequaquam id conficeretur. Quia responderi posset, intellectu id animaduerti. Multoque minùs, si ab eodem ipso sensu rationali facto & in se ipsum conuerso sentiri Simplicius dicat. At si vt res habet, ita C Philosophi verba interpreteris; non homines modò, sed animalia quoque ratione carentia sentire se sentire; tunc demum ad communem sensum tutò progredieris. Neque sine causa non dixit (cognoscimus) sed (sentimus, quòd videmus aut audimus) quæ vox de sensuum duntaxat cognitione dicitur. Significare namque voluit, & nos, & animalia cætera, sensu aliquo id compræhendere; vt inde præter particulares alium sensum colligeret. Et hæc quidem aduersus Simplicij interpretationem dicta fuerunt. De re ipsa verò plura non multò post subiiciam.

D

TEXTVS.

Ἔτι δ' εἰ γένοιτο αὖ τῆς ὄψεως ἄλλησις, ἢ εἰς ἄπειρον ἔσται, ἢ αὐλήπτις ἔσται αὐτῆς. ὥστε ἐπὶ τῆς πρώτης τοῦτο ποιητέον.

Præterea autem si diuersus fuerit visionis sensus; aut in infinitum ibit, aut idem aliquis erit sui ipsius. Quare in primo hoc faciendum.

E

COMMENTARIVS XV.

Hæc altera est ratio, qua eodem sensu, tum obiectum, tum sensionem eius, compræhendi argumentatur. Et vt prior ad absurdum illud deducebat; fore, vt eiusdem obiecti plures essent sensus: ita posterior hæc absurdum alterum consequens esse ostendit, si diuersi dicantur esse sensus: Abitionem videlicet in infinitum. Nam si sensus, quo visionem sentimus, diuersus ab eo est, quo videtur color; is propria sanè actione quapiam atque operatione visionem prioris sensus percipiet.

Ea vel ab ipso sentitur, vel ab alio tertio sensu ab illo diuerso. Si ab alio; de illius rursum operatione quæram, à quónam sentiatur; & ita in infinitum ibimus, sensusque ponemus innumerabiles. Quod esse non potest: tum quia infinitum nullum est in natura: tum quia cùm in agentibus is ordo sit, vt nisi primum agat, agere vltimum nequeat; vbi non sit primum, nulla fuerit actio, nulla sensio. Sin verò ab illo ipso sensu sentitur; idem de primo sensu, quo colorem cernimus, poterat affirmari (Philoponus addendum putat statim, aut rectà) illum ipsum, tum obiectum sensile, tum sensionem suam sentire: neque opus erat temerè sensus multiplicare; cùm in omnibus natura quàm paucissimis delectetur, nec quidquam faciat non summopere necessarium.

Iam verò posterioris quoque illius sensus sensionem, qua aspectus visio sentitur, à nobis sentiri debere; conatus est probare Simplicius. Quod dum facit, assumit id, quod in quæstione versatur: vnusquisque, inquit, ex quinque sensibus id facit, hoc est sentire se cognoscit: multò igitur magis sensionem suam alter ille sentiet sensus, qui non tantùm sensilia percipit, sed ipsasmet eorum sensiones compræhendit. At hoc est, quod disputatur; num quinque sensus sensionem suam ipsimet sentiant, an verò alio sensu eas animalia percipiant. Ex perfectione potiùs illius sensus ducenda probatio fuit. Quia vt est superior & perfectior facultas, minusque materialis & corporea; siquidem obiectum minùs materiale & corporeum compræhendit; operationem inquam sensus, quæ etsi materialis & ipsa sit & quoquo modo corporea; minùs tamen, quàm obiectum, quod in materia prorsus & corpore cohæret, ac per actionem sensus immateriale quodam modo & incorporeum efficitur, dum illius forma sine materia & corpore in anima suscipitur: ita multò magis actionem habet, quæ à nobis obseruetur; aut certè non minùs, quàm deteriorum ac materialium magis sensuum operationes. Quare ipse quoque Simplicius communem sensum puriùs ac meliùs, quàm particulares cæteros, se ipsum dixit cognoscere: quoniam separabilem & abstractam naturam magis præ se fert.

A

B

C

D

TEXTVS.

Ἔχει δ' ἀπορίαν· εἰ γὰρ τὸ τῇ ὄψει αἰσθάνεσθαί ὅτι ὁρᾷ, ὁρᾷ τις δὲ χρῶμα, ἢ τὸ ἔχον, εἰ ὁτιοῦν τι τὸ ὁρῶν, καὶ χρῶμα ἕξει τὸ ὁρῶν πρῶτον.

E

Habet autem dubitationem. Si enim aspectu sentire est videre, videtur autem color aut habens; si viderit aliquid ipsum videns, colorem quoque habebit videns primum.

F

COMMENTARIVS XVI.

ADuersus eam quæstionis partem, quam probauit, dubitationem proponiti quæ ad alteram quæstionis partem disputandam spectat; non eodem, sed alio sensu operationes eas cognosci. Etenim aspectu sentire nil aliud est, quàm videre: si igitur aspectu sentimus nos videre, aspectu nimirum videmus nos videre. At nihil videtur, nisi color aut id, quod colorem habet: si ergo ipsum videns, hoc est visio, qua formaliter videmus; aut aspectus ipse, qui visione videt, à nobis videtur; dum siue visionem ipsam, siue aspectum videntem videmus; necesse est ipsum coloratum esse. Atqui nullum colorem habet. Eodem igitur ipso aspectus sensu nullo modo sentiri potest.

Ratiocinationis huius propositionem sunt qui secus proponant, conuertentem potiùs accipientes; videre nil esse aliud, quàm aspectu sentire. Verùm quid opus sit Aristotelis verba mutare? Sic enim legimus (aspectu sentire est videre). Quam propositionem ideò accepit, quia in priori argumentatione, aduersus quam hanc dubitationem proponit, confecerat nos aspectu sentire nos videre, singulosque sensus proprias eorum operationes percipere. Assumptio tum ex eo sumitur, quòd facultates ex obiectis constituuntur & distinguuntur, nec nisi circa suum obiectum operantur. Tum ex eo, quòd proprium aspectus obiectum est color: coloris voce lumen quoque intelligẽdo, quod veluti color est perspicui: atque adeò tertium illud innominatum genus, quod in tenebris solum cernitur.

Cur verò colorem dixit, aut id, quod colorem habet? An quia non videtur color per se cohærens atque à corpore separatus, nec vspiam in natura ita subsistit: sed id, quod cernimus, color est in subiecto quopiam existens; coloratum inquam corpus. Quare cùm colorem nominasset, aut quasi emendauit sermonem, aut certè planiorem fecit. An indicare voluit, tum id, quod videtur; tum rationem, cur videatur? Videtur enim id, quod coloratum est: ratio autem, cur videatur, est color, qui in ipso est. An etiam consequentia respexit? Quippe accommodatè magis & apposite deducendum erat, primum videns oportere habere colorem, hoc est coloratum esse; quàm esse colorem.

Additum verò est (primum) inquit Philoponus, vt primum sensile significaretur, quod qualitatem & formam realem habet. Ad distinctionem eius formæ, quæ in sensu sit sine materia; quæ quidem est prima, sed à prima illa profecta. Mauult Simplicius significare id, quod est per se. Quia etsi gustabile sit coloratum, gustabile tamen non est vt coloratum. Id autem aspectabile est quod per se colorem habet. Ego verò vocem eam magis opinor adiectam voci illi (videns) vt videns primum sit illud ipsum videns, quod nominatum fuerat. Sic Albertus etiam intellexisse videtur, cùm videns primum interpretatus est, quod influit oculo visum, hoc est facultatem videndi, aut etiam visionem illam primam, qua obiectum sensile visum est. Etenim hanc deducit coloratam esse oportere, si ab eodem sensu, qui per illam primò videt obiectum, videri debeat. Aut etiam aspectum ipsum, qui prius vidit obiectum, necesse esse habere colorem, & post obiectum se ipsum quoque videntem visurus est.

Horum porrò neutrum coloratum esse, Philosophus non probauit, sed vt manifestum relinquit. Philoponus de operationibus interpretatus, easdem hanc eas ob causam prodidit coloratas non esse, quoniã incorporeæ sunt; nihilq; coloratũ esse potest, nisi sit corpus. Quę causa prorsus est falsa. Nã & cor-

& corporeæ animæ & facultatis operationes sunt; & per organum corporeum fiunt; & in eo susciptuntur & sustentantur; vt qualitates & accidentia ipsa, quæ corporea existimantur. Veriùs dixeris, neque sentientem facultatem neque sensionem coloratas esse; quòd animam consequantur, indéque substantiam suam accipiant, etsi speciem habeant ab obiecto. Et in homine saltem in sola eadem anima, non in organo aut colorato vllo corpore, susciptuntur. Quare vt anima nec est colorata, nec aspectabilis; ita nec facultas eius esse potest, nec operatio. Color enim corporis qualitas est ex elementorum permistione orta. Deinde facultas & obiectum sensile in eadem entium categoria differunt genere; operatio verò categoria quoque, neque est forma aliqua, sed solus actus secundus. Et cùm album & nigrum aliosque simul colores cernamus, plurimos & contrarios simul colores haberet. Postremò si corporis organum, quod ex elementis concretum est, maximeque videretur colore & aliis huiusmodi qualitatibus præditum esse posse; quia tamen eas susceepturum est, carere illis debet, vt in tex. 71. dictum est; oculique pupilla nullum colorem habet, nec auris vllum sonum; multò minùs facultas aut quæ ab illa producitur, actio habere possunt.

A

B

C

TEXTVS.

Φαμὲν δ' ὅτι οὐχ ἓν τὸ τῇ ὄψει αἰσθάνεσθαι. καὶ γὰρ ὅταν μὴ ὁρῶμεν, τῇ ὄψει κεχρήμεθα καὶ τὸ σκότος καὶ τὸ φῶς· ἀλλ' οὐχ ὡσαύτως.

138. *Manifestum igitur, quòd non vnum ipsum aspectu sentire. Etenim quando non videmus, aspectu & tenebras & lumen diiudicamus. At non eodem modo.*

COMMENTARIVS XVII.

PRoposita nunc dubitatationem diluit. Idque duobus modis. Primùm negat aspectum esse solius coloris, neque omninò vno tantùm modo dici ait. Propterea quòd etiam cùm nihil videmus, sed sumus in tenebris, lumen & tenebras diiudicamus. Græcè est κέκριμθα, hoc est tanquam iudices de illis sententiam ferimus, atque has ab illo discernimus.

Responsionem hanc Philoponus moderationem potiùs quamdam dubitationis, quàm solutionem esse iudicauit. Quoniam cùm color per se videatur & ex accidenti tenebræ; non respondere quis sapienter, visionem tenebrarum esse. Lumen porrò, non colorem nominauit: vel vt planiùs ostenderet non esse vnum neque solius coloris ipsum aspectu sentire: minusque veram esse argumentationis propositæ assumptionem, Nihil videri nisi colorem aut id, quod colorem habeat. Velut subiungeret tenebras, quæ non colori, sed lumini aduersantur: modumque indicaret, quo ex cognoscantur: nempe ex lumine, tanquam ex habitu priuatio. Et Aristoteles quidem, quò res obscura & difficilis notior ac planior fieret in exemplo, generalem & vniuersam quæstionem ad particularem & specialem contraxit. Quod inquam ad sensum vniuersum pertinet, An eodē, an alio sensu sentire nos sentiamus; non solùm hoc loco, sed in superiori quoque oratione ad aspectum contraxit. Verùm vt antea quod de aspectu dicebatur, de aliis quoq; sensibus intelligendum fuit: & quod ad propositā dubitationem attinet, non visionem modò colorem fore, sed & auditionem sonoram, & odorationem odoriferam, & gustatum sapidum, & tactū tactilem; si sensus se ipsum suamque sensionem sentiat. Ita nunc quæ de aspectu respondentur, de sensibus omnibus accipere oportet: auditu quoque sentire non esse vnum; quia quando non audimus, auditu & silentium & sonum diiudicamus: eodemque modo de cæteris.

D

De aspectu autem potissimùm tanquam primo, notissimo, & aliorum quasi regula, loquutus est. Possuntque verba duobus modis interdistingui. Aut enim distinctionis nota post verbum (videmus) apponi potest; hoc modo (etenim quando non videmus, aspectu & tenebras & lumen diiudicamus. Aut ea post vocem (aspectu) transferri. Neque magnopere diuersa sententia est. Licet enim eatenus mutari videatur, quatenus aspectui præiacta distinctione apertè mox subiungitur, tum in tenebris lumen ac tenebras dignosci, tum aspectu dignosci: Postposita verò, dubium videtur relinqui, cuiusnam facultatis iudicium illud sit. Cùm tamē principiò dictum sit, non esse vnum aspectu sentire; vbi mox multiplicitas distinguitur, de eodem ipso aspectu oratio tota intelligenda est. Ac Themistius quidem Aspectui distinctionem præposuisse videtur: mihique magis placet; quoniam hoc significari videtur id, quod statim subiungitur (at non eodem modo). Lumen namque per se aspectabile est vt proprium huius sensus obiectum, à quo is ita afficitur, vt ad sentiendum & proprium circa illud promendum actum permoueatur. Tenebræ autem ex accidenti, velut absentia & priuatio obiecti; quæ non per se, sed ex habitu; non ex motu in sensum facto; sed ex eo, quòd is nihil permoueatur; ac demum non per vllum sensionis actum ab aspectu circa illam editum, sed propterea quòd nihil cernat superiori facultate à nobis percipitur. Quoniam tamen superior hæc facultas priuationem eam non agnoscit, nisi dum aspectum alioqui ad operandum idoneum & paratum, immò & attentum & operari conantem, nihil videre nec ab obiecto moueri animaduertit; quoquo modo eam dicimus aspectu sentiri. At non eodem modo, quo lumen. Quia lumen verè & per se ab ipso comprænditur, tenebræ non ab ipso, sed à superiori facultate: Non tamen sine ipso. Quia nisi illa ad aspectum se se conuerteret, eumque cognosceret nihil videre; omnino tenebras non perciperet. Verùm hac de re extat digressio ad tex. 71. superioris lib. in qua cognitionem eam ostendi nequaquam sensuum particularium esse; quòd reditum in se ipsum contineat, qui nulli corporeę facultati permittitur. Sed aut communis sensus, vt Aristoteles sanè credidit, quòd is velut communis iudex, tum obiectorum, tum actionum inferiorum sensuum particularium sit. Aut potiùs intellectus: quòd ratiocinationem aliquam contineat, qua ex eo, quòd sensus non moueatur, absentia & priuatio obiecti colligatur. Quod hoc loco Philoponus confirmabit; qui sensuum operationes à rationali anima putans aduerti, Aristotelem interpretatur eas dixisse à sensibus ipsis cognosci; non à sensu vt sen-

Tenebra vt cognoscantur.

E

sus est, sed vt rationis instrumentum: sicut secu- A
rim dicimus fecisse thronum, quòd ea artificis
instrumentum fuit. Eodem enim modo priua-
tiones dicere possumus cognosci sensu velut ratio-
nis instrumento. Sed is, qui in operationibus co-
gnoscendis positiuum & operans instrumentum
erat; in priuationibus negatiuum erit; non operans
& ociosum. Verùm de huius loci sententia post
rursum considerandum erit.

Priuationes vt sensu cognoscantur.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ καὶ τὸ ὁρῶν ὅτι ὡς κεχρωμάτισται· τὸ γὰρ αἰσθητήριον, δεκτικὸν τοῦ αἰσθητοῦ ἄνευ τῆς ὕλης ἕκαστον.

Præterea autem & ipsum videns coloratum quoddam est. Vnumquodque enim sensorium susci-pere potest sensile sine materia.

COMMENTARIVS XVIII.

HÆc altera est dubitationis eiusdem solutio, qua eo concesso, quod in priori negauerat, aspectum solius coloris esse; respondet, ipsum C
viuens, hoc est, vt antea exposui, aut visionem aut aspectum videntem, vtcumque coloratum esse; & ideò si tenebræ, quæ integram priuationem significant, iudicantur aspectu, multò magis sensionem ipsam iudicari posse. Etenim vnumquodque sensorium potest sensile obiectum sine materia suscipere; dumque actu sentit, re ipsa suscipit; fitque tale, quale est obiectum: in aspectu scilicet coloratum, in auditu sonorum, & in aliis eodem modo.

Qui locus ex iis fuerit explicandus, quæ habentur in commentario & digressione ad textum 121. vbi sensum omnem Philosophus dixit habere D
vim sensiles formas suscipiendi sine materia. Nam qui formas intentionales dicunt à sensilibus obiectis in sensuum organa immitti; fauentem quidem sibi Aristotelem hoc loco habere videntur, dum sensorium nominat tanquam sine materia formas suscipiens: sensorium tamen si organum interpreteris, minùs ad rem interpretaberis. Siquidem non de sensorio quæritur, an coloratum sit; sed de operatione ipsa sensuúe, qui operatur. Deinde si sensorium ipsum intellexisset Philosophus, non dixisset, vtcumque aut quodam modo illud coloratum esse aut sensile (quod enim de aspectu dicitur, de omnibus sensibus dicitur) quoniam præter colores manifestum E
est sensilia cætera multiplicari re ipsa atque in organo sensus suscipi, vel etiam lumen in oculo. Nec minùs vere & propriè afficiunt illud & nominant, quàm afficiant. & nominant corpora cætera, in quibus sunt. Non igitur quodam modo, sed absolutè eiusmodi sunt. Contrà verò illi ipsi, qui intentionales illas formas asserunt, passim docent, eas nequaquam afficere nec nominare, siue medium, siue organum, siue omnino corpus, in quo suscipiantur: quòd immateriales nimium sint & spiritales. Non solùm igitur non absolutè, sed ne vllo quidem modo ab illis organum coloratur. Cùm enim innumerabiles, vt inquiunt ipsi, colorum omnium vel contrariorum formas simul suscipiat, quo tandem colore coloratum esset? Nam quod aliqui dicunt, eas non afficere nec nominare, quia separabiliter insunt; leue est. Quia omnis forma vt se ipsam actumque suum dat subiecto, ita & nomen; siue diuturna sit, siue breuis temporis. Atque vt minùs mireris, me hoc loco sensorium interpretari sensum; Philoponum & Simplicium, & verò etiam Auerroëm consulas in expositione textus 146. vbi cùm Philosophus sensorium rursum nominasset, sensorium illi prosensu & facultate nominatum fuisse voluerunt.

Sensus porrò eiusque operatio colorata esse dicuntur, quatenus coloris formam, hoc est cogni- B
tionem ipsam quasi coloris formam suscipit sine materia, cum qua re ipsa subsistit. Atque vtà colore extra animam cohærente re ipsa & propriè corpus, in quo is est, coloratum dicitur: sic à cognitionis eius forma, tum sensio, tum sensus, quoquo modo, hoc est secundùm esse cognitum, appellari colorata possunt. Sēsio quidem, quatenus est idem re cum ea forma, quæ tum operatio dicitur, vtà sensu promitur; tum forma, vt obiecti comprehensio atque in cognoscentem facultatem traductio. Sensus autem, quatenus eam formam suscipit, quæ in eo remanens afficit illum & vtcumque nominat: sicut naturalis forma, quæ extra animam est, subiectum corpus, in quo ipsa reperitur.

At enim quid erat opus sensionem aut sensum hoc loco appellare sensorium? Propterea libuit appellare, quia ipsum videns nominauerat, hoeque perfectum quidpiam significat, quod operati possit. Operatur autem non solus sensus, cùm sit organicus; sed sensus cum organo: sensioque ipsa à sensu, qui vtitur organo, proficiscitur. Ipsum inquam videns non est solus aspiciendi sensus, nec sola pupilla; sed aspectus in pupilla existens, eaque ad aspiciendum vtens. Quare αἰσθητήριον hoc loco non tam sensorium & organum, quàm id totum, quod sentit; & vnūquodq; sensoriū vnumquodq; quod sentit, significare dixerim. Vt ita quod de videnti dixerat, de omni sentiente affirmaret; quæstionemque ab vniuerso genere ad speciem antea facilioris doctrinæ causa contractam, à specie ad genus rursum deduceret: ne quis fortasse id in solo videnti verum esse existimaret. Simulque rationem ostenderet, cur ipsum videns coloratū quodāmodo sit. Quia scilicet omne sentiens etsi realem illam formam, quæ in natura subsistit, ita vt est, non suscipiat; eam tamen quodam alio modo suscipit, dum cognitionis actione eleuat à materia & in se ipsam traducit, suscipiens illam absque materia. Et ideò ab illa quodam alio meliori ac nobiliori modo formatur atque afficitur.

TEXTVS.

Διὸ καὶ ἀπελθόντων τῶν αἰσθητῶν, ὑπνιάζει αἰσθήσεις καὶ φαντασίαι ἐν τοῖς αἰσθητηρίοις.

Quare & sensilibus remotis insunt & sensus & phantasiæ in sensoriis.

COMMEN-

COMMENTARIVS XIX.

HVnc locum minùs ad rem interpretatus est Auerroës; quòd mendosum haberet textum; neque (remotis sensilibus) legeret, sed (abstractis) hoc est sine materia in sensu receptis. Quasi absoluatur ratio, cur ipsum videns non absolutè, sed quasi coloratum sit. Quia videlicet cùm susceperit formam abstractam & sine materia, tunc non reales colores aut qualitates aliæ, sed sensus & phantasiæ fiunt.

Vera interpretatio est; ex eo, quod dictum est, visionem coloratam esse, atque à sensili forma sine materia susceptam quoquo modo affici sensum; hoc velut consequens colligi; Etsi amota fuerint sensilia obiecta, inesse tamen adhuc in sensoriis sensus & phantasias. Sensoria eadē modo, quo antea, pro sentientibus arbitror nominari. Mirorque magnopere hoc à plerisque de intentionalibus formis intelligi: cùm non illæ, sed sensus & phantasiæ, hoc est virtutum harum operationes inesse dicantur: quæ nimirum in solo organo stolido & non operante nequeunt esse. Immò in organis exteriorum sensuum, de quibus solis nunc est sermo, (cùm nondum probatum fuerit, præter eos interiorem alium inesse) formarum illarum patronis certum est id & peruulgatum: Eas ab obiecto, à quo prodeunt, vsque adeò pendere, vt sine illo ne minimum quidem subsistere valeant, sed eo remoto statim pereant, tum in medio, tum in organo. Quomodo igitur obiecto remoto insunt in sentientibus sensus & phantasiæ? Nimirum quoniam sensionis actus formaque obiecti cognita & in sensu susceperta non statim aboletur. Maximè si vehementioris obiecti fuerit, quod cum magna vi, & applicatione sentientisque virtutis conatu perceptum fuerit. Ita sanè visum est Simplicio. „ Cùm enim, inquit, manifestior alicuius fit sensus, „ quædam remanet sensitiua actio in ipso imitans „ phantasiam. Remanet inquam post recessum sen„ silis, atque adeò non præterea mouentis sensorium: adeò vt remaneat sensus post sensilium recessum. Quod per colligantiam, quam habet cum phantasia, idem ille interpres affirmat. Et The„ mistius, ni fallor, idem sibi voluit, cùm ex interpre„ te illud scripsit; Rationes & formæ sensilium, quas „ sibi sensus tamquā copias aliquas comparauit, ob„ retinentur aliquandiu in nobis, & digredientibus quoque rebus externis moram in sensibus trahūt. Nam si eas sibi sensus comparauit, non sunt igitur ab obiectis immissæ, sed ab ipso productæ. Et quid tandem producit, nisi cognitionis actionem, velut rationem & formam obiectorum sensilium? Aut si ad organum id referatur; intelligendum est de obiecto re ipsa in eo susceptо: vt de lumine, sono, aliisque similibus. Quibus susceptis etsi lucidum aut sonorum corpus amoueatur, nescio quid tamen videre nobis & audire ad breue tempus videmur. Atque ita credi potest sensisse Philoponum, vbi eius rei causam in aspectu dixit esse perspicuum, quod post obiecti absentiam splendores quosdam ante aspectum imprimit & præfigurat. Rem enim totam in lumen conferre videtur. Id ipsum accidit in vehementi colore; vt in niuis albore; (vix autem in cæteris). Tum quia visorium spiritum disgregat; & donec is iterum colligatur, eodem modo videre videmur. Quod si ex intentionalibus illis formis eueniret, non minùs in coloribus mediis eueniret: cùm illi non minùs, quàm extremi, formas illas credantur immittere. Denique phantasia non interiorem illam facultatem de qua post agetur, nunc significat, vt Albertus putauit, & fauere Themistium dixeris. Cùm enim eam nobis inesse probatum nondum fuerit, de illius operatione dici non poterat. Sed visiones illas & apparitiones, quibus interdum sentire quidpiam sensibus videmur; Et obiectum, quod abest; quasi præsens sentitur.

Quomodo obiecto remoto quidpiā in sensu remaneat.

TEXTVS.

Ἡ δ' τῦ αἰσθητοῦ ἐνέργεια καὶ πάθος αἰσθήσεως, ἡ αὐτὴ μὲν ἔστι καὶ μία· τὸ δ' εἶναι αὐτοῖς οὐ ταὐτόν· λέγω δ', οἷον ψόφος· ὁ καθ' ἐνέργειαν, καὶ ἀκοὴ ἡ καθ' ἐνέργειαν· ἔστι γὰρ ἀκοὴ ἔχοντα μὲν ἀκούειν· καὶ τὸ ἔχον ψόφον, οὐ μὲν ἀεὶ ψοφεῖ. ὅταν δ' ἐνεργῇ τὸ δυνάμενον ἀκούειν, καὶ ψοφῇ τὸ δυνάμενον ψοφεῖν, τότε ἡ κατ' ἐνέργειαν ἀκοὴ ἅμα γίνεται καὶ ὁ κατ' ἐνέργειαν ψόφος. ὥστε καὶ φήσειέν τις, τὸ μὲν εἶναι ἀκουστὸν, τὸ δ' ψοφητόν.

Sensilis verò & sensus actus idem quidem est & vnus: T. 138
esse autem ipsius non idem. Dico autem, vt sonus, qui actu, & auditus qui actu. Est enim vt quis auditum habens non audiat, & habens sonum non semper sonet. Cùm autem operatur, operatur id, quod audire potest; & sonat, quod sonare aptum est, tunc auditus actu sit mul sit, & actu sonus. Quare dicat vtique aliquis alterum quidem auditionem esse, alterum autem sonationem.

COMMENTARIVS XX.

IN huius loci expositione dissentientes magnopere interpretes video. Minimè autem verisimilia loquutus videtur Simplicius, cùm hæc eò spectare dixit, vt cùm superioribus illis verbis (quoniam non videmus aspectu) & illis (sensilibus remotis) significatum sit, sensum, qui vim habet suscipiendi sensile sine materia, non semper esse actu; sed interdum actu, interdum potestate: nunc doceatur, quando tum sensile, tum sensus sint actu, & quando potestate; & quomodo vtrumque sit causa eius, quod actu.

Etenim nec antecedentia illa verba indicare hoc voluerunt, sensum interdum esse actu, interdum potestate: nec explicationem hanc desiderabant; cùm satis antea dictum de eo sit in ipso de sensu tractationis principio: neque sanè id præ se fert sermo hic, qui sequitur. Sed illud potiùs, quod Philopono placuit; postquam operationem & ipsum videns quodā modo coloratum esse ostendit quatenus coloris sensilis formam sine materia suscipit,

eum nunc vlteriùs progredi, addendo non solùm hoc ita esse, verùm etiam eundem & vnum esse vtriusque actum. Quod si S. Thomas referat ad probandum id, quod primum quærebatur, sensum sensionem suam sentire; quia si est idem vtriusque actus, dum obiectum sensile illiusque actum & immutationem percipit, suam simul operationem percipiet: leue prorsus argumentum fuerit. Quoniam etsi idem re ipsa sit actus, ratione tamen diuersus est. Quare responderi posset, eum re ipsa operationem suam, hoc est actum illum, qui re idem cum operatione est, sentire: at non formaliter, quatenus ipsius operatio est. Sicut quia idem re sunt actio, passio, & motus; qui vnum percipit, re quidem ipsa, non tamen formaliter percipit reliqua. Sin autem Philoponus ad illud confirmandum, quod dubitationem diluendo respondebatur; visionem quoque coloratam esse: quia non solùm coloris formam sine materia suscipit, sed etiam est idem re & vnum numero cum ipsius coloris actu: perquàm accommodata est interpretatio.

Quamquam alia quædam mihi venit in mentem. Fortasse enim probare Philosophus voluit aut planiùs facere id, quod pronuntiauit, sensum suscipere sensilem formam sine materia; atque ab illa ita formari, vt quoquo modo coloretur alioue sensili modo afficiatur. Quod fieri tradidit; quoniam idem est actus obiecti sensilis & ipsius sensus; licet ratione diuersus sit, quatenus in obiecto sensili secundùm suam naturam & cum materia reperitur; in sensu autem sine materia per cognitionis actionem. Et ideò non absolutè vt corpus, quod est extra animam; sed quodam modo coloratam dixit sensionem. Quia etsi re idem sit actus, non eodem tamen se habet modo.

Nec vereor dicere, Aristotelem ex superiori responsione visionem coloratam esse, quempiam vidisse suspicari aut obiicere sibi posse, ita fore vt sensio sensileque obiectum nil differant; duoque hæc confundantur, quæ tantopere distincta esse oportet. Propterea occurrisse, obiecti sensilis & sensus (sensum autem facultatem ipsam dicit) eundem quidem re & vnum numero esse actum, at ratione ac forma alium atque alium. Vnde quatenus idem & vnus est; vt obiectum, ita & visio colorata efficitur: quatenus autem alius & alius; illud obiecti naturam retinet, hæc actionis & sensionis vim. Quod dum facit, simul declarat, quomodo sensus dictus fuerit sensionem suam cognoscere. Nimirum non formaliter quatenus sensio est, sed vt est idem re cum obiecti actu & motione, quam is sanè comprehendit. Vt quasi significare videatur eam à particulari sensu ex accidenti sentiri. Sicut in tex. 134. sensile proprium vnius sensus ab alio sensu sentiri dicebatur; vt dulce aut amarum ab aspectu, quatenus cum colore vnum sunt. Sed ibi subiecti, hîc rei vnitas est ibi rei, hîc rationis diuersitas.

Quod ad communem sensum inuestigandum pertinet; quem Philosophus tum diuersa sensilia propria comparare ac diiudicare voluit; tum singulorum particularium sensuum actiones comprehendere: eaque per se cognoscere, quæ à particularibus sensibus, tum in obiectis, tum in actionibus ex accidenti sentiri dicuntur.

Denique cùm his omnibus intelligi voluit, quemadmodum sensus actione vnica, & obiectum sensile & sensionem suam persentiat. Propterea enim vtrumque simul comprehendit, quoniam vnus & idem est vtriusque actus, eademque re ipsa forma, tum obiecti sensilis actu, tum operantis sensus. Itaque paucissimis verbis hæc omnia spectat Philosophus: Vt magis ostendat visionem coloratam & cuiusuis sensus operationem sensilem esse: Vt doceat cur sensus à sensili forma sine materia susceptа vtrumque afficiatur: Vt explicet, quatenus obiectum sensile & sensio idem sint aut differant: Vt intelligamus, quo intellectu sensus dictus sit sensionem suam sentire. Ac demum vt euadat planum, quo modo actione vnica & obiectum & sensio simul sentiantur. Namque hæc omnia intelliguntur ex eo, quòd obiecti sensilis & sensus vnus est & idem re actus, ratione diuersus.

Id verò quemadmodum sit, exponit nobis reuocata in memoriam distinctione illa in superiori libro tradita, tum obiectum, tum sensum duobus modis considerari; aut actu, aut potestate. Vbi obiectū priùs, quàm sensum, nominat: quod & natura sit prius, & in hac ipsa, de qua agitur, difficultate antecedat. Siquidem prior est obiecti cognitio, quàm sensionis illius, qua obiectum cognitum est. Actum porrò secundum intelligas, quem ἐνέργειαν idcircò nominat, quæ operationem significat. Nam & obiectum in actu primo considerat, quatenus absoluta qualitas est in subiecto existens corpore; & in actu secundo, quatenus sensile est afficitque ac mouet sensum. Et sensus item in actu primo facultas quæpiam est in anima; & in actu secundo circa propositum obiectum operatur. Propterea hoc exponis subiungit, sæpissimè fieri, vt audiendi sensum & facultatem habeat quispiam & nihil audiat; & id, quod habeat sonum, non sonet; auditui scilicet; ita vt audiatur. Sed & in sensu & in obiecto sit actus primus, quo sensus est sensus & obiectum qualitas quæpiam, sine secundo, quo sensus sentiat & obiectum sensile afficiat sensum. Quod quidem potestatem significat. Quia id, quod habet actum primum & secundo caret, quem habere potest; nimirum potestate ad illum est. Neque solus sensus propter obiecti attentionisue defectum non operans ad operandum aptus est: sed etiam sonus, qui in aëre spargitur, efficax sua natura est ad permouendum auditum; sique adesset, re ipsa permoueret. Quare si auditui occurrat sonus & sonus auditum quempiam pulset (hoc enim sibi vult illud (& sonat quod sonare aptum est) non productione soni sonantibus corporibus percussis; sed illa ipsius producti operatione, quæ soni quatenus audibilis est propria existit; qua scilicet audienti cuipiam sonat); Tunc vterque fit actu, sono auditum mouente audituque sonum comprehendente. Itaque sonus & auditus actus primi sunt, qui secundorum comparatione sensum & obiectum potestate faciunt. Sonare autem & audire actus secundi, quibus sensile & sensus actu esse & operari dicuntur.

Hicque actus secundus re vnus & idem est, quo vterque fit actu. Neque hic actus alius est, quàm iudicij sensus; quo tum sonus, tum auditus sunt actu; hic, quia iudicat; ille, quia iudicatur. Ratione autem distinguitur, sicut ascensus & descensus; quatenus est ab obiecto, & in sensu susceptus. Vt est ab obiecto, appellatur sonatio; vt in sensu susceptus,

susciptur, auditio. Vtraq; actus secũdus est: sed illa motionem ab obiecto in sensu factũ significat quę ad iudicandum excitat; hæc obiecti comprehensionem à sentiente virtute profectam atque in ea susceptam. Licet hoc ex iis explicare, quæ de actione & passione in 3. Phys. lib. tradita sunt & in proximo textu commemorabuntur. Nam vt hæ vnus & idem actus sunt, qui vt exit ab agente, actio; & vt in patiente susciptur, passio nominatur: ita prorsus de sonatione & auditione intelligendum est. Quippe sentire pati quoddam est; & obiectum comparatione sensus vim agentis habere creditur, à quo is è potestate traducatur ad actum; quemadmodum superioris libri textus 59. affirmauit. Quod tamen, vt eo loco admonui, non omnino, sed quoquo modo intelligas. Etenim in eodem ipso loco is, qui habet sensum, dicitur esse vt is, qui scientiæ habitu prędituss est. Quoniam habet actum primum, quo promere secundum valet. Et ideò sentire actu est sicut contẽplari: quoniã vt contẽplatio à sciẽtię habitu proficiscitur, ita sentire à sentiẽte facultate, quæ veluti habitus operandi est. Hoc tamen interest, quòd scientiæ habitu contemplari possis quando volueris; cùm per eum habitum intra te obiectũ contemplandũ habeas: sensus verò externo indigeat obiecto; & ideò nisi illud adsit, non sentit.

Sensionem nõ esse solã passionẽ

Quod propter, ea nunc libuit admonere, ne quis fortasse obiectum audiens vim agentis, sensumque vim patientis habere; sensionem existimaret nil aliud esse, quàm sensilis formæ susceptionem in sensu; non item vllam ipsius sensus operationem. Hoc enim non ita esse, tum textus ille 59. testatur; tum verò textus 127. vbi apertè legimus, odorari non solùm esse pati, sed agere. Hocque à non sentientibus distingui sentientia; quòd illa patiuntur quidem à sensilibus, at circa ea non agunt; hæc verò agunt, cognitionis scilicet actum secundum promendo. Et quoniam sensio in aliud non transit, sed in eo ipso susciptur, à quo producitur: sensus ipse agit & patitur; alio tamen atque alio modo, vt & in omni cognitione, & operatione immanente euenit. Obiectum autem quoquo modo agentis vim obtinet, quatenus mouet sensum atque ad agendum prouocat, nec nisi eo præsente agere potest sensus. Immò hoc loco dum sonationem obiecto, auditionem sensui dedit, præcipuam actionis vim in sensu posuit, & in obiecto quandam illius duntaxat prouocationem. Quid enim est auditio, nisi audibilis soni cognitio & comprehensio? Quid sonatio, nisi soni præsentatio, & quasi ad audiendum excitatio? quod ad vocum quidem vim attinet, vtraque actionem significat: sed sonatio actionem adducentem ac proponentem sonum vt audibile obiectum; auditio autem actionem propositum obiectum sentientem & comprehendentem. Quocirca audiendi non sunt illi, qui hunc actum ideò ratione diuersum dicunt, quòd vt est ab obiecto, est actio; vt est in sensu, est passio. Nam & in vtroque Philosophus actionis voce vsus est: & sentire non est solum pati, sed agere. Et si actionem obiecti in organum spectent, vt spectare videntur; ea non est ad rem; cùm de sensu eiusque sensione, non de organo, sit sermo: neque motus, qui fit in organo, idem actus est cum cognitione, quæ à sensu circa obiectum promitur.

Vtsonatio & auditio sim

Vtramque igitur, tum sonationem, tum auditionẽ, duobus modis considerare possumus. Vel vt motus & operationes quædam sunt; sonatio motus aëris sonique diffusio; auditio audientis virtutis operatio. Vel formaliter, vt ad sentiendum referuntur; sonatio velut audibilis obiecti, quatenus audibile est, præsentio, & auditoriæ facultatis vt auditoria est, excitatio: auditio, quatenus audibilis huius obiecti comprehensio & receptio. Sanè ad hunc locum prior consideratio non pertinet, sed posterior magis. Nam si prior accipiatur, duo sunt actus re distincti atque in diuerso subiecto; alter in aëre alióue corpore, aut etiam organo; alter in sensu. Et ita Philosophus quoque dixit, habens sonum non semper sonare, alterũmque actum sine altero reperiri. At si posterior intelligatur, verè vnus & idem re actus fuerit: sensus scilicet operatio & sensio, quæ vt audibilis obiecti comprehensio est, auditio dicitur; vt autẽ audibilis obiecti præsentatio aut auditus excitatio, sonatio appellatur.

vnus actus vel diuersi.

Itaque iam omnia illa, quæ quærebantur, facilè explicantur. Nam si ita habet, estque idem actus obiecti & sensus; verè dictum fuit, visionem ipsam vtrumque coloratam & sensionem sensilem esse: Verè sensilis forma in sensu sine materia susciptur eúmque format & afficit: Verè sensile & sensio quodam modo idem sunt, alio autem valde diuersa: Verè sensus quoquomodo sensionem suam percipit: Verè demum actione vnica & obiectum & sensio simul sentiuntur.

At enim inquit Philoponus de moderati tantùm sensilis sensione à Philosopho hæc dicta fuisse. Quoniam si in immoderato & excedẽte idem sensilis & sensus esset actus, idem seipsum corrumperet. Verùm cùm Philosophi oratio generalis sit; atque id, quod dicitur, ex ipsa sensionis natura nascatur; sensioni omni commune est. Neque idem corrumpit se ipsum. Quia quod corrumpitur non est sensus, sed illius organum; sensus autem sentiendo perficitur. Neque illud corrumpitur à sensu (quæ enim in eo corrumpendi vis? aut quomodo immanens & sua natura perficiens nullámque contrarietatem habens operatio materiam externam perdat & dissipet?) sed ab obiecto: nõ quatenus sensile est, quomodo idem illius & sensus actus est: sed quatenus naturales alias qualitates habet vehementiores, nimióue impetu pulsat, aut alio modo temperiem organi soluit.

Curan-ditus exemplo viatur.

Magis ad rem adnotatum fuerit, ad explicandam generalem propositionem, sensilis & sensus eundem & vnum esse actum, eum neque sensu & sensili vniuersè vsum fuisse; neque ex colore & aspectu, quo velut primo & optimo sensu atque aliorum regula in superiori sermone vsus iam fuerat, exemplum adduxisse: sed ex auditu potiùs & sono eius obiecto. Quoniam vt ipsemet non multò post exponet, optimè vidit, nec in sensu vniuerso, nec in cæteris eius partibus, sed in auditu solo duplicem illam rationem nominari posse, qua eundem illum actum consideramus; & alteram ad sensum, alteram ad obiectum sensile agnoscimus pertinere. In auditu auditionem & sonationem dicimus. In cæteris ex parte sensus visionem, odorationem, & vniuersè sensionem appellabimus: At ex parte obiecti vix accommodatè nominabimus. Aliam quoque credo fuisse causam; quia sonus manifestum habet in auditu motum. Vt post in proximo contextu eundem probare posset esse actum; quoniam actio, & passio idem sunt & in eodem subiecto patiente.

TEXTVS.

Εἰ δ' ἔστιν ἡ κίνησις ἢ ποίησις καὶ τὸ πάθος ἐν τῷ ποιμένῳ, οὐδ' ἀνάγκη καὶ τὸν φθορὰν καὶ πᾶν ἀκολουθεῖν τοῖς κατ' ἐνέργειαν, ἐν τῷ κατὰ δύναμιν εἶναι. ἡ γὰρ τοῦ ποιητικοῦ καὶ κινητικοῦ ἐνέργεια ἐν τῷ πάσχοντι ἵδρυται.

Tex. 139. *Si autem est motus, & actio, & passio, in eo, quod sit; necesse & sonum & auditum, qui est actu, in eo esse, qui est potestate. Agentis namque & mouentis actus in patiente imprimitur.*

COMMENTARIVS XXI.

OBscurum videbatur illud, eundem esse re ipsa sensilis & sensus actum, vt sonationem & auditionem; sólaque differre ratione. Idcircò ad illius explicationem pauca hæc confert; ex iis desumpta, quæ de actione & passione in 3. Phys. lib. tradita sunt. Etsi verò sentiendi actio maximè ac potissimùm sentientis facultatis sit, quæ propositum sibi obiectum comprehendit & in se ipsam cognoscendo transfert, formam & rationem illius absque materia in se ipsa efformans. Quoniam tamen obiectum item sensile quoquo modo agere existimatur; tum in organum, quod à sono pulsatur; tum in sensum, qui ab occurrente audibili excitatur & ad sentientem actionem edendam audibilisque formam & rationem effingendam prouocatur. Hoc nunc Philosophus accipit, quod ad propositam difficultatem pertinebat. Sensionem namque vt à sentiente facultate producitur, & in eadem suscipitur, manifestum erat vnum & eundem esse actum; neque ad id, quod quærebatur, explicandum faciebat, quomodo scilicet sensio sit sensilis. Vt autem ab obiecto excitatur, huius sanè quæstionis explicationem continet.

Sed quomodo idem sit actus hæc obiecti excitatio & sensus comprehensio, non facile intelligitur. Planum autem euadet, si actionem quandam obiecti in sensum passionémque sensus ab obiecto in sensione primùm agnoscas. Tum verò consideres quemadmodum in vniuerso actionis & passionis genere sese res habeat. Quod enim in eo fuerit cõstitutum, de illius quoque specie intelligendum erit. Vniuersè actionem & passionem esse idem re sólaque ratione differre, in 3. citato lib. demonstratum est. Ambæ enim sunt eadem ipsa forma, quæ ab agente producitur atque in patiente suscipitur: cùm agens non aliam ob causam agat, nisi quòd formam eam producat; vt ignis calorem; nec ob aliam patiatur patiens, nisi quòd eam suscipiat. Verùm ea forma duobus modis intelligitur: & quatenus exit ac pendet ab agente, vocatur actio; quatenus autem in patiente suscipitur, passio. Eodem igitur modo sonationem & auditionem intelligas esse idem re cum obiecti sensilis, hoc est audibilis soni forma sine materia in sensu suscepta. Eámque formam vt est sono excitante ac mouente sensum producta, sonationem appellari: auditionem verò, vt in auditu suscipitur, isque audibilis obiecti comprehensionem & formam suscipiẽs patitur. Quòd si progrediaris vlteriùs, ac sensionem velut sensus actionem contempleris, eam rursus alio quodam modo vt actionem & passionem intelliges, etsi vnica sit actio. Nam vt à sensu promitur & ab eo tanquam agente pendet, nuncupatur actio; passio autem, quatenus cùm in aliud non transeat, in eo ipso suscipitur, à quo prodiit. Et hæc quidem de actione & passione, tum vniuersè, tum in specie dicuntur verè atque ad hunc locum illustrãdum opportunè.

Actio & passio vt distinguãtur.

Obiecti & sensus idem actus isque in sensu.

Philosophus tamen illud potiùs accepit, quod in eodem illo libro docuerat; atque ex eo consequèbatur, quod dictum est, actionem & passionem esse idem re. Non solùm inquam passionem, sed & actionem in patiẽte esse, non in agente. Nam cùm auditum pati à sono manifestum sit, eo aures pulsante; inde colligit, vt sonus in aure suscipitur, sic sonationem in audiendi sensu suscipi. Atqui in eodem quoque est auditio, nimirum in eo, quod est potestate; quia omnis actus in subiecto apto & potente recipitur: & vt auris sensorium potestate est ad sonum, sic audiendi sensus, tum ad sonationem, tum ad auditionem; sitque actu, cùm in eo sensilis actus suscipitur.

At quorsum præter actionem & passionem nominauit motum ad hanc probationem minimè necessarium? Multæ fortasse fuerunt causæ. Aut enim adiunxit motum, quòd actionem & passionem physicas & corrumpentes, quæ inter alteratrices qualitates versantur, adducens ad explicandã petficientem illam & minùs propriam alterationem, quæ in sensuum cognitione repetitur; motum vidit patere latius, vt ipsemet in tex. 45. prioris de ortu & interitu lib. scriptum reliquit, atque in pluribus generibus reperiri. Atque ita abundantem magis & copiosam fore probationem suam, si eum quoque proposuisset. Aut id propterea fecit, quòd argumentum illud, quod adferre parabat, commune motui, actioni, & passioni esse intellexit: nec minus motum esse in mobili, quàm actio & passio sint in patiente. Aut quoniam in 3. illo Phys. lib. vnde argumentum hoc petebatur, non modò de actione & passione, sed etiam de motu egisset: immò de motu magis & propter motum de actione & passione. Simúlque ibi docuisset, motum in mobili, actionemque & passionem in patiente esse. Aut demum quia dum de sensili & sensu loquimur, non solum dicimus sensile agere & sensum pati; sed etiam illud mouere & hunc moueri; vt ipsemet in superioribus vtroque modo loquutus est.

Quare nunc ita quasi argumentari voluit: siue motum, siue actionem & passionem appelles, motus est in mobili & actio in patiente: sonatio igitur & obiecti motus aut actio, est in auditu: at idem est auditio: idem igitur actus sonatio est & auditio; sicut idem & mouentis & mobilis, agentis & patientis. Hæc est vna huius loci interpretatio; quæ ad illud confirmandum refertur, quod eundem dixerat esse actum sensilis & sensus actu.

Verùm alteram non minus accommodatam prætermittere nequaquam debeo, eámque aliis considerandam relinquam. Philosophum arbitror minimè voluisse probare eundem esse actum. Sed cum id in superiori contextu probasset, alterum addidisse, quod ad illud ipsum ostendendum pertineret, ad quod demonstrandum attulerat eundem esse actum. Illud autem erat, sen-

sum

sum sensionem suam sentire. Atque ita nusquam A
à proposita quæstione digredietur. Nam antea quidem probauit illud ex eo, quòd sensilis & sensus est idem actus: nunc autem argumento altero confirmat; quia vtriusque actus in eodem existit subiecto, quod potestate est: neque sensilis actus est in ipso sensili, sed in sensu, qui est ad illum potestate. Sicut motus non est in mouente, sed in mobili; neque actio in agente, sed in patiente reperitur.

TEXTVS.

Διὸ ἐξ ἀνάγκη τὸ κινοῦν κινεῖσθαι.

Quare necesse non est mouens moueri.

COMMENTARIVS XXII.

AVerroës additū hoc fuisse putauit ad declarandū, in sensu reperiri, tū mouës motū, tum mouens non motum. Etenim exteriores sensus ab obiectis mouentur, & ipsi rursum interiores virtutes mouent. Obiecta verò externa mouent quidem, sed à nullo mouentur. Verùm neque hoc Aristotelis verba præ se ferunt: neque sapientis viri fuisset de sensibus interioribus loqui, cùm adhuc sit incertum an vlli sint.

Appositè magis dixeris, id ex eo deduci, quòd traditum fuerat, mouentis atque agentis actum in mobili & patiente esse. Si enim ita est, aliqua profectò mouere possunt immota: quædamque agere & nihil pati. Quod accepta occasione & quasi præter institutum fuisse deductum, Philoponus quidem censuit: maximè tamen erat ad rem. Nam tum vniversè id verum est, eam ob causam, quòd moueri dicimus id & pati, in quo mouentis motus agentisue actio suscipitur: hæcque non in mouente nec agente, sed in mobili & patiēte suscipitur. Quare nisi ab eo, quod mouetur aut patitur, moueatur vicissim aut patiatur mouës & agens; mouebit solū & aget, non mouebitur nec patietur. Neque ex eo duntaxat, quòd mouet aliud aut agit, mouetur ipsum aut patitur. Tum verò sensilibus obiectis plurimum conuenit: Quæ ita in sensus agunt, vt eorum actus in sensibus suscipiantur, nec ab illis vicissim patiantur quidquam. Vt ita docuerit, sensilia quidem mouere sensus, sed vt mouentia immota: quippe sensus actio in eodem ipso suscipitur, in quo & obiecti operatio. Hoc verò etiam id confirmat, quod dictum est; motum & actionem in mobili & patiente esse, non in mouente & agente. Nam si in mouente forent & agente, omne mouens moueretur, omnéque agens pateretur: vel etiam primum illud, quod abstractum penitus, immobile, & impatibile esse certum est, & in 8. Phys. lib. demonstratum.

Obiecta sensilia mouent immota

TEXTVS.

Ἡ μὲν οὖν τοῦ φυσικοῦ ἐνέργεια ὅτι φύσεως, ἢ φύσις. ἔστι τοῦ ἀκουστικοῦ, ἀκοή, ἢ ἄκουσις. διττὸν γὰρ ἡ ἀκοή. καὶ διττὴν ὁ φύσεως· ὁδὶ μὲν λόγος καὶ ὅτι τὸ ἄλλων αἰσθάνεσθαι καὶ ἀκούειν. ὥσπερ γὰρ ἡ κίνησις καὶ ἡ πάθησις ἐν τῷ πάσχοντι, καὶ οὐκ ἐν τῷ ποιοῦντι, ὅταν καὶ ἡ τοῦ αἰσθητοῦ ἐνέργεια ἐν τῷ αἰσθητικῷ. ἀλλ' ἐπ' ἐνίων καὶ τὸ ὄνομάσαι, οἷον ἡ φύσις καὶ ἡ ἄκουσις· ἐπὶ δ' ἐνίων ἀνώνυμον διάκειται. ὄψεσις γὰρ λέγεται, ἡ τῆς ὄψεως ἐνέργεια· ἡ δ' τοῦ χρώματος, ἀνώνυμος. καὶ γεῦσις, ἡ τοῦ γευστικοῦ. ἡ δὲ τοῦ χυμοῦ, ἀνώνυμος.

B

Sonatiui igitur actus sonus est aut sonatio; auditiui autem auditus aut auditio. Duplex enim est auditus & duplex sonus.

Eadem autem ratio & in aliis sensibus atque sensilibus. Sicut enim actio, & passio in patiente, non in agente; sic & sensilis actus in sensitiuo. Sed in quibusdam quidem nomen quoque positum est, vt sonatio & auditio: In quibusdam verò alterum caret nomine. Visus enim actus visio dicitur, coloris autem nomen non habet. Et gustatiui gustatio: saporis autem, nomine vacat. Tex. 140.

C

COMMENTARIVS XXIII.

QVæ verbis hisce habentur, nil aliud continent præter planam quandam & facilem superiorum explicationem. Primùm enim cùm de sono & auditu potissimùm loquutus sit; in eo consistens exemplo duplicem omnino concludit esse actum, tum sonatiui, tum auditiui; tum inquam illius corporis, quod percussum edere potest sonum; tum animalis, quod eum audire valet. Alterum primum, qui est veluti habitus & forma, qua operari & agere possunt; aut alterum agere, alterum pati: isque sonatiui quidem est sonus, quo auditiuo sonare potest: auditiui autem auditus, hoc est audiendi facultas, qua moueri à sono & eum audire valet. Alterum secundum, tanquam operationem ab habitu & forma profectam; sonatiui sonationem, qua re ipsa sonat auditui atque ad audiendum prouocat; & auditui auditionem, qua oblatum sibi audibilem sonum comprehendit. Priori actu constant sensile & sensus, qui potestate dicuntur; posteriore, qui actu. Etenim duobus hisce modis & auditus & sonus considerantur. In actu primo & potestate ad secundum; quatenus auditus sensus est & animæ virtus ad operandum idonea, sonúsque sensilis quædam qualitas. Ac rursum in actu secundo, quatenus vterque operatur, sonus sonando, & auditus audiendo.

Obiecti & sensus duplex actus.

D

Quocirca audiendus non est Philoponus, dum auditum interpretatur operationem, auditionem autem apprehensionem; sonúmque significare strepitum vult, qui fit in aure; & sonationem, passionem, quæ ex strepitu nascitur. Multò enim magis ad rem & superioribus consentaneum est actum primum & secundum intelligere: qui ita differant, vt alter diuersus sit, alter idem in sensili & sensu. Et secundus quidem totus in sensu

E

duntaxat suscipiatur : primus autem, tum in sensili sonus & qualitas, tum in sensu audiendi & sentiendi virtus. Certè Aristoteles cùm sonum & auditum nominauit, φόρον καὶ ἀκοὴν, quæ actum primum significant, tanquam potestate, quàm actu dicuntur, vt ex tex. 138. constat. Eásque voces ab iis diuersas esse, quæ operationem & actum secundum indicant, quæ sunt φάσις καὶ ἄκουσις, vt ita planiùs explicaret, de quo actu intelligenda sint illa duo, quæ affirmauit, eundem esse sensilis & sensus actum; eúmque non in sensili, sed in sentiente esse. De actu nimirum secundo, non de primo: déque sensili & sensu actu, non potestate, vtrumque affirmatum fuisse.

Deinde verò quoniam de sono duntaxat & auditu sermonem habuit; ne quis id solius huius sensus & sensilis proprium esse existimaret, eodem in cæteris quoque modo rem se habere; idémque de illis intelligendum esse subiungit. Eundem scilicet omnibus esse sensilis & sensus actum; eúmque in sensu inesse, non in sensili: sicut actio in patiente est, non in agente. Pro sensu autem sensitiuum dixit. Tum quia sensitiuum dixerat & auditiuum. Tum quia sensus ipse in sensitiuo est: neque vt est in 4. metaph. lib. tex. 14. vnum accidens alteri accidenti accidit, nisi quia vtrumque eidem accidit. Tum demum quia dum sensionem cum actione compararet; sicut actio suscipi dicebatur in patiente velut substantia quadam; sic æquum erat id, in quo suscipitur sensio, ad modum substantiæ vocéque substantiam significante proponere. Sensitiuum tamen quatenus sensitiuum est, hoc est quatenus sensu præditum est, intelligas. Quippe sensio primùm ac immediatè in sensu suscipitur, tum per sensum in sensitiuo quoque.

Sensitiuum pro sensu.

Ad extremum ne quis fortasse ea, quæ de audibilis & auditus actu accepit, eum etsi re vnicus sit, ratione tamen duplicem esse; sonationem, vt est ab audibili, auditionem, vt in auditu suscipitur; in cæteris sensibus quæritans nec facilè inueniens, omnino diceret rem in illis non ita habere: opportunè admonet, non rei, sed nominum & vocum diuersitatem esse: & in omnibus quidem sensibus vtramque illam rationem actionis sensilis & passionis sensus distingui ac mente concipi; at non item fortasse nominari posse. Nam in auditu sonationem & auditionem dicimus: in cæteris autem ex parte quidem sensus visionem, gustationem, odorationem, & tactionem, appellare licet; at ex parte coloris, saporis, odoris, & qualitatis tactilis, non est vox, qua conuenienter nominemus, sensilisque motionem exprimamus. A colore quispiam credat coloration dici posse. At ea vox non immutationem sensus à sensili factam significat, sed realem illam, qua corpus quodpiam colore delinitur, coloratúmque efficitur. Et eandem ob causam, ni fallor, scripsit Philoponus, nec in sapore, qui χυμὸς dicitur, χύμωσιν appellari. Quòd hæc vox ad coquinariam pertineat; hoc est non spiritalem immutationem, qualis fit in sensu, significet, sed realem illam & materialem, quæ in condiendis cibis versatur.

A

B

C

D

E

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ἅμα μὲν ὄντων ἀνάγκη ἀεὶ αἰσθητοῦ ὄντος καὶ αἰσθητικοῦ, τὸ δ' εἶναι ἕτερον, ἀνάγκη ἅμα φθείρεσθαι τὸ συναμφοτέρω ἀκολουθοῦν καὶ φθορὰν, καὶ χυμὸν δὴ, καὶ γεύσιν, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως· τὸ δὲ κατὰ δύναμιν ἐνδέχεται, οὐκ ἀνάγκη.

Quoniam autem sensilis & sensitiui vnus quidem est actus, esse verò alterum; necesse simul corrumpi & seruari eum, qui sic dicitur auditus & sonus. Et saporem item & gustatum, eodémque modo alia. Quæ autem potestate dicuntur, non necesse.

COMMENTARIVS XXIV.

QVæ hoc loco difficultas occurrit, non est in sermonis sententia; sed quo modo ea proponenda sit. Num inquam disputatio noua tentatur, an verò ex superiori habita quidpiam colligatur. Placuit S. Thomæ duarum quæstionum tractationem Philosophum deinceps aggredi. Alteramque propositis hisce verbis explicari, An sensus & sensilia corrumpantur simul & seruentur. Alteram in tex. 143. Cur sensilia quædam sensum perdant, alia delectent. Verùm nec orationis forma quæstionis nouæ propositionem præ se fert: neque satis ad rem videbatur: aut certè nihil erat necesse nunc eas quæstiones interponere.

Meliùs multò Græci, & Auerroës, atque Albertus ex iis, quæ tradita sunt, deduci iudicarunt, sensile actu & sensum actu simul esse & simul non esse; non item sensile & sensum potestate. Quamquam Philoponus parùm constanter loquutus est. Quippe qui in theoria textus 138. tanquam corollarium ex dictis collectum interpretatus sit. Póstque in adnotatione ad hunc locum primum quidem corollarium deduci dixerit; deinde verò alteram quæstionem esse, non corollarium. Mihi verò vel ipsa verborum series corollarium, non quæstionem, persuadet. Namque tum superiorem sententiam accipit, sensilis & sensitiui vnum & eundem esse actum. Tum ex ea colligit (quoniam inquit ita est:) Et rursum non sensum dicit, sed sensitiuum antea nominatum: cùm tamen non tam de sensitiuo, quàm de sensu loquatur: & ideò auditum statim & gustatum nominat) necesse esse simul perire & cõseruari sensũ actu & sensile actu: nec sensum actu esse posse, quin simul sit sensile actu, neque contrà: ac rursum eorum altero perempto alterum quoque illicò interire. Hoc autem non eo argumento ostendit, quod ex relatorum natura peti poterat, quæ simul esse & non esse dicuntur. Propterea quòd sensile quoque potestate, & sensitiuum potestate relationem significant. Quæ tamen ipse ait non esse necesse simul esse & non esse, sed posse vnum sine altero subsistere, alteróque perempto alterum esse in natura superstes. Sed eo potiùs, quod antecedens disputatio suppeditauit: quoniam sensilis actu & sensus actus vnus & idem re soláque ratione diuersus actus est. Nam si auditio sine sonatione esse nequit, cùm idem ipse auditionis actus sonationis item sit (est enim in auditu quatenus excitatus à sono: sicut passio sine actione

actione non est, quia nil aliud re ipsa est, quàm forma ab agente producta & in patiẽte susceptа) profectò non potest omnino auditus esse actu sine audibili sono actu. Et rursum vt non est actio sine passione; quia non producitur forma ab agente, nisi in subiecto aliquo patiente, ex cuius potestate illam educit: ita nec sonatio actu sine auditione, nec sonus actu sine auditu fuerit. Si igitur sit horum alterum, est quoque alterum; alteróque pereunte perit alterum.

Sensile potestate & sensus potestate nati sit.

In sensili potestate & sensu potestate secus habet. Quod Philoponus noluit ita accipi, vt hæc simul esse & non esse negentur. Quoniam, inquit, ea quoque ad aliquid sunt communique huius generis entium lege tenentur, vt simul natura sint & non sint. Sed interpretatus est non esse necesse ea esse idem re soláque ratione differre; quemadmodum de iis, quæ sunt actu, positum fuit. Verùm hoc Aristotelis verbis minimè consentaneum est. Omninóque intelligere oportet de sensili & sensu potestate id negari, quod de sensili & sensu actu fuerat affirmatum. De his affirmauerat proximis verbis, ea simul esse & non esse: de illis igitur negat necesse esse ea simul esse & non esse, seruari simul & perire. Quoniam enim diuersis constant actibus, sensile naturali qualitate soni, coloris, aut saporis; sensus facultate, quæ inest in anima; facile est vnum sine altero esse, vnóque destructo seruari alterum. Nam qualitates, quæ sensiles potestate dicuntur, in natura per se cohærent in corporibus, vt mox dicetur. Neque ideò sensiles potestate sunt, quòd à sensu quidquam accipiant: nec rursum sensiles actu euadunt à sensu aliquid accipiendo. Sed & sensiles potestate sunt suapte vi & conditione, fiúntque actu propterea solùm, quòd afficiant sensum; & ita immutent, vt ad actu sentiendum inducant. Denique tota huius loci sententia consentit optimè cum ea, quæ est in tex. 37. lib. 2. Phys. & ex ea tanquam generali magis confirmatur. Nam vt ibi vniuersè dixit causam actu operantem & effectum actu simul semper esse; causam autem potestate & effectum potestate non item. Ita hoc loco in specie de sensili & sensu affirmat. Quippe sensile mouentis cassæ vim habet, sensus autem ab eo mouetur.

A B C D E

Digressio IIII. Quatenus sensile & sensus simul sint.

QVod ab Aristotele dictum est, sensile & sensum potestate non esse simul; quemadmodum ea sunt, quæ actu operantur; propterea non paruam interpretibus difficultatem adfert, quòd non minùs, quàm hæc, illa relata sint. Verùm aperta extat in lib. categoriarum pronuntiata sententia; relatorum proprietatem illam, ea esse simul natura, in plurimis quidem veram esse, at non in omnibus; vt in scibili & scientia, sensili & sensu: hæc enim ab ipsomet Philosopho nominantur. Tum quia scibile & sensile priora sunt, quàm scientia & sensus. Tum quia illis quidem ablatis hæc quoque auferuntur, at non contrà. Tum quia quòd ad sensile & sensum attinet, tunc fit sensus, quando fit animal: sensile autem antecedit, quoniam antecedunt elementa, ex quibus animal constat, eáque sensilia corpora sunt. Itaque duo affirmare licet. Alterum est; scibile & sensile (perinde enim est de altero ac de vtroque loqui) duobus modis considerari posse: Tum re ipsa, quatenus naturæ quædam sunt, & res, quæ sciri aut sentiri queunt: Tum formaliter, vt scibile est aut sensile. Namque priori modo ne cætera quidem ralata simul sunt, quibus ea proprietas conuenire maximè existimatur; vt pater & filius, seruus & dominus, causa & causatum, & id genus alia. Posteriori autem, scientia quoque & scibile, sensus & sensile; siue actu, siue potestate spectentur, simul sunt. Siquidem scibile aut sensile actu dicuntur, quòd illud ab aliquo sciatur actu, hoc sentiatur. Potestate verò, quòd ab aliquo alterum sciri, alterum sentiri queat. Neque posteriori, sed priori intellectu Aristotelis illa verba interpretabimur.

Vt relata simul sint, vel non sint.

Verùm quoniam hoc non caret difficultate: cùm nulla futura sit scientia, nullus sensus potestate, si nullus sit homo, nullum animal: & tamen pleraque alia essent sua natura potestate scibilia & sensilia. Quippe & adessent naturæ proprietatibus suis affectæ, quæ de illis aptæ essent ostendi: & qualitates sensiles ad mouendos sensus idoneæ in corporibus cohærerent: essétque ex accidenti, si nullus intellectus nullúsue sensus foret, qui eas cognosceret: neque accedente intellectu aut sensu quidquam in rebus mutatur illisúe accedit, quo scibiles euadant aut sensiles. Alterum potiùs responderem; Verè proprietatem eam relatorum omnium non esse, sed illis fortasse conuenire, quæ in scholis secundum esse appellamus. Cùm enim aliam hæc naturam non habeant, quàm ad aliud referri, nisi ea, ad quæ referuntur, simul sint, omnino esse nequeunt. Illisque ablatis simul ipsa quoque perimuntur & concidunt. Nam si essent illis priora, siue tempore, siue natura; tota illorum natura non esset ad illa, sed absque illis vim obtinerent suam; neque relatum, sed absolutum quidpiam essent. Aut si ad aliud, quod tunc non subsistat, referantur, realis ea relatio non fuerit, sed rationis: quippe ea, quæ realis sit, rem quampiam existentem respicit. At relata, quæ secundùm dici vocantur, secus habent. Atque vt absoluta entia sunt, quæ non aduentitia relatione, sed aut se ipsis suáque natura respiciunt aliud: aut referri ad aliud existimantur, quòd aliud referatur ad ipsa, vt in tex. 20. lib. 5. Metaph. de vniuerso tertio relatorum genere legimus. Ita vt in natura subsistant, alio tanquam termino existente non indigent. Sed priora tempore; rursúmque eo, ad quod dicuntur, sublato posteriora esse possunt. Huius generis sunt scibile & sensile, mensura, & mensurabile, potestas & actus, atque adeò materia, quæ in tex. 26. lib. 2. Phys. inter relata numeratur, & alia his similia. Quemadmodum igitur actus prior est potestate, & materia prior forma, apta formari & perfici à forma; & si pereat forma, eadem tamen superstes est materia: licétque omnibus (quod Deus potest, vt Philosophi sapientiores decernunt) priuaretur formis, nec earum vlla in rerum natura existeret; eandem tamen haberet materia relationem formæque materia diceretur. Ita sanè scibilis quæpiam natura aut sensilis qualitas, quæ absolutæ sunt, cohærere in hac rerum vniuersitate possunt, etsi nondum inuenta scientia sit, aut comparatus sensus; rursúmque abolita scientia vel extincto sensu subsistere. Hócque siue actu, siue potestate hæc accipiantur: modò de actu primò sit

sermo, naturáque scibilis aut sensilis cum scientiæ A vel sensus habitu comparetur. Enimuerò de actu secundo verum omnino est Aristotelis decretum hoc loco promulgatum, sensile actu & sensum actu simul fieri & extingui; immò eundem vtriusque esse actum. Idemque de scibili & scientia intelligendum est.

Verùm ad rem nostram reuertamur. Atque hoc loco adnotemus, non sine causa Philosophum tam accuratè ostēdisse sensile actu & sensum actu idem esse. Quoniam præterquàm quòd ad præsentem disputationem pertinebat, proderat etiam plurimùm futuræ deinceps de intellectu contemplationi, cui potissimū tertius hic liber dicatus est. Cùm enim ex sensu intellectus naturam inuestigemus; B ex hoc, quod nunc de sensu docet, ad intellectum sibi viam parat. De quo post eodem modo affirmabit, intellectile actu & intellectum actu esse idem; intellectúmque intelligendo fieri omnia; ac rursum eum, dum intellectile contemplatur, se ipsum quoque contemplari.

TEXTVS.

Αλλ' οἱ περὶτῶν φυσιολόγοι τοῦτο μὲν καλῶς ἔλεγον, ὅσον οἰόμενοι ὅτε λευκὸν, ὅτε μέλαν εἶναι ἄνευ ὄψεως, οὐδὲ χυμὸν ἄνευ γεύσεως· τὴν μὲν γὰρ ἔλεγον ὀρθῶς, τὴν δὲ οὐκ ὀρθῶς. διχῶς γὰρ λεγομένης τῆς αἰσθήσεως καὶ τοῦ αἰσθητοῦ, τῶν μὲν κατὰ δύναμιν, τῶν δὲ κατ' ἐνέργειαν, ὅπ τύπτον μὲν συμβαίνῃ τὸ λεχθὲν, ὅπ δὲ τὸ ἑτέρων ὃ συμβαίνῃ. ἀλλ' οὗτοι ἁπλῶς ἔλεγον περὶ τῶν λεγομένων οὐχ ἁπλῶς.

Tex. 142.

Verùm priores Physiologi hoc non benè dicebant; nihil opinantes neque album, neque nigrum esse, sine aspectu, neque saporem absque gustatu. Nam partim quidem rectè inquiebant, partim autem non rectè. Cùm enim duobus modis sensus sensiléque dicantur, hæc quidem potestate, illa verò actu; in his quidem euenit, quod dictum est; in aliis D autem non euenit. At illi simpliciter loquebantur de iis, quæ non simpliciter dicuntur.

COMMENTARIVS XXV.

OCcasione ex postremis illis verbis accepta, quibus necessarium non esse dixit, vt sensile & sensus, quæ potestate dicuntur, simul sint; quorumdam philosophorum reprehendit errorem; qui cùm ante illum de natura loquuti fuissent, secus planè tradiderant. Sensiliáque omnia dixerant insentiendo subsistere; nec minùs, quæ nos potestate dicimus, quàm ea, quæ actu consideramus, simul esse & simul non esse, simúlque cum sensu poni & auferri. Immò nullum esse potestate sensile, sed actu duntaxat; quódque potestate dicitur, nullo modo sensile esse. Itaque nullam in rebus veri-

Nihil esse nisi quod apparet.

tatem ponebant, nullam sensilitatem; nullum colorem, nullum saporem, nec aliud quidquam eiusmodi, nullámue prorsus certam naturam; sed omnia in apparentia constare aiebant; rémque vnamquamque talem esse, qualis videtur. Nec quidquam esse album aut nigrum, dulce aut amarum; nisi quando aspectu aut gustatu ita iudicatur. Ex quo consequens erat, contrarios de eadem re colores & sapores affirmari posse; vt vni alba, alteri nigra; vni dulcis, alteri amara videtur. Ideóque cōtradicentia verè de illa pronuntiari posse; nec vquam mentiri quemquam. Democritæos Simplicius ita sensisse memorat. Sed Protagoreos fortassе veriùs Philoponus. Nam de Protagora non sōlùm ita testatur Ammonius quoque in librum categoriarum, vbi de relatis agitur: Verùm etiam in Theæteto & Protagorá Plato; atque ex Aristotele colligi potest in 4. lib. metaph. tex. 19. & deinceps, & lib. 10. tex. 5. & lib. 11. cap. 6. Tametsi Democritum quoque ita iudicasse, cognoscitur ex tex. 12. lib. 1. huius operis. Quo loco credi potest permotum fuisse Simplicium.

Cur ita illi errauerint, causa fuit, quòd actum primum & secundum non distinxerunt, vt in sensu, ita & in sensili. Idcircò nihil interesse putarunt inter sensum & sēsile actu, sensúmque & sensile potestate. De iis enim quæ actu sunt, verè dicitur, ea simul esse & non esse; sensiléque eiusmodi non esse, nisi dum sentitur: quia idem est sensilis & sensus actus. At de sensili & sensu potestate nequaquam dici potest: quoniam diuersis constant actibus: neque sensile potestate est per actum sensus, sed per sibi proprium actum, quo eiusmodi qualitas mouere sensum & ab ea sentiri apta est. Quare si sensus auferatur, sentiréue desinat; perit sensile actu, at non item sensile potestate. Quia perit quidem actus ille secundus, quo afficiebat & mouebat sensum: sed in corporibus superstes est actus primus qualitatis, qui afficere & mouere potest, si rursum accedat sensus. Et vt obiectum quoduis facultate, cuius obiectum existit, prius est: ita sensile, si sensum mouere debet, prius sensu esse oportet.

Neque videtur credibile Philosophos illos de rerum natura tam corruptè sensisse, támque ineptè pronuntiasse. Quin potiùs de sensilibus rebus ita fuisse loquutos, quòd eas continenter ac momentis omnibus mutari miniméque constantem naturam habere cernentes, fieri potiùs, quàm esse, illas dici oportere iudicarent: eáque solaverè ac propriè esse, quæ firmam & stabilem naturam haberent. Itaque sensilia dixerunt non esse, nisi dum sentiuntur: quòd mutentur illicò, aliáque statim euadant; vt quod vni nunc est album, alteri mox sit nigrum; quod nunc dulce, paulò post amarum. Exemplo fluuij, in quo bis eandem aquam non licet accipere, sed aliam subinde & aliam. Quòd si quid sit in rebus verum, quódque verè dici possit esse; id ignotum nobis esse inquiebant. Quoniam intellectilia & spiritalia entia ab omni mutatione & inconstantia libera nondum illi cognouerant, soláque sensilia admittebant.

Aristoteles verò de illorum sententia ita pronuntiat. Quadam ex parte sapienter illos philosophatos fuisse, quadā autem non item. Nam sensus & sensile duobus modis considerantur, actu & potestate. Si actu considerentur, verè ab illis dictum est: falsum autem, si potestate. In eo tamen excusari nequeunt, quòd hęc duo non distinxerunt; sed perinde ac si vno tantum modo dicerentur, de sensu & sensili absolutè pronuntiarunt.

TEXTVS.

TEXTVS.

Εἰ δ' ἡ συμφωνία φωνή τις ἐστὶν, ἡ δὲ φωνὴ ἀκοὴ ἐστὶν ὡς ἓν. ἡ δ' ἐστὶν ὡς οὐχ ἓν τὸ αὐτὸ λόγος ἡ συμφωνία. ἀνάγκη δὲ, πλὴ ἀκολουθεῖ λόγον τινὰ εἶναι. ἡ δὲ τόπο καὶ φθείρει ἕκαστον τῶν βλαβέντων, καὶ τὸ βαρὺ, ἢ ἀκολουθοῦσιν ἢ ἐν χυμοῖς ἢ ψεύδεσι, ἢ ἐν χρώμασι ἢ ὄψει, τὸ σφόδρα λαμπρὸν, ἢ τὸ ζοφερόν· ἢ ἐν ὀσφρήσει ἢ ἰσχυρὸ ὅσιῶ, ἢ γλυκεῖα, καὶ πικρὰ, ὡς λόγου τινὸς ὄντος ἢ αἰσθήσεως. διὸ καὶ ἀβέλτια ᾠήι, ὅταν ἄχηται. ἠλικρινῆ καὶ ἀμιγῆ ὄντα [ἀχῆ] εἰς ἢ λόγον· οἷον τὸ ὀξὺ, ἢ γλυκὺ, ἢ ἁλμυρόν· ἡδέα γὸ τότε. ὅλως ἢ μᾶλλον τὸ εἰκῆ τὸν, συμφωνία, ἢ τὸ ὀξὺ καθαρόν. ἀσὴ δὲ τὸ διεμαρτικὸν, ἢ λυπικὸν· ἢ δὲ αἰσθησις, ὁ λόγος· ὑπερβάλλοντα δὲ, ἢ λυπεῖ, ἢ φθείρει.

Si autem concentus vox quædam est; vox autem & auditus vt vnum & vt non vnum idem; concentus autem ratio est: necesse & auditum rationem quandam esse. Et propterea experiens vnumquodque, tum acutum, tum graue, corrumpit auditum. Eodem autem modo & in saporibus gustatum, & in coloribus aspectum, quod valde splendidum aut tenebrosum. Et in odoratu fortis odor, & dulcis & amarus. Quasi ratio quædam sit sensus. Quocirca delectabilia quidem; quando quæ sincera sunt & impermista, ad rationem ducuntur; vt acutum, aut dulce, aut salsum. Delectabilia enim tunc. Vniuersè autem magis quod mistum, quàm acutum & graue, concentus. Tactus autem, quod calefieri vel refrigerari potest. Sensus verò ratio est. Experientia autem vel molesta sunt, vel corrumpunt.

Tex. 143.

COMMENTARIVS XVI.

ALtera hæc sancto Thomæ quæstio est, cur sensilia quædam corrumpant sensum, alia delectent. Reliquis alterum potiùs corollarium. Sed Themistius ex eo, quòd audibile actu & auditus actu idem sunt, haud pessimè dicere illos colligit, qui sensus affirmant rationes quasdam ac proportiones esse. At sensum esse rationem, non est id, quod colligitur: verùm hoc accipitur vt medium ad id, quod colligitur, ostendendum. Auerroës ex eo, quòd sensus actu, & sensile actu mutuam relationem significant, exponi causas plurium accidentium in sensu. Nempe eum esse de genere relationis, quatenus ratio quædam est & proportio; deque genere qualitatis, quatenus agendi facultas. Verùm considerare poterat, sensum non esse relatum nisi (vt loquuntur) secundum dici, re ipsa verò ens absolutum. Neque in genere relationis nisi eas relationes contineri, quarum esse est ad aliud referri. Deinde quomodo esse in aliquo genere, accidēs sensus nominari possit? Quæue hic generum relationis & qualitatis mentio?

Optimè autem Philoponus & Albertus ex antecedenti explicatione deduci volunt, cur sensilium redundantiæ destruant sensus. Huius namque rei ratio ex duobus pendet. Tum ex eo, quòd A sensilis & sensus actu vnus & idem est actus. Tum ex eo, quòd sensus ratio quædam sit & proportio in corpore. Quare ita ratiocinatur Philosophus. Concentus vox quædam est: siue vt aliqui dicunt quia non vox potestate, sed vox actu est: siue potiùs quia vox latiùs, quàm concentus, patet: & velut genus est, concentus autem quædam illius species. Sic enim in tex. quoque 87. superioris libri vocem dixit sonum quendam esse. Nimirum sonus patet latissimè & inanimis item corporibus inest; vox minùs & in solis animalibus reperitur; concentus minimè, qui non in omni voce, sed quadam duntaxat, quæ proportione constet, reperitur. Vocem tamen arbitror pro sono positam. Siquidem non minùs in instrumentis musicis, campanis, & eiusmodi aliis inanimis corporibus concentus sæpè quidam & proportio auditur. Nec minus, immò magis accommodatè ex sono, qui & generalè est auditus obiectum & ab eo sæpiùs hactenus nominatus, quàm ex voce, quæ pars illius est, generale argumentum licebat deducere. Sed vocem potiùs, quàm sonum, dixit; quòd optimus ac suauissimus idemque notissimus atque vsitatissimus concentus in humana voce sentiatur. Atqui vox & auditus partim vnum sunt & idem, partim diuersa. Vnum sanè & idem re ipsa, diuersa autem ratione, sicut vnum & idem vox & auditus actu; non vnum autem ea, quæ potestate considerantur. Quorum vtrumque cùm is, qui antecessit sermo non de voce sola, sed vniuersè de omni audibili sono demonstrauerit: Hæc ipsa verba testantur, vocem nunc pro sono nominari. Concentus igitur quoque eodem modo, quo vox aut sonus, vnus & idem actus est cum auditu actu. Hæc est prior ratiocinatio.

Concentus & vox vt differāt.

Ex hac statim deducitur altera. Concentus & auditus actu vnum & idem sunt: at concentus est ratio quædam & proportio: auditum igitur item rationem quandam & proportionem esse necesse est. Ad vnicam ratiocinationem ex tribus propositionibus constantem reuocare Simplicio placuit hoc modo: Auditus actu est vox actu; vox actu est concentus; omnis concentus est ratio; igitur auditus actus est ratio. Sed tum duarum proportionum ordinem mutauit; & quam Aristoteles primam posuit, secundam ipse commemorauit. Tum verò (quod grauius est) quod est attributum, fecit subiectum, & subiectum velut attributum accepit; idque in vtraque propositione. Nam in ea, quæ Aristoteli prior est, vox illi subiectum est, concentus attributum. Eadem Philopono sententia. Vtrumque arbitror sequutum Plutarchum. Ideoque orationis principium dixerunt legendum non esse (εἰ δ' ἡ συμφωνία) si autem concentus) quòniam articulus non attributo, sed subiecto præponi solet. Sed (εἰ δὴ, quoniam seu si sanè).

Mihi verò neutrum placet: neque vt sententiam peruertamus, corrumpenda quoque sunt verba. Ferè enim in exemplaribus omnibus priori modo articulum legimus voci (συμφωνία) præpositum: isque satis ostendit vocem eam subiectum propositionis esse, non attributum. Etenim naturalis magis propositio est, qua vox de concentu, genus de specie, superius de inferiori enuntietur; quàm contrà concentus de voce, species de genere, inferius de superiori. Nam quis hominem de

animali & non animal potiùs de homine enuntiet? Etsi enim addatur (quoddam) magis tamen naturalis est & scientiis accommodata propositio (homo est animal) quàm hæc (animal quoddam est homo) præsertim cùm tantumdem ex illa conficias. Addo propositionem illã vt falsam potuisse negari. Cùm enim illi vocem quandam interpretentur vocem actu; negari poterat, & verò neganda erat ea propositio absolutè pronuntiata (vox actu est concentus) Si quidem plurimæ voces actu immoderatæ sunt & excedentes. Et acutum & graue, quæ scilicet voces actu sunt, auditum dicuntur corrumpere.

Minùs etiam benè propositionem alteram accipit Simplicius. Cùm non dicat Aristoteles, auditum actu esse vocem actu, sed vocẽ & auditum esse vnũ: tum auditum, tum vocem accipiens vt subiectum, & vnum tanquam attributum. Aut igitur duplicem oportet argumentationem distinguere, aut si vna magis delectet, ex duplici eam hypothesi deduces: altera, Concentum esse vocem quandam: altera, Vocem & auditum actu eundem re actum esse. Ex quibus mox propositionem colliges; Concentus & auditus actu sunt vnum & idem: at concentus est ratio; igitur auditus item actu est ratio. Cuius sanè ratiocinationis argumentũ est concentus. Quo vélut medio termino auditũ esse rationem cõcluditur.

Sensus ut proportio.

Porrò concẽtum ait Philoponus appellari rationem, vt eum ostendat temperaturã non esse & permistionem auditus cum voce; sed proportione constare; non quidem sui ad se, sed ad auditum. Eodemque modo auditum esse rationem, non sui ad se, sed ad sonum & vocem. Sicut enim onus dicimus habere proportionem ad humerum & virtutem, qua feratur; sic inter obiectũ sensile & sensum proportio cernitur. Non. n. sensile actu & sensus permiscentur, sed re sunt idem & vnus actus. Et Simplicius quoque rationem interprætatus est medium inter extrema, vt nec excedat nec deficiat, sed mediocriter se ad sensum habeat.

Symphonia & concentus ἀμφω.

Itaque licet συμφωνία & concentus in plurium vocum, acutæ & grauis, modulatione proportioneq; mutua versari videatur, vt vox Græca ostendit, quæ plures simul voces; & item Latina, quę plures simul concinentes significat: non hanc tamen intelligere nunc oportet; sed eã potiùs, qua siue plures sint voces, siue vnica, consonat & concinit, non alteri voci, sed auditui. Hoc ita esse, multa testantur. Primùm, quod ratione hac & proportione vitiata corrumpi sensum tradit Philosophus: corrũpitur autem non solùm à pluribus simul, sed vel ab vnico excedente aut deficiente. Deinde quòd exuperans vnũquodq; siue graue sit, siue acutũ, hoc est vehemẽtior vnusquisque sonus, qui proportionem ad auditum non habeat, lædere dicitur. Tum verò quòd in omnibus aliis sensibus euenire idem affirmatur: si obiectũ sit nimis splendidum aut tenebrosum; si vehementior odor, saporque immodicè dulcis aut amarus; & omnino ab extremis lædi sensum. Nam si à dulci non corrumpatur, læditur certè ac dissoluitur; vt & à pingui.

Verùm alteram quoque proportionẽ, quæ in obiectis ipsis consideratur, acuti & grauis extremorũque colorum, odorum, saporum, & qualitatum tactilium permistione; Indicauit nobis Philosophus; cùm ea dixit (etsi contrà prorsus interpretatus sit Auerroës) absque læsione, immò cum delectatione sentiri; quæ sincera non sunt & impermista: vt acutum in sono, dulce & salsum in sapore. Salsum autem posuit pro amaro, quod opponitur dulci. Sed ad rationem, hoc est temperationem & mediocritatem ducta: vniuersèque quod mistum est & temperatum; vt in quo excessus omnis fractus est, magis concentum esse. Magis inquam acuti & grauis modulationem, quàm acutum aut graue, sincerum & purum. Et colores medij magis, quàm extremi; eodemque modo in sensilibus cæteris. Quæ cùm in se temperata fuerint, temperatè magis in sensum agentia, illi quoque concinent & proportionata erunt. Hinc artes illæ habuerunt ortum, quæ temperantes extrema sensus afficerent voluptate: ut pectum pictura, auditum musica, odoratum unguentaria, gustatum coquinaria, tactum lauandi & texendi artes. Tactui enim inquit iucundum est, quod cualefieri potest aut refrigerari. Hoc est, non quod extremum est; quod visus esset significare, si calidum & frigidum absolutè nominasset. Sed quod ita permistum est, temperatum & fractũ, vt augeri facilè queat & intendi.

Hæc igitur obiectorum mediocritate in se ipsis & cum sensu proportione dissoluta, siue excedendo, siue deficiendo, id euenit, lædituꝛ ac dissoluitur sensus. Sicut inquit Auerroës, corrupta in corporibus nostris qualitatum proportione corrumpitur sanitas, quæ illorum temperatione ac mediocritate conseruabatur. Quæ item in numeris cernitur proportio, addita aut detracta, vel vnica vnitate, tollitur, nisi vtrique numero additio fiat aut detractio. Et ipsemet Aristoteles in tex. 111. eum, qui in musicis est concentus, dissolui prodidit, siquæ fidium vehementiùs pulsetur aut vox quæpiam plus æquo attollatur; & vniuersè omnis proportio soluitur, tum redundantia, tum defectu; tum ab eo, quod exuperet; tum ab eo, quod deficiat: similique & proportionato delectatur plurimùm & conseruatur. Quare vt extrema, quæ aut molesta sunt aut etiam corrumpunt, temperari possunt & ad mediocritatem duci, vt deinceps delectent: Sic ea, quæ temperata sunt & mediocria, excessu aut defectu dissoluentur & peribunt. Ita sanè in sensibus à sensilibus obiectis euenit. Cùm illi proportione quadam constent, tum obiecti sui comparatione; si quidem tantam vim tutem habent, quæ tantum & non vehementiorem motum sustinere valeat: tum in seipsis, cùm organo vtantur tali qualitatum temperatione facto. Dixi hac de re in commentario quoque cextus 118. & 123. superioris libri, quæ non parum ad huius loci explicationem conferent. Tria nunc adnotabo. Primum; quod eo loco de sensorij proportione eiusque à vehementi obiecto corruptione dictum est, idem nunc planè de ipsomet affirmari sensu; eandemque ob causam: propter vehementiorem scilicet obiecti motum, quo tum organum immoderatè afficit, quatenus naturalis & realis qualitas; & sensum item quatenus sensile est. Alterum; in priore loco solam eam corruptionem commemorasse Philosophum, quæ fit à vehementi & exuperanti obiecto; & hic rursum vix nominare tenebrosum, totumque in redundantia insistere. Quoniam etsi defectu quoque ratio ac proportio dissoluatur; nonnisi sima tamen & maximè sensilis ea est, quæ per redundantiam euenit. Et verò etiam sentitur illicò & corrumpit. Nam qui solem aut ninem

aliudue

aliudúe nimis fulgidum vel album aſpicit, læſionem ſtatim ſentit; quia patitur & immutatur ab obiecto. Quod verò per defectum corrumpitur, non niſi poſt multum tempus corrumpitur: quoniam non actione, ſed ceſſatione & quiete nimia eneruatur, flaceſcit, & perit. Vt qui diu in tenebricoſo carcere aut ſpelunca fuerint, excœcantur, aut certè prodeuntes in lucem intueri illam non poſſunt. Spiritus enim qui ad operandum confluere ſolet ad oculum, vbi oculus ab operatione ceſſat, auertitur, atque à tenebris repellitur. Quare ſiccatur, refrigeratur & contrahitur opticus neruus, totuſque oculus, & ineptus ad operandum euadit. Tertium ac poſtremum; In omnibus quidem ſenſibus ita, vt dictum eſt, euenire; atque vniuersè de omnibus à Philoſopho fuiſſe traditum: eum tamen ab auditu ad alios ſenſus feciſſe gradum, tum quòd in ſuperioribus idem fecerat: Tum quòd propoſitiones ambæ, quæ ab eo ad ratiocinandum accipiebantur, in hoc potiſſimum ſenſu, non item in cæteris, manifeſtæ erant. Nam & concentus, hoc eſt συμφωνία, qui medius argumentationis terminus ſtatuebatur, & à voce dicitur, & in voce conſpicuè apparet. Et eumdem re diuerſumque ratione ſenſilis & ſenſus actum eſſe in auditu magis cognoſcitur, in quo ſonatio & auditio nominantur; quàm in cæteris, in quibus obiecti operatio appellari ſatis non poteſt.

Digreſſio V. Nullum ſenſum ſenſionem ſuam ſentire.

DVm propoſitis vtriúque argumentis, num eodem, an alio aliquo ſenſu ſentire ſe animalia ſentiant, diſputauit Philoſophus, diſſenſionem ſummam inter interpretes excitauit. Primùm enim in tex. 136. eodem ſenſu ſentire probauit. Deinde in tex. 137. eodem ſentire non poſſe: tum in tex. 138. poſteriorem hanc argumentationem ita diluere aggreſſus eſt, vt nunquam apertè dixerit, num eodem an alio ſenſu ſentiant. Sed ſolùm reſpondit, ſenſu ſentire non eſſe vnum, ſed pluribus modis dici, ipſumque ſentiens quodam modo ſenſile eſſe; ac demum ſenſilis obiecti & ſenſus eundem re actum eſſe, dum actu operantur. Ex quibus manifeſtum eſt, nihil apertè & certò colligi poſſe.

Themiſtius & Simplicius ex eo, quod in tex. 138. aſpectu dicimur ſentire tenebras, hoc eſt nos non ſentire, eodem quoque ſenſu colligunt nos ſentire nos ſentire. Tametſi hoc Simplicius humano ſolùm ſenſui tribuit, qui propter rationalis animæ coniunctionem rationalis quoquo modo factus poteſt in ſe ipſum ſe ſe conuertere.

Philoponus autem dubitationem propoſitam aduerſus eam quæſtionis partem, quæ alio id ſenſu ſentiri probauerat, dilui mox audiens; eam planè exiſtimauit de animalibus omnibus Philoſopho fuiſſe ſententiam. Subſcribunt S. Thomas, Ægidius & alij nonnulli. Sed quibuſdam placet alia quadam actione id fieri, qua poſt obiecti compræhenſionem illud ſe compræhendiſſe ſenſus agnoſcat. Alij eadem prorſus, qua directè obiectum, indirectè ſenſionem percipiat.

Senſum ſenſionē

Verùm ad concludendum, ab eodem ſenſu ſenſionem eius nullo modo ſentiri; efficax argumentum eſt illud, quòd viſio colorata non ſit, nec auditio ſonora, aut odorifera odoratio, guſtatioúe ſapida, aut tactio tactilis. Etenim ſenſus vnuſquiſque per obiectum ſuum conſtituitur, totaque illius operatio ab ea ita definitur, vt nullo modo limites eius egredi queat; nec cognoſcere quidquam, quod obiecti naturam non participet. Habes hoc argumentum pluribus explicatum in commentario ad tex. 137. Nunc alterum addo, quod neceſſarium prorſus eſſe arbitror. Omnis ſenſio eiuſmodi eſt operatio, quæ in externam materiam non tranſit, ſed in eo ipſo ſuſcipitur, à quo proficiſcitur. Ab illo igitur ipſo ſenſu, à quo producitur & ſuſcipitur, ſentiri ea non poteſt, quin in ſe ipſum is conuertatur. At is nullo modo conuerti & contrahi poteſt. Nam vt ſentiens anima materialis tota eſt & corporea, vt quæ ex materiæ gremio corporiſque poteſtate eruta eſt; ſic ſenſus omnis materialis item eſt, & corporeus. Neque materia, neque corpus vllum, neque omnino quidquam, quod materiale ſit & corporeum ſuaque natura cum quantitate coniunctum, conuertere ſe ſe ac contrahere in ſe ipſum poteſt. Quoniam hoc non patitur quantitatis natura, quæ extenſionem & partes extra partes ſignificat. Spiritalium duntaxat & à materia ſeparatarum mentium ea conditio eſt. Vereque deduxit Philoponus, ſi ſenſus conuerteret ſe ſe ad ſuam operationem cognoſcendam, incorporeum eum futurum, ſeparabilem, ac ſempiternum. Itaque quantumcumque conetur oculus aut aſpectus, ſe ipſum nequit aſpicere; nec auris aut auditus audire; nec ſenſus reliqui ſeipſos ſentire. Quia cùm alligati ſint organo quanto & extenſo, nec ſine illo quidquam operari poſſint; quemadmodum organum in ſe ipſum non conuertitur, ita nec ipſi ſeipſos nec ſenſionem ſuam, quæ in ipſis aut etiam in eorum organis ſuſcipitur, ſentire vllo modo queunt: ſed ſentiri eam à ſuperiore facultate oportet. Hoc argumento vſum in Charmide Platonem video; vt nullum ſenſum ſui ipſius eſſe probaret: quoniam magnitudinem & multitudinem vim ſuam habere ad ſe ipſa penitus impoſſibile eſt, ſolamque ſcientiam quandam poſſe eſſe, quæ ſui & aliorum ſcientia ſit. Quæri præterea poteſt, num ſenſus ſentire ſe ſentiat, dum obiectum ſuum ſentit, an poſt illius ſenſionem. Dum obiectum ſentit, ſenſionem ſuam ſentire non valet; quia duas ſimul operationes eum habere oporteret: quod ne mens quidem compræhendit. Eadem autem actione obiectum & illius ſenſionem qui eum ſentire dixerit, minimè audiendus erit. Tum quia ne intellectui quidē hoc conceditur: atque in nobis ipſis experimur intellectiones plures fieri. Tum quia natura tota & vis illius actionis ea eſt, vt obiecti compręhenſio ſit. Etſi eadem actio, tum obiecti, tū ipſius ſenſionis cognitionem præſtaret; nunquā ſentiremus obiectum, quin ſentire nos ſimul cognoſceremus. At fit perſæpè, vt hoc non cognoſcamus. Et ſi id quoque aſſequi volumus, attentione noua conatuque animæ atque actione opus eſt. Sanè alia eſt entitas formaliſque ratio ſenſionis, alia obiecti. Et obiectum quidem directè, ſenſio autem non niſi cognitione reflexa cognoſci videtur: atque directum actum & reflexum non eſſe vnum & eundem nemo ignorat. Ita oſtenditur nullum ſenſum ſenſionem ſuam cognoſcere;

ſuā non ſentire.

A quo sentiatur.

verùm hoc ad superiorem virtutem pertinere.

Hanc esse rationalem animam placuit olim quibusdam; siue, vt Plutarcho, infima illa parte, in qua est opinio, quæque communis maximè est ac rationalem cum irrationali coniugit. Siue, vt aliis, attentiua illa, quam θεωρητικὴν ψυχὴν appellarunt: hanc rationali animæ præter intellectum, cogitationem, voluntatē, & electionē, addentes, quæ omnia ea, quæ in homine fiunt, quærat & animaduertat; facultatesque omnes percurrat, rationales, sentientes, vegetantes. Quorum sententiam hoc argumento confirmauit Philoponus; quòd vbi ratio circa aliquid fuerit occupata, etsi aspectus videat, quid tamen viderit nescimus: postquam ad se rediens, licet non videat, nunc inquit ipsum vidi. Verùm etsi in nobis id ratione, quæ suprema facultas est ac velut omnium princeps omnia circumspicit, animaduerti possit interdum: vniuersè tamen rem secus habere illud profectò demonstrat; quòd in bestijs quoque, vt in commentario ad tex. 136. aduersus Simplicium docui, suarum sensionum comprehensio inest. Nec sensionem modò, sed animaduersionem quoque in illis esse oportet, si agendi & mouendi principium futurum sit: nec tamen vlla in illis ratio. Necesse igitur est, eam sentientis facultatis, quæ bestijs cum homine communis sit, vt proximi iudicis cognitionem esse. Quippe actiones illæ ipsæ sensiles quodam modo sunt, quatenus sensilium; vt verè Aristoteles demonstrauit. Ea non superest alia, quàm communis sensus: quiuelut communis particularium sensuum iudex, vt eorum obiecta omnia persentiscit, comparat, & distinguit; sic illorum item actiones velut superior facultas percipit. Et ideò præsentia interdum obiecta non iudicamus, neque sentire nos sentimus; quòd is non operetur. Ita prorsus Alexandrum pronuntiasse reperies in primo libro de anima cap. de sensu communi, & post eum Michaelem Ephesium in l. de somno & vigilia, Auerroëmque & Albertum. Immò Themistium quoque & S. Thomam; qui in singulis sensibus videbantur

» cognitionem eam agnoscere. Vna, inquit Themi-
» stius capite 8. vis arbitra est, qua nos visu videre &
» auditu audire sentimus. Eadem enim facultate ne-
» cesse est actiones sensuum percipi, qua differentias
» actionum percipimus. Non ergò verum est, quod
» paulò ante visi sumus probare, cùm diximus, visu
» nos sentire hoc, quòd cernamus; & auditu, quòd
» audiamus. Hoc suum est communis sensus inge-
» nium, munusque; cui notitiam omnium sensuum
» natura mandauit. Hæc Themistius. Eandem sententiam planioribus etiam verbis expressam apud S. Thomam reperies in Commentarijs libro de somno & vigilia, & in prima parte Theologicæ summæ quæst. 78. art. 14. Immò (quod Philoponum & Simplicium magnopere miror non obseruasse) ipsummet Aristotelem in capite secundo indicati libelli. His etenim verbis est apud ipsum.

» Non enim visu quidem videt, quòd videt, & iu-
» dicat vtique, & potest discernere, quòd alia qui-
» dem dulcia sunt ab albis, nec gustatu, nec visu, nec
» ambobus; sed quadam communi particula om-
» nium sensoriorum.

Communis sensus duplex actio.

Quibus verbis totum hunc locum breuissimè amplexus est. Duas enim exposuit communis sensus actiones; quarum neutra possit à particularibus sensibus proficisci. Altera est propriam sensionem cognoscere, qua videmus, vel audimus. Altera particularium obiectorum differentiam percipere, quidque inter illa intersit iudicare. Itaque de obscura & perplexa, quæ in hoc de anima libro habita est disputatione, hæc est aperta & plana sententia. Quemadmodum in obscuris & grauibus difficultatibus consueuit; ita in hac pro vtraque disputans parte, reique veritatem inuestigans, ex vtroque sanè illo actionis genere communem sensum quæsiuit; tum vt sentire se animalia sentiant; tum vt dulce ab albo, vnius sensus obiectum ab alterius obiecto diiudicent. Ac posteriori quidem capite post apertiori sermone disseret: De priori autem hactenus loquutus est atque in tex 136. & 137. dubitationes vtrinque proposuit; ac demum in tex. 138. pronuntiauit sententiam; Non esse vnum ipsum aspectu sentire, sed duplex: aliudque esse videre, aliud aspectu diiudicare. Videre namque propria est videntis facultatis actio; aspectu autem diiudicare, superioris virtutis velut iudicis operatio existit. Communis nimirum sensus: qui quoniam non operatur nisi dum particulares operantur; non absolutè diiudicare, sed aspectu, hoc est sensu hoc operante diiudicare dicitur.

Cuius rei illud est Argumentum; quòd cùm nihil cernimus, tenebras & lumen aspectu diiudicamus: at non eodem modo. Lumen enim & obiecta cætera per ipsius particularis sensus actum sentiuntur: tenebræ ac priuationes reliquæ à superiori virtute, hoc est ab intellectu deprehenduntur. Non tamen sine sensu. Quia tunc intellectus priuationem cognoscit, cùm tentantem & conantem sensum operari non posse animaduertit. Ita ex priuationum cognitione ad sensionum comprehensionem ratiocinatus est. Quippe ambæ non à particulari & proprio sensu, sed à superiori virtute cognoscuntur. Differunt autem, quòd priuatio intellectu, sensio communi sensu cognoscitur. Duoque significare voluit. Alterum, sensionem non per se à proprio sensu, vt lumen; sed à superiori facultate, vt tenebras, cognosci. Alterum; eam quoquo modo dici posse proprio sensu cognosci, quatenus à superiori facultate non cognoscitur sine illo. Vt enim in tenebris opus est sensum conari & visionem tentare; sic eam necesse est visionis actum circa lumen aut colorem promere, si tenebras intellectus, & sensionem communis sensus percepturi sint. Deinde solutionem alteram subiiciens; Visionem quoquo modo coloratam esse propterea subiunxit, vt comparatione facta cum tenebris, quæ etsi priuationem puram significent, aspectu tamen iudicantur, multò magis sensionem ostenderet iudicari posse. Quod tamen, vt dixi, ita semper intelligendum est, vt aliud sit videre, aliud aspectu diiudicare: neque singulis sensibus sensionem aut priuationem cognoscamus, quòd edant illi actionem, qua eas sentiant ac de illis iudicent; sed quòd per illos vtramque superior facultas percipiat.

Hanc esse huius loci sententiam ex altero paulò ante proposito perspicuum est; in quo quasi visus est velle obscuriorem hanc illustrare sententiam atque aperta interpretatione planiorem facere. quod qui ita esse neget, fateatur eum oportet pugnantia fuisse loquutum; si in altero loco à particulari sensu; in altero à communi sentiri sensionem affirmauit.

Qua

Quæ verò duo argumenta adducuntur in tex. 136. ad ostendendum, eodem sensu & obiectum & sensionem sentiri, dilui facilè possunt. Quoniam enim vidit summus Philosophus communem sensum non operari nisi particulares operentur; verissimè voluit, non alio particulari, sed eodem sensu cognosci. Non quòd ab illo ipso eius operatio cognoscatur: sed quòd eo operante comprehendatur ab illo, qui omnium communis est. Quare cùm deducitur fore, vt idem obiectum pluribus sensibus cognoscatur; id sanè in sensibus particularibus, qui eiusdem ordinis sunt, foret absurdum. At in iis, quorum vnus inferior sit, alter superior; vnus exterior, alter interior; non solùm absurdum non est, quin potiùs maximè necessarium; cùm propria exteriorum plurium sensuum obiecta distinguantur, vt in tex. 146. idem ipse Philosophus tradet.

Neque (quod secundo loco adferebatur) opus est in infinitum progredi; dum vnius sensus actio sentitur ab alio. Etenim exteriorum sensuum operationes omnes ad vnicum hunc interiorem reuocantur; cuius actio ab intellectu cognoscitur; isque demum immaterialis cùm sit & incorporeus, in se ipsum conuersus non suam modò operationem, sed substantiam quoque comprehendit. Quocirca vniuersam hanc demonstrationem, quam ad communem sensum ostendendum priorem adhibuit Aristoteles, ita colligamus. Manifestum est, non solùm nos animaliáque cætera videre & audire, sed sentire quoque se videre & audire. Id particularibus illis & eisdem sensibus fieri nequit. Alio igitur communi & superiore opus est; qui dum illi operantur, de eorum operationibus iudicet.

TEXTVS.

Ἐκάστη μὲν οὖν αἴσθησις, τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ ὅτι, ὑπάρχουσι δὲ τῷ αἰσθητηρίῳ αἰσθητέα, ᾗ κρίνει ταῖς τοῦ ὑποκειμένου αἰσθητοῦ διαφοράς· οἷον λευκὸν μὲ καὶ μέλαν, ὄξυ γλυκὺ δὲ καὶ πικρὸν, γεύσις ὁμοίως δ' ἔχει τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.

Tex. 144. *Vnusquisque igitur sensus subiecti sensilis est, in sensorio inexistens quatenus sensorium est; subiectique sensilis differentias iudicat, Vt album quidem & nigrum aspectus; dulce verò & amarum gustatus: perinde autem habet hoc & in aliis.*

COMMENTARIVS XXVII.

QVemadmodum ex particularium sensuum exteriorum operationibus, quæ à nobis sentiuntur, ratiocinatus fuerit Aristoteles ad interiorem communem inuestigandum; satis opinor declaratum est. Alteram nunc inuestigandi formam ingreditur. Ea petitur ex obiectis. Hoc dum agit, tum sapienter Philosophatur ex operationibus & obiectis, quibus facultates constituuntur, facultatem hanc inuestigando: tum obiectum & operationem ipsius propriam significat. Obiectum enim sunt, tum particularium sensuum obiecta, tum eorum operationes: Operatio autem, obiecta hæc distinguere alterumque ab altero separate, ac singulorum sensuum operationes cognoscere atque animaduertere.

Sensus communis obiectũ & operatio.

Quapropter cùm Philoponus ac Simplicius hoc primùm loco sensum hunc inuestigari autumant, dimidiatam & imperfectam inuestigationem faciunt, ex obiectis duntaxat, non ex operationibus exteriorum sensuum: dimidiatumque obiectum & actionem relinquunt. Partem alteram superiori oratione contentam atque exteriorum sensuum operationibus sentiendis occupatam auferentes illisque sensibus singulis tribuentes.

Quod autem ad hanc rationem attinet, quæ ex obiectis petitur; ea ex particularium sensuum obiectis ad obiectum communis sensus statuendum progreditur: vt obiecto constituto facultas, quæ illud cognoscat, constituenda sit. Animalia non modò cognoscunt album & nigrum, eaque distinguunt; verùm etiam album & dulce diuersa esse sensilia norunt. Tum inquam diuersas singulorum obiectorum, colorum, sonorum, odorum, saporum, tactiliumque qualitatum partes ac differentias persentiunt: tum etiam colorem à sono differre, sonum ab odore, & omnino vnum obiectum ab alio toto diuersum esse animaduertunt & iudicant. Differentias colorum agnoscit aspectus, sonorum auditus, singulique sensus proprij obiecti diuersas partes discernere queunt. Quòd ex omnes sub obiecto & potestate illorum contineantur: atque vt alio & alio modo ab albo & nigro permouetur aspectus, aut ab acuto & graui auditus, & vnusquisque sensus à diuersis obiecti sui partibus; sic eas profectò distinguunt & iudicant. At vnius obiecti ab alio discrimen, coloremque à sono alioue sensili differre, nullus eorum potest cognoscere: quòd nullus nec verò etiam facultas vlla quidpiam potest præter obiectum suum comprehendere. Et tamen vt obiecta ipsa sunt sensilia, sic illud etiam discrimen sensile est; non secus ac discrimen albi & nigri, acuti & grauis, aliarumque similium partium. Quoniam discrimina sunt rerum sensilium, quæ à singulis sensibus sensilia sunt. Alium igitur nobis & animalibus cæteris inesse oportet sensum, qui id persentiat ac diiudicet. Quippe sensilia cognoscere quatenus sensilia sunt, maximè dum præsentia incurrunt in sensus, facultatis sentientis est: atque vt ad sensilia propria percipienda particulares sensus ponuntur; sic ad communitates hasce comprehendendas, quæ à particularibus sentiri nequeunt, communem alium sensum constituere oportet.

Communis sensus assertio.

Obiectũ sensile cur subiectum dicatur.

Principiò igitur vnumquemque sensum accipit subiecti sensilis esse, aspectum colorum, auditum sonorum, odoratum odorum, gustatum saporum, tactilium qualitatum tactum. Etenim particulares hos & omnibus notos sensus accipit, vt ex illis ad communem ignotum nos deducat. Subiecti autem dixit, non obiecti; ὑποκειμένου, vt in textu etiam 136. non ἀντικειμένου; vt aliis in locis. Siue eam ob causam, vt obiectum concretum & qualitatem in corpore inhærentem significaret. Non enim colorem, sed coloratum aspicimus. Siue quòd cùm sensum antea dixisset suscipere formam obiecti sensilis sine materia; sensionem tanquam formam & externam qualitatem tanquam materiam & subiectum considerauit. Siue quòd & ἀντικείμενος

dicitur, quatenus relatorum more opponitur sensui; & à Latinis obiectum, quatenus illi cognoscendum obiicitur; & ὑποκείμενον & subiectum, quatenus in ipsum sensus agit, non naturali, sed cognitrice & iudiciali actione. Siue potiùs subiectum dixit comparatione differentiarum, quas dicturus erat sensum in obiecto illo considerare. Earum enim illud quasi subiectum est; albi & nigri color, acuti & grauis sonus, & aliarum obiecta alia. Quam ob causam subiectum Simplicius appellauit genus. Siue demum ea voce non obiectum, neque subiectum, sed determinatum significare voluit; hoc accipiens, vnumquemque sensum particularem determinati sensilis esse, quod specialiter illi cognoscendum subiicitur. Nam ita loqui opportunum valde erat ad id, quod quærebat, inueniendum. Cùm ex hoc, quòd vnusquisque determinati sensilis sit, consequens esset, nullum eorum cognoscere posse plurium sensilium differentiam; sed aliò opus esse sensu, qui non determinati vnius obiecti, sed communiter omnium sit.

Hoc ipsum confirmat illud, quod sequitur (in sensorio inexistens). Quorsum enim hoc adderet, nisi vt magis explicaret determinatum sensum exteriorem, qui in parte corporis constituta resideat, oculo, aure, aliaue simili? Idcirco etiam sensorium dixit, quatenus sensorium est, hoc est, vt à tali obiecto moueri potest, oculus à colore, auris à sono, & aliorum vnumquodque à proprio & proportionato sibi obiecto. Etenim quod (in sensorio) Auerroës in sentiente interpretatus est, ex vitiato codice profectum est. Libuit quoque Philosopho sensum adiungere sensorio inexistere, quatenus sensorium est; vt (quemadmodum verè adnotauit Simplicius) eum significaret à corpore inseparabilem esse; necessarioque alligatum sensoriæ illi parti, quæ non solùm vitam habeat, sed apta item sit velut organum vtenti ea sensui famulari, ipsumque tanquam vtentem in illa residere. Vnde & intelligas, facultates sentientes nequaquam esse per totum corpus diffusas; verùm in determinata duntaxat parte ad operandum idonea contineri. Quorsum enim videndi facultas aut audiendi in pede aut manu, vbi nec vnquam operabitur nec operari potest? Atque hoc est alterum, quod de singulis sensibus accepit.

Facultates nõ esse per totum corpus sensus.

Ex his porrò duobus consequens est tertium. Nam si vnusquisque sensus determinati & proprij sibi obiecti sensilis est; isque in sensorio residet ad sentiendum apto: profectò circa obiectum illud ita poterit operari, vt totam eius latitudinem comprehendat: & ideò singulas partes dignoscat & tanquam diuersas diiudicet: cùm omnes obiecto illo contineantur atque à singulis secundum propriam suam conditionem, hoc est diuersò, quàm aliæ, modo mouere sensorium possint. Ita aspectus album & nigrum tanquam differentes coloris species cognoscit, & auditus acutum & graue in sono, odoratus suaue & molestum in odore, gustatus dulce & amarum in sapore, tactus calidum & frigidum, humidum & siccum in tactilibus.

Hæ sunt tres quasi hypotheses, quas de particularibus sensibus accepit Philosophus, vt ex illis communem alium ratiocinaretur. Poteris & eas ad duas contrahere (& mea quidem sententia magis accommodatè) si verba illa (in sensorio inexistens quatenus sensorium est) alio modo interpreteris; vt sint velut conditio hypothesi priori apposita. Hæcque sit prior hypothesis; Vnusquisque sensus proprium sensile apprehendit, si in sensorio existat optimè & secundum naturam affecto. Posterior autem hæc; Propriorum sensuum vnusquisque proprij sui obiecti differentias persentificit. Vtramque sine probatione accepit: tum quòd per se notæ sunt & experientia satis superque confirmatæ: tum quòd ex tota superiori tractatione de sensibus illis habita colliguntur. Nam si sensus illi propter distincta obiecta distincti sunt, illorum vnusquisque propter sui obiecti cognitionem fictum est, totumque illud & omnes eius partes debet comprehendere.

Quare illatiua dictio (igitur) qua principiò vtitur, non modò ad proximè superiorem orationem; in qua de sensuum obiectis aut exuperantibus aut moderatis dixerat, referri potest. Verùm etiam ad antecedentem vniuersam doctrinam de sensibus illis traditam. Dùm verò differentes obiectorum species percensèt, extremas, non medias, memorat; album & nigrum, dulce & amarum. Quoniam eæ maximè sensiles sunt, magisque faciunt manifestum id, quod dicitur. Et cùm illæ, quæ mediæ sunt, ex extremis quodam modo componantur; qui extremas commemorat, complecti omnes videtur. Denique exempla ex aspectu potissimum & gustatu profert: quod alter sensus sit præstantissimus & vtaliorum mensura; quique vt est in proœmio librorum metaph. multas differentias manifestat: Alter in nobis exactissimus; quippe qui tactus quidam est.

Ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ λευκὸν, καὶ τὸ γλυκὺ, καὶ ἕκαστον τῶν αἰσθητῶν ἁπλῶς λέγομεν κρίνομεν, τηνικαῦτα δὲ καὶ αἰσθανόμεθα, ὅτι διαφέρει, ἀνάγκη δὴ αἰσθάνεσθαι· αἰσθητὰ γάρ ἐστιν.

Quoniam verò & album & dulce, & sensilium vnumquodque ad vnumquodque iudicamus aliquo, atque sentimus ea differre: necesse profectò sensu. Sensilia namque sunt.

COMMENTARIVS XXVIII.

A Particularibus nunc sensibus ad communem progrediens, sub illa hypothesi velut propositione superioribus verbis commemorata; Vnumquemque particularem sensum obiecti sui differentias cognoscere; hanc subiungit assumptionem; Nos non solùm cognoscere album à nigro, sed etiam à dulci differre: & vniuersè tum diuersas eiusdem obiecti partes inuicem comparantes, vt album & nigrum, dulce & amarum, acutum & graue; tum vnum totum obiectum cum alio toto vniusue partem cum alterius parte, vt colorem cum sapore & saporem cum sono, aut album cum dulci, & dulce cum acuto; nos planè cognitrice aliqua facultate cognoscere & iudicare; immò & sentire ea esse diuersa magnopereque differre; & aliud esse colorem aut album, aliud saporem vel dulce, aliud denique sonum aut acutum.

Satis

Satis autem illi non fuit dicere (iudicamus) sed voluit addere (sentimus). Tum quòd iudicium poterat ad intellectum referri; voluitque significare hoc sensus iudicium esse. Tum quòd cùm quasi de nobis dixisset (iudicamus) noluit quemquam existimare hominis hoc proprium esse. Quare vt eandem in bestiis cognitionem, idemque iudicium esse ostenderet; alterum adiecit verbum. Atque ita cognitionem eam & iudicium ab aliquo sensu proficisci concluſit. Etenim, inquit, hæc obiecta sensilia sunt. Nec modò dum in se ipsis & secundùm totum considerantur; verùm etiam cùm aut tota aut eorum partes inuicem comparantur. Quocirca cùm sensilium cognitio quatenus sensilia sunt, propria sit sensus, etsi ea quoad naturam & definitionem ab intellectu comprehendatur, vt sensilia tamen sunt alióque & alio modo afficiunt sensum, nimirum ad sensum pertinent. Sanè intellectus quoque album à dulci & aliud quod uis sensile ab alio differre cognoscit: quemadmodum tamen is non nisi per sensum sensilia cognoscit; ita non per se sed per eundem sensum differentiam illam assequitur.

Quid ergò ait Philoponus, Aristotelem non probasse cognitionem illam diuersi generis sensilium intellectus propriam non esse? Probauit enim vbi ostendit pertinere ad sensum, quòd obiecta illa sensilia sint. Namque sensus & sensile mutuam habent relationem: omnisque sensus alicuius sensilis sensus est, & omne sensile aliquo sensu sensile. Dum autem ipse ex eo demonstat, quoniam si cognitio illa & iudicium intellectus esset, solius hominis esset: iam verò in bestiis, quæ intellectu & ratione carent, non minùs apparet, dum opportuna sibi alimenta persequuntur & ab alienis aut ad nutriendum ineptis diiudicant: Optimam quidem demonstrationem adfert: sed haud fortasse nouam. Siquidem eam quoque visus est comprehendisse Philosophus, cùm non solùm (iudicamus) dixit, sed etiam addidit (sentimus. Deinde eam ipsam demonstrationem non benè adducit Philoponus, neque accommodato illustrat exemplo. Quippe aptum alimentum ab inepto dignoscere, canemque discernere carnem gustabilem à lapide non gustabili; Non est diuersi generis sensilia diiudicare, eorumque differentiam sentire: sed sensile potiùs & priuationem illius percipere, dum lapis cognoscitur vt ingustabilis. Quam cognitionem non sensus, sed rationis propriam esse in 2. lib. demonstrauimus. Quare ea nullo modo inest cani; qui ad carnem quidem accurrit, ad lapidem autem non item; quoniam à carne & gustabili mouetur, à lapide non afficitur. Quod sanè non est cognoscere gustabile & ingustabile; sed gustabile quidem sentire, ingustabile autem non item. Dum tamen carnem videns & non gustans ad eam mouetur, iudicat sanè gustabilem, communi videlicet sensu, qui simul cum aspectu operatur à phantasia adiutus, præteritique gustatus memoria, quo eam aliàs sapidam & gustabilem sensit. Quare appositè magis exemplum illud potuisset proponi. Atque hæc obiter Philoponum monuisse satis. Ad Aristotelis argumentationem redeundum est. In qua habemus hactenus, diuersorum illam sensilium cognitionem ad sensum aliquem pertinere. Quis ille sit, hoc iam inuestigandum superest: atque consequentibus verbis quomodo colligi possit explicatur.

TEXTVS.

Ἢ καὶ ὅλως, ὅτι ἡ σὰρξ ἁπτόν ἐστι τὸ ἔσχατον αἰσθητήριον· καὶ ἀγνοεῖ ὃ λῶ ἁπτόμενον ὥστε, κρίνειν τὸ κρίνον.

Quo etiam manifestum est, carnem vltimum sensorium non esse. Etenim oportet id, quod iudicat, tangendo ipsum iudicare. Text. 145.

COMMENTARIVS XXIX.

MIra hîc interpretum discordia; nec piget quorumdam sententias ponere, atque vt par est examinare. Philoponus absolutam superioribus verbis credens rationem eam, quæ sensu communem colligebat; alterum nunc caput demonstrari voluit; hunc sensum non esse corpus. Eadem videtur Simplicio fuisse sententia. Quare cùm caro dicitur vltimum sensorium non esse, negant de tactu eiusque sensorio sermonem esse; sed carnem pro quouis corpore nominari, & sensorium pro sensu vltimumque sensorium communem sensum appellari. Quoniam propterea vltimus dicitur, quòd ad illum particulares reliqui omnes sensus deducantur, & in eum tandem desinant. Vt illorum verborum (carnem vltimum sensorium non esse) conuersa propositione, hæc sit sententia, veluti probanda conclusio; communis sensus non est corpus. Quæ duplici argumento probetur. Altero; omne corpus tangendo sentit; communis sensus, etsi non tangat, operatur, non est igitur corpus. Altero consequentibus verbis contento; si esset corpus, operaretur per partes, vt cætera corpora; neque in eodem susciperet album & dulce; sed in vna parte album, in alia dulce: perinde ac si ego album sentirem, tu dulce. At nisi ipse totus vtrumque apprænderet, quomodo iudicaret ea & distingueret? Vnum enim esse oportet, quod iudicat; cui ea omnia, quæ iudicat, nota sint. Simplicius tamen in argumentationem vnicam sermonem contraxit. Vt cùm corpus dicitur tangendo sentire, intelligatur sentire per diuersas partes vnicuique sensili occurrentes. Quod ad eam argumentationem pertinet, quę Philopono posterior esse videtur.

Verùm hæc interpretatio vix, immò ne vix quidem est probabilis. Tum quòd cùm de cæteris sensibus ostensum id non fuerit, ne hunc quidem necessarium erat ostendere non esse corpus. Aut satis erat id, quod vniuersè de omni sensu traditum fuerat in tex. 122. secundi libri; sensum non esse magnitudinem, sed rationem quandam & facultatem in magnitudine. Et rursum postremò in proximè superiori oratione in tex. 143. & 144. sensum rationem esse in sensorio inexistentem. Accedit, quòd minùs verè id probare poterat: aut certè præbebatur occasio credendi sensu hunc incorporeum esse, atque ab organo separatum. Denique rationes eas, vt leuissimas nunquam ad id probandum attulisset Philosophus. Primùm enim propositio illa, omne corpus tangendo sentit, si de immediato contactu proferatur, falsa est, & Aristoteli contraria; qui tum solum tactum tangendo, reliquos verò sensus per sua corporea organa procul

dissita obiecta sentire docuit. Tum verò in primo libro de ortu atque interitu tex. 45. duplicem contactum physicum, hoc est inter naturalia corpora, & cum actione & passione coniunctum, posuit: vnum immediatum, alterum mediatum: sine quorum altero nihil prorsus agat. Deinde dum fore deducunt, vt per partes operetur, si sit corpus; an non eodem argumento conficeretur, reliquos item sensus incorporeos esse? An non aspectus per oculum contrarios simul colores cernit, & iudicat? Et tamen difficilius est contraria, quàm diuersa, sentire. An non idem ipse communis sensus in vna corporis parte tanquam organo residet; siue ea sit cor, siue cerebrum; qua diuersa simul obiecta suscipiuntur, & iudicantur?

Reliqui igitur ad rationem illam absoluendam, qua communis sensus tanquam ab aliis diuersus probabatur, hæc referunt. Et Alberto quidem, ac S. Thomæ caro & sensorium carnem & tactus organum significant. Si enim inquiunt iudicium illud diuersorum sensilium aliquo particularium quinque sensuum fieret, per tactum maximè fieret. Quoniam is, vt antea dictum est, videtur esse plures; contrarietatesque multas percipit. Immò primus est, & fundamentum omnium sensuum, quo animal primùm fit sentiens. Hinc S. Thomas carnem deducit non esse vltimum tactus sensorium. Quia cùm hic sensus tangendo operetur, sensilium illam differentiam carnis contactu cognosci oporteret, si tactu ea dicatur percipi. Albertus autem iudicium illud tactui ostendit attribui non posse: quoniam siue illius organum carnem posueris, siue aliud quiduis; non operatur is nisi tangendo: album autem, & dulce non tangentes, sed interiecto corpore diiudicamus.

Ego verò nullam audiens tactus mentionem fieri, cùm caro deducitur vltimum sensorium non esse, non video, quorsum id aut quo modo de tactu intelligi possit. Præsertim cùm illud, quod ipsi præmittunt (si iudicium illud aliquo particularium sensuum fieret, maximè tactu fieret) ab Aristotele præmissum non fuerit: sed carnem non esse vltimum sensorium, colligatur immediatè ex eo, quòd iudicium illud ad sensum aliquem vniuersè sumptum pertinere dixerat. Deinde minùs accommodata est ratio, qua id maximè ad tactum pertinere ostenditur. Non enim verè accipitur eum plures sensus esse. Et quamuis contrarietates plures comprehendat; omnes tamen determinato vnico obiecto continentur. Ac demum ex eo, quòd primus est sensus, aliorumque fundamentum; tantum abest, vt illud sit consequens, vt contrarium potiùs deducatur. Vt enim primus est, ac cæteros antecedit; sic minimè poterit consequentium, & posteriorum obiecta persentiscere, ac iudicare: cùm hoc postremæ potiùs facultatis sit, quæ prioribus adiungatur. At quænam est illa S. Thomæ deductio, quam velut manifestam colligit? Iudicium hoc ad tactum maximè pertinere videtur; caro igitur non est vltimum tactus sensorium. Quid erat opus de organo tactus nunc dicere, illudque non esse carnem ostendere? Denique philosophi probationem, quam generalem esse ac sensum omnem exteriorem complecti oportebat, minùs efficacem faciunt; dum ad solum tactum contrahunt, ad quem vt primum, infirmum, & imperfectissimum omnium, minimè prorsus pertinere videbatur vltimum illud, supremum, & perfectissimum iudicium de cæteris sensibus, eorumque obiectis: quod vltimi nimirum, supremi, & perfectissimi sensus esse debet; qui aliis omnibus quasi iudex præsit, & ius dicat, & ad quem concurrant omnes: siue is diuersus ab illis sit; siue is, qui inter eos præstat omnibus.

Vera igitur, & germana huius loci interpretatio ea est, quæ fuit Auerrois. Vt caro quidem tum carnem significet tanquam tactus organum (tantum abest, vt eam colligat huiusmodi sensus sensorium non esse) tum reliquorum sensuum exteriorum sensoria (vnum enim pro omnibus nominasse sit fuit) vltimum autem sensorium id, quod vltimò sentit, siue in quo vltimum fit sensilium diuersorum iudicium. Nam postquam iudicium illud posuit ad sensum aliquem pertinere; ad quem sensum pertineret, inuestigare cæpit. Statimque velut assumptionem accepit, carnem vltimum sensorium non esse; hoc est neque in carne; neque in oculo, neque in lingua, neque in aliorum particularium & exteriorum sensuum organis sensionem eam fieri, qua vltimum de diuersis sensilibus iudicium feratur. Quod perinde est ac dicere, iudicium illud, ad nullum particularem sensum pertinere, sed ad superiorem alium progrediendum vlteriùs esse. Carnem autem potissimũ nominauit; siue quòd communissimus ille sit omnium sensus, qui animalibus cũctis inest. Siue potiùs carnem dixit linguam, quæ carnea est, gustatus organum, quo sentimus dulce, quod à nobis dixerat ab albo distingui. Potuisset enim fortasse quispiam existimare gustatu distingui, dum sentit dulce; aut aspectu, dum cernit album; eodemque modo reliqua huiusmodi iudicia alicuius esse particularis sensus, qui dum suum obiectum comprehendit, illud quoque ab alio distinguit. Porrò cum carnem nominasset, quæ tactus sensorium est; aut etiam gustatus, qui tactus quidam est; ex hoc sensu propositionis probationem deduxit. Tactus atque adeò gustatus non sentiunt, nec iudicant, nisi tangendo; at non tanguntur, nisi tactilia; neque hi sensus tangunt, nisi proprium suum obiectum, tactus qualitates tactiles, gustatus gustabiles, quatenus in humido tactili cõsistunt: de his igitur solis iudicare possunt; non de colore, sono, aut odore, quæ qualitates tactiles non sunt; sed aspectabiles, audibiles, odorabiles.

Hanc ergo arbitror huius probationis explicationem esse; etsi alij omnes secus hactenus interpretati sint. Alio autem modo potest eadem illa probatio deduci. Si caro vltimum esset sensorium, & tactus per carnem, cæterique sensus similiter per suum proprium organum de sensilibus diuersis iudicarent; sanè tactus, & caro tangendo, aspectus, & oculus videndo, auditus, & auris audiendo, cæterique singuli actionem sibi propriam promendo iudicarent. At tactus non nisi tactilium est qualitatum, non alboris; visio alboris, non dulcoris; auditus soni, non odoris; & omnino eorum vnusquisque proprij duntaxat obiecti, non aliorum: non potest igitur in illis esse hoc de pluribus iudicium, sed alio opus est sensu, alioque sensorio.

Cur ego ita interpreter, hæc faciunt. Primùm, quòd ita efficacissima, & planè necessaria probatio ducitur ex ipsa sensuum, ac facultatum natura petita; quæ ex obiecto ita constituitur ac definitur, vt nihil extra illud cognoscere valeat. Quam probationem prætermittere Aristoteles non debuit.

Deinde

Deinde quòd generalis probatio sit, quę sensus omnes complectatur; atque vniuersè probet ad nullum eorum iudicium illud pertinere. Siquidem vt tactus tangendo solum operatur; sic aspectus aspiciendo, auditus audiendo, odoratus odorando, hacque actione aspectus aspectabile solum, auditus audibile, odoratus odorabile, non item cætera obiecta persentiunt. Vt enim carnis nomine sensoria omnia particularium sensuum significantur; ita & tangendi voce proprias omnes singulorum actiones intelligere oportet. Quæ verò ab aliis interpretibus ex illis verbis probatio colligitur, in solo tactu locum habet. Præterea quòd communis illa cęterorum expositio, si sensus particularis iudicium illud sit, maximè erit tactus; at is tangendo solùm sentit; nos verò remota etiam obiecta diuersa esse iudicamus: falsum accipit, maximè scilicet tactus iudicium illud fore. Immò minimè illius fore videtur, vt aduersus Albertum, & S. Thomam demonstraui. Nec vlla est ratio, cur tactus potius, quàm alij, diuersorum sensuum obiecta diiudicet: cùm non minùs is, quàm cæteri, particularis, ac determinati obiecti sensus sit. Denique quòd hac mea interpretatione partes omnes complector. Nam qui particularibus sensibus iudicium tribueret, vel eorum singulis, vel pluribus simul tribueret. Non esse pluribus simul operantibus tribuendum, iam iam Philosophus demonstrauit: nunc verò nō posse singulis tribui ostendit. Alioqui parte hac demonstrationis prætermissa, imperfecta & mutilata demonstratio fuisset. Respondere namque potuisset quispiam, non id quidem à pluribus simul cognosci, operante vnoquoque circa suum obiectum: sed singulos, dum suum obiectum sentiunt, de iis quoque, quæ cùm illo coniuncta sunt, iudicare. Atque hoc fieri non posse, oportuit demonstrare. Iam verò hoc demonstrato, ad alterā partē progreditur.

TEXTVS.

Οὔτε δὴ κεχωρισμένοις ἐνδέχεται κρίνειν, ὅτι ἕτερον τὸ γλυκὺ τοῦ λευκοῦ· ἀλλὰ δεῖ ἑνὶ τῷ ἄμφω δῆλα εἶναι. οὕτω μέν, εἰ ἐμὲ τὸ ἐγὼ, τῷ δὲ σὺ αἴσθοιτο, δῆλον ἂν εἴη ὅτι ἕτερα ἀλλήλων· δεῖ δὲ τὸ ἓν λέγειν, ὅτι ἕτερον· ἕτερον γὰρ τὸ γλυκὺ τοῦ λευκοῦ. λέγει ἄρα τὸ αὐτό. ὥστε ὡς λέγει, οὕτω καὶ νοεῖ, καὶ αἰσθάνεται. ἔτι μὲν οὖν οὐχ οἷόν τε κεχωρισμένοις κρίνειν τὰ κεχωρισμένα, δῆλον.

Neque verò fieri potest, vt separatis iudicet id, quod iudicat diuersum esse dulce ab albo: sed vni cuipiam ambo nota esse oportet. Sic enim habet. Etiamsi hoc quidem ego, illud verò tu sentires; manifestum sanè esset ea inter se diuersa esse. Vnum autem dicat oportet esse diuersum. Diuersum enim dulce ab albo. Dicit ergo idem. Quare vt dicit, ita & intelligit, & sentit. Separatis igitur separata iudicari non posse perspicuum.

COMMENTARIVS XXX.

POstquàm probatum est diuersorum sensilium iudicium singulorum particularium sensuum seorsim sumptorum non esse; considerandum superest, num plurium simul operantium esse queat. An inquam album esse dulce, albumque à dulci differre propterea cognoscatur, quòd aspectus album, gustatus dulce persentiat. Hoc enim est, quod dicit Philosophus (separatis iudicari) hoc est pluribus & distinctis operantibus. Omnino autem respondet nequaquam id fieri posse; sed necessarium prorsus esse vtrumque sensile ab vno & eodem sensu cognosci & iudicari. Nam si à pluribus iudicarentur, ab vno album, ab alio dulce; perinde esset ac si ego viderem album, tu gustares dulce. Quid enim interest, siue diuersos homines, siue diuersos sensus sentire dixeris? Cùm non minùs forma, & subiecto, hoc est facultate, & organo differant duo sensus, quàm anima, & corpore toto duo homines. Quare sicut si ego album cernerē, tū gustares dulce; manifestum quidem esset dulce ab albo diuersum esse: Quoniā aliter ego afficior ab albo, quàm tu à dulci. Neuter tamen nostrum diuersitatem eam sensu cognosceret, sed sola ratiocinatione colligeret. Ita profectò, si aspectus videat album, & gustatus dulcorem sentiat; certum esset diuersa hęc obiecta esse. At neuter sensus diuersitatem comprehenderet. Oportet namque eum, qui aliqua duo separare, ac distinguere debet, vtrumque cognoscere; quoniam iudicium omne vnius est. Et iudices, inquit Philoponus, ambas partes audire volunt, vt earum controuersiam cognoscāt. Ac demū Simplicius diuersitatem ait habitudinem quandam significare, quę non cognoscitur, nisi cognitis iis, quę inter se mutuò referuntur. Dum verò alter illorum sensuum obiectum suū sentit, non sentit alterum. Quemadmodum igitur vnus debet esse homo, qui ambo cognoscat, vt dulce pronuntiet alterum esse ab albo: sic vnam necesse est facultatem esse vnumque sensum, qui sensile vtrumque comprehendat; & dum alio, atque alio modo ab illis afficitur, ea diiudicet esse diuersa. Neque vllo modo separata, hoc est diuersa obiecta, separatis ac diuersis sensibus iudicari & dignosci queunt.

Sanè ad hoc persuadendum ex sensibus ipsis particulāribus licet argumentum sumere, vt verè admonuit quoque Themistius. Quemadmodū enim vna facultas est, quæ differre iudicat album, & nigrum; singulique sensus diuersas sui obiecti partes discernunt, ac separant; auditus acutum sonum & grauem, odoratus suauē odorem & molestum, gustatus saporem dulcē & amārum, tactus calorem & frigus, humorem & siccitatem: sic vnam necesse est esse, quæ dulce ab albo, aliaque huiusmodi sensilia diuersa distinguat. Quo circa argumentatione hac simul probauit, & communem sensum nobis inesse, & eum esse vnum.

Porrò vbi dixit (intelligit, & sentit) intelligere Philoponus vult pro imaginari positum esse; fortasse quòd intellectus sensilium per se non sit, quatenus sensilia sunt. Verùm neq; imaginatio hoc loco cum communi sensu, qui ex propria sua operatione quærebatur, confundi debuit. Intellectum ipsū vēriùs intelliges: quem aut ideò nominauit cum sensu, quòd tū sensu, tum intellectu diuersitas illa cognoscatur: aut quòd ostensum nōdum sit, intellectū à sensu diuersum esse: Aut postquam intellectum nominasset, emendauit sermonem; addēdo sensum; quia verè iudicium sensus est, non intellectus. Sensum quoque affirmauit dicere, dulce ab albo diuersum esse: non eo modo, quo intellectus dicit affirmando, aut negando vnum de altero (quæ enim sit in sensu affirmatio, quæue negatio?) Sed simplici iudicio dicere, hoc est iudicare, & cognoscere obiecta illa tanquam diuersa; dum alio, atque alio ab illis modo permouetur.

Digressio VI. Qua hæc Aristotelis ratiocinatio perpenditur.

TAm est aperta & manifesta hæc ratiocinatio, qua præter particulares exteriores sensus communem hunc in nobis inesse demonstratum est; vt minimè mirum sit, si Platoni quoque ante Aristotelem eum fuisse cognitum & nominatum dicat Philoponus. Ego verò cognitum quidem fortasse crediderim: nominatum tamen non reperio. Certè in Theæteto absurdū fore ait Socrates, si multi nobis quemadmodū ligneis ęquis insiderēt sensus, eorumque organa, oculi, aures, nares, in exterioribus corporis partibus apparerent: neque hæc in vnā, siue ideam, siue animam, siue quocumque modo appellare deceat, tenderent omnia; qua per ista, tanquam per organa, quæcumque sensibus subiacent, sentiamus. Ac rursum addit, ea, quæ per aspectum sentiuntur, sentire per auditum non posse, neque contrà. Atque illud etiam subiungit, dissimilitudinem horum, ac diuersitatem, nec per aspectum, nec per auditum iudicari. Quare animam ipsam concludit quædam per corporis organa, quædam per seipsam comprehendere. Per corporis organa res singulas cognoscere; per seipsam autem in omnibus communionem, ac diuersitatem iudicare: atque ad illam solam, vt essentiæ, sic identitatis, ac diuersitatis cognitionem pertinere. Sensum nec essentiam vllius rei; nec idem, & diuersum comprehendere posse.

Cōmunis sensus Platoni cognitus.

Ex quo loco si quis Aristotelem dixerit argumentationem, quam hoc loco proposuit, desumpsisse, aut certè illius construendæ occasionem habuisse; non magnopere repugnabo. Modò fateatur, aliam planè illius, quam Platonis deductionem fuisse. Plato namque duo prorsus affirmauit. Alterum; sensilia quidem obiecta per exteriora corporis organa suscipi, atque ad animam transmitti: at illorum comprehensionem, & iudicium non in illis, sed in interiori animæ ipsius sede, ac domicilio fieri. Et ideò dicēdum potiùs esse, nos per oculos, aut aures cernere, aut audire; quàm oculis, aut auribus. Alterum, identitatem, ac diuersitatem, similitudinem, dissimilitudinemúe obiectorum, non per sensum, neque per illorum organa, sed immediatè ab anima iudicari. Aristoteles in vtroque dissentit: hancque fortasse ob causam duo illis prorsus opposita in hac disputatione posuit. Alterum in tex. 144. in ipso videlicet ratiocinationis exordio; Vnumquemque sensum in sensorio, quatenus sensorium est inexistere, ibique suum obiectum, & illius differentias iudicare. Quæ verba si satis considerasset Alexander, quem Themistius sequutus est, nequaquam affirmasset in cap. vltimo libri primi de anima, & commentario nono in librum de sensu, & sensili, in organo quidem externo suscipi obiectum, sensionem tamen non in illo, sed in interiori fieri sensus communis organo; quod ille non esse credidit. Verùm de hoc pluribus disputare alterius est instituti. Alterum, quod Aristoteles adiunxit, illud fuit, quod in tex. 145. probauit, diuersitatem eam sensilium iudicari sensu; quoniam ipsa sensile quidpiam est. Hoc enim non temerè credes non solùm ad excludendum intellectum fuisse additum; verùm etiam ad illud Platonis pronuntiatum euertendum, quo non sensu, sed anima per se ipsam iudicari tradiderat.

Quid differat ab Aristotele.

A Is igitur accipiens illud, quod singulis penè momentis experimur, nos non ea modò obiecta, quæ generis eiusdem sunt; sed ea item, quæ genere differunt, diuersa esse cognoscere; tria omnino probauit. Primum, facultatem illam, quę de pluribus sensilibus iudicat, sentientem ille. Alterum, eam non esse exteriorem vllam, & particularem; siue vnam, siue plures; verùm interiorem aliquam, & communem. Tertium, ac postremum, eam esse vnam, non plures. Facultatem quampiam esse, ante hæc omnia non probauit: quòd manifestum esset, & omnibus certum, ipsam animæ substantiam nil nisi per facultates operari. Neq; cùm Plato ipsā animā dixit identitatem, ac diuersitatem per seipsam cognoscere, facultates excludere voluit, sed corporis organa, & sensus; eamque cognitionē ad intellectum traducere. Facultates verò cognoscentes omnes, quæ in nobis sunt, mira breuitate complexus est. Eę sunt intellectus, & sensus. Intellectus duobus modis intelligere potest. Aut per se, & seorsim; quemadmodum cùm naturas vniuersas, atque à sensibus remotas substantias contemplatur; etsi sensibus, ac phantasia præsertim ad contemplandum ducatur. Aut simul cum sensibus; vt cùm res sensatas, & cum materia, sensibusque coniūctas cognoscit. Neutro modo cognitionem hanc diuersitatis sensilium posse intellectui tribui, vnico illo argumento ostendit; quoniam sensilium cognitio, quatenus sēsilia sunt, propria sensus est, non intellectus. Hinc enim conficitur, neque ab intellectu per se & solitario iudice iudicari posse; neque famulantibus sensibus, nisi antea sensus aliquis tanquam proximus & naturalis iudex ponatur. Si quidem quam ob causam is absq; sensu sensilia non cognoscit, propter eandem neq; vnum ab alio distinguit.

Huic argumentationi si altera illa addatur, iudicium hoc in bestiis quoque rationis ac mentis expertibus reperiri; magis fuerit confirmatum, sensus illud, non intellectus, esse. Iam verò si solos exteriores omnibusque conspicuos sensus consideres; siue eos seorsim singulos, siue plures simul obiecta sua persentientes intuearis; de pluribus obiectis indicium nunquam habebis. Quoniam illi nihil nisi suum obiectum cognoscūt: deque diuersis quidem illius partibus iudicant; at aliorum sensilia neatingunt quidem. Si igitur communis ille iudex non est intellectus, neque particularis sensus, siue vnus, siue plures; alius profectò fuerit in nobis interior, ac superior sensus, qui diuersa illa obiecta complectatur, & discernat. Eumq; necesse est esse vnum; quoniam eundem esse oportet, qui cognoscat omnia, si singula à singulis distinguenda sint. Atque hęc ita se habent hactenus. Iā cætera persequamur.

TEXTVS.

Οπερ δ' οὐδ' ἐν κεχωρισμένῳ χρόνῳ, ἐνίοτε ὅσα καὶ τὸ αὐτὸ λέγει ὅπ' ἄτερον τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λευκόν, οὐ πω καὶ ἕτερον λέγει ὅπ' ἄτερον καὶ ἕτερον, οὐ κ' συμβαίνοι τῷ ἕτερα λέγω δὲ, οἷον πω λέγω ὅπ' ἄτερον, ὁ μὲν τοι ὅπ' πω ἕτερον ἀνθ' οὗτο λέγει, ᾧ νῦν πω, καὶ ὅπ' πω· ἅμα ἄρα.

Quod verò neque in separato est tempore, hinc. Vtrumque idem dicit diuersum esse bonum & malum: sic tactum quando alterum dicit diuersum esse, & alterum quoque, non existente accidenti, ipsum quando. Quemadmodum nunc nunc dico diuersum esse, non tamen nunc diuersum esse. Sed via dicit, & nunc, & nunc esse. Simul igitur.

COMMEN.

COMMENTARIVS XXXI.

QVæ verbis hisce continentur, ad vnitatem quoque communis sensus pertinent; tametsi tertium Philoponus contemplationis caput statuerit. Vim etenim eam, inquit Themistius, quæ de obiectis discrepantibus arbitratur, non solum in se vna simplexque est, sed etiam per comparationem & collectionem ad tempus. Vnam in se facultatem esse, vnumque sensum, qui dulce ab albo diuersum esse decernat: neque separatis ac diuersis, separata ac diuersa iudicari; hactenus deducta ratio persuasit. Iam ne separato quidem, ac diuerso tempore, separataque ac diuersa actione iudicium illud constare; sed simul & eadem operatione vtrumque cognosci; tum dulce diuersum esse ab albo; tum albū à dulci, nititur demonstrare. Hæcque est demonstratio. Quemadmodum eadem est facultas, quæ bonum iudicat esse diuersum à malo; sic etiam ipsum quando, hoc est tempus, quo vtrumque iudicatur, idem est. Eodem.n. tempore, quo bonum iudicatur esse diuersum à malo, malum quoque à bono diuersum esse cognoscitur. Et non priùs horū alterum percipitur, deinde alterum: cùm bonum à malo nequeat separari, quin hoc simul separetur ab illo. At idem est communis sensus, qui dulce, & album discernit. Eodem igitur tempore, eodemq; cognitionis, & iudicii actu, dulce ab albo, & à dulci album diiudicatur. Quod autem dixit, idem esse tempus; ipsemet ita accipiēdum esse interpretatur, vt sit idem per se, non ex accidenti: hoc est non solùm comparatione iudicātis, qui nunc dicat diuersum id, quod iam fuit diuersum. Est.n. nunc ex accidenti, quando priùs factum est, nunc dicitur fieri. Sicut si dicam; nūc audiui factum fuisse bellum: tempus illud, seu nunc instans temporis ad auditū refertur, non ad bellum factum: cùm non dicam bellum nunc fuisse factum, sed me nunc audiuisse. Atque hoc est illud, quod ait (nunc dico diuersum esse non tamen nunc diuersum esse). Verùm etiam ex parte rerū iudicatarū; vt id, quod nunc fit, nunc fieri dicatur. Quemadmodū si dicam, nunc te loquentē audio. Nam & ego nunc audio, & tu nunc loqueris. Hoc nimirū per se, & non ex accidenti dicitur nunc esse. Quoniā non solū est, quatenus nūc dicitur, & cognoscitur, sed quatenus ipsa & secundū suā naturā. Ex accidenti autem est, quando non est, quatenus ipsa; sed quatenus dicitur & cognoscitur. Itaq; cùm cōmunis sensus, non secus ac particulares, non nisi de re præsenti fit, quæq; particularibus sensibus subiiciatur; dum is duo obiecta iudicat esse diuersa, idē est tēpus, tum ex parte ipsius sensus, tum ex parte obiectorū, quæ simul ambo & non vnum post alterū iudicātur. Id sibi volunt illa verba (sed ita dicit, & nunc & nunc esse) hoc est ita, vt & nūc iudicet, & nunc distinctas esse iudicet res ipsas, quæ iudicantur. Simul igitur, & eodē tēpore iudicantur bonū & malū, dulce & album. Quod ad differentiam phantasiæ, aut etiam intellectus dictū fortasse fuit. Nam hæ facultates sunt de re absente & præterita, cōmunis sensus de re solùm præsenti, quæ nunc fit, quando cognoscitur. Et ideò imaginabili rei, aut etiam intellectili, si rem præteritam intelligas, ex accidenti ineſt nunc; rei autem sensili omnino per se.

Sensum communē simul diuersa dignoscere.

A Sed Auerroës, quem Albertus mox sequutus est, cùm idem nunc audiuit, momentū m idem intellexit: quasi voluerit philosophus dicere sensus huius cognitionem momentaneam esse. Quod Philoponus quoque visus est velle, sensum hunc inquiens probari sinè tempore esse. Fateor ita rem habere, vt & in cognitione item ac iudicio sensuum exteriorum: siquidem omnis notitia simplex momentanea est. Non id tamen hoc loco sibi voluit Aristoteles: sed illud solùm, vt simul, & non separato tēpore, actionibus multiplicatis, vnum post alterum iudicari conficeret. Quod argumento quidem illo probauit, quod (nunc) de re præsenti per se dicitur, de præterita ex accidenti. Quia de præsenti dicitur B quatenus ipsa; de præterita non quatenus ipsa, sed quatenus dicitur. Illud tamen (nunc) non accipitur tanquam tēporis impartibile momentum, sed tanquam præsens; siue tēpus sit, siue momentū tēporis. Hoc namque satis erat ad id, quod quærebatur, probandum; non solùm esse vnum sensum, qui obiectum vtrumque iudicet; sed etiam vtrumque simul, & dulce ab albo, & album à dulci differre; non vnum post alterum iudicari. Quippe & sensus vtrumque simul dicit, & obiecta ipsa simul sunt; non vnum post alterum.

Nunc, vt dicatur per se vel accidēs.

Quamquam nec illud ineptè dixerim, Aristotelem, tum temporis, tum nunc mentionem fecisse. Quoniam & subitò potest ac momento iudicare communis sensus; & in aliquod tempus iudicium protrahere, hoc est in eodem iudicio semel facto perstare. Et Simplicio quoque id videtur fuisse fortasse factum; vt significaretur, actiones animæ constare momentis, ex quibus discretum tempus existat, velut ex vnitatibus numerus. Verùm quid ego de hoc tempore sentiam, alibi pluribus explicaui. C

Sensum & subitò & cū tempore operari.

Nunc huiusce rei, de qua agitur, alterum argumentum habes apud Auerroëm. Diuersitas, & idētitas, relationem quandam significant; relata verò sunt simul: qui igitur duorum identitatem aut diuersitatem cognoscit, simul, & eodem tempore cognoscat oportet. Id verò in intellectus compositione ac diuisione manifestùm est. Etenim tota illa mentis nostræ functio in duorum terminorum coniunctione versatur: quę nimirū coniunctio vna est, & simul vtrūque terminū, attributum & subiectum, comprehendit & copulat; siue vnum alteri attribuendo, siue vnum ab altero remouendo. Et ideò in propositione, quæ ad eam, quæ est in mente, significandam voce promitur, vna est copula, quæ duos simul connectit terminos. Quod autem in propositionibus mentis ita se habet, de plurium item comprehensione ac iudicio, quæ in communi sensu versantur, intelligas. D E

Intellectus compositionem & diuisionem simul vtrūque terminū complecti.

TEXTVS.

ὥστε ἀχώριστον, καὶ ἐν ἀχωρίστῳ χρόνῳ.

Quare inseparabile, & in inseparabili tempore.

COMMENTARIVS XXXII.

HAnc esse superiorum conclusionem quandam perspicuum est. Et nisi aduersaretur Philoponus, constaret item, cuiusmodi conclusio

esset. Is duorum capitum conclusionem esse voluit. Alterius videlicet, quo sensum communem probari non esse corpus; & alterius, quo eum sine tẽporeagere, interpres ille credidit. Vtrumq; autẽ ita concludi, vt si eodem momento diuersa obiecta hic sensus diiudicet, eum colligat, tum à corpore inseparabilem esse; tum sine tempore operari.

Qua in re multis sanè modis peccauit. Primùm, quòd duo illa hactenus demonstrata fuisse putauit. Deinde, quòd hanc dicens duorum illorum capitum conclusionem esse; ex altero duntaxat, quo diuersa momento eodem iudicari ostensum est, totam deduxit. Tum verò quia, siue ex hoc antecedenti, sensus communis non est corpus; siue ex illo, sensus communis sine tempore operatur, eum deduxeris à corpore inseparabilem esse; veram quidem conclusionem deduces; at deductio nulla erit. Quin potius ex eo, quòd incorporeus est, aut momento agit, separabilem eum esse colligere posses. An non verissimè hoc argumento concludimus, intellectum separabilem esse, quia incorporeus est; cæteras animæ partes vegetantem, & sentientem, inseparabiles; quoniam corporeæ totæ sunt? Sanè si deduci solùm dixisset, inseparabilem eum esse; quoquo modo intelligere possemus inpartibilem esse & indiuiduũ, minimeque plures in partes separabilem: quod ex eo, quòd non est corpus, consequi videbatur. Sed cùm addiderit (à corpore inseparabilem) quo pacto eum excusem plane non habeo.

Itaque cum Themistio, Simplicio, atque aliis omnibus hanc esse assero vniuersæ illius argumentationis conclusionem, qua communis sensus vnitatem ostendit. Eam duplicem demonstrauit: Sensumque hũc tum probauit esse vnum in seipso, hoc est vnam animę facultatem velut communem plurium obiectorum iudicem; tũ verò simul & eodem tempore de illis sententiam ferre. Vtramque nunc probationis partem concludens, totamque simul communis sensus vnitatem colligens; eum inquit tum inseparabilem esse, hoc est vnicam, & indiuiduam facultatem, minimè in plures distractam; aut ex pluribus separatis & diuersis collectam. Vox. n. hæc (inseparabile) illi nunc opponitur, qua probauit antea separatis sensibus iudicium illud constare non posse; sed vnum, & eundem esse oportere, qui dulce ab albo dicat esse diuersum. Tum verò in inseparabili tempore operari, hoc est nõ diuerso, sed eodem prorsus tempore iudicare hoc ab illo, & illud ab hoc differre.

Ita communis sensus vnitas maximè intelligitur. In qua explicanda, & demonstranda propterea immorari Philosophus voluit, Quòd ex obiectorum, quæ cognoscuntur, & eorum, quæ iudicantur, multitudine, ac varietate multiplex sensus, multiplexq; operatio colligi posse videretur. Quemadmodũ in superiori libro de tactus, non de aliorum sensuum vnitate disputauit: quod propter contrarietatem multiplicem obiecto tactus compræhensam maior in illo, quàm in cæteris, esset difficultas.

Quod autẽ Simplicius (in inseparabili) interpretatus est, in impartibili tempore, velut in ipso nunc; siquidem animæ iudiciũ non est partibilis actio, vt motus, verè potiùs dictum est, quàm ad philosophi verba accommodatè. Scitum est. n. dialecti corum illud præceptũ, nihil esse in consequenti colligendum, quod non fuerit in antecedenti acceptum. Qua propter si in superiori argumẽtatione dictum est non probari, iudicium illud extemporaneum esse ac momentaneum; sed simul de vtroque obiecto pronuntiare: non illud, sed hoc duntaxat nunc licet colligere.

TEXTVS.

Αλλὰ μὴν ἀδύνατον ἅμα τὰς ἐναντίας κινήσεις κινεῖσθαι τὸ αὐτὸ ἢ ἀδιαίρετον, ᾗ ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ· ἐν ᾧ γὰρ κινεῖται τὸ ἡδὺ λευκὸν ἢ τῷ γένει τὸ δὲ πικρὸν ἐναντίον, ἢ πρασιὸν ἑτέρως.

Etenim fieri non potest, vt idem quatenus indiuiduum, & in indiuiduo tempore contrariis motibus simul moueatur. Si enim dulce hoc modo sensum mouet, aut intelligentiam, amarum autem contrario modo, & album alio.

COMMENTARIVS XXXIII.

SI Simplicius cum cæteris cõsentiret, absolutè magis possemus de huius loci sentẽtia pronuntiare, eãque liberiùs interpretari. At is posteà sermonem de cõmunis sensus iudicio habitũ; quo ostensum est, illum simul, & in indiuiduo tẽpore de pluribus, ac diuersis obiectis decernere: demonstrari dixit id, quod erat consequens; sentiendi iudiciũ nec passionem esse, nec motum, sed actionem & perfectionem intrinsecùs excitatã. Si. n. esset passio, plura simul & contraria obiecta non iudicaret; cùm contraria suscipere, & in contraria mutari propter contrariorum pugnam non possimus. Siverò esset motus, indiuiduus non esset, neque simul in eodem nunc diuersa discerneret. At si sit actio, potest eadem actio secundum diuersas rationes ad diuersa simul, immò contraria se se extendere. Nã & ignis actione duratur lutũ, ceraque molescit; & nos eodẽ intuitu albore cartæ & caracterũ nigredinẽ cernimus. Quoniam in eiusmodi actione contrariorum pugna non est, cũ in diuersis subiectis illa subsistat.

Verùm quominùs ego hoc Aristoteli propositum fuisse credam, multa faciunt. Primùm, quòd id deducendum potiùs fuisset ex iis, quæ fuerãt demonstrata, quàm demonstratione noua ex instituto demonstrandum. Si. n. huiusce sensus iudicium indiuiduũ est & plura simul cõplectitur; manifestè deducitur, passionẽ non esse, sed actionem; nõ motum sed momentaneam mutationẽ Alterum, quòd si id probandũ fuisset, parùm scitè de cõmuni hoc sensu probatũ fuisset. Si quidẽ non minùs immò magis id particularibus sensibus conuenit. Nã omne sensus iudiciũ extẽporaneũ est & momẽtaneũ: Est cõmunis sẽsus diuersa, dulce & amarũ, albũ & nigrũ; particulares cõtraria prorsus, dulce & amarũ, album & nigrũ, diiudicãt. Quare aut de particularibus potiùs sensibus, aut certè de omnibus, tanquã de subiecto primo & vniuerso, demonstrandũ erat: ne de parte demõstrando id, quod vniuerso generi cõmune est, erroris posset demõstratio notari. Tertiũ, quòd Aristotelẽ hîc video dulcis & amari proponẽtem exempla; quæ particulariũ sensuũ sũt. Quartũ, quòd Simplicius tanquã antea demonstratũ accipiat, iudiciũ sensus indiuiduũ esse ac momentaneũ. Cùm tamen non hoc, sed simul, non separato, ac diuerso tẽpore fieri, demonstratũ sit. Ex quo nequaquã deduci poterat, iudiciũ illud partibilẽ motũ non esse. Ad extremũ, quòd ipsa orationis forma nec demonstrationem nouam proponit, nec ex superioribus quicquã deducit: sed dubitationem potius aduersus ea, quę dicta sunt excitat: vt ea explicata, quemadmodum res habeat, planius euaderet. Ita

Ita nimirum Themistius, Philoponus, & alij omnes interpretati sunt; vel etiã Auerrores. Nam etsi is non quasi dubitationẽ introduxerit; quæri tamen dixit modum, quo idem sensus eodem tempore contraria obiecta iudicare possit. Et ipsum fortasse quærendi verbum dubitationem voluit significare: quartúmque contemplationis caput appellauit Philoponus. Dubitatio autem, seu mauis obiectio hæc est. Fieri non potest, vt vnum, & idem diuersis motibus moueatur: si duæ nimirum conditiones adsint. Altera; vt illud considereturquatenus indiuiduum; hoc est non secundùm diuersas partes, sed aut secundum totum, aut secundùm vnam, & eandem partem. Etenim vnam partem calefieri, alteram refrigerari; vnam fieri albam, alteram nigram; omnibus penè horis animaduertimus. At secundùm totum eandémque partem nunquam fit. Quod quomodo intelligendum sit ratio ipsa docebit, propter quam id fieri nequeat. Ratio autem est, quoniam contraria propter naturæ contrarietatem & pugnam simul esse non possunt, sed mutuò se se pellunt ac destruunt. At hoc de contrariis solùm ad summum intensis & perfectis verum est. Remissa enim & fracta conciliantur facilè, atque in corporibus passim reperiuntur. Neque igitur contrariis motibus quidquam mouebitur, vt contrariæ qualitates ad summum ambæ perducantur. Aliqua verò ex parte moueri, actio illa & reactio testatur, quæ inter quatuor principes qualitates in natura versatur. Porrò ad præsentem dubitationem proponendam satis fuit motus perfectus atque integræ formæ. Quoniam de sensus iudicio agebatur; quod non dimidiato, sed integro actu constat.

Vt idem contrariis motibus non moueatur.

Altera conditio esse debet, vt simul & in indiuiduo tempore motus illi contrarij fiant. Quid sit indiuiduum tempus, ex superiori cõtextu cognoscitur. Quippè quod ibi inseparabile, seu non separatum & non diuersum tempus dixit, indiuiduum nunc, hoc est non in plura diuisum, appellat. Alioqui diuersis temporibus omnia, quæ natura consistunt, contrariis motibus sæpè mouentur, dum modò calida sunt, modò frigida, modò humida, modo sicca, & ad alias huiusmodi contrarietates omnes materia potestate existit.

Iam verò si idem sensus simul & eodem tempore diuersa & contraria obiecta diiudicat, dum dulce simul & amarum, album & nigrum; aut dulce & album discernit, an non contrariis motibus simul mouetur? Sanè non sentit, aut iudicat sensus, nisi ab obiecto moueatur: quare si dulce & amarum, album & nigrum, simul sentiuntur, simul etiam mouent sensum & vt contrariæ sunt & pugnantes qualitates, ita contrariis & pugnantibus motibus permouetur ab illis sensus. Dubitationem hanc verò etsi de solo communi sensu propositam fuisse dixerint Philoponus, atque Auerroës: potiùs tamen credẽdum est vniuersè de omni sensu, tum communi, tum particulari, excitatam fuisse. Non minorem enim ait Themistius, & consentit Philoponus, in sensu particulari locum habet, immò maiorem, quàm in communi. Tum quia particularis quoque non modò diuersa, vt communis, sed contraria quoque suscipit: vt aspectus album & nigrum, dulce & amarum gustatus. Et quidem simul, dum in paginam scriptam conijcimus oculos, pluresue simul sapores admouentur linguæ. Tum quia particularis primùm & immediatè contrarios ab obiectis motus suscipit; neque communis, nisi particularibus permotis mouetur. Deinde cùm Aristoteles antea non solùm communem, sed particularem etiam sensum dixisset partes ac differentias sui obiecti discernere: eadémque ratio, qua communis sensus iudicium probauit simul & eodem tempore de diuersis fieri, idem quoque in particulari sensu ostendat: communem sanè nunc dubitationem proponere debuit. Neque sine causa is exempla ex contrarietate in obiectis particularium proposuit; dulcis & amari, quæ ad gustatum; albique & nigri, quæ ad aspectum pertinent. Aut verius dicam ex vtróque sensuum genere exempla fuisse deprompta, dulce, amarum, album. Nam album non est accipiendum cum nigro, sed cum dulci: quemadmodum cùm sæpe dixit, dulce cognosci diuersum esse ab albo. Et dulce quidem cum amaro & albo sumi potest: cum vno, tanquam cum contrario sub eodem obiecti genere; cum altero, velut cum diuerso genere. Quòd si cum amaro sumatur, ad gustatum spectat; si cum albo, ad communem sensum. Addam præterea, non de sensibus solùm verùm de intellectu quoque dubitationem eandem propositam esse. Quoniam in antecedente oratione eum item nominauerat; & vtraque facultate obiecta hæc dignosci, & diiudicari possunt. Idcirco dulcè dixit mouere sensum aut intelligentiam. Sensum inquam; tum particularem, si cum amaro sumatur; tum communem, si cum albo; intelligentiam autem vtrouis modo. Siquidem suprema hæc virtus inferiorum omnium obiecta cuncta dignoscit, illáque ipsa sensilia diiudicat. Aut simul cum sensu intelligentiã nominat; quòd eam à sensu nondum distinxerit. Aut Philoponi interpretatione *νόησιν* dicit phantasiam, quam inferiùs *νόησίν τινα*, & *παθητικὸν νῦν* appellat: Eaque quidem re & subiecto est, vt post intelligetur, cum communi sensu.

Contra species intentionales.

Hic velut vltimam huius commentarij clausulam adnotabo, sensus ab obiectis non per intentionales formas, vt plerique inquiunt Latinorum: sed per reales qualitates moueri. Cùm enim ipsimet illi earum formarum auctores ac patroni doceant, illas contrarietatem non habere, simulque contrariorum obiectorum formas absque contrarietate & pugna in sensu suscipi, nulla esset profectò philosophi hæc dubitatio: quæ plurima esse videtur, dum à qualitatibus ipsis realibus, dulcedine & amaritudine, albedine & nigredine, non ab earum intentionibus, afficiuntur sensus.

A

TEXTVS.

Ἆρ' οὖν ἅμα μὲν καὶ ἀριθμῷ ἀδιαίρετον, καὶ χρόνῳ ἀχώριστον τὸ κρῖνον, τῷ εἶναι δ' κεχωρισμένον. ἔστι μὲν δὴ πως ὡς τὸ διαιρετὸν τῶν διηρημένων διαφέρειαν; ἔστι δ' ὡς οὐ διαίρετον. τῷ εἶναι μὲ δὲ διαιρετόν. τόπῳ δ' καὶ χρόνῳ, καὶ ἀριθμῷ ἀδιαίρετον.

An igitur simul quidem & numero indiuiduum & tempore inseparabile est id, quod iudicat; ipso autem esse, separatum? Quodam sanè modo diuiduum diuisa sentit, quodam verò indiuiduum. Ipso enim esse diuiduum est; loco autem & tempore, & numero indiuiduum.

B

COMMENTARIVS XXXIV.

AVdiendus nequaquam Simplicius est, si nunc primùm dubitare dicat, nunquid omnino indiuiduum sit id, quod contraria simul subit & sustinet. Dubitationem potiùs iam propositam diluere aggreditur. Eamque velut grauem, nec explicatu facilem, magnopere verò ad rem præsentem illustrandam opportunam, accurate tractat, pluribúsque exagitat.

C

Primùm adfert dilutionem quandã, quæ ex iis, quæ de cõmuni sensu definita fuerũt, colligi fortasse poterat. Respondere namque potuisset quispiam, sensum hunc numero quidem & re ipsa vnum esse, & indiuiduum: Et eodem item non diuerso tempore diuersa, & verò etiam contraria obiecta iudicare. Ratione autem ac definitione plures esse, ac distinctos. Et ideò quatenus quodam modo diuiduus, hoc est plures est, (diuiduum enim multitudinem significat; quia quod diuiditur, fit multa) eatenus illum diuersos, & contrarios obiectorum motus susc ipere: quatenus autem vnus, loco, tempore, & numero indiuiduus, hoc est non diuisus; eum de illis omnibus iudicare. Nimirum lingua vnum re ipsa, & idem numero corporis nostri membrum est: quod tamen alio atque alio modo duobus sensibus, tactui & gustatui, famulatur; déque tactilibus qualitatibus ac saporibus iudicat. Omnino hac distinctione adhibita multas in Philosophia, inquit Themistius, difficultates, & nodos exoluimus. Sæpè namque de quibus disputatur, partim re & subiecto vnum esse dicimus, partim ratione diuersa. Nec multò ante ita exposuimus, quomodo sensilis & sensus, dum actu operantur, idem sit aut diuersus actus.

D

Distinctio rei & rationis.

E

Communis sensus vt vnus & multiplex.

Dicitur porrò communis sensus vnus & indiuiduus numero, quia est vnica facultas reipsa tempore, quoniam simul & eodem tempore obiecta plura comprehendit & iudicat; loco demum, quia vnicum habet organum, ad quod reliquorum omnium sensuum organa confluunt, ac terminantur; velut ad centrum lineæ ab vltimo circulo ductæ. Itaque quatenus est eiusmodi, diiudicat plura; quatenus autem quadem alia ratione consideratur, vt in plures illos sensus qui ad ipsũ deducuntur, diuiduus & multiplex; eatenus diuersos & contrarios plurium illorum particularium sensuum motus suscipit.

TEXTVS.

Ἢ οὐχ οἷόν τε, δυνάμει μὲν τὸ αὐτὸ διαιρετὸν καὶ ἀδιαίρετον, καὶ τἀναντία. τῷ δ' εἶναι οὔ, ἀλλὰ τῷ ἐνεργείᾳ διαιρετόν. καὶ τἀναντία. τῷ δ' εἶναι ἕ, ἀλλὰ τῷ ἐνεργείᾳ διαιρετόν. καὶ οὐχ οἷόν τε ἅμα λευκὸν καὶ μέλαν εἶναι ὥστε δεῖ τὰ εἴδη παρεῖναι αὐτῶν, εἰ τοιοῦτον ἡ αἴσθησις καὶ ἡ νόησις.

An id esse nequit? Idem enim potestate diuiduum & indiuiduum, & contraria: ipso autem esse, nequaquam. Verùm eo, quòd actu sit, diuiduum. Nequedum simul & nigrum esse potest. Quare nec ipsarum sensum patiatur, si eiusmodi sensus, & intelligentia.

COMMENTARIVS XXXV.

ARistotelem hoc loco interpretum omnium consensu video traditam solutionem tanquam minus veram, & accõmodatam, confutare. Non possum tamen non mirari, curis, si non per reales, sed per intentionales formas ab obiectis realibus in sensus immissas, vt plerique philosophantur, sensuum operationes fieri putauit; ineptam, & falsam solutionem attulerit: apta & vera, quam adferre poterat, prætermissa. Certè vniuersa dubitatio tollebatur, & quemadmodum sensus contrariorũ obiectorum subeat motus, explicabatur optimè; si responsũ fuisset, contrariorũ obiectorum motus non esse contrarios, quòd intentionalibus, non realibus, formis constent: neque vt reales, sic intentionales illæ formæ sint inter se contrariæ. Philosophum inquit Albertus respõdere ita noluisse, quòd plenius intenderet explicare, quomodo communis sensus vnus sit, aut non vnus. Vendibilis fortasse respõsio, si vnica vera adduceretur solutio, qua vnitas ea exponeretur. Verùm cùm proponantur plures; vel etiam ea, quæ falsa sit: & ideò cùm reiici, & confutari debeat, illius sensus vnitatem minimè ostendat: cur quæso ea, quæ vera esset, & adferri poterat, prætermissa est? Nonne eam primùm commemorare fuisset optimum, vt tota rueret dubitatio; tum verò sensus vnitatem altera, quæ post subiungetur, solutione explicare? Sed traditæ solutionis confutationem audiamus.

Contra hoc.

Eam propterea reprehẽdit Philosophus, quòd nullo modo fieri possit id, quod dubitationẽ diluendo responsum est. Duo autem dicebantur. Alterum; sensum communem indiuiduum esse, & diuiduum. Alterum, eum quatenus diuiduus est, contrarios motus suscipere; quatenus indiuiduus, iudicare. Neutrũ verè dictum est. Vnum enim & idem potestate quidem indiuiduum & diuiduum dici potest, & contrariis item qualitatibus affectum esse: potestate inquam calidum & frigidum, album & nigrum, dulce & amarum. At ipso esse, hoc est actu, nequaquã potest quidquã simul esse vtrũq;. Secus enim hoc loco, quàm antea, dicitur (τὸ εἶναι, ipso esse) antea significabat rationem & definitionem; nunc actu: potestati namque actus opponitur. Sanè si formas illas intentionales Philosophus credidisset, non ita fuisset fortasse loquutus. Siquidem ex, quamuis contrariorum obiectorum, simul actu sint. Verùm propter formarum contrarietatem & pugnã, aut subiectũ, dum fit actu & patitur, formal-

Contra hoc.

que

que illas reipsa suscipit diuiduum sit, atque diuersis eas partibus recipit, vna album, altera nigrum: aut si subiectum indiuiduum prorsus sit, vel secundùm omnes partes ab vtroque contrario patiatur; contraria sese vicissim pellunt, vnóque accedente alterum abit. Quocirca si album & nigrum simul esse actu nequeunt, ne illorum quidem formæ fuerint: & ideò sensus, qui re & subiecto indiuiduus esse dicitur, dum sensilium formas suscipit, contrariorum simul formas suscipere nunquam poterit. Qui locus propositioni illi respondet, quæ vniuersè de omni sensu posita est in textu 141. libri secundi, sensum esse susceptiuum sensilium formarum sine materia, & eatenus vnumquemque sensum à sensilibus pati: indéque maximè intelligitur. Nam ideò nunc si album & nigrum simul esse non possunt, ne sensum quidem colligit pati posse, eorum formas licet sine materia simul suscipiendo; si eiusmodi sensus sit aut intelligentia; vt quemadmodum Themistius, Simplicius, & sanctus Thomas interpretantur, patiendo atque obiecti sensilis formam suscipiendo operentur. Velut Auerroës, si eiusmodi sit, vt antecedens solutio asserebat; indiuiduus videlicet & subiecto vnus. Cum sensu autem intellectum coniunxit; aut quòd eadem sit in hoc vtriusque ratio; aut propter causas antea significatas.

Contra species intentionales.

Hìc tertiò iam cogor monere lectorem, hæc ipsa verba intentionales illas formas, quibus tantopere ac tam crebrò Latinorum perstrepunt scholæ, maximè mihi suspectas facere. Si enim eæ essent atque ab obiectis susciperentur in sensibus; nulla esset hæc Philosophi deductio. Siquidem inquiunt illi, qualitates sensiles, non item earum formas, contrarietatem habere: & ideò etsi illæ simul esse nequeant, formas tamen illarum, tum in medio, tum in sensuum organis esse. Quid igitur ait Aristoteles; si album & nigrum simul esse non possunt, ne illorum quidem formas simul in sensu suscipi posse? Vere huiusce orationis sententia hæc est. Contrariorum obiectorum iudicium non ideò fieri, quòd qualitates contrariæ aut qualitatum formæ suscipiantur in sensu; quemadmodum antecedens solutio accipiebat. Quoniam si reales qualitates contrariæ in corporibus cæteris simul esse nequeunt, ne in sensu quidem fuerint; non solùm in organo, dum reipsa multiplicantur; quoniam eadem est ibi ratio, atque in alio quouis corpore. Et ideò non earum qualitatum, quæ reipsa multiplicantur, exemplum posuit: sed albi & nigri, quæ non multiplicantur, neque in oculo suscipiuntur. Verùm ne in ipso quidem sensu, dum illi per sensionis actum sine materia accedunt. Quoniam hoc non patitur contrariorum conditio; quæ non ex materia & subiecto, sed ex ipsa formarum natura oritur. Quare inscienter responsum est, sensum quatenus diuiduus est contrarios simul motus suscipere. Nam vnico potiùs actu circa contraria obiecta sibi proposita operatur, diuersas & contrarias formas in vnam, quæ sine materia est, colligens, eamque solam suscipiens.

TEXTVS.

Ἀλλ' ὥσπερ ἰῶ χαλκὸν τιγες στιγμὴ ἢ μία, καὶ ἡ δύο πώντη καὶ διαιρετή· ἢ μὲν οὖν ἀδιαίρετον, ἐν τὸ κρινὲν ὂν καὶ ἅμα· ἢ δ' διαιρετὸν κατάχει, οὐχ ἓν δὲ τῷ αὐτῷ χρῆται σημείῳ ἅμα. ἢ μὲν οὖν δυοὶ χρῆται, τῷ πέρατι δύο κρίνει, καὶ κεχωρισμένα ἐστὶν, ὡς κεχωρισμένων. ἢ δ' ἓν, ἐνὶ καὶ ἅμα.

Sed vt id, quod nonnulli punctum vocant, quatenus vnum & quatenus duo, eatenus etiam diuiduum. Quatenus igitur indiuiduum, vnum est & simul, id, quod iudicat. Quatenus autem diuiduum existit, non vnum. Bis enim eodem simul vtitur signo. Quatenus ergò duobus vtitur sine, duo diiudicat; & separata sunt vt separatorum. Quatenus autem vnum, vno ac simul. *Tex. 149.*

COMMENTARIVS XXXVI.

DVbitationem antea excitatam extenuat nuncipse ac diluit; quomodo communis sensus tum vnus sit, tum plures, accommodatissimo puncti exemplo ostendens. Quod secus, quàm cæteri omnes, intellexisse videtur sanctus Thomas; cùm de puncto copulante partésque lineæ coniungente interpretatus est. Quod tum vnum est, tum plura: vnum reipsa, quatenus communis partium lineæ copula est: plura, vt alio atque alio modo consideratur, vt vnius partis principium & alterius finis. Namque cæteri de eo potiùs puncto loquutum esse Philosophum censuerunt, quod circuli medium est velut centrum. Quod sanè tum eius verbis magis significatur, cùm ait (quod nonnulli, hoc est Mathematici punctum appellant) Nam de puncto partes lineæ copulante vix apud illos est sermo: de eo autem plurimus, quod in circuli medio, aut sphærico & globoso corpore cogitatur. Tum verò communis sensus naturam, atque ad eos, qui particulares sunt, comparationem magis ostendit. Quemadmodum enim circuli centro vndique circumiectus est ambitus, ipsumque in medio positum: atque aut ab illo ad circuli vltimum omnes egrediuntur lineæ, aut ab hoc ad illud confluunt omnes, atque in eo tandem vniuntur: Ita sanè communem sensum in intima quapiam corporis regione locatum sensus illi omnes, qui particulares sunt, in exterioribus partibus consistentes, circumstant & ambiunt. Atque ab hoc illi quodammodo egrediuntur,, aut certè in illum vnum concurrunt, dum nerui ab illius sensorio ad horum omnium organa percurrentes, & animalem spiritum ad sentiendum necessarium adducentes, in eo vniti omnes colliguntur; sensilia que cuncta obiecta sensibus singulis hausta reducunt illuc comportantque.

Vt communis sensus sit velut punctum.

Hinc perelegans & apta iudicis apud Themistium similitudo. Cùm, inquit ille, quinque sensus suis officiis perfuncti ea, quæ cognouerũt, intus annunciant; ipse pro tribunali sedet. Et quòd quinque Interpretes suos exploratores & nuncij sensus, tanquam apparitores & ministri

Communis sensus velut iudex.

procedunt; illa virtus eo ſuggeſtu poſita non patitur ipſas contrarias qualitates: ſed ante ſe poſitas & ad pedes, genuáque aduolutas & iacentes contemplatur. Ita demum iudicium ſuum promit; & dulce ab amaro diſcernit, atque album à dulci diſcriminat. Et quemadmodum vnus pluribus vellicantibus, litigantibúſque poteſt ſimul ius dicere: Ita non ſit à nulla ratione inuentum, ſenſum aliquem in nobis promiſcuum contineri, qui contrariis ſenſibus ſimul operam det. Hæc ex Interprete Themiſtius. Quibus non ſolùm naturam & vim huius ſenſus optimè & ad viuum expreſſit; verùm etiam exemplum centri à Philoſopho propoſitum tum pulchrè interpretatus eſt, tum illuſtrauit plurimum.

Centri exemplo viſos fuiſſe Platonicos quoque.

Verùm non peripateticis modò, ſed & Platonicis familiare hoc centri exemplum fuiſſe, ex Syneſio cognoſces. Is in libro de Somniis cap. de poteſtate phantaſiæ, ſpirituſque phantaſtici; Auditus, inquit, atque viſus non ſunt quidem ſenſus, ſed inſtrumenta ſenſus, communi ſenſui miniſtrantia: & quaſi quidam animalis ianitores & oſtiarij, nunciantes domino ſenſilia foriſecùs occurrentia, quibus pulſantur exteriora ſenſoria. Intimus interea ſenſus in cunctis ſui partibus ſenſus eſt integer. Toto namque ſpiritu audit, toto videt, ſimiliterque reliqua valet. Diſtribuit autem vires alias alijs, quarum quælibet deriuatur ex animali ſeorſum; ſuntque velut rectæ quædam lineæ profluentes è centro, & coëuntes in centrum: vna quidem omnes ex communi radice, multæ rurſum proceſſione iam factæ.

Communis ſenſus verè vt centrũ.

Illud enim eo maximè ſpectare Philoſophus quoque voluit, vt intelligeretur, quomodo hic ſenſus diuiduus ſit & indiuiduus: & ideò vnus exiſtens plura poſſit & contraria obiecta ſimul diiudicare. Centrum etenim, vt duobus modis conſideratur, ita & vnum & plura & indiuiduum & diuiduum eſſe intelligitur. In ſe & vt circuli medium exiſtit, vnum & indiuiduum punctum eſt, quod nullas habet partes, nec niſi ſemel accipitur. At vt plurimarum ſimul confluentium, ac concurrentium linearum terminus exiſtit; tam eſt multiplex atque in tot partes diuiduum, quàm multæ ſunt lineæ, quarum eſt terminus: nec ſemel, ſed ſæpiùs vt diuerſarum linearum terminus vſurpatur. Perſimilis eſt natura communis ſenſus. Nam is tum in ſe, vt vnica facultas eſt, vnus exiſtit & indiuiduus: tum verò quatenus particularium omnium ſenſuum quaſi terminus & centrum, quodam modo multiplex atque diuiduus. Vt igitur illorum omnium ſenſuum concurſum velut communis omnium terminus ac centrum excipit, diuerſique eorum motus in illum referuntur, & confluunt; & ideò non vnus, ſed quodam modo multiplex eſt, vt multorum terminus, non ſemel ſed ſæpiùs acceptus, atque ad hoc & illud obiectum ad hunc & illum ſenſum comparatus: ſic ſanè diuerſa obiecta ſuſcipit, quæ per plures ac diuerſas illuc vias perducuntur: atque adeò diuerſa de diuerſis & ſeparatis diuerſorum ac ſeparatorum ſenſuum obiectis iudicia pronunciat: hoc videlicet eſſe dulce, illud album, aut aliud quidpiam. Quatenus verò vna facultas eſt, vnum promit actum, eóque vno de illis omnibus ſimul & eodem tempore ſtatuit. Quod cùm dicimus optimè ex natura & conditione organi ac facultatis, de natura & conditione actionis philoſophamur. Atque vt facultatis huius organum reliquarum organa; & facultas, motus, qui ab illarum obiectis fiunt, omnes excipit: ſic actio, quæ ab illa proficiſcitur, etſi vnica ſit, obiecta tamen illa vniuerſa complectitur.

Porrò id fieri dixit Ariſtoteles, quatenus bis vtitur eodem ſigno, aut eodem fine ac termino, tanquam duobus. Id quod vtitur, eſt ſanè id, quod iudicat: anima ſcilicet ſentiens, quæ ſuis facultatibus operatur: aut etiam totum animal; ſiquidem operationes toti coniuncto tribuendæ ſunt potiùs, quàm formæ; vt in primo libro tex. 66. traditum eſt. Quo verò vtitur, communis eſt ſenſus; quo vt ad plures ſenſus refertur ac plurium terminus accipitur, verè vt pluribus vtimur. Tuncque plura diiudicat, quæ ſeparata ſunt, & diuerſa obiecta velut ſeparatorum. Quam vocem ſanctus Thomas legens (vt in ſeparato) diuiduum principium, quo ea cognoſcuntur, communem videlicet ſenſum alio atque alio modo conſideratum ſignificare putauit. Sed Græcè eſt (ὡς κεχωρισμένων, vt ſeparatorum.) Atque hæc eſt ſententia: communem ſenſum diuerſa tunc obiecta iudicare velut ſenſuum diuerſorum. Poteſtque duobus modis accipi. Altero; quatenus à diuerſis ſenſibus particularibus per diuerſa organa ad illum deducta. Altero; tanquam ad diuerſos ſenſus pertinentia: vt dum dulce & album diiudicat, illud iudicet vt guſtabile guſtatus obiectum, hoc vt aſpectabile aſpectus proprium. At verò quatenus eſt vnum (non inquam id, quod vtitur; ſed id, quo vtitur; idem ipſe ſcilicet communis ſenſus, qui reipſa vna quæpiam eſt & ſpecialis facultas: ita nimirum iudicat (vno & ſimul); vna inquam actione & eodem tempore plura illa & diuerſa plurium ac diuerſorum ſenſuum obiecta.

Digreſſio VII. *Quàm pulchrè Ariſtoteles communis ſenſus naturam indicauerit.*

TOta hæc Philoſophi explicatio magnopere differt ab antecedente reſponſione, quæ ab eo confutata fuit & reiecta. Quòd prioribus vnum ſubiecto diceret ſenſum, multiplicem forma: eúmque alia atque alia ratione diuerſos ſimul & contrarios motus in ſeipſo ſuſcipere. Vereque oſtenſum eſt, in eodem non poſſe ſimul actu contraria ſuſcipi. At hæc poſterior, inquit Philoponus, tum vnum dicit, tum multos ſubiecto. Vel, vt aiunt Simplicius & Auerroës, vnum forma & multiplicem inſtrumentis, quibus vtitur; & viis, quæ ad ipſum terminantur. Prior vnum recipientem & iudicantem faciebat; hæc vnum iudicantem, multos ſuſcipientes conſtituit. Vultque communem ſenſum diuerſorum & contrariorum ſimul capacem eſſe; non materialiter, ſed iudicatiuè, dum illa ſimul diiudicat. Quod facilè fieri poteſt. Quia cùm per cognitionis actũ ſuſcipiatur in cogni-

in cognoscente forma sine materia, sine contrarietate item repugnantiaue susciputur. Sed & cognoscere & iudicare per se est agere non pati ac susciпere ; nisi secundaria ratione; quatenus actio illa in eodem remanet, à quo proficiscitur.

Contendit etiam Philoponus ne dici quidem vllo modo posse (si accuratè loquamur) sensum contraria iudicantem contraria susciпere: cùm in vltimo capite libri de Interpretatione traditum sit , contrarias opiniones non eas esse, quæ contraria de contrariis dicunt; vt album disgregare , nigrum congregare: sed quæ de eodem contraria pronuntiant; vt album disgregare , & congregare. Quare si communis sensus album disgregare & nigrum congregare sentit ; non ideò dici debet contraria susciпere.

Exemplorum vsus in facilius.

Neque verò quòd grauissimam difficultatem non alio modo, quàm exemplo , grauissimus Philosophus voluerit explicare , reprehendendum nobis est. Immò laudandum magnopere. Quòd rem sua natura difficilem & obscuram facilem ac planam fecerit atque ob oculos posuerit. Tum verò docuerit nos ea , quæ obscura sunt , & à sensibus remota atque in naturæ contemplatione magis recondita, exemplis esse illustranda. Idque in scientiis etiam , quæ demonstrationibus nituntur , sæpè obseruandum esse; non solum hoc loco significauit Auerroës , sed apertis monuit verbis in Commentario 81. libri primi Physicorum, cùm materiam vidit fœminæ comparatam. Et in Commentario 84. libri quarti vbi quemadmodum intendantur qualitates & remittantur, circuli exemplum propositum est. Omninoque pluribus aliis in locis vsum exemplis Aristotelem fuisse legimus ; tametsi rei, de qua agebatur non omni ex parte conuenirent. Quod ab eodem illo interprete adnotatum est in Commentariis ad textum 6. & 14. libri 3. de Anima. In quorum altero anima locus formarum appellatur ; in altero dicitur esse velut tabella, in qua nihil sit scriptum.

Exemplum ex Mathematicis.

Porrò Aristoteli hoc loco obiectum aliquando fuisse, eum mathematicè naturalia tractasse, ac per mathematica naturam interpretatum fuisse (quo nomine Platonem ipse non semel accusauit) ex Philopono scimus. Verè tamen is respondit , non idcirco Platonem ab Aristotele reprehensum , quòd ex Mathematicis naturalia exponeret, sed quòd naturalia corpora ex lineis & planis & omnino ex Mathematicis constare assereret. Accipiantur ergo non ex Mathematicis modò disciplinis , sed ex aliis quibusuis scientiis & artibus exempla , quibus res nostra illustretur ac planior fiat : modò naturæ rerum ac diuersarum scientiarum obiecta non confundantur, neque vnum esse alterum affirmetur. Ex Mathematicis verò disciplinis, quòd certissimæ sint & manifestissimæ. Dumque in hac euoluenda difficultate circuli & centri velut aptissimo ad communis sensus naturam & vim declarandam exemplo vti vellet, Mathematicos nominauit : nec absolutè punctum dixit, sed quod nonnulli punctum vocant. Quoniam eiusmodi punctum indiuiduum, quale is ad indiuiduam sensus naturam significandam quærebat, nullum in naturalibus corporibus reperitur : ab illis duntaxat cogitatur, mentéque comprehenditur.

Cæterum quoniam antea dictum est, dubitationem eam, quæ de communi potissimùm sensu proponebatur , in particularibus item habere locum ; quippè qui diuersas & contrarias proprii sui obiecti partes diiudicent (nisi enim hæc particularis sensus cognosceret, ne communis quidem ille cognosceret , qui ea duntaxat percipit, quæ à particularibus sensibus comprehenduntur , eoque ipso tempore , quo illi, operatur. Tanquam superior omnium iudex , qui tum seorsim partes singulas quasi suam agentes causam audit, dum propria singulorum obiecta cum singulis sentit: tum verò simul omnibus ius dicit , & auditis partibus sententiam fert ; cùm plura simul aut omnia cum pluribus aut omnibus discernit. Alius fortasse quispiam eundem hunc Philosophi locum reprehendat, quòd de solo communi sensu, de particularibus nihil responderit. Verùm meminerit , non de particularibus in præsenti, sed de communi sermonem atque disputationem haberi. Deinde intelligat, in eo dubitationem eam elucere magis, qui & sensuum particularium contrarietates cum illis cognoscit, & velut communis omnium iudex existit. Postremò animaduertat, communi dubitatione communem esse responsionem , hancque ipsam vnicuique particularium sensuum conuenire. Quoniam vnusquisque vt ad diuersas & contrarias obiecti sui partes comparatur, & diuersos atque contrarios illorum motus terminat , plura & contraria potest cognoscere. Vt autem vna facultas & vnus sensus est, vnica actione , vnicáque sententia de illis decernit. Neque contraria in se susciпit, sed de contrariis iudicat. Contrariæque qualitates, aut forinsecus stant sensui ad sentiendum, & iudicandum propositæ : aut certè non nisi in organo diuiduo & partibili susciпiuntur. In sensu sola est simplex & pura iudicatoria actio, quam ab omni contrarietate , etsi pugnantium obiectorum sit, dictum est esse immunem.

Sensus particularis vt contraria simul cognoscat.

Itaque duo prorsus mihi monendus est lector : quorum alterum generale est & sensibus omnibus commune ; alterum communis proprium ac peculiare. Vtrumque ex illa præsertim Philosophi sententia intelligetur, qua sensum dixit vno actu de pluribus obiectis iudicare. Inde namque manifestum est , sentire esse agere, non pati , sensionemque actionem non passionem , etsi adiunctam passionem habeat, siue antecedentem in organo ab obiecto factam , siue consequentem in ipsa facultate sentiente , quæ illum ipsum actum susciпit, quem promit. Sanè si sentire esset pati ab obiecto , quot sunt obiecta quotque passiones ab ipsis in sensu effectæ, totidem sensiones essent. Si igitur plura & diuersa contrariáque obiecta sensione vnica sentiuntur ; sentire non est passio forinsecùs ab obiecto illata, sed actio à sentiente facultate intrinsecùs enata , atque vna de pluribus & contrariis obiectis iudicans. Iudicatoria actio , inquit Simplicius, nec passio , nec motus est , nec externorum re-

Sentire est agere.

» ceptio: sed actio indiuidua intus proueniens; non quidem effectrix sensilium, sed ipsorum cognitrix iuxta rationes eorum in se præacceptas: nonnunquam quidem iuxta vnam solam, nonnunquã autem iuxta plures; cum mutuam quoque ipsorum diuersitatem percipiat.

Communem sensum non esse particularium congeriem.

Ex eadem illa Philosophi propositione & verò etiam ex centri & circuli exemplo, intelligere licet, communis sensus naturã eos minùs assequutos fuisse, qui nequaquam eum esse dixerunt à cæteris facultatem diuersam, sed particulariũ duntaxat omnium sensuum simul sumptorum velut congeriem quandam. Neque enim verũ est, quod illi dicunt; communem sensum appellari, quasi sensuum omnium communitatem, concursum, & coalitum. Atque vt cõplures nunc rationes prætermittã, quibus existimatio hæc labefactari potest & tolli: si vnica futura sit actio, quæ de pluribus simul obiectis iudicet; vnam necesse est facultatem esse, quæ actionem illam promat. Cùm ne intelligi quidem possit, à quinque distinctis facultatibus vnicum cognitionis & iudicij actum prodire. Præsertim quòd illarum vnaquæque non nisi circa suũ obiectũ agat, déque illo iudicet. Quare tot omnino actiones erunt, totque iudicia, quot obiecta diuersa. Nullum autem commune ac generale iudicium, quo obiectorum illorum discrimen cognosceretur. Quia nullus esset vnus & communis iudex, qui ea cuncta comprehenderet: hæc quippe in superioribus fuit Philosophi ratiocinatio. Deinde communis sensus actiones aliorum sensuum animaduertit, vt est in cap. 2. lib. de somno & vigilia; sentit inquam, quòd sentiamus. At particulares sensus ad externa solum se porrigunt; sensiones suas non sentiunt. Alia igitur facultas est. Tum verò si centri & circuli exemplum consideretur, quod ad hanc, quam quærimus, sensus huiusce naturam aperiendam adfertur; illud ipsum inteligetur. Etenim tria illa, quæ oculis nostris in exemplo proponuntur, centrum, circulus, lineæque plures à centro ad circuli ambitum; tria item intelligenda menti subiiciunt. Sensum internum in intimo cerebro velut in centro & organo, quo operatur; etsi radicem & principium cum reliquis omnibus virtutibus à corde habeat: Sensus exteriores & illorum organa in exterioribus ac patentibus corporis partibus tanquam in circuli ambitu. Ac demum neruos à cerebro ad exteriorum sensuum organa singula, ceu lineas à centro ad ambitum ductas. Quocirca si diuersum à cæteris est huiusce sensus organum; si diuersus ac tantopere dissitus illius locus; si is interior est, exteriores cæteri; si demum centrum differt à circulo, atque adeò à lineis, quæ ab ipso tanquam priore & iam ante illas existente ducuntur ad circulum: cuiuis sanè perspicuum fuerit, communem sensum à particularibus diuersam facultatem esse. Neque nunc ea vocis acceptione communem sensum nominare, qua antea nominatus est in tex. 134. velut particularium quædam communitas. Verùm ac potiùs, vt superior & communis iudex significetur, qui particularibus illis omnibus præsit, eorumque actiones persentiat, atque obiecta omnia discernat & separet. Hæ namque sunt facultatis huius actiones propriæ. Commune ipsum hoc loco, » inquit Simplicius, non multorum collectione

Interioris sensus organum.

Sensum communẽ duobus modis dici.

Sensus communis operatio.

» consistit; sed magis in præexistenti contractione, » hoc est in prioris cuiusdam facultatis, vnde ille » quasi pendeant, vnitate.

TEXTVS.

Περὶ μὲν οὖν τῆς ἀρχῆς, ἢ φαμὲν τὸ ζῶον αἰσθητικὸν εἶναι, διωρίσθω τὸν τρόπον τοῦτον.

De principio quidem igitur, quo animal sensitiuum esse dicimus, ad hunc modum definitum sit.

COMMENTARIVS XXXVII.

His verbis antecedentem totam, tum de sensibus omnibus, tum præsertim de eo, qui communis est, tractationem concludit. Cùm anteà hactenus definitum esse ait de principio, quo animal sensitiuum est; non propterea id dici Philoponus monet, quasi animal principiis pluribus & animabus constet, quarum vna vegetet, altera sentiat, tertia, ratiocinetur. Sed quod id, quo animal est animal, partim est vnum, partim multa, vnum substantia, multa facultatibus & virtutibus. Namque sentiens anima & sentiendi & appetendi & mouendi sedem loco principium existit in animali. Hactenusque de ea dictum fuit, quatenus est sentiendi principium; hoc est de sentiente facultate, qua animal sensitiuum est. Est autem sensitiuum, tum exterioribus sensibus particularibus, tum interiori & communi: tumque in actu primo & essentiali, tum in actu secundo & accidentario, qui ad operandum refertur. Quoniam anima, vt est apud Simplicium, principium est, & tanquam forma, & tanquam vtens: adde etiam tanquam finis. Siquidem eam hoc triplici genere animati corporis causam esse legimus in text. 36. lib. 2. Themistius quoque de sensibus vniuersè dictum fuisse concludit.

Verùm his omnibus obiiciet quispiam, sentientis animæ considerationem nondum esse perfectam; Statimque phantasiæ contemplationem subiungi: quam siue eandem cum communi sensu dicas esse, vt in extrema theoria ad text. 144. affirmauit Philoponus, siue ab eo diuersam; negare tamen non potes eam ad sentientem item animam pertinere, interioremque illius facultatem esse. Propterea sensitiuum ego principium potius arbitror communem sensum appellare, quem velut centrum, & linearum ad circuli ambitum ductarum principium esse docuerat: quemque alibi sæpè (vt in iis libellis, quos parua naturalia vocamus) aut absolute sensitiuum, aut primum sensitiuum nominare solet. Verè enim is sensus principium est, quo animal sensitiuum est. Quoniam & velut iudex ac princeps sensuum omnium existit; & vnus cùm sit, sensilia omnia comprehendit atque diiudicat. Et verò etiam ab eo quodam modo cæteri omnes sensus deriuantur, pendent, nec sine eo operari queunt. Quòd ab illius organo ner-

ui

ui ac ſpiritus, ſine quibus ſenſio nulla perficitur, ad particularium ſenſuum ſingulorum ducuntur organa. Quare vt prima & principe cauſa non agente agere non poſſunt inferiores cæteræ; ita ex libro de ſomno & vigilia cap. 2. niſi ab hoc principio ad ſenſus reliquos fundatur virtus, omnino non operantur. Et niſi communis quoque ſenſus cum illis ſimul operetur & attendat, illi aut proſus non operantur, aut perinde eſt ac ſi non operentur. Qui cùm operationem ſuam non aduertant, neque videre ſe, audire, aut omnino ſentire animalia ſentiunt, niſi communi ſenſu; hic verè principium eſt, quo animal ſenſitiuum eſt. Itaque concluſio hæc non totam reſpicit antecedentem de ſenſibus tractationem; niſi fortaſſe ſecundariò, quatenus communi ſenſu non attendente ne cæteris quidem ſenſibus ſenſitiuum eſt animal: ſed proximam illam, qua de communi ſenſu dictum eſt. Hucque ſubiungitur ea, quæ eſt de phantaſia. Quamquam dici etiam poteſt, to tã antecedentem ſenſuum tractationem cõprehẽdi: quoniam ſenſum, appellare ſolet facultatem eã cognoſcẽtem, quæ præſentia ſolũ obiecta cognoſcit; phantaſia verò circa abſentia quoque verſatur: nec eam veteres ab intellectu diſtinguebant.

Digreſſio viii. De communi ſenſu.

Cur ita dictus.

ACcuratus magis omnino fuiſſe videtur hoc loco philoſophꝰ in inueſti gãdocõmuni ſẽſu, quàm in eius natura atque operationibus affectionibus que explicandis. Has quoque modo ſignificare ſatis illi fuit. Paulò pluribus euoluendæ ſunt.

A nominis igitur notione principium ſit. Interior ſenſus nominatur, quòd intrius & reconditum habeat organum. Communis autem; non quòd proprium illius obiectũ ſit commune ſenſile, vt quibuſdam placuit: quod & Auerroës in com: 65. ſentire viſus eſt, cùm ſenſilia communia ſcripſit communia ſenſus propria eſſe. Sed quæ fuerit eo loco Auerroïs ſententia, in ſuperioribus dictum eſt. Nam & in tex. 134. communium dixit Philoſophus communm nos habere ſenſum. Non. n. eo vnius cuiuſpiam ſenſus propria ſunt, ſed communia omnibus. Eadem Alexandro mens, cùm in primo lib. de Anima cap. 18. ſpectum ſcripſit, qui colorum arbiter eſt, communia ſenſilia non iudicare, ſed ad communem ſenſum functionem hanc pertinere. Alioqui in com. 36. in lib. de ſenſu & ſenſili omnino oſtendit à particularibus ſenſibus ea ſentiri & iudicari. Neque etiã quòd ſit ſuperior quiſpiam & vniuerſalis ſenſus, qui de cæteris vt inferioribus enuntietur; quemadmodum animal de homine & equo. Aut enim alij omnes ſenſus communes eſſent, aut falſæ enuntiationes fierent. Neque demum quòd exteriorum ſenſuum congeries ſit. Quoniam eũ eſſe facultatem ab alijs omnibus diſtinctam, ex operatione iam demonſtrauit Philoſophus. ſed communis ſenſus nominatur; tum quòd tanquã communis iudex ſuperiórque facultas omnia ſenſuum exteriorum obiecta cognoſcit, iudicat, diſtinguit, & inter ea diſcrimen ponit. Tum quòd eſt quaſi commune centrum, ad quod exteriores omnes confluunt ſenſus, obiectáque ſua & cognitiones referunt. Cum illo enim conſentiunt omnes, & communicant. Immò nullus eorum operati poteſt, quin hic quoque cùm illo ſimul operetur. Atque ab anterioribus cerebri ſinibus, vbi huius ſenſus operatio viget, nerui & ſpiritus ad exteriorũ omnium ducuntur organa. Denique operationes quoque omnes illorum ſenſuum ab hoc vno communiter percipiuntur; vt antea proditũ eſt.

Hæ igitur ſunt huius ſenſus operationes. Prima, cognoſcere omnia exteriorũ ſenſuũ obiecta propria. Altera; diiudicare illa & diſtinguere, ſingulorũ que diſcrimen agnoſcere. Quod non diuiſione aut compoſitione conſtat (hæc enim non niſi ratiocinando fieret) ſed apprehenſione ſimplici atque intuitu plurium obiectorum plurium ſenſuum: ſicut viſione vnica aut auditione colores plures ſonoſúe percipimus ac iudicamus. Tertia; ſenſiones quoque eorumdem exteriorum ſenſuũ cognoſcere: quòd inquam aſpectus cernat & auditus audiat. Operationis quoque ceſſationẽ eũ cognoſcere dixit Priſcianus in Theophraſtum de anima c. 47. Vniuſcuiuſque inquit negotium, otiúmque perſentit. Quod minimè probandum eſt: quippe priuationum cognitio ad intellectum pertinet. Neque ſenſus ſentit, niſi à præſenti obiecto permotus: neque otium illud motum vllum habet.

Communis ſenſus operationes.

Iam illius ſubiectum eſſe animal vt animal eſt; tum ex Philoſophi verbis, quorum poſtremò interpretationẽ fecimus, licet cognoſcere. Dũ enim huius ſenſus conſiderationem concludit, dixiſſe ſe ait de principio, quo animal ſenſitiuũ dicimus. Tũ ex cap. 1. & 2. lib: de ſomno & vigilia, vbi ſomnũ & vigiliam oſtendit communis ſenſus affectiones eſſe: nullúmque exiſtere animal, quod ſemper vigilet aut ſemper dormiat: ſed animalia cuncta vigilare nonnunquam & interdũ dormire; quòd interdum operari debeant, & ab operatione ceſſare nonnunquam & quieſcere. Quam ob cauſam ab Ariſtone ſomnus exactori vectigalis comparabatur; quòd temporis ad vitam dati dimidiã ferè auferat partem. Teſtis eſt Plutarchus in opuſculo, cui titulus eſt, Aquáne an ignis vtilior. Inde verò neceſſariò conſequens eſt, animalibus cunctis communem ſenſum, ſaltem imperfectum aliquem ineſſe, vt dormire aut vigilare poſſint. Video etiam ab omnibus concedi, animalia cuncta inchoatam ſaltem aliquam phantaſiam habere: at hæc communem ſenſum ſupponit. Quòd ſi quædam ſolo tactu aut etiam gũſtatu conſtare dicuntur; ſermo eſt de exterioribus ſenſibus: neque illi ipſi communi aliquo inchoato ſenſu carent.

Communis ſenſus in animalibus cunctis.

Somnus vectigalis exactor.

Plantæ non dormiunt; quia ſenſum non habent. Nutritio autem quiete ac ceſſatione non eget; quòd ſimul conſumat & noui alimenti commutatione vim operandi reſtauret. Quia tamen non æquè perfectè reſtaurat, vltima tandem quædam quies eſt, quæ mors ſeu ariditas appellatur.

Planta cur non dormiat

Senſiones verò abſumunt ſpiritum nihilque reſtaurant. Quare præter vltimam illam mortis quietem, quæ vegetantis operationis eſt propria, indigent alia, qua ſubinde ſpiritus renouetur. Hæc eſt ſomnus. At ſi communis ſenſus affectiones ſunt vigilia & ſomnus, de his quoque

Communis ſenſus affectiones, vigilia & ſomnus.

dicendum, dum illius considerationem facimus.

Vigilia & somnus, habitus & priuatio

Ergò vigilia & somnus vt habitus & priuatio opponuntur. Vigilia enim sensuum functio est; eorundem ligamen & cessatio somnus. Vigilare namque existimatur animal, dum solutos habet sensus, ijsque liberè & expeditè vtitur: domire, si illi sopiti sint & nihil sentiant. Quare immobilitas quædam & ligamen sensuum est formaliter somnus. Sensuum inquam exteriorum; Alioqui dormientes somniant.

Somni causa.

Dum verò somni causam in Timeo Plato voluit explicare, nec verā, nec generalem indicauit. Nam & de vnico sensu, déque nocturno solùm somno loquutus est; & visionem accipiens fieri ex emissione lucis internæ, atque illius in externam incursu: Post quàm inquit in noctem discesserit cognatus ignis, visionis radius euanescit. Nam in aërem sibi dissimilem erumpens permutatur atque extinguitur, cùm nullam habeat cum proximo aëre, vt pote ignis splendore carente, naturæ communionem. Idcircò videre desinit, somnúmque inducit. Etenim salubre palpebrarum tegmen Dij oculis machinati sunt; quibus obductis vis illa ignis intimi conuenientia tegminis coërcetur, compressáque interiores motus perfundit & mulcet; quibus relaxatis atque mollitis quies obrepit. Hæc Plato. At nec visio emissione, sed susceptione potiùs constat: Nec nocte solùm, sed & die & clara quoque luce dormimus. Neque dormientibus oculi modò clauduntur, verùm sensuum omnium concidunt organa operaríque desinunt. Quámnam quæso ob causam? sanè cæ cum animal non minùs dormit, quàm cætera: nec desunt, quæ apertis oculis ordormiscāt. Verùm in tenebris & nocte tota non semper dormimus; vigilamus persæpè. Euigilandi verò quę fuerit causa, si Platonica dormiendi causa probetur? si diurnæ lucis abscessus adduxit somnum, eiusdem reditus reducet vigiliam. At quàm sæpè euigilamus nocte & in tenebris? quàm sæpè reduce luce profundè ad huc dormimus? omnino ab interna & in ipsis animalibus insita, non ab externa causa, tum somnus, tum vigilia, pendent.

Sic igitur res habet. Nulla sensus operatio absque illius membri ope perficitur, quod animalis & sentientis virtutis principiū & sedes est. Hoc primū quidē est cor, prima sedes animæ virtutúmque omnium fons. Deinde verò cerebrum, in sentiendi atque mouendi virtute quasi cordis minister & famulus. Ad sensum omnem & motum exequendum ab hoc duplici membro submittitur spiritus; sit immediatè & proximè à cerebro, vnde magis temperatus atque ad sentiēdum & mouendum accommodatus profluit. Dum igitur spiritus hæc distributio prohibetur, quominùs ad organa sensuū deriuetur, concidūt illa & omnis operatio cessat, dormiréque animal existimatur. Propterea communis sensus affectio dicitur esse somnus. Quod ego duobus modis interpretor: tum communitatis ominum exteriorum sensuum: tum communis illius, qui exteriorum velut principium & iudex est. Nam & exteriores omnes sopiri oportet omnésque ab operando cessare: quoniam si vel vnico perfectè

Vt communis sensus affectio somnus.

sentiat, & quiescant cæteri, non dormit, sed vigilat animal. Et cùm primùm frigidus humor afficit organum communis sensus, afficit quoque neruos, qui ad exteriora organa ducuntur, virtutísque sentientis communicationem ac spiritus diffusionem prohibet. Primùm, quòd exiguus sit & imbecillus natiuus calor. Facilè enim refrigeratur locus, inersque redditur atque immobilis spiritus. Deinde quòd paucus existat spiritus: ideóque ad cor potius, vt ad natiuum locum, vbi renouetur, recipiat sese; quàm exteriores percurrat partes. Hæ verò spiritu destitutæ concidunt, nec operari valent. Tertiò ob laborem nimium corporisque fatigationem. Consumitur quippe labore spiritus, atque in exterioribus deficit partibus ad operandum. Quapropter fatigati obdormiscunt illicò. Quartò attenta etiam rei cuiuspiam cogitatio tum spiritum multum absumit, tum ab exterioribus ad interiora reuocat. Quamquā si fuerit vehementior, auertet potius somnum; quòd in cerebo spiritum retineat. Quintò nimia etiam extetioris cuiusuis sensus attentio, circa obiectum præsertim proportionatum, quodque harmoniam habeat, distrahit, atque ab aliorum sensuum organis auocat spiritum; hæcque spiritu destituta concidunt. Propterea audientibus musicam facilè conciliatur somnus. Sextò corporis morbi adducunt somnum: & quidem plurimis modis, de quibus dicent medici. Septimò naturalissimus & maximè proprius somnus ex meatuum obstructione nascitur, quibus ad sensuum organa diffundi spiritus debuisset. Obstruuntur autem illi crassioribus vaporibus ascendentibus ad caput, ibique frigore cerebri densatis magis & crassescentibus. Tractat luculenter hunc locum Philosophus in cap. 4. libelli cit. Cùm enim vapores meatus spiritus occupauerint, ad interiores sese spiritus contrahit partes; tum vt obsessæ subueniat parti; tum ne ab alijs, suóque fonte separetur. Tunc incipimus dormitare, sensibus omnibus actione obtusiùs sua fungentibus. Tandem autem obstructis meatibus, cùm non effundatur spiritus, concidunt organa omnia, perfectusque consequitur somnus. Ita fit, vt initio somni frigidiores sint superiores partes, inferiores calidiores: spiritu scilicet à superioribus ad inferiores recedente. Procedente verò coctione multoque spiritu genito superiores quoque calescunt, spiritu iam dominante vaporibus. Gignuntur vapores hi aut ex cibo naturali caloris actione cocto: quare à cibo facilis somnus: quique multo cibo & crapulæ dediti sunt, non solùm ad contemplandum mentisque actiones omnes existunt inepti; sed sensuum quoque functionibus imperfectè vtuntur; quòd eorum organa crasso subinde ascendente occupentur vapore. Aut ex humoribus corporis actione caloris resolutis; idque maximè in infirmitatibus. Aut demum ex partium colliquatione; quemadmodum in labore. Labor enim colliquat & resoluit partes. Quare non solùm ea, quam paulò ante significaui, sed hæc quoque fuerit causa, cur labor & fatigatio corporis adferat somnum. Agitatæ namque partes commotique humores euaporant ad caput.

put. Immoderatus tamen labor nimiaque fatigatio adimunt sæpè somnum, aut quòd absumat etiam vapores, aut propter doloris sensum partiũ labore nimio contusarum.

Soporiferæ Papauer, mandagora, vinum, lolium, soporifera sunt, quia vaporosa, & vero etiam frigida; multumque vaporem ad caput mittunt, & qui facilè refrigeretur ac densetur. Vinum rubrum soporiferum magis, quàm album, quia plures & crassiores vapores mittit. Plurimùm dormiunt pueri, natuformes, & magna capita habentes, quòd plurima sit sursum euaporatio.

Qui multum dormiant. Quibus item tenues & angustævenæ: quòd tenues angustique meatus claudantur facilè. Qui cubant incænati, ægrè & parum dormiunt: quòd deficiente cibo non multa sit euaporatio. Si tamen frigidus sit & imbecillus venter, meliùs & quietiùs dormient: quia cùm non grauentur cibo, nec exilis opprimatur calor, exiguum alimentum meliùs coquitur. Corporis temperatio regioque humida & calida præ cæteris sunt soporiferæ. Quoniam humor vaporem suppeditat & calor excitat.

Quo anni tempore melior somnus De anni temporibus difficultas nonnulla. Extat Hippocratis Aphorismus 15. libri primi Ventres hyeme & vere natura calidissimi sunt & somni longissimi. Quapropter his temporibus alimenta plura exhibenda sunt. Nam innatum calorem ampliorem tunc habent. Alexander verò in 1. lib. naturalium quæstionum cap. 20. æstate nos esse somnolentiores contendit. Tum quòd vehementior hyeme calor vapores illos citiùs dissoluit, qui conciliabant somnum. Tum quòd æstate ob aëris calorem sensoria flaccescunt omnia; & cùm sint ad agendum imbecilliora, faciliùs in somnum concidunt. At si vehementer hyeme calor ad dissoluendum, vehementior item ad excitandos copiosiores vapores: copiosiúsque humidum, vt plus ingeritur cibi, minores & angustiores meatus corporis, maiusque externum frigus, ac longiores noctes ad densandos & cogẽdos excitatos vapores. Si flaccescunt & imbecilliora æstate sensoria sunt: minor etiam & parcior euaporatio: tum ob alimenti paucitatem: tum ob caloris imbecillitatem, apertioréque ac patentiores corporis meatus: atque externus aëris calor maior ad dissoluendum. Sanè quilibet potest de hac disputatione iudicare. Nemo enim est, qui longiorem, profundiorem, ac quietum magis hyeme somnum; contrà æstate breuem, inquietum, sæpiúsque interruptum non experiatur.

Vt euigilet animal. Iam si meatuum obstructio spirituſque intercluſio somni existit causa, eorumdem resecatio atque apertio, reditúsque spiritus ad sensuum organa excitationis & vigiliæ fuerit causa. Sed duobus modis potest animal excitati à somno atque euigilare. Aut à seipso, aut ab alio. A seipso tunc naturaliter euigilat, quando natiui caloris virtute absumptis vaporibus illis, qui occupabant meatus, nouoque spiritu ex cibi coctione renouato, effunditur is rursum ad organa sensuum. Interdem etiam ex accidenti euenit, vt ob dolorem quempiam in aliqua corporis parte exortum, aut vehementem timoris alteriúsue rei imaginationem, (quem admodum cùm interfici nos aut submergi somniamus) fiat in vniuerso corpore commotio tanta, vt spiritus ad cor contractus dilatetur & ad organa sensuum effundatur atque euigilemus.

Cùm verò excitamur ab alio, ita res habet. Remanent semper in sensoriis exiguæ aliquæ spiritus reliquiæ, quæ pulsato sensorio accurrunt illicò, quasi necessitati partis subuenturæ; eodemque anima quasi pulsu vocata naturaliter alium submittit spiritum, cuius præsentia soluitur somnus, qui eius absentia fuerat conciliatus. Præcipuè verò si auris pulsetur, aut organum tactus: quoniam hi duo sensus apertiores habent ac vehementiores ab obiectis motus. Dum sensorium pulsatur, vel nulla, vel perquàm imperfecta fit in eo sensio: quòd animal aut omnino dormiat, aut perfectè nondum euigilauerit, sensus autem vigiliæ est. At quoniam ad eam sensionem perfectè efficiendam accurrit spiritus, euigilat animal; & tunc perfectè sentit.

Vigilia & somnus quid. Vigilia quidem certè ad sensuum functionem atque operationem refertur tota: immo nil aliud, quàm functionem & vsum sensuum eam esse dixeris. Somnus autem causaliter contractio spiritus est ad cor, propter crassiores vapores interpositos, qui meatus occludunt. Formaliter verò imbecillitas vinculum, & immobilitas sensuum ex vaporum ascensu profecta. Quod propterea addo, vt somnum distinguam ab insensilitate, quæ ex animæ defectu oritur, ex timore, ex arteriis circa collum ligatis, ex alimenti defectu, ex morbo & similibus causis. Cæterum somni est duplex finis. Propinquus cessatio & quies ab opere. Remotus sed præcipuus, animalis restauratio. Non enim dormimus vt dormiamus; sed vt restaurentur vires, perfecta fiat nutritio, nouusque gignatur spiritus, quò acriores post ad operandum reuertamur.

Somni finis.

Nimij somni damna. Plurimum tamen obest nimius somnus. Tum quia propter nimium vaporem crassum diutiùs contentum plùs æquo laxat vias spiritus. Tum quia exterioribus sensoriis non parum obest; & propter nimis diuturnam sentiendi atque operandi cessationem ac desuetudinem; & propter longam spiritus, quo fouebantur, absentiam. Eo namque absente siccantur, rigent, contrahuntur, corrugantur; ægriúsque post ad operandum redeunt. Itaque si nimium dormieris, lucem intueri non vales: quemadmodum nec illi, qui ex longo tenebricoso carcere educuntur. Accedit, quòd colorem minuit naturalem. Dormientibus enim ad interiora contrahitur & optimè in ventre coquit; quia contractus & vnitus fortior. Quare si desit cibus, seipsum ex accidenti deuorat. Maximè etiam eneruat vires deficiente calore, corpusque tardum ac torpens efficit. Denique prauos auget humores: quippe vt vehemens & concitata est somni coctio, sic multas gignit superfluitates: & mane, dum à somno surgunt, alui excrementa purgant animalia omnia: nosque expuimus plurimum & excreamus; præsertim qui pituitosa & humoribus plena habent corpora.

Somni breuis damna

Sed nec nimis breuis debet esse somnus. Quoniam natiuo calore spiritúque distractis & ad alias atque alias operationes vocactis, impeditur coctio, prauíque humores & cruditates existût; siccatur corpus, quod non tàm copiosè ac largè reficitur dormiendo, quàm exhauritur vigilando. Debilior demum redditur motus, omnisque sensio deterior; propter defectum spiritus, qui non satis copiosus restauratur.

Somni moderati commoda.

Moderatus igitur esto somnus: qui & coctionem iuuabit ac perficiet; & impinguabit corpus, tum abundè alimentum membris suppeditando, tum probatos gignendo humores & succos. Soluet quoque fatigationem, vires optimè restaurabit, atque ad motum & sensum conferet, dum plurimum gignet & optimum spiritum.

An somnus prior an vigilia.

Curiosiùs quærit Philosophus in 5. de animalium ortu lib: cap. 1. num dormiat priùs animal an vigilet. Sed respondendum est, omnino vigiliam somno priorem esse. Tum quia est velut habitus, cuius priuatio somnus. Tum quia per sensum primò animal est; sensus autem vigilia & operatio. Somnus etiam non nisi post operationem & fatigationem necessarius iudicatur; vt id restauretur, quod vigilando & operando consumptum fuit. Et vnaquæque res naturalem priùs & perfectam conditionem habet, quàm eam, quæ præter naturam & velut mutilata est. In vtero quidem fœtus tempus penè totum dormiendo consumit. Sed & id euenit cùm primùm, inquit Philosophus, sentire cæperit: Antecedit igitur sensus & vigilia. Neque dispositionem illam somnum, sed somno similem, qualis plantarum est, esse putat.

Vt dormientes faciant opera vigilantiũ

Maiore dignum cõsideratione videtur, id quod tum eo loco, tum in cap: 3. lib: de som: & vig: adnotatur, dormientes interdum surgere, ambulare atque alia vigilantium opera exercere; vt de amico suo, qui ad galinarum locum profectus est, scribit in eum de animalium ortu locum Philoponus. Etenim somnus affectio quidem cerebri est, sed anterioris præsertim partis, in qua communis sensus viget, & officina est spiritus sentientiúmque neruorum principium. Ibique maximè fit illud vinculum, quo exteriores sensus omnes velut in suo principio & centro ligari creduntur, & ideò operatione cessare. Posteriorem cerebri partem non est necesse ligari. Quare mouendi virtus, quæ ibi residet indéque spiritum ac neruos accipit, soluta erit & libera: & cùm per se imaginatione regatur, quæ inter dormiendum libera persæpè relinquitur, operari potest. Ligatur tamen ex accidenti ea quoque plerumque, nec operatur; siue deficiente spiritu in anteriore cerebri parte, quæ illum ad posteriorem transmittit: siue quòd imaginatio quoque ligetur; vt in profundo somno, in quo ne in lecto quidem minimùm mouemur. At non omnes ea vigilantium opera faciunt: sed perpauci quidem, quibus aut spiritus, aut imaginatio vehementior, aut natura apta & melancholica, aut maior aliqua impressio diurna; quemadmodum ijs, qui in inimicitijs versantur; aut morbus, aut habitus, aut alia causa.

Cùm verò hi euigilauerint, somnij, quo ad surgendum & agendum permoti fuere, recordantur; surrexisse se verò, ambulasse, aut egisse quidpiam, non item. Somnium quippe in imaginatione versatur, illique impressum memoriam facit. Exterior autem corporis motus nisi exterioribus sensibus cognoscatur, memoriam sui non potest facere: at exteriores sensus ligati sunt. Quòd si interdum fiat, vt surgentes apertis oculis & per loca periculosa incedant, & in columnam incidentes tanquam inimicum verberent: exterior sensus quoquo modo, at non penitus, solutus est. Non enim videre se vident; quia communis sensus principium exterioris ligatus est. Ideò non recordantur. Et si nihil somniantes operentur, perinde phantasmate vtuntur, ac si somniarent.

INTELLECTVM A SENSV diuersum esse.

CAPVT III.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' δύο διαφορᾶς δεῖ ζητεῖν μάλιστα τῶν ψυχῶν περὶ τε τῆς κατὰ τόπον, καὶ τῆς νοῆσαι καὶ τῆς κρῖναι, καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι.

Quoniam autem duabus maximè differentijs animam definiunt; tum motu, qui est per locum; tum intellectione, & iudicio; & sensu.

COMMENTARIVS XXXVIII.

QVi ab hoc loco 3. lib: principum fecerunt, eo nimirum argumento permoti fuisse videntur; quòd in superioribus verbis quasi sententijs animæ tractationem absoluens, de sensu dictum esse concluserit: nuncque velut de intellectu dicere aggrediens eum statim à sensu separat. At nec ea fuit superioris orationis clausula: quin potiùs communis sensus cõsiderationi finem posuit. Consequenti autem hoc sermone non ad intellectum, sed ad phantasiam progreditur; quæ communi sensui proxima est atque inter sensum & intellectum media; ad quam operaturus quoque intellectus sese conuertit. Neque enim inchoata sensuum interiorum tractatio abijcienda erat, & imperfecta ac mutila relinquenda; prætermissa videlicet phantasia, aut obiter solùm & quasi ex accidenti commemorata, vt intellectus ab ea distingueretur. Præsertim cùm plurimam habeat ac summopere necessariam operationem: eamque meliorem ac præstantiorem, quàm communis sensus. Verè etiam dixit Philoponus, repentinam omnem & subitam mutationem, tum in oratione, tu in quauis re agenda, malam esse, ac reprehendendã. Propterea ab irrationali sensu ad rationalem intellectum repente Philosophus non processit. Sed antea de phantasia, quæ inter vtrumque media est, egit. Ad alteram, vt Simplicius loquitur, quæ post sensum est, iudicatricem actionem se tranferens ordineque recte

rectè ad phantasiam, quæ sensui proxima est, tendens.

Ad eius verò tractationem ita accedit, vt generali primùm quadam facultatum animæ diuisione facta in cognoscentes & mouentes; cognoscentem illam esse constituat. Quam diuisionem etsi velut priscorum Philosophorum adferre videatur: & ita Philoponus iudicauerit; verbo illo (definiunt) persuasus. Verè tamen, vt visus est etiam existimare Themistius, tanquam propriam, veram, & sibi probatam proponit; sed manifestam atque ab omnibus receptam. Quod ex tex. 19. lib. 1. cognosces. Vbi animatum accepit duobus maximè ab inanimato differre, motu & sensu, hocque ipsum à priscis fuisse traditum. Et rursum in textu 25. & 28. eadem diuisione opiniones illorum de anima commemorauit. Ex eorum autem duntaxat sententia diuisionem eam non adferri, illud est argumento; quòd ab eo idcirco adfertur, vt qualis facultas phantasia sit constituat. Motum porrò solum localem nominat, quòd de hoc solùm agendum superesset. Atque hoc membro appetentes quoque complectitur. Siquidem motus appetitionem proximè sequitur: & à motrice quidem virtute impelluntur animalia ab vno ad alium locum; at iubente atque imperante appetitu.

Rursum triplicem facit cognitionem, νοεῖν, κρίνειν, αἰσθάνεσθαι. intelligere, iudicare, sentire: vt qualis phantasiæ cognitio sit accipiat. Quocirca si motus absolutè nominaretur, diuisio in motum & cognitionem quinque illa membra cõtineret, quæ in tex. 27. lib. 2. enumerata sunt; vegetans, sentiẽs, appetens, loco mouens, & intelligens. Namque motus, tum vegetans, tum loco mouens complecteretur; si quidem nutritio, accretio, & procreatio motus quidam sunt; tum verò etiam appetens; quia loci mutatio ex aptietione proficiscitur. Cognitionem autem manifestum est sensum & intellectum continere.

Philoponus νοεῖν rationalem solam cognitionem: αἰσθάνεσθαι irrationalem omnem: κρίνειν vtramque interpretatur. At videre poterat, phantasiam in tex: 153. à sensu separari: & in tex. 155. sub νοεῖν collocari: & post in tex: 48. νοῦν, intelligere νόησιν quandam dici. Aptèi gitur Simplicius quid significet. νοῦν dixit cognitionem omnem significare, ad quam à nobis ipsis, non à præsente obiecto excitamur; siue intellectus ea sit, siue phantasiæ: αἰσθάνεσθαι autem cognitionem omnem sensus, quæ præsente indigeat obiecto. Ac demum κρίνειν vtrumque hoc cognitionis genus cõprahẽdere; quia in vtroque iudicat anima. Themistius tamen non nisi duas cognitionis formas commemorauit: alteram sentiendo: alteram λόγῳ ἢ διανοίᾳ, hoc est intelligendo. νοεῖν videlicet ita interpretando, vt λόγον & διάνοιαν, hoc est intellectionem propriè dictam comprehenderet: tertia, quæ iudicando fit, prætermissa. Eum tamem omnino non reprehenderem, qui αἰσθάνεσθαι diceret exteriorum sensuum cognitionem appellari: κελεύειν eam, qua plura iudicamus; communisque sensus comprehensionem esse.

A Quod ex superiori oratione videtur colligi: in qua cùm de hoc sensu loqueretur, ea voce perpetuò vsus est; quia is sensus velut communis iudex est. Denique νοεῖν pro omni cognitione vsurpari, quæ non ab externo obiecto præsente, vt exteriorum sensuum sensio, & illius, qui communis est, iudicium: sed à semetipso excitatur; haberique potest, etsi obiectum remotum sit. Et fortasse licèt ex artis præceptis diuisio bimembris magis fuisset; communem tamen sensum nuper demonstratum prætermittere videri noluit Philosophus. Phantasiæ autem cognitio, cùm absentis etiam obiecti sit, quasi ab ipsamet facultate excitata & obiectis occurrens, νόησις magis est, quàm αἴσθησις aut κρίσις propterea in tex. 155. νόησις rursum diuiditur in φαντασίαν & ὑπόληψιν, quæ propria intellectus est. Quodque magnopere pertinet ad id ostendendum, quod paulo ante dicebatur, præsentem operam ad phantasiæ tractationem per se referri, de phantasia primùm agendum proponit, deinde de hypolypsi. Quòd si generalis hic operandi modus νόησις dicitur ἀπὸ τοῦ νοῦ, qui mentem & intellectum propriè nominatum significat, idcircò dicitur, quia excitari à seipso ad cognitionem & actionem, intelligentis præsertim vitæ proprium esse videtur. Sic enim in tex. 60. lib. 2. inter sentire & intelligere positum fuit discrinen; quòd intelligere in nobis est quando volumus, sentire autem non item, sed præsente opus est obiecto sensili, à quo ad sentiendum excitemur. Qui locus aptissimus est & opportunus maximè ad interpretandum, quo intellectu nunc sentire & intelligere nominentur: quóque intellectu in phantasiam & hypolypsim diuidatur, ac phantasia velut intellectus quidam statuatur, atque intellectus interdum appelletur, ac demum illius operatio & cognitio intellectio quæpiam dicatur.

Phantasia νόησις ἐστιν intellectus

Et hæc quidem paucis nunc significanda fuerunt, vt Aristotelis institutum demonstraretur. Antequàm enim hanc phantasiæ propriam explicationem ingrediatur, eam vult à sensu & intellectu, qui propriè dicitur, separare, atque inter vtrumque mediam constituere. Vt ita & ea, quæ de sentiente irrationalique animæ parte supersunt, absoluat (quæ primaria illius intentio est) & post hæc gradum faciat ad intellectum illiusque operationem, quæ phantasia vitur, explicandam. Qua in re tum hanc doctrinæ suæ partem cum antecedenti & consequenti continuauit: tum verò optimum seruauit ordinem, à prioribus ad posteriora, à notioribus ad ignotiora, à sensatis ad ea, quæ magis distant à sensibus: Dum de sensibus primùm exterioribus, deinde de interiori & communi, tum de phantasia, ad extremum de intellectu, disseruit.

Huc etiam spectat diuisio illa facultatum animæ in cognoscentes & mouentes, quam initio accepit. Vt nimirum cognoscentes omnes, quæ natura sua priores sunt, absolueret, phantasiam & intellectum addendo, antequam de

mouentibus diceret, quæ posteriores sunt, & ad rem cognitam animalia impellunt.

Cæterùm prima hæc verba suspensam præ se ferunt sententiam. Et Plutarchus quidem, Philoponus, Simplicius, & Auerroës post multa tãdẽ eis illud respondere dixerunt (Idẽ igitur non esse sentire & sapere, manifestum est). At nimis longum hyperbaton est. Et vt aliqua esset sententia, particula (igitur) addenda non erat. Veriùs Alexander primam illam vocem (ἐπεί, quoniam) superuacaneam esse voluit: quam si expunxeris, optimè constabit tibi sententia. Vel si expungere pigeat, subaudiendum quidem est, & cum Argyropilo ita absoluenda sententia. Quoniam duabus defferentijs anima definitur, motu & cognitione intellectus & sensus: considerandum, numquid inter intelligere & sentire interſit.

TEXTVS.

Δοκεῖν δ' τὸ νοεῖ καὶ τὸ φρονεῖν, ὥσπερ αἰσθάνεσθαί τι εἶναι ἐν ἀμφοτέροις γὰρ τύπωσίς τις καὶ κρίσει τε καὶ γνωρίζει τι τῶν ὄντων. καὶ οἱ μὲ ἀρχαῖοι τὸ φρονεῖν καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ταὐτὸν εἶναί φασιν. ὡς ὧν καὶ Ἐμπεδοκλῆς εἴρηκε. Πλέον παρέδυ γὰρ μῶπις αἴξεται ἀνθρώποισι. καὶ ἐν ἄλλοις. ὅθεν σφίσιν ἐπῆλθε καὶ τὸ φρονεῖν ἀλλοῖα παίσιται τε δ' αὐτὸ βέλεται τύποις καὶ τὸ τῷ Ὁμήρῳ, τοῖς γὰρ γόος ἔστιν ὁπιχθονίοις ἀνθρώποις, οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Videtur autem intelligere & sapere velut sentire quidpiam esse. In vtroque enim anima iudicat & cognoscit ea, quæ sunt. Et priscis sanè sapere & sentire idem esse inquiunt. Quemadmodum & Empedocles dixit,

Namque homini ad præsens crescit sapientia semper.

Et alibi.

Vnde ipsis vana est præstò prudentia semper.

Idipsum autem sibi vult & Homeri illud,

Tales namque insunt mentes mortalibus ipsis.

Quas facit ad præsens hominum pater, atque Deorum.

COMMENTARIVS XXXIX.

DVplicẽ superioribus verbis animæ partitionem proposuit, velut hypothesim ad eam, quam parabat, explicationem. Altera fuit in motum & cognitionem. Altera cognitionis intellectionem, iudicium, & sensum. Prior à veteribus admittebatur: & ideò velut eorum consensu confirmatam accepit, nec amplius quidquam de ea dixit. Posterior non item ab illis concedebatur. Propterea nequid sine probatione videretur accipere, quod à quopiam negari posset, & verò à priscis illis negatum fuisset, in ea confirmanda & stabilienda immoratur. Præsertim cùm ex ea potissimùm, qualis phantasia sit, inuestigandum sibi atque docendum proposuisset.

Primùm igitur quæstionem adducit in medium, Num intelligere & sapere idem sit, quod sentire. Intelligere eodem modo, quo antea vsurpatur pro quauis cognitione, quæ à seipso excitatur, etsi præsens obiectum non sit. Sapere quod φρονεῖν dicitur, pro solius intellectus cognitione. Et licet in 6. de moribus ad Nicomachum lib. alijsque in locis, vel etiam in hoc libro, pro speciali quodam illius habitu atque operatione, quam prudentiam dicimus, accipiatur: nunc tamen rationalem omnem & intelligentiæ comprehensionem significat. Cur autem duas hasce cognitiones, siue solius intellectus sint, siue cuiuis facultatis, quæ à seipsa excitetur ad agendum, (qualis sanè phantasia est) existimare quispiam posset à sensu, qui à præsentibus solùm obiectis ad sentiendum prouocatur, non differre: duo argumenta proponit. Alterum, quoniam eorum vtroque profectò iudicamus & cognoscimus ea, quæ sunt. Quod argumentum duobus modis explicare licet. Primùm, vt vox illa (in vtroque) tum sentire significet, tum intelligere & sapere. Illudque sit argumentum, eaṅ differre; quoniam non minùs horum vno, quàm altero, iudicat anima & cognoscit. Deinde, vt illa ipsa vox non sentire & intelligere, sed intelligere & sapere accipiat. Atque idipsum hoc argumento colligatur; quia siue intelligere dicamur siue sapere; omnino quemadmodũ & sensu, iudicamus & cognoscimus. Vtrouis modo explices, idem est argumentum, ex eo deductum, quòd cognoscere & iudicare tum sensu tum intellectus, siue is propriè, siue ampliori acceptione sumatur, commune sit. Quòd si perinde cognoscunt & iudicant, eadem igitur facultas sunt.

Duobus item modis verba illa (τῶν ὄντων, ea quæ sunt) accipi queunt: vel vt res existentes, hoc est præsentes, vel vt res ipsas cognoscibiles absolutè significent. Priori modo hoc fuerit argumentum. Sensus res præsentes cognoscit & iudicat: at eas quoque cognoscimus & iudicamus, dum intelligimus & sapimus; idem igitur sunt intelligere & sapere, ac sentire. Posteriore autẽ hoc. Siue sensu, siue intellectu cognoscamus & iudicemus, res easdem cognoscimus & iudicamus: at si est idem obiectum cognitum & iudicatum, eadem quoque facultas fuerit, quæ cognoscit & iudicat.

Alterũ argumentũ ex veterũ Philosophorũ, qui sapere & sentire idem esse confirmarunt, auctoritate sumptum est. Solum autem sapere, non item intelligere, iam nominat: vel vt brevior sit oratio: vel quasi argumento vtens à minori ad maius. Nam si propria intellectus operatio idem cum sensu sit, multò magis fuerit phantasia, aut alia quæuis. Vel demum quòd veterum illa testimonia, quæ ad huius rei confirmationem afferre parabat, de solo sapere soláque mente loquerentur: cùm Empedocles μῶπιν, & τὸ φρονεῖν, & Homerus νόον, consilium, sapere, ac mentem nominauerint. Atque Empedocles quidem alicubi scribens, consilium, quod ad intellectum pertinet atque illius functio est, homini in præsens crescere; consilium præsentis rei esse significauit; intellectumque cum sensu, qui præsentia item rerum est, confundi. Qui locus non parum

indicat,

indicat, antecedentia illa verba (ea, quæ sunt) res præsentes significare. Porrò consilium crescere ait Philoponus, quoniam actione & operatione virtus quæque & facultas perficitur & augetur; quiete & cessatione læditur, contabescit & dissoluitur. Siquidem Hippocratis quoque sententia Motu firmiora & robustiora euadunt corpora, quæ otio ac desidia eneruantur & marcescunt. Aut potiùs præsentibus rebus consilium crescit, quòd alijs atque alijs euentis prudentiores ac sapientiores reddamur: plurimarum scilicet rerum vsu atque obseruatione edocti. Ac rursum alio in loco de somniis loquens, quorum diuersitas ac differentia ex rebus oritur, quæ inter vigilandum sentiuntur; phantasma seu visum, quod dormiētibus nobis sese offert, prudentiam appellauit: prudentia autem intellectus est. Tertium testimonium est Homeri, talem nobis inesse mentem asserentis, qualis ad præsens & in dies incidētibus rebus in nobis fit. Præsentibus autem & ad omnes horas occursantibus obiectis perfici, proprium sensus est.

Digressio IX. *Perperam Philoponum locum hunc calumniatum fuisse.*

SImplicius Theætetum quidē apud Platonem scientiam cum sensu confudisse scribit; secus tamen Empedoclem atque Homerum sensisse: Aristotelemq; verba solùm minùs cautè pronuntiata, quæ aliam in partem trahi possent, confutasse. Philoponus autem hisce illorum locis abusum esse philosophum inquiens, pro illis respondet: Empedoclem in priori loco μῶλυ non intellectum, prudentiam, aut consilium; sed διάνοιαν seu cogitationem appellasse, quæ inter intellectum & sensum media est. Neque solùm sensum, sed cogitationē quoq; immò magis, circa præsentia esse. Siquidem sensus obiectū habet extra se, cogitatio intra se positū ac sibi planè præsens. Deniq; idem de intellectu dici posse, si de illo loquutus sit. Alterum locum ad rem citatum fuisse fatetur: nec tamen deesse, qui pro Empedocle respondeant (vt post Simplicius etiam respondit) Tria esse somniorum genera. Vnum ex reliquijs sensuum, ac phantasia à sensibus permota excitatum. Alterum à rationali anima quidpiam quærente, eoq; tempore à corpore soluta faciliùs inueniente profectum. Tertium diuinitùs immissum ad futurum aliquid significandū. Empedoclemq; de illo solo somniorum genere, quod à rationali anima fit, loquutum fuisse, cùm prudentiam appellauit. Postremò tertium Homeri locum ait Philoponus ab Aristotele perperam intellectum fuisse: eumque non sensum, sed mentem appellasse νῶν ἐπὶ μαὶ autem seu in dies, non præsens sensile, sed fortunam aut fatum. Hac videlicet sententia; Talem esse hominibus mentem, qualis est eorum fortuna. Quam tragicum illud interpretari dixeris.

Τοῖος τὰς τυχας ἡ τὰς φρένας ἀνθρώποισι. hoc est.

Fortuna nobis prout est, est & ingenium.

Cùm enim pauper est quis, moribus est modestus; flagitiosus & nequam, si dives euaserit. Quod non de quibusuis, sed de socordibus, intemperantibus, & materialem vitam agentibus hominibus intelligendum esse significauit Poëta ἐπιχθονίων, id est terrenorum, adiungens. Sapientes n. & qui ex virtute viuunt, non ita mutantur.

Verùm hæc veterum aduersus Aristotelem suscepta defensio parùm perfectò firma est, parumque sapienter instructa. Etenim absque ratione dicitur, μῶλυ pro διάνοια & cogitatione positam fuisse: μῶλις autem, siue consilium, siue prudentia, siue aliud quiduis, in intellectu solum consideratur. Deinde διάνοια quoque, vt in 2. lib. sæpiùs adnotatū est, & post rursum intelligetur, cùm ἀπὸ τοῦ γῦ dicatur, ad intellectum pertinet. Tum verò obiectum præsens in hac vniuersa disputatione illud intelligitur, quod per seipsum cognoscenti facultati propositum est. Vt ita sensus, qui præsentia solùm perspicit, à facultatibus cæteris distinguatur, quæ absentia quoque & procul dissita comprehendunt. Alioqui si præsentiam item intelligas, quæ siue per obiecti cognoscendi speciem est, siue per cognitionis actum vt obiecti cogniti formam; omnis facultas præsentium rerum est; vel etiam phantasia, quæ absentium; & memoria, quæ præteritorum esse dicuntur; omniumque maximè intellectus, qui tum remotissima quæque, tum verò ea, quæ non sunt, cognoscit & comprehendit. Iam verò solus sensus præsentia sentire creditur; phantasia & intellectus tum præsentia, tum absentia; memoria absentia duntaxat, hoc est præterita.

In altero loco nescio quàm Empedocli cōsentanea sit tripartita illa somniorum ratio. Certè vt verum sit aliqua diuinitùs immitti atque interdū fuisse immissa: quæ tamen ab interno in nobis principio nascuntur, ex sensuum reliquiis excitantur omnia, suntque non rationalis animæ, sed interioris sensus, cuius passio est somnus: at non quà διανοητικὸν est, sed quà φανταστικόν. Sic. n. distinguere nos docet Aristoteles, qui in cap. primo libri de insomniis proposità hac quæstione, somnietne anima quà intelligens an quà sentiens est, posteaquàm somniandi vim propriam conclusit esse animæ sentientis, eâ præterea distinctione vtitur, vt somniorum effectio propria sit eius, non quatenus actu & simpliciter sentit, sed quatenus phantasia & imaginatione vtitur. Nempe in somnis, neque exteruo oculorum auriumue sensu percipimus ea quæ aut cernere aut audire nobis videmur; & sensus ille internus, qui communis sensus est appellatus, nullo, vt talis est, suo munere defungens, nisi quoad agentibus externis sensibus cōmunis iudex interuenit, cum ijs in somno ea ex parte consopitus, partes agendi phantasiæ relinquit. Ea ex rerum imaginibus quæ in vigilia ad sensus atque in cerebrum penetrarunt, visa illa efformat quæ dormientes quasi integris sensibus percipere videmur. Fit aliquando interim, vt liber animus ab interpellatione externorū sensuum, vel ex acceptis rerum speciebus sincerum intelligat aliquid, vel phantasmata ipsa castiget, somniaq; esse inter somnia ipsa perspiciat. Verùm hoc rarum ideo esse oportuit, quòd perpetua intellectus vigilia si perpetuâ item actione sese, etiam in somnis, testaretur, necesse esset, quoniam ille in hac vita necessariò administris sensibus vtitur, nullam esse quietem sensuum, eosque ne quid consopiti animum fallerent, in rem perpetuò intentos atque arrectos esse: quod consistere cum hac corporis imbecillitate non potest. Non igitur cùm prudentiam homini cumulari dixit Empedocles aliâ atque aliâ semper præsentium rerum accessione, ad hanc mentis in somno agitationem respexit, vt Philoponus interpretari eum studuit, sed Aristotele teste, cùm ita præsentibus rebus atque euentibus mentes alligauit nostras, vt pro illorum

Tria somniorum genera.

conditione mutarentur; naturam illis & conditionem sensuum tribuit, qui ab obiectis præsentibus afficiuntur toti ac mutantur.

An verò veteres illi reipsa ita sentirent, humanam mentem nihil à sensu differre, non est mihi nunc propositum disputare. Aristotelem tamen video pluribus in locis affirmasse, materialia sola, & sensata entia fuisse illis cognita, intelligentes substantias atque à materia sensibusque remotas, prorsus ignotas. Atq; hoc loco iure optimo reprehensos eos fuisse constanter affirmo, quòd de intellectu minùs cautè perinde inquam ac de sensu, loquuti essent: nimiumque præsentibus illum alligassent obiectis, vt voces illæ (πρὸς παρεστῶτα οἷον μαρ, satis superque testantur. Id verò multò magis affirmare liceret, si vera esset S. Thomæ interpretatio, voces hasce non ad obiectorum, sed ad cælorum præsentiã referentis. Quasi Empedocles pro præsenti cælorum aspectu, syderumque configuratione sapientiam nobis crescere ac mutari voluisset.

Et Homerus, talem nobis inesse mentem, qualem dederit sol; qui tum deorũ, id est cæterorum astrorum appellatur pater, quòd ab illo lumen accipiant; tum virorum, quia sol & homo generant hominem; 2. phys. tex. 26. Qui si de Homeri sententia, id quod vult D. Thomas, intellectum nostrum ita præterea afficit vt pro vario solis motu, situ, aspectu, intellectus noster variè intelligat, sanè hic aut idem cum sensu, aut certè, vt sensus, corporeus est. Refellit id quidem D. Thomas ex eo quòd intellectus noster, quia spiritalis sit, nullâ potest corporea actione per se ac directò affici, sed tantùm fortasse intermedio corpore, à cuius sensibus pendet in intelligendo. Verum ad Homeri sententiam quod attinet, neq; illi de sole sermo in eo loco est, sed de sũmo Deo; & hunc vult rerum obiectarum vi quotidie hominum mentibus sensa inducere, quia homines præsentibus rebus contenti, animos iis cum sensibus affigant. Accedit interprete Philopono, quòd Homerus non absolutè in nobis dixit mutari mentem, sed in perditis ac terrenis hominibus, qui sensum resque sensatas sectantur. Quòd si à cælo mutationem fieri voluisset, in omnibus eam fieri vniuersè pronuntiasset. Itaque acutam potiùs quàm opportunam interpretationem, fecit S. Thomas & veram magis doctrinam tradidit, qua ostendi possit animum nostrum non esse corporeum; quàm huic loco accommodatam.

Odyss. 6. seu li. 18. 5. 135. & 136.

TEXTVS.

Πάντες γὰρ οὗτοι τὸ νοεῖν σωματικόν, ὥσαπερ καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι ὑπολαμβάνουσι· καὶ αἰσθάνεσθαί τε καὶ φρονεῖν, τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον. ὥσαπερ γὰρ καὶ ἐν τοῖς καθ' αὑτὰς λόγοις διωρίσαμεν.

Hi. n. omnes intelligere, quemadmodũ & sentire, corporeum esse putant. Et sentire ac sapere simili simile. Sicut enim & in ijs sermonibus, qui circa initia habiti sunt, definiuimus.

Tex. 151

COMMENTARIVS XL.

NOn satis videntur interpretes Græci à superioribus hæc verba distinxisse: sed ita accepisse quasi simul cũ illis veterum sententiam continerent. Distinxerũt Auerroës & S. Thomas: qui antea dixerunt sententiam illorũ fuisse positam, nunc autem doceri causam, cur ita illi sentirent.

Ego vt prioribus verbis ostendi non tàm eorum sententiam contineri, quàm dubitationem, num intelligere & sapere sit idẽ quod sentire: tũ quòd in vtroq; iudicamus & cognoscimus ea, quę sunt: tum quòd ita visi sunt veteres affirmare. Ita nunc aio, ex allatis testimoniis eorũ sententiã colligi: statui: causamq; simul doceri, cur eo modo illi de intellectu decreuissent. Propterea. n. de consilio, prudẽtia, & intellectu perinde, ac de sensu, loquuti sunt, quoniã intelligere & intellectũ nõ minùs quàm sentire & sensum, putarunt esse corporeũ: perindeq; sapere & cognitionẽ omnẽ intellectu ac sensionem sensus, à simili fieri existimarunt.

Quæ verba, tum ipsorum sententiam, tũ illius causam ac rationem continent. Sententia duabus constat propositionibus. Altera de intellectus intellectionisque natura. Altera de operandi modo. Prior est illa; Intellectus & Intellectio corporea sunt. Posterior hæc, Intellectio fit ratione similitudinis. Quæ duo cùm sensui quoq; conueniant, manifestum est, eos intellectum atque intellectionẽ à sensu & sensione natura non distinxisse. Hinc ipsis verbis duplex continetur causa, cur non distinguerent. Altera; quoniã intellectum non minùs, quàm sensum, putabant esse corporeum. Altera; quòd eodem modo, quo sensum, ratione similitudinis eum operari credebant. Quare cum corporea intelligere nos animaduertebant; ea ipsa, quæ sensibus comprehendimus; corporeum eum esse, nihilque à sensu differre concluserunt.

Quæ in re priorẽ propositionem ex posteriori colligere ac demonstrare videbantur; eatenusque sapienter philosophari, quatenus ex operatione operationisque modo & conditione naturam intellectus, quę operationem promit, inuestigabãt. Verũ in eo errabant, quòd cognitionis vim ac naturam ignorabant. Non. n. similitudo antecedere debet, sed subsequi cognitionem. Neq; obiectũ cognoscendũ simile esse oportet cognoscenti facultati, antequàm cognoscatur: immò dissimile; quia debet esse actu id, quod cognoscens facultas est potestate. Quod autẽ principio est dissimile, cognitione fit simile; dũ per cognitionis actum elicitur à materia, atq; in cognoscentẽ facultatem transfertur, animaq; cognoscendo fit omnia; varisciticet cognitionum formis, velut cognitorum obiectorum similitudinibus, picta atque ornata.

Intellectus porrò & sensus ea quidem ex parte conueniunt, quòd vterque proposita sibi obiecta in se transfert sibique assimilat: at duobus modis plurimùm differunt. Primùm, quòd sensus res solas materiales & corporeas sibi assimilat, hoc est cognoscit: intellectus immateriales quoq; & incorporeas. Deinde quòd sensus dũ res eas, quas cognoscit, sibi assimilat; minùs sanè materiales facit & corporeas, quàm eæ sua natura sint: non omnino tamen immateriales & incorporeas; quoniam ipse materialis est & corporeus. Intellectus autem, vt immaterialem prorsus & incorpoream naturam habet, res omnes, vel etiam materiam ipsam & corpus, immateriales penitus facit & incorporeas. Itaq; prisci illi philosophi vt ex eo, quòd corporea cognoscit, corporeũ esse cõfecerunt: sic ex eo, quòd in corporea comprehẽdit, poterant incorporeum esse concludere; si similia simili cognosci volebant. Verùm propterea errarunt, quòd substantias à materia & corpore separatas non cognoscerent; nec alia, quàm sensata & corporea, entia esse arbitrarentur. Ex eo autem, quòd intellectus illis corporeum

videretur, nequaquam eum à sensu differre concluserunt; ignorata scilicet differentia, qua distinguendus erat. Vt enim qui rationale, hominis differentiam, ignoraret, distinguere hominem ab animalibus cæteris non posset: sic illi incorpoream intellectus differentiam nescientes, intellectum à sensu diuersum facere nequiuerunt.

Cæterùm quid Aristoteles senserit, alibi dicendum erit. Interim prætermittendus non est hic locus. In quo cùm antiquiores reprehendat, quòd corporeum intellectum fecissent; & ideò eum à sen su non separalsent: manifestè ostendit se incorporeum facere atque hoc nomine separare, quòd sensus corporeus sit, intellectus incorporeus.

Intellectus Aristotelis incorporeus.

B

Locus autem, in quo ait initio commemoratam fuisse veterum illam sententiam, simile simili cognosci; aut est in primo lib. à tex. 76. & deinceps; vbi aduersus eam ex instituto disputauit (idcircò enim illi animam ex entium omnium elementis & principiis constare inquiebant, vt cognosceret omnia; quippe simile simili cognoscitur) & ideò locum illũ appellat sermonem circa initia: vel quòd initio tractationis huius de anima habitus sit: vel quòd de principiis, ex quibus constaret anima, in eo differeretur. Aut etiam fortasse, vt Simplicius censuit, est textus 51. & 54. libri secundi; vbi cùm ab illis C diceretur simile simili cognosci; definiuit ipse quomodo id verè dici possit: nimirum post habitam cognitionem, qua obiectum cognoscenti assimilatum est. Porrò hunc locum vocat sermonem circa initia; quoniam in ipso principio eius orationis continetur qua de sensu deque cognoscentibus facultatibus dicere aggressus est.

TEXTVS.

Καὶ τοιῦδε ἕμα χρὴ περὶ τῶν ἁπαγόντων αὐτῶν λέγειν· οἰκειότερον γὰρ τοῖς ζώοις, καὶ μᾶλλον χρῆσθαι ἐν τούτοις διατελοῦσι τὴν ψυχήν. διὸ καὶ νυκτὸς, ἢ τοῖς ἀπεψίαις λέγουσι, πάντα τὰ φαινόμενα γίνεται ἀληθῆ, ἢ τῷ τὴν ἀναισθησίαν δίκην, ἀποφαίνεσθαι. οὗτος δὲ ἐναντίον τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον γνωρίζειν· δοκεῖ δὲ καὶ ἡ ἁπτὴ καὶ ἡ ὄψις μὴ τῶν ἐναντίων ἢ αὐτὴ εἶναι.

Atqui oportebat eos de deceptione quoque simul dicere. Animalibus namque familiaris magis, atque in his anima plus temporis consumit. Quare necesse, velut quidam aiunt, omnia, quæ apparent, vera esse: vel dissimilis tactum deceptionem esse. Nam hoc contrarium est, quod est simile simili cognoscere. Videtur autẽ & deceptio & scientia contrariorum eadem esse.

COMMENTARIVS XLI.

COmmemoratam veterum opinionem ita philosophus exagitare aggreditur, vt posteriorem primùm illius propositionem qua simile simili cognosci dicebant, reprehendat ac confutet; aut si malit Simplicius, aduersus eam instet (non enim satis intelligo, cur is non confutationẽ, sed instantiam appellari velit) Aduersus hanc autem posteriorem propositionem statim disputat quoniam ea totius illorum opinionis causam & fundamentum continebat: cùm ideò corporeum intellectum facerent neque à A sensu diuersum, quòd simile simili cognosci crederent. Quo fundamento diruto atque euerso tota illicò opinio corruit: aut certè eam quoque demoliri facilius fuerit.

Propositionem igitur illam hoc nomine reprehendit, quòd qui cognitionem similitudine constare affirmarunt, erroris quoque, deceptionis & ignorantiæ, quæ veræ cognitioni aduersantur, docere causam debuissent. Eóque magis, quòd animalibus familiarior deceptio est, quàm cognitio; in eaque diutiùs versantur. Id verò propterea euenit, quòd facilius sit errare & decipi, quàm veram assequi cognitionem. Siquidem hoc pluribus omnino opus habet, quæ non semper adsunt omnia: illud statim consequitur, si vel vnicum eorum desit, quæ ad obtinendam cognitionem veram necessaria sunt: Cognitionem veram nisi labore plurimo & industria, ab aliisque edocti, non consequimur: in errorem ac deceptionem nos ipsi persæpè absque labore vllo incidimus. Denique vera cognitio paucorum est, error & deceptio plurimorum. Diuturniorque deceptio est & ignoratio, quàm cognitio vera: quoniam ad hanc non nisi post longum tempus attingimus. Si ratione similitudinis cognitio fieret, quòd anima nostra ex rerum omnium constaret initiis: naturalis nobis esset rerum omnium cognitio atque scientia. Iam verò absque vlla nascimur cognitione, diúque ne ipsas quidem animæ actiones exequi valentes in summa ignoratione versamur: sæpè à diuersis perturbationibus aut occurrentibus rebus vitæque necessitatibus à veritatis studio animam retrahentibus impedimur: & omnino non nisi multo labore plurimoque tempore cognitionem rerum ac scientias nobis comparamus. Accedit, quòd ea, quæ nouimus, minima pars eorum sunt, quæ ignoramus. Causa, inquit Simplicius, est in cursus animæ ad corpus & generationis complicatio: atque vt Philoponus loquitur, quæ in materia est, animæ hebetudo. Sicut enim eorum, qui in pestilenti loco habitant plures ægrotant, quàm sani sunt: sic & in animalibus, quæ in generatione sunt, plus valet auctoritate ignoratio, quàm cognitio. Eadem pestilentis loci similitudine vsum quoque fuisse Proclum in Alcibiade primò ad notauimus in superioribus, dum de vnione animæ cum corpore in secundo libro diceremus. Certè negari non potest, materiam ad cognoscendum ineptam esse, pondusque corporis obesse non parùm, at- *Caput cur ex carne.*
E que impedimentum animæ ad intelligendum & contemplandum adferre. Quam ob rem caput ex carne ferè factũ fuisse, in Timeo tradidit Plato ne intelligenti animæ, cuius ea sedes est, multa caro ad intelligendum esset impedimento.

Familiarior deceptio quàm cognitio

Ergò vt ad propositionem illam (simile simili cognoscitur) reuertamur, cùm nihil aliud ab ijs, qui de cognitione ita pronũtiarunt, dictum sit de deceptione, necesse est, aut nullum dicere vnquã dicipi neque errare, sed omnia, quæcumque nobis apparent, vera esse: quemadmodum Democritus dixisse legitur in tex. 23. lib. 1. & Protagoras in tex. 19. lib. 4. Metaph. & cap. 6. lib. 11. & apud Platonẽ in Protagora. Hoc n. si sit, nullã opus est deceptionis causã ad ferre. Aut deceptionem

respondere attactum dissimilis esse. Nam cùm A
contrariorum contraria sit ratio, si cognitio ratione similitudinis fit, deceptionem consequens est dissimilitudine constare. Propterea ex deceptione potiùs, quàm ex ignoratione, duxit argumentum. Quoniam ignoratio priuationem significare videtur, deceptio habitum veræ cognitioni oppositum; quem ex opposita causa proficisci credendum sit.

Ignoratio & deceptio quid.

Cùm autem tactum nominauit, Philoponus eum credidit in hoc etiam reprehendisse Empedoclem; quòd intelligentiam, aut διάνοιαν tactũ diceret: proque illo respondit, eam vocem omonymam esse, atque alium esse aspectus tactum, B
alium ipsius tactus, alium intellectus. Verùm non ideò Aristoteles Empedoclẽ accusauit, quòd intellectum diceret esse tactum: sed quòd simile simili cognosci affirmaret. Ex hocque deducit deceptionem item à dissimili fore: siquè cognitio est tactus rei similis, deceptionem dissimilis rei tactum esse: ac propterea vtramque fieri, quòd similia aut dissimilia sese tangant.

Postquàm verò horum duorum alterum necessariò dicendum esse deduxit; illud, quod erat primum, prætermisit. Aut quòd in Metaphysicis libris confutatum esset: aut quòd ad hunc locum non pertineret: neque ab Empedocle, aduersus C
quem disputationem susceperat, sed ab alijs, diceretur. Alterum verò, quod ad rem magis atq; ex Empedoclis assertione consequẽs erat, postremis verbis ad hunc modum confutat. Ad eandem scientiam spectant contraria, vt bonum esse vtile & malum noxium: At hæc sanè dissimilia sunt: scientia igitur dissimilium est; neq; cognitio ratione magis similitudinis fit, quàm dissimilitudinis. Puto etiam verbis illis argumentum ad maius contineri. Scientia contrariorum est: at contraria dissident magis, quàm dissimilia: multò igitur magis dissimilium est; neque cognitio à simili solùm similitudinisue ratione fit. Non enim ea potest D
duobus contrariis, quæ tantopere dissimilia sunt, similis esse: sed si eorum alteri similis est, alteri dissimilis erit; & tamen vtrumque comprehendit. Idem argumentum de deceptione fiet, & vtramque philosophus complexus est. Siquidem deceptio quoque scientiæ opposita contrariorum est, quemadmodum scientia, quique bonum ignorat esse vtile, idem ipse ignorat malum esse noxium: at duobus contrariis non potest esse dissimilis; non igitur fit ratione dissimilitudinis. Hæc aduersus Empedoclem Aristoteles disputauit.

TEXTVS.

Ὅτι δὲ οὐ ταὐτόν ἐστι τὸ αἰσθάνεσθαι καὶ τὸ φρονεῖν, φανερόν· τοῦτο μὲ γὰρ πᾶσι μέτεστι, τοῦτο δ' ὀλίγοις τῶν ζώων.

Non esse igitur idem sentire & sapere, manifestum.
Tex. 151. *Illud enim omnibus inest, hoc autem paucis animalium.*

COMMENTARIVS XLII.

PHiloponus, Simplicius, & Auerroës (vtrtea quoque adnotatum est) verba hæc respondere dixerunt particulæ illi (quoniam) à qua disputationẽ philosophus hanc exorsus est: quæ hactenus suspensa fuerit sententia. Ego verò eum arbitror post confutatam posteriorem veterum propositionẽ, qua simile simili cognosci allegabant, aduersus priorem disputare; simulque sententiã suam statuere. Quare cùm duo ab illis affirmarentur, tum in quam intelligere, tum sapere, idem esse quod sentire: & ipse duo item probet. Alterum, sapere & sentire non esse idem. Alterum, neque intelligere. Hæc S. Thomas ad illa duo voluit pertinere, quæ in intellectu considerantur: & sapere quidem significare iudicium, intelligere autem apprehensionem.

Quam interpretationem multa refellunt. Primùm, quòd sapere paulò post pars quædam intellectionis commemoratur. Deinde, quòd eodem intellectu vsurpandæ Aristoteli fuerunt hæ voces in sua firmanda sententia, quę in confutanda aliena: antea verò secus omnino vsurpabãtur. Tum verò, quòd apprehendere antecedit iudicij; siquidem de apprehensis iudicamus. At hic potiùs de sapere, quàm de intelligere, sermo est. Præterea vel apprehensionem dicens, primam mentis nostræ functionem significat, vel quamlibet eius cognitionem. Et iudicium item aut illud dicit, quod in affirmatione & negatione versatur; aut omne prorsus, vel illud, quod simplex est, & cum sensu etiam commune. Si quamlibet apprehensionem & iudicium intelligi velit; separanda ea non fuerunt: siquidem nulla est cognitio sine iudicio, nec iudicium vllum sine cognitione. Sin autem solam primam simplicium apprehensionẽ, solumque coniunctorum iudicium; præterquàm quòd hæc sibi vicissim non respondent; non fuisset vniuersè probatum, omnem intellectus cognitionem, omneque iudicium à sensu differre. Accedit, quòd si actionem eam, quæ est iudicare, Philosophus voluisset à nobis intelligi; eam non dixisset φρονεῖν, sed κρίνειν qua voce ferè antea vsus fuerat ad eam actionem significandam.

Maluit Philoponus φρονεῖν intellectum theoreticum, & νοεῖν διάνοιαν, quæ intellectus potestate est, significare. Sed in altero nimia est vocis abusio, in altero aperta mutatio, si quod Aristoteles dixit νοεῖν, tu διανοεῖν intelligas. Credendum potiùs est, aut φρονεῖν cognitionẽ omnẽ intellectus propriam significare, & νοῦν cognitionem quamuis à nobis ipsis excitatam intrinsecus, & ideo diuersam à sensu, quia præsente sensili ad agendum prouocatur. Aut si mutanda sit vocum significatio φρονεῖν actionem practicam prudentiæ propriam dici, νοεῖν verò quamcumque intellectus cognitionem, siue practica sit, siue theoretica, siue necessaria, siue probabilis. Siquidem harum omnium exempla legimus, σοφίαν, ὁπόνοιαν, δόξαν, prudentiam, scientiam, opinionem.

Ergo hanc conclusionem probandam statuit, Sapere & intelligere non esse idẽ quod sentire, neque facultatem eãdem intellectũ & sensum. Vti-

Intellectus sensus diuersa esse.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tur autem particula (igitur) quòd eam velut conclusionem colligat, & statuat. Conclusionem inquam, tum superioris confutationis, tum eius, quam statim subiungit, confirmationis. Eam porrò vtroque nomine manifestã esse asserit. Quoniam si à veteribus in posteriori propositione, quæ velut ratio & fundamentum prioris erat, peccatum est; dum sapere & intelligere fieri à simili affirmarunt: perspicuum manet, sapere & intelligere, sentireque, atque adeò intellectum & sensum, idem non esse. Magis autem nunc fiet manifestum. Primumque probat, sapere non esse idem quod sentire: quoniam id in posteriori propositione superiùs confutata nominatum fuerat. Nam hæc erat propositio; Sentire nos & sapere simili simile. Hæc ergò non esse idem, ita ostendit. Sentire (operationem semper accipit tanquam notionem; sed ex ea vult formam, quæ illius principium est, intelligi) etsi momentaneum sit, sicut & sapere; animalibus tamen omnibus commune est. Cùm animal sensu primùm constituatur, hocque à plantis, & stirpibus maximè & primùm distinguatur; deinde verò & motu. Et ea quidem, quæ perfecta sunt & non mutilata, sensibus omnibus & conspicuis eorum sensoriis prædita sunt, vt in tex. 131. dictum est. Quæ verò imperfectiora, tactum saltem & gustatum aliquem alimenti habeant. Nec alia est animalis vniuersi definitio, quàm substantia animata sentiens. Immò non solùm animalibus omnibus adest sensus; sed in ætate item omni, & omni tempore, tum vigilantibus, tum dormientibus. Vigilia enim sensuum functio est & operatio, somnus eorumdem vinculum, velut communis sensus affectio. Quin eo ipso tempore commouentur somnia, operante scilicet phantasia seu interiori sensu quatenus φανταστικὸς est. Quorum vtrumque in libris de somno & vigilia deque somniis ab Aristotele docetur. At sapere paucis inest, & quorundam duntaxat proprium est. Solum hominem interpretantur Themistius & Philoponus; quòd is solus mente valeat & intellectu.

At cur non dixit, soli homini; sed plurium numero, paucis? Respondent Auerroës & S. Thomas, propter animalia quædam, quæ nonnihil naturalis prudentiæ habere videntur; de quibus hoc loco definiendum non erat, an mente item & intellectu polleant vt homo: cùm ad intellectum separandum à sensu satis esset, non omnia animalia prudentiam & intellectum habere. Sed veriùs Simplicius, quoniam hominibus quidem omnibus inest intelligere, at sapere & prudentia non nisi perpaucis. Aut si φρονεῖν de omni intellectus cognitione vel etiam theoretica vsurpetur; hoc ipsum perpaucis inest, non omnibus. Cùm in scientias & contemplationes aut incumbant pauci, aut eas certè assequantur; sensu viuant plerique. Non ab re etiam fuerit duas ob causas interpretari dictum fuisse (paucis). Aut quemadmodum in textu 29. lib. secundi διανοητικὸν & mentem dixerat inesse in homine, aut siquid aliud huiusmodi est, vel etiam honorabilius. Siue ipse de hoc dubitaret: siue potiùs cùm à platonicis aërea, ignea, & cœlestia animalia ratione præditã assererentur; nollet hac de re tunc disputare; Illúdque solum affirmauit, horum animalium species paucas existere; si cum illis comparentur, in quibus est sensus. Aut eo intellectu, quo in textu 32. de solo homine cum loqueretur, eum appellauit minimum; quantitate scilicet & numero præ animalibus cæteris. Vt enim eo loco λογισμὸν & διάνοιαν solum illum habere affirmauit; ita nunc paucis, comparatione videlicet eorum, quibus inest sensus, adesse φρόνησιν pronuntiauit.

TEXTVS.

Ἀλλ' ἐδὴ τὸ νοεῖν, ἐν ᾧ ἐστι τὸ ἐρρῶσθαι, καὶ τὸ μὲν ἐρρῶσθαι τὸ μᾶλλον ἢ ἧττον, φρόνησις, καὶ ἐπιστήμη, καὶ δόξα ἀληθὴς· τὸ δὲ μὴ ἐρρῶσθαι, πᾶσαι ταῦτα τοῦτων ἐδὴ τούτων ἐστί, τὸ αὐτὸ τῷ αἰσθάνεσθαι· ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις τῶν ἰδίων, ἀεὶ ἀληθὴς, καὶ πᾶσιν ὑπάρχει τοῖς ζώοις. διανοεῖσθαι δ' οὐδέπω τε ψευδῶς, καὶ ἐνίοις ὑπάρχει ᾧ μὴ καὶ λόγος.

At neque intelligere, in quo est id, quod rectè, & id, quod non rectè. Quodnamque rectè, prudentia, & scientia, & opinio vera. Quod verò non rectè, his contraria: neque hoc vtique idem, est ac sentire. Nam propriorum sensus semper verus: Omnibusque inest animalibus. Ratiocinari autem & falsò accidit, nec vlli inest, cui non etiam ratio.

COMMENTARIVS XLIII.

INtelligere, vt ex superioribus cognitum est, latius omnino patet, quàm sapere, νοεῖν, quàm φρονεῖν. Propterea non fuit satis philosopho probasse, φρονεῖν & sapere non esse idem quod sentire. Sed vniuersè magis de quocumque νοεῖν & intelligere, id voluit demonstrare. Quod ex eo intelliges, quòd cùm de sapere loqueretur, sanè de sola intellectione recta, & quæ secundùm rationem est, loquebatur. Nunc autem tum de ea, quæ recta est, tum de non recta. Dumque eas, quæ rectè fiunt commemorat, atque in prudentiam partitur, scientiam, & opinionem veram; φρόνησιν, de qua superiori probatione loquutus fuerat, partẽ facit ac speciem νοήσεως de qua nunc disserit. Intelligere igitur vniuersum non esse idem cum sensu (quæ altera conclusionis & sententiæ pars erat) duobus argumentis demonstrat. Primum, intelligere interdum sit rectè, interdũ non rectè, sentire semper est rectè, igitur intelligere & sentire idem non sunt. Intelligimus rectè, quando secundùm rectam rationem ac rebus ipsis, quę in intelligentiam veniunt, consentaneè intelligimus: non rectè, si secus. Intelligentiam rectã in prudentiã partitur, scientiam, & opinionem veram. Prudentia practicã & quæ de rebus agendis, quæque esse possunt & non esse, fieri & non fieri, intellectionem cõprehendit. Scientia inter prudentiam & opinionem velut inter vtrumque media, vtrique quodammodo opposita, ideirco cõmemoratur, quòd & theoretica sit & certa cognitio. Altero modo à prudentia distinguitur, easque cognitiones vniuersas comprehendit, quæ in sola necessariarum rerum contemplatione versantur; naturalem, supernaturalem, & mathematicas; quæ ampliori acceptione scientiæ dicuntur, propriè autem disciplinæ. Altero autem opponitur opinioni, quæ de

Intellectum ẽ sensu diuersum esse.

vtrouis rerum, siue necessariarũ, siue contingentium genere, solam habet probabilitatem. Ita genus omne intellectionis comprehenditur.

Opinionem porrò veram dixit; non prudentiam veram, nec scientiam veram. Quòd opinio vera esse possit & falsa, velut Dædali statuæ, vt apud Platonẽ in Mænone loquutus est Socrates; quæ nisi ligentur aufugiunt. Prudentia non nisi ex rectæ rationis præscripto: nec scientia, nisi vera. Immò hæc non falsitatẽ modò & errorem, sed formidinem quoque omnem & dubitationem pellit. Intellectionem non rectam nequaquam partituseſt,nec singillatim exposuit:quia vno cõtrariorum cognito facilè alterũ intelligitur. Propterea vniuersè solùm dixit eam esse, quæ prudentiæ, scientiæ, & opinioni veræ aduersatur. Hæc autem sunt imprudentia, error seu deceptio ignoratioúe, quam praui habitus & affectionis vocant, falsaque opinio. Et hæc quidem est propositionis explicatio.

Assumptionis verò, qua sentire dicitur semper esse rectè, numquã non rectè; illa est probatio: quoniam sensus circa propria obiecta semper est verus,numquã falsus. Nimirum si tres illæ adfuerint conditiones, quas interpretes græci adnotarunt. Si organum inquam fuerit benè affectum; si obiectum nec nimis remotum nec plus æquo propinquum; si denique medium opportunè dispositum, neque aliena re contaminatum aut impeditum. Ex vtraque autem hac propositione quilibet potest argumentum concludere; Intelligere atque sentire, intellectum & sensum, idem non esse.

Sensus semper verus.

Iam sensum, quæ deterior animæ virtus est, non errare ait Philoponus, quando circa singula per se& seorsim versatur: at si cum intellectu coniungatur, qui res vniuersas cognoscit, facit vt ille erret, notiones vniuersas particulares efficiendo. Assumptio enim in ratiocinatione practica particularis est atque ex sensu accepta. Quæ cognitio propter singularum rerum mutationem & inconstantiam minùs certa est, & interdum falsa. At hæc minimè sunt ad rem: Cùm Aristoteles non de practico solùm intellectu, sed vniuersè loquatur. Quamobrem satius fuerit affirmare; causam, cur sensus numquã erret,aut certè vt Themistius & Simplicius inquiũt, plurimùm verus sit; intellectus autem erret persæpe; duplicem esse, tum obiecti conditionem, tum cognoscendi modum. Sensus angustum & limitatum, certoque entium genere contentum, atque adeò in aperto positum obiectum habet. Intellectus amplissimum, vastissimum, & occultissimum. Sensus rem præsentem cognoscit, simplicique intuitu & absque compositione cõprehendit. Intellectus absentia plerumque, abstractione vtens, compositione, atque vnius ex alio ratiocinatione. Qui sane transitus ex vno in aliud erroribus multis ac deceptionibus est obnoxius. Vnde in tex. 22. libri noni Metaph. loquens philosophus de intellectu siue ratiocinatione operãte, deque simplicium cognitione, in ijs dixit falsitatem non esse, sed ignorationem meram aut frustrationem. Quoniam intellectus aut rem attingit totam, aut planè non attingit. Ad modum etiam operandi pertinet; quòd intellectus noster cum sensu coniunctus non nisi per sensum intelligit; vixque potest comprehendere quidquam, quod sensu non comprehendatur. Idcircò dum ipse aut sensum prorsus sequitur, eo modo res comprehendendo, quo proponuntur à sensu: aut liberius excurrit; errat persæpè: vt in entium spiritalium, quæ à sensibus remota sunt, cognitione manifestum est. Neque hoc tàm intellectus, quàm sensus imperfectionem testatur.

Sensus nunquam errat, intellectus sæpe.

Alterum argumentum est; quoniam sensus animalibus omnibus communis est, eoque cuncta fruuntur: ratiocinatio propria illorum est & peculiaris, quib⁹ ineſt ratio; hoc est solis hominibus, aut si quod est aliud eiusmodi animal, vt in tex. 29. antea dicebatur: & omnino perpaucis, vt in superioribus verbis affirmatum est. Quippe hoc commune argumentum est, quo tum sapere, tum intelligere diuersum esse à sensu demonstratur.

Quamquam Themistius argumentationem priorem secus exposuit: bipartitoque diuisit, ita vt duas contineret. Alteram; Rectæ rationis virtutes sunt, prudẽtia, sciẽtia, opinioque veravitia autem, imprudentia, inscitia, & opinio falsa. At nullum horum conuenit sensui: intellectus igitur & sensus non sunt idem. Alteram verbis illis contentam (neque hoc vtique idem est quod sentire). Quoniam sensus circa obiecta propria verus est, vixque fallitur vnquam: intellectus contra sæpius in proprijs errat, quàm in communibus; hoc est circa res singulas potius, quàm circa naturas vniuersas. Sanè vtraque argumentatio ad id, quod agitur confirmandum opportuna est: sed Aristotelis verbis minùs accommodata, nisi multa omnino addantur. Verbaque illa (neque hoc vtique idem est quod sentire) cum orationis initio coniungenda sunt; vt probandam propositionem contineant, Neque intelligere idem esse quod sentire.

Digressio x. Quid Aristoteli διάνοια, quid διάνοησις.

VErùm illud mihi prætermittendum non est, quod cùm in commentarijs 2. lib. sæpius adnotauerim, διάνοια Aristoteli ad νοῦν, intellectum, pertinere & mentem; id ex hoc loco triplici argumẽto manifestissimũ est. Primum,quòd vt intellectum à sensu separatum esse ostenderet, τὸ διανοεῖσθαι,quod sanè dianæa operationem significat, opposuit sensui; cùm sensum semper esse verum dixit, διανοεῖσθαι autem posse esse tum verè tum falsò. Non igitur ad sensum, sed intellectum pertinet dianæa. Alterum; cùm τὸ νοεῖν ἐρρῶσθαι imprudentiam, scientiam, & opinionem veram partitus esset, & τὸ νοεῖν μὴ ἐρρῶσθαι in ea, quæ illis contraria sunt (quæ omnia certum est ad intellectum pertinere) statim subiungit διανοεῖσθαι, quasi idem sit, aut certè ad eandem pertineat facultatem, ad quam pertinet νοεῖν. Tertium; quòd apertis verbis διανοεῖσθαι dixit nulli inesse, cui non insit ratio: quoniam videlicet operatio quædam rationis est. Cui simile est, quod in primo lib. de part. anim. cap. 1. cùm disputaret, naturalis philosophi non esse de intelligente anima disserere; postquam τὸν & νοητὸν nominasset; lationis principium aliud quidquam esse, non νοητικὸν, hoc argumento probat; quoniam latio in alijs item animalibus inest, dianæa verò in nullo alio, quàm in homine. τὸν igitur, νοητικὸν & διάνοια ad eandem animæ vim pertinent.

pertinent. Apertissimus etiam locus est in tex. 5. lib. 3. huius operis de anima. Vbi cùm intellectũ animæ nominasset, subiungit hæc verba, λέγω δὲ νοῦν, ᾧ διανοεῖται καὶ ὑπολαμβάνει ἡ ψυχή. νοῦς igitur in διάνοιαν & ὑπόληψιν diuiditur, estque dianœa intellectus propria operatio. Et in tex. 30. de intelligente anima loquens vt à phantasia distincta est atque intelligendo intuetur phantasmata, διανοητικῷ ψυχῇ appellat. Et rursum in tex. 40. cùm dianœam & sensum dixisset: De intellectu, inquit, & sensu dictum est satis. Vbi Simplicius dianœam ait intellectum appellari, quòd intellectus nomen in omnem rationalem vitam dilatet philosophus. & sanè si ab intellectu & sensu diuersa dianœa sit, manca fuisset cognitionis diuisio in dianœã solam & sensum, dum eodem in loco duo hęc prorsus cognoscẽdi ac iudicãdi propria in animalib⁹ ponit, intellectusq; deesset, qui cognoscẽs item facultas est. In tex. quoque 49. cùm practicum intellectum dixisset, in practicam statim dianœam mutat vocem. Considera, inquit Philoponus, quòd practicum intellectum dianœam appellauit practicam.

Eadem Græcorum omnium interpretum sententia. Inter quos Themistius enarrans textum 150. quod Aristoteles appellauit νοῦν sensui oppositum λόγον καὶ διάνοιαν interpretatus est. Et in textum 152. rem eandem scripsit νοῦν, δύναμιν λογικὴν, γνῶσιν &, διάνοιαν appellari. Et rursum paulò post. Si quod irrationalium animalium dianœæ particeps esse dicatur, abusionem vocis esse. Nullo n. modo illa participant; sed quædam phantasia sola reguntur. Quæ tota sententia ex tex. 32. lib. 2. accepta fuit. Ac demum in lib. 2. de mem: & remin. cap. 14. apertè ita pronuntiauit, ἐσχάτου δὲ ὄντος ἢ διάνοια, ἢ τοῦ μὴ φαντασίας ἐνέργεια, Nil aliud est dianœa, quàm intellectus cum phantasia operatio: intellectus inquam, vt cum phantasia operatur. Et rursum cap. 18. τὸ ἀναμιμνήσκεσθαι διάνοιάς ἐστι. τὸ γὰρ βουλεύεσθαι, νοῦ. hoc est reminisci dianœæ est, siquidem consultare intellectus functio existit. Eadem igitur animæ virtus dianœa & intellectus. Et Philoponus δυνάμει νοῦν, hoc est intellectum potestate, quòd tum benè, tum malè; tum verè, tum falsò, intelligere possit, dianœam nuncupari affirmauit, cùm intellectum à sensu philosophus distinxit. Ac rursum dianœam circa vniuersalia operari, eiusque actionem rectam scientia & opinione vera contineri. Et hæc quidem hoc loco. In perfectione etiam totius operis, & commentario superiori & in expositione tex. 150. & cum eo Simplicius, verborum illorum interpretationem facientes (διανοεῖσθαι autẽ & falsò accidit, nec inest vlli, cui non etiam ratio) dianœã inquiunt ratiocinatricem mẽtis actionẽ significare, actumque rationis, qui à propositionibus ad conclusionem transit, & ideò solam errare & decipi. Et rursum in tex. 157. vbi philosophus nominabit νῦν, dianœam subaudiendam esse adnotabit idem Philoponus. Et in commentario tex. 162. phantasiam à mente & dianœa expurgari & corrigi. Et in commentario tex. 21. lib. 3. vbi duplicem intellectus actionẽ faciet philosophus, impartibilium apprehensionem, & eorum compositionem, νῦν & διάνοιαν, intellectum & dianœã distingui idem ipse Philoponus interpretabitur: quòd intellectus simplicium sit, dianœa compositorum; ille veri tantùm, hæc veri & falsi. Et rursum Simplicius in textũ 66. lib. 1. dianœã rationalem esse cognitionem intellectus, & rationalis animæ operationem. & cõment. 89. operationes rationales quæ corpore, hoc est sensu & phantasia adiuuante vtuntur, consueuisse Arist. διανοητικὰς appellare: ratiocinationes inquã intellectus practici, quæ circa singularia versantur.

Ergò cognitionem omnem ita partitum Aristotelem fuisse Philoponus autumat: Cognitio nostra vniuersa in sensum & communionem γνῶσιν primùm diuiditur. Sensus eorum est, quæ sunt extra: γνῶσις eorum, quæ intra. Hæc autem vel rerum est particularium, vel vniuersarum. Particularium est phantasia, quæ intellectus passiuus vocatur. Vniuersarum is, qui propriè νοῦς est. Rursum res vniuersæ aut ratiocinatione, aut meliori, aut deteriori modo, quàm per ratiocinationem, cognoscuntur. Qui meliore modo cognoscit, theoreticus est intellectus, qui habitu & actu dicitur. Ratiocinatio tum eam facit, quæ dianœa propriè appellatur, tum communiorem ὑπόληψιν, hoc est existimationem; quæ & dianœam & δόξαν, cogitationem & opinionem, comprehendit. Qui demum deteriùs quàm ratiocinatione, operatur intellectus, opinionem habet propriè & existimationem. Denique dianœa vel circa theoretica versatur, vel circa practica. In theoreticis ὁπισήμαν, id est scientiam, parit. In practicis, si consilio agenda sint, φρόνησιν, prudentiam: si consilio non egeant, τέχνην, artem.

In qua partitione tota quinque omnino obseruanda sunt, ei, quæ sequitur, explicationi maximè necessaria. Primùm, iure optimo vereque dictum à Themistio fuisse, rem eandem νοῦν, λογικὴν δύναμιν, γνῶσιν & διάνοιαν appellari. Alterum; γνῶσιν & νοῦν tum propriè sumi posse pro solo intellectu, tum ampliori acceptione pro interiori quauis cognitione in nobis ipsis, non abiecto externo, excitata. Tertium, phantasiam interdum ab Aristotele νοῦν appellatam fuisse, quatenus interiorem. Huiusmodi cognitionem habet, qualem habet intellectus, meliorem ea, quæ à præsenti obiecto est in sensu externo. Quartum, dianœam non ad sensum, sed ad intellectum pertinere: eamque illius vim & actionem significare, qua ratiocinatur & ab vno ad aliud transit, atque à principiis ad conclusionem progreditur. Et ideò à Philopono potestate vocatur, & Aristoteles in textu 32. lib. 2. λογισμὸν καὶ διάνοιαν pro eodem vsurpauit: neque διανοεῖσθαι, quod hoc loco nominat, aliud est, quàm ratiocinari. Quintum; ὑπόληψιν propriè idem esse quod δόξαν, & opinionem significare: ampliori autem significatione dianœam item (quę cognitionem certam habet) & quamuis ratiocinatione comparatam complecti: quo modo Themistius cùm textum 157. interpretabitur, δόξαν ὑπολήψεως speciem esse inquiet.

Phantasia intellectus seu νοῦς dicta.

Contra cogitatiuam Auerroïs.

Ex quibus omnibus manifestum est, quantopere ab Aristotelis vera sententia aberrent Auerroës & qui eum sequuntur, dum de dianœa, quam appellant cogitatiuam, ita illi loquuntur, vt eam dicant materialem, corpoream, & sentientem virtutem esse, quæ circa res singulas ratiocinetur, quemadmodum circa vniuersas intellectus. Eam enim Aristoteles Græcique interpretes idem cum intellectu esse voluerunt: neque

circa res singulas modò, sed circa vniuersas ratiocinari. Immò Simplicius argumentis allatis, neque hanc, neque hypolepsim ostendit esse sensus. Tum quia sensus rationalis non est, neque ex vno in aliud discurrit, aut aliud ex alio colligit, quod dianœa facit. Tum quia non ita vera dicit, vt vera se cognoscat dicere, quemadmodum post intellectionem cognoscit hypolepsis, quæ num ea vera sit iudicat, eique assentitur ac rem cognitam complectitur. Tum verò quia sensus aliis quoque animalibus inest, dianœa & hypolepsis soli homini. Quanquam alio is, quàm Philoponus, modo, &, ni fallor, veriùs duas hasce cognitiones alteram ab altera distinguit. Verè namque dianœa ratiocinatio & ex vno in aliud transiens ac progrediens actio esse videtur. At quoniam minimè continuatus est hic transitus, quemadmodum is, qui in corporibus fit, motu ex vno in alium locum: sed per diuersos terminos ac partes procedit, quibus intellectum assentiri oportet, vt ex vno aliud colligat: assensus ille, quo singulæ ratiocinationis partes iudicantur esse veræ, animæque adhæsio per singulas, hypolepsis esse creditur, quæ ipsas tamquam veras confirmat. Atque dianœa in discursu & ratiocinatione consistit, hypolepsis in assensu apparentis veri. Sic enim Themistius quoque cùm dianœam dixisset sensum sequi, hypolepsim autem antecedere, ὑπόληψιν inquit νομίζω πᾶσιν κριτικὴν ἕξιν τῆς λογικῆς δυνάμεως. Hoc est hypolepsim appello iudicatiuum omnem habitum, seu vim illam animæ, quę ratiocinatricem totam facultatem diiudicat, quæ dianœa est hypolepsim antecedens. Verùm hæc deinceps planiùs intelligentur.

A B C D

DE PHANTASIA.

CAPVT IIII.

TEXTVS.

φαντασία γὰρ ἕτερον καὶ αἰσθήσεως καὶ διανοίας· ὡστέ τε οὐ γίγνεται ἄνευ αἰσθήσεως, καὶ ἄνευ ταύτης οὐκ ἔστιν ὑπόληψις.

Text. 158 *Phantasia enim & à sensu & à cogitatione diuersa. Atque ipsa non sit sine sensu: neq; sine hac est existimatio.*

COMMENTARIVS. XLIV.

POstquàm intellectum à sensu diuersum esse demonstrauit, ad phantasiam accedit, propter quā potissimùm totus hic virtutes & actiones animæ distinguendi labor susceptus fuerat. Atque his quidem verbis eam à sensu & dianœa cogitationeúe distingui manifestum est. Sed quod difficultatem adfert, est particula (enim) quæ cuiuspiam rei causam videtur reddere. Et quidem rei, quæ ad phantasiam pertineat; cùm tamen nulla illius hactenus facta sit mentio.

Dubitationi tacitæ, qua si à sensu diuersus est intellectus, colligere fortasse quispiam potuisset, eundem eum esse cum phantasia; respondere Philoponus censuit, nequaquam ita esse, quoniam phantasia tum à sensu, tum ab intellectu diuersa est. Quo loco rursùm dianœam & νοῦν idem esse confirmauit; dum primum dubitationem dicens, num si νοῦς differt à sensu, idem sit cum phantasia phantasiæ mox à dianœa & sensu differentiam docere subiunxit.

Dianœa quid.

E

Verùm appositè magis tradiderit Simplicius causam eius reddi quod postremis dixerat verbis, διανοήσεως solis illis inesse, quibus inest ratio. Causam autem esse, quòd phantasia non sit idem cum dianœa, sicut neque cum sensu; sed ab vtraque virtute diuersa. Et ideò hoc est in cæteris animalibus phantasia, quod in ratione præditis dianœa. Sic n. in textu 32. lib. 2. proditum est ex quo huius loci interpretatio peti potest. Nam vt ibi scripsit, in quibusdam esse λογισμὸν καὶ διάνοιαν in aliis ne phantasiam quidem sed solum sensum; alia demum phantasia duntaxat viuere quæ suprema in illis virtus sit eorū vitam administrans, sicut perfectiorum vita λογισμὸς καὶ διάνοια regitur. Ita nunc διανοήσεις (qua voce & πάσαν & διάνοιαν complexus est) solis iis perfectissimis inesse affirmauit, in quibus est λόγος & ratio. Siquidem alia sunt, quibus non ratio, sed phantasia solū insit: alia, quibus ne phantasia quidem, conspicua saltem & manifesta; sed solus sensus. Eò verò libentiùs magisque ad rem hoc adiunxit philosophus, quòd ita phantasiæ naturam docebat, quæ & docenda erat & hoc maximè loco quærebatur.

Duo igitur paucissimis verbis affirmat. Primum; phantasiam nec sensum esse, nec dianœam, sed ab vtraque diuersam. Alterum; eam inter vtramque mediam esse; superiorem ac posteriorem sensu, inferiorem ac priorem dianœa. Vnde quia inferius & prius potest esse sine superiori & posteriori, non contrà, vt in textu 15. lib. 2. perspicuum est; potest sensus in quibusdam sine phantasia esse, & in alijs phantasia sine dianœa. At sine sensu nusquam est phantasia, & vbi est dianœa, adsunt quoque phantasia & sensus, vt in tex. 32. idem philosophus tradidit. dum porrò sensum nominat, omnem eam virtutem dicit, quæ præsens solum obiectum cognoscit, atque ab eo ad agendum excitatur. Dianœam verò, illam, quæ ijs inest solis, in quibus λόγος est & ratio. Inter has est phantasia. Quæ hoc quidem præstat sensui, quòd absentia quoque & procul dissita comprehendit. At quoniam cum dimensione, partibilitate figuraque hoc est sensata sola obiecta comprehendit, quæ aliquando præsentia fuerunt ac sensu percepta: idcircò post definetur esse motus à sensu actu factus, & nunc dicitur non fieri sine sensu, si non simul cum eo operante, certè qui antea fuerit operatus. Eadem n. illa, quæ præsentia sensus cognouit sæpiùs post, cùm absentia fuerint, percipit phantasia, idola sibi & quasi imagines eorum efformans ac velut præsentes inspiciens. Sanè noua quædam potest obiecta sibi fingere, quæ nullo fuerint sensu percepta, vt Hircoceruum, aut aureum montem. Sed id facit plura sensibus cognita coniungendo. Sensus namque hircum & ceruum, aurum & montem vidit, phantasia vtrumque copulans hircoceruum aureumúe montem format. Ita nunquā est sine sensu quia nil formare valet, siue seorsim singula, siue coniunctim plura, nisi ea, quæ sensibus percepta fuerint.

Neque verò sine phantasia est hypolepsis siue existimatio, & intellectus quæuis comprehensio & iudicium. Intellectus enim, quamdiu est in corpore

corpore, nihil nisi à phantasia submini-
strat̃ A
comprehendit. Hic est cognitionis nostræ ordo,
hic cognoscentium virtutum nexus: vt præsen-
tia obiecta sensibus primùm hauriantur atque in
cognoscentem transferantur: à sensu mox ad phã-
tasiam traducantur: ab hac demum intellectui
proponantur.

Cognitionis ordo.

Philoponus autem cùm hypolepsim audit sine
phantasia non esse, id intelligi vult de cognitione,
quæ ex sensibus vel particularibus habetur. Alio-
qui de diuinis absque illa haberi potest. Quæ in-
terpretatio neque Aristoteli consentanea est, ne-
que vera. Aristoteles enim absolutè & generali-
ter, tum hoc loco, tùm aperte magis in tex. 30.
& 39. lib. 3. hunc locum exponens omnino dixit,
nihil vnquam nos sine phantasmate intelligere.
Atque in diuinorum quoque ac spiritalium en-
tium cognitione vtimur phantasia; dum ea ad
modum corporeorũ phantasmatum nobis effin-
gimus; etsi post ratio secus habere illa diiudicet.
Quod apud Aristotelẽ quoque reperies in lib. de
mem. & remin. cap. 1. Accidit, inquit, eadem pas-
sio in intelligendo, quæ & in describendo. Ibi-
enim nulla vtentes quantitate trianguli determi-
nata, finitum tamen secundùm quantitatem de-
scribimus. Et intelligens similiter, etsi non in-
telligit quantum, ponit tamen ante oculos quan-
tum: intelligit autem non quatenus quantum est.
Neque enim cur phantasia vtamur, ea est ratio;
quod res cognoscendæ sensiles sint aut particula-
res: verùm id ex facultatũ nexu & ordine petitur,
atque intellectus nostri coniunctione cum cor-
pore & sensibus eius. Qua de re alibi plura. Nunc
verè à Simplicio dictum obseruabis, sensum com-
parationem phantasiæ, & phantasiam comparatione
existimationis aut cognitionis esse tanquã
id, sine quo non: cogitationem autem vel existi-
mationem comparatione phantasiæ, haneque
rursum comparatione sensus, esse velut finem &
ἐπιγούμενον, hoc est superinductum quidpiam.
Vnde illorum distinctio apertiùs cognoscitur.

An Phantasia intelligendo semper necessaria.

Minabitur autem non immeritò quispiam,
cur cum phantasiam dixisset philosophus à dianœa
diuersam esse; non item subiunxit, sine ea tamen
dianœam non esse; sed hypolepsim potius nomi-
nauit. Has arbitror fuisse causas. Primùm, vt dia-
neam & hypolepsim ostenderet actiones diuer-
sas significare, & ad eandem tamen intelligen-
tem facultatem pertinere. Deinde quoniam, vt
ait Simplici⁹, simul insunt rationali actioni, modò
vna, modò altera. Tum verò vt faceret trãsitũ ad
phantasiam quoque ab hypolepsi distinguendam.
Quam distinctionem consequentibus exponit
verbis. Demum quia dianœa ratiocinationem ve-
lut inquisitionem ab vno ad aliud, hypolepsis iu-
dicium velut terminum motus & comprehensio-
nem significat. Terminũque & cõprehensionem
maluit secundo loco, quàm motum & inquisitio-
nem accipere: tum quia potior est; eoque accep-
to vterque quodammodo accipitur: tum vt ab
vtroque diuersam esse phantasiam exponeret. Ex
hoc verò magis confirmatur id, quod antea pro-
batum fuit, intellectum à sensu diuersum esse.
Nam si phantasia quoque à sensu discrepat, eaque
inter sensum & intellectum intercedit; multò
magis apparet intellectus à sensu diuersitas & di-
stantia.

Dianœa & hypolepsis quid.

TEXTVS.

Ὅτι δ' οὐκ ἔστιν ἡ αὐτὴ φαντασία καὶ ὑπόληψις, φανερόν· ἔστι μὲν γὰρ τὸ παθεῖν ἐφ' ἡμῖν ὅταν βουλώμεθα· ὅσα ὁμμάτων γὰρ ἔστι ποιήσασθαι, ὥσπερ οἱ ἐν τοῖς μνημονικοῖς τιθέμενοι καὶ εἰδωλοποιοῦντες· δοξάζειν δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν· ἀνάγκη γὰρ ἢ ψεύδεσθαι ἢ ἀληθεύειν.

Eandem autem non esse phantasiam & existimationem, conspicuum. Hic enim affectus penes nos est quando volumus. Quoniam integrum est ante oculos ponere: quemadmodum qui in memoriæ locis ponunt & simulacra fingunt. At opinari non in nobis. Etenim falsum aut verum dicere necesse.

COMMENTARIVS XLV.

QVorsum hæc oratio spectet, pluribus dicere nõ est op⁹. Quod enim in superioribꝰ verbis asseruit, phantasiam à sensu & dianœa seu hypolepsi, hoc est ab intellectu diuersam esse, probare aggreditur. Ac primùm ostendit ab intellectu differre. Nam quod Philoponus opinionem credidit hypolepsim appellari, opinionisque & phantasiæ differentiam probari, superioribus minùs consentit. Nec video cur Aristotelem vocibus abusum fuisse dicamus: Cùm hypolepsim propriè cum Simplicio rationalem omnem cognitionem interpretari liceat. Etsi enim hypolepsim post in δόξαν, existimationem in opinionem mutet, opinionem tamen pro existimatione dicit. Neque, cùm opinio existimationis species sit, nouum est pro genere speciem ponere.

Phantasiam ab intellectu differre.

Phantasiam igitur, si pro actione sumatur, ab omni rationali notitia, si verò pro facultate, ab intellectu diuersam esse, duobus argumentis demonstratur. Alterum est, Hic affectus, phantasiæ scilicet operatio, in nostra est potestate: non quòd imaginatio omnis penes nos sit. Nãque tum inter vigilandum, tum inter dormiendum, nolentibus nobis aut certè non volentibus incidunt multa. Propterea non dixit imaginandi nos dominos esse, aut in nobis esse non imaginari quando nolumus: sed solùm penes nos esse imaginari quando volumus. Quoniam imaginationes plurimæ, vbi libitum fuerit, expromi queunt à nobis, nec aliunde pendent. Et quandocumque voluerimus, fingere possumus quarumcumque rerum absentium imagines, & eas nobis quasi præsentes ob oculos ponere. Quemadmodum illi faciunt, qui artificiosa vtuntur memoria. Locos hi & simulacra diuersarum rerum sibi proponunt, ac per diuersa loca distribuunt, hic vnam ponentes nauem, ibi vnam domum, alibi vnum canem, vnum montem, vnam arborem, vt aliud quiduis eiusmodi. Vt eorum inspectione ad aliarum rerum recordationem iuuetur memoria. Et omnino, inquit Simplicius, cùm recordari volumus, sæpius circa figuram agimus. Et Philoponus μνημονικοὺς eos appellari ait, qui ex sensilibus typos accipiunt. Nimirum

Memoria artificiosa.

ita placuit exponere id, quod Aristoteles dixit (εἰδωλοποιοῦντες) nempe τοὺς ἀγεωμετρήτους, eos qui effingunt quidpiam. Eiusdem actionis exemplum pictores quacumque forma animal in tabula ponentes adfert Themistius. Sic n. phantasiæ vsu absentis hominis, quem aliquando vidimus imaginem nobis effingimus: & quandocumque volumus, imaginem auri proponimus, montis, equi, tauri, hirci, cerui, alteriusue cuiusuis rei. Immò eas sæpè coniungimus, hominem aureum, aut montē efformantes aureū, vel hyppocentaurū hircoceruum, tricipites tergeminosque homines, vt fictum in fabulis Geryonem: aut alatos. Vt Boreæ filios, Zetum & Calain; aut alia quæcumque nobis occurrerent; siue sint, siue non sint; siue esse possint, siue non possint.

Phantasiæ & operatio.

Cur non solùm præsentia, sed absentia quoque effingat sibi & velut præsentia proponat phantasia, ex propria prouenit illius facultatis virtute; quæ cum intellectu communis illi est. Neutra, n. facultas præsente obiecto indiget; sed ambæ, quod sensui semel præsens fuerit, possunt post absens quoque cognoscere, à seipsis intrinsecùs ad cognoscendum excitatæ. Et ideò ambæ νοήσεως nomine continebantur: atque hoc ipso in loco Philoponus & Simplicius non phantasiam, sed νόησιν legentes phantasiam interpretantur. At cur phantasia non solùm ea, quæ sunt; sed ea item, quæ non sunt; nec vera modò, sed falsa effingat, perindeque sibi proponat: ea nimirum est causa, quòd sine assensu operetur, atque in sola imaginum formatione versetur; nequaquam iudicans, num eæ veræ sint, an falsæ; num rerum, quæ sint, an secus.

Phantasia cur falsa & quæ non sunt fingat.

Opinari autem & existimare, hoc est rationali notitia comprehendere, in nostra potestate non est. Quod non ita accipias, quasi ab extrinseco obiecto præsenti prouocari nos oporteat, nec à nobis ipsis intrinsecùs ad intelligendum excitemur. Hoc enim tum ijs, quæ antea dicta sunt, aduersatur: tum ijs maximè, quæ habentur in tex. 60. libri secundi; vbi contraria planè extat sententia, intellectum hoc nomine distingui à sensu, quòd intelligere in nobis est, cùm volumus, sentire autem non item, sed obiecto præsente opus est. Verùm idcircò pronuntiatum intelligas, quoniam hæc actio non tam latè patet, neque tam liberè, vt phantasiæ actio, vagatur per omnia. Sed in ijs versatur solis, quæ sunt, quæque vera sunt. Quæ enim falsa esse cognoscuntur, illis assentiri intellectus nequit. Ita namque in primo libro de posteriori analysi tex. 5. dicebatur, eius, quod non est, hoc est quod falsum est, nullam scientiam esse; vt quod diameter sit commensurabilis costæ. Hoc igitur ait. Opinari seu existimare atque imaginari eatenus quidem conuenire, atque à sensu discrepare, quatenus vtrumque actionis genus absque obiecto præsente in nobis excitatur intrinsecùs. At plurimùm inter se differre, quòd imaginari absque vllo assensu constat; & ideò liberum nobis est quæcumque fingere, siue vera sint, siue falsa. Existimando autem necesse est verùm aut falsum dicere, hoc est assentiri & iudicare, sententiamque ferre. Quare cùm intellectus falso nequeat assentiri; non nisi ea, quæ vera putantur, existimare aut opinari potest. Namque si falsa interdum opinamur, vt cùm falsum nobis persuadetur; propterea opinamur, quòd vera esse putemus. Falsa autem, quæ falsa esse cognoscimus, opinari prorsus non possumus: sed simulata solùm fortasse oratione effari, vt Themistius & Philoponus inquiunt. Quare cùm veritas in conformitate cum rebus ipsis consistat, neque res ipsæ in nostra sint potestate, ne opinari quidem aut existimare positum in nobis est: sed à rebus pendet, quæ aut sunt aut esse videntur.

Opinari & existimare vt dicatur nō esse in nobis.

Alio etiam modo hæc verba interpretaberis. Phantasiæ operatio penes nos est quando volumus: quòd etsi vnius rei occurrat imago, eam tamen repellere possumus atque alio modo, vt libuerit, imaginari. At non ita se habet existimare aut opinari. Immò quod vt verum fuerit propositum, repellere intellectus non potest, & aliud quodcumque existimare aut opinari; sed illi planè cogitur assentiri. Contrà falso assentiri non potest; sed repellere illud cogitur, atque ab eo penitus dissentire. Hoc nimirum illud est (opinari non est in nobis situm. Etenim falsum & verum dicere necesse est) id est non licet nobis opinari quodcumque volumus, sicut imaginari licet: sed id solum, quod ratio persuaserit. Nam si verum ostendat, assentiri necesse est ac verum esse opinari. Sin falsum, dissentire & tanquam falsum æstimare atque respuere.

Illud etiam obseruabis hoc loco, quod Simplicius ait, phantasiam à philosopho in memoratrice facultate reponi; ex capite primo lib. de mem. & remin. acceptum fuisse. Etenim eo loco philosophus phantasma idem esse cum memorabili tradidit, eaque memorabilia esse per se, quorum est phantasia: & ideò eandem re facultatem esse memoriam & phantasiam, quæ circa hæc versantur. Ex quo intelligas, quantopere ab Aristotelis & peripateticorum vera sententia plurimi absint, qui tum distinctas re facultates faciunt; tum in distinctis eas organis ac partibus cerebri, anteriore ac posteriore, ponunt. Sed de hoc post pluribus.

Plus. male

nonnulli male

TEXTVS.

Ἔτι δ', ὅταν μὲν δοξάσωμεν δεινόν τι ἢ φοβερόν, εὐθὺς καὶ πάσχομεν. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ θαρραλέου. ὅταν δὲ πῶς φαντασθῶμεν ὡσαύτως ἔχομεν, ὥσπερ ἂν οἱ θεώμενοι ἐν γραφῇ τὰ δεινὰ καὶ θαρραλέα.

Ad hæc autem cùm graue aliquid aut terribile nos opinamur, compatimur illicò. Similiter verò est res sit eiusmodi, vt confidendum sit. Per phantasiam autem perinde habemus, atque illi, qui in pictura timendas res aut confidendas intuentur.

COMMENTARIVS XLVI.

CVm Simplicius hoc loco probatum fuisse credidit, existimationem cùm assensu esse; quia qui existimat, credit rem ita esse, & ideò perturbatur

perturbatur animo : probationem non necessariam induxit ; cùm id vel ex ipsa voce constaret. Quid enim aliud est existimare, quàm credere & accipere rem ita se habere vt comprehenditur; & veram aut falsam esse iudicare? & iam in superiori argumentatione acceptum fuerat, existimationem verum & falsam dicere. Neque hanc propositionem nunc confirmari, prima illa verba testantur (Ad hæc autem) quæ nouam procul dubio argumentationem aggrediuntur.

Phantasiam ab intellectu diuersam esse.

Ergò hoc alterum est argumentum, quo id ipsum probat, phantasiam scilicet ab intellectu diuersam esse; eodemque modo, quo antea, opinionem pro existimatione proque omni rationali cognitione, speciem pro genere accipit. Cùm graue aliquod malum, atrocemúe ac formidabilem cladem impendere nobis opinamur, compatimur statim; ac simul cum opinione affectus is animi excitatur, quo timemus, contristamur, & toto etiam corpore perhorrescimus. Contrà si magnum quodpiam bonum & insigne commodum atque emolumentum animo concipiamus & euenturum speremus; gaudemus in sinu, confidimus, gestimus, extollimur. Quoniam verò in his Aristoteles non adiunxit quo affectu permoueamur : sed solùm dixit (similiter verò si confidendum quidpiam sit) ; illud ipsum (compatimur) subintelligendum est. Ex quo manifestum est, verbum illud (συμπάσχειν) non specialem commiserationis affectum significare, qui malis & aduersis euentibus excitari solet; vt Albertus & Latini ferè interpretantur. (is enim ἔλεος, & misereri ἐλεῖν dicitur in secundo Rhetoricor. lib. capite 8. vbi de hoc affectu agitur) sed quasi generalem affectuum permotionem ἀπὸ τῶ πάθους, quod animi affectum quemuis significat.

Cum opinione, non phantasia, affectus animi excitentur.

Vt hæc sit orationis sententia. Cùm opinamur quidpiam, siue malum, siue bonum; cum intellectus & mentis opinione afficitur simul appetitus, atque in eo perturbatio timoris quæpiam, aut spei, tristitiæ, aut gaudij, aliaue quæuis, excitatur. At cùm hæc imaginamur duntaxat & per phantasiam nobis proponimus atque effingimus; eiusmodi nullus commouetur in nobis affectus: sed perinde habemus, ac si ea in pictura quapiam spectaremus. Vt enim dum lupum, Vrsum, leonem, bella, excidia, victorias, triumphos, demolitiones vrbium in tabella spectamus; nihil afficimur: ita prorsus euenit cùm imaginamur. Ex quo intelligas, ad phantasiæ vim explicandam aptissimum fuisse & ex Aristotele sumptum pictoris illud exemplum, quo antea Themistius vsus est. Cùm igitur tantopere diuersa sit vis & operatio opinionis & phantasiæ, eas conspicuum est vnam & eandem rem non esse.

Iam verò tota hæc argumentatio ex eo vim habet, quòd phantasia rem solùm apprehendit, illiusque imaginem ac simulacrum proponit; non item cognoscit vt malam aut bonam, vt noxiam aut commodam; nullum assensum habet, neque verum dicit aut falsum, neque componit aut diuidit, neque omnino iudicat rem ita esse vt apprehendit. Opinio habet hæc omnia. Et in bestiis quoque operatio illa, qua intentiones non sensiles, vt esse amicũ aut inimicũ, vtile vel noxium, & id genus alia percipiunt. Nec enim perturbationes & affectus, qui in appetitu vigent, simplici rei apprehensione commouentur. Sed eo duntaxat tempore excitantur, quo ea apprehenditur vt mala vel bona, noxia vel quæ compendium nobis aliquod sit allatura. Nam tum demum aut timor & tristitia, aut spes & gaudium adsunt. Ad ea verò, quæ sola effinguntur phantasia, perinde habemus, atque ad ea, quæ non vera nec in rebus prorsus existunt. Etenim non quatenus malarum aut bonarum rerum, immò nec omnino rerum imagines sunt, circa illas phantasia versatur : sed absolutè & per se, vt imagines sunt, eas fingendo; Quæ verò affectum mouent, res sunt, non imagines rerum : neque res ipsæ vt res sunt, sed vt malæ aut bonæ, noxiæ aut vtiles.

Hoc picturarum exemplo significauit philosophus. Quippe leo pictus omonymè, non verè, leo est : propterea eo viso vel timemus: immò ea, quæ in phantasia sunt, minus, quàm ea, quæ picta sunt; formidamus. Quoniam ea, quæ sunt fictitia, minùs vera sunt, quàm ea, quæ picta. Quòd si in somniis, quæ phantasiæ opera sunt, perterreamur interdum, timeamus, aut lætemur; idcirco id fit, quòd visa illa tanquam præsentia proponantur, ac phantasia velut sensu circa rem veram vtamur; non animaduertentes esse somnium. Aut etiam somniantibus æstimationis vel opinionis actio soluitur, quæ illa iudicentur vt vera.

TEXTVS.

Εἰσὶ δὲ καὶ αὐτῆς τῆς ὑποληψεως διαφοραὶ, ἐπιστήμη, καὶ δόξα, καὶ φρόνησις, καὶ τὰ ἐναντία τούτων, περὶ ὧν τὸν διορισμὸν ἕτερος λόγος.

Sunt autem & ipsius existimationis differentiæ, scientia, & opinio, & prudentia, horumque contraria. De quorum differentia alius erit sermo.

COMMENTARIVS XLVII.

QVod hîc de existimationis diuisione adiungitur, quorsum pertineat non satis apparet. Certè Philoponus superioris probationis, qua phantasiam ostensum est ab existimatione differre, tanquam conclusionem hæc accipit: eamque hanc esse. Habet tanè differentias plures existimatio, sed de illis post dicetur: nunc phantasiam ostendendum est à sensu quoquè diuersam esse. Verùm si vel aliud spectasset Philosophus, ne opus quidem erat hoc loco id addere, aut differentias ipsas commemorare; sed statim ad alteram probationis partem transire poterat.

Ego tribus modis accipi posse arbitror. Primo, quemadmodum intellexit Simplicius, vt existimationis hãc nunc partitionẽ propterea faciat, quasi totius superioris probationis clausu-

lam; vt cùm in ea vsus sit opinionis nomine, speciem se pro genere nominasse, totamque illam probationem de existimatione vniuersa intelligendam esse significet. Et rursum vt existimationem ostendat se pro rationali quauis actione accepisse. Idcircò enim eandem nunc ὑπολήψεως seu existimationis partitionem facit, quam νοήσεως in tex. 152. fecerat in scientiam, prudentiam, & opinionem rectam: vt tantundem valere & æquè latè patere vtramque significet; & ideò phantasiam omnino ab intellectu & omni eius operatione diuersam esse. Altero modo, vt sit tertium argumentum, quo phantasiam probet ab existimatione intellectuq; distingui. Existimatio plures ac diuersas species habet inter se differentes, scientiam, opinionem veram, prudentiam: & harum contrarias, inscitiam seu deceptionem, opinionem falsam, & imprudentiam: phantasia nullas habet; non sunt igitur idem phantasia & existimatio. Tertio, vt locum vtrumque complectatur; simulque tum argumentum tertium adiungat, tum existimationis partitione facta phantasiam concludat ab omni mentis actione fuisse distinctam. Vbi autem opinionem nominat, opinionem rectam seu veram intelligendam esse constat. Tum quia in eodem ordine cùm scientia & prudentia commemoratur. Tum quia eadem est partitio, quæ antea facta fuerat, quando apertè opinionem rectam nominauit. Tum verò etiam quia contraria quoque subiungit: nimirum scientiæ contrariam inscitiam, prudentiæ imprudentiam, opinioni rectæ & veræ eam, quæ non recta est, sed falsa. Neque has ὑπολήψεως species alio modo accipias, quàm νοήσεως partes superiùs enumeratas: siquidem hæ voces nunc tantundem valent. Itaque scientia certam & theoreticam cognitionem significat; prudentia certam & practicam; opinio in vtroque genere probabilem.

Phantasiam ab intellectu diuersã esse.

Quam porrò exactiorem harum tractationem pollicetur, non in alium librum reseruari, sed in posteriorem huius ipsius libri partem differri putat Philoponus. Auerroës in librum de sensu & sensili. Verius fortasse Simplicius, Albertus, & S. Thomas, in libros de moribus ad Nicomachum; in quorum sexto de illis disserit.

TEXTVS.

Περὶ δὲ τοῦ νοεῖν, ἐπεί ἕτερον τὸ διδάγκεσθαι, τούτῳ δὲ τὸ μὲν φαντασία δοκεῖ εἶναι, τὸ δὲ ὑπόληψις· περὶ φαντασίας διορίσωμεν, ἐπὶ τοῦτο περὶ ἑτέρου λεκτέον.

Tex. 155

De intelligere autem, quoniam aliud, quàm sentire: huius autem hoc quidem phantasia esse videtur, illud verò existimatio: vbi de phantasia definiuerimus, ita de altero dicendum erit.

COMMENTARIVS XLVIII.

QVam ob causam hæc Albertus ad antiquos referat, planè non assequor. Postquam. n. ostensum est intelligere aliud esse, quàm sentire: alium nunc ait tractandi modum institui, propter veteres quosdam philosophos, qui phantasiam inquiebant intellectionem quandam esse; intelligere partientes in phantasiam, opinionem, & scientiam. Et ideò cùm demonstratum fuerit phantasiam nec opinionem esse, nec existimationem; iam considerari, num ea omnino sit intellectio quæpiam. Etenim nulla prorsus est antiquorum mentio. Græcique omnes interpretes hæc ex propria philosophi sententia dicta exposuerunt. Immò in superiori disputatione planè ostensum est phantasiam ab intellectu differre, aliudque esse imaginari, aliud intelligere: tumineque existimationis & opinionis actus omnes rationalis partis complexus est. Veteres autem illi, qui cum sensu intellectum confundebant, an non antea satis confutati sunt eorumque sententia procul abiecta?

Auerroëm quæque asserentem post expletum sermonem de sensu nunc primùm agi de phantasia vehementer miror. Siquidem non pauca hactenus de illa fuerunt tradita. Itaque illud nos meminisse oportet, quod in tex. 151. propositum est, phantasiam tum à sensu, tum à dianœa intellectuque diuersam esse. Nam cùm altera solùm pars illius propositionis probata post fuerit; ostensumque eam ab opinione, existimatione, & omnino ab intellectu differre: verè à Philopono dictum fuisse cognouimus alteram deinceps partem demonstrari; phantasiam scilicet diuersam esse à sensu: vt quidem sit definiri queat. Vbi si laboret Philoponus, Aristotelem videns in irrationalis animæ facultatibus distinguendis immorari: propterea laborat, quòd totius huiusce libri scopum solam rationalem & intelligentem animam esse putat; neque de irrationalibus in eo agi, nisi vt à rationalibus secernantur. Neque aliud habet quidquam, quod respondeat; nisi hanc nunc disputationis partem adiungi, vt perfecta sit ratio, neue quid intactum relinquatur: aut quia phantasiam deinceps ab opinione & sensu distincturus est. At si ita esset, ex accidenti solùm de irrationalibus hisce facultatibus ageretur: cùm tamen non minùs per se, vt insunt animæ, sic ad tractationem, quæ de anima est, pertineant.

Ego vt initio proposui, totius libri tractationem, etsi primariò rationales facultates spectet, per se tamen reliquas item, quæ explicandæ supererant, irrationales complecti; quæ non minùs, quàm illæ, facultates & partes animæ sunt: ita nusquam hac difficultate premor. Vt igitur phantasiam separaret à sensu, & omnino quænam animæ facultas sit constitueret: primùm diuisionem illam cognitionis repeti in νοεῖν καὶ διδάγκεσθαι, quam in tex. 150. acceperat. Tertium autem diuisionis membrum (τὸ κρῖνον) prætermittit: quòd ad rem iam præsentem non pertineret, aut certè minimè necessarium foret. Deinde τὸ νοεῖν in phantasiam partitur & hypolepsim. Ex quo manifestum est, τὸ νοεῖν ita hoc loco vsurpari, non vt intellectum proprie dictum significet; sed operationem quamuis in nobis ipsis excitatam intrinsecus, atque à sensu distinctam, qui non nisi præsente atque incurrente obiecto ad sentiendum permouetur. Sic enim tum phantasia νόησις quædam est & intellectio, tum verò hypolepsis; altera in irrationali

in irrationali & sentiente animæ parte, qua paulò ante dicebatur integrum nobis esse imaginari quando volumus, etsi nullum adsit obiectum: Altera in rationali & intelligente, qua vbi collibitum fuerit intelligere in nobis est, quemadmodum in tex. 60. superioris libri proditum est. Et appositè adnotauit Simplicius, intellectionis eius hanc esse diuisionem, quæ animæ est; non præstantioris intellectus, qui absolutè consideratur & seperatis mentibus conuenit. Ea enim neque phãtasia est, neque existimatio; sed melior & diuinior actio.

Phantasiam intellectum appellari.

Phantasiã porrò non veterum, sed propria sentẽtia φάντασιν quandã appellari; non solùm ex superiori oratione licet colligere, vbi τὸ νοεῖν eo intellectu vsurpauit, vt phantasiam quoque & cognitionẽ omnem comprehenderet. Verùm multò magis ex consequenti tractatione. Quippe in tex. 20. libri tertij phantasiam passiuum intellectum dicet: & in tex. 48. duo in animalibus mouendi principia, appetitum & νοῦν; si quidem in bestijs quoque phantasia veluti νόησις quædam inest. Rursum in libro de animalium motu cap. 3. cùm animal affirmasset tum dianæa moueri, tum phãtasia; electionem, voluntatem, & cupiditatem; hæc omnia inquit ad νοῦν καὶ ὄρεξιν, ad intellectum & appetitum reuocari; phantasiamque eundem cum intellectu locum tenere. Denique ex hoc ipso loco potest idem intelligi. Nam cùm phantasiam ostendisset ab intellectu propriè dicto diuersam esse; ac postremis tandem verbis existimationem, hoc est intellectionem verè dictam, in scientiam, opinionem veram, & prudentiam, earumque contrarias partitus esset: statim adiungit (De intelligere autem) ampliori scilicet significatione si loquamur; illud sanè in phantasiam & existimationem diuidit. Atque hoc modo intellectus quidem est phantasia; quo vt in tex. 32. libri secundi dicebatur, administratur & regitur bestiarum vita, quemadmodum nostra intellectu illo, qui verè & propriè nominatur.

Propterea de vtroque dicendum est. Primùm tamen de phantasia: tum quia pluribus animalibus communis est, suaque natura prior, & intellectus propriè dicti adiutrix & famula. Tum vero vt inchoata illius consideratio perducatur ad finem. Et cùm ostensum sit, eam ab illo, qui verè intellectus est, differre; constituatur, num à sensu item diuersa sit, velut inter vtrumque facultas media. Huc enim duæ illæ diuisiones spectãt: altera cognitionis vniuersæ in intellectionem & sensum: Altera intellectionis in phantasiam & existimationem. Vt inueniretur id, quod quærebatur: quid inquam phantasia, quodque operationis genus, & cuius animæ partis sit. Quod sane vel ipsa Philosophi verba testantur: quibus de phãtasia primùm dicendum esse subiungit; & ita dicendum, vt quid ea sit definiatur: deinde de existimatione quoque agendum.

A

TEXTVS.

Εἰ δή ἐστιν ἡ φαντασία, καθ' ὃν λέγομεν φαντασμά τι ἡμῖν γίγνεσθαι ἃ μή, εἴ τι ἐν ᾧ μεταφορᾶν λέγομεν, μία τις ἐστὶ τούτων δυνάμεις ἢ ἕξις, καθ' ὃν κρίνομεν, καὶ ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα. τοιαῦτα δ' ἐστὶν αἴσθησις, δόξα, νοῦς, ἐπιστήμη.

Si igitur phantasia est, qua phantasma aliquod fieri nobis dicimus; & non si quid per translationem dicimus; vna quædam est horum facultas aut habitus, quod iudicamus, & vera percipimus aut falsa. Hæc autem sunt, sensus, opinio, intellectus, scientia.

B

COMMENTARIVS XLIX.

FAcultatum animæ quinque omnino genera in superiori libro posita sunt; vegetans, sentiens, appetens, mouens, intelligens. Aristoteles in phãtasiæ natura perueſtiganda immoratus nequaquam est eam probando non esse de genere vegetantiũ, appetentium, mouentiumue facultatum. Sed solùm vt à sensu & intellectu distingueret. Quoniã cùm eam constet cognoscentem esse virtutem, omnis cognitio aut sensu aut intellectu cõparatur. Reliquæ facultates vt cognitionem non habent sic ad earum genus phantasiam certum erat non pertinere. Accedit, quòd vegetantes plantarum

C

Phantasiam sentientem esse virtutem.

sunt ac stirpium propriæ; in quibus phantasia nulla. Appetitus & motus posteriores phantasia sunt, quib⁹ res phãtasia perceptas atq; interiori sẽsu aut intellectu iudicatas bonas aut malas, vel appetim⁹, vel respuimus, motúq; prosequimur aut vitamus. Quãquã accuratè ac diligenter virtutis huius naturã inuestigaturus, ne eam quidẽ probationis partẽ penitus prætermisit. Namque velut principio à nominis notatione aut explicatione facto, & verò etiã absoluto statim eo quod proposuit, quid phantasia sit definiendũ, esse; dum eam ex proprio ipsius obiecto atque actione definit, sicut singulos antea sensus ex obiectis & actionibus suis definierat: phantasiam accepit appellari; qua phantasma aliquod in nobis gignitur: Indeque conficit cognitricem ac iudicatricem quampiam facultatem eam esse: Profectò probat ad alterum horum duntaxat generum, non item ad tria reliqua pertinere illam posse: aut inquam ad sensum, aut ad intellectum. Quod eò magis disputandum erat atque examinandum; quòd cùm antea ostensum sit eam intellectum non esse, ad sensum reijci; ac rursum cùm intellectum quemdam esse dictum sit, à sensu ad intellectum reuocari videbatur. Propterea generali magis facultatum cognoscentium

D

partitione facta, qualisnam phãtasia sit inuestigat.

E

Partitur autem in sensum, opinionem, intellectum, & scientiam. Sensum Albertus eum intellexit, qui communis dicitur. At nisi generali magis acceptione sumatur pro facultate omni, quę circa præsentia solùm obiecta versetur atque ab illis excitetur; imperfecta diuisio fuerit, quæ non omnem cognoscentem virtutem comprehẽderit: minusque generalis & sufficiens probatio, quę phantasiam non ab omni sensu omnique alia facultate separauerit. Opinio cognitio quæ-

Cognoscentiũ facultatum partitio.

uis est per probabile medium comparata circa ea, quæ aliter esse possunt. Scientia cognitio omnis ex necessaria causa. Intellectus demum intelligentem hoc loco facultatem non significat (neq; enim hanc cum opinione & scientia quę illi⁹

cognitiones sunt, comparasset) sed aut iudicio Auerrois & S. Thomæ primorum principiorum habitum, qui opinione & scientia melior est; quique nunquam est falsus, quemadmodum interdum opinio: aut quamuis vel simplicem apprehensionem, quæ causa non constet: & vtroque modo scientiæ & opinioni opponitur, quòd illæ coniunctæ sunt, complexæque cognitiones, atque ex principijs & causa deducuntur.

Plures sanè sunt cognitionis modi, pluréſque habitus intellectus. Sed quòd hos solos commemoret, causam fuisse dicit S. Thomas; quoniam ij nondum essent eo tempore cogniti; Verùm hi duntaxat quatuor: quorũ intellectum vnius, scientiã dualitatis, opinionẽternarij, sensũ quaternarij esse Plato prodiderat. Quòd intellectus cognitio simplex sit, nõ per causam; scientia à principijs ad conclusionem; opinio his formidinem addat oppositi; sensus demum circa corpora versetur. Poterat meminisse in sexto Ethicorum lib. de pluribus alijs ab eo actum fuisse. Potior illa est ratio, quòd hîc non de habitibus, vt in sexto illo libro; sed de animæ facultatibus ageretur. Nec reliqui habitus ad rem præsentẽ essent, neque vllã cum phantasia similitudinem haberent. Sapientia enim circa altissima, prima, & diuina, quæ phantasma non habent, versatur: aut certè ex intellectu & scientia constat. Prudentia & ars actionem & effectionem dirigunt: phantasia non item. Si igitur hæc cognoscendi quidpiam facultas est, aut sensus erit, aut opinio, aut scientia, aut intellectus, aut aliqua virtus alia ab omnibus hisce distincta. Deinceps autem nullam illarum esse demonstrans, tanquam ab omnibus diuersam constituet.

Phantasia per translationem quid.

Quod autem spectat ad verba; cùm de phantasia proprio significatu semonem esse admonet, nõ de ea quæ per translationem appellatur: siue hæc cum Philopono intelligatur ea, quæ in nobis vel nolentibus à rebus ipsis interdum figuratur: siue cum Alberto intellectus, qui est cum phantasmate: siue cum Auerroë sensus falsus. (Sic enim cùm aliquid verè non videmus aut audimus, sed videre audireue nobis videmur; dicit nobis quispiam; Imaginaris te videre aut audire) siue demum cum Themistio, Simplicio, & Alexandro, tum intellectus, tum sensus; quibus aliqua videmur nobis nõ nunquam cognoscere, quæ verè nõ cognoscimus: perinde sanè fuerit. Siquidẽ ab his omnibus propria phãtasiæ acceptio distinguitur, qua vim eã significamus, qua nos ipsi rei cuiuspiam vel absentis, & verò etiam falsæ & quæ in rerum natura non subsistat, phantasma, idolum, simulacrum, & imaginẽ pro libito ac voluntate nostra interiùs effingimus ac formamus.

Phantasia propriè quid.

Dum autem eam ait esse facultatem quampiam aut habitum, quo iudicamus & verum ac falsum percipimus; minimè aduersatur ijs, quibus eam antea hoc nomine ab intellectu distinxit; quòd integrũ nobis sit imaginari, siue verũ, siue falsum; non item opinari & existimare. Quoniam phantasia sine assensu operatur, solas fingit imagines; neque diudicat, num veræ illæ sint, an falsæ. Intellectus autem assensum adhibet ac veritatis falsitatisque iudicium. Etenim generaliori nunc significatione iudicium nominat pro quauis rei cognitione, atque apprehensione, sine qua sanè imaginum efformatio illa non est, atque ita sensuum quoque iudiciũ dicimus. Non propria magis, quæ affirmationem & negationem atque omnino cõpositionem habet, dum hanc veram aut falsam esse rei imaginem enuntiamus. Hoc namque phantasię non est sed solius intellectus. Eodem modo vera aut falsa percipimus. Materialiter quidem phantasia, cùm veras aut falsas imagines rerũ, quæ sunt, aut nõ sunt effingimus: formaliter autẽ intellectu, dũ cõparamus, nostramque cognitionem rebus conformem aut non conformem esse intelligimus, & veram aut falsam imaginem esse discernimus. Neque enim phantasia circa imagines versatur quatenus imagines sunt, & ad res ipsas referuntur, sed absolutè, per se, & seorsim à rebus, quatenus contemplabiles solùm sunt & ab ipsis formabiles.

Phantasia vt verum habeat aut falsum.

Sanè inter easdem facultates sensum quoque commemorat: qui tamen nec aliud iudicium habet, quàm simplex, nec veritatem aut falsitatem, nisi materialem, dum obiectum vt e aut fectus, cognoscit. Itaque verum est, tum phantasum, tum sensum, alium esse verum, alium falsum. At falsum est, eum diudicare, seu cognoscere verum à falso. Nam horum alterum solam facultatis actionem rebus conformem aut non conformem significat. Alterum verò illius cum externis rebus comparationem & coniunctionem adiungit: quæ neutri conuenit facultati, quoniam vtrumque simplicem habet operationem: minimè verò phantasiæ, quę non ad externa, vt sensus & opinio, sed ad interna solùm definit, nec foras sese vllo modo porrigit.

Facultatem præterea & habitum dixit: Simplicij quidem interpretatione phantasiam docẽs tum facultatem esse, hoc est essentialem characterem & differentiam ænimæ (quippe is facultates non animæ additas, sed partẽ eius essentiales esse censuit) tum habitum ceu dispositionem, quam operando induit rerum diuersarũ imagines suscipiendo. Veriùs autem vel facultatem appellans virtutem & potestatem animæ phantasmatum productricem: habitum verò eandem vt ea iam produxit atque illis instructa est. Vel vtramque vocẽ, nominauit propter illa quatuor, quæ subiungenda erant. In quibus sensus facultatem significat, opinio, intellectus, & scientia habitum potiùs facultati additum. A quibus omnibus num phantasia diuersa sit, considerandũ est.

Digressio XI. Quid sit Phantasma.

EX hoc loco, vbi Aristoteles siue nominis notationẽ posuit, siue ex obiecto proprio & actione (vt Simplicius putauit) phantasiã definiuit; facilè intelliges quid sit phantasma. Non inquam esse formam aut speciem obiecti sensilis ab ipso in phantasiam impressam dum sensibus exterioribus cognosceretur, ibique conseruatam; vt Latinorũ plerique loquuntur. Sed imaginem velut idolum exterioris obiecti à phantasia effictum ac formatum, seu ipsammet phantasiæ actionem, quatenus obiecti cogniti imago quędã est & similitudo. Quod enim illi autumant, tum ex eo confutari potest, quòd si ita esset, simulachra forent in nobis etsi nil imagineretur phantasia. Immò plurima simul ac diuersissima & verò pugnantia inessent phantasmata. Deinde vox ipsa indicat. Quippe phantasma dicimus velut idolum

idolum à phantasia formatum. Tum verò hæc ipsa Philosophi definitio confirmat. Nam si phantasma id est, quod in nobis à phantasia effingitur; non sanè ab exteriori obiecto imprimitur; neque huius, sed illius proprium opus ac partus est.

Quam definitionem ita exposuit Alexander in primo de anima lib. cap. de phantasia; vt phantasiam dixerit motionem quandam esse, qua phantasma quodpiam dicimus nobis in anima gigni. Neque multò post phantasiam ostendit non esse τύπωσιν, hoc est figurationem in anima ab obiectis factam, sed ipsius phantasticæ virtutis actione illam constare. Quæ omnia tàm sunt aperta, vt maiori explicatione egeant. Aderunt autem testes & interpretes cæteri. Nam apertè Iamblichus & Priscianus Lydus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 1. & 2. eam definiuerunt facultatem esse assimilandi cætera ad seipsã, atque à sensibus ad intellectũ sensilia & exteriora obiecta transmittendi; ab incurrentibus scilicet obiectis illis excitatam: eamque vbi semel permota fuerit, ex seipsa expergisci promereque phantasmata, quamuis mouentia nulla vlteriùs adsint. At rursum in capite 3. de eadem re ab eodem Priscian dicitur posse esse sensionẽ veram & phantasma falsum; quoniam non eiusdẽ, sed diuersarum facultatum opera sunt. Phantasma igitur phantasiæ opus est & vt idem ipse auctor loquitur, ex phantasia emergit. Propterea verò Philoponus phantasiã illam, qua vel nolẽtibus nobis ex reliquijs sensuum fiunt interdum phantasmata, per translationem dici voluit; eam solam propriè, qua à nobis ipsis interiùs illa formantur. Themistius autẽ Aristotelis definitionem adferens, De illa, inquit, phantasia loquimur, qua phantasma velut typum & formam sensilis in
„ anima produci dicimus. Vbi tum Themistium, tũ
„ Alexandrum, adnotabis Aristotelicæ definitioni
nõ temerè addidisse (in anima) sed vt ostenderent phantasma ipsius animæ actione cõstare; non sensili forma in organo corporeo impressa. Denique Simplicius cùm paulò ante phantasiam Philosophus assimilasset picturæ; id propterea factum tradidit, quoniã ea quoque assimilatrix est, hoc est similium rebus imaginum formatrix. Et in commentario tex. 160. Ipsa, inquiet, phantasia excitatur ad promendum imaginabiles figuras per
„ proprias rationes sensilibus formis conuenientes.
„ Vbique excitata est, à seipsa phantasmata promit,
„ & figurã à se ipsa effingit ac format, aut sensilium
„ formis consimiles, aut aliquid adiungens, &c. Ac
„ rursum in se quenti commentario, Sensitiuum, inquiet, extrinsecùs, imaginatiuum autem à vita imaginatiua figuratur. Tum illud accedit, quòd in tex. 153. hoc nomine distincta fuit ab intellectu phantasia; quòd imaginari possumus quæcumque volumus, siue vera, siue falsa; vel etiam ea, quæ in natura non sunt: opinari autem & existimare non nisi vera, & quæ sunt. At licentia nobis tanta non esset, si petenda ab obiectis essent phantasmata; sed vera sola & quę sunt, imaginari possemus. Quo modo eorum, quæ non sunt, immò nec esse possunt, ab obiectis imprimantur phantasmata? Dum hircoceruũ, aut hyppocentaurum, aut etiam volantem asinum imaginamur, horumque imagines ac phãtasmata phantasia versamus; nũ à sensilibus rebus ea nobis impressa fuerunt? Hircum sæpè vidimus & ceruum, equum item & taurum, asinum, & volantes aues: at hircoceruum, hyppocentaurum, & volantem a sinum, quorum coniunctorum phantasmata diuersa sanè sunt à partium, quibus constant, phantasmatibus, nunquã planè vidimus nec vllo hausimus sensu. Integrum, inquiebat Philosophus nobis est ob oculos ponere. Quid, nisi phantasmata? At si ab externis obiectis suscipienda illa sunt & haurienda, integrum nequaquam nobis est. Aut si integrum ponere; quo modo nisi imaginando & (vt ita loquar) phantasiando? At quid quæso est imaginari aut phantasiare, nisi imaginem aut phantasma effingere? Hoc igitur, quod à phantasia formatur velut obiecti sensilis imago, phantasma est.

Accedunt duo exempla illa, quibus Aristoteles & Themistius ad hoc explicandum vsi sunt: dum persimilem illis phantasiam esse dixerunt, qui in artificiosæ memoriæ locis imagines ponunt; ac pictoribus, qui quacumque forma illis libuerit, animalia pingunt. Quod si ita est, eodem igitur modo, quo illorum vterque imagines sibi fingit ac format, fingit quoque ac format phantasia phantasmata; hæcque nil aliud sunt, quam à phantasia fictæ ac formatæ obiectorum imagines. Neque verò dici potest, quænam alia sit phantasiæ operatio, nisi phantasiare aut imaginari. Verùm phantasiare atque imaginari dices non esse formare phantasmata fingereue imagines; sed ea iam in phantasia formata & ficta cognoscere. Hoc si dixeris, nequaquã cum Aristotele ac peripateticis sensseris. Nam si quæram, quisnam eas imagines, quæ à phantasia non formentur, sed tanquam formatæ cognoscantur, formauerit atque in phantasia posuerit: obiectum sanè, quod eas impressit, respondebis. At Aristoteles à phantasia, non ab obiecto, poni eas voluit: & illarum pictorem non obiectum, sed phantasiam esse Themistius tradidit. Deinde si ab obiecto ponantur, non est igitur integrum nobis eas ponere quando volumus. Propterea enim integrum esse Philosophus affirmauit, quòd à phantasia in nobis existente ponantur. Tum verò eiusdem Philosophi verba considerare poteras. Is non solùm dixit phantasiã imagines ponere; sed eo modo ponere affirmauit, quo illi ponunt, qui artificiosa memoria vtuntur: eos porrò adiecit ita ponere, vt illas ipsi pro libito sibi fingant. Eodem enim modo phantasiam voluit ponere, eas ipsammet fingentem ac formantem, & (vt loquebatur Simplicius) à seipsa illas repræsentantem; nec ijs omnino, quæ priùs visa fuerint, acquiescentem; sed & adiungentem, & detrahentem, & transmutantem, modóque quocumque variantem. Eódem pictoris exemplum pertinet.

Sed videndum præterea erat, Aristotelem hoc phantasiam ab intellectu distinguere; quòd illa non vtatur assensu neque de rebus iudicet; sed eas duntaxat fingat ac formet: hic autem cum assensu & iudicio

operetur. Ex hoc enim ipso facile erat colligere, intellectum nō formare sibi neque fingere obiectū, sed de oblato ac proposito iudicare, illique assentire, aut ab eo dissentire: phantasiam contrà non iudicare de oblato, neque assentire aut dissentire, sed id solùm fingere, quod alio actu cognosci, æstimari, ac iudicari debeat. Non esse inquam ipsam veri cognitricem, sed typorum & simulacrorum formatricem; & ita formatricem, vt ea ex seipsa promat: & ideò sæpè addat & minuat, componat & pluribus modis illa mutet, quæ oblata fuerunt à sensu. Denique eandem Platonis fuisse sententiam ex sophista cognosces: in quo dialogo phantasiam non semel ait simulacrorum effectricem esse.

TEXTVS.

Ὅτι μὲν οὖν ἐκ ἔστιν αἴσθησις ἡ φαντασία, δῆλον ἐκ τῶν ἀναισθησιῶν μὲν γὰρ, ἤτοι δύναμις, ἢ ἐνέργεια, οἷον ὄψις καὶ ὄρασις. φαίνεται δέ τι καὶ μηδετέρου τούτων ὑπαρχόντος· οἷον τὰ ἐν τοῖς ὕπνοις.

Tex. 156. *Ergò phantasiam sensum esse, ex his apertum. Sensus enim aut potestas aut actus, ceu visus & visio. At vel horum neutro existente apparet aliquid; vt ea, quæ in somnijs.*

COMMENTARIVS L.

ACommemoratis facultatibus seu habitibus phantasiā distincturus; tum à singulis diuersam eam esse probat; tū ab omnibus simul. Primùm enim eam non esse vllum eorum; deinde neque ex illis compositam; certis rationibus concludit.

De singulis porrò loquēs à sensu principiū facit. Tum quia is sua natura prior est, atque antecedit intellectū, cuius reliqui habitus sunt. Tum quia cùm facultatē & habitū nominasset, prior habitu facultas est. Sensus autem facultas existit, reliqui habitus. Tum verò ne in longum magis protraheret superiorem illam propositionem tex. 153. qua ostendendum proposuit, eam à sensu & dianæa diuersam esse. Quare cùm à dianæa differre docuerit, voluit etiam ostendere illam à sensu discrepare.

Phantasiam à sensu diuersam esse. Diuersitatem autem ac discrepantiam compluribus argumentis demonstrat. Primum illud est. Sensus duobus modis nominatur: aut enim facultatem significat & virtutem animæ, qua sentire potest, nec tamen quidquam sentit; vt cùm aspectum dicimus aut auditum: aut sensionis & operationis actum à facultate illa profectum; vt visionem auditionemúe. Aut inquam pro actu primo ad operandum & secundum actum promendum idoneo; aut pro actu secundo operationis, quæ ab illo proficiscitur. Quam distinctionem vt notam ac manifestam accipit, & verò etiam explicatam in tex. 53. libri secundi & sæpiùs deinceps in tex. 138. 139. 141. & 142. huius tertij vsurpatam. At phantasia neutro modo appellari sensus potest: sensus igitur non est. Assumptionem confirmat ex somnijs. Namque dormientibus nobis & somniantibus apparent multa per phantasiam (hoc enim significat græcum verbum φαίνεται) at sensus, qui potestate dicitur, vt nihil operatur, ita nihil percipit, nullum videt visum, nihil illi apparet. Sensus autem actu tunc nullus est. Tum quia nullum est obiectum præsens; quod sanè adesse oportet, vt sensus in actum prodeat. Tum quia cessant omnes, ligatique quiescunt. Siquidem hoc somnus est; cessatio & impedimentum sensuum omnium, quorum functio vigilia erat. Quocirca si in somno essent actu, nequaquam dormiremus, sed vigilaremus: non somniaremus, neque imaginaremur, sed præsentia intueremur obiecta. Neque igitur potestate, neque actu sensum phantasiam appelles: sed virtutem aliam, quæ omni cessante & impedito sensu nihilominus operetur.

Diuisionem hanc sensus in eum, qui potestate, & eum, qui actu dicitur; propterea accepit hoc loco Philosophus, vt generalem omnino probationem faceret, atque à sensu phantasiam omni ex parte distingueret; neutro modo sensum eam esse demonstrans. Verùm vbi nos addidit neutro existente somniare, id non ita intelligas, vt sensus vterque, tum actu, tum potestate, ab animali absit. Nunquā enim, etsi actus desit, abesse is potest, qui potestate dicitur; & in somnijs quoque adest, at non operatur: nec agendi vnquam virtus ab animali separatur. Sedam ita accipias, vt verè Simplicius exposuit, neutrum phantasijs, quæ per somnium apparent, inesse. Non sensum actu, quia is tunc nullus est. Neque eū, qui potestate nominatur: quoniam hic etsi animali adsit, nihil tamen agit. Quare cùm somniorum visa & phantasmata, quæ actu nobis eo tempore insunt, neutro modo à sensu esse queant; fit sanè & operatur phantasia, etsi neutrum illorum ipsi insit. Vno verbo argumentationem totam cum Themistio colligam. In somnijs imaginamur, in somnijs non sentimus: phantasia igitur seu imaginatio sensus non est.

Digressio XII. De somnijs.

Cui affectioni.

SOmnium interioris sensus, non alterius facultatis affectionem esse, in libro de somnijs docetur pluribus. Eiusdem namque somnium est, cuius & somnus. At somnus illius est, quā ἀδυναμίας est, somnium autem, quā φαντασίας. Nunc tanquam ex phantasiæ definitione iam proposita manifestum accipitur. Si enim somnium visum quoddam est & phantasma, quod ocurrit dormientibus, illius sanè facultatis fuerit, quia phantasmata in nobis fieri dicimus; hancque phantasiam esse, & appellatio ipsa testatur, & propolita definitio confirmat. Deinde vt ostensum est operationem sensus non esse, ita certum est intellectus non esse, quoniam in bestijs quoque inest. Sola igitur superest phantasia, velut inter sensum & intellectum media, hominique cum bestijs communis. Etenim dormientibus ligantur sensus, tum exteriores & particulares, tum interior & communis ille, qui non operantibus illis sentire non potest. Fit autem interdum, vt reliquæ itē facultates & operationes ligentur cessentque, phātasia, æstimatio, memoria, intellectus, si somnus profundus fuerit & placidus.

dus. Nonnunquã verò soluitur phantasia, tùncque accidunt somnia, operante circa phantasmata phantasia. Soluitur etiam interdum æstimatrix vis, dum de amicis aut inimicis somniamus: aut intellectus, si somniando disputemus aut componamus carmina, aut somniare nos cognoscamus. Denique in leui & imperfecto somno, qui inter vigiliam & somnum sit potius medius, soluuntur interdum nonnihil exteriores sensus; quemadmodum cùm loquimur, & interrogati respondemus.

Somnio rũ quæ causa.

Omnino vt somnies phantasiam saltem solui oportet. Ea soluta propterea somniare nos arbitrantur illi, qui species intentionales ponunt; quòd hæ in vigilia sensibus haustæ, in interiori conseruentur sensu, solutaque inter dormiendum phantasia circa illas operetur, obiecta illarum nobis repræsentando modisque miris componendo. Quid ego de toto harum specierum genere sentiam, iampridem exposui, sæpiusque deinceps admonui; ac rursum interiori sensui minimè necessarias esse post seorsim vniuersè demonstrabo. Iam accipiam id potiùs, quod in libro de Diuinatione per somnum cap. 1. habet Philosophus, vehemẽtiorẽ omnino phantasiã esse in somno, quàm in vigilia; eoque tempore vel minimum motum videri maximum. Cuius rei quadruplicem causam reperio, tum eo loco significatam, tum in cap. 3. libri de somnijs.

Phantasia vehemẽtissima somno.

Prima est, quoniã reliquis in vigilia sensibus operatib⁹ magnopere distrahitur & imbecillior ad imaginandum fit phantasia: in somno cessant illi omnes, sola hæc viget & dominatur. Quocirca & spiritus exteriora deferens sensoria vnitus magis est & collectus præsto est phantasiæ; atque animæ virtus ad imaginandum incumbit tota; plurimúmque imaginari potest; tum mera formando phantasmata, tum ea miris modis componendo. Quid sit phantasma, non multò antea dictum est. Actionem enim phantasiæ significat. Aut si mauis dicere phantasiata obiecta, eorũque simulacra phantasiæ actione formata.

2. Quòd si vel leuissimus motus quispiam accedat in corpore, aut sensus non soluatur, altera hæc est causa, quæ phãtasiam ad maxima quæuis imaginanda excitat. Si per guttur defluat pituita, edere te mel propter suauem motum, quo delinitur guttur: si quæ corporis pars paulò magis calescat, in igne te versari, si sitias, fontes; si phlegma abundet, aquas, si cholera, ignem, cædes & similia, si sanguis, risus & iucunda, si melancholia, tristia quæuis somniabis. Nec accidet rarò, vt vel leuiter tactus aut strepitum quempiam subaudiens, inimicos illicò imagineris adesse, & clamare incipias euigilãs, accipias arma, serióque omnibus miniteris. Quæ sanè non ad conseruatas species referri possunt, sed ad magnam phantasiæ vim eo tempore præsertim prouocatæ pertinent. Arbitrantur, inquit Philosophus, fulgura cadere & tonitrua fieri, cùm paruus sonus in auribus sit, melleque ac dulcibus saporibus perfrui, minima defluente pituita, & ambulare per ignem & calefieri vehemẽter, cùm paruus calor circa quasdam partes fit.

3. Tertia causa est vehemens vaporum motus in spiritu inter dormiendum factus. Turbulento enim & agitato spiritu vel minimum quiduis videtur esse maximum. Armatus quilibet timenti esse inimicus videbitur, cupiensque videre amicum, in quemcunque incidat, amicum eũ putat, quòque maior affectio fuerit, eò imaginatio facilior. Quoniam spiritus est ferè vt aqua. Quemadmodum enim tranquilla & quiescens aqua rem vnamquamque vt est repræsentat; commota verò & agitata maiorem multò ostendit: ita spiritus à vehementi vapore commotus efficit, vt phantasiæ maiora omnia videantur. Quòd turbatus ipse & agitatus turbet quoque & agitet phantasiam, quæ maius propterea aliquid imaginatur. Si profundus igitur fuerit somnus tantaque vaporum copia, vt non communis modò sensus, sed phantasia ligetur, somniamus nihil. At si natiui caloris vi dissoluantur sensim vapores, primaque omnium libera sit phantasia; spiritu ad eam accedente, illicò mira imaginari potest. Tum pro ratione spiritus, quo operatur: tũ pro ratione dispositionis humorũ in corpore omniumque illius partiũ qualitate: tũ verò ex propria operandi virtute, qua absentia quoque & quæ ampliùs non sunt, si semel fuerint simul cum exterioribus sensibus ab interiori cognita, imaginari potest ac velut sibi præsentia sistere. Omnino sunt, qui cum Synesio fabulas ab insomnijs licentiam & copiam accepisse putent.

4. Quarta & postrema causa est, quòd à diuinis inchoationibus, vt Philosophi vtar verbis, præparatus sit motus. De ijs namque somniamus crebrò, quæ inter vigilandum tractauimus. Quòd dum ea exteriores afficiunt sensus, afficiunt & interiorem, qui cum exterioribus operatur: hęc exterioribus hauriuntur sensibus, hauriuntur & interiori: motusque in vigilia factus præparatio est, dispositio, & inchoatio eius, qui dormiendo fiet: plura siquidem & maiora tum fingendo, tum componendo addet phantasia.

Aristotelis exẽpla.

Pluribus hoc Philosophus exẽplis explicat, quibus nolim specierum intentionalium assertores abuti. Primum est proiectorum corporum, quæ eo, quod primùm mouit, non tangente mouentur. Quoniam quod mouit, mouit aẽrem quendam; & rursum hic commouetur, mouetque alium. Ita sanè. Moto namque exteriori sensu mouetur interior, qui cum eo simul operatur; cessanteque illo potest hic adhuc operari: & vt aẽr posterior motus proiectum impellit vlteriùs, ita obiectum ab exteriori antea cognitum adhuc cognoscit interior, exteriorisque cognitioni addit. Alterum alterationis, qua quod calefactum est à calido, proximum corpus calefacit, eodem spectat, vt exteriorem sensum ab obiecto motum in vigilia interiorẽ quoque mouere doceat, qui ab hoc motus vi deinceps sua operabitur. Tertium aspectus qui si vehemens obiectum intuitus fuerit, etsi ab eo amoueatur, idem tamen sibi videtur, quòd in eo idẽ motus remaneat: nil ostendit aliud, quàm remotis exterioribus obiectis illorum imagines interiori obuersari sensui, quòd hic iam à præsentibus permotus ab absentibus quoque permoueri possit. Eadem est vis quarti, quod ex ijs sumptum est, qui per rapacem fluuium transierunt, quibus cùm ad terram venerint moueri omnia videntur.

Hoc igitur fuerit id, quod idem Philosophus dixit præparatum fuisse imaginandi ac somniandi motum à diurnis inchoationibus; hæcque tota somniorum ratio. Nihil enim aliud fuerit somnium, quàm phantasma visióue absentis rei aut non veræ, tanquam præsentis & veræ. Et ideò phantasiæ quæuis cognitio, quę habetur in somno, somnium est: ac plerumque habet errorem, dum id offertur vt verum & præsens, quod absens aut nullo modo est neque futurum est. Operatio autem cogitatiuę aut intellectus, quę inter somniandum habetur interdum, si per se spectetur, somnium nō est; quòd facultatis alterius, nō phātasię, actio sit, coniuncta tamen cū somnio.

Somniū quid.

Somnus porrò & somnium eiusdem quidem re facultatis sunt; quoniam sensitiuum & imaginatiuum, communis sensus & imaginatio, sunt idem re. At cùm somnus cessationem & quietem, somnium operationem significent; ille ligatam, hoc solutam facultatem postulet; eiusdem facultatis eodem consideratæ modo esse non possunt. Ergò vtrumque interioris sensus affectio est; sed somnus quà sensitiuus est communisque sensus nominatur atque cum exterioribus sensibus operatur; somnium quà phantasti cus phantasiaque dicitur, & cessantibus exterioribus sensibus operari potest.

Somnus & somnium vt differāt.

Hinc est quòd qui plurimùm humoris habent, minùs somnient; quod nimium ligentur sensus & phantasia quoque impediatur. Quocirca somniant minùs pueri, magisque profundo ac placido fruuntur somno. Cibique soporiferi propter multum & crassum vaporem aut impediunt somnia aut turbulentiora faciunt. Initio somni non multum somniamus; quia somnus ob vaporum in prima cibi coctione multitudinem nimis profundus. Postea eueniunt quidem multa, sed turbulentiora, quòd vigeant adhuc vapores. Postremò autem tranquillissima & placidissima sunt, vaporibus iam penè consumptis aut certè sedatis ac tenuioribus factis. Melancholici multum somniant, propter magnam phantasiæ vim. Senes parùm, propter imbecillitatem. Alij etiam nunquam per totam vitam: quod rarum quidem est, contigisse tamen aliquando fertur; propter copiosum vaporem ac profundum somnium.

Qui magis minusue somniēt

Ea verò somniamus sæpiùs, quibus sæpiùs firmiusue interior facultas dū vigilaremus adhęsit. Faciliùs enim hæc inter dormiendum formantur. Aut ea, ad quæ naturalis temperies corporisque & humorum constitutio inclinat. Vt ex somnijs de corporis statu iudicandum esse medici sapienter moneant. Sed vniuersè magis hac de re disserendum est.

Quæ maxime somniemus.

Fuit enim peruetus quæstio & ab Aristotele quoque accuratè tractata, Num ex somnijs liceat ea, quæ euentura sint nobis, diuinare. Epicurus, Metrodorus, Xenophanes, pluresque antiqui Philosophi nullam somnijs fidem habendam esse iudicarunt; cùm ex rerum in vigilia perceptarū simulachris temerè animum in somno pulsantibus fiant. Velut enim talorum iactu, inquit Cicero in 2. lib. de Diuinat: talis sæpius iactis optatus tandem efficitur numerus; ita casu interdum expluribus somnijs id, quod somniamus, euenit. Sunt autem vt insanorum visa, quibus fides habetur nulla.

De diuinatione per sōnium.

Contrà Orpheus, Pythagoras, Chrysippus, Antipater, Plato, & omnino Stoici atque Academici plurimùm semper illis tribuerunt, tanquam rerum futurarum indicijs à Deo profectis. Mercurius per somnium loquentem audiuit Pimandrum: & in capite duodecimo eius libri Deum dixit homini nocte congredi per somnia, die crebriùs per portenta, quibus omnia illi futura prænuntiat. Et Socratem somnio permotum fuisse ad Platonem puerum in discipulum assumendum Apuleius testatur. Immò Pythagoricos sequutos Hæbræos hoc solum diuinationum genus verum esse iudicasse, Io. Damas: lib. 21. de fide ortodoxa cap. 19. & Nemesius lib. 4. suæ Philosophiæ cap. 6. referunt. Nam & Philo Iudæus in lib. de somnijs omnia somnia à Deo esse contendit. Propterea moderato victu præparari nos ad certiora somnia percipienda veteres illi iubebant; tenuique cœna vti, quòd vberior cibus in somno rationem occupet, ne superiores influxus persentiat liberè; vt in 9. de Rep. dixit Plato, & in vltimo problem: sect. 30. Aristoteles confirmauit. Eandem ob causam fabarum esum prohibuisse Pythagoram opinantur non pauci; quòd nimium is cibus inflet ventrem mentemque perturbet, ac pura & sincera impediat somnia. Animum enim nostrum, inquiebant Stoici atque Platonici, futurorum omnium et se cognitionem habere; at corporis oppressum mole diuersisque imaginibus in vigilia susceptis perturbatum intueri ea non posse: posse in somno, quo ab illis impedimentis absolutur. Non tamen interea deserit animal, inquit Synesius; sed ex specula inferiora circumspicit, multo pleniùs, quàm si cum deterioribus sit commixtus. Totum etiam aërem immortalibus animis, hoc est dæmonibus, qui res humanas curent, planum esse: ad quos animus noster in somno egressus tanquam ad sui similes, de futuris ab illis instruitur: Deoque demum ipsos cum domientibus secreto quodam modo colloqui. Propterea lætis manibus diuinisque laudibus celebratis dare se somno oportere.

De Aristotele alij aliter sentire. Sed omnino is ostendit non omnia somnia immitti à Deo. Tum quòd cætera animalia somnient. Tum quia quibusuis vel pessimis hominibus cōtingāt. Quippe, vt verbis vtar Synesij, somnium videt tam qui paruum, quam qui magnum possidet censum, & qui victus extremitate laborat: videt speculator pariter atque mercenarius; nec ciuis aliter quàm peregrinus; nihilque differt bubulcus mancipiumque & insanus à cæteris. Sanè Homerus Illiados α. somnium dixit esse à Ioue: at in Odysseæ T. ex quo Virgilius transtulit in sextum Aeneid: duas finxit somniorum portas; corneam vnam, eburneam alteram; somniaque per priorē portā immissa dixit esse vera; falsa, quæ per posteriorem. Ratio extat apud Tertullianum in libro de anima cap. de somnijs. Respicere namque ait est per cornu, ebur autem cæcum est. Quod etsi ob sapientiæ somniorum defectum

defectum fuisse dictum putauerit Synesius, alioqui per corneam omnia traducenda esse somnia: res tamen ipsa loquitur pleráque temerè ac falsò euenire. Ennius quoque apud Ciceronem alia vera esse credidit, alia falsa. Et Auerroës in Paraphrasi librorum de somniis, & de diuinatione per somnium, vera scripsit à Deo & Angelis immiti propter solicitudinem circa hominem prophetiæque speciē esse: & adfert Pharaonis somnium, quod sacra narrat historia. Falsa verò tum ex propria imaginationis virtute proficisci, tum ex naturali cuiuspiam rei desiderio.

Ex somniisquæ tenuis sit aut diuinat.

Plurima quidem certè impura & mala somnia, Vt de cædibus & eiusmodi aliis, nullo modo à Deo immitti possunt: sed à malo potiùs proueniunt dæmone, vt præclarè sanctus Iustinus exposuit in explicatione quæst. 21. ad Ortodoxos. Nisi causam habeant naturalem corporis temperationem & habitum, abundantemque humorem. Complura horum exempla non multò ante commemorata sunt. Quò etiam ea spectant, quibus videtur sibi homo cadere, suffocari, aut aliquid simile pati. Causa est nimius sanguis. Nimia namque cerebro oblatione facta comprimuntur meatus tanti sanguinis incapaces. Aut fumositas quæpiam ex cibi coctione cerebrum petens vimque animalem comprimens, & neruorum, qui ad pectus descendunt, motum impediens. Aut etiam ea, quæ externa cœli & generalium causarum actio subministrat. Ob variam enim temporis nocte mutationem, qua corpus quoque nostrum afficitur, quale sequentis diei tempus futurum sit somniamus interdum. Naturalia hæc omnia vocantur somnia. Alia moralia; quæ diurnæ cogitationes resíue sensibus per vigiliam haustæ suppeditant. De quibus sub piscatoris persona in Idyllio 15. dixit Theocritus; καὶ γὰρ ὅσσ' ὕστερνος πᾶσι κυὼν ἀρτὺς ἰαυτὸν ἔτυξε, ἴχθυας ἐ' ἀγῶ. id est, etenim in somniis omnis canis somniat panes, & ego pisces: & plura Claudianus in præfatione ad sextum Honorij Consulatum. At somniorum vtrumque genus nequaquam est eorum causa, quæ in nobis fieri debent; sed illorum effectus, quæ facta sunt. Quam ob causam sapientissimi Medici primum naturalium genus diligenter obseruari voluerunt; vt ex eo corporis nostri habitus cognoscatur: scripseruntque hac de re Hippocrates & Galenus, & alij.

Sunt & interdum causæ eorum, quæ agenda sunt; quòd nocturnis illis phantasmatibus disponitur animus atque inducitur ad agendum. Pleraque autem casu eueniunt ac temerè, quorum nullum in nobis principium. Quare etsi fabulis fortasse, vt dictum est, principium dederint somnia: hoc tamen somniis præstant plerúmque fabulæ; quòd in his profundioris sententiæ aliquid lateat, dignæque interpretatione censentur; illa perfæpè vana sunt nec quidquam continent. Nec sapientes modò quique viri genus hoc diuinationis, quod ex somniis petitur, iurè optimo irriserunt: sed & sacræ litteræ damnarunt magnopere, obseruarique somnia prohibuerunt; vt Leuit. cap. 19. Deuter. cap. 18. & pluribus in locis, eos, qui somnia sectabantur, grauiter reprehenderunt; quemadmodum in 2. lib. Paralipomen. cap. 33. & Ecclesiast. cap. 5. & Ecclesiastici cap. 34. & Isaiæ cap. 56. & Hierem. cap. 23. 27. & 29. Non pauca tamen legimus à Deo fuisse immissa ad futurum aliquid significandum. Vt duplex Iosephi somnium in lib. Genes. c. 37. & duorum Eunuchorum cap. 40. Pharaonis cap. 41. & Nabuchodonosor Daniel. cap. 2. & eiusdem alterum cap. 4. & somnium Policarpi apud Eusebium libro 4. Ecclesiast. Histor. cap. 15. & Gregorij Nazianzeni apud ipsum in libello de calamitate animæ suæ, & Eliæ apud Epiphanium in ipsius vita; aliáque plurima, quæ ex libro Numerorum cap. 12. & Iob. cap. 33. & Ioëlis cap. 2. magnopere confirmantur.

Ex quibus locis cognoscimus tribus modis quidpiam à Deo dormientibus indicari. Primus oraculum appellatur, quod apertis vtatur vocibus. Complura extant exempla Genes. cap. 20. & 31. & Matt. cap. 1. & 2. Alter visio, cùm non vocibus aut signis vtitur: sed illud ipsum ostendit, quod futurum est. Quemadmodum sanctus Augustinus libro 3. Confess. cap. 11. matrem suam refert præuidisse ipsum Christianum factum: & Theodoretus lib. 5. Eccles. Histor. cap. 6. aliam visionem refert, Meletium Antiochenum Præsulem Imperatorem futurum. Tertius propriè somniū nominatur: quando non voces adhibentur, neque res ipsa ostenditur: sed interpretatione opus est eius quod fuit dormienti ostensum. Qua interpretandi scientia Iosephus & Daniel à Deo præ cæteris instructi fuisse leguntur.

Oraculum.

Visio.

Somnium.

Plurima sanè immittuntur à Dæmone: præsertim vbi adest superstitio quæuis: vt si in pelliceis quibusdam vestibus dormias, si puluinari folia lauri supponas, aut eiusmodi quidpiam agas.

Si somnium esse à Deo constiterit, æquè ac diuinæ rei fides illi habenda erit: & si occulta fuerit significatio, pij ac periti viri cōsulendi erunt, qui ea interpretentur: quemadmodū Iosephum Pharao & Danielem Nabuchodonosor cōsuluerunt. Consueuit namque Deus, cùm obscurum immittit somnium, interpretationem illius alicui indicare. At si certū fuerit, nequaquam à Deo somnium esse profectum, nulla illi fides adhibeatur, neque ex eo futurum quidquam aut non futurum, agendum aut non agendum, colligatur. Solum naturale somnium humoris cuiuspiam redundantiam in corpore significabit; ex quo intelligas quidpiam, quod ad sanitatem tuendam, morbumúe vitandum proderit. Quæ verò agenda sint vel non agēda, neq; ex naturalibus colligi possunt, neq; ex moralibus. Quoniā omnis diuinatio, quæ non sumitur ex rebus, quæ aut causæ sint aut effectus eorū, quæ diuinātur: aut certè ab alia cōmuni causa non proueniāt, quæ tum diuinationis, tum rei, quæ diuinatur, sit causa: omnino vana est & suspecta. Quare cùm somnia neque causæ sint neque effectus eorum quæ agenda sunt: nulla illis fides haberi potest, nisi à communi proficiscantur causa, quæ rem quoque significatam possit efficere. Dæmon non potest nisi Deo permittente: de quo nobis non constat. Sola igitur diuina supersunt somnia. Quia si Deus futurum aliquid dicit, is & potest illud ef-

ficere, & mentiri non potest. Quòd si dubites, num à Deo, an à Dæmone immissum sit somnium; adhibendæ sunt preces & orandus Deus, virique prudentes & periti consulendi; ac demum agenda cætera, quæ ad mentis illuminationem pertinent: quemadmodum in epistola S. Luciani Presbyteri factum ab ipso legimus in reliquiis sancti Stephani. Atque hæc nobis est, tum de somniis, tum de ea, quæ per somnium est, diuinatione sententia.

TEXTVS.

Εἶτα αἴσθησις μὲν ἀεὶ πάρεστι, φαντασία δ' οὔ.

Deinde sensus quidem semper adest, phantasia verò nequaquam.

COMMENTARIVS LI.

Phantasiam à sensu diuersam esse.

ALtero argumento demonstrat, non esse idē phantasiam & sensum. Sensus, inquit, semper adest; phantasia non semper; phantasia igitur à sensu diuersa est. Sensum adesse semper, interpretatur Auerroës præsente obiecto semper sentire: phantasiam non semper, sed sæpè etiam eo absente. Sane ita fortasse res habet: hocque ipsum inter sensum & phantasiam interest; quòd ille non nisi circa præsentia operatur, hæc tum circa præsentia simul cum sensu, tum sine eo circa absentia. Tametsi ne id quidem omnino verum esse videtur, nec vnquam phantasia rei præsentis esse. Siquidem ea ad res externas nunquam protenditur: nec rei præsentis est; sed imaginis, quam intra seipsam format: etsi præsentis interdum videatur, quòd simul cum sensu præsens obiectum percipiente operetur.

Infantes phantasia non statim vti.

Philosophi autem verba nullo modo eam sententiam continent: sed sensum omni tempore & per totam vitam atque in omni ætate operari posse. Vel etiam animalia statim in lucem edita occursantia sentiunt obiecta; recensque nati pueruli lugent circumiecti aëris non consuetum frigus persentientes. Phantasiam autē non semper nec omni tempore. Idcirco enim infantes, inquit Philoponus, cuiusuis mămillas principio sugunt; neque cuiusuis modò mulieris, sed & animalis; postea verò solius matris. Et vt in tex. 5. libri primi Physic. legimus, omnes viros primùm patres appellant, & fœminas matres. Quòd phantasia nondum vtantur neque maternæ mămillæ aut proprij patris vel matris typū & phantasma satis formauerint. Pulchrè autem Simplicius rationem ex eo deducit, quòd vt pluribus post declarabitur, phantasia motus est factus à sensu actu: sensūque operari oportet, & quidem sæpius, antequàm imaginum ac phantasmatum formatione assuescat planè phantasia. Neque enim mămillæ formam atque imaginem formauerint sibi vnquā, nisi eam priùs viderint, contrectauerint, osculoque ac labellis admotis gustauerint. Neque matris mămillæ proprium in anima typū effingent; quia illius antea sæpiùs sensū acceperint. Præsertim cùm ob corporis imperfectionē & organorum ineptitudinem, ruditatem, minúsque temperatam illius ætatis cōditionem, tum sensuum, tum phantasiæ minùs perfecta & exacta sit operatio. Neque Philosophum obiiciat quisquam hac argumentatione phantasiam actu à sensu potestate diuersam esse probare: neque hanc probationem vitio carere, aut ad rem certè non esse. Nam occurrendum est, nequaquam illius hanc probationem esse: sed phantasiam ostēdi facultatē esse à sensu diuersam. Quoniam sensus quouis tempore & semper omnique ætate deduci ad actum potest, reque ipsa sentire statim atque sensile obiectum occurrit: phantasia non potest; sed aliquod antecedat tempus oportet, quo sensus operetur; vt mox operari quoque phantasia possit. Quòd si eadem facultas esset, vt sensus illicò sit actu, sic & fieret phantasia.

TEXTVS.

Εἰ δὲ τῇ ἐνεργείᾳ τὸ αὐτό, πᾶσιν ἂν ὑπῆρχεν τοῖς ἔχουσιν φαντασίαν ὑπάρχειν· δοκεῖ δ' οὐ· οἷον μύρμηκι, ἢ μελίττῃ, ἢ σκώληκι.

Si verò actu idem, omnibus sanè bestiis phantasiam inesse contingeret. Videtur autem non: velut formicæ, aut api, aut vermi.

COMMENTARIVS LII.

HOc sanè tertium est argumētum. Sed quoniam prima illa verba (εἰ δὲ τῇ ἐνεργείᾳ τὸ αὐτό) duobus modis accipi queunt (nihil enim ad rem Albertus (τῇ ἐνεργείᾳ) interpretatus est significare (essentialiter; cùm certum sit actum secundum & operationem vbique præ se ferre). Aut ita, vt ad sensum solum; aut ita, vt & ad sensum, & ad phantasiam referantur. Altero modo sententia fuerit; si phantasia idem esset cum sensu actu. Altero autem, si sensus & phantasia idem actu essent. Priorem sententiam sequutus S. Thomas vniuersam philosophi probationem tripartitò diuisit. Vt primùm phantasiam non esse sensum ostenderit, siue is potestate, siue actu consideretur. Deinde hæc duo, quæ argumentatione vnica complexus fuerat, seorsim & per partes confirmans, argumento altero eam confecerit sensum potestate non esse. Iam tertiò demonstret non esse sensum actu.

Posteriorem tamen vt potiorem amplexi sunt Interpretes Græci. Hasque omnes argumentationes generales esse censuerunt, vniuersè probantes phantasiam sensum non esse. Quæ igitur hanc proximè antecessit, deducta fuit ex tempore: tertia hæc petitur ex subiecto. Illa diuersam à sensu phantasiam esse affirmauit; quoniam nec semper nec omni tempore adest, vt sensus. Hæc idipsum propterea asserit, quòd vt sensus animalibus inest cunctis, neque vllum est, quod sensu careat: siquidem animal per sensum primo animal est: sic phantasia quoque inesset: at quibusdam non videtur inesse: idem igitur non sunt. Neque verò hanc solùm, sed omnino tres argumentationes ex actionibus ad facultates determinandas adduci Simplicius voluit: tum vitato modo ex effectu causam & ex notioribus ignotiora inuestigando: tum quia facultates potissimùm,

mùm, vt ex actionibus circa obiecta constituuntur, sic ex illis cognoscũtur & distinguuntur. Etenim si sensus & phantasia actione torent atque operatione idẽ; hoc est si visio exterioris obiecti sensione, & interior phantasmatis atque imaginis illius effictio ac formatio idem prorsus essent; non perfectioribus solùm animalibus, vt homini, equo, cani, aliisque pluribus, phantasia inesset atque phantasmatum hæc & imaginum formatio: verùm omnibus planè vel imperfectissimis. At non ita res habet. Non sunt igitur idem sensio phantasmatisque cõprehẽsio. Quòd si hæ actiones non sunt eædem, neque sensus & phantasia facultas eadem fuerit: sed à quibus phantasiæ abest operatio, aberit & phantasia, solusque aderit sensus.

Huic loco fauet magnopere, immò persimilis est sententia tex. 32. libri 2. qua trium animalium genera separauit; quædam, quæ dianœa & ratiocinatione valeant: Alia, quæ ne phantasiam quidem habeant: Alia demum, quæ hac sola, non dianœa aut ratiocinatione, viuant. Primi generis homo solus est: Alterius equus, canis, & alia multa: In tertio formicæ, apes, & vermes nunc collocantur. Verùm duas ob causas non paruam hoc difficultatem habet. Primùm quia in eiusdem superioris libri tex. 20. scriptum est, quæcumque sensum habent phantasiam quoque habere. Deinde quoniam formicæ suas norunt cauernulas, certâque illas semper & constanti via subinde repetunt, & grana in horreum futuræ hyemi prouidentes comportant. Apes ad suos redeunt alueos, fauos extruunt, atque ad locum floribus consitum procul aduolant, illorum scilicet phantasia deductæ. Et hæc quidem addúbitari atque obiici possunt. Cæterùm quæ pugnare videntur Aristotelis loca, facilè conciliantur. Quibuscũque enim sensus inest, inest & imperfecta aliqua, rudis, indeterminata & inchoata phantasia: qua animalia cuncta, dum exteriora obiecta præsentia sentiunt, interius quoque vtcumque imaginentur. At ea, quæ perfecta sit, determinata, & distincta; qua rerum absentium formentur imagines, resque singulæ cum singulis suis particularibus & propriis conditionibus comprehendantur: non in omnibus sanè viget, nec vbique comitatur sensum. Sed perfectiorum duntaxat animalium existit propria, certumque & in capite constitutum habet organum. Huiusmodi phantasiã formicis, apibus, vermibus inesse negat Philosophus. De vermibus confirmant fermè interpretes: atque ex incerto, vago, errabundóque motu satis colligitur. De reliquis Auerroës & Albertus eas planè imaginari asserunt, faueréque videntur Alexander ac Themistius: dum alter non illas, sed ostracea & vermes nominat: alter formicis fortasse & apibus phantasiam ait fuisse concessam, negatam vermibus. Neque enim exempla, inquit Auerroës, quæ à Philosopho proponuntur, curanda magnopere sunt, nec in illis quærenda veritas, sed explicatio, vt ipsemet loquitur in commentario 67. superioris expositionis. Albertus autem Latinum codicem mendosum atque ab interprete vitiatum causatur. Minimè vera excusatio, nec perfugium tutum. Quippè in omnibus Græcis codicibus tantumdem legimus, legeruntque expositores Græci; qui certè integros & incorruptos codices habuerũt. Ergò perfectam & distinctam phantasiam, de qua nunc sermo, animalibus hisce verè negabimus: quæ naturali potiùs instinctu atque à presenti sensili permota operãtur; quàm quòd aliquid illis per phãtasiam appareat. Dum enim in continua exercitatione versantur, quasi circa præsens operantur; quandamque loci & viæ tanquam præsentis phantasiam simul cum sensu habent. Quæ si aliquandiu impedirentur, phantasiam prorsus omnem amitterent.

Eadem Philopono Simplicióque sententia. Philoponus namque memoratricem solam; non eam, quæ doceri possit, animalibus hisce concedit. Simplicius autem non vllius rei determinatam ac distinctam, sed communem quandam & indeterminatam; qua apes nutrimentum quidem, quod in illa est conualle, apprehendant. At non hunc aut illum particularem ac determinatum florem. Eodemque modo formicæ. Ac demum Themistius quoque in cap. 68. huius libri, & Auerroës commentario 20. libri 2. imperfectam in omnibus, perfectam in solis perfectioribus agnouerunt. Neque hanc ego dubito veram huius loci expositionem esse. Ipsemet namque Aristoteles ita post exponet in tex. 56. vbi duplicem hanc phantasiam distinguet; determinatam vnam, alteram indeterminatam; illam perfectiorum animalium propriam, hanc omnibus communem. Eamque ob causam non absolutè nunc formicis, apibus, & vermibus phantasiam inesse negat; sed videri ait non inesse: quòd imperfecta insit, indeterminata, exilis, obscura, confusa; non exquisita, distincta, determinata, perfecta.

Hinc verò non minùs deducitur phantasiam à sensu diuersam esse. Quoniam sensus vbique & in omnibus distinctè atque in indiuiduo, obiecta sua comprehendit. Phantasiam autem perfectam, de qua nunc agitur, ex eo constat diuersam esse, quod non omnibus inest. Quòd si perfecta sit diuersa, erit & imperfecta; siquidem perfectum & imperfectum rationis eiusdem ac speciei sunt.

Num phantasia cunctis animalibus insit.

TEXTVS.

Ἔστι αἱ μὲν ἀληθεῖς ἀεὶ, αἱ δὲ φαντασίαι γίνονται αἱ πολλαὶ ψευδεῖς.

Præterea hi quidem veri semper, phantasiæ autem fiunt plerumque falsæ.

COMMENTARIVS LIII.

QVartum argumentum hoc ex actionibus petitum est. Sensus operatio semper est vera, nunquam aut vix falsa; si adfuerint ea, quæ adesse oportet; proprium obiectum, nec nimis distans, nec plus æquo propinquum; sensorium benè affectum, facultasque attenta, medium denique opportunum neque alienis corporibus permistum. At phantasiæ magna ex parte sunt falsæ: & plerumque secus, quàm res habeat: imaginamur. Vel aliter, vt Philopono placuit:

Sensus semper verus.

sensus non est nisi eorum, quæ sunt; nec nisi præsentia & existentia obiecta percipit: phantasia vt absentia quoque fingere sibi potest, sic ea persæpè, quæ non sunt, apprehendit. Quò fit, vt sensus semper sit verus, phantasia persæpè falsa. Phãtasia igitur sensus non est.

Phantasias hoc loco, quo ex operationibus argumentatur, phantasiæ sanè operationes appellat. Neque enim facultas ipsa sentiendi aut imaginandi vera est aut falsa: sed illarum actiones, quæ rebus comprehensis consentaneæ sunt, aut dissentaneæ. Ex quo rursum intelligas id, quod antea monui; phantasmata non formas ab obiectis impressas, sed phantasiæ actiones velut imagines & simulachra obiectorum, ab ea formata significare. Namque has ipsas actiones phantasias appellat, hoc est phantasmata & imagines phantasiæ apparentes: quæ veræ sunt aut falsæ, vt rebus conformes aut non conformes existunt. Quemadmodum & imagines, quæ à pictoribus pinguntur. Formæ ab obiectis impressæ (si modo imprimantur vllæ) veræ semper sunt, falsæ nunquam: quia similes semper obiectis sunt, à quibus imprimuntur.

Phantasma quid.

Hic etiam ab ipsomet Philosopho explicatum obseruabis, quo intellectu paulò ante dixerit; phantasiam esse vnam ex illis facultatibus, quibus verum aut falsum percipimus. Siue inquam affirmando aut negando; vt in compositione quæ fit ab intellectu: siue comprehensione simplici rebus ipsis congruente aut non congruente. Atque hoc posteriori modo sensus semper verus dicitur, phantasia interdum vera, interdũ falsa. Sic enim ens fictum falsum esse dicimus.

Cur autem sensus semper sit verus, phantasia persæpè falsa; paucis verbis Simplicius docuit, eam esse illius angustiam, huiusque indeterminatam incitationem. Res erit apertior, si sensum ideò verùm dixeris, quòd ea solùm, quæ sunt, & præsentia atque propinqua sunt cognoscat: phãtasiam falsam persæpè, quòd remota quoque absentia, & ea, quæ non sunt, percipiat. Dũ enim ea, quæ aliquando præsentia percepit, remota & absentia comprehendit; propter rerum mutabilitatem & inconstantiam falsò persæpè comprehendit; quòd res alio, quàm antea, modo se habeant. Deinde ex nimia fingendi licentia, vel etiam ea, quæ non sunt, plurimus error obuenit. Postremò ex circonstantiis multis & conditionibus rerum singularum propriis: quas omnes referre simul difficilè, aliquam prætermittere aut mutare, facillimum est.

Cur phantasia sæpè falsa.

A actionibus duci, tertium est. Cùm sensus accuratè & exactè operatur, propositumque apprehendit obiectum, ac certus est illud esse tale; nequaquam id dicimus nobis apparere, nósue illud imaginari. Nam si præsentem habeam Socratem, atque illum oculis optimè cernam; Socratemque esse cognoscam: non dicam, Videor mihi aut imaginor Socratem me videre. Sed affirmabo constanter, Socratem esse. Contrà verò ita prorsus loquar, si procul aspexero, nec satis clarè ac distinctè Socratem esse diuidicauero. Tuncque aut verum dicam aut falsum; & erit interdum verum, Socratem esse, B interdum falsum. Qualis sanè operatio est phantasiæ. Cùm enim quidpiam imaginamur: non dicimus, vere, certò, ac re ipsa hominem esse, sed apparere nobis & videri hominem. Quòd si idem essent phantasia & sensus: vbi maximè certus haberetur sensus, ibi potissimùm phantasia esse diceretur; sensusque exquisitior, exquisitior item phantasia esset. At contra res habet. Non igitur idem sunt phantasia & sensus.

Itaque hoc argumentum duobus modis explicari potest. Aut ita, vt ex diuerso de sensu & phantasia loquendi modo desumptum sit. Aut ex alio potius atque alio operandi modo: C quoniam sensus exactior est, & certiorem, quàm phantasia, sensilium notitiam habet. Non enim quemcumque sensum, sed obscurum & incertum, phantasiam seu apparentiam nominamus. Non quòd phantasia sit: sed quòd dum minùs est certus, phantasiæ operandi modo similis sit. Et ideò verus quoque interdum, interdum falsus; quemadmodum phantasia est: cùm alioqui exactus & exquisitus sensus semper habeat veritatem.

At enim dubitandi de his occasionem Simplicius præbet: cùm imaginabilia inquit entia, videlicet mathematica, sensilibus certiora D esse. Verùm duobus modis respondendum est. Primùm, entia mathematica non tàm imaginabilia, quàm intellectilia esse. Ita passim ab Aristotele vocitantur. Quoniam dum à sensilibus abstrahuntur ac per se considerantur, ea sanè intellectus operatio est. Atque à sensili quidem materia abstrahere dicitur mathematicus: at intellectilem considerare, dum quantitatem per se solam contemplatur. Deinde si mathematica entia propterea velis imaginabilia dicere, quòd in illis plurimum imaginatio valeat; dicas sanè. Modò intelligas duo. Alterum phantasiæ obiectum quod ens imaginabile dicimus, ens sensile esse: & ideò inconstans ac mutabile. Hæc eam circa entia mathematica versari, vt mathematica sunt & abstracta: sed vt sensilia sunt: hoc est circa quantitatem figuramúe, vt in corpore quopiã existentes. Abstracta concipit mens, phantasia hæc non imaginatur, sed ea sola, quæ ingrediuntur per sensus. Alterum, non eandem esse rationem obiecti & facultatis, posseque horum alterum esse certum & exquisitum, alterum incertum & obscurum. Operatio sensus certissima est, exquisitissima est, semper vera est: sensilia entia incerta prorsus sunt, inconstantia sunt, horisque omnibus mutantur; vt modò sint, modò non sint; hoc est modò veræ sint, modò falsæ. Neque enim certitudo sensus ex obiecti natura & certitudine petitur,

E

TEXTVS.

Ἐπὶτὶ ἐδὲ λέγομεν ὅταν ὀιεργῶμεθα ἀκριβῶς περὶ τὸ αἰσθητὸν, ὅτι φαίνεται ἡμῖν τόδε ἄνθρωπος. ἀλλὰ μᾶλλον, ὅταν μὴ ἐναργῶς αἰσθανώμεθα, τότε ἢ ἀληθὴς, ἢ ψευδὴς.

Neque verò cùm exactè circa sensile operamur, dicimus apparere nobis hoc esse hominem. Sed potiùs cùm non manifestè sentimus, tunc aut verus, aut falsus.

COMMENTARIVS LIV.

Phantasiam

HÆc verba quintum cõtinent argumentum. Quod ex illis, quæ cum Simplicio dixi ex

titur : sed ex operandi modo, quo circa præsentia solũ ac palàm posita agit. Contrà mathematica entia certiora quidem sunt : quòd à materia, quæ mutationem & inconstantiam sensilibus adferebat, abstracta sint. Phantasiæ verò circa sensilia eadem, quæ subministrantur sensu, obscurior est actio, quòd circa absentia non circa præsentia operetur. Et quidem circa præterita, sensuque ante percepta : quæ fortasse mutata sunt alioque se habent modo, cùm eorum imaginem phantasia format; quàm haberent antea, cùm primùm fuerunt sensibus hausta.

Porrò totum hoc argumenti genus velut dubitationi oppositum fuisse ait Philoponus: qua fortasse quispiam obiecisset, phantasiam & sensum esse idem : quoniam exilem & obscurum sensum phantasiam appellamus. Contráque potiùs argumentari Aristotelem : si ita esset non exilis modò, sed & exactus sensus phantasia diceretur : at non dicitur: non ergò idem sunt phantasia & sensus. Sanè quid Philopono contradicam non habeo : cùm idem constet argumẽtum : perindeque conficiatur id quod quæritur. Nullam tamen dubitationis significationẽm video : quin potiùs hoc ipsum argumentum non minùs quàm cætera, absolutè proponi. Neque rationi consentaneum videtur plurium argumentorum seriem optimeque instructam aciem importuna dubitatione interturbare.

TEXTVS.

Καὶ ὅπερ δὴ ἐλέχθημεν πρότερον φάναι, καὶ κατὰ μύησιν ὀφθήσεται.

Et (quod quidem priùs dicebamus) clausis quoque oculis apparent visa.

COMMENTARIVS LV.

SExto & vltimo iam argumento phantasiam à sensu distinguit. Quod cùm Simplicius, Albertus, & S. Thomas de dormientibus exposuerunt ; animaduertere poterant, ita diuersum à primo argumentum non fore. Quæ enim alia dormientibus appareant visa, quàm quæ sese per somnium offerunt ? opinor eos ad eam interpretationem vocibus illis (quod priùs dicebamus) adductos fuisse. At quid opus erat tàm paucis interpositis verbis eandem argumentationem repetere ? Deinde intelligere illos oportebat, hoc inter ὕπνιον & ὄραμα interesse; quòd illud in somniis & inter dormiendum apparet, hoc autem vigilantium est visum. Sic enim cùm antea ὕπνους, nunquam ὁράματα dixerit Philosophus, nimirum intellexissent priùs ex dormientibus, nunc ex vigilantibus argumentatum eum fuisse. Et verbum μύειν, quo hic vtitur, non dormire, sed claudere est.

Phantasia à sensu diuersam esse.

Sic igitur ratiocinatur. Clausis oculis non operatur sensus, neque nos quidquam sentimus : at operatur phantasia ; immò tunc vel efficacissima est : & visum quodpiam, imago, & simulachrum, aut coloris, aut cuiusuis rei, nobis apparet & versatur in anima : phantasia igitur sensus non est. Sed quoniam persimile hoc argumentum est alteri illi, quod petebatur ex somniis, & eadem vtriusque vis est : propterea etsi secus Philoponus, adiuncta fuerunt illa verba (quòd priùs dicebamus) siquidem ex eo vtrumque petitur, quòd impedito sensu nec quidquam operante operatur phantasia. Quare argumentatio hæc quoque ex actione ducitur, non minùs, quàm antecedentes tres. Quod enim dixerunt aliqui, phantasiam à sensu, qui est potestate, distingui, quòd clausis oculis sensus potestate est, actúque operatur phantasia : minùs accommodatè pronunciarunt. Verius dicetur, ex eo, quòd cessante sensu adest phãtasiæ operatio, aliaque est phãtasiæ, alia sensus actio ; facultatis vtriusque diuersitatem colligi.

Cæterùm cur eum potiùs, qui oculos claudat, quàm cœcum, accepit philosophus ? Quoniam cœcum à natiuitate fortasse intellexisses: qui cùm nunquam colores viderit, ne imaginari quidem eos potest. Denique etsi Aristoteles non dicat (clausis oculis) sed solùm (μύουσιν, hoc est claudentibus) oculis tamen addidit : tum Themistiũ ac Philoponum sequutus: tum vt apertior oratio fieret, cùm de oculis potissimùm videatur esse sermo. Fortasse etiam (claudentibus) solùm dixit de sensibus omnibus loquens : quorum sensoria etsi claudantur, non minùs tamen sensilia obiecta imaginatur phantasia, sonos, odores, &c.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τὸ ἀεὶ ἀληθεύοντων ἐστὶν ἡμῖν, οἷον ἐπιστήμη, ἢ νοῦς. ἔστι γὰρ φαντασία καὶ ψευδής.

Tex. 157.

At verò neque eorum, qui semper veri, vllus fuerit; vt scientia, vel intellectus : Est enim & falsa phantasia.

COMMENTARIVS LVI.

PHantasiam facultatem aut habitum esse, quo verum vel falsum cognoscimus; ex ipsius notatione seu definitione principiò accepit. Deinde partitione in sensum, opinionẽ, scientiam, & intellectum facta ; eam demonstrauit sensum non esse. Iam non esse vllum ex habitibus reliquis, qui ad intellectum rationalemue animam pertinent, probare aggreditur. Ii bipartiti sunt. Quidam sunt semper veri, nunquam falsi; scientia & intellectus : Alij tum veri tum falsi esse possunt; opinio videlicet.

Phantasiam nec scientiã esse nec intellectum.

Ex hac igitur cognitionũ harum & habituum natura sumpto argumento phantasiam primùm ostendit nec scientiam esse nec intellectum. Simulque vtrumque probat ; quoniam hac ex parte communem habent & persimilem naturam, idemque argumentũ. Vtrumque enim habitus & cognitionis genus verum semper est, nunquam falsum. Phantasia, hoc est phantasiæ cognitio reique imago, quam phantasma dicimus, phantasia comprehensa, potest & vera esse & falsa ; immò (vt dictum est, dum de sensu argumentaremur) plerùmque falsa. Nam & ea, quæ non sunt, apprehendit, & cùm circa res præteritas & antea sensu perceptas versetur ; eæ mutatæ sæpè

sunt & habent secus, quàm haberent antea. A

Verùm cùm intellectum Philosophus νοῦν appellet, nescio cur Philoponus intelligi dianœam velit. Etenim dum ita loquitur, & secum ipse pugnat, & Aristoteli aduersatur. Ipse namque in superioribus dianœam interpretatus est eam animi partem, quæ ratiocinatur, quæque ideo errare potest & decipi, particeps veri & falsi. Et Aristoteles quoque apertè dixit, (διανοοῦνται δ' ἐνδέχεται καὶ ψευδῆ, hoc est dianœam item falsam esse. Et nonne opinio, quæ sæpè falsa deprehenditur, dianœæ operatio est, & tamen hoc loco tum Philosophus, tum Philoponus ipse, intellectum semper verum esse dicunt, hocque nomine ab eo separatur phantasia. B

Cur scientia & intellectus semper vera.

Dum autem Simplicius, cur scientia & intellectus, adde etiam prudentia, verum semper dicant, phantasia non semper; eam adfert causam: quoniam illi habitus cum causis coniunguntur; omnisque causa substantia est; & si propriè causa sit, prima substantia est: quare substantiam cognoscunt: phantasia verò ab omni causa & substantia procul abest. Academicè magis, quàm peripateticè loquitur: veras rerum causas ideas solas proponens, ex earúq; cognitione veritatem asserens habitum intellectus pendere. Verùm de prudentia, quæ circa humana, particularia, contingentia, mutabilia, & agenda versatur; illud C dici non potest. Neque de ea, sed de scientia sola & intellectu Aristoteles loquitur. Tum verò de sensilibus quoque & interitui obnoxijs rebus naturalis scientia est, vt à rebus singulis separamus vniuersas ac per se consideramus naturas. Quas etsi ideas esse dicent fortasse Platonici; peripatetici tamen non dicent, neque dicere Aristotelis interpres debet. Propterea igitur vera semper scientia est, nunquam falsa; quòd cognitionē habet perneccssariā & ex ipsa rei natura sumptam causam; neque aliter esse potest, vt in tex 5. Prioris libri de Posterioris Analysi, & cap. 3. libri 6. de moribus ad Nicomachum pluribus explicatur. Intellectus autem, quòd primorum sit principiorum: quæ non solùm verissima semper sunt & certissima, sed veriora & certiora scientiarum conclusionibus, quæ ex illis ipsis veritatem & certitudinem omnem accipiunt. Vel si intellectus nomine simplicem quamcumque apprehēsionem intelligas; sanè illa ipsa (si modò eam assequaris) semper est vera. Quia cùm rei simplicis sit, hæc aut apprehenditur tota, vt est, aut tota prorsus ignoratur, vt in tex. 22. lib. 9. Metap. traditur. Opinio tum vera esse potest, tum falsa. Quoniam vt probabili solùm, non necessario nititur argumento; sic probabilem, non necessariam cognitionem adfert. Quæ si vera sit, oppositi tamen formidinem; & modò veritatem habet, modò falsitatem.

TEXTVS.

Λείπεται δὴ ἰδεῖν, εἰ δόξα γίγνεται ἡ δόξα ἐν ἑκάστῳ γένει ὧν ἡ ἀλήθεια καὶ ψεῦδος, ἀλλ' ἡ δόξη μὲν ἔστιν πίστις· καὶ ἐν ἅπασι τοῖς ἀληθέσιν ὑπάρχουσι καὶ δοκεῖ μὴ πιστεύειν. Τῶν δὲ θηρίων οὐδὲν ἔστιν πίστις, φαντασία δ' ἐνίοις.

Reliquum est igitur videre, tum opinio. sit enim opinio & vera & falsa. At opinionem quidem sequuntur fides: quippè fieri non potest, vt is, qui opinatur, fidem non habeat. Bestiarum autem nulli fides inest: phantasia verò compluribus.

COMMENTARIVS LVII.

EX antea commemoratis omnibus rationalis animæ partis habitibus opinioni potius, quàm cæteris, phantasia similis videbatur. Quòd vt opinio, sic phantasia interdum vera sit, interdum falsa. Propterea à scientia & intellectu paucis se expediens circa opinionem pluribus immoratur. Cumque neutrum esse illorum habituum, qui veri semper sunt, argumento illo demonstrasset, quòd phantasia non rarò falsa sit: hoc solum examinadum superesse concludit, num ea sit opinio. Concludit inquam tum ex superioris argumentationis conclusione; quia si non est scientia, nec intellectus, sola ex superiùs positis habitibus opinio relinquitur. Tum verò et argumento ipso: quoniam cùm opinio quoque interdum falsa sit vt phantasia: opinionem fortasse eam esse quispiam existimauerit. Atque Plato posteriorem hanc potissimùm causam philoso- ratio phus indicat, vbi quæstione proposita, Num D phantasia opinio sit: rationem eam, qua esse persuaderi videtur, statim subiungit: quoniam vt phantasia, sic opinio quādoque vera est, quandoque falsa. Deinde accedit, quòd vt phantasia non intimam rei naturam penetrat; sed ex externis accidentibus imaginem illius efformat & superficie tenus apprehendit: sic opinio, inquit Simplicius, superficiaria tantùm cognitio est; persimilis illi sensioni, qua procul aliquid dissitum cernimus, nec distinctè satis percipimus. Sic enim opinio rem altè non penetrat, primarum & propriarum causarum ignara: sed quasi à longè spectat. Scientia, quæ exacta est, E sensui propè cernenti similis est.

Aliam causam, cur accuratiùs hanc partem tractet, habet Philoponus. Quòd cùm orationis infimum sit opinio, & irrationalis supremum phantasia; affines ipsæ inter se videntur ac propemodum eædem. Sed quod idem interpres & Simplicius aiunt, Aristotelem idem quod antea probauit, rursum probare; verum esse non arbitror. Non enim opinionem antea, sed existimationem nominauit, speciemque pro genere posuit: nunc autem opinionem seorsim non esse confirmat. Prior demonstratio de vniuerso genere fuit, eam non esse intellectum

tellectum intellectuſſe operationem. Poſterior de ſingulis ſpeciebus ac partibus generis; nec ſcientiam eſſe, nec intellectum, nec opinionem. A

Phantaſiam opinionē non eſſe.

Nunc porrò opinionem non eſſe, ita demonſtrat. Opinioni ſemper adiuncta eſt fides eamque vbique comitatur; & quæ habent opinionem, habent & fidem & aſſenſum. Beſtiis nuſpiam ineſt fides: neque igitur opinio inerit. At in permultis eſt phantaſia: phantaſia igitur opinio non eſt. Vel aliter, vt Auerroës deducit: etſi non opinionem, ſed exiſtimationem; non δόξαν, ſed ὑπόληψιν, is legat. Opinionem ſequitur fides; ſi phantaſia igitur eſt opinio, quidquid imaginatur quidpiam, fidem habet; beſtiæ permultæ imaginantur, nec tamen habent fidem: phantaſia igitur opinio non eſt. Poterat ſanè nō in multis modò, ſed & in omnibus dici phantaſiam aliquam imperfectam & indeterminatam eſſe, vt antea definitum eſt. Sed maluit philoſophus (permultis) dicere. Quòd nec in omnibus manifeſta ſit & ex operatione conſpicua; neque nunc de quauis, ſed de ſola perfecta ſermo eſſet; quam formicis, apibus, ac vermibus ineſſe negauerat. B

Sanè hoc argumenti genere vſus quoque eſt, vbi phantaſiam ſenſum non eſſe oſtendit. Quippe tertium hoc erat demonſtrationis argumentum. Senſus animalibus omnibus ineſt; phantaſia non omnibus; phantaſia igitur & ſenſus idem non ſunt. Eodem nunc modo argumentatur. Phantaſia aut omnibus, aut certè perfecta illa, de qua nunc agimus, compluribus ineſt animalibus; opinio prorſus nulli: phantaſia igitur opinio non eſt. C

Opinionem verò beſtiis non ineſſe, altera hac ratiocinatione colligit. Opinionem fides comitatur ſemper; cùm fieri nequeat, vt quis non aſſentiatur iis, quæ opinatur creditque ita eſſe: immò nil aliud dixeris eſſe opinari, quàm credere ita eſſe cognitoque aſſentiri tanquā vero. Quam ob cauſam hæc non tam probatio, quàm explicatio exiſtimari poteſt. Aut ſi probatio ſit, ea ex genere ſumpta eſt. Nam fides ſeu aſſenſus, quo credimus ita eſſe, aut neceſſaria ratione, aut probabili vel apparenti argumento, aut demum dicentis auctoritate, quæ fide digna ſit, comparatur. Quare comparatione ſcientiæ, opinionis, & erroris, veluti genus eſt. Et vt hominem dicimus ſequi animal, Quoniam ab homine ad animal argumentari licet; ſi homo eſt, ergò animal eſt: ſic opinionē dicitur ſequi ſemper fides; Quia ſi opinio eſt, colligi poteſt & fidem eſſe. Iam in irrationalibus beſtiis fides non ineſt; quia hæc ratione, qua illæ carent, comparatur. Neque igitur ineſſe opinio poteſt. Quòd ſi eas quoque dixeris habere fidem, quia perſuadentur; vt cùm mā- D ſueſcunt & domantur, & equus domitoris flagellū timet eique paret; & ſerpens adiuratus ſeſe in ignē conijcit. Reſpondet Philoponus perſuaſionem ratione conſtare, & ideò in irrationalibus beſtiis nequaquam eam ineſſe. Sed ſerpentem quidem inuitum à dæmonibus adiurationis vim pertimeſcentibus in ignem conijci: reliqua verò aſſuetudine quadam, non perſuaſione mānſueſcere ac domari. Sic equus flagellum ſæpè expertus timet eique parere aſſueuit. Verùm hoc ſine phantaſia, memoria, & experientia multa conſtare nequit. Et in proœmio Metaph. Ariſtoteles ipſe animalia quædam tradidit, quòd phantaſiis & memoriis viuant, diſciplinæ capaciora eſſe, quàm cætera. E

Digreſſio XIII. De fide & aſſenſu quædam.

Duæ argumentationis partes.

SIc igitur habeto. Opinio duabus omnino quaſi partibus conſtat; antecedenti ſuperficiaria ſolùm & probabili cognitione, atque aſſenſu ex illa genito, quem vocamus fidem. Sed quod eſt in opinione cognitio probabilis, hoc in ſcientia eſt argumentum neceſſarium, in errore apparens & ſpecioſa ratio; ac demum in ea, quam ſpeciali voce vocamus fidem, ſiue humanam, ſiue diuinam, dicentis auctoritas. Quibus omnibus, dum accedit aſſenſus qui generaliori vocis vſu fides nunc ab Ariſtotele appellatur; hæ ipſæ cognitiones non minùs, quàm opinio, duplici item parte conſtant: altera veluti generali & cum cæteris communi: altera vt ſpeciali & ſibi propria. Antecedens cognitio, quæ vim habet cauſæ & argumenti, propria & ſpecialis ſingularum eſt; conſequens autem communis omnibus & veluti effectus: tametſi vt ex tali antecedente cauſa deducitur, certæ ſpeciei ſit, cauſæ ſuæ perſimilis: aſſenſus inquam probabilis, certus, aut alterius modi.

Fidei duplex acceptio.

Ex quo quatuor planè intelligentur. Primùm, fidem duplici acceptione nominari. Generali vna, qua aſſenſum omnem ſignificat. Altera ſpeciali, qua aſſenſus ille intelligitur, qui dicentis auctoritate nititur. Vt enim rationi neceſſariæ aut probabili apparentiſue aſſentimur; Quòd verum aut concludant aut concludere videantur: ita dicenti quoque, qui fide dignus ſit aut habeatur, planè acquieſcimus; Quòd non niſi verum ab eo proponi nobis credamus: ſiue Deus ille ſit, ſiue homo. Hinc duplex exiſtit fides, diuina & humana. Hæc inferior ſcientia, quòd faciliùs homo mentiri & errare, quàm neceſſaria ratio, poſſit. Illa omni ſcientia melior ac certior: quòd prima veritas Deus omni ratione creata, quantumuis neceſſaria, veraciorſit ac certior.

Fides duplex.

Aſſenſus intellectus actus.

Alterum, aſſenſum, quem συγκατάθεσιν Græci dicunt, non voluntatis, vt quibuſdam viſum eſt, ſed intellectus actum eſſe. Tum quòd vt aſſenſus & approbatio effectus ratiocinationis eſt & quaſi partus, atque ad concluſionem pertinet: ſic eius facultatis ſit oportet, quæ ratiocinatur, quæque eum ratiocinando producit: Tum quòd aſſentiri & approbare cognitione conſtat & iudicio, velut adhæſio vero cognito, cognitio autem intellectus eſt, non voluntatis. Aſſenſus item certus eſt aut probabilis. Et aut propter rationem, aut propter auctoritatem aſſentimur. Aſſentimur autem non bono, ſed vero. Bonum .n. amamus & deſideramus, verum aſſenſu approbamus, quem Simplicius veritatis ſedem appellat.

Opinio vt fidē ſequatur.

Tertium duas ob cauſas verè fuiſſe dictum ab Ariſtotele, opinionem ſequi fidem. Tum natura, quia effectus eſt antecedentem conſequens cognitionem & ex illa productus. Tum deductione: quia veluti genus eſt cum ſcientia, errore, & fide ſpecialiter dicta commune, & ſi opinio eſt, verè ſequitur aſſenſum & fidem eſſe.

Opinionem in beſtiis non eſſe.

Quartum & vltimum, efficaci prorſus argumento demonſtratum hoc loco fuiſſe, opinionem in beſtiis non eſſe. Quippe nec opinio eſt ſine fide, nec in beſtiis fides eſſe poteſt, in quibus non eſt ratio, qua fides tota nititur.

Immò verò ratiocinatur Simplicius ne in intellectu quidem eam esse, nisi qua parte ratiocinatur. Nam vt sensum mittam, qui verè quidem cognoscit, dum obiectum vt est apprehendit: at vere cognoscere se non percipit; quòd non in seipsum redeat, neque sensionem suam cõprehendat; sed circa exteriora solùm occupatus foras totus se porrigat. Neq; ea cognoscit, quia vera sunt, sed quia sensilia. Nec appetitus, qui eum sequitur, appetit illa vt bona, sed vt suauia & iucunda. Intellectus, dum in seipsum redit, vt intellectionem suam veram esse agnoscat illique vt veræ assensum præbeat; ratiocinatione sanè vtitur suæque intellectionis cũ re intellecta comparatione, qua consentaneam illi eam esse cognoscat. Alioqui vnaquæque simplex intellectio per se considerata veritatem quidem habet veritatisque iudicium simplex & indiuiduum, quale in sensu quoque reperitur. At non fidem eam & assensum, de quo nunc est sermo: qui non simul sit cum cognitione, sed eam consequatur. Vt intellectus cognitionem suam intelligens, aut rebus conformem, aut idoneo argumento, siue rationis, siue auctoritatis eius, qui loquitur, subnixam: adhæreat illi planè & assentiatur. Vel certè si ex habitu operetur, vno quidem & indiuiduo actu & verè intelligit, & verè intelligere se affirmat. Sed is ex antecedente pendet ratiocinatione; qua intellectus, qui potestate erat, actu factus est & habitu. Quinetiã nõ vna, sed duplici omnino ratiocinatione opus esse videtur. Altera, qua necessarium aut probabile argumentum diiudicetur (quod analysi ferè assequimur) aut etiam dicentis auctoritas statuatur: quam aut ex ipsius natura, aut ex vitæ integritate, aut ex aliorum hominum testimonio, aut demũ ex aliorũ ab eo dictorum inductione & experientia statuimus. Altera, qua nos verũ tenere, siue necessarium, siue probabile, intelligimus: quatenus necessaria ratione vel probabili, aut dicentis auctoritate nitimur. Idque quod intellectui proponitur, ex antecedenti illa cognitione deducitur.

Opinionem ratiocinatione constare

Sanè si rem ipsam consideres, probatio hæc tribus ratiocinationibus quasi vnius & eiusdem argumenti partibus optimè ac sapientissimè instructa tibi fuisse videbitur. Nam cùm fides opinione sit prior, velut illius genus: & rursum persuasio fide, tanquam ad illam inducendam via & causa: ac demum ratio persuasione, vt illius ac cæterarum omnium principium primum & fons. Non solùm triplici hac ratiocinatione ordinem rerum seruauit philosophus: verùm analysi quoque vtens sque ad primum & immediatum principium & causam demonstrationem optimam parauit. Quæ paucis ita colligitur. Quod opinatur, fidem habet: quod fidem habet, persuasum est: quod persuasum est, ratione vtitur: ergò à primo ad vltimũ, quod opinatur, ratione vtitur. Bestiæ omni ratione carent; opinionẽ igitur non habent. At eædem phantasia valent, immò & viuunt: phantasia igitur & opinio idem non sunt. Quod si præclaram hanc demonstrationem in duas argumentationes diuiseris; præterquàm quòd non minùs posses, immò deberes in tres potiùs partiri, cùm triplex omnino ratiocinatio sit; vtraque fuerit imperfecta: præsertim illa prior, quæ ad primam & immediatam causam, quæ ratio est, non resoluit. Et ideò assũptio illa (bestiis fides nõ ineſt) negari potuisset. Quod cùm intelligeret philosophus, integram & absolutam facturus demonstrationem, tum eandem prioris ratiocinationis propositionem primùm repetiit; tum eam, quæ indefinitè accepta fuerat, (opinionem sequitur fides,) generalem & vniuersam fecit (omnem opinionem comitatur fides.) Deinde ad primam vsque causam resoluens probationẽ totam absoluit.

Hoc nimirum particula illa (præterea) sibi vult. Non enim argumentationẽ nouam significat, sed prioris repetitionem cum ratiocinationibus reliquis, quæ ad illius confirmationem atque absolutionem subiunguntur. Quemadmodum & in aliis locis factum obseruabis. Quæ cùm nõ satis obseruasset Simplicius, neque priorem ratiocinationem imperfectam esse animaduerteret; prima illa duntaxat, ni fallor, particula superatus, nouum hocatque à priori diuersum argumentum esse pronũtauit: eúmque post S. Thomas sequutus est. Quæduõ argumenta ita distinxit Simplicius, vt primum ex fine; alterum ex medio, seu gradu, qui est ad finem, ductum sit. Illud ex fide, quæ finis persuasionis est: hoc ex persuasione ipsa, quæ ad gignendam fidem medium est & via. Illud phantasiã probauerit opinionem non esse, quòd opinionem sequitur fides: hoc autẽ, quòd opinio cum persuasione sit. Quod ipsum mihi quidem certè vnicum esse argumentũ hánc que posteriorem prioris esse absolutionem ostendit. Quoniam vt via & medium ad terminum & finem per se referũtur; sic persuasio ad fidem: atque argumentum, quod ex persuasione petitur, ad ostendendum id, quod de fide dictum est; eam bestiis non inesse.

TEXTVS.

Ἐπ πάσῃ μὲ δόξῃ ἀκολουθεῖ πίστις, πίστει δ τὸ πιπίθδυ, πιθδυ δ λόγος· τ δ θηρίων ἐνίοις φαντασία μὲ ὑπάρχει, λόγος δ ὄ.

Præterea omnem quidem opinionem comitatur fides; fidem autem persuasum esse; persuasionem verò ratio. Bestiarum autem quibusdam phantasia quidem ineſt, ratio autem nequaquam.

COMMENTARIVS LVIII.

ILlud (præterea) scitè inquit Philoponus, nouum quidem videtur inducere argumentum, quòd ab opinione differat phãtasia. Non est tamẽ nisi prioris argumenti confirmatio: qua id, quod acceptum fuerat, bestiis fidem non ineſſe, ita ostendatur. Bestiæ non persuadentur: quæ non persuadentur, fidẽ non habent: bestiæ igitur fidem non habẽt. Vt autem bestias non persuaderi tandem probetur, tertia addenda est ratiocinatio. Omnis persuasio ratione constat, eáque sola persuasionem admittunt, quæ ratione vtuntur; bestiæ nullam habent rationis partem; non igitur persuadentur.

Bestiis fidem non ineſſe.

TEXTVS.

Φανερὸν πάλιν, ὅτι οὐδὲ δόξα μέν ἐστιν ἄνευ αἰσθήσεως, ἐν δὲ αἰσθήσεσιν, οὐδὲ συμπλοκὴ δόξης ἢ αἰσθήσεως, φαντασία αἰσθητική· ἀλλὰ τούτων μὲν δῆλον ὅτι ἐν ἄλλῳ τίθεται ὁ δόξα, ἀλλ' ἐνούσῃ δ ἢ αἰσθήσει· λέγω δ', οἷ ἐν τ λευκοῦ δόξης ἢ αἰσθήσεως ἡ συμπλοκὴ φαντασία ἐστίν· ἐγὼ δ' ἐν οἷ ἐν τ δόξης μὲ τ ἀγαθοῦ, αἰσθήσει δ τ λευκοῦ· τὸ αὐτὸ φαίνεται, ὅτι τὸ δόξαζειν ἔσῃ αἰσθητικῷ κ συμπλοκικόν.

Confirmat

Tex. 138. *Constat ergò, neque opinionem cum sensu, neque per sensum, neque opinionis & sensus complexionem phantasiam esse. Tum propter hæc. Tum quia manifestum est, non aliam aliquam esse opinionem; sed illius est, cuius & sensus. Ex alia inquam opinione & sensu complexionẽ phantasiam non esse. Non enim ex opinione quidem boni, sensu autem albi. Apparere igitur est opinari quòd sentit, non ex accidenti.*

COMMENTARIVS. LIX.

ARistoteli satis non fuit phantasiam probare nullum ex illis esse, quæ fuerant commemorata: nec sensum inquam, nec scientiam aut intellectum, nec opinionem. Sed vt omni ex parte absolutior esset probatio, magisque phantasiæ natura cognosceretur atque à cæteris distingueretur; voluit item ostendere plurium illorũ complexionem eam non esse. Scitẽ tamen omisit & intellectũ: quòd cùm cognitiones sint semper veræ, nullã videntur cum phantasia perſæpè falsa cognationem habere. Opinionẽ solùm & sensũ accepit: aut quòd Platonis ea esset sententia, vt Themistius, Philoponus, & Simplicius inquiunt: aut etiam opinionem, quòd hæc, cùm vera sit & falsa, phantasiæ persimilis est: sensum autem, tum quòd etsi semper verus sit, circa sensilia tamen phantasia quoque versetur; tum quòd is in illius definitione ponẽdus erat, vbi non multò post phantasia definietur esse motus factus à sensu actu.

Phantasiam opinionis & sensus complexionem non esse.

Cæterùm tribus modis cogitare possumus phãtasiam opinionis & sensus complexionem esse. Aut n. æquè vtrumque complectitur: aut opinionẽ potissimùm significat, cui sit adiunctus sensus: aut præcipuè sensus est, cui accedat opinio. Tertiũ hoc & postremum membrũ prætermissum fuit; propterea quòd tum quia sensus semper est verus, tũ propter alias rationes superius allatas, phantasiam manifestum est potissima sui parte atque adeò essentialiter sensum non esse: potiúsque ad opinionem, quæ falsa item est, accedere videbatur. Quamquam superiores demonstrationes, quibus ostensum est, nec opinionẽ nec sensum phantasiã esse, intelligens demonstrare quoque illorum complexum eam non esse: non accepit neque proposuit hoc demonstrãdum tanquã dubiũ; sed ex antecedenti potiùs probatione tanquam manifestũ deduxit; si non est sensus nec opinio, neque itẽ opinionẽ esse simul cum sensu. Siue opinionẽ esse cogites, quæ per sensum operetur (hoc n. primum membrum ponit, quoniã opinioni similior est phantasia) siue æquè opinionẽ & sensum velut vtriusque complexũ. Aut si tria libeat mẽbra facere; opinionem cum sensu, opinionem per sensum, ac demũ opinionis & sensus complexum: primum ait Philoponus esse, vt ex duobus efficiẽtibus, quemadmodum sanitas à duobus medicis procurata: alterum velut ex vno efficiente & altero instrumento: tertium tanquam ex materia, vt mulsum ex vino & melle. Ego opinionem cum sensu libenter interpretor opinionẽ præcipuè, quæ comitem habeat sensum: opinionem per sensum, opinionem operantem per sensum aut à sensu causatam: & tandẽ tertium membrum, æqualẽ vtriusque complexionem. Primo modo antecedit opinio, sequitur sensus: altero sensus est prior, opinio posterior: tertio ambo simul existunt.

A Nihil autem horum phantasiam esse, ex iis constat, quæ demõstrata sunt. siquidem illud (propter hæc) ad superiora refertur; nõ ad ea, quæ subsequũtur. Nam si sensu non operãte operatur phantasia; si sensus semper est verus, phantasia semper mẽdax; si opinio libera non est vt phantasia; vt ea etiã, quæ non sunt, fingere queat: si demum phantasia in illis inest, in quibus nulla esse opinio potest: perspicuũ sanè fuerit, non solùm phantasiam sensum aut opinionem non esse; sed ne horum quidem complexionem qualemcumque significare; sinéque sensu & opinione eam constare.

B Tum verò etiam hoc argumento manifestũ euadet. Etenim opinionem & sensum circa idem versari oporteret; eámque opinionem, quam phantasia simul cum sensu significaret, nõ cuiusuis rei esse, sed illius ipsius, cuius est sensus. Si. n. est opinio adiũcta sensui, nimirum eiusdem rei sit oportet; vt albi. Quare opinio simul & sensus albi phantasia esse dicetur. Nullus quippe affirmauerit, ex vnius rei sensu & alterius opinione; vt ex sensu, quòd Socrates sit albus; & opinione, quòd sit bonus, cõalescere phantasiam: quoniã de vno & eodem non esset. Quapropter apparere, hoc est imaginari & phantasia operari (hæc. n. est vis illius verbi, φαντάζεσθαι, quòd
C ideò pro φαντάζεσθαι positũ fuisse dicit Philoponus) nil aliud erit, quàm rem eandem opinari, quæ sensu per se, non ex accidenti, percepta est: vt albũ, quod per se aspectabile est. Quod aut ideò dixit, vt sensilia per se; non ea, quę ex accidenti sentiũtur, vt substantiam, Cleonis filium in tex. 134. commemoratum; & bonum seu iustũ, quod albo adiunctum est, significaret. Etenim phantasiam circa sensata versari, accidentiâque, non substantiam, comprehendere; experitur in seipso vnusquisque, dum rerum imagines & simulachra format, colores, quantitatem, figuram, & huiusmodi alia sibi effingendo; nõ
D item substantiam rerum intimam penetrãdo. Aut potiùs vt si illud sit phantasia, opinionem & sensũ colligeret circa idem versari oportere: non ex accidenti, quatenus albo iustum aut bonum adiũctum est: sed per se, quatenus album est. Ita vt phantasia aut opinio sit & sensus albi per se, aut boni per se; atque vtraque hæc operatio, tum opinionis, tum sensus, aut album aut bonum per se comprehendat.

Phãtasiam accidentiã esse.

Hoc autem tanquã planè falsum in sequenti oratione redargui, hactenus ferè existimatum est: ita vt
E vnica constet ratio, qua Platonis ea sententia confutetur. Ego tamen non sine causa philosophum arbitror addidisse (non ex accidenti) & particulam (igitur) qua in argumentationibus concludendis vti cõsueuimus, appositisse. Sed vt certissimo principio illo accepto, facultates obiectis cõstitui & distingui, ad absurdũ illud deduceret; ita fore, vt duę facultates diuersæ circa idem obiectum per se versarentur: intellectus inquã, cuius est opinari; & sensus circa album aut bonũ, quod imaginamur. Immò propterea etiam nominauit bonum, non intellectus, sed voluntatis obiectum proprium. Cùm tamẽ intellectus circa intellectile duntaxat & sensus circa sensile per se versentur; neque alter circa alterius obiectũ, nisi ex accidenti: sicut quando aspectu sentimus dulce, aut filium Cleonis cernimus. Quare vt in tex. 136. eodẽ illo principio vsus ad absurdũ illud deducebat; fore vt eiusdẽ obiecti plures essent sẽsus: ita nunc vniuersè magis deducit, plures futuras facultates. Pauciſq; ita colligitur argumẽtatio.

Aut vnius rei opinio est, alterius sensus; aut eiusdem per se tum opinio, tum sensus. Si diuersarum sint rerum; profectò ex illis phantasiam non constare manifestum est. Si eiusdem; duarum igitur facultatum vnum & idem per se obiectum fuerit. At facultates distinguuntur obiectis & proprium sibi habet vnaquæque obiectum: non est igitur phantasia opinionis & sensus complexio.

Digressio XIV. *Quorsum hæc philosophi disputatio pertineat, quidque Plato de Phantasia senserit.*

QVod hoc loco ab Aristotele quæritur, num phantasia opinionis & sensus complexio sit, propter Platonem disputari, cuius ea fuerit sententia; Græci omnes interpretes tradunt; & ipsiusmet Platonis verba confirmant, quæ totidem planè in Sophista leguntur. Sed Themistius verè Platonem sensisse phantasiam nil esse aliud, quàm cùm sentimus quidpiam & ita esse opinamur; eámque sententiam vt falsam iure optimo ab Aristotele confutatam fuisse docuit.

Philoponus autem eum quidem hæc dixit aduersus Platonem disputasse, quasi is ita de phantasia senserit: Platonis tamen patrocinium duobus modis suscepit. Primùm enim eum respondit reipsa non existimasse ex opinionis & sensus permistione phantasiam constare: verùm ita loquutum de illa fuisse, vt inter opinionem & sensum mediâ & quasi vtrique conterminam eam esse significaret. Solent n. media ex extremis composita dici, quòd similē & affinē ambobus naturam habeant. Sic in Timæo quoque ex indiuidua & diuidua substantia constare animam prodidit.

Altera Platonis defensio fuit. Cùm non propriè de phantasia, quæ à cæteris distincta facultas est, ita loquutum fuisse: sed phantasiam appellasse falsa & apparentia visa, quæ vera esse videntur. Nimirum vt Sophistæ, qui præstigiator fuerat appellatus, quòd circa non ens versetur; cauillum quendam dilueret; si circa non ens versor, non ens igitur est. Diluit autem plures non entis acceptiones distinguens, inter quas ens falsum continetur, cuius vna ipecies circa opinabilia est. Etsi enim opinio per se agens & sensus veri sint; cùm tamen opinio per sensum operatur, fallitur: vt cùm remum in aqua cernens fractum esse opinatur. Atque huiusmodi falsum phantasiam, hoc est apparentiam appellauit Plato ex opinione sensúque constantem. Hoc verò eo minùs reprehendere debet Aristoteles, quòd exilem ipsemet & obscurum sensum phantasiam non multò ante appellauit.

Denique Simplicius non solùm in Sophista, sed & in Philebo hanc ait à Platone expositam esse de phantasia sententiam. Quod an verum sit, iudicent alij. Nā ego de memoria, non de phantasia in Philebo sermonem esse reperio; quo ex sensu & memoria opinio in nobis dicitur nasci. Quod autem ad rem præsentem attinet, tantū abest, vt Aristoteles putet Simplicius Platonis illam de phantasia sententiam hoc loco reprehendisse; vt eum potiùs interpretatum illam fuisse scribat. Non inquā ita intelligendā esse, vt antecedat sensus, sequatur opinio; neq; vt simul operentur, operationes tamēn non permisceantur. Verum ita, vt simul concurrentes tam aptè cōplicentur, vt vna communis vtriusque actio confletur. Non vtriusque refractione & secūdam partem corruptione: quoniam hęc corporum mistio est. Neque vnius per aliam totam permeatione, integra manente vtraq; aut alio quouis modo. Sed naturę extremorum participatione, quæ in mediis vel simplicibus esse solet. Sic enim ipsemet Aristoteles in libro de sensu & sensili aliisq; in locis colores intermedios dixit ex extremis albo & nigro fieri. Qui tanta ex iisdem principiis, perspicuitate, opacitate, & lumine, existūt, ex quibus nascuntur extremi. Neque albedo & nigredo qualitates sunt ad vicissim agendum comparatæ; vt actione mutua & passione permisceri ac medios colores procreare possint.

Ego verò Platonem non dubito phantasiam intellexisse velut vnam & simplicem facultatē à sensu & opinione distinctam atque inter vtrāque mediam. Neque.n.is aut tam parum sapiens, aut animæ viribus & actionibus separandis tam parū oculatus fuisse credendus est, vt eā verè crederet sensus & opinionis, hoc est intellectus, duarū facultatū & operationum tantopere dissitarū permistionē esse; sanè is non minus, quàm Aristoteles, phantasiā appellauit simulachrorum magistram atque opificē; vim scilicet animæ illam, qua rei externæ simulachrū & phantasma interius in nobis gignitur. Sed eam duplicem esse voluit; non re, sed ratione; nec tam animæ facultate, quàm opere. Alterā phantasmatum, alterā similitudinū productricem. Quod ex lib. 7. De Rep. licet cognoscere. Placet, inquit, primam partem vocare sententiam, secundam cogitationē, tertiam fidē, postremam imaginationē vel assimilationem. At cur eam ex sensu & opinione constare prodidit? Non id profectò affirmauit, vt hanc illius naturam, essentiam ac definitionem poneret. Sed vt principia indicaret; ex quibus illa pendet, quibusque quasi alis sustentatur: modúmque doceret, quo in nobis ea operatur. Neque de phantasia vniuersè, sed ad hominē contractè in eo dialogo loquutus est. Immò ne in homine quidem absolutè: sed quatenus intellectui famulatur, aut ad cognoscendū, aut ad res cognitas oratione ac sermone promendas. Cū.n. cogitationē, opinionē, & phantasiā pronūtiasset, tū veras in animis nostris effici, tum falsas: vt id intelligeretur, quid vnaquæque sit & quomodo ab aliis differat, exposuit.

Ac primum cogitationem & orationem idē esse accepit. Sed cogitationē dici, qua sine strepitu vocis secū ipse interius colloquitur animus: orationē autem, quæ per os pronuntiatione effluit. Deinde quod in oratione sunt affirmatio & negatio, hoc in cogitatione opinionē esse: interiorē videlicet affirmationē animi aut negationem, qua ita rē esse aut non esse opinatur. Tum verò addidit; cum nō per ipsā, sed per sensum hæc passio accidat; hoc phantasiā esse. Quid inquā? Passionē in anima factā per sensum. At nónne hęc ipsa est phantasiæ definitio, quā mox adferet Aristoteles? Phātasia est motus factus à sensu actu. Vnde quiuis intelligat, eandem vtriusq; philosophi de phantasia fuisse sententiā; eam inter sensum & opinionē seu cogitationē esse mediā: dū obiecta externa sensibus primū susceptā transmittūtur ad phantasiam, atq; ab hac cogitationi & opinioni, quā cogitationis cōclusionē appellauit Plato, hoc est intellectui, proponūtur. Postremò exhis cōclusit: si oratio vera & falsa est, cogitationē quoque esse, quæ interior velut oratio animæ est. Atq; adeò opinionē, quę cogitationis cōclusio est; inqua opinionis & sensus commistio reperitur. Quæ verba si de ipsa cogitationis conclusione intelligantur quem-

quemadmodũ intelligẽdavidẽtur; mirari possum, quomodo Themistius, Philoponus, & Simplicius phantasiã à Platone commistionẽ appellatã fuisse dixerint: cùm non de phantasia, sed de cogitationis conclusione verba illa pronuntiauerit; quæ opinionis & sensus commistio est, quatenus opinio est à sensu causata; circáque sensilia versatur, tum opinio, tum sensus. Quòd si de phantasia prorsus accipiantur; hæc sensus & opinionis commistio dicta est; non quòd formaliter sit: verùm tum quia illorum entium est, quæ & sensilia sunt & opinabilia. Siquidem scientiam Plato circa intellectilia, opinionem circa sensilia posuit. Tum quia phantasma & per sensum fit in anima, & ipsum opinionis causa est vt obiectum. Quare velut vtriusque commistio videtur esse, quatenus circa illud tum sensus causando, tum opinio cognoscendo versatur.

Certè Plotinus eximius Platonicus in extremo libro, Quæ & vnde sint mala, φαντασίαν inquit πληξὶν ἀλόγου ὡς ἔοικεν; hoc est phantasia impulsio est irrationalis partis ab externis illata. Et Alcinous in libro, quem de doctrina Platònis scripsit, dum in cap. 4. de viribus animæ sententiam illius exponeret; non phantasiam, sed opinionem memoriæ & sensus complexionem esse prodidit. Memoria verò, tum Platoni, tum Aristoteli, idem re cum phantasia fuit. Phantasiámque velut picturam quandam esse definiuit Plato; quando anima opinione concepta cogitatione refringens ita in ea respicit, velut in illa, à quibus ista manarunt.

At enim quid hoc loco Aristoteles? Si grauissimis interpretibus liceat contradicere, non equidem affirmabo eum hæc aduersus Platonem disputasse. Quippe nulla illius mentio aut vel minima significatio, vt alibi non obscura esse solet. Sed absolutè quid Phantasia sit disputans, cùm nec sensum nec opinionem seorsim esse ostendisset; vt nullum disputationis caput prætermitteret, disputare quoque voluisse, num opinio sit & sensus simul. Et ideò diuersos illos modos commemorasse, quibus cogitare id quispiam potuisset. Quos apud Platonem ego non reperio: sed illam solam sensus & opinionis commistionem, quam de phantasia dixi fortasse non intelligi. Quod enim est in Timæo, sensata hæc entia, quæ ideæ in materię susceptione constant, opinione per sensus comprehendenda esse; minime est ad rem. Neque ibi de phantasia sermo. Sed ideas tradidit Plato ratione sola comprehendi, sensilia entia opinione, quæ à sensibus principium habet; dum hæc sensibus primùm percipiuntur, inde ad opinionem traducuntur.

Vt veteres philosophos Aristoteles reprehenderit.

Verùm si quis hanc disputationis partem omnino ad Platonem pertinere contendat; poterit respondere, non tam hominis sententiam, quàm verba & loquendi modum, qui eum ita sensisse præ se ferat, reprehendi. Neque tam propterea aduersus eum disputari, quòd id seuserit; quàm quòd ita loquutus sit, vt id sensisse credi à quopiam posset, qui hominis fortasse auctoritate in errorem adduceretur. Etenim hanc ob causam alibi quoque disputationem aduersus eum susceptam fuisse, etsi non in eadem causa, credendum est.

TEXTVS.

Φαίνεται δὲ καὶ ψευδῆ, περὶ ὧν ἅμα ὑπόληψιν ἀληθῆ ἔχει. οἷον φαίνεται μὲν ἥλιος ποδιαῖος, πέπεισται δ' εἶναι μείζων τῆς οἰκουμένης.

Apparent autem & falsa, de quibus simul existimationem veram habet. Quemadmodum apparet quidem Sol vnius pedis: persuasum vero est terra maiorem esse. Text. 152.

COMMENTARIVS LX.

QValis argumentatio superioribus verbis contineretur ad ostendendum phantasiam opinionem simul & sensum non esse; satis in eorum interpretatione significaui. Iam promitur altera; quæ vt aperta & plana oratione proponitur, sic explicatione longa non indiget. Sensus, inquit, & opinio pugnantes sæpè sunt ac sibi contradicunt: alter verus est, altera falsa: alter ita esse iudicat, altera non esse. Et quidem circa rem eandem cõsiderantur; quemadmodum dictum est considerandas esse, si ex illis phantasia constare dicatur. Hoc enim est, quod ait (apparent autem & falsa, de quibus, hoc est de iisdem déque illis ipsis, de quibus veram simul existimationem habet. Φαίνεται autem hîc non est positum vt paulò ante pro φαντάζεται. Neque apparere phantasiæ, vt Simplicius voluit, sed sensus actionem & iudicium significat. Sensus inquam de re quapiam iudicat falsa, de qua existimatio est vera. Vt cùm remum in aqua fractum dicit sensus, opinio integrum. Et dum fabulosarum ac monstruosarum rerum picturas spectamus: opinio sanè à sensu dissentit, neque vera esse credit, quæ aspicimus. Ac demum (quod philosophus hoc loco adfert) Solem aspicientes vnius pedis eum esse iudicamus, quem astronomorum demonstrationibus persuasi vniuersa terra multò maiorem esse existimamus, centiésque sexagies sexies totam illius magnitudinem superare cognoscimus. Quo loco Philoponi error corrigendus est; qui memoriæ fortasse fuit, cum centies septuagies maiorem fecit. Voluit autem Aristoteles sensum & opinionem tum circa idem versari, tum simul operari. Quoniam si non in sole, cuius exemplum adsert, in aliis certè plerisque aut res ipsa aut opinio mutari potest, si alio tempore accipiatur. Eam item adiunxit vocem, vt argumentationis vim, aut etiam assumptionem, vel absurdum, quod inde consequens erat, indicaret. Phantasia namque in eodem momento vera simul & falsa esse non potest; non est igitur sensus & opinionis complexio. Ita deduxit Simplicius. Secus Themistius, nec minus accommodatè. Qui vim in eo posuit argumenti, quòd duo illa tam contraria iudicia, sensus & opinionis, sociari simul & ad phantasiam constituendam conciliari nequeant. Vtroque modo Philoponus: altero in Theoria ad textum 158. altero in Praxi ad hæc ipsa verba.

Phantasiam sensus & opinionis complexionem non esse.

Solemma gnimuò

Duo porrò adnotabis hoc loco. Alterum, existimationem pro opinione fuisse positam, genus pro specie. Sicut in textu 153. & 154. opina-

ri contrà pro existimare, speciem pro genere acceperat. De opinione enim, non de existimatione, disputatio erat. Cur autem vocem mutauerit, causa fuit exemplum Solis, quod adferre parabat; quippe magnitudo Solis non probabilibus, sed necessariis argumentis certam ac necessariam cognitionem gignentibus demonstratur. Neque astronomia & mathematicæ cæteræ disciplinæ in opinione versantur, sed certissimæ sunt. Propterea, non opinionem, sed existimationem, quæ in textu 154. in scientiam, opinionem, & prudentiam tributa certam item & necessariam cognitionem comprehendit, nominare voluit.

Alterum autem; cùm alterum falsum, alterum verum esse dicturus esset; non temerè sensum falsum, opinionem veram, non autem sensum verum & opinionem falsam eum dixisse: cùm tamen sensum antea semper appellasset verum, opinionem interdum falsam. Duplex autem, ni fallor, fuit causa. Prima; quoniam si sensus verus sit, opinio, quæ sensum sequitur, nequit esse falsa: at si sensus fuerit falsus, corrigi opinio & emendari, secúsque persuaderi ratione potest. Altera; quoniam non opinionem, sed existimationem nominaturus erat: Solisque exemplum necessarium allaturus. In quo erret quidem propter nimiam distantiam sensus; at opinio seu potiùs existimatio vera sit & necessaria, nec falsa esse possit.

A

B

C

TEXTVS.

Συμβαίνει γοῦν, ἤτοι ἀποβεβληκέναι τὸν ἑαυτοῦ ἀληθῆ δόξαν, ὧν εἶχεν, σωζομένου τοῦ πράγματος μὴ ὑπολανθανόμενον, μηδὲ μεταπεπτωκέναι· ἢ εἰ ἔτι ἔχει, ἀνάγκη τὸν αὐτὸν ἀληθῆ εἶναι καὶ ψευδῆ. ἀλλὰ ψευδὴς ἐγένετο, ὅταν λάθοι μεταπεσὸν τὸ πρᾶγμα.

Fit itaque, vt vel is opinionem suam, quam habebat, veram abiiciat re seruata, non oblitus, nec dissuasus. Vel si adhuc habet, necesse est eandem veram esse & falsam. At falsa euaserit, cùm res permutata latuerit.

D

COMMENTARIVS LXI.

Opinionē quatuormodis mutari.

PRopositæ argumentationis vim atque absurditatem, ad quam ea deducit, vt apertè ostendat; tribus modis opinionem in nobis perire ac mutari accipit. Aut inquam reipsa, de qua est opinio, mutata: vt si sedente Socrate verè opineris eum sedere; eo mox surgente, si opinionem eandem retinueris, in falsam illa mutabitur. Aut obliuione subsequente, qua planè desinas id opinari, quod priùs opinabaris. Aut contraria demum ratione ac persuasione accedente opinionémque priorem pellente. Quartum modum addit Philoponus, quem habet quoque philosophus in tex. 17. prioris libri de Posteriori analysi, opinionis scilicet subiecto corrupto hominéque opinante mortuo. Corruptis enim nobis pereunt simul omnia, quæ sunt in nobis; cadentéque subiecto accidentia, quæ in eo sustentabantur, concidunt vniuersa. Sed hunc Aristoteles nunc prætermisit, quòd ad rem præsentem non pertineret: eósque solos recensuit, quibus viuente ac superstite homine opinionis mutatio efficitur.

E

Falsa.

Falsum.

Verum.

Falsum.

Cùm igitur sensus interdum sit falsus & opinio vera; si phantasia est sensus & opinio simul, alterum horum consequens erit: aut abiici opinionem veram & falsam accipi, vt sensui euadat similis: aut vnam & eandem phantasiam simul & eodem tempore déque eadem re veram & falsam esse; veram propter opinionem veram, falsam propter sensum falsum. Tertium membrum, quod cogitari potuisset, falsum sensum abiici & in verum mutari, vt cum opinione consentiat; propterea is non adiecit, quòd eum non mutari manifestum est: neque mutari posse, cùm simplici constet circa præsens obiectum intuitus actione. Opinio, quæ ratiocinatione comparatur, faciliùs mutari posset. Eam tamen non mutari ostendit. Quoniam nisi aut rei mutatione, aut obliuione, aut contraria persuasione, mutari non potest. Neque verò mutatur Sol, neque accedit obliuio, neque secus contraria suadet ratio. Alterum igitur superest, vt phantasia simul vera & falsa esse dicatur. Quod cum longè absurdissimum sit, neque fieri vllo modo nec cogitari queat; planè constituendum est, phantasiam sensum & opinionem simul non esse.

Obliuio triplex.

Postrema autem illa verba (at falsa euaserit, cum res permutata latuerit) nescio quorsum Philoponus vocem illam (latuerit) opinionem interpretatus, docere dixerit posse simul opinionem & sensum falli; si obliuio inciderit, réisque opinabilis mutata fuerit. Nam vt Platonem mittam verissimè in Philebo docentem aliud esse latere, aliud obliuisci: & obliuionem quidem exitum esse memoriæ, latere autem non innotuisse, & velut sensionis carentiam; ne id quidem ad rem pertinebat. Neque vt opinio fieret falsa, duas opus erat causas coniungere, obliuionem & mutationem rei. Sed altera satis erat; aut certè addenda fuit tertia, persuasio scilicet contraria. Præterquàm quòd rei opinabilis mutatio in Solem, de quo fuerat sermo, conuenire minimè potest. Ego verbum illud (latuerit) non obliuionem rei antea cognitæ; sed ignorationem rei, quæ facta sit, significare arbitror; mutationis videlicet opinabilis rei. Sensúmque esse; rem quidem fuisse mutatam, sed mutationem ab eo, qui opinionem habebat, obseruatam aut cognitam non fuisse. Hoc autem eò spectat, vt id exponat, quod dixerat, opinionem mutatione rei mutari atque ex vera fieri falsam. Illud enim inquit ita intelligendum esse, vt mutatione rei dicatur opinio mutari & falsa fieri, quando mutatio latet atque ab opinante ignoratur. Tunc namque rem existimans eodem modo se habere, eandem retinet opinionem: atque ita quæ erat vera, euadit falsa. Quòd si rem mutatam cognosceret, opinionem ipse quoque mutaret: & ideò non minus, quàm antea, veram haberet.

TEXTVS.

TEXTVS.

Οὐκ ἄρα ἓν τι τούτων ὄντων ἡ φαντασία· ἀλλ' ἐπειδὴ ὅτι κινηθέντος τουδὶ κινεῖσθαι ἕτερον ἀνάγκη τούτου. ἡ δὲ φαντασία, κίνησίς τις δοκεῖ εἶναι, καὶ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεως γίγνεσθαι, ἀλλ' αἰσθανομένοις, καὶ ὧν αἴσθησις ἐστὶν· ἔστι δὲ γίνεσθαι κίνησιν κατὰ τὴν ἐνέργειαν τὴν αἰσθητικοῦ. Καὶ ταὐτὸν ὁμοίαν ἀνάγκη εἶναι τῇ αἰσθήσει· εἰη ἂν αὕτη ἡ κίνησις οὔτε ἄνευ αἰσθήσεως ἐνδεχομένη, οὔτε μὴ αἰσθανομένοις ὑπάρχειν.

Tex. 160. *Non ergo vnum aliquod horum est, neque ex his phantasia. Sed quoniam fit, vt hoc moto alterum ab hoc moueatur; phantasia verò motus quidam videtur esse; & sine sensu non fieri, sed sentientibus & quorum sensus sunt.*

Tex. 161. *Potest autem fieri motus ab actu sensus, hincque similem esse sensui necesse est. Fuerit vtique ipsa motus, qui neque sine sensu fieri, neque in non sentientibus inesse possit.*

COMMENTARIVS LXII.

Cognitio negatione & affirmatione. RES obscuras atque reconditas cognituque difficiles duplici ferè modo aggredimur. Primùm ea remouendo, quæ rei, de qua agitur, non conueniunt; quidque ea non sit ostendendo. Deinde singula, quæ insunt illi, affirmando, & quid ea sit indicando. Sic enim materiam quoque tum negatione, tum affirmatione explicatam fuisse in commentario ad tex. 2. superioris libri adnotaui. Idque in singulis penè disputationibus efficitur, dum falsæ primùm aliorum sententiæ confutantur; tum ea, quæ vera est, statuitur.

Hoc ipsum in phantasiæ natura perueſtiganda philosophus præstitit. Nam quid ea non sit, hactenus demonstrauit; dum eam probauit nec sensum esse, nec intellectus habitum aut cognitionem; siue seorsim, siue coniunctim accipiantur. Deinceps quid sit explicare aggreditur. Quare superioris primùm probationis conclusionem ponit, Phantasiã nec vnum aliquid esse ex iis, quæ dicta sunt, nec eorum simul complexionem. Quod ad proximè dicta, ad sensum inquam & opinionem eorumque complexionem, Philoponus refert. Sed accommodatè magis Themistius ad antecedentem totam disputationem, tanquam generalem totius cõclusionem: ad sensum inquam, scientiam, opinionem, & intellectum, horumque omnium qualemcumque complexionem. Quippe si sensus & opinionis, quibus similis magis videtur, complexio non est; multò minùs aliorum fuerit.

Deinde ad alteram expositionis partem dum accedit, Themistium non parùm miror existimantẽ, phantasiam eum ab intellectu separare. Quorsum enim duplex illa spectauit ante habita disputatio? Quarum altera vniuersè probatum est phantasiam existimationem non esse, hoc est rationalis vllam animæ cognitionem. Altera speciatim demonstratum non esse scientiam, non intellectum, non opinionem. Nisi vt eam à tota intelligente parte remoueret atque distingueret. Nihilque aliud supererat explicandum, nisi quid tandem hæc facultas sit à sensu & intellectu diuersa. Inter sensum tamẽ & intellectum media est, atque inter irrationales facultates rationi & intellectui proxima, & eius velut imaginem præ se ferens: dum non ad externa progreditur, sed circa interiora versatur, & absentia quoque quasi præsentia cognoscit. Quam ob causam intellectus appellatur interdum: & in tex. 155. intelligere in phantasiam & existimationem, hoc est intellectum, ita diuisum fuit, vt post phantasiã de intellectu statim dicendum proponeretur. Minimeque veritus est nunc Philoponus affirmare, philosophi institutum esse ea, quæ in irrationali anima rationis speciem præ se ferunt, docere.

Quid sit phãtasia. Primùm autem quid sit phantasia tradit: hocq; principiò accipit: Quemadmodum in cæteris rebus sit, vt aliquid motum ab aliquo moueat aliud; vt vectis impulsus manu impellit lapidem. Estque quidpiam mouens non motum; aliud tum mouens tum motum; aliud demum, quod mouetur duntaxat, non item mouet: sic in animalium quoque cognitionibus euenire: mouensque non motum esse obiectum sensile, quod sensum quidem mouet, sed ipsum ab alio non mouetur: Mouens autem motũ esse sensum, qui ab obiecto sensili mouetur & phãtasiam mouet: Denique motum non mouens phãtasiam esse. In bestiis scilicet, in quibus facultas alia superior cognoscens non est, quæ ab illa moueatur. In homine namque intellectus est, qui hoc ipsum fuerit motum non mouens, quod in cæteris est phantasia. Vbique autem nunc motus significat motionem perficientem & transitum ad cognitionis actum; vt in superioribus dictũ est. Itaque quod in animalibus ait fieri, vt hoc moto alterum ab hoc moueatur; sensu inquit à sensilibus obiectis moto interior alia facultas ab eo moueatur. Deinde phãtasiam addit motum quendam videri, nempe cognitionem in nobis excitatam. Nam imaginandi vis interdum potestate est, interdum actu. Hocque tanquam manifestum ponit. Tum eam sine sensu non fieri: siquidem vt sensus non est sine sensili, quia moueri ab eo debet; ita nec phantasia sine sensu, quoniam ab hoc illam moueri oportet. Quare non contingenter, sed necessariò cum sensu coniuncta est. Quæque sensu aut omni aut aliquo carent, phantasia quoque aut penitus aut certè circa illa sensilia distituuntur. Itaque sentientibus solùm, & iis, quorũ est sensus, inesse illam ait. Quod duobus modis potest intelligi. Vel vt phantasiæ subiectum significetur: eam inquam solis illis, quæ sensum habent, hoc est animalibus solis, inesse. Nã si non est sine sensu, iis planè duntaxat inerit, quæ sensu prędita sunt, quorumque proprius est sensus. Vel vt addatur tertia phantasiæ conditio; eam tunc adesse, quando sensus actu operatur & sentit. Vel si subiectum quoque significari velis, complectaris vtrumque; phantasiam inesse solis sentientibus; & iis, quorum est sensus, hoc est quæ sensu vtuntur actuque sentiunt. Nam quæ manca sunt & mutilata, nec sentire possunt, nec imaginari. Vt quæ cæca nascuntur aut surda, coloresaut sonos quo modo imaginentur? Fortasse autem magis ad rem fuerit, tum hanc conditionem interpretari, cùm ait (sentientibus) hoc est actu operantibus. Tum obiectũ adiungere, circa quod phantasia versetur, sequentibus verbis significatum; cùm addit (& quorum sensus sunt) hoc est sensilium rerum. Quod Simplicij iudicio fuit additum, vt phantasiam ab intellectu distingueret. Siquidem sine sensu non fieri, sed ab hoc excitari, intellectui quoque conuenit. At circa ea duntaxat versari, illaque sola compre-

Phantasia in quibus.

ri contrà pro existimare, speciem pro genere acceperat. De opinione enim, non de existimatione, disputatio erat. Cur autem vocem mutauerit, causa fuit exemplum Solis, quod adferre parabat; quippe magnitudo Solis non probabilibus, sed necessariis argumentis certam ac necessariam cognitionem gignentibus demonstratur. Neque astronomia & mathematicæ cæteræ disciplinæ in opinione versantur, sed certissimæ sunt. Propterea, non opinionem, sed existimationem, quæ in textu 154. in scientiam, opinionem, & prudentiam tributa certam item & necessariam cognitionem comprehendit, nominare voluit.

Alterum autem; cùm alterum falsum, alterum verum esse dicturus esset; non temerè sensum falsum, opinionem veram, non autem sensum verum & opinionem falsam eum dixisse: cùm tamen sensum antea semper appellasset verum, opinionem interdum falsam. Duplex autem, ni fallor, fuit causa. Prima; quoniam si sensus verus sit, opinio, quæ sensum sequitur, nequit esse falsa: at si sensus fuerit falsus, corrigi opinio & emendari, secúsque persuaderi ratione potest. Altera; quoniam non opinionem, sed existimationem nominaturus erat: Solisque exemplum necessarium allaturus. In quo erret quidem propter nimiam distantiam sensus; at opinio seu potiùs existimatio vera sit & necessaria, nec falsa esse possit.

A

B

C

TEXTVS.

Συμβαίνει γοῦν, ἤτοι ἀποβεβληκέναι τὸν ἑαυτῆς ἀληθῆ δόξαν, ὃν εἶχεν, σωζομένου τοῦ πεφάσματος μὴ ἐπιλανθανόμενον, μηδὲ μεταπεπτωκότα· ἢ εἰ ἔτι ἔχει, ἀνάγκη τὸν αὐτὸν ἀληθῆ εἶναι καὶ ψευδῆ. ἀλλὰ ψευδὴς ἐγένετο, ὅτε λάθοι μεταπεσὸν τὸ πεφασμένον.

Fit itaque, vt vel is opinionem suam, quam habebat, veram abiiciat re seruata, non oblitus, nec dissuasus. Vel si adhuc habet, necesse est eandem veram esse & falsam. At falsa euaserit, cùm res permutata latuerit.

D

COMMENTARIVS LXI.

E

Opinionē quatuormodù mutari.

PRopositæ argumentationis vim atque absurditatem, ad quam ea deducit, vt apertè ostendat; tribus modis opinionem in nobis perire ac mutari accipit. Aut inquam reipsa, de qua est opinio, mutata: vt si sedente Socrate verè opineris eum sedere; eo mox surgente, si opinionem eandem retinueris, in falsam illa mutabitur. Aut obliuione subsequente, qua planè desinas id opinari, quod priùs opinabaris. Aut contraria demum ratione ac persuasione accedente opinionémque priorem pellente. Quartum modum addit Philoponus, quem habet quoque philosophus in tex. 17. prioris libri de Posteriori analysi, opinionis scilicet subiecto corrupto hominéque opinante mortuo. Corruptis enim nobis pereunt simul omnia, quæ sunt in nobis; cadentéque subiecto accidentia, quæ in eo sustentabantur, concidunt vniuersa. Sed hunc Aristoteles nunc prætermisit, quòd ad rem præsentem non pertineret: eósque solos recensuit, quibus viuente ac superstite homine opinionis mutatio efficitur.

Cùm igitur sensus interdum sit falsus & opinio vera; si phantasia est sensus & opinio simul, alterum horum consequens erit: aut abiici opinionem veram & falsam accipi, vt sensui euadat similis: aut vnam & eandem phantasiam simul & eodem tempore déque eadem re veram & falsam esse; veram propter opinionem veram, falsam propter sensum falsum. Tertium membrum, quod cogitari potuisset, falsum sensum abiici & in verum mutari, vt cum opinione consentiat; propterea is non adiecit, quòd eum non mutari manifestum est: neque mutari posse, cùm simplici constet circa præsens obiectum intuitus actione. Opinio, quæ ratiocinatione comparatur, faciliùs mutari posset. Eam tamen non mutari ostendit. Quoniam nisi aut rei mutatione, aut obliuione, aut contraria persuasione, mutari non potest. Neque verò mutatur Sol, neque accedit obliuio, neque secus contraria suadet ratio. Alterum igitur superest, vt phantasia simul vera & falsa esse dicatur. Quod cum longè absurdissimum sit, neque fieri vllo modo nec cogitari queat; planè constituendum est, phantasiam sensum & opinionem simul non esse.

Postrema autem illa verba (at falsa euaserit, cum res permutata latuerit) nescio quorsum Philoponus vocem illam (latuerit) opinionem interpretatus, docere dixerit posse simul opinionem & sensum falli; si obliuio inciderit, réisque opinabilis mutata fuerit. Nam vt Platonem mittam verissimè in Philebo docentem aliud esse latere, aliud obliuisci: & obliuionem quidem exitum esse memoriæ, latere autem non innotuisse, & velut sensionis carentiam; ne id quidem ad rem pertinebat. Neque vt opinio fieret falsa, duas opus erat causas coniungere, obliuionem & mutationem rei. Sed altera satis erat; aut certè addenda fuit tertia, persuasio scilicet contraria. Præterquàm quòd rei opinabilis mutatio in Solem, de quo fuerat sermo, conuenire minimè potest. Ego verbum illud (latuerit) non obliuionem rei antea cognitæ; sed ignorationem rei, quæ facta sit, significare arbitror; mutationis videlicet opinabilis rei. Sensúmque esse; rem quidem fuisse mutatam, sed mutationem ab eo, qui opinionem habebat, obseruatam aut cognitam non fuisse. Hoc autem eò spectat, vt id exponat, quod dixerat, opinionem mutatione rei mutari atque ex vera fieri falsam. Illud enim inquit ita intelligendum esse, vt mutatione rei dicatur opinio mutari & falsa fieri, quando mutatio latet atque ab opinante ignoratur. Tunc namque rem existimans eodem modo se habere, eandem retinet opinionem: atque ita quæ erat vera, euadit falsa. Quòd si rem mutatam cognosceret, opinionem ipse quoque mutaret: & ideò non minus, quàm antea, veram haberet.

TEXTVS.

Οὐκ ἄρα ἓν τι τούτων ὄντων, οὔτε ἐκ τούτων ἡ φαντασία. ἀλλ' ἐπειδὴ ὅδε κινηθέντος τοῦδε κινεῖται ἕτερον ὑπὸ τούτου. ἡ δὲ φαντασία, κίνησίς τις δοκεῖ εἶναι, καὶ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεως γίγνεσθαι, ἀλλ' αἰσθανομένοις, καὶ ἐν αἰσθητοῖς οὖσιν· ἔστι δὲ γίγνεσθαι κίνησιν ὑπὸ τῆς ἐνεργείας τῆς αἰσθήσεως. Καὶ ταύτῃ ὁμοίαν ἀνάγκη εἶναι τῇ αἰσθήσει· εἰη δ' ἂν αὕτη ἡ κίνησις οὔτε ἄνευ αἰσθήσεως ἐνεργοῦσα, οὔτε μὴ αἰσθανομένοις ὑπάρχειν.

Tex. 160. *Non ergo vnum aliquod horum est, neque ex his phantasia. Sed quoniam fit, vt hoc moto alterum ab hoc moueatur; phantasia verò motus quidam videtur esse; & sine sensu non fieri, sed sentientibus & quorum sensus sunt.*

Tex. 161. *Potest autem fieri motus ab actu sensus, hincque similem esse sensui necesse est. Fuerit vtique ipsa motus, qui neque sine sensu fieri, neque in non sentientibus inesse possit.*

COMMENTARIVS LXII.

Cognitio negatione & affirmatione. RES obscuras atque reconditas cognituque difficiles duplici ferè modo aggredimur. Primùm ea remouendo, quæ rei, de qua agitur, non conueniunt; quidque ea non sit ostendendo. Deinde singula, quæ insunt illi, affirmando, & quid ea sit indicando. Sic enim materiam quoque tùm negatione, tum affirmatione explicatam fuisse in commentario ad tex. 2. superioris libri adnotaui. Idque in singulis penè disputationibus efficitur, dùm falsæ primùm aliorum sententiæ confutantur; tum ea, quæ vera est, statuitur.

Hoc ipsum in phantasiæ natura perueſtiganda philosophus præstitit. Nam quid ea non sit, hactenus demonstrauit; dum eam probauit nec sensum esse, nec intellectus habitum aut cognitionem; siue seorsim, siue coniunctim accipiantur. Deinceps quid sit explicare aggreditur. Quare superioris primùm probationis conclusionem ponit, Phantasiã nec vnum aliquid esse ex iis, quæ dicta sunt, nec eorum simul complexionem. Quod ad proximè dicta, ad sensum inquam & opinionem eorumque complexionem, Philoponus refert. Sed accommodatè magis Themistius ad antecedentem totam disputationem, tanquam generalem totius cõclusionem: ad sensum inquam, scientiam, opinionem, & intellectum, horumque omnium qualemcumque complexionem. Quippe si sensus & opinionis, quibus similis magis videtur, complexio non est; multò minùs aliorum fuerit.

Deinde ad alteram expositionis partem dum accedit, Themistium non parùm miror existimantẽ, phantasiam eum ab intellectu separare. Quorsum enim duplex illa spectauit ante habita disputatio? Quarum altera vniuersè probatum est phantasiam existimationem non esse, hoc est rationalis vllam animæ cognitionem. Altera speciatim demonstratum non esse scientiam, non intellectum, non opinionem. Nisi vt eam à tota intelligente parte remoueret atque distingueret. Nihilque aliud supererat explicandum, nisi quid tandem hæc facultas fit à sensu & intellectu diuersa. Inter sensum tamẽ & intellectum media est, atque inter irrationales facultates rationi & intellectui proxima, & eius velut imaginem præ se ferens: dum non ad externa progreditur, sed circa interiora versatur, & absentia quoque quasi præsentia cognoscit. Quam ob causam intellectus appellatur interdum: & in tex. 155. intelligere in phantasiam & existimationem, hoc est intellectum, ita diuisum fuit, vt post phantasiã de intellectu statim dicendum proponeretur. Minimeque veritus est nunc Philoponus affirmare, philosophi institutum esse ea, quæ in irrationali anima rationis speciem præ se ferunt, docere.

Quid sit phantasia. Primùm autem quid sit phantasia tradit: hocq; principiò accipit: Quemadmodum in cæteris rebus fit, vt aliquid motum ab aliquo moueat aliud; vt vectis impulsus manu impellit lapidem. Estque quidpiam mouens non motum; aliud tum mouens tum motum; aliud demum, quod mouetur duntaxat, non item mouet: sic in animalium quoque cognitionibus euenire: mouensque non motum esse obiectum sensile, quod sensum quidem mouet, sed ipsum ab alio non mouetur: Mouens autem motũ esse sensum, qui ab obiecto sensili mouetur & phãtasiam mouet: Denique motum non mouens phãtasiam esse. In bestiis scilicet, in quibus facultas alia superior cognoscens non est, quæ ab illa moueatur. In homine namque intellectus est, qui hoc ipsum fuerit motum non mouens, quod in cæteris est phantasia. Vbique autem nunc motus significat motionem perficientem & transitum ad cognitionis actum; vt in superioribus dictũ est. Itaque quod in animalibus ait fieri, vt hoc moto alterum ab hoc moueatur; sensu inquit à sensilibus obiectis moto interior alia facultas ab eo moueatur. Deinde phãtasiam addit motum quendam videri, nempe cognitionem in nobis excitatam. Nam imaginandi vis interdum potestate est, interdum actu. Hocque tanquam manifestum ponit. Tum eam sine sensu non fieri: siquidem vt sensus non est sine sensili, quia moueri ab eo debet; ita nec phantasia sine sensu, quoniam ab hoc illam moueri oportet. Quare non contingenter, sed necessariò cum sensu coniuncta est. Quæque sensu aut omni aut aliquo carent, phantasia quoque aut penitus aut certè circa illa sensilia distituuntur. Itaque sentientibus solùm, & iis, quorũ est sensus, inesse illam ait. Quod duobus modis potest intelligi. Vel vt phantasiæ subiectum significetur: eam inquam solis illis, quæ sensum habent, hoc est animalibus solis, inesse. Nã si non est sine sensu, iis planè duntaxat inerit, quæ sensu prędita sunt, quorumque proprius est sensus. Vel vt addatur tertia phantasiæ conditio; eam tunc adesse, quando sensus actu operatur & sentit. Vel si subiectum quoque significari velis, complectaris vtrumque; phantasiam inesse solis sentientibus; & iis, quorum est sensus, hoc est quæ sensu vtuntur actuque sentiunt. Nam quæ manca sunt & mutilata, nec sentire possunt, nec imaginari. Vt quæ cæca nascuntur aut surda, coloresque aut sonos quo modo imaginentur? Fortasse autem magis ad rem fuerit, tum hanc conditionem interpretari, cùm ait (sentientibus) hoc est actu operantibus. Tum obiectũ adiungere, circa quod phantasia versetur, sequentibus verbis significatum; cùm addit (& quorum sensus sunt) hoc est sensilium rerum. Quod Simplicij iudicio fuit additum, vt phantasiam ab intellectu distingueret. Siquidem sine sensu non fieri, sed ab hoc excitari, intellectui quoque conuenit. At circa ea duntaxat versari, illaque sola compre-

Phantasia in quibus.

hendere, ac sibi efformare, quæ in sensus incidunt; non item ad intellectilia, spiritalia, & indiuidua transire; proprium phantasiæ est. Quare intellectus vno tantùm modo sine sensu non fit: nempe quoad excitationem, phantasia duobus plane. Tum propter antecedentem sensus actionem, quæ illam ad agendum mouet. Tum propter comitantem; quia nihil nisi corporeum & sensile fingere sibi potest. Quod ad ostendendum phantasiam vim esse materialem & corpoream pertinet.

Phantasia vt non sine sensu.

Quartò adiungit, actionem sensus mouere posse, motúmque illum, qui phantasia videtur esse, à sensu fieri. Mouet autem eodem modo, quo externum obiectum ad agendum mouit ipsum sensum. Nimirum obiectum illud ei proponendo, quod sensus cognoscens in seipsum cognitionis actu traduxit & transformauit, formam eius cognitam sine materia suscipiens. Hanc dum obijcit phantasiæ, illam quoque ad operandum excitat.

Vt sensus phantasiam moueat.

Vbi obiter obseruabis, non ab intentionali specie ab obiecto immissa atque impressa; sed ab ipsamet sensus cognitione, non vt est actio, sed vt est forma obiecti cogniti, phantasiam ad agendum moueri; ἀπὸ τῆς ἐνεργείας τῆς αἰσθήσεως, inquit Aristoteles. Vanamque esse nec Philosopho consentaneam opinionem eorum, qui ab illis eam moueri asserunt.

Contra species intentionales.

Vnde postremò deducit, motum illum à sensu actu factum similem illi esse oportere. Quod non solùm ita intelligendum est, vt eadem sit res sensu & phantasia percepta; propterea quòd intellectui quoque id conuenit, qui eadem sanè intelligit, quæ sensu & phantasia proponuntur. Sed etiam eisdē sensilibus conditionibus affecta cognoscatur. Quare phantasia differt ab intellectu, qui ad incorporeum & intellectile transire potest, & absque figura, quantitate, alijsque id genus sensilibus affectionibus naturam quamque contemplari.

Ex quibus omnibus phantasiæ definitionem colligit. Phantasia est motus à sensu factus, eorū proprius, quæ habent sensum, dum actu & reipsa sentiunt. Scio Philoponum secus omnino interpretatū fuisse: cum q; phantasiæ motus sensui similis dicitur, Aristotelē voluisse relicta phātasiæ definitione alterū aggredi explicationis caput, Quid phantasiæ & sensui commune sit. At ego illa ipsa verba ad inuestigādam definitionem arbitror pertinere. Est enim adhuc suspensa oratio nec dum periodus absoluta, nisi vbi definitionē colligit (fuerit vtique ipsa motus, &c.) Totaq; oratione ex quibusdā acceptis ad totam definitionem colligendam ita progreditur. Cùm in cæteris rebus id eueniat, vt vno moto moueatur aliud; ac phantasia motus quidam videatur esse, nec sine motu fieri; sed sentientibus solis, deque iis, quorum est sensus: ac rursum à sensu actu fieri possit motus, quem sensui similem esse oportet: phantasia vtique huiusmodi motus fuerit à sensu factus atque in sentientibus solis existens. Cuius ratiocinationis antecedens quinque illis hypothesibus constat, quas seorsim commemorauit: & consequens phantasiæ definitionem ex illis colligit. Quam ob causam Simplicius singulis illis hypothesibus subaudiendam esse voluit eandem illam particulam (quoniam) quæ primæ opponitur, quousque tandem absoluta oratione definitio quæsita concludatur.

Phantasia definitio.

Digressio xv. *De interiorum sensuum numero.*

IN euoluēda phantasiæ natura verè admonuisse videtur Simplicius, ex actionibus philosophum substantiam eius coniectasse. Etenim propositam initiò methodum ex operationibus ad facultates progrediendi obseruare vbique voluit. Neque tàm phantasticam facultatem, quàm operationem definiuit; vbi motum à sensu factum dixit. Inde verò Philoponus inter cæteros difinitionem collegit facultatis; Phātasia facultas est susceptiua per medium sensum formarum sensilium. Dicit & interiorem sensum esse, à quo fit operatio à sensu actu profecta.

Ego verò magnopere vereor, ne operationem propterea, non facultatem, definierit; quòd eam crederet facultatem non esse à communi sensu, de quo antea egit, prorsus distinctam; sed quandam solùm interioris sensus operationem ab ea diuersam, quæ communis sensus esse existimatur. Sanè hoc ita esse multa testantur. Primum; quòd in antecedenti tota tractatione nunquam ita facultates eas definiuit, quas veras & ab aliis distinctas facultates esse credidit. Nutrientem dixit animæ facultatem esse, qua viuens vt tale est conseruatur. Vnde augentis quoque & procreantis definitiones colligi voluit. Deinde sensum vniuersè facultatem à sensilibus obiectis patiendi esse tradidit. Et rursum facultatem esse sensilium formarum susceptricē sine materia. Quare eodem nunc modo phantasiam definiuisset; si non operationē, sed facultatem à cæteris distinctam esse iudicasset. Deinde quod in superiori tota oratione non tanquam de facultate, sed tanquam de actione semper de illa loquutus est. Vt in tex. 155. phātasia est, secundùm quam phantasma aliquod in nobis fieri dicimus. Et tex. 156. sensus semper adest, phantasia non semper. Quòd si facultas esset; non minùs, quàm cæteræ facultates, adesset semper, etsi non operaretur. Tum verò intelligi id potest ex libro de somniis cap. 1. Quo loco eadem hac definitione repetita idem esse ait τῷ ἀισθητικῷ τὸ φανταστικόν, solaque ratione differre: quòd ἀισθητικὸν dicatur, vt obiecta præsentia cognoscit; & φανταστικὸν, vt circa absentium phantasmata versatur (& in superiori tex. 161. phantasiam dixit sine sensu non esse, solisque sentientibus inesse.) Et ideò somniare οὐκ ἀισθητικῷ quidem esse, sed quatenus φανταστικόν est. ἀισθητικὸν autem eo loco sensum communem significare certum est. Quoniam hoc argumento probatur illius esse somniare; quia eiusdem est somniare, cuius est dormire, eiusdem somnium & somnus: somnus autem communis sensus passio existit, vt in cap. 2. libri de somno & vigilia demonstratur. Rursum in libro de mem. & remin. cap. 1. phantasma legimus communis sensus passionem esse: indeque colligi, memoriam primi sensitiui, hoc est communis sensus per se esse. Et paulò post affirmari esse phantasiæ: eaque per se memorabilia dici, quorum est phantasia; cætera ex accidenti.

Propterea igitur phantasiam credens facultatem non esse vllam animæ re à communi sensu distinctam, sed diuersam solùm eiusdem facultatis operationem; tanquam operationem potiùs, quam tanquam facultatem, definiuit; illud solùm addens, quod illius proprium erat. Si enim phantasia eius-

modi

modi motus est, quo anima sensuum exteriorum cognitionibus excitata format diuersa rerum phantasmata; æquum est facultatem, quæ ex exteriorum sensuum operatione obiectum accepit, esse immediatè cum illis conjunctam, atque cum illis operari; obiecta quoque illorum omnia cognoscere, cognitaque coniungere ac variis modis componere. Hæc autem facultas exterioribus sensibus proxima communis sensus est. Coniungi sanè non possunt exteriorum sensuum obiecta à phantasia, nisi cognoscantur; hæcque cognitio sensus communis propria prædicatur. Et si absentia illa obiecta cognoscere phantasia concedatur ab omnibus, quidni præsentia quoque cognoscat? Experimur enim eam præsentibus item obiectis operari, eorumque simulachra fingere ac componere. Neque potest idem actus plurium facultatū prorius esse. Itaque præter exteriores sensus interiorem vnicam facultatem sentientem philosophus posuit, cuius diuersæ sint operationes. Quarum duas exposuit antea: alteram, exteriorum sensuum sensiones percipere: alteram, illorum obiecta diudicare. Propter quas communis sensus veluti communis iudex appellatur. Tertiam nunc adiecit, quæ tum præsentium, tum absentium rerum phantasmatum seu imaginum formatio est; vnde phantasia seu imaginatio nominatur. Nec parùm miror Albertum eas tanquam duas facultates posuisse, phantasiam inquam & imaginationem. Qua in re sequutus Auicennam est in prima sen. primi Can. doct. 6. cap. 5. & Algazelem in 2. philosophiæ libro tract. 4. cap. 4. Neque enim alio modo, quàm voce, differunt. Vt quam Græci phantasiam dicunt, Latini philosophi imaginationem appellēt: nec apud Aristotelem aliud, quàm phantasia, reperitur.

Sensus cōmunis operatio.

Phantasia & imaginatio idem.

Sed latior sese offert de toto hoc controuersiæ genere dicendi cāpus. Idem enim illi auctores aliique nonnulli, qui eos sequuti sunt, quinq; omnino sentientes interiores facultates distinxerunt; communem sensum, imaginatricē, æstimatricem, phātasticam, memoratricem. Communis sensus sensiles formas conuenientiamque ac discrimen obiectorum sensuum particulariū diiudicat. Imaginatrix sensiles conseruat species, quibus absentia cognoscantur obiecta. Æstimatrix intentiones non sensiles, amici & inimici, commodi & incōmodi, patris & filij, aliasque similes, comprehendit. Phātasia species, tum sensiles, vt montem & aurū, hircū & ceruum; tum non sensiles, vt inimicum & noxiū, amicum & vtile aut delectabile; tum etiam sensiles & non sensiles, vt hominem & amicum, coniungit. Denique memoratrix ea omnia conseruat & retinet, quę phantasia percepit. Ita tres sunt cognoscētes duntaxat virtutes, cōmunis sensus, æstimatrix, & phantasia: vna conseruans & cognoscens, imaginatrix: postrema conseruans & non cognoscens, memoratrix. Vt. n. imaginatrix ea conseruat, quæ communis cognouit sensus; ita memoratrix ea, quę phātasia percepit. Neq; alia est ratio, cur hæ virtutes in anima distinguantur, nisi harū operationū diuersitas in animalibus obseruata. Quamquā Auicenna & phātasiam tertio loco inter imaginatricē & æstimatricem memorauit; & imaginatricem nō cognoscentem, sed solùm conseruantē fecit. Sextā in homine iuniores aliqui reminiscētem à memoratrice distinctā propterea videntur addere; quòd hæc ratiocinatione careat & cū bestiis cōmunis sit; illa in homine solo ratiocinatione vtatur. Alij etiā septimā cogitatricē, quæ cū quadā ratiocinatione vel singularem etiam substantiam cognoscat.

Opiniones de sensuum interiorum numero.

Illa verò iam in scholis percrebuisse opinio videtur, quæ fuit Auerrois in com. 6. libri 3. & in 2. colliget c. 7. & in li. de mem. & remi. 20. & c. 2. & S. Thomæ in 1. p. sum. q. 78. art. 4. Hi quadruplici facultate fuere contenti; cōmuni sensu, imaginatrice seu phantastica, æstimatrice seu cogitatrice, memoratrice seu reminiscente. Imaginatio quippe & phantasia differūt sola voce, remque eandē significant. Æstimatrix autē & cogitatrix, memoriaque & reminiscentia subiecto distinguūtur; dum altera in bestiis, altera in homine nominatur. cōmunis sensus præsentia obiecta cognoscit; phantasia absentia quoque; æstimatrix intentiones non sensiles, in bestiis naturæ instinctu, in homine singularū intentionū collatione; memoratrix demū præteritorū est.

Permulti etiam tres tantùm posuerunt. Turisanus in 2. artis paruæ comm. 17. & Io. Fernelius lib. 5. Physiol c. 8. & li. 6. c. 11. communem sensum, phantasiā, & memoriā: Nemesius li. 4. philosophię c. 6. phātasiā cogitatricē, & memoratricē. Alij demum cōmunem sensum, phantasiā, & æstimatricē; quòd memoria non sensus, sed habitus potiùs aut affectio quædam sit. Immò & aliqui duas; sensum communē, & memoriā Iacobus Forolivensis in 2. artis paruæ quæst. 16. Aut phantasiam & memoriā Christophorus Marcellus in 4. lib. de anima.

Inferiorem sensum vnā esse.

Ego verò docere pergam quod aggressus sum, vnicam esse facultatem, quæ vt alias atque alias functiones habet, alijs atque alijs vocibus appellētur. Vt inquam exteriorum sensuum præsentia obiecta percipit ac diudicat, communis sensus: vt absentia quoque cognoscit eorumque simulachra format & componit, phantasia: vt non sensiles rationes comprehendit, æstimatrix, aut in homine cogitatrix: vt demum cognitarum antea rerum cognitionem repetit, siue sensiles sint, siue non sensiles, memoria, siue in homine reminiscentia dicatur. Et quidem ex plurib⁹ Aristotelis locis ostensum est phantasiam & communem sensum eandem facultatem esse. Iam æstimatricem apud eum non reperies: quæ tamen sentientium facultatum præcipua & optima esse creditur. Sed statim post phantasiam de intellectu dicere aggressus est in hisce de anima libris, dum sentientes omnes facultates diligentissimè separaret ac singulas accuratè persequeretur: quòd nullam crederet post phantasiam superiorem sentientem facultatē esse: sed vt loquitur Themistius cap. 10. phantasiam in confinio esse sensus & intellectus positam. Et Plutarchus Philoponi testimonio in commentario textus 162. eam inquiebat inter irrationalem & rationalem mediam esse, velut vnius finem & alterius principium; quemadmodum in linea punctum. καταλῆψιν quidem, quam nos æstimationem vertimus aut διάνοιαν sæpiùs nominauit: Sed vtraque ad intellectum pertinet, & altera intellectus actionem omnē, altera eiusdem ratiocinationē significat. Nam propterea in tex. 154. in scientiam, opinionē, & prudentiā partitus est hypolepsim: & & cùm in tex. 155. διάνοιαν in phantasiam & hypolepsin diuisisset, statim de phantasia disseruit & post phantasiā de intellectu. Et in li. de mem. & remin. cap. 1. Memoria inquit neque est sensus, neque existimatio, hoc est intellectus; sed horum alterius habitus aut affectio. Accedit, quòd illas ipsas operationes, quæ æstimaticos esse dicūtur, quæ quid vti-

Æstimatricē non esse à phantasia diuersam.

le sit, cognoscit, quid noxium; quid amplectendũ, quid fugiendũ; phantasiæ is tribuere consuenit. Nã in tex. 32. animalia, quæ ratiocinatione & intellectu carent, sola dixit phantasia viuere: & tex. 162. animalium operationes à phantasia regi; bestiarum quidem semper, quòd mente careant; hominis autem, cùm ea non vtitur. Et rursum in proœmio Metaph. phantasiis & memoriis viuere bestias, quòd vim nullam phantasia superiorem habeant, inquit Themistius cap. 15. Verùm ex eisdem locis aliud petitur argumentum. Cùm enim phantasiam ponat philosophus facultatem in bestiis supremam atque in homine ad intellectum proximè accedentem; manifestum profectò est æstimatricem illam à phantasia diuersam eum non agnouisse; sed illas ipsas æstimatricis operationes phantasiæ tribuisse. Nam & in tex. 48. lib. tertij phantasiam fecit principium motus prosequutionis aut fugæ, dum appetitum mouet atque ad agendum prouocat: quod æstimatricis creditur esse, quæ vtile & noxium, amplectendum & fugiendum cognoscit. Est enim neque facultati maximè naturale, vt si quidpiam in aliquo genere apprehendat, conueniens quoque aut non conueniens animaduertat. Siquidem propterea cognoscentes virtutes animalibus tributæ sunt, vt quid vtile aut inutile, quid commodum aut incommodum illis esset, diudicarent: omnemque huiusmodi cognitionem sensum habere, vel ipsi exteriores testantur sensus; quorum vnusquisque obiecti sui iucundum & iniucundum persentiscit. Atque si non sensilium intentionum æstimatrix facultas sit à phantasia diuersa, eam oportet incorpoream & spiritalem esse, vt incorporea & spiritalia diudicet; aut si ea corporea sit, cur illas non possit phantasia corporea diudicare?

Obiectio duplex soluitur

At. n. Theophilo Medico ęgrotãti refert Galen⁹ in lib. de Sympt. differ: c. 3. læsam fuisse imaginatricem virtutem, sana & incolumi ęstimatrice: ideò tibicines angulum domus, vbi decubuit, occupasse, assiduéque die ac nocte sonare & pulsare, séque intueri putasse; atque vt domo eiicerentur, iussisse: ac rursum phrænetico alteri æstimatricem læsam; incolumi & sana imaginatrice; qui fores sibi occlusit intrinsecùs, & singula vasa per fenestram proiiciebat; illorum scilicet vsum non æstimans. Verùm ne hæc quidem facultatum diuersitatem demonstrant. Theophilus enim siue ob timorem vehementémque mortis apprehensionem, siue ob turbatos vi morbi oculos, Tibicines sibi videre videbatur. Neque in hoc læsa imaginatio fuit; immò vigebat maximè: quippe quę posset ea quoque, quę præsentia non erant, formare & vt præsentia ponere: & quidem tanquam mortis nuntios. Tum verò sequutus est æstimatricis actus, quæ illos vt malum quidpiam & inimicum naturæ iubebat expelli. In altero autẽ phrænetico aliqua fuit læsio, ob quam operatio vna lædebatur, altera ritè promebatur. Læsa namque imaginatio fuit, ne circa intentionẽ non sensilem promere posset nobiliorem æstimationis actum, sed solùm circa sensilem versaretur: aut inde molestiam caperet, vnde minimè debuisset: aut omninò etiam alteri actui eliciendo non attenderet, tota circa intentionẽ sensilem occupata.

Memoriã facultatẽ distinctã non esse.

Iam igitur postremò superest ostendendum, memoriam à phantasia & sensu distinctam facultatem non significare. Aperta ratione id philosophus docuit in cap. 1. eius libri, quem nobis de illa reliquit. Memoria, inquit, neque sensus est, neque existimatio; sed horũ alicuius aut habitus aut affectio, cùm factum fuerit tempus. Nempe facultas eadem, quæ primùm cognouit, quasi habitu facto eandem rursum rem antea cognitam recognoscit. Quare quoniam præteriti tẽporis cognitio est necessaria; solà illa animalia conficit valere memoria, quæ temporis sensum habent; illoque ipso principio meminisse, quo sentiunt. Et rursum quoniam tẽpus absque magnitudine & motu non sentitur, hæcque phantasia nõ comprehẽduntur; phantasma cõcludit cõmunis sensus passionem esse, atque illius cognitionem ad primũ sensitiuũ pertinere; memoriamque per se 1. sensitiui, hoc est communis sensus esse, intellectiui autẽ ex accidenti: quippe nec intellectilium memoria sine phantasmate est. Sed quam primi sensitiui esse dixerat, eandẽ mox phantasiæ subiungit esse. Cuius igitur, inquit, eorũ, quæ animæ, memoria sit, manifestum est, quòd cuius & phantasia est: & sunt memorabilia per se quidem, quorum est phantasia; ex accidenti autem, quæcumque non sine phantasia. Ex quibus cõstat, communem sensum, phantasiam, & memoriam, eandem re philosopho facultatem fuisse. Iam in capite 2. eiusdem libri exemplo animalis picti pulchrè ostendit, quẽadmodum idem phantasma sit & memoriale, simulque & phantasiæ vsui sit & memoriæ. Ex quo etiam consequẽs est, eandem re facultatem & phãtasiam & memoriam esse. Vt, inquit, in tabula pictum animal & animal est & imago; & idem & vnum ipsum vnum est ambo, esse autem non idem amborum; & est considerare & vt animal & vt imaginem: sic & quod in nobis phantasma oportet suscipere & ipsum aliquid secundùm se esse, & alterius phantasma. Quatenus igitur secundùm se, speculamen est aut phantasma; quatenus autem alterius, imago & memoriale. Ita tandem conficit, memoriam esse phantasmatis, non vt phantasma est (hoc enim est phantasiæ) sed vt imaginis: eamque primi sensitiui esse, quo tempus sentimus. Etenim meminisse rei præteritæ, hoc est rei antea cognitæ, cognitionem significat: duoque in memoria spectãtur, cognitio & rei præteritæ anteaque cognitæ cognitio; vt non tã cognitio sit, quàm eiusdẽ rei recognitio repetitaúe cognitio. Tota cognitionis vis ad sentientem illam facultatem pertinet, quæ primùm cognouit. Illa enim ipsa recognoscit, memoriaque vocatur; non quia cognoscit, sed quia cognoscit id, quod antea fuerat cognitum. Quare cùm omnis facultas sentiens cognitionem significet, quia sentire cognoscere est; si memoria vim cognoscendi non habet à facultate diuersam, quæ primùm cognouit; sed solùm rationem illam præteriti, qua non aliquid noui cognoscitur, sed id ipsum, quod antea fuerat cognitum: nullam potest diuersam constituere facultatẽ, sed affectionẽ quandam & habitum illius significabit; vt sub ratione præteriti cognoscat, velut habitum iam cognoscendi habens. Eiusdem quidem certè rei recognitio essentialiter à prima non distinguitur cognitione: Quæ igitur distinctæ facultatis necessitas? Neque etiã obiectum diuersum est. Quippe nil aliud cognoscit, quàm sensilem aut non sensilem intensionem phãtasia aut æstimatione antea comprehensam. Quam autem addit, ratio præteriti, modus duntaxat cognitionis est; vt non noui, sed iam cogniti obiecti cognitio sit. Fac memoriã distinctam à cæteris facultatem esse: si quępiam alia facultas obiecti antea cogniti cognitionẽ repeteret,

teret, nonne eam diceres præteritum aliquid cognoscere, & habere quidquid dicitur habere memoria? Non igitur propterea credendum est memoriam distinctam aliquam facultatem esse, quòd iam cognita recognoscat: sed affirmandum, priorē aliquam facultatem cognitionem suam repetentem appellare memoriam. Denique si vlla esset distinctæ huius facultatis necessitas; an vt retineat & conseruet? Siquidem percipere & retinere non videntur eiusdem esse posse virtutis. Atqui si sentire est cognoscere, sensusque facultas sentiēs est; nulla esse potest facultas sentiens, quæ cognoscens nō sit: nulla, quæ actum aliquem & operationem non habeat; actumque & operationem sentientis facultatis sentire dicimus, hoc est cognoscere. Retinere namque & conseruare operationem nullam significat, sed susceptionē & passionem: nisi in conseruante agēs quæpiam qualitas cogitetur; vt in loco naturali, qui locatum corpus conseruandi vim habet. Sanè memorię operationem philosophus prodidit esse rei præteritæ meminisse; hocque retinere non est & conseruare, sed rem iam antea cognitam recognoscere: quod illius ipsius, quæ antea cognouit, facultatis esse diximus. Quòd si retentione cōseruationeúe opus sit, eadem nimirum facultas cognoscet & retinebit conseruabitque. Nam & in vehementioribus obiectis idem aspectus videt & aliquandiu visionem retinet. Si enim cognitum aliquid conseruandum sit, suscipit illud oportet in eo, quod conseruaturum est: at cognitum non suscipitur in facultate, nisi per cognitionem cum ea vniatur: cognitioque immanens operatio est: non ergò suscipi potest nec conseruari nisi in illa ipsa facultate, quæ cognoscit. Neque conseruari speciem aliud quidquam est, quàm conseruari determinationem illam cognitiuam aut iudicatiuam antea factam. Qui verò specierum ab obiectis immissarum conseruationem postulant; eas viderint, si modò vllæ sint, nō in facultate suscipi, sed in spiritu aut cerebro; ac proinde in his, non in illa, conseruari: conseruationemque soliditatis instrumenti esse.

Memoriam cognoscentem esse virtutē.

Cognoscere & retinere eiusdem sunt.

Ita memoriam conficimus facultatem ab aliis distinctam non esse; sed vt Aristoteles pronuntiauit, habitum aut affectionem facultatis alterius. Quam ob causam in libris hisce de anima, dum sentientes omnes facultates persequitur, inter eas memoriam non commemorat; quemadmodum nec æstimatricem. Sed solùm communem sensum & phantasiam: quia etsi vna sit reipsa facultas, duplicem tamen habet operandi modum, tum circa præsentia, tum circa absentia obiecta. Vnica igitur facultas est, quæ vt diuersarum operationū principium existit, alio atque alio modo considerata, ratione multiplex est; tumque communis sensus, tum phantasia, æstimatrix, & memoratrix appellatur. Siquidem ipsemet philosophus ἀισθητικὸν καὶ φανταστικὸν re idē, ratione diuersum, esse prodidit.

Græcorū interpretum sententia.

Ita Philoponi definitionem accipias. Alioquin ipse idem interpres in Theoria ad textum 144. Idem, inquit, phantasiam dicit & communem sensum. Et Simplicius hoc loco, dum illam scribit eodem organo vti, non quatenus sensitiuo, sed quatenus phantastico, nonne eandem re facultatem esse cōfirmat? Et in textum 153. phantasiam ait à philosopho in memoratrice facultate reponi. Nec secus Alexander in priore libro de anima cap. 19. Vis autem phantastica subiecto quidem eadem est cum sentiente, sed ratione differens. Quòd quatenus sentiens circa præsentia sola operatur, quatenus autem phantastica, circa absentia quoque. Et Themistius in priore libro de mem. & remin. cap. 6. eadem nos ait animæ particulā recordari, qua sentimus. Et cap. 10. phantasiam & memoriam subiecto eandem esse; quòd vtraque communis sensus affectio sit. Et cap. 11. phantasiam propriè actum, non facultatem appellari. Et Ephesius Michaël in præfatione ad eundē Aristotelis librum, sentire à philosopho vsurpari pro imaginari: quoniam sensus & imaginatio idem sunt, ratione diuersa. Et rursum, Quoniam memoria idem cum phantasia subiecto est, ratione verò diuersa: rursus phantasia idē cum sensu subiecto est, ratione verò altera: propterea fit, vt qua in animæ parte sentiamus, in eadem simul imaginemur pariterque meminerimus. Et post aliqua: Cæterum imaginatrix facultas subiecto quidem cum sentiente eadem est, definitione verò ac ratione differens. Siquidem sentiens est quamdiu præsentium sensilium perceptrix est; imaginatrix autem, quatenus ad imaginabilia operatur. Quò fit, vt sensus & imaginatio idem esse videātur. Phantasia verò frequentiùs reiterata, confirmatur memoria & erigitur. Ac demum, Quoniam memoria & phantasia subiecto idem, similiter sensus & phantasia idē subiecto sunt; verissimè dicitur inhibi memoratia memoriā habere, vbi sensum. Hęc illi & alia huius generis plura. Quare si facultas formarum sensilium susceptrix à Philopono definiatur, nimirum eadem re cum communi sensu facultas, sed alia quadam ratione per ordinem ad propriam suam operationem cōsiderata definitur.

Iam verò vnitatis interioris huius facultatis, quam hactenus per partes statuimus, duo quasi generalia argumenta subiiciam. Alterum ex obiecto & operatione, alterum ex organo ductum. Facultates ex obiectis & operationibus distinguendas & separandas esse, antea positum est, ex integris inquam obiectis & operationibus adæquatis. At cùm obiectum & operationem huius facultatis quærimus, vt est de sentiente facultate sermo, ita circa sensile aliquod obiectum adferre actionem oportet. Et quoniam interioris facultatis actio & obiectum quæritur, interior actio circa interius obiectum adferenda est. Vt igitur actionem & obiectum aspectus & auditus, exteriorum facultatum, quærentes; esse dicimus exteriorem aspiciendi & audiendi actionem, obiectumque sensile externū, aspectabile aut audibile: sic interioris sensus adæquatam actionem pronūtiabimus interiorem sensionem esse atque obiectum integrum sensile internum. Etsi enim horum plures sint veluti partes, eæ tamen omnes in vnam hanc communem rationem conueniunt: circa quam per actiones plurēs facultas vnica versari potest. Tum quòd plures illæ actiones, pluraque, quæ videntur esse, obiecta, inter se ordinata sunt. Tum quòd vnicum est organum, vt mox exponam. Secus res habet in exterioribus. Nam cùm & organa plura sint temperatione ac situ diuersa; & actiones atque obiecta nullo modo subordinata; pluribus omnino facultatibus opus est. Quæ. n. aspectabilis & audibilis, quæ visionis & auditionis cognatio? At præsens obiectum aut absens, commodum aut incommodum, nunc primùm aut antea cognitum, idem semper est: hæque cognitiones omnes plurimùm sunt inter se connexæ ac complicatæ.

De interioris sensus obiecto.

De organo in quo sit ipse.

De organo autem inter Aristotelis interpretes & medicos contentio non leuis. Nam cùm Aristoteles principium sentientis facultatis ac sedem in corde esse voluerit, crediderunt ferè interpretes Græci illud ipsum interioris sensus organum esse. Ita Alexander in priore libro de anima cap. vlt. & Themistius in 1. lib. de mem. & remin. cap. 11. 12. & 13. & lib. 2. cap. 8. 14. & 19. & Michael Ephesius sæpiùs in eundem Aristotelis librum. Contrà medici sensus omnis principatum cerebro tribuentes interiorem ibidem collocarunt sensum. Nos de cordis principatu copiosè alibi disseruimus: atque ita hoc membrum tum sentientis, tum aliarum virtutum omnium principium ac fontem esse posuimus; vt non omnium tamen operationes in eo, sed in aliis cuique constitutis organis perficiantur. Exteriorum sensuum organa exposita sunt, dum de singulis ageretur; eaque ferè propè cerebrum natura posuit, quòd in sentiendi virtute membrum illud quasi cordis vicarium esse voluit. Iam interiorem in illo ipso vigere credendum est. Tum quòd temperatus in eo magis sit spiritus ad hanc operationem aptus. Tum quòd in ea parte imaginari nos ac rerum simulachra fingere varijsque modis cõponere: & caput in hisce ac similibus cæteris operationibus laborare ac fatigari, nos ipsi momentis omnibus experiamur. Læso autẽ cerebro hæ omnes operationes læduntur. Atque cùm exteriores sensus propè cerebrum sint, interiorem in ipsomet vigere oportet. Hactenus video penè omnes iam scholas consentire. Et Aristoteles quoque in extremo li. de mem. & remin. exponẽs quinã minùs memoriam valeant, eandẽ significauit sententiam, dũ eos minùs valere tradidit, quibus superiora maiora; quòd pondus multum in sensitiuo habeant.

In quatenus parte sit.

At in quanam cerebri parte sit, non item. Communem n. sensum & phantasiam in anteriori ac humidiori parte, æstimatricẽ & memoriã in posteriori & sicciori ponunt permulti: quòd priores celeriori, posteriores tardiori motu indigeant. Auerroës in com. 6. lib. 3. de anima, & in lib. de mem. & remin. cap. 2. & in 1. Cãticorum com. 84. tres duntaxat in cerebro sinus agnoscens, anteriorem, medium, & postremum; in primo communem sensum & phantasiam, in altero æstimatricem, in tertio memoriam collocauit. Sed parùm is omnino in Anatomicis exercitatus fuit. Dissecando namque quatuor prorsus sinus animaduertimus, eosq; alio modo dispositos: anteriores inquam duos, dextrũ & sinistrum; & his posteriorem tertium, ac demũ in nucha quartum omnium postremum. Atque in duobus prioribus communem sensum & phantasiam plerique posuerunt: siue alterum in dextro, alteram in sinistro: siue in anteriore vtriusque parte communem sensum, in posteriore phantasiam: in tertio æstimatricem, atque in quarto memoratricẽ. Alij verò tertium sinum nullius facultatis esse contendunt, sed veluti transitum spiritus ab anterioribus ad postremum: atque in duobus prioribus tres omnino facultates, & in postremo memoratricem ponunt. Alij demum in anteriori cerebri parte facultates omnes esse volunt: posterioremque crassiorem & sicciorem mouendo, non sentiendo, dicatam esse.

In sinibus cerebri nõ esse.

Verùm tota hæc auctorum omnium dissensio mihi quidem certè non leue argumentum est eius, quod dixi, vnicam esse interiorem facultatem sentientem. Nam si plures esse dicantur, nullo modo congruenter possunt organa singula disponi. Aut enim sinus ipsos, aut cerebri substantiam dicere oportet esse organum. Sinus plures cùm sint, in plures possent facultates distribui. At organa esse nequeunt: quòd nihil in illis nisi spiritus continetur; qui cùm continenter fluat & mutetur, neque animatus sit, organum sensus esse non potest: quemadmodum cæterorum sensuum organum idẽ permanet semper & animalis pars est. Deinde alius est sinum illorum finis, alius vsus: vt scilicet spiritum continerent, temperarent, ac transmitterent. Eam enim ob causam ita fuerunt dispositi, vt anteriores duo vnaque susciperent, & tum dextris tum sinistris exterioribus sensibus temperatum distribuerent; tum verò ad posteriorem partem ad efficiendum motum transmitterent. Quòd si propter facultates formati fuissent, earum ordinẽ seruare debuissent. Tum verò in medio sinu multi sunt qui facultatem nullam agnoscant: plurimi etiam neque in postremo; quòd pars ea cerebri non sensui, sed motui dicata sit; neque inde sentientes, sed mouentes nerui ducantur.

De anterioribus autem duobus parùm sapienter philosophaberis, si in altero communem sensum, in altero phantasiam locaueris. Tum quia nulla est ratio, cur in altero potiùs, quàm in altero, hanc aut illam facultatem ponas. Tum quia sinus ambo perfectionis æqualis atque in eodem situ sunt; phantasia verò cõmuni sensu perfectior est. Accedit, quod quæ est inter duas facultates hasce subordinatio, ea res communi sensu cognita ad phantasiã traducitur; non eadem est inter duos illos sinus; neque ab vno ad alium patet via, qua spiritus & obiectum cognitũ seu species à cõmuni sensu ad phantasiã progrediantur. Sed neque cõmunis sensus cum exterioribus partis vtriusque sensibus communicare & cõsentire posset, aut illorum omniũ obiecta & cognitiones diiudicare. Si namque in dextro sit sinu, cũ dextris quidem, at nõ cum sinistris sensibus consentiet: nihilque planè cognosceret, si dextros animal quodpiam ita læsos aut impeditos haberet, vt fungi suis actionibus non valerent. At licet organum dextra claudãtur, nihilo tamen minùs operatur cõmunis sensus. Eadem fuerit de phãtasia difficultas, si in solo sinistro sinu ponatur. Hæc enim ipsa circa obiecta omnia sensibus externis hausta operatur. Quòd si in vtroque sinu tum cõmunis sensus, tum phantasia esse dicantur; erit nimirum summa facultatum harum cõfusio atque permistio, dum in eodem ambæ organo collocantur. Memoriæ verò quodnam fuerit domicilium? Quippe postremus ille, qui ostenditur, sinus, in ea cerebri regione vertatur, quæ motus, non sensus, propria est.

Iam si non in sinibus, sed in ipsa cerebri substantia quærantur organa; profectò non nisi vnum inuenies. Quippe cerebrum totum vna existit massa, eiusdem rationis, substantiæ ac temperationis tota. Vel si posterior, pars paulò siccior est & solidior, ea vel sentiendo inepta est, vel hebetem prorsus ac imperfectum habet sensum; vel non tanta diuersitas est, quæ diuersum organum diuersamque facultatem possit efficere. Vnius igitur facultatis interioris organum tota erit anterioris cerebri pars, quæ sentiendo creditur esse dicata. Substantia inquam ipsa cerebri, non sinus. Tum quia ea est animata & animalis pars. Tum quia ex ea prodeunt nerui ad exteriores sensus: sinus continent ac temperant spiritum omnibus hisce operationibus

operationib⁹ necessarium. Ac duo quidē anteriores & ampliores eū habent ſpiritū, quo ſenſiones omnes, tum exteriores, tum interiores, perficiuntur: poſtremus autē ſpiritū mouentē. Tertius inter hos medius velut canalis eſt, quo ſpiritus à ſenſu ad motū tranſmitittur ac nonnihil temperatur.

Vtlæſo cerebro lædatur memoria.

At enim inquiunt magnopere lędi memoriam, ſi poſterior cerebri pars lædatur. Sanè quæcumque pars lædatur, perinde fuerit: & ſi maior ſit læſio, nō memoria modò, ſed & cæteræ operationes lædētur. Quòd ſi magna non fuerit, fieri poterit, vt memoria lædatur, non operatitiones cæterę: Quòd ea vt conſeruationem & repetitionem earum ſignificat eaſque ſupponit; ſic maiorem quandam & peculiarem organi diſpoſitionem poſtulat. Sed & affirmare licet poſteriore læſa cerebri parte, in qua nullus viget ſenſus, anteriorem quoque propter coniunctionem & conſenſum lædi; ideoque memoriam & operationes alias impediri, vt maior aut minor fuerit læſio.

Sunt quoque recentiores Philoſophi, qui meninges potiùs, quàm cerebrum, interioris ſenſus organum eſſe contendant: nec ſine probabili ratione. Sed perindevnicum fuerit organum vnicaq; facultas.

Interiorem ſenſum ſine exteriorib⁹ operari.

At quis tandē eius operādi modus? Qui iñ exterioribus ſenſibus intentionales ſpecies poſuerūt, iidē illi ſenſum interiorem vti eis volunt. Eas n. inquiunt exterioribus hauſtas per neruos & ſpiritum ad cerebrum vſque multiplicari non minùs, quàm ab obiecto ad exteriorē ſenſum fuerint per interiectū mediū multiplicatæ: Magis tamē immateriales ſubinde fieri, & alio atq; alio affici mòdo, & idcò alijs atq; alijs operationib⁹ famulari. Ego nulli eas ſenſui, minimè autem interiori neceſſarias eſſe puto. Nam vt lumen mittam & obiecta cætera præter colores reipſa ſeſe multiplicare, atque in illis intentionalem multiplicationē ſuperuacaneā eſſe: fatentur earum auctores non niſi in lumine illas multiplicari. At & nerui ab organis ad cerebrum protenſi ſunt opaci; & cerebrum ipſum, in quo ſuſcipi ſpecies & conſeruari exiſtimantur, tenebricoſum eſt. Et ſpiritus quoque, in quo multiplicari eas oporteret, ſanguineæ ac miſtæ ſubſtantiæ eſt, ſuaque natura opacę aut certè minùs lucidæ, quàm aër, in quo ſine lumine multiplicari non creduntur. Deinde quod eas aiunt in interiori ſenſu immateriales magis eſſe, magis illas ſuſpectas reddit. Quò enim magis immaterialis eſt qualitas, minuſque à ſubiecto, eò magis ab efficiēte pendet; vt lumen à corpore lucido, & ab obiecto ſpecies. Quj ergò fieri poteſt, vt eæ ſine ſubiecto conſeruentur tandiu & obiectum repræſentēt; quemadmodum illi de phantaſia & memoria dicunt? Præſertim quòd ſiue in ſpiritu, ſiue in ſubſtantia cerebri ſuſcipiātur; ſpirit⁹ cōtinēter fluit & ſubinde nouus priore conſumpto accedit; & cerebrū itē continuata nutritione mutatur in dies. Mutato autem ſpiritu aut cerebro, quomodo conſeruentur ſpecies ad quinquaginta & octoginta annos, poſt quos recordamur adhuc eorum, quæ pueris nobis acciderunt? Quj verò fiat, vt tàm lōgo tempore non permiſceantur nec cōfundantur? In exterioribus. n. ſenſibus præſtò ſunt obiecta, quę diſtinctas illas conſeruent: hæc ab interioribus abſunt. In illis pereunt illicò ſpecies omnes, ſi tollas obiectum; quòd ſine illo nec produci nec eſſe queant: qua igitur virtute in interiore conſeruentur? Hoc cum earum natura & conditione omnino pugnare videtur. Quare etſi ſenſus interior operaretur per ſpecies quandiu adſunt obiecta exterioreſque opetantur ſenſus: his tamen ceſſantibus obiectiſque remotis alium cogitare oportet operandi modum. Illud verò prorſus eſt admirabile, quod eas inquiunt in memoriæ theſauro conſeruatas redire interdum ad æſtimatricem virtutem & phantaſiam, vt amici aut inimici cognoſcat intentionem aliquodúe formet phantaſma. Neque dici poteſt, quomodo redeant atque ex vno in aliud ſubiectum migrent, quaúe animæ virtute id fiat. Poſſent & ad oculum alioſque exteriores redire ſenſus, & illis ac communi ſenſui abſentia obiecta repræſentare. Ad extremū doceant, num abſentibus obiectis cognoſcantur ſpecies, an obiecta per ſpecies. Species nō cognoſcuntur; ſed ratio ſunt cognoſcendi ea, quorū ſunt ſpecies. Quare ne in exteriori quidē ſenſu, in quo magis materiales ſunt, cognoſci dicuntur. Obiectaverò abſentia quomodo per eas cognoſcantur? Non. n. vim habent repræſentandi & ducendi in cognitionem illorum; niſi quia illorum aliquid ſunt, atque ab illis & productione & conſeruatione pendent. At ſi obiecta ſint abſentia aut etiam plerumque omnino non ſint, nullam cum illis cōnexionem habent, dependentiam nullam.

Quomodo operetur.

Speciebus igitur nullis vtitur interior ſenſus. Iſque eſt huius ſenſus cum exterioribus nexus; vt dum hi operantur, is quoque cum illis ſimul operetur obiectaque præſentia percipiat. Sine hac prima cognitione, quæ ſimul cum exterioribus ſenſibus eſt, nihil vnquā interior cognoſcere potuiſſet: tantus eſt ſuperiorum & inferiorum facultatum nexus & ordo. At ſi eam vel ſemel habuerit, ea eſt vis interioris ſenſus, tantopereque facultates ſuperat exteriores, vt abſentia quoque cognoſcere valeat, ſi præſentia ſemel cognouerit. De phantaſia ita loquitur ex Theophraſto Priſcianus in libro de Phantaſia & intellectu cap. 2. Non quemadmodum ſenſus præſentibus duntaxat ſenſilibus moueri ſolet, ita ſemper & phantaſia. Sed poſt quàm ſemel fuerit mota, ex ſeipſa expergiſci iam poteſt & phantaſmata promere. Et rurſum cap. 3. Phantaſmata multifariā variat ex eo, quòd ſuperat ſenſum, atque ex ſe ipſa poſtquàm ſemel mota fuerit ad formationem, vtcumque ceperit, expergiſcitur. Et iterum; Non ſemper opus eſt præſentia ſenſilium, vt phantaſia moueatur: ſed poſtquàm ſemel experrecta eſt, in talis formæ partu ſibi ipſi ſufficit. Duplex namque rerum cognitio haberi poteſt: aut præſentium intuitu, aut abſtractione abſentium. Exteriores virtutes intuentur præſentia; interior poſt præſentium intuitum abſtractione quoque abſentium vti poteſt: & verò etiam in eodem obiecto plures rationes ſenſiles aut non ſenſiles cognoſcere; aliaque atque alia obiecta componere, ſuaſque omnes cognitiones ſæpius repetere. Atque vt cognoſcit ſimul cum exterioribus ſenſib⁹ obiecta præſentia, communis ſenſus vocatur: Vt autem abſentia ſibi fingit quaſi præſentia, phantaſia: Vt in illis non ſenſiles rationes diſpicit, æſtimatio: Vt demum rem antea cognitam recognoſcit ſuaſque actiones repetit, memoria nominatur.

Digressio XVI. Quæ phantasiæ natura, definitioque consideratur.

Phantasiæ definitio.

ERgò vt ad phantasiam, de qua principiò dicere aggressus eram, reuertatur oratio; si eam Philoponus facultatem esse definiuit sensilium formarum per sensum susceptricem; sensiles formas nō eas intelligas, quæ ab obiectis immitti creduntur & imprimi. Non.n. formaliter definiretur phantasia, vt à cōmuni sensu distinguitur. Immò ne facultatis quidē omnino, quæ idē re cū illo sit, definitio foret. Siquidem impressio illa non in facultate, sed in organo fiat: eæque formæ in organo corporeo, nō in sentiēte facultate suscipiātur. Verùm quomodo sensū vniuersè antea dictū est faculatē esse sensiliū formarū susceptricē sine materia, eodē phantasiā quoq; illas susciperе intelligēdū est. Nimirū quatenus actione eam susciпit, qua phātasma velut sensilis rei forma producitur. HOC solū intererit, quòd sensus immediatè à sensili obiecto, phantasia intercedēte sensu formā eā susciрit. Aut à seipsa potiùs promit facultas vtraque; sed altera immediatè circa obiectum præsens, altera interueniente sensu operatur atque in seipsā illius formam cognoscendo traducit. Neque Themistii sententia prætermittēda est. Is cùm in cap. 14. anuli figuram suam tàm intimè imprimentis in cera, vt ab hac obsignata aër quoque obsignetur, proposuisset exemplum impressionis illius, quæ ab obiecto fit in sensum atque à sensu in phātasiam: Sed hæ quidem, inquit, passiones sunt in
„ animatorum corporum; in animatis autem secus
„ res habet. Nam ab his pati agere potiùs est & per-
„ fici. Perficitur autē phātasia à sensu in actum pro-
„ cedens, sicut sensus sensilibus. Quib⁹ verbis planè
Contra specierum intentionales. significat passionem & susceptionem secus omnino in cognoscentibus & inanimatis intelligendas esse: atque hæc quidem pati & sucipere formam aliūde impressam; illa verò à seipsis expressam potiùs & productam. Eadem Simplicio & Prisciano sententia. Sed quoniam pluribus hac de re in superioribus dictum est, solam adferam ipsiusmet Philoponi interpretationem. Sic enim idem
„ ipse auctor interpretatus est. Quando autem dico
„ phantasiam esse sensilium formarum susceptricē,
„ ne putes ei typos à sensilibus imprimi (à secundis
„ enim delerentur primi typi) sed tantùm rationes
„ suscipit; eorū scilicet cognitiones. Quocirca eodem prorsus modo, quo sensus ab obiectio mouetur, phantasia quoque à sensu moueri dicitur. Nō inquam naturali & propriè dicto motu: sed quatenus ille à præsente obiecto, hęc ab antecedente sensus cognitione prouocatur atque ad operandū excitatur. Quam ob causam non absolutè motū, sed quendā motū dixit. Sicut & in 2. lib. sensū non absolutè passionē, sed passionē quandā, hoc est minùs propriè esse constituit. Et prætereaverbū (videtur) apposuit (motus, inquit, quidā videtur esse). Motus.n. hic transitū quemuis à potestate ad actū significat. Et sensus cognitio forma quædā est obiecti cogniti: quæ phātasiæ proposita non minùs illā potest ad actionem suam, hoc est phantasmatis formationem ac comprehensionem, excitare; quàm realis ac naturalis forma sensui proposita ad sensionem illum extimulauerit.

Cognitionis gradus. Per hosce nāq; gradus ascendit cognitio nostra, materialem formā paulatim eleuās atq; ad immaterialē prorsus intellectionis cōditionē traducēs. forma inquā materiali, quæ in corporib⁹ coherent ad formā cognitā in sensu, ab hac ad formā à phātasia productā, quā phātasma dicim⁹; ab hac demū ad intellectilem formā, quæ est ipsa intellectio vel actus intellectæ rei intellectu cōprehensio. Vnde multiplex existit modus essendi eiusdem rei. Primum in seipsa seu in materia; dein de in cognoscēte. Alter naturalis & materialis: alter secūdùm esse cognitū & absque materia. Atq; hic rursum est triplex: in sensu, in phantasia, in intellectu. In quibus triplex forma; sensio, phantasma, intellectio. Quibus plurima atq; admirabili varietate pingitur atque ornatur anima cognoscendo; mu ltoque admirabiliori, quàm natura. Quare cùm hæ omnes facultates cognoscētes optimè inter sese connexæ sint & ordinatæ; quod accepit vna, illicò tradit alteri: solusque sensus circa externum incumbit obiectū atque ab eo mouetur; phantasia & intellectus circa internum. Illa circa id, quod sensus comprehēdit: hic circa id, quod phantasia proponit. Quo fit, vt sensus præsentia sola perlentur, phantasia & intellectus absentia quoque. Cùm etenim sensus ad exteriora porrigatur, phantasia & intellectus circa interiora versentur; sēd sensu assumpta fuerint atque interiùs traducta; comprehendi vtique possunt. etsi exteriora remouentur obiecta. Atq; hoc est, quod sensum actu operanti, hoc est cognoscentem & externum obiectum interiùs assumentem, requirit Philosophus, antequàm operetur phantasia. Nam propterea quia tus est cœcus aut surdus, de coloribus aut sono imaginari nil potest. Eandemque ob causam phātasia actu operante opus est, vt operetur intellect⁹.

Verùm si sic deinceps semper esse potest, vt antea sēsu perceptæ sæpiùs post formatur phantasma; phātasiā à sensu moueri initiò duntaxat operationis intelligendum fuerit: vt ea nequeat operari, nisi operatus antea fuerit sensus. Idque tum propter ordinem inter cognoscentes facultates seruādum, tum propter naturam illius propriam, quæ cùm ad exteriora non extendatur, præmittit sensum, quo exteriora illa obiecta intus assumantur. Post verò etsi sensus actu non sit, operabitur illa, sola hac antecedente sensus cognitione supposita. Vtrumque ex superioribus colligeretur & in prima ætate phantasiam non esse dicebatur, quòd ea esse nequeat, nisi antecesserit sensus. Et rursum tum in somnijs dum dormimus, tum in vigilia dum oculos claudimus, illam operari, etsi sensus omnino cessēt. Etenim illud quoq; quod de intellectu dicetur, eum indigere phantasia; de intellectu, qui potestate sit, qnique in rerum cognitionibus sibi comparandis versetur, intelligitur. Qui enim actu consideratur aut cognitionum habitū adeptus est, postquàm fuerit singula factus, vt verbis vtar Philosophi, per seipsū operari potest. Itaque intellectui & phantasiæ commune fuerit initiò egere sensu, vt ad operandum excitentur; tum verò etiam sine sensu operari posse. Verùm hoc differunt, quòd intellectus ad formas à materia absolutas corporeoque typo carentes transit; quòd eiusmodi ipse facultas sit. Phantasia in natura coporea & corpo reū typū habente, quæ admodū ipsa materialis est & corporea, deraneatur semper: vt sivel ea, quæ immaterialia sunt & à corpore soluta, imaginetur, per figuras & corporeas formas illa sibi proponat.

At enim

At enim si hoc est phantasia, quod Aristoteles definiuit; duæ statim sese offerunt non contemnendæ difficultates. Altera; quòd imaginamur multa, quæ nullo sensu fuerunt comprehensa; vt hircoceruum, montem aureum, & id genus plurima. Inter dormiendum verò quàm sæpè somniamus ea, quæ aspeximus nunquam nec alio hausimus sensu? Quomodo igitur phãtasia motus est à sensu factus? Altera; quòd tota hæc definitio communi quoque sensui communis est. Quippe qui ab exterioribus sensibus permouetur atque per eos sensilium formas suscipit.

Vt phãtasia formet multa, quæ nullus percepit sensus.

Quibus respondendum est; quidquid effingit phantasia, principium habere à sensu: verùm eam maiore, quàm sensus, libertate vti. Vt cùm sensus vera solùm & ea, quæ sunt, suscipiat atque illi proponat: ipsa à veris & existentibus mota & excitata, falsa item & ea, quæ non sunt, fingere valeat. Si nunquam vidimus hircoceruum, montemue aureum, sæpè vidimus hircum & ceruum, sæpè montem & aurum. Ab his igitur simplicibus formis per sensum phantasia mota coniungere illas potest sibique alia quædam effingere. In somno autem, vt antea dictum est, efficacior euadit multò; impeditis & cessantibus sensibus, à quibus inter vigilandum distrahebatur magnopere: totaque ad vnicã illam functionem collecta anima, liberiùs multò potest ea coniungere ac variis modis formare, quæ per vigiliam hausit. Præsertim verò cùm eo tempore vigente calore ac plurimùm coquente, vehementior sit vaporum motus in corpore & animali spiritu: quo turbulentiore facto vel minima videntur esse maxima, si aut pituitæ defluxione, aut humore quouis excedente, aut parte corporis quapiam calidiore facta, aut quoquo modo tacta, aut tenuiore sono in auribus excitato, vel leuissimus tunc in sensu corporeue motus fiat; ad mira prorsus fingenda prouocatur. Hæc prioris dubitationis solutio est.

A quo sensu moueri dicatur phantasia.

In posteriore autem permulti laborant, qui sensum, à quo phantasia dicitur permoueri, exteriorem interpretantur. Quare cùm id communi quoque sensui videant esse commune, quod de phantasia dicitur; Aristotelicæ definitioni addunt ex tex. 162. (secundùm quam animalia viuunt) aut (similis sensibus). Quod dum faciunt, mancam & imperfectam philosophi definitionem proclamãt. Ergò cùm in superiori tota disputatione, qua phantasiam probauit sensum non esse, tum exteriores particulares, tum interiorem communem comprehenderit; omnem inquam facultatem, quæ circa præsentia solùm versatur; vterque hoc quoque loco intelligendus est. Atque ita Philoponus & cæteri Græci interpretati sunt. Non solùm enim exteriores, sed & interiorem cum illis operantem phantasia supponit. Immò communem magis, quẽ proximè & immediatè consequitur. Præsertim cùm ab eo potissimùm distinguenda phãtasia esset. Quocirca propria illius est hæc definitio (Motus factus à sensu actu. Nam intellectio præterquàm quòd minùs propriè motus diceretur; non à sensu, sed à phantasia potiùs excitatur. Sensus communis ab exterioribus quidem particularibus mouetur: At illi exteriores & particulares sunt, absolutè sensus non sunt. Dicesque sensum quidem cõmunem esse motum ab exterioribus & particularibus sensibus factum; sed absolutè & vniuersè motum esse à sensu factum non dices. Deinde communem sensum, qui accuratè & subtiliter lõqui voluerit, non affirmabit à particularibus sensibus aut per eos inter medios moueri: sed simul cum illis operari. Mouetur namque à præsente obiecto, dum ipse quoque non nisi circa eadem illã præsentia versatur, in quæ particulares incumbunt sensus. Siquidem hæc simpliciter & seorsim hi apprehendunt; ille simul percipit distinguitque. Phãtasia verè à sensu & per sensum mouetur: quoniam absentia considerat, atque antecedentẽ sensus cognitionem supponit, actumque sensu posteriorem habet. Vt dum moueri à sensu dicitur, tum causam mouentem, tum temporis ordinem, hoc est post sensum, intelligere liceat. Primùm enim sensus obiectum præsens comprehendit; tum illius phantasma & imaginem interiùs sibi phantasia effingit.

Phantasia & sensus communis distinctio.

Hactenus certè phantasiam à communi sensu discernere facile est; quatenus hic circa præsẽtia solùm versatur, illa circa absentia item omni sensu cessante operantur. Difficilius multò, cùm sensibus adsunt sensilia, præsentiumque nobis efformamus simulachra. Themistium meritò reprehẽdit Philoponus phantasiam dicentem simul tunc & eodem tempore operari cum sensu. Nam si rem vt est consideres; nec circa idem omnino versari, nec eodem tempore operari eam intelliges. Sensus in externum incumbit sensile atque ab eo mouetur: phãtasia in interiorem illam formam, quam suscepit sensus. Illius operatio antecedit, à qua moueri phantasiam oportet: post operatur & ipsa, licet sensibus adhuc præsens obiectum, perseueret. Quod per omnes horas experimur in nobis, dum oculis fixis intuemur quidpiam. Quippe non simul videmus & imaginamur; sed vnum necessariò supponit alterum. Primumque oculis formam illius suscipimus, deinde phantasma interiùs formamus. Et quamuis perseueret visio; prior tamen illa antecessit sensio, quæ phantasiam mouit. Hoc verò confirmant ea, quæ apud Aristotelem legimus. Vt illud in cap. 8. libri de sensu & sensili; plura simul sentiri non posse; quoniam maior motus minorem impedit & excludit. Vehementiorem autem sensus, quàm phantasiæ, motum esse; ostendit illud, quod est in cap. 3. libri de somniis: Vbi vehementiorem inter dormiendum phantasiam esse, hoc ostenditur argumento; quòd hæc dum vigilamus, à vehemẽtioribus sensuũ motionibus obscuratur. Et in libro de diuinatione per somnũ cap. 2. idiotis hominibus diuinationes ait per somniũ accidere: & ecstaticos futura præsagire; quòd illorum mens vacua sit, minimeq; curis & occupationibus occupata facilè quauis motione impellatur: hi verò propriis motibus non infestẽtur, & ideò incurrentes externos faciliùs sentiant. Ex quibus omnibus constat functionem vnam animæ alteram impedire; nec eam simul posse exquisitè sentire & accuratè imaginari, sed vnam harum operationum antecedere, alteram subsequi. Verùm quæ post hæc de operatione hac ipsa phantasiæ subiungat philosophus videamus.

phantasia & sensum non simul operari.

TEXTVS.

Καὶ πολλὰ κατ' αὐτὴν καὶ πάσχειν καὶ ποιεῖν καὶ πάσχειν τὸ ἔχον, καὶ εἶναι καὶ ψεύδη καὶ ἀληθῆ. τοῦτο δ' συμβαίνει διὰ ταῦτα.

Et multa per ipsam & facere & pati quod eam habet: esseque & vera & falsa. Hoc autem propter hæc euenit.

COMMENTARIVS LXIII.

QVoniam postrema hæc verba (hoc autem propter hæc euenit) aut ad antecedentia referri queunt, aut ad subsequentia: duobus item modis hunc locum accipies. Aut tanquàm ex superioribus deductum, aut quasi absolutè propositum. Vtroque modo perbellè accidit, propositæque definitioni adiungitur. Sanè in tex. 11. primi huius operis libri, & tex. 31. lib. quarti Physicorum bonæ ac scitæ definitionis traditum est illud argumentum esse; si ex ea cognosci facilè, & colligi possunt ea, quæ rei definitæ insint. Nunc igitur post phantasiæ propositam definitionem quædam commemorat, quæ illam consequuntur atque ex definitione posita intelliguntur, aut etiam nascuntur. Et quoniam bonæ definitionis illud item est, vtres, quæ definita est, separetur à cæteris ac distinguatur; simul etiam significare voluit, quomodo phantasia distinguatur à sensu. Quod certè faciendum erat magnopere: siquidem tantam habet cum eo cognationem, vt & definita fuerit motus à sensu factus; & solis insit sentientibus, nec sine sensu; & circa sola sensilia, quemadmodum sensus, occupetur; ac demum persimilem illi motum habeat.

Phãtasia cum sensu cognatio.

Duo itaque siue colligit, siue affirmat. Primum est; animalia, quæ phantasiam habent, multa per eam facere & pati. Alterum; eam esse veram & falsam: non quidem simul & eodem tempore (namque hoc fieri non potest; & hoc ipso argumento non multò ante probatum est sensus eam & opinionis complexionem non esse) sed interdum veram, interdum falsam. Horum enim vtrumque propter hæc, quæ in inuestiganda & colligenda illius definitione dicta sunt, nimirum euenit, aut certè ex illis intelligetur. Quoniam inquam phantasia motus est à sensu factus, multa per illam & facimus & patimur. Patimur, dum ea à sensu mouetur: facimus, dum à sensu excitata effingit sibi simulachra multa, vel earum rerum, quæ non sunt. Quare cùm non solùm ea, quæ sunt; sed ea etiam, quæ non sunt, imaginari possimus; ab illis, quę sunt, patitur phantasia: quoniam ea per sensum suscipit atque ab illis verè mouetur. Ab iis verò, quæ non sunt, pati nõ potest: sed illa facit ipsa & efformat sibi.

Quo modo phãtasia patiatur & agat.

Simplicius autem quodam alio intellexit modo. Pati quidem, quoniam mouetur à sensu; facere autem, quia cùm fuerit mota, excitatur quoque à seipsa, nec solùm patitur motionem sensus suscipiendo, sed agit quoque cognoscendo atque actum suum promendo. Cæterum hoc phantasiæ proprium & peculiare non est: sed sensus item patitur ab obiecto, & ad illius cognitionem à seipso excitatus agit. Ad rem magis illud videbitur; eam facere, quia mouet animalia plurimarumque in illis operationum principium est. Immò Philoponus & facere & patianimalia dixit per phantasiam, dum per illam operantur. Et ideò multa, & non omnia: quoniam alia permulta non per illam fiunt. Siquidem & animalia quædam ea carent: & illa ipsa, quæ habent, non per eam operantur & patiuntur permulta: vt cùm dormientes aut etiam coëuntes emittunt semen. Verùm ne id quidem ad hunc fortasse locum pertineat. Siquidem paulò post subiiceret, multa per illam operati animalia: neque credendum est tam breui oratione bis idem repeti.

Dixit Philosophus, non omnia, sed multa. Non quòd perfecta hæc & distincta phantasia, de qua nunc sermo, quæque formare phantasmata potest, non omnibus animalibus insit (aperte namque ut illis solis loquitur, quæ illa prædita sunt; hæcque multa facere affirmat ac pati). Sed quòd non omnia phantasmata moueãtur à sensibus: verùm quædam alia integrum illi sit fingere; vt cùm hircoceruum aut hippocentaurum efformat. Multa igitur per eam patimur, dum ea, quæ sunt, & à quibus per sensum mouemur, imaginamur. Et multa item facimus; dum alia, quæ non sunt, ipsimet fingimus. Quòd si quis Philosophum obiiciat non de actione & passione phantasiæ loqui; sed illius, quod phantasiam habet: meminerit is iampridem affirmatum fuisse in tex. 66. lib. primi, cogitare, amare, odisse, aliasque id genus operationes non animæ, sed habenti tribuendas esse. Hanc opinor egoveram esse horum verborum sententiam.

Ex qua alterum quoque illud consequitur, phantasiam interdum veram esse, interdum falsam. Veram, cùm sensum sequitur eaque formatur, quæ sunt, & ad quæ mouetur à sensu: falsam, si alia quæpiam, quæ non sint, ipsamet fingat. Veram inquam, si hircum aut ceruum, equum aut taurum comprehendat; quoniam tale huic phantasmati respondet animal in natura: falsam, si hircoceruum aut hippocentaurum, & omnino coniuncta, quæ in natura subsistunt separata.

At cùm lineam latitudine indiuiduam, punctum impartibile, globum tangentem planum in puncto imaginamur; veráne an falsa fuerit phantasia? Vera vtique. Nam principiis hisce mathematicæ disciplinæ, quæ verissimæ sunt ac certissimæ, vtuntur plurimùm, iisque ferè consistunt. Quippe etsi in naturalibus corporibus non ita cohæreant res tamen est lineæ, ea puncti, globi & plani natura. Falsa esset, si ita in rebus existere imaginaremur: quoniam secus, quàm est, imaginaremur. At dum abstrahimus ab existentia, solamque harum quantitatum naturam talem, qualis ipsa est, imaginamur, verè profectò imaginamur.

Iam verò his ipsis duabus rebus, quæ commemoratæ sunt, à sensu distinguitur phantasia. Primùm, à præsentibus solùm, & iis, quæ sunt, mouetur & patitur sensus. Nihil ipse aliud effingit; neque ea, quæ non sunt, comprehendit. Deinde neque verus est & falsus; sed semper verus, aut vix vnquam falsus. Hoc enim est, quod statim subiungit.

TEXTVS.

Ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθὴς ἢ ἥκιστα ψεῦδος.

Sensus propriorum quidem verus est, aut minimum habens falsum.

COM-

COMMENTARIVS LXIV.

VErba illa proximè superiora (hoc autem propter hæc euenit) tum ad antecedentia verè dixi posse referri, tum ad consequentia. Ad antecedentia quidem; tum quòd illa duo, quæ de phantasia post eius definitionem adiunxit, ex ea pendent definitione: tum quòd in textu quoque 158. simili loquendi modo vsus est; quem ad antecedentia pertinere certum est. Hoc modo si ea accipiantur; quæ nunc sequitur oratio, explicabit modum, quo ad veritatem & falsitatem se se habeat sensus, quóque hac ex parte distinguatur à phantasia, quam veram & falsam esse absolutè prodidit. Ad consequentia verò si eadem illaverba trahantur, id fortasse oratio hæc significabit, quæ tam est absoluta & omni carens particula, quæ copulandi & continuandi vim habeat; vt si antecedentium probatio esse videatur, verbaque illa subsequentem hanc explicationem respicere; optimè & cum superioribus cohæreat, & accommodatè exponatur.

Quod ergò phantasiam dixerat veram interdum esse, interdum falsam, explicare nunc aggreditur. Simulque ostendit quemadmodum ea hoc nomine à sensu differat. Quod eò magis explicandum erat, quòd cùm phantasiam antea probaret nec sensum esse, nec scientiam, nec intellectum; hoc argumento non semel vsus est; quoniam sensus, scientia, & intellectus semper sunt veri, phantasia sæpè falsa: neque huius rei causam vnquàm aperuit. Cùm autem tria potissimùm in ea considerentur. Primùm motio & excitatio à sensu facta. Deinde operatio, quæ à propria ipsius virtute proficiscitur. Postremò obiectum, circa quod ea versatur. Sane ex his omnibus eius, quod quæritur, ratio adferri poterit. Tum inquam ex propria ipsius vi & natura: Tum ex obiecti, in quod incumbit, conditione: Tum demum ex eo, quòd mouentem & excitantem sensum sequatur. Ex propria quidem virtute; quoniam liberior multò est, quàm sensus. Quippe hic præsentia solùm & ea, quæ sunt intuetur: illa fingere quoque potest absentia & quæ nusquàm subsistunt. Ex obiecti autem conditione; quia mutabile est & inconstans: dúque sensu præsens antea perceptum absens post phantasia cognoscitur; sæpè fit, vt mutatum sit, nec eodem tunc se habeat modo. Duas hasce rationes philosophus prætermisit hoc loco. Siue quòd satis antea explicatæ fuissent, dum phantasiam à sensu diuersam esse probaret. Siue potiùs quòd phantasiam non quouis modo consideraret; sed solùm vt est motus à sensu factus: atque ex ipsius definitione proposita rationem eorum, quæ insunt illi, vellet exponere. Tertium igitur caput accipit; atque ex eo, quòd mouetur à sensu, isque motus sensui similis est, ita ratiocinatur. Phantasia mouetur à sensu eumque mouentem sequitur; similis illi efficitur, & eadem, quæ sensus, percipit: sensus interdum verus est, interdum falsus; igitur illam quoque tum veram tum falsam fieri necesse est.

Phantasia est sæpè falsa.

Sensum porrò vt ostendat quomodo verus sit & falsus; vtque hoc cum eo constet, quod sæpiùs antea dictum est, & verò etiam adductum ad probandum phantasiam sensum non esse; sensum inquam semper esse verum: triplex obiectum sensus accipit in superioribus sæpius distinctum; proprium, commune, & ex accidenti. Circa quæ ita versatur, vt circa propria non semel antea & in libro de sensu & sensili ca. 4. & in tex 24. lib. 4. Metaph. & aliis in locis absolutè dicatur semper esse verus, nunquam falsus. Nunc autem caute magis loquens, inquit Philoponus, aut semper verus esse, aut vix & quàm ratissimè errare affirmetur. Ego vtrumque verum esse arbitror. Nam si organum & medium benè habuerint, fueritque distantia mediocris, & quantitas item obiecti conueniens; semper vtique verus erit. Si quid tamen eorum defuerit, interdum falsus. Neque enim omnes erroris causas Philoponus attigit, cùm obiecti paucitatē proposuit. Siquidem præter hanc organi quoque prauam dispositionem habes in tex. 104. cùm ægrotantibus dictum est omnia videri amara, quòd huiusmodi humore perfusam habeant linguam; solemque propter nimiam distantiam videri pedalem, non multo antea prodidit. Quin & medium sensionibus varietatem magnam & interdum errorem adferre manifestum est; cùm remum in aqua fractum iudicamus. Propterea verò alibi absolutè semper verum, hìc interdum falsum dixit: quòd alibi eum absolutè & secundùm suam naturam operantem considerauit; erroríque causam vidit penes ipsum non esse, cum sit semper aptus benè operari; si ea, quę adesse oportet, opportuna adsint. At nunc non absolutè & quatenus suapte natura comparatus est ad operandum; sed vt re ipsa operatur. Vbi errorem nonnullum obuenire animaduertit; non ipsius culpa, sed eorum aliquo, quæ ad operandum necessaria erant, subtracto. Quare culpam, quæ illius non est, aliis in locis, vbi de ipso absolutè agebat, prudenter prætermisit. Nunc autem non item. Quoniam ad phantasiam in errorem inducendam perinde erat, siue ipsius, siue alterius culpa erratum fuisset.

Sensus vt semper verus, aut interdū falsus.

TEXTVS.

δεύτερον δέ, τὸ ᾧ συμβεβηκέναι καὶ τοῦτο καὶ ἐνταῦθα ἤδη ἐνδέχεται διαψεύδεσθαι· ὅτι μὲν γὰρ λευκόν, οὐ διαψεύδεται· εἰ δὲ τοῦτο τὸ λευκὸν ἢ ἄλλό τι, ψεύδεται.

Secundo autem loco eius, cui & hæc accidunt. Et hìc iam contingit esse falsum. Quod enim album sit, non est falsus. Si verò album hoc aut aliud quidpiam, falsus est.

COMMENTARIVS LXV.

SEcundo loco sensile illud adfert, quod ex accidenti sensile dicitur. Hoc inquam secundo loco commemorat ante sensile cōmune, quod item est per se; quoniam sensili proprio definiendum erat. Quippe sensile ex accidenti definit esse id, cui propria sensilia accidunt. Hoc autem est indiuidua substantia, vt Græci omnes intellexerunt. Nam etsi duplex ex accidenti sensile traditum fuerit in tex. 134. tum substantia, tum sensile propriū vnius sensus comparatione alterius. Nec solùm substantiæ accidens, sed accidenti quoque substantiam, & vni accidenti aliud accidens dicamus accidere; vt tum eo loco, tum ad textum 65. adnotaui. Nunc tamen solam substantiam intelligi

Sensile ex accidenti quid.

manifestum est. Quia si proprium sensile vnius sensus comparatione alterius intelligi voluisset, non dixisset (cui hæc accidunt) omnia scilicet sensilia propria: sed potiùs (cui horum aliquid accidit) Illud etiam huius rei fuerit argumentum, quòd vt hoc loco subiungit, circa sensile hoc ex accidenti errare sensum; ita etiam dixerat in tex. 63. immò ex illo priori loco acceptum videtur. In quo sanè de sola substantia sermo est. Tum quòd verba illa (non errat, quòd color sit, sed quid sit coloratum) substantiam apertè corpus coloratum significant. Tum quòd substantia est, quæ sensili vniuersè considerato, de quo ibi agebatur, accidit: vnum autem sensile proprium si alteri accidat, non vniuerso, sed huic vel illi sensili accidit. Et certe cùm neque ibi, neque hîc de sensibus in specie, sed vniuersè solùm ageret; satis erat illud solum ex accidenti sensile adferre, quod sensui accidit vniuerso; prætermissis illis, quæ huic vel illi sensui accidunt. Præsertim cùm ea propriorum sensilium nomine fuissent iam comprehensa. Cumque dictum esset, errorem in illis vix obuenire; non poterat statim absolutè addi, in illis iam falsitatem contingere. Nam qui in illis fallitur, aut est proprius illorum sensus, comparatione cuius ex accidenti sensile est; aut sensus vniuersè sumptus, aut communis interior sensus, aut phantasia, ad quam tota hæc consideratio refertur. Proprius illorum sensus, aut semper verus est, aut rarissimè falsus. Alter particularis sensus nullum circa illa producit actum, nec omnino cognoscit, neque verè neque falsò. Siquidem nulla facultas nisi circa suum obiectum agit. Sensus vniuersus, aut is, qui communis est, aut demùm phantasia, decipi & errare non possunt, vbi exterior & proprius sensus fuerit verus. Nullo igitur modo de illis, sed de substantia, velut propriorum subiecto, intelligenda sunt illa verba. Quod ea planè confirmant, quæ velut ad illorum interpretationem subiiciuntur; iis prorsus similia, quæ ex textu 63. paulò ante posita sunt. Quid enim illud? (quòd album sit, non est falsus; si verò album hoc aut aliud quidpiam, falsus est). An non subiectum albore delinitum significat? Quod in priore loco coloratum, hîc album nominauit. Album inquam verè cognoscit; sed errabit fortasse putans esse lac, & erit spuma aut nix: vel credens esse Socratem & erit Plato.

TEXTVS.

Τρίτον δ', τῶν κοινῶν καὶ ἑπομένων τοῖς συμβεβηκόσιν, οἷς ὑπάρχει τὰ ἴδια. λέγω δ', οἷον κίνησις καὶ μέγεθος, ἃ συμβέβηκε τοῖς αἰσθητοῖς, ὧν ἐνδέχεται καὶ ἄνευ τοῦ αἰσθητοῦ εἶναι καὶ τῶν αἰσθητῶν.

Tertiò autem communium & eorum, quæ accidentia sequuntur, quibus insunt propria. Vt motum inquam & magnitudinem, quæ sensilibus accidunt. Circa quæ maximè iam sensus errare potest.

COMMENTARIVS LXVI.

TErtiò tandem addit sensilia communia, vt motum & magnitudinem. Hæc autem definit esse, quæ accidentia sequuntur; hoc est quæ in diuersas substantias insunt, quam ex accidenti sensilem esse dixit. Propterea enim ne accidentia proprie intelligeres; sed ea, quæ ex accidenti sensilia sunt; adiunxit illud (quibus insunt propria. Itaque minimè accommodatè interpretatus est hunc locum Themistius; cùm communia hæc τοῖς ἰδίοις συμπαρόμενα, hoc est propriis appensa & annexa dicens, accidentia exposuit sensilia propria. Tum verò si addideris ea, quæ in tex. 135. habita sunt; cognosces profectò communia hęc sensilia duobus modis consequentia appellari. Tum comparatione propriorum, cum quibus semper confunduntur, sunt, quorumque primò cognitorum cognitionem velut secundariò sensilia consequuntur. Sic enim priore illo in loco ἀκολουθοῦντα nominauit, vt maximè verba illa testantur; διὰ τὸ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις ἅμα κίνημα καὶ μέγεθος, quòd simul vicissim se consequantur color & magnitudo). Tum verò substantiæ quam consequuntur. Et ideò ἑπόμενα nunc dicuntur. Et ex omnibus motus & magnitudo nominantur; quia sunt prima naturalium & sensilium corporum accidentia; illæ ratione formæ, hæc materiæ. Atque ad illa reuocantur cætera, ad motum quies, ad magnitudinem figura, vnitas & numerus.

Cæterùm verba illa (circa quæ maximè iam sensus errare potest) difficultatem habent. Cùm enim sensilia hæc communia afficiant & moueant sensum, quem nullo modo afficiunt nec permouent ea, quæ ex accidenti sentiri dicuntur; quónam modo maximè circa communia erret sensus? Deinde in tex. 135. ea nobis certiora esse hoc argumento affirmauit, quòd pluribus sentiuntur sensibus. Propterea Simplicius hæc verba non de solis communibus cum propriis & iis, quę ex accidenti sunt, comparatis; sed tum de illis, quæ ex accidenti sentiuntur, tùm de communibus per comparationem ad propria interpretatus est: circa hæc inquam duo sensilium genera maximè sensum errare, vix vnquàm circa propria. At illud obstat, quòd de illis, quæ ex accidenti dicuntur, affirmatum iam fuerat, circa ea errare perfæpè sensum; nec erat opus iterum dicere. Quin potiùs vt de illis seorsim dixerat, ita & de communibus dicendum seorsim relinquebatur. Veriùs ergò Themistius & Philoponus de his solis intellexerunt. Et apud Themistium quidem erroris tempus, & causam reperies; cùm id, quod plurium sensuum opus erat, eorum vni cuipiam committimus. At quomodo circa hęc magis, quàm circa illa, quæ sunt ex accidenti, erretur, expositum ab eo non est. Quòd fortasse non eorum, quæ ex accidenti sentiuntur, sed propriorum duntaxat comparatione, in communibus hisce errare nos dici existimaret.

Philoponus autem cum vtrisque comparationem fieri arbitratus, in ea difficultate explicanda laborat plurimùm. Eoque deducitur, vt duplici ex accidenti sensili distincto; indiuidua scilicet substantia, quæ nullo sensu per se sentitur, & sensili vnius sensus proprio comparatione alterius; de priore dicat superiùs affirmatum fuisse, certiorem esse communium sensum, quàm eorum, quæ ex accidenti sentiuntur. A communibus enim magis afficitur; immò ab indiuiduis substantiis omnino nihil. De posteriori autem nunc pronuntiari; errare magis sensum circa communia. Quoniam id, quod propinquius est illi, quod est semper verum,

rum, verius est eo, quod longiùs ab illo distat: quod autem est alio sensu sensile, sensilibus propriis cognatum magis est, quàm sint communia. Neutrum enim illorum à materia separabile est, quemadmodum separantur communia, dum in mathematicis disciplinis absque materia intelliguntur.

Hæc optimi alioqui interpretis expositio nulla ex parte probanda est. Primùm enim non reperio, vbinam antea fuerit dictum, communia iis, quæ sunt ex accidenti, certiora esse. Sed solùm in tex. 135. minùs latere nunc affirmauit pluribus sensibus cognita, quàm si vnico sentirentur sensu. Quòd si id colligatur ex eo, quod in tex. 133. & 134. probauit sentiri per se quia sentiuntur per motum, quem inferunt sensui; dum ea, quæ ex accidenti vocantur, nihil omnino mouent. Verè quidem colligetur: Siquidem hæc ipsa est causa, cur circa propria erremus minimè: non solùm quia propria sunt, iisque maximè constituitur & determinatur sensus. Verùm multò magis quòd plurimùm sẽsilia sint, & primò sensilia, vehementissimeque agant in sensum: quam ob rem si remotiora sint & minùs agant, fallax consequitur sensus. Eo tamen loco non de substantia modò indiuidua sermo est, sed vniuersè de omni sensili ex accidenti. Immò duplex ibi distinguitur; Cleonisque filius nominatur, & dulce profertur comparatione aspectus ac poprium vnumquodque comparatione alterius sensus, cuius proprium non est. Iam verò non de substantia indiuidua, sed de propriis sensuum aliorum sensilibus dicere sermonem esse; tum Aristotelis verbis aduersatur, tum ipsiusmet Philoponi interpretationi. Cùm enim secundo loco sensile ex accidenti illud dicitur, cui propria sensilia accidunt; & rursum tertio loco sensilia communia consequi ea, quæ sunt ex accidenti, quibus insunt & propria: an non indiuiduæ substantiæ vel ipsomet Philopono interprete significantur? Ratio præterea, qua communium sensum probauit magis fallaçem esse, quàm eorum, quæ ex accidenti posteriori modo dicuntur; fallax prorsus est. Tum quòd si communia abstrahuntur à materia, mente abstrahuntur; non sensu, qui omnia in materia sensili cognoscit. Mens verò non communia solùm, sed & propria abstrahit, dum vniuersam coloris aut soni cæterorumue naturã considerat. Immò inter accidentia omnia vt in rebus existunt sensuque percipiuntur, nullum est cum materia magis coniunctum, quàm quantitas; quæ tanquam illius proprietas eam primò & immediatè consequitur. Tum verò, dum de propinquitate & cognatione sensilium quæritur; aut ea in ratione entis considerari potest, aut in ratione sensilis. In ratione entis communia sensilia propinquiora sanè sunt & magis connexa cum propriis, quàm sit vnum proprium cum alio proprio. Illa enim prior connexio necessaria prorsus est: siquidem nullus color nec eiusmodi aliud sensile proprium esse potest, nisi quantum sit & figuratum, motum aut quiescens, vnum aut multa. Hæc autem posterior accidentaria prorsus. Quæ enim coloris & soni, sonique & odoris connexio? In ratione autem sensilis, quatenus inquam afficiunt sensum; maior quidem est duorum propriorum cognatio, quatenus vtrumque proprium est & ad suum sensum refertur. At nunc comparatione eiusdem sensus considerantur; tatenus vnum est proprium, alterum ex accidenti: atque hoc modo magis cum proprio conuenit commune, quod sensum mouet ac per se sensile est, quemadmodum proprium; quàm id, quod nullo modo afficit sensum, sed ex accidenti solùm sentiri dicitur. Quam ob causam idem ipse Philoponus in commentario tex. 133. sensilia propria dixit per se primò sentiri, communia per se secundariò; quæ ex accidenti, nullo modo. Immò inquit in commentario tex. 65. opus habent ratiocinatione, vt cognoscantur; & ideò à solo homine, non à bestiis, percipiuntur.

Sensilia communia magis connuncta esse cum propriis, quàm vnum proprium alio.

Hæc aduersus Philoponum satis. Ex quibus intelligas, quod à philosopho nunc de sensilibus communibus dictum est (circa quæ maximè iam sensus errare potest) non comparatione tum propriorum, tum eorum, quæ ex accidenti sentiuntur, pronuntiatum fuisse; sed comparatione propriorum duntaxat. Cùm enim in his dixisset sensum aut nunquam aut rarissimè errare: tum de iis, quæ ex accidenti; tum de communibus, seorsim de singulis, sensum adiunxit in illis errare. Quòd si quis obijciat aduerbium illud (maximè) quod plurium comparatione dici videtur: id sciat fuisse additum quasi oppositum alteri illi, quod de propriis affirmauerat, vt in propriis ἐλάχιστον minimùm ac rarissimè; in communibus μάλιστα, maximè & sæpissimè errare nos intelligeremus.

Phantasia vt vera & falsa.

Iam verò, si hæc omnia, vt antea dixi, eò spectant, vt phantasia quoque, quæ à sensu mouetur, interdum vera, interdum falsa esse ostendatur; quia sensus modò verus, modò falsus existit; verus circa propria fere, falsus circa communia & quæ ex accidenti. Consequens erit phantasiam item circa propria, quandiu operatur simul cum sensu (simul inquam, vt antea positum est facultates hasce operari posse, non eodem tamen planè momento temporis; sed phantasia quidem actum suum promente post sensum, dum tamen huic quoque præsens adest obiectum) si sensus sit verus, esse veram; si falsus, falsam. Quare plerumque vera, rarò falsa erit. Quòd si non simul cum eo agat, sed quidpiam aliquantò antea sensu perceptum imaginetur, fallitur sæpiùs; quòd secus res habeat, quàm haberet antea. Itaque cùm phãtasia dicitur imitari sensum, de ea dicitur, quæ fit cum sensu. Quodque in tex. 156. traditum est, sensum semper esse verum, phantasiam persæpè falsam; de propriorum sensu intelligas; deque phantasia, quæ non præsente sensu, sed procedente tẽpore sensuque cessante operatur.

Phantasia duplex.

Atque hæc est duplex phantasia à Philopono distincta. Altera, quæ suscipiat formas. Altera, quæ effingat quod vult. Illa semper vera, hæc sæpè falsa. Non enim duplicem facultatem intelligere debes, sed duplicem operandi modum. Alterum præsente obiecto, quod per sensum moueat suamque formam cognitam quasi imprimat. Alterũ eo absente neque mouente, sed phantasia sola operante. Circa communia verò & quæ ex accidenti, siue absens sit sensus, siue præsens, falsa persæpe est. Quia etsi adsit sensus, errat is tamen in his persæpè. Atque vt vno verbo dicam; dum ea imaginatur, quæ sensu compræhenduntur, similis illi efficitur, quem planè sequitur: estque sensus tum veri, tum falsi auctor. Sin autem ea potestate vtatur, qua absentia quoque & quæ sensu non sentiuntur, fingere potest; crebior multò subest error: aut ipsius culpa, quæ nimia libertate vagatur: aut obiecti mutabilitate & inconstantia.

Quamquàm hanc fingendi ea, quæ non sunt, at-

que à sensu discendendi libertatem verè fortasse dixit Simplicius humanæ phantasiæ, quæ propter rationis consortium multò perfectior existit, pro-

Phãtasia tres gradus.

priam esse: bestias tantopere vagari non posse. Sic enim tres in natura phantasiæ gradus agnoscens. Primum imperfectum, indeterminatum, & indistinctum: qui in omnibus vel abiectissimis animalculis ineſt; dum à præsenti iucundo aut molesto permota prosequutionem aut fugam imaginantur. Alterum perfectum quidem, determinatum, & distinctum: qui in perfectioribus distinctas rerum, quæ sunt, siue præsentes sint, siue absentes, imagines format. Tertium perfectissimum atque efficacissimum hominis proprium; qui non solùm absentia, sed ea quoque, quæ non sunt, fingit. Verè namque circa non ens versari rationis proprium esse videtur; solique illi sensui, qui rationi proximus est & cum ea coniunctus, quoquo modo concedi posse: non vt omnino non entia comprehendat; sed vt plura entia copulando, vt hircum & ceruum, non ens effingat, hircoceruum.

TEXTVS.

Ἡ δὲ κίνησις ἡ ἀπὸ τῆς ἐνεργείας γιγνομένη, διοίας τῆς αἰσθήσεως τῆς ἀπὸ τούτων τριῶν αἰσθήσεων. καὶ ἡ μὲ παροῦσης τῆς αἰσθήσεως ἀληθὴς αἰεὶ ἔσται, καὶ παρούσης, καὶ ἡ πούσης, μᾶλλον δὲ ψευδὴς καὶ μᾶλλον, ὅταν πόρρω τὸ αἰσθητήριον ᾖ.

Motus autem ab actu factus differt à sensu, qui ab his tribus sensibus. Et primus quidem præsente sensu verus: alij autem & præsente & absente fuerint vtique falsi: ac præsertim cùm procul abest sensile.

COMMENTARIVS LXVII.

PHantasiam à sensu differre ostendit. At quorsum? duas opinor ob causas. Primùm quoniam ex iis, quæ dicta sunt, tum phantasiam esse motum factum à sensu; tum eã esse illi similem, circaque eadem obiecta versari, eiusque veritatem & falsitatem imitari; suspicari quispiam potuisset nihil eam à sensu differre. Deinde vt propositam phantasiæ definitionem confirmaret. Idcircò enim cùm duplex discrimen adferat, primum ex ea definitione petitur. Nam si phantasia motus est à sensu factus, cùm effectum à sua causa & motum à mouente diuersa esse oporteat; phantasia vtique à sensu diuersa fuerit. Itaque quo modo Philoponus phantasiam audiens differre à sensu, conuenientiam illorum & communitatem affirmare potuerit assignari; ego quidem certè non video. Neque magis intelligo, cur verborum ordinem turbet. Sic enim legendum ait; Motus ab actu factus, qui ab his tribus sensibus excitatur, differt ab omnibus sensibus: cùm Aristoteles ipse alio planè intellectu orationem suam disposuerit. Motus, inquit, ab actu factus, hoc est phantasia, quæ motus factus à sensu actu definita est; à sensu eam mouente, qui est ab his tribus sensibus (sensum pro sensili posuit: nec mirum, cùm de sensu & sensili actu loquatur, quorum vnum & eundem re actum esse antea demonstrauit) hoc est à propriis, ex accidenti, & communibus; hoc est ab omni sensu diuersa est. Siquidem triplex hoc obiecti genus sensum omnem comprehendit; omnisq; aut proprij, aut accidentarij, aut communis obiecti est.

Phãtasia & sẽ-

Quibus paucissimis verbis tum hæc differre asserit, tum differentiam ostendit; quòd sensus sit causa, phantasia effectus; ille agens & mouens, hæc patiens & motum. Tum eam ex definitione colligens, & essentialem atque intimam esse demonstrat, & definitionem illam confirmat vt optimam. Alterum discrimẽ est; quòd sensus præsentia solùm sensilia sentit, phantasia absentia quoque imaginatur. Cognitionem porrò, quæ absentium itẽ esse potest, differe constat ab ea, quæ præsentium duntaxat est.

At cum hoc duplici discrimine similitudinem & conuenientiam adiungit; quòd & sensus & phãtasia circa sensilia propria aut semper verè iudicant, aut quàm rarissimè fallæ. Circa ea verò, quæ sunt accidenti, aut communia, vt sensus errat persæpe; sic phantasia (siue cum sensu, siue eo cessante operetur) modò vera est, modò falsa. Eoque facilius errabit, si procul fuerit obiectum, & minùs validè si clarè moueat. Hoc nimirum sibi vult illa verba primus præsente sensu verus est. Primus inquam motus circa sẽsilia propria factus, hoc est priorum phantasia: quam tum motum appellat, quia ita definita fuit; tum primum motum: siue quòd superioribus verbis cùm triplex sensilium genus commemoraret, primo loco posuit propria: siue quòd hęc prima sensilia sunt, quæ per se primò & afficiũt sensum & phantasiam mouent; communia secundariò; & ideò ἀκολουθίᾳ nominata fuerunt: quæ verò ex accidenti, ideò solùm sentiri dicuntur, quòd sentiantur propria. Ac rursum illa (alij autem reliqui scilicet duo motus eorumque phantasia; quæ ex accidenti aut communiter sentiuntur.

Quòd verò ait sensu præsente phantasiam operari, causa (inquit Philoponus) Themistio fuit existimandi phantasiam & sensum simul operari posse. Verùm id perinde accipiendum est ac si dixisset, statim atque sensus præsens fuerit, aut præsente adhuc obiecto sensili, nulla longiore mora interueniente. Illud porrò ab eodem Themistio veriùs scriptum fuit in eodem cap. 14. suæ paraphrasis; Quoties sensus circa sensile agit, toties & phantasiam operari. Nisi tunc motionem sensus perciperet, nequaquam eadem illa obiecta cessante sensu efformare sibi atque imaginari posset. Præsente igitur sensu excitatur illicò phantasia, inquit Simplicius; tametsi id nos interdum lateat. Aut propter sensus vehementiam, quæ tantopere occupat animam, vt in eam vnam actionem incumbat tota. Aut quòd longiùs distet obiectum, ab eoque nimis tenuiter motus sensus minùs phantasiam moueat. Horũ vtrorumque vbi cessauit sensus, nec recordamur, nec phantasmata formamus; sed eorum, quæ operante sensu imaginati quoque fumus.

TEXTVS.

Εἰ οὖν μηδὲν ἔχει ἄλλο ἔχει τὸ φανταστὸν παρὰ τὸ ἐνεργεῖν, ἢ μὲ φαντασία ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως γιγνομένης κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης.

Si itaque nil aliud habent ea, quæ dicta sunt, quàm phantasiam (hoc autem est, quod dictum est) phantasia vtique fuerit motus à sensu actu facto.

COMMENTARIVS LXVIII.

THemistius & Philoponus phantasiam nunc primùm definiri putant. Simplicius non defi-

niri

niri; sed colligi, ea, quæ dicta sunt nulli alij, quàm phantasiæ, conuenire. Ego & antea definitam cum Alexandro arbitror; & post ex definitione nonnulla explicata fuisse: nũcque totam explicationem concludi, illam ipsam definitionem quasi confirmando. Si.n. ea, quæ dicta sunt, animalia inquam sensu prædita, nil aliud habent, quàm phantasiam. Hoc autem est, quod dictũ est.) quibus verbis definitam antea phãtasiam fuisse significat esse motum quendam eumque non sine sensu, & ideò similem sensui: profectò phantasia benè antea definita fuerit; phãtasia est motus à sẽsu actu facto profectus. Cuius definitionis explicatio ex superiùs dictis petatur.

Phãtasiæ definitio.

Iam Auerroës duobus argumentis, quasi huius conclusionis verba interpretans, accommodatè satis eam demonstrat. Primùm; quia phantasia non est sensus, nec scientia, nec intellectus, nec opinio, nec quidquam ex his complexum, vt ostensum est: superest igitur esse motum à sensu factum. Deinde quòd cùm à sensu & sensilibus plurimùm pendeat, facilè sic erit rationem omnium, quę in ea cernuntur, exponere.

TEXTVS.

Επεὶ δ' ἡ ὄψις μάλιστα αἴσθησίς ἐστι, καὶ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ φάους εἴληφεν, ὅτι ἄνευ φωτὸς οὐκ ἔστιν ἰδεῖν.

Quoniam autem visus maximè sensus est, & nomen sumpsit à lumine, quòd sine lumine viso esse non potest.

Tex. 162.

COMMENTARIVS LXIX.

SI vocis duntaxat notationem explicare voluisset his verbis, vt Philoponus credidit; nequaquam in postremum hunc locum reiecisset; sed initio statim proposuisset. Æquum. n. est cuiusque rei tractationem à nominis, si obscurum sit, explicatione; aut si ambiguum, multiplicis significatus distinctione aggredi. Sed hucusque distulit, vt inde ad id confirmandum, quod dixerat, phantasiam esse motum à sensu factum; vel vt ait Simplicius, ad inducendam affinitatem & coniunctionem, quam habet cum sensu, argumentum duceret.

Sanè cognatum & simile id alicui esse videtur, quod ab eo nomen & appellationem sumit: phantasia verò nominatur à sensu. Inde etiam motũ eam esse à sensu factum cõfirmatur. Siquidem propterea à sensu appellatur. Appellatur inquam à sensu, si non omni, certè ab aspectu, qui maximè omnium sensus est. Aspectum maximè sensum esse, duobus modis intelligi potest. Aut primum omniũ & præstantissimum. Aut certissimum & exactissimũ, qui phãtasiam propterea mouere maximè possit. Priori modo intellexerunt Philoponus & Simplicius, & ante eos Alexander & Themistius, πρεσβύτατον alter; alter, πιστότατον πασῶν τῶν αἰσθήσεων interpretatus. Sed posterior interpretatio magis fortasse accõmodata sit. Quippe de sensu actu operante sermo est: isque maximè sensus inter operantes appellatur, qui maximè, hoc est exactissimè, & exquisitissimè operatur: & vt est in proœmio librorum Metaph. maximè nos cognoscere quidquam facit multasque differentias patefacit. Nam cùm perfectior sit hic sensus & minùs materialis, quàm cæteri; tum magis procul obiecta cernit; tum subitò operatur nec vllo opus habet tempore, tum puriore vtitur medio, actu inquam perspicuo; nec ab vllo cõtrario à perfecta contrarij alterius comprehensione impediturue demum perfectiùs & distinctiùs magnitudinem, figuram, aliaque sensilia communia percipit, quibus quasi conuestiuntur phantasmata omnia quæcumque cognoscendo effingit phantasia.

Aspectus dignitas.

Quam ob causam vehementiùs quoque phantasiam mouet; eaque ferè somniamus dormientes, quæ vigilantes aspeximus; colores, figuras, & id genus alia. De odoribus vix vnquam: quoniam huiusmodi sensum imperfectum habemus & obscurum. De saporibus & qualitatibus tactilibus perrarò, nisi tunc inter dormiendũ huiusmodi aliquis motus fiat in corpore. Quia etsi exquisitè vtamur his sensibus, materiales tamen nimis sunt, & corpora potiùs afficiunt, quàm animam. Propterea ab aspectu potissimùm nominata est phantasia. At quomodo? Non ab aspectu; sed à lumine, quod aspectus obiectũ est; aut totum & integrum, quatenus colores quoque luminis parte constant; aut præcipuum & nobilissimum, maximeque aspectabile; aut certè quatenus ipsum colores quoque actu aspectabiles facit; & omninò causa est, vt aspectus actu esse functione sua possit. Siquidem sine lumine nulla est visio; cùm ipsum aut id sit, quod videtur; aut existat ratio, cur aliud videatur; tum efficiẽdo illud actu aspectabile; tum actu perspicuum faciendo medium, per quod videri debet. Lumen autem φάος καὶ φῶς appellatur à Græcis: vnde φαντασία dicitur, quasi τῶν φαινόντων σύσις, inquit Philoponus. i. eorum, quæ apparuerunt seu visa sunt, status. Est.n. status quidam sensilium in phantasia: dum ea, quę vidimus, etsi cessauerit visio, imaginamur tamen. Nec solùm ea, quæ vidimus, sed etiam quæ aliis hausimus sensibus. Verùm propter eam, quã dixi, causam à visu præsertim ductum est nomen: operaque phantasię, tum phantasmata, tum visa vocantur; quæ ipsæ appellationes ab obiecto visus acceptæ sunt. Ac demum imaginationis nomen ab imagine ductũ est à Latinis; quòd imaginum & simulachrorũ absentiũ ac semel perceptorum obiectorum formatrix sit. Imago autem ad eundem aspectus sensum præcipuè pertinet. Et hæc quidem est hoc loco philosophi argumẽtatio; quæ ab etymologia nominisq; notatione, tũ phantasiæ sensusque similitudinem ostendit; tum multò magis eam esse motum à sensu factũ confirmat.

Quæ maximè somniamus.

Phãtasia vnde dicta.

TEXTVS.

Καὶ διὰ τὸ ἐμμένειν καὶ ὁμοίως εἶναι πᾶσι ἀΐδιόν τι, πολλὰ κατ' αὐτὰς πράττει τὰ ζῷα, τὰ μὲν διὰ τὸ μὴ ἔχειν νοῦν, οἷον τὰ θηρία· τὰ δὲ διὰ τὸ ὁτὲ μὲν ὑπεκλύπτεσθαι τὸν νοῦν ὑπὸ τε πάθους, ἢ νόσους, ἢ ὕπνῳ, οἷον οἱ ἄνθρωποι. περὶ μὲν οὖν φαντασίας, τί ἐστι, καὶ διὰ τί ἐστιν, εἰρήσθω τοσοῦτον.

Et quæ permanent sensibusque similes sunt; multa per ipsas agunt animalia. Quædam quidem quòd mente careant, vt bestiæ. Alia verò quòd mens interdum perturbatione aut morbo somnoue obruitur; quemadmodum homines. De phantasia igitur quid sit, & cur sit, hactenus dictum est.

COMMENTARIVS LXX.

QVod non multò ante dixit, per phantasiã animalia facere multa & pati; rursum nunc repetit Themistius credidit. At quorsum breui paucorum verborum circuitu bis idẽ repeteret? Minùs etiam

audiendus est S. Thomas, causam ostendi asserens illius ipsius propositionis, quam superioribus illis verbis enuntiauerat. Etenim ipsemet diuersus loquēdi modus non ita esse testatur. Nam cùm antea dictū sit (τοιοῦν γὰρ τὸ πάσχειν) hic solùm dicitur (τοιόνδε). Vnde planè cognoscitur aliū esse prioris illius, aliū posterioris huius intellectū. Deinde generalis illa totius huiusce de phantasia tractationis conclusio; De ea, quid sit, & cur sit, dictum esse, ad duo capita totā hanc explicationem reuocat: quorū alterum expositum hactenus est, quid phātasia sit: alterum, quod nunc exponitur, cur ea sit.

Vnde duo planè cognosces. Primum; Aristoteli minùs consentaneè tractationem hanc vniuersam in quatuor capita partiri Philoponum. Primum, quid phantasia sit. Alterum, quid commune cum sensu habeat. Tertium, cur ita nominetur. Quartū, cur animalibus tributa fuerit. Etenim duo sola capita concludit philosophus: quodque de communitate cum sensu, deque nominis ethymologia dicit Philoponus, ad primum caput de definitione ac natura pertinet. Neque ea per se, sed ad explicandā & confirmandam definitionem allatam proposita fuisse significat: quemadmodum in singulorum interpretatione declaratum est.

Phātasia quatuor causæ.

Alterum; verissimè ab eodem Philopono, Simplicio, & Auerroë affirmari, causam nunc finalem quæri; dum illud agitur, vt cur animalibus ea data fuerit, constituatur. Nam cùm cæteræ causæ indicatæ essent; formalis, motus à sensu factus sensui similis; seu cognitio animæ interior sensum immediatè cōsequens: materialis, tum velut subiectum, animalia, & quæ sensum habent; tum ceu obiectū, res omnes sensiles & corporeæ: ac demum efficiēs, sensus, à quo ea mouetur: sola finalis causa desiderabatur. Hanc ait esse animalium vitæ gubernationem. Sanè actionis omnis principium proximum est appetitus (non enim de omni actione nunc sermonem esse; sed de ea, quæ προαίρεσις dicitur & voluntaria est; verbum illud (προαιρεῖται) apertè ostendit; quod ὑφήγειται προαιρουμένοις Alexāder interpretatus est. Appetitus verò cognitione excitatur. Quare animalium actiones administrare ac dirigere cognoscentis facultatis est; atque illius, quæ omnium suprema sit & optima. Hæc in homine mens est, in bestiis phantasia. Quod n. in nobis est mens, inquit Philoponus, hoc in irrationalibus est phātasia.

Æstimatricē vim nō esse à phantasia distinctā.

Ex quo intelligas, aliam vltra hanc nullam sentientem facultatem esse; vanumque & proprium quorumdam commentum esse, quod de æstimatrice supra phantasiam loquuntur. Siquidem & phātasiam omnium vltimam, supremam, & præstantissimam fecit philosophus; nec æstimatricem vspiā nominauit. Et illam ipsam vitæ atque actionū administrationem, quam illi æstimatrici tribuunt, à phantasia is voluit proficisci. Etenim hæc sensilia apprehendens obiecta proponit appetitui, isque ad prosequutionem aut fugam incitatur. Quare cùm appetitus non nisi ab vtili aut noxio, ab amico aut inimico, à conuenienti aut non conuenienti, ad prosequendum vel fugiendum permoueatur; si ad hæc appetitum permouet phantasia; manifestum fuerit intentionum illarū cognitionem, quæ æstimatrici ab illius inuentoribus tribuitur; phantasiæ ab Aristotele & peripateticis fuisse tributā. A solo sensu, etsi præsentia sint obiecta sensilia, non mouetur appetitus. Tum propter necessariū ordinem inter animæ facultates & actiones propter quē fit, vt operari superior nequeat, quin operata inferior fuerit. Tum quòd appetitus nō moueatur à sensili, vt sensile est (hoc quippe ad illū nō pertinet) sed ab vtili vel noxio, ab amico vel inimico, à cōuenienti, vel inconueniēti; quæ non à sensu, sed à phātasia solā percipiuntur ac proponuntur.

Ita sit, vt obiecta quædā moueant quosdā, alios non. Commoueant; quosdā ad prosequendū alliciant, alios à se prorsus repellāt. Et tamen idē in omnibus est sensus, eodemq, aspiciūt omnes modo & audiūt. At nō eadē omnia sunt phantasmata. Quidā. n. imaginantur ea vt vtilia, alij vt noxia; illi vt amica, hi vt inimica; alij vt velocia, mētia & magna quædā aut bona aut mala, alij vt remissa. Vniuersaliter apprehendūt & ideò nullo afficiuntur modo. Quòd si absentia sint obiecta, multò magis percipiuntur cum fuerit, ab iis si moueamur, nos non mouentibus sensu, qui præsentium duntaxat est: sed à phantasia, quæ absentia quoque potest præsentia facere nobis, & que vt præsentia proponere.

Itaq; cur non omnia, sed multa dixerit per phātasiā agi; lōgè alia cogitāda est causa, quàm quòd, vt ait S. Thomas, appetitus circa præsentia moueatur à sensu, circa absentia sola à phātasia. Ea verò fuerit, quòd quædā alia sunt, quæ phātasia nō operāte eueniāt. Vt effusio seminis inter dormiēdū, & ea quæ ex assuetudine quadā absq; attētione & cogitatione fiūt; omnisq; nutritio & accretio vegetātis partis: eaq; sola per phātasiā fiāt, quę ex appetitu fiūt. Quāquā nō ineptè vox illa (multa) nō ad ea, quæ fiunt; sed ad animalia, quæ agūt, referri potest. Vt sensus sit, animalia multa per phantasiam agere, illamque in multis agendi principium esse. Multa porrò & non omnia animalia diuinitum quòd homo ex intellectu agat: tum quòd non omnia tam perfectam habeant phantasiam, quæ ad agendū prouocet; sed quædā imperfectam, quæ solū præsentiū sensilium motū suscipiant; potiusque patiantur, quàm agant. Potissimùm tamen de actionibus illis, quæ circa absentia obiecta, dū sensus cessāt, versantur, philosophū loqui, ratio illa significat, propter quā ait animalia per phātasiā operari. Quoniam permanet, similisq; sensibus est: id est nō statim cum sensu cessat remoto sensili, sed post eo item absente operari valet, ac sensibus fieri similis. De his autē præsertim loquitur, quòd circa ea phātasiæ potissima ut operatio, qua eā à sensu, qui præsentiū solùm est, distingui dixerat. Et ideò etiā nō omnia, sed multa dixit: quòd non solùm circa absentia sine sensu, sed & circa præsentia simul cū eo agit. Quare quædā quidē circa præsentia per eam agunt animalia; sed multa itē circa absentia; quia permanet ac sensibus similis fit, absentia perinde imaginando ac si præsentia essent sensibusque perciperentur.

Neq; in verbis hæreat quisquā; philosophū vnius numero antea vsū, audiēs nūc tanquā de pluribus dicentē (quia permanēt sensibusq; similes sunt, multa per ipsas agūt animalia. Nā mutationis causa fuit illud (multa). Vnde tertiā habebis causam, cur nō omnia, sed multa dixerit: nō vt numerū, sed vt diuersitatē operū significaret. Propterea. n. quia complura & diuersa inter se opera fiūt, nimirū propter diuersa phātasmata, aliasque atq; alias phātasiæ operationes, numero pluriū vsus est. Ex quo illud etiā planiùs intelligetur, longè alio intellectu fuisse antea dictū, multa per ipsā facere animalia & pati. Siquidē ibi dixit (per ipsam) hīc (per ipsas) ibi (per ipsam) vt eādem facultatē esse ostenderet, quæ à sensu mota pateretur, aliaq; sibi formaret & fingeret. Hoc. n. est πλάττειν, formare & fingere. Hīc autē (per ipsas) vt ex phātasmatum atque imaginū diuersitate diuersas ostenderet animalium operationes prodire, quę verbo προαιρεῖται significantur.

Et hęc quidē vniuersè. Speciatim autē secus res habet in irrationalibus bestiis, atq; in homine mente & intelligētia prædito. Cū. n. agendi principiū vitæque moderatio ab ea virtute proficisci debeat, quæ inter cognoscentes optima sit: homo vt mēte præditus esset, ita

Homo vt mente phãtasia vtitur.

ita mente plurimùm viuit & agit, non phantasiis. Bestiæ his nituntur solis, quòd nil habeant melius. A Hunc locum alia duo illustrabunt. Alter in tex. 32. Alter in proëmio librorum Metaph. Bestias enim, quæ ratione carent, phantasiis, aut etiam memoriis vtrobique scripsit viuere: hoc est phantasiis præsentium & memoriis præteritorũ: quæ ambæ in altero loco phantasiæ communi nomine continentur, quoniam memoria nil aliud est, quàm phãtasia rei antea cognitæ imaginem sibi efformans. Hominem autem ratione præditũ ratiocinationibus gubernari. Quibus verbis exponit, quid significet νοῦς, quem hîc nominat. Nam vtroq; in loco λογισμὸν interpretatur, & in altero διάνοιαν addit. Vt idẽ sint νοῦς, λογισμὸς, & διάνοια, nisi quòd νοῦς latiùs B patet; nec eam modò, quæ ratiocinando aquiritur, sed omnem planè intelligentiã significet. Nec dubium, vbi de agendis est sermo, intellectũ practicũ intelligendum esse; qui tum de illis ratiocinatur, tũ agendi principium existit: etsi non sine phantasia; quia de sensilibus rebus ratiocinatur, circa quas actiones eæ, de quibus est sermo, versantur. Verùm tunc homo dicitur mente & ratione viuere, quãdo ea vtitur & qua parte homo est operatur. Fit enim non rarò, vt obruta & impedita mente non agat vt homo, sed vt animal & bestia. Tuncq; idem in eo, qui in bestiis cæteris, phantasiæ vsus est.

Νοῦς quid.

Tribus modis

Sanè tribus modis ita obruitur & impeditur mẽs C vt suo munere fungi nequeat. Primùm; perturbatione vt effrænata ira vel indignatione, immoderataue cupiditate aut timore. Siquidem anima vni tota applicata ab aliis sese subtrahit. Deinde morbo; vt phræneſi, delirio, furore, ebrietate. Tum verò somno. Duobus. n. modis impeditur facultas quępiam, ne operetur, aut impedito turbatoúe subiecto; aut quòd à potentiori facultate & operatione retrahatur corpus, cuius intellectus est forma, turbatur & impeditur morbo; retrahitur autem ipse fortiori actione; aut nutricis virtutis, vt in sõno, aut sensus, vt in perturbationibus vehe mentioribus. Has enim ob causas cùm phantasiæ non D dominetur aut omnino non vigeat mẽs, phantasiis ad agendum impellimur: Puerilem ætatem iure optimo addit Simplicius. Quoniam in ea ob corporis ineptitudinem atque imperfectionem nondum viget nec operatur mens; sed quasi somno sopita detinetur: eaque vitæ nostræ parte phantasiis vt bestiolæ viuimus. Quemadmodum enim, inquit in » Timæum Proclus, in his, qui ætate sunt proiectiore, delirio feriatur ratio; » sic in recens natis adest » quidem, ob amentiam verò obtenta in otio est.

Rectè autem adnotauit Philoponus; cùm Aristoteles non dixerit mentem in nobis quidquã pati, sed duntaxat obtegi, obrui & quasi obnubilari; E satis clarum esse, rationalem animam immortalem eam esse credidisse. Quippe in textu quoq; 65. libri primi mentem dixit non corrumpi: & tex. 66. intelligere quidẽ & contemplari aliquo intus corrupto marcescere; ipsum tamen impatibile esse.

Animi immortalitas.

Cæterùm paucis hæc omnia perstringam°. Finis, cur animalibus tributa fuerit phãtasia, est, vt in illis agendi principium sit; appetitum scilicet excitãdo re sensili appetenda aut respuẽda proposita. Etsi nõ eodem modo in animalibus omnibus exequatur. Nam in quibusdam semper & per totã vitã eo fungitur munere; vt in bestiis, quæ meliori principio carent. In aliis, quæ mentẽ quoq; habent, vt in homine, certis solùm quibusdã temporibus, quibus non operatur mens. Illi namq; tunc phantasia succedit, atq; operationibus, vitęq; nostræ dominatur.

Phantasia & vtitur.

Neque hæc aduersantur illi, quod in tex. 154. dictũ est, phantasiam affectũ nullum permouere, sed perinde nos imaginando habere, ac si timenda vel confidenda in pictura spectaremus. Etenim phantasia sanè per se considerata nullũ excitat appetitus motũ; sed interueniente opinione, quã res vera existimetur; aut in bestiis memoria, se aliquando ab ea re quidpiam fuisse passas. Nam appetitus fertur in rem vt est in se, cognitio in eam vt est in cognoscẽte. Quare dũ opinamur rem ita esse, aut ita aliquando fuisse recordamur; commouemur sanè; dũ imaginamur solùm, non item.

Phantasia vt appetitus excitet.

Alium eiusdẽ phantasiæ vsum hominis propriũ qui est ad intelligendũ & omnino menti, dum cõtemplatur, famulandũ; post idem philosophus exponet, vbi mentem dicet, cùm contemplatur, necesse esse phãtasmata simul contemplari. Quare tũ πρᾶξεως, tum θεωρίας principium quodammodo est. Sed posteriorẽ hunc vsum nunc prætermisit; quòd hominis proprius sit, deque solis animalibus hoc loco ageret: queq; omnibus cõmunia sũt, quęreret.

At inquiet Philoponus vel apud eum Plutarchus, phantasiam nil menti & dianęæ conferre: quin ab his potiùs expurgari, absolui, & perfici. Et in Phædone Plato, eam animo implexam actionem illius turbare. Verùm profectò animaduertimus, nos nisi imaginando non ratiocinari nec omnino intelligere; ne ea quidem, quæ sua natura sunt incorporea, neq; habere phantasma possunt. Quod ex coniunctione nimirum mentis cum corpore corporeisq; sensibus oritur. Propterea enim sensus & phantasia antecedere debent, quæ obiectum illi proponãt atque ad intelligendũ prouocent. Mens tamen vt diuinior vis est, potest à corporeis ad incorporea transire, phantasiamque incorporea tanquam corporea cum quantitate & figura imaginantem corrigere & expurgare, nudam incorpoream naturam à quantitate & figura liberando eamque per se solam concipiendo. Quocirca eatenus phãtasia dici potest animi actiones turbare, quatenus minùs sinceram, sed cum sensilibus accidentibus & conditionibus, rei cuiusq; præsertim incorporeæ naturam proponit. Verè autem Themistius prodidit in lib. de mem. & remin. eam modò cõmodare modò incõmodare ratiocinanti: cõmodare in mathematicis, incommodare in diuinis & immaterialibus contemplandis.

Phantasia vt intell. & vtilis vbi obst.

Digressio XVII. *De cogitatrice virtute, Memoratriceque.*

QVæ ab Aristotele de sensibus disputantur, hîc finem habent. Neque enim aliam is phantasia superiorem facultatem esse credidit. Sed statim ad intellectum & mentem disputatio progredietur. Mihi verò duo antea præstanda sunt. Alterũ, est dicere de cogitatrice virtute, quã in homine Auerroës posuit. Alterum de mem. & remin. quas si non facultates, habitus certè aut affectiones sensus ipsemet philosophus nominauit.

Quod in animalibus cæteris æstimatrix est, intentiones nõ sensiles, amici & inimici, vtilis & noxij diudicans; hoc in homine cogitatricem esse Auerroës voluit, & post eum cõtenderunt eius discipuli. Materialem hanc esse sentientemq; virtutem statuunt, & substantiam singularem cognoscere; quemadmodum intellectus vniuersam ac cæteri sensus accidentia sola percipiunt. Immò & cõponere ac diuidere, circaq; res singulas ratiocinari, vt circa vniuersas intellectus. Et ideò inter intellectũ ac sensus cæteros mediam esse, rationeque quoquo modo participare; atque humanas actiones & vitam nostram administrare. Omnino hanc esse propriam

De cogitatrice Auerroïstarum opinio.

hominis formã ortui atque interitui obnoxiam: ad quam, inquit Themistius, progressa natura canit receptui. Cum illa verò intellectũ vniri, vt acceptis ex phantasmatibus speciebus intellectilibus simul cũ illa operetur resque vniuersas intelligat. Itaque ex intellectu & cogitatrice ita fieri vnũ, vt ex alia quauis intelligẽtia & cœlesti orbe: intellectúq; assistẽtẽ duntaxat hominis formã esse cogitatricẽ formãtẽ. Quoniã tamẽ perfectissima est vnio, hominẽ quoq; verè dici intelligere, & alia, quæ intellectus propria sunt, operari. At quoniã immortalis est intellectus, cogitatrix mortalis; nequaquã intellectũ cũ hac aut illa, sed cũ vniuersa cogitatrice totaq; humana specie coniungi. Foreq; tãdẽ, vt cùm intellectus beneficio & ope cogitatricis rerum omnium cognitionẽ fuerit consequutus, hæc perfectissimè cum illo vniatur summaq; fruatur beatitudine: atque hunc intellectũ adeptum vocant.

Cõfutatio. Hæc illi de cogitatrice virtute. Quæ nec Aristoteli, nec peripateticis consentaneę sunt, nec rationi. Aristoteli namq; & peripateticis iam ostensum est nullam fuisse sentientem virtutem phantasia superiorem atque inter illam & intellectum mediam. Dianæam. n. non sentientem vllam facultatem, sed intellectus ratiocinationem illis significasse, satis in superioribus, tum alibi sæpè, tum in digressione ad *Ad tex. co n.* textum 152. ostensum est. Quod eam hominis for- *43.* mam faciunt, alio loco examinabitur; humanamq; naturam intelligente anima constare demonstrabitur. Si cogitatricem in homine velint eam virtutem nominari, quam in animalibus cæteris æstimatricẽ dicimus; nominent sanè. Vt enim propter rationis consortium operationem habet meliorem, qua intentiones non sensiles & plures cognoscit & exquisitiùs diudicat & comparat; ita & honestius nomen habere potest, & verò etiã si illã cõtendant actiones humanas & vitã nostrã quoquo morbo gubernare; ita sanè sit. Nam & conueniens cognoscit & non conueniens, vtile ac noxium, amplectendũ & fugiendum: & intellectus interdum perturbatione, morbo, somnoue obruitur. At si eam contendant substantiæ vim percipere; audiendi non sunt. Quoniam virtus sentiens circa accidentia sola versatur; substantia ad intellectum pertinet; neq; sensilis est, nisi ex accidenti, vt in tex. 65. & 134. positũ est. Immò nec intellectui permittitur intelligere substantiam, nisi aliquando sensili phantasmate inuolutam; vt dicetur in tex. 30. & 39. lib. 3. & cap. 1. lib. de me. & remin. & experitur vnusquisq; in seipso. Multò minùs credẽdũ est circa res singulas eam ratiocinari. Tum quia hoc intellectus officiũ est; non solùm inquã circa res vniuersas, verùm etiã circa singulas, vt in moralibus practicus intellectus. Tũ quia omnis ratiocinatio vniuersali aliquo principio nititur; & in Analyticis ostenditur ratiocinationẽ omnem ex duobus illis generalibus principiis pendere; Dici de omni, & Dici de nullo. Etenim ex aliquo noto ignotũ quidpiã cognoscere oportet; quodq; ignotum est tanquã in seminario latet in superioris alicuius & vniuersalis virtute. At sentiens nulla facultas apprehendere potest vniuersale resq; duntaxat singulas cognoscit; ex quibus velut disparatis nulla fit bona propositio aut ratiocinatio. Nam etsi dixero, Petrus est hic homo, notionem hominis vniuersam comprehendã, quam ad hunc hominẽ contrahã. Et omnino sola rationalis pars ratiocinari potest. Alioqui nec in bestiis possemus ostendere ratiocinationẽ non esse. Propterea. n. illas ratiocinari negamus, quòd rationali animæ parte atq; intellectu careant. Quòd si quæ alia virtus ratiocinari potest, cùm admirabilia prorsus in illis cernamus opera, negare haud possemus eas ratiocinari. Denique ea, quæ de illius vnione cum intellectu ab illius inuentoribus proponuntur, fabulosa prorsus sint neque hoc præsertim loco magna indigent confutatione.

Altera digressionis pars. De Memoria & reminiscentia.

VEnio ad memoriam & reminiscentiam. Quæ plerisq; non operationem solã, sed facultatem significãt: cui duplicẽ actũ tribuũt; cõseruatę specierũ obiectorũ sensibꝰ cæteris perceptorũ, eorúq; cognitiones repetere. Ego & facultatẽ non esse à phantasia diuersã antea demonstraui: & nunc priorẽ illam non admitto; cùm nullas esse species non dubiũ sit argumentis pluribus à Plotino in lib. de sensu & me. cap. 3. rem videã demonstratã. Sed posteriorẽ duntaxat Ita Platonis in Philebo definitionem accipio. Memoria est sẽsus cõseruatio. Et illud Porphyrii l. de occasionibus; Memoria non est imaginatiõ cõseruatio; sed ipsas propositiones sue productiones in actũ eorũ, quę meditatꝰ est animꝰ nuper, educens. Perinde. n. est, ac si cũ Aristotele dixeris in it. de me. & remin. eã esse rei præteritæ vt præterita est, recognitionẽ; seu rei antea cognitę, vt fuit antea cognita, repetitã cognitiõnẽ. Neq; n. speciẽrũ Plato, sed sensus conseruationem dixit, quòd rem antea sensã cognitã recognoscere potest; & ea Porphyrius dixit quæ nuper meditatus est animus.

Est sanè præteritorũ memoria vt præteritorum. At non ita, vt sit cognitio rei sub ratione præteri. Quoniã belluarũ genus non percipit tẽpus formaliter, quod mente sola comprehenditur: & nos ipsi memoriter sæpè aliquid recitamus aut rei cuiusuis recordamur, nihil prorsus de præterito tẽpore, cuius rem esse præteritã cogitantes. Neq; ita, vt cogitatio sit rei præteritæ, hoc est quæ in rerũ natura iam non subsistat. Etsi. n. eorũ etiã, quæ fuerunt ac perierunt, meminerimus; sæpissimè tamen eorũ, quæ adhuc subsistunt, recordamur. Verùm illud ita pronuntiatur, vt cognitio sit rei, quæ non cognoscatur nunc primùm, sed antea fuerit cognita, nunc; recognoscatur, neq; ad rem præteritũ tẽpus, sed ad cognitionẽ referatur. Estq; tẽporis hæc cognitio tantopere necessaria, vt nisi ea adsit, memoria nõ stabilis cognitio noua, inuentioq; aut disciplina. Caput illi cardinẽ, tũ in memoria, tũ in reminiscentia, et esse dixit Themistius in 2. lib. quẽ de vtraq; scripsit cap. 13. Potestq; aut determinati tẽporis esse cognitio vt si meminerim eius, quod heri aut superiori mẽse vel anno aspexi; aut incerti & in definiti, vt si solũ recorder, me antea vidisse; quãdo viderim, non recordor.

Ab omnibus autẽ duplex nominatur memoria, vna verborũ, altera rerũ ac sententiarum: & rursum naturalis vna, altera constans arte. In quibus quãtũ res & natura præstant verbis & arti, tantũ memoria rerũ & naturalis antecellit alteri, quæ verborũ est & artificiosa. In vtraq; planè admirabilis est tã fidelis & exacta post longissimũ interdũ tẽpus tã multarũ rerũ ac verborũ repetitio: vt in rebus, tũ numerus & ordo, tũ circonstantiæ quoq; omnes: & in verbis præter multitudinẽ & ordinẽ singulorũ, syllabarum item & accentuum fidelissima redditio omnino sit admiratione dignissima. Nec prætermittendum, quòd quæ in pueritia didicimus, diutius firmiusque meminisse solemus, nec vnquam prorsus obliuisci; alia non item. Haud scio, inquit Critias apud Platonem in Timæo, an quæ heri audiui, referre nunc omnia memoriter possim. Quæ

verò puer accepi, mirabor equidem si quid eorum memoria mihi exciderit. Huius rei causa est, quòd animus cognitionis omnis expers cognoscendique cupidus primas illas cognitiones auidè & cum iucunditate accipit, diù insistit, firmiterque imprimit. Non cum ab aliis obstrepẽtibus cognitionibus perturbatur & impeditur: & tabellæ, in qua nihil est scriptum (vt exemplo vtar philosophi) primæ illæ rerum notæ altius insiguntur. Nec parum habet momenti admiratio, qua pueri tanquàm noua suscipiunt omnia. Ea quippe, inquit Idem Critias, cum voluptate & ioco audiebam; cùm & senex ille libenter me doceret, & ego ab illo identidem requirerem ac sisciterer. Quapropter quasi quædam litterarũ inustæ indelebiliter notæ ea mihi omnia infixa memoriæ permanserunt. Et Plotinus loco paulò ante indicato, Quando ad aliquid eorum, quæ offeruntur, corroboratur anima, diu ad idem quasi ad præsens afficitur; & quò magis corrobaratur, eò diutiùs. Quam ob causam pueri magis memores esse dicuntur. Quoniam non citò desistunt, sed rem ipsam diu ante oculos habent: quippe cùm nondum distrahantur in multa, sed paucis vehementer incumbant. Quorum verò cogitatio visque circa multa versatur, si quasi percurrunt, nusquamque insistunt. Propterea etiam eorum, quæ nos ipsi inuenimus, facile recordamur. Amamus enim nostra, & vt noua atque admirabilia accipimus. Fit quoque persæpè, vt absoluta & vetustissima quæque, & quæ minimè vellemus, occurrant statim: quæ verò recentia sunt & quæ vellemus maximè, meminisse non possimus. Causa videtur esse in spiritu, qui aptus interdum non est ad illius rei memorationem efficiendam, ad quam alio tempore est quàm optimè comparatus. Plurimo namque spiritu & benè temperato indiget: tũ quòd plures alias antecedentes operationes requirit: tum quòd celerem habet motum & repetitionem multorum; in qua & plurimus consumitur spiritus, & nisi optimè temperatus sit, perturbat & confundit. Sed & in tex. 20. li. 3. dicturus est Philosophus; Non recordamur autem, quoniam corruptus est intellectus passiuus, hoc est phantasia.

Cur eorũ, quæ ipsi inuenimus.

Cur non occurrãt interdũ quæ vellemus.

Propterea qui posteriorem capitis partem amplam habent & latam, ferè creduntur valere memoria; quòd amplum habeant locum, in quo & multus contineatur spiritus & optimè temperetur. Sed neque id vniuersè verum est: quippe non omnes, qui ea sunt capitis forma, valde sunt memores; & alij persæpè magis, qui aliam habent. Neque posterior ille locus sensui aut omnino cognitioni, sed motui dicatus est. Pueri & senes sũt immemores; quoniam illi propter accretionem, hi propter decretionem in multo sunt motu, & spiritus continenter fluit agitaturque: Sed & minùs temperatus est, humidior in pueris, siccior in senibus. Eadem est & organi cõditio; quòd illis vt fluentem aquam, his vt antiqua ædificia esse scripsit philosophus in c. 2. Pomiliones item propterea minùs memoria valent; tum quòd nimium habent pondus in capite huius operationis instrumento: tum quòd propter nimiam cordis propinquitatem calidior, minusque temperatus est spiritus: quòd si frigidius esset cor, exiguus, nec satis tenuis adesset spiritus. Homo præ cæteris animalibus maximè dicitur valere memoria: tum propter maiorem animæ perfectionem ac virtutem, spiritumque optimum: calore namque plurimo copiosior gignitur, & cerebro multo eoque frigidissimo & humidissimo optimè tẽperatur. Tum quia maximè potest cognoscere tempus: nec materialiter solùm, vt cætera; sed & formaliter: memoria verò cognitio est rei præteritę vt præteritae est. Tum etiam quia ratiocinatione pollet, qua recordatio rerum iuuatur plurimùm. Nam & meditatio crebra & consideratio phantasmatis, vt imago est, memoriã cõfirmat; & ratiocinatio ex vno aliud colligit.

Qui memoria valeant.

Cur homo maximè memoria valeat.

Ex quo nouum reminiscentiæ prodiit nomen. Memoria enim apprehensionem rei priùs cognitæ continuatam nullaque obliuione interpellatam significat. Reminiscentia verò rei est antea cognitæ repetitio, vbi intercessit obliuio; inquirente scilicet mentis ratiocinatione atque ad memorandum ex similibus aut contrariis aut propinquis progrediente, & omnino ex vestigio aliquo conseruato & incolumi referente nos in cognitionem eius, quod memoria exciderat: quasi reminiscentia memoriæ prioris reparatio collapsæque renouatio sit. In iis enim, quæ ordinem quempiam & connexionem habent, vnius motus facilè alterius motum consequitur atque vnum alterius recordationem prouocat. Quemadmodum enim longis atque exilibus hastis accidit, vt quisquis vibrauerit capulum, reliquas hastæ partes ad cuspidem vsque concutiat: vtue qui longi connexique ordine funis extremitatem alteram quatiat, continuam concussionem per medium spatium ad alteram extremitatem transmittat: sic & humana mens, inquit Maximus Tyrius serm. 28. exiguo principiorum hausțu ad integrã rerum intelligentiã progreditur. Vidi aliquando hominem cum lyra; impressum remanet lyræ simulachrum: postea occurrit alius fidibus canens, aut depicta lyra; prioris illicò lyræ recordor, atque ex lyra progredior ad hominem, qui tenebat lyram; tum ad locũ, in quo erat; ad carmina, quæ canebat; ad eos, qui audiebant; atque ad adiuncta complura. Itaque reminiscẽtia vt ratiocinationem adiunctam habet, qua ex vno noto ad ignotum aliud, hoc est antea quidem cognitum, sed post obliuione deletum, progredimur, sic hominis propria est: memoria cum bestiis quoque cõmunis.

Memoria & reminiscentia quid differãt.

Quò fit, vt aliqui memoria valeant, reminiscentia nõ itẽ. Nam etsi huius rei causã pleriq; dicant esse, quòd memoria siccitatẽ requirat organi, qua species impressæ conseruẽtur; reminiscentia verò humorẽ, quo celeres & prõpti motus fiant. Ea tamen est verior; quòd altera bestialis est & sentientis animæ virtus; altera intelligentis & hominis propria, dũ ratiocinatione perficitur: fitque interdũ, vt aptã aliqui dispositionẽ habeant memorãdi sentientisq; animæ; non itẽ ratiocinãdi & intelligẽdi; atq; bestiali quidẽ optima fruãtur vita, at iners sit & tarda intelligens ac ratiocinatrix virtus, ægreq; ex vno ad aliud progrediatur. Sanè quotquot malè reminiscentes cõperies, nullis quoq; illos ingenij ac mẽtis viribus valere atq; ad omnia hominis propria opera tardos esse atq; ineptos animaduertes. Et fortassè philosophus nõ aliam credidit esse in nobis intelligentẽ memoriã, quã hãc reminiscentiã; sentientẽ inquã memoriã cũ mentis ratiocinatione coniunctã. Vnde illud in t. 66. li. 1. & t. 20. li. 3. huius operis, nos post mortẽ nullius rei meminisse aut reminisci; quia corrupta est phãtasia, & ideò sentiens omnis memoria abolita.

Memoria cur aliqui valeant non reminiscẽtia.

Memoria intelligẽs.

Quare etiã quod memoriã dixi in animalib⁹ inesse cæteris, ita accipias, vt in solis perfectis memorię speciẽ habeat: quoniã in illis solis perfecta est phãtasia tẽporisq; cognitio, sine qua memoria nulla. In cęteris vt phantasiæ, sic memoriæ vix vestigium vllum.

Memoria in quibus animalibus.

Quod autem in Phædone & Mænone disputat Plato, nostrum addiscere nil aliud esse, quàm re-

miniſci; alterius eſt loci examinare. Ad hunc pertinet ſolùm intelligere plurimùm hæc differre. *Addiſcere non eſſe reminiſci.* Nam ſi nunc primùm addiſcamus, ſiue ab alio, ſiue propria inuentione edocti; reminiſcentia non eſt, quoniam hæc rei eſt, quæ priùs fuit cognita. Sin autem rurſum addiſcimus rem, quam antea ſciuimus, ſed obliti ſumus; reminiſcentia item non eſt: quoniam hæc in nobiſmet ipſis mouetur ex principio aliquo incolumi conſeruato; quod dum animus luſtrat, ad alia cum eo coniuncta excitatur. Qui verò addiſcit, non à ſeipſo, ſed ab alio docente mouetur.

Memoria quæ iuuent. Denique tum memoriam, tũ reminiſcentiã, hæc plurimùm iuuãt. Optima tẽperies & diſpoſitio ſpiritus ac cerebri; quies corporis; vacuitas perturbationum animi; agitatus enim ſpiritus memoriam turbat; diligens, accurata, & vehemens attentio ad ea, quæ videmus, audimus, ac cæteris haurimus ſenſibus; crebra earumdem rerum meditatio, qua velut habitus quidam comparetur; ordo demum ac diſpoſitio certa rerum ſimilium, contrariorum, propinquorum.

QVAE SIT PROPRIA INTELlectus natura.

CAPVT V.

Quod Auerroi tertij libri principium eſt.

TEXTVS.

Περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς, ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ, ἔστι χωριστὸν ἢ οὐκ, εἴτε κατὰ μὲν χωριστὸν κατὰ μέγεθος, ἀλλὰ κατὰ λόγον, σκεπτέον τίν' ἔχει διαφορὰν, καὶ πῶς ποτὲ γίνεται τὸ νοεῖν.

De parte autem Animæ, qua & cognoſcit Anima, & ſapit; ſiue ſeparabilis illa ſit, ſiue non ſeparabilis magnitudine ſed ratione; conſiderandum eſt, quam differentiam habeat, & quo tandem modo intellectio fiat. Tex. 1.

Digreſſio XVIII. De ordine conſequentis Tractationis.

ALexander cùm ab Ariſtotele proximè ſuperioribus verbis audiuiſſet, Phantaſiam principium in Animalibus eſſe, quo appetitione commota proſequutionis, & fugæ, & omnino arbitraria omnis, & ſpontanea conſequatur actio: dicendum ſibi duxit de impulſu, & impulſoria vi; hoc eſt de motu, deque appetente facultate illum excitãte; antequàm de intellectu diſſereret. Quamobrem hunc inter animæ virtutes ordinem poſuit, vt primæ omnium vegetantes ſint, deinde ſentientes, tum appetens & mouens, poſtremò his tanquam omnium ſpectator intellectus accedat.

Verùm ita agendi, ac ſcribendi hæc fuit Alexandro cauſa, quòd intellectum aſſiſtere nobis duntaxat crederet, non corpora noſtra formare: nec vllius operationis, niſi intellectionis principium eſſe. De hoc nunc diſputandum non eſt. Sed eum conſtanter affirmabo nequaquam Ariſtoteli conſentaneè tractationem ſuam diſpoſuiſſe. Is enim apertis verbis antea dixit in textu 115. Poſteaquàm de Phantaſia dictum fuiſſet, de exiſtimatione, hoc eſt intellectu dicendum eſſe. Et vbi Phantaſiam dixit agendi principium eſſe; in beſtiis quidem omni tempore ita eſſe prodidit, quòd meliore careant principio. At in homine, qui intellectu viuit, tunc duntaxat, cùm intellectus impeditur interdum, & ceſſat. Alioqui hic eſt in nobis ad appetendum, & agendum excitator. Cùm igitur eſſe agendi principium tum Phantaſiæ, tum intellectui commune ſit; de vtroque illo principio primum dicendum erat; deinde appetitu, & motu, quibus actiones eas exequimur. Hancob cauſam poſt Phantaſiam Philoſophus de intellectu diſſeruit, poſtremò de appetitu, & motu. Accedit maxima Phantaſiæ & intellectus coniunctio. Etenim ambæ facultates cognoſcentes ſunt, vniuerſumque cognoſcentium virtutum genus abſoluendum erat, antequam duo reliqua, appetens & mouens, attingerentur. Perturbata ſiquidem tractatio fuerit, ſi dimidiato cognitionis genere relicto, appetitus, & motus interponantur; tum ad illud idem cognitionis genus abſoluendum reuertaris. Deinde intellectus operatio tantopere opus habet Phantaſia, vt eam ſequatur, ei adhæreat, illi inſiſtat: neque in agendo ſolùm, ſed & in contemplando. vt ſi verè loqui velis, planè affirmare poſſis, Phantaſiæ vſum & finem, quem aggreſſus erat Philoſophus explicare, abſolutum nondum eſſe: ſed eum ſolum propoſitum, qui animalibus omnibus communis eſt: alterumque hominis proprium, qui eſt ad intelligendum, ſupereſſe. Neque propterea inter Phantaſiam, & intellectum virtutis alterius conſiderationem interponi poſſe. Tum verò vtraque hæc facultas communi intellectus nomine appellari ſolet: & in textu ante notato intelligere in Phantaſiam, & intellectum priùs dictum diuiſum fuit: Vniuerſumque hoc genus fuit abſoluendum, antequàm ad aliud fieret tranſitus. Poſtremò in nobis ipſis vtraque ab externo obiecto præſente excitata operatur: liberamque habet actionem, tum circa præſentia & abſentia; tum circa ea, quæ ſunt & ea quæ non ſunt: Ac demum vtraque vera & falſa eſſe poteſt.

Itaque dum de intellectu priùs, tum de motrice facultate agitur, naturæ, dignitatis, & verò etiam doctrinæ ordo ſeruatur. Naturæ; quoniam cognitio prior eſt appetitu & motu: & vt in beſtiis Phantaſia, ſic in homine intellectus motum antecedit. Dignitatis; quia intellectus multò præſtantior eſt ac diuinior, & velut appetitionis ac motus principium & dux: omninoque cognoſcens vis non cognoſcente melior iudicatur. Doctrinæ demum; quòd hæc intellectus cognitio cum antecedente, quæ de Phantaſia fuit, plurimùm erat coniuncta; illaque habita facilior appetitus & motus explicatio futura eſt. Quippe hæc per illam comparatur.

COMMEN-

COMMENTARIVS LXXI.

ERgò hic contextus seu proœmium est futuræ tractationis. In quo tria de intelligente anima exponenda proponi Philoponus credit. Primum, an corruptibilis ea sit, an incorruptibilis. Alterum, quomodo à sensu differat: hocque, vt immortalem esse ostendat. Tertium; quemadmodum intellectio fiat. Sed is Philosophi verba minùs percepit. Nam vt à secundo exordiar, in quo Themistius quoque, Auerroës, Albertus, sanctus Thomas consentiunt; quæri dicentes differentiam intellectus à cæteris animæ virtutibus: An non intellectus differentia à sensu & Phantasia satis antea probata est & declarata? Cùm intelligere & sapere non esse idem, quod sentire, monstratum est. Iam verò cùm sensus, aut Phantasiæ, aliarumúe facultatum in hac propositione mentio non fiat; sed absolutè dicatur (quam differentiam habeat) non video, cur non potiùs differentia, quæ in ipsomet considueretur, exponi debeat. Quæ inquam propria sit illius differentia essentialis, cuiusmodiúe facultas sit intellectus, quamque naturam habeat. Aut accidentaria differentia; quæ post explicabitur, vbi multiplex intellectus distinguetur; tum potestate, habitu, & actu; tum agens & patiens; tum theoreticus & practicus. Hoc igitur modo interpretemur (quam differentiam habeat) hoc est quæ sit propria ipsius essentia, quamque varius & multiplex, & quot modis consideretur & distinguatur. Quòd si illius quoque à sensu differentia traditur; eatenus traditur, quatenus ad intellectus naturam, vim, & operationem explicandam necessaria est.

Deinde dum ait (siue separabilis illa sit, siue non separabilis) nequaquam id disputandum, sed prætermittendum potiùs proponit. Perinde ac si diceret; quidquid sit de hoc, videndum est, quam habeat differentiam, quoque modo intellectio fiat. Neque de ea, quæ est à corpore, separabilitate fortasse loquitur: sed Themistij, Auerrois, Alberti, & sanctæ Thomæ testimonio de illa potiùs, quam asseruerat Plato, animæ partes loco & situ separans; intelligentemque in capite, irascentem in corde, concupiscentem in iecore disponens. Cùm præsertim non dicat (separabilis à magnitudine); sed (magnitudine, aut secundum magnitudinem) hoc est secundùm corporis partes. Hæ namque duæ loquendi formæ distinctæ apud Aristotelem obseruantur. vt in textu 19. lib. 2. significare volens separationem secundum corporis partes, separationem dicit secundùm locum (quod enim ibi dixit separabile loco, hîc separabile appellat magnitudine). At post hæc in tex. 36. vt separationem à corpore significet, separatum dicet à magnitudine.

Magnitudine, & magnitudine, quid.

Simplicium tamen secus interpretantem video: aut comparatione illarum animæ partium, de quibus dictum est, nutrientis, sentientis, imaginantis; aut de ipso intellectu per se considerato. Vt illius differentias mox commemoraturus considerandum proponat, num eæ in nobis sint velut plures intellectus pluresque substantiæ re diuersæ; an verò vt vnus, qui alia atque alia ratione considueretur.

Sed quo minùs ego has interpretationes probem, hæc faciunt. Si enim cum prioribus animæ partibus comparatio sit, vt Plutarchus item existimauit; cùm quæritur, num ab illis intellectus separabilis sit; aut quæri potest, an sine illis esse queat; aut an sit pars vel facultas animæ ab illis diuersa. Vtrumque antea definitum est. Alterum quidem vbi inferiores & priores partes vel facultates docuit posse à superioribus & posterioribus separari solitariasque reperiri; at has ab illis numquam diuelli. Alterum autem, cùm non multò ante probauit intelligere & sapere non esse idem, quod sentire; Phantasiamque tum à sensu, tum ab intellectu distinctam esse. Ac rursum vbi in ipso fere tractationis exordio diuersos vitæ gradus constituens, intelligentem à cæteris diuersum posuit.

Posterior interpretatio magis probaretur, si id, quod ait Simplicius, considerandum, non prætermittendum proponeretur: tanquam id, quod minimè ad rem præsentem eamque intelligentis animæ & intellectus, quæ nunc quæritur, cognitionem pertineat. Prætermittendum autem non esset, immò maximè considerandum, an vnus sit, an plures substantia distincti intellectus; si hæc fuisset verborum illorum sententia.

Duo igitur sunt, quæ à Philosopho tractanda proponuntur. Primum; quam habeat intellectus differentiam, quæ in ipsomet consideretur; hoc est quid ille sit, quæ eius essentia; quę propria, qua constet, differentia. Alterum; quomodo intellectio fiat. Cùm enim non semper perfectum habeamus intellectum, immò rudes & cognitionis omnis expertes in hanc lucem veniamus; quomodo cognitiones omnes adipiscamur videndum est; quoque pacto perficiatur intellectus, atque ex potestate mediante habitu ad perfectum actum deducatur. Porrò hęc duo potissimũ explicãda proposuit. Tũ quia præcipua sunt; cùm alterum contineat essentiam, qua cognita proprietates facilè cognoscuntur: Altera operationem, ex qua in essentiæ cognitionem venimus. Tum quia magna de illis fuerat apud alios Philosophos disceptatio, & verò etiam ignoratio. Nam aut à sensu non distinxerant intellectum; aut ex omnium rerum initiis eum constare voluerant, vt cognosceret omnia; intellectionemque fieri à simili: aut Anaxagoras, qui maximè inter cæteros abstractum illum fecerat, nec satis distinxerat ab anima, nec vlla ex parte docuerat, quomodo intellectio fieret; vt in tex. 31. & 34. lib. 1. Aristoteles prodidit. Idcircò nunc & quæ illius natura & essentia sit docendum proponitur; & quemadmodum intellectio fiat. An inquam sit actio, an passio: an inde principium habeat, quòd ex omnium initiis intellectus constet, vt Empedocles; an quòd omnium rationes insitas habeat à natura, vt Plato; qui non cognitionem nouam aquiri, sed velut earum rerum quas sciebat anima antequàm in corpus ingrederetur, recordationem esse docuit in Menone. An demum quòd intellectus potestate sit ad intellectilium omnium suscipiendas formas, an alio modo, quem Anaxagoras & alij non potuerint explicare.

Omnino autem credendum est de tota huius natura & operatione quæri; ac potissimum an corporeo vtatur organo, quemadmodum facultates cæteræ. Nec vereor dicere, quæstionem hanc iis respondere, quæ in tex. 12. lib. 1. posita sunt. Du-

bitauit enim, an operationes Animæ cum corpore communes sint, an verò existat aliqua solius animæ propria. Cæterasque respondit absque corporis organo nequaquam fieri; siquæ verò solius animæ propria sit, eam esse intellectionem. Tum adiunxit; si hæc nil aliud sit, quàm Phantasia, aut non sine Phantasia; sine corpore eam esse non posse. Nunc igitur eò animæ disputatione deducta, vt de intellectione agendum sit; dubitationem eam vidit ad hunc locum pertinere. Et ideò considerandum proposuit, quomodo intellectio fiat: An ità, vt solius animæ operatio propria sit; an verò per corporis organum ipsa quoque perficiatur: An sit phantasia, an operatio ab ea tantopere diuersa, vt sine illa prorsus esse queat. Hinc verò tota de intelligentis animæ à corpore separabilitate quæstio pendet, vt in tex. 13. eiusd. m libri positum fuit.

Quò magis cognoscitur, priora illa verba (siue separabilis illa sit, siue non separabilis) verè fuisse dictum de hac separabilitate intelligenda non esse: siquidem ea quæstio postremis potiùs huius contextus verbis implicatur. Quàm verò illorum, quibus de separabilitate loquitur, expositionem proposui, confirmat magnopere tex. 19. superioris libri. Cùm enim vitæ gradus nominasset, vegetantem, sentientem, διανοητικὸν, & motu præditum; duas proposuit quæstiones. Primam, num horum vnusquisque sit anima, an animæ pars. Alteram, num si est pars, ratione solùm separabile sit, an etiam loco. Etenim hic quoque & partem animæ dicit & separabile magnitudine id nominatur, quod loco & situ separabile prius dixerat. Itaque principium hoc, quo de intellectu dicere aggreditur, respondere iis videtur, quæ de illo in superioribus libris definita & constituta satis non fuerunt.

Ea ferè triâ erant. Primum in textu 12. lib. 1. an intelligere sit propria solius animæ operatio, & quomodo fiat in nobis. Alterum in tex. 21. alterius libri, an intellectus ratione solùm, an loco à cæteris animæ partibus separabilis sit. Tertium in textu 32. quænam sit intellectus propria vis & natura. Idcircò enim de eo nunc intellectu dicendum statim proponit, qui est animæ pars; ad textum 19. citatum respiciens; in quo inter Animæ partes intellectum commemorauit. Deinde tres quæstiones significat. Primam; quam in textu vigesimo primo dixerat definiri non posse, Num is magnitudine separabilis sit. Alteram in textu 32. prætermissam, Quænam sit propria intellectus differentia. Tertiam, quam in primo libro proposuit; Cuiusmodi operatio sit intellectio, & quomodo fiat.

Quæstionem tamen eam, quæ est de separabilitate, disputare prætermittit. Aut quoniam satis est illud, quod in textu 92. libri primi dictum est; ne fingi quidem posse, qua parte quoue corporis loco contineatur. Aut quòd opus non est seorsim eam tractare; sed propriam intellectus differentiam & naturam exponendo; eum videlicet impartibilem esse, neque cum materia & corpore permistum; satis intelligetur separabilem eum natura esse à cæteris animæ partibus esseque aliud animæ genus, vt in secundo libro positum est: Non loco aut magnitudine diffitum; siquidem locum & magnitudinem non habet, si corporeus & materialis non est. De separabilitate autem à corpore, vbi ostensum fuerit eum non vti corpore, esseque illi impermistum, quia intelligit omnia; cognoscetur quoque esse à corpore separatum. Propterea quæstionem hanc non proponit: Non quòd ad hunc locum non pertineat, aut necessaria non sit: sed quòd vbi intellectus natura exposita fuerit, quoq; modo intellectio fiat; statim intelligitur separabilem eum esse.

Etsi verò vox illa partis eò fortasse, quo diri, referenda sit; integrum tamen illud orationis membrum (De parte autem animæ, qua & cognoscit Anima & sapit) quo intellectus tractationem primùm aggreditur; partim superioribus illis respondet, quibus post phantasiam de hypolepsi, hoc est de intellectu, agendum proposuit in tex. 155. partim hisce, quibus de Phantasia postremò conclusit fuisse dictum. Hac enim priori propositionis illius parte expedita ad posteriorem ita accedit. De phantasia dictum est quid sit & propter quid sit; & addit, De parte autem animæ scilicet, quæ scilicet ad existimationem pertinet. Atque dum Animæ partem intellectum appellat, quo cognoscimus & sapimus; Tria prorsus significat. Primum, sentientis atque irrationalis partis tractationem ad exitum fuisse productam: quoad ea scilicet, quæ illius propria sunt & specialia: Nuncque partis alterius, quæ rationalis est, considerationem inchoari. Nam si appetitum & motum desideres; ij proprij illius non sunt, sed cum rationali communes. Alterum, perperam Alexandrum interpretatum fuisse id, quod post dicetur, intellectum impatibilem esse, immortalem, & æternum; de eo intellectu dici, qui extrinsecùs nobis aduenit, quemque is Deum esse existimauit. Etenim si de solo intellectu, qui pars animæ sit, dicendum proponit; vbi intellectum æternum dicet, non diuinum (quorsum enim, dum de Anima disserit, de Deo loquatur?) sed humanum, quique Animæ pars est, intelligere oportebit. Tertium ac postremum; Animam, si vniuersè accipiatur, non vnam simplicem & indiuiduam naturam pluribus partibus, hoc est facultatibus, præditam significare; vt Plutarchus credidit. Non solùm enim vna & eadem substantia, vt obiecit Philoponus, corruptibilis & incorruptibilis esse nequit; sicut anima est, quæ partim corruptibilis est, partim incorruptibilis. Verùm etiam in Anima cogitari nequeunt eæ partes, quæ in corporibus & magnitudinibus conspiciuntur. Sed cùm animæ partes Philosophus nominat, plures naturæ partes significat. Quemadmodum in generibus & iis, quę superiora sunt multaque sub se continent, partes esse dicuntur; hoc est species. Sic enim vniuersum animæ genus in rationale & irrationale; ac rursum irrationale in vegetans & sentiens, tanquam in partes vniuerso generi seu cuipiam toti subiectas diuidimus. Nil aliud profectò significantes, quàm plura esse illa; quæ actus corporis esse possunt; eorumque vnum rationalem animam esse. Et vnamquamque animam simplicem vnam naturam esse pluribus instructam facultatibus, verissimè dixeris. Quas si appellaueris partes, non naturæ, sed virtutis & potestatis agendi, verè etiam & Aristoteli consentaneè appellaueris. Nam hoc ipso in loco partem Animæ, tum rationalem Animam, tum intellectum solum, qui facultas illius est, intelligere licet. Illam velut speciem quandam vniuersi generis animarum;

Anima partes alterius naturæ.

animarum; Hunc tanquam facultatem & partem virtutis huius ipsius rationalis animæ. Illa vt principio primo ac præcipuo; hoc vt secundario & illius primi instrumento, cognoscimus & sapimus. Eoque minùs mirum fuerit, si non de Anima, sed de intellectu interpræteris; quod in superioribus quoque post generalem Animæ semel traditam definitionem de facultatibus potius, quàm de substantia, deinceps egit: ex facultatibus tamen substantiam inuestigari volens & intelligi. Quare nunc etiam vere dixerit Simplicius primarium scopum non intellectum, sed rationalem animam esse.

Cognoscere & sapere quid.

At quid est illud? (qua cognoscit anima & sapit). Quàm appositè dixerit S. Thomas, cognoscere apprehensionem, & sapere iudicium significare; libenter aliis examinandum relinquam. Mihi certè neque ad rem, neque cum ratione pronuntiatum videtur. Vt nec illud Alberti, cognoscere practicam artis & prudentiæ cognitionem continere; sapere theoreticam; sapientiam scilicet, intellectum primorum principiorum, & scientiam. Etenim nulla ratione ductus cognoscere ad praxim retulit; contrà omnem verò rationem sapere ad theoriam. Propter solam scilicet vocum, sapere & sapientiæ similitudinem & cognationem. At Græcè est φρονεῖν, vnde φρονησις, prudentia, quæ practica tota est. Sapientia verò Græcis σοφία. Intellectus porrò principiorum non omnibus fortasse theoreticus omni ex parte videbitur; cùm quædam etiam sint principia practica, velut primæ rerum agendarum regulæ.

Audiri magis possint Themistius, Philoponus, & Auerroës, cognoscere theoreticum esse, sapere practicum. Aut etiam Simplicius (sapere) adiunctum fuisse verbo (cognoscere); tum vt exponeret, quale sit illud cognoscere, quod est rationalis Animæ proprium: nempe perfectum esse multoque magis exquisitum; quàm sit in sensu, qui sola percipit accidentia. Tum vt actiuam quoque ipsius virtutem indicaret. Nam & in superiori textu intellectum in homine agendi principium posuit; & eum post in theoreticum, & practicum diuisurus est. Aut demum interpretari licet; Qua cognoscit quocumque modo; & sapit, hoc est perfectè cognoscit, intimam rei naturam & causas penetrando.

Quamquam cum ego probarem maximè, qui ex superioribus horum verborum sententiam colligeret. cùm. n. intellectum nunc primùm agrediatur; nec dum is in theoreticum, & practicum aliasue differentias vllas diuisus sit; quorsùm nunc theoreticam, & practicam cognitiones significaret? Quo igitur modo antea in tex. 150. & 152. τὸ νοεῖν καὶ φρονεῖν, intelligere & sapere nominauit, eodem nunc γινώσκειν καὶ φρονεῖν dicit. Et vt ibi νοεῖν cognitionem omnem in nobis intrinsecùs excitatam significabat, & φρονεῖν cognitionem quamlibet intellectus propriam: ita hic hæ duæ voces tantumdem significant; quarum posterior priori additur, vt generalem cognitionem, ad eam, quæ intellectus propria est & specialis, contraheret. Præsertim cum in eodem tex. 150. animam dixisset duabus maximè differentijs definiri, motu & intellectione: nuncque post phantasiam, quæ intellectus item quidam dicitur, de intellectu propriè appellato dicturus, & motum in posteriorem tractatum relicturus; De parte inquit animæ qua cognoscit, ad differentiam motricis; & sapit, ad differentiam phantasiæ, quæ cognoscit quidem, sed non sapit. Priorem verò mutauit vocem; neque νοεῖν dixit, sed γινώσκειν; quia si de intellectu loquens νοεῖν dixisset, propriè ac præsse pro sola intellectus cognitione id acceptum fuisset. Similem tamen loquendi formam seruare voluit; vt hanc cum antecedenti tractationem meliùs necteret; atque in generali cognitione ad specialem intellectus propriam gradum faceret; id primùm proponendo, quod commune est (cognoscere); deinde proprium ac speciale addendo (& sapere).

Digressio XIX. De multiplici intellectus appellatione.

VErum enimuerò antequam vlterius interpretatio nostra progrediatur, operæpretium fuerit pauca quædam summatim perstringere de multiplici intellectus varietate atque appellatione, qua deinceps ab Aristotele commemoratur; vt facilior ac planior singulorum mox explicatio nobis euadat. Triplicem is statim intellectum nominabit: Vnum potestate, alterum habitu; tertium actu. De quibus magna existit inter Græcos interpretes disputatio. Nam Alexander intellectum potestate eum esse dixit, qui est in pueris atque adeò hominibus omnibus, qui nondum cognitionum habitibus imbuti sunt. Potestate inquam, tum ad operationem, tum ad substantiam: vt non solùm non operetur, sed nec dum forma ipsius & substantia in illis sit. γίνεται ὁ ἄνθρωπος, inquit ille, « ὡς ἐνδεχόμενον πῶς ἢ πῶς ἕξιν. ἀλλ' ἔχων ὑφ' ὑλώσεως καὶ ὀργά- « νωσιν τὸ δέχεσθαι αὐτῶν, ὅτε ἐν ὥρᾳ τελειωθέντων αὐτῶν. « Id est; gignitur homo haud quaquam illicò habitu hoc præditus: sed potestatem quidem habens, « & aptitudinem eum suscipiendi; post autem eum « accipiens. Non enim is ad hoc vt homo sit, sed vt benè sit pertinet. Quæ autem ad hoc solum conferunt, vt benè sint, hæc perfectis iam & adultis aduenient. Siquidem benè esse ad id, quod perfectum est atque adultum, attinet. Et quia quod potestate ad formam existit eamque suscipere natum est, materia est; intellectum hunc materialem, atque intellectilium materiam appellauit; qui ad omnes formas suscipiendas vere aptus est, cùm omnibus careat. Quoniam enim intelligere res omnes potest, tum sensiles, tum intellectiles; nihil omnino esse actu debet eorum, quæ sunt, sed omnia potestate. Et intelligendo quidem fit vnumquodque eorum, quæ intelligit; sed ipse potestas quædam solùm est, & ad excipiendas formas aptitudo: tabellæ nondum inscriptæ, immò tabellæ potius ἀγράφῳ, quàm ipsi tabellæ similis. Tabella namque iam in entium numero est. Quare id potiùs, quod anima præditum est, tabellæ comparaueris; ipsum verò ἄγραφον in ea fuerit intellectus materialis; velut aptitudo excipiendis inscriptionibus idonea.

Intellectus potestate Alexandro quid.

Eadem Themistij textum 4. & 5. mox enarrantis videtur fuisse sententia. Sic enim ex interprete loquitur. Necesse est cùm omnia intelligat, omnia esse potestate: hoc est nec speciem, nec formam «

» habere propriam. Et rursum. Necessarium igitur
» huiusce intellectus nullam esse propriam naturam,
» neque formam ; vt alienas possit, tum naturas,
» tum formas recipere. Nullamque habere sepa-
» ratam speciem ; cùm omnes complecti natus
» sit.

Intellectus habitu quid.

Intellectum autem habitu eum esse credidit Alexander, qui velut prioris forma & perfectio est in adultis disciplinis excultis hominibus; quos peritos, scientesque appellamus. Qua in re secus planè habet in intellectu, quàm in deabulatione. Etenim in deambulatione tum deambulandi facultas inest à natura cùm primùm nascimur; tum eius actus & perfectio procedente ætate natura superuenit. At facultas intelligendi, natura quidem ab omnibus possidetur, hicque est intellectus potestate; illius verò habitus, qui scientiis, ac disciplinis continetur, natura nequaquam aquiritur, sed labore & industria comparatur ; ideoque reperitur in paucis. Nam ex assidua circa res sensiles functione, atque ex illis vniuersarum naturarũ inspectione ac contemplatione eousque proficit, vt illarum habitum consequatur, quo vel absque sensuum adminiculo cognoscere per se valeat, & contemplari. Hic dum actu non operatur, intellectus est habitu: dum operatur, iam intellectus actu dicitur, omnium scilicet perfectissimus.

Intellectus actu.

Philoponus autem, & apud eum Ammonius, cùm Alexandrum reprehenderunt, quasi intellectum actu dicentem esse intellectum diuinum forinsecùs nobis accedentem; aut hominis sententiam non satis tenuerũt, aut calumniosè egerunt. Hæc namque sunt ipsius verba, vbi de intellectu actu disserit. Ἐπεφέρουσι δὲ καὶ ἡ ἕξις, ὅταν ἐνέργειαν γίνεται νοῦς. ὁ δὲ κατ' ἕξιν νοῦς, ἀποκείμενά πως ὄντα ἀθρόα καὶ παρειλημμένα νοήματα, Intellectus, inquam, actu est habitus operans. alioqui intellectus habitu nil aliud est, quàm velut depositæ, coaceruatæ, & quiescentes notiones. Vbi verò agit de intellectu agente, diuino & extrinsecùs accedente, eum facit vt causam, quæ intellectum potestate traducat ad habitum. Si igitur intellectus agens habitum antecedit, quo is, qui actu dicitur, posterior est; quomodo dici potest intellectum actu fuisse illi diuinum intellectum agentem? Alter omnium primus, immò prima omnium causa est; alter omnium postremus: tum intellectu inquam agente, patiente, & qui est habitu: tùm rebus ipsis intelligendis. Idem fortasse de Plutarcho, quem illi eiusdem criminis reum fecerunt, existimare licet. Quî enim credi potest sapienti vlli Philosopho in mentem vnquam venisse asserere, diuinum intellectum extrinsecùs accedentem actu in nobis operari, atque intelligere? Quippe intellectio vitalis est operatio, quæ non nisi ab interno, & in ipsa intelligente natura posito principio nasci potest. Et habitus nonne operationis & actus principium est ? quorsum enim habitus comparetur, nisi vt in nobis ipsis habeamus vnde promptè, & facilè operemur? Ille ipse igitur intellectus, qui habitu dicitur, est qui intelligit ; quique dum operatur, actu efficitur. Agentem autem intellectum, qui Deum, aut separatam aliam naturam, aut certè animæ facultatem à patiente diuersam posuerunt; non ideò posuerunt, vt intelligeret; sed vt res materiales, & sensiles actu intellectiles faceret, quò à patiente intellectu intelligi possent. Patientem autem hunc tum potestate dici, antequàm intelligat; tum habitu, postquàm intelligendo cognitionum sibi habitus comparauit; ac demum actu, cùm secundum adeptos habitus operatur. Neque enim potestati minùs respondet actus, quàm habitus: ad eundemque, qui potestate dicitur, & habitus, & actus pertinent. Nec minùs dicturus est Aristoteles intellectum, qui actu appellatur, ex intellectu potestate fieri. Verùm dum hoc loco de illo duntaxat intellectu, qui animæ pars est, dicendum proponitur; illud ipsum, quod de agente intellectu dicitur eum esse Deum, aut separatam quampiam substantiam ; manifestum est nequaquam Aristotelis doctrinæ congruenter dici. Omnes enim intellectus, qui in consequenti tota tractatione commemorabuntur, rationalis animæ Partes, & facultates esse oportet. Neque hic (vt Simplicius multis persequitur) de intellectu separato agendum erat, sed de eo, cuius particeps est rationalis anima : Etsi non de eo præcipuè, sed de anima rationali agatur.

Itaque in Alexandri sententia duo sunt reprehendenda. Alterum; quòd agentem intellectum animæ Partem non fecerit. Alterum; quòd intellectum potestate, tum operatione, tum substantia, potestate esse definierit; hoc est puram & simplicem ad omnia potestatem, nullum autem penitus actũ. Etenim Aristotelis auditor Theophrastus secus prodidit in libro de Phantasia, & intellectu capite 4. & 8. vbi intellectum potestate cum materia comparans; Absurdum, inquit, si intellectus scilicet materiæ naturam habet, vt sit nihil, sed potestate omnia. Quare potestate dici interpretatur comparatione intellectus agentis, a quo intelligibilibus formis exornatur, & perficitur. Et verè si sola potestas esset, nihil esset. Quippe cùm potestas negationem actus significet; pura potestas, quæ actum omnem excludat, omnino nihil fuerit; vt pluribus ibi deductum est, vbi primam materiam ostendimus puram potestatem non esse. Eodemque modo, quo id de patiendi potestate ostenditur, de agendi quoque facultate potest demonstrari. Quare vt illa subiecti quendam actum maximè indeterminatum significat ad formarum omnium determinationes suscipiendas idoneum: ita hæc actum quempiam formæ habere debet, quo ipsa quidem actu sit, & determinata actu primo, sed potestate atque indeterminata ad secundos omnes operationum actus; etsi hæc in ipsa remaneat ad eas omnes suscipiendas apta.

Certè in reliquis omnibus agendi facultatibus ita res habet. Et vt meré naturalia mittam ; vegetantes omnes animæ facultates, sentientes, appetentes, mouentes, nonne quempiam eiusmodi actum primum de genere qualitatis significant, qui potestate sit ad secundum? At cur secus iudices de intellectu, qui non minùs, quàm illæ, facultas animæ est ad intelligendum comparata ? quomodo operatio à potestate mera producatur ? An non actus omnis secundus a primo, tanquam à fonte nascitur, operatioque omnis à forma ? Vt igitur sensus ad sentiendas res, ita intellectus ad intelligendas se habet: ille ad certum genus rerum, nempe sensilium, hic ad omnes planè. Ille actu quidpiam est, potestate ad omnium rerum sensilium formas sentiendo suscipiendas, nullamque earum habet actu. Hic actu item primo aliquid est, sed ad cunctarum

rum planè rerum (omnes enim intellectiles sunt) formas intelligendo excipiendas potestate; nihilque eorum est, quæ extra se intelligere potest. Verùm hoc præstat sensui, quòd cùm immaterialis, & incorporeus sit, non solùm alia à se diuersa potest cognoscere, sed in seipsum etiam se se conuertere, seque ipsum intelligere, tum operationem, tum naturam, ac suæ operationis & naturæ cognitam formam suscipere. Quod dum facit, natura eius realis velut subiectum est; eademque vt cognita est, tanquam forma existit, quæ in eo subiecto suscipitur, eamque expolit & perficit. Hanc sanè si suscepturus est intellectus, habere actu non potest. Ad eam igitur est potestate, quatenus forma cognita à naturali, & in rebus existente diuersa est. Denique cùm Philosophus ipse post in tex. 38. intellectum appellet formam formarum, non debuisset eum Alexander formæ & actus omnis expertem dicere. Et hæc quidem nunc ad Alexandrum: deinceps plura. Iam Themistius etsi idem sentire visus sit; eo tamen, quem proposui, loco nil aliud sibi voluit, quàm speciebus omnibus, & rerum cognoscendarum formis spoliatum eum esse, vt cognoscere omnes queat. Quod sanè verissimum est.

Plutarchi sententia.

Plutarchus autem rationalem animam accipiens omnia scire; nec aliud quidquam disciplinas esse, quàm reminiscentias: primùm ait esse intellectum habitu, eumque in pueris; & rerum quidem omnium rationes habere, sed indigere disciplina, velut earum reminiscentia. Alterum tum habitu, tum actu: huncque in perfectis hominibus, in quibus operatur, rebus per disciplinam in memoriam reuocatis. Tertium denique intellectum actu solum, qui separatus est, & exteriùs aduenies. Verùm in nullo planè partitionis huiusce membro accommodate loquutus est. Enimuerò, vt postremum mittam, de quo iam in Alexandri sententia diximus; si id is voluit, quod testatur Philoponus; nequaquam is intellectus animæ pars est. In primo autem Platonis opinionem Aristoteli tribuit; quam tamen ipse confutauit interdum. Deinde intellectum potestate, & intellectum habitu, quos Philosophus diuersos posuit, in primo illo membro ipse confudit. Atque intellectum puerorum, quem tabellæ, in qua nihil sit scriptum, prædicat esse persimilem, cognitionum habibitus exornatum ac pictum facit.

Aristotelis de hoc triplici intellectu sententia.

Vera igitur Aristotelis in hoc triplici intellectu nominando hæc est Ammonij, Philoponi, & aliorum interpretatione sententia. Eos omnes rationalis animæ partes ac facultates, seu potiùs vnam & eandem facultatem alio atque alio modo consideratam esse. Formamque, & actum quendam primum significare, capacem & susceptiuum cognitionum, velut formarum rerum omnium cognoscendarum. Quam ob causam forma formarum, & locus formarum appellatur. Is in pueris antequàm rerum cognitiones adipiscatur, earumque formis susceptis perficiatur, potestate dicitur, & vt nondum scripta tabella. Habitu autem in adultis, & perfectis, postquàm cognouit, scientiarumque sibi habitus comparauit; sed cessat, quiescit, non contemplatur, nec actu considerat. Postremò actu quoque; dum habitu comparato vtitur, reque ipsa cognitas res tractat, & in iis considerandis versatur, ac secundùm habitum aquisitum operatur. Triplicem hunc intellectum ab Aristotele explicatum item habes in textu 55. & 56. superioris libri; cùm hominem tribus modis tradidit scientem dici posse. Aut, quòd mente ac ratione præditus sit, qua scientiæ capax existat: Aut quòd scientiæ quoque habitum habeat, sed eo non vtatur; vt qui Grammaticam habet, sed somno, aliaue re impeditus Grammaticè nihil scribit. Aut demum cùm operatur actu Grammaticeque cognoscit quidpiam, aut scribit. Quocirca imperfectissimus est is, qui potestate existit; perfectissimus, qui actu; inter vtrumque medius, qui habitu. Qui (vt dixit Alexander) quantum ab eo deficit, qui per habitum operatur; tantò eum, qui est potestate, superat. Nam primus actum quidem habet facultatis animæ; sed potestate est, tum ad actum primum habitus, tum ad actum secundum operationis. Alter ad solum actum secundum. Tertius nullo modo potestate, sed omni ex parte actu. Primus omnia patitur, aliundeque absoluitur. Secundus ex se ipso operari potest, & perfici. Postremus omni ex parte perfectus est. Intellectum potestate velut materiâ esse dixeris: Eũ, qui habitu, ceu prioris illius actum & formam: Eum demum, qui actu, tanquam actum & perfectionem supremam eius, qui est habitu. Eodemque modo, quo materiam, formam, & formam operantem, hos omnes comparaueris.

Intellectus Practicus.

Theoreticus.

Organicus.

Rursum hic idem intellectus, dum agendarum rerum habitibus præditus est, in earumue cognitione occupatur; Practicus appellatur, siue habitu, siue actu: Aut Theoreticus; si vel habitu, vel actu in sola cognitione versetur. Adde etiam Organicus, si in instrumentis consumatur, quibus tum practicæ, tum theoreticæ cognitiones parentur ac sustententur: Cuius generis logicæ habitum & cognitionem esse pronuntiaueris.

Intellectus agẽs & patiens.

De intellectu agente maior difficultas; quæ pluribus post explicabitur. Hunc tamen ipsum eiusdem animæ facultatem esse, hic ipse Aristotelis locus testatur: siue ab eo diuersus sit, qui patiens seu potestate dicitur; siue idem ipse alio modo consideratus. Quòd si idem ipse sit, qui vt intellectionem producit, agens dicatur; vt ad eam suscipiendam est potestate, eamue re ipsa suscipit, potestate & patiens nuncupetur: facilius exponemus quemadmodum intellectus ille nominari debeat, qui antequàm habitum adeptus sit, in cognitionibus versatur, quibus habitum sibi comparet. Neque enim intellectus potestate, quia operatur; neque habitu, quia habitum nondum habet, appellari potest. Neque item intellectus actu vocabitur; quoniam hic actus supponit habitum; isque intellectus actu dicitur, qui omnium perfectissimus est, atque ex iam parato habitu operatur. Agens autem, hoc est operans & actum secundum promens verè nominabitur; velut is, qui ex potestate transit ad habitum atque actum perfectum, qui ex habitu proficiscetur.

Hoc si ita sit, vnicum in nobis concludemus esse re ipsa intellectum; qui diuersis modis consideratus alia atque alia sortiatur nomina. His ita explicatis Aristotelem iam docentẽ faciliùs intelligemus.

TEXTVS.

Εἰ δὴ ἔστι τὸ νοεῖν ὥσπερ τὸ αἰσθάνεσθαι, ἢ πάθος τι ἂν εἴη ὑπὸ τοῦ νοητοῦ, ἢ τι τοιοῦτον ἕτερον.

Tex. 2. *Ergò si intelligere est velut sentire, aut fuerit vtique pati quoddam ab intellectili, aut aliud quidpiam eiusmodi.*

COMMENTARIVS LXXII.

ALiam hîc quæstionem à superioribus diuersam proponi, num intelligere sit planè sicut sentire; Magnus Albertus censuit. Sed tum aliorum omnium iudicio confutatur: tum illa ipsiusmet Philosophi voce (ergo) quæ non quæstionem nouam; sed earum, quæ propositæ sunt, explicationis initium significat. Tum demum re ipsa. Quippe num intelligere sit sicut sentire, ad illam ipsam quæstionem pertinet, quomodo intellectio fiat, quidue ipsa sit. Qui ergò Philosophi sensum magis assequuti sunt, eum quæstiones propositas aggredi statim dixerunt. At inter hos ipsos non parua dissensio: Quibusdam priorem primo, posteriorem secundo loco tractari; aliis contrà contendentibus. Et inter cæteros Philoponus superiora verba (quam differentiam habeat) de comparatione intellectus, & sensus interpretatus; nunc ait exponi, quid his duobus commune sit. Duplicem autem esse communionem. Alteram; quòd ambo operando patiãtur. Alteram quam post subiunget; quòd eorum vterque potestate sit.

Verùm si rem ipsam attentiùs consideres, profectò intelliges hæc ad ipsius intellectus, intellectionisue naturam peruestigandam spectare. Et ideò tum ad primam Quæstionem de intellectus in se considerati differentia; tum ad secundam, quomodo intellectio fiat, aptissimè referri posse. Si ad primam retuleris, appositè dices, eum id antea accipere, ex quo tum propria illius natura, tum multiplices acceptiones atque appellationes cognoscantur. Hoc autem est, intelligere esse pati quoddam. Ex quo intellectum colliget patiendi facultatem esse, sine corruptione tamen; suaque natura potestate: neque inlitas sibi habere intelligendarum rerum rationes, sed eas sibi paulatim comparare. Sanè hoc posteriùs primo loco ponendum fuisset velut illius principium & causa, quod priùs commemoratur. Siquidem quia est potestate, ad actum intelligendo transit; eumque actum & formam suscipit, ad quam potestate existit; suscipiendoque patitur. Sed ex notioribus ad ignotiora progredi voluit: ex operatione inquam ad naturam, ex effectu ad causam, ex intellectione ad intelligentem facultatem.

Propterea statim accepit intelligere: vniuersè scilicet vt operationem significat, quæ ab intellectu producitur; & vt in superiori tex. quæsiuit, quomodo fiat intellectio. Quoniam in superioribus tum vniuersè posuit ex operationibus facultates inuestigandas esse: tum verò in cæteris animæ partibus, ac facultatibus hanc methodum hactenus

A obseruauit. Ab obiecto autem intellectili principium non fecit, vt in vegetantibus & sentientibus factum est; ab obiecto ad operationem, & ab hac ad facultatem progrediendo, ac demum à facultate ad animæ, quæ facultatis origo est & fons, substantiam ascendendo. Præsertim cùm in tex. 33. superioris libri non minùs de intellectili, quàm de alimento & sensili, priùs, quàm de operatione, quæ circa illa versatur, dicendum proposuisset. Etenim, inquiunt Simplicius hoc loco, & Philoponus in commentario illius secundi libri, in hac animæ parte obiectum vidit vt interiùs totum continetur, neque palàm positum est, vt alimenta & sensilia; occultius esse, minusque notum, quàm operationem, quæ nullo negotio obseruatur, atque in nobis ipsis animaduertitur. Immò nec facilè definiri posse, num intellectile prius sit quàm intelligere, eundem illum locum enarrans Themistius dixit. Quinetiam cùm sentire notius sit, quàm intelligere; atque illius vis & natura tradita iam & explicata fuerit; libenter accepit sentire ad id declarandum, quod de intelligere dicturus erat. Hoc enim doctrinæ ratio postulabat.

B

Quare ita propemodum ratiocinatur. Intelligere eodem ferè modo se habet, quo sentire, aut certè non magnopere diuersò. Nam ambo cognitionem significant animæ, suntque cognoscentium facultatum operationes: quare generis illtem similitudinem habeant oportet. At sentire est quoddam pati, vt in secundo libro traditum est: quia non est actu ipsa sensilia, sed potestate, eaque suscipiendo cognoscit. Intelligere igitur pati quoddam erit; aut intùs ab intellectili, quemadmodum sensus patitur à sensili; ita vt etiam ab eo, si vehementius fuerit, lædatur ac dissoluatur: aut aliud quidpiam eiusmodi, quod absque læsione, ac dissolutione perfectionem solam adducat. Duo quidem certè de sensu antea tradita sunt. Sensum potestate esse ad sensilia, eaque suscipiendo, ac patiendo fieri actu. Ac rursum ab immoderatis obiectis eum lædi ac dissolui. Propterea si intelligere est sicut sentire; aut vtraque ex parte simile fuerit, & intellectus item intelligendo tum patitur, tum lædetur & corrumpetur intus ab intellectili, sicut exteriùs sensus à sensili, aut absque læsione vlla & corruptione patietur solùm atque intellectilem formam suscipiet.

C

D

Hoc porrò accepto, quænam sit intellectus natura & cuiusmodi passio, quamque multiplex sit, optimè collegit. Quippe idcircò intelligere est velut pati, quòd sua natura rerum omnium cognitione caret intellectus, omniumque capax existit: & ideò impermistus & abstractus ab omnibus. Quòd etiam fit, vt interdum potestate sit, interdum habitu, interdum actu; quidamque agens dicatur, & alter patiens. Prior hęc loci huius interpretatio magnopere mihi probatur; cùm & Philosophi verbis, & rationi consentaneæ maximè sit, atque ad naturam & vim intellectus atque intellectionis explicandam accommodatissima. Quamquam & ex obiecto dici posset ad facultatem Philosophum progredi; dum ex eo, quòd intellectus omnia intelligit, potestatem quandam ad omnia spoliatam omnibus, & inpermistum illum esse colligit.

E

Quòd si ad posteriorem quæstionem euoluendam, quomodo intellectio fiat, hæc maluerispertinere,

tinere; veeres primùm interpretes, Simplicium & Auerroëm, patronos habebis. Quorum alter inde inchoandum fuisse ostendet; quoniam vt essentia prior actionibus sit, potiores tamen actiones sunt, atque ab illis optimum erat ad ipsius intellectus, qui intelligit, contemplandam substãtiam nos deducere. Alter hoc argumento confirmabit; quoniã genus prius est differentiis; & ideò de vniuerso primùm intellectionis genere dicendum fuit, tum illius differentiæ constituendæ. Deinde ipsa Philosophi verba tibi fauebunt: siquidem intelligere & sentire operationes, non essentias, significant. Aliaque adferre poteris loca in quibus idem ipse Philosophus pluribus propositis quæstionibus à postrema ferè inchoare solet explicando. quod & in secundo libro fecit; vbi cùm in tex. 19. duplicem proposuisset quęstionem; primam, an vnusquisque vitæ gradus sit anima, an animæ pars; alteram, an sint loco, an ratione sola distincti: omissa priore ad posteriorem respondet. Tum verò addes tex. 12. & 13. libri 1. in quibus ex intellectionis vi & natura, ac modo, quo perficitur, inuestigandam esse posuit intellectus, atque animæ intelligentis naturam, & conditionem. Ac demum subiunges doctrinæ ordinem, methodumque principio propositam, hactenusque seruatam in cæteris ita postulasse; vt ab operationibus inchoaret, & ab illis ad facultatem progrederetur: faciliusque fuisse; tum quia operatio sua natura notior est facultate: tum ex sensionis modo antea declarato; quemadmodum intellectio fiat, quæque sit intellectus natura, assequi. Et ideò Philosophum nunc sensionem in medium adducere; quasi aut connexionem significando posterioris huius quæstionis cum superiori explicatione: aut causam, cur hinc intellectus tractationem ordiatur, ostendendo: nimirum propter faciliorem explicationem ac doctrinam. Verè namque ex intellectionis natura exposita intellectus natura mox cognoscetur; eum esse facultatem intellectilium omnium formarum susceptricem sine materia: & ideò impermistum corpori atque ab eo separabilem. Rursumque potestate interdum, interdum habitu, interdum actu; interdũ agentẽ, interdũ patientem. Et ideò vt vno verbo dicam, quæcumque ad intellectum quęstiones pertinent, ex vnica illa facilè explicantur.

Cæterùm ego eum nõ parùm laudarem, qui tertiam quandam interpretationem facerent. Aristotelem vtramque simul propositam quæstionem aggredi; atque de intellectione & intellectu absolutè ita deinceps differere, vt facilè vtriusque quæstionis explicatio intelligeretur. Et ideò principiò non tàm duas quæstiones seorsim tractandas proposuisse, quàm ea præmonuisse, quæ ex illa, quam parabat, tractatione colligenda essent, & in intellectu in primis consideranda. Cur autem coniunctim, & simul tractaret; ea fuit causa, quòd duas illas quæstiones tantopere complicatas videret, vt vna sine altera explicari nõ posset. Neque. n. quæ intellectus natura sit, quamúe differentiam habeat, dici poterat; quin diceretur esse facultas ad cognoscenda omnia comparata, nullamque à natura cognitionem habens, sed ad omnia potestate. Et ideò impermistam esse: intelligendo autem susciepere & pati. At nisi hæc eadem repetantur, declarabitur nunquam quomodo intellectio fiat.

Porrò quamcumque harum interpretationum acceperis, sapienter eum ex sensus passione ad eam, quæ intellectus est, ratiocinatum fuisse dices. Quoniam in sensu manifesta magis erat. Tum quia in superiori libro explicata. Tum quia non solùm patitur sensus; sed corporis item organum: atque à vehementibus obiectis corrumpitur; In intellectu autem nullum est organum, quod pati queat. Nec à quibusuis licet vehementissimis obiectis læditur is; immò confirmatur magis, robustiorque ad operandum euadit. Quod si ita est; eoque conueniunt hæ duæ facultates, quòd ambæ ad rerum cognoscendarum formas susciipiendas potestate sunt easque operando susciipiunt & patiuntur: profectò hæc passio, qua similes sunt, ne in sensu quidem consideranda est in organo, sed in ipsa facultate. In facultate verò passio alia non est, quàm ipsius cognitionis, quæ in cognoscente remanet, susceptione. Eadem igitur in intellectu quoque passio accipienda est; qua is dicatur pati, quatenus actionem suam intellectionis, seu intellectæ rei formam, suscipit. Præsertim quòd si pati diceretur intellectus susceptione speciei ab intellectione diuersæ; negasset id Plato, qui species illi insitas & innatas posuerat. Ita intelligere est velut sentire; quia vt ambæ sunt cognitiones quædam, similitudinem eam generis habent, qua passiones quædam & susceptiones existunt. Passiones inquam & susceptiones, non puræ & sinceræ, sed cum actione permistæ. Et ideò sensus & intellectus, tum agendi tum patiendi facultates sunt; agendi, quatenus actionem suam promunt; patiendi, quatenus eam ipsam susciipiunt. Patiendi autẽ ab obiecto; quatenus actio illa compræhensio est & forma obiecti cogniti.

Qualis in sensu & intellectu passio.

Propterea cùm intelligere sit pati, deinceps addit aut esse pati ab intellectili, sicut patitur sensus à sensili: in quo etsi sensio formaliter sit perfectio, passioque perficiens, non corrumpens; vt in tex. 57. & 58. superioris libri traditum est; adiunctam tamen habet corrumpentem, & veram passionem organi, propter quam ipse quoque à vehementibus sensilibus cum organo læditur & interit. Et ideò ait (aut pati quoddam) hoc est ratione adiuncti organi, sicut in sensu: in quo dum in sentiente facultate susceptio perficiens est, organum quidpiam corrumpens patitur. Quare videtur quæri, an intelligere sit organica operatio, cuius organum intus patiatur ab intellectili, sicut organum sensus à sensili exteriùs patitur.

Aut aliud quidpiam eiusmodi). Quod alterum membrum, tanquam intellectus proprium adiecit, vt diuersam esse ostenderet intellectus passionem à passione sensus. Primùm. n. sensus magis propriè dicitur pati; quoniam præter propriam ipsius passionem est etiã in eo vera, & persæpè noxia & corrumpens organi passio: In intellectu non item; sed mera & simplex ipsius perfectio. Deinde obiectum sensus est extrà, prorsus corporeum, ab eoque distinctum ac separatũ: in intellectu vt stat intrinsecùs, ita incorporeum penes ipsum existit. Vterque igitur passioni simile quidpiam habet, dum in vtroque migratio quædam est à potestate ad actum, suæque actionis velut formæ obiecti cogniti susceptio. Sed maior in sensu similitudo cernitur; in quo tum corporeus adest organi motus, tum formę minùs immaterialis susceptio, tum passio ab obiecto externo & separato. Quippe in tex. 2. lib. 9 Metaphys. patiendi potestas principium esse definitur transmutationis ab alio vt aliud est. Sensusque, vt in tex. 59. & 60. superioris lib. dictum est, ad actum

Intellectus & sensus passio diuersa.

reducitur ab obiecto externo; intellectus à seipso, aut certè ab intellectu agente; qui aut cum patiente idē re est, aut certè eiusdē animæ pars & facultas.

Tres passionis gradus.

Itaque tres quasi passionis gradus constitues. Primus tū in corporibus cæteris, quę sūt sub Luna; tū in sēsus organo corrumpitur. Alter in sēsu ipso. Tertius in intellectu. Primus corrumpens est, & propriè dictus. Alter perficiēs duntaxat per se; sed ptiori quoquo modo similis, quatenus propter organum adiunctam habet corruptionem. Postremus huic alteri vtrumque similis, non tam passio, quàm eiusmodi quidpiam nominatur; hoc est eatenus passioni simile, quatenus immaterialis prorsus & incorporea actio corruptione omni carens materiali & corporeæ similis dici potest.

Digressio XX. Aduersus Simplicium de sola intellectione intellectus potestate hæc accipientem.

IAm verò cùm hæc Simplicius ait de sola intellectione intellectus, qui potestate vocatur, intelligenda esse; nō de intellectu habitu, aut actu: & ideò hypoteticam illam loquutionem (si intelligere est velut sentire) ita interpretatur; si intelligere illud consideretur, quod est velut sentire; quod quidem est intellectus potestate, quem is solas accidentium formas ait cognoscere. Nimirum vt eodem ordine has intellectus differentias Philosophus prosequatur, quo de cæteris animæ facultatibus dicere aggressus fuerat; ab imperfectioribus inquam ad perfectiora; ab intellectu potestate ad eū, qui actu existit; promouendo per intellectum habitu, quo substantiales notiones & formas comprehendat. Ego quidem certè non omni ex parte assentior.

Primùm, quòd intellectum potestate, & habitu non benè accipit; cùm eum, quem Aristoteles omnibus formis carentem facit, accidentium formis ornatum dicit; & eum, quem singula factum mox tradet, solis substantiarum formis constare asserit. Deinde quoniam etsi intellectui potestate præcipuè conueniant: tum quòd is maximè sensui similis sit, dum solam animæ facultatem significat, quæ ad operandum est potestate. Tum quòd in hoc primo tractationis ingressu, quo de intellectione absolutè quæritur, vt intellectus inde natura cognoscatur; de illa præsertim intellectione dicendū erat, quæ intelligentis facultatis absolutè consideratę & vt ab anima proficiscitur, operatio est. Hęc. n. ad intellectus naturam ostendendam opportuna erat. Credendum tamen non est de intellectione intellectus potestate agi, quatenus potestate est; ab eo, qui habitu, & actu dicitur, diuersus: sed de intellectus absolutè, vt intellectus est, operatione. Hoc etenim quęrebatur, hocque agendū erat. Quoniam verò intellectus absolutè, & sincerè consideratus, antequàm habitu, aut actu vllo aduentitio imbuatur, potestate est; hic ipse intellectus potestate vocatur, quæque de intellectu absolutè dicuntur, primùm & maximè conueniunt ei, qui potestate appellatur. Eadem tamen ipsa intellectui quoque, qui habitu, aut actu consideratur, quoquo modo conueniunt, voluitque Philosophus cōuenire. Etenim dum de intellectione generaliter disputatur, atque vniuersè quæritur, quomodo fiat; generaliter item & vniuersè respondenda sunt ea, quæ intellectioni omni conueniāt. Alioqui si ea respondeas, quę vni tantùm speciei propria sint, inepte respondebis. Non solùm autē intelligere potest intellectus potestate; sed is quoque, qui habitu consideratur; is verò, qui habitu re ipsa operatur, & intelligit: quæ enim alia sit intellectus operatio, quàm intellectio? Deinde in tex. 55. & 56. li. 2. an non intellectus Grammaticæ, aut scientiarum habitibus prædictus dictus est potestate esse ad actum secundum operationis non minùs, quàm intellectus potestate ad habitum ipsum suscipiendum? Nonne sensum eodem in loco legimus homini Grāmaticæ, aut cuiuis scientiæ habitu prædito, hoc est intellectui habitu esse persimilem? Sanè eo in loco potestatem duplicem interpretes omnes agnoscunt. Vnam primam, & sensu. sentialem, & remotam; quæ est ad formam operandi principium. Alteram secundam, accidentariam, & propinquam; ad operationem, quæ ab obtenta forma proficisci potest. Sensumque cum Aristotele inquiunt non prima, sed altera potestate ad sensionem esse; velut intellectum non nudum, sed scientiæ instructum habitu.

Ita ipsomet Aristotele interprete habebimus cōparationem sensus, & intellectus hoc loco propositam intellectui tum potestate tum habitu conuenire. Nam si vbicumque potestas est, susceptio, & passio esse potest; horum vterque potestate est. Alter ad habitum & actum, & ideò absolutè potestate dicitur, quia præter actum suæ naturæ nullum alium aduentitium habet. Alter ad actum, qui ab habitu promi potest. Vterque intelligere valet: ille, vt habitum sibi comparet; hic, vt comparato fruatur. Magisque hic, quàm ille, sensui similis est; qui non habitū quærit, sed habitus vsum. At cùm vterque intellectionem eam, ad quam est potestate, suscipit; patitur nimirum velut sensus. Rursum intellectus, qui est actu, non modo ad intellectionem aliam promendam potestate est (hoc. n. ad habitum potiùs pertinere videtur) verùm etiam ad illam ipsam, quam promit. Nam ideò illam suscipit, suscipiendoque patitur. Sed in hoc est potestas coniuncta cum actu; in aliis ab actu separata: In hoc potestas est sine priuatione, in cæteris cum priuatione adiuncta. Certè potestatem eiusmodi Græci omnes interpretes exponunt, & in superioris Textus commētario adducit Simplicius, cùm anima dicitur esse actus corporis potestate vitam habentis, etsi re ipsa & actu viuat.

Quòd si intellectum habitu sensui similē non esse idem ipse Simplicius obiiciat: quoniā is intelligere potest seipsum; & licet obiectum præsens non sit, operari ex se ipso: cùm sensus nec in seipsū se se conuertat, nec nisi præsentibus sensilibus sentiat, Intellectum autē actu post appellari impatibilē prorsus, separabilē, & substantia actū; & ideò pati nō posse. Nullo negotio diluuntur obiectiones. Etenim non omni ex parte intellectū voluit Philosophus sensui similem esse. Sed in eo solùm, quòd ambæ facultates animæ cognoscētes sunt, ambæ potestate adrerū cognoscendarū formas suscipiendas, ambæ agēdi, patiendique facultates; quæ scilicet operando quoquo modo patiantur. Cætera dissimilia penitus sunt, & quædā etiā contraria. Neque. n. ex cōmuni natura deriuantur, qua cognoscētes facultates ambæ sunt; vnde similitudo petitur. Sed ex diuersa, & multæ propria speciei differentia; qua sensus materialis est & corporeus; intellectus immaterialis, incorporeus & substātia abstractus; ille organo incorporeo vtitur; hic nequaquā. Inde. n. est, quòd sensus veram & propriā passionē habet in organo, intellectus nusquā. Sensus à vehementi sensili corrūpitur, intellectus

ctus à vehementi intellectili confirmatur. Sensus nec seipsum, nec suâ actionem nosse potest; intellectus potest. Et ideò sensus ab omni re sensili diuersus est, nõ itẽ ab omni intellectili intellectus. Sensus sensilium duntaxat est, præsentium, accidentium, & singularum rerum: intellectus spiritaliũ quoque, incorporeorum, immaterialium, absentium, substãtiarum, vniuersarumque naturarum. Sensus externum postulat obiectum, foris que existit sentiendi principium: Neque sentire potest animal quando vult, sed quãdo adest obiectũ, à quo ad sentiendũ moueatur: intellectus internum habet obiectum sibi præsens, siue à Phantasia subministratum, siue habitu contentum. Et ideò intelligendi principium interiùs continetur, possumusq; quãdocũque libuerit, intelligere.

Impatibilis autẽ dicitur intellectus, nõ hac eadem passione, qua intelligere affirmatur esse pati, recipiẽs solùm, & perficiens, non corrumpens: sed altero passionis genere vero & corrũpente, quod in sensu cernitur, qui cum organo corporeo alligatus sit, eo patiente & corrupto vera & propria passione, patitur ipse quoque & extinguitur. Itaque duplici distincto passionis genere; alterũ sensui & intellectui vtrumque commune est; alterum solius sensus proprium. Altero intellectus intelligendo patitur, altero impatibilis prorsus existit. Inde fit, vt is separabilis sit, non sensus. Nec solùm intellectus actu, aut habitu; sed is, qui potestate dicitur; quem sensui similem fatetur Simplicius. Quippe eadem est illorum omnium intellectuum substantia & natura. Quorum vnus dicitur esse potestate, quatenus non operatur, sed operari potest: alter substantia actus, non quòd sit solus actus, sed quòd is cõsideretur, vt actu operatur: dum verò actum illum idem ipse suscipit, pati quodam modo affirmatur.

Intellectus vt patitur & impatibilis sit.

Quod autem attinet ad illa verba (si intelligere est velut sentire) næ illis vim adfert Simplicius, vt sententiam suam extorqueat. aliisque plurimus in locis eundem loquendi modum obseruare potuisset, in quibus hypotetica loquutione proponitur id, quod in ratiocinationibus antecedentis aut propositionis vim habet, vnde illud colligẽdum est; si hoc est, illud est; si homo est, animal est. Sic.n. nunc quasi antecedens, seu propositionem ponit; si intelligere est velut sentire; vt inde colligat intelligere esse pati. Et quoniam antecedens consequentis causam cõtinet, conditionalis illa particula vim causalis habebit; tantundẽq, valebit, ac (quia); quia hoc est, illud est; quia homo est, animal est; quia intelligere est vt sentire, verè licet colligere intelligere esse quoquo modo pati.

Denique de procedendi modo sic habeto. Cùm Philosophus ad intellectus differentias illas, seu multiplicitates explicandas descendet; ab imperfectioribus ad perfectiora, ab intellectu potestate ad eũ, qui habitu, aut actu est, non multò post progredietur. Nunc non id agit sed cõsentiẽte Simplicio in posteriori quæstione versatur, quomodo intellectio fiat; eaquevniuersè tractatur. Quare tum à notioribus ad ignotiora, tũ ab vniuersis & generalibus ad specialia procedit: Dum ab operatione ad essentiam, à sensione ad intellectionem, ab intellectione vniuersè considerata ad speciales illius modos progreditur.

Procedendi modus.

TEXTVS.

Ἀπαθὲς ἄρα δεῖ εἶναι δεκτικὸν ᾗ τὸ εἶδος ᾗ δυνάμει τοιοῦτον, ἀλλὰ μὴ τοῦτο ᾗ ὁμοίως ἔχειν, ὥσπερ τὸ αἰσθητικὸν πρὸς τὰ αἰσθητά, ὕτω τὸ νοητικὸν πρὸς τὰ νοητά.

A *Impatibile igitur oportet esse. Susceptiuum autem formæ, & potestate eiusmodi; at non hoc, similique modo habere, vt sensitiuum ad sensilia, sic intellectum ad intellectilia.* Tex. 3.

COMMENTARIVS LXXIII.

PHilosophum hoc locum intellectum asserere impatibilem esse, manifestum est. Sed quomodo asseratur, non item inter omnes conuenit. Præter Albertum videntur omnes deductionem quandam ex superiori contextu agnoscere. Sed ille quæstionem eam arbitratus fuisse antea in medium adductam, Num intellectus sensui sit penitus similis; cõclusionem hanc post probandam nunc dixit constitui, intellectum impatibilem esse. Verùm hoc ex antecedenti commentario non ita esse cognoscitur.

B

Inter cæteros de interpretatione Philoponi possit fortasse dubitari. Is in proximè antecedenti contextu nihil probatum fuisse opinatus, sed hypotheticam solùm præmissam intellectus, & sensus comparationem (si intellectum dixeris esse similem sensui, aut is aliquid erit, quod ab intellectili patitur, & corrũpitur; sicut sensus à sẽsili; aut aliquid aliud impatibile, quod perficiatur duntaxat, lædatur minimè): Philosophum iã inquit tanquã pronũtiata sententia impatibilẽ eũ esse affirmare. At.n. in prõptu est illi obiicere.

C

Si hoc ex hypotetica oratione, & quæ à quopiam solùm proponeretur, nũc colligitur; hypotetica igitur & ad hominem duntaxat, non absoluta & vera sententia statuitur.

Propterea veriùs eũ dixeris absolutã antea orationẽ præmisisse, qua intellectionẽ posuit passionẽ quandam esse, aut corrumpentẽ, aut perficientẽ dũtaxat & absoluentẽ. Argumento silicet sensus, qui passionem quoque significat. Iã verò alterã propositionis illius partẽ eligere, atq; statuere; intellectũ impatibilẽ esse ab obiecto vera & propria corporis passione; sed solùm habere quidpiã passioni simile, dum intellectiles

D

omnes formas suscipit. Neq; perturbet quẽpiã particula (igitur) quasi ex antecedenti probatione aliquid colligatur. Etenim eõclusionẽ potiùs significat, quã probandã statuit atque ex præiacta diuisione eligit. Quod dũ facit, nimirũ genus & differentiam intellectus ponit. Genus cũ sensu cõmune est, esse susceptiuum formæ. Differentia propria, impatibile esse & absque corporis passione suscipere. Quare ex operatione ad essentiã progreditur: atq; ex intellectione, quã non corrũpentem, sed perficientẽ passionẽ esse ait, intellectus naturã & essentiã ratiocinatur: formarũ quidẽ omniũ capacẽ, ad easq; suscipiendas & ideò ad patiendũ quoquo modo aptã; absolutè tamen & propriè loquendo, impatibilẽ. Quoniam passio proprie illa dicitur, quæ corrumpens est; non ea, quæ perfectionem solam adducit.

Intellectus genus, & differentia.

E

Cùm igitur in antecedenti sermone duo posuisset: alterũ, intelligere esse veluti sentire; alterũ, aut esse pati quoddã ab intellectili, aut aliud quidpiam eiusmodi; non inquãvera passio, qualis in sensu cernitur, si non per se, saltem ratione organi, sed aliquid aliud passioni simile; solã scilicet perficientẽ susceptionẽ, dũ actu fit id, quod erat potestate. Ex priori accepit vt genus, eũ esse formarũ susceptiuũ, perindeq; se habere ad intellectilia, ac se habet sensus ad sensilia; & vtrãque facultatẽ esse potestate, non actu, ea, quę cognoscere ac suscipere potest. Quare vt antea, dum de sensu ageret, Empedoclis opinionẽ reiecit; cognoscens debere ex cognoscendis rebus constare; illũque ostendit nil esse actu eorũ, quæ sentiuntur: ita nunc reiicit in intellectu; hunc ipsũ ad intellectilia omnia

eodem modo se se habere demõstrans. Ex posteriori autem propriam intellectus differentiam eligit; eum ita susceptiuum esse, vt suscipiendo non patiatur, sed perficiatur.

Aristotelis method.

Itaque hoc ipso in loco ad illius quæstionis explicationem accedere opinor Philosophum, quam velut præcipuam, & naturam intellectus cõtinentem, principio proposuit; Quam differentiam habeat intellectus. Et quoniam ea duplex esse potest; essentialis vna, alteræ accidentariæ; essentialem nunc priùs exponit, accidentariã post, quæ ex hac essentiali originem habet, explicaturus. Vbi admirabilem Aristotelis artem ac methodum obseruabis. Qui in obscurissima re, maximeque recõdita principium fecit ab operatione; atque ex intellectione intellectus naturam & differentiam essentialẽ inuestigauit. Eumque primùm constituit facultatem esse formarum rerum cognoscendarum susceptricem, veluti ad eas omnes potestatem. At quoniã generalis hæc differentia videbatur sensui quoque cõmunis; duobus eam modis contraxit & specialem fecit. Primùm addendo (Impatibile) hoc est facultatem quidem esse susciendi, sed absque passione vlla proprie dicta; & ideò sine vlla læsione, & corruptione perfici. Qua re à sensu differt, qui cum susceptione & perfectione sibi propria passionẽ organi habet admixtam, quæ in ipsius quoque læsionem atque interitũ redundat. Deinde subiungendo, simili modo habere vt sensitiuum ad sensilia sic intellectum ad intellectilia. Similem.n. non eundem, modum ostendit. In qua susciendi ac patiendi similitudine, sensilium atque intellectilium formarum diuersitas est. Nam neuter res ipsas susciput velut exemplales, quas παραδείγματα appellat Simplicius: sed ambo rerum formas & exemplarium similitudines; sensiles sensus, intellectus intellectiles. Et ideò quemadmodum cùm de sensu ageret, non semel dixit, sentiendis rebus carere sensum debere, vt eas possit susciere; aspectum colore, auditum sono, & aliorum vnumquemque sensili suo obiecto. ita nunc ex eo, quòd intellectilium formarum susceptiuus est intellectus, eum colliget non actu, sed potestate res intelligendas esse debere.

Non enim accipienda sunt illa verba (At non hoc) vt Auerroës, & Albertus acceperunt; intellectum susciere quidem formas, vt suscipit sensus; at non esse corpus, neque virtutem in corpore, vt est sensus. Sed potiùs non esse actu quidquam eorum, quæ intelligit; nec insitam vllam eorum formam actu habere. Tum quia hoc opponitur ei, quod dixerat, esse potestate eiusmodi: potestati autem opponitur actus; vt ei, quod est potestate, id, quod est actu. Tum quia ex sensu ad intellectus naturam inuestigandam ratiocinatur: de sensu autem hoc idem antea dixerat, eum ad sensilia omnia potestate esse, nullumque eorum habere actu, vt omnia sentire possit. Tum demum quia hoc erat necessarium dicere ad ostendendam intellectus naturam, & potestatem. Et ideò statim deducit, ita se habere intellectum ad intellectiles formas, vt ad sensiles se habet sensus; hoc est potestate ad omnes, actu nullam. Intellectũ autem non esse corpus, neque corpoream virtutem, cõsequenti magis contextu exponitur.

Intellectus mera potestas non est.

Quòd si ex his verbis Alexãder colligat, intellectũ, qui potestate dicitur, nullam formam, remúe actu significare, sed meram, ac sinceram ad omnia potestatem: iure optimo fuit à Philopono reprehensus.

Habet.n. formam quandam, seu potiùs formæ quædam est ipse; qualitas scilicet quæpiam, quæ rationalis animæ facultas est; sicut & sensus. Sed formam, quam cognoscit, non habet actu, sed potestate. Potest sanè is intelligere se ipsum. At vt in exteriores intelligendis non eas, sed earum formas, hoc est cognitiones, susciput (quippe non lapidem, sed cognitam lapidis formam esse in anima, docẽtem post Philosophum audies) sic in intelligendo se ipso non se ipsum, sed sui formam, & cognitionem susciput atque ad eam est potestate; cum priuatione quidem antequam intelligat; sine priuatione autem, cùm actu cognoscit. Neque Philosophus intellectum negat esse actu formam simpliciter, sed formam eam, ad quam est potestate; nempe intellectilem formam.

Eoverò libẽtius vsus est sensu ad declarandũ quomodo intellectus ad intellectilia se habeat; quòd eo vsus esset ad explicandã operationẽ, quid sit intellectio, & quomodo fiat. Quippe vt ex intellectione progressus est ad intellectũ, sic idẽ exemplũ ad essentiam declarandã velut aptissimũ, traducendũ sibi esse putauit. Quod tamen non ad id pertinet, quod intellectũ impatibilẽ dixit: sed ad id solùm, quod susceptiuum formarũ, & potestate ad illas, non actu, affirmauit. Passionis nãque, & impatibilitatis differentiam in superiori iã textu significauerat: solaque in potestate ad formas & earũ vacuitate similitudo est. Tametsi maior adhuc in intellectu, quàm in sensu vacuitas. Siquidem tactus parte quadam sui obiecti constat; vt in tex. 118. lib. 2. dictum est.

Si totam igitur huius loci sententiam colligas, intellectum dices intellectiliũ formarũ susceptiuũ esse sine passione. Hæc est intellectus natura, hęc essentialis differẽtia. Cui si animæ facultatẽ veluti genus addideris, definitionem absolueris; intellectus est animæ intelligentis facultas, intellectilium formarum sine passione susceptrix.

At.n. Simplicius, vt antea de sola intellectus potestate intellectione actũ esse dixit: ita hîc de solo eo intellectu sermonẽ esse opinatus, impatibilẽ illũ appellari ait, non quòd pati nequeat; sed quòd nõdum passus sit, nec dũ intellectiliũ rerũ formas susceperit: susceptiuũ autẽ & passiuũ, quòd susciere paratus sit. Qualis est imperitorũ hominũ intellectus, qui etsi accidentia quædã rerũ norit; substantiales tamẽ earũ rationes non tenet, sed ad illas est potestate. Has n. substantiales rationes interpretatur is, cùm intellectus formarum susceptiuus dicitur.

Verùm neutra huius interpretationis pars probãda est. Quoniã intellectus differentia, & natura absolutè & vniuersè quæritur, vt intellectus est; siue imperitorũ hominũ sit, siue apprimè scientiũ & eruditorũ; siue accidentia cognoscat, siue substãtiales rerũ rationes possideat. Nã hæc intellectui, vt intellectus est, accidentaria sunt & extrinseca. Hunc mor seu tabellã esse tradet Philosophus, in qua nihil est scriptũ, nec accidentiũ, nec substantiarũ. Ac rursum postea, non res ipsas, sed earũ formas, hoc est cognitiones, in anima suscipi. Nõ minùs autẽ accidentiũ, quàm substantiarũ, cognitiones susciputur: nec ad illas minùs, quàm ad has, intellectus est potestate: vtroque scilicet genere sua natura spoliatus & informis. Exẽplo primæ materiæ, tũ ad accidentiũ, tũ ad substantiarum veras formas comparatæ. Siquidem vt hæc ad reales & in natura existentes; sic intellectus ad cognitionum formas se habet. Illa realibus.

realibus, hic cognitis omnibus sua natura carens atque ad omnes potestates. Imperitorum autem hominum intellectus accidentium formis instructus, non minùs puram & sinceram intellectus naturam refert, quàm primæ materiæ referat ea, quæ qualitatibus & accidentibus imbuta iam fuerit. Vt igitur de intellectione vniuersa, vt intellectio est, pluribus verbis loquutus est Philosophus, ita posterioribus hisce puram atque aduentitia omni forma vacuam intellectus naturam ex operatione illa deductam nobis proposuit: eámque intellectilium omnium formarum, siue accidentium, siue substantiarum, siue accidentalium, siue substantialium, absque lædente passione susceptricem. Sic enim & ipsissimam eius differentiam essentialem ac naturam demonstrauit, & capacitatem ac potestatem totam indicauit. Ac demum impatibilitatem ostendit formarum omnium susceptione, vel etiam accidentium, à quibus alioqui tum in sensu, tum in cæteris omnibus læsio ac passio solet proficisci.

Addam ad huius loci planiorem intelligentiam, Simplicijque certiorem confutationem id, quod in tex. 65. & 66. lib. 1. traditū est. Nam cùm eadem vtrobique sententia contineatur, ibi obiter, & quasi carptim, hìc ex instituto & vt in proprio loco, alter locus ex altero manifestior euadet. Ibi autem tum de intellectu nostro absolutè & secundùm suam naturam vniuersè differens, tum eandem intellectus & sensus comparationem faciens, intellectum ostendit innasci nobis velut substantiam quandam existentem, & non corrumpi: & licet alio intus corrupto minùs valeat intelligere, ipsum tamen impatibilem esse. Si enim pateretur, ac corrumperetur, maximè id eueniret in senectute, qua ætate animalia cuncta imbecilliora sunt, & ad interitum prona. At is eo tempore viget plurimùm. Vel si in vltima & quasi iam præcipitata ætate imbecillior videatur ad operandum, ne inde quidem licet colligere eum passum esse. Quia id aliunde nasci potest. Nempe quòd phantasiæ, sine qua dum est in corpore non operatur, lætum & corruptum sit organum. Etenim vel sensus ipse imbecillior tunc est. Non quòd læsa fuerit & corrupta anima (ea quippe individua substantia est, quæ per partes corrumpi non potest, sed aut extinguitur tota, aut integra tota est) verùm quòd organum passum sit, ac penè dissolutum. Et ideò si senex acciperet oculum iuuenis, solúmque mutaret organum; videret vt iuuenis, & exquisitè, vt antea, & perfectè operaretur. Quatenus verò ex hoc colligatur, intellectum, non sensum, à corpore separabilem esse, & æternum; eo loco satis declarauì. Nunc satis fuerit dicere, sensum per se quidem impatibilem esse, at patibilem & corruptibilem per organum; patiente scilicet & corrupto organo, in quo is est. Corporea enim & organica vis. At intellectus neque per se, neque per organum; siquidem organo nullo vtitur.

Atque illud etiam addere; Philosophum hìc naturam & essentialem intellectus differentiam exponendo, simul etiam de intellectus potestate dicere. Quoniam is puram, & sinceram intellectus naturam habet. Reliqui siue habitu, siue actu considerentur; quidpiam addunt, quod accidentarium est & aduentitium; Impatibile esse, intellectui omni conuenit, vt intellectus est: Esse autem susceptiuum formarum, & potestate omnia, nihilque actu earum, quæ intelligenda sunt; intellectum iam potestate significare videntur. Sed tamen eatenus credendum est de illo egisse Philosophum, quatenus puram intellectus naturam habet. Non inquam, proponendo sibi de intellectu potestate agere, sed de intellectus natura absolutè cōsiderata. Quæ quia potestate est ad intellectilia, propterea de intellectu potestate egit, non quatenus potestate est; sed quatenùs ipsa intellectus natura. Quare quæcúmque de intellectu potestate dicentur, de intellectu per se & simpliciter considerato deinceps erunt accipienda. Vt diuisio intellectus in intellectum potestate, habitu, & actu; diuisio sit in intellectum secundùm suam naturam per se consideratum; & in intellectū, cui quidpiam accesserit, habitus, aut actus.

A

B

C

D

E

Intellectus natura & intellectus potestate, idem.

TEXTVS.

Ανελκυσεν ἀρα ἐπὶ πάντα νοεῖ ἀμιγῆ εἶῃ, ὡσαυτως φύσιν ἀπεζασθαι, ἵνα κρατῇ. τοῦτο δὲ ἐστιν ἵνα γνωρίζῃ. παρεμφαινόμενον γὰρ κωλύει τὸ ἀλλότριον, καὶ ἀμφράττει.

Quare necesse est, cùm omnia intelligat, non mistum esse, vt inquit Anaxagoras, vt dominetur: hoc autem est vt cognoscat. Alienum enim, si prope appareat, prohibet, & obstruit. Tex. 4.

COMMENTARIVS LXXIV.

QVod intellectum dixit potestate esse intellectilia omnia, actu autem nullum; maximè quidem & potissimùm ad intellectus naturam ostendēdam dictum est. Sed tamen tacitè etiam fortasse voluit Philosophus Empedoclis & eorum sententiam damnare, qui, vt in 1. lib. commemoratum est, simile inquiebant cognosci simili: & ideò intellectum, vt cognoscat omnia, ex omnium elementis & principijs constare. Aristoteles contra ex eorum nullo, sed potiùs velut potestatem quādam ad illa omnia esse: & ideò cognoscere omnia, quia cùm cognoscere sit rei cognitæ formam suscipere, formis omnium spoliatus omnes potest admittere. Hoc verò nunc multo magis confirmat; Empedoclis opinioni eam, quę fuit Anaxagoræ, quasi opponēs, & vt intellectus naturæ magis consentaneam antēponens. Is cùm materiale rerum principium infinitatem quandam similium partium posuisset, réspq. omnes earum partium congregatione fieri, permistione constare, segregatione interiore affirmasset: intellectum adiūxit, qui partes illas congregando & segregando, varijsque modis permiscendo, omnium, quæ in natura subsistunt, parens esset & efficiens causa: Itáq. cùm cætera omnia essent permista, solus intellectus impermistus esse dicebatur, vt mistioni dominari cæteráq. miscere posset. Sentētiam hanc Aristoteles partim reprehendit, partim non parùm commendauit.

Anaxagoræ opinio de rerū principijs.

Tria omnino reprehendit. Duo in primo libro Physic. ac rursum in tertio eiusdem operis libro, & in tertio de Cœlo, & primo de ortu & interitu, infinitatem scilicet illam similium partium, generationisque modum per congregationem & segregationem. Et tertium in octauo Phys. tex. 15. intellectum non ab omni æternitate congregationem & segregationem aggressum fuisse. Laudauit autem in primo Metaphysic. quasi quæ propiùs ad veritatem ac-

cesserit. Tum quòd præter materialem, efficientem quóque causam posuerit.

Neque casu, sed mente quadam, mundum administrari dixerit. Quod sibi quóque, cum primùm audiuit, maximè placuisse, quòd ita optimè omnia disposita fore viderentur; testatur apud Platonem Socrates in Phædone. Tum verò quòd in materiali item principio naturam primæ materiæ quoquo modo adumbrauit. Ac rursum hoc loco & in octauo Physic. tex. 37. plurimum commendauit, quòd intellectum impermistum & incorporeum fecerit; vt similibus omnibus partibus velut materiæ dominari maximè eásque modis omnibus versare ac permiscere posset.

Intellectus vt impermistus.

Verùm quod primùm Philosophus asserit necessarium esse intellectum impermistum esse, ex superioribus sine dubio colligitur. Sed cùm duo dixisset: Alterum intellectum impatibilem esse: Alterum formarum susceptiuum esse: Themistius & Simplicius ad posteriorem propositionem referunt. Atque non permistum comparatione formarum intellectilium interpretantur. Quasi probetur, eum cum illis permistum non esse, hoc est nullam earum habere actu, quòd intelligat omnia atque omnium formas suscipiat. In quam sententiam noua extat Antonij Bernardi interpretatio in vndecimo de singulari certamine libro sect. v. vj. & vij. Is eodem modo impermistum exponens, Philosophum dixit ad intellectus impatibilitatem probandam accepisse, eum esse intellectilium formarum susceptiuum. Et quoniam hoc negatum fuisset à Platone, primum ita probatum fuisse. Intellectus intelligit omnia, id est opposita, vera & falsa: nullas igitur habet à natura insitas formas, quemadmodũ inquiebat Plato. Etenim si quas haberet, sanè haberet veras: non igitur posset contrarias & falsas intelligere. Siquidem hæ simul cum veris esse nequeunt; nec veræ, quæ naturales essent, abijci possent. Vnde in tex. 6. mox inquit colligi, eum cum corpore permistum non esse. Quia si organum corporeum haberet, vniuersas formas non posset suscipere, sed singulares solùm, vt sensus.

Acuta nimirũ & subtiliter excogitata interpretatio, sed minimè accomodata. Primùm quia Aristotelem frustra, & absq. necessitate à propositionis sibi propositæ probatione ad insitas intellectui species digredientem facit. Præsertim cum certius & proprium magis medium posset accipere. Deinde nulla hîc Platonis mentio, nulla oppositorum, nulla veri aut falsi. Tum vero recipere aut habere insitas rerum species imparibilitati aut immortalitati nil obest. Et Plato, qui species illas insitas posuit, immortalitatis vbique assertor est. Sapientissimique Theologi nónne species omnium rerum separatis mentibus à Deo insitas fuisse tradiderunt? Postremò homonymiam in argumentationibus eandémque vocem alio significatu in antecedenti, alio in consequenti vsurpatam non tolerant Dialectici. Maximo igitur vitio Aristotelis Argumentatio laboraret, si impermistum hoc loco significaret non habere formas, & post inde deduceretur esse impermistum cum corpore.

Ego igitur omnino secus interpretabor: quódque hîc accipitur, Intellectum impermistum esse, ad priorem illam potiùs propositionem (intellectum impatibilem esse) quam sine probatione acceperat, erátque ad persuadendum difficilior & propriam intellectus differentiam continebat, omninò reiteram. Nam posterior quoquo modo probata videtur, vbi dictum fuit, intelligere esse sicut sentire, siue rursum, Intellectum perinde ad intellectilia se habere, vt se habet sensus ad sensilia. Sensum autem sæpè iam declaratum fuerat nullam sensilium formam actu habere posse. Nunc autem impermistum dici comparatione corporis & materiæ, probatque intellectum impatibilem esse eiusque differentiam demonstrari; Intelligas primùm ex Anaxagoræ testimonio, quo vtitur. Is enim intellectum non mistum dicebat, cum materia partibúsque similibus, quas mouebat. Deinde ex tex. 37. libri octaui Physic. vbi eandem hanc Anaxagoræ sententiam laudans, eum ait rectè dixisse, intellectum impatibilem & impermistum esse; & rursum in primo huius operis libro tex. 34. solum illum affirmasse, intellectum impatibilem esse, nihilque cum cæteris commune habere. His enim in locis impatibile & impermistum coniungens, apertè declarat, quid impermistum hoc loco significet: háncque probationem cum impatibili paulò ante nominato contingendam esse. Ac rursum non multò post in tex. 6. impermistum hoc interpretabitur impermistum cum corpore. Et in tex. 12. quod nulli quidquam habet commune.

Sic ergò ratiocinatur. Intellectus cum corpore permistus non est; quod à corpore abiunctũ existit & separatum neque cum eo permistum, impatibile est: intellectus ergo impatibilis est. Huius argumentationis assumptio a quouis facilè admitteur, qui passionis, mutationis, & interitus principium & causam intellexerit esse materiam, qua constant corpora. In propositione autem non dixit, Intellectum non esse permistum cum corpore; sed absolutè non esse permistum, Velut eam Anaxagoræ testimonio confirmare posset; quia ita loquutus fuerat; cætera infinita partium permistione constare, intellectum verò permistionis omnis expertem esse, nec cum alijs quidquam commune habere. Vel potiùs velut Empedocli sese opponens, qui ex rerum omnium initijs permistum eum dixerat, vt omnia intelligeret. Non corpoream tamen, nec organicam virtutem intelligendam esse; ex comparatione sensus, in qua versatur, manifestum est. Nam vt impatibilem dixit comparatione sensus; quòd non lædatur nec corrumpatur, vt sensus; ita eiusdem comparatione non permistus cum corpore, hoc est nou virtus corporea & organica appellandus fuit.

Neque vero efficax magis probatio fuisset, si intellectum accepisset nec esse corpus, nec virtutem corpoream, vt quispiam forsse credat; eo permotus argumento; quòd passio aut corporis est, aut eius, quod corporeum existit, hoc est inhærens aut pendens à corpore. Etenim corpus Aristoteles prætermisit: aut quia si non est virtus corporea, multò minùs fuerit corpus, aut quia meminit se initio superioris libri probasse animam non esse corpus. Indeóque vidit intellectum, quem animæ partem dixerat, iam probatum esse corpus non esse, solúmque disputari posse. Num virtus corporea sit, quemadmodũ sensitiua est, ac animæ partes cæteræ hactenus explicatæ. Deinde facultatem animæ, quæ qualitatem quandam significat, nullus dixisset esse corpus, corpoream fortasse quispiam. Vel non permistum dixit, vt abstractum penitus & immaterialem significaret, non vt cæteras

cæteras formas & partes animæ. Sic enim Anaxagoras etiam partes similes ponens materiam, intellectum dixerat non permistum; hoc est à materia abstractum, vt illi toti dominaretur. Et Auerroës non permistum interpretatus est neque corpus neque virtutem in corpore: & Philoponus à materia impermistum intellectum.

Intellectus immermistus est cum materia.

Porrò permistum non esse cum corpore aut materia (nomine enim corporis non hoc corpus organicum, quod animæ subiectum est, significatur; sed corpus quoduis: neque nunc intellectus asseritur separabilis esse ab hoc corpore, in quo est: sed esse separatus secundùm suam substantiam ab omni corpore, hoc est immaterialis & incorporeus: vnde mox immortalitas & separabilitas ab hoc item corpore deducitur) hoc argumento demonstrat. Intellectus intelligit omnia, hoc est intellectilium omnium formas suscipit: siquidem intelligere, vt antecedens ostendit sermo, est intellectilium formas suscipere. At quidquid recipit aliud, careat necesse est eo, quod recipit. Intellectum igitur necesse est intelligendis omnibus rebus spoliatum esse diuersamque à corporibus omnibus & materia atque accidentibus corporeis & materialibus naturam habere. Tantum abest, vt verè dixerint illi, qui cum ex rerum omnium principijs constare voluerunt, vt omnia intelligeret. Illuc enim argumentationem hanc pertinere credendum est. Sanè intellectum intelligere omnia constat, nec alia indiget probatione, quàm omnium hominum testimonio, quorum vnusquisque in seipso ita experitur. Recipiens autem carere eo debere, quod recipit; ab Aristotele hoc loco non tam dicitur, quàm probatur; non inquam patentibus & his ipsis apertis verbis, sed ipsius probatione asseritur. Certè ad probationem satis fuisset, tum testem adducere sensum, in quo antea dictum fuerat, eodem modo rem habere, quippe oculus sine colore idcircò est. Tum verò primam corporum omnium materiam, quæ non eas, quas habet, sed illas, quibus caret, formas suscipit; nec naturalibus subijcitur mutationibus, nisi adiunctam habeat priuationem. Ac demum ea omnia quæ, siue in natura, siue in artibus receptura quidpiam sunt, sed causam maluit adferre, cur & in sensu & in intellectu, & in materia, omninóque rebus omnibus sic habeat.

Causa est, quoniam quod est intus, siue in sensu, siue in intellectu, siue in materia, siue in quacumque re; prohibet, ne ingrediatur alienum; eique, quod extra est, aditum intercludit & obstruit. Quare vt Anaxagoras intellectum posuit cum cæteris rebus nequaquam permistum; quia si permistus esset, dominari omnibus omnésque mouere non posset. Impediretur enim ab illis, cum quibus esset permistus. Ita profectò vt omnes intelligat, ab omnibus separatus diuersæque naturæ esse debet. Sic enim ad meliorem sensum Anaxagoræ sententiam trahit. Certe quantumcumque conetur sensus, sentire idcircò nequit seipsum; nec eam corporis partem, in qua existit; quia corporeus est. Si igitur intellectus corpora omnia corporeáque accidentia intelligit, corporea & materialis virtus minimè ipse est. Si sensus organum qualitate quapiam fuerit occupatum, cæteræ non sentiuntur vt icterici oculus & febricitantis lingua in secundo libro antea commemorata satis superque confirmant. Et materia, si formam aliquam habeat, susciperе alias non potest, quin priorem illam abijciat (si nimirum aduenturæ contraria sit, aut terminus materiam finiens atque vltimò in certa specie perficiens: alioqui nec qualitatum nec elementorum formas retractas, nec partium formas in organico corpore voluit aduectum formæ misti aut animæ prohibere nec intellectilem formam in intellectu susceptam impedimento esse, ne recipiantur aliæ) & intellectus, si cum corpore vllo ita foret permistus, vt illius naturam imbuisset, vt aquæ aut terræ, calidi aut frigidi; id veluti propè illi apparens aliorum nimirum cognitionem prohiberet: ac materia rerum omnium materialium intellectionem impediret.

Neq. ab hac interpretatione discessisse putes Philoponũ, cùm eam dixit esse Philosophi deductionẽ, si intellectus esset ex materia, ipsam nõ intelligeret. Nam etsi id de illa ipsa materia ita fortasse queas accipere, vt non posset se supra seipsum conuertere, sicut sensus non sentit seipsum: nomine tamen materiæ materialia cætera constat interpretem eum significasse. Tum argumento tactus, quo vtitur, sibi simile calidum non sentientis. Tum Anaxagoræ testimonio; qui propterea intellectum ex similibus partibus non permiscuit, vt omnibus dominaretur. Tum Aristotelis probatione; quia intus existens arcet alienum.

Vt intellectus tacere debeat obiecto intelligẽdo.

Vniuersa tamen hæc probatio de primario intellectus obiecto intelligenda est. Etenim, vt post dicetur, seipsum quóque intelligit; nec tamen seipso potest spoliatus esse. Suam item intellectionem percipit; quam tamen in seipso habet. At neutrum primario, sed secũdario; ex aliorum scilicet intellectione. Nam dum intelligit cætera, suam potest intellectionem animaduertere, eámque ac seipsum intelligere. Primario igitur obiecto, hoc est cæteris omnibus rebus carebit, vt omnes intelligat, sicut oculus colore omni, vt omnes aspiciat. Non item secundario, quod in seipsum cõuersione cognoscitur. Quippe nec oculi quantitas illum prohibet, ne aliorum obiectorum quantitatem videat, sicut impedit color aliorum colorum sensionem. Etenim quantitas secundarium, non primarium, obiectum est.

Tandem quod ad Anaxagoræ testimonium attinet, magis ad rem fuerit, maiorémque sententiam suam confirmandi vim præbebit Aristoteli; si non tanquam de intellectu separato ac diuino, vt Simplicius, & S. Thomas crediderunt: sed tanquam de anima, vt Themistius videtur intellexisse, loquutum eum fuisse dicamus. Nam etsi à materia illum separatum & impermistum poneret, vt materiæ toti dominaretur, eámque modis omnibus moueret: eandem tamen dixit esse animam, atque in animalibus omnibus inesse: eóquè velut natura vna vsus est; vt in tex. 24. 31. primi huius operis libri retulit Aristoteles. Maiúsque ex hoc intellectu argumentum peti potest, qui tum anima sit, tum impermistus; quàm ex diuino & separato, qui altioris multò ordinis est, nec vllam animæ vim habet.

DIGRESSIO XXI.

Intellectus & primæ materiæ sensusque comparatio. Deque triplici intellectu, humano, Angelico, & Diuino.

Intellectus primæ materiæ similis.

VErùm enim verò etsi noster intellectus ab omni materia abiunctus sit, ipsemet tamen intellectilium omnium materia est: perindéque in incorporeis ad intellectiles formas, atque in rebus corporeis prima materia ad reales ac naturales sese habet. Primam materiam informe quoddam subiectum formis omnibus, quæ in natura gignuntur & existunt, substernimus; siue accidentium eæ sint, siue substantiarum: nec earum vllam vt propriam & connaturalem illi concedimus, propterea quòd omnes susceptura est. Intellectū verò cognitionibus cūctis & habitibus seu intellectilibus formis informē planè subijcimus, vt cunctas possit recipere: Atque vtriusque formarum generis susceptione id efficitur quod tum in natura, tum in mente, actu est & perfectum. In natura compositum, in mente id, quod intellectum habitu dicimus. Sed materia substantia est, intellectus animæ facultas & qualitas. Materia primus actus substantiæ corporeæ, velut primum aliorum omnium subiectum, intellectus secundarius potiùs in intellectilium genere actus, secundariúmque subiectum. Quippe accidens primus actus primúmque subiectum esse non potest. Quare quod est primum atque aliorum omnium principium & fundamentum, est intelligens anima, secundarium intellectus: tum habitus & cognitiones accedunt velut rerum intellectarum formæ, quibus tum intellectus, tum anima exornantur ac perficiuntur. Vtrinque sanè potestas plurima continetur. Sed materia patiendi duntaxat & susciipiendi potestas est: intellectus agendi primùm & intelligendi, deinde patiendi quoque & susciipiendi. Ideò illa, nisi ab alio reducatur ad actum, nunquam ad formam peruenit, hic à seipso reducitur atque in seipso formas omnes procreat. Vnde triplex existit in rebus potestatis genus. Primum patiendi solùm & susciipiendi. Alterum agendi duntaxat & producendi. Tertium tum agendi & producendi, tum patiendi & susciipiendi. Primum materia est, alterum efficientis causæ, vel etiam agentis naturæ, quæ in materiam velut patientem agit: tertium intellectus, qui in seipso operatur. Duoque illa, quæ in natura diuisa sunt ac tantopere separata, in anima, quæ melioris est, quàm natura, conditionis, perfectiori modo collecta sunt & colligata. Eóque magis, quò melior fuerit animæ pars. Sensus námque operatur quidem & ipse in seipso & agit ac patitur, sed duas habet imperfectiones. Alteram, quòd externi obiecti à quo ad agendum excitetur & quasi moueatur, præsentiam postulat. Alteram, quòd in organo corporis realem quoque & naturalem motum atque actionem ab obiecto illo admittit: immò & requirit. Intellectus neutro indiget. Sed dum versatur in corpore, antequàm scientiarum habitus sibi comparet, phantasia obiectum propo-

Quatenus dissimilis.

Potestas triplex in natura.

Intellectus & sensus cognitio vt differant.

A nente opus habet. Quamquam hoc illi per se considerato accidentarium est. Et ideò animæ habitibus, aut diuulsus & separatus à corpore, absque vllo phantasiæ vsu ipse sibi solus sufficiens est.

At quoniam anima nostra inter animas supremа in intelligentium subſtantiarum genere perfectissima non est: illius intellectus omnium optimus & perfectissimus non censetur: sed multò & perfectior is, qui est omni modo immaterià separatus. Noster intellectus octo præterea habet imperfectiones. Primam, quòd anima non est & facultas, non subſtantia. Alteram, quòd consequentium omnium fons est & origo, quod facultas existit animæ, hoc est dimidiatæ & imperfectæ subſtantiæ, quæ alterius pars sit. Tertiam, quod etsi non ita materialis existat, quasi ex materiæ gremio eductus in eóque nutritus & sustentatus, vt cæteræ formæ ac virtutes inferiores (quod esse permissum cum materia philosophus appellauit:) eatenus tamen cum illa coniunctus est, quatenus eam format, perficit exornat: etsi ab illa interdum separetur, eamnumen perpetuò respicit ac desiderat. Quartam, quòd non est actu, sed potestate, intellectilia nec ea in se habet, sed extra se quærit. Quintam, quòd licet corporis organo non vtatur, cùm primùm tamē cognoscere quidpiam molitur, sensuum opera indiget, nec cognoscere quidquam potest, nisi à sensibus hausſtum atque à phantasia subministratum. Vnde non parùm impeditur eius cognitio; cogitúrque persæpè ab incepto desistere; fatigata scilicet phantasia. Sextam, quòd non illico operatur, nec assequitur statim quod quærit. Sed inuestigando, ratiocinando, vnumque ex alio colligendo, laborat multum, temporisque consumit plurimum. Septimam, quòd in hac inuestigatione errat persæpè atque operam perdit: nec verum semper assequitur, sed erroribus multis obnoxius est. Octauam, quòd omnis eius operatio aduentitia illi est & accidentaria, neque idem cum ipsius subſtantia.

Imperfectiones hasce in intellectu separatarum subſtantiarum nullas esse credidit Aristoteles; vt ex 12. Metaphysic. libro colligitur. Re vera autem in supremo omnium ac optimo intellectu diuino nullæ sunt. Is enim facultas non est, sed ipsissima subſtantia, infinita, illuminata; Ens per essentiam, & ideò simplicissima & absque compositione vlla: Quippe essentiæ virtutis, operationis, & aliam quamcúmque entis rationem absorbet: estque semper in actu intellectiua omnis, nec extra se quidquam intuetur; sed vt in seipso rationem entis omnem supremo quodammodo continet: ita seipsum inspiciens omnia quæcumque sunt, fuerunt, erunt, aut esse possunt, per alios, & exemplares cunctorum formas in seipso intelligit.

At in cæteris inferioribus intelligentijs, quæ creata entia sunt, finita, limitata; & ideò materiæ quæ dem omnis expertia, sed alijs pluribus modis compositа, ex esse & non esse; actu & potestate, essentia & existentia, natura & suppolito, subſtantia & accidente; natura, virtute, & operatione: Intellectus sanè facultas quædam est & subſtantiæ aduentitium accidens; sed integræ acper-

ac perfectæ substantiæ. Neque aliam ex commemoratis intellectus nostri imperfectionibus habet, nisi quòd etsi actu per seipsum intelligat, atque alias cõplures à natura insitas cognitiones habeat, ad alias tamen quasdam potestate est, quas à rebus ipsis accipit: eiusque intellectione accidens est, non substantia, aduentitia, non essentialis.

Intellectus tres gradus.

Quapropter tres existunt intellectus gradus, diuinus, Angelicus, & humanus. Diuinus supremus & perfectissimus, humanus infimus & imperfectissimus: angelicus inter vtrumque medius. Queque in hoc libro tum ab Aristotele, tum à nobis, aut de intellectu dicta sunt, aut deinceps dicetur, de solo humano, qui animæ facultas est, intelligẽda sunt. Nam

Quæ ab Ar. dicitur, cum intellectus cõmunicat.

quod affirmatum est, intelligere esse susceptionem B quandam passioni similem, in intellectu nostro verissimum est, & verò etiam in angelico, in quo ipso intellectio est actus secundus à primo ipsius intellectus distinctus, illique aduentitius: At in diuino nullo modo, quòd is nullã eiusmodi distinctionem admittat. Intellectum verò esse potestate intellectilia omnia, nihilque eorum actu, solius intellectus nostri proprium est. Etenim angelicus multa esse creditur, diuinus omnia, cùm omnium rationes & ideas in se habeat altiori ac meliori modo, quàm ipsa sint in seipsis. Denique impatibilem esse, neque cum materia permistum, intellectui omni conuenit: sed meliori adhuc modo angelico, optimo autem C diuino, qui dissiti magis à materia sunt & eleuati, quàm noster sit, qui inter illos & materiam veluti medius existit.

Contra Auer. de intellectu ma-terio.

Cæterùm Auerroës dum in ipso initio Digressionis ad tex. 5. differentiam intellectus nostri à materia consideraret, duplicem eam proposuit. Alteram, quod intellectus potestate est ad omnes formas intellectiles vniuersas rerum materialium, materia ad formas sensiles. Alteram, quod intellectus formas cognoscet, quas suscipit, materia non cognoscit. Sed in vtraque peccauit. In altera, tum quia intellectum dixit potestate ad rerum materialium formas, cùm D non minùs sit ad immaterialium. Tum quòd ad vniuersas solùm, non item ad rerum singularũ formas potestate fecit. Cùm tamen has quoque cognoscat, vt in intellectu practico manifestum est: immò & in theoretico, dum in cœlestium orbium consideratione versatur, si (quemadmodum ille tradidit in commentario 49. libri secundi de cœlo) numero solùm illi differunt, nec ab ijs potest abrahi vniuersa natura. Tum vero quod materiam dixerit potestate duntaxat ad formas sensiles. Nam siue sensiles appellauerit qualitatum sensilium formas, siue formas materiales, siue singulares, omnino falsum dixit. Materia namque ad formas item substantiarum, immo magis, quàm accidentium, & ad ani- E mam item nostram, quæ immaterialis est, potestate existit, vt illam suscipiat, & cum ea per se vniatur: quidquid ille hac de re senserit. Ac demum si formas solùm singulares suscipit, hoc ipsum illi cum intellectu commune est. In altera vero lapsus est, dum rationem eius ostendere voluit. Non enim ea est ratio: quoniam intellectus formas vniuersas suscipit, materia singulas. Nam sensus (tactus maximè & gustatus) non nisi singula suscipit & cognoscit; & intellectus, vt dictum est, singula quóque diiudicat. Et cùm intellectionem suam suscipit, nónne hæc singularis forma est. Sed illa potiùs est ratio, quam in textu 124. superioris li-

Materia potestate.

A bri respondit Aristoteles, cùm de plantis differret; quia non habet huiusmodi principium, quod susceipere formas possit sine materia. Siquidem omnis cognitio eleuatione constat à materia. Tantúmque abest, vt ipsa queat cognoscere, vt omnem potiùs cognitionem impediat; nihilque quamdiù cum ea coniunctum fuerit, cognoscatur.

DIGRESSIO XXII.

Aduersus Alexandrum hoc loco abutentem. Ac rursum de intellectus natura.

ALexander autem duobus modis hoc loco abusus est. Primùm enim cùm eum sententiæ suæ, quæ humanum animæ intellectum materialem esse, corporeum, ac mortalem statuerat, magnopere aduersari; eò tandem se conuertit, vt impermistum illum appellari interpretaretur, non quòd à materia, & corpore immunis sit; sed quòd permisceri non possit. Quod enim permiscetur, antecedere aliquo tempore id oportet, quod ex illo permistum efficitur: quemadmodum elementa permistis corporibus cæteris priora existunt. At humanus intellectus hominem non antecedit. Et quoniam si dissoluendus & corrumpendus est, patiatur necesse est; impatibilem eum dici respondit, quòd non patiatur ipse, sed per eum corpus. Ac demum separabilem etiam interdum nominati, propterea quòd aliud quidpiam sit à corpore diuersum. Deinde hinc alteram illam sententiæ suæ partem, qua intellectum meram & sinceram omnique actu carentem potestatem esse voluit, plurimùm credidit confirmari & quasi stabili fundamento niti. Si enim vt omnia intelligat, intelligendis omnibus rebus impermistus esse debet, nec earum vlla forma, & actu præditus, sola igitur ad intellectilia omnia potestas fuerit.

Impermistum quod impatibile, separabile.

At neque prior interpretatio consentanea est; neque posterior deductio certa ac necessaria. Vere namque obiecit Philoponus, interpretatione illa sensum quoque impermistum, impatibilem, ac separabilem fore. Siquidem nec ipse animal, in quo est, antecedit; nec per se patitur aut corrumpitur, vt est in textu sexagesimo quinto libri primi; sed corporeum organum, quo patiente ac dissoluto pati ac dissolui sensus dicitur. Nec deinde ipse idem est cum corpore; sed vt anima, sic facultas omnis animæ ab eo diuersa existit. Atqui Philosophus hæc omnia tanquam intellectus propria adfert quibus à sensu ac reliquis animæ partibus distingueretur. Deinde si ita, vt Alexandro libuit interpretari, impermistum, impatibile, separabileque dixisset; Anaxagoram testem nequaquam adduxisset. Quoniam is non eo modo impermistum & impatibilem dixerat intellectum. Sed impermistum quidem velut separatum à materia, cui congregandæ segregandæque dominabatur. Impatibilem autem, hoc est congregationis & disgregationis motu mini-

mè agitatum; sed mouentem duntaxat & agitantem, congregantem & disgregantem cætera: vt ex tex.37. lib.8. Physic. manifestissimum est. Tum verò illa accedit ratio, quæ hoc loco continetur. Intellectum enim impatibilem esse probat Philosophus, quoniam impermistus est. Ac rursum ex eo, quòd impermistus est, separabilem esse colligitur. At quæ deductio sit; Intellectus permisceri non potest, impatibiles igitur ipse per se est? Ac rursum; Permisceri non potest, separabilis ergo, hoc est à corpore diuersus est. Deductio nulla esset, & probatio plane superflua. Nam impatibilem per se eum esse manifestum est: quia quod per se patitur, materia est & corpus, forma aut qualitas vel affectio, eatenus duntaxat, quatenus in materia & corpore continetur. Esse autem à corpore diuersum multò magis erat certum & in principio etiam probatum, vbi animam ostensum est corpus non esse.

Sapienter itaque pronuntiauit Philoponus, triplici illo attributo, impatibile, impermistum, & separabile, intellectus atque adeò rationalis animæ, cuius is facultas est, immortalitatem affirmatam fuisse, atque intellectum à sensu distinctum. Ego verò immaterialitatem, impatibilitatem, & immortalitatem dicam. Siquidem horum vnum ex altero nascitur ac perbelle deducitur. Immortalis autem asseritur, quia imparibilis est, & ideo destructo ac pereunte corpore non destruitur neq. cum eo perit, sed superstes est, & vt dicebatur in tex.21. superioris libri, separatur tanquam perpetuũ à mortali. Quæ verba aptissima sunt ad separabilitatem, de qua nunc agitur, declarandam. Ac rursum impatibilis affirmatur, quoniam immaterialis est & incorporeus. Quæ demonstratio ad primam causam, nempè ad naturam & substantiam ipsius, reuocata est. Etenim vt in corporibus ac materialibus rebus vsu venit, vt quia materiam habent, pati possint & corrumpi, siquidem materia primum in illis existit passionis omnis & corruptionis principium: sic contra in ijs, quæ materia carent, expers esse materiæ, passionis & corruptionis principij, prima est causa, cur pati nequeant & corrumpi. Cur autem illa materiam habeant, hæc non habeant, prior causa adferri non potest, cùm hæc ipsorum essentia sit, quę priorem causam non habet. Ex effectibus solùm & operationibus demonstratur. Quare vt primum motorum immaterialem esse non nisi ex perpetua & absque fatigatione cœlestis globi conuersione colligitur: ita nunc eodem argumenti genere de intellectu loqueus vti potuisset. Intellectus cum corpore non patitur nec senio debilitatur, sed sapientior potiùs ac perfectior euadit, materialis igitur non est neque corporeus. Verùm hoc argumentum prætermisit: aut quod in textu sextogesimo quinto libri primi eo iam vsus fuisset, aut quod cùm aliud supperetet huius loci, in quo quemadmodum intellectio fiat exponebatur, magis proprium, videri noluit vti circulo atque idem per idem probare, si impatibilem ostendens quia est immaterialis, immaterialem illico demonstrasset, quia est impatibilis.

Altera quoque ex operationis genere, ex intellectione: ne inquam, in promptu erat demonstratio. Quippe vt omne immateriale est intelligens, ita & omne intelligens immateriale. quare vt licet colligere, est immateriale, ergo intelligens, sic ex intellectione potuisset intellectum deducere immaterialem esse. Si enim cognoscere nil aliud est, quàm rerum cognoscendarum formas eximere à materia, ac sibi similes factas absque materia susciperè, omne cognoscens quoquo modo eximitum esse oportet à materia, perfectissimo autem & omni modo intellectum, qui supremum cognitionis gradum habet.

Sed tertiam illam adferre maluit, qua tum immaterialitas ostenderetur, tum etiam infirmior explicaretur, quam affirmauerat intellectu inesse, dum eum nihil actu intellectilium esse pronuntiauit. Cúmque impatibilem esse demonstrasset, quia immaterialis est: ita mox immaterialem esse ostenderet, vt simul alterum alterum confirmaret, eum esse formarum susceptiuum. Demonstratio autem est; quia omne, quod aliquid recepturum est, carere eo debet, quod recipit. Quare si materialia & corporea intelligimus, expertem materiæ atque à corpore solitum ac liberum esse intellectum nostrum necesse est.

Quo loco abusus Alexander non esset ad probandam illius puram potestatem omni actu carentem; si de materialium duntaxat & corporum intellectione Philosophi probationem esse animaduertisset. At quoniam generalis propositio vniuersè vera esse videtur, objicientem illum audiamus; Eodem argumento probari omni quoque immateriali & incorporea forma ac natura illum carere: siquidem immaterialia item & incorporea, vel etiam seipsum, intelligit. Metatur; tum ad materialia, tum ad immaterialia cuncta, atque adeo ad seipsum rerum omnium formis susceptis actu aliquando futurum, potens fuerit. Hæc argumentatio in ipsius auctorem retorqueri primùm potest. Nam inter cætera, aut intellectus intelligit, aut seipsum intelligit, aut non intelligit. Si seipsum intelligit, non est igitur, vt ipse contendit, materialis & corporea virtus; sed immaterialis & abstracta, & ideò separabilis. Neque enim aliam is respondebit causam, cur nec sensus sentire seipsum, nec materialia cætera agentia in seipsa queant se contrahere; sed solius intellectus priuilegium hoc sit: nisi quia materia & quantitate implicatæ sunt virtutes cæteræ; hæcque sola immunis & libera. Si verò seipsum non intelligit, forma quæpiam & facultas ab intelligendis omnibus diuersa esse poterit. Eritque potestate quidem ad cuncta intelligenda; in se tamen actu, id quod ea intelligenda futurum est. Deinde respondendum est, vt in superioribus etiam significaui; in intellectu nostro essentiam ab operatione, actum primum à secundo, intellectum ab intellectione, diuersa esse; sicut & sensum à sensione. Et ideò si sola intellectus essentia consideretur, quam intellectum potestate appellamus; illa sanè, nec seipsam, nec aliud quidquam intelligit; sed potens est & apta tum alia, tum se intelligere. Reipsa porrò intelligit, non res ipsas, sed earũ intellectiles formas susciped: actus inquã secundos intellectionũ, veluti rerũ intellectarũ formas, quibus eas sibi vnit, ac meliori, quàm sint in se, nempè immateriali modo & secundũ esse cognitum, transformat in seipsum, atque ita intelligendo fit omni. Neq. igitur dum seipsum intelligit, re ipsa se ipsum suscipit, sed secundum esse cognitum, cognitionem inquam veluti formam

Animæ nostræ immaterialitas, impatibilitas, immortalitas.

formam intectilem sui. Quare vt actus primus differt à secundo, formáque realis & naturalis à forma cognita: sic intellectus natura ab intellectionibus omnibus intellectilibúsque formis, quas suscipit, diuersa est. Et quoniam non naturales, sed cognitas solùm formas suscipit; his duntaxat eum carere necesse est, vt illas possit suscipere. Ergò cæterarum omnium rerum tum reali, tum intellectili, sui autem ipsis intellectili solùm forma caret. Quoniam natura est, non à se ipso (hoc enim esse non potest) sed ab alijs omnibus diuersa; quæ tamen nullam nec aliorum, nec sui ipsius cognitionem insitam habet. Atque ita demum interpretaberis breuissimam illam Philoponi responsionem; Intelligens ab eo, quod intelligitur, hoc est ab intellectili forma, & vero à seipso quatenus intelligitur, diuersum, esse ac impermistum.

Miror præterea Alexandrum non vidisse, intellectum ita appellari potestatem, vt non sit mera suscipiendi potestas, sed & agendi: est enim facultas animæ, & intellectionis principium & causa. Omnémque agendi facultatem, formam, & actum primum esse oportere, qui operationem & actum secundum promere queat. Præsertim cùm intellectio sit actus vitalis, neque ab externo principio produci possit. At ne quatenus quidem suscipiendi potestas est. Nam quod suscipit, existens quidpiam & actu esse debet, cui aliud adueniat & in eo sustentetur. Tandem si intellectus est intellectilium materia, Vt Alexander ipse consentit; ex prima rerum materia ita ratiocinemur. Primam rerum materiam, etsi patiendi solum & suscipiendi potestas est; quia tamen suscipere debet & sustentare formas, puram in vniuerso entium genere potestatem nõ dicimus; sed ens quodpiam, & actum subsistentẽ substantiã: potestatem autem in genere formarum, quod earum nullam tanquam naturalem & sibi propriam habeat. Multò igitur minùs intellectus, qui tum agendi, tum suscipiendi potestas est, pura potestas absolutè, sed in genere solùm intellectilium formarum, dicendus est. Verùm actus quidam primus secundorum principium, formáque realis qualitatis; quæ intellectilem nullam habeat, sed earum omnium susceptrix sit. Nam & vt agat, & vt suscipiat, aliquid actu existens eum esse necesse est.

Ita etiam possumus Alexandrum conuenire. Aut is intellectus aliquid est, aut nihil: Si nihil de eo dicendum fuit. Si aliquid, aut substantia, aut accidens. Non substantia; tum quia facultas & virtus animæ est: tum quia materialis omnis substantia aut materia est, aut forma, aut ex his coniuncta. Et quamuis intellectum is dicat esse velut materiam intellectilium; primam tamen materiam non dicet. Quod si accidens sit, omne accidens actum quendam & formam aduentitiam substantiæ, tanquam actuantem & exornatem, atque illi inhærentem significat. Intellectus igitur mera potestas non est. Denique quo argumento collegit aduersarius intellectum nil esse actu, sed meram potestatem; eodem conficere debuisset esse nihil. Omnia namque intelligit, illiúsque obiectum quidquid est comprehendit: quid igitur illi supersit, nisi non ens & merum nihil?

Omnis verò tollitur difficultas, & vera de intellectus natura stat Aristotelis sententia; si propositio illa (quod Intus est, prohibet alienum & extraneum) de materialibus solis & corporeis intelligatur, quemadmodum fuit proposita ad ostendendum, eum materiali & corporea vlla natura permistum non esse. Nam & materia ipsa, vt ait Philoponos, intellectionem impedit; & vt loquitur Themistius in expositione textus 121. superioris libri, ὕλη γὰρ οὐδεμία δυνάμει κρίνειν τὸ ἀντιλαμβανόμενον εἶδος. ἀσώματον γὰρ ἡ ὡς ἄκεντρον καὶ ἀναπλήκτιον ἡ γε ὕλη: Materia enim, inquam, nulla aduenientem sibi speciem iudicare potest. Quoniam insipiens quiddam, & Iudicij atque apprehensionis expers est materia. Et Auerroes quoque in Digressione ad sequentem textum materiam dicet neque comprehensiuam esse, neque distinctiuam. Quapropter cognitio omnis eleuatione constat à materia, formæque sine materia susceptione. Itaque vt sensus, quia materialis est & corporeus, nec seipsum, nec materiam, nec omninò corporea cætera, sed qualitates solùm quasdam, quæ circumstant corpora, comprehendit: atque in his ipsis qualitatibus, si quapiam imbutum sit illius organum, cæteras nequaquam sentit: ita prorsus eueniret in intellectu; si materialis esset & corporeus. At se ipsum is & materialia quoque omnia intelligit: materialis igitur & corporeus non est; sed naturam habet à materia corporibúsque omnibus liberam ac prorsus diuersam. Vnde cùm eum intelligere omnia Philosophus accipit; non absolutè omnia, tum materialia, & corporea, tum immaterialia & incorporea, significat (ita enim fieret intellectum esse nihil) sed materialia solum & corporea. Vt eum demonstret ab omni materia cunctisque corporibus solutum esse ac liberum; quemadmodum inquiebat Anaxagoras, De Immaterialibus verò & in corporeis argumentum idem non licet proponere: Intellectus immaterialia & incorporea intelligit; immaterialis ergò & incorporeus ipse non est. Tum quia immaterialis natura per se cognoscens est & intelligens, Quoniam separata à materia, quæ cognitionem obruit & impedit. Quare & omne intelligens est immateriale, & omne immateriale intelligens. Tum quia cognitio fit eleuando à materia resque cognoscendas sibi assimilando: quare quò magis natura fuerit à materia eleuata, eò magis erit cognoscens, & rursùm quò obiectum fuerit magis immateriale, magis erit intellectile, faciliúsq. poterit intelligenti assimilari atque ad ab eo suscipi. Quippe quod est simile quoad naturam & esse reale, suscipietur faciliùs & assimilabitur etiam quoad esse intellectile. Illaque ipsa similitudo naturæ materialium & corporeorum intellectionem impediuisset, immaterialium & incorporeorum cognitioni plurimùm sanè prodest.

Materiã cognitioni impedire.

TEXTVS.

εἰστηκὸς αὐτὴ τῇ φύσιν ἔναι μηδεμίαν, ἀλλ' ἢ ταύτην, ὅτι δύναται. ὁ ἄρα κεκινδυνευμένος τῶν ψυχῶν τοῖς (λέγω δὲ τοῦτ' ὦ ὄβριστα καὶ ἀτολμοτάτει ἡ ψυχή) οὐδὲν ἔστιν ὑπερβολὴ πρὸ ὄντων παρὰ νοῦν.

Quò sit, vt neque ipsius aliqua vlla natura sit, nisi hæc, quod potens. Qui igitur animæ intellectus appellatur (quo inquam ratiocinatur & existimat anima) nihil est actu eorum, quæ sunt, antequam intelligat. Textus 5

Quoniã quod intus est, prohibet alienum.

COMMENTARIVS LXXV.

QVò minùs hoc loco rursum nobis molestus sit Alexander, intellectum contendens meram potestatem esse omni carentem actu; satis opinor superiori Digressione cautum est. Itaq. liberè affirmare licet, ex antecedenti probatione, qua intellectum ostendit Philosophus impermistum esse materiæ aut corporeæ vlli naturæ; quia materialia omnia & corporea intelligit: duo omnino deduci. Alterum verbis hisce propositis. Alterum ijs, quæ post hæc subijcientur. Verum quod nunc conficit, respondere planè videtur quæstioni initio propositæ; quænam sit intellectus natura. Quasi enim quæstionem illam concludens, non aliam colligit esse illius naturam ac differentiam nisi hanc (ὅτι δυνατὸν, quod potens est, seu potens quidpiam): comparatione videlicet eorum, quæ intelligenda sunt; quibúsque carere debet, vt suscipere intelligendo possit. Quidquid enim eo caret, quod potest susci pere, potens natura est ad illud susci piendum. Et ideo non absolutè dixit nullam esse aliam intellectus naturam, sed aliquam nullam, hoc est nullam determinatam, & aliquam earũ, quæ intelliguntur. Quia vt argumentatus est, si qua illarum esset, susci pere alias non posset. Quod tum ex primæ materiæ analogia (etsi non videatur Simplicius consentire) tum ex alijs antea declaratis ita est accipiendum; vt sit forma quædam & qualitas ipse per se spectatus; sed comparatione intelligendarum rerum sola sit potestas quædam ad eas omnes susci piẽdas. Nullam verò actu habeat; vt nec materia naturalem vllam formam.

Intellectus naturæ potestas.

Hanc porrò intellectus naturam sola potestate constantem Simplicius optimè declarauit: quòd nec intelligens actus sit, nec intellectilis, hoc est nec actu intelligat, nec intelligatur. Nam si vllum haberet intellectilem actum, aut is aliarum rerum esset, aut sui ipsius; aut inquam intelligeret alia, & sic esset intelligens; aut se ipsum, quomodo intellectilis fieret. At dum absolutè vt intellectus est consideratur, neutrum habet: Potestate igitur solùm est, tum ad alia, tum ad se ipsum. Verùm dum sensilium cognitionem idem interpres illi concedit, intellectionem quandam & actum concedit atque à Philosophi mente recedit; qui nullam aliam, quàm potestatis, naturam eius esse affirmat. Dúmque nullam eum esse intelligentem aut intellectilem naturam interpretatur, seutẽtiam damnat Alexandri, nullam prorsus eum naturam ac formam esse asserentis.

Intellectus vt potestas.

Quare cum de intellectus natura hic sermo sit; non tàm Platonis sententia reijcitur, qui intellectilium omnium speciebus eum quidem à natura imbutum, non tamen essentiales illas esse voluit: quã Empedoclis & eorũ, qui ex rerum omniũ principiis ità constare asseruerunt, vt ex illis tota eius natura constitueretur. Iurèque optimo Anaxagoræ sententiam commendat; quòd is opinioni illi sese quasi opposuit; & intellectum impermistum faciens, potestatem hanc ad omnia, si non apertè asseruit, vt cumque certè adumbrauit.

Propterea id, quod dixit, absoluens aut planiùs exponens, intellectum addit nil actu esse eorum, quæ sunt, antequam intelligat: si inquam sola eius natura considereretur, quæ omni operatione atque intellectione prior est. Nam intelligendo fit quodam modo omnia, si non re ipsa & quoad esse naturale, certè quoad esse cognitum, dum non tales, sed intellectiles omniũ formas susci pit. Quod pernè contrarium est ei, quod Empedocles & alij dixerant, actu illum ex omnibus rebus constare. Quocirca realem & naturalem actum intelligo, quo intellectus dicatur neque ex materia neque ex alia vlla re, quæ in rerum natura exsistat & ab ea intelligatur, reipsa constare. Additur verò (autequam intelligat) quia intelligendo si non re, quoquo-tè modo formas omnium susci pit.

Verùm dum hæc exponens adiungit, se de intellectu loqui, quo ἐξαγεσται ὁ ἐπιστήμων ἐνεργείᾳ aptissimè dixeris id propter phantasiam adiunctam fuisse, quæ intellectus etiam interdum appellatur, quo phantasma in nobis fieri dicimus, vel per ratiocinationem, vt Themistius & Auerroes iniunt, vel passiuus intellectus, vt ex tex. 20. Philoponus, vel potiùs respiciens se in superiori tex. 15. intellectum diuisisse in phantasiam & hypolepsin. Quare cum ibi pollicitus esset, vbi de phantasia dixisset, de altera quoque se dicturum: postquàm, quid esset phantasia docuit, significare nunc voluit sibi de altera parte dicendum. Hoc cùm non animaduerteret Philoponus, Aristotelẽ dixit priori voce dianœam, altera δόξαν introduxisse. Parùm omnino adrem, & absque vlla necessitate mutata, voce, quæ prorsus fuerat retinenda, vt oratio Philosophi tota sibi consentiens esset atque omnibus membris respondens. Accommodatè magis Simpliciùs dianœam significari voluit, hoc est operationem, quæ ex vno ad aliud, à simpici termino ad terminum, & à propositione ad conclusionem transit: atque hypolepsin tanquam actionem, qua digreditur à seipso. Optimè verò & maximè proprie atque antecedentibus consentaneè dianœam rationẽ, & hypolepsin intellectus quamlibet cognitionem interpretaberis; vt sit sensus (dico autem intellectum, quo ratiocinatur anima & omnino intelligit).

Quod autem S. Thomas ea verba credidit adiecta fuisse propter intellectum diuinũ, qui potestate non est, sed semper actu, nescio quam verè credi possit. Ad hoc enim significandum satis erant prima verba initio posita atque etiam hoc loco repetita, se de eo intellectu agere, qui animæ pars est vel etiam illud (καλούμενος νοῦς) quippe intellectus nomen propriè conuenit separatis, secundaria ratione intellectuique pars esse animæ sicut & elementũ proportione dicitur materia ex qua primores fuit, deinde corporibus simplicibus, ex quibus fuit mista tribuitur.

Interpretationem Simplicij probabit forsan quispiam, hæc pertinere ad intellectum potestate, velut imperfectum, ab intellectu agente aut habitu, qui perfecti semper sunt, distinguendum. Sed ego referrem potiùs ad intellectum nostrum ab Anaxagorę intellectu, quem paulò ante nominauerat, separandũ. Quod ille quidẽ esset actu, vt moueret ac similiaribus partib⁹ dominaretur, noster autem potestate, vt intelligat omnia. Eóq. magis hoc est verisimile, quòd Anaxagorã in primo libro reprehenderat, quod intellectum non satis ab anima distinxisset. Quare aut horum vtrumque, quod nunc additur, sermonem inquam esse de intellectu animæ, quo

quo ea ratiocinatur & existimat, ad hunc intellectū ab Anaxogorę intellectu separandum fuit additum, aut alterum ad hūc, alterum ad phantasiam, alterum ad proximè superiora verba, alterum ad textum 115. referenda sunt. Obitérque adnotandum, daneam Aristoteli ad intellectum, non ad sentientem vllam virtutem, pertinere. Quippe intellectum ait & διανοεῖσθαι & ὑπολαμβάνειν, ratiocinari & existimare.

Dianoea quid.

Postremo cùm intellectus natura potestate quadā constare dicitur; quoniam id ex antea dictis concluditur, talisque potestas intelligenda est, qualis fuit demonstrata: aliqui sensus quoque ad sensilia potestas est. Itaque duo addenda sunt. Alterum, esse potestatem ad omnia. Alterum, esse potestatem impatibilem, quę suscipiendo perficiatur solum, non corrumpatur. Sic enim intellectus distinguetur à sensu, qui certi ac determinati generis potestas est, suscipiendóq. læditur & corrūpitur læso & corrupto organo, quo ille vtitur. Intellectū hunc patibilem appellamus, quod solam, nudam & infornem intellectus naturam significet potestate ad omnia, aptámq. ab omnibus pati ac perfici: singulorum scilicet cognitione, velut intellectili forma suscepta.

Intellectus quid potestas.

A

B

DIGRESSIO XXIII.

In qua ea, quæ ab Auerroë hoc loco de intellectu traduntur, explicantur & examinantur.

C

PRælongam hoc loco præter consuetudinem de intellectus natura Digressionem instituit Auerroës. Quæ cùm contineat multa non veritati modo & Aristoteli repugnantia, verum etiam præter communem hominum omnium existimationem, omnino prætermittenda non sunt: ne (quod hactenus permultis accidit) incauto lectori, homini fortasse plus æquo tribuenti, imponant. Quod eo minus molestè ferre illi debebunt, qui eius se discipulos ac sectatores profitentur, quo veritatis magis fuerint amatores. Cum præsertim in hac ipsa disputatione grauissimos viderim ex Græcis viros, Alexandrum ac Themistium, atque ex Arabibus Abupacher & Auempace ab Auerroë reprehensos. Duo autem mihi facienda sunt. Primū, vt totam ea in hominem animaduersio planior euadat iustéque suscepta intelligatur, vniuersam eius perobscuram & longam digressionem quanta maxima potero breuitate ac perspicuitate comprehendam. Tum quæ in ea minus bene fuerint dicta, quásque ob causas, adnotabo.

D

E

BREVIS ET PLANA totius Digressionis Auerrois comprehensio.

AVerroës igitur postquàm inter materiam & intellectum patibilem, quem Aristoteles naturam aliam nullā, quàm potestatis cuiuspiam, habere definierat, isq. materialem appellat, differentias quasdam exposuisset, de quibus superius dixi: tres deinceps de intellectus natura quæstiones disputat. Primam, num intellectus in habitu, quem speculatiuum vocat, sit æternus nec ne. Alteram de vnitate atque æternitate intellectus patibilis, an is vnus numero sit & æternus in hominibus omnibus, an plures & mortales. Tertiam, cum hic ipse intellectus ens quodpiam sit, cur nec materia sit nec forma.

A prima quæstione orsus, Theophrasti ac Themistij opinionem commemorat; intellectum in habitu nil esse aliud, quàm intellectum agentem actuātem eum, qui patibilis dicitur; seu duorum horum vnionem & coniunctionem. Quare cum illorum vterque ingenerabilis sit, incorruptibilis & æternus, eiusmodi quoque eum esse, qui ex illis efficitur. Quòd si obijcias, quidquid fit, in tempore ac de nouo fieri neque posse intellectum hunc æternum esse, si ex duobus illis efficiatur. Respondetur, non verè ac propriè, sed per similitudinem agens & factum in intellectu nominari: nilque aliud esse intellectum in habitu, quàm patibilis perfectionem peragentem atque vtriusque concursum. Si rursum quæratur, qui fiat, vt hic intellectus, cùm sit æternus in nobis tamen non semper intelligat; sed quandóque intelligat & quandóque non intelligat: Causa est, inquient, mistio intellectus patibilis; qui cùm sit potestate, intelligere actu semper non potest: alioqui agens aptus semper esset agere. Intellectum porrò in habitu duplici illo intellectu, agente & patibili, constare; duplici item argumento affirmarunt. Tum quòd ille intellectus duabus rebus absoluitur; separatione formarū à materia; quia intellectiles actu fiunt; & earum susceptione comprehensionéque. Illud agentis, hoc patientis intellectus est. Tum quòd horum vtrumq. præstare intellectus in habitu potest quando voluerit: eóque meliùs, quo perfectior fuerit. Quare cùm agentis alterum, alterum patientis intellectus propriū sit; nil aliud is fuerit, quàm horum compositio.

De intellectus æternitate.

Tribus autem modis aduersus hāc sententiam argumentatur Auerroës. Primùm; quod Aristoteli aduersatur, qui ita dixit intellectile actu sese habere ad intellectum patibilem, vt sensile se habet ad sensum. Quare cùm sensile actu generabile sit, intellectile actu æternum non erit: & ideo nec intellectus in habitu. Deinde quoniam si intelligere actu sit æternum; id etiam, quod intellectum est, æternu n fuerit. Quare ipsæmet sensiles formæ essent actu intellectiles, immateriales extra animam, & æternæ. Postremo quia intellectus perinde se habet ad phantasmata, ac sensus ad sensilia. Et vt sensus non sentit, nisi sensile præsens; ita nec intelligit intellectus, nisi adsint phantasmata. Si igitur intellectus actu æternus est, erunt & phantasmata: ergo & phantasia: ergo & sensus sensionésque ac re ipsa sensiles. Tandem vero pro Theophrasto ac Themistio videtur rursus argumentari. Primùm; intellectus agens est æternus & patiens æternus; ergo is quoque, qui ex illis fit, necesse est sit æternus. Deinde si is generabilis sit & corruptibilis, quo modo intellectilia producit & intellectiones, quæ sunt abstractæ.

De intellectus vnitate.

Alteram mox de intellectus vnitate quæstionem introducens (siue aduersus Themistium disputans, qui vnam in omnibus humanam animam asserebat: siue illud impugnans, intellectū materialem æternum esse: siue quod vnitatem numericam credens à materia nasci, quæ corruptionis item principium est, & ideo quod est æternum, esse vnum numero, quodq. numero multiplex, corruptibile arbitratus, quæstionem hanc de vnitate cum antecedenti de

incorruptibilitate connexam esse putauit : præsertim cùm intellectum Philosophus iam incorporeum & cum materia non permistum esse probauerit. Primùm vtramque partem disputat. Ac vnum quidem non esse ostendit : quoniam primus hominis actus, vt ex animę definitione intelligitur, est intellectus patibilis ; vltimus autem intellectus in habitu. At hic generalis est & corruptibilis, & ideo multiplex atque in singulis diuersus (non enim eadem est Socratis & Platonis scientia) necesse igitur est patibilem item esse multiplicem. Tum quia nisi ita esset, tu esses homo per esse meum, & ego per esse tuum. Ex quo tria sequerentur absurda. Primum, homines essentia non distingui. Alterum, hominem esse ens antequàm sit : siquidem intellectus & primus eius actus in alijs esset hominibus, priusquàm is gigneretur. Eodémque modo esse postquàm perijsset : quoniam intellectus in alijs hominibus esset superstes. Tertium, hominem non esse generabilem & corruptibilem, vt homo est, sed solùm vt animal est. Tum quia vt primo actu multiplicato multiplicatur postremus, sic cõtrà multiplicato hoc multiplicari illũ oportet. Præterea si vnus esset omnium intellectus, vna esset intellectio : quare cùm ego addisco quidpiam aut obliuiscor, tu quoq. ac cæteri homines cunctis addiscerent idem vel obliuiscerentur. Tum vero his omnibus auctoritatem opponit Aristotelis, qui in tex. 3. intellectum dixit non esse hoc, id est indiuiduum, singulare, neque corpus, neque virtutem in corpore.

Deinde aliorum sententias hac de re commemorans, Alexandri primum deinde Abubacher & Auempace opinionem adfert. Alexander, vt extat in 1. eius de anima lib. patibilem intellectum multiplicem esse, ortui atque interitui obnoxium, non minus quàm reliquas animæ virtutes credidit. Atque ex elementorum (licet meliore quadam & diuiniore) permistione ac temperatione in hominibus singulis alium, atq. alium existere eá q. dissoluta perire. Quam sententiam tum Aristotelis testimonio cõfutat, qui intellectum hunc separabilem, inorganicum, simplicem, impatiblem, & cũ corpore impermistum dicit. Tum eiusdem demõstratione, qua in tex. 4. impermistũ & impatibilem esse ostendit. Et quoniam hæc omnia de aptitudine quadam & præparatione ad intellectilia susципienda, non de subiecto ac natura apta & præparata, interpretabatur Alexander : interpretationem eam impugnat. Nam si ita interpreteris, eadem ipsa de omni præparatione dici possunt ; eam inquam non esse corpus, nec virtutem corpoream ; esséque impermistam, & impatibilem. Cur ergò de intellectu specialiter hæc dixit Philosophus ; quidúe illius proprium declarauit? Deinde propositio illa, omne recipiens carere debet eo, quod recepturum est ; enuntiari de præparatione nõ potest. Quoniam præparatio, cùm desinat esse, vbi quidpiam receptum est ; non recipit, sed recipientis cuiuspiam ac permanẽtis subiecti accidẽs est : intellectus autem permanet intellectiles formas recipiens. Addit, nõ esse corpus formamúe corpoream, duobus modis accipi posse. Primùm de intellectilium subiecto, quod est patiblis intellectus. Deinde de potestate priuationeúe materiæ. Tum de prima materia. Postremò de substantijs à materia prorsus abstractis. Erraséq. Alexandrum, quiid, quod ab Aristotele de horum primo dictum est, de secundo accepit. Sed eum inquit duas ob causas in sententiam illam inductum fuisse. Tum, vt difficultates eas vitaret, quæ intellectus vnitatem suadere videbantur : minus quippe abusurdum iudicauit corruptibilem facere, quam vnum. Tum propter animæ definitionem immo-latam, quæ animabus omnibus synonima videtur. Nam si intellectus & actus corporis ; inseparabilis igitur ab eo est : siquidem actus & forma inseparabilis ab eo est, cuius est actus & forma. Vtram hanc Alexandri rationem confutat. Primùm quam tex. 11. lib. 2. post eam definitionem propositam est, etsi omnes animæ actus primi sint & sęmę corporis, quandam tamen abstractam esse & separatam, vt à naui nautam. Deinde negat definitionem eam esse synonymam : Immò rationalimæ ac cæteris homonyma esse affirmat.

Abubacher autem & Auempace patibilem intellectum nil aliud, quàm phantasiam, esse putarunt, quatenus apta est vt illius phantasmata, quæ potestate intellectilia sunt, actu intellectilia fiant. Hoc vt absurdæ vitarent, quæ Alexandri opinionem sequuntur : id scilicet quod intellectiles formas recipit, corpus esse ex elementis constans. Nam si hoc esset, eadem foret illarum formarum essentia, quæ extra animã existit : Nempe materialis & corporea. Quare anima nequaquam cognosceret ; sicut nec materia. Tum verò etiã intellectus esset organicus, sicut sensus ; cùm tamen, vt in tex. 92. lib. 3. dicetur, ne fingi quidem possit, quanam corporis parte contineatur. Quocirca ad Alexandrum iterum conuersus, impugnat id, quod patibilem intellectum & sensum ex elementorũ permistione constare diceret. Namq. tum ex sola elementari natura vis cognoscens nasci non potest. Quippe si primus actus, intellectꝰ, inde oriretur, postremus quoq. intellectio & intellectilis forma, quæ sine dubio immaterialis est, oritur, sicut oriuntur color & sapor. Tum verò hæc opinio in materiale causam rebus cuncta videtur, nec efficiente agnoscere ; sicut illi fecerunt, qui omnia causa euenire dixerunt. Hinc Arabũ opinionẽ reuersus tribus eam modis refellit. Primò, phantasmata ad patibilẽ intellectũ perinde se habent, atq. ad sensum sensile : vt mouentia non, non vt mota. Non sunt igitur ipsa patibilis intellectus ; neq. facultatis aut dispositionis in intellecto locum habent, sed obiecti. Secundò, si phantasma esset motum, cùm illud ipsum moueat intellectum, idem esset mouens & motum, recipiens & receptum ; idéq. seipsum reciperet. Tertiò si patibilis intellectꝰ phantasia esset phantasmatibus prædita, informatione non esset, quemadmodum Aristoteles definiunt, vt omnia posset recipere.

Hanc igitur Philosophi de intellectu sententiam confutauit Auerroës. Intellectũ informẽ planè natura constare esse. Circa quã tres illas, quas initio dixi, quæstiones excitat. Primã de intellectus habitu æternitate. Alterã, qui possit patibilis intellectꝰ in hominibus omnibus esse vnus ; cũ is, qui est habitu, pro individuorum numero multiplex sit. Tertiam Theophrasti, qui ex Aristotelis verbis concludere videbatur patibilem intellectũ primã esse materiã. Intellectꝰ recipit intellectilia ; ens igitur quoddã est. Nõ forma, quia intellectilia ; ens igitur quoddã est. Nõ forma, quia immixtis potiùs esse. Et ideò neq. compositum quidpiam : ergò prima materia. Quod tamen absurdũ videtur : tum quia materia vim cognoscendi non habet : tum quia intellectum hunc Aristoteles à materia solutum & abstractum esse volunt.

Atq. ad hanc primã quæstionẽ propterea respondet. Etsi intellectus agens & patiens sint eterni,

Alexandri opinio.

Auerroes confutatio.

intellectum tamen habitu ęternum nō esse: quoniā intellectio & intellectilis forma à duplici principio pēdet, ab intellectu & obiecto, scilicet phantasmate: sicut & sensio à sentiente facultate externóq. obiecto sensili. Intellectūq. sanè æternū esse; at phantasiā, & phātasma corruptibilia. Quare cū intellectio sine obiecto esse nequeat, præsertim vera (siquidē veritas ex obiecto petitur) æternā intellectionē nō esse, nec intellectiles formas. Hinc erroris Arabū causā subnotauit, quòd phantasma interdū sit actu intellectū, interdū potestate. Quoniā enim subiectū aptū recipere aliquando actu recipit, aliquando est ad recipiendū potestate, reciprocā illi propositionē esse putauerunt, & quidquid interdum est actu, interdū potestate, subiectū recipiens esse concluserunt: phātasmáq. nō vt mouens, sed vt subiectū recipiēs esse. Cùm tamen agentia quoq. & mouentia ad agendū & mouendū eodē sese habeant modo. Et vniuersè in tex. 34. lib. 2. Phys. omnia causarū genera in actū & potestatē diuisa fuerint: Porrò inter phantasma comparatione intellectus coloremque cōparatione aspectus proportionē maximam obseruare potuissent. Vt enim color est obiectū mouēs aspectū, non subiectū recipiens, sic & phantasma est ad intellectum. Et vt colore aspectū non mouet, nisi lumine aspectabilis actu fiat, qui sine lumine potestate erat: sic phantasma patibile intellectū nō mouet, nisi vbi actu intellectile factū fuerit, cum potestate esset. Hæcq. est causa, cur in tex. 18. posuerit Philosophus intellectū agentē, quē perinde ad phantasma potestate intellectile habere se dixit, ac lumen ad colorē potestate aspectabilē. Quocirca vt id, quod à colore actu perficitur, non est color potestate, sed aspectus: ita id, quod ab actu intellectili, non est phantasma intellectile potestate, sed intellectus patibilis. Itaq. hic est vt aspectus, phantasma vt color, intellectus agens vt lumen. Et vt in aspectu color non est prima perfectio; sed aspectus, qui à colore moueri potest: ita in intellectu perfectio prima non est phantasma, sed patibilis intellectus qui à phantasmate mouetur. Quare si intellectus habitu corruptibilis est, phantasmatis culpa est, non patibilis intellectus. Atq. ad argumentum antea factum; Agens & patiens sunt æterna, ergò quod ex illis fit, æternum est; consequens id esse ait, quando illa sunt totales & integræ illius effectus causæ. At hic præter illa adest phantasma corruptionis causa.

Hinc ad alteram quæstionem accedēs, quomodo patibilis intellectus vnus sit & ęternus in hominibus omnibus; cùm is, qui est habitu, multiplex & corruptibilis existat: principiò vtrinque disputat atq. in re difficili & obscura veritatē quærit. Primùm probat vnitatē: quia si multiplex esset, materialis, & corporeus esset, & ideo intellectile potestate: neq. vt subiectū recipiens intellectionem, sed vt obiectū mouens; nō seeus ac phantasma. Aut si recipiens quoq. dicatur esse, idē fuerit recipiens & receptū, idémq. seipsū recipiet. Et quidē vt singulare quiddā & diuiduū, nihilq. à sensus receptione discrepabit; nec inter formā in intellectu & extra intellectū intererit quidquam; si vtráque materialis sit & singularis.

Deindè adducit argumenta quibus non esse vnū ostendat. Primùm quia si patibilis intellectus esset vnus, vnus itē esset is, qui est habitu aut actu. Quare si quis hominū addiscit quidpiā, simul omnes addiscerent, idémq. intelligerent & ignorarent, recordarentur & obliuiscerentur. Intellecta namq. in actu suscipiuntur in nobis per intellectū patibilem, sicut sensiones per sensū. Quare si is sit vnus, vna quoq. fuerit intellectio. Quod perinde consequēs est, siue is intellectus per materialē aliquā dispositionē, siue vt Auerroës credidit per phantasiā, siue alio quouis modo nobis coniungatur. Alterū; quoniā si intellectus esset vnus; corpus cuius ille primus & actus esset vnū: Siquidē vnius motoris eodē tempore non nisi vnū est instrumentū. Nā plura, quę sint eiusdem generis, superuacanea forent & inutilia; cū finis instrumento vnico possit attingi. Postremò Philosophū adducit testē, qui cœlestibus omnibus orbibus non vnā, sed tot omnino, quot sunt orbes, motrices intelligentias adiunxit: absurdum iudicans vnam plures orbes mouere.

His ita prouttraq. parte disputatis sententiā statuit suā. Primū autē accipit hominē nō intellgiere actu, nisi quia vnitur illi intellectus in actu, hoc est intellectilis forma. Quid enim aliud est intelligere, quā susciпere & comprehendere atq. vnire sibi rei intellectæ formā? Quare vt in cæteris ex materia & forma fit vnū; sic ex intellectu patibili formáq. intellectili effici ait vnū, immò magis, quā in cæteris. Quoniā in cæteris id, quod fit, diuersū est à partibus, ex quibus fit; cōpositū inquā à materia & forma. Siquidem eæ nō satis perfectè vniuntur; neq. materia fit forma, nec forma euadit materia: sed vtraq. naturā suā & ab altera distinctionem retinet, ambæq. alio quid tertiū faciunt. At in intellectu & in intellectili perfecta existit vnio atq. identitas. Quia intellectile in intelligentē penitus transformatur & fit intellectus, atq. intellectus rursū fit intellectile. Vnde Aristotelis illud, Anima intelligendo fit omnia. Deindè duobus modis addit intellectilē formā vniri homini posse: aut intellectus patibilis interuentu, aut phantasmatis ab agente intellectu illustrati. Tū per intellectū patibilē ostendit vniri nō posse: quoniā multiplicari eū iuxta hominū ac rerū intellectiliū numerū oporteret. Quod fieri minimè posse, cōplura ostenderunt absurda, quæ deducta fuerunt. Et ideò dicēdū esse id fieri per vnionē phantasiæ ac phantasmatis, quod velut formæ ac mouētis locū habet, proq. rerū & hominum multitudine multiplex est. Itaq. puerū accipit duobus modis intelligentē potestate dici posse. Aut quòd phantasmata potestate intellectilia sint, aut quod intellectus patibilis formā intellectilē actu factā potest recipere, nec dū actu recepit. quę distinctio eo pertinet, vt si actu intelligim', nō patibilis intellectus interuentu, sed phtantasmatis, quod actu fit intellectile, potestate quoq. intelligentes dicamur potiùs, quod insint in nobis phantasmata potestate intellectilia, quā propter intellectū potentē intelligere. Alterū quoq. adiungit, intellectū patibilē hunc, si cū cæteris animę virtutibus cōparetur, homonymè actū & perfectionē corporis esse. Quoniam materialis nō est, nec hærens corpori, vt Alexander credidit formæq. reliquæ ac partes animæ sunt: sed immaterialis, abstractus, & separatus: quod ex tex. 11. lib. 2. confirmat, Plantasiā autē cęteris similē esse atq. cū illis synonymè actū. Idcirco intellectū multiplicatū nō esse, nec generabilē & corruptibilē, sed vnū & æternū: phantasiā verò multiplicatā, generabilē & coruptibilē. Neq. per intellectū, sed per phantasiam phantasmate formatā vniri nobis intellectilē actu formā. Qua in re phantasma est vt mouēs, & intellectus agēs facit, vt actu mouere queat, ac demū intellectus patibilis motionem

atq. intellectilẽ formã ſuſcipit. Vterq. ſanè hic intellectus, vt æternus, ſic aptus ſemper eſt, alter facere, alter ſuſcipere intectile actu. At quoniã non ſemper adeſt, phantaſma, quod intellectile actu fiat, propterea nec intelligimus ſemper, nec intellectio intellectúſque habitu æterna ſunt, vt intellectus agens & patibilis.

Hinc explicat quid ipſe à Themiſtij opinione diſſentiat. Duas enim partes illas, agentẽ & patibilẽ; illã velut formã, hãc vt materiam, in intellectu ineſſe cõſentit. Sed cùm Themiſtius intellectũ habitu nil aliud inquiens eſſe, quã agentis vnionẽ cum patiente, duas ſolũ illas partes poneret: tertiũ ipſe intellectũ ab vtroq. diuersũ addit quòd is partim ſit æternus & vnus, partim corruptibilis & multiplex. Æternus quidẽ & vnus; quia cũ intellectus patibilis in omnibus vnus ſit, humanáq. ſpecies æterna, phantaſmatibus quibuſdã omnibus reb⁹ cõmunibus nũquã caret: hæcq. ipſa ſecundũ ſpeciẽ æterna nimirũ ſunt. Quò fit, vt prima principia rerúmq. vniuerſæ notiones æternæ ſint ac ſemper intelligantur. Corruptibilis autẽ & multiplex, vt cũ ſingulis hominib⁹ eorúmq. particularibus phantaſmatibus, quæ multa ſunt & corruptibilia, cõparatur. Itaq. mediũ quaſi ait eſſe inter ęternũ & corruptibile. Quoniã vtraq. eius cauſa, tũ æterna & vna, tũ corruptibilis & multiplex eſſe videtur: intellectus inquã & phantaſma, vt vel in ſpecie vniuerſa, vel in ſingulis hominibus conſiderãtur. Idẽ de intellectione dici vult: corruptibilẽ eã in hoc aut illo homine eſſe, æternã in tota ſpecie. Quoniã multi ſemper sũt qui intelligant, etſi multi alij ceſſent. Ideò Philoſophia quoq. & ſcientiæ ſunt æternæ, nõ ſecus ac artes. Quia etſi alicubi gentium fortaſſe nullæ ſint, alibi tamen vigẽt. Atq. vt hic quidẽ homo & hîc equus perit, at nõ ſimpliciter tota eorũ ſpecies; ita in ſcientijs quoq. & artibus res habet. Intellectus enim agens & patibilis æterni ſunt; illéq. ſemper agit intellectili actu, hic ſemper recipit, licet nõ in eodẽ indiuiduo. Ita interpretatur illud primi libri tex. 66. intelligere & cõtemplari alio intus corrupto cõtabeſcit; ipſũ vero incorruptibile eſt. Et illud huius lib. 3. t. 20. hoc quidem impatibile eſt, paſſiuus autẽ intellectus corruptibilis eſt, & ſine hoc nihil intelligit. Quòd enim intus corrumpitur paſſiuúmq. intellectũ; phantaſiã expoſcit: qua corrupta, perit in hominibus ſingulis intellectus; at nõ ſimpliciter. Tandẽ hoc tũ Platonis teſtimonio confirmat, qui vniuerſália dixit æterna, & in rebus extra animã. Nã etſi falsũ ſit, ea eſſe extra animam, verũ tamen eſt eſſe æterna. Quare tũ æterna ſunt per ſe cõſiderata, tũ in rebus corruptibilia. Tũ verò quia ſermones probabiles nunquã sũt omni ex parte falſi: itaq. vtraq. opinio quadã ex parte debet eſſe vera; tũ quæ immortalẽ, tum quæ mortalẽ animã aſſerit. Sic enim & Philoſophi & leges cõſentiũt, Eſt autẽ vtraq. vera, ſi per ſe immortalẽ, in ſingulis mortalẽ dicam⁹.

Vt intellectus nec materia ſit nec forma.

Iã verò ad tertiã quæſtionẽ, ſi intellectus vnus eſt, quî fieri poteſt, vt nec materia ſit nec forma? hęc eſt reſponſio. Vt in ſenſiliũ genere dantur materia & forma; ſic in intellectilibus quidpiam & materiæ, & aliud formæ ſimile: materiæ ſimilis eſt intellectus patibilis, formæ agens. Omninóq. ſunt quatuor entiũ genera; materia & forma ſenſiles, ac rurſũ materia & forma intellectiles. Quanquã addit diuiſionẽ hanc intellectilis in poteſtatẽ & actũ, & in aliquid materiæ & aliquid formæ ſimile; nõ in humano ſolũ intellectu locũ habere; ſed etiã in abſtracto quouis, qui aliud intelligat: hoc eſt in intellectu omni prẽter primum, qui ſeipſũ ſolum & nihil extra ſe intelligit. Nam ſi in cæteris prærer ſupremum poteſtas aliqua non eſſet; & aliquid vt materia, & aliud vt forma, aliquid vt poteſtas, aliud vt actus: nulla in illis eſſeteret multitudo. Quia vt in materialib⁹ materia ſ in immaterialibus poteſtas, quæ materię inſtar eſt, velut intellectilis materia, multitudinis cauſa eſt. Si ab illis poteſtatem tollas, ſolus ſupererit actus, intelligentiæq. omnes fuerint æq. perfectæ. Si actũ demas, ſola remanet poteſtas, ſolúq. patibilis intellectus. Sola igitur intelligentia prima eſt actus purus poteſtatis omnis atq. cõpoſitionis expers. Reliquæ actu & poteſtate cõſtantes; actu compares ne ſui ipſius, poteſtate ad alia. His humanus accedit intellectus, qui ſola conſtat poteſtate ad omnia. Hic manus & diuinus velut duo extrema ſunt; alter poteſtate totus, alter totus actu: inter vtrumq. medius intercedit reliquarũ intelligentiarũ intellectus, partim actu, partim poteſtate. Quare vt intellectũ noſtri naturam ignorantes, abſtractarũ penitus intelligentiarum conditionẽ cognoſcere non poſſumus: ſic poteſtate hac ignorata, quę in immaterialibus eſt vt materia, multitudinẽ in illis non intelligemus. Quã ob causã Algatelẽ fortaſſe & ſectatores tertiorũ nomine peccaſſe tradit; dũ omnes cœleſtes orbes ab vna dixerunt intelligentia mouẽri: id negantes, quod in 12. Metaph. libro ab Ariſtotele ſint demonſtratum; tot eſſe intelligentias abſtractas, quot ſunt cœleſtes orbes ab illis moti. Quapropter iuſtiã de anima ad primã Philoſophiã conficit neceſſariã eſſe: vt ex intellectus noſtri, qui poteſtate eſt, cognitione, intelligentiarũ naturã, quæ actu & poteſtate conſtat, congnoſcamus, indéque etiam earum multitudinem colligamus.

Verũ in intellectu noſtro patibili perſiſtens, poſquã inquit res materiales intellexerit, agentẽ quoq. intellectum intelliget. Cognitione ſiquidem materialiũ diſponitur ac perficitur ad immaterialia percipiẽda. Neq. hæc cognitio materialiũ cognitionem impedit, immò robuſtiorẽ intellectũ ad exquirenda intelligenda facit. Hunc igitur intelligendi ordinẽ ſtatuit. Primùm cognoſcit materialia, quæ illi phãtaſia proponuntur. Deinde agentẽ intellectũ, quæ fecit intellectilia actu. Tũ demũ in materialibus illis ipſis perfectiſſimè inſiſtit. Vnde propoſitionẽ illã, Omne recipiens carere debet eo, quod receptum eſt, non abſolutè intelligendã eſſe interpretantur, nihil omnino debere eſſe actu, vt Alexander volunt. Sed non eſſe actu illud ipſum, quod receperit eſt. Sic enim patibilis intellectus, dũ ab agente ac materialibus rebus diuerſus eſt, velut intellectilium omniũ formarũ materia, recipere omnes poteſt, & intelligere. Propterea docet, quomodo intellectus agẽs tũ ad patibilẽ ſe habeat, tũ ad res materiales intelligendas. Ad intellectũ patibilẽ ſe habet vt lux ad perſpicuũ: ad res materiales vt perſpicuũ ad colores. Vt enim perſpicui lux, ſic intellectus agens patibilis perfectio eſt. Et vt color non eſt actu ſpectabilis neq. colorẽ mouet, niſi perſpicuũ illuminati; ita nec res materiales actu intellectiles ſunt, nec patibilẽ intellectum mouent, ab agente illuminatæ & perficiantur. Sed & lumen colores & intellectus agens materiales res facit actu, vt illi videri, hic intelligi poſſint. Quocirca in principio, antequam res materiales intellexerimus ſcientiarúmq. cognitiones nobis comparauerimus, intellectus agens ad patibilem ſe habet, vt illuminans, & vere vt agens: quod nomen ipſum ſignificat. Poſtquàm verò patibilis

patibilis intellectus scientijs fuerit ac Philosophia excultus & perfectus, tum demum agens vnitur illi vt forma: fitque ex ambobus intellectus ille, quem is adeptum appellat.

His omnibus absolutis obiectionibus antea positis respondet. Hæ autem sunt. Si vnus esset intellectus, idem intelligerent omnes vel ignorarent, aut obliuiscerentur. Sin autem non esset vnus, intellectilia item essent diuersa numero, specie eadem. Quare speciei esset species, & intellectilis intellectile; hócque infinitum. Ac rursum præceptor docens produceret in discente scientiam; non secus ac ignis, ignem alium eiusdem speciei gignit. Quod si ita esset, speciei esset species in infinitum. Deinde scientiæ immateriales sunt, nec numero multiplicabiles. Hæc omnia respondet ex eo diluit, quod dictum est, intellectum habitu esse vnum & plures; vnum, quia est vnus patibilis: plures, comparatione phantasmatum ac rerum, quæ intelligendæ proponuntur; hominúmque singulorum, in quibus est. Quod si vt est vnus intellectus, sic vnum esset phantasma, eadémque res intellecta; maiorem argumenta vim haberent. Nunc autem horum multitudo diuersitatem ac multitudinẽ intellectionis adfert.

Responsionem porrò ab Auempace allatam, intellectum partim esse vnum, quia vnus est agens; partim plures, quia plures sunt ij, qui sunt habitu; propterea reprehendit; quia cùm quæritur, num intellectus sit vnus, non est homonyma quæstio, sed de vno & eodẽ intellectu quæritur: ipse verò quasi ad homonymam diuersos commemorando intellectus respondit. Nam si quæstio esset homonyma, neq. de intellectu eodem proponeretur; esset plane sophistica, nec digna, quę in disputationẽ vocaretur.

Demum ex his aliam etiam ait quæstionem dissolui, an intellectus sit separatus & extrinsecùs aduenies, an cum materia cohærens. Ostensum quippe est intellectum habitu partim separabilem esse, partim inseparabilem: separabilem ab hoc & illo homine, inseparabilem ab vniuersa specie: patibilem verò & agentem essentia separabiles, actione inseparabiles esse.

IVSTA IN AVERROEM animaduersio.

HÆc sunt, quæ Auerroës hoc loco tradidit. In quibus tota illa intellectus vnitatis assertio aut principio illo nititur, aut reciprocè cum eo connexa est; quo is eum credidit formam hominis esse; non formantem & dantem esse speciei; sed velut intelligentiam quandam infimam vniuersæ speciei humanæ assistentem ad eam operationem, quæ est intellectio: vt nautam gubernandæ naui, superioréssque intelligentias cœlestibus mouendis orbibus. Formantem autem & dantem esse formam sentientem esse animam quandam mortalem, singulorum hominũ propriam; quam alijs in locis cogitatiuam appellauit.

Auerrois opinio de intellectu ac anima.

Itaque propositionibus hisce tota illius sententia continetur. Intelligentem animam immaterialem esse & per se subsistentem; ingenerabilem & incorruptibilem; separabilem & æternam; assistentem hominis formam, non formantem. Definitionem animæ conuenire illi homonymè. Atque cùm numericæ multitudinis principium & causa sit materia; animam hanc non esse pro hominum numero multiplicatam, sed vnam & eandem in omnibus. In ea ipsa duplicem intellectum contineri; patibilem vnum, agentem alterum: vtrumque immaterialem, inorganicum, ingenerabilem, incorruptibilem, æternum, & in omnibus hominibus vnum. Intellectionẽ ex duplici pẽdere principio; tũ ex phantasmate, velut mouente ac proponente obiectũ intellectile potestate; tum ex intellectu, tanquã faciẽte intellectile actu & illud in se recipiente. Ex parte intellectus vnicam esse & æternam; ex parte phantasmatum multiplicem, diuersam & contrariam, generabilem & corruptibilem. Patiẽtem intellectum esse potestate ad omnia & velut materiam; agẽtem esse actu & vt formam. Eos duobus modis vniri: vt agens & patiens, atq. ita intellectum habitu fieri: & vt formam & materiam, sicq. intellectum adeptum existere. In intelligentijs quoq. actum & potestatem reperiri, solúmque primum intellectum esse actum purum. Hunc seipsum solum cognoscere, illas tum seipsas, tum extra se alia. Quæ omnia in eius disgressione apertissimè habentur.

Christiani Philosophi munus.

Verum Christianis Philosophis præcipitur in generali Lateranensi Concilio sub Leone 10. sess. 8. vt dum Philosophiam profitentes atq. interpretantes in eius incidunt Philosophorum opiniones, quæ verissimis ac certissimis religionis nostræ decretis aduersantur, eas omnino confutent falsásq. esse demõstrent: etsi quæ ab illarũ auctoribus argumenta proponuntur, infirmẽt ac diluant. Eorúmq. non solùm reprehẽditur, sed & damnatur oratio, qui vt eius, quem profitentur, & in cuius verba iurarunt (quos vere Galenus seruos appellare cõsueuit) Philosophi auctoritatem tueantur, dicere non verentur, quidpiam esse naturæ lumine ex veraúe Philosophia verum, non item diuino fidei lumine reuelato: aut id, quod ex religionis nostræ decretis sancitum est, naturæ lumine falsum esse cõcludi. Quasi verò horum alterum alteri aduersetur, possitq. verum vero esse cõtrarium, aut vtraq. cõtradictionis pars simul consistere: aut deniq. deus, qui tum naturalis, tum reuelati luminis auctor est & largitor, mẽtiri ac pugnacia loqui. Cùm enim fidei nostræ lumine quidpiam decernitur, si naturæ lumẽ veráq. Philosophia, quæ illo nititur, secus suadeat, alterum mẽtiri necesse est. At nec mentiri prima veritas potest, neq. illi repugnare naturæ lumen, quod ad verum cognoscendum fuit nobis ab eadem ipsa tributũ. Itaq. cogor hîc tãtisper subsistere ac diutiùs fortasse, quàm cõmentarij ratio pateretur: dum ea primùm statuo, quę de anima nostra ita proponit vera atq. ab omni erroris labe purgata Philosophia, vt de illis dubitare sit nefas. Deinde ad eorum normam ac regulam ea examino, quæ ab Auerroë tradita sunt.

Vera sententia de humana natura.

Ea sunt. Humanam animã immaterialem est substantiam à Deo solo ex nulla præiacẽte materia productam. Esse humani corporis formantem & essentialem formam pro corporũ numero multiplicatã, singulas singulorum hominum proprias. Non fuisse aliquo tempore ante corpus, sed in corpore opportunè dispositò primùm creari. Neq. cũ eo interire, sed immortalem separari atq. superstitem in æuum omne subsistere. Libertate in agẽdo frui. Atq. à corpore salutẽ sempiterna promeritis præmia vel supplicia reportare. Separatam à corpore alium habere operandi modum. Post tamen Deo iubente rursum eidem corpori vniendã esse, nec vnquam ab eo ampliùs dissoluendam. Ac demum quę ad vltimum finem & fœlicitatem suam consequendam necessaria sunt, ea non nisi munere Dei singulari cognoscere illam aut exequi posse.

Hinc Auerroïs propositiones examinemus. Qua in re duo præstare oportet. Primùm enim ostendendum est naturali rationis lumini consentaneas omnes eas non esse, veréque Philosophiæ aduersari pleráque. Deinde demonstandum Aristotelem secus omnino sensisse.

INTELLIGENTEM ANIMAM spiritalem esse substantiam.

QVod igitur intelligentem animam immaterialem ac per se subsistẽtem esse ait Auerroës; verissimum est & Aristoteli consentaneum. Qui in tex. 3. & 4. impermistam & impatibilem eam esse tradidit. Et in primo libro tex. 65. innasci nobis substantiam quandam existentem; hoc est non ex materiæ gremio educi, sed aliunde in eam immitti. Et tex. 66. impatibilem esse. Innasci nobis, inquit Simplicius, hoc est in nos ingredi, aduenientem aliunde, non ex materia eductam: & ideo substantiam existentem; non quòd cæteræ animæ non sint substantiæ, sed quòd materialis non sit, & per se subsistat. Hæc Simplicius. Atque in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. cùm animas cæteras ex materia educi posuisset Philosophus, quòd corporea sit illarũ actio; Mens inquit sola forinsecus accedit, eaque sola diuina est: Nihil enim cum eius actione commune habet corporis actio. Quo loco non solùm immaterialem esse asseruit; verùm etiam ex operatione probauit, quæ propria illius est, abstracta, & absque corporis organo. Verùm hic locus pluribus explicabitur, cùm eo rursum vtemur, de huius eiusdem animæ origine disputantes. Interim petimus dari nobis, eam à solo Deo ex nihilo produci & immortalem esse. Hoc enim accepto ita ratiocinabimur, eam spiritalem substantiam esse. Quoniam si esset accidens, aut hoc esset materiale aut spiritale: si materiale, rationi magis consentaneum esse, eam ex materiæ potestate educi, atque à parentibus actione seminis communicari: sin autem spiritale, cùm accidens omne oporteat in aliquo subiecto sustentatur, neque spiritale accidens materiali & corporeo subiecto inhæreat; aliquam subesse oportebit spiritalem substantiam: hancque intelligentem animam appellamus. Rursum si post corpus superstes est, substantiam eam esse necesse est. Accidens namque separari non potest, neque subiecto destructo conseruari ac per se cohærere. Itaque omnibus illis argumentis, quibus immortalem esse demonstrabimus, substantiam quoque per se cohærentem esse ostenditur.

Accedunt ea, quibus Christiani Philosophi docent animam à corpore separatam aut beata frui vita aut supplicijs affici. Eáque, quibus futuram hominum resurrectionem affirmant. Si enim eadem ad corpus redibit anima, quia eadem post illius dissolutionem permansit, per se igitur persistens substantia est, non accidens. Ea quoque quibus vniuersè docetur omnem animam esse substantiam; & in specie intelligentem animam esse hominis formam atque alteram humanæ substantiæ partem, qua homo essentialiter à cæteris distinguitur, & vt principio primo operatur.

Hanc autem spiritalem substantiam esse: tum ex eius productione colligitur, tum ex immortalitate, tum ex operatione. Materialis namque & corporea forma ex materiæ & corporis potestate posset educi, nec opus esset creatione. Neque separaretur à corpore & absque illo subsisteret; quoniam materialis forma sine materia esse non potest. Et vt ex operatione cognoscimus formam, sic ex immateriali atque abstracta operatione immaterialis & abstracta forma concluditur. Non solùm enim materiales res & singulas, sed immateriales item & vniuersas comprehendit: atque in seipsam simque operationem redit, potéstque seipsam & suam operationem cognoscere ac velle; quod materiali, organicæ, & cum quantitate extensæ formæ permittitur, & quoniam hoc argumentum aliaque non nulla pulchrè Philoponus explicauit in procemio tius operis, & comment. tex. 65. libri primi, adhibam illius verba. Nullum ex corporibus, inquit seipsum nosci, nec ad se conuertitur. Non enim seipsam nouit manus, aut aliud ex corporibus illum. At ne facultates quod rationis expertes nouerunt ipsæ se. Non enim aut visus aut auditus aut omninó sensus seipsum nosci, neque cuius naturæ sit, ipse quærit. Verùm ratio est, quæ de sensibus inquirit. Anima vero rationalis cognoscit ipsa se: ipsa est quærens, ipsa quæsita; ipsa inuenies, ipsa uenta; ipsa cognoscens & cognita: manifestè ergo eam esse incoream patet. Facultates autem, quæ sunt in subiecto corpore, cum corpore ipsorum gent & adolescunt: tales sunt sensus, ira, cupidines. anima vero rationalis è contrario. Flaccscente enim corpore ipsa viget; non est igitur in subiecto corpore. Præterea nihil est, quod subiectum suum corrumpi curet. Etenim quæcumque sunt, omnia esse cupiunt. At rationalis anima corpus ipsum parui pendit, atque laboribus per virtutem domat, ipsúmque sæpè numero penitus derelinquit: igitur in subiecto corpore non habet esse. Hæc Philoponus. Tum vero multis rationem eam persequimur, quæ ducitur ex operatione. Anima rationalis inanimalem habet, & à corpore non pendentem operationem; igitur eiusmodi quoque illius subiecta est. Sed & ad operationẽ illa spectat argumentatio, qua alios quoq. graues Philosophos vsus fuisse scimus. Inter quos ita Platonis Maximus Tyrius in ser. 28. si corpoream & mortalem naturam animus habeat, quidnam is vel scire, vel reminisci, vel discere valeat? Facilius enim cera liquescens ex sole, impressam signi alicuius imaginẽ seruet, quã discipline animus, si corporeus sit: cũ liquido consiter corpore omnifariam genus celeriter fluere, permdeque quasi Euripum, sursum ac deorsum ferri; ob eamque causam modò ex pueritia in iuuentutem excrescere, modò ex iuuentute in senectutem dilabi.

Solus Alexander inter peripateticos materialem atque ex materiæ erutam potestate fecit. Nam etsi Aristotelem quoque accusauerint aliquando veteres Christiani, quòd animam ἐπιτήδευμα vocasset, quasi corpore adstrictam formam: non eam tamen illi fuisse sententiam demonstratum est. Sed & auctores illi omnes, qui Angelos iudicarũt esse corporeos, multò magis idem de animabus nostris existimarunt. Inter quos præcipui fuisse videntur Tertullianus in lib. de anima c. 2. & Origenes lib. 2. de principijs cap. 8. & Paschasius Diaconus lib. 2. de Spiritu sancto c. 9. Immo Io. Cassianus collat. 7. c. 13. opinionem

nem scribit fuisse omnium vsque ad sua tempora; & Genadius in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus c. 11. & 12. inter Ecclesiastica cõmemorata, & Faustus Gallię Episcopus integrum hac de re librũ scripsit, De creaturis, vt nihil præter Deum ostẽderet incorporeum esse. Quod enim ad animam attinet, ea in sacris litteris vocatur sanguis, vt in lib. Gen. ca. 9. sanguinẽ animarum vestrarum requiram de manu cunctarũ bestiarum. Et in lib. Leuit. ca. 17. anima omnis carnis in sanguine est. Et dicitur habere mẽbra; vt digitos & linguã Lucæ c. 16. cùm diues rogat, vt Lazarus intingat digitum in aquam & linguã eius refrigeret. Animáq. à corpore separata igne inferni corporeo torquetur: res autẽ corporea non potest in corpoream agere. Accedit, quòd corporis fere affectiones sequitur anima: neq. à corpore discedere potest quãdo vult: neque intelligit nisi per corporis sensus.

Ita fuit aliquando dubitatum. Iam verò dubitare non licet. Constitutũ enim fuit in Latarenensi Concilio sub Innocentio 3. Deum ab initio ex nihilo cõdidisse vtramq. naturã, corpoream & spiritalem; angelicam scilicet & mundanã: deinde humanã, quasi cõmunem ex spiritu & corpore cõstitutam. Idq. apertis verbis litteræ sacræ docẽt. Nam & passim animam nostrã appellant spiritũ, Psal. 30. & Lucæ ca. 23. in manus tuas Domine cõmendo spiritum meũ: & Marci c. 14. spiritus quidem prõptus est, caro autem infirma. Et in epist. ad Rom. ca. 8. qui non secundùm carnem ambulant, sed secundũ spiritũ: & priore ad Corint. c. 5. tradidi eum Sathanæ, vt spiritus saluus sit in die domini: & c. 7. vt sit sancta spiritu & corpore. Et posteriore epist. ad eosdem c. 7. emundemus nosmetipsos ab omni inquinamento corporis & spiritus. Et in lib. Act. ca. 7. Domine Iesu accipe spiritum meũ. Præsertim cùm in his locis ita sit de anima nostra sermo, vt opponatur corpori. Immò Io. c. 4. probauit Christus Deum in spiritu, hoc est animo adorandum à nobis esse; quoniam ipse spiritus est: spiritus, inquit, est Deus; & qui adorant eum, in spiritu adorare oportet. Quare vt Deus immaterialis est & spiritalis substãtia, sic etiam est in suo genere anima nostra. Quòd si bestiarũ quoq. anima spiritus interdum vocatur, vt in lib. Gen. c. 6. & 7. ea non absolutè vt humana, spiritus appellatur; sed cum additione, spiritus vitæ. Spiritus autem vitæ dicitur aër, quo inspirato, & respirato viuunt. Porrò de anima nostra vere obseruauit S. Epiphanius hær. 56. eam nusquam dici esse sanguinẽ, sed interdum affirmari esse in sanguine. Est enim hic optimus & naturæ amicissimus humor; quo & alimur & sustentamur; neq. sine illo potest anima & vita in corpore permanere. Effectus etiam similitudinẽ addit S. Augustinus in 2. lib. contra aduersarium legis & Prophetarum ca. 6. Sanguis enim est inter omnes humores, quo maximè animal viuit; & animam esse intelligimus, qua animal viuit. Vbi verò mẽbra illi tribuuntur, eodem tribuuntur modo, quo tribui Deo solent: non quòd mẽbra, sed quòd opera & effectus mẽbrorum habeat; eademq. efficiat, quæ faceret, si haberet membra. Quomodo autem igne inferni torqueatur, cõmunis est illi cum Dæmonibus difficultas, de qua non est hoc loco disputandum. Sed propterea Philoponus, cum tenui quodam inseparabili corpore animam ab hoc crasso & palpabili corpore separari & cum eo torqueri credidit. At qui ignem illum corporeum esse negant, facilè respondent. Qui verò corporeum fatentur, non naturali virtute, sed diuinitus indita eum spiritus quoque dicunt torquere posse. Quòd autem corporis fere affectiones sequatur; quòd non possit ab eo liberè discedere quãdo vult, quemadmodum discedit angelus; quòd non nisi per corporis sensus intelligat: hæc omnia propterea eueniunt, quòd etsi spiritalis substãtia sit, vera tamen est corporis & naturalis forma; quod postea explicandum erit. Iam alteram Auerrois propositionem examinemus.

Anima vt in sanguine dicatur esse.

Anima vt membra tribuatur. Anima vnde igne inferno torqueatur. In Prooemio horũ laborũ.

DE ANIMÆ INTELLIGENTIS ORIGINE.

AVerroïs altera propositio fuit, Intelligentem animam ingenerabilem esse. Quæ si de vera & propria generatione, quæ eductio est ex potestate materiæ, pronuntiata fuisset, vera nimirum esset. At ingenerabilem ipse dixit, hoc est non de nouo productam, sed ab omni æternitate existentem. Quod falsum est, atque ex duplici falso principio ductum: quòd & mundum æternum humanámque animam æternam & vnam in hominibus omnibus posuisset. Aristoteli autem penitus aduersatur.

Sanè de huius animæ origine, vt Pythagoræ ac Platonis fabulas mittam, qui certum animarũ, numerũ earũque in alia atque alia corpora migrationem posuerunt: inter Christianos quoque maxima semper fuit disputatio. Carpocrates enim S. Irenei testimonio in libro 1. cap. 24. & Gnostici, & Manichæi, vt in epistol. ad Marcellinum scribit S. Hieronymus, & Philo Iudæus in libro, cui titulus est: Quòd deterius insidietur semper potiori, intelligentem animam ex Dei substantia esse dixerunt. Quòd in primo Bracarensi Concilio cap. 5. & Toletano 1. cap. vltimo, & in epist. 91. Leonis primi cap. 1. condemnatum legimus. Inde namq. consequens est, Deum esse mutabilem. Hermias autem, Seleucus, & Galatæ vt in 7. lib. Tripar. hist. cap. 11. habetur, animas omnes ab angelis factas fuisse putarunt: quod & inter Philosophos credidit Auicenna. At Tertullianus apud S. Augustinum epist. 157. ad optatum, & in libro de hæresibus cap. 86. ita fieri extraduce voluit, vt vnius anima ab alterius anima produceretur. Quod Appollinaris quoque confirmauit apud S. Hieronymum, & in lib. 5. histor. Tripar. cap. 44. Refert etiam S. Augustinus in libro de spiritu & anima cap. 48. & in libro de hæresibus cap 81. Luciferanos, Cyrillum, & Latinorum aliquos eam cum semine à parentibus dari sensisse. Quæ propterea commemorare libuit, vt minùs mirum videretur, si Aristotelem dixerò, imbecillo subnexum naturæ lumine, ad veram illius originem omnino non fuisse progressum. In Concilio autem Constantinopolitano, & Viennensi cap. firmiter: omnes animas nostras à solo Deo creari constitutum est; & S. Leo à nullo, nisi à solo ipsarum creatore Deo, incorporari scripsit. Quod & S. Augustinus locis notatis, & epist. 28. ad Hieronymum de natura & origine animarum, & S. Hieronymus in epist. quam de hac ipsa re ad Marcellinum dedit, & omnes sancti Ecclesiæ patres confirmarunt. Quam ob causam Tertulliani opinionem errorem esse in Ecclesia damnatum scripsit S. Thomas in 2. lib. contra gentes cap. 86. & quæstion. 3. de potentia art. 9.

In libro namq. Gen. cap. 2. solus Deus spiraſſe dicitur in Adam spiraculum vitæ. Quibus verbis illa

Anima à solo Deo creari.

respondent in lib. Ecclesiastis cap. vlt. reuertatur puluis in terram suam, vnde erat; Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Idem Deus Isaiæ cap. 42. & Zachariæ cap. 12. dicitur dare flatum & spiritum homini. Et apertissima sunt verba piæ illius matris ad filios in 2. lib. Machab. cap. 7. Nescio qualiter in
» vtero meo apparuistis. Neq. enim ego spiritum & a-
» nimam donaui vobis & vitam; & cętera. Sæpè etiam in nouo testamẽto docemur nos à parentibus nihil nisi corpus & carnem accipere, vt reliquum sit animam à solo Deo tribui. Sic in epist. ad Rom. cap. 4. S. Paulus Abrahamũ vocat patrem suum secundùm carnem, & cap. 9. Israëlitas fratres suos secundùm carnem, & ad Hebr. cap. 12. patres carnis distinguit & patrem spiritus, scilicet Deum.

Sed & naturalis ratio ex ijs, quę post demonstranda erunt, deducitur. Cùm enim intelligens anima immortalis sit, immaterialem eam esse minimèq. à materia pendentem necesse est. Nam si materialis foret, vt ex materia producta fuisset, sic in eam dissolui posset. Quòd si immaterialis sit, consequens est eam à Deo creari, suâq. ab illo naturâ accipere. Itaq. parentes id solùm actione seminis assequuntur, vt materiam præparent corpùsq. alijs atque alijs distinctum partibus forment, vt à Deo creata mox anima coniungi cum eo possit & humanum coniunctum absoluere.

Quo tẽpore creetur.

Cæterùm de creationis tempore dubitatio non- nulla. Quoniam Origenes in 1. lib. de principijs c. 7. & S. Hyeronymi testimonio in epist. memorata, & epist. ad Pammachium; & S. Epiphanij hæresi 64. & apud eum Methodij, & S. Augustini in libro de spiritu & anima; humanas omnes animas fuisse simul creatas credidit, quando separatæ cæteræ mentes fuerunt conditæ: sed mox cùm in cœlo peccassent, deiectas ad corpora. Confutatur autem a S. Hieronymo verbis illis S. Pauli ad Rom. c. 9. cùm nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, & cæt. Et aut ponere debet earum in diuersa corpora migrationem; quod absurdissimum est: aut respondere non potest, quonam iuerint tam multæ animæ è cœlo eiectæ, cùm totidẽ tunc non supperetrent corpora. Aut igitur peccatrices animas dicat in cœlo adhuc commoratas fuisse, aut nouas fateatur singulis creari momentis, aut creatas tunc non peccasse, in cœlóq. mansisse nihil acturas, atque inde ad corpora subinde demitti. Sensit hoc sanè Nemesius in 2. Philosophiæ li. c. 6. omnes tunc arbitratus creatas, quãdo primi hominis anima fuit condita. Verbis nimirum illis persuasus Gen. cap. 2. Requieuit Deus die septima ab vniuersa opere, quod patrarat; hoc est à creatione ex nihilo, quæ proprium est Dei opus: vt iam non ampliùs creet. Sed S. Hieronymus in epist. ad Marcellinum huic testimonio illud opposuit Io. c. 5. Pater meus vsq. modò operatur, & ego operor. Cùm Nemesij verò sententia illi maximè consenserunt, qui vt auctores sunt. S. Hieronymus in epist. ad Pãmachium, & S. Augustinus in epist. 28. notata & lib. 3. de libero arbitrio c. 21. animas omnes dixerunt simul fuisse cõditas, nuncq. descenderet in corpora; non à Deo infusas, sed sponte corporũ desiderio allectas. Quod eò videtur absurdius, quòd aliquo producto corpore nulla esset ratio, cur vna potiùs, quã alia descenderet ad illud anima: Quippe idẽ omnes habent corporis desideriũ. Propterea S. Hilarius in Psal. 129. & S. Augustinus lib. de Genes. ad litteram cap. 24. concesserũt quidem reliquorum dominum animas corporibus antiquiores non esse; primi tamen hominis animam ante corpus creatam mox cum corpore iunctam fuisse voluerunt, quòd illud fuit ex terræ limo formatum.

Ita fuit aliquando hac de re inter grauissimos & doctissimos Ecclesiæ patres dubitatum. At nunc dubitare non licet. Quoniam in sexta generali Synodo Cõstantinopolitana act. 11. & à Leone 1. epist. 91. cap. 10. cõstitutum fuit rationalem animam nullo modo ante corpus fuisse, sed in corpore illam, vbi sanctus rit à parentibus præparatum atq. perfectum, ipso Deo, non ex corpore, sed ex nihilo prorsus, quamquam pore tamen, creari: quod pluribus post Theologorum scholæ omnes exposuerunt.

Quod autem ad Aristotelem spectat, nihil ho- apertis verbis pronuntiatũ habemus. Verum ex- bus maximè locis sententiam eius colligimus. Pri- mus locus est in tex. 16. lib. 12. Metaph. vbi quæ- posuit, nullam formam coniuncto priorem esse, quæ intelligentem quidem animam, vt in tex. 17. declaratur, & Alexander eo loco consentit. Alter in tex. 67. lib. 1. huius operis. Intellectus, inquit, videtur mutici, substantia quædã existens, & non corrupi. Immici inquit ἐξ ἔσω θύρας, hoc est in nobis nasci & gigni, seu de nouo produci. Qui locus optimè priori respondet. Quod enim in illo dixit formam nullam coniuncto priorem esse posse, aliqua fortasse post illud sepertitem; vt animam, non omnẽ, sed intelligentem hoc ipsum inculcat in posteriori, intellectũ inquit in nobis nasci, hoc est nobiscum fieri & produci, quam tamen interitum. Sermonem autem esse humano intellectu, déq. rationali anima, quę hominis forma est; exponunt eo loco interpretes Græci, & multis aduersus Alexandrum persequitur Philoponus, nósq. in Commentario nostro demonstrauimus. Tertius locus est in 2. lib. de animalium ortu c. Mens inquit sola forinsecùs accedit, cæq. sola diuina est: Nihil enim cum eius actione cõmune habet actio corporea. Quæ verba de actu secundo intelligi non posse, qui ab intellectu agente, qui foris est, pendet; vt aliqui exposuerunt: tum ex eo manifestum est, quòd ita sensus quoque forinsecùs accedere, nec cuius operatio ab externo pendet obiecto, vt mox 59. lib. 2. dictum est: & visio indiget externo lumine, quod est velut intellectus agẽs, vt post affirmabitur in tex. 18. Tum verò ex eo maxime, quod ibi agebat Philosophus. Proposuit enim quæstionem, vtrum maris materia fœtus non est, sed agentis solùm vim habet, vt antea demõstrauerat; quonam eius complementia vertatur. Sed alias duas priùs explicandas subiunxit. Alterani, an menstruus fœminæ sanguis semine maris quidquam accipiat. Alteram, an semen anima in semine insit & fœtu. Vegetantem enim cõceptu inesse certum est; quoniam nutritur & crescit: sentientem autem tempore procedente suscipi. At de intelligẽte plurimùm dubitatur, quo tẽpore, quo modo, & vnde eam accipiat homo. Tribus hinc quæstionibus propositis, ad tertiam primum respondet; animas omnes inesse priùs potestate, quã actu; siquidem in quauis materia ad formã suscipiendam apta formã necesse est inesse priùs potestate, quam actu. At quomodo actu adueniunt? Necesse est aut fœtui omnes innasci, cùm non essent; aut omnes priùs fuisse; aut aliquas præfuisse, alias non præfuisse. Omnes igitur priùs non fuisse, hac necessaria ratione concludit. Quorum enim actio corporea est, ea sine corpore esse non possunt. Humanus generis vegetans & sentiens animæ sunt. Itaque hæ præfuisse non possunt & forinsecùs aduenire.

Aut

Aut namq. præfuissent & aduenirent sine corpore, aut cum corpore aliquo: non sine corpore, quia corporeæ sunt, earúmq. actio corporea: neq. cum corpore; quoniam aliud non videtur præfuisse corpus, quàm semen; quod alimenti pars quædam est, non organicum corpus, quod animæ vsui ad operandum esse possit. Sola superest mens, hoc est intelligens anima (hoc enim tertium erat reliquum membrum) quæ forinsecùs accedat. Quippe hæc sola diuina est, nõ res aliqua materialis. Nam actionem habet propriam, cum qua commune nihil habeat actio corporea corporeiue instrumẽti vsus. Hæc est Philosophi disputatio. Quam de actu primo animeq. substantia, non de actu secundo & operatione tractare manifestum est.

B

Neque incertam & dubiam, vt Iacobus Zabarella interpretatus est nuper in libro de mente humana cap. 9. sed certam & definitam sententiam cõtinere. Nam si vllum est argumentum illud, quo is veram Philosophi sententiam sequentibus verbis (Πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις) contineri probat: quoniam (μὲν οὖν) tunc solet ab Aristotele vsurpari, quando aliquid quod ante proposuerat, aggreditur (vt mittam multa contrà adferri posse) certè eodem conficere potuisset, definitam sententiam superioribus illis contineri (ὅτι μὲν πάντων οὐχ ὁμοίως πάσας ἀνεῦ πάρχει) perinde siquidem est, siue (μὲν οὖν) siue (μὲν πάντων) dicas: Præsertim cùm eo loco subiungat (φανερὸν δὲ καὶ περὶ τούτων) quomodo non nisi in propria & certa sententia loqui cõsueuit. Tum verò quàm est certum definita sententia probari vegetantem & sentientem animas non præfuisse; quia sine corpore nequeunt esse: tum etiam certum esse debet definita sententia pronuntiari mentem solam aduenire forinsecùs, quòd sola diuina sit & operationem corporeo nõ vtentem organo habeat. Neque vlla probabilitate accipit is auctor, vt interpretationem suam tueatur, Philosophũ ex tribus membris propositis vnum solum examinandum assumpsisse, quo animas omnes forinsecùs aduenire dicebatur. Nullũ enim est huius rei argumentum: Philosophiq. disputatio potiùs ostendit ex tribus illis eligi tertium, forinsecùs aliquas nõ aduenire soliúsq. intelligentis priuilegium hoc esse. Siue autem Græcè legamus (λείπεται δὲ) siue Latinè vertat Ideodorus Gala Crescat igitur) perinde duabus cæteris animabus reiectis colligitur intellectum superesse solum nobis forinsecùs aduenientem.

C

D

Minùs etiam probandum est, quod idem ipse ait Zabarella, mentem non absolutè, sed ex hypothesi appellari diuinam; si inquàm forinsecùs adueniret. Non enim ex hypothesi, sed absolutè Philosophus loquitur: nec eam adfert rationem, cur diuinam dicat; sed hanc potiùs, quòd propriam habeat actionẽ, in qua nihil habet cõmune actio corporea. Quamquam eam quoq. ob causam, quòd forinsecùs accedat, diuina est. Etenim hoc duo prorsus Aristoteli significat. Alterũ est, ita ad corpus accedere, vt antea fuerit. Alterum, ex corporis potestate nõ educi, nec habere quidquam cum eo cõmune. Neutro modo vegetãs anima aut sentiens accedũt forinsecùs; neq. priore modo vlla omnino forma; quoniã nulla potest coniunctum antecedere, vt in 12. lib. Metaph. positum est. Intelligentis animæ maximè proprius est posterior modus: & ideò forinsecùs aduenit, hoc est aliunde habet originẽ, soláq. inter animas omnes diuina est; immaterialis inquam & spiritalis natura diuinæ persimilis. Vtrũq. consueto argumento probat ex operatione, quam diuinam habet neque cum

Mens vt diuina dicatur.

E

A materia corporeúe cõmunem. Nam si operatio materialis nõ est, sed diuinæ operationi persimilis; eiusmodi quoq. substantiam esse illam oportet, cuius est operatio, non inquam ex materia, sed aliunde & extra materiam orta. Quæ omnia cum ijs consentiunt optimè, quæ in lib. hisce de an. traduntur; intellectũ esse aliud animæ genus à cæteris diuersum tanquam perpetuum à mortali, immortale, separabile, impermistũ. Certè Simplicius id, quod Philosophus dixit in tex. 66. lib. 1. intellectum diuinius quid esse; propterea dictũ interpretatus est, quòd in corpore principatũ habeat, cõuertatúrq. in seipsum, & ad nullam corporis partẽ declinet, atq. cum præstãtioribus sese coniũgat vniatque. Sola enim entia diuina eiusmodi sunt, vt in 8. lib. Phys. & 12. Metaph. demonstratur. Hoc nimirum est, quod in 10. lib. Eth. ad Nicomachum c. 8 νοῦν dicit θειότι συγγενέστατον, mentem Dijs cognatissimã, propinquissimam & ex eodem maximè genere. Sed & Trismegistus Mercurius dixerat, νοῦς ἐν ἀνθρώποις θεός, mens in hominibus Deus. Et Plutarchus in Platonicis quæstionibus, ὁ νοῦς τὸν ἡμέτερον ὁ Διός. Iullius non Deum vt Euripides, sed diuinum se dixit malle animum nostrũ appellare. Et vt cæteros mittam, Plotinus in libro de animæ immortalitate c. 10. animam, quod incorporea sit & immaterialis, nõ solùm diuinæ naturæ cognatam dixit, sed & ὁμοούσιον, consubstantialem, atq. hoc solùm à supernis distare substantijs, quòd sit in corpore. Quæ omnia videtur ex eo desumpta, quod antea scripserat Moyses hominem ad imaginẽ & similitudinẽ Dei fuisse factũ.

Quòd si diuinam dixeris, hoc est à Deò immediatè productã, veriorem habueris de origine huius animę sententiam. Quæ tribus constat partibus. Prima, animam nostram: non ex materia seu corpore producti. Altera, eam non præfuisse separatam ante corpus. Tertia, eam à Deo immediatè produci in corpore opportunè dispositio. Primam hoc loco apertè habet Philosophus; alteram in 12. lib. Metaph. in tertia fortasse dubitauit. Aut enim is creationẽ quidem totius entis ex nihilo prorsus negauit; cuiusmodi verò partis non item; quòd non omnino sit productio alicuius ex non ente, sed productio partis aliquo præiacente: quamuis non ex illo, sed in illo producatur. Aut hoc potiùs solùm intellexit, animam hanc materialem formam nõ esse, quoniam operatio immaterialis est & spiritalis: & ideò non ex materia eductam, sed extra materiam ortam atq. accedentem aliunde: non tanquam præexistentem substantiam; quoniam nulla forma antecedit coniunctum; sed tunc de nouo productam. Quo autem modo producatur, nec assequutus est, nec assequi potuit is, qui infinitam Dei virtutem non intellexit. Itaque hic dubius hæsit.

INTELLIGENTEM ANIMAM esse immortalem.

VEriùs id adiecit Auerroës, Immortalem eam esse, separabilem & æternam, aut veriùs sempiternam. Sic enim decretum & certissima fide tenentem proponitur nobis in Aquileiensi Concilio, & in sexta Synodo generali Constantinopolitana, & in Cõcilio Lateranẽsi tertio sub Leone 10. sess. 8. & à Clemente Romano lib. 6. Apostolicarum constitutionum cap. 11. Atq. ex innumerabilibus pènè sacrorum librorum locis habetur. Cuius generis illa sunt. In libro Ecclesiastis capite 12. spiritus redeat ad Deum, qui dedit eum. Sapien. 2. Deus creauit

Sacrarũ literarũ testimonia.

» hominem inexterminabilem. Et cap.3. Iustorũ ani-
» mæ in manu Dei sunt, & non tangit illos tormẽtum
» mortis, &c. Et cap.4. Raptus est, ne malitia mutaret
intellectum eius. Et cap.5. Tunc stabunt iusti in ma-
gna constantia, & quæ sequuntur. Hac enim veri-
tate de immortalitate nititur altera illa de resurre-
ctione, déque bonorum præmijs & malorum sup-
» plicijs. Iob. cap.3. Præcipe domine in pace recipi
» spiritum meum. Et cap.12. Eleemosyna à morte li-
» bera & facit inuenire vitam æternam. Ecclesiastici
» cap.24. Qui elucidant me vitam æternam habe-
» bunt. Psal.15. Non dabis sanctum tuum videre
» corruptionem. Et Psal.30. & Luc.23. In manus tuas
» commendo spiritum meum. Et act.7. Suscipe spiri-
tum meum. Et S. Paulus in priore ad Corinth. epi-
stola cap.15. multis argumentis resurrectionem
mortuorum probauit, quæ immortalitatem quo-
que ostendunt: & inter cætera illud, quod si Chri-
stus resurrexit, & nos resurgemus. Eadem enim ra-
tione deduci potest: Anima Christi cum corpore
non fuit extincta, nec igitur extinguuntur nostræ.
» In epistola ad Philip. cap.1. Desiderium habeo dis-
» solui & esse cum Christo. Matth. cap.10. Nolite ti-
» mere eos, qui occidunt corpus, animam autem non
possunt occidere. Luc.cap.16. ex historia seu para-
» bola diuitis & pauperis Lazari. Et cap.23. Hodie
» mecum eris in Paradiso. Ioan. cap.12. Qui perdi-
» derit animam suam in hoc mundo in vitam æter-
» nam custodit eam. Apocal. cap.6. Vidi sub altare
Dei animas interfectorum, &c.

Vnus videtur aduersari locus. Nam in libro Ec-
clesiastis cap.3. homines dicuntur esse similes be-
stijs, idémque omnium affirmatur esse interitus.
Sed aut sermo est de toto homine: quia cùm vellet
Salomon inconstantiam sublunarium omnium re-
rum ostendere, eodem modo dixit interire homi-
nem, quo moriuntur bestiæ, neque hominis vitam
esse perpetuam compositúmque hoc humanum
non semper subsistere, sed breui tempore dissolui.
Aut ea pronuntiantur in persona impij. Quod aptis-
simum est in cap.2. lib. Sapien. vbi eodem ferè mo-
do loquitur Salomon, ita exorsus: Dixerunt cogi-
tantes apud se non rectè, &c.

Vt solus Deus naturam immortalis anima & Angeli Dei dono.

Solent tamen veteres Christiani scriptores affir-
mare solum Deum natura immortalem esse, ange-
los & animam nostram non natura, sed Dei do-
no. Sic enim loquuti sunt patres sextæ Synodi ante
citatæ, & S. Iustinus in quæst.61. earum, quæ à gen-
tibus proponebantur Christianis; & S. Irenæus
lib.2. cap.64. & S. Ambrosius lib.3. de fide cap.2. &
S. Hieronymus lib.2. contra Pelagianos, & S. Au-
gustinus libro de vera religione cap.13. & Cyrillus
Alexandrinus libro 8. Thesauri cap.2. & S. Ioan. Da-
mascenus lib.2. de fide cap.3. Quod nequaquam ita
intelligendum est, vt donum significet quidpiam
quod naturæ accesserit: quemadmodum corpus
ante primi parentis facinus per originalis iustitiæ
donum erat immortale. Alioqui vt peccato corpus
factum est mortale, ita & anima tunc amisisset &
momentis nunc singulis immortalitatem peccando
amitteret: Siquidem per peccatum mors intrauit
in mundum, vt in epistola ad Rom. cap.5. affirmat
Paulus. Sed eo intellectu accipiendum, quo donum
significat quidquid ab alio acceptum est. Etsi enim
& angelus & anima nostra sint natura sua immorta-
les, quia immateriales & spiritales substantiæ: quo-
niam tamen à Deo creatæ sunt, tum natura, tum im-
mortalitas earum, Dei donum appellatur: vt hoc

A inter Deum & rem creatam interest, quòd solus
Deus ex se; res creata à Deo acceptam habet im-
mortalitatem.

Sed iam vniuersum hoc de animæ nostræ immor-
talitate caput philosophicè magis tractemus, nunc
ratione inuestigemus. Non defuerunt inter
Philosophos, qui eam non minùs mortalem, quam
plantarum ac mutorum animas esse docerent, aut
omnino cum corpore nasci & interire. Fuit hæc Epi-
curi sententia, Panetij, Democriti, Lucretij, & cæte-
rorum eius scholæ hominum. Dicæarchi quoque,
apud Iullium in prima Iuscul. & in secũdo lib. de
& Plutarchum in 5. lib. de Philosophorum placitis
cap.1. Arati, & cuiusdam Zenum, vt refert auctor li-
B bri de Ecclesiasticis dogmatibus cap.16. Plinij lib.7.
cap.55. Senecæ in consolatione ad Martiam cap.19.
Galeni in libro de mutua animi morum & corporis
temperamenti consequutione, pluribúsque aliis in
locis; eorúmque omnium, qui animam diuersæ
qualitatum temperiem aut eiusmodi quidpiam esse
& Abubacher atque Auempace apud Auerroem &
inter Græcos Peripateticos Alexandri.

Quorum hominum sententiam hæc suadere vi-
dentur. Primùm quoniam materialis est forma.
Tum quia feminis actione educitur ex potestate
materiæ: alioqui homo non gigneret hominem, ne-
que satis fuisset humanæ speciei conseruationi pro-
uisum, si naturale agens sibi simile procreare non
posset. Tum quia si materialis non esset cum corpo-
re proportionem non haberet, neq. illi naturaliter
vniretur. Perficitur etiam à materialibus obiectis, pe-
randóq. pendet ab organis, aut certè à phantasmatibus & corporis dispositionibus, atq. illius inclinationes sequitur. Fatigatur corpore fatigato, & capite
læso læditur mentis functio; eóq. quiescente ac re-
stituto recreatur hæc simul & restituitur. Denique
quoniam ex operatione cognoscitur forma, naturalisq. animæ operatio alia non est, quàm cum phãtasmate intelligere; neq. hæc est perpetua, sed mortalis. Nihil igitur est vnde immortalitas atq. à corpore
D separabilitas colligatur. Nam si separaretur, aut esset
otiosa, aut si absq. phãtasmate intelligeret, operatio-
nem nimirum atq. adeò essentiam cõmutaret: & vt
præstãtior, sic animæ naturalis magis operatio esset,
magisque naturaliter & perfectior extra corpus,
quàm in corpore, anima foret. At cùm sit incom-
pleta substantia & alterius pars; imperfecta est &
præter naturam, dum ab eo, cuius est pars, abiuncta
subsistit. Ergo aut sempiterno tempore imperfecta
erit & in statu præter naturam; aut naturæ lumine
cognoscetur futura nostrorum corporum resurre-
ctio; occultissimum Christianæ fidei ac religionis
mysterium, quod nullus vnquam Philosophorũ co-
gnouit; vt ita redeat ad corpus anima & perficiatur.
E Aut certè ridenda erunt Pythagoræ ac Platonis
fabulæ; qui migrationem in diuersa corpora fin-
xerunt. Quòd si de separatæ animæ statu & condi-
tione nihil naturæ lumine sciri potest, neque colligi
posse videtur alium eam à corpore separatam sta-
tum habere. Tum verò aut alteratione separari eam
à corpore oporteret, aut motu de loco ad locum: at
si ea immaterialis & impartibilis substantia est, neu-
trius est capax. Alexãder autem ad hunc ferè modũ
ratiocinabatur. Anima species est. forma, ἐντελέχεια,
& perfectio corporis: at species, forma, & perfectio
esse nõ potest sine eo, cuius est spicies, forma & per-
fectio: cuius enim esset species, forma, & perfectio?
Anima igitur à corpore separari nõ potest. Etenim si

separari

separari posset, independés à quocúq; alio esset: neq. A
conitingi posset cum materia, aut in ea tánquá illius
forma & actus produci. Non enim vniúntur aliqua, in
ratione præsertim formalis causæ & materialis, sine
mutua communicatione & dependentia. Itaque si
anima futura sit corporis forma, pendeat ab illo ne-
cesse est: quod ex operatione cognoscitur, quæ mi-
nimum à corpore pendet. Quapropter hac fermè
ratione Philosophatur Petrus Pomponatius. Co-
gnitio quælibet in abstractione quapiam consistit,
qua obiecti similitudo in cognoscentem facultatẽ
traducatur; omnisq. facultas cognoscens, vt eam in
se producat, obiecti sui abstractione vtitur. Triplex
autem est abstractio. Nam quædam cognitio ab B
omni abstrahit materia, neque ab ea pendet vt sub-
iecto, neque vt obiecto. Altera contrà & vt sub-
iectum & vt obiectum materiam retinet. Tertia
est media, quæ à materia quidem vt subiecto ab-
strahit, at non vt obiecto. Prima separatarum men-
tium est, altera sensus, tertia intellectus humani, qui
à corpore vt obiecto pendet cunctáque cum quan-
titate & inspectis phantasmatibus concipit. Prima
cognitio substantiæ cognoscentis est, quæ nullo
modo sit forma materiam formans aut alterius
pars; sed solùm velut mouentis ordinem ad ma-
teriam habeat. Altera eius est, quæ essentialiter sit
formans forma. Anima nostra inter has est media:
& vt essentialiter non pendet à corpore vt subie-
cto, ita pendet vt ab obiecto. Sed cùm separatæ
mentes omnino sint immortales, sensúque morta-
lis anima nostra, quæ media est, vtriusque extre-
mi particeps erit, quodámque modo immorta-
lis, & quodam mortalis. Quod duobus modis co-
gitari potest: aut ita, vt essentia sit immortalis &
secundùm quid mortalis, vt est vnita materiæ: aut
ita, vt essentia sit à materia dependens & mor-
talis, immortalis verò secundùm quid, vt pri-
mi generis cognitionis particeps est. Horum alte-
rum iudicauit Pomponatius naturali lumini repu-
gnare: alterum cum eo summopere consentire, D
sed animam nostram absolutè mortalem esse con-
cludere.

Quid Aristoteles senserit.

Quid Aristoteles senserit nondum satis disputa-
tum. Eum quoque fecisse mortalem iudicauit ex
antiquioribus Peripateticis Alexander, & præter
eum Plutarchus paulò antè notato loco, & Galenus
in historia Philosophica, & S. Iustinus in Parænc-
tico ad gentes, & S. Gregorius Nazianzenus in dis-
putat. aduersus Eunomium, & Theodoretus in
libro. 5. de curandis Græcorum affectionibus,
qui est de natura hominis, & Nissenus in libro. de
anima cap. 6. Origenes in libro de principijs. Et
omnino apud veteres Ecclesiæ patres hoc nomine
malè audiuit noster Philosophus. Et post illos Sco- E
tus in 4. sent. libro dist. 43. quæst. 2. & Heruæus
quodlib. 1. quæst. 11. Etsi eum dubiam credide-
rint accipitémque habuisse sententiam; eorum ta-
men alter ita illum scripsit pro immortalitate fuisse
loquutum, vt infirmissimum assensum ostende-
ret: alter ad mortalitatem magis declinasse. Et hanc
illius fuisse sententiam voluerunt Caietanus in
Commentarijs huius tertij libri de anima, Petrus
Pomponatius in libro de immortalitate, & in
Apologia, Simon Portius in libro de mente hu-
mana, Iulius Castellanus in libris de intellectu,
alijque recentiores nonnulli. Hæc enim apud
ipsum leguntur. In 1. libro Phys. tex. 83. Physicus

de corruptibilibus solùm & mortalibus formis agit;
tex. 12. libri 2. naturalis forma non nisi ratione à
materia separabilis est. & tex. 19. Res Physicæ minùs
abstractæ sunt, quam Mathematicæ: & tex. 26.
Physicus de ijs agit, quæ ratione separari queunt,
etsi reipsa sint in materia. Ex tex. 17. lib. 4. locus
potest à locato separari; at forma non potest à re,
cuius est forma. Et in 3. libro de Cœlo tex. 1. omnis
substantia Physica aut corpus est aut cum corpore
gignitur. At intelligens anima est naturalis forma;
quia entis naturalis, hoc est hominis, pars. Ratio-
ne igitur duntaxat, non re, à materia & corpore
separabilis est. In 1. libro Physic. tex. 33. & 34.
alijsque in locis, ex nihilo nihil fit; at si hæc anima,
vt cæteræ, producatur ex materia, materialis item
erit in eandémque materiam dissoluetur aliquan-
do. In 3. libro eiusdem operis, & in 1. de cœlo,
nullum actu infinitum dari ostendit, neque in ma-
gnitudine, neque in numero. At cum is æternum
posuerit mundum in 8. libro Physicorum, si ani-
mæ nostræ immortales essent, infinitus earum
nunc extaret numerus. In 6. Physic. tex. 32. quid-
quid mouetur, partibile demonstrat esse oporte-
re; neque impartibile posse, loco præsertim, mo-
ueri. Oporteret autem immaterialem & impatibi-
lem animam loco moueri, vt separaretur à corpo-
re. In 8. Physic. tex. 15. Anaxagoræ intellectus di-
citur esse inordinatus, si post infiniti temporis quie-
tem ac cessationem incepisset mouere. At non mi-
nùs inordinatam diceret intelligentem animam, si
breui tempore corpus moueret, postquam ab eo
separata semper quiesceret. In tex. 52. eiusdem li-
bri, Quod mouendo mouetur ex accidenti, corru-
ptibile est & mortale: anima verò, dum mouet
corpus, cum eo ex accidenti mouetur, vt est in
tex. 61. libri primi de anima: corruptibilis igitur est
& mortalis. Et si in tex. 53. eiusdem 8. libri ita is ra-
tiocinatus est; mouens est æternum, ergo & mo-
bile æternum: licet & nobis destruendo consequens
ita colligere; corpus, quod mouetur ab anima, ca-
ducum est, non sempiternum; ergò & anima ca-
duca est, non sempiterna. In 1. libro de Cœlo tex.
126. nihil potest esse incorruptibile, quod aliquan-
do inceperit esse: anima verò incipit esse simul
cum corpore, 12. Metaph. tex. 16. Præterea in 2.
lib. de Cœlo tex. 18. nihil, quod sit præter naturam
& violentum, potest esse perpetuum & sempi-
ternum: anima si separaretur à corpore, præter
naturam esset & violenter, cùm sit essentialiter for-
ma. In 1. lib. de anima tex. 12. & 13. hanc certam
constituit regulam, qua cognoscatur, num anima sit
à corpore separabilis nec ne: Si intelligere est phan-
tasia vel non sine phantasia, separati non potest; at
in tex. 66. intelligere corrumpitur & marcescit alio
intus corrupto; & tex. 30. & 39. libri 3. intellectio
nostra necessario indiget Phantasmatibus: conse-
quens igitur fuerit eam à corpore separari non pos-
se. In 2. lib. eiusdem operis tex. 4. & deinceps, ani-
ma est essentialis actus & perfectio corporis: sed
actus & perfectio essentialis est inseparabilis. Vt
enim ratiocinabatur Alexander, si separetur cuius-
nam erit actus & perfectio? Porrò in tex. 20. lib. 3.
solus intellectus agens dicitur esse immortalis &
perpetuus, velut abstracta substantia, sed intelle-
ctus passiuus corruptibilis est, & sine hoc nihil
intelligitur. In libro de longit. & breuit. vitæ cap.
2. duobus modis interire potest scientia; aut à con-

trario abolita, obliuione aut deceptione; aut pereũte subiecto: scientiarũ autẽ subiectũ sola est intelligẽs anima. In 7. lib. Metaph. t. vlt. compositò dissoluto nihil remanet, nisi materia partesue materiales. In 12. libro t. 30. quoniã intelligentiæ sunt sempiternæ, eas colligit in materia non esse: iam consequente destructo, quoniam anima nostra est in materia, licebit concludere sempiternam eam non esse. In eodem etiam loco, & tex. 48. nullas abstractas admittit substantias, quæ aliquem orbem non vertant; quoniam essent otiosæ: & plurimæ, immò innumerabiles, forent, si animæ intelligentes à corpore abiunctæ subsisterent. Atque in tex. 39. Deum & intelligentias separatas degere ait optimam & fælicissimam vitam, quæ breuissimo tempore nobis conceditur. At si anima nostra immortalis esset, sempiterno tempore, totóque æuo concederetur. Denique in 1. libro. de moribus ad Nicomachum cap. 11. mortui nullum habent sensum eorum, quæ apud nos fiunt. Et libro 3. cap. 6. homini mortuo nihil ampliùs neque bonum neque malum esse videtur. Immò verò obseruauit Portius vias omnes & rationes, quibus Aristoteles in cognitionem substantiarum abstractarum ductus est, non solùm non conuenire, quin repugnare potiùs intelligenti animæ. Triplici namque illas via in 8. Phys. & 12. Metaph. inuestigauit: ex æterna & constanti operatione perpetuóque cœlorum motu: ex eo, quòd sunt aliorum principia à quibus omnia pendent: ac demum quoniam esse oportet aliquid, quod nec per se, nec ex accidenti moueatur. At intelligens anima neque vllam habet constantem ac perpetuam operationem; neque materialium aliorum entium principium est; immò ipsa de nouo producitur, atque à primis illis entibus pendet: ac demum ex accidenti mouetur cum corpore. Ex quonam igitur tandem principio colligere is potuit immortalem eam & sempiternam esse.

Quinam fecerint immortalem.

Contrà verò plurimi semper pro animorum suorum immortalitate pugnarunt. Mirorque magnopere Tullium in 1. Tuscul. scripsisse, Phærecidem Syrum, qui Seruio Tullo Regnante vixerat, primum humanos animos immortales esse dixisse. Namque ante illum id senserunt Hæbræi, Ægyptij, atque Caldæi. Ac de Esseis apud Iudæos confirmat Porphyrius in 4. libro de abstinentia ab esu carnium: & de Chaldæis inter cæteros Pausanias in Messenicis libro 4. Sed & Trismegistus Mercurius in Poëmandro cap. 1. Solum hominem dixerat ex vniuersis terrenis animantibus duplicis esse naturę; mortalis propter corpus, & immortalis propter hominem ipsum substantialem. Et cap. 2. nullum voluerat cum homine, qui nullos genuisset filios haberi comericum; sed illius infælicitatis misereri, quem grauis post interitum maneat mulcta. Et ca. 8. « immortalis inquit anima. Et ideò corpore dissoluto animam ait ad supera remeare: ac primæ quidem sphæræ crescendi & decrescendi officium reddere; secundæ autem machinationem malorum otiosumque dolum; tertiæ otiosam concupiscentię deceptionem; quartę imperiosam & inexplebilem; quintę profanam arrogãtiam & audacię temeritatem; sextę occasiones diuitiarum prauas; septimę mendacium insitum; tum animum his extutum ad octauam reuerti naturam: vnáque cum ijs, qui illi sunt, laudare partem ac Deo frui. Et cap. 10. homi- « num immortales animi in dęmones transeunt, deorum in Deorum chorum fęliciter euolant. Et mun- « cere exempta, aut mens, aut Deus efficitur. Impia « verò in propria natura remanet, ac seipsam cruciat, « corpúsque quęrit, quod ingrediatur, &c. Et in « Asclepio cap. 1. omnis humana immortalis est ani- « ma. Et cap. 3. diuinam hominis partem appellat. Et « cap. 4. 6. & 8. hominem ait ex animo & corpore, « idest ex ętterna & mortali natura, conformatum « esse. Et cap. 10. cùm inquit, à corpore discedere, « arbitrium examenque meritiillius tranilliet in ani- « mi dęmonis potestatem. Isque eam, cùm plane « stámque peruiderit, in conuenientibus locis ma- « nere permitter. Si autem vitiorum maculis infe- « ctam, desuper ad ima deturbans, procellis, turbi- « nibúsque aëris, ignis, & aquę sępè discordantibus « tradet: atque inter cœlum & terram mundani ha- « ctibus in diuersa semper ętternis pœnis agitata ru- « ptabitur: vt in hoc animę obsit ętternitas, quod ir « immortali sententia ętterno iudicio subiugata.

Pernetus est & Chaldaicum illud oraculum,
Accelerare opus te ad lucem & patris splendorem,
Vnde tibi est animus multa indutus mente.

Quod explicans Psellus animam scribit non ex hominibus accepisse substantiam, neq. corporis temperamentis subsistere: sed à Deo superne habuisse esse atque huc descendisse, deberęque ad illum conuerti & rursum ascędere. Philo quoque absolutionem dixit esse aut radium à Deo. Oraculum Apollinis, particulam. Tullius deceptum ex diuina mente, nec eius originem in terris extare. Aratus, quem S. Paulus citat in lib. Act. cap. 17. « Ipsius enim & genus sumus. Et Pythagoras, Ante, « namque genus diuum mortalibus extat quam ob causam corpus quidem suum dictitabat quandoq. morti cessurum; animum verò quasi ex ipsius corporis funere euolaturum, à morte pariter ac leuęctute immunem. Hócque principio animarum in alia atque alia corpora migratio mittebatur. Et Aristoteles diuinam mentem vocauit, quę sola formęcùs adueniat. Verùm de Aristotele post.

Sanè temporibus omnibus fuit animi nostri cognita dignitas & quasi per manus tradita à Moyse & Hebræis, ad Ægyptios & Caldæos, indeque ad Græcos traducta. Phocylides inter priscos illos vates, qui ante Philosophos floruerunt, corpus inquit sumptum est ex terra, sed viuunt animi semper sine morte, senectáque. Quod ex sybillinis carminibus eum habuisse auctor est Suidas. Addit, Defunctis supereſt vita, & Dij deinde creantur. Et rursum; Incorrupta manet anima, nam luce carentum. Quin etiam à Sybillis edoctus resurrectura prędixit corpora, vel animã ab hac vita migraturam ad alia. Sic enim loquitur.

Atque breui è terra speramus scandere ad auras.

Atque breui è terra sperămus scandere ad auras. « Epicharmum quoq. vetustissimum Poëtam de immortalitate idẽ sensisse testatur in 4. libro Stromatum Alexandrinus Clemens. Si pietatem, inquit, animo coluisti, defunctus nihil patieris mali: surrium « in cœlo permanet spiritus; & quæ sequuntur. Atque omnino de Pindaro, cæterisque Poëtis testis est in Menone Plato. De Pythagora certum est, quòd animarum in diuersa corpora migrationem posuit. Alcmeonem confirmat Aristoteles in 1. huius operis lib. tex. 32. immortalem fecisse animam, quòd immortalibus

immortalibus similis sit. De Anaxagora & Diogene Io. Franciscus Picus lib. 1. examinis cap. 14. De Stoicis ex Laërtio, Epicteto, Ariano, & alijs videtur satis constare. Sed obseruat Plutarchus lib. 4. de placitis Philosophorum cap. 7. animam eos putasse non interire quidem cum corpore, quin tempore multò superstitem esse; debilitari tamen subinde, ac tandem interire animas ineruditorum hominum, sapientum autem ad vniuersi vsque exarsionem durare. Seneca quidem homo Stoicus mortalem eam visus est facere loco ante notato: sed Augustinus Eugubinus lib. 9. de perenni Philosophia cap. 12. & 13. eum ostendit immortalitatis assertorem. Plutarchus immortalem planè fecit in libro de sera numinis vindicta, & in oratione consolatoria ad Appollonium, Et in libro de Romanorum fortuna, & in consolatoria ad vxorem, & alibi. De Platone nihil certius; modò quis apologiam Socratis legerit apud ipsum, à Phydonem, Phedrum, Timæum, libros de rep. & epistola, præsertim ad Syracusanos: & Plotinum in lib. de anima, & præcipuè in libro de eius immortalitate, & Proclum in Timæum, Alcinoum cap. 18. institutionis ad eius doctrinam, & Marsilium Ficinum, tum in eos Dialogos, quos nominaui, tum oratione quarta in Couiuium cap. 3. tum in corpore de Theologia Platonis, & Bessarionem lib. 2. aduersus hominis calumniatorem cap. 7. & lib. 3. cap. 22. & Iamblicum, Porphyrium, Chalcidium, Numenium, Speusippum, cæterósque Platonicos. Quin etiam Xenocrates & Speusippus sentientem quoque animam, & Numenius ac Plotinus vegetantem etiam immortales fecisse dicuntur.

Platonica argumenta.

Sic enim in Phædone ratiocinatur Plato. Philosophari nil aliud est, quàm animam à corpore separare: anima igitur separabilis est; alioqui frustra laboraret Philosophus. At nunquam perfectè in hac vita separatur; & ideò nec perfectè vnquam scimus: aliquando igitur eam perfectè separari oportet; vt perfectam consequamur. Deinde scire nostrum nil aliud est, quàm eorum reminisci, quæ antea sciebat anima, corporisque mole obruta oblita erat; vt ostendit Socrates Pusionem interrogans Geometrica non igitur cum corpore nata est anima; sed ante illud fuit, postque illud erit superstes. Tum verò quidquid fit, ex contrario fit; & vt mortuum fit ex viuente, ita viuens fieri debet ex mortuo: post corpus igitur mortuum anima superest viuens, eáque rursum ad aliud corpus migrante fit ex alio mortuo aliud viuens. Post, homo anima constat & corpore: corpus partibile est & dissolubile, & ideò mortale, quia ex elementis concretũ est: anima impartibilis est & indissolubilis, eiusdẽq. cũ idæis naturę: quia nihil in ea permistũ & cõcretũ, nec vlla eius in terris origo reperitur. Naturis enim hisce nihil ineſt, quod memoriæ, mentis, & cogitationis vim habeat quòd præterita aut futura prouideat, aut complecti præsentia possit. Cœlestis igitur est & diuina, ob eámque rem æterna. Præterea in rerum omnium contemplatione solet anima se se ad ideas referre, quæ semper eodem modo se habent; etsi vratur sensibus, qui circa res singulas fluentes & caducas idearum participationes versantur. Duo ergò sunt rerum genera. Vnum aspectabilium continenterque labentium: alterum inaspectabilium & eodem semper habentium modo. Corpus nostrum primo generi simile est & cognatum, & ideò mortale: alteri anima, & ideò immortalis eadémque semper persistens. Quò fit, vt dum anima ad cõsiderandum quidpiam socium sibi assumit corpus, trahatur ab illo ad ea, quæ nunquam eodem modo sunt, atque aberret ipsa, perturbetur, & quasi vacillet ebria. At quoties ipsa per seipsam excogitat, confert se ad purum, immortale, eodem modo se habens, sibique cognatum, & circa illud semper absque errore versatur. Constat etiam animam corpore præstantiorem esse illique præesse, & imperare; sicut diuina mortalibus præsunt & imperant: diuinitatis igitur cuiusdam, & immortalitatis participem eam esse necesse est. Si enim corpus post animæ recessum non statim perit, sed integrum potest ad multos annos conseruari; animam diuiniorem naturam credendum non est ipsa separatione statim dissolui, sed in alium potiùs locum migrare; & vt Plato loquitur, ad bonum sapientémque Deum; si vt par est, præfuerit corpori; sin minus, ad inferos, vt sit in luto. Postremo animæ, ceu vitæ, opponitur mors: at vnum contrarium non potest suum contrarium fieri: anima igitur mori non potest.

In decimo autem de rep. libro hac fermè ratione vitur. Cuiusque rei interitus & corruptio à malitia & prauitate illius oritur. Neque enim quod bonum est, quidquam destruit; neque rursus id, quod nec bonum est nec malum. Immò si cuipiam rei malum aliquod insit, quod deteriorem quidem efficiat, dissoluere tamen non valeat; non propterea interibit. Animæ verò malum est in iustitia, intẽperantia, timiditas, inscitia, & eiusmodi alia, quæ tamen animam non dissoluunt, vt non sit anima: sicut morbus, malum corporis, ita illud liquefacit & dissoluit, vt penitus non sit corpus. Quod si proprium cuiusque vitium & malum adferre non potest interitum, multò minùs adferet alienum. Erit igitur anima immortalis, etsi purgatione indigeat, vt ab illis separetur malis: quã pulchrè in Phedone docuit esse illi necessariam, si cum illis malis ex hac vita decedat.

Sed in Phædro illud adfert argumentum. Anima mouetur à seipsa: est igitur immortalis. Quod enim à seipso mouetur, semper mouetur, quoniam nunquam seipsum deserit. Nam propterea quod mouetur ab alio, potest aliquando non moueri, quia potest ab eo deseri. Anima vero propterea est per seipsam mobilis, quia vitam habet in seipsa insitam, à qua operationes omnes oriuntur. Quare cùm ipsa nunquam seipsam deserat, vitam semper habebit & operationem aliquã. At corpus ex se inanimũ vitam nõ habet nec operationẽ, nisi ab anima: & ideo quia potest ab anima deseri, mortale est, & caducum, potestq. omni aliquando operatione carere. Hoc argumentũ exposuit etiã Tul. in 1. Tuscul. & alijs in locis, magniq. semper fecerũt omnes Platonici. Sed & attulit S. Athanasius in oratione cõtra Idola. Si anima, inquit, corpus mouet, nec ab alio mouetur, consequens est ipsam à se moueri, & postquàm terræ in humatum est, ipsam rursum à seipsa moueri. Non enim anima est, quæ moritur, sed ob eius discessum interit corpus. Si igitur illa moueretur à corpore, consequens esset, discendente motore ipsam moti. Quod si anima mouet corpus, multo magis necessum est sibi ipsam motricem esse: & quia à se mouetur, necessarium est, eam post corporis mortem viuere ac superstitem esse.

Hæ fermè fuerunt Platonis rationes. Quibus sanè aut parum omnino confecit, aut æquè ac huma-

nam animas omnes, vel etiam belluarum ac plantarum, immortales esse persuasit; vt S. Thomas deduxit in 2. lib. contra gentes cap. 82. & quamuis Lactantius Firmianus lib. 7. de diuino præmio cap. 8. conatus fuerit excusare Platonem, adiectione quadam sapientiæ in homine, ratione cuius potissimùm rationes eæ animæ ipsius immortalitatem, non item aliarum animarum, ostendant: verè tamen id non est satis; neque ex hominis rationibus colligitur. Sententiam igitur illius teneas, qua parte animam nostram immortalem esse asseruit; rationes prætermittas.

Peripateticis quoque immortale fuisse.

Eandem Aristoteli fuisse sententiam, hæc apertè ostendunt. Primum in tex. 12. & 13. libri 1. huius operis ex eo vult cognosci animam nostrã immortalem esse, si intelligere non sit phantasia, neque ab ea tanquam subiecto pendeat. Hoc enim eo loco agebat, dum quæreret, num omnes animæ affectiones sint animæ, corporique communes, an aliquæ solius animæ propriæ: & Themistius atque Philoponus illud (sine phantasia) hoc est sine ministerio, vsu, & instrumento corporis, interpretati sunt. At in tex. 65. intellectionem ostendit solius animæ propriam esse; quia non debilitatur, neque corrumpitur, debilitato aut corrupto corpore. Et in 2. libro de animalium ortu cap. 3. cum ea nihil habere commune corporis vllam actionem. Quocirca Philoponus in commentario illius tex. 13. & Simplicius in textum 66. exemplo gubernatoris in naui animam quoque nostram ostendunt duo habere operationum genera: has quidem vt in corpore, quemadmodum mouere corpus & viuificare: has autem vt ipsius proprias, ratiocinari & intelligere: quæ in seipsas retorquentur, inquit Simplicius, & nobiliora contemplari possunt, atque ipsius veri proprij perceptrices sunt; vt quæ omnem formam cognoscunt multasque proprietates in vnum quid impartibile contrahunt: Ac priores quidam inseparabiles esse, quia sine corpore constare nequeũt: posteriores autem separabiles, quod corpore non indigeant: atque ex his substantiam huius animę demonstrari separabilem esse affirmant.

2. Deinde in eodem tex. 65. intellectum ait idem Philosophus innasci nobis substantiam existentem quandam, & non corrumpi. Innasci autem Simplicius & Philoponus interpretati sunt non educi ex corpore materiave, sed aliunde aduenire, & in nos ingredi. Et tex. 66. impatibilem esse & diuiuius quid. Intellectum autem rationalem animam appellari, ijdem illi cõfirmant interpretes. Sed Philoponi verba ad textũ 65. prætermittenda non sunt. Sic enim habet. Intellectum penitus esse immortalem dicit Quapropter Alexander, cùm quæ ab Aristotele perspicuè dicta sunt, perspicere non posset, intellectum ipsum esse immortalem fatetur. Non enim aliam expositionem inuenit, quæ litteræ quadraret scopoque suo consonaret: & hic intellectum esse immortalem dicere Aristotelem fatetur eandem prorsus sententiam repetit idé interpres, eandémq. Alexandri cõfessionem inculcat in com. tex. 92. vbi Philosophus ne fingi posse ait quamnam corporis partem intellectus contineat.

3. Rursũ in 2. li. de animaliũ ortu c. 3. dũ exponit Philosophus quomodo anima producatur; an actione seminis educatur ex materia, an ad corpus aliunde accedat; cæteras quidem animas respondet à semine ex materię potestate produci, mentem autem A forinsecùs aduenire, solámq. diuinam & separabilem esse. Verùm in vtroque etiam loco necessitatur argumentis. In altero; quoniam non debilitatur in senio, quemadmodũ cæteræ facultates corporeę; sed viget magis. In altero, quoniã operationē habet abstractã, in qua nihil habet cõmune corpus, corporisue instrumentum. Ex quo illius quoque substantiam consequens est à corpore abruptam esse, & ideò ab eo separari & absq. illo operari posse.

Verùm in 10. libro de moribus ad Nicomachum cap. 7. & 8. an non intellectum in nobis affert diuinum quidpiam esse, atq. ex ijs, quæ in nobis sunt, diuinissimum? Quare duas fecit hominis vitas, duplicem operationem, fœlicitatémq. duplicem. Alteram quidem vitam hominis, qua homo est & compositum quidpiam; atq. operationes quasdam, quæ illi hac ratione & in hac duntaxat vita conueniunt. In quibus, si ex virtute fuerint fœlicitatem attinuit posuit, de qua in 1. egerat libro. Alteram vero vitam & operationem, qua diuinum quidpiam est, mente & intelligentia præditus. In quibus theoreticam agnouit fœlicitatem, de qua eo loco differebat: eámq. in clara & perfecta Dei & abstractarum substantiarum cognitione posuit. Hanc habere nunc non possumus, dum intellectus noster sensuum & corporis mole obrutus est, vel vt vespertilionis oculus ad lumen diei, vt est in 2. lib. Metaph. tex. 1. Alteram igitur esse oportet illius conditionem, qua intus à corpore purioren habeat, sinceramq. mixtæ operationem. Apertissimus est hic locus. Si enim anima interiret cum corpore, nunquam homini suũ ac theoreticam hãc fœlicitatem consequerentur, eámq. nobis fœlicitatem proposuisset Philosophus, qua potiri nunquam possemus. Quod vero duplicem cum hominem fecit, & secundùm compositum & secundùm mentem, duplicemq. eius vitam: mirè cè cum eo consentit, quod Trismegistus & Plato antea tradiderant. Vterq. enim alterum hominum mortalem fecerat propter corpus, alterum immortalem propter animam. Et Plato item in Timæo duos eius dixerat creatores, animæ suprenum Deum, corporis Dæmones seu minores Deos.

Apertissimis hisce Philosophi locis alia possunt plurima subijci: in quibus lectorem velim obseruare, aut conceptis verbis immortalem intellectum dici neque cum corpore interire; aut immortalem existere, inorganicum, minimèq. permixtum cum corpore; ex quibus necessariò consequens est immortalem eum esse. Contrà in nullo eorum, quæ ab aduersarijs afferuntur, dictum vnquam fuisse mortalem eum esse, aut pronuntiatum quidquam, quod cum eo sit necessariò coniunctum. In primo igitur libro de anima tex. 49. melius est, inquit, intellectui non cum corpore esse. Quæ verba ad ostendendum quamlibet rationalem animam à corpore separabilem esse Simplicius admonet pertinere. Laboriosissima enim res esse videtur, inquit Themistius, detineri animam arceriq. corpore tanquam neruis & vinculis: cùm solura corpore & melior futura sit, & suis opibus vti liberiùs & vegetior possit.

In tex. 82. Impossibile est aliquid esse intellectu melius. Rationi enim maximè consentaneum est hunc antiquissimum esse & natura dominum. Nihil mirum quia separabilis est, inquiunt Simplicius & Philoponus, qui propterea his verbis Philosophum dicunt rationalem animam separabilem esse docuisse. Omnes namq. intelligens est immateriale & abstractum.

abstractum; & ideò tum dominatur materiæ, tum ab ea separabile est.

7. Huic autem simile est illud in tex.6. libri 3. vbi intellectum deducit impermistum cum corpore esse oportere, vt dominetur, & intelligat omnia. Si enim sensus alligatus materiæ non nisi res materiales & singulas potest cognoscere: intellectum necesse est immaterialem & abstractum esse, vt immateriales quoque vniuersas, & abstractas comprehendat. Sermonem autem esse de intellectu, qui animæ nostræ facultas est, tum interpretes consentiunt, tum ex tex. primo manifestum est, vbi de intellectu, quo anima cognoscit & sapit, dicendum proposuit. Non ignoro respondere quempiam posse, humano intellectu diuinum esse meliorem, dèq. hoc in memorato tex.82. sermonem esse. At præterquam quòd de intellectu illo agebatur, qui facultas est animæ; meminisse oportet verborum, quę in 10. lib. Moralium ad Nicomachum extant cap.8. intellectum nostrum θεοῦ συγγενέσατον, propinquissimum & ex eodem genere esse; quodq. de illo pronunciatur, proportione quadam de hoc quoque intelligi oportere.

8. Sed & in tex.92. eiusdem primi libri de anima aduersus Platonem disputans, qui animam intelligentem ponebat in cerebro, illud obiecit; Ne fingi quidem posse quamnã partem & quomodo intellectus contineat. Quare manifestum est, immaterialem eum esse, incorporeum, inorganum, inextensum, & immortalem. Et verè Themistius ac Philponus animam nostram immortalem & separabilem esse ex hoc loco demonstrarunt. Aq. Temistius quidè Aristotelem adnotauit in eo cum Platone consensisse, quòd immortalem esse vterq. intellexit verùm discrepasse in eo, quòd eam alter in prima hominis „ molitione in habitaculum proprium condidit, alteri forinsecùs accedere visa est. Philoponus autem Alexandrum obseruauit, cùm non posset hunc locum effugere, nec haberet quidquam, quod responderet. (non enim loquitur Philosophus iam de intellectu diuino; sed de eo, qui pars animæ est silentio eum præterijsse. Manifestè, inquit ille, per hæc „ intellectum à corpore separabilem dicit: quod si „ hoc, immortalem quoq. eum esse fatetur: quod & „ ipse sæpenumero dixit, & nos huiusce rei vsus in „ proœmijs proposuimus. At Alexander hoc in loco „ cùm penitus dubitauisset, quid esset huiusce consi„ derationis propriũ dicere, silentio locum præterijt.

9. Porro in tex.11. libri 2. idem ipse Aristoteles quasdam animæ partes à corpore separari haud posse affirmauit, quod actus sint ab eo pendentes: alias tamen posse, quod nullius corporis actus ita existant, vt ab illo pendeant; quod actus per se subsistens sit, minimeq. ab eo pendentes, cuius actus sunt. Prioris generis actus certũ est vegetantẽ ac sentientẽ animas esse: ad posterius autẽ intelligentẽ pertinere fatebũtur interpretes. Themistij namq. verba sũt illa, „ Nec tamen ratio vlla prohibet haberi aliquã animæ „ partẽ, quę à corpore absoluta sit: qualis ea, quæ neq. „ corporis totius, neque partis alicuius ita est actus, vt „ forma & figura ferri. Qualis videtur intellectus esse. „ Et Simplicij illa. Ex huiusmodi loquutione demonstrat, quo separabile esse animæ rationali cõpetit. Ac demũ Philoponus Alexandrũ quoq. testatur coactũ fuisse hoc loco dicere Philosophum videri dicere separabilem intellectum esse.

10. Persimilis locus est in t.12. in quo theoreticũ intellectũ scripsit aliud animę genus esse; atq. hoc solũ separari posse, sicut perpetuũ à mortali. Dèq. intellectu nostro, nõ de diuino, sermonẽ esse; ostendit aduersus Alexandrũ Philoponus, tũ eo loco, tũ in com. t.89. lib.1. Neq. enim de diuino dixisset Philosophus nihil adhuc manifestũ esse: quippe alterius generis eũ esse cõstabat; nec solũ separari posse, sed reipsa separatũ subsistere. Deinde manifestũ est de intellectu illo sermonẽ esse, qui animæ facultas est. Quoniam in t.19. dubitatio fuit proposita, nũ partes animę sint ab inuicẽ separabiles: & cum in t.20. de cæteris partibus respondisset, mox in t.21. de intellectu subiungit; eúmq. apertè ait aliud animæ genus esse; quod de intellectu diuino dici non potest. Meritò igitur Philoponus Manifestè, inquit, per hoc & esse alterius substantiæ intellectũ, & à corpore separabilem atq. immortalem demonstrauit. Siue enim de separatione à corpore siue à cæteris animæ partibus interpreteris; perinde immortalem eũ esse cõficies, quemadmodũ in illi⁹ loci cõmentario adnotauim⁹.

Iã in 3. lib. aggrediens de seorsim dicere, principiò dicendũ proponit de ea animæ parte qua anima cognoscit & sapit. Quo loco aliter de intellectus operatione loquitur, quã de cæterarũ animę partiũ operationibus loqui cõsueuerit. Cæteras namq. operationes coniũcto toti cõmunes neq. animæ, sed toti homini tribuendas esse voluit: vt perinde sit dicere irasci animam aut eiusmodi operari, ac si texere aut ædificare diceretur, quemadmodũ in tex.64. libri 1. exposuit. Hanc vero soli animæ attribuit; animã inquiens intellectu cognoscere & sapere, quod sola hæc animæ pars innascatur nobis, substantia per se existẽs; vt subiungit in tex.65. & diuinior quæpiã natura sit, in tex.66. neq. cũ eius actione cõmune quidquam habet corporis actio, vt est in 7. lib. de animalium ortu cap.3.

Deinde impatibilẽ eũ esse subiungit in t.3. Physica & corrumpente passione. Quæ verba ne ad agentẽ intellectũ detorqueres, sed de patibili accipiẽda esse intelligeres; adiecit illa verba (susceptricẽ autẽ formę & potestate eiusmodi). Quòd si impatibilis est, separabilis quoque & immortalis fuerit.

Quocirca in t.7. hoc nomine intellectũ à sensui separat, quod sensus à vehementiori sensili magnopere lædatur, ac dissoluitur, neque deinceps operari potest; intellectus autẽ perficitur magis atq. ad intelligendũ acutur à vehemẽti intellectili, meliúsq. postea intelligi cætera. Ex quo verè sensum conficit sine corpore esse nõ posse, sed cũ eo simul interire intellectũ vero separabilem esse. Intellectus, inquit, Simplicius, cũ sit ab omni corpore separabilis, nulla in re indiget mutatione aut corporis passione. Idcirco neq. impeditur ad cõtẽplationẽ inferiorũ subeũdã, cũ ex propria actione ea quoq. quę à præstantioribus deueniant, recipiat. Et Philoponus in Theoria tex.1. sensus corrũpitur ab excessibus, rationalis autem anima magis ab excessibus exercetur, quod immortalẽ eã declarat, neq. enim vnquã corrũpitur Et omnino ex hac sensus & intellectus differentia intellectus immortalitatem voluit demonstrari. 14.

Sed aliud eiusdẽ rei argumentũ est in t. 4. eo enim loco intellectũ probat Philosophus impermistũ esse oportere, hoc est ab omni materia réq. corporea separatũ, quemadmodũ inquiebat Anaxagoras, vt tanquã melior ac diuinior natura dominetur omnibus & intelligat omnia húncq. esse intellectũ patibilẽ seu patientẽ, statim addit in t.5. Pluribus hanc argumentationẽ in illius loci com. persequuti sumus.

» Nũc interpretũ audias verba. Rectè, inquit Themi-
» stius, Anaxagoras quasi somni abundus de intellectu
» sensisse videtur; cùm simplicem illam, sinceram, in-
» temperatúmq. diceret, & ab omnium rerum, quas
» cognosceret, natura communicatúq. alienum. Ita
» enim fieri, vt quàm facillimè omnia intellectu com-
» prehendantur, si nulla familiaris forma habeatur,
» quæ aditum cæteris tanquam peregrinis & aduen-
» titijs præcludat. Est enim, ait Simplicius, mutua quę-
» dam in formis oppositio, per quam quod ex quauis
» earum perficitur, impeditur ad receptionem aliarũ;
» cùm ea, quæ insit, obtrudat, & se se opponat omni-
» bus illis. Itaque concludit Philoponus, si vis intel-
» lectum intelligere omnia, eum à materia impermi-
stum præsupponere oportet. Si enim cum dixeris ex B
materia, eam non intelliget. Porrò argumentũ hoc
magnifecit idem interpres in Theoria t. primi, pro-
» priúmq. appellauit. Ostendemus, inquit, proprio
» quoq. argumento esse animam æternam. Si omnia
» intelligit anima est, æterna. Neq. enim si sit corpus,
» potest omnia intelligere: neq. si forma materialis,
» quæ instrumento vtatur corpore. Nam si eo vtitur
» instrumento, instrumentum non intelligit. Et alio-
» qui instrumentum confertilli, cuius est instrumen-
» tum; corpus autem animam impedit ad operan-
» dum: non est igitur eius instrumentum, Hæc illi
15. pro animæ nostræ immortalitate.

At rursum in tex. 6. probat Philosophus intelle- C
ctum incorporeum esse: tum quia si corporeus
esset, qualitatibus corporis afficeretur; atq. cum eo
simul calefieret & refrigereretur, quando celefit,
refrigeratur corpus: tum qui organo aliquo corpo-
rea ad operandam vteretur, quemadmodum vtitur
sensus. At neque corporeis afficitur qualitatibus,
neq. vllo vtitur corporis organo. Est igitur natura
prorsus incorporeus. Quòd si incorporeus est & in-
organicus, necessariò consequens fuerit, separabi-
lem eum esse & immortalem. Quòd neque à cor-
pore pendeat, sed liberam & solutam substantiam
habeat; neq. corporeis qualitatib' læsus corrũpatur.

16. In tex. autem 8. duo alia immortalitatis argumen- D
ta continentur. Alterum, quòd intellectum habitu
sibi ipsi dicat sufficientem ad operandum esse. Alte-
rum, quòd eum affirmet seipsum quoque intelligere
posse. Etenim si solus est sibi sufficiens ad ope-
randum, habet igitur operationem propriam, cum
qua separari à corpore possit & operari. Quippe hęc
fuit certissima in hac quæstione Philosophi regula;
si propriũ habet operationem, quam sine corpore
valeat exercere, separari vtiq. potest; si non habet,
non potest. Ac rursum si potest in seipsum redire,
seipsumq. intelligere, immaterialis igitur est, liber &
independens à corpore. Sensus enim materialis & E
cum corpore complicatus nullo modo nec vllo
vnquam tempore seipsum sentire potest.

17. Ex t. autem 12. multis modis hæc eadem immorta-
litas concludetur. Si intellectus, ait Philosophus,
» simplex est & impatibilis, nihilque cum vllo habet
» commune, vt inquit Anaxagoras; quonam modo
» intelligit, si intelligere patiquoddam est. Quia enim
» commune quidpiam est ambobus, hoc quidẽ agere
» videtur, illud autem pati. Primùm namq. si intelle-
ctus est simplex igitur immortalis: Simplicia enim
Aristoteli sempiterna sunt, quòd interitus principio
careant. Propterea rectè, inquit Themistius cap. 21.
» Anaxagoras intellectum simplicem esse & expertẽ
» materiæ arbitratus est. Deinde si impatibilis est
» physica & interimente passione (impatibilis autem
est, quia simplex & materiæ expers) incorruptibilis
igitur fuerit sempérque subsistet. Tum verò si nihil A
cum vllo habet commune, alienámq. à materialibus
omnibus rebus naturam obtinet; caret igitur mate-
ria, caret corruptionis principio, neq. ab vllainter-
mente causa potest extingui: quippe omnis corru-
ptio circa communem versatur materiam, & vt im-
materialia cuncta sunt sempiterna, ita & intelle-
ctus est. Denique in his omnibus consentit Philo-
sophus cum Anaxagora, quem constat separabilem
atque immortalem intellectum fecisse.

Deinceps in t. 15. Intellectus, inquit, est intelle- 18.
ctilis quemadmodum intellectilia; hoc est immateria-
lia. Quoniam in his, quæ sunt sine materia, idem est
quod intelligit, & quod intelligitur. Materialia ve-
ro potestate dicuntur intellectilia in t. quia eorum
forma abstrahi à materia debet. Intellectus igitur
immaterialis est; & ideò separabilis & immortalis.

At in t. 17. intellectum agentem differentiam fa- 19.
cit & partem animæ nostræ: eúmq. in t. 19. separabi-
lem, impermistũ, impatibilem, & in t. 20. immortalẽ
& sępiternũ proclamat. Quod si ita est, animáquo,
illã, cuius is facultas est, eiusmodi esse necesse fuerit.

Neq. prætermittendus est t. 45. posteriorisibi de 22.
ortu & interitu: in quo Empedoclem grauiter re-
prehendit, quod animam ex elementis constare cre-
didisset. Quoniã si ita esset, alias, quàm corpores,
affectiones atq. operationes non haberet. Iam vero
esse musicum, reminisci, & id genus alia, melioris
multo sunt, nec earum vlla corporea est. Quod in-
corporea & immaterialis est anima, erit & immor-
talis; vt iam sæpè deduximus.

Addendum etiam ca. 1. lib. 1. de partibus animali. 23.
Quo loco intelligentem animam, vt est intelligens,
ad naturalem Philosophum probat non pertinere
tum quia naturalis motus principium non est; sed
intellectionis, quæ diuinior existit operatio: tũ quia
non est generationis terminus, sed immaterialis &
abstracta substantia. Ex quo loco duo habemus.
Alterum, animam hanc habere sibi propriam ope-
rationem, quæ naturalis non sit, sed diuinior, ratio-
ne cuius separetur. Alterum, substantiam eius ma-
terialem non esse; ne inquá ex materia eductam, nec
ex ea pendentem; sed spiritalem, abstractam, & sub-
sistẽtẽ: & ideò immortalẽ atq. à corpore separabilẽ.

Et ca. 10. lib. 2. in quo hominem asserit ex omni- 24.
bus nobis cognitis animalibus diuinitatis esse parti-
cepem, aut certè omninum maximè. At quenam in
nobis, quàm in cæteris, maior diuinitas, nisi ex intel-
ligente natura, immateriali, abstracta & immortali
animæ nostræ?

Propterea in extremo tex. 1. lib. 6. Metaph. natura- 25.
lis Philosophus versari dicitur circa substantiam ple-
rumque ratione solũ separabilem. Sola enim intel-
ligens anima est, quæ reipsa quoque separetur.

Quocirca in t. 2. naturalis, inquit, est agere de om- 25.
ni anima, quæcũq. nõ sine materia. Quædã enim est
quę immaterialis est & abstracta natura: de qua si
nõ agit absolutè vt intelligens est, sed solùm per or-
dinem ad materiam, cuius est actus.

Et in 12. eiusdẽ operis lib. cũ in t. 16. dixisset nullam 25.
formã antecedere posse materiã seu corp', cuius sit
forma; subijcit hęc verba in t. 17. si autẽ aliquid po-
steriùs permanet, cõsiderãdũ est. In quibusdã enim
nihil prohibet: veluti si anima eiusmodi sit; nõ om-
nis, sed intellectus. Quẽ locũ vt apertè de formante
forma loquentem Alexander ipse de anima acuta
interpretatus est, solásque rationis expertes animas
mortales esse confessus est.

Denique

16. Denique vniuersa penè Philosophi doctrina moralis ac ciuilis niti videtur certissimo hoc immortalitatis fundamento: beatitudinémq. nostram in clara & intuitiua separatarum mentium cognitione versari voluit. Quam in hac vita, dum per corporis sensus cognoscimus, consequi nos posse negauit.

17. Illaque ipsa loca, quæ ex primo & tertio ad Nicomachum libro obijciebatur ab aduersariis, hæc imprimis confirmant. Dum enim mortuos nullum scripsit habere doloris sensum, neque ad illos ea pertinere, quæ hic apud nos geruntur, mortuos planè seu mortuorum animas putauit esse, quæ tamen sentiant nihil, quod careant corpore, in quo sensus omnis. Alioqui aperta est illa sententia: Videtur enim ex his, etiamsi pertingat ad ipsos quidquã, siue bonum, siue contrarium, exile quoddam & paruum id esse, vel absolutè & simpliciter, vel ipsis. Sin minùs, tantum saltem ac tale, vt neque fælices eos, qui non sunt, facere; neque eos, qui sunt, priuare fælicitate possit. Quibus verbis duo planè affirmat. Alterum est, mortuorum animas esse, atq; à corpore solutas subsistere. Alterum, mortuos propterea dici iis non affici, quæ hic geruntur, quòd aut nullum aut exiguum eorum sensum habeant, vt neque ex illis beati, neque miseri euadant. Aut cùm homo anima cõstet & corpore, bonum aut malum superstitis animæ non putauit is bonum aut malum hominis dici posse. Exponet homo Platonicus peripatetici nostri sententiam. Cùm apud Xenocratem in libro de morte doleret moribundus Axiochus, quòd bonis omnibus priuari morte deberet, putrescéreque & in vermes conuerti: grauiter illum his verbis reprehendit Socrates. Vt in rep. Draconis vel Clistenis nihil tibi contigit mali (tu enim non eras, circa quem esset malum) sic post mortem nullum tibi aduersum. Tu namque non eris, circa quem futurum sit malum. Id igitur cõsidera, quòd dissoluto eo, quod compositum fuit, animáq. in locum proprium abeunte; hoc, quod restat, terrenum & irrationale corpus, homo nullo modo est. Eadem enim modo Aristotelem quoque credendum est fuisse loquutum. Inde verò est, quòd tantopere timetur mors malúmq. maximum iudicatur, quoniam hominis dissolutionẽ adfert. Et quamuis à forti quoq. viro timeatur, eum tamen vult idem ipse philosophus pro patria mori. Quod sanè sustinere non deberet, si anima simul cum corpore interiret.

Plura fortasse veritatis amator, & qui nullius in verba iurauit, obseruabit lector. Verùm ex his, quæ hactenus commemorata sunt, manifestum est Aristotelem non solùm immortalitatis assertorẽ fuisse, verùm etiam demonstratorem. Demonstrationes autẽ fuerunt, tum à priori, tum à posteriori. A priore illæ. Intellectus est simplex substantia (cùm intellectum audis, intelligentẽ intelligas animam) igitur est immortalis & sempiternus. Intellectus est intelligens substantia, immortalis igitur & sempiternus. Intellectus est immaterialis; igitur immortalis & sempiternus. Intellectus non est cum corpore permistus, neque actus à corpore pendens, immortalis igitur & sempiternus.

Aristotel. demõstrationes pro immortalitate.

A posteriori autem hæ. Intellectus propriã habet operationem, in qua corporeo non vtitur organo, igitur cum ea separari à corpore potest & operari. Intellectus intelligit omnia, vel etiam materialia & corporea, substantiam igitur habet à materia corporeisque rebus separatã & liberam. Intellectus in seipsum redit, seipsúmq. intelligit, immaterialis igitur & spiritalis substantia est. Intellectus non calefit, neq: refrigeratur calefacto aut refrigerato corpore, neque vllis afficitur corporeis qualitatib. incorporeus igitur est atq; ab omni corporis conditione immunis & liber. Intellectus à vehementib. obiectis intellectib. non corrumpitur, quemadmodũ à vehementib. sensilib. sensus, sed cõfirmatur magis & perspicacior atque acutior ad intelligendum sit; immaterialis igitur & incorporea natura est. Intellectus imbecilliori facto corpore imbecillior nequaquam fit, neque senio debilitatur, quemadmodũ sensus & virtutes omnes, quæ per corpus operantur, incorporeus igitur est, incorruptilis, non pendens à corpore, & immortalis.

Itaque non verebor Eustratij ac Philoponi grauissimorum interpretum verbis vti. Quorum alter interpretationem facieris cap. sexti lib. 10. Moralium ad Nicomachũ eos affirmauit, qui Aristotelẽ dicunt animam nostrã opinatum fuisse mortalem esse, nihil prorsus dicere, Alter in commentario tex. 65. lib. 1. huius operis de anima, calumniantur, inquit, quicumq; Aristotelem rationalem animam mortalem dicere suspicantur. Et in com. tex. 66. dementes eos ait omninò esse, qui Aristotelem dicunt mortalem hanc animam esse iudicasse. Plotinus verò egregius Platonicus in libro de immortalitate cap. 11. neminem fore sanæ mentis, qui de hac immortalitate dubitet. Solus Alexander visus est mortalem facere. Sed & Philoponus ad textum 65. citatũ testatus est coactum eum fuisse immortalẽ fateri: extátq. locus ex comm. 12. li. Metaph. paulò ante indicatus. Et Augustinus Eugubinus in 9. lib. de perenni philosophia cap. 21. & 22. ex plurib. aliis locis illũ ipsum ostendit immortalitatis assertorẽ; solásq. corporeas animas fecisse mortales, τοῦ autem immaterialem, incorporeum, immortalem, & intellectum segregatum, impatibilem, & impermistum: eúmq; primum quidem agentem intellectũ fecisse Deum; sed alterum quoq. minùs primariè agentem esse in nobis, immortalẽ & ipsum. Et inter cætera Alexandri locũ adfert in 2. Proble. vbi bonas corporis temperationes ostendẽs bonas efficere naturales vires, bonásq. animæ operationes: Si quis, inquit, deprauato sit cerebro propter intemperiem, rationalis tamẽ anima per se immutabilis permanet propter immortalitatem. Sed quidquid sit de Alexãdro, etsi is solus secus sentiret, cæteri tamen in asserenda immortalitate consentiunt. Vt veritas hæc de diuina & immortali animorum nostrorum natura à Moyse & Hæbreis ad Ægyptios & Chaldæos, inde ad Græcos & alios omnes deriuata semperq. magis confirmata sit. Sapientérq. scripserit Plato, fidem, quòd animi nostri sint immortales, quòd post discessum à corpore viuant & vigeant, longè antiquissimam esse; vt ob vetustatem recipienda sit magis; non solùm quòd tot sæculorũ auctoritate sit confirmata: sed etiam quòd vetustiora sunt meliora, Dijsq. propinquiora. Antiquis enim sacrisq. sermonib. vt in epist. ad Dionis propinquos & familiares idem loquitur, adhibenda semper est fides, quæ animam nobis immortalẽ esse declarant. Et Aristoteles in primo lib. de anima tex. 49. intellectum esse sine corpore cõsuetum est dici & multis placet. Et Iullius, Vt Deos, inquit, esse natura opinamur, qualésq. sint ratione cognoscimus, sic permanere animos arbitramur consensu nationũ omnium. Hierocles autem Pythagoricus eos affirmauit, qui maximè velint mortalem esse animum, prudẽtes non esse ac sapiẽtes; sed impuros, scelestos,

Alexander immortalitatis assertor.

quiq. libidinib. & omni vitæ turpitudini se dederunt, neque humanam, sed bestialem degant vitam seque virtutem se amare doceãt, astutè potiùs, quam verè
» loquantur. Ita sanè est. Non enim, inquit, vult im-
» probus animam suam immortalẽ, ne ad conspectũ
» illius iudicis æqui torquendus pænis aduenìat: itaq;
» seipsum potiùs morte condemnatur. Hanc solam malorum medicinam inuenit, putare animã nostrã post mortem nihil fore, & anihilatione animã suam malitiam curat & solatur. Nullúsq. vt est apud Platonem in 12. lib. de Legib. potest Deum firmiter
» colere, qui animam immortalẽ esse non crediderit. Itaq. 10. de rep. lib. ita concludit; Quamobrẽ immortalem fore animã arbitrantes, talẽmq. vt mala possit
» & bona omnia sustinere, viam semper ad superiora
» ducentẽ sequemur, iustitiámq. cum prudentia omni
» ratione colemus: & nobis ipsis simus & Diis amici,
» dum hanc dicimus vitam. Et postquàm virtutis præ-
» mia reportauerimus, tanquàm positi victoria &
» triumphis, & hìc, in Millenario annorum itinere
» fæliciter habeamus.

Exponũtur Aristotelis loca cõtra immortalitatẽ.

Cæterùm exponenda & sunt Aristotelis loca, ex quib. mortalitatẽ aduersarij deducebant: non quòd vsquàm is eam significauerit, sed vt grauẽ ipsi aliquẽ sui erroris viderentur habere patronum. Quòd si ea conferantur cum illis, in quib. apertissimè immortalitatẽ & asseruit & demonstrauit, eos intelliget vnusquisq. non veritatis ac peripateticæ sententiæ cognoscendæ studio, sed vt eam obscurarent, minúsq. cautis lectorib. fucum facerẽt, ad philosophi scripta peruolutanda ductos fuisse. Namq. si in extremo 1. Phys. lib. naturalis philosophus de mortalib. formis agere dicitur, alibi propositionẽ eam interpretatus est, plerúmq. non semper, intelligendam esse. Initio enim lib. 6. Metaph. naturalẽ ait versari circa substãtiam ratione solùm plerúmq. inseparabilẽ. Et tex. 3. lib. 8. formarũ quasdã separabiles esse, quasdã nõ separabiles. Et tex. 17. lib. 12. formã quidẽ vniuersè superstitẽ non esse dissoluto coniuncto, aliquã tamen, nẽpe intellectũ, posse esse. Aut si physicã omnẽ formam corruptibilem & mortalem esse oporteat, erit quoq. intelligens anima: non absolutè & substantia sua, sed quatenus forma physica est, id est vt materiã format & dat esse corpori, illúdq. gubernat & mouet. Non enim hæc perpetua sunt, sed aliquando desinunt, animáq. à corpore separata potestate duntaxat, nõ actu est forma. Itaq. aliud est Aristoteli ψυχὴ λογική, aliud νοῦς, & omnis quidem ψυχὴ λογική, corruptibilis est & mortalis, quippe nulli est, quę perpetuò animat corporisq. perfectio sit, ne ea quidem, quæ intelligẽs, vt est. At νοῦς incorruptibilis est, & immortalis: animáq. intelligẽs, vt est forma physica ψυχὴ, & actus corporis, ciusdẽ cum animab. & formis cæteris generis est, eodémq. modo perficiẽs & dans esse corpori, eodẽ idẽ modo corruptibilis est & mortalis. Verùm vt est νοῦς, & immaterialis substantia, & intelligens, alterius nimirum existit generis, & tanquã perpetuum à mortale separatur. Quanquam & totales elemẽtorum formæ & cœlestis forma (si cœlum materia constet & forma) immo & illius accidentia objici possũt, quæ corporales formę nõ sunt. Deniq. respõderi posset physicã omnẽ formam, quæ verè physica sit, hoc est per physicum aquisita motum, corporalẽ itẽ esse: quoniam sua natura terminus mutationis est. Eiusmodi verò intelligentem animam non esse.

1. Phys. Eodem modo intelligenda sunt ea, quæ in 2. Phys. libro dicuntur, naturalem formã non nisi ratione separari posse, physica Mathematicis minùs esse abstracta, physicumq. de ijs agere, quæ sola ratione se-

A parantur. Aut enim plerúmq. aut ex maiori parte, hanc esse naturaliũ rerum conditionẽ asserunt: aut de physicis rebus vt physicæ sunt, non vniuersè & quouis modo, hæc omnia pronuntiantur. Neque intelligẽs anima separabilis est à corpore vt est forma naturalis, ve forma, sed vt immaterialis, intelligens, & subsistens.

Eadem posset esse responsio ad locũ ex 4. eiusdem operis libro propositũ. Verùm illud quoq. animaduertant aduersarij; propterea Physicum vocasse locũ non esse formam, quòd locus à locato corpore separetur, dum & multa in eodẽ sibi lóco succedunt corpora, & plura circa idem corpus mutantur loca. Forma verò aut nullo modo separari potest, aut B quę separatur, nõ ita separatur, vt incolumis res permaneat, quẽadmodũ separato loco permanet locatũ corpus. Hoc sibi Philosophum argumentatione illa voluisse, ex eo intelligas, quòd eodẽ argumento locum conficit materiã non esse: quia etsi ea separetur atq; abolita forma subsistat, non ita tamen separatur vt locus. Siue igitur materia separetur, siue forma, locus tamen neq; materia est, neq; forma, quia non ita separatur, vt incolumis res permaneat: sed intelligente anima recedente dissoluitur & perit homo.

Propositio autem illa lib. 3. de Cœlo, quã physica omnis substantia dicitur esse corpus, vel cũ corpore gigni, aut intelligẽda est plerúmq. ita esse, vt dictum C est. Quoniã præter rationalẽ animã est forma Cœli (si corpus illud ex materia & forma compositũ sit) & forma elementi in tota sua vniuersitate accepta: quæ sanè physicæ sunt, nec tamen generabiles, ve rationalis quoq; anima quoquo modo dici possit cum corpore generari, dũ cum eo per dispositiones à naturali agente productas coniungitur, illiúsq. ratione homo sibi símile dicitur procreare. Etenim materia quoq. generabilis dicitur & corruptibilis, dum ortus atq; interitus subiectum est, etsi substãtia ipsius oriatur nunquã nec accidat, neque corpus sit, & inter physicas tamen substantias numeretur.

Dixit sanè non semel, ex nihilo fieri nihil: non- D men intelligentẽ animam voluit ex materia educi: quippe omne intelligẽs immateriale esse non ignorauit. Propterea secus omnino, quã cæteras animas, eam produci, neq; actione seminis ex materia educi, sed forinsecùs aduenire, his ipsis verbis docuit in 2. lib. de animaliũ ortu, & innatci nobis substantiã per se subsistentẽ, in 1. de anima. Itaq. duo affirmare licet. Alterum, creationẽ, quam ex nihilo productio significat, propriè rei esse perfectè & integrè subsistẽtis ex nullo antecedẽte subiecto productionẽ, secut eductio ex materia est materialis, in existentiis, & extensæ formæ procreatio. Intelligentẽ autẽ animã neq; integrã & perfectè subsistentẽ substantiã esse, E neque materialẽ formã: Aristotelémq. illã vidisse ex materia educi nõ posse, neq. tamẽ iudicasse absolutè dici posse creari. Tum quia nõ est integrũ ens & perfectè subsistens. Tum quia dum hæc est productio duntaxat partis, suppositæ altera, visum illi non est esse productionẽ prorsus ex nihilo, etsi ex altera illa parte non producatur, sed in ea solùm suscipiatur & cum ea vniatur. Alterũ, ex intellectionis quidẽ conuersione in seipsũ & similib. cognouisse philosophi animam hanc immortalẽ esse, vt ea manifestè ostendunt, quæ autea cõmemorata sunt: duo tamen pernitus ignorasse, quòd ex sensib. philosophando affirmauerit, quòd ea non posset. A quanam inquã efficiente causa quoq. modo habeat à cor- & quomodo producatur: pore separata, vbi degat, quomodo intelligat, & alia,

alia, quæ ad eum ſtatũ pertinent. Fieri enim poteſt, vt de vna concluſione ſis certus, déq. aliis pluribus dubites, quæ cum ea coniunctæ ſint.

3.ph. & 2.de cœlo

Idem de infinito dici poſſet. Niſi & illud addatur, quod in 2. lib. fuit antea plurib. explicatũ, & rurſum poſt docendũ erit, cum in rebus ſolùm corporeis & permanẽtib. non in ſpiritalib. & ſucceſſiuis, infinitũ impugnaſſe. In ſpiritalib. namq. non numerus, ſed tranſcendẽs potiùs multitudo nominatur: eáq; non abſolutè, ſed ſecundùm quid & imperfectè infinita, quoniam præſenti tempore terminatur anima illa vltima, quæ nunc producata fuerit.

4.phyſ. 132.

Iam locus 6. libri Phyſ. accuratè aduerſus Alexandrum à Simplicio in propria digreſſione tractatur. Quare aut eam, quam dixit, explicationem habebit, philoſophũ in hac quoq. animæ ſeparatione à corpore dubiã atq; incertã habuiſſe ſententiã: neq; ſatis intellexiſſe, aut certè nobis nõ expoſuiſſe, quemadmodum ea ſeparetur. Nec enim ſenſus habuit in hac cognitione duces. Aut propriũ nullã difficultatem cõtinebit. Tum quia dum eo loco de phyſico motu ageret, de impartibili in quantitate rebúſq. materialibus loquebatur: non itẽ de impartibili immateriali, motúq. improprio & metaphorico. Tum quia eadem eſt de Angelorũ motu difficultas, quos tamen aliquo modo moueri conſtat, quam non eſt huius loci proponere. Sat fuerit intelligentẽ animã dixiſſe à corpore liberari, non quòd de loco ad locum moueatur, quemadmodũ vnum corpus ab altero ſeparatur: ſiquidẽ nec per ſe eſt in loco. Sed quòd deſinat formare corpus, &, vt loquitur Simplicius, non ſuſcipiat corpus eius ſplendoré, ſed per ſeorſim exiſtat aut in cœlo aut alibi, quòd aut ibi viſione Dei fruatur, aut diris hìc crucietur pœnis. Nam & angelos ita dicimus propter operationẽ de cœlo ad locũ moueri. Separationem porrò illã alteratio quidé aliqua antecedit, ſed ea corporis eſt, quod diſſoluitur, non animæ, quæ incolumis corpore deſtructo ſubſiſtit.

Vt anima noſtra deſerat corpus.

8.phyſ. t.15.

In 8. lib. ſanè intellectus Anaxagoræ inordinatus appellatur. Verùm de intelligẽte anima reſponderi primùm poteſt, abſurdũ non eſſe inordinationẽ in aliquo individuo eſſe, modò in ſpecie vniuerſa non ſit: ſunt verò ſemper aliquæ animæ, quæ corpora formant & mouent. Deinde intellectũ illum inordinatum fuiſſe dictum, quia cùm eſſet aptus æterno mouere tempore, & mundus item mouere poſſet, nulla videbatur eſſe ratio, cur ſemper nõ fuiſſet motus. Verùm intelligés anima, etſi apta ipſa ſit perpetuò formare, mortale tamen & caducũ corpus formari ſemper nõ poteſt. Itaq; ſummus in eo cernitur ordo, quod eo tẽpore, formauerit, quo formari potuit, tũ verò ipſa corpore diſſoluto per ſe ſubſtiterit. Sed eſto: ſit in anima quoq. à corpore ſeparata inordinatum quidpiã. Nos diuinæ fidei lumine adiuti futuram inde ratiocinabimur noſtrorũ corporũ reſurrectionẽ, quib. animæ rurſum vniantur. Ariſtoteles autem dubius hæſit: nec tamen propterea negare voluit eam à corpore ſeparari, quod manifeſta & neceſſaria ratione concluſerat.

8.phyſ. tex.32.

Sed rurſum ex eodẽ lib. aduerſarij obijciunt, eam ex accidenti moueri corpore moto. At nuſquã pronuntiatũ reperient, formã eam, quæ mouendo mouetur, natura cõruptibilẽ eſſe, ſed ſolũ cõruptibilẽ eſſe mouẽdo, nec perpetuò mouere poſſe. Sic enim primum motorẽ ratiocinatur abſtractũ eſſe, ne moueatur ex accidenti, ſempiternóque poſſe mouere tempore. Humana igitur anima, quæ dum mouet, ex accidenti mouetur, corruptibilis eſt mouendo ſolùm, neq; ſemper mouere valet, ſed poſt aliquod tempus intermittens motum à corpore ſeparatur.

8.phyſ. t.53.

Idem ex altera illa ratiocinatione concludes, quia is colligit mobile eſſe æternũ, quia mouẽs æternum eſt. Quoniã, inquã, corpus noſtrũ mobile caducum eſt, verè mouentẽ quoq. animam, quatenus mouẽs eſt, caducã eſſe, ceſſaturámq. aliquãdo à motu confici es: non tamẽ omnino, cùm aliã habet operationẽ, ex qua eam ſemper permanſurã eſſe cognoſcimus.

1. de cœlo t.126.

De propoſitione autẽ illa, omne genitũ eſt corruptibile, nihilq. quod aliquando incæperit, eſt ſempiternũ, ab aliis multa fuerunt ſcripta. Sed vt paucis abſoluã, de illis intelligenda eſt, quæ generatione & phyſico motu incipiũt eſſe. Anima verò noſtra non ita incipit, ſed forinſecùs aduenit, vt idem ipſe Philoſophus aperta oratione pronuntiauit.

2. de cœlo tex. 18.

Illud quoq. criminantur, nullum violentum eſſe perpetuũ. At ea philoſophi verba de motu, & ijs, quę Philico & corporeo motu mouentur, pronuntiata fuerunt. Deinde anima ſeparata à corpore in violẽto ſtatu nõ eſt: quippe in tex. 49. li. 1. de anima: Meliùs eſt, inquit, intellectui ſine corpore eſſe. Quãuis enim quoquo modo ſit imperfecta, quia eſt dimidiata ſubſtãtia, cui vltima illa perfectio & integritas deſit, quam ex vnione cum corpore integriq. ac perfecti hominis conſtitutione accipit: omnino tamen conditio illa conformis eſt immateriali atque à corpore non pendenti naturæ, quę ſine illo apta eſt per ſe coliærere. In hoc tamen Philoſophum crediderim magnopere laboraſſe, aut certè nõ explicaſſe, quòd minimè ad naturalẽ philoſophũ ſtatus ille pertineret.

Anima ſeparata ſtatus nõ violẽtus.

2. de An. t.12. 13.

Cæterùm nihil eſt in hac tota diſputatione celebre magis quam illud primi huius operis libri pronuntiatum: Si intelligere eſt phãtaſia vel non ſine phantaſia, ſeparari non poteſt: eóq; præcipuè immortalitatis hoſtes abutuntur. Copioſè omnino fuit hic locus in propriis cõmentariis examinatus, ad quos lectorẽ remitto ac rurſũ poſt examinabitur. Paucis nunc reſpõdebo, ex operatione quidẽ velut propria operatione voluiſſe Philoſophũ intellectus naturã inueſtigari, cognoſciq. num ſeparabilis ſit nec ne. At ſeparabilem is collegit, atq; apertis verbis docuit, quemadmodũ ex ſuperiùs dictis manifeſtum eſt. Et Philoponus eo ipſo in loco illum oſtendit in 3. lib. multis aperte docuiſſe abſq; phantaſia intellectionẽ eſſe, quæ in expoſitione tex. 20. cõmemorat, ad ſeipſum conuerſionem, incorporeũ cogitationem, ad diuinam conuerſionem, vniuerſaliũ cognitionẽ, & omnino quæcumq. ſine ſenſu intelligit. Cùm autẽ intelligere dixit corrumpi & marceſcere alio intus corrupto, certũ eſt id eũ de huius vitæ intellectione pronuntiaſſe, in qua intellectus eſt actus corporis & operando vtitur phantaſia: cuius organo corrupto aut ſpiritu, intelligere non poteſt. Ipſum autẽ intelligere per ſe & abſolutè conſideratũ ſtatim ſubiũgit impatibile eſſe, quia nõ pẽdet à corpore vt ſubiecto quandiu eſt in corpore, cùm alioqui ſolius animæ propria ſit operatio. Huc etiãillud ſpectat, ſine phãtaſmate non intelligit anima. Et illud, cum contemplatur, neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod contẽplari. Vtrumq. enim ad intellectionẽ pertinet huius vitæ, in qua cum ſenſib. coniuncta eſt anima noſtra, & obiectũ, non ſubiectũ, ſignificat. Poſteriora enim verba interpretatio priorum ſunt: & quomodo ſine phãtaſmate non intelligat, declaratillud; Neceſſe eſt ſimul phantaſma aliquod contẽplari, hoc eſt intueri, inſpicere, & conſiderare, tanquã obiectum. Alioqui affirmauit alibi diuiniſſimã hanc operationem eſſe,

Intelligere vt marceſcat alio intus corrupto.

Phãtaſmata neceſſaria.

soliúsq. animæ propriam, in qua nec corporis actio commune quidquam habeat.

Actus duplex, separabilis & inseparabilis.

Alexander vero necessariũ ex animæ definitione duci credidit argumentũ. Sed respondérunt Philoponus ad tex. 65. lib. 1. alijq. graues interpretes, duplicẽ in tex. 11. actum significasse philosophũ, inseparabilẽ vnum, alterũ separabilẽ. Non est, inquit, manifestum, an anima sit corporis actus, sicut nauta nauis, hoc est separabilis, sicut nauta separatur à naui. Etsi enim vt nauta est, nõ separetur, quatenus tamẽ est homo, intellectionẽ habet operationẽ propriã, qua fungi sine naui potest. Et intelligens anima, vt anima est & corporis vita, non separatur: at vt intelligit, separabilis est. Separata verò dicitur adhuc actus & perfectio corporis, vel quòd antea fuerit, vel quòd natura sua sit apta semper esse, sitque ex accidenti & ob caduci corporis defectum, quòd actu non sit actus & perfectio.

3. de An. t. 20.

In tex. 20. lib. 3. quis sit intellectus passiuus, qui corruptibilis esse affirmatur, plurib. ibi dicetur, vbi ad eum locum interpretandũ venerimus. Interim si phantasiam esse cum Philopono dixeris, Aristoteli consentaneè loquutus fueris. Quòd si patibilẽ intellectũ omnino significari velis, is quoq; corruptibilis eo modo fuerit appellatus, quo in tex. 66. lib. primi marcescere dicebatur, alio intus corrupto; quoad præsentis vitæ operationẽ, in qua phantasia vtitur, aut spiritu: absolutè autem & natura sua impatibilis est & diuinum quidpiam.

Long. & breu. vita c. 2.

Hincilla quoq. exponuntur verba, quib. scientiã dixit, tum à contrario interimi, tũ illius interempto subiecto. Nã præterquã quòd exẽpli causa idfuit dictũ, vt duobus modis interire quidpiã posse doceret; vno modo per se, altero ex accidenti corruptione alterius: in exemplis autẽ nõ est quærẽda veritas, sed explicatio; vt scitè monet Auerroës in cõment. 67. li. 2. de anima. Respõderi etiã potest, scientiã dici interire interitu subiecti, nõ primarij, quod est intellectus; sed secundarij, quod est phantasia: quæ item pereunte negauit nos reminisci. Verũ nec de corruptione intellectus aut animæ, sed totius hominis sermo est: Corruptis, inquit, animalib. corrũpuntur & scientias, quæ in animalibus.

7 Metaph. t. 11.

Porro quod in 7. lib. Metaph. dicitur, dissoluto composito solã super esse materiã; intelligendũ est, ita euenire plerumq. Intelligentẽ namq. animam à generali propositione, tũ excepit alibi, cũ eã à corpore separabilem & superstitẽ fecit; tum in tex. 17. libri 12. eiusdem operis, quem in superiorib. etiam commemorauimus.

12. Metaph. t. 30.

Iam intelligẽtias cœlestiũ orbium motrices noluit esse in materia, nõ vt absolutè essent æternæ, quippe cœlum materiale est & æternũ, & materia æterna, & elementorum vniuersitates æternæ: sed vt motrices æternæ essent, nec motũ intermitterent vnquam. Si enim essent in materia, mouerentur ex accidenti; Fatigatæq. cessárent aliquãdo à motu. Vnde animã quidẽ nostrã colligas in corporis motu æternã non esse: quia cũ sit in materia, hoc est materialis huiusce corporis actus & forma, mouetur ex accidenti nec semper mouere potest, absolutè tamen & sua natura immortalis persistit.

Tex. 48.

Easdem illis intelligentias putauit fore otiosas, nisi mouerent. Tum quòd motus ille ad vniuersitatis huius perfectionem spectat. Tum quòd & ipsæ sunt aptæ semper mouere, & cœlum aptum semper moueri. At à corpore separata anima otiosa non est: Quia cùm interierit corpus, nihil habet, quod moueri possit. Sat est, si illud eo tempore mouerit, quo aptum fuit moueri. Quamquã iam dictum est, inter quæ ad conditionem animæ separatæ pertinent, fuisse Philosophum, & difficultatem quidem forsitè vidisse, at explicare minimè potuisse.

Dum autem intelligentias eas dixit fælicissimã degere vitam, quæ breuissimo nobis inest tẽpore: de vitæ huius totiusq. hominis fælicitate loquutus est. Ea enim breuissimo durat tẽpore. Nam est tum lib. de morib. ad Nichomachũ cap. 7. intellectui contemplationẽ scripserit maximè assiduã actionẽ esse, nósq. assiduè magis contẽplari, quàm operari posse. Tota tamẽ vitæ huius contẽplatio, si cum intelligentiarum contẽplatione cõparetur, breuissimi tẽporis est. At præter eam fore alterã perfectam magis hominis, sed separatę mentis, quæ perpetua est, manifestè cognoscitur ex illo ipso 10. Moralium libro. Deniq. ex iis, quæ ex 1. & 3. eiusdẽ operis lib. obijcibãtur, ostensũ iam est immortalitatẽ potiùs colligi.

Et quoniam contendebat quoq. Porrius nullum fuisse Aristoteli argumentum, quo immortalitatem concluderet: anima duertat primùm illud ab eo ipso commemoratũ, quod ex operatione ducitur, tum in cæteris formis, tum in hac inuestiganda fuisse illi familiare. Quid enim aliud est illud, si intelligere phantasia est, vel non sine phãtasia, separari non potest, quàm ex operatione propria aut cum corpore cõmuni separabilẽ aut non separabilẽ substantiã inuestigare? cùm autẽ intellectionẽ cerneret propriã esse illius solius operationẽ, non cum corpore communẽ, sed separatarũ mentiũ intellectioni persimilem, quàm multis modis, quámq. necessarius, animi eam separabilẽ esse confecerit, satis in superioribus dictum est. Ex motu id non potuit conflci, quoniam cœlorũ motus integrarũ est & perfectarũ substantiarũ: neq; hæc anima mouẽdis illis corporib. sed mortali huic nostro, cuius motus mortalis est, inseruit. Verùm certior & necessaria magis ex intellectione argumentatio: tum quod hæc sit propria intelligentis naturę operatio, vt intelligens est & immaterialis suáq. natura spiritalis & abstracta. Tum quia argumentum, quod ex motu sumitur, propositione illa nititur omne quod mouetur, ab alio mouetur: quæ maximas habet difficultates, in eáque stabiliendã Philosophus plurimùm laborauit.

Verùm enim verò cùm pleriq. omnes, jq. sapientiores philosophi, animæ nostræ immortalitatẽ estimarent, pudeat Christianũ hominẽ eã dicere esse? an quidẽ Christianæ decretis immortalem dicere, at ex philosophia naturali q. lumine mortalẽ esse cõcludi? neq. posse naturali ratione immortalitatẽ demonstrari. Quod nõ solùm Iandunũ, Petrum Pomponatium, Simonẽ Portiũ & recẽtiores nescio quos affirmasse video: sed etiam, quod magis miror, quãdã ex parte Scotum in 4. lib. sent. dist. 43. quæst. 1. Nam etsi is naturæ lumine mortalẽ esse concludi non dixerit, immortalem tamen demonstrari posse negauit.

Sanè vt mittam in Lateran. Concil. sub Leone 12. sess. 8. magnopere distinctionẽ illã condẽnari, quoniam verũ vero contrariũ non est, neq; naturæ lumẽ cum nostræ fidei veritate pugnat: si penè omnes antiqui Philosophi solũ naturæ ductũ sequuti immortalitatem cognouerunt, extremæ demum temeritatis est naturę illã lumine aut cognosci aut probati posse negare. Sed & S. Paul. in priore ad Corint. epist. c. 15. ita naturali ratione corporũ nostrorũ resurrectionẽ probauit, vt animorũ quoq. immortalitatẽ probauerit. Dum enim inter cætera illud adfert; Si in hac vita tantũ in Christo sperãtes sumus, miserabiliores

sumus

sumus omnibus hominibus, maximè immortalitatem persuadet aliúmq. animæ à corpore separatæ statum. Nimirum iudicans posse naturali ratione probari: neq; illa ratio tam resurrectionem, quàm immortalitatem probat. Atq; in superiorib. ostensum est, in libris sacris doceri animũ nostrũ immortalem esse, non solùm diuino beneficio & dono, sed suapte quoq. natura: quod autẽ sua natura est immortale, aliquas habet immortalitatis causas: quódque naturales habet immortalitatis causas, naturali lumine demonstrari potest immortale esse: quippe ex causis demõstratio conficitur. Quid autem illud est, quod in Lateran. Concil. illi dãnantur, qui mortalitatẽ ex philosophia demõstrari posse dicerent? Perinde nimirum est, siue ex philosophia mortalitatem demonstrari posse dicas, siue contra philosophiam aut naturalem rationem immortalitatem esse contendas. Quare non solùm qui priorem, sed & qui posteriorem propositionem asserant, damnati sunt. Est enim intelligens anima naturalis forma: quare necesse est naturaliter aut mortalitatem aut immortalitatem eius probari, quoniam alteram contradictionis partem veram esse oportet. Si igitur demonstrari mortalitas nequit, sed quæcumq. afferũtur rationes, facilè solui possunt, consequẽs est immortalitatẽ demonstrari posse. Postremò certũ est Theologorũ decretũ, nihil esse in Theologia religionéve Chsistiana, quod si supra philosophiã sit & naturam, contra philosophiã item & naturam sit. Atqui si mortalitas duce natura demonstraretur, contra illius lumen immortalitas esset. Quòd si hæc diuino fidei sacrorúmq. librorum lumine traditur, cõtra naturæ sinceræq. philosophiæ lumen esse non potest, sed hoc ipso immortalitas potiùs, non mortalitas, demonstrabitur.

Demonstrationes ex causa.

Demonstrationes verò aut ex causa ducuntur, aut ex effectu. Ex causa est illa. Intelligens anima est immaterialis substantia, spiritalis & incorporea, immortalis igitur & sempiterna. Omnium enim philosophorũ consensu, qui substantiã aliquã immaterialẽ cognouerunt, visa est hæc necessaria consequutio. Tum quia nullum est internũ interitus principium, nec contrarietas, quæ aliunde mortẽ possit inferre. Tum quia cùm eiusmodi substãtia non acceperit à materia vt sit, & ideò ab ea intrinsecè non pendeat; potest absque illa esse propriisq. virib. niti: neq; dum alteratur aut mutatur materia, afficitur simul & mutatur ipsa. Animã autẽ nostrã immaterialẽ esse ac spiritalem, multis modis cognoscitur ex effectu. Primùm quòd operationes habeat cum immaterialib. substantiis cõmunes, earũq. duntaxat proprias, intellectionẽ inquã & volitionẽ. Si enim operationes habet similes & cõmunes, ergo & substantiam habebit. Deinde quòd conuertat se in seipsam. Intelligit namq. & amat seipsã suásq. operationes: quod materialis nulla & corporea substãtia potest. Tum quòd operationem inorganicã & abstractã habet: quippe intellectio eiusmodi est sua natura operatio. Quod & ex intellectione Dei separatarúmq. mentiũ cognoscitur: & ex eo cõfirmatur, quòd nulla res materialis & corporea intelligit, immo dum materialia ipsa intelliguntur, abstrahuntur & separantur à materia siúntq. immaterialia: & omnino hæc duo sese mutuò consequuntur, omne intelligẽs est immateriale, & omne immateriale est intelligens. Præterea quòd res quoq. immateriales, & abstractas & vniuersas naturas intelligat & velit, nullúmq. habeat determinatum obiectũ, & omnia cognoscat & amet, vel etiã ipsum bonum vniuersè spectatum mentéq. à singulis entibus & bonis abstractum. Accedit quòd ratiocinatione vtatur ex noto ignotum colligendo. Atqui materialis nulla & corporea virtus intelligit, nulla in seipsam redit: quoniam educta est ex materia, & ideò immersa tota & extensa cum materia materiæq. quantitate, quę reditum non tolerat, qui partium vim, extensionem, & naturã ipsius destruit. Nulla sine determinato & constituto organo operatur, quòd ex materia organi educta & cum eo extensa, inhæret in eo, totáq. ab eo pendet. Nulla res immateriales, abstractas, & vniuersas cognoscit, sed materiales duntaxat & singulas, determinatũq. obiectum quodpiam habent omnes. Nulla deniq. ratiocinatur. Si igitur immaterialis est & incorporea intelligens anima, necessãrio consequens est, minimè illã à corpore materiáve pendere, corporisq. dissolutionem & interitum substantiam animæ non attingere: sed dissoluto atque interrupto corpore ab eo animam separatam subsistere & operari.

Ex causa item finali ratiocinari licet. Hominis finem certum est non in bonis corporis aut fortunæ positum esse, neque in vllare creata. Tum quòd cum bestiis hæc communia sunt; hominiq. conueniunt non per suam naturam, vt homo est & intelligens substantia, sed vt vegetat & sentit. Tum quòd in illis nunquam quiescit: & quamuis bonum aliquod diu optatũ assequatur, post adeptionẽ tamẽ meliora quærit. Quoniã autẽ naturalis appetitus naturam sequitur; si hominis appetitus in re nulla materiali quiescit, certum est immaterialem esse ipsius animam: quippe materialis appetitus non potest rem immaterialem quærere. Bona igitur animi quærit, atq; in illis est hominis finis. Aut inquam in bonis moralibus aut intellectilib. In bonis moralibus, hoc est in operatione virtutis, de qua in primo ad Nicomach. lib. Aristoteles, hominis finis esse non potest. Quoniã virtus mediũ potiùs est ad finem, quàm fipis: nec in ea sola perfectè quiescimus. Quam ob causam in 10. eiusdem operis libro alium coactus est Philosophus præstantiorem finem cogitare. Dum autem intellectilia bona cõgitamus, nullus finem in arte, prudentia, & scientia, poneret; sed in sapiẽtia potiùs altissimarũ rerum, earúmq. amore ac possessione perfecta. Hanc in hac vita satis non licet cõsequi. Vel certè quicumq. sit hominis finis (esse autem oportet præstantissimum quidpiam) eum non consequitur in hac vita; nec in re vlla animus eius perfectè quiescit; nec vllus vnquàm fuit omni ex parte contentus. Aliam igitur necesse est esse vitam, in qua finem is ac beatitudinem suam perfectè assequatur. Et hæ quidem ex causa demonstrationes sunt.

Demonstrationes actionib. mentis.

Iam ex affectu, partim ex actionib. mentis, partim ex operationib. voluntatis, demõstrationes sumuntur. Ex actionib. quidẽ mentis hæ. Prima, quòd mẽs nostra res immateriales & spiritales cognoscat; nullaq. corporea facultas possit res spiritales cõprehendere: est igitur spiritalis & immaterialis mens nostra. Ad hoc demonstrationis genus pertinet illud quoq. quòd & Deus & separatæ substantiæ mentis nostræ obiecto continentur, quippe omne ens cõprehendit. At in hoc corpore dum moratur, substãtias illas, quarũ desiderio summo tenetur, clarè ac distinctè non potest cognoscere: aliã igitur necesse est illius conditionem fore, qua sine corporis impedimento satisfacere suo desiderio possit. Etenim facultatem omnem oportet distinctè assequi omnes obiecti sui partes; vt in cæteris omnib. videas: alioquin facultas, tum desideriũ distinctè naturas illas immateriales cognoscendi, frustra essent in nobis. Huc etiam desiderium illud spectat, quo effectu proposito quærit mens nostra causas illius omnes vsq; ad primã: eáq; inuẽta necdum quiescit, sed illius naturam & vim omnem cupit cognoscere. Cùm igitur prima omnium causa sit Deus, cuius naturã & vim in hac vita non satis assequimur, aliam nobis superesse oportet.

Altera demonstratio est, quòd humana mens res vni-

uersè sumptas cognoscit; quod corporea & materialis nulla facultas potest.

Tertia, quòd seipsam suásq. actiones cognoscat: quod incorporeæ & immaterialis facultatis proprium est.

Quarta, quòd nullum habeat certum obiecti genus, sed intelligere possit quidquid est. Hinc enim consequens est corporeā facultatē non esse: quippe facultas omnis corporea certum habet & determinatum obiectum, quod solum & non aliud percipiat.

Quinta, quòd ratiocinatione & argumentatione vtatur: quo genere cognitionis nulla corporea facultas vtitur, sed omnino raciocinari atq; argumentari, hoc est ex vna re cognita ignotam aliam deducere, spiritalis naturæ proprium est.

Sexta, quòd intellectio, mentis nostræ operatio propria, potest, immò debet sua natura sine corpore exerceri, vt in Deo & separatis mentib. manifestum est. Sed & in nobis absq. corporis organo exercetur; nec in ea, vt inquiebat Philosophus, quidquā habet cōmune corporis actio. Quin corpus maximo potiùs est menti nostræ impedimento, dum nihil, nisi corporis sensib. & phantasia subministratum, intelligere potest. quam obcausam in rerū essentiis abstractisq. naturis cognoscēdis plurima difficultas. Propriā igitur hæc anima operationem habet, cum qua sine corpore possit subsistere, aliquandoq. eam oportet ita liberari à corpore, vt liberè suæq. naturæ congruenter operari queat. Sanè nos experimur eo meliùs intelligere, quo mens magis separatur & eleuatur à materia. Quod tum in scientiis perspicuum est, in quib. propterea vtimur abstractionib. vt philosophari nil aliud esse dixerit Plato, quàm animā à corpore separare: neq; nos perfectā in hac vita philosophiā assequi, quòd perfectè separare nō possimus, tum in extasi meliùs multò percipiuntur omnia, nec præterita modò, sed & futura, quod mens tunc quoquo modo discedat à corpore.

Septima sit demonstratio illa philosophi, quòd in Senectute morbisq. cæteris lædatur plurimùm & debilitetur corpus, mens non lædatur nec debilitetur, sed vigeat magis. Neq; à vehementioribus obiectis dissoluatur, quemadmodū sensus, sed reficiatur magis atq; ad intelligenda cætera robustior fiat.

Ex actionibus voluntatis.

Ex voluntate itē quę altera est animæ nostræ facultas, demonstrationes sumi possunt. Prima, quòd voluntas nostra sit libera, liberéq. agat, neq; creatū quidquā sit, quod vim illi adferre possit. Subest enim soli Deo, qui solus eam condidit, potéstq. eam determinare, at non omnino cogere. Libertatem hanc in nobis ipsis experimur, éstq; tam manifesta, quàm hominē esse animal ratione præditum. At præter quàm quòd spiritalia sola libertate fruūtur; nulla excogitari potest causa, cur anima nostra libertate sit prædita, nō autē motorū animæ; nisi quòd anima nostra sed intelligēs & spiritalis: ideóq. à naturalib. causis corporeis, sicut cæteræ animæ, non impellatur. Si autem spiritalis est, fuerit & immortalis. Huc etiā spectat, quòd ea seipsam primò mouet, estq. suarū actionū domina, neq; ad vnū quidpiā determinata, vt materiales cunctæ virtutes, sed ad plures & contrarias actiones indifferēs. Perinde enim ex his cognoscitur eam non esse materialem & corpoream vim vllam, sed diuinius aliquid minimè cum materia permistum, & ideò ab ea separabile.

Secunda, quòd humana voluntas resistat, aduersetur, contradicat, imperet, planéq. dominetur inferioribus appetitionib. naturalib. Non igitur materialis res est & corporea, sed superior natura. Nihil enim, inquit Philoponus ad tex. 65. lib. 1. aut contra seipsum, aut contra „ subiectum suum pugnat: anima verò corpori repugnat, „ cū sic affectus corde feras: non igitur in ipso esse habet.

Neq; aliam ob causam non possiunt bestiæ appetitus inferiores refrænare, nisi quia nullam habent partem animi partē. Ita Plotinus in lib. de præcipuis trib. substantiis cap. 10. Platonis illud interpretatur, quo animā iubebat à corpore separare, vt noluerit eam admiscere corpori, neque imaginationi consentire, neq; ob corporis commercium alienari à mente.

Tertia, quòd nihil, vt raciocinatur quoq. idem Philoponus, subiectū suum corrūpit: siquidē omnia cupiunt esse. At intelligens anima corpus virtute consumitur igitur in corpore habet esse. Nam si vlla esset materialis forma, quæ suo subiecto moliretur interitū, seipsam mul interimeret. Quod naturalis ille rebus omnib. insitus appetitus non permittit, quo singula salutē suā conseruationē omnib. quib. possunt, modis procurant. Atqui anima nostra macerat & affligit corpus, morigiberiter etiam interdum offert: incorporea igitur est ipsa, neque corporis morte moritur.

Quarta, quòd hæc ipsa voluntas immortalitem sustinere appetat nō generali illo modo, quo res omnes appetunt esse & conseruationē præsentē, sed formaliter desiderando semper esse. Nisi igitur frustra sit hic appetitus, potest nimirū anima nostra immortalitatē consequi & semper esse. Ad quod argumenti genus pertinet etiā appetitus honoris, gloriæ, & immortalis famæ post corporis mortē, nobis à natura, nō itē cæteris animalib. insitus. Animam namq. nostram testatur hic post corporis dissolutionē esse superstitem, ad quam honoris, gloria, & fama pertineant.

Quinta, quòd virtus non minùs homini sit naturalis, quàm ratio, siquidem virtus actio est rationi rectè conformis. Tollitur autē omnis virtus, si mortalis anima interéatq. cum corpore. Nam si ita sit, corpori solum & eius voluptatib. ac cōmodis indulgendū erit, neq; præterea curādum quidquā: neq, rationis rectè, sed sensū ductu viuendū: quod bestiæ faciūt. Itaq. in sacris literis perinde immortalitate sublata, ac sublato Deo virtus omnē perire obseruabis. Quemadmodū enim in Psal. 13. & 52. cùm dixisset insipientes in corde suo, Non est Deus, statim corrupti sunt & abominabiles facti sunt, non est qui faciat bonū, non est vsq; ad vnū. Ita prorsus cùm in lib. Sap. cap. 2. Negassent impij animū esse immortalē; ex hoc statim illud, quod erat consequens, deduxerunt; Venite ergò, & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura &c. Et S. Paul. in priore ad Cor. epist. cap. 15. Si anima non est immortalis, nihil esse deducit propter Christū & virtutē tolerandū, sed corporis indulgendū. Si ad bestias, inquit, pugnaui Epheſi, quid mihi prodest? Manducemus & bibamus, cras enim morimur. Inter cæteras porrò virtutes omnis fortitudo. Nisi enim anima sit superstes, quis mortē sustineat? Nonne quidlibet potiùs liceret agere, vt vitaretur mors?

Sexta, quòd hæc omnia sunt certa & naturæ lumine cognita. Primùm, hominē libertate prædītū esse, eaq. in suis actionib. vti, & ideò dignū esse præmio aut supplicio. Deinde, Deum esse, & habere omnū rerum prouidentiā. Tum verò eum esse iustū, & ad eum, qui cum iustitia prouidentiā habet, pertinere vt præmia reddat & supplicia iis, quorū curā habet, pro actionū dignitate & merito. At experientia manifestū est, & omnib. notum, in hac vita Deum debita præmia & supplicia non dare. Immò plurimi optimi viri cruciantur grauissimè, totámq. in summis ærumnis vitam traducunt, flagitiosissimiq. pleriq. omnib. fruuntur bonis. Aliam igitur necesse est superesse vitam, aliúmq. animæ statum, in quo præmia singuli aut supplicia suis actionib. cōgruētia reportent, vt Deum appareat iustissimū mundi administra torē esse. Hoc argumento ad immortalitatem persua-

persuadendam vsos fuisse legimus grauissimos viros; S. Ioann. Chrysostomũ in Homil. quarta de prouidentia, & Lactantium Firmianum lib. 7. cap. 10. immò & S. Petrum aduersum Simonem Magum, planéq. necessarium esse affirmasse, vt scribit S. Clemens Romanus in 3. recognitionum libro. Et hæc quidem ex voluntatis actionibus demonstrantur.

Quib. & illud accedit, quòd naturali lumine cognoscitur, verum vero contrarium non esse, sed magnopere consentire. Quare cum iam ex nostræ religionis veritate constet animæ nostræ immortalitas, necessariò consequens est eam naturæ quoque lumine cognosci atq; ostendi posse. Hæc demonstratio aduersus Ethnicum Philosophum, qui fidei nostræ veritatem non admittat, vim nullam habebit: sed apud eos, qui Christianam religionem susceperunt, séq; Christianos profitentur, habet omnino maximam.

Deniq. quemadmodum olim resurrectio probata est experientia, ita & immortalitas probari potest. Nam si quis à mortuis resurrexit, manifestum est animam esse immortalem. Resurrexisse autem aliquem non solùm de Christo domino ac seruatore nostro, ijsq. qui ad vitã ab eo reuocati sunt, certum est. Nam præter fidem, quam de Christo nos Christiani habemus, sacrarumq. litterarum auctoritatem, non minùs saltem id à quibuslibet concedi debet, quàm alia omnia concedantur, & tanquam certissima credantur ab omnib. quæ de quibuslibet rebus gestis narrantur in humanis historiis. Sic Christi quoque Apostoli eum scripserunt resurrexisse, séq. illum post resurrectionem vidisse, & cum eo dieb. multis egisse, aliósq. item præter ipsum plures. Verùm etiam in lib. 10. de rep. Plato Eremi Armenium in prælio occisum duodecima ab obitu die, dum Pyræ impositus esset, reuixisse, & quæ interim viderat, retulisse narrat. Eum Clemens Alexandrinus lib. 5. stromat, Zoroastrũ fuisse putat, eiúsq. de eadem re testimonium profert. Et Eusebius Cæsariensis, 11. lib. de præparat. Euang. cap. 18. præter illum Platonis locum adfert ex Plutarcho alium in primo lib. de anima, vbi Enarchum mortuum reuixisse narrat. Et hæ quidem omnes demonstrationes eiusmodi sunt, vt cuiuis possint satisfacere: neque magis efficaces ac necessarias in cæteris rebus, quę demonstrari putantur, facilè reperias.

Resurrectio ex prophanis scriptoribus.

Quàm verò leues eæ rationes sint, quę in superioribus commemoratæ mortalitatem aduersariis persuadebant, ex his manifestum erit. Animam hanc immaterialem esse & spiritalem substantiam, principio huius disputationis positum est. Verè enim immortalitatis principium est & causa. Eámque non ex materia educi, sed vt quidpiam conditione tota materiali melius, & vt quibusdam loqui placuit, pars diuinitatis nonnulla, aduenire forinsecùs antiquitas tota cognouit. Quippe vt homo hominem procreet, sat est, si actione seminis materiam disponat, formétq. corpus, & sit causa vnionis animæ cum corpore, qua coniunctum illud existat, quod hominem appellamus. Meliúsque ita fuit humanæ speciei prouisum, vt immaterialem & immortalem habere formam, quæ à naturali agente produci non posset: quàm si materialem & mortalem habuisset. Præsertim cùm Deus illius conditor maiorem, quàm agentia particularia, specierum omnium conseruandarum habeat curam, singulisque propterea desiderium & vim inseruerit procreandi. Neque huius formæ cum corpore proportio in eo quærenda est, vt materialis sit vel immaterialis, mortalis vel immortalis: verùm in eo potiùs, vt sit illius actus essentialis actus inquam eiusdem generis, qui vt corpus est potestate, tum adesse, tum ad operationes, ita & essentiam eius perficere valeat anima, & cum eo vnum ens per se & completum facere, & ens omnes operationes adferre, quarum habet corpus organa præparata: contráq. illud esse, quod anima est apta dare, corpus sit aptum susc ipere, atque operationes, quarum illa potest esse principium, hoc aptum sit iuuare & exequi.

Quomodo aduersò dandus sit organum.

Vt homo à mente gignat.

Quod autem à materialibus obiectis perficiatur, quid mirum? Sanè sunt entia & intellectilia. Et intelligentia quoque motrix cœli ab orbe materiali perficitur, vt mouens à mobili, sine quo imperfectissimam & otiosam eam fore Aristoteles censuit. Et ab accidente perficitur substantia, aliáq. perfectiora complura ab imperfectioribus perficiuntur. Ac demum separatas mentes, dum res materiales intelligunt, ab illis perfici doctissimi, primarijque Theologi consentiunt. Quid quod materialia in text. 16. intellectilia potestate esse dicentur, fieriq. debere immaterialia, siue per intellectilem speciem ex phantasmate separatã, siue per ipsius intellectus actum, antequàm actu intelligatur, & intellectum perficiant? Quare cùm esse intellectile immateriale quidpiam significet, entiáq. materialia quoque intellectum perficiant, vt intellectilia sunt, atque huius facultatis obiecto continentur, perficere illum dici possunt, vt quoquo modo immaterialia sunt, siue per intellectilis speciei repræsentationem, siue quoad esse cognitum ab intellectu, siue quoad ordinem & proportionem cum eiusmodi cognoscente facultate.

Intellectus vt materialibus obiectis perficiatur.

Porrò intelligens anima in sua operatione propria, intellectione & volitione, ab organo nullo corporeo pendet, vt à subiecto, quod immaterialem & immortalem naturam euidenter ostendit: sed solùm à phantasmate, vt ab obiecto & in prima sui obiectiacceptione, quoniam est corporis forma. Quare hoc essentialiter illi non conuenit, alioqui intellectioni omni & volitioni conueniret, sed solùm in hac vita, in qua sensib. corporive sensili alligata est.

Vt pendeat à phantasmate.

Propterea etiam corporis inclinationes ferè sequitur: Non necessitate, nec semper, immò resistit sæpè, castigat, & domat: sed quòd homines appetitum sentientem plerúmq. sequantur. Audi quid Philoponus dicat in comment. tex. 82. lib. 1. Hoc, inquit, euenit, cum præter naturam se habet homo. Quando enim non dominatur intellectus, cuius quidem secundùm naturam est id, quod est principale, cõuerso ordine facultates ipsius animę corporis temperamenta sequuntur. Sed quando intellectus dominatur, tunc quia secundùm naturam se habet homo, non amplius animæ facultates temperamenta corporis consequuntur, & ipsum corpus animam sequitur.

Vt corporis inclinationes sequatur.

Denique fatigati videtur, corpore fatigato, eóque recreato recreari: quòd non liberè nunc operetur, sed sensib. vtatur corporeisq. facultatib. quæ absumpto spiritu & corpore fatigato non operantur, móxq. ad operãdum restaurantur. Alioquin ipsum intelligere verè dixit Philosophus impatibile esse neq; cũ corpore debilitari. quare si ex operatione cognoscẽda est forma, impatibilẽ & immortalẽ prorsus animã esse cognoscimus.

Intellectus intelligendo fatigatur.

Etenim hæc ipsa præsentis cõditionis intellectio, quæ phãtasmate vtitur, duo planè continet. Alterum est intelligere quod animæ nostræ conuenit absolutè, vt intelligẽs est & subsistens, eiusdémq. cum separatis mentibus naturæ: Alterũ intelligere cum phãtasmate, quod illi ipsi conuenit, vt nunc huiusce corporis est forma. At quẽadmodũ huius corporis non sẽper est forma, sed ab eo separabitur aliquãdo solitariáq. subsistet: sic intelligere cũ phantasmate non sẽper illi cõuenit, sed quãdiu corporis existit forma: deinceps intellectione propria ipsius operatione, qua nũquã priuabitur, absolutè viuet.

Anima separata intelligit.

Atq; vt eadem est entitas, quæ & intelligens est & immaterialis, & corporis forma, sic eadem est operatio, eadémq. essentialiter intellectio cum phantasmate, & intellectio à phantasmate absoluta, solúsq. intelligendi modus diuersus est: quippe eadem est animæ essentia, tum in corpore, tum extra corpus, essendi tãtùm modo diuersa. Ex hac igitur separabili operatione, quæ essentialiter non requirit phantasma, sed sine illo perfici potest, colligitur maximè animam quoq. separabilem esse, neq; essentialiter indigere corpore, sed absque illo posse subsistere. Dum enim ex operatione quæritur cognitio formæ, nõ ita hæc cognoscitur, vt ex naturalis operationis duratione duratio formæ colligatur, alioquin in summo operatione cessante non esset anima: sed ita vt ex operationis conditione & natura, conditio & natura formæ concludatur. Et quoniam intellectio sua natura non eget corpore, ex ea verè conficitur animam quoq; corpore nõ indigere, sed per se subsistere immaterialem, separabilem, immortalem. Neq; separatam fore otiosam, cùm propriam habeat operationem, quæ cum ea separatur. Neque enim operationem, sed operandi modum mutat, dum intellectionem retinet, sed corpore relicto abiicit quoq; phantasmata. Et vt modus ille, qui est sine phantasmate absolute nobilior altero sit, qui phantasmate vtebatur, melior tamen non est rationali animæ quatenus corporis est forma: quia incompleta cùm sit & dimidiata substantia, operationem potiùs cum corpore communẽ intellectionem q. cum phãtasmate quærit. Et ipsa quidẽ à corpore separata est imperfecta, quoniam forma & pars alterius: vim tamẽ patitur nullã, quia immaterialis & subsistẽs apta est per se post corporis interitum cohærere. Nec desunt, qui absurdum non esse respondeant violẽtum quidpiã perpetuò in indiuiduo, modò in vniuersa specie non sit.

Quòd si formam miseris imperfectam aut etiam per vim sempiterno manere tempore, an non maius fuisset incommodum intelligente anima priuari mundum? Satius igitur fuit eligere id, quod erat minus, vt maius alterum viteretur. Nam & corpora gratia sursum sæpe mouentur, vt viteur vacuum. Cæterùm ex hoc futuram colligas nostrorum corporum resurrectionem, eámq; naturæ lumine cognosci hoc argumento posse: quamuis modus, tempus, & circunstantiæ cæteræ non nisi diuina reuelatione cognoscantur. Demiq; etsi de separato illo statu nihil sciremus, immortalitas tamen propterea negãda non esset, quam tot necessariis argumentis concludimus. Nam & Aristotelẽ antea diximus animam quidem cognouisse à corpore separari, in aliis tamen plurib. quæ cum hoc cohærebant, dubiũ hæsisse.

Resurrectio futura.

Diximus & antea de separationis modo. Non enim motu ad locum, neque alteratione ipsius, sed corporis potiùs, separatur, dissolutóq. ac corruente corpore stat incolumis ipsa, ab ea cessans formatione, quam antea corpori tribuebat. Quod est incorporeum, inquit Porphyrius in lib. de occasionib. si quando in corpore comprehendatur, non aliud quidem vllum ipsum alligat, sed ipsum certè seipsum. Neq; igitur resoluit ipsum corpus, quando frangitur aut interit, sed ipsum potiùs semetipsum enodat, quando à familiari erga subiectum affectione diuertit. Et in Asclepio Mercurius cap. 10. Mors efficitur dissolutione corporis labore defessi, & numeri cõpleti, quo corporis mẽbra in vnã machinã ad vitales vsus aptantur. Moritur enim corpus, quãdo hominis vitalia ferre posse destiterit. Hoc ergò est mors, corporis dissolutio corporalisq. sensus interitus. Hoc enim quod mortẽ homines vocant, inquit Max. Tyrius in ser. 25. immortalitatis initium est & futuræ vitæ procreatio, pereuntib. scilicet sua lege suóq. tempore corporib. animis vero ad propriũ locum propriãmq. vitam ascendẽtib. Hac verò formatione cessante animã tamẽ entelechiam & perfectionem corporis dicimus, non actu, sed potestate, quòd rursum apta sit cum corpore coniungi, illúdque perficere.

Vt anima nostra deserat corpus.

Dum autẽ pendentiã & nexũ causarũ, materiæ præsertim & formæ, corporis & animæ, Pomponatius requirit, eo nexu contẽtus sit, qui est in propria singulari causarũ causalitate. Vt quemadmodũ forma & anima est apta dare esse, constituere, & actuare corpus, ita vicissim corpus potestate sit ad illud esse suscipendum. Neq; opus est ex illa materia formam educi. Nãm in prima rerum omniũ productione ex materia elementi alteriúsve cuiusvis rei forma factũ est vnum ens per se, nec tamẽ forma educta est ex materia, sed à Deo simul cum ea creata: & in singulorũ hominũ productione intelligens anima creatur à Deo, vel vt Aristoteles loquebatur, foris secùs aduenit, & tamen cum corpore facit vnũ ens per se. Et si quælibet alia materialis forma crearetur à Deo atque cum materia coniungeretur, quinam cum ea faceret vnũ per se? Ad extremũ quodidẽ auctor putat naturali lumini repugnare intelligentẽ animam absolutè & sua substantia incorruptibilẽ esse, & cui nihil quid corruptibilẽ vt est vnita materiæ, leue est & nullis firmis rationib. confirmatũ. Contráq. id à nobis otiosum est ex illius operatione totóq. naturæ lumine necessariò colligi. Vt hic sit finis de tota immortalitate disputandi.

Intelligentem animam esse hominis formantem formam in hominib. singulis multiplicatam.

Tertia Auerrois propositio fuit, intelligentẽ animam assistentẽ hominis formam esse, non formante & essentialem: quodq; hinc consequens est, communẽ animæ omni definitionem initio 2. lib. à philosopho traditam homonymè illi conuenire. Materialẽ aliã formã, quam cogitatiuã nominauit, essentialẽ esse formã voluit. Hãc pro indiuiduorũ hominũ numero multiplicatã, illi in omnib. vnam. Quartam hanc hominis propositionem numerare licet. Neq; defuerunt nostris temporib. qui vt augerent monstrũ, vnã in omnib. formantẽ formam ponerent. Et alij ne immortalitate admissa mundique æternitate, infinitum animarum numerum fateri cogerentur, certum maluerunt earum numerum atq; in alia & alia corpora migrationem eligere.

Secus Aristotelẽ sensisse ex plurib. locis cognoscitur. quod ad formationẽ attinet, primus illã ipsam iam nominatam definitionẽ continet. Nam in tex. 1. eius lib. palam pollicetur cõmunissimã omni animæ definitionem, quę defectum antiquorũ suppleret, quos inter. 7. lib. 1. grauiter reprehẽderat, quòd non de omni, sed de sola humana anima loquuti essent. Hãc verò ipse omittere non debuit, quæ & potissima est, & ab illis consistebrata: verũ cæteras quoq; ab alijs prætermissas cõplexa. Definitionẽ hanc dum inuestigat, substantiã partim in tex. 2. in materiã, formã, & coniunctũ: formamq. quam appellat actum, formantẽ formã, significare certum est. Tum quia eam facit coniuncti partẽ, quod in categoriæ substantia contineatur. Tum quia materiã appellat potestatem, & formam actum, perfectionem & speciem materiæ, quæ potestas est essentialis: & per eam ait hoc aliquid, id est perfectam substantiam dici. Tum verò in tex. 4. animam vniuersè probat non esse materiam, sed formam. Quare cùm formantem antea & essentialem materiæ actum nominasset, omnis profectò anima formans & essentialis est forma. Rursum animam probat non esse corpus, quia corpus non est in subiecto, anima verò in subiecto: at assistens forma in subiecto esse non dicitur. Ex his mox definitionem eam colligit, quam in tex. 7. & 8. omni animæ communem

munem esse inculcat. In qua cùm actum primum antea dixisset essentialē actum & formantem, hunc ipsum intelligere necesse est. Et rursum cùm addat (potestate vitam habentis) cum eo actu potestatem coniungens, quemadmodum in tex. 2. materiā cum forma coniunxerat, idem apertissimè docuit. Confirmauitq. rursum, ex eo statim colligens quærendū non esse, num ex anima & corpore fiat vnum per se, etsi corpus organicum quidpiam actu esse videatur. Etenim aliquid quidem actu est in se, at potestate ad animam. Et ideò tum in tex. 2. materiam & formam potestatem & actum esse accepit, tum in anima definienda eam esse actum commemorauit, & corpus potestate ad illam. Cui loco si adiungatur text. 15. lib. 8. Metaph. ex quo hæc totidē penè verbis ijsdem exemplis desumpta videntur, manifestum id magis fuerit. Ostēdit enim, vt definitio est vna, ita id quod definitur, vnum esse oportere neq; vna definitione posse multa contineri: partes autē definitionis propterea vnum efficiunt, quoniam altera potestas est, altera actus. Itaq; dum Auerroës definitionem eam ait esse homonymam, non solùm turpissimā philosopho inurit notam, quòd tàm præclarę doctrinæ de anima, quam antiquis omnib. confutatis fuerat ipse pollicitus, homonymā definitionē principium fecerit, cùm homonyma nequeāt definitione vna cōprehendi, sed multiplex natura multiplici item definitione debeat explicari. Verùm ille verba, quę Aristoteles subiunxit, planè non anima duertit. Quin etiam in tex. 8. & 9. idem ipse philosophus ex instituto probauit omnem animam esse formam, vt quod quid erat esse, hoc est formantem & essentialem corpori. Vnde illud in tex. 10. vt oculus est pupilla & aspectus, sic animal est corpus & anima. Quare vt aspiciendi facultas non assistit, sed format pupillam, neque operationem modò, sed esse quoq. pupillæ tribuit: sic & anima quæuis ad corpus se habet.

2. Alter locus est in tex. 13. eiusdem lib. quoniā enim, vt in tex. 3. positum est, animata ab inanimis distinguuntur anima, cùm animā definiuisset actum corporis potestate viuentis, vt eam definitionem demonstraret, accepit in tex. 13. animata ab inanimis distingui vita, ita vt anima viuēdi principiū sit, veluti actus qui corpus potestate viuens facit actu viuere: actu inquā primo, non 2. dūtaxat, forma scilicet formāte & essentiali, nō assistēte. Quippe vitales operationes ab interno principio, quod in ipso viuēte sit, nō ab externo, proficisci oportet, vt in eod. t. 3. 14. & 16. & singulorū inductione manifestū est. Inter autē vitæ gradus intellectū quoq. cōmemorat: est igitur ipse non minùs, quàm reliquę animę partes, internū & essentiale vitalium operationum principium.

3. Tertius locus est in text. 19. in quo dubitat, num horum graduum vnusquisq. ita sit essentiale hoc & internum principium, vt sit anima integra, an pars animæ: & rursum an sit in organo & corporis parte ab aliis diuersa. Quæ nimirum dubitatio eos omnes suponit essentiales esse corporis actus. Confirmātq. responsio, quam ad posteriorē quæstionē adfert, in quibusdā manifestū esse, in intellectu non itē. Quoniam scilicet antea probandū esset impermistū eum & inorganicum esse. Videri tamen esse aliud genus animæ: nō quòd actus corporis non sit, quēadmodū interpretatur Auerroës (huius enim contrarium ex allata definitione supponebatur:) sed vt ipsemet subiungit, quoniā is solus separari potest tanquā perpetuum à mortali, cæterisq. cum corpore pereuntibus ipse solus supereſt immortalis. Nā propterea genus aliud animæ videtur esse, quoniā corruptibile & incorruptibile differre genere existimantur in tex. 26. lib. 10. Metaph. Itaq. in eo cum cæteris vitæ gradib. conuenit, quòd essentialis est actus corporis: differt autem, quòd reliqui mortales sunt, hic immortalis. 4.

Quartus locus est in tex. 24. vbi altera definitio animæ rem eandē ostendit. Nam tum accipiens, id, quo primùm res quæpiam operatur, aut materiam esse aut formā, quia hæ sunt partes & principia illius prima: potius autē esse formā, formantē scilicet, quę species sit & ratio in materia disposita ab agēte producta, animam vniuersè definit esse id, quo primùm viuimus, sensimus, mouemur, & intelligimus. Tum ex hac definitione priorē alterā demōstrat; Id, quod primū operatur, quidpiā est illius, forma, non materia; Anima igitur actus est & forma animatorū corporum, non materia & subiectum. Quare vt animæ cæteræ actus sunt & formæ essentiales, quib. primū viuimus, sentimus, & mouemur, sic etiā intelligens est, qua primū intelligimus. Eodēq. modo prior illa definitio concluditur omnib. conuenire. Sanè nulla alia ratione probauit philosophus cæteras animas formantes esse formas, quàm quia illis primùm viuimus, sentimus, & mouemur: eadémq. intelligentē probat: Quæ ratio ex operatione ducitur.

Quintus locus est in tex. 25. in quo eandē substātiæ partitionē repetens, quā in tex. 2. fecerat in materiā, formā, & coniunctū, materiāq. potestatē esse, formā actū: animā vniuersè conficit esse actū & formā, quę vnita corpori animatū corpus absoluat. Negari non potest de formante & essentiali forma, quæ cū materia compositum substantiam faciat, sermonē esse. Animāq. intelligentē contineri constat: tum quòd vniuersè de omni anima sermo sit: tū ex superioris textus definitione, in qua ea quoq. nominata fuit. 5.

Sextus locus est in tex. 26. vbi generatim demōstrat animā quāuis non esse actū cuiusuis, sed determinati corporis: quoniā quilibet actus in qualibet materia & potestate non suscipitur, sed in determinata & certa. Quæ probatio & apertè de sola formante forma loquitur, nec intelligenti minùs, quàm cæteris animabus & formis, conuenit. 6.

Septimus locus est in tex. 36. & 37. animam enim omnem asserit corporis esse causam triplici genere, efficientē, finalē, & formalem: formalē inquā, velut animati corporis essentiā, dum assistēs ad efficientē potiùs pertinet. Probat autem, tum quia viuere viuentib. est esse, viuunt autē per animā & inter vitæ gradus commemoratus est intellectus in tex. 13. tum quia omnis anima est actus corporis potestate vitā habentis. Quare perspicuū est actū in ea definitione positum non assistentem, vt Auerroës cogitauit, sed formantem & essentialem actum significare. 7.

Octauus locus est hic ipse 3. lib. à quo nunc ad hæc discutienda digressi sumus. Etenim si intellectus noster formans forma aut formantis formæ facultas non esset, sed separatæ cuiuspiā assistentis nobis intelligentiæ, de illius natura essentialiq. differentia, vt in tex. 1. proposuit, nequaquam Philosophus ageret: quemadmodum nec egit in naturalibus libris de intelligentiarum cæterarum, quæ cœlestibus assistunt orbibus, natura & essentia. Quoniā ea, vt abstracta, ad physicum planè non pertineret. 8.

Huc spectat tex. 26. lib. 2. Phys. qui tanquam nonus locus numerari potest. Terminum namque considerationis naturalis materiam esse constituit, neque formas in hac scientia considerari, nisi vt sunt in materia, quemadmodum à medico nerius per ordinem solùm ad sanitatem, & à fabro æs vsque ad aliquid considerantur: formas autē suapte 9.

natura separatas ad primũ philosophum pertinere. Immò inter naturales formas humanã adfert velut suprema, quæ naturalis cõsiderationis terminus sit: Sol inquit & homo procreant hominẽ: hanc eandẽ in materia, hoc est materiæ formã & actũ esse significans. Quòd si respondeant Auerrois discipuli, hominem esse hominẽ non per intelligentẽ animam, sed per sentientẽ aliam & cogitantẽ: apertis Philosophi verbis in cap. 4. lib. 2. de animaliũ ortu cõuincũtur. Quoniã tres solas in homine animas produci asserit, atq; per vegetantem fieri plantam, per sentientem, animal, per intelligentem hominem.

10. Decimus locus est in tex. 36. huius tertij lib. in quo mox dubitabit, num intellectus hic noster existẽs in corpore separatas substãtias intelligere queat. Nulla verò esset dubitatio, si intelligentia quæpiam foret suapte natura abstracta corporib. nostris solùm assistens, quemadmodũ nulla est de intelligentiis, quæ assistunt cœlis. At maxima est, si sit formans & essentialis forma. Quam verba illa magis confirmant, quæ ad initiũ 2. lib. Metaph. leguntur; Intellectũ nostrũ perinde ad abstracta illas substãtias sese habere, atq; vespertilionis oculus ad lumen diei se habeat. Quæ verba de separato & assistente intellectu nunquam dixisset philosophus, de formãte dicuntur verissimè; quia propter essentialẽ vnionem in omni sua cognitione à corpore, corporisque sensibus & phantasia magnopere pendet.

11. Vndecimus locus est dubitatio illa text. 12. & 13. lib. 1. an intellectio sit propria solius animę operatio: & num phantasia sit, vel non sine phantasia. Et illud, quod in 3. lib. affirmatur in tex. 30. & 39. oportere intelligentẽ intueri phãtasmata, nec vnquã sine phantasmate animã intelligere. At quemadmodũ de intelligentiis cæteris nec dubitationẽ eam vnquã proposuit, nec de illarũ intellectione ita loquutus est, sic neq; de anima nostra dubitasset aut affirmasset, si eam separatã esse intelligentiã corporib. nostris assistentem existimasset. Certum enim esset illius intellectionem operationẽ esse à phãtasia diversã animæ solius propriã, ideóq. absq. phantasia constare posse. Plurimũ verò difficultatis habet, si essentialis forma sit, propter essentiale cum corpore corporeisque sensibus vinculum.

12. Duodecimus locus est tex. 53 lib. 1. in quo Pythagoram reprehẽdit & animarũ illã in diversa corpora migrationẽ fabulã esse arbitratur: animámq. vnamquamq. ostendit propriũ sibi debere habere accommodatè dispositum corpus. Quod sanè essentialem & formantem formam significat, déque hominum animabus est sermo.

13. Decimus tertius locus est in tex. 64. & 66. eiusdem lib. Num irasci, misereri, amare, odisse quo d q. intellectus propriũ est, addiscere, ratiocinariq, negat esse solius animæ operationes, sed totius coniuncti esse affirmat: vt perinde sit dicere animã solã hæc agere, ac si eam texere aut ædificare diceres. At si humanus intellectus non essentialis pars, aut forma hominis formans, sed perfecta & abstracta substãtia esset, verissimè illi soli tribueretur: & verò etiã tribui oporteret, tametsi corporeũ intueretur phantasma. Quẽadmodum illa ipsa intelligentiarũ separatarum operatio solis illis tribuitur, quæ consentiente Auerroe alia extra se intuentur atque intelligunt.

14. Decimus quartus locus est in text. 16. & 17. lib. 12. Metaph. Cùm enim de formãte forma loqueretur, mouentẽ quidem causam ait multo tẽpore id, quod ab ea mouetur, antecedere posse, at nullam formam priorem esse posse coniuncto, cuius est forma, sed vnamquamq. simul cum eo esse (assistentẽ, quæ est vt mouens, certũ est multò priorẽ sæpẽ esse. Quidni enim nauta prior sit naui?) Et vt ostẽderet generalis se illa propositione intelligentẽ quoq. animã velut formantem, non assistentẽ, formã comprehendisse, statim subiungit, posse tameri fortasse formã aliquã posteriorẽ esse coniuncto, eóq; dissoluto superesse, velut intelligentẽ animam. Si autem, inquit aliquid e posterius permanet, considerandũ est. In quibus enim nihil prohibet: veluti si anima tale sit, non omnis, sed intellectus. Omnem namq. formam impossibile est. Quæ verba optimè etiã interpretantur sententiã tex. 11. lib. 2. de anima, quo magnopere abutitur Auerroës. Quod enim ibi examinẽ definitione collegit, animam, quia est actus corporis inseparabilẽ ab eo esse, quandã tamen separari, quod nullius corporis actus sit: interpretatur hoc loco, omnẽ animã esse actum essentialẽ, neq; intelligentẽ propterea separari, quòd actus non sit, sed quòd aliam quandã naturam & substantiã habeat à cæteris animabus ac formis diversam, quæ cum corpore non patiatur, neq; cũ eo simul intereat, & ideo posit eius dissolutionẽ possit esse superstes. Atq; hoc est illud (nullius corporis actus est) hoc est actus corporeus, materialis, cũ corpore & materia permistus, vt antea exposuit in tex. 4. Sic enim is voluit, & esse formatem & essentialem corporis actum, & non actum corporis permistum & corporeum.

Decimus quintus locus est in eodem 12. Metaph. lib. Vbi potestatẽ omnem à separatis intelligentiis excludit, tum in elsẽtia, tum in operatione omnẽ, vult esse actus puros & simplices, earũmq. intellectionem æternã & inuariabilẽ, idémq. intelligens, intellectionẽ, & id quod intelligitur. Hic enim alius fuit Auerrois error, quòd Aristotelẽ dixit reliquas prima inferiores intelligentias ex actu & potestate constare. Cùm nullã is inter eas differentiã agnouerit, nisi ex orbium diuersitate, quòd prima ea sit, quæ primum vertit orbẽ, inferiores quæ cæteros sub eo contentos. Vnde illud quoq. generale pronuntiati in tex. 32. lib. 3. Phys. In æternis idẽ esse & posse. At intellectus nostri natura nil aliud, quàm potestas quædã, esse dicitur plurimisq. is est mutationib. obnoxius, interdum potestate, interdũ actu, interdum habitu, interdum agens, interdũ patiens, nec semper intelligit, nullamq. constantẽ intellectionẽ, sed inconstantes omnes & variabiles habet. Qui potest igitur credi eam vnã esse aliquã ex separatis intelligentiã nobis assistentẽ? Sanè dum secus omnino de huius atque illarũ natura & operandi modo affirmauit, satis se ostẽdit diversam planè essentiam & conditionem esse existimare: neq; vt cœlestib. globis illæ, sic intelligentem animam nobis assistere.

Decimus sextus locus est, in quo in eo ipso libro de mentium separatarũ numero disputans, vt eas ex orbium cœlestiũ motu inuestigauerat, ita tot omnino eas esse concluſit, quot orbes sint. Non est igitur intellectus noster vna quæpiã & illarum numero substantia. Si enim ita sensisset philosophus, de illa eodem in loco egisset, in quo de cæteris differebat: eámque primùm esse ostendere debuisset, deinde corporibus nostris assistere. Atque vt reliquas ex orbium collegit numero, sic vel vnica hominibus cunctis assistens, vel vnaquæque singulorum propria demonstranda illi fuisset. Tantum verò abest, vt id fecerit; vt apertis potiùs verbis affirmauerit, præter eas, quæ cælos vertant, nullam

nullam vsquam aliam existere. Contrà verò de intelligente anima tanquàm de hominis parte, eodem modo, quo de animab. cæteris, quę viuentiũ cæterorũ partes essẽtiales sunt, egit in hisce de anima libris.

Aristotelis fuisse multiplicem.

Ita satis opinor Auerroi demonstratũ fuisse, quænam Aristotelis hac de re sententia fuerit. Quòd si genus hoc animæ formantem & essentialem formã esse voluit; necessariò consequens est, eum non vnã in omnib. verùm tam multiplicem, quam multi homines in natura subsistunt. Id enim ex eo sequitur manifestè, quòd formans sit & essentialis forma. Optimèq. is vidit necessariam esse inter materiã & formam proportionem ac nexum; quod in tex. 26. lib. 2. Phys. significauit. Quocirca migrationem eam animarum in diuersa corpora à Pythagoreis prædicatam irrisit tantopere in tex. 53. lib. 1. de anima quasi » verò, inquit, posset quælibet anima quodlibet ingredi corpus; & non potiùs propriam vnumquodq. » habeat speciem & formam. Certè si plurib. cœlestib. orbibus vnam non crediditassistere intelligentiam posse; multò minùs persuasit sibi fieri posse, vt vna anima corpora plura, loco, qualitatum tẽperatione, organorũmq. conformatione vsq; adeò dissita, formaret vnquàm: minimè verò simul & eodẽ tẽpore. Facilius namq; foret vnam plurib. assistentẽ esse formam, quàm formantẽ: aut eandẽ vnum corpus post aliud, quàm plura simul formare. Quamquam siue formãs, siue assistens dicatur intellectus esse; Auerrois vnitas illa verbis iis prorsus exploditur, quæ in tex. 8. huius libri leguntur. Etenim intellectum ait, cùm fuerit singula factus scientiæq. sibi habitũ comparauerit, operari per seipsum posse. Quoniã scilicet per scientiæ sibi habitum inhærentẽ in seipso habet obiectũ, quod intelligere & contẽplari queat: neq; necesse est, vt ad phãtasmata sese conuertat. Si igitur vnus in omnib. sit intellectus, scientiæ hoc habitu aquisito intelligere omnes homines & contemplari possent, philosophi omnes & sciẽtes dicerẽtur; quin etiam sciẽtiis omnib. præditi cunẽti essent. Quippe id, quod de phantasmatib. respondet Auerroës, habet fortasse locũ in intellectu potestate, qui primũ sibi rerum cognitiones cõparãt: non item in eo, qui iam fuerit singula factus, & ex seipso possit operari. Ac rursũ si vera est illa propositio atq; argumentatio tex. 4. intellectũ carere debere eo, quod recepturus est, vbi sciẽtiã quampiã aut cognitionẽ adeptus quis fuisset, nullus eũ alius adipisci atq; addiscere posset. Quoniam intellectus cognitione illa, scientiãq. imbutus eandẽ cognitionis ac scientiæ formam nõ admitteret. Immò verò nullus esset intellectus potestate qualẽ philosophus definiuit: præsertim si vt ait Auerroës, cognitiones ac sciẽtiæ, philosophiãq. sint ætternæ; necillis vnquàm penitus careat intellectus. Nam si habitus illos semper habeat, nunquàm profectò fuerit potestate, velut tabula, in qua nihil sit scriptũ. Et si is vnus existat, nullus omnino talis fuerit, qualem Philosophus propterea tradidit, quod in hominib. singulis singulos esse voluit, principio potestate, tum actu & habitu: & in sciẽte quidẽ plurib. excultũ habitib. in idiotis autẽ plurimis rudem, incultum, atq; ad cognitionẽ omnẽ & intellectilem formam potestate. Deniq. duo illa, quæ Aristoteles tantopere necessaria esse promulgauit, tum intelligentem intueri phantasmata, quod sine illis nihil intelligat anima, tum agentis intellectus operatio, vt actu intellectilia fiant phantasmata, minimè forent necessaria. Nec inquam phãtasmatib. opus esset, nec agente intellectu. Quoniam vnicus ille intellectus cognitiones iam & habitus rerum omnium possideret, intellectilibusque formis præditus esset.

Formatio naturali ratione ostẽditur.

Et hæc quidem Aristoteles. Iam vero si rem ipsam naturali ratione quæramus, plurimis & efficacissimis argumentis, tum formatio ostẽditur, tum multiplicatio. Formatio quidẽ, quoniã certum est hominem intelligere & discere, vt in tex. 64. lib. 1. Philosophus dixit: hoc enim in seipso animaduertit vnusquisque. Aut igitur intelligit & discit se toto, Aut partes sui essentiali, aut assistẽte demũ quapiã & aliena natura. Non se toto dicemus: quia manifestum est eam esse solius animę operationẽ, neq. corpus intelligere, sed fere intellectionẽ animæ impedire. Stolidum enim quidpiã est materia atque ad intelligendũ ineptum. Neque abeunte anima quidquam intelligit corpus: anima vero à corpore soluta optimè adhuc & acutissimè intelligit. Si anima igitur, vt parte sui homò intelligit, ea non potest esse assistens: quoniam fieri nequit, vt vnũ supposituũ alterius operatione operetur, si operatio immanens sit, & interno principiò egeat, cuius generis intellectio & volitio sũt. Quippe operatio sequitur esse, neq; operationes huiusmodi attribui alteri possunt. Propterea intelligẽtiæ intellectio nõ attribuitur cœlo, neq; intellectione nautæ dicitur nauis intelligere: sed solus localis motus, qui ab externo principio proficisci potest. Cùm igitur homo proprijssimè intelligere velleq. dicatur, necesse est operationũ harũ intẽtnũ in eo principiũ sit, eaq; parte illius essentialifiant, neq; ab assistente intelligentia, integra atq; ab homine diuersa substãtia, promantur. Vocib. quoq. exprimit homò notiones mentis, loquutióq. conceptiones sequitur, & voces notionũ animi mentéq. conceptarũ rerũ signa sunt. Homo docere alios potest, & quidẽ altissimas & abstractissimas res, hocq. scientis argumetũ esse existimatur. Homo mẽte operatur opera practica. Maximum homini sciẽdi desideriũ insitum est, nullaq. re delectatur magis & gloriatur, quàm plurimarum rerum cognitione ac scientia: nulla tristatur magis, quã si ea priuetur, quasi hæc propria illius perfectio sit. Si rationis vsum ab homine tollas, meritò monstrum ensq. imperfectiss. mũ dixeris; vt in pueris videre est, insanis, ebriis, stolidis. Intellectio regula est & directio omnium hominis operationũ, volitióq. principiũ imperans & promouens. Ac demũ externa operatione magis quoq. interna perficitur: Nempe loquutione perficitur intellectio & cognitio rei, pingendo artémve quãlibet exercendo habitus artis in mente magis perficitur: similib. demum actionibus magis ac magis volitio volctis accẽditur, omniúmq. in ea virtutum habitus perficiantur.

Ex quib. omnib. manifestè deducitur intellectionem & volitionem proprias hominis, principijq. ac partis illius essentialis operationes esse. Nam si assistentis cuiuspiã intelligentiæ forent, nihil horum in homine eueniret. Atque quod advoluntatẽ spectat, ne concipi quidẽ potest alterius supposíti libertate quidquã esse agendo liberũ. Deinde cũ tria sint animarum genera, nisi essentialiter homo intelligens anima constituatur, relinquitur ei altera, quæ sentit, eritq. de brutorũ animaliũ ac mutorũ genere, animálq. rationis expers id, quod ratione vtitur & oratione. Vt iam non immeritò ad rem præsentẽ vsurpare liceat illa Psalm. 48. verba; » Homo cùm in- « honore esset, non intellexit; comparatus est iu- « mentis insipientibus, & similis factus est illis. «

Tum verò assistens intelligentia, tum homini, tum equo, ac cuiuis bestię posset ad intelligendum vnius

quippe bestiæ quoque phantasiam habenti ac phantasmata, quorum opera homini dicitur ad intelligẽdum vniri: neque minùs, quàm homo, diceretur equus aut bellua quæuis intelligens, volens & rationalis. Immò nec minùs aspectũ attribuas inanimato parieti. Vt enim hominem intelligere ais, non quòd in ipso insit intelligendi vis, sed quòd ex eo sumatur phantasmata speciesq. intellectiles: ita parietem videre dixeris, quia obiecti, quod videtur, species inde hauriatur. Homo quidem certè animal ab omnib. rationis particeps definitur, quòd hæ duæ sint genus & differentia, essentiales hominis partes, quæ definitione debent explicari. Aut enim rationalis anima substantia perfecta est & integra, aut dimidiata. Si perfecta esset & integra, nequaquam in sua operatione penderet à phantasmate: dimidiata vero si sit, formantem formam partémq. hominis essentialem eam esse oportet. Sanè hominis beatitudo in intellectione ac volitione, tanquam propriis illius operationibus versatur: atque vt alia est hominis, alia cuiusvis intelligentiæ beatitudo; sic intellectionem illius ac volitionẽ alias esse necesse est. Quòd si hæc non ita sese habeant, priuabitur homo virtutibus omnibus ac vitiis, habitibúsq. scientiarum, operibus bonis & malis, atque illorum præmiis & suppliciis. Hæc enim omnia illius essent assistẽtis intelligẽtiæ: neque homo operaretur quidpiam, sed illa in homine intelligentia. Nam neque actiones nautæ attribuuntur naui, neque nauis, sed per illam nauta præmio afficitur, aut supplicio. Iam verò si animam intelligens sit formans & essentialis forma, verè actiones eæ totius hominis esse dicuntur, quòd essentialis partis actiones sint.

Hinc etiam veritates pendent de nostrorum corporum resurrectione, quam aliquãdo futuram credimus & speramus, de vera liberatoris Christi humanitate, aliæq. his similes plures. Probari namque non posset resurgentes nos idem corpus & eandem animam habituros, nisi pars vtráq. essentialis nobis esset. Christũ verò fuisse verum hominẽ à permultis Ecclesiæ partib. & conciliis confirmatum hoc argumento fuit, quoniã habuit corpus & rationalem animam, tanquã essentiales sui partes. Et inter cæteros S. Athanas. in symbolo eum probauit perfectum fuisse hominem, quòd ex his partib. constaret atque
„ subsisteret: perfectus, inquit, homo ex anima ratio-
„ nali & humana carne subsistens.

Postremò spectandum etiam est, quid vniuersi postulet ordo, in quo maximè illius perfectio consistit. Vniuersum autem ex materialib. entibus constat & immaterialib. ex quib. partib. tantopere dissitis, vt fiat vnum, quod ordine certo constet, necesse est per aliqua media ab extremo ad extremũ transitus fiat.
„ Vnde Areopagitæ illud, Infimum supremi attingit
„ supremũ infimi. Quare vt aliqua sunt immaterialia prorsus entia supra totum materialium ordinẽ, neq; vllo modo cum illis coniuncta, sed maximè ab eis remota; vt Deus & plurimæ separatæ mentes, quæ nullam vertunt cœleste corpus: alia penitus materialia, & ab omni natura immateriali procul absunt; vt elemẽta mistáq. omnia rationis expertia: sic quædam alia esse oportuit, in quib. genus entium vtrũq. vniretur. Quod duob. modis fieri potuit; aut solam adferẽdo operationẽ, aut etiam dando esse: alterum assistentis est formæ, alterũ formantis. Vtroq. modo immaterialis, quæ meliora sunt & præstantiora, materialiũ euadunt formæ. Altero enim vniuntur cœlestibus corporib. intelligentiæ quædã: Altero cum humanis corporib. intelligens anima. Ita sensim natura ab illo abstractissimo ente, quod nihil habet cõmateria cõmune, ad ens descẽdit, abstractũ quidem essẽtia, sed quod operationẽ impertiat materiarum ad ens abstractum item essentia, at quod cùm exit dimidiata, ordinẽ quoq. ad materiã significet, illiusq. essentialiter cõmunicetur: ac demum ad eas, quod materiale totũ sit atq; à materia absorptũ. Præclarè & admirabilẽ hunc ordinẽ, si velis in natura retinere; fatearis necesse est intelligentẽ animã nostrorum corporũ formantẽ formã esse. Sanè si & immateriales intelligentias cœlestium orbium & intelligentes animas nostrorũ corporũ assistentes esse actus fateris; quòd motoris & mobilis proportio adsit, vel motor immaterialis existat & mobile materiale; quidni animas nostras formãtes actus fatearis, quod materiæ & formæ, potestatis essentialis & actus eiusdem generis proportio sit? Neq; enim materiam actum, sed dimidiatũ hęc proportio postulat. Immo vt in actione quò agens est perfectius, magisq. materiã superat, eò perfectior existit effectus; sic in formatione quoq; quò actus & forma melior est magisq. potestatẽ & materiam superat ac perficere potest, eò melior & exquisitior cõsequitur vnio. Quod vel in assistente actu & forma manifestũ est. Quippe maior multò & perfectior est intelligẽtiæ vnio cum cœlesti orbe, quàm nautæ cum naui; quoniã immaterialis illa natura toti cœlo mouendo vnitur, totiq. immediatè & æquè mouet: at materialis & corpореus nauta vnl soli parti adiungitur, eámq. immediatè impellit. Sed idem in formatione euenit. Perfectior namq; forma perfectius dat esse; & quo magis materiam superat, eò magis illi dominatur, formátq. perfectiùs: etsi fuerit immaterialis, impossibiliter vnitur, dátq. totum suum esse toti materiæ & singulis eius partib. Huiusmodi actus est intelligens anima, tũ formãs, tũ omniũ perfectissimè formans.

Ex quib. omnib. primum intelligas intelligentem animam nõ solùm vt virtute vegerantẽ & fermentẽ continet, sed etiã vt intelligens est, verã esse hominis formam. Nec modò sua substãtia, verùm potentia intelligendi facultate. Tres enim illi gradus, vegetãdi, sentiendi, intelligẽdi, in hac anima iuxta vna simpler entitas formæ, quę si adiungatur materiæ, tota numerũ fuerit formans. Quòd si illa sit formans forma intellectũ quoq. & omnes illius faculteates, quæ animæ substantiãvbiq. comitãtur, necesse est formãtes esse.

Secundò intelligas, animã hanc formarũ omnium nobilissimã esse, perfectissimoq. modo corpora nostra formare. Et ideò perfectiones omnes, quæ formis vt formæ sunt, conueniunt, illi quoq. tribuendas esse remouendásq. imperfectiones, quas ex materiæ sordib. contrahunt cæteræ materiales formæ; illiusq. substituendas intelligentiarũ perfectiones. Cuilibet formæ conuenit partẽ esse substantiæ, determinare & perficere essentialiter, cõstituere in specie aliis distincta, facere vnum per se cum materia, quod sit natura perfectè subsistat, esseq; operandi principio. Hæc omnia cumulatissimè præstat in nobis intelligẽs anima. Verùm cæteræ formæ pendẽt à materia: primùm in esse actuali & absoluto, quòd ex illius potestate sint eductæ; & ideò inexistunt in ea & in potestate sint eductæ; & ideò inexistunt in ea & in potestate sint eductæ; & ideò inexistunt in ea & in

item sunt & corporeæ, nec omnino quidquam, nisi
A à materia pendenter, operari queunt. Nihil horum
in intelligente reperias anima sed secus omnia.

Nam, quoad esse absolutum, subsistentia est per se
cohærens, non inexistẽs, neq. sustentata in materia,
quemadmodũ nec inde naturam suã accepit; nec dis-
solutis illius dispositionibus interit: sed forinsecùs
aduenies dat quidẽ esse materiæ, sed ab ea vicissim
non accipit; estq. in materia immateriali modo inex-
tensã & impatibilis. Quoad esse autem operatiuum,
proprias sibi habet facultates, immateriales, inorga-
nicas, in sola ipsa inhærẽtes, minimè pẽdentes à cor-
pore vt subiecto; immò nec vllo alio modo, si abso-
lutè earũ natura spectetur. Et ideò operationes illa-
B rũ à sola promũtur anima vt principio quo & quod,
vt in scholis loquimur. Quoniã ipsa operãs est subsi-
stens partialiter; totaliter autẽ & integrè totus ho-
mo subsistit. Quare & anima sola intelligit, & homo
anima; sicut & oculus videt & homo oculo. Quæ o-
mnia cũ intellexisset Philosophus, hanc solam formã
pronuntiauit forinsecùs aduenire, separatásq. à cor-
pore ac sibi proprias operationes habere.

Animarũ multitudo.

Tertiò fatearis necesse est nõ esse vnicã in homini-
bus cũctis animã; sed in singulis singulas. Quippe ho-
mines numero distinguũtur; neq. corporibus modò
sed essentia tota. Et cùm tam multa sint, támq. diuer-
C sa, & inter se dissita corpora; fieri nõ potest, nec mẽ-
te cõcipi, vt in illis eadẽ sit numero forma; quomo-
do in illis & nõ in interiecto spatio: in quo sanè esse
nõ potest, quoniã organicũ corpus nõ est: Quomo-
do essentialis hominũ distinctio cum eadẽ numero
cõstet essentiali forma. Quomodo cũ tantopere di-
uersis ac pugnãtibus corporũ & materiæ dispositio-
nib⁹ eadẽ numero forma cõsistat. Quã multi, queso
te Auerroës, & inter se, tũ diuersi, tũ cõtrarij & pu-
gnãtes actus atq. habitus, essent in vnico intellectu
illo, & vnica volũtate vnius animę? Vn⁹ homo intel-
ligit, alter planè ignorat: vn⁹ verè, alter falsò intelli-
git: perfectã hic scientiã assequitur, ille vix opinionẽ
habet: vnus docet, alter discit: hic ex virtute opera-
D tur, ille vitiosè agit: vnus vult, alter nõ vult. In pueris
autẽ, fatuis, stultis, ac phræneticis, quonã modo hic
intellectus esset? Et quoniã infima dicitur esse intel-
ligẽtia, minimã habet virtutẽ atq. actionis sphæram,
si cum intelligẽtijs cæteris cõparetur: quî possit igi-
tur cũ tam multis corporibus tãtopere dissitis vniri,
dũ reliquę cũ vno dũtaxat vniũtur? Etsi extra cœlum
quispiã esset homo, quã amplã hęc intelligẽtia virtu-
tem haberet, si cũ illo quoq. coniungeretur? At hæc
omnia respondebunt aduersarij propter diuersa in
hominibus diuersis phantasmata euenire. Verũ fieri
potest, vt idẽ in diuersis phãtasma sit; & tamen vnus
intelligat, alter nequaquã, alter velit, alter nolit, aut
certè nullũ prorsus eliceat actũ. Immò in docẽte &
E discẽte, in volẽte & nolẽte, in sciẽte & opinãte, idẽ
oportet esse phãtasmata. Deinde vt in vno alia atq.
alia phãtasmata sunt, nec tamẽ cõtrarij circa rem eã-
dem possunt esse assensus; ita nec in eodẽ illo intel-
lectu in hominibus diuersis erũt. Quod enim difficultatẽ facit, nõ sunt phãtasmata, sed subiectũ; nẽpe
intellectus, qui simul actus illos suscipere nequit.
Deniq. ex principijs, quæ à Deo nobis manifestata
credimus, certissimum habes argumentũ. Nam si ita
esset, vt illi putãt; nõ posset vnusquisq. homo in fu-
tura resurrectione recipere propria, præmia aut sup-
plicia, prout gessit in corpore, siue bona, siue mala:
neq. vllo modo explicari ea omnia, quę à Theologis
disputãtur de intelligẽtis animæ assumptione ad hy-
postatica diuini verbi in Christo vnionẽ; déq. illius
actionib⁹, resurrectione, & alijs plurimis. Hæc enim
omnia propriã quandam accipiũt animã in Christo
fuisse ab aliorũ omniũ animabus distinctam. Ex quo
& animarũ multitudo iam habetur, & eodem modo
reliquos homines propriã sibi singulos animã habe-
re cõcluditur. Nõ enim aliã ob causam intelligẽtem
animã diuinũ assumpsit verbũ, quã quòd essentialis
ea sit pars humanæ naturæ. Quã ob causam in sacris
Cõcilijs, Viennẽsi & Lateranẽsi tertio, decretũ om-
nino fuit, eam & veram formantem formam, & pro
indiuiduorum multitudine multiplicatam, cùm ex
rei veritate, tum ex Philosophiæ lumine, esse.

Itaq. falsa est, impia, & portẽtosa vtraq. Auerroïs
propositio; omnémq. religionẽ ac legẽ diuinã & hu-
manã euertit. Mõstrũq. illud est, quod is cõmẽtator
cõmẽt⁹ est, eũdẽ intellectũ vnicũ esse & multiplicẽ,
æternum, & mortalẽ, formásq. intellectiles actu per
imaginarias formas, nõ per intellectũ, nobis copula-
ri. Inscienter etiã & impiè inter cæteros pronũtiauit
Antonius Bernardus in lib. 13. euersionis singularis
certaminis sect. 3. & li. 32. sect. 1. ex naturæ lumine nõ
haberi multiplicationẽ, sed vnitatẽ intellectus; im-
mò multiplicationẽ repugnare naturæ. Quódq. hic
ipse Philosophus ad suî erroris patrociniũ adfert, na-
turam non multiplicare indiuidua nisi caduca, vt ita
species cõseruetur; falsum est. Tum quia in Angelis
quoq. multò probabilius est plurimos & verò innu-
merabiles in eadẽ specie cõtineri. Tũ quia cœlestes
orbes sempiterni sunt & plures numero solũ diuer-
si, vt multi sentiunt, & ipsemet Auerr. in com. 49. &
59. lib. 2. de Cœlo. Vnde nõ pessimè quispiã deduce-
ret, motrices quoq. intelligẽtias eodem sese habere
modo, siquidem ipsius & Aristotelis sentẽtia earum
natura & perfectio ex orbe mouẽdo iudicatur tota.
At tum cœli, tum intelligentiæ, mortales non sunt.
Quod nõ idcircò dixi, quòd Aristotelem ita sentire
putẽ: sed ad Auerroistarũ audaciã reprimẽdam. Cur
autem in immortalibus intelligẽtijs indiuiduorum
multitudo à plerisq. ponatur, & ego nõ Aristotelis,
sed veritatis calculo ponendã existimẽ, nõ est huius
loci dicere, in quo de solis animab⁹ nostris quæritur.
Eas verò intelligat aduersari⁹ propter homines, qui
plures sunt, multiplicati: nã eorũ vtusquisq. propriã
sibi formã postulat. Hominũ porrò multitudinis alia
eáq. verior ex religionis nostræ principijs adferri pos-
set causa. Sed aduersarijs, qui solis Philosophi armis
pugnãt, sat fuerit respõdere illã ipsam quã illi dicũt
nõ intellectus sed hominis caducitatẽ. Totum enim
hoc coniunctũ, homo breui tẽpore dissoluitur; non
intellectus, sed corporis defectu. Multiplicique ge-
neratione atque indiuiduis genitis opus est ad spe-
ciem ac naturam humanam tueri & conseruare.

Caietãni opinio de intelligente anima.

Cæterũ singularẽ quandã in hac animarũ multitu-
E dine Thomas Caiet. habuit opinionẽ. Nã in com. ad
1. part. sum. S. Tho. q. 85. art. 7. inæqualitatẽ quãdam
perfectionis cogitauit, vnáq. substãtia perfectionem
altera esse voluit. Nimirũ & Platonici quidpiã eius-
modi tradiderũt. Quippe in Alcibiadẽ Procl⁹, & alij
eius scholę nõ ignobiles Philosophi animas nobilio-
res sublimiorũ Deorũ pedisequas, atq. à maioribus
potentijs dependẽtes esse dixerunt aliásq. ex sphæra
solari esse, alias ex Mercuriali, alias ex lunari. Perfe-
ctiores item potentioribus subiectas esse dęmoni-
bus ab eisque seruari & dirigi: imperfectiores verò
inferioribus subesse. Verùm hoc iure optimo à cæ-
teris omnibus reprehenditur. Apertè namq. Arist.
in tex. 11. lib. 3. Met. in specie nos monuit nihil esse
prius, nec posterius; quod æque ab indiuiduis om-
nibus participetur. Et textu 10. libro 8. species est

velut numeros. Atq. in libros categoriarum, substãtiã non susciperе magis & minùs. Quod in omnium perfectissima intelligẽte anima maximè verũ fuerit. & quãnam tãdẽ Caietanus inæqualitatẽ dicit? Si gradus cuiuspiã essentiæ, differrẽt inter se specie. Si latitudinis alicuius, qualis in calore & eiusmodi qualitatibus cernitur, susciperet magis & minùs; quemadmodum qualitates. At anima substãtia est: impartibilis igitur. Idẽ de intellectu credendũ. Quod enim vnus homo meliùs, quàm alter intelligat; ex meliori corporis phantasmatũ, cerebri, spiritus, ac sensuũ, ex quibus intellectus pendet, dispositione prouenit.

Respõdetur argumẽtis contra formationem. 1. an. t. 29.

1. Ergo vt ad Auerroëm reuertamur, qui tuẽtur illius partes, permulta ex Philosopho nobis obiectãt. Ac primũ vt formãtem formã nõ esse ostendãt, eũ proferũt in t. 92. li. 1. huius operis asserẽtem, ne fingi quidẽ posse quãnam corporis partẽ occupet intellectꝰ. Ex quibꝰ verbis eũ colligũt corporis formã nõ esse, sed ab omni corpore seiunctũ existere. Nos respõdemus intellectũ substãtia quidẽ & natura sua à corpore abiunctũ esse; at nõ formatione. Neq. vllã determinatã corporis partẽ, vt inquiebat Plato, eũ occupare: sed vniuersũ formare, ac perficere; nõ minùs, quã alia quælibet formãs forma. Ac demũ nõ occupare vllam corporis partem, hoc est nõ esse organicum; quemadmodum facultates cæteræ sunt, quę in corporis determinata parte velut organo viget & operantur: vt videndi vis in oculo, audiendi in aure.

2. an. tex. 11.

2. Deinde in 2. lib. Philosophũ inquiũt post generalẽ animæ definitionem expositã, duo in t. 11. subiũxisse. Primũ, definitionẽ illã nõ prohibere, quominùs intelligẽs anima separetur à corpore, propterea quòd nullius corporis actus sit. Alterũ, eã esse actũ corporis, sicut nauta nauis. Hoc loco perperã eos abuti manifestũ est: tũ ex Aristotelis probatione in t. 8. & 9. & rursum in t. 24. 36. & 37. vbi actũ illũ quẽ omni animę cõmunẽ definierat, essentialẽ is & formantẽ esse demõstrauit. Tũ ex alijs locis antea cõmemoratis, quibus eãdem sententiã declarauit. Deinde quoniã id, quod tãquã minimè manifestũ Philosophus pronũtiauit, illi tanquã manifestũ & affirmatũ accipiũt. Tũ verò quia quod in posteriori propositione de omni anima dicitur; Ipsi de solo intellectu proponũt. Vera autẽ interpretatio est, quã ibi pluribꝰ explicari; definitionẽ eam nõ prohibere, quominùs hæc anima separetur, quippe quæ nullius corporis sit actus inhærẽs atq. ab eo pẽdens, sicut cæteræ partes animæ. Verum dans quidẽ esse & formãs corpus, per se tamen subsistẽs: neq. determinato vllo corporis organo, sicut reliquæ omnes animæ & formæ, ad operandũ vtẽs; sed propriã sibi & abstractã habẽs operationem, quam etiam sine corpore promere possit. Hoc enim (nullius corporis sunt actus) opponitur illi (quarundam enim actus partium est ipsarũ.) Quare vt hoc significat esse actũ velut determinati organi, quo operetur; vt visus oculi, auditus auris: sic illud significare oportet, nullius partis corporis tanquã determinati organi, quo ad operandũ egeat, intellectũ esse actũ. Neq. enim id fingi potest, vt in t. 92. lib. 1. dictum est. Sed esse dũtaxat actũ totius corporis, tanquã subiecti & materiæ, nõ tanquã organi. Hoc nimirũ intellectus differt ab animabus cæteris, quæ & tanquam subiecti & tãquam organi actus existũt. Et ideò illæ inseparabiles, intellectus separabilis. Quãquam nihil eo loco Philosophus de hoc cõstituit: sed solũ affirmat ex hac parte nõ impediri, quominùs separabilis sit. Itaq. nullũ inde pro Auerroë sumi argumentum potest, sed contrarium potiùs: siquidem non negat,

Intellectus, vt nullius corporis actus.

A sed supponit Philosophus intellectum formantem esse, negãtque esse organicum.

Huc etiam spectat nautæ nauisq. cõparatio. Nam etsi cùm manifestum non esse dicitur, an intellectus sit vt nauta in naui, non magis illi formare possit, quã nos negare: neq. inde quidquã colligere adsentido liceat. Cõparatio tamẽ est cum nauta, nõ quatenus assistit naui, sed quatenus subsistẽs est, & perficiẽs nauim, nec tamẽ ab ea pẽdens, quin propriã potiùs operationem habens, qua sine naui esse possit. Quod ex duobus cõfirmare licet. Tum ex t. 28. & 12. li. 12. Metaph. vbi intelligentẽ animam velut formãtem formã esse nõ posse ait prioré eo, cuius est forma: Posse tamen esse posteriorem. Exponit enim cõparatã eam cum nauta nõ fuisse, quoad assistentiam, sed quoad subsistentiã & actionem propriã, qua posterior naui esse potest. Tum verò ex eo, quod non esse adhuc manifestũ ait, nũ sit actus vt nauta nauis. Pluribus igitur id post declarãdum est. At nusquã in cõsequenti tota tractatione assistentem esse declarauit: sed potiùs vt antea in t. 8. & 9. essentialem esse probauerat, sic rursum in t. 24. 36. & 37. demonstrat. Probauit autem subsistentem minimèq. à corpore pendentẽ esse, cùm in t. 4. & 6. li. 3. impermistã & impatibilẽ esse demõstrauit. Aliã præterea in illius loci cõmentario interpretationẽ feci nõ minùs Philosopho cõsentaneam, quã ad cõpescendam aduersãtium importunitatem opportunã. Non cõparat animam cũ nauta, quatenus est à naui separatus, & non illius pars, sed quatenus eã mouet & regit. Vereũque ex data definitione intelligebatur solùm animi formare & dare esse: non item regere & gubernare. Neq. dubitatio ea de solo intellectu, sed vniuersè de anima omni proponitur, nũ sit actus vt nauta nauis. quocirca cõsequẽs esset, animã omnẽ assistẽre esse.

Tertiò quoniam vidẽt vix negari posse animã definitã actum formãtem & essentialẽ esse, vt eam definitionẽ non eodẽ modo intelligẽti animæ, quo cæteris, cõuenire ostẽdant: proferunt t. 21. & 32. eiusd. lib. in quibus de Theoretico intellectu ait Philosophus nihil adhuc manifestum esse, dẽq. eo alibi esse sermonem. Verùm neutrum locum illorum eatenus patrocinari, satis ex illis cognoscetur, quæ tum in digressione ad tex. 11. eius libri, tum in illorum locorum cõmentarijs tradidi.

Quarto loco objiciũt t. 4. huius 3. lib. In quo & intellectũ is ait nõ esse cum corpore permistũ, & Anaxagorã hoc nomine laudat: qui sanè nõ similiũ partium formã, sed mouentẽ dũtaxat & assistẽtem eum faciebat. Nequaquã ea fuit Aristoteli mẽs, quã Auerroës credidit, vt intellectum probaret neq. esse corpus, neq. virtutem in corpore, sed abstractam atq. à corpore separatam naturã. Quin potiùs, vt antea interpretatus sum, immaterialẽ eum esse & incorporeum. Hoc enim est impermistum esse, cum materia scilicet omnibúsque corporeis & sensilibus rebus, quas intelligit, velut spiritalem naturã ab illis omnibus diuersã. Atq. huc Anaxagoræ testimonium spectat. Nimirũ cùm duo is de intellectu sentiret, cum ex similibus partibus, quèadmodum cætera omnia, permistum nõ esse, ac per se seorsim existere tanquã eas omnes mouẽtem ac permiscentẽ: priore dumtaxat parte Philosophus vtitur. Atq. vt similium partium Anaxagoras, sic illę materiæ rerumq. corporearum ac sensilium permistione eum constare negat. Nõ item posteriore. Quin ab ea potiùs dissentire testatur nõ semel, cùm nõ de separato aliquo intellectu, sed de eo, qui pars animæ sit, quóq. cognoscit

anima

anima & sapit, admonet ibi sermonẽ esse. Quãquam in t.24. & 31. lib.1. Anaxagoram item legimus intellectũ eum esse animam voluisse atq. in animalibus cũctis inesse. Vno verbo dicã. Non negauit Philosophus intellectũ esse cum nostro permistũ corpore, velut formã materiam totam peruadenẽt ac penetrantem, seséque in omnes eius partes insinuantem (alioqui Auerroës quoq. qui assistentem facit, eum dicit totum penetrare corpus, sicut intelligentia cœlestẽ orbẽ mouens totũ peruadit) sed naturam eius permistã esse noluit ex obiectis, quæ ab illo debent intelligi, vt intelligere omnia possit: naturamque habere asseruit ab illis omnibus diuersam, atq. ad omnia potestate. Neque inde quidquam colligere licet, quod formationi aduersetur.

5. Quinto adducũt t.6. eiusd. li.3. Vbi de hoc ipso nostro corpore loquẽs Philosophus intellectũ tradidit non esse cum eo permistũ, neq. organicũ. Vtrũq. verissimè dictũ est. Verũ vt mox intelligetur, quemadmodũ id ex antecedẽtibus deducitur; ita nõ permistum cum corpore nequaquã significat nõ formam corporis (quis enim accuratè loquens formã diceret cũ materia permistã?) Sed immaterialẽ & incorpoream naturã, nõ eiusdẽ cõditionis, cuius est corpus: neq. organicã, hoc est ab organo vllo nõ pendentẽ, nec eo in sua operatione vtentẽ. Sic enim intellectꝰ partim cũ animabus cæteris cõuenit, partim ab illis discrepat. Conuenit generali animę illa definitione, quòd omnes sunt actus corporis essentiales. Discrepat, quòd ipse est actus immaterialis, incorporeus, dans solũ, nõ accipiẽs esse à corpore, neq. ab eo tanquã organo pẽdens; quẽadmodũ cæteræ partes animæ, quæ vicissim dant & accipiũt, determinatóque corporis organo alligatæ sunt. Quare cùm antea id, quod commune est, explicasset, subiũxit eo loco id, quod intellectus proprium erat; &, vt in tex.1. proposuerat, quam is differentiam habeat.

6. Sexto in t.17. eiusd.3.li. intellectus agẽs & patiens eiusdem animæ dicuntur esse differẽtiæ: at in t.19. & 20. intellectus agens inpermistus, & separatus esse traditur: erit igitur & intellectus patiens, & anima, cuius ambo illi differẽtiæ sunt. Huius argumenti explicatio tũc erit manifestior, vbi de agẽte intellectu fuerit dictũ. Interim propositionẽ fateor verã: atq. agentẽ intellectũ respondeo impermistũ eodẽ modo, & separatum dici, quo de patibili in quarti & quinti argumenti explicatione respondi. Non inquam quòd non sit corporis forma, sed quòd nec materialis & corporea, nec facultas organica.

7. Septimò extat c.1. li.1. de part. anim. Quo loco intelligentẽ animã ad naturalẽ Philosophũ ait nõ pertinere, nõ esse naturã, nõ principiũ motus, nõ habere rationẽ finis, essẽq. substantiam prorsus abstractã. Verũ non hũc modõ locũ, sed cõplures alios huic similes, in quibus significare visus est animã hãc naturalis considerationis excedere limites, quomodo intelligere oporteat, satis supérq. declarauí, cùm 1. lib. hoscę de anima interpretãdos suscepi. Ibi enim vniuersam hanc disputationem copiosè tractari.

8. Octauò illis verbis abutũtur, quę sunt in c.10. li.4. eiusd. operis. Hominis naturã atq. substãtiam diuinã esse diuiniq. officium esse intelligere & sapere. Non enim diuinũ hominem appellauit, vt argumentãtur illi, quòd eius mẽs separata substãtia sit. Sed vt ipsemet interpretatur, quòd intelligẽs natura, & sapiẽs; quemadmodũ Deus, mentésq. diuinæ. Contrarium veriùs collegissent. Nam si hominis natura atq. substãtia diuina est, quòd intelligẽs est & sapiẽs; forma igitur illa, qua intelligit & sapit, naturã & substantiã eius cõstituit; estq. formãs, nõ assistẽs. Nõ enim cœli naturam diuinã dicimus aut intelligentẽ, quòd assistat illi intelligẽtia. Viderint etiã sapiẽtes, quàm hæc deductio sit sapiẽs; Anima nostra appellatur diuina, nõ est igitur formãs, sed assistẽs. Etenim nõ solùm in c.3. li.2. de animaliũ procreatione, animæ omnes diuino quodã participare tradũtur: verũ etiam in t.81. li.1. Phys. omnis forma diuinũ quidpiam appellatur, quoniã dat esse, quod diuinũ quidpiã est. Quocirca dum homo propter hãc animã diuinum quidpiã appellatur, eã colligendũ potiùs fuit dare homini esse: ac reliquas quidẽ formas vno nomine diuinas dici, quòd dẽt esse; nostrã verò duplici, quòd & det esse, & esse intelligens. Et verò etiam triplici, quòd immortalis sit & sempiterna, aptáq. semper dare esse. Sic enim in tex.34. lib.2. huius operis semper esse diuinum quidpiam appellatur.

Nono accipiũt illa verba, quæ sunt in c.3. li.2. de animaliũ procreatione; sola mens forinsecùs accedit, cáq. sola diuina est: nihil enim cũ eius actione communicat corporis actio. Non igitur formãs, sed assistẽs est. Diximus de horũ verborũ sententia, cùm de huius animæ origine disputaretur. Sed & rursum dicere importuni cogũt aduersarij. Ergo Philoponum, nitto illius loci cõmentario, nõ de animæ substãtia, neq. de facultate, sed de habitibus, qui simul cũ anima nõ innascũtur nobis: verũ labore, studio, atq. industriã post cõparantur, verba illa interpretantẽ: solámq. rationalẽ animã inesse nobis cõtendentẽ, quæ alijs atq. alijs tẽporibus vegetãtes, sentiẽtes, & intelligẽtes operationes præstet. Simonẽ etiã Portiũ scio in lib. de humana mẽte verba illa intellexisse de intellectione vt pendet ab intellectu agẽte, qui extra nos sit. Atq. alios de Theoretico intellectu, quem in t.21. & 32. 2. li. de anima in aliũ reiecit locũ. Ac Petrũ deniq. Põponatium in 1. Apol. lib. ca.7. de intellectu, quatenus ab externo agẽte & principio producitur.

Sanè locũ eum obijcere nobis illi nõ possunt, qui pro Auerroë aduersus disputãt. Nãq. Auerroës ipse ita illũ intepretatus est: De intellectu tamẽ, inquit; dubiũ est; cùm eius operatio nõ videatur cõmunicare cũ organo corporeo. Verùm quidquid sit, ea verba secus omnino, quàm illi velint, Aristotelẽ sensisse testãtur. Primũ quoniã de animabus omnibus perinde loquitur, fœtũ per vegetãtem esse plãtã, sentiẽtem animal, per intelligẽtem hominem. Quare vt in illis, ita in hac (esse & fieri) essentiã nõ assistẽtiam significare oportet. Deinde quia dubitatio, quã de anima intelligẽte proponit, nõ est, qui possit eodẽ modo, quo cæteræ, esse actus & forma: sed hoc posito tãquam omni animæ cõmuni, dubitatio est, an insit in semine, quoúe accedat tẽpore, quomodo, & vnde. Quã Philosophus diluẽs principio accipit, tũ vegetantẽ, & sentiẽtem, tum intelligentem, potestate priùs in cõceptibus haberi, quàm actu. Vnde intelligas omnes actus essentiales fore; siquidem potestati adueniũt, atq. cum ea cõiunguntur. Deinde modum exponẽs, quo potestas ea reducatur ad actũ: hac vtitur partitione. Aut animæ omnes de nouo fiunt, aut omnes antea erãt, siue per se cohærẽtes, siue cõtentę in semine: nõ enim aliud apparet corpus, cũ quo fœtui aduenire possint: aut aliquæ demũ fiũt de nouo, aliæ autẽ præerãt. Tum verò omnes autẽ non fuisse, hoc argumento demõstrat. Aut ille antea fuerũt ab omni corpore separatæ atq. extrinsecùs, hoc est ipsæ per se & ab omni sciunctę corpore accedũt aut cum semine adueniũt. Ab omni corpore se[illegible]

que ideò forinsecùs aduenire, vegetans & sentiens nequeunt: siquidem ea sine corpore esse nō possint, quorū operationes corporeæ sunt, neq. sine corpore perficiuntur. Neq. item adueniunt cū semine: quippe semen excrementum quoddam est, non organicum & animatum corpus. Ita mentem solam cōficit extrinsecùs accedere, solāmq. diuinā esse: quoniam actionem habet sibi propriam, quam sine corporis organo perficere potest.

Id verò duobus modis licet accipere; aut asserendo aut disputando. Si verè asseruit hanc solam animam forinsecùs aduenire; non ita asseruit, quasi eam voluerit ante ea fuisse, neque de nouo fieri: omnes enim iam dixerat potestate priùs esse, quàm actu, eodeq. hanc modo, quo cæteras: Tum quia in t. 65. lib. 1. de anima eam tradiderat nobis innasci atq. in nobis gigni, hoc est de nouo fieri. Tum quia in tex. 16. lib. 12. Metaph. apertissima extat sententia, nullā formam antecedere coniunctum posse, subeāq. generali propositione intelligentem quoque animam contineri subiungitur in t. 17. Verùm cùm hoc sit omnibus cōmune, eam voluit esse differentiā; quòd cæteræ sine corpore non producantur, sed ex materiæ potestate virtute seminis eruantur; intellectus sine corpore in corpore potestate existente aliunde gignatur. Atq. hoc nomine forinsecùs dicatur accedere. Hoc declarat verbum illud (ἐγγίνεσθαι) innasci, quo in memorato textu vtitur: quod significat in nobis fieri & produci, nō ex nostrorum corporum materia educi. Sicut & illud (substātia quædā existens) explicat hoc (eáque sola diuina est) hoc est immaterialis & per se existens substātia. Quod ex operatione probat, quæ cum corpore nihil habet cōmune, neq. illius organo vtitur. Itaq. cōmune animabus omnibus est, actū & formam corporis essentialem esse: diuersum autem; quòd aliæ quoquo modo præfuerūt in semine, hoc est virtute agendi ipsius: & rursum in potestate tum passiua, tum vnitiua materiæ. Et ideò cùm sine corpore non producantur, dici nequeunt aduenire forinsecùs. At intellectus neq. in semine, neq. in passiua materiæ potestate præest: atq. hanc ob causam & sine corpore produci & forinsecùs accedere affirmatur; solúmq. cum corpore, vt illud perficiat, actúque faciat, vniri; dum ab alio superiore agente in eo producitur. Qua in re eò solū pertingit seminis virtus, vt ad hanc vnionem atq. intelligentis animæ susceptionem corpus oportunè disponat ac præparet.

Quòd si non asserendo, sed disputando Philosophum id deduxisse affirmauero: verā propositæ quæstionis explicationem, non hisce, sed illis, quæ post subijciuntur, verbis cōtineri dicam. His autem, quæ antecedunt, ad inuestigandum veritatem; vt alibi sæpe, disputari. Ac tripartitę partitionis factæ membrū illud præ cæteris agitari, quod ad eam maximè erat, Non omnes inquam forinsecùs aduenire; quod ex animabus illis, ducto argumento impugnet, quæ nō nisi corpoream, & corporis organo perfectam operationem habent. Vnde solā collegit superesse mentem, quæ accedere forinsecùs possit: quod ea diuina sit, neq. corporeo ad operandū egeat organo. An autem ita sit nec ne, nihil statuit: cùm ad impugnādum illud, animas omnes forinsecùs aduenire, satis esset ostendisse cæteras aduenire nō posse. Post autem ostendit alio quodā modo præesse omnes in semine, quod aut eas producendi, aut materiæ certè ad earū præstantissimam susciendā disponendi vim habet. Quocirca vtrā interpretationē elegerint aduersarij, nihil inde ad id, quod volunt, cōficiendum habebūt.

Decimo demōstrationem illā adducunt, qua in 8. Phys. lib. t. 78. 79. & 80. vt primū motorem ostenderet, nō esse formā in magnitudine; principiū illud accepit, Virtutem omnem, quæ est in magnitudine, extensam esse, atq. cum magnitudine diuiduā. Actus intellectus est essentialis actus & forma magnitudinis: est nimirum in magnitudine: extēsus igitur & diuiduus, atq. adeò inseparabilis & mortalis: quē plures in locis separabilē & æternū Philosophus prædicat.

Verùm quisquis ita argumēratur, intelligat oportet, quid virtus in magnitudine eo loco significet, quidq. Aristoteli propositū esset. Propositū enim ostendere primū motorem nō esse formā, aut virtutē materialē, sed incorporeā & immaterialē substātiā. Virtutéq. in magnitudine appellat eā, quæ materialis sit & corporea. Duobus enim modis dici potest virtutē esse in magnitudine: aut magnitudinē perficiēs & dās illi esse, ita vt ab ea pēdeat magnitudo: aut inde accipiēs esse, pēdénsq. à magnitudine; quēadmodum formæ cūctæ, tū accidētis; tū substātiæ, quæ ex materię potestate educūtur. Hę propriè dicūtur esse virtutes in magnitudine; quippe quæ naturā totam eruta inde ac pēdentem habēt. De his solis loquūtus Aristotelē fuisse, testatur illud ipsum, quod accipit, virtutē, quæ est in magnitudine, extensam esse atq. diuiduā. Non enim aliā ob causam id euenit, quàm quòd ex materia extēsa, & diuidua educatur, tota et tota, parsq. ex parte. Quare vt essentiā inde habet, sic nō nisi extensam & diuiduā, hoc est origini & causę suæ similē habere illā potest, estq. à magnitudine inseparabilis: At quæ aliūde naturā habeat virtus, est ad magnitudinē perficiendā accedat, quia tamen essentiā à magnitudine nequaquā accipit, nec imbuit extensionem, nec alia vlla inquinatur illius labe; potéstque ab ea separari & per se existere.

Duplicē porro perfectionē potest hæc forma magnitudini tribuere: aut actus primi & essentialē aut actus secūdi & operationē duntaxat. Primus motor atq. intelligētiæ cæteræ altero horū modorū, altero intellectus humanus in magnitudine virtutes sunt. Sed vt illæ intimas licet omnes cœlestiū corporum partes permeent, singulisq. vniātur, cū illis tamē nō extendūtur, nec diuiduæ fiūt: ita neq. hic labē illam ex corporibus nostris cōtrahit; licet illæ ad actum secundū motus, hic ad actū primū essentiæ coniungitur. Quoniā vterq. actus, & vtraq. virtus aliūde, quā ex magnitudine, cui vnitur, essentiā & naturā habet. Propterea vterq. separabilis est. Tértiq. existunt gradus; quibus posset virtus dici esse in magnitudine. Primus proprius, qui formæ est materialis & pēdentis ex magnitudine. Alter minùs proprius, formæ, quæ dat esse materię, immaterialis ipsa cùm sit, neq. à magnitudine pēdens. Tertius demū assistēntis solū formę magnitudinēq. mouentis. Hic intelligentiarū est motricū, alter animæ nostræ; primus cęterarum formarū. Supra omnes addē dus est Deus, qui virtus est nullo modo in magnitudine, sed penitus abstracta: nisi quatenꝰ immēsitate sua replet omnia adesque omnibus. Quāquā hęc nō cognouit Philosophꝰ qui eum primū esse supremi orbis motorē credidit.

Vbi ergo primū motorē probauit virtutē non esse in magnitudine, id ipsum probasse dixeris, quod post in 3. lib. de anima, de intellectu nostro demōstrauit, cùm impermiltū eum esse ostendit; hoc est nō materialem & corporeā virtutem. Eodemque argumenti genere vtrumque confecit. Nempe ex operatione. Alterum ex cœlorum motu, qui & æternus & cum tempore esse debet. Alterum ex intellectione, quę omnia

omnia comprehẽdit. Quòd si quis obijciat, ita fore, vt non probauerit primũ motorem atq. intelligentias cæteras nequaquã esse formas cœlorũ essentiales; eóq. saltem modo virtutes in magnitudine esse, quo anima nostra esse dicitur. Non defuerunt sanè, qui ita senserint rem habere. Ego verò Philosophũ dicam, illud tunc non demõstrasse, sed tanquam antea demõstratum accepisse. Nam à tex. 45. vsq. ad 54. primum motorem probauerat æternũ esse atq. immobilem, tum per se, tum ex accidenti. Quòd si forma esset essentialis, moto cœlo ex accidẽti moueretur. Hoc autem demõstrato, ex quo manifestũ erat partem eum & formam cœli non esse; probauit nec omnino esse corpoream virtutem; quæ ad mouendum cœlũ accederet. Verùm hæc alterius loci sunt: nunc ad rem præsentem satis.

Vndecimò verba illa nobis proponũt, quibus Aristoteles in 10. lib. de moribus ad Nicomachũ c. 7. de Theoretica fœlicitate loquẽs, quã in intellectu operatione ac cõtemplatione posuit; Non enim, inquit, quatenus homo est ita viuet, sed quatenus diuinum quid in ipso ineſt. Ac rursum; si intellectus diuinum quid est, si ad hominem respiciamus; sic vita, quæ ex intellectu traducitur, si humanę vitę cõparetur, diuina etiam ipsa est. Hęc namq. inquiunt, apertè testantur Philosophi sententiam fuisse, hominis formam, qua homo est, non intellectũ, sed aliam quandã esse: intellectũ autẽ tãquàm diuinius quidpiam illi adesse.

Mihi verò mõstrorum planè videtur ac portentosum, fœlicitatem, quam proprijssimũ homines bonum esse oportet, non in propria ipsius, sed in externæ substãtiæ operatione ponere. Tantumq. abest, vt id sibi voluerit eo loco sapientissimus Philosophus, vt cõtrarium prorsus posstremis illius eiusdẽ capitis verbis affirmauerit: quibus ea, quę ab aduersarijs obijciuntur nobis ad hũc modum interpretatur. Quod enim, inquit, naturæ vniuscuiusq. propriũ est, id prestantissimum, ac iucundissimum vnicuiq. est. Ergò homini quoq. vita, quæ ex intellectu traducitur; siquidem maximè id homo est. Quid igitur inquiunt hominem non esse hominem per intellectum, si intellectus maximè homo est, illiúsq. operatio naturæ hominis accõmodatissima & proprijssima: Nã quod antea dixit, vitã, quæ ex intellectu traducitur, diuinã esse; ac præstantiorem, quàm homini cõueniat: propterea dixit, quòd homo tribus modis considerari possit. Aut quatenus intelligens est ac mente valet cõtemplationéq. fruitur: aut quatenus ciuile animal & politicum atq. in agendis rebus versatur, mentisq. illam cognitionem ad actionem refert: aut demum quatenus ex corpore & anima seu ex intellectu & sensu cõpositus est. Cùm igitur Theoreticam fœlicitatem in solius intellectus functione, vt omniũ præstantissima & diuinissima, posuisset; actionem eam meliorem multò ac nobiliorẽ esse dixit, quàm sit actio ciuilis hominis, dũ ex morali virtute operatur, in qua fœlicitas actiua cõsistit. Hęc enim homini cõuenit, vt homo est, hoc est vt ciuile animal & cõpositum quidpiã ex anima & corpore; ex cognitione & actione, ex intellectu & sensus perturbationibus, in quibus edomãdis versatur moralis virtus: illa, vt intelligens est Deóq. ac separatis mẽtibus simillimus. Priorem appellat vitam secundùm intellectum, hoc est hominis quatenus intelligens est: posteriorem, humanam vitam seu hominis vt homo est, hoc est, ciuile animal ex anima & corpore, ex intelligente ac sentiente natura compositum. Etenim homo nominatur eo loco velut mediũ quidpiam inter separatas mentes & animalia rationis omnis expertia: illis quidẽ inferius, his autẽ superius. Conuenit nãq. homo cũ illis, quòd intelligat; cũ his, quòd sentiat ac perturbationibus incitetur; medius inter vtrãq. naturam, quòd ratione sensui ac perturbationibus dominetur, eáisq. ad rectæ rationis præscriptũ moderetur. Intelligere & contemplari diuina vita est, id est, Deo & intelligentijs similis: perturbationibus duci eisq. obtemperare, bestialis: virtute illas ac ratione frenare, humana. Prima intellectus Theoretici est, postrema practici, quia prudentia maximè nititur; quæ supereſt, sentientis appetitus. Quare cum intellectus practicus & Theoreticus eadẽ animę facultas sint; si practicus, humanæ vitæ principium, hominis existit forma, qua diuersus à bestijs est, erit quoque Theoreticus, quo homo est homo, separatis substãtijs persimilis & cognatus, melior ac superior tũ bestijs, tum seipso, quatenus altero illo modo consideratur. Verùm etsi hæc vita non humana, sed diuina propter eam, quã exposui, causam dicatur, quoniam solo intellectu viuere soliq. contemplationi vacare, supra hominem est, superiorúmq. substãtiarũ propriũ: verè tamen alio modo humana est, immo maximè humana, quia maximè & per propriã eius fõrmam illi conuenit. Quod posstrema illa, quæ citaui, eiusdẽ capitis verba testantur. Itaq. ex hoc ipso loco cõtrarium prorsus cõficitur, quàm aduersarij velint.

Homo inter separatas mẽtes & bestias medius.

Duodecimo prouocant nos ad t. 51. lib. 12. Metaph. vbi cùm intellectus diuinus diceretur, eo quòd sit à materia abiũctus, impartibilis esse, quoniã omne abiũctum à materia impartibile est, huiusmodi quoq. humanus intellectus esse asseritur. Non est igitur is materiæ forma, sed substantia separata, vt intelligentiæ cæteræ. 12. 12. Metaph. 51.

Respõdendum est, non truncatam, sed integram sententiã adferendã esse. Cũ enim in intellectu primo affirmasset Philosophus idẽ esse id, quod intelligit, id quod intelligitur, & intellectionẽ, deindéque quæsiuisset, an is cõpositorum sit: quoniã si ea intelligit, per partes intelligere videtur, ideóq. mutari, dũ ab vna trãsit ad aliã. Respõdit impartibilem eũ esse, quoniam omne nõ habens materiã impartibile est, quemadmodũ humanus intellectus, aut qui cõpositorum in aliquo tẽpore se habet. Quo loco certũ est sermonem nõ esse de impartibilitate essentiæ, sed operationis. Tum quia de hac quærebatur. Tum quia ineptũ fuisset probare, Deũ esse natura immaterialẽ & impartibilẽ, siquidẽ humanus intellectus eiusmodi sit: notiúsq. id sit in Deo, quã in intellectu nostro. Neq. tã intellectus diuinus cũ humano cõparatur, quòd sit sine materia, quã quòd impartibiliter intelligat. Verũ hęc operatio nõ semper, sed aliquo tẽpore intellectui ineſt humano, quãdo ad perfectionem perducit totũ simul obiectũ cõprehendit. Nõ enim benè se habet in hoc aut illo, hoc est in huius vel illius partis cognitione: verùm in toto quodã, quod optimum est. Tunc inquam perfectus est, cùm totum simul intelligit. Itaque intellectus noster partibiliter interdum intelligit, dum per partes progreditur atque ab vna ad aliam ratiocinatur: interdum impartibiliter, vbi totum tandem simul cõprehendit. Hoc, quod aliquãdo in intellectu nostro cõtingit, in diuino affirmat esse perpetuũ; quia seipsum intelligẽdo totum simul obiectũ intelligit. Verbaq. illa (aut qui cõpositorum in aliquo tempore) adiecta sunt ad declarandum quo modo humanum intellectũ nominasset. Non inquã absolutè & vniuersè, sed quatenus composita intelligit: vt argumẽtum

quasi à minori significaret: si humanus intellectus, qui omnium infimus est & imperfectissimus, quemque certum est cõpositum esse, ea tamen ipsa tempore aliquo impartibiliter intelligit; multò id magis imperfectissimo intellectu diuino credendum est esse perpetuum. Quod autem ad essentiæ impartibilitatem attinet; quoniam intellectus vterq. immaterialis est, vterq. sanè impartibilis item est. Verùm alter, tum immaterialis in se, tum nullius materiæ actus: alter in se quidem immaterialis, materiam tamen formans & perficiens. Qua in re cùm nequaquam pendeat ab ea materia, quam format, neq. ex ea productus fuerit; nil eius impartibilitas patitur detrimenti: sed perinde impartibilis est in materia, ac si ab omni materia foret abiunctus. Nobis verò licebit potiùs hoc ipsum argumentum in aduersarios nostros retorquere. Nam si intellectus noster non semper vt abstractus, sed aliquo solùm tempore impartibiliter intelligit, ad eámq. intellectionem per partes ex sensibus & phantasia ratiocinando progreditur; non est igitur is omnino à materia abstractus: quin verus materiæ actus, veráque forma.

Hęc fermè sunt, quæ illi ex Aristotele congerunt, vt eum ostẽdant intelligentem animam nostrorum corporum formantem formam non fecisse. Leuiora enim quædam sciẽs prætermitto. Cæterùm nec argumenta desunt, quibus eorum opinio suaderi videatur. Primum illud est, quòd intelligentis animæ facultates, intellectus & volũtas, abstractæ sunt, nec vllo modo in materia: alioqui inhærerent illi, cùm sint accidentia: non inhærere autem tum ex conuersione in seipsas cognoscitur, tum ex immaterialium conceptione, ex libertate, & alijs, quæ antea commemorata fuerunt. At facultates abstractæ magis melioris cõditionis esse nequeunt, quàm anima sit, cuius facultates existunt: anima igitur ipsa abstracta est, neq. cũ materia coniũcta; quemadmodũ est omnis forma formãs, quæ essentialiter vtitur & est materia. Respõdendum est facultates huius animæ, intellectum & voluntatẽ, non magis abstractas dici, quàm sit ipsa anima; quòd inquã in ea sola abstracta hæreant, non in corpore: propterea inorganicæ sunt atq. independenter à corpore operantur. Esse autem in materia duobus modis dicitur: aut accipiẽdo esse, & pendendo ab illa; aut dando illi esse: priorique modo reliquę materiales formæ sunt in materia, posteriori intelligens anima.

Intellectus & voluntas vt abstracta, vel in anima.

2. Alterum argumentum est, quòd hæc anima propriam habet operationẽ, cuius ipsa principiũ quod & integrum est, quámq. à corpore seperata exercere valet. Hinc enim cognoscitur perfectam eam esse & integram substantiam: quippe sola supposita & integræ naturæ principium quod operationem sunt Alterius igitur formans forma non erit. Verùm ex eo, quòd propriam habeat operationẽ, nil aliud sapienter colliges, quàm id, quod Aristoteles collegit; eam à corpore non pẽdere, per séq. subsistere & separari ab eo posse: non item perfectam & integram esse substantiã. Nam oculus quoq. propriam habet operationem & per se subsistit vt pars; nec tamen perfectam ens est, sed alterius pars. Estq. anima principium quod partiale suarũ operationũ; suppositũ autem & integra natura principium totale & integrũ.

3. Tertium argumẽtum: si anima format materiam, necesse est & illam esse aptam formare, & hanc formari: quod si ita sit, potestatem naturalem habebit materia ad intelligentem animam, hæcq. ipsa nõ minùs, quàm cæteræ, ex materiæ potestate educetur.

A Neq. enim satis esse videtur id quod dici solet, materiam habere potestatem recipiendi hanc animam, non item vt ex ea educatur. Tum quia susciperetur anima in materia, vt in vase aqua, neque homo esset vnum ens per se. Tum quia dispositiones plurimæ quæ antecedũt, maiorem quam iam indicant potestatẽ. Et cùm ipsæ quoq. materiales sint, materiam nequeunt ad immaterialem formam determinare, quæ essentialiter illi vniatur, sed solùm præparare organum, quo operetur.

Omnino concedendum est animam esse aptã formare, materiámq. formari, si essentialiter vnire debent, & efficere vnum per se. At non continuò consequens est educi formam ex materia oportere, sed B solum actus, & potestatis proportionẽ adesse. Quilibet enim formam, vt actus est aptus perficere, potestas materiæ respicit: actus autem vel materialis est vel immaterialis. Materia quoad vnionem ámq. vtrumq. respicit, quoniam ab vtroq. perfici potest: sed quoad eductionem, solùm actum materialem respicit, qui solus est aptus ex illa educi. Neque vno eductionẽ postulat, sed proportionem vniendarum partiũ. Hęcq. ipsa proportio facit, vt anima nõ suscipiatur in materia velut aqua in vase, sed vt actus essentialis in eiusdem generis potestate.

Quartum argumentum: Intelligẽs anima immortalis cùm sit; si formans formæ fuerit, vim perpetuò C formandi habebit: at corpus est mortale & caducũ: vis igitur illa formandi perpetuò erit frustra & otiosa; animáq. imperfecta & in statu violento. Fatemur sanè animã perpetuò formandi vim habere, sed corporis defectu fit, vt non semper formet: Neq. frustra est illa vis animæ separatę: tum quia suo tẽpore formauit: tum quia post corporis resurrectionẽ rursum formabit, & quidem sempiterno tẽpore, quia vt anima, sic corpus quoq. erit immortale, & sempiternũ. Fortasse & dixerit quispiam absurdum non esse aliquid esse otiosum in individuo, si in tota specie non sit: sunt autẽ semper plurimæ animę actu formãtes.

Quintum argumentum: Omnis forma formans D aliquam materię & cõpositi tribuit operationẽ, siquidẽ cõpositi finis est operatio: at intelligẽs anima nullã impertit nec impertire potest, quia nõ nisi incorporeas & immateriales operationes habet. Videat quicũq. ita argumentatur, eam corpori seipotiùs homini toti operationes tribuere, tum vegetantes & sentientes, tum vero intelligentes: quæ etiam sola hęreat anima, totius tamen hominis sunt, quod ab anima essentiali hominis parte proficiscantur. Nam & visio solius oculi actio est, & hominis tamen toti tribuitur.

Sextum argumẽtum ex vnione ducitur. Anima 6. formans forma sit, essentialiter vniri debet corpori: at vniri à nullo potest. Quippe dispositiones, quę maximè viderentur vnire, materiales sunt: & agens quoq. quod eas producit, materiale est, neq. hęc immaterialis formę vnionem attingere possunt: aliquin eductionem quoq. illius ex materia attingerẽt. Verùm essentialem vnionis vim iam dictum est in actus & potestatis proportione quærendam esse. Accidentarię verò à dispositionibus pendet, quibus ad hanc formam determinatur materia, eáque quodã modo in materiã introducitur, atq. in ea determinatur. Et quid mirũ, si materiales sint dispositiones, cũ subiectum quod illis disponi ac determinari debet, materiale quoq. sit? Quòd si efficientẽ causam quæras, tum à Deo creante illã in materia vniturã, tum à naturali agente materiam opportunè disponente.

Iam

Responsio ad argumenta contra mundum animatum.

Iam ad alteram sententiæ nostræ partem oppugnandam, quæ de illius formæ multitudine erat, hoc primum adferunt aduersarij ex tex. 49. lib. 12. Metaph. Quæcúmque multa numero sunt, materiam habent: intellectus autem cum materia permistus non est 3. lib. de anima tex. 4. Sed aut vniuersè fallum est, causam, cur natura quæpiam indiuidua fiat & numero multiplicetur, materiam esse; déque materialibus solis, & formis, quę educũtur ex materia, verum. Hæ namq. vt esse, sic vnitatem inde accipiunt; numeróq. multiplicantur, dum ex alijs atque alijs materiæ partibus producuntur, vt in t. 28. lib. 7. Metaph. Aristoteles ipse interpretatur. Alioqui in immaterialibus non esset vnitas simpliciter; si ea sola, quæ speciei est, adesset. Sin autem numeri vnitatem habent, iam hæc vnitas absq. materia constat. Intelligentiæ autem ab omni materia separatæ, etsi differre specie dicãtur; indiuiduæ tamen, singulares, & numero vnæ sunt singulæ, cùm in natura subsistunt. Quidquid enim existit, singulare & numero vnum est. Atq. vt ex materiæ, sic ex entitatis & substantiæ diuisione per singulas productiones & existentias, numeralis prouenit multitudo. Et Deus ita est vnus, vt multiplex natura esse nequeat, sed sola persona trinus. In angelis vero probabiliùs multò sapientissimi verò senserunt, plurimos in eadem specie contineri. Deinde duæ quæpiam Mathematicæ lineæ, duóue circuli numero solùm differunt; à materia tamẽ abstracti. Immo materia ipsa singularis est, & numero vna. Quia cũ vnitas affectio sit entis, res vnaquæq. siue materialis, siue immaterialis seipsa est vna; specie quidã aut genere, dum essentia sola graduúmq. essentialium coniunctio spectatur; numero autem, quatenus producta in rebus extra suas causas existit: quæ essentia in materialibus est materia & forma, in immaterialibus sola forma. Aut si materiã omnino velint multitudinis causam esse, animas nostras respondebitur per ordinem ad materiam multiplicari; pluréq. ac tàm multas à Deo produci, quàm multa sunt corpora, quorum illæ actus futuræ sunt. Etsi enim in seipsis indiuiduæ sunt per eam entitatem, quam à Deo accipiunt; quoniã tamen eam accipiunt, vt sint corporis formę, per ordinem ad corpus indiuiduari dicentur.

2. Alterum eorum argumentum est. Multitudo data est ad corruptibilitatis defectum supplendum, vt ex tex. 34. & 35. libri 2. de anima intelligitur; in solis igitur corruptibilibus numeralis multitudo est, non in intellectu, qui immortalis existit. Ad hoc argumẽtum in superioribus responsum est.

3. Tertiò extat probatio illa primi libri de Cęlo, qua 1. de cœlo tex. 125. 5. à tex. 125. & deinceps ostendit ingenerabile & incorruptibile, ac rursum generabile & corruptibile reciprocè dici. Si igitur intellectus multiplicatur, & in dies singulos alius atq. alius in hominibus singulis producitur: corruptibilis sanè dicitur: vel si incorruptibilis est & sempiternus, ingenitum item eũ esse oportet, eundémq. semper in omnibus.

Generabile & corruptibile vt reciprocentur.

Hocipso argumenti genere ad mundi æternitatẽ astruendum vsum aliquando legimus fuisse Proclũ. Sed respondendum est, duobus modis posse generabile & corruptibile nominari. Nam si propriè & per comparationem ad naturales causas loquamur: id dicimus, quod naturalis agentis virtute per motũ ex materia productũ sit, & in eam rursum dissolui queat. Verũ ampliori significatione illud nominare licet, quod quouis modo, siue ex materia, siue sine materia producitur, atq. incipit esse, cum antea nõ esset; rursũq. aboletur & extinguitur, esseq. desinit

A siue naturalis, siue superioris, alteri⁹, ac diuinioris causæ virture atq. actione. Vtroque modo generabile & corruptibile retro comeãt. Sed quẽadmodũ generabile dicitur, ita & corruptibile accipiendũ est. Quod igitur naturalis agentis actione ortũ ex materia habuit, materia formã aliã desiderãte potest ab agente contrario ab ea repelli, hoc est corrumpi: siquidem aliud esse non habeat, quã quod ex materia pendet. Atq. hoc principio vniuersa illa Philosophi probatio nititur: siue quod aliũ generationis modũ sãtis perspectũ haberet: siue quod de materiali hoc & composito mundo loqueretur, qui cùm formã habeat in materia, si productus est, per veram generationem, formęq. ex materia eductionẽ produci debuit. Quare corruptibilis quoq. fuerit. In immaterialibus autẽ manifestũ est generabile & corruptibile nominari hoc modo nõ posse: quod materiã non habeant, nec ex materia aut à naturali agẽte produci queant. Quo magis miranda est aduersariorũ sapiẽtia, si hac vocis acceptione intellectũ aut mundũ corruptibilem fore deducant, quoniam genitus est. Vtigitur eorũ neuter à naturali vllo agente ex materia productus est, sed à solo prępotenti Deo ex nihilo vterq. creatus: ita neuter à naturali causa potest extingui, à Deo duntaxat in nihilũ redigi. Generatio & interitus ex materia & in materiã est; creatio & annihilatio ex nihilo & in nihilũ. In vtraq. cernitur reciprocatio: sed in altera nõ nisi in materialibus & corporeis rebus, in altera in immaterialibus item & incorporeis: illa naturalium agentium, hæc soliùs Dei virtute. Si de altera loquuntur, ingenerabilis est & incorruptibilis, tum mundus tum intellectus: sin de altera, vterq. & generabilis est & corruptibilis. Nihilq. absolute ingenerabile est & incorruptibile, nisi solus Deus qui superiorem causam, à qua pendeat, nõ habet. Aristoteles tamen qui Dei vim infinitam, qua ex nihilo aliquid producere, atq. in nihilum redigere queat, non cognouit, hæc omnia planè non intellexit. Sed de sola generatione & corruptione prioris generis loquens, generale & corruptibile, ingenerabileq. & incorruptibile dixit reciprocari: Quæ quidem vera sunt: at in intellectu, quem immaterialem esse perspexit, ingenerabile & corruptibile vere reciprocantur, non item generabile & corruptibile. Quin etsi per omnes horas de nouo producatur, nõ gignitur tamen, sed accedit extrinsecùs.

Hinc iam quartũ prodit argumentum. Intellectus 4.
non gignitur ex materia (immaterialis enim est & sempiternus) si de nouo igitur producatur, ex nihilo creari eum oportet: productionis hunc modum nequaquam Aristoteles nouit.

Ac rursum quintum ex 8. Physic. libro, desumptũ, 5.
ab æterno agente nouũ proficisci effectũ non posse.

Et vero etiam sextum, actionẽ Dei tantopere Phi- 6.
losophum limitasse, vt sine cœlorum motu, causisq. secundis producere nihil posse.

Ad hæc omnino vniuersè primũ dicendũ est, Aristotelem, vt ex sensibus, rebusque solum sensatis Philosophatus est, sic de ijs, quę à sensibus remotiora sunt, assequi omnia non potuisse: de Deo inquam, de separatis mentibus, déq. anima nostra: Animam hanc formantem esse formã cognouit: & ideo tum hominum numero multiplcatam, tum corpora nostra non antecedentem. Modum, quo singulę de nouo in singulis producantur, cum quęreret, ex operatione abstracta & in seipsam redeunte, cęteráque omnia comprehendente intellexit statim eã habere subsistãtiam abstractã impermistáque materię: ac proinde ex materię & corporis potestа-

De anima mundi quid Aristoteles cognouerit

te, quemadmodum plantarum ac mutorũ animas, actione ſeminis non produci, verùm aduenire forinſecùs, ſubſiſtentemq. ſubſtantiam, non à corpore pendentẽ, nobis innaſci. A quonam verò, an à Deo dijſq. ſecundis, an ab anima mundi, & quo modo, produceretur; nec aſſequutus eſt, nec aſſequi potuit. Tum quòd ex ſenſibus ſolũ Philoſopharetur, in quibus nihil eſt, quod illuc eũ perduceret. Tum quòd ea ſuæ Philoſophiæ fundamenta ieciſſet, quæ aditũ omnẽ verti præcluderent. Hic igitur hæſit: nec tamẽ, quæ aſſequutus fuerat, tacuit. Idẽ in quæſtione de immortalitate illi accidit. Nã ex inorganica operatione atq. impermiſta ſubſtãtia, ſeparabilẽ eã eſſe, neq. cum corpore interire, optimè vidit. At quomodo intelligeret ſeparata, quid ageret, quã traduceret vitã, vbi degeret; planè nec ſatis explicauit, nec fortaſſe intellexit. Interim tamẽ cũ in homins procreatione organicum corpus videret à maris formari ſemine, atq. ad animã ſuſcipiendã diſponi, per eáſque diſpoſitiones adiuenientẽ animæ ſubſtãtiã illi vniri atq. integrum exiſtere hominẽ; pluribus in locis hominẽ dixit gignere hominẽ. Et ſolẽ interdũ adiunxit & cœlũ, velut ſuperiorẽ & generalẽ cauſam, quæ ad materiæ ſolũ præparationẽ & animæ vnionem, qua efficitur homo, non item ad ipſam animæ ſubſtantiam, pertinent.

Deinde reſpondere licet creationem huiuſmodi vnius partis ac dimidiatæ ſubſtãtiæ, quę non per ſe, ſed in diſpoſito ſubiecto produceretur, eum fortaſſe non negaſſe. Cũ cœlũ preſertim & particularẽ cauſã cerneret ad præparandũ corpus animámq. vniẽdam concurrere, atq. actionẽ ſupremæ illius cauſæ quaſi determinare. Sic enim cœlũ quoq. agens illi æternũ, nouos in dies effectus habet; dũ à ſingulis cauſis determinatur illius virtus atq. ad effectus ſingulos propemodũ deriuatur. Deniq. ad hæc omnia reſpõderi poſſet, non omnia Philoſophi ſcripta ad nos peruenisſe. Fortaſſe autẽ in Eudemo, dialogo de anima, quẽ Themiſti⁹ c. 37. & Simplicius in extremo comm. tex. 161. citant: aut in opere aliquo de intelligentijs abſtractiſq. ſubſtantijs, permulta eiuſmodi ab eo explicata fuiſſe: quæ nunc nos diuinare non poſſumus.

7. *Animarũ infinitus numerus.*

Septimũ argumentũ ex illis locis petitur, in quibus nullum eſſe infinitũ demonſtrauit: videlicet in 3. lib. Phyſic. & 1. de Cœlo. Si enim aliæ atq. aliæ animæ aliis atq. alijs naſcẽtibus hominibus producerẽtur; cũ is æternũ fecerit mundum, infinitus, nimirũ eſſet animarũ numerus, quemadmodũ innumerabiles homines exſtiterũt: eæq. omnes nunc ſimul exiſterent, quòd omnes ſint immortales.

Sunt qui nil aliud, quàm ingenuã confeſſionẽ reſpondeant: Ariſtotelẽ inquientes hac in re ſibi contradixiſſe; neq. vidiſſe omnia, quę alterã illã de mundi æternitatẽ aſſertionẽ conſequebantur. At ego adduci non poſſum; vt ſummũ Philoſophũ credã in rotã graui non animaduertiſſe, ex duplici illa propoſitione; Innumerabiles animæ anteceſſerunt; & humana anima eſt immortalis; hanc cõcluſionẽ neceſſariò deduci; ſunt igitur actu innumerabiles animę. Præſertim cũ de infinito dũ loqueretur, hominis nõ ſemel meminerit: neq. ex alia, quàm ex humana ſpecie, in t. 57. & 58. libri 3. Phyſic. exempla protulerit. Non defuerunt, qui certum animarũ numerũ in diuerſa corpora migrantiũ eũ propterea dicerent poſuiſſe: atq. hoc ſolũ à Pythagoricis diſcrepaſſe, quòd hi in beſtiarum quoq. in humana duntaxat corpora migrationẽ faceret. Thomas quidẽ certẽ Cajetanus in cõmentarijs ad primã Theologicæ ſummæ ſancti Tho. partẽ queſt. 46. art. 2. ſi mundus aſſeratur æternus, incommodũ hoc vitari nõ poſſe ſcripſit, nihilque homo dicatur nõ fuiſſe æternꝰ, aut ſingulari Dei miraculo vnꝰ homo infinito tẽpore vixiſſe ſterilis, poſt verò cæpiſſe alios homines procreare. Quod ipſum de aſino loquutus eſt Scotus in 2. ſent. lib. diſtinct. 2. queſt. 3. Heruæus queſt. 5. de æternitate mundi hanc argumẽto coactus eſt affirmare, mundũ hoc modo, quo nũc ſe habet, nequaquã potuiſſe ab æterno fieri: ſed ſi æternus fuiſſet aliũ habiturũ eũ fuiſſe miſti & ordinẽ. Vel enim certus immortaliũ hominũ fieri numerus potuiſſet: vel vni aut pluribus, ab æterno additis dari vis gignendi in tempore: vel reliquis multi partibus ab æterno productis homo in tempore condi. Ac demũ Franciſcus Ferrarienſis in com. in lib. 2. cõtra gentes, ſi mundꝰ fuiſſet æternus, aut certũ futurum animarum numerum in alia atque alia corpora migrantium, aut mortales eas futuras.

Ego hac de re dixi etiãin 2. lib. cũ de quantitate ageretur. Nũc duo cõſtãter pronũtio. Alterũ eſt hãc maximã eſſe difficultatẽ, qua in eo poſſit vrgeri Philoſophus, quòd mundũ æternũ fecerit. Quam cũ ille vidiſſet explicare ſe nõ poſſe, omnino diſſimulauit. Nec tamen de intellectus multitudine & immortalitate cognitã veritatẽ negare, neq. poſitã mundi & generationis æternitatẽ infirmare voluit. Itaq. vtra alijs pluribus, quę ad hãc animã pertinent, ita in hoc hęſit. Alterũ autẽ; eũ nõ exiſtimaſſe abſurdũ hocinfiniti genus. Siue quòd perfectũ non ſit & omnem parte infinitũ; ſed altera duntaxat, qua nõ datur anima anima: altera autẽ, qua datur vltima, finiti eſt. Siue potiùs quòd nõ ad euertendũ quodlibet infiniti genus rationes eas aduxerit: ſed illud ſolũ, quod in materialibus rebus, quantis & occupantibus loci, ac permanentibus cogitari poſſet. Quod ex duobus licet cognoſcere. Primum, quod hęcipſa difficultas, quę de noſtrarũ animarũ infinito numero propoſitur, de pleriſq. alijs proponi poſſet: de infinito inquã cœleſtiũ circumuolutionũ numero, de generationibus infinitis in quolibet entiũ ſublunariũ genere, de indiuiduis in vnaquaq. ſpecie infinitis, alijſq. compluribꝰ; quę etſi actu non exiſtũt, infinitus tamen in vnoquoq. horũ genere numerus actu pertẽtatus eſt. Neq. enim actu ſimul permanere propriam vim difficultatem adfert; niſi propter loci occupationẽ quę in immaterialibꝰ noſtris animabꝰ locũ nõ habet. Quocirca nõ magis, quã in cęteris nõ permanẽtibus rebus, abſurdũ is Philoſophꝰ agnouit. Deinde quod in t. 24. 34. & 39. eiuſdẽ illius 3. Phyſ. li. de infinito dixat in rebꝰ ſenſilibꝰ agẽdũ proponit: quod eiuſmodi ſint res, quę à Phyſico cõſiderentur. De abſtractis enim & immaterialibꝰ is nõ agit. Adde quod veteres Philoſophi, aduerſus quos diſputabat, in ſolis materialibꝰ ac ſenſibus illud poſuerãt. Propterea in eodẽ t. 39. tanquã nimis generalẽ, & quę ad Phyſicũ nõ pertineat, prętermittit queſtionẽ illã, an in mathematicis & intellectilibꝰ, iſſq. quę nullã habẽt magnitudinẽ, infinitũ reperiatur. Nec modo in t. 48. 49. 52. 53. 54. & 55. ex loco, qui rebus tantũ materialibus & quantis cõuenit, infinitũ impugnat. Verũ etiã toram infiniti rationẽ, quã agnoſcit in numero, ex continua diuiſione petit: quoniã ex illius diuiſione creſcit numerus. De ſolo igitur eo numero loquutus eſt, qui de genere quantitatis eſt, quiq. in rebus quantis & materia cõſtantibus reperitur: non itẽ de tranſcendente multitudine, quę omne ens comitatur, & immaterialibus

immaterialibus quoq. cernitur. Neq. ex vniuersa illa de infinito habita disputatione quidquã licet colligere aduersus immaterialiũ rerum, qualis est anima nostra, transcendentẽ infinitã. Nos vero, qui mundũ nõ æternũ, sed de nouo conditũ fuisse certa fide ac religione tenemus, nullam hic difficultatẽ patimur.

8. Tribus præterea vtitur Auerroës argumentis. Primũ est; si intellectus esset numero multiplex, intellectile quoq. numero multiplex foret. Fateor ita esse, si sermo sit de ipsomet intellectu, qui non solũ intellectus est, sed & intellectilis. Quot enim sunt intellectus eiusmodi, tot fuerint intellectilia. At in intellectilibus cæteris ab intellectu diuersis secus habet. Quin eadẽ intellectibus omnibus intellectilia proponuntur: sicut & sensib⁹ omnibus & phantasijs tãtopere multiplicatis eadẽ sũt sensilia, eadẽ imaginabilia obiecta. Nã vt nõ sentimus sensionẽ, neque phãtasiæ actionẽ imaginamur, sed externũ obiectũ: ita nec intellectionẽ, seu intellectilẽ speciẽ intelligimus; nisi reflexa intellectione, qua in seipsũ intellectus redit: atq. in hanc sanè multiplicatur intellectile. Verũ per intellectionẽ aut intellectilẽ speciẽ externas intelligim⁹: hæc. intellectibus omnibus eadẽ proponuntur; tũ materiales, tum immateriales, siue singulæ sint, siue vniuersæ atque à particularibus conditionibus absolutæ vt solã rei naturã significãt.

9. Alterũ argumentũ est; si multiplex esse intellectus, tũ ipse, tũ formæ, quas susciperet potestate foret intellectiles: neq. ipse actu intellectilis esset, neq. vniuersas intelligeret. Cui respondendũ est, nõ singularitatẽ, sed materialitatẽ, aut intellectioni repugnare, aut rẽ efficere potestate, nõ actu intellectilẽ; vt ex t. 15. & 16. licet cognoscere. Etenim intellect⁹ separati singulares sũt; actu tamen intellectiles, quoniã immateriales. Non omne itẽ singulare singulares formas suscipit, nõ vniuersas: sed id solũ, quod materiale est. Intelligere autẽ oportet, intellectionẽ omnẽ per se cõsideratã secundũ suũ esse formale, vt ab intellectu proficiscitur, atq. in eo suscipitur, singularẽ esse: quippe actio est & qualitas singularis intellect⁹. Quoad repræsentationẽ verò, tũ singularẽ dici, tum vniuersã, quẽadmodũ ea res fuerit, quæ intelligitur. Quare hoc nõ ex intellectu petitur, sed ex obiecto, quod intelligitur. Sũt in qui tellectionẽ vniuersale obiectũ repræsentantẽ actu intellectilẽ dicãt: potestate autẽ, tũ eã, quæ singulare obiectũ refert; tũ intellectionẽ omnẽ secundũ suũ esse formale cõsideratã: fieriq. actu, cũ intellectio vniuersa ab hac & illa intellectione abstrahitur. Ego vt intellectũ puto nõ solũ res vniuersas, sed & singulas per se intelligere: sic intellectionẽ ominẽ vtrouis modo cõsideratã intellectilẽ actu esse arbitror. Quoniã imaterialis est, omnéq. immateriale Aristotelis ac veræ rationis decreto intellectile actu est. Solũ materialia singularia potestate intellectilia esse dicũtur, haberéq. rẽ intellectã à se diuersã. quoniã separari debẽt à materia, cũ qua cõcreta sunt. At quòd à materia abiunctũ est, tũ intellectile existit, tũ rẽ intellectã à se diuersã nõ habet; sed ipsummet est res intellecta. Tantũ abest, vt (quod Auerr. obijcit) abeundũ in hoc sit in infinitũ.

10. Teritũ argumentũ est; si in hominibus diuersis diuersi numero essent intellect⁹; is, qui aliũ docet, deberet in eo scientiam diuersam numero producere, quemadmodũ ignis in subiectã materiam producit ignẽ. At scientia nõ est qualitas ex earũ genere, quæ agendi vim habẽt. Aut igitur nõ posset præceptor in discipuli animo scientiã gignere, aut vnum dicere oportet in docente & discente intellectũ; eandémq. scientiã, quã præceptor habet, discipulũ addiscere, dum ad eam recipiendam à præceptor excitatur.

An ergò quoniã psittacus & alia quędam animalia humanã vocẽ imitantur, idẽ numero sit in homine atq. in illis intellectus, eademue phantasia? An potiùs si idẽ sit in hominibus omnib⁹ intellect⁹, nulla fuerit opus doctrina, nulla disciplina: sed eadẽ, quę in vno esset scientia, esset itẽ in omnibus? Iã verò intellectus multitudine existente, scientia, quæ in vno est, similẽ scientiã gignit in alio: nõ propria illa & vera actione, quę inter alteratrices cernitur qualitates, sed alio quodã spiritali, minúsq. proprio actionis genere. Vt enim sensilia aut intellectilia obiecta in sensum aut intellectũ dicuntur agere, dũ facultates eas ad sui cognitionẽ, hoc est ad similẽ formã promendã mouent. Ita discipulus doctoris vocẽ audiẽs, quæ tũ animi notionũ, tũ rerũ, quarũ notiones sũt, signũ est; ab ea ad similes notiones formandas, mẽtéque concipiendas permouetur; quibus sæpiùs repetitis scientiæ habitus comparatur.

Verũ enimuerò hic sit disputandi finis. Satis enim supérq. demonstratũ est Auerrois illud figmentũ de vnitate, assistentiáq. intellectus, minimè Aristoteli ac rationi cõsentaneũ esse; immo maximè aduersari. Quanquã 1. opinionis illius inuentor atq. architect⁹ nõ fuit Auerroës: Sed ante illũ Themistius in ca. 24. lib. 1. & c. 32. & 33. li. 3. ijsdẽ, propemodũ argumentis: vt à Themistio Auerroës illã deriuasse credi facilè possit. Etsi Themistius nõ assistentẽ, sed essentialẽ & formantẽ formã fecit; neq. tã de anima, quã de agẽte intellectu, loquutus est vt ex c. 2. 27. lib. 3. manifestũ est. Cæteris nunquã vnitas venit in mentẽ. Assistentia interdũ Philopono, vt videre est in præfatione 2. lib. & com. t. 1. Tametsi in com. t. 11. rationalem animã dicat corpora nostra viuificare, omniúmq. illis operationũ ac motuum principiũ esse, quasi hæc sola insit in nobis anima: & quoad alias quidẽ operationes inseparabilẽ eã esse à corpore, quoad intellectionẽ autẽ seperari posse. Ac rursũ ad initiũ lib. 3. in eo rationalis animæ substantiã quæri dicat: non quæreretur autẽ cũ cæteris animab⁹ à naturali Philosopho eius substantia, nisi corporis esset forma, vt cęterę. Quin etiam in expositione illius t. qui Auerroi primus est in hoc lib. & rursum in ea verba t. 20. (& hoc solũ immortale est & æternũ) nõ agi de intellectu, qui exteriùs sit & per se cohęreat; sed de eo, qui pars animę existat. quoniã cũ sint multa, quę ad corporis cõstitutionẽ cõferunt, hęc quoq. anima ex illis est vnũ. Perinde autẽ, esse formã esse cõstituẽtẽ corpus, & esse formantẽ. Deniq. in eodẽ t. 1. quęstionẽ ait proponi, nũ intellectus à corpore separabilis sit, an inseparabilis, vt animę cęterę. Quę sanè quęstio locũ nõ haberet, nisi vt cęterę, corporis esset forma. Si enim assistẽs duntaxat foret, quidni separi posse? Quocirca in cõ. t. 65. li. 1. cũ argumentũ Alexãdri tractaret quo rationalẽ animã nostrã inseparabilẽ esse probauerat, quoniã est forma, omnisq. forma inseparabilis est à materia, cuius est forma. Fatetur eam esse formã, & quod in t. 7. li. 2. cõprehensã; vbi omnẽ animam corporis entelechiam esse definiuit: sed duplicẽ formã distinguit separabliẽ vnã, alteram inseparabilem; rationalémque animam respondet prioris generis formam esse. Simpliciùs verò ad t. 53. lib. 1. eam ait, tum viuificare corpus, tum mouere; instrumẽtúmque informare atque efficere vt viuaciter moueatur. Non enim, inquit, rationalis anima instrumentis veteretur ab irrationali vita formatis effectisq. quoniam huiusmodi vsus externus esset,

Intellectile potestate quid.

Historiã interpretum de anima omnia sententia.

non innatus ac insitus. Eandem sententiã habeat ad t.63.66.86.87.& rursũ ad tex.4.& 10.lib.2. Olympiadorus quoq. eandẽ fuisse Aristotelis sententiã scribit in interpretatione Phædonis Platonici. Theophrasti verò extant verba apud Themistiũ c.39: quod dicitur intellectũ extrinsecùs accedere, non ita statuendũ est, vt qui verè appositus inuectúsq. habeatur; sed vt qui statim ab ortu quasi comprehendere nos cõplectiq. soleat. Apta nimirũ similitudo. Nam vt ea, quæ extrinsecùs quidpiã cõplectuntur, extra quidẽ sunt, sed cũ eo tamen vnita; sic intellectus incorporeus per se subsistens est, sed corpori vnitus, cũ eóq. hominis naturã cõponens. Neq. de Alexandro vllus dubitat, qui inseparabilẽ & mortalẽ propterea credidit. Vt omnino liceat cõcludere Themistiũ atq. Auerroẽm in vnitate, Auerroémq. in assistentia asserendis, nec Aristoteli, nec Peripateticis consentaneè loquutos fuisse.

A verè quidẽ dicitur, sed non ab eo, qui solãm Aristotelis doctrinam profiteatur. Secus enim eum omnino sensisse duodecimus Metaph. liber testatur. Verum hæc examinare alterius est instituti.

RELIQVAE AVERROIS propositiones paucis examinantur.

ET hæc quidẽ nunc præcipuè consideranda fuerunt reliquas Auerrois propositiones percurrã breuiter; quòd aut ad aliã disputationẽ pertinent; aut proprium magis post sint habituræ locum

Verè igitur & cũ Aristotele patibilẽ atq. agentem intellectũ affirmauit. Sed quemadmodũ illi distinguntur, quæũe agentis actio proparia sit, examinãdũ deinceps fuerit. Verè itẽ intellectũ vtrumq. immaterialẽ esset & inorganicũ. Verè ingenerabilem, incorruptibilẽ & æternum; si eo modo, quo de anima ipsa, cuius illi virtutes sunt, intelligatur. Intellectionem ex duplici pendere principio intellectu & phantasmate; verè de illo intellectu dicitur, qui est potestate & corporis actus existit. At eũ, qui scientiarũ habitũ cõparauit operari seipso posse, Philosophus mox affirmabit. Siquidẽ quod in intellectu potestate facit phantasma, hoc ipsũ in illo præstat habitus: illud autẽ est, proponere intelligendũ obiectũ. Postquam itẽ fuerit à corpore separatus, vt sine corpore subsistet, sic absq. corporis sensibus & phãtasia intelliget; quemadmodũ & intelligentiæ cæteræ. Existimare porrò vnicã & æternã intellectionẽ esse, ex vnitate & æternitate intellectus existimata profectũ est. Verè autẽ tã multæ sunt ac nuper editæ, quãmulti sunt intellectu in hominibus singulis in dies creati; aliáq. & alia obiecta proposita, aut etiã voluntas ex cõparatis habitibus contẽplandi. Intellectũ patientẽ potestate esse agentẽ actu; eósq. vniri vt agens & patiens; prodidit sanè Aristoteles. Sed alterã illã vnionem materiẽ & formæ ego quidẽ certè apud eũ non reperio. Dũ alter facit actu intellectile, alter suscipit, verè vniri dixeris vt agens & patiens; nõ vicissim & mutuò, sed cõparatione phantasmatis seu intelligẽdi obiecti. At quomodo alter fiat alteri⁹ forma, cũ ambo sint facultates animæ, siue diuersę siue vna & eadem alio atq. alio considerata modo: (neq. enim intellectus patibilis appellatur materia & potestas comparatione agẽtis, sed intellectilium formarũ) ego quidẽ certè non assequor; merúmq. Auerrois somnium fuisse arbitror; quidquid tum de hoc, tum de adepto illo intellectu is loquutus est: nuncq. significasse satis. Deniq. in intelligentijs quoq. separatis, præter primam, actum & potestatẽ reperiri, solúmq. primum intellectum diuinum esse purum actũ, aq. hunc seipsum solum cognoscere & in seipso omnia, reliquos tũ seipsos, tũ alia extra se:

TEXTVS.

Διὸ οὐδὲ μάμυκθαι δύκοχον αὐτὸν τῷ σώματι· πῶς γὰρ ἂν γένοιτο θερμὸς ἢ ψυχρός; ἢ καὶ ὄργανόν τι ὧν, οὐδὲν ἧττον τοῦτο. πῶς δὲ οὐδὲν δῆλον.

Quare nec corpori permistum ipsum esse rationem. Insentaneum est. Qualis enim quidem vtiq. fieret, calidus aut frigidus. Aut etiam instrumentum aliquod eius, quemadmodum sensitiuo. Nunc autem nullum est.

COMMENTARIVS LXXVI.

ALteram Auerroës hanc esse voluit demõstrationem ad illud ipsum ostendẽdũ, quod probare antea aggressus est, intellectũ non esse corpus, nec virtutem in corpore. Philoponus ex superiore argumentatione concludi non esse corpus. Verũ conclusionem eandem accipit: sed alter probandã, alter iã probatã. Neuter omnino accõmodatè. Neq. etiã Simplicius, hæc arbitratus ad tacitã suspitionem remouendã pertinere: quã intellectum quispiã audiens potestate & imperfectum esse, naturã corporeã eum esse existimaret, quòniã potestas, imperfectio, & mutatio, corporis esse videtur. Natum hæc suspitio antecedenti demõstratione sublata est, qua intellectum ostensum est immaterialem & incorporeum esse. Tum verò velipsa Philosophiæ loquutionis forma quidpiã ex superioribus colligi significat, verbáq. diuersa diuersum illud esse tentantur. Antea intellectum permistũ non esse vniuersè dicebatur: nunc cõtractè magis pronuntiatur eum cum corpore permistum non esse. Prior illa generalis demõstratio eũm non esse cũ materia corpoream vlla natura permistum, sed immaterialẽ prorsus & incorporeũ esse confecit. Quoniã materialia omnia & corporea intelligit: vnde intellect⁹ naturã nõ habã, qua potestatis cuiuspiã, esse mox deduxit. Nunc alterum quoq. conficit, eum nõ esse permistum cum hoc corpore, cuius est actus & perfectio neq. inhærentẽ, sed ab eo abstractum & independentẽ. Ita ab vniuersis & generalib⁹ ad specialia descendit & propria. De proprio namq. hoc corpore peculiaris erat difficultas: tum quòd illius sit actus & perfectio: tum propter reliquas animæ partes, vegetantẽ & sensitẽ, quæ cũ corporibus, quorũ existunt formæ, permistæ sunt; cæteráq. omnes formas in natura cõgrentes atq. cũ materia & subiecto proprio complicatas & cõfusas. Neq. intellectũ non esse cũ hoc corpore permistũ probarisatis poterat, nisi vniuersè antea probatũ fuisset eum ab omni prorsus materia & corpore immunẽ esse. Itaq. probatio illa Themistij corpus sit, oportet, quod cũ corpore permisceur, intellectus nõ est corpus, igitur cũ corpore permistus nõ est, minimè accõmodata videtur. Quoniã de huiusmodi propriè dicta permistione, qualis ea est, qua ex simplicibus elementis corpora mista fieri dicimus, nec fermo non est. Verũ de illa, qua cæteræ animæ pars cũ corpore permistæ affirmantur. Vtra intellectus ab illis distinguatur, quæq. propria illius differentia sit, ostendatur. Eæ verò corporeæ quidẽ sunt, at corpora nequaquã sunt. Neq. adrẽ fuisset intellectũ asserere eo permistionis genere permistum nõ esse, quo ne de cæteris quidẽ maximè materialibus

formis dubitare vllus possit. Quin etiã vniuersè de omni anima positũ iam pridẽ fuit in 2.lib. t.4.animã non esse corpus. Deniq.illa verba (aut etiam instrumentum aliquod esset, quemadmodum sensitiuo) apertè declarãt,quomodo & quorsum impermistus cum corpore appelletur; nimirum quatenus inorganicus est,atq. vt à sensu distinguatur, propriáque illius differentia significetur. Est enim is quoq. perficiens actus & forma corporis;nõ minùs,quã cæteræ animæ partes: atq.hoc est quasi genus,quod omni animæ commune positũ est in ea difinitione, quã in 2.lib.declarauit. At propria illius differentia, qua separatur ab alijs tanquã diuersũ animæ genus,vt in t.21.eiusdẽ lib.dicebatur; hoc est, quòd nullũ habet corporeũ organũ,quo operãdo vtatur;quemadmodũ cęteræ habent,aspectus oculum,auditus aurẽ,incessus pedes & crura & aliarũ vnaquæq.determinatã corporis partẽ, qua operationẽ suã absoluit; eáq. vel læsa vel impedita omnis operatio cessat. Instrumentũ enim partẽ corporis aliquã significat facultati cuipiã destinatã ad vsũ & operationẽ.Vnde anima dicitur esse actus corporis instrumentarij ; quo vti possit secundũ varias partes ad varia opera perficiẽda. Si enim in t.6.lib.2.Instrumenta dicebantur esse plantarum partes;vt foliũ ad tegendum id,quod est circa fructũ; & id quod est circa fructũ,ad tegẽdum fructum.Intellectus namq. nullo huiusmodi membro,ceu organo vtitur.Immo quemadmodũ in t.92. lib.1.dictũ est,ne fingi quidẽ potest,quonam vtatur. Sed propriã habet operationẽ,cum qua nihil habet commune corporis actio ; vt ab eodem ipso Philosopho scriptũ est in cap.3.lib.2. de animalium ortu.

Quomodo anima vt nauta in naui.

Idcircò verissimè in t.11. superioris lib. affirmabatur nullius esse actus,velut in naui nauta. Quoniã in cæteris animabus anima quoad suã substantiã totius organici corporis , vt materiæ & subiecti , actus essentialis est;singulæq.illarũ facultates singularũ corporis partiũ , tanquã organorum,actus itẽ existunt; perficientes eas ad quasdã determinatas operationes obeundas; quas exequi eatenus possunt,quatenus eã facultate præditæ sunt. Ea verò , quæ intelligens est , actus quidẽ essentialis existit corporis vniuersi,dans illi humanũ esse: at eius facultates, intellectus & volũtas, nulli certę ac constitutæ parti tanquã ad agendũ necessariè adiunguntur;sed in anima sola sustentantur. Quocirca vtrumque verè de hoc animæ genere affirmatur;& esse actum corporis, & nullius corporis esse actũ. Quippe actus essentialis est totius humani corporis ceu forma materię & subiecti; atq. hoc est, quod in animæ definitione continetur animæ omni commune. Nullius autem,siue corporis,siue partis corporis,est actus, tanquã organi,quo ad agendũ vtatur:atq. hoc illius propriũ est, & à cæteris animabus diuersum. Idcicò anima dicitur esse in corpore vt nauta in naui , non quòd assistat copori,quemadmodũ nauta naui(omnẽ quippe animã definierat Philosophus actũ essentialẽ & vegentantẽ ac sentientẽ partẽ fatentur omnes esse formantes) sed quòd vt nauta præter nauigationis motũ, quẽ per nauẽ tanquã instrumentũ facit quatenus est nauta, aliã quandã operationẽ habet quatenus est homo , nempe intelligere , quæ cum naui nullo modo communis est:atq.ratione huius potest à naui separari ac per se cohærere. Sic anima prẽter vegetantes & sentientes operationes; quas per corporis organa exequitur , quandã aliã habet sibi propriã,nempe intellectionẽ, quam per nullũ corporis organum facit.Ac rursũ vt nauta separabilis non est

Anima natura corporis actus & nullius corporis actus.

A à naui quatenus nauta est (neque enim potest esse nauta sine naui (sed quatenus homo est : sic anima separabilis non est à corpore,quatenus anima est & dat esse corpori, sed quatenus intelligens est, inorganica,& propriã absq. corporis vsu operationẽ habens. Quia vt nauta quatenus homo est, tũ in naui, tũ extra nauim , operari potest , sic & anima tum in corpore,tum extra corpus intelligere:& ideò & is à naui,& hæc à corpore separatur. Verũ quoniã eo loco definita solũ fuerat anima,quatenus actus corporis vt subiecti, nondũ verò declaratũ,eã operationẽ habere propriã & inorganicã:propterea post definitionẽ illã expositã nondũ esse manifestũ subiũxit,an

B sit vt nauta in naui, qui propriã hominis operationẽ habet,qua separari potest à naui.Itaq.quod ibi dixit manifestũ non esse,explicat apertè hoc loco ; intellectũ inquiens cũ corpore permistũ,aut organicum non esse, sed tũ essentia subsistentẽ, minimèq.pendentẽ à corpore , tũ operatione corporis organo nõ indigentẽ.Et ideò hac ex parte verè esse in corpore, vt in naui nautã. Cũ eo tamen discrimine, quod ex generali definitione perspicuum est, quod nauta sit assistens intellectus essentialis & formans actus.

Duplex intellectus impermistio.

C Cæterũ si attentiùs singula pẽsitemus,duplicẽ intellectus impermistionẽ doceri videbimus. Alterã, quoad substantiã,alteram quoad operationẽ, vtraq. enim permistio in cæteris animę partibus reperirur, quod & ex materiæ corporisq. potestate productæ sint,& ideò materialẽ planè atq.corpoream,hoc est corpori permistã , naturã habeant : & determinata corporis parte ceu organo in omni sua operatione vtantur, Duplici huic permistioni duplicẽ intellectus impermistionem opponit , alterámq. ex altera pulchrè demonstrat. Primùm substantia ac natura impermistũ eũ esse cũ corpore , cuius est actus hoc argumento ostendit:Quod si permistus esset,qualitatibus corporis afficeretur, calefactóq.corpore aut refrigerato calidꝰ ipse quoq.frigidusue fieret,alijsq.

D afficeretur qualitatibus , quibus corpora réq. corporeæ ac materiales , & ideo etiã sensus,afficiuntur. Siquidem vt materiæ quantitate materiales omnes formę extenduntur,ita qualitates omnes aduenientes imbuunt,quibus materia & corpus,cum quibus complicatæ & cõfusæ sunt;imbuitur & in t.63.lib.1. mœrere aut gaudere,irasci aut timere, motus quidã esse dicebãtur,quod in illis affectibus corpus quoq. aut latione aut alteratione moueatur. At is nulla huiusmodi qualitate afficitur neq.cũ corporis motu operatur cũ corpore igitur permistus non est. Calorẽ porrò & frigus potissimùm nominat : tũ quod primæ omniũ qualitates sunt corporibus cõmunes, sine quibus cæteræ esse nequeunt: tum quòd efficacissimæ sunt ad agendũ : quare si vllis afficeretur intellectus , illis nimirũ afficeretur , & nisi afficiatur illis,planè nullis afficietur. Deinde vt ex operatione cõsueuit essentiã rerũ inuestigare,atq.in superioribꝰ ex intellectione naturã intellectus docuit : ita mox hanc ipsã substantię impermistionẽ ex operationis

E altera impermistione velut altero argumẽto,demõstrat:atq.ex eo, quod propriã habet operationẽ neque cũ organo corporeo permistã substantia quoq. impermistũ eũ esse cõcludit.Si enim substãtiã haberet cũ corpore permistã, quoniã operatio substantiã sequitur,modúsq.operationis essentię modũ comitatur , operationẽ quoq. cũ corpore cõmunẽ haberet:atq.vt ipse vim operãdi,sic corpus mẽbrũ sui aliquod vt organũ quod intellectus vtens operationẽ suæ naturæ conuenientẽ absolueret. Nã ita in sensu

Cæteræ animæ partes duobus permistæ cõ corpore.

ac cęteris animę partib⁹ res habet. Anima enim sentiẽs aspiciẽdi vim aut audiẽdi, vegetãs nutriẽdi, procreãdiúe facultates cõferũt; corpus facultatibus illis organa subijcit, oculos, aures, ventrem iecur, testes: vel etiã interioti sẽsui cerebrũ; quib⁹ operationes ęę perficiuntur, quę propterea organicę totiq. cõiuncto ex anima & corpore communes appellantur. Neq. alia huius rei extat ratio, quã quòd vt illæ animę partes corporeę substantia sunt, ita per corporis organa operari eas oportet. At nullũ in vniuerso corpore organũ est, nulla determinata pars, qua intellectum vti, atq. intellectionẽ perfici dicere aut etiã fingere possis. Non est igitur intellectio organica operatio, neque intellectus corpori permista substantia.

2. Gen. an. c. 45.

Sanè tota huius loci sententia eadẽ illa est, quam alibi dixit, intellectũ solũ forinsecùs aduenire, neq. cũ eius actione cõmune quidquã corporis actionẽ habere. Nã quod nunc impermistã cũ corpore substantiã eius esse dicit; id ipsũ est, quod eo loco asseruit reliquas animæ partes actione seminis ex corporis potestate educi, intellectũ non itẽ, sed illi forinsecùs aduenire. Quodq. hic nullũ asserit habere organũ, ibi actionẽ eius dixit cum corpore cõmunẽ nõ esse. Atq. vt ibi ex actione propria, neq. cũ corpore cõmuni, eũ demõstrauit ex corpore nõ educi, sed aliunde suũ habere ortũ; ita hic ex eo, quòd corporis organo non vtatur operando, substantiã eius cũ corpore permistum non esse ostendit: alterq. hic locus alterius explicationem præbet.

2. Gen. & cor. sex. 45.

Nec minùs verò ille, qui est in t. 45. posterioris de ortu & interitu lib. Vbi aduersus Empedoclẽ disserens animãm q. ostendẽs ex elementis nõ constare, ita loquitur. Si anima ex elementis, aut vnũ aliquod eorũ est, alterationes animæ quomodo erũt, vt musicũ esse & ĩmusicũ, aut memoria aut obliuio? Manifestũ enim, quòd siquidẽ ignis anima sit, passiones inerũt ei, quæcumq. igni quatenus ignis est. Si autẽ mistũ, corporeæ: harũ autẽ nulla corporea est. Etsi enim ibi nõ sit quæstio, nũ anima sit cũ hoc corpore, cuius est actus, permista; sed an sit ex elementis cõpositа: idẽ tamen est argumentũ. Tũ quia elemẽtorũ aut mistorũ corporũ qualitatibus afficeretur. Tũ quia corporeas solũ actiones haberet: at memoria, obliuio, musica, & id genus alia non in corpore, sed in anima sola considerantur.

Itaq. cõstãs est vbiq. atq. aperta Philosophi sententia, ĩmaterialẽ intellectũ esse, incorporeũ, inorganicũ, corpori nõ hærentẽ; sed per se cohærentẽ propriãq. fruẽtẽ operatione, quę corpori minime cõmunis sit. Neq. de intellectu separato est sermo: quoniã is act⁹ corporis nõ est: nec de eo quæreretur, an sit cũ corpore permistus, corporisq. vtatur organo. Verũ de illo, qui est pars animæ. Nõ de agente, quia nobis eũ inesse nondũ probauit, nec omnino nominauit. Sed de illo potiùs, quem ad intellectilia omnia potestatẽ esse dixit; quiq. absolutè & secundũ suã naturã consideratur. Nondũ enim in agentẽ & patientẽ partitus est: vniuersè adhuc naturã eius & propriã differentiam quęrẽs qua eiusmodi animæ pars est à sensu cęterisque diuersa.

Intellectus immaterialitas.

Tribus porrò argumẽtis vtitur Simplicius ad ostẽdẽdũ, intellectũ à corpore solutũ esse. Primũ enim, inquit, inferioris & deterioris conditionis est corp⁹, quã sint naturales formæ (materia quippe peior est forma) multóq. magis, quã intellectiles, quę altioris ordinis sunt. Et qualitates itẽ passiuæ, vt omni substãtia, sic multò magis intellectili, sunt inferiores. Natura igitur ac vita, quæ cũ his cõplicata fuerit ac permista, intellectilib⁹ formis inepta est. Deinde corpus conuertere se se in seipsũ nõ potest. Tũ neq. impartibilia, hoc est immaterialia, cognoscere. Intellectus vtrumque perficit.

Verũ hæc, etsi ad probandũ efficacia sint, Philosophi tamen verbis nõ conueniunt. Neq. id, quod primũ proponitur, diuersũ ab eo est, quo inseparatum probatũ est, intellectũ impermistũ esse materię, vt intelligere queat: siquidẽ materia nõ ad intelligendũ modò, sed omnino ad cognoscendũ inepta & stolida. Quare si cognitio sensus quoquomodo fit eleuatione à materia, formęq. susceptione immateria; multo magis intellectionẽ, quæ suprema & optimũ est cognitionis genus, fieri oportet: cũ formæ prorsus immaterialis susceptionẽ: & ideò quoq. quod eam suscipit, immaterialẽ esse. Quanquã is in ea argumentatione intellectiles formas accipit esse substãtias. Quod si de illarũ entitate dicatur, apertè falsũ est: cũ nil aliud sint, quã actiones, & cognitiones ipsius intellectus rẽ quãpiã comprehendentis. Sin autem quatenus res cognitas repræsentant; neque est ad rem, neque vniuersè verũ quoniam accidentia quoque intelliguntur.

Appositè magis dubitat, cur absq. probatione acceperit Philosophus nullũ intellectui organũ esse. Eúmq. respõdet id paulò post demonstrare, vbi ait esse intellectus, quã sensus, impatibilitatẽ ostendit. Ego vero nõ solũ absq. probatione accipi dicẽdum illud, intellectũ qualitatibus corporis minime affici. Vtrũq. autẽ tanquã manifestũ ac per se notũ accipit quod tũ ex intellectibus separatis facilè posset ostendi: tũ ex superiori probatione confirmari, quia nullã habere actũ, impermistúmq. esse demõstrauit: intelligeret omnia. Nã si nulli materię permistus esset, neq. itẽ materialibus qualitatibus corporeúe organo permistus fuerit. Atq. si rebus intelligendis carere illũ oporteret; cum qualitates illas ipsas, omniaq. corporis organa intelligat, perspicuũ est ab his omnibus eũ abiunctũ esse. Quoniã siue in se siue in organo, aliquẽ actũ habeat, similes aliorũ actus non intelligeret: quemadmodum in sensu manifestum est. Poterátq. Simplicius meminisse, iã pridẽ dictũ fuisse, ne fingi quidẽ posse quanã corporis parte conneatur, quoúe vtatur organo. Non enim demõstrationem nouam quęsiuisset.

Nihilominùs illud quoq. licet adferre quod in Platonis Theæteto legimus; intellectũ cõprehendere multa, quę corporeo nequeunt organo cõprehendi: & ideo non cõprehendentur sensu, quod vtatur organo. Immo in quibus cõprehendendis deferendũ est corp⁹ atq. ab illius cõditionibus abstrahendũ. Quemadmodũ cùm immateriales substantias & incorporeas contemplamur; cùm naturas vniuersas cognoscimus, cũ simile ac dissimile, idẽ ac diuersũ, bonum & malum pulchrum & turpe, numerorum formas, essentias rerum, priuationes ac negationes, aliáq. cõplura cõsideramus. Quę cum facilè & cunctis inpromptu esset adferre, noluit in ijs cõmorandũ Philosophus immorari. Aut certè hoc ipso probationis genere vsus iam fuerat in textu 45. ante norato ex posteriore de ortu & interitu libro; cum multo esse & immusicũ, meminisse & obliuisci, neq. corporeas affectiones, esse neque per corpus sentiri, sapienter obiecit Empedocli. Neque diuersum est Philoponi argumentum illud: quoniam permixtæ parua & magna intelligit: quod sensus instrumento vtens corpore nequaquam potest.

TEXTVS.

TEXTVS.

Καὶ εὖ δὴ οἱ λέγοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τόπον εἰδῶν, πλὴν ὅτι οὐχ ὅλη, ἀλλ' ἡ νοητική, καὶ οὐκ ἐντελέχεια, ἀλλὰ δυνάμει τὰ νοητά.

Et rectè sanè loquuntur illi, qui animam inquiunt locum esse formarum. Nisi quòd nec tota, sed quæ intelligens est: nec actu, sed potestate formæ.

COMMENTARIVS LXXVII.

APerta sunt verba, si eorum duntaxat significatio & sententia quæratur. At quorsum pertineant; an ad id confirmandum quod intellectum dixerat intellectilibus omnibus carere formis, vt omnes possit suscipere: ad illud potiùs, quòd intellectum tradiderat intellectilium rerum formas recipere. An etiam ad id, quod eum proximè affirmauit corporis organo nequaquam vti; non facilè dixerim. In eâm tamen partem inclino, vt hæc omnia spectasse Philosophum credam: omniaque simul confirmare voluisse illorum testimonio, qui animam formarum locum appellauerant. Etsi minùs propriè, & quadam vocis abusione, inquit Themistius, id dicatur.

Animæ vt locus formarum.

Platonis fuisse verba scribit Philoponus. Quemadmodum enim materiam in Timæo formarum locum appellauit, quòd vt in loco corpora sic in materia formæ suscipiantur, sibique vicissim succedant, & mutentur: Ita intellectum formarum locum appellare potuit, quòd is intellectiles omnes formas recipiat. Sed duo videtur reprehendere Aristoteles. Alterum, quòd non vniuersè animam appellare oporteat formarum locum, sed solam intelligentem. Hoc verò duplicem habet difficultatem. Primùm namque pro Platone respondet Philoponus, solam intelligentem eum appellasse animam; reliquas animationes potiùs, quàm animas: & ideò absolutè animam immortalem esse, atque formarum locum pronunciasse. Verùm in promptu est Aristotelis defensio. Non enim calumniosè egit, sed iure optimo egit. Quoniam hoc ipsum, quod solam intelligentem appellaret animam, reprehensione dignum erat: vt in primo loco iampridem ostensum est; atque in 2. demonstratum plures esse animæ partes, vniuersamque & generalem eius notionem latiùs multò patere, propterea consentaneè admonendus fuit lector, non omnem animam, sed intelligentem solam formarum locum appellandam esse.

An sentiès anima formarum locus.

Cæterùm altera occurrit grauior multò difficultas, quomodo hoc verum sit, aut affirmari ab eo possit, qui sensum, quoque dixerit in tex. 121. superioris libri sensiles formas sine materia suscipere. Si enim hoc ita sit, non igitur sola intelligens, sed sentiens quoque anima formarum locus fuerit; intellectilium illa; hæc sensilium. Sanè Themistius ita esse confirmat, dum non totam animam, sed has solùm duas partes formarum locum esse ait. Quocirca sola excluderetur vegetans pars, de qua illud extat apertè, quod de plantis fuit pronunciatum in tex. 124. eas non sentire, propterea quòd principium illud non habeant quo sensilium formas possint suscipere. Verùm hæc interpretatio Aristoteli prorsus aduersatur, qui sentiente quoque reiecta solam intelligentem asserit formarum locum appellandam. Sanctus Thomas, quique sensiles & intellectiles species introducunt, propterea respondent de sola intelligente ita loquendum statui; quoniam sensiles species in organo corporeo; non in sentiente anima suscipiuntur: at intellectiles in anima sola, quippè nullum illius organum sit. Quæ responsio alicui fortasse probabitur. Mihi verò nullo modo. Tum quia cercum habeo, nec sensum, nec intellectum speciebus illis vti: sed formam, quam vtraque animæ pars suscipit, cognitionem esse, & comprehensionem, quæ obiecti cogniti veluti forma est. Tum quia de speciebus, quas illi dicunt, nullus antea fuit sermo; sed de intellectione; deque intellectus cognitione, qua is omnia intelligere dictus est; & ideò ab omnibus separatus esse, vt omnia intelligere omniumque intellectas formas suscipere queat.

Duobus igitur modis intelligendum est, solam hanc animæ partem locum formarum esse. Aut enim hoc ad id referri potest, quod proximè dictũ est, intellectum esse inorganicum: aut ad illud, quod paulò superiùs fuerat affirmatũ; eum intellectilium formas suscipere, omnibusque carere oportere, vt omnes suscipiat. Si priore modo accipiatur, verè solus intellectus est formarum locus. Quia cùm nullo vtatur organo, sed intelligere propria sit illius operatio; solus ipse intellectiones suas velut rerum intellectarum formas suscipit. Sensus non item. Quoniam vt propriam non habet operationem, sed cum organo communem totusque cum organo permistus est & cõplicatus: ita non is solus, sed cum eo organum totum inquam coniunctum, sensiones ac sensilium formas recipit. Sin autem posteriore modo ad anteriora id referatur; quo modo intellectum dixerat cognoscere omnia, carere omnibus, & recipere omnia; eodem solum eum subiungit formarum esse locum: absolutè scilicet & vniuersè; non vnius tantùm generis, sed prorsus omnium. Sensus enim, vt determinati generis est, sic formarum locus absolutè & sine limitatione dici non potest; sed huius fortasse illiusue formarum generis. Nam & locus quidquid recipit tanquam extraneum recipit & aduentitiũ: estque indifferens ad omnia locata recipienda; nec ad vnum magis quàm ad aliud determinatum. Et intellectum nihil esse dictum est eorum, quæ sunt, antequam intelligat; sed ad omnia potestate. Est etiã intellectus locus formarum, non materia: quia materia per multam alterationem suscipit formas; intellectus vt est inorganicus & impermistus, nec quidquam cum vllo habens commune; sic velut locus locatum, sine vlla alteration intellectilium omnium formas admittit. Quod sanè non est in sensu; qui plurimas omnino alterationes patitur, dum organo corporis permistus est. Hinc materiam in 4. Phys. tex. 15. negauit esse locum: quippè vt dictum est, hoc vel maximè materia differt à loco, quod illa per alterationem, hic

sine alteratione vlla susçipit.

Quod verò Simplicius ait, eum de substantialibus solùm formis, non de accidentariis, loqui; sensumque accidentarias quidem susçipere, earúmque locum appellari posse; at substantiales quæ absolutè & simpliciter formæ sunt, ad intellectum pertinere, eò minorem habet probabilitatem, quòd & antea de omnibus formis vniuersè loquutus est, cùm intellectum intelligere omnia, omnique actu & forma, tum substantiæ tum accidentis, carere affirmauit: & postremò calorem & frigus accidentium formas nominauit; cùm eum dixit aut calidum fore aut frigidum, si cum corpore permistus sit.

Veriùs (si tertia responsio adferenda sit) philosophum dixeris ad illum Platonis locum alluisse, quo in Theæteto aliquam ostendit esse animæ partem absque corporis organo operantem, atque apprehendentem quæpiã; vt essentiam simile ac dissimile, idem & diuersum, aliaque complura; communésque notiones iudicantem. Et ideò cùm intellectum dixisset inorganicum; statim subiunxisse, rectè fuisse à Platone dictum, animam per se solam comprehendere multa & per seipsam sine organo corporeo formarum locum esse. At hoc de solo intellectu verum esse, quoniam is solus organicus est, ac per se ipsum sine corporis vsu operari potest. Sensus namque, cùm absque organo non operetur, non magis, quàm organum, dicitur formarum locus. Ita tum approbat, tum exponit Platonis illam sententiam.

Nam si tertia hæc responsio locique huius interpretatio tibi probetur; secus, quàm antea dictum est, accipienda erunt illa verba (nisi quòd nec tota, sed quæ intelligens est) neque ad reprehendendum, sed ad explicandum referenda. Ad reprehendendum verò pertinent illa (nec actu, sed potestate formæ quòd iuxta priorem interpretationem alterum fuerit reprehensionis caput: hoc autem est, quòd intellectum voluit Plato formas omnes habere insitas, illisque omnibus actu instructum esse; nec nostrum scire, aut discere aliud esse, quàm recordari. Contra Aristoteles cum nil aliud esse ostendit, quàm capacitatem quandam omnium susceptricem; & ideò spoliatam omnibus potestatem: atque vt non multò post affirmabit, velut tabulam, in qua nihil est scriptum. Quæ cognitionibus singulis velut rerum cognitarum formis de nouo pingatur in dies atque ornetur. Quod ex eo etiam colligitur, quòd intellectus dicitur esse formarum locus. Nam vt locus locatum corpus susçipit, nec in essentia habet, sic intellectus intellectiles formas significatur nec essentiales habere, nec insitas ac naturales; sed ascititias, atque aduenientes recipere. Vnde intellectum potestate & habitu distinguimus: potestate, cùm formas non habet, sed susçipere potest: habitu, postquàm eas susceperit, iisque excultus ac perpolitus fuerit.

Intellectum non habere formas rerum insitas.

A

TEXTVS.

Ὅτι δ' οὐχ ὁμοία ἡ ἀπάθεια τοῦ αἰσθητικοῦ τῷ νοητικῷ, φανερὸν ἐκ τῶν αἰσθητηρίων· τῇ μὲν γὰρ αἴσθησις ἐκ τῶν αἰσθήσεων· ἢ μὲν γὰρ αἴσθησις ἐκ δυνάμεως αἰσθάνεσθαι ἐστὶ καὶ τοῦ σφόδρα αἰσθητοῦ, οἷον ψόφου ἐκ τοῦ μεγάλου ψόφου, καὶ ἐπὶ τῶν ἰχυρῶν ὁσμῶν καὶ χρωμάτων, ὅτε ὁρᾷν ὅτε ὀσμᾶσθαι. ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσῃ σφόδρα νοητὸν, οὐχ ἧττον νοεῖ τὰ ὑποδεέστερα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. τῷ γὰρ αἰσθητικῷ οὐκ ἄνευ σώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός.

Non esse autem similem sensitiui atque intellectiui tum impatibilitatem, ex sensoriis perspicuum est. Nam sensus ex vehementi sensili sentire non potest: vt sonum ex magnis sonis; neque ex fortibus coloribus, & odoribus, nec videre nec odorari. At intellectus cùm valde intellectile quidpiam intellexerit, non minus, imò magis intelligit inferiora. Sensitiuum enim non absque corpore, intellectus autem exstat separabilis.

B

C

D

E

COMMENTARIVS LXXVI.II.

IN eadem adhuc propositione probanda, intellectum non esse corpus, nec virtutem corpoream, conatur nos Auerroës occupare: tertiam hanc probationem faciens, siue ex sensatis & apparentibus ductam, vt hæc ipsa videatur rationes hactenus adductas confirmare. Siue ex alia demonstratione per se à prioribus diuersa: atque ex eo ducta, quod intellectus à vehementioribus obiectis intellectilibus non læditur, quemadmodum læditur sensus.

Sanè probatio hæc veriùs diceretur ad impatibilitatem superiùs affirmatam, quàm ad incorporeitatem ostendendam, pertinere. Deinde prima orationis verba aliam omnino propositionem continent: probandumque proponunt non eandem in sensu, quæ in intellectu inest, impatibilitatẽ reperiri; neque eodem modo, atque hunc impatibilem esse. Quocirca Magnum Albertum, S. Thomam, aliosque non paucos libenter audirem, dum huiusce loci interpretationẽ atque intellectus cum sensu comparationem ex eo deducunt, quòd vt antea dictum est, intellectum impatibilẽ esse; ita de sensu quoque fuerat affirmatum in tex. 57. & 58. lib. 2. vt aliam atque aliam in illis impatibilitatem esse ostendatur. Nisi obstarent duo. Primum, quòd nimis altè interpretationem deducunt, dum illum 2. lib. locum accersunt. Alterum, quòd non video vllã hîc sensus impatibilitatem exponi, sed passionem potiùs; solius verò intellectus impatibilitatem.

Ex Græcis interpretibus Philoponus totũ hunc locũ prætermisit: cùm tamen præclarã quandam doctrinam contineat, ad explicandam atque à sensu distinguendam intellectus naturã cum primis opportunam ac necessariam. Causam planè non dixerim. Eius tamen sententiã in superioribus quoquo modo comprehendit in ea, quam ad textum primum fecit, theoria: atque ad intellectus differentiam à sensu declarandam retulit. Themistius autem & Simplicius probationem esse voluerunt eius, quod paulò ante acceptum fuit, intellectum non esse organicum. At non eodem modo probationem instruunt.

Themistius

Themistius non esse organicum probat, quia qualitatibus organi non afficitur: non affici autem, quia vna re intellecta ab intelligenda alia non impeditur; quemadmodum impeditur sensus, qui cùm sit organicus, organique qualitatibus afficiatur, vehementi suscepto sensili remissionis accessus & sensio impeditur. Simplicius autem, propterea quòd virtus omnis organica operando patitur. Quod in sensu manifestum est, dum eius organum à sensilibus nimium cogitur, aut dissipatur, & omnino vehementiùs pulsatur. *Intellectū inorganicum esse & impatibilem.* Si igitur intellectus esset organicus, patereturnimirum ac dissolueretur, à vehemētibus obiectis; quemadmodum patitur, ac dissoluitur sensus, patiente scilicet ac dissoluto organo, in quo is consisteret, quóque ad operandum vteretur. At sensus quidem patitur, ac dissoluitur, intellectus verò non item: sensus igitur organicus est, intellectus inorganicus.

Huic interpretationi magnopere fauent postrema illa verba (sensitiuum enim non absque corpore, intellectus autem existit separabilis) hoc est sensus absque corporeo organo non cohæret, intellectus inorganicus per se subsistit. Hæcque optima certè ac vallidissima probatio est. Sed num consentanea philosopho sit, equidem non parùm dubito, dum prima & postrema sermonis verba considero. Namque postrema hæc quæ fauere videntur, fauerent sanè si particulam (igitur) continerent velutiargumētationis conclusionem. Ita enim ostenderent illud Aristoteli ad probandum fuisse propositum. At dum causalem (enim) habent, aduersari potiùs mihi videntur: causamque propositionis cuiuspiam adferre, quæ probanda fuerit. Eam statim exponunt prima illa verba. (Non esse similem sensus & intellectus impatibilitatem). Quam propositionem acceptam arbitror ex eo loco, in quo intellectum ostendit impatibilem esse. Cùm enim principiò accepisset, intelligere, aut esse pati quoddam ab intellectu, sicut sensus patitur à sensili; aut aliud eiusmodi quidpiam, hoc est susceptionem solam sine passione: deinceps postremum hoc membrum probauit; intellectumque ostendit susceptiuum quidem formarum, impatibilem tamen esse; & ideò impermistum & inorganicum. Quæ omnia ad explicandam quæstionem illam initiò propositam pertinent, quænam sit propria intellectus differentia, quóque modo intellectio fiat. Sic enim traditum est susceptionem formarum commune quidpiam esse intellectioni & sensioni; naturamque illarum susceptricem, quasi genus intellectui & sensui: propriam autem differentiā, qua intellectus & intellectio à sensu & sensione distinguūtur, impatibilitatem esse. Tandem vt vniuersam hanc quæstionem absolueret, docenda fuit huiusce differentiæ causa: cur inquam sensus susciendo patiatur, intellectus non item. Quare vt ratione susceptionis & potestatis ad formas susciendas (quæ commune genus est) dixerat in tex. 3. intellectum perinde ad intellectilia se habere, ac se habet sensus ad sensilia: ita nunc ratione impatibilitatis, quæ propria est intellectus differentia; subiungit non eodem modo se se habere sensum ad sensilia, quo intellectus habet ad intellectilia. Omnino enim hæc verba superioribus illis respondent, atque hanc sententiam continent: nimirum rationem quærunt, cur sensitiui & intellectiui similis impatibilitas non sit; hoc est cur sensus impatibilis non sit, quemadmodum intellectum dictum est impatibilem esse.

Non eadē sensus & intellectus impatibilitas.

Primùm igitur rem ita se habere confirmat. Deinde cur habeat, exponit sensitiuum, hoc est id, quod sensionis principium existit, non esse impatibile, vt est intellectiuum, quod intelligendi principium est; tum ex sensoriis, tum ex sensu manifestum euadet: ex vtraque inquam parte qua integrum & absolutum sensitiuum constat corporis organo atque animæ facultate. Vtraque enim patitur, læditur, ac dissoluitur. Organum primo loco nominat, deinde sensum: quia corporeum organum materia concretum atque ex elementis permistum, est id quod primùm patitur, ac dissoluitur. Eo verò patiente ac dissoluto patitur quoque, debilitatur, ac perditur ea virtus, quæ in illo consistit, atque per illud operatur. Id in vehementioribus obiectis animaduertes. Propterea enim (quod experitur vnusquisque) si vehementius quidpiam senserimus, ad sentienda reliqua imbecilliores sumus: immò nihil planè interdū sentimus. Velut si vehementem sonum audiuimus, si lucem ingentem aut colorem aspeximus, si fortem atque immoderatum odorem olfecimus; minùs omnino sonos cæteros persentire coloresue intueri, & odores odorari possumus. Quoniam à vehementibus illis & immoderatis sensilibus perturbatus est, ac etiam debilitatus sensus, nimiumque coactum aut dissipatum sensorium. Quò fit vt quandiu ita permanserit, à minùs cogentibus aut dissipantibus obiectis nequeat permoueri; nec ad eam functionem prorsus aptum sit, quæ mediocritatem & temperiem postulat. Cōtrà intellectus intelligendo non solùm non patitur aut debilitatur, immò perficitur. Et quò magis fuerit quidpiam intellectile, eò magis confirmatur ille, atque ad intelligenda cætera, quæ minora sunt & inferiora, euadit robustior. Præstantiora hæc intellectilia non ineptè Simplicius interpretatus est formaliora quæque transcendentésque terminos, ac diuiniores, puriorésque substātias, & omnino principia & causas. Sed hæc exempli causa commemorata videntur. Vniuersè autem dici possunt ea esse, quæ magis sunt entia. Nam cùm intellectile sit vnumquodque, quia est ens, perfectiora quæque ac meliora entia magis sunt, & præstantiora intellectilia; quæ intellectum perficiunt maximè atque ad cæterorū intellectionem roborant. Huius porrò inter sensum & intellectum diuersitatis causa ex iis petitur, quæ antea declarata fuerunt. Neq; alia est, quàm quòd sensus organicus est, nec sine corpore organoque corporeo existit aut operatur: intellectus autem inorganicus & impermistus corpori. Quare cùm passio dissolutio, & interitus materiæ & corporum propria sint, quæ verò cum materia non sunt, ab iis censentur immunia; sensum necesse est patibilem esse, intellectum impatibilem. Vnde consequens est, sensum cum corpore corruptibilem esse, intellectum separabilem & immortalem.

Porrò ad huius loci explicationem non parùm conferēt ea, quæ in superioribus dicta sunt in tex. 123. & 143. in quibus sensum quoque tradidit pati, dissolui, ac perdi ab immoderatis & redun-

dantibus obiectis. Quoniam etsi sensus mistio nõ sit, cùm tamen in corpore misto cõsistat, atq; in quadam organi proportione ac temperatione, tum quoad primas qualitates, tum quoad raritatem & densitatem, conseruetur; ea nimirum à vehementiore obiecti motione dissoluta, eandem ipse ruinam simul sentire cogitur.

Quòd si intellectum quispiam obiiciat intelligendo & contemplando fatigari; hocque organicæ & corruptibilis virtutis propriũ esse. Deinde vehementem, atque immoderatam sensilis obiecti motionem exterioris duntaxat, non interioris sensus organum pulsare. Quare confici, solum exteriorem sensum pati, lædi ac dissolui: interiorem non item; qui tamen nihilominus organicus est. Immò quod philosophus ait de intellectu, de phantasia quoque dici posse. Quippè si difficile quid imaginati fuerimus, inferiora faciliùs imaginabimur. Et cùm intelligere nisi imaginando non possumus, cum intellectili magno magnũ imaginabile coniunctum esse oportet: atque vt à magno intellectili ad intellectilia minora, sic à magno imaginabili ad imaginabilia minora faciliùs deuoluemur. Respondendum fuerit, sensum duobus modis pati ac lædi. Aut à vehementi & immoderato obiecto, vt à nimia luce aspectus: aut à diuturna nimis operatione ac sensilis perceptione. Exteriores sensus, qui primam & realem sensilium motionem atque impressionem suscipiunt, priori sanè modo patiuntur atque lædũtur. At posteriori item sensus & phantasia. Propterea que fatigantur, & quiete indigent, quoniã materiales, corporeæ, atque organicæ virtutes sunt. Intellectus neutro modo per se pati potest aut lædi: sed consequenter duntaxat interdum fatigari vel (vt veriùs dicam) impediri, ne operetur; etsi nihil ipse læsus aut fatigatus fuerit. Idque patiente aut fatigata phantasia euenit. Eius siquidem velut famulæ opera indiget quandiu in hoc corpore commoratur, vt absentia illi obiecta subministret ac renunciet. Ita planè traditum est in tex. 66. libri 1. Intelligere, inquit, & contemplari marcescit alio quodam intus corrupto, hoc est phantasia: ipsum autem impatibile est. » Quæ autem passio ac fatigatio organicæ & corruptibilis virtutis indicium est; ea est, quæ per se, » siue prioris, siue posterioris generis; non item ea, quæ consequenter, est. Iam etsi, vt dixi, ne hæc quidem intellectui accidit. Neque is fatigatur vnquam, sed robustior semper cùm sit, ab intelligendo impeditur famulatrice phantasia fatigata. Quemadmodum etiam in delitiis, somniis, ebrietatibus, perturbata & perperam operante phantasia vacillat quoque & errat intellectus.

Sensum duobus modis pati ac lædi.

Intellectus vt fatigetur intelligẽdo.

Verùm hoc loco philosophus priorẽ illam solam passionem, ac læsionem attulit, quæ à vehementi obiecto proficiscitur. Tum quòd hæc notior & manifestior sua natura sit. Tum quòd eius in superioribus meminisset; causamque in memoratis locis iam explicasset. Quare si post difficile quidpiam imaginabile, imaginari liceat inferiora; idcirco licet, quoniam virtus ea priore illo modo, quo exterior sensus, non patitur. Impatibilis tamen non est, neque incorruptibilis, vt intellectus; quòd alteri passionis generi per se obnoxia sit.

Ita licet concludere; quod per se patibile est & corruptibile, corpus esse, organumque corporeũ; sentientem facultatẽ ex accidente, quatenus patitur patiente organo, in quo tota relidet. Et ideò verè dixit philosophus, sensitiui patibilitatem, tum ex sensoriis, tum ex sensu manifestam esse: quoniam vtrumque patitur, sensorium per se, sensus ex accidẽte, patiente sensorio. Intellectum autẽ neutro modo: sed vt inorganicus est & impermistus corpori, sic impatibilẽ prorsus & immortalem subsistere, etsi corpus vniuersum & singula eius organa frangantur, dissoluantur, & pereant.

TEXTVS.

Ὅταν δ' οὕτως ἔχοντα γένηται, ὡς ἐπιστήμην λέγεται ὁ κατ' ἐνέργειαν. τοῦτο δὲ συμβαίνει, ὅταν δύνηται ἐνεργεῖν δι' αὑτοῦ· ἔστι μὲν οὖν ὁμοίως καὶ τότε δυνάμει πως· ἀλλ' οὐκ ἔσται μανθάνειν καὶ εὑρίσκειν.

Cùm autem singula factus fuerit, perinde atque is, qui dicitur actu sciens (id verò euenit, cùm per seipsum potest operari); est quidem & tunc potestate quodammodo; non tamen eodem, quo antequàm didicisset, aut inuenisset. Text.

COMMENTARIVS LXXIX.

HActenus puram & simplicem intellectus naturam, quatenus facultas quædã est animæ, proposuit nobis Philosophus. Quidque intellectus sit antequam operari atque intelligere aggrediatur, apertè satis declarauit. Voluit autem intellectum animæ facultatem esse immaterialem, incorpoream, & inorganicam: velut potestatem quandam ad intellectilium omnium rerum formas suscipiendas, omni earum conditione spoliatam. Quem propterea intellectum potestate, seu patibilem nominamus: verè autem est intellectus absolutè, & vt à natura existit. Idcircò quod ab interpretibus dicitur, de intellectu potestate patibiliue hactenus fuisse dictum; nunc verò de eo differi, qui habitu consideratur: veriùs multò dictum fuisset, post absolutam & nudam intellectus naturam in potestate quadam, & formarum omnium atque actuum vacuitate consideratã, potestati huic & vacuitati actum atque habitum apponi: atque vbi cognitum est, qualis suapte conditione sit intellectus, & quemadmodum se se habeat antequam quidquam cognoscat; doceri quoque qualis intelligẽdo euadat, quoque modo post rerum cognitarum formas susceptas habeat. Ita à potestate ad actum, à materiali ad formale, & omnino ab imperfecto ad perfectum progreditur: consuetam videlicet obseruans methodum; à potestate ad habitum, & ab habitu ad actum, qui est omnium perfectissimus, pulchrè transiens.

Duo autem de hoc intellectu, quem habituapellamus, paucis verbis exponit: quid sit, & quemadmodũ se habeat. Quid sit, tum definitione comprehendit, tum illustrat exemplo. Definitio est, intellectus habitu est intellectus singula factus. Hæc ex definitione intellectus absolutè cõsiderati deducitur, atq; illi quodã modo veluti habitus potestati opponitur. Intellectum absolutè consideratum antea definiuit potestatem quandam

Intellectus habitus quid.

quandam esse ad intellectilia omnia, omnibus prorsus spoliatam. Hunc intellectum habitu eum appellat, qui est singula factus: omnibus scilicet intellectilium formis perfectus & exornatus, omnes actu continens in seipso ac possidens. Exemplum hominis adfert actu scientis: non actu secundo, sed primo: non actu contemplantis (hoc enim intellectus actu, non habitu exemplum foret) sed actu scientiæ habitum adepti, proximéque ad contemplandum dispositi. Ita nimirum ipsemet interpretatur, cùm non modo scientem ait, non contemplantem; verumetiam statim subiungit, tunc demum actu scientem appellari, cùm per seipsum operari potest, omnibusque aliis remotis ipso sibi sufficiens ad contemplandum est. Hic autem is est, qui scientiæ habitu comparato actum primum habet, quo prodire ad secundum potest. Quare vt actus primus inter meram potestatem, & actum secundum; scienséque inter scientiæ capacem & contemplantem; sic intellectus habitu inter intellectum potestate & eum, qui actu consideratur, medius existit. Intellectus potestate est velut homo scientiarum capax, nullam actu habens; intellectus habitu velut sciens; intellectus demum actu velut contemplans.

Intellectus habitu vt sciẽs.

Estque inter scientem & intellectum habitu similitudo plurima. Quoniam vt homo sciens dicitur propter habitum acquisitũ, quo è potestate prima & essentiali, qua erat scientiæ capax, factus est actu sciens; & adhuc est potestate altera & accidentaria ad secundum contemplationis actum: sic intellectus habitu appellatur, quòd intellectilium formis iam preditus à potestate ad actum transierit, sitque potestate ad ipsas actu intelligendas. Ac rursum vt se habet sciens ad contemplandum, sic ad actionem suam intellectus habitu. Sciens absque docentis opera contemplari potest quandocumque voluerit; & interdum quidem contemplatur, interdum verò à contemplatione cessat. Et intellectus habitu, etsi externum intellectile obiectum non adsit, intelligere tamen, vbi libuerit, potest atque etiam ab intelligendo quiescere. Porrò eodem hoc scientis exemplo in superiori quoque libro à tex. 55. & deinceps in sensus natura exponenda memineris vsum fuisse Philosophum: tum vt constantem vbique ac sibi similẽ agnoscas: tum vt quæ hoc loco de intellectu dicuntur intelligas: atque intellectus demum & sensus similitudinem ac differentiam videas. Scientem & potestate & actu inquiebat dici; vtrumque duobus modis: potestate inquam tum remota & essentiali, quæ naturæ capacitatem operatione, atque habitu carẽtem significat; tum propinqua & accidentaria quæ habitus est, qui non operatur, sed operari potest. Et actu itẽ, tum primo & essentiali, qui habitus est & forma; tum secundo & accidentario, qui est operatio ab habitu & forma profecta. Homo scientiæ capax, fit actu primo sciens docentis opera, qui actu sciẽs fuerit. Vbi verò scientiæ habitũ comparauit, potestate adhuc est ad contemplandum. Sed à seipso ad contemplationis actum venire potest. Non absimili modo in sensu & intellectu res habet. In sensu quòd est potestate essentiali sentiẽs, à procreãte fit actu primo sentiens. Quod autẽ sentiendi facultatem habet, potestate accidẽtaria est ad sentiendum, fitque actu. sentiens, à seipso sensionẽ promens; at non sine externo obiecto præsente. Hæc eo loco de sensu prodita sunt. Nunc eodem scientis exemplo eadẽ planè de intellectu tradit; vnico tantùm discrimine intellectus, qui suaptè natura potestatẽ solam ad intellectilia significat, estque velut potestate essentiali, ad actũ primum & formam intellectilium transit docentis opera aut propria certè discentis inuentione. Vtriusque enim philosophus meminit, inquit Philoponus; quia omnis scientia horum modorum altero comparatur. Huncque intellectũ habitu nominamus, qui scientiæ sentiẽtique facultati respondet optimè: quoniam in intellectilium genere velut habitus est & actus primus. Verùm is potestate adhuc existit accidentaria ad actu intelligendum. Quem actum dum promit, nonnihil differt à sensu, estque prorsus scienti similis. Nam sensus vt actũ sensionis edat, externo eget obiecto, à quo ad agendũ moueatur: intellectus habitu & sciens nullo alio opus habent. Sed vterque, vt non solùm hoc loco, sed etiam in tex. 60. nõtati libri dicitur, intelligere potest, vbi libuerit, ac per seipsum operari. Interiecta enim illa verba (id verò euenit, cùm per seipsum potest operari) tum de sciente, tum maximè de intellectu habitu intelligenda sunt.

Quocirca verissimũ etiam illud est, quod subiungit, intellectum habitu, postquam fuerit singula factus, potestate adhuc esse quodammodo, at non perinde vt antea, quàm didicisset, aut inuenisset. Nam antea, cùm purus & nudus esset intellectus, potestate essentiali, & remota erat ad intelligendum. Carebat enim, tum actu secundo intellectionis, tum primo intellectilium formarum: eratque potestate, tum ad habitũ, tum ad actum. Iam verò singula factus in actu primo & essentiali potestatẽ habet ad actum secundũ: qui cùm sit accidentarius, propterea hic intellectus habitu non absolutè, quemadmodum antequàm didicisset aut inuenisset; sed quodam modo, dicitur esse potestate: eamque ipse explet, cùm in seipso formam & intelligẽdi principium habeat. Atque intellectus quidem potestate erat potestate vt fieret habitu: hic autem est potestate vt fiat actu. Ac demum (vt ex consequentibus verbis colligitur) ille potestate erat ad intelligenda cætera omnia; hic ad intelligendum seipsum.

Intellectus & sensus similitudo & differẽtia.

Vt intellectus omnia fiat.

Cæterùm quod dicitur (singula factus) nequaquam absolutè & simpliciter intelligendum est; quasi intellectus fiat res omnes secũdum esse ipsarum naturale & reale, quo in seipsis existunt. Sed quemadmodum intelligendum sit, declarabunt illa verba, quæ post adscribet. Lapis non est in anima, sed forma lapidis. Non inquam realis & materialis ille lapis, quem oculis cernimus & manibus tangimus: sed illius similitudo, notio, forma sine materia & corpore cõprehensa. Quare vt coloris aut alterius rei forma reipsa in materia susceptæ, eam reipsa coloratam, aut omnino talem efficit, qualis est forma: Sic notiones ac formæ rerum omnium cognitarũ in intellectu susceptæ illum efficiunt omnia, non reipsa, sed similitudine quadã, vt albi pluribus explicatum est. Hicque intellectus intellectilibus rerum omnium formis excultus, toto eo tempore, quo quiescit & nihil actu contemplatur, intelle-

ctus habitus nuncupatur: multò sanè perfectior, quàm antea, cùm in sola potestate versaretur, formis omnibus carens: nondum tamen planè perfectus. Quoniam quidquid aptum est operari, tum demum perfectum omnino censetur, cùm operatur; finem scilicet suum consequutum.

Intellectus & materia similitudo.

Idem in sciente & sensu accidit: & verò etiam in natura. In qua materia est velut intellectus potestate omnium imperfectissima: substantia perfecta, quæ formam adepta est, velut intellectus habitu, melior certè est, quàm materia; at non omnibus modis perfecta, nisi cùm operatio naturæ illi conueniens accesserit. Atque huiusmodi est intellectus in actu, perfectissimus omnium & absolutissimus. Ita non solùm scientis, sed sensus quoque & materiæ exemplo declaratum est, quid sit intellectus habitu, & quomodo se habeat.

Philosophum verò scientis potissimùm exemplo tres ob causas vsum fuisse arbitror. Primum, quòd eodem in explicanda sensus natura fuisset vsus. Deinde quòd illud ipsum ad intellectum pertinet, atque in eodem consideratur. Ad extremum, quòd ita significare voluit & quasi clariore voce dicere, quid sit intellectus habitu, nobisque declarare quomodo intelligendum sit illud (singula factus) vt intellectus habitu significetur.

Vt intellectus omnia fiat: & quid intellectus habitu.

Tribus enim modis intelligere possumus singula fieri: Aut per intellectiles species, quas proportione sensilibus respondentes intellectus agentis lumine ex phantasmatibus excitatas inquient sanctus Thomas, & Latini plerique in intellectu patibili susci pi, vt earum ope vniuersas naturas, quarum sunt species, intelligere queat. Aut per cognitiones singularum rerum, quas actu subinde format & suscipit, dum res quasque & naturas cognoscit. Aut demum per habitus habitualesúe cognitiones ex actualibus illis comparatas. Intellectiles illas species ab intellectione diuersas apud Aristotelem ego quidem certè non reperio, neque vllo modo ad intelligendum necessarias esse arbitror. Verùm aduersus eas post pluribus disputabo. Cognitio & conceptio intellectus intellectæ rei forma quidem est in intellectu, intellectum tamen habitu non absoluit. Tum quia transiens actio est, non permanens ac diuturnus habitus. Tum quia operatio est, non operationis principium: intellectus autem habitu non dicitur, vt operatur; sed vt operari per seipsum potest: intellectusque actu cognoscens, vt contemplans est, non vt sciens. Tum verò etiam, quia si sermo sit de cognitione habitum antecedente, quaque is aquiritur; per eam intellectus nondum est singula factus, sed fit: sin autem de illa, quæ ex habitu proficiscitur, hæc sanè ad intellectum actu potiùs pertinet; quia quod operatur, actu est. Reliquum igitur fuerit intellectum habitu (vt vox ipsa significat) habitualibus cognitionibus constare; eúmque esse, qui scientiarum habitibus præditus est. Hic enim verè est tanquàm sciens; habitu scilicet præditus, quo per seipsum operari potest. Quod de intellectili specie cognitionem antecedente parùm accommodatè dicitur. Quoniam is, qui nondum cognitionẽ vllam habuisset, sed præparatus solùm ad cogoscendum esset; similis illis diceretur, qui iampridem cognitiones omnes, easque toties repetitas habuisset, vt ex illis habitum contraxisset. Verùm apertissimis illud est, alio modo intellectum habitu potestate esse, quàm esset, antequàm didicisset, aut inuenisset. Duo hæc namque (didicisset, aut inuenisset) de speciebus illis dici non possunt. Non enim eas aut à præceptoribus docemur, aut propria inuenimus industria. Sed si vllæ sunt, agentis intellectus lumine excitantur in nobis: discimus vel inuenimus cognitionum & scientiarum habitus. Sciens igitur species quædam & forma fuerit intellectus habitu: & illius tanquàm vnius speciei ac partis exemplo voluit Philosophus explicare, quid vniuersè esset intellectus habitus: qui latiùs omninò patet, quàm sciens, cognitionemque omnem, tum theoreticam, tum practicam comprehendit.

Atque ita demum Interpretes Græci tradiderunt. Alexander in suo primo libro de Anima cap. de intellectu secundùm habitum, & cap. de intellectu, qui velut habitus dicitur, & cap. de intellectu secundùm actum. Et libro 2. cap. 13. de intellectu, qui est habitus, Philoponus in Theoria ad textum primum huius libri, & hoc loco tum ipse, tum Themistius. Quocirca idem prorsus substãtia est intellectus habitu, & intellectus potestate: hoc duntaxat discrimine, quòd alter est imperfectus, alter perfectus: ille intellectilibus formis spoliatus, hic excultus omnibus & ornatus: ille potestate, hic actu: ille velut materia, hic tanquàm forma: ille non potens operari, nisi adiutus ab alio, hic per seipsum potens, & quandocumque libuerit intelligere. Quæ tamen omnia accidentariam, non essentialem differentiam significant. Nam vt idem est homo ignarus primùm, deinde sciens; ita nimirum idem est intellectus potestate primùm, deinde habitus cognitionum perfectus. Et vt scientia homini, sic cognitionum habitus intellectui accidentarium quidpiam sunt & adscititiũ, quod diuersam essentiam non facit.

Porrò intelligatur vocem illam (singula) referri ad illud quod in tex. 4. dixerat (omnia intelligit) sed ita referri, vt necesse non sit intelligere omnia, vt sit intellectus habitu: quis enim est hominũ, qui omnia intelligat? nullus igitur intellectum habitu possideret. Sed satis sit esse factum aliqua alicuius generis, vt in eo genere habitu esse dicatur. Propterea dixit (singula factus) non, omnia factus. Nam & artifex habitum habet suæ artis, dum singula nouit, quæ ad illam artẽ pertinent: etsi quæ ad alias spectant, ignoret. Sic intellectus potest esse habitu circa naturalia, & ignorare ea quæ supra naturem sunt. Immò in vno & eodem genere potest esse habitu aliqua, quæ opptimè nouerit: & non alia, quæ aut penitus ignoret, aut minùs benè percipiat. Quidni enim coëli & simplicium corporum cognitionem accuratam habeat; & non item mistorum aut animatorũ? Hoc igitur est illud (singula factus. Nisi etiam distinctam cognitionẽ significet; qualis in scientiis requiritur. Quippè intellectus non diceretur factus aliqua, nisi illa distincta intelligeret, & causas illorum cognosceret. Tunc enim scire nos aliquid arbitramur, cũ per causã illud cognoscimus, vt est in tex. 5. lib. 1. posteriorum analyticorum. Sed & cùm non fieri sed factũ dicit philosophus, perfectũ significat cognitionẽ, longo studio

ſtudio multáque exercitatione comparatam. Hoc. n. eſt habere habitum: quique eum habet, poteſt ſine alio labore contemplari: ſicut in tex. 86. lib. 2. Phyſ. ars dicitur non deliberare: quia qui artis habitum habet, ſine alia ratiocinatione aut conſultatione opus ſtatim agreditur, quia ſtatim videt quomodo ſit operandũ, & quomodo opus perfectũ effici poſſit.

TEXTVS.

Καὶ αὐτὸς δὲ αὑτὸν τότε δύναται νοεῖν.

Et ipſe tunc ſeipſum poteſt intelligere.

COMMENTARIVS LXXX.

INtellectum, qui eſt habitu, tribus modis ab eo, qui eſt poteſtate, differre docuit. Primùm quòd hic nihil eſt actu eorum, quæ poteſt intelligere; ille ſingula factus omnium habitum habet. Deinde quòd ille poteſtate eſſentiali & remota exiſtit ad intelligendum; hic accidentaria duntaxat, & proxima. Tertiò, quòd ille ex ſe operari non poteſt, ſed ab alio trahi ad actum debet; hic per ſeipſum intelligere valet quando voluerit. Quartum nunc addit, intellectum habitu intelligere ſeipſum poſſe, intellectum poteſtate non poſſe. Particula verò illa (tunc) duo mihi ſignificat. Primum eſt; eandem eſſe intellectus ſubſtantiam, quæ poteſtate dicitur, & habitu; & antea quidem, cùm in ſola poteſtate verſaretur, cognoſcere ſeipſum nequit, poſt verò aliorum intellectilium habitibus perfectus poteſt. Nõ enim diuerſam vox illa facultatem & ſubſtantiam cognoſcentem, ſed cognoſcendi tempus ſignificat. Alterum; Ariſtotelem verbis hiſce non tàm aſſerere intellectum ſeipſum cognoſcere, quàm tempus & modum cognitionis oſtendere. Eum namque ſeipſum cognoſcere, atque in ſeipſum redire, tum erat manifeſtum, certum, atque experentia cuiuſque teſtatum; tum ex ſuperiùs traditis ſatis ſuperque intelligebatur. Nã ſi immaterialis eſt, impermiſtus corpori, & inorganicus; immunis ab eo eſt, quod reditum & conuerſionem in ſeipſum impedire poſſet, impeditque in ſenſu. Et verò ex intellectibus cæteris, qui ſeipſos intelligunt, facilè idẽ poterat de humano probari: Addendũ tamen hoc ipſum, & quoquo modo ſignificandum fuit; vt intellectus diſtingueretur à ſenſu, quem in tex. 52. ſuperioris libri dictum fuerat ſeipſum non cognoſcere. Et ne quis fortaſſe in tex. 4. probatum videns, eum cum materia & corporeis rebus permiſtum non eſſe, vt intelligat omnia, materialia ſola & corporea crederet illum intelligere; non item ſeipſum, cùm à ſeipſo diuerſus, ſibique impermiſtus eſſe non poſſit.

Tempus autem & modus cognoſcendi obſcuritatem habebant plurimam. Tempus; quoniam à primo ortu & naturæ ſuæ conditione non hac modo, ſed omni prorſus cognitione caret. Modus verò; quoniã etſi immaterialis & abſtracta ſubſtantia ſit, vt intellectus cæteri; non eodem tamen modo ſe habet, quo illi; ſed corporis forma eſt. Quare non per eſſentiam vt diuinus intellectus; nequedirectè, vt cæteri, intelligere ſeipſum poteſt. Sed alio quopiã modo. Præſertim cum in intelligendis cæteris rebus opera & famulatu corporeorum ſenſuum & phantaſiæ vtatur: ipſe autẽ immaterialis & incorporeus cùm ſit, percipi ſenſibus & phantaſiã comprehendi nequeat. Tempus igitur illud eſt, cùm ſingula factus & aliarum cognitionum habitibus perfectus fuerit. Modum autem hunc indicat, qui ex cæterarum rerum cognitione deducitur. Cùm enim eum ſcribit ſeipsũ tunc intelligere, cùm fuerit ſingula factus reſque alias cognouerit: Profectò cognitionem eam ſignificat antecedere oportere, veluti neceſſariam ad illum in ſui ipſius cognitionem inducendum.

Digreſſio XXIIII. Quomodo intellectus ſeipſum intelligat.

QVo loco grauis exiſtit inter Simplicium & Alexandrum controuerſia. Etenim Alexander non alio modo, quàm ex accidente ſeipſum dixit intelligere intellectum, intelligendo ſcilicet intellectiles formas, cum quibus ipſe quodam modo eſt idem. Ita enim fit, vt dum eas per ſe & primariò intelligit, ſeipſum etiam ex accidenti intelligat. Sententiam hanc Alexandri paucis verbis commemorat Simplicius: ſed pluribus habes apud ipſum explicatam in 1. libro de anima cap. de intellectu ſecundùm actum. Eandemque Themiſtius & Auerroës hoc loco, & S. Thomas ad tex. 15. ſequuti ſunt. Magnus quoque Albertus ex accidenti cognoſcentem fecit, dum eum tradidit propterea ſeipſum cognoſcere, quòd intellectiles formas in ſeipſo eſſe cognoſcat.

Intelligere per ſe, non ex accidente.

Simplicius autem contrà pugnat, nequaquam ex accidente, ſed primariò eum, tum aliarum rerũ formas, tum ſeipſum intelligere. Si enim, inquit, ex accidente duntaxat, non per ſe, notus ſibi eſſet, neque ſubſtantiam ſuam, neque vitam aut operationem cognoſceret. Quare nihil profectò de illo ſcriberemus: non eum diceremus partem eſſe animæ, non immaterialem, incorporeum, impermiſtum, impatibilem, immortalem, inorganicum, propria ſibi neque communi cum corpore operatione præditum, non eſſe agentem aut patientem, non poteſtate, habitu, aut actu, non theoreticum aut practicum. Etenim hæc non intellectilibus formis, ſed in ipſo intellectũ conſiderantur: neque illis, ſed hic conueniunt. Deinde dum ita iſti loquuntur vim omnem reflectendi ſe ſupra ſeipſum intellectui noſtro præripiunt. Si enim redire in ſeipſum poſſet, non ex accidente, ſed per ſe & principali actione naturam ſuam atque operationem cognoſceret. Quod ſanè tum ex immaterialis ſubſtantiæ natura naſcitur, tumverò in nobis ipſis experimur ſæpiſſimè, non ſolùm rem quampiam aliam, verùm illam ipſam intellectionem, qua illã intelligimus, intelligentes: non tanquam rem intellectam, ſed velut intellectus actionem, qua ea fuit intellecta. Ac rurſum intellectus naturã tãquàm ab intellectis omnibus rebus diuerſã cõtemplamur. Certè facultatum inferiorum actiones & naturam per ſe & peculiari actione cognoſcimus, non illius ipſius, ſed alterius ſuperioris virtutis. Communis enim ſenſus particularium

sensionem sentit, communisque illius actionem & naturam percipit intellectus. Quî verò credi possit optimam & nostri maximè propriam intellectus operationem ac naturam, aut ignorari prorsus, aut non nisi ex accidente, quod penè tantundem est, cognosci? At intellectu superior nulla facultas est: ab ipso igitur per se, tum actio, tum natuea ipsius, cognoscitur. Alioqui si ita esset, vt illi autumant, nos ipsos, nostraque propria bona nosse haud possemus; & haberemus priùs intellectu, quàm sensu: In eo autem, quod est seipsum cognoscere, nil prorsus differret intellectus à sensu. Quippe antea traditum est eundem sensus & sensilis esse actum. Et idem ipse Alexander fatetur sensum quoque, qui est actu, idem esse cum rei sensilis forma sensu percepta. Hæc enim sunt ipsius verba; Cùm nihil aliud sit intellectus in actu, quàm intellecta species; quemadmodum & in sensu quoque monstratum est, &c. Non minùs igitur sensus formam illam cognoscendo seipsum sentiret, quàm intelligat intellectus intellectiles formas intelligendo. Atque intellectum hoc loco asserit seipsum intelligere, sensum in superiore libro seipsum sentire negauit.

Alexandri responsio cõfutata.

Vidit hoc argumentum Alexander & diluere conatus est. Respondit autem non ita esse in sensu: quoniam is rerum duntaxat singularum est, earumque ὡς ὄντων ἐν ὕλῃ neque fit idem cum sensili, ὅτι μὴ ὡς ὕλη τὸ εἶδος λαμβάνει, quòd formam vt materia non suscipiat. Verùm in hac responsione parùm sibi constare videtur Alexander. Sensum enim non fieri idem cum sensili, pugnat omnino cum antecedentibus illis verbis; Nihil aliud intellectus in actu, quàm intellecta species, quemadmodum in sensu quoque monstratum est. Hæc enim sensum apertè aiunt idem fieri cum sensili, sicut intellectus efficitur cum intellectili. Deinde intellectus quoque præter vniuersas & immateriales rerum est singularium & materialiũ, quarũ sanè formã vt materia non suscipit: immò minus, quàm sensus; quia prorsus immateriales suscipit: neque is igitur fieret idem cum rebus illis intellectis, nec huius generis rerum intellectione seipsum intelligere dici posset. Præterea cur sensus cognoscere seipsũ nequeat, vt intellectus seipsum intelligit; non ea est ratio, quòd singula ille & materialia, hic vniuersa & immaterialia comprehendat. Quoniam quidquid sit illud, quod cognoscitur, cognitione discedit à suæ naturæ conditione, atque ad cognoscentis conditionem eleuatur, & in illud transformatur (quid enim Aristotelis illud? sensũ susciperе sensilium formas sine materia. Quid hæc Alexandri confessio? Sensum non vt materia formam suscipere) nec materialis minùs, quàm immaterialis, rei forma intellecta immaterialis est in intellectu: cùm intellectæ omnes formæ, etsi alias atque alias res repræsentent, sintque diuersarum rerum similitudines, reipsa tamen nil aliud sint in intellectu, quàm ipsius intellectiones: immateriales scilicet omnes, vt immaterialis est intellectus, à quo proficiscuntur. Et sensile cognitum nil aliud est, quàm sensus cognitio, quæ illi planè similis est, vt intellectui intellectio. Quare non minùs sensile cognitũ poterit idẽ esse cũ sensu, quàm intellectile intellectũ cum intellectu. Siquidẽ vtrobique operatio est, & cognitio in facultate operante & cognoscente suscepta. Namque nec formã actu intellectam dicimus rem extra intellectum existentem quæ intelligenda illi proponitur (hæc enim intellectilis potestate solùm nominatur) sed ipsius intellectus intellectionem, qua intellectus actu efficitur. Neque deforma actu sensu cognita secus existimare licet: eam inquam non obiectum illud esse, quod incurrit in sensus; sed sensionem circa illud actu profectam, qua sensus actu nuncupatur.

Verùm diuersitatis illius, quæ inter sensum & intellectum, hæc est verissima causa, diuersa ipsorum natura & substantia: quòd sensile materialis est & organicus, intellectus immaterialis & inorganicus. Propterea intellectus nequaquam cum quantitate & corpore complicatus, neque illis inhærens, aut ab illis dependens, non solum alia extra se intelligere potest, sed in seipsum etiã contrahi; atque in se conuersus naturi suam & operationem vera & propria intellectione, quæ seipsum solum respiciat, intelligere. Etenim, cur quæso intellectus item separati & omnino immaterialis omnis & incorporea natura in seipsam conuerti, seque ipsam cognoscere potest? Hoc nimirum sibi vult aperta illa sententia, qua non multò post affirmabitur in tex. 15. intellectum nostrum non minùs intellectilem esse per se scilicet, propriaque & speciali intellectione quàm ipsa intellectilia: siue cæteras interpreteris intellectiles formas, siue potiùs formas & substantias abstractas, quæ seipsas per se semper intelligunt. Quoniam in ijs, inquit, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur: quia scilicet sunt intellectilia actu, seseque in ipsa conuertunt.

Quare minùs hac in re peccauit Alexander, quàm Themistius, Auerroës, ac cæteri, qui eius sententiam post sequuti sunt. Nam quòd Alexander intellectum nostrum negauerit seipsum per se cognoscere; ex eo factum est, quòd materialem eum, & potestatem meram ac præparationem omni carentem actu fecerit. At cæteri, qui immaterialem & incorporeum actũ ac substantiã fecerunt; aut immaterialis & incorporeæ substantiæ conditionẽ non considerarunt, aut pugnantia loquuti sunt. Iam verò sensus totus materialis est & corporeus, cumque materiæ & corporis quantitate indissolubili vinculo colligatus atque cum illa extensus ad alia solùm progreditur, in seipsum contrahi redireue nequit.

Sic igitur intellectus differt à sensu, communeque cum separatis mentibus naturam atque operationem habet: At ab illis ipsis tum natura differt, tum hoc ipso operationis genere. Superiores illi ac diuiniores intellectus corporis nullius sunt actus, in se perfecti subsistunt: noster imperfectus & corporis forma. Illi actu sunt, noster potestate. Illi statim & directè seipsos & semper intelligunt, hæcque operatio naturalis maximè illis est, nec vnquàm intermissa; noster non nisi post longum tempus, laborem plurimum, industriam maximã aliasq; res cognitas sibi notus est: tunc demũ, cùm fuerit singula factus, scientiarũ habitibꝰ cõparatis.

Sic igitur prorsus res habet. Intellectus rudis & omni carens cognitione, omnium tamen capax, à natura prodit, corporibusque nostris innascitur. Tum corporis & materiæ forma factus atque cum sensibus coniunctus, ad exteriora primum & materialia corporum & sensuũ more progreditur; eaque

que primùm intelligit, quæ in sensus incidunt atque illi à phantasia proponuntur. Horum intellectione sæpiùs repetita intelligendique actionibus multiplicatis earum habitum firmiter sibi hærentem contrahit, quo promptus est & expeditus ad eas res, vbi libuerit, intelligendas & contemplandas. Et si opus illi phantasmatibus fuerit, tam est in eorum inspectione & cognitione exercitatus; vt quàm promptè sese ad illa conuertit, tam facilè in illis, quidquid vult, statim intelligat: neque vt antea, labore, industria, attentioneque multa, & consideratione indigeat. Hic intellectus habitu nominatur, qui seipsum tandem intelligere potest. Vbi enim is intelligere se omnia cognouerit, tum demum intelligit suam naturam potestatem esse quandam ad omnia, formarum omnium intellectilium capacem. Intelligit etiam se corporis formã atque ab intellectilibus cæteris diuersæ conditionis esse; cùm animad uertit se absque corporeis sensibus & phantasmate intelligere nequaquam posse; nec sine illis quidquam eorum, quæ cognouit, percepisse. Denique immaterialem, incorporeum, inorganicum, impatibilem, & immortalem se esse intelligit; dum illis omnibus intelligendis nihil se passum aut læsum, sed perfectum magis & roboratum fuisse animaduertit. Itaque non primùm, sed secundariò seipsum intelligit. Non enim eam esse naturam & conditionem suam cognoseret, nisi antea reliqua omnia cognouisset. Vt non ineptè dixeris, intellectum naturam suam cognoscere non absimili modo ab eo, quo materiæ naturam cognoscit; partim formarum omnium & actuũ negatione; partim ex transmutione, in qua velut informe subiectum formas omnes suscipit. Non inquam per se primùm, sed secundaria ratione, & aliunde atque ex formis colligendo. Idem enim propemodum in intellectus euenit cognitione, vt ex intellectilium formarum perceptione cognoscatur. Atque hoc est illud; Cùm fuerit singula factus, seipsum etiam potest intelligere. Primarium igitur illius obiectum cætera omnia sunt; secundarium propria quoque ipsius natura & operatio. Vtrumque tamen per se. Hæc est vera, & Philosopho atque intellectus naturæ antea propositæ consentanea maximè interpretatio.

Intellectus & materia similitudo.

Qui verò intellectus seipsum cognoscit, non est intellectus potestate, neque habitu; sed is, qui actu dicitur. Quod ex Aristotelis verbis apertè cognosces. Is enim intellectus, qui potestate nominatur; planè rudis existit; tantumque abest, vt seipsum cognoscat; vt nec aliorum quidquam intelligat, quatenus eiusmodi est. Tunc autem intelligere poterit, cùm fuerit singula factus. Interim vt est ad alia omnia intelligenda comparatus & aptus, sic potestate remota seipsum potest intelligere. Vbi verò fuerit singula factus, habituq; perfectus, poterit sanè potestate propinqua seipsũ intelligere: at nec dum illi actum, sed potestatem solam intelligendi Philosophus tribuit. Hoc tamen discrimine ab intellectu potestate, quòd alter remota, alter propinqua est potestate; neuter tamen actu operatur. Ac rursum ab intellectu actu hoc differt; quòd is quamdiu est habitu, quiescit semper, nec actũ quidquam intelligit. Quare nec seipsum. Quoniam igitur solus intellectus actu operatur, is solus supereſt, qui post aliarum cognitionum habitus comparatos in seipsum conuersus, seipsum quoque intelligat. Quod ita est accipiendum, vt meminerimus semper, eundem substantia triplicẽ hunc intellectum esse, solũque perfectione atque imperfectione differre. Hinc enim cognoscetur intellectũ absolutè seipsũ cognoscere; ad eam tamen cognitionem non peruenire, nisi cùm cæteris rebus cognitis perfectus fuerit: neq; id eum assequi, quatenus potestate & secundùm suam naturam absolutè consideratur; sed vt cum intellectu habitu & actu idem est, postque acquisitos habitus operatur actu.

Quis in tellectus seipsum intelligat.

Hinc pendet illius quæstionis explicatio, quæ in tex. 16. proponetur; cur intellectus cùm semper habeat seipsum sibi præsentem, semper seipsum intelligat. Causa enim est, quia suapte natura potestate est & imperfectus, aliaque omnia prius intelligere debet: quod non nisi post longum tempus vixque in extrema ætate accidit. Intellectus separati, vt actu sunt & perfecti, sic seipsos semper intelligunt & primò; Neque opus habent ex alijs in sui cognitionem deduci.

Cur intellus non semper se intelligat.

Iam verò si Alexander obijciat, à seipso nihil pati posse, intelligereque pati quidpiam esse ab intellectili: respondit Simplicius, intellectionem non esse passionem simpliciter, verùm passioni aliquid simile; hoc est perfectionem in intellectu susceptam absque ipsius passione. Ita in tex. 3. definitum est. Deinde passionẽ significare receptionem aliunde prouenientem: & ideò intellectũ imperfectum, qui potestate dicitur, pati, dum intelligit alia: eum autem, qui iam perfectus est, tum seipsum, tum formas, quæ in ipso sunt, absque passione vlla, sed perficiente solum actione, intelligere. Tum verò etiam propositionem illam (nihil patitur à seipso) de vera & propria actione physica interpretaberis. Quoddam enim certum est esse actionum genus, quod immanentium propterea vocamus, quòd in illo ipso suscipiantur, à quo proficiscuntur. Sensus circa æternũ obiectum sanè versatur; sensionis tamen actio & forma à seusu producta in eo ipso suscipitur. Idem euenit intellectui: dũ à se diuersa cætera intelligit. Cùm autem in seipsum conuertitur, perinde in seipsum agit; ac intelligentiæ reliquæ, quas directa actione constat seipsas intelligere. Satisque est, vt alia atq; alia ratione intelligat & intelligatur. Intelligit enim, vt est intelligens & actu primo, potestateque ad secundum: intelligitur autem, vt intellectilis est. Atque dum intelligit, nil aliud, quàm intellectionem tanquam sui formam, recipit. Quę receptio perfectio est, non passio. Idem intelligẽtijs abstractis euenit præter Deum, dum seipsas intelligunt: cùm earum intellectio ab illarum essentia diuersa sit, adueniens, & adscita.

Obiectio prima.

Alius fortasse intellectũ causabitur nil sine phantasmate intelligere; neq; ipsius intellectus, qui immaterialis est & spiritalis naturã, posse vllum esse phantasma. Cui respõdebis propositionẽ illã, quæ ad intelligendum accersit phantasma, de primario solùm obiecto accipiendam esse, quo ex sensibus hausto perfici primùm oportet intellectum: non de secundario, neque de toto, quodadæquatũ vocant. Alioqui quomodo Deũ & substãtias abstractas, quarũ phantasma nõ est, intelligimus? Certè omne sensile, quod habet phantasma, intellectile item est: at retrò non comeat propositio, neque reciprocare licet, omne intellectile esse sensile at-

Obiectio secunda.

Phantasmatis necessitas.

que phantasma habere. Maior siquidem est intellectus virtus, quàm sensus: latiúsque multò intellectile patet, quàm sensile. Et in materialibus quidem ac sensilibus intelligendis phantasmate opus est; at in immaterialibus & spiritalibus nequaquam. Immò in hisce intelligendis impedimento potiùs phantasmata sunt; atque ab illis recedit intellectus atque altiùs ascendit, vt, quemadmodum illa se habeant, assequatur. Sed in tex. 15. propterea nos admonebit Philosophus, intellectum atque immaterialia entia per se intellectilia esse; quoniam in illis idem est quod intelligit, & quod intelligitur. Et in tex. 9. proximè sequenti dicetur, ad cognoscendam aquam & formam cum materia sensu & phantasia opus esse; atq; ad solã aquæ essentiam & formam per se abstractam à materia comprehendendam, non item, sed solùm sibi sufficere intellectum. Idque, quod intellectum addet Philosophus persimilẽ esse explicatæ lineæ & replicatæ, siue porrectæ, & curuatę: etsi secus adferetur, hoctamen etiã modo ad rem præsentẽ trahi potest; vt duplicem illam operationem eius declaret: quarum altera ad ea, quæ sunt extra se, cognoscẽda porrigatur, & quasi explicetur; altera ad seipsum intelligendum replicetur & quodam modo curuetur.

QVOMODO FIAT intellectio.

CAPVT VI.

TEXTVS.

Ἐπὶ δὲ δήλο ὅτι τὸ μέγεθος καὶ τὸ μεγέθει εἶναι, καὶ ὕδωρ καὶ τὸ ὕδατι εἶναι· ἕτερον γὰρ καὶ ἐφ' ἑτέρων πολλῶν, ἀλλ' οὐκ ἔστι πανταχοῦ· ἔστι γὰρ ἐνίων γὰρ τοῦτο ὅτι τὸ σαρκὶ εἶναι καὶ σάρκα, ἢ ἀνθρώ, ἢ ἀνθρώ ἔχοντι κρίνει.

Tex. 9. *Cùm verò aliud sit magnitudo & magnitudini esse, & aqua & aquæ esse. Eodem autem modo & in alijs compluribus; at non in omnibus. In quibusdam enim idẽ est carni esse, & carnem: aut alio, aut aliter se habente iudicat intellectus.*

COMMENTARIVS LXXXI.

DIstinctionẽ, quã hoc loco Philosophꝰ proponit, formæ & essentiæ per se consideratæ atq; in materia spectatæ; eò pertinere putarunt Themistius & Auerroës, vt post traditam intellectus naturam inter illius & phantasiæ cognitionem atque operationem differentiam exponat: quòd hæc res tantùm cum sensili materia existentes percipiat, intellectus vniuersas essentias & sine materia comprehendat. Quare differentiam hanc ex obiecto peti. Quod sanè videretur ad rem, tum ad intellectus immaterialem & abstractam naturam antea declaratã ex operatione atque immaterialium & abstractarum rerum comprehensione confirmandam: tum ad hasce duas facultates distanguendas, quæ circa interiores formis, & absentes res ambæ versantur; suntque tantopere connexæ, vt post dicturus sit, nihil animam absque phantasiæ adminiculo intelligere. Nisi actum ageretur. Iam enim in superioribus demonstratum est, intellectum à sensibus diuersum esse; atque ex operationibus ducta probatio, quæ non minùs in phantasia, quæ sentiens item facultas est, locum habet. Deinde phantasiam quoque & intellectum diuersas esse facultates ostendit. Præterea ex eo, quod postremò traditum est, intellectum esse impermistum, immaterialem, incorporeum, inorganicum, & separabilem; perspicuum erat, tum natura, tum operatione naturam comitante, à phantasia illum differre; quæ vt naturam, sic operationem omnem materialem habet, organicam, cum corpore communem, atque ab eo prorsus inseparabilem. Denique nulla huic phantasiæ mentio, sed sensus. A quo tamen (vel interpretibus illis consentiẽtibus) non distinguitur nunc intellectus; cùm satis superque fuerit antea distinctus.

Propterea longè aliam Philosopho mentem fuisse iudicarunt S. Thomas, alijque non pauci; qui quodnam sit intellectus obiectum declarant voluerunt: nempe vniuersale solum, singulare autem ad sensum pertinere: alij vniuersale per se ac primariò, singulare secundariò & per reflexionem ad phantasmata, à quibus intellectilis species vniuersale repræsentans abstracta est.

A quibus ego multis modis dissentio. Primùm intellectilem speciem nil aliud esse arbitror, quàm ipsam intellectionem, quam actu promit intellectus, phantasmatibus inspectis; vt pluribus post docebo. Deinde non minus singulare, quàm vniuersale, ab intellectu cognosci aio. Quod & Aristoteles hoc loco sentit, & quemadmodum non multò post explicabitur, certa ratio persuadet. Tertia causa, cur ego ab ea interpretatione discedam, est; quòd in ijs quæstionibus, quas tractationis initio de intellectu examinandas proposuit Philosophus in tex. 1. hanc non reperio, quodnam sit intellectus obiectum. Neque aut obliuiosi, aut (quod peius est) aduersus docendi rationem peccantis notam illi inurendam puto; qui tractationis ac doctrinæ plura & diuersa, quàm propositionis, fecisset capita.

Si igitur id præstandum fuit, quod erat propositum; optimè dixit Philoponus, post expeditam primam illam quæstionem, quænam sit intellectus differentia & substantia; alteram nunc Philosophum agredi, quomodo intellectio fiat. Nam etsi de hac quoque quęstione quidpiam fuerit dictũ, vbi intellectionem esse intellectilis formæ abstractæ passione susceptionem; ac rursum esse operationem inorganicã, soliusque intellectus propriam, traditum est: hæc tamen ad essentiam, non ad intellectionis modum pertinent: quid inquam quàlisque operatio sit intellectio; non autem quomodo fiat ac perficiatur. Et alterum quidem acceptum fuit, vt ex operationis conditione facultatis natura & differentia cognosceretur: alterum verò ex cognita facultatis natura statim deducitur. Si enim inorganica facultas est intellectus, consequens fuerit operationem item inorganicã, & cum corpore nequaquam communem esse.

Cæterùm quatuor hîc Philoponus dubitationes à Philosopho tractari ait, ex quibus explicatis, quemadmodum intellectio fiat, cognoscatur. Ego ita interpretor. Cùm in tex. 35. libri 2. posuisset, ex obiectis operationes inuestigandas esse, quòd illa priora existant, & propter illa sit operatio, ex illisque omnino pendeat: præ-

ceptum

ceptum illud hoc quoque in loco obseruare quoquo modo voluit. Tria namque distinguit entium genera, quæ ab intellectu cognoscantur. Primum sunt materialia ætia, alterum ipsemet intellectus; postremũ substantiæ prorsus à materia separatæ. Quæ communi quidem intellectilis obiecti genere continentur, quo facultatis vnitas constituitur: sed tamen tàm sunt diuersæ inter se naturæ, vt vnus communis omnibus intelligendi modus esse nequeat. Materialia enim intelligit à sensibus hauriens atque ad phantasmata conuersus. Immaterialia autem omnia seipso solo; sed alio atque alio modo. Seipsum, à materialibus rebus cognitis in se rediens, postquàm fuerit singula factus; alio autem modo separatas mentes. Propterea communem vnum intelligendi modum tradere non potuit; sed seorsim hæc singula membra tractauit: triaque explicationis capita fecit; quibus expositis manifestum vniuerse fuerit quemadmodum intellectio fiat. Hoc arbitror Simplicium quoque voluisse, cùm diuersas dixit intellectiones tradi, hoc est diuersos intelligendi modos; cùm intellectus habitu à quiete ipsius animæ substantiali discedit atque ad intelligendum progreditur, tum composita, tum simplicia, tum verò etiam seipsum.

Intellectilium tria genera.

Porrò caput illud, quod est de separatis substãtijs, nõ explicauit seorsim, quòd altioris alterius tractationis esse iudicaret: solùmque significauit alio quodam modo à cæteris diuerso eas cognosci. Priora duo accuratè tractauit; tum quòd huius loci propria sunt; tum quòd ad ea quæ antea dicta fuerant, explicanda pertinerent. Nempè intellectum affirmauit materialia omnia intelligere; ac deinde subiunxit, post illorum intellectionem seipsum quoque intelligere. Idcircò horum potissimùm ratio fuit exponenda. Quantum tamen ad hunc locum pertinebat, simul cum altero capite, quod est de ipsius intellectus cognitione, quoquo modo significauit, quemadmodum separatæ item substantiæ intelligantur; quia his omnibus commune est immateriale esse. Itaque ad duo capita reuocantur omnia: alterum de materialium, alterum de immaterialium cognitione.

Primum igitur caput aggreditur; quæritque quonam modo materialia cognoscantur. Nam in ijs, quæ materia constant & forma, aliud esse inquiens totum illud coniunctum, quod oculis ac sensibus obijcitur; aliud formam eius, per se consideratam: aliud inquam magnitudinem, aliud magnitudini esse; aliud aquam, aliud formam & essentiam aquæ per se sumptam: quærit, num illud ex materia & forma coniunctum vna animæ parte cõprehendatur, altera illius forma & essentia. An potiùs eadem intelligente facultate alio aque alio modo dispositа cognoscatur vtrumque. Quam dubitationem aut propter Platonem posuit; aut absolutè, quòd ipsa per se difficultatem haberet, assetque consideratione digna. Nam nõ eodem, sed diuerso cognosci voluit Plato, vt ex pluribus eius dialogis manifestum est; atque à Proclo in Timæum, ab Alcinoo in libro quem de Platonis doctrina promulgauit, alijsque Platonicis confirmatum. Intellectilium intellectum esse, sensilium opinionem & sensum, naturæ mediæ cogitationẽ, materiæ demũ spuriã rationẽ: essentias & formas rerũ, hoc est ideas intellectu; sensilem hanc substantiam, quæ formam habet in materia, opinione; ipsa sensilia, sensu; animæ substantiam & naturam cogitatione; primam materiam spuria ratione atque per habitudinem ad sensilium formas percipi.

Platonis de cognitione rerum sententia.

Quòd si res ipsa consideretur, probatum antea fuit immaterialem & impermistum intellectum esse. Materialia igitur, & quæ cum materia formã habent permistam, non videtur posse cognoscere: quippe quæ à sua natura diuersa sunt. Ac rursum etsi intelligere sine passione corrumpente sit, passionem tamen quandam perficientem significat, dum intellectilem formam suscipit. At quo modo immateriale à materiali patiatur, aut immaterialis & incorporea natura materialem & corporeã formam suscipat? Sanè vtramque hanc dubitandi causam ipsemet paulò post attinget. Tum verò si sapienter initio positũ est facultates ex obiectis distinguendas esse; consequens videbatur esse, materialia & sensilia ad sensum duntaxat; immaterialia & quæ per se absque materia & sensilibus qualitatib⁹ considerantur, ad intellectũ pertinere. Deniq; vnius facultatis vnũ obiectũ esse oportet: materialia & immaterialia plura sunt, & diuersa entiũ genera: plurimaq; diuersitas est inter ipsas res materiales, earumque essentias; inter aquam & esse aquæ, inter carnem & esse carnis: illud formã cum materia significat, hoc formam sine materia. Hæc est de materialium entium cognitione dubitatio, hæque dubitandi causæ. Quibus in sequenti oratione satisfiet.

Iam in verbis Philosophi obseruabis, in compluribus sanè ita rem habere, vt materia constent & forma, habeantque formam in materia, & res à suo esse distinguatur, At non in omnibus. Quoniã in quibusdam distinctio ea nõ est; quòd materiæ & formæ compositio non adsit, quæ totum ab ipsius essentia distingui facit. Quod propter substãtias abstractas dictum est, quæ simplices formæ sunt penitus à materia seiunctæ, & verò (vt Aristoteles credidit) actus puri, in quibus essentia à singulari existentia non separetur. Fortasse etiam de solis materialibus loquens adiunxit illud propter cœleste corpus, quod sola materia simplicique substantia, non materia & forma, constare crederet. Quòd si in tex. 92. lib. primi de cœlo aliud esse dicatur hoc cœlum, aliud cœlum simpliciter; non est sermo de cœlesti corpore, sed de mundo, quem Philosophus appellat cœlum. Alioqui vniuersè, tum in ijs, quæ natura; tũ in ijs, quæ arte cõstant, verã esse hanc propositionẽ interpretatur; In ijs, quæ formã habent in materia, aliud est ipsa per se forma, aliud ea cum materia permista. Et ideò artificiata quoque præter ea, quæ naturalia sunt, opportunè Themistius commemorat.

Et duplici Philosophus exemplo vtitur, magnitudinis & aquæ: aqua naturalia significat; magitudinem autem etsi Auerroës indiuiduum exponat; & magnitudini esse, quidditatem & formam eius interpretetur: & S. Thomas ad res mathematicas referat; quæ à sensili quidem materia abstrahuntur, at in quantitate & magnitudine, ceu intellectili materia considerantur, & ideò formam quoque habent in materia. Nisi tamen vtrumque sit naturalium rerum exemplum; & magnitudo corpus hoc magnum & quantum significet, quod videmus & tangimus; & magnitudini esse, quantitatem & formam, qua magnum est & quantum: potiùs credendum est hunc lo-

cum cum textu illo 92. consentire; alterumque artificiorum, alterum naturalium exemplum esse: ac magnitudinē quidem figuratum & arte perfectū opus (in hoc enim plurimę artes occupantur, v alijs atque alijs mōdis quantitatem figurent, hocque solum assequuntur) magnitudi autem esse figuram, qua opus illud constat, significare. A

Porrò de solis materialibus loquutum nunc esse Philosophum indicare illa verba videntur (in quibusdam enim idem est carni esse, & carnem) atq; in illis ipsis affirmare quasdam esse naturas simplices, in quibus duo illa non distinguantur. Neque Themistius separatas mentes, sed punctum, materiale scilicet quidpiā, adducit; in quo idem sit punctus & puncto esse. Et Simplicius cœleste corpus determinatum dicit, licet sit immateriale. Priorē tamen interpretationē video magis probari Philopono, Simplicio, Auerroi, alijsq; permultis. & colligi ex tex: 41. libri septimi, & tex. 16. lib. 8. Metaph. vbi ea de re Philosophus disserens, in omnibus materiam habentibus aliud esse inquit quiditatem, aliud id, quod quiditatem habet: idem autem in substantijs illis, quæ omni materia carēt. Quòd si exemplum carnis & esse carnis minùs videatur immaterialibus illis substantijs accommodatum; nec verò vspiam idem sint caro & esse carnis: Simplicius apertè fatetur falsum cum accepisse exemplum: & causam adferunt, tum Philoponus, tum S. Thomas. Philoponus ingenij magnitudinem, quæ exempla sæpè contemnit: scitumque est illud Auerrois; In exemplis manifestationem quæri, non veritatem. Non enim adferuntur idcircò, quasi semper ita sint; sed vt id de quo agitur, explicetur, faciliusque ab addiscentibus intelligatur. Sanctus autem Thomas, quòd separatæ substantiæ sint ign otæ, neque nominib⁹ propriis nominari possint, sub rerum naturalium exemplo nominatas fuisse. B

Tertiam quandam interpretationem apud Albertū reperies; in compluribus quidem aliud esse aquam, & esse aquæ, hoc est aliud singulare, aliud vniuersale: at non in omnibus, quoniam in abstractionibus hisce vniuersalium à particularibus in infinitum non progredimur; sed ad simplices conceptus & naturas sistimus, quæ in alias non dissoluuntur. Atq; in his idē est caro & esse carnis; natura scilicet & esse illius. Verùm etsi hæc verè dicantur; ad huius tamen loci expositionem non pertinent; in quo non de vniuersalibus & particularibus, sed de forma & materia; deque ijs, quæ forma & materia componuntur, aut quæ simplici natura constant, est sermo; vt ex ipsiusmet Philosophi interpretatione cognoscitur in tex. 92. & 41. paulò ante citatis, & ex comparatione intellectus & sensus & cognitionis vtriusque facultatis; vt sensus materialia cognoscat, intellectus immaterialia per se & simplici cognitione, materialia per sensum & quasi reflexa & conuersa intellectione. C D E

TEXTVS.

Ἡ γὰρ σάρξ οὐκ ἄνευ τῆς ὕλης· ἀλλ' ὥσπερ τὸ σιμὸν τόδε ἐν τῷδε.

Caro namque non sine materia; sed perinde ac simum, hoc in hoc.

COMMENTARIVS LXXXII.

HÆc verba vel ad quæstionis illam partē, quæ falsam esse credidit, suadendā; aduersa scilicet parte cognosci: vel ad propositæ dubitationis confirmationem, Philoponi quoque iudicio pertinent. Confirmatio autem est; quoniam caro materiale quidpiam est, nec sine materia cohæret; quemadmodum nec simitas sine naso. Itaque rationi consentaneum videtur, non eadem, sed diuersa parte intellectum ea cognoscere, quæ formam habent in materia; & ea, quæ simplici forma constant. Cæterùm hæc probatio nil ab antecedente diuersum habet, nisi explum: vt cùm magnitudinem & aquam nominasset, carnem quoque addiderit. Alioqui eadem est dubitandi ratio, num hæc & ea, quæ immaterialia sunt, parte cognoscantur eadem.

Ego duobus modis interpretor. Aut enim ratio eius exponitur, quod dixerat; quædam distingui à suo esse, alia non distingui. Ratio autem est, quòd quædam habent formā in materia, alia simplices per se existentes formæ sunt. Quam interpretationem colligo ex eodem tex. 92. ante citato; in quo sententiam eandem tractans planioribus verbis hanc propositionem adfert; In omnibus, quæ formam habent in materia, aliud esse formam cum materia permistam, aliud per se consideratā formam: quasi hęc sit diuersitatis causa; materia, cum qua coniungitur forma. Aut propterea fuerunt adiuncta illa verba, ne quis audiens, in quibus idem esse carnem, & carni esse, incideret in errorē; hæcque perinde in carne atque in magnitudine & aqua crederet non distingui. Ostendit autem ei gratia id fuisse dictum; non quòd in carne ita res habeat. Nam caro non minùs, quàm magnitudo & aqua, formam significat in materia; eiique vt simum (exemplum Philosopho familiare) quod non solùm curuitatem significat, sed curuitatem in naso; hoc est non solùm formam, sed formam in materia. Hoc enim est illud (hoc in hoc). Nec minùs carni & verò magnitudini & aquæ, cæterisque materialibus formis, quàm simitati conuenit. Et quanquam Simplicius paulò aliter intellexit hæc verba. (Particulam enim (hoc) formam dixit denotare: illam verò (in hoc) aut formam in materia, aut habitudinem quamcumque vnius ad aliud, tanquam indeterminatā per se atque ab illo determinatum. Quod propter cœlum adiecit, cuius forma non est in materia, sed habitudinem habet ad illud corpus, velut à se terminatum). Tandem tamen subiungit (hoc in hoc) non significare compositum, sed compositi causas; formam scilicet & materiam; siquidem forma cum materia coniuncta compositum facit.

TEXTVS.

Τῷ μὲν οὖν ἁφῇ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν κρίνει, ᾗ ἐστὶν ἕξις τις ἡ σάρξ.

Sensitiuo igitur calidum & frigidum indicat, & quatenus caro est quædam habitus.

COM-

COMMENTARIVS LXXXIII.

An eodē materialia & immaterialia cognoscantur.

HÆc est propositæ dubitationis solutio, an diuersa parte, an eadem alio atque alio modo se habente materialia & immaterialia cognoscantur. Cuius priorē partem Plutarchum & Alexandrum accepisse; atque materiali materialia immateriali immaterialia cōprehendi affirmasse testatur Philoponus. Quæ opinio priscorum illud philosophorum sapit ab Aristotele in superioribus confutatum, simile simili cognosci. Verùm aut illi materialia sensu, immaterialia intellectu cognosci; aut parte intellectus materiali materialia, parteque immateriali immaterialia discerni voluerunt. Priorem sententiam visi sunt ex his verbis colligere, quibus sensitiuo calidum & frigidum; carnemque, hoc est quæ formam habent in materia; intellectu autem esse carnis, & formam per se consideratam, cognosci ait.

Intellectu materialia cognoscuntur singula.

At verè argumentatur Philoponus, superiorem facultatem comprehendere quidquid inferior comprehendit, & aliquid etiam aliud; quæque potiora nouit; multò magis deteriora nosse. Deinde si materialia & sensilia non intelligeret intellectus, mentem aliqua ex parte futuram amentem, & intellectum non intelligentem; simulque νοῦν καὶ ἄνουν, mentem & amentem, intellectum & non intellectum seu intellectus expertem. Tum verò ni illa quoque cognosceret, nequaquam posset errantem circa singularia & materialia sensum corrigere; cum aut remum in aqua fractum, aut solem vnius pedis esse decernit. Præterea inter materiales res & immateriales, inter singulas & vniuersas differentiā ponimus, quidq; altera distet ab altera optimè nouimus. At quomodo differentia inter illa ponatur, quorum vtrumque non cognoscatur? & quomodo vniuersale à singularibus abstrahatur? Cùm igitur sensus ad immaterialia & vniuersa non eleuetur, non potest is differentiam ponere: neque partim sensus, partim intellectus; quoniam vnus debet esse amborum iudex: intellectus igitur entium genus vtrumque cognoscet ac discernet. Hoc argumento non solùm Themistius, Philoponus, Auerroës, ac Priscianus Lydus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 15. vsi sunt: sed Aristoteles quoq; communem sensum antea domonstrauit in tex. 146. à particularibus diuersum esse. Quam fortasse ob causam hoc loco non vniuersè quæsiuit, an anima aut homo diuersa, an eadem sui parte & facultate ambo illa cognoscat: sed speciatim an intellectus alio tanquam instrumento, an seipso aliter se habente vtrumque percipiat. Nimirū eum supponens materialia quoque & singula cognoscere; quoniam vnum duorum iudicem esse oportet. Tum verò in tex. 59. intellectū inquiet, cum contemplatur, phantasma semper aliquod singulare & sensile contemplari. Nil clariùs dici poterat. Propterea cùm circa idem phantasia versetur, hoc addit inter phantasiam & intellectum interesse; quòd intellectus sensilia illa phantasmata componit affirmando aut negando; phantasia non item. Apertissima quoque est illa sententia
» in tex. 58. existimatio & ratio, hæc quidem ipsius
» vniuersalis est, illa verò ipsius singularis. Illa enim dicit oportere talem tale agere; hæc autem hoc
« vel illud esse tale. Existimationem namque & ratio-
« nem intellectus actione constare certum est. Sanè ex intellectu practico (cum quo idem reis est, qui theoreticus appellatur, solo diuersus fine) efficax sumitur argumentum. Quoniam is totus circa res agendas & non agendas versatur. Prudentiæque & artium omnium habitus, qui in intellectu versantur, ex rerum singularum ac materialium cognitionibus comparati sunt, & circa illas versantur: quòd ex 6. Moraliū libro manifestū est. Omnis consultatio, ac deliberatio omnisque practica ratiocinatio, etsi propositionem alteram accipiat vniuersam; alteram tamen subiungit, quæ particularem & singularem rem agendam vel non agendam contineat. Non enim dici potest vniuersam intellectum, singularem sensum propositionem adferre. Tum quia sensus neque affirmat, neque negat, neque omnino componit: tantùm abest, vt vniuersale & singulare, hoc esse bonum asserendo, copulare possit. Neque enim is vniuersale cognoscit, neque vllam ratiocinationis partem habet: sed hæc omnia solius intellectus propria sunt. Tum quia vt de communi sensu ratiocinabatur philosophus; perinde esset ac si vniuersam ego, singularem tu propositionem adferres; constaretque ratiocinatio ex intellectione mea & intellectione tua. De inductione ac ratiocinatione, quæ per inductionem fit; deque propositionibus, in quibus vniuersa natura de singulari enuntiatur, vt Socrates est homo, idem dici potest. At quid hæc attinet cōmemorare? Vel ipsos infantes prima literarum elementa perdiscentes consulas. Illi singulas primùm accipiunt literas, deinde illas componunt & dinidunt in syllabas & dictiones. Id sensus non operatur; quoniam hic nisi figuram & colorem literarum percipit, ordo verò vnius ad ad aliam, compositio & diuisio alterius est facultatis, nec sine ratiocinatione perficitur, quare & per huiusmodi disciplinam aquiritur habitus in intellectu. Atqui literæ illæ sunt singulares. Et verò si materialia singularia non posset intellectus cognoscere; an id esset, quia singularia sunt? At Deum, intelligentias separatas, seipsum, suasque intellectiones intelligit. Quæ omnia singularia sunt. An quia materialia sunt? At materiales quiditates, immò materiam ipsam intelligit; totaque scientia de natura cum materia definit; & quæcumq; contemplatur, cū materia considerat. Cœlum verò, sol, luna, & astra cætera, atque elementorum vniuersitates, tum materialia corpora sunt, tum singularia: quæ tamen omnia & intelligimus & contemplamur. Denique voluntatis electio, consilium & ratiocinationem intellectus sequitur; neque mouetur, nisi in id, quod ab intellectu cognitum & monstratum fuerit: at ea singulas res plerumque appetit.

Iam si posteriorem Plutarchus & Alexander sententiam accipiant; atque intellectum ipsum velint parte sui materiali materialia atque immateriali immaterialia cognoscere: Primùm illa ipsa ratione conuincuntur, quæ de communi sensu disputata fuit. Vnum enim & indiuiduum ostendit esse oportere id quod plura discernit, & quid differant, dispicit. Siquidem perinde est, siue plures intellectus partes ponas, siue animæ, siue etiā hominis: siue vna intellectus parte materialia,

altera immaterialia; siue illa sensu, hæc intellectu; siue illa à te, hæc à me percipi dicas. Deinde quoniam intellectũ ostensum est immaterialem totum esse; manifestum existit partitionẽ illam in materialem partem & immaterialem nec veram, nec philosopho consentaneam esse; nullumque materialem intellectum existere materialibus cognoscendis destinatum. Neque vna & eadem animæ vis & facultas partim materialis, partim immaterialis cogitari potest: multò verò minùs eius animæ, quæ tota immaterialis sit.

Cùm igitur ait philosophus (sensitiuum iudicat) dubium non est, quin intellectus iudicare affirmetur, de quo solo proposita fuerat dubitatio. Sed cùm iudicandi modus quæreretur, num is iudicaret alio, an seipso aliter se habente; respondetur materialia & sensilia sensitiuo, hoc est (vt exponit Themistius) ferente suppetias sensu: vel vt ait Philoponus, sensitiuo vtentem instrumento eum iudicare. Cuius ratio est, quoniam hoc postulat facultatum natura & positus cognitionis ordo; vt inferiores facultates quemadmodũ sunt natura priores, ita priùs, quàm superiores, agant: & vt hæ sine illis esse nequeunt, ita nec operentur. Quod in particularibus quoque sensibus & communi perspicuum est. Intellectus verò, qui sensilis corporis est actus ab illius sensibus cognitionem suam inchoare debet. Et vt ipse inorganicus est, nec vlla corporis parte contentus; sic omnibus adest sensibus, statimque accipit quæcumque ab illis fuerint comprehensa. Non tamen sensilia dixit, sed calidum & frigidum aliasque id genus qualitates. Quia cùm sensitiuum nominasset, si sensilia subiunxisset, quæ formale sensitiui obiectum significant; visus fuisset respondere, non intellectum sensitiuo, sed sensitiuum ipsum de illis iudicare. Propterea materiale obiectum nominauit; vt qualitates eas intelligeremus duobus modis considerari; & vt sensiles sunt, & vt intellectiles; quia scilicet entia quædam sunt: easque vt sensiles sunt à sensitiuo iudicari; vt autem intellectiles, ab intellectu vtente sensitiuo vt instrumento. Sic enim sensitiuum & intellectus sensitiuo sensilia iudicant.

Iam tactiles potissimùm qualitates commemorauit; siue quòd omnium primæ atque aliorum principia sint; & ideò commemoratis illis omnes quasi commemorantur: siue potiùs quòd caro, de qua erat sermo, earum temperatione existat & conseruetur. Dixitque calidum & frigidũ, non calorem & frigus. Tum quòd hæc formam per se, illa formam in materia significant, illudq; entium genus exprimunt, de quo quærebatur, an intellectu, an alio cognosceretur. Tum quòd sensitiuo calidum & frigidum, non calorem & frigus, iudicat intellectus; calorem autem & frigus ipse per se solus. Atq; vt breuior esset oratio, post calidum & frigidum cæteras omnes qualitates sensiles communi complexus est clausula (& quorum inquit ratio quædam est caro) quod ad definitionem Philoponus retulit: siquidem per materiam adferri solet naturalis definitio, qualitatumque illa temperatio, materiæ ad formam dispositio est. Simplicius autem proximam causam interpretatus est. Quorum, inquit, ratio quædam est caro, hoc est quorum proxima causa est determinata substantia. Hæc enim determinatorum omnium accidentium proxima censetur causa; quoniam & in ipsa, & circa ipsam, & ex ipsa, & de & propter ipsam subsistunt. Planius fuerit exponere, quæcumque ad efficiendam & absoluendam carnem pertinent: & vt verbum verbo reddamus, quæcumque ad proportionem & temperiem adducta gignunt & constituunt carnẽ, seu continentur in carne. Neque enim intelligendũ est carnẽ formaliter huiusmodi proportionem esse, neque per aliam substantiæ formam constitui: sed accidentariam dispositionem pro substantiæ forma posuit, quæ in illa dispositione, qualitatumque permistione consistit. Quia cùm intellectum diceret sensitiuo cognoscere, proprium & per se sensitiui obiectum adferendum fuit: sensitiuum autem qualitatum & accidentium est non substantiæ.

Hoc igitur est, quod de sensilium & materialium cognitione constituit: ea ab intellectu quidem cognosci, sed qui sensu proprium suum obiectum persentiente atque ad intellectum transmittente vtatur.

TEXTVS.

Ἄλλῳ δ' ἔστι χωριστῷ, ὅ ἐστὶ κυλασθὲν ἔχει πρὸς αὑτὸ ὅταν ἐκταθῇ· τὸ γὰρ σαρκὶ εἶναι καὶ λίθῳ.

Alio autem, siue separabili, siue vt flexa ad seipsam se habet, cùm fuerit extensa. Esse enim carnis etiam discernit.

COMMENTARIVS LXXXIV.

AD propositam quæstionem quid philosophus respondeat, non conuenit inter interpretes. Plutarchus & Alexander, vt dictum est, responderi voluerunt, alio cognosci materialia, alio alio immaterialia; materiali materialia, immateriali immaterialia. Contrà Philoponus eodem intellectu aliter se habente; materialia quatenus vtitur sensu vt instrumento; immaterialia, dum per se sine sensu operatur. Simplicius demũ partim alio, partim eodem aliter se habente. Qualitates quidem & accidentia sensilia sensitiuo, eodem autem intellectu simplices terminos ac substantiales formas, ipsamque terminatam substantiam: secus tamen se habente, quatenus aut extra se progreditur & ad externa se explicat vt formatas ac terminatas substantias cognoscat; aut apud seipsum manet, atque in seipso terminos ac formas, quas apud se habet, contemplatur. Itaque superioribus verbis Philoponus vtramque responsionis partem, alteram explicatè, alteram tacitè contineri dixit. Apertis enim verbis philosophum pronuntiasse intellectum materialia sensitiuo cognoscere: reliquum substituisse, quoniam subaudiri facilè poterat, immaterialia ab eo per se comprehendi. Hanc autem consequentem orationis partem per interrogationem legendam esse. Interrogari verò, nunquid eæ intellectus partes, per quas materialia & immaterialia indicat, à se inuicem separatæ sint; an sicut linea recta & flexa eadem est linea, sola ratione diuersa.

Ve-ùm

Verùm hæc quæstio illa ipsa est, quæ antea fuit proposita, an diuersò, an eodem aliter se habente intellectus cognoscat. Quorsum igitur post inchoatam eius explicationem rursum proponatur, inchoataque interrumpatur explicatio? Melius Simplicius eam arbitratur absolui, partemque alteram explicari; quomodò eodem aliter se habente cognoscat, tum formas ipsas, tum formatas substantias. Hoc enim potius, quàm immaterialia, significat illud (esse carni). Quippe de immaterialium & abstractorum cognitione nondum loquitur: sed de illis solùm agit, quæ formam habent in materia; in quibus magnitudinem, aquam, carnem, & esse magnitudini, aquæ, & carni distinxit. Quare vt antea (esse carni) quiditatem & formam per se consideratam significabat, ita nunc significare oportet. Quod tamen solas qualitates & accidentia sensitiuo affirmauit Simplicius ab intellectu cognosci; philosophi sententiam contraxisse nimis videtur. Nec enim singularem materialem substantiam, qua separare debet quiditatem & naturam per se absque materia & accidentibus considerandam, potest cognoscere nisi per sensus. Qui etsi substantiam non penetrent, sed in exterioribus solis accidentibus consistant, dum tamen hæc percipiunt, aditum ad substantiam intellectui aperiunt. Sanè sensitiuo non solùm calidum & frigidum, sed carnem item, hoc est materialem substantiam singularem cognosci dixit; si germanum illorum verborum sensum fueris assequutus. Sic igitur habet. Accidentia quatenus sensilia sunt, sensus per se cognoscit. Id in belluis manifestum est. Eadem illa vt intellectilia sunt; atque adeò singularis substantia sub illis contenta, solo intellectu percipiuntur; at non sine sensu. Propterea illa absolutè ab alio intellectu diuersò comprehenduntur; hæc ab intellectu vtente alio. At is postquàm à sensu ad materialem substantiam singularem fuerit introductus, formam separat à materia; quiditatemque & essentiam per se & absolutè considerat: Non ampliùs alio vtens, sed seipso solo. Atque hoc est, quod dicitur, esse carnis discerni alio; hoc est intellectu ipso, qui à sensitiuo, quo carnem singularem, & accidentia cognoscere illum dixerat, diuersus est. Alio autem, siue vt separabili à sensitiuo, siue vt linea recta ad seipsâ flexa; dum ad sensum & phantasiam sese conuertit. Nam quemadmodum forma & quiditas per se considerata menteque abstracta, à materia & sensilibus accidentibus separata est, neque in ea sensile quidquam continetur; sic ad intellectum pertinet vt à sensu separabilis est, & per se operari eaque contemplari potest. At quoniam eadem reipsa est forma, quæ in materia existit, quæque mente ac cogitatione abstracta est; intellectus quoque, qui & abstractam intuetur, & eam in materia cognoscit, idem est nec nisi ratione à seipso distinguitur: sicut eadem est linea recta & flexa. Nam dum simplicem formam pura & simplici intellectione per se intuetur, veluti linea recta est: dum verò eam aspicit in materia compositamque substantiam intelligit, euadit tanquàm linea flexa: quoniam ad sensum & phantasiam sese conuertit, & quasi recuruatur. Rursum etsi abstractam formam solus is cognoscat, vt separabilis à sensu: dum tamen eam abstrahit, vtitur sensu, & phantasiam inspicit. Propterea partim vt separabilis videtur, partim vt linea recta & flexa.

Materia ita substantia vt cognoscitur.

Intellectus vt linea recta & flexa.

Ergò ad quæstionem propositam, an forma & quiditas cognoscatur diuersò ab eo, quo cognoscitur id, quod formam & quiditatem habet; omnino respondet vtrumque dici posse diuersò quidem, quatenus alterum sensitiuo cognoscitur, alterum intellectiuo solo, quatenus à sensitiuo diuersum est: eodem autem, quatenus idem intellectiuum aliter atque aliter se habens vtrumque cognoscit, alterum per se solum operando, alterum ad sensus & phantasiam conuersum: illud vt linea recta, hoc vt flexa & curuata. Quo exemplo pulchrè significat identitatem rei cum rationis diuersitate. Quemadmodum enim eâdem lineam curuare ac flectere, & rursum dirigere possumus: sic sanè intellectus & ad sensus ac phantasiam curuatus & flexus carnem intelligit; & mox ad propriam suam operationem directus carnis quoque esse discernit. Cæterùm hoc exemplum ex Platone desumptum fuisse Themistius indicat. Nam is quoq; actiones intellectus exponens circulis vtebatur, altero curuato & volubili, altero recto. Sed cùm is plures afferret, Aristoteles vnum accepit, vt facultatis vnitatem ac multiplicem operandi modum doceret. Flexamque potius lineam, quàm circulum, nominauit: maiori scilicet similitudine; quòd circulus reditum ad idem, linea flexa deflexionem duntaxat ad alterum significat; vt cùm intellectus à seipso ad sensum & phantasiam declinat.

Distinctio rationis.

Porrò Auerroës cùm vitiatum haberet textum, à vera huius loci interpretatione toto aberrauit cœlo. Ego duo obiter adnotabo. Alterum quidem, intellectum non naturas modò vniuersas aut immateriales, sed singulas quoque & materiales cognoscere. Quæ Themistii quoque Philoponi, & Simplicij est aperta sententia; quam argumenta in superiori commentario significata demonstrant. Omninoque Auerrois & Auerroistarum illud explodendum est, singularem substantiam cogitatiua, hoc est sentiente facultate cognosci, vniuersalem intellectu. Nam substantia sensilis non est. Et planissima oratione Simplicius hoc loco & antea in commentario textus 132. & Philoponus in expositione tex. 133. & 155. sensum inquiunt in accidentibus solis versari, nec substantiam vllam percipere, sed hanc intellectu solo & mente comprehendi.

Intellectiũ singularia & materialia cognoscere.

Alterum autem, opinionem illam compluriũ Latinorum, intellectiles species ab intellectione diuersas, tanquàm ad intelligendum necessarias, asserentium, minùs veram esse, vel ex hoc loco intelligi posse. Fatentur namque illi ipsi species eas vniuersarum duntaxat naturarum esse; easque solas, non item res singulas repræsentare, quippe quæ ab illis omnibus conditionibus, quibus singulæ res constabant, fuerint separatæ. Addunt, nullas esse præter has, rerum singularum species. Iam igitur, dum res quoque singulas intelligit intellectus, aut phantasmata ipsa specierũ

Contrà species intelligibiles.

loco in intellectu suscipiuntur; quod vel ipsorum confessione fieri non potest; aut absque speciebus eas intelligit, sola propositorum phantasmatum inspectione. Non est igitur species ad intelligendum necessaria: eodemque modo in proposito phantasmate natura à determinatis conditionibus separans vniuersam eam intelligit. Nam si tantopere, vt inquiunt illi, necessaria esset ad intelligendum species sine illa constaret nulla, ne rerum quidem singularum, intellectio. Quòd si hæc constet, non est igitur intellectioni, vt intellectio est, necessaria.

TEXTVS.

Πάλιν δ' ἐπὶ τῶν ἐν ἀφαιρέσει ὄντων, τὸ εὐθὺ ὡς τὸ σιμόν· μετὰ συνεχοῦς γάρ. Tex. 11.

Rursus autem in his, quæ in abstractione sunt, rectum vt simum. Cum sensitiuo enim.

COMMENTARIVS LXXXV.

QVod de naturalibus compositis exemplo magnitudinis, aquæ, & carnis; aut etiam tum de artificiosis, exemplum magnitudinis; tum de naturalibus, aquam, & carnem memorans: aliud in illis affirmauit esse rem ipsam, aliud esse rei: aliud id, quod quiditatem habet; aliud quiditatem ipsam. Hoc ipsum nunc de mathematicis rebus adiungit. Artificiosa cum naturalibus coniunxit; quoniam non minùs illa, quàm naturalia, in sensili materia consistunt & considerantur, perindeque de vtroque entium genere iudicandum est.

Cur de mathematicis seorsim dixerit, ipsomet rationem significat: quoniam in abstractione à sensili materia versantur. Dicuntur hæc in abstractione versari, ait Simplicius, quòd non sint substantiæ per se seorsim existentes, quemadmodum Pythagorici voluerunt, vt habetur in Metaphysicis; sed in rebus naturalibus existunt, solaque mentis actione separantur ab illis. Nihilominùs cùm non ab omni materia separentur: sed quantitate constent, quæ velut intellectilis materia est earum figurarũ & formarũ, quæ in disciplinis illis considerantur; illud quoq; genus entium formam habet in materia, intellectili scilicet; vt trianguli, quadranguli, aut circuli formam in quantitate. Idcircò in illis ipsis aliud est res, aliud esse rei; aliud forma, & esse trianguli alteriusue figuræ, aliud triangulus aut figura. Habes de hac abstractione alibi fæpè, vt in secundo Physic. libro tex. 18. & 19. & libro 6. Metaph. tex. secundo, & libro 13. eiusdem operis capite tertio deque duplici materia, sensili atque intellectili, in 7. libro Metaphysicæ tex. 35. & 39. & libro 8. tex. 15.

Mathematica abstractio.

Porrò quod rectum ait in mathematicis habere se vt simum, facilè intelligetur, tum ex superiori oratione, qua carnem dixit perinde habere esse cum materia, ac simum; tum ex subsequenti tex. 35. aliisque citatis locis; in quibus naturalia entia sæpiùs affirmare consueuit esse sicut simum; quod formam in materia sensili significat, cauitatem, seu curuitatem in naso; aut si malis, cauum aut curuum nasum: mathematica verò sicut cauum, aut curuum, quæ à naso & sensili quauis materia abstrahunt, solamque quantitatem figura præditam dicunt. Quare quod alibi cauum aut curuum, hic rectum nominat: perindeque in mathematicis rectum significat formam in materia intellectili, atque in naturalibus simum in materia sensili. Nam vt simum est cum naso, ita rectum cum continuo, hoc est cum linea. Et vt illud nasi, sic hoc lineæ & quantitatis figuram indicat; vtrumque formam in materia. Non minùs igitur in mathematicis aliud est rectitudo & figura, aliud rectum seu linea, & figuratum; quàm in naturalibus simitas sit aut forma, & simũ aut formam habens. Sed quemadmodũ vtrobique materia est & forma, sic vtrobique differunt res & esse rei.

Adnotabis autem hæc verba (cum continuo enim) superioribus illis respondere (caro namque sine materia). vnde tria intelliges. Primum erit; causam, cur in entibus distinguatur res & esse rei, compositionem esse ex materia & forma; distinctionisque principium esse vel materiam, siue sensilem, siue intellectilem. Ideò substantias ab vtroque materiæ genere abstractas voluit philosophus esse actus puros, idemque in illis esse ipsas & esse ipsarum. Quod tamen in solo Deo verum est. In cæteris, quæ à Deo productæ sunt, alia quædam cernitur compositio, essentiæ & existentiæ; quæ essentiam facit distingui à re, quæ essentiam habet. Sed de hoc aliàs.

Alterum, quid sit intellectilis materia, circa quam alibi dicitur mathematicus versari; quóque modo à sensili distinguatur. Quod enim inquiunt aliqui materiam intellectilem esse cuiusque rei substantiam à sensilibus omnibus qualitatibus & accidentibus separatam, cum quibus materia sensilis coniuncta est, eamque per se consideratam; neque verum est, neque Aristoteli consentaneum. Etenim Mathematicus à sensili quidem materia abstrahit, at intellectilem contemplatur. Non contemplatur autem substantiam, sed substantia & sensilibus omnibus qualitatibus resectis solam accipit quantitatem. Quod ex definitionibus omnibus manifestum est, in quibus substantiam nunquàm accersit. Atque si astrologia dicatur in textu 44. libri 12. Metaphysicæ cœlestem substantiam considerare: Primùm ea dicitur inter mathematicas disciplinas esse sola, quæ substantiam consideret; intellectilis verò materia omnibus communis est. Deinde eo modo id astrum matur, quo perspectiuam quoque in tex. 20. lib. 2. Physic. scriptum est considerare lineam, non vt mathematica est, sed vt physica. Non inquam vniuersè vt linea est, quo modo à geometria tractatur; sed vt est hæc linea subiecto tali determinata: non subiectum illud physicum cognoscendo

cognoscendo, sed determinatam lineam consi- A derando. Sic enim Astrologia quoque cœlestem substantiam considerare dicitur, quatenus non aliam, quàm cœlorum, quantitatem contemplatur: illorum tamen corporum substantiam non attingendo.

Extat apertissima philosophi interpretatio, tũ hoc loco, tum in 11. Metaph. libro cap. 3. Nam hoc loco in mathematicis inquiens id esse continuum, quod in naturalibus est materia; intellectilem materiam dicit nil esse aliud, quàm quantitatem ipsam velut figurarum subiectum (continuum autem appellat, & non quantum vniuersè; quoniam de recto loquebatur, quod in continuo versatur). In 11. autem Metaphysicæ B
» Vniuersè magis, mathematicus, inquit, circa abstracta speculatur. Tollendo namque sensilia
» omnia solum dimittit quantum & continuum;
» horum quidem ad vnum, horum verò ad duo,
» horum autem ad tria: & affectiones eorum prout
» quanta & continua sunt, non prout aliquid aliud
» speculatur. Et horum quidem situs ad inuicem
» considerat, & ea quæ eis insunt; horum verò
» commensurationes & incommensurationes, horum autem rationes. Ex quibus verbis cognoscitur, & quid intellectilis materia sit, & cur ita nominetur. Intellectilis. n. materia quantitas sola est à substantia sensilibusque accidentibus C omnibus separata. Quæ ideò intellectilis materia nuncupatur, quòd hoc quidem cum sensili materia conuenit, quòd vt hæc naturalium formarum, sic illa proprietatũ, quæ de ea demõstrantur, subiectum est. At in eo differt, quòd illa sensilibus qualitatibus prædita in natura subsistit, hæc abijs omnibus separata, mente sola & cogitatione cohæret: illa reales, hæc intellectiles formas susçipit: illa ab agente naturali, hæc ab intellectu nostro diuersas de illa proprietates demonstrante.

Tertium, quod ex illis iisdem verbis intelligitur, est: minùs benè Philoponum ea interpretatum fuisse, cùm continui voce, tum recti, tum simi, materiam & subiectum intellexit; quòd ambo in continuo aliquo corpore sint. Etenim vt rectum velut ens mathematicum simo antea nominato velut enti naturali opponitur: ita continuum vt intellectilis materia recti opponi debuit sensili materiæ nasi superiùs commemoratæ, in qua consistit simum. Continuum enim intellectilem solam materiam mathematicorum entium, recti inquam, non simi, propriam significare, testantur verba ex 11. Metaph. lib. proposita. Quod verò idem interpres mathematica entia esse asserit materialia, E quòd quantitas illis materia sit, figura forma; minùs propriè dicitur. Siquidem hæc ab ea, quæ propriè materia dicitur, abstracta sunt; minusque propriè & per similitudinem potiùs intellectilis materia nominatur.

TEXTVS.

Τὸ δ' τί ἦν εἶναι, εἰ ἔστιν ἕτερον τὸ εὐθεῖ εἶναι, καὶ τὸ εὐθὺ ἄλλο. ἔστω γὰρ δυάς. ἑτέρῳ ἄρα, ἃ ἐτέρως ἐχόντι κεῖται καὶ ὅλως ἆρα ὡς χωριστὰ τὰ πρά γματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν.

Quod quid autem erat esse, si diuersum sit recto esse & rectum, alio. Est enim dualitas. Alio itaque aut aliter se habente iudicat. Et omnino igitur, vt separabiles à materia res, sic & quæ circa intellectum.

COMMENTARIVS LXXXVI.

QVod quid erat esse, formam, essentiam, & quiditatem rei philosopho significare, notissimum est. Inchoatum autem de mathematicis rebus sermonem absolui, perspicuum. Quoniam igitur non minùs in his, quàm in naturalibus, est forma in materia, & rectum in illis se habet vt in naturalibus simum; si in illis quoque aliud sit forma, aliud compositum mathematicum, quod formam habet; aliud rectitudo, aliud linea recta: consequens item fuerit, rectitudinem, quæ est forma, essentia, & quiditas rei rectæ, alio cognosci ab intellectu, alio id quod rectum est & compositum.

Vbi Simplicium hypotheticam & conditionalem loquutionem asserentem ex eo profectam fuisse, quòd hæc nunc pertractare nollet, quippe quæ in Metaphysicis pertractasset; mirari satis nũ possum. Namq; hoc ipsum agit: atque ex eo deducit, quòd rectum seſe habere dixit, vt simum, & mathematica vt naturalia: hancque ob causam hypothetica vtitur oratione. Quasi diceret; Rectum se habet vt simum aliudq; est rectũ, aliud recto esse: hoc posito, seu cũ hoc ita sit consequẽs est alio atq; alio cognosci rectum & esse recto. Vel cõditionalis particula, vt alibi sæpè, causalis vim habet; quia ex eo, quòd rectum est vt simum, diuersumque est recto esse & rectum; oportet sanè alio hæc atque alio cognosci. Quocirca quod Philoponus quoque dubitando hæc dici credidit, totiusque dubitationis solutionem verbis illis contineri (& omnino dicitur vt separabiles, &c.) minùs verum fuerit. Quia cùm rectum se habere vt simum posuisset, non erat ampliùs dubitandi locus, aut certè fuisset superfluum dubitare. Quippe si eodem modo se habet, consequens est eodem item modo cognosci. Philopono ita interpretãdi hæc fuit causa, quòd non alio, sed eodem aliter se habente vellet hæc comprehendi. Aristoteles autem, vt carnem, quæ est, vt simum, & esse carnis, alio discerni pronuntiauerat; ita & de recto affirmat.

Causamque subiungit, quoniam recto quidem esse forma, est quasi vnitas; at recto esse & rectum, hoc est compositum, est dualitas. Quod nequaquã cum sancto Thoma ad Platonẽ referas; neq; cũ Philop. & Simplicio de solo recto & cõposito

ex materia & forma accipias; vt recto esse sit vnitas, rectum dualitas: quòd illud indiuiduum sit & simplex, hoc diuiduum; siue in materiam & formam, vt Philoponus; siue in partes quantitatis, quia continuum est, vt Simplicius. Non enim hæc ad rem videntur esse; neque rationem reddunt eius, quod agitur, cur recto esse & rectum alio cognoscantur, quemadmodum & causalis particula (enim) & antecedentia consequentiaque verba manifestè testantur. Deinde non rectum, sed recto esse & rectum, dualitatem esse ait. Verùm intelligas recto esse vnitatem appellari, quòd vnum quidpiam & simplicem formam significet, quæ vno cognosci queat, solo scilicet intellectu: recto autem esse & rectum, dualitatem: quoniam etsi à materia sensili abstracta sint, duo tamen quæpiam sunt, non minùs diuersa, quàm carni esse & caro, simo esse & simum; forma videlicet & quod formam habet. Eodem igitur modo, quo illa, partim alio, partim eodem aliter se habente comprehenduntur. Sed hoc interest, quòd vt compositum naturale est sensile, & compositum mathematicum à sensilibus qualitatibus abstractum imaginabile; sic illud sensu, hoc phantasia tanquàm alio comprehenditur. Rursum in naturalibus & compositum & esse compositi eodem intellectu aliter se habente cognoscitur; esse carnis per se; caro, quatenus ad sensum conuertitur. In mathematicis autem recto esse, intellectu item per se; at rectum, eodem illo, quatenus ad phantasiam respicit. Ita paulatim à sensili materia ad intellectilem, à sensu ad phantasiam per mathematicam abstractionem cognitio nostra traducitur, dum inferioribus facultatibus vtitur intellectus; quousque tandem formas ab omni materia liberans, eas solas & nudas ipse solus intellectione simplici contempletur. Vt enim sensus formam rei sensilem, phantasia imaginabilem; ille cum sensili, hæc cum intellectili materia; sic intellectus intellectilem ab omni materiæ conditione solutam suscipit, penes se habet, eiusq; cognitione fruitur: superiore scilicet animæ parte inferiorem perficiente ac melius aliquid & diuinius moliente. Neque id, inquit Simplicius, ab inferiore parte accipiente. Siquidem nec absque longitudine & latitudine punctus, nec linea vera omni latitudine carens, nec exquisita sphæra planum in puncto tangens, qualia imaginatur Mathematicus, in sensilibus vspiam reperiuntur: neque in phantasia intellectiles illæ formæ subsistunt, quas intellectus possidet. Verùm superiore vnaquaque facultate propria sibi actione eas ex se promente, & in se ipsa suscipiente atque ita inferiorem complente; dum per quandam illius imitationem meliores in seipsa formas producit. Quem Simplicii locum illi considerent, qui species ponunt à sensu in phantasiam & à phantasia in intellectum impressas, tanquam ad cognoscendum necessarias.

Vt naturalia & mathematica intelliguntur.

Contra species intentionales.

Porrò eam, quæ postremis verbis continetur, conclusionem, ad sola mathematica entia, eorumque intellectionem Themistius retulit: atque ex eo, quòd non re, sed sola ratione abstrahuntur à materia, deduci voluit intellectum in iis contemplandis non revera, sed sola cogitatione materiam præcidere. Ego aut obiectionis tacitæ dilutionem esse arbitror, qua obijcere quispiam potuisset, si res ita habet, vt dictum est, eodem igitur modo mathematica & naturalia intelligentur. Responderi autem, vt res sunt, ita se habere ad intellectum: hoc- que à naturalibus differre mathematica, quòd abstracta magis sunt. Illa namque à sensili sola materia singulari, non ab vniuersa, separantur; hæc ab vniuersa quoque, solamque intelligibilem materiam habent. Aut generalem potiùs omnium conclusionem esse; aut potiùs ex dictis corollarium. Nam cùm de materialium omnium cognitione dixisset; tum naturalium & artificiorum, quæ in naturalibus consistunt; tum mathematicorum: tum eorum, quæ sensili materia cõstant; tum eorum quæ intellectili: vniuersè concluſit, in omnibus ita se se habere intellectum in cognitione, vt res ipsæ se habent. Quæ inquam, aut à materia sunt reipsa separata, aut mente certè & cogitatione possunt abilla separari, siue à sensili materia, siue ab intellectili; solo nimirũ intellectu comprehenduntur, absq; vsu sensus, qui circa sensilem; aut phantasiæ, quæ circa intellectilem materiam versantur. Quæ verò sunt cum materia, & cum ea considerantur, non intellectu solo & per se operante, sed ad sensum & phantasiam conuerso intelliguntur. Illa non alio, sed ipsomet intellectu; hæc tum alio, tum eodem aliter se habente. Vnde consequens fuerit, vt ex naturalibus, in quibus aliud est carni esse, quod intellectu solo percipitur; aliud caro, quę sensuant per sensum cognoscitur; intellectum colligitur diuersum esse à sensu: ita ex mathematicis, in quibus diuersum item est recto esse, quod intellectu intelligitur; à recto, quod phantasia vel per phantasiam comprehenditur; verè conficiposse, intellectum à phantasia distinctum esse. Treque omnio inesse in nobis cognoscentes facultates inter se magnopere ordinatas, atque vnam alteri famulantem, sensum, phantasiam, intellectum. Ac demum quoniam ex obiecti natura colligi optimè potest facultatis conditio ac natura: quippe qualia sunt obiecta, tales existunt actiones; & quales actiones, talis facultas, à qua & in qua eæ sunt: quemadmodum res abstractas & à materia aut re ipsa separatas, vt immateriales substantias; aut certè separabiles mente, vt res mathematicas; esseque rerum naturalium ac materialium: ita licet concludere ipsius intellectus naturam eiusmodi esse, vt & ipse à materia & corpore separabilis sit, non ratione solùm, sed & re ipsa, Siquidem abstracta intelligit & propriam habet operationem, quam absque sensus aut phantasiæ vsu solus ex se promit. Hæc est intellectio, tum separatarum substantiarum, tum materialium item formarum; non quatenus in materia existunt, & naturam faciunt compositam; sed vt per se considerantur, solamque significant quiditatem; non rem, quæ quiditatem habet. Quandiu enim res ipsas quiditatem habentes intuetur, quoniam sensu & phantasia indiget, non satis cognoscitur separabilem eum esse.

Quibus si addideris, ex eo, quòd aliud est res, aliud esse & quiditas rei, probatum fuisse hæc

hæc alio aut aliter se habente cognosci; duo planè habebis, quibus vbique constans apparebit philosophi doctrina ex obiectis facultatum naturam inuestigantis: tum vnitatem, ac distinctionem; tum naturam & conditionem facultatum iudicandam ex obiectis esse.

TEXTVS.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις εἰ ὁ νοῦς ἁπλοῦν ὢν, καὶ ἀπαθὲς, καὶ μηδενὶ ὡσὶν ἔχει κοινὸν, ὥσπερ φησὶν Ἀναξαγόρας, πῶς νοήσει, εἰ τὸ νοεῖν πάσχειν τί ἐστιν. ἢ γὰρ τι κοινὸν ἀμφοῖν ὑπάρξει, τὸ δὲ πιεῖν δοκεῖ, τὸ δ' πάσχειν.

Tex. 12. *Dubitauerit autem quispiam, si intellectus simplex est, & impatibile, nihilque cum vllo habet commune, vt inquit Anaxagoras; quonam modo intelligit, si intelligere pati quoddam est. Quòd enim est commune ambobus, hoc quidem agere videtur, illud autem pati.*

COMMENTARIVS LXXXVII.

QVæ hoc loco mouetur dubitatio, eam fatentur omnes de modo intelligendi moueri. Vt verò cum superioribus coniungatur, incertum. Themistius Anaxagoram audiens post expositum intelligendi modum nominari, hæc aduersus ipsum adduci credidit; qui simplicem ac materiæ impermistum intellectum dicens, quèadmodum materialia omnia intelligit, nusquã ostendit. Verùm secus omnino habet. Cùm enim non minùs Aristoteles, quàm Anaxagoras simplicem, impermistum, & impatibilem intellectum posuisset, æquè vtrumque dubitatio vrgebat. Absolutè igitur dubitationem proponit, Anaxagoramque citat, quòd eandem sententiam repetat, in qua constituenda eum antea testem adduxerat, cùm impermistum esse intellectum in tex. 4. demonstrauit. Minimè etiam ad rem Auerroës post differentias inter intellectum & phantasiam adductas, eum redire dixit ad dubitandum de intellectu pãtibili. Neque enim hoc in superioribus actum est, vt intellectus à phantasia distingueretur. Philoponus ergò, cùm quatuor dubitationibus explicatis, antea posuisset à philosopho doceri, quemadmodum intellectio fiat: primam hactenus explicatam fuisse voluit, an alio, an eodem materialia & immaterialia cognoscantur. Iam verò proponi alteram, quomodo intelligere sit pati, vt initiò traditum est: aut quomodo intellectus immaterialis & impermistus esse possit, vt antea cum Anaxagora fuit definitum. Simplicius autem de duplici intellectu ad extra progrediente, de quo hactenus egit; de intellectu inquam potestate, & habitu, antequam ad perfectissimum illum accedat, qui est actu; duas dubitationes excitari; quarum altera intellectui potestate, altera ei, qui habitu dicitur; potissimùm conuenit.

Neutram interpretationem prorsus improbo, nec omni ex parte probo. Potius namque id mihi persuadeo, quod principiò posui; vniuersam hanc de intelligendi modo explicationem tripartitò diuisam esse. Cuius primum caput de materialium intellectione hactenus traditum fuerit.

Nunc autem antequàm progrediatur ad alterum, dubitationem hanc aduersus primum illud, quod proximè tractatum est, & constitutum, proponi. Dubitatio hæc est, quæ ex ipsa intellectus natura in superioribus declarata petitur. Intellectus natura quædam est simplex, non composita ex materia & forma, vt de materialibus dictum est. Est impatibilis, neque vt ex Anaxagoræ quoque sententia antecedens sermo definiuit, vlla ex parte cum materia permistus. Id siquidem sibi voluntilla verba (nihilque cum vllo habet commune) quasi interpretatio illius (impermistum) quo antea vsus est: nimirum illud impermistionem cum materia significare. Nam cùm hæc rebus omnibus communissima esse videatur; qua conueniant ea, quæ formis, tum substantiæ, tum accidentium differunt; quæ materiæ communionem non habent, rei nullius communionem habent. Quia cùm eam quantitas consequatur, atque in ea mox qualitates & formæ suscipiantur; vbi materia non est, nihil aliorum fuerit. Propterea tantundẽ est dicere, carere materia, & formis omnibus & cõditionibus materialibus carere, nihilq; cũ ijs, quæ materia constant habere cõmune. Si hæc igitur est intellectus natura, quonam pacto materialia poterit intelligere? Quodque eò libentius proposuit, quòd cũ in intellectus natura sententiam probaret Anaxagoræ, eidem se obnoxium reprehensioni fore animaduertit, quam aduersus illum proposuerat in tex. 34. quòd cùm intellectum impatibilem, impermistum & nihil cum vllo commune habentem posuisset, quomodo intelligeret, nullo is modo significasset. Huius porrò dubitationis non eam is rationem adfert, quam illi veteres attulissent philosophi, qui simile simili cognosci cognitionemque similitudine constare inquiebant; & ideò animam ex omnium rerum principiis compositam & permistam esse oportere, vt omnes possit cognoscere. Is enim contrariam sententiam statuit, intellectumque demonstrauit intelligendis omnibus formis vacuum esse debere, vt omnes suscipiat. Quare vt dubitationem ex hac intellectus conditione proposuit; sic dubitandi rationem ex intellectionis vi & natura deduxit. Intelligere pati quoddam est (hoc ipsum ibi declaratum est, vbi positum fuit aut esse pati simile sensui, hoc est cum interitu; aut eiusmodi quidpiam, hoc est pati quidem & suscipere, at sine interitu, immò cũ perfectione potiùs) atqui actio & passio, vt prior de ortu & interitu liber demonstrauit, in iis duntaxat versatur, quæ diuersam formam & communem materiam habent; diuersitas enim formarum adducit actionem, qua vna conatur alteram sibi similem facere atque ad suam naturam trahere. Materiæ autem communitas patiendi principium est, susciendique illam formam, quæ ab altero produci potest; quòd ad illam quoque sit potestate. Si igitur intellectus materiæ omnis est expers, nec habet quidpiam cum materialibus rebus commune; ab illis pati, hoc est intelligere ea, non potest. Cæterùm actionem & passionem in iis tantùm versari, quæ communem habent materiam, in actione solùm mutua & reciproca, quæ reactionem adiunctam habet, verum est. Alioqui cœlum agit in inferiora corpora, nec

Intellectus nihil cum vllo habet commune.

Actio & passio communem postulent materiã

tamẽ communi materia constat: & intelligentia suum orbem mouet; & mundus, inquit Philoponus, perficitur ab opifice: tametsi & opifex Deus & intelligentiæ cæteræ materiæ omnis expertes sint. Nihilominꝰ aut ab Aristotele acceptũ fuit; quòd dubitationem proponeret, cui probabilis & apparens, non necessaria, satis esset ratio. Aut vsurpatum propterea, quòd etsi in materiale agat immateriale, materiale tamen in immateriale non agit. Quoniam inferioris est conditionis: & cùm non nisi materialem actum producat, is non nisi ex materiæ potestate educi, atque in ente materiali suscipi potest. Hocque ad confirmandam dubitationem propositam satis erat; ostendendumque intellectum immaterialem à materialibus entibus non pati.

Iam verò si hinc quoque contendant Philoponus & Simplicius aduersus ea, quæ in principio dicta sunt, dubitari posse; quomodo intelligere sit pati, aut intellectꝰ immaterialis & impermistus: per me sanè licet. Modò intelligant & fateantur, non id primaria intentione agi; sed aduersus id, quod proximè de materialium cognitione dictum est, dubitationem proponi. Hoc enim ad eam rem, de qua in præsenti agitur, magis pertinet, magisque ordinatam philosophi tractationem facit.

TEXTVS.

Εἴπ δ' εἰ γοητὸς καὶ αὐτός· ἢ ὃ καὶ τοῖς ἀϋλοις ὁ νοῦς ὑπάρξει, εἰ μὴ κατ' ἀλλο αὐτὸς γοητός. ἐν δέ τι τὸ νοητὸν εἴδει, ἢ μεμιγμένον τι ἕξει, ὃ ποιεῖ νοητὸν ὡς τὰ ἄλλα.

Text. 13. *Præterea si intellectilis & ipse. Aut enim alijs quoque inerit intellectus, nisi per aliud intellectilis ipse. Intellectile autem vnum quoddam specie: aut mistum aliquid habebit, quod intellectilem ipsum facit vt cætera.*

COMMENTARIVS XCVIII.

THemistius hunc locum planè prætermisit: & quasi ordinatè magis singula digerẽs priori dubitationi propositæ solutionem statim adiunxit, quam in consequenti textu adfert philosophus: tum alteram hanc dubitationem attingens, ipsius dilutionem subtexuit. Aristoteli autem placuit, antequàm priori satisfaceret, posteriorem hanc quoque inducere, & vtramque simul post explicare.

Dubitatio est, an intellectus ipse sit intellectilis, quoque modo seipsum intelligat. Philoponus esse tertiam: Simplicius & Auerroës alteram. Sed Auerroës de intellectu materiali, qui potestate dicitur: Simplicius de eo potissimùm, qui est habitu. Ferè enim ad eum locum dubitationẽ hanc referunt, in quo de intellectu habitu superiùs dictũ est, intellectum seipsum intelligere. Atque is verè est, qui potestate proxima seipsum potest intelligere; etsi intellectus quoque potestate quoquo modo, nempe potestate prima & remota possit. Ego secundam esse dubitationem consentio: at eam non puto aduersus, hunc locum proponi: verùm absolutè à philosopho moueri, vt alterum illud, quod antea posui, de intelligendi modo, aggrederetur, quomodo seipsum intelligat. Hoc enim consequens erat dicere, postquàm de materialium intellectione dixisset. Nam etsi dictum fuisset in superioribus, intellectum vbi fuerit singula factus, seipsum intelligere: hoc tamen non tàm intellectionis modum, quàm ordinem significat, quo cætera priùs, tum seipsum intelligit. Vtautem ostendat modum; quoniam operationis natura & conditio ex obiecti natura & conditione petitur; & ideò ex natura quoque & conditione materialium quo modo ea intelligantur, exposuit: pulchrè nunc dubitat, an & quemadmodum intellectus sit intellectilis. Vt enim ipse fuerit intellectilis, ita & illius intellectio se habebit.

Sanè intellectilem eum esse certum est. Quoniam si intellectilis non esset, nec seipsum intelligeret nec quemadmodum sese intelligat, quærendum esset. At vel intellectilis est seipso, quatenus intellectus est; vel per aliquid aliud. Si seipso eademque ratione & intellectus est & intellectilis; omne intellectile, vel etiam lignum & lapis, fuerit intellectus. Siquidem, vt in primo de posteriori analysi libro traditur, id, quod quatenus ipsum dicitur, reciprocè dicitur. Quare si intellectus, quatenus intellectus, est intellectile; intellectile itẽ, quatenꝰ intellectile, erit intellectꝰ. Et rursum quoniã quod dicitur quatenus ipsum, de omni, & vniuersè dicitur; si intellectile, quatenus intellectile, est intellectus, omne intellectile intellectus erit. Sin autem non seipso, quatenus intellectus, sed per aliquid aliud aliaque ratione intellectilis est; non erit simplex, & impermistus; sed ex intellectu tanquàm materia, & intellectili tanquàm forma compositus: quẽadmodum de illis dictum est, quæ formam habent in materia: quæ intellectu per se comprehenduntur, quatenus formam, quiditatem, & essere significant; alio autem, id est sensu aut phantasi, quatenus res sunt & in materia existunt. Immò nec seipsum totum intelligeret, sed solum qua parte intellectilis esset; hoc est solam quiditatem suam, non seipsum totum. Quòd si hæc pars aliquid sit illi superinductum, deduci etiam posset, eum omnino seipsum non intelligere, sed superinductam illi formam, qua intellectilis factus est. Itaque vt priorem dubitationem de immaterialiũ intellectione deduxit ex eo, quòd antea de illius natura & actione docuerat, impermistum eum atque intellectionem passionem quandam esse: ita posteriorem hanc de sui ipsius cognitione ex eodem principio mouet, quòd illum tradiderat eũ nulla materia permistum esse; atque hoc à materialibus differre, quæ in materia formam habent; & per aliud, hoc est per suam formam, non seipsis, intellectilia sunt. Propterea enim de intellectu dubitat, quomodo intellectilis sit. Nam si seipso toto, quatenus intellectus est, intellectile omne intellectus erit: si per aliud, hoc est per suã quiditatem ab ipso diuersam, vt cætera; erit igitur in ipso aliud quiditas, aliud id, quod quiditatem habet: eritque perinde ac cætera cum materia permistus.

Paulò aliter ratiocinationem hanc ita colligens

liges. Aut intellectus est intellectilis, quatenus est intellectus; & tunc nihil erit intellectile, quod intellectus non sit; ipsaque materialia intelectum habebunt, quo intellectilia sint: aut quatenus cum intellectilibus cæteris commune quidpiam habet; atque ita compositus erit, & cum cæteris rebus permistus; non simplex & impermistus. Propterea secundam hanc dubitationem cum prima statim coniunxit, antequàm prioris solutionē adferret, Etsi ad capita tractationis diuersa pertinerent. Quoniam vtraque ex eodem principio petitur: ex eo inquam, quòd intellectus est simplex neque cum vlla materia permistus. Ea quoque fuit mouendæ huius dubitationis causa, quòd cùm in materialibus dixerit aliud esse rem, aliud esse rei; atque in penitus abstractis post dicturus sit, hæc duo idē prorsus esse, neque omnino distingui: docendum fuit, vt in intellectu, qui mediæ videtur esse naturæ, res hæc se habeat.

Verba porrò illa (intellectile autem vnum quoddam est specie) interiecta fuisse putat Philoponus; solutionemque secundæ dubitationis in superiori contextu propositæ continere; antequàm posterior adducatur pars huius, quæ illi tertia est; vel vt aliis placet, prioris absurdi in hac dubitatione deducti, omne intellectile fore intellectum. Qui propterea coguntur dicere corruptum esse Philoponi locum, neque (secundi) sed (primi) legendum esse. Respnderi autem, intellectile non esse vnum numero, sed specie; quoddamque proprie, aliud improprie intellectile nominari: proprie intellectum esse & immaterialia omnia atque vniuersalia, quæ actu; improprie materialia & singularia, quæ potestate sunt intellectilia. Verùm credi vix potest tàm perturbatam fuisse philosophi orationem, vt in media argumentatione interponeret solutionem, rectumque ratiocinationis cursum impediret. Deinde solutionem eam inferiùs adducet. Tum verò falsum est, intellectile proprie & improprie eadem esse specie: immateriale siquidem & materiale, tum specie differunt, tum fortasse etiam genere. Credendum potiùs est, eam esse prioris huiusce dubii partis confirmationem: hocque argumēto ostendi in intellectilibus omnibus intellectum fore; quia intellectile est vnum specie. Si enim intellectus & intellectile sunt idem, sanè intellectilia omnia eiusdem speciei sunt; omnia igitur erunt intellectus. Etsi verò falsum sit intellectilia omnia eiusdem speciei esse, vt ipsemet post respondebit; ad dubitandum tamen satis est apparens ratio, quæ ex proportione obiecti & facultatis occurrebat. Vt enim intellectus noster vna est specie facultas, ita illius obiectum intellectile vnum specie videtur esse oportere. Ac formale quidem obiectum sic se habet; quoniam vna est intellectilis ratio materialibus & immaterialibus entibus communis. At naturæ illæ, quæ intellectui proponuntur intelligendæ, maiorem multò inter sese diuersitatem habent. Fortasse etiam nullam verba illa probationem continent: sed quasi pars cum superioribus copulantur, & hypothetica sunt, & velut suppositio; hoc modo; si intellectus non per aliud, sed seipso intellectilis est, atque intellectile omne vnum quoddam est specie, aliis quoque intellectilibus inerit intellectus.

An intellectile sit vnū specie.

Tertia demum interpretatio fuerit; vt eodem quidem modo coniungantur verba; at non intelligamus eiusdem intellectilia omnia esse speciei, sed intellectile & intellectum esse vnum specie; quemadmodum intellexit Simplicius. Hæcque fuerit dubitatio. Si intellectus seipso intellectilis est, ita vt intellectile sit vnum specie & ratione cum intellectu; neque hæc duo, non dicam re ipsa, sed ne intelligendo quidem separari queant; vbicumque fuerit intellectile, erit & intellectus; omnique intellectili, vel etiam materiali, inerit intellectus.

TEXTVS.

Ἢ τὸ μὲν πάσχειν κατὰ κοινόν τι. διὸ διώρισται πρότερον, ὅτι δυνάμει πως ὄντα τὰ γινόμενα ὁ νοῦς. ἀλλ' ἐνέλεχεια οὐδὲν ἔσται αὐ μὴ γοῦ.

An pati quidem secundùm commune quoddam diuisum est priùs? Quoniam potestate quodam modo est intellectilia intellectus; at actu nullum antequàm intelligat. Tex. 14.

COMMENTARIVS LXXXIX.

PRioris dubitationis hæc est solutio. Passionis vocem omonymam esse. Neque quidquid patitur opus esse communem cum patiente habere materiam. Etenim in 2. lib. cùm de passione, quæ est in sensu, ageretur: duplex passio diuisa est: vna corrumpens, & vt ait Auerroës, cum transmutatione: altera perficiens & absque transmutatione. Atque hoc est, quod ait; pati secundùm commune quoddam diuisum fuisse priùs. Etenim eo loco prodidit, pati simplex quidpiam non esse, sed commune, tum corrumpenti alterationi, quæ ad priuatas est dispositiones, hoc est ad interitum atque antecedentis formæ priuationem; tum perficienti, quæ est ad habitum & naturæ conuenientem perfectionem. Diuisionem eandem non multò antea fecit in hoc quoque 3. lib. tex. 2. cùm intelligere dixit aut esse pati ab intellectili, aut aliquid simile. Quare non immeritò Themistius quasi interpretans illud (priùs) A nobis, inquit, iterum suggerenda sunt ea, quæ sæpè monstrauimus. Quod corrūpente passione & cum transmutatione patitur, cōmunem sanè materiam habere debet. Quoniā id, quod ita patitur, contrariā in se habet illi, quam patiendo suscipit, corrūpentem qualitatem: contraria verò circa cōmune subiectum versantur. Quare materiam adnotat Auerroës causam non esse receptionis & passionis vniuersæ; sed eius quæ transmutabilis est. Receptionis autem & passionis simpliciter, esse ipsam rei naturam aptam ad aliud: patique dicitur quidquid eiusmodi est; interdum cum alicuius corruptione, interdum sine corruptione, sed perfectione sola. At non item communi materia opus habet id, quod duntaxat perficitur. Ecce enim, inquit Philoponus, mundus à conditore perficitur; sublunariaque hæc omnia reguntur à cœlestibus & perficiuntur; & aër perficitur à lumine; corpusque cœleste ab intelligentia atque vna intelligentia ab altera, dum sese vicissim intelligunt: nec tamen materiæ in his communio est.

Passio duplex.

Actio & passio vel cōmunia materiā postulat.

Iam verò intellectionem non multò antea ostensum est passionem quidem quandam esse; at perficientem, non corrumpentem; veriusque passioni quidpiam simile, quàm passionem: hoc est impatibilem quandam intellectilium formarum susceptionem. Et ideò intellectum intelligendo suscipere quidem, impatibilem tamen existere: perfici, non perdi neque corrumpi. Propterea eiusdem cum obiectis, à quibus perficitur, materiæ participem eum esse necesse non est. Sensus cum obiecto sensili communem certè materiam habet; sed quatenus corporeo vtitur organo. Itaque duplex in eo cernitur passio; vna corrumpens in organo, quod communi materia constat; altera perficiens in sensu, non corrumpens: illa qualitatem realem suscipit, quæ perdendi ac dissipandi vim habet: hæc iudicatoriam solam actionem, quæ perficere duntaxat potest. Quam ob causam non per se, verùm ex accidenti corrumpi ac perdi sensus dicitur in tex. 65. libri primi; propter corruptionem eam, quæ fit in organo. Intellectus autem, vt est inorganicus, & nihil habet cum cæteris rebus commune; sic posteriorem hanc solam perficientem passionem agnoscit, à priore corrumpente multò magis liber atque immunis.

In sensu duplex passio.

In intellectu vnica.

Verùm Simplicius alio prorsus modo philosophi verba intellexit. Pati secundùm commune quoddam diuisum fuisse: quoniam quædam est vbique agentis & patientis communitas, qua tale potestate est patiens, quale actu est agens. Et intellectum potestate atque adeò habitu secundùm hanc communitatem, qua intellectilium formarum susceptiuus est, à superioribus formis, quæ sunt in intellectu in actu, eatenus pati, quà potestate est id, quod actu est intellectus in actu à quo is patitur: passione tamen perficiente, non corrumpente.

Quæ interpretatio etsi aliis fortasse placere possit, mihi tamen non placet. Primùm quia nequaquam ad rem responderet philosophus dubitationi propositæ. Dubitatio erat, quomodo intellectus immaterialis à materialibus obiectis intelligendo pati queat. Cui si respondeas, quēadmodum intellectus potestate aut habitu ab intellectu in actu aut ab intellectilibus formis, quæ penes ipsum sunt, patiatur; ad rem minimè respondebis: neque dilues argumentum, quo intellectū cum materia permistum esse probabatur. Deinde cùm argumentum in intellectu & in materialibus obiectis communem materiam concluderet; Simplicius nescio quam agentis & patientis communitatem respondet, quæ diuersitas potiùs est, & velut diuersitas in tex. 54. & 62. superioris libri adferebatur: vbi cū sensus diceretur esse potestate id, quod actu est sensile; inde colligebatur ea esse dissimilia antequàm sentiamus; alterum potestate, alterum actu; similia postquàm senserimus; quoniam ambo sunt actu. Tum verò accedit, quòd hæc sunt philosophi verba (pati secundùm commune quoddam diuisum est. Simplicius autem vel nullam passionis diuisionem facit; vel eam, qua tum intellectus potestate, tum is qui habitu, patiatur ab illo, qui est actu. At passionis hæc diuisio nusquàm antea facta est. Illa verò non semel, tum in sensu, tum in intellectu, quæ in passionem est corrumpentem & perficientem.

Qui Simplicii patrocinio susceptо metaphysicos libros citari dixerunt, in quibus ostensum fuerit, patiens ita diuersum esse ab agente vt commune aliquid cum eo habeat: intelligere debuissent hac oratione non dilui, sed confirmari dubitationem, quam diluere aggrediebatur. Siquidē hæc ipsa erat dubitatio antea proposita, intellectum vt pati possit à materialibus, communem cum illis materiam habere: metaphysicos autem libros, qui vel ipsa inscriptione posteriores sunt, nusquàm his priores appellasset. Post naturales enim omnes tractatus illi consequuntur. Satis fuisset priorem de ortu, & interitu librum dicere in quo illud ipsum continetur. Sed nec philosophi consuetudo est ita loqui cùm alium librum seu tractatum citat: verùm aut proprio illum appellat nomine, aut hoc sermone vtitur (vt in alio dictum est.

Hac igitur Simplicij interpretatione confutata, priorem inchoatam prosequamur: quam sequentibus item verbis facilè intelliges confirmari. Nam velut confirmationem seu explicationē eius, quod pati dixerat priùs diuisum esse; causalem quoque adiungens particulam, intellectum statim addit potestate quodam modo intellectilia esse, actu autem nullum priusquàm intelligat. Quæ ipsa verba cùm ex superioribus repetantur, (ex tex. inquam 3. & 5.) longiore commentario non indigent, cùm ibi satis fuerint explicata. Planè autem ostendunt de qua potestate sit sermo: & quo sensu dictum sit, pati fuisse priùs diuisum. Nempe de passione, quæ in illorum obiectorum susceptione cernitur; quibus intellectus naturæ suæ conditione carere & ad ea potestate ella dicebatur cùm primum producitur, priusquàm omnino quidquam intellexerit. Quæ passio antea diuisa fuisse dicitur; quia in corrumpentem & perficientem diuisa est; ostensumque in intellectu duntaxat esse. Ideoque nunc addit (quodam modo) quia non est quouis modo potestate, sicut sensus & materia, quæ ad corrumpentes formas passionemque propriè dictam sunt potestate: sed ad intellectiles solùm formas perficientemque & impatibilem passionem. Dixit etiam (quodammodo) quoniam non est potestate ad susceipienda ipsa entia materialia vt in seipsis sunt & vt in organo sensus susciпiuntur (sic enim sanè communi opus esset materia, vt est in organo sensus) sed quodam modo, hoc est intellectiles solùm eorum formas, & notiones non quatenus materialia sunt, sed qua tenus intellectilia, omnique spoliata materia. Atque ita tantum abest, vt vlla in eo materia sit necessaria, vt nulla prorsus esse queat. Intellectiles namque formæ, vt sunt sine omni materia, sic immateriale penitus subiectū & facultatem postulant. Præterea causā continent illa verba, cur intellectus corrumpente passione non patiatur, sed solùm perficiatur. Quoniam corrumpens passio inter cōtrarias vertatur formas; quarum altera in patiente subiecto sit atque ab altera accedente pellatur. Intellectus nullius rei formam in se habet, nulla igitur pelli potest; nec corrumpente passione pāti, sed perficiente, dum omnes suscipiet.

TEXTVS.

A

TEXTVS.

Δεῖ δ' οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ὑπτελεχέλε γεγραμμένον ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τῆ νοῦ.

Oportet autem perinde atque in tabella, in qua nihil est actu scriptum: quod in intellectu accidit.

COMMENTARIVS XC.

DVo de intellectu proximis verbis affirmauit. B Alterum, intellectus intelligentis passionem perfectionem esse, non corruptionem. Alterum, intellectum priusquàm intelligat, potestate, non actu, intellectilia esse. Propterea exemplum tabellæ non scriptæ, quod subiungitur, ad prioris explicationem à Themistio, ad posterioris à Philopono & Simplicio existimatum est pertinere. Vtrumque arbitror ego voluisse philosophum exemplo vnico, vt in intellectu se habeat, breuitate summa exponere. Nam etsi exemplum rhetorica potiùs probatio sit, vt in 1. Rhetoricorum lib. cap. 2. traditur; eo tamen ad obscuriores, quæ in scientiis occurrunt, difficultates illustrandas persæpè vtimur. Hoc verò aptissimum est ad id, quod agitur, explicandum; quod proprium exempli munus est. Etenim si declarare volueris, quemadmodum intellectio perficiens sit, non corrumpens aut transmutans passio; tabellam non scriptam accipias. In qua dum litterarum elementa, apices, & characteres inscripseris; passionem quidem cernes quàpiam, dum ea suscipit, quæ inscribuntur: at perficientem, non corrumpentem aut illam à sua natura dimouentem. Perficitur namque tunc temporis tabella scriptoris opera; nec in ea quidquam corrumpitur; characteres illos suscipit, nec vllius rei iacturam facit; sed exornatur, perficitur, finem suum consequitur. Ita intellectum quoque intellectilibus formis absque rei vllius interitu docebis excoli, perfici, exornari: nec tã ab intellectilibus pati, vt Themistius loquitur, quàm in ipsa quasi transire. Sin autem ruditatem illam & potestatem monstrare libuerit, qua nullam ex se habet actu intellectilium illarum formarum sed est ad omnes potestate; illam ipsam tabellam monstrabis littera nulla, nulloue charactere obsignatam, sed adcuiusuis obsignationem aptissimè comparatam. Similitudo porrò illa, quam Auerroës addit; quemadmodum tabella tum actu primo characterum caret, tum secundo specierum intentionalium, quibus aspectum mouet & actu secundo sit sensilis; sic intellectum sua natura, tum intellectilibus formis, tum ipsa intellectione carere: vt vera esse concedatur, minimè tamen est ad rem. Cùm Aristoteli propositum sit solam intellectilium formarum carentiam ostendere. Deinde intentionales species in sensu, atque intellectiles in intellectu ab intellectione diuersas Auerroës accepit: quorum neutrum puto ego verum esse, neque ab Aristotele, veteribusque peripateticis admissum.

Exemplorum vsus.

Intellectus velut tabella nõ scripta.

C

D

E

Digressio XXV. Quatenus Intellectus tabellæ comparetur.

CÆterùm hoc exemplo abusi sunt complures. Nam vt à posterioribus incipiam; pictoriam tabulam intellexit Auerroës. Quod etsi ad id, quod quærebatur, explicandum, haud magnopere interfit: & in Philebo Socrates apud Platonẽ, vnde hoc fortasse accepit philosophus, tum libro, tũ pictoriæ tabulæ similẽ animã fecit: scriptoriam tamen potiùs intelligere oportet. Siquidem γραμματεῖον non pictoriam, sed scriptoriam tabellam, qua veteres olim vtebantur; aut libellum ad scribendum comparatum, Aristoteles dixit; ἀπὸ τοῦ γράμματος, quod litteram significat. Cartam nunc nos diceremus, qua pro tabellis ad scribendum vtimur. At cur scriptoriam maluit, quàm pictoriam tabellam nominare? Eam opinor fuisse causam, vt accommodatum magis & simile exemplum esset. Cùm enim ea, quæ loquimur aut scribimus, ex intellectu proueniant; sintque loquutio & scriptio velut partus quidam & effectus intellectus: maiorem multò vidit esse cum intellectu affinitatem ac similitudinem scriptoriæ, quàm pictoriæ, tabellæ; atque illius potiùs, quàm huius, vsu consuetum doctrinæ modum seruari; qui est ab effectu ad causam, ex effectu naturam & conditionem causæ, tum inuestigando, tum explicando.

Auerroës.

Cur scriptoria potius, quã pictoriæ tabella.

Ante Auerroëm autem Plotinus in extremo libro de sensu & memoria tabellam quidem seu scriptorium libellum dixit: sed minimè probauit exemplum. Quòd animæ cognitionẽ nollet impressione formarum & quasi scriptione ab obiectis facta cõstare; sed propria ipsius virtute & actione circa obiecta. Verùm aut calumniari libuit, aut philosophi sententiam assequutus non est. Neque enim is cognitionem negauit actionem esse ab anima profectam: neque cognitionem appellauit passionem, quòd ab obiectis imprimantur formæ (hac enim ex parte Plotino assentiendum puto) neque demum hoc tabellæ exemplum eò spectat. Sed intelligere atque adeò sentire passionem quandam esse affirmauit; quòd etsi actio sit, ea tamen tum in cognoscente facultate suscipitur, tum cognitæ rei forma est & similitudo, quæ dum in anima suscipitur quodam modo patitur anima rerumque cognitarum formis ceu characteribus inscribitur. At Platonicum hominem carpendi Aristotelis occasionem arripuisse aut potiùs extorsisse mirandum non est.

Plotinus.

Quemadmodum nec Proclum miraberis in primum Platonis Alcibiadem; cùm disciplinas reminiscentias esse posuisset, animas negasse tabellas esse litterarum vacuas, quæ figuras accipiant extrinsecùs. Sunt enim, inquit, semper inscriptæ, & ipse scriptor est intus. Neque tamen omnes inscripta legere possunt, vel quòd inscripta sint cognoscere. Quippe cùm ob geneficam obliuionem oculus earum sit sordibus circumfusus atque ex ipsa obliuione in passiones inciderint. Solùm igitur opus est auferre

Proclus.

quod obstat appositum. Habent enim animæ in se ianuas veritatis, sed terrenis materialibusque speciebus occlusas.

Potiùs mirari possumus Alexandrum, qui in primo libro de anima capite de intellectu theoretico, cùm intellectum sua natura nullum ens esse actu, sed meram potestatem atque ad intellectilia omnia promptitudinem posuisse; eum adiecit minùs verè posse tabellæ non scriptæ comparari; quoniam tabella ens quodpiam est. Sed tabellam esse animam, & id, quod animam habet; intellectum autem esse potiùs ipsi inscriptionis carentiæ similem, velut promptitudinem & facultatem inscriptionibus excipiendis accommodatam. Hinc secus, quàm Aristoteles propositam dubitationem diluit. Respondit enim sicut euenit in tabella, vt ipsa quidem, dum inscribitur, pati videatur. Ipsa verò promptitudo & facultas in actum prompta nihil omnino patiatur. Ita nihil intelligendo pati, sed animam, aut id quod animatum est.

Alexander.

In cuius sententiæ explicatione multis modis peccauit. Primùm; quòd hoc non est Aristotelem interpretari, sed corrumpere; non illius sententiam sequi, sed labefactare atque euertere. Is enim γραμματείῳ dixit; Alexander autem μᾶλλον τῷ τῆς πινακίδος ἀγγείῳ, ἀλλ' ἐ τῇ πινακίδι αὐτῇ, αὐτὸ γὰρ τὸ γεγραμμένον ἤδη τῶν ὄντων ἐστίν. Deinde quoniam contrà prorsus, quàm Aristoteles, dubitationem eam diluit. Philoponum quidem reperies aliam quandam solutionem respondisse; ad eamque propositionem (quæ agunt & patiuntur communem oportet habere materiam) dixisse, eam in illis solis esse veram, quæ vicissim actione mutua & agunt & patiuntur. At hoc non est Aristoteli contradicere, sed doctrinam eius augere & locupletare. Alexander verò Aristotelis solutione contempta, quæ verissima atque ex cognitionis natura, & ijs, quæ de intellectus & sensus vi tradita fuerant; falsam aliam proposuit. Nec quisquam est, qui ignoret, aut actum omnem potestati aduenire atque in ipsa potestate suscipi; illudque ipsum fieri actu & suscipere, quod erat potestate atque ad suscipiendum aptum: aut intellectionem esse actum, qui in extraneum subiectum non transeat, sed in illo ipso intellectu suscipiatur, à quo producitur. Hæc fuit causa cur Aristoteles intellectum pati & suscipere intelligendo tradiderit; absque corruptione tamen: eumque propterea esse tabellæ inscriptos characteres suscipienti persimilē. Hoc solum interest, quòd tabella substantia quæpiam est; intellectus qualitas & facultas animę velut substantiæ. Quò fit, vt characterum inscriptione tabella sola patiatur inscriptionēq; totā sustineat: intellectione autē tum intellectus, tū anima: sed intellectus primùm & immediatè, anima secundariò atque intellectu intermedio. Nam omnis intellectio in intellectu statim suscipitur, cuius propria est operatio: tum verò in anima, in qua intellectus ipse sustentatur. Quippe vnum accidens vt est in tex. 14. libri quarti. Metaphysicorum: non est alteri accidenti accidens, nisi quia eidem subiecto vtrumque accidit. Sic & voliones omnes in voluntate primùm, deinde in anima; & sensiones in sensu, tum in anima, ac demum in organo quoque animato; & materiales omnes qualitates in materia quantitate mediante, quæ primum est & proprium materiæ accidens. Tertium & vltimum Alexandri peccatum aliorum omnium caput & radix illud fuit, quòd intellectum potestatem meram, non actum vllum esse putauit. Qua in re quantopere tum à veritate, tum à philosophi sententia aberrauerit, in superioribus à me non semel adnotatum est; ac præsertim in digressione ad textum primum; & longa hoc loco Auerroës oratione prosequitur.

Contra Alexandrum.

Intellectus & tabella differentia.

Postremò Iamblichum refert Philoponus eadem ea voce (γεγραμματεύω) abusum fuisse ad Aristotelem in eam Platonis sententiam trahendum, qua in Menone is contendit, puerorum animabus, hoc est intellectui potestate, rerum omnium rationes à natura insitas esse; neque scientias nostras esse nouas disciplinas, sed veterum recordationem quandam. Ecce, inquit, γεγραμματεύῳ dixit, nō χαρτίῳ non chartę. γεγραμμένον autem, hoc est scripturam, non diceret, nisi γέγραπται haberet scriptumque esset. Sed quoniam respondent peripatetici, non absolutè γεγραμματεύω, sed γεγραμματεύω ἀγράφῳ, tabellæ non scriptæ fuisse intellectum ab Aristotele comparatum: contendebat Iamblichus ἀγράφῳ pro κεκαγράφῳ dictum fuisse; nec priuationem, sed vitium significare: non inquam scriptum non esse, sed malè scriptum, quòd exiles & obscuras litteras habeat. Sicut & ἄφωνος, priuatum voce, appellamus eum, qui est κακόφωνος, qui malam & obscuram minusque sonoram habet. Quare vt eiusmodi vocem minùs acutè & distinctè audimus; & tabellam exilibus atque obscuris inscriptam litteris legendo non percurrimus, sed in singulis hæremus verbis: ita intellectus etsi rerum rationes habeat ex sese, quia tamen obscuras habet, tenues, minimeque conspicuas; nequit eas ratiocinando percurrere: immò nec eas, nisi aliunde adiutus agnoscit. Cuius rei exemplum illud fuerit, quòd sunt qui chartæ inscribant litteras succo cepæ: sed hæ non videntur, nisi calefiat charta. Sic formæ in intellectu patibili inscriptæ, nisi in agentis intellectus conspectum veniant, non leguntur: sicut nec cernuntur colores, nisi lumine solis illustrati. Eadem fuit Marsilio Ficino sententia ad caput quartum libri Theophrasti de phantasia & intellectu. Et Prisciano quoque fuisse videtur ad caput nonum eiusdem libri, dum animam dixit etiam cùm nihil cognoscit actu, esse tamen omnia secundùm perfectionem essentialem & permanentem; & potestate solùm accidentaria ad actionem, qua ea cognoscat actu. Et capite 18. Theophrastum interpretem adducit, intellectum secundùm essentiam quidem perfectas habere species, at non planè sibi vnitas & indiuiduas, antequàm à primo intellectu perficiatur & quasi conscribatur.

Iamblic. apud Philop. com. 2.

Verùm

Confutatio. Verùm immeritò planè conatus est Iamblichus Aristoteli hoc imponere: mirorque nihil illi à Philopono pro Aristotele & peripateticis fuisse respõsũ. Quatuor enim facilè poterant responderi. Primùm; dubitari fortasse posse, num ea Platonis sententia fuerit. Quippe in Philebo apertè animam dixit esse velut librum, qui de nouo scribatur; aut tabulam, quæ nouis in dies imaginibus pingatur, vt alias atque alias res per sensus suscipit. Deinde quidquid sit de Platone, certè tantum abesse, vt eam Aristoteles opinionem habuerit, atque hoc sensu γεμματεῖα exemplum attulerit; vt tum in superioribus, tum hoc ipso in loco intellectum affirmauerit, priusquàm intelligat, nihil esse actu eorum quæ intelligit: atque ad hoc ostendendum exemplum illud induxerit. Tum verò verisimile non esse, eum in intellectus natura tradenda tàm impropriè loquutum vocibusque tantopere abusum fuisse, vt ἀγεάφῳ pro κακογεάφῳ, diceret: quemadmodum & impropria abutensque loquutio est ἄφωνον pro κακοφώνον appellare. Verùm tandẽ intelligendũ est, nil apertè magis ac propriè dici potuisse. Non n. ἀγεάφῳ dixit, sed ᾧ μηδὲν ὑπάρχειν ἐντελεχείᾳ γεγεμμένον, in quo nihil actu scriptum est. Quasi hoc Platonis sententiæ opponeret, qui intellectum veluti tabellam litteris omnibus, licet obscurioribus inscriptam proponebat. Id verò cùm de intellectu asseratur, priusquàm intelligat; manifestum est de intellectu nõdum exculto & vt à natura se habet, quem intellectum potestate vocamus, intelligendum esse. Is ergò tabella est non scripta, apta tamen ad scripturas omnes suscipiendas. Scribitur autem, dum intelligit ac rerum cognitiones sibi comparat. Ipsaque intellectio, vt intellectus actionem significat, aut etiam quadam ex parte sensus intellectũ mouens (vt Socrates ait apud Platonem) scriptio est; vt autem forma intellecta & in intellectu suscepta, velut characteres & litteræ scriptæ. Intellectus porrò in habitu omnibus illis iam præditus atque instructus, velut tabella scripta. Is demum, qui actu eas percurrit atque in se contemplatur, tanquàm is, qui tabellam scriptam inspicit ac legit. Hæc est tota cum intellectu tabellæ comparatio.

Tabella scriptor, characteres lector.

TEXTVS.

Καὶ αὐτὸς ὁ νοητός ἐστιν, ὥσπερ τὰ νοητὰ· ὅσα μὲν γὰρ τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν, καὶ τὸ νοούμενον.

Text. 15 *Est autem intellectilis & ipse, quemadmodum intellectilia. Nam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur.*

COMMENTARIVS XCI.

POsterioris dubitationis hanc esse solutionem omnes consentiunt. At non eandem omnes solutionis interpretationem adferunt. Dissensionis causa est vox illa (intellectilia. Nam cùm intellectus respondetur intellectilis esse perindè ac intellectilia, materialia entia Auerroës, & S. Thomas exponunt: Græci omnes vel etiam Theophrastus apud Priscianum in lib. de phansia & intellectu cap. 19. entia immaterialia & abstracta. Quocirca Auerroës vt materialia, quæ composita sunt, non seipsis totis, sed per formam & quiditatem intellectila esse antea dicebantur; sic intellectũ ait intellectilẽ esse, nõ seipso toto, sed perintentionem in eo existentem, hoc est per formam & quiditatem solam. Sanctus autem Thomas nõ per suam essentiam aut quiditatẽ realem; sed per intellectilem speciem, vt cætera. Itaque discrimen ab Auerroë positum, quòd intentio, per quam intellectus intelligitur, est intellectus in actu, quia est iinmaterialis; intentio autem, per quam intelliguntur materialia est intellectilis potestate, cùm reipsa materialis sit & sensilis: non potest S. Thomas admittere, quoniam intellectilis species vtrobique immaterialis est.

Intellectus vt intellectile.

Verùm vt eos mittam intellectilium vocem materialia perperam interpretari. Quemadmodum enim hæc non sunt simpliciter intellectilia, sed sensilia potiùs; sic ea vox absolutè pronuntiata significare illa non potest: Sed immaterialia, quæ simpliciter & per propriã essentiã sunt intellectilia. Eo ipso argumẽto, quod dubitãdo proponebatur, vtrumque licet conuincere. Nam si ita res habeat; non erit igitur intellectus simplex & impermistus: immo non minùs, quàm cætera, ex forma & habente formam compositus. Neque seipsum totum intelligeret, sed quandam sui duntaxat partem. Quod argumentum aut Philosopho diluendum fuit, aut illis certè interpretibus; si ea, quam illi autumant, est dubitationis solutio. Deinde interierit nihil inter intellectus & materialium rerum intellectionem; si vtraque aut abstracta constet forma, aut intellectili specie. Idem de substantiarum abstractarum intellectione dicendum esset: quas tamen Philosophus secundùm suam substantiam intellectiles esse voluit. Atque hoc ipso in loco in his, quæ sunt sine materia, idem esse dicitur, quod intelligit & quod intelligitur. Id verò eò magis vrgebit Auerroës, quòd is intellectum nostrum vnam quampiam intelligentiam abstractam vniuerso humano assistentem orbi esse prodidit. Sanctus autem Thomas, dum intellectilem speciem dicit, rem minimè necessariam dicit: in ijs præsertim rebus intelligendis, quæ sua natura immateriales sunt: Quorsum enim species illa ponatur? An vt obiectum fiat immateriale, atque intellectui simile? An vt cum illo coniungatur, & in eo suscipiatur? An vt à specie determinetur intellectus? Atqui intellectus immaterialis est sibique tum simillimus, tum idem. Nec potest quidquam esse illi magis præsens & coniunctum; quàm ipse sit sibi ipsi. Vnde & summa existit determinatio. Quòd si propterea quæratur, vt quod erat potestate, fiat actu intellectile; vt omittam, vnumquodque quatenus est ens, esse item intellectile; sicut quatenus coloratum

Contra species intellectiles.

est aut sonorum, aspectabile est aut audibile: sanè quod materiale existit non fit actu intellectile, nisi quatenus fit immateriale: at intellectus immaterialis est suapte natura. Nilque sæpiùs habent in ore specierum harum fautores, quàm ex phantasmatibus eas elici atque à materia ope agentis intellectus absolui. Sin autem non per speciem sui, sed per materialium rerum species is cognosci dicatur; multò minùs id audiendum est. Quoniam vnaquæque species illius rei solius cognitionem facere potest, cuius similitudo est, & vnde sumpta fuit. Deinde dum S. Thomas intellectum ait intellectilem fieri per speciem, non sui, sed aliarum rerũ intellectarum; aut intellectum putat cum Alexandro puram potestatem esse, nec proprio constare actu, quo per se intellectilis sit; aut non posse perfectè in seipsum sese conuertere atque actum illum suum intelligere; neque per se, sed solùm ex accidente se intelligere; vt idem ille asserebat Alexander. Quorum sanè vtrumque is non obscurè significat: sed falsum est atque in superioribus satis superque confutatum.

His igitur prætermissis Græcorum interpretationi standum est; intellectum quoque intellectilem esse, quemadmodum intellectilia; hoc est immaterialia & abstracta entia, quæ per se & essentiam propriam, non per aliud, sunt intellectilia. Etenim ratio, quæ statim subiungitur, quoniam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur; manifestè ostendit intellectilia fuisse appellata illa, quæ sunt sine materia. Voluit enim Philosophus simul exponere, quomodo dictum sit intellectum intellectilem esse vt intellectilia. Probatio hæc est: in immaterialibus idem est quod intelligit, & quod intelligitur; at intellectum esse immaterialem iam demonstratum est; in eo igitur ipso idẽ sunt hæc duo. Expositio autem hac probationis conclusione continetur.

Cæterùm hisce verbis consueta breuitate quatuor complectitur. Primum, secus rem habere in intellectu, & immaterialibus, quàm antea de materialibus dictum sit. In materialibus affirmauit aliud esse simum, aliud esse simo; aliud rectũ, aliud recto esse: quoniã forma cõstant in materia. At in ijs, quæ sunt sine materia, idem sunt hæc duo, res & esse rei. Vnde alterum consequens est; intellectum non eodem, sed alio prorsus modo seipsum intelligere, quàm de materialium intellectione proditum fuerit. Hæc vt composita sunt, ita intelligi dictum est, non seipsis totis, sed formæ & quiditatis separatione à re, quæ illam habet.

In immaterialibus idẽ res & esse rei.

Deinde cognosci, tum sensu aut phantasia, tum intellectu; tum alio, tum eodem aliter se habente. Intellectus, quemadmodum simplex, impermistus, & indiuiduus existit; sic seipso toto; neque alio, hoc est sensu, aut phantasia famulantibus, nisi remotè, quatenus ad sui ipsius cognitionem ex aliorum cognitione peruenit; nec seipsum intelligit, nisi postquàm fuerit singula factus; sed immediatè & proximè se ipse solus intelligit & contemplatur.

A Tetium, vt antea simi & recti exemplis, quæ admodum materialia, tum naturalia, tum mathematica; ac tabellæ tandem similitudine quomodouniuersè cætera omnia intelligat, declarauit ita nunc separatarum substantiarum comparatione voluit simul explicare, quomodo seipsum intelligat. Vt enim illæ seipsas intelligunt, ita & de intellectu cogitare oportet.

Quartum hoc ipso exemplo iuuare voluit propositæ dubitationis dilutionem, aduersus illam quasi instando. Intellectus non secus atque substantiæ illæ seipsum intelligit; eademque de harũ intellectione moueri dubitatio posset: mõ igitur propter eam dubitationẽ negandum est intellectũ B seipsum intelligere, aut simplicẽ & impermistum esse; sed eadem adferẽda solutio. Communis autẽ illa solutio est, quæ modum intelligendi docet; quoniam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur. Hoc est non per aliquid aliud vt per formam & quiditatẽ materialia; sed seipsis intellectilia sunt: quoniã sunt simplices actus & formæ, non ex materia & forma composita.

Hinc duplex intellectilium genus existit; vnum actu, alterũ potestate. Quorũ alterũ proprium, alterũ improprium vocat Philoponus. Nam simplices formæ & cum materia non permistæ, vt intellectus C & abstractæ substãtiæ, intellectiles actu sunt; quòd antecedente separatione non egeant, sed seipsis totis, quemadmodum sunt, intelligi statim queãt. At entia composita & quæ in materia formam habent, intellectilia potestate; quoniam actu sensilia sunt, & vt intelligantur, antecedere oportet sensum & phantasiam, formamque & quiditatem à re, quæ illam habet, separare. Propterea abstractas illas substantias intellectilium nomine appellauit: tũ quod actu propriè & seipsis totis intellectiles sint: tũ ad materialium differentiam, de quibus antea dixerat (hæc enim sensilia potiùs sunt, aut imaginabilia): tum demum vt simul sig- D nificaret modum, quo intelliguntur. Nam vt materialia per sensum aut phantasiam, sic immaterialia & abstracta docere voluit intellectu solo per se intelligi. Itaque & intellectilia dicuntur, quòd seipsis totis eiusmodi sint, & quòd solo intellectu percipiantur.

Cæterùm nõ hoc solùm differunt à materialibus immaterialia, quòd hæc per se & se totis intellectilia sunt, illa per aliud & secũdùm partẽ: verùm etiã quòd illa intellectilia solùm sunt; hæc sensilia quoque; & quidem vt potestate intellectilia, sic actu sensilia. At rursum immaterialia tum alijs, tum sibi ipsis intellectilia sunt; materialia, E non sibi, sed alteri, sensilia. Non enim in seipsum redire potest, quod materiale est. Ita in materialibus tum intellectile ab intelligente, tum sensile à sentiente diuulsum est: in immaterialibus autem intellectile & intellectus cõiunguntur.

Arbitror etiam verbis illis (nam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur) non modò contineri rationem, cur intellectus per se, non per aliud intellectilis sit: verùm responderi quoque ad id, quod dubitãdo fuerat dictũ, omne intellectile fore intellectũ: atque

atque ita totam eam dubitationem tolli. Respõderi autem, eorum duntaxat, quæ sunt sine materia, proprium esse, vt idem sint, quod intelligit & quod intelligitur. Duplexque potest esse horum verborũ sententia: quarũ altera colligatur intellectũ & immaterialia intelligere seipsa; quia cũ sint sine materiâ, possunt in seipsa intelligendo sese conuertere: altera respondeatur obiectioni, sola immaterialia simul esse intellectilia, & intelligentia; quoniam quod intelligens futurum est, immateriale esse oportet. Siquidem intellectio immaterialis actio est, qua res cognita, etsi materialis, euadit immaterialis in cognoscentem translata: & intellectus substantia impermista & inorganica; materia verò insipiens & stolida, omnemque intellectionem impedit & offuscat. Tantumque abest, vt quod materiam habet, intelligens esse queat; vt si intelligi debeat, aut separandum sit à materia, aut cum intellectu coniungendus sensus vel phantasia; materiales scilicet & corporeæ virtutes. Concedamus igitur id, quod quatenus ipsum dicitur, reciprocè dici. At esse intellectile quatenus ipsum de solis immaterialibus dicitur, quæ per se & tota sua natura sunt actu & propriè intellectilia: Non de materialibus, quæ non quatenus ipsa, sed per formã & quiditatem intellectus nostri opera separatam à materia, intellectilia dicuntur; quatenus ipsa verò sensilia potiùs, aut imaginabilia. Sic enim in superioribus definitum audiuimus. Propterea immaterialia sola ita sunt intellectilia, vt intellectus item sint; non materialia.

Materia intellectionem impedit.

Ita dubitatio tota diluitur. Nam quod fortasse obijciat quispiam, nondum haberi intellectum simplicem esse neque quidquam habens commune: Siquidem materialia quoque sunt intellectilia. Quare aliquid esse oportet intellectui & illis commune, quo intellectilia sint ambo; & aliquid rursum singulorum proprium, quo talia sint, & talia intellectila, materiale aut immateriale. Primùm de intelligentijs etiam separatisque substantijs proponi posset; quas simplices constat & impermistas esse. Deinde illud ipsum diluitur, cùm substantiæ illæ atque intellectus immateriales esse affirmantur. Nam si materiæ communionem & permistionem non habeant, alia supereſt nulla, nisi entis: qua sanè intellectile est vnumquodque. At entis ratio omonyma est, nec nullam præter singula naturam significat, quæ cum illis compositionem faciat. Intellectus igitur atque immaterialia omnia cùm nil, quod compositionem efficiat, aliquamque naturam significet, cum illis habeant commune, tum in se simplicia sunt, tum cum cæteris impermista. Postremò hoc ipsum sibi volunt illa verba (nam in his, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur). Omnem enim ab intellectu compositionem & mistionem excludunt nec aliam cum materialibus conuenientiam relinquunt quàm illam, quam dixi.

Intellectus immaterialis & immortalis.

Hinc vero planè intelligas, intellectum nostrum immaterialem & immortalem Aristoteli fuisse. Etenim eum aperta oratione sine materia, & ideò secundum idem & intellectum & intellectilem esse; non secus atque immateriales cæteras & abstractas substantias, tradidit. Quodque maximè obseruabis, de intellectu potestate sermo est, qui imperfectus & materialis appellari solet. Id ex superiore contextu manifestè agnosces: in quo eum prodidit potestate esse intellectilia omnia, actu nullum, priùs quam intelligat: velut tabellam, in qua nihil est scriptum. Post hæc enim statim subiunxit, hunc ipsum intellectum esse vt intellectilia, quoniam immaterialis est. At quoniam in superioribus eum docuit, tunc demum intelligere seipsum, cùm fuerit singula factus; intellectum potestate intellectilem inquies esse potestate remota; habitu autem constitutum, potestate propinqua; ac demum reipsa & actu seipsum tunc intelligere, cùm est actu. Atque hoc differt ab intellectibus separatis; quòd illi sunt intellectiles semper actu seipsos intelligentes; noster autem interdum potestate, interdum actu.

Intellectus vt intellectilis.

Denique hinc etiam aduersus Alexandrum colligas intellectum nostrum puram potestatem non esse. Si.n. per se & essentiã propriã, vt immaterialia cætera, is quoque intellectilis est; actum igitur quempiam & naturam habet, quæ per se intelligi possit; tum ab intellectu superiore; tum à seipso, dum in seipsum conuertitur.

Intellectus non est pura potestas.

Digressio XXVI. Aduersus Philoponum Deum contendentem intellectum dici non posse.

QVa verò religione ductus Philoponus in Theoria tex. 9. Deum scripserit Aristoteli quidem intellectum fuisse; at id neque Platoni neque pijs dogmatibus consentire: eumque non intellectum, sed supra intellectum esse: & ideo προνοητὸν, hoc est prouidentiam nominatum; quòd πρὸ τοῦ νοῦ, id est ante intellectum sit: magnopere mirandum est. Et nisi aliam ipse dubitationis solutionem adferret; existimarem fortasse eum ita negasse Deum intellectum esse, quemadmodum Plotinus in libro de substantijs cognoscentibus cap. 13. & 14. & complures veteres Christiani scriptores, ac Dionysius præsertim Areopagita, illum dixerunt non esse ens, non substantiam; sed supra ens, supra substantiã, omnique re, quæ dicatur aut cogitetur, multò meliorem; neque omnino posse infinitam à nobis eius naturam comprehendi. Cùm tamen verissimè ac proprijssimè vellent & ens & substantiam esse; sed meliori modo, quàm ea, quæ creata sunt. Verùm Aristotelis solutione reiecta, dum aliam adfert, omnino se voluisse ostendit, Deum nullo modo nominandum intellectum esse. Cur Aristotelis solutionẽ respueret, duas prætendit causas. Primam, quòd Deus intellectilis quidem est ex se & propriè, nec tamen intellectus dici debet. Alterã, quòd vniuersalia materialia propriè sunt intellectilia, & nõ intellectus.

Itaque aliter dubitationi respondet: In ea non accipi, intellectum quatenus est intellectus intelligi simpliciter; sed intelligi à seipso. Quæ propositio si conuertenda sit, ita reddetur; Quatenus à seipso intelligitur, est intellectus. Hinc verò non colligi, quidquid est intellectile, sed quidquid seipsum intelligit, intellectum esse.

Quibus nos multis modis occurrimus. Primùm pugnantia loquitur; dum quidquid seipsum intelligit, intellectum esse confirmat, Deumque negat intellectum esse. Quippe is sanè seipsum intelligit: & si tàm religiosus velit esse Philoponus, nil aliud, quàm seipsum intelligit, & in seipso omnia. Deinde nequaquàm in dubitatione accipiebatur, intellectum intelligi à seipso; sed vniuersè quærebatur, quomodo intellectilis sit, an seipso toto; an per aliquid aliud, atque vt materialia per solam formam. Tum verò Platone ac religione turpiter & impiè abutitur ad asserendum Deum intellectum non esse. Nam etsi opificem & patrem mundi inuenire difficile; & cùm inueneris, prædicare ac vulgò eloqui, impossibile esse tradiderit in Timæo Plato; quòd nihil sit eorum, quæ ab ipso condita sunt: eum tamen in mundi molitione sempiternum adiecit exemplar sequutum esse. Quod agentis per intellectum proprium est. Præterea eum velut thesaurum ac fontem idearum in Parmenide statuit; supremamque tradidit habere scientiam, ac nostra quoque cognoscere. An non enim, inquit, valde mirabilis hic sermo videbitur, si quis Deum cognitione priuauerit? At quænam cognitio sit, nisi intellectus? Vbi ideæ, vbi scientia; nisi in intellectu? Plurima id genus in eiusdem Philosophi scriptis passim reperias.

Deum intellectum dictum à Platone fuisse.

Quod autem attinet ad pia dogmata, impium sanè est quàm quod maximè, amentem Deum atque intelligentia carentem cogitare. Impium cognitione priuare, tum sui ipsius, in qua omnis beatitudo; tum aliorum omnium; vnde & eorum tàm varia productio, tàm ordinata dispositio, tàm sapiens administratio. In sacris porrò libris proditum legimus, Apud ipsum est sapientia & fortitudo: ipse habet consilium & intelligentiam. Eoque argumento confirmatum, Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non cõsiderat? Hoc est, qui cæteris vim tribuit cognoscendi & intelligendi, cognitione ipse carebit & intellectu? Deinde futurorum cognitio tanquàm certissimum diuinitatis argumentum aliquando fuit allatum: Annunciate, inquit, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quòd Dij estis vos. Ac rursum, Absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet & enunciet, & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt annuncient eis. Accedit, quòd prouidentia vniuersa, quam & religio docet & ratio certa persuadet, aut intellectus actione consistit tota, vt permultis placet; aut certè sine illa non est. Quámque certum est in Deo voluntatem & amorem esse; tam indubitatum esse oportet intellectum & intellectionem adesse. Tum quia voluntas & amor intellectum atque intellectionem comitantur, nec sine illis vspiam esse queunt. Tum quia totum illud admirabile Trinitatis mysterium, quòd certissima religione in Deo credimus, duabus hisce actionibus cõtinetur & volũtatis, intellectus, intellectione & amore. Adde intelligentem esse perfectionem significare, qua Deum non nisi per summam impietatem priuabis. Eamque agenti libero necessariam esse; si quidem libertas ex cognitione nascitur. Et omne agens propter aliquẽ finem agere, aut ab ipso cognitum, aut ab alio cognoscente illi constitutũ. Deus autẽ vt est supremum agens, ita maximè debet ex finis cognitione agere: tum quia hic est nobilissimus agendi modus, tum quia à nullo alio superiore potuit illi præscribi finis. Quia ipse potiùs cæteris omnibus, vel non cognoscentibus, finem constituit. Quod sanè cognoscentis proprium munus est; atque intelligentis tum finem & ea, quæ sunt ad finem, tum eorum mutuam proportionem & habitudinẽ. Deniq; ita ratiocinari licet. Deus immaterialis est, ergò intelligẽs: immò quia summè & proprijssime immaterialis, summè & proprijssime intelligens. Hoc qui neget ita habere, vniuersam Aristotelis doctrinam de intellectus natura tàm sapienter, tamque necessarijs firmatam argumentis euertat oportet. Tota namque hoc nititur fundamento, intellectus naturam immaterialem esse, simplicem & impermistam. Quòd si intellectus idcircò est intellectus, quia immaterialis, simplex & impermistus; verè deducitur, quidquid eiusmodi fuerit, intellectum esse, nec præter illud quidquam.

Deus in sacris libris intellectus

Iob. cap. 12.

Psal. 93.

Isa. cap. 41. & 44.

Hæc est causa, cur triplex intellectus numeretur, nec præter eum alius; humanus, angelicus & Diuinus. Quoniam triplex hæc solùm est immaterialis & impermista substantia, nec præter eam alia. Quare quàm necessariò in anima nostra atque in angelis, tàm in Deo quoque intellectum esse concluditur. In quibus vt Angelicus humano melior est, sic diuinus infinito interuallo & Angelicum antecedit & humanum. Intellectus tamen omnes sunt intelligentesque naturæ, homo, angelus, Deus.

Etenim argumento ex voce (προνοια) sumpto Philoponus. Non enim προνοια, ut quæ dicitur quasi supra, sed quasi ante mentem & intellectum: neque (προ) significat supra, sed ante. Quãquã etsi illud significaret, veritati nihil officeret. Quippe eodem modo diceretur Deus supra intellectum, quo dicitur supra ens & supra substantiam; hoc est melius multò ens, melior substantia, melior intellectus, quàm sunt entia cætera, substantiæ, & intellectus creati; ens tamen, substantia, & intellectus. Ante autem non tàm dignitatem & præstantiam naturæ significat, quàm prioritatem intellectionis comparatione rerum intellectarum. Solusque diuinus intellectus appellatur προνοια, non humanus aut Angelicus: quòd is solus res futuras multò ante, quam eueniant, hoc est ab omni æternitate, prænuiderit. Itaque Latinis quoque scriptoribus prouidere & prouidentia non id significarunt, quod nos dicimus, habere curam: sed idem quod præuidere & præcognoscere: prouidentiamque definierunt esse, per quam futurum aliquid videtur antequàm eueniat. Et de his quidẽ hactenus.

Quòd

Quòd autem ad alteram causam attinet, propter quam Philoponus Aristotelis solutionem contempsit, nihil est opus immorari. Nam Aristoteles non est loquutus de proprio & improprio intellectili, cùm intellectile omne intellectum fore deduxit: Sed de intellectili seipso, & non per aliud. Vniuersalia enim materialia etsi propriè sint intellectilia, intellectus tamen non sunt: quoniam non sunt intellectilia seipsis, sed quatenus intellectu & cogitatione separantur à materia. Alioqui seipsis materialia sunt & potestate intellectilia: fiuntque ab intellectu intellectilia actu: & ideò non à seipsis, sed ab alio intellectilia sunt, dum à materia liberantur. Sola igitur ea, quæ sua natura & seipsis immaterialia existunt, intellectilia sunt & intellectus: cætera intellectilia duntaxat; vel etiam vt per se cohærent, sensilia aut imaginabilia. Et ille ipse interpres hoc tandem loco fatetur disciplinas non esse propriè intellectiles: à nobis tamen intellectiles appellari, quòd à nobis effictæ sint, atque in mentis nostræ agitatione versentur. Quæ aut idem sunt cum rebus, quæ per illas sciuntur; aut conditionis melioris & cum intellectu magis coniunctæ.

TEXTVS.

Ἡ γὰρ ἐπιστήμη ἡ θεωρητικὴ, καὶ τὸ ἐπιστητὸν ἐστὶ τὸ αὐτό ἐστιν.

Theoretica enim scientia & id quod scitur, idem est.

COMMENTARIVS XCII.

HIs verbis priorem sententiam, quam de immaterialibus intellectilibus pronuntiauit, tum extendit etiam ad materialia, tum eam argumento à minori confirmat. In ijs, inquam, quæ sunt sine materia, idem esse quod intelligit, & quod intelligitur. Namque in ijs ipsis, quæ materialia sunt, quatenus ab intellectu cognoscuntur, idem sunt hæc duo. Eadem enim intellectio, qua contemplamur quidpiam, quatenus intelligentis intellectus est actio, id sanè est, quod intelligit; quatenus verò obiecti & intellectæ rei forma, id est, quod intelligitur. Alio item modo à minori argumentum deduxit Priscianus cap. 19. Si scientia, quæ ratiocinatione, progressione, & multiplicitate quadam constat, idem euadit cum scibili; multò magis idem erunt intellectus, qui simplex est & indiuiduus, & id quod intelligitur.

Intellectio & intellectus idem.

De Theoreticis autem solis scientijs, non item de practicis, loquitur. Quoniam illæ in sola cognitione versantur: quare eadem cognitio potest & intelligens & intellectum esse. Hæ verò, cùm ad agendum quidpiam referantur, obiectũ spectant externum à se distinctum. Verùm si in his ipsis solam accipias cognitionem, quæ agendi principium est. eamque per se consideres; de illis tantumdem poteris affirmare. Et scientiam fortasse theoreticam no propriè nominauit, vt ab ea, quæ practica est, distinguitur: sed cognitionem quãlibet vt cognitio sola est, significare voluit. Vel eam potiùs, qua intellectus solus absque sensu & phantasia operatur; formasq; ipsas & quiditates materialium rerum absolutas à materia contemplatur. Vt eam ab illa priori separaret; qua tota composita materialia cum sensu & phantasia cognosci dixerat.

Quòd si in materalibus intellectilib⁹ id euenit, dũ à materia separãtur; multò magis in immaterialib⁹ eueniet, quæ seipsis existũt separata. Quodque illis interdũ alterius ope ac beneficio accedit, hoc in his perpetuum erit & naturale. Sanctus Thomas de sensu idem credidit affirmari posse. Immò hunc locum, in quo intelligens & intellectum, scientiam & id quod scitur, idem esse asseritur; respondere planè superiori illi, in quo sensum actu & sensile actu, idem reipsa esse Philosophus prodidit: fauetque Priscianus loco paulò ante citato. Ego verò neque hoc puto Philosophum agere; sed id quod illius erat institutum; vt intellectum ostenderet seipso intellectilem esse. Neque iudicat Simplicius propriè dici posse, sensum esse sensilia. Quoniam etsi is quoque rei sensilis formam sine materia quoquo modo suscipiat, dum sensionem suam, velut illius formam & similitudinem suscipit: eam tamen non intuetur, neque sensilia cognoscit fomam illam in se susceptam cognoscendo: sed foras progreditur, obiecta ipsa realia sensione sua diiudicando: non enim is in seipsum conuertitur, sed ad alia extenditur. At intellectus intellectilem formam verè susçipit sine materia: & quamuis dum simul cum sensu & phantasia intelligit, materialem rem in seipsa agnoscat; cùm tamen per se solus operatur, illam ipsam formam, vt obiecti, cuius est forma, repræsentatricem comprehendit, atque ita obiectum ipsum intelligit. Idcircò absentia quæuis, & ea, quæ nusquàm in natura subsistunt, intelligit. Quoniam in seipsum conuersus formas contemplatur suas, in illis naturas ipsas agnoscens, quarum sunt formæ; sicut qui Socratem in imagine videt: illæque ipsæ & obiecta intellectilia sunt, & materialium obiectorum imagines.

Sensũ & sensilia non esse idẽ Simplicio.

Hæc est illa cognitio, quam eandem esse ait cum eo, quod cognoscitur. Quoniam circa rem cognitam versatur, non vt in se & cum materia coniuncta subsistit; sed vt in seipsa repræsentatur, atque à materia separata in intellectu continetur. Nam vt ad res ipsas, quemadmodum in se sunt, extendit sese, & eas in propria illarum natura, qua extra ipsum existunt, considerat; manifestum est, aliud intellectum esse, aliud id quod intelligitur. Itaque scientia hoc loco propriè nõ vsurpatur: sed aut pro quauis cognitione formæ & quiditatis abstractæ, solius intellectus propria: aut pro intellectu intelligente; scientiamque nominauit, quasi intellectum scientem & actu operantem.

Vt intellectio & intellectũ idẽ.

Contrà intellectiles species.

Digressio XXVII. Quomodo intelligens & intellectum sint idem.

QVod si ita sit, inanes fuerint intellectiles illæ formæ ab intellectione diuersæ, quæ à permultis cogitatur. Nam si res quæque in ipsius intellectus notionibus intelligãtur, hęq;

verè sint intellectiles rerum formæ ; quid alijs præterhas opus sit ? Eæ sanè cum intellectu dici nequeunt idem esse.

Vt autem vim ratiocinationis Philosophi planiùs assequaris, eiusque magis doctrinam admireris ; obseruandum tibi erit, vniuersam hanc probationem ex natura & vi , tum cognitionis vniuersæ, tum speciatim ipsius intellectionis ductam esse. Cognitionem omnem, vel etiam sensus, non semel anteà dixit susceptionem esse formæ sine materia, quatenus est operatio substantiæ & facultatis quoquomodo à materia eleuatæ; quæ vim habet assimilandi sibi & in se transformandi obiecta omnia cognita , dum illorum solas formas absque materia effingit, atque in cognoscente ponit. Intellectus verò, vt est prorsus immaterialis atque ab omni corporis mole abiunctus, immateriales prorsus efformat formas, resque omnes (vel ipsam materiam) ad esse prorsus immateriale sibique simile traducit. Fit autem non quæuis, sed quàm maxima esse potest assimilato. Nam triplex cogitari potest similitudo. Vna generis, vel speciei: quæ in naturalibus plurimùm commendatur , dum generans dicitur sibi simile generare ; diuersum quidem indiuiduum , sed eiusdem speciei, aut certè generis. Altera indiuidui quoque, quæ omnium maxima creditur ; & identitas potiùs, quàm similitudo. Vt cùm in theatro mimus personam Cæsaris referens indiuidui similitudinem, & quantum fieri potest , identitatem procurat : dum suis omnibus conditionibus indiuiduis exutis eas omnes induit , quæ Cæsaris sunt; vestes, barbam, vocem, incessum, ac pronuntiationem omnem, vt illud idem indiuiduũ videatur. At quoniam non potest omnino fieri Cesar, ea similitudo non identitas , sed imitatio & repræsentatio nominatur ; qua sese , quàm maximè licet, in alium transfert. Tertia igitur similitudo hac vtraque maior est in cognitione. Non solùm enim generis est aut speciei, sed item indiuidui nec imitando solùm aut quoquo modo repræsentando obiectum cognoscenti, sed ad viuum exprimendo, atque in seipsum planè trãsferendo secundùm eandem prorsus naturam & entitatem. Vt veriùs identitas, quàm similitudo, dicatur. Cæterùm quoniam duo , quæ ordinis eiusdem sunt, idem fieri nequeunt : & ideo mimus & Cæsar vnum planè & idem euadere non possunt, quia duo sunt eiusdem materialis ordinis indiuidua: Vt indentitas consequatur, eleuatur obiectum cognitione ad altiorem & meliorem naturam ; nempe ad esse cognitum , quod immateriale quodammodo est vt ita in cognoscentem transformetur; qui supremus est similitudinis gradus, quẽ verè Philosophus identitatẽ appellauit, cùm scientiam, & id quod scitur, idẽ esse affirmauit.

Cognitionis vis.

Similitudo triplex.

Cognitionis vis.

Hinc verò tria adhuc intelliguntur. Primum ; quantopere alijs omnibus operationibus cognitio præstet. Nam cæteræ solum secundum suum proprium actum perficiunt id, quod operatur ; siue aliquid aliud , si operatio fuerit in externum subiectum transiens. At cognitio vim habet res omnes in cognoscentem trãsferendi : & quidem si materiales (saltem spectẽtur) meliori modo, quàm in seipsis sint. Atque ita cognoscentis anima tum diuinior euadit formarum locus, quàm materia sit ; tum velut tabella rerum omnium characteribus inscripta imaginibusue picta. Quæ scriptura seu pictura cæteras omnes, quæ arte plurima & industria fiunt, lõgè antecellit: quòd illæ nunquam satis res ipsas assequuntur, sed illis semper inferiores sunt , hæc magnopere superet. Itaque cognoscens anima cognoscẽdo fit omnia diuiniore multò modo, quàm ipsa sint ; dum ad nobilissimam illam conditionem eleuata transferuntur in ipsam omnia, idemque cum illa euadunt.

Alterum : maiorem multò esse cognitionis vnionem cum cognoscente quàm alterius cuiusuis operationis cum suo principio, à quo ea proficiscitur. Aliæ solam habent vnionem actus secundi cum primo; cognitio verò, tum hanc, tum arctiorem alteram formæ cum materia. Quippe ex actu cognitionis tanquam rei cognitæ forma, atque ex cognoscente ceu subiecto, perfectissimè fit vnum in esse cognito.

Tertium ac postremum ; multò adhuc maiorem effici vnionem cognoscentis cum re cognita, quàm cum ipso cognitionis actu : & rursum maiorem, quàm ex materia & forma : vt verissimè in comment. 5. huius libri scriptum reliquit Auerroës. Vnio .n. cognoscẽtis cum cognitionis actu est vnio actus primi cũ secundo, efficientis cũ effectu : Vnio materiæ & formæ arctior sanè est, omniumque arctissima existimatur in natura. Sed tamen dum hæc duo vniuntur, nec materia fit forma, nec forma materia; sed naturarũ diuersitate retenta ita solùm coniunguntur, vt tertium quidpiam per se ex vtraque existat ; quod compositam substantiam vocamus. At vnio cognoscentis cum re cognita identitas potiùs est : quia res per cognitionis actum in cognoscentem vere transformatur , & ex vtroque vnum quidpiam & idem efficitur. Id porrò in omni quidem euenit cognitione, siquidem ex vi & natura cognitionis nascitur: eò tamen (vt rectè , Simplicius admonet) diuinior modo quo diuinior & præstantior, hoc est magis immaterialis , cognitrix vis & cognitio fuerit. Itaq; minùs per fectè in sensu, meliori modo in intellectu, tum nostro, tum angelico ; in quibus perfecta fit cum cognita re vnio, at non cum cognitionis actu. Res inquã intellecta per intellectionẽ, seu intellectio vt est intellectæ rei forma, in intelligentẽ perfectè transformatur, atq; cum eo fit idem. Eadem tamen intellectio quatenus intelligentis naturæ actio, diuersa est ab intellectu, solamq; effectus & causæ vnionem habet. Quare in vtraq; hac cognitione identitas vnica est intelligentis & intellectæ rei ; duplex autem compositio, altera intelligentis substantiæ & facultatis intellectus ; altera facultatis & actionis, actus primi & secundi. Optimo autem, & altissimo modo hæc omnia vnũ sunt & idem in increato intellectu diuino: nec solùm intelligens & intellectum, sed substantia quoque intelligens & intellectus, atq; intellectus demũ & intellectio; substantia, facultas , operatio , & obiectum. Nam & seipsum solum intelligit atque in seipso omnia; & propter infinitatẽ naturæ, qua non participatum & contractum quodpiã ens est , sed ipsum ens per essentiam ; rationem

Cognitionis vis.

nem omnẽ entis absorbet, omnẽq; cõpositionẽ excludit, quam in entibus participatis multiplicem existere necesse est.

TEXTVS.

Τὸ δ' μὴ ἀεὶ νοεῖν, τὸ αὐτὸν ὁποκειμένου

Tex. 16. *Cur verò non semper intelligat, consideranda est causa.*

COMMENTARIVS XCIII.

QVæstionem sic quandam aut dubitationem contineri, apertè satis ipsa verba testantur. At num ea explicetur, an sine explicatione dimittatur; quænam item dubitatio sit; dissentiunt interpretes. Quærit cur non semper intelligat. Quod Auerroës non de intellectu, neque de intellectione, sed de intellectili vult proponi: cur non semper, id est non omne intellectile intelligat: hancque eandem esse quæstionem, quæ ante proposita fuit, cur non omne intellectile sit intellectus. Huic autem responderi putat, causam esse, quoniam non omne intellectile est actu, sed quædam potestate. Illa enim, quæ actu sunt intellectilia, nempè immaterialia, intellectus item sunt: quæ verò potestate, non item; entia scilicet materialia. Verùm in his nimiam verbis vim infert. Primùm dum (semper) interpretatur significare omne; & (intelligat) hoc est intellectu, sit. Deinde cùm imperfectam philosophi orationẽ facit; alteram solam responsionis partem poni dicens, materialia entia potestate intellectilia esse; ex qua intelligenda sit altera, immaterialia esse intellectilia actu. Leueque huius argumentum adducit aduersatiuam particulam (autem) quæ diuisionem notet atque alterum membrum postulet. Quippè frequentissimus est alius illius vsus, vbi nulla est huiusmodi oppositorum membrorum redditio.

Accedit aliorum omnium consensus, qui tum quæstionem nouam nondum propositam; tum non de intellectili, sed de intellectu & intellectione eam esse autumant. Simplicius, Albertus, & alii, & Priscianus cap. 20. vnam & generalem cuiusuis intellectilis obiecti comparatione; cur intellectus aliquid non semper intelligat, siue seipsum, siue aliud quidpiam. Putatque Albertus consequentibus verbis responderi, intellectum alia intelligere abstrahendo à materia; seipsum non abstrahendo, quoniam immaterialis est; & ideò alia non semper ipsi præsentia esse nec actu intellectilia, antequam abstrahantur; ipsum sibi semper præsentem esse, actuque intellectilem. At ex hac responsione consequens est, intellectum semper seipsum intelligere; quoniam semper intellectilis actu, & sibi præsens est. Id verò tum res ipsa testatur esse falsum, cùm vix & perraro nec nisi cum difficultate, seipsum intelligat: Tum Aristotelis illud accedit; tunc demum seipsum intelligere intellectum posse, cùm fuerit singula factus; nimirum non ex se, sed ex aliorum cognitione in sui notitiam perductus. Denique responsio quæstioni planè contraria est. Quæritur enim, cur non semper intellectus alia & seipsum (sic enim proponit Albertus) intelligat: responsio autem causam docet, cur non semper alia, seipsum semper intelligere queat. Nec video quomodo hæc non pugnent, nisi proponatur quæstio, cur non semper actu intelligat intellectilia cætera, vt seipsum. Tunc enim ea diuersitatis ac discriminis ratio adferri posset. Sed falsum acciperet quæstio, intellectum semper seipsum intelligere.

Simplicius ergo quæstionem proponi ac sine solutione dimitti, veriùs statuit. Eadem Philopono sententia. Sed hic specialem quæstionem facit, cur non semper seipsum intelligat. Quod Themistium sensisse credo; & mihi quidem certè magis videtur accommodatè dici. Nam etsi quæstionem vniuersam proponi quis crederet, quoniam postremis verbis fuerat vniuersè dictum, scientiam & id quod sciturr idem esse: ex dictis tamen manifesta erat causa, cur alia non semper intelligantur; tum quia intellectus comparatione illorum est potestate, & tanquam nuda, rudisque tabella: tum quia materialia entia potestate, non actu, sunt intellectilia, nec intellectui semper præsentia. Maximè autem ad rem erat causam quærere, cur seipsum non semper intelligat. Vt hæc verba (cur verò non semper intelligat) superioribus illis respondeant, quibus eum dixit intellectile esse, vt intellectilia; quoniam in iis, quæ sunt sine materia, idem est quod intelligit, & quod intelligitur. Inde namque dubitandi occasio est. Quia si is seipso intellectilis semper actu est, quemadmodum separatæ cæteræ, atque immateriales substantiæ, cur non semper seipsum intelligit? Nam & abstractæ reliquæ substantiæ seipsas semper intelligunt. Et si in immaterialibus idem sunt intellectus & intellectile, & quod actu intelligitur est actu intelligens; cùm semper sit actu intellectilis, cur non etiam semper est actu intelligens? Si materialia non semper intelliguntur, causa est, quòd non semper sunt actu intellectilia, neque intellectui præsentia; sed abstractione à materia opus habent. Ipse verò abstractus semper est & intellectus actu, sibique præsens.

Hanc dubitationem is sanè proposuit: at minimè explicauit neque huius rei causam aperuit, sed planè prætermisit. Aut in alium differens locum, in quo post docturus est nil eum sine phantasmate intelligere. Aut eam fortasse causam esse existimans, quam in superioribus indicauit, cùm illum dixit, tum demum posse seipsum intelligere, cùm fuerit singula factus. Quoniam non nisi ex aliorum cognitione seipsum intelligit. Aliorumque cognitionem non semper nec insitam habet, sed tempore sibi plurimo ac labore comparat.

Digressio XXVIII. *Cur intellectus non semper intelligat.*

VErùm cùm nihil apertè hoc loco responsi deatur, diuersas alias interpretes cogitarunt causas. Quod autem Themistius propterea illum dixit non semper seipsum intelligere, quoniam vt est potestate intellectus, sic

Prima ratio.

potestate est intellectilis : actu autem vbi cætera intellexerit, atque illorum sibi notiones comparauerit. Immò assiduitate nimia ægrescere illum ac lacessere. Culpa videlicet potestatis illius, quæ sibi subest. Quòd si quis alius sit intellectus cui nulla insit potestas, illum demum & intellectum, & intellectilem semper esse: huncque intellectū esse agentem. Ex falso profectum est principio, quo intellectum nostrum meram is credidit potestatem esse. Atque Aristotelis doctrinæ & veritati prorsus aduersatur. Quippè tum illi, tum Alexandro demonstratum iam est, intellectum velut scriptoriam tabellam potestate solùm esse ad intellectilia cætera, in se actum quempiam & ens. Id verò proximè superiora verba confirmarunt: quibus eum seipso intellectilem actu esse prodidit, perinde ac sunt intellectilia & immateriales substantiæ. Quibus planè repugnat Themistius, eum inquiens tum puram potestatem esse; tum potestate, non actu, intellectilem. Eum item potestatis illius vitio assiduitate nimia intelligendi ægrescere, ac lacescere; nec verum est: siquidem omnis potestas actu & operatione perficitur ac roboratur, otio languescit ac marcescit: nec philosopho consentaneum, qui & intellectionem perfectionem intellectus esse voluit; & hunc quò plura & difficiliora intellexerit, eò magis perfici, atque ad intelligenda robustiorem euadere in tex. 7. docuit. Mitto quæ de intellectus agentis & patientis distinctione ac diuersitate subiungit: nam hæc in sequentibus expendentur.

Secunda ratio. Apud Philoponum duplicem aliam reperio causam. Alteram, propter nimiam sui copiam & familiaritatem. Scitum enim illud est; Nimia familiaritas contemptum parit. Quemadmodum enim, inquit, si duo accedant homines, alter amicus, alter illustris ac splendidus; illum ne salutamus quidem & quasi non curamus, quòd familiaris sit; alterum humanissimè excipimus & honorificè tractamus. Sic intellectus sibi ipsi familiaris non admodum circa seipsum occupatur, quòd sui semper copiam habeat, possitque se vbi libitum fuerit, contemplari: sed totus ferè circa exteriora, quæ non tàm sæpè occurrunt, versatur; seque ipsum rarò intelligit.

3. ratio. Altera, quòd circa exteriora & corporea nimium distrahitur & à seipso auocatur, remque alienam potiùs, quàm suam, agit, atque actio circa alia reditum in seipsum moratur, & impedit. Nam ita in furore euenire comperies, vt omnino non intelligat; eò quòd à se diuertatur aliò; atque ob variarum & falsarum imaginum incursum, ea, quæ vera sunt, & seipsum, cogitare nequit.

Cæterùm qui priorem causam examinet, facilè intelligat parum eam firmam esse. Nam si propter nimiam sui copiam seipsum contemneret aliaque pluris faceret; idem separatis intelligentiis eueniret, quæ sibi item semper præstò sunt; nec sui tamen intellectionem contemnunt, aut intermittunt vnquam. Deinde sui ipsius cognitio melior est & cuiusuis alterius rei materialis cognitioni præstat. Accedit quòd etsi substantia ipsius illi semper adsit, non adest tamen cognitio. Non enim seipsum semper cognoscit, immò perraro. Non igitur propter nimiam copiam & familiaritatem vilescit & contemnitur.

Potior est altera, quæ Prisciani quoque fuit *Vera ratio.* seu Theophrasti in libro de phantasia & intellectu cap. 6. & sanè perquàm ad id, quod quæritur, explicandum accommodata. Etenim quæ naturæ diuersitas est, eadem operationis existit. Quare cùm hoc humanus differat intellectus ab intellectibus planè separatis; quòd hi perfecti cùm sint, puri & simplices intellectus, atque ab omni materiæ & corporis societate ac contagione semoti; nil habent, quod impedire aut obruere, alioue auocare operationem illorum possit. Itaque actu sunt semper intelligentes id, quod & actu semper est intellectile & illis præsens; nempè seipsos. At humanus intellectus, vt est substantia imperfectus & diminutus, sic imperfectam quoque operationem habet; hoc est tum sæpissimè interruptam, tum minimè vnitam, collectam, atque indiuiduam: sed in plures distractam partes atque inuestigatione, ratiocinatione, & ex vno in aliud progressione; nimirum cognitione & ignoratione, lumine ac tenebris, constantem. Siquidem dum inuestigat, dum ex vno aliud ratiocinatur, dum ex hoc ad illud progreditur atque ex vnius cognitione in alterius notitiam deducitur; vnum profectò cognoscit, alterum ignorat & ratiocinando quærit. Tum verò vt est corporis forma, sic inerti corporis mole ac pondere grauatus & quasi obrutus ab intelligendo impeditur. Et quamuis substantia cum illo minimè permisceatur, formatione tamen, quæ proprius est secundus actus formæ, ita complicatur & coniungitur, vt à seipso plurimùm auocetur; & operatoi quoque tota duas in partes distrahatur; quarum altera corporis sit, altera ipsius propria. Idque duobus modis: primùm operandi modo: deinde tempore, atque operationis duratione. Non enim intelligere potest, nisi corporis seruibus phantasiaque famulantibus & quasi intellectibus atque apparitoribus præcurrentibus qui obiecta intelligenda conquirant vndique & colligant atque ad intellectum adducant; tum propria ipsius intellectio consequitur. Itaque diuisa est operatio, bipartitumque tempus: primùm corporeorum sensuum phantasiæque antecedit actio; deinde sequitur ea, quæ intellectus propria est. Importuna etiam accedit persæpè obiectorum sensilium per sensus irruptio; crebra phantasmatum, vel nolentibus nobis, intrusio; quæ intellectum à sui atque immaterialium contemplatione ad materialium considerationē auocant. Denique vt est humanæ totius vitæ princeps, dux, & moderator; cogitur de corporis conseruatione cogitare circaque corporea plurimum negotiari. Atque vt homo non sola constat mente, sed corpore item corporeisque instrumentis; ac demum ciuile animal est & politicum; non potest semper in sui & immaterialium contemplatione versari; sed magnam vitæ partem in rebus agendis atque efficiendis consumat necesse est. Neque tamen hæc ipsa semper tractare potest ac meditari

ditari. Quoniam & sensuum ac phantasiæ antecedenti functioni concedendum est tempus, quo tantisper ipsa feriatur. Et cùm hæc nisi sensibus & phantasia famulantibus non intelligantur, harum virtutum operatio nequit esse perpetua. Consumitur enim animalis spiritus, præcipuum operandi instrumentum; organáque corporis debilitantur, franguntur, eneruantur, si illorum vsus fuerit diuturnior. Somnus verò hisce reficiendis ac renouandis, tum toti animalis vitæ tuendæ necessarius in primis est; quo tempore sensuum & phantasiæ actio cessat.

Itaque siue quæsitum hoc loco fuerit, cur intellectus seipsum; sine vniuersè, cur aliquid semper non intelligat: hæc fuerit responsio ex ipsius naturæ, quæ operandi principium est, conditione desumpta. Ex eodem principio ratiocinatum fuisse Plotinum comperies, cùm in libro de tribus principalibus substantiis capite vltimo intellectum nostrum circa diuina semper agere affirmauit; neque nos tamen animaduertere; quòd ratio, phantasia, & sensus, ad alia nos distrahant, mentemque interpellent. Vt enim animaduertamus, vim ipsam animaduersoriam oportet ad interiora conuertere, atque ibi totam intendere: perinde ac siquis vocem vnam præ cæteris audire velit, à cæteris se vocibus segregat, illique vni attentas aures porrigit. Ex eodem Simplicium; cùm id propterea euenire dixit, quod intellectus nostri natura inter ea, quæ penitus à materia abiuncta subsistunt; & ea, quæ prorsus in materia sunt, existit media. Quæ ab omni materia seiunctæ subsistunt intelligentiæ, semper intelligunt: quæ in materia sunt, nunquam omnino: intellectus noster inter vtraque medius, & immaterialis quidem substantia, materiæ tamen actus & forma, medio se habet modo; dum interdum intelligit, interdum ab intelligendo ferit; interdum est actu, interdum potestate. Sic enim ab vltimorum atque infirmorum entium materialium conditione recedit atque ad superiorem perfectionem accedit; nec eam tamen omni ex parte assequitur. Quoniam in occursu vitæ ad extra prouenientis, dumque intellectus corpori nectitur, confringitur atque interpolatur intellectio: vt quemadmodum essentia est media, sic media item operatione fruatur. Verùm hunc etiam intelligas, intellectum nostrum inter hæc duo extrema esse medium, non solùm natura & intellectione, sed intellectilitate quoque. Nam intelligentiæ illæ, quæ semper se se intelligunt, non modò intellectus & intellectiles actu, sed intelligentes etiam & intellectæ semper sunt. Intellectus noster semper quidem est intellectus & intellectilis actu, quia immaterialis est: at non semper intelligens actu & intellectum actu, sed potestate persæpè. Res denique materiales intellectus nunquam sunt, nec intelligentes; sed intellectiles & intellectæ; interdum potestate, interdum actu. Intellectum porrò nostrum non semper actu intelligere, nec seipsum, nec cætera; manifestissimum est, neque indiget probatione: siquidem vnusquisque in seipso experitur. Immò sui ipsius intellectio pertara est, nec sine magna difficultate. Vt propterea tum demum tradiderit Aristoteles eum id consequi, cùm fuerit singula factus.

Intellectus inter materialia & immaterialia medius.

Scio de toto hoc disputationis genere secus sensisse Platonicos, Plotinum, Theodorum, Asinium, & Iamblichum, Marcilij quoque testimonio in 12. Platonicæ Theologiæ libro, cap. 4. humanũ inquientes intellectum à diuina mente illuminari semper; & ideò per continuum idearum intuitum continenter operari; Verùm non est mihi nunc propositum contrà disputare, cùm illi Platonicis solùm figmentis nitantur; quæ non ad illustrandam sed obscurandam potiùs & inquinandam puram & sinceram Aristotelis doctrinã, facerent. Quam antecedens explicatio rationumque momenta & interna ipsa experientia satis superque demonstrant.

Platonicorum opinio.

TEXTVS.

Ἐν δὲ τοῖς ἔχουσιν ὕλην, δυνάμει μόνον ἕκαστόν ἐστι τῶν τοιούτων. ὅτι μὲν οὖν ἐκείνοις μὴ ἐγγίγνεται νοῦς. ἄνευ γὰρ ὕλης δύναμίς ἐστιν ὁ τῶν τοιούτων. ἐκείνῳ δ' ἐστὶ τοῦτο ὑπάρξει.

In his autem, quæ materiam habent, potestate solùm est intellectilium vnumquodque. Quare illis sanè non inerit intellectus. Nam eiusmodi entium intellectus facultas est sine materia. Si verò intellectilia inerit.

COMMENTARIVS XCIV.

QVæstionem eam, qua quæsitum est, cur intellectus non semper intelligat, ad copiosiorem doctrinam & intellectus cognitionem explicare pluribus libuit; etsi obiter à Philosopho interposita fuerit priori illi dubitationi, qua quæsitum antea fuerat, an intellectus ipse intellectilis sit, & quomodo sit; at sine solutione prætermissa. Etenim nunc in priori quæstione insistens explicationem eius absoluit. In intellectu & vniuersè in his, quæ materiam non habent, idem esse dixerat id quod intelligit, & id quod intelligitur: & ideò seipsis hæc intellectilia esse; nec intellectilia modò, sed & intellectus. Iam alterum diuisionis membrum adiungit: atque hoc sibi vult aduersatiua particula (autem) quæ superiori orationi respondet: vt integra hæc sit sententia. In immaterialibus idem est quod intelligit, & quod intelligitur; in iis autem, quæ materiam habent, non sunt idem: quoniam illorum vnumquodque potestate est intellectile, non actu. Et ideò illis non inest intellectus, sed ab alio fieri debent actu intellectilia. Quippè intellectus vt est immaterialis, sic actu est intellectilis, non potestate. Ipse tamen non dixit (non inest) sed potiùs (non inerit in-

tellectus. Quoniam obiectionem diluens, qua in tex. 13. deducebatur, (si intellectus ipse intellectilis per se sit, aliis quoque inerit intellectus) ex ea, quam inter materialia & immaterialia diuersitatem ostendit, oppositum illius consequentis colligit (quare illis, hoc est materialibus, sanè non inerit intellectus.

Cuius orationis non solùm hæc est sententia; Nequaquam id, quod deducebatur, consequens esse; fore vt intellectus omnibus insit: siquidem non omnia sunt seipsis intellectilia actu, sed potestate pleraque, quæ ab alio fieri actu oporteat. Verùm etiam hæc; omnino in illis intellectum esse non posse. Hoc enim subsequens probatio testatur (nam intellectus facultas est sine materia) quæ ex naturarum pugnantia petitur; causàque continet, cur materialibus intellectus non insit. Intellectus facultas est immaterialis; at materiale & immateriale pugnantia sunt, igitur vt materiale nequit esse immateriale, ita nec intellectus, aut intelligens potest materialis esse. Illud autem (eiusmodi entium) particulæ illi respondet (intellectilium) & immaterialia entia atque abstracta significat, quæ actu intellectilia sunt & absolutè antea intellectilia nominauit, vbi intellectilem dixit intellectum esse vt intellectilia; hoc est immaterialia, quæ sua natura eiusmodi sunt nec alio indigent externo, à quo actu intellectilia fiant. In his enim solis intellectus inest, idemque sunt intellectus & intellectile. Itaque ex eo, quòd entium quædã sunt materialia, quædã immaterialia; fit, vt quædam sint potestate, quædam actu intellectilia; quædam seipsis, quædam ab alio; scilicet ab intellectu, qui seipso intellectilis est, fieri actu intellectilia debeant: quædam intellectu prædita reperiantur, alia intellectus omnis expertia: quædam demum intellectus & intellectilia, alia intellectilia duntaxat, non intellectus. Totaque huius rei causa est, quòd illa entia sunt sine materia, hæc cum materia. Idcircò enim in illis id, quod est intellectile, intellectus item est, in his autem intellectile solùm potestate, intellectus nullo modo: & in illis intellectus & intellectile sunt idem, in his diuersa prorsusque distincta.

Materialia cur non intelligant.

Materialia vt potestate intellectilia.

Propterea Simplicius cùm hæc potestate intellectilia nominari vidit, tria prorsus adnotanda duxit. Primum: potestate intellectilia dici, non comparatione ad seipsa, quòd sibi ipsis fieri possint intellectilia (hoc enim non illis duntaxat immaterialibus intellectibus contingit; nempe humano; qui non semper seipsum actu intelligit; vt intellectus separati: sed actu quidem primo, quia est immaterialis; actu semper intellectilis est: quoad actum tamen secundum, potestate interdum, interdum actu. Neque omnino per comparationem ad aliud, quòd alteri possint actu intellectilia fieri. Sed secundùm suam naturam. Quoniam etsi semper intelligerentur, sua tamen natura, cùm sint materialia, potestate sunt; hoc est non ex se, sed alterius beneficio, intellectilia; alioque opus intelligente, vt & intellectilia actu fiant, & reipsa intelligantur. Neutrum enim ex seipsis habent. Quemadmodum corpus quoque reipsa viuens habere vitam potestate dicitur; quòd non ex seipso, sed aliunde & ascititio modo habeat ab anima.

Alterum; vniuersum hoc entium materialium genus imperfectè intellectile appellari: quòd sibi sufficiens non sit, sed altero à se diuerso intelligente indigeat, vt intelligatur: quòd id, quod potestate est, imperfectum semper existimatur.

Tertium; intellectile aut quodam modo omonymè, aut ab vno dici, cum de materialibus atque immaterialibus enunciatur. Alia quippè materialium atque immaterialium est intellectilis ratio. Nempè intellectile est vnumquodque quà est ens: ens autem omonymum est, seu analogum, & ab vno.

Verùm illud etiam obseruabis; imperfectioni materialium intellectilium virtutem illius perfectricem statim subiungi. Nam pulchra illa antithesis; qua materialibus potestate intellectilibus intellectum opponit Philosophus, facultatem seu potestatem (Græcè enim est eadem vox, δύναμις) siue materia; non modò probatur materialia intellectilia intellectus non esse, sed etiam potestati patiendi potestas agendi opponitur: potestati inquam, qua materialia, quæ actu non sunt, fieri possunt intellectilia; potestas altera subiungitur, qua actu fiunt. Hæc autem est intellectus, qui actu intellectilis cùm sit, dum abstrahit & separat à materia formas illas, quæ cum materia complicatæ sunt, easque in seipsum traducit; immateriales nimirum facit, actuque intellectiles sanè vt in omni genere potestate patiendi adesse agendi potestatem oportet, quæ id efficere valeat, quod altera potestate fieri potest (alioqui potestas illa superuacanea & inutilis esset in natura) ita cùm materialia dixisset potestate intellectilia esse, docendum item fuit, à quonam actu fiant. Neque alia adferri potuit agens causa, quàm quæ intelligens esset & actu talis, qualia illa sunt potestate. Huiusmodi autem proximè dixerat intellectum esse. Est igitur intellectus potestas tum sui ipsius tum materialium perfectrix. Sui ipsius, dum secundum intellectionis actum promit: materialium entium, dum ea à materiæ sordibus liberat immaterialiaque & actu intellectilia, immò & actu intellecta facit; traducendo illa ad altissimam omniumque diuinissimam conditionem & naturam. Neque ab illis quidquam patiendo, inquit Simplicius (liquidem, vt est apud Theophrastum, ne fingi quidem potest, quomodo res immaterialis & incorporea à materiali & corporea patiatur) sed circa illa agendo: neque in ipsis efficiendo quidquam, sed in seipso cognitrices eorum rationes promendo.

Quocirca errant planè, qui materiales res & phantasma, mouere inquiunt & agere in intellectum. Nam intellectus potiùs agit circa illa. Neque hæc mouere intellectum dixeris nisi in genere obiecti; & tanquàm id, sine quo is nequaquàm ageret. Sed de hoc postea.

Nunc postrema illa supersunt verba (ei verò intellectile inerit) quæ prima illa repetunt, quibus totius huius quæstionis solutionem aggressus est: tantumdemque significant, ac prio-

ra illa (est autem intellectilis & ipse, quemadmodum intellectilia. Vbi enim materialia dixit intellectilia potestate esse, non intellectus; intellectum autem facultatem esse sine materia: hunc repetere libuit, quasi vltimam solutionis clausulam, intellectilem quoque esse: Quoniam ex immaterialium oppositione & explicatione facta manifestum id iam apparebat; immaterialia omnia seipsis intellectilia esse actu; atque in illis intellectum & intellectile idem esse. Neque huius alia est ratio, quàm quòd immaterialia sunt. Sic enim & actu sunt, & in seipsa redire possunt.

DE AGENTE INTELLECTV.

CAPVT VII.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δ' ὥσπερ ἐν ἁπάσῃ τῇ φύσει ἔστι τι. τὸ μὲν, ὕλη ἑκάστῳ γένει. τοῦτο δ' ἔστι πάντα δυνάμει ἐκεῖνα, ἕτερον δέ, τὸ αἴτιον καὶ ποιητικὸν, τῷ ποιεῖν πάντα, οἷον ἡ τέχνη πρὸς τὴν ὕλην ποιήσεται. ἀνάγκη καὶ ἐν τῇ ψυχῇ ὑπάρχειν τοιούτας τὰς διαφορές.

Iam verò vt in omni natura quidpiam est, alterum quidem vnicuique generi materia. hoc autem, quod illa omnia potestate, alterum autem causa & efficiens, cuncta efficiendo. Quemadmodum ars ad materiam affecta est. In anima quoque differentias hasce inesse necesse.

Text. 17

COMMENTARIVS XCV.

POstquam de intellectu vt potestate dicitur, aut habitu; hoc est vt operari potest; aut potestate prima & remota ac essentiali; aut secunda, propinqua, & accidentaria, nihil tamen, actu operatur; hactenus disseruit Philosophus: id quod consequens erat, deinceps prosequitur de intellectu agere vt operatur. Itaque si solum excipiam Alexandrum, qui ποιητικὸν τῶν & ἐνεργείᾳ seu ἐνεργοῦντα, intellectum agentem & actu distingui voluit; de nomine fuerit quæstio, non de re ipsa: siue de intellectu agente cum Latinis Interpretibus, siue de intellectu actu cum Themistio & Philopono, siue de intellectu substantiali & apud seipsum manente cum Simplicio dixeris agi. Triplicem enim omnes intellectum nominant; idemque est, qui δυνάμει, seu potestate à Græcis dicitur, à Latinis patibilis, à Simplicio imperfectus vocatur: idem, qui ἕξει habitu & perfectus, idemque ἐνεργείᾳ, seu actu agens & sustantialis & apud seipsum manens, non ad extra progrediens. Etenim intellectilibus formis instructus est optimè atque exornatus per intellectum habitu, quibus in seipso operatur & contemplatur. Quare obiter in hac prima explicationis ingressione intelligitur, quid tandem sit intellectus agens: tametsi de hoc pluribus dicendum erit.

Intellectus triplex.

Intellectus agens quid.

Nunc ea, quæ à Philosopho traduntur, Philopono libuit in decem omnino membra concidere. Sed ad tria capita pertinent vniuersa. Primum eum inesse nobis ostendit. Alterum, quis illius sit vsus, quæ vtilitas, quod munus, docebit. Tertium naturam aperiet. Præter intellectum potestate agentem quoque aliquem intellectum nobis inesse hoc argumẽto demonstrat. In omni natura, quæ interdum est potestate, interdum actu, quidpiam sanè est velut materia ex qua fieri possunt ea omnia, quæ in illo genere considerantur; & aliud quidpiam velut efficiens, quod illa facere potest. Illud potestate est, hoc actu. Igitur in anima quoque, quæ interdum potestate, interdum actu existit ad intelligendum, vtrumque hoc inesse oportet: & cùm ostensum sit inesse intellectum quẽdam potestate ad intellectilia omnia suscipienda, velut omnium materiam; alium item necesse est esse, velut illorum omnium agentem atque intellectum è potestate traducentem ad actum.

Agentem intellectũ nobis inesse.

Quo loco etsi minimè à Simplicio adnotatum fuisset, manifestum erat, non propriè materiam aut efficientem causam in intellectu asseri; neque eodem modo, quo in naturalibus & artificiosis rebus. Iam enim probatum est intellectum immaterialem esse, intellectionemque diuiniorem omni motu operationẽ. Sed per quandam similitudinem & analogiam. Quemadmodum enim intelligendo dicitur pati; non simili, sed meliore passione; eodem & potestatem, & materiam, atque agentem causam habere affirmatur. Quare id, quod additur (vnicuique generi) postquàm naturam omnem nominasset; aut de singulis rebus naturalibus sub illa generali appellatione contentis, intelligendum est; in genere scilicet animalium, in genere plantarum, in genere elementorum & mistorum corporum materiam esse quampiam potestate ad illa. Aut credendum, analogiam illam significare, qua non eodem modo, sed cum diuersitate, in singulis reperitur materia; in sublunaribus, in cœlestibus, in anima.

In intellectu vt materia & efficiens causa nominentur.

Porrò argumentum hoc partim exemplo & inductione aliorum, partim efficaci & necessaria ratione nititur. Exemplum atque inductio generalia sunt & cuncta planè complectuntur; tum ea, quæ natura constant; tum ea, quæ arte. Itaque cùm in omni natura ita esse accipit, naturæ nomine anima sola intelligenda non est, vt Philoponus credidit: sed cum Themistio, Simplicio, atque Auerroë naturales res omnes, in quibus principium motus est & quietis. Tum quia huic naturæ statim artem subiungit; artem autem non cum anima, sed cum natura propriè dicta; eaque arte, cum iis, quæ natura constant, mos est Philosopho copulare. Tum quia minus generale, minusque efficax ac manifestum fuisset argumentum ex cæteris solis animalibus ductum, cùm ex tota planè natura liceret ducere. Nam in 2. Physic. lib. duplicem in rebus naturalibus demonstrat esse naturam, materiam & formam; illam patiendi & suscipiendi, hanc agendi principium: aliisque pluribus in locis efficientem causam tradidit, quæ id ex subiecta materia possit efficere, quod ex ea fieri aptum est. Eodemque modo res habet in artificiis. Ex animalibus autem nescio quale argumentum pati posset. Quamuis enim plures eorum sint

ſpecies, vna tamen in illis communis anima ſentiens. Quare ſi ex hac ſumere argumentum voluiſſet, non dixiſſet (in omni natura) de vnica ſola anima loquens: in hac quippè ſola paſſionem poſuit & actionem, cùm ſentire dixit pati quoddam eſſe & alterari: ſed principium huius actiuum, à quo ſenſus reducatur ad actum, non in ipſo animali, ſed in externo obiecto eſſe prodidit in tex. 59. ſuperioris libri. Immò cùm eo loco inter ſenſum & intellectum hoc poſuerit diſcrimen, quòd principium agens in ſenſu ſit extra, in intellectu intra; quomodo nunc à ſimili ſumeret argumentum? Oporteret aut in ſenſu quoque agentem ſenſum præter patientem ponere, aut intellectum quoque patibilem ab obiecto externo ad intelligendũ duci. Quanquam mea hæc argumentatio aduerſus eos potiſſimum valet, qui agentem intellectum vim ànimæ ponunt à patiente diſtinctam. Quod ſi facultatem eandem dicat eſſe Philoponus, diluetur faciliùs, vt poſt exponam: ſed priores interim argumentationes ſtabunt.

Aut igitur animam à natura diſtinguit; triaque facit entium genera, naturalia, artificioſa, & animata: aut potiùs naturam dicens materiam & formam, naturalia intelligit materialia omnia entia; animam autem, qua intelligimus & ſapimus; de qua agit, quamque cum materia rebuſque cæteris impermiſtam eſſe antea docuerat; & ideò genus entis à cæteris diſtinctum. Triaque facit entium genera, naturalia omnia materialia, (propterea in omni natura dixit) artificioſa, & intelligentem animam; atque ex duobus prioribus de tertio ratiocinatur.

In abſtractis non eſt intellectus agens.

Solam autem intelligentem animam ex toto immaterialium entium genere accepit; quoniam abſtractos cæteros intellectus actu ſemper eſſe putauit, nunquam poteſtate; & ideò ſimplices & indiuiduos, minimè compoſitos ex hac duplici differentia, patiẽtis & agentis. Quam ob cauſam veriſſimè Simplicius dixit, vocem illam (φύσει) non fuiſſe communius vſurpatam pro omni οὐσίᾳ, & ſubſtantia, quemadmodũ aliàs vſurpari ſolet. Non enim in omni ſubſtantia agere adeſt & pati; & aliquid vt materia, aliud vt efficiens. Sed pro ea ſola natura, quæ motus principium eſt & quietis: hoc eſt pro naturalibus entibus, in quibus hoc principium ineſt. Atque ita obiectio ceſſat Auguſtini Niphi aduerſus Simplicium. Intellectui autem noſtro vtraque illa ineſt differentia. Quoniam cùm natura ſua ſit poteſtate, omnibuſque careat intellectilibus formis; agente aliquo indiget, à quo reducatur ad actum formiſque omnibus exornetur. Etenim in omnibus aliis, quæ poteſtate conſtant, ita cernimus euenire; tum in natura, tum in arte; vt quod eſt poteſtate, à quopiam actu exiſtente fiat actu. Nam niſi agens naturale adſit, quòd formam ex materiæ gremio educat; vel artifex, qui eam inducat, & quodammodo imponat; nullum inquam neque naturæ, neque artis opus fiet. Quare poteſtas illa & aptitudo inutilis fuerit, ſuperuacanea, fruſtráque ac temerè indita rebus; quæ nullum vnquam actum, nullum opus conſequutura ſit.

Huc Themiſtij etiam ratio ſpectat; intellectum noſtrum imperfectum initio eſſe, ſicut & naturalia cætera cùm primùm gignuntur: nihil autem à ſeipſo perfici, ſed ab alio: itaque præter patibilem intellectum adeſſe quoque agentem oportere, à quo perficiatur, expoliaturque. Hæc nimirum efficax eſt ac prorſus neceſſaria ratiocinatio; qua philoſophi argumentatio nititur: quæ à poteſtate antea poſita in intellectu ad actũ progreditur; aliquid actu oſtendens in eo eſſe oportere, quod poteſtatem illam excolat & perficiat.

Cui ſi obiiciatur, eadem probari poſſe in ſentiente quoque animæ parte præter ſenſum, qui patiendi facultas eſt, agentem alium eſſe; ſi vera ſit illa propoſitio, in omni natura & entium genere quidpiam eſt vt materia, & aliud vt agens. In promptu fuerit reſponſio. Principio namque non eo intellectu loquutus eſt philoſophus, quaſi in eadem re voluerit horum vtrumque ineſſe. Nam neque in natura ita res habet, neque in artibus. In natura lignum & ignis & omnino materia & efficiens cauſa diuerſa entia ſunt. Et in artibus aurum, æs, aut lapis; & artifex, qui ex illis quidpiam efficit; magnopere ſanè natura differunt. Sed vniuersè, & generaliter affirmatiq cuiuis poteſtati patiendi reſpõdere virtutẽ agentem; ſi non in eodẽ ente, in eodem certè entium genere; in natura poteſtati patiendi materiæ vim item naturalẽ agendi; in artibus materiæ ad artificium quodpiam idoneæ ſcientem ac peritum operis illius artificem; ac demum in intelligente anima intellectui patibili intellectum agentem. Quare in ſenſilium quoque genere adeſſe agens oportet quod ſenſum ad patiendum aptum permoueat atque afficiat: illud autem eſt ſenſile obiectum, quod agendi vim habet. Idem de intellectu dici non poteſt. Tum quia ipſum oſtenſum eſt impermiſtum eſſe, nec quidquam cum cæteris habere commune; & ideò ab externis omnibus obiectis impatibilem eſſe: dum verò ſeipſum intelligit, quónam modo à ſeipſo pateretur? Vtramque igitur hanc virtutem, quæ in cæteris diuiſa eſt ac ſeparata, vnitam eſſe & collectam in intellectu neceſſe eſt. Idque rationi perquàm conſentaneè. Siquidem ea, quæ in inferioribus diſperſa ſunt, in ſuperioribus & perfectioribus entibus vnita & coniuncta reperiuntur.

Propterea veriſſimè dicebatur in tex. 60. ſuperioris libri, in nobis eſſe intelligere quando volumus, ſentire autem non item. Nimirum, propter duas cauſas. Altera eſt obiectum; quod in intellectu intraneum eſſe poteſt, ſcientiarumque habitibus plerumque continetur: in ſenſu ſemper extraneum eſt. Altera eſt agens cauſa. Nam intellectus agens in nobis ipſis continetur: id verò, quod ſenſionis actiuum eſt, illud ipſum eſt extraneum obiectum aut certè ſenſus non ſine illo.

Itaque (licet duo tantùm commemoret philoſophus) vt in cæteris, tum natura, tum arte conſtantibus, hæc adſunt omnia, materia, quæ ad formam poteſtas eſt; forma, quæ in materia ſuſcipitur, eamque perficit; efficiens cauſa, quæ formam illam producit; ac demũ compoſitum, quod veluti ens perfectum ex materia & forma exiſtit. Ita in intellectu noſtro hæc ipſa conſideranda ſunt. Eſt enim intellectus patibilis vt materia & poteſtas ad intellectilia omnia; hæc ſuiat formæ, quæ in eo ſuſceptæ perficiunt eum & exornant;

exornant; adest intellectus agens, qui eas ex prioris intellectus potestate educit; denique ex intellectu patibili formisque intellectilibus ens exitit compositum in intelligentium genere perfectissimum.

Digressio XXIX. *Quid sit intellectus agens.*

DVas ob causas ad agentis intellectus naturam cõstituẽdam digrediẽdum mihi esse hoc loco censeo. Primùm quoniã interpretes Græcos tum digredientes, tum inter se digladiãtes video. Deinde ne subsequẽs interpretatio laborare atque huc illucque temerè impelli ac nutare sæpè cogatur. Duo autem præstanda mihi sunt. Tum veterum peripateticorum sententiæ diligenter ac fideliter commemorandæ. Tum quid verò magis consentaneum videatur, constituendum.

1. *Quæ Theophrasto fuerit de intellectu sententia.*

Cap. 31

ERgò vt eos mittam, quos Themistius sensisse commemorat agentem intellectum primas illas propositiones esse, quæ cæterarum in nobis cognitionem pariũt. Nam ea, quæ de hoc intellectu ab Aristotele tradũtur, eum esse diuinum, impatibilem, immortalem, sempiternũ, separatum, substantia sua actionem; propositionibus illis nullo modo conueniunt. Quæ Theophrasto fuerit de intellectu sententia, ex libro de phantasia & intellectu Priscianique commẽtatione licet colligere. Fuit autem hæc. Agentem intellectum animæ virtutem non esse, sed abstractam prorsus substantiam. Sic enim ratiocinatus fuisse videtur. Quoniã intellectus immaterialis exitit, perinde iudicandũ de illo est, atque de immaterialibus cæteris. Sic enim Aristoteles prodidit. Iam in immaterialibus idem est, quod intelligit, & quod intelligitur; idẽ intellectus & intellectilis forma. Siquidem ipsa seipsis per suam essentiam intellectilia sunt: neq; vlla ibi potest esse diuisio. Quare quidquid materialium quoque separatur à materia, tum intellectile actu, tum intellectus statim euadit; hoc est tum intellectilis forma, tum intellectus. Porrò ex materiæ consortio priuatio nascitur: quæ igitur immateriales formæ sunt, priuatione carent. Itaque vita formisque plenæ exitstunt. Immò idem cum formis; cùm ipsamet intellectiles formæ sint. Cùm ergo intellectus omnis immaterialis exitat, eiusmodi erit intellectilis forma; quæ priuatione prorsus carens, tota sit vita intellectilibusque formis plena. Æque omnes formæ tum inter se, tum cum intellectu vnitæ maximè sunt & indiuiduæ: quippè quæ nil aliud sunt, quàm intellectilis ipsius intellectus essentia: præsertim verò cùm vita quælibet, quæ in seipsam conuertitur, indiuidua sit.

Intellectus triplex.

Cæterùm tribus modis habere se possunt entia hæc immaterialia. Aut enim ab omni materia quoque separatæ substantiæ subsistunt, in seipsis penitus indiuiduæ: aut explicantur quodam modo, expanduntur, & conuertuntur ad materiam & corpus: aut inter hæc mediæ sunt, indiuiduæ in se, explicatarum tamẽ determinatrices. Hinc triplex intellectus exitit. Primus separatus, qui actu semper est, perfectus, semper intelligens, primóque gradu res omnes intellectiles. Alter participatus ab anima, qui animalis propterea vocatur, quòd animæ virtus sit. Is actus quidem est, & res omnes intellectiles; sed secundo gradu. Quoniam propter cognationem cum anima & inclinationem ad materiam corpusque diuiduum, tum ab vnitate essentiæ atque actionis impartibilitate cecidit: tum intellectiles formæ, quæ sunt in ipso, obscuratæ quodammodo fuerunt. Quocirca vt intelligat, intellectu indiget illo primo: tum vt ad intellectionem penitus indiuiduam reuocetur: tum vt intellectilia, quæ sunt in ipso, à præfulgidis intellectilibus separatis ac sinceris primi illius intellectus illustrentur perfectaque intellectilia fiant. Quam ob causam Aristoteles primum illum intellectum Solis lumini comparauit agentemque intellectum nominauit. Animalis autem hic noster patibilis seu patiens dicitur, quòd ab illo primo perficiatur. Tametsi impropriè & per similitudinem passio vocatur: siquidem is actione potiùs à seipso circa intellectilia deprompta, quàm passione ab alio illata, perficitur. Vt enim in inclinatione ad corpora casus ab intellectu contingit; sic in perspicua ad seipsum reuersione atque ad primum & sincerum illum conuersione perfectio intellectus nostri tota consistit. Propterea potestate interdum est, interdum actu; persæpè imperfectus, aliàs perfectus. Nec tamen ab externis rebus perficitur vt sensus; sed à seipso potiùs incipit, & quæ sunt cognoscenda producit ac res ipsas inuenit, dum semetipsum ingreditur, atque ad superiorem intellectum conuertitur. Hinc anima mobilis definitur. Quia tum ad ignorationem fertur, quatenus ad deterius, hoc est ad corpus & materiam inclinatur: tum scientia perficitur, quatenus ad superius, id est ad intellectum conuertitur. Ita quandoque imperfecta est, quandoque perfecta. Imperfecta dum ignorat: diciturque potestate esse, quia cognoscendi vim habet. Dum autem scit, iudicatur perfecta; tum in actu primo, si habituin scientiæ habeat, nec eo tamen vtatur; tum actu secundo, si actum illius promat. Quare cùm primus intellectus idem semper sit actu & perfectus: animalis hic noster existit triplex; potestate, habitu, & actu. Ille simplicem & eundem semper intelligendi modum habet, quo insitas sibi formas inspicit, & per eas tum seipsum intelligit, tum cætera tanquam effecta per suas causas. Hic autem noster duplicem. Alterum simul cum sensu & phantasia progredientem ad exteriora. Alterum sibi proprium, quo solus ipse sincerè vtens ratione, atque in seipsum rediens & ad superiorem intellectum conuersus formas contemplatur suas: nec seipsum modò cognoscit, sed immaterialia quoque cætera & materialia. Immaterialia quidem, tanquàm suis rationibus similia & coniugata. Materialia verò, vt ex causa cognoscens effecta, quæ causæ similia sunt.

Agentẽ intellectum virtutẽ animæ non esse.

Porrò primum illum intellectum agentem separatum esse neque animæ virtutem: duobus modis visus est cõfirmare Theophrastus. Primùm quia vt per inclinationem & progressionem ad corpus intellectus alter, qui est noster, imperfectus efficitur & potestate; sic fieret ille, si animæ virtus esset, quæ actus exitit corporis. Si igitur perfectus semper & actu est, ab omni corpore & anima separatus planè subsistit. Deinde quoniam qui geminam hanc duplicis intellectus agentis & patientis essentiam in nobis cogitet, geminasque virtutes & actiones; si eæ omnino disiunctæ sint, profectò vnum animal mul-

ta faciet animalia. Sin autem eas dicat in vnum A
conspirare & coire principium; illud aut est vniforme & semper immutabile; nullaque in nobis vnquàm aut essentiæ, aut actionis imperfectio fuerit. Aut difforme ac mutabile. At in mutationibus omnibus, quæ secundùm actionem fiunt, permanet semper ipsa vita. Oportet igitur primum illum intellectum, qui agentis vim habet, abstractum penitus esse; neque partem eiusdem animæ, cuius est secundus intellectus noster.

Præter hos demum duos intellectus, tertius & & infimus est anima ipsa rationalis, quæ cùm ad materiam & corpus expandatur & explicetur, tertio & infimo gradu intellectus existit: cum expan- B
sione quidem & explicatione se habens; dum tamen à seipsa orditur opus suum, & in seipsa res inuenit, velut separatarum rationum plena; ad superiores intellectus aspiciens ad individuum se & alia colligit.

Intellectus agens, Deus.

Quod igitur ad id attinet, quod nunc quæritur, intellectum agentem voluit Theophrastus animæ differentiam & facultatem non esse, sed separatam substantiam. Et licet apertis non vtatur verbis; significare tamen videtur Deum, qui primo gradu res omnes est, primaq; ac suprema omnium intellectilis forma. Apertè autem id eum sensisse interpretatus est Marsilius Ficinus cap. C
4. & 17. illius libri, & in 12. Platonicæ Theologiæ libro cap. 4. ex Platonicorum sententia multis persequitur. Deinde intellectionem & intellectiles formas in nobis progigni, non ab agente illo, sed à nostro intellectu; at non sine illo. Verùm quatenus ad illum reuocat se se atque à melioribus eius formis illustratur. Quam solam ob causam is intellectus agens vocatur. Alioqui intellectus noster. suaptè natura est potestate; quia vim quidem habet intelligendi, formasque intellectiles promendi; re ipsa tamen id non assequitur, nisi ad primum illum accedat atque illustretur ab eo. Sic enim colores quoque actu colores sunt; sed D
nisi collustrentur à lumine, videri actu non possunt.

2. *Coarguitur hæc Theophrasti sententia.*

CÆterùm si hæc opinatus est Theophrastus, multa sanè peccauit. Primùm ampliori, quā par erat, significatione propositionem eam accepit (in immaterialibus idem est, quod intelligit, & quod intelligitur. Neque enim vniuersè vera est, nisi in sui ipsius intellectione; qua cùm sint immaterialia, præstant hoc materialibus immaterialia omnia, vt possint in seipsa redire, seque ipsa intelligere: dum materialia sunt quidem intellectilia, sed ab alio, non à seipsis. De aliorum autem E
intellectione in solo primo ac diuino intellectu vera est propositio. Quippè is non aliunde obiecta externa intelligenda quærit: sed vt in se rationem entis omnem continet, sic seipsum intuens, & seipsum & cætera omnia intelligit. Intellectus cæteri cùm entia sint determinata & finita, & ita hoc vt non aliud; dum seipsos intuentur, seipsos solos intelligunt. Cætera vt intelligant, siue superiora, siue inferiora, siue immaterialia, siue materialia; ad illa se se conuertant, illaque intueantur necesse est. Vnde phantasiæ atque ad phantasmata conuersionis in nobis necessitas. Aut si species & formas intellectiles insitas quispiam dicat; eæ vt aliarum rerum repræsentatrices sunt, sic ab intellectus essentia diuersæ existunt. Quemadmodum verò materialia, si à materia separentur, tum intellectilia, tum intellectus euadant in superioribus declaratum est.

Vt in immaterialibus idē sit quod intelligit, & quod intelligitur.

Iam alterum Theophrasti peccatum fuit, quòd intellectum omnem formis omnibus intellectilibus plenum, hoc est rerum omnium intellectilium representatiuum fecerit. Hoc videlicet argumento, quòd omnis priuatio ex materiæ consortio nascatur. Etenim argumentationis huius vis in solo intellectu diuino locum habet. Is namque vt omne ens, sic idæis & formis rerum omnium plenus est: atque ita actu, vt non priuationem modò, sed & potestatem & negationem omnem excludat. At inferiores intellectus, siue angelicus, siue humanus, finita entia sunt: & ideò et ente & non ente, ex actu & potestate, ex affirmatione & negatione composita: atque ita suam obtinent formam & naturam, vt cæteris omnibus careant. Quam carentiam si propriè priuationem appellare nolis, quòd materia non subsit; negationem certè appellabis, aut etiam comparatione formarum secundùm esse naturæ negationem dices; comparatione formarum intellectilium & secundùm esse cognitum priuationem quoque. Quoniam reales quidem formæ ac naturæ aliarum rerum esse nequeunt intellectus illi; at per negationem possunt: adestque negatio in subiecto ad cognitiones & intellectiles rerum omnium formas suscipiendas idoneo. Vnde Aristoteles in intellectu nostro non negationem modò intellectilium formarum, sed potestatem item ad illas in superioribus tradidit.

Tertium peccatum in triplici intellectu diffribuendo facilè agnosces. Namque vt mittam, abstractum esse penitus à materia, aut ad materiam expansum & explicatum, contradictionē continere; non esse in materia, aut esse in materia; neq; inter contradicentia membra quidquam esse mediū, vt est Dialectic. ac Metaphysic. axioma. Intellectus ibi & intelligens anima confunduntur. Anima enim rationalis, vt anima est, animat corpus, atque illius actus existit: vt autem intelligēs est & intelligit, intelligens est atque intelligit per intellectum, qui animalis dicitur & potestate, tanquàm ipsius facultas. Quare non est illa intellectus appellanda, sed intelligens; neque vllus est rationalis intellectus præter animalem; nisi alter ad ratiocinādum, alter ad simpliciter intelligendū cogitetur; quod sanè superfluum est & vanum, neq; vlla ratione firmatū. Deinde vt primus intellectus & rationalis anima substantiæ sunt; sic animalis intellectus interhæc medius cōstituti substantia videtur. Philosophus autem animæ facultatē fecit; omnisq; facultas formaliter accidens est & qualitas, non substantia. Tum verò dū triplex ille intellectus duntaxat esse dicitur; aut vnicus esse creditur separatus intellectus, diuinus scilicet; neque præter eum vllæ fuerint intelligentiæ abstractæ certissimis rationibus ab Aristotele demonstratæ. Aut non solus Deus, sed æquè omnes illæ intellectus agentes esse asseruntur. Id verò & per se absurdum est, & huius sententiæ auctori nequaquā cōsentiens. Quippè vnum esse primum & primo gradu res omnes, pluribus cōuenire non potest: præsertim cùm in intelligentiis etiam illis ordo cernatur; vnaq; sit omniū prima & suprema: à qua cæteræ pendent. Certè si primus intellectus primo gradu est res omnes, & intellectus noster animalis secundo gradu; separatis compluribus cæteris intellectibus nullus est locus.

Quarto

4. Quartò; quòd intellectus noster in seipsum rediens suasque contemplans formas, tum seipsum, tũ alia omnia cognoscere traditũ est; immaterialia, tanquam suis rationibus cognata; materialia, vt effecta causæ similia; neque prioribus positionibus consentaneum est, neque verũ. Si intellectus hic plenus est omnib⁹ formis resq; omnes secũdo gradu; cur non singula per proprias eorum formas cognoscit? Quid est opus aut ex similitudine & cognatione coniectare, aut effectum ex causa colligere? Deinde vt quædam sit nostri & superiorum intellectuum cognatio generis; speciei maxima est discrepantia; & noster potestate, illi actu; noster imperfectus, illi perfecti semper. Quomodo igitur ex deteriori meliorem ac diuiniorem naturam intelligat? Cum materialibus verò quam similitudinem habeat immaterialis ipse? Neq; enim verum est vllo modo, illũ esse materialiũ entium causam.

Quintò & vltimò; agentem intellectum atque
5. Deum neque separatam vllam substantiam esse, deinceps pluribus ostendetur. Quippè hoc alij complures apertioribus verbis affirmarunt.

Nunc satis fuerit argumenta Theophrasti diluere.
6. Nullam prorsus ea continẽt vim probandi. Nã eorum alterum Deum quidem ac primum intellectum conficit actum corporis & animæ facultatem non esse. Quippè vt agentia cætera, etsi semper sunt actu primo, quo agere possunt; actu tamen secundo interdum agunt, interdũ non agunt: sic intellectui agenti accidit, qui animæ ad corpus inclinatæ facultas est. Atq; vt agens dum non agit, secus potestate dicitur ad agendum, quàm ad patiendum materia; ita & intellectus agens & patiẽs potestate nominantur. In altero potestas perfectionem significat, atque ex actus primi perfectione nascitur; in altero & imperfectionem testatur & ex imperfectione proficiscitur.

7. Ad alterum argumentum, vt interim concedatur duplicem hunc intellectum duplicem item esse & distinctam animæ facultatem (qua de re post pluribus) respondendum est, vtrumque in vnum coire principium; in vnam animæ essentiam vniformem atque immutabilem, actione & operatione mutabilem; quia modò agit, modò non agit, & agendo aliis atque aliis modis circa alia atque alia obiecta operatur.

Verùm illud quod est totius disputationis caput, An inquam intellectus agens sit Deus abstractáue substantia, an animæ nostræ virtus; articulatim ac seriò examinandum est.

3. *Alexandri Aphrodisiensis opinio.*

Intellectum agentẽ esse negat.

ALexandri igitur Aphrodisiensis ad intellectus huiusce naturam inuestigandam, eumque asserendam primam causam & Deum esse, ita ratiocinatur. Intellectus agẽs præter eum, qui materialis dicitur, propterea necessarius existimatur, vt sit tanquam causa, quæ vim habeat intellectilium effectricẽ in intellectu materiali. Iam in rebus omnibus id, quod maximè & propriè aliquid est, cæteris existit causa, vt eiusmodi ipsa sint. Sic enim & Aristoteles in tex. 4. lib. 2. Metaph. prodidit; & persuadet ratio; resque ipsa testatur. Nam ignis, qui cæteris causa coloris est, omnium maximè calet: lux reliquis omnibus causa, vt aspiciantur, aspectabilis maximè est: quodq; maximè bonum existit, aliorum bonorũ causa cẽsetur. Quod ergò maximè suaque natura est intellectile, id sanè cæteris omnib⁹ existimare oportet esse causam vt intelligi possint. Id primam illam esse causam, quã Deũ appellamus, cõpertum atq; exploratum omnibus est: quæ & seipsa maximè & propriè ens est & intellectilis; & cæteris omnibus, vt essentiæ, sic intellectionis & intellectilitatis causa & principiũ.

Hinc intellectui huic ea omnia cõuenire ostendit, quæ à philosopho de agente intellectu tradũtur. Prima enim illa causa intellectus propriè est; quia verè abiuncta & separata ab omni materia per se subsistit, impartibilis, nulli rei permista, æterna. Eius solius est omnia facere; illius substãtiæ actio, semperque operatur, absque potestatis & materiæ consortio. Quò fit, vt intellectus hic altero illo materiali, qui in nobis existit, melior sit: siquidem agens patienti, & immateriale materiali præstat. Is demũ solus incorruptibilis est; non facultas animæ, sed de foris nobis aduenies. Alter, qui materialis dicitur, vt potestas animæ est, sic cum anima interit, destructo corpore.

Cur agens intellectus non sit animæ facultas.

Cur autem agentem intellectũ philosophus non animæ facultatem, sed forinsecùs aduenientem esse voluerit; duas exponit Alexander causas. Altera tum ex sensuum, tum ex aliarum omniũ rerũ analogia ducitur. Vt enim in illis omnibus id, quod agendi vim habet, extraneũ est & forinsecùs positum atque à patiente seiunctum; sic in intellectu credidit esse oportere. Quibus verbis rationẽ, quã in superiori contextu proposuit philosophus, ita is interpretatur, vt non solùm agentem intellectum præter patientẽ probet; sed eam simũl, quàm dixi, distinctionẽ illorum contineat. Altera causa, tum extrinsecùs aduenire ostendit, tum à nobis separari posse. Quoniam non quemadmodũ materialia omnia, vel intellectus etiam noster materialis, qui pura quædam est in corpore potestas & aptitudo, tunc solùm intellectus euadunt, cùm intelligũtur; sic etiam se habet intellectus agẽs. Sed suaptè natura talis existit, actu intellectus, & intellectilis. Ideò reliqua omnia corruptibilia sunt, hic solus incorruptibilis & immortalis. Cæterùm hic nil sanè aliud, quàm seipsum intelligit: seipsum autem semper & omni tẽpore. Seipsum quidẽ, quoniam ipse intellectilis est: semper autem, quia est intellectus actu, potestatis omnis expers. Denique nil aliud, quàm se; propterea quòd simplex intellectus non nisi intellectile simplex intelligit; soluſq; ipse simplex est. Reliqua verò omnia facit intellectilia; dum in prima corporis formatione omnibus nobis adiunctus, vbi ad perfectiorem statũ peruenerimus, & perfectum ordinem nactus is fuerit, eorũ formas in phantasia inspectas abstrahens à materia in se trãsformat, atque intellectiles facit. Tum intellectui materiali vnitus ipsas quoq; in eo ponit. Quocirca is per ἀναφοράν, id est relationẽ & recursum ad eiusmodi formas abstractas, imitatur & intelligit res omnes, seipsumque intellectilem facit: cùm res actu intellecta cum intelligente intellectu sit idem. Immò dum formas illas intelligit, seipsum quoque ex accidenti intelligere dicitur. Itaque intellectus agens naturã suã intellectilis ἐκ τοῦ νοεῖν τι γενόμενος διὰ τὸ νοηθῆναι; Hoc est in intelligẽte procreatus per intellectionẽ, & est intellectus in intelligẽte genitus & extrinsecùs intelligitur & immortalis existit. Atq; vt lumẽ, tũ ipsum videtur, tum causa est, vt cum ipso cætera videantur. Ita hic intellectus extrinsecus causa est, vt nos intelligamus, cùm ipse quoque intelligitur, non faciens ipsum intellectum; sed intellectum,

qui est in nobis, perficiens & in res proprias educens. Isque qui diuinus est, noster etiam intellectus vocatur; quatenus in nobis existit, ac per intellectus nostri materialis potestatē agit. Quemadmodum enim si artificem mente concipias, modò sine ferramentis, modò cum ferramentis quidpiam operantem: ita diuinum intellectum intelligere oportet, sempiternam quidem & solitariam sui ipsius intellectionē habere; præter hanc verò in nobis etiam phantasia nostra materialisque intellectus potestate velut organo vtentem operari. Denique hic ipse intellectus immortalis & æternus, vt in nobis gigni dicitur, non quod tunc primùm nobis adueniat (adest enim semper à primo nostro ortu) sed quòd à nobis tunc intelligatur: Sic separari quoque affirmatur: non quòd aliò migret, locumue mutet; sed quòd intellectu materiali corrupto non amplius intelligitur.

Quadruplex in nobis intellectus.

Quadruplex igitur Alexandri sententia inest in nobis intellectus; materialis, agens, habitu, & actu. Sed is solus, qui materialis dicitur, animæ facultas est. Hunc enim solum statim atque nascimur habemus à natura. Verùm is nil significat aliud, quàm potestatem & aptitudinem quandam ex corporis temperatione natam, ad agentem intellectum formasque intellectiles, quæ in eo sunt, suscipiendas idoneam. Huic mox, tanquam organo, & materiæ, intellectus diuinus accedit, qui rerum cunctarum materialium formas abstrahens à materia intellectiles actu facit, cùm antea potestate essent, atque in intellectu materiali ponit. Ita ex assidua functione multaque exercitatio ne gignitur in nobis intellectus habitu, tanquam forma & perfectio intellectus materialis ab agente intellectu producta. Is aut circa res agendas vel non agendas versatur: aut in sola cognitione & contemplatione consistit: vnde practicus aut theoreticus nominatur. Quādiuque quiescit, habitu; dum operatur, actu intellectus dicitur. Ita materialis intellectus est vt materia, intellectus diuinus vt agens; intellectus habitu vt effectus, & forma ab agente producta & in materiali susceptа; intellectus demum actu, vt forma operans. Rursum intellectus materialis est illi persimilis, qui artem consequi potest, artifexque euadere: intellectus habitu, tanquam artifex qui habitum tenet & operari potest: intellectus agens, velut is, qui habitum illum induit ac materialem intellectum facit esse actu primo; & ideò est intelligendi causa & lumini dicitur similis, quod colores potestate aspectabiles actu aspectabiles facit: denique intellectus actu tanquam artifex operans & ex arte quidpiam efficiens. Intellectus materialis verè inest in nobis, quia potestas est animæ nostræ: at intellectus agens separatus est atque extrinsecus in nobis gignitur, dum ad intelligendum adiungitur.

Hanc fuisse Alexandro de intellectu sententiam à me non minùs fideliter commemoratam, quàm accuratè expositā, cognoscere licet ex iis, quæ in primo & altero de anima libro ab eo tradita sunt.

4. *Alexandri opinio falsa esse conuincitur.*

VErùm nec Aristoteli nec veritati consentaneum est id, quod Alexāder explicauit. Aristoteles namque non solum apertè dixit agētem intellectum animæ differentiā esse; verùm etiam perinde id de hoc intellectu, ac de patiēte affirmauit. In anima, inquit, differentias hasce inesse necesse est. Vt igitur intellectus materialis, sic agens facultas animæ fuerit. Hoc argumento pugnarunt aduersus Alexandrū, Themist. quoq; ac Phil. Adiecitq; Themist. illa verba 2. lib. tex. 21. De intellectu autē & theoretica facultate mihil adhuc manifestū est: sed videtur genus aliud animæ esse; & hoc solum separari posse, vt perpetuum à mortali. De intellectu enim agente hæc interpretatus cū colligit animæ partem esse. Deinde Aristoteles eum cōparat lumini in tex. 18. Deū non lumini, sed solū cōparasset. Separabilē item appellat in tex. 19. diuinus nō separabilis est, sed separatus. In tex. 20. in hoc intellectu potestatē priorē actu esse ait; id de Deo, in quo potestas nulla, dici non potest. Et in eodē tex. eum scribit agere phantasia ad intelligendum; eaque corrupta non reminisci. Quæ tamē nunquā de intellectu diuino dixisset. Quemadmodum neque illud, hunc solum immortalem esse: siquidē alij quoque immortales existūt. Tum verò in superioribus dum de intellectu materiali & patiente, qui in nobis velut potestas est ad intellectilia omnia, differeret; eū planè tradidit impatibilem esse, impermistū, nulli rei cōmune quidquam habentē, inorganicū, suaptè natura intellectilem sicut & intellectilia & immaterialia omnia. Quomodo igitur Alexander hæc ait diuini solius intellectus propria, non item cū intellectu nostro cōmunia? Quomodo intellectū nostrum diuini organū esse dicit? Quomodo verū sit, diuinum solum intellectū eiusmodi esse; cum alios intellectus cōplures abstractos diuino haud magnopere inferiores admittat Aristoteles? Sic enim ipse ex cœlestium orbium motu philosophatus est. Aut si diuinus longè præstātior sit ac superior, nónne eadē ratio, qua diuinū intellectū in nobis esse voluit Alexander, in separatis quoque mentibus eundem inesse velut agentem intellectionum omnium causam concludet? Siquidem primū in vnoquoq; genere cæterorū est causa. At id quàm absurdū est? Cùm præsertim omnes illæ mentes immateriales sint; & ideò vel ex Alexandri confessione intellectiles actu & intellectus. Mitto quòd Aristoteles primùm illam causam supremo cœlesti orbi mouēdo alligauit: nihilque prorsus in his inferioribus nisi per illius corporis motum operari voluit; locumque illius proprium ac determinatum in primo circulo esse. Tantū abest, vt eam in omnibus humanis corporibus simul adesse crediderit. Deniq; ex tex. 51. lib. 12. Metaph. manifestissimū est nunquam illi venire in mentē potuisse, vt diuinissimū intellectū circa phantasias nostras volutari, rebusque materialibus vel etiam sordidissimis, abstrahendis à materia secernendisq; perpetuò occupari putaret. Fugiendum hoc, inquit, est. Etenim quædam melius est non videre, quàm videre. Alioqui non fuerit quod optimū intellectio. Ita eum conficit seipsū solū intelligere. Hoc sanè Alexāder quoq; tradidit aliquando. At quomodo cū altero illo cōsentiat, eum materialiū omniū rerū formas à materia abstrahere atq; in seipso susceptas in intellectu materiali ponere; ego quidē certè non video. Abstrahere illas namq, non potest, nec in seipso susc ipere, nisi cognoscēdo atq; intelligēdo: siquidē ipsomet auctore ac teste nil aliud est intelligere, quàm intellectilē formā suscipere. Non solum igitur seipsum, sed materialia item omnia phantasmata & singularia intelligeret; contraquā

à philosopho

à philosopho fuerit definitum. Habet autem hoc argumentum eò maiorẽ vim, quòd abstractio illa quam post Latini aliqui cogitarunt, intellectus agentis lumine phantasmata collustrãte; fuit planè Alexandro incognita; nec aliam is abstractionẽ posuit, quàm solius formæ cognitione sine materia, in qua ea subsistit. Postremò Deũ & superiores causas noluit philosophus quidquã in his inferioribus operari, nisi cœlorum motu & lumine. At vt motus & lumen corpusque motum ac lucidum materialia sunt; ita quidquid motu & lumine producitur, materiale sanè corporeumque fuerit: intellectio & intellectiles formæ immateriales sunt planeque incorporeæ. Et verò si rem ipsam consideres, absurdum videbitur, tum intelligendi facultatẽ tam esse in nobis infirmam & imbecillam, vt intellectiles formas abstrahere, hoc est eas intelligere; materiæ & aliarum adiunctarum rerum appendicibus non intellectis, nequeat: nostramque intellectionem passionem potiùs atque intellectilis formæ aliundè aduenientis susceptionem esse, quàm vitalem & animatam actionem. Tum supremam illam diuinam mentem cunctorum hominum phantasmatibus implicari, statimque natis obligari, ac materiæ sordibus repurgandis condemnari. Vnicuique naturæ dedit Deus operãdi vires naturæ suæ conuenientes: ergo & intelligentem naturam viribus illis omnibus instructam procreauit, quæ ad intelligendum necessariæ sunt. Quòd si vterque ille intellectus, agens & patiens, ad hoc necessarius est; vtrumque in nobis ipsis posuit, atque animæ nostræ partẽ & virtutem esse vtrumque voluit. Sanè integrum nobis est atque in nostra potestate situm, quandocumque libuerit intelligere formasque abstrahere atque intellectiles facere. At quis Deum dicat voluntati ac libidini nostræ mancipatum atque subiectum esse? Et quoniam abstrahere nil aliud esse definimus, quàm vnum ab altero separare, vnumque sine altero intelligere, siquidem intellectus abstractio sit: necessarium fuerit diuinum intellectum phantasmata nostra omnia resque cunctas materiales, vt in seipsis sunt, contemplari. Quem tamen certissima ratio persuadet & aduersarius fatetur, sufficientissimum sibi obiectum esse; nec aliud, quàm seipsum, quidquam intueri; atque in seipso, vt omnem entis rationem supremo continet modo, sic alia omnia quæcumque sunt aut esse possunt, perfectissimè intelligere. Necessariũ item fuerit, eum abstractas omnes formas in seipso primùm susciperè, deinde in intellectu nostro materiali ac patiente ponere. At si eas ille susciperet, mutabilis nimirum fuerit: immò in perpetua mutatione aliarum atque aliarum formarum susceptione versabitur primus ille intellectus, quem eundem semper eodem se se habentẽ modo ab omni mutatione immunem esse constat; & actu semper potestatisque omnis expertem prædicat Alexander. Susceptas porrò formas quomodo is in intellectu nostro ponat? Aut enim in illum deberet eas effundere; aut ipsemet intellectus nostri forma euadere; vt cum eo formas quoque in illo existentes susciperet. Ab vno in alium intellectum effundi eæ non possunt, si intellectionem philosophi semper omnes immanentem actionem esse verè definierunt; formasque intellectiles in eo intellectu, à quo semel fuere susceptæ, remanere perpetuò voluerunt. Intellectum diuinum nostri formam fieri absurdissimum est; neque suprema illius perfectio patitur. Præterquàm quòd ex eo consequens esset, non pauculas tantùm formas à phantasmatibus nostris separatas, sed omnes planè, quotquot in intellectu diuino essent, siue per se & illius propriæ, siue ab omnium hominum phantasmatibus abstractæ, in intellectu nostro susciperi, atque à nobis intelligi. Eaque omnia argumenta possunt adduci, quæ aduersus Auerrois opinionem illam de intellectus vnitate in hominibus omnibus fieri solent: Quæ libenter nunc prætermitto.

Vnde hæc Alexandri opinio.

Sed nequaquam illud prætermittendum est, totam hanc Alexandri de agente intellectu sententiam ex duplici falso principio fuisse deductã. Altero, intellectum, qui est in nobis, quemque materialem appellat, verè materialem esse, corruptibilem, & mortalem. Altero; eundem hunc intellectum nostrum nil esse actu, quod intellectiles formas efficere possit; sed meram potestatem ad illas suscipiendas, quæ ab alio productæ fuerint. Quorum vtrumque, tum Aristoteli, tum veritati, contrarium esse constat ex superioribus. Idcircò minimè mirum est, si pugnantia interdum & apertè philosopho aduersantia loquatur.

Pugnantia loquitur.

Pugnant enim illa; agentem intellectum seipsum solum intelligere, & intellectiles omnes formas in phantasia inspectas, vel etiam materialem intellectum, in seipsum transformare & intellectiles facere. Quomodo enim id nisi intelligendo faciat? Et illa; intellectum hunc semper esse actu, potestatisque omnis expertem; ac rursum multo tempore corporibus nostris adiunctum eum seriari, post verò perfecto vtentem organo intellectiles formas producere. Ac demum illa; intellectum nostrum materialem nil esse actu, & eum ad intellectiles formas se se conuertere easque imitari & intelligere; atque per eum tanquam per organum agentem intellectum operari.

Aristoteli aduersantur.

Philosopho autem aduersantur hæc. Agentem intellectum esse primam causam, non animæ nostræ virtutem ac differentiam: intellectum materialem nil esse actu, materialem esse & corruptibilem, non abiunctum à materia, non impatibilem, non intellectilem actu, nisi cùm intelligitur; sed id genus alia, quæ non de agente, de quo nunc primùm fit mentio, sed de illo ipso antea fuerunt ab Aristotele demonstrata. Illud quoque aduersatur: Aristotelem ex sensus analogia intellectum agẽtem extrinsecùs aduenientem posuisse. Tantùm enim abest, vt huiusce analogiæ vlla fiat mentio, vt contrà potiùs traditum fuerit in tex. 59. & 60. libri secundi; sensionis actiua esse forinsecùs posita, intellectionis autem intrinsecùs & in nobis ipsis. Hoc autem loco vniuersè ait, in omni natura agens & patiens esse oportere: atque in intellectione vtrũque intrinsecũ esse satis apertè tradit, cùm vtrãque hanc in anima differentiam ait esse oportere.

Cæterum ea ipsa propositione, quã ex 2. Metap. lib. tex. 4. ratiocinationis suæ principiũ accepit Alexãder, magnopere abusus est. Non enim ea est philosophi propositio; quod propriè & maximè est aliquid, cæteris omnibus causa est, vt eiusmodi sunt: sed hæc; ἕκαστον ᾗ μάλιστα αὐτὸ τῶν ἄλλων, καὶ ὃ ἔχει τοῖς ἄλλοις ὑπάρχει αἰώνυμον, id est, vnumquodque autẽ maximè tale est præ cæteris, cuius causa cæ-

» terisaliquid ineſt ſynonimũ. Non inquã ait, quod maximè eſt tale, cauſam cæteris eſſe, vt talia ſint; ſed contrà, quod eſt cauſa cæteris, vt ſint talia, id maximè oportere eſſe tale: & ideò principia maximè vera eſſe debere, ſi veritatis concluſionis futura ſint cauſa. Deinde, ſi Alexandro illam ipſam propoſitionem conceſſeris, Deum reſpondebis maximè intellectilem intellectilitatis omnis cauſam eſſe; non formaliter, ſed materialiter: non, inquam, quòd intellectiles formas ipſas efficiat, per quas formaliter res materiales euadunt intellectiles; ſed quòd earum entitatem produxit, qua ſingulæ ſunt intellectiles; formaliter autem ab intellectu noſtro & intellectiles fiunt, & actu intelliguntur. Et ad Alexandrum quidem hæc ſatis. Quomodo enim hic intellectus dicatur omnia facere, illius ſubſtantia eſſe actio, & id genus alia; inter interpretandum cognoſcetur.

5. *Marini, Auicennæ, & Algazelis ſententia; eiuſque confutatio.*

Marinus autem Philoponi teſtimonio conſenſit quidem cum Alexandro agentem intellectum animæ noſtræ virtutẽ non eſſe: argumentis iiſdem perſuaſus; quòd intellectus noſter non omnia faciat; nec per ſubſtantiam operetur; nec ſemper intelligat. Nequaquam tamen diuinum, ſed dæmonicum potiùs aut angelicum eſſe conſtituit. Quæ enim dicuntur; cum phantaſia illum operari, & obliuiſci; diuino intellectui non conueniunt. Quod additur; lumini eum & habitui proportione reſpondere; intellectum quempiam inter diuinum & humanum medium ſignificat. Hic autem dæmonicus eſt, aut angelicus; inter illos medius, quemadmodum lumen inter id, quod illuminat, & quod illuminatur, medium exiſtit; & habitu inter âptitudinem & promptam atque expeditam functionem.

Marini.

Placet hoc capite Auicennæ quoque & Algazelis ſententiam complecti. Ambo namque ſeparatam intelligentiam agentem intellectum eſſe prodiderunt: pauloque planiùs, quàm Marinus, quomodo intellectiles ab ea formæ in intellectu noſtro producantur, ſignificarunt. Auicenna igitur, quemadmodum alibi de naturalium atque in rebus exiſtentium formarũ productione philoſophatus fuerat, eaſque à ſeparata quadam intelligentia, quam idcircò formarum datricem appellauit produci omnes in materia præparata poſuerat: ita prorſus de intellectilibus item decernendum ſibi putauit in opere de Anima, quod ſextus naturalium dicitur, parte quinta, cap. 5. Illas, inquam, omnes à ſublunari intelligentia, quæ penes ſe cunctas habeat, in patibili noſtro intellectu velut ſubiecto procreari, atque ita nos ad intelligendũ permoueri. Quare perinde ſeſe habere intelligentiam hãc ad intellectum noſtrũ, ac ſe habet ſol ad aſpectũ. Vt enim Sol oculos noſtros coloreſque obiectos luce ſua colluſtrans, & colores actu aſpectabiles facit, & aſpectum ad afficiendum excitat. Sic intelligentia illa, dum inſita ſibi luce phantaſmata noſtra illuminat, eaque ſibi ſimilia faciens, à materia & appendicibus illius repurgat; formas ſanè actu intellectiles producit in intellectu patibili: non quòd eæ à phantaſia ad intellectum migrent; ſed quòd ex illarum conſideratione diſponatur intellectus, vt in eum ab agente intelligẽtia emanet abſtractio: ſicut antecedentes propoſitiones ad recipiendam concluſionem diſponunt. Eadem fuit Algazelis ſententia in 2. philoſophiæ libro, tract. 5. cap. 2. & 3. Intellectum agentem abſtractam hanc intelligentiam eſſe.

Auicennæ & Algazelis.

Id verò nec Ariſtoteles ſomniauit vnquam; nec verè quiſquã affirmauerit. apud Ariſtotelẽ apertiſſima ſunt illa verba, quæ aduerſus Alexandrum quoque fuere propoſita; agentem intellectum in anima noſtra tanquam illius partem ac differentiam ineſſe oportere. Et illa, quæ non mulcò poſt ſubiungentur; ſeparatum hoc ſolùm & immortale ac perpetuũ eſſe; in eo poteſtatem actu priorem eſſe, egeréque ad operandũ phantaſia. Quomodo enim verum id ſit de intellectu quouis extrinſecus nobis adueniente? Cùm præter Dæmonium hunc & Angelicum, diuinus ſit; & præter diuinũ intelligentiæ reliquæ & intellectus quoque noſter, quem impatibilem, ſeparabilem, & ſempiternum eſſe tradidit. Deinde ex 8. Phyſic. & 12. Metaph. libris fuit ſemper omnibus peripateticis certum & exploratum nullas eſſe intelligentias menteſque ſeparatas; præter eas, quæ globos cæleſtes vertunt. Tum verò quoniam certiſſimum eſt philoſophorum illud omnium principium; Nihil operari poſſe, vbi non ſit; ſi cunctorum hominum phantaſmata colluſtrare atque ex cunctis intellectiles formas producere intellectus ille deberet; Eum omnibus ac ſingulis adeſſe oporteret: & quidem ſimul eodemque tempore; cùm vbique homines per totum mundum diſperſi, ſimul & eodem tempore intelligant. At id nec fieri, nec mente concipi de intellectu, enteſue vllo creato poteſt: eſſeque vbique ſolius Dei proprium eſt. Huc etiam argumentationes illæ omnes pertinent, quæ contra intellectus in hominibus omnibus vnitatem circumferuntur: neque ad hanc ipſam intellectus agentis vnitatem euertendam minimum habent momenti.

Confutatio.

Porrò quam ob cauſam putauit Marinus agentem intellectum animæ noſtræ facultatem non eſſe, quoniam intellectus noſter non omnia facit; potuiſſet quoque cõcludere neque dæmonicum aut angelicum eſſe. Neque enim hic, ſed ſola prima cauſa, vt entia ſunt, facit omnia: vt autem intellectilia, cur non omnis vel etiam noſter intellectus faciat? Ac rurſum quæ ratio fuit illi negandi intellectum hunc eſſe diuinum, quòd is cum phantaſia non operetur, neque in illum obliuio cadat; debuiſſet item ad negandum eſſe intellectum illum angelicum, aut ſeparatum inducere. Quòd illi ipſi ſimplices intellectus ſint, phantaſiæ & obliuionis neſcij; atque vt philoſopho placuit, mutationis omni expertes. Luminis autem & habitus comparatione abuſum fuiſſe Marinum, ipſius orationis contextus interpretatio mox oſtendet.

Hæc Auicennam & Algazelem non minùs vrgent. Proprius tamen Auicennæ fuit error, in intelligentia illa naturalium formarum datrice aſſerenda. Sed eius confutatio ad alium ſpectat locum. Inde intellectilium item formarũ datricem intelligentiam cogitauit. Quare quàm ruinoſo ac falſo fundamento nititur hæc aſſertio, tam facilè ruit ipſa quoque & falſa eſſe conuincitur. Quæ verò de intellectus huiuſce lumine phantaſmata

tasmata illustrante pronunciantur, pluribus post examinabuntur, temereque pronuntiari demonstrabitur. Nunc illud intelligendum est, parùm scienter dici abstractionem ab intelligentia illa in intellectum nostrum emanare. Nam aut hæc abstractio intelligentiæ illius est actio, aut intellectus nostri. Si est intellegentiæ separatæ; nec emanare in intellectum nostrum potest, nec nos per illam intelligimus. Siquidem actio immanens est, quæ in externũ subiectũ non transit, neq; per eam intellectus alius abstrahit aut intelligit; nisi is, cuius illa est actio. Quæ si intellectus nostri sit, ab illo ipso nimirũ promitur, non in ipsũ emanat aliunde. Et quoniam hæc intellectilium formarum abstractio propria esse creditur agentis intellectus functio; hic ipse fuerit intellectus agens, neque extrinseca opus erit & separata intelligentia. Verùm hæc omnia procedente disputatione planiùs intelligentur.

6. Quid Themistius de intellectu prodiderit.

IAm verò Themistius in alijs penè omnibus nimiùm concisus, in huiusce intellectus euolnẽda natura longam omnino texuit orationẽ. Intellectus noster, quem potestate & patientem vocamus, inquit ille, imperfectus est suaptè natura aptusque perfici. At nihil à seipso perficitur, sed ab alio singula; quòd actu nimirum sit & perfectũ. Ergò præter intellectũ potestate aliũ ab eo diuersum esse oportet, qui agẽs sit & perficiens. Et ideò substantia sua tum separatus, impartibilis, impermistus, immortalis; tum actu semper & perfectus: immò actus potestatis omnis expers atq; intellectus simul & intellectilis, actuq; semper intelligens. Eiusdẽ ferè dignitatis est intellectus noster potestate. Separatus inquam substantia, impermistus corpori, impatibilis, immortalis. Sed quia coniunctior animæ, nobilitatis suæ dispendij nonnihil fecit, potestatemque contraxit. Hunc prior ille intellectus mox adorsus excitat & excolit, atque in lucem quasi educit è tenebris, è potestate ad actum traducens & habitum. Arti planè persimilis; quæ ex rudi saxo impolitoque ære, quorum alterum domus, alterum statua est potestate, actu domum facit aut statuam: idoneæ scilicet materiæ artificiosam imponens formam. Aut etiam luminis; quod tum aspectui, tum coloribus actum præbet; vt ille aspicere, hic aspici reipsa possint. Sic enim intellectus agens, tum intellectum potestate effecit actu, tum res potestate intellectiles actu intellectiles ipsi præparat. Res quippe materiales & ex sensibus collectas per se diudicare nequit intellectus potestate; neque ex alijs in alias progredi, easque componere aut diuidere. Sed illas tanquam intellectilium thesaurus aut materia potiùs custodit. Accedente autem intellectu agente atque hanc intellectilium materiã complectente, fit, vt vnus cum illo euadat. Hicq; intellectus habitu vocatur; in quo notiones vniuersales & scientiæ sunt. Tuncq; ex vno in aliud transire, componere, diuidere, & alia ex alijs circumspicere valet. Ita illorum alter omnia facit, alter omnia fit; habentque se perinde ac artifiex & materia; si non extrinsecùs incumbens materiæ, sed eam vniuersam peruadens ac permeans, artifex cogitetur. Quare duobus modis intellectus hi duo copulantur. Altero vt forma & materia. Altero vt agens & patiens. Intellectus agens est vt agens & forma: agens, quatenus in actum promouet atque intellectiles efficit formas: forma, quatenus est agens internum, quod patientis fit actus & forma. Esse autem agens internum, ex eo cognoscitur, quòd intelligimus quando volumus: quod nequaquam fieret, si externum esset. Intellectus potestate est vt patiens & materia, quæ à priore illo vt agente & forma perficitur & formatur. Duobusque modis ex illis fit vnum: tum vt ex forma & materia: tum vt ex agente & patiente. Quippe intellectus intelligendo & multitudinem notionum habet velut materiam, easque pro suo libito versat & tractat: & notionum fabricator est, auctor, & princeps. Hinc non Deum, vt Theophrastus & Alexander; sed Deo maximè similem dixit esse intellectum agentem. Nam & Deus tum ipsæ res quodammodo est, tum rerum opifex.

Porrò suapte quidem natura prior est actus potestate, & imperfecto perfectum: in homine tamen intellectus potestate antecedit illum, qui actu dicitur; non secus ac splendor antecedit lucem ac Solem, & flores fructum: Siquidem in eodem potestas & aptitudo tempore prior est actu. Propterea intellectus agens, qui substantia est actus, natura sanè sua prior existit, & actu semper intelligens, perpetua & nunquam deficiente intellectione. Quia ex se actus indefinens est & indefessus, intellectus simul & intellectile. Vt autẽ intellectui potestate adiungitur, quemadmodum interdum intelligit, interdũ nõ intelligit; sic posterior eo est, qui potestate consideratur. Rursum in intellectu potestate diuisæ sunt intellectiles formæ, in eoque variæ tum artes, tum cognitiones & scientiæ: in agente idem; quoniam in hoc essentia & actus idem sunt. Quare neque componit aut diuidit, neque ex vno in aliud transit; sed formas omnes simul habet & promit. Nam si ex vno in aliud transiret, nequaquam idem essent essentia & actus; quia manente essentia periret actio. Verùm cùm impartibiliter rerum omnium formas simul contineat; impartibiliter quoque & simul omnes aggreditur & intelligit. Secus in intellectu potestate euenit: quòd formæ in eo partibiliter suscipiantur, dum illi sese adiungit intellectus agens: sicut qualitates naturales per se impartibiles in materia partibiles euadunt.

Homo igitur ex huius duplicis intellectus copulatione existit eiusque esse est intellectus in actu, qui fit ex intellectu potestate ab agente actuato. Quocirca vt in omnibus, quæ ex actu & potestate constant, aliud est ipsa res, aliud essentia eius: sic aliud est homo, aliud hominis essentia. Homo sanè illud est ex duplici intellectu compositum; hominis autem essentia & forma solus est actus; solus inquam intellectus agens, qui solus est forma & formarum forma, atque agendi principium. Cætera omnia materiæ locum tenent. Quare si intelligit homo aut scribit; non id agit, vt ex intellectu potestate constat; sed vt intellectus agens est, vnde omnis actio ducitur: Nec alia est patientis actio, quàm ea, quæ agentis; sed partibilis facta. Caret enim

interim agens illa impartibili sua cognitione, quandiu cum intellectu potestate coniunctus est; mox eam recuperaturus, cùm absoluetur ab illo.

Vnicus in omnibus intellectus

Hunc porrò intellectum cùm hominis essentialem formam posuisset Themistius, eundem addidit vnicum numero esse in hominibus cunctis. His vel maximè argumentis. Primùm quoniam vnum est lumen, vnus sol animalium omniũ oculis largitor luminis, quo è potestate ad actum ducuntur. Deinde, quòd cùm omnis materiæ sit expers, multiplicari numero nequeat. Siquidem ea, quæ in eadem specie multiplicantur numero, interstinctione materiæ discernuntur. Intellectus illi, si plures essent, quonam modo differrent? Neque verò eos differre posse specie colligit: tum quia eandem omnes essentiam habent, quæ est actu: tum quia eadem obiecta intelligunt. Tertium argumentum est, quòd eædē omnibus sunt communes notiones, nulloque doctore cunctis eadem ingenita primorum terminorum ac principiorum notitia. Quartum, quòd intelligere nos vicissim alter alterum non possemus, nisi vnus communis omnibus intellectus in esset. Quintum, quòd vt constent disciplinæ & vnus docere, alter doceri queat; necesse est πιστὸν εἶναι τὸ πάθημα, hoc est communem & eandem notionem esse, quæ à doctore in discipulum transfundatur. Quòd si eadem sit notio, idē quoque in vtroque fuerit intellectus: siquidem in intellectu essentia & actio sunt idem.

Tamen præter hos duos intellectus tertium illum adiungit, quem passiuum & corruptibilem Philosophus dixit, toti coniuncto communem, permistum cum corpore, ab eoque inseparabilem. Hunc esse partem illam animæ interpretatur, quæ perturbationum sedes est; seu rationem, quæ illis inest. Hæc enim animæ pars omnino rationis expers non est: sed in homine, vt illi paret monitisque consentit, sic rationis vtcumque particeps est. Deinde audacia, metu, & spe futurum tempus respicit: quod nullum animal præter hominem facit. Nullum enim confidit, nullum metuit, aut sperat; sed circa præsentia solùm delectatur aut dolet. Immò verò humani affectus adeò rationis participes effici possunt, vt ad mediocritatem redacti virtutes euadant. Hæc Themistius de intellectu; Aristotelisque, Theophrasti ac Platonis sententiam fuisse contendit.

7. *Quid in hisce Themistius peccauerit.*

Quid verò Themistius.

IN quibus quædam verè, alia minùs verè atque accommodatè constituta fuerunt. Verissimè fuit dictum, intellectum vtrumque, tum agentem, tum patientem; tum perfectum, tùm imperfectum; tum actu, tum potestate; immaterialem esse, corpori impermistum, abstractum, separatum, impatibilem, & immortalem. Illum altero hoc meliorem esse ac præstantiorem. Eumque non Deum, sed Deo similem esse: quòd vt Deus naturales omnes formas, sic omnes ille intellectiles procreat: & vt ille vniuersa reipsa producit, ita hic intellectilia cuncta facit atque in intellectu potestate producit. Intellectum hunc agentem intimũ quidpiam in nobis esse, quod non assistat solùm, sed ad naturam nostram pertineat; velut agens intimum comparatione alterius intellectus potestate, velut patientis. Intellectum potestate priorem agente intellectu in nobis esse, velut imperfectum perfecto. Neque agentem in nobis semper intelligere, sed ab omni sæpè intellectione vacare. Tertium ab his duobus diuersum intellectum illum esse, qui passiuus & corruptibilis nuncupatur. Ac demum perturbationes in nobis quoquomodo rationis participes esse; quatenus illius imperio frænari, componi, & sedari queunt, eique parent & obediunt. Vnde in 1. Polit. lib. cap. 3. animā quidē dixit Philosophus habere in corpus imperium despoticum, mentem autem in appetitum, in quo perturbationes læuiunt, ciuile & regium. Hæc inquam verè fuerunt tradita.

At alia complura perquàm falsò. Primùm illud; agentem intellectum substantiam esse per se. Philosophus namque non substantiam, sed animæ facultatem posuit: omnis autem facultas qualitas est, non substantia. Eundem voluit differentiam ac partem animæ esse: non igitur per se ac seorsim subsistens substantia est. Deinde si eiusmodi substantia est, quomodo essentialis esse potest hominis forma? Omnis enim essentialis forma natura est imperfecta & dimidiata; non perfecta & per se cohærens. Tum verò cùm Aristoteli æternus fuerit mundus, & ideò humana quoque species æterna; intellectus hic, quem essentialem hominum omnium formam Themistius ponit, per se nunquàm fuisset, neque futurus esset abiunctus à nobis & separatus.

Quid fuerit.

Ex quo & alterum illud redarguitur, quòd intellectum hunc suapte natura semper intelligentem & actu esse dicit; habereque impatibilem intellectionem, & eam recuperaturum, vbi ab intellectu potestate solutus fuerit. Nam si vnicus est in omnibus, neque humana species principium vnquàm habuit aut habitura est finem; quando quæso impatibilem hanc habuit aut à nobis solutus recuperaturus est intellectionem? Quando vnquàm fuit aut futurus est semper actu intelligens; si quandiu est in nobis, interdum est potestate, interdum actu? Deinde quoniam intellectum quoque potestate fatetur immaterialem esse & separabilem; aut cùm intellectus agens separatur, cum eo simul intellectus item potestate separatur, aut nō separatur: si cum eo simul separatur, eodem modo, quo priùs, intelligit; neque eius actio impartibilis fuerit, nec semper, nec idem cum essentia. Sin autem seorsim vterque separatus existit, frustra nimirum & otiosus fuerit intellectus ille potestate, qui nihil sine agente potest intelligere. At quoniam is fatetur, nequaquam agentem intellectum esse Deum; quomodo potest mox illum affirmare impartibiliter omnia in seipso continere, simulque intelligere? Nam vt nunquàm eum mittam à nobis atque à potestate absolui, quamdiuque in nobis existit, partibilem intellectionē habere: sanè continere omnia in seipso, & ideò simul omnia impartibili vnica intellectione intelligere, solius Dei, qui est omne ens, censetur proprium.

Intuitiua vis intellectus.

Tertium est coniunctio illa, tanquam formæ & materiæ, quam in duobus intellectibus affirmat, neque alio astruit argumento, quàm quòd agens patientem totum permeet. Quod si ad id probandum sit idoneum; probabit quoque eandem intelligentiæ

telligentiæ motricis, & cœlestis orbis moti conjunctionem ; peripateticis quidem certè antiquioribus incognitam. Verùm cùm intellectus vterque sit immaterialis, eiusmodi materiæ & formæ essentialis copulatio inter duo immaterialia esse non potest: siquidem omne ens immateriale substantia sua est actus, materia vero essentialem significat potestatem.

4. *Hominis essentia.*

Vnde & quartum illud corruit; hominem ex duplicis huius intellectus copulatione constare eiusque esse & fomam intellectum agentem esse. Vt mittam hominis formam rationalem animal, quæ hominem facit hominem, Aristoteli ac cæteris fuisse semper: intellectum autem hunc non vt formam, sed vt agentem; non vt det esse, sed vt operandi principium sit & intellectum potestate in actum prouehat, resque actu intellectiles efficiat, cogitatum fuisse. Et ideò lumini comparatū, quod & colores actu aspectabiles facit, & aspectum ad aspiciendi actum promouet.

5. *Intellectus habitu quid.*

Quintum autem illud, intellectum habitu eum esse, qui ex intellectu agente & patiente compositus coaluerit; minimè Aristoteli est ac cæteris peripateticis consentaneum: qui eum potiùs esse voluerunt, qui cognitionū habitibus excultus sit & exornatus. Intellectum inquam ipsum; qui potestate dicitur, postquàm fuerit singula factus, vt in tex. 8. Philosophus loquebatur. Nem & in tex. 55. superioris libri, & deinceps scientem velut intellectus in habitu exemplum posuit sensus ad sentiendum idonei. Scientemque hominem appellari dixit, potestate, habitu, actu: quorum primus intellectum potestate significat ad scientias comparandas idoneum: alter intellectum habitu, qui, comparatis illis contemplari possit: tertius intellectum actu, qui vtatur habitu reque ipsa contempletur.

6. *Contra intellectus vnitatem.*

Sextum est, agentē intellectum in hominibus omnibus esse vnum. Quippe si ita sit, nisi ab hoc & illo pereunte homine separetur, nunquàm tamen ab omnibus ita separabitur, vt Themistius asserit: vt inquam per se seorsim existat, pristinamque recuperet conditionem, & ad genuinam naturam suam atque actionem redeat. Deinde vt vnus intelligit, alter non intelligit; vnus rem eandem hoc modo, alter oppositò & contrario modo intelligit: sic idem numero intellectus simul & eodem tempore vnam & eandem rem intelligeret & non intelligeret, esset simul actu & potestate, contrariasque, pugnantes & contradicentes intellectiones haberet, ad easque intellectum potestate proueheret. Id verò ne mente quidem concipi potest. Etenim si vnus est intellectus in omnibus, dum operatur in vno, operaretur item in omnibus, vnoque intelligente simul omnes intelligerent. Et licet plures ac diuersæ phantasiæ essent; Quidquid tamen in vnico illo reciperetur intellectu, hoc est quæcumque intellectio speciesue intellectilis, in omnibus simul reciperetur. Atque dum intellectus rem in phantasia repræsentatam sibi assimilat, & in seipsum traducit; si idem est omnium intellectus, omnium igitur intellectus eam sibi assimilat, omnesque intelligunt. Vt autem pugnantes sunt in diuersis hominibus opiniones, vno aiente, altero negante vnam eandemque rem; quomodo simul eæ in eodem intellectu sint? Quod enim in se quisque experitur, se non posse rem eādem affirmare simul & negare, opinari esse & non esse; idem in vniuerso hominum genere vnicoque illo intellectu eueniret, si vnicus numero in omnibus esset. Accedit, quòd intellectū hunc ipsū formā essentialem Themistius prædicat: quare homines omnes essentia essent vnus homo; quippe per eandem numero essentialem formam constituti. Vnā autē numero essentialē formā, non dicam in tàm multis, sed omnino in pluribus subiectis simul esse, aut ex alijs in alia migrare; non solùm non credidit Aristoteles, immò absurdissimū iudicauit: vt ex ijs potest intelligi, quæ eandem ob causam aduersus Auerroëm in superioribus disputata fuerunt. Deinde si essentialis est forma, imperfecta igitur & dimidiata natura est, suaque conditione alterius pars. Aut ergò ab intellectu materali separari nequit; aut si separetur, imperfectus erit & præter naturam meliusque habebat incorpore: Quòd si cum altero intellectu simul separetur coniunctus (siquidem is quoque separabilis est) eodem modo, quo antea, intelligit; nec suam vnquàm naturam & actionem recuperabit.

Ad 1. argumē tum.

Neque ad hanc sententiæ suæ partem suadendam sapienter Themistius argumentatur. Nam sol quidem vnus est, qui oculis omnibus lumen impertit: at non vnum est numero, sed specie duntaxat lumen, quod in oculis pluribus, ceu subiectis suscipitur. Vnitatē enim numeri à subiecto mutuare accidens consentiunt Philosophi. Non est etiam in oculis omnibus idem impartibile lumen, sed plures ac diuersæ luminis eiusdem partes. Quocirca si vnum is & individuū agentē intellectū cum hominibus omnibus copulari contendat, parùm sapienter ratiocinatus fuerit. Meliùs verò in altero illo argumento, quo vnum numero eū esse contendit; quoniā immaterialis est. Alter namque intellectus potestate eius sententia immaterialis est; ergò vnus numero: nunquàm igitur agens ab eo separatur, sed ambo simul ab hominibus singulis. Quomodo igitur separari eum ait atque ad suam naturam & actionem redire? Deinde vterque intellectus idem numero est in hominibus omnibus: vndenam igitur in telligendi tanta diuersitas, tantaque intellectionum pugna? Quòd si intellectum potestate, licet immaterialem, non specie, sed numero multiplicem is fateatur; fateatur item agentē. Verùm totū hoc argumenti genus cùm Auerroë quoq; cōmune esset, paulò ante notato loco pluribus explicatūfuit.

Ad 2.

Ad 3.

In 3. argumento adferendæ non erant communes eædem notiones primorumque principiorum notitia. Quoniam hæc lumine intellectus naturali nituntur; eundemque specie ac natura, non numero intellectum in omnibus nobis ostendit.

Ad 4.

Quartum verò illud, quòd vicissim nos cognoscamus, sapiente Philosopho indignū est. Siquidē Deus quoque nos cognoscit, nosque eum vicissim intelligimus, cæterique intellectus abstracti mutuò sese intelligunt; nec tamen eodem numero præditi sunt intellectu. Sed quoniam omnes sunt intellectus atque intellectus omnis & intelligere potest, & intelligi; estq; tum intellectus, tum intellectilis. In quinto demum, cùm idem in docente & discente *τὸ νοητὸν*, eandemque mentis notionem & conceptionem postulat; non nu-

Ad 5.

niero, sed specie eandem concedemus: quemadmodum ex responsione ad tertium Auerrois argumentum loco iam bis citato intelligi potest. Numero enim tàm multæ sunt, quàm multi intelligẽtes intellectus. Quanquã dũ ex eo, quod eadẽ sit notio, eundem esse intellectũ confirmat; quoniam in intellectu idem sunt essentia & actio; falsum quoque omnino accipit: quodque de solo intellectu diuino, aut etiam secundùm Aristotelem de intellectibus abstractis affirmari potest, ad nostrum ille traduxit.

7. Septimum eiusdem auctoris peccatum fuit in tertio illo intellectu interpretando, quem passiuũ & corruptibilem Philosophus dixit. Secus enim cæteri omnes exposuerunt, atque ex ipsomet Aristotele manifestè colligitur; quemadmodum post suo loco docebo.

8. Octauum quòd audaciam, metum, & spem solius hominis proprias, non cum bestijs communes, esse scribat. Cùm tamen sentientis appetitus perturbationes existant atque ex amore & desiderio oriantur: quæ omnia bestijs item insunt. Deinde metuentes illas, audentes, & sperantes manifestè nimis videmus; quòd aut malum imminere sibi, aut bonum consequi se posse putent. Si leporem canis viderit, aut accipiter auem non multùm distantes, eas persequuntur statim, quòd consequi se posse putent: non item si nimiùm distent. Hoc autem quid aliud est, quàm audere, & sperare, aut desperare? Lepus item & auis fugiunt aut non fugiunt; quod nil aliud est, quàm timere, aut nõ timere. Etenim ex apprehensione possibilis boni aut non possibilis consequuntur naturaliter audacia, spesque, aut desperatio animalibus; vt rebus non cognoscentibus naturalis propensio; insitæ à natura, vt possibile prosequantur, bonum, nec frustra circa impossibilia laborent. Ex imminente autem malo nascitur metus, quo illud caueant, sibique maturè prospiciant. Animalia maiora, robusta, ac generosa, aduersus minora infirma & imbecilla, siue eiusdem, siue alterius speciei, audentia videas; hæcque metus ac pauoris plena: Id in canibus quotidie cernas. Vnde & illud extat in 3. lib. de partibus animalium cap. 4. animalia, quæ paruum habent cor, audentiora esse fidentioraque; timida, quæ magnum: ideò lepus, ceruus, & alia quædam timida. Neque in re tàm aperta & omnibus manifesta diutiùs immorandum est.

Perturbationes in bestijs quoque inesse.

9. Nonũ & vltimũ est, quòd humanos affectus ait ad mediocritatem redactos virtutes effici. Sunt enim affectus materia quidem, circa quam virtutes morales versentur; at virtutes nec sunt, nec euadunt vnquàm. Quippe virtutes omnes in rationali parte continentur; & eæ, quæ morales vocantur, electione cõstant, electiuusque habitus dicuntur: electio autem voluntatis & rationalis appetitus actio est; vt in 2. de moribus ad Nicomachum pluribus explicatur. Nunc hæc Themistium admonuisse satis.

Perturbationes virtutũ materia.

8. *Quid opinatus Plotinus fuerit.*

QVod autem Plotinum scribit Philoponus duplicem intellectum posuisse, humanum vtrumque; alterum semper intelligentem, quippe animam esse semper mobilem Plato prodiderat; atque hunc agentem esse: alterum non semper, sed interdum; huncque materialem & potestate nuncupari: concisè nimis dictum est, longioreque indiget explicatione.

Atque vt altiùs repetam, quid is de intellectu senserit; in libro sanè contrà Gnosticos ad hunc modum ratiocinatur. Mundus vnus est, ordine formosissimus, vitalibusque vbique motibus efficacissimus. Ideò tria mundi principia. Ipsum bonum & vnum, ad quod nituntur omnia: Intellectus primus eodẽ semper modo in actu cõstitutus; & ideò principium & auctor ordinis: Ac demum anima mundi, quæ vitalem motũ velad ipsum vel circa ipsum efficit. Ita corporeus hic mundus ad animam per se mobilem motuque proprio cuncta mouentem primò reuocatur: Anima ad intellectum omnino stabilem statuque suo cuncta regentem; Atque hæc tandem ambo ad ipsum bonũ, cuius gratia & intellectus agit, & animã mouet, & in quo intellectus quiescit, & circa quod reuoluitur anima. Intellectus stabiliter agens ad bonum bono quàm proximus est; anima per essentiam manens, & per operationem mota, atque post progressionem rediens in seipsam, proxima existit intellectui omnino stabili & in seipsum penitus conuerso. Λόγον porrò, id est rationem, quam inter intellectum & animam aliqui mediam ponebant, non aliam contendit illis diuersam esse substantiam; sed ab intellectu in animam procedendo intellectualem eam efficere.

Mentis primatus.

Cognoscentium operatus gradus.

Quocirca in libro de substantijs cognoscentibus quatuor cognitricibus virtutibus positis, sensu, phantasia, λογισμῷ seu διανοίᾳ, hoc est ratiocinatrice facultate, ac demũ intellectu tanquàm omnium supremo: ratiocinatricem virtutem inter phantasiam & intellectum mediam formas prodidit vtrinque suscipere, tum à phantasia phantasmata, tum intellectiles species ab intellectu, easque componere ac diuidere: formasque nuper à phantasia ingestas, quæ velut accidentariæ sunt, antiquis illis accommodare, quæ essentiales existunt, & aut in intellectu continentur, aut ab illo desuper sibi rutilante proueniunt: atque intellectualis efficitur, dum impressa accipit ab intellectu vestigia. Cæterùm intellectum hunc partẽ aut differentiam negauit esse animæ. Quoniã anima propriè dicitur vt est mouẽdi principiũ atq; abvno ab aliud ratiocinandó progreditur: intellectus actionem simplicem habet & stabilem. Ita rationalis sola virtus anima est, qua nos rationales vocamur: solaque dianœa forma nostri essentialis, qua id sumus quod sumus; quaque semper vtimur. Intellectus superior nobis existit, sensus inferior: vterque non nos, sed noster, quatenus vtroque vtimur; sensu semper, intellectu interdum: & sensu quidẽ tanquã nuntio, intellectu autẽ velut rege dianeæ superimposito: neque eo ad nos annuente, sed nobis potiùs ad ipsum supernè suspicientibus. Regnamus verò nos, quando secundùm illum agimus. Idque duobus modis. Aut quòd rerum notiones velut leges inde suscipiamus. Aut quòd per frequentem illius vsum ita eo replcamur, vt illum penitus induamus, sicut materia formam, atque sub illius actu agamus. Nã

& materia,

& materia, quæ sæpè calorem ab igne accepit, flãmam tandem concipit. Hinc etiam aliter cognoscit sensus, aliter phantasia, aliter anima seu ratio, aliter intellectus. Sensus & phantasia, quòd non seipsas, sed aduentitia tantùm cætera spectent, rectam tenent in cognoscendo lineam: Sensus externa, phantasia interna considerant. Ratio aliarum rerum formas à phantasia suscipiens externa prospicit, easque superioribus formis, quæ in intellectu sunt, accommodans domestica quoque & seipsum cognoscit, linea quasi obliqua & recurnata. Intellectus demùm ad inferiora nequaquam se vertit: sed à seipso exordiens & in seipsum desinens, seque ac sua intelligens, circularem agit lineam; qua tũ se ipsũ, tũ in se omnia intelligit. Et cùm sit forma prorsus actu, nunquàm ab actione cessat; idemque in eo sunt intellectus, intellectio, & intellectile. Verùm dum seipsum cognoscit per formam, Deum item tanquam ex effectu causam intelligit. Contrà vbi ad Deum sese conuertit, illum quasi per formam intuetur; seque ipsum velut effectum ex causa. Ita infimum cognoscendi gradum tenet sensus, supremum intellectus. Ac sensus quidem atque adeò phantasia circa inferiora agunt; ratio circa inferiora & superiora; intellectus circa ipsum & id quod superius est. Sensus, phantasia, & ratio, interdum sunt actu, interdum potestate; intellectus semper actu.

Rursum quidquid videt, per lumen videt: videt sensus visus; vident intellectus & ratio, seu anima. Sed visus, qui foras aspicit, per lumen sibi coniunctum colores videt, per vnum lumen aliud lumen. Intellectus vt seipsum contemplatur, sic non per vnum aliud cernet, sed per seipsum: estque lumen sibimet refulgens & in seipsum perpetuò per se reflexum, lucensque simul & illuminatum. Vt refulget in anima eamque illuminat, intellectualem facit: quia per illius vestigia ipsi impressa tum in insitæ intellectui claritatis amorem rapitur, tum omnino intelligit. Siquidem lumen illud verorum fontem hauriens, velut vitæ intellectus, in quo ipsa vera consistunt, vestigium, intellectualem induit vitam, fitque velut quædam intellectus imago. Est enim vel naturaliter ipsa (si sensum, cupiditatem, & eiusmodi inferiora semoueris) intellectus imago. Vt intellectus sit quasi lumen solis, anima velut lumen illi proximum circa ipsum ex ipso refulgens.

Porrò inter primum intellectum diuinum & secundum nostrum hoc interest; quòd primus omnia in se habet inter se nequaquam discreta, sed maximè vna: secundus formas quidem omnes continet, sed ratione distinctas. Hunc autem nostrum esse multiplicem, singulosque hominibus atque animabus singulis proprios; manifestum est ex libro de dubijs animæ primo cap. 5 & 6. Hinc cap. 3. libri de tribus principalibus substantijs, tũ exemplo verbi, quòd voce profertur, & verbi existentis in animo, quemadmodũ anima sit intellectus imago, in explanat; tum intellectũ animæ patrem ac nutritorem appellat; quòd adsit semper atque ab illo tota huius perfectio pendeat.

Denique cùm in libro de intellectu multa disserat in eandem sententiam; tum in cap. 6. quomodo formæ omnes in intellectu contineantur, exponit. Sunt enim omnes nequaquam cõfusæ, sed inter se distinctæ. Sicut genus species omnes, totumque partes continet; & in ipso semine vitutes plures, oculi, manuum, & aliarum partium insunt.

Pluribus hæc ex Plotino commemorare placuit; vt tum quid homo de intellectu senserit, intelligeretur planiùs; tum verò explicaretur, quid illud sit, quod eum Philoponus dixit, duplicem intellectũ humanum posuisse. Alter. n. est ipsa ratio rationalisue facultas; quæ vt motu & ratiocinatione constat, sic potestate interdum est, interdũ actu. Alter, qui propriè & verè intellectus dicitur, actu semper, semperque intelligens. Rationalis facultas est, quam intellectum potestate dixerunt peripatetici: intellectus, quem agentem appellarunt.

9. Quàm verè fuerint hæc à Plotino excogitata.

QVæ ita Plotinus prodidit, vereor ne acutè magis ac subtiliter excogitata, quàm verè pronuntiata fuerint. Nam vt mittam tria illa mundi principia, bonum, intellectum, & animam mundi; de quibus non est huius loci disputare. Illud tolerandum non videtur, quod rationalem facultatem atque intellectum tantopere in nobis faciat discrepare. Vt enim intelligere non est hominis proprium, sed cum separatis pluribus substantijs commune: sic esse intelligens veluti genus & cõmune attributum existimari debet: esseque rationale, veluti speciale atque hominis proprium. Non inquam hæc diuersas facultates constituunt, sed in vna & eadem considerantur, dum in nobis spectantur. Hic enim est hominis proprius intelligendi modus, qui ratiocinando fit; neque aliud est ratiocinari, quàm humanum intelligere: nec aliud ratiocinandi facultas, quàm facultas intelligendi ratiocinando atque ex vno ad aliud progrediendo. Sanè facultas hæc ipsa immaterialis est, consentiente Plotino; intelligẽs igitur est & intellectus: quique eam intellectũ potestate appellarunt peripatetici, accommodatè magis loquuti sunt. Quare si inter phantasiã & agentem intellectum mediam illam is constituat, concedendum fortasse fuerit, sin autem inter intellectum simpliciter & absolutè, nullo modo.

Intellectus & ratio vt differant.

Quemadmodũ neque illud, facultatẽ hanc mediã vtrinque formas acciperẽ; tum à phantasia, tum ab intellectu. Nisi à phantasia materialiter & velut rem intelligendam proponente; & ab intellectu, tanquã abagente formas excitante, dicas accipere. Alioqui manifesta est nostra, dum intelligimus, ad phantasiam tota conuersio; quasi inde solùm formæ obiectorum hauriantur. Conuersionem ad intellectum animaduertimus nullam. Et si ea esset, indeque formas acciperemus; ac meliores multò, quàm à phantasia; inutiles profectò hæc esset, & absque illa possemus intelligere. Verùm neque ex vno in aliud subiectum migrant intellectiles formæ; veriusque à nobis ipsis intelligendo promuntur quàm accipiantur aliunde. Mitto formas hasce sapientionibus Philosophis nil aliud, quàm intellectionem ipsam esse; quæ haud dubiè non accipitur aliunde, sed ab intelligente facultate promitur atque in ea ipsa suscipi-

Intellectiles formæ vnde accipiãtur ab intellectu.

Intellectum non habere insitas rerum formas.

tur. Neque agentem intellectum tanquam thesaurum & promum formarum, sed tanquam effectorem cogitari: non inquam, qui eas, quas in se perpetuò habet, in intellectum potestate refundat; sed qui nouas subinde ex phantasia producat; ea, quæ materialia sunt & potestate, efficiendo actu intellectilia.

Illud autem (idē in vno esse intellectum, intellectionem & intellectile) de solo intellectu diuino antea verum esse admonui. Quemadmodū & illud in intellectu intellectiles omnes formas reipsa & actu contineri; nec eum quicquam extra seipsū intelligere aut habere insitas eorum formas; sed eas à phantasia accipere, non tantum cùm primò intelligit, sed etiam cùm postea speciebus reseruatis ad intelligendum vtitur. Quod quidem valde conforme est doctrinæ Aristoteli dicentis in hoc libro, præsertimque tex. 39. eum qui contēplatur debere necessariò vnà cum phantasma te contēplari, hoc est concurrente simul phantasia. Nam intellectus noster immaterialis est & organo minimè affixus. Quòd si non requirat actum phantasiæ qui concomitetur eius actum, certè quomodocunque se habeat organum phantasiæ ipsaque phantasia, non debet impediri intellectus in sua actione. At contra videmus dum læsum est organum sensus interni, morbo aut alio casu, intellectum nil posse intelligere, nec perfectè vti parta priùs scientia, vt patet in *freneticis & ebrijs, vnde etiam pueri ante rationis vsum non nisi obscurè intelligunt quia nempe ob vimiam cerebri eorum humiditatem obscura sunt phantasmata. Adde quod experimur quoti escunq; aliquid intelligimus nos formare idolum quoddam in imaginatione in quo nobis representamus quod intelligere volumus: & dum alijs aliquid intelligendum proponimus exempla familiaria adducimus ex quibus possit formare phantasmata. Itaque post concursum phantasiæ & speciērum perceptionem, intellectus pro sua subtilitate potest res materiales & immateriales, substantias & accidentia, vniuersalia & singularia cognoscere diuerso respectu. Et substantias quidem hoc modo: Ex sensibilibus per se producuntur in intellectu quædam species representantes in communi & in confuso aliquid commune Accidentibus sensibilibus & substantijs; interdum autem intellectus coniungit plura ex his communibus, & ex illis fit vnum commune tantum substantiæ in communi, aut tali vel tali substantiæ proprium vt esse subiectū conuenit alicui Accidenti nempe quantitati vel facultati animæ; & esse primum, alicui Accidenti, puta proprietati, tamen esse primum in ratione subiecti conuenit soli substantiæ. Intellectus percipit etiam singulare materiale & determinatum non minus propriè quàm sensus, & quidem secundum esse singulare, non autem in communi tantum; quia facultas quæ ponit discrimen inter duo, debet ipsa cognoscere; ex Aristotele in textu 195. & 196. at intellectus statuit discrimen inter vniuersale & singulare vt inter duo singularia Quod spectat ad singularia accidentium per se sensibilium, intellectus ea cognoscit directè per propriā speciē, & per propriū conceptum, non per reflexionem aut per conceptum vel speciem vniuersalis. Dixi (singularia accidentium sensibilium per se) quia singulares substantiæ & singularia accidentia haud per se sensibilia non cognoscuntur per propriam speciem. Iam vero fatentur omnes vniuersalia materialia cognosci ab intellectu conceptu proprio & per propriam speciem abstrahendo à singularibus. Si autem sermo sit de substantijs immaterialibus seu spiritualibus, dicimus eas ab intellectu aliqua ratione posse cognosci in hac vita, non tantum quoad an sint, sed etiam quoad quid sint; Neque id fuit Aristoteli ignotum: licet enim in textu 36. tale dubium proponat quod non dissoluit, & 2. Metaph. cap. 1. dicat, vt se habent oculi vespertilionum ad lumen solis, ita intellectus noster ad ea quæ sunt manifestissima ex natura sua, hoc est ad substantias per se intelligibiles quæ sunt separatæ; at tamen sicut noctua non priuatur omnino solis & luminis visione, sic neque anima nostra cognitione substantiarum separatarum. Et 9. Metaph. textu 22. & vlt. scribit intellectum esse in potentia ad intelligendas substantias immateriales, nec tantum in potentia cæcitatis, quasi dicat potentiam aliquando reuocandam in actum, quod non conuenit cæcitati, & 2. de gener. animalium cap. 3. ait intellectum habere quandam actionem, in qua nullo modo communicat corpus, nec vt subiectum, nec vt organum; At talis actio est ea qua potest cognoscere substantias separatas. Denique 1. de part. anim. capite 5. ait nos aliquam de substantijs separatis habere cognitionem, licet exiguam & obscuram. Verum an habere possit in hac vita perfecta & quidditatiua earum cognitio maior est difficultas, cui vt satisfiat, vno verbo dicendum non posse naturaliter, posse tamen supernaturaliter cognitione à Deo infusa; quia intellectus naturaliter & ordinariè nil cognoscit nisi per conuersionem ad phantasmata, nec alio modo potest vti scientia acquisita nisi per phantasmata rerum quæ cognoscuntur. At res spirituales non incurrunt in nostros sensus proindeque non possumus habere earum phantasmata. Deinde non cognoscimus distinctè substantias materiales nisi in ordine ad effectus & accidentia sensibilia vt constat experientia, Ergo multò minus substantias spirituales quæ non habent Accidentia sensibilia, nec vllum effectum quod adæquet totam vim ipsarum; nam quodcunque earum effectuum percipimus, solum incompletè & inadæquate potest referre suum principium suamque causam.

Neque etiam potest intellectus per phantasmata rerum materialium, peruenire in distinctam cognitionem quidditatiuam rei immaterialis per propriam speciem. Attamen non est dissitendum eum posse cognoscere substantias separatas per phantasmata rerum sensibilium & per effecta, sicuti Deum per creaturas quæ sunt illius effectus. Creaturæ enim continent imperfectā & adumbratā perfectionū dei representationem, per quam ad illarum cognitionē vtcunque deducimur. Porrò licet conceptus qui habentur de Deo non sint clari & distincti, sunt tamen certi ac veri de quibus haberi potest scientia.

Hactenus de intellectu nostro in præsenti statu verba feci, non autem de intellectu separato, in quibus

Intellectus nostri & separati differentia.

in quibus maxima inest differentia. Nam alter est participatus, alter imparticipatus; alter in seipso manet, alter ad aliud se porrigit, atque inferiori naturæ impertit. Ille terminus est separatus, hic alterius, nempe rationalis animæ, terminus. Ille semper agit, hic interdū agit, interdū non agit; vt deinceps idem est auctor in comment. tex. 16. & 17. De hoc iam ab Aristotele in hoc tertio de anima comment. verba fiunt, etsi de ipsa rationali anima potiùs agatur.

Intellectus in corpore qualis fiat.

Cæterum hic noster intellectus antequàm corpori iungeretur, sincerè & absolutè in se manebat: iunctus autem corpori permanentiam illam remisit, ad externa se porrigens. Non ita tamen ad extra egrediens, vt illius substantia penitus immutetur & non in ipso maneat. Quia vnus est reipsa intellectus qui & manet quod antea erat; & rursum permanēs in progressu ad extra facto remittit & à se quasi recedit. Ac primùm quidem in occursu ad corpus à se recedens infirmatur & fit imperfect' potestateq; deinde perfectus & habitu: tum demum in seipsum recurrit, tūcq; est id quod est. Sic. n. animæ, quæ inter individuā & diuiduam substantiā est media, sese accommodat; mediusque efficitur inter intellectum separatum, qui semper in seipso manet ingenitus & immortalis; & sensum, qui penitus à se recedit, foras progrediens, genitusque est & mortalis.

Duplex in anima nostra ratio.

Hinc duplex in anima nostra ratio primùm distinguitur, non tamen reipsa sed ratione, & quatenus vnus & idem intellectus alio atque alio modo se habet. Vna in se manens nec ad alia progrediens, sed proprijs cognoscibilibus seipsa plena, inque suas formas sese conuertens, substantiali scilicet actione, qua in substantiam suam sese conuertit, suæque substantiæ vnitur. Altera à sui mansione recedens atque actionem substantialem relinquēs, quæ in substantiam illam & substantiales formas conuertitur: nec ea, quæ in se sunt, contemplans; sed actionem non substantialem, id est ad substantiam non conuersam, edens; sed ad exteriora progrediens, ac secundis vtens vitis, sensu & phantasia; dum sensilibus cognoscendis incumbit. Deinde posterior hæc rursum est duplex. Altera à suis causis, nempe à natura intelligente, quæ actu est, prorsus recedit; intellectilibus illis omnibus formis, quæ manēti rationi inerant, in progressione ad corpus obliteratis. Quæ potestate penitus est & imperfecte, hoc est potestate solùm formas habet. Altera non omnino recedit; sed in hac vita foras protensa existit perfecta & absoluta; quòd in habitibus cognoscenda susceperit à manente ratione, à phantasmatibus excitata. Quare rationum habitum in se contemplans, quodam modo à se recedit. Quoniam hę rationes illi essentiales & internę non sunt. Non tamen penitus recedit, sed quodam modo manet; quatenus eæ circa substantiam illius sunt. Longè verò recedit, cùm sensus & phantasiæ interuentu singulas res intuetur.

Intellectus potestate & habitus & intellectus agens.

Harum prior ratio intellectus potestate vocatur; posterior intellectus habitu. Omnium autem prima illa in se manens atque essentialibus rationibus prædita, intellectus actu seu agens. Primus plane imperfectus est & potestate. Alter perfectus quidem circa substantiam, at non in substantia neque secundùm actionem essentialem, ad essentiales scilicet formas cōuersione: imperfectus autem & potestate ad hanc perfectionem, qua ab essentialibus formis, primisque cognoscendis potest absolui. Tertius omni ex parte perfectus. Primus potestate, tum prima, tum secunda; tum ad actum primum habitus rationum; tum ad secundum operationis. Alter potestate solùm secunda; actuque primo habitus, potestate ad operationem. Postremus omnino actu, nullo modo potestate. Quare inter intellectum actu seu agentem, & intellectum potestate medio loco intellectus habitu constituitur. Nam etsi actu intelligat, potestate tamen intelligere dicitur: quoniam à speciebus intellectui superiori insitis quasi aduentitia & aliunde ascita perfectione absoluitur. Quemadmodum & corpus viuens, etsi actu viuat, potestate viuere dicitur; quòd aliunde, nempe ab anima, vitam habeat. Superior autem intellectus ille, vt essentiales rationes habet, sic essentia sua est actus: neque aliunde perfectionem accipit, sed in essentia sua obtinet. Est enim supremo intellectui separato proximus: vt intellectus potestate, cùm foras, vt sensus, se porrigat, sensui similis & cognatus existit. Et intellectu habitu ab extrinseco recedens omnia in se quantum fieri potest, impartibiliter vnit; vt intellectui superiori propinquus, qui formas essentiales habet, assimiletur illi.

Intellectus agens & patiens idem.

Denique ita Simplicius existimauit. Humanam animam his omnibus constare, intellectu, phantasia, sensu, vegetatione. Intellectum rursum intellectu actu, habitu, potestate. Supremam animæ substantiam & primam vitam esse intellectum: supremam intellectus partem intellectum actu, qui & agens, & substantialis & essentialis dicitur; quòd essentiales, hoc est in essentia sua formas habeat; nec in eo quid quam existat, quod substantia illius non sit. Hunc cæteros tum promere dum extra progreditur; tum substantialibus suis formis perficere. Phantasiam, sensum, vegetationem, inferiores & secundas vitas censeri. Intellectum porrò agentem & patientem de quibus potissimùm nunc sermo, non nisi vnam reipsa naturam esse, ratione sola diuersam: præterid, quod dictum est, illum ipsum intellectum actu, qui formis omnibus præditus est, dum ad corpus progreditur, infirmari ac potestate effici; exposuit rursum in comment. tex. 14. Vbi docens quomodo intellectus potestate tabellæ non scriptæ similis esse dicatur; quòd inscriptus non sit, sed inscribi aptus ab alio; A seipso quidem, inquit, id aquirit: attamen quasi ab alio, quoniam à suamet & propria recessit substantia. Et vt antea dictum est, ad corpus progrediens imperfectus effectus est. Perficitur autem, vbi conuersus fuit ad substantiales rationes, quæ in ipso manente sunt, perficiuntque portionem illam sui ipsius ad extra prouenientem. Ac rursum in extremo commentario tex. 27. eundem illum intellectum, tum agentis ac veluti artificis, tum patientis & quasi materiæ, vim habere confirmauit; quatenus aut actionem producit,

aut ſuſcipit. Quocirca intellectum poteſtate ſeu materialem non aliter voluit interire, quàm vt paſſiuus eſt: ſimpliciter autem immortalem exiſtere: quia idem eſt cum intellectu agente, atque hic cùm à corpore ſeparatur, in eum ſeſe colligit & cum eo ſeparatur. Tuncque intellectus in ſeipſum ſeſe reuocat: quoniam non ampliùs per inferiores facultates ſecundaſque vitas operatur ac foras ſe porrigit; ſed contrahens ſeſe totus in ſeipſum conuertitur, eſtque tunc demum id ſolum, quod eſt. Nam antea, dum eſſet in corpore foras progrediens, à ſua ſubſtantia & natura quoquo modo receſſerat, à naturæ ſuæ dignitate dimotus.

Hæc ſanè Simplicius. Cum quo Philoponum ac Plutarchum quadam ex parte conſentientes video. Primùm enim non de extrinſeco, ſed de humano intellectu ſermonem eſſe, hi quoque voluerũt. Quippe de anima tractatus eſt: nec erat, cur de extrinſeco vllo ageretur. Deinde non plures, ſed vnũ ac ſimplicem in nobis intellectum poſuerunt; nec ſemper, ſed interdum intelligentem. Eundemque tum agentem dici quatenus operatur; tum patientẽ, quatenus ſuſcipit; tũ actu, quatenus cognoſcẽdis rebus inſtructus eſt; tum poteſtate quatenus ijs caret, exornatiq; ac perfici poteſt. Ita intellectũ poteſtate & actu eundẽ re ac ſubiecto Ariſtoteli fuiſſe ſcripſit Philoponus: diuerſum autem tempore, quòd cùm antea eſſet poteſtate, mox actu factus eſt. Quæque de intellectu actu tradita ſunt, de humano illo intelligenda eſſe, qui à poteſtate fertur in actum. Ac demum intellectum, qui eſt actu, ita rerum typos in intellectu poteſtate deſcribere, vt ex ſe ipſo ſit ſcriptor; idemque qui ſcribit, & cui inſcribuntur typi.

Intellectus agens & patiens idem.

Sed in eo magnopere diſſentit à Simplicio Philopon°, quòd intellectũ actu priorẽ eo, qui eſt poteſtate atq; ab eo, qui habitu dicitur, diuerſũ fecit Simplicius; triplicẽ illũ memorans: primũ actu, qui poſt progrediens infirmetur, & poteſtate fiat; atq; hic eſt alter: moxque in habitum & perfectionem excitetur; & hic tertius nominatur. Philoponus autem tum poſteriorem intellectu poteſtate, tum eundẽ cum eo, quem habitu Simplicius dicit. Duplici nimirum intellectu diſtincto: altero, qui eſt poteſtate: altero, qui è poteſtate ad actum tranſiit.

11. *Quatenus hæc verè tradita ſint. Quæque ſit auctoris ſententia.*

ID, in quo interpretes hi conſentiunt, agentem intellectum extrinſecam ſubſtantiam non eſſe, ſed humanum planè & animæ noſtræ partem; eundemque in nobis tum agentem, tum patientem nominari: equidem arbitror eſſe veriſſimum atque Ariſtoteli conſentanee affirmatum. Alioqui cùm intellectum poteſtate, qui patiens eſt, immaterialem, impermiſtum, inorganicum, impatibilem, ac ſempiternum eſſe antea tradidiſſet; quomodo poſt de agẽte loquens immortalem hunc ſolum & ſempiternum eſſe dicere potuiſſet? Nam ſi duo ſint intellectus diſtincti, ſanè non is ſolus, ſed alter quoque eiuſmodi eſt: ſin autem vnus & idem ſint, is vtique ſolus ex omnibus animæ viribus ac partibus immortalis eſt, atque vt eſt in tex. 21. lib. 2. tum ab illis, tum à corpore, tanquàm perpetuum à mortali ſeparatur. Accedit quòd vt antea patientem intellectum, ita hoc loco agẽtem, impermiſtũ, & impatibilem eſſe ait. Et hic, inquit, intellectus ſeparabilis eſt, & impermiſtus, & impatibilis. Quaſi diceret. Hic demum eſt ille ipſe, qui antea dictus eſt eiuſmodi eſſe. Hãc.n. vim habere videtur rationis illud principium (& hic intellectus. Vnus igitur & idem eſt intellectus. Addit verò, agentẽ hunc ſubſtantia eſſe actu: vt quoniam duas haſce in anima dixerat differentias eſſe oportere, & intellectus patientis differentiam docuerat eſſe δυνάμει; agentis quoque differentiam oſtenderet eſſe ἐνεργείᾳ; hoc eſt patientem dici vt ſuſcipit, agentem vt operatur ac promit intellectionem. Video etiam agentem intellectum ſtatim ſubiungi omnia facere, patientem omnia fieri. At neque ille facit, neque hic fit omnia; niſi vt ille rerum omnium intellectiones & comprehenſiones veluti earum formas producit, hicque eas ſuſcipit: & vterque ſanè intelligendo; ſiquidem alia nulla eſt intellectus functio, quàm intellectio. Verùm intellectio ab vno in alio intellectum non tranſit; ſed in eo ipſo ſuſcipitur, à quo producitur. Idem igitur eſt intellectus, qui intellectionem promens velut intellectæ rei formã agere dicitur; ac eam rurſum ſuſcipiens appellatur patiens.

Ita hæc vtraque differentia ineſt in anima; atque adeò meliori modo, quàm in natura: & intellectus agens eſt vt artifex effingẽdis formis aptiſſimus; diuiniore tamẽ quadã ratione. Nã quæ in cęteris diuiſa ſunt & diſtracta, vnita cernuntur & collecta in anima. Agens & patiens, artifex & materia diſtincta ſunt reipſa, tum in natura, tum in artibus: in anima ratione duntaxat. Verùm de his poſt pluribus in propriis commentariis.

Nunc illud quoque verè fuiſſe pronuntiatum dixero; agentem intellectum non ſemper, ſed interdum intelligere. Eſt enim is cum poteſtate permiſtus, dum cum intellectu patiente, cuius eſſentia poteſtas eſt, idem exiſtit. Atque in nobis ipſis experimur, nos non perennem & continuatam, ſed interruptam ſæpiſſimè intellectionem animaduertere.

Simplicii tamen illud probandum non eſt, intellectum multò ante tẽpore & verò æternitate priorem anima & corpore, tum ab illis participatum fuiſſe. Academicum ideſt, non peripateticum. Quẽadmodum & illud; intellectum noſtrum inſitas habere cognoſcendarum omnium rerum formas; neque ſcientias noſtras diſciplinas eſſe, ſed reminiſcentias. Intellectus enim, ſi pro ſubſtantia ſumatur, ipſamet eſt intelligens anima: ſin pro facultate, poſterior eſt, non prior, quàm anima. Neq; Ariſtoteles vllam ineſſe illi formam voluit; ſed nouas omnes ab ipſomet effingi ac veluti rudi tabellæ inſcribi. Eſſẽtiales autem, qui formas illas dicit, neque ipſas, neque intellectionem ab eſſentia diſtinctas; id intellectui noſtro tribuit, quod ne Angelico quidem ac ſeparato cõuenit; cùm ſolius diuini proprium ſit; vt in ſuperioribus non ſemel fuit adnotatum, atque hoc loco verè Philoponus prodidit. Vt enim intellectus patiens nullas habet ſua natura formas, ſed omnes ſuſcipit; ita nec agens illas habet, ſed effingit omnes. Vterque poteſtas quædam ad formas hic producendas, ille ſuſcipiendas. Ideò alter agens, alter patiens appellatur.

Intellectus agens & patiens, idem & animæ noſtræ partem.

Neque verò ſatis cum hoc alterum illud eiuſdem Simplicij pronunciatum conſtare poteſt; Intellectum, dum ad corpus progreditur, infirmari, formis

formis illis obliteratis, efficique potestate; nec tamen eius substantiam immutari. Nam si formæ sunt essentiales, neque à substantia distinctæ; quî possunt eæ obliterari intellectusque infirmari & effici potestate; quin immutetur substantia atque à natura sua penitus dimoueatur? Si intellectio est ipsa eius substantia; quomodo substantia maneat, & actio non maneat? Hoc enim ipsemet loquitur, qui nihil in nobis ponit, quod semper intelligat; sed intellectum ait aliquando intelligere, aliquando non intelligere.

Denique Aristoteli consentaneum illud non est; Intellectum à ratione diuersum existere, veluti terminum ac formam rationalis animæ. Sed Platonicis magis; qui animam corporis, intellectum animæ, vnitatem, seu deitatem vnam intellectus terminum esse dictitarunt. Aristoteles vnâquamque animam simplicem formã ac naturam posuit, pluribus præditam facultatibus ad agendum comparatis: intellectumque & rationẽ rem eandem in anima nostra esse voluit: nisi quòd intellectus generale quiddam significat, quo superioribus naturis cognata est; ratioque id, quod illius proprium est, ac motu quodam, inquisitione, & progressione ex vno in aliud cõstat. Quare intellectum quidem, seu intelligantem ac rationalẽ animam partem animæ appellauit; ac fortasse etiã terminum, quatenus supremus est ac primus animæ gradus: at intellectum rationalis animæ partem, nec dixit, nec credidit. Nisi partis nomine facultatem & quasi virtutis, non substantiæ, partem intelligas: neque intellectum dicas intelligẽtem animam, sed facultatem eius. Terminum itẽ non dixisset, nisi accidentarium; sicut facultates omnes & accidentia subiectorum suorum comparatione. Substantialis autẽ terminus ratio potiùs intellectus, quàm intellectus rationis diceretur. Siquidem intellectus generalior, ratio specialis magis & solius hominis propria est: dum immateriales substantiæ cæteræ absolutè ac simpliciter intelligunt, sola rationalis anima nostra ratiocinando: vnde tum intelligens, tum rationalis nominatur.

Intellectus & ratio vt differãt.

Quid falso Philoponus.

Iam verò Philoponus magnopere errauit hoc nomine, quòd intellectum habitu, actu & agentẽ, cõfudit; quos Aristoteles distinxit plurimũ: immò & opposuit, velut facientem & factum. Etenim intellectum habitu eum dixit, qui singula factus est; nec operatur, sed operari potest: agentem autẽ eum, qui omnia facit. Hunc actu similem esse voluit, illum operi, patientem materiæ. Intellectumque agentem induxit, qui intellectum imperfectum ac rudem perficeret & exornaret atque à potestate ad habitum traduceret. Si agens igitur intellectus habitũ antecedit, velut efficiens effectum; multò magis prior fuerit intellectus actu, qui ex aquisito habitu operatur. Accedunt illa verba (& hic intellectus substantia actio est) & illa (separatus est id solùm quod est) quæ etsi Philoponus intellectui habitu accõmodare conetur, nimiam tamen illis vim infert, neq; vllo modo aptari possunt, vt post ostendam.

Vnus vt in nobis intellectus.

Interim maneat intellectum potestate dici quamdiu imperfectus est, rudis, aptusque perfici & exornari: agentem, quatenus perficit, rerumq; intellectilium formis productis exornat: patientem, vt eas suscipit, illisque perficitur & exornatur: habitu, vt illis susceptis perfectus iam est & ornatus, promptusque ac sibi sufficiens ad operãdum: actu demum, vt ex aquisito habitu operatur. Sic enim in superioribus quoq; in digressione ad textum primum definitum fuit.

Auerrois ac Latinorum commenta recẽsentur.

HActenus Græcorum interpretum commentationes ac sententiæ, tum commemoratæ, tum declaratæ atque examinatæ fuerunt. Facileque intelligitur, quid de Aristotele agentem & patientem intellectum asserente oporteat credere. Quamque procul abillius mente aberrauerint Auerroës & qui eum sequuti sunt Latini. Is agentem intellectum propterea voluit excogitatum fuisse; non vt quidquam intelligat aut iudicet (nihil enim, inquit ille, intelligit ex ijs, quæ sunt hic, sed omnis cognitio patientis intellectus est. Siquidem cognoscere & intelligere nil aliud est, quàm intellectiles formas suscipere; hæque in patiente, non in agente, intellectu suscipiuntur). Verùm vt obiecta intellectilia formasque intellectiles faciat atque patienti præparet intellectui.

Sic igitur ratiocinatur. Quẽ admodum se habet ad sensilia sẽsus, ita se habet materialis intellectus, quẽ nos patientẽ dicimus, ad intellectilia: ergò & sensus à sensilibus & intellectus ab intellectilibus susceptis patitur; etsi alio atque alio passionis genere; ille corrumpente, hic perficiente duntaxat. Hinc verò duo consequentia sunt. Alterum est; intellectum materialem abstractã neq; cum corpore permistam virtutem esse. Quippe formas omnium suscipit, cunctaque intelligit; vel etiam seipsum, in se conuersus. Alterũ; cùm materiale agere nequeat in immateriale; & ideò nec formæ vt sunt in materia mouere intellectũ possint; sed solùm vt sunt formæ, hoc est abstractæ atque à materia separatæ: neque materialia & sensilia phantasmata sint actu, sed potestate intellectilia: præter materialem intellectum alio agente opus esse, qui obiecta illa de potestate ad actum extrahat, faciatque immaterialia & actu intellectilia, vt materialem intellectum mouere agendo queant. Id autem fit, dum formæ à materia & vniuersæ naturæ à conditionibus singulis, quibus conuestita sunt phantasmata, separantur. Ab eo scilicet intellectu, qui est immaterialis, separatus, & intellectilis actu. Cùm. n. separatione hac & abstractione res eadem de vno in alium ordinem transferatur; quodque potestate erat, fiat actu; & quod erat singulare, fiat vniuersale; ac demum phantasma sensile intellectilis euadat forma; nimirum ab agente aliqua & verò intelligente causa id fieri oportet. Hac sola ratione permotum ait Aristotelem intellectum hunc posuisse, quòd vniuersæ naturæ nullum extra animam habeant esse. Quòd si haberent, vt Plato credidit, nihil illo opus fuisse.

intellectus agentis necessitas.

Iam verò ab intellectu materiali diuersum eum esse, hac vna ratione colligit. Quemadmodum abstractorum intellectuum multitudinẽ non nisi ex actione diuersa cœlorũque varia conuersione cognoscimus; ita intellectuum horum in anima nostra (siquidem per eos agimus quandocumque volumus) distinctio concluditur: quoniam alia est atque alia illorum functio. Agentis quidem abstrahere atque actu intellectilia facere; patientis autẽ ea recipere, cognoscere, & iudicare. Atque vt hic cæteris rebus impermistus & ab eis separatus esse debet, vt omnes suscipiat & intelligat

Intellectum agentẽ à patiẽte diuersũ esse.

sic & ille vt producat omnes intellectiles{que} faciat. Nam Anaxagoras quoque intellectũ similares partes permiscentem impermistum & ab omnibus abstractum posuit.

Intellectus & sensus similitudo.

Hæc si ita se habent; vt in sensu tria prorsus cernuntur, sensus recipiens, sensilis forma in eo recepta, & externum obiectum illã producens: ita & in intellectu fuerint; intellectus materialis, qui recipit; intellectilis forma in eo recepta; & intellectus agens, vt motor eam producens. Quem Aristoteles in superiore quidem cõtextu comparauit arti, quòd opifex sit & architectus formarũ: sed veriùs deinceps similem dicet lumini. Non.n. omni ex parte similis est arti. Quoniam formæ, quæ arte producitur, nulla præerat pars in materia

Intellectus agẽs arti similis & lumini.

intellectus verò agens, si totam intellectilem formã in intellectu materiali procrearet; quid opus esset phantasia & sensu? Nec tamen ad eum mouendum sola sufficit phantasia. Quia inter res vniuersas & singulas, inter intellectum & phantasiam nihil tunc interesset. Ea igitur, quæ initio posita est, intellectus & sensus comparatione atque analogia retenta; ita se habet ad intellectum phantasma, vt sensile ad sensum. Eandemque ob causã, propter quam ad aspiciendum præter colores & aspectum opus est lumine; ad intelligendum item præter phantasma & materialem intellectum, agẽs alter necessarius est, qui in intellectione faciat hoc ipsum, quod in visione lumen. Intellectilem inquam formam, quæ in phantasmate accidentibus pluribus & conditionibus singulis inuoluta delitescebat, educat in lucem actuque faciat perfectam & claram, vt alterum intellectum mouere possit. Quemadmodum lumen obscuros ac tenebrosos colores perficit actuque facit, atque ad aspectum permouendum efficaces. Quare vt à colore simul & lumine aspectus, sic à phantasmate simul atque agente intellectu materialis alter mouetur: phantasmaque & intellectus agens sunt vt mouens; intellectus autem vt motum. Verùm & lumẽ, quod aspectabiles colores efficit, est ipsum quoque aspectabile; immò magis, quàm colores. Et intellectus agens, qui res materiales facit intellectiles, intellectilis est; & magis, quàm cætera, quæ ab ipso fiunt intellectilia.

Intellectus agẽtis & patiẽtis vnio.

Ergò postquàm intellectus materialis intellexerit cætera, eaque recipiendo sibi vniuerit; intellectum item agentem intelliget & velut formã susciet; atq; ita illi vnietur, vt existat intellectus adeptus. In qua demũ vnione materialis intellect⁹ cum agente (quæ sanè non nisi ex multa longaq; contemplatione post aliarum omnium scientiarum adeptionem in extrema senectute contingit) suprema consistit animæ nostræ beatitudo. Ita tum efficientis & motoris, dum perficitur; tum affinis formæ vltimæque perfectionis, postquàm perfectus est; vim concludit intellectum agentem comparatione materialis habere.

Hanc Auerrois fuisse sententiam, ex eius commentariis cognosces 5. 19. 20. & 36. atque ex libro de animæ beatitudine & ex epistola de intellectus abstracti cum homine connexione. Quare sicuti fœlicitatem nostram in coniunctione posuit cum primo principio Deo, cæterisque mentibus separatis; id interiecta vnione cum intellectu agente accipiendum est. Vt materialis intellectus cum intellectilibus primùm materialibus, deinde per hæc cum agente intellectu, atque per hunc demũ cum intellectibus cæteris separatis vniatur.

Auerroëm post Magnus Albertus in cõmentariis hisce de anima, & in summa de homine; sanctusque Thomas tum in hoc loco, tum in 2. libro contra gentes capite 76. 77. 78. & in disputatis quæst. de anima, & prima parte sum: quæst. 79. & cæteri ferè Latini sequuti sunt. Atque agẽtem intellectum substantiã separatam non esse, sed animæ nostræ virtutem & facultatem re à patiente distinctam, argumẽtis permultis conatus est sanctus Thomas demonstrare. Ac præter eam illius functionem, quam in phantasmatibus illuminandis, vniuersisque naturis abstrahẽdis atque intellectilibus actu efficiendis Auerroës posuit; alteram in intellectu patibili collustrãdo Albertus & alii adiũxere: ita vt, tum illis, tum huic, lumen fuerit ab Aristotele nuncupatum. Quemadmodum enim lumen tum colores, tum perlpicuum, in quo colorum species suscipiendæ sunt, illuminat: sic agẽtem intellectum & phantasmata & intellectum patibilem, in quo intellectiles species suscipi debent, illuminare oportet. Tertia demũ functio nonnullis placet, vt simul cũ intellectili specie intellectionem quoque in patiente intellectu producat.

13. *Quàm falsis hæc omnia nitantur principiis.*

Hæc illi profectò docuerunt: iamque in Latinorum scholis tanquã certa atque indubitata passim vsurpantur. Ego ne probabilia quidem iudico: Aristoteli autem ac veteribus peripateticis minimè consentanea. Nec mirum. His enim principiis nituntur. Intellectum nostrum nequaquã res singulas & materiales, sed vniuersas duntaxat atque immateriales cognoscere: naturam vniuersã sola & simplici abstractione fieri: ac demum tum sensuum cognitionem omnem sensilibus, tum intellectus intellectionem intellectilibus formis, quæ cognitionem antecedant, conflare ac totam penè absolui. Quæ omnia mihi quidẽ certè nec vera nec peripateticis recepta videntur.

Etenim res itẽ singulas & materiales intellectu nostrũ percipere, & interna cuiusque experientia & animaduersio testabitur. Neque Themistius modò, Philoponus, Simplicius, atq; Prisciamus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 14. & 15. sed Aristoteles ipse in superioribus eodem voluit intellectu, aliter tamen atque alter se habente, genus rerum vtrumque cognoscit; singulas inquam & materiales, dum cum sensu & phantasia; vniuersas & immateriales, dum per se solus operatur. Quod aduersarii quoque fatetur in commentario tex: 9. coacti sunt. Post verò apertissima ipsiusmet philosophi aderunt verba in tex. 39. & 58. eaque argumẽta omnia, quæ in superiori commentario 83. satis à me diligenter collecta & explicata fuerunt.

Quod autem ad vniuersę naturę abstractionem spectat, magis video inter viros graues disputari. Nam qui naturam vniuersam fieri ab intellectu agente volunt, pluriscque sanè intellectilem ipsam speciem ab eo ex phantasmate à rerum singularum conditionibus abstractam intellectile

tellectile actu, naturamque ipsam vniuersam in eo repræsentatam, inquiunt esse. At Caietanus in commentariis ad primam partem sancti Thomæ vniuersam naturam intellectili specie priorē esse contendit. Cùm enim duplex effectus sit luminis, cum quo à philosopho intellectus agens comparatur: vnus formalis, illuminare: alter obiectiuus, quo res illuminata apparet: ita putat agentis intellectus lumine illustrari phantasma, vt non totum, sed sola rei quiditas & natura singularitate adhuc latente appareat (quemadmodum lucidi corporis lumen colorem pomi, non saporem, apparere facit) hæcque sit vniuersa natura: Tum verò vt ab illuminato colore sensilis species producitur; sic ab illustrato phantasmate, quod iam vniuersa est abstracta natura, simul cum intellectu agente intellectilem produci speciem. Acutè nimirum excogitata sententia; sed Francisco Ferrariensi in comm. ad caput 77. lib. 2. contra gentes minimè probata.

Qui verò non agentis, sed patientis intellectus opus esse contendunt naturam efficere vniuersum; nec dum omnes consentiunt. Nam aliqui prima & absoluta, alii secunda & comparante operatione id fieri contendunt. Sanè ita loquitur Themistius in 1. lib. de anima cap. 4. Genus » aut mera notio est sine euidenti soliditateque ali- » qua; sed ex tenui subobscuraque similitudine singularium collecta; aut quàm penitissimè nihil. Et rursum cùm quæ siuisset, an generū specierūq; nomina solas animi notiones significent, an verò singulis rebus contentas naturas: Videntur, inquit, illa mediis notionibus proxima. Quæ tamen » cùm ex singularium collectione & similitu- » dine reponantur, in singularia & naturas euidentes ac solidas recidunt. Et cap. 18. lib. 3. intellectum ait, qui in paruulis est potestate, progrediēte ætate, ope sensuum & phantasiæ multęque exercitationis, vniuersales notiones agnoscere, dissimilitudinemque in dissimilibus colligere, & idem in differentibus discretisque contemplari. Immò, & Alexander in primo lib. de anima capite de intellectu practico & theoretico, cùm ex hoc & illo colore albo viso intellectum dixisset colorem album vniuersum percipere: eiusmodi, inquit, comprehensio atque ex singu- « lorum sensilium similitudine vniuersæ naturæ » perceptio, intellectio est. Similium enim col- » lectio, intellectus est functio. Eadem tum Boëtio sententia sub finem primi libri in Porphyrium à se translatum, & in categoriam substantiæ: tum etiam Auerroi in commentario 8. libri primi de anima, & comm. 4. lib. 12. Metaph. Quod quemadmodum cum eo consentiat, quod idem ipse commentator tradidit obiectum intellectile actu ab agente intellectu fieri; viderint eius discipuli. Mihi enim propositum non est, singula hoc loco persequi: sed solū ostendere vniuersam naturam non simplici agentis intellectus abstractione constare, sed ex singularum rerum comparatione colligi: earum scilicet similitudine ac dissimilitudine obseruatis.

Quod ex his facilè demonstratur. Primùm non quæuis abstractio vniuersæ naturæ faciendæ accommodata est & opportuna. Non, inquam, ea, quæ formalis dicitur, quòd formam separet à subiecto, aut à cæteris formis, cum quibus ea cōiuncta est; eamque solam accipiat & absque subiecti cæterarumue formarum cognitione cognoscat: vt cùm pomi colorem sine illius substantia aut sapore odoreue cernit aspectus (hoc quippe abstractionis genus sensui quoque commune est) aut intellectus proprietatem, vel differentiam attributumue aliud à subiecto cæterisue adiunctis attributis separat. Sed altera illa, quæ vniuersalis propterea nominatur in scholis, quòd superiorem aliquam naturam ab inferioribus illis, in quibus ea continetur, separet, solitariamque cognoscat. Abstrahere namque à rebus singulis vniuersam naturam nil aliud est, quàm vnum quidpiam commune à pluribus, quæ illud participant, separare. At hoc tum cognoscentis virtutis est opus: tum perfici nequit, nisi cognitis illis & inter se comparatis, quibus illud commune esse animaduertitur. Cognitio hæc & comparatio patientis nimirum intellectus est; non agentis illius, qui non dicam comparare, sed ne cognoscere quidem quidquam putatur. Nam quod eum dicunt non cognitione, sed phantasmatis illuminatione id præstare; lumine scilicet illo à singulis omnibus conditionibus spoliando naturam: verbis quidem dicitur & auditur auribus; sed mēte non concipitur, neq; vlla ratione constat. Si enim phantasma illuminet intellectus agens; cùm naturaliter, non ex electione, operetur; æquè totū & quidquid in eo cōtinetur, illuminat; nec minùs naturam, quàm adiunctas omnes conditiones phantasmate comprehensas. Non igitur separat à conditionibus naturam, eamque solam, sed omnia prorsus æquè actu intellectilia facit. Quippe hoc externum lumen, quod oculis cernimus, cuius; persimilē intellectū agentem esse philosophus voluit, ita illuminat corpora, vt eodem modo colores eorum omnes, non vnum sine alio, illustret aspectabilesque reddat. Si vlla igitur isthæc est phantasmatis illuminatio ab agente intellectu profecta; næ illa ipsa fuerit, quæ luminis est externi. Hoc non separat colores à rebus cæteris, cum quibus illi coniuncti sunt; neque vnum ab alio colorem distinguit: sed illuminat omnes, vt accedens mox aspectus & omnes & singulos separare possit. Ita & agentem dixeris intellectum æquè illuminare omnia, quæ confusè antea continebantur: hocque est ea esse intellectilia. Tum patientem intellectum intelligere singula, vniuersamque naturam à conditionibus singulis, vt libuerit, separare solitariamque, dimissis cæteris, cognoscendam accipere. Nec igitur lumen nec agens intellectus abstrahunt; sed abstractionem antecedunt, resque abstrahendas præparant; tum alterius virtutis abstractio sequitur. Neque patientem intellectum mireris abstrahere, hoc est agere. Etenim ipsi quoque aduersarii fatentur eum intelligere, hoc est agere. Et sensus in 2. lib. patiendi facultas dicebatur; quoniam etsi sentire sit agere, actio tamen est, quæ in ipso agente suscepta passionem adiunctam habet. Idem in intellectu euenit. Propterea q;, inquit, Alexander in 2. lib. de anima capite 19. patiens intellectus dicitur, quòd formarum apprehensiuus est. Pati « namque id videtur, quod recipit atque appre- « hendit. Atque id quidem cùm sensu commu- « ne habet. Quoniam tamen passione potior est actio magisque intellectio in cognitione & iudicio consistit, quàm in adiuncta & consequente

Phantasmatū illuminatio.

Abstractio duplex.

receptione; immò illa huius est causa: iure optimo adiunxit, actione potiùs, quàm passione, definiendum intellectum esse. Verùm hæc omnia magis erunt ex sequentibus manifesta.

Iam enim tertium illud caput examinandum est, in quo tum sensuum, tum intellectus cognitionem sensilibus atque intellectilibus speciebus acceperũt constare. Ac de sensilibus quidem in 2. lib. constitutum est. De intellectilibus iam differendum. Peruulgata in scholis est opinio, imprimi in intellectu nostro patiente ex phantasmatibus ab agente altero intellectu excitatas (propterea quod agentem hunc, illum patientem appellari, quòd alter producat, alter suscipiat) species, tanquàm accidentia spiritalia & intelligendorum obiectorum imagines; quæ tum intellectionem antecedant in intellectu; tum post eam diutissimè conseruentur. Quam ob causam à philosopho dictum fuerit, intelligere esse quoddam pati, intellectum esse locum formarum, animam intelligendo fieri omnia, in eaque non lapidem sed lapidis formam esse, vtramque agentis, & patientis differentiam in anima esse; & si quid est eiusmodi aliud. Nam & obiectũ persimile facultati & cum ea coniunctũ esse oportet; phantasmaq; materiale ac singulare ad mouẽdum immaterialem intellectum minimè aptum est: fiat igitur immateriale & vniuersale necesse est per intellectilẽ speciem.

Quidde intellectilibus speciebus plerique tradant

Sed duo sunt, in quib⁹ opinionis huius auctores non conueniant. Alterum; quòd sanctus Thomas in prima parte sum: quæst. 84. & Aegidius Quodlib. 2. & 3. & Albertus, & alii species hasce in omni cognitione necessarias esse contendant. Alij verò non item. Sed Scotus in primum senten. lib. distinct. 3. quæst. 6. in sola vniuersalis cognitione; singulare autem in phantasmate satis cognosci. Et Gregorius Ariminensis in primum lib. dist. 3. quæst. 2. & in 2. dist. 7. quæst. 3. in cognitione abstractiua, non intuitiua. Alterũ; quod aliqui eas velint obiecti terminantis intellectionem tenere locũ; vt Gregorius & Scotus. Alii cõtrà non obiecti, sed formæ, per quam intellectus ad operãdum atque intelligendum reddatur aptus: & imaginis, per quam intelligatur obiectum, cuius imago est: vt sanctus Thomas. Itaque Gregorio & Scoto, dum intelligit intellectus, phantasmate mouente non indiget; si quidem species ipsa obiectum est. Sancto autẽ Thomæ opus est semper intelligentem aliquod intueri phantasma, à quo obiectum, cuius habet speciem, repræsentante mouatur & excitetur. Nec desunt, qui non aliũ specierum vsum agnoscant, quàm vt intellectum non ad producendam, sed ad recipiendam intellectionem præparent. Ita inter se harum specierũ inuentores ac patroni digladiantur.

Landunus quæst. 11. & 17.

At eas omnino irriserunt, nullumque illarum vsum esse, nullam necessitatem, acriter disputarũt Gulielmus Ochamus in 2. lib. quæst. 16. & Gabriel Biel, & Durãdus dist. 3. lib. 2. & Ioãnes Bacconius dist. 6. & Gandauensis Henricus Quodlib. 4. & 5. & Goffredus quodlib. 9. & posteriores non pauci: qui solam obiecti phantasmatisue præsentiam in intuitiua cognitione, aut habitum comparatũ in abstractiua, satis esse demõstarunt. Ex quo consequens est, intellectilem speciem nil aliud sapiẽti philosopho significare debere, quàm aut phantasma ipsum, vt intellectus lumine collustratũ rẽ intelligendã intellectui refert; aut potiùs intellectionem ipsam, vt est expressa rei intellectæ species, similitudo, & forma ab intellectu producta in eoque suscepta. Hanc enim posteriorem sententiæ partem veterum peripateticorum fuisse video.

Sed aliarum priùs specierum inanitatem ostendamus. In phantasmate namque satis est intellectui præsens obiectum, satis cum eo coniũctum, satisque ab illo ad intelligendum, tum prouocatur intellectus, tum determinatur. Neque cogitandum est obiectum vera & propria in intellectũ actione agere (quæ enim sit vel etiam intellectilis speciei actio?) sed intelligendum, intellectum potiùs velut cognoscentem facultatem in illud vel circa illud operari, dum illud cõprehendit & iudicat. Quòd si agenti intellectui satis præsens sit & coniunctum, vt ab eo illuminetur; aptumque ad illud determinandum ad hanc potiùs, quã illã, excitandam speciem: etsi intellectus immaterialis sit & phantasma immateriale, cur non itẽ intellectui patiẽti sit ad actũ intellectionis promẽdum? Intelligãt aduersarii sub ordinationẽ facultatũ animæ, antecedentẽq; subsequenti obiectũ ministrare; exteriorem sensum sensui communi huncque phantasiæ, ac demum phantasiam intellectui. Quare vt intellectus est naturaliter coordinatus phantasiæ, sit phantasma illius optimè comparatum ad mouendum intellectum; quique hoc neget, coordinationem facultatum harum negabit. Vt.n. sensus cõmunis formatus obiecto mouet phantasiã, ita & hæc phantasmate formata mouet intellectum, & in tex. 10. dicebatur, intellectum sensitiuo iudicare calidum & frigidum, & quorum ratio quædam caro: si enim sine alterius, quã sensitiui, ope iudicium hoc facit, phãtasiam & phantasma necesse est illum immediatè mouere. Deinde non potest species in intellectu imprimi, nisi à materia liberata materialibusque conditionibus spoliata & immaterialis facta: quod aduersarii fatẽtur. At ex tex. 15. & 16. quidquid abiũctum est à materia, est actu intellectile, immò actu intellectum, idemque quod intellectio & intellectus ipse. Nulla igitur ante intellectionem esse in intellectu potest intellectilis species, aut post eam superesse: immò nil aliud est, quàm intellectio ipsa quæ est communis forma, quarum intellectus fit actu intelligens, tum res actu intellecta; hæcque verè in intelligentem transit. Tum verò species hæ aut ex nihilo procreantur, aut ex phantasmatis alteriusue intellectus patientis potestate educuntur. Ex nihilo scitum est à naturali agente nihil fieri. Ex patientis autem intellectus potestate, siue ab agente intellectu solo, siue ab eo simul cum phantasmatibus produci dicantur, produci nequeunt. Tum quia materialia quidem phantasmata in immaterialem intellectum producendo quidquam non posse agere, ipsimet aduersarii fatentur: agentis autem intellectus actio circa phantasmata dicitur occupari. Tum quia productio hæc tota abstractione ac separatione vniuersæ naturæ à singulis & materialib⁹ cõditionibus, quibus in phãtasmate inuoluta tenetur, cõstare creditur. Ex phãtasmate igitur, non ex patientis intellectus potestate species istæ producuntur. Verùm si ex phantasmate educantur, quomodo in patientem intellectũ mittantur? An ex vno in aliud subiectum migrabunt? At qua tandem virtute? phantasmatilne

Nulla esse species intellectiles ostenditur.

tisne, an intellectus agentis? Materiale phantasma in immaterialem intellectum non agit, neque immaterialem speciem producit; sed est velut materia & obiectum, ex quo ab agente intellectu ea producatur; atque vt patiens, non vt agens. Nec intellectus agens vim aliam habere creditur, quàm producendi species, intellectileque actu obiectum efficiendi. Vnicuique autem formæ proprium ac naturale est in eo ipso subiecto suscipi, ex cuius potestate educitur. Præterea multa sunt, quæ absque vlla specie certum est ab intellectu & quidem vniuersè cognosci: quemadmodum ipsiusmet natura, facultates, operationes, habitus, & immaterialia omnia: immò vel hæ ipsę species, de quibus disputatur. Neque igitur, vt absolutè intelligamus, neque vt vniuersas naturas comprehendamus, speciebus opus est. Sed & in phantasia sanè plurima sunt phantasmata intellectui agenti æquè præsentia; vt cum exteriores sensus simul omnes operantur, phantasieque actu suppeditant phantasmata. Neq; fieri posset, vt ex vno potius, quàm ex alio aut ex omnibus simul produceretur intellectilis species: quippe naturaliter, non ex electione, agens omnia sibi præsentia illuminaret; nisi ab aliquo alio ad hoc potius, quàm ad aliud, phantasma determinaretur. At quænam cogitetur determinans causa? Certè vt intellectus agens naturaliter operatur, ita quotiescumque aliquod phantasma adesset, ex eo semper produceret speciem. At quid necesse est quotiescumque Socratis offertur phantasma, hominis illicò aut animalis produci speciem? Verùm singularia quoque materialia cognoscere intellectum nostrum antea demonstratum est, & ex aduersariis non pauci consentiunt. At ea sine specie cognoscuntur. Tum quia hæc abstractione producitur à conditionibus singularibus: atque ideò cogitatur, vt vniuersa natura cognosci atque intellectui repræsentari possit: quomodo igitur singulares conditiones repræsentet? Tũ quia cùm intellectilis omnis species sit immaterialis, inepta est singularis rei materialis cognitioni, neque appendices materiæ repræsentare potest. Quòd si hæc sine specie intelliguntur, non est igitur species intellectioni necessaria: sed tum res singulæ, tum vniuersæ, in phantasmate cognoscuntur; singulæ, vt natura cum adiunctis omnibus conditionibus contracta & conuestita proponitur: vniuersæ autem, vt intellectus distinguit singula, naturamque ab appendicibus separat solitariamque considerat.

Aristoteles. Aristoteles quidem certè intellectum prodidit in tex. 5. nil eorum esse actu, quæ sunt; hoc est nullam eorum habere formam, notionem, aut speciem, antequàm intelligat. Plato namque rerum omnium idealibus notionibus imbutã animam nostram esse docuerat: Aristoteles omnibus vacuam quousque intelligat, intelligendoque perfici atque omnibus exornari. Ex quibus verbis duo prorsus intelligas. Alterum, nullam speciem antecedere intellectionem in intellectu; nullumque alium, quàm intellectionis, actum in eo suscipi. Alterum, intellectiles species philosopho nil aliud, quàm intellectiones ipsas significasse. Eandem sententiam pulchrè exposuit in tex. 14. Nam cùm rursum inculcasset, intellectum potestate quidem esse intellectilia omnia; at nullum eorum actu, antequàm intelligat: tabellæ subiecit exemplum, in qua nihil sit scriptum actu, sed quidlibet inscribi possit. Quòd si intellectiles illæ species intellectionem antecedant actu nimirũ fuerit & velut in scripta tabella, antequàm intelligat: dum ipse non alios caracteres, velut actus & species, quã intellectiones ipsas agnoscit. Rursũ in tex. 30. & 39. post affirmabit, nunquàm nos sine phantasmate intelligere; sed sensile semper aliquod opus esse intueri phantasma. Quibus item verbis duo significat: tum phantasma esse aptum & sufficiens ad mouendum intellectum: tum præter illud nullam speciem aliam necessariam esse. Si enim esset, non phantasma, sed illam, intueretur intellectus. Porrò hunc locum allegans, idem ipse philosophus in libro de mem. & remin. capite primo in sentiente solùm parte memoriam posuit, nullam in intelligente. Quoniã enim phantasma, cuius intuitu intelligimus, primi est sensitiui; memoriam conficit per se primi sensitiui esse, ex accidenti autem intellectiui, quatenus intellectus phantasmatis vsu intelligit. Vt enim phantasia per se sensilium est, ex accidenti intellectilium quoque; sic sentiens memoria sensilia per se, ex accidenti intellectilia refert.

Memoria intelligens.

Themistius. Quemadmodum, inquit Themistius eum locum exponens, qui Socratem videt, hominem item vniuersum intelligit: ita & memoria per se quidem circa phantasiæ versatur imagines, sed ex accidenti notionibus mentis obiecta. Et rursum in libro secundo capite 19. reminiscentiam, quæ dianææ & intellectus functio est, dianææ motum in tali phantasmate esse definit: vt quemadmodum qui librum lecturus est, ad ea se vertit, quæ in eo scripta sunt; sic ad phantasmata quasi per legenda sese mens nostra conuectat. Atqui si præter phantasmata intellectiles illæ darentur species, quæ in intelligente parte conseruarentur; esset nimirum in hac quoque parte intellectilium per se memoria, ab ea quæ est in sensu, distincta. Aristoteles autem ac Themistius non ex phantasmate primùm elici formas, moxque intelligi atque in memoriæ thesauro conseruatas recordationem facere, vt isti loquuntur: sed in ipsomet phantasmate immediatè naturam vniuersam intelligi, eiusdemque inspectione recordari nos voluerunt. Sed cætera persequamur. Idem ipse interpres Themistius libro primo cap. 11. eiusdem operis de mem. & remin. tria duntaxat in sensu, phantasia, & intellectu agnouit: quibus absoluta & integra virtutum harum functio constet: obiectum sensile, imaginabile, intellectile: vim sentiendi, imaginandi, intelligendi, denique actum huius circa illud. Sensilis aut intellectilis speciei, tanquam inter obiectum & facultatem interiectæ, mentio nulla. Quia etiam ab actibus inquit circa sensilia gigni in nobis velut typũ & picturã. Quibus verbis duo declarantur. Alterum; sensilẽ formam nequaquam antecedere, sed comitari potiùs sensionem & subsequi. Alterum; eam ab obiecto non immitti in sensum & imprimi: sed à sensu ipso circa obiectum operante produci & exprimi; nilque aliud, quàm actum ipsum sensionis esse. De phantasmate, deque intellectili specie idem intelligi volunt illudque phantasiæ actionem, hanc intellectus intelle-

Tria ad intelligẽdum necessaria.

ctionem significare. Quam ob causam in huius tertii libri interpretatione cap. 16. in intellectu asserit minùs verè passionem nominari: veriùs dici perfici & absolui, dum è potestate in intellectionis actum transit. Intellectio igitur est intellectilis forma, qua is perficitur, absoluitur, & fit actu. Quod apertis verbis id ipsum exponens in cap. 21. pronunciauit. Non enim, inquit, patitur intellectilia operans, seu actum promens: Græcè namque est ἐργῶν. Et rursum; Non patitur igitur ab intellectilibus, sed ipse illa fit atque in illa transit operando. Quare in cap. quoque 17. ita interpretatus est id, quod animam locum esse formarum philosophus dixit; vt ea translatione voluerit indicari eam quodam modo euadere ac fieri illa ipsa, quæ intelligit. Non in quam de speciebus intellectilibus ex phantasmatibus haustis, sed de rerum cognitionibus, tanquàm rerum cognitarum formis philosophi sententiã intellexit. Addidit in cap. 18. ex crebra repetitaq; hac intellectione habitũ cõparari, quo intellectus sit ipsa intellectilia, sed iacẽtia & depositа: cùm verò actu operatur, tunc cum illis concurrit; & ideò seipsum intelligit, quoniam intellectus nil aliud est, quàm ipsa intellectilia, siue habitu, siue actu spectentur. Quæ sanè dici verè non possunt, si intellectiles species ab intellectione, quæ habitu sit aut actu, diuersæ existant. Tum verò in cap. 19. vnam necessariò esse animæ vim, quæ tum singulas res ipsas compositas, tum earum essentiam vniuersam diudicet: sed illas simul cum phantasia cognoscere: ad hanc autem percipiendam & materiam à contemplatione sua reiciendam ipsum sibi solum sufficientem esse. Vt enim eadem est linea recta & flexa; sic idem est intellectus, qui tum res materiales & concretas, tum formam & speciem vniuersam comprehendit. Hunc autem intellectum non agentem, sed patientem esse constat: deque hoc est Themistio sermo. Denique in cap. 22. de intellectu potestate loquens, eum inquit entia materialia potestate intellectilia, detracta materia facere actu intellectilia. Itaque cùm intellectum Aristoteles formarum locum appellauit atq; in anima dixit non lapidem, sed lapidis formam inesse; intellectilem formã significauit, non ab intellectili obiecto in intellectu impressam; sed intellectionem ipsam aut actu aut habitu, velut intellecti obiecti formam & similitudinem ab intellectu circa obiectum in phantasmate repræsentatum expressam.

Alexander.

Itaque cæteri quoque peripatetici tradiderunt. Nam Alexander in priore libro de anima cap. de intellectu practico & theoretico, formã vniuersam, quam aduersarii speciem intellectilẽ esse autumant, nil esse aliud, quàm intellectionẽ dicit. Eiusmodi comprehensio, inquit, atque ex singulorum sensilium similitudine vniuersæ naturę perceptio, intellectio est. Similium enim collatio intellectus est functio. Et statim quomodo intellectus sit formarum locus, qualesque suscipiat formas, comparatione facta cum sensu ita interpretatur. Intellectio, inquit, formarum circa materiam susceptio est. Et rursum; Cùm ante intellectionem nil sit actu; vbi quid intelligit, id, quod intelligitur, fit. Siquidem intellectio illi adest, quod intellectæ rei speciem habet. Quòd si intellectilis species diuersa esset ab intellectione, tum susciperet eam intellectus, nec tamen intelligeret; tum per illam esset actu quidpiam, ante quàm intelligeret. Idem in cap. de intellectu, qui vt habitus dicitur, idem esse tradidit vniuersalem apprehensionem, & formas à materia separari. Qui enim speciem quampiam, inquit, absque materia suscipit, is procul dubio habere videtur id, quod commune & vniuersale est. Vbi enim speciem hominis abdicatis materiæ appendicibus excipimus, nihil aliud, quàm communem hominem intuemur. Atqui apprehendere & intueri vniuersalia nonne intellectio est, patientisque intellectus actio? Eiusdem igitur erit intellectili speciei cõditiones detrahere singulas, eamq; facere vniuersam. Addit; Et is, qui in singularibus vniuersale perspicit, speciem sine materia recipit; quod dũ crebro fit, intellectus ille in nobis gignetur, qui habitu nuncupatur. Hoc ita est, intellectilis profectò species nil aliud, quã intellectio & vniuersalis comprehensio fuerit, eiusdemque perfectio habitus. Rursum in cap. de intellectu secundùm actum; Intellectus in habitu nil aliud esse videtur, quàm depositæ illæ, coaceruatæ, & quiescentes considerationes. Sigitur nil aliud conseruatur in intellectu, aut nullas Alexander intellectiles species agnouit; aut nil aliud eas, quàm intellectiones, esse iudicauit. Ac rursum: Intellectus habitu est, qui intelligere se atque intellectilium rerum species per se recipere potest: Nimirum intellectionis actum promere. Alioqui species, quas isti iactitant, antecedere intellectionem dicuntur; habereque iam eas intellectus, non recipere posset. De intellectu autẽ actu ita loquutus est: Intellectus actu nil aliud est, quàm intellecta species; at neque est actu, nisi per intellectionẽ; neque intellecta species aliud, quàm intellectio. Tum verò in cap. de intellectu & re intellectili: Rerum ait compositarum id quod est esse & earum formas intellectus intellectilia efficit, ea disiungens ab iis, quibuscum habent esse. Deque intellectu materiali & patiente sine dubio est sermo: tum quia nondum de agente dicere aggressus est, sed in materiali adhuc versatur: tum quia paulò post addit, immaterialem speciem esse intellectũ, huncq; esse id quod actu intelligitur. Id autem quod fit illud ipsum quod actu à nobis intelligitur, patiens intellectus est. Abstrahere igitur vniuersale resque materiales efficere intellectiles actu, quod Auerroes & Latini agentis intellectus munus esse inquiunt, patienti tribuit Alexander; idque sola ipsius cognitione atque intellectione cõstare voluit. Cùm autem subiunxit; Intelligens intellectus intellectione eius, quod intelligit, id quod intelligit, fit: ac tandem in extremo capite; Quapropter eiusmodi species cũ intelligitur, quoq; ipsa intellecta est; non autem citra intellectionem id euenit: mirum eandem sententiam confirmauit, intellectumque putauit actu per intellectionem seu intellectilem speciem fieri; hæcque duo reciprocari tantundemque valere; intellectam speciem & intellectionem. Ac demum tum in cap. de intellectu agente, tum in altero, quòd anima est quodam modo res omnes; intellectionẽ definiuit nil esse aliud, quàm speciei perceptionẽ & intellectæ reique intellectæ percepta specie similitudinem.

In posteriori autem lib. cap. 15. de intellectu habitu; Intellectus habitu est, qui formas intellectilium

» ctilium suavi concipere potest & apprehendere: » velut artifex qui habitum tenet & per le agere » potest. Et rursum, intellectus formam intelle- » ctilis rei apprehẽdens & à materia seiungens, tum » ipsam formam actu intellectilem facit, tum etiã » ipse actu fit. Et cap. de intellectu actiuo; formæ » inquit, rerum tunc actu fiunt intellectiles & in- » tellectus, cùm intelliguntur. Intellectus enim formam rei apprehendens eamque à materia se- iungens, tum ipsam actu intellectilem facit, tum etiam ipse actu fit. At intellectus, qui intelligit & apprehendit, est intellectus patiens, non agens: non ab hoc igitur, sed ab illo fit vniuersale & in- tellectile actu eiusque intellectio, vt apprehen- sio, est intellectilis forma. Et de intellectu agen- te loquens eum ait velut suapte natura intelle- ctilem formam efficere, vt intellectus materialis & patiens per relationem ad eiusmodi formam separet, imitetur, & intelligat, singulasque ma- teriales formas ac seipsum intellectilem reddat. Quid clariùs dici poterat ad Auerrois & Latinorũ sententiam destruendam? Omnino enim separa- re seu abstrahere opus esse vult intellectus pa- tientis. Sed neque illud magis obscurum, quod est in cap. 18. eundem intellectum, qui sensilia percipit, ea sibi reddere actu intellectilia. Qui enim intellectus sensilia percipit, est is, qui pa- tiens dicitur. Idem igitur ipse est, qui actu intel- lectilia facit. At is, quidquid facit, intelligendo facit. intellectilium igitur formarum procreatio nil aliud fuerit, quàm intellectio. Tum verò il- lustris maximè sententia est in cap. 19. vbi intelle- ctum ostendens non pati, hoc ait eum à sensu dif- ferre, quòd nequaquam ab alio patiatur, quem- admodum sensus à sensili & ideò illius apprehen- sio per passionẽ fit: sed actiuus solùm est νοητικὸς γὰρ ἄν τῶν πολλῶν, ἁμὰ ᾧ πολλὰ ἵνα ἄυτα νοῆσι γένηται, » hoc est Intellectiuus enim plurimarum rerum » cùm sit, simul etiam agens, vt eas intelligat, fit. Propterea que solum appellari patientem subiun- git, quòd formarum apprehensiuus sit, easque ipsas, quas efficit, suscipiat item formas. Hoc » igitur, inquit, cum sensu commune est, vt for- » marum susceptiuus sit, sed illud proprium, vt earũ » formarum quas suscipit, actiuus sit. Simul autem eas per abstractionem intellectiles facit & susci- pit. Addit, ab intelligente intellectilia fieri esse- que actu talia, cùm intelliguntur. Patientem au- tem intellectum formas suscipere consentiunt omnes: ille igitur ipse earumdem opifex est & ar- chitectus, quippe qui solus intelligens est, neque intellectile actu ab alio, quàm ab intelligente, fieri potest. Hæc Alexander.

Priscianus. Priscianus autem Lydus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 5. Tum eandem in- tellectus & sensus differentiam exposuit; quòd sensus ab obiecto moueatur, intellectus seipsum » perficiat, quantũ expergiscitur; & ideò alio mo- » do, quàm sensus, patitur: immò potiùs agit, quã » patiatur; quia per actionem suam perfectiones » accipit. Neque extrinsecùs suscipit, quæ intelli- » git. Neque intellectilia ab intellectu separata » sunt; sed vna quædam ambobus est actio. Et in » sensu quidem passio instrumento contingit; in- » tellectus autem ex seipso agit; atque ab intelligẽ- » dis rebus perfectionem non passione accipit, sed » actione, si modò dicendus est accipere & non po- tiùs ex se producere. Et cap. 7. Theophrastum as- serentem adducit, intellectum in agendo res om- nes euadere (in agendo, inquit, non in patiendo aliundeque suspiciendo) atque cùm nihil intelli- git, res non esse. Eumque addit non ab externis formari, sed à seipso incipere, & quæ sunt cognos- cenda producere, resque ipsas inuenire, quatenus seipsum ingreditur atque cognoscibiliter agendo cognoscibilia hæc secundùm sequentem & pro- ducentem ab essentia actionem efficit. Hæc enim sunt ipsius verba. Et cap. 8. cùm in anima dicitur potestate esse, aut actu; de actione id intelligen- dum esse. Si igitur intellectus potestate dicitur ad intellectiles formas, potestate dicitur ad intelle- ctiones; formæque intellectiles nil aliud, quàm patiẽtis intellectus intellectiones, sunt. Et cap. 13. ipsum potentia intellectum species ratione sque immateriales sibi insitas contemplantem, secun- dùm has ipsas excogitare species, tum à materia segregatas, tum materiæ distinctas. Ac demum in cap. 17. & 18. in intellectu intellectiliter acci- piendum esse, tum potestate esse, tum actu res ip- sas. Intellectumque qui potestate dicitur, etsi ab intellectu primo pendeat, non tamen tanquàm aliunde mobilem neque tanquàm ab alio perfici, sed seipsum perficere ad illũ primum respiciendo.

Simplicius. De Simplicio, Philopono, & Plutarcho, qui agentem intellectum & patientem vnum & eã- dem reipsa intellectũ esse voluerunt, minor mul- tò, immò nulla dubitatio esse potest. Hinc enim Simplicius præsertim in com. tex. 7. intellectus receptionem ait esse immutabilem; quòd non ali- unde, sed per propriam actionem receptio in ipso fiat. Atque his tandem verbis commentarium concludit; ex propria pura actione recipit; neque patitur, sed agens diuersa pati dicitur, Idẽ in cõm. tex. 9. & deinceps sæpiùs. Et in extremapenè expositione tex. 16. habet hæc verba. Materialia ipsa intelligens (Intellectus scilicet patiens) circa ipsa quidem agit; non tamen in ipsa aliquid facit, neque aliquid ab ipsis patitur; sed iuxta causas, quæ in se sunt illorum perceptrices, cognoscitiuã illorũ promit actionẽ. Nihil igitur à phãtasmate, neque ab intellectu agente, accipit intellectus pa- tiens. Quoniam vt habet in com. tex. 19. intelle- ctiles formæ sunt ipsius intellectus intellectiones.

Auerroës. Denique ipsemet aduersariorum dux & ante- signanus Auerroës in disputatione 3. aduersus Algazalem respons. 28. apud peripateticos ait hoc esse principium; Rem vnamquamque dupli- cem habere formam, vnam simplicem extra ani- mam, alteram intellectilem in mente nostra: quemadmodum lapis tum formam habet sensilẽ, qua lapis est; tum intellectilem, quæ nil aliud est, quàm comprehensio & intellectio lapidis. Et in lib. de animæ beatitudine cap. 3. hoc intellectum distinguit à sensu, quòd sensus est passio cum per- mutatione, in organo scilicet facta: at quod reci- pit intellectus ab intellectili, est solùm receptio apprehensionis, quæ est idem, quod ipse. Dilu- dioribus verbis non potuisset aduersarius senten- tiam tueri nostram.

Intellectilis species quid. Quæ omnia diligentiùs à me collecta fuerunt & accuratiùs explicata, vt intelligeret quinis, quænam hac de re veterum fuerit paripateticorũ opinio, quidque nos (modò in illorum castris ve- linus consistere) opinari oporteat. Intellectiles namque species eo modo, quo nunc plerique lo- quuntur, nunquàm illis in mentem venerunt: sed

intellectilem ſpeciem & intellectionem rem eandem eſſe voluerunt; intellectionemque appellari vt ab intellectu proficiſcitur illiuſque actionem ſignificat; intellectilem autem ſpeciem vt perfecta quædã eſt intellectæ rei ſimilitudo, actu illam exprimens & repræſentans. Speciem inquã, tum expreſſam, tum impreſſam: expreſſam, vt ab intellectu promitur; impreſſam, vt in illo ſuſcipitur. Verùm expreſſam à ſolo intellectu; impreſſam, tum ab eo ipſo vt efficiente cauſa, tũ à phantaſmate vt obiecto: quippe obiectum mouens eſt phantaſma: propterea que inteliigentem oportet intueri phantaſma. Ita & intellectus cum intellectili obiecto coniungitur, formam illius ſuſcipiẽs; & intelligere pati quoddam eſt, quia intellectus intellectionem promens, illam ipſam ſuſcipit. Et intellectus eſt eiuſmodi formarum locus, dum omnes in eo ſuſcipiuntur: & is intelligendo fit omnia, quia omnia in ſe transfert, idemq; cum intellectis rebus euadit: & in anima non eſt lapis, ſed lapidis forma, quæ lapis eſt intellectus animoque comprehenſus: ac demum in anima tum agens, tum patiens intellectus nominantur; non tamen re, ſed ratione diſtincti; quatenus enim idẽ intellectus producit & ſuſcipit intellectionem, & agens dicitur & patiens.

Intellectus agens

Itaque cùm intellectum poſuiſſet philoſophus in eo conuenire cum ſenſu, quòd is poteſtate ſit ad intellectilia, vt ad ſenſilia ſenſus; atque intelligendo patiatur, quemadmodum ſentiendo ſenſus: diſcrepare autem in eo, quòd cùm intelligat omnia, non certum aliquod entis genus vt ſenſus; cum nullo permiſtus ſit, & ideò impatibilis ab externis obiectis. Tandem eum voluit cum ſenſu quidẽ atq; adeò cũ reliquis omnibus conuenire, vt agentis vtramque & patientis differẽtiam admittat: ſed hoc præſtare cæteris, quòd in ſeipſo vtramque vnitam habeat; neque perficiatur ab alio, ſed à ſeipſo; idemque ipſemet, & agẽtis & patientis vim habeat. Non enim paſſiuus
» eſt intellectus natura ſua, inquit Alexander in 2.
» lib. de anima cap. 19. vt ab alio fiat & patiatur,
» quemadmodum ſenſus: ſed actiuus eſt. Niſi fortaſſe paſſiuum dicere velis, quatenus formarum apprehenſiuus eſt. Pati namque videtur id, quod recipit atque apprehendit. Quapropter commune cum ſenſu habet, vt actiuus ſit earum formarum, quas excipit. Atque hoc eſt illud in tex. 17. (neceſſe eſt has in anima differentias exiſtere) cùm enim non ab alio perfici queat intellectus, à ſeipſo perficiatur neceſſe eſt, idemque ipſe & agẽtis & patientis vim habeat.

Intellectus habitus quid.

Porrò crebra operatione ſæpiuſque repetita intellectione atque intellectilium huiuſmodi formarum productione & ſuſceptione aquiritur ille intellectus habitu, qui vt in cæteris, ita in hoc tũ firmam & radicatam qualitatem ſignificat, tum aptitudinem ac facilitatem ad operandum eaſdẽque res intelligendum; qua poteſt, vbi libuerit, ad phantaſiam ſeſe conuertere atque in illius phãtaſmatum inſpectione ſæpiùs exercitatus intellectilem ſtatim ſpeciem, hoc eſt intellectionem, promere atque in contemplatione verſari: quod antea, cùm rudis & inexcitatus eſſet, omnino ſine labore diuturnoreque conſideratione non poterat. Nam & intellectus habitu poteſtate eſſe ad intelligendum dicitur in tex. 8. at non eodẽ modo, quo antequàm addiſceret aut inueniret. Semper enim poteſtate eſt ad intelligendum: ſed antea remotior poteſtas eſt, & quæ non ſine labore ad actum reducatur; poſt propinquior, facilis, & expedita euadit. Hoc nomine d fiert magnopere ſenſus ab intellectu. Quoniam ſenſus à natura eſt poteſtate propinqua & abſque adiutore vllo aut labore & exercitatione ſentire poteſt ſenſiliumq; ſpecies recipere: quam ob cauſam in tex. 59. lib. 2. dicebatur eſſe, vt is, qui ſcientiæ habitum habeat. Intellectus autem non item; ſed labore & exercitatione facilitatem illam comparare ſibi debet.

Verùm ad agentem intellectum reuertamur totamque hanc diſputationem aliquãdo concludamus. Nam ſi ea eſt, quam expoſui, eius naturæ, nullo negotio grauis illa alioqui lis componitur, quæ de illius muneribus atque officiis inter eos eſt, qui ſecus ſentiunt. Etenim ſanctus Thomas alii que plerique vim illius in eo agnoſcunt, vt agat in phantaſmata, eaque illuminet & actu intellectilia faciat. Alii in intellectum potiùs patiẽtẽ vt in eo intelligendi actum producat, eumque perficiat. Alii demum in vtrumque: quæ Auerrois videtur fuiſſe ſententia. Interdum enim eum agere dixit in intellectum patibilem, vt eum ad actum perducat: interdum in phantaſmata, vt ea de gradu in gradum transferat, hoc eſt cùm eſſent materialia & poteſtate intellectilia, immaterialia efficiat actuque intellectilia. Vnicum ego illius munus agnoſco in eo, ex quo nomen accepit. Agens namque dicitur propterea, quòd agat. Intellectus autem actio eſt intellectio. Nam dum omnino illum intelligere negant aduerſarii, pugnantia loqui videntur, intellectum non intelligentẽ aſſerentes. eſſet. n. vt in ſuperioribus licet aliud agens, inquiebat Philoponus, νοῦς καὶ ἀνόν, mens & amens, intellectus & non intellectus, ſeu intellectus expers intellect°. Itaque intellectus agẽs dicitur, quòd intellectionem promat, intelligendique principium ſit & agens cauſa. Quemadmodum & intellectus patiens & materialis nominatur, quòd eam velut ſubiectum & materia ſuſcipiat. Hæc verò agentis actio tum phantaſmata comprehendit vt obiectum, circa quod intelligendum verſatur: tum patientem intellectum vt ſubiectum, in quo ea ſuſcipitur. Propterea tum *Intellectus agens.* arti comparatur in tex. 18. tum lumini in tex. 18. Vt ars, patientem intellectum perficit, velut materiam: Vt lumen, phantaſmata actu intellectilia, & *Intellectus agens.* immò & intellecta facit; ſicut lumen colores actu viſiles, immò & viſos.

Quocirca quod quæritur, an intellectus agens intelligat, ita explicandũ eſt. Intelligit ſane eſt cienter; at non formaliter. Intelligit inquam, vt intellectio actionem intellectus ſignificat: hanc ſiquidem ipſe producit: mirumque omnino ſit, ſi ſenſus agendi & producendi ſentionẽ circa propoſitum obiectum vim habeat, intellectus non habeat. Non intelligit autem, vt obiecti cognitionem ac comprehẽſionem velut cogniti & cõprehenſi obiecti formam in cognoſcente ſuſceptam & paſſionem quandam indicat: quippe hæc patientis intellectus eſt propria. Et hæc quidem duos hoſce intellectus ratione ſeparãtes dicimus. Alioqui cùm vnus & idem re ſit, & producens, & ſuſcipiens intellectionem; is ſanè intelligere ſuſcipiens eſt; non vt agens eſt, ſed vt idem ipſe ſuſcendus eſt; non vt agens eſt, ſed vt idem ipſe ſuſcipiens & patiens. Qui verò aduerſus hæc obiciunt,

ciunt, non posse idē esse agens & patiens; meminerint intellectū seipsum suasque actiones intelligere: aliasque complures in natura actiones esse, quæ immanentes dicantur, quòd in eo ipso suscipiantur, à quo promuntur. Et ea demum perlegant, quę in 2. lib. hac de re disputata fuere.

Vnum & multiplex intellectus.

Vnus igitur in hominibus singulis intellect⁹ inest; qui & potestate dicitur, antequā intelligat: & actu, cùm intelligit: & habitu, postquā multiplici ac sæpius repetita intellectione promptitudinem ac facilitatem intelligēdi sibi cōparauit. Idem & theoreticus, si in sola rerum cognitione versetur; & practicus, si cognitionem ad operationem referat; tum actiuus ad actiones volūtatis; tū effectiuus, ad actiones externas. Idem & agens vt intellectionem promit; & patiens, vt eam suscipit.

TEXTVS.

Καὶ ἔστι ὁ μὲν τοιοῦτος νοῦς, τῷ πάντα γίνεσθαι· ὁ δέ, τῷ πάντα ποιεῖν, ὡς ἕξις τις, οἷον τὸ φῶς· τρόπον γὰρ τινα καὶ τὸ φῶς ποιεῖ τὰ δυνάμει ὄντα χρώματα ἐνεργείᾳ χρώματα.

Text. 18. *Et est quidem alter talis intellectus, quòd omnia fiat; alter autem, quòd omnia faciat: velut habitus quidam seu lumen. Quodam etenim modo & lumen colores potestate existentes facit actu colores.*

COMMENTARIVS XCVI.

OBscuram agentis intellectus naturam atque operationem acuratè omnino & arte summa explicauit nobis philosophus. Principio namque in superiori contextu à prima orsus quæstione, quæ de re quauis proponi potest, eum demonstrauit esse in nobis: quòd aliquid esse oporteat, quod intellectum alterum imperfectum & impolitum perficiat & expoliat, tabellam rudem inscribat, & id, quod potestate est, ad actum perducat: idque in nobis ipsis tāquam animæ nostræ virtutem; quippe intelligere in nobis est, quando volumus. Deinceps naturam & operationem illius persequitur. Et quoniam intellectum hunc esse demonstrauit ex altero intellectu patiente, ex eodem pergit explicationē eius facere.

Intellectus agens & patiens.

Paucis igitur verbis omnia hæc absoluit. Primùm duplicem intellectum distinguit: quod ex superiori demonstratione colligitur. Vnum potestate, qui omnia fiat: alterum actu, qui omnia faciat. Et ideò illum patientem, hunc agentem: quòd non absolutè, sed in intellectilium genere affirmatur. Vt enim intellectus prior potestate est vt fiat omnia, non simpliciter, sed in intellectilium genere, hoc est vt intellectilium exornetur formis; velut tabella rudis, in qua scribi quidlibet possit: ita hic posterior in eodem genere facere omnia dicitur, hoc est intellectilium omnium formis exornare illum & perficere, velut egregius scriptor, cognitiones omnium rerum, tum materialium, & immaterialium; tum singularum, & vniuersarum; velut caracteres promens & insculpens. Propterea in superiori oratione perinde hunc intellectum se ad illum habere dixit, vt se habet ars ad materiam.

Intellectus passibilis non est pura potestas.

Intellectus enim patiens, qui potestate dicitur, est vt materia; & agens, vt artifex materiam illam exornans. Verùm vt artis materia potestas mera non est, sed actu quidpiam, vt æs aut lignum; potestate autem ad omnem illius artis formam: sic intellectus patiens mera potestas non est, quemadmodum Alexander credidit; sed actu facultas & virtus animæ; potestate autem ad omnē in intellectilium genere formam. Hanc ob causam opinor ego philosophū non absolutè cum vniuersa, sed cum certi generis & artis materia patientem intellectum; & agentem item non cum agente vniuersè, sed cum certi generis agente aut artifice comparasse: vt non absolutā, sed generis certi potestatem & actionem ostenderet. Est enim intellectus agens, inquit Themistius, cap. 25. ceu architectus quidam fabricatorque notionum. Quapropter ferè videtur proximus imitatione Deo. Nam & Deus quodammodo ipse est & ad quendā modum creator & opifex rerum, in genere scilicet intellectilium. Et Philoponus omnia, inquit, facere dicitur intellectus, qui est actu; quod omnium typos describat in intellectu, qui est potestate. Quare & eum Plato stylo, quo scribitur, assimilat: & Aristoteles in seipso scriptorem ipsum supponit. Nam cùm intellectum, qui est potestate, velut scriptoriam tabellam esse posuisset, nimirum agentem alterum velut scriptorē adiecit.

Intellectus agens vt habitus

Cæterum summam quoque philosophi breuitatem miraberis. Alter, inquit, est intellectus, quòd omnia fiat: alter, quòd omnia faciat. Non solùm n. duplicem intellectum distinxit, patientem & agentem; alterum, vt materiā; alterum, vt artificem: sed etiam tum distinctionis, tum appellationis rationem exposuit; quòd alter omnia fiat, alter omnia faciat. Deinde priore dimisso, cuius naturam satis in superioribus explicasset, posteriorem persequitur: vimque illius duplici exemplo declarat, eum inquiens velut habitum esse & lumen. Quæ non satis distinxit Philoponus, vtrumque pro eodem accipiens: vt cùm agentem intellectum dixisset esse velut habitum, adiecerit lumen tanquam exemplum; vt, qualis habitus sit, ostenderet: esse inquiens habitum, quemadmodum lumen. Cæteri distinxerunt. Sed Themistius habitum visus est in cap. 21. intellectum habitu seu aquisitoris scientiarum habitus intelligere. Sic enim habet: Hic priorem illum, intellectus scilicet agēs patientem, quasi adorsus amplexusque, primùm quasi educit in lucem è tenebris, & in actu constituit (quò artificis & materiæ exemplum pertinere videtur. Deinde habitum in eo quendam afformat, quo vniuersales rerum notiones & scientiæ collocantur. Nam vt nec rude saxum neque impolitum æs, illud domus formam, hoc statuæ accipere potest, nisi ars materias illas fingat, & formam artificiosam imponat, atque ita demum consistat domus & statua: ita intellectus potestate ab altero intellectu perfici oportet, qui præparationē illam ad intelligendū ad instar artis excitet excolatque, & habitum ac scientiam rerum absoluat. Lumen autem in cap. 24. vim illam & actionem, qua idem hic intellectus, cùm intellectum potestate agitat, non solùm illi actum ministrat; sed & res, quæ potestate intellectiles sunt, facit intellectiles actu. Quæ interprætatio propterea minùs probanda est, quòd de intellectu habitu, seu de intellectus habitibus nūc sermo non est; sed de agente intellectu, qui habitum omnem antecedit. Neque habitus aut intellectus habitu in agente, sed in patiente intellectu, considerantur. Neque demum hic intellectus, qui habitu dicitur est agens, sed factum; neque vt ars, sed vt artis opus.

Simplicius verò artis exemplum ad intellectum

sepratum & in se manentem refert; habitus autem & artis ad eum, qui ad corpus & secundas inferiorum facultatum vitas progreditur. Ars enim à materia tractanda in artificis mente residet separata; habitus & lumen in habentibus habitum illuminatisque corporibus sunt, & cum illis complicantur. Sed quoniam idem est intellectus & in se manens & progrediens, & quodammodo separatus & cõplicatus; idem & arti & habitui ac lumini similis esse affirmatur. Magis tamen lumini, quàm habitui: quòd habitus nullo modo separari possit; at lumen actus est, qui ita illuminato corpori adest, vt ab eo separetur. Quam ob causam factum sit, vt cùm habitum & lumen philosophus nominasset, habitu prætermisso, luminis exemplum explicauerit. De hac opinione Simplicii de intellectu manente & progrediente, in superioribus dictum est. Iam quod habitum & lumen distinguat, & velut exempla diuersa accipiat; id sane probandum est: sed quomodo vtrumque dicatur, superest explicandum.

Intellectus agens vt habitus

Tribus autem modis explicari potest. Primùm; vt habitus artem significet, quam paulò ante nominauerat: nuncque artis nomen in habitum mutatum sit, quòd ars habitus quidam sit. Quæ expositio consentanea maximè videtur. Cùm enim in omni genere aliquid esse dixisset, vt materiam & potestatem ad omnia, quæ ad illud genus pertinẽt; aliud autem vt causam & efficiens, quod omnia illa faciat, vt ars ad subiectam sibi materiam: illud ipsum cõtraxit ad animam, atque in ea intellectum quendã agnouit vt materiã & potestatẽ qui omnia fiat; & alterũ, vt habitum & artẽ, qui omnia faciat. Ita tum ex arte, tũ ex natura; tũ ex intellectu, tum ex sensu, exempla protulit. Ex arte & intellectu habitum, qui in intellectu residet: ex natura & sensibus lumen. Estque Aristoteli familiare, tum ex artibus naturalia, tum ex sensu intellectum & ex sensilibus intellectilia declarare.

Altera expositio fuit Alberti; habitum propriè nominari pro qualitate in intellectu firmiter hærente: intellectumque agentem velut habitum esse; quoniam per eum agit ani na quando vult, neque alio forinsecùs mouente aut operante indiget. Quippe habitus in illo, qui eum habet, agendi principium est.

Tertia expositio fuerit, habitum non dici tanquã exemplum, sed tanquam attributum: vt sit sensus, intellectus agens est habitus, velut lumen: habitũque perfectionem significare. Hic enim intellectus omnia facit velut habitus & perfectio; tum prioris intellectus, qui velut imperfectus omnia fit; tum phantasmatum, quæ actu intellectilia facit. Imperfectioni enim perfectio, & potestati actus seu habitus passim opponitur. Intellectus autem agens est perfectio; non vt forma, sed vt agens, quemadmodum nomen ipsum significat; dum phantasmata distinguit & intellectionem ceu intellectilem formam formalemque perfectionem in patiente intellectu producit.

Intellectus agens vt lumen.

Hoc luminis exemplum illustrabit. Vt enim lumen colores illuminando, qui potestate aspectabiles erant, actu aspectabiles facit; estque causa, vt ab aspectu cernantur: sic agens intellectus phantasmata intuens, quæ potestate intellectilia sunt, actu intellectilia facit; estque causa, vt à patiente intellectu comprehendantur. Non absolutè dixit lumen colores producere (nam in 2. lib. disputatũ est, eos in tenebris quoque colores existere) sed quodam modo, hoc est vt aspectabiles sunt. In tenebris namque colores quidem sunt; sed potestate aspectabiles, non actu; actu autem aspectabiles fiunt accedente lumine. Neque hinc Simplicius colligat, eodem modo in patiente intellectu inesse naturarum omnium notiones ac formas, sed obscuras & incognitas; conspicuas autẽ & cognoscibiles ab agente intellectu fieri. Academicum est hoc, non peripateticum. Iam enim princeps noster patientẽ intellectum impermistum esse, ac formis omnibus vacuum posuit. In eoque potiùs præsentium verborum similitudo versatur; vt quemadmodum colores aduentum luminis antecedunt, obscuri & potestate solum aspectabiles; ita in phantasmatibus naturæ rerum ac notiones inuolutæ & potestate intellectiles contineantur. Neque enim, si obscuri illi colores non in sensu, sed in coloratis corporibus insunt; æquum est, vt à nobis Simplicius rerũ notiones non in phantasmatibus, sed in intellectu antecedentes postulet.

Propterea vt verè adnotauit Auerroës (qui alioqui minùs fidelem habens textum in primis lapsus est verbis; dum triplicem hic intellectum agnouit, materialẽ, agentem, & qui est habitus artis & luminis exemplis duo agentium genera significantur: agensque intellectus lumini magis, quàm arti similis est: & ideò post nominatam artem lumini exemplum adiunctum est. Ars namque in materiam omnino priuatam inducit formas: lumen antecedentẽ tenebras habet formam, obscuram: eamque claram, distinctam, & perspicuam facit. Et intellectus agens rerũ naturas iam in phantasmatibus habet, sed inuolutas detegit, actuque intellectiles efficit.

Lumen magis quàm ars simile.

Intellectus agens non est Deus.

Quo argumento Alexandrum quoque agentem intellectum Deum esse asserentem vrget Philoponus. Deus enim rerum omnium naturas absolutè producit; intellectus non producit, sed intellectiles facit: & ideò Deus Soli, non lumini; intellectus agens lumini, non Soli, similis. Porro in his tum ex arte, tum maximè ex sensu intellectus naturam philosophus docuit.

TEXTVS.

Καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς τῇ οὐσίᾳ ἐνεργείᾳ· ἀεὶ γὰρ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης.

Et hic intellectus separabilis, & impermistus, & tangens impatibilis, substantia existens actu. Semper enim honorabilius agens patiente, & principium materia.

COMMENTARIVS XCVII.

Siue nunc agentem intellectum dixeris cum patiente comparari; docerique, quid cum illo habeat commune, quid proprium: siue qualis ille intellectus sit, quæue illius proprietates & attributa: perinde fuerit. Quatuor enim proprietates exponit, tres cum intellectu patiente communes, & quartam solius agentis proprium. Patientem in superioribus docuit impatibilẽ esse, impermistum, & separabilem; eadem nunc de agente affirmat. Sed

Intellectum agentē impatibilem esse, impermistum, & separabilem.

Sed aliam patientis naturam dicebat non esse, nisi hanc, quòd potens sit: agentis autem substantiam nunc asserit esse actum. Quod ex superiori demonstratione consequens erat. Nam si patiendi principium potestas est, agendi actus; sanè patientis intellectus substantia potestas fuerit, agentis actus. Sed propria nūc adfertur probatio. Semper enim, inquit, honorabilius agens patiente & principium materia. Quæ etsi ad tres tantùm priores conditiones demonstrandas referatur à plerisque; arbitror tamen eam nō temerè fuisse à philosopho non statim illis appositam, sed post quartam quoque adiunctam: nimirum vt omnes comprehenderet: consueto scilicet vtens compendio. Sed si ea, quæ intellectui patienti communia sunt, spectentur; argumentum continet à minori ad maius: intellectus patiens impatibilis est, impermistus, & separabilis; multò igitur magis eiusmodi fuerit intellectus agēs, qui melioris, ac diuinioris est conditionis. Quippe agere est potius, quàm pati, & actus potestate melior; atque intellectus hic alterum perficit & de potestate ad actum traducit, & velut artifex materiam perpolit & exornat. Itaque etsi vtrique intellectui communia hæc sint, agenti tamen excellentiori atque honorabiliori conueniunt modo.

Intellectum agētem esse substantia actum.

Sin autem consideretur id, quod agentis intellectus dicitur esse proprium; hæc erit simplex & absoluta argumentatio. Intellectus patiens est potestate, agens igitur est actu: quippe honorabilius est agens patiente, potiorque potestate actus. Aut si mauis; Actus melior est potestate, agensque honorabilius patiente; sed patiēs est potestate; agens igitur actu.

Addit (& principium materia) principium Philoponus interpretatur formam, quæ melior est materia. Sed satius est actiuum principium intelligere: quippe & de agente intellectu est sermo; & artis ac luminis, quæ vt agentia sunt, antea fuit mentio; & agens intellectus comparatione patientis, vim agentis habet, non materiæ. Potuisset hæc quoque adferri probatio. Patiens est potestate, fitque actu ab agente; sed quod facit aliud esse actu, ipsum quoque necesse est esse actu; agens igitur est actu. Verùm hanc probationem philosophus breuitati studens non explicauit; contentus eam se satis insinuasse; tum in hac ipsa, quam nunc attulit; tum in superiori, qua patientem intellectum dixit fieri actu & fieri omnia ab hoc agente.

Philoponus autem in separabili dixit impermistum & impatibile contineri. Quod enim est separabile, impermistum est & impatibile. Quam ob causam fortasse credideris primo loco separabile nominatum, quasi cætera inde cōsequerentur. Sed cùm antea de patiente intellectu hæc eadem affirmasset, non eum seruauit ordinem: sed impatibile primùm nominauit, deinde impermistum & separabile. Cuius diuersitatis causa fuit; quòd cùm principiò accepisset, intelligere esse quoddam pati; ne in primo errares disputationis ingressu, intellectum intelligens vere ac propriè pati; debuit illicò admonere impatibilem eum esse, deinde impatibilitatis causam docere; quoniam impermistus est; tum demum ex his consequens erat, separabilem eum esse. Iam verò de agente intellectu disserens, à separabili principium fecit: quoniam eum dixerat, velut efficientem causam esse, & vt artificem & lumen: quæ omnia separabilia sunt, immò & separata; efficiens causa & artifex à materia, quam tractat; & lumen à coloribus, quos aspectabiles facit. Propterea separabilem statim intellectum quoque esse subiunxit: & cum ab vltimo prioris ordinis incæpisset, impermistum deinde & impatibile addens, eodem ordine ad primum peruenit. Consequuntur autem sese vicissim hæc attributa; nec minùs impermistum & impatibile separabili continentur, quàm quolibet horum vno reliqua duo contineantur. Si tamen prioris ac posterioris ordo quispiam ponendus sit; primum omnium est impermistum, deinde impatibile, tum separabile.

Intellectū agētem D eū non esse.

Quoniam enim cum materia & cæteris rebus impermistus est, est etiā impatibilis: & quia nō patitur, immortalis est & separabilis. At vbi separabilem intellectum hunc dicit, quemadmodum & patientem dixerat; non minùs illum, quàm hunc, animæ virtutem esse ostendit. Si enim Deus aut omninò separata substantia foret; non separabilem, sed separatum dixisset.

Intellectū agēs substantia vt actus, seu actio

Quod verò idem interpres habet, intellectum agentem substantia operari, eiusque substantiam non esse aliud ab illius operatione; cautè omnino accipiendum est. Verissimè namque ipsemet aduersus Alexandrum in superiori commentario argumentabatur, id solius Dei proprium esse. Atque in cæteris omnibus substantia, virtus, & actio distinguūtur. Sic igitur ipse interpretatur; intellectū substantia agere, quòd vt sciēs agat, scientiaq; sciētis substantia sit. (substantia verò nunc essentiam significat. Sed duobus modis peccat. Primùm, quòd de intellectu habitu interpretatur id, quod de agente à philosopho vniuersè dictum est. Deinde minùs fideliter accipit verba philosophi. Non enim is intellectum dixit substantia agere; sed τῇ οὐσίᾳ ὂν ἐνεργείᾳ, substantia existens actu. Aut si non ἐνεργείᾳ, sed ἐνέργεια, non actu, sed actus legatur; tantundem fuerit. Intellectum inquam agentem substantia esse actu, aut actum; quia patientis potestatem perficere atque actu facere debet: hocque à patiente distinguitur, qui substantia est potestate; nec actu, nisi per intellectilem speciem: is verò actu seipso; quia non est potestate ad suscipiendum quidquam, sed solùm ad agendum. Quò si quis ἐνέργειαν non actum primum, sed actionem significare contendat; substantiam eius interpretabimur actionem esse, hoc est actione constitui, sicut patiens passione constituitur; atque actione eum ab hoc altero distingui. Respondebuntque hæc verba superioribus illis, quibus alterum horum intellectuum posse dixit omnia fieri, alterum omnia facere. Sic enim distinguentur, vt in altero consideretur passio, in altero actio; tanquam differentiæ hos duos intellectus distinguentes. Duos inquam, siue re, siue ratione distinctos: siquidem etsi ratione sola separentur, idem ipse intellectus, vt agit, agens; vt patitur, patiens appellabitur; illiusque essentia vt ab altero distinguitur, actio fuerit; alterius passio.

Verùm Simplicius de intellectu manente & progrediente permulta hoc loco disserit, vt quomodo intellectus partim separatus, partim separabilis, & impermistus item & impartibilis sit, ostendat: quæ, quòd peripatetica non sint, libenter prætermitto.

TEXTVS.

Τὸ αὐτὸ δ' ἐστὶν ἡ κατ' ἐνέργειαν ἐπιστήμη τῷ πράγματι.

Idem autem est scientia in actu & res.

COMMENTARIVS XCVIII.

DVobus modis hîc interpretes video dissentire. Altero, quorsum hæc verba pertineant. Altero, quæ sit illorum sententia. Etenim sanctus Thomas non ampliùs de agente intellectu, sed de eo, qui est actu, putauit differi: tresque illius conditiones commemorari; quòd scientia actu, & res scita idem sint; quod scientia potestate in eodem homine scientiam actu antecedat; quòd non aliquando intelligat, & aliquando non intelligat. Cæteri verò de agente adhuc disputari voluerunt.

Certè si intellectum actu propriè nominemus, vt in superioribus demonstratum est; eumque significet, qui post comparatum habitum operatur; commemoratæ conditiones non solùm intellectui actu conueniunt; qui post habitum operatur; sed illi quoque qui ante habitum: quem mea quidem sententia agentem, vt actionis principium est, appellari posse iam docui. Atque ita Philoponus aliique ferè Græci intellectum actu eum nominant; quoniam eum substãtia esse actu philosophus prodidit. Sed Philoponus interiectum quidpiam & quasi præter inchoatum sermonem propositis verbis contineri credidit. Cùm tamen ad distinguendum agentem intellectum à patiente (quod facere aggressus fuerat, cùm substantia esse actu dixit) magnopere spectet, vel reliquorum omnium iudicio. Alterum igitur est hoc discrimen; quod ita intellexit Themistius in cap. 25. suæ expositionis: Vt intellectus agens & intellectus sit & intellectilis, quemadmodũ idem est scientia actu cum eo, quod scitur. Alia tamen atque alia ratione: & quatenus ipsemet est agẽs, intellectus dicatur; quatenus verò patientem intellectum, qui potestate est, amplectitur, intellectilis sit. At philosophi verbis vim infert; alioqui transit, quàm ipsa significent: & intellectus agens non solùm vt patientem amplectitur, verùm etiam per se consideratus, vt agens est, intellectilis est, quoniam est actu; actusque est ratio, vt quidpiam intellectile sit. Immò intellectus patiens, quòd est potestate, potestate item, non actu, intellectilis esse iudicatur; actu autem, cùm fuerit ab intellectu agente singula factus. Cùm igitur intellectus agens à patiente distinctus fuerit, quòd ille sit substantia actu, hic potestate; alterum inde discrimen deducitur. Quia enim alter est actu, alter potestate; consequens est, alterum esse idem cum re intellecta, alterum ab intellecta re diuersum: quippe materiam & formam, potestatem & actum, diuersa esse oportet. Intellectus agens dicitur, quatenus intellectionis actum promit; patiens, quatenus eum suscipit: intellectio & res actu intellecta, scientia & res actu scita, idem sunt: intellectus igitur agens & res actu intellecta idem sunt;

Intellectus agẽs & res intellecta, idẽ.

A intellectus patiens non item. Cum intellectu item agente idem est res actu intellecta; quoniam hæc actu in eo est. Non item cum patiente; quoniam in hoc actu non est res intellectilis, cùm sit potestate; potest esse.

Sanè hoc totum ex vi & natura cognitionis peti videtur. Cuius clarior notio adferri non potest, nec *Cognitionis natura.* aliam vnquam exposuere philosophi; quàm eam *Forma.* esse rei cognitæ assimilationem cum cognoscente; *Cognoscens quo pacto cognoscat.* seu operationem, qua obiectum imprimitur facultati atque in eam transformatur. Obiectum namque cognitum necesse est in cognoscente suscipi si cognoscere pati quoddam est ab obiecto, vt in
B 2. lib. positum est. Suscipitur autem, non vt est in se, sed immateriali quodam modo & absque vlla mole, per ipsum cognitionis actum; qui vt est immanens, ita vim habet vniendi sibi atque in se transformandi obiectum cognitum. Quare anima cognoscendo fit omnia modo quodam à materia magis elauato, quàm ipsa sint in se. Estque necesse, vt id, quod cognoscit atque huiusmodi actu vnit sibi & in se transformat omnia, habeat esse quodam modo immateriale: & si rem cognitam traducturum est ad esse penitus immateriale, hoc est ad esse non quouis modo cognitum, sed etiam ad esse intellectum; oportet id, quod intelligit, omni-
C no esse immateriale. Quam ob causam immaterialitas principium esse dicitur & ratio intelligendi; solaque immaterialia intelligunt, Deus, Angelus, humana anima; & quidquid est immateriale, est item intelligens & contrà. Diximus hac de re pluribus in digressione post commentarium 92. cùm ibidem etiam scientiam & id quod scitur, dixisset philosophus esse idem. Et nunc rursùm (idem autem est scientia in actu & res. Scientiam enim dicit intellectus cognitionem quamcumque: hacque voce, vt Simplicius admonet, intellectum significat, quem substantia dixerat esse actu.

At quod eum addit agentem intellectum vo-
D luisse ab intellectu separato atque à sensu distinguere; ab altero quidem, dum agentem intellectum scientiam dicit; quasi non solum intellectus sit, sed etiam ratio; quippe scientia cognitio rationalis est: ab altero autem; scientiam inquiens esse idem cum re scibili: nam in sensu forma diuersa est à sensili. Quare philosophum nostrum Platonis interpretem præstantissimum dicit. Etenim Plato cognoscentium facultatum hunc ordinem posuit. Primò intellectũ supra rationem, neque ex vno in aliud transeuntem. Secundò humanã rationẽ cum transitu intelligentem. Tertiò opinionẽ, hoc est sensilium secundùm rationem cognitionẽ.
E Postremò sensum, trationalem eorumdem comprehensionem. Aristoteles autem intellectum nostrũ cum ratione cognoscentem visus est quasi mediũ inter intellectum absolutum & sensum ponere. Hoc inquam minimè probandum est: neque credendum, eiusmodi quidquam philosophum cogitasse; aut Platonis, cui perpetuò aduersatur, interpretem nunc egisse. Suam potiùs ipse de agente intellectu sententiam explicauit. Neque verum videtur id, quod dictum est; in sensu formam à sensili diuersam esse. Eodem enim ferè modo, quo in intellectu, cognitio idem est cum re cognita, sensio cum re sensu percepta. Quippe ratio ex vi & natura cognitionis petitur.

Cognoscens quo pacto cognoscat.

Sensum & sensilia idem esse.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ἡ δὲ κατὰ δύναμιν, χρόνῳ πρότερον ἐν τῷ ἑνὶ. ὅλως δέ, οὐ χρόνῳ ἀλλ' οὐχ ὅτε μὲν νοεῖ, ὅτε δὲ οὐ νοεῖ.

Text. 20. *Quæ autem secundum potestatem, tempore prior in vno omnino verò nec tempore. Sed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit.*

COMMENTARIVS XCIX.

QVæ fuerit horum verborum interpretatio S. Thomæ, dictum est in superiori commentario. Verior erit Græcisque consentanea magis, si in agentis intellectus cum patiente comparatione persistamus. Hoc enim additur; patientem intellectum, quippe qui potestate sit, tempore priorem esse, agentem posteriorem. Ille namque in pueris statim natis inest impolitus & imperfectus; hic post expolitior ac perfectior accedit: ille veluti rudis tabella, hic tanquam scriptor: ille vt materia, hic vt artifex: ille demum vt potestas, hic vt actus. Et omnino, vt cum Themistio loquar, omnis habilitas præparatioque prior tempore, quàm actus, cõtingit. Nec enim quidquam omnium est, quod possit primordio sui perfici; sed superinchoatio quædam & rudimentum præmittitur, antequàm finis & absolutio, ceu fastigium rebus accedat. Omnia, quæ sunt, quæque aguntur accerrimè, leuioribus principijs natura prætexuit; semperque quod minoris est, eodem in genere priorem ortum habet, quàm quod pluris.

Intellectus vter prior, agens an patiens.

Cap. 26.

Cap. 36.

Quemadmodum autem scientiam actus agentem intellectum dixerat, ita nunc scientiam potestate intellectum patientem nominat: quòd ille substantia actu sit, hic potestate. Hinc non leue argumentum sumes, agentem intellectum philosopho eum fuisse, quem antea definiuimus: eundem inquam cum patiente, sed quatenus operatur atque intellectionem promit. Propterea namque & substantia eum actu esse dixit, & ab actione scientiam illum appellauit, & patiente posteriorem nũc esse affirmat. Quæ minimè verè & accommodatè dicerentur, si separata quæpiam substantia foret. Antecederet is nimirum patientem intellectum nostrum; velut separata substantia eum, qui cum ortu nostro principium haberet.

Agens intellectus quid.

Nec sine causa potestatis & actus mentio: sed vt causa item significaretur, cur alter altero prior sit aut posterior. Namque in vno & eodem potestas actum antecedit. Propterea etiam adiecit (in vno. Vel enim fortasse vnum & eundem esse agentem & patientem intellectum significauit, qui potestate primùm sit, deinde actu. Vel vnum & eundem hominem dixit, qui rudis primùm est & scientiarum capax, tum actu illis excolitur: alioqui in 9. Metaph. lib. tex. 13. actum priorem potestate esse posuit, ratione, substantia, & tempore, non in eodem numero, sed specie. Itaque cùm addit (omnino verò nec tempore) illud (omnino) speciem vniuersam significabit: vel vt ait Philoponus, in vniuerso mundo: vel vt Themistius & Auerroës, simpliciter. Eritque philosophi sententia, scientiã seu intellectum potestate priorem esse scientia actu agente & intellectu, si in vno & eodem homine considerentur; at si in tota humana specie, non item; quia si potestate est in vno, actu antea fuit in alio, à quo alter ille, qui potestate est, excolitur atque ad actum traducitur. Ita hæc duo philosophi loca cõstabunt optimè, alterque alterius interpretatio fuerit.

Philoponus tamen aliam non contemnendam posteriorum horum verborum interpretationem significat: qua non dicatur in vniuersa specie priorem esse actum; sed in individuo quidem potestatẽ esse priorem, in specie autem (quoniam Aristotelis opinione mundus est æternus) neque potestatem priorem esse actu, neque actum potestate; sed simul vtrumque. Atque hoc esse illud (omnino verò nec tempore) quo non prioritas actus asseratur, nec potestatis negetur prioritas.

At Alexander, vt est apud Auerroëm, cùm agentem intellectum primam esse causam posuisset, intellectumq; patientẽ velut præparationẽ ad agentem illum recipiendum; interpretatus est priorem esse comparatione singulorum hominum, quibus aduenit intellectus agens: omnino verò, hoc est simpliciter & absolutè & per se consideratum intellectum agentem esse priorem. Quæ tota interpretatio ex falsa de agente intellectu opinione profecta est.

Simplicius autẽ potestatem tempore priorẽ esse actu, in iis tantũ, quæ oriũtur & occidũt, concedit esse verum. Omnis namque ortus ex imperfecto ad perfectius tendit, imperfectumque tẽpore prius est. Propterea adiectum putat (in vno) hoc est in generabilibus. At in perpetuis, quæ aliquando intelligunt, & aliquando non intelligunt, neutrum altero priorem esse; cùm semper alternatim sibi succedant. Itaque in composito quidem homine corruptibile priorem actu potestatem esse, at in incorruptibili anima non item. hoc enim Simplicio significat illud (omnino autem, hoc est in anima seorsim considerata) sed illi solùm conuenit, vt aliquando intelligat, & aliquando non intelligat. Sic enim ipse affirmando legit hæc verba. Verùm meminisse Simplicius poterat; posse ab ipso esse in perpetuis nihil differre, vt est in tex. 32. lib. 3. Phys. neque in illis admittit philosophus potestatem actu carentem; aut ea esse interdum potestate, interdum actu; interdum operari, interdum non operari. Deinde cùm scientiam actu agentem intellectum significare voluerit; vbi philosophus eam dixit idem esse cum re; scientiam potestate intellectum patientem interpretari debuisset; dumque intelligendi actum interpretatur; omonymiæ vitiũ philosopho in breuissima oratione inurit. Nimirum propterea interpretationem mutauit, quòd si patientem intellectum fuisset interpretatus, exponere non poterat, quomodo is agente intellectu prior tempore sit; cùm patientem ab agente promi; dum corpori iungitur, antea posuisset Simplicius.

TEXTVS.

Ἀλλ' οὐχ ὅτε μὲν νοεῖ, ὅτε δὲ οὐ νοεῖ.

Sed non aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit.

COMMENTARIVS C.

SI hæc verba cum Simplicio legeres affirmando (aliquando quidem intelligit, aliquando autem non intelligit) nullam difficultatem haberent. At cùm cæteri omnes negando legant, omnino existit maxima. Et plerique sanè de agente intellectu interpretantur: quem qui separatam substantiam faciunt, semper intelligere inquiunt, si per se consideretur quia separatus est & semper actu; etsi cesset interdum, quatenus intellectui nostro, qui potestate est, iungitur. Præsertim verò Alexander, qui primum intellectum fecit; cuius actio est eius essentia, penitusque immutabilis. Cęterùm vt nunc non disputem, intellectũ agentem separatam substantiam nõ esse (de hoc enim antea definitum est) certè de separatis intellectibus eorumque operatione non erat, cur hoc loco diceretur; neque ad animæ cognitionem, immò nec ad naturalem philosophum pertinet. Sed eatenus solùm de intellectu dicendum erat, quatenus operatur in nobis: quam operationem intermitti sæpiùs ipsimet fatentur.

Qui verò intellectùm agentem animæ virtutem à patiẽte diuersam esse dixerũt, multò magis hærebunt: quippe is tantũ abest, vt semper intelligat; vt intelligat nũquam, sed species dũtaxat intellectiles producat, phantasmataque potestate intellectilia actu efficiat intellectilia, & vniuersas abstrahat naturas. Intellectio autem alterius est patientis intellectus, qui speciebus susceptis vniuersalia comprehendit. Sic enim illi philosophantur. Qui si intelligere interpretentur abstrahere atque obiecta actu intellectilia facere; parùm sapiens interpretatio fuerit. Tum quia intellectio non obiecti productionem, sed illius comprehensionem significat: & intelligere antea definitum est pati quoddam esse & susciperе; non agere aut rem intelligendam producere. Tum quia si ita esset, philosophi sententiã assequerẽtur minimè: quoniam nõ semper abstrahit intellectus, sed magnam temporis partem, tum in somno, tum in vigilia cessat.

Quam ob causam Auerroës (etsi aliam prætendat) de patiẽte intellectu maluit interpretari; eumque post Albertus sequutus est. Propterea enim aduersus Alexandrum & Themistium de patiente, non de agente interpretandũ esse contendit; quòd cùm de patiente loqueretur philosophus, vbi dixit (quæ autem secundùm potestatem, prior in vno) nulla agentis mentione facta, subiungit quasi de eodem intellectu loquens, non aliquando intelligere & aliquando non intelligere. Etenim cùm vnus Auerrois sententia sit in hominibus omnibus intellectus, etsi in vno non intelligat, intelligit tamen in alio; atque ita semper intelligit. Hæc enim verba immediatè subiunguntur post illa (omnino verò nec tempore) quibus de patiente intellectu, non in indiuiduo, sed in vniuersa specie considerato loquebatur. Propterea de illo ipso eodem modo accepto intelligendum est eum semper intelligere; nõ in vno indiuiduo, sed in tota specie. Eodẽmque modo agentem intellectum addit semper abstrahere, si absolutè & in specie tota spectetur.

Verùm falsissima est Auerrois opinio illa de intellectus vnitate, vt in superioribus demonstrauimus. Quod autem ad hæc philosophi verba pertinet; vbi agentis & patientis intellectus differentiam is exponit, similitudinem & conuenientiam interpretatur Auerroës: nempe alterum semper abstrahere, alterum semper intelligere. Deinde antecedentibus verbis, quibus patientem in indiuiduo, non in specie, tempore priorem esse agente dictum est; an non de agente quoque fuit sermo? Non igitur erat, cur vereretur Auerroës consequentia quoque de illo interpretari. Sed nimirùm, cùm agentem intellectum abstrahere crederet, nõ intelligere: verba, quæ de intellectione erant, ad patientem alterum atque intelligentem detorsit. Alioqui si intellectionis vocem tollas, aut in abstractionem mutes; illud ipsum fatebitur de agente intellectu dici.

Ego igitur de agente intellectu sermonem esse aio; verborumque sententiam ex antecedentibus colligendam esse: nam hæc illorum explicationem continent. Cùm enim intellectum, qui est potestate, tempore priorẽ in vno esse dixisset: at nõ omnino, hoc est simpliciter & in tota specie: priorẽ vidit sentẽtiæ partẽ nulla explicatione maiore, probationeue indigere: satis fuisse potestatẽ nominare, quoniam hac voce cõtinebatur probatio; quippe potestas in eodem indiuiduo prior est actu: posteriorem autem obscuram esse, rationeque aliqua confirmandam. Propterea his verbis eam explicat & confirmat. Vtriusque siquidem vim habet aduersatiua particula (sed. Eiusmodi igitur explicatio est & confirmatio. Intellectus qui est potestate, in vno indiuiduo prior est agente; quia ille potestate est, hic actu operatur, & potestatem perficit. At in tota specie non item, sed contrà potiùs: quia ille aliquando intelligit & aliquando non intelligit; hic intelligit semper. Quare si in vno indiuiduo prior est potestas, quàm actus; potestatem tamen illam antecedit in alio indiuiduo actus. At non hoc nunc agit, vt actum probet priorem esse potestate in tota specie, sed solùm ostendere vult posteriorem non esse. Hoc enim dixit (omnino verò nec tempore) scilicet prior potestas est. Hæc est verissima & apertissima horum verborum sententia. In 9. autem Metaphy. lib. priorem quoque tempore actum esse demonstrauit.

TEXTVS.

Χωριστὸν δ', ὅτι μόνον τοῦτ' ὅπερ ἐστί, καὶ οὗτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀίδιον.

Separatus verò est solum hoc, quod est. Et hoc solum immortale & æternum.

COMMENTARIVS CI.

DE agente intellectu iam non amplius sermonem esse credidit S. Thomas; sed vniuersè de tota intelligẽte parte; eamq; solã ex omnibus animæ partibus immortalem & sempiternam esse affirmari: quemadmodum & in tex. 21. lib. 2. hoc solum animæ genus ab aliis dixerat separari, tanquã perpetuum à mortali. Eadem penè Philopono

sententia.

sentētia. Nisi quòd nō de intelligēte anima, sed de intellectu interpretetur priora illa verba (separatus verò est solùm hoc quod est) interiectaque & quasi per parenthesim interposita esse putet. Atque post illa (separatus verò) distinctione adhibita ita interpretetur; vt quando intellectus, qui nunc est materialis, fuerit separatus, tunc futurus sit id quod est, hoc est propriè intellectus: qui enim est potestate, intellectus propriè non est. Quæ verò sequuntur (& hoc solum immortale & æternum) non de intellectu agente accipit, sed de intellectu vniuersè, vt est pars animæ ab irrationali distincta. Irrationalis namque & vegetans immortalis quidem est, quia etsi corrumpatur, non corrumpitur tamen vt anima est, sed vt in corpore est: quamobrem Plato animam omnem immortalem dixit: at æterna non est. Contrà matèria æterna est, non immortalis. Solus intellectus & immortalis est & æternus.

Cæterùm ego nec irrationalem animam immortalem dixerim, nec intellectum æternum, sed sempiternum. Nam antea Aristoteli quoque habuisse principium, sed non habiturum finem demonstraui. Materiam sinè is philosophus æternam fecit, quòd mundum æternum crederet. Sed & quod priora illa verba, quasi per parenthesim interiecta fuisse putauerit Philoponus, minùs probandum est: cùm præter institutum non sint, optimeque cum antecedentibus & consequentibus cohæreant. Enimuerò propterea Auerroës duplicem attulit interpretationem. Prima non separationem à corpore intellexit, sed abstractionem ab hoc & illo indiuiduo homine, atque vniuersam & in tota specie considerationem; vt paulò ante dicebatur; intellectum, qui potestate existit, in vno homine priorem agente esse, at non in tota specie acceptum. Atque hoc modo abstractum atque in tota specie consideratum, esse id quod est & immortalem dixit; non indiuiduorum comparatione. Altera materialem intellectum significari voluit, quatenus per agentem perficitur & cum eo copulatur.

Themistius item ad antecedentium explicationem retulit, quibus agentem intellectum fuerat dictum non aliquando intelligere & aliquando non intelligere. Nam cùm sæpè in nobis ab intelligendo cessare videatur, id ex coniunctione cum intellectu potestate significat euenire. Alioqui si separatim accipiatur, & sola eius natura spectetur, quæ nil aliud est, quàm purus & sincerus actus; infatigabilis, immortalis, æternus, semper intelligens & semper intellectus à se est. Neque is intelligendo ex vno genere in aliud transit, neque componit aut diuidit, neque ratiocinatione vtitur; sed compressione quadam cuncta complectitur.

Denique Simplicius quoque, sed alio quodammodo respexit. Etenim si in composito homine potestas est prius; vt affirmauit Aristoteles intellectum, qui est potestate, priorem in vno esse; intellectus tamen hic animarius separabilis est. Neque enim ille est ipsius animæ, sed anima illius. Quippe in seipso manens absque vlla declinatione ad animam sibi eam inserit & connectit. Anima nostra est, quæ ad secundas vitas declinat, cumque illis complicatur. Cumque separatur quodam modo corrumpitur; non tamen transitu ad non ens, sed collectione ad melius ens: colligit namque se ad intellectum manentem, qui hoc solum est, quod verè est. Tuncque & ipsa manentem vitam vitit, & est hoc solum quod est. Adhuc tamen à semper separato differt: quoniam hic absolutus semper est, neque secundis vitis aut corporibus coniungi potest; animarius verò intellectus, etsi fuerit separatus, potest tamen separatus non esse. Itaque tertiā hanc velut differentiam esse inter intellectum animarium & intellectum separatum, quòd hic semper sit separatus, ille non semper. Ait enim illum, vbi separatur à corpore, id solū esse quod est. Propterea solum agentem intellectum separatum subijcit, immortalem, & æternū esse: animarium verò aut patientem, tum mortalem, tum immortalem; mortalem, vt cum corpore & secundis vitis est cōplicatus; immortalem, vt ad agentem intellectum se colligit. Quam Simplicij de intellectu sententiā illustrabit academicum illud, rationalem animam dūplicem habere statum; optimum quidem à corpore solutam, deteriorem autē in corpore. Quippe corpori coniuncta labem contrahit; & vt habet Proclus in Alcibiadem primum, similis euadit hominibus pestilentem habitantibus regionem; à corpore autem soluta libera est & munda, persimilis illis, qui prata incolunt. Cùm enim (inquit Synesius in lib. de somniis) in propriam generositatem se recipit, veritatis est penus: pura namque est, perlucida ac prorsus immaculata, cùm verò delabitur, obtenebratur erraticaque euadit & mendax. Et illud, Hominem non esse corpus & animam, sed animam solam, corpus verò animæ vehiculum & instrumentum. Et Themistius cap. 27. aliud esse ratiocinatur ipsam rem, aliud essentiam rei: nosque esse quidem id quod ex potestate & actu, ex corpore & anima constituitur; essentiam tamen nostram solum actum esse, solum intellectum. Sic enim & Aristoteles hoc loco videbitur affirmare rationalē animam coniunctam corpori non esse id quod est, sed ab eo solutam: quasi consortio corporis labefactetur, fiatque deterior. Nam & materialia & sensilia ferè intelligit, ad immaterialia & intellectilia vix erigit se se, aut certè non nisi per sensus & phantasmate semper aliquo inuoluta cōprehendit.

Quid igitur in tanta interpretum dissentione dicendum? Primùm vocem illam (separatus) cùm sit generis masculini, arbitror non posse nisi cum intellectu coniungi χωριστὸς νοῦς; separatus intellectus. Deinde referenda est ad eum intellectum, quem in proximè superiori tex. 19. separabilem esse dixerat, impermistum, & impatibilem. Is autem agens intellectus nimirùm est. Tum verò post illa verba (separatus verò) adhibeatur distinctio; atque hæc erit germana sententia. Vbi intellectus hic fuerit separatus, tunc demum erit solum hoc quod est, perfectam inquam, absolutum, & sinceram, tum intellectus, tum agentis naturam habebit. Interim verò, dū est in corpore, intellectus sanè est & agēs: verùm vt est cum corpore sensibusque corporeis & potestate complicatus, ita nec intellectus, nec agentis integram & sinceram naturam obtinet. Quippe interdum intelligit & interdum non intelligit; interdum est actu, interdum potestate; interdum agens, interdum patiens. At separatus; intelliget semper & actu operabitur à corporis mole sensuumque ac phantasiæ impedimento liber. Et omnino quidquid in eo labis est

& imperfectionis, corporis nexu contrahitur; deponetur autem, vbi à corpore recesserit. Quare verissimè erit id solum quod est. Rursum agentem hunc intellectum in indiuiduis dixerat, posteriorē eo esse, qui potestate dicitur, quia nō semper intelligit; in specie solùm intelligere semper: hancque illius conditionem esse quandiu versatur in corpore. Iam addit, vbi fuerit separatus; perfectum eum omnino futurum; quia non in specie modò, sed & in indiuiduo semper actu intelliget, nec potestatem habebit priorem; debitam scilicet sibi dignitatem consequutus.

Cæterùm quoniam patientem quoque intellectum in superioribus posuit impatibilem esse, impermistum, & separabilem; neque deinceps de illius separatione dixit: necesse est hoc loco illius quoque separationem simul intelligere; hincque argumentum accipere ad superiorem illam sentētiam confirmandam, qua agentem & patientem intellectum vnum & eundem esse posuimus. Cùm enim de vtroque seorsim agens philosophus vtrūque separabilem esse tradidisset, vtrumque separari necesse est: aut igitur imperfecta & diminuta philosophi doctrina fuit, qui nihil de alterius separatione dixit; aut separationem vtriusque hoc loco comprehendit, quòd vtrumque vnum & eundem esse intellectum credidit. Qui demum separatus, est solum hoc quòd est, quia non ampliùs potestate, sed solùm actu est. Idem ipse intellectus immortalis est & sempiternus: quod enim à corpore separatur, eiusmodi esse oportet. Consueuitque philosophus hæc duo coniungere: nam quod in text. 21. lib. 2. separari dixit tanquam perpetuum à mortali; hic separatum esse affirmat, & immortalem ac sempiternum.

Agens & patiēs intellectus idē.

Neque verebor dicere, non solius intellectus, sed intelligentis quoque animæ separationem & immortalitatem hoc loco asseri: quadruplici nimirum argumento. Primo, quòd hic locus priori illi respondeat, in quo hanc ipsam de separatione atque immortalitate quæstionem significans, intellectum animæ genus appellat: Videtur, inquit, genus alind animæ esse, & hoc solum separari posse velut perpetuum à mortali. Altero, quòd de eo intellectu loquitur, qui differentia est & facultas intelligentis animæ: differentia verò & facultas separari non potest, nisi id separetur, cuius differētia & facultas est. Quare qui separationem & immortalitatem intellectus asserit, idem prorsus de anima intelligēte asserit. Tertio, quòd hoc solum, immortale esse & sempiternum dicat; solum inquā ex iis omnibus, quæ in homine insunt. Non potest autem separari & immortalis esse intellectus; & intelligens anima, cuius est intellectus, inseparabilis & mortalis. Quarto, quòd neutro vtatur genere (hoc inquit solum) quod cum intellectu nequaquā coniunges. Sed velut Philoponus credidit, τοῦτο τὸ μερὸν ἄνωθεν, vt in tex. 1. huius libri dixit: vel potiùs hoc solum animæ genus, vt in tex. 21. li. 2. loquutus fuerat: quippe eadem (hoc solum) vtrobique vsurpat verba: ibi (& hoc solum separari posse velut perpetuum à mortali) hic verò (& hoc solum immortale ac sempiternum. Cæteræ animæ, vegetans & sentiens, earumque facultates, mortales sunt & cum corpore extinguuntur: quare & passiuum intellectum, hoc est phantasiam, statim subiunget corruptibilem esse. Neque verò sine demonstratione intellectum solum accepit immortalem esse & sempiternum: verùm ex eo conclusit, quod antea posuit, impermistum & impatibilem eum esse, hocque nomine plurimùm à sensu differre. Quæ demonstratio potior est ea, quæ à Simplicio adfertur, dum frustrà conatur Aristotelem cum Platone conciliare.

Anima immortalitas.

TEXTVS.

Οὐ μνημονεύομεν δ', ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθὲς, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, καὶ ἄνευ τούτου οὐδὲν νοεῖ.

Non recordamur autem; quoniam hoc quidem impatibile, passiuus autem intellectus corruptibilis, & sine hoc nihil intelligit.

COMMENTARIVS CII.

DVas alias, præter hactenus expositas, intellectus proprietates agnoscit in his verbis Philoponus. Alteram, obliuioni eum obnoxium esse. Alteram, eum sine phantasiæ vsu non intelligere. Plutarchus autem ipsius testimonio responderi voluit quæstioni propositæ in tex. 16. cur intellectus non semper intelligat.

Sed acommodatè magis Auerroës & sanctus Thomas alterius cuiuspiam quæstionis ex proximè dictis excitatæ explicationem, seu obiectionis dilutionem faciunt. Si enim intellectus à corpore separatur, separatusque immortalis ac sempiternus exístit; cur post mortem non recordamur eorum, quæ in hac vita cognouimus? Namque in tex. 66. libri 1. ipsum, inquit, intelligere & contemplari marcescit alio quodam intus corrupto. Ad hanc quæstionem nunc eandem responsionem adfert; sed planiùs interpretatur, quid illud sit, quod eo loco dixerat (alio quodam intus corrupto) immirùm esse intellectum passiuum. Non recordamur enim; quoniam etsi hoc quidem, nempe intellectus agens aut intelligens anima, impatibile sit neque cum corpore pereat, sed separatum, immortale, & sempiternum subsistat: passiuus tamen intellectus, sine quo nihil intelligitur, abolitus est & extinctus. Manifestum autem est, de intellectu, qui est pars & facultas animæ, vbique sermonem esse; non de eo, qui anima melior sit. Non enim quæreretur, cur non recordamur nos; sinon de nostro, sed de alieno intellectu ageretur.

Cur non recordamur.

At quemnám passiuum intellectum dicat, non item constat. Themistius enim in cap. 28. & 55. omnino contendit passiuum intellectum non dici intellectum potestate; quoniam hunc impatibilem & immortalem esse iam demonstrauit. Sed huius loci explicationem ex tex. 66. citato petendam esse. Totidem namque ferè vtrobique verba. Ibi verò propterea respondit Philosophus intellectum post nostri dissolutionem non recordari, neque amare aut odisse; quoniam hæc illius affectiones non sunt; sed huius, quod illum continet;

Themistius.

quare

quare continente corrupto illas quoque perire, quòd sint affectiones communis, quod abolitum est. Porrò communem intellectum interpretatur Themistius partibilem & corruptibilem, ab impartibili & æterno intellectu potestate diuersum. Ita παθητικὸν non ἀπὸ τοῦ πάσχειν, sed ἀπὸ τοῦ παθεῖν deducens, παθητικὸν νοῦν non tam passiuum, quàm affectiuum seu affectuosum intellectum interpretari videtur; hoc est eam animæ partem, in qua amor, odium & eiusmodi affectus ac perturbationes vigent; quæ participatione quadam intellectus vocetur, quòd vt est in primo de moribus libro ad Nicomachum cap. 13. rationi obediat, eiusque imperium sequatur. Eandem sanctus Thomas interpretationem fecit. Immò quod agentem intellectum philosophus impatibilem esse dixit, interpretatus est perturbationum eiusmodi subiectum non esse.

Verùm vt mittam eos, ac præsertim sanctum Thomam, omonymiæ notam Aristotelis orationi inurere; si alio intellectu patibile & impatibile nunc, quàm in antecedenti tota oratione, nominet: sanè id, quod de animi perturbationibus dicitur, nihil ad præteritorum recordationem quæstionisque propositæ solutionem pertinet. Neque enim memoria ad affectuosam illam, hoc est appetentem animæ partem, sed ad cognoscentem, spectat. Neque in appetente parte intellectum nominare consentaneum Aristoteli est. Quippe is hanc quidem irrationalem partem rationi obedientem, rationisque quoquo modo participem esse dixit: at cùm cæca prorsus sit & cognitionis expers, intellectum nunquàm nominasset. Sensum potiùs, qui natura intellectui proximior est, quòd cognitrix facultas sit. Tantumque abest, vt sine affectuosa parte non intelligat intellectus, vt hæc illi potiùs impedimento sit, purumque eius actum perturbet.

Quod igitur in primo lib. ipsum intelligere philosophus dixit marcescere alio quodam intus corrupto; fatebor hoc ipsum esse, quod nunc ait non recordari nos, quia corruptus est passiuus intellectus. Sed cùm posteà perturbationum quoque amoris & odij mentionem fecisset; aliam adiunxit harum rationem propriam; quoniam ex non sunt intellectus propriæ, sed totius coniuncti; hocque dissoluto, illæ quoque cessant. Commune siquidem non intellectum, sed coniunctum ex anima & corpore interpretatione quoque sancti Thomæ appellat. Hoc autem loco vbi non de perturbationibus, sed de recordatione sola est sermo, priorem solam rationem repetiit: quòd aliud quidpiam intus corruptum sit, hocque passiuum intellectum esse declarauit.

Hunc igitur Simplicius intellectum intelligit ad secundas progredientem vitas: qui non substantia corruptibilis dicitur; sed quatenus corporeas deserit vitas, neque ad illas procedit ampliùs, vt absoluatur ab illis; verùm sese ad intellectum manentem colligit. Sine hoc autem nihil eorum, quæ memorabilia sunt intelligit intellectus manens. Quippe in lib. de mem. & remin. memorabilia docuit idem Aristoteles ea esse, quæ imaginaria sunt; phantasiamque & memoriam, phantasma & memorabile sola ratione differre: quare vt memorabile quidpiam intelligamus, opus est intellectu ad phantasiam vsque progrediente: dumque hic à phantasia recedit, memorabile nihil intelliget. Neque enim accipiendum est nihil penitus intelligere separatum intellectum: quoniam separabilis omnino non esset & impermistus; neque tunc maximè esset id quod est. Et si separabilem eum esse argumento illo confectum est, quoniam propriam habet operationem, quam sine corpore corporeaque phantasia exerceat; qui posset iam affirmare, nihil eum prorsus intelligere; sed stupidum, inertem, otiosum, omnique operatione priuatum viuere? Nihil ergò memorabilium intelligit. Hoc enim agebat, hoc quærebat; cur non recordetur eorum, quæ in hac vita cognouit. Alia intelligit, tum seipsum, tum in seipsum superiora, quasi in imagine, & inferiora velut in exemplari.

Philoponus tamen tum hoc loco tum in proœmio ad hos libros, atque Auerroës passiuum intellectum phantasiam ipsam interpretati sunt. Quam interpretationem multa cõfirmant. Primùm enim sine eo addit nihil intelligi: quod de phantasia totidem planè verbis, quasi hunc locum exponens, repetit mox in tex. 30. sine intellectu autem non dixisset nihil intelligi, cùm is potiùs solus sit, qui intelligit: & particula (sine) conditionem potiùs, quàm primariam causam, significat. Deinde quia intellectum, qui principium intelligendi est, impatibilem esse respondet; neque ipsum corrumpi, sed aliquid aliud perire, sine quo intellectio quidem constare queat, at non recordatio. Hoc autem phantasiam esse ostendet locus ex lib. de mem. citatus. Tum verò quia id, quod nunc passiuum intellectum appellat, in lib. de mem. cap. 1. apertis verbis phantasiam interpretatus est. Memoria, inquit, intellectiliũ nõ sine phantasmate est. Propterea igitur nõ recordamur, quia corruptus est intellectus passiuus, hoc est phãtasia, in qua memorabile phantasma continebatur. Et in tex. 66. antea indicato appellauit aliud quiddam, quod sit intus: intelligere, inquit, marcescit alio quodam intus corrupto. At neque intellectum dixisset esse quidpiam intus, quem impermistum & nullis corporis parte contentum prædicat: neque is aliud est à seipso; & Simplicius intellectum progredientem & manentem fatetur vnum & eundem intellectum esse: phantasia aliud nimirum est ab intellectu. Sed neque philosophus intellectum, quem impatibilem dixerat, corruptibilem nunc affirmasset. In tex. autem 155. libri 2. intelligere diuidens in phantasiam & hypolepsim, hoc est imaginationem & existimationem, phantasiam iam seu imaginationem intellectum quendam esse posuerat. Et post in tex. 48. huius 3. phantasiam dicet esse vt intellectionem quandam. Et cap. 3. libri de animalium motu eam ad intellectum reuocat: etenim phantasia, inquit, eundem intellectui locum habet; iudicatiua enim omnia sunt. Eam igitur passiuum nunc intellectum appellat; quòd intelligendum ac memorandum obiectum contineat. Denique vel in ipsa interpretatione Simplicij obseruabis, tum corruptionem esse phantasiæ, non intellectus; quippe intellectus prograediens non corrumpitur, sed ad manentem se reuocat; phantasiamque deserit, quoniam ea corrupta est: tum obliuionem propterea obuenire, quòd perierit phantasia, phantasmaque memorabile, cuius memoria esse debuerat, abolitum sit. Porrò quoniam singularium duntaxat rerum & materialium phantasia est & phan-

Phantasia intellectus quidam.

tasma; harum consequens fuerit oblivionem esse, non vniuersarum, immaterialium, incorporearum, & omnino earum, quæ sine phantasia intellectus intelligit.

Verùm alia quædam potest esse horum verborum expositio. Huicnamque obijciat quispiam, & meritò quærat, vndenam nouerit, aut nosse potuerit Aristoteles, nos post mortem non recordari; neque illum potuisse hoc sine fundamento ac probatione accipere, sed nec ipse ait nos non recordari post mortem; sed absolutè, non recordari. Cùm ergo agentē intellectū dixisset non aliquando quidem intelligere, aliquādo autē non intelligere, sed intelligere semper, esseque immortalem & æternum; meritò quærit; cur ergo non recordamur interdum eorum, quæ maximè vellemus intelligere; neque resumere possumus intellectionem, quā iam habuimus? respondetque deffectum phantasiæ esse, sine qua is intelligere nequit, alioqui aptus semper intelligere.

Cæterùm apud Simplicium quidpiam est animaduersione dignum. Tantum enim abesse ait, vt illud (& sine hoc nihil intelligit) absolutè accipiendum sit nihilque planè sine passiuo intellectu separatus intelligat intellectus; vt vel etiam quandiu in corpore degit, illudque viuificat; separabiliter aliquando viuat atque intelligat. Sic enim interpretatur illud, quod est in tex. 39. libri 12. Metaph. Quod semper est Deus, id nos aliquando sumus: vt cùm Deus semper sit separatus, nos si non semper, interdum certè naturalem adhuc hanc viuentes vitam, separemur. Namque nec ea philosopho fuit eo loco sententia, dum non de separata intelligentia loqueretur; sed de ea, quæ per disciplinas & scientias comparatur. Nec fieri potest, vt intellectus, qui est corporis actus & forma, recedat à corpore aliquando, ad illud mox reuersurus, aut in eo existens, extra illud operetur.

Digressio xxx. *De intelligentis animæ facultatibus.*

HIc de intelligentis animæ facultatibus aliquid dicendum est. Cùm enim præter intellectionem hactenus nominatam, recordationem quoque commemoret Aristoteles; postulat locus, vt quot hæc anima virtutibus prædita sit, constituatur. Tres ferè ab omnibus numerantur; intellectus ad cognoscendum, voluntas ad appetendum, memoria ad reuoluenda & repetenda præterita, aut etiam intellectilium specierum conseruationem. Nec defuerunt, qui quartam adderent facultatem mouendi se loco; qua aut nunc vtatur homo quandiu mortalem hanc degit vitam; aut à corpore soluta de loco ad locum moueatur.

Facultas motrix. Facultas motrix neque necessaria est neque vlla inesse potest. Enimuerò vt homo nunc moueatur, satis est facultas illa motrix, quæ animæ sentientis est. Quippe vt ab ea mouentur animalia cætera, incedūt, atque de loco ad locum progrediuntur; ita & homo moueri potest, qui similibus planè, immò eisdem mouetur motibus, incedendo, saltando, currendo. Anima verò corpore liberata, vt impartibilis prorsus est, sic neque in loco neque ad locum propriè motum habet vllum. Motrixque eiusmodi facultas conditione sua organica est & corporea; musculisque vtitur, neruis, & aliis huius generis instrumentis. Intelligens anima spiritalis est, inorganicisque & incorporeis facultatibus naturæ suæ ac dignitati conuenientibus vtitur. Et quemadmodum locus corporatarum & quantarum rerum proprius est; sic virtus progrediendi ad locum, aut in loco sese mouendi; non nisi corporeæ rei & quantæ, quæ locum occupet, esse potest. Neque in separatis intelligentiis minùs necessaria ratione virtus eiusmodi cogitanda esset; in quibus nullam hactenus præter intellectum & voluntatem agnouerunt philosophi.

De memoria difficultas maior; tum an nulla sit, tum an à cæteris facultatibus distinguatur. Nam S. Thomas in 1. 1. Theologicæ sum, qu. 79. art. 6. & quæst. 10. de veritate art. 2. & lib. 2. contra gentes cap. 74. eam sanè fatetur in intelligente parte nullam esse posse; quæ præterita recognoscat; quoniam præteritum vt præteritum, cùm significet esse sub determinato tempore, singulare aliquid indicat: singularia verò materialia pars intelligens non cognoscit; sed hæc ad sentientem pertinent. Alio tamen nomine necessariam esse contendit, vt cognitarum rerum species conseruet. Stabilioris quippe & immobilioris naturæ est intellectus, quàm sit natura corporea & materialis: quare si in corporeo & materiali sensu conseruantur species, multò magis conseruari eas in intellectu credendum est. Atque huc adfert illud philosophi in tex. 8. cùm intellectus fuerit singula factus, hoc est rerum omnium speciebus imbutus, vt sciens dicitur, potestque seipso operari. Et illud in 8 lib. Phys. tex. 32. antequàm didicerit homo, potestate essentiali est ad scientiam; egetque motore, à quo reducatur ad actum: postquàm verò didicit, ipsemet operari potest: nimirum quia rerum, quas didicit, species in memoriæ thesauro conditas habet. Duas tamen duntaxat intelligentis animæ facultates, intellectum, & voluntatem; neque memoriam ab intellectu facultatem diuersam esse fatetur idem ipse S. Doctor in art. 7. eiusdem quæstionis 79. Propterea quòd eiusdem facultatis sit, tum suscipere species, tum conseruare susceptas: illaque ipsa tum intellectus dicitur vt suscipit suscipiendoque intelligit; tum memoria vt conseruat.

Verùm hæc S. Thomæ sententia duobus principiis nititur, quæ minùs vera esse videntur, vt in superioribus disputationibus conclusum fuit. Alterum est, intellectum non cognoscere singularia materialia. Alterum, cognitionem, tum sensus, tum intellectus, fieri per species, tum sensiles, tum intellectiles. Quod memoriā ab intellectu noluerit facultatem esse diuersam, philosopho magis est consentaneum, qui nec sentientem memoriam à phantasia distinxit. Sed ratio illa non probabitur; quòd eiusdem sit suscipere & conseruare: verùm illa potiùs, quam exposui, cùm de sentiente memoria ageretur; quòd quæ facultas primùm cognouit, potest post rursum rem eandem cognoscere.

At enim alij non pauci tertiam voluerunt esse facultatem ab intellectu & voluntate siue forma, siue etiam re distinctam; quæ non species modò conseruet, sed præterita quoque recognoscat. Inter hos fuit Scotus in 4. sentent. libro dist. 45. quæst. 3.

Antiquiores tamen video intelligentem omnem memoriam

memoriam negasse. Duasque apud illos reperio causas. Altera fuit Auicennæ in 6. naturalium: quòd A in sensu quidem, cùm non in anima, sed in cerebro aut spiritu, suscipiantur species; facultate aliqua illarum custode opus sit. At in intellectu nulla esse queat: quia cùm sit inorganicus, quidquid in eo suscipitur, actu intelligitur; & vbi desinit is intelligere, desinit quoque species; rursumque intellecturus conuertere sese debet ad intellectum agentem, à quo nouam accipiat speciem. Altera potior veterum peripateticorum, tum Græcorum, tum Auerrois: quoniam memoria, vt est in libro de illa cõscripto, per se sentientis est partis, intelligentis non nisi ex accidenti. Memoria, inquit, ea, quæ est » intellectilium, non sine phantasmate est; quare in- B » telligentis ex accidenti vtique erit, per se autem » primi sensitiui. Itaque & aliis quibusdam inest ani- » malium, & non solùm hominibus. Si autem intel- » ligentium partium esset, non vtique inesset multis » aliorũ animalium, fortasse autẽ nulli mortaliũ. Ex eo namq; quòd intellectiliũ memoria non est sine phantasmate, aliisque itẽ non intelligentibus animalibus inest; eam colligit intellectus non esse, nisi ex accidẽti, per se autem sensus. Omnem enim recordationem nostram intelligentem pendere vidit à phantasmate, sicut & intellectionem omnem, quandiu anima est in hoc corpore; cessanteque phantasiæ actione memoriam omnem extingui. C Atque hanc ob causam animam separatam dixit non recordari, quia corrupta est phantasia.

Sed ne sentientem quidem memoriam facultatem esse credidit à sensu, phantasiaque diuersam; sed passionem illius quandam, vt iampridem demonstratum est, vbi de interioribus sensibus agebatur. De specierum conseruatione, si eas esse concederemus, in intellectu dixit eas suscipi huncque formarumque locum esse. Quare si vlla sit memoria, siue specierum conseruatrix, siue præteritorum cognitrix; ea nil aliud fuerit, quàm intellectus. Sanè præteritorum recognitionem experitur vnus- D quisque in seipso: nec materialium modò rerum, quæ ad sensum item spectant, sed & immaterialium, quæ intellectus propriæ sunt. Recordamur enim scientiarum, intellectionum, & volitionum præteritarum; nosque voluisse intelligere, intellexisse, & recordatos fuisse; atque aliorum eiusmodi. Nam si sensus rem antea cognitam recognoscere potest, quidni intellectus possit? Hæcque recognitio recordatio est. Neque hanc vim recognoscendi præterita philosophus ignorauit, qui intellectum in habitu posuit, qui singula factus intelligere possit vbi libuerit. Sed quoniam in his recognitionibus non minùs, quàm in primis cognitionibus, intellectum vidit à phantasia pendere illiusque phantasmatibus vti: propterea memoriam affirmauit per se primùm sensilium esse, tum intellectiliũ: quia primùm operari oportet sensum, phantasiamque rursùm phantasmata fingere, deinde recordabitur intellectus. Et intellectilium quorũdam nos recordari scripsit, vt triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales; ope scilicet phantasiæ subministrantis trianguli simulachrum. Hæc memoria corruptibilis illi fuit, qua non vtatur amplius anima separata. An verò aliam habeat, qua sine phantasia recordetur; apertè non docuit; vt nec aliud quidquam, quod ad eum animæ statum pertineat: ex eius tamen principiis colligitur; tum quia intellectionem cognouit operationem esse animæ propriam nequaquam pendentem à corpore, animamque à corpore separabilem esse hoc argumento concluserit, quoniam propriam hanc operationem habet, quã sine corpore retinere potest. Hinc verò consequens est eam à corpore separatã hac omnino operatione vti; eaque ipsa recognoscere posse, quę antea cognouerat. Si quidẽ in sensu quidẽ memoriã iudicauit facultatẽ aliquã esse, sed cognoscentis cuiuspiam facultatis passionem aut habitum. Tum verò quia scientiarum habitus firmiter in intellectu hærentes posuit, quorum ope intelligat quandocumque voluerit: hi verò in intellectu separato conseruati plurimarum saltem rerum, quarum habitus sunt, cognitionem nimirum ac recordationem parient. Re ipsa verò constat separatam animam eorum recordari, quæ in hac vita gessit; siue bona fuerint, siue mala; propter quæ aut præmio afficitur aut pœna. Etsi enim vt in sentiente, ita & intelligente parte, memorandi facultas nulla sit à cognoscente diuersa: intellectus tamen tum intellectus dicitur, cùm primùm intelligit; tum memoria, si rem antea cognitam recognoscat.

Duæ igitur supersunt intelligentis animæ facul- *Intellectus & voluntas.*
tates, intellectus & voluntas. Quas Durandus in 1. sent. lib. dist. 3. & Antonius Bernardus in lib. 25. euersionis singularis certaminis, vnicam esse facultatem iudicarunt, quæ duplicem promat actum; & per se primùm intelligat, 2. loco velit: non secus ac idem calor per se primùm calefacit, 2. loco rarefacit. Et fauere videtur illud philosophi in tex. 29. appetens & fugiens, neque inter se, neque à sentiente differunt: eodem quippe modo intellectus & voluntas se habent, quo sensus & appetitus sentiens. Quin etiam non secus se habet cognoscere in animatis, quam esse in inanimis; in his autem esse ab illorum appetitu naturali non distinguitur, sed idem est esse graue & appetere inferiorem locum: neque materia & appetitus eius distinguuntur: eadem igitur in animatis fuerit cognoscendi & appetendi facultas. In sensu autem præsenti eandem esse cognoscentem appetentemque virtutem, hæc fuerint argumenta. Tum quòd tot alioqui oporteret ponere appetitus, quot sensus; tum quòd sensus vnusquisque proprio & conuenienti sibi obiecto delectatur, tristaturque non conuenienti: delectatioque & tristitia in appetitu versantur. Denique si duæ diuersæ facultates essent, posset nimirùm Deus efficere, vt voluntas absque antecedente vlla intellectus cognitione vellet: quod voluntatis natura non patitur, quæ non nisi ad aliquid cognitum moueri potest.

Video tamen cæteros omnes duas distinguere *Esse duas facultates distinctas.*
facultates. Nam & Aristoteles ratione saltem ac forma distinxit in textu 22. libri 2. & tex. 29. libri 3. ab aduersariis citato: idem enim subiecto esse affirmauit, at definitione differre; esse, inquit, aliud est. Tum verò in tex. 34. 50. & 52. & si facultates ex obiectis & actionibus iudicandæ sunt, adsunt obiecta diuersa, verum, & bonum; actionesque diuersæ, intellectio & volitio: immò & oppositæ, siquidem intellectione res intellecta in intellectum transfertur eique fit similis; contrà volitione homo volens mouetur in rem volitam eique assimilatur. Verùm intellectus dirigit voluntatem, quodque dirigitur, ab eo, quod dirigit, distinctum esse

oportet, neque voluntatem necesse est intellectus ductum ad determinationem sequi; sed reluctari & repugnare potest, eique imperare, vt & operetur aut quiescat; & secus ratiocinetur agendumque concludat, quàm antea concluſisset. Atque vt cetera prætermittam, ex sensu appetituque sentiente argumentum sumas. Eos namque distinctas esse virtutes, ex diuersis, quibus vtuntur, organis manifestè cognosces. Appetitus.n. viget in corde; sensus, interior quidem in cerebro, exteriores autem in oculis, auribus, ceterisque patentibus corporis partibus operantur.

Neque de animatis iudicium ex inanimis rebus faciendum est. Quoniam appetitus naturalis elicitum actum ab actu naturalis virtutis diuersum non habet; quemadmodum habet hic, de quo loquimur, animalis aut rationalis appetitus. Atque in sentiente parte plures sunt cognoscentes virtutes, appetens vnica: quoniam cognitio fit susciendo & assimilando sibi obiecta, hæcque receptio & assimilatio pluribus modis debebat fieri: appetitus autem progressio est ad rem vt est in se; quæ vnico modo fieri poterat. Delectanturque singuli sensus conuenienti obiecto; sed hæc delectatio naturalis est, perceptionem obiecti consequens, atque in intellectu quoque absque voluntatis actu reperitur. At elicita delectatio propriam quandam & ab aliis distinctam postulat facultatem, quæ illius principium sit. Neque hæc vllo modo appetere suumque actum elicere potest sine facultatis alterius cognitione; quippe illius obiectum est obiectum cognitum.

Cur plures sensus, & appetitus vnius.

An verò reipsa an forma duntaxat facultates hæ duæ distinguantur, siue in intelligente, siue in sentiente parte; iudicandum erit ex iis, quæ de facultatum distinctione in 2. lib. vniuersè fuerunt disputata.

Vtra porrò earū alteri præstet, intellectusne voluntati, an voluntas intellectui; inter multos sanè ac præcipuè inter S. Thomam & Scotum video disputari. Sed qui partes intellectus tuentur, verisimiliora loquuntur. Et quidem philosophus aperta oratione intellectum pronuntiauit altissimam esse ac diuinissimam in nobis & omnium optimam facultatem. Nam vt mittam illud in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. Mens sola diuina est. & 7. polit. cap. 15. Ratio nobis & mens naturæ finis, nihilque in homine melius, & 1. de an. tex. 82. impossibile est aliquid esse melius & præstantius intellectu & in 1. metaph. cap. 1. & 2. & alibi, theoreticas scientias longè practicis præstantiores esse. Ita is loquitur in 10. lib. de moribus ad Nicomachum cap. 7. dum de hominis fœlicitate disserit. Si verò fœlicitas est ex „ virtute operatio; consentaneum eam ex illa esse, „ quæ præstantissima est. Hæc autem eius erit, quæ „ est optima. Siue igitur id intellectus sit, siue aliud „ quidpiam, quod sanè secundum naturam principatum obtinere & præsidere, notionemque de honestis ac diuinis rebus videtur habere: siue diuinum quiddam & ipsum sit; siue ex iis, quæ in nobis sunt diuinissimum: huius secundùm propriam virtutem operatio perfecta fœlicitas esset, „ quam esse theoreticam dictum est. Atque hoc „ tum cum superiùs dictis, tum cum veritate consentiens esse videtur. Nam & præstantissima est „ hæc operatio: quippe cùm ex iis, quæ in nobis „ sunt, intellectus huiusmodi sit: & ex iis, quæ in „ cognitionem cadunt, illa circa quæ intellectus „ versatur. Et in 12. Metaph. libro tex. 39. Intellectio secundùm se eius est, quod secundùm se optimum est. Quare vt supremam & summam „ fœlicitatem nostram in eiusmodi operatione „ agnouit in 10. commemorato libro; ita in hoc Dei ac primi principij vitam, perfectionem, ac fœlicitatem ponit.

Intellectus an voluntate melior.

Eustratius verò prioris loci interpretationem faciens non sollùm præstantissimum, supremum, excellentissimum & optimum eorum omnium, quæ in nobis sunt, intellectum esse inculcat: verùm etiam duplicis fœlicitatis, theoreticæ & actiuæ, vtitur argumento. Theoretica namque fœlicitas, quæ intellectus actione constat, melior multò est ac præstabilior, quàm altera illa, quæ moralium virtutum & voluntatis operatione vitur. Huic enim vt inferiori altera vt superior ac diuinior superuenit. Fieri quippe non potest, vt intellectualis vita in aliquo sit, qui moralibus virtutibus affectus suos priùs non fuerit moderatus, anteaque in ciuili fœlicitate non vixerit. Itaque rectè affirmat dici, actiuam virtutem fœlicitatemque idoneam esse materiam ad theoreticam fœlicitatem suscipiendam; theoreticam autem velut illius mensuram & finem; qua præstantius nihil in homine reperiri possit. At quid opus est fœlicitatem duplicem commemorare? Absolutè pronunties, in intellectus operatione aut solam aut certè præcipuam hominis fœlicitatem versari: neque si sola esse posset voluntatis operatio absque intellectus actione, beatitudinem vllam fore: quæ sanè constaret maximè, saltem incompletè, si absque voluntatis actione intellectus operatio foret.

Licet & ex vniuerso genere argumentari. Vniuersum enim cognoscentium genus magnopere præstat non cognoscenti; tum animalia plantis, homoque animalibus mutis; tum sensus appetitui, intellectus voluntati, & omnino facultas omnis cognoscens appetitui sibi consorti. Appetitus enim cœcus est & præcurrente indigere cognitione, quæ appetendum ac quærendum proponat obiectum: at cognitrix facultas appetitu non eget vt suum promat actum, sed ipsa sibi sufficiens est: & quiuis natura duce intellectus potiùs quàm voluntatis actiones eligit, quòd is prima sit intelligentis naturæ proprietas; neque illius operatio à voluntate pendeat, quemadmodum contrà voluntatis actio sine intellectus antecedente actione esse non potest. Immò intellectus principium existit & radix libertatis illius, quam in voluntate tantopere illius patroni admirantur. Omne cognoscens, inquit Simplicius in „ comment. textus 42. & 43. huius tertij libri, simpliciter loquendo præstantius est appetente illo, „ quod sibi cognatum est; cùm appetens indigeat „ semper cognitione ad hoc vt appetat; cognoscens „ verò nulla in re indigeat eo ad hoc vt cognoscat. Atque hoc est vnum Simplicij argumentum.

Alterum etiam subiungit ex eo ductum, quòd cognoscens facultas dirigit appetitum. Ipsum, „ inquit, cognoscens videtur dirigere appetitionem „ secundùm naturam: quandoquidem quod rectè „ appetere debet, rectitudinem eam priùs cognoscere debet. Appetitus verò videtur cogere cognitionem,

gnitionem, quando cùm appetens præcedit & in ea tendit, in quæ non oportet, cogit cognitionem machinam aliquam excogitare ad appetenda ea.

Denique ex Platonis in Philebo sententia id ipsum ostendit; qui appetitum generationis infiniti esse dixit; quoniam in voluptate, ad quam is procliuis est, reperitur magis & minus: intellectum autem & cognoscentem virtutem esse finiti, cùm certi cuiuspiam sit: finitum autem infinito præstantius est. Sed Platonis hanc ratiocinationem mittamus.

Potior est Auerrois illa (iuuat enim nunc peripatetica magis sectari) in extremo capite septimo libri Moralium 10. Quod cuique naturæ proprium est, id cæteris omnibus, quæ in ea sunt, præstat: sed maximè proprium homini est intellectus, quo & homo est, & cæteris omnibus animalibus antecellit: intellectus igitur honoratius est & melius quod est in eo. Hæc enim ipsa sunt Auerrois verba.

Ego verò his omnibus tum obiecti conditionem, tum facultatis naturam addam. Ex obiecto quippe facultatũ naturam diiudicare oportet. At verũ intellectus obiectum, si absolutè & per se, nõ per ordinem ad aliud, consideretur; nobilius est bono, quod voluntas quæritat: entitati namque propinquius. Operatio autem intellectus tam efficax est & diuina, vt ad se omnia trahat, sibi assimilet, atque in seipsum transferat, omnia in se concipiendo ac mirabiliter parturiendo. Ita intellectus intelligendo fit omnia. Voluntas verò tam est infirma & imbecilla, vt à quibusuis, vel abiectissimis, volitis rebus rapiatur & in earum protinus naturam commutetur. Quòd si perpendas habitus, qui ad vtramque pertinent facultatem; ij vel naturales sunt vel supra naturam, vel inquam naturæ viribus comparati, vel à Deo tributi. Si de priori genere sit sermo; habitus intellectus absolutè, vt habitus sunt, moralibus præstant virtutibus; etsi in his ratio virtutis magis eluceat sitque perfectior. Quorum vtrumque scitè sanctus Thomas & Caietanus in prima secundæ quæst. 66. artic. 3. disputarunt. Si autem de posteriori loquamur; fateor, dum hîc viuimus, præstat omnibus caritas in voluntate: at post in intellectu lumen accedet gloriæ, quod caritate perfectius est, quemadmodum Capreolus & Caietanus docuerunt.

DE INTELLECTILI obiecto & intellectione.

CAP. VIII.

TEXTVS.

Ἡ μὲν οὖν τῶν ἀδιαιρέτων νόησις ἐν τούτοις, περὶ ἃ οὐκ ἔστι τὸ ψεῦδος· ἐν οἷς δὲ τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἀληθές, συμπλοκή τις ἤδη νοημάτων, ὥσπερ ἓν ὄντων, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς ἔφη,

ἦ πολλῶν μὲν κόρσαι ἀναύχενες ἐβλάστησαν.

ἔπειτα συνῆλθεν τῇ φιλίᾳ, ὥστε καὶ ταῦτα κεχωρισμένα συνῆφθαι, οἷον τὸ ἀσύμμετρον, καὶ ἡ διάμετρος.

Impartibilium igitur intellectio in his, circa quæ non est falsum. In quibus autem falsum & verum; compositio quædam vtique notionum, perinde ac vnum sint: quemadmodum Empedocles dixit; Tex. 21

Certè multorum quidem capita sine cernicibus germinarunt,

Postea amicitia fuisse composita. Ita & hæc separata componuntur; vt incommensurabile & diameter.

COMMENTARIVS CIII.

TRia de intellectu hactenus capita nobis exposuit Philosophus. Primum, quæ sit intellectus differentia: quod fuit de patibili intellectu agere. Deinde quemadmodum intellectio fiat. Ac demum de agentis intellectus necessitate & natura. Quartum nunc aggreditur. In quo Auerrois & S. Thomæ sententia de intellectus operatione; Philoponi de obiecto; Simplicij tum de obiecto, tum de operatione disserit. Neque ego magnopere contradicam. Nam siue de impartibilium simplici apprehensione eorumque compositione; siue de simplicibus ipsis & compositis dicatur; perinde sanè fuerit. Etsi enim iam de intellectione vniuersè fuerit dictũ, de illius tamẽ speciebus intellectione simplici & composita, dicendum erat. Et rursum intellectus obiectũ significatũ fuit entia omnia comprehendere, vbi eum ad omnia potestatem quandã esse, posseq; omnia fieri, & itẽ omnia facere, ideoque nulli rei permistum esse, tradidit: sed nũc in simplex diuiditur & compositum.

Neque mirum, si in vegetantium & sentientium facultatum explicatione priùs egit in 2. libro de obiecto, tum de facultate; hîc verò prius de intellectu, quàm de intellectili obiecto. Quoniam ab obiecto antea velut notiori principium fecit: at in rationali anima notior est ac manifestior intellectus, quàm intellectile; quippe intellectum ex operatione coniectamur. Obiectum autem, si immateriale sit, ignotissimum est &, vt post Simplicius dicturus est, supra animam nostram collocatum. Si verò materiale; quatenus sensile est, iam ex sensuum cognitione cognoscebatur: quatenus autem intellectile, non nisi ex intellectus natura perspecta cognosci poterat. Quamquam & de obiecto in superioribus non pauca significata fuerunt; dum & patibilis intellectus naturam & agentis ac patientis differentiam ex obiecto propriaque actione inuestigauit. Sed illa generalia fuerunt, nunc ad specialia descendit.

Intellectus notior, quã intellectile.

Impartibilium & partibilium intellectio.

Bipartitum igitur obiectum, bipartitamque actionem facit. Quædam enim impartibilia sunt & simplicia, quæ decem generibus continentur, inquit Themistius, impartibilique actione intelliguntur. Alia partibilia & composita, quorum partibilis item & composita est intellectio. Sanè tum ex obiecto cognitionis natura & conditio petitur; tum obiectum cognitione in cognoscentem trãsfertur simileque illi efficitur. Quare & impartibilis obiecti cognitionem impartibilem & compositi compositam; & contrà simplicis cognitionis simplex obiectum & partibilis item partibile necesse est esse. Porrò bipartitam hanc cognitionem ita partiti sunt Philoponus & Simplicius; vt impartibilium cognitionem alter voluerit esse intellectus, & compositorum dianœæ; illumque impartibiliter, simul & nõ per partes intelligere, siue impartibilia, siue partibilia; cẽtro persimilẽ; hãc verò, velut circũferentiam, cõponere atque ex vno in aliud trãsire. Alter sermonem esse dixerit de intellectu agente: atque vt antea post indicatam patibilis intellectus naturam bipartitum fecit philosophus in tex. 9. intellectile illius obiectum; tum formatum & compositum, tum formam illius terminatricem: ita nunc post explicatam agentis naturam intellectilia illius ostendi; vt & impartibiles formas cognoscat, quatenus intellectus est; quæ verò composita sunt & quasi in orbem explicata & componendo ac diuidendo circumducta, quatenus item existit ratio. Intellectus enim simul est & ratio agens. Verùm neque agentis intellectus, neque rationis aut dianœæ mentio vlla: sed intellectio sola vniuersè nominatur, intellectileque vniuersum in simplex diuiditur & coniunctum: satiusque est ea, quæ dicuntur, de obiecto & operationibus intellectus vniuersè; de simplicium inquam apprehensione & eorum compositione interpretari.

Impartibilium intellectio vt vera vel falsa.

Impartibilium igitur & simplicium intellectio in iis est, in quibus non est falsum. At cur non dixit, nec verum nec falsum, vtrumque coniungens; quemadmodum cùm de compositis loquitur; sed solùm falsum? Interpretationem huius loci habes in lib. 9. Metaph. tex. 22. simplicia enim vt nullas habent partes, ita ab intellectu aut attingũtur tota, aut omnino non attinguntur: si attingantur, vera est intellectio; si non attingantur, ignoratio est, nõ falsitas: & omnino simplicia aut tota intelliguntur, aut ignorantur tota. Contradictionis verò philosophum accusat Philoponus, quasi pugnantia loquutum; dum eo quidem loco simplicium cognitionem verã, non falsam (quam sententiam nunc quoque sequutus est) & in libro de interpretatione nec veram nec falsam dixit. Sed nimirum apparens contradictio est, non vera. In altero siquidem loco veritatem eam & falsitatem negat, quæ propria compositionis est, affirmationemque aut negationem habet: in altero autem simplicem veritatem admittit, quæ attactum significat & conformitatem intelligentis intellectus cum re intellecta, ignorationi oppositam, nõ falsitati. Quam veritatem, ὑπαρκτικὴν, hoc est subsistentem, appellat Philoponus, quòd ad rem ipsam subsistentem applicet se intellectus similemq; illi notionẽ formet.

Partibilium intellectio vera & falsa.

Vbi verò simplices notiones componimus, veritas iam existit & falsitas. Si enim coniungimus ea, quæ reipsa coniuncta sunt, vera est intellectus cõpositio, quia cõformis coniunctioni, quæ in rebus extra intellectum existit: vt si Socratem dicam currere, dum reipsa currit. Sin autem coniungantur ea, quæ coniuncta non sunt, falsa fuerit; quia secus habet in rebus; vt si sedente Socrate currere illum affirmem. Exemplum is adfert incommensurabilis & diametri; quo alibi etiam sæpè vtitur. Ni si diametrum dicam incommensurabilem esse quadranguli lateri, vera erit compositio; falsa, si commensurabilem.

Quod autem ex Empedocle adfert, ad explicandam hanc dupliceem operationem pertinet. Vt. in. is capita dixit dominante lite à ceruicibus separata prodijsse, mox amicitiæ beneficio fuisse coniuncta: sic simplices notiones ab intellectu primùm proficisci, post eas coniungi & componi ait philosophus. Et vt ibi ex pluribus membris vnum fit animalis corpus, ita ex pluribus notionibus vna fit cõposita. Sed quemadmodum ibi, ait Themistius, nõ omnis compositio membrorum constituit animal; ita hîc non omnis compositio notionum cõstituit veritatem: sed aliqua etiam compositio est, de qua mendacium existit. Deinde vt illic ex simplicibus membris animal simplex conficitur, ita hîc ex simplicibus terminis simplex propositio nascitur. De qua tamen ad rem adnotauit Philoponus non absolutè vnitatem asseruisse philosophum; sed (perinde ac vnum sint) dixisse. Quoniam simplices notiones verè vnum non sunt, sed appositione vnum: vniuntur enim copula, dum vnum alteri tribuitur; nec absimilis est membrorum in vno corpore copulatio.

Itaque duas hinc intellectus nostri operationes habes; simplicium apprehensionem, & eorundem compositionem. Priorem Auerroës formationem appellat, posteriorem fidem: quòd in altera rei notio formetur, in altera sit affirmatio & negatio, veritas & falsitas, quibus assentimur aut non assentimur, adhibemus aut non adhibemus fidem. Et verè hanc operationum intellectus diuisionem famosiorem esse dixit, hoc est communissimam & maximè generalem. Etenim tertia quoque subest operatio, quæ ratiocinatione vtitur: verùm hæc ipsa compositionẽ habet, estque compositio subdiuidenda. Nam intellectus actio aut simplex est aut composita: & rursum composita aut est vnius cũ alio, aut vnius ex alio: hoc est aut solam simplicium notionum compositionem habet cum affirmatione aut negatione vnius de altero, vt homo est risus capax: aut etiam ratiocinando pluresque compositiones iungendo vnum de altero cauſæ interuentu affirmat aut negat; vt homo est rationis compos, igitur & risus capax. Has tres intellectus nostri actiones agnoscunt omnes. Ex quibus patet intellectum nostrum simul esse & intellectum & rationem seu dianœam: intellectum, quatenus intelligit; rationem aut dianœam, quatenus componit, diuidit & ex vno in aliud transit. Estque intellectus quidem absolutus & abstractus, absolutè vnus & indiuiduus: at intellectus noster partim vnus & indiuiduus, quatenus intellectus est; partim non vnus & diuiduus, quatenus ratio & dianœa.

TEXTVS.

TEXTVS.

Ἀνὴρ γενομένων ἢ ἐσομένων, τὸν χρόνον, προσσημαῖνον, καὶ συμπλέκοντα. τὸ γὰρ ψεῦδός ἐν συμπλοκῇ ἀεί· καὶ γὰρ εἰ τὸ λευκὸν τὸ μὴ λευκὸν συνέθηκεν, ἐψεύσατο· ὃ καὶ διαίρεσιν φασί πάντα, ἀλλ' οὐ τὸ ἦν γε ἢ μόνον τὸ ψεῦδος ἢ ἀληθές, ὅτι λευκὸς Κλέων ὦδε, ἢ ἐσται.

Si autem eorum quæ fiunt, aut futura sunt, tempus superintelligens & componens. Falsum namque in compositione semper. Nam si album, non album compositi. Fieri autem potest, vt & diuisio dicantur omnia. Sed tamen non solùm est falsum aut verum, quòd albus Cleon est, sed etiam quòd erat aut erit.

Tex. 22

COMMENTARIVS CIV.

MAgnopere vereor, ne vbi legimus (γενομένων) potiùs legendum sit (γενομένων) non inquã (quæ fiunt) sed (quæ facta sunt. Etenim post orationem concludens & ac antecedentia hæc verba (γενομένων ἢ ἐσομένων,) nimirum respiciens ait (ἦν ἢ ἔσται, quod erat aut erit) non præsens, sed præteritum & futurum significans. Hæc autem eò spectant, vt cùm in compositione dixerit veritatem aut falsitatem versari; dum vt res habent, ita componuntur ab intellectu, aut secus; duplicem veritatis & falsitatis causam intelligeremus. Altera ex attributo petitur; altera ex tempore. Prior causa, quæ sine tempore in attributi & subiecti coniunctione sola consideratur; in omni rerum genere locum habet, vel etiam in æternis, inquit Simplicius. Posterior, quæ ex tempore petitur, in solis ijs, quæ oriuntur & occidũt, temporique subiecta existunt, & aliquando sunt, aliquando non sunt. Propterea si eorum, quæ aut facta aut futura sunt, compositio fiat, superintelligere & componere cum illis tempus illud oportet. Itaque illud (tempus superintelligens & componens) duobus modis accipias: vel vt propositioni toti superintelligatur simulque cum attributo & subiecto componatur: vel vt ipsum tanquam attributum accipiatur componaturque cum subiecto. Nam Socrates est Philosophus, falsa est compositio propter tempus; Socrates fuit equus, falsa propter attributum: Socrates fuit Philosophus, vera tum attributi ratione, tũ temporis. Item si aliud tẽpus, quàm par est, coniungas, bellum Troianum esse aut futurum esse, falsum dices; si fuisse, verum. Quippe in compositione semper est falsum aut verum tametsi falsum duntaxat Philosophus nominet, quoniam hoc potissimùm in superiori contextu compositionem ab intellectione simplici separauit; quòd in hac falsum non sit, in illa sit. Si enim album dixeris non album, falsum certè dixeris: at compositio est non albi tanquam attributi cum albo ceu subiecto; estque non congrua compositio: perindeque fuerit, si non album affirmaueris esse album.

Veritatis & falsitatis intellectus 2. causa.

Sanè propositio illa, qua album albũ non dicitur, aut affirmando accipi potest, aut negando: aut inquam ita, vt album affirmetur esse non album; aut ita, vt album dicatur non esse album. Hoc autem loco affirmando proponitur: quod ex duobus colligas. Primùm, quòd hactenus de compositione semper fuit sermo, & illud, quod præmisit (incõmensurabile & diameter) affirmantis compositionis exemplum fuit; diameter est incommensurabilis lateri. Et nunc quoque de compositione Philosophus loquitur, neque diuisionis adhuc, hoc est negationis meminit; sed illud, quod de albo dixit, aliud fuit compositionis exemplum. Alterum, quod diuisionem statim post subiungit; quæ & ipsa compositio quædam est, quatenus notiones plures complectitur, licet vnam ab altera remouendo: veraque fuerit, si ea remouerit, quæ reipsa remota & separata sunt; falsa, si coniuncta discreuerit.

Intellectus compositio duplex.

Itaque compositio duobus modis nominatur. Aut generalis, quæ secundam quamlibet intellectus nostri operationem ac notionum plurium complexum significat; diuisionemque ipsam cõprehendit & propositionẽ omnẽ, tum aientem, tũ negantem. Aut specialis, quæ diuisioni opponitur, solamque aientem propositionem continet. Fieri tamen posse addit, vt hæc omnia item diuisio dicantur. Rationem adferunt Themistius & Philoponus. Alter, quòd res eas, quas à sensu phantasia confusas accipit, intellectus interdistinguat & diuiduat, vnumque de altero enuntiet. Quomodo Auerroës quoque in negatione dixit intellectum primò diuidere attributum à subiecto, hoc est seorsim concipere; post componere illa. Alter, quoniam sunt ex rebus diuersis; fieri-que potest, vt in terminos ac simplices notiones, ex quibus composita sunt, diuidantur. Ita & affirmatio diuisio, & rursum negatio compositio dici possunt; quatenus illa in subiectum & attributum diuiditur, hæc eque ex subiecto & attributo cõponitur. Quãquã in logicis affirmatio, cõpositio, & negatio diuisio soleant appellari; quatenus intellectus in altera attributum ait inesse subiecto, in altera inesse negat. Sed tamen siue cõpositionẽ dixeris, siue diuisionem, duobus prædictis modis verum & falsum in propositionibus inesse concludit Philosophus; aut ratione attributi, quod cum subiecto iungitur; aut ratione temporis, quo iunctum esse pronuntiatur.

Propositio omnis diuisio.

TEXTVS.

Τὸ δ' ἓν ποιοῦν, νοῦς ὁ γὰρ ἕκαστος.

Quod autem singula vnum facit, hoc intellectus.

COMMENTARIVS CV.

ECce quomodo eadem est animæ virtus, quæ & simplicia intelligit, & componit; hæque duæ sunt facultatis eiusdem operationes, quam propterea tum intellectum, tum rationem appellare liceat. Etenim intellectum ipsum, qui simplicia & impartibilia intellexit, ait nunc ea componere atque vnum efficere. Quippe

ἕκαστον inquit τῶν ἀδιαιρέτων, seu τῶν νοημάτων; singula impartibilium seu notionum, quas principiò nominauit ad simplicem intellectionem pertinere. Nec sine causa verbum ordinem mutandum orationemque ita instruendam, τὸ ὃ ἕκαστον ποιεῖν ἓν, τοῦτο ὁ νοῦς, Quod autem singula facit vnum, hoc intellectus; Philoponus monuit: alioqui enim turbata est & obscura nimis.

Apprehensionē & compositionē eiusdem esse virtutis

Quod autem ad sententiam attinet, iure optimo Auerroës vtitur hoc loco ad conuincendum Auēpace, qui componentem virtutem ab imaginatrice, hoc est simplicium formatrice, diuersam esse crediderat. Etenim & Aristoteles intellectum simplicia cognoscentem eorum quoque compositorem esse asserit: & omnino necesse est eum, qui compositurus est, ea cognoscere, quæ componat: tum vt diudicet, quænám aptè coniungi possint, quæ non possint; quæ affirmanda, quæ neganda sint; quæ componenda, quæ diuidenda. Tum verò vt adhibeat inter ea copulam, nexum, & vnionem, quæ compositionis est forma. exemplo communis sensus Auerroës vtitur, quem in superioribus demonstratum est exteriorum particularium sensuum cognoscere oportere obiecta, si ea diudicare & eadem aut diuersa pronuntiare debeat. Etsi enim non omni ex parte similis sit communis sensus, atque intellectus operatio; eatenus tamen efficax est argumentum, quatenus extrema cognoscere necesse est, quæ aut diuidenda aut componenda & vnienda sunt.

Quod verò Philosophi sapientiam admiratur Philoponus, quæ intellectum non dixerit intelligere, sed facere vnũ: eam scilicet ob causam, quia vt id, quod est, omnibus esse impertit; & pulchrum dat pulchris vt pulchra sint; ita & intellectus ob suam simplicitatem & vnitatem, quæ sunt composita, facit simplicia. Mihi quidem certè haud tantopere mirandum videtur. Tum quia vt intellectus aliam non habet actionem, quàm intellectionẽ; sic ipsius facere, aliud non est, quàm intelligere: perindeque fuit dicere facere, ac si dixisset intelligere. Tum quia ipsemet Philoponus intellectum & dianœam distinxit; compositionemque non intellectus, sed dianœæ, quæ vnitatem illã non habet, esse iam posuit. Tum demũ quia hæc intellectus compositio etsi vnitatem quandam habet à copula, compositio tamen est pluriumque simplicium notionum complexus; & ideo veritatem habet aut falsitatem affirmationis aut negationis; hocque magnopere à simplicium & impartibiliũ intellectione distinguitur. Quod igitur facere dixit Philosophus, operationẽ eam significat, quæ plura colligit, copulat atque vnit; facitque vnum, non simplex, sed compositum. Quemadmodum enim natura ex materia & forma facere vnum dicitur, non simplex, sed compositum; ita & intellectus affirmatur ex duplici notione simplici vnum quidpiã intelligendo efficere. Vnus nãque intelligendi actus est compositio, tam ratione apprehensionis, quàm ratione iudicij. Etsi enim plures simplices antecedãt notiones, eę tamẽ vnico actu coniunguntur & iudicantur, neque iudicatoria hęc vnio, nisi vnico actu constare potest. Propterea que interdum etsi notiones simplices apprehenderimus, nondum tamen propositionẽ intelligimus; quòd actus desit, quo illæ coniungantur, atque vt vnum intelligantur, simulque de illis iudicetur: sed antea cognoscebãtur vt vnum, post ad modũ vnius coniuncti intelligentur. Quã cõiunctionẽ exprimit copula in propositione vocali, qua simplices terminos coniungendo fit ex plurib⁹ partib⁹ oratio vna. Argumento sit sensus, qui vnico actu plura simul obiecta sensilia cõprehẽdit, aspectus plures colores, & auditus plures sonos; dũ ille picturã intuetur quãpiam, hic harmoniam audit: & cõmunis sensus obiecta plura diudicat. At intellectus meliot facultas est atque ad agẽdũ potentior. Quare etsi plures simul nequeat intellectiones producere, quòd determinatã habeat formã & naturã: quã ob causam in 2. lib. Topic. inquiebat Philosophus, scire plura contingit, non autem intelligere; possunt inquam plures habitus esse simul, at non plures actus: vnica tamen intellectione potest plura complecti atque in vnũ colligere; sitque perspicue, vt plura simul obijciantur phantasmata. Vbi verò simplicia intelliguntur, momentanea est operatio; etsi aliquo post tempore prorogari queat. Nam & obiectum est impartibile; & aspectus in lib. de sensu & sensili, & cõmunis sensus in tex. 146. l. 2. huius operis momento operari dicuntur. At vbi hæc componuntur, aut ex vno aliud deducitur; sanè intercedit tempus, dũ ex vno ad aliud, ex subiecto ad attributũ, ex causa ad effectũ intellectus trãsit. Verùm si cõmunis sensus iudiciũ de pluribus sensilib⁹ momentaneũ est; cur non intellectus quoque iudiciũ tũ de cõpositione, tum de ratiocinationis conclusione fuerit? Porrò quod attinet ad illud verbum (facit) si vlla sit in eo vis, ea fortasse fuerit, vt propterea dixerit potiùs facere, quàm intelligere; quòd tum in simplicium apprehẽsione, tum in compositione sit sanè agere & pati; agere iudicando & producendo intellectionem; pati autem, illam velut intellectæ rei speciẽ suscipiendo; at in simplici apprehensione pati potiùs videatur, quàm agere dum rei speciẽ formatur; in cõpositione verò magis agat, quàm patiatur; dum plura coniungit aut diuidit, aut ex vno aliud ratiocinatur. Sed de his iam pluribus est disserendum.

Digressio. xxxi. De actionibus intellectus.

IN intellectione, quæ propria est intellectus functio, duo cernuntur; essentia eius, & modus. Essentia duobus perficitur. Alterum est perfecta rei apprehensio, quæ rem intellectui præsentẽ faciat; eiusque vis maxima consistit in euidentia & claritate; vt res, quemadmodum est, clarè repræsentetur. Alterum est assensus & iudicium; quo firmiter intellectus apprehensę rei assentitur, aitque ita esse vt repræsentatur; atq; eius maxima virtus est certitudo & firmitas, ne facilè diuelli possit. Modus autem intellectionis nil aliud est, quàm certa quædam apprehendendi & iudicandi ratio. Hæc verò triplex est. Nam vel intellectus intuitu simplici percipit rem vt est; sicut oculus intuetur colorẽ; hominem inquam aut animal seorsim, nihil affirmando aut negando: tuncque firmiter illi statim adhæret. Vel eam non satis penetrat; illique simpliciter apprehensæ attribuat aliquid oportet, quod in ea sit; aut aliquid de ea neget, quod ei non insit. Ita compositio fit aut diuisio: vt cùm homini apprehenso attribuitur esse animal, aut is negatur esse lapis. Quòd si intellectus rem ita esse cognoscit vt dicit; perfectam sanè cognitionem habet. Sin autẽ non cognoscat, tunc ostendere oportet id inesse rei, quod illi attribuitur; aut non inesse id, quod de ea negatur: hocque per

Intellectus duo sunt munia.

Tria intellectus munera.

per aliquid aliud, quod ineſſe nouerit, aut non ineſſe. Hominem enim animal eſſe oſtēdet, quòd ſentiens ſit, omneque, quod ſentit, ſit animal: aut non eſſe lapidem, quia ſentiat, nullúſque lapis ſenſu præditus ſit. Atque hic eſt tertius intellectionis modus, qui ratiocinatione conſtat, ignotū quid piā ex alio noto colligens ineſſe alteri. Suntq; tres omnino intelligēdi modi, treſq; intellectus actiones, quibus ad rerum cognitionem venimus; ſimplicium apprehenſio, compoſitio aut diuiſio, ac demum ratiocinatio.

Plures non eſſe

Plures non eſſe, conſentiunt omnes: tū quia vbi ad ratiocinationē ventū eſt, qua certò probatum ſit ineſſe aut non ineſſe; non eſt quò progrediaris vlterius, quòd perfectam rei cognitionem obtinueris. Tum quia experitur vnuſquiſque ad hæc tria reuocari quæcumque agitat mente. Aut enim rem apprehendit, aut illi quidpiam attribuit, aut aliquid de ea probando oſtendit. Tum demum argumento ſermonis, qui ſignū eorū eſt, quæ ſunt in mente. In eo namq; primū eſt ſimplex vox ſimplicem notionē ſignificans, vt homo: deinde oratio affirmans quidpiam aut negans, compoſitionis ac diuiſionis mentis interpres; vt homo eſt ſentiēs: ac demū oratio probans aliquid de aliquo ignotumque ex noto deducens; vt homo eſt ſentiens, ergò eſt animal. Sic.n. animi noſtri ratiocinationes alijs exponimus. Simplicis apprehenſionis munus eſt notionem ſeu conceptionē rei ſimplicē fomare; quam & nos voce ſimplici promimus, & is format, qui eam audit. Compoſitionis autē & diuiſionis eſt attribuere quidpiam rei conceptæ, aut cum illa coniungendo, aut aufferendo ab ea & ſeparando. Ratiocinationis denique propriū fuerit, ſiue coniungēdo ſiue ſeparādo, ex aliquo noto aliquid aliud de proprośita re colligere.

Num eſſentia diſtinguātur.

At magna contentione certatur, num earū numerus minor eſſe poſſit, anque eſſentia omnes diſtinguantur. Sunt enim qui omnium idem obiectum eſſe dicant, dum ſecunda idipſum cōponit, quod in prima ſeorſim fuerat apprehenſum; & tertia id, quod erat in 2. diuiſum; neque diuiſum eſſe aut coniunctum eſſentia differunt. Quòd ſi apprehēſio ſpectetur & iudicium circa res eas ſimplices aut compoſitas; primam quidem & ſecundam eſſentia differre; quòd aliud ſit ſimpliciter hominem apprehendere, aliud eum iudicare ſentientē eſſe. At tertiam à ſecunda non item; neque aliud eſſe, quàm eandem ipſam duplicatam. Et Philoſophus in tex. 21. non niſi duas cōmemorauit; impartibilium intellectionem, atque compoſitionē.

Credendū tamē eſt tertiā quoque eſſentia diſtinguia ſecunda. Nam quod ad obiectū ſpectat, ſunt ſanè res eædam, quæ actionibus illis omnibus cognoſcuntur; ſi materialiter, & vt res quædam ſunt, conſiderantur, At formaliter diuerſæ ſunt; dum aut ſingulæ accipiuntur, aut vna cum alia componitur, aut ex vna tandem nota alterius cognitio aut probatio deducitur. Obiecta verò formalia actionib⁹, immò & facultatibus diſtinguendis ſufficiunt. Quoad ipſius verò actionis eſſentiā; ſiue in ea conſideretur apprehenſio & cognitio rei; ſiue aſſenſus & iudicium quæratur; tres omnino diſtinctæ actiones erunt. Quippe aliam prorſus eſſe rei ſimplicis apprehenſionem & cognitionem, aliā compoſitæ, fatētur omnes: multoq; magis ea diuerſa eſt, qua deductio vnius ex alioplurimúe rerum connexio cognoſcitur. Nam ſi diſtinctus cognitionis actus eſſe conceditur rerum antea cognitarum coniunctionē cognoſcere; multò magis diſtinctus eſſe videtur nouæ cognitionis comparatio; quæ antea penitus ignota, mox fuit ex priori cognitione deducta. Aſſenſus quoq; & iudiciū diuerſa ſunt. Aliud eſt nāq; ſimplici eſſentiæ apprehenſioni aſſentiri; aliud duorum terminorum antea cognitorum connexioni; aliud illationi atque ignoti alterius ex antea notis deductioni. Primum iudicium prorſus eſt ſimplex; Alterū compoſitū, ſed absque deductione vnius ex alio. Tertium deductionem habet, qua intellectus cōcluſionem ex præmiſſis, conſequens ex antecedēti & ignoti cognitionē ex cognitione noti iudicat neceſſariò colligi. Atque vt alia eſt attributi cum ſubiecto coniunctio, alia concluſionis cum præmiſſis, conſequenis cum antecedenti, atque ignoti cum aliquo noto, aut etiam maioris, minoriſque extremitatum cum medio termino: ſic alius profectò eſt in ſecunda tertiaque actione aſſenſus, aliud iudicium. Quocirca ſi duas ſimul propoſitiones vnires, & vnicuique præberes aſſenſum; nec tamen termini medij cum duabus extremitatibus connexionem animaduerteres; nihil omnino colligeres neque vlla eſſet operatio tertia. Ita igitur ex parte cognitionis, aſſenſus, & iudicij, in quibus actionum harum natura conſiſtit, eas omnes eſſentia diſtingui demōſtratur. Ex parte autē modi operādi, ex dictis res eſt manifeſta

Quòd ſi Ariſtoteles duas ſolas commemorauit: aut famoſiores duntaxat quaſdam, non omnes actionum differentias indicare voluiſſe reſpondebit Auerroës. Aut propterea id factū eſt, quòd non tam vellet eo loco perfectè actiones omnes intellectus diſtinguere; quàm docere in quanam earum falſitas eſſet aut non eſſet: & quoniam in prima non eſt, ſed in ſecunda; duas haſce commemorauit. Præſertim cùm veritas aut falſitas in compoſitione maximè attributi & ſubiecti appareat, dum alicui quidpiam attribuitur, quod inſit illi aut non inſit. Aut poſtremò ampliori acceptione compoſitionem dixit, quæ tum in attributi & ſubiecti, tum in antecedentis & conſequentis, propoſitionō & concluſionis, compoſitionem ſubdiuiditur.

Quæ earum neceſſitas.

At enim quid eſt cauſæ, cur tam multæ ſint humanæ mētis actiones? An imbecillitas illius & imperfectio? Si enim apprehenſione ſimplici perfectam rei poſſet notionem formare, quæ contineret quidquid in ipſa eſt re; eſſet omnino perfecta cognitio, neque alia opus eſſet operatione: quēadmodum Deus menteſque ſeparatæ ſimplici ſolùm vtuntur intuitu, quòd eo cognoſcant quidquid in re cognoſci poteſt. At quoniam pauciſſima ſunt, quæ ſtatim à nobis ita cognoſcantur; quod dū intellect⁹ noſter ſequitur ſenſus, qui ſola percipiunt accidētia; non niſi rudē & cōfuſū cōceptū formare poteſt. Propterea cogimur alijs actionibus vti, quibus & res plures componamus, & ex vna deducamus aliam, & cum ea coniunctam eſſe probemus. Ex quo manifeſtum eſt ſcientiam omnem noſtram ab hac maximè tertia operatione pendere; nobiſque conuenientiſſimum intelligendi modum hunc eſſe, qui ratiocinando ſit.

Quæ omniū nobiliſſima.

Omnium tamen nobiliſſima eſt prima. Nam etſi cæteras antecedat, quia vt cōponas neceſſe eſt res antea ſimplices apprehendas, quas deinde componas; compoſitiſque vtaris, vt ex vna deducas aliā:

quam ob causam inquiunt plerique primam esse propter secundam & vtramque propter tertiam. Verius tamen vtraque est propter primam; ideoque componimus & ratiocinamur, vt assequamur tandem perfecteque quidquid est in re apprehendamus. Argumento est, quòd antequàm definitionem instruas, vtendum tibi est compositionibus multis, diuisionibus, & ratiocinationibus; cùm tamē ad primam actionem definitio spectet. Quocirca si quando apprehensione prima perfectè quidpiam apprehendimus, in ea sola sistimus actione; neque compositione aut ratiocinatione vtimur: quemadmodū Deus & Angeli, qui optimum habent intelligendi modū solaque prima illa actione vtuntur. Cæteris nos illam iuuamus intellectionisque nostræ imperfectionem subleuamus. Vt verè dici possit, apperhensionem illam, quæ ad compositionem ratiocinationemque refertur, valdè imperfectam esse; primamque operationem imperfectam antecedere alias atque ad alias ordinari; eandem tamen perfectam & absolutam finem & vltimū illarū esse; velut omniū præstantissimam, in qua diuinum & angelicum intelligendi modum imitamur. Nam & Aristoteles in 3. Topic. lib. cap. 2. id esse nobilius affirmauit, quod nobilissimo magis est simile. Et l. 5. Metaph. cap. de priori, id esse prius, quod primo propinqui° est. Quippe primum in vnoquoque genere ex lib. 2. tex. 4. cæterorum mensura est; & tex. 85. 1. libri de anima, rectum sui & obliqui regula. Etsi enim secunda tertiaque actiones diuinæ nos faciant intellectioni similes in obiecto, dum naturam & proprietates cognoscimus; prima tamen cognitionis & intellectionis similitudinem habet; quoniam simplex est & ad modum intuitus, quemadmodum illa. Certissimum quoque principium est, facultates actionibus, actionesque obiectis distingui: & in moralibus item virtutum habitus actionibus & obiectis separantur, & suum quisque gradum habet. Primæ autem actionis nobilius obiectum est, dum per eam solam mens nostra cui usque rei essentiam apprehēdit. Etsi enim vt essentiæ partes genus & differentiam inuenias, compositione ac ratiotinatione vtaris; vbi tamē inuentæ illæ fuerint, eam esse essentiam & quiditatem in prima operatione ex vi proprij luminis cū quodā etiā iudicio & assensu simplici apprehēdis. Quòd si in secunda hominem dicas animal rationis particeps; non de nouo essentiam hominis cognoscis; sed compositionem illam, essentiā cognitam inesse homini: quæ cōpositio definitionis est & rei definitæ; essentiæ & eius quod essentiam habet. Minùs etiam in actione tertia cognoscitur essentia vt essentia est: sed vel vt est proprietatis causa, si sit subiecti essentia; vel vt alicui subiecto conuenit, si demonstrandæ proprietatis essentię fuerit. Ergò essentiam ipsam puram & sinceram, vt essentia est, non nisi in operatione prima contuemur: quoniam hac ratione considerata simplex quidpiam est, quod non nisi simplicis operationis obiectum esse potest; vt nec actio simplex, nisi simplex obiectum cognoscit.

Modus quoque operandi multò melior est in hac ipsa, quàm in cæteris, actione; ac præsertim in tertia, pro qua potissimùm pugnant nonnulli. Etenim tertia hæc cum motu coniuncta est: quippe ratiocinatio nil aliud, quàm motum quendam mētis ex vno in aliud progredientis, significat. Prima verò illa est sine motu, firma & immobilis adhæsio, ad modum intuitus, quo immobiliter obiectum cum mente iungitur. Quam ob causam maiorem angeli, quàm nos, euidentiam perfectioremque scientiam habent: non modò quòd perfectius habeant intellectiuum lumen; verùm etiam quòd hac sola cognitione vtantur, qua immobiliter cognitæ rei adhærent: indeque sanctus Thomas in 1. parte sum. quæst. 64. tantam in dæmonibus pertinaciam deduxit; etsi aliæ aliis magis probentur causæ. Atqui motum imperfectionem significare Philosophus docuit in tex. 15. libri 3. Phys. nec defuerunt eiusdem testimonio in tex. 12. qui iudicarent esse non ens. Contrà in quiete potiùs animi perfectionem & scientiæ aquisitionem posuit in tex. 20. libri 7. eiusdem operis. Pulchrè verò & ad rem Themistius in 1. lib. de Anima cap. 26. disputans num intelligere nobilius sit, quàm cognoscere, intelligere exponit simplicem apprehensionis primæ actionem significare, cognoscere autem cæterarum compositionem ac ratiocinationem: omninoque constituit intelligere actionemque primam multò præstabiliorem esse. Tum quia in cæteris modò veritas sit, modò falsitas; in illa veritas duntaxat; vt hoc loco Philosophus quoque prodidit: quòd aut rem apprehendamus quemadmodum est, aut penitus ignoremus. Tum quia intelligere primæ actionis sit quasi amplecti & attingere rem ipsam, quam intelligimus; cognoscere verò secundæ & tertiæ veluti circuire, lustrare, circumspicere, nec tamen ad eam accedere: quod voces ipsæ apprehēsionis & ratiocinationis seu discursus indicare videntur, & aptissimè Maximus Tyrius in serm. 1. Diuina, inquit, mens instar solis vnico simul intuitu quidquid in terra est perspicit. Humana verò pro more viatorum non nisi longissima mora ac diuersis tēporibus vniuersi partes cognitione percurrit. Neque enim à cæteris pendet hæc actio prima, siue obiectum siue certitudinem spectes: nisi fortasse instrumentariè, dum illis ad comparanda sibi & inuenienda necessaria vtitur: quemadmodum & intellectus pendet à sensu, & demonstratio ex causis à demonstratione ex effectis, scientięque omnes à logica: cùm tamen intellectus sensu, & demonstratio ex causis demonstratione ex effectis, & scientiæ omnes logica præstabiliores sint ac meliores. Ita sanè prima quoque hæc actio reliquis præstat; habetque propriam sibi certitudinem, non aliunde, nisi inchoatiuè ortam; firmam atque immobilem adhæsionem illam, de qua dictum est. Itaque duo planè licet concludere. Alterum, quantopere cæteris præstet prima hæc operatio. Nam si, vt est in tex. 1. libri primi huius operis, & cap. 2. libri 8. Topic. vna cognitio aut scientia præstat alteri, vel quòd obiectum sit melius, vel quòd certitudo maior; ea est vtroque nomine longè superior.

Alterum, definitionem quoque demonstrationi præferendam esse. Etsi enim definitio, vt est demonstrationis medium, deterioris videatur conditionis esse; quòd illius pars sit, atque ad eam, vt medium ad finem parsque ad totum, referatur. Si tamen consideretur vt essentiæ & quiditatis rei cuiusque cognoscendæ instrumentum existit; omnibus profectò demonstrationibus anteponetur. Et enim obiecto præstat, cognoscendi modo, ac fine.

Cùm

Cùm namque instrumenta hæc cognoscendi ad perficiendas mentis nostræ operationes circa proprias earum obiecta comparentur; præstabilius illud iudicandum est, quod præstabilioris obiecti perfectiorem cognitionẽ nobilioris operationis efficiet. Definitio substantiæ seu essentiæ cognitionem adfert, demonstratio accidentium siue proprietatũ: quãtũ igitur es3ętia proprietatib⁹ &accidentibus substãtia præstat, tantũ demõstrationi definitio præstabit. Quo illud spectat, quod legimus in tex. 3. libri 3. Metaph. & tex. 4. libri 7. Magis nos scire cùm scimus quid est homo, quàm cùm scimus qualis sit aut quantus. Et illud in primo de partibus animalium capite 5. Melius esse de diuinis ac B præstantissimis rebus vel probabilem cognitionem habere, quàm de caducis demonstrationem.

Maiorem verò illiùs quoque certitudinem esse, eadem primùm argumenta demonstrant, quibus maior primæ operationis demonstrata est certitudo. Deinde illud accedit, quòd conclusionis demonstratæ certitudo ex præmissarũ certitudine ducitur: at in illis est definitio velut demonstrationis mediũ conclusionis continens causã. Quare si sapienter Aristoteles in priore libro de analysi posteriore tex. 5 demonstrationis principia notiora & certiora conclusione probauit esse o- C portere, quoniam conclusioni propter principia assentimur; definitio quoque multò fuerit demonstratione certior. Siquidem ea est per se certa, velut in demonstrabile, & carens causa principium demonstratio ex definitione probationem ac certitudinem accipit. Et in tex. 6. eiusdem libri & tex. 17. libri posterioris, habitus principiorum nobilissimum dicitur esse scientiæ genus; quoniam ex se certitudinem habet, demõstrationisque scientiæ principium est. At persimilis illi est definitionis scientia. Denique definitio scientiam parit per formalem causam vt est formalis: demonstratio aut per alias D causas; aut si per formalem, non vt formalis, sed vt causa est. In ipsismet verò demonstrationibus certiores eæ iudicantur, quæ sunt per formalem causam, quia hæc maxime certa & intima causa. Neque prætermittendum est, definitionem esse veluti cognitionis omnis nostræ finem & vltimum, in quo tandem intellectus quiescit, perfectè comprehendens & intuens essentiam post proprietatum cognitionem. Vt hanc ob causam Aristoteles in 2. de posteriori resolutione libro de illa post demonstrationis in priore tractationem dixerit. Quanquàm aliæ non de- E sunt eius rei causæ: præsertim quòd de illa etiam vt est demonstrationis medium dicere oporteret: quare cùm hæc tractatio post demõstrationis cognitionem esse deberet, totam simul definitionis tractationem coniungere libuit.

Cur in 2. posterio. dicatur de finitione.

Verùm hæc pluribus persequi alterius est loci. Ad hunc duo pertinet explicare, quæ in superioribus verbis indicauit Philosophus. Alterum, quo modo in his actionibus veritas aut falsitas reperiatur. Alterum, quæ sit propria singularum vis & natura.

Veritate & falsitate.

Atque vt à communissimis exordiar, veritas vniuersè considerata, conformitas est rei ad sua principia; falsitas autem difformitas & discrepan- A tia. Estque multiplex veritas. Transcendens vna, quæ in rebus ipsis continetur velut entis affectio: qua res vnaquæque dicitur vera, quòd conformis sit diuinæ ideæ, à qua habet id quod est. Ex qua conformitate similitudinis relatio sequitur rei ad ideam: quæ relatio realis est: quippe mensurabilis ad mensuram relatio iudicatur esse realis in tex. 20. libri 5. Metaph. hæcque relatio conformitatis ad intellectum diuinum formalis ratio est, cur creata omnia entia sint vera. Persimilis huic est ea veritas, quæ in rebus arte factis cernitur, atque in similitudine cum artificis idea seu exemplari, cuius imitatione factũ est opus, agnoscitur. Nam vt diuinus intellectus rerum omniũ, quæ natura constant, mensura est; sic intellectus practicus artificiũe idea & exemplar, artificiatarũ rerũ mensura sunt. Altero modo sumitur veritas vt est in cognoscente ac præsertim in intellectu; conformitatemque significat cognoscentis cum re cognita: eandemque ob causam relationem realem mensurabilis ad mensuram. Mensura igitur & causa veritatis huiusce res ipsæ sunt. Neque enim tunc res sunt veræ, quando sunt quemadmodum cognoscuntur (hoc enim esset cum sophista Protagora ineptire, vt in comment. ad relationis categoriam testatur Ammonius) sed contra tunc verè nos cognoscimus, cùm vt res sunt, cognoscimus; si quidem cognitio nostra rerum causa non est quemadmodum diuina; sed contra ex rebus ipsis potiùs hauritur. Quemadmodum igitur res vt vera sit, diuinum debet intellectum imitari; sic nostra cognitio tunc demum existimabitur esse vera, si fuerit rebus conformis. Huc Platonis illud spectat in Theæteto, intellectum cognitione rerum imbutum persimilem esse picturę: & peripateticum illud in tex. 14. superiùs explicatum, eum antequàm quidquã intelligat veluti tabellam esse, in qua nihil est scriptum (liceat nunc pictum dicere. Picturæ autem propriè est rem eam, cuius pictura est, referre ad viuum. Iam eadem veritas, quæ tanquàm causa & fundamento cognitis rebus tribuitur, eodem modo in ipsa cognoscente facultate inest; si vt res quædam est, quæ cognosci potest, consideretur: immò & in ipsamet cognitione. At si cognitio, vt est cognitio, spectetur; ea nimirum est, quæ formaliter dicitur vera. In facultate autem cognoscente vt est cognoscens, veritas inest tum vt in subiecto cognitionis illius, quæ formaliter dicitur vera: tum vt in efficiente causa; siquidem ea ipsa est, quæ verè cognoscit, veramque cognitionem promit.

Veritas duplex.

Cæterùm duplex est veritas. Vna simplex, in rerum simplicium cognitione, si eo modo, quo sunt, cognoscantur. Hæcque non solùm in prima mentis functione agnoscitur in tex. 26. & in 9. lib. Metaph. tex. 22. sed in sensus quoque cognitione; tum in eodem tex. 26. tum in tex. 152. libri 2. quoniam facultas vtraque suum obiectum, vt est, apprehendit. Nec modo in apprehensione simplici versatur hæc veritas, sed & in assensu quodam ac iudicio simplici; quo tum sensus iudicat hoc esse album, illud nigrum; tum intellectus hanc aut illam cuiusque rei naturam. Altera coniuncta; quæ affirmationem habet aut negationem vnius de alio; conformitatemque significat connexionis illius attributi & subiecti, quæ sit ab

intellectu, cum ea compositione reali duarum naturarum, quæ est in re; vt propterea intellectus ineſſe aut non ineſſe vnum alteri dicat, quòd re ipsa insit aut non insit. Veritas hæc, quæ est in cognoscente vt in dicente veritatem, solius est intellectus, non sensus: neque primæ operationis, sed secundæ, vt est in libro de interpret: cap. 1. quoniam in prima neque compositio est, neque diuisio. Neq illius simplici veritati opponitur falsitas, sed ignoratio: & in tex. 21. in impartibilium intellectione dicebatur non esse falsum. Quoniã vel intellectus apprehendit rem vt est, conformis scilicet illi & verus, vel omnino non apprehendit, & ideò ignorat. Quia rem impartibilẽ partim apprehendere & partim non apprehendere nequit. Quòd si genus apprehendat & non differentiam; non essentiã se essentiæ gradum apprehendit; eumque verè apprehendit, alterum ignorat. Chymeram item & id quod non est, apprehendit interdũ: at quia non apprehendit vt quid ipsius rei, non est à re difformis nec falsus. Et rursum quia nõ dicit chymerã esse, non est ab ipsius chymeræ natura in hac apprehẽsione difformis; & ideò nec falsus: immò verus, eam vt est apprehendens, nempe vt fictitium quidpiam non in natura cohærens. Falsitas igitur veritati compositæ aduersatur. Quoniã vt dici potest rem esse vt est, eique attribui aliquid quod insit; aut non esse vt nõ est, & negari quidpiã quod non insit: ita dicere licet eam esse vel non esse, secus quàm sit vel non sit; alioque modo affirmari aut negari de illa, quàm ei conueniat. Quare cùm veritas propriè videatur esse illa, cui opponitur falsitas; non nisi in secunda mentis functione propriè videtur esse. Atque in ea mendacium esse potest, non in prima: veriſſimeque dictum est in tex. 18. libri 2. Phys: abstrahentium non esse mendacium. Hocque differt falsitas à mendacio, quòd falsitas est ex parte rei, mendacium vt nomen ipsum significat, ex parte intellectus dicentis. Si enim intellectus rem secus intelligat, quàm sit; nimirum fallitur: si verò ita esse pronuntiet, secusque habere cognoscat, mentitur. Quod si ita esse putet & non sit, non mentitur, sed falsum dicit. Quare cùm prima operatio non dicat nec affirmet quidquam aut neget, sed hoc ad secundam pertineat; ad secundam profectò, non ad primam, mendacium spectat, falsum, atque adeò error. Quocirca nec prima illa propriè indiget directione ad vitandam falsitatem aut errorem; sed subsidio potius & opead ignorationem tollendam. In secunda verò cùm falsitas & mendacium esse possint, opus omnino est directione.

Falsitas & mendacium quid differant.

Quæ fuit causa, cur in logicis Aristoteles de prima tradiderit perpauca; nimirum in libro de interpret. per eam simplices formari notiones, quibus in voce respondent nomen & verbum, quæ simplices termini sunt: & in secundo lib. de posteriore analysi, quis sit modus inueniendæ definitionis. Plurima verò de secunda, modum explicando coniungendi attributum & subiectum in propositionibus, & figurarum modos, & alia omnia, quæ tum in genere, tum in specie ad ratiocinationes pertinent.

Sed omittendum hoc loco non est, duplicem adhuc esse secundæ operationis veritatem: alteram de re vera, alteram de falsa. Vt enim illam verum est esse veram, ita hanc verum est esse falsam, non veram. Quia tamen scientia est de aliquo positiuo, non de negatiuo; primam potissimùm veritatem scientiam omnes desiderant, cùm falsitas veritatis quædam priuatio sit.

Porrò præter hos omnes modos hactenus commemoratos, quibus veritas est in intellectu, alius quidam est obiectiuè, tanquàm in cognoscente veritatem; dum suæ interdum propositionis veritatem contemplatur. Denique sunt qui addant etiam esse repræsentando. Nam cùm intellectus habet in se similitudinem rei, si ea sit vera & conformis, dicitur ipse veram illius rei, cuius similitudo est, repræsentationem habere. Atque de veritate & falsitate hactenus.

Iam de singulis actionibus hisce dicendum. Primæ proprium maximè est simplicem rei notionem formare, nihil affirmando aut negando; solumque apprehendere quid res vnaquæque sit, absque proprietatum & adiunctorum cognitione: cum assensu tamen & iudicio simplici. Modus autem operandi est intuitu simplici & inspectione essentiæ, absque compositione vlla vel diuisione, affirmatione aut negatione. Quare propter intellectionẽ dicitur apprehẽsio; propter modum, simplex apprehẽsio. Cum hac autẽ simplici apprehẽsione simplicisque notionis formatione abstractio semper coniuncta est; qua vna res ab altera separetur, seorsimque cognoscatur, non cognita alia, quæ cum ea coniuncta sit. Non quòd prius tempore abstractio fiat, deindeque simplex notio formetur: sed quòd dum intellectus simplicem formatur notionem naturæ rei per se consideratæ, eam ab alijs omnibus abstrahit. Vt enim sensus colorem pomi cernens non percepto sapore alijsque, quæ cum eo coniuncta, sunt; abstrahere ab illis colorem dicitur; neque aliud est hæc abstractio, quàm vnius cognitio sine alijs. Ita intellectus essentiã comprehendẽs illiusque solius sine alijs proprietatibus & accidẽtib⁹ adiunctis notionẽ formans, abstrahit illam atque ab alijs separat: neque hæc abstractio aliud significat, quàm actionem illã, qua solius essentiæ absque adiunctis cæteris notio simplex formatur. Eadẽ namque hæc actio, tũ notionis seu cõceptus formatio & cognitio vocatur, vt rei comprehensio est; tũ abstractio, vt est vnius rei sine alijs perceptio. Itaque cùm duplex fieri possit separatio; vna superioris ab inferioribus, vt humanæ naturæ ab hominibus singulis: altera formæ à subiecto, in quo est; vt risibilitatis ab homine, coloris à pomo; duplex quoque abstractio existit; vniuersalis vna, altera formalis: vtraque primæ huius actionis mentis, cuius est abstrahere, hoc est vnum sine adiunctis alijs cognoscere.

De singulorum notionibus formandis.

Abstractio duplex.

Abstractio vniuersalis.

Abstractio formalis.

Ergo prima hac actione quid res sit quoquo modo concipimus. Id verò duobus modis habere potest. Aut enim perfectè & exquisitè naturam totam & singulas eius partes distinctè cõprehendimus: aut obscuram duntaxat notionem quandam formamus, in qua confusè & indistinctè continentur omnia, quæ insunt in re. Et quoniam hæc actio imperfectissima in nobis est, posteriorem

posteriorem hanc notionem plerúmque formamus; qua cùm confusè plura contineantur, altera mentis functione distinguenda sunt singula, & verò etiam tertia, si opus sit, probanda. Sed cùm nihil componi aut attribui possit, quod non antea fuerit apprehensum; simplicia primùm attributa cognoscere oportet, quæ apprehensa mox componantur.

Duo simplicium attributorum genera.

De re igitur, cuius naturam quærimus, quædam affirmando dici possunt, vt homo est animal; eaque omnia, quæ illi insunt: alia negando, vt homo non est lapis; ac cætera, quæ non insunt. Vnde simplicium attributorum duo existunt genera; vnum affirmantium, alterum negantium. Affirmantia sunt, tum ea, quæ rei essentiam constituút; tum accidentia velut illius ornatus. Essentia res omnes partim conueniunt, partim discrepant. Quare duo sunt, quæ illam constituunt; alterum illi commune cum cæteris, vt in homine esse ens, substantiam, corpus, viuens, animal: alterum illius proprium, esse rationale. Ita tria existunt affirmantia attributa essentialia, genus, differentia, & definitio genere constans & differentia: quorum duo priora omnino simplicia sunt, tertium vocibus saltem videtur esse compositum, dum duplici voce exponitur, animal rationale. Accidentia item duplicis generis sunt: aut propria, quæ consequuntur essentiam, vnique tantú rei conueniunt; vt hominem esse risibilem: aut communia, quæ accedunt extrinsecùs & pluribus insunt; vt esse album. Vnde alia duo affirmantia attributa habentur, sed accidentaria: vnum vnius rei proprium, alterum cõmune cum cæteris. Suntque omnino quinque affirmantium attributorum genera, quæ de re vnaquaque cõcipiuntur: ea Porphyrius in sua quinque vocum explicatione pulchrè comprehendit: nam quod ad speciem attinet, si ea spectetur in mente, ipsa est speciei essentia mente concepta, quæ Porphyrio secundum est attributum, vt de singulis dici potest: vt autem in voce cõsideratur, attributum est compositum. Negantia verò attributa, quæ omnia ea continẽt, quæ rei non insunt, ex affirmantibus colliguntur: quidquid enim est præter illa, negans fuerit attributú. Ex quibus omnibus ampla prorsus compositionis & diuisionis materia operationi secundæ suppeditatur. Nam affirmantia componet, negantia diuidet; vt cognitis omnib⁹, quæ insunt rei, vel non insunt; & si opus sit, operatione tertia probatis propriam tandem & distinctam formemus notionem, qua quid res sit comprehendamus.

De secunda operationis compositione & diuisione.

Ad secundam igitur operationem compositio spectat vel diuisio simplicium duarum notionum in prima apprehensarum, quarũ vna vel componendo vel diuidendo dicatur de altera: componẽdo inquam ea, quæ insunt; diuidendo, quæ non insunt. Et quoniam ad hoc concurrunt tum intellectus componens & diuidens vt efficiẽs causa; tum notiones, res, ac voces, quæ componi videntur & & diuidi: de his fuit olim inter peripateticos disputatum; vt videre est apud Dexippum, Ammonium, & Simplicium, dum illam exponũt diuisionem eorum, quæ dicuntur, quam Aristoteles categoriarum libro præposuit. Sed duobus modis compositio hæc & diuisio consideratur. Primùm vt actiones intellectus sunt: atque ita ipsæmet notiones simplices actione prima formatæ componuntur & diuiduntur: non vt res quædam sunt, sed vt rerum conceptarum similitudines. Quare res ipsæ quoque componi dicũtur & diuidi, tanquam eorum significata, quæ verè propriè componuntur, & diuiduntur: & voces quoque in enuntiatione vocali tanquam illorum signa. Altero modo compositio & diuisio considerari possunt, vt rei cuiuspiam cognitiones quædam sunt: vt inquam componere nil aliud est, quàm cognoscere aliquid inesse alicui; & diuidere, cognoscere non inesse. Quo modo propriè componuntur & diuiduntur res ipsæ, non notiones, aut voces. Tum quia intellectus in his cognitionibus fertur in res, non in notiones aut voces. Tum quia si compositio notionum esset aut vocum, falsa esset omnis compositio: siquidem falsum est notionem aut vocem hominis esse notionem aut vocem animalis. Quanquàm non componuntur & diuiduntur vt reipsa existunt: quoniã ita singulæ sunt, quodque in compositione & diuisione dicitur, est ferè vniuersa natura: & in propositione quoque duorum distinctio & eorumdem compositio requiritur; quæ non nisi per intellectum est. Componuntur ergò & diuiduntur vt mentis cognitioni subsunt. Nam etsi aliqua distinctio necessaria sit; quia si non essent duo, nulla fieret compositio nec diuisio: intellectus tamen distinctio satis est, quemadmodum compositio & diuisio est intellectus: vt licet vna & eadem sit res, pluribus tamen modis concipiatur; vt videre est in genere, differentia, specie, & indiuiduo, quæ sunt idem re: at in rebus ipsis fundamentum existit distinctionis graduum & attributionis, quam perfectura est mens. Itaque in re cognita duo spectabis: tum rem ipsam, quæ cognoscitur: tum illud esse cognitum & abstractum, esse conceptum, esseque distinctum vnum ab alio. Ab horum enim altero res habet, vt verè componi queat & diuidi; idque est, quod reipsa attribuitur. Alterum autem conditio quædam est necessaria, vt reipsa componi, diuidi, & attribui possit. Dum tamen res cognitæ verè & formaliter componuntur, diuiduntur, & attribuuntur; notiones quoque componi, diuidi, & attribui dicuntur, quatenus repræsentant res, earumque interuentu res ipsæ cognitæ componuntur, diuiduntur, & attribuuntur: at voces demum ipsæ, vt easdem significant.

Quales res cõponendæ aut diuidẽdæ.

Porrò inter notiones componendas aliquam oportet habitudinem esse, propter quam coniungantur: siue ea sit superioris & inferioris, siue totius & partis, siue identitatis, siue inhærentiæ, siue alia quæuis: siue repugnantiæ, ob quam diuidendæ sint, aut habitudinis saltem defectus. Atque habitudo eiusmodi sit, præsertim si fuerit inhærentiæ, vt notio vna suscipientis subiecti vim habeat, altera aduenientis & inexistentis formæ. Sic enim fiet, vt vna possit attribui alteri mentéque cum ea componi, sicut reipsa composita est. Vbi verò hæc ita habeant, actus accedit intellectus; qui primùm notiones eas ita esse inter se affectas cognoscit, iudicatque coniungi posse, aut componendo, aut diuidendo. Deinde actu coniungit, affirmando aut negando: etsi vtrumque simul fiat, vnicusque sit actus qui quoad intellectionis substantiam assensus est & iudicium, quo vna notio iungatur alteri; quoad modum vero compositio dicitur aut diuisio.

Secunda operationis forma.

Ex quibus omnibus sex prorsus intelligentur. Primum, huius operationis formam coniunctionem esse illã duorum (siue componendo fiat, siue separando) cum assensu & iudicio. Eamque à prima distingui, non modò forma & intellectionis ratione, sed materia quoque & re intellecta: cum obiectum eius non sint res simplices (hæ namque materia remota sunt) sed illarum coniunctio, seu ipsæmet res inter se compositæ aut diuisæ.

Enuntiatio vocalis.

Alterũ; in enuntiatione vocali, quæ mentalis huius compositionis aut diuisionis interpres est, duos primum requiri simplices terminos, qui duas res simplices componendas vel diuidendas significent. Deindè verò copulam quoque, qua intellectus coniunctio significetur, in qua assensus est & iudicium. Quam quoniam aptissimè indicat verbum (est); fit, vt aliæ omnes enuntiationes in enuntiationẽ ex verbo, est, constantẽ dissoluantur: illudque solum in enuntiatione positum compositionem significat & aientis intellectus iudicium: positumque cum negatione diuisionem indicat & iudicium negans. Et quoniam hæc copula coniunctionis illius signum existit, quæ secundæ huius operationis est forma, habet in enuntiatione vocali vim formæ, comparatione attributi & subiecti velut materiæ.

Enuntiatio secundi & tertii adiacentis.

Tertium; nullam enuntiationem sine subiecto, attributo, & copula esse posse. Quoniam cùm sit compositio duo adesse oportet, quæ componantur; & aliquid aliud, quo coniungantur. Quanquam in enuntiationibus quæ secundi adiacentis vocantur, adiectiua verba tum attributum continent, tum vim copulæ: & ipsum quoque verbum (est) quando existentiam significat; vt in hac enũtiatione, Socrates est. Nomen enim subiectum significat; & verbum tum copulæ vim habet; vt est verbum, nota eorum, quæ de altero dicuntur; vt definitur in libro de Interpret. cap. 3. tum attributi, vt est tale verbum, quod propriam habeat significationem, quæ nomine explicetur. Quare enuntiationes eiusmodi dissoluuntur in alias, in quibus sit verbum (est) vt copula; & participium verbi, vt nomen & attributum. Namque in enuntiationibus hisce tertij adiacentis tria illa magis distincta cernuntur. Et diuisio illa enuntiationis in enuntiationem secundi & tertij adiacentis non est nisi enũtiationis vocalis: quippè in mente omnis enuntiatio, vel etiam secundi adiacentis, tria illa distincta habet, subiectum, attributum, & copulam.

Verbum non est pars enuntiationis

Quartum; copulam tamen seu verbum vt copulæ vim habet, vocalis enuntiationis partem non esse, in quam enuntiatio dissoluatur. Tum quia signum est actionis intellectus componentis, neque actio ea pars est, in quam compositio mentalis dissoluatur. Dissoluitur enim in simplices notiones, quæ fuerunt compositæ. Tum quia compositionem significat, quam sine extremis non licet intelligere. Tum etiam quia omnis dissolutio in partes materiales propriè fit; quod & in naturalibus & in artificiis inductione perspicuum est: & in ea, quę manent; non manet autem copula, neque materialis pars est; sed attributum solum & subiectum. Et in primo libro de priore resolutione capite primo terminum definiuit philosophus, in quem dissoluitur propositio, vt attributum & subiectum.

Quintum; non in aiente modò enuntiatione sed in negante quoque compositionem esse. Quoniam hæc compositio aut intellectus comparatione spectatur, aut comparatione rerum. Si comparatione intellectus consideretur, in omni enuntiatione compositio est; nimirum duarum notionum coniunctio, quæ enuntiationis est forma: neque potest intellectus affirmare quidquam aut negare de alio, nisi ea comparando & ideò componendo, siue tanquam vnum alteri inexistens, siue tanquam ab eo diuersum. Nam in enuntiatione aiente, Homo est animal, componit hominem & animal; atque in negante, Homo non est lapis, componit hominẽ & non esse lapidem. Quòd si compositio spectetur ex parte rerum, vt inhærentiam significat attributi in subiecto, solùm est in enuntiatione aiente: in negante autem non est compositio, sed diuisio. Quia in aiente significatur vnum inesse alteri, in negante non inesse, sed diuisum & separatum ab eo esse. Quare aiens enuntiatio est compositio, tum ex parte intellectus, tum ex parte rerum: negans verò compositio est ex parte intellectus, & diuisio ex parte rerum.

Cæterùm addidit quoque philosophus in text. 22. tum negationem tum affirmationem posse diuisionem dici; quia semper intellectus in hac secunda actione duas distinguit notiones, diuersorsum considerat. Ex parte tamen rerum compositio est in affirmatione, diuisioque in negatione. Porrò hanc duplicem compositionem, quam dixi ex parte intellectus & rerum, significare videtur verbum, est. Nam vt existentiam significat, compositionem ostendit ex parte rerum; inhærentiam inquam & coniunctionem attributi cum subiecto: vt autem est verbum & copula, compositionem indicat ex parte intellectus. Quare cùm in enuntiatione negante addatur ei negatio, prima tollitur compositio quæ realis est inhærentiæ; non altera, quæ est per intellectum. Quoniam negatio præposita verbo propriam illius significationem tollit; non eam, qua verbum est: & ideò inhærentiam seu actualem existentiam tollit; non copulæ vim, quam habet vt verbum est. Alioqui enuntiatio negans nullo modo enuntiatio esset; quia copulam non haberet. De cæteris quoque verbis dicendum idem videtur. Quippè in hac enuntiatione, homo non scribit, negatio propriam tollit verbi huius significationem, qua scribendi actionem significat: vim tamen verbi non tollit, qua potest enuntiationem efficere, vt eorum, quæ de altero dicuntur, nota.

Sextò & vltimò ex his omnibus secundæ huius operationis vis & natura cognoscitur. Versatur enim in compositione, assensu, & iudicio connexionis duorum; vt intellectus cognoscat & iudicet ita esse vel non esse in re. Compositio tamen & iudicium non sunt duo actus, sed vnus & idem essentialiter est iudicium & quoad modum compositio. Compositio namque dicitur, vt vnum coniungit cum altero; & iudicium, vt ita coniungit vt ita esse aut non esse cognoscat. Et vt non coniungit, nisi cognoscendo; ita nec iudicium quidquam est à cognitione & coniunctione diuersum. Quò fit, vt nulla sit enuntiatio sine aliquo assensu & iudicio: enuntiationesque manifestè falsæ, aut quæ terminis

minis non significantibus constant, omonymè, non propriè enuntiationes dicuntur: Quoniam in illis non est per se assensus; sed similitudines earum sunt, quæ verè enuntiationes sunt atque intellectus assensum habent.

De ratiocinatione.

Post secundam vero operationem notionumq; simplicium compositionem in enuntiatione, sequitur ipsarum enunciationum compositio: vt sicut secunda operatio notiones simplices apprehensas in prima per verbum componit, vnam alteri attribuendo, vel vnam de altera negando; sic tertia enuntiationes in secunda formatas coniungat illatione, vnũ ex altero deducendo. Quare operatio hæc ratiocinatio vocatur, seu discursus; hoc est mentis motus quidam ex vna re in aliam, quo ex aliquo iam noto ignotum aliquid deducat; ignotum inquam eo saltem modo, quo deducitur. Ex quo intelligas primò cognitionẽ nouam nouumque assensum ac iudicium in hac operatione inesse præter cognitionem & iudiciũ duarum priorum. Secundò, in ratiocinatione tria considerari; rem aliquem iam notam, & aliam ignotam, quæ ex priori cognoscitur, ac demum productionem deductionemue posterioris cognitionis ex priore. Ex quibus tres quasi ratiocinationis partes existunt: quarum primam, qua id, quod est notum, continetur, antecedens nominamus; siue vna siue pluribus enuntiationibus explicetur: propterea quòd præmittitur & tanquam notum ponitur, vt aliud ex eo cognoscatur. Altera; quæ id habet, quod ignotum erat, atque ex noto illo cognoscitur, consequens dicitur, quod ex priore deducatur eamque consequatur. Tertia, in qua viget deductio ipsa & productio vnius cognitionis ex alia, illatio seu consequutio vocatur; & particula, ergò, seu igitur, explicatur. Postrema hæc maximè vim totam & naturam ratiocinationis continet. Nam si priores duæ per se, & sine hac tertia considerentur, enuntiationes quædam sunt, quæ ad secundam operationem pertinent: ratiocinatio autem; vt operatio est ab aliis distincta, in illatione illa consistit & deductione vnius ex alio nouæque cognitionis productione. Siquidem ratiocinatio eiusmodi mentis motum ex vna re ad aliam progredientis significat. Quare vt in productionibus rerum natura & arte constantiũ materia quæpiam est, ex qua naturale agens aut artifex nouũ quidpiam efficiant: sic in ratiocinatione notum aliquid velut materia ponitur, ex qua intellectus virtute cognitio noua producatur. Verum id, quod in natura producitur, ex materiæ subiectæ potestate educitur; quodque efficitur arte, in materia saltem illius capace suscipitur: at intellectus noua cognitio non ex antecedentis reiue iam notæ, sed ipsius potiùs intellectus potestate educitur. Est enim immanens actio, quam ex ipso educi & in ipso susci oportet. Obiectiuè tamen ex rei quoque notæ potestate educi dicitur; dum ex intellectu educitur, vt antecedente illa cognitione imbutus est illiq; iam assensum præbuit.

Ratiocinatio cur dicatur.

Ratiocinationis partes.

Simile in natura & arte.

Cæterùm vt neque in natura neque in arte fit quodlibet ex quolibet, sed ex determinata materia vnumquodque: sic in intellectu satis non est quodlibet notum ad cognitionem quamlibet deducendam; sed determinatum esse debet, vt aliquid aliud determinatum colligatur. Nimirum inter ea necesse est aliquem esse nexum & affinitatẽ; ob quam ex vno in aliud deducatur. Hunc que nexum vniuersè & in cõmuni necesse est nobis esse notum, vt illius virtute vnum ex alio colligamus. Vbi verò hæc omnia ita se habuerint, poterit optimè intellectus ex nota re ad ignotam cum ea connexam progredi: vi scilicet illius nexus, quem vniuersè notũ ad res duas sibi propositas applicat. Exemplo sit risibilitatis deductio ex rationalitate, aut animalitatis ex humanitate. Intellectui namque notum est rationalem esse hominem, simulque cognoscens nexum causæ & effectus, essentiæ & proprietatis, cum applicat rationali & risibili, illud animaduertens esse essentiam, hoc proprietatem; illud causam, hoc effectum: atque ex eo, quòd homo sit rationalis, risibilem esse concludit. Nouit item nexũ inter superiora & inferiora, vt hæc sine illis consistere nequeant. Quare animal intelligens esse superius & hominem inferius; id, quod est homo, colligit animal quoque esse.

Ratiocinationis partium nexus.

Ratiocinationis vis & motus.

Tota igitur ratiocinandi vis alicui vniuersæ innititur cognitioni nobis euidenti; in qua duorum nexus quispiam continetur, propter quem vnum ex altero deduci possit. Et quoniam vniuersa hæc cognitio continet infinita propemodum particularia; qui eam habet, infinita penè nouit. At non nisi vniuersè; estque opus particularibus singulis nexum illum applicare, vt specialis singulorum cognitio habeatur. Quocirca antequàm ignotum colligatur ex noto, illud partim est notum, partim ignotum: notum vniuersè & potestate, ignotum in specie & actu. Quare cum actu deducitur ex noto, partim de nouo cognoscitur, nempè in specie; partim nequaquàm, hoc est vniuersè. Cùm autem rudes omniumque scientiarum ignari nascamur, scientias omnes nobis facilè comparamus. Quædam enim sunt prima principia quasi scientiarum omnium & cognitionum semina, quæ intellectui proposita seipsis euadunt notissima; vt quodlibet est vel non est; De quolibet verum est affirmare vel negare; Totum est maius sua parte. Quæ cùm communissima sint, sub se continent infinita & infinitis possunt applicari; iisque cognitis infinita propemodum vniuersè & potestate cognoscimus. Tum verò accedente sensuum cognitione singulis applicantur, & in specie quoque, actu, & distinctè cognoscimus. Ita ex initiis, quantitate & numero paruis, sed virtute maximis, disciplinæ omnes & artes prodierunt.

Antecedenti & consequentis dispositio.

Cæterùm in hac intellectus ratiocinatione duo etiam atque etiam consideranda sunt. Primum, antecedentis & consequentis dispositio; vt hoc ex illo deducatur. Alterum, ipsa nouæ cognitionis ex antecedẽti deductio, in qua præsertim tertiæ huius operationis consistit forma. Perfectaque censetur deductio, si ex antecedenti colligatur id, quod est cum eo connexum, quodque verè ex eo sequitur: vt antecedentis veritas causa sit cur consequẽs sit verum. Quemadmodum esse animal est sensus causa: quare cùm verum sit, hominem esse animal, verum item est, sentientem eum esse; neque consequentis oppositum potest vnquàm cum antecedente illo consistere, nempè non sentiens cum animali. Quòd si

consequens deducatur cum antecedēte non connexum, quodque non propterea sit verum, quia antecedens sit verum; vitiosa deductio, seu consequutio fuerit; etsi consequens & id, quod deducitur, esset verum: vt si ita ratiocineris; homo est animal, igitur est rationalis. Quamuis enim hoc sit verum; rationalis tamen non est, quia sit animal. Quare consequentis huius oppositum potest simul cum antecedente illo esse verum; vt patet in equo, qui animal est irrationale.

Antecedenti & consequentis dispositio duplex.

Dispositio autem antecedentis & consequentis, qua vnum ex alio colligitur, duobus modis fiet. Aut enim ipsamet connexionem exprimet, cuius virtute vnum ex alio consequitur; vt animal est sentiens, homo est animal, igitur est sentiens. Quippè ex ipsa propositionum dispositione principium illud apparet, cui tota innititur ratiocinatio. Illud autem est, quod conuenit superiori aut attributo, conuenit quoque inferiori aut subiecto, cui superius illud vel attributum ineſt; totaque apparet connexio. Quare non in rebus modò, sed in propositionum quoque dispositione connexio est, ob quam ex vno aliud deducitur. Aut eiusmodi erit dispositio, vt connexio illa non appareat: vt homo est animal, ergo est sentiens. Non enim apparet principium illud, cui ratiocinatio innititur: neque connexio ipsa, sentiens ineſſe homini, quia ineſt animali, quod ineſt homini. Itaque in his connexio tota est in rebus, non in dispositione: & vt magis appareat, posteriorem hanc ratiocinationis formam ad priorem reuocamus. Illa enim ratiocinatio perfecta est, hæc imperfecta & truncata, quæ enthymema vocatur.

Deductio materialis & formalis.

Cumque intellectus vnum ex alio deducat vi connexionis illius, posterior dicitur materialis deductio, seu ratiocinatio; quia connexio, cui ea innititur, rerum est duntaxat, quæ ratiocinationis materia unt, soliusque illius connexionis beneficio deductio est bona. Prior autem formalis, quòd connexio non solùm est in rebus, sed in ipsa quoque dispositione: intellectusque deducit non modò, quòd res connexæ sint, sed etiam quòd propositionum dispositio connexionem rerum referat & exprimat; & deductio tum ratione rerum, tum ratione dispositionis, quæ ad ratiocinationis formam spectat, est bona. Quocirca si rebus hæc dispositio applicetur, quæ cōnexionē eam habeat, quam dispositio proponit, perfectissima erit deductio semperque vera, tum ratione materiæ, id est rerum; tum ratione formæ, hoc est dispositionis propositionum. Sin autem ea non adsit rerum connexio; ratione formæ deductio erit, non ratione materiæ. Etsi enim res connexæ non sint, si tamen intellectus cōnexas esse existimet, atque vt connexas accipiat, quemadmodum in dispositione explicatur, perinde vnum ex alio deducet dispositioni illi innixus. Verùm hæc deductio, quæ solùm vim habet ex intellectus dispositione, non ex rebus, imago potiùs ratiocinationis quædam videtur, quàm ratiocinatio vera: deque hac & altera illa, quæ connexioni etiam rerum innititur, omonymè seu ad vnum ratiocinatio dici videtur. Neque enim ratiocinationis forma est sola propositionum dispositio, vt multi loquuntur: sed multo magis ipsa deductio, quæ tum ex dispositione oritur, tum maximè ex rerum connexione. Quare censenda nunquam est ratiocinatio formalis, nisi aut eæ connexæ sint aut connexæ esse existimentur. Neque intellectus quidquam vnquàm ex falso cognito deducit; sed ex vero semper; aut certè ex eo, quod verum esse credatur. Et ex antecedente quidem, quod & sit & cognoscatur esse verum, si apta dispositio sit, verum semper deducitur, tum propter rerum nexum, tum propter dispositionem. Propter rerum quidem nexum; quia si bona fuerit dispositio & Antecedens verum, cum vero nunquam est connexum nisi verum: falsum enim est non ens & per intellectum duntaxat. Quare si ex vero vi connexionis aliquid deducatur, non nisi verum deducetur. Propter dispositionem verò; quia recta dispositio significat nexum, qui est in rebus: quódque cum vero connexum est, verum est. Quòd si dispositio sit bona, & tamen falsum id, quod deducitur, necesse est aut antecedens aut aliquid eius esse falsum. Quò fit, vt si antecedens admittatur vt verum, negari non possit id, quod ex eo deducitur. Sed si hoc videatur falsum, & opportuna tamen sit dispositio; negandum erit aut distinguendum aliquid in antecedente: quoniam falsum non nisi ex falso sequitur. Ex eo tamen, si verum esse credatur, sequitur etiam interdum verum; tum propter rerum connexionem; vt homo est lapis, ergò est corpus. Nam etsi lapis & homo connexa non sint, & ideò antecedens sit falsum: aliquid tamen habent commune, ratione cuius aliquid, quod cum lapide connexum est, homini quoque conuenit; & ideò verum est consequens. Quòd si quidpiam accipiatur lapidis proprium homini que repugnans, vt esse non sentiens, falsum quoque consequens colligetur. Tum verò propter dispositionem; vt homo est lapis. lapis est rationalis, homo igitur est rationalis. Ex falsis namque propositionibus bene dispositis verum colligitur. Colligitur etiam falsum; vt homo est lapis, lapis est accidens, homo igitur est accidēs. Et ideò ex falso, tum ratione connexionis, tum ratione dispositionis, & verum & falsum licet colligere. Nam quod ad dispositionem attinet, eam vim habet bona dispositio, vt vbicumque fuerit, in materia licet impossibili, ex se semper ostendat conclusionem necessariò sequi. Contrà vitiosa dispositio nullam inferendi vim habet, etsi necessaria materia sit: sed si consequens est verum & admittendum, ex materia id habet, non ex dispositione aut deductione.

Ex eo, vt verū est, falsū non sequitur.

Ratiocinationis formæ species.

Quod autem ad connexionem spectat, cui tota ratiocinationis ac dispositionis innititur vis, pro illius varietate species ratiocinationis distinguuntur. Primùm enim spectari potest connexionis qualitas; estque ferè triplex, necessaria, probabilis, apparens, quæ triplicem constituit ratiocinationis formam. Deinde considerari connexio potest; vt variæ res variam habent cōnexionem, quæ variis propositionum dispositionibus repræsentari potest: atque ita quatuor ratiocinationis existunt formæ. Nam prima connexio duorum est particularium sub eadem vniuersa natura, maximéque duorum speciei eiusdem individuorum; propter quam connexionem id, quòd vni attribuitur, potest & alteri attribui. Connexioni huic exemplū innititur; quo id, quod vni particulari conuenit, alteri quoque illi simili colligitur conuenire. Omnium mini-

Ratiocinationis forma.

ma

2. ma connexio hæc est. Firmior altera, quæ omnium particularium est cum vniuersa natura. Huic inductio innititur ; qua ex indiuiduis omnibus cõmemoratis vniuersa colligitur propositio : huicque principio innititur ; Quod singulis indiuiduis conuenit, omnibus item simul
3. sumptis conuenit. Tertia connexio duorum est, quæ seipsis coniunguntur, vt effectus & causa, vel vt particulare & vniuersum. Quæ vt variæ connexiones esse possunt, ita variis principiis nititur : qualia sunt hæc : Posita causa ponitur effectus, Posito particulari ponitur vniuersum, & similia; quibus tertia constat ratiocinationis species, enthymema ex vna propositione aliam colligens ; vt homo est animal, ergò est sentiens.
4. Quarta est connexio duorum per aliud tertium; vt quia effectus est cum sua causa coniunctus, si causa fuerit cum alio coniuncta, effectus quoque per causam dicetur cum illo coniunctus. Quæ item connexio cùm diuersarum rerum esse possit, diuersis quoque principiis nititur. Atque hinc quarta existit ratiocinationis species omnium perfectissima, in qua ex duabus propositionibus opportunè dispositis tertia deducitur, quæ conclusio vocatur. Propterea que in primo libro de priori analysi cap. 1. definitur esse oratio, in qua quibusdam positis aliud quid à positis necessariò sequitur, eo quòd hæc sint: vt homo est animal, animal est sentiens, homo igitur est sentiens. Ex duabus enim præmissis propositionibus tanquam veris, & figura modoque conuenienter dispositis, conclusio ab illis diuersa colligitur; præmissarum scilicet, & earum dispositionis virtute.

Conclusio an ratiocinationis pars.

Quo loco disputantur permultarum ea, quæ colligitur, conclusio, ratiocinationis pars sit necne. Sed adhibenda distinctio est. Etenim si ratiocinatio sumatur, vt integram ratiocinantis intellectus operationem à cæteris distinctam significat ; omnino illius pars est conclusio quoque. Quippè duas amplectitur partes ; antecedentem & consequentem, præmissas & conclusionem, notum & ignotum, quod ex noto deducitur. Nam vt secunda operatio simplicibus duabus notionibus, attributi & subiecti, compositione seu copula iunctis constat; formâque est compositio seu copula, & materia simplices notiones aut termini : sic in tertia deductio est forma, & materia sunt antecedens & consequens, præmissæ & conclusio, notum atque ignotum, secundæque operationis compositiones, quarum vna ex aliis deducitur : hocque ratiocinatio significat, transitum ex vno ad aliud.

Sin autem ratiocinatio consideretur vt est quasi via & progressio ad ignotum aliquid inuestigandum, seu instrumentum cognoscendi, intellectusque ratiocinantis atque vnum ex alio colligentis ; secus omnino sentiendum fuerit. Est enim quasi motus quidam ad conclusionem & instrumentum eam producens ; conclusioque velut terminus motus & effectus causæ ac instrumenti. Tribusque duntaxat terminis opportunè dispositis constat ; quæ dispositio tota antecedentibus propositionibus continetur : quare & ratiocinationibus diuersis eadem colligi conclusio potest. Itaque duobus modis in tertia operatione ratiocinatio fuerit : tum vt deductionem significat vnius ex alio, quæ antecedente & consequente constat : tum vt sola est inuestigatio & motus ad inquirendam veritatem. Quæ inuestigatio & motus solis antecedentibus præmissis continetur. Atque hæc nunc peripateticis indicasse satis.

Digressio XXXII. *De verbo mentis.*

IAm verò in Scholis nostrorum Theologorum, qui considerarunt pleráque diligentiùs & subtiliùs disputarũt, magnopere quæri video. Num intellectus actione producatur quidpiam ab intellectione distinctum. Verbum enim mentis nominant omnes; sed quid illud sit, non omnes consentiunt. Aurelous testimonio Capreoli in primum sententiarum librum dist. 27. nil aliud esse voluit, quàm ipsum obiectum cognitum, vel vt apparet atque relucet in intellectione. Alij apud Durandum & Scotum ipsammet intellectilem speciem repræsentantem obiectum. Sanctus Thomas tum prima parte summæ, quæst. 27. & 34. tum in quæst. 4. de veritate & primo libro contra Gentes cap. 53. & lib. 4. cap. 11. & deinceps, & in commentariis ad primum caput Ioan. & alijs in locis, & post eum Ægidius, Heruæus, Caietanus, Capreolus, & Ferrarienſis, aliquid aliud velut intellectionis terminum re ab ea distinctũ ; ceu illius partum, quo res intellecta repræsentetur tanquam expressa illius imagine per intellectionem producta.

Verbum mentis quid.

Sed omnium probabilissima sententia est nil aliud, quàm actualem intellectionem seu notitiam, esse. Nam si obiectum ipsum esse dicatur, constat non esse secundùm suum esse reale : vt autem cognitum est vel relucens, aut hoc nihil est, nisi vanum & fictum ; aut aliud nihil, quàm obiectum ipsum intellectui obiici. At hoc dici non debet verbum : tum quia verbum mentis quidpiam ab intellectu productum atque à dicente probatum significat : tum quia ad verbum spectat vt representatiuum sit rei ; obiectumque illud representatiuũ non est, sed representatum. Aut si quid aliud sit ; vel species fuerit, vel aliquid intellectione productum, vel actualis ipsa notitia. Species esse non potest : tum quia tunc solùm adest verbum, quando intellectio adest; species autem: licet nihil intelligas, vt in somno, adesse creditur : tum quia species intellectionem & ideò verbi quoque formationem antecedit. Vt species eas mittam, non ab omnibus suscipi, qui tamen verbum mentis admittunt. Non esse autem intellectione productum, omnis philosophorum schola docebit, quæ intellectionem ostendit immanentem actionem esse, omni termino à se distincto carentem ; vt in tex. 16. libri 9. Metaph. docuit Aristoteles. Quam ob causam nec sensum, nec voluntatem dicimus eiusmodi quidpiam agẽdo producere. Etsi enim in intellectu & voluntate crebris actionibus habitus producatur, eæ tamen velut dispositiones solùm sunt antecedentes, determinationesque facultatis, quæ producit habitum. Deinde vt actio quælibet est idem re cum suo termino, sic intellectio est idem cum verbo, neque potest

Esse intellectionem actualem

verbum ab intellectione separari. Tum verò id, quòd immediatè intellectione intelligitur, obiectum ipsam est secundùm esse reale: non igitur datur verbum ab obiecto & intellectione distinctum, quod primum terminet intellectionem. Alioqui duo essent, quæ intelligerentur, verbum & obiectum; quæ nequaquàm intellectus distinguit, cùm tamen distinguenda forent: tum quia duo essent obiecta: tum quia intuitu & cognitione clarissima verbum, abstractione obiectum cognoscerentur. Præterea dum huiusmodi verbum intellectione produci dicunt, intellectionem fatentur verbo priorem esse, possèque obiectum per se absque verbo intelligi: quippè verbum ex intellectione obiecti producitur. Superuacanea igitur est hæc noua entitas, quæ nec est intelligendo necessaria, nec intellectione cessante conseruari in intellectu debet. Ita conficimus verbum mentis nil esse aliud, quàm actualem ipsam intellectionem.

Et quoniam de hac inter Theologos maximè disputari dixi; vitio mihi vertendum non fuerit, si ex Theologorum potiùs, quàm Philosophorum fontibus probationem duxero. Sanè sanctus Iræneus in libro secundo aduersus hæreses cap. 48. & 49. Verbum seu λόγον Dei scripsit cogitationem ipsius esse; & sanctus Athanasius in oratione contra Gregales Sabellij verbum nostrum subsistens non esse, sed viui duntaxat & subsistentis pectoris motum; & Dionysius Alexandrinus apud eum in epist. de sententia ipsius, esse promanationem mentis; Et sanctus Basilius in hom. 16. ad populum, vt verbũ prolatum diceret expressiuum atque exemplar verbi mentis; Quæ, inquit, secundùm cor nouimus; hæc verbo proferimus; & quod loquimur, exemplar habet eius, quod corde cogitamus: quasi diceret verbum mentis nil esse aliud, quàm interiorem notitiam actualemque cogitationem. Addit filium Dei vocari verbum, vt impatibilis ostendatur generatio patris; sicut verbum nostrum, mentis generatio, sine passione generatur. Si ergò vox hæc (verbum) ipsam patris generationem significat, atque in nobis ipsa est mentis generatio; nil aliud profectò, quàm actualis intellectio, erit. Et sanctus Ambrosius in quarto libro de fide cap. 4. verbum, inquit, mentis est sicut prolatiuus sermo: quod ex Plotino quoque Alexandrinus habet Cyrillus in 8. lib. contra Iulianum. Immò Cyrillus hic ipse in primo libro thesauri cap. 7. idem esse dixit; etsi aliud esse videatur, quatenus è profundo in lucem per os emittitur. At prolatiuus sermo seu prolatum verbum nil aliud est, quàm actualis pronuntiatio, quæ post se nihil relinquit: nec mentis igitur verbum aliud est, quàm actualis cogitatio interiorque loquutio. Idem Cyrillus ita verbi generationem explicauit: Parit, inquit, mens hominis cogitationes bonas, vt Saluator dicit, de corde exeunt cogitationes: mentis igitur verbum nil aliud, quàm actualis cogitatio, est. Et libro sexto capite primo, & libro septimo capite tertio, hoc interesse ait inter verbum nostrum & verbum Dei; quòd nostrum non per se subsistat, sed dictum protinùs euanescat; verbum autem Dei non item. Vis igitur & natura verbi est dicere actuale, siue mente, siue re. Sanctus quoque Augustinus in libro 9. de Trinitate cap. 7. &c. 11. verbum scripsit conceptam esse rei notitiam, cui similem quasi alterum verbum vocibus ac signis externis in audientis item animo ingenerare conamur. Et lib. 11. cap. 2. 3. & 4. exponens quomodo vel etiam in sensu quoddam sit diuinissimæ Trinitatis vestigium; non solùm, inquit mentem nostram concipere in se rerum, quas intelligit, similitudinem, quam appellamus verbum: sed visum quoque, dum videt quidpiam, similitudinem illius quandam in se formare, hancque visionem ipsam esse. At quod est in visu visio, hoc est intellectio in mente, quare vt visio in sensu visæ rei similitudo est, sic actualis intellectio in intellectu verbum erit, quo intellecti obiecti similitudo continetur. Rursum in libro 15. capite 10. eandem hanc sententiam non solùm posuit, sed etiam visus est sacris litteris confirmare. In libro namque Sapientiæ capite 2. Dixerunt apud se cogitantes non rectè. Nam quia verbum ordinem significat ad dicentem, estque dicentis verbum; dum ita exponitur quid sit illud (dixerunt apud se) vt addatur (cogitantes) dicentis verbum significatur nil esse aliud, quàm actualem ipsius cogitationem. Similis locus est apud sanctum Matthæum cap. 9. quidam de Scribis dixerunt intra se, hic blasphemat. Verbum autem illud, quod dixerunt nil aliud, quàm cogitationem, fuisse statim exponitur: & cùm vidisset, inquit, cogitationes eorum, id est cùm verbum illud audisset, quod intra se dixerunt. Sic enim exponendum hoc esse confirmat sanctus Lucas; qui cap. 5. eandem historiam narrans, Christum ait illis respondisse. Nullus namque respondet, nisi loquenti; nec loquitur vllus, nisi per verbum. Si ergò cogitationibus respondit, cogitationes ipsæ sunt verba. Propterea adfertur etiam ab Augustino verbis illis Matth. 15. non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit et ore; duplex hominis os significari; corporis vnum exterius, alterum interius animi. Quibus item duplex respondet verbum; exterius vnum, quod pronunciatum sonat in aure; alterum interius, quod cogitatur in mente; nilque aliud esse quàm cogitationem, ostendit illud, quod sequitur; De corde enim exeunt cogitationes, &c. Quocirca ita concludit Augustinus; formata quippè cogitatio ab ea re, quàm scimus, verbum est, quod in corde dicimus; quod nec Græcum, est nec Latinum, nec linguæ alicuius alterius: sed cum id opus est in eorum, quibus loquimur, proferre notitiam; aliquod signum, quo significetur, assumitur. Et rursum in capite vndecimo verbum ait esse notitiam. Et cap. 12. cogitationem de scientia rei formatam. Et iterum esse visionem illam interioris cogitationis; quæ & ex rebus sensu perceptis oritur & linguæ verbo exprimitur. Et cap. 14. verbum id esse, quod intùs dicimus: dicimus autem actuali cogitatione, sine aut exteriùs vocis pronunciatione loquimur. Et cap. 15. cùm dubitamus, inquit, nondum est verbum de re, de qua dubitamus. Sed de ipsa dubitatione verbum est. Quamuis enim non nouerimus, an verum sit vide dubitamus, dubitare tamen nos nouimus; ac

pro-

« per hoc cùm hoc dicimus, verum verbum est; quoniam quod nouimus, decimus. Mendacium quoq; addit esse verũ verbũ; quia hoc scimus. Ac demũ apertissimis verbis exponit nil aliud, quàm ipsam cogitationem esse: quam dum explicat, quomodo verbum in Deo sit sempiternũ, & non in nobis; quoniam in eo non est volubilis & mutabilis cogitatio, sicut in nobis: nosq; cùm actu nõ cogitamus, verbũ actu non habemus, sed habere possumus, quia possumus cogitare: Quid est, « inquit, hoc formabile nondumque formatum, « nisi quiddam mentis nostræ, quod hac atque « hac volubili quadam motione iactamus; cùm à « nobis nunc hoc, nunc illud, sicut inuentum fue- « rit & occurrerit, cogitatur? Et tunc fit verbum « verum, quando ita vt res est cogitatur. Est etiam apertissimus locus in cap. 16. vbi verbum Dei docet ita dici verbum vt tamen cogitatio dici non debeat, ne volubile aliquid credatur esse in Deo. In nobis verò cogitationem quoque dici. Et quamlibet quidem cogitationem dici verbum, sed verbum verum esse cogitationem peruenientem ad id, quod scimus, indeque formatam. Propterea idem sanctus Augustinus, & Beda in commentariis Psalmi 44. verbum mentis vocant consilium, quia nil aliud est, quàm ipsius cogitatio. Et sanctus Ioannes Damascenus lib. 1. de fide cap. 18. verbum esse mentis nostræ intellectionem ab ea naturaliter prodeuntem. Et Vgo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis parte 3. cap. 20. esse cogitationem nostram internam. Ac demum sanctus Anselmus in Monologio cap. 28. & 29. diuinum verbum ostendit nil esse aliud, quàm intellectionem seu loquutionem patris: qui loquendi modus Augustini quoque fuit ac ferè sanctorum patrum.

Ergò quælibet quidem intellectio mentis potest dici verbum; sed perfectum verbum perfectam significat & distinctam intellectionem seu cogitationem inquisitione ac ratiocinatione comparatam. Quod ita esse, primùm argumento sunt ea, quæ contra aliorum sententias paulò ante fuere proposita: præsertim quòd intellectio sit immanens actio, quę nihil à se distinctum afferat. Deinde quòd intellectioni cogitationiúe conditiones omnes verbi, quæ commemorari solent, verè conueniunt. Eæ sunt; vt aliquid sit in mente; vt sit ad modum concepti & fœtus ipsius mẽtis; vt similitudinem habeat cum re, cuius est verbum; vt exprimat id, cuius imago est. Tum verò certum est, externum oris verbum significare internum illud mentis; eoque nos vt exteriùs loquamur id alijs, quod ipsi nobis interiùs mentis verbo loquuti sumus. Atqui voces notionum animi sunt immediatè signa, notitiasque & actuales cogitationes ostendunt: nihil igitur aliud fuerit mentis verbum, quàm actualis rei notitia cogitatioúe. Et qui verbum à cogitatione diuersum posuerunt, duas ab causas posuerunt. Altera fuit, vt obiectum esset accommodatum ad mentem. Altera, vt mens quoquo modo præsens haberet obiectum; quod re ipsa præsens esse non potest. At si hæc quidquam haberent ponderis, haberent in omni intellectione: nullum autem habent in intellectione, qua Deus, separatæ mẽtes, & anima nostra, intelligunt sepsa: & beatos, qui Deũ vident, huiusmodi verbũ non producere, theologi omnes fatentur. Denique illud est efficax planè argumentum, quòd ideò verbum hoc ponitur à sancto Thoma, vt intelligere mens possit: at intelligendo dicitur producere verbum: priùs igitur est intelligere, quàm verbum; neque verbum est intelligendo necessarium. Cumque intellectio assimilatione constet, & viua sit intellectæ rei similitudo atque imago: superuacaneè verbũ illud cogitatur ab intellectione distinctum consequensque intellectionẽ: quippe ad eam terminandam satis est obiectum ipsum, actualisque intellectio actionis terminus est.

Verbi conditiones.

Hanc porrò actualem intellectionem seu notitiam sunt qui duobus modis considerandam proponant. Primùm vt actio quædam est: quo modo intellectio dicatur & sit ipsa notitia actiua. Deinde vt refert obiectum, velut illius simulachrũ & similitudo. Omnis enim cognitio quædam est cognitæ rei similitudo: atque hoc modo ipsamet actualis notitia passiua seu intellectio, vt obiectum refert tanquam illius similitudo, appelletur verbum. Quam distinctionem ego quidem veram ac scienter pronuntiatam esse confirmo: arbitror tamen propriam non ostendere vim verbi, quæ ordinem ad dicentem significat. Omne quippe verbum est dicentis verbũ. Quocirca propria verbi vis ex dicente considerari debet; eodemque modo ab intellectione distingui verbum quo mentale dicere, seu dicendo proferre, distinguitur ab intelligere. Hæc autem si non re, certè ratione distingui, consentiunt omnes. Tum quia mentalis loquutio diuiniorem, quàm simplex rei perceptio operationẽ significat. Vnde Platonis illud in Alcibiade 2. & Aristotelis in primo Metaph. libro Scientis signum est posse docere. Tum quia intellectio quasi quidam mentis conceptus est, fitque ad modum concipientis in se rem cognitam. Loquutio verò partus quidam in altero. Nam vt intellectio rem intellectam ponit in intelligente; sic loquutio in audiẽte altero eam transfert. Et ideò loquutio est inter duos: atque in loquutione mẽtali, qua idem loquitur sibiipsi, idem duorum, loquentis & audientis, vicem sustinet. In mentibus autem separatis non solùm simplex est rei perceptio in seipsis, quam significat intellectio; sed mutua quoque loquutio: & omnino vitio ab auditione distinguitur. Atque in Deo tum intellectio agnoscitur, tum loquutio: siquidẽ & seipsum intelligit, & intelligendo loquitur verbum: & intellectio quidem diuinis omnibus personis communis est, loquutio verò solius patris propria. Denique intellectio immediatè fertur in obiectum, solámque illius perceptionem significat; loquutio illius obiecti cogniti expressio est per intellectionis manifestationẽ: quare vt loquutio cognitionem sequitur, ita dicere seu formare verbum de ratione intellectionis non est. Vt non sit mirum, si loquutio in diuinis ab intellectione separetur, dum personæ omnes intelligunt, solúsque pater dicit aut loquitur. Solus

Vt intellectio à verbo intelligere à dicere differant.

quippè ita intelligit, vt intellectionem exprimat; ideoque solus generat. A

Verbum vt ab intellectio ne distin guatur.

Ex his iam intelliges, Primò, quemadmodum verbum ab intellectione vniuersè sumpta distinguas. Intellectio enim, vt est intellectio, nudam dicit cognitionem rei in ipso intelligente; verbum autem expressionem intellectionis significat; non vt est actio, sed vt notitia rei; seu intellectionem vt expressam notitiam; nec solùm conceptam, sed & partam. Quæ est causa, cur omne verbum sit dicentis aut loquentis cuiuspiam verbum: quoniam dicere aut loqui nil aliud est, quàm intellectionem exprimere: quæ expressio quasi partus intellectus existit. Ita verbum partus mentis & proles vocatur; quam ex fœcunda memoria prouenire S. Augustinus dixit. B

Verbum simulachrum rei.

Secundò hinc etiam est, quòd verbum velut simulachrum & similitudo sit rem eam referens, cuius est verbum. Nam quia est ipsamet intellectio expressa; illiusque intellectionis partus, quæ fuit intelligendo concepta: sicut intellectio similis est rei conceptæ, sic verbum quoque producitur simile.

Verbum nostrum cur non purum.

Tertiò intelligas mirum non esse, si nullum mentale verbum in nobis omnino sit purum & immateriale. Nihil enim nisi ex phantasmate aliquo hausturn intelligimus, dumque minùs pura & sincera est intellectio, purum & sincerum esse non potest illud verbum, quod intellectionem dicendo exprimit. Et quia dictio seu loquutio interior exteriorem totam dictionem ac loquutionem moderatur & dirigit; vt mentis verbum expressiuum intellectioni simile est, sic verbum oris externum interno mentis verbo formatur simile: & vt hoc purum omnino & sincerum non est, neque satis rem assequitur, cuius est verbum; ita nec illud plerumque satis verbum mẽtis imitatur. Neque satis perfectè & clarè possumus aliis per externa verba conceptiones & animi nostri partus proponere: multoque fœliciùs & clariùs interius loquimur verbis nobis ipsis, quàm externis possimus aliis eloqui. Eandem ob causam non dicam de Deo, sed nec de cæteris mentibus separatis accommodatè licet, ac pro dignitate loqui; nec nobis ipsis, nec aliis. Quòd & mentis verbum à perfecta deficiat obiecti similitudine, & oris verbum minùs verbũ mentis assequatur. C D

Loquutio in angelis & Deo.

Quartò in intelligente omni natura dictionem seu loquutionem & verbum reperiri; & verò etiam in angelis & Deo: & quidem puriùs multò & distinctiùs, quàm in nobis. Nam si dicere & loqui est exprimere & proferre intellectionẽ, verbumque ipsa est intellectio expressa; quæcumque natura intelligere potest, potest & dicere, loqui, & formare verbum. Quæque perfectiorem habet intelligendi vim, perfectiùs loquitur & format verbum. Angeli cùm sint sine materia; vt purissimè intelligunt, sic purissimum formant verbum, cumque summa claritate loquuntur; tum sibiipsis, tum aliis Angelis, si suas ad illos intellectiones ordinent, iisque manifestari velint. In Deo quoque si est intellectio, quia perfectionem significat; loquutio quoque fuerit, quæ intellectionis perfectio est. Atque in hac loquutione intellectionisque expressione fœcunditas est & productio verbi, quod filius est, & patris proles. E

Quintò verbum significare aliquid absolutum, intellectionem expressam: sed cum duplici relatione; vna ad dicentem tanquam ad causam: & ideò est realis relatio, quia est relatio effectus ad causam. Altera ad rem, quam significat, quæque per verbum dicitur: quæ relatio rationis est, signi ad rem, quam significat. *Verbi relatio duplex.*

Sextò non solùm externum oris verbum, sed mentis quoque internum propriè dici verbum quemadmodum in mente item est propriè dicere & loqui: vbi autem est dicere & loqui, est etiam verbum. Hocque in diuinis manifestum est; vbi diuinum verbum, vt propriè dicitur filius, ita propriè verbum: neque hoc, vt in quæst. 34. notata art. 1. adnotauit sanctus Thomas, absque Arianismi crimine negari potest.

Septimò, quid de voluntate & sensu dicendum sit. Nam etsi in voluntate item dum sanctus Thomas, in quæst. 27. notata art. 3. produci ait amorem, Caietanus terminum intellexerit abilius actione distinctum: & Henricus produci dixerit zelum. Veriùs tamen placuit cæteris nihil præter ipsius actionem produci. Quod ex iis, quæ de intellectu dicta sunt, satis cognoscitur. Et quod spectat ad sanctum Thomam, nil aliud is produci dixit, quàm in amante amorẽ. Et quæst. 4. de veritate art. 7. dum ad septimum argumentũ respondit, apertis verbis negauit quidquam à voluntate præter eius actionem proficisci: hocque inter eam & intellectum interesse; quòd intellectio intrinsecum habeat terminum, verbum, quod is voluit esse ab intellectione distinctum; volitio autẽ seu amor nõ nisi extrinsecũ, rẽ volitã seu amatam. Denique sensum constat nil aliud sentiendo, quàm sensionis actum, producere. *Voluntas.*

Octauò, parùm accommodatè Scotus intellectionem & dictionem ita distinxisse, vt diuersos actus significarint: neque intellectio esset actio, sed qualitas in intellectu; dictio autem actio, nempe intellectionis productio: quare verbum non intellectione, sed dictione produci voluit. Ostensum namque iam est dictionem solùm significare intellectionis perfectionem, solàque ratione ab ea distingui. Deinde intelligi omnino non potest dictionem seu loquutionem antecedere intellectionem. Tum quia concipi nequit intellectionem produci actione, quæ non sit formaliter intellectio: neque aliud est intellectionẽ promere, quàm intelligere; sicut promere actionem nil aliud est, quam agere. Tum quia intelligi item non potest, quempiam priùs dicere aut loqui quàm is intelligat: siquidem & dicere & loqui, vt in loquutione vocali, sic & in mentali nil aliud sit, quàm id exprimere, quod intelligeris: & vt externa loquutione loquitur nullus, nisi priùs mente conceperit id, quod loquitur: ita etiam in interna: tantum abest, vt intellectionem loquutio præcedat. Præterea communis est omnium cõceptio, intellectionem immediatè in obiectum ferri eiusque perceptionem & comprehensionem significare: dictionem autem in intellectionem tendere ad modum reflexi actus, ipsam exprimendo. Postremò in Deo certum est hæc duo ratione solùm distingui; eundemque actum vt apprehendit obiectum, intellectionem dici, atque vt exprimit intellectionẽ producendo terminum, dictionem appellari. *Verbum diuinum.*

Nonò & vltimò, diuinum verbum formaliter intellectione produci; nõ vt idẽ Scotus credidit, *Diuinum verbum actione*

actione alia distincta. Non enim dictio est actio distincta ab intellectione. Pater siquidem actu suo intelligendi non solùm se intelligit, sed etiam dicendo suamque intellectionem exprimendo communicat. Verùm hæc Theologorum scholis accuratè magis examinanda relinquamus.

TEXTVS.

Τὸ δὲ ἀδιαίρετον, ἁπλῶς διχῶς, ἢ δυνάμει, ἢ ἐνεργείᾳ· ὃν κωλύει νοεῖν τὸ ἀδιαίρετον, ὅταν νοῇ τὸ μῆκος· ἀδιαίρετον γὰρ ἐνεργείᾳ.

Tex. 23. *Cùm verò impartibile duobus modis, aut potestate, aut actu; nihil prohibet intelligere impartibile, cùm longitudinem intelligat; impartibile namque actu.*

COMMENTARIVS CVI.

PHiloponus in principio huius sermonis, quo de intellectili obiecto Aristoteles dicere aggressus est, quinque impartibilis acceptiones distinxit. Nam & impartibile dicitur terminus; & continua magnitudo actu impartibilis est, potestate partibilis; & impartibile quidem in quantitate punctus, vnitas, momentum; & materialis forma, ac demùm forma immaterialis. Itaque in textu 21. dictum fuisse ait de primo impartibili, hoc est de simplici termino; nunc verò dici de altero, quod est continua magnitudo: vt intelligamus quomodo hoc quoque ab intellectu cognoscatur; nempè continuum vt cõtinuũ est & vnũ pluribus collectis & copulatis partibus constans, ab intellectu cognosci: quatenus autem diuiduum & plures in partes partibile non intellectu, sed dianœa, seu ratione comprehendi. Nam & simplices termini ad intellectum pertinere dicebantur, compositio eorum ad dianœam & rationem. Propterea intellectus actio impartibilis est & momentanea, dianeæ & rationis partibilis & cum tempore. Obiectum enim & tempus eodem modo se habent, sibique vicissim respondent.

Cæterùm aliquid aliud spectasse Philosophum credendum est. Neque enim sola multiplicis vocis distinctione tam grauem ac seriam de intellectilibus & intellectione disputationẽ conclusisset. Propterea mauult Simplicius hæc, quæ de impartibilibus deinceps adferũtur, idcircò commemorari, vt hæc impartibilia aliter dicta ab iis distinguat, quæ vt formæ sunt & termini; horumque intellectiones ab illorum intellectionibus separet. Formas enim ac terminos eorumque intellectiones præcipuè, ac primariò posuit in tex. 21. ad intellectum pertinere. Quippè hæc per se & substantialia impartibilia sunt; cætera secundaria, velut in rebus partibilibus existentia. Illa neque actu neque potestate diuiduntur; hæc aut potestate diuidua sunt aut si diuidi nequeunt, id non ex perfectione prouenit, sed defectu vitioque naturæ; vt quantitatis terminus, quòd dimensione careat.

Et Auerroës exponi credidit quemadmodum cùm intellectus actio sit impartibilis, vt dictum est, partibilia tamen & quæ quantitatem habent, intelligat. Nimirum quoniam etsi potestate partibilia, actu tamen impartibilia sunt.

Sed maximè ad rem dixisse mihi videtur sanctus Thomas, duplicem intellectus actionem fuisse antecedentibus verbis positam; iam verò de singulis seorsim dici. Ac primùm de ea, quæ est impartibilium intellectio; deinde etiam de compositione & diuisione. Cùm igitur primam actionem circa impartibilia versari dixisset, hoc explicare aggreditur; plures impartibilis modos proponens & quemadmodum singuli intelligantur, ostendens. Primùm est impartibile in quantitate continua. Etsi enim hæc ex pluribus partibus iisque quantis & diuiduis, vt in 6. Physic. lib. demonstratur, constet; & ideò diuidua & partibilis esse videatur: nullæ tamen in ea sunt actu eiusmodi partes, sed vnica continuata extensio, in qua partes potestate continentur, diuisioneque fiunt actu. Omnes enim eiusdem rationis sunt, nempè omnes quantitates; & si fuerint copulatæ & coniunctæ, nulla inter illas distinctio supereſt, nulla vis partis actu, sed vnum quidpiam existit quantum & continuum, in quo partium omnium entitas continetur. Quam ob causam potest in eas diuidi: & in tex. 18. libri 5. Metaph. partibilis quantitas dicitur in ea, quæ insunt; hoc est in partes, quarum entitas in ipsa est quantitate. Et quoniam pars, vt est pars, distinctionem aliquam significat; etsi partes eæ quoad entitatem actu sint in quantitate, in ratione tamen partium potestate solùm sunt; quoniam diuidi quantitas potest, diuisioneque partes distinguentur. Et quoniam vt ad actum partium reducantur, sola opus est diuisione, quæ localis est motus, nihilque reale producit, sed solam distinctionem illam; quæ modus quidam est & terminus partium, quæ cùm antea essent cõiunctæ, post separatæ sunt; potestate propinqua seu proxima dicuntur esse. Quòd si nos quantitatem non capiamus extensam, nisi dum plures concipimus partes, quarum vna sit extra aliam omnesque communi termino copulentur: quemodum philosophus spectans in libro Categoriarum continuam quantitatem dixit eam esse, cuius partes communi termino coniungũtur: imaginationis tamen vitium est. Quippè non esse actu partes in continuo manifesta ostendit ratio. Tum quia continuum est vna quantitas; vnum autem vt vnum est impartibile 3. Physic. lib. tex. 68. & 5. Metaph. tex. 12. Quare non potest actu habere partes. Tum quia si eas haberet continuũ non esset, sed contiguum: siquidem contigua tunc euadunt continua, cùm vniuntur, & fiunt vnum: partes igitur continuatæ non sunt amplius partes, sed vnum quidpiam ex illis effectũ. Tum etiam quia, si quælibet pars accipiatur, ea quanta est & continua; & ideò partes haberet actu: idemque de qualibet illius parte dici semper posset. Iam demũ quia dici non potest, num illæ partes finitæ sint, an infinitæ. Si. n. sint infinitæ, quantitas nimirum ex illis coagmentata infinita esset. Si verò finitæ, nec diuidi quantitas posset in infinitũ, nec vlla reddi ratio, cur tot & non plures sint aut pauciores. Sunt igitur omnes vnũ continuũ extensum & quantũ, potestate multa. Pro-

Quomodo partes sint in continuo.

pterea continuum habere partes dicitur extra partes; non quòd actu habeat, sed quòd extensa quantitate constet, quæ diuisa multas actu partes efficere potest; & interim in ipso continuo vnam partem extra aliam assignare atque ostendere licet.

Continuum vt partibile vel impartibile.

Atque hoc demum est, quod nunc philosophus impartibile dicit duobus modis appellari; aut potestate, aut actu. Namque continuum actu impartibile est, quia vnum, vnumque vt vnum impartibile est. Partibile tamen potestate; quia diuidi partes in multas potest. Quare cùm intellectus continuum vt vnum & copulatum intelligit, impartibile intelligit. Sed simplex notio aut terminus, de quo in tex. 21. loquebatur, impartibilis est & actu & potestate; continuum autem impartibile actu, partibile potestate. Et altero modo intellectus intelligit impartibile simpliciter, altero id quod est ex parte.

Continuum vt intelligitur.

Longitudinem exemplum profert, tanquam primam & simplicissimã continui speciem maximè impartibilem; cum vnicam habeat extensionẽ. Verùm de latitudine & profunditate idem intelligas; etsi altera duplici, altera triplici extensione constet. Quare longitudo vnico modo potestate partibilis est, latitudo duplici, profunditas triplici.

Neque verò audiendus Philoponus est, cùm impartibile quidem actu, continuum dicit, sed impartibile potestate aquam aut huiusmodi corpora fluida; quæ solidiore incidente corpore diuiduntur, eoque submoto coalescunt & impartibilia fiunt vt continuum. Aut cùm impartibile duobus modis dici, interpretatur non significare solùm duplicem vocis acceptionem; sed etiam eius, quod impartibile est, in duas partes diuisionem. Nam quod ad primum attinet, vt sit subtiliter excogitatum, non consueuit tamen Aristoteles eo modo & potestatem & actum dicere; sed vtrumque perpetuò de eadem re; vt illa ipsa & actu & potestate considerari possit. Ita potiùs hoc ipso loco credendum est eum dixisse intellectum intelligendo continuum intelligere impartibile; quia etsi potestate partibile sit, actu tamen est impartibile. Quòd si de rebus diuersis accipienda hæc essent; mallem aut cum Themistio impartibile actu continuum dicere, quod actu vnum & indiuisum sit: impartibile verò potestate immateriales formas & punctum, quæ ita vna sunt & indiuidua, vt nec diuisa sint, nec diuidi queant, quòd nullas habeant partes. Quippè de puncto quoque post dicet, vbi de continuo dixerit. Aut simplices notiones & terminos, quos in tex. 21. absolutè & simpliciter impartibiles nominauit; Simpliciusq; impartibilia formalia nuncupat. Impartibile verò duobus modis dici, hoc est in duas partes continuum diuidi, dura prorsus interpretatio est: præsertim vbi ab ipsomet philosopho exponitur id, quod dicitur. Sed nec in duas, sed in plures & quotquot libuerit partes diuiduum continuum est.

TEXTVS.

Καὶ ἐν χρόνῳ ἀδιαιρέτῳ· ὁμοίως γὰρ ὁ χρόνος διαιρετὸς, καὶ ἀδιαίρετος τῷ μήκει.

Et in impartibili tempore. Perinde namque ac longitudo, partibile ac impartibile tempus.

COMMENTARIVS CVII.

SI intellectus impartibile intelligit, cùm continuum intelligit; quia continuum est impartibile actu; docendum quoque fuit, quemadmodum intelligatur. Sanè hoc præcipuè nunc agitur. Sed illud etiam ni fallor, vt quoniam duplex continuum est, vnum permanens, alterum succedens; propositam propositionem exponat non ad permanens modò, sed ad succedens quoque continuum pertinere; perindeque impartibile intelligi, dum intelligitur tempus, ac si longitudo continua permanens intelligatur, latitudo quoque & profunditas. Itaque illud (perinde namque ac longitudo, partibile & impartibile tempus) duplicis conclusionis rationem continet aquarum altera est, impartibile intelligi cùm intelligitur tempus: altera, continuum tempore impartibili intelligi. Vtriusque ratio est; quia cùm tempus perinde ac longitudo continua, quantitas sit; perinde de illo partibile & impartibile dicuntur. Est igitur tempus potestate partibile, actu impartibile; cumque intelligitur tempus, intelligitur impartibile. Et rursum dum intelligitur continuum impartibile actu, in impartibili quoque intelligitur tempore.

Tempus partibile & impartibile.

Certè in textu 70. libri 3. Physic. & tex. 99. & 113. lib. 4. continuum traditum est inesse magnitudini, motui & tempori; sed magnitudini primùm, deinde motui, qui aut magnitudinis est, aut super magnitudinem sit; tum demum tempori, quod consequitur motum. Quia enim magnitudo est continua, continuus est & cum successione motus; & quia motus, ideò & tempus. Cõtinuitas magnitudinis permanẽs est, cõtinuitas motus & tẽporis succedens: hæc ex illa ortum habet, & ideò per prius & posterius dicitur. Immò in tex. 18. libri 5. Metaph. motum & tempus non dubitauit philosophus affirmare quanta & continua ex accidente esse; quòd eorum quantitas & continuitas ex magnitudine oriatur. Idem de impartibilibus intelligas, quæ in cõtinuo considerantur. Quemadmodum enim se habet punctus in longitudine, linea in superficie, & superficies in profunditate; ita se habent mutatum esse in motu & momentum in tempore. Magnitudo sola & tempus hoc loco commemorantur, prætermittitur motus: tum quia intellectio neque motus est, neque cum motu perficitur: tum quia motus continuitatem à tempore distinctam non habet: nec ſine, nisi vnica est quantitas successiua, quæ etsi in tempore oriatur ex motu, tempori

pori tamen potiùs, quàm notui, tribuitur. Quoniam cùm sint idem re motus & tempus, motus formaliter consideratus viam significat & progressionem ad formam quampiam & essentiam, velut terminũ, aquirendam; tempus autẽ durationẽ, morã, & permanentiam viæ illius & progressionis in existẽtia; velut existentiæ quandam extensionem, quæ non statim atque incipit, desinit, sed aliquandiu perseuerat, tantóque tempore durat, quanto in eo persistit. Quam ob causam nullum in generibus entis proprium locum habet motus, sed ad termini genus reuocatur: quòd non vt natura per se, sed vt via ad aliud, consideretur; & in lib. Categoriarum ex accidenti quantus esse dicitur. Tempus verò vt absolutam durationem & extensionem significat, ita quantitatis species existimatur esse; & numerus ac mensura motus definitur in 4. Physic. libro.

Motum per se in categoriã non poni, &c.

Continuum vt intelligatur.

Ergò motu prætermisso, si modum quæras, quo intelligatur continuum impartibile actu; respondet Philosophus, impartibili tempore intelligi. Impartibile tempus Philoponus interpretatur momentum; maléque dictum putat impartibile tempus, quippè momentum tempus non est, sed principium temporis. At leuis obiectio est. Duobus enim modis intelligi continuum potest. Aut quatenus vnum & impartibile actu; nullas in eo separando partes, sed totum simul accipiendo. Aut quatenus potestate partibile diuisis partibus, quæ diuidi possunt; vnaque post alteram intellecta. Si priori modo intelligat, intellectio sanè momentanea fuerit & impartibilis: si posteriori, temporanea & partibilis. Perinde namque ac continuum; partibile est & impartibile tempus. Quocirca illud (& in impartibili tempore) non de momento solùm, sed tum de momento, tum de continuo tempore intelligas. Namque & momentum impartibile tempus dicitur, quòd aliquid temporis sit: & continuum tempus impartibile, quòd sit impartibile actu, & potestate partibile; quemadmodum cõtinuum illud, quod intelligitur.

Itaque quod magnitudinẽ, motum, & tempus sese vicissim consequi & esse similia dicebatur; ita in re præsenti accipias. Motu dimisso, qui in intelligendo locum non habet; pro motu actionem mentis accipias. Ergò obiectum intellectile, intellectio, & tempus, ita se habent; vt si obiectum fuerit impartibile intellectio quoque impartibilis sit & momentanea; si partibile obiectum, & intellectio partibilis & temporanea. Etsi enim continuum statim intelligat, si tamen percurrat eius partes, in eóque intelligendo moretur; tempus nimirum consequitur.

TEXTVS.

Οὕκουν ὅσιν ἐνδέχεται, ἐν τῷ ἑκάστῳ τὸ συνεῖναι ἑκατέρῳ· ἓν γάρ ἐστιν, ἀλλὰ διαιρεθῆναι, ἀλλ' ἢ δυνάμει. χρώνῳ δ' ἐκάτερον τῶν ἡμίσεων γοῦν, διαιρεῖ καὶ τὸν χρόνον ἅμα· τότε δ' οἰονεὶ μένων. ἢ δ' ὡς ἐξ ἀμφοῖν, καὶ ἐν τῷ χρόνῳ τῷ ἐν' ἀμφοῖν.

Non licet igitur dicere quid in vtroque dimidio intelligat; non est enim, nisi diuidatur, nisi potestate. Seorsim autem vtrumque dimidium intelligens, simul etiam tempus diuidit. Tunc verò velut longitudines. Quòd si tanquam ex vtrisq; in tẽpore quoque quod ex vtrisque.

COMMENTARIVS. CVIII.

ETsi res à nobis intelligantur, quæ sensibus suscipiuntur, ac præsertim auditu, qui disciplinæ sensus est; non eodem tamen modo, vt adnotauit Themistius, intellectu concipiuntur; quo pronuntiantur & audiuntur voces. Pronuntiantur voces & audiuntur cum tempore, sensim & per syllabas; quia cum locali motu aëris eas formantis atque ad auditum deportantis. At intellectus non hæret syllabis, ad singularum auditionem notionis partem formans: sed integræ vocis significatione percepta illicò significatæ rei notionem totam effingit: atque tum tempus tum intellectio reique intellectæ notio impartibilia sunt. Neque enim cum voce intelligentia extenditur. Idem penè in intelligendo continuo accidit. Nam etsi continuum extensum sit, si tamen non per partes, sed totum simul, vt vnum impartibile actu intelligatur; impartibilis & momentanea intellectio est. Si enim partibili tempore intelligeretur, nimirum vna illius pars in vna temporis parte & alia in alia intelligeretur. Non igitur intelligeretur vt vnum & impartibile actu; quoniam vnum & impartibile partes non habet, quæ seorsim intelligantur. Atque hoc est, quod ait philosophus, ab eo, qui superiorem conclusionem neget, continuum impartibile actu momento intelligi; sed omnino contendat esse tempus, quod prius habeat & posterius; dici non posse quidnam in vtroque dimidio, priori scilicet & posteriori illius temporis, intelligat. Quippè in continuo, antequam diuidatur, nullæ sunt partes actu, quæ seorsim intelligantur. Sunt sanè potestate; quia diuidi potest id, quod est vnum & continuum. Sed si hoc modo consideretur continuum vt potestate diuiduum, iam non consideratur vt vnum impartibile actu. Quare si seorsim partes eius consideres, non momento, sed tempore illas percurres; nimirum simul & continuum & tempus diuidendo. Perinde namque ac longitudinem, tempus quoque dicebamus esse partibile: & nunc perinde addimus esse, siue re ipsa siue mente & cogitatione longitudo diuidatur. Quemadmodum enim si re ipsa diuideres, non amplius momento, sed cum tempore diuisas partes intelligeres; quia non iam esset longitudo, sed longitudines; non vnũ continuum, sed plura: sic etiam prorsus eueniet, si cogitatione diuidas; quia non vt vnũ, sed vt plura intelliges. Quòd si continuum intelligas, vt continuum quidem, non diuisum, sed vt ex pluribus partibus constans, & in eas potestate diuiduum; intelliges quoque in tempore continuo, quod ex pluribus constabit partibus.

Continuum vt intelligatur.

Hæc est plana horum verborũ explicatio: quibus duo prorsus continentur. Alterum est confirmatio superioris conclusionis, continuum vt est vnum momento intelligi. Alterum, posse cõtinuum tribus modis considerari, totidemq; modis intelligi. Primum consideratur vt est actu vnum. Deinde vt actu diuisum in plures partes. Postremò vt actu quidem vnum, sed potestate diuiduum. Dum primo modo intelligitur, momentanea & indiuidua intellectio est; quæ tamen euadit temporanea, si diutius in ea persistat & hæreat intellectus. Dum altero modo; vt sunt plura continua, quorum vnum quodque est

vnũ actu, ita plures intellectiones sunt, momentanea & indiuidua vnaquæque. Denique dum tertio modo, intellectione quidem vna, sed temporanea & quæ pluribus copulatis partibus constet: quemadmodum continuũ intelligitur actu copulatum, potestate diuiduum, sic intelligendæ rei vndiq; intellectio & tempus respondent.

TEXTVS.

Τὸ δὲ μὴ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον, ἀλλὰ τῷ εἴδει, νοεῖ ἐν ἀδιαιρέτῳ χρόνῳ, καὶ ἀδιαιρέτῳ τῶν ψυχῆς.

Tex. 24 *Quod autem non quantitate impartibile, sed forma; in impartibili tempore intelligit & impartibili animæ.*

COMMENTARIVS CLXIX.

PVtat Simplicius impartibile in quantitate, de quo in superiori textu actum est, comparari nunc cum impartibili illo, de quo in textu 21. quod est impartibile formale & abstractum (hoc enim nunc impartibile formæ interpretatur) atque alterius ab altero discrimen ostendit. Alterum namque actu est impartibile, potestate partibile: alterum tum actu, tum potestate impartibile. Illud momento temporis intelligitur, sicut impartibile actu; aut diuiduo tempore, sicut potestate partibile consideretur. Hoc verò impartibili momento, quod est suprà tempus.

Sed omonymia erit in verbis philosophi, si impartibile temporis antea momentum temporis, nunc impartibile supra tempus, & tempore melius dixit. Ergò philosophus de primo egit impartibilis modo, qui in quantitate consideratur: nunc de altero dicit, quo non quantitate, sed forma impartibile quidpiam nominatur. Formam autem duobus modis interpretari licet: aut speciem & integram naturam, siue ex materia & forma, siue ex genere & differentia constantem; vt hominem & equum, vel etiam indiuiduum hominem aut equum. Aut formam solam, siue immaterialem, abstractã, & simplicem, siue materię actũ. Non solùm enim forma ipsa per se cõsiderata simplex natura est; sed etiam ex materia & forma genereue & differentia coalescit vna quæpiam essentia, quæ simplici definitione ac notione continetur. Prior interpretatio Themistij fuit, posterior Philoponi, Simplicij, Auerrois, Alberti, sancti Thomæ. Nam etsi species quoquo modo in indiuidua plura diuidi videatur; verè tamen nulla diuisio est, cùm in singulis tota sit eius natura, omninoque speciei notio impartibilis est; speciemque infimam, quam propriè speciem nominamus, atomum dicimus; atque in generum diuisione iubebat Plato in ea quiescere. Verùm nec generum natura dissimilis. Hæc per eam, quæ prædita sunt potestate, quatenus communes pluribus naturæ sunt, in plures quidem diuidi species existimantur; at natura tota in singulis speciebus continetur. Omnes quippè animalis species substantiæ sentientes sunt; non minùs, quàm homines singuli rationalia animalia sint. Illa est natura generis, hæc speciei. Itaque in impartibili tempore & impartibili animę intelligitur vtraq; hoc est tum temporis momento, tum intellectione subita & indiuidua. Neque enim audiendi sunt Philoponus & sanctus Thomas, vbi animæ impartibile facultatem animæ, id est intellectum interpretantur. Quippè vbi de intelligendo agitur, manifestum est de intellectu agi: dubium verò qualinam eius intellectione intelligatur: nec quærebatur qua facultate, sed quali actione intelligamus. Ineptaque fuisset responsio, intellectu nos intelligere. Sed etiam in superioribus de actione semper, non de facultate fuit sermo: omonymiaque laboraret oratio, si impartibilis vocem alio nunc vsurparet modo. Animæ igitur impartibili, hoc est impartibili intellectione intelligit. Nam nec hominis nec animalis vnam partem priùs, aliam posteriùs, sed totum simul & vt totum quidpiam & vnum, siue ex materia & forma, siue ex genere & differentia, confectum intelligimus: neque cum voce, quæ per syllabas cunctatim pronuntiatur, extenditur intellectio. Itaque formæ nomen cuiusque rei essentiam & naturam significabit, vel etiam domus ac cæterorum quæ arte constant.

Neque in rebus continuis modò, sed & in multitudine & numero; vt vere Themistius admonuit. Etsi enim plures sint vnitates deiunctæ & separatæ, quæ per partes, & cum tempore intelligantur, si seorsum singulæ percurrantur: dum tamen omnes in vnam numeri formam intelliguntur, qua binarius, ternarius, cæteræque numerorum species constant, considerantur; sanè vt aliarum rerum species, sic hæ impartibili tempore & actione comprehenduntur.

Quòd si formæ nomine non speciem & naturam integram, sed formam solam naturæque cõpositæ partem intelligas; næ hæc ipsa quoque temporis momento & actione indiuidua intelligitur. Omnis enim forma per se considerata impartibilis est: & vt immateriales & spiritales formæ; ita & hæ, quæ materiales maximè sunt (siue substantiæ formæ sint, siue accidentium) si mente separentur à materia, cuius quantitate extenduntur, ac per se solæ accipiantur, impartibiles sunt. Quantitas extensio est, propriaque materiæ affectio: itaque materia per se quanta est & extensa; formæ ex materiæ potestate eductæ, ex accidenti euadunt quantæ, dum vna earum pars ex vna, alia ex alia materiæ parte educitur in eque sustentatur. Separes à materia; quantitatem omnem, extensionem & partibilitatem amittunt.

Verùm enimuerò siue speciem siue formam interpreteris, argumentum à minori ad maius in his verbis agnoscas. Si enim quantum continuum, dum consideratur vt vnum, momento & indiuidua actione intelligitur; multò magis intellegetur impartibile illud, quod sua natura quãtitatis omnis & extensionis est expers. Posteriorem tamen interpretationem duo confirmant, Alterum, quod cum in superiori impartibilis acceptione de continuo dixit philosophus, simul etiam de materia dixisse videtur, quæ per se quanta est & continua; eodemque modo definiuisse materiã intelligi; quo intelligitur continua quãtitas. Quare de forma, quæ non per se, sed aut

Natura qualibet impartibilis est, & impartibilis si intelligitur.

Formæ omnes per se impartibiles.

aut nullo modo, vt spiritalis forma; aut ex accidenti solùm, vt ea, quæ materialis, quanta, & cõtinua est, dicendum supererat, quemadmodum ea intelligatur. Neque hoc minùs numeri ac multitudinis formam comprehendet; quoniam vt coniuncta, ita & deiuncta materiæ quantitate forma euadit ex accidenti quanta: nec minùs à deiuncta, quàm à coniuncta separata impartibilis erit numeri forma. Alterũ, quòd proximè sequentia verba, quibus de quanto & diuiduo ex accidenti loquetur, maximè videntur ad formam pertinere, quæ materiæ quantitate efficitur ex accidenti quanta. Sic enim habet.

TEXTVS.

Κατὰ συμβεβηκὸς δ', καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα διαιρετά, ᾧ νοεῖ, καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, ἀλλ' ᾗ διαιρετά. ἐνέστι δὲ καὶ τούτοις τὸ ἀδιαίρετον.

Ex accidenti verò, & non quatenus illa partibilia, quo intelligit, & in quo tempore: sed quatenus impartibilia. Ineſt enim & his aliquid impartibile.

COMMENTARIVS CX.

OBscura verba interpretationis multiplicis fuerunt causa. Illud constat, inchoatam explicationem absolui, quomodo impartibile secundo modo dictum intelligatur. Sed Themistius mentis notiones & tempus, quo eæ intelliguntur, interpretatus est ex accidenti partibilia dici propter voces; quæ sensim & cum tempore pronuntiantur. At nec de vocibus mentio vlla; nec solùm propter voces, sed & propter materiam cognitricemque virtutem ex vno in aliud progredientem partibiles notiones euadunt.

Philoponus ergò triplicem aliam expositionem fecit. Prima fuit, materialem formam ex accidenti vt impartibilem intelligi: quia eum partibilis verè sit, ex accidenti impartibile habere dicitur; quòd deforis accedat illi vnitas, dum impartibili animæ parte, quæ intellectus est, intelligitur. Vt hæc sit verborũ sententia. Si intellectus materiales formas impartibiliter, vt dictum est, intelligit; id ex accidenti est: (non quatenus illa impartibilia) hoc est non sua natura.

Altera, formas impartibili, tum tempore, tum animæ facultate, ex accidenti intelligi; quòd ipsæ non per se, sed ex accidenti sint impartibiles. Quare etsi intellectus sua natura habeat, vt impartibiliter intelligat; ex accidenti tamen impartibili intelligitur; quoniam ipsis intellectilibus accidit esse impartibile ex accidenti.

Tertia, illud (quo intelligit) phantasiam significare, qua intellectus ad intelligendum vtitur. Hanc verò parte quadam & vt phantasia est, impartibile habere conuincitur; quia priores typi à posterioribus non delẽtur. Ex accidenti tamen partibilem esse; quoniam in subiecto partibili est. Sicut & momentum per se impartibile est, ex accidenti partibile, quia in tempore partibili est. Sed quamuis hæc ex accidenti partibilia sint, ea tamen accipiens intellectus vt impartibilia sunt, materialem formam intelligit; & ideò impartibili tempore & impartibili phantasia intelligit. Atque in his fortasse inquit Philoponus voluisse Philosophum affinitatem & similitudinem phãtasiæ ac materialis formæ ostendere; quòd ambæ partibiles ex accidenti sint. Adde & temporist quippe hoc quoque ex accidenti partibile esse dicitur.

Verùm in his Philoponus tum accipit falsa, neque vt par est de formarum natura sentit: tum pugnantia loquitur. Nam vt nullam hîc mittam phantasiæ mentionem esse: neque illud (quo intelligit) accommodatè de illa exponi. Tum quia propriè id, quo intelligimus, intellectus est, aut intellectio ipsa: phantasia verò id est, quo imaginamur, rerumque simulachra fingimus. Tum quia hæc (quo intelligit & in quo tempore) antecedentibus illis respondent (& impartibili tempore intelligit, & impartibili animæ) vbi impartibile animæ non phantasiam, sed intellectum Philopono, cæteris ferè intellectionem ipsam significauit.

Forma omnis pro se impartibilis.

Sanè falsum est materiales formas per se partibiles esse, ex accidenti impartibiles: contraque prorsus res habet. Et per se suaque conditione ac natura impartibiles sunt, si à materia & quantitate considerentur abiunctæ (quippe nõ aliã ob causam spiritales reque abiunctæ formæ impartibiles sunt) ex consortio autem materiæ, quæ quantitatem & extensionem habet, partibiles ex accidenti euadunt. Pugnantia verò loquitur, dum anteà quidem materialem formam per se partibilem, ex accidenti impartibilem dicit; post verò phantasiam addit ex accidenti partibilem esse, quòd in subiecto partibili sit: nam & forma inquit ea est ratione partibilis, hoc est ex accidenti, quia in subiecto partibili est. Et rursum post; voluisse Philosophum phantasiæ materialisque formæ affinitatem, ac similitudinem ostendere, quòd ambæ sint ex accidenti partibiles. Alioqui si ità non sit, quænam tandem affinitas, quæ similitudo?

Auerroës igitur intelligendam formam & tempus, quo intelligitur, ex accidenti partibilia dici exposuit; non quatenus talia sunt, sed quoniam vtrumque per se impartibile in partibili existit; forma in magnitudine, momentum in tempore. Cæterùm neque intelligimus forma; vt id (quo intelligit) formam significare possit, quæ id potiùs est, quod intelligitur: sed intellectu aut intellectione intelligimus. Neque de intellectili nunc, sed de intellectione & tempore sermo est. Quippe vt Philopono quoque diximus, illud (quo intelligit) id ipsum est, quod paulò ante (impartibili animæ) dixit: quod ipsemet Auerroës impartibilem intellectionem interpretatus est.

Quid igitur sanctus Thomas? Partes formæ ex accidenti partibiles intelligi voluit. Etsi enim ipsa per se in impartibili intelligatur, aliquam tamen in partibus diuisionem subit, quas ex accidenti intelligimus; non vt partibiles sunt, sed quatenus in illis etiam diuisis ipsa est impartibilis forma, quam impartibiliter intellectus intelligit. Itaque

impartibili actione & impartibili tempore intelligitur forma; tùm per se, tùm in partibus considerata. Sed si per se consideretur, intelligitur per se impartibili; ex accidenti autem dum in partibus spectatur. Non tamen quatenus illa impartibilia (hoc est non quatenus diuisæ sunt, sed quatenus in illis diuisis est ipsa impartibilis forma. Ineſt enim & his aliquid impartibile) forma scilicet ipsa per se impartibilis. Quòd si partes eæ per se seorsim, vt diuisæ considerentur, tùm demùm non impartibili ampliùs, sed partibili, tum actione, tum tempore, intelligentur. Triplex igitur consideratio fuit. Prima formæ per se, vt impartibilis est, etsi in partibili existat materia. Altera, vt in pluribus diuisis partibus reperitur. Tertia partium ipsarum diuisarum ac per se seorsim sumptarum. Prima est in impartibili per se: altera in impartibili ex accidenti: postrema prorsus in partibili.

Cæterùm accõmodatè magis Simplicius tametsi orationis continuationem probanda videatur. Philosophũ enim putat duplici distincto impartibili; vno, quòd neque actu neque potestate diuiduum est; altero, quod si non actu, certè potestate sit diuiduum; singula singulis facultatibus assignasse; alterũ intellectui, vt intellectus est; alterũ intellectui, vt rationalis est. Atq; cùm in superioribus verbis impartibile primi generis, quod est formale & abstractum, intelligi dixisset impartibili omnino tempore & impartibili animæ; alterius nunc impartibilis, quod in partibili est, intellectionem subiungi; neque simpliciter in impartibili animæ fieri, neq; in impartibili tempore, sed in impartibili actu, potestate partibili. Hæc inquam continuatio probanda non est: quoniam in proximè superioribus verbis ostendimus non fuisse sermonem de impartibilibus abstractis, alioque intellectu impartibile forma nominatum fuisse.

Quare potius credendum est, cùm antea exposuisset quomodo impartibile quantitate intelligatur; postque impartibile forma dixisset impartibile tempore & impartibili animæ intelligi: eum nunc explicare voluisse, quomodo id fuerit dictum: nempè ex accidenti impartibili illo intelligi. Quoniam cùm verè & reipsa partibile sit id, quod intelligitur; non intelligitur tamen quatenus partibile, sed quatenus impartibile. Sanè si animal & rationale diuersasque materialis formæ partes seorsim intelligas; diuiduntur actu, vt res intellecta, sic & intellectio & tempus; si simul vtrũq; intelligas partibile vt impartibile; & intellectio actu impartibilis, potestate partibilis est; & tempus item; quoniam seorsim illa intelligi queunt. Quare ex accidenti est, si impartibili intelligantur: quia non quatenus illa partibilia sunt partibusque constant, intelliguntur; sed quatenus impartibilia: ineſt enim illis impartibile aliquid, siue species vna, siue forma vna. Cognitio item partibilis est & partibili tempore fieri potest componendo & diuidendo: at nec vt partibilis, nec in tempore vt partibili cognoscit: quippe id, quod sua natura partibile est, vt impartibile apprehendit. Sed vt impartibilis est tota simul. Ineſt enim & his aliquid impartibile; nempè momentum in tempore, & in actione animæ intellectio. Propterea impartibile per se vt impartibile cognoscitur; partibile autem ex accidenti; quia non cognoscitur vt partibile, sed vt impartibile: neque in tempore partibili, sed in impartibilitempore vt partibili animæ, sed vt impartibili. Oportet enim obiectum, actionem, & tempus sibi in omnibus respondere & æqualia esse.

Hæc est obscurissimorũ verborũ sententia. Quæ tamen ego ita accipio, vt non solùm de posteriori impartibilis genere, quod impartibile forma distabatur; sed & de priori, quod in quantitate continua considerabatur, fuerit pronuntiata. Perinde enim qui continuum intelligit impartibili tempore, vt in tex. 23. dicebatur, ex accidenti intelligit illud impartibili: quia vt impartibile intelligit id, quod verè partibile est. Itaque cùm vtrumque impartibilis genus vidisset Philosophus verè & re ipsa esse partibile; explicare voluit quod de vtroque dixerat, vtrumque impartibili intelligi. Nam & statim longitudinis & continui quoque mentionem subiunget, & hoc similiter in omni cõtinuo habere dicet: quasi ad illud quoque antecedentia hæc verba pertinere significans.

TEXTVS.

Ἀλλ' ἴσως ἓ χωριστὸν, ὃ ποιεῖ ἓν τὸν χρόνον καὶ τὸ μῆκος· καὶ ὅλως ὁμοίως ἐν ἅπασι ὃν τῷ συνεχεῖ, καὶ χρόνῳ καὶ μήκει.

Sed fortasse non separabile, quod vnum facit tempus & longitudinem. Et hoc similiter in omni est continuo, & tempore, & longitudine.

COMMENTARIVS CXI.

QVod in rebus partibilibus dixerat impartibile aliquid ineſse, hoc ipsum ita nunc ineſse subiungit, vt & inseparabile sit, & vnum faciat id, quod partibile dicitur. Sed cùm tempus & longitudinem & omnino continuum omne nominet; manifestum est id, quod dixerat, partibilia partibili ex accidenti intelligi, non solùm de partibilibus forma, sed etiam de continuis dictum fuisse. In omni igitur continuo, tum tempore, tum longitudine; hoc est tum continuo successiuo, tum permanenti, impartibile aliquid ineſt, quod continuum faciat vnum. Dum longitudinem legis, superficiem quoque & corpus & omninò permanentem omnem magnitudinem intelligas; vt & in superioribus. Et quamuis magnitudo prior sit tempore, quod motum in magnitudine factum consequitur; prius tamen nunc nominat tempus; quòd illud proxime nominasset & propter illud hæc verba subiungeret. Quæ tamen non solius temporis, vt tempus est, propria esse intelligens; sed tempori, quatenus continuum est; conuenire; & ideo cõtinuo omni communia esse: post tempus longitudinem quoque & continuum omne adiunxit.

Digressio

Digressio XXIII. De impartibilibus quantitatis.

Impartibilia ut in continuo.

SAnè in continuo duo impartibilium genera considerantur. Quædam extrema, velut termini quantitatis finitæ : alia in ipsa quantitate intermedia, velut diuersas illius partes copulantia : nempè in linea puncta, in superficie lineæ, in profunditate superficies, in tempore momenta. Has namque agnoscimus continui species, permanentes tres, quartamque fluentem ac subindè succedentem. Quæ in medio continuò considerãtur, potestate, non actu, sunt. Eadem quippe illorum est ratio, quæ & partium. Nam si in linea, (de cæteris idem intelligas) essent actu puncta ; cùm non constet ex punctis tota, vt in 6. physic. lib. demonstratur ; inter quælibet duo puncta esset linea ; quæ actu pars lineæ totius esset punctis illis terminata. At partes non actu, sed potestate duntaxat inesse antea ostendimus. Et cùm punctum impartibile quidpiam sit & extensione carens ; vbi punctum adsit, extensio non erit : ibi ergò interrupta fuerit extensio ; neque continua erit linea, sed contiguis constabit partibus ad illud punctum ita termniatis, vt earũ quælibet quemadmodum termniata est, sic in extremitate carentiam habeat extensionis, & ideò interruptionem : cùm nil aliud terminus, quàm extensionis carentiam in extrema re terminata significet. Sed & huiusmodi puncta aut finita essent, aut infinita ; si infinita, cùm inter quælibet duo puncta sit linea, innumerabiles essent actu vnius lineæ partes : si verò finita, quis tandem eorum numerus ? Neque enim vlla est ratio, cur tot potiùs, quàm plura aut pauciora sint. Deindè cùm inter quælibet illorum duo sit linea, non minùs in hac, quàm in priore tota, fuerint puncta ; atque inter hæc rursum alia linea, aliaque puncta : & sic semper progrediemur : cumque nulla sit pars lineæ, in qua mihi non concederes puncta, totam tandem lineam ex punctis constare conficiam. Ergò potestate solùm sunt hæc puncta ; lineæque diuisione fiunt actu. Quoniã. n. separãtur actu partes, eæ finitæ ac terminatæ existunt, suosq ; terminos & extrema habent actu. Quamquàm hæc diuisio non reipsa modò, sed & mente & assignatione fieri potest ; si aut mente cogitemus aut in continuo ostendamus partes, quæ diuidi re ipsa possint & separari. Ita vbique in linea dicuntur esse puncta ; quoniam vbique diuidi potest diuisioneque fieri vbique puncta. Nusquàm tamen duo puncta immediatè assignabis ; sed media semper intercedet linea.

Præter hæc verò impartibilia, quæ potestate reperiuntur, illa sunt actu & reipsa, quæ in extremitatibus velut continui totius termini considerantur. Actu namque finitum est & terminatum : neque terminus illius pars aliqua diuidua esse potest ; quoniam cum eius partis medietas vltra illam sit, ipsa non esset vltima. Sed indiuiduum quidpiam esse oportet. Reale tamen : tum quia reipsa continuum terminatur : tum quia corpus locans & corpus locatum re ipsa se A se contingunt ; neque diuidua aliqua parte, quia sese vicissim penetrarent ; verùm indiuidua extremitate : atque vt realis contactus est, sic reales esse oportet extremitates, quibus se tangunt. Figura quoque quæ cum superficie est idem re, quidpiam reale significat : tum quia species sub genere qualitatis : tum quia realis terminus naturalis corporis : plurimæque figuræ termini existunt operationum artis. Denique si superficies immediatum est accidentium realium subiectũ, vt habes in tex. 25. lib. 4. physic. si locus superficies esse definitur in tex. 41. si superficies species est quantitatis ; næ reale quidpiam significet : B idemque de impartibilibus cæteris iudicium fuerit. Præsertim cum de illis & mathematicæ disciplinæ & verò naturalis ipsa scientia tractent.

Verùm ab ea quantitate, in qua reperiuntur, nequaquam re distinguntur. Quippe diuisione sola, compressione, alioue locali motu, qui nullam rem nouam adfert, producuntur. Et si rem quampiam separatam significent ; possent nimirum diuina virtute seiungi seorsimque existere, punctum sinè linea, linea sinè superficie, superfices sinè profunditate. Quod si fieret, quantitas remoto termino fuerit sanè infinita ; & impartibile illud per se consideratum sub aliquo entis C genere ponendum esset : & cùm ad quantitatem maximè pertinere videatur, omnis est quantitatis & extensionis expers. Plura eiusmodi alia consequerentur absurda, quæ sciens commemorare supersedeo. Itaque quantitas vt hucusque & non vlteriùs protenditur, & re ipsa & se ipsa terminatur : superficieisque extrema profunditatis existit terminus ; vt quædam est latitudo profunditate carens, & ideò profunditate impartibilis. Nam vt quasi crassescit latitudo, profunditas fit ; vt per se spectatur sola, impartibilis profunditate, terminus profunditatis D est. Linea item superficiei terminus, quatenus superficiei latitudo non vlteriùs dilatatur ; nil aliud, quàm latitudinem se ipsa finitam, significat. Cùm enim secundùm totam suam latitudinem finiatur, in eo fine ac termino longitudo quædam consideratur : quæ vt quasi dilatatur, superficies est ; vt latitudine omni caret & sola est longitudo impartibilis latitudine, linea dicitur & superficiei terminus. Postremò punctum ipsa est linea vt in longitudine finitur. Et quoniam linea est longitudo sinè latitudine, impartibilis prorsus est illius terminus, omnique extensione caret ; & ab Euchlide deffinitur, cuius nulla est E pars, neque profunditatis, neque latitudinis, neque longitudinis. Et verissimè Themistius atque Simplicius impartibilia hæc omnia nil aliud, quàm priuationem illius quantitatis, cuius termini sunt, significare prodiderunt. Est aliquid, inquit Themistius cap. 44. quod per se & suapte natura indiuiduum est & incompositum : at puncta & momentũ non hoc modo indiuidua sunt, sed ex deffectu & priuatione continui. Et Simplicius commentario ad tex. 23. Puncta & omninò extrema ipsa, vtpotè decidentia & hoc ipso, quia extrema sunt, ab ijs etiam destituta, quorũ sunt extrema, in priuatione sunt ipsorũ ter-

Impartibilia non distingui re a continuo.

Impartibilia quid formaliter sint.

minatorum & finitorum. Quod in commentario quoque tex. 25. prosequitur.

Impartibilium duo genera.

Præter extensionis tamen priuationem, in continuo positionem significant ; tamquàm id, quod in eo consideratur vt illius terminus. Et Aristoteles in tex. 12. lib. 5. Metaph. punctum hoc nomine ab vnitate distinxit, quòd hæc impartibilis absque positione sit, illud verò impartibile positionem habens in continuo ; hoc est continuo alicui semper adiunctum. Quare duo in primis in impartibilibus hisce considerantur. Alterum est extensionis ac partibilitatis priuatio. Alterum, positio in extenso quopiam ea ipsa extensione, cuius illa priuationem significant. Qua positione fit, vt illorum quædam extensionem aliquam habeant, superficies latitudinem, linea longitudinem ; punctum omninò nullam.

COMMENTARIVS.

HÆc de horum impartibilium natura & conditione explicanda fuerunt, vt duo illa intelligerentur, quæ hoc loco à Philosopho affirmantur. Alterum, (quod posterius commemoratur) in omni continuo, tum permanenti, tùm successiuo, aliquid esse impartibile, quod vnum facit continuum. Sermo enim est de impartibilibus ijs, quæ in medio continuo considerantur: non de illis, quæ extremitatum termini sunt. Etenim illa, dum continui partes copulant, continuum faciunt vnũ, quod impartibili animæ & impartibili tẽpore intelligatur. Alterum, hoc impartibile non esse à continuo separabile: tũ quia est idẽ cum continuo, neq; rem quampiam ab eo diuersam, quæ separari possit, sed extensionis potiùs priuationem, habet: tum quia intrinsecè positionem in eo significat. Neque in primo libro de posteriori analysi tex. 9. dubitauit idem Philosophus affirmare, punctum de linea dici per se primo modo ; qui sanè continet ea, quæ separari nequeunt. Immò & lineã quasi fluxu puncti, superficiem fluxu lineæ, profunditatem fluxu superficiei, ac tempus denique momenti fluxu fieri cogitamus, hisque naturam illorum exponimus.

Adiecit tamen (fortasse) propter mathematicas abstractiones, quæ & punctum à linea, & impartibilia cætera separant à continuo à quo re ipsa nequeunt separari. Quoniam hæc mathematicus, vt est in tex. 18. lib. 2. physic. non considerat vt naturalis corporis termini sunt.

Cæterùm quoniam in his Philosophus non solùm de illo impartibilis genere agit, quod in quantitate continua considerabatur ; sed & de altero, quod impartibile forma dicebatur ; de hoc quoque interprætemur hæc verba. Sanè materialis forma etsi cum materia extendatur, atque in alijs atque alijs partibus reperiatur, vel etiam diuersæ interdum naturæ ; vt in eterogeneo corpore ; in omnibus tamẽ partibus impartibile quidpiam est, dum eadem natura formæ reperitur : eaque partibus omnibus vnitatem tribuit atque omnes in vnum colligit. Est autem inseparabilis ; quia materialis forma suæ materia, ex qua fuit producta, esse non potest: quod in tex. 19. eiusdem lib. 2. phys. traditur. Dixit tamen (fortasse) tum quia cum ratione illam separetur, non omninò & absolutè inseparabilis est : tum quia in tex. 1. lib. 6. Metaph. eiusmodi naturales formas, quæ sunt in materia, plerumque, non semper, inseparabiles esse docuit. Non ignoro secùs hunc locum ab alijs plerisque fuisse expositum. Sed magis accommodatam iudico hanc, quam feci, interpretationem.

TEXTVS.

Ἡ δὲ στιγμὴ, καὶ πᾶσα διαίρεσις, καὶ τὸ ὅπως ἀδιαίρετον, δῆλοῦται, ὥσπερ ἡ στέρησις· καὶ ὅμοιος ὁ λόγος καὶ τῶν ἄλλων. οἷον, πῶς τὸ κακὸν γνωρίζει, ἢ τὸ μέλαν· τῷ ἐναντίῳ γάρ πως γνωρίζει.

Punctus verò omnisque diuisio & quod ita impartibile, Tenebræ manifestum fit vt priuatio. Et similis ratio in cæteris. Vt quomodo malum cognoscit aut nigrum? Contrario enim quodam modo cognoscit.

COMMENTARIVS CXII.

TErtia hæc est impartibilis acceptio ; quod in cõtinuo ita partibus caret & extensione, vt & actu & potestate, hoc est omnino sit impartibile. Eiusmodi punctus est in linea, linea in superficie, superficies in corpore, momentũ in tẽpore. Absolutè quidẽ & omni modo punctus & momentũ : linea verò & superficies, si nõ vt quantitates quæpiã, altera longitudo, altera latitudo, considerentur : sed vt quantitatum termini, illa superficiei, hæc corporis ; illa latitudine, hæc profunditate, nec actu, nec potestate partibilis. Propterea punctum dixit & quod ita impartibile est, nempe linea & superficies quatenus termini sunt superficiei aut profunditatis ; sicut punctus lineæ & momentum temporis. Terminus enim terminatæ rei (addita) carentiam significat ; punctus longitudinis, lineæ latitudinis, superficies profunditatis, momentum temporis ; & ideò terminis significat hosce diuisiones appellat ; siue quòd ex diuisione lineæ, superficiei, profunditatis, & temporis, in eorum extremitatibus oriantur : siue quòd, vt habet Philoponus, illis diuidantur ea, in quorum medio accipiuntur : vt Simplicius significat, quòd ea ratione sunt priuatio, quæ nus à propria defficiunt dimensione. Punctum autem potissimùm nominauit, non impartibilia cætera ; tum quòd linea & superficies vt partibiles quantitates accipi potuissent : tum quòd & superiori oratione & proxima voce longitudinem

dinem nominasset; punctus verò in longitudine reperitur. Ex quo intelligas superioris commentarij interpretationem confirmari; qua impartibile, quod ineſſe in continuo dicebatur, punctum, lineam, ſuperficiem, & momentum interpretati ſumus.

Impartibilia quantitatis vt intelligantur.

At quónam modo impartibilia hæc intelliguntur? Non reſpondit Philoſophus impartibili tempore intelligi, & impartibili animæ. Quoniam ſi impartibili intelligitur id, quòd continuũ eſt & partes habet; multò magis intelligetur id, quod vere impartibile eſt: cùm præſertim rem intelligendam, intellectionem, & tempus, ſimilia ſemper eſſe & ſibi reſpondere poſuiſſet. Quare hanc reſponſionem tanquam ex ſuperioribus manifeſtam prætermiſit. Atque intelligi hæc dixit vt priuationem ex habitu, cuius priuatio eſt, intelligimus: nempè tenebras ex lumine, cœcitatem ex viſu. Vt enim tenebras negatione luminis, viſuſque negatione cœcitatem; ita hæc impartibilia negatione quantitatis & extenſionis, cuius termini ſunt, deffinimus: punctumque dicimus in linea id eſſe, cuius nulla eſt pars; lineam verò longitudinem ſinè latitudine, & ſuperficiem latitudinem ſinè profunditate. Nam & tenebras luminis in perſpicuo & cœcitatem viſus in oculo abſentiam eſſe dicimus. Planè non vt negationem, ſed vt priuationem cognoſcimus: quoniam vt poſitionem ſignificant in continuo, ſic per illud velut per habitum cognoſci debent. Itaque, vt Themiſtij vtar verbis, intellectus cognoſcit illa deffinitque, non primario adortu aut directo in ea incubitu (quia nullam formam à ſe obtinent, cui poſſit incumbere) ſed ſequeſtrando & præcidendo dimenſum & magnitudinem; atque illa ipſa, quorum limites extremi ſunt.

Neque hæc aduerſantur ijs, quæ Simplicius habet, impartibilia hæc non in mera priuatione verſari, neque puram negationem ſignificare; quia hæc priuatio ente ſemper aliquo nititur; nempe quantitate, cuius priuationem ſignificat; ſed propria ipſorum, quatenus impartibilia ſunt, priuatio eſt. Quod ſanè oſtendit verè à nobis non multò antè deffinitum eſſe, impartibilia hæc omnia nil aliud propria vi, quàm illius quantitatis, cuius termini ſunt, priuationem ſignificare.

Quod tamen idem Themiſtius ſimilitudinem intellectus, & ſenſus in hoc agnouit; quòd vtraque facultas aliqua per ſe, aliqua negatione cognoſcit; minùs illi probabitur, qui probè perceperit ea, quæ de priuationum cognitione in 2. libro diſputata fuerunt. Non enim poteſt ſenſus obiecti ſui priuationem cognoſcere, ſed ſiue in ſenſilibus, ſiue in intellectilibus priuationes conſiderentur, ad intellectum pertinent: quòd earum cognitio ratiocinationem aliquam habeat.

Porrò ad explicandum quomodo impartibilia cognoſcantur, cæteras adfert Philoſophus priuationes, quæ ex ſuo contrario, hoc eſt ex habitu illis oppoſito cognoſcuntur. Malum autem & nigrum commemorat. Malum priuationem boni ſignificat; bonum autem conuenientiã earũ rerum, quæ naturam quampiam conſtituunt; malumque conuenientiæ huius carentiam & deffectum: qui tamen in aliqua natura conſideratur. Nigrum autem vel, vt Simplicius & Philoponus inquiunt, tanquam tenebras nominauit, & album velut lumen; quòd album luminis plurimum habeat, nigrum minimum, atque opacitatis plurimum; velut tenebroſum. Quemadmodum & in tex. 22. lib. 12. Metaph. cùm tria poſuiſſet eſſe rerum omnium principia, formam, priuationem, & materiam; exemplum attulit albi, nigri, & ſuperficiei. Vel propterea ita loquutus eſt, quòd id, quod deterius ſit, comparatione melioris velut priuatio eſſe videtur. Sic enim tum eodem in loco, tum in tex. 18. prioris libri de ortu & interitu, calorem dixit eſſe vt formam, & frigus vt priuationẽ. Fortaſſe etiam duplici exemplo priuationem duplicem ſignificare voluit, quarum vna formam nullam habet, ſed ſolam negationem formæ in ſubiecto apto; altera verò deteriorem formam, contrariumque deterius: Malumque prioris exemplum fuerit, nigrum poſterioris. Nec temerè dixeris eum malo ſubiunxiſſe nigrum, vt quaſi hoc modo argumentaretur, & ex priuationibus contrariam formam ponentibus oſtenderet modum cognitionis priuationum ſimpliciter. Si enim illæ, quæ propriam formam & actum habent, quo cognoſci poſſent; meliùs tamen & perfectiùs cognoſcuntur ex meliore contraria forma; vt nigrum albo comparatum; multò magis vbi nulla eſt propria forma poſitiua, cognitio tota ex oppoſita forma ducenda eſt, & omnino priuatio ex habitu cognoſcetur.

Qualitas deterior vel melioris priuatiue

priuationis cognitio ex habitu.

Genus porrò hoc cognitionis, quo priuationem ex habitu cognoſcimus; non legitimum, ſed ſpurium appellaſſet Plato. Et Ariſtoteles quandam cognitionem dixit (contrario, inquit, quodam modo cognoſcit) quoniam legitima, propria, & per ſe, cognitio eſt habitus, quem primario adortu ac directo incubitu cognoſcimus; ſecundaria verò, minùs perfecta, atque ex illa deducta, ea, quæ eſt priuationis.

Impartibile duplex.

Cæterùm terium hoc impartibile, quod nec actu nec poteſtate partibile dicitur, duplex nimirum eſt. Aut enim melius ijs, quæ aut actu aut poteſtate partibilia antea dicebantur; aut illis deterius. Melius eſt id, quod natura quapiam conſtat, quæ nec partes habet, nec partitionis vllius eſt capax. Huiuſmodi ſunt ſeparatæ formæ & immateriales ſpiritaleſque naturæ. Deterius autem illud, quod propriam nullam naturam habet, ſed in priuatione verſatur; vt punctus & quantitatis impartibilia, de quibus diximus. Vtrumque genus entium impartibile dicitur, tum actu, tum poteſtate; quòd quantitatem non habeat aut partes. Verùm alia atque alia ratione. Illud, quòd à quãtitate abiunctam naturam habeat impartibilem. Hoc, quòd quantitatis terminus & carentia ſit. De poſteriori ſolùm hoc loco Philoſophus dixit, quòd cum illo impartibili coniunctum ſit, quod in continuo conſiderabatur. Alterum præ-

termisit, aut quòd ad naturalem Philosophum non pertineret de abstractorum cognitione dicere; aut quòd manifestum esset, entium illud genus non vt priuationem, sed vt habitum propria & conueniente illis intellectione intelligendum esse: si non in priuatione versatur, sed propriam velut habitum naturam habet. Et interim ex superioribus etiam constabat, hæc impartibili tempore & impartibili animæ, si quid aliud, intelligi. Certè Philoponus punctum & huiusmodi alia vt priuationes cognosci, propterea dictum fuisse putat, vt incorporea & diuina non priuatione, sed proprio habitu intelligeremus cognosci.

A

B

TEXTVS.

Δεῖ δὲ δυνάμει εἶναι τὸ γνωρίζον, καὶ ἓν εἶναι αὐτῷ. εἰ δέ τινι μὴ ἔστιν ἐναντίον τῶν αἰτίων, αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκειν, καὶ ἐνεργείᾳ ὄν, καὶ χωριστόν.

Oportet autem potestate esse, quod cognoscit; & vnum esse in ipso. si autem alicui causæ non est contrarium, ipsa se ipsam cognoscit & est actu & separabilis.

C

COMMENTARIVS CXIII.

SIngularem prorsus horum verborum interpretationem fecit Philoponus; philosophum arbitratus docere quemadmodum Deus & immateriales formæ, quæ & ipsæ actu & potestate impartibiles sunt, intelligantur. Primùm enim, inquit ille, accipit, id, quod intelligit potestate esse id, quod intelligi debet. Deinde rem intelligendam intellectui, dum intelligitur, inesse. Sic enim legit (καὶ εἶναι ἐν αὐτῷ, & inesse in ipso. Ex quibus Deum & immaterialem formam cognosci colligt quinque modis, quos in theoria ad textum 21. exposuit; vt causam efficientem, vt finalem, vt carentem contrario, vt quod intelligit, & vt quod intelligitur: tametsi duos priores modos Philosophus nunc non commemoret, sed tres posteriores solos. Nam & carere contrario ait, quoniam transcendit omnia; & ipsum se ipsum intelligere, hoc est esse, & vt quod intelligit, & vt quod intelligitur. Quare & actu est & separabile, hoc est separatum.

D

E

Cæterùm nulla hîc Dei aut diuinorum mentio. Deinde hypothesis prior ad rem præsentem non est; immò illi aduersatur. Quippe si à diuinis procul omnis abest potestas: & illa se ipsa intelligunt, suntque id, quod intelligit, & id, quod intelligitur; profectò actu sunt, non potestate: & actu est, inquit Philosophus. Præterea admirabilis interpretatio videtur, quinque modis hæc intelligi, quorum duos non commemorari fatearis. Sanè immateriales hæ formæ impartibiles sunt, absolutaque doctrina postulabat modũ, quo hoc quoq; impartibilis genus intelligeretur. Sed vt in superiori diximus commentario, cùm hoc quoque cum priori conueniat, quòd nec actu nec potestate partibile sit; compendio vsus Philosophus satis habuit dicere, illud, quòd priuationem significat, ex oppositio habitu cognosci; vt hoc alterum, quod propria natura velut habitu constat, intelligeretur per proprium habitum cognosci. Certum enim erat & manifestum, habitum se ipso cognosci posse. Quare cùm impartibilia quædam significent habitum, alia priuationem; de solis posterioribus explicauit cognosci ex habitu; quia cognoscibilem in se naturam non habent. De prioribus, nempe de continuo, & forma, tum materiali tum immateriali, solùm affirmauit impartibili ea intelligi.

Aliquid igitur ex antecedenti sermone colligi credendum est. Sed Auerroës mendosum sequutus texum minùs Philosophi assequutus est mentem. Etenim priora verba ita legens (& cognoscens potentia debet esse vnum in se) oportere dixit intellectum, qui habitum & priuationem cognoscit, eandem esse virtutem in se. Et quoniam comprehendit priuationem compræhendendo se esse in potentia; habitum verò animaduertendo se esse actu; hunc omnino esse intellectum materialem, qui potestate interdum est, & interdum actu. Quod si quis intellectus sit, qui potestate non constet actui contraria; eum nec intellecturum priuationem, nec quidquam prorsus extra se, semperque actu futurum: Atque hunc esse intellectum agentem. At si priuatio ex habitu cognoscenda est; manifestum erat, eandem virtutem, quæ cognoscit habitum, priuationem quoque cognoscere: neq; opus erat in hoc sermonem protrahere. Quod autem secundo loco addidit de intellectu, qui careat potestate, à Themistio totum accepit: nisi quòd Themistius id tum de agente intellectu tum maximè de Deo affirmat; Auerroës de solo agere loquitur.

Themistius igitur colligi putat propriam illius intellectus priuationum cognitionem esse, qui potestate interdum est, interdum actu. Si enim priuatio cognoscitur, quòd habitus non cognoscatur; ab eo nimirum intellectu cognoscitur, qui habitum interdum non cognoscit, & ideò potestate existit. Nam & sensus si semper ageret, priuationem non comprehenderet: compræhendi autem tenebras aut silentium, dum lumen nullum aut sonum sentit. Si quispiam igitur sit intellectus potestatis expers & semper intelligens, is nec malum nec priuationẽ intelligit. Cuiusmodi est intellectus exterior; agens inquã, & multò magis prima rerũ causa Deus. Hic ab omni materia remotus seipsum semper intelligit, substantia actu, & propriè separatus: quippe qui ne vllam quidem potestatis permistionẽ habeat. Quare idẽ in eo sunt intellectus & intellectile. Ita in illis verbis (si cui verò causæ contrarium non est) contrariam interpretatus est potestatem actui oppositam. Quocirca paucis verbis continebitur omonymia: si quidem paulò ante significabat habitum priuationi aduersantem; vbi dixit (contrario enim quodam modo cognoscit. Sed & verba illa præmisit Themistius) & vnum esse in ipso. Tertiò sensum

accepit

accepit obiecti sui priuationem cognoscere; agentémque intellectum ab eo, qui est potestate, diuersum esse, velut sustantiam à materia penitus absolutam atque à rationali anima separatam, quæ alio loco vera non esse ostendimus.

DIGRESSIO XXXIV.

Separatos intellectus alia extra se cognoscere.

PRæter diuinum autem intellectum esse alium potestatis omnis expertem, vt inter Peripateticos dici possit & audiri: quorum princeps separatos omnes intellectus puros actus esse voluit: absolutè tamen non ita est, solúsque Deus est purus actus, potestas omnis & admistionis expers. Neque illud admittendum est, separatos omnes intellectus nihil extra se intelligere. Nam & cœlestes orbes, quos vertunt, intelligere eos oportet: & finem, propter quem vertunt: ac præsertim primâ causam propter quam tanquam bonum & expetendum agunt. Quin etiam primam causam supremo orbi mouendo præfecit Philosophus: illum igitur cognoscit: nec minùs inferiora omnia (vniuersas saltem naturas) propter quorum bonum & conseruationem mouet.

Nobis verò certum est, non vniuersas eam modò, naturas, sed res quoque singulas cognoscere; planéque omnia, quæcumq. sunt & fiunt; vel etiam mala & priuationes. Neque hoc testimoniũ solum sacra tradiderunt, sed certa quoq. persuasit ratio. Etenim Deus causa est efficiens rerum omnium, vel etiam singularum: omnésque vt produxit, ita conseruat: est autem causa per intellectum & cognoscens. Deinde quia seipsum perfectè cognoscit, virtutem quoq. cognoscit suam; eáque omnia, ad quæ attingere potest. Omnibus item fines constituit suos, & illa in eos dirigit, omniáq. optimè administrat: quæ sapientis, ne dum intelligentis, opera sunt. Tum verò intellectus noster potestate est ad omnia, vel etiam singula, intelligenda; diuinus igitur intellectus, qui omnis est potestatis expers atq. actu semper respectu omnium, quæ intelligere potest, actu semper omnia intuetur. Deniq. vt Deus est intelligens, ita illius intellectũ habere oportet adæquatũ sibi & conueniens obiectum: & si cuiusuis intellectũ obiectũ est omne Ens, multò magis omniũ supremi & perfectissimi intellectus diuini. Neq; Aristoteles dicat in tex. 51. libri 12. Metaph. meliùs esse quędam non videre, ne diuinus intellectus vilescat. Omnis quippè cognitio quædam est cognoscentis perfectio. Atque illud de voluntate veriùs, quàm de intellectu diceretur: quoniam volitione ad res volitas trahimur similésque illis efficimur: at intellectu res, quæ intelliguntur, in intelligentem transferuntur illique assimilantur. Itaq. si vllum sit argumentum, Deum conficiet non cognoscere accipiẽdo ex rebus ipsis cognitionem, sed solam suam intuendo essentiam eámque compræhendendo vt est Ens per essentiam, entitatémque omnem & perfectionem continet. Cui nihil entitatis aut perfectionis addit quidquid in rebus creatis continetur: sed potiùs detrahit, quia quod est Deus infinitè & absque limite, & ideo sine imperfectione vlla; ipsum limitatè, finitè, & cum imperfectionibus multis adiunctis est res creata. Quare si creatæ omnes entitates & perfectiones sumantur; tum eæ, quæ sunt, tum eæ, quæ esse possunt; solàque finitate ac limitatione dempta, quæ non perfectionem aut entitatem, sed imperfectionem & non Ens significat; atque ex illis omnibus vnum Ens simplicissimum colligatur, illud erit Deus. Quoniam verò vnum quodque ens vt est in se, ita est aptum cognosci; diuina essentia, vt entitatis, ita & cognoscibilitatis rationem omnem continet, tum vniuersè, tum singulatim; atque intellectui diuino, qui perspicacitatis infinitæ cùm sit, rationem omnem entitatis & cognoscibilitatis penetrat, præter propriam deitatis rationem res quoque omnes distinctissimè repræsentat. Atque etiam mala, quæ obliquitates sunt à diuina regula, quatenus ab Idea boni, quæ in Deo est, deficiũt per Ideam boni cognoscuntur.

Illud tamen intelligendum est, res singulas cognosci quidem à Deo per suam essentiam, at non absolutè, verùm per essentiam operantem & conseruantem, addito inquam diuinæ voluntatis actu. Quoniam enim res singulæ præter essentiam addunt existentiam, siue actu, siue possibilem, & ideò essentia singularis euadit, quia extra suas causas producitur & existentiam accipit, si ad actum cognitionis essentiæ, accedat actus voluntatis, quo determinet Deus producere aut conseruare, vel certè produci essentiam illam posse videat, cognoscuntur statim singularia omnia, quæ sub illa essentia sunt aut esse possunt. Ad singularia namque productio illa terminatur. Ex eodémque voluntatis actu fit, vt quædam actu existentia hoc aut alio tempore, alia vt possibilia cognoscantur: quod alia constituerit omnino producere hoc aut illo tempore, alia solùm produci posse cognouerit. Primùm igitur plures essentiarum plurium ideæ coniunguntur, tum substantiæ, tum accidentium, quæ simul in rebus singulis continentur; tum accedente illa voluntatis determinatione singularia omnia cognoscuntur.

Hæc per digressionem, licet importunè fortasse, dicere nos coegit Themistius, ne silentibus nobis ac dissimulantibus authoritas hominis cuipiam fucum faceret. Præsertim si Philoponum consentientem videret, dum in theoria iam indicata Deum non cognoscere malum, eò scilicet argumento, persuadere conatus est, quia si cognosceret, & faceret: quod enim nouit id facit. Quasi verò innumerabilia possibilia non cognoscat, quę faciet nunquam. Cognitio quippe ad intellectum pertinet, effectio ad voluntatem. Et quidem est scientia visionis ac simplicis intelligentię alia approbationis: de quibus non est hoc loco dicendum pluribus. Quare ad Philosophi verba reuertamur, veriorémque illorum interpretationem quæramus.

COMMENTARIVS.

Simpliciùs igitur Philosophum arbitratur impartibilium quantitatis cognitionem cum cognitione impartibilium formarum comparare: vt priorem illam inferioris notæ ostendat esse. Quod potestate permista sit, dum rei est, cui priuatio adiungitur: vbi altera purus est & sincerus. Quare quod priora impartibilia cognoscit, imperfectius est, quã quod posteriora intelligit: quippe potestati permistum. Et vt obscurè videre non est absolutè videre, neque

omninò non videre: sed videre cum priuatione permista: Sic qui impartibile quantitatis intelligit, subobscurè intelligit: nec solùm vt priuationem intelligit, sed etiam vt formam; quia imperfectè intelligit; & ita, vt possit non intelligere. Qui verò immaterialem formam comprehendit, absolutè intelligit; & ita, vt non possit non intelligere. Atque postrema illa verba (si verò alicui caussæ) de agente intellectu interpretatur, quem in superioribus quoque Philosophus appellauit caussam, & esse actu & propriè separabilem docuit.

Ego verò simplicem magis opinor horum verborum sententiam esse: neque ad impartibilem formæ referendam esse, quæ in solis impartibilibus quantitatis insistat. Quare cum hæc eo modo cognosci dixisset, quo priuatio ex ipsius habitu intelligitur; intellectum nostrum, qui ita operetur, adiungit potestate esse ad cognoscendum oportere, atque per habitum cognitum ex potestate traduci ad actum: Et vnum esse in ipso; vnum scilicet oppositorum, habitúsque cognitionem, per quam ad alterius oppositi cognitionem deduci debet. Et vniuersè quotiescunque vnum oppositum ex altero cognoscendum est, intellectus partim erit actu, partim potestate: Actu cognitione imbutus vnius oppositi; & potestate ad cognitionem alterius, quam ex eo sibi comparabit. Perinde namque in omni ratiocinatione euenit, qua ex vno quopiam noto alterius ignoti cognitio colligitur. Quod si quis intellectus non ita se habeat, nec illi vnum insit contrarium ad cognoscendum alterum; profectò is seipsum cognoscit & semper est actu, quia semper est sibi prælens, & intellectilis, & intellectus: Et omninò à materia separabilis, immò & separatus. Cuiusmodi sunt intellectus abstracti, qui se ipsos semper intelligunt.

Priuationis cognitio ex habitu.

TEXTVS.

Ἔστι δὲ ἡ μὲν φάσις, ἡ καττάπασ᾽ ὥσπερ ἡ κατάφασις ἀγάθης ἢ ἡδονὴς πᾶσα. ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς· ἀλλ᾽ ὁ τὶ ἦν ἢ τὶ ἐστὶν ἕκαστον, ἀγαθὸς, ἢ οὗ τι κατά τινος ἀλλ᾽ ὥσπερ τὸ ὁρᾶν τὸ ἴδιον ἀγαθές. εἰ δὲ αὐθρωπος τὸ λευκὸν, ἢ μὴ, οὐκ ἀγαθὸς ἀεί.

Est autem dictio quidem aliquid de aliquo, velut affirmatio: Atque omnis vera aut falsa. Intellectus autem non omnis, sed qui ipsius quid est, iuxta quid erat esse, verus. Et non aliquid de aliquo: sed quemadmodum aspectus proprij verus. Si autem album homo aut non, non verus semper.

COMMENTARIVS CIV.

AGnoscunt omnes hoc loco differentiam aliquam contineri intellectionis simplicium & compositorum, secúsque omnino veritatem in vtraque repetiri. Sed non eodem modo Philosophi orationem omnes deducunt. Themistius enim cùm incepisset intellectum agentem & separatum ab eo intellectu distinguere, qui est potestate, vt in superiori commentario dictum est; eundem nunc sermonem videtur absoluere; atque alterum discrimen addere, quod non eodem modo in vtro sit veritas. In intellectu namque separato non solùm est veritas, vt in intellectu potestate; sed etiam ipse est veritas: Quoniam non ideò sit verus, quòd alia, sed quod se ipsum intelligit, habétque puram & simplicem veritatem, non oppositam falsitati, qualis est veritas intellectus potestate, quæ in affirmatione & negatione consistit, mistúmque semper habet mendacium: quasi in affirmatione est veritas, in negatione mendacium erit. Quod si non componat, sed simplicia consideret, non mentitur quidem, sed tamen nec semper assequitur. Itaque siue in simplicibus consistat, siue simplicia componat, omnino ab intellectu separato differt intellectus noster. Quæ Themistij explicatio duplici nomine minùs probatur. Primùm quòd intellectum separatum non tam verum esse, quàm veritatem ipsam de solo intelligitur diuino vere dici potest, non item de cæteris in quibus intellectus & intellectio accidentaria sunt, non essentiales. Deinde non est hic locus agendi de intellectu separato, vbi de intellectus nostri intellectione atque obiecto differitur: neque vlla est illius mentio.

Quo nomine Simplicius quoque peccauit, discrimen inquiens demonstrari inter substantialem intellectum nostrum, hoc est agentem, & inter supremum: Est autem discrimen, quòd intellectui nostro adiuncta est ratio. Sed mirum & quo modo Philosophi accipiat verba. Dictionem enim animæ substantialem cognitionem simplicémque intellectionem interpretatur: illudque (aliquid de aliquo) complicationem significare ait animæ ipsius actionis cum ipso conuoluto. Quippe agentis intellectus actio rationi connexa est, neque indiuidua prorsus sed indiuidua simul & diuidua: quod permista rationi: quæ simplex non est, sed aliud de alio dicit, simplicitatem suam remittit. Propterea additur (velut affirmatio.) Quoniam hæc actionum dictio vocatur, quatenus simplex & indiuidua, tum affirmatio, quatenus composita & diuidua. Et in Timæum Proclus quoque intellectionem cum ratione simplicem quidem esse affirmauit, vt intellectio est, transitiuam autem, quatenus ratio: quia non omnia simul, sed ab vno ad aliud transeundo intelligit. Ita extremorum nominibus cogimur naturam illam mediam significare, quæ neque intellectus est, neque ratio, sed & intellectus, & ratio, & dictio, & affirmatio. Quemadmodum enim si colorem flauum dixeris dissipare visum, quatenus scilicet albo participat, non sua natura: ita & intellectus ob communionē cum ratione speciem affirmationis quandam præse fert. Quod significasse videtur Philosophus, cum non affirmationem, sed velut affirmationem dixit. Neque negationem adiunxit, quoniam vt Parmenidis sententia in intellectilibus ipsis non Ens considerari non debet, sic in summa animæ substantia & actione, quæ iuxta substantiam stat corporeisq. facultatibus non vtens suimet plena est, dum in seipsum conuersus essentiam suam contemplatur intellectus, planè nullus non Enti locus: Quod ergò additur (atque omnis vera aut falsa) de affirmatione, non de dictione putauit Simplicius dictum, intellectúmque statim pro dictione nominatum fuisse. Intellectus enim partibilis & ad extra progredientis tum verus est tum falsus. At intellectus substantialis semper verus, nunquàm falsus. Quoniam hic est ipsius quid est iuxta quid

etat esse, hoc est rerum substantiam percipit iuxta ipsas substantiales formas, circa quas versatur. Neque falsus esse potest. Tum quia falsitas in complicatione ac diuisione est, hæcque in diuisibilibus & compositis rebus consistunt, formæ autem simplices sunt & impartibles. Tum quia falsum est, dum partim res attingitur, partim non attingitur: quod autē simplex est, partes non habet sed aut totum aut nullo modo cognoscitur.

Cæterum præterquàm quod nulla est, vt diximus, apud Philosophum intellectus separati, mentio, nimia etiam verbis infertur vis dum dictio intellectionem simplicem ille interpretatur. Nam etsi alibi φάσις simplicem vocem significet, vt in libro de interpretatione, vbi oratio definitur esse vox significans, cuius pars aliqua significat ὡς φάσις, οὐκ ὡς κατάφασις ἢ ἀπόφασις, vt homo. Et rursum; Nomen igitur vel verbum φάσις ἔστω μόνον. & in nono Metaph. libro tex. 22. οὐ ζωὸν κατάφασις ἢ φάσις. non est idem affirmatio & dictio. Hoc tamen loco, si antithesis illa consideretur (ἡ ῥῶ φάσις) & (ὁ δεινὸς) manifestum fuerit duobus hisce orationis membris duo diuersa & opposita contineri. Atque vt posterior sententia est de simplicium intelligentia, ita priorem esse de cōiuncta: vt in coniuncta quidem, qua de aliquo quidpiam dicitur, vt in affirmatione, semper sit verum aut falsum; in simpliciautem verum duntaxat, non falsum. Atque hunc locum interpretabitur etiam tex. 39. huic persimilis: vbi cùm φάναι & ἀπόφασιν nominabit, affirmationem & negationem interpretes omnes exponent. Sed & paucis verbis duplex apud Philosophum φᾶσις obserues; Quod hoc, quod dico magnopere confirmabit. Alterum hoc loco: quod est φᾶσαί τι κατά τινος, dicere aliquid de aliquo. Alterum mox in tex. 28. φᾶσαι μόνον, dicere solum: illud compositum, hoc simplex; illud velut affirmatio, vt nunc Philosophus loquitur; hoc velut sentire, vt in vtroque dicitur loco. Et cùm in posteriori dictionem, quæ sola est & non alicuius de aliquo, sensui similem dicat, quemadmodum in priori dixerat intellectionem simplicem & non alicuius de aliquo; perspicuum est simplicem quoque intellectionem appellari dictionem. Denique cùm apertè nunc pronuntiat dictionem esse aliquid de aliquo velut affirmationem; apertus est de composita dictione sermo. Nam de simpliciū intellectu statim subiungit, priori compositæ dictioni opponens, eum non esse aliquid de aliquo.

Dictio quid Aristotelis.

Dicere duplex Aristotelis.

Quomodo igitur Simplicius intellectionem simplicem dicat aliquid esse de aliquo? etsi enim rationi connectitur, alia tamen est intellectio simplex, alia rationis compositio: neque vlla cogitari potest actio, quæ vna & eadem tum simplex sit tum composita; verùm altera simplex est & indiuidua, altera composita diuiduáque.

Creata omnia ex ente & non ente cōposita esse.

Quod vero addit, in intellectibus non ens considerandum non esse; neq; vllum in summa animæ substantia & actione, quæ iuxta substantiam stat, habere locum: vniuersè verum non est, sed in solo Deo ac primo ente; quod vt est ens per essentiam omnémque rationem entis continet, sic nullum non enti entisúe vllius priuationi locum reliquit. Cætera omnia creata entia quemadmodum limitata sunt & pars quædam entis, ita entitatem quidem quandam significant, sed alijs plurimis carent atque ex ente & non ente composita sunt: immò cum exiguam entitatem habeant & plurima careant, plus non entis, quàm entis, habent. Hoc tamen intellectilia differunt à materiallibus; quòd in illis non ens negationem meram significat aliorum entium, quæ ipsa non sunt non priuationem, qua non sint & esse possint: At in his quoniam continetur materia, cuius inexhausta capacitas & potestas est ad omnia, priuatio quoque adest, qua esse possint ea, quæ non sunt. Ergò in Deo nullus non enti locus, in cæteris intelligentijs negationi, in materialibus & corporis priuationi quoque. De sublunaribus nunc est sermo: nam de cœlesti natura & materia disputatio maior, quàm quæ hoc loco definiri possit. Sed & quod in immaterialibus dixit potestatem ac priuationem non esse, de substantia intelligas. Namque ad operationem potestas plurima illiúsque priuatio: & in superioribus dictum est non semel, intellectum nostrum natura sua intelligendis rebus carere, potestatéque ad illa esse: neque secus de cæteris intellectibus creatis existimandum est. Ita in Deo negatio nulla vel priuatio, siue essentiæ siue operationis, sed purissimus semper & substantialis actus. In immaterialibus cæteris negatio substantialis & plurima item accidentaria priuatio operationis: in materialibus demum priuatio quoque, tum substantialis formarum & essentiarum, tum accidentaria operationum. Sanè Simplicius dum in immaterialibus omnibus non ens non agnoscit, Platonicum accipit dogma, rerum omnium intelligendarū formis instructum atque exornatum natura sua intellectum esse: Quod Peripatetico prorsus contrarium est, quo antea positum est velut tabellam esse, in qua nihil sit scriptum.

Nonens vt in materialibus & immaterialibus reperiatur.

Ergò Philoponus aliam prorsus interpretationem cogitauit: partes omnes intellectus deinceps distingui, intellectum simplicem & dianæam, quæ compositorum est: intellectum potestate & intellectum actu; intellectum actiuum & intellectum theoreticum. In hoc autem contextu partitionem prima explicari; atque intellectum à dianæa separari, quod intellectus semper est verus, dianæa & vera & falsa. Intellectus verum est ὑπαρκὸν, id est, essentiale seu substantiale; quòd sola scilicet rei essentia seu substantia nititur: dianææ in compositione alicuiúsque attributione. Intellectus demum sensui similis est, qui circa proprium versetur obiectum dianæa similis sensui circa ex accidenti sensilia occupato: Quorum ille semper est verus, hic interdum falsus.

Hactenus hæc verè quoquo modo dicuntur. Sed accommodatè magis interpretaberis, quemadmodum in commentario 106. significauimus, Philosophum postquàm duplicem intellectus actionem posuisset, de singulis dicere voluisse: & quidem de impartibilium intellectione dixisse hactenus, nunc autem de compositione & diuisione dici. Itaque dictionem Auerroës & S. Thomas intellectus attributionem scitè interpretantur, qua aliquid dicit de aliquo. Hæc ipsa quippe Philosophi verba (est autem dictio quidem aliquid de aliquo. Duo autem de hac secunda operatione proponit, quibus eam à prima distinguit. Alterum, eam esse dictionem quid

Verum & falsum vt in intellectu.

alicuius de aliquo. Alterum, eam tum veritatem tum falsitatem admittere, esseque semper aut veram aut falsam. Intellectus autem, hoc est simplicium intellectio, non item: sed tum verus duntaxat est, non falsus. Quia simplex obiectum aut apprehenditur totum quemadmodum est, aut omnino non apprehenditur; si totum apprehendatur verus est intellectus; si omnino non apprehendatur, falsus verè non dicitur, sed prorsus ignorans. Circa hæc, inquit Philosophus
„ in nono Metaph. libro textu 22. non est decipi,
„ sed aut intelligere aut non. Et Plotinus intellectus aut tetegit, aut non tetegit. Falsum autem, ait Simplicius in eo consistit, quòd quadam ratione contangat rem & quadam non contangat, atque in hoc mentitur. Tum verò non dicit aliquid de aliquo (hoc enim compositio est) sed circa ipsum quid est versatur, solámque rei cuiusque essentiam per se & solitariam, non cum alia complicatam considerat: hócque illud est (iuxta quid erat esse) hoc est quatenus quid est res intelligit. Nam, vt Philoponi vtar verbis, quid est substantiam declarat; quid erat autem esse, formam:
„ ac si diceret, intellectus ille, qui substantiam, quæ est secundum formam seu ipsam formam per se, apprehendit; verus duntaxat est, non falsus.

Vtrumque porrò intellectionis genus accommodato illustrat Philosophus exemplo. Alterum enim est velut affirmatio, alterum quemadmodum proprij obiecti sensus. Affirmationem solam & non item negationem dixit. Aut quòd vnicum satis esset exemplum, illudque potiùs adferendum, quod & prius est & tanquàm habitus. Aut quòd dictionis alicuius de aliquo accommodatum exemplum erat Enuntiatio illa, qua de aliquo quidpiam affirmatur; non item ea, qua negatur atque ab illo remouetur. Alterum autem exemplum sensus duobus ferè modis licet exponere. Prior est: Quemadmodum sensus si solam qualitatem obiectum suum proprium, vt aspectus alborem, absque subiecto cognoscat & iudicet, non errat: errat autem persæpè, dum Qualitatem subiecto adiungit, albumque hominem esse aut non esse asserit. Ita intellectus si in sola rei essentia & deffinitione versetur, verùs tantùm est, non falsus: At si cum essentia conditiones & accidentia coniungat, iam falsus quoque persæpè fit, quatenus aut inesse dicit quod non inest, aut non inesse quod inest. Posterior autem, vt sensus quàdo suum negotium agit & circa proprium sibi occupatur obiectum, non errat; errat verò circà ea, quæ sunt obiecto proprio adiuncta, quæ ex accidenti sensilia vocantur. Sic & intellectus, dum circa quidquid est, tanquam circa proprium obiectum, versatur, nunquam est falsus: Est autem non rarò, dum adiuncta illi componit. Vtramque interpretationem confirmant ea, quæ in superioribus tradita sunt id textu 161. nisi quòd ibi sensum vniuersè, hic in specie aspectum dixit: alioqui eodem albi exemplo sensum propriorum affirmauit esse ve-
„ rum. Circa id verò inquit, cui hæc accidunt,
„ hic iam contingit esse falsum: Quod enim al-
„ bum sit, non est falsus: Si verò album hoc aut aliud quodpiam, falsus est. Dum enim (id, cui hæc accidunt) dicit, tum qualitatem & subiectum interpretationi priori, tum sensile proprium & ex accidenti adiunctum, posteriori submiſtrauit.

Intellectus & sensus similitudo.

Cæterùm cur non sensum vniuersè, sed aspectum in specie, hoc loco nominauerit; paucis verbis plures rationes pulchre collegit Simplicius. Aspectus, inquit, ob affinitatem cum lumine, & quia longinqua maximè percipit; & quia vnite & collectim cognoscit; & quia maximè (quantum sensibus licet) impartibilis & actus sit, conuenientissimus est qui comparetur intellectui. Est enim expressa magis & conspicua illius imago.

TEXTVS.

Οὕτως ἔχει ὅσα αὐθ' ὧν ὕλης.

Ita se habent quæcumque sine materia.

COMMENTARIVS CXV.

HÆc verba de facultatibus intelligentibus ita intellexit Philoponus, vt sicut se habet sensus ad sensilia, tum propria, tum non propria; illa sine errore, hæc cum errore cognoscenda: Ita quæcumque sine materia, hoc est intellectus & dianœa, immateriales facultates, se habeant ad intellectilia. νοήσεις enim simplicia visioni proprij obiecti respondent; διανοήσεις verò & composita visioni obiecti non propij.

Sed melius Themistius & Simplicius de intelligibilibus rebus. Intellectum enim simpliciũ & ipsius quidditatis, iam dixerat verum semper esse, nunquàm falsum: neque hoc erat repetendum. Sed cùm sensus exemplum adferret, quemadmodum aspectum proprij verum semper esse dixerat; ita se habere subiunxit quæcumque sine materia, hoc est simplices formas & quidditates, dum à materia separantur & perse absque materia, & iuxta quod erat esse, intelliguntur; verè semper, falsò nunquam intelliguntur. Vt ergò, inquit Themistius, caueri error possit, sola essentia & forma spectanda est, & quod materia eiúsque appendicibus vacet. Est enim genus hoc rerum peculiare mentis ac suum. Quippe rei cuiusque quiditas mente sola comprehenditur: accidentia & conditiones adiunctæ ad sensum magis pertinent. Quare vt circa proprium sensile non errat sensus, sed circa adiuncta; ita prorsus intellectus in cognitione quiditatis atque adiunctorum attributorum se habet.

DIGRESSIO XXXV.

De cognitione simplicis quiditatis.

QVemadmodum in cognitionibus intellectus veritas sit aut falsitas, antea satis dictum est, dum de huius facultatis actionibus digrediendo diximus. Nunc ex hac Philosophi oratione duplicem illam veritatem colligas, quam eo loco tradidimus. Nam dum in sensu quoque cuius cognitio simplex est, inesse veritas affirmatur similis illi, quæ

quæ in simplici intellectus cognitione agnoscitur diuersa ab illa, quæ in affirmatione est & negatione; superiorem omnino illam explicationem vniuersam confirmat. At veritati huic duplici non nisi vna opponitur falsitas, veritati nimirum compositæ: simplici namque non falsitas aduersatur, sed ignoratio. Itaq. quod S. Thomas addit, in quiditatis cognitione duob⁹ modis posse ex accidēti esse falsum aut errorem: Primùm si vnius rei deffinitio alteri tribuatur: deinde si definitionis partes non cohærentes accipiantur: minus probandum est. Quippe quiditatis cognitio simplex tota est, neque compositionem habet aut attributionem; quæ ad alteram mentis functionem pertinent: neque item partes, quarum vna cognosci, altera ignorata queat. Sed indiuidua cùm sit, aut cognoscitur tota formatúrque notio rei conformis, aut planè non cognoscitur, & ignoratio est, non falsitas aut error. Et si enim in deffinitione apprehendi plura videantur, genus & differentia; vnum tamen solum apprehenditur: quia eiusmodi sunt definitionis partes, vt altera sit vt materia, potestas & indeterminatum quidpiam, altera vt forma, actus, & determinans; quemadmodum in 7. & 8. Metaph. docetur. Ex materia verò, formáque, potestate & actu eiusdem generis, fit vnum per se: atque vt ex definitionis partibus fit vnum, sic ab intellectu apprehenditur vt vnum. Omnis ratio, inquit Philosophus in libro de interpretatione cap. 4. nisi addatur verbum, vnum quidpiam est & non multa, animal gressibile bipes. Ideò etiam nec in ea falsitas est. Si enim pugnantes partes apprehendas, vt animal non sentientem substātiam, omnino animal non apprehendes, sed illius conceptum penitus ignoras, animalisque nomine aliquid aliud concipis, cui substantia sensus expers non repugnat, nempe anima tua dumtaxat aut corpus. Quòd si partes non pugnent, si sint vere genus & differentia, summa veritas est, quia conformis rei conceptus formatur: sin autem non sint, vt si animal album concipias, quoniam ex simplici apprehensione rei non dicis animal esse genus & album differentiam: aut contra, hæc duo essentiam vnam efficere, hancue animalis essentiam esse, in quibus omnibus falsitas quidem esset, at in secunda, non in prima intellectus operatione, in qua nec affirmatur quidquam nec negatur: sed solum duo illa apprehendis, quæ cùm non pugnent, falsum non faciunt intellectum, si apprehensio sola spectetur: Quoniam apprehendit ea, quæ non pugnant. Falleretur autem, si id, quod concipit, cuipiam attribueret, illius quiditatem ac deffinitionem esse aiendo. At hoc apprehensionis simplicis non est, sed affirmationis. Itaque sola quiditatis apprehensio aut semper est vera, aut quiditatem non attingens eam ignorat.

Definitio & eius partes.

Definitio, ratio cognoscendæ quiditatis.

Propterea certa ratio cogitanda fuit, qua cuiusque rei quiditatis notitiam veram assequeremur; sicut & certa constituta fuit demonstrandi proprietates de essentia. Ea est deffinitio, quæ proprium accipit cuiusque rei genus & propriam differentiam, quibus quiditas constat. Quam ob causam in secundo de posteriori analysi libro à tex. 17. præcepta dantur proprium accipiendi genus & propriam differentiam. Diuidendo namque multa examinare singula oportet secunda & tertia intellectus operatione, num illi quiditati conueniant, vt proprijs illius partibus inuentis simplici tandem eam intuituvideamus: idque operatione prima, cuius proprium est simplicem quiditatis cuiusque formare notionem. Non enim cuiusquam attributione, sed eorum omnium quæ insunt in re, comprehensione atque intuitu id assequimur: siquidem nec vllam haber quiditas causam, ex qua illius cognitio deducatur, quemadmodum proprietatum cognitio deducitur, sed ipsa debet in se ipsa videri: quanquam in nobis intuitus hic imperfectior est, quam in separatis mentibus & Deo: illumque secunda & tertia operationibus iuuare oportet, quibus antecedentibus excitatur quasi & dirigitur intellectus, vt perfectè rem quamque possit apprehendere. Intuitus quippe obiecto eget præsente, occultáque nobis atque sub accidentibus latens est quiditas: secunda verò & tertia operationibus, quibus genus & differentiam quærimus, manifestatur & panditur, ita ratiocinatione inuenimus eaquæ insunt rei, apprehensione autem, quid ipsa sit, intuemur. Quocirca deffinitio alio prorsus modo, quam demonstratio, instrumentum sciendi est. Hæc namque instrumentum est vt ex principiorum cognitione distinctam conclusionis, quę demonstratiua scientia dicitur cognitionem deducit: demonstratioque seu instrumentum, quo principia cognoscuntur, & scientia quæ instrumento illo comparatur, magnopere distinguuntur. Quippe demonstratio instrumentum est ratiocinatione vtens, vimque habens deducendi rem quæ alteri per causam inest: duásque continet cognitiones: vnam causæ in principijs; alteram rei, in conclusione. At in deffinitione non est scientia ab instrumento distincta: sed idem sunt instrumentum seu deffinitio, & scientia eius. Quoniam alterum hoc instrumenti genus nec ratiocinatione vtitur nec deductione, sed solo constat intuitu: vnaque & eadem cognitio est apprehendere genus & differentiam, & intueri deffinitionem totam & quiditatem: néque aliud quidquam est deffinire apprehendendo genus & differentiam, quàm ille mentis actus, quo quiditatem intuetur, totam illius perfectionem duobus illis gradibus comprehensam videndo. Non enim differt quiditas à re, neque habet causā, ex qua cognoscatur: sed in se ipsa cognoscitur: & in libro de interpretatione cap. 4. deffinitionem Philosophus dixit enuntiationem non esse: & in primo de Posteriori analysi tex. 25. ab hypothesi distinxit: & libro secundo tex. 2. id, quod deffinitur, non demonstrari probauit, quia nihil in deffinitione attribuitur: & in 7. Metaph. à tex. 11. à deffinito illam distinxit, quod ipsa sit ratio alicuius & ipsum quid. Et si interdum illam accipiens tanquam propositionem & vt attribuitur deffinito, vt in primo Analyticorum libro text. 22. & libro 2. tex. 10. eam esse scripsit aut principium, aut conclusionem demonstrationis, aut etiam solo situ à demonstratione differre. Sed & de accidentium deffinitione loquebatur; & quidem de imperfecta, quę rem tantùm esse explicet; habeatque causam, ex qua probetur: neque ea concluditur demonstratione vt est deffinitio, sed vt quædam quasi proprietas rei.

Deffinitionis intellectiua.

Deffinitio & Demonstratio vt instrumēta scièdi.

TEXTVS.

Τὸ αὐτὸ δ' ἐστὶν ἡ καὶ ἐνέργεια ἕνὶ σήμαντι τῷ πράγματι. ἡ δὲ κατὰ δύναμιν, χρόνῳ πρότερα ἐν τῷ ἑνὶ. ὅλως δ' οὐδὲ χρόνῳ. ἔστι γὰρ οὐ κατὰ χρόνον ἅπαντα τὰ γινόμενα.

Tex 27. *Idem autem est scientia actu cum re. Quæ verò potestate tempore prior in vno. Omnino autem nec tempore. Sunt enim ex eo, quod est actu, omnia, quæ fiunt.*

COMMENTARIVS CXVI.

QVæ hac oratione continentur, verissimè adnotauit Simplicius antea quoque ad verbum fuisse tradita: partim in quam in tex. 15. & 19. partim in 20. Propterea quorsum repetantur, magnopere dubitatur. Et quidem Auerroes quæri causam credidit, cur intellectuum separatorum intellectio sit formatio solùm simplex; & veritas tantùm in ea sit, non falsitas. Causam autem esse, quòd illorum intellectio est ipsa res intellecta: secus quàm in intellectu nostro materiali res habeat. Nimirũ de intellectuum scilicet separatorũ intellectione erat hic agendũ; vbi de anima & intellectu nostro disseritur.

Philoponus igitur duobus modis respondet. Primùm enim cùm philosophum posuisset multiplicem intellectus distinctionem exponere noluisse, atq. in superiori textu differentiam intellectus dianæ docuisse, subiungi nunc differentiam credidit intellectus actu & intellectus potestate: tum quòd ille sit res ipsa, hic nequaquam: tum quòd in singulis hominibus tempore prior sit altero. Deinde verò quoniam de intellectilibus agebatur, scientiæ quoq. mentionem factam fuisse dixit, quia per scientiam intellectilia intellectu cognoscuntur. At si vera fuit superioris textus interpretatio nostra; quod primo loco Philoponus accipit, stare non potest. Dum enim de simplici & composita intellectione agitur, minimè ad rem videtur esse intellectus actu & intellectus potestate differentiam subiungere. Quod autem secundo loco addit, superuacaneum erat: quoniam de scientia hoc ipsum, quod nunc dicitur, iam antea fuerat dictum.

Conatur autem Simplicius ostendere non frustra repeti, quoniam non de eadem repetitur. Sed cùm scientiæ & intellectus nomen tum animæ intelligentis substantiam significet, tum actionem, antea quidem de essentia dicebatur, nunc verò de actione repetitur. Vt enim intellectus nostri essentia cum ratione coniuncta degenerat ab eo, qui intellectus duntaxat est, non ratio sic & illius operatio inferioris est conditionis & notæ. Essentia purus intellectus non est, sed intellectus simul & ratio: operatio item intellectio pura non est, sed rationalis scientia varie intellectio. Cæterùm quomodo hæc ex Philosophi verbis colligantur, ego quidem certè non video. Præterquàm quod dum hanc interpretationem subtiliter sanè excogitatam Simplicius exponit, animam nostram accipit multò priorẽ fuisse corpore, aliquandõq. separatam vixisse, antequàm corpori societur. Quod non ex Aristotelis, sed ex Platonis schola profectum est & per quàm falsum. In tanta igitur obscuritate duo ipse pronuntio. Alterum est, eorum hunc verborum contextum Aristotelicum non esse, sed ab alio quopiam huic loco adscriptum atq. ex superioribus intrusum. Cur ita loquar hæc faciunt. Primùm quòd a Themistio prætermissum planè videam: nimirũ quod ita ipse quoq. putaret. Et Alexander Philoponi testimonio perturbatã orationẽ iudicauit; quod eadem, quæ antea dicta fuerãt, repetantur. Deinde quòd Aristoteli consuetudo non est idem sæpiùs repetere, qui maximè necessarijs parcissimus est summóque semper verborũ cõpendio vtitur. Hîc autem eadem ipsa sunt verba, quæ in superioribus posita sunt verba. Denique quòd quæcunq; sit verborũ interpretatio, parùm omnino videtur cohærere cum ijs, quæ de simplici & composita intellectus cognitione dicebantur.

Alterum autem; si hæc verba hoc loco retinenda sunt, propterea retineantur atque ex superioribus repetantur; vt illud ipsum, quod de intellectus substãtia dictũ antea fuit de illius, nũc actione intelligatur. Secus tamẽ omnino, quàm fuerit Simplicio visum. Superiorum verborũ sententia erat; intellectũ agẽtem esse idem cũ re intellecta, intellectũ potestate non item: hunc tamen priorem illo esse tempore, si in eodem spectentur homine; omnino autem & vniuersè nõ item: Nunc autem intellectus actionẽ & scientiam actu idem esse inculcat cum re, quæ scientia comprehenditur, non item eam, quæ potestate est: sed hanc, si in vno & eodem homine consideretur, tempore priorem esse ea, quæ sit actu. Omnino autem & vniuersè ac in tota specie, seu simpliciter & absolutè atq. in toto mundo (perinde enim fuerit, siue ὅλως, siuè ἁπλῶς legatur, quippe non eodem ab omnibus modo legitur) nec ita esse. Quoniam quæcunq. in natura ex potestate ad actum transeunt, ab alio, quod sit actu, traducuntur ad actũ. Quare in alio docente hominẽ scientiã actu intercedere oportet, à quo is, qui discit, ex potestate ad actum perducatur. Est enim generatio quæsi, omnéq. quod gignitur, ab aliquo gignitur, quod in ea specie aut genere sit actu.

Quoſdã tamen scribit Piloponus verba illa (ex eo, quod est actu) secus intellexisse: atq. ita accepisse, vt significarent actum, non à quo potestas perspicitur, sed in quo ipsa est, omnemq. potestatem in aliquo actu sustentari, & quod est potestate aliquid, actu aliquid aliud esse, vt semẽ potestate fœtus est, actu semẽ, & panis potestate sanguis, actu est panis. Cuius interpretationis sententia quidi est vera, quoniã pura potestas, quæ nullo nititur actu, mera negatio est & nihil: Vel quia prima materia, quæ prima omnium & summa potestas existimatur, si potestate est ad omnes specierum formas, potestas ea nititur actu ex eis, substantiæ, & subiecti, quod formas eas suscipere potest. Sed verbis hisce Philosophi minùs accomodatur: quippè sermo est de actu, à quo perficiatur atque ad actũ traducatur potestas. Quare cũ à solo opifice Deo fiant cuncta hunc Philoponus actũ intellexit. Quod eò magis mirandũ est, quòd cũ scientiã actu & potestate nominasset, eaſq. cõparet non licet absq. omonymiæ vitio actũ alium, quã scientiæ, intelligere. Scientiam potestate priorẽ esse dixerat scientia actu in vno homine, omnino autem non item. Huius probationem addit quoniam omnia, quæ fiunt, ex eo fiunt, quod est

actu,actu nimirum eiusdem generis,hoc est ab eo qui scientiam actu habeat. Neque in his maior est difficultas.

INTELLECTVS ET SENSVS comparatio.

CAPVT NONVM.

TEXTVS.

Φαίνεται δ' τὸ μὲν αἰσθητὸν, ὃν δυνάμει ὄντος τοῦ αἰσθητικοῦ, ἐνεργείᾳ ποιεῖ· οὐ γὰρ πάσχει· οὐδὲ ὁμοιοῦται· διὸ ἑτέρως κινήσεως ἡ τοῦ κινοῦντος καὶ ἀπλῶς ἐνέργεια ἐστὶν· ἡ δὲ ἀπλῶς ἐνέργεια, ἐν τῷ τελείῳ μᾶλλον.

Tex.28. *Videtur autem sensile quidem ex eo, quod potestate sensituum est actu efficere. Non enim patitur neque alteratur. Quare alia species hæc motus. Motus namque actus erat imperfecti. Simpliciter autē actus alius, qui perfecti.*

COMMENTARIVS CXVII.

DE intellectu hactenus ita disseruit Philosophus, vt quęnam propria sit ipsius natura primum docuerit: deinde quomodo intellectio fiat: tum de intellectu agente, ad extremum de intellectili obiecto & intellectione dixerit. Absoluta fortasse tractatio videri possit. At siue quod in intellectus cognitione tradenda plurimum vsus est sensu; & quidem illud fuit tractationis principium (si intelligere est sicut sentire) siue quod & intellectus & sensus cognoscentes ambo sunt facultates, sensilium obiectorum vna, altera intellectilium. Placuit illi iam post vtriusque explicationem comparationem illorum quandam instituere, & quid vtrique commune sit, quid singulorum proprium adnotare. Hoc Themistij quoque, Auerrois, & S. Thomæ iudicium fuit. Sed & Philoponus & Simplicius, qui de actiuo intellectu sermonem volunt institui, fateri coguntur aliquid priùs de sensu dici. Cuius rei duplicem alterationem habet: Aut quòd tum sensus tum intellectus citra medium operatur: Aut quòd in distinctione intellectus actiui à theoretico sensus exemplis vsus est. Alter verò vt ex sensu intellectus actiui operatio explicetur, vt enim antea de theoretico agens vtebatur sensu quatenus simpliciter cognoscens est, ita nunc eodem vtitur quatenus iucundum & molestum percipit: vt ita nos deducat ad eum intellectum, qui non solùm cognoscens est, sed bonum inuestigat & malum.

Prima intellectus & sensus similitudo.

Verùm hæc ipsa sensus & intellectus consideration & comparationem continent. Propositis autem verbis duplex similitudo significari videtur. Prima proximorum fortasse superiorum verborum occasione inducitur. Quemadmodum enim intellectum potestate scientem fieri dixerat, actu scientem ab aliquo actu sciente, & omnino quæcumque fiunt actu, ex eo, quod est actu, fieri oportet: Ita sensum quoque addit ex potestate ad sentiendi actum deduci ab obiecto natura sua & actu primo sensili. Altera verbis illis significata (non enim patitur, neque alteratur) secus à Themistio, quàm à cæteris, fuit exposita. Etenim is actionem sensus intellexit, qua sensionis actum promit. Cæteri passionem illius potiùs ab obiecto dum ex potestate ad actum venit, dici maluerunt: neque passionem esse propriè, neque alterationem, neque omnino motum vultum. Non enim actione obiecti vlla, qua patiatur sensus aut alteratur, sed à sola sensilis præsentia deducitur in actum, inquit Philoponus. Quæ verba considerent illi, qui species intentionales ponunt. Aut si motus vllus adsit, vt persæpè realis adest à lumine, sono, odore, sapore, & tactilibus, is certè in solo est sensorio, ipsa verò sensitiua vita, vt cum simplicio loquar, iudicat occurrens sensile, iudicium namque ipsum intrinsecùs est, nihilque assumit extrinsecùs. Quam ob causam additum putat verbum (videtur) quia vere sensile non agit in sēsum: sed tantùm videtur, dum quidpiam in sensorium imprimit. Quod illis considerandum erit, qui dum alibi iegunt, sentire esse quoddam pati, passionem ab obiecto in sensum speciebus immissis factam interpretantur. Accedit, quòd si ea sit verborum sententia, pugnantia Philosophus loqueretur, dum ibi sentire affirmat esse pati & alterari, hîc autem passionem aut alterationem esse negat. At dum nos priùs quidem de sentiente ipsa facultate suum actum promente sermonem fuisse interpretamur, nunc autem de motu facto ab obiecto dici, nullā difficultatem patimur. Sensus namque sentiendo quidem & actum suum promendo ac suscipiendo patitur & alteratur: agit promendo, patitur & alteratur suscipiēdo. At ab obiecto, nulla passio alteratio nulla: quoniam si quæ sit, vt est persæpè, ea in organo est, nō in sensu. Itaque minùs probāda fuerit interpretatio illa Themistij dum præsentem locum de actione sensus intellexit. Quòd & pugnantia loquentem, aientem & negantem, Philosophū faciat: & omnino manifestū sit non esse de illa sermonem, vbiquæritur, quomodo sensile obiectum de potestate ad actum deducat sensum.

Contra species intentionales.

Sentire vt sit pati & mouere.

Ergo si passio non est neque alteratio, aliam Philosophus conficit motus speciem: non quòd si alteratio non sit, aut ortum esse oporteat, aut accretionem, aut mutationem loci. Tum quia hæc omnia passionem habent, sensus autem propriè non patitur. Tum quia propterea videtur motus vniuersi definitio commemorari, vt & omnes species motus excludantur, & quomodo res omnino in sensu habeat explicetur. Sed quod aut passio sit aut alteratio alterius generis, vt in tex. 57. libri secundi dicebatur; non inquam corrumpēs sed perficiens: & velut transitus à non agere ad agere. Aut quod motus omnis imperfectum & imperfecti subiecti actum ad perfectionem suam progredientem, & ideò patibilem & cum potestate, imperfectione, & successione permistum significet. Actio autem sensus impatibilis est & momentanea, nullumque potestati locum relinquit: quia & totus simul habetur, & perfectæ rei est actus & ipse perfectus: simpliciter autem actus qui potestati permistus non est, alius est, qui perfecti, hoc est diuersus à motu est, isque non est actus imperfecti, quem admodum motus: sed perfecti & actu iam existentis. Hocque tum ex parte sensilis, quod actum habet & formam, qua sensum mouet. Tum sentientis quod perfectum est actu primo, quo secundum promere valet: & si promat mutatio potiùs est; quàm motus: Atque hac quoque in re sensus intellectui planè similis est. Nam intellectus itē actu primo perfectus est, illiúsq. actus nō imperfecti, sed perfecti, est actus

Altera similitudo.

non est motus, sed intelligentis solùm perfectio. Quare in text. 2. dicebatur si intelligere est sicut sentire, aut pati, aliquid erit ab intellectili, aut aliquid aliud eiusmodi.

Huc etiam demum spectat distinctio illa posita in commemorato textu 57. passionis duplicis, quarum altera sit à contrario, & ideò corrumpens, altera salus potiùs & perfectio. Illa enim ad motum & passionem pertinet, hæc ad aliud mutationis genus, quod & sensui & intellectui commune est.

TEXTVS.

Τὸ μὲν οὖν αἰσθάνεσθαι ὅμοιόν πού φαμεν εἶναι μόνον καὶ τὸ νοεῖν. ὅταν δ' ἡδὺ ἢ λυπηρὸν ᾖ, οἷον καταφάσει, ἢ διώκει ἢ φεύγει.

Sentire igitur simile est dictioni solùm & intellectioni. Cùm autem iucundum aut molestum, quasi affirmans aut negans, persequitur aut fugit.

COMMENTARIVS.

SImplicius & Philoponus de actiuo intellectu sermonem esse inquiunt. Et alter quidē similitudinem doceri sensus & intellectus actiui; vbi sensus non sensile simpliciter, sed vt iucundum aut molestum apprehendit. Alter verò actiuum intellectum à theoretico distingui, quòd hic verū dumtaxat contemplatur & falsum, ille bonum & malum cognoscit; hic similis sensui sensile suum tantùm cognoscenti, ille velut sensus iucundum & molestum comprehendens, persequens aut auersans. Itaque illud (dicere solùm) interpretatur dicere intrinsecus & cognoscere non ad agendum referre: & affirmationem ac negationem, sensum iucundi & molesti; quoniam iucundum accipimus & molestum non accipimus. At minùs probandum videtur. Tum quòd nulla hîc actiui aut theoretici; sed intellectus absolutè & sensus mentio. Tum quòd si theoreticus intellectus similis sit sensui obiectum suum simpliciter cognoscenti, actiuus autem eidem cū iucundo & molesto cōponenti & quasi affirmanti & neganti, consequens fuerit compositionem, affirmationem & negationem, in solo esse intellectu actiuo, in theoretico non item. Quid verò absurdius dici potest?

Auerrois interpretationem sciens prætermitto; quòd minimè omnium sit accōmodata. Siue illud consideres, antea Philosophum sensus & intellectus similitudinem declarasse, nunc verò docere similitudinem inter sentire & intelligere. Siue illud (sentire simile est dictioni solum & intellectioni) hoc est momento fit, non secus ac si quis ad simplicem alicuius pronuntiationem statim intelligat, siue illud, per hoc Philosophum declarare causam, cur intellectus intelligat sine tempore: cùm nullam tamen exponat causam: aut si illa sit, quæ colligi possit, quia intellectio est actio perfecta & absque eo quòd præcedat illam actio diminuta: nimirum principij petitio esse videtur, & idem per idem aut ignotum per æquè ignotum ostendi.

Vnum illud verè pronuntiauit, similitudinem quandam doceri. Ergo secundam hanc Themistius credidit similitudinem esse sensus & intellectus. Nos tertiam facimus, Similitudo autem est, quod duplex illa intellectus operatio, de qua dictum est antea, quoquo modo in sensu quoque reperitur. Nam vt intellectus aut simplicē solam quiditatem apprehendit absque affirmatione vel negatione, aut eam cum aliqua alia re adiunctā componit, affirmando aut negando. Ita sensus quoq. aut proprium sensile solum cognoscit, aut in eo iucundum vel molestum persentiscit, componendo quasi & affirmando aut negando. Propterea enim dixit (quasi) quoniam affirmare & negare proprium intellectus est & rationalis facultatis, in sensu quidpiam est simile, sinō solum suum obiectum, sed vt iucundum & molestum apprehendit: & quasi componit, alterum in sensili ponendo, alterum ab eo demendo. Itaq. verborum hæc est sententia; sentire, proprium sensilem obiectum per se & solitariū, simile est dictioni solùm & intellectioni, hoc est simplici quiditatis apprehensioni, quæ dictio solùm est, & nō dictio aliquid de aliquo; intellectio, non affirmatio. Respondent enim hæc verba superioribus illis (est autem dictio quidem aliquid de aliquo, velut affirmatio) atq. ex vtroque loco duplex dictio cognoscitur; vna simplex primæ operationis, quæ dictio solùm est & intellectio, altera compositi, quæ dictio est alicuius de aliquo & affirmatio. Quibus in sensu respondet sensio obiecti per se vt obiectū est, & obiecti vt iucundi aut molesti.

Portrò in illis verbis (persequitur aut fugit) quartam ego similitudinē agnosco. Nam vt sensus suum duntaxat obiectum est, sentiens neque persequitur neque fugit; aut veriùs nullus excitatur persequutionis aut fugæ appetitus: excitatur autem, cùm vt iucundum aut molestum cognouit. Ita & intellectus quandiu in solatei cuiusque considerandā quiditate versatur, neque prosequutio sequitur neque auersio: At vbi tanquam bonum aut malum intelligit, appetitus aut persequutionis aut auersionis illicò cōmouetur, quodque est in sensu iucundum aut molestum, suaue vel insuaue; hoc in intellectu est bonum aut malum. Quod de vero bono veróq. malo accipiat. Alioqui ampliori significatu omnis persequutio est boni, omnisq. fuga mali: & iucundum sensus bonum est, & molestum malum; & ideò ad iucunda impellit, quia bona; Auertitque à molestis quia mala. Etsi hæc sensus nō ita distinguat vt intellectus. Et bonum vniuersè sumptum in tria diuiditur, in vtile, iucundum, & honestum: malùmque item bono contrarium, in damnosum, molestum, & turpe. At sensus iucundum & bonum nequaquam distinguit: distinguit intellectus, qui multa iucunda mala, contráq. molesta quàm plura bona esse decernit. Propterea boni & mali iudicium intellectus potiùs, quam sensus esse dicimus: Indéq. inter sensum & intellectum pugna, dum sensui iucunda mala, molestáq. bona esse intellectus dicit.

Prosequutionem affirmationi simillimam esse, fugam negationi, propterea dixit Themistius, quod vnicā verbis hisce similitudinem contineri putauit, non distinxit duplicem. Veriùs prosequutionem dixisset subsequi affirmationem, fugámq. negationem. Quoniam dum bonum esse affirmamus, prosequimur: dum non bonum aut non amplectendum, auersamur & fugimus.

TEXTVS.

TEXTVS.

Καὶ ἔστι τὸ ἥδεσθαι καὶ λυπεῖσθαι τὸ ἐνεργεῖν τῇ αἰσθητικῇ μεσότητι πρὸς τὸ ἀγαθὸν, ἢ κακόν. ἢ ὅταῦτα.

Et delectari ac dolere est agere sentiente medietate ad bonum aut malum, quatenus talia.

Text. 29.

COMMENTARIVS CXIX.

QVoniam ἡδὺ ἢ λυπηρόν, iucundum aut molestum nominauerat, libuit etiam de ἥδεσθαι & λυπεῖσθαι, de delectatione ac molestia seu dolore, quæ ex illis oriuntur, dicere. Quid autem hæc sint ita definit: Delectari & tristari est agere sentiente medietate ad bonum aut malum, quatenus talia sunt. Sentientem medietatem S. Thomas communem sensum interpretatur; quòd is particularium sensuum comparatione medium quoddam est & velut centrum comparatione linearum, quæ ab ambitu ad ipsum ducuntur; vt in comment. 36. in superioribus dicebatur: tametsi eo loco S. Thomas non de centro, sed de puncto partes lineæ copulante interpretatus fuerit exemplum puncti, quo in textu 149. sensus illius naturam Philosophus exponebat. Sed eo loco magis erat opportunum circuli medietatem sensum communem exponere. Nunc enim non de communi, sed de particulari sensu est sermo, quem cum intellectu hactenus comparauit illique similem esse ostendit; & in textu 26. aspectum proprij nominauit. Et si sentire iucundum aut molestum vnusquisq. sensus potest, cuiusque item fuerit delectari & molestia affici. Delectantur enim moderato & conuenienti obiecto molestia afficiuntur ab immoderato & extremo vim illorum excedente, & opprimente aut certè dissipante. Et maximè tactus & gustatus: Quia quò spiritalis magis est vis cognitrix, eò remissior voluptas & dolor. Communis autem sensus non est hæc propria actio, sed plurium particularium obiecta dijudicare.

Delectati & tristari quid.

Ergo loci huius sententia est colligenda ex text. 118. eo enim loco sensum omnem dixit medietatem esse quandam inter eam, quæ in sensilibus est, contrarietatem: & ideò non æquale, sed redundans & excedēs obiectum iudicare; quia quod medium est iudicandi vim habet. Iucundum & molestum sanè contrarietates quædam in sensilibus sunt: de his iudicare ad sensum pertinet qui inter illas medius quasi iudex sedet. Et vt vnusquisque sensus medietas est inter extrema sui obiecti, aspectus inter albū & nigrum, auditus inter acutum & graue, eodémq. modo cæteri; Sic de illis iudicat vnusquisque: Et extremis quidem læditur & tristatur, mediocribus autem delectatur. Solus Philoponus delectationem & dolorem, & ideò fugam quoque & appetitum actionem intellectus actiui significare voluit: quòd fortasse delectari & dolere dixerit philosophus esse agere circa bonum & malum, quæ ad actiuum intellectum pertinere videntur. Sed animaduertere debuisset illud (est agere sentiente medietate. Apertè enim dicitur esse actio sensus. Atque in eo magis propriè, quàm in intellectu, delectatio & dolor nominantur. Quæ si circa bonum & malum esse dicuntur, propterea dicuntur, quòd multa sunt bonorum & malorum genera: & sensus quoque bonum & malum dijudicat, sed à iucūdo & molesto non distinguit, quemadmodū distinguit intellectus. Et fortasse dum delectari & tristari, dixit esse agere, ad veteres illos respexit, contra quos in septimo & decimo moralium disputat; qui voluptatem inquiebant esse motum seu generationem in naturam proficiscentem, doloremq. motum præter naturam ostenditq. actionem esse aut perfectionem actionis alioqui contemplatio voluptas non esset, quòd motus ibi & generatio non sit. Delectari autem & dolere est agere, siue in sensu spectetur, siue in appetitu; quia in sensu iudicium significat, & in appetitu amplexum aut auersionem erga obiectum præsens.

Sensus omnes delectari & dolere.

Paucis igitur verbis quid sint delectari & dolere, cuius sint, quam habeant causam, & circa quid versentur, docet Philosophus. Delectari & dolere est agere; etsi passionem maximè significari videantur. Est enim iucundū aut molestum obiectum cognoscere. Hæcque actio sensus est, qui quòd in mediocritate consistat, mediocri & conuenienti sibi delectatur, molesto & inconuenienti læditur. Denique circa bonum aut malum versantur: bonum enim iucundum delectationem, malum molestum dolorem & molestiam parit. Qui locus non erit illis prætermittendus, qui sensionem meram esse passionem, non actionem vllam, dicunt. Apertè siquidem actionem esse ait Philosophus.

De delectatione & dolore.

Sensionē esse actionem.

Porrò illud (quatenus talia) triplicem habet expositionem. Primam Philoponi; sensum delectari & dolere circa bonum aut malum, quatenus ad animal referuntur: non sunt enim per se bona aut mala, sed vt animal seruant aut perdunt. Alteram Simplicij, Auerrois, & aliorum, sensum illis affici, non quatenus bona sunt aut mala (quippe hæc non sensus, sed intellectus dijudicat verùm quatenus sensui suauia sunt aut insuauia & molesta, bonóq. & malo similia: hoc enim sunt sensui suaue & insuaue, quod intellectui bonum & malum. Tertiam, quatenus talia, hoc est quatenus bona & mala: Quoniam bonum & malum genus quodam est, quod non solum honestum orationis bonum & huic contrarium malum; sed bonum quoque iucundum & delectabile, malúmque contrarium continet, quæ ad sensum pertinent.

TEXTVS.

Καὶ ἡ φυγὴ δὴ καὶ ἡ ὄρεξις τοῦτο ἢ καθ' ἐνέργειαν, καὶ οὐχ ἕτερον τὸ ὀρεκτικὸν καὶ φευκτικόν, οὔτε ἀλλήλων, οὔτε τοῦ αἰσθητικοῦ, ἀλλὰ τοῦτο ἄλλο.

Et fuga quidem & appetitio, quæ secundum actum hoc. Neque diuersum appetens & fugiens, neque inter se neque à sentiente, sed esse aliud.

COMMENTARIVS CXX.

DElectationem & dolorem sequuntur appetitio & fuga, quæ desiderium significant. Suaue namque & iucundum prosequimur, ab insuaui & molesto auertimur & recedimus. Sed verborum illorum (& fuga quidem & appetitio, quæ secundùm actum, hoc) sententia hæc fuit Auerrois;

Fugam & appetitionem eorum esse, quæ secundùm actum, hoc est quæ præsentia sunt & indiuidua. Nam appetitus sentiens circa hæc sola versatur, intelligens autem circa absentia quoque & vniuersa. At non dixit Philosophus fugam & appetitionem eorum esse, quæ sunt actu: sed fugam & appetitionem, ἢ καὶ ἐνέργειαν, quæ est actu, hoc esse; nempe agere circa bonum & malum, quemadmodum & delectatio & dolor. Verùm delectatio quidem & dolor sentientis sunt & cognoscentis virtutis, appetitio autem & fuga appetentis: versantúrque circa idem obiectum; sed delectatio quatenus illud suaue est & iucundum, appetitio quatenus perficit, dolor quatenus insuaue & molestum, fuga demum quatenus perdit.

Delectatio & dolor, appetitio & fuga vt distinguuntur.

Iam quoniam hæc omnia, sensus, delectatio & dolor, appetitio & fuga, partim circa idem, partim circa diuersum versantur obiectum, opportunè subiungit, quatenus hæc distinguenda sint. Appetitio & fuga eiusdem prorsus facultatis actiones sunt. Idem namque appetitus, qui conueniens & bonum amplectitur & prosequitur, ab inconuenienti & noxio refugit illudq. auersatur: scitúmq. est illud, eadem est contrariorum facultas; quod non modò de patiendi, sed & de agendi facultate verè pronuntiatur. Idem quippe aspectus est albi & nigri, auditus acuti & grauis, odoratus suauis & molesti, gustatus dulcis & amari, tactus calidi & frigidi, humidi & sicci, intellectus veri & falsi, appetitus demum boni & mali.

» Nam & hæ, inquit Themistius, quæ videntur auersiones esse & fugæ, appetitiones quædam sunt. Cùm enim quis fugit, appetit fugere cupitq. vitare quæ reprobat. Itaque in actionibus hisce animæ hic est ordo, vt adnotauit quoque Simplicius. Prima omnium est sensio; deinde delectatio aut dolor: delectari enim aut dolere absque cognitione impossibile. Postremò appetitio sequitur aut fuga obiecti, quod delectationem aut dolorem attulit. Atque ita loquebatur Philosophus in tex. 20. libri 2. Vbi sensus est, & dolor & voluptas consequitur; vbi autem hæc, ex necessitate concupiscentia. Sed quod delectationem addit Simplicius passionem meram significare, appetitionē verò actionem, qua ad suaue extenditur anima & impetum in illud facit: Philosopho aduersatur, cuius illa fuerunt verba (delectari & dolere est agere sentiente medietate. Vtrobique igitur est actio, in delectatione & dolore actio sensus; in appetitione & fuga actio appetitus.

Sensus & appetitus subordinatio.

Appetitus à sensu distinctio

Rursum à sentiente quoque diuersa non est appetendi facultas: quibus verbis penè omnes video interpretari negatam fuisse subiecti diuersitatem; nempè non esse duas hasce facultates in diuersa animæ parte, sed in sentiente & irrationali ambas; vt Simplicius & Philoponus inquiunt. Quod aduersus Platonem ponentem sentientem in cerebro & appetentem in iecore dictum fuisse putat S. Thomas. At liceat mihi obijcere, huic non diuersitati diuersitatem eam opponi, quę consequentibus illis verbis (sed esse aliud) continetur. Hanc autem esse diuersitatem rationis ad deffinitionis, ijdem illi omnes fatentur interpretes; atque ex familiari Philosophi loquendi modo manifestum est. Quò minùs ad rem Auerroës diuersitatem actionis, & Simplicius proprietatis intellexerunt. Diuersitati autem rationis ac definitionis aduersatur potiùs diuersitas rei, quàm subiecti. Quoniam in eodem subiecto plura contineri possunt re quoque diuersa accidentia; vt in pomo color, & sapor, & odor: & has ipsas cæterasque eiusdem animæ facultates re distingui, complures graues philosophi & ille ipse S. Thomas contendunt. Quæ interpretatio nostra si placeat, poteris ex hoc loco opinionem eam confirmare, quæ animæ facultates ratione sola ac definitione, non re, tum inter se tum ab anima distingui quod admonuisse satis.

At quorsum hæc omnia? Non ad ostendendum theoreticum intellectum ab actiuo ratione solùm differre, vt Philopono placuit & Simplicio. Sed magis Themistij quoque sententia, vt in subiecta sensus & intellectus comparatione persistens quemadmodum res habeāt in intelligente parte ostendit. Cognitionem omnem obiecti boni aut mali consequi necesse est prosequutionem aut fugam, quæ ambæ ad vnam pertinent appetentem virtutem. Cognoscentes facultates duæ sunt, sensus & intellectus: totidem igitur appetentes esse oportet, quarum vna comitetur sensum, altera intellectum: illa concupiscentia dicitur & desiderium, hæc voluntas. Concupiscentia circa res materiales solas, sensiles, & singulares, voluntas circa immateriales quoque & vniuersas. Appetens & fugiens tum in concupiscentia tum in voluntate idem re aut subiecto sunt, tum inter se, tum cum facultate cognoscente, quam comitantur: illa cum sensu, hæc cum intellectu, sola ratione ac definitione distinguuntur. Quocirca quinta hæc fuerit sensus & intellectus similitudo: qua in vtroque appetitus est cognitionem consequens ad prosequendum vel fugiendum, isque siue à sensu siue ab intellectu nequaquam nisi ratione ac definitione distinctus.

TEXTVS.

Τῇ δὲ διανοητικῇ ψυχῇ τὰ φαντάσματα ὥσπερ αἰσθήματά ἐστιν· ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακὸν φήσῃ ἢ ὑποφήσῃ, φεύγει ἢ διώκει· διὸ οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή.

Dianoëticæ autem animæ phantasmata ceu sensus sunt. Cùm verò bonum aut malum dixerit aut negauerit, fugit aut prosequitur. Quare nunquàm sine phantasmate intelligit anima.

COMMENTARIVS CXXI.

SIue dianoëticam animam interpretetur Philoponus theoreticum intellectum; siue Themistius actiuum, siue neutrum Simplicius, sed absolutè ratiocinantem intellectū & quasi transigentem atque ex vno ad aliud progredientem, vnumque ex alio colligentem, quod tum actiuo tum theoretico commune est: Planè intelligitur dianoëtica Aristoteli ac Peripateticis ad intelligentem pertinere partem intellectumque significare, non cogitatiuam illam, quam Auerroës & discipuli eius commenti sunt. Qua de re in superioribus sæpè dictum est. Et hoc loco Auerroës quoque rationalem animam & quamlibet eius facultatem, siue actricem, siue contemplatricem, intelligit. At quomodo illi constet Simplicius non video. Quippe in comment. tex. 28. dum actiuum intellectum appellari dixit dianœam, phantasiáque vti, & circa bonum & malum versari, omnino hæc, quæ hoc loco affirmat philosophus, de actiuo intellectu, quemadmodum & Philoponus, interpretabatur.

Quod

Sexta intellectus & sensus similitudo.

Quod ergò ait Philosophus, sextam continebit sensus & intellectus similitudinem. Nam quod sunt in sensu sensilia, hoc intellectui sunt phantasmata. Sensus à sensilibus mouetur, & intellectus item à phantasmatibus: & vt sensus præsentibus eget sensilibus, vt sensionis actum promat, ita & intellectus phantasmatibus indiget ad intelligendū. Quam propositionem etsi Philosophus absque probatione videatur accipere, ex vniuersa tamen superiori disputatione colligit qua facultatū animæ subordinatio fuit stabilita. Nam si vna ministrat alteri; sensus exteriores communi sensui, hicque phantasiæ, supra phantasiam solus supereſt intellectus, cui illa ministret obiectum; veréque phantasmata perinde ad intellectum se habent, ac sensilia ad sensum & phantasiam. Potiùs tamen hic phantasiam, quæ sensum considerauit, nominéque phantasmatum significauit; quòd ea maximè ad rem præsentem faceret: atque hæc philosophi est propositio; Vt se habent sensilia, sensibus exterioribus & interiori communi percepta, ad phantasiam; ita phantasmata, quæ in phantasia sunt; se habent ad intellectum. Perinde tamen constabit sententia, si ad sensum vniuersè referatur, tum exteriorem, tum interiorem; vt se habent sensilia ad sensum, ita phantasmata ad intellectum, seu dianæam.

Septima intellectus & sensus similitudo.

Quamquam alia quædam interpretatio esse potest, & meo quidem iudicio perquàm accommodata: si hæc omnia verba superioribus omnibus ita respondeant, vt quę de sensu prodita sunt, in intellectu simili modo ostendantur habere. Sensile dixerat in tex. 28. ex eo, quod potestate sensitiuum est, actu sentiens efficere. Eandem nunc in intellectu vim habere inquit phantasmata, esseque ceu sensilia in sensu, dum intellectum ad intelligendum mouent & faciunt actu. Rursum de sensu adiunxit (cùm autem iucundum aut molestum, quasi affirmans aut negans, prosequitur aut fugit) & nunc de intellectu addit (cùm bonum aut malum dixerit aut negauerit) coniungendo scilicet cum phantasmate bonum aut malum (non quasi, vt sensus; sed absolutè & omnino affirmans aut negans: quippe illius propria est affirmatio & negatio, qua rem cognitam ait esse bonam aut non bonam) fugit aut prosequitur. Perinde namque intellectus affirmationem aut negationem appetitio boni comitatur fugæve mali, ac sensus cognitionem iucundi aut molesti prosequutio sequitur aut auersio.

Phantasmata vt ad intellectum se habeant.

Sed tacite illud quibusdam videtur subnotari discrimen; quòd in sensu non statim ex apprehensione appetitio sequitur aut fuga: sed delectatio aut dolor, indéque appetitio aut fuga; vt in tex. 29. dicebatur. At in intellectu statim ex affirmatione aut negatione boni vel mali prosequutio nascitur aut auersio, volitio aut nolitio. Etenim intellectus percipit bonum & malum per se, quatenus talia sunt: sensus non item, sed solùm quatenus illud suaue est & iucundum, hoc insuaue & molestum. Quæ ratio potior est, quàm ea, qua vtitur S. Thomas. Quoniam scilicet intellectus bonum vniuersum apprehendit, sensus autem determinatum bonum. Nisi enim vniuersum bonū dicat bonum vt bonum; & bonum determinatum, bonum suaue & iucundum; parùm profectò est accommodata ratio. Perinde namque si intellectus donum aliquod particulare ac determinatum dicat esse bonum, voluntas statim amplectitur; & malum item particulare auersatur, etsi delectatio aut dolor nō antecesserint: & intellectus actiuus circa particularia & determinata bona vel mala versatur. Atqui in intellectu quoq. si non delectatio, voluptas certè reperitur, dum contēplatur reique cuiuspiam cognitionem assequitur. Cui spiritalis quidem opponitur displicentia. Et actiuum intellectum voluptate ac tristitia vtiast Philoponus. Ita & in sensu & in intellectu omnia fuerint paria.

Sed quoniam Philosophus perinde ad intellectum dixit se habere phantasmata, ac se habent ad sensum sensilia; atque à phantasmatibus intellectum, vt à sensilibus sensum, ex potestate ad actum deduci: verè consequens illud est, quod ex his colligit, sine phantasmatib. nunquàm intelligere animam, quemadmodum nec sensus sine sensilibus sentit. Quam si quis septimam dixerit esse sensus & intellectus similitudinem, verè mea quidem sententia dixerit. Quapropter hæc erit nostræ cognitionis progressio. Primus omnium operatur sensus circa præsentia sensilia deinde sensui succedit phantasia, sensilibúsq. phantasmata: ac demum post phantasiā intellectus accedit, qui à phantasmatibus in phantasia contentis excitatus suas notiones format. Veréq. ex hoc loco aduersus Auempace deduxit Auerroës, notiones intellectus non ita se habere ad phantasmata, sicut colores ad coloratum corpus & qualitas ad subiectum, sed vt color ad visum. Vt enim color visum ad videndum mouet, ita & phantasmata intellectum ad intelligendum: Atque vt phantasmata sunt in phantasia; sic & intellectus notiones seu intellectilia in intellectu: qui propterea locus formarum esse dicitur, atque intelligendo fieri omnia.

DIGRESSIO XXXVI.

Quatenus cum phantasia aut sine phantasiæ sit intellectio.

Cæterùm hic subsistendum tantisper est, dum ijs satisfacimus, qui ad intellectus nostri immortalitatē impugnandā abutuntur his Philosophi verbis. Sic autem argumētationem instruunt suam.

Contrà immortalitatē intellectus.

In primo huius operis libro tex. 12. tùm eam dubitationem proposuisset Philosophus, an animæ facultates omnes & operationes toti coniuncto cōmunes sint, anverò aliqua in sola insit anima: cúmq. pleráſq. communes esse constaret, ac de solo intellectu dubitari posse videretur; generalem eam pronuntiauit sententiam, ex qua iudicium faciendum esset; Si intelligere est phantasia aut non sine phantasia, non poterit vtiq; hoc sine corpore esse. Et rursum in tex. 13. si aliquam anima operationem habeat propriam, poterit à corpore separari, quòd si nullam habeat, separabilis non erit. Huic propositioni assumptionem subijciunt ex hoc, quem modò interpretati sumus, loco; Nunquam sine phantasmate intelligit anima: & rursum post ex tex. 39. Cùm contemplatur, necesse est cum phantasmate contemplari. Ex quibus intellectum intelligentémq. animam mortalem omnino esse concludunt.

Prima responsio.

At multis modis respondetur. Prima responsio Auerrois est, & eorum, qui animam nostram intelligentiam ponunt separatam, vnamque humanæ toti assistentem speciei. Eam namque essentia inquiunt separatam esse, duplicémque operationem habere; æternam vnam sibi propriam & absque phantasia; alteram in nobis & cum phantasmate: Priorémque separabilem nimirum esse, posteriorem autem ab hoc quidem & illo homine separari, at nunquam à tota specie. Ita Phi-

losophi sententiam illam, si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, separari non potest, de operatione, non de essentia interpretantur.

Verùm contra hanc opinionem disputatum in superioribus est; planèque ostensum, eam non esse animæ nostræ naturam & conditionem. Neque vllus est nostrum, qui duplex illud in seipso animaduertat operationis genus. Quare quod in secundo Analyticorum libro text. 27. Platoni principiorum & scientiæ habitus ineſſe nobis à natura insitos asserenti obiecit Philosophus, credendum non esse habere nos tàm magnum in nobis bonum & ignorare, multò magis interpretibus hisce licet obijcere, dum intellectione illa loquuntur, quam à corpore & phantasia asserunt non pendere. Denique non de operationibus, sed de anima, cuius naturam ex operationibus inuestigat, Philosophum in primo libro loqui testantur illa verba in tex. 13. εἰ μὴ οὕω τις λέγει τῆς ψυχῆς ἔργον ἢ πάθημα ἴδιον, ἐνδέχεται αὐτὸ χωρίζεσθαι. Illud enim (αὐτὸ) referri non potest nisi ad animam. Nam ἔργον & πάθημα neutri generis sunt.

2. responsio. Altera responsio Philoponi fuit in commentario illius tex. 12. argumentationem eam homonymiæ vitio laborare: illámque particulam (non sine) tres acceptiones habere posse. Interdum enim coniunctionem rei significat, quæ nec prosit nec obsit: vt si corpus in sole dixeris sine vmbra non esse. Aliquando verò vtilitatem & necessariam connexionem: vt si Achillem dicas non sine lancea & armis virum se strenuum præstitisse, aut ignem non sine approximatione vel calore calefacere. Nonnunquàm demùm impedimentum potiùs: vt si nautas hyeme affirmes non sine periculo aut procellis nauigare. At cùm dicitur, si intelligere non est sine phantasia, vtilitatem indicat necessariámque coniunctionem, velut instrumenti ad operationes proprias obeundas. Vbi verò in hoc tertio libro additur, intellectionem sine phantasia non esse, impedimentum potiùs intelligendi significat, dum ipsa puro intellectus actui ingerit sese eúmque perturbat. Alioqui purus intellectionis actus absq. phantasia est, quorumdámque intellectilium nullum reperitur phantasma, & ideò ἀφαντασία vocantur, vt immateriales substantiæ, & intellectilia prima, de quibus post in tex. 36.

Vellem equidem hæc, vt acutè fuerunt excogitata, sic vere responderi posse. Sed quò minùs fortasse verè respondeantur, hæc faciunt. Primùm homonymiæ vitium, quo Philosophi orationem laborasse credendum non est. Deinde quòd animam sine phantasmate non intelligere, colligit is hoc loco ea sensus & intellectus similitudine, qua phantasmata in intellectu se habent vt sensilia in sensu: sensilia verò tantum abest, vt sensui impedimento sint, vt maximè potiùs necessaria sint si sentire debeant. Quocirca & nunquàm animam sine phantasmate intelligere ait, & rursum, cùm contemplatur necessarium esse cum phantasmate contemplari: quæ verba non impedimentum, sed necessitatem summam significant. Et cùm intelligens anima sit naturalis corporis forma, naturaliter quoque operatur in eo illiúsque sensibus & phantasia iuuatur.

Tertia responsio. Tertia responsio eiusdem fuit Philoponi in hoc tertio libro. Triplici namque intellectilium genere distincto; primo immaterialium entium, altero entium mathematicorum, tertio entium materialium: immaterialia inquit sunt intellectilia prima, secunda intellectilia media, & tertia materialia. Materialia intelligit intellectus tum sensu & phantasia: sensus inquam & phantasiæ interuentu, vbi aut de illis deliberat, aut à rebus singulis naturas separat vniuersas. Mathematica cum phantasia, dum ea quasi à sensilibus separata considerandi fines proponit. Immaterialia demum non cum phantasia, sed per phantasiam, dum ex sensilibus, quæ per phantasiam cognoscit, euehitur ad intellectilia. Diuinam quippe prouidentiam ex rerum ordine mundique huius aspectabilis ornatu cognoscimus. Quare phantasiam semper habet annexam, nec semper tamen cum phantasia intelligit. Atque in primorum quidem intellectilium intellectione phantasia non vtitur vt instrumento; sed postquam ad illa euectus est per phantasiam, mox ea sine phantasia contemplatur: in cæteris verò vtitur. Nec tamen intellectile, idem est cum phantasmate, neque intellectus idem cum phantasia. Phantasia quoque substantiam non cognoscit, sed qualitates solas & accidentia, quæ sensibus ingeruntur, quam ob causam in Theæteto Plato eam dixit substantiam non attingere: intellectus autem substantias nouit. Quædam igitur sunt, quæ sine phantasia intelliguntur. Themistius quoque cap. 53. phantasiæ necessitatem ad mathematica & sensilia extra contemplanda contraxisse videtur.

Quarta responsio Simplicij fuit. Is Philosophum admonuit dixisse quidem nos nunquam sine phantasia intelligere, non tamen intellectum affirmasse phantasia vti. Aliquando enim non vtitur, etsi cum intellectu simul phantasia quoque moueatur. Deinde Philosophi verba de solo intellectu actuo accipienda esse contendit. Hic enim vt circa res singulas & materiales versatur, quæ sensibus hauriuntur & phantasia; sic sine phantasia simul operante nunquam intelligere affirmatur. Déque hoc intellectu nunc Philosopho sermonem fuisse, tum superiora testantur: quippe de theoretico dictum est, theoreticarum cognitionum suprema seruari & esse hoc solum quod est, & esse idem ipsius, & substantia esse actum, impatibilem, & immistum. Tum ea, quæ hic habentur: dum non intellectum aut theoriam, sed dianœam nominat, eámque circa bonum & malum prosequendo aut fugiendo versari dicit: quæ vt procul absint à theoretico intellectu, sic ad eum, qui in agendo versatur, maximè pertinent. Quòd si obijcias Simplicio, mox in tex. 39. de theoretico quoque intellectu philosophum dicturum (& cùm contemplatur, necesse est phantasma simul aliquod contemplari) responderi pro eo potest, de sensilium singularium & mathematicorum intellectione sermonem esse: quæ cum phantasia quidem intelligantur, non tamen phantasiæ vsu: Immaterialia verò & prima intellectilia ἀφαντασία esse: quodnam enim illorum sit phantasma? Sicut & substantiæ, relationis, vniuersalium, bonitatis & malitiæ, veritatis & falsitatis, rei cuiusque quiditatis, vel etiam accidentium sensilium.

Quinta responsio fuit S. Thomæ. Operationem quampiam duobus modis pendere à corpore posse, aut tanquam à subiecto, cui inhæreat; & instrumento, quo vtatur: aut tanquam ab obiecto, circa quod versetur. Intellectio namque à corpore & phantasia priori sanè modo non pendet, sed posteriori duntaxat. Priórque Philosophi propositio eam

eam habet sententiam, vt si phantasia sit aut in phantasia tanquàm in subiecto, eaúæ vt instrumento vtatur; quemadmodum visio & in oculo est vt subiecto, & eo vt instrumẽto vtitur; Planè à corpore nequeat separari; vt nec visio nec cæteræ huiusmodi operationes aut facultates separantur. Postetior autem, intellectum à phantasia phantasmateúe tanquàm ab obiecto, quod intelligẽdum proponatur, pendere pronuntiauit. Quod sanè intellectum non ita alligat phantasiæ & corpori, vt separari non possit.

Auctoris responsio.

Ego tertiam quidem Philoponi & quartam Simplicij responsiones admitto atque Aristoteli maximè accommodatas esse confirmo: Sed quintam hanc S. Thomæ non minùs probo. Primùm enim propositionem illam (si intelligere phantasia est aut non sine phantasia) eo modo, quo dictum est, intelligendam esse, quæstio confirmat, quam eo loco tractabat Philosophus. Quæstio erat, num affectiones & operationes animæ sint habentis quoque communes, an verò aliqua solius animæ propria. Operationes autem communes dicuntur, quę ab anima quidem promuntur, sed corporis organo perficiuntur in eoque suscipiuntur: Quæ tanquam ab obiecto solùm pendeant, communes non dicuntur. Quis enim visionem dixerit oculo parietique communem, quòd paries ad eam vt obiectum concurrat: Deinde ad eam quæstionem respondẽs Philosophus plurimas ait videri sine corpore non esse certumque est illud (sine corpore) subiectum & instrumentum significare. At nisi omonymiæ vitium inuratur, eodem modo accipiendum est id, quod statim de intellectu subiungitur (non sine phantasmate) subiectum igitur & organum significabit. Accedit aperta ipsiusmet philosophi interpretatio in tex. 14. vbi omnes ferè animæ affectiones communes esse cum corpore argumento eo probat; quoniam per corpus exercentur, & cum illis patitur aliquid ipsum corpus: quæ nimirum verba organum & subiectum ostendunt. Denique in secundo libro de animalium ortu cap. 3. cùm intellectum scripsit forinsecùs aduenire, quidpiamque diuinum esse, quòd in eius actione nihil habet commune corporis actio; explicare visus est, quomodo actio communis dicatur; cuius scilicet organum & subiectum sit corpus. Alioqui si de obiecto solùm interpreteris, pugnantia loquentem facies: quippe in hoc tertio libro intelligentem ait aliquod semper intueri phantasma tanquàm obiectum.

Alteram verò propositionem ex hoc tertio libro acceptam non de subiecto aut organo, sed de obiecto esse, manifestissimum est. Si enim propositio sit (nunquàm sine phantasmate intelligit anima) sanè ex eo illam deduxit philosophus, quòd animæ phantasmata sunt ceu sensilia sensui: sensilia verò vt obiectum sensui sunt, non vt subiectum aut organum. Sin autem sit illa (cùm contemplatur, necesse est cum phantasmate contemplari) multò magis apertus est de obiecto sermo.

Prætermittendum autem non est, philosophum antequam hanc secundam propositionem scriberet, accuratè omnino explicasse duas illas partes prioris propositionis; in qua propterea hypotetice loquutus fuerat (si est phantasia vel non sine phantasia) quoniam veteres philosophi non distinxerant intellectum à phantasia. Ipse verò ita distinxit, vt primùm ostenderit intellectum phantasiam non esse, sed virtutẽ ab ea diuersam: Deinde etiam immaterialem esse, impermistum, & diuiniorem multò naturam, quàm quæ materiæ ac corporis sordibus inquinetur. Hoc est nec phantasiam esse nec cum phantasia tanquam subiecto aut organo complicari. Tum verò eam subiunxit phantasia tanquam intelligendum obiectum sibi subministrante vti. Illius tamen separabilitatem non ex hoc colligimus. Quoniam si non possit intelligere nisi obiectum inde hauriat, inseparabilem potiùs esse concluderemus: siquidem phantasia sine corpore esse non potest. Verùm ex eo magis, quòd non vt à subiecto & organo pendeat. Hinc enim facultatem illum esse cognoscimus, quæ etsi quandiu est in corpore non nisi intuendo phantasmata intelligat; ab illis tamen ita possit absolui, quòd nõ in organo corporeo, sed in sola anima sustentetur; vt dissoluto ac pereunte corpore ipse tamen per se cohæreat & absque phantasmatibus separatus intelligat. Nam dum animæ soli, non corpori, inhæret; nihil à corpore aut cum corpore patitur aut debilitatur, sed incolumis cum anima separatur: atque vt alium habet essendi modum, ita & operandi. Duplicem inquam habet essendi modum, vnum ligatus cum corpore, alterum à corpore absolutus. Duplicem item operandi formam, vnam in corpore corporeorũ sensuum & phantasię ope, alteram absque sensibus & phantasia.

Sexta auctoris respõsio.

Sexta responsio sit retorquendo in aduersarios ipsorummet arma. Si namque illi sub illa propositione (si intelligere phantasia est aut non sine phantasia) assumptionem illam posuerunt (nunquam sine phantasmate intelligit anima) aut alteram illam (cùm contemplatur intellectus, necesse est eum cum phantasmate contemplari. Ita ferè nos quoque ratiocinabimur. Si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, non poterit esse sine corpore: at ex eiusdem libri tex. 65. & 66. intellectus est impatibilis & diuinius quidpiam, quàm phantasia sit aut alia quæuis corporea & mortalis natura. Et ex tex. 11. libri secundi, nihil prohibet aliquas animæ partes separabiles esse: & tex. 4. & 6. lib. 3. nullo modo est cum corpore permistus: & secundo libro de animalium ortu cap. 3. in eius operatione nihil habet commune corporis actio (quæ sanè omnia de intellectu nostro in corpore existente dicta sunt à philosopho) neque igitur phantasia est intellectus, neque à phantasia vt subiecto & organo pendet: & ideò separabilis est. Rursum hypoteticæ Philosophi propositioni hæc subijcietur assumptio; sed intelligere neque phantasia est neque cum phantasia: tum quia intellectus ea percipit, quæ sub phantasiam non cadunt, quæ singularium tantùm est & sensilium: tum quia facultas hæc & operatio animæ nostræ conuenit vt intelligentiis superioribus similis est, non vt in corpore versatur. Cumque in seipsam se conuertat, organica & materialis facultas & operatio, qualis phantasia est, esse non potest: atque ex separatis intelligentiis manifestum est, intellectum vt intellectus est neque phantasiam esse neque à phantasia corporeúe pendere. Ita intellectum nostrum à corpore separabilem esse conficiemus.

Ergò neid quidem, quod in altera propositione ait philosophus intellectionem à phantasia vt

ab obiecto pendere, omni modo accipiendum est. Duo namque intellectione continentur. Alterum est apprænhensio obiecti. Alterum verò de illo apprænhensio iudicium. Apprænhensio sanè phantasmatis intuitione constat, nec vllam apprænhendimus rem, nisi sub sensili aliqua imagine, quæ in phantasia insit. At iudicium de apprænhensa re omnino à phantasia liberum est. Nam etsi intellectui proponatur Deus aut intelligentia separata velut corporeum quidpiam, quantum, figura & colore præditum; iudicat tamen intellectus eiusmodi nihil in substantiis illis contineri; sed meliorem illas habere naturam, eamque spiritalem. Quòd autem apprænhensio egeat phantasia, ex eo nascitur, quòd anima nostra est huius corporis forma. A corpore separata sine vllo phantasmate intelligetur: nunc verò, vt in corpore degit, sic ex corpore corporisque sensibus accipere cogitur intelligendum obiectum, adfertque corpus intellectioni impedimentum. Quocirca si rursum illi propositioni (si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, non potest esse sine corpore) assumptionem hanc subijcias; sed intellectus phantasia non est, & quamuis ex accidenti perceptio prima obiecti egeat phantasia, quòd corporis forma sit intellectus; absolutè tamen non eget & omnino absque phantasia est illius iudicium; profectò concluseris intellectum sine corpore esse posse. Cæteræ operationes, quòd suapte natura pendent à corpore, inseparabilem semper ostendunt eam esse formam, à qua oriuntur. At intellectio cùm natura sua non pendeat, independente ac separato principio indiget: & si quæ intellectio aliquo modo pendeat aliunde id fit; principiumque indicat, quod quoquo quidem modo respiciat corpus, sua tamen natura separari possit.

Intellectionis duæ partes.

Septima responsio.

Itaque si libuerit, septimam hanc responsionem ad hunc modum instruere poteris: si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, ita vt absolutè ab illa pendeat, tam iudicando, quàm apprænhendendo; planè separari non potest, quia non est propria solius animæ operatio, sed materialis totaque à corpore pendens. At iudicium à phantasia non pendet: apprænhensio autem pendet quidem, quatenus anima est huius corporis actus; non tamen per se & sua natura; vt in intelligentiarum separatarum apprænhensione apparet: & si nostra ipsa apprænhensio per se penderet, non posset iudicium oppositio modo & absque phantasia esse.

Octaua responsio.

Octaua responsio fuerit: si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, ita vt per se & sua natura pendeat ab illa; separari non potest: quia quod conuenit per se & secundùm naturam; semper & vbique conuenit. Verùm hoc intellectu neganda erit assumptio. Quoniam enim intellectus non solùm est corporis forma, quemadmodum cæteræ naturales formæ; sed etiam intellectus est & immaterialis, vt intelligentiæ separatæ; etsi vt est forma, obiectiuè pendeat à phantasia & sensibus corporis; quatenus tamen intellectus est, potest absque illis intelligere; vt cæterarum intelligentiarum intellectio confirmat.

Nona responsio.

Nona & postrema responsio esse poterit, philosophum in primo libro nihil affirmare, sed probabili ratione disputasse, num omnes animæ actiones, toti habenti communes sint. Nam & perdifficilem ait quæstionem esse: & vtitur verbo (videtur) quod probabilem differendi modum indicat: & eò videtur adferre rationem, quæ suadere posset actiones omnes esse communes; & adduxisse antiquos, vt nihil inter intellectum & sensum crederent interesse. Et mox subiungens (maximè autem simile proprio est intelligere) alteram quasi quæstionis partem probans intellectionem adfert solius animæ propriam. Sed tamen ne hanc quidem animæ propriam esse nec sine vsu corporis exerceri probare conatur; quia nil aliud, quàm phantasia aut certè non sine phantasia videtur esse. Et quamuis adhiberi ea distinctio posset, quam in sancti Thomæ responsione posuimus; eam tamen prætermisit, vt propositæ quæstionis difficultas appareret: præsertim quòd eius loci non esset copiosior illius explicatio; sed ex naturæ intellectus cognitione penderet, quæ in tertium librum differenda erat. In hoc autem eum esse corpori impermistum & immaterialem, corporis tamen actum docet: & ideò ad eam quasi quæstionem respondens, intelligentem ait intueri phantasmata; hoc est intellectum phantasiam quidem non esse, ea tamen egere vt obiecto. Neque ex illa primi libri disputatione quidquam de animæ nostræ mortalitate aut immortalitate colligitur. Sed sollum in tex. 13. quæstionem eam addit tam esse grauem, vt ex ea pendeat mortalitatis immortalitatisue cognitio, quam tantopere homines omnes desiderant. Si enim aliqua sit animæ propria operatio, cum ea poterit à corpore separari: sin minùs, non poterit.

TEXTVS.

Ὡσπερ ὁ ἀὴρ τῶν κόρῃ τοιανδὶ ἐποίησεν, αὐτὸ δ' ἕτερον ἦν· ἀκοὴ ὡσαύτως, τὸ δ' ἕκαστον ἓν, καὶ μία μουσική, τὸ δ' ἕνεκα αὐτῆς, πολλά.

Quemadmodum autem aër pupillam talem effecit, ipsa verò aliud; & auditus eodem modo, vltimum autem vnum, & vna medietas, esse verò ipsi plura. Text. 33.

COMMENTARIVS CXXII.

HVnc locum prætermisit planè Themistius, immò & alia consequentia non pauca. Quo consilio, non facilè dixerim. Præclaram quippe & nouam quandam doctrinam continent. Consentiunt que cæteri omnes eam esse adhuc intellectus & sensus comparationem ac similitudinem. Quòd vox illa (quemadmodum) satis ostendit. Cui cùm nihil reddatur simile, eam ad superiora Simplicius refert. Et Philoponus alterum similitudinis membrum subaudiendum putat. Ad superiora igitur Simplicius refert, quibus intellectum sensui tam similem dixit; quòd vt sensus iucundum & molestum, sit intellectus bonum & malum dijudicat. Sed cùm nunc subiungit modum; vt quemadmodum sensus iucundum & molestum comparat, sic & intellectus bonum & malum; profectò simile

simili

simili reddit,& altero explicato subaudiendum alterum est. Modus verò operationis est is, qui nouam & nondum hactenus significatam similitudinem habet.

Quamquam ego non id agi opinor, neque superiora illa philosophum dixerim respexisse: sed illa magis, dianææ phantasmata esse vt sensilia sensui. Quam similitudinem ita nunc exponit, vt vnum membrum dicat, alterum subaudiendum relinquat. Si .n. dianææ & intellectui phantasmata sunt vt sensilia sensui; quod de sensilibus fuerit dictum, fuerit idem de phantasmatibus intelligẽdum. Sensus extrema & contraria, vt album & nigrum; immò & diuersi generis sensilia, vt album & dulce, diudicat. Sed non statim ea ad communem illum iudicem, album & nigrum ad particularem aspectus sensum; album & dulce ad communem, deducuntur: sed priùs particularis sensus organum afficitur, organumque affectum afficit facultatem; aër illuminatus pupillam illuminat videndi organum & talem efficit, qualis est ipse; ipsa verò videndi facultatem mouet: & in auditu sonus tympanum auris pulsat, hocque sensum ad audiendum excitat: eodemque in cæteris particularibus sensibus modo res habet. Neque ad interiorem communem sensum exteriora sensilia pertingunt, nisi per exteriores sensus. Hi namque à sensilibus suis permoti communi renunciant iudici; priusque oportet particulares sensus affici, tum ab his communem illum permoueri. Eodem modo euenit in intellectu, dum à phantasmatibus ad intelligendum deducitur. Hæc enim ab obiectis per sensus ad phantasiam traducuntur ibique formantur phantasmata, quæ intellectus inspiciat: & vt operationem interioris sensus exterior antecedit, sic intellectionem phantasiæ actio præcurrit.

Octaua intellectus & sensus similitudo.

Octauam hanc similitudinem poteris appellare. Itaque illa verba (vltimum autem vnum & vna medietas, esse verò plura) tribus modis licet exponere. Primùm de quolibet particulari sensu; qui & comparatione organi mouetur vltimus; & vnus cùm sit, sensilia plura, eiusdem tamen generis, diiudicat, tanquam vna medietas omnium: ratione verò plures, quatenus de pluribus & diuersis iudicat. Quæ interpretatio confirmabitur ex tex. 29. vbi sensum quemlibet sentientem medietatem appellauit: sicut & in tex. 118. libri 2. & nisi omonymiæ notam vererer, dicerem vnum & vltimum vnamque medietatem significare velut centrum comparatione circuli. Vt enim vnum est in medio ambitu centrum, quasi vltimum linearum omniũ ab ambitu ad medium ductarum; sic omnis sensus velut centrum est, ad quod sensilia omnia vndequaque in orbem disposita confluunt: ratione verò multiplex, tum centrum, tum sensibus, diuersarum linearum diuersorumue obiectorum comparatione.

Altera expositio erit de illo communi sensu, qui in superioribus velut vltimum & vnum instarque centri particularium & exteriorum sensuum, re ipsa vnus, at diuersorum sensuum comparatione multiplex, positus est.

Tertia fuerit de intellectu, qui & vltimum est, ad quod sensus omnes omnisque cognitio nostra terminatur: & vnus re ipsa vnaque medietas intellectilium omnium, sicut sensus medietas sentiens est sensilium: ratione verò multiplex, quia & in partibilem & agentem & patientem, & potestate & actu & habitu, & theoreticum & actiuum, distinguitur.

Si postrema hæc interpretatio sit vera, nihil fuerit subaudiendum: sed particulæ illi (quemadmodum) hoc vltimum reddetur membrum; integraque sensus & intellectus comparatio constabit. Sin autem duas priores, alteram cum Philopono, alteram cum Simplicio probare malueris; subaudiendum illud erit, quod est de intellectu. Omninoque ex his habemus vnicum inesse in nobis intellectum omnium intellectilium iudicem; siue theoretica ea sint, siue agenda; siue vt vera & falsa considerentur, siue vt bona & mala. Nam quod Simplicius plures videtur ponere intellectus actiuos ad vnum communem intellectum comportantes, vt plures sunt particulares sensus in communem vnum confluentes; nullo modo probandum neque philosopho consentaneum est. Vnicus enim est intellectus, qui de agendis omnibus, bonis aut malis iudicat: vt & theoreticus vnus de veris cunctis & falsis. Immò & vnus, qui de veris & falsis, deque bonis & malis, & omnino de cognoscendis & agendis: Quòd in quibusdam cognitione sola contentus sit, alia referat ad actionem; appetitione quoque aut fuga circa illa commotis.

Intellectus in nobis vnicus.

TEXTVS.

Τίνι δ' ἐπικείνει ἡ διαφέρει γλυκὺ καὶ θερμόν, εἴρηται πρὸ καὶ πρότερον, λευκὸν δὲ καὶ τοῦτο ἢ οὔ, ἔτι δὲ καὶ ὡς ὅρος.

Quò verò diiudicat, quo differt dulce & calidum, & priùs dictum est, & nunc dicendum. Vnum enim quiddam est; ita verò, vt terminus.

COMMENTARIVS CXXIII.

OBscura non est horum verborum sententia, etsi ob breuitatẽ obscurior Simplicio videatur. Dum enim & iudicem quærit inter dulce & calidum; & eum in superioribus constitutum fuisse commemorat; manifestum est de communi sensu sermonem esse, quem inter diuersorum sensuũ obiecta demonstratum fuit sententiam ferre. Sed paucissimis nunc verbis totam illam disputationẽ colligit. Et ita colligit, vt simul etiã summo compendio rationem exponat, qua communis sensus vnus cùm sit, plurium possit esse iudex. Sed in superioribus de illo absolutè & secundùm se considerato dictum est; nunc per comparationem ad intellectum dicendum item est.

Ergò vnum quiddam esse inquit, quod iudicet; & ita vnum, vt sit veluti terminus. Vnum enim esse communem sensum antea ostendit, ab exteriorum sensuum multitudine diuersum: & veluti punctum & cẽtrum in medio circuli ambitu, quod terminus est linearum omnium, quæ ab ambitu ad medium ducuntur. Quare quod antea punctum vocauit, terminum nunc appellat: & verè terminus est, quoniam ad eum exteriores omnes sensus ter-

Sensus communis particulariũ terminus.

minãtur sensiliaq; cõportãt. Et vt centrũ in medio circuli etsi vnũ sit & impartibile, diuersas tamẽ habet ad diuersas lineas habitudines; ita & communis sensus vnus & impartibilis existẽs, dũ sensilibus singulis proprias eorũ rationes applicat, de illis sentẽtiam fert, eaque distinguit & separat. Vnum enim quiddam est, sed ita vt plurium sit terminus, pluriumque sensilium rationes suscipiat. Atqui de intellectu idem dici posse statim intelliges, si superioris commentarij fueris interpretationis memor. Et sanè Auerroës mendosum licet sequutus textum (sicut in esse est vnum, ita in deffinitione) veram tamen visus est sententiam colligere; sicut vnus communis sensus omnium est sensilium iudex; ita vnus intellectus phantasmatum omnium, quæ pro sensilium diuersitate diuersa sunt.

TEXTVS.

Καὶ παῦτα ἐν τῷ ἀνάλογον καὶ τῷ ἀριθμῷ, ὅτι ἔχει πρὸς ἑκάτερον, ὡς ἐκεῖνα πρὸς ἄλληλα.

Tex.32. *Atque hæc vnum proportione & numero, quem ad vtrumque habent, vt illa mutuò.*

COMMENTARIVS CXXIV.

HVnc etiam locum assequutus non est Auerroës, quòd mendosum haberet textum. Triplicem autem hæc verba interpretationem habere possunt. Aut enim illud (hæc) ad dulce & calidum & omnino ad obiecta, quæ communi sensu iudicantur, referri potest: aut ad comparationem factã communis sensus & centri: aut demum ad sensus & intellectus comparationem respectu sensilium & phantasmatum. Prima fuit Simplicij, altera Philoponi, postrema S. Thomæ.

Simplicius igitur hoc accepto principio, cognitrices facultates cognoscẽdis obiectis determinari; siue inquit numero, siue proportione vnum sit cognoscens dulcis & calidi, quatenus cognoscens est; erunt & ea, quæ cognoscenda sunt, tum inter se, tum cum cognoscente. Vnum autem numero est cognoscens, quia vnum subiecto & re ipsa. Et proportione item vnum, propter similem circa plures rationes actionem: quia vt cognoscit calidum ratione calidi, ita dulce ratione dulcis. Ipsa quoque cognoscenda vnum numero fiunt & inter se & cũ cognoscente; quoniam illi vni ambo insunt: proportione autem, quia diuersis quidem rationibus id faciunt; simili tamen & eodem modo; neque alterum magis, quàm alterum; licet secundùm propriam sui rationem cognoscant. Itaque verbum illud (ἔχει) vertendum erit (habet) & non (habent) hæcque verborum erit sententia. Dulce & calidum tum proportione tum numero vnum & idem sunt; sicut etiam communis sensus se habet, & vnus est ad vtrumque hoc dulce & calidum; sicut & illa inter se sunt vnum.

Verùm & nimis duram interpretationem Simplicius facit, & verò minimè necessariam. Quid .n. erat opus dicere, dulce & calidum esse vnũ? Præsertim vbi de cõmuni sensu illa distinguente & vt diuersa diuersorum sensuũ obiecta dijudicãte agebatur. Deinde quòd Philosophi comparatio non est facultatis cognoscentis ad seipsam; sed facultatis cognoscentis, & cognitorum aut cognoscendorũ obiectorum. At & particula (hæc) accommodatè magis ad proximè antecedentia verba refertur. Nempe ad comparationem communis sensus & cẽtri; quam ita nunc explicat, vt intelligatur illud, quod dixit, communem sensum esse vnum ita vt terminum seu centrum. Etenim hæc tum proportione tum numero sibi respondent. Numero quidem; quoniam vt centrum est vnum, ita & vnus communis sensus. At rursum centrum vnum ad plures lineas habitudinem habet, & cõmunis sensus vnus plures complectitur particulares sensus eorumque omnium obiecta discernit: proportione autem; quòd vt centrum ad plures illas lineas (hoc enim est illud (ad vtrumque) se habet; ita & communis sensus ad vtrumque & plures particulares sensus eorumque sensilia. Proportio verò est, quam vox illa (terminus) significauit Terminus inquam, & vt principium, & vt finis, & vt mediũ. Quippe & centro & communi sensui hæc insunt omnia; illi linearum, huic particularium & propriorum sensuum comparatione.

Denique possunt hæc eadem ad comparationem communis sensus & intellectus referri. Vnum siquidem & proportione & numero sunt. Numero quia vnus communis sensus sensilia omnia dijudicat, & intellectus vnus phantasmata & intellectilia omnia. Proportione autem; quoniam vt vnus cõmunis sensus ad plures particulares eorumque obiecta se habet; ita & ad plura phantasmata & intellectilia intellectus. Eaque proportio est, vt sicut communis sensus alio atque alio modo à particularibus & eorum propriis sensilibus affectus alio atque alio modo de illis iudicat; eaque distinguit & separat, velut iudex; qui diuersas partium causas cognoscit: ita intellectus à diuersis phantasmatibus commotus diuersas cognoscat res sententiasque diuersas pronuntiet de veris & falsis, bonis & malis, agendis vel non agendis.

TEXTVS.

Τί γὰρ διαφέρει περὶ ἀπορεῖν, πῶς πέφυκεν κρῖναι, ὁ πανταχοῦ, οἷον λευκὸν καὶ μέλαν; ἔστω δὴ ὡς τὸ αὐτὸ λευκὸν, περὶ τοῦδε τοῦ μέλανος, τὸ γὰρ ἐστὶν ὡς ἐκεῖνα πρὸς ἄλληλα· ὥστε καὶ ταὐτὰ ἔσται· εἰ δὴ μὴ εἴη ἐναντία, οὕτως ἔχει ὥσθ' ἓν τὰ αὐτὸ, μᾶλλον γὰρ ἓν. τὸ εἶναι δ' ἕν τῷ αὐτὸ, καὶ ἐκεῖνο ὁμοίως. ὁ δ' αὐτὸς λόγος, καὶ εἰ μᾶλλον τὸ αὐτὸ γλυκὺ εἴη. τὸ δ' τὸ λευκὸν.

Quid .n. refert dubitare, quomodo ea, quæ eiusdem generis, iudicat, aut contraria? Vt album & nigrum. Sit itaque vt A album ad B nigrum; C ad D, vt illa ad se inuicem: Quare & vice versa. Si igitur C, D vni insint, itaque habebunt, vt etiam A, B. Idem quidem & vnum, esse autem non idem. Et illud similiter. Eadem autem ratio & si A quidem dulce sit, B verò album.

COMMENTARIVS CXXV.

QVomodo hæc oratio cum superiore iungatur, non est difficile videre. Perspicuum .n. est,

est,id explicare Philosophũ,quod de proportionis & numeri vnitate dixerat. Sed magnopere vereor, ne in verbis quidpiam desideretur;neque (τὰ ὁμοιογενῆ) sed (τὰμὴ ὁμογενῆ) non inquam homogenea & quę eiusdem generis sunt; sed non homogenea & quæ generis eiusdem non sunt, legendum sit. Nã & Auerroëm & S. Thomam ita legisse atque interpretatos fuisse video. Immò & Philoponũ; qui contraria visus est intellexisse homogenea; eiusdẽ, inquit, generis vocauit album & nigrum; diuersorum autem generum album & dulce. Certè homogenea & contraria non benè videntur tanquàm opposita membra numerari; siquidem contraria sub eodem genere continentur: homogeneaque sunt, album & nigrum, dulce & amarum: quibus eterogenea & ea quæ generis eiusdem non sunt, vt dulce & olbum, opponenda erunt. Accedit quòd vt obiectorum propriorum & diuersorum, sensus particularis & communis, facta erat mentio;ita de obiectis eiusdem & non eiusdem generis dicendũ erat. Et Simplicius homogenea & eiusdem generis obiecta interpretatus est ea, quæ diuersi generis sunt, album & dulce, quatenus sub vniuerso sensilium genere continentur. Quod an accommodatè fuerit dictum, alijs iudicandum relinquo. Ego cõstanter aio, dum de sensilibus loquimur, tantundem homogenea & contraria valere. Quoniam contraria in sensilium genere homogenea & eiusdem generis sunt, eandemque sensilitatis rationẽ subeunt, dum ad eandem cognitricem facultatem pertinent; vt ad aspectum album & nigrum, quæ velut contraria philosophus nominat. Quare tanquàm diuersa & opposita membra homogenea & contraria non possunt accipi. Opponuntur autem optimè contraria & non homogenea: quoniam illa eiusdem generis sunt, & eandem sensilis rationem eandemque cognoscentem facultatem habent: hæc & sunt generum diuersorum, & alia atque alia sensilitate prædita aliam atque aliam cognitionem faciunt.

Sensus communis vnus pluriũ obiectorum.

Propterea de his quoniam dubitare quis fortasse potuisset,quomodo si diuersorum generum sunt & ad facultates diuersas pertinent,ab vnica illa cõprehendantur: respondet Philosophus,non magis de hoc dubitandum esse, quàm quomodo singuli particulares sensus contraria complectantur; vt aspectus album & nigrum. Itaque A, & B, accipit tanquàm contraria eiusdem generis, album & nigrum; & C. D. velut obiecta diuersi generis, dulce & calidum: atque ita ratiocinatur. Vt se habet, A, ad, B, album ad nigrum, ita &, C, ad, D, dulce ad calidum: & vice versa vt se habet, C, ad, D, dulce ad calidum, ita &, A, ad, B, album ad nigrum. Si igitur, A, &, B, insunt vni atque ab vno particulari sensu cognoscuntur; C, quoque &, D, inerunt vni & cõmuni vno sensu comprehendi poterunt. Vno inquam re ipsa, esse autem & ratione non vno; sed vt ad diuersa diuersas habet habitudines: quemadmodum & in particulari euenit sensu, dum idem existens diuersa contraria per diuersas ad illa habitudines dignoscit. Illud quippe solùm interest, quòd album & nigrum & omnino contraria sub eodem genere proximo continentur; dulce autem & calidum cæteráque sensilia diuersorum sensuum, si nõ proximum, remotum certè vnum habent genus, qualitatem sensilem; estque vtrobique obiecti vnitas ea, quæ satis sit vnitati illi, quam dixit, tum proportionis, tum numeri. Et hæc quidem vna sit interpretatio.

A Altera verò voluisse hîc docere Philosophum id, quod dixerat de proportionis & numeri vnitate, euenire perinde, siue in obiectis eiusdem, siue diuersi generis: &, A, B, album & nigrum significare; & rursum, C, D, contrarietatem aliam similem, quam non nominat, vt dulce & amarum. Quare ita ratiocinatur. Vt se habet album ad nigrum, ita dulce ad amarum; vtrobique enim contrarietas est. Si ergò album & nigrum dum cognoscuntur fiunt vnum proportione & numero; fient item dulce & amarum. Ac rursum permutata proportione, vt se habet album ad dulce, ita se habebit nigrum ad amarum: igitur non solùm in eiusdem sed & in diuersi generis obiectis vnitas erit proportionis & numeri.

B Sed quid inquiunt Philoponus, Auerroës, & S. Thomas? Sanè quod in his proportionem quoque sensus & intellectus agnoscunt, superioribus consentaneum est: hoc enim in tota superiori disputatione agebat philosophus. Nunc verò, A, &, B, album & nigrum inquiunt significare, quę cognoscit sensus; C, autem &, D, rationes eorum intellectiles Philoponus, eorumúe phantasmata Auerroës & S. Thomas. Vt sicut se habet album ad nigrum, sic phantasma notioúe albi habeat se ad phantasma seu notionem nigri; permutataque proportione ita

C se habeat album ad phantasma notionemúe albi, sicut nigrum ad sui phantasma seu notionem: perindeque intellectus ad phantasma notionemque albi & nigri, atque ad album & nigrum sensus. Nimirum hæc ab vno sensu, illa ab vno intellectu iudicantur.

Placet aliam quandam interpretationem adiungere fortasse non ineptam, qua nihil fuerit opus codicis nostri verbis addere; sed licebit legere (quę eiusdem generis iudicat aut contraria. Ea est; homogenea & eiusdem generis obiecta contrariis opponi, eaque significare, quæ contraria non sunt,

D sed sub eodem genere similia & eiusdem quoque speciei; vt duo alba duoúe nigra. Adferuntur autem hæc quoque obiecta eiusdem speciei, ne quid omnino prætermittatur, cùm de contrariis & ijs, quæ diuersorum generum sunt, fuisset dictum. Iam addit perinde esse siue contraria dicere siue similia specie. Vt enim ambo ad eundem pertinent sensum, sic eodem modo & proportione & numero erunt vnum. Ergo, A, &, B, album & nigrum; C, &, D, duo alba duoúe nigra significabunt; illa contraria, hæc homogenea & similia: eritque argumentũ ab eo ductum, cui minùs videtur inesse. Si enim, A, B, contraria insunt vni, multò magis, C, D, similia

E & eiusdem naturæ inerunt sensui eorum iudici.

Denique vbi addit (eadem autem ratio) id ipsum in diuersis ostendit, quod in contrariis docuerat. Siue namque contraria sumas, siue diuersa; perinde admonet confici vnum esse illorum sensum. Idemque fuerit intellectus quoque phantasmatum aut intellectilium omnium.

TEXTVS.

Τὰ μὲν οὖν εἴδη τὰ νοητικὰ ἐν τοῖς φαντάσμασι νοεῖ. καὶ ὡς ἐν ἐκείναις οὔσαις ἀπῆρ τὸ διωκτὸν καὶ φευκτὸν καὶ ὅλως τῆς αἰσθήσεως, ὅταν ἐπὶ τῶν φαντασμάτων ᾖ, κινεῖται.

Formas igitur intellectiuum in phantasmatibus intelligit: atque vt in illis de prosequendo ipsi vel fugiendo dessinitum est; & citra sensum cùm in phantasmatibus fuerit, mouetur.

Tex. 33.

COMMENTARIVS CXXVI.

VBi particulam (igitur) legis, satis intelligis conclusionem esse ex superioribus deductam. Sed cùm id, quod antea διανοητικὸν nominauerat, νοητὸν nunc appellet, idemque de intellectiuo repetat, quod de dianoetico dixerat; intelligere scilicet cum phantasmatibus esse, & intellecta prosequi aut fugere; manifestissimum item est, quod sæpè monuimus, dianœam Philosopho ad intellectũ pertinere; quandamque illius actionem significare: quod obiter nunc quoque adnotatum sit. Et Themistius eadem penè repeti cernens; quæ in tex. 30. tradita sunt, vtrũque coniunxit locum; interposita cætera, quæ hactenus interpretati sumus, prætermisit. Neque satis assequor, quo consilio quaue cõstantia Simplicius dianoeticum antea interpretatus intellectum absolutè ratiocinantem, intellectiuum nunc ad actiuum intellectum contrahat: præsertim cùm latiùs intellectiuum, quàm dianoæticũ, pateat. Eandem inconstantiæ notam subit Philoponus; qui dianoæticum exposuit theoreticum, & intellectiuum nunc intellectum actiuum intelligi vult. Ego vt in superioribus, intellectum absolutè accipio; non ad actiuum, neque ad theoreticum contracte: & fortasse philosophus propositionem superiorem repetens dianoeticum non repetiit, sed intellectiuum posuit, vt eam ad intellectum omnẽ ostenderet pertinere; similitudinemque illam intellectus & sensus (hoc intellectui phantasmata esse, quod sunt sensilia sensui) non minùs intellectũ omnem continere, quàm omnem compræhendat sensum, generalemque prorsus esse. Atque hæc vna fuit repetendi causa.

Dianœa quid.

Alera verò, vt in ea intellectus sensusque similitudine dissimilitudinem quandam doceret. Quippe sensus præsentibus semper sensilibus indiget, neque ea nisi quãdiu ipsi præsentia sunt cognoscit: intellectus dum in phantasmatibus rerum formas compræhendit, tum præsentia, tum absentia potest obiecta compræhendere; atque tum simul cum sensu operari, quandiu adsunt obiecta; tum sine sensu, si remota illa fuerint: quoniam circa remota quoque & absentia operatur phantasia; viceque obiectorum habet intellectus phantasmata, in quibus illorum formas intelligit. Hinc alia quoque dissimilitudo consequitur, quæ in appetitum redundat. Sensus.n. vt præsentia solùm cognoscit, sic ad ea sola vel prosequenda vel fugienda incitat appetitum; intellectus dum absentibus quoque obiectis eorum formas in phantasmatibus intelligit, potest absentium quoque desiderium aut fugam

Intellectus & sensus differentia.

1.

2.

A commouere. Opinione scilicet boni vel mali accedente, qua obiecta illa eiusmodi esse iudicentur.

Duo igitur ex superioribus repetit, & duo item adiungit. Repetit intellectum phantasmatibus ad intelligendum indigere; cumque in illis bonum aut malum affirmauerit, ad prosequendum vel fugiendum incitare. Adiungit autem; tum phantasmatum vsum non de dianœa sola, sed de intellectu vniuerso accipiendum esse; tum intellectum in phantasmatibus non præsentia modò, sed absentia quoque obiecta cognoscere; perindeque circa absentia sine sensu, ac circa præsentia simul cum sensu prosequutionem aut fugam excitare.

B At quid est illud (formas in phãtasmatibus intelligit)? nunquid intellectiles formæ continentur in illis? Sanè in intellectu eodem modo hęc res habet, quo in sensu: perindeque in phantasmatibus intellectiles insunt formæ, quo in sensilibus sensiles; quatenùs & sensus & intellectus proposito sensili aut phantasmate ceu simulacro efformat sibi rei propositæ formam. Nam & in imagine Cæsaris videtur Cæsar; dum illius inspecta imagine veram eius formam interiùs mihi formo. Itaque verè illud est apud Simplicium, animam phantasmata ex rebus accepta & in seipsa formata in seipsam conuersam contemplari, ad sensilia foras protensam; tum in se reuocatam ratiocinationes excitare. Quę C etsi de sensilibus rebus sint, non tamen tam res ipsas, quàm earum imagines intuetur; phantasiaque vtitur vel etiam vbi præsentibus rebus vtitur sensu; multò magis si res absentes absque sensu consideret.

Vt in phãtasmatibus.

intelligat formas.

Quæ tum intellectui theoretico, tum actiuo communia sunt. Quoniam theoria quoque intellectùs sensibus alligati à sensibus principium habet atque à phantasia pendet, etsi vt antea dictum est, possit ab ea interdum recedere. Actio verò circa res singulas & materiales sensileſque tota versatur. Et quamuis hic intellectus, qui de agendis ratiocinatur, maiorem propositionem accipiat vniuersalem; sub ea tamen assumptionem accipit de re singulari; quæ si præsens sit, sensu & phantasia; si absens, phantasia sola proponitur intellectui. Ita formas intellectiuum in phantasmatibus intelligit: & in illis quid prosequendum, quid fugiendum sit deliberat.

D

Et citra sensum quoque, si in phantasmatibus fuerit; hoc est modò phantasia vtatur & absentiũ phantasmata consideret, ad prosequendum aut fugiendum mouetur.

TEXTVS.

Οἷον ἀισθανόμενος τὸ φρυκτὸν ὅτι πῦρ, τῇ κοινῇ γνωρίζει, ὁρῶν καπνόμενον, ὅτι πολέμιος. ὅτε δὲ ἐν τοῖς ἐν τῇ ψυχῇ φαντάσμασιν, ἢ γιόμασιν, ὡς ἐφ' ὁρῶν λογίζεται καὶ βουλεύεται τὰ μέλλοντα πρὸς τὰ παρόντα.

Velut sentiens facem, quòd ignis, communi cognoscit; videns motam, quòd hostis. Interdum verò in phantasmatibus, quæ in anima, aut notionibus, quasi videns ratiocinatur & deliberat futura ad præsentia.

COM-

COMMENTARIVS CXXVII.

CVm intellectum dixisset & simul cum sensu circa præsentia operari, & sine sensu phantasia sola vti circa absentia, placuit vtriusque exemplum subijcere. Operationis circa præsentia simul cum sensu exemplum accipit accensam facem & in signum aduentantium hostium tumultúsue in ciuitate erectam agitatamque. Hanc enim veterem fuisse consuetudinem testatur Ciceronis illud » oratione vltima in Verrem, Prædonum aduentum » significabat ignis è specula sublatus aut tumulo. Et » illud Suidæ; ἡ διὰ τῆς δᾴδος γνωρισθὴν ἐν πολέμοις λαμπάς. Et Thucydidis libro secundo, ἐς ὃ τὰς Ἀθήνας » φρυκτοί τε ἦ εἶργτο πολέμιοι, (etsi aliqui erant πολέμιοι, alij » φιλίοι φρκτοί). Qui hanc ergò facem videt & accensam & agitatam, communi cognoscit aduentare hostem (sic enim ordinanda sunt verba) sensuque vsus quid agendum deliberat, atque arripit arma, aut sibi fuga consulit.

At quid est illud (communi cognoscit)? Commune S. Thomas interpretatus est aut facultatem aliquam communem omnium iudicem; aut id, quod communiter accidere solet. Vt hæc sit sententia; ex eo, quòd communiter accidere solet, adesse hostes cognoscit. Sed neque quis communis ille sit iudex indicauit: neque posteriori intellectu consueuit Philosophus vocem illam vsurpare. Et fortasse interpretationis illius occasionem ex Auerroë accepit S. Thomas: nam is quoque communẽ propositionem exposuerat, ex qua cognoscimus ea omnia, quæ consequentia sunt. Duas igitur apud Græcos, Simplicium & Philoponum, interpretationes reperies. Altera fuit; communi cognoscit, hoc est motu, qui commune sensile est. Quam Aristoteli consentaneam fortasse dixeris: quia velut expositionem faciens dixit (communi cognoscit, videns motum) quasi videre motum sit communi cognoscere; quia motu, qui commune sensile est, cognoscit. Verùm si hoc voluisset Philosophus, non dixisset (τῇ κοινῇ) sed τῷ κοινῷ, vt cum αἰσθητῷ, quod subaudiendum erat, cohæreret. Altera verò communem sensum interpretatur; ac si τῇ κοινῇ αἰσθήσει dictum fuisset. Quidquid enim particulari sensu cognoscitur, cognoscitur item communi. Sanè communis hic sensus sensilium communis iudex appellatur & est. Hoc tamẽ obstare videtur; quòd communis hic sensus aut cognoscere dicitur motum, aut ex motu cognito incursum hostium colligere. Motus particulari quoque sensu cognoscitur, nec erat opus communem cognoscentem aduocare. Ex facis autem motu aduentum hostium & imminens bellum colligere, rationis est, non sensus. Quare & Simplicius quoque cognoscit inquit, quòd hostis, non tantùm ex ipso sentire, sed etiam ex ratione. Ratiocinatione siquidem cõstat, qua ex vno aliud & ex noto ignotum colligitur; fax accensa mouetur, hostis igitur aduẽtat bellumque imminet. Quam ratiocinationem absolueris, si vniuersa priùs propositione accepta, subieceris eam, quæ particularis est atque à sensu subministrata; fax mota hostium incursum significat, hæc fax mouetur, incurrunt igitur hostes. Prima propositio ad solum intellectum pertinet, licet ex hominum vsu & consuetudine fidem habeat; quòd ad hostium incursiones præcauendas eo vtamur signo: altera ex particulari sensu accipitur; totaque ratiocinatio & deductio rationis nimirum est, non sensus.

Communi igitur cognoscit, hoc est intellectu: quem duas ob causas communem vocat. Tum quòd proximè superioribus verbis eum dixit & cum sensu & sine sensu operari, solo phantasiæ vsu: communemque dixit & sensui & phantasiæ, quòd vtraque facultate vtatur; & vtrique operandi modo; quòd & cum sensu & sine sensu operetur. Tum verò quòd nunc, dum ita colligit, non solus, sed simul cum sensu agit; estque communis quasi vtriusque operatio. Si priorem causam spectes, communi cognoscit; hoc est non sensu, qui motam cernit facem; neque phantasia, quæ cùm circa absentia quoque versetur, credi fortasse posset aduentantes præsentire hostes. Sed intellectu, qui communis quasi facultas est, tumque sensu tùm phantasia vtitur. Sin verò posteriorem; communi cognoscit; hoc est non sensu solo neque intellectu solo, sed intellectu simul cum sensu. Hancque operationem alteri illi videtur opponere, qua intellectus solus absque sensu formas rerum non in sensilibus ipsis præsentibus, sed in phantasmatibus intelligit. Propterea enim priori, in qua sensus motam videt facem, posteriorem statim subiungit; in qua in phantasmatibus aut notionibus intellectus quasi videns ratiocinatur solus atque ex præsentibus, quæ in phantasmatibus repræsentantur, de futuris deliberat.

Propterea etiam tum phantasmata nominat, tum νοήματα. Etsi enim phantasiam quoque generaliori vocabuli vsu νόησιν interdum appellet ideoque νοήματα interpretari liceat ipsamet phantasmata. Quemadmodum tamen operatio est intellectus simul cum phantasia, sic satius est phantasmata in phantasia, & νοήματα in intellectu considerare. Nã qui ratiocinatur, tum in phantasmatibus videt, quæ illi sunt vt sensilia sensui; tum in notionibus atque intellectionibus, quas intellectus in se phantasmatibus inspectis format; velut intellectiles intellectarum rerum formas, quas in phantasmatibus intelligit. Ita ex præsentibus, quæ accepit ex sensu, de futuris ipse ratiocinatur & deliberat; præsentium imagines in phantasmatibus habet, futura ipse coniectat.

Iam verò hîc cogitatricem Auerroës intrudit, quasi tertiam virtutem, qua intellectus vtatur: vt aliquibus quidem intelligendis vtatur sensu, aliis phantasia; aliis etiam cogitatrice. At nec philosophus tertium hoc memorat membrum, sed sensum solum & phantasiã: & aduersus illam de cogitatrice virtute sententiam alibi disputatum est. *Auerroës cogitatiua.*

TEXTVS.

Καὶ ὅταν εἴπῃ, ὡς ἐκεῖ, τὸ ἡδὺ ἢ λυπηρὸν, ἐπὶ ταῦτα, φέυγει ἢ διώκει, ἤδη ὅλως ἐν πράξει. Tex. 34.

Et cùm dixerit, vt ibi iucundum aut molestum, hîc fugit aut prosequitur, atque omnino in actione.

COMMENTARIVS CXXVIII.

MInùs omnino assequutus est Philoponus hoc loco sententiam Philosophi: & quidem tres ob causas. Primùm, quòd intellectum exposuit, vbi consultauerit & iucundum elegerit molestumque fugerit, tunc phantasia vti. Deinde quoniam id, quod velut exemplum philosophus posuit, absolutè is accipit: expuncta nimirum dictione illa (vt). Non enim ait philosophus (cùm dixerit iucundum aut molestum) sed quasi exemplum aut rationem (vt ibi iucundum aut molestum. Postremò quòd illorum verborum (atque omnino in actione) hanc voluit esse sententiam: iucundum & molestum in actiuo semper intellectu sunt. In sensu namque non in intellectu, hæc antea philo-
» sophus posuit in tex. 28. & 29. Neque enim actiuus
» intellectus, inquit Simplicius, iucundum aut mo-
» lestum, sibi finem statuit, quemadmodum sensus
» & irrationalis vita: Sed ipsum bonum sibi propo-
» nit tanquam insequendum, malum autem tan-
» quam vitandum.

Ergò vt hactenus semper vsus est sensu ad intellectum explicandum, & nunc in sensus & intellectus comparatione versatur; ita cùm intellectùm dixisset interdum sensu, interdum phantasia vtentem de agendis aut non agendis rebus deliberare; postremaque verba de illo fuissent absque sensu cum sola phantasia operante: de totius nunc deliberationis conclusione subiungitur (vt ibi iucundum & molestum) hoc est vt in sensu res habet; qui si non solùm cognoscat obiectum suum vt sensile, sed vt iucundum aut molestum, amplectitur aut fugit; sic intellectus quoque vbi cognouerit, non solùm vt cognoscibile, sed etiã vt bonum aut malum, tunc prosequitur aut fugit. Et omnino in actione versatur; hoc est aliquid agit, aut insequendo & cognitum bonum procurando, aut malum auertendo. Actio siquidem prosequutioni & fugæ communis est. Quodque de bono & malo dictum est; si absque sensu operetur intellectus; idem de iucundo & molesto dicendum fuerit, si (quod sæpissimè fit) sequatur sensum. Et omnino si sensui consentiat, quodque ille iucundum aut molestũ iudicat, bonum intellectus malumúe decernat; planè prosequitur aut fugit.

Intellectus & sensus similitudo.

Illorum etiam verborum (& omnino in actione) Auerrois expositio comparationẽ illam sensus & intellectus, quam hîc contineri dixi, magnopere confirmabit. Et omnino, inquit, in actione, hoc est & ita vniuersè accidit intellectui cum sensu in actionibus omnibus, vt consentiat vel repugnet sensui, dum aliquid illi vt iucundum aut molestum proponit. Quamquam de hac consensione aut pugna nihil hîc Philosophus loquitur. Et illorum verborum, aut illa est, quam dixi, vera sententia; aut alia quædam esse potest, quam iam subijciam.

TEXTVS.

Καὶ τὸ ἄνευ τῆς προαιρέσεως, ἢ τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστὶ τῷ ἀγαθῷ ἢ κακῷ. ἀλλὰ τούτοις ἀπλῶς διαφέρει, ἢ πῶς.

Et quod sine actione, & verum ac falsum, in eodem genere sunt, quo bonum & malum. Sed ipso simpliciter & aliquo differunt.

COMMENTARIVS CXXIX.

SVperiora illa verba (atque omnino in actione) quæ ad superiorem sententiam pertinere, vt dictum est, interpretes Græci putarunt; cum subsequenti coniũgit S. Thomas; vultque in his philosophum intellectus actiui & theoretici cognitionem comparare: quòd verum & falsum, siue in actione, siue sine actione; hoc est siue in intellectu actiuo, siue in theoretico spectetur, eiusdem generis sit; siue illud sit bonum, siue malum: hocque solùm differre, quòd intellectus theoreticus verum & falsum simpliciter & vniuersè considerat; actiuus autem applicando ad particularem actionem, quam spectat. Quæ interpretatio reijcienda non est; quoniam aliquam hîc intellectuum horum comparationem esse manifestum est; vel iis ipsis, qui verba illa (atque omnino in actione) ab his separant & cum superioribus coniungunt. Consentaneum .n. rationi videbatur, vt cùm docuisset quemadmodum intellectus in actione agendisque rebus se haberet; indicaret quoque quomodo sine actione in pura & sincera rerum cognitione versetur. Neque tamen propo suisse sibi Philosophum puto intellectus actiui & theoretici comparationem facere, eorumque differentiam exponere. Sed obiter & occasione data eorum, quæ de prosequutione & fuga, tum in sensu, tum in intellectu, tradiderat, pauca hæc adiunxisse.

Sanè de prosequutione disserens & fuga, simul etiam de agendis & non agendis rebus, deque intellectu vt circa eas versatur & sensum aut phantasiam sequitur, dixit: erat igitur de illo quoque paucis dicendum vt non agenda spectat, neque sensu ac phantasia ducitur, sed in sola cognitione sibique propria operatione consistit. Paucis rem totam conficit; quæ nisi obscurassent interpretes, clara esse dixissent. Philoponus quidem certè vix quatuor adhibet verba. S. autem Thomas Auerroëm sequutus omnino cõtendit non comparari verũ & falsum cum bono & malo; sed verũ & falsum, quod est in actione, cum vero & falso, quod sine actione in sola est contemplatione. At si Græcus consulatur codex, apertè conuincitur. Nam illa loquutionis forma (ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστὶ τῷ ἀγαθῷ ἢ κακῷ) id est in eodem genere est ipsi bono & malo) manifestam facit veri & falsi cum bono maloque comparationem. Deinde cùm ita is interpretatur; Verum & falsum in eodem genere sunt, siue illud genus sit bonum siue malum; minimè necessariam reddit sententiam: quis enim contraria sub eodem genere contineri ignorat? Neque illud fortasse fuerit sapienter dictum; cognitionem veram quoddam esse bonum intellectus, siue theoretici, siue actiui; & cognitionem item falsam quoddam malum. Siquidẽ verum & falsum si accuratè loqui velimus, ad cognitionem pertinent, vt affirmationem habent vel negationem; non ad actionem: ad actionem autem spectant bonum & malum.

Verum igitur & falsum, quod est in actione, neque ad prosequendum aut fugiendum refertur, in eodẽ genere est, in quo bonũ & malum; hoc est ad genus intellectiliũ atque ad eundẽ intellectũ pertinent. Voluit autem sensilibus hoc genus opponere, iucundoque ac molesto, quæ in sensu antea ponebantur: & cum bono & malo, quæ cum actione sunt, verum & falsum, quæ sunt sine actione, coniunxit: Ne quis verum & falsum

falsum, quæ cum actione considerantur, in eodem videns genere esse cum bono & malo; quia omnis actio bonum aut malum intuetur; ea fortasse, quæ sine actione sunt, alterius generis esse crederet atque ad diuersum intellectum pertinere. Itaque cùm bonum aut malum dicit, verum & falsum practicum, quod est cum actione, intelligas: Hæcque philosophi erit sententia; Verum & falsum theoreticum, quod est sine actione, continetur eodem genere cum bono & malo, hoc est cum vero & falso practico, quod est cum actione. Sic enim verum & falsum theoreticum & practicum opponere libuit; Quòd illud sit purum & sincerum verum & falsum, quia sine actione; hoc cum bono maloque complicatum, quia cum actione. Vereque differre dicuntur, vt simpliciter & aliquo: quia theoreticum verum & falsum simplex est & sincerum, non cum actione permistum; practicum autem cùm aliquo, nempe cum actione, cumque bono & malo coniunctum. Quare quod hîc differre ait vt simpliciter & aliquo, tantundem fuerit atque differre sine, vt in tex. 49. dicetur.

Verum & falsum theoreticum & practicum.

Ita mihi potiùs interpretari libet, quàm cum Themistio & Philopono, verum & falsum absolutè considerari, bonum autem & malum ad aliquid referri: bonum quippe alicui bonum est, & malum alicui malum; & interdum id, quod animæ bonum est, corpori existit malum; & contrà. Et quidem Themistius illud (in eodem genere sunt) analogiam & proportionem significare voluit; vt quemadmodum voluptas & dolor se habent ad sensum, bonumque & malum ad intellectum actiuum; sic ad theoreticum se habeat verum & falsum. Neque enim hoc nunc agebat Philosophus; neque bonum & malum ita considerabat; sed solùm vt est cum actione; veroque oppositum & falso, quod absolutè & sine actione accipitur.

Denique acuta quidem est & veram doctrinam continet interpretatio Simplicij: sed minùs philosophi verbis ac menti consentiens. Is hæc omnia ad intellectum actiuum pertinere voluit, neque de theoretico quidquam dici; actiuæ autem ratiocinationis partes exponi. Constat enim hoc ratiocinationis genus duplici propositione; vniuersa vna & generali; quippe omnis ratiocinatio altera saltem vniuersa propositione constat: Hæc sine actione esse dicitur. Altera singulari, quoniam ratiocinatio actiua est, actioque circa res singulas versatur. Ambæ in eodem genere sunt; quoniam neutra circa necessaria, sed ambæ circa contingentia & agenda vel non agenda versantur: solumque differunt ipso simpliciter & aliquo: quoniam prior propositio vniuersa est & generalis, posterior ad certam & determinatam rem contracta. Verùm prima Philosophi aduersantur verba: & pugnantia Simplicius loquitur. Quomodo enim verum & falsum, quod huius quoque interpretis sententia sine actione est; constare cum hoc potest? Quòd ratiocinatio tota, vel etiam generalis prior propositio, cum actione sit circaque agẽda versetur, quia A si tunc non agat intellectus, ad actionem tamen cognitionem eam confert, moxque acturus est; immò actio tota vim inde habebit. Et quamuis generalis sit propositio, quia tamen de rebus agendis est, ea in particularibus consistit, quoniam actio particularium est. Neque facile est verum & falsum, quod est sine actione, actiuum intellectum circa res vniuersas generalemque propositionem occupatum intelligere. Verùm de his satis. Quæ enim de theoretico & practico seu actiuo dicenda essent, in tex. 49. differre constitui.

Practica ratiocinatio qualis.

A B C D E

TEXTVS.

Τὰ δ' ἐν ἀφαιρέσει λεχθέντα νοεῖ, ὥσπερ ἂν εἰ ἶσμον, ἢ μὴ σιμὸν, οὐ κεχωρισμένως. ἢ ὃ κοῖλον, εἰπὼν γ' ἂν ὅτι ἄνευ τῆς σαρκὸς ἂν ὑπάρχοι τὸ κοῖλον. οὕτω τὰ μαθηματικὰ ἀ κεχωρισμένα ὡς κεχωρισμένα νοεῖ, ὅταν νοῇ ἄνευ.

Quæ verò in abstractione dicuntur, intelligit perinde ac si simum quatenus quidem simum, non separatè. Quatenus autem cauum, si quid actu intelligeret, sine carne vtique intelligeret, si quatenus cauum. Sic Mathematica non separata vt separata intelligit, cùm ea intelligit. Tex. 35.

COMMENTARIVS CXXX.

QVæ hîc de abstractione Mathematica dicuntur, quemadmodum cum superioribus coniungantur, planè Themistius & Auerroës ne significarunt quidem. Philoponus & Simplicius explicare aggressi non satis sunt assequuti: Philoponus namque disputationem, quam antea de intellectili obiecto instituerat Philosophus, interruptam arbitratus distinctione intellectus simplicium & dianæ compositorum, intellectus actiui & theoretici, intellectus potestate & actu; ad eam nunc absoluendam redire illum ait. Intellectile autem esse triplex; aut penitus materiale, cuius generis sunt res naturales; aut omnino expers materiæ, vt separatæ mentes; aut demum partim materiale, partim expers materiæ, vt mathematica entia: d'eque duobus prioribus antea dictum esse, nunc de postremo dici; de intellectili inquam mathematico, quod re ipsa quidem est in materia, ratione tamen ab ea separatur. In cuius hominis oratione intellectilis obiecti tripartita diuisio sapiens est & vera; etsi theoretici solùm, non item practici intellectilis, partitio sit. Verùm quod de penitus abstracto adiunxit fuisse superius dictum, philosopho prorsus aduersatur; cuius non multò post hæc erunt verba (an verò contingat separatorum aliquid ipsum intelligere, postea considerandum) neque vlla in antecedenti tractatione fuit illorum mentio. Denique ex tota superiori nostra interpretatione manifestum est interruptam nunquam fuisse de intellectili obiecto tractationem; sed illi subiectam intellectus & sensus comparationem: in qua si quid fuit de actiuo & threoretico intellectu significatum, nihil mirum. De sensilibus enim iucundis & molestis loquebatur; tantaque est facultatis & obiecti coniunctio, vt de facultate dici non possit, quin aliquid de obiecto dicatur.

Intellectile triplex.

Simplicius verò Academicum in peripateticam quasi scenam inducẽs, Philosophum inquit, vbi de actiuo intellectu dixit, ad mathematicorum theoreticum transire, vt per eum conscendat ad summũ primorum intellectilium theoreticũ. Actiuus enim, qui circa materialia & sensilia versatur, infimus omnium est; supremus ille, qui prima &

omnino abstracta intellectilia comprehendit; medius Mathematicus, qui illorum est, quæ in materia quidem sensili sunt, ab ea tamen separantur atque in dimensu & quantitate, velut intellectili materia, considerantur. Sensu & phantasia vtitur actiuus, mathematicus phantasia sola, supremus ille nec sensu nec phantasia. Itaque medius est mathematicus, qui à sensu materiaque sensili absolutus, nec omnino foras protensus, vt actiuus; sed in se quodam modo manens, quatenus intuetur phantasmata, quæ foris non sunt; per phantasiam & intellectilem materiam ad purum intellectum puraque intellectilia traducit, quæ ab omni materia tum sensili tum intellectili soluta sunt. Ideoque mathematicas disciplinas Academici medias appellarunt; quòd nec prorsus materialia nec penitus immaterialia considerent, sed medio quasi consistant gradu.

Cæterùm in promptu est obijcere, intellectum quidem actiuum & theoreticum sæpè nominari, mathematicum autem nec vsquam legi nec vnquam audiri: quòd ille ipse theoreticus est, neque diuersam facultatem, sed obiectum diuersum significat. Quod inuuens philosophus dixit (quæ verò in abstractione dicuntur) quæ verba obiecti, non facultatis, diuersitatem indicant. Mathematicis autem vti ad explicanda naturalia fuit sanè philosopho nostro familiare: sed per mathematica ex naturalibus ad supernaturalia conscendere, Academicum magis est, quàm Peripateticum.

Opinor ego duas Philosopho fuisse causas, vt hæc subiungeret. Alteram, quia proximè dixerat de ijs, quæ sine actione intelliguntur. Inde namque occasionem accepit de ijs quoque dicendi, quæ sine materia cognoscuntur. Alteram, quia cùm entia materialia & sensilia cum sensu & phantasia, intuendoque vel ipsa vel eorum phantasmata, posuisset intelligi; voluit quoque docere, quemadmodum ea intelligantur, quæ à sensibus separata sunt & vt separata intelliguntur. Et quoniam duplex est separatio, vna rationis, altera rei; illa à materia solùm sensili, hæc tum à sensili tum ab intellectili; illa mathematicorum entium, hæc separatarum & immaterialium substantiarum: seorsim de vtroque entium genere dicit. Ac primùm de mathematicis, quæ in abstractione dicuntur; quemadmodum etiam in tex. 11. nominauit. Cur autem ita dicantur, habes in tex. 18. lib. 2. Physic. Etenim si re ipsa considerentur, naturalia sunt, dum in naturalibus corporibus velut illorum termini & affectiones subsistunt. Nusquàm enim magnitudinem reperias aut numerum, nisi in corporibus naturalibus. Neque mathematica vocantur, nisi vt mente ab illis & cogitatione separantur; atque non vt illorum termini & affectiones, sed per se & secundùm suam naturam, qua proprietatum quarundam subiectum sunt, accipiuntur seorsim. Quod dum intellectus agit, non mentitur; quoniam nihil affirmat neque negat. Non .n. magnitudinem aut numerum à corporibus separatum ait in natura subsistere; sed hæc solùm per se accipit; non acceptis corporibus, in quibus sunt. Quod non solùm absque mendacio, sed etiam absque errore fieri potest; siquidem quantitas, tum coniuncta, tum deiuncta, naturam habet à subiecto, in quo est, diuersam; quæ & per se consideretur, & proprietates habeat, quæ demonstrentur de illa. Sanè accidentia eadem à naturali philosopho consideran-

Mathematica cur in abstractione dicantur.

Mathematicus

A

B

C

D

E

tur: sed hic sensum sequutus ea vt naturalis corporis terminos & affectiones contemplatur. Mathematicus à sensu recedens solaque phantasia vtens à corpore separat, eaque per se in phantasmate intuetur. Dumque phantasia in his vtitur intellectus, verè dixit Philoponus instrumento eum impartibili vti: quoniam non componit nec diuidit, non affirmat neque negat phantasia, separata hæc esse aut non esse; sed solùm vt separata imaginatur. Moxque intellectus intelligit.

à natura

ratis vt definit.

Sicut si simum (familiare philosopho exemplum) quatenus quidem simum intelligeret non separatè) quæ verba duobus modis accipi possunt. Aut ita; si simum vt simum intelligat, cauitatem separatam & in abstractione non intelliget. Si autem vt cauum, tunc demum cauitatem non separatam vt separatam habebit. Aut ita; si simum non quasi à naso separatum & seorsim existens intelligat (nusquam enim existit; & ita intelligens erraret) sed solùm quatenus simũ considerat, non considerato naso, in quo simitas inest. Quid autem simũ, quatenus simũ, significet; cauum subijciẽdo exponit. Cauitatem. n. significat; quã si quis per se consideret, sine carne vtique & sine naso intelliget.

Ita verò prorsus quantitatem considerat mathematicus, quæ reipsa quidem separata non est, sicut neque à carne aut naso cauitas; vt separata tamen à mathematico consideratur (parùm verò interfit, siue non separata vt separata, siue non separatè vt separatè Simplicius legat) quia neque caro aut nasus de essentia est aut definitione caui, nec subiectũ de essentia & definitione quantitatis. Naturalis itẽ Philosophus vniuersam naturam abstrahit à rebus singulis, quoniam singularum principia & conditiones de naturæ vniuersę essentia non sunt: abstrahere tamen nequit ab vniuersa materia, quoniam hæc illorum essentiam ac definitionem constituit. Quo argumento aduersus Platonem vsum Aristotelem legimus in tex. 19. lib. 2. Physic. Minùs namque abstracta sunt naturalia, quàm mathematica. Quod ex definitionis vsu cognoscitur. Hæc namque sine materia & motu definiuntur, illa nequaquam: & omnino naturalia sunt sicut nasus simus, mathematica velut cauum seu curuũ. Ita alterhorũ Philosophi locorũ mira est alterius explicatio.

Verùm cur nunc cùm simum dixisset, mutauerit, & dixerit cauum; alia etiam fortasse fuit causa. Quoniam simum non satis mathematicam abstractionem explicabat. Quippe, inquit Themistius, « simitatem à naso præcidere intellectus non potest, « propterea quòd in simitatis definitione continetur « & comprædhenditur nasus: est enim simitas nasi cauitas. Cauum latiùs patet nec certæ vni materiæ alligatum est, sicut nec triangulus aut quadrangulus: ideò sine materia intelligi queunt. Et Aristoteles ipse sententiam suam interpretatur in tex. 2. li. 6. Metaph. Differunt, inquit, simum & cauum, « quoniam simum quidem vnà acceptum est cum « materia: est enim simum cauus nasus: cauitas verò « absque materia sensili.

Sed quod animam Philoponus separabilem esse colligit; si ea quę separari non possunt, separet intellectus; eò quòd substantiale habeat separabile: parùm firmo nititur argumento. Non .n. ita separat, vt separata per se existant; sed vt vnum sine altero, cum quo cõiunctum est, cognoscatur. Quod sensui quoque commune est, dum suum cognoscit obiectum non cognitis adiunctis cæteris.

Digressio

Digressio XXXVII. De Abstractione Mathematica.

AT paululùm hîc firmandum esse gradum, sapienter sanè Simplicius admonet. Non pauca .n. ab eo proponûtur, quæ non leui egent examine.

Mathematicum duplex Simplicio.

Principiò illud est, quod duplicem distinguit Mathematicum. Vnum, qui vitales rationes, quæ substantiales sunt, & dimensiones ac figuras promunt, siue in corporibus naturalibus, siue in phantasia imprimantur, contempletur. Alterum vulgarem, qui circa dimensiones, numeros, figuras & proportiones à vitalibus illis rationibus editas & ad phantasiam protensas versetur. Quas penitus ἀνύλους, atque à substantia separatas dici non vult: quòd etsi à corporea substantia separentur, non tamen à vitalibus rationibus, quæ substantiales sunt. Quod tum ex eo demonstrat, quòd cùm circulus, corpus sphæricum, longitudo sine latitudine, impartibile punctum, & id genus mathematica exquisitiùs multò in phantasia formentur, quàm in sensilibus corporibus reperiantur; ab his formari non possunt, quoniam peius melioris causa non est. Tum etiam quòd iudicium, quod anima de illis facit, passio non est à sensilibus obiectis ingesta, sed purus actus, qui ab anima promitur: neque si ab externis rebus imagines illæ insculperentur, iudicium illud pura esset actio, sed actio passioni permista: neque sincerum iudicium foret, quoniam extrinsecùs ingesta passio turbaret.

Verùm prima hæc Simplicij assertio ex Pythagoricorum schola profecta est. Non enim admittunt Peripatetici, curuum, rectum, & circulare, numeros & proportiones, partibile & impartibile, & alias huiusmodi proprietates insitas animæ esse illiusque essentiam comitari. Quare priore illo mathematico prætermisso, de posteriore quid loquatur audiamus.

Mathematicus à naturali vt differat.

Eum à naturali philosopho tribus modis distinguit. Primùm, quòd mathematicus accidentia sola consideret; in quantitate, siue coniuncta, siue deiuncta, eiusque proprietatibus variis ac proportionibus occupetur; substantiam non attingat. Naturalis autem philosophus circa substantiam eiusque proprietates versetur. Ex quo duo alia nascuntur discrimina. Alterum, quòd naturalis cognitio pars est Philosophiæ & scientia. Tot enim philosophiæ sunt partes, quot substantiæ; vt est in tex. 4. lib. 4. Metaph. & vt substantiam considerat, ita ex causis demonstrat effecta. Mathematica cùm substantiam non cognoscat, nec philosophiæ pars est, nec scientia; quia causam non habet, ex qua demonstrationes instruat. Omnis quippe causa substãtia est; quoniam id est causa, quod natura prius; substantia verò accidentibus, quæ circa illam versantur, prior existit. At vbi causa non est, scientia esse non potest: quoniam scientia cognitio per causam dicitur. Hinc mathematicã cognitionẽ ponti cõparabat Plato; quòd philosophica non sit, sed iter ac transitum ad eam præbeat; & principiũ ei sit, quod nõ nouit, & media itẽ & finis ex his, quæ non nouit: quippe & principiũ, & mediũ, & finis, est accidens nõ cognitũ ex causa. Tertiũ discrimen est, quòd mathematica cognitio eorũ solùm est, quæ sensu & phantasia cõprehenduntur: naturalis scientia intellectilium; nempe substantiæ, quæ intellectilis est. Non quòd naturalis philosophus non vtatur sensu: nam & circa sensilia versatur, & omnis nostra cognitio à sensu ortum habet. Sed de medio demonstrationis est sermo; quod mathematico sensile est, naturali intellectile. Quamuis .n. ex sensu causam inuestiget; ea tamen inuenta quemadmodũ est substãtia, sic intellectu solo cõprehenditur. Quartũ extat in commentario 12. li. 2. Physic. vbi mathematicũ itẽ à naturali distinguens, naturalem dixit accidentia quidẽ, quæ naturalibus insunt, cognoscere; sed materiã quoque hoc est illorũ subiectũ, & corpora, in quibus sunt, contẽplari: mathematicũ de materia & subiecto non esse sollicitum: Et ne quid desideretur, quintũ adiungit, accidentia quoque non eodẽ modo spectari: sed à naturali vt sunt termini & affectiones corporum; à mathematico per se atque à corpore separata & per ordinẽ ad eas proprietates, quæ naturam illorum comitantur quæque de illis demonstrari possunt. Adfertque Geminij quoque veteris peripatetici ea de re sententiam.

Mathematica entia esse realia.

Vnde obiter duo intelligas. Alterũ, peripateticorũ quoq; sentẽtia pũcta, lineas, superficies, & huiusmodi alia, quæ à mathematico considerãtur, entia realia esse. Nã & reales termini sunt naturaliũ corporũ, & si mathematicę disciplinę reales sunt, quomodo ea, quæ ab illis cõsiderantur, realia non erũt?

Materia intellectilis quid.

Alterũ, intellectilẽ materiã, circa quã vt demonstrationũ omnium subiectũ versari dicitur mathematicus in tex. 35. & 39. li. 7. Metaph. & tex. 15. li. 8. substantiã non esse à sensilibus accidẽtibus absolutã: sed quidquid in re non sensili rationẽ non habet quiditatis, sed materiæ potiùs. Itaque intellectilis materia fuerit, tum genus in definitionibus, vt figura in definitione circuli: tum quantitas cõparatione figurarũ & proprietatũ, quæ de illa demonstrantur. Nã, vt habet Alexãder in cõment. 30. li. 7. Metap. in circulo tũ interuallũ illud & magnitudo spectatur vt materia, tũ figura veluti illius interualli & magnitudinis terminus & forma. Denique intellectilis materia sunt partes materiales rem quãpiã constituẽtes, maximè in mathematicis: & in 7. Metaph. segmẽta circuli, vt duo semicirculi, intellectilis materia circuli esse dicuntur: quia vt est in 2. li. Physic. tex. 31. partes comparatione totius vim habent materiæ. Intellectilis igitur materia, quam cõsiderat mathematicus, quantitas est per se considerata vt cõplurium est proprietatũ subiectũ. Hãc .n. à substantia quoq; separat mathematicus. Qua de re dictũ etiã in superioribus est in com. 85. ex Aristotelis interpretatione, quæ peripateticorũ item fuit, vt videre est apud Alexandrũ, Simpliciũ, & Geminiũ locis notatis, & Themistiũ li. 1. de anima ca. 9. & li. 3. ca. 50. & 2. Physi. in tex. 18. & Philoponũ in com. ad tex. 16. eiusdẽ libri; neque in definitionibus aut demonstrationibus mathematicis vlla est materiæ substãtiæue mẽtio. Quamuis .n. quãtitas non esset accidẽs substãtiæ, sed ens per se, atque ita conciperetur à nobis; perfectè tamen definiretur optimeque proprietates eius demõstrarentur. Iam verò etsi accidẽs sit, à mathematico tamen non cõsideratur vt accidens, sed vt quarundam proprietatum subiectum, & vt in proœmio ad libros Priorum Analyticorum loquutus est de linea, plano & solido Alexander, quasi natura quædam, quæ per se sit. Quod etiam habet Simplicius in comment. 13. lib. 2. Physic. Et nisi à materia substantiaue abstraheret mathematicus, profectò materiam & substantiam aut certè cum materia & substantia considereret; neque quantitatem per se & abstractam cognosceret, sed vt est affectio substantiæ nihilque à naturali philosopho discrepa-

Quantitas vt à mathematico consideretur.

ret. Quæ omnia cum iis pugnant, quæ ab Aristotele tradita sunt, qui & hoc loco mathematicum dixit circa ea versari, quæ in abstractione dicuntur; & non separata vt separata intelligere. Et in 2. Physic. tex. 18. hoc differre à naturali, quòd lineas, superficies, & omnino quantitatem, non vt rationalis corporis terminos, quemadmodũ Physicus; sed ab illo abstracta accipiat. Et in 11. Metaph. cap. 3. eum circa abstracta contemplari; quòd sensilia omnia tollendo solùm sibi retinet quantum & continuum, eorumque proprietates, vt quantum & continuum sunt. Et lib. 13. cap. 3. eum hæc considerare quatenus corpora tantùm, & vt superficies tantùm, & vt longitudines tantùm, & quatenus partibilia & impartibilia tantùm. Vox enim illa (tantùm) toties repetita rem omnem aliam ab hac consideratione prorsus excludit. Sed nil clarius dici potest, quàm illud, quod est in tex. 44. lib. 12. vbi cùm Astrologiam scripsisset circa sensilem ac sempiternam substantiam versari; cæteræ verò, inquit, mathematicæ de nulla substantia speculantur; velut quæ circa numeros aut quæ circa Geometriam. Quomodo autem Astrologiam dixerit circa substantiam versari, docuimus in comment. 85. paulò ante indicato. Hinc etiam est illud in tex. 35. lib. 7. mathematicum à sensili materia abstrahere atque in intellectili occupari totum: hanc autem eam esse, quæ in sensilibus est, non vt sensilia; hoc est quantitatem solam. Sensilem autem materiam interpretatur eam, quæ mobilis est, hoc est quæ principium motus & actionis omnis ac passionis existit. In hac enim quantitas est, illique quantitate affectæ sensiles omnes qualitates adueniunt. Ab hac dum methematicus abstrahit, ab omni nimirum substantia sensilique omni qualitate abstrahit, & solam retinet quantitatem. Idcircò sine motu definiri scribuntur mathematica, naturalia cum motu: quia naturalia per materiam, quæ principium motus est, definiuntur, sicùt simum, mathematica sine materia, sicut cauũ aut curuum. Neque prætermittendum est illud lib. 6. Metaph. tex. 3. si nulla esset substantia, præter eas, quæ natura constant, naturalis esset prima scientia. Ex quo intelligas, parũ cautè à Latinis quibusdam, sapientibus alioqui philosophis, naturalem scientiam dici considerare substantiam sensilibus qualitatibus præditam, mathematicam verò substantiam cum quantitate sola. Cùm enim quantitas qualitates sensiles antecedat, priorque substantia sit cum quantitate, quàm cum sensilibus qualitatibus; etsi nullæ forent separatæ substantiæ, mathematica scientia prior esset naturali; neque hæc, sed illa esset prima scientia.

Definitio mathematica, & naturalis.

Quòd si substantiam obijciant natura priorem accidentibus esse; neque posse id, quod posterius est, absolui ab eo, quod est prius & absque illo intelligi: ac rursum ab Aristotele fuisse scriptum in tex. 4. lib. 2. Metaph. vt res vnaquæque se habet ad esse, ita se habere ad veritatem; neque posse sine substantia quantitatem intelligi, quæ sine substantia non sit. Sanè non quidquid est prius, in ratione cuiusuis posterioris accipitur; sed eorum solùm, quæ vni determinatæ materiæ alligata sunt: quantitas verò determinatam nullam postulat. Deinde quantitas quidem, si vt accidens quoddam est consideretur, necessariò pendet à substantia, nec sine illa intelligi aut definiri potest: at à mathematico, nõ accipitur hoc modo, immò nec ea quidẽ ratione qua est ens; sed solùm vt quantitas est & proprietatibus quibusdam prædita; quo modo nullum planè ordinem ad substantiam significat.

Propositioni autem illi ex 2. Metaph. libro depromptæ opponimus primùm eam, quæ est in 2. Physic. abstrahentium non esse mendacium; nec errare mathematicum, dum quantitatem, quæ re ipsa est in substantia, sine substantia considerat. Deinde interpretabitur Alexander propositionis illius sententiam; veritatem esse affectionem entis; & vt quidpiam rationem entis participat, ita participare veritatem. Quare intelligenda est de re quoad essentiã, quia res vnaquæque iuxta essentiæ suæ conditionem cognoscenda est: non quoad modum, quippe res particularis est & cognoscitur vt vniuersa, nec tamen damnatur cognitio. Aut si de modo quoque intelligatur, intelligenda fuerit de modo ex parte rei, non ex parte cognitionis. Is inquam cognoscendus est modus, qui rei conueniat: neque mathematicus quantitatẽ cognoscit esse sine substantia, immò in substantia esse; sed ex parte solùm cognitionis non cognoscit vt est, sed abstractione vtitur.

Expenditur textus 2. Metaph. com. 2.

Itaque verè ac sapienter primum illud mathematici & naturalis discrimen positum à Simplicio fuit, quòd alter in solis accidentibus occupetur, substantiam non cognoscat, quemadmodum cognoscit alter. Nisi in eo minùs cautè loquitur sit, quòd mathematicum accidentia considerare dixerit; qui quantitatem quidem, quæ accidens est, considerat, sed non vt est accidens, neque omnino vt ens; quemadmodum non multò post planiùs intelligetur.

Cæterùm non hîc sistit abstractio mathematica: sed duo adhuc ab Aristotele affirmantur. Alterum est, mathematicum abstrahere à motu: quippe in tex. 19. lib. 2. Physic. hoc eum à naturali distinguit; quòd is sine motu definiat, hic per motum. Et in primo libro Metaph. tex. 19. Entia, inquit, mathematica sine motu sunt; præter illa, quæ circa Astrologiam sunt. Et in 3. lib. tex. 3. & lib. 6. tex. 1. & lib. 11. cap. 8. & lib. 3. de cœlo tex. 55. & pluribus aliis in locis immobilia appellat. Alterum verò, eum ab ente quoque & bono abstrahere. Sic enim in 3. lib. Metaph. tex. 3. cùm quæstionem proposuisset, an vnius scientiæ sit omnia causarum genera considerare; non esse probat, quia non in omnibus scibilibus causæ omnes reperiuntur. In immobilibus enim efficiens causa non est, nec bonum, hoc est finis: neque enim in mathematicis per finalem causam demonstratur quidquam. Et in primo libro de part. anim. cap. primo; in abstractis ait non esse cuius gratia.

Mathematica abstrahere à motu.

Abstrahere ab ente.

Vt abstrahat à motu.

A motu summa cum veritate abstrahere dicitur, si verum est id, quod hactenus definitum est, eum abstrahere à substantia. Motus namq; principiũ est natura, quæ substantia est: multò magis naturale corpus; quod ab eo principio mouetur: dumq; mathematicus abstrahit à substãtia, tũ ab eo abstrahit, quod mouetur; tum ab eo, quod motus principiũ existit. Itaq; de vero & naturali motu intelligendũ id est. Sed seorsim dicã de singulis speciebus motus. Abstrahit ab ortu & interitu, qui est in substantia: quoniã abstrahit à substantia; siue motum spectes, siue terminũ qui motu producitur. Abstrahit ab alteratione; quoniã à qualitatibus, in quibus est alteratio. Abstrahit à vera & naturali accretione & decretione; quoniã hę cũ nutritione & mutatione substantiæ

alterationéq. plurima & natiui caloris actione perficiuntur, à quibus omnibus Mathematicus abstrahit. At dum quantitatem considerat, quadam etiam vtitur accretione & decretione, quæ in sola quantitate per se considerata spectari possunt. Quadratum enim ostendit gnomone circumpositò augeri quidem, sed eandem retinere figuram. Et illas crebrò propositiones vsurpat, si æqualibus æqualia addas, omnia sunt æqualia, si æqualibus inæqualia addas omnia inæqualia & contra si demas. Denique de motu locali aut loqui possumus vt is reipsa fit in natura, aut absolutè & ex propria ipsius vi. In natura semper est in aliquo determinato corpore, quod aut sursum aut deorsum fertur (cœlestem motum in orbem nunc prætermitto, quoniam is ab assistente intelligentia fit) idque tum ab insita forma, tum à leuitate aut grauitate. Ab hoc certum est abstrahere Mathematicũ, qui & à mobili corpore, & à mouente forma & à motricibus qualitatibus abstrahit. Solus Astrologus cœlestem motum considerat. At neque vt est motus, neque vt in eo corpore atq. ab hoc mouente: sed solùm vt quantitatem habet, accessum, recessũ, coniunctionẽ, oppositionẽ ac propositionẽ multiplicẽ. Absolutè nãq. & per se si accipiatur hęc species mot°, etsi localis dicatur, quia ferè in natura est ad locum aut in loco, abstrahit tamen à loco & forma, quæ aquiratur motu; solámque significat agitationem & successionem eius, quod mouetur: quæ successio vt in partibus quantitatis consideratur, sic in sola quantitate motus is intelligi potest; quo quantitatis partes abstrahendo à substãtia, loco, & alio quouis, sibi succedant. Et quoniam Mathematicus considerare potest quidquid conuenit quantitati à subſtantia abstractæ & ratione solius quantitatis; hunc quoque motum in cœlestibus cõtemplatur Astrologus; & Geometra ex motu puncti fieri ait lineam, ex motu lineæ superficiem, atque ex superficiei motu trifariam dimensum corpus; ac rursum lineas extendi cogitat & concurrere aut in infinitum paralellas produci, & vnam lineam cadere super aliam, atque id genus complura: vt quædam etiam sit Mathematica consideratio, quæ nullum determinatum accipiens corpus, de mobili tamen disserat sphæra; eodémque modo triangulum mobilem aut quadrangulum contemplari liceret. Quare si à motu abstrahi dicuntur Mathematica, sermo est de naturali motu, qui ab interno naturæ principio oritur. Hoc Mathematica carent; ideóque immobilia per cõparationem ad naturalia vocãtur: quòd hæc ab interno principio mobilia sunt illa, sed vbicunque ponantur, quiescunt, nec mouentur quoquam.

Vt Astrologus cœlestẽ motum cõsideret.

Verè etiam dicitur Mathematicus abstrahere ab ente: non quòd quantitas, quam considerat, ens nõ sit: sed quod eam abstrahat à substantia & absque vllo ad eam ordine contempletur. Tribus nanque modis considerari quantitas potest. Primùm vt genus quoddam entis: deinde vt affectio materiæ & naturalium corporum: ad extremùm per se & per ordinem ad suas proprietates. Prima consideratio tota est Metaph. qui de ente entisq. speciebus disputat: altera naturalis Philosophi: tertia Mathematici. Et quoniam quantitas aliam, quàm accidentis, entitatem non habet; considerare illam vt est ens, est considerare vt est accidens & per ordinem ad substantiam. Proptrea dum eam Mathematicus abtrahit à substantia, abstrahit ab ente: hoc est non considerat vt est ens substantiæue accidens; quippe tota accidentis entitas est, vt ornatus sit & perfectio substantiæ: neque potest vt accidens considerari, quin per ordinem ad substantiam consideretur subiectúmque consideratio inuoluat. Considerat igitur ens & abstrahit ab ente; dum considerat id, quod est ens, at non quatenus est ens. Quantitas enim vt partes significat extra partes, est ens, nec tamen ordinem ad substantiam inuoluit: & in decimo tertio lib. Metaph. cap. 3. sunt illa verba, Benè Geometræ & de entibus ratiocinantur, & entia sunt. Et fortasse dum subiungitur, ens duobus modis dici, actu & materialiter; indicare voluit considerari ens materialiter, at non vt est ens.

Vt abstrahat ab ente.

1.

Dicitur etiam abstrahere ab ente, dum abstrahit à substantia, quia sola substantia absolutè est ens, quãtitas & accidentia omnia non absolutè entia, sed entis entia, vt pluribus in locis Philosophus loquitur. 2.

Denique dum Mathematicus quantitatem per se acceptam per ordinem ad proprietates quasdam, quæ illi absque vllo ad substantiam aut materiam ordine conueniunt, considerat; quoniam abstrahit ab existentia, abstrahere ab ente dicitur; dum sub quadam ratione considerat, qua nec existit nec est apta existere; nec modò in particulari, sed nec vniuersè: illámque perinde contemplatur, ac si non esset ens: & ea interdum docet, quæ non entibus quoque conueniant. Proprietates siquidem senarij numeri (vt hoc vtar exemplo) quas exponit Arithmeticus, non minùs, quàm reali numero, conueniunt suario entium rationis aut priuationum. 3.

Quæque demum demõstrat, non ex natura quantitatis & subiecti demonstrat, sed ex quibusdam extrinsecis argumenta petit, perinde ac si à rei natura abstraheret. 4.

Vt abstrahat à bono & fine.

An verò abstrahat quoque à bono; Primùm quidem dici potest, Philosophi propositionem illam (in immobilibus non est bonum nec finis) si accipiatur vniuersè ac separatas quoque substantias complectatur, veram non esse. Deus namque summa est & infinita bonitas vltimúsque omnium finis: & intelligentiæ illæ, quæ cœlestes vertunt orbes, propter aliquem finem vertunt; omnésque intellectu & voluntate præditæ sunt, voluntatéque obiectum est bonum: & Aristoteles ipse in 12. lib. Metaph. tex. 36. & 37. consentit: & de Mathematicis loquebatur in 3. lib. cùm eam pronuntiauit sententiã. Cuius rationem eam exposuit Magnus Syrianus, quoniam Mathematicus ea solùm considerat, quæ per se insunt quantitati, abstrahendo ab eo, quòd sit vel non sit; hoc est ab existentia; & quòd sit ad talem finem vel nõ ad finem. Immò sub ratione quadam contemplatur, qua nec verè appetibilis est nec apta esse id cuius gratia operetur agens. Et omnino dum ab ente abstrahit, abstrahit à bono, quia bonũ affectio entis est; & quidem existentis entis. Quam ob causam vniuersalia si dicantur bona, propter singularia dicuntur, in quibus existunt. Mathematica verò entia ab existentia omni cùm abstrahant, nullam retinent boni rationem, & ideò nec finis.

Abstrahit item à fine, propterea quòd duobus modis cogitare licet in quantitate finem: aut quòd ipsa sit finis, quemadmodum est finis motus accretionis: aut quòd ad finem ipsa aliquem ordinetur, sicut circularis figura ad circularem motum comparatur. At quantitati vtrunque conuenit vt in re naturali existit: cúmque Mathematicus à substantia & omni re naturali abstrahat, abstrahit quoque ab omni fine, qui possit in quantitate cogitari.

Quamquam Philosophi argumentatio illa probabilis est, non necessaria: immò deceptionem Alexander non est veritus appellare. Falsum enim est vnius scientię non esse omnia causarum genera cognoscere, cùm omnia naturalis cognoscat, vt est in tex. 70. lib. 2. Phys. & tex. 12. lib. 8. Metaph. quia quod materiam habet, causas omnes habet. Et vt ex eo, quòd aliqua scientia causas omnes non consideret, nullam scientiam argumentatur omnes cognoscere, ita ex eo, quòd aliqua cognoscat omnes, colligere licebit ad vnam omnes pertinere. In primo item lib. de part. anim. probabilis erat disputatio, num intelligens anima ad naturalem Philosophum spectet, cùm propositionem eandem inculcauit: In abstractis nō esse cuiuis gratia. Nec eos damnarem, qui ita acciperent, vt Mathematica non demonstrari dicantur per finalem causam, aliquid esse melius aut peius, quemadmodū in naturalibus & artificijs sępè fit: sed omnia in illis esse penitus necessaria, & cùm non possint aliter esse, locum demonstrationi illi nō relinquunt. Demonstrabit naturalis melius esse hominem erectę staturę & bipedem esse, aut quinque habere digitos, at quomodo Mathematicus demonstret melius esse triangulum habere tres angulos duobus rectis ęquales? Est enim hoc prorsus necessarium nec potest aliter esse.

Quānā Mathematicus causarū genera consideret.

Verùm enimuerò pluribus est hic locus tractandus, diligentiúsque considerandum, num omnia aut quęnam causarum genera cōsideret Mathematicus. Alexander testimonio Simplicij in commentario 1. lib. 1. Phys. materialem, finalem, & efficientem causam illi præripuit. Quod Philoponus quoque sensit in commentario tex. 68. lib. 2. Physic. & Auerroës in commentario 1. lib. 1. & Albertus & S. Thomas eodem loco, alijsque complures solam eum inquiunt considerare formam, eáque ad demonstrandum vti. Cùm enim abstrahat à materia, abstrahit item à motu; & ideò etiam ab efficiente, quod operatur per motum & motus principium est: atque à fine, qui motu aquiritur; & est id, cuius gratia mouentur omnia. Ita Mathematicum de suis rebus interrogatum causam tantùm formalem aut definitionem respōdere posse ait Philoponus. Simplicius tamen esse in Mathematicis quoque materiam & finem probat: tum quia sunt numeri, magnitudines, & soni, quorum formæ considerantur: tum quia Geometria, de qua maximè dubitari videtur, per se expetitur, tumque ad vitam confert, dum mechanicis artibus principia suppeditat, tum ad Astrologiam, dum eam sibi subalternat; tum verò etiam in commentario 52. lib. 2. eiusdem operis, ad immaterialium scientiam, dum animus Mathematicarum cognitionum ope adiutus à sensilibus ad intellectilia transit.

Mathematica nullam propriè causam habere.

Si tamen rem totam intuearis attentiùs, quantitatem quidem videbis vtin natura existit in substātia & materia sensili, causas omnes habere; materiam, in qua sustentatur formam, quiditatem suam; efficiens, à quo fuit producta; finem, ob quem fuit producta, substantiam quam ornat & suo actu perficit & extendit. At verò vt à Mathematico abstrahitur à substantia omnique materia sensili, & ideò ab ente & natura sua propria; & consideratur solùm secundùm proprietates eas, quas in ea deprehendere phantasia potest; nullas omninò proprias habere causas. Quod & hoc loco affirmauit Simplicius, & apertis verbis in secundo libro de moribus ad Eudemum capite septimo, Philosophus scripsit. Immobilia, inquit, vt in Mathematicis, non per se quidem, sed similitudine quadam appellatur principia. Hic enim ipso labefactato principio, labefieri omnes, quæ ab ipso fluxere, demonstrationes oportet: cùm ipsæ inter se demonstrationes alterā tantisper non euertunt, quantisper illa communis propositio, vnde lucem istæ suam habent, non euertitur. Nimirum principia sunt axiomata quædam, quæ cognitionis, non rei principia & causæ sunt. Qui locus alterum illum interpretabitur, qui est in textu primo lib. 6. Metaph. In Mathematicis principia esse, causas, & elementa. Cùm enim omnes causæ, quæ verè & propriè causæ sunt, definiantur per motum in textu 28. & 29. libri secundi Physic. dum Mathematicus abstrahit à mōtu, ab omni simul vera causæ natura abstrahit. Ac rursum nec materialem causam propriè habet, quoniam abstrahit à materia: nec formalem, quia forma non est, vbi non est materia: nec efficientem, quia abstracta, vt abstracta sunt; verè non existunt; efficiens autem causa eius est, quod existit. Idcircò & figuras iam factas accipit, & dum demonstrat, veram efficientem causam nullam adfert, sed interdum fortasse imaginariam; & quidem ad construendam, non ad concludendam demonstrationem. Causa item finali caret: tum Philosophi decreto in locis ante notatis: tum quia abstrahens ab ente abstrahit item à bono & fine, ac rursum abstrahens à motu à fine quoque abstrahit quoniam finis id est, propter quod aliquid fit, eiúsque vis in actione & motu posita est. Et quænam tandem Mathematica demonstratio ex fine concluſa proferatur? In Mathematicis, inquit Philosophus in tertio Metaph. lib. nihil per hanc causam probatur. Ita in immobilibus nec motus principium esse conficit, nec boni naturam, hoc est nec efficientem nec finalem causam. Quocirca cùm in 13. lib. cap. 3. (etsi vocari possit in dubium, num is liber nostri sit Stagyritæ) bonum & pulchrum differre dixisset, falsum eos affirmauit dicere, qui Mathematicos inquiant nihil de bono vel pulchro dicere. De pulchro namque dicunt, non de bono, quoniam bonum in actione versatur, pulchrum in proportione, ordine, ac dispositione: illud ad voluntatem spectat, hoc ad intellectum, & Mathematicus ab actione quidem abstrahit & motu, sed dum proportionem, ordinem, commensurationem, & definitum in quantitate considerat, nimirum species pulchri considerat. Addit tamen quodam etiam modo de bono dicere: quia dum ordinem, commensurationem, & definitum considerat, ea considerat, quæ in quantitate existente sunt bona. Sed quia non considerat vtin quantitate rēpsa existente sunt, sed in quantitate abstracta, non considerat vt bona, neque simpliciter, sed quodam modo considerare bonum dicitur. Accedit & illud Alexandri in comment. 14. lib. 3. Non omne bonum suapte natura est agendum, sed partim agendum, partim contemplandum, non agendum, cuiusmodi est in mathematicis. Veritas enim eorum, quæ bonum quoddam est in ipsis, vt bonum expetitur. Nam etsi hoc verè dicatur, minùs tamen propriè & per quandam similitudinem dicitur.

Quare in ijs, quę de Geometriæ & harū scientiarū fine obiecit Simplicius, audiēdus non est. Quoniam extraneū proponit finem, & ipsarū scientiarum, non obiecti earū: dum nos obiecti finem quærimus, qui ab ipsomet Mathematico de obiecto suo considere-

rit,

Mathematici materiæ & formæ similitudinem habere.

tur. Quod autem de materia subiungit, accommodatè magis dicitur. Etsi enim nullas propriè causas habeat Mathematicus, duarum tamè similitudinem habet, materię & formę. Formæ inquam, quia figuras cõsiderat, quę velut formę quędam quantitas sunt, proportionésq. & proprietates numeri & magnitudinis. Materię autem, quoniam has proprietates, proportiones, & figuras, in magnitudine ac numero tanquàm subiecto & materia contemplatur, & ideò circa intellectilem materiam versari dicitur.

Cur solã formam considerare dicatur.

Ferè tamen solã formã cõsiderare affirmatur: vel quia quãtitas ipsa, quę intellectilis materia est quædã est forma, cùm sit accidẽs: vel quia nec efficientẽ causam considerat, nec finalem, & ab ea quoq. materia abstrahit, quæ communiter materia dici solet: vel quia non tam quantitatem ipsam quam in quãtitate figuras & proprietates, quæ in ea velut formæ sunt, considerat. Vel demum quia etsi demõstret interdum per aliquid, quod materiã præseferat, quam ob causam in tex. 11. lib. 2. de posteriori Analysi, cùm doceret Philosophus demonstrationem fieri per omnia causarum genera, exemplum demonstrationis ex materiali causa proposuit ex Mathematicis; dum angulum in semicirculo demonstrant esse rectum, quia semirectis duobus constat, velut partibus, quæ materiæ locum habent. Quæ fuit Euclidis demonstratio 31. lib. Plerumque tamen per formam demõstrant; quoniam ferè demonstrando tanquam principia definitiones quasdam accipiunt, omnésque demonstrationes ad quædam tandem prima principia reuocantur, quæ plurima definitiones sunt. Ita in tex. 68. lib. 2. Phys. Mathematicum dixit Philosophus vltimum propter quid reuocare ad quid & ad definitionem; at veris definitionibus subiecti non vtuntur; quare nec veram formalem causam habent.

Mathematicas demonstrationes minùs perfectas esse.

Ex quibus omnibus colligas, quid de Mathematicis demõstrationibus sentire te oporteat. Nimirum longè absunt à conditione & natura perfectę demõstrationis; quoniam non constant ex causis. Quod tum ex dictis intelligitur, quia veras causas non habent, neque vtuntur causis, propter quas res sit: tum inductione manifestum euadit. Prima Euclides demonstratio triangulum descriptum ostendit æquilaterum esse, quia latera sunt lineæ à centro ad ambitũ æqualium circulorum ductæ. At quænam isthæc est causa. Etsi circuli illi circa trianguli latera non describantur, immò nec describi possent, æquilaterum tamen triangulum esset. Cognitionis igitur, non rei, causa illa fuerit. Demonstratur etiam triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales; quoniã latere vno producto externus angul⁹ internus duobus sibi oppositis est æqualis: hæc item cognitionis, non rei, causa est. Quia etsi non produceretur latus nec externus is angulus fieret, nihilominùs eiusmodi esset triangulum; quippe id ex trianguli natura nascitur. Multis non est opus exemplis detinere lectorem. Plures addam conclusionis eiusdem æquè perfectas in Mathematicis demonstrationes esse posse & sæpè esse; vt in primum Euclidis librum Proclus ostendit: cùm tamen vnius rei vna sit vera, propria, & prima causa, & vnicum accuratæ demonstrationis medium. Vltima verò demonstratio à plurimis antecedentibus pendet; cùm tamen conclusio posset ex immediatis aut certè per pauciores ostendi. Plurimæ ad id duntaxat, quod fieri non potest, deducunt. Neque principia accipiunt propria sed communia & sensu testata: vt illud, Omne totum est maius sua parte; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia; & alia his similia; quæ nequaquam sunt demonstrandarum proprietatum causæ. Non sunt etiam ex prioribus & natura notioribus; quia non ex causis: immò contra interdum accidit; vt cùm triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales ostenditur per externum angulum. Prius enim est triangulum tres illos habere angulos, quàm habere externum hunc oppositis duobus æqualem. Non accipiunt propositiones per se: neque enim per se illa est, qua vtuntur plurimùm; quæ sunt æqualia vni tertio, sunt etiam inter se æqualia: quòd nec attributum subiecti, nec subiectum attributi causa sit: neque cur hęc duo sint inter se æqualia, causa est, quòd tertio illi æqualia existant; neque contra ideò sunt illi tertio æqualia, quia inter se æqualia: sed quòd talem ac tantam habeant quantitatem. Et omnino in ijs demonstrationibus, quæ paulò ante commemorabantur, circulus æquilatero triangulo obductus, aut externus angulus triangulo cuiuis appositus accidentarij triangulis sunt; & ex illis tamen demonstrat Geometra. Interdum etiam demonstrandam accipit propositionem immediatam; quæ cùm causam non habeat, vera demonstratione concludi non potest, sed ex communibus tantùm quibusdam aut extrinsecis explicari: quemadmodum si triangulum demonstraret æquilaterum esse. Hęc est ipsa illius natura, cuius nulla causa. Et licet mediatam demonstret, per definitionem tamen subiecti, quę illius causam contineat, non demonstrat: sed aut extrinsecas accipit definitiones, vt circuli definitionem in demonstrando triangulo, aut communia quędam axiomata sensu ipso notissima. Et quęnam tandem accurata possit esse demonstratio, vbi nec quantitas nec proprietas eius secundùm suam naturam & entitatem, sed ab entitate & naturę, quę vim omnem habet causę, vt in superioribus dictum est, abstracta consideratur? Accurata namque demonstratio naturam rei sequitur, & cognitio causarum rei, si sint causę, propter quas res sit (quod vera demonstratio postulat) cognitio est rei vt est & secundùm suam naturam. Nimirum quantitatem maximè considerat vt phantasia comprehensam, & vt varię in ea figurę & proprietates concipi & per notissima quędam principia probari possunt, quęcunque tandem illa sint, modò certa & euidentia. Quod perfectę demonstrationis naturę aduersatur, quę non nisi propria & immediata cuiusque proprietatis vtitur causa.

Neque hoc argumento conficitur modò Mathematicas demonstrationes perfectas non esse: verùm etiam modum, quo quantitas à Mathematico consideratur, demonstrationes huiusmodi non admittere: siquidem non considerat quantitatem secundùm suam naturam, demonstratióque rei naturam sequitur. Eas Physicus & Metaphysicus habere possunt, qui rem secundùm suam naturam cõsiderant, etsi ob ingenij nostri imbecilitatem interdùm non assequãtur. Ex Mathematicis tamen accipiũtur persæpè, in naturalibus præsertim, exẽpla, & disciplinæ nominãtur: Quod euidentissimę omnium nobis & certissimę, atq. admirabili planè ordine nexuque instructę sint. Atq. hęc vna est euidẽtię ac certitudinis causa. Altera, quia de quantitate agunt, quę maximè sensata est, cùm sensibus omnibus quoquomodo cõprehendatur. Tertia, quia euidẽtissimis nobis cer-

Mathematicæ cur disciplinæ dicantur; & cur certissimæ.

tissimisque principijs vtuntur, quæ & percipiuntur sensu & experientia non indigent. Quam ob causam in 6. Moralium ad Nicomachum libro cap. 8. pueros dixit Philosophus euadere Mathematicos posse. Et in 6. de Repub. Plato in his primùm nos disciplinis instrui voluit: & in Timæum Proclus disciplinas scripsit Mathematicas attrollere mentem posse ad entis splendorem, & grauj imagines naturam interpretari. Quarta, quoniam facilem & expeditam habent abstractionem. Cùm enim quantitas nullam sibi poscat determinatam materiam, abstrahi facilè potest.

Mathematicas non esse scientias.

Quæ omnia pluribus propterea explicata fuerũt, vt verè à Simplicio dictum hoc loco fuisse intelligeretur, Mathematicas disciplinas scientias non esse, nec quidquam demonstrare per causam, si propriè & accuratè loqui velimus. Quod in commentario quoque tex. 1. lib. 1. affirmauit: & alterum erat discrimẽ, quod inter Mathematicam & naturalem cognitionem is agnoscebat. Nam & in 7. de republ. Plato scientias eas esse negauit; alióque voluit appellari vocabulo; quod melius quidem sit, quàm opinio; deterius tamen, quàm scientia.

Mathematicæ demonstrationes quales.

Itaque Mathematicæ demonstrationes neque demonstrationes ex causis sunt, neque ex effectu: quoniam neque veras continent causas, neque ex effectis ducuntur. Primum tamen magis demonstrationis genus referunt: quia si veræ causæ non sint, causarum tamen similitudinem habent. Vt enim veræ causæ cognitionem efficiunt rei, priorésque sunt, notiores, & simpliciores; ita & eiusmodi sunt principia illa, ex quibus Mathematicæ demonstrationes ostenduntur.

Mathematicam non esse Philosophiæ partem.

Hinc etiam idem Simplicius & Alexãder in proëmio ad libros Priorum, vniuersam hanc Mathematicam cognitionem negãt esse Philosophiæ partem. Tum quòd veras causas nõ habeat. Tum quòd substantiam non consideret: totque volueret Philosophus in 4. Metaph. lib. tex. 4. Philosophię partes esse, quot substantię. Quoniam, vt in eius loci comment. habet Alexander, Philosophia est entis, soláque substantia per se & absolutè est ens; accidẽtia entis entia. Quare si pluribus alijs in locis & scientia vocetur & inter Philosophiæ partes cẽseatur; ampliori quadam & scientiæ & Philosophiæ acceptione intelligendum id erit; vt scientia cognitionem quamlibet certam & euidentem, Philosophia cognitionem quamuis realis entis & intellectus nostri Theoriam significant.

Tertium ab eodem Simplicio discrimen inter Mathematicam & naturalem cognitionem propositũ; & verò etiam quartum, vera item sunt, sed non magnopere à primo diuersa. Quintũ autem illud ipsum est, quod in tex. 18. lib. 2. Phys. à Philosopho fuit expositum. Sextum illud in tex. 19. quòd naturalis definit per materiam & motum, Mathematicus sine motu & per materiam solùm intellectilem. Et hactenus quidem vniuersè de his dictum est.

Mathematicarum diuisio in puras & mediας.

Magis autem in specie ad Mathematicam abstractionẽ spectat duplex ille modus considerãdi quantitatem, ex quo generalis & præcipua cognitionis huius diuisio nascitur. Quantitas enim, siue magnitudo sit siue numerus, aut absolutè & per se abiũcta ab omni sensili materia; aut ad materiã aliquam cõtracta consideratur. Hinc Mathematicæ puræ nominantur, Geometria circa magnitudinem, Arithmetica circa numerum; & mediæ, inter puras scilicet illas & naturalem scientiam; Astrologia circa cœlestem quãtitatem, Perspectiua circa lineam, quæ sub aspectum cadat; circaque sonorum numerum Musica. In quibus vt in 7. de repub. habet Plato, quemadmodum ad Astronomiam (adde & Perspectiuam) oculi, ita & ad harmonicum motum videntur aures fabricatæ. Quocirca germanas & similes scientias esse dixere Pythagorici. Quas non propterea nominauj, quòd plures non credam esse Mathematicæ cognitionis partes. (De hoc enim accuratè constituere ad hunc locum nõ pertinet) sed vt vtriusq. cognitionis genere aliqua proferrem exempla. Dum autem hæ mediæ ita quantitatem cõsiderare dicuntur, non quin ens ex accidenti vocamus: quasi obiectum Astrologiæ sit quãtitas simul & Cœlum, Perspectiuæ linea & visio, Musicæ numerus & sonus. Neq. enim contemplantur aut docent, quæ cœli natura sit, quæ visionis, quæ soni; quæue horum proprietates. Verùm tanquàm propriũ obiectum quantitatem illam per se cõsiderant & vt proprietatem earum, quæ demõstrantur, subiectum. At non ab omni materia sensili abstractam, quemadmodum Geometria & Arithmetica: sed tãquàm Cœlo, visioni, sono, adiunctam; hæcq. velut cõditio est, sine qua non cõsideraret; nõ formalis ratio obiecti. Si enim formalis ratio esset, & Astrologia quãtitatem illam formaliter considerare vt est in Cœlo; nimirum cõsideraret vt terminum Cœlestis corporis, neq. à naturali cõsideratione differret; contra quàm in tex. 18. lib. 2. Phys. fuerit definitum. Idem de perspectiua & Musica diuerim. Astrologia vero suas æquè demõstrationes instruit, ac si quantitas illa, motus, oppositio, coniunctio, & huiusmodi alia, quæ sunt in Cœlo, in sphæra essent lignea aut ex alia materia constante. Accidentaria igitur est applicatio illa ad cœleste corpus. Et vt vniuersè dicam, non habent subalternatæ scientiæ formalem rationem obiecti, sed accidentariam solùm considerationem à subalternãtibus diuersam; quippe ab illis essentia non differunt. Obiectum igitur materiale quantitas est, obiectum formale, vt est rerum proprietatum, quæ demonstrati possunt, subiectum, conditio sine qua non, applicatio ad subiectam Cœli, ad visionem, ad sonum.

Ex quibus manifestũ iam fuerit, cognitiones hasce, quę propterea mediæ dicuntur, quòd Mathematicum obiectum ad naturalem conditionem cõtractum accipiãt, Mathematicas potiùs esse, quàm naturales. Quoniam quidquid scientijs est essentiale, in his Mathematicum est, non naturale. Obiectum enim, tum materiale tum formale, mathematicum est, quodq. naturale additur, totum est accidentale & proprietates, quæ considerantur, principiáq. quibus demonstrantur, & ipse demonstrandi modus, Mathematica sũt, vt in singulis facilè animaduertat.

Quam ob causam & puris mathematicis subalternantur, vt habetur in primo Post. Analyticorum: nec ab illis essentia, sed accidentaria ratione differunt, à naturali vero scientia prorsus essentia: & ideò Mathematicis semper, non naturali, tum ab Aristotele tum ab alijs omnibus adnumerantur. Et in 12. Metaph. t. 44. Astrologia Mathematicorũ peculiarissima nominatur, déq. Perspectiua & Musica extat illud in 11. li. c. 3. Neutra prout visus, vel prout vox cõtẽplatur, verũ prout lineę & numeri; & hęc propriæ illarũ passiones sunt. Neq. secus sensit idẽ Philosophus in t. 20. lib. 2. Phys. cùm eas magis naturales esse pronũtiauit. Non enim naturales magis, quàm mathematicas, esse voluit, nec pugnantia loquutus est. Immo

Immò & eas appellauit Mathematicas, & inter Mathematicas eo ipso loco numerauit (demonstrat inquit & quæ ex Mathematicis magis naturales sunt; vt Perspectiua, & Musica, & Astrologia. Sed magis naturales dixit, quod inter Mathematicas accedant magis ad naturales, maiorémque cum illis cognationem ac similitudinem habeant, quàm Mathematicæ puræ, Geometria & Arithmetica. Aduersus Pythagoricos enim & Platonem argumentabatur: Inter Mathematicas illæ, quæ magis accedunt ad naturales, considerant suum obiectum, non vt affectio est naturalis corporis, sed mente abstractum: verùm non vt est Mathematicum, sed vt naturale; hoc est non vniuersè abstractum, vt Geometria & Arithmetica; sed ad visionem, ad sonum, aut Cœlum, contractum; hoc est hanc lineam solam, hunc solum numerum, hanc quantitatem solam, mẽte licet abstractam. Si igitur scientiæ aliquæ Mathematicæ, quod ad naturalem accedant, non omnino abstrahunt à materia; multò minùs credendum est abstrahi naturalia posse. Quo loco illud obiter adnotabo, quod Philosophus dixit (è contrario enim quodammodo se habent ad Geometriam. Non enim absolutè, sed quodammodo contrarias dixit: quoniam absolute puris Mathematicis, quæ penitus abstrahunt à materia, contraria est naturalis, quæ ita considerat cum materia, vt hæc sit formalis considerandi ratio: mediæ autem hæc cognitiones quodam solùm modo contrarię sunt; quia materia vel sensilis qualitas non est formalis obiecti ratio, sed accidentaria solùm conditio vniuersum illud obiectum contrahens.

TEXTVS.

Ὅλως δὲ ὁ νοῦς ὁ κατ' ἐνέργειαν τὰ πράγματα νοῶν.

Text. 36. *Omnino autem intellectus est, qui actu res intelligens.*

COMMENTARIVS CXXXI.

VErborum horũ interpretationem apud Themistium non reperio, duobus autem modis interpretari licet. Aut enim vox (actu) coniungitur cum intellectu, aut cum intellectione. Priori modo sententia erit, intellectum actu intelligentem eundem esse cum intellectis rebus. Atque hæc Simplicij fuit & Philoponi ac ferè aliorum interpretatio. Quare verborum ordinem mutari vult Simplicius, atq. ita legi, omnino autem intellectus est res ipsa, qui actu intelligit. Ego verò nõ video quorsum hoc pertineat aut ex superioribus repetatur; etsi à nonnullis ad hoc ostendendum adferantur multa.

Altera interpretatio magis est accõmodata, optiméque cum superioribus coniungitur. Nam quod dixerat (si quid actu intelligeret) nũc ait (actu res intelligens. Et cùm Mathematica) posuisset non esse quidem reipsa separata, vt separata tamen intelligi, planioribus voluit verbis explicare, cuius nam facultatis opus sit hæc separatio, quæue facultas Mathematicorum entium sit parens. Itaque verba hæc velut conclusio aut explicatio superioris sententiæ sunt. Omnino enim & vt vno verbo tota hæc difficultas explicetur, intellectus est, qui ea, quæ in rebus coniuncta sunt, separat ac seorsim intelligit. Et quoniam pluribus modis intellectus considerari potest, tum actu, tum potestate; tunc intellectus abstrahere ac separare mathematica entia creditur, cùm actu intelligit. Postrema verò verba fuerant illa (vt separata intelligit, cùm ea intelligit.) At quando id fit? Et quid est, illud (cùm ea intelligit?) Cùm actu operatur & actu res vt separatas, quantitatem à substantia & sensilibus qualitatibus abiunctam intelligit. Ita pauca hæc verba superioribus illis omnibus respondent, omniúmque explicario sunt.

TEXTVS.

Α' εἰ δ' ἐνδέχεται τῶν κεχωρισμένων τι νοεῖν, ὅταν αὐτὸν μὴ κεχωρισμένον μεγέθους, ἢ οὐ, σκεπτέον ὕστερον.

Vtrum autem contingat separatorum aliquid intelligere, cùm ipse separatus à magnitudine non sit, an non, considerandum postea.

COMMENTARIVS CXXXII.

DVbitationem, quam nunc proponit Philosophus, ex eo profectam esse Philoponus voluit, quòd intellectum actu dixerat esse idem cum intellecta re. Esset enim & ipse separatꝰ, si separata intelligeret: at cùm ipse sit in magnitudine & actus corporis, quomodo separatus esse potest & non separatus, in magnitudine atque abiunctus à magnitudine? Vbi Philoponum quidem obseruabis intellectũ sensisse actum corporis esse, intelligentémque animam formantem formam. Sed præsentium verborum meo quidem iudicio non ea fuit sententia, Intellectum actu idem cum re intellecta esse. *Intellectus forma formans.*

Simplicius autem antea quidem Philosophum dixit de Mathematico intellectu fuisse loquutum, vt per eum ad summum primorum intellectilium Theoreticum transiret: nunc autem ita eum transire subiungit, vt cùm egisset de cognitione Mathematicorum accidentium cogitatione sola separatorum réque ipsa inseparabilium, veritus ne quis intellectum quoque eiusmodi esse suspicaretur, hoc est reipsa inseparabilem; propterea considerandum proposuerit, num id fieri possit, vt intellectus nõ separatus existens substantias reipsa separatas intelligat. Itaque neuter horum interpretum quæstionem ponit, num intellectus noster separatus substantias intelligat: sed hoc accepto tanquam certo, ex eo de ipsius intellectus substantia dubitant, num ea separata sit an non separata; aut de modo, quo non separatus ipse separata possit cognoscere. Dictum est autem superiùs, eum & seipsum & separatas formas cognoscere: at nisi separabilis esset, nec in seipsum rediret, nec cum separabilibus quadraret.

Mihi verò tam aperta videtur Philosophi propositio, vtrum contingat separatorum aliquid intelligere, vt nullam aliam, quàm hanc ipsam, quæstionem intelligi posse credam, vt intellexerunt Themistius, Auerroës, & S. Thomas. Quæ enim adduntur verba (cùm ipse separatus à magnitudine nõ sit) dubitandi rationem continent: quia cùm ipse separatus non sit, quomodo possit intelligere separata? Separatum autem dixit, & non separabilem, quoniam de ijs, quæ reipsa separata sunt, intelligendis agebatur. Ex quo intellectũ cognoscas corporis nostri formantem formam fuisse Philosopho. Nam si assistens duntaxat esset, & separatus esset à magnitudine non minùs, quàm intelligentiæ cœlestiũ orbiũ *Intellectus forma formans.*

motrices; & nullam iſti ſeparatis intelligẽdis difficultatem haberet, ſicut nec habent cœleſtes illæ mentes. Porrò difficultatem eandem in Mathematicorum entium intellectione non proponit; quoniam vt hæc ratione ſolùm ſeparantur, reipſa verò non ſeparata ſunt; ita & intellectum re non ſeparatum ratione ſeparabilem eſſe conſtabat.

Nexum autem quæſtionis huius cum antecedentibus verbis pulchrè videbis, ſi obſerues antitheſim. Illis quippe, quæ in abſtractione dicebantur, opponit nunc illud (ſeparatorum) ac rurſum ei, quod dicebatur, cognoſci ſimum non ſeparatè, ac demum Mathematicis, quæ nõ ſeparata vt ſeparata intelligi dicebantur, illud idem (ſeparatorũ) verbum opponit, quod reipſa ſeparata ſignificet. Quare cùm entia Mathematica poſſet non ſeparata vt ſeparata intelligi, conſequentem quæſtionem ſubiungit, num aliquid reipſa ſeparatum intelligi queat. Denique illi (ſeparatorum) opponitur, illud (non ſeparatus à magnitudine) quod quæſtioni propoſitæ difficultatem adferat, intellectúſque noſtri differentiam à ſeparatis intelligentijs contineat; quòd illæ etſi cœleſtibus orbibus impertiãt motum; quia tamen non dant eſſe, ſeparatæ à magnitudine cenſeantur; quod & in 8. Phyſic. lib. demonſtratur: intellectus autem noſter non ſeparatus à magnitudine; qui non ſolum motum, ſed & eſſe corporibus noſtris tribuat. Separabilis tamẽ; quia impermiſtus cum illis eſt, nec vllo vtens inſtrumento in ea, quæ illius propria eſt, operatione, & in ſeipſum redit ſeque ipſum intelligit. Quare cùm hîc non ſeparatum dicat, & alibi nullius corporis actum neque cum corpore permiſtum; alterum fuerit dictum, quia dat eſſe corpori; alterum, quia non pendet à corpore neque inde accepit eſſe, ſed ab eo ſeparabilis eſt. Sanè cùm aggreſſus fuiſſet Philoſophus dicere quemadmodum ea, quæ à ſenſibus ſeparata ſunt, intelliguntur; dixiſſétque de ſola ratione ſeparatis; non erant penitus omittenda illa, quæ reipſa ſeparata ſunt, in quibus maior multò difficultas erat.

Cæterùm difficultatis explicationem prætermittit Philoſophus. Cauſam Simplicius & Philoponus exponunt duplicem. Alteram, quòd ex jam traditis intelligeretur ſatis, ſeparata quoque cognoſcere intellectum poſſe, quem impermiſtum eſſe cum corpore ſeque ipſum intelligere dixerat, neque illo tanquam organo vti; ſed nec fingi poſſe qua corporis parte contineatur. Alteram, quòd eam poſt, licet ſub obſcure, explicaturus ſit. Nam in tex. 39. triplex facit intellectilium genus, primum immateriale & ſeparatum, poſtremũ materiale & ſenſile, medium Mathematicum.

Intellectile triplex.

At prior mihi cauſa non parùm ſuſpecta eſt. Quoniam apertè Philoſophus non antecedentia indicat, ſed ſubſequentia: poſtea, inquit, conſiderandum. Deinde nec ea, quę ex antea dictis proponuntur, ſatis oſtendunt intellectum non ſeparatum poſſe intelligere ſeparata. Præſertim cùm vtérque ille interpres fateatur cognitricem facultatem parem cognoſcendæ rei eſſe oportere, ſeparatæque ſubſtantię ſupra intellectus noſtri naturã & conditionem ſint. Poſterior probaretur fortaſſe, niſi hæc Philoſophi verba accuratam magis & diligentem conſiderationem pollicerentur, quàm duobus & obſcuris verbis contineatur.

Ergò ſatis illi nunc fuit de ſeparatorum intellectione quæſtionem cum intellectione Mathematicorũ tantopere coniunctam proponere. Cuius explicationem in alium diſtulit locum: aut quòd nondum eſſet manifeſtum aliquas eſſe ſeparatas ſubſtantias, neq. ad hunc locum probatio pertineret: aut quòd earum conſideratio & contemplatio ad naturalem Philoſophum non pertineat; ſed ad Metaphiſicum, naturalemúe Theologum, qui ſubſtantiarum illarum quæ & qualis natura ſit cognoſcat. Itaque illud (poſtea) non poſteriorem huius eiuſdem de intellectu conſiderationis partem; ſed aut poſteriorem aliam ab hac prorſus diuerſam tractationem ſignificabit; aut potiùs tantũdem valebit ac alibi. Primum cognitionis genus ἀναφοεικὸν Simplicius nominaret, hoc eſt ſubiectionem atq. à materialibus ad immaterialia intellectus aſſenſum & velut animæ impulſum & excitationem ad intelligendum, atque ad alterum illud genus, quod νόησις, hoc eſt intellectio dicitur, qua immaterialia nobis iam eſſentia propria præſententur eámque intellectus contempletur. Certè de hac intellectione, quæ velut finis & terminus prioris eſt, Philopophi quæſtio proponitur, an intellectus, diem ſeparatus non eſt, ſeparatorum eſſentiam intelligat.

Priorem tamen tum in 8. Phyſ. lib. tum in 12. Metaph. explicauit: vbi ex cœlorum motu eiuſmodi aliquas ſubſtantias eſſe demonſtrauit. De poſteriori autem, de qua nunc erat ſermo, noluit ſanè quidquã conſtituere, quòd animam conſideraret vt eſt actus corporis eoque ad operãdum vtitur, aut in eo cerè operatur. Hoc enim eſt, quod intellectum non ſeparatum dicit, hoc eſt actum corporis exiſtẽtem atque in eo ſenſuum & phantaſiæ vſu operantem.

Sed nec alibi in eius libris quæſtionis huius explicationem inueniri dixerunt Auerroës in Digreſſione ad hunc locum, & in libro de animæ beatitudine cap. 3. & in epiſt. de intellectu, & S. Thomas hoc loco. Verùm & Albertus ſub finem comm. lib. 9. Metaph. cùm dixiſſet Philoſophus ignorationem illarum ſubſtantiarum, in nobis non eſſe velut cæcitatem, inde humanum intellectum deduxit peringere ad illas intelligendas poſſe: quaſi quæſtionem dubiam hîc relictam explicarit. Et in 12. Metaph. lib. multa de ſubſtãtijs illis diſputauit, earúmque naturam, quatenus aſſequi potuit, indicauit nobis. Quæ ſi non præſentium intuitiuam & claram, ſed ex motu & operatione collectam abſtractiuam cognitionem contineant; hæc tamen ad præſentem quæſtionem ſatis eſſe poteſt, in qua non magis clara & intuitiua requiri videtur, quam in mathematicis, de quibus proximè dixerat, requireretur. Sic enim cùm Mathematica dixiſſet ratione abſtracta intelligi, quęrere placuit, num ea, quæ reipſa quoq. abſtracta ſunt, intelligi queant, eodem ſcilicet cognitionis genere. Et vero ſi intuitiuam & claram omnino quærant, accipiant illud 2. lib. Metaph. tex. 1. quemadmodum, vel ſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & animæ noſtræ intellectus ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt. Addantque in 10. de moribus ad Nicomachum libro in earum ſubſtantiarum contemplatione fælicitatem noſtram conſtitutam fuiſſe. Etenim in priore loco claram illam cognitionem mentis noſtræ oculum immerſum corpori phantaſiæque ac ſenſibus alligatum ſuſtinere magis non poſſe intelliges, quàm ſolis ac diei lumen vel pertilionis ſuſtineat oculus. Ex poſteriore autem intellectum à corpore ſenſibúſque ac phantaſia ſolutum ad eam aliquando peruenturum.

Digreſſio

DIGRESSIO XXXVIII.

Quatenus intellectus noster separatas substantias cognoscere queat.

CÆterum quæstio ab Aristotele hoc loco prætermissa prætermitti à nobis omnino non debet. Præsertim quòd nec ab interpretibus cæteris fuerit prætermissa : Auerroës benè longum commentarium scripsit.

Plato. Plato quidem certè Philoponi testimonio intellectum nostrum posse aiebat cœlestem esse ciuem, circa immaterialia operari, & corpus negligere. Hoc videlicet argumento, quòd si animę iam à corporibus separatæ cum corporibus in sepulchris versantur, cur non etiam eæ, quæ cum corporibus iunctæ sunt, circa immaterialia non operentur? Non negabo mortuorum animas ad nos redire interdum, apparere & colloqui : sed & sæpè Angeli sunt, aut boni aut mali, vt idem ipse Philoponus de hac re copiosius differens in totius operis proœmio fatetur : aut etiam meræ timidorum aut dolore affectorum hominum imaginationes. Est autem anima à corpore soluta libera magis, quàm dum corporis vinculis ita constricta est, vt non nisi cum corpore & per illius sensus operari possit.

Alexander. Inter Peripateticos verò celebris est Alexãdri sententia, quam multis persequitur Auerroës locis paulò ante notatis. Is ita fermè ratiocinabatur. Vnum quodq. vbi ad perfectionem suam peruenit, perfectam quoq. suæ naturæ congruentem operationem consequitur: intellectus perfectio est intelligere intellectilia, omnia, tum materialia, tum immaterialia : cùm igitur intellectus noster optimè fuerit omnibus scientijs excultus, tunc demum intellectus agens, qui cum eo nunc coniunctus est vt efficiens cum patiente, coniungetur item vt forma cum materia; tuncq. intellectus noster agentem, illum ita sibi copulatum & per eum cæteras quoq. immateriales separatasque substantias intelliget.

Arabes. Neq. verò magnopere diuersa loquuti sunt Arabes. Namq. Auicena & Algalel patibilem intellectum nostrum, dum intellectiles formas ab agente recipit intellectu, oportere dixerunt sese ad illum conuertere; cúmq. perfecta fuerit hæc conuersio, tunc demum eos coniungi, patibilémq. per agentem separatas substantias intelligere. Itaq. tum Alexandri tum horum opinione intellectus agens initio quidem causa efficiens est intellectus habitu in intellectu materiali, seu patibili; neq. tunc vt forma copulatur nobis, neque separata cognoscimus : vbi verò perfectus fuerit materialis seu patibilis, agens fit eius forma separatáq. intelliguntur.

Auerroes. A quibus Auerroës hoc solùm dissentire, quod agentem intellectum à principio statim tum vt efficientem tum vt formam patibilis esse putet: nec tamen statim separata cognosci, quod vnio illæ formę & materiæ minùs perfecta sit : ea verò post ad perfectionem perducta ad separata quoq. nostram intellectionem euehi. Sic enim ille ratiocinatur. Intellectus agens ad propositiones primas primáq. intellectilia est vt agens ad instrumentum & forma ad materiam. Cùm ergo is intellectilium specierum perfectio sit, non recipiuntur species in intellectu patibili, quin simul agens item intellectus recipiatur; quoq. pluta recipiuntur intellectilia, eo magis disponitur ad perfectiorem cum agente intellectu vnionem. Quare cùm intellectilia omnia susceperit (nec enim intellectilium species sunt infinitæ) perfectissima erit vnio. Atq. hic est intellectus adeptus, qui cuncta tum materialia tum immaterialia intelligit; neq. phantasmatibus eget vt antea. Etsi enim patibilis intellectus quamdiu per phantasmata actu intellecta vnitus est cum sensu, nihil ab agente intellectus abstractum intelligat; vbi tamen per intectiles species vniuersales fuerit cum illo vnitus, abstratione illa non eget : quoniam obiectum ex se est intellectile, cognitrixq. facultas satis disposita & applicata obiecto. Et nunc intellectus theoretici perfecti beneficio materialia omnia intelligimus, ita tunc vi agentis intellectus immaterialia quoq. Effectus enim est is forma nostra, & per illum tanquam per formam propriam operamur; omnia, quæcumque ille intelligit intelligentes. Ac rursum quoniam intellectus actu intelligens idem est cum intellectis rebus; si intellectus noster omnia tunc intelligat, Deo planè similis euadit, qui & omnis est & omnia intelligit.

Albertus. Albertus quoq. in trat. 3. cap. 11. ab Auerroë hoc solùm dissentire se confessus est; quod agentem; intellectum non abstractam substantiam, sed animæ partem non voluerit. Quare triplicem intellectus agentis coniunctionem posuit; vt virtutis animæ, vt efficientis vt formę. Quarũ vna ordinatur ad aliam: prima semper est in homine; altera quando intelligit; tertia quando fuerit in scientijs perfectus.

Confutatio opinionum. Verùm in his, quæ subtiliter, sanè fuerunt excogitata, quædam sunt communia peccata, quędam propria. Communia omnibus hæc. Primum, quod agentem intellectum diuersum prorsus à patibili patienteúe fecerũt. Alterum, quod eum separatam substantiam esse, præter Albertum cæteri voluerunt; primam causam & Deum Alexander, cæteri secundam quampiam intelligentiam: de quibus satis in superioribus disputatum est, vbi de agente intellectu dicebatur. Tertium, quod agentem intellectum fieri patibilem formam dixerunt; cùm non aliam, quàm agentis & patientis vim in illis agnouerit Philosophus in tex. 17. & 18. Quartum illud est, siue Deum, siue intelligentiam aliam, intellectus nostri formam euadere. Quippe neq. integra & perfecta natura fieri alterius forma potest, minimè verò prima omnium causa Deus : neq. in intellectu nostro ea potestas est, qua materia esse possit. Quintum illud, fœcilitatem nostram in hac vnione cum agente intellectu positam esse. Quam tamen Philosophus in actione virtutis agnouit, & in 18. in moralium lib. cap. 7. & 8. in actione posuit sapientiæ, quam in libro 6. summam theoreticarum scientiarum esse voluerat : in cognitione inquam separatarum scientiarum, quæ per thoreticas scientias haberi potest; & non in illa intellectus vnione.

Sextum illud; quod accipiunt id, de quo desputatur, intellectum non separatum cognoscere separata. Non enim ostendunt hoc fieri posse : sed solùm quemadmodum eueniat explicare conantur. Solus Auerroës in comment. 1. lib. 2. Metaph. probare aggressus est. Probatio autem fuit; quia si substantiæ illæ cognosci à nobis non possent, essent otiosę. Ridiculæ verò probatio, inquiet S. Thomas : quasi vero nostra cognitio finis illarum substantiarum esset: aut si à nobis non intelligantur, intellectus alij

non ad sint, à quibus intelligantur. Nam & sol si à vespertilionis oculo non videtur, ab Aquilæ & aliorum animalium oculis cernitur.

Contra Alexandrum.

Alexandri verò proprium est; quod intellectum nostrum licet materialem & mortalem immaterialia fecit & immortalia cognoscentem. Qua sanè in re Alpharabiũ cohærenter magis loquutũ fuisse notat Auerroës; qui cùm intellectũ mortalẽ fecisset, eum negauit separata cognoscere. Etenim verũ est illud Simplicij in com. tex. 35. cognitricem facultatem aut eiusdem cum re cognoscenda, aut superioris conditionis esse oportere. Possunt enim immateriales naturæ tum immateralia tum materialia cognoscere: At materialis facultas materialiũ duntaxat, non immateralium, cognitrix fuerit. Et quænam alia sit causa, cur sensus & phantasia & omnino belluarum genus immateriale nihil percipiat, solius hominis hæc cognitio sit. Nisi quod in illis materialia omnia sint, homo solus spiritali virtute intelligendi polleat. Materialia quidem certè vt intelligantur à nobis, separantur à materia fiuntq. immaterialia: quòd nimirum materia intellectioni sit impedimento. At materialis virtus quomodo abstrahat à materia? Et si materialia non intelligit sibi similia, quomodo immaterialia intelliget? Si posset materialis intellectus immaterialia cognoscere, posset ipse immaterialis fieri. Intellectio namque assimilatione fit; & idem sunt intellectus actu & intellecta res. Denique scitum est peruulgatum illud Philosophorum axioma certissimum; Immateriale omne esse intelligens, & rursum omne intelligens esse immateriale. Sicut igitur nullum potest esse immateriale, quod non intelligat; ita nec materiale quidquam intelligendi vi præditum sit. Omnésque item consentiunt intelligendivim ex materiæ consortio hebetari plurimùm ac labefactari; atque intellectum nostrum, licet immaterialem & spiritalem, ex corporis sensuúmque societate in intelligendo maximè impediri. Audi quid inter cæteros antiquus scripsit Plantonicus.

Materiale virtutẽ immaterialia nõ cognoscere.

Maximus Tyrius serm. 1.

Intellectus, inquit, sensuum consortio plebeius factus ita moribus plebis assueuit, vt popularibus sensuum loquatur vocibus; nilque aliud esse arbitretur, quàm quòd videri, audiri, olfieri, gustari, ac tangi queat. Igitur quemadmodum in epulo nidoris pleno, in quo permultum vini miscetur, estque tibiarum, fistularum, saltationúmque strepitus multus & magna odoramentorum vis; constantissimus ille sit, qui colligens se se ac contrahẽs; ab illis omnibus auocet sensuum séque sobrium ac temperatum præstat. Ita etiam variæ obstrepentibus sensibus magni negotij est inuenire mentem frugi, quæ adeò se se ab his explicet vt sua ipsa possit spectacula intueri. Cùm enim sensuum natura multiformis existat, repleatur interdum, interdum fluat; ad varias suique similes mutationes animum instruit. Vt si quando se à sensibus in stabilem firmámque intellectilium naturam conetur erigere, firmiter eam fluctuum ac perturbationum salo concussa dignoscere non possit. Quale quidem consueuit ijs accidere, qui ex nauigio descendunt in terram; quorum perdiu agitatum, iactatum, & conflictatum tempestatibus corpus, firmis stare vestigijs vix queat.

Itaque ad argumentationem illam, quasi niti Alexander videtur, respondit Auerroës propositionem, veram esse in eiusdem rationis operationibus, quæ solùm differunt maiori minoriue perfectione. At materialium vel abstractorum intellectiones magis differre, neque rationis eiusdem esse. Quòd verò Auerroës ipse addidit, propositiones primas fieri ab intellectu agente, minùs videtur verum. Quippe illius munus esse dicitur ab Aristotele & Peripateticis, vt intellectilia potestate faciat actu; deillis autẽ iudicare alterius est intellectus. Ac rursum quod adiecit, intellectum adeptum phantasmatibus non indigere, viderint sapientiores, num consentiat cum celebri illa Philosophi propositione in tex. 30. de intellectu pronuntiata quandiu in corpore commoratur, Nunquàm sine phantasmate intelligit anima.

Text. 30. de Anim.

Quamquàm quod ad Alexandrum attinet, sententiam hanc, quam illi Auerroës tribuit, opinor accepit ex cap. 18. lib. 2. de Anima, vbi hæc sunt illius verba. Et aliquid etiam per se intellectile sua natura tale existens. Hoc sanè ipsam intellectus potestate, vbi perfectus & auctus est intelligit. Quemadmodum enim ambulandi potestas, quam homo, cùm natus est, habet, in actũ prodit per progressum temporis ipso perfecto atq. adulto, non affectione aliqua intercedẽte: eodem modo intellectus perfectus tum quę natura intellectilia sunt intelligit; tum etiam ea, quæ sensilia sunt, intellectilia, sibi reddit, tanquàm existens actiuus. Quibus verbis fatetur quidem Alexander tunc demum intellectũ immaterialia intelligere, cùm fuerit perfectus ac probè excultus; nam & Philosophus in tex. 8. dixit, tunc demum eum posse se ipsum intelligere, cùm fuerit singula factus. At quod imponit illi Auerroës perfectionem illam interpretatus, cùm agentem intellectum vt formam susceperit; vt nec intellectum adeptum, ego quidem certè apud Alexandrum non reperio. Itaq. intellectum potestate vt materialem voluit Alexander ab agente vt efficiente aut artifice perfici, tũ vero vt intellectilia & immaterialia cętera, sic agentem illum intellectum intelligere, neque alio modo coniungi, quam obiecta cæteraintellecta cum intelligente intellectu coniungantur. Perfectio autem ea per continuatas est actiones, quibus abstractioni ita assueuit, vt iam non sit illi opus ad singularia descendere eáque comparare, sed naturas ipsas per se concipere possit facultate illas formas à materia absoluendi absolutáq. intelligendi, quam longo sibi vsu comparauit, velut vt habitum medium inter intellectum potestate & intellectum actu, qui est agens.

Cont. Auer.

Auempace autem, etsi in eo sequutus Alexandrum sit, quòd materialem & mortalem intellectum nostrum fecit, & ideò vel hoc solo nomine audiendus non esset: secus tamen, quàmille, de proposita quæstione ratiocinatus est. Neque accepit, sed probare tentauit, intellectum nostrum separatas illas substantias posse cognoscere. Potest namque rerum quiditates cognoscere, nec solùm quiditatem à materia, sed vnam etiam quiditatem ab alia separare. Si igitur quiditatem abstrahit à materia, vt eam cognoscat, multò magis quæ solam habent sine materia quiditatem, cognoscet. Dum enim abstrahit, eò tandem progredietur, vt simplicem inueniat eiusmodi quiditatem, quę separatarum substantiarm quiditas fuerit.

Huic argumento respondet Auerroës, quiditatem materialẽ immaterialem non dici synonymè quiditatem, & ideò dum intellectus materialis abstrahit quiditates à materia eum non posse ex illis imhit quiditates à materia eum non posse ex illis imhit quiditatum cognitionem venire.

Præsertim

Præsertim quòd nec ex vnius rei materialis quiditate res alia materialis disparata cognoscitur. Adde abstractionem illam solius esse rationis atque ab intellectu profectam; nũc autem sermo est de abstractis re ipsa. Et ea quidem, quæ ratione sola separantur, obiectum intellectui abstrahenti proportionatum & ab ipsomet quodammodo fabricatum existunt: at non item ea, quę re ipsa & sua natura separata sint & abstracta. Neque proposita nobis disputatio fuit de cognitione, quę abstractione ac ratiocinatione constet; sed de ea, quæ clara præsentis rei sit.

Philoponus. Cæterùm ad Græcos Peripateticos redire præstat, eorúmque argumenta perpendere. Et Philoponum quidem præter Platonicum illud, quòd initio commemorauí, nihil aliud adferre video, nisi triplex Philosophum intellectile obiectum fecisse; primum immateriale, postremum materiale, mediúmque Mathematicum: & prima quidem ἀφαίρεσις esse sinecque phantasia intelligi Mathematica phantasiæ, materialia phantasiæ sensúsque vsu. Tum de primo huius partitionis membro probabili disputatione inducta illud solùm addit; ex materialibus quidem ad immaterialia progrediendum esse: quippe aspectabilis hic mundus tam admirabili ordine tantáque rerum varietate constans ad diuina nos euehit; tuncque per phantasiam intellectum operari, at sine illa deinceps contemplari substantias inuentas posse. Quæ omnia sunt sanè vera; sed claram, quam quærimus, rei præsentis cognitionem non continent.

Intellectile triplex.

Themistius. Meliùs videbitur ex sola intellectus virtute intellectionisque natura Themistius argumentari. Si enim, inquit, materiales naturas intelligit intellectus noster amoliendo materiam, longè faciliùs intelligat necesse est ea, quæ per se abstracta cognitionem nostram non retardant. Verùm hæc argumentatio, si de intellectu per se atque à corpore libero accipiatur, est sanè optima. Sin autem quandiu moratur in corpore, verè iam occurrit Auerroës, substantias quidem illas intellectiles esse; Immò magis, quàm ea, quę materialia sunt: at propter intellectus nostri imbecillitatem non intelligi. Corpori naímque immersus sensibúsque ac phantasiæ mancipatus attollere se se non potest ad ea, quæ à materia & corpore sunt remotissima. Et sol quoque maximè aspectabilis est; ab imbecillo tamen vespertilionis oculo non aspicitur: & nos colorem meliùs, quàm solem, cernimus; etsi sol magis, quàm color visilis sit. Deinde cùm æquè semper intellectiles sint illæ substantiæ, cur non statim à principio vitæ ab hominibus omnibus intelliguntur; sed in vltima tantùm senectute, & à paucissimis, qui diu multúmque fuerint in scientijs exercitati?

Simplicius. Ad extremum Simplicius duplicem prorsus huius rei rationem significauit. Alteram quia intellectus ipse immaterialis est, impermistus corpori, neque dum operatur vllo vtitur corporis instrumento. Quare in seipsum quoque redit & seipsum intelligit, eodémque modo cæteras item immateriales substantias intelligere potest. Alteram, quàm Alexandri quoque fuisse ex eodem Simplicio cognoscimus, quoniam à materialibus & inseparabilibus ad immaterialia & separata conscendit intellectus noster. Et quamuis propter sui declinationem ad corpus & exteriora atque ad secundas vitas, phantasiam & sensum, factam, non potest ad superiora illa & immaterialia se se statim erigere dum tamen à materialibus & corporeis incipit, illisque tanquàm superiorum imaginibus occurrit, velut ab imaginibus recedens ad exemplaria prima se se attollit, atque in se ipsum regrediens se seque colligens intelligit immaterialia omnia.

Quarũ rationum si momenta ponderes, priorem animaduertes persuadere quidé posse immaterialé intellectũ eius esse naturæ, vt immaterialia cognoscendi vim habeat: At quãdiù materiali corpori sensibusq. corporeis est alligatus impeditur illi' operatio. Et ille ipse interpres non semel accipit cognitricem facultatem cognoscendæ rei parem esse oportere; separataq. illæ substantiæ longè intellectu nostro, præsertim nondum separato, superiore existunt. Posteriorem verò fortasse ἀναφοράν, non νόησιν, continere. Fuitque Platoni cum dogma; totum hunc corporeum & aspectabilem mundum ad Archetypi & idealis mundi similitudinem fuisse conditum: esseq. velut librum omni literarum genere obsignatum, in quo superiora & à sensibus nostris remota perlegantur, Synesius & veteres quamplures tradiderunt. Verùm hęc Peripateticus, qui mundum negat de nouo conditum, facilè non admittat. Et vt verè dicantur, ad solius opificis Dei, in cuius mente Archetypus & idealis intellectilis mundus residet, non ad generalem separatarum mẽtium cognitionem faciunt: neque claram Dei notitiam pariunt; sed quædam indicant attributa, quæ illi per comparationem ad res creatas conueniunt. Omninóque obscura est & imperfecta cognitio.

Mundus liber.

Nimius sim & lectoris abutar patientia, si persequar singula, quæ à pluribus alijs excogitata fuere. Tota tamen hęc auctorum dissensio, in qua nihil adfertur, quod probabilitatem habeat, maximo potest esse argumento, id eos explicandum accipere, quod nulla ab ipsis ratione doceri & explicari possit.

Auctorũ sententia.

Ego rem totam tribus propositionibus definiendam censeo. Prima est, intellectum nostrum sua natura idoneum esse ad substantias illas cognoscendas, naturalique illius desiderio teneri. Altera, natu-li huic aptitudini ac desiderio quandiu corporis huius vinculis detinetur, satisfieri planè non posse. Tertia, vbi fuerit is à corpore separatus tum demum cumulatè satisfactum iri. Ita ferè definitum quoq. fuisse reperies à S. Thoma in com. tex. 1. lib. 2. Metaph. & in prima parte Theologicæ summæ quæst. 88. & lib. 3. contra gentes, atque à cæteris penè omnibus, qui deinceps Philosophati sunt.

Intellectum aptum esse ad separatas substantias cognoscendas.

Naturalis aptitudo ac desiderium quoquomodo cognoscendi, sed etiam clarè videndi, tum cęteras illas substantias, tum maximè primam omnium Deum, ex duplici cap. petuntur. Primùm, quòd intellectus nostri obiectum ens intellectile omne compræhendit, substantięque illę intellectilia entia sunt; immò vt maximè & prima entia, sic maximè & prima intellectilia, præcipuáq. obiecti pars. Atq. facultas omnis naturalem habet aptitudinem & propensionem ad totum suum obiectum, ex quo vim & naturam accipit; maximéq. ad præcipuam illius partem, cuius præsertim cognitione perficitur: Deinde quòd in illa cognitione fælicitas omnis nostra consistit, estq. is finis vltimus naturæ nostrę siue à natura, siue ab auctore potius naturę positus. Vnumquodq. autem tum instinctu naturę tendit in suum finem atq. illius desiderij stimulis incitatur, tum eius capax est. Sanè hoc desiderium in seipso animaduertit vnusquisque capacitatéque argumentum est aliqualis illa, quam interim, dum viuimus, cognitionem illarum consequimur.

Non possemus hac vita clarè illas cognoscere.

Quo tamen tempore nec desiderio nec capacitati huic prorsus satis fieri potest: quod dum crassi huius & materialis corporis forma est intellectus noster, vt essentia, sic operatio tantopere cum eo est colligata, vt quamuis instrumento corporeo non vtatur intelligendo, nihil tamen nisi à corporis sensibus subministratum intelligat. Quam ob causam exantiquis Philosophis multi entia immaterialia prorsus negarunt; alij paucissima de illis eáq. permultis erroribus inquinata cognouerunt. In Deo verò, prima & suprema substantia, multò maior difficultas. quoniam cùm intellectio assimilatione fiat obiecti cum intellectu (vnde & illud in libro de causis propositione octaua; intelligentiam intelligere omnia per modum suæ substantiæ) sicut res materiales eleuari debent & fieri immateriales, vt intelligantur; sic diuinam naturam de primi ad intellectus nostri conditionem oportet; nec intelligetur vnquàm vt ipsa est in se. Deinde naturali quidem ratione concludimus finem hominis in hac vita non esse, neque creatum vllum bonum, neq. cognitionem humano labore comparatam. Tum quia hæc hominis conditione inferiora sunt; neque in illis appetitus noster quiescit. Tum quia non hominibus omnibus, Immo paucissimis communia sunt; toti vsq. speciei finis esse omnibus communis debet. Tum etiam quia cùm immortalis sit hominis anima, ad præsentem hanc breuem vitam contrahendus non est illius finis. Et cùm scientiæ non hominem totum, sed animam; immò theoreticæ omnium præstantissimæ intellectum solum perficiant; finem necesse est in alia vita quærere diuiniusque multò bonum continere, quod hominis totius perfectio sit. At si in Deo est finis noster, cùm ille sit primum ens, non ab alio productum; & ideò ens per essentiam, illimitatum & infinitum perfectione, ac proinde etiam agendi virtute (quippe virtus vel est ipsa essentia, vel essentiam comitatur), plurima profectò in eo sunt, quæ non solùm finito, sed imbecillo & cæcutiente lumine intueri non possumus. Taceo incomprehensibilem illam & ineffabilem personarum in vna essentia Trinitatem. Tum quia nulla sunt naturę principia, quę nos eò deducant: satisque laboramus, vt eam tueamur naturæ principia non reuertere. Tum quia si ad effecta nos conuertamus, Trinitatis illius opera omnia, quæ extra ipsam fiunt, inseparabilia sunt atque à Deo procedunt quatenus Deus est, non quatenus persona: quare ex illis quoquo modo Deo naturam, personas nullo modo cognoscimus. Et qui veteres auctores aliqui exempla proposuerunt, fateri coacti sunt simile nullum exemplum prorsus adferri posse. Propterea de Deo, etiam vera dicere periculosum esse, sapiens quidam pronuntiauit: & alius silentium magis eligendum. Est enim is verius, quàm cogitetur; & cogitatur verius, quàm dicatur; quòd omnino digna de illo dici non possit. Et vniuersè damnarunt semper veteres eorum omnium audaciam, qui proprijs confisi viribus cognitionem illius quærerent; quòd nec mente concipi nec definitione comprehendi queat. Nostrámq. omnem cognitionem ad caliginem quandá deduxerunt, in qua quid non sit potiùs cognoscamus, quàm quid sit; verioréque negationes sint, quàm affirmationes; & omnino summa scientia sit ignorationem fateri atque in silentio maiestatem diuinam admirari. Scitum est, illud Simonidis; qui interrogatus quid sit Deus, diem ad deliberandum postulauit; deinde biduum; tum duplo plures dies, ac demum respondit, quanto diutiùs cogitaret, tanto rem sibi obscuriorem videri. Nihilque. Areopagita in lib. de diuinis nominibus cap. 1. cogitandum esse aut dicendum de diuina natura volunt, præter ea, quæ sacra tradiderunt eloquia, in quibus ipse se ipsum nobis manifestauit. Certè aptissima vtitur Aristoteles similitudine, vbi vespertilionis oculo solis lumen non sustinenti similem intellectum nostrum fecit. Et Platonis est illud in Cratylo, Per Iouem nos quidem, si mentem haberemus, præsuum rectitudinis modum arbitraremur fateri nihil nos de dijs cognoscere, neque de ipsis inquam, neque de ipsorum nominibus, quibus ipsi se vocant. Et in Philebo Deum ait non propriaui, sed ipsius fauore ac lumine sibi cognitum. Etin 7. de repub. summi boni idea vix ac ne vix quidem videri potest. Et omnino tum ipse in Timæo, tum Iamblicus in lib. de Mysterijs cap. 1. & Phorphyrius in libro de Occasionibus cap. quomodo intelligitur quod est superius intellectu, & Ammonius in lib. Categoriarum, cap. de substantia, aliique non pauci. Deum negatione à nobis cognoici tradiderunt: quemadmodum, inquit Porphirius, somnus negatione vigilię cognoscitur. Sic enim Proclus in lib. de Anima & Dæmone, & Plotinus in lib. de bono vel vno cap. 3. & 4. ratiocinabantur. Omnis cognitio in vnitate consistit, hoc est vt Peripateticeloquuntur in conformitate cognoscentis cum re cognita, nihilque magis cognitionem impedit, quàm vnitati contraria multitudo. Itaque vt Deum cognoscas, ab omni tumultu rerúmque multitudine discedendum est, hoc est res aliæ omnes remouendæ à Deo sunt, vnáque & simplicissima separata natura consideranda est. Quatuor autem maxime remouebis, omnem vim corporis, mutationem omnem, omnem priuationem & carentiam cuiuslibet actus & perfectionis, ac demum similitudinem omnem cum rebus creatis. Quibus omnibus remotis abstractione vtaris atque à cæteris omnibus rebus simplicem & infinitam separes: hanc Deum nominamus. Cæterum cognitionem hanc verissimè dixit Areopagita in caliginem quandam & obscuritatem seu mentis stuporem definere, quo superantem & nostram omnem intelligentiam superantem diuinitatem admiramur potius, quàm quid ipsa sit comprehendamus: magisque cognoscimus quid non sit, quàm quid sit. Manifestæ namque sunt & euidentes negationes, obscuræ prorsus acincertæ affirmationes. Itaq. viam, illá quâ posterioris verbis libri de substantijs cognoscentibus ad superiora cognoscenda docuit Plotinus (omnia, inquit, prorsus de medio tolle) non solum ita interpretabimur, vt inclinationes ab appetitu, imagines à phantasia, discursiones à ratione, ac demum compositiones omnes ac diuisiones à nobis; sed etiam vt inferiora omnia & quæ in cæteris rebus cernuntur, à supremo illo ente Deo remouere oporteat.

Finem hominis in hac vita non esse.

Trinitatē personarum in Deo natura duce nō cognoscī.

Dei cognitio difficilis.

Cicero de natura Deorū.

Cuius rei ratio est, tum generalis, & communis, tum specialis & propria. Generalis & separatis omnibus substantijs communis ea est, quam iam significauimus: quòd intellectus noster propter commercium cum hoc corpore duo habet, alterum, vt ab illius sensibus in principio suæ cognitionis iuuetur, primū ab exteriori sensu, deinde ab interiori, vnde illud, phantasma semper aliquod inspiciendum esse. Alterum, vt post phantasmatis inspectionem & propositum sibi à phantasia obiectum, non solum non adiuuetur à sensu, quin in suo actu promendo impediatur

impediatur potius, quoniam illius operatio immaterialis prorsus est atque ab omni sensu abstracta, sensúsque materialis vt materialia sola comprehendit, sic ad materiæ semper concretionem trahit, purámque intellectionem retardat & inquinat. Multis hunc locum persequutus est in Phædone Plato, nihilque cum corpore ac sensibus purè & sincere cognosci posse ostendit.

Intellectus alienatio triplex à sensibus.

Quocirca eò perfectior erit immaterialium præsertim obiectorum cognitio, quo magis fuerit intellectus abstractus aut à sensibus alienus. Quod tribus modis euenit: aut quod penitus à corpore separetur: aut quod si sit in corpore, corpus tamen aliam habeat conditionem, nec impediat animam, sed illi in omnibus obsequatur quale erit gloriosum corpus post resurrectionem; quam aliquando futuram speramus. Aut denique quòd si mortali hoc adhuc corpore contineatur, sensuum tamen operatio prohibeatur; quemadmodum in somno aut etiam vigilia, si oculos claudas aut aures vt contempleris meliùs. Quò verò magis obiectum est à sensibus natura remotum, eò maiori opus est ab illis alienatione, vt perfectè illud intelligas. Propterea maiorem immaterialia, spiritalia, & super naturalia, quàm obiecta naturalia, postulant. Et S. Basilius in Psal. 28. & proœmio commentariorum in Isaiam, propheticam

Prophetia visio somnijs persimilis.

visionẽ scripsit insomnijs persimilem esse, semperque ad modum somnij, hoc est per alienationem à sensibus fuisse factam. Quod verba illa testantur, quæ leguntur in lib. Numerorum c. 12. Siquis fuerit
» inter vos propheta domini, in visione apparebo ei,
» vel per somniũ loquar ad illum; hoc est aut vigilanti ant dormienti, semper tamen cum alienatione à sensibus. Nam & visio omnem significat alienationem, & in somno manifestum est ligari sensus: atq. in huiusmodi visionibus ferè leguntur verba, quæ alienationem significent; sed non est huius loci commemorare.

Si vsitata igitur intellectus contemplatio aliqua eget à sensibus alienatione; maioremque supernaturalium rerum postulat reuelatio, quod hæc naturalem intellectus virtutem superent; Clara diuinæ essentiæ visio, quæ omnium abstractissima atque ab omni sensu remotissima est, aut sine omnimoda alienatione, aut sine singulari Dei miraculo esse non poterit. Immò verò nec omnimoda separatio intellectus à corpore, quæ cæteris separatis substantijs intelligendis est satis, diuinæ illius nobis essentiæ intuitum adfert; nisi lumen accedat gloriæ, quo ceu spiritali qualitate à Deo tributa & in intellectu nostro inhærente naturalis luminis defectus & imperfectio suppleatur; confortetúrque intellectus & eleuetur ad visionis actum circa, illud eliciendum; ac visionis demum quantitas determinetur. Quamdiu verò est in corpore, licet hoc perfunderetur lumine; quia tamen non nisi sensuum adminiculo intelligere potest, quemadmodum Dei essentia nullo sensu nec exteriori nec interiori attingitur (quippe rationem omnem sensilis obiecti excedit) ita nisi miraculo singulari alium acciperet intelligendi modum, qui à sensibus & phantasmate non penderet (qui est modus operandi animæ à corpore separatæ omnino diuinum illud obiectum non cerneret.

Lumen gloriæ videndo Deo necessarium.

A Denique ex ea cognitione, quæ abstractione nititur, petere argumentum licet. Communis quippe modus veniendi in cognitionem occultarum causarum ex rebus est ab illis effectis. At effecta nulla res est nec esse potest diuinæ perfectioni ac virtuti par: quòd nec factum sit quidquam à Deo, nec fieri possit; quando vel infinitas eius perfectione contineat (esset enim Deus) vel tàm sit perfectum, vt perfectius aliud fieri nequeat. Ex nulla igitur effecta re cognosci ea omnia possunt, quæ sunt in Deo. Anima quidem certè nostra ad Dei similitudinem condita fuisse dicitur; atque ex illa ad conditoris cognitionem prouectos fuisse Philosophos,

Ex rebus effectis diuinam essentiam non cognosci.

Ex anima nostra vt cognoscatur Deus.

B auctor est Sextus Empyricus in libro aduersus Mathematicos capite de Dijs: & sunt qui ita interpretentur illud in Apollinis templo scriptum, γνῶθι σεαυτὸν, id est si vis me cognoscere, nosce te ipsum. Aut qualis tandem est similitudo? quàm imperfecta? quæ adumbrare quidem & quoquo modo prototypum indicare, at non ad viuum referre possit. Atque vt Deum intelligas finem esse nostrum, in eius tamen clara visione ac totius hominis fruitione vltimam sitam esse felicitatem nostram; non nisi ipso reuelante cognosces. Nam quę tandem naturalis ratio doceat, quomodo & quibus medijs hunc finem consequamur? Quomodo anima separata

Claram Dei visionẽ esse quẽ nostrũ naturalis rationẽ nõ cognosci.

C corpori rursum vniatur, vt homo beandus existat? Et rursum quali corpori, mortalive an immortali? Si enim mortali, quomodo perpetua erit felicitas? Si immortali, quomodo humanum corpus ex contrarij communique materia concretum immortale? Ac demum vbinam tandem erit homo? Si infrà Cœlum, quomodo erit felix, vbi tot contraria tantaque illorum pugna? Si supra Cœlum, quomodo illuc penetrabit, aut ibi omnino erit? Hoc enim naturalis ratio non docet.

Summaria conclusio.

Sed tempus est disputationem hanc concludendi. Ergò hęc sit summa: Intellectum nostrum,

D quamdiu vt nunc habet, posse quidem omnia entia, siue materialia, siue immaterialia, cognoscere: at non omni modo; & immaterialia abstractione solum cognosci & quoad attributa quędam, quę aut ex effectis aut per comparationem ad res cęteras colliguntur. Quam ob causam in 9. Metaph. lib. ignorationem hanc nostram dixit Philosophus cęcitatẽ non esse, sed sicut vespertilionis visionem, vt in 2. libro loquutus fuerat; quia si clarè & perfectè quiditatẽ & essentiam intuemur; quoquo tamen modo imperfectè cognoscimus. Cùm autem fuerit à corpore separatus, cęteras quidem intelligentias, viribus suis intuebitur, at diuinam essen-

E tiam non nisi superiori adiutus lumine glorię. Nimirum enim obiectum illud natiuam intellectus virtutem superat. Vt ne Plotinus quidem in extremo libro de cognoscentibus substantijs dicere dubitauerit, lumen illius accipiendum esse, quo ipsum perspiciamus. Neque enim solem per alienum lumen intuemur: desipiátque quicumque per disciplinas & theoreticas scientias posse nos credidit ad claram diuinorum intelligentiam peruenire.

TEXTVS.

Νῦν δὲ ἀθρόᾳ ψυχῆς περὶ λεχθέντα συλλαβόντες, εἴπωμεν πάλιν. ὅτι ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα. ἢ γὰρ αἰσθητὰ τὰ ὄντα, ἢ νοητά. ἔστι δὲ ἡ ἐπιστήμη μὲν τὰ ἐπιστητὰ πως, ἡ δὲ αἴσθησις τὰ αἰσθητά.

Tex. 37 *Iam verò quæ de anima dicta sunt, in vnum caput colligentes, dicamus rursum, quòd anima entia quodammodo est omnia. Aut enim sensilia, aut intellectilia. Est autem scientia quidem scibilia quodammodo, sensus autem sensilia.*

COMMENTARIVS CXXXIII.

PRima huius orationis verba superiorum conclusionem quandam & quasi breuem summam significant. Consequentia verò illa (dicamus rursum) eorum, quæ dicta sunt, repetitionem pollicentur. Verùm Simplicius dum nonrepeti ea videt, quæ de vegetatione, sensu, phantasia practicóque intellectu fuere tradita; verbum illud (συλλαβόντες) putat referendum non esse ad illud (dicamus neque cum eo coniungendum; quasi superiorum summam dicturus sit; sed superiora ita respicere, vt illorum finem & conclusionem significet; tantundémque valere, ac absoluentes finémque illis imponentes. Cui duo statim licet obijcere. Primùm vocem illam (κεφάλαιον) caput vbique significare; mirúmque videri, si caput finem interpretemur. Deinde illud (dicamus rursum) omnino repetionem significare. Repetit autem ex superioribus, animam esse quodammodo omnia: quibus intellectum actu idem esse cum re intellecta; Et sensum item actu idem cum re sensu percepta, dictum antea fuerat. Nec ab re dixit Philoponus communem hanc esse conclusionem eorum omnium, quæ de cognoscentibus omnibus facultatibus tradita sunt. Quæcumque enim cognoscuntur, aut sensu cognosci possunt, aut intellectu, neque in nobis, in quibus omnes cõtinentur, alia est facultas cognitrix; quia nec cognoscendũ aliud obiectũ est: si sensus nomine non exteriorem modò, sed interiorem quoque & phantasiam compræhendas. Quippe sensilia Philosophum intellectilibus opposuit; vt φαντασὰ quoque & omnino quæcumque intellectilia solùm non sunt & non sensilia, complecteretur.

Vt anima sit omnia entia.

Non absolutè tamen omnia entia est anima: quoniam ipsa specialem quandam & peculiarem habet naturam à cæteris omnibus entibus, tum sensilibus, tum intellectilibus, diuersam. Propriũ illud est solius Dei & primæ causæ, quæ cũ ab alio non habeat entitatem suam, non est ad vllam entis partem determinata, sed illimitata prorsus & infinita; & ideò ens per essentiam, non per participationem; veréq. omne ens, dum omnem vim entis habet. Anima vt habet causam sui esse, sic & determinationem; neque est omne ens, sed hoc duntaxat & non aliud. Propterea non absolutè, sed quodam modo esse omnia entia dixit; quoniam id cognitione solùm quoquo modo assequitur, dum omnia cognoscendo omnia in seipsam transfert: neque hoc animæ vt anima est conuenit, sed animę solùm cognoscenti, & vt cognoscens est. Deinde etiam quoniam non ita vt sunt in seipsis, ea in se transfert, totámq. illorum entiatem suscipit: sed solam formam abstracta materia. Propterea quodãmodo hoc est nõ secundũ totũ, sed secundũ partẽ. Neq; enim vt mox dicemus, lapis est in anima, sed lapidis forma. Tũ verò quoniam illam ipsam non talem, qualis erat in materia, suscipit, sed cognoscendo ita immutat, vt non solùm superet à materia, sed immaterialem quoque sensus quoquo modo, intellectus penitus, efficiat. Propterea quodammodo; hoc est immaterialia modo. Rursum quodam modo, hoc est ad ipsius animæ capacitatem & conditionem accomodatè, tum in sensu, tum in intellectu: Et materialia quidem eleuat intellectus & meliora facit, immaterialia verò & penitus abstracta deprimit atq. ad suum caput cõtrahit. Hæc est cognitionis vis, hæc animæ potestas, qua diuinam quoquo modo conditionem, humana præsertim, æmulatur anima, hic ornatus & perfectio, quam sibi cognoscendo acquirit. Ac demum quodam modo, hoc est aut actu aut potestate, vt ex consequenti Philosophi oratione intelligetur.

At quorsum hæc nunc à Philosopho dicuntur. S. Thomas Auerroëm puto sequutus eum credidit postquàm de sensu & intellectu dixit, & ijs docere voluisse, quid sit de animæ natura tenendum. Verùm quid erat opus? De natura enim & substantia animæ in principio dixit 2. libri neque hęc, quę hoc tradunturloco, ad naturam, sed ad cognitionem pertinent. Ego summatim ex dictis opinor colligi aliqua, quæ ad cognitionis naturam pertinent, cognitioniq. tum sensus tum intellectus communia sunt. Quod ipsum nimirum ad intellectus & sensus comparationem antea institutam pertinet. Vtriq. enim commune est suscipere formas sine materia, locúmq. formarum esse, siue sensilium, siue intellectilium, & ideò in animam cognita obiecta traducere, illámq. omnia quodammodo facere. Videbant namq. instituta illa comparatio interrupta, huius, dum de abstractorum, tum Mathematicorum, tum penitùs separatorum, dixit: in aliudq. tempus dimissa disputatione, an intellectus nondum separatus separata cognoscat, nunc inquit comparationem institutam prosequentes dicamus &c. Hoc significant illa omnia verba, νῦν συλλαβόντες, & dicamus rursum.

Nec vereor dicere quæstionem de separatorum intellectione propterea in aliud tempus reiectam, quòd demonstrandum antea esset separatas eiusmodi substantias esse, nunc tacitè & subobscurè explicari, dum anima statim subiungitur esse quodammodo omnia, quia cognoscit omnia. Si enim est omnia & cognoscit omnia, quæcumq. sunt & cognosci queunt, substantias quoq. illas, si vlę sint, cognoscet. Nec sine causa sensilibũ & intellectilium distinctionem subiunxit: sed vt ea quoque comprehenderet, quæ intellectilia solùm sunt, non sensilia. Cuius generis illæ nimirum substantiæ sunt.

TEXTVS.

Πῶς δ' ποτε, δεῖ ζητῆσαι. πρώτου μὲν ἢ διστέον ἢ ἁπλῶς. ὅτι εἰς τὰ σχεδιώματα. ἢ μὲν δυνάμει, εἰς τὰ δυνάμει, ἢ ἐντελεχείᾳ, εἰς τὰ ὄντα ἐντελεχείᾳ. τῆς δὲ ψυχῆς τὸ αἰσθητικὸν, ᾗ μὲν αἰσθητικὸν, δυνάμει ἐστὶ τοιοῦτα. ὅταν τὸ μὲν ἐνεργήσῃ, τὸ δὲ αἰσθάνηται.

Quemadmodum autem hoc oportet quærere. Diuiditur igitur scientia & sensus in res. Quæ quidem potestate, in res potestate, quæ verò actu, in res actu. Animæ autem sensitiuum & scientiarium potestate hæc sunt, alterum quidem scibile, alterum autem sensile.

COMMENT

COMMENTARIVS CXXXIV.

QVid in his agat Philosophus, ostendunt prima sermonis verba. Exponit enim illud, quod scientiam dixerat scibilia esse quodam modo, & sensum item sensilia. Satius enim est ad proxima referre, quàm ad remotiora, quomodo anima sit omnia, quod Auerroës fecit. Certè Philosophus verè dixit superiora repetenda esse, & prætermitti potuissent, nisi comparationem sensus faciens ostendere voluisset eodem modo rem in vtroque habere.

Diuiditur igitur scientia & sensus quemadmodum & res. Auerroës conuersam propositionem fecit, res diuidi quemadmodum diuiduntur differentiæ animæ facultatum. Vt enim sensus & intellectus aut potestate sunt aut actu, ita & sensile & intellectile. At naturæ inuertit ordinem. Neque enim res & obiecta naturam suam & differentiam ex facultatibus accipiunt, sed facultates potiùs ex obiectis, quibus & constituuntur & distinguuntur. Et ideò Philosophi verba non sunt. Res diuiduntur in scientiam & sensum, sed contra, scientia & sensus diuiduntur in res. Vt quemadmodum res aut potestate dicuntur scibiles vel sensiles (scientiam autem & scibile non propriè dixit, sed pro intellectione & intellectili, speciem pro genere, posuit) aut actu scitę vel sensu perceptę, ita & scientia & sensus tum potestate tum actu considerantur. Scientiámque aut sensum potestate cum scibili aut sensili potestate, & scientiam vel sensum actu cum scibili vel sensili actu, singula cum singulis sibi similibus & eiusdem generis comparare oportet. *Scientia & sensus potestate vel actu.* Scientia enim & sensus potestate sunt scibilis & sensilis potestate, actúque scientia & sensus scibilis & sensilis actu. Scientiáque & sensus actu idem sunt cum scibili & sensili actu: quę verò potestate dicuntur, non item. Animę namque facultas sensitiua aut scientiaria, quę inquam ad sentiendum & sciẽdum est potestate, nequaquam est idem cum ipso sensili aut scibili, sed potestate est ad illa, sensus ad sensile, intellectus ad scibile siue intellectile.

Hinc verò consequens illud est, quòd anima dicebatur esse omnia entia, nõ absolutè, sed quodammodo, nempe quatenus est actu sentiens aut intelligens. Itaque cùm Philoponus illud (quodammodo) interpretatus est, immaterialiter, non materialiter, quia facultas cognoscens formas absque materia, & vt Simplicius quoque loquitur, non ipsa sensilia, sed sensilium formas suscipit, rem potiùs veram, quàm interpretationem veram dixerunt, & nos quoque in superiori commentario alia quædam adiunximus. *Vt anima sit omnia entia.* Sed Philosophi nunc sententia fuit, animam esse omnia quodammodo, hoc est quando est actu, non quando potestate solùm. Hæc superiùs, inquit Themistius, affatim docuimus: quemadmodum in 2. libro tex. 53. & sequentibus, & tex. 142. & alijs in locis. Et Simplicius quoque fateri cogitur ea nobis in memoriam reuocari, quæ iam dicta fuere.

Et intellectũ & sensum actu esse idem cum re. Sed cum in sensu quidem formas in ipso susceptas distingui ait à sensilibus extrinsecùs positis; in intellectu autem non item scientiam à rebus, quæ sciuntur: audiendus non est. Tum quia si Philosophus intellectum seu scientiam actu dixit esse idem cum re intellecta seu scita; sensum quoque actu affirmauit esse idẽ cum re, quæ actu sentitur. Tũ quia vt in sensu, ita & in intellectu non lapis, sed lapidis forma suscipitur: nec minùs intellectio lapidis, quã lapidis sensio à reali lapide extrinsecùs posito; aut dum separatam substantiam intelligo, intellectio illius in meo intellectu à reali & existente ipsius natura distinguitur. Neque speciatim de sensu, sed vniuersè de anima pronuntiauit Philosophus, non lapidem, sed lapidis formam esse in anima. Perfectior tamen idẽtitas quædam in intellectu cernitur, quàm in sensu; dum intellectus seipsum intelligit; quod omnino sensus non potest. Quoniam tamen creata quæuis intellectio accidentaria est intelligenti naturæ; aliud in illa ipsa est res, quæ intelligenda proponitur; aliud intellectio, quæ tanquàm illius forma in intellectu suscipitur. Ergò dum sensum aut intellectum actu idem esse dicimus cum re, quæ actu sentitur aut intelligitur; non de re dicimus extrinsecùs posita, sed de illius forma in sensu aut intellectu susceptа. Ea enim est cognitionis vis, vt in se rem cognitam transferat sibique vniat atque eandem faciat. Ita anima cognoscendo fit omnia; quæque actu cognoscit omnia, verè est omnia. At si non actu cognoscat, vt potestate est ad omnia cognoscenda, sic potestate est omnia.

TEXTVS.

Ἀναγκαῖον ἤτοι αὐτὰ, ἢ τὰ εἴδη εἶναι. ἀλλὰ μὴν τὸ μὲν οὐ. οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ ψυχῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος· ὥστε ἡ ψυχὴ ὡσανεὶ ἡ χειρ ἐστί. καὶ γὰρ ἡ χειρ ὀργανόν ἐστιν ὀργάνων, καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν, καὶ ἡ αἴσθησις εἶδος αἰσθητῶν.

Necesse verò aut ipsa aut formas esse: etenim ipsa sanè non. Non enim lapis in anima, sed forma. Quare vt manus est. Manus enim instrumentum est instrumentorũ, & intellectus forma formarum, & sensus forma sensilium.

COMMENTARIVS CXXXV.

AVerroës & S. Thomas contra antiquos hæc arbitrantur fuisse dicta, qui animam nostram res ipsas esse atque ex rebus omnibus compositam esse voluerant, vt cognosceret omnia: quippe simile cognoscitur simili. Verùm quidquid sit de hac veterum opinione; illorum sanè nulla hîc mentio, sed negotium suũ agit Philosophus: siue explicet quẽadmodum sensus sensilia sit scientiáque scibilia: siue id, quod animam dixerat esse quodãmodo omnia. Vtrumque autem fit, quòd aut res ipsę, quæ cognoscuntur; aut certè ipsorum formæ in cognoscente anima suscipiantur. *Vt anima sit omnia.* Posteriorem autem eligit partem, & quidem absque probatione: quoniam manifestum erat nec lapidem nec res cæteras vt in seipsis sunt, ita in anima suscipi. Suscipiuntur autem eorum formæ; quoniam vis cognitrix susceptiua formarum est sine materia, cognitioque cognitæ rei formam in cognoscentem trãsfert. Forma verò dat esse, immò est esse cuiusq. rei proprium & speciale: Quare dum anima rerũ omniũ formas suscipit, verè fit omnia. Diximus hac de re plura in superioribus dũ præsertim Philosophus sensum diceret facultatẽ esse formarum sensilium susceptricem sine materia;

ex quibus loci huius interpretatio petenda erit. Hoc est non lapidem, sed lapidis formam susciperе. Sed quod ibi de sensu speciatim dixit, hìc vniuersè de anima pronuntiauit; vt intellectum quoque cõprehenderet: ille siquidem sensiles, hic intellectiles formas absque materia susciрit. Animámque non omnem, sed eam, quæ cognoscens sit, intelligas.

Contra species intentionales & intellectiles.

Formas verò non eas dici, quas à sensione aut intellectione diuersas Latinorum plerique ponunt; sed sensionem ipsam intellectionemúe vt cognitæ rei similitudo est; duo extant hoc loco argumenta. Alterum; quòd nunc id agit Philosophus, vt sensum scientiamúe actu ostendat esse idem cum re sensili scibiliúe actu. Fatentur autem aduersarij non esse B idem cum ea forma, quam illi sensionem aut intellectionem antecedere volunt; quia nondum est sensile aut intellectile actu, sed solùm sensionis aut intellectionis accedente actu: hæc igitur, non illa, forma est, quam Philosophus loquitur. Quare cùm scientia sensioúe idem sit cum forma; forma verò sit ipsa res; scientia sensióque actu est ipsa res, quæ actu scitur aut sentitur. Alterum; quòd ex eo, quòd anima non lapidem, sed lapidis formam susciрiat, statim colligit manui animam esse persimilem. Quæ

1. *Anima vt manus simili.*

similitudo non solùm in eo est, vt quemadmodum manus omnia nobis præparat, estque instrumentum instrumentorum, dum omnia nobis manu paC ramus: sic anima sit formarum omnium locus, omnésque susciрiat, & per eam homo fiat omnia. Non enim accurata est similitudo, quæ non in eodem genere sit; & analogia potiùs, quàm similitudo: vt quod est manus in genere instrumenti, quod pertinet ad efficientem causam; hoc anima sit in genere susciрientis & materiæ; dum omnia manus procurat & efficit, animáque formas omnes susciрit.

2. Verùm etiam in eo (sic enim optima fuerit & sapienter explicata similitudo) vt quemadmodum manus est instrumentum, quo fiunt omnia, sic anima formas omnes, tum sensiles, tum intellectiles, D efficiat. Et quoniam animam posuit pro sensu & intellectu, vt vna vtrumque voce complecteretur, sensus animæ instrumentum est in sensilibus, & intellectus in intellectilibus formis efficiendis: sicut manus instrumentum est ad efficienda cætera: manus externum & externorum, sensus & intellectus interna & internorum operum, illa totius hominis, hi animæ præsertim, instrumenta existunt. Arbitror

3. etiam in ipsamet voce similitudinem plurimam contineri. Manus quippe functio propria est apprehensio, quia vnum quidpiam accipimus, relictis alijs, quæ fortè aderant: & sensus atque intellectus operatio est propositi obiecti comprehensio, quæ formam accipit relicta materia, cum qua ea forma E coniuncta est in natura. Itaque verè anima est vt manus, siue manum consideres vt manus est, siue vt instrumentum.

Intellectus & sensus simili studio & differentia.

Atque intellectus quidem & sensus in hoc conueniunt & persimiles sunt, quòd vterque forma est & velut formarum fabricator & architectus. Verùm hoc interest, quòd intellectus est forma formarum, omnium scilicet, tum sensilium, tum intellectilium, tum materialium, tum immaterialium, tum rerum singularum, tum vniuersarum naturarum: sensus autem forma sensilium duntaxat, quia sola sensilia, materialia, & singula comprehendit. At sintellectus est forma, & quidem formarum forma, profecto mera potestas non fuerit aut apparatus ad susciрiendas formas, quemadmodum in superioribus Alexandro diximus placuisse. Omnis quippe forma significat actum. Constat autem de patiente intellectu sermonem esse: quoniam is est, qui formas susciрit, quique cùm sensu comparatur eique in susciрiendis formis propositione respondet.

Paucis rem totam concludam. Tum intellectus, tum sensus, formæ sunt; non solùm materiæ & corporis, cuius sunt actus; sed etiam aliarum formarum. Formæ autem, tum productrices, tum susceptrices. Nam & cognitiones promunt rerum cognitarum formas, & eas susciрiunt; quòd illorum operatio in ipsis maneat, non in aliud transeat. Hæc est vera & germana huius loci explicatio. Namquod Simplicius dixit, voluisse Philosophũ exemplo manus ostendere facultatem rationalis animæ cognitricem inter primas formas primáque cognoscibilia intellectilia & extremas formas ac extrema cognoscibilia sensilia mediam esse; dum & ad illa ascendit contemplatione sua, & ad hæc iuxta extremam sui cognitionem descendit; sicut manus est media inter hominem, qui ea vtitur; & ea, ad quæ vtitur. Parùm omnino videtur ad rem, quam Philosophus agebat; neque illius verbis consenuit.

Magis ad rem dubitauit Plutarchus, quomodo nunc sensus formarum sensilium forma dicatur, cùm antea in tex. 6. non omnem animam, sed intelligentem solam formarum locum dixerit appellandam esse. Respondit autem ipse intelligentem animam dixisse illum, tum intelligentem, tum sentientem. At Philosophi verba interpretationem hanc non sustinent: tum quia ibi de intellectu loquebatur, vt à cæteris omnibus animæ partibus distinguitur: tum quia cùm dixit non omnem animam, sed intellectiuam solam, manifestum est cæteras eum omnes excluisse, intelligentem solam retinuisse. Altera responsio fuit Simplicij, propterea id fuisse dictum, quòd solus intellectus substantiam cognoscat substantialésque susciрiat formas; sensus circa accidentia sola versetur: vt autem accidentia non sunt absolutè entia, ita nec eorum formæ absolutè formæ dici possunt: solus igitur intellectus absolutè est formarum locus, dum substantiales & absolutè formas susciрit. Veriorem ego responsionem in illius loci commentario significaui. Solus namque intellectus absolutè formarum locus est, quia formas omnes comprehendit & susciрit; sensus non absolutè, sed certi generis, hoc est sensilium, formarum locus est; dum has solas susciрit.

Cæterùm non sine causa fortasse Philosophus Correctionem mutauit; & cùm antèa vocasset locũ, post formam appellauit formam. Nempe vt duplicem illam vim significaret, quarum altera, siue intellectus, siue sensus, susciрiunt; altera promunt ac in seipsis fingunt formas. Ne cùm appellasset locum, eas existimares aliunde aduenientes in illis tantùm susciрis, sed ita intelligeres susciрi, vt inde etiam nascanturatque ab ipsismet promantur.

TEXTVS.

TEXTVS.

Επὶ δὲ οὐδὲ πρᾶγμα οὐδὲν ὅτι ἄνευ τὰ μεγέθη, ὡς δοκεῖ, τὰ αἰσθητά, κεχωρισμένον ὧν τῶν εἰδέσι τοῖς αἰσθητοῖς τὰ νοητά ἐστι, τάχ' ὧν ἀφαιρέσει λεγόμενα. ἢ ὅσα μὴ αἰσθητῶν ἕξεις ἢ πάθη.

Tex. 39. *Quoniam autem neque res vlla est præter magnitudines (vt videtur) sensiles separata, in formis sensilibus intellectilia sunt, & quæ in abstractione dicuntur, & quæcunque sensilium habitus & affectus.*

COMMENTARIVS CXXXVI.

QVid hîc agatur, non consentiunt interpretes. Et quidem Philoponus probabiliter disputari putat quæstionem in tex.36.propositam, num intellectus noster intelligat separata: & quidem non intelligere, fuisse tunc vno argumẽto probatum, quoniam quod separatum est separata non potest intelligere. Nunc verò alterum addi (etsi primum is nominet) quoniam omnino nullæ sunt huiusmodi separatæ & immateriales substantiæ. Themistius autem eorum opinionem commemorari, qui nullam rem à magnitudine sensúque remotam admittebant; vt ex ea consequens esse ostendat intellectiles formas in sensilibus contineri. Hæ autem dupliciter generis erunt: aut Mathematicæ, quæ mentis abstractione constant: aut sensilium habitus & affectiones; quæ in materia penitus immersæ sunt.

At neuter scopum attigisse videtur. Quæstionem enim illam de separatarum substantiarum intellectione dimisit Philosophus. Et quorsum nunc dubitationes moueat, si tractanda quæstio aut explicanda non est? Deinde ea in locum alium reiecta, epilogum quasi & repetitionem superiorum instituit; quæ non erat aut hac disputatione interturbanda, aut opinionis illius commemoratione, quæ substantias abstractas negaret. Quæ verò huius rei cõnexio cum eo, quod proximè dixerat, animam esse vt manum, & intellectum formam formarum & sensum formam sensilium?

Ex horum tamen grauissimorũ interpretum explicatione obiter adnotabis inanem illorum conatum esse, qui ex hoc loco Philosophum argumentantur diuinam & separatam naturam non cognouisse, & verò etiam negasse: aut animum nostrum voluisse mortalem esse, quem in sensilibus tantùm intelligere ait, nec sine phantasmate quidquam cognoscere. Etenim illi non ex propria, sed ex aliorum sententia aut certe disputando hæc dixisse illum interpretantur; & significat illud verbum (vt videtur. Simplicius autem & aliter verba legit (quoniam autem nulla res est præter magnitudines separata, vt videntur sensilia: non inquam vt exemplum eius, quod sit à magnitudine separatum; sed contrarij potiùs inseparabilis) & doceri volens in quibusnam intellectus phantasia vtatur & in phantasmatibus intellectilia consideret: id non omnis ait intellectus esse; sed aut practici, aut eius, qui cum sensu & phantasia complicatur sensiliáque & imaginabilia comprehendit; siue illa vt agenda vel non agenda consideret, siue in sola eorum cognitione consistat. Cùm enim hæc singularia sint, cognatis cognitionibus sensus & phantasiæ intellectum vti necesse est.

A Verùm nónne hoc in superioribus explicatum fuit? Quomodo ergò antea negabat Simplicius superiora hîc repeti? Sanè quæcumque hactenus dixit, & de rerum, sensus & intellectus diuisione per potestatẽ & actum, & animã cognoscendo fieri omnia, & esse formarum locum; in superioribus quoque fuerant tradita; verèque dixit Philosophus in tex.37. summatim ea, quæ dicta fuerant, colligenda esse. Atque vt antea non de practico, sed absolutè de intellectu loquebatur, ita & nunc eum loqui manifestum est.

Denique ne singulos persequens nimis longum commentarium faciam; S. Thomas hæc ad superiora, illa refert, quibus intellectus dicebatur esse quodam modo intellectilis, sicut & sensus sensilis. Ne B quis enim propterea intellectum crederet à sensu non pendere, occurrit inquit hoc loco Philosophus, verum id esse si intellectus nostri intellectilia à sensilibus essent separata, Quemadmodum Platonici loquebantur: at cùm in sensilibus subsistant, opus semper est sensu. Sed in hac interpretatione vnum accipit S. Thomas, quod falsum est & ipsius quoque doctrinæ repugnans. Sic enim habet. Nulla res intellecta à nobis est præter magnitudines sensiles, quasi ab eis separata secundùm esse. At nónne ipsomet consentiente dantur substantiæ immateriales mentésque separatæ, & hæ à nobis intelliguntur? Si immaterialia quoque & ἀφαιρετὰ non intelligit intellectus noster, magno nimirum argumẽto ad immortalitatem illius stabiliendam priuamur. Deinde si ex eo, quòd intellectilia nostra in sensilibus subsistunt, colligat, is opus semper esse sensu & phantasia, separatæ quoq. mentes aut sensilia hæc non cognoscunt, aut non sine sensu & phantasia intelligunt. C

Ergò planiorem nos & veram magis interpretationem faciamus, præsentémque sermonem cum proximè superiori iũgamus. Animam posuit vt manum effectricem formarum, intellectum formam formarum omnium formatricem, & sensum formã sensilium productricem. Huius iam operis modum ac rationem docere voluit. Quoniam enim intellectus natura libera est, impermista, atque ab omni D materia soluta, poterat fortasse quispiam credere in efficiendis quoque formis liberum eum esse; absolutámque, non ad materiam ligatam, quemadmodum habet sensus, potestatem habere? Et quoniam disputandum hoc loco non erat, num præter naturales & materiales substantias sensiles omnibus notas, aliæ dentur ab omni abiunctæ materia, quæ nullo sensu percipiantur: de illis solis intellectilibus formis respondet, quæ ex naturalibus ac sensilibus accipiuntur. Hæcque est verborum sententia. Quoniam autem præter magnitudines sensiles nulla res E est nullaque separata substantia (vt videtur) hoc est vel vt plerique sentiunt, vel vt apparet atque ex sensibus colligere licet) in formis sensilibus intellectilia sunt atque ex sensilibus accipienda & haurienda, quæ intelligantur. Sensiles enim formas non eas nunc dicit, quæ in sensu, sed quæ in rebus ipsis sensilibus exterioribus sunt.

Quibus verbis tum ordinem formarum significat, tum formationis modum. Ordo est, vt sensiles antecedant formæ, tum intellectiles subsequuntur. Modus, vt intellectus ad sensilia se conuertat atque ex illis intellectilia accipiat & separet. Et quoniam dimisso illo intellectilium genere à materia re & ratione separato, duplex solùm superest genus, de quibus

& in superioribus dixit: alterum ratione quidem separatum, reipsa verò cum materia coniunctum; qualia sunt entia Mathematica: alterum re & ratione, mentéque à singulari solùm, non ab vniuersa, materia remotum illud in abstractione dicitur atque intellectile Mathematicum est; hoc sensilium habitus & affectiones, & quæcumque naturalia sunt comprehendit; & habitus quidem qualitates primæ & quartæ speciei, affectiones autem patibiles qualitates tertij generis interpretatus est Simplicius.

Auerroës autem cùm corruptè legeret textum, nihil mirum si alienam à Philosophi mente expositionem attulit. Mirandum autem, quòd inter posuerit falsa. Ait enim in sensilibus quidem esse intellectile & sensile, in intellectu tamen habere esse permutabile & inconstans, in sensilibus autem fixum & constans. Cùm contra potiùs res habeat. In sensilibus namque materia est mutationis & inconstantiæ principium & causa, in intellectu autem intellectilia, vt à materia sunt abstracta, sic à mutatione liberata constantiam & firmitatem aquirunt, meliorique modo, quàm in sensilibus, habent.

Illud etiam hoc loco spectauit Philosophus, vt cùm animam velut manum, & intellectum ac sensum formas formarum productrices esse posuisset, materiam quoque indicaret, vnde acciperentur, & ex qua producerentur hæ formæ. Materia sunt sensilia omnia. Ex his & anima vt manus accipit, & intellectus ac sensus suas quasque producit formas. Ac rursum ipsæmet sensiles formæ intellectilium materia sunt, quia intellectus ex sensilibus intellectiles facit. Externa enim obiecta sensui proponuntur, quæque sensibus fuerit hausta, intellectui demum, qui supremam operi manum imponat, obijciuntur.

TEXTVS.

Καὶ διὰ τοῦτο οὔτε μὴ φανόμενος μηδὲν οὐδὲν ἂν μάθοι, οὐδὲ ξυνίοι, ὅταν θεωρῇ. ἀνάγκη ἅμα φαντάσμαι θεωρεῖν. τὰ γὰρ φαντάσματα ὡσαύτως αἰσθήματά ἐστι, πλὴν ἄνευ ὕλης.

Et propterea neque non sentiens quidquam vtique addiscat neque intelligat. Et cùm contemplatur, necesse est cum phantasmate contemplari. Phantasmata namque velut sensilia sunt, etsi absque materia.

COMMENTARIVS CXXXVII.

QVoniam intellectilia in sensilibus contineri dixit Philosophus, duo iam ex eo consequentia deducit. Alterum est, eum, qui aut aliquo aut omni prorsus (quidquid Simplicius dicat) careat sensu, nihil addiscere posse, neque omnino intelligere. Alterum, si contemplari libuerit, necesse esse cum phantasmate contemplari. Primum tamen Themistius non vt consequens, sed vt argumentum accepit eius, quod dicebatur, intellectilia in sensilibus contineri. Cur autem ego vt consequens potiùs interpreter, facit illud orationis principium (διὰ τοῦτο, & propterea) quod non argumentum inducit, sed deducit consequens: quod tamen eiusmodi est, vt ex effectu argumentum esse possit. Quoniam enim vnaquæque res, vt est, ita intelligitur, si intellectilia sunt in sensilibus, intellectu illa nequeunt comprehendi, quin sensu hæc percipiantur. Quare si cuiuspiam sensilis sensu careamus, quæ ad illud pertinent, intelligere non valemus. Videlicet in tex. 6. lib. 2. Physic. Si quis ab ortu primo cæcus de coloribus disputet, colorem quidem nominabit, sed quid color sit, omnino non intelliget. Quòd si Themistius in superioribus enarrans tex. 155. lib. 2. cœcum dixit imaginari colores posse, quos neque actu, neque potestate sentit, siquè imaginari potest, potest & intelligere, quòd ad intelligendum satis est phantasia illiúsque phantasma: non de cæco illo id pronuntiauit, qui cœcus sit natus; sed de illo, qui aliquando colores viderit, póstque videndi sensum amiserit. Quippe phantasia motus est à sensu actu factus, neque vbi sensus ab exteriori obiecto non mouetur, moueri phantasia potest. Si tamen aliquando simul cum eo fuerit mota, rerum quoque absentium post non operante sensu formare valet phantasmata. Quod de cæco dictum est, de cæteris idem intelligatur sensibus; vt qui non sentiat quidquam, sed omnibus planè orbatus sit sensibus; nihil addiscat neque intelligat. Vt enim ob vnius sensus absentiam sensilis illius intelligentia priuamur, ita sensuum omnium orbitas intelligentiam impediet omnium.

Rationem superioribus verbis significauit; quoniam intellectilia sunt in sensilibus. Alteram in priori libro de priori Analysi, tex. 33. Manifesta magis ratio exponitur. Si quis, inquit, defuerit sensus, necesse est & scientiam deesse aliquam: addiscimus enim aut inductione aut demonstratione: inductione quippe cognoscuntur principia, demonstratione conclusiones. At conclusiones ex vniuersalibus principijs demonstrantur; principia verò, rerum singularum, quæ sensibus obijciuntur, inductione colliguntur. Igitur si desit sensus, deerit quoque scientia omnisque intellectus cognitio. Sed quod vna voce ibi significauit, in duas hîc explicatè magis partitus est. Ibi solùm dixit (addiscimus) hîc autem (neque addiscat neque intelligat:) addiscat ab alio, intelligat ex seipso, propriáque industria & inuentione assequatur. Hæ enim, inquit Philoponus, duæ sunt cognitionis viæ, disciplina & inuentio. Neque S. Thomæ interpretationem probo; cui addiscere scientiam de nouo aquirere, & intelligere aquisita scientia vti significauit. Tum quia addiscere disciplinam propriè scientiámque ab alio acceptam significat. Tum quia cùm tria Philosophus nominet, addiscere, intelligere, contemplari; duo priora ad scientiæ aquisitionem, tertium ad acquisitæ vsum pertinere non dubito. Aquisitio autem vel alio docente, vel nobis ipsis inquirentibus & inuenientibus est: tum doctrinam aut inuentionem propriam contemplatio sequitur. In vtrauis aquisitione prima opus est sensu; in aquisitæ vsu non sensus iam ampliùs, sed phantasia requiritur. Ideò non sentiens, inquit, neque addiscit neque intelligit. Cùm autem contemplatur ea, quæ didicit, vel ipse inuenit; necesse est cum phantasmate contempletur. Etsi enim non adsit sensus tunc operans, potest tamen phantasia sensu cessante operari; atque si non in sensilibus ipsis, in phantasmatibus certè contemplanda obiecta proponere.

Atque

Atque hoc iam alterum est quod ex superiùs dictis cõsequens deducere Philosophum affirmabam. Phantasmata namque velut sensilia sunt, & tãquàm illorum imagines & simulacra sensilibus ipsis remotis & cessantibus sensibus in phantasia stant. Hoc solum discrimen est; quòd sensilia cum materia complicata sunt, phantasmata sine materia. Sensus quippe circa materialia operatur, phantasia circa formas tantùm, quas ex materialibus sensilibus relicta materia sensus accepit ac phantasiæ tradidit.

Satius autem est ita interpretari, quàm illa verba (etsi absque materia) ad intellectum, siue cum sensu, siue cum phantasia operantem referre: quod aliquos fecisse testatur Philoponus. Etenim percipere formam sine materia non esse intellectus proprium, sed sensui quoque commune, antea dicebatur. Phantasmata verò non ipsa quidem sensilia, sed velut sensilia sunt: quia hoc solùm ab illis differunt, quòd formæ absq; materia sunt, sensiles tamen formæ, non intellectus; nisi potestate. Porrò intellectum sine phantasmate non contemplari, res ipsa testatur; vel etiam dum immaterialia contemplatur. Ingerit namque sese atque intrudit phantasia: sed materialium contemplationem iuuat, immaterialium impedit ac turbat, dum ad inferiora trahit atque ad modum materialium immaterialia quoque proponit. Verùm de hoc pluribus antea dictum est.

TEXTVS.

Ἔστι δὲ ἡ φαντασία ἕτερον φάσεως καὶ ἀποφάσεως συμπλοκή· τὸ γὰρ ὄνομά τι ἢ ῥῆμα ἐστίν, ἡ ψεῦδος.

Est autem phantasia aliud à dictione & negatione. Nexus enim notionum est verum aut falsum.

COMMENTARIVS CXXXVIII.

DIfferentiam inter phantasiam & intellectum ponit: & verè quæ antea dicta sunt, hac quoque in parte summatim colligit. Nam quæ copiosè satis disputauerat, paucissimis attingit verbis: & quòd pluribus antea probauerat argumentis, vnico hìc conficit. At quorsum actum agit? Nimirum intellectum dixerat sine phantasia non operari; sed cum, qui intelligat, intueri debere phantasmata: noluit autem quemquam existimare intellectum & phantasiam non distingui; hoc fortasse argumento, quòd cum facultates ex obiectis distinguantur, si intellectus versatur circa phantasmata, quæ phantasiæ quoque obiectum existunt, eadem videbitur esse facultas, intellectus & phantasia. Præsertim quòd phantasiæ phantasmata sine materia esse dicebantur; quod intellectus proprium esse videtur. Immò postrema sola illa verba fuisse causam, cur hæc nunc distinctio subiungeretur, Simplicius credidit.

Phantasiam ab intellectu differre.

Distinctionis autem argumentum illud accepit Philosophus, quòd in operatione phantasiæ nec verum sit nec falsum, quia nec affirmatio nec negatio; etsi plurium interdum rerum coniungat phantasmata, vt montis & auri, hirci & cerui, aureum montem hirco ceruumue formando: at intellectus componendo affirmat vel negat, verúmque dicit aut falsum. Simplex tamen veritas, quam ὑπαρξικὸν & substantialem vocat Philoponus, in phantasia quoque reperitur, dum conforme rei format phantasma: nam & in sensu quoque inest, ait Simplicius, dum ita vt est rem apprehendit. Dum tamen & sensus & phantasia affirmationis ac negationis veritate aut falsitate carent, manifestum est diuersam ab illis facultatem intellectum esse. Itaque hæc ipsa distinctio exactionibus & obiectis est.

Alterum discrimen addit Themistius. Quippe phantasiæ phantasmata eadem semper sunt earumdem rerum; at intellectus notiones alio atque alio modo ab eo componuntur: vt si dies est, lux est: vel dies est, & lux est: vel dies est, lux non est: vel esto dies, & esto lux. Hoc ego discrimen apud Philosophum non reperio: nisi notionum nexum vniuersè pronuntiatum propterea varietatem continere dicamus, quòd duobus modis fiat. Aut enim simplices notiones in secunda intellectus functione componuntur affirmatione sola vel negatione, aut affirmationes quoque vel negatione ita in functione tertia connectuntur, vt vnius ex alio deductio adsit. Sanè vtrumque discrimen agnoscimus. Sed Philosophus de affirmatione sola vel negatione loquitur: ex quibus si à minori ad maius argumenteris, idem verissime de deductione conficies. Sed Philosopho compendij ac breuitatis vbique & maximè hoc loco studioso satis fuit id, quod erat minus, indicare.

Porrò totius discriminis causa est, quòd phantasia materialis & corporea facultas cùm sit, rebus singulis arctata est & quasi ligata, nec plura potest in vnum cogere; aut si cogat, ad modum vnius cogit & tanquam vnum apprehendit: intellectus immaterialis & incorporeus liberior est.

Quod autem ad verba spectat, adnotauit Simplicius debuisse potiùs dici notionum nexum esse affirmationem aut negationem; positum tamen fuisse verum aut falsum, consequens pro antecedente; nexum namque ipsum sequitur verum aut falsum. Quod ego breuitatis & compendij studio factum fuisse puto; vt & alijs in locis non rarò. Auerroës autem non legens verum aut falsum, sed (fides aut non fides) alienam prorsùs expositionem fecit, in qua operæ pretium non est immorari.

φάσις ad notabis non simplicem notionem, vt interdum alibi, sed affirmationem, vt omnes exponunt, significare. Quare (φάσις) dixit pro (καταφάσις) dictionem pro affirmatione nominans; vt & antea in tex. 26. legéque illius loci commentarium.

TEXTVS.

Τὰ δὲ πρῶτα νοήματα, ἆρα διαφέρει τοῦ μὴ φαντάσματα εἶναι, ἢ οὐδὲν τῶν ἀνευ φαντασμάτων, ἀλλ' ὡς αὐτὰ φαντάσματα.

Primæ autem notiones quid interest quominùs phantasmata sint? An neque alia phantasmata, sed non sine phantasmatibus.

COMMENTARIVS CXXXIX.

EXponi hic locus non potest, nisi primùm constituatur quænam primæ notiones appellentur. Earum enim alia atque alia acceptio aliam atq; aliam reliquorum verborum sententiam peperit. Primas propositiones interpretatus Auerroes est. At primę propositiones antecedentibus verbis à phantasia satis erant distinctæ; vbi affirmationem omnem & negationem seiunxit ab ea. Nec satis accommodata S. Thomę interpretatio altera, notiones primas vniuersalia à singularibus conditionibus separata significare: quæ phantasmata non sunt, at non sine phantasmatibus; quoniam phantasmata similitudines singularium sunt. Etenim si vniuersalia à singularibus abstrahuntur, sane primę notiones non sunt, sed secundæ: quippe vniuersalia diximus non ante multa, sed post multa. Neque tertia illa Simplicij, tum substantiarum comparatione accidentium, tum immaterialium formarum comparatione materialium entium, notiones intelligentis, quòd hæc prima entia sint. Non minùs nanque accidentium & materialium entium notiones atque intellectiones à phantasia & phantasmatibus distinguendæ fuissent Philosopho.

Notiones primæ quæ.

Optimè verò Themistius ac Philoponus simplices intellectus conceptiones notiones primas dici voluerunt. Itaque cùm phantasiam ab intellectu distinguendam suscepisset, superioribus quidem verbis ab affirmatione & negatione, hoc est à cōposita intellectione distinxit: at simplex primæ intellectus functionis intellectio supererat distinguenda, quæ phantasiæ similior videbatur; neque ex eo differentiam habet, quòd veritatem cōtineat aut falsitatem: quoniam eam non habet nisi simplicem, in conformitate cum intellecta re positam; qualem habet phantasia quoque. Hoc igitur est, quod quærendo proponit: si phantasia ab affirmatione differt & negatione, quòd non ita in illa quemadmodum in his, veritas aut falsitas sit; primæ simplicésque notiones, quæ affirmationem & negationem antecedunt, & ex quibus affirmatio & negatio componuntur, nunquid phantasmata sunt? Aut quid à phantasmatibus differunt? Cui propositioni hoc solùm respondet, non magis eas esse phantasmata, quàm sint aliæ intellectus actiones, de quibus dictum est; hoc est affirmatio & negatio. Vt enim hæ quamuis sine phantasmatibus non sint, phantasmata tamen non sunt; ita & de primis notionibus iudicare oportet. Quoniam facultatis eiusdem actiones sunt: quæ semper quidem cum phātasmate operatur, operatio tamen illius phantasia non est, neq. illius notio phantasma.

Quod verò Simplicius addit, non hoc solùm docere voluisse Philosophum, sed etiam non omnem intellectionem phantasiam habere cooperantem: parùm omnino constat cum eo, quod & antea traditum est, sine phantasmate nihil intelligi; & nunc vniuersè reperitur, intellectus quidem notiones phantasmata non esse, non tamen sine phantasmatibus. Quapropter si quæ sint ἀφαίρετα, vt substantia, relatio, proportio, & omnino immaterialia omnia; hæc ipsa tamen aut ex phantasmate quopiam colliguntur & in phantasmate considerantur, aut ad modum phantasmatis deprimuntur. Quandiu enim intellectus corporis huius est forma sensibúsque alligatus, non potest sine phantasiæ vsu intelligere: atq.

Phantasia tum iuuat, tùm impedit intellectionem.

ad materialia quidem & sensilia intelligenda iuuatur, ad immaterialia verò & intellectilia impeditur potiùs, obscuratur, & retrahitur: rationeque phantasmatibus remotis opus est phantasiam iuuare & corrigere, vt intellectus ad puram & sinceram notionem erigat sese. Quam sententiam à Philosopho explicatam reperies in libro de memoria & remin. cap. 1. His enim verbis est apud ipsum. Quoniam autem de phantasia priùs in ijs, quæ sunt de anima, dictum est, & quod intelligere nō est sine phantasmate (accedit eadem passio in intelligendo, quæ quidem & in describēdo.) Ibi enim nulla vtentes quantitate trianguli determinata, finitum tamen secundùm quantitatem describimus. Et intelligens similiter etsi non intelligit quātum, intelligit autem non quatenus quantum. Si autem natura sit quantorum, indefinitorum autem; ponit quidem quantum determinatum, intelligit autem quatenus quātum solùm. Quibus verbis exposuit pulchrè, quomodo nunc dictum fuerit, sine phantasmate quidem nos non intelligere, intellectus tamen notionem phantasma non esse: corrigente scilicet phantasiam intellectu, atque à proposito phantasmate ad puriorem intellectionem erigente sese. Atque hinc distinctio illa existit duplicis intellectus obiecti, mouentis & terminantis. Quod enim mouerein- tellectum debet, materiale sit phātasmatoque comprænensum oportet: at quod terminare potest, est omne ens; siue materiale, siue immateriale. Verum de hac tota re in digressione ad t. 30. satis superque diximus.

DE FACVLTATE MOTRICE. CAP. X.

TEXTVS.

Quoniam verò anima, qua animalium, duabus definita est facultatibus, tum iudicatorio, quod rationis opus est & sensus, tum etiam mouendo qui per locum motus de sensu quidem & intellectu tot definita sint, De mouente autem, quidnam sit anima, considerandum: vtrum una quæpiam ipsius pars separabilis existens, aut magnitudine, aut ratione, an anima tota. Etsi pars quæpiam, vtrum propria aliqua præter eas, quas nominare consueuerunt & dictæ sunt, an vna earum aliqua.

COMMENTARIVS CXL.

QVemadmodum hæc cùm superioribus connectantur ipsemet Philosophus exponit. Propterea nanque duabus maximè accipit facultatibus animam definiri, cognoscente & mouente; vt sensus, phantasiæ, & intellectus, quæ cognoscentes facultates sunt, tractationi mouentis virtutis considerationem subiūgeret. Neq. difficile est ordinis huius rationem videre. Vt enim ab initio à cōmunionibus inchoās, rerūq. naturā sequutus, de vegetāte primū virtute

virtute dixit, deindè de cognoscente atque in hac parte de exteriori primùm sensu, deindè de interiori & phantasia, postremò de intellectu, quòd intellectus phantasiam supponat, phantasia sensum, sensus vegetationem. Ita post cognoscentem de mouente tertio loco differit, quòd in animalibus antecedat cognitio, sequatur motus, quo cognita obiecta aut persequuntur aut auersantur. Sensus quoque latiùs patet, quàm motus. Nam quæcumque mouentur animalia, sensum habent: at sentiunt nonnulla, quæ non mouentur.

Et quamuis in pluribus insit motus, quàm intellectus, priùs tamen de intellectu dicendum, quàm de motu, fuit: tum quia intellectus à cognoscentibus cæteris facultatibus separandus non fuit neque illarum consideratio interposito motu perturbanda: tum quia intellectum phantasiæ, quam semper sequitur, quæq. & ipsa intellectus quidam est, æquum erat adiungere. Cùm præsertim motus & sensui & intellectui communis existat, & vtrumque comitetur cognitionis genus, neque affectibus semper, sed rationali etiam, atque intelligente appetitu incitati moueamur. Denique non potuisse doceri inquit Philoponus, quid motrix facultas sit, nisi cæteræ priùs facultates fuissent traditæ. Quomodo enim respondeatur quæstioni, quàm nunc Philosophus proponit, an hæc facultas à cæteris diuersa sit, an vnaquæpiam aliarũ? Aũt ostendatur, eam nec vegetantem esse, nec sensum, nec phantasiam, nec intellectum, nisi illis antea cognitis probéque perspectis?

At qui illud est, quod (animalium) addit, vbi animam inquit duabus illis facultatibus definiri, cognoscente & mouente. An id propterea additum est, quoniam eæ sunt animalium propriæ facultates? Nam in plantis neque cognitio viget neque motus; sed vegetatio sola, vt in tex. 95. lib. primi dicebatur. An verò id etiam ex veterum Philosophorum consensu acceptum est; quos duobus hisce animam definiuisse in eodem 1. lib. tradiderat? Quod sanè si non vniuersè de viuentibus omnibus accipiatur, sed contrahatur ad animalia; sitque sermo de facultatibus illorum proprijs, quatenus animalia sunt, & cum plantis non communibus; verum est. Siquidem appetitus, qui desiderari fortasse posset, cum motu coniungitur: quoniam ab appetitu rei cognitæ prouocatur motus. Professus autem est Aristoteles in ipso disputationis exordio in tex. 19. acceptum se libenter, scitè si quid ab illis fuisset dictum. Peccarunt in eo, quòd angustè nimis naturam animæ considerarunt; plantásque velut non animatas prætermiserunt: alioqui de propria animalium anima propositio probatur. Tametsi nec cognitionis, nec motus causa, quam illi proposuerunt, probata fuerint. Aristoteles propositione retenta, vt aliam cognitionis vim & causam exposuit in superioribus; sic veram deinceps motus rationem ostendet. Neque opus est dicere, sermonem esse de mouente vt efficiente, non vt fine. Quoniam vt antea facultates eas tractauit, quæ actionum illarum; quæ in viuentibus cernuntur, actiua principia sunt; ita principium quoque motus quærendum fuit facultasque animalium impellens ac mouens corpora.

Facultas & pars vt differant.

Quod autè attinet ad verba, nihil mireris, quas primũ facultates appellat, partes postea nominari; vbi quærit, num mouens si quæpiã animæ pars. Quoniã absq. discrimine voces hæ interdum vsurpantur, facultatesq. virtutis & potestatis partes appellantur. Interdum verò cum discrimine: quo, vt habet Philoponus, per totam substantiam facultas permeat, pars in tota substantia non est, sed in aliqua eius portione; siquidem pars eius est, non substantia tota: & facultas quidem non est substantia, pars autem substantia est: siquidem substantiarum partes sunt substantiæ, vt in categorijs cognouimus. Quarè dùm quæritur num parte substantiæ moueat anima, an facultate: & si parte, num earum aliqua, quæ nominari consueuerunt, aut à Platone nominatæ intelligi possunt, ratio, ira, & cupiditas; aut quæ vulgatæ sunt & omnibus notæ atque à nobis hactenus tractatæ, sensus, phantasia, intellectus; an alia quæpiam ab his diuersa. Si Platonem respiciat quæstio, facultas & pars cum discrimine intelligi debent; quia partes Plato posuit Aristoteles facultates: sin verò absolutè proponatur, absque discrimine fuerint vsurpatæ. Quocirca illa etiam verba (quæ numerari consueuerunt, & dictæ sunt) aut ambo Platonem spectant, aut ambo communem omnium existimationem & antecedentem tractationem, aut alterum ad Platonem refertur, alterum ad superiorem tractionem.

Obseruabis præterea iudicatorium, hoc est quod cognoscere potest & de obiectis iudicare, in dianæam diuidi & sensum: vt Dianæan intelligas sentientem Aristoteli facultatem nõ esse; quippe quam contra sensum diuidatur; sed ad intelligentem partem pertinere. Cuius rei alterum illud apertum est testimonium; quòd mutata statim voce Dianæan intellectum appellat: de sensu, inquit, & intellectu tot definita, sint de vniuersa inquam iudicatorio, quod tum Dianeæ, hoc est intellectus, opus est, tum sensus, satis hactenus dictum sit. Quod adnotans Simplicius intellectus nomen in omnem ait rationalem vitam dilatari.

Dianæa quid.

Tandem dum de mouente quæritur, num animę pars sit, aut magnitudine separabilis, aut ratione; magnitudo Platonem respicit, ratio propriam Philosophi sententiam. Plato namque magnitudine, hoc est subiecto & loco, iuxta magnitudinem & partes corporis partes animę separabat, in capite, corde, & iecore. Is verò non ita, sed ratione duntaxat, vt alias atque alias in diuersis partibus operationes promit, etsi eadem vbiq. essentia sit. Quæstióq. est, num vis motrix pars quæpiam animę sit loco à cæteris separata seorsimq. in quadam residens corporis parte, an ratione diuntaxat. Quod fortasse significet plures in eodem viuente animas ratione sola, non re, diuersas esse: neque diuersas animę facultates, re, sed ratione sola tum interse, tum ab anima; distingui. Qua de re in lib. 2. dictum est.

Facultatũ distinctio.

TEXTVS.

Ἐπὶ δὲ τὰ περὶ ζῴων διὰ τί, πᾶς τι δεῖ μόνα ψυχὴν λέγειν, καὶ ποῖα. Ἔστιν γὰρ ἕνια ἃ πιέσας φαίνεται. ἢ οὐ μόνον ἄλογα λέγουσι δυσείζοπες, λογιστικὸν, ἢ θυμικὸν, ἢ ἐπιθυμητικὸν, οἱ δὲ τὸ λόγον ἔχον τὸ ὄνομον. κἂν γὰρ πᾶς διαφορᾶς, δι' ἃς ἔστι τὰ ζῷα χωρίσιμα, ἢ ἄλλα φαίνεται μόρια μείζω διῃρῆσθαι ἔλαττα ζώντων, ἀφὲλ ὧν ἢ νῦν εἴρηται. πάντ ἀγριτικὸν, ὁ ἢ τοῖς φυτοῖς ὑπάρχει, ἢ πᾶσι τοῖς ζῴοις ἢ τὸ αἰσθητικὸν, ὁ εὐπ ὡς ὄνομον, οὔτε ὡς λόγον ἔλον θεῖν ἀν ἀφαίρεσις.

Text. 41. *Habet autem dubitationem statim, & quo modo partes animæ dicere oporteat, & quot. Quodam enim modo infinitæ videntur, nec solum quas inquiunt nonnulli definientes, rationalem, & iracundam, & concupiscentem. Alij verò rationem habentem & irrationalem. Nam per differentias, quibus hasce separant aliæ quoque videntur partes maius discrimen habentes, quàm hæ, de quibus & nunc dictum est: tum nutriens, quæ & plantis inest & animalibus cunctis: tum sentiens, quam nec vt irrationem habentem, facilè quispiam ponat.*

COMMENTARIVS CXLI.

IN anima vim inesse cognoscendi & mouendi confessione omnium constat: quippè solis animatis, etsi non omnibus, sed animalibus duntaxat, cognitio inest & motus in ipsismet excitatus: At si pereat abeatvè anima, protinus omnis cognitio extinguitur, cessatque motus. Quid verò in anima sit, quo moueat, id plurimam habet obscuritatem, propter multiplicem ac variam operationem, quàm egre videas quomodo ab vno simplicique principio possit proficisci. Propterea primùm considerandum proposuit, quid in anima sit, quod moueat, an tota anima an vna aliqua illius pars, & quenam ea sit. Deindè partes animę distinguit, vtad quamnam earum pertineat motus tandem ostendat.

Vbi cùm facultates commemorat, facilè intelliges partes appellari facultates, eodémque fortasse modo antea quoque nominatas fuisse. Dúmque dubitat, quòmodo partes animę dicere oporteat, quærere illum arbitror, an substantię, an facultatis & potestatis partes dicendę sint Planto namque substantię, Aristoteles virtutis & potestatis partes dixit. Nec dissentit Simplicius, queri arbitratus, num corporeo an in corporeo modo intelligere oporteat animę partes. Corporeo enim modo intellexit Plato, qui corporis eas partibus distribuit: incorporeo Aristoteles, qui sola via ac proprietate separauit. Quærit etiam de earum numero, quot omninò numerandę sint: quoniam tres omninò numerauit Plato. Quocirca pluribus nominibus eum ait Philoponus fuisse ab Aristotele reprehensum: quòd animam vt totum diuisisset in partes: quòd duas animas, rationalem & irrationalem, fecisset vt vnam, moxque in tria partitus fuisset, in rationem, iram, cupiditatem: quod multas partes prętermisisset: quod partes eas locis & partibus corporis separasset. Nam etsi numerum quendam fateatur Aristoteles, non eum tamen admittit, qui est in illis, quæ penitus diuisa & separata sunt; vt lapis & lignum, diuisiuè continui partes: sed qui multitudinem simul cum vnione & impartibilitate habeat, vt ea, quæ sola ratione differunt: quemadmodum in pomo, inquit Themistius, color, odor, & dulcor. Quæ verò de continuo & eius partibus Simplicius memorat, minimè sunt ad rem.

De anima Platonem reprehensus.

Philosophus igitur quæstione proposita duas adducit sententias. Alteram, qua tres animæ partes continentur, ratio, ira, & cupiditas. Alteram, quæ in duas statim partitur, in rationalę, & irrationalem partę. Vtraq. Platonis fuisse creditur, qui in rationalem diuiserit; deindè irrationalem partem in iram & cupiditatem subdiuiserit. Vtramq. simul sententiam argumento multiplici, vt mihi quidem certè videtur, confutat Philosophus: quorum vnum redundantem, reliqua duo mancam, & minùs accuratą partitionę fuisse demonstrent. Primum illud est; quòd non hæ solæ, sed innumerabiles prorsus aliæ partes adferri potuissent. Si nimirum singulis animæ operationibus adesse oporteret singulas partes, quæ illarum principia forent: quemadmodum Plato fecit, qui rationalem, irascentem, & concupiscentem, tres partes fecit, quæ ad vnicam appetentem, quæ tum rationalis interdum est, tum interdum irascens aut concupiscens, vt rationem aut sensum sequitur, iraue non nunquàm exardescit. Omninò redundans & inutilis partitio fuit, quæ in plura diuisit ea, quæ vnius sunt: hocque vitio laborans, quòd vbi animæ se partitionem putauit facere, non animæ, sed operationum potius fecit. Et non nè separabile & inseparabile, rationale & irrationale, cognoscens & non cognoscens cognoscens & appetens, appetens secundùm rationem & sinè ratione, & huiusmodi alia sexcenta poterant numerari?

Diuisio animæ Platonica confutatur.

Alterum argumentum est, quòd si diuersitas ea, quam spectauit Plato, satis sit, vt diuersæ partes in anima constituantur; plures aliæ fuerint constituendæ: quoniam alię plures sunt, quę magis inter se atque à commemoratis partibus, quàm eę inter se ipsas, differant. Pars etenim ea, quę in plantis & animalibus cunctis vegetat; & quę in animalibus omnibus sensum prębet, multò magis & ipsę differunt & à tribus illis, quàm ipsę inter se tres; præterea à concupiscentia ira, quę in eodem ambę appetitu sentiente continentur. De vegetante perinde ac res sit manifesta, nil amplius addit quoniam illa animę pars neque cognitionis est particeps neque appetitionis: neque animalium etiam propria, sed in plantis quoque inest à cęteris omnibus separata.

Sensum fortasse posteriori diuisione in rationalem & irrationalem dixerit comprehendi. Quarum vtramque in animalibus, in quibus est sensus, illi ipsi considerabant. Propterea sensum adiunxit haud facilè esse vel rationalem vel irrationalem dicere. Cuius dùm rationem quæsierunt Themistius atque Auerroës, eam tandem pronuntiarunt, quòd rationalis dici nequeat quoniam in bestijs non minùs, quàm in homine, cuius propria est ratio, reperitur. Neque irrationalis; quia obiecti comprehensionem significat, sensiliúmq. differentias indicat; & ex altero quidem capite irrationalis videtur, ex altero autem rationalis. Sed quod ad primum attinet, appetitus quoque in bestijs est; qui etsi irrationalis sit natura, rationique soleat in homine repugnare, vt videre est in incontinente: rationalis tamen quoquo modo dicitur esse in primo de moribus ad Nicomachum libro cap. vlt. quia rationem audit illiúsque paret imperio; vt in continente apparet. Non in quam quòd ipse ratione vtatur, sed quòd alterius rationem sequatur. Quam ob causam eum dixit Philosophus habere rationalem vt patris & amicorum, & non vt rerum Mathematicarum: hoc est alterius rationem sequi, vt filius patris & amicus amici salubre consilium sequitur. Quod autem ad alterum, etsi sensus obiecti comprehensionem habeat, rationis tamen comprehensio non est; quæque omni ratione carens in bestijs quoque reperitur. Quarè si rationalis non

non sit, quia in bestijs inest; ob eam ipsam causam irrationalis fuerit.

Sanè probabiliùs cogitauit Philoponus. Non est maior, inquit, ratio, cur alterum potiùs dicatur, quàm alterum. Rationalis quippe videtur, quia intellectui similis est, dùm per se res videt & cognoscit: & rursum irrationalis, quia patitur & dissimilis est, dùm extrà se & distans cognoscendum habet obiectum: neque rationem audit, dum solam vnius pedis esse pronuntiat.

Philosophum quidem certè in primo de moribus lib. partitum animam fuisse reperies in rationalem & irrationalem: ac rursum irrationalem, tum in eam, quæ vegetanti persimilis non obedit rationi; tum in eam, quæ rationem audit illique obedit, hancq. concupiscentem esse & appetentem partem. Ergò duobus modis irrationale nominatur: altero negatiue, altero priuatiuè: illud nec rationem habet, nec illius particeps esse potest, hoc si non habet, quoquo tamen modo habere potest. Estque duplex pars, quæ rationem habeat: vna, quòd propriè & in se habeat: altera, quod illi obediat.

Irrationale negatiuè & priuatiuè.

Quarè potest hic locus interpretationem nobis adferre eius, quod nunc dicitur. Primùm enim irrationale non negatiuè, sed priuatiuè nominat. Neque de vegetante dubitat parte an rationalis sit an irrationalis, quoniam ea irrationalis negatiuè solùm, & cum plantis communis est, rationaleque & irrationale, quod priuatiuè dicitur, in solo considerantur homine. De sensu autem non esse facile ait definire, an irrationalis priuatiuè sit an rationem habeat. Quoniam hæc diuisio est appetitus propria, qui vel rationem in se habet, vt rationalis voluntas, vel rationi obtemperat illique subijcitur, vt concupiscentia & appetitus sentiens: quemadmodum Philosophus ipse statim subiunget. In rationali, inquiens, voluntas fit, in irrationali concupiscentia & ira. Sensus vegetanti persimilis negatiuè dumtaxat irrationalis est; priuatiuè non item; quia rationem non audit nec illi obedit.

TEXTVS.

Ἔτι δὲ τὸ φανταστικὸν, ὃ τῷ μὲν ἔνι παντὸν ἕτερον· πρὸ δὲ τούτων ἄλογον, ἕτερον, ἔχει πολλὴν ἀπορίαν, εἴ τις ἥσει καχωρισθήσεται μόνον τῆς ψυχῆς· πρὸς δὲ τούτοις τὸ ὀρεκτικὸν· οὐ γὰρ λόγῳ γε δυνάμει ἕτερον αὐτὸ δόξειεν ἄν ἔνι παντὸν· ἢ ἄτοπον δὴ τοῦτο βέλτιον. ἔστι τῷ λογιστικῷ τὸ μὲν βούλησις γίνεται· ἢ ὃν τῷ λόγῳ ἢ ὄρεξις ἢ ὁ θυμός· εἰ δὲ τρία ἡ ψυχή; ἢ ἑκάστῳ ἔσται ὄρεξις.

Tex. 42. *Tum verò imaginatrix: quæ secundum esse quidem ab omnibus diuersa, cuinam autem harum eadem vel diuersa, multam habet dubitationem, si quis separatas animæ partes posuerit. Ad hæc autem appetens, quæ & ratione & potestate ab omnibus sane diuersa videbitur, & absurdum certè hanc diuellere. Etenim in rationali voluntas fit, & in irrationali concupiscentia & ira. Quòd si tria anima, in singulis appetitus erit.*

COMMENTARIVS CXLII.

QVòd de imaginatrice animæ parte subiungitur, siuè ad illud idem alterum argumentum pertineat, quo Philosophus vtebatur, siuè tertium aliud numeretur; nihil morabor. Imaginatricem inquit, ratione saltem perspicuum est ab alijs omnibus diuersam esse: quoniam imaginari & absentia etiam obiecta cognoscere, variisque modis componere; vel eorum, quæ nusquàm sunt, fingendo imagines; peculiaris quædam est & ab alijs omnibus operatio diuersa. Vix autem poterit Plato ad vllam earum, quas ipse numerauit, reuocare, eandémq. re cum earum aliqua esse; ratione solùm diuersam, affirmare. Eandem enim cum rationali non fuerit; quoniam imaginatio in bestijs item inest ratio non inest. Neque cum concupiscentia vel ira; tum quia hæ appetitus quidam sunt, imaginatrix verò cognoscens vis tum quia aduersarius ipse, facultatis huius, vt & sensuum omniũ præ satellitio rationis sedem agnouit in cerebro: qui ipse concupiscentiam in iecore posuit, iramque in corde: at si sedibus differunt, idem re & subiecto esse non possunt.

Quarto loco appetitum adfert, qui cùm ex operatione ostendatur facultas animæ quæpiam esse ratione saltem à cæteris diuersa, quia propriam & diuersam habet operationem (omnes quippe argumentationes hæc certissimo ac notissimo hoc principio nituntur, facultates animæ ex operationibus cognosci, definiri ac distingui) aut à Platone fuit prætermissus aut vitiosè cõmemoratus; dum in rationẽ, cupiditatem, & iram partitus est quem vnico appetitus nomine debuerat appellare, vnámque genere facultatem aut partem animæ ponere, adnumeratam vegetanti, sentienti, imaginanti, ac cæteris. Vnam autem genere nominandam fuisse facultatem, nec tamen à cæteris partibus diuellendam, probat; quoniam si bimembris diuisio fiat in rationalem & irrationalem, in vtraque appetitus inest. Nam ex rationis cognitione voluntas excitatur in rationali parte; & in irrationali ex cognitione sensus cupiditas & ira; omnes obiecti cogniti appetitiones.

Appetitus rationalis.

Quem locum etiam atque etiam considerari ab illis volo, qui negant aut certè dubitant, num Aristoteles in rationali parte rationalem appetitum, quem voluntatem dicimus, cognouerit. Etenim is & appetitum ponit & βούλησιν, hoc est voluntatem, nominat quæ, vt Themistius hoc loco & anteà in tex. 29. loquitur, appetitus mentis iudicatur: quia vt Simpliciùs ait, appetitio quædam est & ipsa rationalis voluntas. Et rursum, voluntas in ratione appetitus quidam est. Quod etiam inferiùs repetet in Commentario tex. 48. & habet Themistius quoque cap. 67. dum tex. interpretatur 57. Non omnis, inquit, in nobis appetitus voluntas est, sed contrà omnis voluntas est appetitus.

Si verò in tria membra partitio fiat, in rationalem, irascentem, & concupiscentem; sane in horum singulis appetitus inest, triplexque item in anima fuerit appetitus, rationis vnus & duplex sensus; alter concupiscentiæ, alter iræ. Quos omnes in tex. item 27. lib. 2. complexus est: appetitus, inquit, concupiscentia est, & ira, & voluntas. Appetitus rationis

seu voluntas circà bonum vniuersum & honestum, concupiscentia circà bonum particulare & quod delectationem aut vtilitatem habeat, & ira qua & aggrediamur ardua eáq. superemus, quæ boni huius consequutionem impediant. Itaque cùm illæ ipsæ partes à Platone commemoratæ sine appetitu non constent, & appetitus tamen à cunctis alijs diuersa facultas existat, nullo modo debuit innominatus prætermitti.

DIGRESSIO XXXIX.

De Multiplici appetitu.

Appetitus vnus, duplex, & triplex.

VNa genere facultas appetens est, quæ appetibile omne respicit: sed specie duplex, rationis vna, altera sensus: triplexq. omninò appetitus, rationalis concupiscens, & iracens: Platoni quidem re & subiecto distantes, Aristoteli verò aut ratione sola, aut tanquam actiones eiusdem genere & duplicis specie facultatis circà alia atq. alia obiecta. Quo fit, vt persæpe vnam facultatem appetitum nominet: interdum velut duas, voluntatem & concupiscentiam, vt non multò post in tex. 50. 53. & 57. interdum etiam tres, voluntatem, concupiscentiam, & iram, vt hoc loco & in tex. 27. lib. 2.

Quam autem Philoponus mouet, dubitatio de plantali appetitu, vt triplex sit triplicis animæ appetitus, rationalis, sentiens, & plàtalis, minus Philosophi verbis ipsiusmet confessione consentit. Quippe sermo est de triplici appetitu à Platone proposito,

Appetitus naturalis quid.

quique cognitionem aliquam comitetur. Alioqui vniuersè loquentes duplicem primùm distinguimus appetitum, naturalem vnum, cognitione carentem, qui velut propensio est & instinctus naturæ, quæ bonum semper, perfectionem & conseruationem sui queritin omnibus: hicq. naturalem cuiusq. rei formam sequitur, vt appetitus loci deorsum vel sursum in grauibus & leuibus. Immò in prima quoq. materia appetitum inesse formarum legimus in tex. 81. lib. 1. Physic. Neque hic appetitus facultatem vllam significat facultatisue actum præter re cuiusq. naturam ad bonum suum propensam & inclinatam. Alterum animalem, cognoscentis naturę proprium, ceù facultatem, qua ad bonum cognitum sibiq. commodum procurandum sollicitatur animal, aut auocatur à malo, quod noxium sibi futurum cognoscit. Hoc verò præstat actum quempiam circà bonum vel malum cognitum promendo: alioqui si immobilis maneret ac stupida, neque cognitionem sequeretur, neq. sollicitaret animal.

Appetitus animalis.

Ita fit, vt appetitus prior determinatus ad vnum sit; quoniam hęc vbiq. naturę conditio est: posterior ad plura indifferens, vt plura cognoscenda occurrunt. Prior in forinsecùs impediatur, in actu semper est, quia naturalis forma naturaliter & necessario operatur: alter non semper, quia non semper adest animali cognitio. Ergo plantalis & vegetans anima vt cognitionis est expers, sic appetitu eo, qui cognitionis comes est, caret. Habet naturalem illum, quo & alimentum appetit, & singula corporis membra conueniens sibi potius, quàm alienum, trahunt. Et in 1. lib. de Arte dicendi cap. 11. diuersam concupiscentiam reperies in irrationalem, quę nec rationem audit nec persuasionem; qualis est appetitus alimenti, cibi & potus; & rationalem, quæ & persuaderi potest & ratione corrigi & non multò antè dicebamus ex 1. de moribus lib. aut rationalem proprię dici, quòd in se rationem habeat, aut ita vt qui dicto patris vel amici audiens est. Qui proprię rationalis dicitur appetitus volùtas est: qui minus proprię, appetitus sentiens, siue cupiditas sit, siueira.

Appetitus in plantis an vllus.

Vndè voluntatem ac sentientem appetitum diuersas facultates esse intelligas; nec modò ratione, sed reipsa quoq. si per se & secundùm suam naturam considerentur: quippe diuersas re animæ distinctásq. cognoscentes facultates consequitur intelligentem inquam & sentientem, humanam & bestialem animam, intellectúmq. & sensum. Alter spiritalis est, nec vllo corporis vtens organo; materialis alter, & organicus. Vt verò distinguantur in homine in quo ambo simul in vnica vinctì anima continentur; petendum erit ex generali disputatione de facultatum ab anima & inter se distinctione. Rationis certe ac definitionis distinctio vbiq. necessaria est nam & obiectum diuersùm spectant, alter bonum vniuersum & honestum, alter bonum particulare & iucundum: & alter hominis proprius est, alter cum bestijs communis: ille vt homo est, hic vt animal est: alter inorganicus, alter organicus: vnus deliberatione vtens, alter nequaquam: ac demùm alter alteri sæpè contrarius ac resistens.

At non ita fortasse definias, num concupiscentia quoq. & ira duplici egeant facultate, siue re, siue ratione sola, diuersa. Certe permulti duas esse facultates affirmant: inter quos S. Thomas in 1. parte quæst. 81. ar. 2. tum quia horum vnus appetitus nititur contrà alterum, vnusq. minuit alterum. Nam si vehementiùs iraſcaris, minuitur concupiscentia: etsi valde concupiscas, parùm iraſceris. Tum quia ira propugnattix cupiditatis existit; tum verò & contrarios habent fines, & pugnantes actiones, amplecti bonum & propulsare malum. Mihi tamen necessarium id non videtur, vnicámq. insensu facultatem arbitror esse satis; arbitratúmq. reperies Themistium, tum hoc loco, tum tex. 29. Simplicium & alios. Omnes namq. consentientes video vnicum esse rationalem appetitum circà bonum & malum, eundémq. velle & amplecti bonum, nolléq. & auersari malum: eundem ardua & non ardua spectare: quippe scitum est illud, eadem est contrariorum facultas, etsi ardua vehementiora illa sint. Eadem namq. videndi vis & circà album & nigrum & circà paruum & magnum aspectabile, circà conueniens & non conueniens obiectum versatur. Eadem cæterarum cognoscentium facultatum lex & natura. At quidni eadem appetentium sit? Cur non eadē valeat facultas appetere id, quod cōmodum est & reijcere incommodum, versariq. circà arduum & non arduum. Sed ab hoc animali appetitu tres omninò promuntur actus; inclinatio in bonum, declinatio à malo, & propulsatio mali; magisq. malifuga distat à prosequutione boni, quàm propulsatio mali: quoniam illa duo contrarię & quasi contradicenter opponuntur, Quare vt non ponuntur duo distincti appetitus ad fugam mali & prosequutionem boni; ità nec ad propulsandum malum opus est appetitu ab eo diuerso, qui bonum prosequitur & fugit malum; sed vnus hæc omnia præstare potest. Cùm præsertim appetitionis aut diuersum obiectum non sit, aut certe non satis ad diuersam facultatem faciendam. Iræ namq. obiectum non solùm dicitur esse malum propulsandū, sed arduum quoq. bonum; circáque bonum & malum concupiscentia quoq. versatur. Quòd si hæc circà bonum, illa circà

circà malum versari dicantur ; iam scitum est eandem esse contrariorum facultatem, idémque circà vtrumq. rationalis appetitus est. Si verò cupiditatem inquiãt in bono vel malo non arduo occupari, irámq. circa eadem illa versari, si fuerint ardua : næ voluntas eadem circà ardua versatur & non ardua, quòd in vtrisq. obiecti ratio eadem reperiatur: neq. intensum & remissum, vehemẽs & nõ vehemẽs, diuersa faciunt obiecta, vnde facultates diuersæ proficiscantur: sed maiorem dumtaxat vel minorem difficultatem aut conatum facultatis eiusdem postulant. Mali autem propulsatio illa, propter quàm maxime facultatem diuersam aduersarij postulant, ad mali fugam facilè reuocatur. Nam duobus modis potest vitari malum : aut auertendo se à malo, aut repellendo à se malum : quorum vterq. facultatis eiusdem esse videtur. Sed & ad boni prosequutionem reuocabis: quia qui vult bonum, repellere, debet malum. Deniq. vnicum est organum, cor. Vnde in tex. 29. inquiebat Philosophus (Neq. diuersum appetens & fugiens, neq. inter se, neque à sentiente; sed esse aliud. Et vt sentientis principium est Cor, sic eadem appetentis est sedes ac perturbationum omnium officina; quas omnes ibi excitari ac sæuire experitur in se ipso vnus quisque in cerebro nullam, aut iecore aliave vlla corporis parte.

Malum duobus modis vitari.

Itaq. hic locus, quem nunc tractamus, superiori illi optime respondebit; indéq. explicabitur. Appetens dixerat diuersum à sentiente non esse; & nunc absurdum esse ait hanc à cæteris animæ virtutem diuellere ac separare. Appetentis tamen ac sentientis esse addiderat esse aliud : & nunc appetens, inquit, ratione ac potestate ab omnibus sanè diuersa videbitur. Sed ibi cum sola sentiente, hic cum alijs omnibus animæ partibus comparatio fit. Quæ duplici continetur parte. Prima, appetentem facultatem à cæteris omnibus ratione diuersam esse. Deinde, ab illis tamen re & loco separandam non esse: sed & appetitum cum ratione, & sentientem cum sensu iungendum esse. Mens & ratio nullæ certæ corporis parti alligatur, ideo nec rationalis volũtas. Sensus primaria sedes est cor, ibidem appetitus, qui comes est sensus, continetur: siue is concupiscentia fit, siue ira. Quo maiori iure dictum est, absurdum esse à cæteris animæ facultatibus appetitum diuellere. Non enim datur sine cognitione appetere. Et inanis prorsus fuerit quæstio, quam proponunt aliqui, cur nam vnicus specie in intellectu appetitus ponatur atque in sensu duplex; in intellectu voluntas, in sensu cupiditas & ira. Etenim vtrobiq. vnicus est vnicam comitãs cognitionem, sed duplex in vtroque actus, in voluntate velle bonum & nolle malum in sensu cupiditas iucundi & ira circà molestum & quod dolorem pariat.

TEXTVS.

Καὶ δὴ καὶ περὶ οὗ νῦν ὁ λόγος ὑπέστημεν, τί τὸ κινοῦν καὶ ἐφ' ὅτου τὸ ζῷον ὅτι, νῦν μὲν τὸν καὶ αὔξησιν καὶ φθίσιν κίνησιν, αἷς πᾶσιν ὑπάρχουσι, τὰ πᾶσιν ὑπάρχοι δόξειεν ἂν κινεῖν τὸ γεννητικὸν καὶ θρεπτικόν. περὶ δὲ ἀναπνοῆς καὶ ὀκπνοῆς, καὶ ὕπνου καὶ ἐγρηγόρσεως, ὕστερον διοκεπτέον. ἔχει γὰρ καὶ ἕωτα πολλὴν ἀπορίαν.

A *Præterea verò de quo nunc fuit sermo, quid est quod animal per locum mouet? accretionis namque & decretionis motu, qui omnibus insunt, mouere videbitur quæ omnibus inest genitrix nutrixque. De respiratione verò & inspiratione, somnóque & vigilia, posterius considerandum. Habent & hæc dubitationem multam.* Tex. 43.

COMMENTARIVS CXLIII.

B PHilosophum arbitratur Themistius Plantonis illam animæ partitionem dimittere, ac rem suam agere, quæstionémq. tractare, quidnam sit id, quod animal per locum moueat. Eadem Philopono Auerroiq. videtur fuisse sententia. Quare quod de accretione & decretione, déq. respiratione, somno, & vigilia, dicitur, ad tollendam referunt homonymam, vt intelligatur, de quonam locali motu quæratur. Quippè accretio & decretio mutationem quandam loci adiunctam habent : quoniam quod augetur, ad maiorem extenditur locum ; & quod minuitur, ad minorem contrahitur. Atq. respiratio motus quidam est localis; tum aëris inspirati & expirati; tum pulmonum, qui aëre susceptо attolluntur & reddito de primuntur. Deniq. somnus vehementiorem, quàm vigilia, respirationis facit motum ; & vigilia palpebras crebrò mouet. Sed accretio & decretio in plantis quoq. inest; & manifesta est illarum causa ; genitrix, nutrixq. facultas, non animalium propria & peculiaris, sed cum plantis communis. Et respiratio, somnus, & vigilia, si quem continent motum, cuiusmodi is est partis, non animalis totius. Neque de his nunc dicendum est. Verùm de accretione quidem & decretione dictum est in 2. lib. de respiratione autem, somnóq. ac vigilia (quæ sanè non paruas nec paucas habent difficultates) proprij post subiungentur libelli. Nunc verò de animali duntaxat motu ; & quidem animalis totius, quem incessum & progressionem de loco ad locum appellamus, disputatio est ; cùm quærimus, quid sit id, quod animal per locum mouet.

Quam interpretationem tàm grauium præsertim interpretum probarem libenter, nisi alio vocaret Simplicius, primáq. orationis verba secùs suaderent. Nam tria alia proponunt aduersùs Platonem argumenta. Primùm ex mouente facultate; alterum ex respiratione ; tertium ex somno & vigilia : quorum omnium nulla est in Platonis illa partitione trimembri mentio ; & animæ tamen operationes sunt in animalibus manifestæ. Nec enim verisimile videtur somnum & vigiliam inter locales motus commemorasse Philosophum : cùm somnus cessationem & quietem ab omni motu atq. operatione significet, vigiliáq. nõ magis localem motum, quam functionem aliam quamuis; Immò sensuum potiùs functionem & vsum, quorum impedimentum & cessatio est somnus.

Minimè omnium verò credendum est Philopono, verba illa (Habent enim & hæc dubitationem multam) difficultatem illam significare, num respiratio sit naturalis motus, an animalis & arbitrarius. Non solum enim hæc, sed aliæ plures grauésq. sunt de respiratione tota difficultates. Nec ea verba solã

ſpectant reſpirationem, ſed inceſſum quoq. & ſomnum, ac vigiliam, quæ ſimul cum reſpiratione fuerant nominata. An autem reſpiratio naturalis motus ſit an animalis, in 2. lib. fuit explicatum, vbi de vitali tota facultate diximus. Habent igitur & hæc dubitationem multam, tum quomodo ad Platonicam illam partitionem reuocari queant, tum verò quænam eorum vis & natura ſit, & à quanam omninò virtute proueniant. Nam quod ad localem motum attinet, de quo nunc potiſſimùm ſuſcepta eſt diſputatio, etſi dum augentur vel minuuntur viuentium corpora, quoquo item modo mutent locum, eáq. mutatio à genitrice nutricéq. facultate proueniat, quæ dùm maiorem vel minorem quantitatem apponit, ad ampliorem vel anguſtiorem locum extendit aut contrahit corpora noſtra. Alterius tamen generis eſt is motus, cuius nunc cauſa quæritur, ſiuè ſubiectum ſpectes, ſiuè naturam eius. Accretio & deſcretio, quæq. cum illis coniuncta eſt mutatio loci, plantarum quoq. ſunt, de motu animalium nunc proprio quæritur. Deinde eorum, quæ augentur & minuuntur, pleráq. immobilia iudicantur, quòd de loco ad locum non tranſeant, neq. per locum moueantur, ſed certam alicubi & fixam ſedem habeant: vt plantæ & animalia quædam, quæ immobilia propterea vocantur. Nobis autē ſermo eſt de motu, quo perfectiora animalia, ſe ſe de vno loco ad alium transferunt, incedendo, reptando, volando, natando.

Quare quod de accretione & decretione interpoſuit, tres ob cauſas fortaſſe factum eſt, vel vt magis explicaret, de quonam locali motu loqueretur. Velvt illius difficultatem ſignificaret, qui occultiorem multò, quàm accretio & decretio cauſam haberet. Vel demùm vt aduerſus Platonem argumentorum augeret numerum: & præter inceſſum, reſpirationem, ſomnum, & vigiliam, accretionem quoq. obijceret & decretionem, quæ manifeſtum cum habeant cauſam, genitricem & nutricem virtutem, à Platone fuerūt ommiſſæ, vbi in rationem, cupiditatem, & iram partitus animam eſt. Quod eo fuerit veriſimilius, quòd in tex. 41. nutritionem ſolam obiecit, cui nunc accretionem & decretionem videbitur ſubiunxiſſe, velut alias quaſdam animæ operationes.

Genitricem autem & nutricem dicit vegetantem animam, velut accretionis & decretionis principium: facultates nimirum ſubſtituens animæ ac pro illa nominans. Vbi obſeruabis auctricem facultatem non nominari, quod eam is fortaſſe à nutrice diuerſam eſſe non putauit, duáſque dūtaxat eſſe voluit vegetantis animæ facultates.

Facultatem auctricē à nutrice diuersā non esse.

Obiter etiam videbis triplicem in his motum ab Ariſtotele compræhenſum fuiſſe, naturalem, vitalem, animalem: naturalis eſt accretio, vitalis reſpiratio, animalis inceſſus progreſſiouè & qui huic ſimiles ſunt, reptatus, volatus, natatus.

Hæc Ariſtotelis fuit aduerſus Platonis illam animæ partitionem in rationalem, concupiſcentem, & iraſcentem, diſputatio. Cui pro Platone reſpondent Philoponus ac Simplicius, in libris eum de Repub. tres tantum illas partes commemoraſſe, quod eæ ad tres adminiſtrationis formas diſtinguendas eſſent opportunæ. Ratio enim dominans regnum oſtendit, ira popularem ſtatum, concupiſcentia paucorum dominatum. At in Timæo, vbi naturalia tractauit, vniuerſam animam cæteráſq. illius facultates & partes tradidiſſe. Quod ſapienter ſanè reſponde-

Platonis contra Aristotelē defensio.

tur: ſed illud maximè diſplicuit Ariſtoteli, quòd loco & partibus corporis eas ſepararet. Vnde conſequens erat, vt quemadmodum eæ ſeparātur, ità cæterę quoq. non minus neceſſariè ſeparande fuſſent, propriáque cuique ſedes ac proprium in corpore, domicilium aſſignandum.

TEXTVS.

Ἀπὸ δὲ τῆς κατὰ τόπον κινήσεως, ἢ τὸ κινοῦν τὸ ζῷον καὶ πορευτικὸν κίνησιν σκεπτέον. ὅτι μὲν οὖν οὐ χωρὶς ὀρεκτικὴ δυνάμεως δ' ἄλλον. ἀεὶ γὰρ ἕνεκά τοῦ ἡ κίνησις αὕτη, ἡ δὲ ὄρεξις ἐστὶν. οὐθὲν γὰρ μὴ ἀρεγόμενον ἢ φεύγον κινεῖται, ἂν ἡ βία. ἔτι δὲ τὰ φυτὰ κινητικὰ τῶν, καὶ τοῦτ' ἢ μάλιστ' ἐναργὲς τοῦ κινοῦντος ζώου.

At de motu per locum, quid mouens animal incessus motu, considerandum. Quod igitur non nutrix facultas, manifestum. Semper namque alicuius gratia motus huiusmodi, & cum phantasia aut appetitus est. Nihil enim & appetens vel fugiens mouetur, nisi per vim. Adhuc autem planta motrices essent, nisi haberent partem aliquā instrumentalem ad hūc motum.

COMMENTARIVS CXLIV.

PLatone iam dimiſſo ad ſua reuocat ſe ſe Philoſophus, vt inueniat quid ſit, id, quod animalia moueat, dùm incedunt per communem locum & elementum illud, in quo degunt; ſiuè aër ſit, ſiuè aqua, ſiuè etiam quibuſdam terra, déq. vno particulari & proprio progrediuntur ad alium. Inueſtigando autem analyſi vtitur, quàm ex ſuperiori Diſputatione accipit, in qua in omnes ſuas partes & facultates diuiſa fuit ac reſſoluta anima; in nutrientē, ſentiētem, imaginantem, intelligentem, appetentē. Aut enim harum aliquam eſſe oportet, quæ moueat, aut aliam ab his diuerſam. Nam quod ait Simplicius, optimam eſſe inueſtigandi methodum ex oppoſitorum comparatione, veriſſimum ſanè eſt: ſed oſtendere, quænam ſint vitæ non mouentes (ſic enim ipſe loquitur) motum inquam hunc neq. à vegetante virtute proficiſci, neq. à ſentiente, aut à ſimilibus aliis; hoc ego non dixerim eſſe oppoſita comparare; ſed analyſi facta effectus, qui in animalibus apparet, in omnes eas virtutes, quæ in illis inſunt; examinare ſingulas, vt à quanam proueniat, tandem inueniatur. Quod nil aliud eſt, quàm analytica vti methodo, vt veram cuiuſq. effectus cauſam aſſequamur. Dùm, ità progredimur, verè id agimus quod hic Philoponum egiſſe voluit Philoponus, cùm eum oſtēdiſſe dixit, & quid non ſit quod ſecundùm locum moueat, & quid ſit. Analyſi namq. facta, dum ſingulæ examinantur cauſę, nimirum docetur quæ non ſit & quæ ſit propria effectus cauſa.

Primùm igitur nutricem virtutem aggreditur, eámq. non eſſe huiuſce motus cauſam demonſtrat. Quatuor id argumentis conficit. Quorum primum eſt illud (ſemper namq. alicuius gratia motus huiuſmodi) quod de nutritione ità interpretatur Philoponus. Nutricis virtutis vnus eſt finis, corporis refectio vitæq. conſeruatio: inceſſus autem duplicem ſpectat finem. Nam & ratione interdum ductiho-neſtum ſectamur bonum; & interdum affectu quopiā ſollicitati iucunda quærimus, vt cùm ad venerea

moueā-

mouemur. Themistius autem & Simplicius de animalium potiùs progressiuo motu intelligi volunt. Omnis enim huiusmodi motus finem aliquem spectat ; & si mouentur animalia, vel bonum aliquod sibiq. commodum quærunt , vel à malo quopiam atq. incommodo refugiunt. Itaq. cùm in 2. Physic. lib. duobus modis dicatur posse quidpiam agere propter finem; aut illum præcognoscendo, hacque cognitione ad agendum impellente, actionémque totam moderante ; aut absq. cognitione vlla, solo scilicet impulsu naturę; animalium hic motus priori modo dicitur esse alicuius gratia ; propter finem inquam præcognitum, siue sensu & phantasia, siue intellectu. Nutritio verò vt & quælibet alia naturæ operatio, ad finem confertur aliquem ; at antecedens omnis abest cognitio. Propterea cùm alicuius gratia motum huiusmodi dixisset esse , phantasiam illicò appetitumq. subiungit; eum esse inquiens aut cùm phantasia aut cùm appetitu.

2. arg. Tametsi hæc alterum quoq. continet argumentum. Animalis hic motus phantasiæ comprehensione aut appetitū consequitur : nutrix absq. phantasia est & appetitu ; motus is igitur à nutrice non est. Propositionem ostendit Philosophus inductione & experientia; qua conspicimus animalia si sponte & non externavi tracta aut impulsa moueantur, moueri propterea, quod vel appetant quidpiam vel fugiant; vt illud cognouerint atq. imaginata fuerint, vel vt bonum sibiq. commodum, vel vt malum & noxium. Porrò quod dicitur (aut cum phantasia aut appetitu) duobus modis interpretor. Vel vt disiunctio pro coniunctione posita sit ; hac sententia: motus animalium huiusmodi semper est cum phantasia & appetitu quia enim appetunt quidpiam (quippè & auersio, inquit Simplicius, fugiendæ rei appetio quædam est, desiderans eam vitare & fugere) idcirco mouentur: appetunt autem id, quod cognitum imaginantur bonum sibi esse aut malum: nam etsi à ratione moueantur, non nisi phantasiæ interuentu id fit. Vel si disiunctionem retineas, diuisio fuerit motus, qui partim imaginarium partim rationalem appetitum consequitur . Appetitus enim omnis ex cognitione nascitur ; cognitio si absit, nulla fuerit appetitio. Ita phantasia imaginarium significabit appetitum, qui bestiarum est, & hominis quoq. persæpè , dum iucunda & vtilia persequitur, vel iniucunda & noxia fugit: appetitus autem rationalem appetitum hominis proprium ; cum honesta præsertim sectatur aut opposita illis auersatur. Quatenus verò animalibus cunctis quæpiam insit phantasia, minùs saltem perfecta , qua si non de loco ad locum transeant ad prosequendum vel fugiendum, quoquo certè modo ad presens iucundum sese pandant aut iniucundi contactu contrahunt.

3. arg. Iam tertium argumentum illud est , si nutrix facultas moueret, non animalia modò, sed & plantæ mouerentur. Namq. facultate illa præditæ sunt , at plantæ immo biles semper sunt.

4. arg. Quartum, si moueret nutrix, nimirum vbicumq. ea esset, incessus adessent instrumenta : at in plantis est sanè nutrix , absq. vllis tamen huiusmodi instrumentis : quin cùm oppositò potiùs ad incedendum impedimento. Siquidem radicibus terræ infiguntur immobiles, & ne extetna quidem vi facilè auelluntur. Idem prorsus argumentum reperies in 2. lib. de Cœlo tex. 50. etsi Cœlestia namq. astra hoc eodem incessus motu non moueri probauit, quod instrumenta non habeant incedendo necessaria , sed orbiculatem potius figuram orbiculari motui accommodatissimam, ineptissimam incedendo.

Vtraq. vero argumentatio certissimo illo nititur principio ab Aristotele pluribus in locis & vero sequenti textu vsurpato , Naturam neque otiosum aut superuacaneum quidquam efficere, neq. in necessarijs deficere. Si instrumentis igitur incedendi carent plantæ , carent & motrice virtute : habent autem nutricem, motrix igitur non est nutrix. Non enim respondeti potest, motricem absq. necessarijs instrumentis inesse plantis: quoniam frustra & absq. vllo vsu esset , idq. in vniuerso plantarum genere: absurdum est autem dicere aliquid frustra fieri à natura. Sanè cùm plantæ radicibus, quę oris instar illis insunt , infigantur terræ ; præsensque semper habeant alimentum , incessu localique motu non eguerunt. Animalia radicibus immobilia infigi terræ non debuerunt, quia meliorem sortita vitam, nō sunt nutriendo solùm; sed & pluribus alijs actionibus destinata, quibus ad multa ferri oportebat. *Plantæ cur immobiles.*

5. arg. Quintum ex animalibus ipsis argumentum addit Philoponus. Erenim in his somni magis, quàm alio, tempore operatur nutrix facultas, vt confirmat Philosophus in lib. de somno & vigilia cap. 1. & lib. 1. de moribus ad Nicomachum cap. vlt, cessent enim actiones ceterę, calórque totus ad coquendum corpúsque reficiendum colligitur. Quo sanè tempore velut immobilia quiescunt animalia , nec incedunt quoquam.

TEXTVS.

Ὁμοίως δ' οὐδὲ τὰ αἰσθητικὰ πολλὰ τὸν ἀριθμὸν ζῴων, ἃ αἴσθησιν μὲν ἔχει, μόνιμα δὲ ὄντα καὶ ἀκίνητα διὰ τέλους. εἰ οὖν μήτε μηδὲν ἡ φύσις ποιεῖ μάτην, μήτε ἀπολείπει τὰ ἀναγκαῖα, πλὴν ἐν τοῖς πηρώμασι καὶ τοῖς ἀτελέσι, τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ζῴων τέλεια καὶ οὐ πήρωμά ἐστι. σημεῖον δὲ ὅτι γεγωμτικὰ καὶ ἀκμὴν ἔχει τὰ φύσιν, ὥστε ἔχειν ἂν καὶ τὰ ὀργανικὰ μόρια τῆς πορείας.

D *Eodem autem modo nec sensitiuum. Multa namque sunt animalia, quæ sensum quidem habent, quiescentia vero & immota perpetuo. Si ergo nec quidquam natura facit frustrà , nec committit necessariorum , præterquàm in vitiatis & imperfectis. Huiusmodi autem animalia præfecta & nō vitiata sunt. Argumentum vero, quod gignendi vi pradita, & vigorem & decrementum habent. Quare haberent vtiq. & instrumentarias incessus partes.* Tex. 45.

COMMENTARIVS CXLV.

E SEcundo loco probat animalium motus causam non esse sensum faclutatem vè sentientem. Primáque illa vox (ὁμοίως) duo mihi significat. Alterum , non magis , quàm nutricem, de qua superiori oratione dixit, sed perindè prorsus nec sentientem esse motricem. Alterum , simili prorsus & eodem argumento id demonstrari. Vt enim nutricem non mouere probauit, quia & plantæ motrices essent, & partem haberent aliquā huius motus instrumentariam: ità nunc mouere sensum demonstrat , quoniā si mouendi vim haberet sensus, vbicūq. sensus esset, esset & motus. Sensus autem animalibus omnibus ineſt , quia vt in 2. libro dicebatur animal sensu primum constituitur & animalis naturam sortitur : at multa sunt , quæ plantanimalia propterea vocantur, quòd etsi animalē habeāt sensum, motū tamen *Motus causā nō esse sensum.* 1. arg.

carent vt plantæ, immotáq. perpetuo & vsq. ad vitæ suæ vltimum sunt. Deindè si sensus in animalibus hisce principium & causa motus esse posset, adessent in illis partes eæ, quæ huiusce motus instrumenta esse solent sunt q. in cæteris: pedes inquam aut huiusmodi quidpiam: at nullæ sunt; neq. igitur vis motrix inest: inest autem sensus; sensus igitur id non est, quo animalia mouendi vim habent.

Itaq. cùm quatuor argumentis nutricem reiecisset virtutem, prioribus duobus ommissis, quæ plantis solùm conueniebant; duo repetit posteriora, quę animalibus quoq. conueniunt, in quibus est sensus. Atque vt argumenta erant communia & nutrici & sensui; sic eorum confirmationem in posteriorem hunc locum distulit, vt parti vtriq. communis foret. Confirmatio autem est; quoniam natura nec superuacaneum quidquam & absq. necessario vsu facit, nec necessarium quidquam prætermittit. Quare cùm instrumenta instrumentis vtenti virtuti necessaria sint, prætermissa nõ fuissent, si motricem virtutem habitura fuissent hæc animalia. Nihil inquam necessarium prætermittit natura in vniuersa specie aut genere toto. Insipientis namq. esset virtutem aliquam impertiri, cuius nullus vnquam vsus esse posset. In indiuiduo quopiam deest interdum aliquid aut redundat: sed illud aut oblæsum est & mãcum vel imperfectum, aut certè monstruosum: vt siquis eunuchus prodeat, sexuè digitos in manu habeat. Atq. vt indiuidua ex accidenti sunt in natura, ità si quid illis eueniat huiusmodi, ex accidenti euenit; deffectu aut excessu materiæ, formatricisuè virtutis. Neq. vitio vertitur naturæ; modò species, quę per se quęritur, rectè habeat vniuersa.

Natura nec deficit nec redundat.

Porrò non sensum modo, sed & vniuersè irrationalem animam, ait Philoponus, non esse motus huius principium, hoc argumento probari. Si enim irrationalis anima principium foret, quæcumq. irrationalem animam habent oporteret moueri: atqui plantanimalia irrationalem animam habentia non mouentur. Quod probandum non est, neque Aristoteli consentaneum. Quippè anima principium est operationum omnium, quæ in viuentibus sunt, plantalis in plantis, irrationalis in bestijs, rationalis in homine. Et in tex. 24. lib. 2. anima dicebatur esse id, quo mouemur. Sed cùm pluribus ea prædita sit facultatibus, quæritur nũc, num earum potissimùm ad mouendum vtatur; negatúrq. sentiente vti, sed alia quapiam. Et ideò non mouentur plantanimalia; quia etsi irrationalem animam & sensum habeant, hac tamen facultate carent, qua mouet anima. Et opportunè prorsus Auerroës monuit de principio motus propinquo sermonem in his Philosopho esse: alioqui si de remoto quæratur; non modò anima, sed & sensus quoq. & intellectus principia motus sunt; anima primarium & substantiale, sensus & intellectus secundarium & accidentarium: si quidem non nisi ex antecedente cognitione, siue sensus, siuè intellectus, mouentur animalia: & paulò antè dixit Philosophus motum hunc aut cum phantasia aut appetitu esse. Primarium igitur principium est anima. Secundarium, sed remotum, sensus, phantasia, intellectus, appetitus, proximum & proprium facultas motrix, quæ nunc quæritur. Melius dixit Simplicius, tum sensui, tum phantasiæ, argumentum esse commune: quoniam phantasia sensus quidam est interior, & in immotis etiam illis animalibus, licet imperfectior, inest. Propterea à sensu ad intellectum transibit statim Philosophus, nulla phantasiæ facta mentione, quia & ipsa sensus est, nec quidquam habet proprium, nihil illud sic, quod addit Philoponus, quòd ea in somnis quoque viget, quo tempore non mouemur: moueri autem nos oporteret, si ea foret motus causa.

An irrationalis anima sit causa mouens.

Cùm autem dicitur (præter quàm in vitijs & imperfectis) duo hæc non temerè coniungantur, sed vt duo colligantur animalium genera, in quibus necessaria desint. Quædã quod vitiata sint & oblæsa, vt Eunuchi, & qui quatuor tantùm habeant digitos: alia, quod imperfecta sint adhuc propter ætatem, neq. ad necessarium potuerint instrumentorum apparatum perduci, vt infantes, & in 1. ætate animalia cuncta. Propterea plantanimalia, quę motu carent, perfecta & non vitiata esse adiungit. Quorum vtrũque indè colligas, quod gignendi vi prædita sunt nõ ergò vitiata sunt & mutilata, quemadmodum Eunuchi. Rursùm augentur & ad perfectum statum ac vigorem peruenium atque decrescunt, non igitur sunt imperfecta, vt infantes vel catelli: nam si essent, necessaria sibi instrumenta ætatis decursu compararent. Cùm vero motus instrumenta sibi nunquàm comparent, perspicuum est motricem illis virtutem non inesse.

Cæterùm perfecta hæc animalia dicuntur, non simpliciter in animalium genere, sed in sua specie, quippè nihil illis deest, quod suæ speciei debeatur. Illud tamen difficultatem habet, quod gignendi virtute dicantur esse prædita: quoniam in 3. libro de animalium ortu cap. vlt. vniuersum testatum genus spontè atq. ex putrescente materia obductõ cæno nasci prodidit. Mihi duo videntur verè affirmari posse. Alterum cum Simplicio, animalia hæc humiditatem quandam ex sese emittere, cui obducta terra cœnoq. facto & cõcrescente, animal quodpiam, siuè simile, siuè dissimile, prodeat. Alterum, generationem hic non pro alterius animalis procreatione nominari: sed pro nutritione, quæ ãgeneratio quędam est perfectáque & non vitiata animalia esse probari, quoniam & nutriuntur & augetur, atque ità ad omnem suæ speciei perfectionem membrorúmque integritatem veniunt.

Iam vero Aristotelicæ huic argumentationi aliam subiungit Philoponus, qua sensum non mouere ita ostenditur. Si sensus esset motus causa, oporteret, dum mouemur, sensum operari. At clausis oculis nihilque audientes, vel olfacientes, aut gustantes vel contrectantes, mouemur: immò sæpè, vt accuratè, sentiamus aliquid, interrumpimus motum, & quiescentes sentimus actiùs. Non est igitur sensus, qui mouet.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τὸ λογιστικὸν ἢ ὁ καλούμενος τοῦτο νοῦς κινητικός· ἡ μὲν γὰρ νοητικὸς οὐθὲν νοεῖ πραττόμενον, οὐδὲ λέγει φεύγειν ἢ διωκτέα οὐθέν· ἀεὶ δ' ἡ κίνησις ἢ φύσει ἢ προαιρέσεως ἐστὶν αὐτοῦ ὅταν θεωρῇ τι τοιοῦτον, ἤδη καλεῖ φεύγειν, ἢ διωκτέον· ὥστε πολλάκις διάνοιά τι φοβερὸν, ἢ ἡδὺ οὐ κελεύει ἢ φοβεῖσθαι, ἢ καρδία κινεῖται. αὕτη δ' ἡδύ, ἐπειδὴ τιμᾶται.

TEXTVS.

Text. 46. *At verò neque rationale & qui vocatur intellectus est qui mouet. Theoreticus enim agendum nihil intelligit, neq. de fugiendo aut prosequendo quidquam dicit. Semper autem motus aut fugientis quidpiam aut prosequentis est. Sed nec vbi eiusmodi quidpiam contemplatur, fugere iam aut prosequi iubet. Quemadmodum sepè terribile aliquid ratiocinatur vel iucundum, non iubet autem timere. Cor autem mouetur. Sin verò iucundum, alia quadam pars.*

COMMENTARIVS CLXVI.

TErtia hæc est probatio ; qua id quod animalia mouet, intellectum non esse ostendit: quod de proprio & proximo principio motus intelligas; quéadmodum de sensu quoque in superiori commentario dictum est. Et vt duplex est intellectus, vnus theoreticus, alter practicus ; sic bipartitam instruit probationem. Sed importunè hic cogitatiuam intrudit nobis Auerroës, dum λογικὸν cogitatiuam interpretatur; rursúmq. cogitatiuam theoreticum intellectum, & νοῦν intellectum practicum significare putat. Quo loco (quidquid interim sit de hac cogitatrice virtute) sex omninò modis peccat. Primùm, quòd λογικὸν, quod ἀπὸ τοῦ λόγου, id est à ratione dicitur, quasi rationale ieu ratione vtens animę virtus, cogitatiuam dicat; quam in homine materialem ac sentientem facultatem vbiq. fecit. Alterum, quòd vim hanc materialem sentientémq. significare dicat intellectum. Tertium, quòd virtutem, quam singularem solùm substantiam cognoscere déque singulis duntaxat rebus ratiocinari credidit theoreticum nunc intellectum circà vniuersa maximè occupatum appellet. Quartum, quòd λογικὸν melius ac diuinius quidpiam, quàm νοῦν, esse in anima dicat : cùm optimum omnium ac diuinissimum esse νοῦν & Aristoteles & Peripatetici omnes, ceu supremum animæ apicem, semper posuerint. Quintum, quòd νοῦν, qui circà prima & summa atq. à sensibus maximè remota versari existimatur, intellectum exponat practicum. Sextum, quòd ea, quæ coniunctim & velut vnum membrum Philosophus loquitur (λογικὸν ἢ ὁ καλούμενος νοῦς) disiunctim is & quasi duo diuersa proponat ; Neque cogitatiua ; inquit, neque illa quæ dicitur intellectus.

Sentiente igitur animæ parte in superiori probatione reiecta, ad intelligentem nunc accedit : quam primùm rationalem appellat, moxq. rationale interpretatur significare intellectum: perindè ac si dixisset, pars ea, quæ ratione vtitur, quàm intellectum vocamus. Vndè scitè colligit S. Thomas rationem & intellectum eandem animæ partem significare: quæ & intellectus dicatur, quatenus intelligit, & ratio, quatenus inquisitione quadam ad intelligendum ducitur. Sanè Philosophus cùm duas dixisset voces, vnicam tanquam vnius rei diuisionem subiungit in theoreticum & practicum. Immò διάνοιαν quoque cum intellectu coniungit (imperante inquit intellectu dianæaque dictante) quòd eadem animæ virtus sit intellectus, ratio, & Dianæa. Quod in 2. quoq. lib. adnotauimus, vbi in textu. 29. Dianæam & intellectum rursum in textu 32. rationem & dianæam coniunxi ac pro eodem nomi-nauit.

Intellectus & ratio, & dianæa.

A Iam argumentatio eiusmodi est. Si intellectus esset id, quod animalia mouet, aut esset intellectus theoreticus aut practicus: at neuter est, non est igitur intellectus. Theoreticus namque intellectus in sola rerum cognitione versatur, nec ad actionem progreditur, neq. sollicitus de ea est. Nam si ea consideret, quæ sua natura Theoretica sunt, nullo modo agenda; vt cùm cœlorum natura aut triangulum habere tres angulos contemplatur, sanè nullus efficitur motus. Quoniam non intelligit quidquam, vt agendum est vel non agendum, prosequendum aut fugiendum : sed solùm vt ens est & verum aut intellectile. Vbicumque autem animalia mouentur, ideò mouentur, vt vel cibum quærant, vel aliquid aliud, quod optant, consequantur, aut aliquid vitent quod auersantur. Immo vero si quidpiam eorum consideret, quæ de genere sunt agendorum possuntq. vel ad prosequendum allicere vel incitare ad fugam ; is tamen cognitione sola & contemplatione delectatus nec prosequutionem suadet nec fugam. Si de incendijs, hostibus, cædibus, bestiis, terræ motibus, alijsue, quæ terrorem possunt incutere atq. ad fugam sollicitare, ratiocinetur is; timendũ tamen aut fugiendũ: aut si de epulis, ludis, choræis cęterisq. iucũdis prosequendũ esse, nõ concludit. Quarè etsi in illis cor, in his alia quępiã corporis pars, velut iecur aut genitale pudendũ dũ res venereę cõsideratur commoueatur in nobis, non tamen propterea vel arripimus fugã, vel ad prosequutionẽ surgimus, sed eodem immoti loco consistimus. Quoniam hęc non practicè consideramus, sed theoreticè: hoc est naturas & proprietates eorum peruestigantes, & vniuersè duntaxat, non vt affectus nostros respiciunt, particularisvè illius actionis principia esse possunt. Sed & tantùm abest, vt thoreticus hic intellectus principium sit motus, vt quietem potiùs quærat, inquit Philoponus, ea quæ maximè delectetur. Nam & quidpiam attentiùs contemplaturi quiescimus corpore, atque ab omni strepitu motúq. recedimus & in quietum concedimus locum. Turbat enim motus omnis contemplationem : & in t. 48. lib. 1. intellectio quieti magis, quam motui, similis esse dicebatur, & in t. 20. lib. Physic. quiescendo & sedendo scientem animam ac prudentem fieri proditum est. Quòd si attentè contemplantes incedamus, aberramus illicò & ab instituto itinere deflectimus, in obiua quæq. impingimus, & Milesium Thaletem, dum astrorum contemplationi esset intentus, prolapsum in puteum fuisse atq. à Thressa ancilla irrisum narrat Socrates in Theæteto. Quare perspicuum est theoreticum intellectum non eum esse, qui animalia mouet.

Motus causam non esse intellectum theoreticum.

Quæ contemplationis opportuna.

E Verum Philoponus vniuersam Philosophi probationem paucioribus verbis contineri putat: atq. vbi dicitur (sed nec vbi eiusmodi quidpiam contemplatur) de actiuo intellectu sermonem esse. Ego vero nõ arbitror tàm inconsideratè loquutum fuisse Philosophum, vt vbi seorsim de hoc duplici intellectu tantoperè diuerso loqueretur id, quod vnius proprium est, tribuerit alteri, actiuúmque intellectum dixerit contemplari. Satius est de Theoretico sermonem ad illa vsque verba producere (prætereà & imperante intellectu) bipartitámque & magis generalem probationem facere: quia intellectum illum ostendatur, siue theoretica complectetur, siuè agenda, quæq. ad prosequendũ vel fugiendũ mouere possunt, motus tamen causam non esse.

Atque hoc est illud (sed neque vbi eiusmodi quidpiam contemplatur; terribile scilicet aut iucundum, quod prosequutionem aut fugam excitare possit. Iam igitur de actiuo loquentem audiamus Philosophum.

TEXTVS.

Ἐπὶ δὲ τοῖς ἀπορήσειεν τὸν λέγοντος τὰς ἀκρασίας φύσει τι ἢ διάκειται, οὐ κινεῖται, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀρεκτὸν πρᾶττει, οἷ οἱ ἀκρατεῖς. ᾧ δῆλος δὲ ὁρῶν ὅτι ὁ ἔχων τινὰ ἐπιστήμην, οὐ ἰᾶται, ὡς ὑπό τινος κρείττονος τοῦ πάσχειν κατὰ τὸ ὀρεκτὸν, ἀλλ' οὐ τῆς ὀρεκτικῆς· ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἡ ὄρεξις διαφθείρεται ὑπὸ τῆς κρίσεως· οἱ γὰρ ἐγκρατεῖς ὀρεγόμενοι καὶ ὀρεκτικοὶ ὄντες, οὐ πρακτικοί εἰσιν ὧν ἔχονται τὸ ὀρέξιν, ἀλλ' ἀκολουθοῦσι τῷ λόγῳ.

Tex. 47 *Præterea etiam imperante intellectu ratiocinationéque dictante fugere aliquid aut prosequi, non mouetur, sed ex cupiditate agit: velut incontinentes. Atque omnino videmus, quòd qui medicam artem habet, non medetur, quasi aliud quidpiam sit Dominus agendi ex scientia, sed non scientia. Verum neque appetitus huiusmodi motus Dominus. Continentes namque appetentes & cupientes non agunt ea, quorum habent appetitum, sed intellectum sequuntur.*

COMMENTARIVS CLXVII.

Motus causam intellectũ practicum non esse.

NEc intellectum igitur practicum, ad quem fortasse magis crederes pertinere motũ, quòd circa agenda versetur, omnémq. suam cognitionem referat ad actionem, principiũ & causam motus esse ostẽdit. Eo namq. suggerente præcipientéq. aliquid esse fugiendum vel prosequẽdum, fugiendũ vitium retinendámq. virtutem, quòd ita concluserit ratiocinatio pratica circa rẽ, quæ fortasse occurrerit atq. in deliberationem venerit agenda ne sit an non agẽda: homo tamen non statim mouetur ad id agendum, quod intellectus suasit, sed cupiditatem & affectum plerumq. sequitur: vt videre est in incontinentibus, quorum sunt illa verba: Video meliora probóq. deteriora sequor. Rectè namq. iudicat intellectus non agendum, neq. ad turpem actionem progrediendum, & tamen vehemẽtiore cupiditate impulsi ad agendum mouentur. Contra sæpè intellectus agendum bonum opus suadet, nec tamen ad agendum progredimur: & omninò (vt Themistij verbis vtar) frequẽter vsu venit, vt ratio quidem fugam prosequutionemúe imperet, nec tamen rationis consilio stemus, sed ea sub iugum missam concupiscẽtiam ac libidinem sequamur. Hoc igitur vnum est huius rei argumentum ex incõtinentibus ductũ:

Incontinẽtes quis. quos propterea incontinentes appellamus, quòd pugnantibus intellectu & concupiscentia cohibere concupiscentiam nequeunt, vt rationis ductum sequuntur, sed vincit in illis concupiscentia.

2. Alterum ex medicis ducitur, & omninò ex ijs, qui artem quampiam habent: est autem ars omnis habitus practici intellectus. Medicus namque, etsi medicam optimè calleat artem, nõ illicò tamen ad medendum mouetur. Quod ad ipsum Medicum ita referunt Auerroës & S. Thomas, vt ipse sibi ipsi non medeatur nec seipsum sanet. Sed melius Themistius atque Philoponus vniuersè accipiunt. Semper enim habet Medicus medendi artem, nec tamen semper medetur nec semper curat: nec eques semper equitat, nec faber semper fabrile opus facit. Immò Medici sæpè, inquit Philoponus, de industria non sanat aliquem; aut quòd nolint; aut quòd illi cõducat esse in morbo. Hoc igitur argumento est, operationis & motus dominum primariámq. causam intellectum non esse, aut artẽ, scientiamúe, qua in intellectu resideat: sed aliquid aliud, quod hominem ad scientiæ vel artis vsum impellat. Nimirum sola intellectus cognitio non est satis ad agendũ, nisi appetitus adsit.

Nec tamen propterea appetitum esse Dominum, Motus argumento demonstrat continentium; qui appetitu & ratione pugnantibus appetitum ratione frænant; atque agunt, non ad quod concupiscentia trahit, sed quod ratio rectum atque agendum esse suadet. Incontinentes cupiditatem rationi aduersantem, continentes rationem cupiditati resistentem sequuntur: ex illis intellectum, ex his appetitum nõ esse agendi dominum cognoscat.

Quocirca quarũ hoc esse probationis caput dixerim, etsi paucissimis cõclusum verbis. Primum enim nutricẽ facultatem nõ esse motus causam probauit: deinde nec sensum: tum verò nec intellectum: postremò nec appetitũ. Quibus ego duo de intellectu arguméta subiungo. Alterum, quòd intellectus, vel etiam actiui, ratiocinatio, qua agendum quidpiam esse concluditur, antecedit; motus autem intellectu mox quiescente atq. à ratiocinatione cessante sequitur. Quod si is esset motus causa, tunc oporteret esse corporis motum, quãdo intellectus ratiocinatio atque operatio viget. Alterum, quod generosissimum appellat Philoponus; quòd si intellectus (quicunq. tandem sit, siue Theoreticus, siue practicus) moueret nos, ea, quæ intellectu carent, carerent item motu: at bestiæ quoq. mouentur, in quibus intellectus nullus: aliud igitur quam intellectus, principium est & causa motus. Ita Simplicius optimi fungens interpretis munere nec intellectũ solùm nec appetitum solùm esse motus dominum primariámque & integram causam colligit: sed vtrumq. simul propterea quæ hæc ijs non aduersari, quæ statim subiunget Philosophus, ambo hæc esse motiua, tum intellectum, tum appetitum. Sic enim loquitur.

TEXTVS.

Φάνεται δέ γε δύο ζώιτα κινοῦντα, ἢ νοῦς, εἴτις ἕτερος φαντασία· ἀλλὰ γὰρ ὁρᾶν τινα πολλὰ τῷ λόγῳ οὐκ ἀκολουθοῦντα τοῖς φαντασίαις· καὶ ὁ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὐ νοῦς, οὐδὲ λογισμός ἐστιν, ἀλλὰ φαντασία· ἀμφὼ δὲ ἔχει ταῦτα κινοῦντα κατὰ τόπον, νοῦς τε ὄρεξις.

Videtur autem sane duo hæc mouentia, aut appetitus Text. *aut intellectus, si quis phantasiam quoque ponat vocat intellectionem quandam. Multa enim præter sententiam phantasiæ sequuntur. Et in animalibus cæteris non intellectio, neque ratiocinatio est, sed phantasia. Ambigitur hæc mouendi loco vim habẽt, intellectus & appetitus.*

COMMENTARIVS CLXVIII.

ANalysi in superioribus facta animæ in suas omnes partes ac virtutes, nullam illarum ostendit motus in animalibus causam esse non nutrientem, non sentientem, non intelligentem, non appetentem. Quid igitur? Hoc vnum est reliquum, vt plures illarum simul iungantur ad mouendum: atque ita tandem postquàm dixit quid non sit, apperiat quid sit motus causa. Idverò ex

ex antecedenti disputatione colligit. Omninò enim nutriente ac sentiente relictis, quoniam illa in plantis omnibus, hæc in animalibus non paucis immobiles prorsùs hærent: intellectum & appetitum accipit, quorum alterum in continente, alterum in incontinente perspicuum est mouere. Intellectum autem practicum seu actiuum constat nominari: quoniam Theoreticus cognitione sola delectatus, de nullo cogitat motu, vel si agenda ipsa consideret: practicus est, qui continentis & omninò actiones omnes humanas moderatur. Verùm cum disiunctione loquitur (aut appetitus aut intellectus) hoc est partim hic, partim ille: nam quosdam mouet appetitus intellectum non audiens, alios intellectus appetitum cohibens. Priorem autem appetitum B nominat, quàm intellectum. Tum quia priùs incontinentes nominauerat, qui appetitu aguntur, post continentes, qui ductum intellectus sequuntur. Tum vt inutilem repetitionem vitaret, compendioque vteretur. Nam si priùs intellectum dixisset, deinde appetitum, repetendus fuisset intellectus, vt phantasiam quoque intellectus nomine subiungeret comprehendi. Etsi phantasiam actionem potiùs nominat, quam facultatem, vbi phantasiam inquit velut intellectionem quãdam esse: & rursùm, sæpè homines præter scientiam phantasias sequi: & in animalibus cæteris non intellectionem, nec ratiocinationem, sed phantasiam esse, quoniam id, quod ad C agendum impellit, phantasma est seu idolum, quod phantasia proponit, siue terribilis ac formidandæ fugiendæque rei, siue iucundę, suauis, ac prosequendæ. Quare si cùm intellectu phantasia iungatur duo sunt mouentia, intellectus & appetitus: si seorsim, tria, intellectus, phantasia, & appetitus.

Motus causam esse intellectũ & appetitum sensim.

1. Porrò cur phantasia velut intellectio quædam sit, duas Philosophus rationes indicat. Altera est, quoniam plerique hominum præter scientiam phantasias sequuntur, & in compluribus aut non agit ratio aut affectum perturbationémque non vincit: quare intellectus suasionem non audimus, sed phantasijs & imaginationibus nobis obiectis ducimur; túncque intellectus instar nobis est phantasia. Quia cùm intellectus proprium sit, vt actionum nostrarum sit Dux & moderator; substituitur illi phantasia, eámque velut alterum intellectum sequimur. Altera; 2. quoniam animalia cætera non intellectu & ratione viuunt, sed phantasijs dicuntur: itaque quod in nobis est intellectus, hoc in illis est phantasia; & vt nos intellectu, sic illa viuunt phantasia sola; vt in tex. 32. lib. 2. dicebatur. Propterea non absolutè intellectum, sed velut intellectum quendam esse dixit.

Phantasia intellectio quædã.

3. His duæ aliæ addi possunt causæ. Altera; quòd in superioribus non semel phantasiam cum intellectu copulauit, vbi intellectum dixit indigere phantasia, E neque sine hac quidquam intelligere; immò in tex. 20. intellectum quoque passiuum eam appellauit; 4. Altera; quòd non præsentia modò obiecta, vt sensus; sed absentia quoque, vt intellectus, comprehendat; velut quædam intellectus imago. Intúsque habeat id, circa quod operetur, quemadmodum & intellectus.

Cæterùm si mouentia hæc principia, intellectum & appetitum, ex eo Philosophus colligit, quòd incontinens appetitu, continens intellectu & ratione ad agendum inducatur; perspicuum fuerit, appetitus nomine irrationalem solùm appetitum significari; siue concupiscentem, siue iracentem. Quam A ob causam appetitum rationalem, qui voluntas dicitur, intellectus voce comprehensum fuisse monet Simplicius: quoniam is intellectum & rationem sequitur, nec nisi ea, quæ ab illo amplectenda fugiendáue esse proponuntur amplectitur aut fugit. Solus irrationalis appetitus, qui aduersatur rationi contraque illius suasionem persæpè impellit, distinguendus ac separandus ab intellectu fuit.

Bestiarũ phantasia an absentia cognoscat.

Quod verò de phãtasia idem ait Interpretes, quasi dubitando loquutum esse Philosophum (si quis phantasiam quoque velut intellectionem quandam ponat) quòd ea in homine absentia quoque cognoscens, esse videatur intellectio quædam; at in bestijs præsentia solùm & cùm organi percussione cõprehendens, intellectio non est: Et minùs veram causam cõtinet & Philosophi verbis aduersatur. Bestias namque absentium quoque rerum phantasijs sollicitari, tùm somnia testantur, tum motus, quibus absentia quæritant; siue prolem, siue feram, siue dominum. Et Aristotelis illa ratio altera, cur phantasia intellectio quædam sit; quoniam in bestijs nec intellectio est, nec ratiocinatio, sed phantasia; apertè ostendit eam in illis quoque velut intellectionem quandam esse; hoc est id, quod in homine est intellectio.

Duo igitur sunt mouentia; vnum cognoscens, intellectus & phantasia; alterum non cognoscens, sed cognitionem quampiam sequens, appetitus. Quę in bestijs facilè conciliantur, quòd appetitus phantasiam sequatur illique sese accommodet. In homine ratio & appetitus sæpè pugnant: si vincat ratio, vt in continente, mouet intellectus: si affectus & perturbatio, vt in incontinente, appetitus. Quòd si ratio captiuetur quoque & in affectus seruitutem se tradat; duplex est mouens, tum appetitus, tum intellectus; vt intemperante, in quo appetitui obsequens ratio cooperatur. In temperante tamen non dixerim duplex mouens: quoniam etsi appetitus rationi cedat, non operatur tamen cùm illa, sed potiùs repugnat, etsi operationem ac dominatum rationi permittat. Neque enim appetitus honestum bonum spectat, quod ratio quærit; sed iucundum solùm & suaue.

Continẽtis & incontinẽtis operatio.

TEXTVS.

Νοῦς δὲ ὁ ἕνεκα τοῦ λογίζεσθαι ἢ ὁ πρακτικός. διαφέρει δὲ τοῦ θεωρητικοῦ τῷ τέλει.

Intellectus verò qui alicuius gratia ratiocinatur & practicus. Differt autem à Theoretico fine. *Tex. 49.*

COMMENTARIVS CXLIX.

DVo principia motus posuit, intellectum & appetitum. De his iam dicit, quoquo modo efficiant motum exponit. Ac primùm intellectus, qui mouere dicitur, non is proponitur, qui Theoreticus appellant: quoniam is paulò ante dicebatur agendum nihil intelligere, neque de prosequendo aut fugiendo quidquam dicere, fugamúe aut prosequutionem iubere. Sed alter ille, qui has imperare dictaréque consueuisse affirmabatur. Propterea hunc alicuius gratia ratiocinari, ideóque practicum appellari ait. Neque nomine solùm atq. appellatione, sed & fine, vnde ducta est appellatio, à Theoretico differre. Non quòd Theoreticus omni careat fine

(nihil enim est in natura, quod propter aliquem finem non agat) sed quòd nullum extra se & præter actionem suam habeat: solam quippè veritatis cognitionem quærit & bonum suum in se continet: vbi practicus aliud quidpiam præter actionem suam spectat, & ideò alicuius gratia, quod scilicet extra ipsum sit, ratiocinari dicitur. Itaque quod Aristotelem, ait Philoponus, intellectum hunc solùm dixisse alicuius gratia esse, vulgi & idiotarum hominum opinionem sequutum, qui Philosophos contemplationi deditos in eáque sola occupatos appellant otiosos, quòd contemplationis ille finis intus lateat: minimè credendum est. Namque in tam graui seriáque ac subtili quæstione cum idiotis hominibus loquendum non erat. Spectauit potiùs id, quod intellectus practici proprium est ac peculiare, vt præter cognitionem habeat extra se externum etiam finem, bonum agendum. Audi quid in secundo Metaphysic. libro textu 3. idem ipse loquatur Philosophus optimus verborum suorum interpres. Theoreticæ, inquit, Philosophiæ finis est veritas, practicę autem opus. Etenim si vt se habent considerant, non causam per se, hoc est vt cognoscant, sed ad aliquid, hoc est vt quidpiam agant, practici contemplantur. Fabri & Geometræ exemplum adfert in primo de moribus ad Nicom. cap. 7. quorum vterque rectum considerat angulum, sed alter quatenus vtile ad opus est, alter sola cognitione contentus, quid & cuiusmodi sit perueſtigat. Et nunc practicus, inquit, intellectus alicuius gratia ratiocinatur, hoc est in ratiocinando solum non est illi propositus finis, sicut Theoretico, sed aliquid aliud quærit, bonum scilicet agendum.

Habituũ intellectus diuisio.

Hinc scita illa scientiarum atque habituum intellectus diuisio in Theoreticos, qui sola rerum cognitione ac contemplatione intellectum ornant, & practicos, qui pręter cognitionem aliud quidpiam spectant. Quod quia duplex esse potest, aut immanens actio, vt voluntatis electio, aut foras in externam transiens materiam & aliquod opus producens, vt scriptio: cognitio practica in sexto Metaph. libro textu primo, in actiuam diuiditur, quę totius nomine πρακτικὴ dicitur, & effectiuam, quę ποιητικὴ vocatur. Actiua prudentiam comprehendit & moralem omninò scientiam, quę solius cognitionis gratia non est, sed vt boni efficiamur moresque nostros & actiones ex rectę rationis prescripto instituamus, vt est in secundo de moribus cap. 2. & effectiua cunctas artes. Ita totus perficitur homo, intellectus, cognitione rerum varia & multiplici, voluntas, prudenti electione virtutúmque plurimarum supellectili prętiosa, operationes demum externę artium omnium præceptis. Sic igitur ex fine tum illius cognitio aut habitus, tum Philosophia aut scientia, tum veritas ipsa, quam intellectus cognoscendo quęrit, aut Theoretica dicuntur, aut practica, aut etiam effectiua.

A quędam cognoscentes, intellectus & sensus, alię appetentes, voluntas & appetitus sentiẽs, alię demum exequentes, vt motrix. Mitto nunc cognitionem & appetitum sensus, velut hominis non proprias, sed cùm bestijs communes. In reliquis hic ordo cernitur, vt primum intellectus cognoscat, deinde appetat voluntas, tum exequatur motrix. Propterea intellectus vocatur facultas Theoretica, hoc est cognoscens quemadmodum in tex. 21. lib. 2. De intellectu autem & Theoretica facultate. θεωρεῖν namque cognoscere est & contemplari. Reliquę practicę, quòd in actione versantur. πρᾶξις enim est actio. Verùm cùm Theoriam constet operationem significare solius intellectus propriam: eam videlicet, quæ præstantissima est solámque habet veritatis cognitionem, ac per se expetitur velut propria intellectus perfectio, nec alio quoquam refertur: diuina prorsùs operatio, vt vox ipsa significat.

De praxi maior disputatio; non tam inter veteres peripateticos, quàm inter Posteriores nostros Theologos. Nos verò eam accipiamus operationem significare facultatis alterius ab intellectu diuersę: quippè intellectus non est agere, sed quid agendum sit cognoscere actionique præmonstrare viam. Ac rursùm significare operationem, quæ in nostra sit potestate ac dirigi à recta ratione possit: alioqui practicam intellectus cognitionem non diceremus eam, quæ ad paxim dirigendam confertur. Quare naturales ac necessariæ vegetantes actiones hoc loco non commemorantur. Propriè ac per se actio humana est voluntatis elicita, quam electionem vocamus: quoniam ea per se est libera siue sit circa finem, siue circa media. Etsi enim circa vltimum finem volendi ac nolendi libertatem non habeat, quam contrarietatis appellant Scholæ; habertamen volendi & non volendi, hoc est sustinendi actum; quæ contradictionis libertas dicitur. Secundo autem loco & participatione quadam actionem omnem à voluntate facultatibus cæteris imperatam appellamus praxim: quoniam actiones hæ vt participatione dicuntur liberæ quatenùs libero subsunt voluntatis imperio; ita & actiones humanæ praxesque vocantur: & verò actio intellectus quoad exercitium tempúsque & modum, quo fieri debet aut non fieri.

Iam quoniam quod liberum est atque in determinatum ad plura, errare facilè potest, dilectione indiget; sola voluntatis electio per se libera est actio; hæc igitur sola per se apta est dirigi; per eamque actiones cæteræ, quæ illic subsunt, libertatis quoquo modo participes. Quare cùm directio & regula primùm & per se electionem respiciat volontatis, vbi recta ratio intelligendum esse præscribit, aut scribendum, vel ambulandum; per se primùm voluntati præscribit, vt intellectionem imperet intellectui, vel scriptionem manui, ambulationémque pedi aut motrici virtuti. Nunquam enim intellectus aut facultatis alterius actio ita dirigitur, vt huius sit vel illius natura; quemadmodum actio voluntatis vt bona sit aut mala: sed solùm vt promatur, vel non promatur fiat aut non fiat. Tribúsque prorsus modis diriguntur; tum præscribendo tempus; tum ponendo modum, tum verò constituendo finem. Etsi non omnes has directiones suscipiant actiones omnes; sed quędam sunt, quæ non admittant modum, vt videre, audire, & id genus aliæ facultatum earum, quæ necessariò & quantum possunt operantur. Sic

DIGRESSIO XL.

De Theoretico & practico.

Tria in homine facultatum genera.

VErùm hęc paulò accuratiùs examinanda sunt. Ergò tria sunt in homine facultatum genera,

Sic igitur partiamur actiones. Theoria solius intellectus est propria: praxis verò facultatis alterius ab intellectu distinctæ: quæ si per se apta sit à ratione dirigi, propriè praxis est; hæc est voluntatis actio. *Praxis propria, & participata.* Si non per se, sed vt voluntati subest, minus propriè & participatione duntaxat praxis appellatur; huiusmodi est cæterarum virtutum actio. Porrò praxim propriè significare actionem ab intellectu diuersam, testatur illud Aristotelis practicũ à theoretico differre fine: & rursum illud, practicum referri ad opus. Vndè illud peruulgatum in scholis; intellectum fieri practicum extensione; dùm non in sola cognitione sua consistit, sed ad aliud, ad alterius inquam facultatis actum dirigendum progreditur. Intelligendus autem est finis intrinsecus ipsius cognitionis seu habitus; vt vnius sit cognitio sola, alterius operatio. Non item finis hominis cognoscentis aut habentis habitum: quoniam hic est planè extrinsecus nec refert quidquam, quis nam sit nobis finis propositus.

Cognitio theoretica & practica quæ. Hinc iam intelligas, quid theoretica cognitio sit, quid practica. Hoc enim differunt, quòd altera nil aliud præter cognitionem habet propositum: altera ad dirigendam moderandámque facultatis alterius actionem refertur: duóq. in cognitione practica adsunt actus; alter cognitionis intellectus dirigentis; alter facultatis alterius, quæ intellectus cognitione dirigi debet. Quò fit, vt actus practicus duobus modis nominetur. Interdum is, qui praxim dirigit; est- *Practicus actus duplex.* que actus intellectus, qui in actuum & habituum intellectus diuisione opponitur theoretico; moralemque totam cognitionem continet, quam non cognitionis gratia quærimus, sed actionis, & vt efficiamur boni. Et verò etiam artes vniuersas, quæ actiones moderantur externas, quæ vt voluntatis imperio subsunt communiori vocis vsu praxes nominantur. Interdum vero is, qui dirigitur atq. à verè practica facultate elicitur: actúsq. volũtatis ac cæterarum facultatum extrà intellectum complectitur.

Cæterùm meminisse nos semper oportet, pri- *Theoretici & practici origo prima.* mam atque præcipuam facultatum aut actuum vel habituum, quiin facultatibus considerantur, distinctionis causam & originem non ex fine, sed ex obiecto potiùs, ducendam esse, ex quo primùm naturam omnem accipiunt suam. Quare etsi fine distinguantur theoreticum & practicum, prima tamen distinctionis radix in obiecto latet. Etenim enti rei proprio intellectus obiecto, etsi vt res quædam est, accidat theoreticè cognosci vel practicè sicut etiam accidit ei omnino cognosci: quatenus tamen est cognoscibile & intellectus obiectũ, essentialiter diuiditur in cognoscibile theoreticum & cognoscibile practicum: partimq. aptum est sola cognitione attingi, partim ad agendum quoq. vel efficiendum quidpiam conferre. Quocirca quàm est intrinsecum & essentiale facultatibus atq. actionibus ex obiecto constitui ac distingui, tàm intrinseca & essentialis fuerit hæc diuisio in theoreticum & practicum, quæ non ex fine modo, sed ex obiecto petitur. Sed intelligas theoreticum quidem obiectum practicè cognosci non posse, at pleraq. practica theoreticè quoque cognoscuntur persæpè, vt actiones humanæ, quę à Physico considerantur, lignum, æs, & huiusmodi cætera naturalia, quę tractantur ab artibus. Immo & Metaphysicus saltem omnia cõtemplatur vt entia sunt. Nullũ enim est ens, quod ab intellectu, vt agnoscẽs facultas est, attingi non possit: permulta vero præter cognitionẽ spectare operationem quoque facultatis alterius queunt. Hinc verò non pauca prorsus intelligas.

Theoreticum & practicum essentiales modi. Primùm theoreticum & practicum, seu theoreticum, actiuum & effectiuum, differentias esse essentiales aut modos potiùs intrinsecos cognitionis obiecti proprij intellectus. Propriè differentias non dixerim; quoniam vt ens præcisam & synonymam naturam non significat, quæ contrahenda per differentias sit, sed seipso immediatè descendit per intrinsecos modos ad hoc & illud ens illius vna esse nequit cognoscibilis ratio, quæ abstrahat à theoretica & practica. Quidquid enim est cognoscibile, vel est cognoscibile propter se, vel non propter se, sed propter aliud: aut vel propter actionem aliquam, vel non propter illam, sed propter se: vtrouis autem modo contradictio est, quæ nullum admittit medium. Nullum item ens practicum fuerit medium inter actiuum & effectiuum; nulla cognoscibilis ratio practica, quæ ab actiua & effectiua abstrahatur. Quia inter immanentem & transeuntem actionem; seu inter actionem, quę post se nihil relinquat; & eam, quæ relinquat aliquid, medium non est.

Cognitionem omnem entis rei aut theoreticam aut practicam esse. Secundò, nullam esse posse cognitionem entis rei proprij intellectus obiecti, quæ aut theoretica non sit, aut practica; quippè cognitionis conditio petitur ex obiecto. Quare generalis omnino est cognitionis diuisio in theoreticam & practicam, seu in theoreticam, actiuam, & effectiuam: quæ tum ex fine petitur, tum maximè ex obiecto; Eáq. mox ad scientiam quoq. descendit, vt scientia quædam est illius entis cognitio. Essentiales namq. differentiæ modi ve intrinseci ita diuidunt genus, siue synonymum, siue omonymum, vt medium nihil relinquat. Eandéq. ob causam nulla potest esse cognitio, quæ formaliter sit tum theoretica tum practica. Siquidem oppositæ & contradicentes differentiæ in distinctas & oppositas species distrahunt genus, neq. simul esse possunt. Quare quod aliqui graues alioqui dixere Theologi, sacram Theologiam neq. theoreticam esse neq. practicã sed effectiuam: aut quod alij, esse formaliter tum theoreticam tum practicã, probare non possum. Sed aut partim formaliter theoreticam dixerim partim practicam; si pluribus distinctis habitibus scientiæ constent: aut si vna simplici qualitate, neutrũ eam formaliter esse, sed eminenter vtrumque; quale est illius obiectum Deus.

Cognitionẽ nulla simul theoretica & practica.

Cognitionẽ de theoretica & practica per prius & posterius dicb. Tertiò, eodem modo, quo ens, cognitionem quoq. de theoretica & practica dici: hoc est analogicè & per prius & posterius: prius inquam de theoretica, quę propter se quæritur velut intellectus perfectio in se ipso; posteriùs de practica, quæ ad aliud & facultates intellectu posteriores refertur. Prius item de actiua, quàm de effectiua; quòd illa voluntatem respiciat, cuius propria est praxis; hæc facultates cęteras, quę non nisi à voluntate participatam habent.

In Theoreticum & practicum cuius entis diuisio sit. Quartò, diuisionem entis in theoreticum & practicum nõ esse entis generalissimè sumpti, quod ens rei & rationis comprehendit; sed solius entis rei, quod proprium est intellectus obiectum. Quippè entis rationis cognitio nec propter se quęritur, nec ad agendum quidpiam, sed solum ad intellectus actiones in entis rei cognitione dirigendas confert.

Cuius item intellectus. Quintò, diuisionem intellectus in theoreticum & practicum illius esse intellectus, qui circà ens rei propriùm ipsius obiectum versatur. Eum vero, qui circa ens rationis occupatur, nec theoreticum esse nec practicum, sed organicum ad eum iuuandum,

qui entis realis cognitionem theoreticus erit aut practicus.

Practici habitus subiectum.

Sextò posse habitum practicum in eo quoque subiecto esse, quod practicè nequeat operari. Cùm enim practicum ex obiecto petatur & fine ipsius intrinseco, quo suapte natura & conditione directiuus est praxeos; in quocumque tandem subiecto ponatur eiusmodi habitus, practicus semper erit: quia & circà illud obiectum versatur, & siuè in eodem, siuè in alio subiecto, aptus est dirigere praxim: estq. ex accidenti, si in eodem reipsa non dirigit. Nam in separata mente qualis nam tandem fuerit prudentię habitus, nisi sit practicus? Et in homine is, quo vnus homo potest alium dirigere, modúmque illis prescribere operandi? Non enim practicus habitus dicitur, quòd operetur, sed quòd aptus sit, vel recta ratione dirigi, vel actionem dirigere, quę sit praxis: siue in eo ipso, in quo est, dirigat, siuè in alio. Nam & qui virtutum cognitionem perdisceret sola cognitione contentus, cognitionem tamen haberet practicam, quia etsi nunquam illa esset vsurus, ea tamen esset apta praxim secundùm rectam rationem dirigere.

Theoretico & practico totum hominẽ optimè gubernari.

Septimò, ità optimè omninò prouisum homini omni ex parte fuisse: vt facultates illius natura imperfectę errorique obnoxię dirigentur atque vindicarentur à culpa. Dirigere autem cognoscentis est munus: intellectum igitur, qui cognoscens facultas est, tum seipsum, tùm cæteras omnes, oportet dirigere: Seipsum, tum in ea cognitione, quę propria est ipsius perfectio, tum in ea, qua cęteris debet subsidium ferre, dirigi instrumentis illis, quę ex entis rationis cognitione. Suppeditat logica: quę propterea scientiarum omnium, tum theoreticarum, tum practicarum generale instrumentum appellatur. Facultates verò aliud alias habitibus practicis aquisitis, scientia mortali, prudentia, & arte, duobus prioribus voluntatem, postremo cęteras. Et ideo hi habitus dicuntur practici, quod ad praxim dirigendam referantur: magis tamen scientia moralis & prudentia, quę voluntatis actiones spectant, quę per se sunt praxes, quàm ars, quę imperatas, quas participatione praxes esse possumus. Ita vnum est

In homine vnum dirigens, & duplex directio, & quomodo.

dirigens, intellectus, duplexque directio, tùm sui ipsius, tum aliorum, ac totidem directarum facultatum genera. Et cum duplex item cognitio sit ad dirigendum necessaria, altera modi operandi, altera materię & obiecti, circà quod facultates eę versantur: vtraque ad intellectum theoreticámque facultatem pertinet: quarè is, tum cognoscens est, tum dirigens facultates cęterę vt cognitione carent, sic directionẽ solũ illius sequuntur. Quo etiã fit, vt in

De Theoretica & practica cognitionis dictione.

theoretica facultate cognitio proprij eius obiecti propria sit illius operatio: at practicarum operatio distincta est à cognitione quia cognitio, tum obiecti, tũ modi operandi earũ, ad theoreticam pertinet facultatem, si nõ vt theoretica est, certe vt facultatum cęterarum directrix. Inde tandem intellectus theoreticus, & practicus, quatenus vel in propria sua operatione quiescit, vel ad cęteras facultates dirigendas progreditur. Petitúrque hęc diuisio ex intima ipsius intellectus vi, qua vt est facultas cognoscens, tum aptus est ipse obiectum contemplari suum, tum cęteras facultates dirigere. Rursùm in theoretica facultate proprij obiecti cognitio ad nullam operationem refertur, sed ipsa est facultatis illius operatio: cognitio vero modi operandi

A operationem quidem aliam spectat, sed facultatis eiusdem circà suum obiectum: neque illius est vt theoretica est, sed vt sui ipsius directrix. In practicis & obiecti & modi operandi cognitio ad actionem aliam refertur, ad dirigendam inquam propriam facultatis practicæ operationem ab vtraque illa cognitione diuersam. Præterea in theoretica modi operandi cognitio, tum propriæ illius operationi, tum cæteris omnibus facultatibus, vtilis est: quoniam omnes cognitione, quæ theoreticæ propria existit, dirigi debent. Confertque ad cognitionem obiecti & modi operandi earum: etsi primaria intentione propriam theoreticæ operationem respiciat. At in practicis cognitio modi operandi ad pro-

B priam duntaxat illarum operationem confert; vt prudentia & ars ad actiones voluntatis cæterumque facultatum, quæ voluntati subsunt. Theoreticæ facultatis non item; nisi fortasse interdum vt est practica & in actu exercito paret voluntati & dirigitur à prudentia. Quin etiam in theoretica, cognitio modi & cognitio obiecti duas efficiunt cognitiones: tum quòd altera ad alteram referatur, altera nequaquam, sed ipsa sit facultatis illius operatio; cognitióque obiecti cognitionis modi existat finis: tum quod illa cognoscendo quoq. modo & obiecto aliarum facultatum vsui est; hæc in seipsa consC stit nec alio quoquam refertur. In practicis autem & modi obiecti cognitio vnica est: quoniam vtraque ad operationem confertur atque ad practicæ facultatis actionem dirigendam, vt videre est in prudentia & arte. Cognoscere namque agendi modum & actionem, quæ fieri debet, eadem est prudentiæ cognitio: & rursum cognoscere modum efficiendi quidpiam & materiam aptam, ex qua efficiatur haud magno operè in arte differunt. Accedit ad hoc, quòd in theoretica operandi modi cognitio non est illius facultatis perfectio propria. Propria siquidem facultatis cuiusque perfectio operatio illa censetur esse, quæ illam in se perficit, non

D propter aliam facultatis cuiusdem operationem. Quemadmodum cognitio illa refertur ad aliam intellectus eiusdem actionem dirigendam, qua in sui obiecti compræhensione versatur; verèque perficitur, vel in se ipso, si vt theoreticus operetur ensque cognoscat theoreticum; vel in ordine ad aliam facultatem, si aliarum director operetur ensque practicum congnoscat. In practicis modi quidem & obiecti cognitio theoreticæ facultatis perfectio est vt est practicarum directrix; quia refertur ad operationem extra ipsam, non ad aliam illius ipsius actionem alia tamen præter eam cognitionem operatio est practicarum facultatum propria, quæ illarum perfectio sit.

E Ex quibus omnibus duo tandem intelligas. Alterum; tria in intellectu distinguenda esse cognitionum genera. Vna est cognitio proprijobiecti vt intellectus theoretica facultas est: eáq. theoretica est, quod propter se ipsam quæratur. Altera cognitionis modi & obiecti practicarũ facultatẽ: quæ illi conuenit vt sua cognitione dirigere facultates nõ cognoscentes potest: hęcq. est practica, quia refertur ad actionẽ extrà intellectũ, quæ nominatur praxis. Tertia cognitionis modi operandi ipsiusmet intellectus, quo prior duplex cognitio dirigatur: hęcq. nec theoretica est, nec practica; quoniã nec propter solã quęritur cognitionẽ, nec refertur ad dirigendã operationem, quę sit praxis; sed ad alias intellectus actiones, non vt

Intellectus operationes tria genera.

Logica theoretica est, & practica, vel organica.

voluntati

voluntati quoad exercitium subsunt & praxeos quoquo modo participes esse possunt ; sed secundùm suam naturam : Non inquam vt bonè esse queunt aut malè, hocque tempore fieri aut non fieri, propter hunc illumvè finem ; sed vt benè vel malè, verè aut cum errore, effici possunt. Quomodo libertatis nullam , & ideò nec praxeos speciem habent, sed theorię potiùs. Quare etsi proprie nec theoretica sit, nec practica cognitio ; sed organica, tùm theoreticis , tùm practicis cognitionibus seruiens (quam ob causam ab Aristotele & Peripateteticis Philosophię ac scientiarum ὄργανον vocitatur) ad theoretici tamen magis quàm practici, naturam accedit. Vere tamen & theoretica & practica cognitione prior : ceù quę ad vtramque comparandam intellectum dirigat & promoueat.

Philosophiæ partes.

Alterum, quęnam ex his cognitionibus Philosophię pars ponenda sit. Siue enim Philosophia intellectus perfectionem circà proprium obiectum, siue cognitionẽ veritatis significet ; priora duo duntaxat cognitionis genera comprehendit, quibus & veritatis omnis, tum theoreticę, tum practicę, & vniuersi entis, quod intellectus obiectum est, cognitio continetur: atque intellectus perficitur, tum in se vt facultas theorerica est, tum vt cęterarum facultatum non cognoscentiũ dirrectiuus existit : totúsque homo comparatur quàm optime, tum ad intelligendum, tum ad agendum. Tertium cognitionis genus non partem, sed organum Philosophię totius Peripatetici veteres, Alexander, Ammonius, Simplicius, ac Philoponus appellarunt. Trésque in partes Philosophiam vniuersam tribuerunt ; in theoreticam, quę naturalem, transnaturalem, & Mathematicam contemplationem habet; actiuam, quę ethicam, œconomicam,& politicam continet; demùm effectiuam , quę artes omnes complectitur.

Logica nõ pars, sed organum Philosophiæ.

TEXTVS.

Καὶ ἡ ὄρεξις ἕνεκα τοῦ πρακτοῦ. οὗ γὰρ ἡ ὄρεξις αὕτη, ἀρχὴ τὸ πρακτικὸν νοῦς. τὸ δ' ἔσχατον, ἀρχὴ τῆς ὀρέξεως.

Atq. appetitus omnis alicuius gratia. Cuius enim appetitus hic, principium practici intellectus. Vltimum verò, principium actionis.

COMMENTARIVS CL.

Appetitus omnis alicuius gratia.

DE intellectu dixit. Iam de appetitu, qui alterum motus principium nominatus fuit. Hic quoq. alicuius gratia est, finémq. spectat quempiam; & appetitus omnis rei cuiuspiam consequendæ aut fugiendæ appetitus est . Hoc vtrique commune. Nam vt intellecticus practus alicuius gratia ratiocinatur, sic appetitus alicuius gratia appetit, omnisque appetitus motum in aliud tignificat. Ille agendum quidpiam suadet , hic illud ipsum consequi appetit aut fugere : indè ad consequendum aut fugiendum mouemur. Idipsum enim, quod appetitur, practici quoq. intellectus principium existit: nempe actio agendum vè quidpiam & appetendum, quod & ratiocinandi principium fuit intellectui & appetendi est appetitui. Hoc namque intellectui propositum mouet eum ad ratiocinandum, moxq. appetitum ad appetendum. At dum ratiocinationis motui succedit alter exequutionis, quo ad agendum & procurandum id impellimur, quod intellectus agendum persuasit appeitúsque appretijt; hic priori prorsus reperitur oppositus ; atq. id quod primum fuit in intentione raticionationisq. & appetitionis principium ; in exequutione iam aut etiã assequutione est vltimum. A fine quippe ceu bono cognito ac desiderato sollicitatus intellectus ratiocinatur & inquirit media , quibus consequi finem possimus réq. appetita potiri : at dum ad agendum & exequendum descendimus, à procurandis mediis principium facimus, pereáq. ad finem progredimur. Prior motus est ab appetitu finis ad inuentionem mediorum ; posterior à mediorum vsu ad consequutionem finis. Quod de boni consequutione dixi, idem intelligas de fuga mali. Coniunguntur autem vbiq. duo hæc principia, intellectus & appetitus: Nam & in priori motu prima omnium est boni maliuè cognitio. Nisi enim intellectus cognosceret, non appeteret appetitus : ac rursum nisi hic appeteret, nequaquam ille de consequutione ratiocinaretur. Et in posteriori quoq. nisi & cognitio dirigeret & appetitio vrgeret , omnis exequutionis labor non susciperetur. Quare vbi vltimum dicitur esse actionis principium ; vltimi appellatione significatur, id in quod practica desinit ratiocinatio. Finis nãq. principiũ est inquisitionis & media ratiocinanda inuẽta principium actionis existunt. Exemplo libuit Philopono ac Simplicio rem planiorem facere Æstate quispiam calorem solis aut hyeme frigus persentiens tegumentum desiderat, quo aut solis radij, aut nauim , pluuiarum ventorum arceantur injuriæ : tandem opus aggrediens à fundamentis incipit, atque in tectum operimentumque desinit.

Exequutio ratiocinationi oppositæ.

TEXTVS.

Ἔστι δὴ λόγως δύο ζῶα φαίνεται κινοῦντα, ὄρεξις ἡ δίανοια πρακτικὴ τὸ ὀρεκτικὸν γὰρ κινεῖ. ἡ δὲ φαντασία ὅταν κινῇ, οὐ κινεῖ, ἄνευ ὀρέξεως.

Quocirca rationi consentaneè duo hæc videntur mouentia , appetitus & dianœa practica. Appetitiuum enim mouet , & propter hoc dianœa mouet , quoniam huius principium est appetitiuum. Nam & phantasia quando mouet, non mouet absque appetitu.

COMMENTARIVS CLI.

Dianœa quid.

QVem hactenus practicum intellectum nominauit, practicam nunc dianęam appellat. Vt manifestum sit , id quod sępiùs in superioribus adnotauimus, Dianœam ad intellectum pertinere illiúsq. ratiocinationem significare. Nam & sermo erat de intellectu, qui proposito sibi appetibili fine ratiocinatur circà media, quibus is obtineri queat. Considera, inquit Philoponus, quòd practicum intellectum Dianœam appellauit practicam.

Themistius autem in his Philosophum arbitratur ex appetitu & intellectu, quorum vtrumq. mouere dixerat , velut vnam progressionis & incessus animalium conciliare atque absoluere causam. At Simplicius præferri appetitum intellectui arbitratur, potioremque motus causam iudicari. Quoniam etsi vterque moueat primùm tamen appetitus mouet, deinde sequitur motus, hoc est ratiocinationis, quo quęritur quemadmodum appetibile consequamur. Nam & proximè superioribus verbis appetibile dictum est principium esse practici intellectus;

Appetitum magis, quẽ intellectũ; mouere.

& nunc id quasi planiùs exponens, appetitiuum inquit mouet, & idcirco dianæa mouet, quoniam principium eius est apetitiuum. Idem euenit phantasiæ, quæ velut intellectus quidã posita est atq. in bestijs & vero persæpè in homine intellectu torpente principium existit motus. Namq. ne hæc quidẽ absq. appetitu, sed ex illo prorsus excitata & impulsa mouet. Itaq. appetitus cognitionẽ vbiq. antecedit & velut illius principium est: siuè cognitio intellectus sit siuè phantasiæ. Nam etsi appetitus in incognitum non moueatur; ideóq. necessarium semper sit cognitionem antecedere appetitionem: practica tamen cognitio non fuerit, quæ ad motum inducat, nisi appetitus anteà excitetur. Sed & cognitio ad prosequẽdum vel fugiendum indeterminata est, perq. appetitum determinari eam oportet, antequam hoc vel illo moueat motu. Deniq. persæpè fit, vt intelligentes atq. imaginantes non moueamur; quòd appetitus non moueat: appetitus autem & sine intellectu mouet, vt in incontinente; & semper mouet, nisi à ratione alioue affectu coërceatur.

Quod autem S. Thomas hæc non de appetitu, sed de appetibili, interpætatur; appetibile inquam esse primum, quod mouet, quia ipsum ab intellectu consideratum & phantasiæ repræsentatum mouet: atq. ita quæ duo dicebantur mouentia, reduci ad vnum, scilicet ad appetibile: mirari satis nõ possunt. Tum quia non appetibile, sed appetitum, ὀρεκτικὸν, quod appetendi facultate præditũ est est, ait Philosophus. Tum quia appetibile mouet vt finis: at d nunc quæritur, quod vt efficiens mouet; vbi de facultatibus animæ, non de rebus, circà quas eæ versentur, disputatur. Quòd si non de efficiente, sed de fine item sit sermo; sanè cùm & appetitus & intellectus rei appetitę gratia moueat; V num est principium mouens primum nempè res appetita.

TEXTVS.

Ἐ᾽ η δ᾽ ἅπ᾽ κινοῦ πρῶτος, τὸ ὀρεκτόν. εἰ γὰρ δύο, νοῦς καὶ ὄρεξις συνέποιτο, κ᾽ κοινόν αἴ τι εἶδος ὀκίνοιτο ταῦ δὲ ὁμῶ τοῖς οὐ φαίνεται κινοῦν ἄνευ ὀρέξεως ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις. ὅταν ᾗ κ᾽ πρὸ λογισμὸν κινῆται, ᾗ κατὰ βούλησιν κινεῖται. ἡ δ᾽ ὄρεξις κινεῖ καθ᾽ ἡ λογισμόν. ἡ γὰρ ἐπιθυμία ὄρεξις τίς ἐστι.

Tex. 50. *Vnam igitur quidpiam mouens primum, id quod appetit. Si namque duo, intellectus & appetitus mouerent, secundum communem aliquam speciem mouerent. Jam verò intellectus quidem non videtur mouere sine appetitu. Voluntas enim appetitus. Cùm autem per ratiocinationem mouetur, per voluntatem item mouetur. Atqui apetitus præter ratiocinationem mouet. Etenim concupiscentia appetitus quidam est.*

COMMENTARIVS CLII.

Appetitũ magis, quam intellectũ, mouere.

HÆc superiorem interpætationem confirmabunt magis. Etenim eodem spectant, vt mouente duplici posito, intellectu & appetitu, appetitum ostendat potiores in mouendo tenere partes. Sed à facultate ad actum, à motu potestate ad motum actu, ab appetitiuo ad appetens iam transit. Priùs namq. ὀρεκτικὸν dixit, nunc autem ὀρεκτὸν. Illud significat id, quod appetere potest facultatémque habet appetendi; hoc verò id, quod actu appetit: etsi vtroq. modo Simplicius legi posse significet. Si tamen ὀρεκτὸν legatur, pro eo, quòd actu appetitur, accipiendum esse; quod inquam est appetendum & appetens. Vt enim scientia actu & scibile idem sunt, ità & appetens actu & appetibile: quare vt intellectus intelligendo fit res intellecta, sic appetitus appetendo euadit res appetita. At opposito modo: res siquidem intellecta fit similis intelligenti, at appetitus appetitæ potius rei euadit similis. Appetitiuum igitur moueri potest, appetitus autem actu re ipsa mouet. Et quidem primum.

Cuius dùm probationem subiungit, manifestè ostendit se in hac propositione appetitum vniuersè nominasse, vt rationalem & irrationalem, intelligentem & sentientem compræhendit: mox verò in parte accipi, vbi duo addit mouere, intellectum & appetitum. Probatio enim eiusmodi est. Duo prorsus sunt principia mouentia, intellectus & appetitus sentiens: quippè alter continentem mouet, alterin- continentem, vt anteà dicebatur: aliquid igitur esse oportet vtriq. commune, intellectui & sensui; ratione cuius ambo vim habeant mouendi. Nam vbi communis est effectus plurium causarum, comtinuem quoq. vim in illis inesse oportet, qua effectum eundem producant: alioqui quatenus diuersæ sunt, diuersa prorsus efficerent. Iam verò cõmunis, tum intellectui, tum sensui, vis est appetitus: siquidem non solum in sensu est irrationalis appetitus concupiscentiæ, sed & in intellectu rationalis viget appetitus, qui volutatis dicitur: atque vt concupiscentia moẽtur incontinens, sic continens voluntate. Si ergò intellectus & sensus huiusmodi vim habẽt ab appetitu, potiores in mouendo partes obtinet appetitus, qui cæteris auctor est vt mouere possint. Scitum enim illud est; Quod cæteris causa est, vt talia sint, magis illud est tale: & illud; Primùm in vnoquoq. genere causa est cæterorũ: licétq. reciprocare; Quod est cęterorum causa, primùm in illo genere est. Itaq. princeps motus causa est appetitus; cuius est prosequi aut fugere, cupere aut auersari: cognitio secundaria &, vt Simplicius loquitur, tanquam adiuuans appetitum; hoc est velut conditio, sine qua non moueret appetitus: non enim mouet nisi ad obiectum cognitum.

Porrò appetitus tum genus vniuersum significat tum speciem quandam, quę generis nomen retinet. Genus vniuersum; vbi dicitur (vnum igitur quidpiam mouens primùm id, quod appetit) & rursum (intellectus non videtur mouere sine appetitu; voluntas enim appetitus) & iterum (appetitus præter ratiocinationem mouet: etenim concupiscentia appetitus quidam est. Speciem autem; hoc est appetitum sentientem; vbi legimus) si namque duo, intellectus & appetitus, mouerent.

Vbi verò sensum diximus mouendi principium esse, phantasiam intelligas, quàm & Philosophus mouere dixerat: & velut intellectus alter mouet, tum hominem persæpè, tum bestias semper. Duplicem autem appetitum, rationalem vnum & intelligentem, alter irrationalẽ & sentientem, obtestatur abis Philosophum cognouisse. Quid enim aliud quàm rationalem appetitum sonat illud. Cùm per ratiocinationem mouetur, per voluntatem mouetur: rationalis igitur appetitus voluntas est, Irrationalem verò significant illa (atqui appetitus præter ratiocinationem mouet; hicque concupiscentia est). Quam ob causam bis Themistius voluntatem inculcat appetitum intelligentem esse & appetitum mentis.

Cæterùm

Cæterùm duo minùs probo. Alterum; quòd intellectum & appetitum non vt duas, sed vt vnum motus causam poni contendat. Cùm non hoc agat Philosophus, sed vt alteram altera potiorem esse ostendat. Alterum quòd appetitum & voluntatem in intellectu velut illius speciem putet contineri; ideóque diuersam non facere mouentem causam. Quod tantum abest à vero, vt genere prorsus distinguantur. Si quidem appetitiuum in 2. lib. aliud positum est facultatis genus ab intellectiuo diuersum: quòd obiectum diuersum genere sit, verum & bonum, intellectile & appetibile. Hoc vero loco Philosophus voluntatem quidem affirmat cum intellectu coniunctam esse, sicut concupiscentia cum sensu; quoniam cognitionem vtramque appetitio sequitur obiecti cogniti. At non intellectus, sed appetitus speciem esse; appetitúmque vniuersum in rationalem & irrationalem, in intelligentem & sentientem, in voluntatem & concupiscentiam diuidi.

Porrò in lib. quidem de animalium motu cap. 3. plura principia mouentia posuit, dianœam, phantasiam, electionem, voluntatem, & concupiscentiam; omnia tamen ad intellectum & appetitum reduxit; phantasiam & sensum ad intellectum, quòd iudicandi vim habeant omnia; voluntatem autem, iram & concupiscentiam appetitus quosdam esse; electionem demum dianœa & appetitus communem esse. Omninóque motum vbique voluit cognitione & appetitu constare, & vtrumque aut sentientis partis aut intelligentis esse posse.

TEXTVS.

Διὸ ἀεὶ μὲν κινεῖ τὸ ὀρεκτόν, ἀλλὰ τοῦτ' ἔστιν ἢ τὸ ἀγαθὸν, ἢ τὸ φαινόμενον ἀγαθόν.

Quapropter semper quidem mouet id, quod appetitur: at hoc vel bonum est, vel apparens bonum.

COMMENTARIVS CLIII.

QVoniam plura posuit mouentia principia, intellectum & appetitum; & rursum phantasiam dixit velut intellectum quendam esse; hæc accuratè magis distinguit; quidque inter illa intersit, exponit. Interest autem, quod intellectus semper est rectus. Quod de primorum principiorũ intellectu libuit Sancto Thomæ interpretari: vt enim in theoreticis, ità & in practicis non erramus vnquàm circà prima principia. Quippè vt semper verum est illud; De quolibet affirmare licet vel negare, ita & hoc. Nulli nocendum esse, Nihil iniustè agendum, Maius bonum minori anteponendum, Ex duobus malis minus eligendum, & similia. Quarè erroris causa non est intellectus, sed phantasia & appetitus, quorum impulsu, dum ratiocinamur, sub veris principijs propositiones sumimus falsas.

Intellectus, phantasia, & appetitus differentia à motu.

At meliùs multo Simplicius intellectus inquit semper est verus, quando scilicet perseipsum est neque cum vilioribus vitis & cognitionibus complicatur. Nam si intellectum solum rectamq. rationem ducem sequamur agentes, rectè semper operabimur neq. peccabimus vnquàm. Exemplo sit continens, qui sæuiente licet perturbatione appetitúq. irrationali stimulante ad malum & phantasia iucundum proponẽte obiectum, rectè nihilominùs agit, quia rationem & intellectum sequitur, non phantasiam vel appetitum. At appetitus & phantasia, tum recta sunt, tum non recta: quia & rationi conformia esse possũt illiq. obsecũdare & aduersari atq; ad pugnantia trahere. Rectæ rationi & intellectui sese accommodant in temperante, pugnant in continente & incontinente: quorum tamen ille operatur rectè, quo phantasiam & appetitum vincens rationem audit, hic non rectè, quod ratione contempta phantasiam & appetitum sequitur.

Cõtinẽs & incõtinens.

Cæterùm hanc differentiam quasi ex superioribus deducendo adfert Philosophus. Sic enim habet (intellectus igitur omnis rectus est. Ex eo namq. deducitur, quod intellectus absq. irrationali appetitu proprium habet appetitum voluntatem, per quam moueat: ideo per se consideratus rectus est. Alter autem appetitus præter rationem mouere potest, & idcirco non rectè mouere.

TEXTVS.

Text. 52. *Intellectus igitur omnis rectus est. Appetitus autem & phantasia tum recta tum non recta.*

COMMENTARIVS CLIIII.

CVm appetitum principium motus causam esse posuerit, dimisso intellectu, de quo in antecedenti tota disputatione satis fuerat dictum, de appetitu quædam subiungit. Ac primũ illud est, quod facultati cuiq. præcipuum est, quòq. tota illius natura constituitur & vero separatur à cęteris. Nempè quod sit obiectum exponit, quod appetendo animalia moueat appetitus. Quocircà alterum quoq. & quidem potius, hoc dixeris appetitus ab intellectu & facultatibus cæteris discrimen esse. Quanquã & tertium verbis illius (quapropter semper mouet id, quod appetitur) cõtineri videtur, estq. eiusmodi. Intellectus non semper mouet, vt in incontinente, phantasia item non semper, vt in continente, qui agitur intellectu: at appetitus semper mouet, rationalis quidem cõtinentem, irrationalis autem incontinentem. Namq. ὀρεκτὸν significat id, quod actu appetitur, quod, vt in superiori adnotauimus cõmentario, & appetendum est & appetens. Ità sensum ab appetitu ad rem appetendam, à facultate ad obiectum, transit.

Appetitus ab intellectu & phantasia differentia.

Quod vero appetitur & est appetitus obiectum, semper est bonum, si non verum, certè apparens. Cùm enim appetitus propensionem & inclinationem in aliquid significet, propensio omnis & inclinatio est ad bonum, quod Deus & natura appetitu illo & inclinatione cuiq. naturæ quærunt. Quare si alius sit oppositus actus auersionis à malo, is minùs est legitimus appetitus, qui velut inclinatio quædã est. Nec adest vnquàm, nisi antecedente alio actu prosequutionis boni: siquidem nunquam nolumus quidpiam, nisi quod aliquid aliud velimus. Quapropter propriũ & per se appetitus obiectum est bonũ: malum autem ex accidenti, & velut id, à quo declinet vt bono potiri possit. Hinc voces illæ in ipso

Appetitus obiectũ, bonũ, malũ ex accidenti.

moralium initio & lib. 3. cap. 2. Bonum appetunt omnia; omnisq. electio est boni. Et alibi sepè, finem habere ratione boni & optimi. Ergò siqui sponte mortem eligant nefariaq. sibi ipsis inferant manus; vt nimirum magnum aliquod fugiant malum, id faciunt; morsque illis ceù minus malum & ideò sub specie boni proponitur; quia minus malum comparatione maioris videtur bonum. Estq. error in intellectu, qui mortem vt bonam apprehendit voluntatique proponit. Idem est eorum error, qui scientes peccant: præsentis scilicet delectationis apprehensæ ac iudicatę bonæ specie vana decepti. Aut si malitia subsit, in eo apparet bonum, vt suum voluntas expleat appetitum suáque libertate fruatur.

Vt ali qui mortem sibi inferant.

Qui sciens peccant.

An Deus odio haberi possit.

Deus tamen, si vt Deus est consideretur, haberi odio non potest. Irrationalia namq. dum necessario naturę impulsu tendũt in suũ finem, & bonũ in Deũ tendunt & Deum quærunt, qui finem illum atque impulsum in finem eis inseruit. Rationalia verò etsi libertate fruantur; beatæ tamen mentes clarè illum vt summum bonum intuentur; isque tantoperè intellectui & voluntati earum coniunctus est, vt ad summum planè amorem determinentur. Maior est in illis difficultas, qui ad sempiternos damnati cruciatus sunt. In ijs sanè est odium Dei: at non in se vt Deus est; cùm nulla species insit mali, quæ ad odium prouocet. Sed ratione effectus & pœnę, qua illos punit. Dum enim illum vt cruciatuum auctorem apprehẽdunt, summo in illum vt scelerum suorum vltorem pœnarúmq. auctorem concitantur. Immò vt eos non punire posset, alia ex parte amari credidit S. Thomas. Quamquam etsi eum vt Deus est ódio diceretur haberi; nil fortasse mirum esse. Non enim est illis clarè cognitus: cúmq. malus sentiatur effectus, erroneo iuditio prauóq. affectu in apertum illius odium traduci possunt. Denique dùm inter mortales viuens homo peccat, tantum abest vt Deum expresse oderit, vt tacitè potius ac latenter amet & quærat: dũ aliquod bonũ amat & quærit: omnia siquidẽ creata bona summi illius boni participatione existunt. Errat in eo, quod tacitè, latenter, & in alio, amat & quærit id, quod apertè & in se ipso amare & quęrere debuisset.

An appetere possimus non esse.

An verò appetere potius possimus non esse, quàm malè esse; inter nostros præsertim Theologos disputatur. Negauitq. S. Augustinus in 3. lib. de lib. arbit. cap. 6. & 7. quem sequuti sunt plurimi: hoc vel maximè argumento; quod non esse tollat omne bonũ, & ideò totum voluntatis obiectũ; malè autẽ esse includit esse & viuere quod bonũ quodpiã est: & cùm is, qui non sit, meliùs habere nequeat, quam si male sit; omninò nõ videtur id potiùs, quàm hoc, eligi posse. Probabiliùs tamen affirmasse dixerim S. Thomam & alios non paucos, inter quos fuit. S. Hieronymus in Commentarijs Ieremiæ cap. 20. dum illa interprætatur verba; Maledicta dies; in qua natus sum. Melius est, inquit, non esse, quàm male esse. Et inter Philosopho Proclus in primum Platonis Alcibiadem: Ipsum male esse deterius iudicandum, quàm non esse. Fauentq. illa Christi Seruatoris verba de homine ad sempiternos cruciatus damnando, Matt. 26. Melius ei erat, si natus nõ fuisset homo ille: & illa magis generalia Apoc. c. 9. Quærent homines mortem & non inuenient eam; & desiderabunt mori & fugiet ab eis mors. nam etsi appetitio hæc in damnatis non recta dici queat, dum

A diuinæ aduersatur voluntati, quę illos cruciari vult, si tamen extrinseca cuncta semoueas, expetendum potiùs appetitione recta dixeris omnino non esse, quàm semper in tantis miserijs esse. Etenim vnum malum duobus modis altero maius dicitur; aut intensione, quod maiori bono pluribusve bonis priuet: aut quod extensione sit diuturnius. Non esse rei creata malum finitum est intensione, quia bono finito priuat. At sempiterna pœna duratione est infinita, & quidem sensu acerbissima damnóq. grauissima, quo damnati visione Dei priuantur. Quare cum liceat appetitu recto appetere min' malum, vt vites maius; atq. in hoc ipso appetitus quærat bonum, quia minus malum comparatione maioris speciem habet boni atq. vt bonum appetitur: reste prorsus appetitur non esse potius, quàm tam male esse. Cùm præsertim bonum non moueat appetitum, nisi vt delectat; illudq. bonum, nempe esse, nullo modo delectat; quin potiùs famulatur pœnæ miseriarúmq. omnium fundamentum est. Appetibile igitur non est, neq. appetitum mouere potest; optabiliúsque videtur eo carere; quàm cum tanta pœna habere. Nam & quilibet eligeret potiùs non bibere, quam amarum bibere, aut incommoda post potum subire plurima. Nec desiunt qui mortalem viuentes vitam expetunt mortem seque ipsos interimunt, vt ab ignominia grauique calamitate liberentur quæ tamen minima est ac pene nulla, si cum acerbissimis illis atque æstimationem omnem superantibus cruciatibus comparetur. Non paucos etiam fuisse & esse scimus, qui graui corporis dolore oppressi peroptent mortẽ, & in tormentis mentiantur seque mortis faciant reos, vt à tormentorum dolore liberentur. Igitur non esse, tum quia priuat malo, tùm quia comparatione alterius est minus malum, speciem habet boni. Duplexque potest esse appetitio, altera desiderij & inclinationis altera fugæ & auersionis, dum appetentes bonum fugimus malum: illa est boni, hæc minùs mali.

Ita vera quoque fuerit propositio Philosophi, Quod appetitur, aut esse bonum aut apparens bonum. Quippe mors & non esse velut apparens bonum appetitur ab eo, qui à præsenti dolore, cruciatu, vel ignominia, liberari vult. Sed & aliter verum bonum & apparens bonum interpretaberis dici, quemadmodum Themistius quoque, Simplicius, ac Philoponus, interpretati sunt. Verum inquam bonum appellari bonum honestum, quod ratione recta & intellectu appetitur, siue à continente, siue à temperante, aut omninò ab homine virtute predito atq. ex virtute agẽte: bonum autem apparẽs, iucundum & suaue bonum, quod incontinentem trahit. Ideóq. duplex hoc bonum nominatum fuisse, qua duplex distinctus fuerat appetitus, rationalis voluntas, & irrationalis concupiscentia. Ad alterum enim spectat verum & honestum bonum, ad alterum apparens & iucundum. Rationalem autem voluntatem dicimus eam, quę rectam rationem sequitur. Nam si à concupiscentia fuerit seducta, rationémq. non rectam sequatur, apparens quoque & non rectum appetit bonum. Sed huiusmodi motus à concupiscentia potiùs fuerit, quàm à voluntate, quia non est à voluntate per se agente, sed à comite concupiscentia seducta.

TEXTVS.

TEXTVS.

Οὐ πᾶν δὲ, ἀλλὰ τὸ πρακτὸν ἀγαθόν. πρακτὸν δὲ ἐστὶ τὸ ἐνδεχόμενον καὶ ἄλλως ἔχειν.

Non quoduis autem, sed agendum bonum. Agendum verò, quod contingit & aliter se habere.

COMMENTARIVS CLV.

SVmmo prorsus compendio multa complexus Philosophus est, ac penè dixerim omnia, quæcumque ad appetitum pertinent. Primùm enim duplicem eum distinxit, rationalem & irrationalem. Deinde ab intellectu diuersum esse ostendit. Tum generale & vniuersum ipsius obiectum posuit esse bonum. Mox pro appetituum diuersitate boni quoque diuisionem fecit in bonum verum & bonum apparens. Nunc postremò aliam boni diuisionem subiungit, in bonum agendum, & non agendum: & rursum aliam in bonum contingens, & necessarium: vt quodnam sit bonum agendum intelligatur; tandémque ex his omnib. appetitus obiectum colligas esse bonum agendum, siue verum, siue apparens illud sit. Bonum igitur est appetitus obiectum: at non quoduis bonum, sed illud solum, quod in actione versetur. Hoc est superiùs dictis de theoretico & practico intellectúsque in theoreticum & practicum diuisione, manifestum est. Theoreticus namque suum quoque habet bonum, sed quod in sola contemplatione versetur, nempe verum veritatisque cognitionem. Practicus foras prodit, bonumque quæritat in actione, atque illuc omnem suam cognitionem dirigat. Appetitus practici, non theoretici, intellectus est comes: illud igitur & ipse bonum quærit, quod in actione versatur, quódque agendo consequendo consequi licet. Et quoniam actiones circa res particulares sunt, & verò incertæ, multiplices, ac variæ; & tum ipsæ fieri possunt & non fieri, multipliciq. ac vario modo fieri, tum impediri aliundè suóque frustrari fine: propterea bonum, quod in actione consistit, contingens est & minùs certum, eueniréque & non euenire potest. Quod in contemplatione quæritur, vniuersale ac necessarium est: ideóque vniuersalium, necessariorum, & quæ aliter esse nequeunt, scientiæ dicuntur esse.

Appetitus obiectum, bonũ agendum & contĩes.

Praxis & practum bonũ quid.

Cæterùm cùm praxis liberam voluntatis actionem significet, aut etiam cæterarum facultatum vt voluntate reguntur illiúsque libertatis participes fiunt, consequens est, vt practicum item, & agendum bonum in agenti duntaxat libero propriè nominetur, dum intellectu & voluntate agit. Minùs tamen propriè & secundaria ratione, tum ad eundem hominem extenditur, dum phantasia & appetitu irrationali viuit: tum & ad bestias, quæ non alia, quàm hæc, suarum habent operationum principia: quòd & phantasia velut intellectus quidam est, & irrationalis appetitus quandam habet in appetendo libertatis imaginem. Neque enim de hominis tantùm liberóque prorsus motu hoc loco disseritur, sed de omni prorsus animalium cunctorum motu. Quare aut agendum bonum ampliori significatione nominauit Philosophus, vt ait Simplicius: aut de homine loquutus est, ex quo de cæteris idem proportione quædam intelligerentur.

Themistius tamen & Philoponus verba illa (οὐ δὲ πᾶν) secus omnino intellexerunt: nec parum accommodatè: vt summum, diuinum, & vniuersum bonum significarent. Nam etsi animalia cuncta dum mouentur, bonum quærant; non vniuersum tamen illud, sed particulare aliquod quærunt, quod motu suo consequi valeant. Bonúmque vniuersè spectatum procliuitate naturæ omnibus insita actionibus cunctis propositum est: diuinum iterũ bonum occultis stimulis natura omnis quærit. At particularis actionis ac motus, particulare etiam oportet esse causam: quæ sanè particulare quodpiam bonum fuerit.

Deum omnia quærunt.

TEXTVS.

Ὅπερ μὲν οὖν ἡ διαύτη δύναμις κινεῖ τῆς ψυχῆς, ἡ κεκινημένη ὄρεξις, φανερόν. Τῆς δὲ ὀρεκτικοῦ τὰ μέρη τῆς ψυχῆς, ἐὰν κεχωρισμέναι δύνωνται ὀρέξωσι καὶ χωρίζωσι, πάμπολλα γίνεται. Θρεπτικόν, αἰσθητικόν, νοητικόν, βουλευτικόν, ἐπιθυμητικόν. Ἕκαστα γὰρ πλείω διαφέρει ἀλλήλων, ἢ τὸ ὀρεκτικόν καὶ θυμικόν.

Quòd itaque huiusmodi animæ facultas mouet, quæ appetitus dicitur, manifestum. Diuidentibus autem animæ partes, si per facultates diuidant & separent, permultæ fiunt, nutriens, sentiens, intelligens, deliberans, & verò appetens. Hæ namque magis inter se differunt, quàm concupiscens & irascens.

Tex. 52.

COMMENTARIVS CLVI.

VNiuersam hactenus habitam de motrice animalium causa disputationem concludit, eámq. conficit facultatem eam esse, quam appetitum dicimus. Etsi enim intellectus quoque vel phantasiæ adsit opera, præcipua tamen ac princeps vis est appetitus. Quare quod nunc affirmatur, de primaria ac principe causa dicitur. Hinc verò Platonem arguit minùs sapienter animam in tres partes diuidentem, vt in superioribus dictum est, in rationem, cupiditatem, & iram: Duobus enim modis peccauit. Primùm quòd non in partes loco dissitas, sed in facultates oportuisset diuidere: impartibilis quippe per se anima est; at pluribus facultatibus ceu virtutibus ratione potiùs, quàm loco, distinctis prædita. Deinde quòd plures omnino sint facultates, quàm quæ ab eo commemoratæ fuerunt. Genera verò, non species facultatum nominat; dum nutrientem, sentientem, intelligentem, deliberantem, & appetentem nominat. Nam & nutriens seu vegetans specie differentes plures continet facultates; & sentiens plures sensus, & appetens rationalem appetitum & irrationalem.

Facultatem genera quot.

Sed difficultatem fortasse pariat, quòd in tex. 18. lib. 2. quatuor duntaxat generib. facultatum vniuersam animam definitam esse docuit, vegetante, sentiente, intelligente, mouente, nunc verò quinquè commemorat facilis responsio est. Primùm autem obseruabis, quod eo loco ὀρεκτικὸν appellauit, nunc νοητικὸν dici, vt dianæam intelligas (quod sæpè admonuimus) intelligentẽ esse virtutẽ atq; ad intellectũ pertinere: Deinde mouente prætermisso appetens nominari, quòd appetitum motus principiũ & causam fecerat, nuncque de appetitu erat quæstio,

Dianœa quid.

Præter hæc autem addit βυλευτικὸν, non tanquam facultatis genus, sed aut βυλητικὸν potiùs, hoc est volens, aut voluntarium legendum est, tanquàm species τοῦ ὀρεκτικοῦ; siquidem in tex. 50. βούλησιν dixerat ὄρεξιν quandam esse; hàncque in βούλησιν & ἐπιθυμίαν, in voluntatem & concupiscentiam diuiserat. Propterea nunc βυλητικὸν ait, ἢ ὀρεκτικὸν, hoc est volens atque adeo vniuersum appetentis genus. Aut si βυλευτικὸν, hoc est deliberans, omnino legendum sit; νοητικὸν, & βυλευτικὸν respondebit Simplicius tanquam species vnius generis fuisse posita: & alterum quidem significare theoreticum intellectum, alterum verò intellectum practicum: hic enim est, qui de agendis vel non agendis deliberat. Quod præter νοητικὸν addere libuit Philosopho, vt intellectus is indicaretur, qui simul cùm appetitu principium existit motus.

Porrò has omnes facultates in anima distinguendas Platoni fuisse, hoc argumento confirmat. Quoniam eas manifestum est magis inter se differre, quàm differant concupiscens & irascens appetitus, quos ille non ratione modò, sed & loco disiunxit; dùm in iecore alterum, alterum in corde posuit. Namque horum vterque & verò etiam rationalis voluntas sub appetitu communi genere continentur: nutriens autem, sentiens, intelligens, appetensque commune genus nullum agnoscunt. Sed de hoc in superioribus quoque dictum est.

Quod verò addit Philoponus Platonem argui, quòd animam per corporis partes diuidens vnam non posset mouentem causam in animalibus ponere, sed omnino futuræ essent plures: quomodo enim commune vnum quodpiam inueniatur in eis? (quidem non video quemadmodum Philosophi verbis consentiat, aut ex illis colligi possit.) Nam si illud (permultæ sint) plures interpreteris fore mouentes causas; certè illa, quæ sequitur, enumeratio mouentium causarum non est: cùm nutriens, & intelligens, antea probauerit mouentes causas non esse. Et postrema illa verba (hæ namque magis inter se differunt) apertè demonstrant de facultatum differentia, non de mouentium numero sermonem esse.

A B C D

TEXTVS.

Ἐπεὶ δὲ αἱ ὀρέξεις γίνονται ἐναντίαι ἀλλήλαις. τῶν δὲ συμβαίνει, ὅταν ὁ λόγος καὶ ἡ ἐπιθυμία ἐναντίαι ὦσι. γίνεται δ' ἐν τοῖς ἔχουσι αἴσθησιν ἔχουσι. ὁ μὲν γὰρ νοῦς ὀρέγει τὸ μέλλον ἀνθρώπειν κελεύει. ἡ δ' ἐπιθυμία, ὀρέγει τὸ ἡδύ. φαίνεται γὰρ τὸ ἡδὺ ἡδὺ, καὶ ἁπλῶς ἡδύ. καὶ ἀγαθὸν ἁπλῶς, ὀρέγει τὸ μὲν ὁρᾶν τὸ μέλλον.

Text. 53. *Quoniam verò appetitiones fiunt contrariæ inter se (hoc autem euenit, vbi ratio & concupiscentia contrariæ fuerint, sit autem in temporis sensum habentibus. Etenim intellectus propter futurum retrahere iubet, concupiscentia verò propter id, quod iam est præsens. Videtur enim præsens suaue & simpliciter suaue, bonumq. simpliciter, quod non videatur futurum.)*

COMMENTARIVS CLVII.

HÆc ad ea, quæ de continente & incontinente in superioribus dixit, referunt Simplicius & S. Thomas. In illis enim pugna hæc cernitur duplicis appetitus, rationalis & irrationalis, de qua nunc sermo. Sed Simplicius absolutè definiri putat quemadmodum in illis res habeat contrarietas appetitionibus agirentur. S. autem Thomas obiectionem dilui, quando mouere appetitum dicebatur, quoniam continens appetitum non sequitur.

Fortasse non fuerit opus tam altè repetere. Namque Themistius proxima respicit, quibus primum ac præcipuum disputationis caput continetur, an sit vnum principium motus in animalibus: vnum enim esse primarium definiuit, appetitum. Cùmq; appetitum duplicem distinxisset, rationalem & irrationalem; & verò triplicem, voluntatem, concupiscentiam, & iram: nutare propositio videbatur, qua vnum primum mouens asserebatur. Propterea docendum fuit quomodo cum appetitus multitudine mouentis consistat vnitas. Verùm vnicam hic propositionem accipit, qua dubitationem confirmare videtur: appetitiones hasce inquiens non solùm plures ac diuersas, sed & contrarias ac pugnantes esse: aut plures & diuersas esse probans, quia contrariæ sunt & pugnantes. Hoc vt planiùs explicet, abrumpit sermonem illicò, & velut parenthesin digrediendo facit; explicationem tantisper in sequentem orationem differens. Nam sit persæpè, vt dum ad iucundum quidpiam prosequendum concupiscentia trahit, aut ad iniuriam vlciscendam stimulat ira; secus suadente ratione voluntas retrahat. Si concupiscentia abducatis aut ira, incontinens appellaberis, continens, si rationem audiueris. Hoc veluti exemplo res illustratur. Vnde conficitur eiusmodi appetitionum pugnam atque conflictum non in omnib. animalibus reperiri, sed in ijs duntaxat, quæ hac duplici parte constant, sensu & ratione, concupiscentia & voluntate, irrationali appetitu & rationali: hoc est in solo homine, qui solus præter sensum atque irrationalem appetitum eum cæteris communem, intellectu quoque ratione, ac voluntate viuit.

At alijs verbis Philosophus vtitur, quibus hæc ratiocinatio contineri videtur. In quibus contrariæ sunt appetitiones, in his est temporis sensus: temporis verò sensus in ijs est, in quibus præter cupiditatem intellectus inest: contrariæ igitur appetitiones in ijs duntaxat sunt, in quibus est intellectus & ratio. Quam ratiocinationem Philoponus audacem ac temerariam periculique plenam esse pronuntiauit. Duas enim omnino graues difficultates continet. Alteram, an solus homo temporis habeat sensum. Alteram, num is solus contrarijs appetitionibus moueatur. Sanè non solum hominem, sed bestias quoque pleraſque intellectu & ratione carentes temporis sensum habere, argumento videntur esse grues, quæ hyemem præsentientes ad calidiora transuolant loca; & formicæ fruges æstate condentes hyberno tempore alimentum futuras. Quin etiam Aristotelem ipsum video ad initium libri de memoria & reminiscentia hoc memoriam à sensu & spe distinxisse, quòd sensus præsentis sit, spes futuri, memoria præteriti: animaliáque omnia pronuntiasse, quæcumque sentiunt tempus, memoria quoque prædita esse. Ac rursum non esse memoriam vim intelligentis partis, argumento illo demonstrasse, quia multis ineſt aliorum animalium, quibus intellectus non ineſt. Ex quibus fuerit manifestum,

nifestum, animalia complura rationis expertia temporis sensum habere. Vrget tamen argumentum illud eiusdem Philosophi in tex. 13. lib. 4. Physic. quòd cùm tempus sit numerus motus secundum prius & posterius, solus intellectus numerare potest, ideóque solus cognoscere tempus. Quo superatum omnino Alexandrum fuisse scribit Themistius, plane que tempus credidisse ab homine creari, quasi nihil aliud esset tempus, quàm nuda hominis cogitatio, meráque supputatio, cui nulla in re soliditas responderet. Verùm si tempus durationem motus significat, ea sanè non minùs, quàm motus, in rebus ipsis existit; neque animæ cogitatione aut supputatione opus habet, sicut nec cæteræ durationis species, æternitas, & æuum. Quòd si continuatæ successionis motus distinguendæ sint & numerandæ priores ac posteriores sibi succedentes partes; id nimirum animæ & intellectus solius est opus. Et vt numerus permanentium rerum nullo modo pendeat ab intellectu; pendet tamen is, qui in successione consideratur. Quoniam cùm numerus plures postulet simul collectas vnitates, successionis nihil est presens, nisi impartibile quidpiam; atque vt illius partes simul accipiãtur, opus est intellectu, qui præteritum ac futurum velut præsentia & simul existentia statuat. Mitto plura, quæ de hac re in quarto Physic. libro disputantur. Themistius quidem certè Alexandri sententiam neque veram esse scripsit, neque ijs consentaneam, quæ Aristoteles eo loco prodidit. Nam si posset motus absq; intellectu esse, tempus quoque subiunxit esse; quoniam motus successio priores & posteriores habet numerabiles partes: quæ tamen actu, non nisi ab intellectu numerantur.

Tempus non pendeat ab anima.

Bestiæ vt tempus sentiant.

Itaque de bestiis duo prorsus affirmat Philoponus. Primùm, eas non apprehendere tempus, sed ea, quę sunt in tempore, vt frigus aut calorem, illud hyemis, hunc æstatis. Incorporeum enim quidpiam est tempus, quod sensum & phantasiam, quæ corporea tantùm & sensilia comprehendunt, effugiat. Homo autem intellectu præditus tempus quoque ipsum intelligit, dum horas & dies numerat, menses & annos. Deinde bestias indeterminatum atque indefinitum tempus persentiscere; vt hyemem vel æstatem: determinatum ac definitum, velut dies & horas, à solo cognosci homine. Nunc verò solum hominem dici temporis habere sensum quoniam illud appellare Philosophus consueuit tempus, quod determinatum est & definitum. Vt cùm in lib. de interpretatione dixit; Hæc quidem simpliciter, illa verò in tempore. Simpliciter enim indeterminatum tempus dixit, in tempore autem, determinatum ac definitum. Ego tamen hoc loco non audio solum hominem affirmari temporis sensum habere: sed (fit autem in temporis sensum habentibus) Quod solius hominis non esse, sed aliorum complurium, indicatus exponit locus libri de memoria & reminiscentia. Quare Themistius. Hæc, inquit, appetitionum pugna in ijs animalibus fieri solet, quæ temporis sensum habent: atque in homine potissimùm. Is enim per se tempus sentit, cætera ex accidenti, vtpotè quæ non ipsius temporis sensum prius habeant, sed motionis & passionis eius, quam tempore aliquo acceperunt. Quod Simplicius quoquetradidit.

Est & aliud discrimen, quod maximè nunc spectauit Philosophus. Quòd etsi animantes permultæ præteriti sensum habeant, dum passionis præteritæ recordantur; futurum tamen non præuident, quoniam affici non possunt aut pati ab ijs, quę futura sunt: siquidem hæc nondum existunt, sensúsque rerum duntaxat existentium est. Nam si formicam dixeris futurę hyemi alimenta reponere; ea non futurum præuidet, sed aut prætentæ potiùs passionis recordatur, aut solo naturæ instinctu agitur. Homo & præteritorum recordatur & futura prospicit.

Quanquam etsi de homine solo interpræteris illud (fit autem in temporis sensum habentibus) propterea de illo potissimùm fuerit dictum, quòd manifestior in illo sit & illustrior contrariarũ appetitionum pugna, propter rationis & concupiscentiæ coniunctionem. Quæ tamen quoquo modo in cæteris item reperitur. Si namque homo contrariis idcircò motibus agitatur, quia temporis sensum habet, cæteræ quoque animantes, quæ temporis sensum habent, agitabuntur.

Appetitiones contrariæ pugnãtes in bestiis.

Ita soluitur altera Philoponi dubitatio. Etenim Leo gregem aggressus & percussus, in gregem rursum incurrens aggredi cupit, sed retinetur, ne percutiatur. Atque huiusmodi plurima in bestiis sæpè cernuntur, quæ dum à præsenti iucundo trahuntur ad concupiscendum, & prætentæ plagæ vel passionis imaginatione ac recordatione retinentur ne prosequantur, contrariis nimirum & ipsæ mouentur motibus. Illustrior est in homine pugna, qui duplicem habet appetitum, irrationalem & rationalem, ac propter rationis consortium, tum præteriti recordatur, tum futurum prospicit. Dúmque febri afflictatus frigidæ potum concupiscit, tum præteriti, tum futuri damni considerat one retinetur. Concupiscentia præsentem spectans delectationẽ titillat, quòd futurum non præuidens, sed in re presenti, quam sentit, tanquam fine, insistens, tum suauem, tum simpliciter bonam æstimat. Ratio futurum prospiciens sensui quidem suauem, sed magnoperè damnosam intelligit, atque à prosequendo retinet. Suaue namque & simpliciter bonum distinguit; quodque sensui suaue est, non omne bonum esse dijudicat, & futurum tanquam magis bonum amplectitur. Quod tertium fuerit inter rationalem & irrationalem vitam discrimen. Contrariis igitur motibus moueri tum rationalibus conuenit tum irrationalibus: sed moueri secundum præsens & futurum rationalibus solis, secundùm præsens & præteritum, irrationalibus quoque. Ex præteriti enim imaginatione sen memoria futurum quasi præsens cauent. Nec tamen præteritum, qua præteritum est, cognoscunt; sed qua patiuntur ab illo passionisq. memoria remanet. quippe dum præsentem quoque rem cognoscunt, non præsens cognoscunt tempus, sed à re præsenti mouentur, eámque in præsenti tempore afficiente sentiunt.

Hominis & bestiarum differentia.

DIGRESSIO XLI.

De appetitus sentientis perturbationibus.

Siue spectes ea, quæ de appetitu, siue quæ de continente & incontinente, siue denùm quæ proximè de contrariis ac pugnãtib. appetitionibus, à philosopho dicta sunt, perinde aliquid à me hoc loco de sentientis animæ perturbationibus desiderabis,

Ego verò eò libentiùs tibi satisfaciam, quòd cùm de A
cæteris omnibus animę partibus quoquo modo dis-
seruerint, hanc solam prætermissam à me fuisse iure
De perturbationibus qui agant. optimo, siue mirareris, siue etiam doleres. Deinde
verò quòd etsi aliquid de perturbationibus hisce
loquatur medicus, vt aut ad sanitatem conferunt
moderatæ, aut plurimùm obesse possunt immoderatæ. Quam ob causam de illis cognoscendis atque
curandis librum Galenus edidit, & in arte medica
monet, vt ab illis magnopere caueamus, ab ira præ-
sertim, tristitia, furore, timore, inuidia: quòd maxi-
mè afficiant corpus, statumque illius euertant natu-
ralem: nec parua etiam de illis commouendis aut
sedandis Rethores præcepta tradant, vt Auditorum
animus in dicentis adducatur sententiã. Ac demùm B
moralis Philosophus & Theologus, alter, vt materia
virtutum sunt, possúntque ratione recta frenari &
corrigi. Multis enim Aristoteles demonstrauit in
secundo ad Nicomachum lib. cap. tertio. Morales
virtutes circa voluptates & dolores versari. Alter
verò, vt meriti aut demeriti leges sunt. Quoniam
tamen eæ proficiscuntur ab anima, illiúsque ope-
rationes existunt: Naturalis quoque philosophus,
dum in animę contemplatione versatur, prætermittere illas omnino non debet.

Perturbatio quid. Quas igitur Stoici dixere πάθη, seu ἀῤῥωστήματα C
& νοσήματα, id est morbos & ægrotationes, Tullius
perturbationes nominauit; Alij affectus, & pleriq.
passiones; quòd cum aliqua corporis commotione,
ac perpessione adueniant. Sed & quòd plerúmque
aduersentur rationi, velut defectus, & peccata natu-
ræ, verè morbos & ægrotationes animi appellaue-
ris. Vt enim corpus sanum est, cùm humores omnes
temperati sunt, suóque quisque loco continetur,
ægrotum autem, si ita commoueantur, vt copiosior
sit eorum aliquis, & perniciem cæteris machinetur.
Sic sanè animus noster sanus iudicatur, si omnes
illius partes & facultates suum teneant locum,
neque aduersus rectum rationis imperium insurgat
vlla: ægrotus verò, si ita concitentur, vt quasi sedi- D
tione facta inferiores contra superiorem exurgant.
Propterea Zeno ac Stoici testimonio Tullij in quarta
Tuscul. & Chrysippus apud Galenum in lib. quarto,
& quinto de Hippocratis & Platonis decretis, per-
turbationem definierunt auersam esse à recta ratio-
ne contra naturam animi commotionem, & pau-
cioribus verbis Tullius, Appetitum vehementio-
rem, rationi scilicet aduersantem, & vt idem ipse in
libris loquitur de officiis, turbidum animi, concita-
túmque motum, auersum à ratione, inimicum
mentis, vitæque tranquillæ, quod morbi genus
multò grauius esse, quàm sint corporis morbi, hac
ratiocinatione concluserit. Maximus Tyrius serm. 41. E
» Animus, inquit, pretiosior est, quàm corpus: bo-
» num igitur, quod à pretiosiori prouenit, maius est.
» Maioriautem bono maius opponitur malum: sed
» maius bonum animi potius est, quàm corporis sa-
» nitas: maius igitur malum animi, quàm corporis
» morbus.

Mihi verò propositum est, quatuor primùm ea-
rum causa se voluere. Deinde numerum, ordinem,
bonitatem, ac malitiam proponere, tum de singulis
seorsim dicere. Quódque superesset postremum,
quomodo virtus ijs omnibus moderetur, morali
Philosopho considerandum relinquam.

PRIMA DIGRESSIONIS PARS.

De perturbationibus vniuersè.

Prop. huius

VT igitur à generalibus principium faciam, effi-
ciens omnium causa, est anima. In iis enim dum-
taxat perturbationes commouentur, in quibus anima
est anima. Anima inquam sentiens non vegetans,
neque intelligens. Nam in plantis nullæ sunt, neque
in homine solo, sed & in cæteris animalibus vigent:
irascunrur enim gaudent, tristantur, dolent, timent,
sperant & bestiæ. At sentiens anima tùm sensum
habet, & cognitionem, tùm appetitum: pertur-
bationésque ad appetitum, non ad sensum, perti-
nere; argumento est, quòd tunc præsertim excitan-
tur, cùm appetimus quidpiam, aut respuimus.
Quamquam appetitus cognitionem semper suppo-
nit, nec vnquam nisi ex amplectendi boni, malúve
fugiendi, cognitione mouetur: maximéq. ex ima-
ginatione pendet, & fit persæpè, vt re quapiam vt
valdè bona, vel mala, per imaginationem propo-
ta, commoueamur plurimùm, etsi reipsa nihil sit
cur oporteat commoueri. Quod illorum exemplo,
qui res pictas intuentur, declarauit Philosophus in
tex. 154. lib. secundi. & ideò in tex. 54. lib. tertij,
appetibile dixit mouere vt intellectum aut imagi-
natum.

Stoici verò vt ex Tullio, Galeno, Lactrioque
cognoscis, & confirmat Lactantius libro sexto cap.
14. perturbationum omnium originem solam pra-
uam opinionem esse voluerunt, extirparique illas
posse radicitus, si bonorum, malorúmve opinio
falsa tollatur: qua de re Epictetus, cap. quarto &
Arpianus lib. secundo cap. 18. & lib. 4. cap. septimo,
& Seneca lib. primo de Ira, cap. septimo, & plurib.
aliis in locis. At verè intellexerunt Peripatetici
motus hos omnes naturales esse, posséque à nobis
temperari & cohiberi, omnino euelli non posse.
Infiti enim animalibus sunt; vt salutem, atque in-
columitatem suam procurent, dum aut acriùs per-
sequuntur bonum, aut vehementiùs auertunt ma-
lum. Homini verò, vt virtutum materia sint &
seges, quique eas ex homine tollat, virtutem quoq.
tollat. Sanè vel perfecto virtutis habitu compara-
to, si actionem illius breui tempore intermittas,
perturbatio rursum insurgit, arcémque virtutis ac
regnum oppugnat: penitus igitur extincta non
fuit, sed cohibita & frenata: cui si laxentur habenæ,
tunc demùm intentatum nihil relinquet. Maneat
igitur, perturbationis omnis, vt naturalis est ope-
ratio, opificem esse animam, apperentémque
illius facultatem, provt bonum, malúmve præ-
concipit.

Quod si perturbationem inordinatam ac rationi
rebellem species ea plures alias habet causas. Aut
naturalem corporis defectum, prauámque illius
temperationem: qua fit, vt ad iram aliqui, alij ad
libidinem, aliámve perturbationẽ, natura sint pro-
cliuiores. Aut ignorationem, imperitiam, aut
nuditatem: quòd nesciat quispiam quid sit bonum,
quid malum. Vtramque causam sub Timæi finem
complexus est Plato. Animæ, inquit, morbi propter
corporis habitum nascuntur. Morbum animæ de-
mentiam esse censemus: eius genera duo poni-
mus, insaniam, & imperitiam, & quæ sequuntur.

Aut prauum

Aut prauam educationem atque assuetudinem: nam qui perperam à pueritia, vel longiori aliquo tempore assueuerunt, pessimis deinceps per totam vitam perturbationibus opprimuntur. Sensuum demùm cognitio diuersarum affert perturbationum causam: quippe facultatis appetentis motus est omnis perturbatio, & vt nihil appetitur, quod non fuerit cognitum, ita quod cognitum fuerit, appetitum quoque facilè prouocat. Quid ergò? qui praua sunt corporis constitutione contrariis cibis, atque actionib. eam corrigant: qui ignoratione laborant, bonis imbuantur disciplinis: quibus praua obfuit consuetudo, melioribus illam actionibus tollant, sensusq. omnes custodiant, ne quid hauriant, quod animum vehementiùs commoueat. Omnes verò etiam atque etiam Aristotelici illius meminerimus secundo lib. ad Nicom. cap. 1. Haud parum referre, immò omne momentum in eo positum esse, vt ab Adolescentia quis rectè instituatur, assuescátque. Extántque hac de re non pauca apud Platonem in secundo & sexto de Repub. & Xenophontem in pædia Cyri, Senecam & alios; & Plutarchus Opusculum edidit de liberis educandis, in quo inter cætera monet, quemadmodum sigilla mollibus imprimuntur ceris, ita & bonos mores puerili animo insculpi: magnámque putat habendam curam, & quibus nutricibus, & quibus pædagogis committantur: Platóque moneri nutrices voluit, ne friuolas pueris aut turpes fabellas mandent, sed Phocylidis potiùs Poëtæ sententia;

Adolescentia maxima educatio.

Dum tener estq. natus, generosos instrue mores.

Pædagogum quoque talem esse natura vult, qualis Achilli Phœnix fuit, quem apud Homerum Peleus Achillis curæ propterea dicitur præfecisse, vt & dicendi & faciendi ductor ei esset atque magister. Refert etiam inter apophtegmata Laconica Plutarchus Agesilaum Leothychydámque dixisse, ea pueris esse discenda, quibus & viri vsuri sint. Addam & Pythagoricum illud; Quæ nigrantes habent caudas, gustari non oportere; hoc est cũ ijs hominibus consuetudinem habendam non esse, præsertim adolescentibus, quos morum deprauatio denigrat. Cæterùm aliam quandam inordinatarum perturbationum causam Theologi agnoscunt nostri; Primi scilicet Parentis commissum: quod sentientis appetitus aduersus rationis Imperium, cui promptè obsequebatur antea, rebellionem adduxerit. Id verò diuersitatem hanc in homine facultatum supponit, vt quædam superiores sint, aliæ inferiores, quædam rationales, aliæ irrationales, quædam ad imperandum, aliæ ad parendum & obsequendum comparatæ. Nam in bestiis vt motus quidam iræ, cupiditatis, doloris, tristitiæ, & alij his similes, obseruentur, perturbationes tamen nisi priori fortasse vocis acceptione non dicuntur. Quòd cum nulla in illis sit ratio, nulla est partium harum distinctio, nulla dissensio, nec appetitus vnquam à naturæ rationis expertis statu discedit. In mentibus item separatis, licet similes interdum legantur actus, nullus est perturbationibus locus, quòd inferioribus careant facultatibus, quæ contra rationem rebellent. Sólius igitur hominis propriæ sunt inordinatæ hæ perturbationes, in quo vno diuersitas illa, pugna, & rebellio partium, inest. Omnisque commotionis mirum ac præcipuum instrumentum sanguis & spiritus sunt, dum cordis motu eleuantur & subsident. Quare quæcumque commouere aut sedare sanguinem & spiritum possunt, plurimùm etiam ad commouendas aut sedandas perturbationes valent.

Perturbationis instrumentũ.

Iam verò ex his, quæ de efficiente causa hactenus dixi, reliquas omnes facilè colligas. Etenim materia, quæ in accidentibus subiectum est, remota quidem illud fuerit, quod sentientem & appetentem animam habet. Nam etsi, vt auersántur rationi, in solo sint homine, non insunt tamen in illo vt homo est ac ratione præditus, sed vt animal, sensúmque & appetitum rationi repugnantem habet. Iuréque optimo Iulius Cæsar Scaliger exer. 307. numer. 4. Cardanum reprehendit, eas in voluntate atq; appetitu rationali esse asserentem. Non enim (argumentatur Alcinous cap. 24.) in nostra sunt potestate, immò repugnantem plerumq. voluntatem habent. Et Aristoteles in cap. vltimo, lib. secundi de priori Analysi, naturales motus esse affirmauit, & in secũdo moralium cap. 5. esse sine electione, & cap. 1. lib. 3. esse irrationales. Sentientis igitur animæ sunt cum ratione pugnantis, si modum excesserint. Sentientis autem, non vt cognoscens est & apprehendens, sed vt appetens: perturbationibus quippe ad obiectum mouemur, cognitione & apprehensione obiectum in nos transfertur. At proximum, & immediatum subiectum est cor: tum quòd appetendi vis ibi resideat: tum quòd, vt Aristoteles confirmat in tex. 63. lib. 1. & cap. 4. lib. 3. de part. anim. dum perturbamur, moueri cor illicò & alterari animaduertimus. Sunt enim operationes conditione sua coniuncto toti communes, vt est in tex. 14. 64. 65. eiusdem primi lib. etsi in homine vt sola viget immaterialis & incorporea anima, ita in ea sola cohæreat appetitionis animæ actus, vt ex ijs manifestum est, quæ de animæ facultatibus in secundo lib. definita sunt. Verùm quòd actio illa conditione sua corporis organum postulet, corporis quoque commotio accedit.

Perturbationis materia.

Hinc est, quòd ab Eustratio in secundum moralium lib. cap. quinto, & Nemesio lib. 4. Philosophiæ cap. octauo. Perturbatio vniuersè accepta definitur (definitione autem continetur forma) esse animi motus per sentientem appetitum in bonum aut malum imaginatione apprehensum: addi posset, ob animalis conseruationem. Neque dissentit Alcinous, cum esse dixit animi motum rationis expertis, vt ex bono quodam aut malo natum. Vnde perturbationes confecit neque iudicia esse, neque opiniones: nam hæc ad superiorem pertinent animæ partem, perturbationes in inferiori sæuiunt. Quare quod in quarta Tusc. Tullius ægritudinem definiuit præsentis mali opinionem, lætitiámque opinionem præsentis boni, metum opinionem imminentis mali, ac demum libidinem opinionem venturi boni, nisi ex Stoicorum schola profectum sit, meliore intellectu poterit accipi, perturbationes hasce non tam iudicia & opiniones esse, quàm ex illis in nobis proficisci. Cur autem ex recenti potiùs, quàm inueterata opinione aut apprehensione, oriri perturbatio dicatur pulchrè Possidonius exposuit testimonio Galeni lib. quarto ante indicato. Quòd immodicum omne & peregrinum subitò irruens perturbet animum, vsitatum, consuetum, & inueteratum, aut nihil, aut parum admodum affectus moueat. Idem verò Galenus Chrysippum arguit inconstantiæ, quòd is vno loco perturbationes contenderet iudicia potius esse, quàm iudiciis succedere, ægritudinémque propterea definiret mali recentis, & voluptatem præsentis boni, opinionem præsentem;

Perturbationis formalis causa.

cùm tamen opiniones & iudicia in parte tantùm superiori alibi collocaret, voluptatémq. & dolorem in inferiori, quam sine ratione ac iudicio esse dicebat. Sanè Aristoteles eas vbiq. motus esse inculcat, & quidē naturales, irrationales, corporiq. communes, & vt in text. 15. lib. 1. loquebatur, rationes in materia: & in 2. de arte dicendi cap. 1. affectus esse definit, quib. homines commoti alio atque alio modo iudicant. Quinetiam ipsimet Stoici perturbationem inquiebant auersam esse à recta ratione animi commotionem: vt quæ de iudicio & opinione mox loquuti sunt, ad causam & originem, non ad rationem formalem perturbationum referenda, iudiciúmque & opinio, non tàm mentis ac rationis, quàm sensus & imaginationis, intelligenda esse videantur. Sed omnino meliùs Peripatetici motionem appetitus sentientis perturbationem esse dixerunt. Quæ motio actum significat appetitus in obiectum cognitum tendentis, ab eóve recedentis, actum inquam prosequutionis aut fugæ. Vnde in corpore quoque fit motio vehementioris dilatationis, vel contractionis cordis: dilatationis, si appetitus amplectatur obiectum & in illud tendat, contractionis, si auersetur & ab eo refugiat: Inde verò sanguinis & spiritus, qui in corde resident & à corde pendent, commotio sequitur. Atque hinc duo intelligas. Alterum, eas potiori iure perturbationes dici, quæ cum motione fiunt naturæ animalis minus accommodata, quales eæ sunt, quæ contractionem habent cordis. Minùs enim hæc animali salutaris est, quam dilatatio, hæcq. sunt perturbationes, quæ ad fugam spectant, Metus & Tristitia, quibus malum naturæ atque incolumitati animalis contrarium auertitur. Alterum cur nam ij, qui delicatioris sunt corporis constitutionis, faciliùs, sæpiùs, ac vehementiùs perturbentur. Nam quo melior est & perfectior corporis temperatio, eo apprehensio perfectior, vehementiorq. appetitio, & totius corporis commotio maior.

Perturbationes quæ magis nominentur.

Perturbationū finis.

Finis porrò perturbationum omnium, vt naturales quædam commotiones existunt, conseruatio est animalis. Propterea enim inseruit eas animalibus natura, vt bonum quæritantia & auersantia malum, vitam atque incolumitatem tuerentur suam. Et vt sensum dedit, quo vtilia dijudicarent & noxia, sic & appetitum adiunxit, quo prosequerentur bona malaque respuerent. At perturbatio ea, quæ rebellis rationi sit & contraria, vehementiùs scilicet incitata, nullum sanè à natura propositum habet finem. Natūra namque bonum semper quærit, immoderatáque perturbatio malum vbique adducit & damnum, aut animæ, dum rationis iudicium peruertit, impeditque ne verum & falsum discernat, atque adeò ad peccatum impellit: aut etiam corporis, dum plurimos sæpè & grauissimos morbos, vel etiam interdum mortem adfert: quòd absque corporis motu ac perpessione non constet. Si quidem Amor sanguinem accendit & spiritum, & qui amant, calescunt & ardent, Amòrque & Charitas ardor quidam esse dicitur: & qui corporis habitu calidiores sunt, promptiores item ad amandum existunt. Tristitia verò spiritum & sanguinem crassiorem efficit: & contra si spiritum & sanguinem crassum habeas, perturbationi huic obnoxius fueris: sicut qui tenuem & purum habent, ad hilaritatem & lætitiam propensiores cernuntur. In timore spiritus & sanguis relictis exteriorib. partibus ad cor confugiunt. Vnde partium exteriorum tremor. Contrà in voluptate, gaudio, & spe, à corde ad partes omnes

Perturbationū immoderatæ damna.

effunduntur. Quæ est causa, cur ex nimia lætitia aut voluptate faciliùs, quàm ex tristitia vel mœrore, mori-atur homo: vacuato scilicet ac spiritu distributo corde. In senibus verò maximè periculosa est repentina lætitia: quoniam vbi parum est sanguinis & spiritus faciliùs vacuatur cor. Cùm igitur perturbationes hæ tantam in corpore commotionem faciant, nisi sanguis & spiritus conuenientem situm ac temperationem teneant, calescant nimirum aut refrigerentur, contrahantur aut effundantur, ægrotationis ac morbi, vel etiam mortis, causa sunt in animalibus. Quamquam & ex accidenti possunt esse boni cuiuspiam causa: tùm animæ, si vt par est cohibeantur, & ideò virtutum materia ac seges meriti esse dicuntur: tùm etiam corpori, dùm sanguis fortasse frigidior amore calescit, aut ira, aut perturbatione alia excitata, ad meliorem trahitur temperationem.

Zenodotus apud Gellium.

Homerus.

De perturbationum numero.

Venio ad alterum propositionis meæ caput, in quo de perturbationum numero dicendum est. Non eundem fecerunt omnes; sed principio ponenda est appetitus illa distinctio, de qua in superioribus diximus: quorum alter concupiscens nominatur, quòd vehementissima illius affectio cupiditas sit: alter irascens, quòd turbulentissima eius perturbatio sit ira. Hinc ita perturbationes distribuere placuit S. Thomæ in prima secundæ quæst. 23. vt in altero sex omnino, in altero quinque perturbationes agnouerit. In concupiscente amorem, odium, desiderium, fugam gaudium, & dolorem: In irascente spem, desperationem, timorem, audaciam, iram, cum enim prior circa bonum & malum absolutè versetur, hæcque tribus modis spectentur; tres circa bonum, & totidem circa malum, perturbationes existunt. Primùm enim spectantur bonum & malum secundùm suam naturam: vnde quia bonum cognitum placet, excitatur amor, complacentia & inclinatio in illud: malum displicet odiúmque commouet, displicentiam & auersionem abillo. Deinde vt absentia sunt: bonique desiderium oritur, & mali fuga: illud velut inclinatio ad boni consequutionem, hæc vt auersio seu auersatio mali. Denique vt euadunt præsentia: adeptique boni est gaudium & voluptas, ceu animi quies in illo, mali dolor & tristitia. Dum verò posteriori proponitur bonum aut malum arduum ac difficile, si bonum acquiri possit, oritur spes, hoc est amor absentis boni, licet ardui: quòd si te illud consequi non posse credas, desperatio nascitur, qua propter nimiam difficultatem à bono auertitur appetitus. Si verò arduum malum imminens occurrat, si vitari nequeat, oritur timor, quasi ab illo fuga, si vitari possit, audacia, hoc est ad illud repellendum motus. Quamquam hæc bonum quoque difficile spectare videtur, velut ad illud consequendum motus desiderio respondens. Nisi fortasse hic ipse motus sit spei, timórque & audacia opponantur spei ac desperationi, quòd illæ sint mali, hæ boni: rursúmque timor aduersetur audaciæ, spésq. desperationi, vt oppositum motum circa idem obiectum significant. Postremò accedit ira circa malum arduum iam præsens, aut repellendum, aut si fieri possit vlciscendum: Ideóq. vltionis appetitus esse dicitur. Circa bonum arduum præsens sexta non additur perturbatio, quia quando est præsens, rationem ardui non habet ampliùs: quę ad irascentem appetitum iam non spectat, sed concupiscentis gaudium & voluptas sat est. Ita vnica fuerit in appetitu concupiscente perturbationum oppositio

oppositio ex obiectis dicta, bono aut malo: in irascente duplex, altera ex obiectis, altera ex accessu & recessu oppositio circa idem obiectum motu. Sola ira nullam habet oppositionem. Non enim ex obiecto, quoniam bonum presens oppositum malo, quod illius obiectum est, ad appetitum concupiscentem pertinet, cum ardui rationem iam non habeat: neque gaudium, quod circa illud exoritur, irae opponi potest, quòd in diuerso sint appetitu. Neque ex oppositio motu, quoniam præsente malo aut appetitus succumbit, & oritur dolor vel tristitia, aut contra illud insurgit, & nascitur ira: quæ sanè perturbationes diuersorũ sunt appetituum. Si quid igitur opponatur irae, id cessatio fuerit ab ira; quæ non cõtrariorum, sed priuantium more opponitur.

Scotus autem in 3. sent. lib. dist. 34. concupiscentem appetitum ad omne bonum & malum sensile, vel etiam arduum, extendit: atque irascentem ad illud solum contraxit, quod bonum impediat vel inferat malum. Ita in hoc solam posuit iram, in illo cæteras omnes. Et Nemesius cap. 8. & 9. antea significati lib. cùm gaudium, desiderium, timorem, tristitiam, & iram, nominasset, priores quatuor in concupiscente dixit esse, postremam in irascente. Plerique alij non tam curiosè separauerunt, sed perturbationes solùm commemorarunt. Aristoteles in secundo de arte dicendi, oratoriam animorum permotionem considerans, Iram, Mansuetudinem, Amorem & Amicitiam, Timorem & Confidentiam, Verecundiam, & Inuerecundiam, Gratiam & Commiserationem, Indignationem, Inuidiam, Æmulationem. Et Galenus in lib. de cognoscendis & curãdis animi affectibus, Excandescentiam, Iram, Timorem, Mœrorem, Inuidiam, Cupiditatem, Amorem, & odium. Etsi post inuidia, amore, & odio prætermissis, reuocarit ad quinque. Alij alias, quos longum esset commemorare.

At Stoici quatuor omnino generales ex duplici bono maloque duplici opinato posuerunt, ἐπιθυμίαν, ἡδονὴν, φοβον, λύπην, cupiditatem inquam seu libidinem & immoderatam appetitionem futuri boni: voluptatem seu lętitiam nimiam presentis boni: Metum ac timorem æquo maiorem futuri mali: tristitiam & ægritudinem ex præsenti malo profectã. Quam eandem partitionem Plato fecit sub finem Timæi, & post eum Alcinous cap. 24. etsi duas omnium primas & quasi aliarum elementa statuens, voluptatem & dolorem. De quarum mira prorsus coniunctione extat in Phædone præclara Socratis manu crus fricantis sententia. Quam mira, inquit » ille, videtur hæc res esse, quam nominant, Homines » voluptatem, quámque miro naturaliter se habet » modo ad dolorem ipsum, qui eius contrarius esse » videtur. Quippe cum simul homini adesse nolint. » Attamen si quis prosequitur capitque alterum, » semper fermè alterum quoque accipere cogitur, » quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Æsopum, si hæc auertisset, fabulam » fuisse facturum. Videlicet Deum ipsum, cùm ipsa » inter se pugnantia conciliare vellet, neque id facere » posset, in vnum eorum apices coniunxisse, propter- » eáque cuicúmque adest alterum, eidem mox alte- » rum quoque adfuturum. Sed & Aristoteles duas hasce veluti cæterarum omnium fontes esse indicauit, cùm in 2. de moribus lib. cap. 3: moralem virtutem scripsit circa voluptatem & dolorem versari, duabus his vocibus perturbationes omnes complectens. Et cap. 5. perturbationes commemorans, Cupiditatem, Iram, Excandescentiam, Timorem, Fiduciam, Inuidiam, Gaudium, Amicitiam, Odium, Desiderium, Æmulationem, Misericordiam, subiungit, ea denique omnia, quæ voluptas vel dolor consequitur: quasi in his duabus reliquæ cernantur omnes & vigeant. Porrò quaternarium quoq. illum Stoicorum numerum ita probauit Tullius in quarta Tuscul. & in oratorijs partitionibus, vt illa scripserit esse quatuor prima perturbationum genera, singulorum verò generum partes plures. Probauit & Boëtius in extremo primo de Consolatione libro, metro illo:

Tu quoque si vis / *Pelle timorem*
Lumine claro / *Spémque fugatu,*
Cernere verum, / *Nec dolor adsit.*
Tramite recto / *Nubilamens est*
Corpore callem, / *Vinctáque frenis,*
Gaudia pelle, / *Hæc vbi regnant.*

Cuius loci interpretationem dum facit S. Thomas, has tantùm quatuor fatetur capitales esse ac præcipuas perturbationes, illoque ipso argumento, quo antea vsus est, ex bono maloque, aut presenti aut futuro.

Stoicorũ Eupathia.

Cæterùm cùm eas Stoici nollent vnquam in virum sapientem cadere, εὐπαθείας adiunxere quasdam, hoc est bonas, & laudatas animi motiones, ægrotationem illarum veluti sanitates, sapientis proprias. Tullius Constantias vocat: χαράς, βουλήσεις, εὐλαβείας, id est gaudium, voluntatem, cautionem. Gaudium voluptati medetur, voluntas cupiditati, cautio timori: vt moderatè præsenti delectemur bono, bonúmque expetamus, quod expeti debeat; vel, vt par est, futurum vitemus malum. Ægritudini seu tristitiæ Medicinam nullam esse voluerunt: quòd vt est apud S. Augustinum lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 8. in præsenti malo versetur illa, sapiénsq. nunquam in malum incidat; siquidem malum nullum sit, nisi turpitudo & stultitia. At si nullum malum accidere sapienti potest, ne circa futurum quidem malum ponenda Eupathia fuit; aut si circa futurum ponitur, circa præsens item moderatè tolerandum ponatur. Ergo quaternarius ille perturbationum numerus teneatur. Etsi enim dum omnes animæ motus spectantur, qui cum aliqua corporis commotione fiunt, siue appetentis, siue apprehendentis virtutis existant: velut risus fit sanè cum corporis commotione at non ab appetente, quin potiùs ab apprehendente virtute: aut etiam solius appetentis considerantur actus, siue cum corporis commotione, siue sine commotione fiant. Sint sanè multò plures. Si tamen solos eos consideres, qui cum cordis commotione ab appetitu proueniunt, pauciſſima sunt perturbationum capita, ad quæ cæteræ omnes pertineant. Illa verò sunt, Desiderium, Gaudium, Timor, Tristitia. Nam & verum habent cordis motum, quod proprium est tùm domicilium tùm organum perturbationum, appetentisq. virtutis: & vniuersum perturbationum atque appetitus obiectum, bonum & malum, tum absens tum presens amplectuntur; absens desiderium & timor, perturbationes oppositæ; præsens gaudium & tristitia, quæ oppositionem item habent, vt opposita sunt illarũ obiecta, bonum & malum: atque in corpore quoque diuersam, & verò oppositam, commotionem faciunt, in bono dilatationem, in malo contractionem. Binas autem illas, quę circa bonum sunt, desiderium & gaudium;

Perturbationes primariæ quatuor.

& binas item, quæ circa malum, timorem & triſtitiam, non oppoſitas, ſed ſubordinatas, dicimus: deſiderium quippe ordinatur ad gaudium, & ad triſtitiam timor. Diuerſas tamen ac ſpecie diſtinctas eas eſſe, diuerſus operandi modus diſtinctúmq. formale obiectum, præſens abſénſve, ſatis oſtendunt.

Ira ex amore boni fugáq. mali compoſita eſſe videtur. Quippe duos in corpore oppoſitos habet motus, dum vt vltionis ceu boni cuiuſpiam appetitus eſt, ſanguinem ac ſpiritum ad exteriora impellit, quatenus autē feruor ſanguinis circa cor triſtitiámq. adiunctam & comitem habet, mouet ad cor. Quæ eſt cauſa, cur ex ira moriatur nullus, quod neque penitus vacuetur ac deſtituatur, neque prorſus opprimatur & ſuffocetur cor. Reliquæ omnes perturbationes, quæ præter has commemorantur, vel quatuor illarum principia ſunt, velut amor & odium, vel illis comitantur, vt voluptas & dolor. Sic enim Ariſtoteles loco ante notato diuerſas numerans perturbationes eſſe, quàm perturbationes cōſequi omnes. Vel demiq. partes illarum ſunt, ad eáſque reuocantur, vt earum pleræque, quæ antea fuere propoſitæ. Quodque de iraſcentis appetitus perturbationibus addidit S. Thom. appetitum illum accipit à concupiſcente diſtinctum eſſe: quod non ita eſſe oſtendimus in ſuperioribus.

Ex ira nullus moriatur.

De perturbationum ordine.

Quocirca minùs fuerit neceſſaria prolixa illa eiuſdem Doctoris in prima ſecundæ quæſt. 25. diſputatio de ordine perturbationum concupiſcentis & iraſcētis appetitus. Vniuersè verò, quæ circa bonum verſantur, natura ſua priores illis ſunt, quæ reſpiciunt malum. Bonum ſiquidem natura prius eſt malo, tùm quia illud habitus, hoc priuatio: tum quia malū ſine bono non eſt, bonū ſine malo eſſe poteſt. Speciatim autem amor & odium principia ſunt illarum quatuor, quas propriè perturbationes primas diximus. Inter quas prima eſt deſiderium ſeu concupiſcentia boni, vnde concupiſcens appetitus nominatur, & timor mali. Deinde gaudium ſequitur ſeu voluptas adepti boni, triſtitiáq. preſentis mali.

Bonum prius malo.

Perturbationes bonæ ne ex malo.

De his igitur dicendum mihi erit, principio facto ab amore & odio, quę cæterarum quaſi initia ſunt. Si primùm illud monuero, Stoicos in ea ſanè fuiſſe ſententia, vt perturbationes omnes dicerent eſſe malas, quippe aduerſantes rationi: ideóq. virtutem apathiam quandam eſſe, hoc eſt impatibilitatem, indolentiam, & ſtuporem, ſeu vacuitatem & carentiam perturbationum. Et Prochum in primum Platonis Alcibiadem duplicem animæ prauitatem tradidiſſe, ignorantiam, & diſcordiam irrationalis partis à ratiocinali: illam velut animæ deformitatem, hanc veluti morbum. Quam ob cauſam Platonis illud atque Pythagoræ præceptum, fugiendam eſſe multitudinem vt ſimpliciſſimam veritatem conſequaris non ſolum de exterioris populi, ſed multò magis de varia perturbationum multitudine magis nos diſtrahente atque fallente, interpretatur. Verùm eas vt entia quædam ſunt, manifeſtum eſt bonitate tranſcendente, quæ vbique comitatur eas, bonas eſſe. Bonitate autem morali, ſanè vt ſunt à natura, nec bonæ ſunt nec malæ: vt autem aptæ ſunt obedire rationi, euadunt bonæ, ſi obediant, malæ, ſi non obediant, ſintque cauſa peccati. Eam verò omnino vim habent in humanis actionibus, vt ſi rationem præueniant, magnopere minuant, ſi ſubſequantur, augeant actionis bonitatem aut malitiam. In bono namque ſi perturbatio à ratione imperetur, augetur bonitas; quod intenſior actus & cum maiore animi applicatione fiat: ſi non imperetur, ſed ipſa ſponte accedat, perfectionem indicat actus & bonitatem. Idémq. de mali actus malitia iudicium eſto.

ALTERA DIGRESSIONIS PARS.

De perturbationibus in ſpecie. Ac primum de Amore.

Mirum eſt quàm multa ſcripſerint de Amore non ſolùm Peripatetici in 8. & 9. de morib. libro ſub amicitiæ nomine: ſed & in conuiuio Plato, ac Platonici penè omnes, vt Plotinus in lib. qui eſt quintus Æneadis tertiæ, Proclus in Alcibiadem primum, Alcinous cap. 25. Maximus Tyrius, ſerm. 8, 9, 10. & 11. Marſilius Ficinus in Platonis Dialogum, Plotiniq. lib. & alij complures: ſcripſere quoque Poëtæ. Mihi propoſitum eſt hæc exponere: Quid ſit Amor & quotuplex: quod illius obiectum: quis ortus, quæque progreſſio: ac demum quæ effecta, ſignáque amoris.

Amori eſſe Deū quendam fecerunt.

Quid & quotuplex Amor.

Ergò permulti Amorem Deum quemdam fecerunt, & quidem magnum & antiquiſſimum & apud Deos Hominéſque admirabilem: vt Orpheus in Argonautica, Heſiodúſque in Theogonia, quos in libro de Natura ſequutus Parmenides eſt. Etenim ante Mundum chaos poſuerunt & ante cæteros Deos Amorem in ipſius ſinu, velut deſiderium, quo informe chaos appetit κόσμον, id eſt ornatum & pulchritudinem: Quam ſententiam Poëtæ omnes ſequuti ſunt; & vt Platonicorum quoque exponit & tractat Ficinus. Namque Phædrus ex antiquitate Amorē oſtendit honorandū eſſe. Antiquitas autem probatur: tum quòd Parentes illius ignorentur: tum quod & Heſiodus in principio chaos principia duo poſuit, terram & Amorem, & Parmenides amorem dixit primum inter Deos fuiſſe. Agathon autem Deorum beatiſſimum, pulcherrimum, & optimum: tum quòd omnium maximè iuuenis ſit, ideóque ſenectutem fugiat, ſeſéq. iuuenibus miſceat: tum quòd inter flores perpetuò habitet, nunquam in eo, quod defloruit, ſiue corpus ſit, ſiue anima, ſiue aliud quid vis: tum quòd maximè omnium apta & compoſita forma ac figura ornatus ſit, cúmq. deformitate implacabiles inimicitias generat. Tenerum tamen & mollem: quòd molliſſimis ſeſe inſinuet rebus, animis Deorum & Numinum, eorúmque, qui mitem ac mollem animum habent. Nam ſi durum offenderit, aufugit. Quin & aquæ inſtar liquidum ac lubricum: alioqui per omnem animam vndiq. circumfluere, clámque influere & effluere non poſſet; ſi durus eſſet ac rigidus. Eſſe verò iuſtum, nequeinferre vnquam nec pati iniuriam: quoniam nihil vi, ſed omnia ſponte agit & patitur. Eſſe temperantem: quia cum temperantiæ ſit voluptatibus dominari, voluptas nulla eſt amore potentior: quare ille omnibus dominatur. Eſſe fortem, quippe ne Mars quidem illi reſiſtit. Ac demùm eſſe ſapientem, quòd artes omnes doceat, cunctáq. tam inter Deos, quàm inter homines diſponat.

Amor quia ſenectutem fugiat apud Platonē.

Cur autem Phædrus antiquiorem ac ſeniorem, Agathon iuniorem cæteris Dijs amorem fecerint, duplicem apud Ficinum oratione quinta in Conuiuium cap. 10. cauſam reperies. Alteram quòd Deus omnium Parens Intelligentias cæteras amore quodam ſe communicandi procrearit; illæque notæ

Amor quia ſenectutem fugiat.

Paren-

Parentem suum vicissim diligunt. Vt amor, quo gignuntur, antiquior illis sit ac senior, is verò iunior, quo genitæ Parentem suum amant. Alteram, quòd Angeli non priùs à Deo acceperint Saturni atque aliorum Planetarum ideas, quàm ad eius faciem amore ingenito flecterentur. At postquàm acceperunt, flagrantiùs Parentis munus amarunt. Ita dilectio Dei partim est idis antiquior, quæ Dij dicuntur, partim iunior.

De Amore quid Plato.

Sed contra pugnat acriter Diotima Sybilla, Platonisque potiùs, (vt inter cæteros obseruauit Plotinus) videtur fuisse sententia. Amorem enim neque pulchrum esse contendit neque bonum: siquidem propter pulchrorum bonorúmque inopiam hæc ipsa, quorum indignus est, appetit. Neque item turpem, neque malum: sed inter hæc medium. Et ideò neque Deum, quoniam Dij omnes & pulchri & beati. Neque etiam mortalem, neque immortalem, sed mortalis & immortalis medium: nempe magnum quendam dæmonem: omnis quippe dæmonum natura inter mortales Deósq. media. Quò illud spectat Procli, amorem neq; in primis entium neque in vltimis collocandum esse: non in primis, quoniam ipsum amabile superius est amore: neque in vltimis, quoniam amans amoris particeps est. Sed inter amabile & Amantem medium quidpiam esse, illo posterius, hoc prius. Quapropter magnum dæmonem dictum fuisse interpretatur, quòd vbiq; medium impleat inter illa, quæ appetunt, & quæ appetuntur. Vt amabile primum sibi vendicet gradum, amans tertium, & amor inter vtrumque medium; congregans & colligans inuicem appetens & appetibile, & implens meliore deterius. Hinc eloquia sacra Amoris ignem copulatorem appellant; quòd ab intellectili intellectu procedens, sequentia cuncta inter se atque illi deuincit. Intellectili namq; pulchritudini Deos omnes conciliat, Dijs verò dæmonas, nosq; dæmonibus ac Dijs Idcircò magnum dæmonem dici ait Proclus, Socratémque vbi de amore disputat, de dæmonibus quoque differere: nec ipsum amatoriam vnquam vitam vsque adeò rectam perfecturum fuisse, vt apud Platonem legitur, nisi afflatu eam dæmonis elegisset. Hinc demum illud Alcinoi, Amorem Dæmonem potiùs appellándum, quàm Deum in terrenum corpus nunquam demersum, qui diuina ad homines contráq. humana ad Deos communiter transmittit. Quod dæmonum munus esse in Platonis conuiuio legimus.

Cæterùm hæc omnia, quę à sapientibus viris tradita sunt, alio, quàm verba sonant, accipienda sunt intellectu, effectúsque potiùs & conditiones amoris indicant, quàm naturam. Alioqui non Peripatetici modò, sed & Platonicus Plotinus amorem ostendunt perturbationem quandam esse, aut perturbationum potiùs omnium principium: alijque minùs alij magis latè patere volunt. Et Epicureus Homo Lucretius venereum solum ac turpem amorem visus est agnouisse, vbi ex parte amantis desiderium esse definiuit, quo se totum in amatum transferre cupit, quod iactu seminis ex toto decisi corpore consequi se posse sperat: ex parte verò amatæ desiderium, quo amantem totum capere optat. Scitum est Arthemisiæ illud Mausolum Cariæ Regem Maritum suum tantopere adamantis, vt demortui ossa in puluere redacta potionique aspersa ebiberit, vt illius corpus intra se haberet. At certè constat communem hanc amoris notionem non esse, alioſque pleroſque amores esse honestos ac pudicos, Parentum erga filios, filiásque, & horum vicissim erga illos, fratrum, Amicorum &c. Deinde amat homo animalia bruta, vicissimque hæc amant hominem, vt videas in Cane, Equo, & aliis pluribus. Res quoq; inanimę amantur ab homine: in quibus amoris alia ratio quærenda est. Vt mittam naturalem illum & minùs propriè nominatum, quo ignem dicimus amare superum locum, terram inferum, plantasque nonnullas certum quoddam soli genus, solisque aspectum omnes. Immò verò Pausanias apud Platonem duplicem distinxit Venerem, cælestem vnam & antiquiorem, cælo natam, absque Matre, alteram vulgarem, communem & iuniorem, Ioue ac Dione progenitam: duplicémque item amorem, alterum vulgaris Veneris, vulgarem & ipsum, qui quodcumque contingit peragit: eóque praui, & abiecti homines amant, ad explendum enim desiderium inhiant; honestè verò nécne expleant, non curant. Alterum cælestem prorsus ac cælestis Veneris, petulantię omnis expertem: quo qui inspirantur, masculum genus, natura robustius, generosius ac mentis magis particeps amant: nec pueros, sed adolescentes cum mente valere iam cæperint: hi enim parati sunt per omnem vitam simul viuere. Præclarum vero esse magis palam amare, quàm clanculum: eosque præsertim, qui generosi sint & optimi, etsi corpore minùs formosi. Prauúmque illumque illum amatorem esse, qui corpus magis, quàm animum, amet. Neque enim stabilis est & constans in amore, dum rem minimè stabilem & constantem amat. At bonorũ morũ amatoré, cùm rem sectetur stabilem, per omnem vitam perseuerare, optimúmque amatorem esse. Turpe etiam esse, vel pecuniarum copia, vel magistratuũ potentia, vel aliis huiusmodi rebus capi. Sed cælestis ille amor tam priuatim, quàm publicè, amantem atque amatum ad virtutis curam studiúmque cogit. Hæc Pausanias.

Venus duplex; duplexq; amor Platonis.

Venus amator qua.

Eryximachus autem medicus tum eandem amoris partitionem probat: Tum verò non modo in animis hominum erga pulchrum eum agnoscit, sed in animalium quoq. omnium ac plantarum corporibus; immò prorsus in omnibus quæ in natura sunt, dum ex contrarijs constant. Duplex enim, inquit, in his est amor. Alter, quo conciliantur contraria, & ad temperiem atque concordiam reducuntur: quam concordiam bonum amorẽ dicit. Alter, quo eadem hæc contraria malè concordant, velut in ægrotis corporibus humores: atque hic amor malus est. Verùm impropria iam & nimis latè patens est amoris hæc notio qua sani potius aut ægroti quàm amantes dicamur: amórque propriè sentientis appetitus perturbationem nunc nobis significat, quæ non nisi in homine & animalibus cæteris esse potest.

Amor duplex impropriè.

Quamquam non desunt, qui reiectis bestiis, quadruplicem Venerem ex Platonicorum sententia commemorent. Namque cùm Venus gignendi facultatem significet; Prima est diuina, in Deo: altera cælestis, in cælo: tertia humana, in homine: quarta in mundana anima. Atque humanam rursum duplicem faciunt: quarum altera sit vis intelligendi, cuius semen, species aut phantasma: Altera facultas gignendi, eáque ex duplici semine; tum corpore, tum animastico & quasi spiritali, quod in virentum ac morum concinnitate consistit: quo cùm quis fuerit plenus, effundere illud peroptat in alterius hominis animam, vt in ea sibi simile pulchrum gignat. Et quoniam venerem sequitur semper amor, tam multiplex item est amor. Atque in homine sanè triplex.

Epicureus amor.

Amores plurimos esse sine cupidine.

Venus quadruplex Platonica.

Venus in homine duplex.

Amor triplex hominis.

Primus intellectiuus, quo intelligere cupit fruique intellectilibus pulchris. Alter modestus & moralis, quo animasticum semen emittere optat. Tertius cupidineus, quo genitale semen & corporeum effundere concupiscit. Indéque cupido duplex, masculus seu cynedicus, & fæmineus seu muliebris.

Amor vniuersè quadruplex Platonicis, & humanus triplex.

Alij quadruplicem statim amorem proponunt; Diuinum, Angelicum, Humanum, naturalem: Humanúmque triplicem. Primum Hominis ad Hominem: qui vel inter masculos est; vel inter fœminas, vel inter masculum & fœminam, vel eiusdem ad seipsum, quem Græci φιλαυτίαν vocant. Alterum hominis ad res naturales ipso inferiores; siue animatas, siue expertes animæ, siue natura, siue arte constantes. Tertium ad res eas, quę supra hominem sunt, Deum ac separatas mentes. Ac rursum humanus amor, aut voluptarius est, aut officiosus, aut prospicuus. Primus desiderium est fruendæ voluptatis, secundus fruendæ modestiæ, tertius fruendæ vtilitatis.

Amoris definitio, amórque duplex.

Sanè Diotima vniuersam amorē bono pulchróq. definiuit. Amorem inquiens appetitionem esse, qua bonum sibi semper esse quis cupit appetitionisque modum exponens hoc symbolo, partus in pulchro quem partum tum animæ vult esse, tum corporis. Cùm enim anima quoque omnium hominum prægnans sit & grauida, vbi ad certam ætatem venerit, parere cupit. Nec potest diuinum hoc opus perfici in turpi, quod à diuino dissonum est, & absq; propositione: sed in solo pulchro, quod est diuino consonum & proportione constans. Est enim per absurdum (inquit Plotinus) naturam pulchra volentem facere, velle in turpi aliquo generare. Ergò pulchritudo est veluti Parca & Lucina generationi: quotiésque quod grauidum est adhæret pulchro, lætitia gestit, voluptate perfunditur, & generat: adhærens autem turpi, dolore tristitiáq. contrahitur, auertitur, nec generat, sed fœtum retinens angitur. Ideò quod concipit adultumq. ad generationem anhelat, circa pulchrū maximè obuersatur. Amórq. non tam est pulchri, quàm generationis partúsque in pulchro. Ita vt quisque corpore aut animo grauidus est, alium sibi similem gignere concupiscit. passimque vagatur & quærit pulchrum, in quo generet: pulchrum inquam, aut corpore, aut animo, aut vtroq. Eo inuento dum familiariter vtitur, quæ conceperat parit, & quod nascitur, cum illo communiter nutrit & educat. Vnde arctiorem communionem firmioremq. Amicitiam contrahunt, quàm mortalium filiorum Parentes, quippe qui in immortalibus ac pulchriorib. filiis communirent.

Altera & tertia amoris definitio.

Hinc aliæ duæ amoris definitiones. Diotimæ altera, amorem esse immortalitatis desiderium. Altera Platonicorum communis, amorem desiderium esse fruendæ effingendæque pulchritudinis in pulchro. Vtraque tam ad animam spectat, quàm ad corpus. Prior quidem: tum quia colligitur ex eo, quòd amor est appetitio, qua bonum sibi quisque semper adesse desiderat, desiderat autem non modò corporis, sed multò magis animi bona: tum quia vt corpus, sic anima pregnans est & grauida, cupitque parere, vt immortalitatem consequatur. Posterior: verò, tum hanc ipsam ob causam, tum quia pulchritudinis finitionem inquiunt non modò tactu, sed & aspectu, auditu, mente, & aliis similibus modis constare posse.

Amor triplex in homine.

Vnde triplicem amorem faciunt. Primum diuinum, contemplatiui hominis, qui à formæ corporalis aspectu ad spiritalis ac diuinæ cōtemplationem ascendit, hócque potissimum ars amatoria constat. Alterum ferinū, hominis voluptuosi, qui ab aspectu ad tangendi concupiscentiam descendit. Tertium humanum, actiui & moralis hominis, qui sola videndi & conseruandi oblectatione contentus est, & inter alios duos quasi medius consistit. Vt cum amor omnis ab aspectu incipiat, primus ab aspectu delectat ad tactum, tertius in ipso aspectu remaneat. Sunt qui quadruplicem faciant. Vnum intellectiuum, qui desiderium est fruendæ pulchritudinis, quæ in rebus est intellectilibus. Alterum sensituum, eúmque triplicem. Primum intentionalem, quo aspectu & auditu frui cupimus pulchritudine, quæ in aspectabilibus est, soniſque ac vocibus. Secundum, quo corporeis magis sensibus, odoratu, gustatu, & tactu, absque venereo tamen appetitu, frui desideramus pulchritudine, non modo intentionaliter, sed & re ipsa. Postremum venereum ac turpem. Præterea non vnam, sed multiplicem constituunt illi pulchritudinem; aliam intellectilis mundi, quam diuinam vocant, aliam animæ, aliam magni seminarij, aliam ipsius corporis. Quare cùm amor circa pulchrum versetur, totidem etiam amores agnoscunt.

Rursum de diuino atque omnium præstantissimo amore ita philosophantur. Deus ternario numero gubernat omnia; dum primùm creat singula, deinde rapit ad se, tum perficit. Ternario item omnia terminantur, dum primùm à Deo effluunt, deinde ad illum refluunt, tandē in eo perficiuntur. Ideò Deus bonus, pulcher, & iustus. Bonus, vt creat seipsum communicando: pulcher, vt ad se allicit: iustus, vt pro cuiusque merito perficit. Ita pulchritudo inter bonitatem & iustitiam est, effluens à bonitate & ad iustitiam profluens. At pulchritudo diuina excitat nimirum amorem in omnibus ac desiderium sui, dum ad se rapit mundum mundúsq. rapitur, continuo quondam attractus motu, veluti circulo incipiente à Deo in mundum, & à mundo in Deum tandem redeunte. Sed vt à Deo incipit & allicit, pulchritudo vocatur; vt in mundum transit eúmq; rapit, dicitur amor, vt in Deum redit atque illi suum coniungit opus, appellatur voluptas. Hinc Deum, seu bonitatem omnia producentem ponunt in centro, & circa illud quatuor circulos, mentem, animā, naturam, & materiam: quod hæc omnia ita procedant à Deo, vt ad eum redire cogantur. Mens tamen circulus est stabilis; quod & substantia & operatio eadem semper permaneat. Anima, tam mūdi, quàm alia quæuis, circulus per se & in se mobilis; quoniam discurrendo cognoscit, temporúmq. circulis operatur, & operatio in ipsa remanet. Natura circulus mobilis in alio, non ab alio: mobilis quidem & non ab alio, quia vis illa generandi, quæ est natura, vis est quædam animæ per se motæ: in alio autem, quia omnis eius operatio terminatur in corpore. Demq; materia circulus mobilis in alio & ab alio, quia omnis corporis moles & in loco & ab alio mouetur. Vnde pulchritudinem vocant Dei radium quatuor illis insitum circulis; ita vt omnes in illis rerum omnium effingat species: in mente ideas, in anima rationes, in natura semina in materia formas: atque in his quatuor circulis quatuor hi splendores pulcherrimè cernantur, idearum splendor in mente, rationum in anima, seminum in natura, formarum in materia. Quæ omnia eam ob causam libenter à me hoc loco commemorata fuerunt, vt intelligeret quinis

quiuis quàm altè procúlque à sensibus ac venereis de amore & pulchritudine philosophati Platonici sint. Indéque ars illa prodijt amatoria, quam Diotyma docuit, solámque se scire gloriatur Socrates, & à cæteris conuiuiis, præsertim ab Alcibiade, laudatur. Hac ita inspiciuntur & amantur pulchra corpora, vt ex plurib. pulchris corporibus pulchrorum omnium corporum amator euadas: deinde pulchritudinem, quæ animis inest, præstantiorem putes pulchritudine corporum, vt si quis ingenui sit animi etsi corpore aliis inferior, ametur tamen: Inde ad pulchritudinem, quæ in officiis ac legibus reperitur, inspiciendam ducaris: post ad scientias & earum pulchritudinem facias gradum; ac demum ad ipsam ideam pulchri aliorúmque omnium pulchrorum causam accedas. Etenim cùm amor sit pulchri, pulchritudóque radius quidem Dei per omnia penetrantis, primùm mentem, deinde animam, tum naturam, postremò materiam; non secus ac solis raditis quatuor elemenra illustrat, ignem, aërem, aquam, terram: quemadmodum qui in his lumen inspicit solis, ipsius solis radium videt, per illúmque ad supernam solis lucem intuendam conuertitur. Ita qui decorem in mente, anima, natura, vel materia, videt & amat; Dei fulgorem ac pulchritudinem in his intuetur, & amat indéque ad Deum ipsum sese debet conuertere. Amor enim corporum infimus omnium est & abiectissimus; quique turpis est & obscœnus, ne in amatoria quidem arte continetur. Atque amorem quidem illum, qui ad superna nos attollit, nempe ad diuinam pulchritudinem prouidendam, calodæmonem, hoc est bonum genium, appellauit Plato: eum autem, qui ad inferna, corporea, & venerea deprimit, cacodæmonem, id est malum genium, quòd præter legem ac rationem sæpè ad malum rapiat.

Amatoria Ars.

Amor calodæmon & cacodæmon.

At enim Peripateticos quoque præstat audire. Horum Princeps Arist. in octauo & nono ad Nicomachum lib. & in secundo magnorum mor. à cap. 12. & lib. septimo ad Eud. Amicitiam Virtutem esse affirmat, aut certè cum virtute, rémque ad vitam maximè necessariam. Ideò inquit humanos, id est hominum amatores, laudamus: neque si sint amici, opus iustitia est; si verò sint iusti, indigent amicitia: ijdémque sunt viri boni & amici. Quoniam verò amicitia amor quidam est, triplex facit amabile amoris obiectum; Honestum, iucundum, vtile. Inde tres amori, amicitiæve species. Sed quæ iucunditatem aut vtilitatem sectatur, illa ferè in iuuenib. hæc in senibus, imperfecta est miniméq. constans & diuturna. Perfecta verò & constans, quæ honestate nititur ac virtute: neque hæc nisi inter bonos est. Inde expostulationes plurimæ, criminationes, & querimoniæ inter eos, qui ob voluptatem vel vtilitatem amant: nulla, si ob virtutem & honestatem. Porrò in omni amicitia necessaria est redamatio non latens; quique mutuò se amant, volunt sibi mutuò bona, eatenus quatenus amant: sed praui ob voluptatem vel vtilitatem amant, boni propter seipsos. Quare hi absolutè amici sunt, illi ex accidente, quatenus aliquam cum his similitudinem habent: Itaq; damnatur maximè philautia illa, qua praui homines corporis voluptates & id genus alia sibi desiderant: laudatur verò illa, qua honesta quis, bona, & quæ virtutis sunt, quærit: Virque probus amator sui esse debet; quoniam honesta agendo tum sibi tum alijs prodest: contra prauus non debet, quia prauos sectando affectus & sibi & aliis obest. Omninóque amicus is esse definitur, qui alicui vel verè bona vel quæ arbitratur bona euenire cupiat, non sui, sed alterius gratia.

Quid Peripatetici de amore & amicitia.

Igitur amor latiùs multò patet, quàm amicitia. Primùm enim amor affectum significat, amicitia habitum. Deinde amor vniuersè acceptus ad appetitum sentientem pertinet, estq; perturbatio quædam seu perturbationum principium: amicitia virtus moralis est, atque ad voluntatem & electionem spectat. Amor communis est nec solùm in homine, sed in bestiis quoque reperitur. Nam etsi amor pulchri esse dicatur, hominoque solus formaliter & intellectu rationem pulchri percipiat, belluæ tamen pulchrum materialiter, hoc est ea, quæ pulchra & sibi conuenientia sunt, cognoscunt: & homo etiam sensu id percipit, atque ad illius amorem rapitur, quod honestiùs ratione prætermittendum aut fugiendum iudicat. At amicitia propriè hominum duntaxat est; quòd hæc ob virtutem & honestatem ex electione nascatur. In bestiis amicitia ea conceditur, quæ vtilitate aut iucunditate nititur: quemadmodum in octauo ad Nicomac. lib. cap. primo Amicitia, hoc est amor quidam, inesse natura dicitur inter id, quod genuit, & id quod genitum est; nec modò in hominibus, sed & in auibus & animalibus cæteris: regulúmque auem & crocodillum ex Herodoto adfert in septimo Eudemiorum cap. 3. Talis inter homines quoque eiusdem nationis cernitur.

Amor & Amicitia vt differãt.

Igitur amor vniuersè complacentiam quandam in obiecto apprehenso, tanquam bono seu pulchro, significat; quam S. Augustinus in lib. de Spiritu & Anima cap. 45. delectationem vocat & Ludouicus Viues in tertio lib. de Anima allubescentiam: & in appetitu rationali electionem sequens propriè appellatur dilectio. Scio S. Dionysium in lib. de Diu. Nom. cap. cap. 4. & S. Augustinum lib. 14. de Ciu. cap. septimo, & tract. 123. in Ioannem, aliósque ex sacris literis collegisse idem esse amorem & dilectionem. At de amore loquuntur, non vniuerso, sed ad speciem quandam contracto, déque eo, qui est voluntatis. Is enim idē est quod dilectio. Quod etiam plerique dicunt diligere remissius esse, amare ardentius, propterea verum est, quòd cùm amor vehementiorem sentientis appetitus motum comprehendat, si is ad voluntatis delectionem accedat, augetur magnopere. Ita dilectio fuerit hominis propria, amor cum animalibus cæteris communis.

Amor vniuersè quid.

Amor & dilectio vt differãt.

Verùm in Homine præter dilectionem Charitatem quoque, Pietatem, Cultum, Beneuolentiam, & Amicitiam velut amoris species nominamus. Charitas, vt vel ipsa nominis notatio testatur, insignis & pretiosæ cuiuspiam rei est. Amor enim est rei charæ. Vnde in 7. Eudemiorum cap. 10. Matres ex interprete dixit Philosophus effusiore, quàm Patres Charitate complecti sobolem. Maximè verò erga Deum nominatur & proximos propter Deum, erga Parentes, & Patriam. Pietas erga superiores est, Deum, Parentes, & alios similes. Cultus est veluti amoris signum, ceu amor cum signo. Beneuolentia verò, quali amoris effectus, quo rei amatæ volumus bonum. Sic enim Arist. in secundo de arte dicendi cap. 4. Amorem per illius effectum explicans, aut Amorem beneuolentiam nominans, amare dixit esse velle alicui bona, illius, non sui, gratia; illáque procurare quantum possis. Denique Amicitia significat habitum, qui est mutuo inter duos amore, non latente, sed manifesto nascitur. Vnde in nono ad

Charitas

Pietas.

Cultus.

Beneuolentia.

Amicitia.

Nicom. lib. cap. quinto & secundo magnorum mor. cap. 15. & septimo ad Eudem. cap. 8. Beneuolentiam legimus haud posse absolutè amicitiã dici, sed amicitiæ potiùs principium.

Amor amicitiæ & concupiscentiæ.

Vniuersè autem cùm Amor appetitum boni significet, duplex distinguitur amor. Si enim rei, in qua nobis complacemus, bonum illud velimus, beneuolentiæ amor volatur; quem Arist. Amicitiæ principiũ fecit. Quoniam cùm vera Amicitia virtute sola nitatur, Amicus vterque alterum amat propter ipsum, eique bona vult, & quãtum in ipso est præstat. Ideò quærimoniæ nullæ, nullæ ex postulationes. Sin verò complaceamus nobis in bono propter nos ipsos, illúdque nobis cupianus, Concupiscentiæ amor nominatur: nec amorem, sed libidinem potiùs appellandum putat Hieronymus Fracastorius in lib. de Sympathia, cap. 17. Est autẽ principium reliquarum duarum amicitiæ specierum, quæ vtilitatem vel voluptatem sectantur. In quibus expostulationes atq; exprobationes plurimæ, dum quisque nõ amici, sed suæ vtilitati aut voluptati studet; pluráq; sibi, quàm par sit, concupiscit; immò sibi omnia, amico nihil, aut nimis parum.

Odium quid.

Hæc ferè sunt, quæ de natura & speciebus amoris sapienter constituerunt Peripatetici. Ex quibus tria prorsus intelligas. Primum; quid sit odium amori oppositum. Est enim displicentia in obiecto cognito. Alterum; iure optimo amorem & odium vel primas perturbationes statui, vel initia potiùs perturbationum omnium. Vbi enim obiectum fuerit cognitum, placet illicò aut non placet appetitui. Si placeat, amatur: etsi sit absens, excitatur desiderium & spes: si præsens, voluptas & gaudium. quòd si displiceat, habetur odio: circáque absens commouetur timor, circa præsens tristitia & ægritudo. Tertiũ; turpe esse id, quod in lib. de Amore cap. 16. docuit Augustinus Niphus, humanum amorem, quo per aspectum aut auditum aliquo pulchro frui cupimus,

Amorem esse posse sine cupidine.

esse non posse absque cupidine ac veneris appetitu. Quidni enim inordinatus hic appetitus rationis imperio cohibeatur? Cur nequeat filiis ac filiabus pater, & vnus frater altero, aut parentibus & cognatis, aut amicus amico, aut etiam homo bestia quapiam réve inanimata pulchra, honestè frui; nec modo per aspectum & auditum sed etiam, quod magis est, per pudicum tactum? cui finis honestus & à recta ratione præscriptus adsit. Vt enim fatetur ille posse nos colorum ornatu ac sonorum harmonia sine cupidine frui, quídni etiam in sola cæterarum rerum pulchritudine consistamus, eáque sola fruamur? Id verò sanctis viris atque Heroicis facillimũ est, & plurimis scimus perfamiliare fuisse. Quæque ille ex sanctis, Hieronymo, Augustino, & Bernardo adfert, nil aliud ostendunt, quàm periculi plenam ac fugiendam esse mulierum conuersationem atq; aspectum; Neque temerè debere quemquam periculo sese committere. Atque de his quidẽ hactenus.

De Amoris obiecto.

Bonum triplex.

Quod autem ad amoris obiectum attinet, verissimum est Aristotelis illud in tex. 51. huius lib. appetitum omnem esse boni: & in octauo mor. cap. 2. Non quodlibet amari, sed quod est amabile: idque triplex honestum, iucundum, vtile: Honestum amicitia, iucundum & vtile concupiscentia. Vnde Socratis illud apud Platonem; Amorem esse ad aliquid. Amabilis enim rei est amor, & omnino eorum, quibus amans indiget, eáque bona sunt & pulchra. Sed honestum & iucundum amantur propter se, & vt fines, vtile aliud, & vt medium.

Itaque ratio boni omnibus hisce communis & adæquatum amoris obiectum analoga est, & per prius ac posteriùs dicitur. Malum item adæquatum odij obiectum in tria genera tribus illis bonorum generibus opposita diuiditur. Vt enim amor omnis cuiusp iam est boni, sic & odium mali esse oportet: siue hæc vera fuerint, siue apparentia & apprehensa. Vtque maius bonum maioris & maximum maximi amoris; sic malum maius maioris, & maximum maximi odij est causa. Propterea Amicitiæ amore amamus eos maximè, quos optimos iudicamus, eósque, qui suo ritè funguntur munere, quod bonos eos esse putemus. Concupiscentiæ verò illos, quos maiorum nobis bonorum causam. Hinc duo intelligas. Alterum num amemus ea, quæ absolutè, an ea quæ nobis bona sunt. Amicitia namque quod absolutè & in se bonum est amamus: quia propter se & propter solam boni & honesti rationem amamus. Concupiscentia verò ea tantùm quærimus, quæ nobis futura bona videntur. Virtutis honestatisque amor solius est hominis: harum enim vim ratio sola cognoscit: In appetitu sentientæ sola viget iucundi & vtilis concupiscentia.

Alterum; an homines mortuos & ea, quæ perierunt, amare possimus. Amicitiæ namque ac beneuolentiæ amore persæpè amans: nec eorum modo virtutes, ac bonos mores, vt in cognitione adhuc nostra remanent & in memoria viuunt: sed etiam ea illis oprando bona, quæ adesse mortuis possint; beatam vitam, gloriam, honorem, recordationémque apud posteros sempiternam. Quod honores testantur, laudes carmina, orationes funebres, & huiusmodi alia, quibus mortuos celebramus. Puto etiam (quidquid dicat Augustinus Niphus in lib. de Amore, cap. 92.) Concupiscentiæ atque adeò cupidinis amore amari posse, vt meminoſtræ quasi præsentes obuersantur, iucunditatémque aut vtilitatem possemus ex illis percipere, & ideò viuere atque adesse nobis vellemus: aut demum iucunditatis atque vtilitatis præteritæ recordamur, eandémque aut concupiscimus aut propter illam amamus viueréque adhuc vellemus mortuos. Quod in bestiis item animaduertas, tum erga alias bestias, tum erga hominem. Nam & canis propter vtilitatem, quam ex domino capiebat, occisum illum adhuc amat & ad eius cadauer iacet, & alia id genus plura facilè obseruantur.

At quoniam pulchrum idem est quod bonum, sed soláque ratione differunt, vt in primo quoque diximus lib. quod bonum dicitur, vel in se, vt habet ea, quæ sibi cõueniunt, vel per ordinem ad appetitum, vt ea continet, quæ illi bona sint: pulchrum autem venustatem quandam significat, quæ in partium ac membrorum proportione consistit maximè, dicitúrque per ordinem ad cognitionem, quatenus à cognoscente quapiam apprehenditur facultate, ac eam quoquo modo oblectat. Dum appetitus cognitionem sequitur, etsi per se circa bonum versetur, pulchrum tamen quoque ad amoris obiectum refertur, turpéque illi oppositum ad obiectum odij, quæ fortasse cognitionis & appetitus coniunctio fuerit causa, cur pulchra, quę cognoscentes oblectãt facultates, tantopere amentur à nobis, turpia reijciantur. Cùm præsertim exterior corporis pulchritudo interioris animi pulchritudinis ac bonitatis indicium

indicium esse soleat. Hæc enim amatur maximè: & si verus sit ac probus amator, nisi animi probitas corporis respondeat pulchritudini, non amor excitatur, sed odium: aut certè illicò cessat amor, vbi se se prodiderit animi turpitudo. Fitque non rarò, vt conuersantibus cum aliquo frigescat amor & extinguatur; quòd eam, quam putabamus, non esse animi probitatem obseruamus. Quamquam cur pulchra tantopere nos afficiant, alij aliam afferunt causam. 1. Quòd venereæ affectioni deseruire formam 2. exactiorem opinemur: quòd amor desiderium sit fruendæ & effingendæ pulchritudinis in pulchro: 3. quòd anima sit sua natura pulcherrima; sique cognatum sibi quidpiam cognatiue vestigium aspexerit, gratulatur & stupet: refertur enim in seipsam suiq. 4. ac suorum recordatur. Quòd anima nostra proximè pendet à diuina mente, à qua pulchritudinis ideâ impressam sibi seruat: & ideò libenter amplectitur id, quod illi congruit, tanquam sibi Patrique cognatum: huiusmodi verò est corporis quoque pulchritudo. 5. Quòd cùm pulchritudo diuina suapte natura ametur ab omnibus, qui eam spectant; quidquid etiam illius imaginem refert, amabile est, primòque 6. aspectu animos mouet. Quòd anima pulchri cuiuspiam intuitione diuinæ illius pulchritudinis recordatur, quam in cœlo aspexit, antequàm demergeretur in corpus: ac demum quòd pulchritudo radius quidem sit Dei, quem omnes naturaliter 7. amant.

Cur non eadem pulchra amentur ab omnibus.

Sed quæri statim potest, cur non eadem res pulchra aut etiam non omnes res creatæ amentur ab omnibus. Vel illa est causa, quam diximus, inter cognitionem & appetitum naturalis connexio: vel quæ eam consequitur atque ex Aristotele 10. lib. mor. cap. 4. colligitur, sensuum vigor maior conuenientia, vehementiorq. operatio circa pulchra. Etenim sensuum omnium operationes iucundiores sunt & gratiosiores, vigentq. plurimum, & maxima vi ad desiderium sui ac fruitionem animum rapiunt. Réque ipsa compertũ est, vt idem ipse fatetur Arist. lib. 9. cap. 12. multò maiorem ad inducendum amorem vim habere aspectum, quàm cæteros sensus. Est enim omnium præstantissimus, plura facit cognoscere, efficacissimámq. & iucundissimam operationem habet. At qui sit, vt vnam rem potiùs, quàm aliam, & diuersi homines diuersas prorsus amemus? Sanè naturale esse amare, at à casu & fortuna hoc potiùs, quàm illud, amare, senserunt Pausanias & alij quidam; Confirmabúntq. Achæi; quos amorem ferunt in S. Egira simul cum fortuna adorasse. Et facilè obseruabis ipse à quibusdã interdum amari turpia: & Aristophanes apud Platonẽ nescio quid de hominibus à Ioue duas in partes diuisis fabulatur; quorum vnusquisque alterum nunc dimidium amat, cum quo integrum hominem absoluebat. Alij etiam conuenientiam genij, stellæ, & Ideæ proponunt. Verùm hæc fabulosa sunt, & absque certa ratione ficta. Et quamuis fortuitum interdum sit, vt hoc aut illud obiectum occurrat; erga bonum tamen & pulchrum cognitum, nisi cognoscens malè affectum sit, appetitus naturaliter excitatur: quòdq; à fortuna est vel casu, rarò euenit; bonum autem & pulchrum cognitũ plerumq. amatur. Accedit, quòd sit interdum, vt eadem res eodem die ametur & non ametur. Qui naturæ ac temperamenti corporei conuenientiam & similitudinem, indiuiduæq. naturæ conditionem respon-

Similitudinem amoris causam esse.

deret, rémq. probabiliorẽ diceret. Ferè enim sanguineus aut cholericus alteriúsve tẽperationis alio sibi simili delectatur eúmq. præ cæteris amat: Scitúmq. illud est, similitudinem omnem, ad conciliandum amorem valere plurimùm. Nam dum similitudinem amamus nostram, aliquid nostri amamus, estq; cuiq; naturalissimum amare seipsum. Hoc propemodum argumento vsum reperies philosophum in secundo magnorum mor. cap. 18. vt ostenderet vel eum, qui sibi sufficiens sit, indigere amicis: quoniam vt difficillimum, ita iucundissimum homini est nosse seipsum: cognoscit autem seipsum, qui intuetur amicum veluti seipsum in speculo, quippe Amicus est alter ipse. Eandem ob causam parentes amant filios, nec homines modò, sed & bestiæ. Parentes, inquit idem Philosophus, octauo ad Nico. lib. 12. Amant liberos quasi ex se quidam sint: liberi autem parentes, quasi ex illis quidpiam sint: & fratres sese mutuò diligunt, quòd ex ijsdem nati sint: Eadem enim quam cum illis habent, natura ipsos inter se idem facit. Parentes tamen addit liberos, & vnumquemq. id, quod facit, amare magis, quàm ab illis ametur. Proprium enim ei, à quo oritur quidpiam, est id, quod ex ipso oritur, vt dens & capillus, & quodlibet ei, qui id habet. Aliam ex temporis longitudine subitũgit causam. Parentes enim liberos statim vbi nati sunt amant: illi progressu temporis parentes, vbi intelligentiam & sensum adepti sunt. Atque hinc cur matres magis diligant etiam patet. Educationem quoque addit & ætatem ad amorem conciliandum posse plurimùm. Ætate namque æqualem æqualis delectat, & conuescentes sodales sunt. Quarta causa sunt accepta beneficia. Ideo enim & filij parentes, & homines Deum amant, quod maxima ab illis acceperint beneficia. Quinta morum ac studiorum similitudo: quæ interdum facit, vt præter naturale vinculum magis sese ament fratres, & vnus alium magis, quàm alium. Hinc & eiusdem disciplinæ socij præcipuo se amore prosequuntur: & Aristoteles lib. nono de moribs cap. tertio Amicitias scripsit à pueritia contractas dissolui, si alter permaneat animo puer, alter euadat vir quàm optimus. Quamque hæc causa odium quoque ex accidenti parere potest, quatenus in aliquo, quod ambo diligant, sese impediant: Sicut figulus figulum odit. Sexta, vinculum in aliquo communi bono. Sic enim idem ipse Philosophus scribit in cap. 12. ante citato, dum de viri & vxoris amore loquitur: Vinculum ipsorum esse filij videntur: quare citiùs, qui liberis carent, dissolui consueuerunt, quippe cùm filij commune bonum ambobus sint: quod autem commune est, conuertit. Nec desunt, qui incognitam nobis addant proportionem quandam, qua primo aspectu aliqui ab aliis amantur, alij habentur odio, siue corpore pulchri sint, siue deformes. At potest etiam in eam referri, quam dixi, cognitionis & appetitionis connexionem. Cùm enim quidquid amatur, vel vt bonum ametur, vel vt pulchrum; bonum autem aut sit honestum, aut iucundum, aut vtile, & pulchrum aut sit animi, aut corporis, siue totius, siue partium singularum: Vt in eadem vel alia atque alia re quisque alias atque apprehendit boni pulchrique rationes; ita aut amat aut non amat, aut etiam odit. Adest & phantasiæ operatio ex-

Aliæ amoris causæ.

teriorúmque sensuum : qui vt in vnius corporis vel partis potiùs, quàm alterius, pulchritudinem incurrunt, ita iucundiorem aut minus iucundam operationem habent, magisque aut minùs ad illius pulchri amorem ac desiderium animum rapiunt.

Virtus & vir bonus amoris regula.

Meminerimus verò in bonorum atque pulchrorum cognitione & amore retinendum id esse, quod est in decimum mor. lib. cap. quinto & sexto, cuiusque rei mensuram esse virtutem ac virum bonum, easque verè voluptates esse, quæ illi videntur esse, eáque iucunda, quæ illum oblectant : quòd si secus aliis videatur, id ex labe & corruptela oritur. Fitque vt vna & eadem pulchritudo (verbis vtor Maximi Tirij, serm. nono) alia impuris oculis, alia legitimis amatoribus appareat. Vt in gladio quoque accidit. Hic enim longè alius forti viro, alius carnifici videtur. Ita longè aliter Penelopen Vlysses, aliter Eurymachus spectabat. Et non ne aliter solem Pythagoras, aliter Anaxagoras, ille vt Deum, hic vt lapidem prospectabat? Virtutem denique ipsam haud eodem modo Socrates, quo Epicurus, Socrates tanquam beatitudinis, Epicurus tanquam voluptatis amator sectabatur. Quamobrem aliter formosum corpus Socrates, aliter Clistenes petit, ille vt virtutis, hic vt voluptatis studiosus, & quæ sequuntur.

DE ORTV ET PROGRESSIONE AMORIS.

ITa ferè dum de amoris obiecto dixi, illius quoq. initium & ortum significaui ; Cognitionem inquam & apprehensionem boni & pulchri, siue veri, siue apparentis. At contemnenda non est Platonicorum sapientia. Duplicem in conuiuio reperies ortum, alterum ab Aristophane propositum, alterum à Socrate ex Diotyma commemoratum.

Primus amoris ortus apud Platonē.

Aristophanes tria olim hominum genera fuisse narrat ; Marem, sole genitum, fœminam, terra ortam, & tertium ex vtrisque compositum, luna procreatum, atque Androgynum dictum. Tota cuiusque species erat rotunda, dorsum ac latera circum habens, manus quatuor, cruráque totidem ; róbusto corpore & elato animo, vt cum Diis pugnare atque in cælum tentarent ascendere. Iupiter vt imbecilliores eos faceret, in duas vnum quemque partes diuisit. Ergò cùm quisque nostrum sit hominis dimidium, perpetuò sui dimidium quæritat, amplectitur illud, & cum eo fieri vnum rursum cupit. Qui mares fœminarum amatores sunt aut fœminæ amantes marium, Androgyni portio sunt : fœminæ, quæ pars sunt fœminæ, fœminas amant, quique mares maris portio sunt, sectantur mares, celebsque illis vita placet, & sunt amicorum studiosi, cognato semper gaudentes, atque cupientes vt ex duobus vnum efficiatur, quæ totius reficiendi cupido amoris nomen accipit.

Secūdus.

Socrates autem, quando, inquit, nata est Venus parato conuiuio discubuere Dij, & inter eos Porus Copiæ & affluentiæ Deus : cúmque cœnati essent, aduenit Penia, hoc est paupertas, mendicatura cibum, quæ cùm præ foribus esset, ebrius nectare Porus Iouis hortum ingressus obdormiit. Penia hanc occasionem nacta de filio ex Poro suscipiendo cogitans, propè illum accubuit, amorémque concepit. Vnde veneris comes factus est amor, tum quòd in illius natalibus genitus, tum quòd natura pulchrarum rerum cupidus, & ideò Veneris, quæ pulchra est, amore capitur. Propterea verò primùm pauper, durus, squallidus, nudis pedibus, sine domicilio, præ foribus atque in viis sub dio dormiens, quòd matris naturam seruet. Sed ex Patre habet, vt bonis pulchrisque insidietur semper, virilis, audax, sagax, prudentiæ studiosus, facundus : & interdum eadem die pullulat atque viuit, quoties exuberat, interdum moritur ac reuiuiscit rursum, ob Patris scilicet naturam. At quod acquirit, præterfluit illicò : quare nec Mendicus est vnquam, nec diues : quin in medio sapientiæ & insciticæ collocatur, vt ex Patre ipiente miniméque sapiente Matre genitus est. Amatum autem seu amabile verè pulchrum est, delicatum, perfectum, ac beatissimum.

Sanè hæc fabulosa licet, amoris ortum vim ac naturam magnopere indicant. Nam cùm primùm aspectu alióve sensu boni aliquid aut pulchri percipitur, phantasiáque apprehenditur vt bonum & conueniens ; sitibundus & famelicus appetitus in illud mouetur. Vnde amor enascitur : ex amore sequitur desiderium, tum spes, alioqui non est diuturnus amor, nisi amata re frui te posse speres. Inde postremò fit, vt rationes omnes ac viæ tententur quibus ad rei speratæ fruitionem peruenias. Platonici primùm animam inquiunt conuerti & rapi ad rem cognitam : deinde conuersam & raptam pulchritudine illius radio illustrari : tum illustratam accendi : post accensam adhærere illi totam : ac demum adhærentem in eam transformari. Primus raptus est amoris ortus, illustratio pabulum, incendium accrementum, adhærentia impetus, transformatio perfectio. Raptus & conuersio vnde proficiscatur, si de amore vniuerso quæras, satis dictum est. In amore autem cupidineo & illegitimo, iuuatur plurimùm, tum naturæ nostræ corruptela, qua post primi Parentis Facinus caro concupiscit aduersus spiritum, eique subinde spinas & tribulos germinat, dum illicita & impudica impellit. Tum nimio nimisque delicato cibo & potu, quibus per luxum fouetur corpus, ac genitale semen abundè exortum ad Venerem simulat. Quò etiam vestium luxus spectat, omnisque ratio molliter delicatè tractandi corpus. Tum verò otio colloquiis ac meditationibus impudicis, quibus si vel leuiter immoreris, propter magnam imaginariæ facultatis vim excitatur cupido.

Et quoniam eisdem artibus parantur & conseruantur singula, quæcumque tandem amoris ortus fuerit causa, eadem & conseruationis erit. Atque hoc amoris est pabulum, quod illustrationem vocant. Sanè meditatione crebra, amatæ rei aspectu, colloquio, conuersatione, ac similibus artibus fouetur amor : alioqui exortus occidit, nec diu viuit, si diutiùs his careat. Atque in amicitia dixit Philosophus necessarium esse amicorum conuictum, diuturnámque absentiam oblitionem inducere, & amicitias ineffabilitatem dissoluisse. Ideoque amicos non debere esse multos ; quod difficilè sit cum multis vt par est viuere.

Quòd si

1. amoris incendia & lætamenta

Quòd si causæ illæ, ex quibus ortus est amor, vehementiores euadant; quemadmodum si bonitatis & pulchritudinis cognitio crescat, aut ab vna parte extendatur ad alias, augebitur nimirum & ille: sicut & illis diminutis decrescit. Crescit etiam ex spe obtinendæ amatæ rei, minuiturque aut penitus interit, si desperes. Accenditur verò maximè & augetur ex redamatione, quam propterea in amicitia necessariam esse Philosophus voluit. Atque hinc prodiere multa de Erote & Anterote, gemellis duobus Veneris, hoc est amatione & redamatione. Cùm enim Amorem seu Cupidinem genuisset Venus, puer multò pulchrior matre fuit, at cùm crescere non posset, Themidis respondit oraculum ex pueri natura id proficisci, qui solus quidem nasci, at non solus crescere posset; nisi gemellus alter adesset, quo crescente ille simul cresceret. Ita Venus Anterota peperit, cum quo simul & adoleuit Eros. quò enim maior fuerit redamatio, eò maior euadet amor. Vnde illud, si vis amari, ama. Etenim qui amat, nisi ametur, indignum se amore iudicari putat, quasi nihil amore dignum habeat: quare indignatur illi, desinitque amare. Contrà si ametur, magis amat; quia se magnifieri putat, iudicarique habere præclara, quæ amari debeant: quod iudicium cuique pergratum est. Quocirca non solùm redamatione opus est, sed hanc oportet manifestam esse, non occultam. Propterea etiam fortasse redamationem amantes amant, quòd ita fructum amoris sperent, aut à Zelotypia, à qua maximè abhorrent, liberentur.

De Erote & Anterote, seu redamatione.

Ad amorem qui apti.

Ex his facilè intelligas quinam maximè sint ad amandum apti. Ex corporis namque habitu aptissimi sanguinei sunt: tum quia calidi, amórque calidus: tum quia affabiles, hilares, iucundi, faceti, & ad conuiuendum comparati, quæ omnia tum amorem conciliant, tum fouent. Accedit ad redamandum facilitas, propter caloris & sanguinis copiam. Facilè etiam sperant, spéque nutritur amor. Cholerici calidi quidem sunt, sed austeri, inaffabiles, impatientes, in tractabiles, atque in conuictu toto difficiles. Melancholici & phlegmatici frigidi sunt, iniucundi, angusto animo, nec magna viuentes spe. Melancholici tamen si amore capiantur, tenacissimi sunt & vix vnquam liberantur.

1.

2. Porrò ex ætate aptissimi iuuenes sunt: tum quòd facilè ament & redament, vt in octauo moralium cap. tertio confirmat Aristoteles: tum quòd calidissimi, spéque magna viuentes: simplices etiam & credulì, nec multas versutias viderint; cúmque in multis decepti non dum fuerint, induci facilè ac trahi ad amandum possunt. Tum verò aptissimi sunt ad conuictum, cùm & hilares sint, & iucundi, & per totam vitam conuiuere queant, actionésque omnes perfectissimè exercere, quæ in pueris ac senibus sunt imperfectæ. Ambitiosi item sunt & honoris percupidi, amarique honestum videtur ac præstantiæ alicuius signum. Ideò etiam amant, quòd amari sperent, leuique ex causa amare desinunt, si non amari se coniciant. Sunt quoque ad commiserationem faciles, & indignum putant, si amantem non redament. Addit Aristoteles eos maximè amatorios esse, quòd plurima perturbatione ac voluntate viuant, atque ex perturbationis affectu voluptatéque multa amatoriæ affectionis vis oriatur. Denique tenuem habent sanguinem & spiritum, clarum, calidum, & dulcem: initio verò ætatis propter humorem nimium, eáq; mox procedente partibus tenuioribus resolutis, crassior euadit & obscurior. Quomodo autem per oculos emittatur spiritus, qui alliciat & quasi fascinet eum, in quem mittitur, præclarè Marsilius Ficinus exposuit oratione septima in Conuiuium cap. quarto & quinto, eósque vel maximè addit in cap. nono, ad amorem allicere, qui ita sunt sanguinei, vt quadam ex parte cholerici simul sint, & oculos habeant amplos, glaucos, ac nitentes, præsertim si castè viuant, nec Venus claro humorum exhausto succo serenos vultus fædauerit. Habent autem hi maximam vim in crebro ac diuturniore oculorum intuitu.

Amor vero oculis hauritur.

Tum verò ex genere, nobiles ac potentes videntur aptiores. Nam & ambitiosissimi sunt & honoris maximè cupidi, qui aut in amore reperitur, aut ex eo sequitur, laudibus, veneratione, ac similibus: & ideò redamant, vt amentur. Et verò nobilitas ipsa & potestas splendorem habent, & diuinum quidpiam bonum & pulchrum, quod amore sit dignum. Amantur etiam hi, quòd amantium necessitatibus, cùm fuerit opus, subuenire re posse credantur: & cùm ambitiosi sint & honoris cupidi, sperentur ab illis redamatio.

3.

Pulchri quoque, gratiosi, & boni, apti ad amorem sunt: quoniam si amant, sperare redamationem possunt; cùm bonum, pulchrum, & gratia, siue animi, siue corporis, amabilia sint.

4.

Huc verò spectat etiam doctrina, & alia quæuis celebritas & præstantia. Nam & hæc amabilia sunt; & qui ab hisce hominibus amantur, propter nominis celebritatem, quam ab illis tanquam redamationis præmium sperant, facilè redamant.

5.

Præterea qui beneficia in alios contulerunt, amare illos possunt, quòd redamationem ab his sperare queant.

6

Quò etiam spectant obsequia. Amorem enim conciliant & redamationem sperant. Adulatores item non temerè redamationem sperabunt: quia dum amare atque admirari videntur, iucundi sunt & ad amandum alliciunt.

7.

Quamquam alia plura sunt, quæ ad hoc caput pertineant; secretorum communicatio, confidentia, preces, adorationes, & alia quæcumque, quæ grata esse atque amorem conciliare solent, quòd excellentiæ cuiuspiam testimonia esse videantur.

8.

Denique amari iucundum est, quoniam qui amatur, inesse sibi ea putat, quæ sunt amore digna, quæque omnes percupiunt. Ideo facilè redamat; & qui amat, sperare redamationem debet. Hinc amantium suspiria, lachrymæ, & id genus alia; quæ cùm ardentis amoris indicia sint, plurimùm mouent ad redamandum. Ergò qui amant aptissimi ad redamandum sunt.

9.

Cæterùm regio quoque non minimum habet

10.

momenti. Ferè enim illi videntur ad amorem propensiores, qui regionem incolunt temperatam : quod vt perfectiori constant corporis temperatione, sic magis existunt affabiles & moribus cunctis ad conuiuendum aptiores. Viribus etiam ingenij ac prudentiæ præstant cæteris, vt Aristoteles confirmat in problem. primo, sectionis 14. & ante illum Ægyptius Sacerdos apud Platonem in Timæo : quæ vt præstantiam quandam & admirationem habent, sic amorem non parùm conciliant. Quj feruida ad meridiem incolunt loca, nimis sunt interiùs frigidi (quippe natura & loca contrario semper habent modo, vt est in problemate octauo & decimo sexto, sectionis eiusdem) ideóque timidi sunt, effœminati, nigri, exangues, & ad seruiendum potiùs nati : quique frigidiores obtinent partes, calore abundant & sanguine nimio, fortes existunt, animosi, albi. Vtrique tamen efferi, inhumani, parúmq. sociabiles & ad conuictum idonei : quod caloris frigorisque excessio à mediocri temperie recedant, qua potissimum natura delectatur nostra.

Ita obiter dictum est quinam sint ad amandum apti, vt intelligeretur quomodo amor ortus conseruetur & crescat. Quod accrementum Platonici dixere incendium, quòd eo amantis animus incendatur. Incensus autem amatæ rei adhæret atque in eam assidua cogitatione totus transmigrat, suique oblitus in alieno potiùs, quàm in suo, corpore incipit viuere, & ideò in suo moritur, vt in alieno viuat. Si enim esse operatio sequitur; & ibi est ac viuit vnum quodque, vbi operatur, sanè amans in suo corpore moritur dum de illo cogitare atque in illo desinit operari, viuit autem in amatæ rei corpore, dum in eo per cogitationem operatur semper. Propterea tantopere amans redamationem quærit : quia cum in seipso moriatur, vt in alio viuat, redamari peroptat, vt alterius amore & ipse viuat & frui amato possit. Moritur ergo quisquis amat, & de suo corpore migrat in alienum. Quam ob causam amorem Orpheus affectum dulcem & amarum appellauit, & Plato mortem, animámque dixit magis esse vbi amat, quàm vbi animat. Vnde tandem amantis in rem amatam oritur transformatio : quam amantes maximè quærere & optare, vt ex illis fiat vnam, Aristophanes docuit apud Platonem, proposita Vulcani fabella duos amantes interrogantis; Vultisne vt colliquefaciam vos, confundamque in idem, vt ex duobus vnum efficiamini &c. quem locum Aristoteles citans in secundo polit. cap. secundo. Amantes ait propter eximiam cupiditatem applicari simul & ex duobus fieri vnum, & septimo ad Eudem. cap. septimo; Amicos esse vnam Animam, nec absque se mutuo viuere posse, sed commori. Quin & Areopagita Dionysius in lib. de Diuin. Nom. cap. quarto, amorem scripsit esse vnificum, connexiuum, adunatiuum, amatoresque in ea, quæ amant, penitus transferentem, neque amoris excessum sinere amantem sui iuris esse, sed in rem amatam transferre. Vnde Pauli voces illæ ad Galatas scribentis cap. secundo. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus, & illud Seruatoris Christi pro nobis à Patre postulan-

4. amoris adhærentia & impetus.

5. amoris transformatio & perfectio.

tis; sint vnum sicut & nos: sicut tu in me, & ego in te &c. Et sanctus Augustinus lib. octauo de Trinit. cap. 10. Amorem dixit esse vitam duo aliqua copulantem vel copulare appetentem. Propterea etiam vocatur ignis, quod ignis omnia in se transformet. Et Pherecydes ille Pythagoræ Præceptor Iouem prodidit, cùm creare vellet, in amorem se transformasse, vt testantur Proclus in Timæum, & Augustinus Eugubinus lib. septimo de Perenni Philosophia cap. 10. Porrò amantis hæc in re amantem transformatio, aut affectu fit, dum perinde ad illam afficitur vt ad seipsum : aut moribus, actionibus, desideriis, vestibus, cæterisque omnibus vitæ conditionibus, quibus amans amatæ personæ sese accommodat, vt quàm similibus illi sit, eique quantum potest vniatur, ad eique redametur; aut certè quia dum totus est in re amata eiusque semper notionem atque ideam mente versat, ita afficitur, vt illa ipsa esse dicatur; sicut corpus non transeunte, sed permanente, affectum rubore rubeum appellamus. Cùm præsertim intellectus intelligendo fiat omni. Assidua enim solius amatæ rei intellectione totus euadit amata res. Accedit appetitus, cuius ea vis est, vt amantem ad rem amatam trahat. Ita dum ex vna parte intellectus amatum in amantem ex altera appetitus amantem ad amatum trahunt. Perfectissima existit vnio ac transformatio. Nec modo id appetitus affectu facit, sed & operatione quia cùm amor principium sit & radix operationum amantis omnium, quidquid is operatur, propter amatam rem operatur. Ex quibus duo perspicua sunt. Alterum maiorem multo vnionem amoris esse cum re amata, quàm cognitionis cum re cognita, quæ tamen identitas est. Amor namque & cognitionem supponit, & appetitus affectum addit, confirmationem morum, studiorum operationes omnes, vel etiam intentiones cogitationes, quæ solam rem amatam spectant. Alterum; ex hac amoris vnione speciem operationum peti; non modò vt tales sint, vel tales, quod talis ametur res : sed etiam vt bonæ & præclaræ, si bonum quidpiam & præclarum ametur : Contra prauæ ac sordidæ.

In hac igitur transformatione perfectio amoris est. Cui si in amata re par respondeat redamatio, tum demum suauissimus existit amor. Hic ferè inter iuuenes, & corporis temperatione sanguineos reperitur. Nam similis ætas & corporis complexio ad amandum procliuis mutuum amorem creant. Si cholericus amet cholericum, intolerabilis seruitus est. Quia etsi complexionis similitudo amorem faciat mutuum, bilis tamen crebra turbat iracundia. Inter sanguineum & cholericum propter suauissimul & acris humoris permistionem alternatio quædam est iracundiæ & gratiæ, doloris ac voluptatis. At cholerici conditio melior, quòd sanguineus amabilior gratiosiorque. Inter sanguineum & melancholicum firmus est nodus, nec miserrimus. Sanguinis namque dulcedo amaritudinem temperat melancholiæ : melius agitur cum melancholico. At inter cholericum & melancholicum miserrimus omnino amor. Cholera enim ad iracundiam, cædes, & impatientiam, & melancholia ad mœrorem, ac perpetuam

tuam quærimoniam prouocant. Inter iuuenem corpore pulchrum & animo speciosum virum honestus esse potest, vtilis, & iucundus amor. Quippe oculis alter alterius pulchritudine fruitur, alter mente alterius consequitur pulchritudinem: Quiq. solo pulcher est corpore, fit hac consuetudine animo quoque pulcher, & qui solam animi pulchritudinem habet, corporis saltem oculos pulchritudine corporis explet. Et vt maior sit iucunditas viri, in iuuene certè maior existit vtilitas; dum corporis pulchritudinem cum animi pulchritudine commutat. Honesta tamen vtrinque commutatio, sed honestior, vtilior, & iucundior inter iuuenes & corpore & animo pulchros: hicque optimus & perfectissimus amor.

Pulchritudinis & virtutis in amor qualis.

Cùm verò Deus sit omne bonum & summum pulchrum, cuius homo per intellectum & voluntatem capax est, præstat omnibus illius amor, summámq. vnionem & in supremo gradu habet: etsi non nisi in beatis reperiatur perfecta. Quoniam cùm antecedentem cognitionem postulet, ea in illis dumtaxat clara est & perfecta. Ideò tunc planè quiescit animus nec peccare amplius potest, dum Deo summo bono & pulchro, immo bonitati ipsi ac pulchritudini, immobiliter coniungitur.

Amor Dei.

De effectu & signis Amoris.

Vltima propositionis meæ pars amoris effecta pollicebatur & signa. Amorem nobis maximorum bonorum causam esse, argumento illo docuit Phædrus, quod cum duo sint in vita tota cum primis vtilia, in rebus turpibus verecundia, & in honestis gloriæ laudisq. studium, ambo hæc multò magis ex amore, quàm ex alia re vlla consequimur. Amator enim maximè angitur ac pudore suffunditur, si ab amato quidpiam turpe agere deprehendatur: incitatur verò ad præclara, si laudem ab eo speret. Quare tunc optimè actum iri ait cum Ciuitate aut exercitu, cũ partim ex ijs constabunt, qui ament. partim ex ijs, qui amentur. Sanè disputant leges omnes, vt vitatis malis ac turpibus, bona & honesta sectemur: neque id obtinere vnquam potuerunt, solus amor sponte & cum summa iucunditate statim non impetrat modò, sed cumulatè perficit. Namq; Amans amato placere maximè vult: propterea à turpibus abstinet, & honesta, pulchra, bona, & præclara quæq; aggreditur, vt illius amorẽ sibi conciliet.

Amor maximorum bonorum causa.

Dicitur etiam amor artium omnium inuentor esse ac magister eximius: nec solùm quòd nullus artem vllam inuenit vnquam aut didicit, quem inuestigationis voluptas, & inueniendi desiderium non incitaret: atque in artibus quibusq. illi præsertim excellunt, qui & artificia ipsa & homines seu fines, quorũ illa vsibus fiunt, maximè amant. Immò vt Platonicus disseruit Eryximachus, cunctæ artes aut artifices in operib. suis nil aliud, quàm amorem, quærunt; dum humores quatuor in corporibus nostris conciliare atque ad amicitiam adducere conatur medica, & sonos item musica, siue in grauiore harmonia illa, quæ Vraniæ musæ tribuitur, siue in molli & lasciua, cui Polymnia præficitur, similiq. modo artes cæteræ. Verùm etiam quòd admirabiles prorsùs amantium artes sunt atq; industriæ, quib. ad rem amatam contendunt. Nihil enim est, quod non excogitent & aggrediantur. Vt minimè ventus sit Pausanias pronuntiare, tam Deos, quam homines omnem amanti licentiam præstare vel etiam ea faciẽdi, quæ alioqui reprehenderentur. Et Orpheus solertem, bigenium, omnium claues habẽtem, appellauit amorem. Hue quatuor illa quoquo modo spectant, quæ in Conuiuio prædicat Agathon, iustũ eum esse, temperantẽ, fortem, sapientem. Iustus est, quòd amantes iniuria numquam afficiãt amatos: etsi verus sit ac perfectus amor, mutuam habet beneuolentiæ amationisq. ac redamationis vicissitudinem. Est temperans, quod turpes cupiditates domet, solam quærẽs bonitatem ac pulchritudinem, quæ in ordine quodam temperantiáq. consistit, siue spectetur in corpore, siue in animo. Est fortis: tum quia munerib. nullis aut minis nulláq. vi cogi amans potest, ne amet, aut non amãs, vt amet. Tum quia omnia illi parent, omnesque sibi subiectos facit, ipse à nullo superatur. Vnde illud in sacris cantionibus, fortis est vt mors dilectio. Tum & quia nullus audentius vnquam pugnauit, quàm pro amato amans, qui ne mortem quidem veretur. Immò dixit Phœdrus pro alio mori amantes soli eligunt, & infirmissima videas animalia amore solo armata contra fortissima quæq. pro eo, quod amant, pugnare. Deniq. sapiens est, quòd artes omnes inuenit, omniáq. tam in cœlo, quàm in terra, disponit; Prudentem facit ad prouidendum, acutum ad disserendum, facundum ad eloquẽdum, ad res gerendas magnanimum, ad iocos facetũ, ad ludos promptum, ad seria quæq. strenuum. Quòd si mutuus fuerit, securitatẽ adfert & tranquillitatem. Vbi enim mutuus amor, insidiæ nullæ, sed communia omnia: cessantq. lites, homicidia, prælia, quærimoniæ, dum concordiam, dissensione omni submota, cõciliat amor, pulsáq; miseria, fælicitatẽ præstat, nec humanam modò, sed & diuinam liuor quippe omnis, inquit in Phœdro Plato, abest à diuino Choro.

Amorem esse iustũ. *Temperantem.* *Fortem.* *Sapientẽ* *Tranquillum.*

Nam cùm omnium iucundissimum amanti sit re amata potiri, quilibet in eo potiundo, quod amat, contẽtus plenúsq. viuit: fitq; amoris beneficio, vt in diuersis fœlicitatis gradibus portione sua quisq. sine vlla inuidia contentus sit. Quin etiam absq. satietate. Quippe vt in cibo & potu tam diu oblectatio, quàm diu fames & sitis, permanet, sic etiã euenit in amore, quem auiditatem quamdam, famem & sitim boni & pulchri, esse cõstat. Vt immeritò iam criminata Diotima sit, amorem nec sapientem esse nec insipientẽ, sed in sapientiæ atque insciticæ medio collocatum. Verius illud, eum macilentum esse & squallidum. Etenim pallor & squallor ex sãguinei caloris defectu oriuntur vbiq. Amantisq. animus dum in assidua de amato cogitatione versatur minùs perfectè cibum coquit, maiorq. illius pars superflua eijcitur, minor, & quidem adhuc cruda, trahitur ad iecur; Vbi cùm nec dum perfectè satis elaboretur, paucus nec optimus sãguis per venas funditur: Ita inopia & cruditate alimenti extenuantur mẽbra & pallent. Altera eius rei causa est, quòd spiritus, qui vehiculum animæ & instrumentum singulare existit, ad amati imaginem phantasiæ semper obuersantem continẽter aduolat ibiq; resoluitur: Quare ad eum reficiendũ frequentissimo opus est purissimi sanguinis fomite: puriore autem ac lucidiore sanguine resoluto, maculosus, crassus, & ater membrorum nutritioni relinquitur. Ita siccatur corpus & squallet, euaditq; amans melancholicus, ex crasso scilicet illo & atro sanguine melancholia genita: quæ dũ suis vaporib. caput opplet, siccat cerebrum, tetrisq. atq; horrendis imaginibus sollicitat animã. Tertia fuerit, quod propter amoris vehementiam calor inferiores & exteriores partes deserit atq; ascendit ad cerebrum, vbi est amatæ rei imago. Quò fit, vt quamuis amor dum in bonum & pulchrum tendit non possit ex se nisi perficere, ex

Macilentum & squallidũ *Melancholicum*

accidenti tamen malorum & grauium morborum corpori causa sit: vt illius, quem Galenus ἔρωτα, Auicenna Hilischim, vulgato nomine cupidinem eum morbum, appellant, atque ex sanguinis nascitur contagione, & ideo alterna caret requie. Quippe continua febris viget in sanguine, quæ autem ex intermittit horas, in pituita, quæ diem vnum, in bili, quæ duos, in melancholia. Adfert etiam deliria interdum & insaniam, nimio calore & spiritu replente, siccante, ac perturbante cerebrum. Quòd aut adusto sanguine, aut adusta bili, aut demum atra bili, cerebrum nimis occupante euenit. Hæ enim tres præcipuæ sunt dementiæ species & causæ. Sed qui adusto vexantur sanguine (quod rarius est) effusos prorumpunt in risus, cantu gestiunt, tripudio exultant, mira de se pollicentur, & præter omnium consuetudinē iactitant sese: quia adustam habent bilim, facilè irascuntur vel etiam à nemine lacessiti, altè vociferantur, in obuios irruunt, seipsos & alios cædunt. Quòd si bili præmantur atra (quod ferè accidit) mœrent perpetuò, & somnia etiam sibi fingunt, quæ vel expauescant præsentia, vel futura formident. At si humores illi detineātur in corde, angustiam & sollicitudinem faciunt. Idcircò sonis, modulationib. cantilenisque amatoriis, in laudem præsertim amatæ rei, delectantur amantes, leuamen ac medicinam mœrori suo quærentes. Hinc etiam suspiria crebra, gemitus, dimidiatæ voces, lamentationes, lachrymæ, singultus, & id genus alia: quæ tum animi miseriam promendam ac leuandam spectant; tum ad significandum atque aperiendum amati amorem suum commiserationémq. commouendam. Dum enim calor ad superiores ascendit partes, ibiq; anima occupatur, desituuntur & coarctantur inferiores: dúmq. de amato attetè cogitat, cohibetur respiratio: Inde suspiria, dum post maiore impetu respiratur vberiùs. Lachrimarum verò causa est, quòd compresso cerebro ex oculis fluat humor. Hinc etiam totius corporis languor & quasi deffectus amantis: de quo illud est in

» sacris cantionibus; Fulcite me floribus, stipate me
» malis, quia amore langueo. Etenim dum amantis animus ac virtus tota in rem amatam tendit, exteriores deseruntur partes, vniuersúmque corpus languet & concidit. Negligit etiam amans seipsum ac cætera omnia, dum solam rem amatam cogitat: Et qui in cæteris omnib. incuriosus est & iners, in amatoriis tantùm rebus fit sollicitus, astutus, & callidus. Infœlicē se putat, si quid aliud, quàm rem amatam, cogitet: neminem autem se fœliciorem, si qua ratione, vel solo aspectu, potiri ea contigerit, illive gratum quidpiam fecerit. Toto præter oculos aret & squallet corpore. Oculi verò profundi quidem sunt, sed graues, crassis & magnis palpebris propter insomneitatem & lachrymas; palpebræ continenter mouentur, vultus figura sine ordine atq; variabilis, actiones omnes læsæ: neque enim est sui compos. Sperat facile ac desperat, lætatur, tristatur, gaudet, dolet, ridet, flet, vt varia de re amata subierit cogitatio. Cùm suspirat, attollit suspiria, ob vehementem cogitationem & affectum animi. Quæcumq. amati sunt amat, honorib. extollit & laudibus: quæ illi aduersantur odit: quæ amatus vult, & ipse vult, quæ illi displicent, abhorret: consilia omnia ad eius nutum promptè mutat: sibi ipsi, vt amato morem gerat, aduersatur. Atque vt cogitare, sic loqui nil aliud, quàm amatum, nouit. At illius aspectum maximè timet: non quòd non eo summopere non delectetur, sed quòd vel in eo aliquid mali, aut certè non tantopere vt ipse vellet beneuolum sibi veretur, vel quòd ob excellentiam eum putat reuerentiam omni ac veneratione dignum, & verò formidabilem. Fit etiam, vt eo præsente caleat & frigeat: friget, tum ob timorem, tum quia præ nimio amore cor calore proprio destituitur: calet autem, quòd amatæ rei pulchritudinis fulgore amorisque vehementia sanguis & exteriora membra accenduntur. Immò quod magis mireris, amatum simul amat & odit: odit, vt furem & homicidā sui, cogitur autem amare propter fulgorem & pulchritudinem. Ita angitur simul & delectatur, amare nollet & amare, non amare, quia mori nollet, amare autē, quia dignum amore putat. Rapi tamen & occidi se patitur, vt captus redimatur occisusq; reuiuiscat. Maxima omnino & incredibilis est amoris vis: quæ & summam illam vnionem efficit de qua antea dictum est, aut vnionis certè desiderii. Vnde amplexus, oscula, & similia. Quin etiam mutua quædam immoratio & inhæsio: quam S. Ioannes de amore diuino loquens significauit in epist. prima cap. 4. vbi dixit. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Nam & quo ad apprehensionem amatum est in amante, dum semper de illo cogitat, & vicissim amās in amato, dum vel in amore mutuo hic quoque de illo cogitat, vel si mutuus non sit, ita de amato cogitat, vt singula, quæ ad illum spectant, diligentissimè & intimè disquirit & quasi interiora illius ingreditur: & quoad appetitum amans complacet sibi in amato, & ad eum per desideriū tendit, vel etiam eo præsente fruitur, bonáve & mala illius ducit esse sua: & amatus eodem modo est in amante, si reciprocus sit amor, vel certè dum intimè per affectum amanti coniungitur.

Est etiam tanta interdum amoris vis, vt patiantur amantes ecstasim, & diuinum amorem S. Dionysius dixit ecstasim facere, Deúmq. ipsum propter amorē ecstasim passum esse. Est autē ecstasis animi suspēsio supra naturam, seu excessus quidam mentis & phantasiæ, qua ab alia quauis re distractus, immotus, & sine sensu redditur. Quod & viris sanctis ex diuino amore atque attenta mentis contemplatione sæpissimè accidit, & melancholicis etiam interdum ob vehementem imaginationem. Amantibus verò ex magna intentione in rem amatam: quæ sæpè tanta est, vt amatæ rei phantasma perinde moueat ac si oculis præsens cerneretur. Quare dum eam se illi videre putant, obstupescunt & extra se fiunt, tum apprehensione, dum id se videre putant, quod non vident: tum appetitu, dum in rem amatā rapiuntur, egressi quodam modo extra seipsos. Quæ egressio absolutè est in amore amicitiæ, qui in amantē fertur propter ipsum tanquā ab amante diuersum: quoquo modo autem in amore concupiscentiæ, quatenus amans aliquod quidem bonum extra se quærit, sed tamen vt sibi habeat: Ideòq. non exit absolute extra se, quia sibi quærit id, ad quod exit.

Postremò ex amore perturbationes omnes oriuntur, præsertim ira & mālsuetudo, timor & fiducia, cōmiseratio & indignatio, spes & desperatio, voluptas & dolor, verecūdia & inuerecūdia, zelus & zelotypia, eiusq. contrariū. Vnde S. Dionysius Deū affirmauit in sacris literis appellari zelotē, vt vehementē ad ea, quæ sunt, clementer amanda. Est autē proprie zelus sollicitudo quædam de re amata, ad mala omnia ab ea repellenda. Zelotypia verò timoris plenam illam amantis suspicionem significat, qua veretur ne res amata alterius occupetur amore alterive adsit: non enim vult illam habere cum quoquā communem,

vt ea

Cupiditatis morbus.
Amantium deliria & insania.
Demētiæ species & causæ.
Cordis angustiā
Suspiria & lachrymæ.
Corporis languor.
Neglectus sui & aliorū omnium.
Corporis squallor.
Inconstātia & mutabilitas est.
Timor & reuerentia.
Amoris vis & immensa.
Amor ecstasis.
Passiones in amore

vt ea ipse perfectè fruatur. Vnde zelotypia propriè amoris tantùm est concupiscentiæ, zelus amicitiæ quoque: etsi alios aliter sensisse non ignoro.

Cæterum de amore satis ac nimis fortasse multa. Iam de quatuor illis generalibus perturbationibus dicam, quæ in superioribus positæ sunt, ex quibus particulares cæteræ facilè intelligentur.

De desiderio seu cupiditate boni.

Primum autem de perturbationibus dicam, quæ circa rem absentem versantur. Ergò si res cognita atque appetitui placens sit absens, obtinendæ illius desiderium oritur, ceu animæ motus ex complacentia illa profectus, quam amorem esse dixi: quo motu bonum illud prosequimur, quod non habemus, aut certè minùs benè ac perfectè habemus. Ideò dilatatur cor, vt omni ex parte amplectatur eóque fruatur: diffunditúrque sanguis & spiritus, quibus ad prosecutionem facultatibus cunctis ac membris addatur virtus. Ita duæ sunt præcipuæ desiderij causæ, altera obiectum cognitū vt bonum, sed absens, siue reipsa, siue appræhensione. Interdum enim præsentia quoque & quæ possidemus, ineptè desideramus, quod ea nobis non adesse putemus. Altera amor & complacentia illius. Ideò enim desideramus. Quòd si non placeret, timor potiùs, ne aliquando adesset, commoueretur: Tantóque maius est desiderium; quanto aut maius bonum, aut magis placet & amatur. Hinc tam diuersa hominum & verò animalium cæterorum desideria; vt diuersi existunt amores, aliáque & alia singulis obiecta placent. Ferè tamen Iuuenes faciliùs atque ardentiùs desiderant; quia facilius & ardentiùs amant, vigéntque spiritibus. Calidorum acuta sunt & ardentia desideria; quòd ea statim explere vellent: ideò impatientes moræ & inquieti, quousque assequantur quod optant. Contra frigidi segnes ac tardi; sed perticaces, quia patientes. Audaces facilè ac vehementer desiderant, tum quia calidi, tum quia consequi se omnia posse putant. Timidorum, mulierum, senum, ac puerorum, plurima quidem desideria, propter defectum scilicet & imperfectionem naturæ qua & se plurimis indigere sentiunt, & ne omnia sibi desint verentur: sed imperfecta & leuia, tum propter sanguinis & caloris inopiam, tum quia facilè animo cadunt & desperant.

At quoniam absentis boni, est desiderium, sunt qui futurorum dumtaxat bonorum esse velint alij præteritorum solùm, quæ tamen adfuerint aliquando, sicut post pugnam desiderari milites dicimus, qui occubuerunt. Ego vtrorumque arbitror esse. Nam experitur in se quisque, tum ea, quæ cognoscuntur esse bona nec habita vnquàm fuerunt, desiderari, tum ea item, quibus priuati fuerimus, rursum optari. Quodlibet siquidem bonum & nobis conueniens appetitum mouere ad desiderandū potest: atque accidentarium est, vt præteritum sit vel futurum, neque desideratur vt futurum aut præteritum, sed vt bonum conueniens appetitui placens. Quare vt aliis atque aliis alia atque alia conueniunt; sic alia atque alia exoriuntur desideria: & Aristoteles in tertio moralium lib. cap. 11. exemplo vsus est alimenti atque ciborum appetitionis, quæ in singulis diuersa est, quòd non idem omnibus, sed diuersi diuersis conueniant cibi. Verum vt appetitio cibi nunquam nisi ipsius sumptione sedatur, nec leue aut graue corpus quiescit vnquam, nisi ad superum aut inferum locum peruenerit: sic neque hæc hominum aut animalium desideria, nisi desiderati boni consecutione, cessant. Quamquam homini, vt est in extremo eodem libro, data est ratio velut pueris pædagogus. Quippe, inquit ille, & ex cupiditate viuunt pueri, & maximè in illis voluptatis viget appetitio. Quæ nisi obedierit & imperanti subdita fuerit, longè latéque efferetur. Insatiabilis siquidem iucundarum rerum appetitio est, & stulto vndecumque occurrit: Etsi magnæ vehementésque cupiditates fuerint, rationem extrudunt. Ita conficit mediocres esse oportere & paucas rationique minimè aduersantes. Sicut enim puerum ad Pædagogi præceptum viuere oportet, ita & concupiscentem animę facultatem rationis imperio obtemperare.

Verùm enim verò cùm desiderium ex amore boni proficiscatur, vt amor est duplex, alter sentientis appetitus, alter rationalis voluntatis, triplexque bonum, iucundum, vtile, honestum: ita duplex desiderium existit, alterum sensus quod cupiditatis seu concupiscentia dicitur, alterum voluntatis quod solum retinet desiderij nomen. Illud circa iucundum vt finem, & vtile vt medium (hæc enim duo bonorum genera percipit sensus:) hoc circa honestum, quod ratione cognoscitur. Ita nimirum Aristoteles in primo libro de arte dicendi cap. decimo, cupiditatem circa iucunda & vtilia posuit, eamque in capite vndecimo definiuit, iucundi appetitionem esse: non quòd sola iucunda quærat, sed vel quòd ea sunt finis & propter se quæruntur, vtilia verò non nisi propter illa, vel quòd de illis solis tunc ageret, déque vtilibus egisset antea.

Porrò tum ex eo loco, tum ex tertio moralium capite vndecimo duo dicimus esse cupiditatum genera, quasdam naturales & communes, quas irrationales vocat. Hæ instigante natura absque vlla rationis cognitione ac persuasione oriuntur, tam in homine, quàm in mutis, vt appetitio cibi potúsque ac similium: alias non naturales, sed hominis proprias & rationales, quæ appræhensionem quampiam rationisque cognitionem sequuntur, præter id quòd natura requirit: quam ob causam in tertio moralium appositiuæ vocantur, & in primo de arte dicendi, rationales, quæque persuasionis comites accedant, vbi aliquid cupimus persuasi. Naturales cupiditates nec sunt nec possunt esse infinitæ. Quoniam natura tantum abest vt infinitum quærat, vt ab eo maximè abhorreat, finitúmque ac determinatum sibique conueniens appetat, & paucis contenta quiescat. Nec animal cibum appetit infinitum, sed quo sedetur fames, finitóque satiatur. Nisi fortasse appetitionem hanc infinitam dicas successione illa, qua cibo vno vorato & consumpto appetitur alius: quo modo quantitas quoque partibilis in infinitum dicitur, quòd qualibet diuisione facta diuidi rursum potest, etsi quantitates omnes, quę diuiduntur, finitæ actu sint. Sed hoc interest, quòd in quantitate nullus est vnquam diuidendi finis, vbi verò appetentia aliquando cessat, quia naturalis virtus omnibus horis fit minor, tandémque extinguitur & interit animal. At non naturales & hominis proprię cupiditates

Desiderium quod.

Desiderij causa.

Qui magis desiderent.

Desiderio tum futurorū, tum præteritorū esse.

Desideriorum varietas.

Desiderium & cupiditas vt differant.

Cupiditatum duo genera.

Cupiditates an infinitæ.

dum rationẽ ſequuntur, infinitæ poſſunt eſſe. Ratio namq; infinitã habet capacitatem, ſempérq. voluntas poteſt magis ac magis appetere. Accedit, quòd ſenſus nec cognitionem nec appetitum habet finis formaliter, ſed ſolũ materialiter. At & ratio cognoſcit, & volontas appetit finem formaliter: finiſq. appetitio quoquo modo eſt infinita, quia quam maximè appetitur, neq; ab vllo alio determinatur, ſicut mediorũ appetitio determinatur à fine, propter quem appetuntur. Quam ob cauſam in primo Polit. lib. cap. 6. eos, qui propter vitæ neceſſitatem diuitias expetunt, finitas expetere dixit Philoſophus: finitæ namq; ſufficiunt. At eos, qui in diuitiis finem ſuum ponunt, in infinitum expetere, quoniam quàm maximè expetunt. Midæq; fabellam adfert, cui propter deſiderij inſatiabilitatem quidquid apponebatur fiebat aurum. Neque de deſiderio à nobis plura hic locus deſiderat.

De ſpe & deſperatione: Audacia, & ignauia.

Ad deſiderium reuocare ſpem placet. Nam etſi S. Thom. prima ſecundæ quæſt. 40. diuerſam prorſus velit eſſe perturbationem: tum quòd altera in concupiſcente vigeat appetitu, altera in iraſcente: tum quòd obiectum deſiderij eſt bonum ſolum abſens, ſpei verò bonum arduum, quod obtineri poſſit & deſperationis bonum arduum, quod nequeas adipiſci. Parùm tamen firmis nititur fundamẽtis. Neq; enim appetitus illi, neque bonum arduum & non arduum, eſſentia diſtinguuntur, vt eſt in ſuperioribus demonſtratum: & abſente bono propoſito, ſi conſequi te poſſe credas, & appetitus illi per deſiderium adhæreat, etſi non ſit arduum, excitatur illicò ſpes. Immò verò quò minùs arduum fuerit & adeptio facilior, maior eſt ſpes: atque ex nimia difficultate incidit oppoſita ſpei deſperatio: quaſi eſſe arduum aduerſetur potiùs ſpei aut vim certè illius minuat, quàm naturam conſtituat.

Spem ad deſiderium & appetitum cõ cupiſcentem ſpectare.

Spectat igitur ſpes ad deſideriũ, quia circa bonum abſens verſatur. Vnde Ariſtotelis illud in lib. de memoria & rem. cap. 1. & 2. de arte dicendi cap. 11. & 2. cap. 12. ſenſus preſẽtis eſt, facti memoria, futuri ſpes. Atque in eod. 2. lib. cap. 5. ſpem definiuit eſſe perturbationem cum imaginatione rerum ſalutarium, quę propè adſint, cum terribilia vel non ſint, vel longè abſint. Quocirca neque illud fuerit verum, eam eſſe in appetitu iraſcente, ſed quærenda potiùs in concupiſcente, qui deſiderij ſedes eſt ac domicilium. Et pulchrè Ariſt. idem in prob. 1. ſect. 30. Ebrios atque adoleſcentes ſperare multũ dixit, Senes verò parùm. Illi namq; prompti ad amandum ſunt & deſiderandum, neque difficultates peruident, & ea quæ adeptionem impedire poſſent: ſiue id ex inexperiẽtia & exiguo aut nullo rerũ vſu proueniat: ſiue ex turbata ratione, quę ratiocinãdo nequeat ſingula peruidere. Nam propterea ſtulti omnes & qui deliberatione non vtuntur, tentãt omnia & aggrediuntur. Sperant etiam vtrique, Adoleſcentes & Ebrij, propter audaciam & calorem, quo pleni ſunt; Illi propter ætatem, hi propter vinum. At Senes tum propter multi temporis experientiam rerúmq. plurimarum vſum, plurimas vident difficultates: tum propter ætatẽ frigidi ſunt. Aliam in ſecundo de arte dicendi cap. 12. & 13. reperies huius rei cauſam. Etenim cùm ſpes ſit futuri & memoria præteriti; Adoleſcentib. futurum multum eſt, præteritum breue, contrà ſenibus præteritũ multum, futurũ breue, propterea paucorum recordari poſſunt adoleſcẽtes, ſperare cuncta. Senes memoria magis viuunt, quàm ſpe. Interdum tamen experientia ſpem adfert: ſiue quòd expertus norit omnia, quæ ad rei propoſitæ aſſequutionẽ neceſſaria ſibi ſunt: ſiue quòd ſæpè aſſequendo didicit rem eſſe poſſibilem ſéq; aſſequi eam poſſe: Ita in tertio moralium lib. cap. 6. Nautæ dicuntur ob nauigandi plurimam experientiam ſperare ſalutem: & cap. 8. eos benè ſperare atque in periculis confidere, qui ſæpè multos vicerunt.

Qui maximè ſperant.

Sed enim duplicem antea amorem fecimus duplexque deſiderium, duplex igitur erit quoque ſpes ex illis perfecta. Quamquã hæc tantopere colligata ſunt, vt principio quidem ſpes ex amore ac deſiderio oriatur, at orta tum amorẽ augeat, tam deſiderium. Vt enim non ſperamus niſi amatum & deſideratum bonum; ita ſperatum bonum amamus magis atque ardentiùs deſideramus. Eſt inquã duplex ſpes, altera in appetitu ſentiente, quæ propriè perturbatio eſt, de qua nunc loquimur: Altera in rationali voluntate, quæ dum circa Deum immediatè verſatur, conſtituitur à noſtris Theologis vna ex illis tribus virtutibus, quas Theologicas nominant. Spem eam, quæ appetitus ſentiẽtis eſt haud eſſe hominis propriam, ſed cum beſtiis communem, quidquid Themiſtius dicat in 3. lib. de anima cap. 38. certum eſt: tum quia appetitus ille, amor, & deſiderium, ex quibus oritur ſpes, in illis quoque reperiuntur: tum quia non minùs illæ tendunt in bonum abſens, quòd ſe illud conſequi poſſe putant. Contrà ſi canis leporem aut accipiter auem diſtantem nimis viderint, ad proſequendum non mouentur, quòd aſſequi ſe poſſe non putent. Hoc verò quid aliud eſt, quàm ſpes aut deſperatio? apprehenſione namque poſſibilis vel impoſſibilis boni ſequitur naturaliter ſpes aut deſperatio, animalibus inſitæ à natura, velut non cognoſcentibus rebus naturalis propenſio, vt poſſibile bonum ſtudioſè ac ſedulò proſequantur, nec circa impoſſibile fruſtra laborent: Idémque ferè progreſſus & ordo in beſtiarum operationib. obſeruatur, qui cernitur in humanis, quas conſtat ſpe ſuſtentari ac dirigi: Deniq. quàm certum eſt in homine præter ſpem voluntatis aliam eſſe, quæ ſentientis appetitus perturbatio exiſtat circa materiale bonum acincundum, tam certum eſſe debet in beſtiis quoque poſteriorem hanc ineſſe. Plurimum enim iuuat & promouet actiones omnes agentique animum ac vires addit: tum quia dilatat cor & ſpiritum calorémque diffundit: tum propter voluptatem ac delectationem, quam comitem habet, futuræque ex adepto bono voluptatis opinionem. Sicut contrà deſperatio ſummopere obeſt & impedit: tum propter cordis contractionem; Vnde membra omnia deſperantibus concidunt: tum propter mœrorem operationíſque iniucunditatem, qua ſe abſque vllo fructu laboraturum putat.

Iam verò ex ſpe audaciam naſci & confidentiam atque ex deſperatione contrariam illius ignauiam res ipſa teſtatur: Confirmauitq. Philoſophus vbi Nautas dixit audere in mari & confidere ob ſpem; ac rurſum, confidere hominis eſſe benè ſperantis, eoſque, qui benè ſperant, confidere in periculis. Qui enim cõſequi ſe poſſe ſperat optatum bonũ aut difficultatem in eo conſequendo ſuperare, audaciter illud inſequitur. Ideò audaces affirmauit eſſe præcipites velléq. ante ipſa pericula periclitari: quoniam ſperant omnia ſe quantumuis magna ſuperare poſſe.

Quò fit,

Quo fit, vt in ipsis constituti periculis absistant interdum & recedant, quòd maiora, quàm opinati fuissent, inueniant viresque suas impares experiantur. Audaciæ opponitur ignauia desperationis proles. Vnde ignauum dixit Philosophus desperabundum quendam esse. Nam qui bonum consequi aut difficultates superare se posse desperat, illicò cadit animo, nec aggreditur quidquam nec tentat: quin difficultatem potiùs refugit. Hunc que ignauum dicere consueuimus.

De confidentia.

Inter audaciam igitur & ignauiam, velut extrema vitiosa, media consistit confidentia, fortitudinis propria, bonæque ac moderatæ spei comes. Ita qui nimium ac temerè sperat, audax est, qui nihil, ignauus, confidens & fortis in medio versatur, & ea, quæ speranda sunt, cum ratione sperat, quæque desperanda, desperat. Ergò quæcumq. spem augere solent, vt inexperientia, vel experientia & vsus rerum, corporis ruborem amicorum & pecuniarum multitudo, & alia his similia, audaciam item maiorem faciunt aut certè confidentiam. Maximè vbi homo de diuino confidat auxilio, & vt in secundo de arte dicendi habet Aristoteles, si in Deum sit pius, támque ad cætera, quæ attribuuntur Deo, quam ad omnia benè se habeat. Vnde vox illa Pauli; Omnia possum in eo qui me confortat. Sic enim demum omnia sperare licet. Contrà verò desperant meritò & sunt ignaui, quicumque his priuati sunt: quæque desperatione, eadem ignauiam item inducunt. Sed Aristoteles in 3. lib. de partibus anim. cap. 4. animalia ea, quæ parum habent cor, audaciora fidentioráque scripsit esse; Timida, quæ magnum. Ideò lepores, ceruos, & alia quædam, timida esse, quod magnum cor habeant corporis sui proportione, neque calorem cordi conuenientem. Quippè faciliùs calescit paruum, quàm magnum cor, sicut parua domus, quàm magna. Eamdem ob causam quibus pulmones multo pleni sunt sanguine, & ideo calidi, ij fortes esse dicuntur: timidi, quibus exangues. Eadem etiam est causa, cur Iuuenes sint audaces; calidi namque, multa spe viuentes, robusti, & alijs huiusmodi rebus ornati. Minimè verò Senes ac fœminæ, propter contrarium scilicet affectum & conditionem oppositam. Ebrij quoque & amentes audaces sunt: illi quidem propter calorem vini, ambo autem quod difficultates & pericula non cognoscant. Sed quòd Aristoteles addidit in secundo de arte dicendi cap. quinto tum experientiam, tum inexperientiam audaciam adferre; magnopere confirmabit id, quod non multò antea dixi, spem quoque ex vtraque nasci. Propterea enim audacia nascitur, quod spem hæc sequatur. Nam qui pericula plurima experti sunt & euaserunt, euasuros se omnia sperant. Qui vero experti nunquàm sunt, nihil mali suspicantur. Denique ira confidentem & audacem facit. Ira siquidem vt est in tertio de moribus cap. 8. maximè est ad pericula subeunda perrectrix ac præcipitatrix. Tum quia iracundi calidi sunt & fortes, iraque commota funditur per totum corpus sanguis & spiritus, viresque crescunt. Tum quia ratione turbata non præuidentur difficultates ac pericula. Ac demum ira incitat ad vltionem animúmque ad superandas difficultates addit.

Animalia quæ audacia vel timida.

A

B

C

D

E

De timore mali.

Timor quid.

Quid autem timor sit, exponet tum Aristotelis illud in tertio moralium cap. sexto timorem esse expectationem mali. Quam definitionem velut communem & peruulgatam adfert. Tum vero maximè alterum illud in secundo de arte dicendi cap. quinto sit ergo timor ex imaginatione futuri mali corrumpentis ac dolorem inferentis perturbatio quædam aut tristitia. Non enim cuncta timemus mala, sed quæcumque vel tristitias magnas vel corruptiones adducunt: & ea, quæ non longè absunt, sed propè videntur vt iam impendeant. Ex quibus verbis intelligas timoris obiectum esse imminens malum vt ad futurum, quodque vix vitari posse videatur. Omnia enim ea timentur, quæcumque adferre huiusmodi mala posse putantur: vt potentium virorum ira & inimicitia, iniustitia vires habens, virtus contumeliis affecta viresque habens, conscij se perperam feciſse aliquid, potentes iniuriis afficere, quique iniuriam passi sunt aut pati se putant, immo & qui iniuriam intulerunt. Hi enim timentes ne contra referatur, inferre pergunt. Item qui de ijsdem certant: nam semper pugnant, & qui à maioribus, multo magis à minoribus timentur: Quoniam his faciliùs obesse possunt. Et iniuria vero affectis, inimicis, & aduersarijs tranquilli, dissimulatores, & versuti, timentur magis, quàm ij, qui auctæ sunt iræ ac minaces. Omnia tandem ea timentur, quæ miserabilia videntur: præsertim si, cùm euenerint, vel omnino vel facilè corrigi & emendari non possint.

Quæ timeantur.

Timoris & tristitiæ differentia, & obiectum.

Ergò timoris obiectum absolutè malum est imminens: circa malum enim & timor & tristitia versantur, sed timendum malum imminens est & futurum, tristitiæ præsens. Ideò tristitia consilium abigit, at in timore satagit anima & consilium quærit, quo imminens auertat malum. Et Aristoteles timorem dixit ad consulendum inducere: indéque colligit cum timore coniunctam semper esse spem, quæ ad quærenda incitet media, quibus malum, quod timetur, auerti queat. Propterea qui se grauia quæq. perpessos esse opinantur, nihil timent, quoniam illorum spes extincta penitus est: veluti qui iam in supplicio sunt: spe namque extincta, malum iam præsens apprehendunt, consternantúrque animo ac tristantur potiùs, quàm timeant. Hinc etiam minùs timent illi, qui consilium capiunt aduersus imminens malum: sperant enim se fortasse auertere posse. Subita verò & improuisa timentur maximè: tum quòd nesciat anima quid ea sint, & aliquid veretur mali: ideò amici quoque repentè adorientes timentur: tum quòd angitur maximè, satagit, & confunditur; cùm tàm citò nequeat inuenire consilium & in quibusdam angitur plurimùm; quòd ignoret quænam cum illis coniuncta sint aut sub illis lateant, bonaúe an mala; latensque aliquod malum imminens suspicatur. Quam ob causam improuisa quæque vel etiam lapilli casus, nox,

solitudo, mare, præcipitiorum bellique imago, timentur; Quoniam in his omnibus veremur aliquid, quod obesse possit; moxque assuefacti nil timemus, quasi nil subesse mali deprehenderimus. Itaque quò vel magis fuerint repentina & ignota, vel maiora mala, timorem maiorem incutient. Quò etiam fuerint propinquiora. Etenim mors, etsi malorum omnium horribilis maximè, vt Philosophus dixit, minimè tamen à plerisque ac præsertim iuuenibus timetur, quòd imminere illam non putent, vt in secundo de arte dicendi idem ipse Philosophus loquitur. Augent porrò timorem ea, quæ vix remoueri posse videntur: tum quia maiora putantur: tum quia maximè satagit anima inopsque consilij angitur: etsi omnino non videt se auertere posse, in extremam tristitiam definit. Itaque nec dum timor pessima est omnium perturbatio. Nam consilium admittit, neque illi prorsus succumbit anima, sed conatur auertere. Peior multo tristitia, quæ consilium abijcit maloque succumbit.

Qui timeant. Hinc magis timent inexperti, vt pueri & mulieres. Magis quippè & anguntur, neque consilium inueniunt, maioráque mala suspicantur coniuncta & latentia, quàm expertus reipsa deprehenderit. Sed & mulieribus frigida est corporis temperatio: atque, vt calor audacem, sic frigus timidum facit, frigidioráque animalia quæque sunt item timidiora. Et Aristoteles in 2. comment. commemorato lib. cap. 10. iuuenis calidos audaces esse scripsit, senesque frigidos timidos: timor enim frigiditas quædam est. Nam cùm in timore cor maximè laboret, vt palpitatio testatur, concitatúsq. pulsus, sanguis, spiritus, & calor ad illius membri deffensionem, quod eorum totiúsque animalis vitæ fons est & principium, vndique colliguntur. Ita enim natura comparatum est, vt virtus vna quæque, si oppugnetur ac periclitetur, contrahat sese atque ad sui conseruationem colligat. Fit autem contractio & collectio ab exterioribus ad interiora, atque à superioribus ad inferiora, potiùs quàm contrà; quia cor & principium illud & fons intus est, atque in medio animalis positum. Cúmque in senibus perexiguus contineatur sanguis, spiritus, & calor, facilè totus colligitur friguſq. in vniuerso corpore ac timore augetur.

Iam verò ex hac contractione intelligetur per multorum causa, quæ in timentibus obseruamus, atque ab Aristotele ferè tractantur in 27. sectione problematum. Primum est, cur timentes frigeant, palleant, tremant, seu trepident. Est autem tremor motus in contrarias partes, trepidantque qui ita mouentur, vt consistere prorsus nequeant. Etenim deficit calor atque ab exterioribus ad interiora recedit, atque ad cordis imum refugit. In ira verò seu excandescentia, etsi calor interiora quoque petat, quia tamen non ad eundem recedit locum, sed ad cordis potiùs suprema, vt iterum repellatur, cor calore circumfusum feruet, sursúmque ad vltionem effert se calor, & fidibundus, rubicundus, ac spirabundus efficitur homo. Alterum, cur metuentibus manus præsertim & inferius labium tremant; vóxque aut tremat aut penitus adimatur. Vox quidem aut tremit aut deficit, quia deficit calor in pectore ac superioribus partibus, quæ vocem mouere debent. Eandem ob causam tremunt & manus, quod multum à corde distent, pendeántque ex pectore, quod calore destituitur. Sunt quoque manus & inferius labium magis mobiles partes, & cùm minimè sint sanguineæ, refrigerantur facilè. Labium autem inferius potius quàm superius: Tum quia magis mobile: tum quia superius inde pendet, quò suapte natura vergit; inferius autem caloris duntaxat beneficio sursum stabilitur & quiescit: sublato inalgescit ac tremit: idem propemodum tandem ob causam in ira euenit & excandescentia; quòd calor sese ad cor recipiat. Tertium, cur timentes sitiant interdum, vt qui adituri tormenta sunt, milites ex prælio fugientes, quique indicendo conturbantur, vt neque possint expuere. Calor quippè ex sanguis partes deserunt exteriores, atque ad interiores contracti magis inflammant & siccant, roridum humidum absumendo, quo absumptó sitiunt: nam sitis appetitus est humidi & frigidi. Quartum, cur timentibus fundantur alui & prouocetur vrina. Calor namque ad ima descendens diffundit, liquefacit, dilatat, ac vias omnes aperit. Anethum etiam, absynthium, & quæcumque vrinam mouent, calida sunt, medicamentáque aluo accommodata calorem habent. Vt enim contrahit frigus & cogit, sic dilatat calor & aperit. Ita metuentibus exteriores contrahuntur partes, interiores soluuntur.

Cæterum timoris species à S. Ioann. Damasceno lib. secundo de fide cap. 15. & Nemesio lib. quarto philosophiæ cap. 14. & S. Thom. prima secundæ, quæstione 41. Feréque à Theologis & aliis numerantur sex, segnities, erubescentia, verecundia, admiratio, stupor, & agonia. Etenim malum aut in hominis operatione spectatur, aut in exterioribus rebus. In operatione vel grauis aliquis & nimius labor timetur, vel turpitudo, quæ bonam lædat existimationem. Alter horum timor segnities dicitur seu cunctatio: quæ si in agendo consideretur propria voce. Si in consulendo, meditando ac prospiciendo quid agendum sit, socordia vocatur. Alter erubescentia, si turpitudo timeatur in actu qui committitur, & verecundia, si in actu iam commisso. In exterioribus autem rebus, quæ ad nos spectant, si tam magnum timeatur malum, vt illius exitum spectare non possimus, admiratio est. Nam hæc vox omni ob ignorationem causæ suspensioni animi communis est: atque in magno malo timorosa nascitur admiratio, quam Damascenus & Nemesius ἔκπληξιν seu terrorem appellarunt. Quòd si inconsuetum aliquod offeratur malum, magnum tamen, oritur stupor; iuxta illud Poëtæ, obstrepui steterúntque comæ. Habet enim immobilitatem quandam ex caloris spiritusque deffectu. Denique si malum adeò sit improuisum ac repentinum, vt nec auertere nec inuenire consilium possimus, agonia efficitur, cet-tatio quædam, sollicitudo, ac difficultas animæ quæ nec auertere, nec auertendi consilium inuenire potest. Agoniam Nemesius timorem non potiendæ rei definiuit, propterea quòd ideo difficultatem patitur & sollicita anima est.

Timetes cur frigeant, palleant.

Cur manus & inferius labium tremant, voxque deficiat.

Timor.

Species.

Segnities.

Erubescentia.

Verecundia.

Admiratio.

Stupor.

Agonia.

Præ-

Timoris effectus horror. Præterea timorem interdum comitatur horror. Est autem horror asperitas corporis & pilorum ex eo profecta, quod spiritus & calor introrsum confugiunt cutémque deserunt: Vnde pars ea subsidet, quæ subsidere. Adest & pauor, animi repentina perculsio, quæ consternationem facit, etsi fuerit vehementior, mortem interdum adfert. Nam aliqui timore perierunt; quòd calore nimio & sanguine suffocetur cor, parteſque reliquæ ita destituantur, vt functionibus carent necessariis. Cernitur non nunquam ecstasis ac priuatio sensuum. Non solùm enim ex contemplatione nascitur & amore, sed & ex timore, timorosáque vocatur: abscedente scilicet calore & spiritu anima nihil sentit. Ex subito quoque & magno timore orta est interdum canities, vt de quodam, qui ad supplicium seruabatur in turri, narrat Iulius Cæsar Scaliger exercitatione aduersus Cardanum 312. Canities quippe putredo, eruditas, & ægritudo pilorum est, vt habet Philosophus problemata 36. sect. 10. & lib. quinto de animalium ortu cap. primo & quarto. Contracto enim ad interiora calore, materia pilorum non coquitur, sed putrescit. Diximus hac de re in lib. de partibus Heterogeneis.

Pauor. *Ecstasis.* *Canities*

Oues cur lupum timent. An verò ex naturarum sola contrarietate & antipathia, an quòd sibi nocere facilè dixerim. Namque sola naturarum repugnantia auersionem potiùs faceret, quàm timorem aut non minùs ouem lupus, & pullum miluus, timeret. Si verò opinio noxiæ, galli cantum non timeret leo. Quid enim ab illo sibi timeatur? vtramque igitur fortasse oportuerit adesse causam: aut si standum in altera sit noxiæ potiùs opinionem eligam: neque enim leo tam timet, quàm horret gallum. Atque vt obiectum timoris est malum, sic efficiens causa est imminentis illius opinio, seu eius, quod illud possit inferre: materialisque dispositio est inopia virtutis in eo, quod auertere illud non valet. Nam quò potentius fuerit ac robustius id, quod inferre malum potest, imbecilliúsque & infirmius id, cui potest inferri, eo magis timetur. Maior est de Ephialte difficultas, quem incubum Latini nominant, cùm dormientes ingenti super incumbente pondere præmi videntur, ac vehementer timent. Dictus enim est ἀπὸ τῆ ἐφάλλεσθαι, quòd inuadat hominem ac præmat. Ex voracitate & crudítate, nimiáque in caput euaporatione, oriri dicunt Medicorum plerique. Namque obstructis per somnum neruis, qui ad pectus eleuandum veniunt, ciúsque dilatione prohibita, subit illorum memoria, quæ dilationem eam prohibere solent, velut ponderis nos opprimentis cuiusquam: quod dum tanquam ignotum occurrit, timorem incutit, eóque incusso excitatur tursum memoria eorum, quæ perterrefacere solent, vt dæmonis, aut alterius similis opprimentis, & ideò cum timore excitamur. Quibus ego quid contradicam non habeo. Sed humore aut vapore occupatis & quasi captis pectoris musculis, dorsóque musculis, ac tendonibus laborantibus, quod mirum si premi ac suffocari nobis videamur. Dorsum enim & musculi laborant, nec expeditum habent motum. Quam ob causam grauiorum morborum ante ambulationes esse Iucubi existimantur: quòd ex prauis humoribus in corpore redundantibus oriantur. Verùm enimuerò vt perturbationes cæteræ, sic timor ortum habet ex amore in eóque sustentatur. In amore inquam, vel sui ipsius, vel alterius. nam ideo timemus malum auertere conamur, aut à nobis, aut ab alio, quòd vel nobis vel illi volumus bonum & esse, quod bonorum omnium fundamentum agnoscitur singulare. Sæpè etiá fit, vt quod aliquid velut bonum amemus, contrarium illius apprehendamus vt malum timeamúsque: & iacturam timemus bonorum, quæ habemus: quia cùm amemus; priuationem illorum velut malum apprehendimus. Quare S. Augustinus in lib. 83. quæst. quæstione 33. aliam dixit non esse metuendi causam, quàm ne id, quod amamus, aut amittamus adeptum, aut non adipiscamur speratum. Et quamuis subtiliter & auctè, vt solet, disputans, metum ipsum metuere nos non posse conficiat. Tum quia quod metuitur, metu custoditur ne amittatur: sicut qui amittere sanitatem metuit, metu eam custodit: non metuere autem nemo potest metuendo custodire. Tum quia metus omnis rem aliquam fugit, neque res vlla seipsam fugit. Tum demum quia metus est futuri & imminentis mali, qui verò metuit, præsentem iam habet metum: vt ineptus sit, qui metuere metuat, quoniam fugiendo habet idipsum, quod fugit, immò metuendo amplectitur metum, quem fugit: quamuis inquam hæc subtiliter & auctè disputentur, est tamen in promptu distinctio S. Thomæ 1. secundæ quæst. 42. art. octauo duobus modis spectari timorem posse: vel vt extrinseca oritur causa, quæ malum est imminens apprehensum: velut voluntati subest, dum rationi obsequitur appetitus inferior. Etenim Augustinus posteriore modo timorem spectasse videtur, vereque pronuntiasse timeri timorem non posse, quoniam si voluntas timeri timorem imperat, iam adest timor. At priore modo sanè timeri potest timor, qui forinsecùs imminet, ne scilicet immineat nobis necessitas propter magnum aliquod malum timendi. Dicam planiùs; Vnum & eundem numero amorem timeri sejpso non posse; hocque Augustini argumenta concludere posse tamen vno timore timeri alium, vt ita timore vno futurum alium auertas, abeóque immunem te tuearis. Nam & vno amoris vel odij aut etiam spei actu amare nos animaduertimus aut odisse vel sperare alium. Addit Augustinus Niphus in commentariis 2. lib. rethoricorum, in iis, quæ denominatione sunt talia, standum esse ad ea, quæ essentia sunt talia. Vnde quia timore timemus mala, ipse non timore alio, sed seipso timetur: nec tam timetur ipse, quàm id est, quo timemus, & cùm sit id, quo timemus, ipse essentia sua timetur. Nullus verò miretur, quem cæteri timorem dicunt, S. Augustinum appellasse metum. Quoniam hæc non distinguunt Latini, & vtrumque opinionem esse futuri mali dixit in quarta Tusculana Tullius; timoremque definiuit esse mali appropinquantis metum. Formido & pauor maius aliquid significare

Ephialtes seu incubus unde

Timor ex amore.

An timor timeri queat.

Timoris diuersa nomina.

creduntur. Ac metus quidem à motu animi dictus esse, quo refregit malum: Formido verò, quòd vehementiùs mota foras feratur vt à se abeat: ac demum pauor à pauiendo, dum ex venturæ rei horrore tunditur vehementer pectus. Auctor est Varro. Magis philosophicè Scaliger, metum demissionem significare animi propter futuri mali expectationem, πρὸς τὸ μελλόταγ, amittitur enim seu abijcitur constantia. Timorem autem expectationem censuræ eorum, qui sunt in dignitate constituti, πρὸς τὸ τιμᾶσθαι. Formidinem vero à formis & spectris, quæ timorem incutiunt, dictam fuisse. Ac demum pauorem esse animi perculsionem, Græca origine παίειν, quod est ferire & pulsare; Vnde pauire. At terror comparatione horum omnium actiuè se habet, quod vox ipsa indicat, quasi terreat ac timorem incutiat, seu actionem in alium transmittat. Verùm hæc minoris momenti sunt.

DE VERECVNDIA & erubescentia.

TImoris alumna & quasi vernacula verecundia est. Oritur enim ex imaginatione mali vt timor: estque illius veluti pædagogus & stimulus ad repellenda mala. Quam ob causam Euripides impudentiam dixit inter homines morborum omnium maximum esse: & Xenophon in primo de Cyripædia, inuerecundiam ad omnem turpitudinem esse ducem maximam. Hesiodus tamen verecundiam affirmat obesse multum, eandémque prodesse. Est enim quædam laudabilis in verecundia, quæ rusticum ac bonarum actionum pudorem pellit: alia improbanda, quæ ne mala quidem ac turpia veretur: quæ priori opponitur verecundia, plurimum obest, dum bonas & honestas actiones impedit, extátque de ea Plutarchi opusculum. At quæ posteriori aduersantur, prodest, dum turpes ac malas prohibet. Hæc in pueris, adolescentibusque laudatur. Tum quòd in illis libido vigeat, quam cohibet verecundia, vt est in quarto moralium cap. vltimo. Tum quòd ingenui animi sit indicium. Vnde Diogenes Cynicus cùm adolescentem rubore suffusum cerneret; Euge, inquit, Adolescens talis est virtutis color. In Sene minùs probatur, quòd illum verecundia dignum agere quidquam non oporteat, turpéque illi sit absque correctione ac virtute senuisse. Etenim verecundia dolor quidam est & tristitia de defectu proprio, timorémque habet infamiæ, vt Aristoteles definiuit, vel vt in secundo exposuit de arte dicendi cap. sexto. Tristitia est & perturbatio aut malis præsentibus aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam adferant. Contra inuerecundia contemptus eorum est & impatibilitas. Quæ tristitia & dolor præsertim nascitur, si adsit qui cognoscat aut reprehendere defectum possit. Et quoniam coram illo partium omnium maximè laborat facies, aspectum illius ac præsentiam non sustinens ad eam mouetur sanguis & calor: Ideò erubescimus atque oculos præ pudore demittimus, quasi præsentiam illius, qui nostri peccati testis est, non tolerantes. Quòd si nullus adsit, absque rubore tristamur. Ita verecundos rubescere, timentes pallere dixit verè Aristoteles in quarto moralium. Etenim in verecundia laborat facies, in timore cor, atque in illa ad faciem, in hoc ad cor confluit sanguis. At quoniam ex rerum turpium admissione nascitur verecundia, eam probo ac sapienti viro negat conuenire: quoniam hic turpe nihil admittit. Si quid tamen incautè admitteret; næ is quoque & verò maximè verecundiæ stimulos perfentiret. Verùm tunc non sapienter, sed insipienter egisset: omninoque affirmare licet eam in sapiente locum non habere, si actiones ipsius propriæ considerentur: omnes quippe honestæ sunt. Potest tamen is quoque verecundiam sentire, siquid turpe cernat aut audiat: aut propter ea, quæ turpiter à parentibus, filijs, aliísve, qui ad illum pertineant, admittantur. Est igitur hic affectus laudabilis, non absolutè, sed turpi quopiam admisso. Quare in ijs tantùm laudatur, qui turpe aliquid vel admittunt vel admittere possunt. In mulieribus semper probatur: quia cùm mulier sit animal mancum & imperfectum, atque per totam vitam adolescentulus, in aliquo semper peccare potest: & omnino sapienter Pythias Aristotelis filia, cùm quæsitum esset, quisnam mulieribus esset pulcherrimus ad ornandam faciem color, eum respondit esse, qui ex pudore nascitur.

Quòd autem à plerisque nunc quæritur an verecundia sit virtus an perturbatio, iampridem fuit ab Aristotele definitum: namque in secundo de arte dicendi tristitiam quandam ac perturbationem dixit eam esse, & in quarto moralium affectum potiùs esse, quàm habitum, cùm infamiæ timor sit. Testatur id adiunctus rubor velut affectus, quo immutatur corpus, non vt habitus. Et ex eo argumentatur Eustratius, quod eam Philosophus dixit non esse absolutè bonam, sed ex hypothesi & conditione: soláque virtus per se & absolutè bona & expetenda iudicatur. Neque verecundari, vt diximus, sapienti & probo viro conuenit, sed insipientis & improbi proprium est, eiusque, qui turpia fecerit. Accedit, quòd si virtus foret, in nostra esset potestate, sicut virtutis cuiusvis actio: non est autem in nostra potestate, quin res potiùs naturalis, quàm actionibus & assuetudine comparata. Et quamvis in secundo eiusdem operis libro cap. septimo fateatur idem ipse Philosophus mediocritatem quandam eam esse inter excessum eius, qui verecundatur in omnibus, quem pauidum nominamus; & defectum eius, qui nil penitus vereatur, quem impudentem dicimus: Virtutem tamen non esse confirmat, sed laudabilem affectum. Neque enim in virtutibus modò, sed & in affectibus & ijs, quæ circa affectus versantur, mediocritas quædam est: quibus ad veram virtutis vim deest vt sit habitus electionis.

Est igitur

Verecundia duplex.

Verecundia in quibus laudatur

Verecundia & inuerecundia quid.

Faciei rubor.

Verecundias vt à timore & à tristitia differat.

Est igitur verecundia perturbatio quædam, hoc magnopere à timore diuersa, tum quòd species illius sit, tum quòd futuri dumtaxat & imminentis mali sit timor; verecundia futuri, præteriti, & præsentis: & si ex genere omnia hæc cum ordine ad futuram atque imminentem confusionem & infamiam ex actione turpi consequentem complectatur. Itaque omnis sanè verecundia timorem habet adiunctum, quia verecundia omnis timor est ignominiæ; & Aristoteles, ignominiæ imaginationem eam esse dixit. At non omnem timorem sequitur verecundia: sed cum timere ea quoque possimus quæ infamiam nullam adducunt, timor erit sine verecundia. Ac rursùm si non solùm circa futura, vt timor; sed etiam circa præterita & præsentia, quemadmodum tristitia, verecundia versatur, non solùm ex timore orietur, verùm & ex tristitia; & si timor semper aliquis adsit. Nec tamen ex quauis tristitia oritur: quoniam de malo quoque tristamur, quod nec ignominiam nec verecundiam habet. Ergo verecundiæ, timori, ac tristitiæ commune est circa malum versari: Verecundiæque ac timori, versari circa futurum; infamiam inquam futuram, ac demum in eo cum tristitia conuenit, quòd ex re quoque præsenti infamiam eam veretur. At hoc est verecundiæ proprium, quòd non quoduis, sed ignominiosum respicit malum: neque futurum modò aut præsens vel præteritum, sed & futurum, & præsens, & præteritum. Hoc autem malũ proprium esse oportet ac nostrum, aut ad nos certè quoquo modo spectare: vt defectus malique mores filiorum, & alia quæcumque mala, quæ aut nobis, aut iis, qui nobis curæ sunt, aut nobiscum quauis ratione coniuncti, dedecori & infamiæ esse videntur.

Exquibus verecundemur.

Quæ omnia visus est Aristoteles ad tria capita reuocare; ad vitium, ad inexperientiam, & ad vim. Verecundiam adferunt ea, quæ sunt à vitio; vt scutum amisisse in bello, aut fugere, negare depositum, commiscere quibus, vbi & quando non oportet, lucra assequi ex paruis, aut turpibus, aut impotentibus; non opitulari pecunia cùm possis, aut minùs quàm possis, iuuari ab iis quibus minor est facultas; & alia, quæ vel ex metu, iniustitia, libidine, auaritia, illiberalitate, vel alio quouis oriantur vitio. Adfert etiam inexperientia; esse inquam expertem eorum bonorum, quibus omnes, aut pares, aut plurimi saltem, vel etiam minores, participant. Hanc ob causam erubuit Themistocles, cùm in conuiuio recusauit lyram, habitúsque indoctior est, vt in p^a Tusculana auctor est Tullius. Maioremque hæc adferũt ignominiã, siis, qui bonis illis caret, fuerit aliis eorum causa, vel etiam sibi ipsi malorum ac turpium. Denique ex vi & passione ducitur verecundia: siquidem patientes aut passi aut passuri ea, quæ infamiam & ignominiam adducunt, verecundantur: Qualia existimantur ea, quæ ad ministeria & sordidas quasdam ac turpes artes spectant; vel etiam ad libidinem, & eiusmodi quæuis. Etsi enim hæc patiamur inuiti; turpe tamen & timiditatis seu imbecillitatis est pati, neque sese defendere. Quocirca multos in historiis legimus, ne quid turpe paterentur, vltrò sibi mortem conscisse, aut ab aliis sustinuisse; alios per vim passos occubuisse, vt de Lucretia Romana scitum est. Plures etiam grauissimè vltos illatam sibi iniuriam: & Caium Mariũ laudat Tullius in oratione pro Milone, quòd militẽ liberasset qui ereptam sibi pudicitiã vltus erat nece. Hæc tamen turpia maiori multò ducũtur probro, si sponte; quàm si inuitus ea subeas.

Quos vereamur.

Quos porrò maximè vereamur & propter quos afficiamur verecundia; ad hunc ferè modum exposuit Aristoteles. Verecundia timor est ignominiæ; nemóque de opinione curat, nisi propter opinantes. Eos igitur veremur maximè, quos de nobis iudicare posse putamus, quósq. benè opinari vellemus. Neque enim pueros, seruos, & abiectos veremur homines; quòd eorum de nobis existimationem non curemus, nisi vt actiones nostras iis, quos magnificamus, indicare possunt. Ergò eos omnes veremur, qui nos admirantur, magnósque ac præstantes arbitrantur viros. Insitum enim homini est à Natura, vt præesse cæteris ac multos in sui admirationem concitare velit: Ideóque veremur eos, qui iam nos admirantur & suspiciunt, ne sententiam fortasse mutent. Veremur & eos, quos admiramur, ipsi & cæteris præstare ducimus, siue scientia, siue dignitate, integritate vitæ, reve alia quauis: quoniam illorum iudicium magnificamus, laudarique à laudato viro præclarum est. Eos etiam, quos in amorem & admirationem nostri trahere cupimus. Timemus enim, ne si quid à nobis minùs sapienter factum viderint, oderint potiùs, aut contemnant. Idcircò eos etiam veremur, cum quib. de honore ac dignitate cõtendimus: ac demũ eos omnes, quorum de nobis existimationem non contemnimus. Nam vt benè de nobis sentiãt laboramus. Hinc prudentes, senes, doctos, ac sapientes veremur maximè: tum quòd cognoscant optimè atque de actionibus nostris iudicare possint: tum quòd magnã apud omnes auctoritatem habeant, eorúmque de nobis iudicium probetur omnib. eóque magis veremur, quò diutiùs nobiscum futuri sunt, pluráque nobis cum illis tractanda: peregrinos, exteros, & qui breui sunt abituri, aut cum quibus nihil est rei, haud multum curamus. Plurimùm quoque erubescimus multitudinem; eáque præ cæteris verecundiam mouent, quæ in oculis multorum & palam fiunt: quòd multi adsint erroris testes. Vnde abiit in prouerbium; Pudorem in oculis esse: nam aspectus ipse timorem incutit. Et Ouidius, noctem dixit carere pudore: multáque fiũt in tenebris, quæ in lucem prodire nollemus. Et cœci ferè sunt impudẽtiores. Hanc fortasse ob causam Cupidinem Poëtæ cœcũ esse dixere: impudens enim est. Ac pueri demũ cùm suffundũtur pudore, demittunt oculos ac tegũt: maximæq. impudentiæ, atque in malo pertinaciæ signum est, si fixa oculorum acie aspectum cuiuspiam viri diutiùs sustineant: Quid fœminæ? si honestiores sint, præsertim innuptæ rectis oculis viros non aspiciunt. Eiusdẽ culpæ ac sceleris socios non veremur; quòd ab illis reprehensio non timeatur: Eos verò magis, qui fuerint seueriores atque ad ignoscẽdum difficiliores; nam & asperiùs increpãt & liberiùs, déq. sententia ægriùs dimouẽtur. Sed maximè timemus maledicos, dicaces, derisores, & qui in aliorũ peccatis obseruandis plurimũ occupantur: Néq. hos modò, sed & eos, qui

ea, quæ in nobis viderint renunciare aliis possunt. Etenim perinde fuerit, siue ipsi viderint, siue ab aliis acceperint.

Cur petita negare pudeat.

At nescio quî fiat, vt siquid à nobis petatur, libenter si possimus morem geramus, pudeátque negare. An qui petit benè de nobis sentire, probósque officiosos, ac liberales, existimare videtur? quam eorum opinionem confirmari atque augeri volumus: minuitur autem, si id negemus, quod petitur. Eamdem nimirum ob causam veremur eos magnopere, qui amicitiam nobiscum inire volunt. Nam id eos cupere opinamur, quòd iis, quæ in nobis sunt, inspectis ac probè consideratis, bonam de nobis conceperint opinionem: eámque augeri percupimus. Propterea etiam veteres amicos & familiares veremur, si nullius vnquam sceleris nostri fuerint conscij: quoniam bonam illorum de nobis opinionem mutari nolumus. Permulta tamen cum amicis & familiaribus absque pudore facimus: vt saltare, iocari, & similia, à quibus, si hospites & ignoti adsint, abstinemus. Namquæ turpia sunt, ea ne apud amicos quidem & familiares facimus: quæ verò opinione solùm & institutis habentur turpia, vel indecora potius, quòd leuitatem habere videantur, ignotos tantùm & externos verentur. Atque hoc est, quod Aristoteles dixit, nos vereri notos in iis, quæ ad verecundiam pertinent: Ignotos autem in iis, quæ ad legem seu opinionem.

Quos veremur.

Verecundi qui.

Ex quibus omnibus intelligas etiam, quinam verecundia afficiantur. Afficiuntur namque illi, qui cum iis versantur, quos vereri solent. Quoniam ob eorum præsentiam afficiuntur verecundia. Et quamuis nil turpe coram illis admiserint, si tamen turpis alicuius actionis sibi sint conscij, timent semper, ne illis innotescat: faciléque suffunduntur pudore.

Verecundia, pudor, & erubescentia an differant.

Porro inter verecundiam, pudorem, & erubescentiam, facile non est distinguere. Sunt qui pudorem putent rei esse turpiter actæ, verecundiam verò rectè etiam facti atque honesti: & ideo ingenuitatis ac modestiæ esse, atque in laude verecundiam poni: Pudorem autem animi esse sibi malè conscij ob perpetratum scelus. Sanè Eustatius pudorem scripsit ob perpetrata euenire mala: verecundiámque timorem infamiæ esse ob turpium suspitionem: Verecundiam verò & erubescentiam ita permulti separant, vt antea dictum est, vbi de timore agebamus: vt erubescentia sit actionis, quæ committitur, verecundia commissi iam actus. Ergò inter verecundiam & pudorem nihil arbitror interesse: Et Aristotelis interpres modò verecundiam, modò pudorem dicit: & in secundo De arte dicendi, cùm definiuisset verecundiam, déque illa egisset: concludit tandem dictum de pudore fuisse. Quod etiam inter verecundiam & erubescentiam dicitur interesse illiipsi aduersatur Philosopho: qui tam præteriti, quàm præsentis ac futuri, docuit verecundiam esse. In eo potiùs dixerim esse distinctas, quòd erubescentia effectus quidam sit verecundiæ, qui ob alterius præsentiam in facie apparet: & si tum ex præsenti, tum ex præterita, aut futura actione quis erubescat.

A

De Voluptate.

AD eas iam perturbationes venio, quæ circa præsens versantur obiectum. Eæ sunt duæ, circa bonum voluptas, & circa malum tristitia. Circa præsens nãque & obtentum bonum quam ἡδονὴν Græci, Latini, vt auctor est Tullius in 2. lib. de finibus, voluptatem dicunt. Sed siue tu voluptatem dixeris, siue gaudium, siue hilaritatem, alacritatem, lætitiam, iucunditatem, exultationem, delectationem: næ ego haud magnopere laborabo. Si tamen accuratè loqui volueris, voluptas & gaudium quietem indicabunt animi in præsenti bono, tristitiæ & inquietudini, quam adfert malum, oppositam. Hilaritas in vultu potius ac facie spectabitur, velut exterior interioris voluptatis effectus. Alacritas moderationem quamdam, vt affectus cuiuscumque, sic etiam voluptatis significabit. Lætitia quasi latitia dicta, velut cordis dilatatio erit adamplexum boni. Iucunditas, lætitia particulari aliquo testata signo. Exultatio corporis addet gestum: Vnde gestire dicimur. Delectationem demum penè fruitionem quandam dixerim esse præsentis atque amati boni. Contendit autem S. Thomas in prima secundæ, quæstione 31. gaudium solius hominis proprium esse, atque in voluntate rationem consequi: Delectationem autem ad sensum magis pertinere, & cum bestiis esse communem. Et ego sponte fatebor, in appetitu quoque intelligente, quem voluntatem dicimus, delectationem esse & gaudium: video tamen gaudium illud perturbationem dici non posse; quòd perturbationes omnes, de quibus nunc nobis sermo, in appetitu sentiente considerentur: quod idem ipse fatetur in quæst. 22. art. 3. fiúntque cum aliqua corporis commotione; neque vlla talis commotio est in voluntatis gaudio, sed solus ac simplex voluntatis motus in bonum. Et Aristoteles in extremo cap. 10. lib. primi de arte dicendi ἡδονὴν planè in sensu posuit. Definiuit enim motum esse animi quemdam & constitutionem, totam simul & sensiliter in naturã existentẽ. Quam definitionẽ sequutus fuisse videtur Tullius in cõmemorato libro; cùm voluptatem eam esse dixit, quam sensus accipiens mouetur, & iucunditate quadam perfunditur: & rursum, esse iucundum motum, quo sensus hilarẽtur, voluptatísq. verbo duas res subiici, lætitiam in animo, & suauem iucunditatis commotionem in corpore: ac demum, in eo voluptatem poni, cùm percipitur ea, quæ sensum aliquem moueat, iucũditas. Ergò voluptas & animi motus quidam fuerit, quo præsenti delectatur bono, atq. ex vno statu ad alium trãsit: Et constitutio naturæ tota simul; quia non sẽsim & per partes acquiritur, velut generatio & productio habitus: quippe vt est in 7. lib. moralium cap. 12. quæ operationes in naturalẽ cõstituũt habitũ, ex accidenti voluptatem habent; quoniã & imperfectæ sunt, & cũ cupiditate melioris boni, hoc est, perfecti habitus; & ideò cum tristitia quapiam permistæ. Quæ verò ex habitu iam perfecto proueniũt, illę demũ perfectę, & absq. cupiditatis & tristitiæ permistione sunt. Ira tamen vt in sensũ quoque redundent: accedente scilicet corporis item commotione, qua & cor veluti in amplexũ

B

C

D

E

Voluptas diuersa nomina.

Gaudium & delectatio an differant.

Voluptatis definitio.

boni dilatatur, & ad illud sanguis & spiritus effunduntur. Cæterùm definitionem eam intelligas non omnis voluptatis fuisse: Sed illius, quam velut sentientis partis perturbationem, commouere Orator dicendo conatur. Hoc enim agebat eo loco Philosophus. Alioqui latiùs notionem illius patere demõstrat in moralibus. Quoniam præter sensus voluptates adsunt, aliæ intelligentis partis propriæ; dum aut contemplatur & in veritatis cognitione versatur, quæ suauissimus est intellectui cibus; aut honestè & ex virtute operatur. Itaque definitionem eam quasi vitiosam reprehendit, si voluptas vniuersè definienda sit: neque dicendum vult eam esse motionem sensilem, sed operationem potiùs habitus, qui secundùm naturam est: Sensilique prætermisso addendum, operationem esse non impeditam, hoc est, sine difficultate; habitus, qui secundùm naturam, hoc est, qui habenis naturæ congruit.

Voluptatem intelligẽtis itẽ partis esse

Hinc duo habemus voluptatum genera; vnum corporis, alterum animi. Vtrumque varium ac multiplex. nam & in corpore quinque vigent sensus, quorum quisque sua fruitur voluptate: & in anima intellectus & voluntas, quorum illæ veritatis cognitione, hæc operatione honesta plurimùm delectantur. Sed in corpore ac sensu quædam sunt naturales voluptates, aliæ non naturales; illæ naturæ benè dispositæ & in suo naturali statu constitutæ; hæc ex praua corporis dispositione aut morbo quopiam profectæ; quibus alioqui cæteri homines non gauderent. Animi voluptates meliores multò sunt ac præstabiliores his omnibus, quæ ad corpus pertinent. Nam & anima præstat corpori & intellectus sensui, nobiliúsque obiectum habet: & scientiæ, contemplationes, ac virtutum actiones iis omnibus antecellunt, quæ sensui obuersantur; firmioráque sunt ac stabiliora bona. Neque voluptatum hoc genus in expellenda tristitia doloriue medendo, quemadmodum alterum illud, quod corporis est, adhibetur; sed propter se quæritur: neque excessum habet, quo vitiosum euadat; vt in corporeis voluptatib. plerumque euenit. Sunt etiam maiores ac vehementiores: tum quia vt perfectiores sunt & meliores, ita magis delectant: multóque plus voluptatis percipit homo intelligendo aliquid, quàm sentiendo: neque vllus est, qui non malle sensione ac sensu, quàm intellectione & intellectu, priuari. Mitto Democritum Cratémq. Thebanum; quorum alter vt attentius contemplaretur, oculos sibi eruit; alter vt meliùs philosopharetur, pecuniæ vim maximam, quam ex patrimonio diuendito redegerat, in mare proiecit. Sanè probi quique viri à voluptatibus corporis & sensus abstinent, vt fruantur intellectilibus: ac penè dixerim nullus est, qui si homo sit & rationis compos, vel à maximis sensilibus voluptatibus sponte sibi non temperet, ne honoris, qui intellectile bonum est, iacturam faciat. Fit tamen non raro, vt sensilibus vehementissimè delectemur: siue quòd obiecta illa maximè nobis nota sint & familiaria; siue quòd corporis quoq. commotio accedat. Et ferè etiam voluptates hæ nobis sunt velut medicinæ doloris multiplicis ac tristitiæ; ideóque auidissimè sumuntur; Cúmque paucorum sint intellectiles voluptates, facilè ad sensiles plerique omnes se se conuertunt. Omnino verò amor maximam vt in cæteris, ita & in hoc vim habet; & quisque iis, quæ plurimùm amat, plurimùm delectatur. Inter sensiles porrò voluptates præstant hæ, quæ præstantiorum sensuum sunt atque ad cognitionem magis conferunt; vt aspectus & auditus. At vehementissimæ illæ, quæ per tactum & gustatum hauriuntur; tum quia immediatam habent cum obiecto coniunctionem: tum quia cùm ad vitæ conseruationem ac necessitatem spectent, vehementissimè illis applicamur.

Voluptates quæ meliores.

Voluptates quæ vehementiores.

Quod autem quæritur, an voluptas bona sit an mala, indiget distinctione; Dispares namque voluptates sunt: quædam honestæ: aliæ turpes & obscœnæ. Illæ veræ, hæ adumbratæ ac belluinæ. At siue animi, siue corporis voluptas sit: modò ea benè ac moderatè vtaris, bona fuerit. Nam vt sapienter ratiocinatur Aristoteles, tum in primo De arte dicendi, tum in septimo & decimo Moralium, voluptates hæ dolorem ac tristitiam expellunt, súntque illius quasi medicina: At dolor & tristitia est mala: voluptas igitur bona. Et animantes omnes voluptatem expetunt: quæque à natura sunt, bona sunt: quia bonum vbique natura quærit: & nisi vitiata fuerit ac deprauata, ad bonum nos semper instigat. Immò hoc argumento Eudoxus, vt est in 10. Moralium capite 2. voluptatem summum esse bonum affirmabat. quod omnes voluptatem sequi videret. Quòd si non de vniuerso genere accipiatur, sed de voluptate illa, quæ in primæ causæ intelligentíque supremæ fruitione est: Verum nimium fecerit. Sunt etiam voluptates aliquæ ad sustentandam vitam necessariæ, vt eæ, quæ in cibo & potu, in quiete, laborum relaxatione, & similibus versantur: quas, si moderatè & cum debitis circumstantiis sumantur, nullus sanæ mentis vitiosas dixerit: iisque sapientes viri vtuntur. At quoniam difficile est tenere medium, vt exemplo circuli affirmat Aristoteles in capite vltimo libri secundi Moralium, inquo vix peritus Geometra medium inueniat: In omnibus rebus agendis monet eo loco vitandam esse voluptatem: quòd rationis iudicium peruertat: idque medium esse suadeat, quod extremum sit & vitiosum, Troianorum scilicet exemplo: qui vt est apud Homer. Illiad. tertio, persuadere Priamũ conati sunt, vt Helenam ciuitate pelleret: ne toti ciuitati internecionem adferret. Et Tarentinus Archytas nullam inquiebat capitaliorem pestem, quàm voluptatem, hominibus à natura fuisse datam: Et Plato malorum escam appellauit. Regula igitur sit, recta ratio: hac voluptatem omnem metiaris: si conformis rationi fuerit, bona erit: vitiosa, si secus. Et omnino quæ ex malis actionibus percipitur, mala est; bona, quæ ex bonis.

Voluptæ an bona an malæ.

Voluptæ vt vitiandæ.

Quod autem voluptatem adfert, vniuersè bonum est conueniens & præsens. Inde namque complacentia & quies, quòd conueniens nobis bonum possideamus. Oportet tamen illud cognosci; quoniam appetitus cognitionem sequitur. Sed necesse non est conuenientiam formali-

Voluptatis obiectum.

ter apprehendi, alioqui bestiæ, quæ cognitionem illius non habent, voluptatem nullam sentirent. Sat est appræhensio boni, quod naturæ conueniat; siue reipsa præsens adsit, siue in apprehensione & imaginatione: Modò totũ simul appræhendatur; siquidem voluptas quietem in illo significat: non quiesceret autem anima, nisi totum simul amatum bonũ possideret, possideréve se putaret: dum enim per partes accedit, perfecta voluptas non est, sed cum tristitia, desiderio, & spe permista.

Præter hanc porrò generalem voluptatis causam particulares aliæ commemorari possunt, voluptatem enim adfert operatio tum nostra; siue quòd per eam bonum aliquod conueniens consequamur: siue quòd ipsamet iucunda sit & bona, vt contemplatio, & quæ cumque ex perfecto virtutis habitu prodit actio. Tum aliena siue ea cuiuspiam sit à nobis plurimùm amati: nostra enim quoquo modo esse videtur: siue bonum aliquod nobis adducat. Deinde variatio ac vicissitudo rerum. Tum quia vt quidam dixit πλησμονὴ ἡ ἀπέναντι, & in omnibus rebus mater satietatis esse similitudo solet. Contrà verò non ad tollendum modò fastidium commutatio ac vicissitudo potest plurimùm, sed ad naturæ quoque cum & integritatem conseruandã & quasi renouandam non parũ habet momẽti. Obiectũ enim vbi diutiùs fuerit præsens, facultatem nimium afficit, proportionémque perdit, ex qua conuenientia & voluptas nascebatur. Eaque proportio alternatione rerum ac mutatione renouatur. Peroptat etiam natura cognoscere multa & experiri, multisque potiri: neque in vnica re id potest consequi, vicissitudine ac varietate consequitur. Delectat item præteritorum recordatio, & futurorum spes: dum ea velut præsentia ponit phantasia: magis tamen spes, quàm memoria: quoniam proponit rem possibilem acquiri. Similitudo quoque & ordo: quòd inter similia & ordinata conuenientia sit & proportio. Admiratio verò, quia inquisitionis principium est & inueniendi spem adiunctam habet. Præterea benefacere alteri iucundum est. Nam & ex amore id persæpe nascitur, & comitem habet spem siue præmij siue attributionis & subuentionis in suis necessitatibus: & ipsum benefacere per se iucundum, quia bonitatis argumentum. Præterea iucunda victoria; quia potentiæ signum & gloriæ causa; vel etiam in ludis, præsertim si ingenioſi sint: victoria enim hæc ingenium etiam testatur. Iucunda redargutio, præsertim acuta; quia ingenij & acuminis testimonium. Iucundum vlcisci: nam & victoriam habet quamdam & gloriam ignominiæque depulsionem. Et omnino quod molestum est nisi assequaris; id iucundum si assequaris: irati verò plurimùm dolent nisi vlciscantur. Ex his alia complura his similia intelligas. Sed & tristitia voluptatis ex auidenti causa est: quòd memoriam faciat amatæ rei, ob cuius absentiam tristamur: aut quòd subsequentem habeat euasionem; quippe liberari à malo iucundum est.

Cur vicissitudo rerum delectet.

Voluptatis effectus.

Iam verò voluptatis primus & maximè proprius effectus est dilatatio cordis; sanguine etiam & spiritu ad exteriores partes effuso. Est enim motus in bonum præsens, quo natura peroptat frui: quare quasi ad illius amplexum expandit se se. Optimus est & corpori quoque saluberrimus hic effectus, si moderatus sit: quoniam sanguine & spiritu moderate effuso reficiũtur plurimùm & recreantur partes omnes, cunctæque operationes quàmoptimè fiunt. Vnde sapientis illud, Cor lætũ pro medicina est; &, Spiritus tristis siccat ossa. At si modum excesserit, pernitiosus erit, & mortem quibusdam attulit: nimia scilicet effusione exinanito corde.

Hinc verò existit risus. Non enim affectus animi sunt risus & fletus, sed quidpiam affectum consequẽs. Est autem risus oris & pectoris motus à diaphragmate & musculis cæteris factus vsque ad buccas. Neque quoduis voluptatis ac lætitiæ obiectum facit risum; sed iucundum, insuetum, & repentinum: vt facetiæ, quæ argutias habent; repentini casus, & similia. Ex admiratione namque & animi suspẽsione nascitur risus: dúmque res noua admirationem facit, & iucunda suspensionem tollit, repentina fit dilatatio, quæ risum mouet. Hinc in 3. de partibus animalium lib. cap. 10. quosdam traiecto in præliis diaphragmate ridentes occubuisse Aristoteles scribit: eósque qui sub axillis titillantur, celeriter ridere, quòd non procul distet diaphragma, motúsque celeriter ad eum locum perueniat. Causa autẽ cur solus animalium homo titilletur, & cutis tenuitas est, & quod solus omnium rideat. Est enim titillatio risus per huiusmodi motum partis, quæ alam complet. Cur autem ibi potissimùm & pedum vestigiis titillemur; causam esse respondet in problemate 2. sect. 35. tum eamdem cutis tenuitatem, tum quia earum partium tactus est insuetus. Non ridemus tamen, cùm nosipsi titillamus: quia non est motus insuetus, nosque nobis familiares sumus. Immò in Prob. 6. ne ab alio quidem titillari nos respondet, si præsenserimus, titillantemue illam viderimus: Oportet enim repentinum, improuisum, & quasi per fraudem ac latentem tactum esse. Sanguinei & Cholerici promptissimi omnium sunt ad risum: quòd calidiores existant, tenuioremque ac magis fluidum spiritum habeant, quàm melancholici; ac pituitosi: deinde inexperti: vt pueri, mulieres, fatui, facilè rident, quòd omnia illis noua videantur. Tum verò quicumque epulis & vino, facetiis, fabellis, ac similibus delectantur: dispositi namque magis sunt & quasi habitum ridẽdi contraxerunt. At sapientes quique haud facilè rident: multóque minus cachinnantur. Non solùm quòd ratione risum frænare possunt, sed etiam quòd risus ex insuetis & incognitis nascitur, leuitatísque ac stultitiæ indicium est: Sapientes verò penè omnia norunt, & experientiam plurimorum habent, suntque & haberi sapientes volunt. Verùm de his satis. Ad voluptatem reuertamur.

Risuum de. & quo modo.

Titillatio cur risum facit.

Cur solus homo titillet, & alia quædam.

Ad rid. qui prom. pt.

De qua illud extat in 10. Moralium lib. cap. 5. propriam & veram voluptatem, quæ animi est & perfecti habitus, exactiorem, diuturniorem ac meliorem facere operationem: impropriam verò & adumbratam, quæ corporis est, labefactare potiùs ac perdere. Voluptate namque ac iucunditate contemplationis aut operationis virtutis allecti, promptiùs, diutiùs, & melius,

Voluptas vt operationem profuat.

aut contemplamur, aut operamur. At corporis ac sensus voluptate impeditur magnopere operatio humana. Tum quia vt est in 6. Moralium cap. 5. & lib. 7. cap. 11. prudentiæ iudicium turbatur ac vitiatur. Tum quia voluptate illa ita occupatur ac tenetur anima, vt imbecillior multò euadat, aut etiam si fuerit vehementior, ab alijs omnibus penitus auocetur. Quam ob causam in 5. polit. lib. cap. 10. Principes voluptatibus hisce deditos ait Philosophus contemptibiles fieri, faciléque priuari regno; & lib. 7. moralium cap. 11. in venerea præsertim voluptate neminem posse quidquã intelligere. At siue animi sit, siue corporis; siue bona, siue mala voluptas; præteritæ memoria desiderium illius adfert. Quamquam non memoria modò præteritæ, sed & præsentis fruitio desiderium solet excitare; aut diuturnioris fruitionis, aut etiam maioris & perfectioris; si non tota simul, sed per partes voluptas accedat. Interdum tamen fit, vt tum præteritæ memoria, tum præsentis fruitio, fastidium ac tristitiam adferant: si aut maior aliqua facta sit mutatio, propter quam quod antea placebat, post displiceat: aut vehementior, quàm par est, sit metus; & voluptas vehementior, aut coniuncta cum aliqua corporis molestia, aut demum quòd voluptate dominante feceris quidpiam rationi rectæ repugnans, quod post voluptate cessante malè factum agnoueris.

Voluptas vt desiderium facit.

Vt tristitiam.

De Tristitia, eiusque speciebus.

VOluptati aduersatur tristitia. Illa præsentis boni est, hæc præsentis mali. Illa velut quies & amplexatio, hæc velut fuga & auersatio. Oppositorum autem ea conditio est, vt ex altero alterum, & ex meliori deterius cognoscatur. At non solùm tristitiam, sed & dolorem, & mœrorem seu mœstitiam, & ægritudinem apud latinos scriptores nominatam legimus perturbationem eam, quam Græci dixere λυπὴν Dolorem ad sensum potiùs dixerim pertinere, maximéque in tactu vigere, ceu afflictionem quãdam & læsionem à minùs proportionato obiecto. Tristitiam patere latius, atque in voluntate quoque nominari, velut animi consternationem. Vt autem in corpore consideratur, contractionem fortasse significat spiritus à præsenti malo ad suum principium, quod est cor. Mœror seu mœstitia diuturnior est & quasi permanẽs tristitia: vt hæc velut actus sit, illa vt habitus. Ægritudo à corporis ægritudine nominari videtur; quòd vt febris corpori, sic præsens malum quædam sit animi ægrotatio. Malum inquam præsens cognitum & apprehensum siue sit verum, siue apparens & existimatum. non rarò enim fit, vt imaginatio & opinio plus, quàm res ipsa, obsit: réfque interdum minimæ ac leuissimæ hanc ob causam maiorem tristitiam adferunt, quam quæ maiores sunt & grauiores. Augent verò tristitiam quæcumque augent & grauius faciunt malum: vt potestas, cui non possis resistere: nisi enim cedas vt victus augetur maximè tristitia; quia vitari malum non potest. Amissio item & iactura boni tristitiam facit, quoniam priuari bono malum est. Sed & habitus ipse corporis, vt in cæteris, ita & in hac perturbatione potest plurimùm. Melancholicus inquam habitus. Quoniam hic humor magnam imaginationis vim facit, quæ vel minima mala putantur maxima; & vbi nulla plerumque sunt, grauissima cogitantur. Perinde autem fuerit, siue naturalis sit habitus, siue acquisitus. Etenim vigiliæ, studia literarum, labores nimij, & huius generis alia, sanguinem faciũt crassum, terreum, ac melancholicum; dum & purissimum ac tenuissimum quemque absumunt, & accuratam cibi coctionem impediunt. Quò etiam vniuersum illud spectat ciborum genus, quod crassum sanguinem gignat.

Tristitiæ termina.

Tristitiæ obiectũ.

Quatuor ferè illius species commemorantur; anxietas, accidia, commiseratio, inuidia: quibus indignationem addas & æmulationem; de quibus in 2. de arte dicendi Aristoteles. Anxietas, quæ & angustia dicitur, quid sit, nomen ipsum indicat. Est enim animæ aggrauatio ex eo profecta, quòd non videat quomodo præsens malum possit euadere. Hæc si immobilem reddat hominem & exteriora membra operatione priuet, accidia nominatur, atque in repentinis maximè apparet.

Tristitiæ species.

Anxietas.

Accidia.

Commiserationem autem Aristotel. definiuit tristitiam quamdam esse, ex apparente malo corrumpente ac tristitiam inferente in indignum pati; quod ipse opinetur pati se posse aut suorum aliquem; idque propinquum videatur. Quibus verbis duplex illius obiectũ complexus est; quorum inquam misereamur, & quam ob causam. Proborum namque virorum maximè miseremur; perditorum non item: quòd illi iniustè patiantur, hi debitas sceleribus suis luant pœnas.

Commiseratio.

Deinde notorum, amicorum, familiarium, propinquorum, nobisque similium, siue ætate, siue moribus, siue genere vitæ & conditione. Etenim hi omnes quoquo modo ad nos pertinent, & aliquid nostri sunt; perindéque ad illos atque ad nos ipsos afficimur: & quod illis euenit, nobis quoque euenire posse putamus. Quæ verò ad commiserationem mouent, duo sunt; aut quæ corrumpere aut interimere posse videntur, vt mortes, verbera, corporis afflictiones, senectus, morbi, cibi defectus, aut quæ fortunæ naturæque mala vocantur; si maiora fuerint; vt si nullum habeas amicum, si ab amicis vel sociis diuellaris, deformitas corporis, imbecillitas, manuum esse, malum accidere vnde sperabatur bonum, aut euenire bonum quando eo frui non possis. Quæ omnia tunc maximè ad commiserationem mouẽt, cùm vel oculis præsentia cernuntur, vel certè propinqua sunt, siuè paulo ante præterita, siue mox adfutura. Qui autem summam adepti fœlicitatem sibi videntur, aut in extrema miseria sunt, aliorum minimè miserentur: quòd illi nihil aduersi accidere sibi posse putent, si peius nihil vereantur; extrema scilicet iam passi. Item qui agitantur ira, aut confidunt plurimùm, quoniam de futuro non cogitant: quique vehementi quopiam timore correpti sunt, perturbatione propria occupantur. Contrà facilè miserentur, qui mala experti euaserunt: senes qui & experti, & imbecilles, & timidi: Docti, qui eadem

sibi euenire posse ratiocinantur: ac demum qui parentes, liberos, vxores, propinquos, & amicos habent; quoniam his eadem timent. Commiserationis porro effectus lacrymæ esse solent: interiore namque tristitia contrahente ac comprimente cerebrum aqueus fluit humor. Quòd si cerebrum sit siccum, non fluent lacrymæ, capite tamen dolebit.

Indignatio. Ceterum commiserationi indignationem opposuit Aristoteles, velut tristitiam propter aduersas res indignè illatas. sic enim definiuit; & vtrãque voluit bonorum esse morum, quippe vel dij ipsi indignari dicũtur. Indignè autem illata, tum mala esse possunt, tum bona, perinde enim hæc indignationem mouent, siue bona in improbos homines, siue mala in probos, & omninò, siue bona, siue mala in non meritos conferantur: quoniam indigna & mala vtraque collatio est. Magisque indignari solemus, si hæc noua sint & nuper adiecta, quàm si à maiorib. accepta: quòd hæc quasi naturalia & possidentium propria videantur, illa quasi aliena & indignè collata. Facilè verò indignantur duo hominum genera. Primum, boni ac virtutis amatores: deinde qui magnis potiuntur bonis, illáue appetunt, vel sibi deberi putant. quippe illi de rebus optimè iudicant, quodque iniustum est, oderunt, nempe aut bona malis, aut mala bonis donari. Hi autem indignum arbitrantur aut alios sibi haud similes similibus potiri bonis, aut conuenientia sibi bona commeritosue honores non dari, aut in immeritos sibíque inferiores ac deteriores conferri.

Similia. Sed & inuidia commiserationi videtur opponi, velut indignationi proxima: hoc tamen magnopere differt, quòd inuidia tristitia sit propter euenientia alteri bona; sed non indigno, vt indignatio, verum æquali & simili, siue genere, siue propinquitate, ætate professione, gloria, diuitiis, & similibus. Idque propterea quòd illius bonum apprehendamus tanquam nobis malum, opinantes inde bonum nostrum offendi ac minui. Itaque inuidiæ obiectum sunt honores, diuitiæ, gloria, & similia bona. Illíque obnoxij maximè sunt æquales & similes. Deinde ij, quos fortunatos vocamus in quos penè omnia confluunt bona. Nam quod illis datur, inferri nobis & interdum deberi opinamur: Maximè verò si ea ipsi possederimus aliquando. Propria illorum est hæc perturbatio, qui aut ambitiosi sunt, aut auari, aut alio simili affectu ducũtur, aut ex re quauis gloriam quærũt: pusillanimos etiam addit Philosophus, quòd magna illis omnia videantur. Inde pallor, liuor, aspectus tristis: neque vlla, dixit quidam, iustior est perturbatio. Nulli enim magis, quàm inuido, nocet.

Æmulatio. Æmulatio quoque inuidiæ proxima & affinis esse videtur. Nam & ipsa est tristitia quædam propter bona, quæ nostri similibus eueniunt. At non propterea quòd illis adsint, sed quòd non item nobis. Quam ob causam verissimè pronuntiauit Aristoteles, inuidiam improbum quidpiam esse & improborum, æmulationem probum & probotum. Etenim hæc incitamento nobis est ad consequenda bona, illa proximis impedimento. Æmulationis obiectum vniuersè quidem est bonum honorabile: in specie autem virtus primùm, deinde quæcumque aliis vtilia & ad benefaciendum apta. Virtutem siquidem primum, deinde beneficentiam honoramus. Quocirca eos præsertim æmulamur, quibus hæc suppetunt. Propterea etiam eos, quibus multi similes esse vellent, aut quibus amici multi, aut qui apud multos in admiratione sunt laudibúsque celebrantur. Horum contrarios contemnimus, contemptúsque æmulationi contrarius est. Sanè Iuuenes atque Magnanimi præcæteris æmulantur; quoniam & dignos se iudicant iis bonis, & multa nituntur spe.

Tristitia pessima perturbatio. Verùmenimvero ad genus vniuersum reuertamur. Omnino pessima omnium perturbatio Tristitia est, tum animæ, tum corpori; Animæ namque operationem omnem impedit; dum & voluptatem tollit, quæ operationem prouocat, promouet, & perficit, atque contrahit, & à corporis instrumentis auocat spiritum & calorem, sine quibus operatio nulla. Ita tristes vix operari quidquam posse videntur; aut si operentur, tardè & imperfectè operantur: Corpus verò debito atque opportuno sanguine, spiritu & calore priuat; córque nimium grauat, vt tãtopere oppressus homo videatur vt nequeat respirare: Vndè gemitu & suspiriis recreationem ac leuamen queritat. Mitto grauissimos morbos, de quibus Medici. Certè manifestum est perturbationes eas obesse magis, quæ motum in corpore faciunt inimicum naturæ; sanguinis inquam & spiritus contractionem, quibus vniuersa sustentatur natura. Plurimùm verò tristitiam, quæ præsens habet & incubans malum.

Tristitiæ remedia. Proderunt non parùm balnea & somnus; quibus recreatur corpus, & in pristinum quasi statum reponitur, vt benè operari queat. Proderit exercitatio moderata; tum quia excitatur calor, qui aduersatur tristitiæ, eámque fugabit, tum quia spiritus recreatur. Proderit ciborum delectus, si tenues sint, calidi & humidi, bonique succi, vicnúmque album & bonum moderatè hausturn. Proderit interdum fletus: recreatur enim & leuatur animus. Proderit honesta & moderata voluptas. Omnis enim delectatio medicina tristitiæ est; quia contraria contrariis curantur. Proderit amicorum consolatio; amici siquidem consolantes quoquo modo tristitiæ nostræ participes facti miseriam nostram minuunt: dúmque ob mala nostra dolent & miserentur, amorem testantur suum, qui voluptatem parit. Proderit demum literarum studium, contemplatio, & alia quæuis animi distractio & auocatio ad aliud quidpiam. Nam & varietas oblectat animum, & à tristi cogitatione, quæ angebat, remouet.

De Ira.

Ira definitio. IRam definiuit Philosophus in 2. de arte dicendi cap. 2. apparẽtis vltionis appetitum esse cum tristitia, propter apparentẽ despicientiam, vel sui, vel suorum cuiuspiam; eamque immeritam. Quam Stoicorum quoque definitionem fuisse testatur in 4. Tusculana Tullius. Ira, inquit, est libido puniendi eius, qui videatur læsisse iniuria. Sanè eos, qui non irascuntur propter quæ opor-

tet, & vt oportet, & quando, & cõtra quos oportet, stolidos esse. Et qui æquo animo se suosque contemni patiatur, neque læsus doleat; eum ignauum animum præse ferre affirmauit. Idem ipse Philosophus in 4. moralium capite 5. Imniò bonorum virorum esse dixit Tullius vehementer irasci, cùm iniustè lædantur. Sæpè namque iusta est laudabilis ira: etsi plerumque errent homines, eáque magnopere abutantur, iniuriam eam esse putantes, quæ non est. Ira igitur appetitus esse dicitur aut appetitio potius; quoniam sentientis appetitus perturbatio est, non rationis. Apparentis seu speratæ vltionis: quia nullus vehementius irascitur illi, cui nocere non possit, vt Regi aut Principi: & nisi ipsa affulgeat illa, in se potius tristatur ac prosternitur anima, quam irascatur. Additur (cum tristitia) quòd appetitiones multæ sint atque cupiditates absque tristitia. Denique causa, quæ commoueat iram, subiungitur esse despicientia; sic enim vocem illam vertimus (ὀλιγωρίαν) quæ parui fieri significat. Despicientia inquam non commerita, aut certè non commerita existimata. Alioqui si nos illa dignos agnoscimus, non irascimur, sed confundimur, aut de vitiosa actione dolemus, alióue simili commouemur affectu.

Altera ira definitio.

Cæterum vniuersam hanc definitionem dialecticam non naturalem appellauit Aristoteles in text. 16. libri penult. operis huius de anima: quòd sola constet forma, neque materiam contineat. Naturalem autem exposuit in text. 15. Ira metus quidam est talis corporis aut partis, aut facultatis, ab hoc huius gratia. Cuius definitionis eo loco interpretationē fecimus: nunc adnotasse hoc satis. Illudque addendum. Iram laudamus simplicem perturbationem, sed ex duabus quasi compositam esse: Duos enim continet motus: quorum prior tristitia est ob despicientiam ceu offendens malum: posterior vltionis desiderium, qua malum illud remoueatur. Quare ex tristitia & cupiditate seu desiderio composita esse videtur: aut circa idem obiectum alia atque alia ratione mouens. Ad tristitiam, quatenus præsens est: & ad desiderium, quatenus remoueri potest, aut circa duo diuersa & pugnantia: Iustitia circa despicientiam vt malum, & desiderium circa vltionem vt bonum, quo remoueatur malum: quare si vltionis spes adsit, voluptas nascitur tristitiæ contraria, quam Homerus melle dulciorem in virorum pectoribus glisscere dixit. Sed & in corpore duo consequuntur contrarij item & pugnantes motus. Iustitia namque ex despicientia proueniens contractionem sanguinis & spiritus facit ad cor; appetitus vltionis dilatationem & expansionem eorumdem à corde ad exteriores partes.

Iram simplicē vnam perturbationem non esse.

In ira duo contrarij motus.

Quomodo autem ab odio differat ira, explicatum reperies in 2. de arte dicendi cap. 4. Primū enim habent se vt causa & effectus; siquidem ira inimicitiæ, & odij causa est. Deindè ira circa ea versatur, quæ ad nos ipsos aut ad nostros pertinent, vt definitum est. Circa despicientiam inquam sui aut suorum: odium autem ad alios sese extendit: Iam verò irascimur hominibus singulis non vniuerso hominum generi, sed aut vni, aut aliquibus certis hominibus: vt vni ciuitati aut Reipub. Causa est, quoniam ira nascitur ex despicientia; despicientia autem, vt actio quædam est, ira singularium hominum est, non vniuersi generis, actiones enim omnes singularium sunt, vt est in proœmio Metaph. At odium vniuersi generis esse potest: vniuersum quippe calumniatorum ac purum genus odimus. Immò vniuersum genus hominum oderat Athenien sis ille Timon qui extinctos omnes cupiebat; Alcibiademque adolescentem amplectebatur, quod multa Athenien sibus mala illaturum eum præuideret. Idem ficum excisurus horti, in qua se suspenderant multi; in Senatu prius edixit: si quis vitæ affectus tædio suspendium cogitat, properet ad laqueum priusquàm ficum succidam. Vndè carmen illud sepulchro eius adscriptum à Callimacho: Hic osor iaceo Timon hominumque Deumque: & illud ab ipsomet Timone; Nomen ne quæras: Dij lector te malè perdant. Odium enim hoc Timonis erat, non ira. Hinc præterea potest odium sine ira & vltionis appetitu esse; Iraque vicissim potest ab odio vero separari. Non enim vult absolutè malum despicienti, sed quatenus se despexit, & vt à se repellat malum. Ira semper est cum tristitia & dolore propter illatam iniuriam, doloremque inferre illi cupit à quo iniuriā accepit. Vult enim vlcisci, idque exteriori & sensili actione, quæ aliis manifesta sit. Odium sine dolore esse potest: neque tam dolorem inferre cupit, quàm affligere, licèt latenti ac minimè sensili & conspicuo malo, vt iniustitia, amētia, vitioue alio, quod nequaquam dolorem facit. Denique irati commiseratione permouentur. Sublata enim iræ causa, quæ fuit iniuriæ mox miserentur. At odientes nunquàm, immò non esse cupiunt eum quem oderunt. Hæc fermè Aristoteles, sed & odium deterius est, quàm ira: tum quia ira repentina est, moxque sedatur. Odium diuturnum & velut obfirmatum. Tum quia obiectum iræ bonum est, & iustitiam quoquo modo adducit comitem; cum vltio actus iustitiæ sit: & ideò mensuram habet, eoque tantùm progreditur, vt despicientia & iniuria tollatur, parque pari reddatur: odium, & malum quærit, & sua natura est absque mensura: quia quod odimus, illud vellemus omnino non esse. Cæterum vt spes acuit desiderium, sic audacia iram: crescit enim desiderium, si consequi te posse credas, adestque statim audacia, si ad repellendam iniuriam adsint adiumenta: quod enim spes est in assequendo bono, hoc est audacia in repellendo malo. Quare timori opponitur audacia, siue desperationi spes.

Odium Timonis in homines.

Ira vt ab odio differat.

Iram auget audacia.

Ira tamē quoque modo ratiocinationem continere videtur, qua tum despicientiam aut iniuriam esse, tum repellendam eam esse atque vlciscendam ostendatur: & Ebrij propterea non irascuntur, quod ratione non vtantur. Quocirca verè scriptum fuit illud ab Aristotele in 7. moral. cap. 6. minùs turpem esse incontinentiam iræ, quàm cupiditatum: quoniam ira rationem odire videtur: cui in bestiis naturæ instinctus succedit, dum non ob despicientiam, sed ad sui conseruationem incitantur. At quemadmodum in homine res eueniat, duplici exemplo pulchrè declarat. Sunt, inquit, festiui ministri faciunt; qui priusque omnia, quæ dicuntur, audiuerint, excurrunt; deinde ab actione aberrant: & canes

Ira rationē quoque conseruationem conseruat.

" quoque antequã inſpexerint an amicus ſit quiſ-
" piam, modò ſtrepitum fecerit, latrant: ſic ira ob
" feruorem celeritatemque naturæ, audiens qui-
" dem, ſed non quid præcipiatur attendens, ad vin-
" dictam imitatur. nam ſtatim atque ratio vel ima-
" ginatio contumeliam aut contemptum eſſe oſtẽ-
derit, ipſa quaſi ratiocinando collegerit bellum
ei eſſe inferendum, indignatur, &c.

Tria igitur conſideramus in ira: Res, propter quas ira mouetur: Homines, qui iraſcuntur: & eos, quibus iraſcuntur. Cauſa iræ malum eſt offendens, quod repelli poſſit. Quia enim malum eſt, triſtitiam facit & accenſionem: quia verò repelli poteſt, appetitum excitat. Speciatim autem eſt deſpicientia, quæ opinionis actus eſt, in ea re, quæ æſtimatur non digna. Hæc radix eſt iræ: quia maximum malum iudicatur, quod excellentiam tollit, quæ plurimi nimirum fit à nobis. Cuius tres commemorantur ſpecies, deſpectus, violentia, contumelia. Deſpectus ſeu neglectus omiſſionem ſignificat honoris illius, quo nos arbitramur dignos. Violentia impedimentum, quod opponitur ei, quod nos vellemus, vt ſuperior nobis videaris. Contumelia in verbis conſiſtit & factis, quæ vituperationem habeant aut probrum: atque ad contumeliam quatuor ferè concurrunt: in patiente offenſio & ignominia: in inferente, vt is nil inde ſibi quærat, ſed ſolùm voluptatem capiat, vt ſuperior videatur. Neque ſolùm propter factum, ſed & propter facti deliberationem iraſcimur: ſi quem audiamus ſtatuiſſe nobis nocere. Contumelioſi maximè ſunt Iuuenes & Diuites: quòd inanem ſectentur gloriam. Exemplo eſt Alcibiades ille adoleſcens, qui obuios quoſque ſine cauſa pulſabat: cumque præceptoris cuiuſdam ludum ingreſſus Homerum ſibi dari poſtulaſſet, iſque non eſſe ſibi Homerum reſpondiſſet, pugnis & calcibus illum malè habuit. Obliuio etiam dicitur eſſe cauſa irę, quod neglectus quidam ſit & deſpicientia.

Ira obiectum & cauſa. *Deſpectus.* *Violentia* *Contumelia.* *Contumelioſi qui.*

Iracundi qui.

Iracundi verò homines aut natura ſunt aut caſu. Natura, quibus flaua abundat bilis. Cholerici enim facilè commouentur, ſed ferè etiam facilè ſedantur. Qui frigidioris temperationis ſunt, minùs iraſcuntur, ſed conceptam iram diutius retinent. Sanguinei cito concipiunt propter calorem, & facilè remittunt propter humorem. Item qui elato ſunt animo & ſuperbi, quique ingenio ac cæteris donis præſtare ſeputant. Dignos enim ſe honore opinantur; indignumque ſi contemnantur. Caſu autem qui morbo, paupertate, ſenectute, moleſtiis aut cupiditate premuntur aliqua, vt amantes: Vnde rixæ, vulnera, cædes. Morbus iracundiorem facit, quod qui illo laborat, moleſtia premitur. Senectus autem ipſa morbus. Pauperes vt cauſam habent, ita contemni ſe putant, & fortaſſe rebus ad vitam neceſſariis, quibus eo tempore carent, antea abundabant. Pueris ac iuuenibus propter calorem prompta eſt ira, ſed breuis. Senibus grauior ac diuturnior. Ieiuni facilè iraſcuntur, quòd bili vexentur. Vnde in Amphytrione Plautus:

Fames & mora bilem in naſum concĩunt.

& Zeno cùm eſſet natura triſtis ac ſeuerus, atque in conuiuio hilarior fieret, cauſam rogatus, Lupinum quoque reſpondit ſuapte natura amarum, in aqua maceratum amaritiem deponere.

A Item qui rem ſeriam acturi ſunt, ſi fortè impediantur. Item qui publicè & præſentibus aliis reprehenduntur: Creſcítque ira ex circunſtantiis: ſi hoc aut illo modo lędatur, ſi dum ille iraſcitur, tu læteris & rideas, neque cõdoleas: ſi præter ſpem & expectationem lædatur: ſi ab eo, à quo honorem expectabat vel laudem: & huiuſmodi aliis pluribus. Fitque vt maximè ad iram procliues ſint, cùm dolore aliquo aut ægritudine conficiuntur. Nam qui dolet, aliquid cupit, quo liberetur moleſtia: quare ſi quem impedimento eſſe putat, iraſcitur plurimùm. Immò niſi cum illo doleas, aduerſari te arbitratur & ſine cauſa iraſcitur.

B Iraſcimur igitur his vel maximè. Primò iis, qui deridenti, vel contemnunt, vel conuiciantur, facetiíſque, argutiis, & aculeatis laceſſunt dictis: præſertim ſi contumeliæ tantùm gratia id agant, non vt vlciſcãtur vel reportent commodum. Secũdò iis, qui ſiue directè, ſiue indirectè, cupiditatibus atque conatibus reſiſtunt noſtris, aut non adiuuant cùm poſſint: multò magis, ſi contra moliantur. Præſertim verò ſi fuerint inferiores: nam non ſolùm contemnere, ſed & ſuperiores eſſe velle videtur. Tertiò illis, qui nos in morbo, paupertate, aliáve miſeria vel neceſſitate conſtitutos contemnunt, aut certè non adiuuant, cùm poſſint aut debeant. Multò autem magis, ſi ob aduerſam noſtram fortunam lætari ac geſtire videantur: quoniam id tum contemptus, tum inimicitiarum indicium eſt. Quartò illis, qui nos in iis rebus vituperant, quibus maximè ſtudemus, & in quibus laudem quærimus: ſiue ad animum ſpectent, vt Philoſophia: ſiue ad corpus, vt pulchritudo & formoſitas. Si præſertim in iis nomen nondum & exiſtimationem acquiſiuerimus. Ita Socrati ſuccenſet Polus in Gorgia, quòd ſe rhetoricæ artis, cui præcipuè ſtudebat, imperitũ argueret: & Piſoni Tullius, quòd carmẽ illud ſuum reprehendiſſet: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Qui verò perfectè tenent, famámque iam ſibi comparárunt, non curant, ſed contemnunt & irrident vituperatores. Quintò, amicis magis, quàm inimicis, ſi ab illis fortaſſe lædamur. Tum quia hoc ab illis minus expectabamus: Tum quia iuſtum erat nos ab illis benè tractari. Quare prouerbium illud adfert Ariſtoteles in 7. Polit. cap. 7. fratrum contentiones & ira ſunt acerbiſſimæ, & qui ſe nimiùm amant, hi ſe nimium oderunt. Sextò illis, qui nos honorare, noſtríque curam ſuſcipere, ac de nobis benè mereri conſueuerant. Si enim id facere deſinant, contemnere putantur. Septimò ingratis quibúſque & iis, qui vbi ſeſe offert occaſio, beneficia non reddunt. Quæ ſanè ira iuſtiſſima eſt. Octauò illis, qui nos coram iis contemnunt, & apud illos deprimunt, apud quos honorari, & quibus admirabiles videri cupimus. Nonò iis, qui erga ceteros liberales & aut miſericordes eſſe ſolent: erga nos verò non videntur eſſe: graue namque eſt ſolum contemni, ſolúmque indignum iudicari. Decimo iis, qui non ſuccurrunt illis, quibus turpe eſt non ſuccurrere: vt parentibus, liberis, vxori, ſubditis.

Quibus iraſcimur.

Verùm in 4. moralium lib. cap. 5. tres veluti ſpecies iræ commemorantur. Quidam enim homines celeriter commouentur, ſed citò placan-

Iræ tres ſpecies.

tur: quales dixim⁹ esse Cholericos. Tenuis quippe est flaua bilis, & celeriter inflammatur, eadémque celeritate extinguitur. Quidam tardi quidem ad iram sunt, sed vbi fuerint irati, satis ægrè placantur: quales ij sunt, qui flauam bilem atræ permistam habent. Hæc enim vt crassior est, sic paulò tardius excitatur, & paulò quoque tardiùs sedatur. Quidam denique & vehementer irascuntur, & nunquam in gratiam redeunt, nisi vindicatio aut animaduersio consequuta sit: quales ferè sunt melancholici. Etenim hic humor, quia crassus est planéque terreus, difficillimè extingui potest. Prima excandescentia nominatur, altera amaritudo, tertia acerbitas, vel sæuitia, vel etiam infensio. Quæ tamen haud veræ species esse videntur: cùm non secus differant, quàm secundùm magis & minùs: quòd celeriùs vel tardiùs aut accendantur, aut extinguantur. Neque ab his tres illæ secus, quàm appellatione ac voce, diuersæ sunt, quæ ex S. Ioan. Damasceno & Nemesio commemorantur à S. Thoma 1. 2. quæst. 46. fel, mania, & furor.

Iræ effectus.

Sanè omnis ira propter apprehensum malum efficit sanguinis motum ad cor: non tamen vt ibi quiescat, quemadmodum in tristitia: sed vt iterum reuertatur & feriat, malúmque repellat: Quare maiorem quàm tristitia, commotionem habet. Propterea accenditur sanguis in corde & feruet: & quãuis in amore quoque accendatur & ferueat, feruet tamen cũ dulcedine & voluptate: in ira verò cum amaritudine & tristitia. Inde externa quoque produntur signa: pallescũt aliqui, quia contrahitur sanguis: alij rubescunt, quibus callidior & nobilior sanguis: palpitat cor, vox que & sermo impeditur: nam & ratio turbatur, cuius nuntius est sermo: & impediuntur vocis ac sermonis instrumenta. Accenduntur etiam & rubent oculi, accenso scilicet sanguine & ad exteriora pulso. Denique exteriora quædam eduntur signa, quæ contrarium illius indicent, quod contemptor visus est voluisse: vt iactantia, & similia alia, quæ ad malum illarum & iniuriam repellendam spectant.

Iræ damna.

Sed omnino ira tum corpori obest, tum animæ. In corpore comburitur sanguis, & gignitur melancholia, morbíque non leues. In anima rationis rectæ turbatio est, actionésque vitiosæ non paucæ. Et nisi temperetur ira, insaniam interdum & rabiem adducit. Temperat autem mansuetudo, de qua in 4. moral. lib. Hæc inter stoliditatem & iram mediocritas est, quæ iræ habenas ita moderatur, vt non nisi ex rectæ rationis præscripto, vbi oportet, & quantum oportet, irascamur, nec vnquam discedamus ab eo, quod virum prudentem deceat. Frigidi verò cibi cholericam corporis temperationem non parùm iuuabunt, aliáque complura adiumenta apud probatos scriptores extant, non minùs prudenter collecta, quàm copiosè explicata: quæ quilibet virtutis amator diligenter conquiret. Nos enim iam Aristoteles ad se reuocat.

Remedium.

TEXTVS.

Εἴδει μὲν οὖν ἓν τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτικὸν ἢ ὀρεκτικόν· πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν· τοῦτο γὰρ κινεῖ, ἀκίνητον ὂν, τῷ νοηθῆναι, ἢ φαντασθῆναι. ἀεὶ μὲν δὲ πλείω τὰ κινοῦντα.

Specie quidem fuerit vnum mouens, appetitiuum quatenus appetitiuũ. Primum verò omnium id, quod appetitur. Hoc etenim mouet & non motum: quod intelligatur phantasiáve comprahendatur. Numero autem plura mouentia. Text. 54.

COMMENTARIVS CLVIII.

NVM vnum sit principium mouens in animalibus, duobus modis tractauit Philosophus, quoniam duplicem difficultatem habebat. Prior fuit, quoniam tum intellectus tum appetitus mouere videntur: atque de hac appetitum constituit primariam mouendi vim habere: ideóque si non absolutè, principem tamen vnum motorem esse. At reliqua erat posterior: quoniam hic ipse appetitus multiplex est, siue rationalem dicas & irrationalem, siue voluntatem, concupiscentiam, & iram. Hanc igitur posteriorem proximè superioribus verbis explicare agressus ex appetitionum contrarietate pugnáque vrgebat non solùm plura, sed & contraria inquiens esse: aut plura probans, quia contraria. Nunc explicationem absoluit ac dubitationem tollit. Specie namque vnum est mouens, numero plura.

Vnumne an plura mouentia.

Quorum verborum alienam prorsus à Philosophi mente interpretationem fecit S. Thomas: dum omnia mouentia dixit vnius speciei esse, quòd primi mouentis participatione moueant omnia. Nam primum mouet vt finis, cætera vt efficiens. Melius Philoponus speciem dixit pro genere, vt alibi sæpius fuisse positam. Quippè appetitiuum vnam genere facultatem dicim⁹, sicut & sensitiuum: atque vt quinque sensus sub illo genere ponimus, ita & voluntatem, concupiscentiam, & iram sub vno appetitiuo genere. Cõsentit quoque Themistius, eodémque vsus exẽplo est, dùm text. 52. interpretaretur. Simplicius autem vnum specie dici mauult, velut homonymum ab vno & ad vnum. Rationalis namque appetitus irrationali præstantior est: atque hic ad illum, cuius præse fert speciem, appetitus dicitur. At in his synonymiam potiùs, vt & in sensibus animaduertas: cùm præsertim belluarum appetitus per se & absque ordine ad rationalem, sed per ordinem ad appetendum obiectum, appetitus sit. Neque quod vna species altera præstantior sit & melior, synonymiam generis interire: ostendit animal, quod de rationali atque irrationali synonymè dicitur, etsi præstantius sit illud quod rationale dicitur. Et quid tandem intersit, aut animal rationale & irrationale dicere, aut rationalem appetitum & irrationalem. Vnum igitur est mouens, quia est appetitiuum quatenus appetitiuum. Nam siue voluntas moueat, siue concupiscentia, aut ira: quia tamen non mouent quatenùs tales sunt, sed quatenùs appetitus, propterea vnum est mouens, appetitus: plura verò dum se-

Appetitus ange nus synonymum.

cundùm ſuam cuiuſque propriam vim & ratio- A
nem conſiderantur.

Primum mouens, obiectum appetendum.

Cæterum inter hæc duo membra quidpiam interponit Philoſophus. Cùm enim vnum dixiſſet eſſe in animalibus primarium mouens, appetitiuum: antequam plura numero eſſe ſubiungerit, addendum putauit, extrà animal aliud eſſe mouens appetitiuo prius, àquo ipſum quoque appetitiuum moueatur. Hoc autem eſt res appetenda: non ea, quæ poteſtate eſt: ſed quæ intellectu aut phantaſia cognita tanquam bona appetituique propoſita mouet illum actu ad appetendum: ſubindéque appetitus motus mouet animal ad proſequendum.

Vt animal moueatur.

Ita pulchrè totam hanc difficultatem expedit. Sed vide quàm multa paucis verbis comprehendat. Primùm duo eſſe mouentia: vnum in animali, alterum extra animal: in animali appetitum, extra animal rem appetendam: Deinde appetitum mouere vt efficientem motus cauſam: rem appetendam vt finem, cuius deſiderio fit motus. Tum verò, vt appetit° moueat, duo neceſſaria eſſe: alterum eſt res appetẽda: alterum illius cognitio, ſiue intellect°, ſiue phãtaſiæ: vt appetitui proponatur cognitáq; mouere poſſit. Præterea rem appetẽdam mouere ſua bonitate, cognitionẽ verò conditionem eſſe, ſine qua mouere non poſſet. Proponatur enim appetitui oportet, cognitionéque proponitur. Quò magis declaratur id quod anteà poſitum fuit, etſi duo ſint mouentia, intellectus & appetitus, potiorem tamen appetitum eſſe: quoniam is eſt, qui verè ac reipſa mouet: intellectus autem vt coadiuuans, proponendo illi rem appetendam: & omnino vt conditio, ſine qua non moueret. Quippe non moueretur ipſe ad appetendum, nec animal ad proſequendum impelleret: niſi appetenda res cognitione illi proponeretur. Itaque tria omnino requirit motus in animali. Primo, cognitionem velut proponente obiectum. Secundò, appetitum tanquam impellentem ad illius proſequutionem. Tertiò virtutem exequentem, quæ eſt in neruis, D
muſculis: quaque illi contrahuntur & extenduntur. Denique rem appetendam eſſe vt mouens immobile: tum quia non mouetur ab alio: tum quia ipſum ad appetens non tendit (hæc enim vbique finis conditio eſt, vt immotus ipſe cæteras omnes cauſas ad cauſandum prouocet: ideóque cauſa cauſarum dicitur) & omninò non mouet quatenùs mouetur, ſed quatenùs intellectu aut phantaſia appræhenditur: appetitum verò vt mouens motum, dùm ab appetenda re motus mouet animal. Quam ob cauſam Philoponus Ariſtotelem hoc loco credidit cauſas ſecundùm locum mouentes diſtinxiſſe: quaſdámque poſuiſſe mouentes non motas, alias tùm mouentes tùm motas. Quod tamen intentione primaria fuiſſe factum non credo. Verùm vt mouens motum, appetitiuum, eſt vnum ſpecie, numero plura: ſic & mouens non motum, appetibile, vnum ſpecie intelligas, numero plura & diuerſa.

TEXTVS.

Ἐπειδὴ δέ ἐστι τρία, ἓν μὲν τὸ κινοῦν, δεύτερον δέ, ᾧ κινεῖ· ἔτι τρίτον τὸ κινούμενον. τὸ δὲ κινοῦν διττόν, τὸ μὲν ἀκίνητον, τὸ δὲ κινοῦν καὶ κινούμενον, ἔστι δὲ τὸ μὲν ἀκίνητον, τὸ πρῶτον ἀγαθόν, τὸ δὲ κινοῦν, καὶ κινούμενον, τὸ ὀρεκτικόν. κινεῖται γὰρ τὸ ὀρεγόμενον, ἢ ὀρεκτὸν καὶ ἡ ὄρεξις κίνησίς τις ἐστὶν ἡ ἐνέργεια. τὸ δὲ κινούμενον, ἔστι τὸ ζῷον. ᾧ δὲ κινεῖ ὀργανικῶς ἡ ὄρεξις, ἤδη τοῦτο σωματικόν ἐστι. διὸ ἐν τοῖς κοινοῖς σώματος καὶ ψυχῆς ἔργοις διαιρητέον περὶ αὐτῶν.

Quoniam verò tria sunt, vnum quidem mouens: secundùm autem quo mouet, & adhuc tertium quod mouetur. Mouens autem duplex, alterum quidem immobile, alterum verò mouens & motum. Est autem immobile quidem, agendum bonum: mouens autem & motum, appetitiuum. Mouetur enim id, quod appetit, quatenus appetit: & appetitus motus quidam est, quatenus actu. Quod autem mouetur, animal est. At quo mouetur instrumento appetitus, id iam corporeum existit. Quocirca in communibus corporis & animæ operationibus considerandum de eo. B

COMMENTARIVS CLIX.

COlligit tandem ex ſuperiori tota diſputatione quæcumque ad animalium localem motum efficiendum concurrunt. Hæcque omninò ſunt quatuor. Nam etſi tria primùm proponat, mouens, id quo mouet, & id quod mouetur: Mouens tamen in duo ſtatim partitum ex ſuperioriaccipit oratione: in mouens inquam immobile & mouens motum. Mouens immobile, res appetenda ſeu agendum bonum, mouet vt finis: mouens motum, appetitiuum, vt efficiens. Quippè hoc dùm actu appetit, ab appetitu mouetur, quatenùs actu appetit, & appetitus motus quidam eſt, quatenùs actu fit. Quámque duplicem huius loci lectionem eſſe poſſe, Simplicius memorat: addo & triplicem. Aut enim cum diſiunctione legimus (ἢ ἐνέργεια) vel operatio ſeu actio) ſit quidem appetitio, ſi accuratè loqui velis motus non eſt, ſed appetitus operatio & actio. Ita Philoponus Ariſtotelem ait, cùm dixiſſet motum correxiſſe ſermonem. Tum quòd animam non moueri poſuiſſet in primo libro: Tum quòd motus eſt actus imperfectus ſenſúmque progrediẽs: appetitio autem operatio perfecta, momentanea, totáque ſimul. Plutarchus tamen teſtimonio Simplicij motum quoque Platonico more fuiſſe dictam autumat, vt à re appetenda ſuſcitatur ad appetendum: quaſi hæc ſuſcitatio ſit motus. Et Alexander, quia appetitus etiam cùm ſit virtus corporea, ex accidenti mouetur cum corpore. Et Simplicius, quoniam ad motum prouocat atque in motum deſinit. Niſi etiam dicas, tum motum, tum operationem eſſe: operationem intrinſecus excitatam in anima, quæ in bonum propoſitum tendit: motum autem corporis cum animæ operatione coniunctum, ſiquidem concupiſcentia, ira, & huiuſmodi animæ affectus, ſine ſanguinis, ſpiritus, cordis, & omnino corporis immutatione, non ſunt. Aut potius ita (ἢ ἐνέργεια) quatenùs actus vt ſignificetur quomodo appetitio ſit

Quatuor ad animalis motiũ cũrentia.

Appetitio an motus.

motus quidam, nempe velut actio in motu desinens. Sed tertiam ego lectionem, quæ Auerrois quoque fuisse videtur, probo maximè (ἡ ἐνεργείᾳ) quatenus actu) Sic enim priori membro pulchrè respondet, quo id, quod appetit, moueri dixit quatenus appetit. Respondet autem, velut probatione subiecta, quoniam appetitus est quidam motus quatenus actu operâs, atque ab appetēda resuscitatus erigit sese attollitque, & in suum bonum impetum facit. Quare si appetitio motus quidam est, id sanè mouetur, quod appetit.

Hoc igitur est duplex mouens: vnum immobile, alterum ab alio motum. Quod autem mouetur solùm & non mouet, animal est, quod boni cogniti appetitione allectum mouetur motu iam propriè dicto, deque loco ad locum progreditur bonum prosequens concupitum. Verùm inter appetitum mouentem animalque motum aliud quidpiam est medium, quo appetitus vtitur ad mouendum, hócque velut instrumentum est, & corporeum quidpiam significat atque in corpore consideratur: quoniam illius interuentu atque vsu corpus mouetur. Corporeum autem dixit, & non corpus: quoniam corpus id est, quod mouetur: idque quoue instrumento mouet appetitus, diuersum esse oportet ab eo, quod mouetur.

Motus instrumentum quod.

Sanè duplici constat genere instrumenti, vtroque corporeo, animam vti mouendo: altero generali & communi operationibus omnibus, caloreinquam & spiritu, ideo namque refrigerato corpore absumptove spiritu aut nullus aut certè vix vllus est motus. Altero huiusce actionis proprio, neruo aut musculo tendonéue: qua de re satis diximus in iis, quæ de organico scripsimus corpore. Sic enim cor appetitionum omnium sedes motricisque virtutis principium effuso spiritu atque in cerebri sinibus temperato ac per neruos distributo, corpus vniuersum quasi habenis regit & quam libuerit in partem impellit. De calore & spiritu non est nunc Philosopho sermo: quoniam non generalia quærit operationum omnium instrumenta: sed id, quod localis motus proprium est & peculiare. Tametsi Simplicius hoc, quo anima in mouendo corpore vtitur, tanquam medium considerans inter mouens & motum, tum spiritum esse interpretatur, qui inter cor mouens & solidiores cæteras partes motas medius est. Tum id, quod superiores & inferiores, dextras & sinistras corporis partes copulat: quod quidem in superficie consideratur, vbi animal flectitur: atque dum vna parte mouetur, alia quiescit, vt finis partis quiescentis quiescit, & vt principium motæ mouetur. Verùm hæc parùm huic loco accommodatè dicuntur. Tum quia quod adfertur de spiritu, generale nimis est, vt iam monuimus: non proprium localis motus instrumentum. Tum quia si instrumentum est medium inter mouens & motum, medium quæsendum est inter appetitum & animal (hæc enim nunc tanquam mouens & motum proponuntur) non tamen inter cor & solidiores partes, aut inter superiores & inferiores, dextras & sinistras.

Tertiam autem adhuc interpretationem subiūgit idem Simplicius ex illa duplici ductam vita quam alibi sæpius posuit: instrumenti altera formatrice, altera formato instrumento vtente.

A Anima siquidem & instrumētarij corporis actus est, & vtuente corpore vt instrumento vtitur: at id, quod vtitur, necesse est diuersum ab eo esse, quo vtitur: quæ igitur vita instrumentario vtitur corpore, instrumenti forma esse non potest; sed instrumenti formatrix vita inter eam, quæ formato instrumento vtitur, & instrumentum ipsum, consistit media: corporeum tamen quidpiam, quoniam postrema vita est corpori perfusa penitus & permista. Ita vtens vita est vt mouens & efficiens. Formatrix vt id, quo mouet: instrumentum formatum id, quod mouetur. Cæterum hæc duplex vita nunquam Aristoteli venit in mentem: neque mouens, de quo nunc agitur vita est instrumento vtens: sed appetitus. Et quoniam Simplicius medij voce nititur totus, animaduertas quæso voce hac non vti Philosophum, sed solum dicere (quo mouet) quod non medium, sed instrumentum significare, statim adiūgit quo, mouet, inquit, instrumento appetitus, id iam corporeum est: Quod nequaquam spiritum interpreteris: tum propter rationem bis iam significatam; tum quod ea, quæ de hoc instrumento subiiciuntur in proximo contextu, de spiritu nequaquam affirmare licet.

B

C Neque cor, vt Themistio placuit, hoc vel maximè argumento, quod indicauit Philosophus: quoniam instrumentum ibi est agnoscendum, vbi principium existit & finis: vbi verò est cor, ibi principium & finis dextri & sinistri, superioris & inferioris, anterioris & posterioris: secundùm quas differentias fit motus. Quoniam cor appetitus quidem sedes est, motricique virtutis principium & fons: at motus instrumentum dici non debet: siquidem instrumentum id appellamus, quo alio nullo intermedio quidpiam efficitur, quoque immediatè flectuntur aut trahuntur corporis membra: quod neruis omnino aut musculis perfici manifestum est. Sed & ea est instrumēti conditio, vt motum moueat: cor vero Themistius ad motum accersit velut immobile quidpiam: dum omnem motum aliquo, animalium autem incessum duplici immobili ex libro de Animalium motu accipit indigere: vno exteriori & conspicuo, velut terra, cui animal innixum mouetur, altero interno & recondito, circa quod corporis partes dextræ aut sinistræ, superiores aut inferiores, alternatis vicibus adductæ aut reductæ mouētur. Nam vt circà centrum immobile volūtur Globus, ita & cor in medio loco fixum & immobile esse oportet, circa quod & à quo partium motus fiat. Atsi fixum est & immobile, qui possit instrumentum motus appellari?

D

In animalis motu duplex immobile

Motus instrumentum quod?

E Nerrus, musculus, & tendo, tum mouentur, tum mouent: mouentur ab animæ appetitu motricéque virtute: mouent autem ossa & solidiores partes, quibus infiguntur, dum eas trahunt & flectunt, vel extendunt, adducunt, vel abducunt: Hæc igitur sunt id, quo vt instrumento mouet appetitus & mouetur animal. Quæ nimirum ab Aristotele in cap. 5. indicati libelli, qui est de causis motus animalis instrumentariis, commemorantur. Sanè in omni animalium motu, siue totus animalis sit, siue cuiuspiam partis: siue volatus, siue natatio, siue incessus: demonstrauit is necessarium esse aliquid immobile in ipsomet animali, cui motus innitatur. Ad illud non esse cor statuit,

Immobile quod in animali motū.

sed partem alteram quiescentem, superficiemue mediam inter quiescentem partem partémque motam. Atque hic est locus: in quem accuratam magis huius rei considerationem differt Philosophus. Communes autem animæ & corporis operationes vocat eas, quæ vsu corporis fiunt ab anima: qualis est motus. Cùm enim nunc agatur solùm de anima, non de corporis instrumentis, nisi quatenus anima per hæc operatur: satis est operationum principium in anima reperire: quæ verò corporis membra famulentur, in corporis potiùs consideratione quærendum est, quæ in libris de Animalibus continetur.

Iam verò quod attinet ad verba, principio illi (Quoniam verò tria sunt) quod suspensam habet sententiam: Alexander & Philoponus nihil reddendum putant. Neque enim hoc apud Aristotelem nouum & inusitatum. Sed Plutarchus ac Simplicius quidpiam reddunt. Cùm enim tria motui necessaria numerentur, & eorum vnum diuidatur in duo, colligendum esse inquiunt: quatuor igitur sunt motui necessaria. Eadem Themistij quoque videtur fuisse sententia.

TEXTVS.

Νῦν δὲ ὡς ἐν κεφαλαίῳ εἰπεῖν, τὸ κινοῦν ὀργανικῶς ὅπως ἀρχὴ καὶ τελευτὴ τὸ αὐτό, οἷον ὁ γλυσμός. ἐνταῦθα γὰρ τὸ κυρτὸν καὶ κοῖλον, τὸ μὲν τελευτή, τὸ δὲ ἀρχή. διὸ τὸ μὲν ἠρεμεῖ, τὸ δὲ κινεῖται, λόγῳ μὲν ἕτερα ὄντα, μεγέθει δὲ ἀχώριστα.

Text. 55. *Nunc autem (vt summatim dicam) quod mouet vt instrumentum, vbi principium & finis idem velut ginglysmus. Hic enim gibbum & cauum: alterum quidem finis, alterum verò principium. Quare alterum quidem quiescit, alterum autem mouetur, ratione quidem diuersa, magnitudine verò inseparabilia.*

COMMENTARIVS CLX.

LOngiorem alibi futurum de motus instrumento sermonem in pauca nunc contrahes, obscurè satis quodnam illud & quale sit proponit. Quod enim antea dixit (quo mouet instrumento appetitus) idipsum nunc ait (quod mouet vt instrumentum) illiusipsius scilicet appetitus, qui eo ad motum vtitur. Summatim autem explicat, tum quia in pauca contrahit ea, quæ pluribus in libro de animalium motu disputauit: tum quia non accurata demonstratione, sed similitudine sola explicat quomodo res habeat. Multiplicémque Philoponus putat similitudinem esse. Primùm principij & finis. Deinde ginglysmi, hoc est, ossium intexturæ. Tum motus secundùm naturam motúsque præter naturam: quos pulsus & tractus nomine comprehendit. Postremò circuli.

Quod nullus probauerit, qui Philosophi orationem attentius gerit. Vnicam namque ginglysmi similitudinem proponi reperiet: ad quam explicandam cætera pertinent omnia, quæ subjiciuntur. Quippe in eo tum principium est & finis, tum gibbum & cauum ingressúsque mutuus, tum pulsus & tractus, tum demum circuli duo sese mutuo subeuntes. Quamque sunt alia, quæ in hac Philoponi commentatione reprehendas. Quòd instrumentum motus, de quo hæc omnia dicantur, spiritum esse velit: quod medicorum inquiat sententia calorem innatum motus instrumentum non esse: in ginglysmo curuum & cauum ratione sola distingui, subiectóque idem esse: quoniam, inquit, in alio corpore curuum est, in alio cauum: cùm hæc ipsa subiecti, non rationis, distinctio sit. Rursum spiritum non vt vitalem, sed vt spiritum, moueri: quoniam immobilis anima est. Cùm tamen spiritus absque anima sursum duntaxat, vt corpus leue moueatur, in corpore autem & sursum, & deorsum, & in omnem partem. Et anima etsi immobilis per se sit, mouet tamen corpus, in quo est, & cum eo ex accidenti mouetur. Etsi spiritum animatum esse non damus. Vt nec illud: Id, quòd in animalium motu partim mouetur, partim quiescit, spiritum esse: nam in libro de Animalium motu diuersas esse corporis partes dicitur. Mitto cætera.

Mitto & vniuersam Simplicij interpretationem, subtiliter quidem excogitatam, at minus Aristoteli accommodatam: dum hæc omnia de formatrice instrumenti vita conatur ostendere. Cùm præsertim de corde quoque & spiritu & superficie inter oppositas partes media ipsemet fateatur exponi posse: déque his in libro de Animalium motu sit sermo. Vbi hæc in cap. 6. verba reperies: Secundùm rationem igitur causam motus dicentem appetitus est medium, quod motum mouet. In animatis autem corporibus oportet esse corpus tale. Quo loco duplex ponit mouens motum: alterum primarium, in anima, appetitum à re appetenda motum: alterum instrumentarium, in instrumentario corpore: partem illius quampiam, quæ ab appetitu mouetur. Neque inter hæc media formatrix instrumenti vita commemoratur vspiam.

Principiò igitur ponendum est, quid γογλυσμὸς seu γλγκυμὸς sit: apud Aristotelem enim ginglysmum, & apud Hippocratem in libro de locis in homine, Galenúmque in libro de ossibus, ginglymum legimus. Quem Hippocratis locum (vt hoc obiter admonem, & Aristotelem interim mittam) si obseruasset Galenus, recentiores primum Medicos non scripsisset vnam diarthroseos speciem ginglysmum appellasse. Multò namque antè Hippocrates scripserat. Ad genu os fœmoris biceps est: bicipitio autem huic os tibia appellata velut in ginglysmo adaptatum est. Indè Aristotelem tum vocem tum illius significationem mutuatum fuisse credi potest. Neque audiendum Simplicium esse, si Plutarchum sequutus ginglysmum dicat duorum esse anulorum complexum: quorum alter in alterum ita immissus est, vt conuexa vnius pars cauam alterius tangat. Appositè magis Philoponus: Ginglysmus, inquit, est duorum ossium constructio: eorum altero gibbo & rotundo in alterius cauitatem immisso. Nam & Aristoteles gibbum statim & cauum subiungit, & id ad animalium motum explicandum accommodatum erat maximè. Alexander tamen cardinum ingressus intellexit, quibus ostiorum ligna sustentantur & voluuntur: ginglysmumque dixit esse, quando circà Fibulam stantem adiunctus ei anulus contrariis intus & extra mouetur motibus. Hunc sequutus Themistius quoque videtur, cùm circà immobilem, inquit, fibulam alter-

Ginglysmus quid

lam alternis vertuntur ginglysmi. Parùm quippe fideliter hunc locum Latinè reddidit Hermolaus. Ego non facilè dixerim, an cardinibus hisce, an ossium intexturis fuerit primùm hæc vox imposita. Etenim naturæ quidem æmula & imitatrix vbique ars est, atque ossium commissuræ & animalium motus imitatione videntur cardines arte facti, ac de voce hac non ita fortasse licet pronuntiare, & à cardinibus ad hanc ossium intexturæ speciem significandam ea fuerit potiùs traducta. In cardinibus namque conspicua magis est res, quòd ars naturam perficiat. Sed cùm duplex cardinum existat forma: Altera qua ferramenti vtriusque: tum eius, quod fixum manet; tum eius, quod mouetur: pectines implexu mutuo sese subeunt, ac duplici velut anulo coniunguntur: Altera, in qua crassior clauus infixus parieti verticillum excipit portæ. Duplex quoque inde ossium articulatio nominata est. Altera γιγλυμὸς, in qua pluribus, aut sinibus, aut capitibus ita iunguntur, vt vnius caput in alterius sinum condatur, & alterius vicissim caput in illius excipiatur sinum. Altera γόμφωσις, vbi instar claui os infigitur ossi; vt maxillæ dentes. Quare dum Alexand. & Themistius ginglysmum interpretati sunt cardinem, in quo circa fibulam stantem mouetur anulus: duplicem cardinum formam non distinguentes, minùs omninò propriam vocis significationem tradiderunt.

Ginglysmus in ossibus & cardinibus.

Aristoteles igitur animalium motus explicaturus instrumentum, ginglysmi vtitur similitudine; omninoque illud ait esse velut ginglysmum. Quamuis non ita presse hanc vocem nominet, vt ab Enarthrosi & Arthodia distinguatur, pluribusque duntaxat capitibus ac sinibus constantem articulationem significet, qualis est fœmoris ad tibiam secundique ac tertij quatuor digitorum articuli. Sed ampliori acceptione pro quauis diarthrosi & ossium colligatione, quæ flectatur in motu. Cuius cardinum ginglysmum quẽuis pro exemplo ponit.

Vt enim cardinum vsu aperiuntur & clauduntur atque omninò mouentur lignea ostia, fenestræue: sic huiusmodi articulationum velut instrumenti vsu mouetur animal: siue totum incedat, volet, aut natet, siue parte sui quapiam, vt manu vel pede, moueatur. Tum in cardinum, tum in animalis motu, quidpiam est fixum & immotum: & aliud quidpiam, quod immoto illo sustentatum moueatur. Pars cardinis alteri ligno parietiue infixa manet, altera agitatur & voluitur: & in animali vnum os immotum quiescit, alterum ab illo pendens flectitur aut extenditur. Immota quiescit scapula, & mouetur brachium: immotum maneat brachium, mouebitur cubitus: quiescat cubitus, mouebitur manus. Immoto item femore mouetur tibia, hacque immota mouetur pes. Tum verò in cardine, tum in articulo, & finis est & principiũ: partis quiescentis & immotæ finis: principium autem eius, quæ mouetur. Ibidem & gibbum est & cauum: gibbum partis vnius subeuntis, & cauum excipientis alterius. Alterum principium, alterum finis: vt altera pars circa alteram flectitur & mouetur. Finis immotæ partis quiescit, principium motæ mouetur. Ratione sanè diuersa, magnitudine verò inseparabilia, quoniam eadem vtriusque partis extremitas, tum mota & quiescens, tum principium & finis esse potest: principium & mota, si pars illa circa stantem alteram moueatur: finis & quiescens, si circa illam altera moueatur. Et omnino principium motus in medio est; in medio inquam articulationis duorum ossium, vt & in coniunctione duplicis cardinum partis. Aut etiam ratione diuersa: quoniam articulationis pars vna mouetur, altera quiescit: magnitudine verò inseparabilia, quòd ambæ coniunctæ in articulatione sint & colligatæ.

Iam verò quoniam per artus motus omnis perficitur, artusque omnes articulantur thoraci, is velut medium existit, circa quod immotum & quiescens, tum brachia mouentur, tum crura. Et quoniam thorace cor continetur, velut appetitus & motricis virtutis sedes, hoc ipsum de corde quoquo modo licet affirmare. Sed vt de articulis potiùs singulis ego interpreter, faciunt illa verba (principium & finis idem) quæ nec thoraci nec cordi satis accommodantur. Nam etsi principium dici possent, quatenus motricem virtutem continent, ac rursum finis, quatenus circa illa immota mouentur artus. Manifestum tamen est non de principio mouente, sed de principio magnitudinis instrumentique corporei sermonem esse Philosopho: quod neque cordi, neque thoraci conuenit, quæ non mouentur, sed artuum motum immota sustinent. Minus etiam thoraci & cordi conuenit illud (ratione sanè diuersa, magnitudine verò inseparabilia) quoniam quiescentia & mota, & principium & finis non sunt. Denique quis cor ginglysmum esse dicat & articulum? Siquidem articulus omnis plurium ossium coniunctione constat: cor carneum totum est & molle, omnique caret osse, nec diuisionem habet. De partium igitur singularum articulis sermo est, quia his motus omnis perficitur, adestque absolutum & integrum instrumentum, neruo, musculo, tendone, osséque articulato constans. Ita vel ipse Philosophus interpretatur ad initium libri iam sæpius citati. Oportet, inquit, si particula quæpiam moueatur, quiescere aliam. Propterea flexus animalibus insunt: tanquam enim centro vtuntur flexibus: Fitque tota pars, in qua est flexus, & vna & duæ, & recta & flexa: quæ permutatur potentia, propter flexum. Cùm autem flectitur & mouetur, hoc quidem signum mouetur, illud autem manet in flexibus. Quibus verbis vniuersam comprehendit huius loci sententiam, déque membrorum articulis interpretatur, in articulationis centro principium ponens & finem. & in capit. 6. totidem inculcat verbis: Flexus, inquit, quod huius quidem principium, huius autem finis, dictum est: quare & vt vno, & vt duobus eo vtitur. Sed & demonstratio & exempla: quæ subiciuntur, horum sunt articulorum, brachij, cubiti, humeri: tibiæque genu, cruris, coxendicis. Principium tamen mouentis animæ in corde & thorace, in medio scilicet totius animalis, collocat in eodem capit. 6. tum vt inde membra omnia, tum dextra & sinistra, tum superiora & inferiora, mouere possit: tum quia ibi sensus & appetitus sedes est. Itaque principium motus primarium in corde fuerit, instrumentarium in membrorum artic-

Thorax vt medium immotũ.

In articulis potiùs quæritur.

lis, ſicut & ſenſus principium eſt cor, inſtrumentum oculus, aut alia quæpiam pars. Tum verò accedit ſpiritus, qui vim & vſum inſtrumentis omnibus præbet.

TEXTVS.

Πάντα γὰρ ὧσει καὶ ἕλξει κινεῖται, διὸ δεῖ ὥσπερ ἐν κύκλῳ μένειν τι, καὶ ἐντεῦθεν ἀρχὴν τοῦ κίνησιν.

Omnia namque pulſu & tractu mouentur. Quamobrem opus eſt, vt in circulo manere quidpiam, atque hinc incheare motum.

COMMENTARIVS. CLXI.

HÆc nimirum ad illud idem explicandum pertinent, quod de ginglyſmo velut animalis motus inſtrumento propoſuit. Quare cùm gibbum & cauum, principium & finem, quieſcens & motum, conſideraſſet in eo: alia nunc duo addit, pulſum & tractum, circulum & centrum: quibus animalium motus pulchrè declaratur.

Pulſus & tractus, qualis motus.

Pulſum & tractum minùs benè acceperunt Philoponus & Simplicius, tum motum ſecundùm naturam, tum præter naturam, ſignificare arbitrati. Omnia namque dixit, inquit Simplicius: quare & quæ ſecundùm naturam, & quæ præter naturam: pulſu & tractu mouentur. Nam quod (omnia) dicat Philoſophus, ad animalia ſpectat, de quibus eſt ſermo. Pulſum verò & tractum manifeſtum eſt motus eſſe præter naturam. Et Ariſtoteles in text. 10. libri 7. Phyſic. eos poſuit ſpeciem motus ab alio ſeu præter naturam: oppoſitam illi, qui à ſeipſo eſt & ſecundùm naturam. Omnis quippè pulſus aut tractus ab externo eſt.

Pulſus & tractus vt in animalis motu.

Porrò duobus modis in animalium motu pulſus & tractus inſunt. Primùm in totius animalis inceſſu. Deinde in ſingulorum etiam membrorum flexu. Etenim dum incedimus, pede vno terram pellimus, ac reſiſtentem trudimus, altero corpus trahimus. Quam ob cauſam in libro 5. de Animalium motu capit. 1. demonſtratur, in animalibus non ſolùm partem vnam quieſcentem eſſe oportere, cui alia, quæ mouetur, innitatur: ſed etiam extra ipſa immobile quidpiam, cui innixa moueantur tota: greſſilibus terram, volatilibus aërem, natantibus aquam. Niſi enim hæc immota reſiſterent, non progederentur animalia. Propterea in arena, luto, molliue terra, vix progredimur: quia non reſiſtentem terram non pellimus, ſed in profundum deprimimur. Et nauim ſi pellas extra ipſam exiſtens, vel aliquo extra ipſam exiſtente innixus, facilè impellis: ſi intra ipſam duntaxat, nihil proficis. Et Archimedes immobile quidpiam extra terram optabat, vt terram totam moueret librarétque. In ſingulorum autem membrorum flexu ac motu tractus eſt, cùm pedem aut manum ad nos contrahimus; & pulſus, cùm à nobis foras extendimus. Quod maximè hoc loco ſpectaſſe videtur Philoſophus:

In animalis motu duplex immobile.

tum quia de ginglyſmo & membrorum articulatione agitur, quoque modo moueat explicatur. Hoc enim partium motu atque inflexu totum mouetur animal atque incedit: tum quia ita colligi poteſt ex iam indicato libello de animalium motu capit. 6. vbi motum dixit pulſu & tractu fieri, oporteréque inſtrumentum motus augeri poſſe & contrahi: quorum vtrumque articulationis & ginglyſmi vſu perficitur. Nam & ſpiritus quoque natura, quo inſtrumentum vtitur, eiuſmodi eſt, vt ſine vi vlla tum tractiua ſit, tum pulſiua.

Motus animalis velut corculi.

Tum demum, quia ita ſanè indicat alterum illud, quod ex hoc de circulo & centro colligit. Horum namque vtrumque in membrorum articulatione & inflexione conſiderata fuiſſe; confirmabunt illa verba, quæ ex eodem libro de animalium motu in ſuperiori commentario protulimus. Tanquam enim centro, inquit, vtuntur flexibus: & quæ ſequuntur. Contracta ſiquidem moxque extenſa tibia manuve deſcribitur circulus ſeu circuli pars: quare vt in circulo dum fit ambitus & Peripheriæ motus, immobile manet centrum, circa quod fit motus; ita & in actuum pulſu & tractu velut centrum eſt articulatio, vndè principium eſt motus artuum, qui circa illam mouentur. Sanè muſculus omnis trahens aut extendens ad ſuum principium mouet, eam partem, cui infixus eſt illius tendo. Principium autem muſculi circa articulationem ferè verſatur, inde igitur principium motus, ad quod quieſcens & immotum pars tracta ſeu extenſa mouetur. Huc etiam ſpectat quod in 7. Phyſic. lib. volutio circularis motus ex tractu & pulſu componi dicitur: quia quod ita mouetur, parte vna recedit à mouente, pulſuſque videtur eſſe: altera accedit, & eſt tractus. Ac rurſum quieſcens & immobile centrum, addit Simplicius, impellit circulum, quatenus à ſe recedentem mouet; trahit autem, quatenùs circa ſe mouet: ipſeque totus circulus mirabiliter & trahitur & pellitur. Perinde igitur in animalium quoque euenit motu.

Motum animalis violentum non eſſe.

Neque tamen propterea violentus eſt motus, & ſi tractus & pulſus violenti motus ſint. Namque mouens quidem internum eſt: quippe ex mouente anima & corpore moto vnum efficitur, dumque ab anima mouetur animal, ab interno principio mouetur. Quod autem mouetur corpus, etſi vt eſt terreum & graue, propenſionem ad eum motum non habeat: quin in contrarium potiùs feratur: quatenùs tamen inſtrumentum exiſtit animæ, ad animalem omnem motum atque vſum animæ promptum eſt. Etenim ſimili modo philoſophamur de illis motibus, quibus contra naturalem propenſionem aſcendunt grauia, & deſcendunt leuia, ne inane quidquam ſit in natura. Quamuis enim videantur eſſe præter naturam, dum propria & particularis eorum natura ſpectatur: naturales tamen exiſtunt, quatenus ea corpora vniuerſi partes ſunt, naturalémque inclinationem ad illius conſeruationem & perfectionem habent. Quippè pars quælibet ſui totius potiùs, quàm proprium quærit bonum; quoniam proprium bonum ex totius pendet bono: dumque totius bonum quæ-

Motus grauium ſurſum & leuium deorſum.

rit, suum proprium quærit. Ita manus & brachium absque deliberatione & consilio, solo naturæ instinctu pro capitis & totius incolumitate ictibus sese ac periculo exponunt: quoniam si pereat totum, de illis quoque fuerit actum. Pulsus igitur membrorum & tractus dominanti sanè elemento præter naturam est & violentus, atque ab externo principio: at naturalis, quatenus animæ instrumenta sunt, totiúsque animalis partes.

TEXTVS.

Ὅλως μὲν οὖν ὥσπερ εἴρηται, ἡ ὀρεκτικὸν τὸ ζῷον, ταύτῃ αὐτῷ κινητικόν· ὀρεκτικὰ δὲ ἄνευ φαντασίας. φαντασία δὲ πᾶσα, ἢ λογιστικὴ, ἢ αἰσθητική. ταύτης μὲν οὖν καὶ τὰ ἄλλα ζῷα μετέχει.

Text. 56. *Omninò igitur, quemadmodum dictum est, quatenus appetitiuum animal, eatenus suipsius motiuum. Appetitiuum autem non sine phantasia. Phantasia verò omnis, aut rationalis, aut sentiens. Hac igitur & animalia cætera participant.*

COMMENTARIVS CLXII.

VElut generalis hæc est superioris totius disputationis conclusio: qua omninò conficit appetitum primariam esse motus animalium causam animaláque eatenùs vim habere mouendi seipsum, quatenùs appetendi vi præditum est: vt in text. 54. dictum est. Quoniam tamen appetitum dixerat nequaquam sine cognitione mouere, neque animal incitare nisi ad boni malive cogniti prosequutionem aut fugam: propterea appetendi vim subiungit absque phantasia non mouere, hoc est, cognitionem quoque necessariam esse, velut conditionem sine qua non moueret appetitus. Non enim moueret, nisi proponeretur illi obiectum: proponitur autem cognitione.

Phãtasia rationalis & irrationalis.

Sed quod duplicem phantasiam distinguit, rationalem vnam solius hominis propriam, alteram irrationalem & sentientem: duobus modis interpretari licet. Primùm enim propriam nominis notationem spectantes dicere possumus phantasiam apparitionem obiectique repræsentationem appetitui factam significare: vt sententia sit. Appetitiuum non esse motiuum sine phantasia, hoc est, nisi cognoscente quapiam virtute res appetenda illi proponatur, & velut appetenda appareat. Hoc autem vel sensu fit vel intellectu: sensu, tum in homine, tum in bestiis quoque: intellectu in homine solo. Colligitur hæc interpretatio ex superiùs dictis, præsertim in text. 48. ex quibus hæc omnia deducit Philosophus. Quod enim ibi dixerat duo esse mouentia, appetitum & intellectum, si phantasia velut intellectio quædam ponatur, hoc ipsum nunc repetit, appetitum mouere, at non sine phantasia, hoc est, sine cognitione & intellectione ampliori significatione accepta. Quod enim ibi *νόησιν* vniuersè nominat, phantasiam hîc appellat: quam mox in rationalem & sentientem partitur: hoc est, in intellectionem & phantasiam propriè dictas. Quod Themistius quoque sensisse atque ita interpretatus fuisse mihi videtur: vbi appetens dixit absque phantasia mouere non posse, phantasiam autem omnem aut rationis esse aut sensus. Alioqui si phantasia propriè intelligatur, vt ab intellectus cognitione distinguitur: falsum erit appetitum non mouere sine phantasia, cùm persæpè homo rationem sequutus solam operetur.

Altera tamen expositio respuenda non erit: si phantasiam propriè interpretemur. Appetitum namque respondebimus sine phantasia non mouere: quoniam etsi intellectum sequatur, hic tamen ipse indiget phantasia, sine qua intelligere non valet: præsertim intellectus actiuus, qui ad motum confert. Nam hic, inquit Simplicius, circa particularia semper versatur: particularémque propositionem eum vniuersali complicans adiutrice semper indiget phantasia ad particularium ipsorum cognitionem. Est autem duplex phantasia; aut rationalis, aut sentiens, hoc est, aut rationi conformis, qua ad verum & honestum bonum mouemur: aut sensui qua ad iucundum & apparens incitamur: illa solius est hominis: hæc tum belluarum tum hominis, vbi rationi prævalet concupiscentia.

TEXTVS.

Σκεπτέον δὲ καὶ περὶ ἀτελῶν, τί τὸ κινοῦν ὄψει, οἷς ἁφὴ μόνον ὑπάρχει αἰσθησις. πότερον ἐνδέχεται φαντασίαν ὑπάρχειν τούτοις, ἢ οὔ; ἐπιθυμίαν. φαίνεται γὰρ λύπη καὶ ἡδονὴ ἐνεῖναι. εἰ δὲ ταῦτα, καὶ ἐπιθυμίαν ἀνάγκη. φαντασία δὲ πῶς αὖ ἐνεῖη ἢ ὥσπερ καὶ κινεῖται ἀορίστως, καὶ ταῦτα ὅτε μὲν, ἀορίστως δὲ ἔνεστι.

Considerandum autem & de imperfectis, quidnam sit mouens, quibus tactus duntaxat inest sensus: Num contingat phantasiam ineſſe his an non, & concupiscentiam. Videtur enim molestiam & voluptatem esse: si verò hæ, & concupiscentiam necesse. Phantasia verò quonam modo insit? An velut & mouentur indeterminatè, & hæc insunt quidem, indeterminatè autem insunt?

COMMENTARIVS CLXIII.

CVM tria distinxisset in tex. 54. ad motum necessaria esse, id quod mouet, id quo mouet, & id quod mouetur: de singulis quasi totius disputationis subjiciens clausulam summatim dicere incepit. Ac primùm de instrumento motus: deinde de eo quod mouet, nunc verò de eo quod mouetur. Simul exponens quomodo

phantasia, quam postremò in rationalem & sentientem partitus est, in animalibus cunctis reperiatur. Naturæque ordine ab imperfectioribus principio facto, in quibus tum solus inest sensus, tactus, tum imperfectus & obscurus motus dum non de loco ad locum transeunt, sed in eodem hærentia semper quoquo modo se pandunt & contrahunt. Vtramque enim ob causam imperfecta hæc animalia vocantur, & ancipitis quasi inter animalia plantásque naturæ.

Plantanimalia cur imperfecta animalia

Sanè obscurus est horum motus, at obscurior illius causa. Nam si animal eatenus mouendi vim habet, quatenùs appetitiuum est, neque appetitiuum sine phantasia mouet, quo tandem modo hæc moueantur, in quibus solus inest tactus? Quare hæc aduersus superiora quoque dubitatio fuerit. Si enim hæc solo viuentia tactu mouentur, minùs verè definitum videbitur: appetitum non sine phantasia principium esse motus. Ergo respondet Philosophus quærendo, num in hoc animalium genere phantasia insit & concupiscentia: hoc est, appetitus sentiens, qui phantasiæ solet esse comes. Probátque inesse vtramque, & ideo illa moueri. Concupiscentia quidem inest, quia incurrentium obiectorum delectationem & tristitiam sentiunt. Propterea namque sese ad iucunda & naturæ suæ opportuna pandunt, quòd illis delectentur: contra molestis incidentibus & noxiis contrahuntur, quòd tristitiam & molestiam sentiant. At quid aliud est hoc, quàm concupiscere iucundum & prosequi, molestumque auersari & fugere? Appetitus siquidem ad suaue & iucundum protenditur, ab insuaui & molesto refugit. Quod magis perspicuum in iis est, quæ ad absens iucundum mouentur & à molesto refugiunt. Inest & phantasia, qua iucundum aut molestum apprehendant, ideóque ad illud se extendant & ab hoc refugiant.

Plantanimalia phantasiam habere & concupiscentiam.

Sed vt motus obscurus est & imperfectus: ita & phantasia. Non quòd imperfectio motus imperfectionis phantasiæ sit causa: sed contra potiùs: verùm ille argumentum & indicium huius existat, & eiusmodi prorsus phantasia sit ad eum efficiendum motum sufficiens causa. Nimirum aut absentium & distantium rerum phantasiam non habent, sed præsentis duntaxat obiecti: quæ satis est animalibus illis, quæ nec pedes, nec incessus habent instrumenta, neque de loco ad locum ad absens quidpiam conquirendum mouentur: aut certum nullum ac determinatum suaue, nec in quoquam determinato loco, sed indeterminatè obuium quoduis imaginantur: nec illud quærunt, sed suscipere parata sunt, si extrinsecus fortassè inciderit. Propterea indeterminatè moueri dicuntur, quia non ad determinatum locum, aut ad determinatum quidpiam imaginatum, vt animalia cætera, mouentur: sed præsenti quocumque obuio & tangente panduntur & contrahuntur. Neque per seipsa tota, sed per partes mouentur: neque huius vel illius determinati boni aut mali imaginatione aut appetitu, sed vniuersè duntaxat & confusè iucundi & molesti.

Phantasiá qualem habeant.

Qualem motum.

Phantasia diuisio.

Hinc phantasiæ diuisionem facit Philoponus. Quædam enim est deliberatiua, alia comes sensus: illa hominis propria, hæc cæterorum quoque animalium. Verùm aut confusa est, vt in vermibus & erucis, quæ propterea errabundum & vagum huc & illuc habent motum, non in certo & determinato loco; sed vbique iucundum quæritantes, si fortè occurrat. Aut non confusa in iis, quæ perfecta sunt. Atque hæc rursum aut docilis est, vt in canibus & psittacis; aut indocilis, vt in formicis & araneis. Verùm dum in plantanimalibus hisce animalibus, de quibus nunc sermo, phantasiam subiungit non confusam inesse, audiendus omnino non est: quippe indeterminatam inesse ait Philosophus. Quid autem est indeterminata, nisi indistincta & confusa? Nihil enim distinctè imaginantur, nec ad certi quidquam mouentur. Sanè minùs hæc perfectum, quàm vermes, habent motum: quibus tamen is non nisi confusam inesse fatetur.

Porrò cùm solùm his animalibus audis inesse tactum, gustatum item quempiam, licet obscutum, intelligas. Est enim sensus alimenti tuendæ vitæ necessarius. Quare aut solum tactum dixit, quod gustatus quoque tactus quidam sit: aut gustatum neglexit, quoniam in animalibus hisce imperfectissimus est, nec sapores, sed conuenientiam solam vel non conuenientiam alimenti dijudicat: solumque tactum habent distinctum ac certum. Quocirca testam carni obductam pandunt: tum vt alimentum accipiant: tum vt suaui ac iucundo delectentur tactu. Potiùs verò ob alimenti inopiam, quam ob præsentis iucundi sensum ea moueri; argumento est: tum quòd vel etiam non præsente iucundo pandunt sese interdum: tum quòd cum dura obducantur testa, præsentis iucundi sensum non habent, nisi postquàm aperta testa iucundum contra subierit: motusque is iucūdi sensum antecedit. Quamquam vbi semel iucundum senserint, magis panduntur, vt copiosius hauriant.

Plantanimalia cur sese pandant.

TEXTVS.

Ἡ μὲν οὖν αἰσθητικὴ φαντασία, ὥσπερ εἴρηται, καὶ ὧν τοῖς ἄλλοις ζώοις ὑπάρχει. ἡ δὲ βουλευτικὴ ὧν τοῖς λογισμοῖς· πότερον γὰρ ἀρέξει τόδε, ἢ τόδε, λογισμοῦ ἤδη δεῖ ἔργον, καὶ μιᾷ ἀνάγκη ἐνὶ μετρεῖν. τὸ μεῖζον γὰρ διώκει, ὥστε δυνατὸν ἐκ τῶν πλειόνων φαντασμάτων ποιεῖν.

Text. 57.

Sentiens igitur Phantasia, quemadmodum dictum est, & in aliis animalibus inest. Deliberatiua autem in rationalibus. Etenim an agat hoc an illud, rationis vtique opus est, necessèque semper vno metiri. Namque maius prosequitur. Quare vnum potest ex pluribus phantasmatibus facere.

COMMENTARIVS CLXIV.

DE perfectiorum nunc animalium phantasia & motu disserit. Animalium inquam eorum, quæ perfectam ac distinctam, nec præsentium modò, sed & absentium rerum phantasiam habent, eásque de loco ad locum motu ac progressione sibi procurant. Horum pleraque

sentiente duntaxat, hoc est, quæ solum sensum ducem sequatur, phantasia aguntur. Alia enim illis, quàm sensus, cognitio non ineſt. Quæ verò rationalis anteà dicta est phantasia, hoc est cum ratione coniuncta rationique conformis: nimirum in solis ineſt rationalibus: in solo inquam homine, qui solus rationis est compos, rationéque viuit ac mente. Itaque quam antea rationalem dixit, deliberatiuam nunc appellat: non quòd deliberatione vtatur ipsa (deliberare namque an hoc an illud agendum sit, rationis opus est: & si deliberare ipsa posset, in bestiis quoque deliberatiua phantasia ineſſet) sed quod cùm rationis deliberatione coniuncta sit. Nam & rationalis vocatur, non quòd ratiocinetur ipsa, sed quòd cùm intellectus ratiocinatione iungatur. Quippe in text. 11. dictum est appetitum & phantasiam recta esse posse & non recta: & agendum omne contingens esse, posséque & aliter se habere. Neque de æternis ac necessariis deliberatio vlla suscipitur.

Phantasia rationalis & irrationalis.

Motus hominis & bestiarum quid differat.

Hoc igitur inter brutorum & hominis interest motum, quòd illa solo sensu duce phantasiáque adiutrice, iucundi propositi concupiscentia incitantur: hic verò ratione deliberat an prosequendum sit. Et interdum quidem abstinet, vbi minùs honestum esse ratio concluserit, interdum verò immoderato affectu nimiáque cupiditate superatus prosequitur: illud continentium est, hoc incontinentium. Quòd si animalia quædam sint, quæ disciplinæ capacia quoquomodo videantur esse; vt canes, simiæ, vrsi, equi, non intrinsecus tamen & ex se, inquit Simplicius, sed forinsecùs ab hominis ratione diriguntur & quoquo modo componuntur, quidpiamque agere assuescunt. Hoc igitur inter irrationalia interest & hominem; quòd illa ad vnum duntaxat finem tendunt, solùm apparens sensuíque occurens bonum quærentia, ob naturæ scilicet angustiam & imperfectionem, quæ sola ipsis sensus cognitione, eamque sequitur. Homo vt præter sensum ratione quoque viuit, sic non iucundum modò & apparens, sed & honestum & verum bonum sectari potest: pluribusque propositis deliberat, an hoc an illud sit amplectendum. Habet enim tum cognitionem tum appetitum ampliorem. Quæ demum supra hominem sunt, verum solùm bonum sibi proponunt: quod non sensu, vt irrationalia; neque sensu & ratione, vt homo: sed intellectu solo viuant. Atque vt sensu, sic phantasia carent. Omnis quippè phantasia motus est à sensu actu factus: vt in superioribus definitum est. In irrationalibus, tum sensus ineſt, tum phantasia. Sed cùm desit ratio, à solo sensu excitatur phantasia atque in phantasma ab eo ingestum desinit. In homine, tum sensus & phantasia, tum ratio: ideóque phantasia non in solo sistit sensu, verùm ab eo primùm excitata famulatur rationi, eiúsque consilio ac deliberatione quoquo modo fruitur. Propterea illa sentiens, hæc deliberatiua dicitur phantasia.

Porrò vbi ait (necesséque semper vno metiri) Auerroës legens (& numerat ipsum vnum de necessitate) interpretatus est vnum oportere esse numerans & iudicans quid ex propositis pluribus sit eligendum. Sed Græca lectio aduersatur (ᾗ ἀνάγκη ἀεὶ ἓνὶ μετρεῖν, necesséque semper vno metiri) & illud quod mox subiungitur, (quare vnum potest ex pluribus facere) non de iudicantis virtutis, sed de obiecti propositi vnitate sermonem fuisse ostendit. Quare nec satis aptè de medio expositio Sanctus Thomas, quo practica ratiocinatio agendum quidpiam esse concludit. Sensus igitur est. Vt in cæteris, ita & in deliberationibus vnam esse oportet mensuram, qua quid eligendum sit atque agendum definiamus: hoc maius, quàm illud, bonum esse decernentes. Siquidem vt bonum vbique sectamur, sic pluribus bonis propositis maius semper bonum eligimus minoríque anteponimus. Quemadmodum enim (vt verbis vtar Themistij) qui cupit inuenire, quodnam ex quantis inæqualibus maius sit: is mensuram vnam, cubitum aut palmum, adhibet: sic quodnam phantasma sit magis expetendum, assequitur is, qui mensuram vnam, iucundum aut vtile (adde & honestum) sibi constituit, ad quam se referat.

Ex quibus quatuor planè intelligas. Primùm, quomodo instituatur deliberatio, quibusque nitatur principiis, quibus velut mensura vtimur in deliberando. Alterum, rationalium phantasiam omnem circa contingentia esse: quæ & eligere possumus & non eligere, agere & non agere. Pluribus quippe propositis phantasmatibus liberum nobis est & integrum vnum aliquod, quod melius fuerit iudicatum, eligere, ac prosequi. Tertium, quatenus rationalium phantasia deliberatiua dicatur: non inquam, quòd ipsa deliberet, sed quòd plura contineat proponátque phantasmata, circà quæ rationis deliberatio instituatur, vtrum hoc sit alteri anteponendum. Vtrum inquam vtile iucundo & honesto, vel iucundum honesto & vtili, aut demum honestum vtili & iucundo. Rursumque an hoc vtile potiùs, quàm illud: an hoc iucundum aut honestum magis, quàm aliud, sit amplectendum. In his tota versatur consultatio, atque ex pluribus phantasmatibus vnum aliquod eligere licet & facere. Quartum & vltimum, rationalem phantasiam hoc à sentiente differre, quòd hæc vnius sit, illa plurium, dum plura in consultationem adducit. Atque hoc est, quod deliberatiuam vocat Philosophus.

Phantasia rationalis quatenus deliberatiua.

Scio hæc Philoponum secus interpretatum fuisse. Sed libenter interpretationem prætermisi, quòd à verbis & à mente Philosophi prorsus alienam iudicaui, neque operæpretium est in singulis immorari.

TEXTVS.

Καὶ αἴτιον τοῦτο, τὸ δόξαν μὴ δοκεῖν ἔχειν, ὅτι πλὼ συλλογισμὸν οὐκ ἔχει, αὐτὸ δὲ ἐκεῖνο.

Atque hæc causa, cur opinionem non videatur habere: quod eam, quæ ex ratiocinatione, non habet, hæc autem illam.

COMMENTARIVS CLXV.

THEMISTIVS hæc ad appetitum refert: quasi Philosophus cùm phantasiam humanam à brutali distinxerit, quòd illa cum ratione sit & deliberatione, hæc non item, sed cum solo sensu deliberationis expertes: appetitum quoque distinxerit, qui phantasiam sequitur. Ea verò distinctio sit, quòd brutorum appetitus, vt quem bruta & simplex phantasia extimulet, opinionem non habet: quoniam nec ratiocinationem: at humanus & cum opinione & sine opinione potest esse, quia & cum ratiocinatione. Verùm antecedentia verba de phantasia, non de appetitu fuerunt.

Propterea scitè magis Philoponus ac Simplicius hæc quoque de phantasia intellexerunt, quibus ex eo, quod humana phantasia est cum ratione coniuncta, brutalis non item, aliam inter eas colligat differentiam, quæ priorem illam velut causam agnoscit. Etenim non omnis phantasia opinionem habet, sed humana sola. Etsi verò Philoponus causam putet reddi, cur irrationalis phantasia non possit, quemadmodum rationalis, vnum ex pluribus phantasmatibus facere: causamque esse, quòd opinionem non habeant irrationalia. Manifestum tamen est, non antecedentium, sed consequentium causam reddi, hoc est τὸ δέξαν μὴ δοκεῖν ἔχειν, cur opinionem non videatur habere; sic enim Græca phrasis indicat. Neque cur non possit irrationalis phantasia ex pluribus vnum facere, causa est hæc, quod opinionem non habeat: sed illa, quam iam docuerat Philosophus, quoniam rationem non habet: atque an agat hoc an illud, rationis est opus.

Phantasia hominis & bestiarum differentia.

Ergo hæc est Philosophi ratiocinatio. Opinio ratiocinatione concluditur, estque ratiocinationis effectus: igitur vbi ratiocinatio non est, neque opinio fuerit. Belluina phantasia ratiocinatione caret, caret igitur opinione: humana phantasia ratiocinationem habet adiunctam: habet igitur & opinionem. Quamquam & planior & Aristotelis verbis accommodata sententia mihi videtur fore, si tum de belluis, tum de belluina phantasia pronuntiemus. Hanc, quam diximus, esse causam, cur opinionem belluæ non videantur habere. Causa enim est, quoniam eam, quæ cum ratiocinatione est, phantasiam non habent (sic enim quoque Græca verba accipere licet) homo autem habeat: quod hæc, scilicet humana phantasia, illam habeat, hoc est opinionem seu ratiocinationem comitem, ex qua opinio colligitur. Simplicij namque interpretationem illam: Hæc autem illam, hoc est, opinio, quæ ratiocinatione fit, phantasiam habet consequentem: quoniam circa agenda & quæ aliter habere possunt, versatur: Non probo: tum quia non consequitur, sed antecedit potiùs, intellectum & opinionem phantasia: tum quia belluinæ phantasiæ humana erat subiungenda: vt quid inter vtramque interesset constaret.

Sanè idem Simplicius, si opinionem ampliore significatu accipias pro superficiaria quauis & secundùm apparentiam cognitione, irrationalibus item animalibus concedendam eam esse ait. Quippe omnibus inest cognitio & phantasia, nec absque cognitione & phantasia licet appetere. Immò eam Iamblichum in irrationali vita posuisse affirmat. At si propriè magis loquamur, soli inest homini; quia siue experimento nostro, siue grauis cuiuspiam viri auctoritate, siue probabili argumento nitatur, omninò constat ratiocinatione. Et ideò rationis terminum ac finem appellat Philoponus. Atque à scientia differt certitudine: quòd hæc certa & necessaria, illa probabili ratione nitatur, velut inter scientiam & ignorationem media. Quam ob causam in text. 53. lib. 7. Metaphysicæ, eius esse dicitur quod contingit & aliter se habere. Hinc in text. 157. superioris libri probatum est, bestiis non inesse fidem, quoniam non persuadentur: non persuaderi autem, quia rationis participes non sunt. Philosophi verba hæc erant, quæ præsentem illustrabunt locum, deque phantasia, non de appetitu, sermonem esse ostendent. Omnem, inquit, opinionem comitatur fides, fidem autem persuasum esse: persuasionem verò ratio. Bestiarum autem quibusdam phantasia quidem inest, ratio autem nequaquam.

Opinionem non esse communem.

Non tamen magis scientiam, quàm opinionem, inesse putes. Immò minùs. Quippe scientia, opinione melior est, illaque ipsa ratione concluditur: Quare aut opinionem vniuersè magis inesse negauit, hoc est, persuasionem vllam, aut assensum ratione conclusum. Aut opinionem velut deteriorem & imperfectiorem nominans, multò minùs id, quod melius & perfectius existit, inesse significauit.

TEXTVS.

Διὸ τὸ βουλευτικὸν οὐκ ἔχει ὑπόληψις. νικᾷ δὲ ἐνίοτε, ἠ κινεῖ πρὸς βούλησιν, ὅτε δὲ ἐμείνη τοῦτο, ὥσπερ σοφίσμα, ἡ ὄρεξις πρὸς ὄρεξιν, ὅταν ἀκρασία γένηται. φύσει δὲ ἀεὶ ὁ ἄνω ἀρχικώτερος, ἠ κινεῖ, ὥστε τρεῖς φορὰς ἂν κινεῖσθαι.

Quapropter deliberatiuum non habet appetitus. Vincit autem interdum & mouet voluntatem, interdum autem huncilla, velut sphæra, appetitus appetitum, quando incontinentia fuerit facta. Natura verò semper qui superior, magis princeps, & mouet. Quocirca tribus iam motibus mouetur.

COMMENTARIVS CLXVI.

PRima huius orationis verba conclusionem quampiam continent superiorum. Ex eo namque quod brutalem appetitum ostendit opinionem non habere, quòd ratiocinationem non habeat: eum concludit nec deliberationis participem esse: quoniam deliberatio rationis est opus, nihilque deliberationis capax esse potest, quod ratiocinationis, persuasionis, & opinionis capax non sit. Itaque appetitum hîc verè Simplicius dixit propriè nominari eum, qui est irrationalis, atque à rationali voluntate distinguitur. Et is quidem in secunda figura ratiocinationem instruxit; Appetitus irrationalis ratiocinatium nō

habet, at deliberatiuum est item ratiocinatiuum; appetitus igitur hic deliberatiuum non habet. Id verò spectat ad confirmandum discrimen, tùm inter phantasiam, tùm inter appetitum hominis & bestiarum. In homine siquidem tum phantasia, tùm appetitus propter rationis consortium deliberationis participes sunt, in bestiis non item; quòd rationis experres existant.

Appetitus sentiens & rationalis vt habeant.

Cæterum cùm in homine appetitus vterque reperiatur, irrationalis & rationalis; sentiens, qui deliberatiuum non habet: & voluntas, quæ deliberationem sequitur: post hæc docet philosophus quemadmodum hi se habeant, & vter alteri dominetur. Sanè appetitus sentiens iucundum & apparens sectatur bonum: voluntas, vtile, honestum, & verum bonum: cúmque persæpe fiat, vt quod est iucundum, non sit vtile, nec honestum; imo vtile & honestum iniucundum sit sensui & insuaue, pugnantibus persæpè homo & inter se contendentibus appetitionibus agitatur:

Cõtinens & incontinent.

modóq. hic, modo ille superat appetitus. Namq. incontinens prævalente rationi concupiscentia, suaue ac iucundum sectatur: at continens rationem potiùs audiēs, cõcupiscentia licèt reluctante, suaui ac iucundo neglecto vtile atque honestum amplectitur voluntate. Exemplum subiungit sphæræ: quod tribus modis exponitur. Philoponus enim non sphæram, sed signum, hoc est punctum, seu potiùs astrum, quod est in sphæra, interpretatur: quod in hemisphærio superiori supereminet, atque in medio Cœli vincit, sed in inferiori vincitur. Sic enim appetitus modò superat, modò superatur. Simplicius verò pilam hinc inde à duob. proiectam intelligit. Nam qui eam proiicit, mouet; qui suscipit, mouetur: cúmque reciprocetur vtrimque motus, duplicis appetitus similitudinem refert; in quibus modò sentiens voluntatem mouet, modò volũtas sentientem. Vincit autem tùm in lusu pilæ, tùm in appetituum motu, is qui vehementius impellit.

Probaretur vtraque expositio, nisi aduersaretur illud, quod statim Philosophus ex verbis hisce triplicem colligit in hoc duplici appetitu fieri motum, cùm tamen interpretum horum expositione non nisi duplex commemoretur: quorum altero concupiscentia, altero rationalis voluntas vincat. quorum exemplum sphæra subiicitur. Difficultatem hanc interpretatio Themistij non pàtitur: quã cæterorumquoque expositorum communem fuisse fatetur Simplicius. Nam quod de sphæra dicitur, non velut duplicis dicti motus exemplum accipit, sed ad tertium refert. Sphæramque intelligit cæleſtes orbes, in quibus qui inerrans nominatur, errantes inferiores rapit, secúmq. ab ortu ad occasum conuertit; nec tamen proprium ac peculiarem eorum motum ab occasu in ortũ fiṁat ac sistit.

Appetitum pugnantiũ triplex motus.

Ita triplex omnino appetituũ motus habetur. Primus est ille (vincit autem interdùm & mouet voluntatem appetitus) quo cedit prorsus voluntas, succumbit, dátque concupiscentiæ manus: vt in intemperante. Alter verò (interdum autem hunc illa) quo voluntas concupiscentiam sedat, componit, sibique subiectam & obsecundantem facit: vt in temperante & virtute prædito homine. Vtrumque motum à duobus appetitibus simul fieri ait Auerroes; quoniam vnus consentit alteri. Tertius demùm (interdum velut sphæra, appetitus appetitum) quo renitentem licet at reclamantem, aut concupiscentia vi rapit voluntatem: vt in incontinente, aut voluntas cõcupiscentiam, vt in continente. Qui motus planè cœlesti similis est: quoniam vt superior orbis non sistit inferioris motum, sed etsi ad ortum is contendat, maiori tamen vi ad occasum rapit; sic appetitus alter non sedat alterum, sed in contrariam licet stimulãtem partem secum abducit. Ita omnes planè appetitionum motus comprehendit Aristoteles, temperantis hominis, intemperantis, continentis, & incontinentis. Qui & quodam modo duo sunt, & quodam modo tres, & verò etiam quatuor. Duo sunt; quia vel vnus appetitus sedatur & cedit alteri, vel non sedatur & renitens trahitur. Tres item; quia vel voluntas cedit concupiscentiæ, vel concupiscentia voluntati, neutra alteri. Quatuor demùm; si magis explicatè singuli numerentur: aut voluntas cedit concupiscentiæ, aut concupiscentia voluntati, aut voluntas renitens abducitur à concupiscentia, aut concupiscentia demum reluctans & inuita rapitur à voluntate. Nam etsi voluntas natura sua superior sit & melior virtus, vinceréque semper deberet & mouere hominem; si tamen velut seditione facta imbecillior existat hominis vitio, mouet concupiscentia. Quippe id, quod fortius est ac robustius, vbique mouendi vim habet, & abducendi secum id, quod fuerit imbecillius; tùm in corporibus cœlestibus, tùm in homine.

Verbis autem Philosophi quidpiam addendum fuit hbrariorũ incuria, prætermissum. Nam vbi dixit (νικᾷ δὲ ἐνίστε καὶ κινεῖ τὸν βούλησιν, ὅτε δὲ ἐκείνη τοῦτον) Vincit autem interdùm & mouet voluntatem, interdùm autem hunc illa) addendum erit (ὅτε δὲ ὥσπερ σφαῖρα ἡ ὄρεξις τὸν ὄρεξιν) interdum verò velut sphæra appetitus appetitum.

Vbi verò ἀκρασίαν nominat, sanè Simplicius pugnam omnem duplicis appetitus significari voluit. Et Philoponus discrimen adiungit inter ἀκρασίαν & ἀκράτειαν; quòd ἀκρασία dicatur, quamdiu anceps adhuc est bellum dubiaque victoria, ἀκράτεια verò, vbi perturbatio rationem superauerit. Certè in septimo de moribus libro manifestum est ἀκρασίαν perpetuò incontinentiam appellari; in qua affectum rationi prævalentem sequimur; nec semel in superioribus incontinentes nominauit. Contrariorum autem par est ratio, eadémque disciplina: quare cùm incontinentia continentiam quoque intelligi voluit, in qua ratio perturbationem superat. Quare cùm tribus motibus moueatur homo, priores duo sunt intemperantis & temperantis: tertius, qui bipartitus item est, incontinentis & continentis.

TEXTVS.

Τὸ δὲ ὀπτικμονικὸν ἓ κινεῖ, ἀλλ' ἀ μθμεν. ἐπεὶ δ' ἡ μθν τοῦ κρίνοντος καὶ βουλήσις ἡ λόγος, ἡ δὲ τοῦ κατὰ ἐπιθυμίαν (ἡ μθν γὰρ λέγει ὅτι δεῖ τὸν τοιοῦτον τὸ τοιόνδε πράττειν, ἡ δὲ ὅτι τόδε τοιόνδε, ἡ ἀγαθὸν δὲ τοιόσδε) ἥδη αὐτὴ κινεῖ ἡ ὄρεξις, εἴγε ἡ κρατοῦσα, ἡ ἄμφω, ἀλλ' ἡ μθν ἠρεμοῦσα μᾶλλον, ἡ δὲ κ.

Tex. 58. *Scientiarium autem non mouet, sed manet. Cùm verò existimatio & ratio hæc quidem vniuersorum, illa verò singulorum (illa enim dicit, quod oportet talem tale agere, hæc verò quod hoc tale & ego talis) hæc sanè mouet opinio, non quæ rei vniuersæ, aut vtraque, sed illa quidem quiesceret magis, hæc autem non.*

COMMENTARIVS CLXVII.

QVod primùm de sciẽtiario dicitur, aut Themistius non legit, aut certè contempsit; nullam illius, non dicam interpretationem, sed ne mentionem quidem faciens. Simplicius verò longa oratione obscurauit potiùs, quàm illustrauit; multa de intellectu inculcans huic loco minimè necessaria: Sed & hæc adsequentia, non ad antecedentia referre visus est; cùm Aristotelem scripsit in iis, quæ sequuntur, summatim concludere omnia, quæ de anima dicta sunt; à summa illius parte facto principio; hoc est, à suprema animæ nostræ substantia, quæ est intellectus actu sciens. Philoponus antecedentibus hæc ita subiungit, vt cùm contrariorum appetituum pugna, de qua proximè dicebatur, ratiocinationem contineat, ratiocinationis huius explicetur modus.

Ego tùm ad pugnam & multiplicem illum motum hæc refero; tùm ad totam illam phantasiæ distinctionem in irrationalem & rationalem, sentientem & deliberatiuam. Deliberare namque an hoc an illud agendum sit, rationis opus esse dicebatur; quoque id modo fiat, & vt rationalis ac deliberatiua phantasia moueat hominem, explicare oportuit. Scientiarium igitur appellat intellectum theoreticum, qui extra se non progreditur, sed in sola sui cognitione ac scientia consistit. Hic non mouet, neque vllius animalis motus principium existit; quòd actionem nullam respiciat: sed in seipso manet, theoria sola, quæ propria illius est functio, contentus. Quin & congenitus ei est status, inquit Philoponus: siquidem stantes & quiescentes meliùs contemplamur, magisque intelligimus; quàm si versemur in motu. Intellectus igitur, qui mouet, est intellectus practicus, qui propter agendum aliquid ratiocinatur vt in tex. 49. dicebatur. Oportet autem raciocinationem duplici propositione constare (συλλογισμὸν enim seu existimationem propositionem dicit) quarum vna sit vniuersa, altera in parte. Siquidem ex iis solis, quæ sunt in parte, nihil conficitur: sed alteram saltem necesse est vniuersam & generalem esse: ex qua tùm altera, quæ sit in parte: tùm ratiocinatio tota vim habeat concludendi. oportet talem tale agere, hæc est propositio vniuersa: cui subiungitur illa in parte. Hoc est tale, & Ego talis: ex quibus conclusio sequitur in parte: quoniam debiliorem vbique & deteriorem partem sequitur, siue negantem, siue in parte; si propositionum altera fuerit negans, aut in parte: etiam si altera sit vniuersa aut affirmans. Exempla sumas ex eodem ipso Philosopho in cap. 4. lib. de animalium motu. Cùm intellexit, inquit, quod omni homini sit ambulandum: ipse autem quòd sit homo, confestim ambulat. Si autem quòd nulli homini nunc ambulandum sit: ipse autem quòd sit homo, statim quiescit. Faciendum mihi est bonum, domus autem bonum, domum illicò facit. Tegumento indigeo, vestimentum est tegumentum, vestimento indigeo. Quo indigeo faciendum, vestimento indigeo, vestimentum faciendum: & conclusio, quæ est vestimentum faciendum, operatio est. Hæc ille. Obseruat autem, propositiones huiusmodi, quæ ad agendum referuntur, per duas species fieri: & per bonum, & per possibile. Nam & appetitus omnis, qui ad agendum & consultandum mouet, tùm boni est, tùm possibilis: & consultatio omnis de re bona & possibili procuranda instituitur: malorum & impossibilium nec appetitio est, nec consultatio aut deliberatio.

Quies cõtemplationis opportuna.

Practica ratiocinatio.

Appetitus consultatio boni esse & possibilis.

Cùm igitur duabus propositionibus constet deliberatiua raciocinatio, deinceps quæritur, vtránam earum ad agẽdum moueat; num ea, quæ vniuersa est; an ea, quæ in parte. Respondetúrque motum esse, non vniuersæ ac generalis propositionis, sed assumptionis particularis. Tùm quia conclusio, quæ agendum esse persuader, deteriorem semper sequitur ratiocinationis partem. Tùm quia actio quæuis circa rem particularem versatur; & vt est in 7. lib. de moribus cap. 3. (quo rursum loco de hac eadem duplici propositione ratiocinationis practicæ differit) particularia ea sunt, quæ in actionem veniunt, non vniuersa: ideoque propositionem vltimam, quæ rei expositæ sensui opinio est, actionum appellat dominam. Aut certè si vtraque propositio mouere dicatur; quòd moueat ratiocinatio tota, quæ vtraque constat propositione; magis tamen mouet secunda, quæ particularis est. Quoniam prima, quæ est vniuersa, non immediatè, sed velut è longinquo mouet: immobilísque potiùs est & quiescens, velut prima causa; tùm quia est vniuersa: quod autem vniuersum est immutabile est, omnísque motus & actio singulorum est. Tùm quia ipsa vim mouendi tribuit alteri, quæ rem particularem agendam proponens appetitum immediatè & quasi è propinquo mouet: ideóq. conclusio colligitur particularis, posteriori propositioni similis, non priori. Cùm enim ita ratiocinaris; Omnis Philosophus est honorandus, hic homo est Philosophus, hic igitur est honorandus: exhibetur quidem honor huic homini, qui particulari propositione proponitur: sed quia Philosophus est: neque honor illi exhiberetur, nisi vniuersa illa cognosceretur: omnis Philosophus est honorandus. Tùm demum quia vniuersalis propositio constans est, & perpetuam habet veritatem: particularia mutantur: errórque in practica ratiocinatione vitio fit particularis propositionis, quæ sub vniuersali accipitur.

Vtra ratiocinationis propositio ad agendum moueat.

At dùm propositionẽ vniuersam ait Simplicius theoreticam esse, atque ab intellectu theoretico sumi: particularem autem à deliberatiua phantasia cognosci: ambasque à practico intellectu coniungi, atque ad ratiocinationis formam adduci: minimè audiendus est. Neque enim phantasia, quæ sentiens virtus est, propositiones facit: sed intellectui materiam illarum proponit. Et vtramque Philosophus existimationem & ratio-

Vtrumne propositio intellectus practici.

nem appellat: quæ voces non phantasiæ, sed intellectus sunt: Propositio verò, quæ de re agenda est, siue vniuersa sit, siue in parte, practica nimirum est & intellectus practici. Atque vt in theoreticis, sic in practicis, generalia sunt principia velut rerum agendarum regulæ à prudentia constitutæ, quæ practica virtus est tota & practici intellectus. Ac demum ille ipse intellectus, qui ratiocinatur, tùm propositiones, tùm terminos complicat, ex quibus ratiocinatio constat.

Appositè magis hæc obseruat circa verba. Primùm: vbi dicitur (talem tale agere) propositionem vniuersam indicari: quoniam, vt ex lib. categoriarum constat, tale Aristoteli consueuit vniuersale significare: vt Philosophum omnem honorandum esse. Vbi verò addit (hoc tale & Ego talis) propositionem particularem: & hoc quidem (& Ego subiectum singulare indicare: tale verò & talis) attributum vniuersale: quod ex propositione vniuersa acceptum de subiecto illo affirmatur.

Deindè sequentibus verbis principiò totum motum particulari propositioni tribuere tamquàm manifestius mouenti: móxque quasi re meliùs considerata emendare sermonem & vtrique propositioni concedere. Quod propterea libuit adnotare: quia secùs omnino Themistius ac Philoponus interpretati sunt: qui priora verba (hæc mouet opinio, non quærei vniuersæ) non asserendo, sed dubitando & quasi inter rogando legentes, responderi voluerunt vtramque mouere, sed magis eam, quæ particularis est. Priorem tamen sententiam indicare magis videtur græca lectio: aut motum esse propositionis particularis: aut certè magis, quàm vniuersalis.

Tùm verò non sine causa non absolutè fuit pronuntiatum propositionem vniuersam mouere vt quiescentem: sed vt quiescentem magis: quoniam cum particulari coniuncta, quæ mutatur, simul cum ipsa quoquo modo mutatur. Nam per se quidem immutabilis & perpetua est illa, quæ Philosophum omnem honorādum esse ait: at quæ Socratem aut Platonem aliumue hominem accipit: hæc iam mutatur, dùm aliud atque aliud subiectum accipit, & alium atque alium hominem dicit esse philosophum. Quare dum mutabilis quoque conclusio, alium atque alium hominem honorandum esse, ex vtraque propositione colligitur: illa quoque vniuersalis per se immutabilis quoquo modo mutabilis fit. Sanè propositiones vbique tales sunt, qualia sunt ea, ex quibus constant. quare cùm omnis mutatio & motus particularium rerum per se sit, propositiones particulares perse mutabiles sunt. Vniuersæ naturæ per se sunt immutabiles, ex accidenti mutabiles, vt in singulis rebus existunt: ideò propositiones item vniuersæ per se immutabiles sunt quoquo modo mutabiles, vt cum particularibus complicantur.

Summaria conclusio de animalium motus causa.

Neque de animalium motu plura Philosophus hoc loco disputat. Constituit autem primariam motus efficientem causam appetitum esse, siue sentientem, siue rationalem: at sine cognitione non mouere. Cognitionem verò aut phantasiæ esse, aut intellectus: intellectus inquam practici, qui actionem respiciat. Ac phantasiæ quidem A cognitionem simplici constare obiecti propositione: qualis sensui sentientique virtuti potest inesse: at intellectum ratiocinationem ac deliberationem adhibere duplici propositione cōstantem: vna vniuersali, quæ cùm tribuit ratiocinationi, altera particulari quæ vniuersalem contrahat. Vnde conclusio sequitur particulari similis, quæ rem agendam continet.

Motricis virtutis origo in corde.

Motricē porro virtutem in corde principatum habere, non in cerebro: quod in superioribus non semel accepimus: ex iis petendum erit, quæ anteà de organico corpore disputata fuerūt. Vndè etiam ferè intelliges, an per spiritum, an per neruos à principe membro per vniuersum corpus B diffundatur. Nam etsi Auicenna in 1. fen. 1. Canonis doct. 6. cap. 4. & in 5. de anima cap. 8. diffundi voluerit per spiritum, tùm quia is per neruos distribuitur: tùm quia is proprium est animæ instrumentum: tum quia sunt qui sanis partibus omnibus ac neruis priuantur motu solius spiritus deffectu. Rationi tamen magis consentaneum est id, quod Galeno quoque placuisse plurimis in locis video, eam per neruos potissimū defferri. Nam phrenetici paulò ante mortem magnam vim habent mouendi: qui tamen exiguo & imbecillo sunt spiritu. Et neruo ligato tollitur motus, etiamsi spiritus & calor remaneant. C Adde neruum animatam esse corporis partem, spiritum autem inanimatum: quare etsi hic quoque necessarius sit, nec sine illo possit esse motus: neruus tamen mouendi præcipuum instrumentum iudicatur.

Vt ea per corpus fundatur.

FACVLTATVM ANIMÆ IN VIuentia omnia distributio. CAP. II.

TEXTVS.

D Τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν ἀδύνατον παῦ ἔχειν, ὅτι πᾶσα ἧς ζῇ, ἡ ψυχὴν ἔχει, ἀπὸ γλυκέως μέχρι φθορᾶς. ἀδύνατον γὰρ τὸ γλυκύμυον ἀυξησιν ἔχειν, καὶ ἀκμὴν, καὶ φύσιν. ταῦτα δὲ ἄνευ τροφῆς ἔχειν ἀδύνατον. ἀνάγκη ἄρα εἶναι πᾶσι θρεπτικὴν δύναμιν ἐν πᾶσι τοῖς φυομένοις, καὶ φθίνεσι. *Text. 58.*

Altricem igitur animam necesse habere cuncta, quotquot viuunt & animam habent, ab ortu ad interitum vsque. Necesse enim quod genitum est, incrementum habere, & vigorem & decrementum. Hæc autem absque alimento habere impossibile. Necesse igitur altricem inesse virtutem in omnibus, quæ oriuntur & occidunt.

E

COMMENTARIVS CLXVIII.

POstquam de animalium motu dictum est: putat nunc Philoponus viuentia, quæ mouentur, ab immobilibus distinguere Aristotelem voluisse. Quædam enim immobilia penitus sunt, vt plantæ: alia mouentur ex parte, alia ex vno loco in alium transeunt tota. Et rursum quæ ex parte, quædam sunt sublunaria, vt plantanimalia: alia superlunaria, vt cœlestia. Sed neque in his vlla est plantarum aut plantanimorum mentio, nulla immobilium, nulla motus ex parte,

nulla cœlestium animalium: Vt mittam constantem interpretum sententiam, in toto hoc opere de mortalibus dumtaxat viuentibus, eorúmque animabus agi.

Scopum omnino Simplicius attigit: post absolutam animæ omniúmque illius partium ac facultatum considerationem, duo prorsus adiungi. Alterum de organico corpore. Quippe in tex. 53. lib. 1. repræhenderat cæteros, quòd tractantes de anima nihil dixissent de corpore ad illam suscipiendam idoneo. Alterum, quænam animæ partes ac facultates in quibus viuentibus reperiantur, quoque modo vna superueniat alteri, atque omnino cunctæ sint distributæ. Quamquàm illud fortasse minus probandum fuerit, primariam intentionem esse agere de organico corpore, atque ostendere vegetantis animæ organum simplicius esse, quàm organum cæterarum animarum. Nam quid opus erat id probare? Sensu ipso compertum satis erat & manifestum. Et verò in promptu ratio. Quoniam si simplicissima omnium & prima est vegetans anima, corpus quoque illius futurum organum, consequens est simplicissimum omnium paucioribusque instructum organis esse: quia paucioribus hæc anima facultatibus pollet.

Ergo vel ipsum orationis initium, in quo particula (igitur) continetur, satis ostendit velut generalem superiorum omnium conclusionem hanc esse: in qua facultates animæ omnes hactenus explicatas summatim colligeris viuentibus omnibus distribuit, quóque in singulis habeant modo disponit. Et quoniam corpus est propter animam, velut illius subiectum & instrumentum; simul etiam corporum dispositionem ac distributionem facit. Neque Auerroem audio, demonstrari aientem quænam earum animæ virtutum in animalibus insint propter necessitatem, & quæ propter melius. Nam etsi principio statim necessitatis fiat mentio: illa ipsa tamen ad distributionem spectat, qua quædam sunt omnibus necessaria; nec animalibus modò, sed omnino viuentibus: aliæ non omnibus, sed quibusdam; hoc est animalibus sensus, homini intellectus. Nam si animal per sensum & homo per intellectum sunt id, quod sunt, illud animal, hic homo; profectò non sunt propter melius; sed omnes necessariæ sunt, at non omnibus, sed quædam omnibus, aliæ certo viuentium generi.

Porrò in his, quæ dicentur, mirandum non erit, si pleraque fuerint in superioribus tradita atque ex illis repetantur. Est enim hæc conclusio & velut omnium dictorum epilogus. Primùm igitur omnibus illis, quæ quocumque modo participes vitæ sunt & animæ, altricem ac vegetatricem animam necessariam esse quamdiu viuunt, ab ortu inquam ad occasum, accipit. Et in tex. 14. lib. 2. Viuunt, inquit, semper quousque possunt accipere alimẽtum. Et tex. 47. Conseruat alimentum substantiam; & eousque est, quousque alitur. Probatio est hæc. Quod gignitur, incrementum, & vigorem, & decrementum habere necesse est: at hæc absque alimento non sunt: altricem igitur virtutem inesse illi oportet.

Altricem animam viuentibus omnibus inesse.

Propositio propterea est vera, quoniam viuentia omnia, siue plantæ sint, siue animalia, in primo sui ortu imbecilla sunt, minusque perfecta habẽt corporis organa, quàm vt suæ naturæ congruenter operari queant; grandioráque fieri, & ad perfectionem adduci ea oportet. Caloris hæc, velut singularis animæ instrumenti, operatio est; qui accedens alimentum in viuentium substantiam mutat, alioqui breuissimo tempore ab hostilibus causis consumpta perirent. At calor agendo patitur atque imbecillior fit. Quare principio quidem plus reponit, quàm detractum fuerit; deinde vix tantundem; postremo etiam minus. Ita primùm augentur corpora & perficiuntur; deindè in suo vigore perfectióque conseruantur aliquandiù, aut certè sensu iudice non minuuntur; tandem minuuntur & deficiunt, præsertim cùm in prima ætate humidiora sint corpora, magísque apta vt extendantur & crescant; tum verò in dies magis siccentur.

Hinc verò manifesta assumptio est. Quippe ex alimento sumpto nutritioneque in eorum substantiam, modò copiosiori, modò æquali, modò minori mutato, vniuersum hoc opus absoluitur. Verùm de his alibi pluribus diximus.

In verbis duo adnotabo. Alterum est: Aristot. non solùm dixisse altricem animam cunctis necessariam esse, quæ viuũt; sed etiam addidisse (Et enim animã habent. vidit substantias separatas, Deum ac mentes cæteras viuere, immo optimam ac fœliciſſimam vitam viuere, vt in tex. 100. lib. 1. de cœlo, & tex. 39. lib. 12. Metaph. & cap. 8. lib. 10. ad Nicom. ipsemet loquitur: nec tamen altricem habent animam; quòd non per animam, sed seipsis viuant. Alterum verò, Augustinum Niphum existimasse Themistium atque Auerroem non nisi accretionem & decretionem agnouisse, vigorem & consistentiam non item. Certè quidquid sit de Auerroe, qui sanè hoc loco ita sensisse videtur. Themistium fidelissimum paraphrastem ab Aristotele, qui ἀκμὴν hoc est, constantem ætatem addit, credendum non est discessisse. Niphoque imposuit Hermolaus, qui vocem illam (ἀκμὴν) Latinè non reddidit. Sed & apud Timæum Locrum in libello de Natura ita scriptum reperies. Si plus irrigatur, quàm defluat, incrementum dicitur: si verò minus, imminutio: vigor autem in horum confinio consistit, & in defluxionis atque influxionis æqualitate intelligitur. Et apud Platonem in 5. de Repub. An non etiam tibi videtur oportunum tempus ἀκμῆς, id est vigoris, vigesimus annus mulieri, viro autem trigesimus. Et rursum: Vir postquàm acutissimum ætatis ἀκμὴν transierit. Sed & apud Medicos scitum est illud Hippocratis in 1. Aphorismorum: Senes facillimè ieiunium ferunt; secundo loco qui ætatem consistentem habent; minus adolescentes; omnium minimè pueri. Quo loco Thucydidem quoque consistentem ætatem cognouisse Galenus adnotat. Et in 1. de sanitate tuenda libro cap. 2. hic ipse Galenus, In lucem, inquit, editum & magnitudine perficit & tùm serius tum valẽtius seipso efficitur, donec ad summum incrementum (ἀκμὴν græci vocant) sit peruentum: tùm verò & incrementum omne sistitur, &c. ex quibus omnibus satis intelligas grauissimos quoq. inter veteres, tùm Philosophos, tùm medicos, tres in partes ab Aristotele nunc

Consistentiam.

commemoratas viuentium vitam fuisse partitos, in incrementum, vigorem seu consistentiam, & decrementum: quarum principium sit ortus, & finis interitus.

TEXTVS.

Αἰσθητὴν δὲ οὐκ ἀναγκαῖον ἐν ἅπασι τοῖς ζῴοις. οὐτε γὰρ ἃ ὅσων τὸ σῶμα ἁπλοῦν, ἀδύνατον ἐνδέχεται ἔχειν, οὔτε ἄνευ ταύτης οἷόντε ἐστὶν εἶναι ζῷον, οὔτε δὲ ὅσα μὴ δεκτικὰ τῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης.

Tex. 60. *Sensum autem non necesse in viuentibus omnibus. Neque enim ea, quorum corpus simplex, tactum contingit habere: neque sine hoc possibile vllum esse animal. Neque vero quæcumque non susceptiua formarum sine materia.*

COMMENTARIVS CLXIX.

SEcundo loco de sensu dicit. Quod si Philoponus ad plantarum quoque & animalium differentiam referat, nihil morabor: modò id secundaria quasi intentione sit; neque de gressilibus solùm, sed de vniuerso animalium loquatur genere. Dùm enim nutrix virtus solitaria inest in plantis absque sensu, in animalibus autem cunctis adest & sensus; næ sensu hæc ab illis differūt: Eandem sententiam exposuit in tex. vlt. lib. primi, & tex. 15. & 16. lib. secundi vegetationem in viuentibus omnib. inesse, sed solitariam in plantis, in animalibus cum sensu: & vegetationem quidem à sensu separatam esse posse, at sensum absque vegetatione non esse. Hoc ipsum nunc repetit: & cùm altricem dixisset animam necessariam viuentibus omnibus esse, sensum subiungit necessarium omnibus non esse.

Plantis nonimesse sensum. Priorem sententiam vnico argumento probauit; posteriorem confirmat duplici; plantis inquam non inesse sensum. Alterum ex parte corporis petitur, alterum ex parte animæ. Corpus quippe plantarum est velut simplex: & anima susciperе non potest formas sine materia. Sic igitur ratiocinatur. Sensuum omnium primus est tactus; qui à cæteris quidem separatus esse potest (cum tactu autem & gustatum intelligas, qui tactus quidam est, & velut alimenti sensus omnibus necessarius) at cæteri sine illo non sunt. Verùm in mediocritate quadam ac temperatione versatur tactus, vt in tex. 118. lib. secundi positum est: corpus igitur simplex sensum tactus habere nequit. Plantarum corpora etsi ex elementis quatuor permista sunt, tàtopere tamen abundant terra, vt terrea prorsus & velut simplex terra videantur esse: quod elementum, vt ait Themistius, minimè aptum est ad sentiendum & in tex. 6. libri secundi iam dixerat plantas habere organa magis simplicia. Non igitur tactum, & ideo nec sensum illum, habent plantæ.

Ex parte verò animæ hæc ducitur ratiocinatio. Sensus est virtus sensilium formarum susceptrix sine materia, vt in tex. 121. libri secundi definitum est: plantarum anima susceptrix non est; sensu igitur prædita non est. Et quoniam ratiocinationem vtramque in textus 124. eiusdem libri proposuit; quæ in illius loci Commentario scripsimus, huius quoque interpretationem dabunt: neque diutiùs immorandum fuerit.

Cæterùm quod Philoponus ait, duplicem esse primorum verborum sententiam: alteram, ἐν ἅπασι τοῖς ζῳοῖς, in omnibus animalibus: alteram, ἐν ἅπασι τοῖς ζῶσιν, in omnibus viuentibus: vix credendum est, nisi corruptus sit & mendosus codex. Quippe falsa omnino & quæ pugnantia contineat propositio esset, in animalibus omnibus necessarium non esse sensum, si animal sensu primum constituitur & est animal, hocque à planta distinguitur. Sed nec Aristotelem putandum est paucissimis verbis pugnantia fuisse loquutum. Statim enim dicet; Animal autem sensum habere necesse est. Neque videtur verisimile ζῳοῖς pro ζῶσιν, animalibus pro viuentibus, dictum fuisse. Nam quæ impropriæ atque abutentis loquutionis necessitas? Imperiti potiùs atque oscitantis scriptoris fuerit error, si modò quis fuerit.

Aliquèm Platonem esse sensu, Simplicij opinio. Quidpiam habet Simplicius magis animaduersione dignum. Veretur namque, ne in his Philosophus id accipiat, quod in quæstione versatur. Etenim viuentibus omnibus tactus saltem & gustatus sensum quispiam necessariū esse contendat: vt dignoscere possint quænam suæ naturæ opportuna, quæue contraria sint & noxia. Quódque ad priorem argumētationem attinet, animalium item corpora abundant terra, nec propterea priuantur sensu, aut mediocritatē non habere dicuntur, aut simplicia esse; quod elementorum omnium æquales non contineant partes. Cur igitur plantæ elementorum item permistione constantes obscuriorem aliquem, &, vt loquebatur Plato, quasi dormiētem sensum non habeant? Obscuriorem inquam, propter abundantiam terræ difficilémque patibilitatem. Nam cùm duriore ac magis terrestri constent corpore, acutiore ad noxia declinanda sensu non indigēt: Ita Philosophum conficit non omnem illis, sed acutiorem & quasi vigilantem negasse sensum; qui in animalibus inest, cuiusque comparatione eum, qui contineturin plantis, non sensum, sed priuationem & carentiam sensus appellet.

Quod autem ad posteriorem spectat, secus omnino, quàm interpretes cæteri, interpretatur locum eum Simplicius. Primum enim negatione ait affirmationem significari: vt ex affirmatione mox cognoscatur negatio: Quæque recipere possunt formas sine materia, cælestia esse animalia, quæ non aduentitias, atque à materia & obiectis externis impressas in organa, sed intrinsecùs excitatas formas suscipiunt; neque sentiendo, sed meliori modo. Caduca igitur & mortalia hæc animalia, quæ sub luna viuunt, formas non sine materia recipiunt; quoniam ab exterioribus obiectis eas accipiunt. Ita Philosophi argumentationem alio conuertit. Non ad probandum plantas carere sensu, sed ad ostendendum caducis omnibus & sublunaribus animalibus necessarium esse tactū; non item cœlestibus ac perpetuis. Vt duplex reddatur causa, cur animalia mortalia tactum habeant: Altera; quia sine hoc cæteri non consistant sensus. Altera; quia cùm

aduentitias ab obiectis recipiant formas (id enim A
est, non sine materia) necesse est, vt sentiendis
rebus patiantur. Quare priora hîc verba putat re-
petenda, hoc fere modo; sine tactu possibile non
est vllum esse animal. Neque sine hoc) id est, tac-
tu, possibile est vllum animal esse, quod non sit
susceptiuum formarum sine materia.

Ego verò hæc ab Aristotele prorsus arbitror es-
se aliena. Nam quid illi sit susciperе formas sine
materia, antea satis declaratum est: & sensus illa
definitio testatur; Sensus est facultas animæ for-
marum susceptrix sine materia. Qua non cœle-
stem, sed animalem ac sublunarem animalibus
hisce omnibus communem, sensum definit: hoc-
que ipsum de illo affirmat, quod Simplicius ne- B
gat. Et nonne is ipse in suis commentariis sæpe
admonuit, non de cœlestib. & immortalibus, sed
de mortalium dũtaxat animabus in his libris esse
sermonem. Deinde quod plantis tribuit sensum,
Nullus in plantis sensus. nescio qua experientia sensuque confirmet. Nec
enim vllius sensus organum aut functio apparet:
& si tangantur, neque refugere nequevllo modo
mutari deprehẽduntur. Obscurus autem & dor-
miens sensus si quid agit, sese prodet; si nihil a-
git, tùm inutilis est, frustráque & sine causa cogi-
tatur; tùm priuatio potiùs est & carentia sensus.
Et Aristoteles in extremo primo libro apertè di-
xit solam vegetantem animam sine sentiente in C
plantis esse cum animalibus communem. Et tex.
15. lib. 2. vegetationem separari à cæteris omni-
bus posse: at vbi separatur, nisi in plantis? Ac de-
mum hoc loco, sensum non inesse in viuentibus
omnibus: at quænam illo careant, nisi plantæ?
Dúmque duplici id argumẽto probatur, tùm ex
parte corporis, tum ex parte animæ; dici non
potest id accipi, quod in quæstione versatur.
Quod q. 1. obiicitur argumento, leue est. Etenim
in plantis multò magis, quàm in animalium cor-
poribus, abundat terra, terreæque prorsus sunt:
immò vel in ipsis animalibus quæ partes magis
sunt terreæ minúsque temperantur aliunde, nihil D
sentire videntur; vt in tex: 79. lib. 1. dicebatur:
quibus tamen terreæ magis sunt plantæ minusq.
tẽperatæ. Nam etsi iucũdi aut molesti sensum ha-
berent, frustra nimirum haberẽt, inquit Philopo-
nus, cùm nec possint ad iucunda accedere, nec de-
clinare molesta; quòd affixę radicibus hæreant &
sint immobiles.

TEXTVS.

Τὸ δὲ ζῶον ἀναγκαῖον αἴσθησιν ἔχειν, εἰ μηδὲν μάτην
ποιεῖ ἡ φύσις. ἕνεκά του γὰρ ἅπαντα ὑπάρχει τὰ φύσει, ἢ συμ- E
πτώματα ἔσται τ' ἕνεκά του. εἰ δὲν πᾶν σῶμα τροφητικὸν μὴ ἔχον
αἴσθησιν, φθαρήσεται αὐ, καὶ εἰς τέλος ἂν ἀφίκοιτο, ὃ ἔστι φύσεως
ἔργον. πῶς γὰρ τρέφεται; τοῖς μὲν γὰρ μονίμοις ὑπάρχει τὸ
ὅλον περῦκεν.

Animal autem necessarium habere sensum, si frustra nihil agit natura. Alicuius enim gratia sunt, quæ natura; aut casus eorum sunt, quæ alicuius gratia. Si ergo grestile omne corpus non habens sensum, interibit sane, nec ad finem perueniet, qui est naturæ opus. Quo enim modo nutrietur, stabilibus namque hoc adest, vbi nata sunt.

COMMENTARIVS CLXX.

DVas de altrice vegetantéque animæ parte conclusiones hactenus demonstrauit. Alteram viuentibus omnibus necessariam eam esse. Alteram in quibusdam solitariam hanc, atque à sensu separatà reperiri. Quæ posterior ad sensum quoque pertinet. Perinde enim est, siue vegetationem duas in quibusdam sine sensu contineri, siue sensum omnibus non inesse. Quare proba- *Sensus animalibus cunctis necessarius.*
tio eadem, tùm posterior de vegetatione fuit, tùm de sensu prior.

Tertiam nunc propositionem adiungit, quæ de sensu posterior erit; sensum animalibus cunctis necessariũ esse, atq. in cũctis vigere. Probatio est hæc. Natura nihil frustra ac temerè facit; sed propter finem & vsum aliquem fiunt cuncta: aut certè in iis eueniunt, quæ referuntur ad finem. Hæc ex 2. Physic. lib intelliges, vbi vtraq. propositionis pars demonstratur; tùm naturam in omnibus suis operibus finem aliquem intueri; tùm fortunam & casum in iis versari, quæ propter finem fiunt. Nunc autem συμπτώματα euenta hæc omnia vna voce comprehendit. Sanè pili (vt exemplo vtar Philoponi) in capite sunt ad obtegendam illam partem, in palpebris & supercilijs ad protegendos oculos, in mento adornatum: at qui sub axillis & canities, symptomata sunt, non alicuius gratia: sed sub axillis quidem ob loci calorem atque humiditatem; canities verò ob pituitæ in senectute copiam caloriſq. imbecillitatem. At si animalia carerent sensu, frustra essent, prædita igitur sensu ea esse necesse est. Assumptionem ita demonstrat Philosophus: Si animal expers esset sensus, nutriri non posset; at sine nutritione conseruari nequit vita; perirer igitur, & vix natum extingueretur, neque peruenire ad finem. *Sensus animalibus cunctis necessarius.*

Quo loco interpretes dùm de grestilibus animalibus (si ergo, inquit, grestile omne corpus &c.) loquentem Philosophum audiunt, de illis duntaxat, at non eodem modo, probationem interpretantur. Nam Themistius sensum illis necessarium esse demonstrat; quoniam prope influens & appositum alimentum non habent: neque ex elementis trahunt, in quibus nascuntur: sed remotũ cùm sit atq. in pluribus locis distributum, hinc inde quærant oportet diuersaque adeant loca. Ac nisi sensu duce ac præmonstrante vbinam illud sit, quodq. adeundum sit aut vitandum, & omnino quæ commoda prosequenda, quæq. fugienda noxia; fieri hoc omnino non potest. Perirent igitur animalia, neq. peruenirent ad finem, vt sibi simile procreent, suamq. conseruent speciem.

Philoponus autem aliter. Si sensum, inquit, grestilia non haberent, temerè & ad exitium mouerentur; quòd & finem & terminum motus ignorarent, vagaque huc & illuc errabunda incederent; & in præcipitia ruerent, plurimisq. occurrerent noxiis, quę non pręcognita vitari haud possent. Deinde cùm inter aliméta multa versentur, & progredi ad multa possint, cognitione opus est proprium alimentum ab alieno discernere.

Vnum

Vnum est, quod interpretibus hisce obijciam. Etenim probationem, quam vniuersam & animalibus cunctis communem esse oportuit, illi faciunt in parte: & cùm generalem Philosophus conclusionem posuerit. (Animal autem necessarium est habere sensum) de solis gressilibus probationem illi subijciunt. Nam quæ sequuntur verba (Stabilibus enim hoc adest, vbi nata sunt) de plantis intelligunt: quæ licet immobiles sensúq; carentes, non frustrantur fine: quoniam præsens habent alimentum eo ipso in loco, vbi nascuntur.

Duobus igitur modis expono. Primùm etsi gressile corpus nominet, quòd in hoc optimo & perfectissimo animalium genere manifestior sit & perfectior sensus, generalem tamen probationem hanc esse. Si animalia carerent sensu, vel etiam gustatu & tactu, quibus alimenta discernuntur; planè non nutrientur: Frustra igitur essent: quia non consequerentur finem, hoc est, conseruationem sui; quæ bonum illud est, quod omnia velut finem quærunt. Aut cùm imperfecta nascantur, ad perfectionem perduci non possent, quæ vt paulo ante dicebatur, nutritione acquiritur, & quasi finis illius est. Ita posteriora illa verba. (Stabilibus enim hoc adest, vbi nata sunt) de plantis, Themistio ac Philopono, aut de plantis & affixis animalibus, quæ de loco ad locum non transeunt, Simplicio licebit accipere.

Sed alteram interpretationem magis probo: qua posteriora hæc non de plantis, sed de illo animalium genere, quod non graditur, accipienda propono. Sic enim ex proximè sequenti textu intelligetur. Propterea que μόνιμα, non immobilia interpretor (hoc enim plantarum est) sed stabilia: qualia sunt hæc animalia, quæ de loco ad locum non mouentur. Namque μόνιμα ijs opponit, quæ πορευτικὰ dixerat; stabilia inquam animalia gressilibus. Quare generalis quidem, sed bipartita probatio fuerit. Animalibus cunctis necessarius est sensus; quoniam gressilia quidem remotum quærere alimentum debent, atq; hanc ob causam corpus habent ad ingrediendũ aptum: at si absq; cognitione mouerentur, frustra mouerẽtur; quia finem motus non cõsequerentur, propterquem gressile corpus acceperunt; neque adoptatum alimentum pertingerent, sed huc atque illuc errabunda; necad constitutum terminum mouerentur, quare inopia alimenti consumerentur & perirent; nec attingerent finem, hoc est, τὸ σωτικὸν, id, quod ea conseruare potest.

Arbitror etiam non sine causa instrumenti mentionem fuisse factam, dum gressile corpus dixit. Sed vt duplicem causam significaret, cur frustra mouerentur: alteram ex parte motus, qui terminum non attingeret: alteram ex parte instrumenti, quod optatum naturæ vsum non consequeretur. Quæ verò nec gradiendi virtutem nec gressile corpus habent, sed stabilia semper in eodem loco sunt; obuium ibi habent alimentum: sed nisi sensum illius haberent, quo ab alienis illud dignoscerent; ad illud non se expanderent neque ad se allicerent.

Animalia gressilia non gressilibus præstare.

Porro animalia gressilia sensu, non gressilia tribus modis superant: quod sensibus omnibus prædita sint: quòd certius magisq. acutè sentiant: quòd non tangentium modò, sed & remotorum atque distantium rerum habeant sensum. De quo sensu loquutus videtur Themistius, vbi sensum dixit necessarium animalibus esse, quamuis non omnibus simpliciter; verùm illis duntaxat, quæ incedunt. Alioqui non constabit sententia: si animal sensu primùm constituitur & animal est.

Stare.

Denique Philosophum adnotabis triplicem rerum fecisse ordinem, tum in 2. Physic. lib. tum hoc loco. Quædam sunt vt finis, & id cuius gratia: quædam illius gratia: quædam demum συμπλώματα & velut consequentia accidentia ijs, quæ illius gratia fiunt.

Entium simplex ordo.

TEXTVS.

Οὐχ οἷόντε δὲ σῶμα ἔχειν μὲν ψυχὴν καὶ νοῦν κριτικὸν, αἴσθησιν δὲ μὴ ἔχειν, μὴ μόιμον ὄν, γενητὸν δὲ, ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀγένητον. διὰ τί γὰρ οὐκ ἔξει, ἢ γὰρ τῇ ψυχῇ βέλτιον, ἢ τῷ σώματι. νυνὶ δὲ οὐδέτερον. οὐ μὲν γὰρ οὐ μᾶλλον νοήσει, τὸ δὲ οὐδὲν ἧσσον μᾶλλον δι' ὅπερ. ὅθεν ἄρα ἔχει ψυχὴν σῶμα μὴ μόνιμον ἄνευ αἰσθήσεως.

At non possibile corpus habere quidem animam, intellectumque discernentem, sensum verò non habere; non stabile existens, genitum autem. Cæterùm neque ingenitum. Cur enim non habeat? Nam aut animæ melius, aut corpori: nunc autem neutrum. Etenim illa haud magis intelliget; hoc verò nihil magis erit propterea.

Text. 61.

Text. 62.

Nullum igitur animal habet corpus non stabile sine sensu.

COMMENTARIVS CLXXI.

GRessilia putat Philoponus à cœlestibus distingui, quòd illa vegetantem ac sentientem habeant animam, hæc intelligentẽ solam. Quam ob causam digreditur pluribus vtrinque & pro Peripateticis & pro Platonicis disputans, an in cœlestibus insit sensus. In quibus immorandum nunc non est; vbi de mortalium agitur animabus: déque cœlestibus quid sentiendum sit in superioribus satis significatum est. Difficultatem autem pariunt illa verba. Cæterum neque ingenitum. Quibus non solùm Philoponus, sed & Alexander, & Plutarchus, & Themistius & Simplicius, cœlestia credunt significari. Et rursum illa cur enim non habeat? Quæ absque negatione legit Alexander; & cum negatione Plutarchus. Quare in cœlestibus negauit alter, alter affirmauit, Aristotelem posuisse sensum. Sed Alexandrum potius sequuti sunt Themistius, Philoponus, ac Simplicius. Arbitratur autem Simplicius in toto hoc orationis contextu dubitationem exponi diluique obiectionem. Superiori namque demonstratione, qua sensum gressilibus animalibus ad salutem & conseruationem necessarium esse probauit Philosophus, vt ad finem possent peruenire. Respondisset quispiam, intellectum quoque cognoscentem ac discernentem virtutem esse, illumque absque sensu satis esse posse: cur igitur ea, quæ præstantiorem hanc cognitionem habent, ea sola contenta non sunt, sed sen-

sum etiam postulant? Eadem fuit sanctæ Thomæ sententia. Verùm extortam nimis & violentam interpretationem facit, quam propterea prætermittam.

Ego absolutam potius interpretor orationem esse; quæ quartam contineat propositionem ad intellectum pertinentem. Postquam enim de vegetatione ac sensu dixisset, de intellectu quoque dicendum fuit. Propositio est; Ea pars animæ, quæ ratiocinatur & intelligit, absque sensu esse non potest; nullumque prorsus est animal, quòd intelligat, & sensu non sit præditum. Quæ superioribus sapienter adiungitur: vegetatio viuentibus omnibus necessaria est, in quibusdam coniuncta cum sensu, in alijs absque sensu: sensus item animalibus ineſt cunctis, in plerisque ab intellectu separatus, in alijs cum intellectu coniunctus: at intellectus in nullo animalium genere potest absque sensu esse. Quam interpretationem habebit tibi tex. 31. & 32. lib. 2. ex quo loco hæc videntur repetita fuisse. Sed quod ibi absque probatione accipitur, adiunctam nunc demonstrationem habet. Quódque ibi dicitur secundum locum mouens, hîc non stabile appellatur: quod ibi φθαρτὸν, id est mortale, hîc μεταβλητικὸν, hoc est genitum: quod ibi λογισμὸς & διάνοια, hîc νοῦς κριτικὸς. Quare si quærant Philoponus & Simplicius, cur non dixerit intellectum simpliciter, sed intellectum discernentem: non respondebo cum illorũ altero, ne à plantis videretur animalia discernere, sed rationalia animalia à plantis. Etenim nec μόνιμον plantam significat, sed affixum & stabile animal: quod non mouetur loco, gressilique opponitur: quidquid Alexander etiam & Simplicius dicant. Nec rationalia animalia distinguit à plantis, sed à stabilibus gressilia atque ab irrationalibus rationalia: quòd hæc intellectu & sensu, illa solo sensu prædita sunt. Neque eum altero, vt theoreticum indicaret intellectum, ad practici distinctionem. Quorsum id enim? Cùm præsertim ipsomet consentiente vterque indigeat sensu, vel etiam theoreticus in ipso regnitionis principio deincepsque in contemplatione sensilium. Imo verò cum de animalium incessu & motu sit sermo, practicus potius indicandus erat: quem antea motus principium posuit. Κριτικὸν igitur adiecit, vt non intellectum simpliciter aut separatum significaret: sed eum qui in animalibus existens ratiocinatione vtitur.

Intellectum sine sensu non esse.

Vnde intelligas, nihil hîc de cœlestibus intelligentijs dici: neque ingeniti voce significare cœlestia. Sed illam interpretabitur text. 29. lib. 2. vbi cùm perinde, atque hoc loco, animæ facultates animalibus distribueret, quibusdam inquit præter hæc ineſt διανοητικὸν καὶ νοῦς, vt hominibus & si quid huiusmodi est, aut etiam honorabilius: Quod enim ibi dixit homine melius & honorabilius, hîc ingenitum ait: animal tamen, quod ratiocinatione vtatur. Omnis quippe ratiocinatio ex sensibus colligit: cœlestes autem intelligentiæ intelligunt quidem, at non ratiocinantur. Quemadmodum igitur si quid dixit aliud huiusmodi, est aut etiam honorabilius. Hoc est, si quæ aliæ fortasse sint ignotæ nobis animalium species præter hominem, quæ ratione vtantur & intellectu viuant: ita nunc ait, siue genitum animal sit, qualis est homo; siue ingenitum aliud nobis nondum notum, certè nullum fuerit, quod careat sensu, si ratione potiatur.

Iam quæ sequitur probatio, non eodem modo ab interpretibus accipitur. Qui enim ingenitum interpretati sunt cœlum, aut illud sensus expers esse volunt, & ideò absque negatione legunt. (cur enim habeat? Vt probatio sit, nihil in cœlo opus esse sensu, neque ex parte corporis, neque ex parte animæ, quæ in eo corpore reperitur. Corpus enim tum impatibile est, neque ab vllo noxio pati potest, quod sensu declinare oporteat: tum alimento non indiget, quod sensu duce quærendum sit. Anima verò sine sensu meliùs intelligit. Siquidem ea circa vniuersalia semper versatur: & sensus perturbat minusque sinceram intellectionem facit: nugaci vicino similis, inquit Philoponus: qui multùm loquitur, vt legentem aut meditantem interpellat. Natura verò nihil frustra & absque necessario vsu facit.

Aut cœlum quoque sensu præditum esse opinantur; & cum negatione pronunciant. Cur enim non habeat? Probationemque reliquam duobus deducunt modis. Plutarchus enim ad cœlum refert: quoniam neque illius corpori, neque animæ melius, ideſt, nempe carere sensu: imò melius est præditum eo esse, sentiensque non sentienti præstat. Simplicius verò ad superiorem propositionem, mortalia & caduca animalia non habere intellectum sine sensu: quoniam neque ad animæ melius, neque corpori. Nam intellectus ad corpus declinans, & factus corporis actus, ad intelligendum indiget sensu, & vt excitatore, & vt cooperatore; nihilque intelligit sine phantasia. Et corpus non solum intellectu, sed & sensu conseruatur: qui hoc esse noxium ostendit, illud commodum; hoc molestum & iniucundum, illud suaue & iucundum: siquidem hæc ad sensum pertinent. Hinc similis conclusio deducitur. Nullum igitur non stabile, sed gressile corpus animam habet sine sensu.

Ego primùm vereor magnopere, ne verba illa, quæ locum hunc obscurum faciunt (cæterum neque ingenitum) expungenda sint: quòd non ab Aristotele addita, sed à quopiam primum ad marginem adnotata, deinde ab incauto librario in textum inserta. Certè in quibusdam exemplaribus ea non fuisse tecta Simplicius testatur. Deinde quidquid sit, nullam hîc cœlestis corporis mentionem esse ostendi. Quippe quòd gressile non sit, neque de loco moueatur ad locum: sed stabile potius, dum in eodem semper voluitur loco: sicut & affixa, licèt moueantur per partes, stabilia tamẽ nominantur. Quare generalem propositionem; Nullum corpus gressile, siue genitum sit, siue ingenitũ, habere posse intellectum sine sensu; ita probo. Quia si quod sensu careret, propterea careret, quòd melius id animæ aut corpori foret: at neutrum dici potest. Nam anima non melius, imo deterius intelligeret sensu priuata: quoniam intellectum, qui actus existit corporis, manifestum in nobis est sensu ad intelligendum iuuari & quasi manu duci: corpus autem non magis propterea erit, hoc est, non melius à noxijs defendetur, aut opportunis locupletabitur adiumentis; siue de alimentis, siue de alijs quibusuis externis agatur. Imo verò multo

minùs: quia tùm alimentorum, tùm cæterorum sensilium sotinsecus incurrentium optimus iudex est sensus. Itaque illud (genitum autem. Cæterum neque ingenitum) perinde est, ac si dixisset, siue genitum sit, siue ingenitum: quasi per parenthesim interiectum. Nam quòd intellectus non sit sine sensu; non ideò euenit, quia genitum animal sit, aut ingenitum: sed ex necessario ordine partium animæ, & quòd intellectus sit actus corporis. Hinc generalis conclusio deducitur, quæ respondet propositioni positæ in superiori textu; Animal omne necessarium esse habere sensum: quam cùm vniuersè ibi probauerit, deinde verò in parte de animalibus intellectu prædi- B tis: tandem concludit nullum animal, siue solo sensu viuat, siue intellectu, siue irrationale sit siue rationale, habere animam sine sensu.

Alteram tamen conclusionis eiusdem probationem, quæ adferri poterat: quòd cognitio cognoscendis rebus par & similis esse debeat, sensusque sensilibus rebus par sit & similis: neque aliter ab intellectu, quàm per sensum, cognoscantur: prætermissam fuisse. Simplicius inquit, quòd anteà sæpius fuerit proposita. Quoquo tamen modo in ea, quæ dicta est, contineri: Non possunt animalia intellectum habere sine sensu: quia neque hoc ad intelligendum melius est animæ, C neque corpori ad salutem. Quod enim de intelligendo dicitur, alteram quoque illam continet probationem.

TEXTVS.

Ἀλλὰ μὴν εἴγε αἴσθησιν ἔχοι, ἀνάγκη τὸ σῶμα εἶναι ἢ ἁπτὸν, ἢ μικτὸν, ἐξ οἵων τε δὲ ἁπλῶν. ἁπλοῦ γὰρ ὄχ ἕξει. ἔστι δὲ αὐάγκη ταῦτα ἔχειν. τοῦτο δὲ ὃν τῶν δε ἄνλον. ἐπεὶ γὰρ τὸ ζῶον, σῶμα ἔμψυχόν ὅτι, σῶμα δὲ ἅπαν ἁπτὸν, ἁπτὸν δὲ τὸ αἰσθητὸν ἁφῇ, αὐάγκη καὶ τὸ ζῶον σῶμα ἁπτικὸν εἶναι, εἰ μέλλει σώζεσθαι τὸ ζῶον. αἱ γὰρ ἄλλαι αἰσθήσεις δ' ἐτέρων αἰσθάνονται, οἷον ὄσφρησις, ὄψις, ἀκοή. ἁπλούμενον δὲ εἰ μὴ ἕξει αἴσθησιν, ἢ δυνήσεται τὰ μὲν φεύγειν, τὰ δὲ λαβεῖν. εἰ δὲ τοῦτο, διὰ τοῦτο ὅτι σώζεσθαι τὸ ζῶον.

Atqui si sensum habeat, corpus necesse aut simplex esse, aut mistum. Non possibile autem simplex: quoniam tactum non habebit, estque necesse hunc habere.

Id verò ex his manifestum. Nam cùm animal corpus animatum sit, corpus autem omne tactile, & tactile tactu sensile: necesse & animalis corpus tactile esse, si seruandum sit animal. Etenim cæteri sensus per alia sentiunt: Vt odoratus, aspectus, auditus. Tangens autem in sensum habuerit, non poterit hæc quidem fugere, illa verò capere. Quòd si hoc, impossibile est seruari animal.

COMMENTARIVS CLXXII.

POstquam, inquit Philoponus, discreuit Aristoteles à plantis & cœlestibus, animalia: gressilia nunc à plantanimis discernit. Primùm autem in quibus conueniant ostendit: nempe tum nomine ac definitione, quòd ambo sunt animalia sentientesque substantiæ: tum quòd mista sint: tum A verò quòd sensu tactus prædita.

At à principio statim ostendimus aliud esse ait his Philosophi institutum. Magis ad rem Simplicius eum hactenus diuersos vitæ gradus distribuisse ait: nunc autem quale sit proprium cuiusque instrumentum qualique vnaquæque instrumento vtatur definire, vegetansque corpus à sentiente distinguere; ac rursum simpliciter sentiens ab eo, quod & sentiens est & gressile. Intellectus verò instrumentum non posuit: quoniam is proprium instrumentum non habet, sed nec fingi vllum potest, vt dictum est in tex. 92. lib. 1. sed phantasiæ ac sensus ceu sibi famulantium vtitur instrumento. Nam etsi corpus rationale sit, ipsius tamen sensus proximè ac propriè instrumentum existit: duplexque est sensus: alter irrationalis & bestialis, alter cum ratione coniunctus & illi quasi cognatus. At quoniam de vegetante corpore satis anteà dixit, illud ob terræ abundantiam esse propemodum simplex: nunc quale sit sentiens corpus, statim aggreditur: non simplex, sed mistum esse demonstrans.

Sanè si prima orationis verba consideres (si sensum habeat, corpus necesse) prorsus intelliges ab anima transitum fieri ad corpus: atque ex eo, quòd animal ostendit habere sensum, deduci quale oporteat esse illius corpus. Quomodo Themistius quoque hunc locum intellexisse videtur. Quòd si absolutum omnino orationem esse velis: quinta fuerit propositio ad corpus pertinens: Animalis cuiusuis corpus, siue gressile illud sit siue non gressile, non simplex sed mistum esse oportere. Generalem propositionem facio, quoniam generalis probatio superior fuit: sensum animali omni necessarium esse: eumque ex hac probatione propositio hæc deducatur, generalem eam quoque esse oportet. Probatio ferè ducitur ex ijs, quæ in tex. 118. lib. 2. demonstrata sunt. Atque vt scientiaria magis sit, vtitur diuisione. Etenim necesse est corpus omne aut simplex esse, aut ex simplicibus permistum: corpus sentiens simplex esse non potest: quoniam tactum non haberet: & si tactu careret, nullum omnino haberet sensum: quoniam is est omnium primus, qui sine alijs quidem interdum est, at sine illo alij nusquàm esse possunt. Non adfuturum autem tactum tanquam alibi demonstratum accipit. Nam tactus in qualitatum omnium temperatione ac mediocritate consistit, vt excessus omnium sentire valeat. Sed & ita argumentatur Philoponus: Tactus non solùm vnum percipit elementum, sed omnia prorsus: at ea percipit, ex quibus compositus est: non est igitur vnum simplex elementum, sed quidpiam ex omnibus mistum.

Animalis corpus mistum esse oportere.

Alteráque nunc ratiocinatione demonstratur, tactum animalibus cunctis necessarium esse: quam propositionem sextam liceat numerare. Omne corpus est tactile, quippe aut elementum aut ex elementis concretum, tactilibusque elementorum qualitatibus affectum: at verò tactile tactus sensu comprehenditur: omne igitur corpus sensu tactus comprehenditur: sed animal est corpus animatum: igitur & ipsum est tactile, quatenus corpus est. Quatenus autem animatum in sensum habeat, dum tangit aliud quidpiam, aut ab alio tangitur (vtroque enim modo & actiuè & passiuè accipi potest illud

Tactum animalibus omnibus inesse.

(ἀπόλωλον) omninò tueri vitam ſuam non poterit animal: quoniam noxia non declinabit, neque vtilia & commoda amplectetur: quòd commoda & incommoda, vtilia & noxia non internoſceret. Nam cæteri ſenſus, aſpectus, auditus, & odoratus, non niſi per interiectum medium remota corpora ſentiunt. Addito autem tactu, tum remota, tum proxima & immediata obiecta ſentiuntur: & propterea quæ ſenſu carent, adiacentibus corporibus, quæ hoſtilibus prædita ſunt qualitatibus, breui tempore diſſoluuntur; quòd naturalem ſolùm habeant tactum, non animatum hunc, quo vitare illa & declinare queant. Itaque animalis corpus tùm tactile probat eſſe, tùm tangens. A B

Tactus à ſenſibus cæteris differentia.

Obiter autem differentiam interponit tactus à ſenſibus cæteris: quòd cæteri per interpoſitum aliud corpus aërem vel aquam, operentur; tactus nullum corpus, mediũ admittat. Solúmque aſpectum, auditum, & odoratum nominat; quòd hi tres duntaxat per medium externum ſentiant: guſtatus & eſt quidam tactus, & ſapidum corpus ſine medio guſtat. Ergo quatuor ratiocinationes ſunt. Prima; corpus ſentiens aut ſimplex eſt, aut miſtum: ſimplex eſſe non poteſt; miſtum igitur eſt. Altera; qua probatur aſſumptum. Organum tactus non poteſt eſſe ſimplex; at ſine tactu nullus poteſt eſſe aliorum ſenſuum; corpus igitur ſentiens nequit eſſe ſimplex. Propoſitionem accipit vt alibi demonſtratam. Aſſumptionem tertia ratiocinatione probat. Omne corpus eſt tactile; igitur & ſentiens animalis corpus: at niſi tactilia incurſantia diiudicet, conſeruari diu non poteſt. Huic quarta ſubnectitur. Non poteſt animalis corpus diu vitam tueri ſuam, niſi forinſecus occurſantia tactilia diiudicet, vt noxia vitet & commoda perſequatur; ne contrariarum qualitatum tactu interimatur, ſimilibus verò & ſalubribus foueatur: at horum omnium iudex ſenſus eſt tactus; neceſſarium igitur eſt animal omne ſenſu tactus præditum eſſe. Non ignoro ratiocinationes haſce paulò aliter ab aliis explicatas fuiſſe: ſed mihi planior hæc ac certior fuiſſe probatio videtur. C D

TEXTVS.

Διὸ καὶ ὑγιεὶς ὅτι ὥσπερ ἁφή τις ἡ γεῦσις ἂν εἴη, ἡ δὲ γεῦσις, τοσῶμα τὸ ἁπτόν. λόγος δὲ, καὶ χεῖμα, καὶ ὀσμὴ, ἡ πρόσφορει, οὐδὲ ποιεῖ ὅτε αὔξησιν, ὅτε φθίσιν. ὥστε καὶ τὸν γεύσιν αὐτὴν ἁφὴν εἶναί τινα, διὰ τὸ τὸ ἁπτὸν καὶ θρεπτικὸν αἰσθητὸν εἶναι. αὕτη γὰρ ἡ αἴσθησις τῷ ζώῳ, καὶ φανερὸν ὅτι οὐκ ἐνδέχεται ἄνευ ἁφῆς εἶναι ζῷον. E

Quapropter guſtatus eſt velut tactus quidam. Alimenti enim eſt. Alimentum verò corpus tactile.

Tex. 64. *At ſonus, & color, & odor, non nutriunt, neque accretionem aut decretionem faciunt. Quare & guſtatum neceſſe tactum eſſe quendam; quoniam tactilis & nutritiui ſenſus eſt. Hi ergo animali neceſſarij: & manifeſtum, quòd ſine tactu non poſſibile animal eſſe.*

COMMENTARIVS CLXXIII.

ALteram hîc Simplicius rationem agnoſcit, qua tactum animalibus cunctis ineſſe probetur. Sed priorem ex tactu propriè dicto fuiſſe deductam ait, hanc verò peti ex guſtatu, qui tactus quidam eſt: illam ex tactilibus primis qualitatibus, hanc ex ſaporum conditione ac natura. Eadem ferè Themiſtij interpretatio fuit. Fuerit autem hæc ratio. Guſtatus animalibus neceſſarius eſt, vt conueniens ſibi alimentum dignoſcant: at guſtatus eſt tactus quidam; tactus igitur animalibus neceſſariò ineſt. Guſtatum porrò eſſe tactum quendam oſtenditur; quoniam eſt alimenti, quod tactile corpus eſt.

Philoponus autem obiectionem dilui arbitratur. Cùm enim ſolum tactum dixiſſet Ariſtoteles tangendo ſentire; potuiſſet quiſpiam obiicere guſtatum quoque tangendo ſentire. Propterea quaſi reſpondens ſubiungit, guſtatum eſſe tactum quendam, ideóque tangendo ſentire.

Guſtatum eſſe tactum quidam.

Cæterum prima illa vox (quapropter) nec ſecundam argumentationem nec obiectionis dilutionem præſe fert: ſed quampiam ex ſuperiori demonſtratione deductionem. Deductio autem eſt, guſtatum eſſe tactum quendam: quæ velut ſeptima fuerit propoſitio. Quam tripliciratiocinatione probari vult Philoponus: primámque verbis illis contineri (guſtatus eſt tactus quidam.) Tactus eſt animali neceſſarius, ſed guſtatus eſt item neceſſarius: guſtatus igitur eſt quidam tactus. Alteram illis (alimenti enim eſt.) Guſtatus eſt alimenti tactus: alimenti tactus eſt quidam tactus: guſtatus igitur eſt quidam tactus. Tertiam illis (alimentum verò corpus tactile.) Alimentum eſt corpus tactile: ſed guſtatus eſt alimenti: ergo eſt corporis tactilis: eſt igitur tactus quidam. Verùm vt primam rationem mittam eſſe ex duabus affirmantibus in ſecunda figura: quaſi liceat vti, licebit etiam ita concludere: Tactus eſt animali neceſſarius, nutritio eſt neceſſaria, nutritio gitur eſt quidam tactus. Quis ineptam ratiocinationem ſine ſtomacho audiat? Sapientem vnam optiméque inſtructam argumentationem in tres ille partitus eſt, ſingulas illius propoſitiones velut integram argumentationem accipiens: vbi vnam ex omnibus illis propoſitionibus Philoſophus fecit. Namque prima illa propoſitio (guſtatus eſt tactus quidam) concluſio eſt: altera (alimenti enim eſt) velut propoſitio ponitur: tertia demum (alimentum verò corpus tactile) vt aſſumptio accipitur. Quare hæc eſt ratiocinatio. Guſtatus eſt alimenti ſenſus: ſed alimentum eſt corpus tactile: ſenſus igitur guſtatus eſt quidam tactus. Porrò aſſumptionem probat: quia ſenſilia cætera, ſonus, color, & odor, nihil ad nutriendum conferunt, nequead animalis incrementum & decrementum quæ nutritionem conſequuntur & cum alimento coniuncta ſunt. Sed alimentum nutrit vt ſubſtãtia eſt, & auget vt quantum: quemadmodũ in tex. 47. l. 2. dicebatur: guſtatuq; diiudicatur vt calidũ eſt, frigidũ, humidum, ſiccum, quæ tactiles qualitates ſunt: aut ſapidum, ſaporéſque in tactilibus qualitatibus conſiſtunt:

præsertim in humido & sicco, easque consequuntur. Propterea dicitur alimentum tactile corpus esse: corpus quidem; quia nutriendum animal corpus est, corpusque nutritur corpore: tactile autem; quia & tactilibus qualitatibus constat, & illis diiudicatur à sensu; vt conueniens persequi & noxium vitare animalia queant.

Gustatus vt quidā tactus.

Hinc gustatus quoque tactus quidam est; non solum, vt Simplicius credidit; quoniam alimenti saporem gustando tactiles item illius qualitates sentiantur: sic enim adiunctum quidem haberet tactum, at is tactus quidam non esset: Verum etiam quòd nullo interposito corpore gustetur, immediatéque alimentum imponatur linguæ, eodem prorsus modo, quo tactilia tanguntur: estque hic communis sentiendi modus, tùm tactui, tùm gustatui; & si tactui potissimùm tribuatur, quòd immediata illa corporum copulatio in rebus quoque non sentientibus nominetur tactus: sed is naturalis est tactus, aut mathematicus; non animalis. Non tamen absolute dixit Philosophus gustatum esse tactū quemdam; sed velut tactū quemdam. Quoniam species aut pars tactus non est; Sed ab eo diuersus planè sensus circà gustabile, diuersum à tactili obiectum, occupatus. Velut tactus tamen; dùm eumdem habet operandi modum; omni scilicet remoto medio, sensúque tangente sensile.

Gustatus vt alimēti sensus.

Nam propositio illa (gustatus est alimenti tactilis) non est per se, sed ex accidenti: neque alimentum gustatus obiectum significat, sed finem: vt sententia sit, gustatum esse propter alimentum. Alioqui sensus hic per se est sapidi, alimenti autem ex accidenti; quatenus alimento accidit sapidum esse, aut sapido esse alimentum: & rursum ex accidenti est tactilis; quatenus sapido accidit esse tactile, aut tactili esse sapidum. Quapropter hæc eò spectare videntur, vt non solùm tactum, sed gustatum quoque probet animalibus cūctis necessarium esse. Idcirco enim vbi tactum probauit necessarium esse, gustatum subiungit esse tactum quemdam; nempe alimenti, quo animalia cuncta sustentantur & viuunt. Quod conclusio quoque illa confirmat. (Hi ergò animali necessarij,) tactus inquam & gustatus.

Tactum & gustatū in omnibus animalibus esse.

Ex qua manifestum est propositum in his illi fuisse non altera ratione, vt Simplicius credidit, probare tactum inesse omnibus: sed gustatus quoque necessitatem demōstrare. Sic enim duos hosce necessarios esse concludit. Quippe ambo ad esse conferunt: alter, vt ab externis iniuriis sibi caueant animalia, externaue adiumenta suscipiant, quæ ab alteratricibus & omnino tactilibus qualitatibus abundè proueniunt: alter, vt oportunis alimētis perpetuus corporis effluxus ac dispendium restauretur. In plātis neuter est. Namque inanimatus planè illarum est tactus. Quod terræ nimium sint; neque medietatem habeant ac tēperationem, quam is sensus postulat. Quod si tactum non habent; neque gustatum habere possunt. Sed & frustra haberent: quoniam cùm immobiles infixæ sint terræ, noxia alimenta vitare aut opportuna persequi non possunt.

TEXTVS.

Αἱ δὲ ἄλλαι, οὔστε εὖ ἕνεκα, ἢ γένει ζῴων ἤδη, ἃ τῷ παρόντι, ἀλλὰ ποιν, οἷον τῷ πορευτικῷ ἀναγκαῖον εἶναι χεῖρας, εἴγε μέλλει σώζεσθαι. ἃ μόνον δὲ ἀπόνομον αἰσθάνεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἀπολαῦσαι. τοῦτο δὲ ἂν εἴη, εἰ διὰ τὸ μεταξὺ αἰσθητικὸν εἴη, τῷ ἐκείνῳ μὴ ὅσα τὸ αἰσθητὸν πάσχειν καὶ κινεῖσθαι, αὐτὸ δ' ὅσα ἐκεῖνο. ὥσπερ γὰρ τὸ κινοῦν κατὰ τόπον μέχρι τοῦ μεταβάλλειν ποιεῖ, καὶ τὸ ὧσαν ἕτερον ποιεῖ, ὥστε ὡθεῖ καὶ ἔστι διὰ μέσου ἀ κίνησις. καὶ μὴ διὰ τὸ πρῶτον κινοῦν ὠθεῖ ὧν, ὠθούμενον, τὸ δὲ ἔσχατον μόνον ὠθεῖται ἐκ ὧσαν, τὸ δὲ μέσον, ἄμφω ἐπολλὰ δὲ μέσα.

Alij verò & propter bene & generi animalium non cuiuis, sed quibusdam, vt gressili necesse insint: siquidem seruanda sint. Non solum autem tangens sentire, sed & procul.

Hoc autem fuerit, si per medium sentiendi facultatem habuerit: quod illud quidem à sensili patiatur & moueatur, ipsum verò ab illo. Quemadmodum enim id, quod loco mouet, mutatione tenus agit; & quod impellit alterū, agit vt impellat: estque motus per mediū. Ac primū quidē mouens impellit non impulsum, Vltimum autem impellitur solum non impellens, medium verò vtrumque. Multa autem media.

Tex. 65

COMMENTARIVS CLXXIV.

HÆc quoque consentaneæ superioribus exponuntur. Philoponus namque, qui diuersas viuentium differētias doceri voluit; cùm duo communia omnia omnibus proposita fuerint, quòd & mista sint, & tactu prædita: gressilium nunc à non gressilibus differentiam subiungi ait: quòd hæc solùm habeant tactum, illa cæteros quoque sensus, aspectum, auditum, odoratum. Simplicius verò differētiam potius agnoscit sensuum: quorum aliqui absolutè atque omnino necessarij sunt vt animal sit: alij vt benè sit. Nam etsi animal quodpiam tribus hisce iam memoratis priuetur, animal tamen erit: viuetque, etsi minùs benè & non secundùm naturam habeat.

Sensuum cōparatio.

Ego, qui facultatum animę distributionem proposuisse sibi Philosophum affirmaui, octauam hic propositionem contineri aio: & quidem superioribus pulchrè respondētem. Quemadmodum enim nutritionem principiò dixit viuētibus omnibus necessariam esse: at non sensum, sed animalibus solis. Deindè sensum in animalibus cunctis inesse, intellectum verò in aliquo solùm animalium genere. Ita de singulis quoque pronūtiauit sensibus: tactum quidem & gustatum animalibus omnibus necessarios esse: at reliquos tres, aspectum, auditum, odoratum, non omnibus, sed soli gressilium generi. Probatio autem est, quoniam hi generis huius animalium saluti necessarij sunt. Etenim non solùm proxima & immediatè tangentia alimenta dignoscere aut sumere, sed & remota procul que dissita procurare sibi debent: quòd non semper, nec vbique præsto sint: imminentia item incommoda plurima vitare, & commoda quærere necesse

Aspectūs auditus & odoratum solis gressilibus necesse.

eſt, vt illorum vita ſuſtentetur. Verùm hæc ſine illis ſenſibus fieri nequeunt: ſunt igitur hi eorum ſaluti neceſſarij.

Neque criminetur quiſquam pugnantia dici, cùm principio dicitur hos ſenſus eſſe propter benè, hoc eſt, non vt omninò ſint, ſed vt benè ſint animalia: deinde verò greſſilium generi affirmantur eſſe neceſſarij, ſi ſeruanda ſint. Quoniam alterum de vniuerſo animalium genere, alterum de vniuerſo animalium genere, alterum de greſſilibus ſolis dicitur. Proximè ſuperiora adſciſcas verba (ſine tactu non poteſt animal eſſe) quæ de animali vniuersè dicuntur: huic neceſſarius eſt tactus vt animal omninò ſit, cæteri neceſſarij non ſunt vt animal ſit, ſed vt benè ſit & perfectum animal ſit. Quare ſubiungitur neceſſarios eos eſſe, non cuiuis animalium generi, hoc eſt, non animali vniuerſe & abſolute ſpectato vt animal eſt; ſed certo generi, quod greſſile futurum ſit.

Porrò quæ ſequuntur. (Hoc autem fuerit ſi per medium &c.) ad explicationem pertinent aſſumptionis, qua ſine illis ſenſibus, aſpectu, auditu, odoratu, haud ſatis greſſilium animalium ſaluti conſultum fore dixit. Non enim ſatis eſt ſi proxima tangendo ſentiant, niſi etiam per intermedium corpus remotiora & diſtantia obiecta ſentiendi vim habeãt. Vnde obiter explicat quomodo fiat per medium ſenſio: nimirum quòd intermedium corpus, aër, aut aqua, moueatur primùm à ſenſili obiecto, deinde à medio moto moueatur animal animalisue ſenſus. Hæc in ſecundo libro pluribus fuere tractata. Nunc ex locali motu ad fert exemplum. Quemadmodum enim in hoc quædam ſunt, quæ non immediate mouent, ſed alio vtuntur velut medio; vt ſi baculo moueas lapidem: in quibus quidpiam eſt, quod mouet ſolùm; aliud, quod mouet & mouetur; ac demum aliud, quod mouetur duntaxat. Manus quippe mouet baculum, baculus mouetur à manu & mouet lapidem, lapis mouetur nec mouet aliud. Ita in ſenſionibus obiectum ſenſile mouet medium, medium ab obiecto motum mouet ſenſum, ſenſus mouetur nec mouet aliud.

Senſio pro medium vt ſint.

Multa autem media, tùm in locali motu, tùm in ſenſione eſſe poſſunt. In motu locali baculus, virga, lignum quoduis, ferrum, & alia plura: in ſenſione aër & aqua. Quod duobus modis poteſt intelligi. Aut quòd idem motus, tùm localis, tum alterationis & ſenſionis, perplura poſſit fieri media: vtſi manu moueas baculum, & baculo lignum, lignóque lapidem: & ſimul per aërem & aquam aſpicias. Aut quòd modò per vnum, modò per aliud medium fiat motus. Neque erat cur dubitaret Philoponus, num quidam ſenſus per medium ſentiant, alij verò tangentes: ſiquidem illi ipſi, qui per medium ſentire dicuntur, medium tangunt. Etenim ab illis medium non ſentitur, ſed ſenſile obiectum per medium: neque in iis ſenſile poſitum ſupra ſenſum ſentitur, vt in 2. libro dictum eſt.

Senſuum comparatio.

Scienter magis duo hinc Simplicius colligit. Alterum, tres hoſce ſenſus, qui per medium ſentiunt, réliquis duobus præſtare, quòd non tantopere à ſenſilibus per cutiantur, minúſque paſſiui ſint, dùm ſenſilium motus in medio frangitur, atque hebetior ac debilior ad ſenſum peruenit. Quò fit, vt ſincerum magis & purum ſit iudicium ſenſus, dùm à ſenſilibus minùs turbatur. Alterum, animalia, quæ per medium quoque ſentiendi vim habent, perfectiora illis eſſe, quæ ſolo viuunt tactu. Non ſolùm quòd virtutibus plurib. & verò perfectioribus polleant: ſed etiam quòd perfectius illud cenſetur, quod ſponte ac proprio motu atq. appetitu ad ſuum finem tendit, ipſumque ex pluribus venatur; quàm quod in vno ſtat loco immobile & finem expectat fortuitò plerumque occurrentem: neque à corrumpentibus ac perniciem molientibus cauere poteſt, quòd ea non præcognoſcat antequam accedant & impetum faciant.

Greſſile animal non preſtabilius re.

TEXTVS.

Οὕτως ἐπ' ἀλλοιώσεως, πλὴν ὅτι μένοντα ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ ἀλλοιοῖ. οἷον εἰ εἰς κηρὸν βελόνην τις, μεχρὶ τότε ἐνῆν, εἰσὶν ἔλαφρα λίθος δὲ οὐθέν, ἀλλ' ὕδωρ μεχρὶ πόῤῥω, ὁ δὲ ἀὴρ ὅπη πλεῖστον κινῆται, ᾗ ποιεῖ ᾗ πάσχει, ἕως ᾠθῇ ᾗ εἰς ᾦ.

Ita in alteratione. Niſi quòd in eodem manentia loco alterent. Velut ſi quis ceram preſſerit, eouſque fuerit mota, quouſque preſſerit. Lapis autem nihil; ſed aqua ad longam diſtantiam, & aër ad plurimam mouetur; & agit & patitur, ſi manſerit & vnus fuerit.

COMMENTARIVS CLXXV.

CVm localis motus propoſuiſſet exemplum, perinde in alteratione quoque rem habere ſubiungit. Quoniam ſenſio alterationi magis, quàm locali motui, ſimilis eſt: imo alteratio quædam, vt in tex. 51. libri ſecundi dicebatur. Illud tamen inter alterationem & localem motum intereſt, quòd in eodem manentia loco alterent. Quæ verba duobus modis accipi poſſunt. Aut de iis, quæ mouentur: quod in locali motu id, quod mouetur, mutat locum, atque à mouente ex vno in alium locum pellitur; vt vox ipſa localis motus ſignificat. At in alteratione id, quod alteratur, in eodem perſiſtẽs loco alteratur: quare & inſenſione id, quod ſentit atque à ſenſilibus mouetur. Aut de mouentibus: quòd ea, quæ alterant, in eodem manentia loco vel ad multam diſtantiam alterant. Prior interpretatio Philoponi fuit, poſterior Themiſtij. Quæ ſi vera ſit, ſtatim intelligetur, ea, quæ locali motu mouent, mouendo mutare locum: quippe hoc alterationẽ à locali motu differre ait Philoſophus, quod quæ alterant, in eodem manentia loco alterent. At in motu locali conſtat primum mouens mouere non motum: & proximè dixit, primum mouẽs impellere non impulſum, vltimũ autẽ impelli & non impellere, mediũ verò vtrumq. mediaq. poſſe eſſe multa. Quibus cùm ſtatim addatur (niſi quòd in eodem manentia loco alterẽt) de mediis arbitror eſſe ſermonẽ, de quib. in preſenti agitur,

Alterationis & motus localis differentia.

dum de sensibus, qui per medium à sensilibus A
mouentur, agitur. In quibus ea ponitur differentia, quòd in locali motu non solùm mouent & mouentur, sed etiam mutant locum, in alteratione &verò sensione mouentur quidem & mouent, at in eodem manentia loco: mouētur enim & mouent alteratione, non locali motu.

Sensilia motus per medium.

Hoc ita esse, aëris & aquæ ostendunt exempla, quæ sensionum illarum sunt media. Quæ dum ad multam distantiam moueri ait, non de locali loquitur motu, sed de intentionali alteratione illa, qua sensilia obiecta transmittunt ad sensus. Nam vtraque sanè facultatem hanc habent trāsmittendi, quatenùs ambo perspicua sunt corpora, sonora, & ὑγρὰ: magis tamen aër, quia magis perspicuus est, magísque tenuis ac mobilis: & ideo sensilium alterationes facilius suscipit, longiusque transmittit. Huc ceræ ac lapidis exempla pertinent. Cera siquidem mollis facilè & altè impressam figuram suscipit: Lapis durus nullo modo. Aër & aqua sunt velut cera, terra & solida opacaque corpora velut lapis, inepta prorsus alterationis huiusce media. Quare vt cera impressas figuras promptè suscipit, eóque altiùs, quo aut ipsa fuerit mollior aut fortiùs impræsseris: sic aër & aqua sensilium motum: eoque transmittunt longiùs quo aut tenuius & magis mobile medium aut vehementius & validius sensile. Itaque lapis nihil omninò imprimitur nec formas B
suscipit: cera paulò magis, aqua magis multò quàm cera, aër maximè omnium tum patitur ab obiecto tum agit in sensum transmittendo sensilia.

Si modo manserit & vnus fuerit, hoc est, non diuisus aut interruptus, siue interposito vacuo, siue potiùs corpore quopiam duro & opaco, quod traiectionem prohibeat. Aut etiam ab aspero & inæquali corpore in plures partes comminutus: contra quàm in planis ac læuibus euenit, in quibus aër, vt magis vnus est & continuus, ita melius sensilia trajicit. Quod postremum verba illa indicant (In læui autem est vnus.) Videnturque hæc respicere illa, quæ in 2. libro tex. præsertim 81. de sono dicebantur, aërem mouere auditum, cùm illius motus continuus fuerit & vnus: hocque in planis & læuibus corporibus euenire.

TEXTVS.

Διὸ καὶ περὶ ἀνακλάσεως βέλτιον, ἢ πῶς ὄψιν ἔπαθεν ἀνακλασθεῖσαν, τὴν ἀέρα πάσχειν ὑπὸ τοῦ χρώματος, καὶ τῶ ῥήματος, μᾶλλον ἢ αὖ εἰς ἡ. ὅτι δὲ τὸ λεῖον θᾶττον εἰς. διὸ πάλιν καὶ ἅπτος πῶς ὄψιν κινεῖ, ὥσπερ αἰεὶ τὸ ἐν τῷ κηρῷ σημεῖον διεδίδοτο μᾶλλον τὸ πρῶτος.

Quocirca de reflexione melius, quàm aspectum egredientem reuerberari aërem pati à colore vel figura, quousque vnus fuerit. In læui autem est vnus. Quare rursum & hic aspectum mouet: quemadmodum si in cera signum vsque ad extremum trajiciatur.

COMMENTARIVS CLXXVI.

PLATONEM in his videtur perstringere, aut alios quosuis, qui radiorum aut lucis aut alterius cuiuspiam ab oculo emissione dixerant aspectum fieri. Sed obscuriora sunt verba, & quasi perturbata oratio: quæ ita iuuanda fuerit. Quocirca de reflexione, qua nonnulli aspectum constare autumant, melius est dicere, aërem à colore vel figura pati, quàm aspectum ab oculo egredientem ad nos ab obiecto retorqueri, illudque nobis repræsentare. Diximus hac de re satis, vbi de aspectu agimus. Omninò namque medium ab obiecto affectum speciem illius vsque ad oculum trajicit, modò vnum permaneat & non intertumpatur: quemadmodum si mollior cera impressum signum ad extremū vsque suscipiat. Sic enim absque cuiuspiam egressu & regressu iussio perficitur, immutato vsque ad oculum medio & obiecto ad sensum quoquo modo traducto.

Visionem emissione non fieri.

Itaque quod de reflexione dicitur, non ita est accipiendum, quasi de visione reflexa dicatur, vt credidit S. Thomas. Quorsum id enim, dum solùm consideratur quo modo media trajiciant ad sensum obiectorum motus? Sed reflexionem C
ait, non quam ipse in aspectu consideraret, sed quam assererent illi, qui aspectum emissione fieri asserebant. Sensionem autem duntaxat rectam considerari constat, dum aërem ait à colore pati, eumque rursum mouere vsque ad aspectum: sicut si cera ad vltimum vsque impressum annuli signum trajiciat.

TEXTVS.

Ὅτι δ' ἐκ ἐνδέχεται ἁπλοῦν τὸ τοῦ ζῴου σῶμα εἶναι, φανερόν. λέγω δὲ οἷον πύρινον, ἢ ἀέριον. ἄνευ μὲν γὰρ ἁφῆς ἀδύνατον ἄλλην αἴσθησιν ἐνδέχεσθαι ὑπάρχειν. τὸ γὰρ σῶμα ἅπτικὸν τὸ ἔμψυχον πᾶν ὅσπερ εἰρηται.

Quòd autem non possibile, simplex animalis corpus esse manifestū. Dico autem velut igneum aut aëreum. Text. 66.
Etenim sine tactu nullum alium sensum contingit habere. Quoniam tactiuum omne corpus animatum, sicut dictum est.

COMMENTARIVS CLXXVII.

VErè hîc Simplicius manifestè, inquit, in ipsa propositione intentionem sibi propositam Philosophus ostendit. Nullum enim animalis E
corpus esse simplex ostendit. Ac cœlesti quidem corpore prætermisso, quod de mortalibus duntaxat agat: eorumque vt animam, sic corpus in hisce libris consideret: mortaliaque hæc animalium corpora perspicuum erat ex cœlesti & immortali: cœlorum substantia non constare: Non esse corpus elementare demonstrat. At quorsum id? Ad Platonicos hæc pertinere putat Sanctus Thomas, qui aërea quędam possuerant animalia. Quod verisimile non videtur. Græcique interpretes vt absolutam disputationem accipiunt,

qua cùm dixisset de anima, de corpore quoque dicendum aliquid iudicauit.

Ego hæc ad superiorem text. 62. refero. Nam cùm eo loco ex eo, quòd animal sensu præditum est, aggressus esset probare corpus illius mistum esse oportere, non simplex: probatióque foret, quia si simplex esset, non haberet tactum animalibus cunctis necessarium: ad ostendendam hanc tactus necessitatem mox digressus est in text. 63. nuncque institutam illam de corpore disputationem repetit. Et quidem totidem verbis. Ibi dixerat (non possibile autem simplex) hic verò (quod autem nõ possibile simplex animalis corpus esse, manifestum est) nimirum propositionem illam probandam repetens. Probatio autem est tripartita. Primùm enim probat igneum esse non posse, aut aëreum, vel aqueum: Deinde non esse terreum. Cur terram à cæteris separauerit elementis, duplex fuit causa. Tum quia cùm hæc potissimum in animalium abundet corporibus, maior erat de illa dubitandi ratio. Tum quia elementa cætera sunt perspicua, vimque medij habent in sentiendo: terra opaca medium non est, sensoriumque fortasse quispiam crederet eam esse posse. Propterea etsi aquam non nominet, sed ignē solùm & aërem: vt tamen integra sit probatio, eam quoque intelligere oportet: liquidem communis conditio est & probationis ratio: quoniam illa quoque medium existit.

At quid est illud Philoponi? Non potest, inquit, animalis corpus esse igneum, quoniam ignis partem eam corrumperet, quam constitueret. Neque aëreum aut aqueum: quoniam his elementis aliæ tributæ sunt facultates, perspicua, personatrix, & odorum transuectrix. Nam quod ad priorem partem attinet, nihil seipsum corrumpit, sed quantum potest tuetur & conseruat. Quod autem ad posteriorem, quidni plures eidem corpori facultates conueniant? Et si elementis illis triplicem illam is facultatem concedit, cur non addi quarta possit organi constitutrix? Cùm præsertim hæc ad substantiam pertineret, illæ ad qualitatem quampiam? Opportunum magis illud fuisset, quod in text. 111. lib. 2. dictum est; Ex aëre & aqua impossibile est constare animatum corpus, quoniam oportet solidum quiddam esse. Id verò maximè in tactu, de quo præsertim nunc sermo. Nam hic sensus appositio & tangente fit sensili: sensusque qui contactu fit à sensili magnopere turbatur; & si sit vehemētius, dissoluitur: nisi solidum sit & resistens instrumentum.

Corpus animalis simplex non esse.

Nunc autem probationem hãc instruit, quam ex text. 63. ferè repetit; & propterea illud addit (sicut dictum est.) Animal sensu constituitur: corpus igitur quod sensus capax non est, animalis corpus esse non potest. Corpus autem simplex sensum habere non posse, ita demonstrat. Sine tactu nullus esse potest aliorum sensuum: corpus simplex tactum habere nequit: nec igitur vllum omnino sensum. At omne animalis corpus (animatum enim pro animali ponit: alioqui animatæ sunt plantæ, quæ sensu carent) non solum tactile est, sed & tactiuum; hoc est, non tactilibus modò qualitatibus & naturali contactu præditum, qui extremorum copulationem significat: quemadmodum corpora cætera sunt vel etiam elementa simplicia: verùm etiam cum iudicio adiacentium sibi corporum; quod peculiare illius est. Et quamuis hoc iudicium sit animæ, quæ illius corporis tactus est, eiusmodi tamen esse oportet corpus, vt animæ ad iudicandum de tactilibus idoneum sit instrumentum. Hoc nimirum sibi volunt illa verba (tactiuum est omne corpus animatum (hoc est, aptum animæ instrumentum, tum ad cætera illius opera, tum ad iudicandum de tactilibus. At quod huiusmodi futurum est, non simplex, sed ex tactilibus omnibus compositum sit oportet. Tum quia non vnum aliquod, sed tactilia omnia sentire debet: eáque sentiet, ex quib° compositum fuerit. Tum quia si omnium iudex futurum sit, necesse est in quadam omnium mediocritate consistat, vt omnium excessus ac redundantias percipiat. Sanè hæc probatio generalis est, corpusque animalis vniuersè ostendit nullum corpus simplex esse posse. Iam seorsim de singulis elementis demonstrabit.

TEXTVS.

Τὰ δὲ ἄλλα ἔξω γὰρ αἰσθητήρια μόνῃ αὖ γίγνοιτο, πάντα δὲ τῷ δι' ἑτέρου αἰσθανεσθαι ποιεῖ τὴν αἴσθησιν, οἷα τὸν μεταξύ. ἢ δ' ἁφὴ, τῷ αὐτῶν ἅπτεσθαι δοκεῖ. διὸ καὶ τοὔνομα τοῦτο ἔσχε. καίτοι καὶ τὰ ἄλλα ἁφητήρια, ἀλλ' οὐκ αἰσθάνεται, ἀλλὰ δι' ἑτέρων. αὕτη δὲ δοκεῖ μόνη δι' αὑτῆς. ὥστε τῶν μὲν τοιούτων στοιχείων οὐδὲν ἂν εἴη σῶμα τῶν ζώων.

Cætera verò præter terram sensoria quidem euadant: at omnia, quòd per aliud sentiant, sensum faciunt, & per media. Tactus autem est, quòd ipsa sentiat. Vnde & nomen hoc habet. Quamquam & alia sensoria tactu sentiunt, sed per alia. Hic verò solus videtur per seipsum. Quamobrem horum sanè elementorum nullum erit vtique animalis corpus.

COMMENTARIVS CLXXVIII.

VEteres interpretes non ignoro tripartitam hanc probationem non fecisse, sed bipartitam Simplicius ac Themistius. Ego tripartitam facio: tum quia scientiaria magis est ac certa, dum vniuersè primùm, deinde per partes demonstratur: tum quia superiora illa verba (quoniam tactiuum est omne animatum corpus, sicut dictum est) probationem indicant iam antea explicatam, eáque generalis fuit. Quæ verò nunc subjiciuntur, aliud quidpiam adferunt, quod ad partes pertinet.

Corpus animalis non esse ignēum, aut aëreum, aut aqueum.

Quoniam igitur de igne, aëre, & aqua objicere quispiam potuisset id, quod in text. 130. lib. 2. dictum est, ex simplicibus hisce duobus, aëre & aqua, constare sensoria: pupilla enim est aquæ, auditus aëris, odoratus horum alterius. Ignis autem aut nullius est aut communis omnibus. Aut certè, inquit Simplicius, oculum dixerat Plato igneæ naturæ esse: Propterea primùm respondet, ex elementis quidem hisce constare sensuum quorumdam sensoria, at non vniuersum animalis corpus: neque simplicia & sincera elementa integra sensoria esse, sed fieri quoquo modo sensoria: dum in oculo humores aquæi, & in aure inclusus aër insunt. Namque oculus præter humo-

res tunicas habet, & auris præter aërem membranam cõtinet, neque humores pura sunt aqua, neque aër ille sincerus aër, sed aëri persimilis spiritus. Terram in indicato illo loco aut nullius esse dixit, aut in tactu maximè permistam esse: nunc verò priorem magis partem sequitur. Quoniam nullibi tam apparet pura & sincera, quàm pura apparet aqua in oculo & sinceri aëris speciesin aure. Deinde tenuia hæc elementa sensoria inquit esse posse illorum sensuum, qui per aliud & per externum medium sentiunt: at non posse esse tactus, qui immediatè & seipso tangendo sentit. Quod nomen ipsum declarat. Nam propterea tactus nomẽ impositum illi est. Quam ob causam illius instrumẽtum solidum esse oportet, ne sensili tactili appetito dissoluatur & pereat, aut certè sensionis actus & iudicium turbetur, minusque sincerè promatur. Est autem sermo de medio externo: alioqui tactum quoque, nisi cum læsione & dolore futurus sit, internum & cum ipso animali coniunctum habere medium in 2. libro traditum est. Quocirca cùm tactus per vniuersum animalis corpus dispersus reperiatur, omninò non potest huiusmodi corpus ex tenuium horum elementorum vllo constare.

Sensus omnes tangendo sentire.

Vidit porrò Philosophus obiici sibi posse, contactum in omni actione necessarium esse: ideóque in text. 74. lib. 2. confutauit Democritum asserentem interposito vacuo accutius nos visuros esse: quare non solùm tactum, sed cæteros quoque sensus tangendo sentire. fatetur ita esse: at tactus contactum immediatum esse, cæterorum sensuum mediatum: tactum tangere ipsummet sensile obiectum quod sentit; cæteros sensus non tangere obiectum quod sentiunt; sed medium, per quod sentiunt: mediúmque à sensus sensorio tactum tangere obiectum.

Porrò Auerroës rationem adfert, cur trium illorum sensuum organum simplex sit, tactus autem compositum: quoniam in tribus illis priùatum esse debet obiecto sensili, colore, sono, odore; in tactu autem contra ex illo potiùs conflatum: quippe nullum corpus carere potest qualitatibus quatuor tactilibus: & ideo compositum esse ex elementis debet, careréque excellentiis illis, quæ hoc sensu sentiuntur. Quamquam dum simplex & compositum interpretatur, quod sensilibus qualitatibus caret aut illis præditum est: homonymiam non animaduertit: cùm Philosopho propositum sit demonstrare animalis corpus non esse simplex, hoc est, vnico constans elemento, sed permistum ex omnibus; hæcque ratiocinationis conclusio est.

A

Neque sanè terreum. Omnium namque tactilium tactus est velut mediocritas: & susceptiuum sensorium non solum quotquot terræ sunt differentiæ, sed & calidi, & frigidi, & aliorum tactilium omnium. Et propterea ossibus & pilis, & huiusmodi partibus non sentimus, quòd terræ sint. Et plantæ propter hoc nullum habent sensum, quòd terræ sint. Absque tactu autem nullus alius inesse potest. Hoc verò sensorium neque est terræ, neque vllius alius elementorum.

TEXTVS.

Οὐδὲ δὴ γένος πάντων γὰρ ἡ ἁφὴ τῶν ἁπλῶν ὄντι ὥσπερ μεσότης, καὶ δεκτικὸν τὸ αἰσθητήριον, ὃ μόνον ὕσαι διαφορᾶι γῆς εἰσιν, ἀλλὰ καὶ θερμοῦ, καὶ ψυχροῦ, καὶ τῶν ἄλλων ἁπλῶν ἁπάντων. καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ὀστοῖς, καὶ τοῖς θριξὶ, καὶ τοῖς τοιούτοις μορίοις οὐκ αἰσθανόμεθα, ὅτι γῆς ὄντι. καὶ τὰ φυτὰ διὰ τοῦτο ἀφρόνων οὐδέτερα ἄλλων ὑπαρχειν. τοῦτο δὲ αἰσθητήριον οὐκ ἔστιν ὕδατος, οὔτε ἄλλου τῶν στοιχείων οὐδενός.

B

COMMENTARIVS CLXXIX.

SI animalis corpus igneum esse nequit, neque aëreum, neque aqueum: quòd solidum esse oporteat & resistens tactus organum: terreum fortasse fuerit: nam hoc elementum eiusmodi est. Propterea hæc est tertia probationis pars; qua nec ex solo elemento terræ constare posse demonstratur. Estque perfacilis & aperta demonstratio: tum ex necessaria ratione in text. 118. lib. 2. significata: tum ex sensu & experientia confirmata. Tactus medietas quædam est, ergo & instrumentum illius immedietate quadã & mediocritate versari debet: terra in mediocritate qualitatum tactilium non versatur, sed in summo & extremo; tactus igitur instrumentum esse non potest. Rursum tactus non solùm earum qualitatum, quæ terræ sunt propriè, siccitatis, & frigoris; sed & caloris, & frigoris, humoris, & siccitatis, & omninò tactilium omnium, sensum habet; estque communis omnium iudex: vt & aspectus aspectabilium omnium, & sensus cæteri totius obiecti sui sensilis. At sentire pati quoddam est ab obiecto sensili, quædamque illius susceptio, vt in eodem 2. lib. à text. 51. & deinceps, declaratum est: tactus igitur à tactilibus omnibus pati potest, eáque suscipere omnia. Iam verò quod pati potest & suscipere, potestate est, non actu: nam propterea oculus colore omni caret, & auris omni sono, & sensus cæteri suo quisque obiecto, & in medio duarum contrarietatum vtraque spoliati veluti indices cõsistunt: tactus igitur quoque organum comparatione tactilium eiusmodi esse oportet. At quoniam omne corpus est tactile, carere illis omni exparte non potest: quid igitur? excellentiis & summitatibus caret, hisque amputatis in quadam omnium mediocritate ac temperatione consistit, quæ ad vehementiorem qualitatem est potestate, eamque suscipere potest. Ita demum iudex omnium existit. Nam si sola constaret terra, qualitates illius haberet ad summum intensas: siccitatem igitur & frigus non sentiret: at sentiunt animalia cuncta: illas igitur temperatas habent, & cum aliorum elemẽtorum qualitatibus permistas, neque simplici tetra, sed cum cęteris permista, constant: etsi quòd solida esse oporteat illorum corpora, plus terræ, quam cæterorum elementorum, cõtineant.

Corpus animalis terreum non esse.

Quamquam hæc ratio (vt antè nos adnotauit quoque Simplicius) non minùs de cæteris elementis probat, quàm de terra: ex nullo inquam simplici elemento cõstare animalis corpus: quoniam illius qualitates, quòd essent ad summum intensæ, non sentirentur. At sentiuntur omnes

In elementis ambæ qualitates summa.

sunt igitur omnes temperatæ & cum contrariis A
suis permistæ. Quo loco (vt obiter dicam) videtur accipi qualitates ambas in elementis ad summum esse intensas: qua de re in posteriori libro de ortu & interitu disputatur.

Partes omnes nõ sentire.

Altera probatio ex sensu ducitur & experientia. Perspicuum enim est, tum partes animalis omnes quæcunque sunt magis terreæ, vt ossa, pilos, & si quæ sunt aliæ his similes, & si tangantur, non sentire: tum verò plantas eandem ob causam, quòd terreæ nimis sunt, omni sensu priuari: multò igitur minùs sola & simplex terra instrumentum tactus esse potest. Videtur enim argumentum esse à maiori ad minus; ab iis, quæ permista esse creduntur, paulóque magis abundant terra, ad purum & sincerum elementum. Atqui sine tactu nullus alius constare sensus potest. si igitur nec terra nec simplex vllum elementum potest esse tactus instrumentum: nec omnino fuerit vllius sensus. Quare cùm animal sine sensu non sit, nec potest animalis corpus elementum simplex esse. Cæterum posteriori hoc argumento alibi etiam non semel vsus est: de partibus quidem corporis magis terreis in text. 79. lib. 1. de plantis verò in text. 124. lib. 2. & non multò ante in text. 60. huius tertij

TEXTVS.

Φανερὸν τοίνυν ὅτι ἀνάγκη μόνης ταύτης στερισκόμενα τῆς αἰσθήσεως τὰ ζῶα ἀπολιπέσθαι. ὅτε γὰρ ταύτην ἔχειν οἷόντε μὴ ζῷον, ὅτε ζῷον ὄν, ἄλλην ἔχειν ἀνάγκη πλὴν ταύτης· ᾗ διὰ τοῦτο τὰ μὲν ἄλλα αἰσθητὰ τοῖς ἁπτοῖς ἀναίσθητα, ἃ διαφθείρει τὸ ζῶον, οἷον χρῶμα, καὶ χυμός, ἢ ὀσμή, ἀλλὰ μόνον τὰ αἰσθητικά, αὐ μὴ ἢ κατὰ συμβεβηκός. οἷον αὖ ἅμα τῷ χυμῷ ὥσπερ γίγνεται ἢ πληγή, ἢ ὑπὸ σχημάτων ἢ ὄγκων ἕτερα κινεῖται· ἃ τῇ ἁφῇ φθείρει. ᾗ ὄγκος δέ, ἢ ἅμα συμβαίνει ἁπτικὸν εἶναι, ταύτῃ φθείρει· ἡ δὲ ἁπτῶν ὑπερβολή, οἷον θερμῶν καὶ ψυχρῶν, ᾗ σληρῶν, ἀναιρεῖ τὸ ζῶον· πάντες μὲν γὰρ αἰσθητὸν ὑπάρχοι ἂν ἀναιρεῖ τὸ αἰσθητήριον, ὥστε ᾗ ἁπτῶν τῶν ἀφῶν. παύτη δὲ ὥρισται τὸ ζῶν. ἄνευ γὰρ ἁφῆς δέδεικται ὅτι ἀδύνατον εἶναι τὸ ζῶον. διὸ ἡ τῶν ἁπτῶν ὑπερβολὴ ἃ μόνον τὸ αἰσθητήριον φθείρει, ἀλλὰ καὶ τὸ ζῶον, ὅτι ἀνάγκη μόνον ἔχειν ταύτῃ τὰ ζῶα.

Text. 67. *Manifestum igitur quod necesse hoc solo priuata animalia mori. Neque enim hoc habere possibile non animal, neque animal existens alium habere necesse præter hunc. Et propter hoc alia quidem sensilia excessibus non perdunt animal, velut color, & sonus, & odor: sed sensoria solum, nisi ex accidenti sit. Quemadmodum si simul cum sono impulsio fiat aut percussio: & ab aspectabilibus & odore mouentur alia, quæ tactu perdunt. Sapor autem, quatenùs simul accidit tactile esse, eatenus perdit. Tactilium verò excessus, vt calidorum, &*

Text. 68. *frigidorum, & durorum, disperdit animal. Quoniam sensilis omnis excessus disperdit sensorium. Quare & tactile tactum. Hoc namque definitum est viuere. Etenim sine tactu ostensum est non posse animal esse. Quapropter tactilium excessus non solum sensorium perdit, sed & animal: quoniam necesse hunc solùm habere animalia.*

COMMENTARIVS CLXXX.

PHILOPONVS & S. Thomas in his, quæ nunc dicuntur, actum agere mihi quidem certè videntur: dùm Sanctus quidem Thomas Philosophum ait concludere quomodo sensus in animalibus habeant. Quid enim aliud in superioribus egit? Et quid opus erat repetere? Philoponus autem quinque argumentis probare tactum animalibus cunctis inesse. Primò quoniam alio quocumque sensu priuentur animalia, viuunt: at si priuentur tactu, priuantur vita: Secundò verbis illis (neque animal existens alium habere necesse præter hunc) animal sensu definitur, & cum sensu reciprocatur, sensitiuum autem secundùm tactum dicitur: Tertiò & Quartò illis (& propter hoc alia quidem sensilia excessibus) tactus est in toto corpore, cæteri sensus in vna determinata parte. Rursum tactilia si excesserint, totum corpus perdunt, quia tactus est in toto corpore, reliquorum sensilium excessus illud solùm sensorium destruunt, ad quod pertinent, tactus igitur magis est sensibus cæteris necessarius. Quintò illis (quoniam necesse hunc solùm habere animalia) solus tactus animalibus confert vt sint, cæteri vt benè sint: his igitur solus est omnibus necessarius. C

Tactum animalib. cunctis inesse. *Tactus pereunte animal.*

Verum, vt mittam satis iam necessitatem tactus fuisse probatam, principium illud orationis (Manifestum igitur) non est hominis proponentis aliquid probandum, aut alicuius probationem aggredientis, aut inchoatam prosequentis: sed ex probatione facta colligentis quidpiam: Ex eo autem, quod tactum animalibus cunctis inesse oportere monstrauit, duo prorsus colligit. Alterum, si vel solus hic sensus pereat, interire illicò & mori animal. Nam si satis euidenti ratione probatum est necessarium eum esse, adesseque oportere vt animal sit, neque sine illo animal vllum esse posse: cõsequens etiam necessariò est, eo interempto interimi animal. Itaque reciprocatur hic sensus cùm animali, eóque posito ponitur, & ablato aufertur animal. Si tactum habet, est animal: si tactu priuatum est, animal non est. Non eadem est cæterorum sensuum conditio: quoniam illi necessarij vbique & animali vt animal est non sunt: quare & animal est, quod illis caret; & priuari eis potest, animalisque adhuc naturam retinere. Quare licet in illis affirmando argumentari: adsunt his sensus, ergo est animal: at non propterea est animal, quòd illi adsint; sed quòd si adsint illi, adest & tactus, per quem primùm est animal: Non tamen negando: Non adsunt illi, ergo animal non est: quoniam sine illis adesse potest tactus, qui animali sufficiens est. D E

Tactilia solum excessum interimere animal.

Alterum, tactilium duntaxat, non item aliorum sensilium, immoderatos excessus interitum animali adferre. Immoderatum quippè lumen aut color disperdunt oculum, & nimius sonus membranam auris, vehementiórque odor organum odorandi: at animali mortem non adferũt, quoniam determinatæ partis, non totius corporis, temperationem dissoluunt. Nisi id fortasse ex accidẽti eueniat interdum: propter aliquid aliud cum sensilibus illis cõiunctum, quod ad tactum

pertineat. Vehementes namque soni & fragores vehementiorem habent impulsum & percussionem, quæ ad tactum spectant. Ita tonitru peremptum aliquando aiunt fuisse animal: propter nimiam spiritus & aëris concussionem. Fœtidisque halitibus atque odoribus noxiæ & hostiles adiunguntur qualitates tactiles, quæ putredinem inducunt, putredoque tactum afficit. Aspectabilia verò aut pessimas qualitates tactiles exitialesque halitus immittunt, vt de oculis Basilici fertur, aut timorem inducunt nimium refrigerantem. Gustabilia demum (præterquam quòd elici possit gustatum esse quemdam tactum) non quatenus eiusmodi sunt, sed vt tactilibus prædita qualitatibus: alioqui vt gustabilia sunt, solam afficiût dissoluuntque linguam. At verò tactilium excessus totum animal per se disperdit. Nam vt se habent sensilia cætera ad proprium illorum sensuum sensorium, quorum obiectum sunt; ita & ad sensorium tactus tactilia, perindéque hoc à tactilibus, atque à sensilibus cæteris illa dissoluitur. At sensorium tactus per vniuersum corpus dispersum est: vt igitur cætera proprium cuiusque sensus sensorium disperdunt, sic tactilia totum interimunt animal, dum organum dissoluunt tactus. Animal siquidem tactu definitum est animal esse, neque sine tactu esse posse.

TEXTVS.

Τὰς δὲ ἄλλας αἰσθήσεις ἔχει τὸ ζῷον, ὥσπερ εἴρηται, ἕνεκα τοῦ εἶναι ἕνεκα, ἀλλὰ τοῦ εὖ, οὐδὲν ὑφίστ. ἐπεὶ οὐ ἀεὶ ἐν ὕδατι ὅπως ὁρᾷ. ὅλως δ' ἐπεὶ οὐ διαφανεῖ, ψεῦστ δὲ, διὰ τὸ ἡδὺ καὶ λυπηρόν, ἵνα ἀδιάπτωτα τὸ ἐν τροφῇ καὶ ὀπτυμίᾳ, καὶ κινῆται. ἀκοὴν δὲ, ὅπως σημεῖόν τι αὐτῷ. γλῶτταν δὲ, ὅπως σημεῖόν τι ἑτέρῳ.

Alios verò sensus habet animal, vt dictum est, non propterea vt sit, sed vt benè, velut aspectum. Siquidem in aëre & aqua vt videat. Omninò autem in perspicuo. Gustatum verò propter suauitatem & molestiam, vt quod in alimento sentiat, & appetat, & moueatur. Auditum autem, vt aliquid ei significet. Linguam verò, vt alteri quidpiam significet.

COMMENTARIVS CLXXXI.

POstremò dixerat tactilium excessus animali toti adferre interitum: quoniam hic sensus necessarius animali est, vt animal sit: propterea-que illo extincto simul extingui animal. Non ita in cæteris sensibus euenire: sed illorum duntaxat sensorium à sensilium excessibus dissolui, animalque nihilominus permanere. Diuersitatis huius causam nunc adiungit. Ea verò est: quàm antea etiam exposuit in text. 64. quoniam tactus omninò necessarius est vt animal sit: cæteri non vt sit, sed vt benè sit: ideo pereuntibus hisce adhuc animal esse potest: non item pereunte tactu: neque illorum interitus tam est interitus esse, quàm benè esse, interitus verò tactus est interitus ipsius esse. Quod in superioribus diximus, & nunc Simplicius repetit de animali vniuersè vt animal est intelligendum esse: non de animali perfecto & gressili. Nam huic quatenus eiusmodi est, illi quoque sensus necessarij sunt, vt ad commoda prosequenda, vitandaque incommoda moueantur. Porrò de singulis Philosophus loquitur. Aspectus animalibus tributus est, non vt animalia sunt, alioqui vniuerso animalium generi tribui debuisset: sed vt per aërem & aquam aliudve perspicuum: siue simplex, vt cœleste corpus ex text. 68. lib. 2. siue mistum, vt cristallus, & solidorum multa, quemadmodum in eodem loco dicitur, cernere valeat. Hoc autem ad gressilia pertinet, vt obiectis visis progrediantur ad illa aut ab illis declinent, quò diutiùs sint, longiorique tempore viuant & conseruentur: quod est illud bene esse, quod ait Philosophus. Alioqui foret animal, etsi ad vnam horam vel breuiori tempore viueret. Odoratum, aut prætermisit, quòd simile de illo poterat esse iudicium: aut cum gustatu coniunxit: tum quia odoratus quoque in bestiis præsertim, ad alimentum pertinet, odoratúque ad alimentum remotum trahuntur, atque ex odore dijudicant. Tum quia in text. 93. lib. 2. dictum iam fuerat, odoratum gustatui analogum esse, & odorum item species saporum speciebus proportione respondere. Tum verò quia in text. 91. hominem dixerat sine molesto & iucundo nihil odorari: quare gustatum nunc inquiens propter suauitatem & molestiam datum esse, simul de vtroque quoquo modo dixit. Suauitas enim & molestia tum in saporibus tum in odoribus sentitur: illa ad gustatum spectat, hæc ad odoratum, vt duplici quasi argumento alimenta dignoscat animal, & duplici stimulo incitetur ad illa.

Sensuum comparatio.

Gustatus vt omnibus necessarius.

At enim si in superioribus dictum est gustatum animalibus cunctis necessarium esse, quomodo nunc inter eos numeratur, qui necessarij, nō sunt neq; adesse pertinent, sed ad benè esse? Simplicio vtrumque videtur benè dici, quoniam ad hoc confert, vt animal magis duret, lōgioríque tempore viuat: sed non ad esse simpliciter. Nutrimentum enim non facit vt animal sit, sed vt multo tempore sit: quatenùs verò confert ad esse simpliciter, tactus quidam est. Huncque locum explicabit text. 8. lib. 2. Nam propterea dicebantur animalia omnia sensum habere nutrimenti, quoniam tactus est nutrimēti sensus: siccíque & humidis, calidis & frigidis nutriuntur omnia, & horum appetitiones fames & sitis sunt. Saporem autem, qui perse ad gustatum vt gustatus est pertinet, nutrimenti condimentum esse: vt tum illius suauitate allecta libenter & sine molestia ad nutrimentum accederent: tum vt suaui & molesto diudicarent ea, quæ ad vitam multo tempore prorogandam opportuna forent vel importuna.

Vocum significatio vt ad bestias pertineat.

In auditu & lingua (vtrumque enim coniunxit Aristoteles, quòd auditio & loquutio coniunctæ sint: & qui loquitur, audienti loquitur: audiensque loquentem audit, & omnino auditio & sonatio simul sunt) hærere videtur Philoponus: quoniam hæc irrationalibus conuenire non videntur. Quippe significatio vocum est & sermonis: quæ hominis propria sunt. Sapienter tamen de auditu respondet, aliquam irrationalibus quoque significationem conuenire: siue quod fœtuum suorum audientia sonos, quibus si non mentis notiones, at certè affectus significantur, curam illorum gerant: siue quod humana man-

suescant & gubernẽtur voce. Quod verò de lingua dicitur, irrationalium non esse, sed solius hominis. Neque enim linguam irrationalia habent ad significandum aliquid, sed ad gustandum duntaxat. Sanè in tex. 88. lib. 2. duplex linguæ exponitur vsus, alter ad gustandum, alter ad loquendum; ille animalibus cunctis communis, hic solius hominis; ille necessitatis, hic commoditatis, & vt benè sit nobis. Vtrumque hoc etiam loco Philosopus complecti voluit: priorem, vbi de gustatu dixit: gustatus enim instrumentum est lingua: etsi alimenti gustatus duplex est, vnus vt alimentum est tactile, & gustatus quidam tactus: alter vt alimentum est sapidum & gustatus sensus à tactu distinctus. Ille in priori loco necessarius esse affirmatur, hic verò in hoc posteriori non necessitatis, sed vt benè sit animali. Posteriorem autem vbi linguam subiunxit esse, vt alteri quidpiam significet. Quod hominis quidem videtur proprium: siquidem lingua non formandæ vocis, sed articulandæ atque in syllabas & distinctiones distinguendæ instrumentũ est. Quoquo tamen modo cæteris quoque animalibus conuenit: quatenus ad inflexionem ac modulationem vocis non parum confert: vt in auicularum cantu perspicuum satis est. Ita Philosophi tota constat sententia.

Lingua vsus duplex.

Lingua articulandæ vocis instrumentum.

Atque hic vt Aristotelicæ orationis, sic nostrorum commentariorum finis esto. In quibus si illud assequuti sumus, quod initio procurandum nobis proposuimus: vt veram atque germanam Philosophi sententiam Peripateticæ Philosophię studiosis planam & apertam faceremus, subtiliorésque quæstiones non nisi sobriè & quatenus ad primarium scopum videretur necessarium attingeremus: est quod & illis & nobis non parùm gratulemur: sin minùs, fore certè speramus, vt studium illis nostrum atque conatus non improbetur.

LIBRI TERTII FINIS.

PRIMVS INDEX LIBRORVM, CAPITVM, ET DISGRESSIONVM.

Totius operis Præfatio.

De Animati corporis temperatione, liber primus.

Præfatio. col.1

Cap.I. De Quatuor qualitatum temperatione. col.3

II. De multiplici temperationum genere. col.7

III. Num vlla possit esse temperatio prorsus æqualis. col.8.

IIII. De triplici viuentium temperatione, innata, aduentitia & actuata. col.11

V. Membrorum euaporatione quartum temperationis genus non fieri. col.13

VI. Quatenus diuersæ corporis partes vicissim agant & patiantur. col.14

VII. Humanam temperationem esse omnium perfectissimam. 20

VIII. Hominem esse Animal omnium calidissimũ. 21

IX. Quibus inditis tẽperatio quæque cognoscatur 23

X. De iis, quæ cum temperatione cohærent. 28

XI. De multiplici viuentium calore. 29

XII. Num vitalis calor ab elemẽtari distinguatur. 31

XIII. Huic calori frigus aduersari. 35

XIIII. Innatum humidum à vitali calore non dissipari, sed rursus reficiendum. 36

XV. De crebra natiui caloris mutatione. 39

XVI. Quod sit natiui caloris subiectum, quod principium, quæ origo. 42

XVII. Inesse in corporibus nostris spiritum, qui calorem ad omnes partes deducat. 44

XVIII. Spiritum animatum non esse: eumque calidissimum. 46

XIX. De duplici spiritu, innato, & influente: eiusque restauratione. 48

XX. Naturalẽ spiritum minimè necessarium esse. 51

XXI. De spiritu vitali & animali. 52

XXII. Inesse in viuentibus humorem, quo calor sustentetur. 54

XXIII. De multiplici humore in Animantium corporibus contento. 55

XXIIII. Quod sit Primigenei humoris subiectum. 56

XXV. Quomodo is humor in singulis membris consumatur. 58

XXVI. Quomodo consumptus resarciatur. 59

XXVII. De sexus Diuersitate: marisque & fœminæ temperatione. 61

XXVIII. De Aetatibus, quæ temperationis mutationem ac durationem significant. 65

XXIX. De sanitate & morbo, quæ in quadam temperatione & intemperatione consistunt. 67

XXX. De neutra dispositione. 70

XXXI. Num ad sanitatem sit motus. 71

XXXII. Multiplici acceptione vitam nominari. 72

XXXIII. Quid vita quæque illius principia 74

XXXIIII. Quæ sint causæ longæ aut breuis vitæ. 77

XXXV. Cur breuior nunc, quam priscis temporibus vita. 81

XXXVI. Quæ viuentia longiorẽ habeant vitã. 83

XXXVII. Quæ corporis temperatio longæuior. 85

XXXVIII. Longæ vitæ signa. 87.

XXXIX. Quid mors. Deque duplici mortis genere, per marcorem, & caloris extinctionem. 88

XL. De Morte tum naturali, tum violenta. 90

XLI. Proximæ mortis indicia. 91

DE HVMORIBVS LIB. II.

Præfatio. 95

Cap.I. Inesse in animalium corporibus humorem quempiam. 96

II. Quadruplicem inesse humorem, sanguinem, pituitam, bilemque duplicem. 98

III. Cur Atram bilem Hippocrates aquam interdum appellauerit. 99

IIII. Quomodo in iecore humores quatuor gignantur. 100

V. De pituitosi humoris qualitatibus & sede. 104

VI. De flaua bili. 105

VII. De sanguine & Melancholia. 106

VIII. Humores hosce elementis, anni temporibus, ætatibus, & regionibus respondere. 108

IX. Humores hos oẽs substãtia, & natura differre. 109

X. Quomodo respondendum sit argumentis, 110

XI. Quatenus in venis cum sanguine humores cæteri permisceantur. 113

XII. Animãtiũ corpora solo nutriri sanguine. 116

XIII. Explicantur ea, quæ contra hæc obijciunt Medici, & quomodo partes omnes sãguine sustẽtẽtur. 118

XIIII. Sanguinem animatum non esse, neque corporis partem. Multo minus humores cæteros. 122

XV. *In alios quatuor secundarios humores mutari sanguinem, antequàm corporis nostri pars euadat.* 126
XVI. *Quatenus humores hi secundarij, tum à primis, tum inter se differant.* 127

DE PARTIBVS HOMOGENEIS. LIB. III.

Præfatio. 129
Cap. I. *Quid sit pars.* 131
II. *De multiplici vsu, mutuoque partium consensu.* 134.
III. *Semen & lac partes corporis animatas non esse.* 135
IV. *Neque item pilos, vngues, dentes, cornua* 137
V. *Neque medullam, aut adipem.* 134
VI. *De cute.* 140
VII. *De membrana.* 143
VIII. *De carne.* 145
IX. *De osse.* 147
X *Cur in corporibus nostris ossa tam multa.* 149
XI. *De cartilagine.* 152
XII. *De vinculo.* 153
XIII *De tendone, & musculo.* 154
XIV. *De vena, & arteria.* 158
XV. *De venarum sanguinisque principio Hippocratis & Galeni sententia.* 160
XVI. *Quid Aristoteles & Peripatetici senserint.* 164
XVII. *Auctoris iudicium.* 169
XVIII. *Galeni aduersus Aristotelem argumenta diluuntur.* 171
XIX. *Venæ cauæ à corde per superiores corporis partes distributio.* 175
XX. *Eiusdem in inferioribus partibus diuisio.* 178
XXI. *Venæ portæ cum caua & corde coniunctio, multiplexque distributio.* 181
XXII. *Quemadmodum arteriæ pars à corde ascendens multipharíam discindatur.* 182
XXIII. *Eiusdem descendentis diuisio multiplex.* 184
XXIV. *De neruo.* 185
XXV. *Quàm varie de prima neruorum origine Philosophi ac Medici senserint.* 187
XXVI. *Da primo sensus & motus domicilio Aristotelis, Galenique disputatio.* 189
XXVII. *Eorumdem de prima neruorum origine altercatio.* 191
XXVIII. *De vtroque disputationis genere Auctoris sententia.* 192
XXIX. *Quemadmodum argumenta diluantur.* 195
XXX. *De primo neruorum pari ex cerebro prodeunte.* 199.
XXXI. *De reliquis sex neruorum paribus.* 201
XXXII. *De Neruis ex spinæ medulla productis.* 203

DE PARTIBVS HETEROGENEIS. LIB. IIII.

Præfatio 207
Cap. I. *Totius corporis partitio* 208
II. *De Abdomine & eius musculis*
III. *De peritoneo & vmbilici vasis* 209
IV. *Vasorum omnium, quæ ventri continentur, partitio ac summaria consideratio* 212
V. *De stomacho* 214
VI. *De ventriculo* 215
VII. *De omento* 217
VIII. *De intestinis* 219
IX. *De mesenterio* 220
XI. *De iecore* 224
XI. *De bilis vesicula* 226
XII. *De liene* 228
XIII. *De renibus* 229
XIV. *De vrinariis meatibus, & vesica* 232
XV. *De partibus procreationi famulantibus* 234
XVI. *De testium vsu* 236
XVII. *De thorace agendum esse* 237
XVIII. *De mammillis* 240
XIX. *De lacte* 241
XX. *De thoracis ossibus* 144
XXI. *De thoracis musculis* 246
XXII. *De membranis succingente & interspiente costas* 247
XXIII. *De pericardio, cordisque situ & substantia* 251
XXIV. *De sinibus, vasis, auriculis, & membranulis cordis* 252
XXV. *De aspera arteria* 255
XXVI. *An potus per arteriam descendat* 258
XXVII. *De collo* 260
XXVIII. *De pulmonibus* 261
XXIX. *De capitis necessitate & vsu* 262
XXX. *De capitis figura & motu* 265
XXXI. *Capitis partium consideratio ac primum de capillis* 265
XXXII. *De pericranio, periostio, & cranio* 267
XXXIII. *De duplici meninge* 270
XXXIV. *Cerebri partium consideratio* 272
XXXV. *De cerebri temperie & vsu* 273
XXXVI. *De membri eiusdem motu ac sensu* 277
XXXVII. *De faciei partibus* 278
XXXVIII. *De oculi situ, figura, & tunicis* 279
XXXIX. *De oculi humoribus & musculis* 280
XL. *Oculum aqueæ, non igneæ naturæ esse* 283
XLI. *De aure* 284
XLII. *De ore & partibus eius* 287
XLIII. *Problematum aliquot explicatio* 290
XLIV. *De maxillis, gingiuis, & dentibus* 292
XLV. *De cornibus* 293
XLVI. *De scapula, & brachio* 296
XLVII. *De cubito, & radio* 297
XLVIII. *De carpo, & metacarpio* 298
XLIX. *De manus digitis* 299
L. *De sacro & adiunctis ossibus* 301
LI. *De femore* 303
LII. *De tibia* 304
LIII. *De extremo pede* 306
LIV. *De vnguibus* 307

Index Rerum.

DE ANIMA. LIB. I.

PRæfatio 313
Totius operis præmium 315
Digreſſio 2. De medio demonſtrationis; ad textum Commentarij 19. 355
Digreſſio 2. Dialectica quid Platoni, quid Ariſtoteli; ad tex. com. 20. 390
Digreſſio 3. Scientias plures ex natura rei diſtingui: ad tex. com. 30. 382
Veterum opiniones de Anima cap. 2 387
Digreſſio 4. Quatenus anima & natura differant, ad tex. com. 34. 392
Digreſſio 5. Quanta Ariſt. Fide cum veteribus Philoſophis egerit ad tex. com. 38. 402
Digreſſio 6. De Magnete lapide ferrum trahente.
De Magnete ad polum conuertente ſtylum.
De multiplici lapidum & viuentium virtute, ad tex. com. 52. 431. & ſeq.
Generalis diſputatio aduerſus eos qui motu animam definierant cap. 3. 457
Digreſſio 7. An & quatenus anima moueatur 458
Digreſſio 8. Quomodo quidquid mouetur ſit in loco, ad tex. com. 66. 470
Digreſſio 9. Num cœli motus ſit à natura.
Deumque Ariſt. fuiſſe primum primi orbis motorem ad tex. com. 67. 478
Digreſſio 10. Num quod interiit, redire idem numero poſſit, ad tex. com. 69. 487
Democriti & Platonis confutatio. cap. 4. 496
Digreſſio 11. De cœlorum anima, ad tex. com. 75. 503
Digreſſio 12. Quot ſint inſtrumenta cognoſcendi: & an circulo vti liceat. ad tex. com. 81. 491
Animam Harmoniam non eſſe. cap. 5. 530
Digreſſio 13. Quanta ſit Ariſtoteli huius diſputationis neceſſitas, ad tex. com. 94. 541
De Animæ motu iterata diſputatio, cap. 6. 544
Digreſ. 14. De ſenſu perinde ac de intellectu concludi non poſſe ad tex. com. 101. 558
Animam ex elementis rerumq; initiis non conſtare cap. 7. 577
Corpora omnia animata non eſſe, cap. 8. 598
In diuerſas corporis partes diuiſam non eſſe animam, cap. 9. 607

DE ANIMA LIB. II.

PRæfatio 619
Animam eſſe actum primum corporis naturalis, organici, poteſtate vitam habentis, cap. 1. 620
Digreſſio 1. de natura formæ & materiæ.
Denique voce, ὡς πλίχυσα. ad tex. com. 2. 626
Digreſſio 2. ex operatione cognoſci animam eſſe velut genus formæ ab aliis diuerſum, ad tex. com. 3. 649
Digreſſio 3. De natura animæ, ad tex. com. 4. 655
Digreſſio 4. Quatenus anima ſit eſſentialiter actus corporis, ad tex. com. 5. 661
Digreſſio 5. de diuerſis formarum gradibus, ad tex. com. 6. 668
Digreſſio 6. De vocum Synonymia & Homonymia, ad tex. com. 9. 689
Digreſſio 7. De natura, ad tex. com. 10. 697
Digreſſio 8. Num hæc definitio animas omnes comprehendat 715
Quomodo anima ſit actus corporis. 723
De formarum multitudine in eodem corpore, ad tex. com. 13. 738
Anima eſſe principium quo primum viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus, cap. 2. 802
Digreſſio 9. De notiori natura & nobis, ad tex. com. 14. 806.
Digreſſio 10. De animæ vnione cum corpore, ad tex. com. 27. 836
De facultatibus animæ in genere, cap. 3. 842
Digreſſio 11. De fame & ſiti ad tex. com. 29. 846
Digreſſio 12. De Dæmonibus, ad tex. com. 30. 854
Digreſſio 13. An bruta animalia ratione vtantur, ad tex. com. 33. 865
Digreſſio 14. De animæ facultatibus, ad tex. com. 35. 869
De facultate vegetante, cap. 4. 891
Digreſſio 15. De facultatum ex operationibus & obiectis diſtinctione, ad tex. com. 36. 895
Digreſſio 16. De iis, quæ ex putredine gignuntur, ad tex. com. 38. 906
Digreſſio 17. De inanimorum corporum generatione, ad tex. com. 39. 910
Digreſſio 18. De rerum duratione, ad tex. com. 40. 941
Digreſſio 19. De quadruplici cauſarum genere, ad tex. com. 42. 948
Digreſſio 20. De motu grauium & leuium, ad tex. com. 46. 995
Digreſſio 21. Quomodo rerum omnium natura conſtantium determinata ſit quantitas, ad tex. com. 49. 986
Digreſ. 22. De triplici vegetante facultate, ad tex. com. 50. 992
Digreſſio 23. De naturali actione ad tex. com. 52. 1004
Digreſſio 24. De reactione, ad tex. eundem. 1008
Digreſſio 25. De alimento, ad tex. com. 53. 1020
Digreſſio 26. De altrice facultate, ad tex. com. 55. 1039
Digreſſio 27. De auctrice facultate, ad tex. eundem. 1048
Digreſſio 28. De procreatrice facultate, ad tex. com. 59. 1080.
De ſemine, menſtruoque ſanguine. 1084
De maris & fœminæ ad procreandum concurſu 1089
De fœtus in vtero formatione 1099
Digreſſio 29. De facultate vitali, ad tex. com. 61. 1117
De cordis & arteriarum pulſu 1124
De reſpiratione 1133
De ſentiente facultate in genere. cap. 5. 1138
Digreſſio 30. Nam ſenſus intentionali egeat ſpecie, qua ſenſilia obiecta percipiat. 1140
Digreſſio 31. Senſionem ſentientis facultatis actionem eſſe, at non ſine paſſione, ad tex. com. 63. 1171
Digreſſio 32. de motu, ad tex. com. 65. 1187
De obiecto ſenſili. cap. 6. 1209
Digreſſio 33. de ſenſilium obiectorum quantitate & numero, ad tex. com. 79. 1219
Digreſſio 34. Quomodo ſenſilia obiecta moueant ſenſum, ad tex. com. 81. 1226
De aſpectu, cap. 7. 1231
Digreſſio 35. De colore ad tex. com. 86. 1238
Digreſſio 36. De quantitate & corporum penetratione, ad tex. com. 90. 1257
Digreſſio 37. De natura luminis, ad tex. com. 92. 1262
Digreſſio 38. Quomodo ſenſilium obiectorum priuationes cognoſcantur, ad tex. com. 39. 1277
Digreſſio 39. Naturalem omnem actionem contactu perfici ad tex. com. 97. 1238
Digreſſio 40. De proiectorum motu, ad tex. eundem 1294

Digressio 41. de aspectus organo, ad tex. com. 98. 1305
Digressio 42. de aspiciendi modo ad tex. eundem. 1309
De auditu. cap. 8. 1313
Digressio 43. de soni productione ac multiplicatione, ad tex. com. 102. 1323
Digressio 44. de Echo, ad tex. com. 105. 1333
Digressio 45. de Natura soni, ad tex. com. 116. 1353
Digressio 46. Quomodo natura vna ad plura vtatur, ad tex. com. 124. 1369
Digressio 47. de vocum institutione, ad tex. com. 127. 1377.
2. De vocum significatione. 1380
3. De humana loquutione 1393
Digressio 48. Num respirent pisces, ad tex. com. 128. 1397
De odoratu, cap. 9. 1398
Digressio 49. Cur 3. loco de odoratu differatur, ad tex. com. 129. 1403
Digres. 50. Quàm verè ex tactu ingenij bonitas castigatur, ad tex. com. 131. 2408
Digres. 51. De natura & multiplicatione odorum, ad tex. com. 134. 1415
Digres. 52. Immeritò Galenum Aristotelis illud de odoratus operculo criminatum fuisse, ad tex. com. 137. 1424.
De gustatu, cap. 10. 1433
Digres. 53. De gustatus organo, ad tex. com. 150. 1449
Digres. 54. De saporum speciebus, ad tex. com. 151. 1452
De tactu. cap. 11. 1456
Digres. 55. Quatenus vnum sit obiectum tactus, ad tex. com. 155. 1462
Digres. 56. Inter corpora solida non semper aërem aut aquam esse, ad tex. com. 160. 1474
Digres. 57. De organo tactus ad tex. com. 163. 1486
Digres. 58. De vnitate tactus, ad tex. com. 164. 1496
Digres. 59. Quomodo tactus solam qualitatem redundantiam sentiat, ad tex. com. 166. 1503
Digres. 60. De tactus dolore, & delectatione ad tex. eundem. 1505
De quibusdam, quæ sensibus omnibus communia sunt. cap. 12. 1512

DE ANIMA LIB. III.

Præfatio 1535
Plures, quàm quinque, exteriores sensus non esse. cap. 1. 1537
Digres. 1. Quomodo animalibus distributi sint sensus, ad tex. com. 6. 1554
Digres. 2. Qua hæ Aristotelis argumentationes expendantur, ad tex. com. 7. 1561
Digres. 3. De sensuum horum comparatione, ad tex. com. 13. 1580
Communis sensus inuestigatio. cap. 2. 1586
Digres. 4. Quatenus sensile & sensus sint simul, ad tex. com. 24. 1605
Digres. 5. Nullum sensum sensionem suam sentire, ad tex. com. 36. 1613
Digres. 6. Qua Aristotelis ratiocinatio communem ostendens sensus perpenditur, ad tex. com. 30. 1627
Digres. 7. Quàm pulchrè Aristoteles communem sensus naturam indicauerit, ad tex. com. 36. 1640
Digres. 8. De communi sensu ad tex. com. 37. 1645
Intellectum à sensu diuersum esse, cap. 3. 1652
Digres. 9. Perperam Philoponum locum hunc calumniatum fuisse ad tex. com. 39 1657
Digres. 10. Quid Aristoteli διάνοια, Quid ὑπόληψις, ad tex. com. 43. 1668
De phantasia. cap. 4. 1668
Digres. 11. Quid est phantasma, ad tex. com. 49. 1671
Digr. 12. De somniis, ad tex. com. 50. 1684
Dig. 13. De fide & assensu quædam, ad tex. com. 57. 1688
Digres. 14. Quorsum hæc Philosophi disputatio permeat. Quidque de phãtasia senserit Plato, ad tex. com. 59. 1706
Dig. 15. De interiorũ sensuũ numero, ad tex. com. 59. 1711
Dig. 19. De phantasiæ definitione, ad tex. eundem 62. 1720
Digr. 17. De cogitatrice virtute, memoratriceque, ad tex. com. 70. 1731
Quæ sit propria intellectus natura, cap. 5. 1750
Digr. 18. De ordine consequentis tractationis 1755 ibid.
Digres. 19. De multiplici intellectus appellatione, ad tex. com. 71. 1762
Digres. 20. Aduersus Simplicium de sola intellectione intellectus potestate hæc accipientem, ad tex. com. 72. 1771
Digres. 21. Intellectus & primæ materiæ sensusque comparatio: Deque triplici intellectu, humano, Angelico, diuino, ad tex. com. 74. 1788
Digres. 22. Aduersus Alexandrum hoc loco aburentem. Ac rursum de intellectus natura, ad tex. eundem 1786
Digres. 23. ad tex. com. 75. In qua ea, quæ ab Auerroë de intellectu traduntur, explicantur. 1793
2. Iusta in Auerroëm animaduersio 1801
3. Intelligentem animam spiritalem esse substantiam 183
4. De animæ intelligentis origine 1806
5. Intelligentem animam esse immortalem 1810
6. Intelligentem Animam esse hominis formantem formam in hominibus singulis multiplicatam 1840
7. Reliquæ Auerrois propositiones paucis examinantur. 1867
Digres. 24. Quomodo intellectus seipsum intelligat, ad tex. com. 80. 1883
Quomodo intellectio fiat. cap. 6. 1891
Dig. 25. Quatenus intellectus tabellæ comparetur, ad tex. com. 9. 1918
Digres. 26. Aduersus Philoponum Deum contendentem intellectum dici non posse, ad tex. com. 91. 1926
Digres. 27. Quomodo intelligens & intellectum sint idem ad tex. com. 92. 1930
Digres. 28. Cur intellectus non semper intelligat, ad tex. com. 63, 1914
De intellectu agente. cap. 7. 1641
Digres. 29. Quid sit intellectus agẽs, ad tex. com. 95. 1945
1. Quæ Theophrasto fuerit de intellectu sententia 1947
2. Coarguitur hæc Theophrasti sententia 1947
3. Alexandri Aphrodisiensis opinio. 1942
4. Alexandri opinio falsa esse conuincitur 1651
5. Marini, Auicennæ, & Agazelis sententia; eiusque confutatio 1955
6. quid Themistius de intellectu prodiderit 1957
7. Quid in his Themistius peccauerit 1959
8. Quid opinatus Plotinus fuerit 1963
9. Quàm verè fuerint hæc à Plotino excogitata 1966
10. Quid Simplicius, quid Philoponus, ac Plutarchus,
11. Quatenus hæc verè tradita sint. Quæque sit Auctoris sententia.
12. Auerrois, & Latinorum commenta recensentur 1973
13. Quàm falsis hæc omnia nitatur principiis. 1978
Digres. 30. De intelligentis animæ facultatibus, ad tex. com. 102. 2007
De intellectili obiecto & intellectione, cap. 8. 2014
Digres. 31. De actionibus Intellectus, ad tex. com. 150. 2020
Digres. 32. De verbo mentis, ad tex. eundem 2038
Digres. 33. De impartibilibus quantitatis, ad tex. com. 111. 2057

Digref. 34. ſeparatos intellectus alia extra ſe cognoſcere, ad tex. com. 113. 265
Digref. 35. De cognitione ſimplicis Quiditatis. ad tex. com. 115. 2072
Intellectus & ſenſus comparatio, cap. 9. 2077
Digref. 36. Quatenus cum phantaſia aut ſine phantaſia ſit intellectio, ad tex. com. 121 2086
Digref. 37. De abſtractione Mathematica, ad tex. com. 130. 2109.
Digref. 38. Quatenus intellectus noſter ſeparatus queat cognoſcere ſubſtantias, ad tex. com. 132. 2125
De facultate motrice, cap. 10. 2148
Digref. 39. De multiplici appetitu, ad tex. com. 142. 2155
Digr. 40. De theoretico & practico, ad tex. com. 149. 2171
Digref. 41. De appetitus ſentientis perturbationibus, ad tex. com. 157. 2190
Facultatum Animæ in viuentia omnia diſtributio, cap. 11. 2272

SECVNDVS INDEX LOCORVM ARISTOTELIS, QVÆ ſparſim in hoc opere explicantur.

Ex libro Categoriarum.

Cap. De ſubſtantia: Omnis autem ſubſtantia videtur hoc aliquid ſignificare. 337
De relatis: Videntur autem ipſa ad aliquid ſimul eſſe natura 893
De oppoſitis: Ægritudinis & ſanitatis non eſt aliquod medium 71
De ſimul: Species eiuſdem generis ſimul natura ſunt 690

Ex libro de Interpretatione

Cap. 1. Vel ſimpliciter vel ſecundùm tempus 2186.d

Ex 2. libro Poſter.

Cap. 1. In omnibus quæſtionibus quæritur medium ſeu cauſa 357

Ex libris Phyſicorum.

1. lib. tex. 1. εἶδος & στέρησις, an differant 313
Ibidem. Principia, cauſas & elementa. 946
tex. 83. Naturalem de corruptibilibus formis agere 1827. b
2. lib. tex. 12. & 19. Abſtractionem naturalem ſolius rationis eſſe. tom. 1. in præfatione 22. b. 1827. e
tex. 18. Abſtrahentium non eſt mendacium 2027. c
tex. 20. Demonſtrant autem & quæ ex Mathematicis magis phyſica ſint; vt perſpectiua, &c. 2120
Ibidem. Geometria n. de phyſica linea conſiderat, ſed non quatenus phiſica. Perſpectiua autem mathematicam quidem lineam, at non quatenus Mathematica, ſed quatenus phyſica eſt 385
3. lib. tex. 6. Motus eſt actus eius, quod eſt poteſtate, quatenus poteſtate 1189
In eodem lib. Quatenus egerit Ariſt. de infinito 987. 1829. a
4. lib. tex. 17. locum non eſſe formam. 1828. a
tex. 85. Diſſonet autem graue & durum in plumbo & ferro 968
tex. 131. Nihil aliud aptum natura eſt, quàm Anima, numerare, & animæ intellectus 2189. a
7. lib. tex. 17. Ad ſanitatem non eſt motus 71
tex. 31. In genere multæ latent æquiuocationes 690. 691
8. lib. tex. 23. Neque augeri, neque minui poſſibile eſt continuè 1060
tex. 29. Moueri à ſeipſis animatorum eſt proprium 396
tex. 33. Grauia & leuia moueri à generante. 978
tex. 59. Motus localis nihil generat. 1353
tex. 78. &c. Omnem virtutem, quæ eſt in magnitudine, extenſam & diuiduam eſſe 1856. a

Ex libris de cœlo.

1. lib. tex. 126. Omne genitum, eſt corruptibile 1830. a 1861. d. & ſeqq.
2. lib. tex. 18. Nullum violentum perpetuum 1830. b
tex. 62. Perfectiora paucioribus operationibus aſſequuntur finem. 901
3. lib. tex. 1. Omnes enim naturales ſubſtantiæ, aut corpora, aut cum corporibus generantur ac magnitudinibus, in præfatione 22. d. 1828. b. c.
tex. 52. Duobus autem modis videmus corrumpi ignem. Nam & à contrario corrumpitur extinctus, & ipſe à ſeipſo marceſcens 37.

Ex libris de Ortu & Interitu.

1. lib. 20. Ortus vnius eſt alterius interitus. &c. 762. 763
tex. 23. Ortus eſt mutatio totius in totum, &c. 763
tex. 25. Quod augetur, quemadmodum quod extenditur 1054
tex. 33. Accretionē fieri per omnes partes 1050. 1062. &c.
Ibidem. Eſſe idem viuens in tota accretione 1073
tex. 35. Accretionem fieri ratione formæ, non materiæ 1064. &c.
tex. 84. Remanet enim virtus eorum 759
tex. 89. In mixtione elementa omnia mutari in dominans 760
tex. 60. Mixtio eſt miſcibilium alterutrum vnio 758
2. lib. tex. 48. Quæ miſcentur, corrumpunt excellentias adinuicem. 760

Ex lib. Meteororum.

4. lib. cap. 3. Coctio eſt perfectio à naturali & proprio calido, ex oppoſitis paſſiuis 1043
Cap. 3. & 4. Tres eſſe coctionis ſpecies, maturationem, elixationem, & aſſationem, &c. 1045. &c.

Ex libris de Animalium Hiſtoria.

3. lib. cap. 5. Vena porta appellata neruoſa eſt 198
Cap. 19. Quomodo ſanguinem dixerit animari 123. 124
4. lib. cap. 9. Qui ſurdi ab ortu naturæ ſunt, iidem & muti 292

Ex libris de Animalium partibus.

1. lib. cap. 1. Naturalem non debere agere de intelligente anima, in præfatione 23. d
Cap. 5. Sed partem illam æternam, & nobilem ac diuinam minùs contemplari propterea poſſumus, &c. 319. 320
2. lib. cap. 1. Sed melius fortaſſe dici poteſt ex virtutibus confici elementorum. 761
4. lib. cap. 10. Hominis natura atque ſubſtantia diuina eſt 1853. e
Ibidem. Manus non vnum, ſed multa inſtrumenta 299
Cap. vlt. Locus corruptus reſtituitur, in præfatione 33. c

Ex libris de Anima.

Integri omnes tres libri exponuntur.
2. lib. tex. 11. Quod igitur non ſit anima ſeparabilis à corpore 718
tex. 21. De intellectu nihil adhuc manifeſtum eſt 719
tex. 32. De contemplatiua autem mente alius ſermo 719

Ex libro de Senſu & ſenſili.

Cap. 1. Quæ tractanda proponit, in præfatione 34
Cap. 2. Faciunt autem omnes aſpectum ignis, &c.
Ibidem. Cum enim conſtringitur & mouetur oculus, videtur ignis lucere 286. 287

Ibidem. Iuxta cor sensorium ipsorum scilicet gustatus & tactus 1489
Ibidem. Tactum & gustatum esse terræ 1450
Ibidem. Non enim in vltimo oculi anima, aut animæ sensorium est, sed manifestum quod interius 1307
Cap. 4. & 5. Quomodo gignantur sapor & odor 1306 1308
Cap. 5. Est autem odorabile non quatenus perspicuum, sed quatenus lauatiuum, & absterſiuum sapidæ siccitatis. 2. 1318. 1414

Ex libro de Somno & Vigilia.

Cap. 2. Quoniam autem existit secundùm vnumquemque sensum, hoc quidem aliquid propriũ, illud verò aliquid commune, &c. 1278

Ex libris de Animalium ortu.

Primi libri initium in præfatione 33
Cap. 1. Quæ ex putredine oriuntur animalia, aut non gignere, aut genus diuersum gignere 981
2. lib. cap. 3. Quomodo tres animæ producantur in homine 790. &c.
Ibidem. Non enim simul est & animal & equus 795
Ibidem. Mens sola forinsecùs accedit. 1800. b. & seq. 1854. b. & seq.
Ibidem. Eáque sola diuina est 1809. d

Ex lib. de longitudine & breuitate vitæ.

Cap. 1. De somno igitur & vigilia, dictum est priùs, &c. in præfatione 35
Cap. 2. Scientiam corrumpi corruptione subiecti. 1831. c
Cap. 3. Alimentum autem non sumentia & Animalia & plantæ intereunt; consumit enim ipsum seipsum, &c. 38.

Ex libris Metaphysicis.

1. lib. cap. 1. Apes audire sonos non possunt 1559. d
tex. 19. Entium enim quæ Mathematica sunt, sine motu sunt. 2112
2. lib. tex. 4. Vnumquodque verò idipsum maximè aliorum est, secundùm quod aliis vniuocatio inest 1954. e
Ibidem. Vt secundùm esse vnumquodque se habet, ita etiam secundùm veritatem. 2112 a
3. lib. tex. 3. Quomodo possibile est motus principium in immobilibus esse, aut boni naturam? 2113. 2114
4. lib. tex. 2. Quare entis quoque quot species sunt, & species specierum speculari vnius scientiæ genere est. 383
6. lib. tex. 1. Naturalis circa substantiam ratione vt plurimum inseparabilem solùm est in præfatione 20
tex. 2. De quadam anima speculari naturalis est, quæcunque non sine materia in præfatione 22
7. lib. tex. 8. Materia neque est quid, neque quantum &c. Neque etiam negationes 631
tex vlt. Dissoluto composito nil superesse, nisi materiam 1831. d.
lib. tex. 9. Naturam etenim solam profectò quis ponat eam, quæ in corruptibilibus est, substantiam 480
tex. 10. Essentiæ rerum sunt sicut numeri 786
10. lib. tex. 26. Necesse est diuersum genere esse corruptibile & incorruptibile 722. 1274
12. lib. tex 36. primum principium mouere vt amatum & desideratum 481
tex. 44. Astrologia sola de substantia sensili ac sempiterna speculatur 1904. e
tex. 51. Quædam melius est non videre, quàm videre. 318.
Ibidem. Omne non habens materiam impartibile est; velut humanus intellectus, aut qui cõpositorum in aliquo tempore se habet 1858. c

Ex Quæstionibus Mechanicis.

Quæst. 19. Graue ipsum grauitatis plus assümit motum, dum mouetur, quàm dum quiescit 872

Ex libris Ethicorum.

1. lib. cap. 11. & lib. 3. cap. 6. Mortuos nullum habere doloris sensum 1814. d. e
10. lib. cap. 7. Non enim quatenus homo est ita vuet; sed quatenus diuinum quid in ipso inest 1857. b. & seq.

Ex libris Politicorum.

1. lib. cap. 1. Nihil enim natura facit tale quale statuarij delphicum gladium ob inopiam; sed vnum ad vnum. 1369. & seqq.

Ex libris Rethoricorum.

1. lib. cap. 1. De qualibet ratiocinatione aut Dialecticam vniuersam aut partem eius quandam considerare 360. 361
Cap. 4. Rethoricam ex Analytica scientia & ea ciuili, quæ de moribus est, compositam esse 361

Ex libris Problematum.

Sect. 3. Prob. 25. Corrumpitur autem calor, aut marcore, aut extinctu, extinctu quidem à contrariis, marcore autem vel indigentia nutrimenti, vel ab alieno calore 38
Sect. 10. Prob. 29. Hominis autem cutis vel ut affectus carnis exultat, &c. 142
Sect. 11. Prob. 27. Puer ante ætatem loquutus mox tacuit. 293
Sect. 14. Prob. 9. & 10. Eos, qui calidiora incolunt loca, diutiùs viuere. 79
Sect. 30. Prob. 1. Melancholici ingenioſi 1409
Sect. 31. Prob. vlt. Aspectum esse ex igne 285

TERTIVS INDEX RERVM ET Verborum.

A

Abdomen vnde dictum 209
Abdominis partitio & dissertio 209
Abdominis musculorum consideratio 209. 211
Abdominus linea alba 211
Abdominus imi duo musculi triangulares 211
vt Abstrahantur vna natura 1978. e
Abstractio quid 2028. c
Abstractio duplex, formalis & vniuersalis 1979. e. 2028. d
Abstractio philosophi naturalis vt sit sola ratione, in præfatione 22. b
Accidere & accidens interdum necessitatẽ significare 330
Accidentia vt conferant ad cognoscendam essentiam vel substantiam 354
cur ex Accidentibus quærenda substantia 354
vt substantiæ notio ab Accidentis notione separetur ibid.
in Accidentium & substantiæ cognitione regressus 355
Accidens quomodo entis ens 694
Accidentis proprij & communis differentia 885
Accidentia plura numero distincta simul in eodem subiecto 1147
Accidens substantiæ, & substantiam accidenti accidere 1230
Accidens attingere productionem substantiæ 873
Accidens agere virtute substantiæ quid sit 874
Accretionis causa Veterum sententia 962. 980
Auctrix facultas vt ab altrice distinguatur 1048, 2159. d
Augere & minuere facultatem eandem 1049
Accretionis proprietates tres 1050. & seqq.
in Accretione vt noua quantitas producatur 1050
Accretio vt à rarefactione differat 1050. 1054
Cur augeantur viuentiũ corpora longitudine magis, quàm latitudine aut profunditate 1051
Accretionis definitio 1052

Index Rerum.

In Accretione mutationes plures coniunctæ 1052.1058
Accretionis natura quæ 1052.& seq.
Vt ad Accretionem pertineat quantitas 1058
Accretionem esse motum successiuum 1059
An accretio sit motus continuus, 1601.& seq.
An in Accretione detur primum minimun 1061
Accretionem per omnes partes fieri 1062. & seq.
Augeri primùm partes Homogeneas, tum Heterogeneas, 1062.1064
Augeri simul omnes partes 2062
Accretionem fieri ratione formæ, non materiæ 1064. & seq.
Augeri tamen materiam quoque totúmque coniunctum 1071
In Accretione tota viuens idem conseruari 1073. & seq.
Auctricis facultatis definitio 1078
Actionem tribui formæ 829
vt Actionis causa materia ibid.
An immediatè agat substantia 869.& seqq.
Agentis & naturæ similitudo 871
Cur substantia creata immediatè non agat 872
Actionem eandem tribui composito, formæ, & Accidenti 873
Agendi facultas, quot modis in rebus habeat 880.881
An idem agat in seipsum 1004.& seqq
Actionis & passionis differentia ibidem
Actio transiens & immanens ibidem
An simile agat in simile 1006
Actio vt sæpè varietur 1007
Actionem vt varient rarum & densum ibid.
Actio in quibus propriè 1008
Actio quomodo à maiori virtute 1017
Actionis sphæra 1241
Actionem esse vniformiter difformem in sphæra 1242
Actionem quatuor modis variari. ibid.
Actio & passio vt distinguantur 1599.d.d.e
Actio & passio vt communem postulent materiam. 1910 e.1914.d
Actus primus & secundus quid 625.1194
Actum primum Accidentium quoque formam dici. 625
Cur Actus primus & secundus dicantur 626
Actus duplex, entis, & determinatæ speciei 633
Actuum duo genera, generici & specifici 634
Primum Actum substantiæ non posse esse formantem, Accidentis posse 638
Actus primus secundo prior, vel etiam in vegetante anima 660.661.678
Actus duplex, inseparabilis, & separabilis 1831.a
Acus sine dolore infixa carni 432
Acutum & obtusum quid 135
Acutum & graue, velox & tardum 1359
Adipis multi & pauci in corpore consideratio 24
Adipem animatum non esse, nec corporis partem 139
Adeps vnde fiat ibid.
Adeps frigidæ temperationis inditium. ibid.
Adiposa sterilia esse & cito senescere ibid.
Adeps, Pinguedo, & seuum vt differant. 140
Adolescentium congressus ad procreandum damna. 82
De Aemulatione 2241. e
Ætas, quid 65
Ætates quot 65. & seq.
Æternitatem vt entium species diuerso modo participant 940
Æstimatricem à phantasia diuersam non esse 1722. d 1747.d.e
Affectus animi vt corporis temperatione prodant, in præfatione 43
In Affectibus animam agere, corpus pati 373
Affectus excitat corporis dispositio 373.374
In affectibus corpus materiæ & instrumenti vim habere. ibid.
Affectus prudentis viri & imprudentis vt habeant. 374
Affectus animæ velut lumen 387
in Affectibus animæ vt moueatur cor. 924
Alimento eodem corpus totum sustentari 134
Alimenti vsus duplex 214
Circa Alimentum quid agat Natura ibid
Alimentum vt glutiatur 215.216.259
Cur facilius glutire, quam vomere 216
Alimenti co ctio in ventriculo 219
Alimentum quale sumendum 245
Alimenti conditiones 1000 1001
Aliquas corporis partes per totam vitam non ali. 59
Animalium corpora solo sanguine ali 116. & seq. 119. & seq.
Vt alantur bilis vesicula, lien, renes & vesica altera 119. 120
Cerebrum sanguine ali 120
de Alimento ventriculi, intestinorum, & ossium 120. 121
Vt sine alimento animalia quædam multo tempore viuant 122
Alitionis principium cor 169
Alitio, accretio, & generatio inanimatorum, vt ab eâ differat quæ viuentium est 993.& seq.
Ali cur ignis maximè dicatur 1001
Alitionis definitio 1002
Alitum an ab alimento patiatur 1003
Alimentum an simile an dissimile alendo. 1019
Alimentum tribus modis dici 1018
De Alimento agere naturalem ibid
Alimentum & medicamentum quid differant ibid
Vt alant sacramentales species 1022
Odorem non alere 1022
Elementum non alere 1023
Aere Camæleontem non ali 1024
Alimentum quod cicadis 1025
Aqua an alat ibid
Quo alantur pisces 1025
De longa quorundam inedia ibid
De Vrsi inedia 1026
Aerem non alere 1026.1027
Neque metalla. ibid.
De struthio Camelo ferrum vorante 1027
Lapides non alere ibid.
Venena vt alant ibid.
Alimenti qualitates, calor & humor 1027
Alimenta cur quædam satient, alia non. ibid.
Alimentum debere esse dulce 1028
Alimentorum quatuor genera. ibid
de Aquæ potu 1030
de vini potu ibid.
De Ceruisiæ potu 1031
Cibi & potus quantitas ibid
Ciborum varietas vitanda ibid.
In cibo sumendo temporis ratio habenda 1033
Ætatis item, complexionis exercitationis 1033
Alimenti præparatio ibid.
In Alimento consuetudo conseruanda 1033.1034
Potus ratio. ibid.
In alimento sumendo hora seruanda 1035
Largius ne prandendum an cœnandum ibid
Alimentum tum alitionis, tum accretionis obiectum esse. 1037.1038
Vnicam esse partium corporis omnium altricem facultatem 1039

Index Rerum.

Altricem animam viuentibus omnibus ineſſe 2273.c
Alterationem non primum Ariſtotelem nominaſſe 1167
Alteratio duplex corrũpens,& perficiens 1197.1220.1208.
Alterationis & motus localis differentia 2290.c
In alteratione dari primum minimum 1483
Amorem eſſe Deum quendam 2200.b.c
Amoris antiquitas ibid.
Amor qualis apud Platonem ibid.
Amor cur antiquus & iuuenis ibid
de Amore quid Plato 2201.a
Amor quid Epicuro ibid.c
Amores plurimos eſſe ſine Cupidine ibid.& 2207.d
Amor duplex duplexque Venus Platoni 2202
Amator verus quis ibid.
Amor improprius duplex ibid.
Venus quadruplex Platonicis ibid
Venus in homine duplex, Amorque triplex ibid.
Amor vniuerſe quadruplex Platonicis, & humanus triplex 2203
Amoris definitio ibid.
Amor triplex in homine, ac rurſum Amor quadruplex ibid.
Amatoria ars Socratis 2205
Amor Calodæmon & Cacodæmon ibid
de Amore & Amicitia, quid Peripatetici ibid
Amor & Amicitia, vt differant 2206
Amor vniuerſe quid ibid
Amor & dilectio vt differant ibid
Amor, charitas, pietas, cultus, beneuolentia, amicitia, quid ibid.
Amor, amicitiæ & concupiſcentię 2207
Amemus quos maximè 2208
an Amemus mortuos, & quę perierunt ibid
cur Amentur pulchra ibid.
cur non eadem ab omnibus amentur 2209
Amoris cauſam eſſe ſimilitudinem ibid.
aliæ Amoris cauſæ 2210
Amoris regula virtus & vir bonus 2211
de Amoris ortu & progreſſione ex Platonicis 2211. 2212
Amoris raptus ibid. Pabulum & illuſtratio ibid. Incendium & accrementio 2223. Adoleſcentia & impetus 2215
transformatio & profectio. ibid.
De Erote & anterote, amatione & redamatione 2213
ad Amorem qui apti ibid.
Amorem per oculos maxime hauriri 2214
Amoris vnio quanta 2216
Amor ex corporis temperatione qualis ibid
Amor pulchritudinis corporis & virtutis animi qualis 2217
Amor Dei ibid
Amor maximorum bonorum cauſa ibid
Amor artium inuentor. ibid.
Amorem eſſe iuſtum, temperantem, fortem, ſapientem, tranquillum, melancholium 1217.1218.1219
Cupidinæus morbus 1219
Amantium deliria & inſania ibid
Amoris effectus multiplex 2219.2220
de Analogis 691
Analogia quid ibid
Analogia artes omnes & ſcientias vti ibid
Analoga quæ dicantur ibid
Analogiam attributionis nullam eſſe 692
Analogi conceptus qualis ibid.
Primum analogum quod 693
Analoga comparari poſſe ibid
de Analogis poſſe eſſe ſcientiam ibid.
Analogorum cognitio & definitio ibid.
Anatome duplex 3
Anatome corporis ad Philoſophũ etiã ſpectare. 129.& ſeq
Anatomiæ finis duplex 131
Anatome vnde inchoanda, & cur 131
Corpora plura diſſecanda, vt inſpicias omnia 209
Anatomicus accuratus Ariſtoteles 208
Dari ſcientiam de Anima, animatiſque corporibus in præfatione 130.131
de Anima vniuerſe agere naturalem. 11.c
Animæ duplex genus ibid.
Animæ cœleſtes vt à naturali conſiderentur in præfatione.13.a
476 in præfat.13.b
Animas vegetantem & ſentientem ad naturalem pertinere in præfat.13.c
An intelligens anima ad naturalem pertineat. in præfatione.14.a.& ſeqq.
Quinam ad primum philoſophum eam relegerint ibid.
Eam facere ſcientiam mediam, Simplicij opinio ibid
Ariſtotelem aliquando indicaſſe ad naturalem eam non pertinere in præfat.16.b
Ad naturalem omnino eam pertinere in præfat. 18.a
Anima intelligentem inter ſeparatos mentes & materiales formas mediam eſſe, partimque vtriſque ſimilem, partim diſſimilem. ibid.
Animæ intelligentis eſſentiam ſimplicem eſſe, & qua differentia conſtituatur in præfatione 19
Animæ intelligentis attributa aliqua ad primum philoſophum pertinere in præfatione.21.c
Animam ſeparatam eſſe formam, naturaliſque conſiderationis in præfatione.32.c
Animæ intelligentis cauſas vt cognoſcat naturalis Philoſophus in præfatione 27.a
De Anima librorum commendatio 314
De Anima librorum ſubiectum ibid.
ſcientiæ de Anima dignitas 316
Cur ſcientia de Anima dicatur hiſtoria 322
ſcientia de Anima, num omnium nobiliſſima ibid.
Num omnium certiſſima ibid.
ſcientiæ de Anima vtilitas 323
Auctoris in hiſce commentariis conſilium. 314
De ſola prima humana loquentium veterũ error 341.592
Animæ cognitio cur difficilis 350
Animam eſſe 392
de Animæ Democriti ſententia 399
Animam eſſe ignem, vt probetur 400
Aſclepiadis & Praxagoræ de Anima ſententia 402
Anima eſſe ramenta in aëre volitantia, Pythagoricorum opinio 405
Anima vt verè harmonia 406
Anima vt vere ramenta ibid.
Anima noſtra immortalis Pythagoræ ibid.
Animam eſſe mentem mouentem, Anaxagoræ ſententia 409.
Anima & mens Democrito 410
de Anima opinio Empedoclis 412
vt hæc opinio accipi verè poſſit ibidem
Animam eſſe numerum ſe ſe mouentem, Xenocratis opinio. 422
Animam eſſe ignem, Veterum opinio 426
Animam eſſe aquam, Thaletis opinio 430
Animam eſſe aërem, Diogenis opinio 445
Animam eſſe ignem Heracliti opinio 446
Animam eſſe cœleſtem ſubſtantiam, Alcmæonis opinio 448
Animam eſſe aquam: Hipponis opinio 449
Animam eſſe ſanguinem Critiæ opinio 450
Animam cur nullus terram dixerit 451
Anima cur dicta 457
De Anima Platonis ſententia in Præfat. 2.d. 414

Index Rerum.

Tria Platoni animarum genera in Præfatione .3.a
Animam commertio corporis inquinari 331
Animam Platoni esse quod seipsum mouet 407.& seq. & 499.
Anima triangulo & circulo similis Platoni 416
Anima vt ex numeris Platoni 417
Animæ operationes quatuor Platoni. 417.421.422
Anima Platoni ex numeris harmonicis 417
Anima cur ex numeris harmonicis potiùs, quàm ex magnitudine. 422
Animam vt ex harmonicis numeris Plato fecerit 499
Animam vt Plato moueri dixerit 458
de Anima Platonis sententia parùm fideliter ab Aristotele commemorata 499
Animarum generatio Platonica 595
Animæ partes vt in corporis partes Plato tribuerit, Aristotelisque confutatio 611
Animam motu definiendam non fuisse 462.& sequen.
Animam magnitudinem non esse 502
Animarum in diuersa corpora migratio, eiusque confutatio 737
Animarum migratio cur fabulosa 529
Animam esse harmoniam qualitatum vt probabilis opinio dicatur 531. & seq.
Animam harmoniam non esse, Platonis & Aristotelis argumenta 532.& seq.
Animam vt probari possit harmoniam esse 540. & seq.
Vt argumentis illis respondeatur 541
Animam harmoniam non esse, necessarijs rationibus probatum ab Aristotele non fuisse 541. & seq.
Animam non esse numerũ seipsum mouentẽ 365. & seq.
In Animæ partibus vt Aristoteles & Plato dissentiant 609
de Anima conuenisse re Aristotelem cum veteribus modo discrepasse 578.606
Animæ naturam vt inuestigauerit Aristoteles. 649
Animam esse ens 622
Animam esse, per se notum 651
Animam esse substantiam. 533.622.647.657.658
Animam esse formam 653
Anima vt in subiecto ibid.
Animam non esse corpus 653.654
Cur animam non probauerit Aristoteles non esse materiam 654
Animam esse qualitatum temperiem, quorundam opinio 655
Animas stirpium & mutorum solum esse calorem innatum probabili ratione disputatur 955.656
Animam esse actum primum 659.660.661.670.709
Animam esse genus formæ ab alijs diuersum 651
Animam esse magis, quam alias formas, à materia eleuatam 652
Animæ ac cæterarum formarum diuersa materiæ dispositio ibid.
Animarum singularũ operationis modus, & libertas. 650
In animæ definitione text.7. lib.2
Solum actum formantem definiri 625
Anima cur per corpus definiatur 677
Animæ definitio explicatur 676,& seq
definitionem hanc animæ essentialem esse 722
Animam rectè entelechiam dici 677
Anima vt ab operatione separetur 678
Anima quomodo actus primus 678
In animæ definitione quid significet corpus 680.& seq.
Ex anima & corpore, cur fiat vnum. 686
Animam esse formam essentialem 688
Animam solius organici corporis actum esse 666
Anima tum totius corporis, tum singularum Homogenearum partium actus 667.723
Anima duobus modis actus corporis, vel dans esse, vel inhærens. 719
Anima an actus omnium partium corporis. 723.& seq.
Anima an actus partibilis, an impartibilis 728. & seq
Animarum plura genera Aristoteli 608
Animarum tria genera 675.813
Animæ an specie differant 342
Animas plantarum & mutorum extensas & partibiles esse 730.& seq.
Animam semper significare ordinem ad corpus 662.837.
Esse actu formam, non esse de essentia animæ 662
Animam separatam non esse actu formam, sed potestate 863.834
Animæ essentialem esse aptitudinem ad formandum 663
Formatio vt de essentia animæ 664
Vt animæ definitio Cœlorum animæ conueniat 716
An humanæ animæ 717.& seq.
Animæ hominis intelligenti definitionẽ eam synonymã conuenire 720.& seq.
Anima intelligens vt actus corporis organici 720
Animam hominis abstractam intelligentem non esse 622
Animæ vniuersæ natura media. 329
Anima intelligens bifrons & anceps 674
Animę intelligentis natura media 408.415.416.423.565. 673
Anima intelligens vt animę genus diuersum. 718.824
Anima quomodo actus corporis, vt nauta nauis 369. 736.5.9.1869
Anima intelligens an natura 395
Animam vniuerse esse naturam 394.682.709
Anima & natura vt differant. 392.& seq.682.814
Animę vnio cum corpore 49
Animę corporisque proportio 835.1840
Animę nostrę vnionem cum hoc corpore naturalem esse 836. 1860. e
Animę nostrę propensio ad corpus 603.837
Anima nostra quid acquirat in corpore 837
Animam hanc esse totam in toto corpore, & totam in singulis partibus 733.& seq.
Animam hanc impartibilem esse ibid.
Animam vnam vnius corporis esse 736.& seq.
Anima vna in vno viuente 350.538
Tres ánimas esse in homine quibus argumentis suadetur 741.& seq.
Anima vna in singulis viuentibus 779. & seq. 789. & seq.
Cur anima vegetans & sentiens in homine producantur. 793
A quo nam mox corrumpantur ibid.
duas in plantis, & tres in bestiis non esse animas & seq. 794
Animæ vegetans & sentiens quales vt in intelligente continentur 798
Vt hæ Animæ dici possint à corpore separari 699
Animæ secunda definitio 829
An sit vna, an quadruplex definitio 830
Animæ omni definitionem eam conuenire ibid
Quomodo intelligenda sit ea definitio ibid.
Definitione hac priorem demonstrari; & quomodo 831
Anima vt figuræ similis 359
vt Anima vegetans in sentiente sit 861.862
Animam corpori perfectionem duplicem adferre, essentiæ, & operationis 659.660.725.729.832.842
Animam in corpore tum formam esse tum agens 529.533 667
Animam formantẽ ab vtente distinctã non esse 546.2194
Anima cur velut principium dicatur 327
Animæ operationes cur καλῶς dicantur 330
Anima vt partibilis, vel impartibilis 349

Index Rerum.

Animam moueri Aristotelem quoque concessisse. 458
Animæ solum corporeum motum Aristotelem negasse 459
Animam ex accidenti moueri cum corpore. ibid.
Anima intelligens an ex accidenti cum corpore moueatur. 460.& seq.
In Anima intelligente tria consideranda. 461
Animæ motus nullus violentus. 483
Animæ operationes an sint motus. 485
Animæ actionum quædam magis corporeæ, aliæ magis vitales. 481
Anima in quibusdam actionibus terminus, in aliis principium motus. 484 & seq.
Anima vt suarum facultatum principium. 884
Animæ vegetantis appellationes. 903
Anima vegetans tota circa alimentum, ibid.
de Anima vegetante cur prius agatur 904
Animam non esse elementum, sed causam & principium 947
Anima vt efficiens causa 960
Animæ partes quæ dicantur. 346.1760.d
Anima vt à sensilibus moueatur 493
Reliqua vide sensus, & sensilia, de Anima intelligente Græcorum interpretum sententia 1866
Anima intelligens, & corporis actus, & nullius corporis actus 1859
Anima intelligens duobus modis impermixta, essentia, & operatione: reliquæ vtroque modo permixtæ. 1870. 1871
Animam intelligentem esse multiplicatam ad numerum indiuiduorum. 1845.& seq.1849.& seq.
Animam intelligentem perfectissimam esse omnium formam,& quomodo 1848
Animarum intelligentium inæqualis perfectio, Caietani sententia. 1979.a
Ad intelligentem animam qualis potestas sit vel concursus materiæ in præfatione 27.a.1860.a
Homo vt animæ intelligentis efficiens causa in præfatione. 27.c
De Animæ intelligentis origine. 1806.a.&seq.
Eam à solo Deo creari, & quo tempore 1807. a. & seq.
Eam, tum creationis, tum generationis; terminum esse 797.c
De illius origine quid Aristoteles. 1808.b. & seq. 1828. d.
Animarum numerus an Aristoteli infinitus, 1863. d. & seq.
De hac anima quousque Aristotelis cognitio progressa sit 1862.c
De intelligente anima Auerrois opinio 1801.e
Vera sententia 1802.d.e
Eam esse spiritalem substantiam 1803.a. & seq.1787. b.c
Animam intelligẽtem antiquis fuisse corpoream, 1804. e
Vt in sacris litteris dicatur esse in sanguine 1805.d
Vt illi membra tribuantur 1805.e
Vt igne inferni torqueatur ibid.
De animæ nostræ mortalitate Alexandri opinio; Auerroisque confutatio 1795.c.d
Quinam mortalem eam fecerint. 1812.a
Quibus argumentis mortalitas colli gatur 1812. b. & seq.
Immortalitas ex sacris literis 1810.& seqq.
Vt solus Deus natura immortalis dicatur, Angeli, & anima nostra, Dei dono 1811. d
Quid Aristoteles de immortalitate senserit disputatur. 1813. a
Quinam immortalem fecerint 1815.d.& seqq.
Pro immortalitate argumenta Platonica 1817.c.& seq.
Aristoteli quoque immortalem fuisse. 553.554.556.& seq. 560. 563. 591. 612.712.723.816.823.834.1749.1819. & seq. 2003.286
Aristotelis demonstrationes pro immortalitate. 1825
Alexandrum quoque immortalitatis assertorem fuisse 1826
Mortalitatis assertores quales sint 1826.c.d.e
Anima hæc vt materialis, & corruptibilis dici possit. 1828. a
Anima hæc vt deserat corpus 1829.1839
Animæ separatæ status an violentus. 1830.1839.c
Animæ separatæ vis informandi. 1860
Quid Aristoteles de animę separatæ statu. 838
Animæ immortalitatem naturæ lumine cognosci 1832
Immortalitatem ex causa demonstrari 1833. c.& seq
Eadem ex actionibus mentis demonstratur 1834.d
Item ex actionibus voluntatis 1835.d
Anima vt corporis inclinationes sequatur 1838
Animę separatæ intellectio ibid.e
Animę duplex essendi,& operandi modus 838.2090.b
Aristotelis regula ad cognoscendam animæ separabilitatem 366
Altera regula 368
Quibus principiis quæstio de animæ separabilitate nitatur 369
Aristotelis regulam de separabilitate omnibus probatam fuisse 371
Animæ separabilitatis argumentum 374
Anima intelligens vt separabilis, vel inseparabilis 718
Anima intelligens vt formarum locus 1873.c
Anima sentiens an formarum locus. ibid.e
Anima vt sit omnia entia 2135.d.2137.d.2138.e
In Anima nostra duplex ratio Simplicio 1969.c
De Anima Plato cur reprehensus 2151.d
Animæ diuisio Platonica confutatur ibid.e
Anima virtutis expers, velut corpus egrotans præter naturam habet 469
Animæ nostrę libertas 485
De animæ facultatibus. Vide facultas.
De duplici animę corpore, separabili, & inseparabili, opinio Philoponi 371.a386.667
De Animalibus tractationis duę partes, in præfatione 35.
Animati corporis compositio. 2.3.533
Animalis, & arboris similitudo. 257
Animatum ab inanimato vt differat. 390
Animatorum vt proprium sit à seipsis moueri 391
Animalium virtutes, 443
de Animalibus insectis 568.613.821
Animalia perfectiora cur non potestate plura. 569.732
Anima vna potestate plures in insectis 568
Animalium & arborum differentia 614.732
Animalium insectorũ & perfectiorũ differẽtia 615.732
Partium insectorum diuisarum an eadem numero anima 615
Vt animata motu & operatione ab inanimatis differant 650
Animalium incessus 673
Animalium & plantarum corporis diuersitas. 677
Animatorum quatuor genera 675.813
Animalia grandiora cur non semper robustiora 733
Animalium partitio 866
Animalia perfecta quæ 30
Animalia omnia volantia videre 1558.e

Index Rerum.

Animalia greſſilia, non greſſibilibus præſtare 2276.e 2290.a
Annos in ſacris libris commemoratos ſolares fuiſſe 81
Annus magnus quid, & cuius durationis 487
de Anthrophagis 461
Anulus ſe ipſum mouens 933
Quid apparet, verum eſſe, Democriti ſententia 409
Nihil eſſe, niſi quod apparet 1607.e
Apes, culices, formicas, odorari 1555.c
Apes an audiant. 1558.e. & ſeq.
Appetitus & cognitionis oppoſitus operandi modus 672.900.
Appetitus duplex, naturalis & animalis 674. 2155.b
Appetitus triplex, concupiſcentia, ira & voluntas 843
Appetitio duplex, proſequutio, & fuga. 2084.b
Appetitus rationalis 2154.d. 2180.e
Appetitus vnus, duplex, & triplex 2155.b
Appetitus plantalis an nullus ibid.e
Appetitus ſentiens, & rationalis vt diſtinguantur 2156.a
Appetitus concupiſcens, & iraſcens vt diſtinguantur ibid.
Concupiſcentiam, iram, & rationem, Platoni tres adminiſtrationis formas indicaſſe 2159.e
de Appetitu quid Platonici 844
Appetitio & fuga, delectatio & dolor, vt diſtinguantur 2083.b
Appetitus, & ſenſus ſubordinatio ibid.
Appetitus & ſenſus diſtinctio 2083.d
Appetitum & pro genere, & pro ſpecie dici 2180.d
Appetitus omnis obiectum, bonum; malum ex accidenti 2182.e
Vt aliqui mortem appetant 2183.a
Vt aliqui ſcienter peccent ibid.
An Deus odio haberi poſſit ibid.
An appetere poſſimus non eſſe ibid.d
Appetitus obiectum boni agendum & contingens 2185.c
Appetitionũ cõtrarietas & pugna in homine. 2188.b. 2207
Appetitiones pugnantes an in beſtiis 2190.b
in Appetitionibus hiſce, hominis & beſtiarum differentia ibid.
Appetitus an genus ſynonymum 2248.d
Appetitus ſentiens & rationalis vt inter ſe habeant 2267.a
Appetitio an motus 2250.d
Appetitum pugnantium triplex motus 2267.e
Appetitus, & conſultatio, boni & poſſibilis 2270
Aqua cal efacta in fundo vaſis frigidior 1292
de Argento viuo 932. & ſeq.
Argumentationis duæ partes 1705.c.d
Ariſtotelis commendatio in præfatione 4.5.6
Ariſtotelis nomen in præfatione 6.a
Ariſtoteles, & Alexander Macedo. ibid.
Ariſtoteli ab Alexandro libri & animalia vndique conquiſita ibid.
Ariſtoteles vt de diuinis ſcripſerit ibid.
Ariſtoteles quatenus audiendus in præfatione 7
Ariſtotelicæ philoſophiæ præſtantia, in præfatione 4
Plato cur olim magis probatus, quàm Ariſtoteles ibid.
Ariſtoteles cur in ſcribẽdo obſcurus, in præfatione 7.8.9
Ariſtotelis ſcriptorum duo genera exoterica, & acromatica in Præfatione. 9.10
Ariſtotelicæ ſcholæ bipartitæ, in præfatione 10
Ariſtotelis epiſtola ad Alexandrum, in præfatione 11.a
Ariſtotelis operum partitio ibid.
Ariſtotelis bibliotheca ibid.
Ariſtotelem ex notioribus vbique progredi 389
Ariſtoteles quanta cum fide in veteribus confutãdis egerit 402. & ſeq.
Armillarum vſus vnde 302.d
Artificis, & naturalis diſcrimen 384
Artium duplex genus 382
Ex Artificiatis naturalia explicari 687
Artuum compoſitio 297
Arteriæ ſubſtantia & vſus 158
Arteriæ & venæ diſcrimen 159
Arteriæ & venæ vſus diuerſus 160
Arteriæ veteribus venæ dictæ ibid.
Arteriarum origo 160
Arteriæ & venæ vt radices plantarum 171
Arteriæ cur pauciores, quàm venæ 182
Arterię duæ primæ quæ ibid.
Arteria coronalis 182
Arteria ſoporalis ſiniſtra 183
Axillaris ibid.
ſoporalis dextra ibid.
Arteria inferior cur maior 148
Arteria cœlica 184
Deſenteriaca ſuperior ibid.
Renales & Geminales ibid.
Meſenteriaca inferior 185
Lumbaris ibid.
Hiacæ ibid.
cur Arteria ad os ſacrum ſupra venam conſcendat ibid.
Arteriæ aſperæ vſus 258
Arteria aſpera cur dicta ibid.
Arteriæ aſperæ ſubſtantia & compoſitio; muſculi & tunicæ 258
Arterię larinx, & eius muſculi 258.259
Arteriæ epiglottis 259
in Arteriam an deſcendat potus ibid.
Arteriarum dilatatio, & compreſſio 1128. & ſeq.
Aſpectus in ſenio cur debilior 555
de Aſpectu cur primùm agatur 1232
Aſpectus obiectum ibid.
Aſpectus dignitas 1233. 1580. & 1735.d. 2072.a
vt per ſe Aſpectabilis color 1234
vt Aſpectabilia color corpus & ſuperficies ibid.
Aſpectabile triplex 1281
Aſpectus bonitas vnde. 1249
Aſpectus vt ignis & aquæ 1404
Aſpectus vt aquæ, auditus aeris 1547
Aer vt aſpiciatur 1249
Vt ſolus color in lumine aſpiciatur 1280
Cur quædam in tenebris ſolùm aſpiciantur 1281
Reliqua vide viſio.
Aſſenſus intellectus actus non voluntatis 1706.d
Aſſuetudinis ratio habenda 2145.1033
Aſtrologia vt ſubſtantiam conſiderare dicatur. 608
Aſtronomia an medicinæ præſtet 279.380
Atheus Hippon. 449
de Atomis rerum principiis ſententia exponitur 393
Atomi vt ramentis ſimiles 399
Attractio viuentium 1292
Attributorum ſimplicium duo genera, affirmans & negans 2929.a
Attributa affirmantia quinque ibid.
Auditus vtilitas 1313
Auditus medium. 1317
cur de Auditu ante odoratum agatur 1319
Aer vt audiendi dominus 1339
Aer vt vnus vſque ad auditum 1340
Aer auribus inſitus 1341
Aer cur auribus inſitus 1342
Aer auri inſitus vt immobilis 1344. & ſeq.
Aerem in aure non moueri 1348
Auditus organum 1341.
Auditus cur pereat homini 1347.
Auditus & aſpectus comparatio ibid.
Auditus vrinantium 1347

Index Rerum.

Auris & oculi similitudo 1342.
Aurium flexuosus meatus cur factus 1347
Aurium duæ membranæ 1347
Auris sanæ inditium 1348
Aurium duplex modus in animalibus 1422.
Auditus vt disciplinæ sensus 1486.a
de Audacia, Ignauia, & Confidentia 2224.c
Audacia vel timida quæ animalia 2225.c

B.

Albi biliosi 27
Beatitudo hominis 496
Bestiæ an ratione vtantur 865. & seq.
Bestiis fidem non inesse 1707.c. & seq.
Bestiis opinionem non inesse 1706.c
Bestiæ an temporis sensum habeant 2188.e
Bestiæ an vocis humanæ significationē percipiant 2237.a
Bestias substantiam non cognoscere 1212
in Bestiis an appetitiones pugnantes 2190.b
Bilem atram cur Hippocrates aquam appellauerit 100
Bilis flauæ qualitates, sapor, color, sedes 105.106
Bilis flaua, pallida, vitellina,, cærulea, porracea, atra 105. 106
Bilis flauæ sedes 98.106
Bilis flauæ vsus 115
Bilis flauæ purgatio 228.229
Bilis vesicæ consideratio 228. & seq.
Bilem flauam ad ventrem non duci 228.229
Bili carentia animalia 106.115.229
Bombus cicadarum, muscarum, apium, Grillorum 1363
Bonum & honorabile vt differant 318
Bonum & pulchrum vt differant ibid. & 2208.d
Bonum & malum triplex 2080.d 2184.e
Bonum esse prius malo 2199.c
Bonum verum & apparens 2184.d
Bonum agendum & non agendum 1185
Bonum triplex, honestum, vtile, iucundum 2207.e
Bracchij os 299
Bracchium mouentes musculi ibid.

C.

Caducitati naturarum tribus modis prouidisse natura 1080
Calculus vnde. 234
Calidiores sinistræ an dexteræ animalis partes 13.14.
Calidiora terrestria animalia aquatilibus 2373
Calidior mas, an fœmina 62
Calor duplex in viuentibus, elementaris, & vitalis 29
Calor vitalis duplex; insitus, & influens ibid.
Calor insitus membris quid ibid.
Calor insitus an ad membrorum substantiam pertineat ibid.
Calor influens quid sit ibid.
Calor vt à corde diffundatur 14.114
Calor naturalis, vitalis, & animalis, vt differunt 30
Caloremi nfluentem ab irrato non differre natura ibid.
Calor actuatus quid ibid.
Calorem vitalem ab elementari non distingui, opinio quorundam 31
Calorem vitalem non esse igneum 32
Aereo magis, quàm igneo, similem esse. 33. omnino tamen elementarem non esse 33.34
Calorem vitalē carere contrario, quorundam opinio 33.
Calori huic contrarium esse frigus. ibid.
Calorem vitalem non consumere innatum humidum, sed reficere 36.37
Caloris huius actio propria, & ex accidenti 38
Calorem igneum interitus causa m esse ibid.
Caloris vitalis aliæ interitus causæ 38.39
Caloris vitalis triplex mutatio ibib. & seq.
Calor ne maior in puero, an in iuuene 40
Caloris vitalis subiectum
Caloris vitalis principium, & origo 42
vt Calor in toto corpore se habeat 43
Calori duobus modis alimentum deficere 48
Calorem vt sanguis in corpore tueatur 89
Calorem & spiritum mouendo necessarios esse 103
A Calore omnia administrari 498
Calor vt in viuentibus omnibus refrigeretur 902.c
Capillus cur dictus 268. Reliqua, vide Pilus. 1137.1198
Caput velut tectum & cucurbita incumbens corpori 263.264 163
Caput vitæ non necessarium
Caput Galeni sententia propter oculos factum 264
Caput factum propter cerebrum ibid.
Caput cur dictum 265
Caput cur osseum ibid.
Caput cur sphæricum 266
Capitis figura quæ optima 266.528
Capitis motus quotuplex. 266
Caput mouentes musculi ibid.
Capitis partes quæ ibid.
Caput cur suprema corporis pars 267
Caput cur ex carne 528
Carnis multæ, vel paucæ in corpore consideratio. 166.2.c
Carnis natura inter ossa & cutem media 24.25
Carnis quatuor genera in corpore animalis 145
Carnis vsus ibid.
Propter Carnem partes omnes fuisse factas 146
Caro assa humidior, quàm elixa ibid.
Carne molles cur ingenioſi 710.1033.1046
Carnis mollitudo & duritas duplex 1409. & seq.
Carpi ossa, & musculi 1410
Cartilaginis natura ossi affinis 300
Cartilaginem etiam medullam continere 152
in Cartilagines cur ferè ossa desinant ibid.
Cartilagineæ cur nares & auriculæ ibid.
Cartilaginum vsus 153
Cartilago Xiphorides 247
Categoriarum diuisio 336
Categoriæ ab Ar. primum dictæ. ibid.
Categoriæ cur dictæ. ibid.
Categoriæ quorum sint ibid.
Categoriarum omnium an principia eadem ibid.
Causarum intrinsecarū & extrinsecarū discrimen 664. 685
Causa effectus vt inueniatur 804
Causa & principium quid differant 945
Causarum genera quatuor esse. 948
de Causa materiali ibid.
Causas omnes compositi maximè causas esse ibid.
Causas sibi vicissim causas esse ibid.
Materia vt compositi & formæ causa ibid.
de Causa formali 649
de Causa efficiente 650
de Causa conseruante ibid.
de Causa instrumentaria ibid.
de Causa exemplari 951. & seq.
de Causa finali 654
Quomodo finis sit Causa 959
Causalitas finis comparatione agentis, & mediorum ib.
Cerebrum esse calidum 17
Cerebrū Hyppoc. metropolis frigidi & glutinosi 105. 277 138.e
Cerebrum medulla dictum 196.197.278
Cerebrum cur factum, & in ea parte positum 199
Cerebri fœcunditas in promendis nerus 204
Cerebrum fons, spina fluuius ibid.
Cerebrum radix, spina caudex. Cerebri

Index Rerum.

Cerebri partium consideratio. 273.& seqq.
Cerebrum vt appelletur. 275
Cerebri, & medullæ discrimen. ibid.
Cerebri temperatio, tum innata, tum actuata. 277
Cerebrum moueri systole & diastole, vt cor. 278
276.279
Cerebri respiratio. 279
Cerebrum non sentire. 267
Ceruicem mouentes musculi. 934
de Chalybe. 300
Chyromantia. 934
Chymica ars. 184
Choroides plexus. 400.427
Circulus cur figura maximè mobilis. 990
Circularis figuræ præstantia. 475
Circularis motus quid. ibid.
Circulatio cur dicta. 476
Circulatio minus propriè localis motus. 219.1043
Coctio alimenti. 1944
Coctionem viuentium propriam operationem esse; & de coctione artis. ibid.
Coctionem incrassando & densando fieri. 1045.& seq.1046
Coctionis species quæ. 1047
Coctiones nutritionis tres præcipuæ, earumque excrementa. 1586.c
Cœci surdis prudentiores, & cur. 472.& seq.
Cœlum vltimum non esse in loco. 813
Cœlum vltimum vt alicubi. 475.& seq.524
Cœli motus an sit à natura. 524
Cœlum an à natura, an ab anima moueatur. 479
Cum cœlo qualis vnio intelligentiæ. 501
Cœlorum motus cur in orbem, curque harmonicus. 501
Cœlestis hæc harmonia cur à nobis non sentiatur. ibid.
Cur Pythagoras audiuisse illam dictus sit. ibid.
Cœlum Platoni, & Aristoteli animatum fuisse. 503.622.
Variæ de hoc sententiæ. 503
Cœlum vegetantem animam non habere. ibid. nec sentientem, nec imaginationem, nec appetitum. 504. nec intelligentem. 505
in Cœlo qualem sensum posuerint Platonici. 504.816
Cœlorum formas non esse intelligentias motrices. 505. 716
Cœlestis motus an cum labore. 522
Cœlum cur sphæricum. 526
Cœlum cur in orbem moueatur. 526.
Cur ex hac potius, quàm ex altera parte manus tangens cœlum. 999
Manus tangens cœlum. 1228
vt in Cœlo motus, & quies. 706
Cœlum vt perfectissimum corpus. 502.716
Cœlum quomodo animatum dicatur. 717
Cœlorum animæ an conueniat animæ definitio. 716.
in Cœlo vt situs differentiæ. 964
de Cogitatrice Auerroistarum opinio. 1750.e.2102.d
Cogitatricis huius confutatio. 1660.e.1751.b
Cognitio sui. in præfatione. 36.c
Cognitio suidifficilis. 2
Cognitio superiorum quanti facienda. 316
Cognitionem, ac scientiam omnem præclaram rem esse. 316.588
Cognitionem quoque mali bonam esse. 317.588
Cognitionem omnem honore dignam esse. 313
Cognitio essentiæ quàm difficilis. 31
Cognitionem ex principiis, & causis ducendam esse. 335
Cognitio vt similitudine constet. 411.455.578.1660.c
Cognitionem dissimilitudine potius niti. 586.1660.c
Cognitionis vis, & natura. 672. 898.1515.& seq.1931.a.e. 1996.
Cognitionis, & appetitus operationis modus oppositus. 672.900
Cognitionis vnio cum cognoscente & recognita. 899 1932.a.b.
Cognitio quomodo fit passio. 1184. Reliqua vide Facultas cognoscens.
Cognitioni familiarem magis esse deceptionem. 1662.a
Cognitioni plurimũ obesse materiam & corporis pondus. 1662.d.1790.1925.b.1936.c.2126.2132.e
Cognitionis nostræ ordo. 1673.a
Cognitio per negationem & affirmationem. 1737.c
Cognitionem, & recognitionem eiusdem esse facultatis. 1724.e
Cognoscere, & retinere eiũsdem esse. 1725.b
Cognitionis gradus multiplex essendi modus eiusdem rei. 1751.e
de Cognitione rerum Platonis sententia. 1893.e
Cognitionem materialium, & immaterialium eiusdem esse facultatis. 1897.a.1900.d. & seq.
Cognoscentes virtutes quatuor Plotino. 752. 1964.c. 1996.d.
nõ Cognoscere immaterialia materialẽ virtutẽ. 2124.a.b
de Cognitione theoretica, vel practica. Vide Theoreticum.
Coitus diuersorum animalium. 237
Collum cur animalibus appositum. 261
Colli partes. ibid.
Collor quid. 1136
Coloris altera definitio. ibid.
in Coloris natura Auempace lapsus. 1237
Color vt egeat lumine. 1238
Colorem qualitatem esse à lumine diuersam. ibid.
Colorem in tenebris quoque inesse in corporibus. 1239
Color albus vt lumen, niger vt tenebræ. 1240
Colores imperfecti, & apparentes. ibid.
de Colorum generatione. 1241
Colorum duplex genus. 1242
Colores, vt ex elementorum permixtione oriantur. ibid.
Coloris definitio. ibid.
Colore cœlum elementa carere. 1243
Color niuis, & spumæ qualis. 1244
Colores oculi. 1245
Colores extremi albus, & niger. 1245
Colorum species quot, & quæ. ibid.
Colores medij vt ex extremis componantur. 1246
Colorum productio duplex. 1247
Colorem sine lumine non videri. 1235
Colores vt lædant vel recreent aspectum. 1523
Columella, & Vua, quid. 291
de Commiseratione. 2240.c
Communitas triplex, nominis, rationis & naturæ. 344
Compositorum diuersitas ex materiáne, an ex forma petenda sit. 342
Compositio quid. 536
Consistentiæ status in viuentibus. 2274.c
Contactus in omni actione necessarius. 1237. 1239. 1240.
Contactus duplex, virtutis, & suppositorum. 1237
Contactum qui negauerint, & quibus argumentis. 1238
de Contactu vera opinio statuitur. 1238.& seq.
Contactus quotuplex. 1239.1479
Contemptus species tres, despectus, violentia, cõtumelia. 2245.b
Contumelia quid, & contumelioſi qui. ibid.
Continuum multis modis dici. 1059
Continens & incontinens. 2267.b
Contradicentia vt in eodem. 797
Contrarium vnum velut alterius priuatio. 596

Vt vnum contrarium ex altero cognoscatur. 597
De cordis principatu, esseque cor vnicum virtutum omnium principium. 164. 188. & seq. 192. 195. 196. 198. 240. 265. 723. 726. 728. 1120. 1727. a. b.
Cordis vicaria membra, quæ. 165. 192. 195
Cor vt semen vitæ, ac cæterorum membrorum. 171
Cordis caro qualis. 146
Num ad cor ascendat sanguis totus à iecore. 173
Cor vt omnia administret. 174
An cor vllum sine dextro sinu. ibid.
In corde non neruos, sed membranarum fines esse. 197
Cor vt neruum à Cerebro suscipiat. 198
Cordis fœcunditas in producendis vasis. 199
Cor tutissimo loco positum. 252
Cordis figura, & situs. ibid.
propter Cor thorax totus. ibid.
Cordis palpitatio. 253. 1124
Cor humori innatans. 253
Cor Hyppocrati musculus. 254
Cordis substantiæ consideratio. ibid.
Cordis motus, & fibræ. ibid.
Cordis densitas. ibid.
Cordis magnitudo. ibid.
Cordis sinus, & septum medium. 255
ex Corde erumpentia vasa. 256
Cordis auriculæ. ibid.
Cordis valuulæ. 256. c. 257. a
Cor pyramidale. 529
Cor vt in affectibus animæ moueatur. 547
Cordis sinus, aërem inspiratum non ingredi. 1126
ex Corde fuliginosas exhalationes non purgari. ibid.
In systole non recedere spiritum ad cor. 1127
Cordis dilatatio, & depressio vt fiant. 1127. & seq.
Cor, & arteriæ quo ordine pulsent. 1128. & seq.
Cornicis viduitas. 84
Cornua nec animata esse, nec corporis partem. 138
Cornua quibus animalibus insint. 296
Cornu quotuplex. ibid.
Cornu, & vngulæ similitudo. ibid.
Cornu cur in capite. ibid.
Cornua ceruorum. 297
Cornua cuti infixa esse. ibid.
Cornua quibus mobilia. ibid.
Corporis dissectio. Vide Anatome.
Corporis totius color vt complexionis inditium. 26
Corporis compositio duplex ex homogeneis, & etero-geneis partibus. 129
ex Corporis nostri fabrica Deum cognosci. 134
in hoc Corpore fabricando Dei sapientia. 198
Corporis totius partitio. 208
Corporis totius in animam vegetantem & sentientem æqua partitio. 263
Corpori vt motus sursum sit naturalis. 395
Corpus duobus modis dici. 653
Corporis animalium, & plantarum diuersitas. 673
Corporis humani perfectio. 674
Corpus in definitione animę quid significet. 680. & seq.
Corpus organicum quid. 682
Corporum simplicium dispositio quoad lucem, opacitatem, & perspicuitatem. 1254. 1261
Corpora animalium cur terrea. 1468. & seq.
Corpus animalis mixtum esse debere. 2284. c. 2293. e. non posse esse igneum, nec aëreum, aut aqueum. 1240. neque terreum. 1242
Costæ perfectę, & spuriæ.
de Cranio, ossibus, & suturis eius. 246. 247
Cubiti, & radij ossa. 270. & seq.
Cubitum mouentes musculi. 298
Cupiditas. Vide desiderium. 299
Cutis humana.
Cutis pedum infima cur nunquam consumatur. 22
Cutis, & cuticula vt differant. 138
Cutis vsus. 140
Cutis hominis temperatissima, & tenuissima. ibid.
ex Cuti humana fenestræ aliquando paratæ. ibid.
Cutis capitis, & imi pedis durior. 141
Cutis cur δέρμα dicta. ibid.
Cutem à cæteris partibus diuersam esse. ibid.
Cutis faciei, manuum, & pedum cur ægrè separetur. ibid.
Cutis inter carnem, & neruum media.
Cutis frontis cur mobilis. 142
Cutis quid. 143. 179
Cutis manus temperatissima. 1491. 1492 1503

D

Dæmones apud Platonicos. 851
Dęmonum varia genera. ibid. & seq.
de Dæmone Socratis. 854
Dæmones mali an sint. 855
Dęmones vt futura predicant. 858
Dæmonum varia effecta. 856
Decretio vt ab anima. 962
Definitio cur ὅρος & terminus dicatur. 332. 490
Definiendi multiplex modus. 332
Definitionem demonstratione non inuestigari, & quatenus demonstretur. 333
Definitionis inuestigandæ modus duplex. 333. 621. 2074. a
Definitio quorum sit. 344
Definitionem & essentiam duobus modis considerari, vel in se, vel vt proprietatum causam. 355
Definitio demonstrationis medium. ibid.
Definitio medium, quæ causa. 356. 357
Definitio substantiæ, & accidentium qualis. ibid.
Definitio substantiæ, demonstratio accidentis. 358
Definitio subiecti medium demonstrationis potissimæ. ibid.
Definitio accidentium vt ea demonstratione colligatur. 359
Definitio vt dispositione sola differat à demonstratione. 359. 803. 2074. b. c.
Definitionis tria genera. 359
Definitionem non demonstrari. ibid.
Definitionis perfectæ inditium. 360
Definitio dialectica qualis. 377
Definitio naturalis, qualis. ibid.
vt Definiat per formam dialecticus. ibid.
Definitio mathematica qualis. 378
Definitio triplex vnius rei. 379
Definitio vt numerus, non vt magnitudo. 507
Definitio omnis finita. 490
Definitio duplex, essentialis, & accidentalis. 618
Definitio formalis, & causalis. 803
Definiendi quatuor modi. 894
Definitionem demonstratione præstantiorē esse. 2104. c
cur de Definitione in 2. posteriorum lib. egerit Arist. 2025.
Definitio, & eius partes. 2073. b

Definitio, ratio cognoscendæ quidditatis. ibid.e
Definitio & demonstratio vt instrumenta sciendi. 2074.
Delectari, & tristari quid. 2081.b
Delectari, & tristari sensus omnes. ibid.e
De delectatione & dolore. 2082
Delectatio & dolor, appetitio & fuga, vt distinguantur. ibid.e
Dementiæ species & causæ. 2219.b
Demonstrandi vnicus modus. 332
Demonstrationes mathematicæ quales. 353
Demonstrationes naturales, quales. ibid.
Demonstrationum varij modi. 358
Demonstratio omnis finita. 489
Demonstrando an vti liceat circulo. 492. Circulus duplex. ibidem. Circulo vti non licere. 493
Demonstrationis regressus quid. 492. eo sæpè vsum fuisse Aristotelem. 493.805
Demonstrationis duplex genus. 804
Demonstrationis tertium genus necessarium non esse. ibid.
Dentes an animati, & corporis pars. 137
Dentium dolor vbi, & vnde. 138
Dentium alueoli. 294
Dentes ab ossibus natura differre. ibid.
Dentium generatio triplex. ibidem
Dentes ossibus natura similes. ibid.
Dentium partitio, vsus, situs, radix, ortus, casus, numerus. 295
Dentes sapientiæ qui. 295
Dentes fracti cur non renouentur. 296
Dentes senibus cur decidant. ibid.
Desiderium quid. 2221.b
Desiderij causæ. ibid.
Desiderent qui magis. ibid.
Desiderium tum futurorum esse, tum præteritorum. ibidem.
Desideriorum varietas. ibid.e
Desiderium & cupiditas vt differant. 2222.b
Cupiditatum duo genera. ibid.c.d
Cupiditates an infinitæ. ibid.
Deum vt Aristoteles interdum nominet. 343.580
Deum Aristoteli fuisse primum primi orbis motorem. 480
Deum quid Empedocles dixerit. 588
Dei præsentia vbique. 599.736.769
Deum rerum omnium formam, & animam non esse. 599
De Deo Zenonis, & Stoicorum sententia. 600
In Deos homines relati. ibid.
Deum negatione cognosci. 631.2132
A Deo remouenda quatuor. ibidem.
Deum esse naturæ totius Authorem. 698. & seq.
Septem à Deo in homines munera secundùm Platonicos. 853
Deo vt participent omnia. 941
In Deo veram generationem esse. 992.1082. & seq.
Deum non posse intellectum dici, Philoponi sententia. 1926
Deus Platoni, & sacris literis intellectus. 1927.b
Deus Platonicis quatuor circulorum centrum. 2204.d
Deus cur αἴτιον dictus. 1928.d
Deus vt omnia extra se cognoscat. 2065.b. & seqq.
Dei cognitio difficilis. 2131.e
In Deo Trinitatem Personarum natura duce non cognosci. ibid.d
Deo videndo lumen gloriæ necessarium esse. 2133.d
Diuinam essentiam ex rebus effectis non cognosci. 2134. a
Deus vt ex anima nostra cognoscatur. ibid.
Dei visionem claram finem nostrum esse naturali ratione non cognosci. ibid.
Deum omnia quærunt. 2186.a
Deus an odio haberi possit. 2183.b
Dialectica quid Platoni, quid Aristoteli. 360. & seqq.
Dialecticus, Sophista, & Poëta. 1400
Dialectici, & Mathematici discrimen. 384
Dianæa quid Aristoteli. 594.819. 843. 851.864.1408. 1671.1749.1792.1793.1964.c.ibid.e. 2016.e. 2084.e. 2099.b.2150.c.2165.2178.d.2186.e
Dianæa quid Aristoteli, quid Hypolepsis. 1658.d. 1673.e
Dianæa velut linea flexa, vel recuruata, intellectus vt circularis. 1965.a
Diaphragma quid. 249
Diaphragmatis vsus. 250
Dicere duplex Aristoteli. 2069.c
Dictio quid Aristoteli. 883.2069.b.2080.b
De digitis manus. 301.302.
Digitus pollex, cur pollex, & ἀπὸ χεὶρ dictus. ibid.
Digiti cur plures, inæquales, & in articulos distincti. ibidem.
Digitorum phalanx. ibid.
Digitorum ossa, articuli, & musculi. ibid.
Digitorum pedis ossa, & musculi. 308.309
Discere an sit reminisci. 1755.a.1920.b
Distinctio rei, & rationis. 1635.d.1902.b
Cur distinguantur res & esse rei. 1904.c
Docendi cupiditas in homine. 1395
Doctoribus quantum debeamus. 1396
Doctrina perfecta quæ. 1512
Dolor & delectatio vt in omnibus sensibus nominentur. 1505
Dolorem & delitiam perfectas operationes esse. 1505
Dolorem & delitiam sensiones esse. 1506. 2082.b
Doloris quæ causa. 1506
Dolorem ab omnibus primis qualitatibus fieri. 1508
Dolorem qualis motus faciat. ibid.
Dormiendi modus sanus. 1047
Dubitatio inuestigationis, & scientiæ principium. 388
Duratio existentiæ magnitudo. 942
Duratio triplex. ibid.
Durationis natura. ibid.
Duratio vt distinguatur à re, quæ durat. 943

E

ECho quid. 1333
Echo vt fiat. 1332.1334
In Echo non eundem aërem protrudi & resilire. 1333
In Echo sonum interdum sine aëre resilire. ibid.
Echo aliquot celebriores. 1335
Echo cur vltimas solùm reddat syllabas. ibid.
Echo vt articulatam reddat vocem. ibid.
Echo à prima voce numero solùm differre. 1336
Echo semper fieri. ibid.
Educatio adolescentium qualis. 2193.b
Efficiens perfectum quod. 953
Efficientis duplex genus, naturale, & cognoscens. ibid.
ἐνέργεια quid Aristoteli. 317
Elementorum mixtio duplex, qualitatum, & substan-

tiarum. 3.4
Elementorum & mixtorum nùm eædem numero qualitates. ibid.
Elementorum qualitates in mixtione frangi. 5
Elementorum qualitates etiam motrices, & alias omnes, in mixtis fractas manere. 6
Elementorum formas non esse qualitates. 584
Elementa mixtorum materiam esse. 591
Elementa esse animata, quorumdam opinio. 599. 602. 603. 604
Elementorum formas fractas esse actu in mixtis. 485, 742. & seq. 983. 1171. 1244
Elementa eadem numero ex mixtis separari. 752, & seqq.
Cur elementa potestate interdum inesse dicantur in mixtis. 758
Quomodo mixtio sit miscibilium alteratorum vnio. 759
Vt elementorum virtutes remanere in mixtis dicantur. ibid.
Elementa omnia, vt mutentur in dominans. 760
Elementorum excellentiæ quid sint. ibid.
Cur ex elementorum potiùs virtutibus fieri mixta dicantur. 761
Elementa nùm vi insint in mixtis. 764
Elementa nùm in mixtis insint, sensuum iudicium. ibid.
Elementum materiam maximè significare. 946
Elementorum in mundo dispositio. 966
Elementorum & simplicium corporum dispositio, quoad lucem, opacitatem, & perspicuitatem. 1243. 1254
Elementa leuia & grauia, cur sursum, & deorsum moueantur. 965
Grauis, & leuis definitio. 966
Elementorum grauitas & leuitas vnde oriantur. 967
Elementorum qualitates motrices illorum proprietates esse. 969
Elementorum hæ qualitates an priores alteratricibus sint. ibid.
Elementorum mediorum motrices qualitates simplices esse. ibid.
Elementa media an sursum, & deorsum moueantur. ibidem.
Elementorum motrices qualitates omnes specie differre. 970
Elementa moueri à propria forma. 973. & seq. non moueri à cœlo. 970. neque à loco. ibidem. neque à generante. 975. neque ad motum medij. 980
Elementorum & animalium motus diuersitas. 978
Elementorum figura. 990
Elementorum differentiæ & principia vt qualitates primæ dicantur. 1495
Elementa in proprio loco grauitare & leuitare. 1496
In Elementis ambæ qualitates summæ. 1297.a
Embrio quid. 793
De ente vno Parmenidis sententia, in præfatione. 3. b
Ens omonymum. 583. 584
Entium duo genera, per se, & ex accidente. 628
Entium quatuor genera. 894
Entium triplex ordo. 2280.a
Ex ente & non ente creata omnia constare. 2069.c
Non ens vt in materialibus & immaterialibus reperiatur.
Enuntiationis vocalis partes. 2070.a
Enuntiatio secundi & tertij adiacentis. 2031.a.b.c
Enuntiationis partem non esse verbum. ibid.c
Vt in enuntiatione omni compositio sit & diuisio. 2032.a
Entelechia quid. 339. 639. & seq. 1195
Entelechia vox ab Aristotele inuenta. 369
Entelechiæ vocis deriuatio varia. 642. & seq.
Entelechia quotuplex. 644
Entelechia & Energia quid. 644
Entelechia an assistens forma. 647. 1195
Entelechiæ vox cur excogitata. 645
Entelechia duplex, inseparabilis, & separabilis. 660
512
Ephialtes seu incubus vnde.
Epiglottis 2229.d
Essentia, & natura quid differant. 259
Essentiæ cognitio quàm difficilis. 329
Essentiam & definitionem duobus modis considerari, tùm in se, tùm vt proprietatum causam. 331
355.
Eunuchi quales sint. 239
Excrementa vt corporis temperationem indicent. 28.
Excrementorum quatuor genera. 99
Excrementorum secretio. 102
Excrementorum alui deiectio. 211. 212
Excrementa coctionis. 228
Excrementa vtilia quæ. 244
Exercitationis corporis moderatæ vtilitas, & immoderatæ damnum. 78
Exemplorum vsus in scientiis. 1641.b. 1917.b
Exempla ex mathematicis à Platone, & Aristotele accepta. 1641.d
Exequutio ratiocinationi oppositа. 2177.e

F

FAcici partium consideratio. 503. 279. 280
Facultas, & pars vt differant. 2149.e
Facultates animæ partes vt dicantur. 349
Facultatum distinctio & ab anima & inter se. 342. 350. 366. 875. 876. & seq. 2084.a. 2150.d.
Num de facultatibus priùs agendum, an de actionibus; & an de obiectis priùs, quàm de actionibus. 351.
Facultatum quinque genera. 675. 813. 843. 901
Facultates animæ quo ordine se habeant. 861
Facultatum principium vt anima. 884. & seq.
Facultatum duo genera, ab anima, & in animam. 885
Facultates plantarum & mutorum esse in toto coniuncto. ibid. & seq.
Facultates hominis omnes in sola anima sustentari. 887. & seq.
Facultates intelligentes quid à cæteris differant. 889
Facultates hominis, & aliorum viuentium vt differant. ibid.
Facultates an per totum corpus diffusæ sint. 727. 890. 1519. 1619. d
Facultates omnes cur non sint in omnibus corporis partibus. 169. 727. 890
Facultatibus quomodo priores sint actus. 891
Facultates operationibus, & obiectis distingui. 895, & seq.

Facultatum duplex genus, agendi, & patiendi. 897
Facultatis agendi relatio multiplex. ibid.
Facultates naturales vt distinguantur. ibid.
Facultates vitales vt distinguantur. 898
Facultates obiectis formalibus distingui. 900
vt Facultatis cuiusque obiectum formale, & operatio adæquata cognoscantur. 901
de Facultatum multitudine. ibid.
de Facultatum instrumentis. 902
de Facultate gignendi Philoponi sententia. 910
Facultas altrix & genitrix vt eadem dicatur ab Aristotele. 991
Facultates vegetantes cur tres. 992
Facultates hæ quomodo entibus distributæ. ibidem & 995.
cur inter Facultates non numeretur minuens. 995
cur Facultates vegetantes naturales dicantur. ibid.
de Facultatum vegetantium ordine, tum generationis, tum perfectionis. 996
an Facultas nutriens augenti præstet. ibid.
Facultates hæ omnes quid commune habeant. 997.
quid differant, ibid. an differant re. 998
Facultas vitalis cur dicatur. 1017
an Facultas vitalis à cæteris distincta sit 1118. & seq.
de Facultatis vitalis natura, & necessitate. 1119. & seq.
Facultatem vitalem cœlesti virtuti similem esse. 1120
Facultatem cognoscendi facultatem patiendi esse, reliquas agendi. 1181
Facultatis cognoscentis & materiæ comparatio. ibid. & 1183.
Facultas & obiectum vt ad cognitionem producendam concurrant 1182
Facultatum naturalium partitio. 1182
Facultatis cognoscentis præstantia. ibid.
Facultas cognoscens vt cum cæteris conueniat & differat. 1183
Facultas, & organum vt differant. 1520
Facultatum cognoscentium partitio. 1682. c
Facultates cognoscentes quatuor Plotino. 1664. c. 1996. d
Facultatum in homine tria genera. 2171. c
Facultas Theoretica intellectus, cæteræ practicæ. 2172
Facultatum animæ quatuor genera. 2186. d
Facultatem motricem in anima intelligente nullam esse. 2007. c
de Facultatibus intelligentis animæ. ibid. & seq.
Falsitas, & mendacium quid differant. 2027. c
Famem siccare corpora. 122
Famem humidioribus corporibus conuenire. ibid.
Fame escentibus laborandum non esse. ibid.
Famelicorum fæces curacidæ. ibid.
Famis sensus in ventriculo. 218
de Fame & siti quid Plato. 846
Fames & sitis sensiones tristes. 847
Famis & sitis, quæ causa. ibid. & seq.
Fames vt appetitus calidi & sicci. 849. 1027
φάγος quid. 1371
Fauces. 291
Febres quæ ex quibus humoribus. 111. 112
Febris calor vt sentiatur. 1170
Felle carentia animalia. 106. 115. 229
Femoris ad ischium, & tibiam articulatio. 304. 305
hominis, & bestiarum in hac articulatione differentia. ibidem.
Femur vt moueatur. ibid.
Fidei duplex acceptio. 1706. c
Fides duplex, humana, & diuina. ibid.
Fidem vt opinio sequatur. ibid. e
Fidem bestiis non inesse. 1706. e
Figura membrorum quid indicet. 26
Figura circularis cur maximè mobilis. 400
de Figura vt est terminus quantitatis. 989. 990. 1568. a
de Filiorum & parentum similitudine. 1097
Filios formosiores procreandi ars. 1098
Imaginationis vis tempore coitus quantum possit. ibid.
Filum in acum imponere cur difficile. 1313
Finis duplex, cuius gratia, & cui. 939. 955
Finis duplex, præexistens actioni, & per actionem productus.
propter Finem agere omnia. 955 858
de Fine vt est causa. Vide. Causa. Fœces coloratæ, & earum color. 115
Fœminæ cur maribus pinguiores. 25
Fœmina vt monstrum, & oblæsum animal. 62. d. 64. e
de Fœminę menstrua purgatione. 439. 63.
Fœminarum partus. 304.
Fœmina an agendo concurrat ad generationem. 1094 & seq.
Fœmina an emittat semen. 1096. 1097
Fœtus in vtero vt vrinam secernat. 213. 235. e
Fœtus in vtero an viuat. 648
Fœtus in vtero vt cibum capiat. ibid.
Fœtum in vtero habere sentientem & intelligentem animam. 649
Fœtus humanus quàm numerosus. 841
de Fœtus formatrice virtute. 1090
Formatrix hæc virtus quid sit. ibid. & seq.
de Fœtus in vtero formatione 1099. & seq.
Partes omnes, tum ex semine, tum ex menstruo sanguine formari. 1102
Fœtum continentes panniculi. 1103. & seq
Fœtum crassiores nullas fœces habere. 1104
Fœtus cur vmbilico nutriatur. ibid.
quod membrum primum formetur, ibid.
Fœtus quo ordine formetur 1106. & seq.
Vteri circa semen actiones. ibid.
Fœtus conceptio quando opportuna. ibid.
Fœtus velut fructus in arbore. ibid.
Fœtus quo tempore in vtero moueatur. 1107
Fœtus partus quod tempus. ibid.
Fœtus masculinus cur citiùs in vtero perficiatur. 1110.
contrà fœmineus extra vterum. 1111
Fœtum masculinum non semper gigni ex dextri testis semine, & in dextro vteri sinu 1108
Menstrui sanguinis tres partes in vtero fieri 1111. Et vnde variolæ, & puerorum morbi. ibid.
Fœtus in vtero alimentum. ibid.
Vteri excrementa, & eorum purgatio. 1112
Formationis fœtus & purgationis excrementorum cur æquale tempus. ibid.
Animalium & plantarum procreatio quàm similis. 1113.
de Fœminæ ac maris ad hoc opus appetitu. 1093
Cur perpetuus homini hic appetitus. ibid.
formam vt alii atque alii considerent. 384
Formæ partiales in viuentium corporibus. 530, 667, 681, 777. & seq. 781. & seq.
Formam esse substantiam. 627. & seq.
Formam duplex dispositionum genus in materia posita.

lare; vt sit, & vt operetur. 666
Formarum multiplex gradus. 668. & seq. 675
Quomodo plures formæ simul. 683. 761. & seq.
Quomodo omnis forma corruptibilis. 718
Quomodo forma ex operatione cognoscatur. 727. 798
Formam formantem non illicò cum materia extendi. 733. 735.
De formarum multitudine in eodem composito, variæ sententiæ. 738. & seq.
Formarum duplex ordo; in genere materiæ, & genere formæ. 778
Formam cadaueris non dari. 782
Forma omnis vt faciat hoc aliquid, & det speciem. 786
Formas pro attributorum essentialium numero non multiplicari. 800
Formam respicere duplicem facultatem, patiendi, & agendi, vt duobus modis est actus. 770
Forma quomodo compositi quidditas. 949. 957
Quomodo quod dat formam, det ea, quæ comitantur formam. 976
Forma & similitudo triplex. 1517
Forma omnis per se impartibilis. 2052. c. 2054. c
Formica an videat. 1538. d
Fossilia quæ dicantur. 912
Fossilium materia, & ortus. ibid. & seq.
Friabile, & penè friabile quid. 1320
Frons cutis cur mobilis. 143. 279
Fructus plantarum, & semen quid differant. 665

G

De Gallinæ ouis. 1099
Generabile, & corruptibile vt reciprocentur. 1830. a. 1861. e
Generationis subiectum quale, 762
Generatio vnius vt alterius corruptio. ibid.
Generatio vt sit mutatio totius in totum, nullo sensili remanente. 763
Generare vt naturalissimum opus. 905
Generare vt dicantur animalia. ibid.
Ad generandum quæ apta. 906
A quo generentur ea, quæ ex putredine nascuntur. ibid.
Quæ animalia ex putredine generentur. ibid.
An genita ex semine & ex putredine sint eiusdem speciei. 907. & seq.
Generationis triplex modus. 909
de Genitis ex ouo. 1112
de Generandi facultate Philoponi sententia. 910
Generatio sinonyma, & omonyma. 911. 914.
Generatio elementorum & mixtorum qualis. 911
Generatio viuentium. Vide Fœtus.
à Generatione cur homini liceat abstinere. 997
Generationis vis & natura. 1081
Generatio perfecta & imperfecta quæ. ibid.
Generationis notio propria quæ. 1082. & seq.
In generatione duo terminorum genera. 1083
In generatione triplex transitus, triplexque influxus. 1084.
Generationis definitio ab Aristotele tradita qualis. ibid.
Genitricis facultatis definitio. 1078
Genitrix vis quomodo reliquarum finis. 1080
Genitricis facultatis duo opera, seminis præparatio, fœtúsque formatio. 1089
Genitalia membra cur secus in fœminis habeant, quàm in maribus.
Geometriam Astronomiæ præstare. 23
Ginglysmus quid. 319
Ginglysmus vt in ossibus & cardinibus. 2254. c
Glandium duo genera in corpore. 225. & seq.
Glans pituitaria. 241
Graue & durum an semper cohereant. 271
Grauia & leuia cur velocius moueantur, cùm accedant ad locum. 968
Grauia & leuia, grauitas & leuitas. Vide elementa. 971. & seq.
Gressilia animalia non gressilibus præstare. 2279. c. 2290. a
Gurgulio & Gargareon quid. 290
Gustatum animalibus cunctis ineße. 818. 1554. c. 2287. d.
Gustatus nobilior tactu. 1435.
Gustatus vt omnibus animalibus necessarius. 2300. c.
Gustatus à cæteris sensibus distinctio. 1434
Gustabile vt sit quoddam tactile, & gustatus quidam tactus. ibid. 2286. c. 2287
Gustatum fieri sine externo medio, sed per internum. 1435. 1438. 1439
Gustatus & tactus similitudo & distinctio. 1433
Gustatus & tactus alimenti sensus. 1436. 2287
Gustatus & aliorum sensuum comparatio. 1439. 1441
Gustabilium tria genera & vt omnia gustentur in humido. 1441
Vt gustabilis & ingustabilis principia potabile & impotabile. 1444
Gustabilium prima capita poculentum & esculentum. 1445
Potabile & impotabile duplex. ibid.
Potabile quoddam tactile. ibid.
Gustatus organum quale. 1446
Gustet lingua qualis. 1443
Gustans mel biliosa lingua. ibid.
ad Gustandum quomodo optimè affecta lingua. 1449
Gustet magis quæ pars linguæ. ibid.
Gustatus & tactus quomodo terræ. 1450
Gustatus & tactus organum quomodo iuxta cor. 1488

H

Harmoniam an percipiant bestiæ. 502
Harmonia quid, & in quibus. 535
Herbarum virtutes. 444
Hippocrates cur velato aut pileato incederet capite. 724.
Hoc aliquid quid significet. 623. 624
Homo quid. 2
Homo calidissimum omnium animal. 21. & seq.
Homo cur erectæ staturæ. ibid.
Homo cur plurimi seminis. ibid.
Homo cur sæpius humidum alimentum sumat, quàm siccum. ibid.
Homo plurimi sanguinis. 21
Homo cur maximum habeat cerebrum. ibid.
Hominis temparatio an maximè accedat ad pondus. ibid.
Hominis temperationem perfectissimam omnium esse, & cur. 20. & seq.
Hominis temperationem in animalium genere mediam non esse. 23
Homo cur sedeat, bestiæ non item. 305. 308
Homo cur stet, bestiæ non item. ibid.

Homo cur vbique viuere possit. 442
Hominis corporeitas vnde. 785
Hominem esse formaliter vegetantem & sentientem. 799
Homo cur prudentissimum animal. 1408
Homo vt intellectu, vel phantasia operetur. 1749.a.& seq.
Homo vt hominem generet. 1837.e
Hominis naturam diuinam esse. 1809.d.1853.e.
Homo inter separatas mentes, & bestias medius. 1858.a
Hominis essentia quæ Themistio. 1961.a
Hominis finem in hac vita non esse. 2131.b
Honor quid. 317
Honorabile & bonum vt differant. 318
Humani corporis præstantia & perfectio. 207.674.839
Humidum innatum à quo consumatur. 37
Humor quomodo calori contrarius. ibid.
Humorem esse vitæ principium & fundamentum. 54
Humorem in viuentibus inesse, quo sustentetur calor. ibid.
Humorem operationes omnes iuuare. 55.97
Humor duplex, innatus & aduentitius. 55
Humor innatus triplex, aqueus, aëreus, impurus. ibid.
Humor aduentitius duplex. 56
Humoris innati subiectum quod. ibid.& seq.
Humorem in prima ætate per omnes partes sparsum esse, tùm in carnosis partibus contineri. 57
Humoris & caloris differentia. ibid.
Humor, tùm innatus, tùm alimentarius, consumatur & restauretur. 58
Humorem non æque in omnibus partibus consumi. ibid.
Humor consumptus vt resarciatur. 59.& seq.
Humorum consumptum resarciri non posse, quorundam opinio. ibid.
Humidum non semper æque bonum reponi, immò deterius semper quoad vitæ durationem. 60
Humorem innatum ad vltimum vsque vitæ conseruari. 61.1076.a
In humore quantitatem & qualitatem considerandas esse. 77.& seq.
Ex quatuor humoribus corpus animalis constare. 95
De humoribus, tum naturalem, tùm medicum agere. ibid.
Humor quid & quotuplex. 96
Inesse humores in animalium corporibus. 97
Humores esse quatuor. 98
Humores quatuor elementis, anni temporibus, ætatibus,& regionibus, respondere. ibid.108.
Humorum singulorum vasa. 98
Humorum quatuor necessitas. 99
De humorum origine variæ sententiæ. 100
Humores omnes quatuor in iecore gigni. 111
Humores reliquos velut sanguinis excrementa esse. 102.110.112.116.117.228.
Humorum separationis aptum exemplum. 102
Humores omnes simul separari. ibid.
Humores omnes ex alimento omni separari. 103.
Humores omnes quatuor nùm substantia differant. 109.& seq.
Humores singuli qualem faciant hominem. 108
Humores quatuor quomodo separentur. 101.& seq. 110.
Humores cæteri an cum sanguine contineantur in venis. 113.& seq.
Humorum duplex vsus. 114.115
Humores animatos non esse, neque corporis partes. 122 & seq.125
De quatuor secundis humoribus. 125.&seq.
An humores hi secundi à primis natura differant. 127.& seq.
Humores vt principia corporis animati. 129

I.

Ictericus vt videat. 1170.1236
de Ideis opinio Platonis vt vera sit; Et cur ab Aristotele confutata. 403.&seq.
Ideas vbinam posuerit Plato, eumque de diuinis Ideis fuisse loquutum. 403.404.
de Ideis quid Mercurius. ibid.
Idea quid. 952
Ideæ relatio duplex. ibid.
Idea in triplici agentium genere. ibid.
Ideæ & naturalis formæ similitudo. 953
Ideam ad efficientem causam spectare. 954
Idololatriæ origo,& progressio. 600
in Iecore cur totum alimentum in vnam cauitatem non colligatur, sed in eo per venas distribuatur. 101.
cur Iecoris venæ tenuiores,& angustiores. 102
in Iecoris substantia ipsa vim inesse gignendi sanguine. ibid.
Iecoris consideratio. 226.& seq.
Ignis nobilitas. 1304
Ignis cur potissimùm nutriri dicatur. 1001
Ignis duplex, vrens & elementaris. 1550.c.
Ignitus baculus circumductus. 1164.1205
Ignoratio & deceptio quid differant. 1663.a
Illuminatio an cum tempore fiat. 1261
Illuminatio phantasmatum. 1980.b
Immortale & separabile idem. 370
Impartibilia vt in continuo. 573
Impartibile duplex. 2062.d
Impermixtum quid, impatibile, separabile. 1786.b
Impietatis tres gradus Platoni. 449
In anima non nutriri, nec augeri. 646.962
Incessus animalium. 673
Incontinens quis. 2167.e
Incontinentis & continentis operationes. 2170. c. 2182.a
Incorporeum veteribus quid. 453
Indigentia optima magistra. 388
de Indignatione. 2241.a
Indiuiduationis principium quid. 624.d.1861.a
Infinitum. vide quantitas.
Instrumentorum in animalis corpore quadruplex ordo. 135
Instrumentorum naturæ & artis differentia. 873
Instrumentorum duo genera in natura. 875
Instrumentorum tria genera. 951
Instrumenta sciendi quot. 491.& seq.
Intelligentiæ separatæ vt ad naturalem spectent. in præfatione. 13.b
De intelligentiis Cœlorum motricibus. 370
Intelligentias cœlestes non esse formas formantes. 505 716
Intellectile an ignotius intellectione. 351.1804.
Intellectile potestate quid. 1865.c
Intellectilium tria genera. 1893.a.& seq. 2087.c.2106.c. 2123.d
Intellectile an sit vnum specie. 1913.d
Intellectilium duplex genus, actu & potestate. 1924.b
Intellectilium immaterialium & materialium differentia. 1924

Materialia vt potestate intellectilia. 1939
Materialia imperfectè intellectilia. 1940
Intellectile omonymè dici. ibid.
Intellectiles formæ vt in phantasmatibus. 2100
de Intellectilibus speciebus quid plerique tradant. 1981.a
contra Intellectiles species quæ à plerisque ponuntur. 1922.d.1930.c.1982.a.2139.a.2140.
Intellectilis species quid. 978.1988.e.2139.2140
Intellectiles formæ vnde accipiantur ab intellectu. 1966.c.
Intellectionem solius animæ operationem esse. 365
Intellectio vt dicatur passio. ibid.
Intellectio vna, quæ. 507
Intellectio vt numerus, non vt magnitudo. ibid.
Intellectionis omnis partitio. 489
Intellectio practica & Theoretica. ibid.
Intellectionis mensura quæ. 495
Intellectionis species, prudentia, scientia, opinio. 1666.c.
Intellectionem impedit materia. 1662. 1790. 1915. 2133.a
Intellectio & res intellecta idem. 1930.1947.d
de Intellectione nostra Platonicorum opinio. 1938.a
Intellectio impartibilium & partibilium. 2015.a
Intellectio impartibilium vt vera vel falsa. ibidem, d. 2027.a
Intellectio partibilium vera & falsa. 799.2015.c.2027.a
Intellectionis essentia & modus. 2020.d
Intellectionis duæ partes, apprehensio, & iudicium. 2091.a
Intelligere, ratiocinari, & contemplari, hoc est νοεῖν, διανοεῖσθαι καὶ θεωρεῖν, quid differant. 562
Intelligere νοεῖν. quid significet. 1653.d
Intelligere quomodo sit pati quoddam. 1770.a.1915.a
Intelligere quomodo sit vt sentire. 1770. b
Intelligere vt marcescat alio intus corrupto. 1830.d. & seq.
Intelligenti phantasmatis necessitas. 1830. e. 1838. c. & seq. 1890.c
Intelligendi ordo. 1888.c
Materialia cur non intelligant. 1939.b
Intelligere in nobis esse, non sentire, & cur. 1944, d
tria ad Intelligendum necessaria 1984.c
an Intelligi simul plura possint. 2020.a
vt Intelligatur continuum. 2047.b.2049. b.2050.a. & seq.
vt Intelligatur tempus. 2048.c
Naturam quamlibet impartibilem esse, & impartibili intelligi. 2051 c
Numerum quoque impartibili intelligi. 2052.c
vt Intelligantur impartibilia quantitatis. 2061.a
Intelligendo quatenus necessaria phantasia. 2086. b. & seq.
Intelligendo sensuum necessitas. 2044. a
Intellectum Anaxagoræ duobus modis dominari. 429.
vt de Intellectu Anaxagoras, & Aristoteles consentiant. ibid.
In intellectus natura cur Plato, & Aristoteles dissentiant, 508
Intellectus Aristotelii immaterialis. 508. 509. 511. 1661.a 1871.c.1925.c.1926.a
Intellectus immaterialis vt materialia & immaterialia intelligat. 511
Intellectui melius non cum corpore esse. 523
Intellectus in corpore qualis fiat. 408
de Intellectu tria Philosophus in tex. 65. libri primi. 551
Intellectum nobis innasci quid sit. 551.554
Intellectum in senio magis vigere, & cur. 516
Triplex huius rei exemplum. 517
Intellectus & sensus similitudo, & differentia. 519. 1170. 1660.d.1570.d.c.1772.b.c.1783.c.1881.c.1888.a.1915.a. 1990.a.2071.c.2077.d.2079.b.2080.a.2084.c.2085.a 2086.b.2093.b.2096.c.2099.c.2103.c.2139.c
Intellectus pro intelligente anima.
Intellectus à corpore separabilis, & immortalis. 711. 824.1908.d.1925.c.1993.a
Intellectus vt separabilis. 824
Intellectum materialia & singularia quoque cognoscere. 1206.1897.b.1902.c.1979.d
Intellectum duobus modis fieri omnia intelligendo, & loquendo. 1395
Intellectum à sensu non distingui, fuisseque antiquis corporeum. 1656.b.1660.b
Intellectū à sensu diuersum esse. 1664.c.1666.d. 1668.a
Intellectus cur sæpè erret, sensus numquam. 1667.d
Intellectum tribus modis obrui. 1749.c
Intellectus & phantasiæ coniunctio. 1756.b
Intellectus potestate habitu, & actu, quid Alexandro. 1762.c.1763.
Intellectus potestate, habitu, & agens, quid Simplicio. 1969.c
de hoc triplici intellectu Plutarchi sententia. 1765.c
De hoc eodem Aristotelis sententia. ibid. & seq.
Intellectum potestate, puram potestatem aut præparationem non esse. 1764.c.& seq. 1775.c.1788.b. & seq. 1926.b.1991.c.2140.a
Intellectus Theoreticus, practicus, & organicus quid. 1766.c
Intellectus agens, & patiens quid. ibid.d
In intellectu qualis passio. 1770.a.1915.b
Intellectus, & sensus passio diuersa. 1770.d.1915.b
Intellectus vt patiatur & impatibilis sit. 1773.b
Intellectus genus, & propria differentia. 1774.d
In intellectus natura inuestiganda admirabilis ars Aristotelis. 1775.a
Intellectus natura, & definitio. 1776.c
Intellectus cum prima materia cōparatio. 1776.a.1783.a 1883.a.1889.c.
Intellectus natura, & intellectus potestate idem. 1777.c
Intellectus vt impermistus. 1779. a.b. 1781.a.1877.a.b 1993.a
Intellectus nostri impermistio multiplex. 1784.a
Intellectus impatibilis. 1780.c. 1877. a. b. & seq. 1993.a.
Intellectus vt carere debeat intelligendo obiecto. 1782.c.1099.a
Quomodo intus existens prohibet extraneum. 1789
Intellectus diuinus & Angelicus quales. 1784
Intellectus tres gradus, diuinus, Angelicus, humanus. 1785.a. 1909.a
de Intellectu quæ dicuntur ab Aristotele, intellectui cui conueniant. 1785.a
Intellectus natura potestas, & quomodo. 1791.a.1795.b
Contra Auerroëm de intellectu nostro. 1785. c. & seq.
de Intellectus æternitate, quæ Auerroës tradat. 1794.a
de Intellectus vnitate quæ Auerroës. ibid.e. & seq.
de Intellectu sententia Auerrois. 1796.e.1798.a. & seq. 1801.c
Intellectus vt dicatur diuinus. 1809. d.1797.c.d.
Intellectus vt à materialibus obiectis perficiatur. 1838.a
Intellectus vt intelligendo fatigetur. 1838.d.1879.c
Intellectus vt nullius corporis actus. 1851.c
Intellectus quomodo vt nauta in naui. 1852.a
Intellectus, & voluntas vt abstractæ sint vel in materia. 1859.d.
Intellectus nihil cum vllo habens commune. 1910.a.b

Index Rerum.

Intellectus impermistio duplex, essentiæ, & operationis. 1870.b
Intellectus formarum locus. 1873.c.& seq.2140.d
Intellectum non habere insitas rerum formas. 1875.c.d. 1921.b.c.d.1922.1966.d.e.1974.c.1991.e
Intellectus velut tabella non scripta. 1917.c
Intellectus & tabellæ differentia. 1919.e
Intellectus cur scriptoria potiùs, quam pictoria tabella. 1918.b
Intellectum esse tabellam inscriptam. 1920. tabellæ huius scriptor, characteres, lector. 1921.c
Intellectus, potestate, habitu, & actu, idem. 1941.e
Intellectus habitu quid. 1880.e 1883.c.1961.b.1989.e
Intellectus habitu vt sciens. 1881.c.1883.
Intellectus singula factus quid: & vt fiat omnia. 1882.c.d.1883.c.
Intellectus potestate, & habitu vt differant. 1884.c
Intellectus quomodo se ipsum intelligat. 1788. d. e. 1886. e. & seq.
Intellectum per se, non ex accidenti, se ipsum intelligere. 1886.c. secundaria tamen ratione. 1889.d
Intellectus vt linea recta, & flexa. 1901,e
Intellectus vt naturalia, & mathematica intelligat. 1907,b.c
Intellectus vt omnia intelligat. 1908,b
Intellectus vt intellectilis sit. 1918,b. 1922,a.1926,b
Intellectus cur non semper intelligat. 1934.e.& seq.
Intellectus inter materialia, & immaterialia medius. 1937.c
Intellectus facultas sui & aliorum perfectrix. 1940,d
Phantasma vt intellectum moueat. 1940,e.1982,c
Intellectum agentem nobis inesse. 1942,a
in Intellectu vt materia & efficiens causa nominantur. ibid.b
Intellectum agentem in abstractis non esse. 1943.c.
Intellectus cum natura & arte similitudo. 1944,e
Intellectus agens vt lumini & arti similis. 1149, 1240, 1977.1990,d.1992,a.1991,e
Intellectus agens lumini magis, quàm arti, similis. 1992.c
Intellectus agens vt habitus. 1992,c.1991,b
de Intellectu Theophrasti sententia. 1245,b
Intellectus triplex Theophrasto, separatus, participatus ab anima, & rationalis anima. 1945.e.& seq.
Intellectum agentem esse Deum Theophrasto, & Alexandro. 1946,e.1947,b,1946.e
Intellectus agens cur non sit animæ facultas. 1946.e 1950,b,
Intellectus in nobis quadruplex Alexandro; materialis, agens, habitu, actu. 1951,b
Intellectum agentem Deum non esse. 1952,b
Intellectum agentem Marino esse intellectum Dæmonicum, seu Angelicum. 1955.b. & seq.
Intellectum agentem esse intelligentiam separatam formarum datricem, Auicennæ & Algazli. 1955.d
Intellectus Themistio vnicus in omnibus hominibus, & essentialis omnium forma. 1959.a
Intellectus agentis & patientis vnio. 1960. e.1977.d
contra Intellectus vnitatem. 1961.d
Intellectum agentem longo vsu formam nostram non fieri. 1967
Intellectum agentem à patiente diuersum esse Auerroi. 1976
Agens & patiens in anima melius, quam in cæteris. 1974.c
Intellectum agentem & patientem eumdem esse. 1970. d.1973.c.d.e.1989.b.1997.d.2003.b
Intellectus agens quid. 1941.e. & seq. 1989.b
Intellectus agentis necessitas, & munus. 1976.b.1978.b 1990.b
Intellectus vnicus in Homine, ratione diuersus & multiplex. 1973.b.1991.a.2094.a.b
Intellectus agens an intelligat. 1990.e
Intellectus agens, & patiens vt habeant. 1991.d
Intellectum agentem esse impatibilem, im permixtum, & separabilem. 1993.a
Intellectum agentem esse substantia actum. 1993. c. 1994.c.
Intellectus agens & res intellecta idem. 1995.e
Intellectus vter prior: agens ne, an patiens. 1997.b & seq.
Intellectus cur post mortem non recordetur. 2004.d
Intellectus passiuus quis. 2004.e.& seq.
Intellectus & voluntas vt distinguantur. 2010. b. & seq.
Intellectum voluntate nobiliorem esse. 2011. d. & seq.
Intellectus notior, quàm intellectile. 2014.e
Intellectus & ratio vt differant. 1964. d.1966.c.1969.a 1975.b
Intellectus, ratio, & Dianœa, vt differant. 2016.e.2165.e
Intellectus compositio vt sit vna. 2016.b
Intellectus cõpositionem & diuisionem simul vtrumque terminum complecti. 1630.d
Intellectus compositio duplex. 2018.b
Intellectus propositio omnis, diuisio. ibid.
Intellectus veritatis & falsitatis duplex causa. 2017.c
Apprehensionem & compositionem, virtutis eiusdem esse. 2019.a
Intellectus operationes tres. 2016.c.2020.e. quæ earum necessitas. 2022. d. primam esse omnium nobilissimam, ibid.& seq.
Intellectus tres operationes essentia distingui. 1969. & seq.
Vt in intellectu sit veritas aut falsitas. 2025. e.& seq.
in Intellectu duplex veritas, simplex, & cõposita. 2026.e 2071.a.2072.e
De simplicis notionis formatione, quæ prima est Intellectus operatio. 2028.b
De secundæ operationis compositione, & diuisione. 2029.e.& seq.
Notiones ne, an res, an voces componantur, & diuidantur. ibid.
Quales res componendæ sint, aut diuidendæ. 2030.d
Intellectus operationis secundæ vis & forma quæ. 2031.a.2032.e
De intellectus operatione à tertia, quæ est ratiocinatio. 2033.a & seq. reliqua vide, Ratiocinatio.
Intellectus noster in corpore existens an separatas substantias intelligat. 2122.b.& seq.2125.a
Intellectus adeptus quid. 2126.a
Intellectum aptum esse ad separatas substantias intelligendas 2130. d. non posse tamen in hac vita clarè intelligere. 2131.a
Intellectus à sensibus alienationem, separatis substantiis intelligendis necessariam esse. 2133.a
Intellectus à sensibus alienatio triplex. ibid.
Intellectum & sensum actu idem esse cum re intellecta & sensu percepta. 2137.e
Intellectum sine sensu esse non posse. 2281.a.& seq.
Intellectus obiectum duplex; mouens, & terminans. 2148.c
Intellectus practicus vt fine à Theoretico differat. 2170.d
Intellectus habituum diuisio. 2171.c
Intellectus facultas theoretica, cæteræ practicæ. 2172.a

Intellectus vt dirigat voluntatem. 2172.d
Intellectus separatos alia extra se cognoscere. 2065.a.& seq.
Interpretis officium. 314.
De interpretatione librum Aristotelis esse. 365.
Intestinorum consideratio. 220.& seq.
Intestinorum conuolutionis causa. 222
Intestina cur inter ventriculum, & anum. ibid.
Inuestigatio & cognitio quid. 328
de Inuidia. 2241.c.& seq.
Ire definitio. 1475.2242.c.2243.c
Iram simplicem perturbationem non esse. 2243.c
In tria duo contrarij motus. ibid.
Ira vt ab odio differat. ibid.
Iram acuit audacia. 2244.d
Ira ratiocinationem continet. ibid.
Iræ obiectum & causa. 2245.b
Iracundi qui. ibid.
Irascimur quibus. 2246.b
Iræ species tres. 2246.c
Iræ effectus. 2247.b
Iræ damna & remedia. 2247.d
ex Ira cur nullus moriatur. 2199.a
Opinio de Ira in ratione, & separabili. 386
Irrationale negatiue, & priuatiuè. 2153.b
Iustitia duplex, commutatiua, & distributiua. 7

L

Labia vt moueantur. 223
Labor nimius quantum obsit vitæ. 78
Lac animatum non esse, nec corporis partem. 136
Lactis substantiæ quot, & quæ. 112.246
Lactis serum quam vim habeat. 112
Lactis generatio in mammillis. 242
Lac quid sit. 244
Lac quibus animalibus insit. ibid.
Lac an maribus quoque insit. ibid.
Lac quo tempore adueniat. ibid.
Lac optimum infantibus nutrimentum. 245
Lac matris infantibus omnium optimum. 245
Lacrimæ cur frigidæ, aut calidæ videantur. 1401
Lactes veteribus quid. 224
Lapidum virtutes. 443.858
Lapides & metalla non esse animata. 769
Lapides & metalla an nutriantur & augeantur. 593.770.
Lapides & metalla quib' in locis producãtur. 773.& seq.
Lapidum pluuiæ. 774
Lapides & metalla cur in montibus abundent. 774.
quibus indiciis cognoscantur. 775
Lapidum materia & generatio. 912.& seq.
Lapides aquæ innatantes. 913
Larinx, & eius musculi. 259
Laringis cauitates. ibid.
Laringis epiglottis. ibid.
Latio vt ab Aristotele vsurpetur. 500.
Librorum totius naturalis philosophiæ Aristotelis ordo. in præfatione. 27.c
Libri de plantis. in præfatione. 28.a
Libri de animalibus cur priores libris de plantis. ibid.
Viuentium consideratio vniuersa vbi. ibid.
de Libris de animalibus. ibid.& seq.
Libri de animalium Histori in præfatione. 31.a
Libri de partibus animalium a. De incessu. / De anima. / Parui naturales.
Libri de animalium motu. / de animalium ortu. / de longitudine. } in præfatione. 31.32
Librorum omnium de animalibus subiectum. in præfatione.
Tractationis de animalibus duæ partes. 31
de Libro decimo de animalium Historia. ibid.
Cur de anima nihil in libris de Historia. ibid.
Libri tertij de anima principium vbi. ibid.
Libri illius scopus. 1351.a
Lien, duplex interdum visus. 1336.
Lienis expertia animalia. 231.
Lieni fiscus similis. ibid.
Lienis consideratio. ibid.
Lingua cur dicta. 230.& seq.
Lingua sermonum Angelus. 291
Linguæ vsus. ibid.
Linguæ frenulum. ibid.1367.1301.a
Linguæ substantia, & eius consideratio. ibid.
Linguam mouentes musculi. 291
Linguæ vsus in voce qualis. ibid.
Linguæ ad radicem tonsillæ. 1368
Linguę morbus siccitas. 1440.1448
Lingua qualis gustet sapores. 1447
Lingua articulandæ vocis instrumentum. 1448.
Lippitudinis causæ. 2302.a
in Loco esse quidquid mouetur. 1291
Localem motum abstrahere à loco. 470.472
Quatenus locus sit terminus motus localis. 470
ad Locum vt moueantur elementa, partes elementorum, mixta, & animalia. 471
In loco an sit vltimum cælum. ibid.
Locus naturalis quibus conueniat. 472.& seq.
Logica nec theoretica, nec practica, sed organica. 476
Logica non pars, sed organum philosophiæ. 2176.c
λόγος quid. 2177.c
Loqui an puer ante ętatem possit. 293
Loqui an muti aliquando possint. ibid.
Loquens vt seipsum audiat. 1337.
Loquine possimus id, quod non cogitamus. 1381.
Loquutio quid; quid vox. 1367
de Loquutione Angelorum. 1379.2043.d
Loquutio quid. 1393.1394.2039.e
Loquutio interna, & externa. 1393
Loquutio hominis cum Deo, Deique cũ homine. 1394.
Loquutioni propriæ quæ necessaria. ibid.
Loquutio, vltima intelligentis perfectio. 1395.
Loquutio partus intellectus. ibid.& 2039.e
Loquutionis perfectio. 1395
Loquutio in Deo. 2043.d
Lucidorum corporum communis conditio. 1254
Lumen quoque colorem dici. 1253
Lumen cur videndo necessarium. 1240
Lumen, & in medio, & in obiecto necessarium esse. 1238
Lumen vt in obiecto, medio, & organo. 1241
Luminis definitio. 1251
Lumen energiam potiùs, quàm entelechiam, esse perspicui. 1251
Lumen quatenus entelechia, & energia. 1252
Lumen cur præsentia dicatur corporis lucidi. 1251. 1257
Lumen & tenebræ vt opponantur. 1252.1260
Lumine vt participant corpora omnia. 1252
Lumen & color vt differant. 1253
Lumen quid. 1255.1260.1262
Lumen non esse corpus. 1256.1262
Lumen non esse ignem. 1257
Lumen non esse defluuium corpusculorum. ibid.
Lumen an incorporeum. 1263.& seq.
Lumen qualitatem esse. 1264
Lumen quomodo sit in aëre. ibid.& seq.
Lumen, lux, radius, iubar, & splendor, vt differant. 1266
Lumen quæ qualitatis species. 1266.1267
Luminis præstantia. 1267.& seq.

Lumen momento produci. 1268
Lumen vt cum successione producatur. ibid.
Lumen an ex potestate medij educatur. ibidem & sequentibus.
Lumen non creari. 1272
Lumen ex vno in aliud subiectum transire. ibid.
Lumen vbique eiusdem speciei. 1273
Lumina plura non permisceri. ibid. & seq.
Lumen semper effecti. 1336
Lumen glorię Deo videndo necessarium. 2133.d
Lupina tympana. 1293
Lupo viso cur rauceſcat Homo. ibid.

M

Maculę in fœtu vnde. 1292
Magnes cur dictus, & quibus aliis vocibus nominetur. 431
Magnes cuius coloris. ibid.
Magnetis quot genera. ibid.
Magnetis vis trahendi. ibid.
Magnes quænam corpora trahat. 432
Magnetis vis dirigendi ferrum ad boream vel alio. ibid.
Magnes cur ferrum trahat. ibid. & seq.
Magnetis vim Adamante & alio cohiberi. 434
Magnetis motum attractionem non esse. 439
Magnes cur ad polum conuertat stylum. 441. & seq.
Magnitudinis & numeri vnitas, quæ. 506
Magnitudine, & à magnitudine quid differant. 1757.c
Malleolus duplex. 307
Mali quoque cognitionem esse bonam. 317
Malum duobus modis vitari. 2157.b
Malum maius aut intensione, aut extensione. 2184.a
Mammillæ cur ouipacis animalibus non insint. 241
Mammillarum consideratio. ibid.
Mammillarum beneficium ex Hyppocrate. ibid.
Mammillæ cur homini in pectore. 242.d
Mammillę cur homini binę. 243
Mammillarum tumor. ibid.
per Manus volam lineæ ductæ. 87.300
Manus totius partitio. 297
Manus non vnum, sed multa instrumenta. 299
Manus partes. 300
Manus apprehensio. 301
Manus & pedis differentia. 308
Mas & fœmina. Vide Sexus.
Materiæ ad varias formas varia dispositio. 5
Materiam intelligendo obesse. Vide Intellectio.
Materiam tum negatione tum affirmatione cognosci. 623.630. & seq.
Materiam esse substantiam. 627
Materię natura cognitu difficilis. 630
Materia Ægyptiis fœx primę vitæ. ibid.
Materiæ naturam cur ex artificiosa potius mutatione, quam ex accidentaria, quęsiuerit Aristoteles. ibid.
Materia vt negatione cognoscatur. 630.631
Materia, tenebræ & ludus in non ens. 631
Negatio vt de essentia materiæ. ibid.
Materiæ & Dei similitudo dissimilis ibid.
Materia vt affirmatione rursum cognoscatur. 631
Materiam non esse puram potestatem. ibid. & seq.
Materia vt potestas dicatur. 635.1785.d
Materiæ quantitas interminata. 635
Materiæ quantitas, formæ qualitas. ibid.
Materiam duobus modis considerari, & in se, & vt imperfectam. 637
Materiæ informitas qualis. 638
Materia & subiectum quid. 653
Materiam esse vnam specie omnium non numero. 700.c.c.
Materia intellectilis quid. 1904.d 1905. 2110.c
Materialia vt sint intellectilia. 1924. 1929.a
Mathematicæ demonstrationes quales. 353. 2117.d. & seq. 2119.c.
Mathematica definitio qualis. 378. 2111.d
Mathematicæ purę, & medię. 385
in Mathematicis veras causas non esse. 808. 2115.e. 2117
Mathematicis vsum sæpè fuisse Aristotelem, & quatenus. 1641.d
Mathematica entia qualia. 1700.d
Mathematica entia vt realia. 2110.b
Mathematicę imaginationes vt verę. 1736.d
Mathematica abstractio. 1903.d
Mathematica cur in abstractione dicantur. 2107.d
Mathematicus à naturali vt differat. ibid & 2109.d. 2111.d
Mathematicus duplex Simplicio. 2109.a
Mathematicus vt quantitatem consideret. 2110.e
Mathematicum à motu abstrahere. 2112.e
Astrologus vt cælestem motum consideret. 2113.b
Mathematicum abstrahere ab ente. 2113.e. & seq.
Mathematicus vt abstrahat à bono, & fine. 2114.c
Mathematicus quænam causarum genera consideret. 2115.c
Mathematicus vt consideret pulchrum & bonũ. 2116.d
Mathematicę cur solã formã cõsiderare dicatur. 2117.a.b
Mathematicæ cur disciplinæ dicantur, curque certissimæ sint. 2118.e
Mathematicas non esse scientias. 2119. neque philosophiæ partem. ibid.
Mathematicarum diuisio in puras, & medias. ibid.
Mathematicarum mediarum obiectum quale. 2120.b
medias potius Mathematicas esse, quàm naturales. ibid.
Mathematicas medias putis sub alternari. 2120.e
Maxillarum motus. 280
Maxillæ consideratio. 293
de Maximo & minimo. 988
Medicinę duplex pars. 69
Medium non semper illuminari vsque ad oculum. 1305
Medula quid. 121.138
Medulla an animata, & corporis pars. 138
Medulla spinę alterum cerebrum. 303
Mel senibus optimum alimentum. 105.e
Melancholiæ qualitates, & sedes. 107
Melancholiæ vsus. 115
Melancholici vt ingeniosi. 1409
Melius Aristoteli finalem causam significare. 525
Membranę natura & vsus. 143
Membranę pręcipuę quę. 144
Membranarum substantia & ortus. ibid
Membrana carnosa 210
Membranę succingens, & inter sepientes. 251.252
Membra. Vide Partes.
Membra mortua omonymè dici. 787.268
Memoria artificiosa. 1674.e
Memoria eadẽ facultas cũ phãtasia. 1676.c. 1723. & seq.
Memoria cognoscentem virtutem esse. 1725.a
Memoria vt cerebro læso lædatur. 1729.a
Memorię operatio quæ. 1752.a
Memoria vt præteritorum. ibid.
Memoria quotuplex. 1752.e
Cur eorum maximè meminerimus, quæ pueri hausimus ibid. cur eorum, quæ inuenimus ipsi. 1753.b.c.
cur Memoriæ non occurrant interdum ea, quæ vellemus. ibid.
Memoria qui valeant. ibid.
Memoria cur maximè valeat homo ibid.
Memoria & reminiscentia quid differant. 5417.a
Memoria cur aliqui valeant, non reminiscentia. ibid.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Memoria in quibus animalibus. 1754.c
An addiscere sit reminisci. ibid. & 1920.b
Memoriam quæ iuuent. 1755.b
Memoria intelligens. ibid b.1984.b.2008.b. & seq.
Mendacium & falsitas quid differant. 2027.c
Meninges duæ, & earum consideratio. 272.275
Mens. Vide Intellectus.
de Menstruo sanguine. 1088. quo tempore fluat. ibid. cur statis temporibus fluat. ibidem. quanto tempore fluat. 1089. in quibus animalibus fluat. ibid.
Menstruatæ mulieris oculi. 1232
Mensura quotuplex. 944
Mesaraicæ venæ. 225
Mesenterium quid. 224
Mesenterij consideratio. 224.225
Metacarpium. 300
Metacarpij ossa. 301
Metatarsi ossa 308
Metalla num animata sint. 769
Metalla an nutriantur & augeantur. 770
Metallorum materia & ortus. 915.& seq.
Metalla vt ros, & pruina. 919
Metallorum qualitates. 920.& seq.
Metallorum species quot & quæ. 930
Metallorum omnium parentem esse solem. 934.a
Metalla quatenus possint arte mutari. 934.& seq.
Methodus duplex. 3
Methodus quid. 332
Methodi vtilitas. 491
Methodus Aristotelis in animę tractatione. 621.806.812
Mineralia in quibus locis producantur. 773. & seq. cur in montibus abundent. 774. quibus inditiis cognoscantur. 776
Mineralium omnium materia communis & ortus. 911
Mineralium omnium accidentia communia. 919. & seq.
Mineralium omnium efficiens causa. 927. & seq.
Mixtorum, & elementorum num eædem qualitates. 4
Mixtorum qualitates secundæ, & earum vis. 6 437
Mixti forma ab elemētis diuersa. 580. 591. 612. 765. & seq.
Mixtionis definitio exponitur. 759.764
in Mixtione mutatio duplex. 762
Mixtionem sine penetratione fieri. 764
in Mixto vt existentia vna. ibid.
vt Misceantur qualitates omnes. ibid.
Mixtio duplex, qualitatum, & substantiarum. 76
Mixti formam an Aristoteles nominauerit. 768
Mixtionem & mixti generationē diuersas esse. 761.768
Mixti forma à quo producatur. 768
Mixtorum generatio vt ab aliis differat. ibid.
Montium figura vnde. 914
Morbi & mors vnde. 6
Morborum triplex genus. 69
Morborum quatuor genera, ex quatuor humoribus. 98
Mors quid. 88
Mortis causam non vitalem, sed igneum calorē esse. 38
Mortis aliæ causæ. ibid. & 88
Mortis qualitates, frigus & siccitas. 55
Mortem duobus modis considerari. 75
Mors qualis priuatio vitæ. 88
Mors naturalis & violenta. 89.90
Mors ex suffocatione. 89
in omni Morte suffocationem aliquam esse. ibid.
Mors naturalis & violenta quid differant. 90
Mors an sit vlla sine tristitia. ibid.
Mortis proximæ inditia. 91.92
Moribundis cur extremæ partes refrigerentur. 93
Moribundi cur futura præsagiant. ibid.
Moribundi cur melius habere videantur. 94
Mortua corpora cur grauiora. 772
Mortuorum animas ad nos interdum redire. 2125.b
Motus voluntarij pulchra similitudo. 157
Motus & sensus vt animatorum proprij. 391
Motum in animatis æquè naturalē esse ac quietem. ibid.
Motus ignis & aëris in orbem qualis. 392
Motus sursum vt animalis corpori sit naturalis. 392
vt quidquid Mouet, moueri debeat. 690
Motus halitus sursum. 397.408
Motus partium duplex. 440
Motus & mutatio vt differant. ibid.
Motus species. 493.494
Motus duo gradus. 466
cur Motus dicatur potius esse ad vbi, quam ad locū. ibid.
quod Mouetur, esse in loco. 467
Motum localem abstrahere à loco. 470.472
Motus localis terminus quatenus sit locus. 470
Motus circularis quid. 471
ex mouente & mobili vt fiat vnum per se. 475
primum Motorem Aristoteli fuisse Deum. 479
An quod natura mouetur, vi quoque moueri possit. 480. 483.
Motus violentus in quibus sit. 481
An quod mouet, eodem motu moueatur. 483
Motus & mutatio quid. 484
Motus & operatio vt differant. 494
An ea, quæ sensum habent, habeant & motum. 496
Motus quomodo entelechia. 591
Motus violentus solus localis. 640
Moueri vt idem possit contrariis motibus, aut mouere simul & quiescere. 705
713.1017.1300.1633.a
Motus canis ex alto cadentis. 784
Motus & tempus vt distinguantur. 943
ad Motum potestas duplex. 974
Motum esse. 1187
Motus, mutatio, & productio. ibid.
Motus radix quæ. ibid.
Motus quid. 1188
Motus, actio, passio, & forma, vt differant. 1189
Motum esse in mobili. ibid.
Motus qualis actus sit. ibid.
Motum esse essentialiter successiuum. 1190
Motus in qua categoria sit. 1191
Motus & quies vt sensiles. 1218
Motus ab extremo ad extremū vt fiat per medium. 1634
Motus animalium causam analysi Aristotelem inuestigasse. 2160.c
Motus hanc causam non esse motricem facultatē. 2160.c 2161 neque sentiente. 2162.c. An sit irrationalis anima 2163.c. non esse intellectū. 2166. 1672.a.c. neque appetitum. 1168.a. sed intellectum, & appetitum simul. 1169.a. & seq. appetitum tamen magis, quam intellectum. 1041. 2178.e. 2179.c
In animalium motu intellectus phantasiæ, & appetitus differentia. 1045. 2181.d. 2184.d.
Vnum ne, an plura mouentia sint. 2248.c
primum mouens esse rem appetendam. 2249.a
vt Moueatur animal. 2249. b. ad animalis motum quatuor concurrere. 2250.c
Motus animalis instrumētū quod. 2252. c. 2252.e. 2256.b
In animalis motu duplex immobile. 2252.d.e. 2257.d
in hoc Motu thorax vt medium immotum. 2256
Mediū hoc immotū in articulis potius quærēdū esse. ibid.
Motus animalis velut pulsus & tractus. 2257.a
Motus animalis velut motus circuli. 2258.a
Motum animalis violentum non esse. 2258.a
Motus grauium sursum, & leuium deorsum quomodo. ibid.
Motus hominis & bestiarum vt differant. 1163.b.c

Motus hominis & bestiarum vt differant. 2263.b.c
De Motrice facultate cur post alias egerit Arist. 2148. e
Motricis facultatis origo in corde. 2272.a
Vt ea per corpus diffundatur. idid.
Mouendi vim non esse propriam nerui. 155
Motus localis & alterationis differentia. 1302.1303
Muli an steriles. 906
Mundus velut liber. 2130.b
Mundi principia tria Plotino. 1964.a
Mundus quadruplex Platonicis. 417.421
Musculi ortus,& finis non semper inesse. 157
Musculi nomen,& partes. ibid.
Musculi vsus. ibid.
Cur in medio Musculi caro. ibid.
Musculorum numerus in corpore. 158
Musculorum abdominis consideratio. 209.& seq.
Musculi duo triangulares in imo abdomine. 211
Musculi duo sedi ad nati. 223
Musculorum inter costalium vsus. 248
De Musculo Diaphragmate. 249.& seq.
Musculi caput mouentes. 266
Musculi ceruicem mouentes. ibid.
Musculi spinam mouentes. 267
Musculi oculum mouentes. 283
Musculi linguam mouentes. 291.1312
Musculi maxillam mouentes. 294
Musculi scapulam mouentes. 298
Musculi brachium mouentes. ibid.
Musculi cubitum mouentes. 299
Musculi radium mouentes. ibid.
Musculi carpum mouentes. 300
Musculus palmaris. 301
Musculi digitos mouentes. 302.303
Musculi femur mouentes. 305
Musculi tibiam mouentes. 307
Musculi pedem mouentes. 309
Musculi digitos pedum mouentes. ibid.
Musicæ harmoniæ quæ. 418
Musicæ vis. 1393
Mutationis motio & species. 466
Mutatio duplex,substantiæ,& accidentis. 13
Mutatio duplex,ad formam,& ad operationem. 949
Muti an loqui interdum possint. 525
Mutorum gestus ac nutus. 1270

N

NAres cur Cartilagineæ. 291
Narium respiratio cur. 497.501
Natura & essentia quid differant. 583
Naturas rerum tribus modis considerari. 614
Naturã Simplicio esse solũ principium passiuũ mot⁹. 688
materiam esse Naturam. ibid.
formam esse Naturam. ibid.
Animam esse Naturam. 689
Naturam vbique sibi similem esse. 456.474.538
Naturæ acceptio varia. 121.122
Naturam esse. 123
Naturam pluribus visam esse Deum. ibid.
Natura naturans & natura naturata. 125
Naturæ Authorem Deum esse. 698.& seq.
Naturam passiuam esse vnam specie in omnibus,actiuam non item. 700.701
Naturam esse duplicem,materiam,& formam. 701.& seq.
materia vt sit Natura. 703
Non eandem esse materiæ propensionem ad omnes motus. 704
Principium passiuum separatum ab actiuo Naturam esse, non contra. 705
Natura vt principium motus & quietis. 706.831
Naturarum genera quatuor apud Platonicos. 852
Naturam nihil frustra facere. 1369
Naturam in necessariis mancam non esse. 1370
Naturam nec in necessariis deficere,nec redũdare. 2163.c
Naturam vno ad plura vti. 1370
Naturam quamlibet impartibilem esse. 2051.e
Naturales definitiones quales. 377
Naturales demonstrationes quales. 353
Naturalia corpora vt aliorum principia dicantur. 646
Naturalium à non naturalibus distinctio duplex;essentiæ, & operationis. 669.701.702
Naturalia ex artificiatis explicari. 687
Nerui animalium functionum instrumenta. 53
Neruorum originem cur creditum sit esse cor. 153
Nerui propriam non esse vim mouendi; & à cerebro per neruum mitti. 155
Neruus quid. 185
Nerui an cæui. 186
Neruorum duplex genus;sentientium,& mouentiũ. ibid.
Neruos eosdem in tactu & mouere,& sentire. ibid.
Neruus vnde dictus. 187
Nerui triplex pars. 187.191.194
per Neruos vt sensus & motus fiant. 187
de Neruorum prima origine Arist. & Galeni disputatio. 189.& seq. Authoris de ea iudicium. 192.& seq.
Nerui cur ex cerebro producti. 196
Neruorum paria septem ex cerebro. 199
Nerui optici. 199.1308
Neruorum opticorum intersectio qualis. 200
Nerui optici cur coniungantur. ibid.
Nerui optici cur perforati. 200
Neruorum reliqua sex paria. ibid.& seq.
Nerui qui ex spina. 204
Nerui an sentiant. 450.587.1450
Nomina. vide Vox.
Notio prima mentis qualis. 354. Ex Notioribus Aristotelem vbique progredi. 389
De Notiori natura, & nobis. 806.& seq.
Notius natura quid. ibid.
Notius natura cur dicatur. 807
Notius nobis cur. ibid.
Notioris natura & nobis diuisio vnde petatur. 808
Num eadem nobis & natura nota. 808.& seq.
Quid primum à nobis cognoscatur. 810
Quid facilius cognoscatur. 811
Νόησις Aristoteli quid. 1749.a
Numerus & vnitas magnitudine & pũcto simpliciores. 321
Numerus vt sit vnus. 506.1569.b
Numerus vt sensilis. 1218
Numerum impartibili intelligi. 2052.c
Nunc vt dicatur per se,& ex accidente. 6130.b

O

OBiecta cur opposita dicantur. 351.893
Obiecta quomodo actibus priora. 893
Obiectum sensile. vide Sensile.
Obiectum commune nullum esse intellectui. 1212
Obliuisci & latere quid. 1716.d
Octonarius numerus. 581
Oculo vno cur nõ minùs,quã duobus,cernamus. 46.1370
Oculi cur dicti. 280
Oculi indices animi & corporis. ibid.
Oculi cur eo loco positi. ibid.
Oculus quàm bene vndique custoditus. ibid.
Oculi figura. ibid.
Oculi tunicæ. 281
Oculi humores. 283
Oculum mouentes musculi. 283.1312
Oculus vterque cur simul moueatur. 284
Oculum non igneæ,sed aqueæ naturæ esse. 284.& seq.
Oculo sinistro cur æquè ac dextro videamus. 286
Oculo an internum insit lumen. ibid.& seq.
Oculꝰ pressus aut fricatus vt fulgorẽ emittat. 286.287.1215

Oculi videntes in tenebris. 286
Oculis maximè cur hauriatur amor. 1171
Oculi Basilici fascinatoris,& mulieris menstruatæ. 1291
Oculusne magnus,an paruus melior. 1308
de Oculi colore. ibid.
Oculus cur videndo fatigetur. 1311
Oculus animatum speculum. ibid.
Oculus cur rotundus. ibid.
Oculo duplici cur obiectũ vnũ non appareat duplex.1313
Oculum alterum cur claudant sagittarij. ibid.
Oculorum duplex modus in animalibus, cum palpebris, & sine palpebris. 1422
Oculorum diuersa vis in animalibus. 1557.c
Odium quid. 2207.c
Odium Timonis in omnes homines. 2244.a
Odoratus medium. 1318.1414
Odoratus piscium in aqua. 1318
in aqua Odorari. 1414
Odoris cognitio cur obscurior. 1399
Odoratus hominis cur minùs exquisitus. 1400.1402
Odoratus hominis & bestiarum differentia. 1401
Odoratus ingenij inditium. 1402
Odoratu homo vtà bestiis superetur. ibid.
de Odoratu cur tertio loco agatur. 1403.& seqq.
Odoratus in ter sentus medius. 1404
Odoratus hominis vt duri oculi quorundã animaliũ.1405
Odoratus & gustatus cognitio. 1407
Odorum duplex genus,alimenti,& delectationis. 1411
Odores vt ex saporibus colligantur. ibid.
Cur non semper similes odor & sapor. ibid.
Odorem suauem aliqui homines non tolerantes. 1412
Odoratus quomodo inodorabilis. 1413
Odoratus medium aër & aqua. 1414
Odoris subiectum. 1415
Odoris & saporis generatio. 1415.1429.1431
Odor vt sicci sapor humidi. 1416.1429.& seq.1432
Odorum & saporum coniunctio. 1416
Odorum finis. ibid.
Odor vt diffundatur per medium. 1416.& seq 1422
Odorem non semper ad nares vsque diffundi. 1418
de Odoratu vulturum. 1419
Odoratus vnus in omnibus animalibus, etsi odorãdi modus non vnus. 1421
Odoratus organi duplex modus,vel cum operculo,vel sine operculo. 1422
Odoratus organi operculum quid sit. 1424
Odoratui quid cõferat inspiratio. ibid. Aduersus hoc operculum criminationes Galeni. 1424
Odoratus organum quod. 1426.1428
Odorem cerebri sinus non subire. 1425
Operculi narium& palpebrarum oculorum comparatio. 1422.1426.
Operculi foramina vt aperiantur.1427. In qua parte sint foramina. ibid.
vt Odorentur ancipitis naturæ animalia. 1428
Odor calidus & siccus. 1432
Odoratus organum quale,& quod. 1433
Odoratus quomodo alterius horũ,aëris,aut aquæ. 1548.a
Oleum in casta calefactum. 1292
Omenti consideratio. 219.220
Omentum cur oppileum dictum. ibid.
Omentum cur rete dictum. ibid.
Omonymia duplex apud Aristotelem. 688
de purè Omonymis. 695. & seq.
Omonymia ante Aristotelem incognita. ibid.
Omonymia nulla in rebus,nationibus,definitionibus,sed in solis simplicibus vocibus. ibid.
Omonymiæ ortus. 696
Operandi primum principium homogeneæ partes. 13
Operationis modus temperationis inditium. 27
Operationes viuentium omnes humore iuuari. 55
Operatio propria, vel communis quæ dicatur. 364.372
Operationes quæ simplicio separabiles, vel inseparabiles. ibid.
De operatione secus,quàm de anima,loquutum esse Philosophum. 368
Operationem propriam vt habeant quædam corporis partes. 370
Operationes viuentium bipartitæ. 545.549
Operationes animæ an sint motus. 510
Operari per aliquid duobus modis. 819
Opiniones veterum cur commemorauerit Philos. 388
ex Opinionibus aliorum vtilitas maxima. 388.389
Opinans & opinio quid. 826.
Opinari & existimare vt dicatur non esse in nobis.1675.c. & seq.
Opinio qualis. 1704.d
Opinio vt fidem sequatur. 1706.e
Opinionem ratiocinatione constare. 1707.a
Opinionem in bestiis non esse. 1705.c.1706.e.1266.a
Opinionem quatuor modis mutari. 1715
ab Oppositio consequentis vt argumentari liceat. 368
Organicum & potestate viuens,idem. 665.683
Organicum corpus quid. 682.683
Organizatio quid. 683
Organi sensus actio propria. 1171
Oris vsus. 290
Os quid. 401
Ossa fracta cur non reparentur. 58.152
Ossis natura. 147
Ossium vsus. ibid.
cur sine Ossa venter. 148.216.e
Ossa caua & non caua. 148
Ossa quibus duriora. ibid.
Ossibus quæ analoga. ibid.
Ossa quot in corpore nostro. 149
Ossa cur tam multa. ibid.
Ossium admirabilis structura. 150
Ossium structuræ diuersi modi. ibid.
Ossium omnium origo spina. 151
Ossis spinæ partes. ibid.
Ossium appendices & processus. ibid.
Ossium articulatio. ibid.
Ossium vincula & cartillagines. ibid.
Ossis & Cartilaginis natura affinis. 152
Ossa cur ferè in Cartilagines desinant. ibid.
Ossa capitis. 271
Os Hyoides. 291
Ossicula aurium. 289
Os scapulæ. 298
Os brachij. ibid.
Ossa cubiti,& radij. ibid.
Ossa carpi. 300
Ossa metacarpij. 301
Ossa digitorum. 302
Ossa sessamina. 302.309
Os sacrum cur dictum. 303
Os coccygis. 304
Ossis sacri partes. ibid.
Os sacrum scapulæ respondeti. 303.304
Os femoris. 304
Ossa tibiæ. 306
Os genu. ibid.
Ossa tarsi. 138
Ossa metatarsi. ibid
Ossium pedum & manus differentia. ibid.
de Ossium compositione quid Empedocles. 581
Ossa non sentire. 587
Os Ieracis,seu Milui piscis. 414
Oscitante alio cur oscitemus. 1301

ἀπὸ quid. 336

P

Παρεφὴς corpus. 225
Palatum. 290
Palpebrarum motus. 279.1427
Panſpermia Democrito quid. 399
Panſpermia & homiomeria Anaxagoræ. 409
Pariſithmia. 291
Partes corporis animalis an viciſſim agant & patiantur. 14.15. veram & poſitiuam inter eas actionem eſſe. 16. Galeni diſputatio aduerſus Ariſtotelis illud; Cerebrum calorem cordis temperare. ibid.
Partem nullam per ſe refrigerare. 17
cur Partes cæteras calefacere. 18
Partes aliquas ex accidente refrigerare. ibid. Vt cor à cerebro refrigeretur. idid.
Partium actio qualis. 19
Partium actio duplex. ibid.
Partium omnium euaporatio. 52
Partium homogenearum & eterogenearum conditiones quales. 69.b.132.135
Partium ceterarũ cum corde proportio quanti referat. 79
Partium diuerſitas vnde. 119
Partes omnes ex eadem ſanguinis materia formari. ibid.
Partium tria genera. 123.135
Partium proprie dictarum duo genera, homogeneæ & eterogeneæ. 123
Pars quid ſit. 131
Pars inſtrumentum, & membrum, quid differant. 133
Partes eterogeneæ, inſtrumentariæ. 133
Pars nulla otioſa. 134
Partium vſus multiplex. ibid.
Partium mirus conſenſus. 135
Partes homogeneæ quot, & quæ. 140
Partes præcipuæ quatuor Galeno; cor, cerebrum, iecur, teſtes. 161
Vnicum Ariſtoteli virtutum omnium principium, cor, cætera cordis vicaria. vide Cor.
Partes corporis non ſentientes, quæ. 586
Partes ſolidæ, & poroſæ. 1063
Partus iuniorum imbecillio res. 82.e.83.a
Paſſio duplex, corrupens & perficiens. 1197.1208.1914.c
Paſſionis tres gradus. 1771.a
Pati, moueri, & agere, vt idem ſint. 1186
Pectus ſeu ſternum. 247
Pendere à corpore vt ſubiecto, vel vt obiecto. 367
Pepones ad ſolem frigeſcere, & cur. 1008
Pericardium. 252
Pericardio incluſus humor. ibid.
Pericranium. 270
Perioſtium. ibid.
Peritonei ortus, & deſcriptio. 212
Peritoneum cur dictum. ibid.
Peritonei vſus. ibid.
Peritonei ſubſtantia. 188.213
Peritonei foramina. 213
Perſpectiuorum demonſtrationes. 1164
Perſpicuum quid. 1248
Perſpicuitas vt pluribus corporibus communis. 1249
Perſpicuum à quo fiat actu. 1254
Perſpicuum optimum videndi medium. 1276
Perturbationes in beſtiis quoque ineſſe. 1963
Perturbationes virtutum materia. 1963.d.e
de Perturbationibus qui agant. 2191.a
Perturbatio quid. 2191.c
Perturbationum origo. 2192.a. Stoicorum ſententia. ibi. c
Perturbationis inordinatæ cauſa. ibid. e
Perturbationum inſtrumentum quod. 2193.c
Perturbationum materia. 2194.a
Perturbationum formalis cauſa. ibid.d
Perturbationes quæ veriùs nominentur. 2195.c
Perturbationum finis. ibid.d
Perturbationis immoderatæ damna. ibid.
de Perturbationum numero. 2196.b
Perturbationes primariæ quatuor. 2198.d
Stoicorum Eupathiæ. 2198.c
de Perturbationum ordine. 2199.c
Perturbationes bonæne an malæ. ibid.
Pes vnde dictus. 307
Pedis totius partitio manui reſpondens. 303
Pedis vſus, & partes. 308
Pedis & manus differentia. ibid.
Pedem mouentes muſculi. 309
Phantaſiæ vis in corpus. 46.1292
Phantaſiam eſſe communem operationem. 366
Phantaſiam intellectum paſſiuum dici. ibid. & 821.1681.b. 2006.e.1831.
Phantaſia, νοῦς, & intellectus. 411.1654.a. 1670.d. 1675. 1792.2006.2169.
Phantaſiæ obiectum & operatio. 1672.d.1675.a
Phantaſia intellectio quædã. 411. 497.1654.1680.e.1681.b
Phantaſma quid. 1699.b
Phãtaſia in omnib⁹ animalibus aliqua. 821.851.865.1697.c
Phantaſiam ſentientem virtutem eſſe. 1682.c
Phantaſia per tranſlationem quid. 1683.d
Phantaſia propriè quid. ibid.
Phantaſiam ab intellectu differre. 1674.d.1677.b.1679.b. 2145.c
Phantaſia an & quatenus intelligendo neceſſaria. 1673.b. 2086.& ſeq.
Phantaſia cur falſa & quæ non ſunt fingat. 1675.c
Phantaſia an verum & falſum habeat. 1683.e
Phantaſia cur interdum verè, interdum falſa. 1736.c.1737. c.1742.c
Phantaſia cur ſæpè falſa. 1699.c.1736.c.1737.c
cur non Phantaſia, ſed opinione affectus animi excitentur. 1677.d
Phantaſiam à ſenſu diuerſam eſſe. 1687.e.1695.c. 1696.c. 1649.e.1700.a.1701.d
phantaſiæ vis in ſomno. 1689.c.& ſeq.
Phantaſia infantes non ſtatim vti. 1695.d
Phantaſiam nec ſcientiam eſſe, nec intellectum. 1702.e
Phantaſiam opinioni ſimilem eſſe. 1704.d
Phantaſiam opinionem non eſſe. 1705.a
Phantaſiam opinionis & ſenſus complexionem non eſſe. 1709.c.1714.c.1716.a
Phantaſiam accidentium eſſe. 1710.c
de Phantaſia quid Plato ſenſerit. 1711.a.& ſeq.
Phantaſia quid. 1718.a.& ſeq.
Phantaſia in quibus ſit. 1718.d
Phantaſia vt non ſine ſenſu. 1719.a
Phantaſiam vt ſenſus moueat. 1719.a.1732.c
Phantaſiæ definitio. 1719.d.1731.a.1745.a
Phantaſiam à communi ſenſu diſtinctam facultatem non eſſe. 300.1720.b.c
Phantaſia & imaginatio idem. 1721.c
Phantaſia quomodo operetur. 1732.b
Phantaſiæ & intellectus comparatio. 1732.e
Phantaſia vt multa formet nullo ſenſu percepta. ibid.
Phantaſia à quo ſenſu moueri dicatur. 1733.d
Phantaſiæ & communis ſenſus comparatio. ibid.
Phantaſiam & ſenſum non ſimul operari. 1734.b.1744.c
Phantaſiæ cum ſenſu cognatio. 1735.1744.a
Phantaſia & ſenſus diſcrimen. 1736.c.1744.a
Phantaſia quomodo patiatur & agat. 1735.d.& ſeq.
Phantaſia duplex, ſuſcipiens formas, & effingens. 1742.e
Phantaſiæ tres gradus. 1743.a
Phantaſia vnde dicta. 1746.b
Phantaſiæ quatuor cauſæ. 1747.c
per Phantaſiam vt dicantur multa fieri. 1748.b

Phantasia potissimum circa absentia. ibid.
Phantasia vt homo interdum viuat. 1749.a.& seq.
Phantasiæ finis & vsus. 1749.e
Phantasia vt appetitum excitet. 1750.a
Phantasia vt intellectui prosit, vel obsit, in intelligendo. ibid. & 2132. 2147.e
Phantasia bestiarum an absentia cognoscat. 2170.a
Phantasia rationalis & irrationalis. 2259.d.2263.a
Phantasiæ diuisio. 2261.e
Phantasia rationalis quatenus deliberatiua. 1085. 1191. 2260.b.c.2264.c
Phantasiæ hominis & bestiarum differentia. 2265.d
Phantasmata vt ad intellectum se habeant. 2086.b
in Phantasmatibus vt intellectiles formæ. 2100.b
Philosophiæ beneficium in hominem. in præfatione. 1.a
in Philosophiæ studio duplex error vitandus. ibid.
Philosophia veterum symbolica. in præfatione. 2.c. 716. 724. 725. 832
Philosophorum veterum scripta an legenda. in præfatione. 3.c.619
Multa meliùs à Christianis quàm à priscis philosophis, intellecta. in præfatione. 7.b
Quomodo Philosophandum, & quatenus audiendus Aristoteles. ibid.a
Philosophiæ Aristotelicæ commendatio. in præfatione.
Philosophiæ studiosus qualis. 313
cum Philosophis veteribus quanta fide egerit Arist. 402. & seqq.
Vt illos sæpè reprehenderit. 402. 405. 407. 502. 563. 596. 609. 1713.e
Libri de Philosophia qui citentur ab Aristotele. 419
Philosophi Christiani munus. 1802
Philosophiæ partes & diuisio. 2177.b
Phlegma vnde dictum. 104
Reliqua vide Pituita.
Pictorum conditio. 1
De Pila ad terram allisa & resiliente. 1303
Pilorum in corpore consideratio. 26
Pilosi libidinosi. ibid.
Pilus crispus vnde. ibid.
Pilorum colores. ibid.
Pilorum ortum prohiberi vespertilionis sanguine. 107.b
Pili an animati & corporis pars. 137
De Pilorum accretione. ibid.
Pili capitis cur omnium crassissimi. 141.d
Pili cur homini ex cicatricibus non nascantur. 142
Pilorum materia, efficiens, subiectum, ortus, & finis. 267. & seq.
Pili diuersarum corporis partium. 268
Pilorum canities vnde. ibid.
Pilorum canities hominis propria. 269
De Pilorum casu, id est caluitie. ibid.
Pisces an arena limóque sustententur. 1373
Pisces an vocales. 1364. 1365
Pisces cur voce careant, arteria, & respiratione. 1396
Pisces an omnino respirent. 1397.& seq.
Pisces odorari. 1414. 1555.b
Pisces audire. 1555.b
Pituitæ qualitates, tùm innatæ, tùm aduentitiæ. 104. 105
Pituitam interdum nutrire. 99. 104. 115. 117.b. & seq. 237
Pituitæ sedes vbi. 98. 105
Pituitæ vsus. 115
Pituitosos inediam faciliùs ferre. 117
Plantæ ad solem sese conuertentes. 442
De Plantarum absciſſis partibus opinio Simplicij. 568. 220.e
Plantarum corpora organica. 665
Plantas animatas non esse, Stoicorum opinio. 668
Plantas sentire, quorumdam opinio. ibid.& 2276.c
Plantas viuere & animatas esse. 592. 593. 616. 668. 670.& seq. 815. 816.
In Plantis quæ primaria sedes vitæ.
plantæ vt mori dicantur. 76
In plantis vt plures animæ potestate. 671.c
In plantis vt situs differentiæ. 810
Plantarum nutritio. 964
plantæ cur non sentiant. 1524.& seq. 2275.d. 2277.b. 2293.e
plantæ vt formas cum materia suscipiant. 1048
plantæ cur non dormiant. 1525
plantæ cur immobiles. 1646.e
In plantis an appetitus vllus. 2162.b
Plantarum fructus & semen vt differant. 2151.e
Plantanimalia. 665
Plantanimalia an perfecta animalia. 592. 817. 1553.d. 2163.a
Plantanimalia num gignendi vi prædita sint. 2164.c. 2261.a
Plantanimalia phantasiam habere & concupiscentiam. 2164.c
Plantanimalia qualem phantasiam habeant. 2261.b
qualem item motum. ibid.
Plantanimalia cur se pandant. ibid.
Platonis philosophia cur olim magis probata. 2262.c in præfatione.
Platonem sacra perlegisse volumina. 4.c
Platonis opinio de ideis vt sit vera. ibid.
Plumbum cur ferro grauius & mollius. 405
Pluuiæ lapidum. 964
Podagra non laborare eunuchos. 774
Podagra ex intemperantia. 82.d
Polycleti statua. ibid.
Pomum in linteo coctum 21.207
Pori in corpore animato. 1292
Pororum vsus in corpore. 1057. 1063
Poros numquam esse inanes. ibid.
Potabile & impotabile duplex. ibid.
Potabile quoddam tactile. 1445
Potestas duplex, priuata, & coniuncta cum actu. 75
Potestatem & actum in omnibus generibus esse, & quomodo sint. 338
Potestas duplex, obiectiua, & subiectiua. 632
Potestas pura in accidentium genere, non in substantia. 633
potestas duplex ad actum, aut integrum, aut partem eius. 750
Potestas duplex ad motum. 974
Potestas duplex, ad formam, & operationem, seu remota, & propinqua. 1193. 1207.c. 1772.a
Potestas triplex, agendi, patiendi, & agendi simul & patiendi. 1783.d
potus an in arteriam, an in ventrem descendat. 260.& seq.
praxis quid. 2172.b. 2185.e
praxis propria, & participata. 2073.a
practicus actus duplex. 2175.c
practici habitus subiectum. 2175.a
practicum bonum quid. 2185.c
practica ratiocinatio qualis. 2105.d. 2169.d
practicæ ratiocinationis vtra propositio ad agendum moueat. 2170.b
practicæ ratiocinationis vtramque propositionem esse intellectus practici. 2170.c
De principiis rerum Anaxagoræ opinio. 408. 409
De atomis rerum principiis Democriti sententia. 598
De vno primo principio Parmenidis & Melissi opinio. 402
De rerum principiis Empedoclis opinio. 412. Platonis sententia. 414. 421. Veterum discordia. 424. Thaletis sententia. 430. Diogenis & aliorum sententia. 445. Heraclyti sententia. 446
principium esse quod mouet. 425

principium rerum esse ignem. ibid.
principium rerum an vlli terra. 451
principium & causa quid differant. 945
A priuatione ad habitum an sit regressus. 487
Priuationis cognitio ex habitu. 2062.c.2067.b
Proëmij librorum de Anima artificium. 315
in Proëmijs mos Aristotelis. ibid.
Proiectorum corporum & magnetis comparatio. 1294
Proiecta à quo moueantur. ibid.
Proiecta non moueri à virtute impressa. 1295
Proiecta moueri à medio. 1296.& seq.
Proiectorum motus cur in medio velocior. 1299
Proiectum vt rectà tendat in scopum. ibid.
Vt aër tam grauia corpora proiiciat. ibid. Cur grauia & dura magis, quàm leuia & mollia, proiiciantur.
Lapilli in aquæ superficiem proiecti. 1301
De iis, quæ per fistulam truduntur. 1301
De motu trochi. ibid.
De lusoria pila reticulis proiecta. 1302
De corda tensa, & forcipibus ferreis. 1303
De motu fundæ. 1303
Prophetica visio persimilis insomniis. 2133.c
De prouidentia, Thaletis testimonium. 430
Prouidentia triplex apud Platonicos. 854
Prouidentia quid. 1928.c
Puer ante ætatem loquutus. 293
Pulchrum & bonum vt differant. 318.2208.d
Pulchritudo, & sanitas vnde. 533.534
Pulchritudo quadruplex. 2204.b
Pulchritudo vt radius Dei. ibid.
Pulmones ori continuos esse non posse. 261
Pulmonum situs. 262
Pulmones cur alligati spinæ. ibid.
Pulmonum consideratio. 262.& seqq.
Pulmonum vsus. 263.1372
Pulmonum magnitudo. 263
De pulsu cordis & arteriarum. 1124.& seqq.
Pulsus quid. ibid.
Pulsus quæ sit efficiens causa. ibid.
In Pulsu plures motus contineri. ibid.
Pulsus cordis, & arteriarum quomodo, & quo ordine fiat. 1127.& seqq.
Cur Pulsent arteriæ, non venæ. 1128
Cur non pulset arteria ligata. ibid.
Cur pulsent magis remotiores arteriæ. 1129
Cur pulset item cerebrum. ibid.
Pulsus an sit motus naturalis. ibid.
Pulsus finis duplex. ibid.
Pulsum duplici constare motu, duplicique quiete. 1130
Pulsum non esse motum voluntarium. 1132
Pulsum fibris non vti. ibid.
An arteriæ omnes simul vniformiter pulsent. ibid.
Pulsuum differentiæ. 1133
Pulsus maris & fœminæ qualis. 64
Pulsus & tractus qualis motus. 2257.c
Pumex cur aquæ innatet. 913
Pupilla quid. 282.1547.d

Q

Quæ solùm quatuor. Quæstiones de substantia, de accidente 357
Vt in omnibus Quæstionibus quæratur medium. ibid.
Qualitates quatuor omnes positiuas esse. 597
Qualitatum intensio & remissio admixtione contrariæ. 1009.
Qualitas imperfectior comparatione perfectioris veluti priuatio. 1240.1451.2062.b
Qualitates primæ vt elementorum differentiæ, & principia. 1495
Qualitates primæ vt cum lumine conueniant. 1529
Vt à cæteris qualitatibus differant. ibid.& 1531
Quantitas materiæ, qualitas formæ. 635.703
Quantitas perfectionis, & molis. 935
Quantitas existentiæ, duratio. ibid.
Quantitas existentiæ, duratio. 985
Vt naturalium omnium determinata quantitas. 985
Quantitatis partes, quæ & quomodo. 986.2046.b
in Quantitate quomodo infinitum. 986
Aristotelem de infinito sibi non contradixisse. 987.988.1829.a.1863.c.& seq.
de Quantitate maxima & minima. 988.989
de Quantitatis finitæ termino qui est figura. 989.990
Quantitatem à substantia distingui. 1258
de Quantitatum penetratione. 1257.& seq.
in Quantitate duplex ratio partium, in se, & in ordine ad aliud corpus. 1259
Quantitas continua, vt partibilis, vel impartibilis. 2047.a.& seq.
Quantitas continua vt intelligatur. 2047.b. 2049.b. 2050.a.& seq.
In Quantitate quomodo sint impartibilia. 2057.a. & seqq.
Impartibilia hæc non distingui re à quantitate. 2058.b
Impartibilia hæc formaliter significare priuationem. 852. 2058.c.2060.c
Impartibilium quantitatis duo genera. 2059.a
Impartibilia quantitatis vt intelligantur. 2061.a
Quantitatem tribus modis considerari. 986
Quidditas compositi an sola forma. 949.957
Quies contemplationi opportuna. 495.2166.c.2269.d

R

Radij os. 298
Radium mouentes musculi. 299
Ratiocinatio vna quæ. 506
Ratiocinatio & conclusio vt differant. 490
Ratiocinatio vt sit motus. 495
Ratiocinatio an cum corporis motu fiat. 547
De intellectus ratiocinatione. 2033.a.& seq.
Ratiocinatio cur dicatur. ibid.
Ratiocinationis partes. ibid.
Ratiocinationi simile quid in natura & arte. ibid.
Ratiocinationis partium nexus. 2034.a
Ratiocinationem omnem vniuersa aliqua cognitione niti. ibid.
In Ratiocinatione antecedentis & consequentis dispositio. ibid. antecedentis & consequentis dispositio duplex. ibid.e
Ratiocinationis deductio materialis & formalis. 2035.a
Ratiocinationis forma quæ. 2035.e
Ratiocinando ex vero verum, & interdum ex falso colligi. 2036.a
Ratiocinationis species quæ. 2036.e
Ratiocinationis pars an sit conclusio. 2037.c
Reactionem cum actione coniunctam esse. 1008
Reactionem fieri in eadem contrarietate. 1009.& in eamdem partem. 1010
Actio, passio, Reactio, & repassio, quid. 1010. & harum omnium radix quæ. ibid.
De Reactione opiniones variæ. 1010.1011.1012
Reactio quomodo fiat. 1016.& seq.
Soluitur argumentum de parte repassa, seu medio. 1017.& seqq.
Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipi. 735
Recognoscere & cognoscere eiusdem esse facultatis. 1724.e
Retinere & cognoscere eiusdem esse facultatis. 1725.b

vt Refrigeretur calor in omnibus viuentibus. 1137
Reflexio & refractio quid. 1337
Regressus in demonstratione quid. 492.804
Regressu Aristotelem sæpè vsum fuisse. 493. 805. 1286
Relata quomodo simul sint, vel non sint. 893.1605.e.& seq.
Reminiscentia interdum motus, interdum quies. 549
Reminiscentia quomodo fiat. ibidem. cæterum vide Memoria.
C. Renum substantia qualis. 146
Renum consideratio. 232.& seq.
Resistere quid sit. 1012.& seq.
Resistentia in quibus sit. 1013
Resistentia quanta vis qualitatibus singulis insit. 1014
Respirationem duobus modis impediri. 89
Respirationi famulantes musculi. 249.250
Respiratio narium cur. 276.279
de Respiratione quid Democritus. 401. & confutatio. 402.
Respiratio quid. 1133
Respirationis duplex motus. ibid.
Respiratio interior pulsu. ibid.
cur Respirent animalia. ibid.& 1366.
Cur aër potius inspiretur quam aqua. 1134
Respirationis quod sit præcipuum instrumentum. ibid. & seq.
in Respiratione quæ sit pulmonum attollens, & deprimens causa. 1135
Respiratio cur minus fræquens, quam pulsus. ibid.
in Respiratione diaphragmatis & thoracis motum pulmones consequi. 1136
Respiratio an sit motus naturalis. ibid. an sit voluntarius. ibid.
Respiratio & interior refrigeratio. 1372
Inspiratum aërem cerebri sinus non subire. 1425
de Resurrectione corporum nostrorum futura. 487.e.& seq.
Resurrectionem esse possibilem. 488
Resurrectio futura vt cognosci possit. 838.1839.c
Resurrectio vt naturalis sit. 839
ῥυσμὸς quid. 400
Risus vnde & quomodo. 2138.a
ad Risum qui prompti. ibid.d

S

SAliua vnde. 291
Saliuæ vis. 1047
Sanguinis temperatio, color, odor, sapor. 106.107
Sanguinis sedes. 98.107
Sanguini purgando cur medicamentum nullum. 112. 116
Sanguis an solus, an cum cæteris humoribus permixtus, contineatur in venis. 113.& seq.
Sanguinis vsus duplex. 114
Sanguinem solum nutrire. 116.& seq.
Sanguinis summa necessitas. 123
Sanguinem corporis partem non esse. ibid.
Sanguinem animatum non esse. 124
Sanguinis per corpus distributionis pulchrum Aristotelis exemplum. 124
de Sanguinis principio Hyppocratis sententia. 160. 161.
Galeni sententia. ibid. Aristotelis sententia. 164 .& seq.
vt Sanguinis principium tum cor sit, tum iecur. 166
Sanguis duplex, & duplex alimentum. 167
Sanguis iecoris vt à corde perficiatur. ibid.
an Sanguinis plus ad superiores, an ad inferiores partes mittatur. 171.172
an Sanguis totus à iecore ad cor ascendat. 173
Sanguis ex interfecto homine erumpens interfectore præsente.
Sanitatis latitudo. 19
Sanitas & morbus quid. 1291
Sanitatem & morbum non in actione, sed in habitu versari. 67.68
Sanitatis & morbi subiectum, & natura. ibid.
De neutra dispositione inter sanitatem & morbum media. 70. neutra dispositio quadruplex. 69
Ad sanitatem an sit motus, & quomodo sanitas comparetur. ibid.
Sanitas & pulchritudo vnde. 71
Saporem ad alimentum pertinere. 533.534
Saporum species. 846
Saporum generatio. 1411.1451.1452
Sapor vt humidi; odor sicci. 1415.1429
Saporis definitio. 1416.1429.& seq.
Sapores ex passiuis potius, quam ex actiuis qualitatibus iudicari. 1430
Saporis materia humidum. 1431
Sapidus interdum aër. 1437.1438
Saporem omnem humore gustari. 1438
Saporum medium an humor. 1440
Saporis extremi qui. 1446
Saporum & colorum differentia. 1452
Sapor dulcis & amarus vt aliorum principia. 1454
Sapores medii an ex extremis componantur. 1455
Scapulæ os. ibid.
Scapulam mouentes musculi. 297
σκληρὸν quid. 298
Scientia quæ prior & exactio. 320
Scientiarum dignitas & certitudo vnde. 319
Scientias & à prioribus & à posterioribus progredi. 353.
Scientiarum distinctio ex abstractionibus. 381
Scientias tres alias præter naturalem de materialibus agere. 382
Scientias plures ex natura rei distingui. ibid.& seq.
Vt Metaphysicus re & ratione abstrahat à materia. 383
Sciendi instrumenta quot. 491.& seq.
Scientiam Socratis negatione constasse. 631
Scientiæ obiectum posse esse analogum, & ad vnum. 694. 695
Scientiam per doctrinam, aut inuentionem comparari. 1200.1586.b.2144.d.
Scientia & intellectus cur semper vera. 1703.b
Scientia potestate vel actu. 2137.c
Scriptorum conditio pectoribus similis. 1
Scripta aliorum legisse vtile esse. 616
Scripta rerum potius, quam vocum, signa esse. 1383
Semen animatum non esse, neque corporis partem. 138. 139
Semen totum homogeneum esse. ibid.
Semen sinistri testis impurius & frigidius esse. 236
Seminis & alimenti similitudo. 239
Semen quid. 450.1084
Semen vt pituitæ simile. 1085
Semen & genituræ idem. ibid.
Seminis spumositas vnde. ibid.
Semen pueros & senes non habere. 1076
Seminis plus quibus sit. 1085
Semen ex omnibus corporis partibus non decidi. 1086.

Seminis duplex pars. 1085.1099
Semen an concepto fœtu euaneſcat. 1100
Semen tùm agentis, tùm materiæ vim habere. ibid.
Seminaria vaſa. 236.d
Seminaria vis in teſtibus. 237.& ſeq.
Seminarios meatus propter teſtes fuiſſe factos. 240
Seminaria vis in homine. 796
Seminaria vaſa cur longa. 1087
Seminariæ virtutis opera quæ. 1090
in Senio cur aſpectus debilior. 555
Senium duplex. 556
in Senio intellectum magis vigere & cur. ibidem. triplex huius rei exemplum. 557
Senes cur bibaces. 850
De primo Senſus ac motus principio Ariſtotelis & Galeni diſputatio. 189.& ſeq.
Autoris de ea iudicium. ibid.
Senſuum organa cur propè cerebrum. 195.265
in Senſu qualis paſſio, ſeu alteratio. 373.960.961.1153.1166. 1167.1179.1180.1192.1198.1770.a.2078.a.b.
Senſum patiendi facultatem eſſe. 1168. 1180. 1183.1192. 1198
in Senſu duplex paſſio. 1183.1503.1533
Senſus vt patiatur à ſimili, aut diſſimili. 1192. Vt à contrario. ibid.
Senſus & intellectus ſimilitudo & differentia. Vide Intellectus.
Senſus & materiæ comparatio. 1172.1173.1208
Senſum appetitu & motu mobiliorem eſſe. 861.1553.a
Contra negantes Senſum. 1015.& ſeq.
Senſum agentem nullum eſſe. 1150.a.1178.& ſeq.1944
in Senſu qualis contactus. 1175
Senſuum differentia quoad contactum. 1159.1541.c.d
de Senſibus tractationis partitio. 1166
Senſus exteriores tripartito diſtinctos eſſe. 1183
Senſus poteſtate & actu. 1184.1688.a.2137.c
Senſus poteſtate quis. 1185
Senſus poteſtate pluribus modis. ibid.
Senſus prima mutatio à generante, ſecunda à ſeipſo. 1201
Senſus obiectum vt ſit extra. 1202
Senſus definitio. ibid.& 1208.
Senſus cur præſentia, intellectus abſentia cognoſcat. 1205
Senſus ſingularium, intellectus vniuerſalium quomodo. 1205.
in Senſu quomodo veritas aut falſitas. 1214.1684.b
de Senſuum iudicio. 1213
An in Sẽſibus homo à cæteris animalibus ſuperetur. 1400
Senſuum eſſentialis perfectio quæ. ibid.
Senſus omnes moderatis obiectis delectari, extremis moleſtia affici. 1403
an Senſus vnus vnius contrarietatis. 1459.1497
Senſus omnes vt ſentiendo conuenient & diſcrepent. 1478
Senſus vt mediocritas & proportio ſit. 1502.1521.1611.c
Senſum omnem eſſe mediocritatem. 1502
Vt in ſenſibus omnibus dolor ſit & delectatio. 1505
Senſus vt ſenſiles formas ſuſcipiat ſine materia. 1513.1534
Senſus vt à vehementi vel exili obiecto corrũpatur. 1521 1612.b.e
Senſum tum ab immoderato obiecto, tùm diuturna operatione diſſolui. 1879.c
Senſum duobus modis corrumpi poſſe. 1522
Senſus paſſio vt à cæteris differat. 1531
Senſuum duo genera, exterius, & interius. 1232
de Senſuum exteriorum numero cur Ariſtoteles dubitet. 1537.e
Vt quinarius eorum numerus probetur. 1558.a
Senſus medium quotuplex. 1541.c. & ſeq.
Vt ex mediis probetur plures, quam quinque ſenſus non eſſe. 1541.1542
Senſoria non niſi quinque eſſe. 1546.c
Vt ex ſenſoriis probetur plures, quàm quinque, ſenſus non eſſe. ibid.&1552.a
Cur nullius ſenſus ſit ignis. 1549.d. vt communis omnium ſenſuum. 1550.a
Cur nullius ſenſus terra. 1551.a
Senſuum numerus ex obiectis. 1560.c
Senſus cur plures. 1578.a
Senſuum exteriorum comparatio. 1580. b. & ſeq. 1288.d. 2199.
Senſus quis nobis cariſſimus. 1585.c
Plures eiuſdem obiecti ſenſus non eſſe. 1584.c
Senſorium pro ſenſu poſitum. 1592.c
Senſitiuum pro ſenſu poſitum. 1603.b
Vt in Senſu remaneat quidpiam remoto obiecto. 1593.c.d
Senſum & ſubiecto & cum tempore operari. 1630.c
Senſus particularis vt contraria ſimul cognoſcat. 1642.c
Senſus an formarum locus. 1873.c.2140.d.
Senſum non æque ac intellectum impatibilem eſſe. 1878.a
in Senſu duplex paſſio, in intellectu vnica. 1915.a
Senſus & ſenſilia, an idem. 1930.b.1996.c.2140.d
Aſpectum, Auditum, & Odoratum, greſſilibus ſolis animalibus neceſſarios eſſe. 2288.c
Senſum animalibus cunctis ineſſe. 2278.b
Senſus omnes tangendo ſentire. 2295.c
Partes corporis ſiccas non ſentire. 2297.a
Senſuum comparatio. 2288.d.2289.e.2299.e
Senſus cur plures, & appetitus vnus. 2011.b
Senſus bonum & malum non diſtinguit. 2080.d.e
Senſus & appetitus ſubordinatio. 2083.c
Senſus an rationalis an irrationalis. 2152.d
Senſilia ſola eſſe entia, veterum opinio. 409
Senſilia obiecta vt ſenſionis actiua. 1154.1202
Senſilia obiecta vt moueant ſenſum. 1155.1181.1184.
Febris calor vt ſentiatur. 1171
Ictericus, & ſuffuſus vt ſentiant. ibid.
Senſilium obiectorum diuiſio diuiſioniſque ratio. 1210
Senſile ex accidenti duplex. 1211 a.1229.b.1738.c
Senſilia communia quæ, & quot. 1212.1217.& ſeq.
Senſilis proprij & communis differentia. 1213
in Senſili proprio non errare ſenſum. 1213. 1215.1667.b 1698.c.1738.a
in Senſili communi & ex accidenti ſæpè errare. 1216.1733 1740.c
Senſile obiectum an diuidi in infinitum poſſit. 1220
An ſit ſenſile tam paruum, vt ſentiri nequeat. ibid.
An multa ſimul ſentiantur. 1221
Senſilia communia cur communia dicantur. 1222
Senſilia communia particularibus ſentiri ſenſibus. ibid. & an omnibus ſenſilibus ſentiantur. ibid.& ſeq.
Senſilia communia mouere ſenſum, & quomodo. 1224. & ſeq.
Senſilia communia nullius ſenſus propria eſſe. 1566. a 1570.d.
Quies vt ſentiatur. 1568.a
Numerus vt negatione ſentiatur. 1568.c
Senſilium communium cur plures ſenſus. 1578.a
Senſilia communia cur conſequentia dicantur. 1578. d. 1740.a
Senſilium propriorum cognitio certior, quàm communium. 1579.a
Senſilium communium cognitio an egeat ratiocinatione ibid.

Sensilia communia magis esse coniuncta cum propriis quàm vnum proprium cum alio. 1741.e
Sensile de proprio & communi per prius & posterius dici. 1225.
Sensilia communia nec propriam habere speciem, nec proprium motum. ibid.& 1226
Sensile commune sine proprio non sentiri, nec proprium sine communi. 1227
Sensile ex accidenti quod. 1229.1571.d
Sensilis ex accidenti ortus & causa. 1229.1571.d.e.1576.c
Sensilia communia esse per se sensilia. 1231.1567.a.c.
Sensilia duobus modis, in medio & organo suscipi. 1276
Insensile multis modis dici. 1277.1412.e.1442.1443.1511
Sensilium priuationes vt ex accidenti sentiantur. 1277 1591.a
Sensilium priuationes intellectu cognosci. 1251.1442
Sensilium priuationes non cognosci à bestiis. 1231
Sensilium priuationes vt sensus sentire dicatur. 1231 1591.a
Sensiliũ duplex actus, duplex que potestas. 1262.e.1602.c.
Sensilibus obiectis diuersus sensuum motus. 1480. 1488
Sensile positum supra sensum non sentiri. 1485. 1486. 1494.
Insensile secus in tactu, quàm in aliis sensibus. 1512
In sensilibus triplex actio. 1527
A sensilibus duplex passio. ibidem
A sensilibus vt patiantur non sentientia. 1530
Sensilia vt obiecta, & subiecta dicantur. 1585. a 1618. e
Sensile & sensus, aut potestate, aut actu. 1598.b
Sensilis & sensus eundem esse actum. 1596. e. 1598.a. 1599.
Sensile obiectum esse mouens immotum. 1601.e
Sensile actu & sensum actu simul esse & non esse; potestate non item. 1604.e.1605.a
Sensilium motus vt per medium fiant. 2291.a
Sensionem per medium fieri, & cur. 1314. & seqq. 1316
Sensionem immediatam persæpè fieri. 1215.c
An medium prius, quàm sensus, moueatur. 1317.a
Sentiendi medium carere debere sentiendo obiecto. 1275.e
Aspectus, auditus, & odoratus medium, aër & Aqua; & quomodo. 1424.1317.1318.1414.1484.1485.
Sensio per medium vt fiat. 2289.c
Sensiones Hominis vt coniuncta toti communes. 800
Sensio vt animæ sit & corporis. 1151
Sensionem tribus omnino absolui. 1156
Sensionem esse actionem & sentire agere. 1171. 1174.1175 1242.1642.e.1597.c.2082.b
Sensionem passionem solam esse vt dici possit. 1171. & seq.
Sensionis actio à quo producatur. 1177
Sensio cur passio dicatur. 1179
Per se sentiri quid sit. 1567.c
Non solum hominem sensiones suas sentire. 1585.b. & seq.
Sensus, & sentio vt colorata. 1592.a
Nullum sensum sensionem suam sentire. 1613.c.& seq.à quo sentiatur. 1615.a.& seq.
Sentiendi organum non esse spiritum. 1519.
Sensus interiores. 866
Sensus interior & Memoria vt operetur. 1164
Sensum interiorem in animalibus inesse. 1586.c
Sensus interior cur dictus. 1583.a
Sensus interior vt plurium exteriorum obiecta cognoscat. 1577.a
Sensus communis vnde colligatur. 1584.a.1618.b
Sensus communis obiectum & operatio. 1278.1615.e.1617. e.1643.e.1646.a.1721.b.1726.c
Sensum communem duobus modis dici. 1572. e. 1643.e
Sensus communis Platoni cognitus. 1627.a
Quid in hoc Plato & Arist. differant. 1672.c
Sensum communem diuersa simul cognoscere. 1629.b.
Sensus communis veluti iudex. 1590.e
Sensus communis vt vnus & multiplex. 1635.e
Sensus communis vt sit velut punctum. 1590.c
Ad Sensum communem explicandum centri exemplo vsos quoque Platonicos fuisse. 1639.b
Communis Sensus verè vt centrum. 1639.c
Sensus communis particularium terminus. 2094. e 2096 a
Sensus communis vnus plurium obiectorum. 2097.d
Sensum communem non esse particularium congeriem. 1643.a
Sensus communis & interioris organum. 1643.d
Sensus communis cur sensitiuum principium dicatur. 1644.c
Sensus communis cur dictus. 1645.c.1618.b
Sensus communis asseritur. 1624. a. 1626.a. 1627.c.& seq.
De Sensuum interiorum numero opiniones. 1721.c
Sensum interiorem vnicum esse. 1721.c.& seq.
Sensus communis in animalibus cunctis. 1646.c
Sensus communis seu interioris organum esse cerebrum. 1727.a. quænam cerebri pars. ibidem. c. non esse cerebri sinus. ibid. e. esse anteriorem cerebri substantiam. 1728.e
Sensum interiorem sine speciebus operari. 1729.c. quomodo operetur. 1730.b
Sentiens anima inter vegetantem & intelligentem media. 1138
Sentientis animæ facultates tres. ibid.
Sentiens anima cur dicta. ibid.
Separabile & immortale, idem. 370
Separabile à magnitudine & separabile magnitudine vt differant. 1737.e
Seuum ab adipe vt differat. 140
De Sexus maris & fœminæ diuersitate. 61
Vt differant mas & fœmina. ibidem.& 62
Maris & fœminæ partes genitales eædem, sed alio modo dispositæ. 61.62.236. Vnde genitalium hæc diuersitas. 62.63. Marem solum per se quæri in natura. 62.d
Cur non in omnibus viuentibus sexus. ibidem
Marem fœmina calidiorem esse. 62
Hyeme mares, æstate fœminas ad Venerem propensiores esse. 61.e
Posse fœminam aliquam mare quopiam calidiorem esse. 65
Mares fœminis corpore grandiores esse. 63.64
Mares ferè longioris vitæ esse. 64.196.a
Marium operationes omnes meliores esse. 64
Pulsus maris & fœminæ qualis. 64
Siccari corpora quatuor modis. 128.
Signum quid. 1380.
Signum quotuplex. 1384
Simia cur homini simillima. 147
Similitudinum aut imaginum duplex genus. 1145
Similitudo triplex. 1517.1531.b
Non sine, quot modis dicatur. 366
Sitis causa & subiectum. 843
Quinam maximè sitiant. ibidem
Sitim cur non extinguat vinum merum. 870.c
Situs sex differentiæ, & vnde sumantur. 962
Solis

Index Rerum.

Solis radij per coloratum vitrum transeuntes. 1164
Solis magnitudo. 1714.d
Somnia temperationem corporis indicare. 28
Somniorum tria genera. 1617.d
Somnia phantasiæ opera. 1658
Somnium cuius affectio sit. 1688.d
Somniorum quæ causa sit. 1689.a.& seq.
Somnia quibus exemplis Aristoteles exposuerit, & illorum explicatio. 1690.d
Somnium quid. 1691.a
Somnus & somnium quid differant. ibid.
Quinam magis, vel minùs somnient. ibidem
Somniandi tempus. 1691.e
Somniemus quæ maximè. 1691.d.1746.a
de diuinatione per Somniũ plures sentẽtiæ. 1692.a.& seq.
Ex somniis quatenus liceat diuinare. 1693.b
Somnium, oraculum, & visio, quid differant. 1694.b.c
Somni,& excitationis causa. 46.1646.e
Somniantes vt gustent dulce. 1205.e
Somnus vectigalis exactor. 1646.d
Sõnus & vigilia affectiones sensus cõmunis. ibid.& 1647.e
Somnus & vigilia, priuatio & habitus. 1647.a
Somni causa quæ sit. 1647.a.& seq.
Somni initio cur superiores partes frigidiores, inferiores calidiores. 1648.d
Somnolenti qui. 1646.a
Sopotifera quæ. ibidem
Somnus quo anni tempore melior. ibidem
Somnus & vigilia quid. 1650.b
Somni finis quis. ibidem
Somni nimij damna. ibidem
Somni breuioris damna. 1651.a
Somni moderati commoda. ibidem
Somnus an vigilia prior. ibidem
Vt dormientes faciant opera vigilantium. 1651.d
Cur illorum operum post non recordentur. ibidem
Sonatio & auditio vt sint vnus actus, vel diuersi. 1597.e 1598.a
Sonum in aqua audiri. 1318.1322
Sonus cur minùs in aqua audiatur. 1330
Sonus cur non gignatur in aqua. 1318.1322
Sonus cur energia. 1319
Sonora corpora quæ, & qualia. 1319.1354.
Benè sonantia corpora qualia. 1329.
Soni subiectum, tum mediũ, tùm sonantia corpora. 1321
Sonus vt fiat. 1322
Cur de Soni solius, non item aliorum sensilium corruptione Philosophus egerit. 1323
De virga & flagello in aëre sonante. ibidem
Sonans, sonabile, & medium, vt sint in omni sono. 1323
Sonus quali motu gignatur. 1324.1331
Sonus quot modis fiat. 1324
Soni productionem esse naturalem. ibidem
Sonus quomodo multiplicetur. 1325.& seq.
Sonum non semper ad aures vsque peruenire. 1327
Sonus quomodo audiatur. 1327.
Soni causæ quæ. 1329.1331.1351
Soni vt non dominus aër. 1331.1339
Sono aërem per se carere. 1343
Sonum sine aëre spargi. 1334
Sonum reflecti vt lumen. 1336
Sonum semper reflecti. 1186
Loquens vt seipsum audiat. ibidem
Sonum esse etiã à nullo audiatur. 1340
Soni definitio. 1344.1351
Sonum duobus modis fieri. 1349
Sonus à quo, & quomodo fiat. 1353
Soni & pilæ comparatio. 1351
Sonum esse qualitatem secundam, & quomodo. 1352
Qualis Sonus campanę tinnitus. 1353
In Sono & sonantibus corporibus acutum esse & graue. 1356.1357.
De Sono quid Aristoteles tradiderit. 1361
De Sono cicadarum, muscarum, grillorum, & apum. 1363
Species intẽtionales nullas esse. 549.1153.& seq.1277.1439. 1500.1514.1515.1521.1534. 1634.d.1636.b.172.173.267. 298.314.318.613.879.975.978.
Contra species intellectiles. 1902.e.1930.e
Sine speciebus qui sensus operentur. 1140
Species in aspectu necessarias esse. 2141.& seq.
Specierum necessitas quadruplex. 1143
Species an sentiatur. 1144
de Specierum nominibus. 1145
Species quid 1146
Species an eiusdem naturæ cum obiecto. ibidem
Species an homogenea tota. ibidem
Species vnde vnitatem habeat. 1147
Speciem extensam, & partibilem esse. 1147
Speciem intendi & remitti. ibidem
Speciei productio & repræsentatio. ibidem
Species à quo pro ducatur. 1148
Species an suscipiatur in facultate. 1151
Specierum duplex genus; sensile, & intellectile. ibidem
Contra Species qui disputarint. 1152
Species quomodo picturas & imagines in sensu nominarint. 1154
Speciei in sensu susceptio qualis. 1172
De iis, quæ in Speculis apparent. 1161.& seq.
Speculum concauum. 1291.a
Spermaticæ, & non spermaticæ partes. 1102
Spem ad desiderium & concupiscentem appetitum pertinere. 2123.c
Sperent qui maximè. ibidem.d
Spem tum experientia adfert, tum adimit. 2224.a
Spei cum amore & desiderio coniunctio. ibidem
Spes duplex, in sensu & in voluntate. ibidem
Spem in bestiis quoque esse. ibidem.
Spinæ medulla alterum cerebrum. 203
Spina fluuius, cerebrum fons. 204
Spina caudex, cerebrum radix. ibidem
Spina quos habeat motus. 267
Sphæram puncto planum rectum tangere. 372
Sphærum quid Empedocli. 992.412.526
Spiritus in animalis corpore quid, & cuius naturæ. 44
Spiritum hunc in corpore animalis inesse. 45
Spiritum animatum non esse, neque corporis partem. 46
Spiritum calidissimum esse. 47. An flaua bile calidior. ibid. An corde calidior. 48
Spiritus temperatio qualis. 48
Spiritus duplex, innatus, & influens. 49
Spiritus innatus duplex; in semine, & in fœtu. ibidem
Spiritũ mẽbris innatum à seminis spiritu diuersum esse. ibidem
Spiritum mẽbris innatum per totãvitam non conseruari ibidem
Quomodo Spiritus restauretur. ibidem
Spiritum inspirato aëre non restaurari. ibid.
De triplici Spiritu Auicennæ opinio. 51
Naturalem Spiritum necessarium non esse. ibidem
Spiritus vitalis & animalis quid. 52
Vter Spiritus sit prior. ibid.
Spiritus vitalis vt in animalem mutetur; & cur. 53
Spiritus vitalis vt à corde, & animalis à cerebro transmittatur. ibidem
Spiritus vitalis & animalis vt differant. 54.193
Spiritus vt motum animalis faciat. 496
Spiritum sentiendi organum non esse. 1519
Spuma vnde oriatur. 1085

Sternum, seu pectus. 247
Sternutatio. 279
Stomachus quid, & illius consideratio. 215.216
Substantia vt dicatur hoc aliquid. 337
Substantiæ primæ cur maximè substantię dicantur. 536
Substantiæ consideratio duplex, & diuisio. 624
Substantiã non nisi ex accidẽti sensilẽ esse. 1211. & cur. 1230
Substantiam à bestiis non cognosci. 1212
Substantiam accidenti, & accidens substantiæ accidere. 1230. 1572. a. b
Substantia materialis vt cognoscatur. 1901. b
De terræ succis. 926
Succinum trahens paleas. vide Magnes.
Sursum & deorsũ vt in vniuerso & in viuentibus sint. 963
cur Sursũ & deorsũ moueãtur leuia & grauia. 965. & seq.
Suscipi aliquid in aliquo duobus modis. 1172
de Synonimis. 689. 690. 691

T

TActus cur in animalibus omnibus. 818. 1248. a. 2284. e
Tactus vt alimenti sensus. 845
Tactus & gustatus alimenti sensus. 1436
Tactus vt plures habeat differentias. 1216
Tactus à cæteris sensibus differentia. 1401. 1501. 1285. a
Tactum excessum solum qualitatum sentire. 1401. c. d
Tactus homini cur exquisitissimus. 1408
Ex Tactu quã verè ingenij bonitas colligatur. 1408. & seq.
Tactus solus in quibusdam animalibus. 1436
de Tactu cur postremo loco agatur. 1456
de Tactus vnitate. 1461. 1471. c. 1496. 1538. d
Tactus obiectum quatenus vnum. 1461. & seq.
Tactum pluribus modis dici. 1479
Inter quælibet corpora nõ esse aërẽ aut aquã. 1473. & seq.
in Tactu vt medium prùs, quàm sensus, moueatur. 1482
Tactus maximè materialis sensus. 1494
de Tactus organo. 1456. 1464. 1466. 1486. & seq.
Tactus primum organum non esse carnem. 1466. 1479. 1484. 1485. 1492.
de Tactus organo varia Aristotelis sententia. 1487
Tactus organum non esse spiritum. 1487. Neque cor. 1488. & quomodo iuxta cor dicatur esse. ibidem
Tactus organum esse carnem, neruum, cutim, & cæteras partes molliores. 1491. 1492. & seq.
Vt carnem negauit Arist. esse organum. 1484. 1492
Tactus organum vt potestate sit ad tactilia. 1499
Tactus titillatio. 1498
Tactilium qualitatum duplex genus, duplexque modus agendi in sensum; alteratione, & impulsu. 1482
Tactum æquè iudicem esse primarũ omniũ qualitatũ. 1503
Tactus vt sentiat duritiam, & mollitudinem. 1504
de Tactus dolore & delectatione. 1505
Tactus infimus sensus. 1580. c
de Talpa & eius oculis. 1553. c. 1555. d
Talpa num quidquam cernat. 1556. c. & seq.
Talpæ cur aspectus datus. 1558. a. b
Talpæ oculis cur obducta pellis. ibidem
Tarsi ossa. 308
Temperatura mixti quid. 4. 6. 9
Temperaturam habitudinem habere. 6
Temperatura duplex; æqualis, & inæqualis. 7
Temperatura inęqualis duplex, simplex & cõiungata. ibid.
Temperaturæ nouem genera. ibidem
Temperaturæ simplices an vllæ sint. 8
Temperatura prorsus æqualis an detur. ibidem. & seq.
Temperatura ponderis an duplex. 7. 11
Temperationem vnam totius corporis animalis esse non posse. ibidem
Temperatio innata, influens, & actuata. 11. 12
Temperationem actuatam ab innata & influente non distingui. ibidem. & 30
Temperationis actuatæ subiectum. ibidem
Temperationis aliud genus membrorum euaporatione non fieri. 13
Temperatio vt cognoscatur. 13
Temperationem humanã esse omnium perfectissimam, & cur. 14. & seq.
Temperatio optima, quæ. 20
Temperationum regula quę. ibidem
Temperatio hominis an maximè ad pondus accedat. 22
Temperationem humanam in animalium genere mediam non esse. 23
Temperationum species, quæ & quales. ibidem
Temperationum quatuor genera elementis, humoribus, & anni temporibus respondere. 23
Temperationis cuiusque initia quæ. ibidem
vt Temperatio cognoscatur adhibendam interdum cum tactu ratiocinationem. 24
quæ Temperatio corpus faciat magis macilentum. 25
Temperationis principia. 28
Temperationem quæ consequantur, ibidem
Temperatum magis iuuenem esse, quàm puerum. 42
Temperationum genera quatuor ex humoribus. 58
Temperatio quæ longæuior. 85. & seq.
Temporis & motus distinctio. 943. 2048. c
Tempus vt intelligatur. 2048. c
Tempus vt partibile, vel impartibile. ibidem
Temporis sensum an habeant bestiæ. 2188. c. & seq.
Tempus an pendeat ab anima. 2189. a
Tendo quid. 154. 156
de Tendone Galeni sententia, eiusque confutatio. ibidem
Tendo à vinculo vt differat. 156
Tenebræ vt cognoscantur. 1590. c
Ternario vt omnia constent apud Platonicos. 2024. c
Testium substantia qualis. 146
de Testium vsu copiosa disputatio. 237. & seq.
Testium propriam esse vim seminariam. 238. & seq.
propter Testes factos fuisse meatus seminarios. 240
Testibus exectis taurus generans. 240
Terrea carere sensu. 432
Theoriam intellectus propriam actionem esse. 2171. a
Theoreticam facultatem intellectum solum esse, cæteras practicas. ibidem
In homine vnum dirigens, duplexque directio; & quomodo. 2173. d
Theoretica cognitio & practica quæ. 2173. b
Theoretici & practici primã originẽ ex obiecto esse. ibid.
Theoreticum & practicum essentiales & intrinsecos modos esse. 2174. a
Theoreticam aut practicam esse cognitionem omnem entis rei. ibid.
Theoreticã simul & practicã cognitionem nullã esse. ibid.
de Theoretica & practica per prius & posterius cognitionem dici. ibid.
in Theoreticum & practicum diuisio, cuius entis & intellectus sit. 2174. 2175
Theoretico & practico totum hominem optimè gubernari. 2175. b. c
de Theoreticæ & practicæ cognitionis distinctione. ibid. d. & seq.
Intellectus cognitionum tria genera, Theoreticum, practicum, organicum. 2176. e
Thorax vnde dictus. 241
Thorax inter caput & ventrem medius, situ, compositione, & natura. 246
Thorax cur partim osseus, partim carneus. ibid.
Thoracis ossa. ibid.
Thoracis descriptio. 247. & seq.
de Thoracis musculis. 311.
Thorax totus propter cor. 306
Tibiæ ad femur, & ad pedem articulatio. 407
Tibiæ motus, & mouentes musculi. Tibia

Tibia muſicum inſtrumentũ imitatione naturæ facta. 1368
cur Timæi nomine Ariſtoteles Platonis ſententiam ſæpè proponat. 502
Timor quid. 2226.a
Quenam Timeantur. ibid.
Timoris & iuſtitiæ differentia & obiectum. ibid.
Quinam Timeant. 2227.b
Timentes cur frigiant, palleant &c. ibid.
Timentibus cur ſumant manus & inferius labium voxque difficiat. ibid.
Timentes cur ſitiant. 2228.b
Timentibus cur fundãtur alui & prouocetur vrina. ibid.
Timoris ſpecies, ſegnities, erubeſcentia & verecundia, admiratio, ſtupor, agonia. ibid.
Timoris effectus, horror, pauor, ecſtaſis, canities. 2229.
Cur ouis timeat lupum. ibid.
Timor ex amore natus. 2230.a
Timor an timeri queat. ibid.b
Timoris diuerſa nomina. ibid.e
Tintinabulum à Græcis vnde dictum. 1323.c
de Titillatione. 2238.b
Tonſillæ. 216
Torpedo piſcatoris manum ſtupefaciens. 1291
Triangulus prima rectilinearum figura. 860
Triſtitiæ nomina. 2239.d
Triſtitiæ obiectum. ibid.
Triſtitiæ ſpecies. 2240.b.& ſeq.
Triſtitia peſſima perturbatio. 2242.b
Triſtitiæ remedia. 2242.c

V

VApores in corpore animalis vnde gignantur. 1648.e
Vegetantes operationes in animalibus meliores, quàm in plantis 672
Venæ obæſis hominibus anguſtæ. 25
Venæ vſus. 158
Venæ ſubſtantia quæ. ibid.
Venæ & arteriæ diſcrimen. 159
Venæ veteribus arteriæ quoque dictæ. 160
Venæ & arteriæ vſus diuerſus. ibid.
In Venis non concreſcere ſanguinem. ibid.
de Venarum origine Hyppocratis ſententia. 160. Galeni ſententia. 161. Ariſtotelis opinio. 164. & ſeq. Venarum principium eſſe cor vel ex ſenſu oſtenditur. 169.170 Galeni argumenta diluuntur. 171. & ſeq.
Venæ vt radices plantarum. 171
Vena an propè cor ampliſſima. ibid.
Venæ cur non pulſent. 174.& ſeq.
Vena microcoſmi flumen. 175.
Vena ἀζυγὸς ſeu coniugis expers. ibid.
Vena baſilica. 176
Venæ iugulares. ibid.
Vena cephalica. 177
Vena humeraria. ibid.
Iugularis interior. ibid.
Plexus mirabilis. ibid.
Iugularis exterior. ibid.
Vena humeraria. ibid.
Vena axillaris. ibid.
Vena communis & mediana. 178
Vena coronalis. ibid.
Vena adipoſa. ibid.
Venæ emulgentes. 179.232
Venæ ſeminales. 179
Venæ lumbales. ibid.
Venæ iliacæ. ibidem
Vena Porta. 180
Vena Porta cauæ propago. 181
Vena cyſtica. ibid.
Gaſtrica maior. ibidem
Meſenteriaca. ibid.
Gaſtropiploica. ibidem
Inteſtinalis. ibid.
Hemorrhoidalis. ibidem
Splenica. ibidem
Gaſtrica minor. ibidem
Epiploica dextra. ibidem
Gaſtrica coronaria. ibidem
Epiploica poſterior. ibidem
Venæ duæ primæ quæ. 181
Vena Porta, & caua. 227
Venæ nomen quid ſignificet. 1423
Venena. 1020.c.1027
Ventris deſcriptio. 209
In ventre duo vaſorum genera. 214.
In Ventre nutritionis vaſa optimè collocari. 215
Ventric[illegible]onſideratio. 217.& ſeq.
Ventricu[illegible]imali vt terra plantis. 219.
Venter cur ſine oſſe. 148.226
Venus à ſpuma dicta, & cur. 497
Venus cur aphiodetis dicta. 1100
Venus immoderata quantum obſit vitæ. 77.78
Verbum mẽtis actualem intellectionẽ eſſe. 2038.b.& ſeq.
Vt intellectio à Verbo, & intelligere à dicere differant. 2042.b.2043.a
Verbum mentis ſimulachrum rei eſſe. 2043.b
Verbum nullum noſtrum eſſe purum. ibidem
Verbi relatio duplex. 2044.a
Verbum diuinum intellectione produci. 2044.e
Veritas Authoritati ſemper anteponenda. in præfatione. 7
Verum eſſe quidquid apparet, Democriti ſententia. 409
de Veritate & falſitate. 2025.e.& ſeq 2071.a.2072.c
Verum & falſum theoreticum & practicum. 2105.b
Vertebræ cur dictæ. 151.
Verbo (videtur) vt Ariſtoteles vtatur. 390.825
Verecundia duplex, bona & mala. 2231.c.d.
Verecundia in quibus laudetur. ibidem
Verecundia & inuerecundia quid. ibidem
Verecundiæ rubor facies. ibidem
Verecundi cur iubeant, & pertimentes palleant. 2232.a
An Verecunditur ſapiens. ibidem
Verecundia mulierum. ibidem
Verecundia an virtus, an perturbatio. ibidem
Verecundia vt à timore ac triſtitia differat. 2231.a
ex quibus Verecundemur. ibidem.c
quos Vereamur. 2232.a.2233.b.
cur petita negare pudeat. 2243.a
Verecundi qui. 2243.c
Verecundia, pudor, & erubeſcentia vt differant. ibid.
Veſpertilionum ſanguis qualis. 107
Viciſſitudo ac varietas rerum cur delectet. 2237.b.c
Vinculum quid. 153
Vinculi vſus. ibidem. & 154.
Violentum quid. 483.
Virtualis continentia vt admittenda. 754.780
Virtutes herbarum & lapidum. 6
An Virtutes maiores lapidum, an viuentium. 443
Virtus in magnitudine tribus modis. 1856 d.
Viſio duplex, recta & reflexa. 1165
Baculus fractus, & alia quæ videntur in aqua. 1163.1312
de Viſione opinio Democriti. 1237
In viſione neceſſarium eſſe medium. ibidem
Videndi quod præcipuum organum. 1305.& ſeq.
Viſio quomodo fiat. 1309.& ſeq.
Benè viſuri cur palpebras contrahamus. 1311
Viſio vt ſine ſpecie ab obiecto immiſſa fiat. ibidem
Viſionem fieri per lineam rectam perpẽdiculãrem. 1311.e
Viſio exquiſita quæ. 1312.a
Cur magna procul meliùs videantur. ibid.
Viſionem fieri per pyramidem. ibid.
Facies vt videatur in aqua. 1312.e

In motu legere cur difficile. ibid.
Nauigantibus terra & ædes omnia cur moueri videantur. ibid.
Visio cur colorata non sit. 1588.a
Visionem emissione non fieri. 2292.a. Reliqua. Vide Aspectus.
Vitæ principia & fundamēta calor & humor. 54.55.67.77.85
Vitæ duratio vnde. 61
Vitæ partes tres præcipuæ. 60.65.67
Vitam multis modis ominari. 72
Vitam permansionem esse animæ in corpore. 73
de Vita qui agant. 74
Vita quid. ibid. & 647
Vitam in actu primo, non in secundo consistere. 74
Vita & sanitas vt differant. 80.86
Vitæ principia quæ. 76
Vitæ principium & sedes præcipua cor ibid.
Vitæ in plantis quæ primaria sedes. ibid.
Vitæ causæ omnes quatuor. ibid.
Vitæ periodus determinata. 77
Vitam immortalem quemdam fuisse pollicitum. ibid.
Vitæ periodum ex corporis temperatione pendere; hoc est humore, calore, cæterorumque membrorum cum corde proportione. 77. & seq.
Vitæ quantum obsit Venus, & nimius corporis labor. 77 78.79
Vitæ longiores, quæ. 78.79
Vitam conseruantes extrinsecæ causæ. 79
Vitam longiorem quæ regio faciat. ibid.
Vita longior & breuior vt fieri à nobis possit. 80
Vita cur breuior nunc, quàm priscis tēporibus. 81. & seq.
Vitæ obesse immoderatum cibum. 82
Viuentia quæ longiorem habeant vitam. 83
Viuant diutissimè cur quædam plantæ; quæque diutius viuant. ibid.
Vitæ longioris quæ animalia. 84
Vitæ longioris quæ corporis temperatio. 85. Sanguineane, an temperata constitutio longæuior. ibid. & 86
Vitæ longæ signa. 87.88.296.301
Vitam animalium triplici vasorū genere administrari. 198
Viuere cuius animæ effectus sit. 610.647.813
Vita cur vegetanti animæ maximè tribuatur. 648.903
Vita duplex, essentialis, & accidentaria. 684
Vmbilici vasa. 213.214
Vmbilico cur vrinam secernat fœtus. 235.e
Vngues an animati, & corporis pars. 137
de Vnguium accretione. ibid.
Vngues cur semper crescant. ibid.
Vnguium substantia, & vsus. 310.
Vngues quàm longi esse debeant. ibid.
Vngues cur curui. ibid.
Vngues virtle oriantur. ibid.
Vngues vitæ & sensus expertes. 311
Vnio formæ cum materia quid. 685
Vnionis relatio. 686
Vnum cum ex materia & forma fiat. ibid.
Vnisonum cur vnisonum moueat. 1293
Vnitas & numerus simpliciores puncto & magnitudine. 321
Vnitas & punctus vt differant. 567
Vniuersale an sit in rebus. 345. & seq.
Vniuersalia non esse à rebus singulis separata. 347
Rerum naturas tribus modis considerari. ibid.
Vniuersale vt ab individuo vago differat. 348
Generis & speciei natura qualis. ibid.
Vniuersale vt dicatur esse in anima. 1204.1205
Vniuersale vt abstrahatur. 1978.e
De iis, quæ ab vno & ad vnum dicuntur. 694. & seq.
Eorum quæ ad Vnum, definitio & cognitio. ibid. Eorumdem conceptus. 695
Ea, quæ ad Vnum, scientiæ obiectum esse posse. ibid.
Voluntatem nihil præter actionem producere. 2044.b
Voluntatis libertas circa vltimum finem. 2172.c
Voluptatis diuersa nomina. 2234.a
Gaudium & delectatio an differant. ibid.c
Voluptatis definitio. ibid.
Voluptatem in intelligente item parte esse. 2.35.
Voluptatum duo genera, corporis & animi. ibid.
Voluptates quæ meliores. ibid. quæ vehementiores. ibid.
Voluptas bonnáne an mala. 2236.b
Voluptas vt vitanda. ibid.
Voluptatis obiectum. ibid.e
Voluptatis effectus. 2237.e
Voluptas vt operationem perficiat. 2238.e
Voluptas vt desiderium vel tristitiam faciat. 2239.a.b
ex Voluptate vt moriatur interdum homo. 2296.a
Vocis contentio & cohibitio. 211.e
Vocis formatio. 238.d.260
Vocum impositio. 638.
Vox quid; illiusque definitio. 1361.1374.1375.
Vocalia animalia quæ, & cur. 1361.1365
in Voce tria; extensio, concentus, & loquutio. 1362.
Non Vocalia animalia quæ. 1363
An Vocales pisces. 1364
Quid Vox, quid loquutio. 1367.1377
Vox hominis & bestiarum quid differat. 1367.
Vocis quæ propria instrumenta, quæ loquutionis. 1368.
Vocis & loquutionis causa. 1368.1376
Vox cur acuta, aut grauis magna, vel debilis. 1371.1459.
Vocis præcipuum instrumentum quod. 1372
Vox quid, & quomodo formetur. 1374
Vocis significatio qualis. 1376
Vocis humanæ institutio 1377. & seq.
Vox ad significandum aptissima. 1379
De vocum significatione. 1380
Voces quid significent. ibid. an res primùm, an notiones. 1381. & seq.
Voces rebus primùm fuisse impositas. 1382
Notiones esse conditionem, qua significentur res. 1385.
Voces primùm significare notiones. ibidem
In Vocibus duo separanda; id, quod significant, & modus significandi. 1384.
Vocis formationem esse planè naturalem. 1387
Voces à natura significare quomodo probetur. ibidem quomodo à natura significent. ibidem
In Vocibus an vis vlla insit. 1386.1393
Voces ex hominum institutione significare quomodo probetur. 1387
Vocum duo genera; primæ, & abillis deductæ. 1388.1401
Voces partim esse à natura, partim ex nostra institutione. 1388. & seq.
Vocis & rei similitudo. 1400
Vocum Hebrearum similitudo. ibidem
ex Vocibus argumenta crebrò deducta. 1401
Vocum similitudo quomodo consideranda. ibidem
Vocum nouatio. 1402
Vox vt magna, vel parua. 1459
In Voce duplex, magnitudo, & quantitas. ibidem
In Voce asperum & lene. 1460
Vox & concentus vt differant. 1610.a
Vocum significatio vt ad bestias pertineat. 2370.e
Vrachus meatus. 213.235
Vreterum & vesicæ consideratio. 234. & seq.
Vrinæ purgatio. 232.234
Vrina cur non statim ex iecore secernatur. 235
Vrinæ vesica, lagena seu cisterna renibus subiecta. 235.
Vrinam cur fœtus vmbilico secernat. 235.e
Vua & vuula. 291

Z

Zelus & Zelotypia quid. 2210.e
Zoophyta. vide Plantanimalia. FINIS.


In motu lege[illegible] cur difficil[illegible]
Nauigantibus terra & ebri[illegible]

[illegible] cur colora[illegible]
[illegible] emi[illegible]

[illegible]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
948a


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN